B.28

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google


THEOLOGIA
BUSEMBAUM &c.
CUM ANIMADVERSIONIBUS
FRANZOJÆ.

Digitized by Google

THEOLOGIA
MORUM
AB HERM. BUSEMBAUM
S. J. PRIMUM TRADITA,
TUM
A CLAUDIO LA-CROIX,
ET
FRANC. ANT. ZACHARIA
EJUSDEM SOCIIS AUCTA,
NUNC DEMUM
AB ANGELO FRANZOJA
COLLEGII PATAVINI DOCTORE THEOLOGO
juxta ſaniores, ac præſertim angelicas D. THOMÆ AQUINATIS doctrinas ad trutinam revocata.

EDITIO ALTERA CASTIGATIOR,

In qua, præter opportuna additamenta refutationeſque objectionum P. ZACHARIÆ, *accedunt Diſputationes duæ: altera de Summi Pontificis & Œcum. Conciliorum auctoritate; altera de Prædeſtinatione, & Gratia.*



BONONIÆ MDCCLXVII.

PROCURANTE SIMONE OCCHIO
VENETO BIBLIOPOLA,
SUPERIORIBUS ANNUENTIBUS.

Digitized by Google

TYPOGRAPHUS
LECTORI BENEVOLO.

CUM paucis abhinc annis Theologicum Doct. Franzojæ Opus, quo Buſembaumi La-Croixium, alioſque ad trutinam vocat, meis typis ediderim, & ex facili ejus diſtractione alteram nunc editionem moliri debuerim, hanc multo auctiorem, & utiliorem futuram, te, amice Lector, moneo, & affirmo. Nam non pauca, quæ aut neceſſaria, aut valde opportuna viſa ſunt, primæ editionis Animadverſionibus addita fuere; Buſembau vero novis additamentis, illuſtrationibus, caſtigationibus ita locupletatus, & reformatus, ut nova indutos forma ab iis quoque, qui ejus lectionem antea ferre non poterant, ſine tædio, & utiliter legi poſſit. Hinc porro fit, ut qui theologicum Compendium in tanta theologicorum Tractatuum copia a noſtro Auctore edi cupiebant, ſui voti compotes fiant; imo hic longe locupletius, & utilius illud habeant, quam ſi ſeorſim editum fuiſſet, tum propter rerum copiam, & diverſitatem, quæ in Buſembau maxima eſt, tum propter additamenta. Nam quoad univerſalem ajus methodum nihil eſt, quod reprehendas. Adde, quoad Auctor nec difficultate, nec labore deterritus nihil Deo adjuvante, quod critice indigere viſum eſt, ad trutinam revocandum prætermiſit aut illuſtrando, aut caſtigando, ita ut Buſembau loca, quæ intacta relicta ſunt, & facile animum ſubire, nec improbanda eſſe exiſtimaverit. Qoa tamen in en non ex extrema critice, ſed ex æquo ſenſu loqui Auctorem volo. Nam P. Franc. Ant. Zachariam, qui ſub amicæ expoſtulationis ſpecie in noſtri Auctoris trutinam amarulenta invectua eſt, refutatum quidem leges, at ſine religioſi, & ſi vis, eruditi hominis contumelia, nec ſine nova clarioris doctrinæ luce. Demum in operis calce Appendicem habes non paucis neceſſariam, nemini ſupervacaneam. Quod ſi prima editio laudibus a Viris doctis ornata, & vulgo probata fuit, quid de hac altera ſentiendum ſit, tuum, benevole Lector, eſto judicium. Quamquam autem doctorum de ea Virorum ſenſa nota ſint, pauca tamen eorum teſtimonia deſcribere, abs re eſſe non putem. Jacobus Antonius Murani Archidiac. Vicarius Gen. Epiſcop. Feltrenſis 29. Novembris 1760. de ea ita ſcribit. „ Ho letto „ il ſuo bel Libro della Teologia Morale con ſommo piacere, e contento, e lo vado rileg- „ gendo, perchè vi trovo ſempre delle coſe nuove, che incontrano il mio guſto. Veramente „ biſognerebbe, che tutti gli Autori, che ſcrivono in queſta materia, o che ſcriſſero nell' ad- „ dietro, imitaſſero queſta maniera di ſcrivere ſoda, maſſiccia, e conforme alle ſane dottrine, „ come ella fa. “ Celeberrimus Auctor Epiſtola in litterariis Monumentis ſub die 17. Julii 1760. edita ita loquitur.

AMICO CARISSIMO.

Venezia 17. *Luglio* 1760.

„ QUeſta volta io vi regalo d'una notizia che vi deve ſorprendere. Armi valevoli e „ forti ſono ſtate finora adoperate per abbattere la rilaſſata Morale e dal fu P. Conci- „ na, e dal P. Patuzzi, e da altri valoroſi difenſori delle ſane dottrine, ma con mol- „ to ſucceſſo ſe ſi riguarda alle perſone che non avevano intereſſe, con niuno però riguardo a „ quelli che avevano ſpoſata, dirò così, la rilaſſata Morale; baſtava a queſti un errore di ſtam- „ pa, un fallo di citazione, in cambio del numero ſei ſe ſi citava il ſette per cantar la vit- „ toria, per iſcatenarſi contro gli Autori più riſpettabili gridando all' impoſtore, al maligno: „ ma non così ſarà del Libro di freſco pubblicato da queſto noſtro Librajo Simone Occhi, „ ſempre vigilante per darvi de' buoni e ſodi Libri. Eccovi il titolo: *Theologia morum &c.* „ Queſta utile Teologia la quale con più di mille Animavverſioni fa vedere e i ſtrafalcioni „ del *Buſembaum* intieramente riportato, e quelli dei due ſuoi aumentatori, ed editori, ancora „ queſti riportati con le loro medeſime parole non può ſe non incontrare l' approvazione di „ coloro che amano la ſana Morale. Era neceſſario ſciegliere fra tutti a cui farſi la critica,

 „ il *Bu-*

Digitized by Google

„ il *Buſembaum* di eui ſono tanto molsiplicate l'edizioni, e ehe ultimamente ancora è ſtato „ tradotto in Arabo, non indagbiamo per qual fine, Cariſſimo Amico.

„ In queſto Lihrn dunque v'è intiero il *Buſembaum*, e a eiaſcun Capo ſi ſoggiungono le „ Animadverſioni, ehe ſono tante correzioni della laſſa dottrina di queſto Autore, non con„ tradetta con ſole parole, ma ſpiegata eon ſode ragioni, e con incontraſtabili monumenti. „ Quando occorre, ſon riportate le parole degli Editori di queſta Teologia, e eon lo ſteſſo or„ dine confutati. L'aggiunta ſatta dal P. Zaccaria al *La-Croix* del rrattato de' Luogbi Teolngi„ ci è preſa per mano molto bene dal noſtro Autore nelle Animadverſioni ehe ſeguooo la ſua „ Preſazione. Il Libro è, e ſarà ſempre un'Opera ehe la migliore ſorſe non abbiamo avuta ai „ noſtri giorni, ehe diſinganneranno tutti eoloro ehe non vorranno a bella poſta aceecarſi, e ehe „ onore moltiſſimo farà al ſuo Autore, il quale quando ancora altre Opere non ei deſſe, eredo „ ehe queſta ſola potrà portargli una gloria durevole. Io eerco l' oceaſione di mandarvene „ un eſemplare, aceiò vediate, che molto meno ho detto di quello ehe merita una ral Ope„ ra. Addio.

Voſtro ......

Celeberrimus P. Patucci 10. Junii 1760. „ Mi congratulo grandemente con ſeeo lei della „ ſua nobil ſatica, per cui ha ridotta la Morale di Buſembaum, e La-Croix dentro i giuſti „ limiti, ebe preſerive la ſana dottrina, ed inſieme difeſo il P. Concioa contro le vane di„ cerie del P. Zaccaria. Io ſpero, che tal Opera ſarà molto aggradita dal pubblico, ed avrà „ gran eſito, con cha ſi propagherà la buona dottrioa, e andranno diminuendo di pregio le „ Morali probabiliſtiche. “ Marcus Foreellini ſuo, & Fratris Ægidii nomine Orbi Litterario notiſſimus 11. Julii 1760. „ In queſti pocbi giorni, ehe ec. il mio più caro trattenimento è il „ leggere le ſue oſſervazioni ſopra il Buſembao *doctas jupiter, & laborioſas*. Se io poteſſi aprir „ bocca in fatto di Teologia, direi di eſſe gran eoſe, o per la ſodezza, o per l' utilià, o „ per la neceſſità; ed or per eſſe lodo il ſuo ritiro dalle Città; poiebè alla Villa ha ſatto „ così grande, e così bell'Opera, e eiò, ehe è raro in qneſti tempi, tutta diſeorſo, e tutta „ ſolidità. Iddio voglia, che ſia letta, e ſtudiata da quelli, ehe diriggono le eoſcienze ec. “ Hæc, ut alia his ſimilia teſtimonia brevitatis gratia omittam, eo ſpectant, ut operam te, Amice Lector, non luſorum noveris, ſi laborioſo operi, ſanæque doctrinæ io eo traditæ, & vindicatæ ſtudium impendere in animum induxeris; cujus tameo tota laus luminum Auctori Deo Opt. Max. neceſſario adſcribenda eſt, ſicuti ab Auctore adſcribitur.

BUSEMBAUM
LECTORI.

ANni ſunt complures, amice Lector, quando juſſus fui Coloniæ eam ſcientiam in compendium redactam tradere, quæ novis Sacerdotibus, in tanto munere dignius exequendo (præſertim quoties in conſcientiæ tribunali Judices ſederent) præſidio foret. Duo hic facile videbam maxime a me poſtulari, ut & optima quæque ſeligerem, & in ordinem uſui cujuſque aptiſſimum diſpertirer: itaque apiculas imitarer, quæ ex optimis floribus utiliſſima colligunt, & in alveari diſponunt in ordinem. Inde effecta eſt hæc *Medulla Caſuum Conſcientiæ*, (ut ajunt) ſeu *Theologia Moralis* ſumme Enchiridio huic incluſa. Quæ cum in manus, & oculos plurium perveniſſet, viſa eſt non improbari; iis præſertim, qui privato calamo eandem non ſine labore, moleſtia, & temporis jactura deſcripſerunt. Hinc evenit (cujus alias conſilii ne cogitatio quidem unquam inciderat) ut plurium me preces identidem urgerent, & viri maximi auctoritas, dignitaſque impelleret, ac denique etiam Superiorum juberet voluntas, ut publici juris facerem. Lima hic aliqua opus fuit, a qua perfectior prodiret in lucem, quæque Auctorum nomina, ante deſiderata, quotquot in promptu eſſent, adjungeret (adjuncta ſunt autem hac altera editione quam plurima.) Nunc conſilium tu meum, & ordinem accipe. Noto nomine, Caſus conſcientiæ appello, varias ſpecies factorum, de quibus in foro conſcientiæ judex Sacerdos ſententiam dicat oportet, atque vel ut honeſta approbet, vel ut turpia condemnet. Medio tutiſſimus iturus, extreme plus æquo vel laxe, vel anguſta declinare ſum conatus. Quod ſi quando declarem, ubi Doctores nonnulli benignius ſenſerint, non ideo probo, vel ſuadeo, ſed illud aſſero, unde nonnunquam prudente judicio conſcientiæ Rector, vel Conſultor diſpiciat, an eſſe uſui poſſit. In ſexto quidem præcepto (uti & Matrimonii Sacramento) animus fuerat, per viam adeo lutulentam celerius incedere, ſed tamen, plurium judicio, & hic immorandum nonnihil fuit, ne quid praxis requireret.

Ceterum nihil afferui, niſi vel ex communi Doctorum ſententia deductum, vel deſumptum ex probatiſſimorum Auctorum libris, ſcriptiſve; eorum in primis, qui hic eximia cum laude verſati ſunt. Inter quos principes extitere laudatiſſimi hujus ſcientiæ Magiſtri, *P. Hermanus Nunning*, & *P. Fridericus Spe*, uterque e Societate noſtra Sacerdos, & in diverſis Academiis Theologiæ Moralis Profeſſor, quibus me debere plurimum libens profiteor; uterque enim caſuum ſummam confecit, & mirifice paſſim probatam, & publica luce dignam, quibus proinde liberaliter ſum uſus, ut & ipſi ſimiliter ante fecerant: prior enim ex *Maximiliani Buchier*; alter ex utriuſque viridario, manu ſolerti, flores quamplurimos decerpſerant. Unde hos omnes æquiſſimo animo, & jure in fructus laudis, quæconque aſt, ſocietatem admitto, ita quidem, ut minimam ejus partem mihi vendicem. Quinam omnium fontes præcipui extiterint, Auctores identidem allati indicabunt.

Methodus illa & optima viſa fuit, & facillime, ut in quavis materia, ſeu dubio, in primis ex communi Doctorum ſententia reſpondeatur, quæ reſponſio, ſeu regula quæpiam ſit, ex qua deinde (quoties id fieri poteſt) aut certe circa eam, caſus aliquot particulares reſolvantur, ut ſecundum illos, & reſponſionem dictam alii ſimiles, cum inciderint, reſolvi poſſint.

Quia vero doctrina hæc fere omnis verſatur in cognoſcenda bonitate, vel malitia actuum humanorum, ſive moralium, (unde & *Moralis Theologia* dicitur) illa vero cognoſci non poteſt ſine regula, ad quam vel actus iſti recte accedant, vel a qua prave recedant, agitur

L I B R O I.

De actuum moralium regula tum interna, hoc eſt conſcientia; tum externa, hoc eſt præceptis in genere.

L I B R O II.

De Præceptis Fidei, Spei, & Caritatis, quæ ſunt quaſi præambula Decalogi.

L I B R O III.

De Præceptis Decalogi, & Eccleſiæ.

L I B R O IV.

De Præceptis certorum hominum ſtatui propriis.

L I B R O V.

De modo diſcernendi naturam, & gravitatem peccatorum, quæ contra dicta præcepta committuntur.

L I B R O VI.

De Sacramentis novæ Legis.

L I B R O VII.

De Cenſuris eccleſiaſticis, & irregularitatibus.

A U-

Digitized by Google

A U C T O R
ANIMADVERSIONUM.
AD LECTOREM.

In proœm. ad prop. a ſe proſcript. ALex. VII. *audivit non ſine magno animi ſui mœrore complures opiniones chriſtianæ diſciplinæ relaxativas, & animarum perniciem inferentes, partim antiquatas iterum ſuſcitari, partim noviter prodire; & ſummam illam luxuriantium ingeniorum licentiam in dies magis excreſcere, per quam in rebus ad conſcientiam pertinentibus modus opinandi irrepſit alienus omnino ab evangelica ſimplicitate, ſanctorumque Patrum doctrina, & quem ſi pro regula fideles in praxi ſequerentur, ingens eruptura eſſet morum corruptela.*

Hunc opinandi modum, quem Summus Pontifex graviſſime perſtringit, eſſe ipſam verſatilem probabilitatem, quilibet a partium ſtudio alienus facile intelligit.

Duplex quippe eſt, ſeu de rebus in ſola cognitione poſitis, ſeu de rebus mores ſpectantibus agatur, diſſerendi ratio: altera, qua verum amas, & quæris, & ubi illud liquido innoteſcere non poteſt, per veroſimiliore aſſequi conaris; altera, qua verum negligis, vel quia te illud aſſecuturum deſperas inſtar Pyrrhonicorum, vel quia tuis rationibus accommodatum non putas. *Nam obſequium amicos, veritas odium parit.*

Primam de moribus diſputandi rationem Summus Pontifex certe non reprehendit, quæ in laude ponenda eſt: ergo alteram ſub ejus graviſſimam cenſuram cadere neceſſe eſt; quæ ex luxuriantium ingeniorum licentia in dies magis excreſcente, in morum doctrinam irrepſit. Illa enim ab initio Eccleſiæ per quindecim & amplius ſæcula uſurpata ab omnibus fuit.

Hanc alteram ab evangelica ſimplicitate, ſanctorumque Patrum doctrina eſſe maxime alienam, res ipſa loquitur.

Evangelica enim doctrina technas, & artificia, & quidquid veritas non eſt, maxime horrens, ipſam
Joan. 14. 6. veritatem ſimpliciſſimis verbis aperit. *Ego*, inquit Chriſtus, *ſum via, veritas, & vita.* Sancti Patres eamdem veritatem ſimpliciſſimo animo conſectati ſunt, & quod verum eſt, aut verum putarunt, & voce, & ſcriptis docuere.

Hinc porro fit, ut verſatilis opinandi modus, qui veritate neglecta, veritatis umbram conſectatur, infinitarum corruptelarum fons ſit & origo.

Quod enim ab evangelica ſimplicitate, ſanctorumque Patrum doctrina maxime alienum eſt, non poteſt eſſe niſi maxime pravum, & corruptum.

Sola veritas a Deo profecta, incorrupta eſt; quam qui animo, & moribus ſequitur, incorrupte vivit.

Falſitas contra a patre diabolo derivata, eſt ipſa corruptio; quam qui ſcriptis, aut moribus ſectantur, corruptiſſime ſcribunt, aut perditiſſime vivunt.

Verſatiles opinatores mediam viam ineuntes, nec veritatem, nec falſitatem profitentur, ſed probabilitatem, quæ nec veritatis amica eſt, nec falſitatis inimica, ſed utrique promiſcue adhæret. Hoc porro
Luc. 11. 23. Matth. 6. 24. nihil aliud eſt, quam dæmonem cum Deo copulare: hoc nihil aliud eſt, quam cælo, & Deo nuntium mittere; quia, ut ait Chriſtus, *qui non eſt mecum, contra me eſt*; & alibi: *Nemo poteſt duobus dominis ſervire.* Ergo maxime corruptas eſſe verſatilium opinatorum opiniones, ingentemque in hominum mores corruptelam invehere, & fovere, neceſſe eſt; quod declarant illa Alex. VII. verba, quem novum opinandi modum *ſi pro recta regula fideles in praxi ſequerentur, ingens eruptura eſſet morum corruptela.*

Qui hoc ſuis ipſemet oculis cernere velit, Buſembaum, ut de aliis taceam, verſatilem de moribus diſputatorem, cujus theologica Medulla nihil aliud eſt, niſi verſatilium opinionum, & opinatorum epilogus, in manus ſumat, meamque in eum cenſuram ſimplici, attentoque animo legat. Hinc enim Summum Pontificem Alex. VII. non aerem, quod putare impudentiſſimum, ne dicam impium, eſſet, verberaſſe, ſed ſcriptos, typiſque vulgatos libros ſeveriſſime reprehendiſſe, perſpicue intelliget. Dixi *animo ſimplici*. Nec enim homines ſophiſticis cavillis aſſueti, ac omnia implicare parati, vel corruptis ſæculi moribus addicti, vel ex malis cupiditatibus theologicas doctrinas metientes, aut hominibus placere, aut ſua commenta, vel factiones defendere obfirmate volentes, ſanam doctrinam ferre, aut de ea recte judicare poſſunt. Dixi *attento*.

Quamvis enim perſpicue loqui conatus ſum, rei tamen gravitas, & ſæpe difficultas attentionem poſtulat, oſcitantiam reſpuit; præſertim cum, ne meis lectoribus faſtidium prolixitate ingererem, brevitati ſtuduerim, rerumque medullam, & ſuccum compendio complecti in animo habuerim.

Neque tamen, dum ita loquor, tam ſuperbe deſipio, ut me hominem exigua præſertim eruditione, nec multo ingenio præditum, ſanam, ſeu, quod idem eſt, veram in omni re doctrinam exaraſſe putem.

Sanam doctrinam, & veritatem abſque ullo partium ſtudio, & præoccupatione, diligentique indagina, niſi meus me animus fallit, ſectatus ſum. Theologicam Buſembaum Medullam ad trutinam dum revocarem, nec illi, nec aliis adverſantem animum geſſi; ejuſque nonnullas ex iis, quæ in examen venerunt, opiniones, etiamſi adverſarios alicubi eos habuerim, quos maximi facio, & ſequi ſoleo, probavi; quia veriores mihi viſæ ſunt.

Plurimas improbavi, non quo hominem, aut ordinem, quod abſit, averſer, ſed quod Evangelio, Patribus, Summis Pontificibus, Conciliis, Angelico Doctori, qui Patrum compendium eſt, cujuſque dogmata Summorum Pontificum teſtimonio tutiſſima, & inconcuſſa ſunt, rectæ demum rationi contrarias exiſtimavi.

In tanta rerum multitudine, & diverſitate, in quæſtionibus non raro implicatiſſimis, in iis, ubi neminem præeuntem habui, nec tamen Buſembaum pro meo tenui ſenſu probare potui, vel ſacræ eruditionis, vel ingenii, aut æqui judicii, vel etiam accurati examinis, quod diligentiſſimum ubique adhiberi vix poſſe, intelligo, vitio me non ſemel cespitaſſe facillimum eſt.

Itaque gratias iis acturus ſum, qui meam cenſuram, veritatis amore ducti examinantes, errata detegent, indicabunt, refutabunt. Par enim eſt, ut ſicuti veritatis ſtudio Buſembaum opiniones non paucas refutavi; ita eorum, quæ ſcripſi, refutationem ejuſdem veritatis amore ſuſceptam non ſolum æquo animo patiar, ſed etiam valde optem. Illud enim cujuſcumque animo infixum, inſculptumque eſſe debet:
Eccl. 4. *Non contradicas verbo veritatis ullo modo, & de mendacio ineruditionis tuæ confundere*: quod divinum oraculum

culum cum verſatilas homines in mente non habeant, ſanam veramque doctrinam, ut ſua commenta, ſeu inerudita mendacia tueantur, impugnare non ceſſant.

Ab his ſcilicet, quorum animos mea in Buſembaum cenſura non leviter voluneratura eſt, multæ mihi impugnationes imminent; quas ſi non præſentirem, in litteraria Republica, & ſæculi moribus plane peregrinus eſſem & hoſpes.

Sicuti ſolidiſſimos, ac integerrimos Theologos mordaciſſimis dicteriis, atriſque calumniis onerarunt, & Janſenianos appellare non dubitarunt; ita me, ſi ex præteritis ſutura conjicere licet, irriſionibus, contumeliis, ignominiis vexabunt, ac demum Janſenii, cujus errores non minus ac pelagianos execror, aſſeclam eſſe dictitabunt.

Atrox ſane injuria, at ſimul ridicula, niſi impias Janſenii doctrinas nos probaſſe, aut ſaltem aliquid, quod cum iis neceſſarium nexum habeat, dixiſſe oſtenderint. Quamquam ſi hoc ipſum, quod abſit, oſtendere poſſent, & oſtenderent, non Janſenianos, ſed in Janſenii errores per inſcitiam, & ignorantiam lapſos nos fuiſſe, recta pronuntiarent. Hac animi moderatione ſolidi Theologi utuntur, qui, cum verſatiles opinatores in pelagianam hæreſim alicubi incidiſſe, evicerint, eos tamen Pelagianos non appellitant.

Verum hujuſmodi tetræ, apertæque calumniæ, quæ ipſi vulgo horrorem ingerunt, calumniatorum magis, quam calumniam patientium famam imminuunt.

At mea doctrina, inquient, valde rigida eſt, hominumque indoli minime accommodata. Hominum certa corruptæ, vitiiſque deditæ, laxæque indoli, quæ veritatem pati non poteſt, accommodata non eſt. Ceterum reſpondeo, meam doctrinam non eſſe meam, ſed eorum, unde derivata eſt.

Auctores meæ doctrinæ ſunt Concilia, Patres, Summi Pontifices, ſacra Scriptura, Doctor Angelicus, naturalis ratio; a quibus ſi adverſarii me diſceſſiſſe evicerint, meam doctrinam, meam eſſe fatebor, eamque revocabo. An meam doctrinam rigidam dictitant, quia Buſembao, ac verſatilibus opinatoribus contraria eſt? An Buſembau, & verſatiles opinatores recta regula ſunt, a qua qui recedunt, rigidi appellandi ſint? Litteratuli quidam, ac polituli homines, præſertim ſi peſtiferum aliquem librum e regionibus ultra montes in Italiam malo fato delatum legerint, ſanam Theologiam rident, ſolidoſque Theologos, quorum tantum nomen audierunt, plenis buccis rigidos appellitant.

Quod ſi qui Theologi habentur, & apud multos, quia blanda loquuntur, oracula ſunt, eodem ac illi ore loquantur, graviſſimo quidem Theologorum nomine ſe minime dignos demonſtrant, at ingentem, nec reparabilem hominum generi cladem inferunt. Lex, & veritas ad hominum arbitrium, quod ſibi ſubditum vult, non flectitur. Lex, & veritas nec laxa eſt, nec rigida, niſi noſtris malis affectibus praviſque ſenſa. Ad hominum voluntatem, & indolem humanæ opinationes flexiles ſunt, & laxæ, eædemque rigidæ eſſe poſſunt.

At ſicuti laxa illa opinio eſt quæ a veritate recedens, legem emollit, eamque hominum cupiditati accommodat; ita contra rigida eſt quæ eamdem veritatem deſerens, legem exaſperat, ejuſque jugum durius, quam reipſa eſt, efficit.

Quid ergo me, aut alios inani voce ad vulgum decipiendum unice accommodata rigidos effutis, cum mea, aut aliorum dicta a veritate aberrare, & lege duriora eſſe, non eviceris, imo ne quid rigor quidem ſit, explicaveris?

Quamquam ſicut ſolidæ Theologiæ, & veritatis amatorem laxum non dixeris, ſi in magna quæſtionum multitudine in molliores, falſaſque opiniones ſemel, aut iterum inciderit; ita contra rigidum appellare jure non poteſ, niſi in duriores, & a veritate aberrantes doctrinas ſæpius lapſus fuerit. Sed eorum, qui verſatilem, hoc eſt corruptam doctrinam extollere, ſanamque, & veram inſectari in deliciis habent, ut laudes pro nihilo, ita vituperationes veræ laudis loco habendas puto, & habeo.

At hic fortaſſe quæres, cur Buſembaum celeberrimi Ordinis Theologum, quem impugnarem, ſelegerim.

Ego vero omnes religioſos Ordines ad Dei gloriam, & animarum ſalutem inſtitutos veneror. Buſembaum impugnandum ſelegi; quia Buſ. mole parvus, opinionum multitudine, & varietate magnus, facileque parabilis, & typis ſæpiſſime evulgatus, a plurimis habetur, & legitur. Ex quo fit, ut medicina Buſembao verſatilis probabilitatis morbo laboranti adhibita, & valde neceſſaria, & maxime utilis ſit. Cum Buſembaum, qui verſatilium opinatorum epilogus eſt, impugno, tum ipſum modum opinandi verſatilem, tum ejus corruptas opiniones impugno. Ex Buſembaum impugnatione, quanta ſit verſatilium opinatorum lues, facile intelligitur. Nec enim probabiles, qui rem moralem theologicam poſt damnatas a Summis Pontificibus Alex. VII. & Innoc. XI. propoſitiones tractarunt, a ſuo opinandi modo, vel ab antiquioribus opinatoribus deſcivere, ſed eos veluti anteſignanos ſunt ſecuti, & defenſare conati. Hinc P. Claudius La Croix theologicum compendium P. Herm. Buſembaum ſuis in illud additamentis non caſtigare, ſed illuſtrare, & amplificare in animo habuit.

[P. La Croix in præfatione anno 1707. gloriatur, Buſembaum facile quia, quagelico lubrile pretium; nec tamen ut ... Urbes, ubi ... nova editio eſt, ita Patavium nominat, unde anno 1719. octava editio prodiit.]

Buſembaum ex Nathanaal Sotvallo virum *eximiæ prudentiæ* (quæ tamen ſine ſana doctrina nulla eſt) *& ſingularis doctrinæ* appellat, ut omnes ad ejus opus legendum, & ſectandas opiniones invitet. Fatetur ille quidem, nonnullas propoſitiones in Buſembaum medulla repertas a Pontificibus poſtmodum notatas; nihil tamen in Buſembaum corrigendum putavit, ſed, ubi ipſi placuit, non ubicumque opus erat, propoſitiones damnatas afferre ſatis habuit, ac, ut ipſe ait, indicare ſenſum, qui reprobandus eſt. Ex his intelligi facile poteſt, non ſolum Buſembaum, ſed La-Croixii quoque opus emendatioribus indigere animadverſionibus; quas ego utrique pro mea tenuitate adhibere conatus ſum. Quod ſi omnia, quæ animadverſione digna erant, mea ſcriptione complexus non ſum; ex iis tamen, quæ tum in La Croix, tum maxime in Buſembaum animadverti, perſpicuum fiet, non eſſe cavillatores, ut La-Croix eos nominat, qui non ſolum Buſembaum, de quo uno ille loquitur, ſed probabiles opinatores *pluribus vitiis ſcatere* affirmant.

Hinc porro futurum ſperare juvat, ut exploſa horum doctrina, ac opinandi methodo, & revocata, quod ingenti Dei beneficio plurimis in locis factum jam fuit, in orthodoxorum ſcholas ſaniori Theologia, rerum moralium ſtudioſi, & Sacerdotes a ſacris confeſſionibus, verſatiles opinatores aut blattis confici ſinant, aut certe non ſine magna cautione, multoque examine legant.

Id certe chriſtianæ Reipublicæ non ſolum maxime utile, ſed neceſſarium eſt. Corruptos quippe eſſe hominum mores, valde dolendum; ſed eos corruptis doctrinis ab iis foveri, & confirmari, quorum eſt corruptioni remedium adhibere, ſanguineis lacrymis eſt deplorandum. Sed illud quoque in malorum cumulum accedit, quod ſi qui horum fallacias detegere, & ob oculos ponere conentur, vel de iis cum laude non loquantur, non ſolum contumeliis, & calumniis vexentur, verum etiam minis, & terriculis concutiantur. Ita ne vero? hic ne probatorum non dicam Theologorum, ſed hominum ſenſus, & agendi ratio? quid amplius quærimus, ut, ubi ſana doctrina ſit, innoteſcat? Mahumeticæ impietatis inſtitutum eſt, ut vi, & terroribus defendatur, & amplificetur. Scriptores non lædimus; ſcripta, quia corrupta nobis videntur, impugnamus. Nemini contumelioſi eſſe volumus; malas doctrinas, quia moribus pernicioſæ ſunt, inſectamur. Si quid e calamo exciderit, quod æquo hominum judicio acrius habeatur, quam par ſit, illud non ipſi in anteceſſum reprehendimus. Nihil dixiſſe volumus,

ſumus, niſi quod rationum, & auctoritatum momentis oiaum, & oſtenſum fuerit; quæ momenta ſi deſint, veluti non dicta haberi volumus, quæ dicemus. Pacem deſideramus, ſed eam ſperare vix poſſumus, qoia veritas cum fallaciis conciliari nequit. *Non veni pacem mittere, ſed gladium*. Matth. 10.

Verum hic ſilentio prætereundus non eſt P. Daniel Coocina Ord. Præd. Obſ. vir integerrimus, & Theologus ſanæ doctrinæ, & vaſtæ erodirionis laude eximius, cujus ego laboribus valde uſus ſum; cuique hoc meum qualecunique opus plurimum ſe debere profitetur. Hic ſolidæ Theologiæ acerrimus aſſertor, ac imperterritus probabilium opinatorum malleus, moltas quidem graveſque a ſuis adverſariis vexationes, contumelias, calumnias paſſus eſt; ſed ejus glorioſum nomen ab Euſebio Eraniſte Theol. doctiſſimo egregie defenſum, & jure illuſtratum adeo his obſcuratum non eſt, ut apud æquos rerum æſtimatores clarius emicet. Sed ille non tam laude, quæ ejus digoitati æqualis reperiri viz poteſt, quam ſilentio, & admiratione proſequendus eſt.

Illud mihi unum reliquum nunc eſt, ut, cum meam tenuitatem noverim, ac in tanta rerum ſæpe difficilium, ac implicatarum quæſtionum varietata facile errare potuerim, a meis lectoribus, ſicubi peccaverim, ventam precer. *Nemo habet de ſuo niſi mendacium, & peccatum*. *S. Auguſt. tract.* 5. *in Joan. Ev. cap.* 1. *col.* 320. *t.* 3. *p.* 2. Omnia vero, & ſingula mea dicta, & ſenſa apoſtolicæ Petri Cathedræ falli neſciæ demiſſe ſubjicio, & quæcumque illa improbaverit, in anteceſſum revoco, & improbo.

Hactenus in prima editione. Nunc Lector monendus aſt, Patrem Franciſcum Antonium Zachariam, qui ſub Irenæi Veneti nomine deliteſcens, theologicam meam in PP. Buſ. & La-Croixium trutinam obliquis oculis perluſtravit, aliquot animadverſionibus deformatia nonnulla folia, quæ mihi objiceret, infarcienda curaſſe.

Hoc opuſculum, quo ſaniores doctrinas, ejoſque aſſertorem inſectatur, in ſex ſpecimina diviſum, malas quidem cauſas defenſitat; at eas ea calliditate verſat, iiſque coloribus pingit, ac involvit, ut imperitos, incaotoſque, lectores facila irretiat. Hoc ut facilius conſequetur, amicæ expoſtulationis titulum præſefert; cum tamen inanibus minis, inſcitis monitis, contomeliis, & irriſionibus ſcateat.

His omnibus, quæ ad rem non faciunt, prætermiſſis, ac prorſus neglectis, ſanioris Theologiæ documenta, quæ P. Zach. impetit, novis momentis fulcire, ejuſque captioſas rationes evolvere, & in nihilum redigere conabor. Hinc lector intelliget, P. Zachariam in folio Typographi nomine lectori benevolo nuncupato, non minus falſe quam glorioſe dixiſſa. „ Legeſis ad eum (Franzojam) „ amicam expoſtulationem, quam Irenæus Venetus in operis calce edendam mecum humaniſſime „ communicavit. Id ſatis eſt, ut trutinam Franzojanam abiicias. “

Id, mi Zach., ſatis non eſt; tum quia quæ hic ſcribis, paucula ſunt præ iis, quæ ego in Buſ., La-Croix, teque ipſum animadverti; tum qoia tuum ſcriptum, ut evinco, nihil aliud eſt, niſi erratorum, & captionum compendium. Hæc, & ſimilia, ſi quæ dixero, non obiurgandi, ſed monendi cauſſa pro veritate, & neceſſitate dicta volo; ut tu, ſicuti valda cupio, amici loco me habere velis, & habeas.

EJUSDEM ANIMADVERSIONES
IN PRODROMUM
P. FRANCISCI ANTONII ZACHARIÆ.

CUM P. Franciſcus Antonius Zacharia Soc. Jeſu Theologos Buſembaum, & La-Croixium non paucis adnotationibus a ſe illuſtratos anno 1755. typis cudendos curavurit, de locis Moralis Theologiæ librum prodromum huic editioni præcurrere voluit eo artificio elaboratum, ut ſanos Theologos deprimeret, probabiles vero opinatores extolleret. Quare ne ſana, & ſolida Theologia aliquid detrimenti ex hoc libro apud minus peritos, & doctos patiatur, nonnullæ animadverſiones neceſſariæ mihi viſæ ſunt, quas ſuis locis opportune attexere non omitto.

Tract. 1. cap. IV. de uſu Scripturarum in Morali Theologia ita inquit.

Can. II. *Ne quidquam ſtatuito, quod clariſſimis Scripturarum teſtimoniis adverſetur.*

Cur P. Zach. addidit illud *clariſſimis*? an in Morali Theologia licet ſtatuere, quod non clariſſimis quidem, at teſtimoniis Scripturarum adverſetur? Si clariſſimis Scripturarum teſtimoniis adverſari, evidens dementia, & infidelitas eſt; iiſdem licet non clariſſimis repugnare, non evidens quidem, attamen dementia erit, & infidelitas.

P. Zach. a morali Theologo conſuli tantum vult textus Scripturæ clariſſimos, alios vero, qui clariſſimi non ſunt, per Zachariam negligi ab eo licet, ac rem moralem tractare, perinde ac ſi ſupervacanei, ac inutiles eſſent. Sed nos ſacræ Scripturæ textus tum perſpicuos, tum obſcuros veluti divinam ſapientiam continentes veneramur, & a morali Theologo ſtudioſe indagari Scripturæ ſenſum, ubi obſcurus eſt, oportere dicimus, illudque *clariſſimis* in II. Zach. canone expreſſum delendum putamus.

Can. III. *Nihil defendito, quod ex quopiam Scripturæ loco per legitimum, certumque theologicum diſcurſum ducta cum concluſione pugnet.*

Hic Zach. amplam ſuis opinatoribus dat facultatem docendi, & defendendi quidquid libuerit, etiamſi validis rationibus a ſacra Scriptura ductis adverſentur, dummodo rationes hujuſmodi non ſint certæ, & inconcuſſæ; a quarum genere nullam ipſe in Theologis probabilium adverſariis reperiet.

Vult ſcilicet in morali Theologia hinc inde diſputari, & cuique optionem eſſe, ut pro arbitrio ſentiat, & faciat, dum contra evidentem veritatem ſe non ſtare profiteatur.

Nos autem ejus canonem ita corrigimus. *Nihil defendito, quod rationi e Scriptura ductæ repugnet.*

Can. IV. *Singularia exempla, quæ in Scripturis leguntur, ad univerſalem legem confirmandam ne aſſumito.*

Hinc autem anſam capit ridendi Beſombem, qui, cum t. 2. tract. 2. cap. 4. conditiones in eo poſtulet, qui abſolvit a cenſuris, hoc eſt ut ſit Clericus, ut habeat juriſdictionem contentioſam, ut ex certa ſcientia abſolvat, demum ut ſponte, non coacte abſolvat, hoc oſtendit, quia Paulus, qui abſolvit Corinthium inceſtuoſum, quatuor prædictas habebat conditiones.

Cum doctrinam veram eſſe, Zach. fatearis, cur rationem criminaris? ut ſcilicet ſanos Theologos quomodocumque carpas, & in contemptum, ſi fieri poſſit, adducas. Beſombes non illa ſolum ratione utitur, quam Zach. inepte redarguit, ſed aliis duabus, ut apud ipſum legitur.

„ Vah, inquit Zach. contra Beſombem, bellam ratiocinationem hujus ſimilem: *Paulus, qui inceſtuoſum abſolvit, fuit Apoſtolus: Apoſtolus igitur ſit oportet, qui abſolvit a cenſuris.*

At hanc Zachariæ cavillationem Beſombes præoccupavit. Ita enim diſcurrit. „ Paulus, qui abſolvit Corinthium inceſtuoſum, quatuor prædictas conditiones habebat. Primo enim erat Clericus, & „ Clericus habens juriſdictionem, cum eſſet Apoſtolus. “

Beſombes gradum apoſtolatus ad abſolvendum a cenſuris non poſtulat, ſed ex eo colligit, D. Paulum fuiſſe Clericum, & juriſdictionem habuiſſe. At Zach. hæc diſſimulat, ut in Beſombem inepte invehatur; ſicuti eumdem in præfatione prodromi perperam inſectatur, quod ille in calce ſui operis brevem ideam Chronologiæ, & Geographiæ, quatenus ad Conciliorum notitiam conducunt, eorumdemque Conciliorum compendiariam ſynopſim addiderit. Hæc ſacra eruditio & lectori jucunda, nec abs re eſt. Quia Concilia ſunt ex præcipuis fontibus, unde moralis Theologus puras doctrinas haurire debet. At Zacharias non puras amat doctrinas, ſed probabiles, hoc eſt neutras ad puritatem, & impuritatem.

Can. VIII. *Videndum ne Scripturæ verbis, quibus pium aliquod conſilium proponitur, præceptionis vim ineſſe incauti velimus.*

Recte quidem; ſed huic canoni alii duo, quos Zach. omiſit, adjiciendi ſunt.

1. Videndum contra, ne Scripturæ verbis præceptum continentibus conſilii tantum rationem, & vim tribuamus.

2. Cavendum, ne in dubio, utrum Scripturæ verba conſilium, an præceptum contineant, proinde agamus, ac ſi conſilium continerent; ſed in dubio, ubi de animæ ſalute agitur, tutiora eſſe ſequenda, non conſilii, ſed certi præcepti loco habeatur. *

Can. IX. *A Scripturis citandis abſtinere conſultius judicato, quam harumce allegationum vanitate quadam abripi, eoſque locos afferre qui nihil efficiant.*

Sed hic quoque, quod ad rem magnopere facit, Zach. omiſit, Scripturæ textus ad propoſitum pertinentes, & inſtitutum conficientes, vanis interpretamentis non eſſe eludendos, ut noſtra commentitia opinamenta tueamur.

Hoc, quod neceſſarium erat, Zach. omittit, ut ſua contra Beſombem inania, & ridicula tela per craſſam negligentiam, aut calumniam contorqueat. Si quis conſectarium can. IX. in Zacharia legerit, Beſombem quoque ut legat, moneo; unde intelliget, Zachariam ſuum ſibi finxiſſe Beſombem, quem redarguat.

Verum hic Beſombem tandem relinquit, &, quod ſibi maxime cordi erat, ſuos in P. Concinam aculeos convertit his verbis. *Sed, quod mirandum maxime, illud eſt, chriſtianæ Theologiæ Auctorem, ubi de Scripturis agit, unum id præſtare, ut Scripturas ſacras Theologo legendas inculcet; ac ne inani labore ſemet defatigaſſe videatur, invidiam conflet Probabiliſtis, quaſi a ſacrorum librorum lectione ſe, alioſque avocarent; quo nihil futilius, ineptiuſque fingi poteſt.*

Hic, ne lectori moleſtus ſim, illa tantum poſtrema verba, *quo nihil futilius* &c. corrigo, eorumque loco

---

* Hic canon traditur a gen. Conventu Cleri Gallicani an. 1700. apud Nat. Theol. t. 2. app. alt. pag. lx.

loco hæc ſubſtituo, *quo nihil verius dici poteſt*. Quamquam probabiles opinatores non ſolum Scripturas negligentius tractent, ſed, quod longe pejus eſt, effata uſurpant, & opiniones evulgent Scripturis omnino diſſentientes, ut ex hoc ipſo meo qualicumque opere quiſque intelligere poteſt, & ut P. Concina oſtendit App. t. 1. lib. 1. de locis th. diſſ. 2. c. 5. §. 7. p. 103. At hæc probabilibus invidiam conflant; monenda tamen, ne eorum corrupta documenta in animarum perniciem dominentur in ſcholis, & ſacris tribunalibus, neve eorum libri ſine magna cautione, & multo examine legantur.

Concinam præterea eo nomine Zach. redarguit, quod *fontem alium Theologis omnibus incompertum hactenus detexerit diſſ. 2. cap. 7. Chriſti Domini nempe oraculum:* Multi ſunt vocati, pauci vero electi.

Hic certe locus in Theologia novus eſt, ſed novæ opinandi methodo in Theologiam invecto veluti agger eeundenti, & turbido torrenti neceſſario objiciendus. Videlicet ſi novus opinandi modus recta eſſet morum regula, non *pauci*, ut Chriſtus ait, ſed multi eſſent contra Chriſti oraculum electi. En neceſſitas adhibendi contra novam Theologiam Chriſti oraculum, quo omnes, ut P. Concina, & amatores veritatis maxime cupiunt, ab ea abſterreantur.

Neque vero ſola ſcelera manifeſta, nullis probabilium tegumentis protegenda, uti Zach. contendere videtur, e. g. fornicationes, adulteria, homicidia, mendacia &c. in æternam homines perniciem detrudunt, ſed etiam flagitia probabilitatis fucis tecta, ut mamillares tactus, duella defendendi honoris prætextu ſuſcepta, trini contractus, uſuræ moderatæ, perjuria reſtrictionum vocabulo illita, aliaque innumera, de quibus ſuo loco ſermo erit.

Tract. 11. de SS. Patribus cap. 2. *Caſuiſtas Patrum contemptores non eſſe*, ait.

Quemadmodum probabiles opinatores a ſacris Scripturis, ita a ſanctis Patribus, quorum doctrina e puriſſimo illo divino fonte derivata eſt, diſſentiunt; qua in re P. Zach. eos fruſtra tueri conatur, ipſa enim eorum lectio evidenti teſtimonio eſt.

Eorum Theologia ab omnibus nova vulgo dicitur, nec ſine ratione. Nec enim eo ſolum nomine nova eſt, quod novas, ſed quod, ut ait Alex. VII. in præfat. ad theſes a ſe proſcriptas, alienas ab evangelica ſimplicitate, ſanctorumque Patrum doctrina opiniones commenta ſit. Ergo Zach. incaſſum clamat, *in his frequentius nihil, quam aut Patrum teſtimonia deſcribere, aut locos indicare, ubi de hac, illave re loquantur Patres*. Nimirum ſi loca Patrum citant, aut etiam textus quandoque afferunt, eos ſibi, non ſe illis accommodant. Ex quo fit, ut dum Patres venditant, non Patrum, ſed a Patribus longe diverſam doctrinam propinent, ſuoſque lectores aut inſcite, aut ex induſtria decipiant.

Contra vero ſaniores Theologi, ut Genettus, Nat. Alexander, Beſombes, Concina, aliique his ſimiles, Patres appellant, eorum ſententias proferunt, & verba, iiſque, ut neceſſe eſt, religioſe inhærent.

At, inquit Zach., *ſexcenta quotidie dubia enaſcuntur, quorum qui in Patribus quærat explicationem, ridiculus ſit*. Poſt ſubdit: *At qui oſtendet vir eruditus* (Concina) *caſuiſticas controverſias in Patrum libris reperiri?* P. Concina app. t. 1. p. 278. n. 7. Zachariæ objectionem his verbis antevertit. *Quemadmodum hæreſum monſtra poſtea invecta contra fidem ab hæreticis, non occurrunt in Patribus antiquioribus; ſic laxarum opinionum portenta, quæ excogitarunt Moraliſtarum nonnulli, expreſſe non profligarunt Patres: quia non eo laxitatis proleſſi tum homines erant, ut talia propugnare paradoxa auderent. Verum ſicut in Patribus reperiuntur doctrina, quibus prodigioſa hæreticorum deliria adverſus catholica dogmata conteruntur; ita S. Eccleſiæ Patres documenta ſplendidiſſima, & regulas ſanctiſſimas nobis porrigunt, quibus laxarum opinionum commenta, & novum opinandi modum, omnium malorum fontem labefactemus*.

His PP. documentis Caſuiſtas a vero aberrare idem P. Concina in ſua Theologia ſæpenumero demonſtrat, ita ut mirum ſit, P. Zachariam dicere auſum: *Errare nos, niſi alios ab iis, quos habemus, Patrum libros proferat, non demonſtrabit Concina, ne millenos quidem ſi effundat Theologiæ chriſtianæ tomos*. Dum Zach. hæc thraſonica ſcriberat, non illud meditabatur, ut recte diceret, ſed ut aliquid contra Concinam diceret.

Enim vero qui in Patrum libris neceſſarias ad mores formandos doctrinas deſiderari aſſereret, eorum Theologiam mancam, & mutilam non ſine inſigni tam venerabilium magiſtrorum injuria diceret.

Contra vero qui caſuiſticas controverſias in Patrum ſcriptis reperiri affirmaret, rem aperte falſam proferret. Ex quo illud conſequitur, ut caſuiſticæ controverſiæ ad mores formandos neceſſariæ non ſint. *Quæſo*, inquit Zach. *Patrem inveniat* (*uno contentus hoc exemplo, cauſa cedam, ſi invenerit*) *unum inveniat Patrem, qui trinum contractum uſuræ arguat*. Non inveniri, fatemur; & ratio jam eſt allata. Non enim ea laxitatis PP. tempore ventum erat, ut trini contractus paradoxum excogitare, nedum propugnare homines auderent. Trinus contractus, novum inventum eſt, luxuriantibus noſtrorum temporum ingeniis relevatum. Trini contractus damnatio in uſuræ damnatione apertiſſime includitur; quia trinus contractus reipſa nihil eſt, niſi mutuum cum pacto acceſſionis ſupra ſortem, hoc eſt uſura, trini contractus nomine palliata: ergo, cum PP. uſuram damnaverint, trinum quoque contractum damnarunt.

Quid hic P. Zach. dum legitime, & juxta logicorum regulas ratiocinamur, logicorum fidem inepte contra nos inclamat? Fatendum tamen eſt, non omnia in Patribus inveniri. Quæ ad juris naturalis, & divini intelligentiam pertinent, ea in Patrum libris luculenter evoluta reperies. At quæ ad explicationem juris poſitivi, cenſurarum, indulgentiarum ſpectant, ea a Patribus omnia peti non poſſunt. Hinc Summus Pontifex Bened. XIV. in calce litteræ encyclicæ anni 1749. 3. Decembris, ubi quæſtiones de indulgentiis ſolvit, inquit: *Nè dovete punto maravigliarvi, ſe in queſta noſtra preſente lettera ci ſiamo per la più prevaluti d' Autori moderni, non avendo imitato il Padre di famiglia, che mette fuora dal ſuo teſoro nova, & vetera. Imperocchè eſſendo le controverſie ſtate eccitate per lo più da Autori moderni, e da quelli, che hanno ſcritto ſopra l'anno ſanto, è ſtato preciſo per lo più prevalerſi d'eſſi*. Sed verſatiles opinatores a Patrum inſtitutis, & doctrina non eſſe alienos, P. Zach. hac ratione contendit. *S. Cypriani*, qui hæreticos converſos eſſe rebaptizandos putabat, *opinio non tutior modo erat .... ſed etiam contraria probabilior, atque adeo certa videbatur Africanis:* nihilominus S. Cyprianus aſſentiente S. Auguſtino nemini interdicebat, quominus contrariam ſententiam ſequeretur. *Senſit ergo Cyprianus*, ita concludit Zach., *ſenſit Auguſtinus* (*ſiquidem Africanorum ſententia probabilior fuerit*) *licere ſequi opinionem probabilem, probabiliore relicta*.

Reſp. In multis Zach. hic aberrat. Primo quia ſententiam S. Cypriani tutiorem appellat: tutior enim ſententia eſt, quæ a peccato magis remota eſt: at non magis S. Cypriani, quam contraria ſententia a peccato remota erat, cum utraque de peccato vitando ageret: æque enim peccatum eſt, ſeu baptiſmum iteres, ſeu baptiſmum non conferas indigenti.

Secundo quia S. Cypriani ſententiam probabiliorem dicit. Eſt enim valde abſurdum eam opinionem probabiliorem dicere, quam certum eſt, eſſe falſam; ſicuti certum eſt, eſſe falſam opinionem S. Cypriani de rebaptizandis hæreticis. Hæc ergo S. Cypriani opinio non probabilior, non probabilis, ſed improbabilis, & falſa eſt.

Hæc tamen opinio, licet improbabilis, & falſa, S. Cypriano probabilis, imo probabilior oppoſita viſa eſt. Quoniam vero res comperta non erat, in cujuſque arbitrio relinquebat, ut eam ſequeretur ſen-

Digitized by Google

ſententiam, quæ ſibi verior videretur. Quid porro inde? Omnes ſolidi Theologi in controverſiis, ubi utrimque agitur de peccato vitando, unumquemque non ſolum poſſe, ſed debere illud ſequi, quod re diligenter examinata verius ſibi, aut probabilius videtur, inculcant, & docent.

Quare in eo 3. loco fallitur Zach., quod S. Cyprianum in ſua aberratione, verſatili probabilitati, a qua ſe maxime alienum oſtendit, favere velit.

Quarto in eo errat, quod in controverſia de rebaptizandis hæreticis S. Cypriano S. Auguſtinum adjungere videatur, cum tamen S. Auguſt. a S. Cypriani ſententia longe diſceſſerit. Siquidem epiſt. 203. ad Maximinum (habetur diſt. 4. de conſec. cap. 108. *Rebaptizare*) ait: *Rebaptizare hæreticum hominem, qui hæc ſanctitatis ſigna perceperit, quæ chriſtiana tradit diſciplina, omnino peccatum eſt: rebaptizare autem catholicum, immaniſſimum crimen*. D. Auguſt. abſolute ait, *omnino peccatum eſt*, quia S. Cypriani ſententiam non probabiliorem, aut probabilem putabat, quidquid hic rem involvens ſentiat Zach., ſed improbabilem, & falſam. Huc ſpectat etiam illud, quod Zach. ad ſe trahit, lib. 2. de bapt. n. 5. *Nec nos ipſi tale aliquid auderemus aſſerere, niſi univerſæ Eccleſiæ auctoritate firmati*.

Quod enim univerſæ Eccleſiæ auctoritas docet, quantumlibet rationibus in ſpeciem veroſimilibus impugnetur, ratum & certum eſt, contrarium vero improbabile, & falſum.

Prætereo hic nonnulla alia, quæ Zach. inſerit, ne prolixior ſim; & quia ex mox dictis jam evaneſcunt; præterire tamen non debeo quod habet in fine cap. his verbis. „ Sed ne longior ſim, quam „ par eſt, Bernardi teſtimonium ſufficiat tract. de bapt. cap. 5., ubi hanc regulam, & canonem ſta„ tuit. *Sane ibi unuſquiſque in ſuo ſenſu ſecurus abundat, ubi aut certæ rationi, aut non contemnendæ au„ ctoritati, quod ſentit, non obviat*. Argue jam. Atqui ubi ſolum probabilior opinio contraria eſt, nec „ certæ rationi, nec non contemnendæ auctoritati, quod ſentit Probabiliſta, obviat. Igitur Probabili„ ſta in ſuo ſenſu ſecurus abundat, ſi Bernardo fides, quocum ſapere malo, quam deſipere cum Wen„ drochio, Paſchale, eorumque ſectatoribus. “

Reſp. Sicut Zach. SS. Cyprianum, & Auguſtinum, ita S. Bernardum invitum pertrahit in ſuæ probabilitatis patrocinium, ut ſe fidum probabilium aſſeclam oſtendat, qui Patres, quos citant, ſibi conformant, non ſe illis. Ego ſane ex D. Bernardo contrarium elicio, ac Zach., & ita ratiocinor. Ille ex D. Bernardo ſecurus in ſuo ſenſu abundat, qui nec certæ, hoc eſt nec ſolidæ rationi, nec gravi, ſeu non contemnendæ auctoritati obviat: atqui probabilis aut ſolidæ rationi, aut non contemnendæ auctoritati, aut utique obviat; ergo probabilis in ſuo ſenſu ſecurus non abundat. Videlicet aſſumptum Zachariæ eſt evidenter falſum, quod probabilis minus probabilem opinionem ſequens nec certæ rationi obviet, nec auctoritati non contemnendæ. Hoc enim ipſo, quod probabili, nedum probabiliori ſententiæ repugnat, gravi rationi, aut auctoritati repugnat; quia probabilis opinio gravi auctoritate, aut ratione nititur, ut vel ipſe Buſembau definit lib. 1. tr. 1. cap. 2. dub. 2. Reſp. Porro illud *certæ rationi* a D. Bernardo uſurpatum, eſt idem ac ſolidæ, firmæ, ſeu gravi rationi. Nam teſte S. Antonino p. 1. tr. 3. cap. 10. §. 10. (apud Genet. Theol. tr. 1. p. 20. q. 13.) *non conſurgit certitudo moralis ex evidentia demonſtrationis, ſed ex probabilibus conjecturis groſſis, & figurabilibus magis ad unam partem, quam ad aliam ſe habentibus*. Ergo ſicut auctoritas non contemnenda idem ſonat, ac gravis auctoritas, ita certa ratio in moralibus, de quibus S. Bernardus loquebatur, idem eſt, ac ratio gravis. Quare ſi Zach. ea animo, ut debet, vult ſapere cum S. Bernardo, neceſſe eſt ut ſuam verſatilem probabilitatem non ſolum deſerat, ſed abjiciat, & conterat.

Hinc idem S. Bernardus lib. de præc., & diſp. cap. 14. ait: *Ut interior oculus vere ſit ſimplex, duo illi eſſe arbitror neceſſaria, caritatem in intentione, & in electione veritatem. Nam ſi bonum quidem diligat, ſed verum non eligat, habet quidem zelum Dei, ſed non ſecundum ſcientiam; & neſcio, quemadmodum judicio veritatis vera eſſe poſſit cum falſitate ſimplicitas*. Ait *in electione veritatem*, non probabilitatem. *Sed verum non eligat*, non probabile. Cum falſitate, licet probabilis ſit, vera ſimplicitas eſſe non poteſt.

Cap. 3. de legibus in uſu Patrum a morali Theologo ſervandis.

Can. V. *Quæ ex Patrum homiliis, aſceticis libris, & orationibus, ejuſque genus lucubrationibus, non eam Theologo fidem faciunt, quam quæ in dogmaticis inſtructionibus, epiſtolis &c. facere poſſunt*.

Hic vero Zacharia inſignem ſanctis Patribus injuriam irrogat, perinde ac ſi illi minus caute, minusve accurate prioris generis monumenta ſcripſerint, quam poſterioris. Ita ne vero? Modus quidem doctrinæ alius, & alius pro perſonarum, & circumſtantiarum varietate eſſe debet; at doctrina ſemper eadem; eadem in ſuggeſtu, ac pœnitentiæ tribunali; eadem apud ignobile vulgus, & rudes, ac apud nobiles, delicatos, & doctos. An alia via eſſe poteſt eundi ad cælum, ac doctrina veritatis, ut eadem omnibus, ubique, & ſemper tradenda non ſit?

Imo vero ſi ad rudem populum verba facias, major in tradendis morum doctrinis cautio adhibenda eſt, quam ſi cultos, & doctos homines alloquaris. Quia hi, ſi quid erraveris, facilius corrigere poſſunt, quam imperitum vulgus, quod ab homine religioſo multæ ſanctitatis, & exiſtimationis deceptum, vix unquam errorem deponit.

At inquit Zach. *Multa in ejuſmodi libris exaggeratius proferuntur; neque id mirum, quum oratoribus omnibus id ſolemne ſit: multa quoque conſilium potius ſpectant, quam præceptiones*.

„ Hanc quoque oppoſitionem (ait Concina App. tr. 1. p. 179. n. 8.) inflatis genis obtrudunt Prote„ ſtantes, & Calviniani omnes, quos inter Joannes Dallæus de uſu Patrum integro cap. 5. eam am„ plificat. “

Pudeat enimvero Zachariam, hominem non ſolum catholicum, ſed ſacrum, & religioſum, ab hæreticis cavillationes deſumere, quibus Patrum auctoritatem elevet. Nam aliud eſt, & longe aliud ſanas hæreticorum doctrinas adhibere, ſicuti facit P. Concina a Zacharia perperam reprehenſus, ut corruptas nonnullorum catholicorum opiniones redarguas. Amplificant quidem Patres, ubi opus eſt, non inſtar præſtigiatorum, & ſophiſtarum, qui fallacibus pigmentis res ſupra meritum attollunt, ſed inſtar graviſſimorum oratorum, qui copioſo dicendi genere, verborum pondere, rationum momentis rei dignitatem, vel indignitatem in auditorum animis fortiter imprimunt. Ergo Patribus ſophiſticam exaggerationem, qua levia crimina cum gravibus, conſilia cum præceptis confundant, adſcribere, nihil aliud eſt, niſi eos e venerando Patrum conſeſſu, & gradu dejicere, ac inter garrulos, leviculos, fallaces, imperitos ſcholos detrudere.

Can. VIII. *Dent tamen mihi hanc veniam Caſuiſtarum reprehenſores, ut confidenter pronuntiem, quo magis diligentia, & critica (in Patrum citatione) antiquioribus Caſuiſtis antecellunt Natalis Alexander, Genettus, aliique ejuſmodi, eo magis iſtis illos prælate teſtimoniorum delectu, ac ratiocinandi vi*.

Dum P. Zacharia hæc ſcriptis conſignabat, ut credulis, ac imperitis lectoribus fucum faceret, in mente certe non habebat illud Alexandri Papæ VII. quod nos non ſine ratione ſæpius inculcamus: *Modus opinandi* (hic ſermo eſt de antiquioribus Caſuiſtis) *irrepſit alienus omnino ab evangelica ſimplicitate, ſanctorumque Patrum doctrina* &c.

Hic eſt antiquorum Caſuiſtarum delectus in Patrum doctrina, & citatione. Quod ad ratiocinandi vim attinet, acutiſſimi illi certe fuere, ſed ingenii, ſoliditate, ac judicii maturitate gloriari non poſ-

ſunt, utpote qui innumeris cavillationibus libros impleverint. Has tum ab aliis, tum præſertim a P. Concina, qui cum Caſuiſtis propius, quam alii, congreſſus eſt, confutatas legere potes.

Ex hoc ipſo meo qualicumque opere facile intelligitur, quænam ſit *Caſuiſtarum* ratiocinatio, ratiocinandi vis, & Patrum delectus.

Sed hac de re legendus eſt Euſebius Eraniſtes, vir non ſolum ingenii acumine, ſed etiam maturitate, nec ſolum eruditione, ſed judicii vi, & ſoliditate maxime excellens.

Appendix ad tract. 4. §. 3. de uſu utriuſque juris in morali Theologia cap. *Quicumque* §. *Inhibemus* de hæreticis in 6. legitur: *Inhibemus quoque, ne cuiquam laicæ perſonæ liceat publice, vel privatim de fide catholica diſputare*. Hic porro quæritur, quid perſonæ laicæ nomine veniat, utrum ſcilicet perſona profana, prout diſtinguitur a ſacra, ſeu eccleſiaſtica, an rudis, & indocta. Nonnulli Theologi hoc altero ſenſu accipiunt illud *laicæ perſonæ*, quorum ſententiam ſua eruditione confirmat celeberrimus Muratorius *Rifleſſ. ſopra il buon guſto p. 2. cap. 7.*; quia iis temporibus, quibus citatus canon editus eſt ab Alex. IV., nomen Clerici pro docto, laici vero pro rudi accipiebatur tum latine apud Ordericum Vitalem lib. 3. apud Cronicon Andrenſe, & alibi, tum gallice, & italice, ut exemplis oſtendit.

Huic ſententiæ adhæret quoque P. Zach. loco cit., & P. Concinam vellicat, qui cum magni nominis Theologis contrarium ſentit, & laicæ perſonæ nomine perſonam non ſacram, ut vulgo omnes intelligunt, venire in citato canone exiſtimat. *Quis enim*, ait Conc. Theol. tr. 1. p. 213. *dixerit, Eccleſiam adhibuiſſe voces* Clericus, *vel* Laicus *juxta ſignificatus peculiares cujuſdam nationis, & plebis, juxta acceptiones varias adductas in Gloſſario Du-Freſne?* Quod citat Muratorius loco mox citato. Quid Zachariae? „ Nihil, inquit ipſe, hac ratiuncula imbecillius. Galli, Itali, Angli, (quod ex teſtimoniis „ conſtat a Muratorio, & Du-Freſnio citatis) Clerici, & laici nomina quo tempore decretum Ale- „ xandri editum eſt, paſſim ad eruditum, indoctumque virum ſignificandum uſurpabant. Et mirabi- „ mur, Pontificem hoc laici nomen ſenſu adhibuiſſe? "

Ratiuncula P. Concinæ eſt hujuſmodi. Eccleſia, ſeu Alex. IV. Eccleſiæ ſupremum caput, omnibus cujuſcumque nationis Chriſtianis legem fert, eamque exarat idiomate univerſo chriſtiano orbi communi, hoc eſt latino-eccleſiaſtico-legiſlativo ſermone: ergo non eſt veriſimile, Eccleſiam in hac lege uſurpaſſe vocem *laicæ perſonæ* juxta ſignificationes peculiares cujuſdam nationis, e. g. Gallicæ, Italicæ, Anglicæ. Neque enim Alex. IV. idiomate Gallico, Italico, Anglico uſus eſt, ut vocem laicæ perſonæ juxta ſenſum harum nationum adhiberet; neque ſolis his nationibus legem tulit, ſed aliis omnibus univerſi chriſtiani orbis.

Hæc eſt ratiuncula P. Concinæ. Ratio vero P. Zachariæ, qui ratiunculam P. Concinæ pro nihilo habet, hæc eſt. Galli, Itali, Angli tempore decreti Alex. IV. vocem laici pro indocto uſurpabant: ergo Alex. IV. illud *laicæ perſonæ* hoc eodem ſenſu uſurpavit.

Quæro ego nunc, utrum imbecillior ſit ratiuncula Concinæ, an ratio Zachariæ. Ut Zach. ratio aliquam vim habeat, neceſſe eſt, ut hæc propoſitio, quæ in ejus enthymemate tacite intelligitur, *Alex. IV. nomen laicæ perſonæ eodem ſenſu accepit, ac Galli, Itali, Angli illius temporis*: neceſſe, inquam, eſt, ut hæc propoſitio ut vera, aut probabilis admittatur. At hæc propoſitio eſt ne vera? Quis hoc divinare poteſt? Eſt ne probabilis? Mihi ſane ne probabilis quidem videtur propter mox expoſitam Concinæ ratiunculam, quæ contrarium veroſimile eſſe, evincit. Ipſe Zach. ſuæ rationis imbecillitatem, ſeu inanitatem indicat, dum ex illo antecedente, *Galli, Itali, Angli nomen laici pro indocto uſurpabant*, non hanc concluſionem elicit, *ergo etiam Alex. IV.* ſed iſtam, *& mirabimur, Pontificem hoc laici nomen ſenſu adhibuiſſe?* Hoc eſt, ponit, Pontificem laici nomen hoc ſenſu adhibuiſſe, & hoc non aliter mirum oſtendit, quia eodem ſenſu illud acceperunt Galli, Itali, Angli. Nihil ſane mirum eſt, quod Zachariæ ratio inanis ſit; ſed illud mirum alicui forte videri poteſt, quod hic idem P. Zach. eruditiſſimo, ſolidiſſimoque Theologo, & acutiſſimo logico P. Concinæ frequenter inſultare audeat.

Verum ad rem, de qua agimus, illud præterea animadvertendum eſt, Clericum quidem latine apud nonnullos acceptum fuiſſe pro litterato, ſicuti contra litteratus pro Clerico ab Honorio III. cap. *Ex parte* de Cler. conjug. ſumitur; at non afferri exempla, quibus laicus idem ſit latine ac illitteratus. Quæſtio autem præſens eſt de ſignificatione laici, ſeu *laicæ perſonæ*, non de ſenſu Clerici. Unde ergo hujus quæſtionis ſolutio peti poteſt? Illud veroſimillimum, ac pene certum haberi poteſt, Alex. IV. eo ſenſu accepiſſe laicum, quo non ſolum vulgo, ſed ab ipſis Summis Pontificibus acceptus fuit: at Summi Pontifices nomen laici pro perſona non ſacra conſtanter acceperunt. Sylveſter Papa cau. 2. qu. 7. cap. 2. ait: *Nullus laicus audeat Clerico crimen inferre*. Cap. 3. Marcellinus Papa inquit: *Laico non licet quemlibet Clericum accuſare*. Cap. 5. Euſebius ad Epiſcopos Galliæ ita loquitur: *Laicos non accuſare Epiſcopos, hactenus obſervatum, & conſtitutum eſt*; eodemque ſenſu ſumitur cap. 4. 6. 31. 49. qu. 7. Ergo ferme pro certo haberi poteſt, Alex. quoque IV. laicum accepiſſe pro perſona non ſacra, non autem pro perſona indocta.

Accedit ratio. Nam finis legis, de qua loquimur, eſt, ne diſputantes erroris alicujus imbibendi periculo objiciantur: porro periculum erroris ex diſputatione imbibendi, ex duplici capite oritur, hoc eſt ex imperitia defendendi fidem contra infidelium, & hæreticorum ſophiſmata, & ex infirmitate in eadem fide. Clerici autem, ſeu eccleſiaſtici præ ſæcularibus & ab imperitia, & ab infirmitate in fide longius alieni eſſe ſolent, & ponuntur. Ergo periculum erroris in diſputando de fide ab eccleſiaſticis ut plurimum abeſt, non item a ſæcularibus. Quare cum leges de iis ferantur, quæ ut plurimum contingunt. Alex. IV. prohibuit laicis, hoc eſt ſæcularibus, ne publice, vel privatim de fide catholica diſputarent; præſertim cum ſæculares etiam docti, aliis rebus, puta philoſophicis, mathematicis &c. informati ſint, non dogmatibus fidei contra infideles propugnandis, quorum ſtudium Clericorum, qui alios docere hujuſmodi res, eaſque contra fidei inimicos defendere tenentur, proprium eſt.

Tandem, dum laicæ perſonæ nomine intelligitur perſona ſæcularis, lex determinata eſt, & notiſſima; non item talis eſſet, ſi laica perſona idem eſſet ac indocta, ſeu illitterata. Nec enim ſatis intelligeretur, quos legis prohibitio afficeret. An ipſis ſubditis judicium permittendum eſt quinam illi ſint, quibus diſputatio de fide vetita eſſet? Nemo illitteratum, & indoctum, atque ad diſputandum de fide ineptum ſe judicaret: arrogantiores vero ad diſputationem paratiores eſſent; ex quo fieret, ut lex intellecta, ut Muratorius, & Zach. volunt, incerta eſſet, obſcura, & inutilis.

Quare tum legis ratio, ejuſque finis, tum vox ipſa *laica perſona* in eccleſiaſticis ſanctionibus pro ſæculari perſona conſtanter uſurpata evincunt, eam vocem hic quoque hoc ſenſu eſſe accipiendam.

P. Zach. in tract. 5. & ult. ſui Prodromi de Caſuiſtis, eorumque lectione, uſu, auctoritate agit, eos a laxitatis nota vindicare conatur, eoſque eſſe retinendos, ac legendos contendit.

De his mihi quoque pauca dicenda ſunt; & primo quidem illud animadverto, omnes Scriptores licet ſanctiſſimos, & doctiſſimos originalis culpæ tenebris obſitos, in errores aliquando incidiſſe; qua de re legi poteſt Canus de locis lib. 7. cap. 3.

Sed aliud eſt, numquam errare, quod privilegium divinæ Scripturæ proprium, univerſæ tantum Eccleſiæ ſponſæ ſuæ, ejuſque ſupremo capiti, ſuo Vicario Chriſtus communicatum voluit; aliud

quan-

quandoque, at rarius errare, quod omnium hominum eſt; aliud ſæpe, ac ſæpius errare, quod imperitorum, aut incautorum proprium eſt. Caſuiſtas imperitos, & rudes ſi appellaveris, injuriam iis irrogabis; at ſi eos incautos dices, a vero non aberis; quoniam illud doctrinæ genus ſponte elegerunt, & ſectantur, quod non minus erroris, quam veritatis amicum eſt. Hujuſmodi enim eſt verſatilis probabilitas, quam illi profitentur, cujuſque ope infinitos prope caſus morales facile, & prompte reſolvunt; unde illis Caſuiſtarum nomen inditum.

Evidentem veritatem obviis ulnis amplectuntur, evidentem falſitatem oderunt, & abjiciunt; at in rebus ambiguis, & obſcuris, quæ in morali Theologia infinitæ ſunt, non veritatem quærunt, non errorem reſpuunt, ſed quid medium inter veritatem, & errorem, quod æque verum, ac falſum eſſe poteſt, inquirunt, & ſectantur.

Hinc porro fit ut eorum prolapſiones, ſicut accidit iis, qui in lubrico ſponte verſantur, non fortuitæ ſint, ut in ſanis Theologis verum ubique quærentibus, ſed voluntariæ: voluntariæ, inquam, non in ſe, ſed in cauſa, ideoque non raræ, ſed frequentiſſimæ, ita ut teſte Alex. VII. ingenti corruptela ſacram Theologiam fœdaverint, ac ſeipſos doctiſſimorum virorum judicio contemptui objecerint.

Quare Caſuiſtarum lectio, Theologiæ tyronibus, & hominibus craſſi, aut exigui ingenii non ſolum inutilis, ſed valde noxia eſſe poteſt: ideoque iis prohibenda, aut diſſuadenda. Cum enim ſinceras, & ſanas doctrinas ab impuris & corruptis ſecernere, quod vel ipſis eximiis, & eruditis ingeniis ſæpe difficillimum eſt, non poſſint; in magno verſantur periculo, ne argutiſſimis, & in ſpeciem pulchris, at captioſis argumentationibus decepti, multa falſa eorum axiomata, plurimaſque fallaces, & periculoſas opiniones imbibant, quas veluti rectas regulas non ſine magno ſuæ, & aliorum ſalutis detrimento ſequantur.

Verum quoniam in eorum libris cum paleis triticum permixtum eſt, multaque præclare ac vere ſcripta, atque a ſanctis, doctiſque viris, ipſoque Bened. XIV. jure laudata reperiuntur; idcirco ab iis, qui ſolidis doctrinis muniti ſunt, & ingenio plurimum valent, utiliter legi poſſunt non tamquam magiſtri, & doctores, ſed veluti magni infinitarum mercium omnis generis nundinatores, ex quibus caute, & cum delectu utiles, & bonas ſumant, malas, & inutiles rejiciant.

Ex his illud merito colligitur, Caſuiſtarum, ut Tamburini, Vivæ, Buſembaum, La Croixii, aliorumque plurimorum auctoritatem parvo conſtare momento, nulloque modo cum iis ſanis Theologis comparandam, qui omnes ingenii, doctrinæ, eruditionis nervos ad veritatis inquiſitionem contulere. Quamvis enim hi quoque a vero aberrare poſſint, & quandoque aberrent, eorum tamen errata valde pauca ſunt, & præ Caſuiſtarum erratis nulla dici queunt.

Hi ergo ab omnibus attente legendi ſunt, ac præſertim a tyronibus, & ab iis, qui ingenio ad dignoſcendas fallaces a ſolidis doctrinas non valent. Hujuſmodi ſunt, ut aliquot nominem, Genettus, Natalis Alexander, Turnely, Belombes, Antoine, Concina, qui duodecim tomis chriſtianam Theologiam ſuſe, erudite, ac ſolide tractavit, innumeroſque morales caſus complexus, ſanioremque doctrinam contra dominantem laxitatem, & ſubtiles cavillationes acerrime tutatus eſt.

Sed quod ad Caſuiſtarum auctoritatem attinet, illud quoque animadvertere operæ pretium eſt, illos aliquid aſſerere vel ut licitum, vel ut illicitum. Si primum aſſerant, rem conſidera, momenta quæ afferunt, ad trutinam revoca, ne facile credas: ſi alterum, facilius credere iis potes. Ratio eſt, quia cum ad indulgendum valde proni ſint, eorumque axiomata huc ſpectent, facile licere ajunt, quod reipſa non licet; at culpæ nihil vertere ſolent, niſi res certa ſit.

Præterea vel aliquid probabile, aut probabilius eſſe ajunt, vel affirmate enuntiant. Si primo dicendi modo utantur, fatentur, contrarium quoque probabiliter plus minus negari poſſe; ideoque eorum dictum ex ipſo eorum teſtimonio pro nihilo habendum eſt; quia ipſis fatentibus non magis verum eſt, quam falſum, & æque plus minus falſum eſſe poteſt, ac verum. Cum vero affirmate aliquid enuntiant, rem ita reipſa eſſe exiſtimant; ideoque eorum auctoritas eo momento conſtat, quo Caſuiſtarum auctoritas ex meis dictis conſtare poteſt.

Zach. cap. 5. tract. 5. cit. hunc canonem n. 1. ſtatuit: *Si qua in quæſtione univerſi Caſuiſtæ eadem inter ſe conveniunt, ajentes, aliquid licitum eſſe; hæreſi proximum eſt, ab eorum opinione diſcedere.*

Sed Zach. toto cœlo aberrat, dum univerſis Caſuiſtis tribuit, quod univerſis Theologis tribuendum eſſe, recte docet doctiſſimus Canus de locis lib. 8. cap. 4. Illud diſcrimen eſt inter univerſos Caſuiſtas, & univerſos Theologos, quod inter partem minus præcipuam intercedit, & totum. Quod ſi univerſi Caſuiſtæ in principali Theologiæ capite, quod eſt de probabilitate, a probabilioribus, & ſanioribus Theologis impugnata, errant, cur errare in aliis non poſſunt? Unanimis eorum omnium ſenſus movere nos debet, cogere non debet, præſertim vero ſi probabiliores etiam pauci numero repugnent; quod idem multo magis intelligendum, ſi aliqua ſententia inter Caſuiſtas communis ſit, non eadem apud omnes.

In meas ini Prodromi animadverſiones non pauca P. Zach. commentatus eſt. De ſingulis ita agam, ut lectorem informem, non fatigem.

Ejus canonem II. *Ne quidquam ſtatuito &c.* p. a. emendatione indigere, illudque *Clariſſimis* expungendum eſſe, animadverti. Hinc D. Joann. Chryſ. in cap. 1. ep. ad Titum inquit. *Non itaque faſtuoſis verbis, ſed ſumme illi* (Epiſcopo) *opus eſt peritia Scripturarum, ut abſconditos ſenſus, intelligentiaſque rimetur.*

P. Zach. ipſo t. p. CIX. obſcuros Scripturæ textus ſollicite indagandos eſſe, inficiari auſus non eſt; nec tamen ſuum II. Canonem emendari paſſus eſt; ſed de abſconditis Scripturarum teſtimoniis in ſuo III. Canone a me relato actum a ſe fuiſſe contendit.

Sed aliud eſt, mi Zach. longe aliud, latentem Scripturæ ſenſum rimari, aliud certæ rationi e Scripturæ locis ductæ non repugnare, ut habet tuus III. Canon. At p. CX. inquis: „ Quæ clara ſunt Scripturarum loca, ea diſcurſu non egent; ut illis ethicea chriſtianæ præcepta ſtabiliantur: quæ igitur diſcurſum petunt, obſcura ſint, oportet. “

Reſp. Ita ſane. At quid hoc ad rem? nihil omnino, ita ut ex mera tua, & mira confidentia dixeris: „ quod autem hic Zacharias de obſcuris Scripturarum teſtimoniis loquatur, adeo perſpicuum eſt, ut mirum ſit, te ſolum id non videre. “

Meam III. ſui Canonis emendationem Zach. ita aggreditur. „ Verum adeo ne latinæ linguæ expertem te prodis, ut quid ſit *legitimus*, *certuſque diſcurſus*, haudquaquam intelligas? nullus hic locus certis, & inconcuſſis rationibus, quas aerem diverberaturus huc in ſcenam trahis. Legitimus, certuſque diſcurſus,ᵃ aliud nihil eſt, quam diſcurſus ad conſtitutas ſyllogiſticæ artis leges efformatus, iſque firmus, alius ſcilicet omnino a Concinianis, tuiſque diſcurſibus. “

ᵃ Legitimus certuſque diſcurſus P. Zachariæ non ſolum ex obvio vocum ſenſu, ſed ex ipſius P. Zach. mente idem reipſa ſonat, ac [illegible] firmus, ut Zach. nunc comminiſcitur, ut ab impugnatione ſeſe vindicet. Nam probabilis opinionis diſcurſus [illegible] e Sacra Scriptura ducto, licet firmus non aſſequitur, ſi contrarius diſcurſus aut æque, aut etiam minus firmus occurrat; [illegible] illud Zachariæ Theologorum hic vacat. Nam diſcurſus ex Scriptura derivatus, Theologicus eſt.) Ipſe P. Zach. ſententiam [illegible] certam a ſententia probabiliori, aut probabiliſſima univerſa loquendo ſecernit, ut ejus verba a me recitata animad. IX. in cap. 1. lib. 4. tract. 4. oſtendunt; qui ſenſus noſtris temporibus penes Theologos vulgariſſimus eſt.

Reſp. De Concinianis, meiſque diſcurſibus judicare pro tribunali, tuum, mi Zach. non eſt; quia nemo tibi hoc jus tribuit, ſed illud tibi pro tua confidentia arrogaſti. Cæterum *certæ*, & inconcuſſæ rationes, verba ſunt ſynonima; qua de re non tu, ſed Latinæ linguæ periti judicent. Omnis *certa* ratio, eſt etiam firma; non tamen contra omnis firma ratio, eſt etiam certa.

Sed ſicut *Clariſſimis*, non aliis, Scripturarum teſtimoniis, non eſſe repugnandum ex tripode pronuntiaſti, ita tibi conſtans, *certo* theologico diſcurſui, ex Scriptura ducto, non alii adverſandum non eſſe, pro tribunali dixiſti.

Hoc tuum tribunal Franzoja negligere viſus eſt. Quid tu mi Zacharias? ut illud ſuſtineas, ad ineptias, & cavillationes confugis; quas tamen tuas omnes ineptias, & cavillationes, ne lectoribus infinito tædio ſim, nec hic nec alibi perſequar; ſed iis tantum inſiſtam, quibus contritis, reliquæ vel me tacente perſpicue evaneſcant.

Suam Beſombes ridiculam vexationem a legitima criminatione his ſe verbis vindicare P. Zach. exiſtimat. „ Vin ſcire, cur Zacharias Beſombis doctrinam quum probarit, rationem ſit criminatus? quia „ ratio perridicula eſt, ac digna te defenſore, hujuſque ſimilis. Paulus, qui Corinthium inceſtuoſum „ abſolvit, in Italiam venit. Clerici igitur, qui quempiam a cenſuris abſolvere velint, in Italiam „ iter ingredi debent. “

Reſp. Nihil ineptius excogitare mi Zach. potuiſti. An quia Paulus in Italiam venit, ipſum eſſe Clericum, & juriſdictione præditum conſequitur, ſicuti conſequitur, quia eſt Apoſtolus?

In illa mea verba p. a. *Sicuti tandem in præfatione prodromi perperam inſectatur, quod ille &c.* meque ipſum proliae, & rabida, ſed inaniter latrat. p. cx.

Nam jure quidem reprehendendus eſſet Beſombes, ſi integras Chronologiæ, & Geographiæ tractationes cum morum Theologia permiſcuiſſet. Verum cum hæc obiter attigerit, & extra Theologicarum rerum diſputationem in calcem operis, additamenti loco conjecerit, nihil eſt, quod reprehendas, niſi verbolum Zachariæ latratum.

Idem P. Zach. mihi valde iraſcitur, quod ex. ejus canoni illud pernecessarium monitum adjecerim, *Scripturæ textus ad propoſitum pertinentes &c.* Illudque ab eo omiſſum eſſe, dixerim. Nam illud in ſuo Canone tt. & ttt. contineri vult. Ego vero otio non ita abutar, ut de lana caprina contra hominem ſine ulla lectorum utilitate diſputem.

Me, cum in hujus opuſculi ſui præfatione riſerit, hic iterum ridet, quod, cum verſatiles ſuos diſputatores, vulgo *probabiliſti*, innuo, non barbara voce *probabiliſtas*, ſed latine probabiles opinatores dixerim, perinde ac ſi hoc nomine eos, quos maxime reprehendo, laudaverim.

At non intelligit politus homo, eos eſſe probandos, & laudandos, prout eorum æqualis, aut minor probabilitas, vulgo *probabiliſmo* probanda, & laudanda eſt. Sunt probabiles per [illegible], hoc eſt minime probandi.* Sed hæc minuta ſunt, nec Theologis digna.

Eadem p. ca. Concinam ſe riſiſſe ait, non quod Chriſti oraculum, *multi ſunt vocati, pauci vero electi*, probabilibus opinatoribus objecerit, ſed quod illud locum Theologicum appellaverit. De voce ſcilicet quæſtio eſt. At cur locus theologicus dici nequit? quia „ ad potiſſimum Scripturarum, inquit, locum omnino pertinet; ideoque non locus Theologicus, ſed loci Theologici exigua quædam pars eſt. “

Reſp. Sed exigua hæc Sacrarum Scripturarum pars, fons eſt nihilominus perennis, unde contra omnes laxas verſatilium diſputatorum opiniones, argumentationes fluunt; ideoque locus contra verſatilem probabilitatem merito dicitur.

Quamquam, mi Zach., tuam calliditatem mecum recognoſce. Concinam reprehenderas, non quod indicatum oraculum, locum, ſeu fontem Theologiæ morum t. 1. app. diſſ. 2. cap. 7. dixerit, ſed quod *fontem alium Theologis omnibus incompertum hactenus, detexerit*. Verum quia tua criminatio contra illud *alium incompertum* refutata a me fuit, aliam commentus es. Sed has tuas cailea, & inanes reprehenſiones ipſe P. Concina loco cit. his paucis verbis præoccupavit. „ Nemo me redarguat, quod locorum theologicorum numerum augere velim. Nam locus iſte (hoc eſt indicatum Chriſti oraculum) „ non eſt a loco Scripturæ Sanctæ diſtinctus, ſed idem, morum Theologiæ accommodatus. “

Pag. x1. dixi: *In multis Zach. hic aberrat. Primo quia ſententiam S. Cypriani tutiorem appellat. Tutior enim &c.*

At ipſe contra p. cx. „ Sed omnia confundis, mi Franzoje. Opinio tutior a peccato magis remota „ eſt, non tamen ea eſt, quæ a peccato magis remota eſt; quemadmodum homo ridet, audit, am- „ bulat, non tamen homo is definitur, qui ridet, audit, ambulat.

Reſp. Tutum recte definitur, quod extra periculum eſt; tutius comparate, quod a periculo eſt remotius. Ergo opinio tutior ea recte dicitur, quæ a peccato magis remota eſt. Hinc Boſ. ipſe cap. ts. hujus tract. dub. t1. in Reſp. opinionem minus tutam eam eſſe, definit, *quæ minus remota videatur ab omni ſpecie peccati, quam altera*.

At inquit P. Zach. „ Tutior opinio ea dicitur, quæ legi magis favet. “ Reſp. non repugno, ita tamen ut, quoniam rem ad vivum reſecare vis, hæc ſit ſecundaria tutioris opinionis idea. Quia enim tutior opinio ex primaria ſui perceptione ea intelligitur, quæ a peccati diſcrimine magis abeſt, hinc fit, ut legi magis faveat.

„ Atqui, inquit Zach., legi baptiſmum conferendi magis favet Cypriani opinio, quam alia: igitur „ tutior erat. At inquies, lex quoque erat de non iterando baptiſmo, cui quidem legi altera opinio „ magis favebat: ergo non magis tuta Cypriani ſententia erat, quam aliorum. Nego conſequutionem, „ Nam etſi utraque ſententia legi cuipiam favebat, quum tamen lex de baptiſmo conferendo ob hu- „ jus neceſſitatem præſtantior altera ſit ... Cypriani opinio tutior omnino erat, quæ legi adſtipulaba- „ tur ad ſempiternam animæ ſalutem maxime neceſſariæ. “

Reſp. Ex tua ipſius definitione opinio tutior ea eſt, quæ Legi magis favet, non quæ Legi præſtantiori favet. At hic ponis, tutiorem opinionem eam eſſe, quæ præſtantiori Legi favet, non quæ Legi magis favet. Ergo, mi Zach., tibi non conſtas.

Præterea quæ comparantur, ut tutior, & minus tuta opinio, ad idem referenda ſunt, non ad diverſa: ergo tutior opinio, & minus tuta ad eamdem Legem referantur. Ergo cum S. Cypriani opinio, eique contraria ad diverſas Leges referantur, altera dici non poteſt tutior altera.

Ita, mi Zach., tibi reſpondere poſſem, ut te ad explicatiorem argumentationem cogerem. Sed ingenue fatear, quod res eſt. Tutior opinio non ſolum ea eſt, quæ Legi magis favet, quam oppoſita, ſed etiam illa, quæ præſtantiori Legi conſentanea eſt. Quia, cum juris naturæ ſit, ut præſtantiorem Legem minus præſtanti præferamus, tutior, imo unica tuta eſt opinio, quæ Legi præſtantiori adhæret. At id, mi Zach., verum eſt cæteris paribus, non item, ſi cætera imparia ſint. Si S. Cypriani opinio æque probabilis fuiſſet, ac oppoſita, hæc tutior fuiſſet.

At

---

* Sicuti hoc in eodem opere non ſemel me explicui, dum probabiles opinatores minime probandos dixi.

At S. Cypriani opinio non fuit æque probabilis, ac oppoſita, imo ne probabilis quidem dici poterat. An probabilis ea opinio eſt, quæ Eccleſiæ conſuetudini, & traditioni repugnat? An quæ ſupremæ Sum. Pontificis auctoritati reluctatur?

Imo quia hujuſmodi erat S. Cypriani opinio, improbabilis, & falſa erat; id eoque nec tuta, nec tutior, ſed periculoſiſſima, & mala. Ei vero oppoſita tuta, imo tutiſſima, ut eam D. Auguſtinus mox citandus appellat.

Lege Natalem Alexandrum Hiſt. Eccl. t. 3. p. 635. & ſeq. item p. 742. & ſeq. pag. 743. prop. 11. ita habet.

„ Stephanus Pontifex Romanus Cyprianum, Firmilianum, eiſque conſentientes in dogmate de re„ baptizandis hæreticis Epiſcopos abſtinendos cenſuit, eiſque excommunicationem minatus eſt;“ vel, ut putat Roncaglia p. 745. §. 1. eos reipſa excommunicavit. An, mi Zach. propter ſententiam tutiorem? Illa mea altera reprehenſione, *ſecundo quia S. Cypriani ſententiam probabiliorem dicit*, non ſe, ſed aerem a me feriri vult P. Zach. „ Non ait Zacharias, inquit ille, ut ſomnias, probabiliorem al„ ſa Cypriani opinionem, (an etiam cuiquam probabilior ſit, quæ ab Eccleſia confixa opinio fuerit?)
„ imo ne ait quidem probabiliorem; quod tamen mirum non eſſet: legendum puto *probabilem* mul„ ta enim ſunt falſa probabiliora veris. Ait, ſed etiam probabilior, atque adeo certa videbatur
„ Africanis.“

Reſp. In eo, mi Zach. tibi, & mihi gratulor, quod S. Cypriani opinionem non eſſe probabiliorem, imo ne probabilem quidem hic confitearis. „ At quæſo hæc verba, quæ quidem Cypriani opinio
„ non tutior modo erat, ut compertum cuique eſſe poteſt, qui tutioris opinionis nomen intelligat,
„ ſed etiam contraria probabilior, atque adeo certa videbatur Africanis, “ hæc inquam verba nonne a te ſcripta ſunt in lib. Prodromo p. 4. col. 1. & hic a te repetita? involuta quidem, ſi vis, illa ſunt, quod tibi non eſt inſuetum; aſt ego ea ita accepi. *La quale opinione in verità di Cipriano non ſolo era più ſicura &c. ma anche più probabile della contraria, a ciò a ſegno tale, che pareva certa agli Africani*.

Præterea eodem loco ſubdis. „ Cypriani ſententia probabilior ne fuit oppoſita? an ſolum probabi„ lis? utrumlibet elige “. Sententia Cypriani penes me, & reipſa nec probabilior, nec probabilis erat, ſed ut dixi improbabilis, & falſa.

Ego quidem neutrum eligo; at tu, mi Zach. his tuis verbis ponis, S. Cypriani ſententiam aut probabiliorem, aut ſaltem probabilem eſſe, & tibi concedi cupis, ut probabilior dicatur, etiamſi mox contrarium confeſſus ſis.

Adde, quod ita concluſiſti: „ ſenſit ergo Cyprianus, ſenſit Auguſtinus (ſiquidem Africanorum ſen„ tentia probabilior fuerit) licere ſequi opinionem probabilem, probabiliore relicta.“

Illud tuum *ſiquidem* nonne una vox eſt, quæ italice ſonat poichè? nam ſi illud in duas voculas dividis, & idem eſſe velis, ac *eppure*, abſurda parentheſis eſt, quæ ad rem non facit, imo nullam concluſionem patitur.

Hoc eſt tuum chaos in Prodromo: alterum nunc in iis, quæ hic dixiſti, tuis oculis vide. „ Multa
„ enim ſunt falſa, inquis, probabiliora veris.“

Falſa, videri quidem poſſunt probabiliora veris, reipſa tamen probabiliora eſſe nequeunt; quia momentis in ſpeciem quidem firmioribus, non tamen reipſa firmioribus niti poſſunt. Hoc tu ipſe tibi contradicens fateris, dum negas, S. Cypriani ſententiam eſſe probabiliorem. Cur enim id negas? quia falſa, quia ab Eccleſia confixa? Ergo negas, ſententiam falſam probabiliorem eſſe poſſe. Ergo negas, multa eſſe falſa, probabiliora veris. An Franzoja ſibi ſomnia fingit?

Dixi: *hæc tamen opinio licet improbabilis &c.*

Recitatis his verbis uſque ad illa *inculcant, & docent*, P. Zach. ita ſubdit. „ Deo grates ſint. En
„ ergo aperte confitentem Franzojam, unumquemque non ſolum poſſe, ſed debere illud ſequi, quod
„ re diligenter examinata verius ſibi, aut probabilius videtur. O præclaros Caſuiſticæ Theologiæ refor„ matores! quilibet agat, quod ſibi verius, ac probabilius videtur. Si ergo mihi probabilius videatur
„ licere, ut Franzojæ exemplis utar, mamillares tactus, duella defendendi honoris prætextu ſuſcepta,
„ trinum contractum, uſuras moderatas, particula reſtrictionum vocabulo illita, non ſolum potero, ſed
„ debebo iſthæc reapſe patrare. At hæc Franzoja judice p. XIV. in æternam homines perniciem de„ trudunt. Scilicet quum probabilitatis fucis illita fuerint. Fac magis tibi videri probabilia, talia omni„ no erunt.“

Reſp. his tuis, mi Zach., cincinnatis dictis, & figuris ſemidoctos, minuſque attentos lectores in tuum rete facile pertrahis. At qui attentius te legunt, non ſolum ſophiſtice, ſed ſubdole te loqui animadvertunt.

In illa tua concluſione, „ en ergo aperte fatentem Franzojam “ &c. in eo me calumniaris, ut me abſolute dixiſſe dicas, quod abſolute non dixi, ſed cum eo additio, *ubi utrimque agitur de peccato vitando*.

Tum addis „ quilibet agat, quod ſibi verius, ac probabilius videtur, “ & omittis meum illud, *re diligenter examinata*.

His calumniis tuum ſophiſma nititur.

Quod ſi non de peccato vitando utrimque agatur, de qua ſolum ſpecie ſupplicate locutus ſum, ſed hinc inde diſputetur, utrum aliquid nec ne liceat, major pro honeſtate probabilitas recta quidem regula eſt, non tamen ſi ea arbitrio, oſcitantia, partium ſtudio, aliove malo affectu talis videatur; ſed tunc demum, ſi ex genuino, & ſolo veritatis amore, digna, & debita diligentia adhibita hujuſmodi habeatur. Hinc D. Aug. lib. 3. de lib. arb. cap. 24. n. 72. *Ex quo incipit homo præcepti eſſe capax, ex illo incipit poſſe peccare. Duobus autem modis peccat antequam fiat ſapiens; ſi aut ſe non accommodet ad accipiendum præceptum, aut cum acceperit, non obſervet*. Item. *Peccatum autem malum eſt in negligentia vel ad capiendum præceptum, vel ad obſervandum, vel ad cuſtodiendam contemplationem Sapientiæ*. An mamillares tactus, & cætera mox nominata probabilius licata videri iis poſſunt, qui unico veritatis deſiderio ducti, rem diligenter perpendunt?

Abi quæſo, mi Zach., in bonam pacem, ſi affirmare pro tua confidentia audeas, quod probare nunquam poſſis.

Zach. „ Quidquod Franzoja probabilitatis aſſertoribus invictum argumentum ſuppeditat? Illud *omnes*
„ *ſolidi Theologi docent, in controverſiis, ubi utrimque agitur de peccato vitando, unumquemque non ſolum*
„ *poſſe, ſed debere illud ſequi, quod re diligenter examinata verius ſibi, aut probabilius videtur*: Sed ve„ rius probabilitatis aſſertoribus, ac probabilius videtur poſſe ſe ſequi opinionem probabilem pro„ babiliore relicta: igitur omnes ſolidi Theologi inculcare, & docere debent, poſſe probabilitatis aſ„ ſertores, atque adeo debere ſequi opinionem probabilem, probabiliore relicta. Non ergo ſolidus
„ Theologus Concina, non Paturius, non Franzoja, qui probabilitatis vindices Tartaro inclementiſ„ ſime addicunt.“ Reſp. hoc eſt clementiſſime, ut ſcilicet eos a tartarea via, quantum in ipſis eſt, abducant. Sed mi Zach. cur cavillari nunquam ceſſas? tuum invictum argumentum, puta putaque

cavillatio eſt, quæ medium terminum variat. In propoſitione enim illa verba includit: *in controverſiis, ubi utrimque agitur de peccato vitando*; quæ in aſſumptione prætermittit. Præterea qua fronte ais *verius*, ſi veritas e vobis negligitur? Cur ais *probabilius*, ſi æqualis, & minor probabilitas vobis ſatis eſt, ut opinio recta ſit agendi regula? Quod ſi verius, & probabilius vobis videatur licere ſequi opinionem probabilem probabiliore, & tutiore relicta, hæc veſtra ſententia non ex amore veritatis, quam contemnitis, ſed ex malis affectibus profecta, vos non excuſat, ſed accuſat. Recole, quæ paulo ante ſcripſi; lege etiam, quæ mox de D. Bernardo contra te dicam.

P. XIII. Dixi. *Quare in ea 3. loca fallitur*, uſque ad illud *favere velit*.

P. CXI. Hæc P. Zach. ita reprehendit. „ Falleris tu, atque oppido falleris, mi Franzoja. Te nu„ per audivimus fatentem, S. Cypriano ſuam ſibi probabiliorem viſam fuiſſe opinionem. Reſp. ita eſt.
„ Fatearis inſuper, Cyprianum in cujuſque arbitrio reliquiſſe, ut oppoſitam ſequeretur ſententiam.“
Reſp. Sed addidi, *quæ ſibi verior videretur*. „ Ergo fatearis oportet, Cyprianum in cujuſque arbitrio „ reliquiſſe, ut probabilem ſententiam amplecteretur. “ Reſp. Si ſibi verior videretur, & in ſpecie, de qua agabatur, concedo conſequentiam. Sine his limitationibus conſequentia non eſt conſequentia, ſed captioſum conſequens.

„ Conſequutionem, ſubdit Zach., oſtendo. Licuit Cypriano auctore tueri ſententiam ſeæ contrariam. “
Reſp. Recte. „ Hæc Cypriano nonniſi probabilis videri potuit, quum ſua ſibi eſſet probabilior. “
Reſp. aliis tamen probabilior videri potuit, & viſa eſt. „ Licuit igitur Cypriano auctore tueri ſenten„ tiam probabilem. “

Reſp. Ut ſupra, ſi ſibi verior videretur, & in ſpecie, de qua agebatur, concedo, ſecus nego, & pernego conſequentiam.

At inſtat Zach. „ Quam præclarus es Cypriani interpres! At Auguſtinus a Zacharia appellatus ait, „ Cyprianum nemini *præjudicaſſe*, *quominus quiſque Epiſcoporum*, *quod putat*, *faciat*. Cur non ait Augu„ ſtinus, quod ſibi verius videtur, ſed quod putat? an putare non poterant Epiſcopi, niſi putarent „ verius? “

Reſp. An SS. Cyprianus, & Auguſtinus verſatilium opinatorum more, non ex naturæ ſenſu, & ingenue loquebantur? Cum quis ait, *facito quod putas*, ea communi, & æquo ſenſu, idem eſt, ac ſi dixerit: facito, quod tibi melius, verius, rectius videtur.

Eadem p. XIII. ſcripſi: *quarta in eo erra:* &c. *niſi univerſa Eccleſiæ auctoritate firmati*.

At Zach., „ Hic de more aerem verberas, mi Franzoja; nunquam ſomniavit Zacharias, S. Auguſti„ num in Cypriani ſententia fuiſſe. Ipſa, quæ ille reddit, Auguſtini verba, ſatis oſtendunt, quantum „ alter ab alterius doctrina abhorruerit. “

Reſp. Ergo, ne de tuo involuto verborum ſenſu, hoc eſt de lana caprina diſputem, nihil ex D. Auguſtino deſumi poſſe, fateris, quod tuæ probabilitati faveat. Nihilominus inaniter litigare (tanta eſt tua litigandi libido!) pergis, & ſubdis.

„ Hoc unum diſpiciendum eſt, num Cypriani ſententia Auguſtino viſa fuerit, Eccleſiæ auctoritate ſepoſita, probabilior? Zacharias ait, tu negas. “

Reſp. Aperte falſum eſt, me negare ſepoſita Eccleſiæ auctoritate; quam non ſolum non excluſi, ſed explicate incluſi tum adducta S. Auguſtini auctoritate: *Nec nos tale aliquid* &c. quam Zach. ad ſe perperam trahit, tum additis illis verbis: *Quod enim univerſæ Eccleſiæ auctoritas docet*, *quantumlibet rationibus in ſpeciem veroſimilibus impugnetur*, *ratum*, *&* *certum eſt*, *contrarium vere improbabile*, *&* *falſum*.

At Zach., „ Diſtingue, mi Franzoja; poſtquam acceſſit univerſæ Eccleſiæ auctoritas, verum dicis: „ ante Eccleſiæ auctoritatem, falſum loqueris. Auguſtini temporibus, Eccleſiæ auctoritate certum, ra„ tumque erat, quid de hæreticorum baptiſmate ſentiendum eſſet, contrariumque improbabile, & fal„ ſum. Sed Zacharias loquitur de Cypriano, antequam ejus ſententia ab Eccleſia improbaretur, atque, „ tanta illam veriſimilitudinis ſpecie, tot momentis nixam, ut ipſemet Auguſtinus quo tempore Eccle„ ſiæ jam loquuta fuerat, fateri non dubitarit, ſe nunquam a Cypriano diſceſſurum, niſi univerſæ Ec„ cleſiæ auctoritate in contrariam ſententiam traduceretur. “

Reſp. Præclare enim vero, idest ad imperitos decipiendos apte. Diſtinctione vis me uti, ubi diſtinguendum non eſt. S. vero Auguſtinum pervertis, & laceras. Nam univerſæ Eccleſiæ auctoritas non ſcripta quidem, de qua tu captioſe, ſed tradita, de qua D. Auguſtinus, & ego eo auctore, & S. Cypriani, & omni anteriore tempore, ejus opinioni reluctata eſt.

Hinc S. Stephanus Summus Pontifex ex ipſo S. Cypriani teſtimonio Ep. 74 ad Pompeium dixit. (*) *Si quis ergo a quacumque hæreſi venerit ad nos*, *nihil innovetur*, *niſi quod traditum eſt*, *ut manus illi imponatur in pœnitentiam*. Ait *traditum*; quod ex conſuetudine Eccleſiæ colligebatur.

„ Hanc conſuetudinem, inquit Nat. Alex., corruptelam eſſe reſpondebat S. Cyprianus . . . . illam „ vero ceu traditionem vindicat S. Auguſtinus paſſim in libris de baptiſmo contra Donatiſtas. lib. 2. „ cap. 9. ait. “ *Nondum autem factum erat*, (Concilium transmarinum, vel univerſale) *quia conſuetudinis robore tenebatur orbis terrarum; & hæc ſola opponebatur inducere volentibus novitatem*, *quia non poterant apprehendere veritatem . . . . hanc autem fuiſſe conſuetudinem Eccleſiæ*, *quæ poſtea multis diſcuſſis ambagibus perſpecta veritate plenarie Concilio firmata eſt*, *ſtatim oſtenditur*, hoc eſt vel Concilio primo Arelatenſi, ut teſte Natali t. 4. hiſt. Eccl. p. 20. §. 2. Sirmondus, & Launoius putarunt, vel, ut ipſe melius ait t. 5. p. 837. prop. 2. Concilio Niceno, *ex ipſius B. Cypriani verbis &c.*

Et lib. 3. cap. 2. *Quid ergo? Ante Agrippinum*, (S. Cypriani deceſſorem) *a quo iſta cœpit nova ratio* (rebaptizandi hæreticos) *adverſus conſuetudinem dimicans*, *nunquid non erat Eccleſia? quid denique poſt Agrippinum*, *quando niſi ad priſtinam conſuetudinem rediretur eſſet*, *alterum maleri concilium non eſſet neceſſe Cypriano*, *numquid non erat Eccleſia*, *quia talis per omnia conſuetudo tenebatur*, *ut baptiſmus Chriſti non niſi Chriſti baptiſmus haberetur*, *etiamſi apud Hæreticos*, *vel Schiſmaticos datus fuiſſe probaretur?* Quod ſi erat etiam tunc Eccleſia . . . . . *Tutiſſima ratio eſt* (non minus tuta, ut tu, mi Zach., a S. Auguſtino longiſſime diſcedens) *in eadem conſuetudine permanere*, *qua tunc bonos*, *&* *malos una complexione portabat*. *Quam conſuetudinem*, ait idem S. Aug. lib. 2. cap. 7. *credo ex Apoſtolorum traditione venientem*; (*ſicuti multa*, *quæ non inveniuntur in litteris eorum*, *neque in conciliis poſteriorum*, *&* *tamen quia per univerſam cuſtodiuntur Eccleſiam*, *nonniſi ab ipſis tradita*, *&* *commendata creduntur*.)

Hæc pauca ex D. Auguſtino ſumpta, quæ Natalis fuſius perſequitur, P. Zachariam a vero, & ab auctoritate tanti Patris, & Eccleſiæ Doctoris, quem pro ſe inconſiderate citat, procul receſſiſſe, luce clarius oſtendunt.

p. CXI. Zach. „ Alterum, quod examinandum ſumo, illud eſt, quod de Bernardo ſcribis. Zach. ita ex „ Bernardo fuerat argumentatus. Bernardi teſtimonium &c. “ Hoc eſt reliqua mea dicta p. XIII. uſque ad illud, *ſed abjiciat*, *&* *conterat*, deſcribit, tum ita me laudat. „ Viden, te ne ipſum quidem aſ„ ſequi de probabilitate quæſtionis ſtatum? Probabilis opinio ea eſt, quæ ſolidæ rationi, gravique aucto-
ritati

(*) Ap. Nat. Alexandrum Hiſt. Eccl. t. 5. p. 636. 637. §. IV.

ritati nititur. “ Reſp. D. Bernardus, de quo hic ſermo eſt, non copulative, ut tu, ſed disjunctive loquitur, mi Zach., qui nec D. Bernardum, nec tuam probabilitatem intelligis; ſed quam hanc concluſionem elicis, audiamus. „ Ergo, inquis, cum ſolida ratione, gravique auctoritate pugnare non poteſt. “ Reſp. ergo cum ſolida ratione, aut gravi auctoritate pugnat, ut in animadverſione hic oſtendi, & ut ſtatus quæſtionis de probabilitate habet, & ut tu ipſe tibi de more contradicens fateris, dum ſubdis. „ At probabilior opinio & ipſa gravi nititur auctoritati, ſolidæque rationi, imo & gra-
„ viori, & ſolidiori. Non nego: igitur probabilis opinio cum ſolida ratione, gravique auctoritate pu-
„ gnat. Diſtinguo; ita tamen, ut ſolida item ratio, gravisque auctoritas pro ea oſtet, concedo; aliter
„ nego. “

Reſp. Hoc eſt tuo verborum anfractu concedis, quæ ego ipſe dixi. Cur, mi Zach., hoc involuto, ſupervacaneo, contradictorio dictionum circuitu uſus es? an ut ab indoctis admirationem extorqueres? an ut res apertas, & liquidas his involucris obſcurares? an, ut aliquid contra me dicere videreris, cum tamen nihil reipſa contra me diceres?

Zach. „ Bernardus hoc unum requirit, ut quis ad certam rationem, gravemque auctoritatem ſuas exi-
„ gat actiones, non ut certiorem rationem, graviorem auctoritatem ſequatur. “

Reſp. Hoc eſt loco reſpondendi meæ rationi, qua tua ſenſa refutavi, eadem aliis verbis repetis. Attentius, mi Zach., lege, quæ in mea animadverſione ſcripſi, & integra lege, non detruncata, ut tu exſcripſiſti.

Verum illud etiam a te in tui ipſius, & lectorum gratiam peto, ne me in tui reprehenſione verba effundere cogas. Alioquin, mi Zach., vacuo folia implemus.

Eadem pag. XIII. ſcripſi. *Hinc idem S. Bernardus* &c. uſque ad illud *cum falſitate, licet probabilis ſit, vera ſimplicitas eſſe non poteſt.*

Quid ad hæc Zach.? „ Igitur, infert, ne probabiliores quidem opiniones ſequi licet. Nam cum fal-
„ ſitate major probabilitas eſſe poteſt: cum falſitate vera ſimplicitas eſſe non poteſt: ergo cum ſimplicitate major probabilitas eſſe non poteſt, ſi falſa ſit. “

Reſp. Cur, mi Zach., contra logicas leges in concluſionem illud *ſi falſa ſit* intrudis, quod in præmiſſis deeſt? ut ſcilicet tuam argumentationem ſophiſticam eſſe, Logicæ tyrunculi intelligant.

D. Bernardus, *ut oculus vere ſimplex ſit*, poſtulat *in electione veritatem*, hoc eſt ut voluntas verum amet, & quærat, uti probabiliores Theologi faciunt, non ut verum ubique attingat, quod nemo unquam præſtitit. Cum falſitate in re, non in electione major ſpecie tenus probabilitas eſſe poteſt; & ipſa vera ſimplicitas cum falſitate in re eſſe poteſt, dum ab ea voluntas maxime aliena ſit, ſicuti eſt voluntas probabiliorum, minime vero probabilium. Tua argumentatio, mi Zach., æquivoco in ea voce *cum falſitate* laborat.

Zach. „ Diſtingue, ſi ſapis Franzoja, falſitatem cognitam, cum qua certe vera ſimplicitas eſſe ne-
„ quit, a falſitate invincibiliter ignorata. Sed quemadmodum huc confugiſs, neceſſe eſt, ut ne Ber-
„ nardo majoris probabilitatis defenſio adverſari videatur; ita ſinas, ut probabilitatis vindices eodem
„ ſe recipiant. “

Reſp. Illa tua, mi Zach., diviſio in falſitatem cognitam, & falſitatem invincibiliter ignoratam diminuta eſt. Nam his duobus membris tertium addendum eſt, ſcilicet falſitas vincibiliter ignorata.

Tua argumentatio truncis, & ſubobſcuris terminis, ne ejus fallacia emicet, involuta, reipſa hujuſmodi eſt. Vera ſimplicitas cum falſitate invincibiliter ignorata eſſe poteſt: talis eſt falſitas probabilitatis vindicum: ergo cum vera ſimplicitate eſſe poteſt. At aſſumptio aperte falſa eſt. Nam probabilium falſitas vinci poteſt, ſi velint, & reipſa vincitur, ſi, ut debent, & ut ipſis non inficiantibus laudabile eſt, ſuum diſſerendi modum ex animo oderint, & abjiciant. Qua fronte probabilium falſitas invincibilis dici poteſt, cum eorum voluntas a falſitate non abhorreat, nec veritatem quærat, & amet, ſed medium quid inter falſitatem, & veritatem, quod tam falſum, quam verum eſſe poteſt, imo magis falſo, quam vero ſimile eſt?

Mea controverſia p. XIV., ubi de ſenſu, quo Alex. IV. *Laicam perſonam* acceperit, egi, P. Zach. contra me ita loquitur. p. CXI.

„ Laicum enim vero hic te prodis, non Clericum. Zachariæ argumentum, ſi animum Concinna-
„ tricis adſuetum ad eum * legendum non adtuliſſes, hoc eſſe intellexiſſes.

„ Pontifices in ſuis epiſtulis, & conſtitutionibus ea verba uſurpant, quæ quo ſcribunt, ævo uſitata
„ ſunt, eoque ſenſu uſurpant, qui iiſdem temporibus receptiſſimus fuit: ergo, quum Alexandri IV.
„ temporibus ſolemne fuerit, & communi nationum omnium more receptum, ut Laicorum nomine
„ rudes, atque illiterati homines denotarentur, Pontifex eo ſenſu id nominis adhibuit. Quid reſpon-
„ des? verba, gerras, prætereaque nihil. “

* Legendum *dixi*.

Reſp. Jam inſignem, & Capitolij gloria dignam victoriam reportaſti. Sed cur victo inſultas? *Parcere ſubiectis* &c. Sed hæc abs re. Tuæ argumentationi ita reſpondeo.

Pontificibus latino Eccleſiaſtico idiomate, quod univerſi Orbis doctis, & ſacris hominibus commune eſt, utentibus, inepte, & abſurde, mi Zach., illud onus imponis, ut Gallicas, Hiſpanas, Italas voces adhibeant, eoque ſenſu, quo hæ Nationes illas uſurpant. Sicuti nec gallice, nec hiſpane &c. in ſuis Conſtitutionibus loquuntur, ſed Latino-Eccleſiaſtice, ita Latina-Eccleſiaſtica vocabula uſurpant, eoque ſenſu, quo ab Eccleſiaſticis Latinis ſcriptoribus, ac imprimis a ſuis deceſſoribus accipi ſolent. Hæc eſt tuæ argumentationis, ſeu cavillationis reſponſio, quæ in animadverſione, ſi quis recte perpendat, præoccupata jam fuit.

His adde, quod Lexicon Latinum in uſum Seminarij Patavini an. 1726. ita habet.

Laicus a um adiect. a λαὸς *populus*, apud *Tertullianum ſignificat quempiam e populo, qui Sacerdos non ſit, Laico. Idem in exhort. ad caſtitatem c. 7.* „ Vani erimus, ſi putaverimus, quod Sacerdotibus non
“ liceat, laicis licere.

Burius in Onomaſtico ita inquit. *Laicus* (λαὸς *populus*) *Latine popularis: ab hoc diverſus eſt Clericus* a κλῆρος *ſors, quaſi ſorte electus, & in ſortem Domini vocatus.* D. Auguſt. Serm. CXIV. n. 4. inquit. *Laicus ſis, homo es, Monachus ſis, homo es, Clericus ſis, homo es, Epiſcopus ſis, homo es.* Ubi Laicus non Litterato, & Docto, ſed Monacho, Clerico, Epiſcopo opponitur, hoc eſt pro homine non ſacro ſumitur. Et Serm. CXXXVII. n. VII. *Laicus enim, qui vult bene vivere, cum attenderit Clericum malum, quid ſibi dicit?* Hic quoque Laicus pro viro non Eccleſiaſtico aperte accipitur.

Hanc ſententiam Theologorum magni nominis auctoritate etiam novam confirmat Antoine cap. 3. de Virt. Theol. q. 4. p. 121. Decreto Congregationis de propaganda fide an. 1630. 26. Feb.; ex quo *Diſputatio de rebus fidei Laicis eſt prohibita. Sacerdotes, niſi ſint valde periti, ex conſilio debent ſe abſtinere, excuſando ſe bonis verbis, & prætextibus.*

At Zach. illam meam rationem, *nam finis legis* &c., quæ tota hic legenda eſt, ita impugnat.
„ Optime; ſed unde probas, periculum erroris ex duplici illo capite oriri? Negat Muratorius, negabit
„ Zach., contenditque, unum, quod Alexander ſpectavit, periculum ex ignorantia proficiſci. “

Reſp. Unde probo? Res ex ſe aperta eſt, quam quis, niſi Zach. inficiari audeat? An infirmus ex tm-

impulſu in cadendi periculum non conjicitur? imo ex æquo ſenſu majus erroris periculum ex infirmitate in fide, dum de ea cum infidelibus diſputatur, quam ex imperitia imminet. Firmus in fide, ei tenaciſſime inhæret; ideoque, etiamſi ex imperitia cavillationum ſolutionem ignoret, eas nihilominus aſpernatur: contra doctus Vir non omnes adverſariorum argutas fallacias detegit; ideoque, ſi in fide infirmus ſit, iis facile cedit aut conſentiendo, aut ſaltem dubitando.

Præterea reſponde, mi Zach., illis meis verbis, *præſertim cum ſæculares etiam docti, aliis rebus, puta philoſophicis, mathematicis &c. informati ſint, non Dogmatibus fidei contra Infideles propugnandis, quorum ſtudium Clericorum, qui alios docere hujuſmodi res, eaſque contra fidei inimicos defendere tenentur, proprium eſt*. Hæc ſcilicet omittis, ut oſcitantibus Lectoribus ſubrepas. Nam ſi hæc, & quæ hic ſubdidi Lector non indoctus attente rimetur, facile intelliget, pauca illa, mi Zach., tua dicta, *contendentque, unum* &c., non unum, ſed tria errata includere. Primum eſt, quod ex diſputatione, de qua loquimur, unicum ignorantiæ periculum admittas. Alterum hujus conſectarium, quod Alex. IV. hoc unum ſpectaverit. Tertium, quod rerum fidei contra infideles defendendarum cognitio, ſæcularibus doctis ordinarie loquendo non deſit.

An, mi Zach., putas, illud tuum *contendentque* &c. nulla ullum ratione, rationabilia & æqua, Franzojæ ſenſa enervare?

Sed illud etiam a *te* quærit Franzoja, cur momentum pro ſua ſententia ex conſtanti Summorum Pontificum laicæ perſonæ acceptione deſumptum non attigeris. Exiſtimare ſcilicet videris, rem tibi eſſe cum tyrunculis, non cum doctiſſimo, & critico noſtri temporis litterario orbe.

Sed videamus, utrum aliquid validius contra illud, quod ſcripſi, *tandem dum Laica perſonæ nomine* &c. proferas. Hic ſcilicet mea verba deſcribis uſque ad illud, *quibus diſputatio de fide vetita eſſet*; tum ſubdis: „ Pudeat te, hiſce ratiunculis pugnare. Quo tempore Alex. IV. Canonem ſuum edidit, „ notiſſima res erat, quid Laicus ſignificaret: lex ergo determinata tunc erat. Quod ſi res hodie adeo „ perſpecta non eſt, ut olim, id commune eſt ſexcentis canonibus &c. “

Reſp. Nec hoc, nec eo tempore, quo Alex. IV. ſuam tulit legem, lex fuiſſet determinata, ſi Laicæ perſonæ nomine indoctum hominem innuiſſet, ut ſubſequentibus meis verbis, quæ tu, Zach., ſubdole omittis, oſtendi.

Zach. „ Cæterum quæ Muratorius, & poſt eum Zach. tradiderunt, ea ipſi a gloſſa, ut aiunt, di„ dicere, quæ illi Canonici juris loco ab antiquiſſimis temporibus adſcripta legitur. *Forte intellexerunt* „ *de Laico ad modum ultramontanorum*, “ („ & Italorum addi potuerat “) *qui illiteratos Laicos, & literatos Clericos vocant*.

Reſp. Ut omittam, hanc gloſſam, quæ ait *intellexerunt*, cum de uno Alexandro IV. ſermo ſit, ſuſpectam merito videri poſſe, quam ſuſpicionem auges, cum non dicas, ubi eam inveneris, illud *forte* divinatorium eſt, & vix quidquam virium habet.

Hactenus Zach. in ſuo I. ſpecimine, quo ſuum librum Prodromum tutari adnixus eſt.

De reliquis pro opportunitate agemus ſuis in locis.

INDEX

Digitized by Google

I N D E X

CAPITUM, ET DUBIORUM.

LIBER PRIMUS.

De Regula actuum humanorum.

TRACTATUS I.

De Regula interna, ſive Conſcientia.

Cap. I. *Quid Conſcientia, & an ſequenda ſit.* pag. 1
Cap. II. *De Conſcientia dubia.* 3
Dub. I. *Quid ſit Conſcientia practice dubia, & quid in ea agendum.* ibid.
2. *Quid agendum cum Conſcientia ſpeculative dubia.* 4
3. *An in dubio tutior pars ſit eligenda.* 5
Cap. III. *Quid Conſcientia ſcrupuloſa, & quid in ea agendum.* 14

TRACTATUS II.

De Regula externa actuum humanorum, ſcilicet Lege.

Cap. I. *De natura, & obligatione Legis in genere.* 16
Dub. I. *Quid ſit Lex, ſive Præceptum.* ibid.
2. *Quotuplex ſit præceptum.* ibid.
3. *An vis, & ſubſtantia legis poſitivæ dependeat ab acceptatione communitatis.* 17
4. *An præcepta etiam humana obligent ſub peccato, & quali.* ibid.
Cap. II. *De ſubjecto, cui datur præceptum.* 20
Dub. I. *Quæ perſonæ præceptis obligentur.* ibid.
2. *An peregrini teneantur legibus ſui domicilii, dum ab eo abſunt.* ibid.
3. *An peregrini, & vagi teneantur præceptis locorum, in quibus morantur.* 21
4. *An peregrini teneantur præceptis juris communis, ſi non ſint in uſu in loco, ubi morantur.* ibid.
Cap. III. *De modo, quo obſervanda ſunt præcepta.* 24
Dub. I. *An debeant impleri ex caritate.* ibid.
2. *An ad impletionem præceptorum requiratur intentio iis ſatisfaciendi.* 25
3. *An ſatisfaciat præcepto, qui faciens opus, expreſſe intendit per illud non ſatisfacere.* ibid.
4. *An ad impletionem præceptorum requiratur intentio, ſeu voluntas faciendi id, quod præceptum eſt.* ibid.
5. *An duplici præcepto, uno actu, vel diverſis actibus eodem tempore poſſit ſatisfieri.* ibid.
6. *An qui uno actu violat plura præcepta, committat plura peccata.* ibid.
Cap. IV. *Quæ excuſent a tranſgreſſione præcepti.* 29
Dub. I. *An ignorantia excuſet.* ibid.
2. *An metus excuſet.* ibid.
3. *An excuſet impotentia totius, vel partis.* ibid.
4. *An excuſet diſpenſatio.* ibid.
Appendix de diſpenſationibus S. Pœnitentiæ. 30

LIBER II.

De Præceptis Virtutum Theologicarum.

TRACTATUS I.

De Præceptis Fidei.

Cap. I. *Quæ myſteria fidei neceſſario credenda ſint.* 36
II. *Quomodo obliget præceptum fidei.* 39
III. *An aliquando liceat exterius fidem veram negare, aut falſam profiteri.* 43
IV. *De infidelitate, & vitiis fidei oppoſitis.* 47
Dub. I. *Quid, & quotuplex ſit infidelitas.* ibid.
2. *De Judaiſmo.* ibid.
3. *Quid ſit hæreſis.* ibid.

TRACTATUS II.

De Præcepto Spei.

TRACTATUS III.

De Præceptis Caritatis.

Cap. I. *An, quando, & quomodo obliget præceptum Caritatis Dei.* 55
2. *De præceptis Caritatis erga proximum.* 57
Dub. I. *Quis ordo ſervandus inter perſonas, quæ diliguntur.* 58
2. *De odio, & dilectione inimicorum.* ibid.
3. *De præcepto eleemoſynæ, ſeu miſericordiæ corporalis.* 59
4. *De miſericordia ſpirituali, ſeu præcepto correctionis fraternæ.* 60
5. *De ſcandalo.* 71
Art. I. *Quid, & quotuplex ſit, & quale peccatum.* ib.
2. *An, & quando ſcandalum puſillorum permitti poſſit, aut ob illud vitandum aliquid omitti debeat.* 72
3. *An liceat alterius peccato materialiter cooperari.* 73

LIBER III.

De Præceptis Decalogi, & Eccleſiæ.

TRACTATUS I.

De primo præcepto Decalogi.

Cap. I. *De ſuperſtitione, & ſpeciebus ejus.* 84
Dub. I. *Quid ſit, & quotuplex.* ibid.
2. *Divinatio quid, & quotuplex ſit.* 85
3. *Quid, & quotuplex ſit idololatria.* 86
4. *Quid, & quotuplex ſit vana obſervantia, & unde colligatur.* ibid.
5. *Quid ſit maleficium, & quomodo poſſit tolli.* 87
Cap. II. *De irreligioſitate.* 100
Dub. I. *Quid ſit tentatio Dei.* ibid.
2. *Quid, & quotuplex ſit ſacrilegium.* 101
3. *De Simonia.* ibid.
Art. I. *Quid ſit, & quotuplex.* ibid.
2. *Quæ ſit pœna Simoniæ.* 102
3. *An, & cui reſtituendum, quod ſimoniace acceptum eſt.* 103

TRACTATUS II.

De ſecundo Præcepto Decalogi.

Cap. I. *Quid, & quotuplex Blaſphemia.* 112
2. *De juramento.* 115
Dub. I. *Quid ſit Juramentum.* ibid.
2. *Quotuplex ſit Juramentum.* ibid.
3. *An, & quando ſit licitum jurare.* ibid.
4. *An in Juramento liceat uti æquivocatione.* 116
5. *Quæ, & quanta ſit obligatio juramenti promiſſorii.* ibid.
6. *Quibus caſibus excuſetur ab impletione, qui in promiſſorio juramento obligationem contraxit.* 117
7. *Quomodo obligatio juramenti tollatur per irritationem, diſpenſationem, commutationem, & remiſſionem.* ibid.
Cap. III. *De Voto.* 129
Dub. I. *Quid ſit votum, & quotuplex.* ibid.
2. *Quæ requiratur voti deliberatio, & intentio.* ibid.
3. *Quæ requiratur materia voti.* 130
4. *Quæ, & quanta ſit obligatio voti.* ibid.
5. *Quot modis tollatur obligatio voti.* 131
6. *De voti irritatione.* ibid.
Art. I. *An, & quomodo tollatur obligatio voti per directam irritationem.* ibid.
II. *Quis vota indirecte poſſit irritare.* 132
Dub. VII. *Quid ſit commutatio voti.* ibid.
8. *Quid ſit diſpenſatio, & qui poſſint diſpenſare in votis.* 133

TRACTATUS III.

De tertio, & quarto Præcepto.

Cap. I. *Quid tertium præceptum.* Memento, &c. 142
Dub. I. *Quæ opera tum hoc præcepto, tum ab Eccleſia prohibeantur.* 143
2. *Quæ cauſæ excuſent obſervatione feſtorum, ob quas opera prohibita liceant.* ibid.
3. *Quæ opera feſtis præcipiuntur.* 144
4. *An ſit obligatio audiendi Miſſam in Parochia Dominicis, & Feſtis majoribus.* ibid.
5. *Quæ excuſent ab auditione ſacri.* 146
Cap. III. *De IV. Præcepto,* Honora Patrem, &c. 152
Dub. I. *Ad quid teneantur liberi erga parentes.* ibid.
2. *Ad quid teneantur parentes erga filios.* 153

3. *Ad*

Digitized by Google

3. *Ad quid teneantur tutores, & curatores, qui parentum ſunt loco.* ibid.
4. *Quæ obligatio dominorum, & famulorum, aliorumque ſuperiorum, & inferiorum erga ſe invicem.* 154.
5. *Ad quid teneantur conjuges erga ſe mutuo, vi hujus præcepti.* ibid.
6. *Quæ obligatio Parochorum erga ſuos.* 155
7. *Quæ obligatio Præceptorum, & diſcipulorum.* ibid.

TRACTATUS IV.

De quinto, & ſexto Præcepto,

Cap. I. *Quid V. Præcepto prohibeatur:* Non occides, 158.
Dub. I. *An aliquando liceat occidere, vel mutilare ſemetipſum.* ibid.
2. *An, & quomodo liceat occidere malefactorem.* 159
3. *An, & quomodo liceat occidere privata auctoritate invaſorem aggreſſorem.* ibid.
4. *An aliquando liceat occidere innocentem.* 160
5. *De duello, & bello.* 161
Art. I. *Quid ſit, & an liceat duellum.* ibid.
2. *An, & quandoque liceat bellum.* ibid.
3. *Quid in bello juſto liceat.* 162
Cap. II. *De VI. Præcepto.* Non mœchaberis. 172
Dub. I. *An, & quanta peccata ſint oſcula, amplexus, tactus, verba obſcœna, & ſimilia, extra matrimonium.* 172
2. *Quæ ſint ſpecies luxuriæ conſummatæ naturales.* 173.
3. *Quæ ſint ſpecies luxuriæ conſummatæ contra naturam.* ibid.
4. *An aliquando liceat procurare pollutionem.* 174

TRACTATUS V.

De VII. Præcepto: *Non furtum facies*,

Cap. I. *De furto.* 183
Dub. I. *Quid ſit furtum, & quale peccatum.* ibid.
2. *Quæ ſit quantitas notabilis ad mortale peccatum.* ibid.
3. *Quam graviter peccet, qui multa minuta furta committit.* ibid.
4. *Quid ſentiendum de furtis domeſticorum, vel uxorum.* ibid.
Cap. II. *De reſtitutione.* 189
Dub. I. *Quid ſit reſtitutio, & qui teneantur ad eam.* ibid.
2. *An qui cooperantur ad damnum alterius, teneantur ad reſtitutionem.* ibid.
3. *An ſupradicti teneantur ſinguli reſtituere in ſolidum, & quo ordine.* 190
4. *An teneatur reſtituere, qui alium impedivit a conſecutione alicujus boni.* ibid.
5. *Cui, vel quibus reſtituendum.* ibid.
6. *De rebus, quæ debent reſtitui.* 191
Art. I. *Quid debeat reſtitui ab inferente injuriam materialem tantum, ſive a poſſeſſore bonæ fidei.* ibid.
2. *Quid debeat reſtitui ab inferente injuriam formalem, ſeu malæ fidei damnificatore, ſeu poſſeſſore.* 192
3. *An, & quid debeat reſtitui pro injuria illata corpori, v. g. per mutilationem, & occiſionem.* ibid.
4. *Quid debeat reſtitui pro illato ſtupro.* 193
5. *Quid debeat reſtitui pro adulterio.* ibid.
6. *Quid debeat reſtitui pro fama, & bonis ſpiritualibus, ut inductione ad peccatum, avocatione a religione.* ibid.
Dub. I. *De circumſtantiis reſtitutionis.* 194
Art. I. *Quo tempore, loco, & modo debeat reſtitui.* ibid.
2. *Quo ordine reſtitui debeat.* ibid.
3. *Quæ a reſtitutione excuſent.* ibid.
Cap. III. *De Contractibus.* 212
Dub. I. *Quid in genere ſit contractus.* ibid.
2. *Quid in ſpecie de promiſſione, & donatione.* 213
3. *Quis caſibus donatio poſſit revocari.* 214
4. *Quid ſit donatio mortis cauſa, & an poſſit revocari, quomodo, & quibus competat.* ibid.
5. *Quid ſit Commodatum, Precarium, & Depoſitum,* ibid.
6. *Quid ſit Mutuum.* 215
7. *Quid ſit Uſura.* ibid.
8. *De Emptione, & Venditione.* 217
Art. I. *Quid ſit Emptio, & Venditio.* ibid.
2. *Quid ſit Negotiatio, & quibus illicita.* 218
Dub. IX. *Quid ſit Contractus Cenſus, & an licitus.* ibid.
10. *Quid ſit Cambium.* 219
11. *Quid Locatio, & Conductio.* ibid.
12. *De contractu Emphyteuſis, Feudi, & Libelli.* 220
13. *Quid ſit Sponſio, & Ludus.* ibid.
14. *Quid ſit Contractus Societatis.* 221
15. *Quid ſit Aſſecuratio, & Fidejuſſio.* ibid.
16. *Quid ſit Pignus, & Hypotheca.* 222
Cap. IV. *De tutelis, & Teſtamentis.* 243
Dub. I. *Quid ſit Tutela, & Curatela.* ibid.
2. *Quid, & quotuplex ſit Teſtamentum.* ibid.
3. *De renunciatione hereditatum.* 244
4. *Qui poſſint, & debeant eſſe executores teſtamenti.* 245.
5. *De iis, qui teſtari, & heredes inſtitui poſſint.* 246

TRACTATUS VI.

De Præcepto VIII. IX. X. & de Præceptis Eccleſiæ.

Cap. I. *De Præcepto octavo.* 253
Dub. I. *Quid ſit Suſpicio, Judicium temerarium, & Dubitatio, & quale peccatum.* ibid.
2. *Quid ſit, & quam grave peccatum Detractio.* 254
3. *An, & quomodo fama reſtituenda.* 255
Cap. II. *Quid de Præcepto IX & X.* 256
3. *Quid de Præceptis Eccleſiæ.* 262
Dub. I. *Quid requiratur ad jejunium eccleſiaſticum, & quanta ejus obligatio.* ibid.
2. *Quæ cauſæ excuſent a jejunio.* 263

LIBER IV.

De Præceptis particularibus, certo hominum ſtatui propriis.

Cap. I. *DE ſtatu Religioſo.* 276
Dub. I. *Quæ ſit natura ſtatus Religioſi.* ibid.
2. *Quæ requirantur ad valorem profeſſionis Religioſæ.* ibid.
3. *Ad quid teneatur Religioſus vi ſuæ profeſſionis.* 277
4. *Ad quid Religioſus obligetur vi votorum.* ibid.
5. *Qui poſſint, vel teneantur ingredi Religionem.* 279
6. *Ad quid teneantur Religioſi ejecti, & fugitivi.* ibid.
Cap. II. *De ſtatu Clericorum.* 288
Dub. I. *De Beneficiis eccleſiaſticis.* ibid.
Art. I. *Quid, & quotuplex beneficium eccleſiaſticum.* ibid.
2. *Quomodo acquirantur, & conferantur beneficia.* ibid.
3. *Quæ intentio, & qualitates requirantur ad beneficium accipiendum.* 289
4. *An liceat habere plura beneficia.* ibid.
5. *Quibus modis beneficia amittantur.* 290
6. *Quid & quotuplex ſit penſio.* 291
Dub. II. *De Horis canonicis.* ibid.
Art. I. *Qui obligentur ad Horas.* ibid.
2. *Quanta ſit hæc obligatio.* 292
3. *Quæ excuſent a recitatione Horarum.* ibid.
4. *Quomodo recitandæ horæ.* 293
Dub. III. *Quid Clerici poſſint circa diſpoſitionem fructuum ſuorum beneficiorum.* 295
4. *Quis ſit habitus Clericorum, quæ artes, officia, actiones iis prohibeantur.* 296
Cap. III. *De ſtatu, & officio perſonarum ſæcularium quarumdam, præſertim judicialium.* 322
Dub. I. *Quæ requiruntur ad legitimum judicium.* ibid.
Dub. II. *De poteſtate, & officio Judicis.* ibid.
Art. I. *Quid requiratur in Judice.* ibid.
2. *Quid Judici ſervandum circa inquiſitionem.* 323
3. *Quid liceat Judici circa quæſtiones, ſive torturam.* ibid.
4. *Quid ſervandum Judici circa ſententiam, & pœnam.* 324
Dub. III. *Quid ſit officium Advocati.* 325
4. *Quæ ſit obligatio Referentis, Secretarii, Notarii, & Procuratoris.* 326
5. *Quod ſit officium Accuſatoris.* ibid.
6. *De Teſtibus.* 327
7. *De Reo.* ibid.
Art. I. *An, & quomodo Reus teneatur fateri veritatem.* ibid.
2. *Quid liceat Reo circa fugam pœnæ.* 328
Dub. VIII. *Quomodo Confeſſario agendum cum reo.* ibid.
9. *Quæ obligatio Medicorum, Pharmacopœorum, Chirurgorum.* 329
10. *Quæ obligationes Mercatorum, Opificum, & ceterorum ſæcularium.* ibid.

Digitized by Google

LIBER V.

De ratione cognoſcendi, & diſcernendi peccata.

Cap. I. *De peccato in genere.* 343
Dub. I. *Quid ſit peccatum.* ibid.
2. *An, & quando deſideria, & delectationes ſint peccata.* 344
Art. I. *Quale peccatum ſit deſiderium.* ibid.
2. *An delectatio moroſa ſemper ſit peccatum.* ibid.
Dub. III. *De diſtinctione peccatorum.* 345
Art. I. *Quæ peccata diſtinguantur ſpecie.* ibid.
2. *Quæ peccata diſtinguantur numero.* ibid.
Cap. II. *De peccatis in ſpecie mortali, & veniali.* 353
Dub. I. *Quid ſit peccatum mortale, & veniale.* ibid.
2. *Quibus ex cauſis peccatum ex genere ſuo mortale fiat per accidens veniale.* 354
3. *Quibus modis peccatum ex genere ſuo veniale, aut actus indifferens, tranſeat per accidens in mortale,* ibid.
Cap. III. *De peccatis capitalibus in ſpecie.* 357
Dub. I. *Quid ſit Superbia, & quale peccatum.* ibid.
2. *Quid Avaritia.* 359
3. *Quid Luxuria.* 360
4. *Quid invidia.* ibid.
5. *De Gula.* 361
Art. I. *Quid ſit Gula.* ibid.
2. *Quid ſit Ebrietas.* ibid.
Dub VI. *Quid ſit Ira.* 362
7. *Quid ſit Acedia.* ibid.

LIBER VI.

De Sacramentis.

TRACTATUS I.

De Sacramentis in genere.

Cap. I. *De natura ſacramenti novæ legis.* 372
Dub. I. *Quid ſit ſacramentum.* ibid.
2. *Quid circa materiam, & formam ſacramentorum ſervandum.* 373
Cap. II. *De Miniſtro ſacramentorum.* 375
Dub. I. *Quid requiratur, ut Miniſter det valide ſacramentum.* ibid.
2. *Quid requiratur in Miniſtro, ut licite miniſtret.* ibid.
Cap. III. *De ſuſcipiente ſacramentum.* 379
Dub. I. *Quæ diſpoſitio requiratur ad valorem ſacramenti in ſuſcipiente.* ibid.
2. *Quid requiratur, ut licite, & cum fructu ſuſcipiatur.* 380
Cap. IV. *Quid ſint ſacramentalia, & quid efficiant.* ibid.

TRACTATUS II.

De Baptiſmo, & Confirmatione.

Cap. I. *De Baptiſmo.*
Dub. I. *Quæ materia baptiſmi.* 381
2. *Quæ ſit forma baptiſmi.* ibid.
3. *De miniſtro baptiſmi.*
Art. I. *Qui ſit miniſter baptiſmi.* 382
Art. II. *An duo poſſint ſimul unum baptizare.* ibid.
Dub. IV. *Quod ſit ſubjectum baptiſmi.* ibid.
5. *De cæremoniis baptiſmi.*
Art. I *Quæ ſervanda circa cæremonias baptizandi.* 383
Art. II. *Qui Patrini, & quod eorum officium.* 384
Cap. II. *De confirmatione.*
Dub. I. *Quid ſit, & quæ ejus materia, & forma.* 392
2. *Quis miniſter, & quod ſubjectum.* ibid.
3. *Quæ confirmationis neceſſitas, & cæremoniæ.* 394

TRACTATUS III.

De Euchariſtia.

Cap. I. *De eſſentia Euchariſtiæ.* 399
Dub. I. *Quid ſit Euchariſtia.* ibid.
2. *Quæ materia Euchariſtiæ.* ibid.
3. *Qualis debeat eſſe panis in materia Euchariſtiæ.* ibid.
4. *Quale vinum ſit materia Euchariſtiæ.* 400
5. *Quæ conditiones ad materiæ conſecrationem requiruntur.* 401
6. *Quæ forma conſecrationis Euchariſtiæ.* 402
7. *Quamdiu Chriſtus maneat in Euchariſtia.* ibid.
Cap. II. *De cauſis, & ſubjecto Euchariſtiæ.* 407
Dub. I. *De cauſis.* ibid.
Art. I. *Ad quem ſpectet diſpenſatio Euchariſtiæ.* ibid.
2. *Quid requiratur in Miniſtro ad licitam adminiſtrationem Euchariſtiæ.* 408
Dub. II. *De ſubjecto, ſeu ſuſcipiente Euchariſtiam.* 409
Art. I. *Quæ requiratur in eo diſpoſitio animæ.* ibid.
2. *Quæ requiratur diſpoſitio corporis.* 410
3. *Quæ, & quanta ſit obligatio ſumendi Euchariſtiam.* 412.
Cap. III. *De Euchariſtia, ut eſt Sacrificium.* 424
Dub. I. *Quid ſit Miſſa, & quæ obligatio Sacerdotum circa illam.* ibid.
2. *Cujus ſit applicare fructum Sacrificii.* 425
3. *Quando, & quoties liceat celebrare.* 426
4. *Quo loco celebrandum ſit.* 427
5. *Quæ ſint requiſita ad Miſſam.* 428

TRACTATUS IV.

De Sacramento Pœnitentiæ.

Cap. I. *De eſſentia hujus ſacramenti.* 441
Dub. I. *Quæ ſit ejus materia, & forma.* ibid.
2. *Qualis Contritio requiratur.* ibid.
3. *Qualis Confeſſio requiratur.* 442
Art. I *An debeat eſſe integra materialiter.* ibid.
2. *Quando ſufficiat Confeſſio integra formaliter.* 443
3. *Quæ ſint reliquæ conditiones Confeſſionis.* 444
4. *Quando Confeſſio ſit invalida, & quomodo iteranda.* 445.
Dub. IV. *De Satisfactione.* ibid.
Art. I. *Quæ ejus neceſſitas, & quantitas.* ibid.
2. *De ſatisfactione per Indulgentias.* 447
§. I. *Quid ſit Indulgentia, & quid ad eam requiratur.* ibid.
§. II. *Quotuplex Indulgentia, & quomodo differat a Jubilæo.* 448
Cap II. *De Miniſtro ſacramenti Pœnitentiæ.* 480
Dub. I. *Quis ſit Miniſter.* ibid.
2. *Quid ſit Approbatio, & a quo petenda.* 481
3. *Quid, & quotuplex juriſdictio Confeſſarii, & unde eam habeat.* ibid.
4. *Quid ſit reſervatio caſuum, & quis habeat poteſtatem reſervandi, & abſolvendi ab iis.* 482
5. *Quod ſit officium, & obligatio Confeſſarii.* 484
6. *Quæ ſcientia, & prudentia requiratur in Confeſſario.* 485
Cap III. *De adjunctis pœnitentiæ.* 502
Dub. I. *Quid ſit Sigillum Confeſſionis, & qui ad illud teneantur.* ibid.
2. *Quale ſit præceptum, & quæ obligatio Confeſſionis,* 504

TRACTATUS V.

De Extrema Unctione, & Ordine.

Cap. I. *Quid ſit Extrema Unctio, & quæ circa eam obſervanda.* 512
2. *De ſacramento Ordinis.* 517
Dub. I. *Quid Ordo, quotuplex, & quæ ejus materia.* ibid.
2. *Quæ requirantur in ordinando.* 518

TRACTATUS VI.

De Matrimonio.

Cap. I. *De Sponſalibus.* 523
Dub. I. *Quid ſint Sponſalia.* ibid.
2. *Quæ, & quanta ſit obligatio Sponſalium.* 524
3 *Quomodo diſſolvantur Sponſalia.* 525
Cap. II. *De Matrimonio ſecundum ſe.* 533
Dub. I. *Quid ſit, quæ ejus materia, & Miniſter.* ibid.
2. *De uſu Matrimonii.* ibid.
Art. I. *An uſus Matrimonii, ſive actus conjugalis ſit licitus.* ibid.
2. *An actus conjugalis ſit præceptus, & debitus.* 534
Dub. III *An, & quibus ex cauſis poſſit fieri divortium.* 535.
Cap. III. *De impedimentis Matrimonii.* 549
Dub. I. *Quæ ſint impedimenta impedientia tantum.* ibid.
2. *Quæ impedimenta dirimentia Matrimonium.* 550
3. *Quomodo Matrimonium invalidum ſit revalidandum.* 552
4. *A quo, & ob quam cauſam poſſit diſpenſari in impedimentis Matrimonii.* 553

LIBER VII.

De Cenſuris eccleſiaſticis, & Irregularitatibus.

Cap. I. *De Cenſuris in genere.* 570
Dub. I. *Quid Cenſura eccleſiaſtica.* ibid.
2. *Quotuplex Cenſura.* ibid.
3. *Qui poſſint ferre Cenſuram, & in quos.* 571
4. *Ob quam cauſam poteſt ferri Cenſura.* ibid.
5. *Qui poſſint abſolvere a Cenſuris.* 572

6. *Quo-*

6. *Quomodo danda ſit abſolutio a Cenſura.* ibid.
Cap. II. *De Excommunicatione.* 577
Dub. I. *Quid ſit, & quotuplex.* ibid.
2. *Ob quam cauſam incurratur, & quem effectum habeat Excommunicatio minor.* ibid.
3. *Quos effectus habeat Excommunicatio major.* 578
4. *Ob quas cauſas incurratur Excommunicatio major.* 579.
Artic. I. *Quæ ſint Excommunicationes non reſervatæ.* ibid.
2. *Quæ ſint Excommunicationes reſervatæ Epiſcopis.* 580.
3. *Quæ ſint Papæ reſervatæ extra Bullam Cœnæ.* ibid.
4. *Quomodo intelligenda Excommunicatio percuſſoris Clericorum.* ibid.
5. *Quæ ſint Excommunicationes Papæ reſervatæ per Bullam Cœnæ.* 581
Cap. III. *De Suſpenſione, & Degradatione.* 601
Dub. I. *Quid ſit Suſpenſio, quotuplex, & unde dignoſcendum, qualis, & quanta ſit.* ibid.
2. *Quæ ſint Suſpenſiones in particulari, & quis ab eis poſſit abſolvere.* 602
3. *Quid ſit Depoſitio, & Degradatio, a quo, & ob quam cauſam fieri poſſit.* ibid.
Cap. IV. *De interdicto.* 608
Dub. I. *Quid ſit, & quotuplex.* ibid.
2. *Qui ſint effectus Interdicti.* ibid.
3. *Quis cenſuram Interdicti ferre, & quis tollere poſſit.* ibid.
Cap. V. *De Irregularitate.* 610
Dub. I. *Quid, & quotuplex ſit irregularitas.* ibid.
2. *Quinam effectus Irregularitatis.* ibid.
3. *Quomodo incurratur, & tollatur Irregularitas.* ibid.
4. *Quæ ſint Irregularitates ex delicto.* ibid.
5. *Quæ Irregularitates ex defectu.* 611

F I N I S.

THEO-

THEOLOGIA MORUM P. HERM. BUSEMBAUM &c.

AD TRUTINAM REVOCATA.

LIBER PRIMUS

De regula actuum humanorum.

TRACTATUS I.

De regula interna, ſive Conſcientia.

CAPUT I.

Quid Conſcientia, & an ſequenda ſit?

Reſponden 1. Conſcientia aſt dictamen rationis, ſeu actus intellectus, quo judicamus aliquid hic & nunc agendum, vel omittendum eſſe, val ſuiſſe, tanquam bonum, vel malum, idque vel per modum præcepti, val conſilii. Hæc communiter aſt recta, dictans quod verum aſt: aliquando tamen non aſt secta, dictans aliquid aliter, quam ſit, v. gr. eſſa bonum, quod aſt malum: diciturqua erronea, quia contingit cum errora: idqua vel vincibilitar, ſeu culpabiliter, quando ſcilicet error vitari potuit, ac debuit: vel invincibiliter, quando arror moraliter vitari non potuit; ideoque nec voluntarius aſt, & conſequenter non imputatur ad culpam, & hæc dicitur conſcientia recta ſecundum quid, ſiva in ordina ad nos. Ex D. Th. Lay. *l.* 1. t. *c.* 2. *n.* 1. *&* *c.* 3.

Reſpond. 2. Non tantum conſcientia recta, ſed atiam inculpabiliter arronea, dictans aliquid per modum præcepti, obligat, ut eam ſequaris; & ſi contra facis, peccas; & quidem peccato hujus ſpeciei, contra cujus virtutis ſpeciem intellectus peccare judicat. Ratio prioris aſt, quia conſcientia recta aſt regula proxima voluntatis, derivata a prima, & principali regula omnium actionum humanarum, ſcilicet lege divina, & æterna. S. Thom. 1. 2 *q* 19. *art.* 4. Ratio poſterioris aſt, tum quia ſi intallectus voluntati proponit malum, aſto malum non ſit, ſi tamen putans eſſa malum, vult illud facere, jam voluntas vere conſentit in malum, habetque ſufficientem affectum ad peccatum illud, quod apprehendit, tum quia *omne, quod non eſt ex fide*, hoc eſt (ut SS. Patribus communiter applicatur) quod non aſt ſecundum conſcientiam, *peccatum eſt*, ut dicitur ad *Rom.* 14. Par eſt ratio, ſi intallectus proponat aliquid, ut bonum, & præceptum, eſto non ita ſit, ſed malum; voluntas tamen illud libere reſpuendo, vel omittando, conſentit in tranſgreſſionem præcepti, & peccat. Cujus altarior ratio eſt, quia objectum tribuit actui ſpeciem, prout hic, & nunc ab intellectu proponitur. S. Thom. *l. c. art.* 5.

Eu dictis reſolvuntur ſequentes caſus, & ſimiles.

1. Putans eſſa jejunium, quando non eſt, peccat contra temparantiam, ſi non jejunet. S. Th. *l. c.*

ANIMAD. I. 2. *Si quis mentiatur ad liberandum proximum ex periculo vita, putans ſe ex miſericordia ad id teneri, actum bonum facis*; & ſi non mentiatur, peccat contra miſericordiam. Laym. *l.* 1. *tit.* 1. *cap.* 4.

3. Scrupuloſus, licet putet involuntarias diſtractiones aſſe peccata, non tamen peccat, quia non ſunt liberæ, Becan. in 1. 2. *tit.* 1. *cap.* 4. *q.* 7. Laym. *l. c.*

Reſp. 3. Si ſit conſcientia culpabiliter erronea, judicans ea ignorantia vincibili aliquid prohibitum eſſe, aut præceptum, quod non eſt, peccat; & peccas, ſi contra aam, & ſi ſecundum eam opereris; gravius tamen (cætatis paribus) ſi contra. Breſſ. Bard. *d.* 3. *c.* 5. Ratio prioris aſt, tum quia non agis ſecundum regulam humanorum actuum, tum quia voluntaa, cum per ſa ſit cæca, dabet ſaqui rationis judicium: ſi enim perſeverania illo judicio, appetat alteram partem, non poteſt in eam ferri ſub rationa honeſti, cum intallectus ſub ea ratione non propoſuerit. Ratio poſterioris eſt, quia, ut cum D. Thoma docetur communiter, ignorantia vincibilis non axcuſat a culpa: cum anim in noſtra poteſtata ſit arrorem vincibilem deponere, malum, quod fit aa conſcientia arronea dictanta illud aſſe faciendum, aſt indirecte voluntarium, ideoqua imputatur ad culpam. S. Th. *l. c.* Bon. 1. 2. *q.* 4.

Unde reſolvuntur caſus ſequentes.

1. *Homo in tali caſu conſtitutus*, (*a*) v. g. qui ſibi mentiendum, vel furandum putat, ut vitam proximi ſervet, etſi futurus ſit perpleaus, & ex hypotheſi neceſſario peccaturus, neceſſitate conſequenta, eo quod, ſtanta conſcientia erronea, non poſſit affugere peccatum: abſoluta tamen, & ſimpliciter non peccabit neceſſatio: quia nec ſequi talem conſciantiam debat, nac contra eam facere; ſed poteſt, & debet aandem deponere (cum ſit error vincibilis, & culpabilis) & tunc operari. V. Laym. hic *l.* 1. *t.* 2. *cap.* 5. & Bec. in 1. 2. *t.* 1. *c.* 4. *q.* 7.

2. *Qui peccavit ex conſcientia erronea, etſi in rigore non teneatur, rectius tamen addet illam circumſtantiam in confeſſione, dicendo, Feci hoc, vel illud, putans me facere contra præceptum, vel obligationem gravem.* Card. de Lug. *diſp.* 15. *n.* 503. ANIMADV. II.

PRÆLOQUSUM.

Buſembaum Theologiam retractaturus, ajus doctrinam partim illuſtrando, partim addendo, partim corrigendo ita afficere conabor, ut Lectoribus non ſolum utilis, ſed etiam non moleſta eſſa poſſit; perinde ac ſi ſanioris Theologiæ cumulatum compendium decurreret. Theologiam, de qua nobis diſputandum eſt, nihil aliud eſſe, niſi ſacram doctrinam, quæ divina revelatione nititur, aa D. Th. eruitur, qui p. 1. q. 1. a. 1. ait: *Neceſſarium igitur fuit, præter philoſophicas diſciplinas, quæ per rationem inveſtigantur, ſacram doctrinam per revelationem haberi.* Hæc porro ex eodem Angelico a. 4. partim ſpeculativa eſt, partim practica (idem eſt moralis;) *magis tamen eſt ſpeculativa, quam practica; quia principalius agit de rebus divinis, quam de actibus humanis*, (idem eſt de moribus; quia mores hic idem ſonant, ac humani actus, qui ſcilicet *ex voluntate deliberata procedunt*, ut habet D. Th. 1. 2. q. 1. a. 3. c.) *de quibus agit ſecundum quod per eos ordinatur homo ad perfectam Dei cognitionem, in qua æterna beatitudo conſiſtit.*

Ergo moralis Theologia eſt doctrina ſeu ſcientia, quæ revelato lumine nixa de humanis actibus agit, quatenus per eos homo ad æternam beatitudinem pervenire poteſt. Dicitur revelato lumine nixa, non quod naturæ lumen reſpuat, aut negligat, ſed quod lumen revelatum præcipuas in ea partes habeat, aut habere debeat.

De humanorum actuum regulis Buſ. acturus, eas tacite in internas, & externas dividit. De his tract. 2. hujus libri.

Quoad internas, unam in medium producit, nos triplicem. Prima aſto ſynteraſis, græce συντήρησις, hoc eſt certa cognitio, & judicium principiorum ex ſeipſis ſine ullo adjumento notorum. Hujuſmodi ſunt: honeſte, ſeu prout recta ratio dictaverit, aſt vivendum; alteri faciendum, quod tibi vis fieri, hoc eſt quod tibi fie-

ſi velle ratio dictaverit; ſuum cuique tribuendum; & cætera huiuſmodi. De hac interna regula D. Aug. lib. 2. de lib. arb. ita loquitur. *In naturali judicatorio adſunt quædam regulæ, & ſemina virtutum & vera, & incommutabilia*. Ait *incommutabilia*, quia ſunt æternæ Dei veritatis immobilis participationes animis noſtris divinitus inſculptæ. Huic adde fidem, quæ primo loco ponenda fuit.

Altera eſt ſcientia ortum ex iis principiis, ac præſertim ex revelato Dei lumine per ratiocinationes comparata. Dixi *ſcientia*; quia corrupta doctrina non eſt ſcientia, ſed error, ex ratiocinationibus ſophiſticis, & vanis, non legitimis, & ſanis profecta.

Tertia demum, de qua Buſ., eſt conſcientia, quæ ex S. Th. 1. 2. q. 19. a. 5. c. *eſt applicatio ſcientiæ ad aliquem actum*.

Videlicet ex ſyntereſi, & revelati luminis notitia, ſcientia recte ratiocinando exilit; ex hac, conſcientia, quæ generalem doctrinam, ſeu ſcientiam peculiaribus, ſeu ſingularibus actionibus applicat; quæ *quidem applicatio* ex eodem Angelico p. 1. q. 79. a. 13. *fit tripliciter. Uno modo, ſecundum quod recognoſcimus aliquid nos feciſſe, vel non feciſſe ſecundum illud Eccleſ. 7.* Scit conſcientia tua, te crebro maledixiſſe aliis; & *ſecundum hoc conſcientia dicitur teſtificari. Alio modo applicatur, ſecundum quod per noſtram conſcientiam iudicamus aliquid eſſe faciendum, vel non faciendum, & ſecundum hoc dicitur conſcientia ligare, vel inſtigare. Tertio modo applicatur, ſecundum quod per conſcientiam iudicamus, quod aliquid, quod eſt factum, ſit bene factum, vel non bene factum; & ſecundum hoc conſcientia dicitur excuſare, vel accuſare, ſeu remordere.*

Ex altero & tertio conſcientiæ actu, qui præcipui ſunt, illa Theologorum, & Buſembau definitio ſumpta eſt, *conſcientia eſt dictamen* &c.

Hæc vel recta eſt, ut Buſ. vere ait, *vel erronea, quia contingit cum errore; idque vel vincibiliter, ſeu culpabiliter, quando ſcilicet error vitari potuit, ac debuit*. Hic loco *ac debuit* dicito, aut intelligito, *ideoque debuit*, quia cum de moribus ſermo eſt, error eo ipſo ex officio vitandus eſt, quia vitari poteſt; qua de re legito D. Auguſtinum, & D. Thomam animad. 12. in cap. 4. tract. 2. huius lib. 1.

Quando autem error eſt invincibilis, *dicitur*, ait Buſ., *conſcientia recta ſecundum quid, ſeu in ordine ad nos, ex D. Th.* &c.

In hac ſpecie conſcientia, quia culpæ verti non poteſt, a peccato quidem excuſat; non tamen recta quoad nos eſt; quia actus inde profecti non ſunt recti, ſeu boni, aut laudandi, vel præmio digni, ſed ex natura ſua mali, & ſolum per accidens, ſeu ex inculpata ignorantia excuſandi, ut intelligitur ex animad. hic 1. Hinc D. Aug. lib. de utilitate credendi cap. 11. (t. 8. col. 62.) inquit: *neque quiſquam error turpitudine caret ... in primo autem vitioſorum, ideſt eorum, qui opinantur ſe ſcire, quod neſciant, eſt profecto vitioſa credulitas.* Annot. in Iob cap. 13. col. 638. (t. 3. p. 1.) ait: *invitum autem errare, pœna peccati eſt*. Si invita aberratio fons eſſet rectæ, & bonæ actionis, peccati certe pœna recte dici non poſſet. Ench. cap. 17. (t. 6.) *nonnullis errare profuit aliquando, ſed in via pedum, non in via morum*; ac demum tract. 15. in cap. 4. Joan. n. 22. (t. 3. p. 2. col. 414.) *nam cum cœperit anima capax eſſe rationis, aut a ſapiente mente regitur, aut ab errore. Sed error non regit, ſed perdit.*

Conſcientia ſeu invincibili, ſeu multo magis vincibili errore affecta eo ſenſu obligat, ut quicumque contra eam agit, peccet ex Ap. Rom. 14. a Buſ. citato; quæ eſt doctrina certa D. Th. 1. 2. q. 19. a. 5. ubi ita concludit. *Unde dicendum, quod ſimpliciter* (abſque ulla diſtinctione, ſeu limitatione) *omnis voluntas diſcordans a ratione ſive recta, ſive errante ſemper eſt mala.*

At vero ſi errans conſcientia invincibilis ſit, a peccato quidem, ut dixi, excuſat; non tamen vincibilis, ut Buſ. habet, ex D. Th. a. 6. q. 19. citatæ. Quare voluntas rationis vincibiliter errantis judicium ſequi non debet, quidquid hac de re dicat Buſ. R. 1. ſed illud deſerere debet, quia poteſt. Hic, ni fallor, totus conſcientiæ ſuccus eſt, & medulla.

Ex his facile intelligis, veriſſime a Buſ. ca. 3. dici, *ſcrupuloſus, licet putet* &c. *non tamen peccat, quia non ſunt liberæ*. Hæc ſcilicet doctrina, naturæ lumine nota, a D. Aug. & Syn. Trid. traditur, & vulgo cognita eſt. D. Aug. contra Julianum lib. 4. n. 97. (t. 10. col. 1187.) *Ego ſic dixi peccatum ſine voluntate eſſe non poſſe, quomodo dicimus, poma vel frumenta ſine radicibus eſſe non poſſe*; & n. 102. *nam ſine voluntate non poteſt eſſe*, (peccatum) *quia ſine voluntate non poteſt exiſtere, ut ſit: ſine autem voluntate poteſt eſſe, quia ſine voluntate poteſt manere, quod exiſtit*. Et Syn. Trid. ſeſſ. 6. cap. 11. *Deus impoſſibilia non jubet*.

NOTÆ.

(a) *Homo in tali caſu* &c. v. g. &c. Rectiſſime, & iuxta Angelicam D. Thomæ doctrinam, cujus verba hæc ſunt 1. 2. q. 19. a. 6. ad 3. *Ad tertium dicendum, quod ſicut in ſyllogiſticis uno inconvenienti dato, neceſſe eſt alia ſequi; ita in moralibus, uno inconvenienti poſito, ex neceſſitate alia ſequuntur. Sicut ſuppoſito, quod aliquis quærat inanem gloriam, ſive propter inanem gloriam faciat, quod facere tenetur, ſive dimittat, ſemper peccabit. Nec tamen eſt perplexus; quia poteſt intentionem malam dimittere. Et ſimiliter ſuppoſito errore rationis, vel conſcientiæ, qui procedit ex ignorantia non excuſante, neceſſe eſt, quod ſequatur malum in voluntate; nec tamen eſt homo perplexus; quia poteſt ab errore recedere, cum ignorantia ſit vincibilis & voluntaria.*

ANIMADVERSIO I.

IGnorantia invincibilis excuſat quidem a peccato, ut omnes fatentur, & patet ex prop. 2. ab Alex. VIII. proſcripta, quæ ita habet: *Tametſi detur ignorantia invincibilis iuris naturæ, hæc in ſtatu naturæ lapſæ operantem ex ipſa non excuſat a peccato formali*: actum tamen natura ſua malum, facere bonum non poteſt. Ignorantia enim, quæcumque ſit, rerum naturam mutare non poteſt: rerum autem naturam mutaret, ſi actum natura ſua malum, bonum faceret: ergo id facere non poteſt. Hoc docuit ipſe ethnicus Ariſtoteles, Eth. 6. cap. 2. inquiens: *Si conſilium* (hoc eſt electionem) *bonum eſſe volumus, oportet & rationem eſſe verum, & appetitum rectum*. La-Croix p. 82. n. 5. ex eodem cap. 2. alium Ariſtotelis textum ita affert: *Activæ mentis veritas eſt, quæ appetitui recto conſentanea ſit*: unde colligit, conſcientiam rectam eſſe vel phyſice, quæ eſt conformis objecto, ſeu quæ enuntiat objectum, ſicuti revera eſt; vel moraliter, quæ appetitui recto conſentanea eſt. At in verſione latina ad uſum Seminarii Patavini, qua ego utor, ita habetur. *Ejus autem animi partis, quæ ad agendum, & cogitandum valet, opus eſt veritas conſpirans, & congruens cum appetitu recto:* * qui textus apprime congruit cum alio a me allato, & ad bonitatem operis moralis non ſolum bonitatem appetitus, ſed rationis veritatem poſtulat. Itaque conſcientia ethice, ſeu quoad mores recta eſſe non poteſt, niſi phyſice recta ſit, hoc eſt, niſi ſit vera, & objecto conſentanea. Falſitas enim non eſt recta, nec mores rite dirigit, ſed pervertit. Hinc prudentia, quæ eſt omnium virtutum regula, ab eodem Ariſtotele cap. 5. definitur *habitus cum vera ratione conjunctus*. D. vero Auguſt. lib. 19. de Civ. Dei cap. 4. ait: *Neque enim ſunt mendaces veræ virtutes*: & lib. de utilitate credendi cap. 12. n. 27. *Omne factum, ſi recte factum non eſt, peccatum eſt; nec recte factum eſſe ullo modo poteſt, quod non a recta ratione proficiſcatur*. Ignorantia, licet ſit invincibilis, non eſt recta ratio, ſed falſa, & errans: ergo factum ab ea profectum, rectum, & bonum eſſe non poteſt. Non appetitus, ſeu voluntas eſt regula conſcientiæ, ſed conſcientia voluntatis: ergo non conſcientia appetitui, ſeu voluntati conformis eſſe debet, ut recta ſit; ſed appetitus conſcientiæ; quæ tum demum recta eſt, ſi ſit vera, & objecto conformis.

Conſulamus D. Thomam, qui 1. 2. q. 19. art. 3. & 4. docet, voluntatis bonitatem non ſolum a ratione, ſed etiam, imo multo magis ex æterna lege pendere; ideoque, ſi actio æternæ legi contraria ſit, etiamſi rationi erranti ſit conſentanea, bonam eſſe non poſſe; & art. 6. ad 1. ait, *quod ex D. Dion. cap. 4. de div. Nom. bonum cauſatur ex integra cauſa, malum autem ex quocumque defectu; & ideo ad hoc quod dicatur malum id in quod fertur voluntas, ſufficit ſive quod ſecundum ſuam naturam ſit malum, ſive quod apprehendatur ut malum: ſed ad hoc, quod ſit bonum, requiritur quod utroque modo ſit bonum.* Et 2. 2. q. 110. ar. 3. ad 2. loquens de Ægyptiis obſtetricibus, quæ mentitæ ſunt, ut Hebræorum infantes a cæde liberarent, bene ſe agere putantes, inquit, *quod obſtetrices non ſunt remuneratæ pro mendacio, ſed pro timore Dei, & benevolentia, ex qua proceſſit mendacium. Unde ſignanter dicitur Ex. 1. & quia timuerunt Deum, ædificavit illis domos.*

* Verſio, qua uſus eſt D. Th. 1. 2. q. 5. a. 5 ... ita habet. *Bonitas intellectus practici eſt verum conforme appetitui recto*. Textus græcus ſicut hic eſt. τοῦ δὲ πρακτικοῦ καὶ διανοητικοῦ ἡ ἀλήθεια, ὁμολόγως ἔχουσα τῇ ὀρέξει τῇ ὀρθῇ.

domos. *Mendacium vero poſtea ſequens, non fuit meritorium.* Ex qua angelica doctrina illud intelligitur, actibus quidem malis, qui invincibiliter putantur boni, actus reipſa bonos intermiſceri poſſe, & hos ex illorum admixtione ſuam bonitatem, & meritum non amittere; at ipſos actus malos ex invincibili ignorantia bonos fieri non poſſe. At D. Th. 2. 2. q. 1. ar. 3. ad 1. ita loquitur: *Virtutes autem perficientes partem appetitivam, non excludunt totaliter falſum. Poteſt enim aliquis ſecundum juſtitiam, aut temperantiam agere, habens aliquam falſam opinionem de eo, circa quod agit.* Reſp. D. Thomas intelligendus eſt non de falſitate ad jus, & mores pertinente, ſed de aliqua falſa opinione facti; ex. g. abſtinet quis die veneris ab hoc piſce, quia carnem eſſe putat, abſtinentiæ actum obit: aureis pecuniis, quas argenteas exiſtimat, debitum ſolvit, juſtitiæ munere fungitur. At deceptio, & aberratio quoad jus, licet ſit invincibilis, efficere non poteſt, ut actio ex ſe mala fiat bona æternoque præmio digna. Id docent divina oracula, *Ego*, inquit Chriſtus Joann. 14., *ſum via, veritas, & vita. Omnes viæ tuæ veritas.* Pſ. 118. v. 151. *Deduc me, Domine in via tua, & ingrediar in veritate tua.* Pſ. 85. v. 11. *Emitte lucem tuam, & veritatem tuam: ipſa me deduxerunt, & adduxerunt in montem ſanctum tuum, & in tabernacula tua.* Pſ. 42. v. 3. *Ante omnia opera verbum verax præcedat te.* Eccli. 37. v. 20. Hæc oracula perſpicua inſtitutum plane evincunt; quæ ſi adverſarii pio, humilique animo conſiderent, manus dabunt. Argumentatio ex hoc loco petita tanta vi pollet, ut vel ipſum P. Zachariam, dum repugnare in animo habet, & hanc rationem a P. Concina evolutam ſolvere aggreditur, vincat, ac in noſtram ſententiam veriſſimam pertrahat. Ita enim inquit p. 73. n. 30. La-Croixii, ſuis, ut putat, additamentis locupletati, & vindicati. „ Igitur, ubi actio bona de ſe non ſit, & voluntas „ nonniſi bona ſit ratione boni finis, quo actionem illam patrat, id unum ſequitur, hanc ſolam voluntatem bonam proferri poſſe, ut juſtum mercedis titulum, non vero actionem ipſam. Hinc quod ſpectat „ ad actiones de ſe malas, ſed ex conſcientia invincibiliter erronea habitas ut bonas, & a Deo præſcriptas, has contra conſcientiam omittenti non omiſſio „ ipſa in die judicii exprobrabitur, ſed affectus erga „ peccatum, ob quem illas omiſit. Similiter qui conſcientiam invincibiliter erroneam ſequens, illas facit, ne peccet, non actiones malæ in ſe conſideratæ ei tribuentur laudi, ſed odium in peccatum, & „ erga Deum amor, quo illas patravit. " Zach. ergo diſerte fatetur, actiones malas, quæ ex invincibili ignorantia fiunt, in ſe conſideratas, laudi a ſupremo Judice non eſſe tribuendas; & hoc illud unum eſt, quod P. Concina docet, ſuaque argumentatione efficere vult, & efficit. Quid ergo Zacharias ſolidiſſimo Theologo pueriliter, ac turpiter inſultat, eum *virum oppido bonum, ſed peſſimum logicum* appellans; dum reipſa fateri cogitur, & fatetur, P. Concinæ argumentationem validam eſſe, & inſtitutum evincere? nam actus odii in peccatum, & amoris erga Deum, qui malis actibus ex invincibili ignorantia admiſſis, ideoque culpæ non imputandis admiſcentur, bonos eſſe, nec ex illa permixtione ſuam bonitatem amittere, P. Concina non inficiatur; idque ego ex D. Thoma mox aſſerui. Lis ergo quoad rem hanc, ſi adverſarii velint, finita eſt.

Qui tamen plura cupit, conſulat P. Concinam Hiſt. prob. diſſ. 3. §. 8. & App. ad Theol. t. 2. lib. 2. diſſ. 1. cap. 5. ubi omnia La-Croixii ſophiſmata diſſoluta deprehendet, item diſſ. 6. cap. 3. lib. 3. & diſſ. 8. c. 8. & confutam cenſuræ ſect. 4.

La-Croix (p. 73. n. 34.) quærit, „ utrum formaliter peccet, qui invincibiliter putat actum internum non eſſe malum, & tamen cognoſcit, objectum „ talis actus eſſe malum; v. g. qui deſiderat fornicari, „ invincibiliter putans hoc deſiderium internum non „ eſſe malum, quamvis ſciat, quod reipſa fornicari ſit „ malum. "

Hæc quæſtio eſt de ſubjecto, ut ſcholæ ajunt, non ſupponente. Nec enim invincibiliter ignorari poteſt, malum eſſe deſiderium, cujus objectum malum eſſe cognoſcitur. Hoc confirmat exemplum a La Croixio allatum. An ignorantia noni præcepti Decalogi invincibilis eſſe poteſt? Conſule non recentes opinatores, ſed Evangelium Matth. cap. 5. v. 20. & ſeq.

In hac animadverſione de ea quæſtione actum eſt, utrum ignorantia invincibilis actionem natura ſua malam in bonam tranſmutet. Porro paulo ſupra dixi: *Zacharias ergo diſerte fatetur, actiones malas, quæ ex invincibili ignorantia fiunt, in ſe conſideratas, laudi a ſupremo Judice non eſſe tribuendas; & hoc illud unum eſt, quod P. Concina docet* &c. P. Zach.

Spec. 11. p. cxi. hic ait. „ Fatetur id ſane Zach., fatetur Balla, fatentur cæteri. " *Lis ergo*, ut poſt ſubdidi, *quoad rem hanc ... finita eſt.* Zach., „ Si P. Concina id „ unum contendit, quod eum efficere voluiſſe noſtras „ ſuæ voluntatis fidus interpres, lis finita erit, imo „ ne mota quidem fuiſſet. "

Quid tibi hic vis, mi Zach.? Si dubitas, ex D. Thomæ ſchola futuros, qui actiones ex ſe malas, ex invincibili ignorantia editas, bonas ex bona intentione fieri inficientur, hunc ego tibi ſcrupulum ſtatim eripio. Nam cum D. Th. verbis a me recitatis id explicate affirmat, tum ejus aſſeclæ unanimiter ajunt, & nemo negare poteſt, actiones juxta ſpeciem adiaphoras, ex bona intentione fieri bonas: actiones porro ex ſe malæ, at ex invincibili ignorantia inculpabiles, juxta ſpeciem ſunt adiaphoræ, quia malæ ſunt materialiter tantum, ut ajunt, non formaliter, juxta formam, ſeu ſpeciem: ergo ex bona intentione fieri bonas, nec Thomiſtæ, nec alii negare poſſunt. Bona intentio ſua exui bonitate non poteſt ex actione inculpabili: actio materialiter mala ex invincibili ignorantia orta, eſt inculpabilis: ergo &c.

Omnis actio, ut ajunt, in individuo juxta D. Thomæ ſcholam aut culpanda eſt, aut bona, nulla prorſus adiaphora. At actio, de qua ſermo eſt, omnium conſenſu, & ex propoſitione 2. ab Alex. VIII. proſcripta, non eſt culpanda; niſi forte eam culpes, quia ex bona intentione fit: ergo neceſſario bona eſt juxta D. Thomæ ſcholam. De his, mi Zach., dubitandum non eſt. Nam ſi quis litigioſæ indolis dixerit, non actionem, de qua loquimur, fieri bonam, ſed ſolum intentionem eſſe bonam, nobiſcum ſentit, dum a nobis diſſentire vult. Non enim nos actionem hic ſecundum ſuam formam tantum, ſed etiam ſecundum intentionem penſamus; & dicimus, eam penſatis omnibus bonam eſſe.

Cætera, quæ hic infarciſti, inania ſunt terriculamenta, indigeſtaque verborum moles, quæ nec exſcribo, nec refuto; quia tu quoque, mi Zach., ea, ut alia tua ferme omnia, ſilentio præterire debuiſti, nec tamen potes.

Animadversio II.

Certum eſt, eum qui ex conſcientia erronea peccavit, hoc eſt putans, ſe feciſſe contra præceptum, cum reipſa non fecerit, hunc errorem neceſſario confiteri debere; alioquin ſuum peccatum non confiteretur. Ex. g. Cajus putat, eſſe grave peccatum, otioſa verba proferre, aliquid cibi, aut potus plus juſto ſumere, & nihilominus ea verba profert, illud cibi, aut potus ſumit: ex conſcientia erronea graviter, ſeu letifere peccat. Si ergo conſcientiam erroneam in confeſſione non explicet, dicendo, feci hoc, vel illud, putans me facere contra præceptum, vel obligationem gravem, ſuum grave, ſeu mortale peccatum non confitetur. Quidquid ergo ſentiat, aut dicat Buſ. vel alii, non eſt dubitandum, quin conſcientia erronea, ex qua graviter peccatum fuit, neceſſario confitenda ſit. Quod ſi quis ex errore vincibili putet, ſe aliquid faciendo non peccare, cum reipſa peccet, e. g. ſi furtum ſibi in gravi neceſſitate permiſſum exiſtimans, furetur; hæc ignorantia peccatum notabiliter minuere non videtur, ideoque in confeſſione prætermitti poterit.

CAPUT II.

De Conſcientia dubia.

DUBIUM I.

Quid ſit conſcientia practice dubia, & quid in ea agendum?

RESP. 1. Dubium eſt ſuſpenſio aſſenſus (*a*) circa objectum apprehenſum. Idque eſt duplex. Speculativum, ſeu univerſale, quando in genere dubitatur, v. gr. an contractus uſurarius ſit licitus: an in die feſto liceat venari, piſcari, pingere, &c. & practicum, ſeu particulare, cum dubitatur, an his circumſtantiis, v. g. hoc feſto liceat mihi venari. Ex quo patet, quid ſit conſcientia practice dubia, ſcilicet quæ practice dubitat; ſpeculative dubia, quæ ſpeculative. Ita Nav. Laym. Sanch. Becan. *t. 1. t. 4. q. 8.*

Reſp. 2. Qui cum conſcientia practice dubia operatur, peccat, & quidem peccato ejuſdem rationis, ac ſpeciei, cujus eſt peccatum, de quo dubitat. Ita Sanch. Bon. *t. 2. d. 2. q. 4. p. 7.* Ratio prioris eſt, tum quia is exponit ſe periculo peccati: tum quia

quod non eſt ex fide, eſt peccatum, ideſt, quod non fit ex determinato judicio conſcientiæ, eſt illicitum. Idque verum eſt, etiamſi ſpeculative non dubitet, v.g. Certus ſum, abſolute licitum eſſe die feſto docere, dubito tamen, an hic & nunc mihi liceat, pecco docendo. Ratio poſteeioris patet, tum ex ratione prima data, tum ex dictis de conſcientia erronea; quia habet affectum ad peccatum ejuſdem rationis. Unde, ſi dubites, an ſit mortale, peccas mortali-
Animad. I. ter: an ſit furtum, committis furtum, &c. *Si dubites, ſitne peccatum (ſive mortale, ſive veniale) itaut malitia in confuſo proponatur*, dicit Vaſq. 1. 2. *d.* 529. *c.* 3. & alii, *eſſe mortale, quod negant* Nav. Val. &c. V. Bon. Laym. *l.* 2.

Animad. II. Reſp. 3. *Qui practice dubius eſt circa aliquod opus, tenetur ſe reſolvere.* Et quidem non per ſolum affectum, & voluntatem, (hoc enim non ſufficere recte docent Vaſq. Sanch. *l.* 1. *mor. c.* 9. & alii commun. contra Cajet.) quia adhuc exponeret ſe periculo peccandi, ſed per motivum rationabile, quale eſt. 1. *Ratio probabilis.* 2. *Exemplum bonorum virorum ſine ſcrupulo ſic operantium* (Sanch. Bec. *l. c.*) 3. *Auctoritas viri alicujus docti, & pii. Quod ſi tamen dubium ſine ratione, & juſta cauſa temere conceptum eſſet, poſſet etiam ſine nova ratione deponi*, (*b*) Et ita explicari poteſt Cajet.

Reſp. 4. Si dubium oriatur ex obligationibus, & præceptis contrariis, v. gr. utrum quis die feſto teneatur apud ægrotum manere, omiſſo ſacro, an vero ſacrum audire: tenetur ſe reſolvere, & prudenter judicare, hic & nunc alterum obligare, & alterum ſibi licitum eſſe, alioqui enim exponet ſe periculo peccandi. Ut vero id recte fiat, hæc ſervanda ſunt. 1. Exquirat aliorum conſilia, ſi poteſt. 2. Si non poteſt, v. gr. quia ſolus eſt, vel quia ex confeſſione rem intellexit, conſideret, quantum res, & tempus fert, utrum ex duobus illis ſit, vel videatur minus malum, idque eligat, & non peccabit: v. gr. in caſu dicto minus malum eſt omittere ſacrum, quam deſerere infirmum: quia de ſacro audiendo eſt præceptum affirmativum tantum, & juris humani; at de infirmo eſt negativum, & juris naturalis. Sanch. Becan. *l. c.* Si utrumque videatur æque grave, utrum volet, abſque peccato eliget, ob defectum libertatis. Quod verum eſt, etiamſi culpabiliter in iſtam perplexitatem ſe conjeciſſet, modo de culpa præterita doleat. Ratio eſt, quia alioqui ad impoſſibile obligaremur, quod nec Deus exigit, nec fieri poteſt: ideoque tum ceſſat obligatio minor: vel, ſi ſint, aut videantur æquales, utralibet. (*s*) V. Laym. *l. c. c.* 4. & 5. Fill. *t.* 21. *c.* 4. Bon. *l. c. p.* 6. *n.* 27.

DUBIUM II.

Quid agendum cum conſcientia ſpeculative dubia?

Sunt quædam in Theologia opiniones dubiæ, & in utramque partem probabiles, quæ reddunt hominem ſpeculative dubium. Quæritur ergo hic, an, & quomodo ex talibus poſſit formari conſcientia practice certa.

Reſp. *Abſque peccato licet ſequi opinionem probabi-*
Animad. III. *lem, etiam alienam, & minus tutam* (hoc eſt, *quæ minus remota videatur ab omni ſpecie peccati, quam altera*) *relicta probabiliore, & tutiore propria: ſecluſa tamen omni injuria, & periculo proximi, & dummodo opinio, quæ eligitur, adhuc ſit probabilis.* Eſt communis DD. quos citat, & ſequitur Laym. & Bon. *t.* 2. *d.* 2. *q.* 4. *p.* 9.

Ratio eſt, *tum quia qui ſequitur ſententiam gravi auctoritate, vel non levis momenti ratione nixam* (hæc enim dicitur probabilis) *non agit temere, ſed prudenter, ſequendo nimirum virorum prudentum, & artis peritorum conſilium.* Tum quia eſſet onus intolerabile, moliſque ſcrupulis expoſitum, in omni re examinare, quid ſit probabilius, & tutius.

Dixi in reſponſione, *etiam alienam*, quia parum refert, quod oppoſita ſententia ipſi operanti videatur probabilior ſpeculative: ſpeculativum enim illud judicium, eo ipſo, quod forte incertum, & falſum ſit, non debet eſſe regula operationis, cum operans aliam regulam, eamque certam habeat, quam ſequatur, ſcilicet hanc, quod in dubiis quiſque operari poſſit ſecundum ſententiam, quam viri docti, ut probabilem, & in praxi tutam, defendunt. Neque nunc agit contra propriam conſcientiam, aut exponit ſe periculo peccandi formaliter.

Atque hinc colligitur reſolutio ſequentium caſuum.

1. *Confeſſarius, aut alius vir doctus poteſt conſu-* Animad. IV.
lenti reſpondere ſecundum probabilem aliorum ſententiam, ſi forte ei hæc ſit favorabilior, prætermiſſa etiam propria probabiliore, & tutiore. Ita Sanch. Bon. Ratio patet, quia ipſe Confeſſarius poteſt eam prudenter agendo ſequi. Etſi ad inconſtantiæ notam fugiendam, expediat reſpondere ſemper ſecundum eadem principia, ut monet Sanch. *l. c. c.* 19. Becan. *n.* 16.

2. *Poteſt etiam vir talis conſultus ſignificare conſu-* Animad. V.
lenti, opinionem a quibuſdam doctis tanquam probabilem defendi, quam proinde ipſi ſequi liceat, quamvis ipſe conſultus eandem ſpeculative falſam eſſe judicet, & proinde in praxi ipſe ſequi non audeat. Ratio eſt, quia alter habet jus ſequendi ſententiam probabilem, & hoc jus ſuum illi indicare non prohibetur. Laym. *l.* 1. *s.* 1. *c.* 5. Bon. *p.* 9.

3. *Pœnitentem, qui ſecundum probabilem opinio-* Animad. VI.
nem operari vult, poteſt, imo ſecundum communem ſententiam debet Confeſſarius, & quidem ſi proprius ſit, ſive Parochus, ſub mortali, abſolvere, licet ipſe judicet doctrinam illam eſſe falſam: ideoque fruſtra remittat ad alium Confeſſarium, qui ſit ejuſdem ſententiæ. Ratio eſt, quia recta diſpoſito non debet negari abſolutio. Auor. Vaſq. Sanchez, Laym. *l.* 1. *t.* 1. *c.* 5. *n.* 10. Additque Diana *p.* 1. *t.* 13. R. 11. ex Sanch. & Sancio, peccare mortaliter, ſi nolit abſolvere, quando de mortali confeſſio ſit, tametſi non ſit proprius ejus Confeſſarius.

4. *Non ſunt damnendi, qui adeunt varios Doctores,* Animad. VII.
donec unum reperiant faventem ſibi, dummodo is prudens, ac pius, & non ſingularis habeatur. Ratio eſt, quia intendunt ſequi opinionem probabilem. Ita Sanch. *l.* 1. *c.* 9. *n* 24. Bonac. & alii contra Navar.

5. *Superiori præcipienti ſecundum opinionem probabi-* Animad. VIII.
lem ſubditus tenetur obedire etiam contra propriam probabiliorem, ac tutiorem, v. g. ſi paululum ægrotus, probabilius, & tutius putes te teneri ad jejunium, comedere tamen debes, ſequendo Superioris ſententiam minus tutam, ac probabilem. Ratio eſt, quia in dubio præſumitur pro Superiore. Laym. *l.* 1. *t.* 1. *c.* 5. *n.* 11. & 12.

6. *Poteſt Advocatus ſuſcipere patrocinium cauſæ pro-* Animad. IX.
babilis, etſi judicet contrariam probabiliorem. Ita Lay. Bon. *q.* 4. *p.* 9. Ratio eſt, quia utraque pars habet jus proferendi ſuas cauſas in judicio. V. *inf. l.* 5. *c.* 3. *d.* 3.

Dixi 2. in reſponſione: *ſecluſa injuria*, quia, ſi periculum ſit, ne proximo fiat damoum, aut injuria, locum habet auioma: *In dubio tutior via eligenda eſt.*

Unde reſolvuntur hi caſus.

1. *In adminiſtratione Sacramentorum non ſemper li-* Animad. X.
cet ſequi ſententias ſpeculative probabiles, maxime circa valorem Sacramenti, ſed quoad ea, quæ a Miniſtro præſtanda ſunt, utendum eſt ſententia ſecuriore, & materia, ac forma certa, v. gr. in Baptiſmo. *Ratio eſt, quia, licet præciſe operationem ſpectando, Miniſter non peccaret, ſequendo opinionem probabilem, nec Sacramento irrogaret irreverentiam;* Quia tamen effectus Sacramenti, ut remiſſio peccatorum, & infuſio gratiæ, dependet a vera materia, & forma, graviter proximo noceret; ideoque peccaret, qui pro materia certa adhiberet dubiam. *Excipitur tamen caſus neceſſitatis*, (*d*) in quo Sacramentum cum dubio valoris poteſt præberi ſub conditione, v. g. Baptiſmus morituro in aqua roſaceæ mixta, ſi naturalis deſit, quia tunc proximus juvari debet, ut poteſt: & ex duobus malis minus eligendum. Vide Laym. hic, & Suar. 1. 4. *d.* 26. *ſ.* 6. Becan. *c.* 4. *q.* 9.

2. *Medicus, & Chirurgus ſequi debent tutiora*, & probabiliora; (*e*) nec uti poſſunt, v. gr. explorandi gratia, medicamento probabili, multoque minus dubio, ſi certum habeant. Sanch. Bon. *l. c.* Baldel. *de conſcientia dubia.* v. infra in *l.* 5. *c.* 3. *d.* 7.

Dixi,

Digitized by Google

Dixi, *ſi adhuc ſit probabilis*, quia ſi probabilitatem amiſerit, ob aliquod decretum in contrarium, vel gravem cenſuram, vel rationem gravem de novo inventam, quæ difficulter refutanda videatur, non habet locum reſponſio.

Unde reſolvitur hic caſus.

Non licet nunc abſolvere pœnitentem abſentem, * etſi plures Doctores antehac id ſenſerint: horum enim ſententia nunc eſt abolita, & probabilitatem, ſi quam habuit, amiſit; præcipue accedente decreto Clem. VIII. Bonac. *l. c. n.* 17. & alii communiter.

DUBIUM III.

An in dubio tutior pars ſit eligenda?

Animad. XI. *Reſp. Qui in dubio conſtitutus, poſt diligens examen ſe nequit reſolvere, non tenetur ſemper eligere partem tutiorem, ſed poteſt amplecti partem faventem ſuæ libertati (etiam minus tutam) dummodo ſit in poſſeſſione ſuæ libertatis, juxta illud axioma:* In dubio melior eſt conditio poſſidentis. (*f*) *Ratio eſt, quia talis non agit temere, cum utatur ſua libertate: quod cuivis licet, quamdiu non conſtat eſſe ea privatum, cum eam, ut cetera externa bona, poſſideat.* Proindeque volenti obligationem imponere, quæ libertate privet, incumbit probatio obligationis contractæ, juxta *reg.* 11. *in* 6. Neque huic reſponſioni obſtat axioma contrarium: *In dubio tutior via eſt eligenda*: quia intelligitur, ſi ex una parte ſit dubium, ex altera certum, tum hanc eſſe eligendam; quod ſi autem utraque pars tuta ſit, axioma univerſim non eſt præcepti, ſed conſilii; ut Nav. Sanch. Bon. *t.* 2. *d.* 2. *q.* 4. *p.* 9. *n.* 21. Laym. *l.* 1. *t.* 1. *c.* 5. §. 4. Fill. *n.* 157. & 160.

Porro pro regula cognoſcendi quis ſit poſſeſſor, attendendum eſt, pro quo ſtet præſumptio in foro externo: is enim cenſebitur poſſidere. Præſumptio autem cenſetur ſtare pro ea parte, quæ onus probandi in aliam transfert. Bard. *d.* 5. *c.* 5. Unde cum Sanch. Laym. *l. c.* & aliis

Reſolvuntur caſus ſequentes.

Animad. XII. 1. *Dubitatur, poſt ſufficientem diligentiam adhibitam, an lex ſit impoſita, v. g. jejunii: item, an votum, vel juramentum ſit emiſſum: non obligatur dubitans.* Ratio eſt, quia, cum lex, & votum, ut obligent, debeant ſufficienter proponi, merito hic præſumitur non eſſe, ideoque dubitans manet in poſſeſſione ſuæ libertatis. Suar. Fill. Laym. Contra vero ſi voviſſe conſtet, & dubitetur, an ſatisfecerit, tenetur ſatisfacere, quia tunc votum eſt in poſſeſſione. Similiter dubitans, an Horas legerit, tenetur legere, quia præceptum eſt in poſſeſſione. Ita Sanch. Laym. Bon. *l. c.* Fill. *n.* 163.

2. *Qui certus eſt de lege, & voto, dubius tamen, an, & quid comprehendatur lege, aut voto; ut, ſi ſciat ſe voviſſe religionem, dubitet autem, utrum certam, an vero in communi tantum: item vovit abſtinere a copula, dubitat vero, an ab omni, an ab illicita tantum: non tenetur voto quoad partem, de qua dubitat.*

3. Si conſtet de lege, dubium autem ſit, an recepta, vel abrogata, vel tu ab ea exemptus ſis; teneris lege. ** Ratio eſt, quia cum conſtat de lege, pro ea ſtat præſumptio, & poſſeſſio, proindeque allegaenti eam non eſſe receptam, vel abrogatam, incumbit onus probandi; ideoque, dum non probat, lege tenetur. Laym. *l.* 1. *t.* 4. *c.* 3. Sanch. Fill. contra Salas, & Azor. *qui docent, ſi dubites, an lex ſit acceptata, ea te non teneri.* ***

4. *Qui dubitat, an vigeſimum primum annum expleverit, non tenetur jejunio, quia libertas eſt in poſſeſſione.* Contra vero res ſe habet, ſi dubites de ætate ad ordinem ſacrum, vel beneficium requiſita; quia præſumptio, & poſſeſſio eſt pro præcepto: ideoque non potes recipere, donec de ætate conſtet. Laym. *l. c. n.* 35. Sanch. *d.* 40. & 41.

5. *Si cras ſit jejunium, & poſt examen dubites, an ſit audita duodecima noctis hora, potes cœnare, & carnibus veſci*: quia libertas eſt in poſſeſſione. Contra vero, ſi hodie ſit jejunium, & dubites, an ſit duodecima noctis, non licet; quia præceptum eſt in poſſeſſione: cum conſtet hodiernum diem eſſe jejunii, & dubium ſit, an tranſactus. Sanch. Laym. *l. c. Quæ omnia intellige de dubio ſtricte ſumpto: ſi enim ſit ratio dubium deponendi, v. g. quia aliqua horologia ſonuerunt duodecimam, alia non, ceſſat ratio data. Cum enim duo horologia ſint quaſi duo Doctores, ſeu opiniones probabiles, licet utrumlibet ſequi, niſi ſciam unum errare.* Laym. & alii communiter. Animad. XIII.

6. *Si dubites, utrum mediam noctem cœnando exceſſeris, vel maſticando aliquid deglutiveris, non licet celebrare, vel Euchariſtiam ſumere*, Sanch. *l.* 2. *de matr. d.* 41. *n.* 40. Fagund. *p.* 3. *l.* 3. *c.* 5. *n.* 18. tum quia lex jejunii ſumendi eſt in poſſeſſione: tum quia gravis eſt irreverentia. *Quamquam contraria ſententia* Laym. *l.* 1. *t.* 1. *c.* 5. *n.* 36. *probabilis*: Dia. vero *tom.* 2. *tr.* 4. *de Sacram. R.* 29. *tuta etiam in praxi videatur; eo quod lex eccleſiaſtica in caſu dubio non videatur tam arcte conſtringere conſcientias: & in dubio factum præſumi non debeat: neque cenſeatur irreverens, qui juris præſumptionem ſequitur.* Vide infra *l.* 6. *t.* 3. *c.* 2. *d.* 2. & Card. de Lugo *d.* 15. *n.* 14. Animad. XIV.

7. *Si poſt contractum bona fide matrimonium, dubium de valore ſuperveniat, quod poſt veritatis inquiſitionem depelli non poſſit, debitum non tantum reddi, ſed etiam exigi poteſt*: quia dubium ſuperveniens bonæ fidei poſſeſſori obeſſe non debet. Vide Sanch. *l.* 2. *de matr. diſp.* 41. *n.* 47. Bon. *l. c.* Animad. XV.

8. *Qui certus eſt de debito, & dubitat an ſolverit, tenetur ſolvere.* Suar. Vaſq. Lug. Dian. *p.* 2. *t.* 6. *miſc. R.* 59. *niſi etiam creditor dubitet: tunc enim* Tan. in 1. 2. *d.* 8. *q.* 6. *d.* 4. *putat non teneri, quod* Laym. *l.* 1. *t.* 1. *c.* 6. *ita limitat, ut teneatur non ad integram ſolutionem, ſed ad partem ejus, pro qualitate dubii*: quod Dian. *p.* 4. *t.* 3. *R.* 35. amplectitur, ut probabile. Animad. XVI.

Notæ.

(a) Dubium duplex eſſe perhibetur, alterum negativum, quod Bus. hic explicat; alterum poſitivum in eo poſitum, ut quis rem incertam eſſe judicet. Sed hæc duplex notio, de qua animad. 1. in cap. 4. tract. 1. lib. 2. licet metaphyſica alia ſit, & alia, quoad mores tamen idem prorſus eſt; ita ut quod Bus. recte docet Reſp. 2., intelligendum omnino ſit non ſolum de dubio negativo, ſed etiam de poſitivo, aut etiam, ſi vis, de hoc multo magis.

(b) *Quod ſi tamen dubium ſine ratione &c., poſſet etiam ſine nova ratione deponi.*

Innoc. 3. cap. *Inquiſitioni* 44. tit. 39. lib. 5. decret. de conjugii impedimento loquens quoad eos, qui illud non ſciunt pro certo, ſed credunt, ait. *Diſtinguimus, utrum habeat conſcientiam hujuſmodi ex credulitate levi, & temeraria, an probabili, & diſcreta; & quidem ad ſui Paſtoris conſilium (conſcientia levis, & temerariæ credulitatis exploſa) licite poteſt non ſolum reddere, ſed exigere debitum conjugale.* Quod autem de hac ſpecie dicitur, de aliis dicendum eſt, quia ſumus in eadem navi. Enim vero dubitatio eo ipſo quia temeraria eſt, vitioſa eſt; & quia vitioſa, explodenda. Quia tamen homo facile fallitur in iis præſertim, quæ ad ſe pertinent, de quibus nemo judex eſſe debet, idcirco ſummus Pontifex addidit *ad ſui Paſtoris conſilium.* Hinc illud Prov. 3. *Ne innitaris prudentiæ tuæ*; & Eccli. 32. *Fili ſine conſilio nihil facias, & poſt factum non pœnitebis.*

(c) Quoniam *Deus* ex Syn. Trid. mox cit. *impoſſibilia non jubet*, ex hac notione, naturæ lumine cuilibet obvia, quiſque facile intelligit in ſpecie a Buſ. hic propoſita, cum utrumque præceptum fieri nequeat, utroque ſe minime teneri. Ergo cum alterutrum neceſſario faciendum ſit, illud quoque haud ægre aſſequitur, præceptum majus minori eſſe præferendum. Ergo nitendum eſt, ut quodnam ſit majus, percipiat. Fuſis ergo ad Deum precibus, ejuſque lumine enixe im-

* Hoc certum eſt; de quo tamen conſule Animadverſionem IV. in cap. 1. tract. 2. lib. 6.
** Id certiſſimum eſt; & ne audiendi quidem ſunt, qui contra ſentiunt, ex Animadverſionibus, quas hic legere potes.
*** Hæc doctrina ponit, ejus vim a ſubditorum acceptatione pendere, quod eſt falſum, & alibi refutabitur. Præterea etiamſi poſito falſa, eſſet vere, ipſa dubitatio obligationem induceret ex dicendis in Animadverſionibus.

Digitized by Google

implorato faciat, quod hic recte monet Buſembau, & a peccato liber erit.

At, inquis, habeo aliquid, quod Buſembau objiciam dicenti, *quod verum eſt, etiamſi culpabiliter in iſtam perplexitatem ſe conjeciſſet*. Nam peccatum in cauſa tantum voluntarium, nihilominus peccatum eſt. At qui in perplexitatem peccandi culpabiliter ſe conjecit, peccatum in cauſa voluit: ergo quidquid egerit, peccat. Reſp. propoſitio vera eſt, niſi cauſa revocata per veram pœnitentiam fuerit, & quoad fieri poteſt ſublata. At in ſpecie, de qua loquimur, cauſa per veram pœnitentiam fuit revocata, *modo*, ſubdit Buſ., *de culpa præterita doleat*, & quoad fieri potuit ſublata; quia diligentia poſſibilis non defuit, ut pono, inveniendi verum. *Deus*, Sacræ Syn. Trid. verba repeto, *impoſſibilia non jubet, ſed jubendo*, ſubdit Sacra Syn. *monet & facere, quod poſſis, & petere, quod non poſſis, & adjuvat, ut poſſis.*

(d) *Excipitur tamen caſus neceſſitatis, in quo &c. poteſt præberi*. Ratio deſumitur ex animad. XXXI. in cap. 2. tract. 4. lib. 6. ubi de moribundi abſolutione agitur. At Buſ. addit *ſub conditione*; qua de re ſuis locis, ac præſertim de Sacramento pœnitentiæ animad. III. in cap. I. tract. 4. lib. 6. & animad. XXXI. in idem cap. 2.

v. g. *baptiſmus* &c. Hoc refellitur animad. I. in cap. I. tract. 2. lib. 6.

(e) *Medicus, & Chirurgus* &c. Optima, & vera doctrina; ex qua tamen, ſi recte ratiocinari velis, idem ab animarum medicis præſtandum eſſe, evincitur; imo ab his multo magis, quam a medicis corporis; quia hic corpus, ibi anima periculo objicitur, dum doctrinæ dubiæ, & probabiles adhibentur, cum certæ, aut probabiliores, & tutiores in promptu ſunt. Sed hac de re animad. hic. III.

(f) *Qui in dubio* &c. Hæc falſa opinatio affatim exploditur animad. hic XI. & III. At quorſum Buſ. huc obtrudit regulam XI. juris in 6. ubi dicitur, *cum ſint partium jura obſcura, reo favendum eſt potius, quam actori*? Non enim hic de reo, & actore, ſed de ſubdito, & Superiore, de obedientiæ, & legis vi ſermo eſt.

Buſ. *neque huic reſponſioni obſtat axioma contrarium, in dubio* &c. Hoc axioma obſtare, evinco animad. XI. At inquit Buſ., id *intelligitur, ſi ex una parte ſit dubium, ex altera certum*. Reſp. præclare enim vero. Hic de propoſitionibus contradictoriis loquimur, quarum ſi altera dubia eſt, neceſſe eſt, ut altera quoque ſit dubia. Quod ſi una certa ſit, ex vi contradictionis, altera quoque neceſſario eſt certa. Hinc Buſ. contra indubitata Logicæ, & naturæ principia aperte pugnat.

Buſ. *Quod ſi autem utraque pars tuta ſit* &c. Reſp. utraque pars contradictionis, ut ingredi, & non ingredi Religionem, tuta quidem eſſe poteſt; non tamen utraque certa. Hic Buſ. æquivoce loquitur, & tutum cum certo confundit, ut malam cauſam ſuis ſe captionibus tueri oſtendat.

Hinc porro fit, ut regula, *porro pro regula* &c. a Buſembau aſſignata, nullo prorſus loco quoad rem præſentem habenda ſit; quam ſi attendimus, Deum cum hominibus litigatorem facimus; quod horrendum eſt.

ANIMADVERSIO I.

DE hac quæſtione explicatius propoſita ita loquitur Concina App. t. 2. pag. 592. „ Quod in controverſiam vocatur, eſt, peccet ne mortaliter, qui agit
„ contra conſcientiam rectam præſcribentem aliquid ut
„ peccatum, quin definiat peccati gravitatem. Prima
„ ſententia defendit, peccari dumtaxat venialiter: quia
„ actio ſpeciem capit ab objecto: objectum præſcindit
„ a malitia gravi, vel levi: non itaque continet mali-
„ tiam letalem, ſed ad ſummum venialem: ergo ve-
„ nialis quoque erit malitia actus, qui in hoc objectum
„ tendit. Hæc ſententia falſa eſt. Quoniam malitia
„ abſolute ſpectata, æque gravem, ac levem pravita-
„ tem continet. Ergo non eſt, cur dicatur, actum,
„ qui in illam tendit, eſſe venialem potius, quam
„ mortalem. Ex alia parte temeritas, qua quis ſeſe
„ exponit periculo peccandi mortaliter, letalis eſt, ut
„ mox dicetur. Altera ſententia diſtinguit. Aut agens
„ contra hanc conſcientiam, neceſſariam adhibet dili-
„ gentiam, ut deprehendat, ſit ne gravis, aut levis
„ malitia, vel ſecus. Si ſecundum, dubio procul gra-
„ viter peccat. Si primum, venialiter. Hæc quoque
„ ſententia ut falſa rejicitur. Quoniam ſi poſt adhibi-
„ tam diligentiam, adhuc incertus dubiuſque manet ſu-
„ per gravitate, aut parvitate malitiæ, periculo gra-
„ viter peccandi ſe committit. Quandoquidem ſi gra-
„ viter peccaret, quando ante adhibitam diligentiam
„ ageret contra talem conſcientiam; potiori jure pec-
„ cat, ſi præmiſſa debita diligentia anxius maneat,
„ dubiuſque, ſit ne gravis, an levis malitia, & nihi-
„ lominus eum hac dubitatione agat contra conſcien-
„ tiam. Vera ergo ſententia defendit, hunc letaliter
„ peccare. Ita docet Joan. a S. Th. in 1. 2. diſp. 12.
„ ar. 2. Vaſq. in 1. 2. diſp. 59. c. 3. Azor. t. 1. lib.
„ 2. c. 8. Sanch. in ſumma t. 1. c. 1. Salmant. tract.
„ 20. c. 4. p. 2. n. 8. Corrazza diſp. 2. c. 2. dub. 6.
„ aliique plures. Ratio obvia, & evidens eſt. Qui ex-
„ ponit ſe deliberato animo diſcrimini peccandi mor-
„ taliter, peccat mortaliter: qui agit contra conſcien-
„ tiam rectam denuntiantem aliquod malum abſolute
„ abſque manifeſtatione gravitatis, vel levitatis mali-
„ tiæ, ſeſe in periculum letaliter delinquendi conjicit:
„ in illa quippe malitia abſolute propoſita æque conti-
„ netur gravis, ac levis, ut dictum eſt: ergo mortali-
„ ter peccat.“

La-Croix p. 81. §. 2. primam ſententiam a Concina allatam probabiliorem habet ea ratione, „ quia, in-
„ quit, neque cognoſcitur periculum peccati mortalis,
„ neque obligatio magis inquirendi, neque indifferen-
„ tia, quam objectum habet ad malitiam mortalem,
„ & venialem, neque abſolute cognoſcitur malitia
„ mortalis, ſed tantum malitia abſtracta, & communis
„ mortali, & veniali: ergo ſic operans non eſt poſiti-
„ ve indifferens ad malitiam utramque, ſed tantum ad
„ malitiam quæ non excedit venialem.“

Reſp. Hæc La-Croixii argumentatio ponit, mortaliter non peccari ſine cognitione, ſeu, quod idem eſt, non peccari per ignorantiam; qui eſt pelagianus error, de quo infra.

Præterea qui cognoſcit malitiam abſtractam, & communem culpæ mortali, & veniali, cognoſcit indifferentiam ad malitiam mortalem, & venialem. Nam perceptio malitiæ communis culpæ mortali, & veniali eadem eſt, ac perceptio malitiæ indifferentis ad culpam mortalem, & venialem. Qui contra loquitur, pugnantia dicit, nec ſeipſum intelligit. Porro in perceptione malitiæ indifferentis ad culpam mortalem, & venialem includitur perceptio periculi peccati mortalis: ergo qui aliquid facit, aut omittit, quod percipit indifferens ad culpam mortalem, & venialem, periculo peccati mortalis deliberate ſe objicit, &, quod inde conſequitur, mortaliter peccat. Quod ſi illud daremus, periculum mortalis peccati non adverti, verumtamen, & certum eſt, illud adverti poſſe, & debere; ideoque hujus periculi culpam nulla ratione excuſari poſſe.

ANIMADVERSIO II.

Qui dubius eſt circa aliquod ſingulare opus, non tenetur ſe reſolvere; imo, ſi dubium ſit rationabile, & prudens, in eo manere debet, & ab actione abſtinere. Qui autem irrationabili dubio pulſatur, illud ponere debet, ſi id, de quo dubitat, agere, vel omittere ſine culpa velit. At, inquis, rationabile dubium ex ratione probabili, exemplo bonorum virorum ſine ſcrupulo ſic operantium, auctoritate alicujus viri docti, & pii poni poteſt.

Reſp. Si ratio tenuiter probabilis ſit, ſicuti non eſt prudens agendi regula, ut ex prop. 3. ab Innoc. XI. proſcripta conſtat, ita ſufficiens fundamentum non præbet ponendi rationabile dubium; multo vero minus, ſi ſit ſophiſtica, cujuſmodi ſunt ratiunculæ, quas La-Croix p. 86. n. 78. ex poſſeſſione propriæ libertatis, vel ex eo, quod lex in dubio ſufficienter promulgata, ſeu applicata non ſit, repetit. Si hæ ratiunculæ, quas recentes opinatores in animarum perniciem commenti ſunt, & paſſim obtrudunt, vim haberent, omnes dubitationes, quantumvis rationabiles, & prudentes, quæ circa honeſtatem agendi ſuboriuntur, de medio tollendæ eſſent, quia in quovis dubio locum habent. Primam rationem ex libertatis poſſeſſione deſumptam, profligatam leges hoc eodem cap. dub. 3. Reſp. Altera ratio, ſicuti fallax eſt, cum legi propter verborum obſcuritatem dubiæ accommodatur, uti oſtendetur dub. 2. huj. c. Reſp., ita quoque cavillatoria eſt, ſi dubium circa legis exiſtentiam oriatur. Quia quoad conſcientiam perinde eſt, ſeu de legis ſenſu, ſeu de ejus exiſtentia dubites. Ergo ſicuti dubitans de legis ſenſu, ab ejus onere ex mox dicendis non liberatur, ita ne is quoque, qui de ejus exiſtentia dubitat. Lex quævis ſeu quoad ſenſum, ſeu quoad exiſtentiam dubia, eſt ſemper quoad vim obligandi ſufficienter applicata: quia ex lege naturæ via tutior in dubiis eſt eligenda, ut Eccleſia Gallicana, & Eugenius Papa infra cit. docent.

Quod ſi ratio probabilis, gravis, & ſolida ſit, ſufficit quidem ad dubium prudenter ponendum, dummodo tamen æque gravi ac ſolida ratione non impugnetur. Si enim hoc modo impugnetur, nulla eſt ratio ponendi dubium, ſed multo magis confirmatur.

Exem-

Digitized by Google

Exemplum bonorum virorum ſine ſcrupulo ſic operantium nullam vim habet, ſi alii boni viri aliter agant; imo contraria exempla, & contrariæ agentium auctoritates dubium confirmant. Præterquamquod cum viri, qui boni putantur, erroribus, & cupiditatibus obnoxii ſint, periculoſum eſt eorum exempla ſequi, cum rationabile dubium nos premit. *Sana quippe ratio*, inquit D. Aug. relatus diſt. 9. cap. 10. *etiam exemplis anteponenda eſt, cui quidem & exempla concordant, ſed illa, quæ tanto digniora ſunt imitatione, quanto excellentiora pietate.* At ſana ratio docet, actionem eſſe ſuſpendendam, cum rationabile dubium nos premit: ergo exemplis anteponenda eſt: ergo dubium rationabile propter exempla non eſt deponendum.

Tandem dum Buſemb. ait, rationabile dubium alicujus viri docti, & pii auctoritate poni poſſe, ponit, unius viri docti, & pii auctoritate opinionem fieri probabilem, rectamque agendi regulam; quod proſcriptum eſt ab Alex. VII. prop. 27. Hac tamen de re conſuli poteſt Concina Hiſt. prob. t. 2. diſſ. 5. ſect. 10. & 11.

In his documentis, quæ hic tradit Buſemb. verſatilis probabilitas prorſus explodenda, de qua infra, ſerpit, & dominatur.

Verſus finem hujus animad. ſcripſi: *tandem dum Buſ.*
p. cxii. *ait*, &c. *quod proſcriptum eſt ab Alex. VII. prop. 27.*

P. Zach. hic ita loquitur. „ Id ipſum paulo poſt Buſemb. impingis &c.; Sed ipſa damnata theſis tuam „ non ignorantiam dicam, ſed inconſiderantiam prodit. Damnata propoſitio fert, " *ſi liber ſit alicujus junioris & moderni, debere opinionem cenſeri probabilem.* „ Buſemb., & cæteri ajunt, opinionem unius „ quoque Theologi recentioris auctoritate firmatam „ poſſe probabilem eſſe. "

Reſp. ergo Zacharia auctore, Alex. VII. nec Buſembaum, nec cæteros damnat, ſed conficta ſibi propoſitione a nemine aſſerta aerem verberat. Ita ne, mi Zach., contra Romanæ Sedis honorem blateras? tua nunc verba repete: „ damnata propoſitio fert, „ *ſi liber ſit alicujus junioris & moderni, debere opinionem cenſeri probabilem*: ergo hæc propoſitio, quia damnata, eſt certo falſa: ergo hujus contradictoria, eſt certo vera. Quænam porro eſt damnatæ propoſitionis contradictoria? Nulla opinio ex libro, hoc eſt auctoritate cujuſcumque junioris, probabilis cenſeri debet. Si probabilis cenſeri non debet, poteſt ne cenſeri probabilis? Tu hic litigabis, ſed fruſtra.

Cæterum juxta Buſembaum a me hoc loco improbatum, dubium circa actionis honeſtatem hic, & nunc exortum, reſolvendum eſt per *motivum rationabile, quale eſt*, . . , 3. *Auctoritas viri alicujus docti, & pii*.

Ergo juxta Buſembaum autoritas unius recentioris Theologi, quæ eſt auctoritas viri alicujus docti, & pii, ſufficit, ut opinio rationabilis ſit. Quid eſt rationabilis? Jure probabilis, probabilis merito haberi poteſt, ſeu debet. An de his, mi Zach., jure litigare potes? An factum, quod ex ſe perſpicuum eſt, contra Apoſtolicæ Sedis auctoritatem inficiari audes?

At urges: „ Nonne tu ipſe pag. 6. ſtatuis, ut opinio ſit ſolide & graviter probabilis, non Doctorum „ numerum, ſed gravitatem, rationumque pondus ſpectanda eſſe? Igitur ſi unus tantum Doctor ſit, ſed gravis " (tuam parentheſim ridiculam, & in P. Concinam contumelioſam omitto) „ poterit opinionem „ probabilem reddere. "

Reſp. quod contra me, & mea perſpicua ſenſa animadverſione III. ſequenti explicata vaniſſime concludas, ego, mi Zach., rideo; ſed ridere nequeo, quod contra ſenſum Apoſtolicæ Romanæ Sedis blaterare audeas.

Animadversio III.

Recte quidem Buſ. illud addit, *ſeclusa tamen omni injuria, & periculo proximi*. Nam Innoc. XI. hanc prop. n. 2. proſcripſit: *Probabiliter exiſtimo, Judicem poſſe judicare ſecundum opinionem minus probabilem*: & Alex. VII. hanc n. 26. *Quando litigantes habent pro ſe opiniones æque probabiles, poteſt Judex pecuniam accipere pro ferenda ſententia in favorem unius præ alio.*

Hæc tamen exceptio ſatis non eſt, ut Buſembaum a Pontificiis proſcriptionibus eripiat; ab Innoc. enim XI. hæc quoque propoſitio n. 1. damnata eſt: *Non eſt illicitum in ſacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore ſacramenti, relicta tutiore, niſi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc ſententia probabili tantum utendum non eſt in collatione baptiſmi, ordinis ſacerdotalis, aut epiſcopalis.*

Præterea opinio tenuiter probabilis, infra probabilitatis fines includitur, & probabilis eſt. At illa prop. n. 3. ab Innoc. XI. damnata eſt: *Generatim dum probabilitate ſive intrinſeca, ſive extrinſeca, quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confiſi aliquid agimus, ſemper prudenter agimus.*

Ex duplici ergo capite Buſ. aſſertio proſcripta eſt, quod ſcilicet nec Sacramentorum valorem, nec tenuem probabilitatem exceperit.

Adde, quod, cum Buſ. ait, *Licet ſequi opinionem probabilem, etiam alienam, & minus tutam*, cum Apoſt. pugnat Rom. 14. dicente: *Quod non eſt ex fide*, hoc eſt ex dictamine, & perſuaſione conſcientiæ, *peccatum eſt*. Quod enim eſt juxta alienam opinionem contra propriam, non eſt ex perſuaſione conſcientiæ.

At inquit La-Croix p. 116. n. 377. „ Si quis judicet „ opinionem alienam eſſe probabilem, quamvis videatur eſſe falſa, . . . ſi tamen de hoc certus non ſit, „ valde probabile eſt, quod ex principiis reflexis poſſit „ ſibi formare prudens dictamen, & ſecundum eam opi„ nionem operari, dicendo, *judico quidem opinionem il„ lorum eſſe falſam, quia tamen hoc mihi incertum eſt, & „ Auctores me ſapientiores, qui opinionem poſſunt redde„ re certo probabilem, dicunt, illam eſſe veram, ego quoad hanc operationem me accommodabo illis, & interea „ præſcindam a directa opinione mea.* Ita abſolute tenent „ Azor. Vaſq. Leſſ. Valent. &c. quos nominat. "

Hæc La-Croixii doctrina his fucis oblita, incautos, minuſque doctos facile decipit; ſed Apoſtolo Paulo reipſa contraria eſt. *Judico opinionem illorum eſſe falſam*: ergo eam ſequens, non operor ex fide, ſed contra fidem: ergo peccatum eſt. *At Auctores me ſapientiores dicunt, illam eſſe veram*. Ita ſane; verum cum ego aliorum contra ſentientium me ſapientiorum auctoritate, & ratione eam opinionem falſam putem, eam ſequens non operor ex fide, ſed contra fidem: ergo peccatum eſt. *At Auctores me ſapientiores opinionem poſſunt reddere certo probabilem.* Eſto: mihi tamen non probatur, ſed falſa videtur: ergo eam ſequens, non ex fide, ſed contra fidem operor: ergo peccatum eſt. *Quoad hanc operationem me accommodabo illis*. Accommodabis te illis non ex fide, ſed contra fidem: ergo peccatum eſt. *Interea præſcindam a directa opinione mea*. Quomodo præſcindis a directa opinione tua, quam in animo inſculptam habes, & retines? hoc ſane dictum ſophiſticum, & contradictorium eſt. Quocumque ſe ſubtiles opinatores vertant, illud ſemper verum eſt, Apoſtolo Paulo eum repugnare, qui alienam opinionem probabilem, ſed minus tutam contra propriam ſequitur. Hic ſcilicet conſcientiæ adverſatur, quæ eſt applicatio ſcientiæ ad actum, ſeu proxima agendi regula; cui qui repugnat, neceſſe eſt ut peccet. Veritatis ſtudioſus conſulat D. Th. 1. 2. q. 19. art. 3. & 5. quem ita concludit. *Unde dicendum, quod ſimpliciter omnis voluntas diſcordans a ratione ſive recta, ſive errante, ſemper eſt mala.* Hinc Clerus Gallicanus (apud Natal. Alex. Theol. t. 2. app. alt. p. 8x. de op. prob. uſu definit, *ut nemini liceat eligere eam ſententiam, quam non veritati magis conſentaneam duxerit*.

Ratio eſt, inquit Buſemb., *tum quia qui ſequitur ſententiam gravi auctoritate* &c. Hic quæri poteſt, quid *gravis auctoritatis* nomine Buſ. intelligat. Videtur enim intelligere ſententiam cujuſcumque viri docti, ac pii, & Theologiæ periti, cujus vi juxta ipſum, rationabile dubium de malitia actionis recte deponitur; præſertim cum ſuas opiniones unius recentis Scriptoris auctoritate non ſemel in hoc opere fulciat. At illa prop. n. 27. ab Alex. VII. proſcripta eſt: *Si liber ſit alicujus junioris, & moderni, debet opinio cenſeri probabilis, dum non conſtet, rejectam eſſe a Sede Apoſtolica tanquam improbabilem*, imo vero ne multorum quidem recentium auctoritas gravis eſt, aptaque facere opinionem probabilem, ut ultro fatetur, & oſtendit ipſe La-Croix p. 90. 91. n. 136 & ſeq. exemplis ex Carden. deſumptis multarum opinionum, in quas plures recentes puta quinque, ſex, decem, ſexdecim, vigintiquinque, quadraginta conſpirarunt, licet ſint improbabiles, & certo falſæ. „ Nec obſtat (inquit) „ quod Eccleſia vix poſſit ignorare, ejuſmodi opiniones „ teneri, & tamen non ſemper eas damnet. Nam *Ec„ cleſia Dei*, inquit S. Aug. ep. 119. c. 19. *inter multam „ paleam, multaque zizania conſtituta, multa tolerat, & „ tamen quæ ſunt contra fidem, vel bonam vitam non „ approbat*. Ratio autem, cur numerus Auctorum „ præciſe non reddat ſemper opinionem probabilem, „ hæc eſt, quia quandoque primi Auctores ejuſmodi ſen„ tentiarum non ſatis examinarunt utrimque fundamen„ ta, reliqui autem tranſcripſerunt tantum, & ſimiliter „ cæce ſecuti ſunt; quandoque ſucceſſu temporis inven„ tæ ſunt novæ rationes convincentes, aut principium „ certum in contrarium; quandoque emanarunt decla„ rationes, per quas antiquatæ ſunt ejuſmodi ſenten„ tiæ, & eliſa earum probabilitas. Sapienter dixit „ Card. Sfondrat. in reg. Sacerd. l. 1. §. 20. & lib. 2. §. „ 14. n. 6. *Sunt opiniones inſtar monetæ, cujus valor non „ ex numero, ſed pondere, & metallo æſtimatur; ſic opi„ niones, non Doctorum numerus, ſed major ratio, veri„ tas, & prudentia commendat*; alioquin ſemper vince„ rent fatui, *quorum numerus, quam prudentum major „ eſt*. Hactenus La-Croix.

Qua-

Digitized by Google

Quare ut opinio ſit ſolide, & graviter probabilis, (de hac enim loquimur, quia tenuis probabilitas proſcripta eſt) non Doctorum numerus, ſed gravitas, & auctoritas, rationumque pondus ſpectanda ſunt, ac demum videndum, ne contrariis auctoritatibus, & rationibus longe gravioribus e ſua probabilitate dejiciatur. Recentes morum ſcriptores ſi antiquis Patribus conſentanea doceant, ſua pollent auctoritate; at ſi ab iis recedant, eorum auctoritas, contraria veterum Patrum ſane maxima auctoritate eliditur, & pro nihilo habenda eſt. Hinc Clerus Gallicanus loco mox citato illud ſibi præſcribit, *ut in rebus theologicis ad fidei, & morum dogmata ſpectantibus, Theologos quidem etiam modernos audiamus, ſi tamen conſonas Sanctis Patribus ſententias tradant. Deinde, ut ſi ab iis recedant, harum opinionum tribibeatur curſus, neque earum aliqua ratio habeatur, aut ulla eis tribuatur auctoritas.*

Sed demum hic quæritur, utrum excepto Sacramentorum valore, Judicumque ſententiis, gravis probabilitas æque gravi, aut graviori, & tuta probabilitate impugnata, recta agendi regula ſit. Reſp. Affirmantium ſententia, ut ego ſentio, & pro certo habeo, periculoſiſſima, & falſa eſt. Eſt enim contraria ſacrarum Scripturarum oraculis. Si enim explicata probabilitas, recta regula eſſet, juxta ipſam Chriſtus non eſſet judicaturus: at Chriſtus non eſt judicaturus juxta explicatam probabilitatem; explicata enim probabilitas non eſt veritas, ſed ſæpe, aut etiam ſæpius eſt falſitas; Chriſtus vero nos judicabit juxta verbum ſuum, quod eſt ipſa veritas. *Sermo*, ait ipſe Joan. 12., *quem locutus ſum vobis, ipſe judicabit vos in noviſſimo die*. Reg. 1. 14. dicitur: *Timete Dominum, & ſervite ei in veritate*: & Reg. 3. 3. *Si cuſtodierint filii tui vias ſuas, & ambulaverint coram me in veritate* &c. Dicitur *in veritate*; ergo non in probabilitate, quæ veritati ſæpe contraria eſt. Pſ. 24. *Dirige me in veritate tua, & doce me*. Pſ. 50. *Ecce enim veritatem dilexiſti*. Pſ. 118. *Viam veritatis elegi*. At certum eſt probabilitatem non eſſe veritatem; ergo Deus juxta ipſam nos non dirigit, nec docet; nec eam diligit; nec bonus Chriſtianus eam eligit. Sap. 6. v. 12. *Concupiſcite ergo ſermones meos, diligite illos, & habebitis diſciplinam*. Qui verſatilem probabilitatem ſectantur, divinæ Sapientiæ ſermones non concupiſcunt, nec eos diligunt, quia divinæ legis veritatem (*Omnia mandata tua veritas: Lex tua veritas*, Pſ. 118.) non quærunt: ergo non habent *diſciplinam*, hoc eſt rectam vivendi regulam. Prov. 14. *Quærit derifor ſapientiam, & non invenit*. Nonne deriſor eſt, qui ſucatam ſapientiæ ſpeciem quærit? Nonne verſatilis opinator fucatam ſapientiæ ſpeciem quærit? Non enim quærit ipſam ſapientiam: an verſatilis probabilitas eſt ipſa ſapientia? Probabilior non deridendo, ſed ex animo quærit ſapientiam, quia toto animi conatu veritatem a Deo profectam quærit; ideoque ut plurimum eam invenit. Quod ſi quandoque, ac raro erret invitus, excuſatione dignus eſt.

Omnes homines aut æternam vitam conſequuntur, aut æternam mortem incurrunt. Hæc eſt inconcuſſa fidei veritas. At verſatiles opinatores æternam vitam conſequi non poſſunt. Via enim eundi ad cælum teſte Chriſto Joan. 14. una eſt, hoc eſt veritas: *Ego ſum via, veritas, & vita*: viam veritatis verſatiles opinatores non ineunt: ergo ad cælum ire non poſſunt: ergo æternam mortem incurrunt. Poſſunt quidem verſatiles opinatores, ſubtili ingenio abutentes, argutas, intortas, ac difficiles cavillationes contexere, ac rem involvere; at numquam illud ex animo uſurpare queunt: *Quomodo dilexi legem tuam Domine? tota die meditatio mea eſt*. Pſ. 118. Quia veritatem meditari nolunt, Prov. 15. *Cor ſapientis quærit doctrinam, & os ſtultorum paſcitur imperitia*. Imperitia eſt, quæ a cæleſtis doctrinæ fonte non hauritur: cæleſtis porro doctrina antiqua eſt, veteribus ſanctis Patribus noſtris Magiſtris nota: at verſatilis probabilitas veteribus ſanctis Patribus fuit ignota, poſt plurima Eccleſiæ ſæcula, hoc eſt æræ vulgaris anno 1577. inventa, ut ex communi Theologorum ſententia docet Concina Hiſt. prob. t. 1. pag. 18. n. 4. ergo a cæleſtis doctrinæ fonte hauſta non eſt: ergo eſt imperitia. Huc ſpectant illa oracula: *Sapientiam omnium antiquorum exquiret ſapiens, & in Prophetis vacabit*, Eccli. 39. *Ne tranſgrediaris terminos antiquos, quos poſuerunt patres tui*, Prov. 22. Enim vero *qui amat periculum, peribit in illo*, Eccli. 3. At qui verſatilem probabilitatem amat, periculum amat. Ut enim honorem, pecuniam, voluptatem, quod ex ſe periculoſum eſt, conſequatur, illud eligit, quod æque probabile, aut probabilius eſt, eſſe peccatum, quam non eſſe, hoc eſt ipſum evidens periculum peccandi. Verſatilis probabilitas, alternantium alearum ludus eſt, vulgo *baſſetta*, in quo jactura, & lucrum æque incerta ſunt; imo minor probabilitas eo ludo periculoſior eſt; quia in ea probabilior eſt jactura, hoc eſt culpa, quam lucrum, hoc eſt honeſtas: ergo qui verſatilem probabilitatem amat, in ea peribit. At, inquit Buſ. qui hanc ſequitur, *non agit temere, ſed prudenter, ſequendo aliquorum virorum prudentium, & artis peritorum conſilium*, hoc eſt ſententiam, quod liceat. Reſp. Temeritas, evidens peccati periculum, & quoad animæ ſalutem ſortuitus alearum ludus in eo eſt, quod prudentum & peritorum ſententiam ſequatur contra alios æque, aut magis prudentes & peritos ab ea ſententia deterrentes. An prudentiæ opus eſt, fortuito alearum ludo animæ ſalutem objicere? *Sapiens timet, & declinat a malo; ſtultus tranſilit, & confidit*, Prov. 14. Genuina prudentia verax eſt, & ſtabilis, non adiaphora ad verum, & falſum, non in contrarias partes verſatilis, ut probabilitas. *Ante omnia opera verbum verax præcedat te, & ante omnem actum conſilium ſtabile*, Eccli. 37. At, inquit Buſ. „ eſſet onus intolerabile, multiſque ſcrupulis expoſitum, in omni re examinare, quid ſit probabilius, & tutius. “

Reſp. Quid ſit in controverſiis tutius, omnes ſine ullo onere, & difficultate intelligunt. Omnes enim perſpicue, & ſine ullo labore intelligunt, tutius eſſe, ab actione, ſeu omiſſione, quæ in controverſiam vocatur, utrum liceat, abſtinere. Eſſe vero onus intolerabile non in omni quidem re, ut perperam ait Buſ. (nam multa ſunt perſpicua, nec indigent examine) ſed in controverſiis examinare, quid ſit probabilius, ut agere liceat, putabunt quidem homines ſuis cupiditatibus obſequi volentes, ac de animæ ſalute parum ſolliciti, non homines pii, vereque prudentes, qui divina oracula conſulunt, & norunt, Deum nullius humeris non imponere onera intolerabilia. Cæterum *quam arcta via eſt, quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt, qui inveniunt eam!* Matth. 7. At verſatiles opinatores, quantum in ipſis eſt, hanc viam in animarum perniciem dilatant, ſeu verius pervertunt, ut ait Alex. VII. in prologo ad prop. a ſe proſcriptas. Itaque verſatilis probabilitas *eſt via, quæ videtur homini juſta, noviſſima autem ejus deducunt ad inferos*, Prov. 14.

Nam ſicuti Dei verbo, ita Eccleſiæ ſenſui, quæ eodem regitur, adverſatur. Cardinalis de Aguirre in prologo ad tom. Concil. Hiſp. (apud Gen. Theol. t. 1. p. 76.) inquit: *Nimirum hic fuit ſemper ſpiritus Eccleſiæ tam in Pontificibus Romanis, Cardinalibus, Epiſcopis, quotquot canones Conciliorum ediderunt, quam in iis, qui pietatis, & doctrinæ laude illos uſque modo imitati ſunt*, ut ſcilicet *tam in theorica, quam in praxi cenſeant, ſequendam omnino eſſe ſententiam tutiorem, vel ſaltem longe veriorem, ac probabiliorem*, uti mox antea ſe explicuit.

Conventus generalis Cleri Gallicani anno 1700. apud Nat. loco ſupra citato ait: *Quod ergo in praxi eam nobis liceat ſequi ſententiam, quam nec ipſi ut probabiliorem eligendam judicemus, hoc novum, hoc inauditum, hoc certis, ac notis Auctoribus poſtremo demum ſæculo proditum, & ab iiſdem pro regula morum poſitum, repugnat huic effato a Patribus celebrato*: Quod ubique, quod ſemper, quod ab omnibus; *nec habere poteſt chriſtianæ regulæ ſecuritatem*. Eccleſia ergo probabilitati ſemper repugnavit. Alex. VII. in prologo ad prop. a ſe proſcriptas magnopere dolet, *ſummam illam luxuriantium ingeniorum licentiam in dies magis excreſcere, per quam in rebus ad conſcientiam pertinentibus modus opinandi irrepſit alienus omnino ab evangelica ſimplicitate, ſanctorumque Patrum doctrina, & quem ſi pro recta regula fideles in praxi ſequerentur, ingens irruptura eſſet chriſtianæ vitæ corruptela*. „ Qua ſententia, inquit „ Clerus Gallicanus cit. p. 1511. apud Nat. non modo „ errores increviſſe queritur, verum etiam, quod „ caput eſt, adnotari voluit, ipſam rei tractandæ ra„ tionem eam (hoc eſt verſatilem probabilitatem) „ introductam eſſe, unde videremus corruptelam mo„ rum non modo ſecuturam, verum etiam facto velut „ impetu irrupturam, quam vix cohibere poſſimus. „ Neque vero ſatis fuit Sanctiſſimo Pontifici novam „ hanc methodum (nota hæc verba) ludificandæ con„ ſcientiæ, & involvendæ veritatis, hoc eſt ipſum „ mali detexiſſe fontem; ſed &c. “

Alex. VII. illis verbis *modus opinandi irrepſit &c.* aliud indigitare non potuit, niſi verſatilem probabilitatem, quæ in Chriſti Eccleſiam recenter irrepſerat, quæ tunc maxime luxuriabatur, cujus propoſitiones num. 28. eo decreto proſcribit, quæ demum, ut ait Clerus Gallicanus, *nova methodus eſt ludificandæ conſcientiæ, & involvendæ veritatis, hoc eſt ipſe mali fons*.

Innoc. XI. ejus ſucceſſor injunxit *Generali Societatis Jeſu, ne ullo modo permittat Patribus Societatis ſcribere pro opinione minus probabili, & impugnare ſententiam aſſerentium, licitum non eſſe ſequi opinionem minus probabilem in concurſu magis probabilis ſic cogni-*

ta,

te, & judicatæ; verum &c. Apud Conc. t. 2. App. p. 382.

Bened. XIII. in Conc. Rom. in App. c. 17. n. 8. p. 149. ita præſcribit. " In fine della diſcuſſione il Pre„ fetto, o qualche altro brevemente determinerà la „ concluſione del caſo propoſto con quelle ſode dot„ trine (non verſatili) ch'egli ſtimerà più vere, e „ più fondate. "

Bened. XIV. in epiſtola encyclica ad omnes univerſæ Eccleſiæ Epiſcopos anni 1749. die 26. Junii italice ab eo exarata, ac poſtea latine reddita ita habet: *Ci contenteremo di dire, che il buon Confeſſore nelle materie dubbie non dee fidarſi della ſua privata opinione; ma prima di riſpondere, ſi contenti di vedere non un ſolo libro, ma ne veda molti, veda fra queſti i più riſpettabili; e poi prenda quel partito, che vedrà più aſſiſito dalla ragione, e dall' autorità.* Apud Conc. App. p. 398. c. 8. num. 2.

Hic eſt conſtans ſupremorum Eccleſiæ Capitum, & Magiſtrorum ſenſus, a quo Eccleſia diſſentire non poteſt. Lege hic, ſi lubet, Conc. App. lib. 3. diſſ. 3. c. 3. 4. 5. 6. 7. item diſſ. 4. cap. 7. 8. 9. Porro cap. 8. recenſet circiter centum & ſexagiora Doctores contra probabilitatem ſtantes; inter quos eminent S. Th. S. Raym., B. Albertus Magnus, S. Bonav., S. Bernardinus Senenſis, S. Antoninus, Cardinales Aguirre, Sfondrati, Noris, Bellarminus, Pallavicinus, Caſinus. His adde D. Bernardum, Tertullianum, D. Auguſtinum apud Nat. Theol. t. 2. p. 273. reg. 13. & S. Joannem Chryſoſt. apud Genettum t. 1. p. 47. q. 1.

S. quidem Thomam Tarillus cum aliis pro ſe citare auſus eſt, ſed perperam, & falſo, ut P. Conc. oſtendit c. 3. cit. diſſ. 4. La-Croix quoque t. 1. p. 104. n. 169. B. Albertum M., & S. Antoninum pro ſua minori probabilitate appellat, ſed illum refutat idem Concina c. 4. Textus S. Thomæ, & S. Antonini, quos affert etiam Gen. t. 2. tract. 1. c. 5. & 6. adeo perſpicui ſunt, ut in contrariam partem flecti nulla ratione poſſint. Porro idem La Croix pro ſe citat *Auctores fere omnes e Societate Jeſu*. Hic ſeſe intermiſcet Zacharia indignabundus, quod Concina in indice Hiſt. prob. t. 1. pag. 690. La-Croixii locum indicans, ita referat: *La Croix P. Claudio falſamente aſcrive a tutti quanti i Geſuiti il Probabiliſmo*. Magnum ſane facinus P. Concinæ, qui indicis Auctor non fuit, ut ipſe teſtatur App. t. 1. in declarat. n. 3. Cæterum qui velit, legat locum ipſius Concinæ p. 71. unde intelliget & Zachariæ indolem, & Concinæ ſinceram fidem, & qui totius Societatis Doctoribus verſatilem probabilitatem adſcribant. At ſi P. Zacharia probroſum cenſet, probabilitatem toti Societati adſcribi, cur illam non impugnat, cur eam defendere conatur? Idem P. Zach. magnam lucem P. La-Croixii additamentis afferre ſe putat, dum p. 92. ait: *Ex hoc tamen tam præclaro Scriptore*, hoc eſt ex libro inſcripto, Artes Jeſuiticæ &c. *non puduit religioſum Virum*, (Concinam) *t. 1. Hiſt. prob. plures excerpere propoſitiones, eaſque Jeſuitis laxitatum omnium, ſi diis placet, Magiſtris objicere*. At Concina, dum Hiſtoriam prob. ſcriberet, *Artes &c.* nondum ſe legiſſe teſtatur t. 1. p. 9. t. 2. p. 601. Sed hæc minuta ſunt. Eccleſiam verſatili probabilitati adverſari, oſtendit præter hactenus dicta Concilium Œcumenicum Viennenſe, quod circa infuſas tam parvulis, quam adultis in baptiſmo virtutes decrevit his verbis: *Nos hanc opinionem tanquam probabiliorem, & dictis Sanctorum, ac Doctorum modernorum Theologiæ magis conſonam, & concordem duximus eligendam*. „ Quod „ Concilii judicium (inquit Clerus Gallicanus ſupra „ cit.) eo magis ad regendos mores pertinere conſtat, „ quo magis ex ipſis Fidelium ſanctitas, ac ſalus pen„ det. " Itaque cum Scripturæ oracula, cum Eccleſiæ, quæ *eſt columna, & firmamentum veritatis* Tim. 1. 3. ſenſa verſatilem probabilitatem perſpicue improbent, nemo, qui pio, docilique animo ſit, probare eam poteſt. Quid enim adverſarios infinitis cavillis rem involvere conantes audiamus, cum ſacra Scriptura, & Eccleſia aperte loquitur? Segnerius quidem his involucris deceptus in litt. de op. prob. litt. 3. clamat: Lex dubia non eſt lex: at cum æqualia hinc inde momenta animo ſeſe offerunt, lex dubia eſt: ergo non eſt lex. Reſp. Lex quidem dubia non eſt lex certa; at quia lex dubia eſt, ſi illam negligimus, periculo violandi legem noſmet objicimus, ideoque peccamus. Quid hic pluribus opus eſt? *Lex*, juxta Iſidorum, (lib. 5. etym. c. 21.) ait Segnerius, *erit manifeſta*.

Reſp. D. Iſidorus nec naturali, nec divinæ legi conditiones præſcribit, ſed legi poſitivæ humanæ, quæ, ut vim obligandi habeat, imprimis ex D. Iſidoro loc. cit. neceſſe eſt ut naturali, divinæque legi congruat; qua de re conſuli poteſt D. Th. 1. 2. q. 95. a. 3. Lex porro humana *manifeſta* eſſe debet, ne, inquit S. Iſidorus, *aliquid per obſcuritatem in captione contineat*, hoc eſt ne obſcuris formulis ſubditos decipiat. Hoc vero S. Doct. poſtulat *ad cavendum nocumentum, quod ex ipſa lege poſſet provenire*, ut ait S. Th. 1. 2. q. 95. a. 3. non ut lex vim legis habeat. Si lex, quia obſcura eſt, vim legis non haberet, nocere non poſſet: quia quod non eſt, nec prodeſſe, nec nocere poteſt. *Non entis nullæ ſunt proprietates*. Lex ambigua, & obſcura adeo non eſt nulla, ut interpretatione indigeat vel a conſuetudine, quæ idcirco optima legum interpres dicitur, vel a Doctoribus, juriſque peritis, vel ab ipſo Legislatore, aut Succeſſore, quæ authentica, & certa eſt, deſumenda. Certum ergo eſt, legem obſcuram, & dubiam, valere, vique legis pollere.

Segnerius ergo ex duplici capite errat. Primo, quod D. Iſidori dictum omni legi ſine exceptione accommodet, cum tamen D. Iſidorus de ſola humana lege loquatur. Secundo, quod velit, leges obſcuras ex D. Iſidori auctoritate nullas eſſe, quod ab ejus mente longe alienum eſt. Segnerium eloquentia, & pietate celeberrimum attuli, ut lector intelligat, hac in re unumquemque decipi poſſe argutiſſimis verſatilium opinatorum fallaciis, niſi divina oracula, & Eccleſiæ ſenſa pia attentione meditetur; aut ſaltem niſi ſolido, acutoque ingenio præditus ſis, & in ſcholaſticis cavillationibus dignoſcendis verſatus; cujuſmodi non erat Segnerius, ut ex epiſtola Cardinalis de Aguirre ad Hiſpaniæ Regem liquet, quam affert Euſebius Eraniſtes t. 2. obſerv. in fine, & in calce t. 6. epiſt.

Cæterum cavillatoria ratio e Segnerio deſumpta, & ab eo tractata ex præcipuis eſt, quas probabiliſtæ verſat; ex qua intelligi poteſt, quid de aliis ſentiendum ſit. Qui aliarum Terilli, Segnerii, La-Croixii argutationum ſolutionem cupit, Concinam adeat tum in Hiſt. prob., tum t. 2. App.

Verum quia P. Zach. in nuperrima La-Croixii editione, a qua abſtinere ſanius conſilium fuiſſet, Concinam immerito carpere conatur, Zachariæ criminationes audire, & perpendere, non erit forte inutile, nec eruditis lectoribus moleſtum.

P. Concina t. 2. App. p. 640. c. 4. num. 4. inquit. „ Quod num. 273. reponit (La-Croix,) dominium, „ & poſſeſſionem libertatis a Deo nobis datam, certam eſſe; atque adeo non impedit, quamdiu pru„ denter judicamus, actionem talem permitti a Deo, „ vitioſa petitio principii eſt. Cur prudenter judicas, „ hanc actionem (cum incerta lex eſt) a Deo per„ miſſam tibi eſſe? Quia libertas tua poſſidet. Ecqur „ libertas poſſidet contra Deum? Quia prudenter ju„ dicas, actionem talem permitti a Deo. Hic eſt pro„ babiliſticus circulus. " Hactenus Concina. Quid Zacharia? Zacharia textum detruncatum extra locum, ut incautis fucum faciat, hoc eſt n. 272. afferens, ore rotundo inquit. *Nego. Ratio enim, cur libertas ſit in poſſeſſione, non ea eſt, quam ſibi fingit Chriſtianus Theologus* (Concina,) *ſed hæc, quia lex non eſt ſufficienter promulgata, vel applicata*. Reſp. Chriſtianus Theologus La-Croixii rationem ſibi non fingit, cur libertas ſit in poſſeſſione, ſed eam ipſam affert, quam habet La-Croix in verbis ab eo deſumptis, & a me mox citatis, quæ Zacharia mutila attulit.

Quamquam etiamſi libertatis dominium in ſuos actus ex inſufficienti legis promulgatione, ſeu applicatione petatur, perinde eſt. Nam quia lex, quamdiu incerta eſt, inſufficienter promulgata ponitur, actionem eſſe a Deo permiſſam probabiles opinatores colligunt. Itaque proxima ratio dominii libertatis in ſuos actus, eſt Dei permiſſio, ratio remota eſt inſufficiens, ut ponunt, legis promulgatio. Dixi, ut ponunt. Nam quod Deus legem velit, & ferat, & quod eam nolit (nam ſi velit, certe poteſt) ſufficienter promulgare, infinitæ ejus ſapientiæ, & bonitati aperte repugnat. Qui ita loquuntur, Deum cavillatorem faciunt, perinde ac ſi ſua lege homines velit, ac nolit obligare, nobiſque per obſcuras ambages illudat. Ratio, cur divina lex, ſeu naturalis, ſeu poſitiva, incerta nobis quandoque ſit, ea non eſt, quod inſufficienter fuerit promulgata, ſed quia mens noſtra ex noſtrarum culparum, ac præſertim primi peccati reatu, denſis tenebris, quas corruptæ doctrinæ denſiores efficiunt, tradita fuerit. Quare cum lex obſcura nobis eſt, ejus vis non eſt neganda, aut cavillis eludenda, ſed cum regio Pſalte orandum: *Deus meus, illumina tenebras meas*, Pſ. 17. *Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte*, Pſ. 12. His tenebris generale remedium attulit clementiſſimus Deus, cum menti noſtræ eam legem, quam recentes opinatores audire nolunt, impreſſit, ut in dubiis tutiora ſequamur; quam legem inculcat, cum Eccl. 3. inquit: *Qui amat periculum, peribit in illo*, & cum Prov. 14. ait: *Sapiens timet, & declinat a malo; ſtultus tranſilit, & confidit*.

At probabiles opinatores divina oracula aut non conſulunt,

Digitized by Google

ſolunt, aut eludunt; legem obligandi vi præditam eſſe nolunt, niſi nobis evidens ſit, & certa. „ Sed hæc certitudo (inquit Concina App. t. 2. p. 641.) difficile haberi poteſt. Vix reperitur lex, de cujus obligatione Juniores acuti non diſputent. Ergo vix eſt lex, cui plane ſis ſubjectus. Quis Paganorum tam monſtroſam Ethicen docuit unquam? "

Hic Zacharia effervescentem animum continere non poteſt. Itaque his verbis p. 106. n. 281. reſpondet. *Valeat cum Paganis Concina. Nego antecedens falſiſſimum, & ad invidiam Catholicis Theologis conflandam ex Paganorum Ethice compoſitum. Utinam Chriſtiani, utinam Religioſi omnes legi ut illis plene ſubjecti eſſent, de quarum obligatione Juniores acuti non diſputant.*

Utinam enim vero; at hoc certe ſatis non eſt, ut in tuto ſint; imo certum eſt, eos Chriſtianos, & Religioſos eſſe perituros, qui nullam ex iis legibus, de quibus apud Juniores controverſia eſt, ad praxim revocant; cujus rei luculentum teſtimonium vel ex hoc meo qualicumque opere eruitur. Cæterum valeat ſane Concina; &, ut valde ſperare juvat, & debemus, jam valet ille in cælis; quia recte vixit, recte ſcripſit, recte obiit. At cum eo Pagani valere non poſſunt. Porro Concinianum antecedens, quod magis animoſe, quam caute falſiſſimum Zach. appellat, evidenter certum eſt iis omnibus, qui probabiles opinatores legunt; & ex ipſo Buſembao, & La-Croixio Zach. diſcere potuit, & reipſa didicit, ſi apertis oculis eos legit, ut legiſſe ponendum eſt.

Si Ethnicorum, ut Ariſtotelis, & Ciceronis, ethica opera cum caſuum arbitris conferantur, dubium non eſt, quin illi de moribus ſolidius diſputaverint, quam multi ex iſtis. Quod ſi Paganorum aliqui Ethicen, de qua hic agitur, unquam docuerunt, Zach. eorum textus pro ſua eruditione afferre potuit, ac debuit, non contumeliis, quæ honeſto quocumque homine, maxime vero erudito, & religioſo indignæ ſunt, rem agere.

At recentes opinatores inveniendæ veritatis laborem, quem Ethnici Philoſophi alacri animo ſuſceperunt, veluti intolerabilem refugiunt. In eo deludunt, ut probabilitatem, hoc eſt veritatis umbram, inſtar canis Æſopi conſectentur; eoque deteriores, illa contenti ſunt. Sed Zach. hic iterum Concinam carpit.

Concina App. cit. p. 643. n. 12. inquit. „ Animadverte, quam feſtivi ſint Probabiliſtæ. Sermo eſt nunc, utrum, quando occurrunt duæ opiniones, quarum una ſit minus, altera magis probabilis, debeat eligi probabilior. Quid ergo obtrudunt difficultatem inveniendæ probabilioris ſententiæ? " Subdit Zach. p. 107. n. 293. *Ergo infeſtus Probabilioriſta non intelligit, quod intelligit feſtivus Probabiliſta.* Cur non intelligit? Quia, inquit Zach., *ſermo eſt quidem, aiunt, quando occurrunt duæ opiniones, quarum una ſit minus, altera magis probabilis, debeat eligi probabilior; ſed antequam in praxi ſequaris probabiliorem, neceſſe eſt ut noſcas, quænam probabilior ſit, quænam minus probabilis.* Zach. aut non intelligit, aut non vult intelligere Concinam. Dum Concina ait, *Quando occurrunt*, hoc eſt cum notæ ſunt &c. non ſolum notas ponit propoſitiones inæqualis probabilitatis, ſed earum quoque inæqualitatem. Loquitur ſenſu, ut Logici ajunt, reduplicativo, non ſpecificativo. Hinc ſtatim ſubdit. „ Concedunt ne nobis ſequendam probabiliorem eſſe, dum hæc menti occurrit? Si ajunt, cauſa dejecti ſunt. Nec enim occurrere menti poteſt minus, quin occurrat magis probabilis. " At Zacharias mutilum textum affert, & ſenſum pervertit, ut carpendi anſam arripiat.

Inſtare pergit Zach. num. cit. & neceſſitatem ſectandi in controverſiis probabiliora a ſanis Theologis juxta Scripturæ, & Eccleſiæ ſenſum propugnatam in invidiam adducere conatur.

Quia vero Concinæ, aperti erroris redarguenti Terillum a La-Croixio laudatum, dicere auſum, *Janſeniſmum eſſe matrem ſententiæ probabilitatis*, repugnare non poteſt, ita inquit. *Duo tamen certa ſunt, atque explorata: alterum, Janſenianos omnes probabilioriſmo adhæſiſſe; alterum, eoſdem Probabiliſtis bellum acerrimum indixiſſe, nullumque non moviſſe lapidem, ut eorum nomen invidioſe criminarentur. Quare Terilli, & La-Croixii ſententia probe intellecta, eoque ſenſu, ut Janſeniſmus Probabilioriſtarum ſyſtema maxime foviſſe, cumque illo longe conjunctiſſimus dicatur, a vero minime abeſt.*

Reſp. An hæretici homines in omni ſenſu, & doctrina hæretici ſunt? An nihil unquam recti, & ſani dicunt? An Janſeniani, quia Janſeniani ſunt, in aliquas corruptas doctrinas invehi non poſſunt? Nos Catholici eorum hæreſes damnamus, & execramur. An idcirco ſaniores doctrinas delerere debemus, quia Janſeniani eas amplectuntur, & fovent? Sophiſma certum illud eſt, quo a ſenſu, ut Logici ajunt, ſpecificativo ad reduplicativum tranſitus fit: dum Zach. colligit *a Janſeniſmo foveri Probabilioriſmum*, quia Janſeniſtæ *Probabilioriſmum* foverunt, a ſenſu ſpecificativo a *Janſeniſtis* ad reduplicativum *ad Janſeniſmum* aperte tranſit: ergo in apertum ſophiſma prolabitur. Hic eſt ille optimus Logicus, qui Concinam peſſimum Logicum appellat. Quamquam ipſa verſatilis probabilitas Janſeniſmo affinis merito dici poteſt, non ſolum quia ipſa quoque quoad aliquas ſui partes a ſupremo Eccleſiæ capite explicate damnata eſt, ut ex propoſitionibus 1. 2. 3. 4. ab Innoc. XI. proſcriptis liquet; non ſolum quia, ſicut a Janſeniſmo, veluti corrupto fonte, plurimi peſtiferi rivuli a Clem. XI. conſt. *Unigenitus* damnati manarunt, ita ex verſatili probabilitate multi errores profecti ſunt, quos Alex. VII. & Innoc. XI. proſcriplere; ſed etiam quia eadem probabilitas univerſe, eſt implicite proſcripta, ut invicte oſtendit Concina Hiſt. prob. t. 2. p. 186. c. 9. & p. 201. c. 10. item t. 2. App. p. 499. c. 7. cujus argumentationes Zacharias attingere non audet.

Præterea ſolemni explicitæ damnationi proxima fuit ſub Alex. VII. ut docet *il Prete Ballerini* ſolida eruditione, & doctrina celeberrimus, nec ſine reverentia nominandus, cujus verba infra citanda ipſe Zacharias p. 109. n. 323. ex opere inedito additis manibus minus refert, & rata eſſe vult. Et ſane Alexandrum VII. ad ſolemnem probabilitatis damnationem fuiſſe paratum, & proximum, ſatis oſtendit ejus prologus ad prop. a ſe damnatas non ſemel recitatus.

Adde, quod præcipua probabilitatis doctrina eſt, multa Dei præcepta ſupra hominum captum eſſe polita; ideoque facto impoſſibilia; quia quæ cognoſci non poſſunt, fieri nequeunt. Hæc porro doctrina primo Janſenii errori, *Aliqua Dei præcepta juſtis volentibus, & conantibus ſecundum præſentes, quas habent vires, ſunt impoſſibilia: deeſt quoque illis gratia, qua poſſibilia fiant*: hæc, inquam, doctrina huic errori affinis eſt, imo eadem cum ipſo, ab eo ſolum diſcrepans, quod Janſenianus error præceptorum impoſſibilitatem ex gratiæ defectu explicate, verſatilis doctrina ex ejuſdem gratiæ deficientia tacite, & implicite deſumat. Defectus enim cognitionis, unde præcepta impoſſibilia fiunt, gratiæ lumine juxta probabiles opinatores non ſuppletur. Hanc rationem explicate evolvit Concina Hiſt. prob. t. 1. p. 171. quam Zacharias ſilentio premit, ut multitudini fucum faciat, & apud peritos, qui Concinam legerint, Concinianæ argumentationis pondere ſe victum fateatur.

Sed ad alia tranſeamus. P. Concina App. t. 2. p. 643. n. 16. ita loquitur. „ P. La-Croix n. 296. docet, ad nos non ſpectare tollere leges certas & evidentes, bene vero leges probabiliter dubias. Quapropter, infert Concina, deleatur de ſacra Scriptura lex divina præcipiens, conſulendos Judices in controverſiis; de medio tollantur tribunalia quoque. Tribunalia quippe, & Judices potiſſimum ſuper legibus in controverſias vocatis ſententias dicunt. Leges enim certæ, & evidentes non deferuntur ad Tribunalia. " Ratiocinatio legitima eſt; at P. Zachariæ valde diſplicet, qui propterea inquit: *Quid hæc ad rem? Agimus, mi bone, de foro conſcientiæ, in quo ad id unum obligamur, ad quærendum nempe in dubiis a peritis Viris, animarumque Judicibus quid practice probabile ſit. Hoccine eſt de medio tollere tribunalia?*

At ſi forum conſcientiæ juxta verſatiles opinatores, leges probabiliter dubias de medio tollit, fori externi Judices aut forum conſcientiæ a verſatilibus opinatoribus erectum contemnere, & pro nihilo habere debent, aut de medio tollendi ſunt. Argumentatio Concinæ, fundamenti certi, & inconcuſſi loco ponit, Judices externi fori juxta rectæ conſcientiæ forum ſe gerere debere: ergo ſi illud conſcientiæ forum, quod leges dubias de medio tollit, rectum eſt, Judices externi fori, qui de legibus dubiis judicant, ſunt ſupervacanei, ideoque de medio tollendi. Hæc eſt Concinæ argumentatio, in qua utrum ipſe bonus ſit, an Zacharias in ejus criminatione, lectores judicent.

Concina p. cit. n. 17. inquit. „ Quæ ſcribit (La-Croix) n. 297. digna ſunt tua curioſitate. Docet, homines propenſiores eſſe ad aggravandas, augendaſque, quam ad diminuendas leges. Repugnat hoc, inquis, & communi ſenſui, & perpetuæ experientiæ. Sed lege ejus ſequentia verba. *Ex adverſa* (verba La-Croixii) *præſumendum eſt, quod Deus permittat, ut ipſa* (natura humana) *invincibiliter ſibi imponat plures leges, quam reipſa ſint, ut ita ipſa ſibi ſuum onus aggravet.* (En invictum argumentum.) *Et ſic legimus, quod ab initio Eccleſiæ plus ſuit erratum per adjectionem, quam per ſubtractionem legum. Nam multi adhuc volebant ſervare legem Moſaicam.*

Hanc La-Croixii doctrinam aperte falſam, & ridiculam Concina n. 18. mactatur. At quid Zacharia? *Nihil,*

bil, inquit, *hac doctrina manifeſtius. Non enim negat Auctor* (La-Croix) *ſauciatam naturam potius ad malum, laxitatemque de ſe propendere, quam ad bonum, & rigorem. Hoc ait, permittere Deum in pœnam peccati, ut ipſa ſibi natura invincibiliter plures leges imponat, quam reipſa ſint, ut ita ſuum onus aggravet; quæ duo maxime diverſa ſunt.*

Quid agas cum homine, qui doctrinam ſenſui communi, & perpetuæ experientiæ evidenter repugnantem, maniſeſtiſſime veram appellare audet? An Zacharia ſuam quoque vocem ignorat? Quid eſt, naturam ſauciatam potius ad malum, quam ad bonum propendere? potius propendere ad violandam, quam ad ſervandam legem. Quid eſt, potius propendere ad laxandas potius leges, & minuendas, quam ad eas augendas, & aggravandas? Zacharia cum ſuo La-Croix ſatetur, quod inficiari nemo poteſt, naturam ſauciatam potius ad malum, & laxitatem de ſe propendere, quam ad bonum, & rigorem: ergo ſatetor, naturam ſauciatam potius propendere ad violandas, laxandas, minuendas leges, quam ad eas ſervandas, augendas, aggravandas. Laxare legum onus, illudque aggravare, non ſunt maxime diverſa, ut Zach. falſo ait; ſed contraria, quæ conciliari mutuo fœdere, ut ipſe conciliat, nulla ratione poſſunt.

Relicto hic tantiſper Zacharia, ut ſua dicta ſerius perpendat, in medium veniat La-Croix, qui p.108. n.306. ita ſcribit. „ Una præmiſſarum, ex quibus deducitur
„ ultimum dictamen conſcientiæ, debet habere pro ob-
„ jecto opinionem probabilem, ſecundum quam aliquis
„ vult operari, non tamen debet affirmare veritatem
„ illius opinionis probabilis; ſic enim & ipſa eſſet tan-
„ tum probabilis; ſed tantum debet affirmare illius exi-
„ ſtentiam ſaltem objectivam, ideſt debet dicere, non
„ quod illa ſit vera, ſed quod ſit probabilis, & exiſtat,
„ aut exiſtere poſſit in intellectu alicujus viri pruden-
„ tis, & periti. “

Implexa, & involuta hæc La-Croixii verba, quam ſophiſtica, ſecumque pugnantia ſint, vix dici poteſt. Juxta La-Croixium *una præmiſſarum &c. debet habere pro objecto opinionem probabilem &c., non tamen debet affirmare veritatem illius opinionis probabilis*, ſeu illius probabilitatis: ergo debet oculos claudere, & negare, aut ſuſpendere aſſenſum. Ergo opinio probabilis, ſecundum quam aliquis vult operari, perinde eſt, ac ſi non eſſet. Ita ne vero? Cur non debet affirmare veritatem illius opinionis probabilis? Quia, inquit, *& ipſa eſſet tantum probabilis*. At ſi reipſa opinio eſt tantum probabilis, cur vis, La-Croixi, eam non eſſe tantum probabilem? Vis ergo rerum naturam, rationum, & auctoritatum vim ex arbitrio mutare; vis contradictoria conciliare. *Tantum debet*, inquit, *affirmare &c. hoc eſt debet dicere, non quod illa ſit vera, ſed quod ſit probabilis.*

Supra dixerat, non eſſe affirmandam *veritatem illius opinionis probabilis*; nunc vero ait, aſſa affirmandam, *debet dicere quod ſit probabilis*. Habes ne, La-Croixi, his ſimilia, aut pejora, quæ dicas? *Et exiſtat*, inquit, *aut ſaltem exiſtere poſſit in intellectu alicujus viri prudentis, & periti*. Quid ſibi vult hæc additio? Eo ne ſpectat, ut ea opinio probabilis habenda ſit, quam vir peritus, & prudens talem putat, aut etiam putare poſſit? Hoc vero ipſe La-Croix num. 136. ſupra improbavit, ubi ne multorum quidem peritorum auctoritate opinionem fieri probabilem docuit. Hoc damnatum eſt ab Alex. VII. prop. 27. imo ipſa proſcripta propoſitione damnabilius. Huc demum deveniunt, qui deploratam cauſam tueri volunt.

At Concina p. 645. n. 20. de his La-Croixianis ambagibus illud unum admirando ait. „ Audiſtin? Non de-
„ bes curare, quod opinio ſit vera. De veritate nil ti-
„ bi curandum. Illuc tendant ſtudia tua, ut ſcias, talem
„ opinionem exiſtere, vel ſaltem potuiſſe exiſtere in
„ mente viri prudentis, puta Dianæ, Caramuelis, Tam-
„ burini, Moyæ, Eſcobaris &c. ”

Eſt ne aliquid hic reprehendendum? Maxime, inquit Zach. ita loquens. *Nec iſta pudeat Theologum objicere? Oſtendit La Croix n. 305. ultimum dictamen* (conſcientiæ) *deduci debere a duabus omnino certis præmiſſis. Porro cum veritas opinionis probabilis ſit tantum probabilis, ait, hanc in præmiſſis non debere affirmari; alias præmiſſa non eſſet certa, ſed ſolum probabilis, ſicut ſolum probabilis eſt ipſa veritas. Ergo curandum non eſt, quod opinio ſit vera? Ergo de veritate nil curandum? Quæ iſthæc conſecutio? Seu potius quam ob rem?*

Concina in ſua animadverſione non infert, conſecutionem non colligit, ſed refert tantum, juxta La-Croixium de veritate non eſſe curandum; quod dictum ut admiratione dignum lectori conſiderandum objicit. Et quia ipſe Zacharia intelligit, hujuſmodi dictum in Theologia præſertim eſſe admirabile, illud a ſuo La-Croixio abjudicare ambiguis locutionibus conatur. La-Croix, & Zacharia ſollicitı quidem ſunt de veritate probabilitatis; at hæc veritas non eſt veri nominis veritas, ſed veritas fucata; quia opinio vere probabilis æque falſa, ac vera eſſe poteſt; ideoque Concina vere dixit, a La-Croixio veritatem negligi, quia ſolam probabilitatem quærit, & affirmat, ſimulque, ut adverti, eam ſibi contradicendo negat.

Inter multos Soc. Jeſu Theologos verſatilis probabilitatis adverſarios Concina Hiſt. prob. t. 5 p. 479. n. 4. numerat primo loco tres doctiſſimos Card. Bellarminum, Toletum, Pallavicinum, tum ſubdit. „ Dell'altro cele-
„ bre Card. Pallavicini abbiamo documenti irrefragabili,
„ autenticati da teſtimonj ad ogni eccezione ſuperiori,
„ quali ſono il P. Niccolò Pallavicino Nip. del med. Eli-
„ zalde, Tirſo Gonzalez, e Camargo, che tutti d'ac-
„ cordo atteſtano, che il gran Card. ſugli ultimi anni
„ ritrattò il Probabiliſmo, ed elortò l'Elizalde qual in-
„ ſigne Teologo a confutarlo. Sentiamo la riſpoſta del
„ Pad. La-Croix. ” *Quoad Pallavicinum ſatis eſt, quod benignam ſententiam certo tenuerit, quam an retractaverit, certo non conſtat.* „ La gran flemma, che ci vuole
„ per tollerare ſimili riſpoſte. Tirſo Gonzalez Gener. del-
„ la Compagnia, il Nipote del Cardinale con pubblica
„ ſcrittura, l'Elizalde contemporaneo, il Camargo colle
„ ſtampe atteſtano una tale ritrattazione, ed il P. La-
„ Croix ſcrive, che della medeſima non conſta? At Zacharia vult (p. 109. n. 323.) nos hic audire verba operis inediti, quæ ad rem noſtram, ne longum faciam, hæc ſunt. *Io sfido il P. Storico* (ſuis ictibus ad duellum provocat) *a ſciormi queſto argomento. Egli attribuiſce la ritrattazione del Cardinale al decreto di Aleſſ. VII. che deſtò* (ſon ſue parole p. 51. hiſt. t. 1.) *come da un profondo ſonno i più ſapienti Probabiliſti di quel tempo. Ma ſe altri furono da queſto ſonno deſti, non lo fu certamente, nè potè eſſerlo il Card. Pallavicini. Perchè? Aſcolti lo Storico &c. Dice dunque così il Prete* (Ballerini) &c., Egli
„ (Aleſſ. VII.) era in punto di troncarla a fondo (*in-*
„ *tende il Probabiliſmo radice infetta di rilaſſate propoſi-*
„ *zioni*) con una diſtinta coſtituzione; e fatto l'avreb-
„ be, ſe il Card. Sforza Pallavicini... non ne lo eveſ-
„ ſe diſtolto con queſta ragione, che tal punto eſigeva
„ un eſame più maturo, e ſe non l'aveſſe (*notiſi bene*)
„ conſigliato a condannare frattanto altre propoſizioni
„ rilaſſative, come ſi fece. ” *Chieggo ora, come mai il decreto di Aleſſandro poteſſe muovere il Pallavicino a ritrattarſi, ſe queſti fu Autore del decreto, ed appunto a motivo, che il Papa, come* (*da ciò, che ſi pretende*) *avrebbe voluto, non condannaſſe il Probabiliſmo?* Reſpond. Hæc ſane minuta ſunt. Sive enim Pallavicinus ex vi decreti Alex. VII. ſe retractaverit, ſive aliis rationibus ductus, perinde quoad rem noſtram eſt. Sed illum ad revocationem ab Alex. VII. decreto inductum fuiſſe, valde veriſimile eſt; quia licet Alex. verſatilem probabilitatem ſolemni forma non proſcripſerit, qua in re Pallavicini conſilium ſecutus eſt; illam tamen ab evangelica ſimplicitate, ſanctorumque Patrum doctrina omnino alienam, ingentiſque corruptelæ fontem appellavit; quod perinde eſt, ſi ſummi Paſtoris vocem audire volumus, ac ſi eam damnaverit. Hoc ne efficax & Pallavicino, & cuicumque illud decretum docili, humilique animo legenti excitamentum non eſt ad probabilitatem abjurandam?

Lege ſaltem, Zacharia, decretum Innoc. XI. die 8. Julii 1680. tuaſque conſtitutiones. At, inquit Zacharia p. 110. n. 324. *Qui ex aliorum imperio quamquam tuentur opinionem... infirmior eſt ejuſmodi hominum auctoritas*. Quid ergo? ergo ut Scriptoris auctoritas integra, & firmior ſit, legitimi imperii jugum excutiendum eſt. Abs te quæro, Zach., utrum hæc illatio ſit legitima.

Enim vero ſanctæ morum veritates, non contentioſis diſputationibus, ſed animi docilitate, pia meditatione, fuſis ad Deum precibus comparantur. Sunt ne hæ Concinianæ *declamationes*?

La-Croix p. 115. n. 330. cum plures textus, ac præſertim illud Chriſti, *Ego ſum via, veritas, & vita*, præcipientes, ut veritatem inquiramus, ſibi objeciſſet, præter alias ineptas reſponſiones, in quibus refutandis tempus terere non juvat, ita inquit. „ Admittimus, inqui-
„ rendam eſſe veritatem, &, ſi inveniatur, operandum
„ eſſe ſecundum illam. Ubi autem inveniri non poteſt,
„ & pro utraque parte eſt probabilitas, nulla lex ve-
„ tat, operari ſecundum alterutram, quia in utraque
„ poteſt eſſe veritas. “

In utraque contradictionis parte poſſe eſſe veritatem, paradoxum eſt, inquit veriſſime Concina App. t.2. p.646. n.21. omnibus inauditum. At hic Zach. *Majus paradoxum videtur mihi, Theologiæ Chriſtianæ* (qui ſane titulus in omnes Theologias vere non cadit) *Auctorem in Logicorum principiis adeo peregrinum ſit oſtendere*, (hoc ne Zachariæ, qui Concinam peſſimum Logicum appellavit p. 73. n. 30. paradoxon maximum eſt?) *ut neſciat, non poſſe quidem veritatem eſſe in utraque contradictionis parte collective, ut ſimul utraque vera ſit; poſſe tamen eſſe disjunctive, quatenus ex duobus contradictoriis alteram eſſe veram, neceſſum eſt.*

Digitized by Google

Zacharia perinde loquitur, ac ſi latine non intelligat; nec tamen ipſum ad Grammaticos mitto, ſed pono, eum aut oſcitanter legiſſe La-Croixium, aut intelligere noluiſſe. Nam cum La-Croix dicat *in utraque*, ſenſu collectivo determinate loquitur, non disjunctivo, non indifferenti, ſeu communi, qui tum disjunctive, tum collective accipi poſſit, ac vernacule idem eſt, ac *nell'una, e l'altra parte*. Et hunc ſenſum ipſe La-Croixii contextus poſtulat: colligit enim, nos veritatis inquirendæ lege non impediri, quominus alterutram probabilium opinionum ſequamur, quia in utraque poteſt eſſe veritas. *Poſſe tamen &c.*

Si neceſſum eſt, alterutram contradictoriam eſſe veram, uti revera eſt neceſſe, inepte, & contradictorie Zacharia dicit *poſſe* &c. Sed hic, ut ſuum La-Croixium tueatur, & Concinam carpat, ſuis dictionibus chaos facere non dubitat.

Cæterum omiſſo inaudito paradoxo, quo La-Croix ſuam aſſertionem firmare ſe putat, ipſa aſſertio, qua ait, nullam legem vetare, quominus, cum veritas inveniri non poteſt, & pro utraque parte eſt probabilitas, ſecundum alterutram operemur, aperte falſa eſt. Id ſcilicet vetat lex naturalis, divina, canonica. Lex enim naturalis vetat, ne temere, cæcoque impetu operemur: at cum veritas inventa non eſt, nec inveniri poteſt, temere, cæcoque impetu operatur quicumque operatur, etiamſi probabilitatem ſequatur, contraria æquali, aut majori probabilitate impugnatam; quia probabilitas, quam ſequitur, cum contraria probabilitate elidatur, perinde eſt, ac ſi nihil luminis, & rationis præſto eſſet. Id vetat lex divina, ut ex Scripturæ oraculis hujus quæſtionis initio allatis liquet. Id liquet ex ipſo textu Joann. 14. ubi Chriſtus ait: *Ego ſum via, veritas, & vita*. Hinc enim ſequitur, eum qui veritatem non invenerit, Chriſtum non inveniſſe. Qui autem Chriſto non invento operatur, neceſſe eſt ut per abrupta gradiatur. Id demum vetat lex canonica; nam Eugenius Papa cap. *Juvenis* de ſponſalibus inquit: *In his, quæ dubia ſunt, quod certius exiſtimamus, tenere debemus*. Ait, *debemus*; lex eſt, non conſilium.

Sed ego tam inſignium cavillationum pertæſus, eam veniam peto, ne P. Zachariæ, meiſque lectoribus prolixiorem moleſtiam quoad rem, de qua in præſenti agimus, afferam. Illud enim certum eſt, nonniſi cavillis eripiendi poſſe, quod Scripturæ oracula, & Eccleſiæ ſenſus improbant.

Hanc tertiam animadverſionem, non uno in loco P. Zach. carpit.

P. 7. dixi: *Adde, quod, cum Buſ. ait* &c. uſque ad illud, *quocumque ſe ſubtiles opinatores vertant* &c. *contra propriam ſequitur*.

p. cxII. Quid Zach.? „ Utinam, inquit, ab opinatoribus, „ quos carpis, mutuam ſaltem ſubtilitatem accepiſſes, „ Franzoja. Didiciſſes enim vero, primo, hanc tuam „ argumentationem vel ipſis Probabilioriſtis eſſe ſolventam, qui docent, probabiliorem opinionem, etſi „ minus tutam, ſeu minus legi faventem poſſe me amplecti. Fac enim, me probabilioribus illam niti argumentis fateri, falſam tamen judicare; an id „ ἀδύνατον? "

Reſp. Maxime ἀδύνατον. Qui enim opinionem probabilioribus argumentis nixam fatetur, niſi mendaciter loquatur, eam veriorem judicat: qui eam veriorem judicat, falſam judicare non poteſt. Nam qui falſam judicat, non veriorem judicat: judicare autem opinionem veriorem, & non veriorem, eſt contradictorium, hoc eſt impoſſibile. Ergo tua hypoteſis eſt evidens ἀδύνατον. Tu tamen, mi Zach., adeo ſubtilis es, ut de his evidentibus lites moveas.

Zach. „ Didiciſſes, una diſtinctione iſta refelli, qua „ concedatur, quod non eſt ex fide vel directa, vel „ ſaltem reflexa, peccatum eſſe: negetur, eſſe peccatum, quod non eſt ex fide directa. "

Reſp. Addendum ſaltem pro tua, mi Zach., ſubtilitate hic erat, „ dum ſit juxta fidem reflexam. " Sed hæc tua diſtinctio apud tuos ſubtiles opinatores, a quibus me hic diſcere vis, ſed non poſſum, vulgatiſſima, nihil paucis dicit, niſi quod tuus La-Croix a me refutatus fuſius perſecutus eſt. Reflexa fides, ſeu reflexum judicium, quo falſam judicem opinionem, quam alio judicio probabiliorem, ſeu veriorem judico, portentum eſt, ut mox oſtendi, impoſſibile.

Undenam, mi Zach., didiciſti, Apoſtoli oraculum a me citatum de fide directa eſſe intelligendum, non de fide reflexa directæ fidei contraria? Ex quo alio Scripturæ textu? Ex quo Patre, vel Eccleſiæ Doctore? Ex quibus interpretibus? Videlicet Apoſtolum tuis ſophiſticis opinatoribus accommodas, non te illi. Hic ſe prodit *modus opinandi alienus omnino ab evangelica ſimplicitate*, ut eum vocat Alex. VII.

P. 8. col. 1. ſcripſi: *Sed demum hic quæritur, utrum excepto ſacramentorum valore* uſque ad illam concluſionem: *Ergo Deus juxta ipſam nos non dirigit* &c.

In hæc Zach. ita loquitur. „ Hæc deſcribenda cenſui. Tu interim vide, quid reſpondendum ſit, ſi „ quis majorem probabilitatem, rectam agendi regulam non eſſe, ita efficiat. Si enim explicata (major) probabilitas, recta regula eſſet, juxta ipſam „ Chriſtus nos eſſet judicaturus: at Chriſtus non eſt „ judicaturus juxta explicatam probabilitatem. Explicata enim (major) probabilitas non eſt veritas, ſed „ ſæpe, aut etiam ſæpius eſt falſitas: Chriſtus vero „ nos judicabit juxta verbum ſuum, quod eſt ipſa veritas. " *Sermo*, ait ipſe Joan. 2. *quem locutus ſum vobis ipſe judicabit vos in noviſſimo die*. Hic vero alios a me recitatos Scripturæ textus exſcribit uſque ad illum Pſ. 118. *Viam veritatis elegi*. „ At certum eſt, „ majorem probabilitatem, non eſſe veritatem: ergo „ Deus juxta ipſam nos non dirigit, nec eam diligit, „ nec bonus Chriſtianus eam eligit. p. cxII.

„ Si forte ſecundis curis animadverſiones tuas recuderis, (quod tamen parum ſanum conſilium eſſet) „ quæſo te, argumentum hocce refelle; tum quid tibi „ reſpondendum ſit, tui adverſarii colligent. "

Reſp. Ecce me ſine hæſitatione tibi, mi Zach., morem gerentem. Tua argumentatio meam in me retorquet, & ab abſurdo petita, hujuſmodi eſt. Sacræ Scripturæ textus a me allati nimis probant, quia ſi quid probarent, non ſolum minorem, & æqualem, ſed etiam majorem probabilitatem everterent; quod eſt abſurdum: ergo nihil probant.

At hæc concluſio impia eſt: ergo aliquid probant: ergo cum abſurdum ſit, ita everti majorem probabilitatem, neceſſe eſt, ut minorem, & æqualem evertant.

Major probabilitas non eſt quidem ſemper ipſa veritas, at ut plurimum veritas eſt; quod in re morali ſatis eſt.

Præterea eſt ipſa veritas in animo probabilioris Theologi, qui toto animi conatu eam quærit; ita ut cum regio Pſalte Pſ. 118. dicere poſſit: *Viam veritatis elegi; da mihi intellectum, & ſcrutabor legem tuam, deduc me in ſemitam mandatorum tuorum, quia ipſam volui; doce me juſtificationes tuas*. Hinc in eum illud ejuſdem Pſ. 118. cadit: *Beati, qui ſcrutantur teſtimonia ejus*, ſi tamen & id addat, *in toto corde exquirunt eum*.

At probabilis opinator, hæc ex animo dicere non poteſt; quia Dei legem, & viam veritatis non ſcrutatur, & eligit, ſed miſeram legis, & veritatis umbram.

Quod ſi probabilior Theologus præter voluntatem, & rerum ordinem, verum alicubi non attingat; actio inde profecta, ut a me oſtenſum eſt, te, mi Zach., ac tuis, ut ais, probantibus, non eſt bona; at ne damnabilis quidem eſt, ſed ex invincibili ignorantia, ſi debita diligentia adhibita ſit, inculpabilis. Aliæ vero actiones reipſa bonæ ſunt, & præmio dignæ.

Contra vero verſatilis opinator in omni mala actione peccat, nec ex invincibili ignorantia excuſari poteſt; quia non ſolum debitam in vero inveſtigando diligentiam non adhibet, ſed prorſus nullam adhibet, imo ne verum quidem quærit. Ex quo fit, ut, niſi reſipiſcat, ſalvus eſſe nequeat.

Sed hic quæſo, dum ſcripſiſti, *major probabilitas ... ſæpe, aut etiam ſæpius eſt falſitas*, in mente ne majoris probabilitatis notionem habuiſti?

Nam illud *ſæpe, aut etiam ſæpius eſt falſitas*, de probabilitate quidem merito dicitur; quæ, ſi æqualis hinc inde ſit, *ſæpe*, hoc eſt plus minus toties falſa merito ponitur, quoties vera; ſi autem ſit minor, ſæpius falſa, quam vera jure cenſetur. At hoc idem de majori probabilitate ſerio affirmare, idem eſt, ac de induſtria deſipere; quod tu ipſe, mi Zach., ſi te collegeris, neceſſe eſt, ut confiteare.

Demum cur meæ argumentationi ex illis textibus poſtremo loco recitatis concinnatæ, *concupiſcite ergo ſermones meos* &c. *quærit deriſor* &c. non reſpondes?

Videlicet tua argumentio tum in impium abſurdum non agit, & meam corroborat, aperteque fallax eſt, tum eſt detruncata, & manca. Hæc eſt, mi Zach., tua argumentatio.

P. 8. col. 2. dixi: Alex. VII. illis verbis *modus opinandi irrepſit* &c. aliud indigitare non potuit, niſi verſatilem probabilitatem &c.

Innoc. XI. ejus ſucceſſor injunxit *Generali Societatis Jeſu* &c.

Quid ad hæc P. Zach.? „ Innocentii hocce decretum, p. cxxI.
„ inquit, fictitium eſſe, cum Gagna, tum Balla tam col. 2.
„ certis monumentis demonſtrarunt, ut cæcus ſit oporteat, qui illud obtrudere audeat. "

Reſp. hæc, mi Zach., glorioſe a te jactantur, non vere, nec ſolide.

Decre-

Digitized by Google

Decretum, prout a P. Concina t. 2. App. p. 382. refertur, ita habet.

Die XXVI. Junii 1680.

Facta relatione per Lauriam contentorum in litteris P. Tyrſi Gonzalez Soc. Jeſu, Sanctiſſ. Domino noſtro directis, Eminentiſſimi dixerunt, ſcribendum per Secretarium Nuncio Apoſtolico Hiſpaniarum, ut ſignificet dicto Patri Tyrſo, quod Sanctitas ſua benigne acceptis, & non ſine laude perlectis ejus litteris, mandavit, ut ipſe libere, & intrepide prædicet, doceat, & calamo defendat opinionem magis probabilem, nec non viriliter impugnet ſententiam aſſerentium, licitum eſſe ſequi opinionem minus probabilem in concurſu probabilioris ſic cognitæ & judicatæ, eumque P. Tyrſum certum faciat, quod quidquid in favorem opinionis magis probabilis egerit, & ſcripſerit, gratum erit Sanctitati ſuæ.

Injungendum pariter Generali Societatis Jeſu de ordine Sanctitatis ſuæ, ne ullo modo permittat Patribus Societatis ſcribere pro opinione minus probabili, & impugnare ſententiam aſſerentium, licitum NON ESSE *ſequi opinionem minus probabilem in concurſu magis probabilis ſic cognitæ, & judicatæ.*

Verum etiam relate ad omnes Univerſitates Societatis Jeſu, mentem Sanctitatis ſuæ eſſe, ut quilibet pro ſui libito libere ſcribat pro opinione magis probabili, & impugnet contrariam prædictam, eiſque jubeat, ut mandato Sanctitatis ſuæ omnino ſe ſubmittant.

Die VIII. Julii 1680.

Intimato prædicto ordine Sanctitatis ſuæ P. Generali Societatis Jeſu per R. P. D. aſſeſſorem, reſpondit, ſe in omnibus quantocitius pariturum; licet nec per ipſum, nec per ſuos Præceſſores fuerit unquam interdictum ſcribere pro opinione magis probabili, eamque docere. Poſtquam vero illud idem Concina retulit etiam t. 1. Hiſt. prob. in fine diſſ. 2. p. 568. ſubdit. „ Il decreto deſcritto è regiſtrato ne' libri autentici della medeſima „ ſacra Inquiſizione, ed è ſtato ſtampato più fiate; „ coſicchè dell' autenticità del medeſimo non può dubitarſene.

Hoc idem decretum iiſdem verbis conceptum habet quoque Cl. Petrus Ballarini, atque ſuum exemplar ex authenticis libris ſacræ generalis Inquiſitionis Romæ accuratiſſime fuiſſe depromptum, ut narrat Euſebius Eraniſtes t. 2. ep. Theol. mor. ep. 16. §. IV. n. XXXII. p. 311. Verum cum P. Gagna repugnaret, P. Concina. „ ha fatto riſcontrare di bel nuovo la ſua formola coi Regiſtri del Sant' Offizio di Roma, e ſi è „ trovata in tutto, a per tutto conforme ad eſſi, ed „ a quella del Sig. D. Pietro Ballarini colla particola „ non ec. Tanto atteſta il P. Concina nella ſua riſpoſta al P. Gagna non per anco ſtampata. “ Idem Euſeb. ibidem p. 312. n. XXXIII.

Diſcrimen inter decretum ſupra ſcriptum, & illud, quod P. Gagna exhibet ab exemplari ſui Romani Collegii ſumptum, in eo ſolum eſt, ut in hoc fatalis illa particula *non* deſideretur, quæ extat in verbis illis a me ex Concina, & Ballarini exſcriptis, *licitum* NON ESSE *ſequi opinionem minus probabilem* &c.

Nunc eſto: tale ſit exemplar Romani Collegii Soc., quale P. Gagna affirmat. An fides negari poteſt P. Concinæ, qui ſuam decreti formulam bis conferendam curavit cum authenticis libris Sacræ Romanæ Inquiſitionis, & Cl. Petro Ballarini, qui ſuam ex iiſdem libris accuratiſſime deſumptam teſtatur, duobus teſtibus fide pleniſſima digniſſimis?

Æqui Judices ſententiam hic ferant. An privatum monumentum cum publico tabulario Pontificia auctoritate munito conferri poteſt? An exemplar cum autographo? Nolo hic invidioſa promere, quæ alioquin obvia ſunt. Præterea, ſi particula NON deleatur, ſummi Pontificis decretum & confuſum eſt, & contraria continet. Nam nullo modo permiſſum vult *Patribus Societatis ſcribere pro opinione minus probabili*, expunctaque particula NON, iiſdem prohibet impugnare ſententiam opinioni minus probabili repugnantium; quæ confuſe dicta ſilentium Patribus Societatis quoad probabilitatem indicunt. Contra vero Patri Tyrſo mandat, ut pro probabiliori ſententia pugnet, amplamque facultatem aliis tribuit eam defendendi, & contrariam impugnandi; quæ ſunt aperte contraria. An ullam veriſimilitudinis ſpeciem habere poteſt Pontificium Decretum confuſum, & contraria continens?

Sed qui hac de re pleniſſime informari cupit, Euſebium Eraniſtem conſulat Theol. ep. t. 2. ep. 16. cit., maxime vero t. 6. ep. 45., unde hujus rei veritas, & P. Zachariæ jactabunda falſitas evidenter emicat.

Quoad Decretum Alex. VII. P. Zach. ait. „ *quis* „ *ſit modus opinandi*, ab Alex. notatus, docuerunt, „ Ghezzius, Gagna, Zach.; neque hactenus, qui illos „ refellerit, inventus eſt. “

Reſp. *opinandi modum*, de quo hic, eſſe ipſam verſatilem probabilitatem, tum in præfatione, tum etiam hic oſtendo; invicteque demonſtrat Euſebius Eraniſtes Obſerv. t. 2. ep. 9. §. 21. ubi etiam miſeras conjecturas, & cavillatorias ratiunculas Ghezzii, Gagnæ, Zachariæ ne reſponſione quidem dignas, ut Zachariæ gloriationem retunderet, funditus evertit. Eo, ne crambem recoquam, lectorem mitto.

Eadem p. 9. col. 1. ſcripſi. *Idem P. Zach. magnam lucem* &c. *At Concina, dum Hiſtoriam prob. ſcriberet, Artes* &c. *nondum ſe legiſſe teſtatur t. 1. p. 9. t. 2. p.* 601., tum addidi, *ſed hæc minuta ſunt.*

At vero P. Zach. de his minutis, veluti de aris, & focis ageretur, litem mihi intentat acerrimam, & fallaciis plenam.

Omiſſis inanibus ejus vocibus: „ quæſo tamen ſine, „ ut hiſtoriam probabiliſmi adeamus t. 11. (non 1., „ ut oſcitanter ſcripſiſti). p. 602. hæc ibi lego. “ *Copia di tutte le propoſizioni, che nella materia del digiuno contengonſi nel libro intitolato, Artes N. N. Le propoſizioni quivi regiſtrate ſpettanti al digiuno cominciano dalla pag.* 63., *e dal n.* 337. ... Ergo &c.

Reſp. P. Concina t. 1. pag. 9., ut accurate ſcripſi, ita habet. „ Debbo confeſſare la mia ignoranza di „ non avere giammai nè letto, nè veduto codeſto libro intitolato Artes N. N. item ſubdit: perlochè „ ſentendomi tacciato di Copiſta di un libro, che io „ non avea nè veduto, nè letto &c. “ p. 10. inquit: „ replico io bensì, che nè l' uno (artes jeſuiticæ), „ nè l' altro di queſti libri (artes N. N.) ho letto „ giammai in vita mia. “

P. Concina ter teſtatur, quod ego illum teſtatum fuiſſe, dixi t. 1. p. 9., idemque repetit t. 2. p. 601.

At Zach. inſtat: „ pergamus quæſo, *ſolamente in* „ *queſt' incontro l' ho rivoltato*, ait Concina. Non igitur Zach. Concinam, ſed tu Zachariam calumniatus es. “

R. Concina, dum Hiſtoriam ſcriberet, librum *artes* &c. legit, non ante. Utrumque verum. De primo nihil dixi, de altero vere, & ſincere ſcripſi. Sed de his tricis agere, & lectorem fruſtra fatigare me magnopere tædet. Quare nonnullas alias cavillatorias Zachariæ nugas contra illud, quod dixi p. 9. col. 2. *P. Concina t. 2. App. p. 640. c. 4. n. 4. inquit &c.* ut ibi, quæ doctrinam non attingunt, omittendas duxi.

P. 11. col. 2. cum P. Concina contra La-Croixium affirmavi, *in utraque contradictionis parte poſſe eſſe veritatem, paradoxum eſſe omnibus inauditum*; & Zachariæ cavillationem, qua ſuum Claudium tutari conabatur, refutavi. Nunc alteram promit. „ Hoc habeto, p. CXII. v.
„ fieri poſſe, ut qua determinate contradictionis parte col. 1.
„ veritas lateat, ignoremus; “ Reſp. recte; „ atque adeo, „ licet utrique contradictionis parti veritatem reapſe „ ineſſe, paradoxum ſit, “ Reſp. tandem fatetur, quod res eſt, „ quoad nos tamen utraque vera eſſe poſſit, “ Reſp. id eſt aperte falſum. Nam nonniſi ſtolidus utramque contradictionis partem veram affirmare poteſt, „ ideſt affirmate dicere nequeamus, in hac potius, „ quam illa contradictionis parte eſſe veritatem. “

Reſp. hoc in rebus ambiguis verum eſt; ſed non eſt explicatio illius, *quoad nos tamen utraque vera eſſe poſſit*, ſed aperta cum eo pugna. An La-Croixii defenſio hæc eſt? Hoc, Zach., Chaos eſt, & alterum tuum Chaos, dum primum tueri vis.

Animadverſio IV.

Buſemb. præſentem ſpeciem, & ſequentes reſolvit juxta verſatilem probabilitatem, cujus ſunt conſectaria. Cum ergo verſatilis probabilitas ex iis, quæ oſtenſa ſunt, recta agendi regula eſſe nequeat, contraria omnia, ac Buſemb. aſſerit, dicenda ſunt.

Enim vero qui Confeſſarium, aut alium virum doctum conſulit, ejus ſententiam exquirit. Dum ergo vir conſultus juxta aliorum ſenſum contra proprium conſulenti reſpondet, eum turpiter fallit. An illud quoque permiſſum eſt, ut eos, qui in nobis ſpem ponunt, turpiter, & per proditionem fallamus? Lege hic, ſi lubet, Nat. Alex. Theol. t. 2. p. 183. reg. 30.

Animadverſio V.

In hac ſpecie vir conſultus ſinceritate quidem utitur, ſed cum corrupta verſatili doctrina utatur, rectum conſilium præbere non poteſt. Si ipſe conſultus minorem probabilitatem ſequi non audet, ut Buſemb. ponit, eam periculoſam habet. Ergo dum eam conſulenti veluti tutam proponit, contra conſcientiam operatur. An minor probabilitas conſulto periculoſa eſt, conſulenti tuta? Confeſſarius conſulat hic Bened. XIV., cujus verba ſupra deſcripſi.

ANIMADVERSIO VI.

Cum deſcriptus pœnitens in errore, & animæ periculo verſetur, in quo perſeverare in animo habet, eſt abſolutione prorſus indignus. Confeſſarius, qui hujuſmodi pœnitentem abſolvit, peccat, tum quia abſolutione indignum abſolvit, tum quia contra propriam conſcientiam (falſam enim judicat pœnitentis ſententiam) operatur, tum demum quia ipſe, Judex cum ſit, juxta Rei contra ſuam ſententiam judicat.

Quis unquam putaſſet, reperiri Theologos affirmantes, Judicem in ſacro confeſſionis Tribunali non ſolum poſſe, ſed etiam debere judicare contra propriam, quam veram judicat, & juxta Rei ſententiam, quam falſam cenſet? An quod in nullo externi fori Tribunali licet, in ſacro interni fori Tribunali non ſolum licet, ſed etiam faciendum eſt; &, niſi id a Parocho, & proprio pœnitentis Confeſſario fiat, mortalis culpa admittitur? Ex hoc ſolo ſurculo, qualis ſit radix, intelligitur. Hic legi poteſt Nat. Alex. loco mox cit. reg. 29.

ANIMADVERSIO VII.

Hi homines a Buſembao deſcripti, majorem lucri, dignitatis, voluptatis curam habent, quam æternæ ſalutis: hi ſunt, quos Ap. ad Tim. 2. 4. deſcribit: *Erit enim tempus, cum ſanam doctrinam non ſuſtinebunt; ſed ad ſua deſideria coacervabunt ſibi magiſtros prurientes auribus.*

Hi ſibi legem, non ſe legi accommodare volunt, & periculum amant, & peribunt in illo. Audiamus D. Joannem Chryſoſtomum hom. 44. in cap. 23. Matth. *Si enim*, ait S. Vir, *veſtimenta empturus, gyras unum negotiatorem, & alterum, & ubi meliores veſtes inveneris, & pretio viliori, ab illo comparas; quomodo non oportet, populum circuire omnes Doctores, & inquirere, ubi ſincere veritas Chriſti venumdatur, & ubi corrupta, & omnium confeſſiones cognoſcere, & veriorem eligere, pluſquam veſtimentum?* Hinc intelligis, quam aliena ſit verſatilis doctrina a Sanctorum documentis, & Scripturæ oraculis. Legatur Nat. Alex. Theol. t. 2. p. 184. reg. 32.

ANIMADVERSIO VIII.

Omnium Theologorum conſenſu, inquit P. Concina Theol. t. 10. p. 648. n. 8. *ſubditus non debet in examen vocare mandatum Prælati, ſed ſuum judicium debet eidem ſubjicere.* Hoc ſane locum habet in rebus obſcuris, & dubiis. At ſi certum ſit ſubdito Theologiæ perito, ac docto, ſuperiorem præcipere ſecundum opinionem minus probabilem, minuſque tutam, nec debet, nec poteſt illi obedire; quia ſuperior in hac hypotheſi peccatum certum præcipit, ut oſtendimus. Hic ergo illud Act. 5. v. 9. uſurpandum eſt: *Obedire oportet magis Deo, quam hominibus.* Præterea ſi ſubditus in propoſita ſpecie ſuperiori obediat, contra fidem, hoc eſt contra ſuam perſuaſionem operatur. At ex Ap. Rom. 14. *omne, quod non eſt ex fide, peccatum eſt:* ergo ſubditus in propoſita ſpecie ſuperiori obediens, peccat.

ANIMADVERSIO IX.

Cum res controverſa eſt, & dubia, utraque litigantium pars ſuas rationes ſeu per ſe, ſeu per cauſarum patronos proferre poteſt, ſi tranſactione, ut fieri debet, controverſia finiri non poteſt.

At ſi cauſæ patronus examinatis omnibus perſpicue videat, adverſarii ſui cauſam eſſe probabiliorem, contra conſcientiam operatur, patrocinium cauſæ minus probabilis ſuſcipiens, & juſtitiæ repugnat; quia jus non ſibi, ſed adverſario determinate favere intelligit. Inducere Judicem ad injuſtam ſententiam, certum peccatum eſt: at patronus cauſam orans pro opinione evidenter minus probabili, Judicem, quantum in ſe eſt, inducit ad injuſtam ſententiam, ut patet ex prop. 2. ab Innoc. XI. proſcripta. Ergo certum peccatum admittat.

ANIMADVERSIO X.

Cum Buſemb. ſupra, ubi docuit permiſſum uſum opinionis probabilis minus tutæ relicta probabiliore, nec tenuem probabilitatem, quæ levi & exili ratione, aut parvi momenti auctoritate nititur, nec ſacramenta excepetit, in primam, & tertiam prop. ab Innoc. XI. proſcriptas, & ſupra relatas hic ſatis aperte incidit.

Nam licet probabilitas *ſpeculative* vox ambigua ſit, quæ diverſo ſenſu accipi poteſt, ut habet La-Croix p. 93. n. 125. hic tamen Buſemb. ea dictione *ſententias ſpeculative probabiles* nihil aliud intelligere videtur, niſi ſententias exiliter probabiles; quas qui aliquando in ſacramentorum adminiſtratione, ut Buſ. ponit, ſequi licere dicit, exilem probabilitatem, niſi quid obſtet, pro recta, & univerſali morum regula habet; quæ eſt tertia prop. ab Innoc. XI. damnata. Præterea *quoad ea, quæ a miniſtro præſtanda ſunt, utendum eſt*, inquit Buſ., *ſententia ſecuriore, & materia, ac forma certa, v.g. in baptiſmo.* Ergo juxta Buſembaum quoad ea, quæ a ſuſcipiente ſacramenta præſtari debent, ut a pœnitente, etiamſi ad valorem ſacramenti pertineant, ſequi licet opinionem minus tutam, minuſque probabilem, etiamſi *ſpeculative*, ſeu exiliter probabilis ſit. Hoc vero damnatum eſt in prop. 1. ab Innoc. XI. proſcripta. Sacramenti miniſter, contra ac dicit Buſ. ſpectata præciſe ipſius operatione, peccat, & irreverentiam ſacramento irrogat, dum quoad ſacramenti valorem ſequitur opinionem ſpeculative, ſeu exiliter probabilem; quia quantum in ipſo eſt, ſacramentum periculo fruſtrationis objicit; quod ſine grandi ſanctiſſimarum rerum irreverentia fieri non poteſt. Contraria doctrina ab Innoc. XI. prop. 1. damnata fuit, ut eam legenti, & conſideranti patet.

Quamquam qui opinionem minus, aut etiam æque, nedum exiliter probabilem ſequitur quoad ea, quæ ex parte ſuſcipientis ad ſacramenti valorem neceſſaria ſunt, inſigne ſemper damnum ſuſcipienti infert eo ipſo quod illum exponit, aut cooperator illi ſeſe exponenti periculo non ſuſcipiendi effectum ſacramenti.

ANIMADVERSIO XI.

Buſ. dub. 2. Reſp. 3. inquit: *Qui practice dubius eſt circa aliquod opus, tenetur ſe reſolvere.* Hic vero ait: *Qui in dubio conſtitutus, poſt diligens examen nequit ſe reſolvere, non tenetur eligere partem tutiorem, ſed poteſt &c.* Qui in dubio tenetur ſe reſolvere, poteſt ſe reſolvere; alioquin lex impoſſibilia præcipit: ergo quilibet in dubio poteſt ſe reſolvere: cur ergo hic Buſ. contrarium ponit?

Qui dubium rationabile ſine examine deponit, temere deponit. Qui poſt diligens examen dubium prudenter deponere non poteſt, quia rationum, & auctoritatum momenta hinc inde æqualia ſunt, ex jam dictis contra Buſembaum agere ſine culpa non poteſt. Hinc D. Antoninus p. 2. tit. 10. de reg. juris ait: *Dubium probabile eſt, cum ſcilicet rationes ſunt ad utramque partem quaſi æquales, & peccatum grave eſt ſe exponere tali dubio, ubi eſt mortale:* & D. Th. quodl. 8. art. 13. *Ille qui in quamdam dubitationem inducitur contrarietate opinionum, ſi manente dubitatione plures præbendas habet, periculo ſe committit, & ſic procul dubio peccat, utpote magis amans beneficium temporale, quam propriam ſalutem.* Hæc certa ſunt, *procul dubio* ait D. Thomas. Quare Eugenius Papa cap. *Juvenis* de ſponſal. inquit: *In his, quæ dubia ſunt, quod certius exiſtimamus, tenere debemus:* inquit *debemus*, non conſultius eſt, aut quid ſimile, ut præceptum agnoſcas. Hoc principio nixus mandat, ut conſobrina puellæ nondum ſeptennis, quam quidam juvenis duxerat, quia *ex humana fragilitate forſan tentavit, quod complere non potuit*, ab eo poſtmodum in uxorem ducta, ab eodem ſeparetur. Lege, quæ dicta ſunt ad Reſp. dubii 2. videlicet qui manente dubio operatur, ipſa ſua conſcientia teſte, peccati periculo ſeſe exponit, ideoque ſine dubio peccat. Qui rationibus, & auctoritatibus hinc inde æqualibus, aut ferme æqualibus dubium deponit, temere deponit; ideoque nullam habet excuſationem periculi, in quod reipſa ſeſe conjicit.

At, inquit Buſ. *talis non agit temere, cum utatur ſua libertate.* Reſp. Cum ſua libertate, contra rationem, quæ voluntatis liberæ fons eſt, & regula, utatur, temere agit, & ea abutitur. At *cuivis ſua libertate uti licet, quamdiu non conſtat, eſſe ea privatum, cum eam, ut cetera externa bona, poſſideat.* Reſp. Falſum eſt, hominem ſuam libertatem, ut cetera externa bona, poſſidere. Extera bona poſſidemus, quia illorum domini ſumus, aut eſſe poſſumus. At libertatis, quæ nobis ineſt, ſeu rationalis animæ libero arbitrio præditæ domini nec ſumus, nec eſſe poſſumus; quia nemo ſui ipſius dominus eſſe poteſt: ergo noſtræ libertatis ne poſſeſſores quidem proprie loquendo ſumus. Itaque dominus, & poſſeſſor noſtræ libertatis Deus eſt. Ex quo ſit, ut cum noſtra libertate utimur, re alieni, hoc eſt divini juris utamur: at certum eſt, neminem re alieni juris uti poſſe in dubio, utrum dominus permittat: ergo certum eſt hominem libertate uti non poſſe in dubio, utrum ejus dominus, & poſſeſſor, hoc eſt Deus, id permittat. *In dubio melior eſt conditio poſſidentis.* Deus poſſidet libertatem hominis: ergo melior eſt conditio Dei, quam hominis in dubio, utrum homo libertate uti poſſit. Itaque regula juris, quam pro ſua falſa opinione Buſ. affert, ipſi aperte contraria eſt.

Habet

Habet quidem homo dominium in ſuas actiones, at Deo ſubjectum: ergo in dubio, utrum Deus eas prohibeat, illas exercere non poteſt. Si enim ſecus faciat, quoad ſuarum actionum dominium non ſolum parem, ſed ſuperiorem Deo ſe facit. In hoc horribile abſurdum incidunt opinatores, dum homini permittunt, ut in dubio pro ſuo arbitrio operetur.

Animadversio XII.

Caſ. 1. *Dubitans &c. non obligatur dubitans.*

Caſ. 2. *Qui certus eſt de lege, & voto, dubius tamen, an, & quid comprehendatur lege, aut voto &c. non tenetur voto quoad partem de qua dubitat.*

Caſ. 4. *Qui dubitat, an vigeſimum primum annum expleverit, non tenetur jejunio.*

Caſ. 5. Si *cras ſit jejunium, & poſt examen dubitet &c. potes cœnare, & carnibus veſci.*

Hæc omnia eſſe aperte falſa, ex mox dictis conſtat.

Animadversio XIII.

Utrum doctrina hic tradita magis ridicula, quam falſa ſit, & utrum opinatorum auctoritas, an horologiorum ſit major, lector viderit.

Animadversio XIV.

Id recte, & vere a Buſembao dictum eſt; at ſtatim ſubdit, *quamquam contraria ſententia &c.* Cur hæc ſententia probabilis, ac etiam tota in praxi videtur? quia, inquit, *lex eccleſiaſtica in caſu dubio non videtur tam arcte conſtringere conſcientias.* Reſp. Si lex eccleſiaſtica in caſu dubio conſcientias tam arcta conſtringere non videtur, Eugenius Papa cap. *Juvenis* mox cit. perperam mandavit ſeparationem in Reſp. huj. dubii deſcriptam; quia factum dubium erat, & de eccleſiaſtica lege agebatur. *In dubio*, inquit Buſ. *factum præſumi non debet.* Reſp. Præſumi non debet, cum in damnum, & pœnam redundat; at cum in utilitatem, & conſcientiæ cautionem refunditur, præſumendum eſt; ne operans peccandi periculo ſe exponat, & peccet. Si recte conſideres, magni noſtrorum temporum opinatores non tam ratiocinantur, quam divinant.

Animadversio XV.

Hoc ſane eſt legitimum conſectarium illius axiomatis, *In dubio melior eſt conditio poſſidentis*, prout a noſtris pyrrhonicis opinatoribus accipitur. At Innoc. III. cap. *Inquiſitioni* de ſent. excomm. de eadem ſpecie a Buſ. hic propoſita loquens, inquit: *Verum cum conſcientia pulſat animum ex credulitate probabili & diſcreta, quamvis non evidenti & manifeſta, debitum quidem reddere poteſt, ſed poſtulare non debet; ne in alterutro vel contra legem conjugii, vel contra judicium conſcientiæ committat offenſam.* Sed hac de re ſermo erit lib. 6. tract. 6. cap. 2. dub. 2. art. 1. ca. 2.

Animadversio XVI.

Certus creditor certum jus habet, ut totum creditum ſolvatur; at dubia rationabilis ſolutio jus illud ex parte extinguit. Plus, quam par eſt, dubiæ ſolutioni tribuitur, ſi totum debitum ea extingui dicatur. Contra vero æquitati repugnat, ut dubia ſolutio perinde habeatur, ac nulla ſolutio. Ergo Laym. ſententia æqua eſt, ut debitor in ſpecie a Buſ. propoſita ad integram ſolutionem non teneatur, ſed ad partem pro ratione prudentis dubii. Juſtitia eſt æqualitas tum rei cum re, tum periculi cum periculo; at ſi debitor integre ſolvat poſt dubiam debiti ſolutionem, totum periculum jacturæ eſt penes debitorem, nullum penes creditorem: ergo integra debiti ſolutio poſt dubiam ſolutionem non eſt juſta: ergo ſolutio in hac ſpecie fieri debet pro ratione prudentis, & rationabilis dubii.

Caput III.

Quid ſit conſcientia ſcrupuloſa, & quid in ea agendum?

Reſp. 1. Scrupulus eſt inanis apprehenſio, & hinc ortus timor, & anxietas, alicubi eſſe peccatum, ubi non eſt. Ita commun. Nav. Azor. & cetari.

Reſp. 2. Licet operari cum conſcientia ſcrupuloſa manente ſcrupulo, dummodo judicetur eſſe ſcrupulus, & ut talis contemnatur. Neque tamen opus eſt, ut ad ſingulos actus formetur hoc expreſſum judicium, quod ſit ſcrupulus: ſed ſufficit, quod contra eum agatur ex habituali, vel virtuali judicio, ab experientia præteritorum actuum. Ratio eſt, quia talis nulli periculo ſe exponit; cum ad bene operandum ſufficiat judicium probabile aliquid licere: ſcrupulus autem, cum ex levi fundamento procedat, non tollit judicium practicum probabile. Sanch. *l.* 1. *c.* 10. Reg. Beccan. Fill. *n.* 176.

Reſp. 3. Signa Conſcientiæ ſcrupuloſæ ſunt: 1. Pertinacia judicii, qua Doctorum conſiliis non acquieſcunt; unde varios conſulunt, & fatigant, ac tandem nullius judicio ſtant, niſi ſuo. 2. Ex levi apparentia frequens judiciorum mutatio: unde oritur in agendo inconſtantia. Sic verbi gratia in Horis legendis aliquando decies mutabunt judicium de lecto, vel non lecto aliquo verſiculo. 3. Quod ex priore procedit, perturbata agere, & cæco quodam modo in externis actionibus verſari. 4. Habere reflexiones extravagantes infinitarum circumſtantiarum. 5. *Timere in omnibus peccatum*, * ac contra ſapientum, & proprium ſæpe judicium eſſe inquietum. 6. Si confeſſarius judicet te eſſe ſcrupuloſum. 7. In particulari ſigna ſcrupuli præſentis ſunt hæc duo. 1. Si per illum experiaris te nimium angi, & turbari. 2. Si alias expertus ſis, te ſimilia apprehendiſſe ſine fundamento.

Reſp. 4. *Remedia conſcientiæ ſcupuloſæ ſunt.* I. Animad. I.
Scrupulos contemnere, contra illos agere, nec cogitatione fovere. II. Judicio Confeſſarii, vel alterius viri docti, ac pii acquieſcere, *non recurrendo ad eum in ſingulis actionibus; ſic enim ſe, & illum fatigant cum ſcrupulorum incremento, ſed accipiendo ab eo generalia principia, a quibus nullius ſcrupuli cauſa, imo nullo modo recedat.* Etſi enim alterum errare contingeret; quia tamen hoc faciendo agit, quod in ſe eſt, non peccabit. III. Bonorum vitam, & conſuetudinem, tamquam regulam, intueri. S. Ant. Sylv. IV. *Aſſueſcere ſe ad ſequendas ſenten-* Animad. II.
tias mitiores, & minus etiam tutas. Fill. *c.* 4. *num.* 122. V. *Non judicare quidquam eſſe mortale, niſi* Animad. III.
certe ſciat. Azor. *l.* 2. *cap.* 4. Vaſq. Sanch. Fill. *tom.* 2. *cap.* 4. VI. Numquam otiari; quia otium implet phantaſiam cogitationibus ſcrupuloſis. VII. Deſtruere cauſas ſcrupulorum; v. gr. melancholicus evacuet medicamentis atram bilem: pertinax frangat ſuum judicium: ſuperbus prudentiæ non confidat: rudis inſtructionem petat: *timidus medite-* Animad. IV.
tur bonitatem Dei, quæ non imponit præcepta redigentia ad inſaniam. VIII. *Noſſe ſcrupuloſorum privilegia,* Animad. V.
ut 1. *quod non teneantur in agendo adhibere examen, & diligentiam, niſi valde mediocrem, nec tantam,* Animad. VI.
quantam alii, & quod, dum angit ſcrupulus, nec ſuppetit conſilium, poſſint libere agere quod volunt, niſi certum, & evidens ſit eſſe peccatum. Vide Vaſq. *in* 1. 2. *d.* 57. 2. *Quod nihil teneantur repetere ex præteritis confeſſionibus, niſi certo ſciant, illud eſſe mortale, & ſe rite confeſſos non eſſe.* Non eſt autem Animad. VII.
certus ſcrupuloſus, quamdiu dubitat. Unde ſuadet Laym. ut numquam *confiteatur dubia*, & ſcrupulos. Et Sa C. *Dubium.* Sanch. Azor. &c. dicunt non teneri confiteri, *niſi quæ jurare poſſit, eſſe mortalia, & numquam eſſe confeſſum.* Ratio utriuſque privilegii, eſt, quia in ſcrupuloſo, ex nimio timore peccandi, turbatur ratio, ita ut non poſſit recte rem examinare. Unde, etſi aliqua confeſſus non fuerit, non tenetur tamen cum tanto damno, & periculo anxietatis perpetuæ procurare integritatem confeſſionis, cum ab ea minores ſæpe difficultates excuſent, ut notant Konin. Laym. Bonacin. Azor. Bec. IX. Confeſſarius non permittat confiteri, vel proponere ſcrupulos, vel dubia (maxime, ſi ſemel ad ſatietatem audiverit) quia alioquin numquam fontem ſcrupulorum exhauriet. Vide apud Laym. *hic c.* 6. Filliuc. Sanch. *hic & l.* 2. *de matr. d.* 4. Azor. *t.* 1. *l.* 2. *c.* 20. Breſterum *l.* 6. *toto.* Bec. *p.* 2. *t.* 1. *c.* 4. Bonac. *d.* 1. *q.* 4. *p.* 9.

* Hic lector cum ſcrupuloſis ne confundat pios Viros, ſuæque æternæ ſalutis ſollicitos, de quibus Prov. 28. dicitur, *Beatus Vir, qui ſemper eſt pavidus*, & Job. 9. *Verebar omnia opera mea.* & Prov. 24. *ſepties enim cadet juſtus, & reſurget.*

ANIMADVERSIO I.

SCrupuli periculoſæ tentationes ſunt, homines ad peccatum exſtimulantes. Porro præcipuum contra omnes tentationes remedium ſunt ferventes, & conſtantes ad Deum preces cum humilitate & fiducia conjunctæ: ergo præcipuum remedium contra ſcrupulos, quod Buſ. omittit, ſunt preces.

Si enim, ut dicitur Prov. 2. 37. *ſapientiam invocaveris, & inclinaveris cor tuum prudentiæ, ſi quæſieris eam quaſi pecuniam, & ſicut theſauros effoderis illam; tunc intelliges timorem Domini, & ſcientiam Dei invenies.*

Alterum remedium contra ſcrupulos illud eſt, quod idem Spiritus ſanctus ſuggerit Eccli. 32. 24 *Fili ſine conſilio nihil facias, & poſt factum non pœnitebis*. Porro conſilium non eſt generalis doctrina, aut monitum, ſed eſt documentum de re, aut actione ſingulari, ſeu de eo, quod hic & nunc agendum eſt. Ergo generalia principia ſeu monita ſatis non ſunt ad medendum ſcrupulis; ſed adhibita prudentia, & cautione pro circumſtantiarum diverſitate peculiaria quoque documenta ſunt otilia, & neceſſaria. *Memorandum eſt B. Benedicti* (apud Nat. Alex. Theol. t. 2. p. 175. reg. 10. ex S. Antonino, & Gerſon) *ſuper hac re conſilium. Erat ex diſcipulis ejus quidam tantis inquietatus ſcrupulis, ut ad celebrandum nullo pacto auderet accedere. Dixit ei, devotus, & circumſpectus Bernardus, poſtquam hoc accepit: Vade frater, & in fide mea celebres. Obedivit diſcipulus, & ſcrupulus ille omnis perpetuo diſceſſit.* Hoc monitum fuit de re ſingulari. Item illud, quod idem Nat. reg. cit. p. 172. ex Gerſonio refert. *Scrupuloſis contra ſcrupulos agendum eſt, & fixo pede certandum. Hac arte uſus eſt ille, qui turbato cuidam jugiter ſuper repetitione horarum ſuarum, ſi non aſſidue, & actualiter attenderet ad eas, injunxit pœnitentiam hanc ad tempus, ne quomodolibet horas ſemel dictas iteraret.*

Scrupulos eſſe contemnendos, & contra eos agendum, certum eſt; ſed cavendum, ne conſcientia recta, delicata, meticuloſa, *Verebar omnia opera mea* Job 19. ſcrupuloſa habeatur. Hinc idem Gerſonius addit: *Tantummodo ſit contemptus iſte timoratus, & regulariter non alſque ulterius, præſertim ſuperioris conſilia. Alioquin timor immoderatus facit cuſum*, (facit enim, ut putetur, aut ſaltem dubitetur eſſe malum, quod fit, ideoque ex erronea conſcientia culpa admittatur) *aut præcipitat inconſulta præſumptio*; dum re ſerio non diſcuſſa, aut non ſatis cognita ſcrupulus exiſtimatur, quod ſeipſa peccatum eſt.

Hic quoque inanes Zachariæ commentationes, quæ nec doctrinam afficiunt, nec Critice dignæ ſunt, omittendas duxi. Si quis eum forte legerit, me quoque relegat; quod mihi, niſi lector ſtupidus ſit, ſufficit.

ANIMADVERSIO II.

Recte quidem; ſi verſatilis probabilitas eſſet recta agendi regula; ſed cum periculoſa ſit, & corrupta, animæ venenum eſt, nec poteſt eſſe remedium curandis animæ morbis idoneum. In hanc Buſembau doctrinam merito invehitur Concina Theol. t. 9. p. 337. q. 6. Mitiores ſententias ſcrupulis amovendis aptas eſſe, D. Antoninus apud Nat. reg. 10. cit. docet; at eas intelligi oportet, quæ rigidioribus oppoſitæ rationabiliores ſunt. Itaque hæc eſto pro omnibus regula, ut veritatem ſectentur. *Concupiſcite ergo ſermones meos*, (qui ſunt ipſa veritas) *diligite illos, & habebitis diſciplinam*, hoc eſt rectam vivendi normam, Sap. 6. 12.

ANIMADVERSIO III.

Id per me licet, dum tamen ne contra quidem judicet; ſed in dubiis doctum, ſolidum, probumque Confeſſarium conſulat, nec ſine ejus conſilio quidquam in re dubia operetur juxta illud Prov. 3. *Ne innitaris prudentiæ tuæ*: & Eccli. 31. *Fili ſine conſilio nihil facias, & poſt factum non pœnitebis*: quæ oracula in iis præſertim locum habent, quorum conſcientia anxia, & ſcrupulis turbata eſt; alioquin, ut ait Gerſon. mox cit., *præcipitat inconſulta præſumptio*.

Wig. tract. 2. ex 2. p. 58. n. 5. citans Medinam, Cajet., Ildefonſum ait, habendum pro certo, quod ſcrupuloſus credit non eſſe peccatum, v. g. dum credit, ſe hunc pſalmum oraſſe, hoc peccatum eſſe confeſſum, cogitationi venereæ non conſenſiſſe &c. Ratio eſt, inquit, quia quod apud ipſum eſt credulitas, apud eumdem res certa eſſet, niſi ſcrupulis ejus mens turbaretur. Sed hic ſermo eſt de credulitate quoad factum; nam quoad jus non juxta ſcrupuloſi credulitatem, ſed juxta rationum, & auctoritatum momenta judicandum eſt.

ANIMADVERSIO IV.

Quid ſibi volunt hæc conciſa verba? An Buſ. vult eximere ſcrupuloſum a divinis præceptis, ſi illi nimis difficilia videantur, eo prætextu, quod ea cuſtodiendo ad inſaniam redigeretur? Quia divinorum præceptorum cuſtodia poſſibilis cuicumque homini eſt, & quia hominem non inſanum, ſed ſapientiſſimum efficit: idcirco ſcrupuloſus caveat, ne ſe a divinis præceptis, quamvis difficilia ſibi videantur, immunem exiſtimet, ſed cum regio Pſalte Pſ. 142. 9. ex animo dicat: *Eripe me de inimicis meis Domine, ad te confugi*: & Pſ. 9. *Factus eſt Dominus refugium pauperi, adjutor in opportunitatibus, in tribulatione*: item: *Et ſperent in te, qui noverunt nomen tuum: quoniam non dereliquiſti quærentes te, Domine.*

ANIMADVERSIO V.

Si abſque examine operantur, præcipitanter, & cæco impetu operantur. Hoc ne eſt ſcrupuloſorum privilegium? Si examen eorum turbatæ menti profuturum non eſt, conſilium prudentium exquirant juxta mox cit. Vatis oraculum. Si ſcrupuloſi diligentiam in agendo, niſi valde mediocrem, nec tantam, quantam alii adhibere non tenentur; ergo Parentes, & Patresfamilias exiguam curam Filiorum, familiæ, rei familiaris habere tenentur, ſi ſint ſcrupuloſi: ergo Principes, Magiſtratus, Epiſcopi, Parochi exiguam in ſuis officiis diligentiam, nec tantam, quantam alii, adhibere tenentur, ſi ſint ſcrupuloſi. Hoc ne eſt ſcrupuloſorum privilegium? hæc ne eſt evangelica pietas, & indulgentia?

ANIMADVERSIO VI.

Et quod, dum urgit ſcrupulus, nec ſuppetit conſilium, poſſint libere agere &c.

Hoc vero nihil aliud eſt, niſi miſerum hominem in periculis verſantem, præcipitio proximum ſibi relinquere, & ſine adjutorio deſerere. Hoc perinde eſt, ac hominem ſcrupulis agitatum a Dei lege immunem facere. Quid ergo? *Deus*, inquit Syn. Trid. ſeſſ. 6. cap. 11. *impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adjuvat ut poſſis.* Quia Dei lex ſine ejus auxilio impleri nequit, nec ejus auxilium ſine precibus obtinetur, preces cuilibet neceſſariæ ſunt, ut ſalvus ſit, maxime vero homini ſcrupulis turbato, *dum ſcrupulus angit, nec ſuppetit conſilium. Senſum autem tuum quis ſciet, niſi tu dederis ſapientiam, & miſeris Spiritum ſanctum tuum de altiſſimis?* Sap. 9. 17. At Deus ſine dubio dat ſapientiam cum fiducia petentibus: *Petite, & accipietis*, Joann. 16. 24. Ergo ſi ſcrupuloſus, *dum angit ſcrupulus, nec ſuppetit conſilium*, cum fiducia lumen, ſeu ſapientiam a Deo petet, illam indubitanter obtinebit. Hoc ergo ab eo præſtandum eſt, non deſperandum, non præcipitanter agendum.

ANIMADVERSIO VII.

Quod nihil teneantur repetere &c. Quod ad peccatorum confeſſionem attinet, ſcrupuloſus diligens eorum examen inſtituere debet, ut Confeſſionis integritati ſatisfaciat. Neque enim ſcrupulos ex legis obſervantia foveri putandum eſt, ſed potius ex animi remiſſione, & tepore, ubi etiam culpa timenda eſt; qua de re lib. 6. tract. 4. c. 1. dub. 3. art. 2.

Dum pœnitens Confeſſione peracta ad meliorem frugem revertitur, atque in peccati fuga, & virtutis functionibus conſtans eſt, hoc certo argumento eſt, Confeſſionem fuiſſe rite peractam. Itaque dubia, utrum examen ſatis diligens fuerit, contritio ſufficiens &c. velut futilia repellenda ſunt. Hæc enim, ut advertit Concina Theol. t. 9. p. 338. n. 43. Dæmonis aſtu excitantur, ut Chriſti jugum durum efficiat, & pœnitentem ad prioſes vitiorum illecebras revocet. Si tamen quædam ſe oblitum putet, aut non rite confeſſum, audiendus eſt. Id fatetur ipſe La-Croix p. 129. n. 541. inquiens: *Attamen concedendum, ut ter, aut quater addat, quæ adhuc incident, & de quibus neſcit, ſe eſſe confeſſum eſſe*, ne ſcilicet exponatur periculo violandi legem præcipientem Confeſſionem peccatorum ex oblivione omiſſorum. Qui contraria docent, audiendi non ſunt.

TRA-

Digitized by Google

TRACTATUS II.

De regula externa actuum humanorum, ſcilicet Lege.

CAPUT I.

De natura, & obligatione Legis in genere.

DUBIUM I.

Quid ſit Lex, ſive Præceptum.

RESpondeo. Leu, & præceptum, prout hic indiſtinčte accipitur, eſt recta agendorum, aut omittendorum ratio. (*a*) Interim, cum a Superiore non Communitati, ſed alicui tantum, anr aliquibus in particulari aliquid præcipitur, non appellatur Lex, ſed præceptum tantom. Suar. Laym. Bouac. *diſt.* 1. *q.* 1. *p.* 1.

Unde reſolves.

1. Ad Legem, ſeu præceptum quis tenetur, non ad Conſilium: cum hoc tantum dirigat, illud vero obliget. *ibid.*

2. Cum iniqua lex eſt, & contra rationem, non obligat: quia deficir a rectitudine. *ibid.*

3. Cum dubinm eſt da juſtitia, teneris lege: qoia legislator poſſidar jus præcipiendi, idemque regirur altiore conſilio; ac poteſt habere rationes ſubditis occultas. Addit Suarea, eriam obligare, licet contra juſtitiam legis ſinr rationes probabiles; quia alias nimia darerur licentia legibus non parendi, cum vix poſſint eſſe tam juſtæ, quin aliqua apparens raric dubitationem movare poſſit. Suar. *l.* 1. *c.* 9. Bon. *p.* 8. *n.* 11.

ANIMAD. I. 4 *Leges, & ſententia lata a tyrannis obligant, ſi ii pacifice regna poſſideant, & a Republica tolerentur.* Nec obſtat, quod ſententia judicis illegitimi dicatur eſſe nnlla: id enim verum eſt da ſententia, prout eſt præciſe a tyranno; non autem prout eſt a voluntate, ſaltem interpretariva, & implicita Reipublicæ, quæ, dum tyrannum, & judices ab eo conſtitutos repellere naquit, tacite confert iis poteſtatem gubernandi, eorumque leges & acta ratificat. Leſſ. *l.* 2. *cap.* 29. *d.* 9. Sal. *d.* ru. *ſ.* 3. *num.* 14.

ANIMAD. II. 5. *Non tenetur quis ad legem, niſi promulgata ſit, ſive denuntiata.* D. Thom. *p.* 2. *qu.* 90. Laym. *l.* 1. *t.* 4. *c.* 3. Molina, Salas, Suarez, & alii communiter.

DUBIUM II.

Quotuplex eſt præceptum?

Reſpondeo. Præceptum dividitur 1. univerſaliter in Affirmativum, & Negarivum. (*b*) Illud aſt, quod bonum præcipit, hoc, quod malum prohibet. Differunt inter ſa, quod Affirmativum obliget quidem ſemper, ſed non ad ſemper, ſeu non pro omni tempore, v. g. Honorandi ſunt parentes, non ſemper, ſed ſuo tempore. Negativum obligat & ſemper, & ad ſemper. Vida Bec. *in* 1. 2. *t.* 3. *c.* 1. *q.* 3.

2. In Naturale, & Poſitivum. Præceptum naturale, ſen juris naturæ, eſt dictamen, ſen judicium noſtræ rationis, quo per lumen nobis ab auctore naturæ impreſſum ſtatuimus, qnid ugendum, & qnid vitandum ſit, quale eſt illud: Bonum eſt faciendum: malum fugiendum. Ex quo præcepto generali particularia, v. g. Deum eſſa colendum, nemini faciendam eſſe injuriam, imo omnia præcepta Decalogi (exceptu circumſtantia Sabbati) multaque alia derivantur. Præceptum poſitivum, ſeu Juris poſitivi eſt, quod libera Dei, vel hominum voluntate poſitum eſt, & ex eadem dependet, v. grat. Præceptum de Baptiſmo, jejunio quadrageſimali &c.

Porro, *quomodo Præcepta poſitiva mutari*, ac variari poſſint, ac ſoleant, (*c*) naturalia vero ſemper maneant, vide apud Scholaſticos, & Leſſ. *l.* 2. *de Jure & Juſt. c.* 2. *d.* 2.

Reſp. 2. Præceptum poſitivum dividitur in præceptum Juris divini, quod ſcilicet a Deo traditum eſt; & in Juris humani, quod ab homine. Poſitivum divinum dividitur in præcepta veteris, & novæ legis. Lex vetus contioebar præcepta moralia, ceremonialia, & judicialiu, de quibus vid. D. Th. 1. 2. *qu.* 103. Leu nova continet præcepta ſupernaturalia fidei, & Sacramentorum. *Poſitivum humanum dividitur in præceptum Juris Eccleſiaſtici, ſive Canonici, quod auctoritate Eccleſia, ſcilicet Summi Pontificis, aut Concilii ſtatutum eſt; & Juris Civilis, ſeu Politici, quod fundatur in poteſtate ſæculari.* ANIMAD. III.

DUBIUM III.

An vis, & ſubſtantia Legis poſitive dependeat ab acceptatione Communitatis?

Reſp. Etſi ita ſentiant Caooniſtæ; item Navar. Azor. &c. cituti a Laym. *lib.* 1. *tr.* 4. *c.* 3. eo quod ponant leges hac tacita conditione ferri, ſi u populo ſuerint acceptatæ, alioquin vim, ſeu obligationem non habitoras: *verior tamen ſententia* eſt Theologorum, (*d*) leges abſoluti Magiſtratus non pendere a populi acceptatione, & conſenſu; ſad mox nt legitima promulgatæ ſunt, obligare populum ad recipiendum: præſertim in legibus Pontifici, qui ſnam poteſtatem non accepit a populo, ſed a Chriſto. Vaſq. Suar. Molina, &c. Unde a Laym. *l. c.* reſolvuntur hi caſus.

1. Epiſcopis ex officio incumbit, novas leges Pontificias (ut Principibus Imperatorias) promulgare per ſuas diœceſes, atque in uſum deducare.

2. Si lex in Provincia promulgata ſit, ſed a majore parte populi non accipiatur, nec obſervetor, tunc, ſi legislator id ſciat, & taceat, cenſetur hoc ipſo legem revocare. Si vero id ſciat, & urgeat obſervationem, quiſque tenetur eam ſervare, quia potius caput ſuum, quam reliqua membra, ſequi debet.

3. Si Princeps neſciat, non recipi, nec deduci ad uſnm, durar legis obligatio, donec elabarur decennium; quo elapſo, præſcriptum aſt contra eam, ſive Imperatoria ſit, ſive Pontificia; & tunc non amplius obligar. Uti & Lex Eccleſiæ, etſi ſemel recepta ſit, aboletnr per præſcriptionem, ſed unnorum plurium, nempe quadragintu. Navar. Auor. Suar.

4 Si tu legem promulgatam paratus ſis ſuſcipere, & data occaſione etiam obſerves; ſed alii plerique e Communitate non recipiant, nec recepturi videantur, tunc *ſaltem ab ea excuſaberis per diſcretionem.* *

5. Etſi primi Epiſcopi forte peccarint, non recipiendo legem, nec in uſum deducendo, ſucceſſores tamen eorum, ſi poſt longum tempus videant non obſervatam, credere poſſunt, eſſe ſublatam per præſcriptionem.

6. In dubio, nnm lex recepta ſit, necne, præſumendum eſt pro ipſa: quia factum in dubio præſumitur, ſi de jure faciendum erat. Vide Azor. *l.* 5. *c.* 4. Laym. *hic c.* 3. Sal. *de leg. diſp.* 13. *ſect.* 3.

DUBIUM IV.

An præcepta etiam humana obligent ſub peccato, & quali?

Reſpondeo. Cum Deus ſit Dominus noſter, atque

* Qui Populum peccantem ſequitur, peccat: ſed qui legem non obſervat, quia pleique e communitate eam non recipiunt, nec recepturi videantur, peccantem Populum ſequitur: illi enim peccant ipſo Baſmb. tuſe hic in Reip., qui ſibi non conſtat. Qui legem non recipiunt, Præpoſitis non obediunt, nec eis ſubjacent contra præceptum Ap. Heb. 13. v. 17 *Obedite Præpoſitis veſtris, & ſubjacete eis*; imo graviun peccant, quam qui legem ſubmiſſe recipientes, eam tamen ex difficultate, infirmitate, aut cupiditate non obſervant; quia eo contemptu, & conſummata ſuperbia ſuperiori ſubjici renuunt. Cum abſolute præcipit, conditionem perverſe ſubintelligunt contra ſuperioris auctoritatem, & dignitatem, Ergo &c.

Digitized by Google

que etiam ſuperioribus parere nos juſſerit, non ſolum ipſe, ſed & illi nobis præcipere poſſunt, & præcipiunt, tum ſub pœna, tum etiam ſub culpa, ſiva peccato; eoque gravi, aut levi, prout & rei præceptæ ad intentum finem neceſſitas, & materiæ quantitas, & eorum voluntas ſola habent, quæ ex eorum verbis, circumſtantiis, aut prudentum æſtimatione ſolet colligi. Ita Theologi communiter, S. Thom. Suar. Salas, &c.

Unde reſolvuntur hi caſus,

1. Graviter peccat, *qui deliberate*, * & in materia magna violat præceptum aliquod Decalogi, vel Eccleſiæ.

2. Cum res levis eſt, non peccat mortaliter tranſgrediens, etſi Superior ſub mortali præceperit: quid id eum poſſe negant Suar. Laym. & alii communiter; (*e*) v. gr. ne quis frangat ſilentium, ne edat uvam, ut claudat oſtium, &c. quia eſt res parva, & incapax tantæ obligationis. Nec ipſe Deus in materia parva ſub mortali obligat. Vid Leſſ. *l.* 2. *c.* 4. *d.* 9. Salas *d.* 10. *ſ.* 7.

3. Aliud eſſet, ſi materia alias levis fiarat gravis ratione circumſtantiarum: ut v. g. contemptus, ſcandali, magni boni communis, vel finis a legislatore intenti. Sic abſtinentia a pomo in paradiſo, in ſe quidem parva, graviſſima tamen erat ex circumſtantia finis. Suar. *l.* 3. *c.* 25.

4. *Quando materia eſt gravis*, (*f*) poteſt Superior præcipere *ſub culpa tantum levi*: quia ſicut poteſt nullo modo obligare, non præcipiendo: ita etiam poteſt obligata ſub veniali tantum. Ita Suar. Leſſ, *l. c.* contra Vaſq.

5. Potiſſima ſigna, ex quibus colligi poſſit, an lex obliget ſub gravi culpa, ſunt hæc. I. *Si materia ſit gravis*, (*g*) *& non conſtet in contrariam de voluntate præcipientis*. Unde Cajet. *in Sum. verb. Cler.* docet Clericos tantum peccare venialiter, dum contra præcepta juris poſitivi, aves, & canes ſaquuntur ad venandum. II. Si verba magnam vim habent, ut jubemus, interdicimus, in virtute ſanctæ obedientiæ; vel vi voti, aut, juramenti, vel graviter mandamus, &c. III. Si pœna magna adjiciatur, ut excommunicationis, depoſitionis, maledictionis æternæ, exilii perpetui, mortis, &c. IV. Si ita fert uſus, & conſuetudo inter peritos, & timoratos: quia conſuetudo eſt optima legum interpres, ut patet in lege jejunii eccleſiaſtici, & abſtinentiæ a carnibus; item communionis annuæ, quas graviter obligare probant hic Tolet. Laym. *c.* 14. *n.* 4. Bonac. *p.* 7. §. 4.

Notæ.

(a) Lex ex D. Th. 1. 2. q. 90. a. 4. c. *nihil eſt aliud, quam quædam rationis ordinatio ad bonum commune, ab eo, qui curam communitatis habet, promulgata*. Illud *communitatis* intellige perfectæ, ſicuti eſt Civitas, Reſpublica, Regnum, ut ſe explicat S. Doct. a. 3. ad 3.

Porro ſicut lex bonum publicum communitatis neceſſario reſpicit, ita communitati univerſæ imponitur; præceptum autem, prout a lege diſtinguitur, ſingulis Perſonis, vel imperfectæ communitati, uti eſt domus, cœnobium. At nec legem, nec præceptum imponere poteſt, niſi qui legitime præeſt, & in eos tantum, quibus præeſt.

Quare definitio legi, & præcepto communis eſt hæc. *Recta agendorum, aut omittendorum ratio, a legitimo ſuperiore indicta*, quod innuit quoque Buſ., cum definitioni a ſe allatæ, quæ manca eſt, ſubdit: *Interim cum a ſuperiore* &c.

(b) Hæc explicatio præceptis quidem affirmativis, & negativis juris naturæ accommodari poteſt, non præceptis univerſe. Nam præcepta poſitiva illud ſæpe prohibent, quod ex ſe malum non eſt, cujus rei exempla plurima in veteri lege occurrunt, ut illud Gen. 9. v. 4. *Excepto, quod carnem cum ſanguine non comedetis*. Hinc illud vulgatum: *alia ſunt mala, quia prohibita, alia prohibita, quia mala*. Quare præceptum affirmativum illud eſt, quod præcipit aliquid; negativum, quod prohibet, ut definit Wigand. in Trib. tract. 6. ex. 1. n. 5., & Anacletus Theol. tract. 3. d. 1. q. 1. n. 52.

(c) *Porro quomodo* &c. Præcepta poſitiva, quæ a libera præcipientis voluntate pendent, non ſolum mutari poſſe, ſed recte mutari mutatis temporibus & circumſtantiis, res experientia teſte certa eſt. Ipſa divina poſitiva præcepta legis veteris, ut ceremonialia, & judicialia ſublata ſunt, ita ut ceremonialia ſine mortali peccato obſervari nequeant juxta illud Ap. ad Gal. 5. *Si circumcidamini, Chriſtus nihil vobis proderit*, & ex D. Th. 1. 2. q. 103. a. 4. Judicialia vero *ſunt quidem mortua, quia non habent vim obligandi, non tamen ſunt mortifera; quia ſi quis Princeps ordinaret in Regno ſuo illa judicialia obſervari, non peccaret, niſi forte hoc modo obſervarentur, vel obſervari mandarentur, tanquam habentia vim obligandi ex veteris legis inſtitutione. Talis enim intentio obſervandi eſſet mortifera*. Idem S. Th. q. 104. a. 3.

Quoad præcepta naturalia, *lex naturalis*, inquit D. Th. 1. 2. q. 94. a. 5., *poteſt intelligi mutari dupliciter. Uno modo per hoc, quod aliquid ei addatur; & ſic nihil prohibet, legem naturalem mutari. Multa enim ſupra legem naturalem ſuperaddita ſunt ad humanam vitam utilia tam per legem divinam, quam etiam per leges humanas*. Hæc luce clariora ſunt. *Alio modo*, pergit S. Doct., *poteſt intelligi mutatio legis naturalis per modum ſubtractionis, ut ſcilicet aliquid deſinat eſſe de lege naturali, quod prius fuit ſecundum legem naturalem. Et ſic quantum ad prima principia legis naturæ*, (uti eſt illud, *ut ſecundum rationem agatur* ex eodem a. 4.) *lex naturæ eſt omnino immutabilis. Quantum autem ad ſecunda præcepta, quæ diximus eſſe quaſi quaſdam concluſiones propinquas primis principiis* (uti eſt, *quod depoſita ſint reddenda*, quæ eſt *quaſi concluſio propria* memorati primi principii ex eodem a. 4.) *ſic lex naturalis non immutatur, quin ut in pluribus ſit rectum ſemper, quod lex naturalis habet: poteſt tamen immutari & in aliquo particulari, & in paucioribus propter aliquas ſpeciales cauſas impedientes obſervantiam talium præceptorum, ut ſup. dictum eſt*, a. ſc. 4. ubi ait de redditione depoſiti, *quod poteſt in aliquo caſu contingere, quod ſit damnoſum, & per conſequens irrationabile, ſi depoſita reddantur, puta ſi aliquis petat ad impugnandam patriam. Et hoc tanto magis invenitur deficere, quanto magis ad particularia deſcenditur; puta ſi dicatur, quod depoſita ſunt reddenda cum tali cautione, vel tali modo. Quanto enim plures conditiones particulares apponuntur, tanto pluribus modis poterit deficere, ut non ſit rectum, vel in reddendo, vel non reddendo*. Doctrina Angelica perſpicua, & certa,

Ergo prima principia legis naturæ, uti ſunt, *colendus eſt Deus, non mentiendum, non pejerandum, non odio habendum, ſervanda juſtitia*, &c. ſunt immutabilia non ſolum quoad tempus, ſed etiam quoad temporum circumſtantias, ita ut nullo loco, nulliſque in circumſtantiis contra ea ire liceat; ſecunda vero præcepta quoad tempus immutabilia, ratione circumſtantiarum, ut S. Doct. explicuit, mutationem ſubire poſſunt. Hac de re agit quoque P. Concina Th. t. 6. diſſ. 2. cap. 4. Sed Divi Thomæ doctrina ſufficit, & omnes amolitur difficultates. Prima ſcilicet naturæ præcepta limitationem non habent, ideoque quocunque in eventu ſemper obligant; at ſecunda cum quadam reſtrictione intelligenda ſunt, ſi nihil obſtet, ſi rationis dictamen aliud non præſcripſerit, ut in exemplo depoſiti reddendi; ideoque mutationi obnoxia ſunt, ſi ſine limitatione accipiantur. Sic naturæ præceptum eſt, *alteri feceris, quod tibi fieri vis*; at ſi velis tibi ſubſidium ferri in cæde, latrocinio, bello injuſto &c., an hæc eadem in alterius gratiam tibi præſtanda ſunt? Videlicet illud præceptum, *alteri feceris* &c. accipiendum eſt, ſi fieri tibi velis recta, & rationabilia; nam ſi abſolute illud accipias, ſuas patitur mutationes, ita ut aliquando, hoc eſt in certis circumſtantiis, non obliget; quod de aliis ſimilibus dicendum eſt.

(d) Reſp. *Etſi* &c., *verior tamen* &c.

Perſpicuitatis gratia diſtinctio adhibenda eſt. Si Populus, dum Principem conſtituit, ejus poteſtatem limitavit, ut leges condere nequeat ſine Populi conſenſu, perſpicuum eſt, Principis legem a Populi acceptatione pendere; qua in re nemo diſſentit, ut advertit Concina Th. t. 6. p. 250. n. 1. At ſi poteſtas Principis, ut innuit Buſ., abſoluta eſt, hoc eſt a Populi conſenſu minime dependens, perſpicuum item eſt, ejus legem a Populi acceptatione non pendere. Hæc ſententia a Buſ. recte probata, communior eſt ex Anacleto Th. tract. 2. d. 1. q. 4. n. 34. p. 49. Quid enim abſurdius eſt, quam fingere, legem abſoluti Principis ea conditione ferri, ſi a Populo fuerit acceptata? Hæc con-

* Quaſi ex ignorantia graviter non peccat. Hoc aperte falſum eſt. Sed hac de re infra.

conditio naturæ abſoluti Principatus e diametro adverſatur, ideoque commentitia prorſus eſt. An jure poni poteſt, Principem legem ferre conditione contraria ſuo juri, & poteſtati? Ap. ad Heb. 13. ait: *obedite Præpoſitis veſtris, & ſubjacete eis.* Si obedire ſubditi debent, imperium recuſare non poſſunt: quod ſi imperium recuſare non poſſunt, an leges, in quibus tota imperii vis poſita eſt, recuſare queunt? Hæc ſane monſtra ſunt.

Quare pro certa habenda eſt *ſententia Theologorum, leges abſoluti magiſtratus non pendere a populi acceptatione* &c. ſed *mox* &c. *præſertim* &c., ut rectiſſime habet Buſembau.

Nihilominus, *ſi lex in provincia* &c. ut Buſ. habet ea. a., *cenſetur hoc ipſo legem revocare*. In hunc ſenſum loquitur quoque Nat. Alex. Th. t. a. p. 422. reg. 26. appellatis Silveſtro Prierate, Navarro, Covarruvia, Cardinali Cuſano, & aliis. *Erit autem lex* (ait D. Iſidorus apud D. Th. 1. 2. q. 95. a. 3. arg. 1., & diſt. 4. cap. 2.) *honeſta, juſta, poſſibilis, ſecundum naturam, ſecundum Patriæ conſuetudinem, loco temporique conveniens* &c. At lex, quæ a majori Populi parte non obſervatur, merito judicatur naturæ, ſeu rationabili Populi indoli diſſentanea, loco, temporique minime conveniens, Patriæ conſuetudini repugnans, nec poſſibilis. *Non enim*, ait D. Th. a. 3. cit., *poteſt homo ſolus in ſocietate vivere, aliorum morem non gerens*: ergo hujuſmodi lex, legis vim non habere, merito creditur. Hinc idem D. Th. q. 97. a. 3. ad 2. inquit: *niſi forte propter hoc ſolum inutilis lex videatur, quoniam non eſt poſſibilis ſecundum conſuetudinem Patriæ, quæ erat una de conditionibus legis. Difficile enim eſt, conſuetudinem multitudinis removere*; & ad 3. ait: *Si vero multitudo non habeat liberam poteſtatem condendi ſibi legem, vel legem a ſuperiori poteſtate poſitam removendi, tamen ipſa conſuetudo in tali multitudine prævalens obtinet vim legis, inquantum per eos toleratur, ad quos pertinet multitudini legem imponere. Ex hoc enim ipſo videntur approbare, quod conſuetudo introduxit.*

Hæc etiam eo ſpectant, ut noſtri ſuperiores eo ſapienti Veneto axiomate, *ſervetur ſolitum, nihil innovetur*, contenti, a novarum legum prurigine quoad fieri poteſt, ſeſe coerceant; cum præclare nobiſcum agatur, ſi antiquæ leges ſapientiſſime latæ obſerventur. Plurimæ leges ægre obſervantur, & negligi, ac contemni ſolent, ideoque magis noxiæ, quam utiles eſſe conſueverunt. Hinc illud, ſi bene memini, Platonis: *plurimæ leges, peſſima Reſpublica*. Noſtri Prælati, qui noſtri fratres ſunt, magis exemplo, quam legum vi regere nos debent. *Neque ut dominantes in cleris*, ait Ap. Petrus ep. 1. cap. 5., *ſed forma facti gregis ex animo*; illudque eos maxime cavere oportet: *Et vobis legis peritis væ; quia oneratis homines oneribus, quæ portare non poſſunt, & ipſi uno digito veſtro non tangitis ſarcinas* Luc. 11. v. 46.

Ita ſane quoad legem, quam Princeps non obſervari notum habet. At quid ſi ipſe id ignoret? In hac ſpecie locum habet Buſ. cap. 3. *Si Princeps neſciat* &c.; ubi Buſ. neceſſario reprehendendus eſt, quatenus ait, Pontificiam legem decennii præſcriptione aboleri, Eccleſiæ autem legem non abrogari niſi longiori tempore, nempe annorum quadraginta. Quid quæſo hic ais, mi Buſembau? An Pontificia lex non eſt Eccleſiaſtica? An Eccleſiæ lex majori pollet auctoritate, quam ſummi Pontificis lex? Quid hic Buſ. ſibi velit, ignoro. Odioſas, & maleſanas de Pontificis ſupremi auctoritate quæſtiones ab eo foveri non puto. Neque hic plura dico; quia una hæc res non exiguo volumine propter adverſariorum, ut ego ſentio, pervicaciam, opus haberet.

Ad rem veniamus. Decennali rationabili conſuetudine civilem, ſeu ſæculi Principis legem, ut Buſ. ait, aboleri, communis, & certa ſententia eſt teſte Anacleto t. 1. Juris can. lib. 1. tit. 4. §. 4. p. 164. n. 96., idque ſine diſtinctione, hoc eſt ſeu nunquam uſo recepta fuerit, ſeu olim recepta. At vero ſi Eccleſiaſtica lex ſit, nonnulli diſtinguunt inter legem olim receptam, & nunquam receptam; & contra hanc decennio, contra illam vero quadraginta ſolum annorum ſpatio præſcribi putant. Alii contra ſublata hac diſtinctione legem canonicam, ſeu Eccleſiaſticam nonniſi quadragenario ſpatio tolli affirmant. Tandem loquendo de lege, non de jure bonorum Eccleſiæ, decennalem conſuetudinem ad eam abrogandam ſufficere, tertia ſententia defendit, ſeu recepta lex fuerit, ſeu non recepta. Hanc diſtinctionem hic non habere locum, ſicuti docet etiam ſecunda ſententia, evincit Anacl. p. 165. n. 106., „ quia ubi jus non diſtinguit, neque nos
„ diſtinguere debemus: ſed jus nullibi diſtinguit inter
„ legem canonicam uſu receptam, & non receptam:
„ Ergo. Quinimo cum receptio Populi non requiratur
„ ad intrinſecam conſtitutionem legis “ (ut mox nos quoque oſtendimus) „ parum refert, an ea aliquando
„ ſit uſu recepta, nec ne; cum utraque habeat ſuam
„ intrinſecam firmitatem, ac robur obligandi. “

Decennalem vero conſuetudinem ad abrogationem Eccleſiaſticæ legis ſufficere, confirmat Anacl., „ quia
„ non eſt inducenda diſcrepantia inter jus civile, &
„ canonicum, ubi non habetur expreſſe diſpoſitio juris
„ in contrarium cap. 1. de novi op. nunc.: atqui ad
„ abrogandam legem civilem per conſuetudinem con-
„ trariam, ſufficit decennium; ſimulque quoad hoc
„ in jure canonico non reperitur expreſſa diſpoſitio in
„ contrarium: ergo &c. “

Nam cap. *auditis* de præſcriptionibus 15. t. 26. lib. 2. decr., quod Nat. Alex. Th. t. 2. lib. 4. reg. 31. p. 423. pro ſecunda ſententia ſtans objicit, & cap. ult. tit. 4. lib. 1. decr. loquuntur de præſcriptione, ſeu de jure bonorum immobilium Eccleſiæ, quod non tollitur, niſi continuata bona fide poſſeſſione 40. annorum; qua de ſe in præſenti ſermo non eſt; & hoc ſenſu accipi debent Rotæ deciſiones, quas ſecundæ ſententiæ Patroni contra afferunt; quia illius Tribunalis ſententiæ de rebus in litem deductis feruntur. Enimvero dum lex per decennium, ut idem Anacl. ratiocinatur, non obſervatur, argumento eſt, illam Patriæ conſuetudini, loco, temporique non convenire; neque neceſſariam, & utilem eſſe; quæ tamen conditiones ex cap. 2. diſt. 4. ex D. Iſidoro deſumpto ſi deſint, lex vi legis deſtituitur. His rationibus, quæ mihi firmæ videntur, ego repugnare non audeo.

(e) Hanc ſententiam ſequitur quoque Concina Th. t. 6. p. 404. n. 9. q. 5. Ratio eſt, quia D. Aug. l. 1. de lib. arb. cap. 5. n. 11. (tom. 1. col. 573.) ait: *Nam mihi lex eſſe non videtur, quæ juſta non ſit*: at lex, ſeu præceptum, quod rem levem ſub mortali culpa imponit, non eſt juſtum, ut res ſeipſa loquitur: Ergo. Præterea D. Iſidorus apud D. Thomam 1. 2. q. 95. a. 3. arg. 1. ait: *Lex erit omne, quod ratione conſtiterit dumtaxat, quod religioni congruat, quod diſciplinæ conveniat, quod ſaluti proficiat*. At præceptum, de quo ſermo eſt, nec ratione conſtat, ſed eam excedit, nec ſaluti proficit, ſed potius obeſt, nec diſciplinæ, ſeu rectæ ſubditos regendi normæ convenit, quos moderatione ſalubrius regi, quam rigido imperio, experientia docet: Ergo non eſt lex.

Accedit D. Th. 1. 2. q. 95. a. 2. c., ubi dicit. *Unde omnis lex humanitus poſita intantum habet de ratione legis, inquantum a lege naturali derivatur: ſi vero in aliquo a lege naturali diſcordet* (ut arbitraria lex, de qua loquimur) *jam non erit lex, ſed legis corruptio.*

(f) *Quando materia eſt gravis, poteſt ſuperior præcipere ſub culpa tantum levi, quia* &c.

Hæc opinio prima ſpecie videtur rationabilis; at contraria ſententia, ut habet Concina Th. t. 6. diſſ. 5. cap. 3. q. 6. n. 10. p. 405., eſt Dominici Soto, Vaſquezii, Bellarmini, Tapiæ, Gregorii Martinez, Beccani, & aliorum plurium; quæ ſolidiori ratione nixa videtur. Poteſt quidem ſuperior non præcipiendo, ſeu legem non condendo, nullo modo conſcientiam ligare, ut recte ait Buſ.; at cum præcipit, aut legem condit, non eſt in ejus poteſtate non obligare, aut minus obligare, quam ratio legis, aut præcepti poſtulat. (Buſ. conſequentia non eſt legitima.) Inferior enim poteſtas, ut argumentatur S. Th. 1. 2. q. 96. a. 4. arg. 7., obligationem imponere quoad forum, ſeu judicium ſuperioris poteſtatis non poteſt. Ergo cum humana poteſtas infra divinam ſit, quoad hujus forum, ſeu quoad conſcientiam ex ſe obligationem imponere non poteſt. Tota ergo vis obligandi quoad conſcientiam, ſeu Deum in humanis legibus, ab Deo derivatur juxta illud Prov. 8. *Per me Reges regnant, & legum conditores juſta decernunt*. Argumentatio, & concluſio certa, ex Angelico fonte derivata eſt a cit. in corp. Hinc Rom. 13. *non eſt enim poteſtas, niſi a Deo ... itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit.*

Quod ſi hominum præcepta, & leges, non ab ipſis, ſed a Deo vim obligandi conſcientiam habent, non eſt in eorum poteſtate, ut quoad conſcientiam obligent, vel non obligent, aut magis, ſeu minus obligent. Ergo obligant, vel non obligant, magis, aut minus obligant, prout ſupremi Domini æterna ratio, ſeu recta ratio ab ea profecta præſcripſerit. Hinc porro fit, ut, cum præcepti materia gravis eſt, quia ex natura ſua, ſeu æterna Dei lege gravem obligationem parit, levis fieri ex præcipientis voluntate non poſſit.

Sicuti non eſt in voventis poteſtate, ut in materia gravi leviter ſe obliget, ut evinco animad. 11. in cap. 3. tract. 2. lib. 3.; ita ſuperior præceptum ex ſe grave ab eo profectum, leve efficere non poteſt.

Cæterum hæc quæſtio quoad praxim extra Religiones vix locum habet. Quoad has, cum earum Conſtitutiones ab Apoſtolica Sede probatæ ſint, extra peri-

culi

culi aleam ſunt conſtitutæ. Quoad præcepta oretenus a ſuperioribus impoſita, niſi rei evidentia contraria ſit, non eſt, cur eos imprudentiæ & temeritatis arguamus. At rectiſſime facient ſuperiores, ſi in præcipiendo valde parci ſint; ubi autem neceſſitas præceptum poſtulat, cur addere volunt, ſe ſub levi culpa obligare velle, quod in eorum poteſtate non eſt?

(g) 1. *Si materia ſit gravis, & non conſtet in contrarium de voluntate præcipientis.* Illud & *non conſtet* &c. ex mox dictis nihil efficit, cum materia evidenter gravis eſt. Reliqua bene habent; de quibus Conc. Th. t. 6. p. 404.

Animadversio I.

Tyrannus duplici ſenſu dicitur, hoc eſt duro regimine, & Regni uſurpatione. De Tyranno primo ſenſu dubium non eſt, quin ejus juſtæ leges, & ſententiæ obligent; quia licet ſubditos male habeat, legitimum tamen in eos habet imperium. Hinc 1. Petr. 2. 18. *Servi ſubditi eſtote in omni timore dominis non tantum bonis, & modeſtis, ſed etiam dyſcolis.* De Tyranno uſurpatore quæſtio eſt, in qua Buſembau ſententia a Concina quoque probatur, dummodo leges, & ſententiæ juſtæ ſint.

Animadversio II.

Id quidem certum eſſe debet. At quid ſi dubites, utrum lex fuerit promulgata? *In hoc dubio docet Dicaſt.* inquit La-Croix p. 163. n. 590 *præſumi debere, quod non: quia promulgatio eſt aliquid facti, quod non præſumitur.* „ Hæc opinio (ait Concina Theol. t. 6. „ p. 428. n. 8.) eſt falſa. Promulgatio ſequitur legem; „ ergo certus de lege, niſi habeat evidentes, aut ſaltem probabiliores rationes oppoſitum evincentes, præſumat neceſſum eſt legis promulgationem. “ Huic rationi ita reſpondet Zacharia. *Diſt. antec. promulgatio conſequitur ſemper, & neceſſario legem, n. antec. ſequitur plerumque, & non neceſſario, conc. antec. & nego conſequentiam.* At Zach. perperam in hac reſponſione ratiocinatur. Quia enim promulgatio plerumque, ac fere ſemper legem conſequitur, idcirco conſequentia Concinæ legitima eſt, & perperam a Zacharia negatur. Nam ex reg. juris 45. in 6 *Inſpicimus in obſcuris quod eſt veriſimilius, vel quod plerumque fieri conſuevit.* Si lex ſemper, & neceſſario promulgaretur, dubium de ejus promulgatione ſuboriri non poſſet.

Animadversio III.

In hac diviſione legem epiſcopalem, aut quaſi epiſcopalem Buſ. omiſit, quæ aut intelligenda, aut ſupplenda eſt.

CAPUT II.

De ſubjecto, cui datur præceptum.

DUBIUM I.

Quæ perſonæ præceptis obligentur?

Reſpondeo. Soli ſubditi ratione utentes obligantur, ita ut eorum tranſgreſſione peccent. *Quod*
Animad. I. *addo propter ebrios*, & ad tempus amentes, *qui etſi vere iis obligentur, eorum tamen violatione non peccant, defectu advertentiæ rationis, & conſenſus.* Pars prior eſt communis, & certa. Fill. *t.* 21. *cap.* 11. *q.* 10. Bonac. *p.* 6. &c. Laym. *l.* 1. *tr.* 4. *c.* 10. Poſterior eſt eorumdem. Cujus ratio eſt, tum quia præceptum, cum ſit directivum, ſupponit uſum rationis: tum quia obedientia tantum eſt eorum, qui ratione, & voluntate utuntur. Neque alias tranſgreſſio ad culpam imputari poſſet.

Unde reſolves hos caſus.

Animad. II. 1. *Legislator non tenetur ſuis legibus, ut ſic*, quoad vim coactivam, & pœnam, ſive directe: indirecte tamen, & quoad vim directivam, & ex æquitate quadam, tenetur ſe, tanquam caput, membris conformare. Ita S. Thom. *qu.* 96. art. 5. *ad* 3. Sylv. Suar. Bonac. Laym. *l.* 1. *tr.* 3. *c.* 9. contra Azor. Tenetur etiam in contractibus cum reliquis pari conditione uti. Vide Fill. *tr.* 21. *c.* 5.

2. Infideles non baptizati, etiam Catechumeni, non obligantur præceptis Eccleſiæ: obligantur tamen hæretici, & alii, qui per baptiſmum Eccleſiæ ſemel ſunt ſubjecti.

3. *Etſi pueri ratione utentes legibus iis Eccleſiæ*, Animad. III.
quarum materia eorum ætatis eſt conveniens, v. g. confeſſionis annuæ, ſecundum Navar. Henriq. & Azor. item abſtinentiæ a carnibus, auditionis ſacri, ſecundum Sanch. &c. *obligentur quoad culpam; non tamen quoad pœnas ordinarias, niſi ſint puberes, quales ſunt maſculi anno 14., puellæ 12. abſoluto.* Ita Sotus, Vaſq. *de pœnit. q.* 90. *art.* 2. Sa *v. Cenſura*.

4. Infantibus, non baptizatis, & perpetuo amentibus licite dantur carnes diebus Veneris, *& imponuntur opera ſervilia feſtis;* * non tamen ebriis, cum legi maneant ſubjecti, uti nec licita irritantur amentes ad blaſphemandum, lædendum, &c. eo quod talis actio tribueretur principali agenti, qui alterius opera uteretur, quaſi inſtrumento, ut Laym. *l.* 1. *tr.* 4. *c.* 10. Bonac. *p.* 6. & Sanch. 1. *Mor. c.* 12.

5. Clerici, cum jure divino ſint exempti de poteſtate civili, ut docet Bell. *l.* 1. *de Cleric.* 28. non tenentur legibus civilibus directe, & quoad vim coactivam. Unde nec a Principe ſæculari puniri poſſunt. Cum tamen ſint membra Reipub. & alioqui communis æquitas ſervari non poſſit, tenentur indirecte, & quoad vim directivam, legibus communibus iis, quæ ad bonum commune ſpectant, & eorum ſtatui non repugnant; quales v. g. ſunt leges prohibentes, vel irritantes contractum (niſi hæ ſint pœnales, tunc enim, quia vim coactivam obtinent, eos non ligant) ideoque peccant contra juſtitiam, & ad reſtitutionem tenentur, ſi frumenta, v. g. vel alia vendant ultra pretium a Principe ſtatutum. Ita Molina. Suar. Sal. Tan. Vid. Lay. *l. c.* quia Jus naturæ exigit, ut vendant pretio juſto: tale autem cenſetur, quod decernitur lege.

DUBIUM II.

An Peregrini teneantur legibus ſui domicilii, dum ab eo abſunt?

Suppono I. Præceptum aliud eſſe locale, quod ſcilicet certo tantum in loco, urbe v. g. vel parochie obligat; aliud univerſale, ſeu juris communis, quod totam fere Eccleſiam obligat.

Suppono II. Peregrinos propria dici eos, qui aliquo veniunt animo non manendi, ſed tantum ſubſiſtendi per aliquot dies, vel ad ſummum per minorem anni partem, ut mercatores, viatores, non autem ſtudioſi, neque ancillæ, quæ veniunt ad ſerviendum.

Reſpondeo, non obligari. Ita Nav. Sanch. Laſſ. *l.* 4. *cap.* 3. *diſt.* 8. Ratio, quia præcepta localia per ſe, & directe reſpiciunt territorium, eique ſunt affixa; atque adeo non obligant, niſi exiſtentes intra illud. Lex enim ita fertur; v. g. Feſtum illud tali loco celebretur; ideoque hic valet illud: *Si fueris Romæ, &c.* Addit Laym. *c.* 11. præceptum locale expirare etiam intra proprium territorium, in loco exempto, quod is æquiparetur loco ſito extra territorium.

Ex quibus reſolves hos caſus.

1. Si Epiſcopus ſub pœna excommunicationis vetet luſum aleæ, non obligantur Clerici ludentes in loco exempto a juriſdictione Epiſcopi. Bonac. *p.* 6. Laym. *c.* 11. *n.* 5.

2. Si quis die jejunii, aut feſto ſit in loco alio, non ſui territorii, aut exempto, ubi tunc non eſt jejunium, aut feſtum, poteſt ibi comedere, exercere ſervilia. Laym. *loc. cit. cap.* 11. Bonac.

3. Id etiam habet locum in præceptis juris communis, ſi in loco iſto ſint uſu abrogata, vel non recepta, vel habeatur privilegium. Quare potes v. g. Mediolani primis quatuor diebus Quadrageſimæ veſci carnibus, cum id ibi liceat: item in Belgio ſab-

* Hac de re ſuo loco.

ſabbatis intra Nativitatem, & Purificationem veſci carnibus: *item in loco, ubi Tridentinum non eſt receptum*, valida (etſi non licite) inire matrimonium clandeſtinum. * Suar. Sanch. *l.* 1. *s.* 12. Leſſ. *&c.*

Animad. IV. 4. *Poteſt quis diſcedens mane ex oppido, ubi non eſt jejunium, veſci carnibus, etſi meridie rediturus ſit domum, ubi eſt jejunium; nec tunc, ubi domum venerit, tenebitur ad ſervandum jejunium iſta die, cum illud jam violaverit, ideoque ſervare non poſſit*: tenebitur tamen domi ad abſtinentiam a carnibus, cum ille adhuc poſſit ibi ſervari, eo quod ſit dividua. Vid. Sanch. *l. s.* Leſſ. *s.* 12. *d.* 8.

Animad. V. 5. *Si quis abiturus eſt loco, ubi eſt jejunium, ſciatque ſe certo perventurum veſperi ad locum, ubi non ſit jejunium, tunc etſi non poſſit ibi veſci carnibus, unde abit* (cum iſta abſtinentia ſit dividua) *poteſt tamen ibi mane jentare, & meridie prandere*, ut contra quoſdam docent Leſſ. & Sanch. ſupra.

Animad. VI. 6. *Probabile etiam eſt, & in conſcientia ſecurum, quod docet* Sanch. *l.* 2. *de Matrim. d.* 18. *&* 1. *mor. s.* 12. contra Navar. Suar. peregrinos, *antequam excedant proprio territorio, non teneri implere præcepta, quæ ibi deprehendunt*, v. gr. *non teneri eum mane audire ſacrum die feſta, qui ante prandium venturus ſit alio, ubi non ſit feſtum*: quia, ſi manſiſſet in loco, ubi præceptum obligabat, poterat differre ad id tempus: quando autem pervenit ad alium locum, deſiuit obligari. Nec obſtat, quod prævidens impedimentum teneatur prævenire; quia id tunc tantum verum eſt, quando manente vi præcepti, quis eſt impediendus, hic autem ab obligatione præcepti abſolvitur. Contraria tamen ſententia, tamquam magis pie ſuaderi poteſt, niſi quid obſtet. Sanchez 1. *moral. c.* 12. *& lib.* 13. *de matrim. diſt.* 8. *num.* 21.

DUBIUM III.

An Peregrini, & vagi teneantur præceptis locorum, in quibus morantur?

Animadv. VII. Reſpond. *Regulariter non tenentur præceptis ſpecialibus illorum locorum*. Ita Laym. Sanch. Azor. Konin. Leſſ. Reginald. Fill. contra Navarr. Suar. Sa, &c. & quoad vagos, etiam contra Bonac. & Sanch. Ratio eſt, quia non poteſt dari ulla ratio hujus obligationis, cum illi non ſint ſubditi vel locis, vel Superioribus, quorum tales leges ſuerunt; ideoque ſint extra eorum juriſdictionem. Nec obſtat 1. eos nullis partialium locorum ſtatutis, ſed ſolo jure communi teneri, quia id non eſt abſurdum. Nec 2. quod vagi, ob delicta admiſſa, puniri poſſint: hoc enim conſuetudo recepit, ne ſcelera maneant impunita.

Dixi 1. *regulariter*: quia tenentur quibuſdam legibus, maxime quarum violatio cederet in damnum, & injuriam illius loci, in quo morantur, ut etiam iis, quæ ſunt de contractibus celebrandis.

Unde reſolves hos caſus.

Animad. VIII. 1. *Tales non tenentur audire Miſſam, & poſſunt opera ſervilia exercere die iſtic feſta: non tenentur jejunare, nec abſtinere a carnibus, quando iſtic eſt jejunium, & domi ſuæ non eſt*. Intellige utrumque ſecluſo ſcandalo, propter quod Epiſcopus loci punite poſſet. Laym. *l. c. tr.* 3. *s.* 12. *n.* 4.

2. Peregrinis non licet frumenta evehere, vel vendere ſupra pretium ibi ſtatutum, noctu arma ferre, &c. ſi talia ibi prohibita ſint. Panorm. Regin. Sanch. *n.* 36.

Dixi 2. *præceptis ſpecialibus*: quia ſi domi tuæ conſuetudine derogatum ſit alicui præcepto juris communis, & alio venias, ubi illud viget, eodem obligaberis. Ratio eſt, quia lex juris communis eſt univerſalis, & obligat omnes ſine ordine ad locum. Laym. *s.* 12. *n.* 3.

Unde reſolvitur hic caſus.

Belga aliquis veniens Coloniam, v. gr. tenetur iſtic ſabbatis inter Nativitatem Chriſti, & Purificationem abſtinere a carnibus, quia privilegium ejus comedendi tunc carnes non eſt perſonale, ſed locale: ideoque expirat extra locum. Laym. *l. c.*

DUBIUM IV.

An Peregrini teneantur præceptis juris communis, ſi non ſunt in uſu in loco, ubi morantur?

Reſp. Non teneri. Ratio eſt, quia tunc valet privilegium locale, quo frui poſſunt omnes, qui in loco morantur. Ita Sanch. 1. *mor. cap.* 12. Suar. Laym. &c.

Unde reſolvuntur ſequentes caſus.

1. Si Germanus per Hiſpaniam tranſeat, poteſt ſabbatis veſci inteſtinis animalium. Idem, ſi per Belgium, aut Mediolanum iter habeat, poteſt inter Nativitatem Chriſti, & Purificationem, in Belgio ſabbatis, Mediolani vero quatuor primis diebus Quadrageſ. carnibus veſci. Sanch. Suar. Bon. *p.* 6. *n.* 61.

2. Si quis ex Diœceſi Catholica, v. g. Hildeſiu, ubi vetus Calendarium adhuc eſt in uſu, veniat in aliam, ubi novum eſt receptum, v. gr. Monaſterium, poteſt, ſi ibi Quadrageſima præteriit, carnibus veſci, ut docet Sanch. *l. s.* Salas *num.* 69. Bon. *num.* 46. Leſſ. *l.* 4. *c.* 2. *d.* 8. qui tamen contrariam ſententiam ſuadet in praxi, licet hæc tuta ſit, ut etiam docet Laym.

Addidi *ex Diœceſi Catholica*: quia ſi Catholicus veniat in terras hæreticorum, ubi alii Catholici non ſunt, tenetur ibi ſervare novum Calendarium ad vitandum ſcandalum, & contemptum Eccleſiæ Catholicæ. Vide Laym. *l.* 1. *tr.* 4. *c.* 11. *n.* 8.

Animadversio I.

HÆc Buſ. doctrina abſolute ſine limitatione enuntiata, evidenter falſa eſt. Hic ergo diſtinctione opus eſt. Si ebrietas ſit involuntaria, & inculpabilis, *tunc peccatum ſequens totaliter excuſatur a culpa, ſicut forte accidit de Loth*; quia ſcilicet peccatum ſequens nec in ſe, nec in cauſa voluntarium eſt. At ſi ebrietas fuerit voluntaria, *diminuitur quidem peccatum ſequens, ſicut & diminuitur ratio voluntarii; ſed non totaliter excuſatur: quia ſcilicet redditur voluntarium ex voluntate præcedentis actus, inquantum ſcilicet aliquis dans operam rei illicitæ incidit in ſequens peccatum.*

Hæc eſt D. Thom. doctrina 2. 2. q. 150. art. 4. cujus verba inverſo ordine deſcripſi, ut quoad rem præſentem clarius incederem.

Qui vult antecedens, vult etiam conſequens, & qui vult cauſam, vult quoque effectum: ergo qui vult ebrietatem, vult quoque peccata ebrietatem conſequentia, & ab ea oriunda; puta blaſphemias, rixas, contumelias, libidines &c. Quæ, quia voluntaria ſunt, a culpæ reatu immunia eſſe nequeunt. Hinc S. Paulus Eph. 5. 18. ait: *Nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria*. Si luxuria ex ebrietate orta, non eſſet peccatum, nihil cauſæ eſſet, cur D. Paulus ab ebrietate nos deterreret propter luxuriam inde profectam. Et D. Ambroſius lib. 1. de Abrah. c. 6. cit. a D. Th. 2. 2. q. 150. art. 2. inquit: *Vitandam diſcimus ebrietatem, per quam vitia cavere non poſſumus. Nam quæ ſobrii cavemus, per ebrietatem ignorantes committimus*: & diſt. 35. cap. 9. ex Conc. Agathenſi c. 41. dicitur: *Ante omnia Clericis vitetur ebrietas, quæ omnium vitiorum fomes, & nutrix eſt.*

Ipſe Buſ. fatetur, ebrios legibus vere obligari: et certum eſt, obligatos legibus peccare, ſi eas violent: ergo ebrii violantes leges, peccant. *Non peccant*, inquit Buſ. *defectu advertentiæ rationis, & conſenſus*. At ſi defectu advertentiæ, & conſenſus non peccant, dum contra legem operantur, a legis vinculo ſoluti ſunt. Eſt enim contradictorium, hominem legis vinculo teneri, nec tamen eam violando peccare. Sed hoc miſſo, dum Buſ. ait, ebrios legum violatione non peccare *defectu advertentiæ rationis, & conſenſus*, ponit, peccatum ſine advertentia rationis non admitti: at ſi peccatum ſine advertentia rationis non admittitur, nulla erunt ignorantiæ peccata; qui eſt Pelagianorum error. Quod enim ex advertentia fit, ex ignorantia non fit. *Non omnis ignorantia*, inquit D. Th. 1. 2. q. 76. art. 3. ad 1. *cauſat involuntarium, unde non omnis ignorantia totaliter excuſat a peccato.*

Sola

* Vide Animadverſionem xxiv, in cap. 3. lib. 6. tract. 1.

Sola ignorantia antecedens, ex eodem D. Th. 1.2. q. 6. art. 8. *quæ non eſt voluntaria, & tamen eſt cauſa volendi, quod alias voluntas non vellet, cauſat involuntarium ſimpliciter*; ideoque a peccato ex toto excuſat. At ignorantia ebrii voluntaria eſt; ideoque a peccato ex toto non excuſat.

At objicit Buſ. „ Præceptum, cum ſit directivum, „ ſupponit uſum rationis, & obedientia tantum eſt eorum, qui ratione, & voluntate utuntur; neque alias „ tranſgreſſio ad culpam imputari poſſet. "

Reſp. Hi ſcilicet meri cavilli ſunt. Præceptum ſupponit quidem ex rei natura uſum rationis, cum non imponatur niſi naturis rationalibus, rationis uſu pollentibus; at qui ex natura uſu rationis pollet, a præcepti vinculo non ſolvitur, ſi ſponte ſua uſum rationis amittat: quia nemo ex culpa ſua commodum reportare debet. Id in hac ipſa reſponſione conteſſus eſt Buſembaum veritatis vi victus, quod nunc cavillatorie, ſibique repugnans inficiatur. Idem dicas de obedientia. Qui enim rationis compotes ſumus, vigiles eſſe debemus, ut ejus uſus in promptu ſit, quo officio noſtro fungi, hoc eſt legi obedire poſſimus. Culpæ enim nobis vertitur, ſi officii, & legis ſervandæ impotes ſponte efficiamur; nec ſolum culpæ vertitur hoc ipſum, quod ſponte efficiamur impotes legis ſervandæ, ſed ipſa legis tranſgreſſio, quæ in cauſa voluntaria eſt. Hæc ſunt certa, nec in controverſiam jure vocari poſſunt. Hinc ipſe Ethnicus Ariſt. Eth. 3. cap. 5. *Nam etiam propterea quod quippiam ignoratum eſt, caſtigant latores legum, ſi quis ſibi ipſe ſuæ inſcientiæ cauſa eſſe videatur: v. g. in ebrios duplex pœna conſtituta eſt: principium enim in ipſis eſt. Nam ſitum in eis erat, ne ebrii fierent. Ebrietas autem cauſa inſcientiæ eſt*. Ita Ariſt. ſolide more ſuo. Itaque Confeſſarii opinionem Buſ. pro nihilo habentes, pro certo habeant, peccata, ut blaſphemias, libidines, rixas &c. ab ebriis admiſſa, eſſe vere peccata, & culpabilia; licet minora ſint, quam quæ a ſanis fiunt.

Illud ſolum dubitari hic poteſt, utrum mala, quæ ex voluntaria, ideoque culpabili ebrietate oriuntur, culpæ imputanda ſint, ſi nec prævuſa fuerint, nec ex humana providentia prævideri potuerint. Reſp. Species hæc rara eſt, & extra ordinem; quæ tamen ſi accidat, negandum videtur, ut negat non ſolum Buſembaum, ſed Wig. p. 132. Ratio eſt, quia quæ per accidens, ſeu præter rerum ordinem accidunt, voluntaria non ſunt, ideoque non ſunt culpabilia.

Huic ſententiæ congruit D. Aug. qui de Loth inceſtu ex ebrietate præter ordinem profecto loquens, lib. 22. c. 44. contra Fauſtum ait: *Loth culpandus eſt, non quantum ille inceſtus, ſed quantum ebrietas meruit*.

Lector mea dicta attente conſideret. Nam Zach., cujus inanes multæ voces, ne lectori, & mihi moleſtus ſim, omittendæ ſemper ſunt, ait: „ Buſembaum „ etiam adſentiris quoad ea peccata, quæ ex volun„ taria quidem ebrietata proficiſcuntur, ſed prævuſa „ non fuerunt. " Reſp. hæc quoque inania, & ſophiſtica, aut doloſa ſunt; ego enim ita ſcripſi: *ſi nec prævuſa fuerint, nec ex humana providentia prævideri potuerint*.

Zach. „ igitur quæſtio eſſe poteſt de iis ſolum ebriis, „ qui in voluntaria ebrietate conſtituti, quæ prævide„ runt, peccata admittunt. "

Reſp. Adde, & quæ prævidere potuerunt, ideoque debuerunt. Falſo, mi Zach., ſuppoſito (ex inconſideratione ne dicam, an ex dolo?) laboras.

Animadversio II.

Recte quidem Buſ. aſſerit, legiſlatorem ſuis legibus quoad vim directivam, an ex æquitate teneri. At La-Croix in hunc locum p. 141. n. 675. rem laxat, dum contra Anacletum, & Card. Sfondratum a ſe citatos, Bonacinam, & alios, quos appellat, ſequitur, & probabilius eſſe ait, Legiſlatorem graviter non peccare, ſi ſuas leges non obſervet. Ejus ratio hæc eſt, quia legiſlator *non peccat contra ſuam legem, cum lex dirigatur ad ſolos ſubditos, ſed tantum contra legem naturalem, quæ dictat, eum debere ſe conformare communitati, &c.* At hæc ratio La-Croixio contraria eſt. Nam qui contra legem naturalem in re gravi peccat, graviter peccat: ergo legiſlator contra ſuam legem in re gravi, ut ponitur, peccans, graviter peccat. Eſſe tantum levem deordinationem, ut La-Croix ait, ſi legiſlator communitati quandoque non ſe conformet, merito negatur, loquendo de re gravi.

Præterea illud quoque falſum jure dicitur, Legiſlatorem ſuæ legi repugnantem, contra eam non peccare. Contrarium aperte docet S. Th. qui 1. 2. q. 96. art. 5. ad 3. ait, *quod Princeps quidem dicitur eſſe ſolutus a lege, quantum ad vim coactivam legis*, hoc eſt quoad pœnas; *ſed quantum ad vim directivam legis, Princeps ſubditur legi propria voluntate, ſecundum quod dicitur ext. de conſtit. cap. Cum omnes*, quod quiſque juris in alterum ſtatuit, ipſe eodem jure uti debet ... Unde, concludit Angelicus, *quantum ad Dei judicium Princeps non eſt ſolutus a lege quantum ad vim directivam ejus*. Lex Principis, quatenus ex ejus poteſtate oritur, ipſi non dominatur; quia nemo in ſeipſum dominatur; at quatenus ex naturæ lege, unde omnis lex manat, proficiſcitur, ipſum Principem ſubditum habet; quia lex naturæ omni Principatui imperat. Ex quo fit, ut Princeps contra latam legem in re gravi peccans, graviter peccet. Ita quoque Concina Theol. t. 6. p. 378. n. 5.

Animadversio III.

Pueros ratione utentes Eccleſiæ legibus eorum ætati convenientibus obligari, recte docet Buſ. At La-Croix p. cit. n. 676. ex Diana, & aliis ait, eos ante ſeptennium completum non teneri, quamvis plenum rationis uſum habeant. Ratio eſt, inquit La-Croix, „ quia leges „ eccleſiaſticæ in obligando procedunt humano modo, „ ideoque neminem obligant, niſi habentem uſum ra„ tionis, quem non præſumunt, niſi poſt completum „ ſeptennium: atqui communiter non contingit uſus „ rationis ante ſeptennium completum: ergo. " Hactenus La-Croix. Quid ſibi vult illud *ergo*? quænam eſt legitima præmiſſarum concluſio? Hæc ſcilicet: ergo leges humanæ ante ſeptennium completum communiter non obligant. Id nemo inficiatur; at inde non efficitur, pueros ante ſeptennium completum rationis uſu præditos, quod raro accidit, Eccleſiæ legibus non obligari. Utraque ſententia, inquit La-Croix, eſt ſatis probabilis. Si ita eſt, non utralibet, ut corrupta probabilitas docet, eligi poteſt; ſed, ut ſana Theologia inculcat, tutior ex præcepto eligenda eſt. At quomodo probabilis eſſe poteſt ſententia Dianæ, & aliorum, quæ ratione nullius momenti, ut obſervatum mox eſt, nititur? Hanc ſententiam rejicit quoque Concina Theol. t. 6. p. 379. n. 7. D. Th. 1. 2. q. 96. art. 5. ait: *Dupliciter aliquis homo poteſt eſſe legi ſubjectus. Uno modo ſicut regulatum regulæ; & hoc modo omnes illi, qui ſubduntur poteſtati, ſubduntur legi, quam fert poteſtas*: atqui certum eſt, pueros baptizatos uſu rationis præditos, etiamſi ſeptennium nondum compleverint, Eccleſiæ poteſtati eſſe ſubjectos: ergo certum eſt, eos Eccleſiæ legibus eſſe ſubjectos. Quare non eſt rationabiliter dubitandum, quin pueri doli capaces ante ſeptennium completum & præcepto annuæ confeſſionis, ut infra quoque ſuo loco oſtendetur, & feſtorum dierum lege, quæ gravisſimorum Auctorum, & communiſſima ſententia eſt teſte Concina Theol. t. 5. p. 25. cap. 9. & abſtinentia a carnibus teneantur.

Non tamen quoad pœnas ordinarias, niſi ſint puberes &c.

Impuberes doli capaces cenſuris ſubjici poſſe, res certa eſt. Utrum vero cenſuris jam latis obnoxii ſint, quæri poteſt. Eos in excommunicationem latam contra ingredientes intra ſepta monaſterii monialium incurrere, verba Trid. Synodi ſeſſ. 25. c. 5. de Reg. a erre oſtendunt; quia Syn. ait, *cujuſcumque ætatis fuerint*. P. Concina Theol. t. 9. p. 563. n. 1. & tr. 10. p. 431. n. 19. univerſe ait: *Impuberes vero ſubjacent cenſuris, quidquid in oppoſitum aliqui dicant*. Ratio eſt, quia qui culpæ, & contumaciæ, propter quam cenſuræ latæ ſunt, rei fiunt, cenſuras quoque incurrunt, niſi legiſlator eos exceperit: at impuberes culpæ, & contumaciæ, propter quam cenſuræ latæ ſunt, rei fiunt, cum Eccleſiæ leges violant, nec legiſlatores eos exceperunt: ergo cenſuras incurrunt. Ubi lex non diſtinguit, ne nos quidem diſtinguere debemus: at lex quoad cenſuras latæ ſententiæ non diſtinguit inter puberes, & impuberes: ergo &c. Ipſe La-Croix t. 3. p. 101. n. 41. probabilius eſſe ait, impuberes incurrere in excommunicationem latam contra percuſſores clericorum. Cur ergo in alias non incurrunt? Niſi ignorantia recte intellecta excuſet, diſcrimen inter eam cenſuram, & alias aſſignari non poteſt.

Decret. lib. 5. tit. 23. c. 1. dicitur: *Pueris grandiuſculis peccatum nolunt attribuere quidam, niſi ab annis 14. cum pubeſcere cœperint; quod merito crederemus, ſi nulla eſſent peccata, niſi quæ membris genitalibus admittuntur. Quis vero audeat affirmare furta, mendacia, perjuria non eſſe peccata? his plena eſt puerilis ætas; quamvis in eis non ita, ut in majoribus puniendi videantur*. Peccata punita pœnis latæ ſententiæ, ſicuti ab impuberibus committuntur, ita in iis quoque punita eſſe intelliguntur; peccata vero punienda, uti ea ſunt, in quæ minæ, ſeu pœnæ ferendæ ſententiæ intenduntur, his pœnis in impuberibus plectenda non ſunt, puta Eccleſiæ ingreſſu, eccleſiaſtica ſepultura, ſi annuæ confeſſionis, & communionis præceptum non impleverint; quæ ſententia, ut ait Concina Theol. t. 9. p. 432. q. 3. communiſſima eſt, cui ipſe quoque ſubſcribit.

Ani-

Animadversio IV.

Nec leges laxare, nec rigidiores efficere quam ſint, debemus, ſed veritatem conſectari. Prior pars aſſertionis Buſ. probanda videtur. Quia viator, & peregrinus ex probabiliore, & communiore ſententia, quam probat quoque Concina Theol. t. 5. p. 25. n. 3. & t. 6. p. 382. n. 17. legibus ſui domicilii, a quo abeſt, non tenetur juxta illud Boniſ. 8. in ſext. c. 2. tit. 2. *cum extra territorium jus dicenti non paretur impune*. Huc ſpectant auctoritates D. Ambroſii, & Auguſtini dub. 3. hujus cap. citandæ. Atqui diſceſſurus ex oppido, ubi non eſt jejunium, a ſuo domicilio abeſt: ergo lege jejunii in ſuo domicilio vigente non tenetur: ergo carnibus veſci poteſt. At, inquis, qui carnibus veſcitur, impotentem ſe reddit ad ſervandam legem patriæ, ubi eo redierit; (nec enim qui mane veſcitur carnibus, eo die jejunare amplius poteſt) ergo peccat. Reſp. Impotentem ſe reddit ad ſervandam legem patriæ ex toto, concedo; ex parte, nego; at diſceſſurus, lege jejunii in ſuo domicilio vigente ex toto non tenetur, ſed ſolum ex parte, quam, ubi eo pervenerit, ſervare poteſt, & debet. At homines probi, & pii, unde rectum de moribus judicium ſumendum eſt, carnium eſum ſibi interdictum in propoſita ſpecie putarent: ergo interdictus videtur.

Reſp. In hac ſpecie, quantum ego quidem aſſequi poſſum, gulæ venialis culpa forte ineſt, mortalem contra jejunii præceptum culpam non agnoſco. Nam homines pii re non perſpecta forte dubitant, & quod tutius eſt faciunt.

Altera aſſertionis pars *nec tunc* &c. penes me falſa omnino eſt. Ratio Buſemb. hæc eſt. Qui jejunium ſervare non poteſt, illud ſervare non tenetur. Propoſitio veriſſima eſt: at qui carnibus mane uſus eſt, jejunium ea die ſervare amplius non poteſt: ergo non tenetur. Reſp. Ex toto quidem jejunium ſervare non poteſt, at ex parte poteſt, ideoque debet. An quia ſolidiore magiſque nutritio cibo prandit, a cena abſtinere non poteſt? Nonne fatente Buſembao a carnibus domi abſtinere tenetur? Cur ergo ab altera quoque refectione abſtinere non tenetur? Utrumque præſtare poteſt; ergo aut utrumque, aut neutrum præſtare tenetur. At inquit Buſemb. abſtinentia a carnibus ſervari poteſt, quia eſt dividua. An altera refectio dividi non poteſt a prandio carnium? Mittamus, quæſo, in re præſertim morali, & graviſſima inanes cavillationes.

Juxta ſolidiſſimum D. Thomæ principium cum lex ex toto ſervari non poteſt, ea parte, eoque modo, quo fieri poteſt, ſervanda eſt; qui ab hoc principio per fallaces ratiunculas diſcedere auſi ſunt, in prop. 54. ab Innoc. XI. proſcriptam inciderunt. Qui mane carnes comedit, jejunium ſervare poteſt quoad abſtinentiam non ſolum a carnibus, ſed etiam ab altera refectione: ergo illud ſervare debet non ſolum abſtinendo a carnibus, ſed etiam ab altera refectione. Hæc non probabilia, ſed certa ſunt.

Animadversio V.

Hæc, ut mihi videntur, inania commenta ſunt, a ſana Theologia ableganda. Principii loco habeo, quod infra oſtendam ad Reſp. dub. 3. peregrinos, & vagos illius loci, ubi ſunt, lege teneri: ſed in loco, ubi quis reperitur, & unde diſceſſurus eſt, lex jejunii eſſe ponitur: ergo ea tenetur: ergo nec carnes edere, nec mane jentare, nec poſt jentaculum meridie prandere poteſt; quia hæc omnia jejunii lex vetat. Legantur D. Ambroſius, & Auguſt. mox citandi, qui rem conficiunt, niſi per cavillationes eos eludimus. Si diſceſſurus carnibus veſci non poteſt, ut Buſ. ultro fatetur, cur mane jentare, & meridie prandere poteſt? An ita diſtinguunt Ambroſius, & Auguſtinus? Abſtinentia a carnibus, inquit Buſ. dividua eſt. Cur non dividua abſtinentia plurium refectionum? Hic ſcilicet nihil eſt, quod dicant, niſi verborum ſonitus, & commentitiæ cavillationes. Lege, ſi lubet, Concinam Theol. t. 6. p. 384. n. 24.

Animadversio VI.

Buſ. probabile cum ſecuro conciliat; quod tamen probabile, *ſi pro recta regula Fideles in praxi ſequerentur, ingens irruptura eſſet chriſtianæ vitæ corruptela*, teſte Alex. VII. in prol. ad prop. a ſe damnatas. Nec enim probabilius dicere Buſ. auſus fuit; quia pro Buſ. ſententia a Paſqualigo undecim Auct. citantur, pro contraria decem & octo, ut teſtatur La-Croix p. 142. n. 684. In hoc ergo opinionum conflictu evidens eſt peccati periculum; quia æque probabile, aut probabilius eſt, peccatum admitti, quam non admitti. Ergo peccatum reipſa admittitur. Hæc eſt Buſembaum ſecuritas.

Sed miſſa recentium auctoritate, quæ in novis opinationibus nihil ponderis habet; cum præceptum viget, impleríque poteſt, implendum eſt: at in loco, unde incola diſceſſurus eſt, viget præceptum audiendi Miſſam, impleríque ex hypotheſi poteſt: ergo Miſſa audienda eſt. Poterat quidem incola, ſi in patria manſiſſet, Miſſæ auditionem ad meridiem differre; quia ipſo meridie Miſſa audienda fuit. At ſi diſcedat ſine Miſſæ auditione, nec meridie, nec ante Miſſa auditur: ergo peccatum admittitur. „ Cum pervenit, inquit Buſ. ad alium „ locum, deſinit obligari. " Ita ſane; at non deſiit obligari, priuſquam diſcederet: ergo priuſquam diſcederet, Miſſa fuit audienda. Ita quoque ſentit Concina Theol. t. 5. p. 29. num. 8. idque colligi poteſt ex D. Amb. & Aug. mox citandis.

At quid, ſi quo tempore e proprio loco incola diſceſſurus eſt, Miſſa non celebretur? *Si antequam exeat*, inquit La-Croix p. 142. n. 684. aliorum ſententiam referens, nec improbans, *nullum fiat ſacrum, non tenetur expectare, ſed poteſt exire, & non audire ſacrum.*

At nonne, ſi unum tantum eo loco fiat ſacrum, illudque ante diſceſſum, illud incola diſceſſurus audire tenetur? Affirmat La-Croix, *quia*, inquit, *eo die iſto loco obligatur ad ſacrum*. At ſi eo die obligatur eo loco ad ſacrum, ſacrum quoque expectare tenetur, ut ſuæ ſatisfaciat obligationi.

Si vero non unum tantum fiat ſacrum ante incolæ diſceſſum, ſed aliud, aut alia etiam poſt diſceſſum, diſceſſurus illud audire non tenetur teſte La-Croixio. *Hoc ſane*, ait Concina Theol. t. 5. p. 29. n. 8. *mihi videtur ineptum commentum*. Nonne fatente La-Croixio diſceſſurus *eo die in iſto loco obligatur ad ſacrum*? Cur ergo non obligatur, ſi plura ſacra eo loco fiant? videlicet obligatur, & non obligatur, ut volueris. Hæc eſt verſatilis probabilitas. *Quin imo quo plura celebrantur ſacra*, merito ſubdit Concina, *eo major eſt implendi præcepti opportunitas*. An quia major eſt implendi præcepti opportunitas, præcepti vis, & obligatio ceſſat?

Animadversio VII.

Buſ. hic abſolute negat, quaſi hac de re dubitandum non ſit. At Anacletus Theol. p. 67. n. 25. concl. 2. aſſerit, affirmantem ſententiam & communiorem eſſe, & probabiliorem. Hoc ſane ſatis eſt, ut quid in hac re fieri oporteat, intelligamus. Sed miſſis recentibus opinatoribus, qui, cum Sanct. Patrum doctrinæ repugnare audent, pro nihilo habendi ſunt [a], audiamus D. Auguſtinum, & D. Ambroſium. D. Aug. ep. 118. ad Jan. c. 2. & 2. (refertur diſt. 10. cap. 11. *Illa autem*) inquit: *Nec diſciplina ulla eſt in his* (loquitur de variis, & ſpecialibus locorum conſuetudinibus & legibus) *melior gravi, prudentique Chriſtiano, quam ut eo modo agat, qua agere viderit Eccleſiam, ad quamcumque devenerit. Quod enim neque contra fidem, neque contra bonos mores injungitur, indifferenter eſt habendum, & pro eorum, inter quos vivitur, ſocietate ſervandum eſt. Mater mea Mediolanum me conſequuta invenit Eccleſiam ſabbato non jejunantem: cœperat fluctuare, quid ageret. Tum ego conſului de hac re beatiſſimæ memoriæ virum Ambroſium. At ille ait: Cum Romam venio, jejuno ſabbato, cum Mediolani ſum, non jejuno. Sic etiam tu, ad quam forte Eccleſiam veneris, ejus morem ſerva, ſi cuipiam non vis eſſe ſcandalo, nec quemquam tibi. Hoc cum matri renuntiaſſem, libenter amplexa eſt.* Hactenus S. Aug. & ex S. Aug. teſtimonio S. Ambroſius. Quid nunc audias Buſembaum contra tanta nomina inepte ratiocinantem? Peregrini, inquit, *non ſunt ſubditi vel locis, vel ſuperioribus, quorum tales leges fuerunt*.

Reſp. Quis te, Buſembaum, hoc docuit? Nonne peregrini a locorum, ubi reperiuntur, ſuperioribus puniri poſſunt non ſolum propter delicta juri naturæ, & communi contraria, ſed etiam propter violationem legum loci ſpecialium? Hæc eſt teſte Anacleto n. 26. loci mox cit. omnium Doctorum ſententia. At, inquit Buſ., *vagi* (idem dicas de peregrinis) *ob delicta commiſſa puniri poſſunt ex recepta conſuetudine, ne ſcelera maneant impunita*. Hic videlicet ſuo ſe telo conficit. Si enim vagi, & peregrini ex recepta, hoc eſt rationabili conſuetudine, ne ſcelera ſint impunita, puniri poſſunt, ſuperiores locorum juriſdictionem in eos jure exercent ex vi ipſius

[a] Hoc dictum recentibus opinatoribus odioſum, ſine cujuſquam injuria, ſuum cuique tribuit. Levis enim recentium opinatorum auctoritas, conſenſu maxima & graviſſima Ss. Patrum auctoritate rejecta, & contrita, in nihilum abit, ut ait ex ſe loquitur, & Cleri gallicani auctoritate citat ſaepius ... in R. dub. 18. cap. 11. lib. 1. tract. 11 Buſemb.

ipſius communis conſuetudinis, hoc eſt jure Gentium. Ergo vagi, & peregrini ſunt illis ſubditi.

Peregrinos, & vagos *nullis partialium locorum ſtatutis, ſed ſolo jure communi teneri, non eſt*, ait, *abſurdum*. Reſp. imo id valde abſurdum eſt, eos ſcilicet nulli humano legislatori, ſi ſupremam eccleſiaſticam excipias poteſtatem, quæ ubique Chriſtianorum locorum viget, ſubeſſe. Si abſentia a loco ſuo, ab ejuſdem loci legibus peregrinos eximit, iiſque jus tribuit fruendi privilegiis, & conſuetudinibus loci, in quo reperiuntur, ut affirmat ipſe Buſ. hic dub. 4., par eſt ut ejus quoque legibus ſubdantur; quia *qui ſentit onus, ſentire debet commodum*, & *contra* ex reg. juris 55. in 6.

p. cxiii. Sententiæ a me hic propugnatæ „ non admodum, „ inquit P. Zach., repugno, qui norim, plures omnium „ ordinum Theologos contrariam (Buſembaum) ſententiam tueri; etſi magnis nominibus Buſ. quoque „ doctrina fulcitur. “ Reſp. velles ſcilicet, mi Zach., probabiliter hinc inde diſputari. „ Sed illud me movet, Franzojam de graviſſimis Doctoribus, qui cum „ Buſemb. ſentiunt, hæc audacter pronunciaſſe, “ *ſed miſſis recentibus opinatoribus, qui, cum Sanct. Patrum doctrinæ repugnare audent, pro nihilo habendi ſunt* &c. „ Qua in re monendus es, ne nimium de tua SS. Auguſtini, & Ambroſii auctoritate glorieris. Suarez „ enim, aliique ex his ipſis recentibus opinatoribus, „ quos pro tua dignitate nihili habendos eſſe decernis, (*cum SS. PP. doctrinæ repugnare audent*) multo „ antequam naſcerere, hocce teſtimonium contrariæ „ ſententiæ adſertoribus objecerant. Enim vero Auguſtinus, ſi ejus mens recte intelligatur, P. Buſemb. „ potius favet, quam tibi. Recole extrema verba. *Sic etiam tu ad quam forte Eccleſiam veneris, ejus morem ſerva, ſi cuipiam non vis eſſe ſcandalo, nec quemquam tibi*. „ Ambroſius ergo, eumque ſecutus Auguſtinus hanc rationem tradunt, cur mores Eccleſiæ, „ ad quam quis forte venerit, ſervandi ſint, ne cuipiam ſcandali occaſio detur: igitur ſecluſo ſcandalo „ poterunt non ſervari; quod unum ait Buſembau. Mi „ Franzoja, non repugnant Patribus Caſuiſtæ, quod „ eorum teſtimonia extra rem non congerant; ſed ridiculi ii ſunt, qui Patres objiciunt, nec illos intelligunt, quemadmodum tu. “

Reſp. Belle; ſed non poſtrema ſolum, at omnia D. Auguſtini verba recole. *Nec diſciplina ulla eſt in his melior gravi prudentique Chriſtiano, quam ut eo modo agat, quo agere viderit Eccleſiam, ad quamcumque devenerit*. Hæc eſt D. Auguſtini ſententia abſoluta, non, ut tu, mi Zach., vis, conditionata. Et ne de conſilio eum dicere, quiſquam comminiſcatur, ſtatim ſubdit. *Quod enim neque contra fidem, neque contra bonos mores injungitur, indifferenter eſt habendum, & pro eorum, inter quos vivitur ſocietate ſervandum eſt*. Ait *ſervandum eſt*; quod præceptum abſolute includit; & ratio D. Auguſtini eſt, quia unuſquiſque eorum legibus, quibuſcum ſocietate conjungitur, ſubditur, pro *eorum inter quos, vivitur, ſocietate ſervandum eſt*; quæ ratio nihil quoad ſcandalum includit. *Mater mea* &c. Hic ſuam ſententiam ratione munitam, S. Ambroſii auctoritate confirmat, qui ait: *Cum Romam venio, jejuno ſabbatho, cum Mediolani ſum, non jejuno*; quæ locutio abſoluta eſt, non hypothetica: illud, *ſi cuipiam non vis eſſe ſcandalo*, ratio eſt, ut tu quoque concedis, non ſententiæ limitatio, ut tu perperam. Nullum malum, nullaque mali ſpecies eſſet, hoc eſt nullum ſcandalum, ſi peregrinus loci legibus non obſtrictus, eas non ſervaret. Quod ſi quæ mali ſpecies ex incolarum ignorantia exiſteret, ex ſui manifeſtatione ſtatim evaneſceret.

Sed conſidera etiam poſtremum illud dictum, *nec quemquam tibi*; ne aliis malo exemplo ſis, ut alii tibi ſcandalo non ſint. “

Hinc Gloſſa animadvertit, ex hac D. Auguſtini ſententia, illos verſiculos, qui abſolute, non conditione adjecta efferuntur, dimanaſſe: *Cum fueris Romæ, romano vivito more: cum fueris alibi, vivito ſicut ibi*.

Sed, ut omnis hac de re ſcrupulus evaneſcat, iterum audiatur D. Auguſt., qui lib. 3. confeſſ. cap. 55. inquit. *Quæ contra mores hominum ſunt flagitia, pro morum diverſitate vitanda ſunt, ut pactum inter ſe civitatis, aut gentis conſuetudine, vel lege firmatum, nulla civis, aut peregrini libidine violetur. Turpis enim omnis pars eſt, ſuo univerſo non congruens*. Ad rem noſtram luculenta hæc ſunt, nonnihil ſophiſtice eludenda.

At P. Zach. deſcriptis illis meis verbis, *quis te, Buſemb., hoc docuit?* &c. uſque ad eam concluſionem, *ergo vagi, & peregrini ſunt illis ſubditi*, ſubdit. “ Ita „ equidem ſentio, fortaſſe tamen nimis urges imbecillam rationem. Quid ſi enim Buſemb. petita aliquid „ pro ſe fandi venia diceret? Illuſtriſſ. Doct. Coll. Patavini Franzoja, diſtinguo. Sunt illis ſubditi in foro „ conſcientiæ, de quo ego Caſuiſta ago, nego conſequentiam: in foro externo, iterum diſtinguo; ob „ damnum publicum, ſcandalumque inde exoriendum, „ ſi ſcelera impunita manerent, concedo; alia de cauſa nego; an Arabicam diſtinctionem hanc vocares, „ uti facetus homo Caſuiſtarum diſtinctiones ſæpius „ appellas? “

Reſp. Hanc tuam, mi Zach., diſtinctionem in mea animadverſione jam præoccupatam, non ſolum Arabicam appello, ſed Antiapoſtolicam. Nam D. Paulus Rom 13. inquit: *Subditi eſtote non ſolum propter iram*, hoc eſt quoad pœnas fori externi, in quo ſolum peregrinos, & vagos, locorum legibus ſubditos vis, *ſed etiam propter conſcientiam*, in cujus foro eos ſubditos negas. Ergo tua diſtinctio aperte Antiapoſtolica eſt.

An qui Principum auctoritatem (quæ eſt forum externum) lædunt, Deum, unde eorum poteſtas derivatur, non offendunt? *Per me Reges regnant, & legum conditores juſta decernunt*. Prov. 8.

Aut negandum, mi Zach., peregrinos, & vagos legum auctoritati, ſeu foro externo, ſubjici; aut concedendum, eos ſubdi etiam in foro interno, ſeu quoad conſcientiam, niſi Apoſtolo, & Scripturis aperte adverſari velis. Prius negare non audes, imo explicate conceſſiſti: ergo, dum poſterius inficians, Apoſtolo, & Scripturis aperta adverſaris.

Dum vero ſubdiſtinguis, te ipſe petis. Dum enim ais, „ ſi ſcelera impunita manerent, “ fateris, legum violationes eſſe in peregrinis ſcelera.

Rurſus ſi peregrini, locorum leges negligentes, non peccarent, ſcandalum, & damnum publicum ex eorum punitione exiſteret; quia innocentes, & non ſubditi injuſte, & tyrannice punirentur; non contra; quia ſcandalum, & publicum damnum non ex juſtitia, qua innoxii impuniti abeunt, ſed ex injuſtitia exoritur. Proverb. 14. 34. *Juſtitia elevat gentem: miſeros autem facit populos peccatum*.

Quare, mi Zach., miſſis tuis hiſtrionicis dicteriis, de quibus placide rideo, abſolute, & ſine ulla diſtinctione, conclude. „ Ita equidem ſentio. „

Animadverſio VIII.

Imo ex mox dictis contra Buſembaum ſine dubio tenentur. *Intellige utrumque*, ait Buſ., *ſecluſo ſcandalo, propter quod Epiſcopus loci punire poſſet*. Si ſcandalum quoque adſit, duplex peccatum peregrinus Miſſam non audiendo, ſervilia opera exercendo, non jejunando &c. admittit, alterum contra legem loci, alterum contra proximi caritatem; & propter utrumque peccatum ab Epiſcopo loci jure puniri poteſt. Cur hujuſmodi actiones ſcandalo ſunt? quia malæ ſunt. Si eſſent permiſſæ, ſcandalum non crearent. Vide etiam, ſi placet, Concinam Theol. t. 5. p. 84. n. 2. & t. 6. p. 380. n. 12.

CAPUT III.

De modo, quo obſervanda ſunt præcepta.

DUBIUM I.

An debeant impleri ex caritate?

Reſp. Poſſunt impleri ſine caritate, niſi hanc in ſubſtantia includant, v. g. præceptum dilectionis Dei. Ratio eſt, quia tantum præcipitur ſubſtantia actus incluſi in præcepto, v. g. ut honoretur parens, non autem finis, aut modus præcepti, ut docet S. Thom. 1. 2. *q.* 100. *a.* 10. Interim certum eſt, requiri caritatem in operante, ut impletio præcepti ſit meritoria, juxta illud 1. Cor. 13. *Si linguis hominum loquar*. S. Thom. Suar. Sanch.

Unde reſolvuntur ſequentes caſus.

1. *Si quis jejunet, vel interſit ſacro ob vanam gloriam, vel etiam ut furetur, poteſt nihilominus implere præceptum, etiam per actum ex circumſtantiis peccaminoſum:* quia implet ſubſtantiam illius præcepti, licet peccet contra aliud, cui finis ille malus opponitur, ut docet Sanch. *mor. c.* 14. Laym. *l.* 1. *t.* 4. *c.* 4. *n.* 6. Card. de Lugo *diſp.* 23. *ſ.* 2. *n.* 23. Animad. I.

2. *Simili ratione impletur votum, juramentum Deo factum, pœnitentia ſacramentalis, licet actus ipſe ſit peccatum. Ibid. lo. cit.* Animad. II.

D U-

Digitized by Google

DUBIUM II.

An ad impletionem præceptorum requiratur intentio iis ſatisfaciendi?

Reſp. quod non. Ita Sanch. Vaſq. 1. 2. *q.* 100. *a.* 9. & alii communiter. Ratio eſt, quia lex tantum præcipit liberam operis externi executionem, v. g. auditionem ſacri, non autem, ut alio peculiari actu quis velit, vel intendat præcepto ſatisfacere: ſive, ut alii loquuntur, præcepta non obligant ad obedientiam formalem, hoc eſt, ut illud fiat, quia præcipitur, ſed tantum ad materialem, ſive, ut fiat, quod præcipitur. Vid. *inf. l.* 3. tr. 3. *c.* 5. *d.* 3.

Unde reſolvuntur ſequentes caſus.

1. Qui alicuius præcepti immemor illud implevit, v. g. ignorans eſſe diem feſtum, libere tamen interfuit ſacro, is ſatisfecit. Neque, ut quidam volunt, neceſſe eſt ut poſtea intelligens eſſe diem feſtum, velit tunc ſatisfacere per Miſſam auditam, quia implevit ſubſtantiam actus præcepti, S. Thom. Henr. Fill. *t.* 5. *c.* 7. *q.* 7.

2. Is votum, juramentum, & pœnitentiam ſacramentalem vere implet, qui opera promiſſa, vel injuncta exequitur, etſi non habeat intentionem implendi: modo tamen non applicet ea pro alia re. Ratio eſt, quia vota, &c. ſunt leges quaſi particulares, quas homo ſibi, vel alteri imponit, unde tantum obligant ab ſubſtantiam actus. Suar. Azor. Leſſ. Laym. *c.* 6.

DUBIUM III.

An ſatisfaciat præcepto, qui faciens opus, expreſſe intendit per illud non ſatisfacere?

ANIMAD. III. *Reſp. Satisfacere.* Ita Suar. Val. Vaſq. *l. c.* & Leſſ. *l.* 2. *c.* 7. *dub.* 10. contra Nav. Azor. &c. *Ratio eſt, quia præcepta tantum obligant ad ſubſtantiam operis injuncti.* Ergo illa poſita, non eſt in poteſtate operantis, ut non ſatisfaciat. Nec refert 1. quod actus non operentur ultra intentionem agentis; quia id intelligitur, quando eſt in poteſtate operantis, v. g. ſatisfacere, vel non. Nec 2. quod, qui debet alteri centum, non ſatisfaciet obligationi, ſi liberali donatione det ducentos. Nec 3. quod voto obligatus ad recitandum Roſarium, ſi recitet animo non implendi, non ſatisfacit. Ratio eſt, quia hæ, & ſimiles obligationes proveniunt ex voluntate promittentis, qui, ſicut ab initio debitorem ſe libere conſtituit, ſic in debito libere permanere poteſt: *obligatio autem parendi legi provenit ex voluntate legiſlatoris; ideoque non extenditur ultra ejus intentionem, & voluntatem, nempe ultra ſubſtantiam operis præcepti.* Kon. *n.* 309. V. Leſſ. *l. c.* & Laym. *hic.*

Unde reſolvuntur ſequentes caſus.

1. *Sacerdos, qui legit Horas non ea devotione, qua*
ANIMAD. IV. *voluit, ideoque propoſuit ad ſatisfaciendum præcepto repetere, etſi deinde non repetat, ſatisfecit tamen præcepto.* Suar. Kon. Card. de Lugo, &c.

2. *Audiens ſacrum die feſto, quod ſcit eſſe ultimum*
ANIMAD. V. (vel, ſi non ſit ultimum, intendens non audire aliud) *licet intenderit non ſatisfacere, vere tamen ſatisfecit præcepto de audienda Miſſa*; etſi peccarit contra aliud præceptum, quo quis tenetur eſſe ſubditus legiſlatori. Card. de Lugo *l. c.*

3. *Is, qui ſacrum audivit die feſto, legit Horas*
ANIMAD. VI. *Canonicas, abſolvit pœnitentiam ſacramentalem, cum animo non ſatisfaciendi, non tenetur poſtea mutare voluntatem*, ut velit per præcedens opus ſatisfeciſſe, quia vere ſatisfecit. Sanch. Salas, *d.* 9. *n.* 33. Card. de Lugo de Euchar. *d.* 12. *ſ.* 2. *n.* 21. contra Suar.

DUBIUM IV.

An ad impletionem præceptorum requiratur intentio, ſeu voluntas faciendi id, quod præceptum eſt?

ANIMAD. VII. Reſp. quod ſic. *Ratio eſt, quia, cum lex detur hominibus, non brutis, ideoque humano modo ſit implenda, hinc impletio omnis præcepti, ſive humani, ſive divini, debet eſſe actus humanus conjunctus cum libertate, & voluntate operantis, id eſt, ut velit, ſive intendat facere hoc, quod eſt præceptum, v. g. audire ſacrum, jejunare, &c.* Eſt communis. Vid. Vaſq. 1. 2. *q.* 100. *a.* 9. Suarez, Sanch.

Unde reſolvuntur hi caſus.

1. Qui audivit ſacrum die feſto ebrius, dormiens, aut impos ſui quomodocumque, aut neſcius, quid aggrederetur, aut vellet facere, tenetur poſtea compos ſui factus audire aliud ſacrum. Suar. Sanch. Salas, *d.* 9. *n.* 32.

2. Is, qui audivit ſacrum, jejunavit, &c. prorſus violenter coactus, non ſatisfecit; non enim fuit actus humanus defectu voluntarii. Vaſq. Suar. Azor. Fill. *n.* 232.

Dixi, *prorſus violenter*: quia, ſi famulus, v. gr. metu domini, aut puer metu magiſtri ſacrum audiat (alio non ſit auditurus, ſi magiſter abeſſet) is, etſi perverſa voluntate illa peccet, *præcepto tamen ſatisfacit.* (*a*) Ratio eſt, quia metus non tollit libertatem. Sanch. Sal. *l. c.* Laym. *l. c.* 1. 4. *c.* 4. *n.* 52.

3. Recitans Horas ſola intentione legendi, vel addiſcendi, non ſatisfacit, uti nec ille, qui vadit ad ſacrum tantum, ut oculos paſcat, cum alio colloquatur, vel expectet amicum. Card. de Lugo *l. c. n.* 23.

4. Nec ſatisfacit is, qui tantum ficte, v. g. confitetur, orat, &c. quia non ejus fictio, ſed opus præceptum eſt.

DUBIUM V.

An duplici præcepto, uno actu, vel diverſis actibus, eodem tempore poſſit ſatisfieri?

Reſp. 1. Uno actu diverſa præcepta ſimul impleri poſſunt, niſi aliud colligatur ex mente præcipientis. Patet ex praxi quotidiana: qui enim obligetur ad Horas ratione ordinis, & beneficii, ſatisfacit una recitatione, Sanch. *l.* 1. *c.* 14. Sal. Bonac. *p.* 10.

Unde reſolvuntur hi caſus.

1. Cum Dominica, & feſtum incidunt in eumdem diem, non teneris audire duo ſacra.

2. Votum, & pœnitentia in confeſſione injuncta plerumque non implentur per actum alias debitum: quia hæc plerumque non eſt mens voventis, & Confeſſoris. Vid. Suarez *t.* 4. *in* 3. *p.* Sanch. 1. *mor. c.* 14.

Dixi *plerumque*: (*b*) quia *ſubinde* Confeſſarii injungunt opus alias præceptum.

3. Qui alteri ex pluribus obligationibus debet centum, v. g. non ſatisfacit, ſi ſemel det centum: quia in debitis juſtitiæ attenditur æqualitas rei ad rem; non poteſt autem unum centum æquale eſſe debitis plurium centum. Unde in his alia eſt intentio, & mens obligantis. Sanch. Sal. *l. c.*

Reſp. 2. Poteſt quis eodem tempore diverſis actibus duplici præcepto ſatisfacere, dummodo unum non impediat alterum. Eſt communis. Et ratio eſt, quia plerumque temporum diverſitas non præcipitur. Suar. Azor. *p.* 1. *l.* 7. *c.* 5. Sanch. *l.* 1. *c.* 14.

Unde reſolves.

1. Poteſt quis eodem tempore audire Miſſam in feſto præceptam, & ſimul legere Horas, vel alias orationes voto, aliave ratione debitas. Bon. *p.* 10. *n.* 8.

2. *Poteſt item, qui tenetur audire duas Miſſas, eas audire ſimul, imo etiam tres, ut docent aliqui, dum ſimul in pluribus altaribus celebrantur.* Sanch. 1. *mor.* ANIMAD. VIII.
c. 54. 12. Major *in* 4. *diſt.* 18.

DUBIUM VI.

An qui uno actu violat plura præcepta, committat plura peccata?

Reſp. Si violet præcepta materialiter tantum diverſa, ita ut, licet ſint plurium legiſlatorum, habeant tamen motivum formale idem, & verſentur circa materiam eamdem numero cum iiſdem circum-

Digitized by Google

ſtautus, unum tantum peccatum committit. Si vero præcepta ſint formaliter diverſa, ob motiva proxima ſpecie diſtincta, vel verſentur circa materiam numero diverſam, committet plura peccata, quia ſunt obligationes, & malitiæ diverſæ. Ita Sanch. *l.* 9. *de matrim. d.* 15. Vaſq. 1. 2. *d.* 9. Sal. Card. de Lugo *d.* 16. *n.* 245.

Unde reſolvuntur,

1. Qui non jejunavit die vigiliæ incidentis in Quadrageſimam, aut neglexit ſacrum feſtum incidente in Dominicam, unicum commiſit peccatum, ſatiſque eſt confiteri de jejunio, & ſacro uno, *quia in his præceptis unica eſt ratio formalis*, (*c*) & motivum proximum, v. g. in priore maceratio carnis, in poſteriore cultus Dei. Laym. Sanch. Card. de Lug. *l. c.*

2. Qui violat votum, & juramentum, vel votum, & præceptum Eccleſiæ de eadem re, duplicem malitiam committit, ac proinde id in Confeſſione explicandum eſt: quia voti obſervatio præcipitur, ut fides Deo debita ſervetur: juramenti autem, ne Deus vocetur in falſum teſtem: & ſic duæ ſunt hic rationes formales, uti & ſunt in omiſſione Miſſæ, quæ & propter feſtum, & ex injuncta pœnitentia audiri debet. Card. de Lugo *l. c.*

3. Si ligatus cum ligata adulteretur, duplex peccatum injuſtitiæ committitur, unum contra propriam uxorem, alterum contra maritum adulteræ: uti etiam, ſi quis uno actu occidat plures, ſunt plura homicidia, quia in iſtis materia eſt numero diverſa. Laym. *l.* 1. *t.* 2. *c.* 10. *n.* 3. Sanch. Card. de Lugo *l. c.*

Notæ.

(a) *Quia ſi famulus &c., aut puer &c. præcepto ſatisfacit.*

Cur, ut Buſ. neceſſario fatetur, perverſa voluntate illa peccat? Quia præcepto contraria eſt? Non enim ex alio capite. An voluntas præcepto contraria, ei conſentanea, & obediens eſſe poteſt? An opus voluntatis præcepto inimicæ, eidem ſatisfacit? Id mihi ſane abſurdum videtur.

Metus quidem libertatem non tollit; at ut præcepto ſatisfiat, ſatis non eſt, ſi opus ſit liberum; alioquin qui horas recitat ſola intentione legendi, vel diſcendi; qui ſacro intereſt die feſto, ut oculos tantum paſcat, vel ut amicum expectet &c., præcepto ſatisfaceret; quod Buſ. ipſe hic ca. 3. recte improbat.

Præſens Buſ. opinio illis affinis eſt, quas hic animad. 1. 3 6. refuto, quibus refutatis hæc quoque evaneſcit. Scilicet mala Miſſæ auditio præcepto illudet, non ſatisfacit; quia etiamſi verba legis forte compleƈtatur, contra legiſlatoris tamen voluntatem nititur.

Cæterum ſi Buſ. fateatur, famulum, & puerum ea perverſa voluntate idem peccatum peccare, ac ſi Miſſam non audirent, res quoad conſcientiam in tuto eſt. Sed refellendus nihilominus fuit, ne animus ſophiſticis ſpeculationibus cum animæ detrimento cedere aſſueſcat.

(b) *Dixi plerumque, quia ſubinde &c.* Illud *ſubinde*, di tratto in tratto, ſubſuſculum mihi videtur, quod a prudentum Confeſſariorum praxi abhorrere puto. Si ſolum opus præceptum imponant, cum nihil oneris imponant, imprudenter, & male agunt; ſi opus præceptum ſimul cum libero injungant, ex. g. jejunium per menſem exceptis feſtis, in quem incidunt quatuor tempora, nihil eſt, quod reprehendas.

(c) *Qui non jejunavit die &c., aut neglexit &c., unicum commiſit peccatum.* Hactenus recte, *ſatiſque eſt confiteri &c. quia in his præceptis unica eſt ratio formalis &c.*

Recte quidem Buſ., ſi ſola diverſa ratio formalis, ſeu ſola diverſa peccatorum ſpecies in confeſſione aperienda foret: at hoc ſuo loco falſum eſſe, evincetur. Quid ergo, inquis? Reſp. Peccatum in noſtra ſpecie unum quidem eſt; at mihi notabiliter gravius, & duobus gravibus culpis æquivalens videtur; nam ſi utrumque præceptum ſeparatum gravem obligationem imponit, cum unitum ſuam vim non amittat, unam quidem, at duabus gravibus æquivalentem injungere mihi videtur. Quod ſi ita eſt, neceſſario aperienda eſt duplicis violati præcepti circumſtantia. Quid ad hæc? Res, inquis, dubia videtur. Reſp. mihi quidem dubia non videtur; at etiamſi dubia merito habeatur, ut Confeſſionis integritas in tuto ſit, nec eatur contra prop. 1. ab Innoc. XI. proſcriptam, nihilominus dicta circumſtantia neceſſario pandenda eſt.

Animadverſio I.

Opinio Buſembau aſſerens ſatisfieri præcepto audiendi ſacrum ab eo, qui illud audit ob finem pravum e. g. furandi, feminas impudice aſpiciendi, penes recentes opinatores communis eſt, ut ait Concina Theol. t. 5. p. 84. n. 2. quam tamen tum ipſe ibidem, tum Nat. Alex. Theol. t. 2. p. 549. reg. 8. rejiciunt, & merito. Dum enim Eccleſia Miſſæ auditionem die feſto præcipit, illam divinam legem Ex. 20. *Memento, ut diem ſabbati ſanctifices*, determinat, hoc eſt pium opus, quo dies feſtus ſanctificetur, præcipit. Qui contra dicunt, ac per externam tantum devotionem huic præcepto ſatisfieri putant, neceſſe eſt, ſi ſibi conſtare velint, ut illud quoque affirment, Communionis annuæ legem impleri per exteriorem Chriſti ſumptionem ſine ulla interiori pietate, & cum ſacrilegio conjunctam; quod ab Innoc. XI. prop. 55. proſcriptum eſt. At qui Miſſæ intereſt ob pravum finem furandi, feminas impudice aſpiciendi &c. non pium, ſed impium, & ſacrilegum opus exercet: ergo præcepto non ſatisfacit. *Quæ enim participatio*, inquit Ap. 2. Cor. 6. *juſtitiæ cum iniquitate? aut quæ ſocietas lucis ad tenebras? quæ autem conventio Chriſti ad Belial?* An Eccleſiæ ſatisfieri poteſt, permiſcendo iniquitatem cum juſtitia, tenebras cum luce, Belial cum Chriſto? An Eccleſiæ obedis, dum Chriſtum ejus ſponſum, & Caput offendis? Hinc Clerus Gallicanus anno 1700. apud Nat. Alex. (Theol. t. 2. Append. altera p. 57. n. 16.) de hac propoſitione: *Præcepto Eccleſiæ de audiendo ſacro ſatisfit per reverentiam exteriorem tantum, animo licet voluntarie in aliena, imo & prava* (ut illi faciunt, qui ſacro interſunt, ut furentur, ut feminas impudice aſpiciant &c.) *cogitatione defixo*: de hac, inquam, prop. hanc ſententiam tulit: „ Hæc propoſitio temeraria eſt, ſcan„ daloſa, erronea, impietati favet, & præcepto Eccle„ ſiæ illudit. “ At, inquit Buſ. qui ſacro intereſt ob pravum finem, *implet ſubſtantiam illius præcepti, licet peccet contra aliud, cui finis ille malus opponitur, ut docet Sanch. Laym. &c.* Reſp. Hoc falſum ex mox dictis eſt, & ab Eccleſia Gallicana in ſuis generalibus Comitiis proſcriptum. Dum Eccleſia ſacrum audiri imperat, non externam tantum præſentiam, ſed animi attentionem, & pietatem imperat: at nec attentionem, nec pietatem affert, qui ob pravum finem furandi &c. ſacrum audit, ſed ſolam externam corporis præſentiam, & hypocriſim affert. Ergo non implet vim, ſeu, ſi ita loqui vis ſubſtantiam præcepti. Hac de re lege, ſi vis, plura apud Nat. & Conc. locis citatis.

Scripſi. *Qui contra dicunt, ac per externam tantum &c. neceſſe eſt, ſi ſibi conſtare velint, ut illud quoque affirment, &c., quod ab Innoc. XI. &c.*

Huic meæ hypoteticæ, *ſi ſibi conſtare velint &c.*, concluſioni Zach. valde infenſus, inquit. „ Nego, mi p. cxiii.
„ Franzoja, rotunde nego. Quid? Si ipſe ſic arguis.
„ Franzoja fatetur, ſumentem Euchariſtiam in ſtatu
„ letalis peccati, non ſatisfacere annuæ Communionis
„ præcepto: ergo, ſi ſibi conſtare velit, fateatur oportet, præcepto audiendi ſacri non ſatisfacere eum,
„ qui in ſtatu letalis illud audiat. Cave, conſequutionem admittas. Nam neſcio quid e Bajanis propoſitionibus poterit adverſum te proferri. Viden, quantum argumentatio tua, quæ ipſiſſima eſt, a veris
„ Logicæ regulis aberret. “

Reſp. Franzoja tuam, mi Zach., conſequentiam, & paritatem, hoc eſt illud tuum, *quæ ipſiſſima eſt*, negat. Diſcrimen evidens in eo eſt, quia ſtatus gratiæ eſt neceſſarius ad piam ſacræ Euchariſtiæ ſumptionem, non item ad piam Miſſæ auditionem. Ergo tua, mi Zach. reſponſio, non Franzojæ argumentatio, a veris Logicæ regulis longe aberrat; quod, ut melius percipias, ſuam argumentationem ita evolvit.

Eccleſia, dum ſacri auditionem die feſto præcipit, pium opus præcipit: qui ſacrum audit ob pravum finem furandi, feminas impudice aſpiciendi &c., non pium, ſed impium opus exercet: ergo præcepto non ſatisfacit.

Franzoja a te quærit, quid in hac argumentatione falſum ſit, quod illegitimum.

Propoſitionem, quæ ex ſe ſatis clara eſt, duplici ratione confirmat; primo quia, dum Eccleſia Miſſæ auditionem die feſto imperat, divinam legem Ex. 20. *Memento, ut diem ſabbathi ſanctifices*, determinat: at dies ſabbathi, ſeu feſtus impio opere non ſanctificatur, ſed polluitur: ergo Eccleſia auditionem Miſſæ die feſto imperans, pium opus imperat.

Secundo, quia qui contra dicunt, ac per externam tantum devotionem huic præcepto ſatisfieri putant,

neceſ-

neceſſe eſt, ſi ſibi conſtare valint, ut illud quoque aſſirment, communionis annuæ legem impleri per exteriorem Chriſti ſumptionem ſine ulla interiori pietate, & cum ſacrilegio conjunctam; quod ab Innoc. XI. prop. 55. proſcriptum eſt. Quid tu ad hæc? De priore ratione nihil; poſteriorem declinas; & paritate, quæ, ut oſtendi, nulla eſt, ad abſurdum me cogere contendis. Meam argumentationem ineptam cavillationem appellas, dum tu contra eam inutile, & inepte cavillaris. Tuum erat, ſi meam argumentationem ſolide ſolvere poteras, primam ejus confirmationem infirmare, tum aſſignare diſcrimen, cur per ſolam exteriorem devotionem Euchariſtiæ præcepto non ſatisfiat, Miſſæ autem præcepto ſatisfiat.

At hic non ratiocinando, ſed inaniter alamando inquis. „ An olla eſſe poteſt argumentatio ab actus præ„ cepti ſubſtantia ad ea, quæ ad illam minime perti„ nent? Euchariſtia ſine ſacrilegio ſumpta ad annuæ „ communionis præceptæ ſubſtantiam ſpectat: non item „ intentio, & finis implendæ legis, qui ſub legem non „ cadit. “

Reſp. Concedo totum. At quid inde? quorſum hæc? Tuum eſt, argumentationem proſequi, & quid hinc efficere velis, oſtendere: ac tum demum, te nihil effeciſſe, evincam. Sed prius cætera meæ animadverſionis non ſemel, & attente legito.

Animadversio II.

Simili ratione Buſembaum contrariu nec votum, nec juramentum, nec pœnitentia ſacramentalis actu malo, ſeu peccato impletur. Votum eſt promiſſio rei Deo acceptæ: at res peccato peracta, non eſt Deo accepta: ergo non eſt res Deo per votum promiſſa: ergo votum peccato non impletur. Idem dicas de juramento promiſſorio. Item ſacramentalis pœnitentia aſt ſatisfactio a Confeſſario pro peccatis impoſita: at per actum malum peccatis non ſatisfit, ſed peccatum peccatis additur: ergo non impletur ſacramentalis pœnitentia. Sed hac de re plura ſuo loco.

Qui facit Confeſſionem voluntarie nullam, ſatisfacit præcepto Eccleſiæ, eſt prop. 14. ab Alex. VII. damnata. Ergo pari ratione qui facit opus juramento, aut voto promiſſum, aut a Confeſſario præceptum, voluntaria nullum, uti accidit, dum opus male, & peccando fit, juramenti, & voti legi, aut Confeſſarii præcepto non ſatisfacit. Monſtro ſane ſimile eſt, per peccata, quæ iram Dei ſibi concitant, impleri promiſſiones Deo factas, aut etiam juratas, & pœnitentiam a Chriſti Miniſtro in peccatorum ſatisfactionem impoſitam.

„ Diſtinguenda tamen eſt (ut advertit P. Concina „ Theol. t. 6. loco cit.) circumſtantia, quæ ſubſtantiam „ actus præcepti inficit, a circumſtantia, quæ actum „ præceptum comitatur, & perſonam operantem, non „ officium executionis polluit. Audit quis devote, & „ attente ſacrum; circumſtat inanis gloriæ fumus, di„ ſtrahitur ad videnda objecta vana; hæc venalia pec„ cata non inficiunt ſubſtantiam actus ex motivo, ſeu „ fine religionis præſtiti. At ſi quis ad Eccleſiam, audi„ turus ſacrum, animo aſpiciendi mulierem accedat, fi„ nis iſte corrumpit ſubſtantiam actus, quo implendum „ præceptum eſt. Finis quippe intrinſecus ſacri, eſt re„ ligioſum obſequium Deo præſtandum. Qui animo vi„ dendæ amaſiæ ad ſacrum audiendum pergit, non re„ ligionis officium, ſed libidinis flagitium exercet. Hæc „ eſt antiquorum doctrina, oppoſita modernorum opina„ tioni, quæ nulla gaudet probabilitate.

Dixi. Qui *facit confeſſionem voluntarie nullam* &c. *ergo pari ratione* &c.

In hanc argumentationem, ejuſque auctorem P. Zach. ita excandeſcit. „ Nego ſuppoſitum, mi Doctor, „ nego inquam, ſuppoſitum conſequentis, ſeu quod ſumis, opus malo, & peccando factum, eſſe volunta„ rie nullum. Confeſſio voluntaria nulla, confeſſio „ non eſt, non item auditio ſacri ex pravo fine. Scili„ cet tu, qui arabicarum, quas vocas, diſtinctionum „ oſor es, & inſectator acerrimus, inter actum non „ meritorium, & nullum, diſcrimen intereſſe nondum „ didiciſti. “

Reſp. „ Confeſſio voluntarie nulla, confeſſio non „ eſt; “ rectiſſime; „ auditio ſacri ex pravo fine non „ item! undenam hoc, mi Zach., didiciſti?

Confeſſio voluntaria nulla aliquid ſine controverſia phyſicum eſt, quia oris opus, non tamen aliquid quoad moralem bonitatem; & hac de cauſa dicitur nulla; ideoque præcepto non ſatisfacit.

At auditio quoque ſacri, cum ſit aliquid phyſicum, quoad moralem tamen bonitatem nihil eſt. An hic quoque, mi Zach., dicere audebis, „ nego, mi Do„ ctor, nego? “ Res certa eſt: quare illa mea concluſio, *ergo pari ratione* &c, quia paritas ſubſiſtit, legitima eſt, & ſolida; quam reliqua mea ratiocinia, de quibus, tu nihil, confirmant.

Nam quod ſubdis, „ ſcilicet tu, qui &c., inter „ actum non meritorium, & nullum, diſcrimen eſſe, „ nondum didiciſti “ ſunt verba ſonantia, quæ ad rem nihil prorſus faciunt. Etenim tum confeſſio, tum ſacri auditio, de quibus loquimur, ſunt actus non ſolum non meritorii, ſed etiam nulli, omni ſcilicet morali bonitate deſtituti.

Animadversio III.

Ego vero contrarium ſentio. E. g. Titius ſervus valde improbus, heri imperio coactus Miſſam die feſto audit, ſi præcepto non ſatisfacere intendat, præcepto non ſatisfacit. Epiſcopus peſtilentia graſſante trium dierum jejunium indicit; Cajus ne publici boni oſor videatur, jejunat; at, quia Epiſcopum peſſime odit, ejus præceptum non implere vult, illud non implet. Ratio eſt, quia, contra ac ait Buſembaum, præcepta non obligant tantum ad ſubſtantiam operis phyſici, ſed ad moralem bonitatem, ut ex mox dictis ad c. 1. & 2. contra Buſembaum liquet. At qui opus præceptum faciunt, expreſſe intendentes per illud non ſatisfacere, nihil quoad moralem operis bonitatem agunt, quæ tota perverſo illo fine corrumpitur, juxta illud Chriſti Matth. 6. *Si autem oculus tuus*, hoc eſt intentio tua, *fuerit nequam, totum corpus tuum tenebricoſum erit:* ergo &c. Hi perverſi homines, etiamſi verba legis complecti videantur, contra legis tamen voluntatem nituntur: at ex reg. juris 88. in 6. *certum eſt, quod is committit in legem, qui legis verba complectens, contra legis nititur voluntatem*, ergo &c. Citatam regulam La-Croix p. 143. n. 693. de ſolo legis contemptore interpretatur, ut Buſembaum defendat; cum tamen univerſe intelligenda ſit de quocumque legem juxta legislatoris mentem intellectam non implente. Quamquam qui facit opus præceptum, expreſſe intendens non ſatisfacere legi, legem contemnit. Ille enim legem contemnit, qui legi ſubjici non vult. At velle non ſatisfacere præcepto, velle non obedire, velle non ſubjici legi, ſunt ſynonima: ergo qui facit opus præceptum, expreſſe intendens præcepto non ſatisfacere, legem contemnit. Hinc idem La-Croix ſibi contradicens, ad dub. 4. ait: „ Ut impleatur præceptum, etiam „ non debet adeſſe voluntas poſitiva contraria præce„ pto, & coacta. Nam præceptum ideo eſt, ut dirigat „ voluntatem, & opus ſubditi; adeoque præceptum po„ ſtuiſt, ut voluntas ſubditi non ſit a præcepto poſiti„ ve averſa. “ Hactenus ille, ſeipſum, & Buſembaum recte emendans.

P. Zach. ita me aggreditur. „ Quid porro dicam de p. cxxvi.
„ effato illo, quod pro Doctoris auctoritate pronuntias, „ *ille legem contemnit, qui legi ſubjici non vult*? Sed „ non omnis, qui legi ſubjici non vult, legem contemnit. Sit Clericus, qui latæ in ſæculares legi ſubjici „ nolit; propterea ne legem contemnet? An lex quæ„ piam æquiſſima, atque adeo utiliſſima videri mihi „ non poteſt, quin illi ſubjici velim? Quod ad me per„ tinere illam minime cenſeam ſive ex privilegio, ſive „ ex diſpenſatione, ſive alia de cauſa. Aut contemni „ poteſt lex, quæ æquiſſima, atque utiliſſima habea„ tur? “

Reſp. Hæc ſcilicet, mi Zach, blateras, quia mea verba intelligere aut noluiſti, aut neglexiſti. Mea verba, *ille legem contemnit* &c. ex Doctoris, & maxime quidem, hoc eſt Angelici D. Thomæ auctoritate pronuntiata ſunt, qui 2. 2. q. 186. a. 9. ad 3. inquit, *quod tunc committit aliquis, vel tranſgreditur ex contemptu, quando voluntas ejus renuit ſubjici ordinationi legis, vel regulæ, & ex hoc procedit ad faciendum contra legem, vel regulam*. Meorum verborum ſenſus idem eſt; quæ reduplicative accipienda ſunt, hoc eſt de eo, qui cum legi ſubditus ſit, legi tamen ſubjici non vult, ut antecedentia, & ſubſequentia mea dicta palam faciunt cujuſcumque attento, & æquo lectori, ac iis præcipue, qui D. Thomæ lectioni aſſuevere. Hi ne per ſomnium quidem mihi objeciſſent, quod tu, mi Zach., miſere, &, ut non ſine ratione ſuſpicor, non ſine dolo.

At meum effatum, ſi D. Thomæ eſſe, non didiceras, ſaltem eſſe juxta ſenſum tui Buſembau lib. 5. cap. 2. dub. 3. Reſp. 3., tuique La-Croix in additionibus hujus loci, ſcire debueras.

Quamquam apud Theologos vulgatum eſt, ut mirum ſit, te illud reprehendere, ut me derideas.

Animadversio IV.

Sacerdos in hac ſpecie ſatisfacit, dum attente, ac devote horas recitet, licet non ea devotione, qua vult; quia facit id, quod lex præcipit. Propoſitum repetendi oritur ex ſcrupulo, ſeu inani ſuſpicione, aut dubitatio-

ne non ſatisfaciendi; quæ inanis ſuſpicio opus non corrumpit, ſicut perverſa intentio non ſatisfaciendi. Ex quo fit, ut repetere horas non cogatur ſpectata rei natura, hoc eſt ſi ſcrupulum poſt recitatas horas deponat, quia jam præcepto ſatisfecit. Si tamen in ſua erronea ſuſpicione permaneat, nec horas repetat, contra fidem ſeu conſcientiam agit, ideoque peccat.

Animadverſio V.

Hic ex mox dictis præcepto non ſatisfacit.

Animadverſio VI.

Hic quoque non ſatisfacit. De prava vero ſua intentione dolere ex animo debet; at ejus mutatio, qua poſt factum velit præcepto ſatisfeciſſe, vana eſt, & ridicula. Nec enim præcepto ſatisfit ſola voluntate, ſed opere imperato: cum autem opus jam factum perverſa intentione corruptum, nullum quoad vim ſatisfaciendi legi fuerit, ſubſequens voluntas efficere non poteſt ut valeat, & ſatisfaciat, aut ſatisfecerit.

Animadverſio VII.

Recte quidem Buſembaum. At La-Croix p. 143. n. 695. hanc maxime communem, & veram doctrinam quibuſdam terminis circumſcribere conatur. Fatetur ille quidem, eam eſſe probandam, *ſi per præceptum ſaltem concomitanter, aut indirecte imperetur actus liber, & humanus, ut fit per præceptum audiendi miſſam, legendi horas canonicas &c. Si tamen*, ſubdit, *præceptum non imperet actum humanum, & voluntas non ſit poſitive contraria præcepto, dici poſſet, impleri per actum etiam non liberum, aut per omiſſionem puram.*

Quod hic La-Croix ponit, valde abſurdum eſt, ut ſcilicet ſint præcepta non imperantia actus humanos, & liberos. Si hujuſmodi præcepta exiſterent, eſſent impoſſibilia, ideoque nulla. Aliqua Dei præcepta eſſe impoſſibilia, Janſenii hæreſis eſt. Humanos Legiſlatores, ſeu eccleſiaſticos, ſeu profanos, qui dixerit impoſſibilia præcipere, maximam iis injuriam facit, eorumque leges in nihilum redigit. Omnia ergo præcepta, quæ præcepti vim habent, neceſſe eſt ut ſint poſſibilia, hoc eſt ut actus humanos, & liberos præcipiant.

At, inquit La-Croix, præceptum ex. g. jejunii obligat etiam ebrios, quibus libertas deeſt; qui illud non implentes, peccant, illudque implentes non peccant, & præceptum obſervant: ergo præceptum obſervari poteſt etiam per actus non liberos.

Reſp. Præceptum obligat quidem ebrios voluntarios, quia ex culpa ſua a legis jugo immunes non fiunt; idcoque ſi illud violent, peccant: quia violatio in cauſa voluntaria fuit; non tamen obligat ebrios involuntarios. Quod ſi ebrii voluntarii jejunent, (niſi tamen hæc ipſa poſitio contradictoria ſit) a culpa quidem violationis jejunii liberi eſſe poſſunt; quia rei non ſunt omnium peccatorum, ſed eorum, quæ in ebrietate admittunt, aut admittendi periculo ſeſe per ebrietatem objecerunt; jejunii tamen præceptum non implent, quia nihil boni faciunt. Præceptum enim aliquid boni præcipit. Seu, ſi vis ita loqui, præceptum implent materialiter, ſicut materialiter implent præceptum non fornicandi, non blaſphemandi, ſi nec fornicentur, nec blaſphement. Hæc attuli, ut intelligas, magnos noſtrorum temporum opinatores acutos eſſe, & ſubtiles, ut morum doctrinam involvant, non ut illuſtrent.

Lector recolat, *quod hic La Croix ponit, valde abſurdum eſt* &c. uſque ad concluſionem, *omnia ergo, quæ* &c.

p. cxxii. P. Zach. contra ita loquitur. ,, Serio ne hæc ſcripſiſti? ſerio ne divina cum humanis præcepta comparaſti? Vix crediderim. Reſp. " Hæ figuræ in re theologica ineptiæ ſunt. ,, Nam ignorare te non puto, ,, humanum profanum legiſlatorem (ſaltem ſi eccleſiaſticum dempteris, de quo DD. inter ſe ſe diſputant) præcipere actus internos non poſſe. "

Reſp. dum eccleſiaſticum legiſlatorem inter profanos legiſlatores, mi Zach. recenſes, tuam vocem ignoras. Hoc dempto, recte. At quid inde? ,, Et miraris, infert ,, Zach., ſi interdum actus non humanos, ac minime liberos præcipiant? " Reſp. miror, quod qui de rebus theologicis docere velis, ex tuo antecedente hanc illationem, quæ cum eo nullo nexu colligatur, extorqueas.

,, Verum age, carceres adito; an putas, libere in iis ,, ſontes detineri? Princeps tamen præcipit, ut ibi detineantur. " Reſp. Nugæ hæ ſunt. Princeps ne ſontibus præcipit, ut a ſeipſis in carceribus detineantur, an cuſtodibus, ut eos detineant? qui abeundi facultatem iis facere libere poſſunt.

,, Et hoc conſidera. Urget Princeps, te hodie Cajo ,, reſtituere centum aureos, verum caſu ad convivium ,, deductus, præter voluntatem ebrius fis. Domum reverſus, creditorem invenis: tu aliud omnino cogitans, marſupium, quod paraveras, in ejus caput ,, projicis. Ille centum aureos, quos ſibi debebas, in eo ,, contineri animadvertens, arripit, abitque. Pero, iterum ne centum aureos creditori perſolvere debebis? ,, negabis utique: igitur Princeps præcipere poteſt ,, actum ſaltem per accidens non liberum, neque humanum. "

Reſp. Hæc ſcilicet, mi Zach., ſophiſtica de more ſunt. An Princeps debitoribus præcipit, ut ſua debita caſu perſolvant? at ſi id accidat, nec ſolutum repetant, ſolutio rata eſt; quia voluntaria non repetitio ſoluti, idem eſt, ac voluntaria ſolutio. Quamquam dum centum aureorum marſupium paraveram, ut meo creditori ſatisfacerem, reſtitutio non in ſe quidem, ſed in cauſa fuit libera.

Subdis: ,, quod de præceptis impoſſibilibus dixiſti, veriſſimum eſt; at hoc probandum, impoſſibilia eſſe abſolute, & generatim humana præcepta, ,, quæ per actus non liberos impleri debeant. "

Reſp. Hic vero, mi Zach., per anfractus ambulas, & quo tandem tendas, non intelligis. An actus non liberi, in hominis poteſtate eſſe poſſunt? *Illud eſt*, inquit D. Aug. lib. de ſp. & litt. cap. 31. *in hominis poteſtate, quod, ſi vult, facit, ſi non vult, non facit. Illud*, non aliud. Juxta D. Auguſtinum illud ſolum homini poſſibile eſt, *in hominis poteſtate, quod, ſi vult, facit, ſi non vult, non facit*, hoc eſt actus liber: ergo actus non liberi, ſunt impoſſibiles: ergo ſi præcepta actus non liberos præcipiant, impoſſibilia ſunt. His contraria dicere rem involvendo, aut de his dubitare, auſus es? Pergamus. Si poſſibile ſit præceptum, quod per actus non liberos impleri debeat, per actus non liberos recte agi poſſet. Quod enim poſſibili præcepto impoſitum, impleri debet, ſi impleatur, recte agitur. An per actus non liberos recte agi poteſt? Audi D. Auguſtinum lib. 2. de lib. arb. cap. 1. num. 3. *Si enim homo*, inquit, *aliquod bonum eſt, & non poſſet, niſi, cum vellet, recte facere, debuit habere liberam voluntatem, ſine qua recte facere non poſſet.*

Si poſſibile ſit præceptum, quod per actus non liberos impleri debeat, per actus non liberos peccari poſſet. Quod enim præcepto poſſibili impoſitum impleri debet, ſi non impleatur, peccatur. An per actus non liberos peccari poteſt? Audi tertio D. Auguſtinum, qui cit. lib. 2. de lib. arb. cap. 1. n. 3. ait; *habemus liberum arbitrium, & non niſi eo peccamus.*

Prop. 39. Michaelis Baji a Gregorio XIII. proſcripta ita habet: *quod voluntarie fit, etiamſi neceſſario fiat, libere tamen fit*. Tuum, mi Zach., dictum, ab ea verbo diſcrepat, ſenſu cum illa concinit. Nam illud Baji *libere tamen fit*, hoc includit, *bene, aut male fit*. Porro tu quoque idem dicis, dum ais, per actus non liberos (quod idem eſt, ac illud Baji, *neceſſario fiat*) humanum præceptum impleri aliquando poſſe, & debere; quod perinde eſt, ac ſi dixeris, bene, & male fieri poſſe. Prop. 67. ejuſdem Baji ita ſonat. *Homo peccat etiam damnabiliter in eo, quod neceſſario facit*. Repete nunc tuum dictum: *at hoc probandum, impoſſibilia eſſe abſolute, & generatim humana præcepta, quæ per actus non liberos impleri debeant*. *Per actus non liberos* idem eſt, ac illud Baianum, *in eo quod homo neceſſario facit*. Dum vero ponis, aliqua humana præcepta eſſe poſſibilia, quæ per actus non liberos impleri debeant, ponis peccari poſſe per actus non liberos; peccari autem poſſe damnabiliter, idem eſt, ac peccari poſſe in re gravi, in qua dum homo peccat, damnabiliter peccat. En profunda, ac terra fovea, in quam incidiſti, dum tuum adverſarium involutis ſenſis implicare voluiſti.

Bulla Gregorii XIII. contra propoſitiones Michaelis Baii refertur a P. Concina Theol. App. t. 5.

Conſulatur quoque Natalis Alexander t. 9. Hiſt. Eccl. p. 270.

Animadverſio VIII.

Hæc opinio, inquit P. Concina Theol. t. 7. p. 437. q. 2. *mihi improbabilis eſt, quia legem circumvenit, imo eam deludit. Confeſſarius, qui tres audiendas Miſſas præſcribit, majorem ſe imponere pœnitentiam intendit, quam ſi unam, aut duas juberet. Porro tres Miſſas eodem tempore audire non eſt major pœnitentia, quam unicam audire. Nemini Chriſtianorum lumine naturali judicanti hæc caſuiſtica opinio in mentem veniret.* (Quia a naturali, & evangelica ſimplicitate aliena eſt.) *Vix ego conſulerem abſque peculiari neceſſitate, ut quis eodem tempore & Miſſam die feſto audiret, & horas canonicas perſolveret. Contrariam ſententiam utpote communem non improbo.*

CA-

CAPUT IV.

Quæ excuſent a tranſgreſſione præcepti.

DUBIUM I.

An ignorantia excuſet?

Animad. I. Reſpond. Si ſit invincibilis, excuſat: quia nemo peccat, niſi actu voluntario; *hic autem* Animad. II. *cognitionem præſupponit. Si autem ſit vincibilis, & culpabilis, non excuſat*; qualis eſt, cum poteras, & tenebaris ſcire, aut diſcere, *& in mentem veniebat dubitare, nec ſtuduiſti intelligere*. S. Auguſt. S. Thom. Sanch. 10. *mor. c.* 16. *& cæteri communiter*, contra Palaum.

Unde reſolvitur.

Animad. III. 1. *Si quis die jejunii, nihil cogitans de præcepto, cœnet, aut carnes comedet, non peccat*: ſimiliter in aliis, ut ſi occidas hominem, putans, eſſe feram. Bon. *q.* 8. *p.* 3.

Animad. IV. 2. *Si tu aliqua re tantum advertas malitiam unius generis, illam ſolam contrahis, ut v. g. ſi quis cognoſcat fœminam, quam ſcit non eſſe ſuam, ignorat autem eſſe conſanguineam, is fornicationem tantum, vel adulterium committit, non inceſtum*. Laym. *l.* 1. *t.* 2. *c.* 4. Bon. *l. c.*

DUBIUM II.

An metus excuſet?

Reſp. Si ex metu facis quod ſimpliciter malum eſt, peccas quidem; minuitur tamen per metum malitia, quia minuitur libertas. Interim ſæpe ſit, ut præcepta quædam non obligent, cum eorum obſervatio cederet in grave alicujus: incommodum & tunc, ſi ex metu talis incommodi quis tale præceptum omittat, non peccat, cum præceptum non ligat. Eſt communis.

Unde reſolves.

1. Præceptum naturale negativum, prohibens rem intrinſece malam, non licet violare, nc ob metum quidem mortis.

2. *Metus gravis, v. g. mortis &c.* (*a*) ſæpe non tantum excuſat a præcepto poſitivo, tam divino, quam humano, ſed quandoque etiam ab affirmativo naturali, & ſic (ut Sanch. 1. *mor. c.* 18.) non tenetur quis cum periculo vitæ integre confiteri, ſervare depoſitum, implere votum, ſuccurrere proximo extreme indigenti. Bec. *t.* 2. *l.* 3. *c.* 6. Azot. 1. *p. l.* 1. *c.* 11. Laym. *l.* 1. t. 4. *c.* 14. Excipe tamen caſum, de quo infra *l.* 2. *t.* 3. *c.* 2. *d.* 1.

3. Si obſervatio legis humanæ neceſſaria ſit ad conſervandum bonum, aut avertandum malum commune, quod pluris ſit quam vita propria, tunc lex illa obligat cum periculo vitæ, ut v. g. ſi dux mandet militi non diſcedare ax ſtationa; item, ſi perituræ ſint animæ, niſi Paſtor adeat ægros tempore peſtis. Laym.

4. Alioqui nulla præcepta humana, etiam eccleſiaſtica, per ſe obligant cum periculo vitæ, aut ſimilis incommodi; v. Sanch. 1. *mor. c.* 18. *at ſi v. g. cogeris metu mortis* contrahere cum conſanguinea in gradu prohibito lege eccleſiaſtica, (*b*) *poſſes contrahere* (in ſpeciem), non tamen poſſes conſummare; quia, cum matrimonium eſſet irritum, fornicareris, quod intrinſece malum aſt. Sanchez *de matr. l.* 7. *d.* 5. *n.* 4.

5. Per accidens interim accidere poteſt, ut lex humana obliget cum periculo vitæ ratione alterius præcepti juris naturalis, aut divini concurrentis, ut v. g. ſi quis cogere vellat tranſgredi præceptum Eccleſiæ in odium fidei, vel contemptum Religionis. Sanch. *l. c.* Con. *p.* 3. *t.* 2. *d.* 13. *d.* 12.

DUBIUM III.

An excuſet impotentia totius, vel partis?

Reſp. 1. Cum ad impoſſibile nemo teneatur, certum aſt quod impotentia excuſat, etiam illa, cui ante cauſam cum peccato dediſti, dummodo de hoc doleas. Quare id præcipue hic dubitatur, an qui non poteſt implere totum, teneatur ad partem.

Reſp. 2. Si præceptum tale ſit, ut commode poſſit, aut ſoleat dividi, atque in ejus parte ſalvetur ratio, ſeu finis præcepti, tunc qui non poteſt ſervare totum, debet ſervare partem quam poteſt. *Quod ſi vero non ſalvetur ratio præcepti in parte, ne-* Animad. V. *que id commode poſſit, aut ſoleat fieri, tunc qui non poteſt totum, hoc eſt tantum, quo moraliter impleri cenſeatur integrum præceptum, is non tenetur ad partem*. Quæ omnia æſtimanda ſunt, 1. ex intentione legislatoris. 2. ex ratione, fine, & materia legis. 3. ax judicio prudentum. 4. ex communi uſu. Ita Sanch. 1. *mor. t.* 19. Laym. *l.* 1. *t.* 4. *cap.* 19.

Unde reſolvuntur hi caſus.

1. Qui non poteſt legere omnes Horas, debet dicere eas, quas poteſt; quia dividuæ ſunt. Laym. *l. c.* & Bon.

2. Qui in Quadrageſima non poteſt jejunare, debet abſtinere a carnibus, ſi poteſt: aut qui non poteſt omnibus diebus, tenetur iis, quibus poteſt. Ita Laym. *l. c.* & Bon.

3. *Qui poteſt notabile partem ſacri* (v. g. uſque Animad. VI. poſt conſecrationem) *audire, aut Horarum dicere, aut commode poteſt cum alio, & ſolet, tenetur, alioquin non. Ibid. v. infra de Horis.*

4. *Si quis carens Breviario, pauca ex Horis ſciat* Animad. VII. *memoriter, non tenetur ea dicere. Ibid.*

5. Qui obligatur viſitare limina Apoſtolorum Romæ, & ſcit ſe eo pervenire non poſſe, non tenetur ingredi iter: quia nec finis, nec ratio præcepti ſalvatur, *ibid.* & Suar. Azor. Bon. *d.* 1. *q.* 8. *p.* 1.

DUBIUM IV.

An excuſet diſpenſatio?

Reſp. In jure humano diſpenſatio legislatoris, vel parem poteſtatem habentis, facta ex juſta cauſa, excuſat a tranſgreſſione præcepti. Eſt communis. Sanch. Azor. 1. *p. l.* 5. *c.* 15. Salas d. 20.

Ratio eſt, quia, cum ſit auctor ſuæ legis, pot- Animad. VIII. eſt quemvis excipere. Dixi 1. *ex juſta cauſa, quia, ſi temere, & ſine cauſa diſpenſet, tenet quidem diſpenſatio*, peccat tamen tam dans, quam petens diſpenſationem contra jus naturale, dictans partem debere conformari ſuo toti, niſi juſta cauſa excuſet. Sanch. *l.* 8. *d.* 18. Suar. Fill. *num.* 438. *& qui-* Animad. IX. *dem, at vult Suar. mortaliter*; *venialiter*, ut Pontius apud Dian. quem *vide p.* 8. *t.* 3. *R.* 8. 9. *&* 10. *Si dubitet, an cauſa ſit juſta, poſſe diſpenſare*, vult Sanch. *contra Bonac. qui dicit peccare. Etſi autem* Animad. X. *cauſa ſit juſta, non tamen tenetur diſpenſare* (*c*) niſi cum vel jus præcipit ex ea cauſa diſpenſari, vel neceſſarium eſt ad commune bonum, vel ſpirituale pœnitentis, vel ad avertendum grave damnum, aut publicum ſcandalum, & ſine diſpendio fieri poteſt. Dian. *p.* 8. *t.* 3. *R.* 27. *&* 28. contra Suar. Sanch. &c. Dixi 2. *legislatoris*, quia diſpenſatio inferioris in lege ſuperioris ſine juſta cauſa invalida eſt, ac proinde non excuſat *a* tranſgreſſione præcepti. Ratio eſt, quia qui nomine alterius ſine cauſa diſpenſat, diſſipet. Suar. *l.* 6. *c.* 19. Sanch. *l.* 8. *de ma-* Animad. XI. *trim. d.* 12. *Valide autem, & licita inferior poteſtate ordinaria diſpenſat ex juſta cauſa in* lege Supermris. 1. *Circa levia, hoc eſt, quæ ſub mortali non obligant, etſi facilis ſit ad Superiorem recurſus.* 2. Circa ea, quæ frequenter occurrunt, v. g. in jejuniis, celebrandis feſtis &c. 3. *Circa ea, quæ iis ſunt propria uni communitati, ut non conveniant alii.* 4. Quando recurſus ad Superiorem difficilis aſt, ſiva quando eſt neceſſitas, & periculum in mora. Dian. *p.* 8. *t.* 3. *R.* 12. ex Gran. Sal. Gord. & Pal. qui addit. 5. Si conſuetudo præſcripſerit, ut inferior Animad. XII. diſpenſet, ut Dian. *l. c. R.* 95. 6. *Quando eſt dubium negativum, an caſus egeat diſpenſatione. Quo caſu, ſecundum Palaum, non opus eſt diſpenſatione*, cum præſumptio ſit pro libertate. Barb. Dian. *p.* 3. *t.* 6. *R.* 28. *p.* 4. *t.* 3. *R.* 46. *p.* 8. *t.* 3. *R.* 72. *&* 95.

Unde reſolves.

ANIMAD. XIII. 1. *Pontifex ſine juſta cauſa non poteſt diſpenſare in lege Dei, nec Epiſcopus in lege Eccleſiæ.* Sanch. *d.* 17. *n.* 3. Suar. Vaſq.

2. Diſpenſatio in voto, vel juramento, ſine juſta cauſa, etiam a Papa facta, eſt invalida, ut Sanchez, Suar. *ll. cc.*

ANIMAD. XIV. 3. *Valida eſt, ſi Superior per errorem juſtam cauſam arbitretur, aut (etſi non arbitretur, & temere diſpenſet) eo ipſa tamen fit.* Sanch. *l. c.* Azor. Sa, Salas *n.* 81. *Similiter ſi diſpenſet cauſa, quæ revera legitima eſt, non præcognita, probabiliter tamen valere docent* Sanch. & Dian. *p.* 8. *t.* 3. *R.* 19. 21. *&c.* contra Azor.

ANIMAD. XV. 4. *In dubio de valore diſpenſationis, validam cenſeri, eo quod præſumatur in favorem actus, ne pereat, probabile putat* Sanch. &c. cum Dian. *p.* 3. *t.* 6. *R.* 9. *p.* 4. *t.* 3. *R.* 45. 64. *p.* 8. *t.* 3. *R.* 62. contra Molin. &c.

ANIMAD. XVI. 5. *Habens poteſtatem generalem diſpenſandi, poteſt etiam ſecum diſpenſare directe, & immediate.* Sanch. Dian. *p.* 8. *t.* 3. *R.* 16. contra Suar.

ANIMAD. XVII. 6. *Valet diſpenſatio obtenta per vim, aut metum (modo cauſa ſit juſta.) Item data ſine ullis verbis, ſola mente.* Turrian. Dian. *p.* 8. *t.* 3. *R.* 17. 76. *p.* 4. *t.* 4. *R.* 118.

ANIMAD. XVIII. 7. *Qui impetravit diſpenſationem, (v. gr. in impedimento dirimente matrimonium) & per ignorantiam, vel ſimplicitatem expreſſit cauſam falſam, eum valide contrahere matrimonium, dicit* Pont. *de matr. l.* 8. *c.* 16. C. *Cum inter. Sed contrarium tenet* Pal. *tom.* 1. *t.* 3. *d.* 6. *p.* 16. §. 5. ex C. *Sup. litteris.* V. Dian. *p.* 8. *t.* 3. *R.* 69.

8. Subditus bona fida diſpenſationem petens, rationibus Superiori allatis, poteſt diſpenſatione impetrata, *uti ſecurus.* (*d*) V. Laym. *l.* 1. *t.* 45. *c.* 22.

9. Peccat, qui aliquem inducit ad diſpenſandum ſine cauſa, vel allegata falſa cauſa. * Nav. Sanch. 18. *de matr. n.* 8. Fill. *t.* 10. *n.* 314. Salas *diſp.* 20. *ſ.* 6. *n.* 58. qui addit, id verum eſſe, etſi diſpenſans excuſetur ob bonam fidem.

10. Diſpenſatio poteſt impetrari non tantum pro ignorante, *ſed etiam invito,* (*e*) quando neceſſitas exigit. Sanch. Beja contra Suar. Vid. Dian. *p.* 8. *t.* 3. *R.* 86. 87. Id tamen locum non habet in ea, quæ impetratur ex Pœnitentiaria Romana, niſi impetretur a perſonis conjunctis, vel conſanguineis intra quartum gradum, vel ſaltem a Confeſſario. Marcus Leo *in praxi p.* 1. 34.

Quæres, an, ceſſante cauſa diſpenſationis, ceſſet ipſa?

Reſp. Pro hoc ſervient ſequentes regulæ.

1. Si tantum impulſiva, ſeu minus principalis cauſa ceſſet, manet diſpenſatio.

ANIMAD. XIX. 2. *Etſi ceſſet* pars cauſæ motivæ, ſeu principalis, *manet diſpenſatio.* V. Dian. *p* 8. *t.* 3. *R.* 62.

3. Si, commiſſa facultate diſpenſandi, priuſquam diſpenſetur, ceſſat omnino cauſa principalis, nulla eſt diſpenſatio.

4. Si, diſpenſatione redacta ad actum irrevocabilem, ceſſet tota cauſa, non ideo ceſſat, vel vim amittit; v. g. diſpenſatum fuit in impedimento conſanguinitatis propter paupertatem feminæ, licet, contracto matrimonio, divitias obtineat, non eſt irritum. Idem eſt, ſi beneficium per diſpenſationem obtinueris, & poſtea ceſſat cauſa, ob quam diſpenſatum fuit.

ANIMAD. XX. 5. *Si facta diſpenſatione, ceſſet omnino cauſa finalis, & actus poſſit facile revocari; v. g. diſpenſatum eſt in voto caſtitatis propter vehementes tentationes, quæ poſtea ceſſant, an reviviſcat votum; vel in præcepto recitandi Horas, jejunandi* &c. *propter infirmitatem, & poſtea convaleſcit, an teneatur recitare, jejunare* &c. Affirmat Sanch. Amicus, Portel. Bonac. &c. *quia alias non eſſet juſta. Negativam tamen ſententiam probabilem, & in praxi tutam eſſe, cenſet* Dian. *q.* 8. *t.* 3. *R.* 24. ex Sal. Gran. &c. *ſiquidem diſpenſatio fuerit abſoluta: quia obligatio legis ſemel extincta non reviviſcit: & quod deſtructum eſt, non reproducitur, niſi ab eo, qui producere poteſt.* Vid. Suar. *de leg. c.* 22. Laym. Præpoſ. &c. qui recte id concedunt, quando non eſt de re dividua, & ſucceſſiva; alias negant. Unde, ſuppoſita probabilitate ſententiæ negativæ, Gran. Diana &c. ſequentes caſus (in quibus tamen alii melius contrarium ſentiunt) reſolvunt.

1. *Cum quo diſpenſatum eſt propter morbum in eſu carnium, poteſt veſci, licet omnino convaleſcat.*

2. *Cum quo propter infirmitatem diſpenſatum eſt in voto religionis, poſtquam convaluit, non tenetur.* Dian. *p.* 6. *t.* 7. *R.* 45.

3. *Cum quo propter oculorum infirmitatem diſpenſatum fuit in onere recitandi Horas, etſi convaluerit, non tenetur legere.*

APPENDIX.

De diſpenſationibus S. Pœnitentiariæ.

Quia ex officio S. Pœnitentiariæ multæ diſpenſationes (& gratis quidem) impetrari poſſunt, ſaltem pro foro conſcientiæ, operæ pretium cenſui quædam circa hujus rei praxim pœnitentibus, & Confeſſariis utilia hic ſubnectere.

Et quidem tria potiſſimum circa hanc rem requiri poſſunt. 1. Circa materiam, & cauſas, in quibus nimirum caſibus diſpenſationes iſtæ concedi ſoleant. 2. Circa formam literarum Pœnitentiariæ, quibus diſpenſatio Confeſſario committitur, quarum verba nonnulla, quæ difficultatem pariunt, explicanda ſunt. 3. Circa ipſam executionem diſpenſationis, quæ nimirum in ea obſervanda ſint. De quibus ea Bonac. Diana *p.* 4. *t.* 4. *R.* 71. *& p.* 8. *t.* 1. *R.* 103. *&c. uſque ad R.* 111. *& Marci Pauli Leonis volumine integro ea de re edito.*

Reſp. 1. In triplici materia (pro cujus diverſitate diverſa quoque eſt forma) diſpenſationes, ſive gratiæ iſtæ concedi ſolent.

Prima eſt in votis, v. gr. ut votum religionis, ob inopiam parentum, vel fratrum, ſimilive ex cauſa liceat differre: ut quis a voto ſimplici caſtitatis, vel etiam religionis (poſtquam matrimonium contraxit) abſolvatur ad manendum in matrimonio, debitumque licite petendum: ut a voto religionis (ob debilitatem virium, per quas ejus onera ferre non poſſit, aut ob metum incontinentiæ, aut dotis defectum) abſolvatur in ordine ad contrahendum matrimonium.

Secunda in impedimentis occultis matrimonii, ſive ea ſint impedientia tantum, ſive etiam dirimentia, ſive matrimonium cum iis publice contractum ſit, ſive contrahendum, dummodo de eo privatim fuerit actum, & concluſum, præſertim bona fide, ſive etiam quando contracto ſuperveniunt. *Circa quæ notandum* 1. *Impedimenta occulta dici, quæ vel nulli nota ſunt, vel licet uni, alterive innotuerint, ad forum tamen contentioſum non ſunt deducta.* 2. Etſi aliqua impedimenta, v. gr. cognationis ſpiritualis, natura ſua ſint publica, cum contrahantur in facie Eccleſiæ; fieri tamen poteſt per accidens, ut ſint occulta, v. gr. 1. ob diuturnitatem temporis, ex quo ſunt contracta. 2. ob diſtantiam loci a loco contractæ cognationis. 3. per mortem eorum, qui fuerunt conſcii. 4. per ignorantiam hujus contractionis. ANIMAD. XXI.

Tertia in variis cenſuris, ut excommunicationibus, ſuſpenſionibus (item irregularitatibus) præſertim occultis, ad abſolvendum ab iis, diſpenſandum, rehabilitandum &c. Item ad condonandam obligationem reſtitutionis ob Horas neglectas, ad commutandum onus recitationis Horarum, eligendum Confeſſarium aliam pro reſervatis, tranſeundum ad aliam religionem, ſive Ordinem (pro utroque foro) etiam poſt apoſtaſiam a ſuo.

Reſp. 2. In formulis frequentioribus ipſius Brevis Apoſtolici, verba quæ ſubſtantialia continent, & difficultatem habent, ſunt hæc.

1. *Si eſt ita:* vel *quatenus ſi ita eſt.* Quorum ſenſus eſt, ſi preces veritate nitantur, præſertim tempore datarum literarum Apoſtolicarum. Requiritur autem veritas rerum narratarum, principaliter

* Id ſole clarius eſt.

ter quoad eſſentialia facti, v. gr. affinitatem eſſa contrectam, inceſtum commiſſum, & actum, ſiva tractatom eſſe de matrimonio (intellige perfecte, tix ut in id utrinque conſenſerint) & periculum ANIMAD. XXII. ravelationis, ac ſcandalum imminere. Secundarin autem requiritur quoad accidentalia, v. gr. bona fide actum eſſa, & ſimilia, quæ tantum ſunt impulſivæ, & ſioa quibue nihilominus conceduntur tales diſpenſationes: *unde, etſi in iis, vel in aliis parvi momenti ſit erratum in petitione, gratia nihilominus eſt valida*. V. M. Leon. *p.* 2. *ſ.* 226. *&* *p.* 3. *ſ.* 391.

2. *Si periculum immineat ravelationis*. Ad hoc enim ut ſubſiſtat diſpenſatio, requiri ut ſit periculum, ne raveletur impedimentum (intellige, quando id in formulæ exprimitur) ſi non ſubſequatur matrimonium, docet Marc. Leo *p.* 2. *ſ.* 230. Periculum autem hoc non importare neceſſariam detectionem, ſed tantum probabilem, & moralem credulitatem, futurum, ut ſi reſiliatur a matrimonio contrahendo, & hujus cauſæ aſſignari non poſſint, ea vehementi ſoſpicione, & curioſa inquiſitione detegatur. *V. L. c. ſ.* 233.

3. Et *Scandalum*. Quo nomina intelligitur gravis infamia, ea qua deinde ſequantur contentiones, minæ, pugnæ &c. Leo *ſ.* 2. 3n. *&* 317.

4. *Ut dicta muliere de nullitate prioris conſenſus certiorata &c.* Clauſula hæc eſt ſubſtantialis, ut nimirum, ſi diſpenſaodum ſit in impedimento dirimente, cum quo matrimonium contractum fuit in facie Eccleſiæ, conjux ignorane illud impedimentum fiat certæ de nullitate priorie ſui conſenſue, & novum, validumque libere præſtet; ita tamen, ut in cognitionem occulti impedimenti non veANIMAD. XXIII. niat. Leo *p.* 251. Dian. *p.* 8. *t.* 8. *R.* 110. *Sufficit autem, ut iſtum conſenſum præſtent inter ſe ſecreto, nemine præſente, per verba, vel ſigna ſufficientia, v. gr. copulam maritali affectu*. Nequa debet Executor diſpenſationis eos coram ſe, & teſtibus iterum copulare. Leo *p.* 551.

5. *Poſtquam dicto Sacerdoti ſi nondum ſatisfecerit*. Verba hæc ſolent eſſa in facultate abſolvendi ab excommunicatione, v. gr. ob percuſſionem Clerici: & important conditionem priue ſatisfaciendi parti læſæ, quam poſſit abſolvi, hoc eſt, compenſandi injuriam, expenſas, & omoia damna, quæ ob percuſſionem illam incurrit, quorum æſtimatio committitur Eeecutori diſpenſationis: neque ab ejus obligationa liberatur percuſſor per hoc, quod percuſſue injuriam remiſerit. Vide Leon. *p.* 382. 384. Si autem non poſſit in præſenti ſatisfacere, ſufficit, ſi juratue promittat, ſe facturum, cum primum poterit.

Reſp. 3. Circa praxim, ſive executionem hujus diſpenſationis, hæc facienda.

1. Literæ ſacræ Pœnitentiariæ diriguntur ed oratorem, hoc eſt ad ipſum, qui diſpenſetionem (per ſe, vel alium) petiit, qui non debet eae reſignare, ſed aligere Confeſſarium talem, quali inſcribuntur, qui eas ſibi ab oratore traditas reſignet, legat, & deinda cum eo ſecundum commiſſionem diſpenſet. Licet vero quocumque caſu eb aliis aperiantur, non iden carent effectu. Salas, Dian. *p.* 8. *t.* 3. *R.* 103.

2. In Confeſſario hoc requiritur: 1. Ut ſit approbatus ab Ordinario territorii, in quo diſpenſaturus eſt. 2. Ut ſit Magiſter, ſive Doctor in Theologia, vel Jure Canonico, promotus in Academia, vel Religioſus habens privilegium, quale conceſſit Greg. XIII. anno 1582. Confeſſariis Soc. JESU, quos Generalis, vel alius Superior de ejus licentia ad id deſignarit. 3. Ut ſpecialiter ad hoc ſit electus eb oratore, hoc eſt, ab eo, cum quo diſpenſandum eſt: qui tamen ſemel electum, niſi deprehendat ignorantem, mutare non poteſt. Len. *ſ.* 22. Dian. *p.* 8. *t.* 3. *R.* 104. Contrarium temen docent Sanch. & Perez *de matr. d.* 48. *ſ.* 5. *n.* 7.

3. Confeſſarius ad id electus, 1. *Debet diſpenſa-* ANIMAD. XXIV *re in ipſa confeſſione, vel ſaltem immediate poſt*. Dian. *p.* 4. *R.* 7. Leo. *p.* 1. *ſ.* 54. *&* 28. 2. *Debet cauſa cog-* ANIMAD. XXV. *nitionem, quando ea in Brevi exigitur, eſſentialiter præmittere per diligens examen pœnitentis*, niſi habeat anta perſpectam: quia non eſt merus Executor, ſed Judex, cui delegetur poteſtas diſpenſandi. 3. In ea debet credere illi, etiam ſine teſtibus, & juramento, niſi aliunde ſciat eſſe falſam: tunc enim diſpenſare non debet. Leo. Dian. *p.* 8. *t.* 3. *R.* 108. 4. *Opera in ipſo Brevi præſcripta etſi poſſit moderari* ANIMAD. XXVI. *non tamen condonare poteſt*. 5. Etſi non præſcribantur certa verba ad diſpenſandum, debet tamen ſervare formam a Rituali Romano probatam, & poſt verba iſta (Abſolvo te a peccatis tuis) addere:
„ Et eadem auctoritate declaro te in dicto matri-
„ monio manere, & debitum conjugale reddere poſ-
„ ſe, & dabere: nec non diſpenſo tecum, ut idem
„ debitum etiam exigere licite valees. In nomine
„ Patris &c. " Si vero ſit abſolvendus ab excommunicatione, *vide formulam infra l.* 7. *c.* 1. *d.* 6. 6. Abſolutæ diſpenſatione, debet lacerare literas, præcipue ſigillom, ite ut ad probandum ſervire non poſſint, alias incurrit eacommunicationem majorem. Laon. *ſ.* 239. Laceratio tamen iſta non eſt da ſubſtantia: quia tantum intenditur, ut non ſuffragentur in foro eaterno. 7. Nullo modo debet atteſtationem diſpenſationis factæ, neque ipſum Breve, ſeo diploma reddere, cum pro ſolo foro conſcientiæ debeat ſervire. 8. Nihil debet accipere, ne via quidem compenſationis pro diſpenſatione etiam pro foro eaterno facte: ideo enim inſcribitor, *gratis ubique*: alias incurrit ipſo facto excommunicationem mejorem. Gavant. Dian. *l. c. en declar. Cardin.*

Ex dictis reſolvuntur ſequentes caſus.

1. Confeſſarius pro hac diſpenſatione aligi non poteſt, qui tantum eſt Doctor Ordinis, vel Profeſſor, vel Licentiatus Theologiæ; quod anim hic in favorabilibus veniat nomine Doctoris, tentum intelligitur de iis, quæ ratione exercitii, non quæ ratione dignitatis committuntur. Leo. *p.* 1. *ſ.* 21. Dian. *p.* 4. *t.* 4. *R.* 41.

2. Ea privilegio Societ. JESU conceſſo, alii etiam Mendicantes eligi poſſunt, ob communicationem. Debent tamen tam hi, quam iſti ſpecialem ad hoc habere ſacultatem a ſuis Superioribus: alias diſpenſatio erit nulla. *Ita Aut. cit.* & patet ex dictis.

3. Confeſſor debet ite examinare pœnitentem, ut cognoſcat, & quidem diſtincte, merita cauſæ, poſſitque inter ea diſcernere: ideo enim inſcribitur *Viro diſcreto*. Præcipue autem debet inquirere, an preces nitantur veritete: quia gratia non conceditur ſimpliciter, ſed ſub conditiona, ideoque ſolet addi clauſula: *Quatenus ſi ita eſt*: vel *ſi ita eſſe repereris*. *V. Aut. cit.*

4. Is, qui diſpenſationem petit, debet Executori ed id electo confiteri: nec ſufficit anta ei confeſſum fuiſſa. Patet ea dictis. Leo *ſ.* 28. Dien. *p.* 4. *t.* 4. *R.* 71. Reg. Pont. contra Sanch. Sal. Perez, Palaum, quorum ſententiam non ampliue eſſe probabilem ducet Fill. Eſcob. Lexan. Dian. *l. c.* & *p.* 8. *t.* 3. *R.* 105

5. Commiſſio hujus diſpenſationis non eapirat morte Pœnitentiarii concedentis, re integræ: quia eſt gratia non facienda, ſed facta in favorem oratoris, cui jus quæſitum eſt; & Executor eſt diſpenſator neceſſarius, ſi quidem preces nitantur veritate. Neque etiam morte Pontificis, tum ob rationem allatam, tum quia officium majoris Pœnitentiarii non expirat morta Pontificis. Dian. *p.* 8. *t.* 3. *R.* 89. ex Suar. Sanch. Grac. &c. contra Navar. Bonac. &c.

N o t a.

(a) *Metus gravis* v. g. *mortis* &c.

Cum præcepta colliduntur, majus, & fortius minori, & imbecilliori prævalet: at præceptum vitæ tuendæ, quod non ſolum divinum, ſed naturale eſt, majus, & fortius eſt, quam præceptum integræ confeſſionis, quod eſt mere poſitivum divinum; multoque magis, quam lex ſervandi depoſitom, & ſuccurrendi extremæ alterius corporis indigentiæ, (de qua Buſ. hic loquitur, ut ex ejus exceptione, & citatione intelligitur:) ergo illud his prævelet.

Votum eſt ex natura ſua promiſſio melioris boni. Si ergo nuncupatum fuerit de Miſſa audienda, de jejuniis, aliiſque hujuſmodi, non eſt melioris boni, cum vitæ conſervationem impedit; ideoque in hac ſpecie naturam, & vim voti amittit.

At ſi emiſſum fuerit de non colendis idolis, de hæreſi abjuranda, de vitando perjurjo, & ſimilibus, (quæ

votn

Digitized by Google

vota fieri poſſe, certum eſt ex D. Th. 2. 2. q. 88. a. 2., & ex communiſſima ſententia apud Conc. Th. t. 3. p. 129. cap. 5.) ab his implendis metus mortis non excuſat; qua de re nemo dubitat.

(b) *Ut ſi v. g. cogaris metu mortis contrahere* &c., *poſſes contrahere* &c. Contrahere Matrimonium in ſpeciem, idem eſt, ac fingere matrimonium; quod eſt apertum mendacium, nunquam, nulloque in eventu permiſſum; multo vero minus in noſtra ſpecie, ubi Sacramentum ſimulatur; quæ ſimulatio graviſſima eſt. Quod dicitur de Sacerdote Miſſam fingente, idem ſimili ratione de matrimonio ſimulante dicendum eſt. At de primo Innoc. 3. cap. *de homine* 7. tit. 41. lib. 3. decr. inquit. *Cum ergo falſa ſint abjicienda remedia, quæ veris ſunt periculis graviora; licet is, qui pro ſui criminis conſcientia reputat ſe indignum* (quod quia Sacramento ſe reputet indignum pro ſui criminis conſcientia, aut pro vi legis irritantis, quoad indignitatem perinde eſt) *peccet graviter, ſi ſe ingerat irreverenter ad illud, gravius tamen videtur offendere*, (en noſtra ſpecies) *qui ſic illud fraudulenter præſumpſerit ſimulare; cum ille in ſolius miſericordis Dei manum incidat, ille vero non ſolum Deo, cui non veretur illudere, ſed Populo, quem decipit, ſe adſtringat*. Omnia hic paria ſunt. Illud unum diſcrimen eſt, quod Sacerdos, conſecrationem ſimulans, Sacramento auguſtiori injurius ſit, fingens vero matrimonii celebrationem, Sacramentum minus venerandum ſacrilege tractet; at utrumque ſcelus grave. Si enim grave ſcelus eſt mendacium, ſeu ſimulatio proximo graviter injuria, multo magis gravis noxa eſt fictio hominibus, & Dei Sacramentis graviter noxia, & injurioſa.

(c) *Etſi autem cauſa ſit, non tamen tenetur diſpenſare* &c. Juſta cauſa jus dat diſpenſandi, non tamen neceſſitatem imponit, niſi neceſſitas aut ſpiritualis, aut corporea proximi id poſtulet. Hinc Luc. 12. v. 42. *Quis, putas, eſt fidelis ſervus & prudens, quem conſtituit Dominus ſupra familiam ſuam, ut det illis in tempore tritici menſuram?* In *tempore*, hoc eſt, ut ego intelligere mihi poſſe videor, pro neceſſitatis opportunitate. Quod confirmat D. Aug. in reg. ad ſervos Dei n. 8. (tom. 1. col. 292.) *& ſi fieri poteſt, non ad vos pertineat* &c., *dum tamen unicuique, prout cuique opus eſt, non negetur*. Legat etiam qui velit, quod S. Doct. habet n. 5. Hanc eandem doctrinam tradit Conc. Th. t. 6. p. 498. n. 5.

(d) *Subditus bona fide* &c. *eſſe ſecurus*. Ita quoque D. Th., cujus verba habes hic animad. 14.

(e) *Sed etiam tutius, ſi* &c.

Hic a me lector quærit, quid ſentiam. Reſp. Cum Bui. duos pro affirmante ſententia afferat, tres pro negante, inter quos Suarezium gravem Theologum, nihilque aliud addat, ex ejus dictis pro negante ſententia ſtandum eſt. At quid ſentiendum, inquis? Reſp. Si publica Eccleſiæ, aut Populi utilitas, aut neceſſitas diſpenſationem poſtulet, diſpenſatio rite petitur, riteque conceditur. Quia publicum bonum, in cujus gratiam leges latæ ſunt, cum earumdem legum diſpenſatione rectiſſime procuratur etiam contra privatam hominis voluntatem. Sicuti nolentes ad animarum curam recte aſſumuntur ex SS. Patrum doctrina, ut legi poteſt animad. 2. in cap. 3. lib. 5.; ita ſi quod legitimum impedimentum iis objiciatur, in gratiam publici boni ſapienter per diſpenſationem tollitur.

Si autem de privata neceſſitate agatur, vix forte continget, ut diſpenſatio pro invito recte peti poſſit; quia aut alia ratione neceſſitati conſuli poterit, aut neceſſitas non erit tam gravis, & urgens, ut gratia diſpenſationis invito prudenter impertiri queat; & hoc forte ſenſu locutus eſt Suarez, quem Bui. contra ſe appellat.

Animadverſio I.

ITA loquitur etiam La-Croix p. 148. n. 748. atque ita loquebatur etiam Pelagius, cujus verba recitat S. Hieron. lib. 1. Dial. adverſus Pelag. c. 10. *Quæ eſt iſta juſtitia, ut in peccato tenear erroris, cujus reatum non habet conſcientia? Neſcio me peccaſſe, & ejus rei, quam neſcio, pœnas luo? Et quid plus faciam, ſi ſponte peccavero?* Enim vero ſi non peccamus ſine cognitione, nulla ſunt ignorantiæ peccata; quæ eſt ipſiſſima Pelagianorum hæreſis. Nulla quidem actio culpabilis eſt, niſi ſit voluntaria; ac id intellige vel directe, & in ſe, vel indirecte, ſeu in cauſa. Si culpæ cognitio abſit, quæ haberi potuit, ac debuit; hoc ipſum culpæ vertitur, ipſaque actio, aut omiſſio ex tali hac ignorantia profecta, utpote voluntaria in cauſa. Hac de re plura, ſi lubet, lege apud Concinam t. 2. App. p. 123. & ſeq.

Quæ hic Zach. contra commentatur, infra refelluntur in additamento animadverſionis 1. in cap. 11. lib. 2. tract. 1. & ſequentis animadverſionis.

Animadverſio II.

Buſembaum hic quidem ſemetipſum corrigit. Verum ut ignorantia ſit vincibilis, & culpabilis, non ſolum vult, ut ſit ejus, quod ſcire, aut diſcere poteras, & tenebaris, ſed præterea ut in mentem veniat dubitare, nec ſtudueris intelligere, (idem habet La-Croix loco mox citato) & pro ſe citat S. Auguſt., & S. Thomam locis non indicatis, quaſi vulgo notum ſit, hanc eſſe eorum mentem; cum tamen ſolidiſſimi Doctores Eccleſiæ primam tantum conditionem poſtulent. D. Th. 1. 2. q. 6. a. 8. ait. *Alio modo dicitur ignorantia voluntaria* (idem eſt vincibilis, & culpabilis) *ejus, quod quis poteſt ſcire, & debet. Sic enim non agere, & non velle voluntarium dicitur, ut ſupra dictum eſt*; nihilque aliud addit: & q. 19. a. 6. inquit: *Si igitur ratio, vel conſcientia erret errore voluntario vel directe, vel propter negligentiam, quia eſt error circa id, quod quis ſcire tenetur, tunc talis error rationis, vel conſcientiæ non excuſat, quin voluntas concordans rationi, vel conſcientiæ ſic erranti ſit mala*. D. vero Aug. lib. 3. de libero arbit. c. 19 citatus a Nat. Alex. (Theol. c. 2. p. 200. reg. 71.) ita ſcribit. *Non tibi deputatur ad culpam quod invitus ignoras, ſed quod negligis quærere quod ignoras*. Ipſa omiſſio, ſeu negligentia quærendi quod ignoratur, hoc eſt quod neſcitur, & ſciri debet, ſine alia additione, deputatur ad culpam. Et c. 22. ait: *Non enim quod naturaliter neſcit, & naturaliter non poteſt, hoc animæ deputatur in reatum; ſed quod ſcire non ſtuduit, & quod dignam facilitati comparandæ ad recte faciendum operam non dedit*. Itaque nec D. Th., nec D. Aug. illud Buſembau „ *& in mentem veniebat dubitare* " in mente habuerunt. Proferant adverſarii vel unum textum aut D. Thomæ, aut D. Auguſtini, & manus damus. Quia vero incertum nobis eſt, utrum dignam facilitati comparandæ ad recte faciendum operam dederimus, idcirco ignorantiæ peccata valde timenda ſunt, ſicuti ea ſancti viri timuerunt, & cum Pſalmiſta Pſal. 24. orandum: *Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris*; & Pſal. 18. *Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me*. At delicta intelligerentur, ſi ignorantia tunc ſolum eſſet culpabilis, cum in mentem venit de malitia dubitare. Quod enim noſtræ menti occurrit, neceſſe eſt ut nobis notum ſit.

Apoſtolorum interfectoribus in mentem certe non venit dubitare de ſua ipſorum impia immanitate; quia ipſis perſuaſum fuit, ſe obſequium Deo præſtare, dum Apoſtolos interficiebant. *Venit hora*, inquit Chriſtus Jo. 16. *ut omnis qui interficit vos, arbitretur obſequium ſe præſtare Deo*. An hæc ignorantia eos a peccato excuſabat? Quis hoc dicere audeat? *Voluntas occidentium Apoſtolos erat mala*, ait D. Th. 1. 2. q. 19. a. 6. & Tirinus in hunc textum affirmat, hanc ignorantiam non excuſare *in graviſſimo peccato; quia eſt voluntaria, craſſa, facile vincibilis, ſeu affectata*.

D. Paulus 1. ad Tim. 1. de ſeipſo confitetur. *Qui prius blaſphemus fui, & perſecutor, & contumelioſus: ſed miſericordiam Dei conſecutus ſum, quia ignorans feci in incredulitate*. An de ſuis culpis dubitare in mentem ipſi venit, cui incredulitas perſuadebat perſequi fidei præcones, tamquam veræ fidei hoſtes?

Itaque dum pœnitentes in peccata, quæ ſcire debuerant eſſe peccata, per ignorantiam incidunt, eorum rei judicandi ſunt, licet nec malitiam adverterint, nec de malitia dubitandi in mentem eis venerit.

At inquit La-Croix loc. cit. ſi nulla menti occurrat ſaltem confuſa culpæ notitia, aut dubitatio, ignorantia culpæ eſt invincibilis; quia mens ad veritatem quærendam excitari non poteſt, niſi prævio aliquo lumine, aut dubitatione peccati.

Reſp. Ratio a La-Croix allata falſa eſt; quia ad veritates ſibi neceſſarias indagandas quilibet excitari poteſt, & debet ex officio addiſcendi Dei legem. Quod ſi hac in re debitam, ſeu, ut ait D. Aug. dignam operam collocaverit. non eſt dubium, quin omni culpabili ignorantia vacet. Si autem illud omiſerit, etiamſi nulla ne confuſa quidem culpæ notitia, aut dubitatione tangatur, ſeu illuſtretur, ejus ignorantia evidenter vincibilis eſt, quia vinci potuit, ac debuit; ideoque culpabilis.

Subdit La-Croix p. 149. n. 749. „ Si alicui inciderit „ cogitatio prudens, ne forte objectum ſit malum, & „ operatio inhoneſta, ipſe autem ſufficientem adhibuerit diligentiam, neque tamen potuerit reſcire veri„ tatem, ignorantia, vel error eſt ipſi invincibilis; ideo„ que operationes, vel mala ex his ſecuta non ſunt „ imputabilia ad culpam. "

Hic quoque ſophiſtice, & falſo loquitur. Si enim poſt ſufficientem diligentiam veritatem deprehendere non potuit, manet prudens cogitatio, ne forte operatio ſit

mala

mala, hoc eſt prudens culpæ dubitatio; quæ, ut non ſemel diximus, & oſtendimus, præcepti neceſſitatem imponit abſtinendi ab actione.

Hinc illud quoque n. 750. falſo aſſerit, errore invincibili a culpa eos excuſari, qui in rebus controverſis claſſicos Auctores ſequuntur, etiamſi errent. Nam error vincitur, ſi mens claſſicos Auctores aliis repugnantibus non ſequatur, ſed in re dubia maneat anceps, & ſuſpenſa, ut debet. An mens anceps, & ſuſpenſa in re dubia manere non poteſt?

Hoc eſt neceſſarium verſatilis probabilitatis conſectarium, ut errorem invincibilem appellet, qui evidenter vincibilis eſt.

Initio ſtatim ſcripſi: *Verum ut ignorantia ſit vincibilis, &c. cum tamen ſolidiſſimi Doctores Eccleſiæ primam tantum conditionem poſtulent*; quod allatis S. Thomæ, & Auguſtini textibus aſtruo.

At Zach. „ Nec intelligis, qui primam conditionem „ poſtulent, eos & alteram poſtulare debere. Quomo„ do enim dicetur quis poſſe, ac debere ſcire, de quo „ ne in mentem quidem veniat dubitare, num debeat „ in illud inquirere?

Reſp. His paucis verbis duo, mi Zach., non exigua errata erras. Primum eſt, quod ſolidiſſimos Eccleſiæ Doctores SS. Auguſtinum, & Thomam Aquinatem quaſi injectis ferreis vinculis dicere cogas, quod reipſa non dixere. Nonne ego aperte profeſſus ſum in hac ipſa animadverſione? *Proferant adverſarii vel unum textum aut D. Thomæ, aut D. Auguſtini, & manus damus*. Tu vero nullo eorum textu prolato, eos in tuam ſententiam pertrahis. Fatere tandem, tuum, tuorumque opinatorum opinandi modum, a Sanctorum Patrum doctrina, ut loquitur Alex. VII., eſſe omnino alienum.

Alterum tuum erratum eſt, quod pro tuæ affirmationis confirmatione principium petas, hoc eſt affirmes, quia affirmas. Affirmaſti, „ qui primam condi„ tionem poſtulant, “ hoc eſt, ut quis poſſit, & debeat ſcire, „ eos & alteram, “ hoc eſt, ut in mentem veniat dubitare, „ poſtulare debere. “ Quomodo id confirmas? Quia qui primam poſtulant, debent, neceſſe eſt, non poſſunt non poſtulare alteram. Temetipſe collige, & fatere, quod res eſt. Eo ipſo vincibilis, & culpabilis eſt ignorantia eorum, quæ ſcienda ſunt, quia debita diligentia in lege addiſcenda adhibita non fuit. An negare potes, negligentiam addiſcendi legem eſſe culpabilem, ſeu venerit, ſeu non venerit in mentem dubitare? At ignorantia, quæ ex culpabili negligentia oritur, culpabilis eſt in ipſa ſua cauſa: ergo ignorantia ex negligentia addiſcendi legem orta, culpabilis eſt, ſeu venerit, ſeu non venerit in mentem dubitare.

Pelagius teſte S. Hieronymo lib. 1. Dial. adverſus Pelag. (apud Conc. App. t. 2. p. 88.) ajebat: *Neſcio me peccaſſe, & ejus rei, quam neſcio, pœnas luo?* Probabilis opinator inquit: „ Neſcio me peccaſſe, & ejus „ rei, de qua ne in mentem quidem dubitare venit, „ pœnas luo? “ Hæ doctrinæ nonne ſunt germanæ ſorores, aut potius idem? Nam *ne in mentem quidem dubitare venit*, & pelagianum *neſcio* idem ſunt.

D. Auguſtinus tract. 89. in Evang. Joann. illos, qui Evangelio ſibi non annuntiato moriuntur, a peccato quidem non credendi in Chriſtum excuſat, at ſubdit: „ Sed non ideo poſſunt damnationem effugere; *quia quicumque ſine lege peccaverunt, ſine lege peribunt*. “ Et lib. de gratia, & lib. arb. cap. 3. *Qui ergo noverunt divina mandata, aufertur eis excuſatio, quam ſolent habere homines de ignorantia. Sed nec ipſi ſine pœna erunt, qui legem Dei neſciunt. Qui enim ſine lege peccaverunt, ſine lege peribunt* &c.; & ibidem. *Sed & illa ignorantia, quæ non eſt eorum, qui ſcire nolunt*, (cujuſmodi ſunt, qui dubitant, utrum aliquid ſcire debeant, nec tamen inquirere volunt) *ſed eorum, qui tanquam ſimpliciter* (ſine addito voluntatis, non voluntatis, dubii, non dubii) *neſciunt, neminem ſic excuſat, ut ſempiterno igne non ardeat, ſi propterea non credidit, quia non audivit omnino quid crederet*, (culpam in eo ipſo agnoſcit, quod non audivit, quia potuit audire) *ſed fortaſſe, ut mitius ardeat*. Hæc teſtimonia decretoria ſunt, at poſtremum explicatius.

Illud meum, *Apoſtolorum interfectoribus in mentem certe non venit* &c. P. Zach. reprehendens ait: „ Ne„ go tuum *certe* Apoſtolorum vitæ, ſignis, divinæ elo„ quentiæ maxime injurium. Fieri enim ne potuit, „ ut qui eorum virtutes, ac miracula cernebant, au„ diebant præterea eorum ſermones divino Spiritu ple„ nos, iis ne in mentem quidem venerit ſemel dubita„ re de ſua in illos immanitate? Dubitatione autem „ illa neglecta, & conſequente ignorantia excæcati „ *arbitrabantur* obſequium ſe præſtare Deo, dum Deum „ graviſſime laceſſebant. “

Reſp. Probo illud meum *certe*, imo illud probavi. Qui enim ſua immanitate obſequium ſe Deo præſtare arbitrantur, illi de ſua immanitate *certe* non dubitant: at ex allato Chriſti oraculo Apoſtolorum interfectores, ſua immanitate obſequium ſe Deo præſtare arbitrabantur: ergo meum *certe* probavi.

An rhetoricis conjecturis contra Chriſti oraculum pugnare audes? Nam dum ais fieri non potuiſſe, ut in mentem non venerit dubitare, eos dubitaſſe affirmas, Chriſtus autem negat. Rhetorica illa tua conjectura populo venditari poteſt, non Theologis Chriſti oraculo munitis, qui præterea facile advertunt, ipſas Apoſtolorum virtutes, ſigna, dicendi ſimplicitatem, ut odium, ita contemptum apud infideles ipſis peperiſſe; cum iis contraria ſuæ religioni, & ſenſis, quibus tenaciſſime inhærebant, perſuadere conarentur.

Dic mihi quæſo, Zach., fieri ne potuit, ut qui Chriſti virtutes, miracula, divinos ſermones ſuis percepere ſenſibus, iis ne in mentem quidem ſemel venerit dubitare de ſua in illum crudelitate? Audi Matth. c. xi. v. 19. *Venit Filius hominis manducans, & bibens, & dicunt: Ecce homo vorax, & potator vini, publicanorum, & peccatorum amicus*; & c. xii. v. 24. *Phariſæi autem audientes dixerunt: Hic non ejicit dæmones, niſi in Beelzebub principe dæmoniorum*; & c. 9. v. 3. *Et ecce quidam de Scribis dixerunt intra ſe: hic blaſphemat*; & c. 26. v. 65. *Tunc Princeps Sacerdotum ſcidit veſtimenta ſua dicens, blaſphemavit*. Vide animad. 1. 2. 3. 4. 5. in lib. V. cap. I. & animad. 1. 2. in lib. V. cap. II.

Animadverſio III.

Ita ſane; quia ex reg. 13. juris in 6o *ignorantia facti, non juris excuſat*; dum tamen ea ex oſcitantia, aut culpa non oriatur.

Animadverſio IV.

Hæc doctrina pro fundamento habet, quod malitia non contrahatur, niſi advertatur; qui ex dictis eſt error Pelagianus; ideoque abſolute accepta falſa eſt. Exemplum tamen a Buſemb. allatum recte ſe habet; quia ignorantia, de qua in eo ſermo eſt, eſt ignorantia facti; ſi tamen, ut mox dixi, ea ignorantia ex culpa non proficiſcatur; & qui peccat, paratus non ſit cum ea fœmina peccare, etiamſi foret conſanguinea.

Animadverſio V.

Ne Buſemb. doctrina laxitatum occaſio ſit, inculcanda hic eſt D. Thomæ doctrina, ut ſcilicet lex, cum ex toto ſervari non poteſt, ea parte, eoque modo, quo poteſt, ſervanda ſit.

Animadverſio VI.

Juxta Buſembaum, qui cum alio horas, aut partem earum notabilem commode dicere non poteſt, non tenetur. Vult ſcilicet præcepta, & leges non ſolum eſſe poſſibiles, ſed faciles, & commodas; alioquin vi obligandi eas privat.

Quod ſi horas cum alio quis commode recitare poſſit, at non ſoleat, eum ab hujuſmodi obligatione liberat. Si ita eſt, qui ſolus recitare horas non ſolet, ab earum onere immunis erit, quando ſocium habere non poſſit. Qui, cum ſolus horas recitare nequeat, ſocium commode habere, & cum eo eas dicere poteſt, etſi non ſoleat, cur ſocium non adhibet? Quia ſcilicet non vult. Excuſatur ne ab horarum recitatione, qui eas omittit, quia vult omittere? Illa diſtinctio, quod quis ſoleat, aut non ſoleat horas canonicas cum ſocio dicere, quoad vim obligandi, aut eximendi ab obligatione, *inanis eſt, & rationis vacua*, ut recte ait Concina Theol. t. 2. p. 493. n. 3.

Mirum ſane eſt, quod ſubditi a legum onere tam facile liberentur. Corrupta doctrina eos liberare poteſt, ſana doctrina eos nec liberat, nec liberare poteſt.

Animadverſio VII.

Qui carens Breviario, pauca ex horis memoriter tenet, perinde ſe habet, ac qui nihil memoriter tenens, pauca ex horis in Breviario habet. Quod de hac altera ſpecie dicitur, de prima dicendum eſt. Videlicet lex, quæ tota impleri non poteſt, quoad partem, quæ poteſt, implenda eſt.

Animadverſio VIII.

Huic ſententiæ vehementer repugnat Concina Theol. t. 6. p. 485. & ſeq. quem, ſi lubet, conſule. Hac enim de re ego non diſputo, quia id neceſſarium mihi non videtur.

Digitized by Google

detur. Dum fateamur, diſpenſationes ſine juſta cauſa conceſſas, quæ impedimenta irritantia, & legales inhabilitates tollunt, eſſe validas, ita ut actus earum vi facti valeant, cui rei Concina non repugnat, quoad conſcientiam perinde eſt, ſeu diſpenſatio injuſta ſit valida, ſeu invalida; quia omnium conſenſu tum injuſte diſpenſans, tum injuſta diſpenſatione utens, peccat.

Animadversio IX.

Buſ. contrarias ſententias affert, ut lector eam feligat, quæ ſibi commodior videtur, juxta ſuum verſatilem opinandi modum, Scripturæ, & Eccleſiæ ſenſui contrarium.

Ceterum hic ſermo de diſpenſatione injuſta non in ſe levi, ſed gravi; in qua diſpenſantem mortaliter peccare, non unus Suar. a Buſ. citatus, ſed Cajet., Armil., Valent., Covar., Sotus, aliique a Suarezio laudati cenſent; qui, ut ait Concina Theol. t. 6. p. 483. n. 6. pro hac ſententia *laudare potuiſſet antiquos, gravioreſque Auctores omnes* Ratio eſt, quia qui in gravi materia contra juſtitiam peccat, mortaliter peccat: ſed qui ſine cauſa juſta diſpenſat, contra juſtitiam peccat: peccat contra juſtitiam legalem, publici boni curatricem; quia leges diſſipat, in quarum cura, & cuſtodia publicum bonum ſitum eſt: peccat contra juſtitiam diſtributivam quia bonorum, & onerum communium iniquus diſpenſator eſt: peccat demum contra juſtitiam commutativam; quia, cum honorem, & publica ſtipendia ea conditione accipiat, ut juris, publicique boni cuſtos ſit, juris, publicique boni diſſipator eſt. Ergo mortaliter, & graviſſime peccat. Hæc eſt D. Bernardi lib. 2. de Conſid. c. 4. ſententia, ubi ait: *Nam cum nihil horum eſt*, ſcilicet nec neceſſitas, nec communis utilitas, *non plane fidelis diſpenſatio, ſed crudelis diſſipatio eſt*. Crudelis diſſipatio poteſt ne eſſe ſine lethali culpa?

Adde, quod qui in re gravi utitur diſpenſatione ſine juſta cauſa impetrata, mortaliter peccat; hujuſmodi enim diſpenſatio perinde eſt, ac ſi nulla ſit quoad licitum uſum; quia juxta Synodum Tridentinam ſeſſ. 25. cap. 18. de reform. *ſubreptitia* cenſenda eſt: ergo mortaliter quoque peccas, dum diſpenſationem ſine juſta cauſa petit: ergo etiam diſpenſans ſine juſta cauſa mortaliter peccat. Hæc ſcilicet ſunt connexa, nec ſeparari invicem poſſunt.

Animadversio X.

Buſembaum more ſuo opiniones contrarias conſarcinat. At leges, legumque cuſtodia, bonum commune eſt; diſpenſatio hic & nunc eſt bonum privatum: bonum autem commune privato bono præferendum eſt; ideoque in dubio, utrum ſit juſta diſpenſandi cauſa, legum cuſtodia eſt præferenda privati hominis commodo diſpenſationem petentis.

At inquit La-Croix (p. 154. n. 804.) „ Poteſtas diſ„ penſandi eſt late interpretanda, & diſpenſaturus non „ obligatur ad tam rigidum examen de plena ſufficien„ tia cauſæ. “

Reſp. Ita ſane loquuntur, qui *conſuunt pulvinos ſub omni cubito manus*. La-Croix, dum ita ſcriberet, in mente certe non habuit Synodum Tridentinam ſeſſ. 25. c. 18. ita præcipientem. *Quod ſi urgens, juſtaque ratio, & major quandoque utilitas poſtulaverit, cum aliquibus diſpenſandum eſſe, id cauſa cognita, ac ſumma maturitate, atque gratis a quibuſcumque, ad quos diſpenſatio pertinebit, erit præſtandum; aliterque facta diſpenſatio ſubreptitia cenſeatur*. Diſpenſationem privatis perſonis impertitam, eſſe odioſam, La-Croix n. 178. confeſſus eſt; ex quo illud ſequitur, diſpenſationem in cauſa dubia non eſſe concedendam. At inquit idem La-Croix eodem n. 178. „ Poteſtas diſpenſandi eſt res favorabilis, „ hinc late interpretanda eſt. “ Hæc ſane pugnantia ſunt. Si enim uſus poteſtatis odioſus eſt, ipſa poteſtas odioſa eſt; & ſi contra poteſtas eſt favorabilis, ejus quoque uſus favorabilis eſt. Sed verſatiles opinatores in more habent, ut pugnantia loquantur.

Animadversio XI.

Hoc additum, *etſi facilis ſit ad Superiorem recurſus*, mihi ſuſpectum eſt; nec enim inferior diſpenſare poteſt in lege ſuperioris, niſi ex tacita, & præſumpta ejuſdem voluntate: at cum ſuperior facilem ad ſe in levium diſpenſatione aditum præbet, eam ſibi reſervare videtur, niſi forte conſuetudo contrarium habeat. Ergo &c.

Animadversio XII.

Hic Buſ. ponit diſpenſatione opus non eſſe, cum adeſt dubium poſitivum, rationibus ſcilicet æqualiter gravibus hinc inde pugnantibus, utrum caſus diſpenſatione indigeat; quod La-Croix p. 155. n. 818. explicate affirmat; quia, inquit, licite ſequeris probabilem. An id verum eſt manente dubio? At ipſo Buſembao teſte c. 2. dub. 1. Reſp. 2. Qui cum conſcientia practice dubia operatur, peccat; idque confirmat ex Ap. dicente: *Quod non eſt ex fide, peccatum eſt*. Dubium, inquies, deponendum eſt. At cum rationes graves hinc inde æquales ſunt, dubium eſt prudens: prudens autem dubium eo ipſo, quia prudens eſt, temere deponitur. An temeraria dubii depoſitio conſcientiam in tuto ponit? Videlicet qui in poſitivo dubio, utrum caſus diſpenſatione indigeat, ſine diſpenſatione operatur, manifeſto periculo violandi legem ſe ſe objicit, ideoque ſine dubio peccat.

Si id verum eſt in dubio poſitivo, multo magis verum eſt in dubio negativo. Utrum lex in certo caſu diſpenſatione non obtenta obliget, negative dubitas, hoc eſt ex levibus rationibus: rationes leves contemnendæ ſunt, & lex ſervanda eſt, niſi diſpenſationem obtineas. Neſcis, utrum lex vim habeat, ſi ab ea non diſpenſeris. Diſpenſatione non impetrata, legem perficere debes, ne ejus violationis periculo te objicias. An de his rationabiliter dubitari poteſt? At juxta Palaum, Dianam, & alios, ait Buſemb. & cum eo La-Croix loco mox citato, non eſt opus diſpenſatione, ſed ſine ea, prout libuerit, agere poteris. Qua ratione id aſſerunt? Quia, inquit Buſemb. cum La-Croix, præſumptio eſt pro libertate, hoc eſt pro libertatis poſſeſſione. At certum eſt, libertatem numquam eſſe in ſui poſſeſſione. Hoc apertum ſophiſma ſupra convulſum eſt tract. 1. c. 2. dub. 3.

La-Croix objicit R. 20. §. de R. juris, ubi dicitur: *Quoties dubia interpretatio libertatis eſt, ſecundum libertatem reſpondendum erit*: quod, inquis La-Croix, „ tenes „ Caſtrop. licet magis inclinares, quod indigeres diſ„ penſatione, quia non debes cenſere te obſtrictum le„ ge, niſi de lege ſis certus ſecundum dicta num. 272.“ Hæc eſt verſatilis probabilitatis doctrina, quæ legum ſtena adeo laxat, ut in nihilum magna ex parte redigat; quia infiniti propemodum ſunt peculiares caſus, de quibus controvertitur, utrum ſub legem cadant, nec certa lege definiuntur. Citata juris civilis regula intelligenda eſt quoad juſtitiam vindicativam, in qua pœnæ irrogandæ non ſunt, niſi de legis violatione certo conſtet, & quoad judicium de aliorum actibus, qui in dubio in meliorem partem ſemper interpretandi ſunt; non autem eo ſenſu, ut libertati liceat facere, quod dubium eſt, utrum liceat. Id Pomponio regulæ citatæ auctori ne in mentem quidem venit; quod ſi veniſſet, non probandus, ſed jure divino, naturali, & canonico contrarium dictante, eſſet corrigendus.

Itaque juxta ſanam Theologiam in dubio tum poſitivo, tum multo magis negativo, utrum caſus diſpenſatione indigeat, inferior in lege ſuperioris diſpenſare non poteſt; quia diſpenſando, uſurpandæ auctoritatis, qua caret, periculo ſe ſe committit, & diſpenſatum in diſcrimen violandæ legis conjicit.

Animadversio XIII.

Summus Pontifex ne in ſuis quidem, & Eccleſiæ legibus ſine juſta cauſa diſpenſare poteſt ſine peccato ex mox dictis.

Dum autem Buſemb. ait, Pontificem ſine juſta cauſa diſpenſare non poſſe in Dei lege, quod eſt certiſſimum, ponere videtur, ipſum in lege Dei diſpenſare poſſe, aut id in dubium vocare. Huic poſitioni omnes Theologos adverſari, affirmat Anacletus Theol. mor. p. 74. conc. 2. Sanch., & Bon. a Concina citati Summo Pontifici facultatem concedunt diſpenſandi non in omnibus, ſed in aliquibus præceptis juris divini. At, inquit Concina Theol. t. 6. p. 476. num. 3. *contraria ſententia vera eſt, & communiter ab antiquis, & recentioribus Auctoribus propugnatur*; quem, ſi lubet, conſule. Hanc eſſe mentem D. Thomæ 2. 2. q. 88. a. 10. ad 2. aperte intelligitur. Ibi enim ait: *Et ideo cum Prælatus Eccleſiæ diſpenſat in voto, non diſpenſat in præcepto juris naturalis, & divini, ſed determinat id, quod cadebat ſub obligatione deliberationis humanæ, quæ non potuit omnia circumſpicere*. Concedit ſcilicet, quod in argumentatione ſibi oppoſita dixerat, hoc eſt per hominem in lege naturæ, & divina diſpenſari non poſſe. Diſpenſatio enim locum habet, ubi lex deficit, hoc eſt cum ratio dictat, in aliqua hypotheſi eſſe aut privatam neceſſitatem, aut publicam utilitatem diſpenſandi. Hoc porro accidit, quia legiſlator omnia circumſpicere non potuit. At Deus omnia circumſpexit; nec unquam neceſſarium, aut utile eſſe poteſt, ut homo ab illius lege eximatur. Ergo neceſſe non fuit, ut Chriſtus ſuo Vicario facultatem concederet diſpenſandi in lege divina. Itaque Summus Pontifex divinæ legis cuſtos eſt, & interpres, non diſpenſator.

Ani-

Animadverſio XIV.

La-Croix ita inquit (p. 284. num. 802.), „Quod ſi diſ„penſatio a ſuperiore data ſit ſine juſta cauſa, multi „cum Illſ. d. 2. n. 52. docent, ſubditum poſſe illa uti; „ſed Azor., Salas, Sanch., Amicus, aliique cum Mo„ya t. 6. d. 3. q. 3. contradicunt, quia jus naturæ di„ctat, partem non debere ſine cauſa difformari a to„to.“ Hactenus ille, rem in medio relinquens. At ratio hic allata, & dicta ad Reſp. aperte evincunt, ſubditum non poſſe uti diſpenſatione ſine juſta cauſa conceſſa, hoc eſt ſi error Prælati evidens ſit. Nam in dubio ſubditus Superioris judicio ſtare poteſt. Audiatur D. Thom. 2. 2. q. 88. a. 12. inquiens: *Ad Prælatum tamen pertinet dijudicare, quid ſit magis virtuoſum, & Deo magis acceptum; & ideo in manifeſtis diſpenſatio Prælati non excuſaret a culpa; puta ſi Prælatus diſpenſaret cum aliquo ſuper voto de ingreſſu Religionis, nulla apparenti cauſa obſtante. Si autem eſſet cauſa apparens, per quam ſaltem in dubium verteretur, poſſet ſtare judicio Prælati diſpenſantis, vel commutantis.*

Aut (etſi non arbitretur, & temere diſpenſet) reipſa tamen ſit. Sanch &c. ſimiliter &c. Hujuſmodi diſpenſationes jure naturæ validæ quidem ſunt; at jure poſitivo invalidæ mihi, ita ut iis uti non liceat, videntur. Synod. enim Trid. ſeſſ. 25. c. 18. de reform. ait: *Quod ſi urgens, juſtaque ratio, & major quandoque utilitas poſtulaverit, cum aliquibus diſpenſandum eſſe, id cauſa cognita, ac ſumma maturitate, atque gratis a quibuſcumque, ad quos diſpenſatio pertinebit, erit præſtandum, aliterque facta diſpenſatio ſubreptitia cenſeatur.*

Ut diſpenſatio valida ſit, tria Synod. requirit. Primum, ut ſit juſta diſpenſandi cauſa, *Quod ſi urgens &c.* alterum, ut cauſæ cognitio præcedat, *id cauſa cognita*; tertium, ut ſumma maturitas, hoc eſt ut pro gravitate, & difficultate negotii cautio, diligentia, examen adhibeatur. Si horum unum, ut omittam illud *gratis*, quod ad rem præſentem non facit, deſit, diſpenſatio quoad ejus licitum uſum nulla eſt; *aliterque facta diſpenſatio ſubreptitia cenſeatur*. P. quidem Concine, quem ut veriſimilium opinatorum malleum, ſolidæque doctrinæ acerrimum aſſertorem valde veneror, hic repugnat Theol. t. 6. p. 497. n. 4. Quæ, inquit, Concilia in diſpenſatione cauſæ cognitionem, & examen requirunt, ut exploretur, utrum legitima cauſa reipſe exiſtat: ergo ſi hæc exiſtat, ignorantia, aut temeritas, diſpenſandi poteſtatem non adimit. Reſpondeo, ex ignorantia, aut temeritate univerſe quidem diſpenſandi poteſtatem non adimi, adimi tamen in diſpenſatione, in qua temeritas intervenit, non naturæ jure, ſed poſitivo Concilii Tridentini, ut ex verbis mox citatis intelligitur. Hoc vero accipiendum eſt quoad Prælatos Papa inferiores, quorum auctoritas non ſolum quoad legitimum, ſed etiam quoad validum uſum e generalis Synodi lege pendet. Nam Summi Pontificis poteſtas quoad valorem humanæ legi obnoxia non eſt. Ceterum diſpenſati ex juſta cauſa, diſpenſatione uti ſine ſcrupulo poſſunt, niſi evidenter conſtet, diſpenſationem temere fuiſſe conceſſam; quia temeritatem a ſuis Superioribus abeſſe, ponere omnino debent, niſi contrarium evidens ſit.

Animadverſio XV.

Cum diſpenſatus ſimplicitate uſus, nec falſa narravit, nec veritatem neceſſario exprimendam reticuit, nihilominus dubitet de ſufficientia cauſæ, *ſtare poſſet*, ex D. Thoma mox citato, *judicio Prælati diſpenſantis, vel commutantis.* At ſi dubium valoris diſpenſationis ſe teneat ex parte petentis, hoc eſt ſi dubitetur, utrum diſpenſatio fuerit ſubreptitia, aut obreptitia, invalida haberi debet; ne ſcilicet dubie diſpenſatus committat ſe periculo violandi legem. Hinc P. Concina Theol. t. 10. p. 349. n. 15. de hujuſmodi diſpenſatione quoad matrimonii impedimentum loquens, ait: *Impedimentum certum eſt, & diſpenſatio dubia: dubium autem elidere certum nequit.* At, inquit Bulemb., in tali dubio præſumitur in favorem actus, ne pereat. Quid, quæſo, rectius præſumitur, in favorem ne actus, an in favorem animæ, ne pereat? Præſumptio in favorem actus temeraria eſt, quæ nullo fundamento nixa, cum penſatis omnibus valor actus dubius ſit. Itaque hic quoque illud præceptum locum habet, *in dubiis tutior via eſt eligenda.*

Animadverſio XVI.

Idem docet S. Thomas 2. 2. q. 175. art. 8. cui, ait Concina Theol. t. 6. p. 480. n. 14. communiter ſubſcribunt Theologi. Si tamen cauſa diſpenſandi evidens non ſit, viri prudentes, & docti conſulendi ſunt, ne erroris periculo ſe committat, & peccet.

Animadverſio XVII.

Contra hanc ſententiam ita ratiocinor. Quod naturæ diſpenſationis contrarium eſt, eam deſtruit, & nullam efficit: at vis diſpenſanti illata, naturæ diſpenſationis contraria eſt. Cum enim hæc ſit gratia reſpectu diſpenſati, e ſpontanea concedentis voluntate neceſſe eſt ut proficiſcatur, cui repugnat illata vis. Præterea cum jure omnia ſint contraria jus violanti, merito præſumitur contra jus eſſe, ut beneficio eccleſiaſticæ poteſtatis uti poſſit, qui eidem vim infert. Adde, quod ex Innoc. III. cap. *Super litteris* mox citando nullum commodum ex impetratis reſcriptis conſequuntur, qui per malitiam falſum exprimunt, aut verum reticent; ergo multo minus commodum obtinent, qui per vim, quæ fraude pejor eſt, reſcripta extorquent. An qui pœna dignus eſt, juta permittere cenſenda ſunt, ut diſpenſationis gratia, & beneficio frui poſſit? Metus quidem voluntarium, & libertatem ſimpliciter non tollit; at gratia poſtulare videtur voluntarium, & liberum perfectum. Hac tamen de re dubitanter loquor, & nihil definio. Illud certe conſultius eſt, ne ſubditus diſpenſatione metu injuſto extorta utatur, niſi ejus confirmationem ſubmiſſe impetret; quod docet quoque P. Concina Theol. t. 6. p. 500. num. 4.

Item data ſine ullis verbis ſola mente.

Sicuti lex ſola mente concepta, vi obligandi caret, ita diſpenſatio nullis externis ſignis prodita, ſed ſola mente data, virium expers eſt. An homines pro ſua voluntate, & commodo evadunt Angeli, ut aliorum cogitationes nullis externis ſignis expreſſas percipere poſſint, ſi ad ſe dirigantur?

Animadverſio XVIII.

Innoc. III. (lib. 1. dec. tit. 3.) cap. *Super litteris*, diſtinctione utitur, inquiens: *Inter alios autem, qui poſteriori modo* (hoc eſt per ſimplicitatem, vel ignorantiam) *litteras impetrant, duximus diſtinguendum, quæ falſitas ſuggeſta fuerit, vel quæ veritas ſit ſuppreſſa. Nam ſi talis expreſſa ſit falſitas, vel veritas occultata, quæ quamvis fuiſſet tacita, vel expreſſa, nos nihilominus ſaltem in forma communi litteras dedigemus, delegatus non ſequens formam in litteris ipſis appoſitam, ſecundum ordinem juris in cauſa procedat.* Hoc eſt, deſcripta veritatis occultatio, & falſitatis narratio reſcriptum quoad ſubſtantiam non vitiat, ſed ſolum quoad formam, cujus ſuit cauſa. Licet autem ibi ſermo ſit de Pontificio reſcripto quoad lites, ſeu juſtitiam, id tamen habere quoque locum in reſcriptis gratiæ, ratione, & auctoritate oſtendit Anacletus t. 1. juris can. p. 142. Reſp. 2. num. 163. & ſeq.

Si vero, pergit Pontifex, *per hujuſmodi falſitatis expreſſionem, vel ſuppreſſionem etiam veritatis litteræ fuerint impetratæ, qua tacita, vel expreſſa nos nullas prorſus litteras dedigemus, a delegato non eſt aliquatenus procedendum.* In hac ſcilicet ſpecie impetratio, ſeu reſcriptum nullius roboris eſt. Quod autem dicitur de reſcripto ad lites, idem, imo multo magis dici debet de reſcriptis gratiæ, uti ſunt diſpenſationes, quæ latiüs vitiantur, quam reſcripta juſtitiæ, ut oſtendit idem Anacl. n. 173. Ratio autem evidens eſt, quia licet narratio falſi (idem dicas de ſuppreſſione neceſſariæ veritatis) ex ſimplicitate & ignorantia, culpa vacet, vim tamen habere non poteſt impetrandæ diſpenſationis ſine juſta cauſa. Cum ergo cauſa falſo expoſita, ſit nulla, omni vi caret. Reſcriptum enim pontificium non eſt abſolutum, ſed ea ſemper conditione affectum, *ſi preces veritate nitantur* ex cap. *Ex parte* de reſcriptis (decret. lib. 1. tit. 3. c. 2.)

Nam qui per fraudem, inquit idem ſummus Pont., *vel malitiam falſitatem exprimunt, vel ſupprimunt veritatem, in ſuæ perverſitatis pœnam nullum ex illis litteris commodum conſequuntur.* Id vero abſolute, & ſine ulla reſtrictione dicitur.

Animadverſio XIX.

Ita loquitur etiam Concina Theol. t. 6. p. 501. nu. 2. Ego hic quoque diſtinctione uterer. Si enim pars reſidua cauſæ motivæ habeat rationem cauſæ principalis, ſic ut ſola, & ſejuncta ab alia parte ſatis ſit ex æquo judicio ad diſpenſationem, diſpenſatio manet. At ſi pars reſidua ex æquo judicio diſpenſationi impetrandæ ſufficiens non foret, ne apta quidem judicanda eſt ad diſpenſationem in ſuo robore conſervandam. Diſpenſatio enim durare non poteſt intercidente cauſa ſufficiente ejuſdem. E. g. propter oculorum morbum eſt quis diſpenſatus ab horis canonicis; ex quo poſtmodum ex parte convaleſcit, manente parte ejuſdem morbi, quæ tamen gravis non eſt, nec diſpenſatione digna; in hac ſpecie diſpenſatio, ut mihi videtur, ceſſat.

Ani-

Animadverſio XX.

In hac quæſtione Buſemb. negantem ſententiem ut probabilem & in praxi tutam ex Diana proponit. At probabile æquali, aut majori probabilitate impugnatum, quod libertati ſeveat, & in praxi ſit tutum, ex dictis de probabilitate ſunt contradictoria.

Quamquam opinio Dianæ veluti improbabilis, & falſa habenda eſt; uti rejicitur a Concina Theol. t. 6. p. 301. qu. 1. certum eſt neminem uti poſſe diſpenſatione ſine juſta cauſa obtenta: ergo certum eſt neminem uti poſſe diſpenſatione, ceſſante omnino juſta diſpenſationis cauſa. Cur enim nemo ſine culpa uti poteſt diſpenſatione ſine juſta cauſa impetrata? quia inculpabilis uſus diſpenſationis a juſta cauſe pendet. Ergo ſublata juſta cauſa, uſus diſpenſationis culpabilis efficitur. Sicuti juſta diſpenſatio a juſta diſpenſandi cauſa in fieri, ut ſcholæ loquuntur, pendet, ita ab eadem juſta cauſa in facto eſſe, ſeu in duratione dependet; quia ſublata cauſa tollitur effectus. Laboras incommodo, quod duraturum putas tota quadrageſima; idcirco pro tota quadrageſima diſpenſationem impetras a jejunio; at poſt unam, vel alteram hebdomadam omnino convaleſcis, an a jejunio liber es? Quis chriſtiano, & ſano ſenſu id affirmare audeat?

At, inquit Buſ. obligatio legis ſemel extincta non reviviſcit; & quod ſemel deſtructum eſt, non reproducitur, niſi ab eo, qui producere poteſt.

Reſp. Hæc ratio evidenter cavillatoria eſt: ponit enim, legem ex diſpenſatione abſolute extingui, cum certum ſit, eam non extingui quoad diſpenſatum niſi ſub conditione juſtæ cauſæ; qua ceſſante diſpenſatio ceſſat, & lex vim obligandi retinet, ſeu recuperat. Quamquam vis legis ex juſta diſpenſatione, ſi proprie loquimur, non extinguitur, ſed ſuſpenditur, quæ ſuſpenſio tamdiu durat, quamdiu juſta diſpenſandi cauſa, cui vis diſpenſationis alligata eſt, durat.

Ex hactenus dictis rejicienda omnino eſt doctrina a Buſembao hic tradita c. e. 2. & 3. utpote falſa, communi piorum hominum ſenſui contraria, meriſque ſcholaſticis, ſeu arabicis cavillationibus nixa.

Animadverſio XXI.

Circa quæ notandum, impedimenta occulta dici, quæ vel nulli &c. vel licet uni &c. ad forum tamen contentioſum non ſunt deducta. Adde, & nullum periculum eſt, quod publicentur, ſeu ad forum contentioſum deducentur. Si enim hujuſmodi periculum rationabiliter timeatur, *Epiſcopus*, ait Anacletus t. 4. juris can. p. 151. n. 44. *diſpenſare nequit*; & ratio eſt, quia extante hoc periculo, periculum quoque adeſt, quod matrimonium occulta diſpenſatione valide contractum, majori cum ſcandalo ſeparari debeat; cum diſpenſatio pro foro interno, quoad externum attendi non debeat; eaque non obſtante matrimonium ab ipſo etiam Epiſcopo diſpenſante, ſi impedimentum publicum fieret, ſit ſeparandum. Ita Anacl. citans Boſco, Sanch. Barboſ. Quod autem de Epiſcopo dixit, idem intelligi vult de ſacra Pœnitentiaria Romana p. 195. n. 417. Idque ex eadem allata ratione; quia in ejus litteris, quarum formula habetur apud eumdem Anacletum p. 198. dicitur, *ita quod hujuſmodi abſoluta, & diſpenſata* (ab occulto matrimonii impedimento) *latere in foro judiciario nullatenus ſuffragentur.*

Animadverſio XXII.

Buſ. ait *erratum*, hoc eſt ex ſimplicitate, & ignorantia. Nam ſi erratum ſit ex malitia, & fraude, diſpenſatio vitiatur ex Innoc. III. cit. ad c. 7.

Animadverſio XXIII.

Id ſane ſufficit; et exemplum copulæ maritali affectu peractæ ad rem præſentem aptum non videtur. Copula enim maritalis non poteſt eſſe ſignum matrimonii tunc contracti, cum ſit ejus effectus. Conſenſus ergo ſecreto præſtandus a conjugibus per ſigna ſufficientia, copulam præcedere debet; quam tamen ſi vel momento præcedat, ſatis eſt. Copula poteſt eſſe maritalis, & fornicaria; nec maritalis eſſe poteſt, niſi ex prævio mutuo matrimonii conſenſu ſignis declarato.

Animadverſio XXIV.

In formula litterarum ſacræ Rom. Pœnit. ita legitur: *Et in ipſo actu ſacramentalis confeſſionis tantum, & non aliter, neque ulla alio modo.* Non eſt hic vitilitigandum Sophiſtarum more, non ex arbitrio agendum, ſed ad amuſſim præſtandum, quod litteræ ſummi Pœnitentiarii præſcribunt, ne diſpenſatio invalide ſit; hoc eſt audita confeſſione, & abſolutione impertita in ipſo Tribunali ſtatim diſpenſandum eſt.

Animadverſio XXV.

Recte quidem; ac etiamſi examen explicate non exigatur, præmittendum nihilominus eſt, niſi diſpenſationis cauſæ diſpenſanti compertæ ſint, ne temere diſpenſet, & diſpenſationem fruſtrationis periculo exponat. Hujus examinis neceſſitatem indicent tum rei natura, tum verba illa apponi ſolita, *diſcretioni tuæ committimus, quatenus ſi ita eſt &c.* ut notet etiam Anacletus t. 4. juris can. p. 199. n. 453.

Animadverſio XXVI.

Judex ſuperior poteſt quidem inferioris ſententiam moderari, non ſubditus, & executor: at Confeſſarius eſt ſubditus, & executor ſummi Pœnitentiarii: ergo ejus ſententiam moderari non poteſt, ſed ei obedire debet. Quod præſcribitur in commiſſione diſpenſationis ſuper occulto impedimento affinitatis poſt contractum matrimonium ſupervenientis, juxta formulam citatam illud eſt, *injuncta inde ei pro tam enormis libidinis exceſſu gravi pœnitentia ſalutari, ac confeſſione ſacramentali peccatorum ſuorum ſingulis ſcilicet menſibus ut minimum ſemel, aut quoties tibi videbitur.* An Confeſſarius hæc temperare poteſt, levem pœnitentiam imponendo, vel confeſſionem ter tantum, aut quater in anno injungendo? minime vero gentium. Sæpius quidem, ſi ejus prudentiæ ita videatur, confeſſionem præcipere poteſt, quam ſemel in ſingulos menſes, quia hæc facultas ipſi permittitur; at confeſſionum numerum minuere non poteſt. Hæc ſunt perſpicua. Conſule tamen, ſi lubet, Anacletum p. 200. n. 464.

LIBER II.

De præceptis virtutum theologicarum.

TRACTATUS I.

De præceptis Fidei.

CAPUT I.

Quæ Myſteria Fidei neceſſaria credenda ſint?

Ex iis, quæ fideles explicite credere tenentur, quædam neceſſario credenda ſunt neceſſitate medii, ſeu finis; ſine quibus, etiam inculpabiliter ignoratis, finis ultimus obtineri nequit: alia neceſſitate præcepti, ſine quibus inculpabiliter omiſſis, finis poteſt obtineri. Sanch. 2. *mor. c.* 2. Azor. Val.

Reſp. 1. Neceſſitate medii neceſſaria ſunt hæc duo: 1. Explicite credere, Deum eſſe, & remuneratorem bonorum eſſe, juxta illud Apoſtoli ad Heb. 11. *Credere oportet.* Trid. *ſeſſ.* 6. *c.* 8. 2. *Poſt ſuffi-* Animad. I. *cientem Evangelii promulgationem, credere explicite,* ut vult Mol. *aut ſaltem implicite, ut probabiliter quidam docent cum* Con. & Laym. *Chriſtum, & ſanctiſſimam Trinitatem.* Vid. Eſcob. *ex* 2. *c.* 9. *n.* 20. ubi ex Vaſq. *l.* 2. *d.* 126. *c.* 3. docet culpabilem ignorantiam horum myſteriorum, ſive negligentiam ea diſcendi eſſe greve peccatum, diſtinctum ab eo, cujus eſt cauſa. V. Dian. *p.* 3. *t.* 5. *R.* 47. & 48.

Porro implicite credere dicitur, qui credit aliquid explicite, in quo alterum implicite eſt; v. g. ſi credas, quod credit Eccleſia. V. Schol. & Laym. *l.* 2. *tr.* 1. *c.* 8.

Reſp. 2. *Neceſſitate præcepti quivis fidelis ſub mor-* Animad. II. *tali explicite credere, & ſcire, craſſa ſaltem modo, & quoad ſubſtantiam, tenetur hæc.*

1. Symbolum. 2. Orationem Dominicam. 3. Præcepta decalogi, & Eccleſiæ. 4. Sacramenta maxime neceſſaria, ut Baptiſmum, Euchariſtiam, & Pœnitentiam; *reliqua autem tunc, quando vult ſuſcipere.* Suar. Sanch. Fill. *n.* 39. *Quæ omnia intellige, niſi* Animad. III. *impotentia, aut invincibilis ignorantia excuſet. Unde reſolvuntur.*

1. *Non omnes tenentur ſub mortali hæc prædicta* Animad. IV. *ſcire memoriter*, aut eo ordine, aut iis verbis, quibus

Digitized by Google

bus proponuntur: *ſed quoad Orationem Dominicam, ſcire omnia bona petenda eſſe a Deo, quæ eſt ejus ſumma: quoad Symbolum vero, præcepta, & Sacramenta, ſufficit, ſi quis rogatus de ſingulis recte reſpondeat*. Bonac. Laym. *l. c. c.* 9. Sanch. *l.* 2. *c.* 3.

ANIMAD. V. 2. *Quamvis ſit præceptum Eccleſiæ diſcendi memoriter Symbolum, & Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam, velitque* Barb. *p.* 3. *c.* 27. *non eſſe abſolvendum, qui ob negligentiam, vel verecundiam ea addiſcere non curat, conſuetudo tamen, ut notat* Navar. & Lopez, *expoſuit obligationem non eſſe ultra venialē; uti nec eſt ultra veniale, neſcire facere crucem*, ut docet Sanch. contra Syl. *qui docet eſſe mortale*.

ANIMAD. VI. 3. *Moraliter nihilominus neceſſarium eſt, ut rudiores memoria teneant Symbolum ſua lingua: quia alioquin non poſſunt habere ſufficientem cognitionem articulorum*.

4. Falſa eſt opinio quorumdam Canoniſtarum, ruſticis eſſe ſatis, articulos fidei, aliaque dicta credere implicite, credendo quidquid credit Eccleſia.

ANIMAD. VII. 5. *Excuſantur ii, quibus aut defuit doctor, aut nunquam venit in mentem obligatio ſimilia diſcendi, aut qui nimis ſint rudes*, ita ut non poſſint ea comprehendere, aut retinere; quod ſæpe contingere docent Azor. & Bec. contra alios.

ANIMAD. VIII. 6. *Si Confeſſarius probabiliter judicet pœnitentem ignorare ea doctrinæ Chriſtianæ ea, quæ ſcire tenetur* (quod de literatis, vel bene educatis, vel frequenter confitentibus præſumendum non eſſe monet Sanchez 2. *mor. c.* 3.) *debet eum interrogare de negligentia in iis addiſcendis*: cum per eam plurimi graviter peccent. Led. Azor. *t.* 1. *l.* 8. *c.* 8. Trull. *l.* 1. *c.* 1. *d.* 4.

ANIMAD. IX. 7. *Poſſunt abſolvi* (*contra quoſdam*) *qui ignorant ea, quæ ſub mortali ſcienda eſſe dixi*. Ratio eſt, quia licet peccarint ommittendo diſcere, poſſunt tamen de hoc dolere, cum propoſito diſcendi. Sanch. *Quod ſi tamen ignorent ea, quæ neceſſitate medii ſcienda ſunt, deberent inſtrui ante abſolutionem*. Bonac. *d.* 3. *q.* 2. *p.* 2. Sanch. *l. c. c.* 3. *n.* 21.

ANIMAD. X. 8. *Parochus ſuas oves* (ſicut parens liberos) *tenetur ſub mortali, per ſe, vel alium docere ea ſaltem, quæ ſub mortali ſcire tenentur*. Sanch. 2. *mor. c.* 3. Filliuc. Palaus, Trull. *l.* 2. *c.* 1. Kon. &c.

ANIMADVERSIO I.

MIttamus verſatilem probabilitatem, quæ in lubrico ſemper verſatur, & quod res eſt, dicamus. D. Th. 2. 2. quæſt. 2. art. 8. ad 1. dicit, *quod illa duo* (hoc eſt, eſſe Deum, & remuneratorem juxta Ap. ad Heb. 11.) *explicite credere de Deo omni tempore, & quoad omnes neceſſarium fuit; non tamen eſt ſufficiens omni tempore, & quoad omnes*: & art. 7. *Poſt tempus autem gratiæ revelatæ tam majores, quam minores tenentur habere fidem explicitam de myſteriis Chriſti præcipue quantum ad ea, quæ communiter in Eccleſia ſolemnizantur, & publice proponuntur, ſicut ſunt articuli incarnationis, de quibus ſupra dictum eſt*. Hi porro ex eodem S. Thoma q. 1. art. 8. ſunt ſeptem: *quorum primus eſt de incarnatione, ſive de conceptione Chriſti: ſecundus de nativitate ejus ex Virgine: tertius de paſſione ejus, & morte, & ſepultura: quartus eſt de deſcenſu ad inferos: quintus eſt de reſurrectione: ſextus de aſcenſione: ſeptimus de adventu ad judicium*. Hinc illa oracula, *Creditis in Deum, & in me credite* Joann. 14. *Dedit poteſtatem filios Dei fieri his, qui credunt in nomine ejus*, Joann. 1. *Qui credit in eum, non judicatur; qui autem non credit, jam judicatus eſt, quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei*, Joann. 3. Itaque Melchior Canus ſelect. de ſacram. p. 2. concl. 3. ait: *Fides Chriſti explicita poſt Evangelii divulgationem eſt ad ſalutem cujuſque hominis neceſſaria*. Poſt ſubdit: *Tertia illa concluſio uſque adeo certa eſt, ut eam negare non periculoſum modo, verum etiam erroneum ſit: hæreticum dicerem, niſi modeſtius eſſet, Eccleſiæ definitioni hujus vocabuli notam derelinquere*.

Quod autem dicitur de myſteriis Chriſti, idem quoad fidem explicitam de Trinitate dicendum eſt. Ecce D. Thomam 2 2 qu. 2. art. 8. ajentem, *quod myſterium incarnationis Chriſti explicite credi non poteſt ſine fide Trinitatis: quia in myſterio incarnationis Chriſti hoc continetur, quod Filius Dei carnem aſſumpſerit, quod per gratiam Spiritus ſancti mundum renovaverit, & iterum quod de Spiritu ſancto conceptus fuerit .... Et ideo etiam poſt tempus gratiæ divulgatæ tenentur omnes ad explicite credendum myſterium Trinitatis*. Hæc doctrina in ſymbolo S. Athanaſii, ſeu quicumque ſit ejus Auctor, expreſſe habetur. *Quicumque vult ſalvus eſſe*, inquit ſymbolum, quod eſt Catholicæ Eccleſiæ vox, *ante omnia opus eſt ut teneat catholicam fidem: quam niſi quiſque integram, inviolatamque ſervaverit, abſque dubio in æternum peribit. Fides autem catholica hæc eſt, ut unum Deum in Trinitate, & Trinitatem in unitate veneremur ... Sed neceſſarium eſt ad æternam ſalutem, ut incarnationem quoque Domini noſtri Jeſu Chriſti fideliter credat*. Symbolum Trinitatem, & Incarnationem diſtincte explicat, & diſtincte neceſſario credenda proponit: ergo ex neceſſitate diſtincte credenda ſunt, quidquid Buſ. aut alii contra dicere audeant. Hac de re legi poteſt etiam Concina Theol. t. 1. p. 102. n. 12. & p. 103. n. 13.

At hic aliquis forte objiciet. Præceptum de Chriſti fide invincibiliter ignorari poteſt, puta ab homine in ſilvis erutrito, quo nullus Evangelii præco pervaſerit. Nam, ut ait Ap. ad Rom. 10. *quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient ſine prædicante? ... Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Chriſti*. Hinc Chriſtus Joan. 15. *Si non veniſſem, & locutus eis non fuiſſem, peccatum non haberent*: intellige quo in Chriſtum non credunt. Quare illa prop. *Infidelitas pure negativa in his, quibus Chriſtus non eſt prædicatus, peccatum eſt*, hæc, inquam, prop. n. 68. A S. Pio V. & Gregor. XIII. proſcripta fuit. ª Ergo ſi illi, quibus Chriſtus non eſt annuntiatus, in Chriſtum non credentes non peccant, ſine expreſſa Chriſti fide ſalvi eſſe poſſunt; ergo expreſſa Chriſti fides non eſt ad ſalutem neceſſaria neceſſitate medii.

Reſpondeo, hos, de quibus hic ſermo eſt, damnandos eſſe non fidei in Chriſtum defectu, ſed propter alia peccata contra naturæ legem. Quod ſi ponamus, hos naturæ legem ſervare, non eſt dubitandum, quin Deus vel per homines, vel per Angelos, vel alia ratione, Chriſti, & Sanctiſſimæ Trinitatis myſteria illis ſit revelaturus; quia Deus in neceſſariis non deeſt. Hinc Philippus Act. 8. ab Angelo raptus eſt ad Eunuchum virum religioſum, ut Chriſtum ei annuntiaret; & Angelus Act. 10. apparuit Cornelio Deum timenti, eique præcepit, ut Petrum Ap. acceſſeret, a quo Chriſti fidem diceret.

Miſſis ineptiis, quas huc quoque more ſuo P. Zach. ſpec. 114 intrudit, teſtibus a me ex S. Thoma, ex Scripturis, p. cxiv. ex Melchiore Cano ſumptis, „ Buſ. reſpondebit, inquit, illis adſtrui neceſſitatem præcepti, non medii."

Reſp. D. Th., quem primo loco attuli, 2. 2. q. 2. a. 3. quærit, *utrum credere aliquid ſupra rationem naturalem, ſit neceſſarium ad ſalutem*. Illud *neceſſarium* ſine addito, ſi S. Doctorem intelligis, aut intelligere vis, eſt idem, ac neceſſarium abſolute, hoc eſt neceſſarium medii, ſine quo finis nulla ratione obtineri poteſt; & ipſa quæſtio hunc ſenſum neceſſario poſtulat; quia unanimi Theologorum conſenſu credere aliquid ſuper rationem naturalem, eſt neceſſarium neceſſitate medii.

Angelicus Doctor admirabili methodo a certiſſimis ad ea, quæ in controverſiam vocari poſſunt, tranſit; &, ut alia omittam, a. 7. ejuſdem quæſtionis quærit, *utrum explicite credere myſterium incarnationis Chriſti ſit de neceſſitate ſalutis apud omnes*; & a. 8. *utrum explicite credere Trinitatem ſit de neceſſitate ſalutis*. Iiſdem ſcilicet verbis utitur, quibus a. 3. uſus fuerat, ideoque eodem loquitur ſenſu, eademque de neceſſitate.

Porro ejus verba ex art. 8. ad 7. a me exſcripta de eadem medii neceſſitate explicatius loquuntur; quia S. D. de ea ibi loquitur neceſſitate, de qua Ap. ad Heb. 11. *Credere oportet, accedentem ad Deum, quia eſt, & quia inquirentibus ſe remunerator eſt*; quem textum ibi explicat.

Ejuſdem ſententiæ fuit D. Aug. cap. 7. de prædeſtinatione Sanctorum, ubi de Cornelio ait: *Nam quomodo invocabat, in quem non crediderat? Sed ſi poſſet ſine fide Chriſti eſſe ſalvus, non ad eum ædificandum mitteretur architectus Apoſtolus Petrus*.

Canus non ſolum de eadem medii neceſſitate ſermonem habet, ſed pro ea validis lacertis pugnat, ut nemo inficiari poteſt, niſi qui eum aut non legerit, aut non perceperit. Hinc loco citato p. 467. concludit. *Utrumque igitur medium eſt nunc ad ſalutem neceſſa-*

 rium,

ª Habetur Bulla Greg. XIII. apud Concinam t. 1. App. p. 20. cap. 1.

riam, & cognoſcere Deum, & cognoſcere, quem miſit Deus Jeſum Chriſtum, ut ſcite D. Chryſoſtomus interpretatur. Ex quo S. quoque Joannem Chryſoſtomum hanc ſententiam tradidiſſe, intelligitur.

Evangelici textus a me recitati idem plane evincunt. Nam primus, *creditis in Deum, & in me credite*, eandem neceſſitatem credendi in Chriſtum inculcat, quæ eſt credendi in Deum. Alter, *dedit poteſtatem* &c. idem efficit. Inde enim colligitur, non poſſe filios Dei fieri, qui non credunt *in nomine ejus*, hoc eſt Chriſti. De tertio textu idem dicas, ex quo intelligitur actum eſſe de ejus ſalute, *jam judicatus eſt, qui non credit in nomine unigeniti Filii Dei*.

„ Quod ſi cui, inquit Cantus loco cit., teſtimonia hæc (Scripturarum a me allata, & ſimilia) videntur infirma, huic nos illud objiciemus, quod Philoſophus quidam magni nominis (Ariſt. Eth. 1.) ſapienter ſcripſit, ineptum eſſe, exactam ubique demonſtrationem efflagitare. Nam ſi ſacrarum litterarum teſtimonia in hanc rem eſſent manifeſta, qui negaſſet, eum nos non temeritatis, & erroris, ſed hæreſis nota inureremus. " Hactenus ille.

Cur prop. 22. *Nonniſi fides unius Dei neceſſaria videtur neceſſitate medii, non autem explicita remuneratoris* ab Innoc. XI. proſcripta eſt? Quia D. Paulo ad Heb. 11. v. 6. *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit*, contraria. At textus Apoſtolici a me allati, aliique (ut ad Gal. 2. *Scientes autem, quod non juſtificatur homo ex operibus legis, niſi per fidem Jeſu Chriſti, & nos in Chriſto Jeſu credimus, ut juſtificemur ex fide Chriſti.*) expreſſæ in Chriſtum fidei neceſſitatem eadem vi inculcant, ac textus ad Heb. neceſſitatem credendi Deum remuneratorem: ergo hi quoque textus de medii neceſſitate intelligendi ſunt.

Tandem Symboli S. Athanaſio adſcripti verba a me recitata attento, & docili animo conſiderata, abſolutam, hoc eſt medii, neceſſitatem ſatis aperte indicant; quod confirmat ejus concluſio. Hæc *eſt fides catholica, quam niſi quiſque fideliter, firmiterque crediderit, ſalvus eſſe non poterit*.

Quid enim eſt neceſſitas medii? id, ſine quo ſalus haberi non poteſt: at ſalus ſine explicita Chriſti, & Trinitatis fide in S. Athanaſii ſymbolo explicata, eodem ſymbolo teſtificante haberi non poteſt. Ergo.

„ Hanc ſententiam, ait P. Concina Theol. t. 1. p. 102. n. 12., & p. 103. n. 13., communiter Theologi docent, & Caſuiſtæ ..., Sententiæ expoſitæ ratio clara eſt. Quippe oſtenſum ſupra eſt, fidem implicitam Chriſti omni tempore poſt Adæ peccatum fuiſſe neceſſariam: porro ſtatus novi fœderis, ſeu gratiæ, perfectior cum ſit, perfectiorem quoque notitiam requirit. Hæc autem perfectior notitia, nonniſi expreſſa fides Chriſti, & Trinitatis eſſe poteſt.

„ Contrariam ſententiam non pauci recentiores ſequuntur ...; quæ tamen opinio tamquam contraria apertiſſimis Scripturæ, SS. Patrum, & potiſſimum S. Thomæ textibus, nullo modo in praxi ſequenda eſt, eamque ut improbabilem rejicimus ... Gratis ſiquidem aſſerunt (ut etiam P. Zach.) Scripturæ textus prodere neceſſitatem, quæ medii, vel præcepti appellari poteſt; ac ſubinde ignorantia invincibilis ab eadem excuſare valet ... ut enim abſolutam neceſſitatem fidei, quam de præfatis myſteriis Scriptura declarat, temperare, & ad ſolam præcepti obligationem reſtringere jure valerent, id vel aliis Scripturæ textibus, vel Patrum auctoritate evincere deberent; quod præſtare cum nequeant, corruit eorum interpretatio. "

ANIMADVERSIO II.

Concina Theol. t. 2. p. 120. n. 21. ita loquitur. „ Mihi valde probabile eſt, neminem ab obligatione ſciendi hæc ſacramenta eximi. Septem enim ſacramenta ſunt veluti teſſeræ catholicæ Religionis, ſunt divinæ erga nos miſericordiæ pignora. Qui illa ignorat, divinæ bonitati ingratus eſt, & propriæ profeſſionis quaſi contemptor: idque potiſſimum his temporibus verum habet, quod hæretici præfata pernegant ſacramenta .... Quænam vero ſit culpa eadem ignorare, fateor me non tenere. "

Sed Bul. laxe loquitur in eo, quod reliquorum ſacramentorum ſuſceptionem arbitrio ſuſcipientium relinquat ſine ulla reſtrictione; qua de re ſermo erit, cum de confirmatione, & extrema unctione agetur.

ANIMADVERSIO III.

Præcepta Decalogi invincibiliter, aut ex impotentia ignorari non poſſunt; quia Decalogi præcepta, ſunt naturæ præcepta, quorum aliqua, ut Deus eſt colendus, Parentes ſunt honorandi, ad prima juris naturalis principia revocantur, omnibus nota; alia vero ex primis principiis proxime colliguntur, & facile innoteſcunt; ideoque de præceptis Decalogi nulla poteſt eſſe invincibilis ignorantia: qua de re nulla quæſtio eſſe debet; ſed ſolum quæſtio eſt, utrum de remotis juris naturæ concluſionibus cognitu difficilibus invincibilis ignorantia haberi poſſit; quæ quæſtio intelligenda eſt, ſi, & quando harum veritatum notitia ad recte agendum, vel docendum hic & nunc neceſſaria ſit. Sed hac de re conſule, ſi lubet, Concinam App. t. 2. p. 97. cap. 3.

Quod attinet ad ſymbolum, orationem dominicam, ſacramenta, & præcepta Eccleſiæ, hæc invincibiliter ex mox dictis ab iis ignorari poſſunt, quibus fides nunquam fuit annuntiata; at vero ab iis, qui inter Catholicos vivunt, ubi hæc vulgo traduntur, invincibiliter ignorari nequeunt. Apud hos enim invincibilis ignorantia oriri non poteſt, niſi ex ingenii craſſitie: at quantacumque ſit ingenii craſſities, ſi homo de ſua ſalute ſollicitus diligentiam adhibeat, Deum oret, nec labore ſe frangi patiatur, non eſt dubitandum, quin prædicta addiſcere, & ſaltem quoad ſubſtantiam, ſeu ſenſum cognoſcere poſſit. *Deus enim*, ut loquitur Syn. Trid. ſeſſ. 6. c. 11. *impoſſibilia non jubet; ſed jubendo monet & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adjuvat ut poſſis*. At Deus jubet, ut unuſquiſque credat ſymboli articulos, ideoque eorum cognitionem, ſine qua credi non poſſunt, habeat; item præcipit, ut Deus oretur, eoque modo oretur, quo oratio dominica præſcribit: *Sic ergo*, inquit Chriſtus Matth. 6. *vos orabitis: Pater noſter &c.* quod fieri non poteſt ſine orationis dominicæ notitia. Ergo ſymboli, & orationis dominicæ notitia ab unoquoque haberi poteſt. Idem dicas de notitia ſacramentorum, quæ ex præcepto ab unoquoque ſuſcipienda ſunt, & diſpoſitionum, quæ neceſſario afferri ad ea ſuſcipienda debent. Hoc vero multo magis intelligi debet de Eccleſiæ præceptis; quia hæc captu faciliora ſunt, quam reliqua, de quibus hic dictum eſt. Hinc Concilium Forojulienſe ſub Carolo Magno, & Pippino celebratum (apud Conc. Theol. t. 2. p. 123. n. 25.) inquit: *Symbolum, & orationem dominicam omnis Chriſtianus memoriter ſciat, omnis ſexus, omnis conditio, maſculi, & feminæ, juvenes, ſenes, liberi, pueri, conjugatæ, innuptæque puellæ; quia ſine hac benedictione nullus poterit in cælorum Regno percipere portionem*. Et S. Carolus Borrom. in admonit. Confeſſ. n. 35. ait: *Perchè dunque ognuno, che ſia pervenuto all' uſo della ragione, è obbligato ſotto pena di peccato mortale a ſapere tutti gli articoli del ſimbolo Apoſtolico, quali ſiano, almeno quanto alla ſoſtanza, e li comandamenti di Dio, e della Santa Chieſa, che obbligano a peccato mortale, e communemente ſi ſogliono inſegnare nelle ſcuole della dottrina Criſtiana; e per queſto trovando il Confeſſore, che il penitente non ſappia le ſopraddette coſe, ſe non ſarà diſpoſto ad impararle quanto prima, non deve aſſolverlo*. Dum Syn. Forojulienſis cit. & S. Carolus ſine ulla exceptione loquuntur, *quia ſine &c. nullus poterit &c. ognuno &c.* nullam ignorantiam, aut impotentiam excuſantem admittunt. *Ma quando*, pergit S. Carolus, *ſi eſibiſca pronto di farlo, ſe altre volte eſſendo ſtato ammonito dal Confeſſore, o ſia l' iſteſſo, o altro, o dal ſuo Curato in particolare a impararle, (di che avvertiſca d' interrogarlo) non ha fatto la debita diligenza per impararle ſecondo la ſua capacità, differiſca l' aſſoluzione ſino a tanto, che in qualche modo ſoddiſfaccia. Ma non eſſendo ſtato di ciò avviſato, la aſſolva, dandogli prima quella iſtruzione delle ſopraddette coſe, che gli foſſe neceſſaria, per eſſere allora capace dell' aſſoluzione*. Inſtructio porro abſolutioni neceſſario præmittenda, eſt eorum præſertim myſteriorum, quæ ex neceſſitate medii credenda ſunt; quia nemo hæc ignorans, ex omnium conſenſu, ut ait Concina Theol. t. 2. p. 124. n. 27. abſolvi poteſt. Quod ſi articuli fidei neceſſitate medii credendi, a quolibet teneri poſſunt, & debent; multo magis intelligi, & ſciri poſſunt alia ex præcepto diſcenda, quæ captu faciliora ſunt, quam illi, qui altiſſima Trinitatis, & Incarnationis myſteria continent.

P. Zach. hic ita loquitur, „ Te oſtendis theologicorum elementorum plane rudem &c. " Reſp. mitte, quæſo mi Zach., has meas laudes, quæ reipſa, a te profectæ, laudes ſunt; & ad rem veniamus. ſpec. 112. p. cxxiv.

P. Zach. illa mea verba recitat, *Præcepta Decalogi invincibiliter, aut ex impotentia ignorari non poſſunt; quia &c., ideoque de præceptis Decalogi nulla poteſt eſſe invincibilis ignorantia, qua de re nulla quæſtio eſſe debet; ſed ſolum quæſtio eſt, utrum de remotis &c. ignorantia haberi poſſit*; tum ſubdit, ſeu inutilia, & contentioſa verba agglomerat.

„ Cur toties inculcas, de præceptis Decalogi nullam eſſe poſſe ignorantiam invincibilem, qui & illa ad prima juris naturalis principia revocari merito dixeris, & quæſtionem eſſe fatearis, utrum de remotis

„ juris

„ juris naturæ (ad quod Decalogi præcepta referun-
„ tur) concluſionibus cognitu difficilibus invincibilis
„ ignorantia haberi poſſit?

„ Theologus, qui rem probe tenet, de præceptis
„ Decalogi idem, quod de jure naturæ ſtatuiſſet, di-
„ xiſſetque, præcepta Decalogi, quemadmodum & ju-
„ ris naturalis leges, neque quod ſpectat ad eam par-
„ tem, quæ prima quædam principia juris potius, quam
„ præcepta continet, neque quoad proximas, clariſ-
„ ſimaſque adtinet illorum concluſiones, ignorari invin-
„ cibiliter poſſe; poſſe tamen quæri, num remotarum
„ quarumdam concluſionum Decalogi ignorantia invin-
„ cibilis eſſe queat?

Reſp. in tuo, mi Zach., hoc Chao exſcribendo de-ſudavi. Quid ais? quorſum? ne tu ipſe quidem intelligis, quid tibi velis.

De præceptis Decalogi mihi cum Buſembau ſermo eſt. Ipſe docuit, hæc ſcienda eſſe ſaltem quoad ſubſtantiam; at ſubdidit, *quæ omnia intellige, niſi impotentia, aut invincibilis ignorantia excuſet*. Ego paucis contra oſtendi, de præceptis Decalogi invincibilem ignorantiam haberi non poſſe; quod hic, ut intelligas, te neſciſſe, quid dixeris, aut contra quem dixeris, confirmo D. Auguſtini auctoritate, qui enarrat. in Pſ. 118. ſerm. 25. inquit: *Nimirum, cum diceret Apoſtolus*, quicumque ſine lege peccaverunt, ſine lege peribunt, *de illa lege agebat, quam Deus dedit per Moyſem famulum ſuum Populo ſuo Iſrael*; & lib. de gratia, & libero arb. cap. 3. *Qui ergo noverunt divina mandata, aufertur eis excuſatio, quam ſolent habere homines de ignorantia. Sed nec ipſi ſine pœna erunt, qui legem Dei neſciunt*. Reprehende nunc D. Auguſtinum, quia non ſcripſerit, ut tu vis, ſed mea dicta contra Buſembaum diſerte confirmaverit.

Audi etiam D. Thomam 2. 2. a. 7. q. 122., ubi ait, *quod præcepta Decalogi ſunt prima principia legis, & quibus ſtatim ratio naturalis aſſentit, ſicut manifeſtiſſimis principiis*.

Illud nunc te breviter moneo, de præceptis Decalogi idem non eſſe ſtatuendum, ac de jure naturæ; quia licet ſingula Decalogi præcepta ſint naturæ jus; non tamen contra omne jus naturæ eſt aliquod præceptum Decalogi: confuſe inſinuas, quædam principia juris naturalis non eſſe juris præcepta. Hoc falſum eſt; ſicuti falſum eſt, Decalogi concluſiones eſſe Decalogum, quod videris aſſerere. Sed hæc obiter. Nam in brevi tuo caliginoſo ſcripto evolvendo, & refellendo immorari non vacat, nec neceſſe eſt.

Animadversio IV.

. Concilium Forojulienſe mox cit. ait: *Symbolum, & orationem dominicam omnis Chriſtianus memoriter ſciat &c.* non eſt ergo ſatis ſcire, omnia bona eſſe petenda a Deo, ut Buſ. ait; ſed ſcire oportet, quænam bona a Deo petenda ſint. Hinc Catech. Conc. Trid. p. 4. c. 1. ſect. 1. n. 1. ait: *Quamobrem præcipua Parochi cura verſari debet in eo, ut pii auditores intelligant, quid a Deo, & quomodo orandum ſit. Omnes autem neceſſariæ precationis numeros continet divina illa formula; quam Chriſtus Dominus Apoſtolis, & per illos, eorumque ſucceſſores omnibus deinceps, qui Chriſtianam Religionem ſuſciperent, notam eſſe voluit; cujus verba, & ſententias ſic animo, ac memoria comprehendere oportet, ut in promptu habeamus*. Hoc autem idem dicendum eſt de ſymbolo, præceptis Decalogi, & Eccleſiæ, & ſacramentis. „ Sufficit, inquit Buſ. ſi quis rogatus de ſingulis recte „ reſpondeat." Id ſane ſufficit, ſed de ſingulis recte reſpondere non poteſt, niſi animo, & memoria ea comprehendat. Si enim quis interrogetur, quot, & quinam ſint ſymboli articuli, quot, & quinam ſint Decalogi, & Eccleſiæ præcepta, quot, & quænam ſint ſacramenta; recte certe reſpondere non poteſt, niſi ſymbolum, præcepta, ſacramenta memoriter teneat. An hæc quoque res graviſſima cavillis involvenda eſt?

Animadversio V.

Ex haſtenus dictis in Reſp. 2. & c. 1. non ſolum Eccleſiæ, ſed Dei lex eſt, ut ſymbolum, & oratio dominica animo comprehendatur, ſeu memoria teneatur ſaltem quoad ſubſtantiam, ſeu ſenſum; & quia res hæc graviſſima eſt, ſub mortali obligat; quod explicate docent Syn. Forojulienſis, & S. Carolus Bor. mox citati; ideoque audiendi non ſunt, qui contraria commiſcuntur.

Animadversio VI.

Recte ſane Buſembaum; at ſi hoc verum eſt, illud etiam verum eſt, rudiores, qui ſymbolum Apoſtolicum memoriter non tenent, mortaliter peccare. Eſt enim evidens mortale peccatum, ea memoriter non tenere, ſine quorum memoria ſufficiens articulorum cognitio haberi non poteſt. Præſens Buſembau doctrina proximam in c. 1. traditam merito corrigit.

P. Zach. meam primo animadverſionem iv., tum vi., ac demum v. exſcribit; ac de ſingulis agit, ut p. cxiv.
Buſembaum quoquomodo defendat. Quoniam vero doctrinam a me traditam non attingit, imo illud efficere conatur, ut Buſembau mecum concordet, nihil cauſæ eſt, cur cum P. Zacharia pugnam capeſſam; ſicuti ille contra inutilia verba omittere poterat, aut debuerat.

Animadversio VII.

Quibus defuit doctor, excuſantur ex dictis, & ex prop. 13. a S. Pio V. & Greg. XIII. proſcriptæ, & ſupra allata. At viventibus inter Catholicos nunquam, & nuſquam deſunt Doctores, ſi ex animo hæc diſcere velint.

Aut nunquam venit in mentem obligatio ſimilia diſcendi. Hæc doctrina pro fundamento habet, culpam non admitti, niſi legis obligatio, ſeu, quod idem eſt, culpæ malitia in mentem venerit; qui eſt Pelagianorum error.

Aut qui nimis ſint rudes, ita ut non poſſint ea comprehendere, aut retinere. Hæc excuſatio pro fundamento habet, Deum aliquibus impoſſibilia præcipere; quæ eſt Janſenii hæreſis; ideoque hanc excuſationem ſupra exploſimus.

Animadversio VIII.

Si Confeſſarius probabiliter judicet &c. Adde aut probabiliter dubitet. Si enim in probabili dubio, interrogare omittat, abſolutionem fruſtrationis periculo objicit.

Animadversio IX.

Buſ. hic Reſp. 1. dixit, probabile eſſe, Chriſtum, & ſanctiſſimam Trinitatem non neceſſitate medii eſſe expreſſe credenda: ergo juxta Buſembaum qui Chriſti, & ſanctiſſimæ Trinitatis ignorantia laborat, dummodo de hac culpa doleat cum propoſito diſcendi, abſolvi poterit: at hæc eſt prop. 64. ab Innoc. XI. proſcripta, quæ ita habet. *Abſolutionis capax eſt homo, quantumvis laboret ignorantia myſteriorum fidei, & etiamſi per negligentiam etiam culpabilem neſciat myſterium SS. Trinitatis, & Incarnationis D. N. Jeſu Chriſti*.

Quod ſi tamen ignorarent &c. deberent inſtrui &c. Loco *deberent* dic *debent*; alioquin abſolutionis ex dictis ad Reſp. 2. & prop. 64. ab Innoc. XI. damnata, & mox deſcripta, capaces non ſunt.

Animadversio X.

Quoad hanc propoſitionem disjunctivam *per ſe, vel alium* vide infra dicenda lib. 3. tr. 3. cap. 2. dub. 6.

CAPUT II.

Quomodo obliget præceptum Fidei.

Reſpond. 1. *Præceptum fidei internum obligat*. 1. Animad. I.
Pueros inter fideles educatos, quando rationis uſum perfecte conſecuti myſteria fidei audiunt, apprehenduntque, quod illa credere ſit res neceſſaria ad ſalutem; peccantque mortaliter omittendo. Sanch. Bon. t. 2. d. 3. p. 3. *addens plurimos eorum excuſari inadvertentia, aut invincibili ignorantia*. 2. *Adultos infideles, quando ratio incipit dictare, res fidei ſufficienter propoſitas eſſe, & contrariam ſectam eſſe falſam*. Sanch. *l.* 2. *mor. c.* 1. Con. *d.* 14 *de fide* Fill. *n.* 25. 3. Quando urget tentatio contra fidem, quæ aliter vinci nequit. Quod tamen non convenire ſcrupuloſis, recte monet Sanch. quia hi, avertendo mentem ad alia objecta, facilius ſuperant. *Et in his duobus caſibus præceptum obligat per ſe, in ſequentibus per accidens*. 4. Quando tentatio urgens contra alias virtutes aliter ſuperari nequit. 5. Quando facienda eſt profeſſio fidei exterior, vel ex præcepto elicìendus eſt actus alterius virtutis, v. gr. ſpei, caritatis, pœnitentiæ, quæ fidem ſupponat. Bonac. *qu.* 2. *p.* 2. His addit Hurt. contra Sanch. 6. In hora mortis, & 7. Semel quotannis, vide Dian. *p.* 5. *t.* 13. *R.* 19.

Ex his reſolvuntur hi caſus.

1. *Hæreticus, quamdiu ſuam ſectam judicat eſſe cre-* Animad. II.

Digitized by Google

dibiliorem, vel æque credibilem, non tenetur credere; quia fides nondum eſt ſufficienter propoſita, ageretque imprudenter. Sanch. 2. *mor. c.* 1. Laym. *l.* 2. *t.* 1. *c.* 10. & 12.

ANIMAD. III. 2. *Quando iis, qui in hæreſi nutriti ſunt, perſuaſum eſt a puero, nos abjicere, & perſequi Verbum Dei, eſſe idololatras, peſtilentes deceptores, ideoque, tanquam peſtes, fugiendos; non poſſunt ſtante hac perſuaſione, ſalva conſcientia nos audire, & laborant ignorantia invincibili, cum non dubitent ſe eſſe in bona via.* Laym. *c.* 10. Sanch. *l.* 2. *c.* 1.

3. Si talibus oriatur dubium de ſua ſecta, * tenentur ulterius inquirere, & a Deo petere lumen: quod ſi negligant, peccant contra fidem, cum non adhibeant media ad implendum præceptum Fidei. Quod ſi deinde noſtra fides eis ſufficienter proponatur, tenentur amplecti. *ibid.* V. Ferdin. de Caſtro Palao 1. 4. *d.* 1. *p.* 12. & *d.* 2. *p.* 2.

Reſp. 2. Præceptum exterius fidem confitendi jure naturali obligat, duplici caſu, ſcilicet, cum vel honor Deo debitus, vel utilitas proximo impendenda, privative, vel contrarie ſubtraheretur. Dixi *privative:* ut, ſi ideo ceſſaret magnus honor in Deum, vel utilitas in proximum redundans. Dixi 2. *contrarie;* ut ſi alioqui Deus afficeretur injuria, vel proximus gravi malo; v. g. ſi inde penderet aliorum converſio, aut perverſio, contemptus Religionis, ſcandalum, &c. Ratio reſponſionis eſt, quia actus virtutis tunc videtur præceptus, quando eſt neceſſarius ad finem præcepti, quod hic contingit; quia finis præcepti eſt caritas. S. Th. 2 2. *qu.* 3. *art.* 2. Suar. Reg. Fill. t. 22. *c.* 3. *qu.* 1.

Unde reſolvitur hic caſus.

Si hæretici conculcent imagines, aliiſque injuriis fidem afficiant, tenetur eam ſua confeſſione tueri Catholicus, ſi quidem inde prudenter ſperet profectum.

Reſp. 3. Ad profeſſionem fidei externam jure eccleſiaſtico tenentur ſub mortali ſecundum *Tridentinum*, cum juramento obediendi Eccleſiæ Romanæ, ut docet Filliuc. *t.* 2. *tr.* 22. *c.* 3. ſequentes perſonæ.

1. Proviſi de beneficio curato, idque intra duos
ANIMAD. IV. menſes a die poſſeſſionis coram Epiſcopo, aut ejus Vicario Generali, vel Officiali, *ſeſ.* 24. *c.* 22. *de ref.*

2. *Proviſi de Canonicatu, vel dignitate in Cathedrali Eccleſia:* Idque non tantum coram Epiſcopo, vel ejus Vicario; ſed etiam in Capitulo, *ibid. addita pœna (ad quam non videntur teneri ante ſententiam) ut alioqui fructus non faciant ſuos.* V. Sanchez *l.* 2. *c.* 5. Barb. *de poteſt. Epiſc.* 3. *p. art.* 61. *num.* 29.

3. Primates, Archiepiſcopi, Epiſcopi in prima Synodo provinciali, cui interfuerunt. Trid. *ſeſ.* 25.

4. Extendit Pius IV. hanc legem ad omnes Prælatos Religionum, etiam Militarium. Pius V. autem apud Rodr. *t.* 2. *q. reg. q.* 72. ad omnes promovendos in Doctores, Magiſtros, Regentes, Profeſſores, addita excommunicatione latæ ſententiæ, & privationem omnium beneficiorum in eum, qui alios promoveret ad talem gradum, ſine prævia profeſſione. V. Fill. *t.* 22. *c.* 3. *qu.* 11. Barb. *in remiſſ. ſeſ.* 24. *n.* 12. Verum ubi hoc decretum non eſt receptum uſu, non obligare monet Sanch. *c.* 3. *n.* 4.

Unde reſolvitur.

1. Non tenentur ad dictam profeſſionem proviſi de Canonicatibus in eccleſiis tantum Collegiatis, vel de Beneficiis tantum ſimplicibus.

ANIMAD. V. 2. *Etſi probabile ſit, hanc profeſſionem poſſe fieri per procuratorem*, ut docet Azor. Nav. & Sanchez, *probabilius tamen eſt, teneri perſonaliter*, ut docet Fill. Ratio eſt, tum quia alias non videtur fieri ſatis juramento, quod perſonaliter faciendum eſſe docet Gloſſa apud Fill. tum quia ita decidit Rota apud Garz. *l.* 3. *de benef. c.* 3.

ANIMADVERSIO I.

Ergo ſi pueri deſcripti non apprehendant, quod credere myſteria fidei ſit res neceſſaria ad ſalutem, omittentes actus fidei juxta Buſembaum non peccant. Hic quoque pro fundamento ponit, non peccari, niſi lex, ſeu, quod idem eſt, peccati malitia apprehendatur, ſeu advertatur; qui eſt pelagianus error. In hunc ſcopulum Buſembaum non advertens ſæpe incidit; in quem tamen non incidiſſet, ſi D. Thomæ, ut debuerat, operam dediſſet. S. enim Doct. 1. 2. q. 19. art. 3. & 4. docet, humanæ voluntatis bonitatem tum ex ratione, tum multo magis ex æterna Dei lege pendere; ex quo fit, ut ſi actio, vel omiſſio rationi contraria, etiamſi Dei legi difformis non ſit, mala nihilominus ſit, multo magis mala ſit, ſi Dei legi repugnet, etiamſi cum ratione errante congruat. Hinc ex D. Auguſt. lib. 22. contra Fauſtum *peccatum eſt dictum, factum, vel concupitum aliquid contra æternam legem.* Legatur quoque D. Thom. art. 6. qu. cit. ad 1. ubi ait, *quod, ſicut Dion. dicit in 4. cap. de div. nom., bonum conſtatur ex integra cauſa, malum autem ex ſingularibus defectibus; & ideo ad hoc, quod dicatur malum id, in quod fertur voluntas, ſufficit, ſive quod ſecundum ſuam naturam ſit malum, ſive quod apprehendatur ut malum.* Hinc Evangelium Marci ult. inquit: *Qui vero non crediderit, condemnabitur.* Ait abſolute *qui non crediderit*, non autem qui non crediderit, apprehendens credendi neceſſitatem.

Addens, plurimos eorum excuſari inadvertentia. Perſtat Buſ. in ſuo errore.

Aut invincibili ignorantia. Non eſt dubium, quin ignorantia invincibilis excuſet. At dum Buſembaum plurimos pueros inter Fideles educatos, actus fidei omittentes a culpa excuſat ex invincibili ignorantia, ponit, plurimos pueros vel non poſſe, vel non teneri ſcire legem Dei, actus fidei præcipientem. Eſt ne ſana hæc poſitio? Ego vero tanquam certum, & fide tenendum pono, Dei legem impleri poſſe, & debere. Si autem impleri poteſt, & debet, ſciri etiam poteſt, & debet. Quod enim neſcitur, impleri non poteſt. Hinc Pſ. 118 nu. 97. *Quomodo dilexi legem tuam, Domine? tota die meditatio mea eſt.* Ergo lex Dei, præcipiens pueris fidei myſteria edoctis actum fidei, ſciri ab iis poteſt, & debet: ergo ignorantia hujus legis non eſt invincibilis.

Adultos infideles, quando ratio incipit dictare &c. Hoc perinde eſt, ac ſi dixerit, quando ratio advertit obligationem præcepti; ſine qua advertentia non vult peccatum admitti. Sed hac de re mox ad c. 1.

Et in his duobus caſibus præceptum obligat per ſe, in ſequentibus per accidens. At cum pueri inter fideles educati, & adulti infideles ad actus fidei non obligentur juxta Buſembaum, niſi obligationem advertant; fidei præceptum eos non obligat per ſe, ſeu ex vi ſua, ſed poſita illa adjunctione, & hypotheſi, quod obligationem advertant. Præceptum vero eliciendi actum fidei, cum tentatio contra fidem, quæ aliter vinci non poteſt, urget, in illa hypotheſi, non ex ſe obligat; & rurſus tale præceptum in ea hypotheſi non ex præcepto affirmativo eliciendi actus fidei, ſed ex negativo fidei non repugnandi oritur. Si ergo fatente Buſembao in reliquis caſibus fidei præceptum per accidens tantum obligat, efficitur ut fidei præceptum per ſe nunquam obliget; quæ eſt prop. 16. ab Innoc. XI. proſcripta ita ſonans: *Fides non cenſetur cadere ſub præceptum ſpeciale, & ſecundum ſe.* Prop. vero 17. ab eodem Innoc. XI. damnata, ita habet: *Satis eſt actum fidei ſemel in vita elicere.*

Itaque præceptum fidei per ſe obligat uti pueros fideles uſu rationis pollentes, & fidei myſteria edoctos, ſic in hora mortis, & ſaltem ſemel quotannis; ut oſtendit Concina Theol. t. 1. p. 134. n. 15. p. 135. n. 17. p. 137. n. 19.

Hinc Rit. Rom. cap. *Modus juvandi morientes* ait: *Hortetur infirmum, & excitet, ut, dum mente viget, eliciat actus fidei, ſpei, & caritatis, aliarumque virtutum; nempe ut firmiter credat &c.*

Dixi autem *ſaltem ſemel quotannis*, quia fortaſſe frequentius obligat. Nam ex Ap. fides vitam ſpiritualem ſuſtentat, *juſtus ex fide vivit*, ad Gal. 3. At ut id præſtet, neceſſe videtur ut frequentius exerceatur, quam ſemel quotannis; qua de re vide Concinam loco mox citat.

Ne tamen noſmetipſos, alioſque ſuper hac re anxios plus juſto habeamus, animadverti poteſt, actus fidei a fidelibus, qui perditæ conſcientiæ non ſint, ſæpius exerceri. Pueri dum interrogati, quot ſint in divinis per-

* Conſule hac animadverſionem II. contra P. Zach.

perſonæ, reſpondent eſſe tres, actum fidei, ſi ex animo loquantur, edunt; dum ſymbolum fideles recitant, actum fidei eliciunt, ſi ſerio, & ex intelligentia illud pronuntient, dum Eucharistiam adorant, credunt; cum audienter univerſale judicium, paradiſum, infernum, hæc pro certis habent, fidem exercent. Alia his ſimilia exempla occurrunt, quæ oſtendunt, Catholicos eliciendis fidei actibus deeſſe non ſolere.

Initio hujus animadverſionis ſcripſi contra Buſembaum: *Ergo ſi pueri deſcripti non apprehendant, quod credere myſteria fidei, ſit res neceſſaria ad ſalutem, omittentes actus fidei juxta Buſembaum non peccant.* Reſpondet P. Zach. concedo conſequentiam.

Ergo; ego concludo, *non peccatur*, (juxta Buſembaum) *niſi lex, ſeu, quod idem eſt, peccati malum apprehendatur.* „ Et hanc conſequutionem, ait P. Zach., concedo. "

At hic, ſubdidi, *eſt pelagianus error.*

Zach. reſpondet. „ diſtinguo: ſi quæ Pelagii mens „ fuerit, recte intelligatur, nego; ſin minus recte ea „ intelligatur, permitto, aut etiam, ne querare con„ cedo. Recole quæ ſuperius de ignorantia diſputa„ vi. "

Reſp. De illa ita diſputaſti. „ Nonne Buſ., nonne „ La-Croixius vincibilem, & culpabilem ignorantiam „ admittunt, quæ a culpa minime excuſet, illamque „ eſſe ajunt, *quando quis poteſt, & debet ſcire, ac ne„ gligit*, ut loquitur La-Croix n. 701. Non igitur ii „ pelagiani, quum Pelagius etiam vincibilem & culpa„ bilem ignorantiam a culpa liberare contenderet, aut „ tu quoque, qui eadem plane dixeris, pelagianis ad„ cenſebere. "

Reſp. Pelagianus error non eſt in eo, ut vincibilis ignorantia a peccato non excuſans admittatur, quæ eſt doctrina ſaniſſima, ſed in eo, ut Buſ., La-Croix, Zach., & alii prædictæ ſaniſſimæ doctrinæ contradicentes, affirment, non peccari, niſi peccati malitia advertatur; hic eſt, ut dixi, pelagianus error. Nam Pelagianorum vox, & ſententia ex Critobolo, ut teſtatur S. Hieron. lib. 1. Dialog. adverſus Pelagianos, hæc erat: *Rogo, quæ eſt iſta juſtitia, ut in peccato tenear erroris, cujus reatum non habet conſcientia? neſcio, me peccaſſe, & ejus rei, quam neſcio, pœnas luo?*

Buſ. lib. VII. de cenſuris cap. 1. dub. iv. ita loquitur: „ quidquid excuſat a peccato mortali, excuſat „ etiam a gravi cenſura, v.g. materiæ parvitas, impo„ tentia legem implendi, *defectus advertentiæ & deli„ berationis, ignorantia invincibilis.* " Non ſolum defectus advertentiæ abſolute, ſed etiam prout diſtinguitur ab ignorantia invincibili, hoc eſt ſeu invincibilis, ſeu vincibilis ſit, a peccato mortali juxta Buſembaum excuſat.

Vox Buſ., & aliorum hæc eſt: non adverto, me peccare, & pecco? ideſt ipſiſſima eſt, ac vox pelagiana: *neſcio, me peccaſſe, & ejus rei, quam neſcio, pœnas luo?* Ut vos opinatores, mi Zach., a pelagiano errore aſſeris alieni, dicendum fuerat: inadvertentia peccati a peccato excuſat, ſi ſit invincibilis; at cum abſolute dicatis, inadvertentiam peccati a peccato excuſare, & vobis contradicitis, & in pelagianum errorem incidistis. Sed hac de re lege animad. a. in lib. 5. cap. 1. Buſ. item a. 2. lib. 7. tract. 2. cap. 4.

Franz. *Non eſt dubium, quin ignorantia invincibilis excuſet. At dum Buſ. plurimos pueros inter fideles educatos, actus fidei omittentes a culpa excuſat ex invincibili ignorantia, ponit, plurimos pueros vel non poſſe, vel non teneri ſcire legem Dei actus fidei præcipientem. Eſt ne ſana hæc poſitio?*

Zach. „ Non dubitabam prius, quin ſana eſſet; nunc „ vero ita certus ſum, ut ne dubitare quidem poſſim. „ Cur? quia tam futili eam ratione rejeciſti, ut nihil „ imbecillius excogitari poſſit. "

Reſp. Non dubitabam! ita certus ſum! Plurimi pueri inter fideles educati non poſſunt, vel non tenentur ſcire legem Dei actus fidei præcipientem! Homo catholicus, religioſus, Theologus id non ſolum affirmat, ſed pro certo habet! Hoc tuum, mi Zach., dictum, non eſt opinio theologica, ſed paradoxum inauditum, & valde abſurdum; quod aſtruere nunquam poteris. Sed perge, meam rationem refer, & reprehende.

Zach. Ego vero, inquis, (*Doctor ſcilicet Collegii Patavini*) tanquam certum, & fide tenendum pono, „ quid? " Dei legem impleri poſſe, eſt debere: „ Ita „ planiſſime eſt; cedo, quis Jeſuitarum negavit? " Si autem, inquis, impleri poteſt, &, debet, ſciri etiam poteſt, & debet; quod enim neſcitur, impleri non poteſt. „ Siſte hic paruniper, dicito: " *ſi quod neſcitur, impleri non poteſt*, quod neſcitur, violari ne poteſt? Reſp. maxime; & contrarium aſſerere, aperta pelagiana hæreſis eſt; quia qui contrarium aſſerit, ignorantiæ peccata cum Pelagianis de medio tollit.

Zach. „ *Ergo*, colligis, *lex Dei præcipiens pueris fidei „ myſteria edoctis, actum fidei, ſciri ab iis poteſt, & „ debet.* " Diſtinguo, „ quando illis implenda eſt, con„ cedo; quando implenda non eſt, quemadmodum con„ tingit, ubi invincibiliter ignoratur, nego. *Ergo*, per„ gis, *ignorantia hujus legis non eſt invincibilis.* " Diſtinguo, „ pro tempore illo, de quo Buſemb. loquitur, „ nego; pro alio tempore, concedo. Viden, quei hac „ una arabica diſtinctione ædificium tuum totum la„ befactetur. "

Reſp. Arabica ſane diſtinctio. Implenda certe non eſt lex, de qua loquimur, ubi invincibiliter ignoretur; at mea ratio evincit, eam legem a pueris fidei myſteria edoctis, invincibiliter non ignorari contra Buſembaum, qui contrarium poſuit.

Mea ratio non ſolum legitima eſt, ſed certa, & evidens. Tua, mi Zach., diſtinctio principium petit, quia ponit, pueros myſteria fidei edoctos, laborare poſſe ignorantia invincibili legis præcipientis actus fidei; quod eſt controverſum, & a me non ſolum negatum, ſed mea ratione refutatum fuit.

Sed illud quoque animadverte, tuum dictum, quo ponis, in pueris fidei myſteria edoctis, invincibilem legis actuum fidei ignorantiam locum habere poſſe, cum prima hæreſi Janſeniana apprime concinere. Hæc ita habet. *Aliqua Dei præcepta hominibus juſtis volentibus, & conantibus ſecundum præſentes, quas habent, vires, ſunt impoſſibilia: deeſt quoque gratia, qua poſſibilia fiant*; hoc eſt abſolute impoſſibilia ſunt: at quod invincibiliter ignoratur, eſt abſolute, ſeu omnino impoſſibile: juxta te, mi Zach., pueri, in quos etiam juſtos præceptum fidei cadit, invincibiliter hoc præceptum ignorare poſſunt: ergo hoc præceptum juxta te ponitur eſſe poſſe prorſus impoſſibile, hoc eſt tum naturæ viribus, tum gratiæ defectu impoſſibile.

Poſtquam meam orationem arabica diſtinctione involvere conatus es, eam nunc inaniter impugnas hoc modo.

„ Negabis, ne invincibiliter ignorari ab adultis etiam „ Catholicis poſſe, hoc e. g. die jejunii Eccleſiaſtici le„ gem vigere? " Reſp. non nego. „ At ſi argumenta„ tio tua quidquam efficit, ignorantia hujus legis in„ vincibilis eſſe non poteſt. " Reſp. pernego, ſeu nego ſuppoſitum. „ Audi: ego vero tanquam certum, „ & fide tenendum pono, Eccleſiæ legem impleri poſ„ ſe, & debere. " Reſp. falleris, mi Zach., falleris. Audiri ne ab incluſis in carcere die feſto Miſſa poteſt? graviter infirmi jejunare ne Quadrageſima poſſunt? Mea de divina lege propoſitio, Eccleſiæ legi perperam accommodatur; de qua illud recte dicitur: Eccleſiæ lex impleri debet, ſi poſſit, non autem illud; Eccleſiæ lex impleri poteſt, & debet. Dum enim hoc dicitur, impotentiam ab Eccleſiæ lege non excuſare, aſſeritur; quod eſt aperte falſum, & contra omnes Theologos. Longe vero falſiſſimum tuum illud, „ ego vero tan„ quam certum, & fide tenendum pono, Eccleſiæ le„ gem impleri poſſe, & debere; " quod incautos decipit.

Zach. „ *Si autem impleri poteſt, & debet, ſciri etiam „ poteſt, & debet. Quod enim neſcitur, impleri non pot„ eſt.* Ergo lex Eccleſiæ præcipiens adultis hoc die je„ junium, ſciri ab iis poteſt, & debet. Ergo ignoran„ tia hujus legis non eſt invincibilis.

Reſp. Concedo totum. At ignorantia, quod hac die ſit jejunandum, non eſt ignorantia legis, ut tu inſcite ponis, ſed ignorantia facti; qua ignoratur, hunc diem eſſe e. g. diem veneris, quatuor temporum, aut vigiliam S. Joannis Baptiſtæ, aut SS. Petri, & Pauli, &c.. Tuus paralogiſmus in eo eſt, ut ab ignorantia legis, quæ non excuſat, ad ignorantiam facti, quæ excuſat, tranſeas; qua fallacia meam rationem laborare, nec oſtendiſti, nec oſtendes.

Quare, mi Zach., non mihi, ſed tibi illud cane: „ paralogizas, mi Franzoja amiciſſime, paralogizas. "

Sed, mi Zach., ut tuum, & Buſembau erratum tandem recognoſcas, fac, Pueros rationis uſu perfecte donatos, & fidei myſteria edoctos ſine ullo fidei actu e vivis diſcedere; quæſo, utrum ſalvi futuri ſint, an propter iſtam fidei omiſſionem damnandi? Quid ais? Reſpondes ne, aliquos damnandos, qui ſcilicet fidei præceptum vincibiliter ignorant, alios autem, ſeu, ut Buſ. ponit, plurimos ſalvos futuros, qui videlicet illud invincibiliter neſciunt? Si ita eſt, dele illud Apoſtoli, *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo*; damna Innocentium XI., a quo damnata eſt hæc prop. n. 22. *Nonniſi fides unius Dei neceſſaria videtur neceſſitate medii, non autem explicita remuneratoris.*

Sed nos, amice lector, Buſembau, Zachariæ, & aliorum commentis, quæ nos in præceps agunt, pro nihilo habitis, illud unuſquiſque pro viribus agamus, ut Pueri non ſolum fidei myſteria doceantur, ſed ut in actibus fidei, quo ea doctrina ſponte ſua ſpectat, exerceantur; ne ipſi, & illi, quorum eſt, eos recte inſtituere, æternum pereant; quod Deus avertat.

Animadverſio II.

Hoc ſane eſt legitimum conſectarium doctrinæ aſſerentis, præcepta non obligare, niſi eorum obligatio advertatur: at hæc doctrina ex dictis eſt hæreſis pelagiana: ergo illius conſectarium rejiciendum eſt. Cur hæreticus ſuam ſectam judicat eſſe credibiliorem, vel æque credibilem, ac noſtra catholica Romana fides? quia ſcilicet eſt pervicax. An pervicacia illum a peccato excuſat? D. Th. 1. 2. qu. 19. art. 6. ad 3. ait, *quod ſicut in ſyllogiſticis uno inconvenienti dato, neceſſe eſt alia ſequi; ita in moralibus uno inconvenienti poſito ex neceſſitate alia ſequantur. Sicut ſuppoſito, quod aliquis quærat inanem gloriam, ſive propter inanem gloriam faciat quod facere tenetur, ſive dimittat, ſemper peccabit; nec tamen eſt perplexus, quia poteſt intentionem malam dimittere. Et ſimiliter ſuppoſito errore rationis vel conſcientiæ, qui procedit ex ignorantia non excuſante, neceſſe eſt quod ſequatur malum in voluntate; nec tamen eſt homo perplexus; quia poteſt ab errore recedere, cum ignorantia ſit vincibilis, & voluntaria.* Talis eſt hæreticus a Buſembao deſcriptus, cujus error ab animi pervicacia profectus, vincibilis eſt, & voluntarius. Audiatur iterum D. Th. qui 2. 2. q. 10. art. 1. ait, *quod infidelitas dupliciter accipi poteſt. Uno modo ſecundum puram negationem, ut dicatur infidelis ex hoc ſolo, quod non habet fidem, ſicut in illis*, ut mox ſe explicat, *qui nihil audierunt de fide; & hæc non habet rationem peccati, ſed magis pœnæ. Alio modo poteſt intelligi infidelitas ſecundum contrarietatem ad fidem; qua ſcilicet aliquis repugnat auditui fidei, vel etiam contemnit ipſam, ſecundum illud Iſ. 53. Quis credidit auditui noſtro? Et in hoc proprie perficitur ratio infidelitatis, & ſecundum hoc infidelitas eſt peccatum.* Infidelitas porro hæretici non eſt pure negativa, ſed fidei per contrarietatem oppoſita; quia comparans ſuam ſectam cum catholica fide, ſuæ ſectæ tanquam probabiliori adhæret, & catholicam fidem reſpuit. Ergo ab infidelitatis peccato excuſari nullo modo poteſt. Ponamus, hæreticum ſuam ſectam certo veram, catholicam vero fidem certo falſam habere; hic juxta Buſembaum multo minus credere tenebitur. Ego vero ajo, hunc eſſe inexcuſabilem; quia ejus perſuaſio ex pervicacia orta, abjici poteſt, ideoque debet.

At, inquit Buſ., fides nondum eſt ei ſufficienter propoſita, ageretque imprudenter. Reſp. Hoc ſane falſum eſt; nec id Buſ. oſtendere unquam poterit. An fides ei ſufficienter propoſita non eſt, quia fallaciſſimis doctrinis, & cavillationibus abripi ſe ſinit? an fides ei ſufficienter propoſita non eſt, quia ſuos impios hæreticos magiſtros Eccleſiæ Catholicæ judicio præfert? imo hac de cauſa hæreſis reus eſt. Hæreſis enim eſt error, fidei jam ſuſceptæ contrarius, & pertinax. Pertinacia porro in eo ſita eſt, ut hæreticus ſuum impium judicium Catholicæ Eccleſiæ definitioni ſuperbe præferat, nec ſe illi ſubmittat. Si hæretici judicantes ſuam ſectam veroſimiliorem, aut æque probabilem, ac noſtra fides, hæreſis culpa vacant, pauciſſimi hæretici hæreſis vitio laborarent. Quod ſi ita eſt, ſacra Syn. Trid. tam multa anathemata in impia hæreticorum dogmata contorquens, innocentes, ſi Buſembaum audimus, maxima ex parte ferit, punitque. Div. Th. 2. 2. q. 10. art. 8. ait: *Alii vero ſunt infideles, qui quandoque fidem ſuſceperunt, & eam profitentur, ſicut hæretici, & quicumque apoſtatæ; & tales ſunt etiam corporaliter compellendi, ut impleant quod promiſerunt, & teneant quod ſemel ſuſceperunt.* An homines in ſua hæreſi innocenter permanentes, exilio, carceribus &c. compellendi ſunt, ut catholicam fidem ſuſcipiant? At hic La-Croix p. 168. n. 48. §. 7. inquit: „ Buſemb. hic dicens, hæreticum, quamdiu ſuam ſectam judicat eſſe æque credibilem, non teneri credere, tantum vult non teneri determinate credere; tenetur tamen ulterius inquirere, quia pro ſua ſecta non habet evidentiam: ergo cum teneatur credere, tenetur in una Religione quærere evidentiam, quam inveniet in Catholica, ſi indifferenter examinet. “

Reſp. Si talis hæreticus non tenetur determinate credere, poteſt ergo ſine culpa ſuſpenſus hærere: at ipſa animi ſuſpenſio, graviſſima culpa non vacat; quis dubius in fide, infidelis eſt. Præterea ſi hæreticus, quamdiu ſuam ſectam judicat eſſe æque credibilem, non tenetur determinate credere, ſi eam credibiliorem judicet, ei inhærere determinate poterit.

Quamquam cum juxta verſatilem opinandi modum liceat ſequi opinionem probabilem contra aliam ſeu æque, ſeu minus probabilem, non minus poterit hæreticus ex Buſembau mente, ſuæ ſectæ adhærere, cum eam credibiliorem, quam cum æque credibilem putat. At cum hæc doctrina ſit horribilis, eam La-Croix temperare conatus eſt; cum potius a verſatilis probabilitate, unde tam horrenda abſurda proficiſcuntur, recedere debuerit. Hæreticus de ſua ſecta dubitans, & veritatem inquirens, ſuum quidem hæreſis peccatum nondum deſeruit, viam tamen illud deſerendi ingreſſus eſt. Hoc unum de illo vere dici poteſt, at a culpa illum excuſare omnino non poſſumus.

Contra hanc animadverſionem P. Zach. p. cxv. ita diſcurrit. „ Mi Franzoja, Syllogiſmum accipe, cui, „ vel ſi Melchiſedechi annos adtigeris, reſpondere nunquam poteris. “

„ Hæreticus quamdiu ſuam ſectam judicat eſſe credibiliorem, vel æque credibilem, non habet, niſi probabilem divinæ revelationis notitiam. Id per ſe patet. Quamdiu quis habet notitiam ſolum probabilem Divinæ revelationis, non tenetur credere: quid ad hanc minorem? Memento xxi. damnatas inter ab Innoc. XI. propoſitiones: *aſſenſus fidei ſupernaturalis, & utilis ad ſalutem ſtat cum notitia ſolum probabili revelationis, immo cum formidine, qua quis formidet, ne non ſit Deus.* Ergo (o naſeum Franzojani!) ergo hæreticus quamdiu ſuam ſectam judicat eſſe credibiliorem, vel æque credibilem, non tenetur credere. “

Reſp. hic tuus glorioſus diſcurſus hæretico tolerante dignus eſt; quia omnem impiam ſectam tuetur. De tua propoſitione, ſeu majore affirmas, „ id per ſe patet. “ Id per ſe patet; immo contrarium patet, nam qui divinam revelationem ab Eccleſia Catholica Romana propoſitam novit, certiſſimam divinæ revelationis notitiam habet. Hæc, non tua propoſitio per ſe patet. Quod enim Eccleſia Catholica Romana proponit, certiſſimum eſt: at hæreticus divinam revelationem ab Eccleſia Catholica Romana propoſitam novit: ergo habet certiſſimam divinæ revelationis notitiam. Verum quia hæreticus eſt, eam reſpuit. Aliud eſt, mi Zach., certiſſimam divinæ revelationis notitiam non habere, aliud illam reſpuere: hoc alterum hæretico convenit, non primum.

Hæc tua cavillatio verbis alia, re eadem eſt, ac illa Buſembau, *quia fides nondum eſt ſufficienter* (Hæretico) *propoſita, ageretque imprudenter*, a me luculenter diluta tum hic, tum animad. 2. in cap. 4. hujus tract. Buſ. Si quæ locis citatis ſcripſi, attente legiſſes, & percipere voluiſſes, crambem cum tuo dedecore non recoqueres. Tuus fallaciſſimus ſyllogiſmus non Hæreticos legi, ſed legem Hæreticis eorumque impio judicio ſubjicit, cujus vi eos a fidei præcepto liberas. Tuus ſyllogiſmus pelagianum errorem involvit, imo eo, ſi rem rite penſes, pejor eſt; quia pelagianus error eum a peccato excuſat, qui peccatum non novit, at tuus ſyllogiſmus ab hæreſis impietate Hæreticum liberat, non quia hæreſim non novit, ſed quia noſſe non vult, ſeu, quod idem eſt, ſplendidiſſimam veritatis lucem, ſuam mentem pervadentem, pervicaciſſime repellit, & rejicit.

Audi, mi Zach., D. Auguſtinum, qui enarrat. in Pſ. 130. inquit. *Sunt enim infirmi, qui non ſunt idonei valido cibo: volunt ſe extendere ad id, quod capere non poſſunt; & ſi aliquid utcumque ceperint, aut viſi ſibi fuerint capere, quod non ceperunt, extolluntur inde, & ſuperbiunt, inde videntur ſibi ſapientes. Hoc autem contingit omnibus Hæreticis* (nota illud omnibus) *qui cum eſſent animales & carnales, defendendo ſententias ſuas pravas, quas falſas eſſe non potuerunt videre, excluſi ſunt de catholica.* D. Auguſtinus Hæreticos non excuſat, quia vitio ſuo, hoc eſt quia ſunt *animales*, & *carnales*, ſuarum pravarum ſententiarum falſitatem videre non potuerunt, ſed eos hac ipſa de cauſa ab Eccleſia Catholica excludit. Et lib. 5. Conf. cap. 13. ait: *Et eum* (S. Ambroſium) *amare cœpi, primo quidem non tanquam doctorem veri, quod in Eccleſia tua prorſus deſperabam*, (cum eſſet Manichæus) *Sed tanquam benignum in me, & ſtudioſe audiebam diſputantem in populo non intentione, qua debui, ſed quaſi explorans ejus facundiam. . . . rerum autem incurioſus, & contemptor aſtabam.* An D. Aug. ex impia ſua perſuaſione a culpa ſe immunem fecit? *Sed*, ſubdit, *longe eſt a peccatoribus ſalus, qualis ego tum aderam; & tamen propinquabam ſenſim, & neſciens.*

Quid nunc tu mihi propoſitionem non xxi. ſed xxi. ab Innoc. XI. proſcriptam obtrudis? Eccleſia Catholica Romana eo ipſo Hæreticos damnat, & pro hæreticis habet, quia ſuam auctoritatem falli neſciam repudiant, & probabile, aut probabilius, aut, ſi vis, etiam certum habent contrarium, ac ipſa docet.

Propoſitio 21. citata non Hæreticos excuſat; ſed eos falſos Theologos proſcribit, qui Chriſtianam religionem evidenter, ſeu certo veram eſſe negant, hoc eſt tuos verſatiles opinatores. Legatur Coverius litt. 3. p. 174. & ſeq. Tua concluſio ab eodem Innoc. XI. prop. 4. ſatis damnata eſt: *ab infidelitate excuſabitur infidelis non credens, ductus opinione minus probabili.* At, ut rem more tuo involvas, ſubjicis: „ aliud eſt, Hæreticum, quamdiu ſuam ſectam judicat eſſe credibiliorem, vel æque credibilem, non teneri (imo, quod Buſ. addere debuit

Digitized by Google

„ buit cum Laymanno, nec poſſe) credere; aliud ex„ cuſari illum ab infidelitate. Quamdiu enim ſuam ſe„ ctam judicat eſſe credibiliorem, vel æque credibilem, „ non habet notitiam, niſi probabilem revelationis, „ (Reſp. hoc mox refutatum eſt) atque adeo credere „ nec debet, nec poteſt: (ideoque credere debet, & pot„ eſt,) tenetur tamen orare, atque in veritatem „ diligenter inquirere. “ Reſp. hic ſcilicet tibi contradicis. Nec enim quiſquam ad orare, & inquirere tenetur, quæ aſſequi nec debet, nec poteſt: Sed te fatente hæreticus, de quo ſermo eſt, credere, ſeu fidem aſſequi nec debet, nec poteſt: ergo nec orare, nec veritatem inquirere tenetur.

Hæreticus, de quo loquimur, non poteſt quidem credere, ut ait Schola, in ſenſu compoſito, hoc eſt ſuum judicium cum fidei aſſenſu conciliare non poteſt; & hoc ipſo nomine Hæreticus eſt; poteſt tamen credere in ſenſu diviſo: quia ſuum perverſum judicium abjicere valet, ideoque etiam debet. An nondum, mi Zacharia, his paucis tuas omnes atras tenebras diſſipari intelligis?

Sed Buſembau defendere pergis, quia n. 111. ait. *Si talibus* (Hæreticis) *oriatur dubium de ſua ſecta, tenentur ulterius inquirere, & a Deo lumen petere; quod ſi negligant, peccant contra fidem, cum non adhibeant media adimplendum præceptum fidei.* „ Neque enim, ſubdis, nomen illud *talibus* eos ſolum ſpectat, de qui„ bus agit n. 2. ſed etiam illos, quos n. 1. indicarat, „ & præterea Laym., quem n. 1. Buſ. appellat, idipſum „ diſerte tradiderat. “

Reſp. Buſemb. non abſolute loquitur, ut tu illi vel inſcite, vel doloſe affingis, ſed hypothetice. Ait enim *ſi talibus* &c. An intelligere non vis illud *ſi*? Ergo ſi illis Hæreticis dubium de ſua ſecta non oriatur, nec verum inquirere, nec a Deo lumen petere juxta Buſembau tenentur; Sed in hæreſi uſque ad mortem innoxie permanentes, in cœlum conſcendere retenta hæreſi poterunt, Chriſto fruſtra reclamante Joann. 3. v. 18. *qui autem non credit, jam judicatus eſt*, & Marci 16. v. 16. *qui vero non crediderit, condemnabitur.* Hæc eſt Buſ. doctrina, quæ ſibi quidem conſtat, at horrenda eſt, & Chriſti verbis perſpicuis aperte repugnans.

Sed miſſis his tenebricoſis commentis, S. Joannem Chryſ. proferre juvat, qui D. Thomæ in animad. hic relato adverſari videtur, dum lib. 2. de Sacerdotio ait. *Neque enim vis illi* (homini in hæreſim lapſo) *inferenda, neque terrore ille cogendus eſt, verum ſuadendus tantum, ut de integro ad veritatem redeat, unde initio dilapſus eſt.* At D. Th. inquit: *& tales* (hæretici) *ſunt etiam corporaliter compellendi, ut impleant, quod promiſerunt &c.*

Reſp. Apoſtatis, & Hæreticis vis adhibenda eſt, ſi hæc aut illis, aut ſaltem Catholicis proſit; quæ eſt doctrina D. Thomæ, ſunt etiam Sacræ Inquiſitionis tribunalibus confirmata. Si autem vis inutilis ſit, omittenda eſt; & hoc ſenſu loquitur S. Joann. Chryſ.

ANIMADVERSIO III.

Stante hac peſtifera, & pervicaciſſima perſuaſione neceſſe eſt ut peccent; quia ex D. Thoma mox cit. *ſicut in ſyllogiſticis uno inconvenienti dato, neceſſe eſt alia ſequi, ita in moralibus uno inconvenienti poſito, ex neceſſitate alia ſequuntur.* Ergo illam perſuaſionem maxime impiam, & culpabilem abjicere debent; falſumque eſt, quod Buſ. ait, hos hæreticos invincibili ignorantia laborare.

Nonne Deus omnibus hæreticis præcipit, ut ad catholicam Romanam Eccleſiam abjuratis impiis doctrinis redeant? Si ergo aliqui eorum invincibili ignorantia laborant, Deus aliquibus eorum impoſſibilia præcipit. Si enim invincibili ignorantia laborant, ad Eccleſiam catholicam redire non poſſunt. At, inquit Buſ., *non dubitant, ſe eſſe in bona via.* Ergo Buſ. ratio, pelagiana doctrina, ut ſæpe monuimus, nititur, aſſerente hominem non peccare, niſi peccatum advertat. Si hæreticus ignorantia invincibili laborat, quia non dubitat ſe eſſe in bona via, atheus quoque, & quicumque idolorum cultor invincibili ignorantia laborat, ſi non dubitet, ſe eſſe in bona via; quod Apoſtolo aperte contrarium eſt Rom. 1. v. 20. dicenti: *Inviſibilia enim ipſius a creatura mundi per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur: ſempiterna quoque ejus virtus, & divinitas, ita ut ſint inexcuſabiles.*

P. Zach. negat, hæreticos, de quibus Buſ. loquitur, eſſe pervicaciſſimos; quia non dubitant, ſe eſſe in bona via; hoc eſt repetit, quod Buſembau dixerat, & a me affatim refutatum fuit tum præſenti, tum proxime ſuperiori animadverſione. Præclarus ſane Franzæ cenſor, qui omiſſis rationibus, quibus Buſ. doctrinam, & ſophiſmata labefactavit, Buſ. doctrinam, & ſophiſmata ſolum repetat!

At Zach. illam meam rationem, *ſi hæreticus ignorantia invincibili* &c. uſque ad finem ita impetit. „ Nego „ ſuppoſitum, Atheum poſſe non dubitare, ſe eſſe in „ bona via, ſaltem ad aliquod longiuſculum tempus. “ Reſp. hoc eſt affirmas, Atheum *ſaltem ad aliquod longiuſculum tempus* neceſſario dubitare. At qua ratione id affirmas? nulla. Præclarus ſane logicus!

Zach. „ Cæterum ſi Atheum tibi confingas non du„ bitantem, ſe eſſe in bona via, is invincibili labora„ ret ignorantia. “ Reſp. ne id quoque probas; & hoc verum eſſet, ſi pelagianus error, quo aiunt peccatum non admitti, niſi ejus malitia advertatur, foret veritas.

Zach. „ Nec Apoſt. (a me allatus) id negat. “ Reſp. cur id non negat, cum dicat, *ita ut ſint inexcuſabiles*? Si enim inexcuſabiles ſunt, invincibili ignorantia, quæ ſine dubitatione excuſat, laborare non poſſunt.

Zach. „ Negat is, Atheum poſſe non dubitare, ſe „ eſſe in bona via; non negat, ſi non dubitantem ti„ bi fingas, invincibili laboraturum ignorantia. “

Reſp. ſaltem textus, mi Zach., cita, ubi Ap. hæc innuat. Nam in textu a me allato nullum veſtigium tuorum commentorum exſtat.

An etiam illud Pſ. 22. *dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus*, hypothetice, ſeu adjecta conditione accipiendum eſt? Si hæc arbitria intelligendi ſacram Scripturam admittimus, ſacram Scripturam ſupervacaneam facimus; quia nihil unquam evinceret.

An non ſolum de reliquis, ſed etiam de primo illo naturæ & Decalogi præcepto *Dominum Deum tuum adorabis*, ignorantia invincibilis fingitur? An, mi Zach., hæc horrida inventa apud Catholicos refutatione indigent?

ANIMADVERSIO IV.

Sacra Syn. Trid. ſeſſ. 24. cap. 12. de reform. ita inquit. *Proviſi autem de canonicatibus, & dignitatibus in Eccleſiis cathedralibus non ſolum coram Epiſcopo ſeu ejus officiali, ſed etiam in capitulo idem*, hoc eſt orthodoxæ ſuæ fidei publicam profeſſionem, & ſponſionem permanendi in Rom. Eccleſiæ obedientia, *facere teneantur: alioquin prædicti omnes proviſi, ut ſupra, fructus non faciant ſuos, nec illis poſſeſſio ſuffragetur.* Si fructus ſuos non faciunt poſſeſſione quoad hoc non ſuffragante, illos certe retinere non poſſunt, etiamſi nulla hac de re Judicis ſententia intercedat, quia nemo retinere poteſt quod ſuum non eſt; ideoque ante judicis ſententiam ſunt reſtituendi. Hoc penes me perſpicuum eſt; & ita docet quoque Concina Theol. t. 1. p. 149. q. 4.

ANIMADVERSIO V.

Si fatente ipſo Buſembao probabilius eſt, eſſe neceſſariam profeſſionem perſonalem, hæc ſententia neceſſario ſequenda eſt, ut ſana Theologia inculcat, nec prior permittenda. Hac tamen de re, ſi neceſſarium putas, legere potes Concinam Theol. t. 1. p. 152. q. 8.

CAPUT III.

An aliquando liceat exterius fidem veram negare, aut falſam profiteri?

RESP. Nullo caſu licet ſive voce, ſive alio ſigno fiat, dicente Chriſto: *Qui me negaverit coram hominibus &c.* Interim vero, etſi licitum non eſt mentiri, ſeu ſimulare, quod non eſt, licet tamen diſſimulare, quod eſt, ſive tegere veritatem verbis, aliiſve ſignis ambiguis, & indifferentibus, ob juſtam cauſam, & cum non eſt neceſſitas fatendi. Eſt comm. S. Thom. Kon. *diſ.* 15. *dub.* 2. *n.* 9. Laym. *l.* 3. *t.* 1. *c.* 11.

Unde reſolvitur.

1. Rogatus de fide in odium religionis, ſive publica auctoritate, ſive privata, nullo modo poteſt utendo reſtrictione mentali, aut verbis ambiguis, ita reſpondere, ut præſentibus videatur fidem negaſſe, multo minus dicere, ſe eſſe hæreticum, vel Calviniſtam, vel non Catholicum. Azor. Fill. *c.* 3. *n.* 97.

2. *Qui rogatus ſeu privata, ſeu publica auctoritate vel tacet, vel reſpondet obſcure, vel ait ſe nolle reſpondere, ſe juſte non rogari, non teneri ſe, nec velle aliis dicere, quid ipſe credat, aut ſimili modo tergiverſatur, non videtur negare fidem, ſed nolle prodere.* ANIMAD. I.

Un-

Digitized by Google

Unde, ſi ſic poteſt moleſta inquiſitione liberari, licet; ut habet Kon. *l. c. Generatim enim verum non eſt, quod interrogatus auctoritate publica teneatur poſitive fidem profiteri, niſi quando id neceſſarium eſt, ne præſentibus videatur fidem negaſſe*. Kon. *d.* 15. *dub.* 2. Nav. Azor. Sanch. Bec. *c.* 9. *q.* 4.

3. Non negat fidem, ſed prodit, qui fugit: quod etſi liceat, non tamen Paſtori, tunc cum ejus opera oves indigent: tunc contra, ſi eis conſultius eſt, ut ad tempus ſe ſubducat, & in bonum earum reſervet, tenetur fugere. Reg. *l.* 17. *n.* 26. Bec. *c.* 9. Fill. *n.* 75. &c.

4. Si quo caſu tacere eſſet negare, tunc id non liceret; v. g. ſi aliis rogatis an fidem negare vellent, illiſque reſpondentibus, quod non, tu taceres. *ibid.* Vid. Bon. *l. c.* Laym. *l.* 2. *t.* 1. *c.* 11. Tol. *l.* 4.

ANIMAD. II. 5. *Si Princeps generali lege jubeat, ut fideles ſe prodant, geſtato ſigno, vel ſiſtendo ſe, vel aliter, non tenentur, cum nemo teneatur verum dicere, niſi ſpecialiter rogatus*. Excipe, niſi eæ ſint circumſtantiæ, ut hoc ipſo, quod ſe non prodant, videantur fidem negaſſe, ut v. g. ſi quidam antea noti eſſent, & tunc ex hoc putarentur defeciſſe. Sanch. *n.* 19. Bec. Reg. Fill. *n.* 88. &c.

ANIMAD. III. 6. Cum *non rogaris de fide, non ſolum licet, ſed ſæpe melius eſt ad Dei honorem, & utilitatem proximi tegere fidem, quam fateri*: ut ſi latens inter hæreticos plus boni facis; vel ſi ex confeſſione plus mali ſequeretur, v. g. turbatio, neces, exacerbatio Tyranni, periculum defectionis, ſi torquereris. *Unde temerarium plerumque eſt offerre ſe ultro*. S. Thom. Sanch. Laym. *c.* 11. *n.* 2.

ANIMAD. IV. 7. *Redimere pecunia, ne de tua fide fiat inquiſitio, licitum eſt, & ſæpe magna virtus diſcretionis eſt vitam ad Dei gloriam ſervare, ac fidem tegere modis licitis*.

8. Talis modus non eſt uti veſtibus, aut ſignis infidelium, quæ alium uſum non haberent, quam quod eſſent ſigna profeſſiva falſæ religionis, ſeu cultus: uti eſſent veſtes, quarum uſus eſt in ſacrificiis; item incenſio thuris, aut genuflexio coram idolo; item ſumptio cœnæ hæreticæ, &c. Sanch. *l.* 2. *c.* 4. Fill. *n.* 9. *& c. comm.*

ANIMAD. V. 9 *Licitus autem modus eſt, quando ſubeſt cauſa* (v. g. ad avitandum grave periculum, ad obtinendam victoriam, eludendo hoſtes) *uti veſtibus, & ſignis infidelium, quæ aliquem alium uſum habent, quam profitendæ religionis, quales ſunt veſtes talis nationis (non religionis) quibus uterentur, etſi converterentur, ut ſunt veſtes, & ſigna nationis Turcicæ. Quod verum eſt, etſi ſint veſtes ipſorum religioſorum, dummodo non habeant peculiare ſignum profitendi erroris, ſed ſint tantum indicium ſtrictioris cultus, ut ſaga Prædicantium in Germania; vel eminentioris vitæ inter ſuos, ut toga Bonziorum in Japonia*. Idem dicendum eſt *de ſignis, quibus Judæi utuntur: v. gr. flavo annulo in pallio, Francofurti*, &c. *quia hæc ſunt ſigna mere politica, & diſtinctiva unius generis hominum ab alio, & non propria profeſſiva fidei*. Quæ ſententia probabilis eſt. Vid. Sanchez 2. *mor. c.* 4. Bec. 2. 2. *c.* 9. *q.* 5. *d.* 6. Laym. *lib.* 2. *t.* 1. *cap.* 11. Covar. contra Cajet. Nav. Tol.

ANIMAD. VI. 10. *Licitus item modus eſt, cum Catholicus tranſit per loca hæretica, & periculum grave ei imminet, vitæ v. gr. vel bonorum (non tamen, ſi deriſio tantum, vel vexatio, ut habet Bec. c. 9.) ad diſſimulandam fidem, veſci carnibus die prohibito, quia præceptum Eccleſiæ non obligat ſub tali periculo*. Nec hoc eſt fidem negare, cum eſus carnium non ſit inſtitutus ad profeſſionem religionis; & Catholici etiam mali, & guloſi id faciant. Si tamen ex circumſtantiis fieret ſignum profeſſivum, ut ſi v. g. in odium fidei convivæ ſtatuerent, ut qui eſt hoſtis fidei pontificiæ, comedat carnes; peccaret contra fidem, qui ederet ſine proteſtatione: ſecus, ſi proteſtaretur. Sanch. Azor. Bec. *& c. comm. l. c.*

ANIMAD. VII. 11. *In Germania audire conciones, hæreticorum, deducere funus, aſſiſtere Baptiſmo pro patrino, non habentur ſigna profeſſiva fidei, vel communionis cum hæreticorum ſacris*. Fill. Azor. Sanch. *ll. cc.* Unde ſecluſis aliis, v. gr. ſcandalo, periculo, prohibitione, & ſi ex juſta cauſa fiant, licent. *Imo patrinum fieri talis infantis, videtur potius optandum, ſecluſis aliis, quia non eſt aliud, quam obligare ſe ad eum olim erudiendum in Fide catholica*.

12. *Infidelium, & hæreticorum ſacris non licet ita intereſſe, ut eis communicare cenſearis; alioquin licet, v. g. ut quis ſpectet tamquam comœdiam: aut famulatum præſtet politicum domino ſuo, exemplo Naaman Syri*: de quo vide Bec. Fill. Sanch. *l. c.* Laym. *l.* 2. *t.* 1. *c.* 11. ANIMAD. VIII.

13. Si Princeps hæreticus mandet ſub graviſſima pœna omnibus ſubditis, adire conciones hæreticorum, etiamſi verbis dicat, ſe hac re aliud nihil exigere, quam obedientiam civilem, nec velle cogere, ut a fide diſcedant, cum tamen reipſa contrarium velle videatur (nam obedientiam ſuorum aliter exercere poteſt, & hæc res ex ſe apta eſt Catholicos paulatim pervertere, & inſuper conciliare auctoritatem hæreſi, ad vilipenſionem veræ fidei) non licet obedire. Atque ita bis reſcripſit Anglis Pius V. apud Sanch. *l.* 3. *c.* 4. *n.* 27. Fil. & Azor. *ll. cc.*

14. *Catholici viventes inter hæreticos*, (*a*) ſi ex præcepto Magiſtratus contrahunt matrimonium coram miniſtro hæretico, peccant contra fidem; etiamſi contraxerint ante, vel contracturi ſint poſtea coram Sacerdote catholico. Kon. *d.* 15. *a.* 3. Pal. *t.* 4. *d.* 1. *p.* 12. *q.* 12. 13. 14. teſtaturque contrahens ceremonia illa ſe illum agnoſcere veræ fidei miniſtrum, quæ ſunt intrinſece mala. Mald. 2. 2. *q.* 2. *a.* 3. quia auctoritas Miniſtri, & conſequenter doctrina ejus augetur, concurriturque ad ritus hæreticos, quos Miniſter iſto actu exercet. Licite tamen contrahunt coram Magiſtratu civili, vel potius teſtantur ſe contraxiſſe; modo prius, vel poſterius ritu catholico contrahant: quia hæc actio eſt inſtituta ad finem politicum, ut conjuges habeantur, & proles non cenſeantur illegitimæ.

NOTÆ.

(*a*) *Catholici viventes inter hæreticos, ſi ex præcepto* &c.

Sacra Congregatio S. Officii (apud Bened. XIV. lib. 6. de Syn. diœc. cap. 7. n. 2.) hac de re ita definit. *Catholici, qui matrimonio juncti ſunt coram Parocho, & teſtibus catholicis, in pluribus locis (ita invaluit conſuetudo) ſolent coram miniſtro hæretico, ſeu proteſtante rurſus conjungi ad evitanda gravia damna; neque poteſt hæc conſuetudo a Clero corrigi. Peccant ne? & quo peccato Catholici ſic denuo conjuncti coram miniſtro hæretico? & quomodo ſe gerere debeat erga illos Ordinarius loci?*

Sacra Congregatio reſpondit, quatenus miniſter aſſiſtat matrimoniis Catholicorum, uti miniſter politicus, non peccare contrahentes.

Si vero aſſiſtat ut miniſter addictus ſacris, non licere, & tum contrahentes peccare mortaliter, & eſſe monendos. Tum idem Bened. ſubdit. *Huic nos ſententiæ tunc* (hoc eſt 29. Novembris 1672.) *a laudata Congregatione prolatæ auctoritatem noſtram adjecimus in noſtra Conſtit.* 89. §. 10. *noſtri Bullarii t.* 2., *ubi fidelibus degentibus in Regno Serviæ, finitimiſque Regionibus interdiximus, ne matrimonio inter ſe catholicis ritibus celebrato, illud renovare præſumant coram CADDI; noſtram tamen interdictionem hac temperavimus limitatione, niſi ſcilicet nuptiarum cæremonia explenda coram CADDI, actus ſit mere civilis, nullamque contineat MAHUMETIS invocationem, aliudve ſuperſtitionis genus includat.* Ita ſubdit Bened. XIV.

ANIMADVERSIO I.

LA-Croix p. 169. n. 55. 56. in hunc Buſ. c. 2. ait: „ Anno 1679. Innoc. XI. damnavit hanc prop. 18. „ *Si a poteſtate publica quis interrogetur, fidem ingenue* „ *confiteri, ut Deo, & fidei glorioſum conſulo; tacere ut* „ *peccaminoſum, per ſe non damno*. Pro cujus explica„ tione, ne quis occaſionem errandi habeat ex doctrina „ Buſemb. ad n. 2. notanda ſunt aliqua ex Carden. d. 12. „ §. 2. Senſus propoſitionis ab Innoc. damnatæ eſt hic: „ quando quis a publica poteſtate interrogatur de ſua „ fide, per ſe loquendo non peccat, ſi ſileat: hic ſenſus eſt falſus, & damnatus: e contra veriſſimus eſt „ iſte ſenſus contradictorie oppoſitus; quando quis a pu„ blica poteſtate interrogatur de ſua fide, per ſe loquen„ do peccat, ſi ſileat, quamvis per accidens poſſit non

eſſe

Digitized by Google

„ eſſe peccatum. Ratio autem primæ partis eſt, quia
„ quando quis interrogatur a poteſtate publica, cum il-
„ lam non audeat eludere, dicendo v. gr. Quid ad te?
„ Cur me interrogas? Si ſileat, illud ſilentium non tam
„ erit contemptus perſonæ interrogantis, quam fidei,
„ unde ſilens in illis circumſtantiis, per ſe, & regulari-
„ ter dat ſignum vel negatæ fidei, vel erubeſcentis ob
„ fidem, vel timoris pœnæ, ob quem nolit in circum-
„ ſtantiis ita fidei præjudicantibus confiteri Chriſtum,
„ aut ſaltem communiter dat grave ſcandalum: ideo-
„ que per ſe eſt illicitum tale ſilentium. Id exprimit S.
„ Thom. 2. 2. q. 3. a. 2. his verbis: *Confiteri fidem non*
„ *ſemper, nec in quolibet loco eſt de neceſſitate ſalutis,*
„ *ſed in aliquo loco, & tempore, quando ſcilicet per omiſ-*
„ *ſionem hujus confeſſionis ſubtraheretur honor debitus*
„ *Deo, & etiam utilitas proximis impendenda, puta ſi*
„ *aliquis interrogatus de fide taceret, & ex hoc crede-*
„ *retur vel quod non haberet fidem, vel quod fides non*
„ *eſſet vera, vel alii per ejus taciturnitatem averterentur*
„ *a fide.* Addit: *Ad 3. dicendum, quod finis fidei, ſicut*
„ *& aliarum virtutum, referri debet ad finem carita-*
„ *tis, qui eſt amor Dei, & proximi; & ideo quando ho-*
„ *nor Dei, vel utilitas proximi hoc expoſcit, non debet*
„ *eſſe contentus homo, ut per fidem ſuam ipſi veritati*
„ *divinæ conjungatur, ſed debet fidem exterius profiteri.*
„ Ratio 2. partis eſt, quia poteſt per accidens, & in
„ caſu rariore non eſſe illicitum ſilere, ſi nempe nul-
„ lum ejuſmodi inconveniens ſequeretur ex ſilentio; imo
„ poſſunt dari multi caſus, in quibus ſilere ſit confiteri
„ fidem; v. g. ſi interrogatus de fide in Chriſtum ſileat,
„ & reverenter Crucifixum oſculetur, aut ſuum collum
„ exporrigat gladio; item ſi duo interrogentur, an ſint
„ catholici, & unus reſpondeat, Sumus; alter vero ſi-
„ leat, vultu ita ante compoſito: item ſi interrogatus
„ taceat, & rideat ad verba, minaſque Tyranni, tale il-
„ lorum ſilentium eſt virtualis confeſſio fidei. Unde non eſt
„ damnatum, quod in ejuſmodi caſibus licitum ſit ſilere.“

Haſtenus La-Croix, in cujus doctrina magna ex parte laudanda illud primum difficultate non caret, utrum qui a publica poteſtate de fide interrogatus, interrogationem eludere audet, dicendo e. g. Quid ad te? Cur me interrogas? aut quid ſimile, a culpa liber ſit, ut ponere videtur La-Croix.

Nam hic merito quæritur, cur qui interrogationem tergiverſando eludere audet, fidem palam fateri non audeat? Aut interrogatus ſuam fidem vult profiteri, aut diſſimulare. Si diſſimulare vult, perinde eſt, ac ſi taceat; ideoque a culpa juxta prop. 18. ab Innoc. XI. proſcriptam immunis eſſe non poteſt. Si eam profiteri vult, cur interrogationem tergiverſando eludit? Cum publica poteſtas interrogat, perinde eſt, ac ſi totus populus, cujus vice Princeps fungitur, interroget. Nunne qui a toto populo de ſua fide publice interrogatus tergiverſatur, interrogationem eludit, perinde ſe habet, ac ſi fidem occultet, ſeu taceat? Hic ne debitum Deo honorem, proximo debitam utilitatem impendit? Hic ne ad eos pertinet, de quibus Chriſtus Matth. 10. v. 32. inquit: *Omnis ergo, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in Cælis eſt?* Nonne in hunc illud Lucæ 9. v. 26. cadit: *Qui me erubuerit, & meos ſermones, hunc Filius hominis erubeſcet, cum venerit in majeſtate ſua, & Patris, & ſanctorum Angelorum?*

Altera quoque aſſertionis pars, ſua difficultate non vacat. „ Si enim quando quis a publica poteſtate inter-
„ rogatus de ſua fide, per ſe loquendo peccat, ſi ſileat,“
ut La-Croix verè loquitur, non intelligo, quomodo per accidens, ut idem La-Croix ait, poſſit non eſſe peccatum.

Illud quidem intelligo, quod ex ſe bonum, & honeſtum eſt, per accidens, hoc eſt ex circumſtantiis præſertim finis fieri poſſe malum; at quod ex ſe malum eſt, fieri poſſe per accidens, ſeu ex circumſtantiis bonum, aut non malum, hoc ego non intelligo. Quod ex ſe malum eſt, poſſe per accidens, ſeu ex circumſtantiis fieri non malum, doctrina eſt, ut ego puto, nova, nec a ſacris Scripturis, nec a Patribus, nec ab ipſis ethnicis Philoſophis tradita, nec eorum doctrinis conſentanea: ergo falſa, & rejicienda. Si adverſarii falſum oſtendant antecedens meæ ratiocinationis, manus dare paratiſſimus ſum.

Animadverſio II.

Hic diſtinctione opus eſt. Nam ſi catholicus Princeps hujuſmodi legem ferat, illi obediendum eſt; ſi autem infidelis in odium fidei, lex obligandi vim non habet. Ratio prioris partis eſt, quia lex juſta ponitur, ideoque obligat juxta illud Rom. 13. *Qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit. Qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt.* Ratio poſterioris partis eſt, quia lex, cum Religioni non congruat, ſed ipſi contraria ſit, eſt injuſta. Ergo non obligat. In hac ergo ſpecie ex vi legis nihil præſtandum eſt, ſed faciendum, quod Dei honor, & proximi neceſſitas ex caritatis lege poſtulat.

At, inquit Buſ. nemo tenetur verum dicere, niſi ſpecialiter rogatus. Reſp. quid inde? ergo ne generali legi juſte præcipienti, ut Fideles ſe prodant geſtato ſigno, vel ſe ſiſtendo, vel aliter, obedire non tenentur? Quænam eſt hujuſmodi conſecutio? An legum, quæ cum juſtæ ſunt, ſemper obligant, vis ea cavillatione eludenda eſt, quia leges ſint generales interrogationes?

Ipſe la-Croix p. 170. n. 58. Buſembaum inſum tuetur, ſi deſcripta ab eo lex in odium fidei lata fuerit.

Animadverſio III.

S. Thom. 2. 2. q. 124. ar. 3. ad 1. ait: *Eſt enim aliquis caſus, in quo martyrium perferre non eſt de neceſſitate ſalutis, puta cum ex zelo fidei, & caritate fraterna multoties leguntur ſancti Martyres ſponte ſe obtuliſſe martyrio.* Concilia, ſi potes, D. Thomam cum Buſembao, qui illum pro ſe citat. Non temeritas, ſed ingens animi fortitudo, ac in Deo fiducia eſt, ut Catholicus Tyrannis ultro ſe offerat. Nihil eſt, quod Dei Eccleſiam magis roboret, & amplificet, quam Martyrum ſanguis. Injuriam S. Martyribus irrogat, qui ait, pleruumque temerarium eſſe, ultro ſe offerre Tyrannis. Qui ita loquitur, animum minuit ſanctis viris Martyrium vehementer optantibus, nec oculos ad omnipotentis Dei gratiam erigit.

Animadverſio IV.

Hæc quæſtio ad Libellaticos tertii Chriſti ſæculi pertinet. Libellatici ii Chriſtiani dicti ſunt, qui furente in Chriſti fidem perſecutione pecuniam ethnicis Magiſtratibus dabant, ut acceptis ab iiſdem libellis, a Satellitum furore tuti eſſent, ne thus idolis adolere cogerentur. Ex his alii libellos impetrabant teſtantes, eos edictis paruiſſe, & idolis ſacrificaſſe, ideoque fidei cauſa non eſſe vexandos; & hos graviſſime peccaſſe, exploratum eſt. Alii vero libellos abſque prædicta impia atteſtatione obtinebant, mittibus imperantes, ne fidei cauſa eos vexarent. Hos ab omni culpa immunes facit Concina Theol. t. 2. p. 566. n. 30. cujus ſententiæ favere videtur S. Petrus Alexandrinus cit. a Natali hiſt. Eccleſiaſt. t. 3. p. 690. inquiens: *Iis enim, qui pecuniam dederunt, ut ab omnis improbitatis moleſtia omni ex parte remoti eſſent, crimen intendi non poteſt. Damnum enim, & jacturam pecuniarum ſuſtinuerunt, ne ipſi animæ detrimento afficerentur, vel ipſam etiam perderent.* At Tertullianus cap. 12. & 13. de fuga in perſecutione ait: *Cum das pecuniam*, ut libellos impetres, *utique ne tradaris* ſatellitibus, qui te ad idola rapiant, *voluiſti. Non traditus autem traduci*, hoc eſt publicari Chriſtianus, *habebas? Ergo dum nolendo tradi, non vis traduci, nolendo, negaſti, quod te eſſe traduci voluiſti*; hoc eſt negaſti, te eſſe Chriſtianum, quia Chriſtianum te publicari noluiſti. *Imo*, inquit Chriſtianus, *dum nolo traduci quod ſum, confeſſus ſum id eſſe, quod nolo traduci. Apud unum*, reſpondet Tertull. *ſi forte confeſſus es, ergo & apud plures, nolendo confiteri, negaſti.* Ex his liquet, Tertullianum non loqui de primis libellaticis, qui fidem impie negabant, ſed de poſterioribus, qui ſi fidem apud Magiſtratum forte confiterentur, apud populum tamen eam profiteri recuſabant. D. Cyprianus ep. 52. ad Antonianum ait: *Cum occaſio libelli fuiſſet oblata, ad Magiſtratum vel veni, vel alio euntе mandavi, Chriſtianum me eſſe, ſacrificare mihi non licere, ad aras diaboli me venire non poſſe, dare me ob hoc pecuniam, ne quod non licet, faciam. Nunc tamen etiam iſte, qui libello maculatus eſt, poſtquam nobis admonentibus didicit, nec hoc facere debuiſſe.... flet auditis nobis, & lamentatur* &c. Ex his palam eſt, D. Cyprianum Libellaticos ſecundi generis reos criminis habuiſſe: quia ſcilicet ipſa redemptio, tacita fidei abnegatio eſſet. Cum enim Imperatorum edicta juberent, ut Chriſti Confeſſores ad idola traherentur, qui non trahebantur, idolorum cultores vulgo habebantur. Hoc innuunt illa Tertulliani verba, *Apud unum ſi forte confeſſus es, ergo & apud plures, nolendo confiteri, negaſti.* Hac ergo de cauſa hi quoque libellatici criminoſi erant, vel etiam ea ratione, quod publicæ fidei confeſſionis recuſatio infidelium converſionem impediret, & fidelibus ſcandalum pareret.

S. autem Petrus Alexandrinus de iis Libellaticis loquitus, qui Chriſti fidem palam profitebantur, ideoque innoxii erant. Sed hac de re vide, ſi libet, Nat. Alexandrum loco citato.

Itaque ſine limitatione dici non poteſt, *redimere pecunia, ne de tua fide fiat inquiſitio, licitum eſſe.* Id licitum eſt, ſi fidei occultatio nec pro tacita fidei abnegatione habeatur, nec ſcandalum infirmis præbeat, nec infidelium converſionem impediat. Secus id non licet.

Animadverſio V.

Cur hæc licent? *Quia*, inquit Buſ., *hæc ſunt ſigna*

mere

Digitized by Google

mere politica, & diſtinctiva unius generis hominum ab alio, & non proprie profeſſiva fidei. Quid ſibi volunt ea verba, *ſigna mere politica*? Sunt quidem hæc ſigna, regiminis politici lege, aut conſuetudine inducta; at ſunt ſigna infidelium propria, imo ſunt propria determinatæ eorum ſectæ, puta turcicæ, hebraicæ &c. diſtinguunt unum genus hominum ab alio, at illud diſtinguunt quoad religionem, ſeu fidem, quam profitentur; eſtque aperte falſum, hujuſmodi ſigna non eſſe proprie profeſſiva fidei. Quid ſibi vult annulus flavus in pallio Francoſurti, aut rubeus pileus Venetiis? Qui hoc ſigno utitur, verbo nihil dicit, facto ait: Ego ſum hebræus; qui albam tiaram geſtat, facto ipſo profitetur, ſe eſſe ex numero Turcarum, ſeu ſe eſſe mahometicæ religionis cultorem. Hæc ſunt evidentia. Licet ne Catholico, facto ipſo profiteri, ſe eſſe hebræum, aut Mahometi cultorem? Etiamſi de vita ageretur, hoc ne Catholico permiſſum eſt? Id nunquam, & nuſquam, nullaque de cauſa licere poteſt. In eos, qui id faciunt, illud aperte cadit: *Qui negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo, qui in cælis eſt.* Matth. 18. v. 33. Chriſtum enim aperte negat, qui facto ipſo hebræum ſe, aut turcam profitetur. Falſum porro, & cavillatorium eſt, quod ait Buſembaum, turcas, & hebræos ad fidem converſos dictis veſtibus, & ſignis uti; imo neceſſe eſt, ut ad fidem converſi, hujuſmodi ſigna abjiciant, ut ſe catholicos profiteantur. Quod ſi omnes turcæ (quod utinam accideret) ad fidem converterentur, uti quidem poſſent ſuis albis tiaris; quia tunc illæ tiaræ ſigna eſſent nationis tantum, non religionis; at in præſenti rerum conditione illæ tiaræ ſunt ſigna manifeſta impiæ ſuperſtitionis; ideoque nemini permiſſa. Multo vero minus licet uti veſtibus propriis ipſorum religioſorum falſæ religionis; quia hæc ſunt ſigna majoris cultus ejuſdem impiæ ſuperſtitionis. Hanc ſententiam, quæ mihi certa eſt, confirmat Concina Theol. t. 2. p. 158. q. 8. auctoritate D. Antonini, Cajet. Navarri, Toleti, Artiaræ, Becani, Leandri, Natalis Alex. & rationibus, quibus nonniſi ſophiſticæ cavillationes opponi poſſunt.

Animadversio VI.

Præceptum quidem Eccleſiæ non obligat, cum grave periculum v. gr. vitæ imminet. Sed hæreſim profiteri ſeu verbo, ſeu, quod idem eſt, facto nunquam ne mortis quidem vitandæ cauſa licet. Hoc extra controverſiam apud Catholicos eſſe debet ex cit. orac. Matth. 10. Quæritur nunc, utrum comeſtio carnium die vetito, v. gr. veneris in locis hæreticorum ſit hæreſis profeſſio, ſeu, quod idem eſt, teſſera hæretici hominis. Si tale ſignum non ſit, nullum ex piſcium, ovorum, lacticiniorum comeſtione periculum imminere poteſt: ergo catholicus his permiſſis cibis veſci debet. Quod ſi carnium comeſtio ex hominum more, & inſtituto pro hæretici hominis ſigno habeatur, iis veſci ne mortis quidem vitandæ cauſa licet.

Animadversio VII.

Ap. ad Tim. 3. ait *Hæreticum hominem poſt primam, & ſecundam correptionem devita, ſciens, quia ſubverſus eſt, qui hujuſmodi eſt.* Hinc S. Antonius Abbas, ut in ejus vita die 17. Jan. Brev. Rom. *hæreticorum, & ſchiſmaticorum hominum, maxime Arianorum, congreſſu, & colloquio ſic abhorrebat, ut ne prope quidem ad eos accedendum diceret.* Quid S. Vir, quid Ap. Paulus de iis diceret, qui hæreticorum non ſolum colloquio, ſed familiaritate utuntur, hæreticas eorum conciones audiunt, funera proſequuntur, filios in baptiſmo ſuſcipiunt? An Ap. & S. Antonii dictum, merum conſilium eſt? Illud Ap. *Devita* magis præceptum, quam conſilium ſonare videtur; ille horror tam magnus S. Viri in hæreticos aliquid amplius, quam merum conſilium, innuere videtur.

Summi Pontifices hæreticorum libros de Religione agentes ſub excommunicatione ipſis reſervata legendos prohibent: quia ſcilicet eorum lectio periculi plena eſt; ideoque generatim loquendo, hoc eſt exceptis doctis viris in catholica fide firmiſſimis, jure naturæ prohibita: at hæreticæ conciones, non ſolum acutis cavillationibus, ſed voce, geſtu, animorumque motu impias doctrinas in auditorum animis imprimere conantur, multo magis ſunt periculoſæ: ergo generatim loquendo ipſo naturæ jure ſunt prohibitæ. Itaque non eſt cum Buſembau dicendum, eas ſecluſo periculo, ſcandalo &c. licere ex juſta cauſa audire; ſed quia periculum univerſe loquendo earum auditionem comitatur, earum auditio univerſe loquendo vetita eſſe merito dicitur.

Quoad eos, qui hæretici funus proſequuntur, hi ex communi hominum ſenſu honorem, & benevolentiæ ſpecimen hæretico vita functo, hoc eſt implacabili Dei hoſti, exhibent. Quæro nunc, utrum implacabili Dei hoſti honorem, & benevolentiæ ſignum exhibere liceat. Mihi ſane id licere non videtur. Si enim id liceat, dæmonem quoque honorare, & amoris ſignis proſequi licebit. Nihil enim quoad hoc diſcriminis eſt inter dæmonem, & damnatum hominem.

At inquit, hæc ſigna hæreticis vita functis exhibentur propter cauſas civiles, ut nobilitatis, bellicæ virtutis, affinitatis &c.

Reſp. Si propter has cauſas honorare licet hæreticos jam mortuos, & damnatos, cur propter ſimiles cauſas puta excellentis naturæ, intellectus perſpicaciſſimi &c. honorare non licet dæmones? Hæretici viventes juxta Ap. vitandi quidem ſunt propter periculum, amari tamen debent, quia beatitudinis capaces ſunt, & propter civiles cauſas honorari etiam poſſunt. At vero cum vita functi ſunt, ſunt incapaces beatitudinis, ſunt implacabiles Dei hoſtes, ideoque nullis amoris, aut honoris ſignis proſequendi ſunt. Quod ſi ſecus facimus, a Dei voluntate, qui eos æterna ignominia, & odio proſequitur, diſcordamus, ab eaque diſcordante peccamus. Huc ſpectat doctrina D. Thom. 2. 2. q. 25. art. 11.

Non licere ſuſcipere in baptiſmo hæreticorum pueros, docent Sanch. Azor. Nav. Ledeſm. Hurt. fatente La Croixio p. 170. n. 75. at ipſe contrariam Laym. & Buſ. opinionem probat, ſed, ut ego ſentio, perperam. Certum enim eſt, impiæ baptiſmi adminiſtrationi, & profanationi cooperari non licere; quia teſte Ap. *digni ſunt morte non ſolum qui hæc faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus.* At ſuſceptores, dum hæreticorum pueros impio miniſtro baptizandos offerunt, ejus impiæ baptiſmi adminiſtrationi cooperantur: ergo peccant. Præterea cum Ap. ad Tim. ſupracit. hæreticorum conſortium vitandum præcipiat propter periculum perverſionis, hi ſuſceptores non ſolum illud non vitant, ſed affinitatem, & familiaritatem cum iis ineunt, unde periculum multorum criminum, fideique amittendæ evidentius, & majus eſt. Itaque ait Ap. 2. ad Cor. 6. *Nolite jugum ducere cum infidelibus.*

At inquit Buſ. *Patrinum fieri talis infantis, videtur potius optandum, ſecluſis aliis, quia non eſt aliud, quam obligare ſe ad eum aliquando erudiendum in fide catholica.* Reſp. Buſ. ait, *ſecluſis aliis*: at cooperatio impiæ baptiſmi adminiſtrationi a ſuſceptoris officio ſecludi non poteſt, nec periculum a familiaritate cum hæretica familia ex Ap. doctrina: Ergo, ut ait idem Ap. 2. ad Cor. 6. *quæ pars fideli cum infideli?* &c. *Propter quod exite de medio eorum, & ſeparamini, dicit Dominus, & immundum ne tetigeritis.* Legatur cap. 6. Ap. cit. a. v. 14. uſque ad finem, unde intelligitur, Buſ. & La-Croixii doctrinam in lubrico verſari, & ſacris oraculis adverſari.

P. Zach. hic ita loquitur. „ Ait cap. 111. Buſ. n. 11. p. cxv
in Germania audire conciones hæreticorum, deducere funus, aſſiſtere baptiſmo pro Patrino, non habentur ſigna profeſſiva fidei, vel communionis cum hæreticorum ſacris. „ Multa tu contra, ut oſtendas, hæc eſſe ſigna „ communionis cum hæreticorum ſacris: ergo quibus „ videntur ſigna hujuſmodi, iis non licent. At quæ„ ſtio facti eſt, num in Germania hæc habeantur ſi„ gna communionis cum hæreticorum ſacris? Id nega„ re debueras “ (dicito ſaltem affirmare) „ ſi quid„ quam ſolidi contra Buſ. adferre volebas. “

Reſp. quæſtio ſane facti eſt, ſi verborum cortici inhæreas; at, dum Buſ. ait, *non habentur ſigna profeſſiva* &c., tacite innuere videtur, hæc licere, aut callide loquitur, ut, quidquid contra dicatur, ſe tueri poſſit, & quoad mores perinde eſt, ac ſi taceat. Quare operæ pretium duxi, de jure, quod Theologi proprium eſt, diſſerere; & ea non licere, non ſolum quia ſunt communio cum hæreticorum ſacris, quidquid tu hic dicas, ſed aliis etiam rationibus evincere.

At, dum concludis: „ ergo quibus videntur ſigna hu„ juſmodi, iis non licent, “ vere quidem loqueris. Sed quorſum hæc? Aut fruſtra loqueris, aut corruptum aliquid tacite indicas. Sed perge.

Zach. „ At dum ad juris quæſtionem nos revocas, „ nihil agis. Et vero incredibile dictu eſt, ſi in Germa„ nia hæc haberentur ſigna communionis cum hæreti„ corum ſacris, videntibus Epiſcopis, atque apoſtolicæ „ Sedis Nunciis, atque ſinentibus, ea paſſim uſurpari. “

Reſp. quaſi vero ſacri Præſides omnia peccata impedire poſſint, aut nullum malum in ægro corpore tolerandum ſit, aut eorum taciturnitas ſit prædictorum approbatio, ſicuti corruptarum opinionum Pontificum ſilentium, earum approbatio dicitur. Sed cur hic factum cum jure miſces? De hoc tandem aliquid dicito.

Zach. „ Sed ne juris quidem quæſtionem ſi ſpectemus, rem efficies: (id iterum mox audivi) nam „ non negavero, perfectius, & catholicæ fidei glorio„ ſius futurum, ſi res hujuſmodi prohiberentur. At „ ejuſ-

,, ejuſmodi conſuetudinem plane illicitam eſſe, nun-
,, quam evinceris. (Non evincam, quia iam avici)
,, Nam quæ ex Apoſtolo, aliiſque contra communica-
,, tionem cum hæreticis exaggeras, vim non habent,
,, Etenim poſt extravagantem Concilii Conſtantienſis *Ad*
,, *evitanda* communicationem cum hæreticis, aliiſque
,, excommunicatis nominatim non denuntiatis neque in
,, ſactis, neque politicis rebus interdictam Fidelibus eſ-
,, ſe, notum eſt; dummodo communicatio non ſit in
,, exercitio hæretico, ut communicans cenſeatur face-
,, re contra externam veræ, & orthodoxæ fidei profeſ-
,, ſionem. Confer Bened. XIV. de Syn. diœc. lib. VI.
,, c. 5. n. 2. poſtremæ Rom. ed. p. 256.

Reſp. an Apoſtolus ante Conſtantienſem Synodum vim habuit, poſt non habuit?

Præterea, cur, mi Zach., primam tantum, & poſtremam meam rationem attingis, reliquas ſilentio præteris? Præclara ſane impugnandi ratio!

Sed conſulamus Bened. XIV. ad quem me mittis, & ab eo, utrum mea ratio, quam hic petis, vi polleat, diſcamus. Ille loco a te citato hæc habet ſcitu digniſſima. *Et nihilominus ea eſt miſera noſtrorum temporum conditio, ut multis in Provinciis, in quibus hæreſes dominantur, aut graſſantur impune, duram Catholici ſubeant neceſſitatem cum hæreticis converſandi, & familiariter agendi. Quamvis autem per Canonem Concilii Conſtantienſis a Martino V. approbatum, qui incipit Ad evitanda, quique in ſuo ſemper vigore permanſit, non obſtantibus contrariis ſubſequentibus conſtitutionibus Conciliorum Baſileenſis, & Lateranenſis, nonnihil relaxata fuerit diſciplina in eo, quod pertinet ad converſandum, atque etiam in divinis communicandum cum hæreticis, qui tolerantur, & expreſſe denuntiati non ſunt tanquam vitandi, ut fuſe probat Cabaſſut. in theoria, & praxi juris can. lib. 5. cap. 11. n. 3. & ſeq. non idcirco tamen arbitrari debent Catholici, fas ſibi eſſe, indiſtincte cum hæreticis, quamvis non denuntiatis* IN REBUS SACRIS ET DIVINIS COMMUNICARE. *Siquidem Paulus V. poſt maturam rei diſcuſſionem neutiquam licere definivit Catholicis Regni Angliæ, hæreticorum templa adire, ritibuſque intereſſe, quos inibi exercent, uti legere eſt in duobus decretis ab eodem Pontifice editis, uno ſcilicet anni 1606. altero anni 1607. quæ referuntur a Cardinali Lauræa in 3. ſent. part. 2. diſp. 11. art. 9. §. 4. num. 292. Haud equidem ignoramus, non deeſſe Theologos, ab omni culpa abſolventes catholicos, qui cum hæreticis, & ſchiſmaticis nominatim non denuntiatis communicant in divinis, atque etiam ſacramenta ab iiſdem recipiunt, dummodo hæ ſimul concurrant rerum circumſtantiæ: primo ſcilicet, ut ad* PRÆDICTAM COMMUNICATIONEM CATHOLICOS ADIGAT GRAVISSIMA, ET URGENTISSIMA CAUSA. *Secundo ut hæretici, aut ſchiſmatici, a quibus ſacramenta expoſcunt, ſint valide ordinati, ut ſacra adminiſtrent* RITU CATHOLICO, *abſque ulla admixtione ritus damnati. Tertio, ut communicatio cum iiſdem in divinis, non ſit externa proteſtatio falſi dogmatis, qualis erat ingreſſus in proteſtantium Eccleſias, cum Catholicis Angliæ illum inhibuit Paulus V. ideo quippe Regis edicto omnes adire juſſerant hæreticorum templa, ut tali pacto ſe cum proteſtantibus ſentire faterentur. Quarto demum, ut catholicorum cum hæreticis communicatio in divinis, nulli ſcandalum ingerat.*

Verum in primis prædicta Theologorum ſententia ſuos habet adverſarios, neque ab omnibus admittitur tanquam in praxi ſecura. Deinde ea etiam admiſſa, cum omnes enumeratæ circumſtantiæ ſimul & conjunctim adeſſe debeant, ut Catholicorum cum heterodoxis in rebus ſacris ſocietas omni culpa vacet, quemadmodum docent Sylvius in 3. p. S. Th. t. 4. q. 64. a. 6. quæſit. 2. concl. 3. Cardinalis de Lugo de fide &c. Thomas a Jeſu tract. &c. Cardinalis Albitius de inconſtantia, & Cardinalis Gottus in 2. 2. S. Thomas &c.; idcirco fere impoſſibile eſt uſuvenire, ut a flagitio excuſari valeant Catholici ſeſe in rebus ſacris cum hæreticis, vel ſchiſmaticis admiſcentes. Quamobrem ſacræ Urbis Congregationes, Sancti Officii videlicet, & de propaganda Fide, illicitam ſemper reputarunt COMMUNICATIONEM, *de qua ſermo eſt, doctamque concinnarunt inſtructionem, nobis in minoribus tunc degentibus qualemcumque operam noſtram navantibus, ad Miſſionarios, cum opus fuerit, tranſmittendam, ubi rationes expenduntur, propter quas* VIX UNQUAM ACCIDERE POTEST, UT IN PRAXI SIT INNOXIA CATHOLICORUM CUM HÆRETICIS COMMUNICATIO IN DIVINIS. Haſtenus Sapientiſſimus Bened. XIV.

Nunc, mi Zach., ad te venio; illudque omitto, te hoc unum poſtulare, ne Catholicorum cum hæreticis communicatio in ſacris interdicta ſit, ut ſcilicet *communicatio non ſit in exercitio hæretico, ut communicans cenſeatur facere contra externam veræ*, & *orthodoxæ fidei profeſſionem*; quæ eſt tertia conditio a Theologis eam permittentibus requiſita. At quid de tribus reliquis ais? Siles. Sed hoc inquam omitto. Illud a te quæro, utrum conciones, funerum celebratio, baptiſmi adminiſtratio ſint Hæreticorum res ſacræ, ſeu divinæ? Quæro præterea, utrum concionum auditio, funerum proſecutio, infantis in baptiſmo ſuſceptio, ſit communicatio in concionibus, funerum celebratione, baptiſmi adminiſtratione? Neutrum certe negare potes. Ergo hæreticarum concionum auditio, hæretici funeris proſecutio, infantis in baptiſmo ab hæretico adminiſtrato ſuſceptio, ſunt communicationes cum Hæreticis in ſacris ſeu divinis. Repete nunc verba Sapientiſſimi Pontificis XIV. *Fere impoſſibile eſt uſuvenire, ut a flagitio excuſari valeant Catholici, ſeſe in rebus ſacris cum Hæreticis, vel Schiſmaticis admiſcentes. Sacræ Urbis Congregationes, illicitam ſemper reputarunt communicationem, de qua ſermo eſt. Vix unquam accidere poteſt, ut in praxi ſit innoxia Catholicorum cum Hæreticis communicatio in divinis.*

Et Bened. XIV., quaſi mihi contrarius ſit, appellare audes, cum mihi apertiſſime faveat? Ad reliqua tranſeamus. At tu meas argumentationes, ut ſupra indicavi, contra hæreticarum concionum auditionem, hæreticique funeris proſecutionem alto ſilentio premis, ut eas inſtitutum efficere ſilendo fatearis.

Aliquid muſſitas contrarium iis, quæ contra hæreticorum puerorum ſuſceptores ſcripſi; quæ tua muſſitio ex Bened XIV. hic fuit penitus labefactata. Nihilominus audiam, quæ objicis.

,, Specioſa, inquis, hæc ſunt, (quæ ſcilicet in anim-
,, adverſione, hac de re dixi) non ſolida; nam nego,
,, Patrinum catholicum ſuſcipiendo ex ſacro fonte ba-
,, ptizatum a miniſtro hæretico, impiæ baptiſmi pro-
,, fanationi cooperari. Id enim unum Catholicus ſuſ-
,, ceptor præſtat, quod puerum per miniſterium præ-
,, dicantis Hæretici Eccleſiæ Catholicæ filium effe-
,, ctum, quaſi nomine ejus, in ſuam curam, protectio-
,, nemque ſuſcipiat.

Reſp. Ne longus ſim, illud tuum, *id enim unum* pernego, quod nec oſtendis, nec oſtendere unquam poteris. Nonne adminiſtratio baptiſmi ab Hæretico, impia baptiſmi profanatio eſt? niſi forte Hæreticus, graviſſimo hæreſis crimine pollutus, baptiſmum adminiſtrans, illum impie quantum in ſe eſt, non polluat, nec graviſſime peccet. Nonne Patrinus, dum puerum Hæretico baptizanti offert, eique prout occaſio fert, præſto eſt, tum factis, tum dictis, baptiſmo ab eo adminiſtrato cooperatur? ergo Patrinus impiæ baptiſmi profanationi cooperatur.

At pergis: ,, quod altero loco objiciebas de ſpi-
,, ritali cognatione, dudum a Laym. lib. 5. tract. 2.
,, cap. 8. (adde *occupatum*, aut quid ſimile) ſpiri-
,, tualis ſcilicet cognatio cum Hæreticis ſecundum Ec-
,, cleſiæ inſtitutionem ex baptiſmo ſequitur, non qua-
,, tenus mala, ſed quatenus recte, & valide a prædi-
,, cante adminiſtratur. "

Reſp. Illud *recte* deleatur, quia impie adminiſtratur. Sed quorſum hæc, mi Zach.? An meam animadverſionem, quam non legeris, impugnas? Ego ita ſcripſi: *hi ſuſceptores non ſolum illud* (perſuaſionis periculum) *non vitant, ſed affinitatem, & familiaritatem cum iis* (hæreticis) *ineunt, unde periculum multorum criminum, fideique amittendæ evidentius, & majus eſt. Itaque ait Ap. 2. ad Cor. 6.* Nolite jugum ducere cum infidelibus.

Inſtas: ,, quod ſi talis cognatio abeſſe deberet, quo-
,, minus (lege *ut*) Catholicus ſuſcipere licite poſſet
,, baptizatum ab Hæretico, ne liceret quidem Catho-
,, lico aut baptizare, vel baptiſmata ſuſcipere filium
,, hominis hæretici a Catholico baptizatum. Tunc
,, enim etiam cum Hæreticis ejus parentibus cognatio
,, contrahitur. "

Reſp. Inter hanc ſpeciem, & eam, de qua ſermo eſt, latum diſcrimen intercedit; quia Catholicus in hac ſpecie non communicat cum Hæreticis in divinis, nec impiæ baptiſmi adminiſtrationi cooperatur, ſicut fit in priori. Cæterum affinitas cum Hæreticis declinanda eſt, ut patet ex Apoſtoli textibus in animadverſione reſtitutis; quæ tamen ſi propter ſpiritualem hæretici pueri neceſſitatem ineatur, eorum ſaltem familiaritas fugienda erit.

Animadversio VIII.

P. quoque Concina Theol. t. 1. p. 262. n. 21. concedit, Catholicis licere infidelium templa ingredi, dum impiæ ſuperſtitionis officia in iis peraguntur, ſi quatuor conditiones adſint. Prima eſt, ne in ritibus, & cæremoniis ſuperſtitioſis ullo modo communicent: altera, ne ſubverſionis periculum adſit: tertia, ne ingreſſus Catholicis offendiculo ſit; quarta demum, ne ſit frequens, quia frequentia indicium eſt profeſſionis falſæ religionis, & a defectionis periculo vix immunis eſſe poteſt: quam ſententiam communem eſſe, ait. Sed ſanius conſilium eſt, Apoſtoli Pauli doctrinæ mox recitatæ ad amuſſim adhærere.

C A-

Digitized by Google

CAPUT IV.

De Infidelitate, & vitiis Fidei oppoſitis.

DUBIUM I.

Quid, & quotuplex ſit infidelitas?

RESp. I. Infidelitas generatim eſt triplex. *Prima* dicitur negativa, eorum ſcilicet, qui nihil unquam de fide audierunt. Quæ non tam eſt peccatum, quam pœna peccati: quia, ſi feciſſent quod in ipſis erat, Deus fidem eis non abſcondiſſet. *Secunda* dicitur contraria, eorum ſcilicet, qui fidem ſibi ſufficienter propoſitam vel contemnunt, vel ei contradicunt pertinaciter, ut hæretici. *Tertia* dicitur privativa, quod privative opponatur fidei, & eſt culpabilis ignorantia, vel error circa res fidei. Th. Sanch. Vaſq. Laym. *c.* 10.

Reſp. 2. Infidelitas contraria, ex triplici modo repugnandi fidei, eſt triplex, ſcilicet Paganiſmus, qui fidei nondum ſuſceptæ, Judaiſmus, qui fidei ſuſceptæ in typo, & Hæreſis, quæ fidei ſuſceptæ veritati repugnat. Apoſtaſia a fide revocatur ad Hæreſim, a qua tantum differt, quod Hæreſis ſit error fidei ex parte tantum contrarius, Apoſtaſia vero ex toto. S. Th. Laym. *l. c.*

DUBIUM II.

De Judaiſmo.

Quæritur hic tantum, quæ communicatio cum Judæis ſit interdicta Chriſtianis?

Reſp. 1. His caſibus, qui colliguntur ex *c. Nullus, c. Omnes, c. Judæi*. 1. Non licet cohabitare. 2. Nec conviviis intereſſe. 3. Nec uti communi balneo. 4. Nec medicos adhibere. 5. Nec medicinas ab iis datas recipere, emere tamen licebit præſcriptas. 6. Nec Judæorum filios enutrire in ipſorum domibus. 7. Iis non famulari. 8. Nec ſervituti ſubjici. 9. Prohibentur publicis officiis inter Chriſtianos fungi. 10. Vetitum eſt eorum azymis veſci. Quibus addit Azor. prohibitum eſſe, accedere ad eorum nuptias, feſta, Synagogas, cum iis ludere, ſaltare &c. Ratio horum eſt, tum ut conſervetur dignitas chriſtianæ religionis, tum ut caveatur familiaritas cum Judæis, & periculum perverſionis. V. Lam. *l.* 2. *t.* 1. *c.* 12. & 17. Sanch. *l.* 2. *c.* 3. Fill. *t.* 22. *c.* 5. *n.* 128.

Reſp. 2. In decem dictis caſibus communicare cum Judæis ex genere ſuo videtur eſſe mortale. Ratio, quia ſi Clericus id faciat, incurrit periculum depoſitionis; Laicus vero excommunicationis (*c. Conſtituit* 17. *q.* 2.) quæ nonniſi ob peccatum mortale imponi ſolet. Dixi *ex genere ſuo*; quia probabile eſt, vel ob materiæ parvitatem, vel ob neceſſitatem, aliamve cauſam rationabilem (ſi tamen non ſit periculum perfidiæ, nec familiaritatis cum Judæis) ſæpe excuſari a mortali, aliquando etiam ab omni peccato. Ita communiter. V. Auct. *ſupra cit.* & Bonac. *l. c.* item Laym. *l.* 4. *t.* 1. *cap.* 17.

DUBIUM III.

Quid ſit Hæreſis?

Reſp. Hæreſis eſt error intellectus liber, & pertinax contra fidem, in eo qui fidem ſuſcepit. Ita commun. Suar. Becan. *c.* 14. *q.* 2. Unde patet, ad Hæreſim, ut & Apoſtaſiam, duo requiri. 1. Judicium erroneum, quod eſt ejus quaſi materiale. 2. Pertinaciam, quæ eſt quaſi formale. Porro pertinaciter errare non eſt hic acriter, & modicus ſuum errorem tenere, aut tueri; ſed eſt eum retinere, poſtquam contrarium eſt ſufficienter propoſitum: ſive quando ſcit contrarium teneri a reliqua univerſali Chriſti in terris Eccleſia, cui ſuum judicium præferat: ſive id fiat ex vana gloria, ſive libidine contradicendi, aliave cauſa. Ita Sanch Vaſq. Laym. *l.* 2. *t.* 1. *c.* 13. & alii commun. Ratio eſt quia tunc putat, judicium Eccleſiæ non eſſe ſufficiens fundamentum credendi, quæ eſt vera pertinacia; quam cum Koninck facilius ſic explicant alii, eam tunc eſſe, cum, etſi objectum fidei credibiliter proponatur, ita ut prudenter de eo non poſſit dubitare, contrarium tamen judicet, à quo nolit avelli ullo caſu, vel ſaltem niſi evidenter convictus. Vide Con. *d.* 18.

Unde reſolves.

1. Non eſt hæreticus, qui externe tantum fidem negat, aut adorat idolum. Ratio eſt, quia non errat. Neque talis incurrit in foro conſcientiæ cenſuras latas contra hæreticos, etſi in foro externo ſecundum externa procedatur. Fill. *t.* 22. *c.* 6. *q.* 4.

2. Eſt hæreticus, qui affirmative de aliquo articulo fidei dubitat, hoc eſt, judicat eſſe dubium. *Dixi affirmative: quia negative tantum dubius, hoc* ANIMAD. I.
eſt ſuſpendens judicium, per ſe, & ſimpliciter non eſt hæreticus, quia non habet judicium; ergo nec erroneum: *modo tamen non ideo ſuſpendat, quod virtualiter judicet, non liquere de certitudine objecti.* Sa, Azor. *l.* 8. *c.* 9. *qu.* 5. Tol. contra Sanch. & Mald.

3. Nemo eſt hæreticus, quamdiu eſt paratus judicium ſuum Eccleſiæ ſubmittere, aut neſcit contrarium tenere veram Chriſti Eccleſiam: eſto ex ignorantia etiam culpabili, & craſſa ſententiam ſuam mordicus tueatur. Laym. *l. c. n.* 2.

4. Nec eſt hæreticus, qui ita diſpoſitus eſt, ſaltem habitualiter, ut a ſuo errore eſſet diſceſſurus, ſi ſciret eſſe contrarium fidei, dummodo pertinaciam actualem numquam habuerit. *Ibid.* & Kon. *loc. cit.*

5. *Ruſtici, aliique homines ſimpliciores in Germa-* ANIMAD. II.
nia, qui hæretici habentur, & tamen pertinaces non ſunt, poſſunt abſolvi a ſuis Parochis. Ratio eſt, quia non ſunt hæretici formales: habentque Fidem Catholicam in Baptiſmo acceptam, quæ non perditur, niſi errando pertinaciter. Laym. *l. c.*

6. Cum hæreſis, & quævis infidelitas mortalis ſit, peccant quoque mortaliter, qui ejus periculo ſe exponunt, ſive converſando, ſive conciones audiendo, ſive libros legendo; quæ proinde, ſi cui periculoſa ſint, illicita ſunt jure naturæ: ſi vero periculum abſit, lectio librorum hæreticorum nihilominus illicita eſt jure poſitivo Eccleſiæ, *ut etiam formalis* ANIMAD. III.
diſputatio Laici de fide. Quod poſterius tamen in Germania, locisque ſimilibus, ubi Catholici hæreticis ſunt permixti, abrogavit conſuetudo. Azor. Fill. Bec. Sanch. Bon. *d.* 3. *q.* 2. *p.* 5.

7. *Matrimonium contrahere cum hæretica, etſi per ſe* ANIMAD. IV.
ſit illicitum, habeaturque in Hiſpania, & Italia mortale, probabile tamen eſt, ob gravium Doctorum auctoritatem (Sanch. *de matr. t.* 2. *l.* 7. *d.* 71. *n.* 5. Azor. *t.* 1. *l.* 8. *d.* 3. Reg. *t.* 2. *l.* 32. *n.* 169. Baſilii Pontii *de matr. c.* 6. V. C. de Lugo *de Sacram. in gen. diſp.* 8. *ſect.* 14. *n.* 120.) *in Germania licere, ex gravi cauſa, ſalvo tamen jure naturali, & remoto periculo tum contrahentis, tum prolis; unde de iis initio conſtitui debet, ut catholice educentur.* V. Bec. *l.* 5. *c.* 19. Dian. *p.* 3. *t.* 4. *R.* 269.

8. *Eum, qui lapſus eſt in hæreſim, non teneri in* ANIMAD. V.
confeſſione explicare, qualis illa ſit, eo quod omnes ejuſdem ſpeciei ſint, docent Reg. Dian. *t.* 1. *tr. de circumſt. R.* 36. *citans alios*, & Eſcob. *Ex.* 2. *c.* 9.

Alii tamen contrarium tenent, quos ſequitur C. de Lugo *de pæn. d.* 16. *n.* 288. & *n.* 291.

ANIMADVERSIO I.

SErmo hic eſt non de eo, qui ex inſcitia negative dubitat, ſeu judicium ſuſpendit, ſed de eo, qui pertinaciter dubitat, hoc eſt ſciens, talem articulum ad fidem pertinere. Hunc negativum dubitatorem, qui ſcilicet hæreat ſuſpenſus, & nec aſſentiat, nec diſſentiat, non eſſe vere, & proprie hæreticum, cum Buſembao affirmat quoque Concina Theol. t. 1. p. 192. num. 10. & Canus de locis p. 378. lib. 12. c. 8. Ego putem, doctiſſimos hoſce Theologos dialecticæ ſubtilitati, quam Buſembaum attingit, hac in re nimis detuliſſe. Ita enim ratiocinantur. Hæreſis fidei contraria eſt: dubitatio etiam pertinax de fidei articulo, non eſt fidei contraria; oppoſitio enim contraria ab oppoſitione priva-

tiva

tiva diverſa, ex utraque oppoſitorum parte formam & ſpeciem habet; dubitatio autem negativa nec formam, nec ſpeciem habet: ergo dubitatio negativa etiam pertinax, fidei contraria non eſt, ideoque non eſt hæreſis".

Reſp. Hæreſim recte definiri puto *ejus, qui fidem profeſſus fuerit, pertinacem errorem, illi veritati manifeſte contrarium, quæ catholica certo ſit*, ut habet Canus de locis lib. 12. in fine cap. 7. At cum hic moralia, non metaphyſica tractemus, illud *contrarium, & errorem* non ſubtili Dialecticorum, ſed communi hominum latine loquentium ſenſu accipiendum mihi videtur. Porro dubitatio negativa pertinax de fidei articulo, hoc ſenſu error eſt fidei contrarius. Eſt error; nec enim ſolum erramus, cum affirmando, aut negando falſum enuntiamus, ſed etiam cum de rebus certiſſimis dubitamus. Hujuſmodi dubitatio, mentis vitium certe eſt, quod alio nomine, niſi erroris appellare non poſſumus. Hinc D. Auguſt. in Enchyr. cap. 17. & 19. ait: *Errare eſt verum putare quod falſum eſt, falſumque quod verum eſt, vel certum habere pro incerto, incertum vero pro certo.* Reſpondet Canus, eum, qui certum pro incerto habet, tunc demum errare, ſi aut affirmet eſſe incertum, aut neget eſſe incertum. Verum quoad mores perinde eſt, ſi animo fluctues, & ſuſpenſus hæreas, nihil affirmando, nihilque negando. Quamquam ipſa animi ſuſpenſio, & fluctoatio in re certa, quæ aſſenſum poſtulat, vere error eſt animi non aſſentientis; niſi forte Acatalepticos nihil unquam vel de rebus certiſſimis affirmantes, aut negantes ab errore vindices; quos ego non ſolum erraſſe, ſed inſaniſſe contendo. Neque vero, ut vult Canus, ſimilis ratio eſt animi in re certa ancipitis, & ſuſpenſi, ac ejus, qui ſcopum non attingit, quia ſagittam non jecit. Hic enim nihil agit: at ſuſpenſio animi aliquid eſt, ejuſdem animi affectio eſt, imperfecta quidem, at vera, & poſitiva affectio, non pura privatio. Hæc porro affectio erronea in certo fidei articulo, eidem fidei aperte contraria eſt. *Fides* enim ex Ap. ad Heb. 11. *eſt ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum*, hoc eſt firma perſuaſio, *non apparentium*, hoc eſt veritatum, quæ lumini rationis non apparent. At dubitatio non eſt firma perſuaſio: ergo non eſt fides, ſed fidei adverſa, ſeu contraria. Hinc idem Ap. 2. ad Cor. 10. *Et in captivitatem redigentes omnem intellectum in obſequium fidei*. Qui pertinaciter animo fluctuat in fidei articulo, certe non redigit in captivitatem intellectum ſuum in obſequium fidei: ergo fidei inimicus eſt; ergo hæreticus; niſi fidei, quam quis profeſſus eſt, inimicum, & hæreticum eſſe nolis. Hæreticus eſt, inquit Canus, imperfecte, & inchoate, non conſummate, & abſolute. At quæſo, quænam minor culpa eſt, ejus ne, qui fidei articulum incertum eſſe ait, an illius, qui id quidem non affirmat, at animo hæret, & pendulus eſt? Ego utrumque æque reum facio, æque fidei adverſarium facio. Primus abſolute, & conſummate fatente Cano hæreticus eſt: ergo etiam alter. Videlicet illa animi ajentis, fidei articulum eſſe incertum, & illa in eodem fluctuantis affectio metaphyſice alia, & alia eſt, quoad mores prorſus eadem. Hinc in Symbolo S. Athanaſii: *Hæc eſt fides catholica, quam niſi quiſque fideliter, firmiterque crediderit, ſalvus eſſe non poterit*, & D. Th. 2. 2. qu. 10. art. 7. ait: *Si enim diſputat tamquam de fide dubitans, & veritatem fidei pro certa non ſupponens*, (negative dubitans veritatem fidei pro certo non ſupponit) *ſed argumentis experiri intendens, procul dubio peccat, tamquam dubius in fide, & infidelis*: & Stephanus Papa c. 7. de hæreticis Dec. lib. 5. ait: *Dubius in fide, infidelis eſt*. *Merito igitur*, ait Canus c. 8. cit., qui licet ſubtili ratiocinandi modo ab aliis diſſideat, concluſione tamen cum iis demum conſentit, *eccleſiaſtici Judices, & Theologorum, & Juriſperitorum auctoritate confirmati, eos omnes hæreſeos nomine condemnant, qui de dogmate catholico pertinaciter dubitarint.*

At, inquit Buſemb. negative dubitans, ſeu ſuſpendens judicium ſine ulla affirmatione, aut negatione non eſt hæreticus: *quia non habet judicium; ergo nec erroneum; modo tamen non ideo ſuſpendat, quod virtualiter judicet, non liquere de certitudine objecti.*

Reſp. Ex mox dictis, hoc eſt ex D. Auguſtino, ex oraculis D. Pauli, ex S. Thoma, Stephano Papa, Symbolo catholico S. Athanaſii liquidum eſt, non requiri judicium, ut quis ſit hæreticus, ſed ſatis eſſe animi fluctuationem pertinacem de articulo fidei; quæ certe falſiſſima, & erronea eſt. Porro quicumque judicium ſuſpendit, virtualiter judicat non liquere de certitudine objecti; quia ipſa judicii ſuſpenſio, ſi terminos intelligimus, eſt virtuale judicium de objecti incertitudine. Itaque Confeſſarii, hujuſmodi fluctuantes dubitatores pertinaces de aliquo articulo fidei pro hæreticis habere ſine ulla dubitatione debent; nec eos, ſi ſuam dubitationem exterius prodiderint, abſolvere poſſunt, niſi facultatem abſolvendi hæreticos habeant.

Animadversio II.

Sine pertinacia neminem eſſe hæreticum, ex hæreſis definitione mox allata, & communi Theologorum calculo comprobata compertum eſt. At ruſticos, aliosque ſimpliciores Germanos non eſſe in ſuis erroribus catholicæ fidei repugnantibus pertinaces, ſcire velim qua ratione id affirmetur. Buſemb. enim hac de re nihil habet. Pertinacem appello, qui errorem ſuum catholicæ fidei contrarium novit, & nihilominus illum retinet, ut ipſe Buſemb. in Reſp. h. dub. explicuit. *Sed qui videt*, inquit Canus lib. 12. de locis c. 8., *ſuam opinionem adverſam eſſe catholicæ fidei, & adhuc in ea permanet, hic non eſt paratus ab Eccleſia corrigi, cujus videlicet auctoritatem rejicit, & contemnit: verum igitur crimen hæreſeos admittit*: & D. Auguſt. ab eodem citatus ait: *conſtituamus, aliquem id ſentire de Chriſto, quod Photinus opinatus eſt, exiſtimantem, ipſam eſſe catholicam fidem; iſtum nondum hæreticum dico, niſi manifeſtata ſibi doctrina catholicæ fidei, reſiſtere maluerit, & illud quod tenebat, elegerit*. Ruſtici, aliique ſimpliciores Germani norunt ne, ſuos errores catholicæ fidei eſſe repugnantes? Manifeſtata ſibi catholicæ fidei doctrina reſiſtere ne malunt, & quod tenebant, eligunt? Si tales ſunt, hæretici formales & Germani ſunt. Si eorum aliqui non ſunt hujuſmodi, eos non eſſe hæreticos, ſponte confiteor cum D. Auguſtino. Nec enim Theologi eſt de facto, ſed de jure dicere.

La-Croix p. 172. n. 94. hac de re ita loquitur. „ Probabilius videtur, quod etiam in Germania ſint hæretici tantum materiales: inveniuntur enim aliqui ita ſimplices, vel præventi doctrina ſuorum miniſtrorum, ut firmiter exiſtiment, ſe non debere dubitare de fide ſua; ſimulque ita ſincere procedunt cum Deo in conſcientia ſua, ut ſi ſcirent, fidem ſuam eſſe falſam, ſtatim admitterent noſtram: tales autem non ſunt hæretici formales, ſed materiales tantum: & tales eſſe multos teſtantur Confeſſarii plurimi in Germania, Auctoreſque experientiſſimi, Tann., Terill. Gob, Reinff. &c. "

Reſp. De facto, ut dixi, nulla mihi quæſtio eſt. Sed La-Croixianæ ratiocinationis aſſumptio, ſeu minor neganda prorſus eſt; imo vero quia tales ſunt Germani, quales La-Croixius deſcribit in propoſitione, ſeu majore, ſunt formales hæretici. Si fidei catholicæ articulos repudiarent, ignorantes, eos eſſe fidei catholicæ articulos, & ex Eccleſiæ catholicæ Romanæ auctoritate corrigi forent parati, non eſſent formales hæretici. At deſcripti a La-Croixio, etiamſi noverint, catholicæ Romanæ Eccleſiæ auctoritatem ſibi repugnare, nihilominus vel ex obfirmatiſſima animi obſtinatione, quam La-Croix magnam ſimplicitatem perperam appellat, vel impiis ſuorum miniſtrorum fallaciis decepti, ſuos nihilominus errores tenaciſſime retinent, Eccleſiæque catholicæ Romanæ auctoritatem reſpuunt, & contemnunt; ideoque ſunt veri nominis, ſeu formales hæretici. *Hæreſis*, inquit S. Hieron. (& hab. cauſ. 24. q. 3. c. 27.) *græce ab electione dicitur, quod ſcilicet eam ſibi unuſquiſque eligat diſciplinam, quam putant eſſe meliorem*: tales ſunt hæretici a La-Croixio deſcripti: ergo ſunt formales hæretici, ſeu hæreſis culpæ rei. Pertinax hæreticorum error in eo eſt, ut catholicam Romanam Eccleſiam repudient, quia illam errare ſibi perſuadent, hoc eſt ſibi perſuadere pertinaciter volunt. La-Croixius excuſat Germanos ruſticos, quia exiſtimant ſibi de ſua fide non eſſe dubitandum, quam ſi falſam ſcirent, ſtatim admitterent noſtram. Hæc ſane excuſatio a culpa liberat Turcas, Hebræos, idololatras, Atheos, dum putent ſibi de ſua fide, ſeu infidelitate non eſſe dubitandum: imo infidelitatem quamcumque de medio tollit; quia nemo eam infidelitatem animo complectitur, quam falſam eſſe ſcierit. Sicut enim ad bonum natura proclives, malum ut tale amare non poſſumus; ita ex eadem naturæ vi ad verum proni, falſum ut tale, hoc eſt nobis notum, probare nequimus. Putat ſcilicet La-Croixius peccatum non admitti, niſi ejus malitia advertatur; & quia Germani ab eo deſcripti ſuæ hæreſis malitiam non advertunt, quia non advertunt, eam eſſe falſam, idcirco ab hæreſis culpa eos liberat. At peccatum non admitti; niſi ejus malitia advertatur, Pelagianus error eſt. In eo ergo Germani, hæreſis culpæ rei ſunt, quia, cum ſuum errorem advertere poſſint, & debeant, illum tamen vel ex incuria, vel ex pravis animi affectibus non advertunt.

P. Zach. mea Buſembaum refutatione omiſſa, verba p. cxv.
La-Croixii a me recitata, ejuſque impugnationem exſcribit uſque ad illam meam periodum, *Pertinax Hæreticorum error in eo eſt, ut catholicam Romanam Eccleſiam repudient, quia illam errare ſibi perſuadent, hoc eſt ſibi perſuadere, pertinaciter volunt*; tum ſubdit. „ Hactenus tu miſcens quadrata rotundis. Igitur nego tuam illam majorem: " *Si fidei catholicæ articulos repudiarent*,

Digitized by Google

rent, ignorantes, eos eſſe fidei Catholicæ articulos, & ex Eccleſiæ Catholicæ Romanæ auctoritate corrigi forent parati, non eſſent formales Hæretici. „ Ut quis a formalis hæreſeos crimine liberetur, non hoc determinata ignorare debet, ſed aut articulos, quos repudiat, eſſe fidei Catholicæ articulos, aut articulos, quos Romana Eccleſia proponit, eſſe unice veros. Alterutrum ignoret quis ignorantia invincibili, is Hæreticus formalis non erit, etſi formalem Hæreticum ſtentorea voce illum millies appelles. Nam alterutrum ſi ex invincibili ignorantia eum lateat, pertinax nunquam erit. "

Reſp. An, mi Zach., Hæreticos defendere, eoſque in ſua hæreſi fovere nunquam deſines? Meam majorem, quam tu negas, in hac eadem animadverſione, dum Buſembaum refutarem, luculenter oſtendi.

Si eam æquo jure negare volebas, ejus confirmationem refutare neceſſe erat. At tu id præſtare non potuiſti, idcoque ſubdola eam reticuiſti. Ergo mea propoſitio firma ſubſiſtit; & corruit jam præoccupata, & refutata illa tua propoſitio, „ ut quis a formalis hæreſeos crimine liberetur, non hoc determinate ignorare debet, ſed aut articulos &c. " Dum ſubdis, „ alterutrum ignoret quis ignorantia invincibili, is Hæreticus formalis non erit: " Nego ſuppoſitum, hoc eſt nego, ignorantiam invincibilem in eo eſſe poſſe, qui articulos, quos Romana Eccleſia proponit, veros eſſe inficiatur. Hoc tu ponis, nec probas, nec probare unquam poteris, etiamſi, ut tua phraſi utar, Melchiſedechi annos attigeris. Contrarium ego evici in hac eadem animadverſione, quam attentius legere debueras, ne voces inaniter effunderes. Qui Romanæ Catholicæ Eccleſiæ articulos veros eſſe inficiatur, Romanam Eccleſiam Catholicam non recipit, ſed ſpernit. At Chriſtus Lucæ 10. v. 16. inquit: *qui vos audit, me audit; & qui vos ſpernit, me ſpernit: qui autem me ſpernit, ſpernit eum, qui miſit me.* Hæc eſt ignorantia eorum, qui Romanæ Eccleſiæ articulos repudiant; Eccleſiæ ſcilicet, Chriſti, æterni Patris contemptus ex ipſius Chriſti teſtimonio. Audi D. Auguſtinum tract. 89. in Joannem n. 2. *Reſpondeo*, inquit, *habere illos* (ad quos non venit Chriſtus, nec locutus eſt eis) *excuſationem non de omni peccato ſuo, ſed de hoc peccato, quo in Chriſtum non crediderunt .... Sed non in eo ſunt numero hi, ad quos in diſcipulis venit, & quibus per diſcipulos eſt locutus; quod & nunc facit. Nam per Eccleſiam ſuam venit ad Gentes, & per Eccleſiam ſuam loquitur Gentibus. Ad hoc enim pertinet, quod ait:* Qui vos recipit, me recipit; & qui vos ſpernit, me ſpernit.

Zach. „ In hoc etiam hallucinatis, quod, cum Romana Eccleſia, Catholica ſit, velis eos, qui formales hæretici non ſint, ex Eccleſiæ Catholicæ Romanæ auctoritate corrigi fore paratos. "

Reſp. non ſolum id volo; ſed res certa eſt, a me luculenter evicta.

Zach. „ Dicere debueras ex *Eccleſiæ Catholicæ*. Nam an Romana Eccleſia Catholica ſit, id in controverſiis potiſſimum eſt nos inter, & Heterodoxos, ſeu articulus præcipuus eſt, quem repudiant. "

Reſp. Et quia hunc articulum repudiant, ſunt germani, ſeu ſi vis, formales hæretici. An quiſquam Catholicus hoc negare poteſt? Si id neget, ipſe hæreticus evadit. Porro non cum Hæreticis mihi nunc res eſt, ut Romanam Eccleſiam Catholicam eſſe evincam, ſed cum Catholicis Scriptoribus, qui id fatentur, quodque apud ipſos confirmare eſſet extra rem operam perdere. Itaque addidi *Romanæ*, ut rem determinatem, & quænam ſit Catholica Eccleſia, definirem.

Zach. „ Quare ſi fateris, ignorantem invincibiliter, hos illoſve catholicæ fidei articulos eſſe, non eſſe formalem hæreticum; fruſtra exigis ad liberandum quempiam ab hæreſeos formalis nota, ut ex Eccleſiæ Romanæ auctoritate corrigi paratus ſit; quum ignorare quis poſſit, Romanam Eccleſiam eſſe Eccleſiam Catholicam, ex cujus auctoritate corrigi, paratus eſſe debeat. "

Reſp. Nunc fateor (quoniam ante nullus hac de re ſermo explicitus fuit), invincibiliter ignorantem, hos, illoſve articulos fidei eſſe catholicos, non eſſe formalem Hæreticum. Sed hæc invincibilis ignorantia juxta mea explicata dicta, quæ, tu, mi Zach., præteris, quia refutare nec potuiſti, nec potes, duas explicitas conditiones neceſſario poſtulat. Prima eſt, ut Catholicæ Romanæ fidei doctrina illi manifeſtata non fuerit: altera, ut juxta Catholicæ Romanæ fidei doctrinam corrigi paratus ſit. An nunc vis, me Romanæ fidei, ſeu Eccleſiæ doctrinam a Catholicæ Eccleſiæ doctrina, quæ inſeparabilia ſunt, imo idem ſunt, ſeparare? Si fateris, mi Zach., ut fateri, niſi a Catholica fide deficere vis, cogeris, formalem Hæreticum eſſe, qui a Catholicæ fidei articulis aberrans juxta Catholicæ fidei doctrinam corrigi paratus non ſit; cur non fateris, formalem Hæreticum eſſe, qui a Catholicæ fidei articulis aberrans, juxta Romanæ fidei, ſeu Eccleſiæ auctoritatem corrigi paratus non ſit, cum Catholica fides, ſeu doctrina idem prorſus ſit, niſi Hæretici eſſe volumus, ac Romana fides, ſeu doctrina? Ignorare, inquis, quis poteſt Romanam Eccleſiam, eſſe Eccleſiam Catholicam.

Reſp. Id certe ignorare quis poteſt, imo omnes Hæretici id ignorant. Et quia hoc ignorant, ſeu ſibi perſuadere miſerrime, & pertinaciſſime volunt, Romanam Eccleſiam, hoc eſt Eccleſiam toto Orbe diffuſam Romano Pontifici, ut ſupremo Capiti inhærentem, & ſubditam, non eſſe Catholicam Eccleſiam, *formaliſſimi* Hæretici ſunt. An hac de re homo Catholicus, Religioſus, Theologus dubitare, imo contra diſputare poteſt? Tu tamen, Zach., potes, & audes. Pro mea in te benevolentia illud a te vehementer quæſo, ut te colligas, & corrigas.

Scripſi p. antec. animad. tr. verſus finem columnæ ſecundæ. *La-Croixius excuſat Germanos ruſticos, quia exiſtimant &c. Hæc excuſatio a culpa liberat Turcas, &c. imo infidelitatem quamcumque de medio tollit; quia nemo eam infidelitatem animo complectitur, quam falſam eſſe ſciverit.* Et rationem addidi, *quia* &c., & La-Croixium in pelagianum errorem incidiſſe, oſtendi. *Putat ſcilicet La-Croixius* &c.

P. Zach. omiſſis cæteris, mea dicta deſcribit uſque ad illud, *quam falſam eſſe ſciverit*; doctrinam ſcilicet reſpuit; & rationes, quibus illam confirmo, ſilendo probat. Hæc eſt impugnandi ratio, cui P. Zach. inſiſtit. Sed audiamus, quæ contra meam doctrinam profert.

„ Nihil proficis, mi Franzoja. Ut ab infidelitatis culpa quis excuſetur, duo ſimul La-Croixius requirit, quæ disjungenda nunquam ſunt, & ut *firmiter exiſtimet, ſe non debere dubitare de fide ſua, & ut ita ſincere procedat cum Deo*, (an Atheus quoque cum Deo quem negat, ſincere procedet? hui! Franzoja quam fœneus es!) *in conſcientia ſua, ut ſi ſciret, fidem ſuam eſſe falſam, ſtatim admitteret noſtram.*

Reſp. præclare! At legiſti ne, mi Zach., mea verba? Ego ita ſcripſi. *La Croixius excuſat Germanos ruſticos, quia exiſtimant ſibi de ſua fide non eſſe dubitandum, quam ſi falſam ſcirent, ſtatim admitterent noſtram*; alterum illud La-Croixii, „ & ut ita ſincere procedant &c. " neglexi, & de induſtria omiſi. Itaque aperte calumniaris Franzojam, dum illum fingis memorantem, quod reipſa non memoravit, ut inde anſam capeeres evomendi illud „ hui! Franzoja quam fœneus es! " Non ſolum fœneus, ſed lapideum eſſem, ſi Atheum ſincere cum Deo procedere vel per ſomnium cogitaſſem. Verum, quoniam non vis me ſejungere, quæ reipſa ſejunxi; illius alterius conditionis a La-Croixio requiſitæ, & a te probatæ, *& ut ita ſincere procedat cum Deo in conſcientia ſua, ut &c.* Nego ſuppoſitum. Dum enim cum tuo La-Croixio ita loqueris, ponis, hæreticos poſſe cum Deo ſincere procedere; hanc ego poſitionem ore rotundo, mi Zach. nego. An dum falſo ſuppoſito a te nec probato, nec unquam probandu niteris, & La-Croixianam doctrinam a me refutatam ſolum refers, nec confirmas, eam vindicaſti?

Qui ponunt, hæreticos poſſe cum Deo ſincere procedere, ponunt, hæreticos, ut tales, non eſſe Dei hoſtes; quod eſt horrendum, & ſupra refutatum.

Qui Eccleſiam, Chriſtum, & Deum Patrem ſpernunt, cum Deo ſincere procedere non poſſunt. At hæretici ex Chriſti oraculo Luc. 10. v. 16. ſupra recitato, *qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit: qui autem me ſpernit, ſpernit eum, qui miſit me*, Eccleſiam, Chriſtum, & Deum Patrem ſpernunt: Ergo. Huc ſpectat D. Auguſtin. auctoritas tract. 89. in Joann. n. 2. *Reſpondeo* &c. hic ſupra exſcripta. Huc terribiles Chriſti minæ Luc. 10. n. 10. *In quamcumque autem Civitatem intraveritis, & non ſuſceperint vos, exeuntes in plateas ejus dicite: etiam pulverem, qui adhæſit nobis de Civitate veſtra, extergimus in vos: tamen hoc ſcitote, quia appropinquavit regnum Dei. Dico vobis, quia Sodomis in die illa remiſſius erit, quam illi Civitati. Væ tibi Corozain, væ tibi Bethſaida: &c.* Ergo hæretici quamdiu ſunt hæretici, hoc eſt in ſenſu compoſito, quo ſenſu loquitur La-Croixius, & tu, cum Deo ſincere procedere non poſſunt.

Pergis. „ Si Turcam, ſi Hebræum, ſi idololatram inveneris, in quo hæc duo ſimul conjungantur, cur quæſo ab infidelitate excuſandus non erit?

Reſp. Hæc ſcilicet horrenda ſunt monſtra, non tamen apud tuos opinatores nova, ſed uſitata, & veteroſa, hæreſim pelagianam, & peccatum philoſophicum includentia, Cinenſes, & Malabaricos Idololatriæ cultus renovantia, & centies a me convulſa. Vide Covetum litt. 3. n. 178. item 172. 173. &c.

„ Vi dimoſtrerò poi, Monſig. nella ſeguente lettera „ intor-

Digitized by Google

„ intorno al peccato filoſofico, che gli Atei, e gli Idolatri di buona fede anno incontrata la grazia de (hoc „ eſt tuorum opinatorum)“ .... Nihilominus Zach. ejus cerebri, & ſtomachi eſt, ut non ſolum hæc imbibat & deglutiat, ſed etiam ut aliis publice propinet. Præclara illa tua particula *ſi*, apud tuos facile delenda, & incautos decipere aptiſſima, vix dici poteſt, quam ſit venefica. Mi Zach. *Non plus ſapere*. Lege prop. 4. 20. 21. ab Innoc. damnatas, ac tandem implorato ex animo Dei auxilio reſpice.

Animadverſio III.

Hæc prohibitio habetur in 6. de hæret. c. *Quicumque* 13. *Inhibemus* in hæc verba. *Inhibemus quoque, ne cuiquam laicæ perſonæ liceat publice, vel privatim de fide catholica diſputare. Qui vero fecerit, excommunicationis laqueo innodetur*. Neque vero laicorum nomine illiteratæ perſonæ, ut vult Muratorius cum aliis, ſed laici, prout a Clericis diſtinguuntur, intelligi debent, ut oſtendit Concina contra eundem Theol. t. 2. p. 212. n. 5. & ſeq. quæ eſt communior ſententia. Hac de re lege dicta contra P. Zachariam in animadverſionibus in ejus prodromum. At hanc legem, inquit Bulemb. *in Germania, locisque ſimilibus, ubi catholici hæreticis ſunt permixti, abrogavit conſuetudo*: at conſuetudo, niſi ſit rationabilis, legi non derogat ex cap. ult. de conſuetud. Cum ergo Bulembaum dicat *conſuetudo* ſine addito, nec ullam conſuetudinis rationem afferat, fateri videtur, conſuetudinem, de qua loquitur, ratione deſtitui, ideoque ineptam eſſe ad abrogandam legem. Adde, quod lex, de qua hic ſermo eſt, lata fuerit pro iis catholicis, qui cum infidelibus permixti ſunt. Nam qui ab iis ſeorſim vivunt, nullam habent de fide diſputandi occaſionem: ergo ſi lex dicatur abrogata in iis regionibus, ubi fideles cum infidelibus permiſti vivunt, lex efficitur ſupervacanea. Tandem ratio pontificiæ legis citatæ eſt periculum, & diſpendium fidei, quod imminet tum infideli, qui ex imperitia diſputantis laici magis in ſuo errore confirmatur, quam ab eo removeatur, tum imperito fideli, qui adverſarii cavillationibus facile ſubverti poteſt. Hæc porro ratio ubique locorum, & temporum viget propter hominum infirmitatem, ignorantiam, & pronitatem ad malum. *Si autem*, inquit D. Thom. 1. 2. qu. 97. a. 3. ad 2. *maneat ratio eadem, propter quam prima lex utilis erat, non conſuetudo legem, ſed lex conſuetudinem vincit*: addit tamen S. Doct. *niſi forte propter hoc ſolum inutilis lex videatur, quoniam non eſt poſſibilis ſecundum conſuetudinem patriæ, quæ erat una de conditionibus legis. Difficile enim eſt conſuetudinem multitudinis removere*, quæ fluctuans Angelici doctrina utrum alicubi locum habeat quoad legem, de qua loquimur, prudentum penitus circumſtantiis judicium eſto.

P. Zach. contra ita ſcribit. „ Dixerat Buſ. de lege
p. cxvi. „ quæ laicos diſputare vetat de fide Catholica, eam in „ *Germania locisque ſimilibus, ubi Catholici hæreticis* „ *ſunt permixti, abrogavit conſuetudo*. At, inquis, niſi ſit rationabilis, legi non derogat ex cap. ult. de „ conſuet. Bene eſt. Cum ergo (cave, mi Franzoja, „ ab illationibus, quas nondum ducere didiciſti) Buſ. „ dicat *conſuetudo* ſine addito, nec ullam conſuetudinis rationem afferat, fateri videtur, conſuetudinem, „ de qua loquitur, ratione deſtitui, ideoque ineptam „ eſſe ad abrogandam legem. Quam lepidus es! Qui dicit, conſuetudinem abrogaſſe legem, dicit eam eſſe „ rationalem; quum ſola rationabilis conſuetudo abroges legem. “

Reſp. Scripſi, *qui dicit*, conſuetudo *ſine addito, nec ullam conſuetudinis rationem affert, fateri videtur, conſuetudinem, de qua loquitur, ratione deſtitui*. Ita ſane; quia, cum conſuetudo ratione niti, vel deſtitui poſſit, qui conſuetudinem ratione niti, ut Bulem. cupit, nec eam affert, eam ſe afferre non poſſe, fateri videtur.

At, inquis, „ qui dicit, conſuetudinem abrogaſſe legem, dicit eam eſſe rationalem; quum ſola rationabilis conſuetudo abroget legem. “

Reſp. Præclara ſane illatio! An etiam qui tacet, loquitur? Qui dicit, conſuetudinem abrogaſſe legem, non dicit, ſed ponit, eam eſſe rationalem. Ego vero in re præſenti nego ſuppoſitum; quod, cum Buſ. non oſtenderit, cur tu, mi Zach. non oſtendis? Tuus Buſ. non verbis, ſed rationibus defendendus eſt. An animadvertere noluiſti, Buſembau ſuppoſitum nullum eſſe, a me in animadverſione præſenti evictum fuiſſe?

„ Neque vero, ſubjicis, opus eſt, ut quoties conſuetudo a quopiam in medium affertur, ejus ratio reddatur. „ R. Id non ſemper opus eſt, ſed opus eſt, cum res, ut in præſenti accidit, controvertitur.

Z. „ Væ Theologis, & Canoniſtis fere omnibus, niſi hoc ſtatuamus! Nam nihil apud eos uſitatius, quam „ conſuetudinem appellare, ſumentes eam eſſe rationabilem. “

Reſp. Verba ſcilicet ſunt. Id ſumunt, ſeu ſumere jure poſſunt, cum conſuetudinem rationabilem eſſe, ex æquo judicio cenſetur. At ſi qui id ſumant in re controverſa, ut Buſ., & tu, aquam tundunt.

Sed cur, mi Zach., rationibus, quibus conſuetudinem, de qua agimus, irrationabilem eſſe, oſtendo, non occurris? An tua affirmatio, & inania verba rem totam conficiunt?

Animadverſio IV.

Hæc probabilitas, etiamſi ſolida foret, quia contraria æque, aut magis ſolida probabilitate impugnatur, neceſſario quoad praxim deſerenda eſt ex jam dictis de probabilitate. Buſembaum opinionem improbant Nat. Alex. Theol. t. 2. p. 150. reg. 20. Genettus, qui pro ſe citat D. Antoninum t. 5. p. 179. qu. 18. Concina Theol. t. 8. p. 210. n. 8. Qui Apoſtoli oracula cap. 3. caſ. 21. recitata animo docili, & pio conſiderant, ſtatim intelligunt, matrimonia cum hæreticis nulquam locorum eſſe permiſſa. Si enim quæcumque familiaritas cum hæreticis vitanda eſt, multo magis individua, perpetua, & indiſſolubilis, quam exigit matrimonium. Ap. 1. ad Cor. 7. ait: *Cui vult, nubat, tantum in Domino*: * at in Domino non nubit, qui cum hæretica, hoc eſt cum diaboli membro copulatur. Ergo cum ea matrimonium inire non licet.

La-Croix p. 372. num 35. inquit: „ Gob., & Veri, „ recte probant, matrimonia perſonæ hæreticæ cum catholica regulariter eſſe illicita tum ob periculum perverſionis, tum maxime quia proles facile poſſunt ad „ hæreſim deflecti; nihilominus Sanch., Azor., Veri, „ Leſs. putant tunc licere, 1. Si abſit periculum perverſionis. 2. Si detur libertas educandi proles catholice. 3 Si facile non ſit invenire parem, & convenientem „ inter catholicos. 4 Dummodo hæreticus non ſit vitandus. 5. Si ſit conſuetudo ibi, ita ut abſit ſcandalum. Et horum unum ſi deſit, non licebit. Hæc omnia autem vix concurrent; additque Gob., quod „ Doctores, qui id dicunt licere, non ſciat, quomodo „ agatur in Germania. “ Hic addit La-Croix num. 96. „ Quando reliquæ conditiones adſunt, quamvis adſit „ aliquod periculum perverſionis, ſi tamen non ſit proximum, licebit tale matrimonium ex gravi cauſa, „ uti tenent Lugo, Aiſdech. Veri.

Sed quæſo abs te, La-Croixi, habes ne in mente D. Pauli oracula a me indicata, & recitata? Nam ſani Theologi eſt juxta Scripturam loqui. Meminiſti ne verborum, quæ ipſe ſcripſiſti, *Hæc omnia autem vix concurrent; additque Gobat, quod Auctores, qui id dicunt licere, non ſciant, quomodo agatur in Germania?* Praxis enim, etiam ſequiori doctrina deterior eſſe ſolet. Cur ergo tuis opiniunculis corruptam praxim foves? Loquor, inquit La-Croix, ſub conditione, *quando reliquæ conditiones adſunt &c.* At cur ponis conditiones, quæ quoad mores *vix unquam concurrent*? Dicendum potius erat, matrimonium cum hæretica non licere; quia conditiones, quas Auctores poſtulant, ut liceat, quoad praxim vix haberi poſſunt. Sermo hic eſt non de metaphyſicis rebus, ſed moralibus, in quibus ponere conditiones vix poſſibiles, idem eſt, ac corruptos mores fovere. Abeſſe ab his matrimoniis periculum perverſionis, conſulta ratione credibile non eſt. Muliebres enim artes, & illecebræ nimis magnam vim habent ad viros pervertendos. *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea*, inquit Scriptura; *cum ſancto ſanctus eris, & cum perverſo perverteris*. Hinc Deus Ex. 34. v. 16. Iſraelitis præcepit: *Nec uxorem de filiabus eorum accipies filiis tuis; ne, poſtquam ipſæ fuerint fornicatæ, fornicari faciant & filios tuos in deos ſuos*, quod ſane periculum non ut dubium, ſed ut certum habendum eſt, hunc textum ita explicante Scriptura Reg. 3. cap. 11. his verbis: *Certiſſime enim avertent corda veſtra, ut ſequamini deos earum*. Ex quibus illud La-Croixii temperamentum, *quamvis adſit aliquod periculum perverſionis, ſi tamen non ſit proximum*, veluti fictitium, & Scripturæ contrarium rejiciendum eſt. An fingendum eſt, hæreticas uxores minori vi pollere ad pertrahendos in hæreſim catholicos maritos, quam idola-

E 2 latræ

* Id eſt tantum in Domino „ duobus modis, inquit D. Aug. lib. 1. de Adul. conj. ad Pol. cap. 25., accipi poteſt, aut chriſtiana permanens, aut chriſtiano nubens. Non enim tempore revelati teſtamenti novi, in Evangelio, vel ullis apoſtolicis literis ſine ambiguitate declaratum eſſe recolo, utrum Dominus prohibuerit fideles infidelibus jungi. Quamvis beatiſſimus Cyprianus inde non dubitet, nec in levibus peccatis conſtituat, jungere cum infidelibus vinculum matrimonii, atque id eſſe dicat proſtituere gentilibus membra Chriſti. “

latræ ad avertendos a Dei cultu Iſraelitas? Idem, aut majus periculum eſt quoad prolis ſubverſionem, cui per pactum de prole catholice educanda ſatis non conſulitur. Nec enim fides ei habenda eſt, quæ Eccleſiæ rebellis, Chriſto fidem fregit; præſertim cum hæretica mulier tale pactum irritum habitura ſit; ſicuti reipſa irritum eſſet pactum de prole in hæreſi inſtruenda. Adde, quod ex hujuſmodi matrimonio nec pax, nec recta familiæ adminiſtratio rationabiliter ſperari poſſit; ſed contra diſcordia, rerumque omnium perturbatio, quæ ſine multis peccatis non accidunt, expectanda ſit.

Ipſe conſenſus, & cooperatio in matrimonium ab hæretica muliere impie contrahendum, a gravi culpa excuſari non poteſt. At, inquit La-Croix ,, id per accidens eſt, & gravis cauſa excuſat cooperantem actioni, quam alter poſſet bene facere. " Verum alterius peccato conſentire ex Ap. Pauli doctrina nunquam permiſſum eſt; nec particula illa *per accidens*, nec gravis cauſa peccatum excuſat. Sed hac de re infra. An conſuetudo, quæ ex mox dictis corrupta merito dicitur, hujuſmodi matrimonia excuſare poteſt? ,, De conſuetudine (inquit Nat. loc. cit.) qua Catholici quibuſdam in regionibus matrimonia cum hæreticis contrahere non dubitant, S. Cypriani verba uſurpamus ep. 1. *Conſenſerunt jura peccatis, & cœpit jam licitum eſſe, quod publicum eſt*. Ergo ſicuti matrimonium contrahere cum hæretica, ut Buſemb. dixit, per ſe illicitum eſt, habeturque in Hiſpania, & Italia mortale; " ita in aliis quoque regionibus per ſe illicitum eſt, & mortale haberi debet. Ubique enim terrarum matrimonia ſancte ineunda ſunt, nec cum hæreticis ſancte iniri poſſunt: ubique terrarum locum habent illa verba Concilii Quiniſexti Conſtantinop. in Trullo can. 72. a Genetto (t. 5. p. 180. qu. 18.) citata: *Non licet virum orthodoxum cum muliere hæretica conjungi, neque vero orthodoxam cum viro hæretico copulari*: item illa Conc. Eliberit. can. 16. *Hæreticis, qui errant ab Eccleſia catholica, nec ipſis catholicas dandas puellas, neque Judæis; quod nulla poteſt eſſe ſocietas fidelis cum infideli*: item illa Conc. Narbon. anni 1609 c. 12. *Non contrahant Catholici cum hæreticis; nec enim fas eſt, ad Sacramentum matrimonii, quod gratiam confert, excommunicatum talis gratiæ incapacem recipere*. Hoc eſt, Catholicus ſua cooperatione, contra ac La-Croix putat, peccat, recipiendo hæreticam ad Sacramentum matrimonii. Sed hujuſmodi matrimonia eſſe damnabilia, & mortaliter mala, apertiſſime declarat Bened. XIV. conſtit. *Matrimonii* 4. Nov. 1741. cujus verba leges lib. 6. tr. 6. c. 3. dub. 2. in fine.

P. Zach. deſcripta fere tota animadverſione, omiſſis reliquis omnibus, quaſi ipſa omiſſio eſſet eorum refutatio, illa ſolum poſtrema verba notat. *Sed hujuſmodi matrimonia eſſe damnabilia, & mortaliter mala, apertiſſime declarat Bened. XIV. conſt. Matrimonia 4. Nov. 1741.* Addidi, *cujus verba leges lib. 6. tr. 6. c. 3. dub. 2. in fine*; quam additionem quoque prætermiſit, ne Benedicti conſtitutionem citatam ſui Lectores conſulere, & ancceram Franzojæ, falſacem P. Zachariæ fidem ſuis oculis cernere facile poſſint.

His itaque omiſſis fidentiſſime in cauſa deplorata more ſuo ita loquitur.

,, Audi nunc Bened. XIV. quem appellas, atque erubeſce. *Illicita eſſe*, inquit doctiſſimus Pontifex de Syn. diœc. lib. IX c. III. *ea matrimonia, quæ inter partes contrahuntur, quarum altera Catholica ſit, altera hæreſim profiteatur, dictum in ſuperioribus a nobis eſt*.

Reſp. Hæc verba tibi ne, mi Zach., an mihi favent? obſcura ne ſunt, an aperta? Audi nunc Benedictum XIV. Apoſtolica auctoritate loquentem conſt. cit. *Dolem imprimis quam maxime ſanctitas ſua*, *EOS ESSE INTER CATHOLICOS, QUI INSANO AMORE TURPITER DEMENTATI, AB HISCE DETESTABILIBUS CONNUBIIS*, (quæ Catholici cum hæreticis ineunt) *QUÆ S. MATER ECCLESIA PERPETUO DAMNAVIT, ATQUE INTERDIXIT, EX ANIMO NON ABHORRENT, ET PRORSUS SIBI ABSTINENDUM NON DUCUNT* &c. ut legi poteſt loco a me cit. animadverſione XXIV. ,, At perge, " inquit Zach. litigare, & rem involvere ſatagens: *neque tamen*, ſubdit Bened. XIV. de Syn. loco a Zac. cit., *prætermiſſum, tales interdum circumſtantias occurrere, quibus hujuſmodi etiam matrimonia licita eſſe poſſint. Idem hoc loco aſſerimus*. Quid inde? P. Zach. qui illationes ducere præclare novit, inde infert.

,, An etiam Bened. XIV. *ponit conditiones vix poſſibiles, atque adeo corruptos mores fovet?* ,,

Reſp. De hac præclara illatione mox. Nunc tecum, mi Zach., audio cætera ſcitu digniſſima ex Bened. XIV. ,, *Pontificiæ ergo auctoritati*, inquit ille, *injuria fit ab iis, qui illius interventu opus non eſſe contendunt, ut matrimonia inter partes alteram Catholicam, & alteram hæreticam licite contrahantur*.

Reſp. Hæc injuria a Franzoja ne fit, an a Buſembao, La Croixio, & aliis, quos citant, & a P. Zach. qui eos defendere per anfractus conatur? Legatur Buſ. & La-Croixius, quorum textus repetere me quaſi infinita tædet. An iis, dum Matrimonia inter Catholicos, & hæreticos licere aſſeruerunt, intelligendi ſunt, ſi pontificia diſpenſatio acceſſerit, de qua nullum verbum omnino faciunt? Sed ſi ita eſſe, mi Zach., velint, nolint, tu velis, calamum pone: Lis finita eſt.

,, *Sed non minus graviter*, pergit Bened. XIV. *eandem auctoritatem ab illis lædi dicendum eſt, qui aliquo adhuc tempore aſſerere, & jactare cœperunt, diſpenſationes hujuſmodi a Rom. Pontifice minime concedi poſſe, etiamſi gravis cauſa concurrat, atque omne periculum ſubverſionis abſit; ea ſcilicet ratione ducti, quod, dum pars Catholica cum hæretica parte matrimonio conjungitur, illa Sacramentum huic miniſtret, quod eſt contra legem divinam, quæ vetat, Sacramenta indignis adminiſtrari, atque iis, qui in lethalis peccati ſtatu verſantur, & peccatores notorii dici debent. Hoc modo Gamachæus de matrim. cap. 28. ratiocinatur; cujus ſententiam ſtudioſe tuetur Sainteheuve t. 2. caſ. conſc. ac poſt ipſum Pontas in verbo diſp. matrimon. capt 33. Sane in collationibus Eccleſiaſticis Pariſienſibus coll. 2. de matrim. t. 3. lib. 1. pluribus hac ſuper re diſputatis, hac denique ratione res tota concluditur, quod, quemadmodum Moyſes, dum Judæorum duritie victus, libellum repudii eiſdem permiſit, non peccavit, nec actum illicitum commiſit; ita omnis culpæ expers Summus Pontifex dicendus ſit, qui gravibus cauſis adductus, omnique adhibita cautione, ut perverſionis periculum removeatur, Catholicum diſpenſando, habilem reddit ad matrimonium cum hæretico contrahendum*.

,, *Verum hujuſmodi temperamentum non ſatis tollit difficultatem tanta ratiocinationum mole propoſitam. Etenim, quemadmodum non deſunt, qui affirmeat, Moyſis permiſſione non obſtante Judæum illum nihilominus peccaviſſe, qui libello repudii utebatur; ita facile quiſpiam exiſtere poſſet, qui non obſtante Pontificia diſpenſatione ad exemplum Moyſis indulta, matrimonium Catholici cum hæretico peccaminoſum eſſe contenderet. Quare ad difficultatem illam tollendam alia via inſiſtendum eſt*.

,, *Pontius gravis Theologus in app. ad tract. de matrimonio Catholici cum hæretica, temerarium appellat qui eum in dubium revocat, an matrimonium Catholici cum hæretica licitum ſit, ubi præceſſerit Pontificia diſpenſatio in circumſtantiis ſupra memoratis conceſſa; ut videre eſt ibi cap. 8. n. 7.* Temeritate non carere eum, qui in dubium revocaverit, an licite illud matrimonium poſſit contrahi; *& Card. de Lugo in tract. de Sacram. diſp. 8. ſect 14. ad idem comprobandum plura perſequitur*.

,, *Nobis profecto propoſitum hoc loco non eſt, Scholaſticam illam quæſtionem attingere, utrum matrimonium unicum Sacramentum ſit, an vero in eodem partialia duo Sacramenta interveniant, adeoque utrum dici poſſit, quod, ubi matrimonium, prævia diſpenſatione, inter partem Catholicam Sacramenti capacem, & partem hæreticam, quæ ejuſdem incapax eſt, contrahitur, ipſum in perſona quidem Catholica Sacramentum ſit, in altera autem contractus mere civilis, quemadmodum docent Fraſſen in Scoto acad. t. 12 tract. 3. diſp. 2. a. 1. q. 2. §. quæres primo, Henricus a S. Ignatio in Ethica amoris cit. t. 3. lib. 8. p. 2. c. 8. Tourneli de matrim. p. 95. edit. Pariſienſis anni 1730. Sed ipſam rei naturam expendentes hoc affirmandum habemus, quod, ubi excluſum ſit a fideli perverſionis periculum, quod ſemper excludendum non ambigitur, cuique rei per conditiones in diſpenſationibus apponendas conſulitur, ubi etiam opportune cautum ſit, ut Sancta Religio in liberis ſive maribus, ſive feminis ex eo matrimonio ſuſcipiendis ſervetur, ſuſcepta item a Catholica perſona cura curandi, ut hæreticam partem ad orthodoxam Religionem amplectendam perducat iis rationibus adhibitis, quas aptiores, & opportuniores exiſtimaverit, ac præterea intercedente gravi aliqua, ac plerumque publica cauſa, quæ, ſi deficiat, licet ceteræ ſupra memoratæ adſint conditiones, diſpenſatio nequaquam impertiri ſolet, ut colligere licet ex Clementis XI. reſponſa ad Epiſcopum Herbipolenſem, qui pro diſpenſatione ad contrahendum matrimonium inter partes, alteram Catholicam, & alteram hæreticam eidem Pontifici ſupplicabat*; Nos itaque etſi pro magnitudine ſpiritualis hujuſmodi periculi, (*de perverſionis periculo loquitur*) quod tamen propitio Deo averti poſſe confidimus, intime commoveamur, majoris tamen momenti eſſe exiſtimamus Eccleſiæ Dei, Apoſtolicæ Sedis, Prædeceſſorum noſtrorum, ac Sacrorum Cano-

,, num

„ num a Catholicorum cum hæreticis conjugio abhorrentium regulas, niſi id totius Chriſtianæ Reipublicæ bonum expoſcat, *ut in tom. 1. Brevium ejuſdem Pontificis p. 321. habetur; cumque in diſpenſatione concedenda, neque divinum, neque naturale jus ullatenus lædatur, ſed Eccleſiaſtico juri tantummodo derogetur; nullam ſane cauſam, vel rationem reperire eſt, cur matrimonium in vim hujuſmodi diſpenſationis contractum pro illicito, aut peccaminoſo habendum ſit, ut appoſite animadvertit Sylvius in 3. p. S. Th. t. 4 q. 2. a. 1. §. cæterum. Et licet obiiciatur, partem Catholicam hæreticæ parti occaſionem præbere profanandi Sacramentum, facile reſpondebitur, quod profanatio hujuſmodi per accidens, & præter catholicæ partis intentionem contingit. Hæc enim jure ſuo utens, quoad ſe nihil aliud agit, quam quod ad proprias rationes pertrahit voluntatem partis hæreticæ, cui paratus jam, & certus animus eſt, ut matrimonium in ſtatu peccati contrahat, & contra legis præſcriptum. Cum illud idem licite, & fructuoſe præſtare poſſet, ſi vel ante nuptias, vel, dum eas contrahit, in Eccleſiæ gremium ſe ſe reciperet. Ita reſpondet Tournely loc. cit. p. 107., Iſambertus de matrim. p. 3. 93. n. 7., Herminier in tract. de Sacram. t. 3. tit. cultus diſparitas § his non obſtantibus, Maurus in curſu theol. t. 3. lib. 10. q. 82. n. 4. qui ad rem noſtram ita ſcribit.* Catholicus miniſtrans Sacramentum, facit actionem ex ſe indifferentem. Nam poſſet alter conjux converti ad fidem, & per contritionem juſtificari, & recipere Sacramentum digne.

„ *Quod ſi pro vero habendum eſſet, contra jus divinum facere catholicum illum, qui etiam remoto perverſionis periculo matrimonium cum hæretica contrahit, ejuſque peccatum in eo conſiſtere, quod perſonæ indignæ ſacramentum miniſtret; dicendum eſſet, (quod hactenus a nemine affirmatum eſt) Sanctas illas mulieres catholicas peccaſſe, quæ nedum cum hæreticis, ſed cum infidelibus matrimonium contraxerunt, uti factum conſtat a S. Monica D. Auguſtini matre cum Patritio ethnico, a S. Anaſtaſia cum Publio idololatra, a S. Cæcilia cum Valeriano nondum ad chriſtianam fidem converſo, atque ab aliis pluribus. Nec replicare juvat, impedimentum diſparitatis cultus temporibus illis nondum introductum fuiſſe. Nam viciſſim reponere in promptu eſt, in prædictorum Auctorum ſenſu obſtitiſſe ſemper divini juris impedimentum, ne ſacramenta indignis miniſtrarentur.* Nec Sanctos, qui cum infidelibus contraxerunt, naturæ legem, juſque divinum violaſſe, & in perpetua fornicatione vixiſſe, putandum eſt; *ut optime differit Natalis Alex. in Theol. dogmatica, & morali lib. 2. de ſacram. matrim. a. 8. de cultus diſparitate. Improvida etiam ratione (quod aſſerere temerarium eſſet) a citato magno Chalcedonenſi Concilio jam uſque a quinto ſæcula ſtatutum fuiſſet, quod legitur in ejuſdem Concilii can. 14. ne ſcilicet catholicus matrimonio jungatur cum parte hæretica, Judæa, aut ethnica,* niſi forte perſona orthodoxæ copulanda promittat, ſe ad orthodoxam fidem transferre. *Etenim hic etiam dici poſſet, a parte catholica, ſacramentum contrahenti indigno adminiſtrari, dum matrimonium eo tempore contrahit, quo altera pars meram catholicæ religionis amplectendæ promiſſionem emiſit. Nemo autem eo hoc tantummodo Sacramenti percipiendi dignus evadit, quod ſe perfidiam abjuraturum, aut ſanctam fidem amplexurum promittat; Sed tunc ſolum, cum ejuratis reipſa erroribus, in ſanctæ Eccleſiæ gremium fideliter ingreditur. Dicendum denique eſſet, Catholicos Principes, eorumque Conſiliarios, necnon Rom. Pontifices, & Congregationes ab eis deputatas pro examinandis eorum inſtantiis, qui diſpenſationem petunt ad contrahendum matrimonium cum parte hæretica, non obſtante impedimento gradus, & ſine clauſula,* abjurata prius hæreſi, *interventientibus tamen aliis ſupra memoratis conditionibus, eas iniquam omnes & irrationabilia poſtulaſſe, & poſtulata non recte perpendiſſe, & quæ petebantur, perperam indulſiſſe; nulla ratione habita graviſſimi reatus, quo ſe obſtrinxere tam ii, qui diſpenſationes conceſſerunt, quam qui eaſdem obtinuerunt; quod ſane affirmare nimiæ audaciæ eſſet, quemadmodum Tournely, Herminier locis ſupra citatis, & Chardon. tom. 6. hiſtoriæ Sacramentorum cap. 13. p. 402. probe animadvertunt.* Hactenus Bened. XIV. Quid tum poſtea?

„ Nunc age, inquit P. Zach. p. cxvia., pontificiæ auctoritati injuriam eum irrogare, ait Bened. XIV., qui docet, diſpenſare Pontificem non poſſe in hujuſmodi matrimoniis citra perverſionis periculum, aliaſque paſſim requiſitas conditiones." Reſp. Ita ſane; at quando, aut ubi ſummum Pontificem in hujuſmodi matrimoniis diſpenſare poſſe inficiatus ſum, qui hac de re ne verbum quidem unquam protuli? At Zach., velim, nolim, id me inficiatum fuiſſe pro ſua auctoritate vult. Itaque ita pergit confidentiſſime.

„ Non ſolum id negas, quia putas, ipſum conſenſum, & cooperationem in matrimonium ab hæretica muliere impie contrahendum, a gravi culpa excuſari non poſſe; ſed conditiones præterea illas in praxim ais vix redigi poſſe, ac præſertim abeſſe ab his matrimoniis periculum perverſionis conſulta ratione, credibile non eſſe contendis. Igitur pontificiæ auctoritati injuriam irrogas. Et audes, Benedictum XIV. La-Croixio objicere?

Reſp. his paucis verbis popello venditandis, & cum plauſu ab eo excipiendis tam multa, mi Zach., errati, ut unde ea reprehendere incipiam, & quem ordinem in tanta confuſione teneam, ægre reperiam. Illud poſtremum, *& audes Benedictum XIV. La Croixio objicere?* nonne intolerabile prorſus eſt? Recolat lector Benedicti XIV. verba a P. Zach. hic initio recitata, & alia ejuſdem ut Summi Pontificis a me ibidem exſcripta; quæ P. Zachariæ nota eſſe debuerunt, priuſquam contra me blateraret; quia locum indicavi, ubi in meo ipſo opere, quod carpendum ſuſceperat, leguntur.

Illa tua, mi Zach., concluſio, *igitur pontificiæ auctoritati &c.* eximia ſane eſt.

Si mecum hoſtiliter non ageres, concludere potius debueras, me perperam dixiſſe, quæ me dixiſſe refers; quia Benedicti XIV. auctoritati contraria.

At videamus, utrum tua, qui illationes præclare trahere noſti, concluſio, ſi non chriſtiana, ſaltem logica ſit.

Tuum antecedens partim æquivoco laborat, partim eſt falſum; Quod ſi ex parte verum ſit, nihilominus non conſequitur, quod vis: ergo tua illatio eſt ſpurium conſequens, non legitima conſequentia.

Æquivoco laborat. Nam, cum ſcripſi, *ipſe conſenſus, & cooperatio in matrimonium ab hæretica muliere impie contrahendum, a gravi culpa excuſari non poteſt*, idque evici; hoc intelligendum eſt de matrimonio ſine pontificia diſpenſatione contrahendo, de quo mihi cum Buſembau, & La-Croixio ſermo, & liſerat; tu autem Zach. per calumniam illud intelligis de matrimonio ex Rom. Pontificis diſpenſatione ineundo; vel per inſcitiam, vel novam fallaciam vis, conſenſum, qui malus eſt ſecluſa diſpenſatione, malum quoque eſſe, etiamſi ea accedat; quod a te eſſet probandum, nec tamen probas; & reipſa falſum eſt. Falſum inquam eſt; quia malum eſſe excluſa diſpenſatione, nec eſſe malum ea accedente, ex ipſo Benedicto XIV. a te ipſo exſcripto, ſi ejus perſpicua verba intelligere vis, diſcere debuiſti. Vis ne, ut hujus diſcriminis rationem reddam novis tuis tenebris involvendam? Catholicus, qui cum pontificia diſpenſatione matrimonium, de quo ſermo eſt, init, ex ipſa diſpenſatione jus habet ad illud contrahendum, ſimulque neceſſitatem, ſine qua diſpenſatio non conceditur: at qui jus habet, & neceſſitatem contrahendi matrimonium cum hæretica parte, non conſentit, nec cooperatur peccato hæreticæ partis illud ex mera ſua malitia impie contrahere paratæ, & contrahentis; ea ſcilicet ratione, qua mutuum jure ſuo petens, & ex neceſſitate petens ab uſurario, ejus uſuræ ex mera malitia admiſſæ non cooperatur, nec conſentit, ut ex D. Th. 2. 2. q. 79. a. 4 intelligitur. Et ratio ex eodem S. Doct. ſumpta 2. 2. q. 43. a. 8. eſt, quia temporalia bona, uti eſt jus matrimonii, non ſunt dimittenda propter ſcandalum ex malitia. Contra vero qui ſine pontificia diſpenſatione hujuſmodi matrimonium contrahit, jure caret illud contrahendi; ideoque eo etiam nomine peccat, quia hæreticæ parti peccanti conſentit, & cooperatur.

Dum peteris, ſed *conditiones præterea illas in praxim ais vix redigi poſſe*, fraudulenter loqueris. Id non ex me, ſed ex La-Croixio dixi. Verba ad La-Croixium mea, hæc ſunt in hac eadem animadverſione ſcripta. *Meminiſti ne verborum, quæ ipſe ſcripſiſti?* „Hæc omnia autem vix concurrent, additque Gobat, quod auctores, qui id dicunt licere, non ſciant, quomodo agatur in Germania?" Mea argumentatio inde concinnata, non eſt abſoluta, ſed, ut dicitur, ad hominem. Id mi Zach. tu unus non intellexiſti; quia non intelligere, ſed me calumniari voluiſti.

Sed hic ipſe tuus La-Croixius, quem, dum contra me crocitas, reipſa impugnas, contra te pro rei veritate a me tuendus eſt.

Illud La-Croixii, *hæc omnia autem vix concurrent*, non eſt falſum, ſed verum, non contrarium, ſed conſentaneum Benedicto XIV. quia enim reipſa vix concurrunt conditiones neceſſariæ, ut matrimonium inter catholicos, & hæreticos licere poſſit, idcirco earum examen non privatis hominibus, ſed Congregationibus a ſe deputatis Summi Pontifices ſapienter reſervatum voluerunt. Quia *vix concurrunt*, idcirco diſpenſationem hujuſmodi matrimonii vix concedere ſolent. Hinc ipſe Benedictus XIV. eodem. cap. 3. a P. Zach.

 cit.

cit. n. 6. ita concludit. *Quæ hactenus dicta ſunt eo ſpectant ſolummodo, ut apoſtolicæ Sedis jura* (ab iis violata, qui matrimonia, de quibus ſermo eſt, ſine apoſtolicæ Sed. licentia iniri poſſe affirmant) *integra inviolataque ſerventur; minime vero, ut facilior aperiatur via concedendis apoſtolicis diſpenſationibus ad contrahenda matrimonia inter catholicos, & hæreticos.*

Demum, quod ſcripſi, *abeſſe ab his matrimoniis periculum perverſionis, conſulta ratione credibile non eſt*, adeo Benedicto XIV. non adverſatur, ut ille id ipſum pronunciaverit lib. 6. de Syn. diœc. cap. 5. n. 4. his verbis. *Diximus autem, vix evenire poſſe, ut a connubiis catholicorum cum hæreticis ea amoveantur pericula, quæ ipſis pleramque contancta eſſe ſolent; verum non id omnino impoſſibile eſſe pronuntiamus.* Hoc ipſum confirmat Clemens XI. ab eodem Bened. hic citatus. *Nos itaque* (Clementis XI. verba ſunt) *etſi pro magnitudine ſpiritualis huiuſmodi periculi*, (de perverſionis periculo, ait Bened. XIV. loquitur) *quod tamen Deo propitio averti poſſe confidimus, intime commoveamur, &c.*

Enim vero, mi Zach. in evolvendo caliginoſo tuo Chao ex erratis, fallaciis, fraudibus confuſe permixto, non ſine multo meo tædio deſudavi; nihilominus finem hic facere non debeo, niſi prius te monuerim, Benedictum XIV. quem contra me citare auſus es, non ſolum iis, quæ hic, ſed etiam quæ contra meam animadverſionem huius capitis Buſ. blateraſti, aperte adverſari. Inquit enim, *nemo autem ex hoc tantummodo Sacramenti (Matrimonii) percipiendi dignus evadit, quod ſe perfidiam abjuratarum, aut ſanctam fidem amplexarum promittat, ſed tunc ſolum, cum ejuratis reipſa erroribus in ſanctæ Eccleſiæ gremium fideliter ingreditur.* Igitur iuxta Benedictum XIV. vanæ ſunt, & falſæ omnes excuſationes tuæ, & aliorum, qui hæreticos in ſuis erroribus permanentes ab hæreſeos culpa liberare nitimini.

ANIMADVERSIO V.

Qui hæc docent, non ſunt audiendi, ſed repudiandi. Quamvis enim omnes fidei articuli in formali objecto univerſe conveniant, ut ſcilicet pro certis habeantur, quia divinitus revelati ſunt, & ab Eccleſia propoſiti; hoc tamen formale objectum unum genere non impedit, quominus fidei articuli plures ſint, & diverſi: ergo etiam hæreſes iis contrariæ, ſunt diverſæ, ut Ariana, Lutherana, Calviniana &c. & uniuſcujuſque diverſæ impietates eſſe poſſunt. Quare in confeſſione neceſſario explicandum eſt, qui, & qualis ſit hæreticus error, in quem quis lapſus eſt; ut Confeſſarius & majorem, aut minorem erroris gravitatem notam habeat, & opportuna pro eorum diverſitate remedia adhibeat. Itaque non in utramque partem verſatiliter animus flectendus eſt, ſed contrarium tenentes, quos, ut Buſemb. ait, ſequitur Card. de Lugo, ſequendi ſunt.

TRACTATUS II.

De præcepto Spei.

ANIMAD. I. PEr Spem, *quæ eſt ſecunda virtus theologica, intelligitur amor concupiſcentiæ erga Deum*, quo Deum, & divina, præ omnibus aliis concupiſcibilibus, nobis concupiſcimus, ita ut omnia potius parati ſimus perdere, quam Deum, & divina. De hac quæritur, quando ejus præceptum obliget.

Reſp. 1. *Probabile eſt præceptum Spei obligare per* ANIMAD. II. *ſe, cum primum homini uſum rationis aſſecuto Deus, & beatitudo, tanquam finis, ad quem tendere debet, ſufficienter eſt propoſitus: ita ut notabili tempore non differat.* Ita Becan. *c.* 17. *qu.* 7. *n.* 2. Turr. & ceteri commun. Et eſt ratio, quia ſine actu Spei nec juſtificari, nec in juſtitia divina perſiſtere, nec meritorie operari poſſumus. Schol.

Reſp. 2. Præceptum Spei per accidens obligat. 1. Quando actus Orationis, Pœnitentiæ, Caritatis, &c. in præcepto ſunt, qui ſine prævio actu Spei exerceri non poſſunt. Ita Auct. cit. & Fill. *t.* 22. *c.* 8. *n.* 255. 2. Quando quis ita tentatur, ut periculum ſit conſenſus, niſi animum ſpe erigat. Vid. Fill. *l. c.* 2. Laym. *l.* 2. *t.* 2. *c.* 2. Bon. *d.* 5. *q.* 3.

Unde ſequentes caſus reſolvuntur.

1. Mortale peccatum eſt ſperare, ſive amare magis (amore concupiſcentiæ) terrena hæc, quam cœleſtia: v. g. ſi quis ita comparatus ſit, ut deſideret perpetuo degere in hac vita, & Deo relinquere cælum, ſi ſibi relinquat terram.

2. Mortale item eſt deſperare de conſequendo Deo, aut ſalute, & venia peccatorum, aut mediis ad illam conſequendam neceſſariis, v. gr. auxiliis gratiæ, & emendatione vitæ. Quod peccatum ratione parvitatis materiæ non poteſt eſſe veniale, cum ſit injurioſum miſericordiæ Dei. S. Th. *q.* 20. *art.* 3. Laym. *l.* 2. *t.* 3. *c.* 2. *n.* 3.

3. Mortale etiam eſt præſumere de miſericordia Dei, v. g. cum quis ſperat id quod eſt impoſſibile ſecundum legem Dei ordinariam; ut ſi ſperet remiſſionem peccatorum, & ſalutem ſine pœnitentia, vel per propria merita, & vires naturæ: *vel etiam ſi quis ſtatuat perſeverare in peccatis*, quamdiu bene valet, *& tamen ſperet ſe acturum pœnitentiam ante mortem.* (*a*) S. Thom. *quæſt.* 21. *art.* 1. Laym. *l. c.*

Denique mortale eſt odiſſe Deum (odio ſcilicet abominationis, ſeu averſionis) v. g. ſi Deus diſpliceat tanquam nobis infeſtus, propter vindictam peccatorum. Vide Laym. *l. c.* Bonac. *d.* 3. *q.* 3.

NOTÆ.

(a) *Mortale etiam eſt præſumere &c. vel etiam ſi quis ſtatuat perſeverare &c. & tamen ſperet &c.*

Hic animadverto cum D. Th. 2. 2. q. 21. a. 1. ad 2., *quod præſumere ponitur aliquando pro ſperare; quia ipſa ſpes recta, quæ habetur de Deo, præſumptio videtur, ſi menſuretur ſecundum conditionem humanam; non autem eſt præſumptio, ſi attendatur immenſitas divinæ bonitatis.* Et hoc ſenſu accipiendum eſt illud Judith 9. *Exaudi me miſeram deprecantem, & de tua miſericordia præſumentem*, & 6. v. 15. *Oſtende, quod non derelinquis præſumentes de te.*

At præſumptio proprie, eſt exceſſus, ſeu, ut ait D. Th. 2. 2. q. cit., immoderantia ſpei. *Spei autem objectum eſt bonum arduum poſſibile. Poſſibile autem eſt aliquid homini dupliciter. Uno modo per virtutem propriam: alio modo non niſi per virtutem divinam. Circa utramque autem ſpem per immoderantiam poteſt eſſe præſumptio. Nam circa ſpem, per quam aliquis de propria virtute confidit, attenditur præſumptio in hoc, quod aliquis tendit in aliquod bonum ut ſibi poſſibile, quod ſuam facultatem excedit.*

Circa ſpem autem, per quam aliquis inhæret divinæ potentiæ, poteſt per immoderantiam eſſe præſumptio in hoc, quod aliquis tendit in aliquod bonum ut poſſibile per virtutem, & miſericordiam divinam, quod poſſibile non eſt; ſicut cum aliquis ſperat ſe veniam obtinere ſine pœnitentia, vel gloriam ſine meritis. Illud alterum Buſ., qui pro ſe citat S. Thomam, *vel etiam ſi quis ſtatuat* &c. S. Th. non habet. Et ſane hoc divinæ virtuti, & miſericordiæ non eſt impoſſibile: hinc D. Th. 2. 2. q. cit. ad 3. ait, *quod peccare cum propoſito perſeverandi in peccato ſub ſpe veniæ, ad præſumptionem pertinet; & hoc non diminuit, ſed auget peccatum. Peccare autem ſub ſpe veniæ quandoque percipiendæ cum propoſito abſtinendi a peccato, & pœnitendi de peccato* (cujuſmodi ſunt qui ſe acturos pœnitentiam ante mortem ſperant) *hoc non eſt præſumptionis, ſed hoc peccatum diminuit; quia per hoc videtur habere voluntatem minus firmatam ad peccandum.*

Hæc ex D. Th. attuli, non ut cauſam eorum, qui pœnitentiam ad mortis articulum protrahunt, agerem; ſed ut ne iis quidem deſperandum eſſe oſtenderem; quia eorum ſpes, proprie non eſt præſumptio; quæ ſi proprie loquendo præſumptio eſſet, abjicienda foret; quod abſit. Voluntas perſeverandi in peccato uſque ad mortem, omnino deſerenda eſt; voluntas, & ſpes pœnitentiæ nunquam eſt abjicienda. Prima peccatum eſt; non item contra ac ait Buſ., altera; quæ ſi crimínoſa eſſet, hujuſmodi peccatores mortis tempore de pœnitentiæ ſpe dejiciendi forent, non excitandi, non audiendi, non abſolvendi. An culpanda eſt ante mortem, mortis vero tempore laudanda? Hoc vero abſurdum & falſum. Quod tempore mortis bonum eſt, ſemper eſt bonum. Virtutis actus ſemper bonus, vitium ſemper malum.

ANIMADVERSIO I.

SPes oritur quidem ab amore, ſicut omnes alii animæ affectus, non tamen amor eſt, ſed affectio ab eo diſtincta, ut ex Philoſophia, imo ab experientia in ſeipſo quilibet facile intelligit. Amare quidem, aut

etiam

etiam concupiſcere ruſticus principatum poteſt, illum tamen non ſpetar, quia conſequi humano more loquendo non poteſt. Spes ſupta amorem, & deſiderium *addit*, inquit D. Th. 1. 2. q. 25. art. 1. *quemdam conatum, & quamdam elevationem animi ad conſequendum bonum arduum*: & q. 40. a. 1. ita concludit: *Sic ergo patet, quod ſpes differt a deſideria* &c. Hoc Buſembau erratum corrigitur ab ipſo La-Croixio p. 174. n. 118.

Animadversio II.

An hoc eſt unicum tempus, quo præceptum ſpei per ſe obliget? (Buſembaum enim nullum aliud aſſignat) idque ſolum probabilirer? ergo ex Buſembao contrarium quoque dici poteſt, hoc eſt præceptum ſpei, ne tunc quidem, cum ratio primum illuceſcit, per ſe obligare, hoc eſt per ſe nonquam obligare. Ne igitur ex Buſembau doctrina, errandi occaſio adſit, notanda eſt prop. 1. ab Alex. VII. proſcripta, quæ taliseſt. *Homo nullo unquam vitæ ſuæ tempore tenetur elicere actum fidei, ſpei, & caritatis ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium*. Prætereа ſicuti ab Innoc. XI. illa prop. n. 65. *Sufficit illa myſteria fidei ſemel crediaiſſe*, damnata eſt; ita damnabilis, & implicite ex eadem ratione damnata eſt opinio, quæ ſemel tantum in vita, puta cum rationis lumen illuceſcit, ſufficere ait, ut ſpes exerceator. Itaque ſicut de fide dictum eſt, ita de ſpe dicendum, ut ſcilicet per ſe obliget initio vitæ rationalis, in fine vitæ, & ſaltem ſemel ſingulis annis; quæ ſententia, ut ait Concina Theol. t. 1. p. 264. n. 13. communis eſt. Nec enim affirmativum ſpei præceptum, *Sacrificate ſacrificium juſtitiæ, & ſperate in Domino*, Pſ. 4. *Sperate in eo omnis congregatio populi*, Pſ. 61. minorem obligationem ex æquo ſenſu parere poteſt. Dixi autem, *ſaltem ſemel ſingulis annis;* quia ut fides, ſic ſpes ex præcepto frequentius forraſſe elicienda eſt. Illud enim Oſ. 12. *Spera in Deo tuo ſemper*, frequentius fidei exercitium nobis forte imponit.

TRACTATUS III.

De præceptis Caritatis.

CAPUT I.

An, quando, & quomodo obliget præceptum Caritatis Dei?

Caritas Dei eſt amor amicitiæ, quo Deo bene volumus, & omnia bona ipſi cupimus ob ſummam, & infinitam ejus divinæ naturæ perfectionem. (*a*)

Reſp. 1. Præceptum Caritatis Dei præcipit Deum ſuper omnia amandum. Patet ex Scriptura. Ratio eſt, quia finis ultimus plus eſt diligendus, quam omnia media, quæ ad eum referuntur: (*b*) non quidem intenſive (etſi enim hoc etiam deceat, non tamen eſt in præcepto) ſed appretiative, ita ut nullam creaturam pluris facias, quam Deum, veliſque potius omnia perdere, quam Deum offendere, & ſic illi mala velle. S. Thomas 2. 2. *qu.* 27. *art.* 3. Azor. Sanch. Bec. 2. 2. *c.* 19.

Animad. I. Reſp. 2. *Probabile eſt præceptum Caritatis Dei obligare* 1. *Quando homo adeptus eſt ſufficientem cognitionem Dei infinite boni, a quo omnia ſua bona habet, & cui omnia debet*. Ratio eſt, quia cum teneatur Deo ex finali amore tota vita ſervire, id non videtur poſſe fieri, niſi eliciat actum amoris. Ita S. Th. *qu.* 89. *art.* 6. Nav. Val. & cet. commun. (Notat autem Con. *diſp.* 24. *d.* 3. *n.* 50. non ſtatim poſt talem notitiam peccare mortaliter, ſed tantum, ſi differat notabiliter, v. g. ultra annum) contra Palaum, qui dicit probabile eſſe, quod non obliget. Si ſcrupulus te angat, an præcepto huic ſatisfeceris, docet Eſcob. ex Petro Hurt. 2. 2. *d.* 172. *ſ.* 1. §. 24. quod, ſi poſitive non meminiſti, te omiſiſſe, tenere poſſis, te ſatisfeciſſe. Trull. tamen *l.* 1. *c.* 5. *d.* 13. *n.* 9. monet expedire, ut quis ſe in confeſſione aliquando accuſet ſub dubio, ſi forte præceptum iſtud violarit, vel alia præcepta affirmativa, de quibus non certo conſtat, quando obligent, vel violentur. 2. Quando eſt periculum labendi in odium Dei, niſi actum Caritatis elicias. 3. Quando quis tenetur conteri, v. gr. moriturus, aut celebraturus, cui Confeſſarius deeſt. Ratio eſt, quia contritio includit actum Caritatis. 4. Si quis gravem tentationem, præſertim in articulo mortis, putet ſe aliter vincere non poſſe. *Quibus aliqui addunt articulum mortis abſolute, eo quod tunc ſecuriſſima via eligenda ſit*. V. Laym. *l.* 2. *t.* 3. Bonac. *l.* 3. *q.* 4. *p.* 2. Hurt. 2. 2. *diſt.* 174 *ſ.* 6. §. 17.

Ex dictis reſolves.

1. Mortale eſt, ſi quis omittat dilectionem Dei tunc, quando præceptum obligat.

2. Mortaliter peccat etiam, ſi quis amet Deum amore appretiative, ſeu æſtimative, minore, quam creaturas.

3. Peccat item contra Caritatem Dei, (*c*) *ſi quis Deum non diligat principaliter propter ſe*, tanquam finem ultimum omnium rerum; *ſed tantum propter aliud*, v. g. vitam æternam, vel ad evitandum infernum. Quod eſſe mortale docet Sylv. & Nav. quia ſcilicet Deus non diligeretur appretiative ſuper omnia, ſi aliud ab illo amaretur, ut finis principalis. Addo, *principalis*, quia, ut bene docet Tol. *l.* 4. *c.* 9. Deus propter retributionem vitæ æternæ amari poteſt; ſed minus principaliter, ut ſcilicet vita æterna, vel alia Dei dona ſint tantum cauſa movens, ut facilius, expeditius, & ferventius diligatur.

4. Mortale, & graviſſimum omnium eſt, ſi quis Deum formaliter oderit odio inimicitiæ, ſeu malevolentiæ (amori amicitiæ oppoſito) v. g. ſi optet Deum non eſſe, non habere ſcientiam, potentiam, &c. De his V. Laym. *l. c.* Bonac. *l.* 1. Sanch. *l.* 2. *c.* 3. & 5. Reg. *l.* 27.

Notæ.

(*a*) *Caritas Dei eſt amor* &c., & *omnia bona ipſi cupimus ob ſummam* &c.

Hic objicies, deſiderium proprie loquendo eorum eſſe, quæ deſunt: at Deo infinite bono nihil boni deeſt, aut deeſſe poteſt: ergo Deo nihil boni cupere poſſumus, contra ac loquitur Buſ.

Reſp. Nullum internum bonum Deo cupere poſſumus, ut evincit allata ratio; illi autem cupimus externa bona, ejus cultum, amorem, gloriam; de ejus vero infinitis internis bonis maxime gaudemus; quæ tamen improprie loquendo ipſi optamus, ut loquitur S. Bonavent. in 3. d. 27. q. 3. n. 13. (apud Genettum tom. 6. p. 56. q. 2.)

(*b*) *Non quidem intenſive* (*etſi* &c.) Intellige amore tenero ſenſus movente, & lacrymas eliciente, non autem amore intenſionem a voluntate excludente; qui ſi omnis intenſionis expers ſit, amoris magis privatio eſt, quam amor. Vide animad. 12. in c. 2. t. 4. l. 6.

Ex D. Th. 2. 2. q. 27. a. 3. *Deus diligendus eſt propter ſeipſum*, hinc cætera omnia propter ipſum: ex quo fit, ut Deus ſuper omnia ametur. Nec enim Deus æſtimatione ſolum, ſed ipſo cordis affectu & amore omnibus aliis rebus præferendus eſt. De diſtinctione amoris intenſivi, & appretiativi agit Concina Th. 1. 2. diſſ. 4. cap. 6. q. 2. & 3. p. 303., & ſeq.

(*c*) *Peccat item* &c., *ſi quis Deum non diligat* &c., *ſed tantum propter aliud, v. g. vitam æternam*.

Hæc Buſemb. doctrina explicatione indigere videtur. Deus certe propter vitam æternam, hoc eſt ut eam adipiſcamur, amandus eſt. *Si vis ad vitam ingredi*, inquit Chriſtus, *ſerva mandata*: primum autem, & maximum mandatum eſt illud, *Diliges Dominum Deum tuum* &c. Ergo Deus eſt diligendus propter vitam æternam. Hinc illud Rom. 6. 22. *Habetis fructum in ſanctificationem, finem vero vitam æternam*. Huc item illa oracula ſpectant: *Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei*. Pſ. 15. v. 5., & Matth. 6. v. 33. *Quærite ergo primum Regnum Dei, & juſtitiam ejus*.

His oraculis, ſeu divinitus edoctus S. Ignatius med. fundam. ita habet, *creatus eſt homo ad hunc finem, ut Dominum Deum ſuum laudet, ac revereatur, eique ſerviens tandem ſalvus fiat*.

An hoc ſolum, ut ſcilicet ſalvus fiat, ſpectare homo debet, dum Deum hic in terris amat? Reſp. quid quæſo aliud? hic eſt ultimus hominis finis. Porro cum omnia propter ultimum finem amanda ſunt, tum nihil præter ipſum. Hinc illud Pſ. 26. v. 4. *Unam petii a Domino, (ait unam) hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ*; & Pſ. 72. v. 25. *Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum*.

Id explicare tradit D. Auguſt. enarr. in Pſ. 55. n. 17.

Digitized by Google

87. (t. 4. col. 526.) *Nos ergo, inquit, Deum amemus, Fratres, pure, & caſte. Non eſt caſtum cor, ſi Deum ad mercedem colit. Quid ergo? mercedem de Dei cultu non habebimus? Habebimus plane, ſed ipſum Deum, quem colimus. Ipſe nobis merces erit, quia videbimus eum, ſicuti eſt . . . Noli extra eum aliquid ab eo quærere, ipſe tibi ſaſſ it.*

Et in Pſ. 72. n. 32. (col. 766. 67.) *qui aliud præmium petit a Deo, & propterea vult ſervire Deo, carius facit, quod vult accipere, quam ipſum, a quo vult accipere. Quid ergo, nullum præmium Dei? Nullum præter ipſum. Præmium Dei, ipſe Deus eſt. Hoc amat, hoc diligit: ſi aliud dilexerit, non erit caſtus amor.* Ex quo etiam intelligitur, diligentes Deum ſolum propter vitam æternam, Deum non diligere propter aliud, ſed propter ſe; quia hi nihil prorſus aliud quærunt, niſi Deum ipſum. Quærunt, inquis, ſuam ipſorum beatitudinem. Reſp. ergo nihil quærunt, niſi Deum; quia hominis beatitudo Deus eſt. Quare rectiſſime Deum amant, qui cum Regio Pſalte ajunt, *Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.* Hinc D. Aug. lib. 1. de Doct. Chriſt. c. 3. (t. 3. p. 1. col. 6.) *res ergo aliæ ſunt, quibus fruendum eſt, aliæ, quibus utendum . . . Illæ, quibus fruendum eſt, beatos nos faciunt. Iſtis, quibus utendum eſt, tendentes ad beatitudinem, adjuvamur, & quaſi adminiculamur, ut ad illas, quæ nos beatos faciant, pervenire, atque his inhærere poſſimus.* Ergo qui quærit beatitudinem, illud quærit, ut Deo fruatur, hoc eſt ut ei amore inhæreat propter ſeipſum. *Frui enim*, ait idem D. Aug. ibidem, *eſt amore alicui rei inhærere propter ſeipſam.*

At mihi objicies D. Th. 2. 2. q. 26. a. 3. ad 3., ubi ait, *quod hoc, quod aliquis velit frui Deo, pertinet ad amorem, quo Deus amatur amore concupiſcentiæ. Magis autem amamus Deum amore amicitiæ, quam amore concupiſcentiæ, quia majus eſt in ſe bonum Dei, quam bonum, quod participare poſſumus fruendo ipſo.*

Reſp. Hic ſane videtur contrarium D. Auguſtini verbis mox citatis, ex quibus *velle frui Deo* idem eſt, ac amore velle illi inhærere propter ſeipſum. Qui eſt amor amicitiæ, non concupiſcentiæ. Qui Deo in cœlis fruuntur, illum certe amant amore puriſſimo amicitiæ: ergo qui Deo frui in cœlis cupiunt, puriſſimum Dei amicitiæ amorem cupiunt: qui puriſſimum Dei amicitiæ amorem cupiunt, Deum amant amore amicitiæ, non concupiſcentiæ: ergo qui Deo frui volunt, eum amant amore amicitiæ, non concupiſcentiæ, quæ eſt D. Auguſtini ſententia. Quomodo ergo S. Thomas cum ſuo Magiſtro S. Auguſtino conciliari hic poteſt?

Reſp. Dei fruitio & ſummum noſtrum bonum eſt, & purus caſtuſque, ut S. Auguſtinus loquitur, Dei amor, qui amicitiæ amor eſt.

Qui volunt Dei fruitionem eo ſolo nomine, quatenus ſummum hominis bonum eſt, hi amant Deum amore concupiſcentiæ; & hoc ſenſu S. Thomas accipiendus eſt. Qui Dei fruitionem volunt, quatenus Dei puriſſimum amorem includit, hi amant Deum amore amicitiæ. Qui abſolute Dei fruitionem volunt ſine ulla metaphyſica præciſione, hi quoque Deum amant ex dictis puriſſimo amicitiæ amore; & hac ratione intelligendus eſt S. Auguſtinus, quem ſine præciſione locutum puto. Huc quoque ſpectant citata Scripturæ oracula.

Animadversio I.

Juxta Buſ. hoc tantum probabile eſt, non certum; ideoque affert opinionem Palai, *qui dicit probabile eſſe, quod non obliget*, nec eam rejicit. Reliquæ obligationes amandi Deum, quas Buſ. producit, non ex affirmativo caritatis præcepto, ſed aliunde derivantur; ex quo fit, ut admiſſa veriatiſ probabilitate, amor Dei ſine culpa omitti poſſit toto vitæ tempore ex vi præcepti diligendi Deum, quod eſt proſcriptum in prop. 1. ab Alex. VII. damnata. Subdit quidem Buſ. *Quibus aliqui addunt articulum mortis abſolute*; at hanc opinionem nec probat, nec improbat. Verum ea etiam admiſſa, incidit nihilominus in prop. 5. ab Innoc. XI. damnatam. Præterea etiamſi Buſ. admitteret abſolute obligationem amandi Deum tum vitæ rationalis initio, tum in fine, rejectis, ut debuerat, contrariis opinionibus, nihilominus aperte impingit in prop. 6. ab Innoc. XI. proſcriptam, quæ ita ait: *Probabile eſt, ne ſingulis quidem rigoroſe quinquenniis per ſe obligare præceptum caritatis erga Deum.* Sed illud quoque animadverſione dignum eſt *præceptum caritatis Dei obligare*, juxta Buſembaum, non cum homo rationis uſu potitur, *ſed cum adeptus eſt ſufficientem cognitionem Dei infinite boni, a quo &c.* non antea. Quid, quæſo, hoc rei eſt? an ignorantia Dei infinite boni poteſt eſſe inculpabilis? Si ita eſt, atheiſmus ſaltem negativus, quo ſcilicet Deus ignoratur, ideoque non colitur, erit inculpabilis; quod eſt aperte contrarium Ap. Rom. 1. v. 20. dicenti: *Inviſibilia enim ipſius a creatura mundi per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur: ſempiterna quoque ejus virtus, & divinitas, ita ut ſint inexcuſabiles.* An puer, cum nondum adeptus eſt ſufficientem cognitionem Dei infinite boni, ejus amandi præcepto eximitur, quia præceptum non advertit? At non peccari, niſi præceptum advertatur, error pelagianus eſt, ut non ſemel monuimus. Nolo hic immorari in examinandis iis verbis: „ Notat autem Con. non ſtatim poſt talem notitiam peccare „ mortaliter, ſed tantum, ſi differat notabiliter, v. „ g. ultra annum; " illud enim *ſed tantum, ſi differat . . . v. gr. ultra annum*, eſt aperte falſum, ut ex mox dicendis liquebit.

Contra illud dictum in fine Reſp. *Ex quod tunc* (hoc eſt in articulo mortis) *ſecuriſſima via eligenda ſit*, notandum, *tutioriſmum* eſſe ſemper improbandum; in dubiis tutiorem viam ſemper eſſe eligendam; nec aliam doctrinam in morte, aliam in vita eſſe tradendam, ſed ſemper eandem, quidquid Buſ. aut alii contra dicant.

Exploſo igitur Buſembao, qui ſane primum, & maximum mandatum fœde corrupit, hujus mandati explicatio aliunde petenda eſt.

Sicuti jure naturæ parentes honorandi ſunt, hoc eſt amore, reverentia, & obedientia proſequendi; ita Deus optimus omnium parens eodem naturæ jure non ſolum colendus eſt, ſed etiam amandus. Obligatio autem amandi opt. parentem Deum nobis fidei lumine illuſtratis multo magis ſplendeſcit ex ingentibus, & ſupernaturalibus beneficiis, quibus nos ab eo cumulatos novimus, & ex ipſa lege, quam nobis impoſuit. Hæc eadem beneficia tum naturalia, ut creatio, conſervatio &c. tum ſupernaturalia, ut redemptio, ſacramenta, præſidia tum interna, tum externa, quibus ad cæleſtem beatitudinem, propter quam nos condidit, provehit, atque æternus ejus, & perennis, & nunquam interruptus in nos amor, evincunt, amorem noſtrum erga Deum non ſolum ſummum eſſe oportere, ſed humano more efficiendum, hoc eſt valde frequentem. Hanc frequentiam inculcant verba, quibus lex caritatis concepta eſt. Ita enim Deus Deut. 6. loquitur, & præcipit: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua; eruntque verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo, & narrabis ea filiis tuis, & meditaberis in eis ſedens in domo tua, & ambulans in itinere, & dormiens, atque conſurgens; & ligabis ea, quaſi ſignum in manu tua, eruntque, & movebuntur inter oculos tuos, ſcribeſque ea in limine, atque oſtiis domus tuæ.* Quorum enim Deus tanta vi inculcat, ut hoc præceptum menti ſemper obverſetur, niſi ut cor noſtrum in amoris actus ſæpiſſime erumpat?

Si Deus ex præcepto ſumme amandus eſt, frequentiſſime quoque amandus eſt. Quæ cum maxime diligimus, ſæpiſſime diligimus. *Ubi enim*, inquit Chriſtus Matth 6., *theſaurus veſter eſt, ibi & cor veſtrum erit.*

Mandatum diligendi Deum eſt omnium maximum, primum, & finis. *Finis autem præcepti eſt caritas.* 1. ad Tim. 1. ergo præ omnibus cordi eſſe nobis debet: ergo frequentiſſime exercendum. Huc ſpectat illud Joann. 15. *Manete in dilectione mea.* „ Patres fere o- „ mnes (inquit Concina Theol. t. 2. p. 336. n. 2.) „ illud *manete* ſic interpretantur, ut perſeverantiam „ conſtantem in divina dilectione exprimat: " Huc illud D. Petri 1. 4. *Ante omnia autem mutuam in vobiſmetipſis caritatem continuam habentes*: ergo multo magis erga Deum. Itaque præceptum divini amoris per ſe obligat non ſolum initio uſus rationis, & in fine vitæ, & ſaltem ſemel ſingulis annis, ut de fide, & ſpe dictum eſt, ſed frequentius, puta ſemel ſingulis hebdomadibus, ut probabile putat Concina Theol. t. 2. p. 341. n. 9. & 10. & p. 343. n. 11. hinc ipſe La-Croixius p. 175. n. 141. poſtquam varias hac de re protulit ſententias, ita concludit. „ Itaque cum in „ tanta ſententiarum varietate neſciamus *, quando, & „ quoties ſit diligendus Deus, arripiamus tutiora, tum „ ut ſic aſſueſcamus dilectioni Dei, tum ut certo ſatisfiat præcepto, tum etiam quia actus dilectionis eſt „ omnium præſtantiſſimus, & ſuper omnes alios meritorius. Neque id cenſeri debet nimis difficile. Nam „ ſi ho-

* Neſcimus determinate, quoties intra quinquennium, aut biennium, aut annum diligendus Deus ſit; ſed ſcimus tamen, eum eſſe ſæpe diligendum ex lege naturæ, & divina.

„ ſi homines toties diebus occupari poſſunt amore creaturæ, voluptatis, lucri &c. cur non magis Dei, qui „ ſolus eſt omni amore digniſſimus? “ Hoc nos præcepti loco habere debemus; quia in dubio, maxime in præcepto omnium maximo, via tutior ex præcepto eligenda eſt. Cæterum ut huic præcepto ſatisfiat, non ſunt neceſſariæ certæ verborum formulæ. Deum amat, qui ex animo ait, *Sanctificetur nomen tuum, fiat voluntas tua*; qui Crucifixum ex corde oſculatur, qui ex animo inquit, Deus meus, vel amor meus, es tu, vel ſimilia. Eum quoque huic præcepto ſatisfeciſſe merito credimus, qui Dei mandata diligenter obſervat. Nam Chriſtus Joann. 14. 21. inquit: *Qui habet mandata mea, & ſervat ea, ille eſt qui diligit me*. Inculcandum tamen eſt hoc præceptum præcepti, non conſilii loco a Concionatoribus, Confeſſariis, Parochis, & de eo in confeſſione interrogandi, quos illud omiſiſſe ſuſpicantur; ex quorum numero non paucos, ſed multos eſſe putandum; quia pauci ſunt, qui Dei præcepta vere obſervent, & integre.

P. Zach. p. cxvii. inquit. „ Tract. iii. cap. i. „ quum Buſ. dixiſſet, probabile eſſe, præceptum caritatis Dei obligare, “ *quando homo adeptus eſt ſufficientem cognitionem Dei infinite boni, a quo omnia ſua bona habet, & cui omnia debet*, „ quid quæſo hoc rei „ eſt, inquis? An ignorantia Dei &c.“ Et mea verba deſeribit uſque ad textum Ap. Rom. i. v. 20. Tum ſubdit. „ Sed pudeat te, mi Franzoja, adeo in Theologicis rebus hoſpitem eſſe, ut neſcias, non paucos primi ſubſellii Theologos eſſe, qui doceant, moraliter „ quidem impoſſibilem eſſe Dei ignorantiam invincibilem; „ dari tamen reapſe aliquem poſſe rudem adeo atque „ bardum, ut ad breviſſimum tempus Deum ignoret. „ Quamobrem Buſ., quem hæc clariſſimorum Theologorum ſententia minime latebat, ſapientiſſime addidit „ ea verba, quæ tu inſcite reprehendis: “ *Quando homo adeptus eſt ſufficientem cognitionem Dei*. Reſp. Mirum ſane, quod P. Zach. vix pauca verba dicat, quin in non paucis non parum reprehendendus ſit. Omiſſis aliis, quibus Buſ. ſententiam corruptam, & damnatam eſſe, evici; verba a me indicata, additamenti loco poſita, veluti doctrinæ cardinem includerent, aggreditur, periode ac ſi iis, ſi fieri poſſet, labefactatis, Buſembaum in tuto eſſet. Hæc eſt, mi Zach., prima tua aberratio, ſeu callida cavillatio. Sed quid agis? Buſ. illis ſuis verbis *probabile eſt* &c. generalem regulam tradit; tu vero *dari tamen reapſe poſſe aliquem* &c. de extraordinario aliquo caſu loqueris, & æquivoco laboras; ſeu extra chorum ſaltas. En altera tua aberratio.

Tertio de tempore indefinite pronuntiat Buſ. *Quando homo adeptus eſt* &c. tu vero de breviſſimo tempore *ad breviſſimum tempus*. Ergo hic quoque extra chorum ſaltas. Hæc eſt tertia tua aberratio.

Buſ. ſuis dictis generice, & indefinite enunciatis, non ſolum primum, & maximum præceptum amandi Deum cum Pelagio concordans ab hominis cognitione pendere contendit; ſed quod hinc ſponte ſua oritur, hominem ad quinquennium, decennium, & toto vitæ ſpatio ab eius obligatione liberat, ſi toto hoc tempore Dei infinite boni notitiam non adipiſcatur; quæ doctrina horrenda maxime eſt, & propoſitionibus 5. & 6. ab Innocentio XI. proſcriptis damnabilior. Nihilominus, mi Zach., Buſembau verba veluti *ſapientiſſime* addita laudas, meque inſcitiæ, quod ea reprehenderim, carpis. Hoc eſt quartum tuum erratum non callidum, ſed craſſum non exiguum, at ſeſquipedale. Adde reliqua tua errata. Buſemb. non iis tuis clariſſimis Theologis, quorum doctrinam affers, & nomina aſtute ſiles, ſed aliis nititur. Molina Theologus penes te primi ſubſelii 1. p. q. 2. art. 1. ait, *tam rudes, & incultos poſſe aliquos homines eſſe, ut maxima cum poſſibilitate affirmare poſſimus in eis ignorantiam invincibilem Dei poſſe reperiri .... porro ea ignorantia excuſabuntur a peccato infidelitatis; & quod Deum non colant, nec ei debitum honorem exhibeant, non erit eis culpæ tribuendum*. Hac de re tum quæ hic, tum quæ animad. iii. in lib. ii. t. i. cap. i. & animad. item iii. cap. ii. t. 2. earumque additionibus contra P. Zach. ſcripſi, conſuli poſſunt. Videt Covetium lib. 4. p. 185. 200. Tuus La-Croix t. 1. p. 148. n. 744. ad 7. loquitur. *De Deo communiter docetur; quod non poſſit ignorari invincibiliter, ſaltem non diu*; nihilque addit.

Hos, mi Zach., laudas, & probas. At ſi nonnulli ex tuis clariſſimis Theologis, ut tuus Molina, & Buſ., longe peiora his ſcribant, erunt ne probandi? Qua ratione, aut Patrum, vel Scripturæ auctoritate tuos clariſſimos Theologos hic defendis? Eorum doctrina Apoſtoli textui Rom. 1. v. 20. a me exſcripto adverſatur. An Dei ignorantia ad breve, ſeu breviſſimum tempus, Dei ignorantia non eſt? Apoſtolus ſine ulla limitatione loquitur. Ergo ex mero arbitrio, ſeu quoad homines, ſeu quoad tempus ejus doctrina reſtringitur. Rationes, & auctoritates locis mox citatis a me adductæ, Dei ignorantiam non eſſe invincibilem, abſolute evincentes, illud quoque evincunt, Dei ignorantiam ne ad breve quidem tempus excuſari poſſe. Apoſtolus ad Heb. xi. v. 6. inquit: *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo*. Tu autem non ſolum ſine fide, ſed etiam ſine naturæ lege poſſibile ais, placere Deo eo ipſo, quod affirmare audes, Deo cultum ſine culpa ex invincibili ignorantia negari poſſe ad breve tempus, & conſequenter idolis ſacrificia offerri.

Si hæ immunes culpæ ad breve tempus excuſari poſſunt, multo magis adulteria, inceſtus, peccata luxuriæ contra naturam, Parentum, Principum cædes &c. Tortuoſa ingenia in omnem ſe partem verſare poſſunt, at nihil boni, & recti excogitare hic poſſunt, ut tam abrupta dicta defendant. Illa prop. *Nonniſi fides unius Dei neceſſaria videtur neceſſitate medii, non autem explicita remuneratoris* ab Innoc. XI. n. 22. damnata eſt. Tu autem non ſolum explicitam fidem Remuneratoris, ſed etiam unius Dei negas eſſe neceſſariam neceſſitate medii, quia ſine explicita unius Dei fide hominem ſine peccato ad breve tempus ex invincibili ignorantia vivere poſſe contendis. At nos miſſis his portentis cum Apoſtolo Rom. 2. concludamus: *Quicumque ſine lege peccaverunt, ſine lege peribunt*.

At Zach. inſtat. „ Sed & illud animadvertere debueras, Deum, licet eius exiſtentia, & mundanarum „ rerum Conditoris ignorari ne metaphyſice quidem poſ„ ſet; ignorari tamen invincibiliter ad aliquod tempus „ poſſe etiam a minus rudibus ſub aliis rationibus, quæ „ divinarum perfectionum ſunt. Quid ſi ergo quis „ Deum exiſtere ſciat, fateaturque; ignoret tamen „ Deum ſub ratione infinite boni, a quo omnia bona „ ſua habet, & cui omnia debet? An id impoſſibile „ omnino putas in ruſticis etiam Italorum pueris?“

Reſp. Id in omnibus impoſſibile puto. Qui enim Deum rerum mundanarum conditorem eſſe intelligit, ſui quoque auctorem eſſe percipit. In idea conditoris mundanarum rerum includitur notio conditoris ſui ipſius, ita ut contradictorium ſit, noſſe Deum rerum omnium, quæ in mundo ſunt, ipſiuſque mundi auctorem, & ignorare ipſum ſui auctorem. Quod ſi auctorem agnoſcunt, omnia bona quæ habent, ipſi accepta non referre non poſſunt.

Zach. „ Vidi ego, inquit, non paucos cum in Brixianorum agro, tum in aliis Italiæ, atque adeo Etruriæ, quæ excultiſſima eſt, pagis pueros, qui num „ Deus quiſpiam exiſteret, interrogati, adfirmabant ſtatim. Sin autem pergeres, ex iiſque ſciſcitaveris, „ Deo ne ſe totos, ſuaque omnia deberent, hæſiſſe, „ perinde ac ſi turcica neſcio quæ blaterares.“

Reſp. Italiæ parietes, ut ita loquar, nedum homines clamant, Deum eſſe infinite bonum, omniumque bonorum auctorem. Qui Deum infinite bonum eſſe, ignorant, Dei notionem non habent, hoc eſt Deum ignorant. Si tua narratiuncula vera eſt, non recte interrogaſti rudes, & pueros. Interroga. Eſt ne Deus? reſpondent, maxime. Eſt ne omnium rerum creator? quis dubitet? Eſt ne tui quoque, & omnium bonorum, quæ habes, conditor? Quis neget? Ergo illi omnia bona, quæ habes, accepta referenda ſunt. Hæc ſtatim omnia fatentur; quia hæc omnia norunt; licet ad interrogata alio modo, ac fieri ſolet, ſeu non perſpicue propoſita, reſpondere neſciant; quia forte putant, aliquid ſibi ignotum interrogari. Sed miſſis his interrogationibus, compendio interroga, utrum Deus amandus ſit, utrum ſuper omnia amandus, neminem non affirmantem invenies.

Quamquam hæc facti quæſtio ad rem non facit. Si qui ignorat, Deum eſſe infinite bonum, & maxime amandum, eius ignorantia ex ſe, ſeu diuturna, ſeu brevis ſit, culpæ vertenda eſt, ut oſtendi.

Deus, qui a nobis maxime amari vult, & præcipit, lumen quoque ſuæ infinitæ bonitatis nobis infundit, ſuoque auxilio præſto eſt, ut eum maxime amare poſſimus. *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine*. Qui contraria docere audent, Deum impoſſibilia nobis præcipientem ſibi confingunt, non ſine maxima infinitæ ejus ſapientiæ, & bonitatis injuria.

CAPUT II.

De præceptis Caritatis erga proximum.

Caritas proximi præcipit. 1. Ordinem in eo diligendo. 2. Dilectionem inimicorum. 3. Eleemoſinam. 4. Correptionem fraternam. Deinde prohibet. 1. Odium proximi. 2. Scandalum. 3. Ne injuriam, bellum, aliudve grave damnum, vel malum

Digitized by Google

lum inferatur. De quo poſtremo agetur in Decalogo: de reliquis hic.

DUBIUM I.

Quis ordo ſervandus inter perſonas, quæ diliguntur?

Reſp. 1. Ordine Caritatis (a) quiſque tenetur poſt Deum diligere. 1. Seipſum, ſecundum bona ſpiritualia. 2. Proximum, quoad eadem bona. 3. Seipſum, quoad bona corporalia. 4. Proximum, quo ad eadem. 5. Denique ſeipſum, & deinde proximum quoad bona externa. Ita Laym. *l.* 2. *t.* 3. *c.* 3. ex S. Th. & commun.

Unde reſolvuntur hi caſus.

1. Peccat contra caritatem ſui, (b) *qui ſalutem ſuam ſpiritualem, vel corporalem negligit:* quod grave eſt, ſi fiat ſine cauſa, & cum gravi damno, v. g. mortis, vel gravis morbi. Trul. *l.* 2. *cap.* 6. *d.* 1.

2. Nullius boni conſequendi cauſa licet peccare, etiam venialiter; quia talis vellet ſibi malum ſpirituale. Laym. *ibid.*

3. Tenetur quiſque proximo in extrema neceſſitate ſpirituali conſtituto ſuccurrere, (c) *etiam cum certo vitæ periculo:* dummodo ſit æque certa ſpes illum juvandi, *neque gravius inde malum immineat* * v. g. teneris cum vitæ periculo baptizare, vel abſolvere moriturum, ſi alius non adſit, qui faciat. S. Aug. *lib. de mend.* S. Thom. *q.* 26. *art.* 5. Reg. *cap.* 4. Dixi, *in extrema:* v. g. qua certo putetur moriturus in mortali: quia in gravi tantum obligatur is, qui ex officio alienam ſalutem curat, ut Parochus; cui ideo non licet fugere tempore peſtis, niſi ſubſtituto æque idoneo. Val. nr. & Laym. *l. c.*

4. Ordinarie non licet vitam ſuam poſtponere alienæ. Addo, *ordinarie:* quia licet, ſi ſit perſona publica, a qua multum pendet: uti etiam pro Repub. pro fide, & religione defendenda; *imo etiam pro amico propter Deum dilecto.* Leſſ. *l.* 2. *c.* 9. Laym. *l. c.* ANIMAD. I.

Reſp. 2. *Quoad proximos inter ſe ſervandus eſt hic ordo.* 1. *Qui melior eſt, magis diligendus eſt, ea dilectione, quam comitatur gaudium circa bona poſſeſſa, item honor, cultus, & reverentia. Sic v. g. plus diligendus eſt vir ſanctus, quam parens improbus.* Ratio, quia eſt magis conjunctus cum præcipuo objecto caritatis, quod eſt Deus. Item parentes magis, quam filii, vel uxor; magisque benefactores, quam ii, quibus benefecimus. Laym. *l. c.* & comm. 2. Appretiative, & dilectione ea, qua alteri optamus bonum nondum poſſeſſum cum beneficentia, magis diligendi ſunt ii, qui nobis ſunt conjunctiores quoad ea bona, quæ ſunt debita tali conjunctioni, & in quibus hæc fundatur. ANIMAD. II.

Unde reſolves.

ANIMAD. III. 1. *In bonis pertinentibus ad naturam, & vitam corporalem conſervandam, ſubveniendum eſt (extra neceſſitatem extremam) primo omnium uxori, quia eſt una caro cum viro. 2. Filiis. 3. Parentibus, & quidem patri præ matre. 4. Fratribus, ſororibus, deinde propinquis, domeſticis, & familiaribus.* Dixi *extra extremam neceſſitatem;* quia in hac parentes, eo quod vitam dederint, præferendi ſunt etiam uxori, & liberis. Laym. *ibid. n.* 5. & 6.

ANIMAD. IV. 2. *In rebus pertinentibus ad civilem communicationem præferendi ſunt concives, in bellicis commilitones, in ſpiritualibus ſpirituales filii, patres, fratres.* Bannez tamen probabiliter docet, parentes carnales, etiam in ſpiritualibus aliis omnibus præferendos: quia conjunctio carnalis eſt fundamentum aliarum conjunctionum. V. Laym. *hic l. c.*

DUBIUM II.

De odio, & dilectione inimicorum.

Certum eſt inimicos aliquo modo diligendos, cum ſint proximi. Cum S. Th. 2. 2. *qu.* 25. *art.* 8. communiter omnes. Sed quæritur de modo, & an poſſint odio haberi?

Reſp. 1. Quilibet homo, ſaltem privatus, tenetur proximo, etiam inimico, communia dilectionis ſigna, & beneficia exhibere ex præcepto; ſpecialia vero ex conſilio tantum, niſi aliunde ratio obligationis accedat. Ita comm. cum Laym. *c.* 4. ex S. Thom. *l. c. qu.* 25. *art.* 8. & 9. Dixi 1. *communia,* qualia ſecundum Cajet. v. *Odium,* ſunt, quæ Chriſtiano debentur a quovis Chriſtiano in communi, concivi a concive, cognato a cognato. Ratio autem eſt, quia iſta negare eſt vindicare injuriam, quod non licet privato. Dixi 2. *niſi aliunde accedat ratio obligationis,* qualis eſſet, v. g. 1. Timor ſcandali ex omiſſione. 2. Spes ſalutis inimici, vide Azor. *t.* 2. *l.* 1. *c.* 3. 3. Neceſſitas temporalis, vel ſpiritualis. 4. Culpæ deprecatio, & exhibitio ſpecialium ſignorum amoris. Ratio eſt, quia in his caſibus, neglectus ſpecialium ſignorum eſſet exterior odii declaratio. Laym. *l. c.*

Unde reſolves caſus ſequentes.

1. *Per ſe loquendo, nemo tenetur ad inimicum diligendum poſitivo, & peculiari actu, neque ad eum ſalutandum, alloquendum, ægrotum inviſendum, mæſtum conſolandum, hoſpitio excipiendum, vel familiariter cum eo agendum,* &c. quia hæc ſunt ſigna ſpecialia amoris. Fill. *t.* 28. *c.* 1. Dico, *per ſe:* quia ſi omiſſio ſcandaloſa eſſet, aut per aliquid horum poſſes ſine tuo incommodo inimicum tibi, & Deo reconciliare, id omittere eſſet grave; uti etiam, ſi inæqualis perſonæ ſoleret alium ſalutando prævenire; v. g. ſubditus Prælatum. Laym. *l. c.* ANIMAD. V.

2. Non licet inimicum excludere a communibus orationibus, v. g. Oratione Dominica, & quæ pro communitate inſtituitur, nec a communibus eleemoſynis, reſalutatione, reſponſione, expoſitarum rerum venditione; quia hæc ſunt communia dilectionis ſigna: ideoque contra hæc facere, v. g. cognatos omnes invitare, obvios omnes ex vicinia, vel collegio ex conſuetudine ſalutare, ſolo inimico excluſo, eſt ex genere ſuo, & regulariter mortale. S. Thom. Nav. Laym. *ll. cc.* Addo 1. *ex genere ſuo:* quia, ſi levitas materiæ, aut cauſa rationabilis excuſet, v. g. ſi Pater, vel Superior filio, vel ſubdito ob correctionem ea ſubtrahat ad tempus, leve, vel nullum erit: quia habet jus puniendi. Addo 2. *regulariter:* quia ſi perſona multo major inferiorem non reſalutet, v. g. nobilis ruſticum, pater filium, non videtur mortale, ut notat Sa, v. *Caritas.* Bon. *d.* 3. *q.* 4. *p.* 3. V. Azor. 3. *p. l.* 12. *c.* 12. 13.

3. Etſi quivis teneatur inimico veniam legitime petenti non tantum interius remittere, ſed etiam externa remiſſionis ſigna oſtendere; *negat tamen* Trul. *l.* 15. *c.* 5. *d.* 5. ex Azor. & Fill. *teneri ſtatim poſtquam offenſio eſt illata, eo quod ſit res violenta, & ſupra fragilitatem humanam.* Non tenetur autem remittere ſatisfactionem pro damno, ſi ab eo illatæ ſui: *imo nec eam acceptare, ſi offerat; ſed etiam judicialiter poteſt compenſationem petere, dummodo in utroque caſu ponatur odium,* ut docent Val. Nav. Laym. *l.* 2. *t.* 3. *c.* 4. Quod ſi tamen pœna ſit valde gravis, v. g. capitis, mutilationis, neque læſo ea ex commodum proveniat, non videtur ea, deprecante altero, ſine peccato vindictæ poſſe expeti. *Similiter, ſi ſatisfaciat, quantum poteſt, ad id quod non poteſt, eum urgere, videtur contra caritatem,* ut docet Sylv. & Fill. *t.* 28. *c.* 12. *q.* 9. ANIMAD. VI. ANIMAD. VII. ANIMAD. VIII.

Reſp. 2. Etſi odium inimicitiæ, ſive perſonæ ſecundum ſe, & bonorum, quæ in ſe habet, volendo ſcilicet illi malum, ut ſic, ſive quatenus illi malum eſt, ex genere ſuo ſit mortale; *odium tamen abominationis, ſive qualitatis, quo non hominem, ſed ejus malitiam, vel ſaltem perſonam tantum quatenus malam, vel nobis noxiam averſamur, ſæpe licitum eſt,* ut docent Kon. *art.* 29. *d.* 3. & communiter. ANIMAD. IX.

Unde reſolves ſequentes caſus.

1. *In confeſſione ſatis eſſe, ſi dicas, te grave malum* ANIMAD. X.

* Neque &c.. Quorſum hæc verba?

ſum voluiſſe proximo: nec opus eſſe explicare ſpeciem mali, v. g. mortem, infamiam, &c. *quod omnia comprehendantur ſub una ratione mali*: Cajet. Bon. Turr. Trol. *l.* 4. *c.* 5. docent probabiliter: *ſed contrarium probabilius docent* Suar. & Pal. *t.* 6. *d.* 4. *p.* 1.

2. Licet proximo velle malum aliquod, v. grat. temporale (dummodo non ſit juſto gravius) quarenus id illi bonum eſt, v. g. morbum, vel adverſitatem, ut a peccatis emendetur. Bon. *d.* 3. *q.* 4. *p. ult.* §. 1. *ex multis*. Cavendum tamen eſt, ne fiat ex vindicta, ex qua ſi Pſalmum 108. ſuper inimicum tuum legas, pecces mortaliter. Generatim vero, ob bonum ſpirituale, proprium, vel alienum, licet mala pœnæ *inefficaci effectu* * aliis velle: quia, cum in hoc affectu bonum ſpirituale præferatur temporali, non eſt inordinatus. V. Leſſ. *l.* 2. *c.* 47.

Sic licet, v. g. mortem optare hæreſiarchæ, vel publicæ pacis turbatori, ob bonum commune, & multorum, juxta illud Gal. 5. *Utinam abſcindatur*. Item triſtari de eo, quod dignitates conferantur indignis, vel de ſanitate ejus, qui ex illa ſumit occaſionem peccandi. Item mortem, egeſtatem, aut morbum alicujus deſiderare, ut ceſſet a peccatis, &

Animad. XI. vitam in melius mutet. *Eadem ex cauſa* Bon. Azor. & Palaus *tit.* 6. *p.* 1. *n.* 11. *excuſant e peccato matrem, quæ mortem filiarum exoptat, eo quod ob deformitatem, vel inopiam commode, & honeſte nuptui tradere non poſſit. Etſi vero ſibi ipſi optare mortem* Nav. & *ceteri dicant eſſe mortale; ad evitanda tamen gravia mala* v. g. *afflictionem internam, id licere volunt* Sanchez, Sot. Gran. Dian. *p.* 5. *t.* 14. *R.* 92. Ita & Trull. *l.* 1. *d.* 2. *n.* 11. *excuſat feminam, quæ ſibi, vel alteri mortem optat ad vitandam gravem infirmitatem, mendicitatem, vitam acerbam,* &c. *vel alia ſimilia mala a marito, v. g. inflicta, vel infligenda. Mulierculas tamen ob minimas moleſtias mortem optantes,* Dian. *l. c. mortalis damnat, niſi (ut plerumque fit) excuſet defectus advertentiæ, & deliberationis*.

Animad. XII. *3. Privatus, qui averſus ab alio fugit illum, ſi id faciat, ut eum ſuo colloquio, & ſolatio privet, atque ita contriſtet, & male illi ſit, eſt odium inimicitiæ, & peccatum; ſi vero nihil mali optando tantum fugiat, quia natura eſt deformis, vel ſibi ſolet eſſe moleſtus, eſt odium averſionis, & peccatum, ſi ſit ſine ratione: quale non erit, ſi ſit perſona valde aſpera, modo abſit contemptus, ſcandalum, & vindictæ cupiditas*. V. Bon. *l. c.*

DUBIUM III.

De præcepto eleemoſynæ, ſeu miſericordiæ corporalis.

Suppono 1. hujus præcepti obligationem naſci ex duplici capite. 1. Ex neceſſitate proximi egentis. 2. Ex perſona poſſidentis bona vel neceſſaria, vel ſuperflua.

Suppono 2. duplicem dari neceſſitatem proximi. 1. Dicitur extrema, ex qua egenti imminet periculum vitæ, vel etiam gravis, & diuturni morbi, ſecundum Dian. *p.* 5. *t.* 8. *R.* 1. 2. Gravis, ex qua imminet periculum gravis mali, ut captivitatis, infamiæ, gravis jacturæ bonorum, vel ſtatus, unde fiat, ut difficulter ſe poſſit ſuſtentare; v. g. ſi non poſſit vivere ſecundum ſuum ſtatum, vel ſi nobilis cogatur alteri famulari, vel artifex, aut vir honeſtus mendicare. 3. Dicitur communis, qua laborant mendici triviales. Laym. *l.* 3. *t.* 2. *c.* 6.

Suppono 3. bona neceſſaria, & ſuperflua dici, vel reſpectu vitæ, ſive naturæ, vel reſpectu ſtatus, vel decentis conditionis perſonæ; *quomodo ſæculares raro putant ſe habere ſuperflua*, ut docet Laym. &

Animad. XIII. Nav. *c.* 24. *Nam quæ ſunt neceſſaria ad alendos liberos, famulos, honeſtas donationes, convivia, hoſpitum tractationem* (qualia tamen non ſunt, quæ ad quemcumque faſtum, & pompam quiſque ſibi requirit) ſpectatis etiam communibus eventibus, heredibus, neceſſitate futura, &c. non ſunt ſuperflua.

Reſp. 1. Nemo tenetur dare eleemoſynam ex bonis ſibi ad vitam neceſſariis, niſi eſſet perſona talis, ex qua penderet ſalus Reipub. Eſt communis. Et ratio patet ex ordine caritatis.

Reſp. 2. Probabile eſt, ex ſuperfluis naturæ, & ſtatus teneri aliquem, etiam in gravi neceſſitate, ſuccurrere proximo, ſi probabiliter putet alium non ſubventurum: idque, ut Azor. *t.* 2. *l.* 12. *c.* 7. Syl. & Fumus volunt, ſub mortali, contra Medin. qui vult eſſe tantum conſilium. Ratio eſt, quia cum in Scriptura frequenter damnentur homines ob neglecta opera miſericordiæ, hæc non ſunt reſtringenda ad extremam, & raram neceſſitatem. V. Laym. *l. c.*

Reſp. 3. Proximo in extrema neceſſitate teneris ſuccurrere ordinarie ex bonis etiam aliquo modo ad ſtatum neceſſariis. Suarez, Laym. *ex communi*. *Sa-* Animad. XIV. *tisfacis tamen probabiliter, ſi des cum onere reſtituendi, quando eris ditior*. Vaſq. &c. contra Suar. Kon. &c. V. Dian. *p.* 5. *t.* 8. *R.* 5.

Addo ordinarie: *quia, ſi majus damnum æſtimaretur, te excidere tuo ſtatu, quam mors pauperis, non tenereris*. Azor. *l. c.* Animad. XV.

Reſp. 4. Probabile eſt, quod proximo in gravi neceſſitate conſtituto quiſque teneatur ſubvenire cum modico detrimento proprii ſtatus: quia parvo ſuo incommodo tenetur magnum incommodum proximi impedire. Laym. *l. c.* ex D. Thom. Bon. *d.* 3. *q.* 4. *p.* 6.

Ex dictis collige.

1. *Homines privati non tenentur inquirere pauperes*. Animad. XVI. Vaſq. &c. *ſi tamen dubitent de extrema alicujus indigentia, tenentur inquirere veritatem*. Sanch. Dian. *p.* 5. *t.* 6. *R.* 39.

2. *Nemo tenetur magnam vim pecuniæ dare pau-* Animad. XVII. *peri, ad pretioſiſſimam medicinam emendam vitæ ſervandæ neceſſariam, vel ad redimendum a periculo mortis*. Sa, & Konin. *diſp.* 27. *dub.* 8. *n.* 135. Et ratio patet ex dictis.

3. Si proximus tantum egeat uſu rei, ſatis eſt illam accommodare, v. g. ſi ab hoſtibus ſpoliato veſtem commodes, vel vulnerato equum, donec domum revertatur. Laym. Bonac. *ll. cc.*

Reſp. 5. *In communibus pauperum neceſſitatibus te-* Animad. XVIII. *netur aliquando dare eleemoſynam, qui habet bona naturæ, & ſtatui ſuperflua*. Ita commun. D. Thom. Suar. Bellarm. contra Navar. & Vaſq. qui negant teneri. Ratio eſt, tum quia quiſque tenetur diligere proximum, ſicut ſeipſum: tum quia alioqui pauperes iſti inciderent in neceſſitatem gravem. *Videtur tamen hæc obligatio tantum eſſe ſub veniali, ut recte Medina*: idque, ſi nulla ſit juſta cauſa negandi: alias ſub nullo, vide Laym. Bonac. *l. c.*

Unde reſolvuntur caſus ſequentes.

1. *Pauperibus trivialibus, etſi ex nuditate, morbo,* &c. *videantur oſtendere ſigna extremæ neceſſitatis, raro quis tenetur ex præcepto ſubvenire, etiam de ſuperfluis*: tum quia fere ad movendos ſpectatores iſta neceſſitas exaggeratur; tum quia ab aliis juvandi præſumuntur. Mald. Wigers. Dian. *p.* 5. *t.* 8. *R.* 17.

2. *Si quis dives, & abundans diu neget omnes* Animad. XIX. *eleemoſynas, cum propoſito dandi meliore, & commodiore loco, ac tempore, vel egentioribus, vel in alium pium uſum convertendi, is non peccat, cum habeat juſtam cauſam negandi; ſi vero talis, ſine rationabili cauſa*, omnes a ſe pauperes inhumaniter repellat, cum dicit Laym. *l. c.* verſari in malo ſtatu.

3. *Nulli omnino quantumvis diviti, omnes paupe-* Animad. XX. *res ſine eleemoſyna repellenti, facile neganda eſt abſolutio; tum ob dubium, & diſſenſum DD. de hac obligatione: tum quia vix reperitur, qui cauſam ſaltem apparentem non prætendat, ſi ſuperflua ſe habere fateatur*. Laym. *ibid.*

4. Etſi dicta de eleemoſyna danda intelligantur reſpectu omnium egentium, etiam peccatorum, infidelium, & inimicorum; damnandi tamen non ſunt Magiſtratus excludentes a ſuis civitatibus, juſta de cauſa, pauperes peregrinos. Laym. *ibid.* Trull. *l.* 1. *c.* 5. *d.* 10.

5. Religioſis æque, ac aliis pauperibus dabentur eleemoſynæ; quia eorum paupertas, & neceſſitas eſt

---

* Hoc omittatur.

Digitized by Google

eſt vera, & juſta, tameſi voluntaria contracta, cum voluntas, & cauſa fuerit rationabilis, & grata
ANIMAD. Deo. Lorc. Dian. *p.* 5. *t.* 8. *R.* 18. *Aliud eſt de iis,*
XXI. *qui ſponte ſua culpabiliter ſunt pauperes, ut vagabundi. ibid.* R. 19.

Reſp. 6. Eleemoſyna tantum facienda eſt ex bonis propriis, & quorum quis liberam habet adminiſtrationem. Poteſt tamen fieri ex alienis, quando proximus eſt in extrema vel quaſi extrema neceſſitate, & aliunde ſuccurri non poteſt: tunc enim omnia ſunt communia. In communi vero neceſſitate, licet tantum cum conſenſu domini tacito, vel expreſſo. V. S. Thom. 2. 2. *q.* 32. *a.* 7. Regin. 286. Fill. Laym. Bon. *l. c. n.* 11. Leſſ. *l.* 2. *c.* 12.

Unde reſolves.

1. Non licet dare eleemoſynam ex bonis obnoxiis reſtitutioni, v. g. furto ablatis, licet tamen ex acquiſitis per opus illicitum (ſed non cum injuſtitia) v. gr. ex lucro meretricum. Ratio eſt, quia hæc ſunt propria; priora non. Bon. *ibid.*

2. Pueris, filiisfamilias, ſervis, ancillis, uxoribus non licet dare eleemoſynam, niſi tenuem, in qua parentum, dominorum, & maritorum voluntas præſumitur. Particulares vero caſus, in quibus uxor dare poteſt, vid. ſuo loco *præcep.* 4. & 6. *c.* 1. *d.* 4. V. Bon. *diſp.* 4. *q.* 4. *p.* 6. Dian. *p.* 5. *t.* 8. *R.* 25. ubi ex Hurt. *notat, ſi pater nullas det eleemoſynas,*
ANIMAD. *poſſe pro eo dare filium.*
XXII. 3. Tutores, & Curatores, & qui habent curam bonorum alienorum, (*d*) *poſſunt facere modicas eleemoſynas* ex bonis, quæ adminiſtrant, quales nimirum ipſi facere deberent, quorum ſunt. Vaſq. Azor. Kon. Dian. *p.* 5. *t.* 8. *R.* 35.

DUBIUM IV.

De miſericordia ſpirituali, ſeu præcepto correptionis fraternæ.

Correptio fraterna eſt admonitio, qua quis proximum conatur revocare a peccato. De qua certum eſt, præceptum eſſe jure tum naturali, quo membra unius corporis ſe mutuo juvare tenentur, tum divino poſitivo, Matth. 18. *Si peccaverit in te frater tuus, corripe ipſum.* Bec. 2. 2. *c.* 21. Laym. *c.* 7. Fill. Bon. *p.* 7. Quæritur autem, quæ ſit ejus materia, quos, & quomodo obligat.

Reſp. 1. Omne mortale peccatum proximi per ſe eſt ſufficiens materia, ut hoc præceptum obliget ſub mortali. Ita communiter. Et ratio eſt, quia, cum vitam ſpiritualem proximi tollat, ſufficientem
ANIMAD. neceſſitatem correptionis inducit. *Dixi* 1. *omne mor-*
XXIII. *tale: quia etſi etiam veniale ſit materia correptionis, non tamen graviter obligans; nec niſi facillime poſſis. Dixi* 2. *per ſe: quia, ſi quis ob timorem, verecundiam, puſillanimitatem putet ſe non ita ſtricte obligatum, vel minus eſſe idoneum ad corripiendum, videtur tantum peccare venialiter.* V. S. Thom. 2. 2. *q.* 33. *a.* 2. & ceteros ſupra cit.

Reſp. 2. Præceptum hoc obligat concurrentibus his circumſtantiis. 1. *Si certo tibi conſtet de peccato proximi:* (*e*) indagare enim tenetur ſolus Superior. 2. Si probabile ſit *non emendaſſe, nec emendaturum,* (*f*) vel relapſurum: quia eleemoſyna egenti
ANIMAD. tantum danda eſt. 3. *Si alius æque idoneus non ad-*
XXIV. *ſit, qui correpturus putetur.* 4. Si ſit ſpes fructus, quia, deſperato fine, ceſſant media. 5. *Si ſit bona occaſio, locus, & tempus opportunum, poſſiſque ſine tuo gravi damno facere.* Quod ſi horum aliquid deſit, præceptum non obligat. *Unde patet ejus omiſſionem in privatis vel nullam eſſe, vel levem culpam.* V. Bon. *l. c.*

Reſp. 3. Etſi hoc præceptum obliget omnes etiam ſubditos, magis tamen Prælatos. Ratio prioris eſt, quia omnes ſunt commembra, teneunturque ſibi externa officia caritatis præſtare. Ratio poſterioris eſt: quia ſubditi tantum ex caritate, Prælati vero etiam ex officio, & juſtitia tenentur. *Unde peccare poſſunt etiam graviter,* veniales culpas non impediendo, (*g*) *ſi vigor diſciplinæ per hoc minuatur.* Eademque fere eſt ratio de patrefamilias præſertim erga liberos. Laym. *l. c. n.* 5. Pal. Trull. *l.* 1. *c.* 5. *d.* 13. & 15. & *ceteri.*

Reſp. 4. Ordo in correptione ſervandus eſt, quem Chriſtus præſcripſit *Matth.* 18. ſcilicet, 1. Ut corripias privatim: deinde coram teſtibus: tum ad Prælatum Eccleſiæ, ſive Superiorem deferas. Excipe tamen. 1. *Niſi præſtet Superiori, viro probo, & pru-* ANIMAD.
denti, quam aliis teſtibus, innoteſcere; prout cautum XXV.
eſt in *Regula S. Aug.* 2. *Niſi peccatum ſit publicum, tunc enim poteſt publice corripi.* 3. *Niſi vergat in grave damnum tertii, aut communitatis, ſi Superiori non ſtatim innoteſcat: v. g. ſi quis proditionem moliatur, hæreſim occulte ſpargat:* tunc enim immediate Superiori indicandum, quia commune bonum præferendum eſt privato. Fill. *t.* 28. *c.* 7. *n.* 149. & 155. 4. Quando corripiendus eſt contentus, ut Superiori ſtatim ſignificetur, ut eſt apud quoſdam Religioſos, qui quoad hoc juri ſuo renuntiaverunt. vide Suar. Becan. Laym. hic, Sanch. Fill. *l. c.*

Ex dictis reſolvitur.

1. Qui facile poteſt impedire peccatum mortale proximi, (*h*) & ob mali temporalis timorem neglexit, peccat mortaliter. Ita Laym. Suarez, Sanchez *l.* 6. *mor. c.* 18. Vid. Palaum hic.

2. Si certo conſtet, fratrem perfecte emendaſſe peccatum occultum, nec ei ac eſſe ullum periculum relapſus, vel damni ipſi, aut alteri, non licet (etiam in Societ. JESU) denuntiare patri, vel Prælato, niſi frater expreſſe in iſtam denuntiationem conſentiat. Sanch. 2. *mor. l.* 6. *c.* 18. *n.* 40. & 60. Pal. *de char. t.* 6. *d.* 3. *p.* 12. Fill. Trull. *l.* 1. *c.* 5. *d.* 14. Suarez, Hurt. *d.* 163. & denique Card. de Lugo *Reſp. mor. l.* 4. *a.* 46. ubi tamen notat, in Soc. JESU caſum eſſe rariſſimum. Ratio autem eſt, quia ceſſat motivum caritatis, atque adeo ratio denuntiandi: *ideoque eſt peccatum,* & quidem, ut Card. Lugo *l. c.* notat ex Suar. *mortale ex genere ſuo.* (*i*) Vid. infra *l.* 4. *c.* 3. *dub.* 5. & Dian. *p.* 4. *t.* 4. *R.* 71.

3. Si Superior immediatus ſe ſolo poſſit delinquentem emendare, ita ut nullum periculum damni, vel relapſus ipſi, vel alteri, vel communitati immineat, *videtur peccare* (*k*) manifeſtando Superiori mediato delictum. Pal. *l. c.* Trull. *d.* 16. *n.* 1.

4. Prælati, & Magiſtratus tenentur aliquando inquirere ſubditorum peccata, ut corripiantur; (*l*) non tamen multum, & curioſe de aliquo in particulari rogare debent, niſi is ſpeciale ejus ſignum dederit: neque facile admittere accuſatores ſpontaneos; quia illi ſpecie boni communis ſæpe ſe quærunt. Hurt. &c. Dian. *p.* 7. *tr.* 13. *R.* 10. & 12.

5. Epiſcopi, Prælati Religioſorum, Paſtores animarum tenentur etiam cum ſuo incommodo, imo aliquando cum vitæ periculo, adhibere diligentiam, quam poſſunt, ut peccata publica, & occulta impediant; quia cum Chriſto pacti ſunt curam, & ſolicitudinem gregis, pro qua multa ab eo bona accipiunt. Hurt. *t.* 2. *d.* 162. *ſec.* 7. §. 60. (apud Dian. *p.* 7. *t.* 3. *R.* 28.) atque hanc eſſe omnium Patrum, & Theologorum doctrinam, quam Chriſtus verbo, & exemplo docuerat; additque idem eſſe de Magiſtratibus, & Concionatoribus. Licet vero hi non *teneantur ad id* (*m*) *ex juſtitia* (ſicuti Prælati, & Magiſtratus) tenentur tamen peccata publica corripere, (ſed non facile Prælatorum, & Religioſorum, quorum auctoritas ad bonum commune eſt neceſſaria) etiamſi non ſit ſpes emendationis *. Kon. Hurt. Dian. *l. c. R.* 13.

6. Correptio adhibenda eſt non ſemper ſtatim, ſed cum major fructus ſperatur. *Hinc interdum per-* ANIMAD.
mitti poteſt reiteratio peccati, ut ſerventiar reſipiſcat. XXVI.
Dian.

* Emendationis ſpe ſublata, correptio ſupervacanea eſt; ſed ſpes emendationis non eſt abjicienda; quæ ſi abjicienda eſſet, maxime in eo, qui corripi non vult. At D. Aug. lib. de correpe & gratia cap. 5. ait. *Quicumque Dei præcepta jam tibi nota non facis, & corripi non vis, etiam propterea corripiendus es, quod corripi non vis.* Et cap. 6. *An vero ideo pravitas iſta corripienda non eſt in homine, quia non ejus propria, qui corripitur, ſed communis omnibus? Imo vero corripiatur & in ſingulis, quod eſt omnium.*

Diss. *p.* 7. *t.* 3. *R.* 29. *&* 30. ex Reg. Fill. Trull. Neque ſufficit ſemel eſſe factam correptionem, ſed debet iterum iterumque fieri, quamdiu ſperatur fructus. *ibid. R.* 32.

N O T Æ.

(a) *Ordine caritatis* &c.

Hic ordo caritatis, quem ex Buſ. communis ſententia docet, certus eſt; quem tradit quoque D. Aug. lib. 1. de Doct. Chriſt. cap. 22. 23. 27.; (t. 3. p. 1. col. 21.) & D. Th. 2. 2. q. 26. a. 1. 2. 3. 4. 5. 6.; ubi a. 6. ad 1. explicat D. Auguſtinum lib. cit. cap. 28. dicentem, *omnes autem æque diligendi ſunt*, hoc eſt, ut intelligit D. Th., & intelligere debemus, omnibus idem beatitudinis bonum optandum eſt, non tamen eadem amoris intenſione; vel omnes diligendi ſunt, nemo odio habendus.

(b) *Peccat* &c. *qui &c. negligit*. Hoc certum eſt. *Quod*, ſubdit Buſ., *grave eſt*, *ſi fiat ſine cauſa* &c. Corporis quidem ſalus negligi poteſt propter ſalutem animæ proximi ex ordine caritatis ex mox dictis. At animæ ſalus ex eodem caritatis ordine nunquam, nullaque ex cauſa negligi poteſt.

Hinc D. Th. 2. 2. q. 26. a. 4. ad 2. ait, *quod detrimenta corporalia debet homo ſuſtinere propter amicum; & in hoc ipſo ſeipſum magis diligit ſecundum ſpiritualem mentem; quia hoc pertinet ad perfectionem virtutis, quæ eſt bonum mentis; ſed in ſpiritualibus non debet homo pati detrimentum peccando, ut proximum liberet a peccato*. Nam qui bene agendo, ex. g. recte docendo, confeſſiones audiendo &c. in ſpirituali proximi ſalute, Deique gloria valde occupantur, hi ſuam ſpiritualem ſalutem non negligunt, ſed promovent. Hinc Prov. 10. v. 21. *Labia juſti erudiunt plurimos*; & 14. v. 33. *In corde prudentis requieſcit ſapientia, & indoctos quoſque erudiet*; & Eccli. 37. v. 21. 22. *Eſt Vir aſtutus, multorum eruditor, & animæ ſuæ inutilis eſt. Vir peritus multas erudivit, & animæ ſuæ ſuavis eſt*. Cæterum Buſ. hoc ſuum dictum aut emendat, aut explicat hic ca. 2. *Nullius boni* &c.

(c) *Tenetur quiſque* &c. *etiam cum certo* &c. Egregie. Hinc D. Aug. lib. de mendacio cap. 6. (tom. 6. col. 425.) inquit. *Temporalem plane vitam ſuam pro æterna vita proximi non dubitabit Chriſtianus amittere*; & lib. de Doct. Chriſt. cap. 27. (tom. 3. p. 1. col. 14.) *Item amplius diligendus alius homo eſt, quam corpus noſtrum*: & D. Th. 2. 2. q. 26. a. 5. *Et ideo proximum quantum ad ſalutem animæ magis debemus diligere, quam proprium corpus*. Hæc documenta ex ep. 1. Joann. cap. 3. v. 16. orta ſunt. *In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam ſuam pro nobis poſuit; & nos debemus pro Fratribus animas ponere*.

At Buſ. addit, *dummodo* &c. *neque inde gravius malum immineat*. Quodnam quæſo gravius malum imminere poteſt ex implenda Dei lege? Hoc mihi dictum videtur ad elevandum divinum caritatis præceptum.

Buſ. *Dixi in extrema, v. g.* &c.; *quia in gravi tantum obligatur is, qui ex officio* &c. Idem habet Concina Th. t. 7. p. 443. n. 25. 26. ex communi Theologorum ſententia; quod innuit quoque D. Th. a. 5. cit. ad 3., ubi inquit, *quod cuilibet homini imminet cura proprii corporis; non autem imminet cuilibet homini cura de ſalute proximi, niſi forte in caſu neceſſitatis*; (hoc eſt cum alia ratione proximi ſalus haberi non poteſt) *& ideo non eſt de neceſſitate caritatis, quod homo proprium corpus exponat pro ſalute proximi, niſi in caſu, quo tenetur ejus ſaluti providere*; uti eſt Parochus, Epiſcopus &c., de quibus idem S. Doct. 2. 2. q. 85. a. 5. c. ita loquitur. *In qualibet obligatione præcipue attendi debet obligationis finis. Obligant autem ſe Epiſcopi ad exequendum paſtorale officium propter ſubditorum ſalutem, & ideo ubi ſubditorum ſalus exigit perſonæ Paſtoris præſentiam, non debet Paſtor perſonaliter ſuum gregem deſerere neque propter aliquod commodum temporale, neque etiam propter aliquod perſonale periculum imminens; cum bonus Paſtor animam ſuam ponere teneatur pro ovibus ſuis*.

Si vero ſubditorum ſaluti poſſit ſufficienter in abſentia Paſtoris per alium provideri, tunc licet Paſtori vel propter aliquod commodum Eccleſiæ, vel propter perſonæ periculum corporaliter Gregem deſerere. Hactenus S. Doct., quæ D. Aug. auctoritate ep. ad Honoratum confirmat.

(d) *Tutores* &c. *poſſunt facere modicas eleemoſynas* &c.

Buſemb. in Reſp. 6. rectiſſime docuit, *eleemoſyna tantum facienda eſt ex bonis propriis, & quorum quis liberam habet adminiſtrationem*. At tutores &c. ut tales, non habent bona propria, nec eorum liberam adminiſtrationem: ergo ex hujuſmodi bonis eleemoſynas facere non poſſunt. Facere poſſunt, inquis, ex tacita, ſeu præſumpta dominorum voluntate, ut habet Buſ. in Reſp. 6. cit.

Reſp. Si illud *modicas* intelligas minutas eleemoſynas, quas ipſi teſtatores facere conſueverant, non repugnem. At ſi illud *modicas* tutorum judicio permittas, ut ipſi eas eleemoſynas erogare debeant, aut poſſint, quas, ſeu *quales ipſi facere deberent*, *quorum ſunt*, ut Buſ. loquitur, id ego me concedere non poſſe fateor. Nam tutores, & curatores juſtitiæ miniſtri ſunt, non caritatis, niſi hoc munus commiſſum iis fuerit, multoque minus judices. Tutores, & curatores nulla ratione domini ſunt: ergo quoad officia caritatis eadem eos auctoritate pollere, ac dominos, falſum eſt.

Dum vero Buſ. addit: *& qui habent curam alienorum bonorum*, habenas magis laxat. An etiam villici, & inſtitores idem quoad eleemoſynas poſſunt, ac domini? An quia tales ſunt, auctoritas, & judicium eleemoſynarum iis demandatum fuit? Hi ſcilicet valde viderint, ne, fallaci pietatis prætextu, fures fiant.

Si in tuto quoad conſcientiam eſſe volunt, omiſſis illis ut plurimum vaniſſimis titulis conſenſus taciti, interpretativi, præſumpti, nihil ſine certo dominorum conſenſu faciant.

(e) 1. Si *certo tibi conſtet* &c. *indagare enim tenetur ſolus ſuperior*. Ratio eſt, inquit Concina Th. t. 2. p. 115. n. 8., „ Quoniam injuria proximo irrogatur, ſi „ levi ſuſpicione crimen ipſi affingatur. “ Opportune Eccleſiaſticus 11. v. 7. *Priuſquam interroges, ne vituperes quemquam; & cum interrogaveris, corrige juſte*. Ergo ſi dubites de alieno crimine, quod, ſi verum ſit, correptione indigeat, interroga; & poſtquam interrogando illud elicueris, corripe, prout neceſſitas tulerit. Nam ſolus ſuperior indagare tenetur, etiamſi crimina ignota ſint, univerſe tamen, non quoad ſingulares perſonas. Nam in dubio, ſicuti pauperes ex animad. XVI. quærendi ſunt, ita peccatores in eorum gratiam. Subdit Concina. „ Quod tamen intelligas velim, niſi periculum gravis damni immineret, ut cum peccatum „ in malum proximi vergeret, eſſetque emendationis „ ſpes. Tunc enim ſola probabilis dubitatio ſufficeret „ ad delinquentis correctionem faciendam. Sententia „ communiſſima. “ Porro ſicuti fraterna correptio ex fraterno amore oriri debet, & cum Chriſtiana humilitate, propriæque infirmitatis agnitione facienda, Deoque in gratiam corripiendi enixe orato, quia, ut ait D. Bernardus, *fruſtra venit ſonus ad aures, niſi Deus in corde loquatur*; qua de re Gen. t. 6. p. 85. q. 20., ita multo magis hæc præſtanda ſunt, cum incerta crimina corripiuntur; qua in re illud quoque valde cavendum eſt, ne ea veluti certa objiciantur.

(f) 2. *Si probabile ſit, non emendaſſe, nec emendaturum* &c. Recte. Hoc ſcilicet ſatis eſt, ut correptionis præceptum urgeat. Licet enim quidam negent, ſi periculum relabendi abſit, etiamſi peccatum pœnitentia deletum non fuerit; ſententia tamen affirmans non modo probabilior, ſed vera merito Concinæ Th. t. 2. p. 116. q. 4. videtur. Nam præceptum correptionis de peccato præterito eſt; *ſi peccaverit in te Frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipſum ſolum*. Matth. 18. At peccatum admiſſum jam fuit: ergo præceptum viget. Hoc ipſum ex fine præcepti liquido eruitur. Finis præcepti eſt fratris emendatio; *ſi te audierit*, ſubdit Evangelicus textus, *lucratus eris fratrem tuum*; ergo ſi emendatio facta non fuit, præceptum urget; quia, inquit D. Th. mox relatus, *in qualibet obligatione præcipue attendi debet obligationis finis*. Hinc ipſe La-Croix p. 184 n. 209. hanc ſententiam appellat præcepto conformiorem; ex quo fit, ut ad praxim neceſſario redigenda ſit.

Quamquam hæc quæſtio de ſubjecto non ſupponente, ut ſchola loquitur, merito dicitur. Nam peccatum, quod pœnitentia non deletur, mox ſuo pondere ad aliud trahit. Id confirmat D. Th. 1. 2. q. 75. a. 4. D. Greg. auctoritate, & ſolidis more ſuo rationibus. Hinc Pſ. 41. v. 8. *Abyſſus abyſſum invocat*; & Eccli. 3. v. 29. *Peccator adjiciet ad peccandum*.

Hinc illud ejuſdem Eccli. cap. 5. v. 8. *Non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem*; quo ſcilicet fraterna correptio ſpectat.

Si tamen *frater tuus*, ait Concina cum Buſembau conſentiens Th. t. 2. p. 115. n. 8., *Ex infirmitate lapſus ſit, & prudenter prævideas, ſemetipſum fore emendaturum, a correctione abſtinere poteris*; quod idem intelligas, ſi illum jam emendatum eſſe, prudenter judices.

(g) *Unde peccare poſſunt etiam graviter*, &c. *ſi vigor* &c.

Hanc ſententiam probat quoque, & communem eſſe, ait Concina Th. t. 2. p. 115. q. 3.

(h) *Qui facile* &c. Id vero patet ex ordine caritatis ſupra explicato, & ex animad. hic XXIII.

(i) *Ideoque eſt peccatum &c. mortale ex genere ſuo*. Quia eſt genuina detractio, quæ ex ſe mortalis eſt ex Ap. 1. ad Cor. 6. v. 10., ubi *neque maledici Regnum Dei poſſidebunt*.

(k) *Si ſuperior immediatus &c. videtur peccare &c.* Ex eadem ratione mox allata ad ca. 2.

(l) Hæc doctrina, ni maxime fallor, valde æqua eſt.

(m) *Licet vitia hi* (concionatores) &c. *teneantur tamen &c., ſed non facile Prælatorum &c.*

Auctoritas Prælatorum etiam minutorum, ut ſunt Parochi, & Religioſorum, hoc eſt etiam Sacerdotum, qui Religionem profeſſi non ſunt, ad bonum commune neceſſaria, & maxime utilis eſt, ſi tamen docti, & probi ſint. Nam ſi improbi ſint, & publica improbitate inſignes, eorum auctoritas pernicioſiſſima eſt, utpote quæ vitiis patrocinium præſtat. Concionatores contra vitia nemine nominato, nec ſuis characteribus deſignato ſancte declamant, ſi periti oratores ſint; & declamare omnino debent, etiamſi vitia in Prælatis, Sacerdotibus &c. vigeant; imo multo magis; quia in hujuſmodi Perſonis vitia dominantia longe pernicioſiora ſunt, quam ſi in aliis graſſentur. Prudentia ſolum opus eſt, quæ quidem quoad vitioſos hoc nomen nunquam obtinebit, ſed tamen ſatis eſt, ſi reipſa prudentia ſit, ex Chriſtiana caritate, & rerum peritia orta.

Porro publica peccata neceſſario a Concionatoribus corripienda ſunt, *etiamſi*, ut Buſ. ait, *non ſit ſpes emendationis*; quia publica correptio, ſi peccantibus non proſit, aliis prodeſt. Hinc Ap. 1. ad Tim. 5. v. 20. *Peccantes coram omnibus argue, ut & cæteri timorem habeant.*

Cæterum emendationis ſpes nunquam abjicienda eſt; quia nemini notum eſt, quid Deus efficaciſſima ſua gratia, & quando de quolibet peccatore facere velit; qui pro ſua omnipotentia, & infinita miſericordia, quibus nos homunculi limites non ſine maxima temeritate præſcribere audebimus, quoſcumque perverſiſſimos, & obſtinatiſſimos peccatores momento temporis ſanctos facere poteſt, & quandoque facit.

Animadversio I.

Ait, quod liceat vitam ſuam poſtponere alienæ *pro amico propter Deum dilecto*, v. g. inquit La-Croix p. 180. n. 177. *defendere illum contra latronem, quamvis prævideat, ſe occidendum, aut in naufragio non accipere tabulam, ſed permittere alteri*. Idem docet Concina Theol. t. 2. p. 438. n. 13. & quod longe majus eſt, idem docere videtur D. Th. in 3. d. 29. art. 5. ad 3. ab eodem Concina citatus, inquiens: *Tradere ſeipſum morti propter amicum, eſt perfectiſſimus actus virtutis. Unde quod aliquis vitam propriam corporalem propter amicum ponit, non contingit ex hoc, quod aliquis plus amicum, quam ſeipſum diligat, ſed quia in ſe plus diligit bonum virtutis, quam bonum corporale*. Sententiam tamen Buſembau probare ego non poſſum.

Nam ex ordine caritatis, communi Theologorum calculo comprobato, & ut ipſe Buſ. ſupra faſſus eſt Reſp. a., unuſquiſque magis ſeipſum, quam proximum quoad ipſa corporis bona diligere debet: at qui vitam propriam, amici vitæ poſtponit, ut in exemplis mox allatis fit, hic magis amicum, quam ſeipſum quoad corporis bona diligit: ergo ordini caritatis repugnat, ideoque peccat; quia ordo caritatis ſub præceptum cadit. Illa additio Buſembau *pro amico propter Deum dilecto* nihil efficit. Nam caritas omnia propter Deum amat; neque tamen propter Deum licet magis amare vitam amici, quam propriam; cum propter Deum magis propria, quam amici vita amanda ſit. Hinc D. Aug. lib. de mend. c. 6. inquit: *Si quis pro alterius temporali vita ipſam ſuam temporalem perdat, non eſt jam diligere illum, ſicut ſeipſum, ſed plus diligere, quam ſeipſum, quod ſanæ doctrinæ regulam excedit*: ergo peccatum eſt. At, inquit La-Croix, „ in his (hoc eſt in exemplis ex eo mox allatis) „ non amat proximum plus, quam ſe, ſed amat bonum „ heroicæ virtutis plus, quam vitam ſuam, ut ex S. „ Thom. recte obſervant Ovied. &c. "

Reſp. Aperte falſum eſt, eum non amare proximum plus, quam ſe, qui ſuam vitam, proximi vitæ poſtponit: contrarium perſpicue docet D. Aug. in verbis mox deſcriptis; & hac de cauſa actus hujuſmodi non eſt heroicus, ſed malus; quia, ut ait S. Aug., *ſanæ doctrinæ regulam excedit*. Ipſe La-Croix fatetur non licere, tabulam in naufragio jam inſeſſam dare alteri evaſuro, ſi prævideat, ſe certo ſubmergendum. At nonne perinde eſt, ſi alterum defendat contra latronem, a quo ſe certo occidendum præſentit? In prima ſpecie alterum defendit contra aquas, in altera contra hominem; in utraque certam mortem incurrit; imo altera ſpecies deterior eſt, quia hic ſine conatu lædendi hominem non defendit hominem; at in priore neminem lædit, niſi ſeipſum. Si quia tabula inſeſſa, extra periculum conſtitutus ponitur; extra periculum conſtituitur quoque ponitur, qui defenſionem amici contra latronem nondum aggreſſus eſt. Quocumque La-Croixius ſe vertat, neceſſe eſt ut priorem ſpeciem improbet, ſi alteram damnat. Joann. quidem 15. dicitur: *Majorem caritatem nemo habet, quam ut animam ſuam* (hoc eſt vitam ſuam) *ponat quis pro amicis ſuis*. At hic textus ex D. Th. 2. 2. q. 26. art. 5. ad 3. intelligendus de eo eſt, qui ſine legis neceſſitate certo vitæ periculo ſe ſe offert pro ſpirituali proximi ſalute. Hoc ergo eodem ſenſu accipiendus eſt D. Th. in 3. ſent. mox deſcriptus, ut S. Doctor ſibi conſtet. Nec enim D. Th. ibi ait, quod *ſit actus perfectiſſimus virtutis tradere ſeipſum morti* pro amici vita, *ſed propter amicum*.

An etiam propter amici divitias, gradus honoris &c.? Ergo ne propter amici quoque vitam, ſed ſolum pro anima. Ut a certa morte amicum, & proximum ſubducas, incertum mortis periculum te laudabiliter ſubire poſſe fateor, non certam mortem. Huic doctrinæ, ſi diligenter inſpicias, nihil contrarium in Sanctorum exemplis invenies. Duos Pythagoræos a D. Hieron. ut ait Concina loco mox cit., commendatos, quod mutuo vades ſe Tyranno dederint, ut alter alterius vitam ſua morte conſervaret, ita accipere debemus, ut, ſicuti factum Lucretiæ Romanæ, admiratione magis, quam ſolida laude digni ſint. Quamquam, ſi vis, eos etiam lauda; quia ea forte ſpe ducti fuerunt, ut admirabili facto Tyranni animum emollirent, mortemque uterque vitaret. Quare idem Concina p. 439. n. 16. recte inquit: *In æquali ergo periculo aut vitæ corporalis, aut bonorum temporalium tibi ipſi primum, deinceps proximo conſulere debes*. Hæc ſcilicet naturæ, & caritatis lex eſt.

P. Zach. „ Id ergo demum quæritur, utrum poſſit „ quis permittere ſe occidi, ut vitam alterius ſervet „ ex motivo virtutis, puta grati animi erga inſignem „ benefactorem meum, amoris in patriam, quod ille „ utilior patriæ me ſit, caritatis in Deum, quod ille „ aptior me ſit ad Dei gloriam curandam. "

Reſp. præſens cum Buſembau quæſtio in eo eſt, utrum liceat vitam ſuam poſtponere alienæ pro amico propter Deum dilecto. Buſ. affirmat, & pro ſe citat Leſs. & Laym.; ego contra negavi iis rationibus nixus, quas tu, mi Zach., ne aggredi quidem auſus es; ſed, ut me impugnare videaris, aut ex inſcitia, aut ex dolo quæſtionem mutas, dum indefinite ais *ex motivo virtutis* (cum hic de ſola caritate erga proximum ſermo ſit) *puta grati animi* &c. *amoris in patriam*, &c. *caritatis in Deum* &c.

Hoc eſt primum tuum hic erratum: alterum eſt, quod de iis quæſtionem moves, quæ in quæſtionem non cadunt, aut certe cadere non debent. Extra quæſtionem eſſe debet, caritatem, qua meipſum amare teneor, grati animi erga inſignem benefactorem virtuti eſſe præferendam; ſicuti contra amori patriæ, multoque magis Dei gloriæ propriam vitam eſſe poſthabendam, ratum & certum eſt, non controverſum.

Tu tamen, mi Zach., de his controverſiam moves, & de me pro tua Magiſtri auctoritate pronuntias. *Revera nihil intelligis; audi & diſce*, a tanto ſcilicet Magiſtro, quantus eſt P. Zacharia ipſo Judice.

At ſcripſi: *Ipſe La Croix fatetur non licere, tabulam inſeſſam* &c. uſque ad illud, *quocumque La Croix ſe vertat neceſſe eſt, ut priorem ſpeciem improbet, ſi alteram damnat*.

P. Zach. hic ita me aggreditur. „ Minime gentium, „ mi bone. Quid La-Croixius dicturus eſſet, quin ſe „ vel ſolum loco ſuo moveret, diſcere ex ipſo potueras, ſi vim theologicorum verborum intellexiſſes. „ Primum non licet, quia id eſſet ſibi vitam directe „ tollere, directe ſcilicet in vitæ periculum ſeſe iterum conjicere: alterum licet; neque enim is ſibi „ vitam directe tollit, ſed permittit tantummodo ſe „ occidi. "

Reſp. Verba ſcilicet, mi Zach., hæc ſunt arabica, ſeu, ſi vis, Zachariana. Neuter ſibi vitam directe eo ſenſu tollit, ut ipſe ſibi necem inferat; quia uterque ab extrinſeca cauſa interimitur. At uterque directe, hoc eſt ipſo facto, in vitæ periculum ſeſe conjicit. Niſi eſſes, mi Zach., Zacharia, de his non litigares; & reipſa voces, non verborum ſenſu litigas.

Nunc retrogrado greſſu illam meam argumentationem col. 1. *Nam ex ordine caritatis* &c. *unuſquiſque magis ſeipſum, quam proximum quoad ipſa corporis bona diligere debet*, his terminis, veluti pyrii pulveris ſine plumbeis glandibus exploſione, petis. „ Diſtinguo majorem: ex motivo præciſe ipſorum corporis bonorum, conc. majorem; ex motivo virtutis, nego „ majorem: cætera eodem modo diſtinguo. "

Reſp. Si hoc tuum majuſculum arabicatum vocum

Chaos

Digitized by Google

Chaos quoad rem noſtram perſpicue, & apte evolvas, ſatis lautam cœnulam tibi ſpondeo; & præterea opportunam reſponſionem.

Nunc tandem ad ſuam Cathedram Zach. me vocat, & ait. „ Si quid proficere contra La-Croixium, Con„ cinam, (addere poteras nuperrimum alium Domini„ canæ familiæ Theologum Cuniliatum) volebas, „ cum Laymano urgendum tibi erat, nullam eſſe ho„ neſtatem poſſe, nullam virtutem, quæ ordini a ca„ ritate, virtutum principe, conſtituto adverſetur. Reſp. Præclare. At Buſembao, quocum mihi lis eſt, non alias virtutes cum caritate, ſed caritatem ſui cum proximi caritate comparat, ut ex ejus verbis liquet. Si diſputaſſem, ut me doces, extra chorum ſaltaſſem, ut me non ſolum exemplo, ſed magiſtri auctoritate exſtimulas.

Zach. „ Quare dum ajunt auctores iſti, poſſe ali„ quem vitam ſuam alienæ poſtponere ex motivo vir„ tutis, " (ut tu quoque dicere viſus es) „ pugnan„ tia loquuntur. Id Theologi fuiſſet, ſed garriendum „ tibi hac in re erat, quemadmodum in cæteris con„ ſueſti. "

Reſp. Saltem illud adde: ſed hæc vacant.

Animadversio II.

Hic Buſ. ſatis involute loquitur, aut ejus locutio falſa poſitione nititur. Amorem enim dividere videtur in eum, quem comitatur gaudium, & in eum, quem comitatur deſiderium. At omnem amorem & gaudium comitatur de bonis ab amato poſſeſſis, & deſiderium, ut bona, quæ non habet, adipiſcatur: & quoniam gaudium, & deſiderium ab amore proficiſcuntur, illi quoque reſpondent, ita ut gaudium, & deſiderium ſint majora, vel minora, magis, aut minus intenſa pro ratione amoris.

Sic v. g. plus diligendus eſt vir ſanctus, quam parens improbus.

Ex hac doctrina ſemellæ, aut etiam homines minus pii, nec ſatis emunctæ naris facile colligere poſſunt, ſanctis viris, piis Religioſis, qui vulgo ſancti habentur, licet omnes ſancti non ſint, magis eſſe ſubveniendum, quam parentibus, qui reipſa vitioſi ſint, aut improbi habeantur, quia ſunt auſteri, & diſciplinæ rigidioris. Si forte, quod abſit, hæc perſuaſio alicujus animum pervaſerit, ſciat eſſe pharisaicam doctrinam, quam Chriſtus Matth. 15. reprobat his verbis. *Deus Dixit; Honora patrem, & matrem; & qui maledixerit patri, vel matri, morte moriatur. Vos autem dicitis: Quicumque dixerit patri, vel matri, Munus quodcumque eſt ex me, tibi proderit; & non honorificabit patrem ſuum, aut matrem ſuam: & irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem veſtram.* Ex quo etiam cave, ne ſtrictiori lege putes colendos viros probos, & ſanctos, quam parentes malos. Nam illud, *Qui maledixerit &c. non præcipitur,* inquit Angelicus, *de his, qui alios homines maledicunt.*

Itaque ex angelico Doctore 2. 2. q. 26. art. 7. meliores eo ſenſu magis diligendi ſunt, ut iis majus bonum, hoc eſt majorem beatitudinis gradum velimus. *Ad caritatem enim pertinet,* inquit, *ut velit juſtitiam Dei ſervari, ſecundum quam meliores perfectius beatitudinem participant.*

At propinquiores, ait, idem S. Doct., *intenſiori affectu diligit homo ad illud bonum beatitudinis, ad quod omnes diligit, quam meliores ad majus bonum.* Præterea cum virtus augeri poſſit, *poſſum,* inquit D. Th., *ex caritate velle, quod iſte, qui eſt mihi conjunctus, ſit melior alio, & ſic ad majorem beatitudinis gradum pervenire poſſit.* Tandem homines nobis non conjunctos ſola caritate amamus, conjunctos tum caritate, tum alio honeſti amoris genere, ideoque hos pluribus modis amamus, quam meliores, ut docet idem S. Doct.

Animadversio III.

D Th. 2. 2. q 26. art. 11. ait: *Secundum rationem boni, quod eſt objectum dilectionis, magis ſunt diligendi parentes, quam uxor; quia diliguntur ſub ratione principii, & eminentioris cujuſdam boni. Secundum autem rationem conjunctionis magis diligenda eſt uxor; quia uxor conjungitur viro, ut una caro exiſtens ſecundum illud Matth. 19. Itaque jam non ſunt duo, ſed una caro;* hoc eſt, parentes uxori præferendi ſunt, licet uxor teneriori affectu diligatur; *& ideo,* ait S. Doct., *intenſius diligitur uxor; ſed major reverentia eſt parentibus exhibenda;* maior intellige, non ſolum verbis, aut aliis ſignis, ſed, quod pluris intereſt, factis in eorum neceſſitatibus. Qui contra faciunt, uxorem parentibus præferunt, naturæ, & caritatis legem, & ordinem pervertunt, Decalogum violant præcipientem: *Honora patrem, & matrem, & qui maledixerit patri, vel matri, morte moriatur: quod,* inquit D. Th. mox cit. 2.2. q. 26. art. 6. *non præcipitur de his, qui alios homines maledicunt.* Qui enim parentes gravibus neceſſitatibus vexatos deſerunt, ut uxori ſuccurrant, parentibus non verbo quidem, ſed, quod pejus eſt, reipſa maledicunt. Si in extrema, ut Buſ. fatetur, cur non in gravi neceſſitate magis parentibus, quam uxori ſuccurrendum eſt? Nemo unquam ſolidam hujus diſcriminis, quod Buſ. vel ex ſe, vel ex aliis commentus eſt, rationem aſſignabit. D. Hieron. a D. Thoma art. 10. q. 26. cit. ait, *quod poſt Deum omnium Patrem diligendus eſt pater,* & poſtea addit de matre, inquit S. Th. Hinc rurſus idem S. Doct. art. 11. ad 1. ait, *quod non quantum ad omnia deſeritur pater, & mater propter uxorem. In quibuſdam enim,* hoc eſt certe in gravibus corporis, & animæ neceſſitatibus, *magis debet homo aſſiſtere parentibus, quam uxori: ſed quantum ad unionem carnalis copulæ, & cohabitationis, relictis omnibus parentibus, homo adhæret uxori.* Hæc ſane doctrina, neglecto Buſembao, pro ratione neceſſitatis inculcanda eſt.

In eo quoque Buſ. fallitur, quod excepta extrema neceſſitate velit filios parentibus præferendos. Nam filii quidam intenſius amantur, quam parentes, ut S. Thom. art. 9. multis rationibus ex Ariſtotele Eth. 8. deſumptis oſtendit. *At ex parte objecti,* inquit Angelicus, *quod habet majorem rationem boni, eſt magis diligendum, quod eſt Deo ſimilius: & ſic pater eſt magis diligendus, quam filius; quia ſcilicet patrem diligimus ſub ratione principii, quod habet rationem eminentioris boni, & Deo ſimilioris:* Parentes ergo filiis præferendi ſunt in neceſſitatibus. Hinc idem D Th. ad 3. hujus art. 9 dicit: *Quamvis in articulo neceſſitatis filius obligatus ſit ex beneficiis ſuſceptis, ut parentibus maxime* (ſupra omnes) *provideat.* Hoc idem docet S. Hieron. mox citatus. Itaque juxta S. Ambroſium, ſeu Origenem a S. Thoma art 9. laudatum, *primo Deus diligendus eſt, ſecundo parentes; inde filii, poſt domeſtici.* Pater autem matri eſt præferendus ex D. Hieron. & D. Thoma citatis, quia pater habet rationem excellentioris principii. Poſt parentes, & filios primum locum habeat uxor, tum fratres; his excipiant cæteri conſanguinei pro conjunctionis gradu. Nam affines conſanguineis poſtponendi ſunt; qua de re Concina Theol. t. 1. p. 447. n. 33. 34.

Animadversio IV.

Bannez tamen probabiliter docet, parentes carnales etiam in ſpiritualibus, aliis omnibus præferendos.

Intellige in ſpiritualibus eorum neceſſitatibus, non in conſiliis, & regimine animæ filiorum; qua in re filii paſtoribus, & confeſſariis magis deferre debent, quam parentibus. Bannezii ſententiam probat Concina n. 34. quibus ego ex mox dictis ſubſcribo.

Animadversio V.

Per ſe loquendo nemo tenetur ad inimicum diligendum poſitivo, & peculiari actu.

Poſitivo actu tenetur: quia non ſufficit inimicos non odiſſe, ſed eos ex Chriſti lege Matth. 5. diligere oportet: *Diligite inimicos veſtros.* Hinc D. Hieron. in c. 5. & 6. Matth. ait: *Multi præcepta Dei imbecillitate ſua, non ſanctorum viribus æſtimantes, putant eſſe impoſſibilia quæ præcepta ſunt, & dicunt ſufficere virtutibus, non odiſſe inimicos. Ceterum diligere plus præcipi, quam humana natura patiatur. Sciendum eſt ergo, Chriſtum non impoſſibilia præcipere, ſed perfecta, quæ fecit David in Saul, & in Abſalon.* Inimicus, quia inimicus eſt, non deſinit eſſe proximus: proximum autem actu poſitivo amoris diligere jubemur. Contraria prop. *Non tenemur proximum diligere actu interno, & formali;* eſt 10. ab Innoc. XI. proſcripta: ergo &c. Ecce D. Th. 2. 2. q. 25. art. 8. doctrinam, quæ praxis regula eſt. *Alio modo poteſt accipi dilectio inimicorum quantum ad naturam,* (nec enim eorum culpam amare debemus) *ſed in univerſali; & ſic dilectio inimicorum eſt de neceſſitate caritatis, ut ſcilicet diligens aliquis Deum, & proximum, ab illa generalitate dilectionis proximi inimicos ſuos non excludat.*

Peculiari actu non tenetur, *ut ſcilicet,* inquit D. Th. *aliquis in ſpeciali moveatur motu dilectionis ad inimicum, quia nec etiam moveri motu dilectionis in ſpeciali ad quoslibet homines ſingulariter, eſt de neceſſitate caritatis, quia hoc eſſet impoſſibile.* Doctrina valde notanda, ut ſine ſcrupulis magnum dilectionis erga proximum mandatum impleatur.

Neque ad eum ſalutandum, alloquendum, ægrotum inviſendum &c.

Quoad hæc P. Concina Theol. t. 1. p. 456. n. 7. præmiſſa Theologorum diſcrepantia inquit: „ Paucis „ quod verum, & tutum eſt, & in quod omnes con„ ſentire debent, exponam. 1. Salutatio, & colloquium

Digitized by Google

„ abſolute (hoc eſt apud omnes) non ſunt ſigna communia proximis debita. Hic Venetiis homines occurrentes minime ſalutantur; multo minus in colloquium conveniunt: abſolute ergo, & per ſe nec ſalutare, nec alloqui inimicos vi præcepti tenemur. 2. Si alicubi mos obtinet, ut indiſcriminatim homines ſeſe ſalutent, ibi ſalutandi inimicos præceptum urgebit. 3. Si ante inimicitias mutua intercedebat ſalutatio, etiam poſt diſſidium, & rixam eadem communia, quæ præcedebant, ſigna conſiſtere & perſeverare debent. 4. Salutatio, & allocutio licet abſolute communia non ſint, poſſunt tamen communia eſſe inter conſanguineos, cognatos, amicos, ſodales ejuſdem cœnobii, collegii, & communitatis; & tunc, ſi quis iſtorum alicui inimicus evadit, ab ejuſmodi communibus ſignis excludendus non eſt. 5. Si plures occurrentes amici ſalutarentur excluſo inimico, qui inter illos reperitur, ſignum eſſet odii, animique irati, ſcandalumque contingeret. 6. In ejuſmodi eventibus non illico damnandus eſt peccati mortalis odii, qui hæc ſigna omittit, ſed circumſtantiæ expendendæ ſerio ſunt, & duo præcipue diſcutienda, videlicet animus interior, & ſcandalum, quod conſequitur. Advertendum tamen, non omne ſcandalum peccatum letale eſſe. Non raro hæc ſalutatio, & allocutio omittuntur non odii cauſa, ſed ob quamdam verecundiam, timorem, & animi vilitatem. Interdum neuter ea animi fortitudine pollet, ut primus eſſe velit ad exhibenda ſigna benevolentiæ. 7. Hæc ſigna ſalutationis, & allocutionis neceſſaria vi præcepti ſunt, quando deprehenduntur opportuna, & efficacia ad placandum inimicum, odiumque aut a ſe, aut ab hoſte exterminandum.“

At La Croix p. 165. n. 192. id admittit, *ſi ſine multa animi difficultate poſſis; ſi autem notabilem difficultatem patereris, non teneris: quia bonum ſpirituale proximi, quale tunc eſt depoſitio odii, tenemur quidem ex caritate curare cum aliquo, non tamen cum magno incommodo. Suar. Conin. Caſtrop. Tambur. Burg.* Sed hæc ex mollis, non ſolida Theologia dicta mihi videntur. Non magnum incommodum, ſed magnum commodum eſt, ut Chriſtianus intimas animi rebellis difficultates, & pugnas vincat, & vincere aſſueſcat. Ex his internis pugnis, & difficultatibus qui præcepta metiuntur, ea in nihilum apud pluſimos redigunt. *Regnum cælorum*, inquit Chriſtus contra molles Doctores, *vim patitur, & violenti rapiunt illud.* „ 8. (pergit Concina) Salutantem reſalutare debitum eſt, quod abſque gravi culpa negligi nequit, ſi advertenter, & deliberato animo omittatur. Venditio mercium, collatio eleemoſynæ, & cetera hujuſmodi communia officia, quæ omnibus exhibentur, negari abſque culpa inimicis nequeunt. Noli in his præſtandis eſſe nimis juſtus, ſed liberalis eſto, memor, quod eadem menſura, qua menſus fueris, remetiendus eris. Si abundantem miſericordiæ divinæ menſuram exoptas, dives eſto in dilectione inimicorum.“ Hæc cum chriſtiane, ſapienterque dicta, ſcituque digniſſima mihi viſa ſint, huc tranſcripta volui.

Inimicum ægrotum inviſere, mœſtum conſolari, hoſpitio excipere &c. in iis circumſtantiis quiſque tenetur, in quibus hæc officia ex caritate præſtare teneretur, ſi non eſſet inimicus. Quia caritas, quæ erga non inimicos præſtanda præcipit, eadem erga inimicos fieri jubet. *Diligite inimicos veſtros, benefacite his, qui oderunt vos: & orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos, ut ſitis filii Patris veſtri, qui in cælis eſt &c.* Matth. 5. 44.

P. Zach. me hic reprehendit, quaſi Buſembau aſſinxerim, quæ ipſe non ſenſit; cui reſpondeo, me de Buſemb. ſenſu nihil dixiſſe, nec dicere. Doctrinam de inimicorum dilectione explicate attuli, tum quia neceſſaria eſt, tum ne quis ex Buſ. verbis errandi anſam forte acciperet.

Animadverſio VI.

Diligere inimicum, eſt præceptum affirmativum, quod aliquo, non omni tempore obligat; at eum non odiſſe, eſt præceptum negativum, quod, ut ſcholæ ajunt, ſemper, & pro ſemper, hoc eſt omni tempore obligat. Porro interius remittere offenſam, idem ſonat, ac non velle malum inimico, hoc eſt eum non odiſſe. Ergo præceptum remittendi interius offenſam omni tempore obligat, hoc eſt etiam ſtatim, ac illata eſt, etiam inimico veniam non petenti. Contraria opinio Trull. &c. a Buſembao allata, nec improbata, Scripturæ aperte repugnat dicenti Lev. 19. *Non quæras ultionem, & non eris memor injuriæ civium tuorum. Si non dimiſeritis*, inquit Chriſtus Matth. 6., *hominibus, nec Pater veſter dimittet vobis peccata veſtra.* Fac, hominem gravi vulnere ſauciatum, ac allata Trull. &c. opiniuncula imbutum offenſam nolle ſtatim remittere, at poſtmodum interea; ſuorum no peccatorum dimiſſionem a cæleſti Patre conſequetur? At remiſſio ſtatim poſt offenſam eſt, inquit Buſ, *res violenta, & ſupra fragilitatem humanam.* Reſp. Qui ita loquuntur, *præcepta Dei*, ut ait S. Hieron. mox citatus, *imbecillitate ſua, non Sanctorum viribus æſtimantes, putant eſſe impoſſibilia quæ præcepta ſunt.* Contra eos, qui rem violentas non eſſe præceptas ajunt, Chriſtus ait Matth. 11. *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Buſembau ſophiſma diluit D. Th. 2. 2. qu. 2. art. 5. ad 1. dicens: *Si in poteſtate hominis eſſe dicatur aliquid excluſo auxilio gratiæ, ſic ad multa tenetur homo, ad quæ non poteſt ſine gratia reparante, ſicut ad diligendum Deum, & proximum, & ſimiliter ad credendum articulos fidei. Sed tamen hæc poteſt cum auxilio gratiæ.* Hinc Syn. Trid. ſæpe ait. *Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adjuvat ut poſſis.* Abs ſua cavillatione Buſ. & novi opinatores, qui ea læpe utuntur, ſibi caviſſent, ſi poſitis præjudiciis Evangelium, ſanctos Eccleſiæ Doct. Hieron. & Aquinatem, & Syn. Tridentinam legiſſent.

Animadverſio VII.

Sermo eſt de ſufficiente, & juſta ſatisfactione, quam læſus offerat. Tribunalia inſtituta ſunt, ut jus dicant, invitoſque ad jus cogant: ergo qui jus facere ſponte parati ſunt, ad tribunalia perperam vocantur: at qui ſufficientem, & juſtam ſatisfactionem offert, jus facere ſponte paratus eſt: ergo perperam ad tribunalia vocatur. Hoc qui facit, caritati, & juſtitiæ repugnat; quia ſine ulla neceſſitate, & ratione hominem ſuo officio fungi paratum urget, ac premit, atque expenſis, & incommodis gravat. Quomodo Buſ. ſuam opiniunculam cum præcepto naturæ, *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris*; quomodo cum Chriſti lege, *Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos*, conciliare poteſt? At, inquit Buſ. *dummodo in utroque caſu ponatur odium, at docent* &c. Reſp. Buſ. contradictoria conciliare vult. Nam non remittere injuriam, idem eſt, ac inimicum odiſſe, ut jam ratione, & Scripturæ auctoritate oſtenſum eſt. Satisfactionem vero juſtam ab eo oblatam recuſare, & juridice petere, eſt manifeſtum livoris indicium. Qui dicunt, ſe non odiſſe inimicum, a quo juſtam compenſationem renuunt, ut eum ad jus rapiant, & vexent, ipſi ſe decipiunt, & mollibus doctrinis decipiuntur; atque in eos illud cadit, *Mentita eſt iniquitas ſibi.* Meam ſententiam, ut ego ſentio, ſatis per ſe evidentem confirmat P. Concina Theol. t. 3. p. 462. n. 20.

Animadverſio VIII.

Loco *videtur*, dic, *eſt contra caritatem*, nec de hoc dubites; imo contra juſtitiam: quia juſtitia eſt quidem æqualitas, ſed poſita poſſibilitate; qua ſublata, nullum jus ad æqualitatem cogit.

Animadverſio IX.

Sed quæritur hic a Buſembao, cur addiderit illud *ſæpe*. Sermo eſt de hujuſmodi odio in ſui natura ſpectato, quod non ſolum licet, ſed bonum eſt. Suprema Dei voluntas, omnium voluntatum regula eſt: Deus autem non ſolum impietatem, ſed perſonam quoque impiam odit. *Odiſti omnes operantes iniquitatem*, Pſ. 5. 7 *Similiter autem odio ſunt Deo impius, & impietas ejus*, Sap. 14. 9. ergo &c. Suam ſcilicet voluntatem divinæ conformat, qui inimicum, quatenus malus eſt, hoc eſt quatenus Deum offendit, averſatur. Hinc D. Aug. lib. 18. contra Fauſtum c. 24. ait: *Unuſquiſque iniquus homo, inquantum iniquus eſt, odio habendus eſt, inquantum autem homo, diligendus*: & D. Th. 2. 2. q. 25. art. 8. inquit: *Dilectio inimicorum tripliciter conſiderari poteſt. Uno quidem modo, ut inimici diligantur, inquantum ſunt inimici, & hoc eſt perverſum, & caritati repugnans, quia hoc eſt diligere malum alterius.* Dum amas inimicum, ut talem, vis, amas, tibi placet, ut inimicus te oderit, tibi malum fecerit, hoc eſt peccaverit; quod eſt perverſum, & caritati contrarium: ergo odiſſe, & diſplicere tibi debet, quod inimicus te oderit, & nocuus tibi fuerit, hoc eſt peccaverit; & hoc ſenſu inimicum odiſſe non ſolum potes, ſed debes. Illud hic valde cavendum eſt, ne ſub ſpecie ſancti odii, odium malignum lateat, & a ſenſu reduplicativo, hoc eſt ab odio inimici, ut talis, quo ſenſu ipſe inimicus odiſſe ſe debet, ad ſenſum ſpecificativum, hoc eſt ad odium perſonæ tranſitus fiat, quo ipſi malum quis velit, ipſamque averſetur ſine reduplicatione; quod facile contingit.

Animadverſio X.

Ergo hoc neceſſario ſequendum eſt, ut ſana Theologia inculcat.

Quam-

Digitized by Google

Quamquam prior opinio non ſolum minus probabilis, ſed falſa merito habenda eſt. Nam licet omnia mala, quæ proximo optare quis poteſt, ſub una generica ratione mali contineantur, certum tamen eſt quædam, uti ſunt inopia, infamia, mors, ſpecie differre. Porro cum deſideriorum objecta ſpecie differunt, certum eſt ipſa quoque deſideria ſpecie differre: peccata vero non in genere tantum, ſed in ſpecie aperienda ſunt in confeſſione, ut docet Syn. Trid. ſeſſ. 14. c. 5. ergo certum eſt, eſſe explicandam ſpeciem mali, quam quis proximo voluit.

Animadversio XI.

Licet quidem optare malum proximi, non quatenus ipſius malum eſt, ſed quatenus habet rationem boni juſti, vel utilis, ex D. Thoma 2. 2. q. 76. art. 1. ajente: *Si autem aliquis imperet, vel optet malum alterius ſub ratione boni, ſic eſt licitum ... contingit autem, malum aliquod dici imperando, vel optando ſub ratione duplicis boni. Quandoque quidem ſub ratione juſti; & ſic Judex maledicit illum, cui præcipit juſtam pœnam inferri ... quandoque vero dicitur aliquod malum ſub ratione utilis; puta cum aliquis optat, aliquem peccatorem pati aliquam ægritudinem, aut aliquod impedimentum, vel ut ipſe melior efficiatur, vel ut ſaltem ab altorum nocumento ceſſet.*

Filiarum autem mors, quam mater optat, quia ob deformitatem, vel inopiam commode, & honeſte nuptui tradere eas non poteſt, nec boni juſti, ut patet, nec boni utilis rationem habet. Nam minus malum habet quidem rationem utilis boni, ſi eligatur ad vitandum majus malum, quod alia ratione vitari non poteſt: at majus malum nunquam utile eſt, nec eligi ratione conſulta poteſt unquam, ut vitetur minus. Cum ergo mors, quæ omnium terribilium hujus vitæ maxime terribilis, & mala eſt, ſit ſine comparatione majus malum, quam minus commoda, & minus honeſta, aut etiam nulla filiarum in matrimonium collocatio, deſiderium mortis filiarum in propoſita ſpecie nulla ratione excuſari poteſt. Hujuſmodi deſiderium naturæ legi, & caritati prorſus repugnat, nec niſi ex ſtoliditate, & pravitate matris oriri poteſt. Ubi eſt in perverſa hujuſmodi matre patientia? ubi conformitas ejus voluntatis, Dei voluntati? ubi maternus erga filias amor? ubi caritas, & humanitas? In deſcripto deſiderio, ſi recte conſideres, nihil reperis, niſi vitioſum, inhumanum, impium, perverſum.

Videlicet ſicuti alterius mortem deſiderare ob aliquod temporale emolumentum, damnatum eſt prop. 13. ab Innoc. XI., ita damnabile, aut damnabilius eſt, ſi mater filiarum mortem deſideret vel ad ſuum dolorem, vel ad filiarum incommodum vitandum, quas commode, & honeſte nuptui tradere, vel alia ratione collocare non poteſt. Lege etiam hic prop. 14. & 15. ab eodem Innoc. XI. damnatas; unde impietatem deſcripti deſiderii matris, & corruptum contrarium diſcurrendi modum aperte deprehendes, & horrebis.

Etſi vero ſibi ipſi optare mortem Nav. & ceteri dicant eſſe mortale: recte, ſane, & chriſtiane: *ad evitanda tamen gravia mala, v. g. afflictionem internam, id licere volunt Sanch.* &c.

Id ſcilicet fecerunt homines perditi, & deſperatæ ſalutis, qui non ſolum mortem ſibi optant ad vitanda gravia mala, & internas afflictiones, ſed etiam eam ſibi conſciſcunt.

Ita & Trull. excuſat feminam, quæ ſibi, vel alteri mortem optat ad vitandam gravem infirmitatem, mendicitatem &c. vel alia &c.

Hujuſmodi deſideria nonne ſunt a chriſtiana patientia maxime aliena? Chriſtiana enim patientia poſtulat, ut mala ſeu corporis, ſeu animi, ſeu externa toleremus, ut Chriſto, & Sanctis conformes patiendo facti, eorum gloriæ participes efficiamur. *Patientia enim vobis*, inquit Ap. ad Heb. 10. 36. *neceſſaria eſt, ut voluntatem Dei facientes, reportetis promiſſionem.* Ap. ait *neceſſaria*, ut præceptum eſſe intelligas, non conſilium. An voluntatem Dei faciunt, qui mala undecumque profecta non ſolum patienter non ferunt, ſed etiam ſibi, vel alteri mortem optant, ut ea vitent? Mala enim, quæcumque ea ſint, ſeu infirmitas, ſeu mendicitas, ſeu vita acerba, ſeu vexationes mariti &c. a Dei voluntate proficiſcuntur non ſolum permittente, ſed mala volente, & efficiente. 2. Reg. 6. dicitur: *Dominus mortificat, & vivificat, deducit ad inferos, & reducit:* & Iſ. 45. *Ego Dominus, & non eſt alter Deus, formans lucem, & creans tenebras, faciens pacem, & creans malum:* & Amos 3. *Si eſt malum in civitate, quod non fecerit Dominus.* Ergo qui hujuſmodi mala abſolutis, & vehementibus deſideriis averſantur, & refugiunt, Dei voluntatem non faciunt, ſed illi repugnant; ideoque nullo modo excuſari a culpa poſſunt. Multo vero magis culpæ, imo gravis, ſeu mortalis culpæ rei ſunt viri, ſeu mulieres, quæ mortem ſibi optant, ut ea vitent. Lex enim divina *Non occides*, non ſolum ſui, & aliorum cædem prohibet, ſed etiam propriæ, & alienæ mortis deſiderium; quod non excuſatur a noxa ex impatientia, ſed augetur. Qui alienam mortem deſiderat, non ex perſonæ diſplicentia, ſed ob aliquod temporale emolumentum, mortifere peccat; & contraria doctrina damnata eſt prop. 13. ab Innoc. XI. proſcripta. Ergo pari ratione mortifere peccat, qui alteri, vel ſibi mortem optat, ut temporale incommodum effugiat. Prius deſiderium ex avaritia, poſterius ex animi mollitie oritur; utrumque, idem malum objectum habet, ideoque eadem malitia inquinatur.

Mulierculas tamen ob minimas moleſtias &c. niſi (ut plerumque fit) excuſet defectus advertentiæ, & deliberationis.

Ignorantia malitiæ horum deſideriorum inexcuſabilis eſt, quia eſt ignorantia manifeſti juris naturalis, & divini; ideoque ſi defectus advertentiæ malitiæ ex hujuſmodi ignorantia oriatur, non excuſat; item non eſt excuſabilis, ſi ex negligentia derivetur. Tunc ſolum excuſat, quando eſt involuntaria, ut in primis, ſeu ſubreptitiis motibus, qui præcaveri non poſſunt, accidit.

Animadversio XII.

Si fugis perſonam, quia tibi incommoda, & moleſta eſt, tuum incommodum, & moleſtiam fugis; quod licet, ſi ſcandalum abſit, & proximi neceſſitas aliud non poſtulet. Si eam fugis, ut eam contriſtes, nec hanc moleſtiam ad majus ejus bonum referas, vel ex averſione perſonæ, quæ nunquam licet, peccas.

La-Croix p. 161. n. 186. in h. 2. dub. Buſemb. ait: „Manet probabilis ſententia, quam poſt S. Th. 2. 2. „qu. 76. a. 1. tenent Auct. graviſſimi, quos citat, „& ſequitur Mendo, Arſdek. &c. nempe quod homo „poſſit deſiderare mortem proximo ad vitandum ali„quod ingens malum ſibi, vel alteri proximo imminens, quod aliter vitari non poteſt, v. g. ne injuſte „occidatur ab illo, ne per illius injuriam ſpolietur „bonis ſuis, quod alioquin futurum eſt; ſicuti aliquis „ſibi ipſi licite optat mortem, ut evadat ingens ma„lum ſpirituale, vel temporale, v. g. ſi aliter non „poſſit vitare peccatum, vel perpetuum, & durum „carcerem.“

La-Croix primum hic in eo errat, ut D. Thomam in hujus ſententiæ patrocinium proferat. D. Thom. loco ab eo cit. & mox deſcripto inquit: *Quandoque vero dicitur aliquod malum ſub ratione utilis; puta cum aliquis optat, aliquem peccatorem pati aliquam ægritudinem, aut aliquod impedimentum, vel ut ipſe melior efficiatur, vel ut ſaltem ab altorum nocumento ceſſet.* D. Thom. ait, *aliquam ægritudinem, aut aliquod impedimentum*, non ait mortem; & ne impedimenti nomine intelligi poſſit mors, evincit illud, quod addit, *vel ut ipſe melior efficiatur* &c. Deinde cum addit La-Croix, „ſicuti aliquis ſibi ipſi licite optat mortem, ut eva„dat &c. v. g. ſi aliter non poſſit vitare peccatum, perinde eſt, ac ſi diceret, præcepta Dei eſſe impoſſibilia, quod damnat Syn. Trident. ſæpe citata, *Deus impoſſibilia non jubet* &c. & eſt prima hæreſis Janſeniana ab ipſo La-Croixio p. 96. deſcripta. 3. Illud quoque rejiciendum eſt, aliquem ſibi poſſe mortem optare, ut evadat perpetuum, & durum carcerem. Sublimior, ac ſolidior hac in re eſt doctrina Ariſtotelis Eth. 3. cap. 7. dicentis: *Mori autem fugientem vel paupertatem, vel amorem, vel ægritudinem aliquam, non eſt viri fortis, ſed ignavi potius. Mollis enim animi eſt, res ærumnoſas, & laborioſas fugere.* Præterea, ut mox contra Buſembaum ratiocinabar, hoc deſiderium repugnat patientiæ, & ſubjectioni, qua noſtra ad Dei voluntatem conformanda eſt. Tandem adverſatur caritati, qua noſmetipſos diligere debemus; quia majus malum eligit, ut minus vitet. Nec enim mala ex uniuſcujuſque affectione, & apprehenſione metienda ſunt, ſed ex eorum natura, & rei veritate, ex qua mors eſt omnium malorum hujus vitæ maximum.

Ipſa principalis La-Croixii propoſitio, *quod ſcilicet homo poſſit deſiderare mortem proximo ad vitandum aliquod ingens malum* &c. conſideratione indiget. Quid enim ſibi vult illud *ingens malum?* Si ex alicujus vita ingens malum Religioni, aut Reipublicæ certo immineat, ejus mortem poſſe deſiderari vel ex Principum juſtitia, vel ex divina providentia inferendam, ultro fateor; & hoc ſenſu puto accipiendum illud Ap. ad Gal. 5. v. 12. ubi ait: *Utinam & abſcindantur qui vos*

contuibant. * At La-Croix hoc ſenſu non loquitur, ſed loquitur de ingenti malo, quod ſibi, vel alteri proximo, quod aliter vitari non poteſt, impendeat; *v. g. ne injuſte occidatur ab illo, ne per illius injuriam ſpolietur bonis ſuis, quod alioquin futurum eſt.* At hic facile accidit, ut incerta pro certis habeantur. Nemo enim compertum, & certum habere poteſt, quod craſtina die futurum eſt. Hæc certa notitia Deo reſervata eſt. Hominum voluntate nihil mutabilius. Rerum, & temporum ratio infinitis viciſſitudinibus obnoxia eſt. Ergo falſa poſitione nititur La-Croix, cum tuam occiſionem, aut bonorum ſpoliationem pro certo futuram ponit, niſi tuus inimicus intereat. *Bona, & mala*, inquit Eccleſiaſticus c. 11. nu. 14. *vita, & mors, paupertas, & honeſtas a Deo ſunt.* Homo moritur quando, & quomodo Deus vult, non alio tempore, aut modo: item ſpoliatur bonis quando, & quomodo Deus voluerit, non alio tempore, aut modo: Ab infinita Dei providentia, & potentia elabi nemo poteſt. Ergo deſiderium mortis illius, unde tuam cædem, aut bonorum ſpoliationem imminere tibi putas, inutile eſt, ut hujuſmodi mala effugias; ergo ſtolidum, & grande crimen.

Fateor, iis præſidiis ad cavenda mala nos uti poſſe, aut etiam debere, quæ ex divina providentia ſunt inſtituta. At deſiderium mortis illius, unde aliquod magnum malum timemus, non eſt præſidium divinitus inſtitutum ad mala cavenda: ergo illo uti non poſſumus. Si poſſemus deſiderare mortem illius, a quo grande aliquod malum nobis formidamus, ejus mortem a Deo quoque petere liceret. An hoc quoque licere, La-Croix affirmare audebit? Huc ſpectant proxime dicta contra Buſembaum ad c. 2. At audiamus La-Croixium. „ Ratio eſt, inquit, quia imprimis tunc non „ optat propter aliquod emolumentum, quod acquiri „ deberet, ſed propter damnum in re ſua actu poſſeſ„ ſa, quod ſubire non tenetur. ”

Reſp. Non tenetur quidem damnum rei ſuæ ſubire; nec tamen ei licet proximi mortem optare; quo deſiderio illud vitare ſtolide putat. Optare mortem proximi propter emolumentum acquirendum, & propter vitandum damnum rei jam acquiſitæ, idem ſunt. Fuga enim ſeu evaſio jacturæ boni acquiſiti, eſt quoddam bonum temporale; negarique non poteſt, ſi recte judicamus mortem proximi deſiderari ob aliquod temporale emolumentum, quæ eſt prop. 13. ab Innoc. XI. damnata, ab eo, qui illam deſiderat, ut ſui boni temporalis jacturam vitet. La-Croixii diſtinctiuncula, ut ego ſentio, damnata jam eſt; &, ſi ad ſupremum Tribunal deferatur, expreſſius damnabitur. Illud enim ab Innoc. damnatum puto, ut proximi vitæ præferatur externum noſtrum, ſeu temporale bonum; ideoque falſum exiſtimo illud La-Croixii, quod recitatis verbis ſtatim ſubjicit, „ ut quis rem ſuam, vel alte„ rius amici tenere, ac defendere poſſit, etiamſi pro„ ximus injuſte volens tollere, occidi deberet, dum„ modo ſit res magni momenti, uti dicetur ad 5. præ„ ceptum Decalogi. “ Quod a me ibi quoque refutabitur.

„ Deinde (iterum objicit La-Croix) illud gaudium, „ vel deſiderium directe & immediate fertur in ſolum „ bonum ſuum, vel proximi, ita ut mors, quatenus „ proximo eſt mala, nullo modo ſit objectum illorum „ actuum, atque ideo S. Thom. in 3. d. 30. q. 1. a. „ a. ad 4. ſic habet: *Proſperitas unius inducit adverſi„ tatem alterius; unde quia caritas ordinem habet, & „ plus debet quiſque diligere ſe, quam alium, & pro„ pinquos, quam extraneos, & amicos, quam inimicos, „ & bonum commune multorum, quam bonum priva„ tum unius, poteſt aliquis ſalva caritate optare malum „ temporale alicui, & gaudere, ſi contingit, non in„ quantum eſt malum illius, ſed inquantum eſt impedi„ mentum malorum alterius, quem plus tenetur dilige„ re.* Addit S. Doctor: *Sed hoc non eſt per ſe de malo „ gaudere, ſed de bono, quod adjunctum eſt malo.* “

Reſp. D. Thom. angelice more ſuo; ſed ne verbum quidem habet de optanda proximo morte, ut proprium, vel amici malum vitetur. Deſideratur quidem, ut ponimus, alterius mors, non quatenus ipſi mala eſt, hoc enim modo illam deſiderare ad odium proximi pertinet (quod nunquam ne mali quidem publici, aut propriæ mortis vitandæ cauſa licet) ſed quatenus impedit jacturam proprii, aut amici boni; at nihilominus deſideratur, & reipſa proximi malum eſt; atque in hoc deſiderio proprium, aut amici temporale emolumentum præfertur vitæ alterius; quod eſt perverſum, caritati contrarium, & ab Innoc. XI. prop. 13. proſcriptum.

Apoſtoli textum ad Gal. 5. eo ſenſu, quo illum intellexi, D. quoque Joannes Chryſ. accepit, qui in hunc locum ait. „ Vide quam hic eſt amarulentus in eos, „ qui Galatas ſeduxerant; “ eumque textum imprecationem appellat.

Animadverſio XIII.

Si ſuperflua non adeſſe dicantur, Chriſti præceptum Luc. 11. *Quod ſupereſt, date eleemoſynam*, inutile, & vanum eſſe dicitur, quod impium eſt; ſi raro adeſſe dicantur, idem præceptum extenuatur, & raro habere locum dicitur, quod ſine injuria ſapientiſſimi Legislatoris dici non poteſt. Chriſtus dum inquit, *quod ſupereſt*, jam ponit ſupereſſe ordinarie loquendo, non raro, & extra ordinem. Hinc illa propoſ. num. 12. *Vix in ſæcularibus invenies, etiam in Regibus, ſuperfluum ſtatui*, ab Innoc. XI. proſcripta eſt. *Vix*, ut habet propoſitio damnata, & *raro*, ut habet Buſembaum, ſunt ſynonima. Nam ſi Buſemb. dicat, ſe ſæcularium opinionem referre, hanc utpote falſam, & improbandam aut referre non debuerat, aut refellere. Neque enim eleemoſynæ præceptum ex opinione, ſed ex veritate ſuperflui oritur. Chriſtus enim ait: *Quod ſupereſt*, non quod ſupereſſe putatis, *date eleemoſynam*. At, inquit Buſemb. „ quæ ſunt neceſſaria ad alendos &c. hone„ ſtas donationes, convivia &c. ſpectatis etiam &c. „ non ſunt ſuperflua. ” Paucis reſpondeo, expenſas prodigas, ambitioſas, intemperantes, vitioſas, cujuſcumque hominis honeſti, & Chriſtiani ſtatui adverſas; quibus reſecatis, multa multis ſuperſunt. Hinc D. Auguſt. enarr. in Pſ. 147. ait: *Multa ſuperflua habemus, ſi nonniſi neceſſaria teneamus. Nam ſi inania quæramus, nihil ſufficit.* At, inquit La-Croix p. 182. n. 199. „ dubium eſt, quid dicatur ſuperfluum ſtatui; “ & triplicem ſuper hac re opinionem affert. Nos vero varias opiniones, quæ rem involvunt, & præceptum extenuant, mittamus; & cum D. Auguſt. dicamus: *Multa ſuperflua* &c. Omiſſio eleemoſynæ, mortalis culpa eſt, ait D. Thom. 2. 2. q. 32. a. 5. ad 3. *ex parte dantis, cum habet ſuperflua, quæ ſecundum ſtatum præſentem non ſunt ſibi neceſſaria, prout probabiliter æſtimari poteſt. Nec oportet, quod conſideret omnes caſus, qui poſſunt contingere in futurum. Hoc enim eſſet de craſtino cogitare, quod Dominus prohibet Matth. 6. ſed debet dijudicari ſuperfluum, & neceſſarium ſecundum ea, quæ probabiliter, & ut in pluribus occurrunt.* Quid hic pluribus opus eſt?

Animadverſio XIV.

Qui extreme indigenti loco eleemoſynæ mutuum dat, videtur mihi eſſe inhumanus, avarus, ab eleemoſyna, & caritate prorſus alienus, ideoque culpandus, nulloque modo excuſandus. Quomodo ſatisfacit eleemoſynæ præcepto, quod tunc urget, ſi eleemoſynam non largitur? „ Affirmant ſane quidam neoterici, quos „ refert, & ſequitur Diana, ad quem nos mittit Buſ. „ at ſententia negans communis, & vera eſt (inquit „ Concina Theol. t. 2. p. 24. n. 9) quoniam eleemo„ ſynæ præceptum per ſe urget, eſtque a præcepto „ mutuandi diſtinctum. Si extrema neceſſitate premen„ te mutuo quis præceptum adimpleret, evaneſceret „ illius obligatio. Præterea in extrema neceſſitate ju„ re naturæ omnia ſunt communia, ſuntque pauperi„ bus debita bona, quibus ab ea penuria liberantur. „ Hinc peccaret dives, ſi onus pauperi imponeret re„ ſtitutionis, cum meliorem is nactus ſortem fuerit; „ nec pauper reſtitutioni eſſet obnoxius, etiamſi poſt„ ea dives evaderet. Quæ enim extreme indigens ac„ cepit, ſua erant, non divitis. “ Hactenus Concina; quam ſententiam ipſe La-Croixius amplexus eſt p. 183. n. 207.

Si tamen qui hoc loco extreme indigens eſt, alibi habeat bona, caritatis præcepto ſatisfit, ſi mutuum ipſi detur, ut eſt communis ſententia, ait Concina n. 9. quæ in dubium vocanda non eſt; idemque La-Croix loco mox cit. intelligi vult, ſi qui nunc extreme indigens eſt, alio tempore habiturus eſt bona, v. g. per hereditatem, vel laborem proprium, pro qua ſententia citat D. Thomam loco non indicato, eamque communem facit. Sed hæc opinio ex mox dictis a P. Concina evaneſcit.

Animadverſio XV.

Hic, ut ego puto, fingitur hypotheſis, quæ nunquam

* Ita ſentit D. Joannes Chryſ., qui in commentario hujus loci, illum accepit per imprecationem dictum, quaſi Apoſtolus dixerit. *Si volunt, non ſolum circumcidantur, verum etiam exſecentur*, hoc eſt ſpadones fiant.

quam accidit. Ad levandam extremam pauperis inopiam pauca neceſſaria ſunt. In morali Theologia illa tractanda ſunt, quæ mores informent, non quæ diſputandi pruriginem implicant, aut veſſicent. Chriſtus dixit: *Quod ſupereſt, date eleemoſynam*. Hoc facito, & es in tuto. D. Th. 2. 2. q. 32. ar. 6. docet, eleemoſynas tam profuſas, ut quis ſuo ſtatui convenienter vivere non poſſit, eſſe inordinatas. Tres tamen hujus regulæ exceptiones addit. Prima eſt, ſi quis ſtatum mutet, e. g. per Religionis ingreſſum. Altera, ſi quæ pauperibus largitus eſt, facile reparari poſſint, ut maximum inconveniens inde non oriatur. Tertia, *quando occurreret extrema neceſſitas alicujus privatæ perſonæ, vel etiam aliqua magna neceſſitas Reipublicæ. In his enim caſibus*, ait S. Doct., *laudabiliter prætermitteret aliquis id, quod ad decentiam ſui ſtatus pertinere videretur, ut majori neceſſitati ſubveniret*. Ait, *laudabiliter*, præcepti non meminit. Hac de re, ſi vis, lege Concinam Theol. t. 2. p. 22. n. 3. 4. 5.

Animadversio XVI.

Ita etiam D. Thom. 2. 2. q. 33. ar. 2. ad 4. inquiens: *Illa beneficia, quæ non debentur certæ perſonæ, ſed communiter omnibus proximis, ſive ſint corporalia, ſive ſpiritualia, non oportet nos quærere, quibus impendamus; ſed ſufficit, quod impendamus eis, qui nobis occurrunt*. Regula generalis eſt, exceptionibus obnoxia, ideoque Buſ. recte addit: „ Si tamen dubitent de extrema alicujus indi„ gentia, tenentur inquirere veritatem. “ Sed hic illud etiam addendum, quærendos eſſe pauperes etiam in graviſſimis, ſeu gravibus eorum neceſſitatibus, ſi notæ ſint, aut de iis dubitetur. Hinc D. Aug. enarr. in Pſ. 103. ſerm. 3. inquit: *Curioſus eſto, & intellige ſuper egenum, & pauperem. Alius ad te venit, ut petat, alium prævení, ne petat. Sicut enim de illo, qui te quærit, dictum eſt*, Omni petenti te da; *ſic de illo, quem tu debes quærere, dictum eſt*: Sudet eleemoſyna in manu tua, donec invenias juſtum, cui eam tradas: mox ſubdit: *Ille autem quanto minus petit, tanto magis vigilandum eſt, ut præoccupes petiturum, & aliquando damnaturum. Itaque curioſi eſtote ad iſta, invenietis multorum ſervorum Dei indigentiam, tantum ut velitis invenire. Sed quia delectat vos excuſatio, qua vultis dicere, Neſciebamus, propterea, non invenitis*. Aliorum SS. Patrum hac de re auctoritates leguntur apud Nat. Alex. Theol. t. 2. p. 472. reg. 27.

Animadversio XVII.

Medicinas pretioſiſſimas a nemine ex præcepto emendas eſſe, ut pauperi extremo morbo laboranti ſuppeditentur, communis eſt, ut ait Concina Theol. t. 2. p. 23. n. 6. Theologorum ſententia; quia ſufficit ordinaria remedia illi ſubminiſtrari, nec pretioſiſſima, quæ ſemper incerta ſunt, neceſſe eſt quærere. Illud quoque, ſi velis, fateor, maximam pecuniæ vim a divite non eſſe ex neceſſitate impendendam, ut hominem ab incerto mortis periculo eripiat. At ſi magna pecuniæ vis diviti ſuperflua non impendatur, ut proximum a certa morte alio modo non vitanda eripiat, eum in conſcientia tutum ego non affirmo. Vita enim proximi ex ordine caritatis propriis externis bonis anteferenda eſt, ut ex communi Theologorum ſenſu docuit Buſ. dub. 1. reſp. 1. ergo dives non impendens magnam pecuniæ vim ſibi ſuperfluam, proximo neceſſariam, ut ejus vita conſervetur, ordini caritati repugnat; ideoque peccat. *Paſce fame morientem; ſi non paveris, occidiſti*, cap. *Paſce* diſt. 86. Nam ſeu fame, ſeu morbo, ſeu ex hominum crudelitate proximus moriatur, perinde eſt: ergo perinde illum occidis, ſi ei, cum poſſis, non ſuccurras.

Illud Luc. 11. *Quod ſupereſt, date eleemoſynam*, præceptum ſine dubio eſt. Ergo magna vis pecuniæ diviti ſuperflua, in eleemoſynam eroganda eſt. Si ponas, non eſſe erogandam in extrema proximi neceſſitate, negas, eſſe erogandam in eleemoſynam, & Chriſti præceptum eludis. An quia pecunia multa eſt, eleemoſynæ præcepto obnoxia non eſt?

Animadversio XVIII.

Hæc obligatio ex illo præcepto oritur, *Quod ſupereſt, date eleemoſynam*: divini autem præcepti obligatio gravis eſt; ejuſque violatio ex ſe mortalis. Hinc Chriſtus æterno igni damnat omittentes opera miſericordiæ in communibus pauperum neceſſitatibus, cujuſmodi illæ ſunt Matth. 25. *Eſurivi, ſitivi, hoſpes eram, nudus, infirmus, & in carcere*.

„ Hæc ſententia, quod ex ſuperfluitate oriatur gravis „ obligatio ſub mortali dandi eleemoſynam in commu„ nibus neceſſitatibus, quam Cajet. aliique cum Gonet „ docent, communiter (inquit La-Croix p. 283. n. 203.) „ rejicitur ab aliis, quos citat, & ſequitur Card. in 1. „ Criſi d. 9. n. 13. “ Reſp. At, quæſo, qua ratione rejici poteſt ſententia, quæ ex Chriſti præcepto, & Evangelii verbis ſponte ſua, ac perſpicuo oritur? „ Ratio eſt, „ inquit La-Croix, quia ſi illa obligatio præciſe oritur „ ex ſuperfluitate, ergo etiam neceſſitate omni proxi„ mi ceſſante, manebit obligatio, quia manebit ſuper„ fluitas: hoc autem nemo dicet; quia ubi non eſt ne„ ceſſitas, non poteſt eſſe eleemoſyna: unde manet pro„ babilis opinio communis, inquit Card. n. 15. quod di„ ves non teneatur ſub mortali ad danda ſuperflua ſta„ tui, niſi ſit gravis neceſſitas. “

Reſp. An nos cæci homunculi contra Evangelium diſputare audemus? Quid eſt ea La-Croixii concluſio: *Ergo etiam neceſſitate omni proximi ceſſante, manebit obligatio?* Id quidem poni poteſt, ſi ponatur in hominibus ordo alius, ac qui a ſapientiſſima Dei providentia inſtitutus eſt. At Chriſtus, qui præcepit ut ſuperflua darentur in eleemoſynam, ſciebat, eleemoſynæ locum nunquam deeſſe: *nam ſemper pauperes*, inquit idem Chriſtus Matt. 26. *habetis vobiſcum*. Hic eſt ordo divinæ providentiæ, ut ſemper ſint divites, & pauperes; ideoque ut eleemoſyna fieri ſemper poſſit, ac debeat. Hinc D. Thom. 2. 2. q. 32. ar. 5. ad 3. ait, *quod eſt aliquod tempus dare, in quo mortaliter peccat, ſi eleemoſynam dare omittat: ex parte quidem recipientis, cum apparet evidens, & urgens neceſſitas, nec apparet in promptu qui ei ſubveniat: ex parte vero dantis, cum habet ſuperflua, quæ ſecundum ſtatum præſentem non ſunt ſibi neceſſaria, prout probabiliter æſtimari poteſt*. Angelicus duo hic tempora aſſignat, in quibus eleemoſynæ præceptum ſub mortali obligat; quod explicatius docet 2. 2. q. 118. a. 4. ad 2. inquiens, *quod Baſilius loquitur in illo caſu, in quo aliquis tenetur ex debito legali bona ſua pauperibus erogare vel propter periculum neceſſitatis, vel etiam propter ſuperfluitatem habitorum*. Hic alterutrum, hoc eſt vel neceſſitatis periculum in recipiente, vel ſuperfluitatem in dante, ad debitum legale eleemoſynæ ſufficere, aperte affirmat; ex quo conſequitur, eleemoſynæ omiſſionem in utroque caſu eſſe letalem culpam; quia eſt tranſgreſſio debiti legalis, ſeu legis; qua de re legi etiam poteſt Concina Theol. t. 2. p. 46. cap. 13. n. 1. & ſeq.

Imo in communibus pauperum neceſſitatibus non ſolum *aliquando*, ut ait Buſembaum, ſed pro ratione ſuperfluorum ſtatus etiam ſæpe eleemoſyna impertienda eſt, niſi in graviores proximi neceſſitates, aut alia pia opera chriſtiane, & prudenter ſuperflua impendantur. Nec enim ſuperflua ex parte, ſed omnia eleemoſynæ præcepto obnoxia ſunt; quæ doctrina licet corruptæ noſtræ naturæ aſpera, ac mollibus opinatoribus inviſa ſit, vera tamen habenda eſt. Eam docet D. Thom. 2. 2. q. 87. ar. 1. ad 4. inquiens, *quod Dominus non ſolum decimam partem, ſed omnia ſuperflua jubet exhiberi ſecundum illud* Luc. 11. Quod ſupereſt, date eleemoſynam. Idem habet D. Greg. lib. 10. ep. 30. dum ait: *Omne, quod ſupereſt neceſſitatibus, in cauſis piis, & religioſis erogandum eſt, Domino, ac magiſtro omnibus dicente*, „ Quod ſupereſt, date eleemoſynam, & ecce omnia „ munda ſunt vobis. “ Et hæc ſententia penes probatiſſimos Scriptores communis eſt, exceptis paucis caſuum arbitris, quos Concina Theol. t. 2. p. 48. q. 1. confutat. At, inquis, ſi ita eſt, væ divitibus! eorum pauciſſimi ſalvi ſunt. Reſp. Hæc illatio non eſt abſurda, ſed evangelica. *Væ vobis divitibus, quia habetis conſolationem veſtram*. Luc. 6. *Væ qui opulenti eſtis in Sion*. Amos 6. & Matth. 19. *Amen dico vobis, quia dives difficile intrabit in Regnum cælorum. Iterum dico vobis: facilius eſt camelum per foramen acus tranſire, quam divitem intrare in Regnum cælorum*. Si tamen ſublimem ſanctæ caritatis viam ingredi, & decurrere velint, Deo adjuvante, cujus adjutorium enixe, & aſſidue petendum eſt, poſſunt, & ſalutem conſequi. *Apud homines*, inquit Chriſtus Matth. 19. cit. v. 26., *hoc impoſſibile eſt; apud Deum autem omnia poſſibilia ſunt*.

Ex his intelligitur, quid dicendum ſit ad c. 1. Buſ. *Pauperibus &c.* Nam habentes ſuperflua, non raro, ſed pro ratione ſuperfluorum his pauperibus ſæpe dare tenentur eleemoſynam, etiamſi eorum neceſſitas communis ſit, nec gravis ponatur, uti aliquando eſſe poteſt.

Animadversio XIX.

An non peccat, etiamſi per quinquennium, per decennium, per totam vitam omnes eleemoſynas neget, ut in teſtamento multa legata ad pias cauſas relinquat? Hanc frivolam divitum excuſationem exſufflat D. Baſilius hom. 7. contra divites, quem legere potes etiam apud Concinam Theol. t. 2. p. 18. n. 7. Præceptum quidem affirmativum, uti eſt eleemoſyna, non obligat, ut ait ſchola, pro ſemper, obligat tamen ſemper, hoc eſt opportuno tempore. Porro præceptum non propoſito impletur, ſed opere imperato: ergo omiſſio omnis eleemoſy-

moſynæ per longum tempus, eſt aperta præcepti tranſgreſſio, etiamſi adeſſe dicatur propoſitum eleemoſynæ opportunius impendendæ.

Præterea hujuſmodi propoſitum irrationabiliter ponitur in homine divite omnes eleemoſynas diu negante. Nec diviti tale propoſitum ſe habere affirmanti fides habenda eſt. Hæc verba, quibus opera contradicunt, fide digna non ſunt, & propria ſunt hominis avari, procraſtinantis, & prætextus contra præceptum quærentis, non illud implere volentis. Deſcriptum divitis propoſitum ſimile eſt propoſito peccatorum, qui ad Deum ſe convertere velle dicunt, at interim in peccato perſeverant; & dum converſionem diu prorogant, novas, & majores ſuæ converſioni difficultates ſemper opponunt. Idem accidit divitibus deſcriptis, quorum animus pecuniarum laqueis in die fortius irretitur, erga pauperes durior ſemper fit, & a caritate magis alienus. Fac hujuſmodi divitem cum ſuo propoſito mori; quam ſententiam in eum Chriſtus laturus eſt? Eſurienti enim cibum non dedit, ſitienti potum negavit, hoſpitem non collegit, nudum non cooperuit, infirmum, & in carcere non adjuvit. Itaque ſi dives ſalutem conſequi velit, neglecta, & rejecta Buſembau opinione, manum operi admoveat, & faciat, quod Chriſtus præcipit, *Quod ſupereſt, date eleemoſynam*. Voluntas ſine opere, diaboli aſtutia eſt, animas decipientis.

p. cxvii. P. Zach. Deſcriptis Buſ. verbis, *ſi quis dives* &c., meaque prima periodo, ita me more ſuo honorat. „ Ridiculus es. Primo Buſ. id docet ex Laymanno; „ Layman autem non de omnibus omnino eleemoſynis „ docet, ſed de iis, quæ communibus pauperibus ne„ gantur. “

Reſp. Videlicet, quia Buſ. verba perſpicua ſunt, & horrida, ideoque a me jure reprehenſa, ne lectoribus ruinæ loco ſint, P. Zach., qui nec meam doctrinam carpere, nec Buſembaum tueri poteſt, illud comminiſcitur, ut velit, Buſembaum non dicere, quæ reipſa dixit.

Ego non Laymanni, ſed Buſembau dicta ad trutinam revoco; nec Buſ. Laymannum citat pro iis dictis, quæ ego refutavi, ſed pro ſequentibus. Subdit enim, *ſi vero talis ſine rationabili cauſa omnes a ſe pauperes inhumaniter repellat, eum dicit Laym. l. c. verſari in malo ſtatu*. At quæſo, nonne hic quoque Buſ. jure reprehendi poteſt? Dum enim ait, *eum dicit Laym.* &c. perinde loquitur, ac ſi contrarium quoque dici poſſit. Cur Buſ. non dixit, *eum* vere, recte, aut quid ſimile *dicit Laym.* &c?

At P. Zach. hic quoque contra me litigabit. Verum etiam ſi Buſemb. de communi tantum neceſſitate, ut ad inſtitutum revertar, contra ac ejus verba poſtulant, intelligatur, tum hic iis præſertim verbis *fac hujuſmodi divitem* &c. *eſurienti enim* &c. (nam hæ ſunt communes neceſſitates) tum animadverſione xvii., & xviii. affatim refutatus fuit; quas tu, Zach., attingere auſus non es; & nihilominus huc inania quædam introdis, ut bonis lectoribus imponas.

Juxta te damnandus non eſt dives, qui eleemoſynas in communibus pauperum neceſſitatibus non largitur, *ſi teſtamentum, quo multa in pias cauſas legat, ſanus, ac viridam ætatem agens conficiat*. Recte ſane, ſi teſtamenti confectio eſſet eleemoſynæ datio: at teſtamenti confectio non eſt datio eleemoſynæ, ſed eleemoſynæ ſcriptum propoſitum ad nutum revocabile. Ergo.

Præterea ſi hoc teſtamentum ſufficit, caritatis præcepto ſatisfit, etiamſi vitæ tempore actus præceptus nunquam fiat, imo ne mortis quidem tempore, ſed ſolum poſt mortem. In hæc ſcilicet abſurda teſtamenti confectio nos agit, ut intelligamus, eam eſſe prætextum a dæmone inſufflatum, quo præceptum implere nobis videamur, cum reipſa non implemus. *Præceptum non propoſitis impleri, ſed opere imperata*, concedis, „ ſi præceptum urgeat; at quei oſtendes, inquis, elee„ moſynæ præcepto urgeri divites, qui hinc paupe„ rum gravibus extremiſque neceſſitatibus ſubveniunt, „ hinc eleemoſynam pauperibus communibus non ero„ gant, ut meliore, & commodiore loco, ac tempore, „ vel egentioribus largiantur? “

Reſp. Id jam oſtendi; quia eleemoſynæ præceptum non ſolum in extremis, & gravibus, ſed etiam in communibus neceſſitatibus urgere, oſtendi.

Illud *ut meliore, & commodiore* &c., divitum prætextus eſt a ſanis Theologis reprehendendus, non per fucatam pietatis ſpeciem fovendus.

Si dives hoc loco, vel tempore communes neceſſitates minus ſublevaret, quia minus urgent, & ne pauperum inertiam foveret, largius daturus, ubi, vel quando neceſſitas urgentior ſit, puta ex ſterilitate, aliiſque de cauſis, bene habet; at quod diu in communibus neceſſitatibus nihil tribuat, eſt aperta præcepti violatio, quam tu, mi Zach., reprehendere debueras, non excuſare inaniter illis tuis verbis. „ Finge quæſo, ex„ tare Feltrenſem quempiam civem “ (adde divitem, & abundantem) „ Tarviſii, ibique uno, aut altero „ anno commorari. Hic in tarviſina ſua commoratio„ ne pauperibus gravi, extremæque neceſſitati addi„ ctis eleemoſynas tribuit; negat cæteris, ut in pa„ triam redux pauperes cives ſuos largius a miſeriis „ ſublevet. “

Reſp. Hæc ſcilicet, mi Zach., ficticia ſunt. Extrema miſeria rariſſima eſt: graves neceſſitates, hoſpiti ignotæ. Quare ſi nihil det in communi neceſſitate, *diu negabit*, ut ait tuus Buſ., *omnes eleemoſynas*; quæ eſt ordinaria avarorum divitum ſpecies a Buſembau poſita.

Qui nihil unquam dat in communi neceſſitate, quæ minutis eleemoſynis facile levatur, an dabit in gravi neceſſitate, cui ſine multo impendio ſuccurri non ſolet? At ſac, ut hæc tua commentitia ſpecies reipſa accidat, quid de ea ſentis?

„ An hunc, inquis, violati eleemoſynæ præcepti „ reum eſſe pronuntiabis? Amens profecto ſit, qui ita „ ſentiat. “

Reſp. Non ſolum pronuntiavi, ſed probavi. Tu vero cum momentis a me allatis nihil repoſueris, nihilque reponas, per interrogationem, & contemptum, contrarium te confeciſſe putas. Hæc ne, mi Zacharias, eſt Theologicarum rerum tractandarum ratio? At reliqua tua non ſine multa patientia audienda ſunt.

Zach. „ Nondum ſatis. *Hujuſmodi*, inquis, *propoſi„ tum irrationabiliter ponitur in homine divite omnes* „ (communes intellige) Reſp. cum Buſembau locutus ſum, nunc tecum, ſi vis, communes intelligam) *eleemoſynas diu negante*. “ Sit ita: „ Ergo repre„ hendendus non erat Buſ., qui ſolum de caſu loqui„ tur, quo dives ille propoſitum haberet. “

Reſp. Ergo reprehendendus Buſ., qui de commentitio caſu loquitur, cum Theologi moralis ſit, de iis loqui, quæ in hominum moribus reipſa accidunt. Ergo reprehendendus Buſ., qui avari hominis ori, cui facta contraria ſunt, fidem habet.

Zach. „ Velim deinde ex te ſcire, cur propoſitum „ hocce *irrationabiliter ponatur in illo homine divi„ te?* “ Reſp. ſi meam animadverſionem legiſſes, illud tuum *cur* ſcires. An, mi Zach., meam animadverſionem, quam ne oculis quidem percurreris, impugnare audes?

Zach. „ Recole Feltrenſis civis exemplum. “ Reſp. an ficta narratiuncula probat? Recole, mi Zach., quæ in tui Feltrenſis civis exemplum animadverti.

Animadverſio XX.

In hac Buſembaum doctrina, quam Macarius Havermans reſſe La-Croixio enormem appellat, *nihil*, inquit idem La-Croix p. 183. n. 202. *eſt dignum reprehenſione*: quia, ait, *quamvis Societatis Auctores communiter doceant, divites teneri in communi neceſſitate dare eleemoſynas ex ſuperfluis ..., hanc tamen obligationem negant alii viri graviſſimi* &c. *quos refert, & ſequitur Diana*. Dianæ opinionem, ejuſque ratiunculas refutat P. Concina Theol. t. 2 p. 55. n. 22. & ſeq. & ſententiam contrariam vel inter ipſos recentiores Theologos, nedum penes Patres omnes, & antiquiores Doctores communem eſſe ait; quæ ex dictis, ac præſertim ex Scripturæ oraculis allatis certa eſſe debet.

Dives bona ſuperfluis abundans, omnes pauperes ſine eleemoſyna repellens ex communi omnium, ac præſertim piorum hominum ſenſu a caritate, imo ab ipſa humanitate alienus omnino eſt; Chriſti præceptum ſæpe inculcandum, *Quod ſupereſt, date eleemoſynam*, aperte violat, ac in damnationis ſtatu verſatur. Si deſcriptus dives non damnatur, quis unquam propter eleemoſynæ omiſſionem damnabitur? An terribilis illa Chriſti Matth. 25. ſententia: *Diſcedite a me maledicti* &c. *eſurivi enim, & non dediſtis mihi manducare, ſitivi, & non dediſtis mihi bibere* &c. incaſſum cadet? Si deſcriptus dives in ſtatu ſalutis, & gratiæ eſt, & abſolutione dignus, delenda eſt ex Evangelio illa mox citata ſententia Matth. 19. *Amen dico vobis, quia dives difficile intrabit in Regnum cælorum. Iterum dico vobis: facilius eſt camelum* &c. Si enim dives valde abundans, omnes pauperes ſine eleemoſyna repellens, abſolutione dignus eſt, & ſalvus eſſe poteſt, dives facile ſalutem conſequitur. Itaque negari non poteſt, præſentem Buſembau, & Laymanni ſententiam, quidquid La-Croix contra dicat, Evangelio repugnare, ideoque eſſe omnino rejiciendam.

At, inquit La-Croix, „ neuter (hoc eſt nec Buſ. „ nec Laym.) dicit abſolute dandam abſolutionem „ tali, (diviti) ſed volunt attendi, an forte pœni„ tens non habeat cauſam negandi tales eleemoſynas, „ aut excuſationem non afferat juſtam, & an proſit „ ei abſolutionem negare. “

Reſp.

Digitized by Google

Reſp. Nulla juſta cauſa afferri poteſt violandi divina præcepta, nulla hujus violationis excuſatio admitti debet, nec abſolutio poteſt ei prodeſſe, qui divina præcepta exequi paratus non ſit. Hujuſmodi abſolutio ſacrilega eſt, & peſtifera. Excuſationem hujuſmodi divitis, quam Buſ. mox attulit, & probavit c. 2. exploſimus. In præſenti audi, quid ait. „ Tum quia „ vix reperitur, qui cauſam ſaltem apparentem (re„ pellendi omnes pauperes ſine eleemoſyna) non præ„ tendat, ſi ſuperflua ſe habere fateatur, " Eſt ne hæc juſta excuſatio, & cauſa negandi omnes eleemoſynas Chriſti pauperibus? Volo equidem habendam eſſe rationem ſacrorum ædificiorum, & ornatuum. At pauperes ſunt templum Dei vivi, in quorum gratiam ipſa ſacra vaſa, ſi neceſſitas tulerit, juxta ſanctos Patres merito diſtrahuntur. *Itaque huic, vel illi* (pauperi) *denegare*, (eleemoſynam) *abſolute non eſt peccatum; denegare omnibus etiam in communi neceſſitate, peccatum grave eſt; quia pauperum cœtus, & Reſpublica chriſtiana graviter læditur.* Ita Concina Theol. t. 2. p. 55. n. 45. &, ut ego pro certo habeo, juxta Evangelii ſenſum.

p. xxvii. P. Zach integre hic refert La-Croixii verba a me indicata, quæ ſunt hujuſmodi. „ Ut accuſationi „ (Macarii Havermans) reſpondeatur, tantum le„ gendus eſt Buſemb., qui ſolum dicit, non facile ne„ gandam abſolutionem alicui * qui communibus paupe„ ribus negat eleemoſynas, in quo ** nihil eſt dignum „ reprehenſione. Et quamvis Societatis Auctores com„ muniter doceant, divites teneri in communi neceſ„ ſitate dare eleemoſynas ex ſuperfluis, ut oſtendit „ Pollenter ſuper propoſitiones ab Innoc. XI. damna„ tas n. 402.; hanc tamen obligationem negant alii „ viri graviſſimi, Silv., Alenſ., Palud., Gabriel, S. „ Ant. Sot., Navar. uterque, Molſ., Fernand., Vi„ ctor, Joann. Medin., Covar., quos refert, & ſequi„ tur Dian. p. 2. tr. 15., R. 32., & tit. 16. R. 26., „ pluribus firmans eam ſententiam p. 5. tract. 8. R. 17. „ Mald. Doct. Lovanienſis 2. 2. q. 32. art. 6. d. 4. „ ait: *Probabilius eſt, in communi neceſſitate pauperum „ non teneri divitem ſub mortali ulli in particulari de„ terminate, aut etiam in confuſo alicui dare eleemoſy„ nas.* Molanus etiam Lovanienſis Doct. in Theol. „ pract. t. 2. c. 5. n. 45. dixit, ſe non auſurum con„ demnare. Unde male hic doctrina Buſembaum dici„ tur enormis, uti & Lay., quem ob eandem cauſam „ culpat Sinnichius, ſed recte defendit Guilel. le-Mai„ re in ſta. 5. 1. c. 10. §. 3. neutes enim dicit abſo„ lute, dandam abſolutionem tali, ſed volunt atten„ di, an forte pœnitens non habeat cauſam negandi „ tales eleemoſynas, aut excuſationem afferat juſtam, „ *** & an prout ei abſolutionem negare. "

Hactenus La-Croix veris falſa miſcens, & Buſemb. ſententiam, quæ, ut ejus verba ſonant, horrida eſt, corrigens, & quoad communes neceſſitates intelligens; quo ſenſu ego quoque, ut quoad quæſtionis ſtatum cum La-Croixio, & Zacharia concordem, eam hic accipiam.

p. xxviii. Allatis La-Croixii verbis a P. Zach. deſcriptis ſtatim ſubdit. „ Hic tu p. 48. de more multa deblate„ ras; ſed non efficies, damnatam eſſe tot claſſiſſimo„ rum T. T. doctrinam: quo jure ergo abſolutionem „ Confeſſarius negabit diviti eorum auctoritatem, Ec„ cleſiæque ſilentium urgenti?

Reſp. Quo jure Confeſſarius in abſolutione impertienda periculoſiſſimam ſententiam Evangelio, ut animad. xiii. xviii. xix., & præſenti evici, contrariam, & a Patribus, qui apud Natalem Alexandrum Theol. t. 2. p. 479. legi poſſunt, improbatam ſequi audebit?

Nam Theologorum, quos La-Croixius pro ea citat, auctoritas, contraria Theologorum auctoritate non ſolum libratur, ſed vincitur, ac pene obruitur. P. Concina Theol. t. 2. p. 48. n. 6. q. 1. pro oppoſita ſententia citatis eorum locis cum D. Thoma, & Cajetano appellat Hadrianum, Richardum, Bannea, Valentiani, Lorcam, Bellarminum, Azorium, Cordubenſem, Merbeſium, Natalem Alexandrum, Henricum a S. Ignatio, Vanroi, Gennetum, Paulum a Lugduno, Antoine, qui *hanc ſententiam*, ait Conc., communem vocat, Wigand, Bonacinam, Caſtropalaum, Suarezium, Patritium Sporer, Caſſianum a S. Elia, Navarrum, (contra ac La-Croix citavit) Petrum Catalanum, qui, ſubdit Conc., *laudat Turrianum, Becanum, Reginaldum, Laymanum* (lib. 2. tract. 3. c. 6. n. 5., qui pro ea citat contra La-Croix Paludanum, & Navarrum, licet eam nimis temperet, & quoad abſolutionem cum Buſemb. perperam ſentiat). *Fillingum; quibus adde Abulenſem, Cano, Spiro, Victoriam, Roncaglia, quos citat præfatus, Caſſianus*, Roncaglia tr. vi. c. iii. *reſp.* iii. *Pontas verb. eleem.*, & *alii plures, quos omitto. Quare ſententia hæc recte expoſita non modo communis eſt, ſed etiam vera.*

Sed illud quoque animadverſione dignum eſt, quod S. Antoninus, & alii in ſententiam a La-Croixio probatam conceſſere, quia ab angelico D. Thomæ fonte derivatam, uti obſervat P. Concina Theol. t. 2. p. 46 cap. xiii. n. 1., putarunt, ut ego quoque olim opinatus ſum. Sed res aliter ſe habet, ut animad. xiii., & xviii. ex D. Thomæ verbis oſtendi, & evincit P. Concina loco mox cit. n. 2., & 3.

Eccleſiæ, quæ La-Croixii ſententiam non damnavit, ſilentium tibi, mi Zach., minime favet. Nam Innoc. XI. in prol. prop. a ſe damnatarum ait. *Non intendens tamen Sanctitas ſua per hoc decretum alias propoſitiones in ipſo non expreſſas, & Sanctitati ſuæ quomodolibet, & ex quacumque parte exhibitas, vel exhibendas ullatenus approbare.* Nunc, mi Zach., ut huic quæſtioni finem imponam, liberaliſſime tecum agam, & contra meum ſenſum tibi concedam, La-Croixii opinionem eſſe probabilem; at contrariam longe probabiliorem eſſe, negare non potes, imo confeſſus es; quia tibi ſatis eſt, La-Croix opinionem non eſſe damnatam.

Age nunc, recole prop. 1. ab Innoc. XI. proſcriptam. *Non eſt illicitum in ſacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti relicta tutiore, niſi &c.*

Dum abſolvitur dives omnes eleemoſynas in communibus neceſſitatibus negans, agitur ne de valore Sacramenti? quis hoc negare audeat? Si enim hic dives in ſtatu mortalis peccati, quem, ut ponimus, deſerere in animo non habet, verſetur, dum abſolvitur, Sacramentum invalidum prorſus eſt. Ergo illi abſolutio impertienda omnino non eſt, quidquid Buſ., La-Croix, aut alii contra ſcripſerint, niſi Confeſſario conſtet de propoſito divitis communes pauperum neceſſitates ſublevare parati. Hoc vero illi conſtare non poteſt, niſi ex factis contrariis, hoc eſt ex eleemoſynis reipſa in pauperes impenſis; quia verba, quibus facta repugnant, nulla fide digna ſunt.

Animadversio XXI.

Qui laboris fuga, cum ſuo ſe labore ſuſtentare poſſint, eleemoſynam emendicant, iis jure negatur, ne eorum otium, & vitium foveatur. Hinc Ap. 2. Theſſ. 4. *Si quis non vult operari, nec manducet.*

At ſi qui culpa ſua in paupertatem inciderint, dum victum ſibi comparare nequeant, iis eleemoſyna negari jure non poteſt; quia licet ſua profundendo, venia minus digni ſint, proximi tamen eſſe non deſinunt, &, cum vere pauperes ſint, in eo præcepto includuntur, *Quod ſupereſt, date eleemoſynam.* Hinc D. Auguſt. enarr. in Ps. 103. ſerm. 3. ait: *Nemo vobis dicat, præceptum eſt a Chriſto, ut ſervo Dei detur, mendico non detur. Abſit. Prorſus impius iſta loquitur.*

Animadversio XXII.

Huic ſententiæ adhæret quoque Concina Theol. t. 2. p. 58 n. 2. contrariam tamen rationabiliorem ego puto. Quia enim filius una cum patre perſona in jure putatur, idcirco quoad paterna bona (nam de caſtrenſibus, aut quaſi caſtrenſibus hic non loquimur) nihil ſine patris conſenſu præſtare poteſt. Ergo. Præterea eleemoſyna bona eſt, cum de proprio fit; cum vero de eo, in quod quis jus non habet, mala. Filius nullum jus habet in patris bona, niſi quoad ſui ſuſtentationem. Ergo eleemoſyna de iis facta, mala eſt.

At, inquit P. Concina, pater repugnans filio ſupplenti eleemoſynas a patre omiſſas, irrationabilis eſt. Reſp. Hæc repugnantia eſt quidem irrationabilis, hoc eſt caritati contraria, non tamen juſtitiæ; ideoque nullum jus filio tribuit, nec ejus factum honeſtat. Præterea in illa repugnantia, ſeu diſſenſu irrationabilis quidem pater eſt, non tamen in eo, ut ſine ſuo conſenſu nolit eleemoſynas a filio fieri.

Qui hujuſmodi eleemoſynis favent, miſericordiæ quidem patrocinari videntur, at patriæ poteſtati, filiorumque in parentes ſubjectioni adverſantur: *at malum ex quocumque defectu*: ergo hæ eleemoſynæ malæ ſunt. „ Plura, inquit Concina, nobis ſuppetunt exempla San„ ctorum, qui in puerili ætate inſciis parentibus bona „ pauperibus diſtribuebant. " Reſp. Id excuſari poteſt vel ex præſumpto parentum conſenſu, vel ex ardore pietatis, & legis ignorantia. Fuere etiam indicia animi in miſericordiam valde propenſi, ideoque in puerili ætate, ſi vis, laudabilia, dum tamen parentes expreſſe non repugnaverint. Hæc eſt S. Thom. 2. 2. q. 32. ar. 8.

* Buſemb. ait *non facile* ... quæcumque divites.
** Buſemb. non ait communes, ſed ſine exceptione omnes pauperes.
*** Buſ. ait: *Tum quia vix reperitur, qui cauſam ſaltem apparentem non prætendat, ſi ſuperflua ſe habere ſateatur.*

ar. 8. ſolida doctrina, qui ait: *Ergo ille, qui eſt ſub poteſtate conſtitutus*, (uti eſt filius) *de re, ſecundum quam Superiori ſubjicitur, eleemoſynae facere non debet, niſi quatenus ei a Superiore fuerit commiſſum*: & ad 3. inquit, *quod ea, quæ ſunt filiifamilias, ſunt, & patris; & ideo non poteſt eleemoſynam facere, niſi forte aliquam modicam, de qua præſumere poteſt, quod patri placeat; niſi forte alicujus rei eſſet ſibi a patre diſpenſatio commiſſa*; uti ſi pater filio aliquid tribuat, ut eo ad honeſtos uſus ſuo arbitrio utatur. *Et idem*, dicit Angelicus, *dicendum eſt de ſervis*.

Animadverſio XXIII.

Niſi facillime poſſis. Illud *facillime* laxius videtur. Qui ita loquitur, peccata venialia proximi pro nihilo ferme habet.

Videtur tantum peccare venialiter. In eo fallitur Buſ. ut ponat, divinum correptionis præceptum vim graviter, ſeu mortaliter obligandi amittere ex ſubditi opinione, *quia ſe non ita ſtricte obligatum putet*. Error ſubditi, niſi ſit invincibilis, a legis vi non eximit. *Vel quia putat, ſe minus eſſe idoneum ad corripiendum*. Id quoque ex culpa facile oritur, ut ſcilicet correptionis moleſtiam fugiat, & quia proximi ſalus non ita cordi ipſi eſt, ut eſſe debet. Ad corripiendum non eſt neceſſaria eloquentia, aut ars, ſed ſufficit caritas, & chriſtiana prudentia. Sed quoniam Buſ. nos mittit ad S. Thomam, ejus verba legantur, quæ hujuſmodi ſunt 2. 2. q. 33. ar. 2. ad 3. *Correctio fraterna tripliciter omitti poteſt. Uno quidem modo meritorie, quando ex caritate aliquis correctionem omittit. Dicit enim Auguſt.* in 1. *de Civ. Dei*: „ Si propterea quiſque objurgandis, „ & corripiendis male agentibus parcit, quia opportu„ num tempus inquiritur, vel eiſdem ipſis metuit, ne „ deteriores ex hoc efficiantur, vel ad bonam vitam, „ & piam erudiendos impediant alios infirmos, & pre„ mant, atque avertant a fide; non videtur eſſe cupi„ ditatis occaſio, ſed conſilium caritatis. “ *Alio modo prætermittitur fraterna correctio cum peccato mortali*; „ quando ſcilicet formidatur, *ut ibi dicitur*, judicium „ vulgi, & carnis excruciatio, vel peremptio; dum „ tamen hæc ita dominentur in animo, quod fraternæ „ caritati præponantur: “ *& hoc videtur contingere, quando aliquis probabiliter præſumit de aliquo delinquente, quod poſſet eum a peccato retrahere; & tamen propter timorem, vel cupiditatem prætermittit*. Ergo juxta D. Thomam timor, vel cupiditas (idem multo magis dic de verecundia, & puſillanimitate, quæ inanes ſunt) a peccato mortali non excuſant omittentem correptionem, ſi ex ea fructus emendationis proximi probabiliter ſperetur. *Tertio modo*, inquit Angelicus, *hujuſmodi omiſſio eſt peccatum veniale, quando timor, vel cupiditas tardiorem facit hominem ad corrigendum delicta fratris; non tamen ita, quod ſi ei conſtaret, quod fratrem poſſet a peccato retrahere, propter timorem, vel cupiditatem omitteret, quibus in animo ſuo præponit caritatem fraternam. Et hoc modo quandoque viri ſancti negligunt corrigere delinquentes*.

Animadverſio XXIV.

Præceptum correptionis ſingulos afficit. *Mandavit illis unicuique de proximo ſuo* Eccli. 17. *Si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te & ipſum ſolum*. Matth. 18. Porro correptio ipſa præcipitur: ergo ſatis non eſt correptionis opinio, & ſpes incerta. Tunc ſolum a correptionis onere immunis eſſes, ſi certo conſtaret, ab alio æque idoneo correptionem eſſe adhibendam; quia perinde eſt, ſeu a te, ſeu ab alio frater delinquens corripiatur.

Si ſit &c. poſſiſque ſine tuo gravi damno facere Idem habet La-Croix p. 185. n. 220. ex Lug. quod tamen intelligit de damno, quod ex correptione jure timetur, non de amiſſione lucri, quod ex culpa proximi non emendati ſperatur. „ Unde non excuſeris, inquit, a corre„ ctione propter periculum amittendi lucri, quod ex „ ipſo peccato proveniret; v. g. Pater tuus, homo ava„ rus non vult ſuccurrere extreme egeno, faceret au„ tem, ſi tu eum admoneres, peccas, ſi non admoneas, „ etiamſi ita privandus ſis magna ſumma illi danda, „ & alioquin tibi obventura per hereditatem, “ Recte quidem; at ſi ex illa admonitione, patris animæ profutura immineat filio damnum in ſuis bonis caſtrenſibus, aut quaſi caſtrenſibus, erit ne a peccato immunis, ſi admonitionem omittat? Diſtinctio La-Croixii quoad rem præſentem nullius momenti eſt. Quamvis enim damnum amittendi bona, quæ habes, quod propriæ timoris objectum eſt, magis moveat, quam damnum non acquirendi bona, quæ non habes, quod eſt objectum cupiditatis; hoc tamen diſcrimen quoad rem, de qua agitur, exiguum eſt, & negligendum. Hanc diſtinctiunculam exploſit D. Thom. citatus illis verbis *& tamen propter timorem, vel cupiditatem prætermittit*. Ergo ſi La-Croixio fatente cupiditas boni acquirendi non excuſat a fraterna correptione, ne timor quidem damni in bonis jam acquiſitis excuſare poteſt. An ſi proximus in mortali peccato moriturus prævideatur, niſi corripiatur, correptio propter grave damnum inde imminens omitti ſine culpa gravi poterit? Bann. Val. Bon. & alii communius negant teſte La-Croixio p. 184. n. 211., alii tamen, ut Lorca, Caſtrop. &c. affirmant, ſi inde propriæ vitæ periculum immineat, niſi quis foret ſuperior proximi; quia proximus tunc non eſt in extrema neceſſitate, cum poſſit ſeipſum juvare, ſi velit, dolendo de peccatis; tum concludit: *Hæc ſententia eſt probabilis, quamvis prior ſit magis pia*. Verum hic non eſt ſermo de majori pietate, quæ res conſilii eſt, ſed de præcepti neceſſitate. Si poſterior ſententia cum priore comparata, probabilis tantum eſt, ſana Theologia inculcat, ut periculoſa probabilitas abjiciatur, & contraria æqualis, aut major probabilitas ad praxim neceſſario redigenda ſit. Prior ſententia communior eſt fatente ipſo La-Croixio; prior ſententia eo inconcuſſo principio nititur, quod ſalus æterna proximi propriæ vitæ præferenda ſit; prior ſententia nititur auctoritate D. Aug. & D. Thomæ mox relatis ad ea verba, *alio modo prætermittitur fraterna correctio cum peccato mortali, quando &c. & hoc videtur contingere* &c. peremptio enim carnis in noſtra ſpecie ita dominatur in animo, ut fraternæ caritati præponatur; quia vita propria, animæ proximi præponitur. Sinitur enim, proximum æternum perire, ne mortem corporis incurramus. Cum moralis certa ſpes eſt emendationis proximi, juxta D. Aug. & D. Thomæ verba citata, nec timor mali etiam maximi, uti eſt mors, nec cupiditas cujuſcumque boni a mortali culpa excuſat omittentem correptionem. Hæc eſt ſublimis lex caritatis, noſtræ corruptioni valde contraria. La-Croixii rationi reſpondeo, proximum ſui ſe peccati ſponte non emendantem verſari in extrema neceſſitate ex hypotheſi culpæ ſuæ, quod accidit omni peccatori fraterna correptione indigenti. Ex hac porro hypothetica neceſſitate ſicut oritur gravis obligatio fraternæ correptionis, ita hæc obligatio urget etiam cum vitæ periculo, aut diſpendio; quia ſalus animæ proximi, noſtræ vitæ præferenda eſt. Si quis ſinat proximum ex ſua ipſius culpa perire, quia non vult cum vitæ propriæ diſpendio illum eripere, hic certe magis amat vitam propriam, quam animam proximi; quod caritati repugnat, & SS. Auguſt. & Thom. citatis adverſatur. Hinc D. Thom. 2. 2. q. 26. a. 5. ad 3. ait, *quod cuilibet homini imminet cura proprii corporis, non autem imminet cuilibet homini cura de ſalute proximi, niſi forte in caſu neceſſitatis*; (ſicuti eſt peccator indigens correptione) *& ideo non eſt de neceſſitate caritatis, quod homo proprium corpus exponat pro ſalute proximi, niſi in caſu, quo tenetur ejus ſaluti providere*. At homo tenetur providere ſaluti peccatoris correptione indigentis, ut nemo inficiari poteſt. Ergo in hoc caſu eſt de neceſſitate caritatis, ut proprium corpus exponat pro ejus ſalute.

Unde patet, ejus omiſſionem in privatis vel nullam eſſe, vel levem culpam. Prælati quidem ſtrictius tenentur ſubditos corrigere; quia non ſolum caritatis, ſed juſtitiæ lege correctio ipſis mandatur, cum prælationem ſuſceperint ea conditione, ut ſubditos moneant, corripiant, & quantum in ipſis eſt, ad legis obſervationem excitent, & cogant. At lex caritatis omnes afficit: porro fraternæ correctionis lex, caritatis lex eſt: ergo omnes afficit; peccata vero caritati contraria, ex ſe mortalia ſunt. Ergo aperte falſum eſt, omiſſionem correptionis in privatis vel nullam eſſe, vel levem culpam. Hæc Buſ. doctrina eſt evidenter contraria Scripturæ oraculis mox citatis: *mandavit illis* &c. *ſi peccaverit in te* &c. Hinc Anacletus Papa ep. 3. (hab. cau. 24. q. 3. c. 14.) inquit: *Tam Sacerdotes, quam reliqui fideles omnes ſummam curam habere debent de his, qui pereunt, quatenus eorum redargutione aut corrigantur a peccatis, aut, ſi incorrigibiles apparuerint, ab Eccleſia ſeparentur*. Præceptum correptionis obligare omnes etiam ſubditos, & D. Thom. 2. 2. q. 33. ar. 3. & univerſa Theologia, & ipſe Buſ. hic ſtatim Reſp. 3. docet; & quoniam hoc præceptum eſt de re graviſſima, in qua agitur de æterna proximi ſalute, & minuendis Dei injuriis, certum eſt, ejus violationem eſſe mortalem culpam. Moderatius loquitur Anacletus Theol. tract. 4. d. 6. n. 50. inquiens: *Quin imo in hominibus vulgaribus, qui non habent tantam auctoritatem, neque tantam prudentiam ad corripiendum proximum, hoc præceptum non tam frequenter occurrit*. Non ait in ſubditis, ſed in hominibus vulgaribus &c. & ait, *non tam frequenter &c.*

Quamquam hi quoque non ſolum ſuos pares, & inferiores, ſed etiam ſuperiores corripere debent. Nec

enim

Digitized by Google

enim ad hoc caritatis officium auctoritas neceſſaria eſt, nec ſæculi prudentia, ſed ſufficit chriſtiana prudentia, & caritas, quæ in omnibus eſſe debet. Hinc Concina Theol. t. 2. p. 126. n. 4. arbitratur, *perfrequenter delinqui in hoc præceptum, potiſſimum ob hoc, quod nimium diffidamus de fratrum emendatione.*

Animadversio XXV.

D. Auguſt. in reg. ſeu ep. 109. ait, quod prius *Præpoſito debet oſtendi, quam teſtibus.* Hunc D. Auguſt. textum explicans D. Thom. 2. 2. q. 33. ar. 8. ad 4. inquit, *quod Auguſt. intelligit, quod prius dicatur Prælato, quam teſtibus, ſecundum quod Prælatus eſt quædam ſingularis perſona, quæ magis poteſt prodeſſe, quam alii; non autem quod dicatur ei, tamquam Eccleſiæ, ideſt ſicut in loco judicis reſidenti.* Hoc illuſtrandi, non reprehendendi Buſ. cauſa dicta ſint.

Niſi peccatum ſit publicum, tunc enim poteſt publice corripi.

Non ſolum poteſt, ſed debet publice corripi juxta illud 1. ad Tim. 5. *Peccantem coram omnibus argue, ut & ceteri timorem habeant; quod intelligitur de peccatis publicis, ut Auguſt. dicit in lib. de verbis Domini,* ait D. Th. ar. 7. q. 33. mox cit. Ratio ex D. Thoma eſt, quia ſi peccata *ſint publica, non eſt tantum adhibendum remedium ei, qui peccavit, ut melior fiat, ſed etiam aliis, in quorum notitiam devenit, ut non ſcandalizentur.* Hinc publica peccata ſuperiori ſine ſecreta admonitione deferenda eſſe, eſt ſententia maxime communis, allato D. Pauli texto nixa, ut ait Concina Theol. t. 2. p. 141. n. 4.

Niſi vergat in grave damnum tertii &c. tunc enim immediate ſuperiori &c.

Idem docet D. Thom. ar. 7. q. 33. cit. Addit tamen S. Doct. *niſi forte aliquis firmiter æſtimaret, quod ſtatim per ſecretam admonitionem poſſet hujuſmodi mala*, hoc eſt proditionem civitatis, & averſionem hominum a fide, impedire.

D. Thomas angelice more ſuo quoad jus loquitur, ſed ex hypotheſi loquitur. Verum quoniam hæc hypotheſis, quod ſcilicet patriæ proditio, & hæreſis diſſeminatio, ſecreta admonitione impediri poſſint, nunquam certa eſt, nec privati hominis judicio committenda, & publica mala certo quoad fieri poteſt, remedio præcavenda ſunt; idcirco hæc prop. n. 5. *Quamvis evidenter tibi conſtet, Petrum eſſe hæreticum, non teneris denuntiare, ſi probare non poſſis,* ab Alexand. VII. proſcripta fuit.

Ergo hæreticus neceſſario denunciandus eſt, nec ſufficit ſecreta admonitio, quodcumque, & qualecumque de tua admonitione, & hominis indole judicium habeas: qui cum Eccleſiæ, cui repugnat, vocem non audiat, multo minus tuam privatam probabiliter audiendo auditorus eſt. Hinc Wig. in Trib. app. 1. ex. 2. tract. 17. n. 5. p. 741. refert, *Alex. VII. anno* 1660. *decreto ſuo 8. Julii declaraſſe, hæreticos, vel de hæreſi ſuſpectos (ut ſunt pertinentes ad Tribunal Inquiſitionis) eſſe denuntiandos, etiamſi nulla admonitio, vel fraterna correptio præmiſſa fuerit* cujus decreti meminit etiam La-Croix p. 184. num. 215.

Animadversio XXVI.

Si ex correptione fructus non ſperetur, differenda eſt. *Ubi auditus non eſt*, dicitur Eccli 32. *non effundas ſermonem; & importune noli extolli in ſapientia tua.* At ſi fructus ſperetur, inanem puto ſpem, ut peccator ferventius, aut facilius ad bonam frugem rediturus ſit, ſi permittatur iterare peccata. Peccata enim iterata nihil aliud ſunt, niſi tenebræ tenebris, impedimenta impedimentis addita, quibus animus in dies magis a luce veritatis alienus fit, & durior, ac difficilior ad converſionem, &, ſi convertatur, ad relabendum proclivior. Adde incertum mortis diem, qui, ſi peccatorem non converſum deprehendit, illum trudit ad infera; adde incerta gratiæ in futurum auxilia. Illud etiam animadverte, impedimentum plurium, aut etiam unius culpæ mortalis longe pluris faciendum eſſe, quam futilis, aut ut minimum incerta ſpes ferventioris emendationis.

Itaque ſicuti peccatori dicitur Eccli. 5. *Non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem*; ita fraterna correptio, quæ eſt converſionis excitamentum, non eſt proroganda, ſed opportunitate oblata ſtatim facienda eſt.

DUBIUM V.

De ſcandalo.

ARTICULUS I.

Quid quotuplex ſit, & quale peccatum?

RESp. 1. Scandalum dicitur peccatum occaſionatum, & eſt duplex, activum, & paſſivum. Activum eſt dictum, vel factum (quo nomine etiam omiſſio intelligitur) minus rectum, præbens alteri occaſionem ruinæ ſpiritualis. Ex S. Thom. 2. 2. *q. 43. a.* 1. Sanch. Azor. Laym. *c.* 19. Bon. *d.* 2. *q.* 4. *p.* 2. Dixi *minus rectum*, hoc eſt, quod vel in ſe malum ſit, ut ſi loquaris turpia coram adoleſcenta, vel mali ſpeciem habeat, ut ſi juſta de cauſa, coram aliis eam ignorantibus, comedas carnes die vetito. Scandalum activum aliud eſt per ſe tale, aliud per accidens. Per ſe dicitur, quando directe intenditur alterius ruina; ideſt, ſi ideo aliquid fiat, ut aliquis ad peccatum inducatur: v. gr. ſi adulter alienam ſollicitat ad adulterium. Per accidens dicitur, quando indirecte, & interpretative tantum cauſatur alterius peccatum; ut ſi quid facias, quod tibi in mentem venit, aptum natum eſſe ad inducendum alterum hic & nunc ad peccatum, & nihilominus facis: ut ſi coram puſillis pecces, vel die vetito carnes comedas, non dicendo quod habeas veniam. Item, ſi Clericus domi ſuæ alat mulierem populo ſuſpectam, eſto abſit omne peccatum, & peccandi periculum. V. Sa v. *Clericus*, Laym. Bon. *l. c.* Scandalum paſſivum eſt ipſa ruina, ſive peccatum, in quod labitur proximus ex occaſione alterius dicti, vel facti. Quod dividitur in datum, ſeu puſillorum, quod oritur ex activo: & in acceptum, quod non oritur ex activo, ſed ex ipſius ſumentis malitia: quale erat odium, & invidia Phariſæorum in Chriſtum, occaſione ejus dictorum, vel factorum: unde hoc dicitur phariſaicum. Ex his patet

1. Ad ſcandalum activum non requiri, ut de facto paſſivum conſequatur; ſed ſatis eſſe, quod data ſit occaſio, ex qua natura ſua ſequi poſſit: ut ſi quem inducere velis ad peccatum, qui tamen non conſentiat; ſicut etiam contra, paſſivum poteſt dari ſine activo. Laym. *ibid.*

2. Scandalum paſſivum non eſſe ſpeciale peccatum, neque addere circumſtantiam aggravantem; v. gr. qui viſo alterius furto, etiam furatur, non ideo peccat gravius. Laym. *ibid.*

3. Non ſemper eſſe ſcandalum, ſi pecces coram aliis, ſed tantum quando, attentis circumſtantiis tam perſonæ agentis, quam coram quibus fit actus, poteſt probabiliter timeri, ne per hunc actum trahantur ad peccatum, qui alias peccaturi non eſſent. Sanch. Laym. *l.* 2. *t.* 3. *c.* 13.

4. Omne ſcandalum activum directe intendens ruinam proximi eſſe ſpeciale peccatum contra caritatem, ut habet communis ſententia. (*a*) An vero idem ſit, quando intenditur indirecte, controvertunt Scholaſtici, & parum refert ad praxim. Sanchez *l. 7. cap. 6. & 9.* Azor. 1. *p. l.* 4. *cap.* 7. Bon. *loc. cit.*

Unde reſolves hos caſus.

1. Mortaliter peccat, qui alteri dat occaſionem ruinæ mortalis, (*b*) niſi indeliberatio excuſet: & ſic opus indifferens, vel veniale ſæpe tranſit in mortale ratione ſcandali, v. gr. ſi jocoſum verbum proferat Religioſus coram feminis, vel iis, qui inde occaſionem peccati mortalis ſumere poſſunt. Laym. *loc. cit.*

2. Venialiter peccat ratione ſcandali, qui alteri dat occaſionem ruinæ venialis tantum. (*c*) *Quod verum eſt, etſi directe illam intendat, & quidem per actum mortale.* Sanch. *l.* 1. *cap.* 6. *n.* 11. ex communi, contra Suar. Ratio autem eſt, quia ruina eſt parva. Et patet a ſimili, ut ſi quis per fornicationem intendat furari rem minimam, furtum tantum erit veniale.

Animad. I.

3. *Scandalizans committit præter peccatum ſcandali, et-*

li, etiam peccatum ejus ſpeciei, ad quod alterum induxit: Ideoque confiteri debet ſpeciem peccati mortalis, per quod, & ad quod induxit, cum numero inductorum, vel qui probabiliter induci potuerunt. Sanchez, Azor. Laym. Bonac. *l.* 1. Card. de Lugo *de pœnit. d.* 19. *ſ.* 4. Dian. *de Sacr. t.* 2. *t.* 4. *r.* 514. *Excipit tamen Card. de Lugo l. c. ſi præter intentionem ſcandalum dederit.* Tamb. *de impedim. conſ. l.* 2. *c.* 1. *n.* 9. *ait, quoad inductos, ſufficere, ſi dicas: Fui multis occaſio peccandi meo exemplo.* Vid. inf. *l.* 3. *t.* 6. *c.* 1. *dub.* 2.

Animad. II. 4. Etſi is, qui ſcandalizavit alios, teneatur illis rurſus dare bonum exemplum, ut inquit Sa; *ſi quis tamen nudo exemplo ſuo alios ad furtum induxit, neque alio peculiari modo, v. g. exhortatione, conſilio, mandato eſt cooperatus, non tenetur ad reſtitutionem; quia talis inductio eſt tantum contra caritatem, non contra juſtitiam. Idem docet eſſe Leſſ. ſi cum Cajo, v. g. potites ea intentione, ut ipſe, conſumptis pecuniis, furetur.* V. Leſſ. *c.* 9. *d.* 16. *n.* 110.

Animad. III. 5. *Non cenſetur dare ſcandalum, qui, licet publice peccet, facit id tamen coram iis, qui vel ſunt ita viles, vel infames, aut improbi, ut nemo moveatur ad peccatum, vel qui ſunt ita probi,* v. g. ſi quis fornicetur coram aliis, qui ſunt parati idem facere, nec ejus exemplo moventur, vel ſi coram manſuetis quis contendat, irxetur, vel alium cædat. Sanchez 1. *mor. c.* 6. *n.* 6.

6. Non ideo factum aliquod eſt ſcandalum, quia alius incipit de tali homine male ſuſpicari, aut ſentire, quia hic non peccat, ſi ob ſufficientia indicia ſuſpicatur. (*d*) *Secus tamen eſt, ſi incipiat male ſentire* de fide catholica, Clero, Ordine Religioſo, vel minus ad pietatem affici. Unde patet facilius dari ſcandalum ab iis, qui ſunt in magna auctoritate, vel pietatis exiſtimatione, quam ab aliis Con. *d.* 32. *n.* 33.

ARTICULUS II.

An, & quando ſcandalum paſſivum permitti poſſit, aut ob illud vitandum aliquid omitti debeat?

Reſp. 1. Permitti non poteſt abſque neceſſitate, vel utilitate propria, vel aliena. Ratio eſt, quia tenemur ex caritate impedire peccata proximi, ſi facile poſſimus. Laym. *c.* 13. ex commun.

Unde reſolvitur hic caſus.

Abſque cauſa non licet petere mutuum ab uſurario, vel ab infideli juramentum per falſos deos, a concubinario adminiſtrationem Sacramenti, vel ut celebret: cum enim abſque peccato id non ſit facturus, cooperareris ejus peccato. Suar. Sanchez, Trull. *l.* 1. *c.* 6. *d.* 6. *n.* 15.

Animad. IV. Reſp. 2. *Ex cauſa neceſſitatis, vel utilitatis poteſt permitti. Patet in dicto caſu, qui ſimpliciter ſine peccato fieri poteſt: ideoque licet talia petere ex rationabili cauſa, etſi alter ex ſua malitia ſit peccaturus.* Requiritur autem major neceſſitas ut permittatur ſcandalum puſillorum, quam phariſaicum. Item major, ſi plures ſint ſcandalizandi, ſi timeatur peccatum grave, & denique, ſi certo prævideatur, quam alias. Laym. *l. c.* Bonac. *d.* 2. *q.* 4. *p.* 2.

Reſp. 3. Debet permitti, ſi alioqui propria ſalus periclitaretur, (*e*) vel aliis, præſertim communitati, grave damnum immineret. Unde bona ſpiritualia neceſſaria ad ſalutem nec debet, nec poteſt quiſquam omittere ob cujuſquam ſcandalum. Fill. 28. *c.* 6.

Animad. V. Reſp. 4. *Bona ſpiritualia (& ſecundum Lorcam apud Dian. p.* 5. *t.* 7. *R.* 24. *etiam temporalia) non neceſſaria ad ſalutem non tenetur quis omittere, vel differre, ob ſcandalum phariſaicum,* juxta illud Matth. 15. *Sinite illos,* &c. niſi tamen ex dilatione fructus ſperaretur: facilius vero, ac ſæpius talia bona differenda, vel etiam omittenda ſunt, ob ſcandalum puſillorum: v. g. ingreſſus religionis debet differri ob ſcandalum parentis, ſi conſenſus illius brevi ſperetur. Laym. *l. c.*

Reſp. 5. Ad vitandum grave ſcandalum puſillorum quædam præcepta impleri non debent: (*f*) niſi tamen omiſſio eſſet magis damnoſa omittenti. V. Laym. *l.* 2. *t.* 3. *c.* 13. Ratio hujus eſt, quia tunc, concurrente duplici præcepto, ſcilicet naturali de cavendo ſcandalo, & poſitivo majus, & fortius eſt naturale.

Ex dictis reſolvuntur hi caſus.

1. Prælati eccleſiaſtici non tenentur (imo nec poſſunt) ea, quæ ad bona Eccleſiæ conſervanda ſunt neceſſaria, v. g. lites, &c. omittere ad vitanda ſcandala phariſaica, imo etiam puſillorum: etſi his prius reddi debeat ratio rectitudinis. Dian. *p.* 3. *t.* 7. *R.* 2. 4. Ex D. Thom. &c.

2. *Si femina utatur veſte virili, vel contra,* tantum ex levitate, ſine prava intentione, aut periculo ſcandali, & libidinis, veniale tantum erit, alias mortale; *nullum vero, ſi ex neceſſitate.* (*g*) Dian. *p.* 5. *tr.* 7. *R.* 32. ex D. Th. Syl. &c.

3. *Peccatum, ex quo Confeſſarium in confeſſione (ex infirmitate tamen) graviter ſcandalizandum noſti, debes reticere.* Laym. *l.* 1. ex Nav. &c. Animad. VI.

4. *Uxor ſemel, vel iterum debet omittere jejunium, ex quo maritus graviter offendetur, & orietur diſcordia. ibid.* Animad. VII.

5. *Si, ituro te ad ſacrum die feſto, evitanda ſit gravis rixa, vel cædes, non teneris ire. ibid.* Animad. VIII.

6. *Superior peccata ſubditi ſæpe poteſt diſſimulare,* (*h*) ad vitandas turbas, & majora mala, quæ alioqui teneretur punire.

7. *Mulier, quæ ſcit in ſe, vel in ſui aſpectu aliquem in particulari ſcandalizandum, mortaliter peccat, ſi data opera ei ſe conſpiciendam offerat; adeoque poteſt, & debet non tantum publico, ſed etiam ſacro abſtinere die feſto, ſemel, aut iterum,* ad peccatum illud evitandum. Dixi 1. *aliquem in particulari:* quia ob timorem ſcandali alicujus ex communitate in genere, vel etiam plurium, abſtinere nimis eſſet difficile, & plenum ſcrupulis. Dixi 2. *ſemel, aut iterum: quia ſæpe, nimis eſſet grave, & durum:* Bonac. Sanch. Laym. *l. c. n.* 10. & alii. V. Dian. *p.* 5. *t.* 7. *Reſ.* 21. & 22. ubi in contrarium citat aliquot auctores negantes obligationem prætermittendi rem præceptam ad evitandum aliorum ſcandalum. Animad. IX.

8. *Mulier, quæ ex ornatu, etiam conveniente ſuo ſtatui, probabiliter prævidet aliquem in particulari lapſurum mortaliter, tenetur ad breve tempus eum dimittere, aut talis conſpectum fugere. Dixi ad breve tempus; quia ad longum nimis illi grave foret.* V. Dian. *l. c.* Animad. X. Animad. XI.

9. *Si vero idem timeretur in particulari ex ornatu ſuperfluo, vano, & inconvenienti* (quem aſſumere vanitatis, & placendi cauſa, ut videantur pulchræ, & procum facilius inveniant, ſecluſis aliis, non niſi veniale eſt) *teneretur eum omnino dimittere, etiam ſub mortali: quia nullum habet jus ad illum ornatum: & ex altera parte tenetur vitare peccatum alterius, quando commode poteſt.* V. Sylv. *v. Ornatus. Alii tamen,* ut Caj. Nav. *c.* 23. *videntur docere, eam tantum teneri ſub veniali (ſed minus probabiliter) quando in particulari lapſus prævidetur, & brevi tempore abſtinendum eſt: qui etiam cum Azor. Leſſ. & Bonac. excuſant a mortali eas, quæ ex conſuetudine loci media ubera detegunt, fuco, pigmentis, alienis crinibus utuntur; dummodo non aliorum laſciviam, ſed tantum majorem pulchritudinis ornatum intendant, abſque alio fine mortali, aut lege particulari id ſub mortali prohibente.* Addunt tamen fore grave, & mortale peccatum hujuſcemodi morem detegendi pectus, vel tenuiter tantum tegendi, ubi non eſt, introducere. Navar. *n.* 19. Leſſ. 112. Laym. *l. c.* &c. Vid. Bonac. *de matrim. qu.* 4. *p.* 9. *n.* 17. Animad. XII.

10. *Si mulier non in particulari, ſed in genere tantum aliquos in ſe ſcandalizandos putet, modo eorum laſciviam non intendat, nec ei placeat* (licet ei placeat, quod laudetur ut formoſa) *non videtur teneri abſtinere ab illo ornatu, etiam ſuperfluo, ſub mortali, v. g. fucando faciem, imo etiam denudando ex communi conſuetudine pectus: niſi tamen denudatio, vel ornatus eſſet valde turpis per ſe, et directe ad libidinem provocans.* Ratio eſt, tum quia eſt ſcandalum potius acceptum, quam datum, & ornatus ille, ac pulchritudo remote tantum ad peccatum provocat, ut docent Laym. & Bon. tum quia nimis grave eſſet iſti ſexui, præſertim ſi maritum quærant, per- Animad. XIII.

pe-

Digitized by Google

petuo ſic abſtinere, cum illa occaſio ſit univerſalis, & perpetua; nec formoſiores unquam licite irent ſoras, cum pulchritudo naturalis plus noceat, quam artificialis. Plura de hac re vide apud Dian. t. 1. R. 30. Bardel. *l.* 3. *d.* 5. *n.* 13. Interim feminam nudum pectus gerentem non mala intentione, etſi quidam excuſent a mortali, ego tamen, inquit Sa, difficile abſolverem. Et certum eſt, quod Confeſſario incumbat hujuſmodi ornatum diſſuadere, & deterrere ab eo. Vide Sa, v. *Ornatus*, *&c. ll. cc.*

11. Peccant etiam graviter, qui componunt, deſcribunt, repræſentant, vel pingunt turpia, & ad libidinem provocantia. Bonac. Sanch. & Fillic.

ANIMAD. XIV. Reſp. 6. *Poteſt aliquando permitti proximi culpa, quando is paratus eſt ad malum, & alter non intendit, ut peccet, ſed tantum non auferendo occaſionem, permittit unum peccatum, ne fiant plura, ita ut permiſſio ſit impeditiva majoris mali.*

Unde reſolves.

ANIMAD. XV. 1. *Hero licet non auferre occaſionem furandi filiis, aut famulis, cum eos nihilominus ad furandum propenſos, & paratos novit, ut ſic deprehenſi puniantur, & reſipiſcant:* tunc enim rationabiliter permittit furtum unum, ut vitentur plura. Sanch. Laym. Bonac.

2. Probabile eſt non licere talia ultro ponere, aut iis objicere: quia poſitive concurreret ad peccatum; & non tam auferret occaſionem, quam poneret. Sa, v. *peccatum*, & Sanch. qui ex eadem cauſa docet non licere marito dare uxori anſam adulterandi, vel adultero, ut tentet uxorem. *Interim probabiliter contrarium* docet Laym. *l.* 3. *t.* 3. *c.*

ANIMAD. XVI. 13. *Quod confirmari poteſt exemplo Judith, quæ vix aliter videtur feciſſe. c.* 9. Cum enim ſciret permiſſionem libidinis in Holoferne fore impeditivam malorum, poſuit ei occaſionem, nempe ornatum ſuum, alioqui licitum, & tamen communiter cenſetur in hoc non peccaſſe. Vide Bonac. *d.* 2. *qu.* 4. *p.* 2. Palaum *hic*.

ARTICULUS III.

An liceat alterius peccato materialiter cooperari?

Reſp. *Cooperari tantum materialiter, ſubminiſtrando*

ANIMAD. XVII. *tantum materiam, & facultatem peccandi, vel exhibendo objectum, licet, ſi ſequentes conditiones adſint.* I. Si tuum opus, vel cooperatio ſit ſecundum ſe bona, vel ſaltem indifferens. II. Si bona intentione, & rationabili ex cauſa fiat, & non ut juves alterum peccare. III. Si alterius peccatum impedire nequeas, aut ſaltem non tenearis propter cauſam rationabilem. Circa quam notat Sanch. & Laym. etſi ejus gravitas certa regula definiri nequeat, ſed prudentis judicio metienda ſit; tanto tamen graviorem requiri, 1. Quanto gravius eſt peccatum, cujus occaſio datur. 2. Quanto probabilius eſt, te non cooperante, alterum non peccaturum: aut quanto certior eſt affectus peccati. 3. Quanto propinquius tua cooperatio peccatum attingit. 4. Quanto minus juris habes ad tale opus. 5. Denique quanto magis peccatum cum juſtitia pugnat, idque propter damnum tertii. Laym. *l.* 2. *t.* 3. *c.* 13.

Unde reſolves hos caſus.

ANIMAD. XVIII. 1. *Hoc modo licite materialiter cooperatur ſponſa contrahens cum ſponſo, quem ſcit Sacramentum accipere in peccato mortali.* Sciens vero eum habere votum caſtitatis, peccat contrahendo cum ipſo, quia ad contractum illicitum concurrit. Laym. *l. c.* ex Sanch. *l.* 7. *de matr. d.* 11. *n.* 11.

ANIMAD. XIX. 2. *Licite quoque poſt matrimonium contractum materialiter cooperatur conjux, ſi conjugi obſtricto voto caſtitatis reddat debitum: imo ad id tenetur ex juſtitia, ſi eum exigentem non poſſit a propoſito avocare. ibid.*

ANIMAD. XX. 3. *Similiter Parochus Euchariſtiam licite poteſt, & debet miniſtrare peccatori, & excommunicato, & hæretico occulto, ſi petat publice; imo Confeſſarius præbere debet petenti etiam privatim, ſi ex ſola confeſſione ejus peccatum novit. ibid.*

4. *Excuſantur a peccato famuli, ſi ratione ſui fa-* ANIMAD. XXI. *mulatus præſtent quædam obſequia, quæ ſine gravi ſuo incommodo negare non poſſint; ut v. gr. viſitent dominum, ſternant equum, comitentur ad lupanar, meretrici deferant munera, eidem venienti aperiant oſtium: quia hæc tantum remote ſe ad peccatum habent, & ſine iis peccatum fieret.* Unde tamen non ſequitur, alteri cuivis licere ea præſtare. Bon. *p.* 11. *c.* 26. Azor. *t.* 2. *l.* 12. *c. ult. qu.* 8. Laym. *l.* 2. *t.* 3. *c.* 13. Sanch. *l. mor. c.* 7. *n.* 21.

5. *Ad ea opera, quæ propinquius ſe ad peccatum* ANIMAD. XXII. *habent, aut juvant, v. gr. ſubjicere humeros, admovere ſcalas hero per feneſtram aſcendenti ad concubinam, deferre litteras amatorias ad meretricem, comitari ad duellum &c. non ſufficit communis cauſa famulatus, ſed exigunt majorem neceſſitatem, & cauſam, ut licite fiant; v. gr. periculum gravis, aut ſaltem notabilis damni, ſi detrectent. ibid.*

6. *Ob ſimile periculum excuſantur ut plurimum cau-* ANIMAD. XXIII. *pones, & propolæ in locis, ubi Catholici vivunt mixti hæreticis, qui miniſtrant, aut vendunt carnes die jejunii comeſturis, item vinum ebrioſis, dum poſtulant, etſi ſciant eos a peccato non excuſari:* quia plerumque peccatum æque fieret, ſubminiſtrantibus aliis, & ipſi damnum notabile paterentur, dum paulatim nemo ad eos veniret. Sanch. *l.* 1. *c.* 6. Bonac. &c. Quod ſi tamen hæ rationes non adeſſent, non excuſarentur. Unde non licet ea patrifamilias (uti nec cœnam die jejunii) miniſtrare ſuæ familiæ: neque cauponi illi, præter quem non ſunt alii: niſi tamen alia gravior cauſa cogeret. *ibid.*

7. *Ea, quæ ad peccatum proxime concurrunt, vel* ANIMAD. XXIV. *inducunt, vel cum juſtitia pugnant, etſi ex genere ſuo ſint indifferentia: v. gr. hero alterum occiſuro gladium dare, oſtendere illum, qui ad necem quæritur, campulſare campanam (ſine ſcandalo tamen) ad concionem hæreticam, meretricem, etſi conductam, ac paratam, e domo evocare, & ad herum deducere, furi ſcalam applicare, gerenti injuſtum bellum dare mutuas pecunias, pagum hæretico domino vendere, graviſſimam cauſam requirunt, hoc eſt, metum tanti mali, quod ſecundum leges caritatis nemo teneatur ſubire ad evitandum malum alterius; v. g. ſi alias occidendus eſſet.* Laym. *c.* 13. *n.* 4.

8. *In civitatibus, in quibus id vitandi majoris* ANIMAD. XXV. *mali cauſa permiſſum eſt, licet domum locare uſurario* (excipit tamen jus alienig·nam) *& meretricibus; maxime ſi alii conductores deſint;* niſi tamen meretrices graviter nocerent vicinis honeſtis, vel ob ſitum anſam majorem darent peccatis. Sanch. 1. *mor. c.* 7. Bon. *l. c.*

9. *Excuſantur a mortali, imo etiam veniali, ſi* ANIMAD. XXVI. *cauſa adſit, artifices qui faciunt, aut vendunt res indifferentes, quibus quis bene poteſt uti, licet plurimi abutantur, v. gr. aleas, fucos, gladios.* Ratio eſt, quia remote tantum ordinantur ad peccatum, & ſimpliciter impediri non poſſunt. Quod ſi tamen abuſurus eſſet contra juſtitiam, non liceret; v. gr. ſi occiſuro dares gladium ob magnum pretium, quod offert. Item, ſi quis ſciat hunc innocentem non pervertendum, niſi per has ſuas merces: quia modicum lucrum certæ ſaluti alterius eſt poſtponendum. Sanch. *l. c.*

10. *Excuſantur etiam, qui ob juſtam cauſam ven-* ANIMAD. XXVII. *dunt agnum Judæo, vel Infideli uſuro ad ſacrificium. Item qui Judæorum ſynagogas, hæreticorum templa, legitime Magiſtratu permittente, ædificant, vel reſtaurant: præſertim ſi fieret æque ſine ipſis.* Nav. *l.* 5. *conſ.* 1. *de Judæis.* Laym. *l.* 3. *t.* 3. *cap.* 13. *n.* 4. Venena autem vendere, niſi iis, qui bene uſuri putantur, v. g. ad confectionem colorum, vel medicinam, non licet. V. Sanch. 1. *mor. c.* 7. Unde venditio veneni, quod non ſervit niſi ad hominis occiſionem, ſimpliciter eſt mala.

11. *Chriſtiani captivi, ex gravi metu, in triremi-* ANIMAD. XXVIII *bus Turcarum, vel Hæreticorum, licite remigant contra Catholicos; ſarcinas, machinas, arma ad bellum neceſſaria convehunt, propugnacula ædificant &c. Ita probabiliter Leſs. Sanch. Suar. Laym. l.* 2. *t.* 3. *cap.* 13. *contra Tolet. & alios, qui docent peccare mortaliter.* Quod ſi tamen eo loco res eſſet, ut hæc negantes magno periculo claſſem chriſtianam eriperent,

perent, vel victoriam conferrent, tenerentur tantum bonum vitæ ſuæ anteferre. Sunt Leſs. Sanch. *l. c.*

12. *Incola urbis, vel provinciæ, quam tyrannus*
Animad. XXIX. *occupavit, licite manent inter iniquos poſſeſſores, roſque cogente imperio juvant excubiis, foſſione, contributione:* idque ex legitimi Principis præſumpto conſenſu: ex quo etiam talia obſequia licite promittunt cum juramento, ad majora mala ſua, & legitimi Principis declinanda. Laym. *l. c. n.* 5.

13. *Nauta, & auriga catholici in Hollandia, etiam ſine gravi metu, ſi abſit prava intentio, licite*
Animad. XXX. *vehunt annonam ad caſtra hæreticorum, ſi adſint alii, qui illis ceſſantibus facerent: quia, niſi id faciant, excludentur omni lucro, tanquam oſores boni publici.* Vide Leſs. *l.* 2. *c.* 19 Sanch. *l.* 1. *c.* 7. Fill. *t.* 22. *c.* 5.

Notæ.

(a) *Omne ſcandalum &c. ut habet communis ſententia.* Sicuti reliqua, quæ hoc art. Buſ. dixit, probanda mihi videntur; ita multo magis quod hic habet. Ac ſubdit. *An vero idem ſit, quando &c. controvertunt &c. & parum refert ad praxim.* Hic ita diſcurro.

Scandalum nihil aliud eſt, niſi dictum, vel factum minus rectum, alteri præbens occaſionem ruinæ ſpiritualis, ut recte Buſ. definivit ex mente D. Th. loco ab eo cit. ergo ipſum dictum, vel factum, quod ex ſe inducere aptum eſt alios ad peccandum, ſcandali naturam, ſeu ſpeciem habet: ergo ad ſpeciem ſcandali non eſt neceſſaria expreſſa intentio ruinæ proximi; ſicuti talis intentio in aliis peccatis, quæ reipſa admittuntur, non eſt neceſſaria. Hanc ſententiam, quæ ex ſe mihi perſpicua eſt, ut plures alios Theologos, quos pro ea citat Conc. Th. t. 2. p. 175. cap. 3., omittam, S. Th. 2. 2. q. 43. a. 1. ad 4. explicate tradit. Hujus verba habes hic animad. 1.

Nam cum S. Doct. 2. 2. q. 43. a. 3. c. ait: *Per ſe autem eſt activum ſcandalum, quando aliquis ſuo inordinato dicto, vel facto intendit alium trahere ad peccandum; & ſic ex intentione ſpecialis finis ſortitur rationem ſpecialis peccati*, quid inde? Hoc ſine dubitatione eſt ſpeciale peccatum ſcandali; at inde ne conſequitur, non eſſe ſpeciale ſcandalum, ſi ipſum dictum, aut factum ex ſe ſcandalum ſit; quaſi vero ex ſola intentione ſcandali culpa committatur? Hoc ab angelica D. Th. mente, & a rei veritate alieniſſimum eſt.

Duplex peccatum, etiamſi deſit intentio inducendi alios ad peccandum, adverſarii quoque fatentur, ut advertit Conc. p. 176. n. 3., at hoc alterum peccatum, generale ſcandalum appellant, & peccatum non ſpecie, ſed numero diſtinctum ab eo, quod fit, e. g. furto, detractione &c.

Rem ſcilicet involvunt, & reipſa falluntur, ut jam evici, & fuſius evincere poſſem, ſi neceſſe eſſet. At quoad praxim, ut Buſembau recte ait, parum refert, ſeu ſpecie, ſeu numero duplex hoc peccatum eſſe dicatur. Utrumque in confeſſione aperiendum eſſe, ultro fatentur, utrumque non unum, ſed duplex peccatum eſt, & utrumque grave. Hoc ſatis quoad praxim eſt.

Cæterum explicata intentio inducendi alterum ad peccatum, gravitatem longe auget, & in confeſſione neceſſario aperienda eſt.

(b) *Mortaliter peccat, qui &c* Recte. *Niſi indeliberatio excuſet.* Hoc intellige juxta dicenda contra Buſ. lib 5. cap 1. animad. 1. & cap. 2. animad. 1. & 2.

(c) *Venialiter peccat &c.; quod verum eſt, etſi directe illam intendat.* Nihil hic eſt, quod objici poſſit; at B. .. addit: *& quidem per actum mortalem.* Qui per actum mortalem ſcandalum dat, alium ex natura ipſius ſcandali ad mortiferam culpam movet; quod eſt ſine controverſia mortale crimen, & proprie ſcandalum. Nec a mortali crimine excuſari poteſt; quia ſcandalum præbens, non habet voluntatem movendi ad gravem noxam, ſed ſolum ad levem, ut ex mox dictis liquet.

(d) *Secus tamen eſt, ſi incipiat &c.* Ex D. Th. didici, * judicium de rebus, hoc eſt de factis, & dictis faciendum eſſe ſecundum ea, quæ illis per ſe, non per accidens conveniunt.

Non ideo factum, aut dictum ſcandali noxam habet, quia hic, aut ille ex ſua malitia anſam inde arripit male ſentiendi de Ordine religioſo, Clero &c., ſed quod tale dictum, aut factum ex ſui natura male ſentiendi occaſionem præbet, aut male loquendi contra veritatem, & famam proximi.

(e) *Debet permitti, ſi alioquin propria ſalus periclitaretur.* Idem ſonant illa verba. *Unde bona ſpiritualia neceſſaria &c.*

Hæc doctrina certa eſt, & angelica ex D. Th. 2. 2. q. 43 a. 7. *Quæ ſunt*, inquit, *de neceſſitate ſalutis, prætermitti non debent propter ſcandalum vitandum.* Buſ. ſubdit, *vel aliis, præſertim communitati grave damnum immineret.* Quoad hoc lege hic animad. 5. Si ſcandalum infirmorum ſit, adhibita admonitione tollitur; ſi ſit phariſaicum, dicere merito poſſumus cum Chriſto, *ſinite illos, cæci ſunt.*

(f) *Ad vitandum grave ſcandalum puſillorum &c. ratio eſt &c.*

Quoad hoc conſule hic animad. vi. vii. viii. ix.

Scandalum non eſt, niſi factum, aut dictum, vel malum, vel mali ſpeciem habens ex D. Th. 2. 2. q. 43. a. 1. ad 2. At obedientia præcepti non eſt mala, ſed bona; nec mali ſpeciem, niſi ex perverſitate, & malitia habere poteſt, cum præceptum fuerit declaratum. Ergo ſcandalum, quod oritur ex præcepti obedientia, poſtquam hoc declaratum fuit, non eſt ſcandalum puſillorum, ut male ponit Buſ., ſed ſcandalum phariſaicum; cujus cauſa præcepta eſſe omittenda, falſum omnino eſt. Ergo ſi infirmi ſcandalum aliquod ex legum obſervatione ſubeant, non leges omittendæ ſunt, ſed manifeſtandæ.

D. Th. 2. 2. q. 43. a. 7. ait. *Quandoque vero ſcandalum procedit ex infirmitate, vel ignorantia; & hujuſmodi eſt ſcandalum puſillorum; propter quod ſunt ſpiritualia bona* (ad ſalutem non neceſſaria) *vel occultanda, vel etiam interdum differenda, ubi periculum non imminet, quouſque reddita ratione hujuſmodi ſcandalum ceſſet. Si autem poſt redditam rationem hujuſmodi ſcandalum duret, jam videtur ex malitia eſſe, & ſic propter ipſum non ſunt hujuſmodi ſpiritualia bona dimittenda.* Ergo multo minus præcepta omittenda ſunt; quia horum obſervantia ad ſalutem neceſſaria eſt. Nam ratio Buſembau ex præceptorum colliſione ſumpta, falſo, ut auctore D. Thoma oſtendi, ſuppoſito laborat.

(g) *Si fœmina utatur &c. nullum vero, ſi ex neceſſitate.*

Deuteronomii 22. v. 5 habetur. *Non induetur mulier veſte virili, nec vir utetur veſte fœminea: abominabilis enim apud Deum eſt, qui facit hæc.* Et D. Auguſt. Soliloq lib. 2. cap. 16. (1. t. p. 381.) *Credo jure infames, inteſtabileſque haberi, qui muliebri habitu ſe oſtentant . . . aut ſi latent; veros nequam non ſine veritate dicimus, ut opinor.* Tum ſubdit. *Et magna quæſtio eſt, utrum Patriæ liberandæ cauſa muliebri tunica indutus debeat hoſtem decipere &c.; & utrum ſapiens . . . malit emori frigore, quam fœmineis veſtibus, ſi aliud non ſit, amiciri.* Hanc quæſtionem ſolvit D. Th. 2. 2. q. 169. a 2 ad 3., ubi poſtquam D. Aug. concinens dixit, *& ideo de ſe vitioſum eſt, quod mulier utatur veſte virili, aut e converſo: & præcipue quia hoc poteſt eſſe cauſa laſciviæ: & ſpecialiter prohibetur in lege,* (Deuter.) *quia Gentiles tali mutatione habitus utebantur ad idololatriæ ſuperſtitionem*, ſubdit: *poteſt tamen quandoque hoc fieri ſine peccato propter aliquam neceſſitatem, vel cauſa ſe occultandi ab hoſtibus, vel propter defectum alterius veſtimenti, vel propter aliquid aliud hujuſmodi.* Hujuſmodi exempla plura profert Tirinus in cit. Deut. cap., qui cauſa ceſſante ait: „ Facinus „ iſtiuſmodi probroſum prorſus, & illicitum eſt. “ Quæro, inquis, utrum ſit mortale peccatum?

Reſp. An illa Deut. verba, *abominabilis enim apud Deum eſt, qui facit hæc*, levem tantum culpam indicare tibi videntur? Illa lex ad mores mihi pertinere videtur. At, inquis, ea præcipue de cauſa Judæis talis mutatio veſtis fuit vetita, quia Gentiles ea utebantur ad ſuperſtitionem. Reſp. recte quidem, ſi vis; at D. Th. cit. ait, *& præcipue quia hoc poteſt eſſe cauſa laſciviæ*; quæ ratio omnibus nationibus communis eſt, miſſa ſpeciali ratione, quæ Judæorum propria erat. Conſidera D. Aug. dicta, qui hos homines jure infames, & inteſtabiles haberi credit. Nec enim tam gravis, & vehemens reprehenſio in homines leviter peccantes merito cadit. Loquitur, inquis, de illis, qui id oſtentant. Reſp. Id ego quoque fateor: ergo concedis, hujuſmodi oſtentatores, qui quoad veſtem ſexum publice mutant, gravis, ſeu mortalis culpæ reos eſſe. Concedo, inquis, ſi id fiat cum periculo ſcandali, & libidinis. Reſp. An hoc periculum non eſt obvium, & manifeſtum? At Buſ. . . . Reſp. mitte Buſembaum, & audi attente Dei legem, & D. Auguſtini Doctoris maximi ſenſa, & verba graviſſima mox relata. Audi quoque iterum D. Thomam 1. 2. q. 102. a. 6. ad 6. *Quod autem mulier*, ait, *induatur veſte virili, aut e converſo, incentivum eſt concupiſcentiæ, & occaſionem libidini præſtat.* Incentivum concupiſcentiæ, & occaſio libidini præſtita, eſt genuinum ſcandalum, & letalis culpa: ergo &c. concluſio eſt aperta. At, inquis, contrarium accidere poteſt. Reſp. Nos loquimur de iis, quæ ordinarie loquendo, & ex rerum natura contingunt, ra-

tiſſi-

* Ejus verba habes hic animad. 1.

viſſimos eventus, & qui forte onnquam accidunt, non attingimus.

Sed quid, ais, de iis dicendum, qui lætent, puta qui mutato ſexus habitu perſonati incedunt? Reſp. D. Aug., ut mox audiſti, hos veros nequam eſſe opinatur. Ego D. Auguſtino non repugno, nec repugnare audeo. Tu vero videris.

(h) *Superior peccata ſubditi* &c.

D. Aug. lib. 6. contra Julianum n. 29. (tom. 10. p. 1358.) ait. *Ac per hoc Deus labores noſtros, ideſt pœnas noſtras, ad utilitates noſtras mirabili benignitate convertit.* Hunc mirabilem Dei ordinem imitari Prælati omnino debent, ut ſcilicet puniant, prout puniendi, aut communis neceſſitas, vel utilitas poſtulat.

Agimus, inquit idem maximus Eccleſiæ Doct. ep. 153. ad Macedonium n. 21., (t. 2. col. 532.) *quantum Epiſcopalis facultas datur, & humanum quidem nonnunquam, ſed maxime, ac ſemper divinum judicium comminantes. Nolentes autem reddere, quos novimus & male abſtuliſſe, & unde reddant, habere, arguimus, increpamus, & deteſtamur, quoſdam clam, quoſdam palam, ſicut diverſitas perſonarum diverſam videtur poſſe recipere medicinam, nec in aliorum perniciem ad majorem inſaniam concitari. Aliquando etiam, ſi res magis curanda non impedit, ſancti Altaris communione privamus*; & ep. 185. cap. 6. n. 21. (col. 652. t. 2.) *melius eſt quidem (quis dubitaverit?) ad Deum colendum doctrina homines duci, quam pœnæ timore, vel dolore compelli. Sed non quia iſti meliores ſunt, ideo illi, qui tales non ſunt, negligendi ſunt. Multis enim profuit (quod experimentis probavimus, & probamus) prius timore, vel dolore cogi, ut poſtea poſſent doceri, aut quod jam verbis didicerant, opere ſectari.* At quandonam, inquis, pœna infligenda eſt, quandonam diſſimulandum? D. Auguſtinus lib. 3. contra Epiſtolam Parmeniani n. 13. (t. 9. col. 63. 64) ita loquitur. *In hac velut anguſtia quæſtionis non aliquid novum, aut inſolitum dicam, ſed quod ſanitas obſervat Eccleſiæ, ut cum quiſque Fratrum, ideſt Chriſtianorum intus in Eccleſiæ ſocietate conſtitutorum, in aliquo tali peccato fuerit deprehenſus, ut anathemate dignus habeatur, fiat hoc, ubi periculum ſchiſmatis nullum eſt, atque id cum ea dilectione, de qua ipſe* (Ap. Paulus) *alibi præcipit dicens, ut inimicum eum non exiſtimetis, ſed corripite ut Fratrem.*

Quorſum hæc, inquis? Nonne Boſ. paucis idem habet.

Si Buſ. loco illius, *quæ alioquin teneretur punire*, dixiſſet, *quæ alioquin metuenda merito ſunt*, D. Aug. ejus doctrinam confirmaſſet. Nunc autem eam potius emendat.

ANIMADVERSIO I.

BUſ. minus exacte loquitur. Peccatum enim, ad quod ſcandalizans alterum inducit, eſt ipſum ſcandalum, ſeu ſcandali ſpecies, non peccatum a ſcandalo diſtinctum. Nihilominus *confiteri debet*, ut ait Buſ., *ſpeciem peccati mortalis, per quod, & ad quod induxit* &c. quia peccatum, per quod induxit, potuit committi ſine inductione ad peccatum.

Excipit tamen Card. de Lugo, ſi præter intentionem &c.

Hanc exceptionem Buſ. rejicere debuit. Nam cum quis ſuis factis, aut dictis ſcandalum reipſa dedit, etiamſi præter intentionem dederit, ſcandali nihilominus reus eſt. Hinc. D. Th. 2. 2. q. 43. art. 1. ad 4. ait, *quod dictum, vel factum alterius poteſt eſſe dupliciter alteri cauſa peccandi:* uno modo *per ſe: alio modo per accidens. Per ſe quidem, quando aliquis ſuo malo verbo, vel facto intendit alium ad peccandum inducere; vel etiamſi ipſe* (hic nota) *hoc non intendat, ipſum factum eſt tale, quod de ſui ratione habet, quod ſit inductivum ad peccandum; puta cum aliquis publice facit peccatum, vel quod habet ſimilitudinem peccati; & tunc ille, qui hujuſmodi actum facit, proprie dat occaſionem ruinæ; unde vocatur ſcandalum activum. Per accidens autem aliquod verbum, vel factum unius eſt alteri cauſa peccandi, quando & præter intentionem operantis, & præter conditionem operis, aliquis male diſpoſitus ex hujuſmodi opere inducitur ad peccandum; puta cum aliquis invidet bonis aliorum, & tunc ille, qui facit hujuſmodi actum rectum, non dat occaſionem, quantum in ſe eſt, ſed alius ſumit occaſionem ſecundum illud ad Rom. 7.* Occaſione autem accepta &c. *Et ideo hoc eſt ſcandalum paſſivum ſine activo: quia ille, qui recte agit, quantum eſt de ſe, non dat occaſionem ruinæ, quam alter patitur.* Angelica D. Thomæ doctrina perſpicua eſt, a qua, cave, ne contrariæ opinationes te abducant.

Tamb. ait, quoad inductos ſufficere, ſi dicat: Fui multis &c.

Nonne Buſ. ex doctrina Sanch. Azor. Laym. Bonac., Card. de Lugo, Dian. dixit, eſſe confitendum numerum inductorum, vel qui probabiliter induci potuerunt dicto, vel facto ad peccandum? Hujus ſanæ doctrinæ ratio evidens eſt; quia ſcandalizans eſt reus omnium peccatorum, ad quæ alios induxit, ſeu quibus peccandi occaſionem præbuit juxta mox dicta ex S. Thoma. Ergo neceſſario explicare debet numerum eorum, quos ad peccandum induxit, vel quibus peccandi occaſionem dedit. At cum ait, *Fui multis occaſio peccandi meo exemplo*, non explicat numerum inductorum: ergo ejus confeſſio diminuta eſt, & confuſa, non integra, & explicata, ideoque Confeſſarius urgere pœnitentem debet, ut numerum prædictum quoad fieri poteſt explicet. Dixi quoad fieri poteſt. Nam ſi neſciat, utrum ſuo malo exemplo, aut dicto induxerit, aut quot induxerit ad peccandum, hoc ipſum explicate dicere ſatis fuerit.

ANIMADVERSIO II.

Hæc ſententia penes omnes communis eſt, ait Concina Theol. t. 2. p. 177. n. 5. item t. 7. p. 135. n. 17. At idem monet, ſententias quoque communes a ſummis Pontificibus fuiſſe proſcriptas, ideoque ne has quoque ſine examine eſſe probandas. Itaque hanc veniam mihi peto, ut rationes huic ſententiæ contrarias, quæ mihi rem examinanti in mentem venerunt, proferre poſſim, quas alii maturiori judicio librabunt. Buſ. inducentes ſuo exemplo ad furtum a reſtitutione liberat, „ quia talis inductio „ eſt tantum contra caritatem, non contra juſtitiam.“ Reſp. talis inductio eſt tantum contra caritatem reſpectu ejus, qui ad furandum inducitur; quia malo exemplo ſponte conſentit; at reſpectu ejus, qui furtum patitur, juſtitiæ adverſatur; quia nolens damnum patitur; cujus damni cauſa eſt non ſolum fur, ſed etiam qui illum ad furandum ſuo exemplo induxit.

At, inquit P. Concina, exemplum non eſt cauſa moralis, ſeu influens damni, ſed ſolum occaſio. Reſp. Hanc diſtinctionem fateor me non aſſequi. Cauſam moralem, ſeu influentem damni appello, quæ hominum voluntatem humano more movere apta eſt, & movet ad damnum inferendum: at exemplum pravum furti, hominis voluntatem movere aptum eſt, & ex hypotheſi movet ad damnum inferendum: ergo eſt cauſa moralis, & influens damni. Hinc animadverti poteſt, D. Thomam in verbis proxime citatis, cauſam, & occaſionem pro eodem ſumere; quia in moralibus reipſa idem ſunt.

Si quis ſuaſione, aut laude aliquem moveas ad furtum, ex communi Theologorum ſententia in dubium non vocanda, reſtitutionis lege tenetur: at non Theologorum ſolum, ſed omnium hominum ſenſu magis movens exempla, quam verba: ergo multo magis reſtitutionis lege tenetur, qui ſuo exemplo ad furtum alium movet.

Qui ſuo pravo exemplo inducit alium ad fornicationem, perjurium, detractionem &c. reus eſt fornicationis, perjurii &c. ab alio admiſſi, ut fatetur ipſe Buſ. hic e. 3. & nemo jure inficiari poteſt: ergo qui ſuo exemplo inducit alium ad furtum, reus eſt furti ab eo admiſſi: porro qui furti reus eſt, reſtitutioni obnoxius eſt: ergo &c. Concluſio mihi legitima, & perſpicua videtur, ut ſcilicet reſtituere teneatur furtum, ſeu rem furtivam, cujus reus quis eſt.

Communis quidem Theologorum ſententia eſt, omnes, qui ut adjutores damni illati, reſtitutionis lege tenentur, illis vulgatis verſiculis comprehendi, *Juſſio, conſilium, conſenſus, palpo, recurſus, Participans, mutus, non obſtans, non manifeſtans*; quibus cum prava exempla dantes, explicate non recenſeantur, ab eo onere liberari videntur. At cum hi quoque iis verbis, *conſilium, palpo* implicite contineantur; imo efficacius ad damnum moveant, quam palpones, aut conſilii auctores; nulla ratio eſt, cur a reſtitutionis obligatione liberi dicantur. *Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad reſtitutionem iſtius damni illati*, eſt prop. 39. ab Innoc. XI. damnata. Ergo certa eſt prop. illi contradictoria, hoc eſt iſta: Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, tenetur ad reſtitutionem iſtius damni illati. Sed qui ſuo pravo exemplo alium ad furtum induxit, illum induxit ad inferendum grave damnum tertio: ergo tenetur ad reſtitutionem iſtius damni illati. Conſequentia legitima eſt; præmiſſæ ſunt certæ, & perſpicuæ: quid ergo dubitandum? Enim vero perinde eſt, ſeu imperio, aut minis, ſeu conſilio, aut laude, ſeu exemplo moveas aliquem ad furtum. Verum quoniam ex meo ſenſu hic loquor, hic maxime, ſi a vero aberro, corrigi cupio.

Idem docet eſſe Leſſ., ſi cum Cajo v. g. potaſſes ea intentione, ut ipſe, conſumptis pecuniis, furetur.

Hic ego ita ratiocinor. Qui cum alio in tabernis potitat, prævidens ex hominis indole futurum, ut pecunia brevi conſumpta furaturus ſit, hic ejus futuro fur-

to facto ipſo conſentit: at ex Ap. Rom. 1. *digni ſunt morte, non ſolum qui faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus*: ergo ejus futuri furti reus eſt: ergo reſtitutioni obnoxius. Ergo multo magis reſtitutioni obnoxius eſt, qui ea explicita intentione cum alio potitat, ut hic conſumptis pecuniis furetur.

ANIMADVERSIO III.

Viri quidem perfecti ſcandalum non patiuntur, ut docet D. Th. 2. 2. q. 43. art. 5. quia Chriſto firmo, & conſtanti animo inhærent. Hinc Pſ. 118. *Pax multa diligentibus legem tuam, & non eſt illis ſcandalum*. Scandalo ergo obnoxii ſunt infirmi virtute, qui aliorum verbis, aut exemplis ad peccandum inducuntur juxta illud 1. Cor. 8. *Percutientes conſcientiam fratrum infirmam, in Chriſtum peccatis*. Hinc Matth. 18. dicitur: *Qui ſcandalizaverit unum de puſillis iſtis*. Porro homines improbi ſicuti ad peccandum promtiores ſunt, quam infirmi, ita facilius malis exemplis, aut verbis ad peccandum moventur, aut in peccato confirmantur. Itaque a ſcandali culpa immunes non ſunt, qui coram improbis, & promptis ad peccatum peccant. Pravum enim exemplum eos promptiores facit ad peccandum, eos in peccatis confirmat, eos inducit ad peccandum eo tempore, & loco, quo forte non peccaſſent, & ad multiplicanda peccata. Sicuti ſcandalum eſt, eos verbis in peccato fovere, ita quoque exemplis.

ANIMADVERSIO IV.

Tria hic Buſ. ſine diſcrimine confundit. Primum eſt, poſſe a feneratore ſine culpa peti mutuum ex cauſa neceſſitatis propriæ, vel alienæ; quod verum eſt, dum ſimpliciter mutuum petatur, non mutuum ſub uſura, licet ſub uſura accipiatur, quia fenerator alia ratione mutuum dare non vult. Id docet S. Th. 2. 2. q. 78. art. 4.

Alterum eſt, ab infideli licere petere juramentum per falſos deos; quod non licet: *Inducere enim hominem ad peccandum*, inquit D. Th. art. 4. cit. (quæ eſt perſpicua naturæ lex), *nullo modo licet*: ſed qui ab infideli petit juramentum per falſos deos, illum ad peccatum inducit: ergo id petere nullo modo licet. Hinc D. Aug. ep. 154. ad Publicolam a D. Th. laudatus inquit: *Qui utitur fide illius, qui per falſos deos jurat, non ad malum, ſed ad bonum, non peccato illius ſe ſociat, quo per dæmonia juravit, ſed pacto ejus bono, quo fidem ſervavit*. Si tamen, ſubdit Angelicus ad rem noſtram, *induceret eum ad jurandum per falſos deos, peccaret*. Hinc idem D. Th. infert: *Ita etiam in propoſito dicendum eſt, quod nullo modo licet inducere aliquem ad mutuandum ſub uſura; licet tamen ab eo, qui hoc paratus eſt facere, & uſuras exercet, mutuum accipere ſub uſuris propter aliquod bonum, quod eſt ſubventio ſuæ neceſſitatis, vel alterius*.

Tertium, quod Buſ. docet, eſt, licere petere a Sacerdote concubinario adminiſtrationem Sacramenti, vel ut celebret ex rationabili cauſa; quod item ex dictis non licet; quia nulla rationabilis cauſa eſſe poteſt inducendi alterum ad peccatum, cum id ex natura ſua peccatum ſit. Hinc idem D. Th. quodl. 11. q. 8. art. 1. ait: *Quicumque Sacerdos in peccato mortali exiſtens celebrat, peccat mortaliter: unde ſi conſtaret mihi, eum eſſe in peccato mortali, & inducerem eum ad celebrandum, peccarem mortaliter; & hoc eſt ſecundum jus naturale; quia hoc eſt provocare eum ad peccatum mortale*.

ANIMADVERSIO V.

Temporalia bona, quorum nos domini ſumus, vel dimittenda omnino ſunt ad vitandum ſcandalum aliorum ex ignorantia, vel infirmitate ortum, *vel aliter ſcandalum eſt ſedandum, ſcilicet per aliquam admonitionem. Unde Aug. dicit in lib. 1. de ſerm. Domini in monte*: „ Dandum eſt, quod nec tibi, nec alteri noceat, quantum „ ab homine credi poteſt; & cui negaveris, quod petit, „ indicanda eſt ei juſtitia; & melius ei aliquid dabis, „ cum petentem injuſte correxeris. " *Aliquando vero ſcandalum naſcitur ex malitia, quod eſt ſcandalum Phariſæorum: & propter eos, qui ſic ſcandala concitant, non ſunt temporalia dimittenda, quia hoc & noceret bono communi, (daretur enim malis rapiendi occaſio) & noceret ipſis rapientibus, qui retinendo aliena, in peccato remanerent. Unde Greg. dicit in 3. moral.* „ Quidam, dum „ temporalia a nobis rapiunt, ſolummodo ſunt toleran„ di: quidam vero æquitate ſervata prohibendi non ſo„ la cura, ne noſtra ſubtrahantur, ſed ne rapientes non „ ſua, ſemetipſos perdant. " Hactenus D. Th. 2. 2. qu. 43. art. 8, ex quo clarius, & melius intelligitur, quid hac in re ſentiendum, & faciendum ſit.

ANIMADVERSIO VI.

In hac ſpecie alius Confeſſarius adeundus eſt, aut confeſſio proroganda, ſi abſque periculo poſſit. Quod ſi neutrum fieri poſſit, puta quia pœnitens in mortis periculo verſatur, nec alius Confeſſarius haberi poteſt, omnis cautio, quæ menti occurrit, adhibenda eſt, ut ſcandalum ceſſet, & integra confeſſio fiat. Rurſus propter ſuſpicionem, aut dubitationem ſcandali, peccatum non eſt reticendum, ſed orandus Deus, ne illud permittat; quia certa incertis prætereunda ſunt, & quia periculum propriæ ſalutis magis vitandum eſt, quam alienæ. Quod ſi pœnitens prudenter judicet, Confeſſarium ex ſua infirmitate eſſe paſſurum grave ſcandalum, ſi certum peccatum illi aperiatur, illud eſſe reticendum cum Buſembao, & iis, quos citat, non inficior. Quia confeſſionis integritas eſt quidem juris divini, ut poſitivi; lex vero prohibens ſcandalum non ſolum divina eſt, ſed naturalis, quæ proinde potior eſt, & fortius obligat.

Ceterum vix forte continget, ut ſcandalum ex infirmitate in Confeſſario jure timendum ſit propter confeſſionem alicujus peccati, ſi explicatis ſolum neceſſariis prudenter, & caute aperiatur; quod nihilominus aperiendum erit, ſi omiſſis circumſtantiis alioquin neceſſario explicandis ſcandalum averti poſſit.

ANIMADVERSIO VII.

Maritum, qui graviter offenditur, & diſcordias ſuſcitat, quia uxor jejunii legem obſervat, non infirmum, ſed valde improbum exiſtimo, ejuſque ſcandalum phariſaicum, ſeu ex malitia puto; quod contemnendum eſſe, D. Th. art. 7. q. 43. cit. docet, & patet ex oraculo Chriſti Matth. 15. *Sinite illos: cæci ſunt, & duces cæcorum*. Nam ſi ex infirmitate ſcandalum mariti oriri putetur, reddita ratione ceſſabit. *Si autem* inquit D. Th. art. hic cit. *poſt redditam rationem hujuſmodi ſcandalum duret, jam videtur ex malitia eſſe. Et ſic propter ipſum non ſunt hujuſmodi ſpiritualia opera*, quæ ſcilicet non ſunt de neceſſitate ſalutis, *dimittenda*. Ergo uxor in ſpecie propoſita jejunium (intellige præceptum) non debet omittere, ſed alia ratione quoad fieri poteſt offenſionem, & diſcordiam vitare; præſertim cum ſi ſemel, aut iterum jejunium omittat, ne improbo marito diſpliceat, tertio, & quarto &c. erit omittendum. Improbitati ergo mariti prudenter reſiſtendum eſt, non obſecundandum.

ANIMADVERSIO VIII.

In hac ſpecie alia via, ſeu latenter eundum eſt, aut rixa alio modo ſedanda.

Quod ſi id fieri nequeat, nihilominus ad ſacrum ire oportet, ſi rixa eo fine excitetur, ut Miſſæ auditio die feſto impediatur; quia ſcandalum eſſet phariſaicum, ideoque contemnendum.

Si tamen ex ea rixa periculum vitæ, aut gravia damni tui, vel alicujus innocentis immineret, domi manendum foret, non phariſaici ſcandali, ſed gravis damni tui, aut proximi vitandi cauſa.

ANIMADVERSIO IX.

De hoc convenit penes omnes, ait Concina Theol. t. 2. p. 261. n. 5. ſi ſcandalum ſit puſillorum. *Quia præceptum vitandi ſcandalum prævalet præcepto audiendi Miſſam. Ceterum hoc raro in praxi contingit. . . . quandoquidem, ſi mulier hunc venereum amorem prævidet, indicia ipſius amoris præceſſerunt, ex quibus illa infert, ſe iterum concupiſcendam fore. Paratus itaque animo eſt vir iſte ad mulierem concupiſcendam; atque adeo non ob ignorantiam, vel fragilitatem, ſed ob ſuam habitualem malitiam in eamdem rapitur; quod ad ſcandalum phariſaicum ſpectat*.

Porro communiſſima Theologorum ſententia eſt, non aſtringi mulierem ob tale ſcandalum negligere ſua negotia ſive temporalia inviſendi amicas urbanitatis gratia, vel res alias tractandi; ſive ſpiritualia, audiendi Miſſam, viſitandi Eccleſiam, aliaque id genus pia opera &c.

ANIMADVERSIO X.

Undenam, quæſo, mulier prævidere poteſt, aliquem in particulari mortaliter lapſurum ex decenti ſui ornatu? Id aliunde colligere poteſt, ex hoc capite non poteſt. D. Paulus 1. ad Tim. 2. ait: *Volo autem viros orare in omni loco* &c. *Similiter & mulieres in habitu ornato, cum verecundia, & ſobrietate ornantes ſe, & non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veſte pretioſa; ſed quod decet mulieres promittentes pietatem per opera bona*. Si mulieres ornatum verecundum, & ſobrium, quem Ap. permittit, non excedant, ego ſane ex hoc capite ab omni ſcrupulo ſcandali eas libero.

ANI-

Animadverſio XI.

Qui ita loquuntur, præcepta divina, & naturalia, hominum indoli accommodant, ut, ſi facilia ſint, obligent; ſi gravia, non obligent.

At ſanus Theologus nec præcepta comminiſcitur, & præceptorum, etiamſi gravia noſtræ corruptæ naturæ ſint, obedientiam inculcat, & urget.

Juxta Buſembaum ornatus conveniens, mulieri omittendus propter ſcandalum non eſt ad longum tempus, quia hoc nimis grave illi foret; Miſſa autem die feſto, & jejunium præceptum propter idem ſcandalum ſemel, aut iterum omittendum eſt. Quid tibi hæc volunt, niſi mulieri plus cordi eſſe oportere ornatum ſuum decentem ad longum tempus, quam feſtæ Miſſæ unam, aut alteram auditionem, & jejunii legem? Hæc ſane Theologia neceſſe eſt, ut mundi amatoribus non diſpliceat. Quamvis illi ſuo ingenio etiam contra Theologiam, & legem indulgent. Eos tamen ſana Theologia ad ſacramenta non admittit, niſi vere pœnitentes; verſatilis, & fucata etiam falſos pœnitentes recipit, eoſque per anfractus, & abrupta ad tartara ire ſinit.

Animadverſio XII.

Si vero idem timeretur in particulari ex ornatu ſuperfluo &c. teneretur etiam ſub mortali.

Hactenus recte, ſed loco illius *teneretur* dicito, tenetur. Hinc S. Carolus in admonit. Confeſſ. n. 37. ait: *Pecca anco la perſona mortalmente nel modo dell'ornarſi, quantunque la ſpeſa non paſſi lo ſtato, e facoltà ſua; come ſe l'ornato è induttivo da sè a laſcivia, ovveramente per commune interpretazione degli uomini, ovvero ſe, quantunque non ſia induttivo da sè, nondimeno s'accorge, o dubita probabilmente, che per occaſione di tal modo d'ornamento non uſato communemente dalle perſone probate del ſuo ſtato, qualche perſona particolare ſi muova ad amarla inoneſtamente, o ſi nutriſca queſto peccato, e tuttavia fa niuna, o poca ſtima della ſalute ſpirituale del ſuo proſſimo, qual vede rovinare in queſto ſuo ſtraordinario ornato, e perſevera pur in eſſo &c.*

Itaque contraria opinio, hujuſmodi mulierem culpæ tantum venialis damnans, quam Buſ. veluti minus probabilem, & conſequenter ex verſatili probabilitate tutam agendi regulam obtrudit, rejicienda prorſus eſt, uti Evangelio repugnans, quod, ſcandalum declarat eſſe peccatum mortale: *Væ mundo a ſcandalis*, Matth. 18. *Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Chriſtus mortuus eſt*, Rom. 14.

Quia nullum habet jus ad illum ornatum; & ex altera parte tenetur vitare peccatum alterius, quando commode poteſt.

Cur Buſ. addit *commode*? quid ſi mulieri graviſſimum onus, & incommodum foret ab illo ſuperfluo ornatu abſtinere? An divina lex tunc ſolum obligat, cum commode impleri poteſt? an ſpiritualis proximi ſalus noſtro commodo poſthabenda eſt? an ſi mulieri non *brevi tempore abſtinendum ſit*, ſed longo, ut ſcandalum vitet; poterit ſine letali culpa uti ornatu ſuperfluo, vano, & inconvenienti, etiamſi ſcandalum inde oriatur? Hæc ſane cum caritatis lege, & citatis oraculis conciliari non poſſunt.

Qui etiam cum Azor. &c. excuſant a mortali eas, quæ ex conſuetudine loci media ubera detegunt, dummodo non aliorum laſciviam, ſed &c. intendant abſque alio &c.

Hi ipſi fatentur, *fore grave, & mortale peccatum, hujuſcemodi morem detegendi pectus, vel tenuiter tantum tegendi, ubi non eſt, introducere*. Recte ſane; quia hæc pectoris denudatio peſtifera lues eſt, & ex natura ſua mortifera culpa: at culpa ex natura ſua mortifera, fieri ne poteſt ex conſuetudine, hoc eſt ex aperta corruptela, venialis? Inſolita, inquies, magis movent. Reſp. Inſolita eo ſenſu magis movent, quia, cum præter expectationem accidant, animum ſuſpenſum detinent; at ſolita ſcandala majori vi ad culpas excitant, quia ſpectantium animos ad eas magis diſpoſitos inveniunt; & ſunt periculoſiora, quia ſpectatores in prava deſideria, & moroſas delectationes incidere aſſueti, horum ſcelerum conſcientia vix afficiuntur.

Si oſtentatio mediorum uberum ex pravo uſu non eſt mortalis culpa; vel ita ſcandalum non eſt, vel non inducit, niſi ad culpam venialem. Primum dicere, perinde eſt ac dicere, homines ad laſciviam non eſſe proclives, hoc eſt originali lue non infici; qui eſt pelagianus error. Alterum affirmare, idem eſt, ac laſciviam ex peccatorum mortalium albo expungere; quod ſacris Scripturis, ac præſertim D. Paulo aperte repugnat: *Neque fornicarii &c.* 1. Cor. 6. Hujuſcemodi diabolicæ mulierculæ prævidere poſſunt, & debent, multos ex earum impudica oſtentatione, laſcivoque ornatu in mortalia peccata lapſuros, nec tamen ab eo abſtinent: ergo proximi ſalutem contemnunt: ergo mortaliter peccant; quia ex D. Thoma 2. 2. qu. 43. art. 4. mortaliter peccat, *qui contemnit ſalutem proximi, ut ſi pro ea conſervanda non prætermittat aliquis facere, quod ſibi libuerit*. Imo vero mortalibus peccatis oneratæ ſunt, de quibus Ap. 2. ad Tim. 3. *Mulierculas oneratas peccatis, quæ ducuntur variis deſideriis*. Quia tot mortalium peccatorum reæ ſunt, in quot mortalia peccata ſuo peſtifero ornatu, & oſtentatione homines impulere. In has illud Prov. 7. cadit: *Ecce mulier occurrit illi ornatu meretricio, præparata ad decipiendas animas*. Nam fuci, pigmenta, alieni crines, mediorum uberum detectio nihil aliud certe ſunt, niſi ornatus meretricius, & diaboli laqueus præparatus ad capiendas animas.

At, inquit Buſ. ponimus, quod hæ mulieres *non aliorum laſciviam, ſed tantum majorem pulchritudinis ornatum intendant, abſque alio fine mortali*, &c. Reſp. recte quidem, ſi mortale peccatum ſola intentione committeretur. At ſcandalum, de quo hic ſermo eſt, non intentione, ſed dicto, aut facto admittitur. Porro ipſum harum mulierum factum, & graviſſimum, & apertum ſcandalum eſt, ipſe deſcriptus ornatus meretricius, ex natura ſua ad peccatum inducit, ideoque mortale peccatum manifeſtum eſt. Lege hic iterum verba S. Caroli Borr. mox allata. Hinc Nat. Alex. Theol. t. 2. p. 612. reg. 8. ait: *Quamobrem mulieres, quæ pectore, humeris, brachiiſve nudis prodire in publicum non erubeſcunt, abſolutione ſacramentali, & ſacra communione donari* vetant multæ Synodi, quas citat, ac inter eas Inſtructiones ſynodicæ S. Franciſci Saleſii; quæ leges dictam denudationem ſub mortali non prohibent, ſed eam jure naturæ, ac divino ſub mortali prohibitam ponunt; ideoque talibus mulierculis ſacramenta denegari præcipiunt. Vide plura, ſi lubet, apud Concinam Theol. t. 2. p. 255. & ſeq.

Huc quoque ſpectat S. Joann. Chryſ. in cap. 2. ep. 1. ad Tim. v. 9., ubi præter alia ita loquitur. *Quod ſi ea, quæ opum tantum indicia ſunt, tanto ſtudio circumcidit* (Ap.), *aurum ſcilicet, margaritas, & veſtimenta pretioſa; quanto magis ea, quæ immodico ſtudio, & arte quærunt, cujuſmodi ſunt purpuriſſo cultus inficere, & ſtibio oculos pingere, fracto incedere greſſu, vocem formare molliorem, laſcivum obtutum, & qui libidinis jaculentur incendia, ſuperfluam pallii, & tunicæ jactationem, cingulum exquiſita arte ſtudioque confectum, ſtridentes ſoccos, & cætera irritamenta laſciviæ? Iſta quippe & a verecundia remotiſſima ſunt, & plena dedecoris, turpitudiniſque cenſentur.*

Animadverſio XIII.

Exploſa opinione proximi præcedentis caſus, præſens quoque opinatio, imo hæc multo magis rejicienda eſt; quam communis piorum hominum quoque ſenſus rejicit, & horret. Nam femina non ſolum poteſt, & debet prævidere, ſed reipſa, ut ponitur, putat, aliquos in genere eſſe in ſcandalizandos. Hic enim multo magis locum habet dictum D. Th. 2. 2. qu. 43. art. 4. mox citatum. Neque Buſembau opinioni ſuffragatur, quod femina *non in particulari, ſed in genere tantum aliquos in ſe ſcandalizandos putet*. Hoc enim perinde eſt, ac ſi dicat, aliquorum in particulari ſalutem feminæ cordi eſſe ſub mortali oportere, non aliquorum in genere. Quædam mulier ſuo pravo ornatu ad laſciviam inducit certos homines ſibi de facie, aut nomine ſaltem notos; alia inducit aliquos, non tamen ſcit, quos inducit, ſcit tamen, ſe aliquos inducere: quænam ex his deterius peccat? Utraque ſcilicet æqualiter. An quæ aliquos in genere, & indeterminate ad laſciviam inducit, ſcandalum non affert? Scandalum recte definitur ex D. Th. 2. 2. q. 43. art. 1. *dictum, vel factum minus rectum, præbens occaſionem ruinæ*. Seu determinatæ, ſeu indeterminatæ perſonæ occaſionem ruinæ præbeas, æqualiter ſcandalum eſt. Caritas ſuo præcepto nos cogit, ut non ſolum hujus, & illius perſonæ, ſed proximi univerſe ruinæ occaſionem fugiamus; quia proximum univerſe diligere tenemur.

At Buſ. addit: *Niſi tamen denudatio, vel ornatus eſſet valde turpis per ſe, ac directe ad libidinem provocans.*

An denudatio mediorum uberum, fuci, pigmenta, alieni crines non eſt ex ſe valde turpis, & directe, ac vehementer provocans ad libidinem?

Quid amplius in femina quæris, ut graviſſimo ſcandalo ſit, & ad libidinem provocet? an ornatum, & denudationem quæris, quem ne meretrices quidem adhibent, aut oſtentant? Dum Buſ. ejuſque ſimiles ita loquuntur, perinde eſt, ac ſi dicant: *Conſenſere jura peccatis, & cœpit eſſe licitum, quod publicum eſt*. Quia hæc graviſſima ſcandala eſſe ponuntur, ideoque magis perniciosa, apud vulgum malum licita, apud caliuum arbitros nonnullos venialia eſſe dicuntur; & hinc ex natura

tura ſua conſequitur, ut ſcandalis aptum remedium nunquam adhibeatur. Cavillationes, quas Buſ. pro ſua mala opinatione affert, ego quidem non refuto. Ex vulgo deſumptæ cum ſint, non ſcholaſtica, ſed ornaria confutatione indigent. Illud Evangelii repeto: *Væ mundo a ſcandalis; neceſſe eſt enim, ut veniant ſcandala:* (politica ſcilicet hominum malitia, & mala conſuetudine, &, quod noſtris temporibus accidit, mala morum doctrina) *verumtamen væ homini illi*, (ſeu male agenti, ſeu male dicenti, aut docenti) *per quem ſcandalum venit.*

Ceterum feminæ non ſolum mortalis ſcandali propter turpem luxum, & pompas reæ ſunt, ſed etiam ex alio capite hac eadem de cauſa mortaliter peccare ſolent; qua de re Confeſſarii, qui ſuo munere rite fungi, & apud Deum innoxii eſſe volunt, conſulant D. Carolum Bor. in admonit. Confeſſ. n. 37.

Animadversio XIV.

Permitti quidem poſſunt minora mala, ut majora vitentur; at peccare non licet, ut plura, vel graviora peccata impediantur. Porro qui occaſionem præbet ſpiritualis ruinæ, peccat; quia ſcandali reus eſt; & qui non aufert occaſionem peccandi, occaſionem peccandi præbet: ergo peccat; quod licere nunquam poteſt.

Animadversio XV.

Si occaſio ex ſe apta ſit inducere filios, aut famulos ad furtum, ſcandalum eſt activum, quod nunquam licet. *Væ mundo a ſcandalis.* Si autem occaſio non ſit hujuſmodi, ſed filii, aut famuli ex ſua malitia inde ſumant materiam peccandi, ex honeſto illo fine, ut deprehenſi puniantur, & reſipiſcant, poterit permitti.

Animadversio XVI.

At, quæſo, hæc opinio eſt ne probabilis? Si licet marito, dare uxori anſam adulterandi, vel adulterium, vel ſcandalum licet. Nam dare uxori anſam, ſeu, quod idem eſt, occaſionem adulterandi, eſt apertum ſcandalum. An hic repetenda eſt ſcandali definitio? Quod ſi licet dare anſam adultero vel dictis, vel factis, ut tentet uxorem ad adulterium, adultero eam tentare, hoc eſt diaboli munere fungi licebit. Quod ſi hoc licet, adulterium quoque neceſſe eſt ut liceat. Pudet me ſane, contra tam abſurdas, & cavilloſas opinationes diſputare. Si vis, conſulere potes Concinam Theol. t. 2. p. 285 n. 10. ſed res aperta eſt.

Nam Judith exemplum ad cohoneſtanda deſcripta ſcandala nihil confert. Nec enim ſancta mulier præbuit Holoferni anſam, ſeu occaſionem peccandi. Nihil in ejus verbis, aut ornatu reperis, niſi verecundum, ſobrium, honeſtum. Quid ergo? Holofernis malitia, & libidinis uſus ex ſanctæ mulieris pulcritudine, ac modeſto ornatu peccandi occaſionem ſumpſit. Scandalum ergo non fuit datum, ſeu activum, ſed acceptum, ſeu paſſivum; quod fuit permittendum, ut alia longe plura, & graviora mala, & crimina, cædes, rapinæ, libidines, tyrannis, &c. impedirentur.

Hactenus Buſ. nunc paucis La-Croixium examinemus. Quærit p. 185. n. 222 utrum ſit peccatum ſcandali ſuadere minus peccatum illi, qui facturus eſt alioquin majus. Alii, inquit, abſolute affirmant, alii abſolute negant; alii demum cum Laym. „ diſtinguunt, & dicunt „ licere, ſi minus peccatum includatur in majore, ſi„ cuti fornicatio includitur in adulterio, vulneratio in „ occiſione, furtum centenorum in furto millenorum.“

At quid La-Croix? „ Omnes hæ ſententiæ, inquit, „ ſunt probabiles. at ſententia Laym. videtur probabi„ lior.“ Ego puto, primam tantum eſſe tutam, reliquas periculoſas. Cur enim Laym. ſententia probabilior eſt? „ Quia, inquit, in deſcriptis caſibus non ſuadetur, „ ut fiat peccatum, vel pars peccati, ſed tantum ſua„ detur, ut aliqua pars peccati omittatur, ſi homo non „ poſſit a toto abduci.“ Reſp. ſi quod hic La-Croix ait, verum eſſet, in ejus ſententiam concederem, at falſum eſt. Dum enim ſuades fornicationem, ne adulterium admittatur, vulnerationem, ne occiſio fiat &c. peccatum reipſa ſuades. An fornicatio, vulneratio non eſt peccatum, aut peccatum eſſe deſinit, quia admiſſo minore majus non admittitur? Certum ergo eſt, in deſcriptis caſibus ſuaderi peccatum; ergo certum eſt, peccatum admitti; quia ſicuti certum eſt, peccatum nunquam licere, ita certum eſt, peccati ſuaſionem nunquam eſſe permiſſam.

At, inquis, ſuaſio minoris peccati, non eſt ſuaſio peccati, ut peccatum eſt, ſed ut impedit majus peccatum, quod bonum eſt. Reſp. in minori peccato, quod ſuades, duo quidem mente ſecernuntur, hoc eſt peccatum ipſum, & impedimentum majoris peccati; at ſuaſio realis, hæc duo nec ſecernit, nec ſecernere poteſt, ſed ambo complectitur; quia reipſa & peccatum ſuades, & impedimentum peccati. Hoc alterum eſt quidem bonum, at primum eſt malum; ideoque ſuaſio mala efficitur; quia *bonum ex integra cauſa, malum ex quocumque defectu.*

Qui ſuadet minus peccatum, ut majus impediatur, illud laudat, & probat, & bonum eſſe dicit; ut omittatur ab improbo homine majus; quod ſane falſum eſt. Licet ne unquam fallaci, & falſa ſuaſione uti? Qui ita ſuadet, dicit malum bonum; reipſa enim peccatum minus, peccatum eſt. At Iſ. 4. dicitur; *Væ qui dicitis malum bonum.* Ergo id nunquam licet. Quid ergo? Improbos, ac perditos homines fuge; ſi in deſcriptas circumſtantias, ſeu ſpecies incidas, eos ſuade, ora, obſecra, ut a ſceleribus abſtineant; cave autem, ne ſpecioſa ſpecie impediendi majora peccata, minora ſuadeas. *Qui enim tetigerit picem, inquinabitur ab ea.* Hoc eſt divinum oraculum. Huc demum poſt multam in utramque partem diſputationem devenit quoque Concina Theol. t. 2. p. 306. qu. 5. & hinc evaneſcunt omnes quæſtiones, quas huc ſpectantes refert La-Croix, nec exſcribere operæ pretium eſt.

Animadversio XVII.

Si Buſembaum ſimpliciter diceret, cooperari peccato alterius licet, ſi certæ conditiones adſint, priorum aures offenderet, quam offenſionem vitat, aut vitare ſe putat, dum addit, *Materialiter tantum.* At illa additio *materialiter tantum* nihil reipſa dicit. Si enim aliquid diceret, explicare debuiſſet, quid ſit materialis tantum cooperatio, quid formalis, & in quo differant; quod cum non præſtet, argumentum eſt, illam additionem redundare, ac ſolum fucum imperitis facere: ergo ſi cooperari peccato non licet, ſicut reipſa non licet, ne materialiter quidem cooperari licet.

Diſtinctio materialis cooperationis peccato præſtitæ, quæ ſit innoxia, & formalis, quæ noxia ſit, a nonnullis uſurpata, non eſt neceſſaria. Prior enim, cooperatio eſſe rectiſſime negatur; poſterior, cooperatio ſimpliciter recte dicitur. Adde, quod illa diſtinctio nec ſatis perſpicue, nec ſatis bene explicari ſoleat, aut poſſit; ita ut nodos potius & difficultates pariat, quam veritati lucem afferat. Cæterum mihi res eſt cum Buſembau, non cum iis, qui aliter diſtinctionem explicant.

Juxta Buſ. cooperari materialiter tantum peccato, eſt ſubminiſtrare tantum materiam, & facultatem peccandi, vel peccandi objectum præbere. At hoc omnino non licet. Nec enim licet gladium occidere volenti, vel cubiculum, & lectum adultero, vel ancillam, aut filiam fornicari cupienti, aut ſimilia peccare volentibus ſuppeditare: ergo materialis tantum cooperatio peccati non licet.

At conditiones Buſ. paulisper perpendamus. *Licet,* inquit, *ſi ſequentes conditiones adſint. 1. Si tuum opus, vel cooperatio ſit ſecundum ſe bona, vel ſaltem indifferens.*

Hæc prima conditio pugnantia involvit. Nam opus, quod univerſe, ac præciſa circumſtantia, quod peccato cooperetur, indifferens eſt, ut præbere gladium, cubiculum, ancillam &c. malum evadit, cum peccato cooperatur, ut cum gladius præbetur occidere volenti, &c. Hæc eſt doctrina non hominum ſubtiliter diſcurrentium, ſed D. Pauli divino ſpiritu afflati, qui Rom. 1. v. 32. ait: *Quoniam qui talia agunt, digni ſunt morte, & non ſolum qui ea faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus.* Nam qui peccato cooperantur, exhibendo materiam, facultatem, objectum peccandi, facto ipſo conſentiunt facientibus peccatum.

II. Si bona intentione, & rationabili ex cauſa fiat, & non ut juves alterum peccare.

Hic quæro abs te, mi Buſembau, utrum juvare alterum peccare, ſit ex ſe peccatum. Si enim ex ſe peccatum eſt, ut docet D. Paulus mox citatus, nulla bona intentio, nulla bona rationabilis cauſa adjutorium peccati a peccato excuſare poteſt.

III. Si alterius peccatum impedire nequeas, aut ſaltem non tenearis propter rationabilem cauſam.

Eſto, nec poſſis, nec tenearis impedire peccatum; at peccato cooperari, illud adjuvare non idcirco licet. Dum Buſembaum deſcriptas conditiones adjecit, ne cooperatio ad peccatum ſit mala, & culpabilis, pro fundamento poſuit, cooperationem ad peccatum eſſe rem adiaphoram; at hoc non oſtendit, nec oſtendere unquam ejus defenſores poſſunt. D. Paulus, & jus naturæ, contrarium docent.

Cooperari operi indifferenti, res indifferens eſt; at cooperari peccato, ut fornicationi, furto, adulterio &c. quocumque demum te vertas, ſemper peccatum eſt; quia ipſa fornicatio, furtum, adulterium &c. ſemper eſt peccatum.

P. Zach.

Digitized by Google

p.CXVIII. P. Zach. exſcriptis meis verbis ab initio uſque ad illud, *at conditiones Buſ.* &c. ita ſubdit. „ Quæ dum „ ſcripſiſti, quonam quæſo mens tua aberrabat? Nonne „ Buſ. te ipſo fatente cooperari tantum materialiter „ explicat, *ſubminiſtrare tantum materiam, & facultatem peccandi, vel exhibere objectum ſcilicet peccati*? Quomodo ergo adſeris, debuiſſe illum explica„re, quid ſit materialis cooperatio, neque id præſti„tiſſe? “

Reſp. Si animo ſincero tibi ſcribendum, in animum induxiſſes, tum alia non pauca, tum quæ hic blateraſti, ſilentio prætereundum, mi Zach., duxiſſes. Hæc ſunt mea verba. *At illa additio* (Buſ.) MATERIALITER TANTUM. *nihil revera dicit. Si enim aliquid diceret, explicare debuiſſet quid ſit materialis tantum cooperatio, quid formalis, & in quo differant.* Ne Buſemb. additio *materialiter tantum* inanis ſit, & nihil dicat, hæc tria, non unum tantum, ab eo explicanda fuiſſe, dixi. At Buſ. unum tantum explicat, de reliquis ſilet; ideoque legitime concluſi, *illam additionem redundare, ac ſolum fucum imperitis facere.* Si tu, mi Zach., Buſembaum æquo jure, non per cuniculos, & fallacias defendere volebas, oſtendendum tibi erat, Buſemb. additionem *materialiter tantum* non eſſe inanem, etiamſi ſolum explicuerit, quid ſit materialis tantum peccati cooperatio. At, cum hoc præſtare non potueris, ad contemptum, *quonam quæſo mens tua aberrabat?* & fraudes confugis, ut tuos ſciolos, qui ſe decipi facile ſinunt, decipias.

Zach. „ Præterea ubinam Buſ. docet *abſolute*, ma„terialem tantum cooperationem peccati licere? Ce„do locum. Hoc ait Buſ., quod Doct. fere omnes, ſi „ paucos tui ſimiles excipias, ideſt nullos, *cooperari tantum materialiter peccata, licere, ſi ſequentes conditiones adſint*: ergo ſi illæ non adſint, ne una qui„dem materialis cooperatio Buſ. auctore licet: non „ ergo generatim is loquitur, quemadmodum neceſſe „ erat, loquutum eum fuiſſe, ut quidquam hæc argu„mentatio efficeret.

Reſp. Ergo Buſembao non impoſui, cum ſubjecerim, „ at conditiones Buſ. pauliſper perpendamus. *Licet*, „ inquit (Buſ.) ſi *ſequentes conditiones adſint &c.*; nec tamen mea argumentatio aerem, ut tu, mi Zach., more tuo ſine ullo fundamento blateras, ferit.

Mea argumentatio illud efficit, materialem tantum cooperationem peccati non licere, ſeu, quod idem eſt, malam eſſe. At quod abſolute malum eſt, ex additis quibuſcumque conditionibus fieri ne bonum poteſt? An, ſi rem intime penetrare non potes, illius etiam celeberrimi axiomatis *bonum ex integra cauſa, malum ex quocumque defectu* oblitus es?

Buſembau conditiones perpendo, non quod, ſi adſint, materialem tantum peccati cooperationem, quam in ſe malam eſſe oſtendi, bonam efficere valeant, ſed ut, quod oſtenſum fuerat, in meliori lumine collocem.

Quod autem inflatis buccis clamas, *Doctores fere omnes* &c., addere debueras, mi Zach., *arabicos*. Nam non arabici Doctores, ut Genetus Theol. t. 7. p. 275. q. 10., Natalis Alex. Theol. t. 2. l. 3. reg. 65., peccato cooperari abſque alia additione, peccatum eſſe cum Ap. Paulo definiunt.

Sed ad Buſ. conditiones veniamus. Benevolus lector meam in primam Buſemb. conditionem animadverſionem attente recolat, in quam P. Zach. ita indignabundus inſurgit. „ Ergo etiam P. Concina, tuus, in„quam, Concina doctrinam docuit non D. Pauli divi„no ſpiritu afflati, ſed hominum ſubtiliter diſcurren„tium, dum ait t. 2. p. 294. “ *Quando cauſa principalis licite opus exequi valet, tunc cooperatio materialis evadit, gravi cauſa interveniente.*

Reſp. Recte quidem P. Concina univerſe loquendo, ſi arabicum illum terminum, *tunc cooperatio materialis evadit*, excipias, ejuſque loco perſpicue dicas; tunc qui actioni cooperatur, peccato non cooperatur. Sed quoad opinionem, quam eo loco defendit, meam animadverſionem XXIII. in hoc Buſ. caput conſulere debueras, quam mirum eſt, quod intactam reliqueris. Itaque recte ſubdis „ ſed hæc mitto; “ quia ſcilicet ad rem non faciunt; quia cum cauſa principalis peccat, *licite opus exequi non valet*. Perge.

„ Prima hæc Buſ. conditio, inquis, a cætera ſejun„genda non eſt: non hæc ſola a Buſ. requiritur, ſed „ hæc primum, tum aliæ. Jam vero id nemo nega„rit. Nam quid eſt, *tuum opus, vel cooperationem eſſe ſecundum ſe bonam, vel ſaltem indifferentem*? Eſt, „ non ponere te actum, qui de ſe malus ſit; id enim „ omnino non licet; ſed hanc conditionem omnes re„quirere cum primis debent, ne quis alieni peccati „ reus ſit: ergo. “ Reſp. hæc, mi Zach., ſunt verba, verba, prætereaque nihil. Nego enim ſuppoſitum, hoc eſt nego, cooperationem tantum materialem peccati non eſſe peccatum. Contrarium ego oſtendi, quod niſi impugnes, aquam tundis. Quid conditiones quæris, ut operatio, ſeu cooperatio, quæ mala eſt, mala eſſe deſinat? Hoc, ut dixi, eſt impoſſibile, & contradictorium.

Pergo quæſo. „ *At malum tamen evadit, quum peccata cooperatur.* Hoc aliud eſt; ne diverſa invol„vas. Primo poſtulo, ut actus de ſe malus non ſit, „ an deinde in ea circumſtantia malus evadat, hæc „ quæſtio alia eſt, quam ſequentes conditiones diri„munt. “

Reſp. Hoc aliud eſt! Hæc quæſtio alia eſt! Tuis ne tyrunculis, an orbi litterario, & critico loqueris? Si actus in ea circumſtantia malus evadit, quæſtio prorſus diremta eſt. Actus, qui ſemel malus evaſit, æterno tempore malus eſt; niſi forte velis, actum jam malum, bonum quoque fieri poſſe. Mitte, ita Zach., hæc contradictoria, iterumque Apoſtolum ad Epheſios 5. audi. *Nolite communicare operibus infructuoſis tenebrarum, magis autem redarguite.* *An communicare* & cooperari non ſunt ſynonima?

Iis, quæ in alteram Buſ. conditionem animadverti, P. Zach. ita reponit. Reſponderet tibi Buſ. „ Diſtin„guo, mi Franzoja, juvare alterum peccare directe, „ & ut juves illum peccare, eſt ex ſe peccatum, con„cedo; juvare alterum materialiter, & ex alia bona „ & rationabili intentione, nego. “

Reſp. P. Zach. puerorum, qui, cum aliter ſuos adverſarios refellere non poſſunt, verbis inſultant, more, meum Familiæ nomen corrupte pronuntiat, & Franzoja loco ait Franzoja; additiſque arabicis illis terminis *directe, materialiter*, quos ne ipſe quidem intelligit, glorioſus abit. Videlicet aut nihil P. Zach. hic dicit, aut Buſ. doctrinam a me jam ſcituratam inaniter repetit.

Sed ne arabica, & inſultans Zachariæ dictio, ſit inanis, legatur prop. 39. ab Innoc. XI. proſcripta, quæ ita habet. *Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad reſtitutionem.* Movere, aut inducere, & juvare ad inferendum grave damnum tertio quoad mores, ſeu malitiam idem ſunt. Ergo ſi illa prop. *qui alium movet, aut inducit* &c. damnata eſt, damnata quoque intelligitur hæc prop., *qui alium juvat ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad reſtitutionem*; quæ eſt doctrina Buſ. a Patre Zach. probata. An terminus *materialiter* utramque propoſitionem damnationi ſubtrahit? An bona intentio peccatorum malitiam eluit?

Prop. 51. ab eodem Innoc. XI. damnata, quam refero hic animad. XXV. *famulus* &c. quid aliud eſt, niſi ſurculus a generali Buſ. doctrina, veluti infecta radice, emergens? *Famulus* opus, ſeu cooperationem edit ex ſe juxta Buſ. ſenſum indifferentem. Sicut enim aſcendere res eſt ex ſe indifferens, ita juvare, ut quis aſcendat. *Famulus* juvat herum bona intentione, e. g. ut ejus amorem ſibi conciliet, & ex rationabili cauſa, ne recuſando notabile detrimentum incurrat. Demum herí peccatum impedire nequit, aut ſaltem non tenetur propter rationabilem cauſam vitandi ſcilicet gravis detrimenti.

In meam tertiæ Buſ. conditionis animadverſionem P. Zach. ita pugnat. „ Minime: non ita ineptivit „ Buſ.. Ponit pro fundamento cooperationem ad pec„catum eſſe poſſe *rem adiaphoram*, non eſſe *rem adiaphoram*, quæ duo diverſa ſunt. Sumpſit Buſ. coope„rationem (materialem) eſſe poſſe rem adiaphoram, „ quia nemo unus id negat Theologorum, non ſum„pſit eſſe; quia id in quæſtione poſitum eſt, quanam „ nam reapſe ſit adiaphora materialis cooperatio.

Reſp. cooperatio, ut vis, materialis, formalis, in abſtracto, in concreto, neceſſe eſt, ut ſit vel bona, vel mala, vel adiaphora: ergo, mi Zach., abſurde ais, Buſembaum ſumpſiſſe, cooperationem (materialem) eſſe poſſe rem adiaphoram; cum neceſſe ſit, ut ſit adiaphora, ſi nec mala, nec bona ponatur. Si cooperatio, quæcumque illa ſit, & quocumque nomine donetur, mala non ſit, ex bona intentione, quæ a Buſ. inter conditiones numeratur, ut liceat, non ſolum ſit, ut liceat, ſed etiam ut bona evadat. An cooperatio ad adulterium, homicidium, parricidium &c. non ſolum licebit, ſed bona erit?

Animadverſio XVIII.

Doctrina, ut ait Concina Theol. t. 2. p. 283. n. 6. veluti regula in hac materia ſervanda, a Salmanticenſibus, qui poſt damnatas theſes ſcripſerunt, tradita, *atque a D. Thoma, cæteriſque gravioribus Theologis approbata*, hæc eſt, *ut cooperatio ad aliquod opus non ſit intrinſecus mala, quando principalis cauſa bene, aut male exequi opus iſtud valet, ita ut malus uſus ex ſola agentis malitia oriatur. Qua de cauſa petere mutuum ab uſurario, juramentum ab Ethnico* &c. *poſſumus, quia*

eorum

torum malitiæ cooperemur. Secus in fornicatione accidit, & in furto &c. *Idcirco qui ad ejuſmodi opera auxilium præbent, cooperantur actionibus intrinſece malis; atque adeo nullus metus de malitia purgare cooperationem in eaſdem valet*. Hactenus ille. Porro ſponſa in caſu propoſito cooperatur ſuſceptioni ſacramenti, quod ſancte ſuſcipi poteſt; ideoque ejus cooperatio non eſt intrinſece mala, neque in hac cooperatione peccare videtur ex eo capite, quod ſponſi peccatum permittat, ſeu non impediat; quia peccatum ſponſi ex ejus malitia oritur: peccata porro ex malitia oriunda, ex rationabili cauſa permitti poſſunt: eſt autem in ſponſa rationabilis cauſa, imo neceſſitas contrahendi matrimonium ex ſponſaliorum pacto; ideoque ſponſa excuſabilis videtur; quæ tamen excuſanda non foret, ſi actioni ex ſe malæ, quæ nullo modo bona eſſe poſſet, cooperaretur.

Animadversio XIX.

Licet petitio debiti in viro voto caſtitatis obſtricto mala ſit, valida tamen eſt; quia eo voto jus petendi ex matrimonio ortum non amiſit. Ergo conjux reddens debitum, jus reddit, quod negare non poteſt: ergo non peccat. Si reddendo peccaret, eſſet perplexus, hoc eſt in peccandi neceſſitate conſtitutus; quia tum non reddendo, tum reddendo peccaret. In hac ergo ſpecie conjux reddens debitum non cooperatur peccato alterius, ſed illud tantum permittit, quia impedire non poteſt. Ita etiam ſentit Conc. Theol. t. 10. p. 369. n. 2.

Animadversio XX.

Id aſſerit quoque P. Concina Theol. t. 8. p. 312. q. 6. & ratio eſt, quia licet ſigillum confeſſionis a negante Euchariſtiam in hac ſpecie non frangatur, injuria tamen eidem ſigillo, & pœnitenti gravamen infertur; quia Confeſſarius jure utendi confeſſionis ſacramentalis notitia extra confeſſionem privatur, quo ſpectat prohibitio uſus ſcientiæ ex confeſſione acquiſitæ, etiamſi id hat ſine directa, aut indirecta revelatione confeſſionis, & gravamine pœnitentis; quam legere potes apud Concinam App. t. 1. p. 34. & in calce hujus operis. Si tamen occulti peccatoris crimen aliunde, quam ex confeſſione ſacerdoti notum ſit, illum Euchariſtiam occulte petentem repellere poteſt, & debet, ut habet idem Conc. Theol. t. 8. loco hic cit., & Nat. Alex. Theol. t. 1. p. 314. reg. 3. ex D. Thomæ auct. cujus verba refert. Ratio enim, propter quam ſacerdos peccatori occulto Euchariſtiam publice petenti ſubtrahere nequeat, ex D. Th. p. 3. qu. 80. art. 6. ad 2. ea eſt, quia *ſacerdoti miniſtranti corpus Chriſti pejus eſt peccare mortaliter, infamando injuſte peccatorem occultum, quam quod ille mortaliter peccet*: at peccatori occulto Euchariſtiam occulte petenti nulla infamia irrogatur Euchariſtiæ ſubtractione: ergo ſubtrahenda eſt, ne ſacerdos ſacrilegæ ejus communioni cooperetur, ſi aliunde crimen notum ſit, quam ex confeſſione.

Animadversio XXI.

Buſ. fatetur, obſequia ab eo deſcripta cuivis alteri non eſſe permiſſa. *Unde tamen non ſequitur* &c. At ſi hæc obſequia permiſſa ſunt famulo, ea non ſunt ex natura ſua, ſeu intrinſece mala; ideoque a quolibet ex rationabili cauſa præſtari poſſent. Quod ſi intrinſece mala ſunt, famulatus conditio a culpa ea purgare non poteſt, nec incommodi metus.

At reipſa ſternere equum hero ad meretricem profecturo, illum comitari ad lupanar, meretrici deferre munera, eidem venienti aperire oſtium, ſunt meretricii cooperationes, & facta in idem conſentientia: ergo mortales culpæ ſunt ex Ap. ad Rom. 1. mox cit. *Digni ſunt morte non ſolum qui ea faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus*.

At, inquit Buſ. *hæc tantum remote ſe ad peccatum habent, & ſine iis peccatum fieret*. Reſp. ſeu remote, ſeu proxime ad peccatum ſe habeant, ſeu peccatum ſine iis fieret, ſeu non fieret, hæc ad rem non faciunt. Ut ſint peccata, ex Apoſtolo ſatis eſt, ſi peccato cooperentur: at fatente Buſembao, & ut res ipſa loquitur, deſcripta obſequia ſunt peccati cooperationes: ergo &c.

Subtilis illa diſtinctio *remote*, & *proxime* peccatum quidem augere, aut minuere poteſt; at ſi proxima peccati cooperatio peccatum eſt, cur non remota? nec enim proxima peccati cooperatio, peccatum eſt, quia proxima, ſed quia cooperatio eſt. Probi, & pii Chriſtiani prædicta obſequia deteſtantur, & famulos ea præſtantes, veluti a chriſtiana profeſſione abhorrentes torvis aſpiciunt oculis, & improbant, quorum ſenſus in Theologia morum pluris eſſe debet, quam ſubtiles diſtinctiunculæ recens inventæ, & ſophiſtarum artem olentes. Sicuti enim ciborum ex palato bene affecto, ita actionum ratio, ſeu moralitas ex piorum hominum ſenſu dignoſcitur. Seu proxime per teipſum, ſeu remote per alios, atque alios occidas, fureris, mulieres ad libidinem abducas, perinde peccas. Cur ergo a culpa cooperationis peccati te excuſas, quis peccato remote cooperaris? Prop. 51. ab Innoc. XI. proſcripta, hæc eſt. *Famulus, qui ſubmiſſis humeris ſcienter adjuvat herum ſuum aſcendere per feneſtras ad ſtuprandam virginem, & multoties eidem ſubſervit, deferendo ſcalam, aperiendo januam, aut quid ſimile cooperando, non peccat mortaliter, ſi id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne a domino male tractetur, ne torvis oculis aſpiciatur, ne domo expellatur*. Aperire oſtium hero ad ſtuprandam virginem, ſeu ad meretricem ingreſſuro, & meretrici ad herum venienti, idem quoad mores ſunt. Primum ex proſcripta prop. eſt mortale peccatum, etiamſi fiat a famulo metu gravis detrimenti: ergo etiam alterum, quod Buſ. permittit. Porro ſi hoc mortale peccatum eſt, mortale quoque eſt, ſternere equum hero ad meretricem ituro, illum ad lupanar comitari, meretrici deferre munera: ſunt enim hæc quoad malum idem, ac aperire januam meretrici ad herum venienti. Præterea cooperationes a Buſembao deſcriptæ ſunt ſimiles cooperationibus in proſcripta theſi expreſſis: at in theſi non ſolum proſcribuntur ibi expreſſæ cooperationes, ſed etiam illis ſimiles per ea verba, *aut quid ſimile cooperando*: ergo cooperationes a Buſ. deſcriptæ ſunt proſcriptæ. „ In ea particula, *aut quid ſimile* &c. clau-
„ duntur omnes actiones, quæ reapſe adjuvant ad ex-
„ quendam luxuriam, quamvis abſtractæ ab illis cir-
„ cumſtantiis ſint indifferentes, “ inquit Conc. ex Card. Theol. t. 2. p. 284. n. 7. tales autem ſunt actiones, quas Buſ. permittit. Ergo &c. At hic negotium nobis faceſſit La-Croix, p. 109. qui allata deſcripta theſi 51. ſubdit, circa hanc damnationem notanda ſunt ſequentia.

N. 252. §. 1. „ Ex hac damnatione colligitur, non
„ eſſe licitum cooperari alterius peccato per talem a-
„ ctionem, quæ per ſe, & proxime ad illud peccatum
„ concurrat, ſeu adjuvet. Qui enim ſic concurrit, re-
„ ipſa directe vult peccatum.

N. 253. §. 2. „ Quamvis aliquæ actiones hujus fa-
„ muli de ſe non adjuvent per ſe, & proxime ad pec-
„ catum, uti v. g. aperire januam aliquam, quod de ſe
„ eſt quid indifferens; tamen certum eſt, cooperatio-
„ nem illius famuli poſitam in collectione omnium cir-
„ cumſtantiarum, quæ hic recenſentur, dici debere per
„ ſe, & proxime adjuvare peccatum, ideoque eſſe illi-
„ citam. Circumſtantiæ autem ſunt hæ. Inprimis,
„ quod faciat ſcienter, ideſt ſciens, herum velle infer-
„ re ſtuprum cum gravi violatione juſtitiæ. Si enim
„ neſciret, vel tantum dubitaret, non deberet præſu-
„ mere, herum ſuum velle ingredi ex malo fine, cum
„ delicta non præſumantur, tumque ex juſta cauſa poſ-
„ ſet materialiter cooperari. Deinde multoties coopera-
„ tur, & ſcit, illam ſuam cooperationem multoties ju-
„ vare ad ſtuprum. Præterea damnum, quod timet,
„ non eſt ſumme notabile, nec graviſſimum. Nam ſe-
„ mel percuti, non eſt famulo intolerabile: aſpici tor-
„ vis oculis, eſt adhuc magis tolerabile; expelli domo
„ etiam communiter non cenſetur graviſſimum da-
„ mnum; quia tales heri poſt impetum iræ revocant,
„ vel permittunt redire famulos, aut ſaltem talis fa-
„ mulus poteſt plerumque ſimile ſervitium invenire.
„ Itaque nunc certum eſt, quando cooperatio fit per
„ collectionem harum, vel ſimilium circumſtantiarum,
„ ſemper peccari. “ Hactenus ille pag. 189. cit.

In hiſce paucis La-Croixii verbis non pauca notanda videntur. „ 1. Ex hac damnatione colligitur &c. “ Hic La-Croix cooperationes remotas peccati a peccato excuſatas cum Buſembao ponit, & vult; quæ poſitio, & opinio mox fuit exploſa. 2. Conſequenter ponit, in theſi proſcripta damnari tantum proximas cooperationes peccati. Ex quo fit, ut pontificiam damnationem ſuæ doctrinæ attemperet. An ſi cooperationes in proſcripta theſi non ſint proximæ, proſcriptæ non ſunt? Ponit quidem La Croix pro certo, deſcriptas cooperationes eſſe proximas: at quod ille pro certo habet, alii aut negabunt, aut in dubium vocabunt. Catholici hominis, nedum Theologi eſt, pontificiam damnationem abſolute admittere, nec tantum ſub ea conditione, aut reſtrictione, quod famuli cooperationes ſint proximæ. Qui ita loquuntur, pontificium decretum extenuant, nec qua par eſt, ſubmiſſione excipiunt, & verentur.

3. Et ſane ipſe La-Croix, aliquas actiones famuli deſcripti, non eſſe proximas peccati cooperationes, ait, v. gr. *aperire januam aliquam, quod de ſe eſt quid indifferens*. Si famulus, dum meretrix heri cubiculum ſubit, equilia, aut culinæ januam aperiat, eſt certe res indifferens; at ſi cubiculi, quod meretrix ingreditur,

oſtium

Digitized by Google

oſtium patefaciat, ejus ingreſſum ad fornicationem facto ipſo probat, & adjuvat.

Si aperire januam meretrici heri cubiculum ingredienti, non eſt mala, nec damnata famuli cooperatio, quia aperire januam aliquam res eſt de ſe indifferens; prop. 51. ab Innoc. XI. fruſtra damnata eſt. Nam etiam adjuvare herum ſubmiſſis humeris, vel ſcalam deferendo, ut per feneſtras aſcendat, eſt res ex ſe indifferens, quæ bene, & male fieri poteſt. At ſicuti damnata eſt hæc cooperatio, cum hero ad ſtuprum inſervit, ita januæ apertio proſcripta eſt, cum eidem ſtupro miniſtrat. Cooperationes deſcriptæ univerſe loquendo ſunt indifferentes; at poſitis circumſtantiis, in quibus a famulo exhibentur, quia ſunt peccati miniſtræ, & adjutrices, damnatæ ſunt, & mortalia peccata.

4. „ Certum eſt (ait La-Croix) cooperationem &c. “ At ſi aliqua ex his circumſtantiis deſit, erit ne licita famuli cooperatio?

5. „ Circumſtantiæ ſunt hæ. Imprimis quod faciat „ ſcienter, id eſt ſciens &c. “

Quid ſi famulus gravem juſtitiæ violationem neſciat? Quid, ſi ſciat, juſtitiam non violari, ſed herum aſcendere ad ſtuprum virgine, ipſaque ejus matre, in cujus ſola cuſtodia eſt, patre jam defuncto, conſentientibus? An erit a culpa immunis? Ejus quidem culpa in hac ſpecie minor eſſet, at nihilominus gravis, mortalis, damnata a ſummo Pontifice.

6. „ Si enim neſciret, vel tantum dubitaret &c. „ tuncque &c. poſſet materialiter cooperari. “

Si temere dubitet, dubitatio quidem abjicienda eſt; at ſi prudenter ex circumſtantiis, puta perſonæ, loci, temporis &c. dubitet, non dubitatio abjicienda, ſed a prava dubia cooperatione abſtinendum; a qua ſi non abſtineat, cum mortalis peccati periculo, ut patet ex theſi damnata, ſe ſe objiciat, mortaliter peccat. Delicta quidem non præſumuntur, ut puniantur, vel ut de iis judicetur; neque famulus in dubio debet præſumere heri culpam, ſed cum agatur de animæ ſuæ cautione, debet recuſare miniſterium, quod heri crimini dubitat eſſe famulaturum; quia *oportet magis obedire Deo* præcipienti, ut peccati pericula fugiamus, *quam hominibus*. Quamquam dubitatio in hac ſpecie vix locum habet. Ipſe aſcenſus per feneſtras, &, ut fieri ſolet, clandeſtinus, & tenebricoſus ſatis oſtendit, in cubiculum puellæ non iri pietatis, aut negotiorum cauſa. *Omnis enim, qui male agit, odit lucem, & non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus*. Joan. 3. v. 30.

7. „ Deinde multoties cooperatur, & ſcit &c. “

An ſi ſemel ſtupro, aut fornicationi cooperetur, ejus cooperatio innocens erit? Monſtra, crede mihi, hæc ſunt, quæ confutatione non indigent.

8. „ Præterea damnum, quod timet, non eſt ſumme „ notabile &c.

At quid inde? Inde ne conſequitur, cooperationem famuli non eſſe ex natura ſua malam? Inde ne efficitur, ut famulus damni ſumme notabilis, & graviſſimi metu poſſit ſuam cooperationem heri ſceleri ſuppeditare?

Animadversio XXII.

Quoad hoc ita loquitur La-Croix num. 254. „ Doctrina. Buſemb. quamvis non contineat propoſitio„ nem damnatam, eo quod non loquatur de hero vo„ lente inferre ſtuprum, quod eſt peccatum contra ju„ ſtitiam, neque de famulo multoties ſic ſubſerviente, „ favet tamen propoſitioni damnatæ. “

At cavillationes La-Croixii mox jam exploſæ ſunt; & in proſcriptione theſis 51. perſpicue damnata intelligitur Buſemb. propoſito. Nec enim theſis 51. eo præciſe nomine damnatur, quia famulus cooperatur ſtupro, ſed quia cooperatur heri peccato. Nam quoad peccatum cooperationis perinde eſt, ſeu ſtupro, ſeu adulterio, ſeu fornicationi deſerviat? Diſcrimen ſolum eſt, quod quo gravius eſt peccatum heri, eo gravior ſit culpa famuli cooperantis. Quod ſi famulus multoties deſerviens, mortaliter peccat, mortaliter quoque peccat, ſi ſemel ſerviat. Si ſemel ſerviat hero peccanti mortaliter, unum peccatum mortale admittit; ſi ſæpius, multa. Hæc luce meridiana clariora ſunt.

P. Concina paucis præclare docet, meretricum famulas in mortalis peccati ſtatu verſari, & abſolutione indignas eſſe, quamdiu hujuſmodi famulatum non deſerunt. Sunt enim in proxima peccandi occaſione, ac more humano loquendo impoſſibile eſt, eas multa mortalia peccata non admittere. Idem affirmat de famulis hominum meretrices domui ſuæ alentium. Id perſpicue evincunt divina illa oracula, *Diſcede ab iniquo, & deficient mala abs te. Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea. Cum perverſo perverteris. Si oculus tuus dexter ſcandalizat te, erue eum, & projice abs te.*

Aliter loquitur, ſi domini concubinas extra propriam domum habeant; dum tamen famuli nihil faciant, quod meretricio deſerviat. Sed ipſum, ſi vis, conſule Theol. t. 2. p. 288. n. 17. & 289. n. 18.

Animadversio XXIII.

Hæc ſpecies proximæ ſuperiori ſimilis eſt; eaque proſcripta hæc quoque proſcripta intelligitur. Imo vero qui vinum ebrioſis miniſtrant, & carnes comeſturis diebus jejunii, ebrietati, & gulæ proxime, & immediate deſerviunt, contra vero qui humeros ſubjiciunt, & ſcalam admovent aſcendenti ad fornicationem, proxime aſcenſui, & remote, ſeu mediate fornicationi miniſtrant. Hæc diſtinctio, inquis, ſubtilior eſt, & quoad mores inutilis. Id ego quoque fateor; ſed illam adhibui, ut intelligas, cooperationem ad peccatum, ſeu proxima ſit, ſeu mediata, æque culpabilem eſſe, ac ſolum poſſe aliquando ejus gravitatem minuere, aut augere.

At ſi utraque cooperatio tum ſubmittentis humeros, tum vinum miniſtrantis eodem loco habenda eſt, proſcripta priore, altera quoque damnata intelligitur.

Hinc D. Raym. lib. 2. de negotiis ſæcul. §. 6. ait: *Ille peccat, quando ex qualitate perſonæ, vel temporis cognoſcit, vel probabiliter dubitat ſibi conſcientia, quod ille non quærit rem, niſi ad malum perpetrandum. Tunc enim non deberet illi vendere contra talem conſcientiam.*

At, inquit Buſemb. *plerumque peccatum æque fieret, ſubminiſtrantibus aliis.*

Reſp. Eſto: at quid inde? Hoc perinde eſt, ac ſi caupones a peccato excuſandi ſint, quia illis non peccantibus cooperando, alii cooperando peccaturi ſint. Non de permiſſione, ſed cooperatione peccati hic ſermo eſt.

„ At ipſi notabile damnum paterentur, dum paula„ tim nemo ad eos veniret. “

Reſp. Hæc excuſatio tollitur in proſcriptione theſis 51. mox deſcriptæ. Præterquamquod hic timor plerumque inanis eſt, & Chriſtiano certe indignus, qui ſuam ſpem etiam quoad vitæ neceſſitatem non in homine, multo vero minus in cooperatione ad peccatum, ſed in Deo collocare debet. *Sint mores veſtri*, inquit. Ap. ad Heb. 13., *ſine avaritia, contenti præſentibus: ipſe enim dixit: Non te deſeram, neque derelinquam: ita ut confidenter dicamus: Dominus mihi adjutor, non timebo, quid faciat mihi homo.*

Itaque hæc cauſa, quam La-Croix quoque ſufficientem putat p. 189. n. 261. non ſufficit, ut cauponem a peccato excuſet.

At quid ſi caupones miniſtrent vinum ex graviſſima cauſa, puta ex timore mortis, aut mutilationis? Ita hac ſpecie miniſtrantes non peccare, affirmat Nat. Alex. Theol. t. 2. p. 554. reg. 2. & Concina Theol. t. 2. p. 294. num. 29 qui addit, “ nullum ſuper hoc diſſidium „ penes Theologos. Quoniam, inquit, tam venditio, „ quam potus vini ſunt actiones indifferentes, & ex „ ſola malitia bibentis intemperanter ebrietas accedit. „ Dictum autem eſt, quod quando cauſa principalis li„ cite opus exequi poteſt, tunc cooperatio materialis „ evadit gravi cauſa impellente. Ideo caupo in hoc caſu „ mortis ſibi imminentis, niſi vinum exhibeat, ven„ dere illud poteſt etiam cum prævitione futuræ ebrie„ tatis; quemadmodum licet ab uſurario in gravi ne„ ceſſitate mutuum ſub uſura petere. “

Hæc ſane ſententia, quæ ſimile propoſita non ſemel animo vario, ac vacillante a me examinata, ſuis difficultatibus non contemnendis obnoxia eſt, quas ego ob oculos pono, ut ſerio perpendantur.

Et primo quidem fateor, cooperationem non eſſe intrinſece malam, cum principalis cauſa opus bene exequi poteſt; rurſus verum eſt, vinum bibentes, ſine culpa bibere illud poſſe, univerſe loquendo; at hic ſermo eſt de iis, qui bibendo ſe inebriant, qui potu intemperanter utuntur, qui vino æſtuantes, calices nihilominus exhaurire pergunt uſque ad ſummam ebrietatem. Hi profecto in tali hypotheſi, in qua loquimur, vinum ſine gravi culpa potare nequeunt: ergo cooperatio eorum potationi intrinſece mala eſt. Qui vinum iis miniſtrant, ex eorum numero ſunt, de quibus Ap. ait: *Digni ſunt morte non ſolum qui ea faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus*. Ipſa enim vini miniſtratione conſentiunt eorum ebrietati.

3. Si vinum hujuſmodi ebrioſis miniſtrantes, rem ex natura ſua malam non facerent, ne famulus quidem ſubmittens humeros, aut admovens ſcalam hero ad ſtuprum, aut fornicationem aſcenſuro, actionem ex ſe malam faceret: eſt enim utrobique eadem peccandi ratio. At famulus in hypotheſi actionem ex ſe malam facit, nullo vel graviſſimo etiam mortis timore excuſandam, ut vel ipſe La-Croixius p. 189. n. 254. probabilius eſſe fatetur: ergo &c.

4. Cooperationes, quæ intrinſeca malæ non ſunt, etiam notabilis, etſi graviſſimum non ſit, detrimenti metu exhiberi poſſunt: at cooperatio cauponis miniſtran-

Digitized by Google

ſtrantis vinum ebrioſis, ex notabilis detrimenti metu a culpa excuſari non poteſt: ergo eſt intrinſece mala.

5. Iterum ob oculos habenda eſt theſis 51. ab Innoc. XI. proſcripta. Nec enim diſcrimen aſſignari poteſt inter cooperationem famuli in ea theſi damnati, & cauponis, de quo hic ſermo, niſi quoad crimina, quibus cooperatio exhibetur; quod diſcrimen nihil aliud efficit, niſi ut hæ mortales cooperationes gravitate diſſerant. Rurſus ex ea theſi conſtare videtur, cooperationem famuli eſſe intrinſece malam: ergo cooperatio quoque cauponis vinum ebrioſis ſuppeditantis intrinſece mala eſt.

Illud quidem verum eſt, & ponitur, ex vini ſubtractione majora mala, & peccata timeri. At cum vini ſubtractio, actio non ſit, ne cooperatio quidem peccatorum, quæ inde timentur, eſſe poteſt. Peccata ex vini ſubtractione nata, uni, ac ſoli malitiæ perditorum ebrioſorum adſcribuntur; at eorum ebrietas cauponi quoque imputatur, qui eidem ſciens, & volens inſervit, & cooperatur, dum vinum miniſtrat.

Hæ rationes me non parum movent, quas qui vi carentes oſtenderint, in ſuam me ſententiam adducent.

Animadverſio XXIV.

Quamvis cooperationes hic deſcriptæ ex genere ſint indifferentes, quia tamen in ſpecie, & circumſtantiis, in quibus exhibentur, malæ ſunt, earum indifferentia generica nihil prorſus confert ad eas a mortifera culpa excuſandas. Illud unum animadvertendum hic occurrit, utrum ex natura ſua, & intrinſece malæ ſint, an contra. Si enim ex natura ſua, & intrinſece malæ ſint, certum eſt, eas ne metu quidem mortis præſtari poſſe. *Qui amat animam ſuam*, inquit Chriſtus Joan. 12. v. 25. *perdet eam; & qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam*. At ex jam dictis conſtare puto, deſcriptas cooperationes ex natura ſua, & intrinſece malas eſſe: ergo &c. Hic plura non addo; quia poſt 51. theſim ab Innoc. XI. proſcriptam, ipſe La-Croixius, qui num. 254. fatetur, famuli in ea theſi deſcripti cooperationem eſſe intrinſece malam, multo magis neceſſe eſt ut fateatur, cooperationes hic a Buſembao recenſitas intrinſece malas eſſe; quæ ſi intrinſece malæ non ſint, jam nullæ cooperationes intrinſece malæ inveniri poſſunt; & Ap. fruſtra dixit: *Digni ſunt morte non ſolum qui ea faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus*.

Buſembaum in eo fallitur, quod cooperationem peccati cum peccati permiſſione, ſeu cum eo, quod peccatum non impediatur, confundit. At hæc longe ſunt diverſa. Cooperari peccato nulla de cauſa, & numquam licet; peccatum permittere, ſeu non impedire, aliquando licet.

Illud *proxime*, quod Buſemb. addit, ut jam monuimus, nihil ferme efficit. Quod ſi quis non ſolum crimini cooperetur, ſed etiam ad illud inducat, duplici ex capite peccat, hoc eſt peccato cooperationis, & ſcandali. Demum ſi peccata, quibus aliquis cooperatur, cum juſtitia pugnent, non ſolum mortaliter peccat, ſed ut criminis particeps, reſtitutionis quoque lege tenetur. *Nam compulſare campanam*, hoc eſt invitare omnes (*ſine ſcandalo tamen*) *ad concionem hæreticam*, eſt contradictorium.

Animadverſio XXV.

Hæc opinio communis quidem eſt penes recentes morales Scriptores, ut ait Concina Theol. t. 2. p. 277. q. 2., quam tamen tum ipſe, tum Gen. Theol. t. 5. p. 328. c. 4. q. 5. & Nat. Alex. Theol. t. 2. p. 320. reg. 9. rejiciunt, non pauci, ſolidiſque rationibus merito rejiciendam.

Et primo quidem auctoritate S. Raym. mox ad c. 6. deſcripta. Si enim rem, quam ad malum quæri noſti, ex S. Raymundo vendere non licet, ne locare quidem licet: ergo domum, quam ad laſcivias quæri compertum eſt, meretrici locare non licet. At, inquis, meretrix domum quærit non ad meretricium tantum, ſed etiam ad eam inhabitandam. Reſp. Id perinde eſt, ac ſi dicas, malum non eſſe malum, quia cum bono permixtum eſt; quod eſt aperte falſum. Locas militi gladium, quo certum eſt illum uſurum tum in rebus indifferentibus, tum ad injuſtam cædem, an peccare definis, quia non ſolum male, ſed etiam bene eo miles uſurus eſt? Locas amplam tuam domum multis, quos certo noſti non ſolum inhabitaturos, ſed in ea quoque contra legitimum Principem conſilia inituros; nonne læſæ majeſtatis reus?

2. Qui domi ſuæ latrones recipiunt, latrociniorum participes ſunt, ut D. Thom. 2. 2. q. 62. a. 7. & cum eo omnes docent: ergo multo magis meretricii compotes, & conſentientes ſunt, qui meretrices domi ſuæ excipiunt, in eadem meretricium admiſſuras. An domi ſuæ eas non excipiunt, qui ſuam domum illis locant?

3. D. Thom. 2. 2. qu. 78. a. 4. ad 3. ait: *Qui committeret pecuniam ſuam uſurario non habenti alias, unde uſuras exerceret, vel hac intentione committeret, ut inde copioſius lucraretur, daret materiam peccandi*, (hic contra Buſemb. a. 3. ibi a me impugnatum animadverte, eum peccare, qui materiam peccandi dat, & nihil aliud præſtat) *unde & ipſe eſſet particeps culpæ*. Pecuniam ſubminiſtrare feneratori, ex qua, quia aliam non habet, uſuras facturus eſt, & domum eidem locare, in qua ſua fenora exercet, quoad mores perinde eſt: in utraque ſpecie materia, & facultas peccandi ſubminiſtratur. At in prima ſpecie ex D. Thom. peccas: ergo etiam in altera: ergo peccas, cum meretrici quoque domum locas. Sumus enim in eadem navi.

4. Hoc idem evincit Gen. ex authent. de lenonibus §. *Præconizamus*, ubi dicitur: *Si quis patiatur in domo ſua quemdam lenonem, & hæc denuntiata cognoſcens, non ex domo ſua expulerit; ſciat, ſe & decem librarum auri ſuſtinere pœnam, & citra ipſam perditurum habitationem*. Lumen rationis ſatis oſtendit, peccatorum participes eſſe, qui lenociniis, laſciviis, uſuris, aliiſque ſceleribus admittendis domum ſuppeditant ſeu gratis, ſeu accepto pretio. Hinc Tertullianus de idololat. c. 11. ab eodem Gen. cit. ait: *In nullo neceſſarius eſſe debeo alii, cum facit, quod mihi non licet. Ex hoc, quod vetor facere, intelligere debeo, curandum mihi eſſe, ne fiat per me*. Qui domum meretrici locat, illi neceſſarius eſt quoad meretricium, quod ſine domo non exerceret; ac ipſius locatoris ope meretricium fit.

5. D. Carolus in admon Confeſſ. n. 59. ait: *Nel primo ordine d'occaſiani, cioe quelle, che di ſua natura ſono induttive al peccato, ſuno il far profeſſione di giuoco di carte, a dadi, avvero tener caſa apparecchiata a queſt effetto per altri*.

Juxta D. Carolum qui domum paratam habent, ut in ea aleatores teſſeris, vel aleis ludant, ſunt in occaſione ex natura ſua ad peccatum inducente, nec abſolvi poſſunt, niſi eam deſerant. Qui meretricibus domos locant, aut eodem, aut deteriori loco ſunt, utpote qui ſuas domos paratas habeant, ut quicumque voluerint, libidinem in iis expleant; imo vero per meretrices, quas ibi retinent, omnes illac tranſeuntes ad luxuriam invitant. Quid enim refert ſeu per alios, puta famulos, ſeu per domi tuæ conductricem id præſtes? Id, inquis, non jubeo. Conſentis tamen, dum conſentis, id in tua domo fieri.

6. Legatur hic iterum propoſ. 51. ab Innoc. XI. damnata. Si ex hac proſcriptione famulus hero ad ſtuprum aſcendenti humeros ſubmittens, letifere peccat; an mortalis peccati reus non erit, qui totam domum ſuam ſubmittit arbitrio meretricis, ut innumeras ibi laſcivias admittat? Si famulus a culpa non excuſatur ex metu notabilis damni, multo minus excuſatur locator, qui non damni timore, ſed turpiſſimi lucri cupiditate id facit. Tum famulus, tum locator peccatori cooperantur, ejuſque peccato reipſa, & facto conſentiunt; at famulus excuſabilior, tum quia non ſponte, ſed juſſus, tum quia gravis detrimenti timore id præſtat; locator longe turpior, quia id ſponte facit, ſoloque turpiſſimo quæſtu illectus.

At objiciunt adverſarii, (Wig. p. 318. n. 93.) locatio domus indifferens eſt. Reſp. Non tamen ſi fiat meretrici, ut oſtenſum eſt. Locatio domus, inquiunt, meretrici facta, eſt occaſio, ſeu cooperatio materialis, & remota, non formalis, ſeu proxima meretricii. Reſp. Hæ arabicæ diſtinctiunculæ quoad cooperationem peccati rem involvunt, & ſupra fuerunt exploſæ. Dum domum ad meretricium ſuppeditas, (id autem facis, cum eam meretrici locas) meretricium ipſum, hoc eſt ipſum peccatum juvas, & foves, & putas te a peccato excuſatum per ſubtiles diſtinctiunculas nihil ſignificantes?

Nam quoad occaſionem, domus locata meretrici, eſt occaſio proxima, ex ſe ad peccatum inducens, ut jam oſtenſum eſt. At, inquis, malus locationis uſus ex meretricis malitia totus pendet, non ex locatione. Reſp. In eo peccas, quod tua locatione conſentias meretricio; in eo quoque peccas, quod tuam domum aperias multorum libidinibus, qui inde ad peccandum invitantur. Utor, inquis, jure meo, dum meam domum meretrici loco. Reſp. Non uteris, ſed abuteris jure tuo. An jure tuo, ſeu re tua non abuteris, ſi eam in libidines, & alia ſcelera prodigas, vel tenaciſſime retineas, ut avaritiam foveas? Pudeat te, tuum infinitarum libidinum fomentum jam inanibus commentis excuſare.

Rationes Navarri quoad praxim convincentes (pro locatione, de qua loquimur) ſunt tres, ait Wig. (p. 318. Reſp. 8. num. 42.) „ Prima ex conſuetudine totius fere „ Chriſtiani orbis." Reſp. Conſuetudo, ſeu corruptela

totius

totius ſere chriſtiani orbis illud etiam babet, ut meretricium, aliaque ſcelera fiant. An hæc quoque mortali culpa vacant, quia ex uſu fiunt? Conſuetudo divino, naturalique juri repugnans culpas auget, non minuit, multoque minus tollit. Quare cum locatio domus, meretrici facta, divino, naturalique juri repugnet, *væ mundo a ſcandalis; digni ſunt morte* &c. conſuetudo locandi domos meretricibus, culpam non tollit, nec minuit, ſed auget.

2. „ Quia præfatum dictum S. Auguſt. ab omnibus „ receptum (S. Auguſt. dictum hoc eſt: *Aufer meretrices de rebus humanis, turbaveris omnia libidinibus*) „ vix poteſt exequi ſine domorum locatione. " Reſp. S. Auguſtini dictum eo ſpectat, ut meretrices permitti queant; qua de re ego nihil dico; de ea diſſerit Concina Theol. t. 2. p. 270. c. 11. At ſicuti exploratum eſt, permiſſionem meretricii, illud a culpa non eximere; ita certum eſſe debet, permiſſionem locandi domus meretricibus, nullam vel leviſſimam rationem ſuppeditare, qua hujuſmodi locatio a mortali crimine excuſetur.

3. „ In urbe ſciente, & patiente Papa locantur, & „ ſemper conſueverunt locari domus meretricibus; & „ Confeſſarii abſolvunt, & ſemper abſolverunt locatores „ earum ſine propoſito abſtinendi a tali locatione. Ergo."

Reſp. S. Pius V. ut habet Nat. Alex. hiſt. Eccleſ. t. 9. pag 61. *meretrices ab urbe expulit: cumque triumviri urbis conſervatores acriter reſiſterent ob locandarum ædium detrimenta, Pius continuo ſilentium impoſuit, dicens: Ergo ne Romani Senatus erit, mulierculas has tueri, & impudicitiæ favere? Atqui niſi illæ Roma diſcedant, nos cum univerſa curia diſcedemus.* S. Ludovicus Galliarum Rex meretrices ex univerſo Regno expluſit; idemque præſtitit Philippus IV. Rex Hiſpaniarum, ut refert Concina Theol. t. 2. p. 274. n. 9.

Ceterum quod de aliis ſupremis Principibus dicitur, idem prorſus dicendum de ſummo Pontifice. Hujus, & aliorum, lupanaria, eorumque locationes tolerantium permiſſio, humanas quidem pœnas tollit, culpam non diluit.

Confeſſarii, qui abſolvunt locantes domos meretricibus ſine abſtinendi propoſito, Doctorum id permittentium auctoritate ſe tuentur, cum contra Doctores, Confeſſariorum uſu ſe tueri velint, ſed illud videndum, utrum tum hi, tum illi in Chriſti Tribunali tueri ſe poſſint. Ego juxta mox dicta ſentio, hujuſmodi locatores non eſſe abſolvendos, niſi firmum propoſitum eos habere conſtet, hujuſmodi locationes quamprimum fieri poteſt, abrogandi, & in poſterum ab iis abſtinendi.

Animadverſio XXVI.

Hac quoque in re cautio adhibenda eſt. Innoc. XI. prop. 51. proſcripta, multa nos, ſi attendere velimus, docuit. Qui enim humeros, aut ſcalam peccare volenti ſubminiſtrare vetatur, nec manus, nec pedes, nec gladium, nec aleas, nec quidquam aliud exhibere permittitur. Itaque licet gladii, & etiam aleæ, ſeu aleatoriæ cartæ dici poſſint res indifferentes; (quidam enim alearum ludi ex induſtria pendere dicuntur, qui proinde vetiti non ſunt) ideoque earum venditio univerſe vetita non videatur; tamen nec gladios, nec aleas iis vendere potes, quos ad peccatum abuſuros noſti, v. g. aleas iis, qui habent domum cujuſque generis luſoribus paratam, vel quos fortuitis pecuniariis ludis luſuros ſcis. Hæc doctrina ex dictis intelligitur, & traditur a D. Raym. cujus verba habes in animadverſione c. 6.

Quod ad fucos attinet, ſi nullum alium uſum habeant, niſi fucandi faciem, qui uſus ſemper malus, imo ex natura ſua criminoſus eſt (nam *mulierum fucatio*, ut ait D. Thom. 2. 2. q. 169. a. 2. ad 2. *eſt quædam ſpecies fictionis, quæ non poteſt eſſe ſine peccato*) nec fieri, nec vendi poſſunt ſine peccato.

Si autem utiliter adhiberi poſſint, vendi poterunt, niſi ex circumſtantiis innoteſcat, eos ad malum quæri. Hanc doctrinam confirmat Concina Theol. t. 7. p. 273. qu. 7. quem, ſi lubet, conſule.

Ex mox dictis refellitur La-Croix, qui p. 189. num. 263. ait: „ Non peccat, qui vendit ornamenta puellæ „ nec illa ſollicitaturæ alios ad peccatum, quæ ornamenta venderentur ab alio. Ita Sanch., Nav., A„ zor., Leſs., Bon., Dian. contra Caſtrop., & alios. " Hi ſcilicet probandi ſunt, & improbandi, quos La-Croix pro ſe citat. At inquit La-Croix, „ illa venditio „ eſt quid indifferens, & remote ſe habens ad peccatum." Reſp. Hoc ſophiſma convulſum jam fuit. „ At ſi ven„ dens peccaret, eſſet ideo, quia non impedit peccatum „ proximi: atqui licet non venderes, non ideo impedi„ set; alius enim eſſet, qui venderet: ergo vendendo „ non peccas. "

Reſp. Hoc ſophiſma in ſcholis dicitur *a non cauſa pro cauſa*: major enim falſa eſt. Peccat igitur qui vendit, quia non ſolum non impedit, ſed cooperatur peccato ſcandali puellæ. An famulus in propoſ. 51. proſcripta deſcriptus non peccaret, ſi ipſo herum humeris, aut ſcala ad aſcenſum non adjuvante, alius idem adjumentum foret præſtiturus?

„ Ex eadem ratione, inquit La-Croix, judicarunt „ viri docti, me non peccare, ſi vendam panes hære„ ticis, quibus utentur in ſuo ſacramento cœnæ. "

Reſp. At quia hoc judicium ſophiſticis rationibus nititur, deſcrendum eſt.

Animadverſio XXVII.

Hæc Buſemb. ſpecies eadem eſt, ac La-Croixii mox explosa. Vendere agnum Judæo, vel Infideli ad impium ſacrificium uſuro, idem eſt, ac vendere gladium occiſuro: hoc Buſembao ipſo fatente c. 7. non licet, niſi vitandæ mortis cauſa: at re ipſa ex ibi dictis ex nulla cauſa: ergo ne primum quidem licet. An ea ratione licet vendere agnum Judæo, vel Infideli, quia eo lædenda eſt Dei majeſtas; gladium autem non licet, quia hoc proximus eſt offendendus? Idem dicas de ædificantibus, aut reſtaurantibus ſynagogas, & Infidelium templa; quia impiæ ſuperſtitioni deſerviunt. Hinc D. Th. 2. 2. q. 169. 2. 2. ad 4. peccati reum facit, *qui fabricaret idola, vel aliqua ad cultum idololatriæ pertinentia*. Tum hoc, tum ſuperius opus, impiæ ſuperſtitioni deſerviens, intrinſece, & ex natura ſua malum eſt; quod permiſſio magiſtratus licitum efficere non poteſt. Contra has cooperationes diſputat quoque Concina Theol. t. 2. p. 169. q. 1.

Animadverſio XXVIII.

Buſemb. hic ait *probabiliter* contra Tol. &c. quod in ſana Theologia perinde eſt, ac periculoſe, & criminoſe. Chriſtiani ea præſtantes, quæ hic Buſemb. deſcribit, duplici ex capite mortifere peccant: primo quia graviſſimo Infidelium ſceleri cooperantur: 2. quia quantum in ipſis eſt, Catholicos injuſte infectantur, & graviſſime lædunt; & quia hujuſmodi cooperatio, & Catholicorum injuſta offenſio, ex natura ſua, & intrinſece letalis culpa eſt, nullo vel graviſſimo metu excuſari poteſt. Peccant ergo captivi letaliter, ſed ex infirmitate, quæ apud hos miſeros multa venia excipienda eſt, dum ex animo ſuam culpam oderint. Hic quoque legi poteſt Concina Theol. t. 2. p. 200. q. 2

La-Croix n. 277. hac de re ita ait. „ Chriſtianos „ captivos, qui ſimul cum Turcis ad litora Chriſtiano„ rum adveniunt, poſſe cum dominis infidelibus coo„ perari ad rapinas, & incendia ob vitandam mortem „ ſibi alias imminentem, docent Lorca, Dian., Ca„ ſtrop., & alii apud Mendo, qui defendit velut pro„ babile. "

Hic La-Croix ponit, Turcas bonorum rapinas, & incendia tantum meditari, & hoc eſſe notum captivis. At cum reſte experientia Turcæ ad litora Chriſtianorum adventantes, omnis generis ſcelera, ſtupra, adulteria, mulierum abductiones ad libidinem, hominum cædes, & captivitates ſeurent, & quoad fieri poteſt faciant, poni non poteſt, captivos cooperari tantum ad rapinas, & incendia.

Sed fiat hypotheſis La-Croixii, licet ne captivis cooperari? Id licere *Mendo*, ut ait La Croix, *defendit velut probabile*; quibus verbis tacite fatetur, contrarium quoque eſſe probabile: ergo juxta ſanam Theologiam primum probabile erit criminoſum.

Sed cur illud eſt probabile? „ Quia captivi ſunt in „ extrema neceſſitate, in qua licitum eſt uti bonis „ temporalibus aliorum pro liberanda vita ſua. "

Bona quidem aliena evadunt communia, ut tuam vitam in extrema neceſſitate ſuſtentes. Quia proprietas jure gentium inducta, cedit juri naturæ, quo quiſque ſuam vitam tueri præcipitur: ex quo fit, ut in extrema neceſſitate furtum non ſit furtum. At rapinæ infidelium, multoque minus incendia, non deſinunt eſſe rapinæ, quia ſuis captivis mortem minantur, niſi iis cooperentur, imo graviores evadunt. Ergo captivi, eorum rapinis, & incendiis cooperantes, ſceleribus graviſſimis cooperantur; quod intrinſece, & ex natura ſua malum eſt, ideoque ne vitandæ quidem mortis cauſa permiſſum. Itaque illa La-Croixii propoſitio, *in extrema neceſſitate licitum eſt uti bonis temporalibus aliorum pro liberanda vita ſua*, vera eſt ſpectato ſimplici, & ſolo uſu alienorum bonorum; non item, ſi huic uſui accedat peccatum, puta homicidium, vulneratio, adulterium, vel quodcumque aliud jure divino, & naturali vetitum. Porro in noſtra ſpecie uſui alienorum bonorum accedit cooperatio alienorum ſcelerum, quæ jure divino, & naturali vetita eſt; ideoque ille uſus non eſt permiſſus. Præcepta enim negativa, uti eſt illud, *ne conſentias alienis ſceleribus*, prævalent præceptis affirma-

Digitized by Google

firmativis, uti eſt lex tuendæ propriæ vitæ. * Hinc Chriſtus Joan. 12. *Qui amat animam ſuam, perdet eam.*

ANIMADVERSIO XXIX.

Huic doctrinæ id objici poteſt. Subſidium ferre Tyranno in ipſa tyrannide, ſeu iniqua detentione alienæ ditionis, peccatum eſt: at incolæ a Buſembao deſcripti ſubſidium ferunt Tyranno in alienæ ditionis iniqua detentione: ergo peccant. Horum cooperatio videtur ſimilis culpæ captivorum, de quibus mox dictum eſt c. 11. eren &c. Nam nulla ratio eſt præſumendi, legitimum Principem conſentire, ut Tyrannus ejus hoſtis juvetur in conſervanda tyrannide contra jura ſui principatus.

In hac ſpecie illud ego conſiderandum putem, quid publici boni neceſſitas, aut utilitas poſtulet. Hoc enim facere, in cujus gratiam ſunt inſtitute principatus juſta, eiſque cedere eadem jura omnium debent, permiſſum, & laudabile putem; contrarium autem licere non arbitror. Tyranni enim iniquitas impedimento eſſe nec poteſt, nec debet, quominus incolæ ea faciant, quæ ad publicum omnium bonum conducunt; ſicuti feneratoris pravitas non impedit, quin poſſim mutuum ex neceſſitate ab eo petere, & uſuras ſolvere.

Tyrannus utitur quidem opere meo, puta contributione, excubiis &c. in ſuæ tyrannidis conſervationem; aſt ego eodem utar ad publicum bonum, quod natura ſua in circumſtantiis, in quibus ex hypotheſi verſamur, ſpectat.

ANIMADVERSIO XXX.

Cum Buſemb. dicat abſolute *ad caſtra hæreticorum*, ejus dictum intelligendum puto, etiamſi hæretici bellum contra Catholicos gerant. Nam ſi belligerent contra alios hæreticos, aut infideles, Buſembaum non improbo.

At in prima hypotheſi nautæ, & aurigæ opem ferunt hæreticis contra Catholicos bellantibus; cujuſmodi bellum in damnum fidei vergit. Ergo nautæ, & aurigæ annonam in hæreticorum caſtra vehentes, opem ferunt hæreticis in damnum fidei; quod licere nulla ratione poteſt. At, inquis, Buſemb. loquitur hypothetice, *ſi adſint alii, qui illis ceſſantibus facerent.* Reſp. An ego a mala cooperatione excuſor, quia alii cooperaturi ſunt, ſi ego non cooperor? „ At niſi id „ faciant, excluduntur omni lucro, tamquam oſores „ boni publici. " Reſp. Miſeræ ſane rationes, Chriſtiano homine indignæ. An peccare licet lucri cauſa, aut malæ opinionis apud perditos hæreticos vitandæ gratia? Oſtendat prius Buſembaum oportet, vecturam ab eo deſcriptam eſſe indifferentem; quod ſi oſtenderit, nihil addere opus erit.

At Summi Pontifices (excomm. 7. Bullæ Cœnæ Domini) ipſo jure excommunicant deferentes arma, aut quamcumque materiam, cujus ope Catholici impugnentur, ad hæreticos expreſſe, & nominatim declarator; quia ſcilicet hæc delatio graviſſima culpa eſt, in fidei detrimentum vergens: at vectio quoque annonæ in caſtra hæreticorum contra Cathol. cos pugnantium, graviſſima culpa eſt, in fidei detrimentum vergens. Cur ergo excuſationes quæris? Sed de his hactenus. Buſemb. infelici tempore, ac infeliciter ſcripſit. Præſens caſus aliis hic expoſitis, ac exploſis, ac præſertim c. 6. & 10. ſimilis eſt.

Ex his, quæ in Buſembaum dixi, refelluntur quoque ſequentes La-Croixii opiniones.

Num. 256. „ Catholicus tamen aliquis nobili hæretico ad ſe divertenti poteſt amicitiæ, & humanitatis „ cauſa apponere cibos in die jejunii, ſi alioquin da„ ret occaſionem gravibus querelis, & murmurationi„ bus contra ſe tamquam ruſticum, inurbanum, ſu„ perbum "

Peſſima ſcilicet eſt ea amicitia, quæ cum alieno peccato communicat. Occaſio querimoniæ in hac ſpecie non eſt data, ſed accepta ex hæretici malitia. La-Croix objicit D. Auguſtinum, ſed abs re, ut legere potes apud Concinam Theol. t. 2. p. 294. n. 29.

Num. 257. „ Si dominus velit comedere carnes in „ contemptum Eccleſiæ, non peccat famulus eas co„ quens, & porrigens, ſi ſine gravi damno non poſſit „ evitare. "

Hic famulus deterior eſt eo, qui humeris, aut ſcala herum adjuvat, ut ad ſtuprum aſcendat. At, inquit La-Croix „ actio, quæ præcipitur famulo, non eſt il„ la, qua contemnitur Eccleſia, ſed hæc actio eſt ipſa „ manducatio. " Reſp. Præclara ſane ratio, quæ ſi valeat, nulla cooperatio ad peccatum, erit peccatum. Ne actio quidem famuli ſubmittentis humeros hero aſcendenti ad ſtuprum, eſt ea, qua ſtuprum admittitur, & nihilominus letalis culpa eſt.

Num. 258. „ Si abſit ſcandalum, poteſt venator, vel „ anceps in Quadrageſima capere feras vel aves, & „ vendere in terris hæreticorum. "

„ Similiter ſi opifex catholicus famulos habeat hæ„ reticos valde peritos, qui nolunt apud eum in Qua„ drageſima permanere, niſi carnes apponantur, quos „ tamen abſque gravi rei familiaris jactura dimittere „ non poteſt, ſi abſit ſcandalum, poteſt illis apponere „ carnes, docent Burg. &c. "

Hæ omnes ſunt manifeſtæ cooperationes peccati, ac peccata letalia, quæ nova confutatione non indigent, cum jam ſatis fuerint in proxime dictis confutata. Sed redeamus ad Buſembaum.

LIBER III.

De præceptis Decalogi, & Eccleſiæ.

TRACTATUS I.

De primo præcepto Decalogi.

HUjus præcepti, prout eſt affirmativum, materia propria ſunt actus virtutis Religionis. Eſt autem hæc virtus moralis, qua interior, & exterior cultus Deo debitus exhibetur. Actus ejus internus eſt animi ſubmiſſio, qua infinitam Dei excellentiam veneramur. Externus eſt, quo internum teſtamur, ut Oratio, Sacrificium, &c. de quibus vide Schol. t. 2. & 3. *parte*. Prout vero eſt negativum, prohibet vitia Religioni oppoſita: quæ, quia opponuntur virtuti inter morales præcipuæ, ſunt peccata, poſt ea, quæ contra virtutes theologicas committuntur, graviſſima, & ex genere ſuo mortalia. Sunt autem duplicia: alia, quæ opponuntur per exceſſum, ut ſuperſtitio cum ſuis ſpeciebus: alia per defectum, ut irreligioſitas cum ſuis. (*a*)

CAPUT I.

De Superſtitione, & ſpeciebus ejus.

DUBIUM I.

Quid ſit, & quotuplex?

REſp. 1. Superſtitio eſt falſa religio, ſeu cultus vitioſus veri, vel falſi numinis. Leſſ. Et convenit cum definitione communi ex S. Th. qua dicit eſſe vitium, quod religioni opponitur ſecundum exceſſum. Dicit *per exceſſum*; non quod Deus nimium coli poſſit, aut majore honore, quam dignus ſit; ſed id intelligitur ſecundum circumſtantias, eo quod exhibeas cultum vel quem non debes, vel eo modo, quo non debes, vel illi, cui non debes.

Reſp. 2. Superſtitio eſt duplex. Alia cultus indebiti, ſive incongrui, quo verus Deus, ſed modo indebito colitur tribuendo ei cultum falſum, & pernicioſum, vel ſuperfluum, qui nimirum ſit contra, vel præter Eccleſiæ conſuetudinem, ac præſcriptum. Alia eſt ratione rei cultæ, cum ſcilicet cultus Deo debitus, falſo Deo, vel creaturæ defertur. Et hæc ſubdividitur in Idololatriam, Divinationem, & vanam obſervantiam; ad quam Magia vel revocatur, vel potius quartam ſpeciem conſtituit. Laym. *l.* 4. *t.* 10. *c.* 1. ex S. Th. *q.* 92. *a.* 2.

Ex quibus reſolves.

1. Superſtitionem cultus falſi committit. 1. Qui Deo nunc offert cultum per ceremonias veteris legis, v. g. circumciſionem, immolationem agni, &c. quia hæ ſignificant Chriſtum adhuc venturum, & nondum veniſſe. 2. Laicus, qui Deum colit, tamquam publicus Miniſter Eccleſiæ, v. g. ſacrificando, abſolvendo. Quod ſemper eſſe mortale, docet Suar. *de rel. l.* 2. *de ſuperſt.* c. 2. 3. Is, qui ſua auctoritate proponit aliqua facienda, tanquam ordinata ab Eccleſia

* Ita merito VVolfius, licet hæreticus, Philoſ. practica p. 92, §. 210.

eleſia ed Dei cultum. 4. Qui falſas reliquies proponit; vel miraculum factum eſſe per aliquam imaginem, vel ſa habuiſſe has, vel illas revelationes fingit, ſive ad faciendum lucrum, ſive ed devotionem augendam. 3. Qui, ut populum moveat, *fingit miraculum aliquod*, (*b*) vel hiſtoriam reperiri in Scriptura ſacra, &c. Et hæc ſuperſtitio, atſi ſit ex genere ſuo mortelis, quia primæ veriteti injuriam irrogar, & religionem fundat in mendaciis; *ſæpe tamen* * excuſatur ignorantia, vel ſimplicitata. Leſſ. *l.* 1. *c.* 43. Sanch. 2. *mor. c.* 37. Nev. *c.* 12. Laym. *l. c.* Bon. *d.* 3. *q.* 5. *p.* 1.

2. Superſtitio cultus ſuperflui eſt v. g. 1. Ceremoniæ audiendi Miſſam enta ortum Solis cum certo numero, ſitu, ordine cereorum, vel Sacerdotis, qei dicatur Joannes: vel qui habeat ſtaturam Chriſti, &c. quia hic cultus eſt ex ſaipſo inenis, & ad ſpiritum axcitandum ioutilis. 2. *Iejunare die dominico*, (*c*) cum non jejunes aliis diebus. Item in Miſſa contra Rubricam plures formare cruces, pluries dicere *Alleluja*, dicere *Gloria*, vel *Credo* contra Rubricas, aliaſve ceremonias demere, vel addere (etſi fiaot ex devotione, hæc enim corrigenda aſt) quia ſunt præter Ecclaſiæ conſuetudinem. Hæc temen, & ſimilia, bona intentione facta, venialia tantum ſunt ordinarie, ut docet Tol. Leſſ. *loc. cit. d.* 1. Navar. & Laym. quie eſt materia levis, & actio ex ſe non mala, & multe excuſat ſimplicites. Quod ſi tamen ex ſe mala eſſet, ut ſi rem furtivam offeras, turpia verba in templo canas ore, vel organo, notabiliter laſciviam, vel ad impuritatem provocantem vocem edas, eſt ſuperſtitio fere mortalis, ut Laym. *l. c. ex comm.*

D U B I U M II.

De Divinatione. Quid & quotuplex ſit?

Reſp. 1. Divinatio eſt, eum quis opem dæmonis tacita, vel expreſſe invocat, ut noſeat res contingentes, & libere futuras, aliterve occultas, & naturaliter iocognoſcibiles. Quæ ſi ſint tales, ques ſolus Deus ſcira poteſt, iovolvitur tacite Idololatria, quod dæmoni tribuatur cultus divinus: ſi vero ſint tales, quas dæmon naturaliter ſcira poteſt (nam ex ſignis, (*d*) eliiſve modis occultiſſima quæque cognoſcere poteſt, etiam plurimas hominum cogitationes, & res futures. V. Delr. *l.* 4. *c.* 2. *q.* 2. Sanch. 2. *mor. c.* 28.) nihilominus illicita eſt, eo quod commercium habeatur cum Dei jurato hoſte: quod importat quandam proditionem, & apoſtaſiam a Deo, ac forte etiam, ut vult Suar. contre Val. ſuperſtitionem. V. Laym. *c.* 3. Bon. *p.* 3. S. Th. 2. 2. *q.* 5. *ar.* 1.

Reſp. 2. Divinatio eſt duplex. (*e*) Une, in qua eſt invocatio, vel pactum expreſſum cum dæmone: & generali nomine dicitur Necromantia: ut, eum dæmon occulta docet per pythones, arreptitios, præſtigias, per perſones mortuorum, vel virorum apparentium, aliave ſigoa in aere, aqua, igne, ſpeculis. Alia eſt, in qua tantum eſt iovocatio, vel pactum tacitum, ſeu interpretativum: ut eum ex lineamentis corporis, vocibus, garritu avium, & ſimilibus, quibus ſa dæmon immiſcere ſolet, quæritur cognitio, ad quam ea ſunt improportionata. D. Thomas *q.* 95. Cum vero utriuſque ſpeciei variæ rurſus ſint ſpecies, eas hic omitto; quod, ſecundum ſententiam communiorem, in genere moris non different, nec ſpecialem habeant malitiam, ideoque in confeſſione non ſit opus explicare, an verbi gratia ſit facta divinatio ex ſpeculla, aere, mortuo, &c. Exprimendum tamen neceſſario eſt, utrum invocatio, ſive pactio expreſſa, an tacita intarvenerit: quia, ſive hæc moraliter inter ſe ſpecie differant, ſiva non, notabiliter tamen mutant judicium Confeſſarii. V. Laym. *l. c.* Sanch. *l. c.* Leſſ. *l. c. d.* 5. Delr. *lib.* 4. *diſp.* 4. *c.* 2. Bon. *q.* 5. *p.* 4.

Reſp. 3. Divinatio, quæ ſit per pactum expreſſum, & que dæmon expreſſe invocetur, excuſari non poteſt a mortali; *eam vero, que ſit per actum tantum implicitum, aliquando excuſari a mortali quidam aſſerunt, videlicet tunc, cum vel intercedit ſimplicitas, & ignorantia non craſſa, neque affectata, vel fides certa non adhibetur, ſed tantum timor quidam, aut ſuſpicio concipitur eventus futuri.* ANIMAD. I. Leym. *l.* 4. *t.* 10. *c.* 3. Sanch. Leſſ. Suar. Cajet. Bald. *r.* 3. *l.* 4. *d.* 3. *n.* 2. &c. eo quod tunc ſuperſtitioſe vere non ſit, cum intentio noo ſit talis. V. Suar. Leſſ. Sanch. Laym. Cajet. Nav. Sayr. Valent. & Tanner. *d.* 5. *de relig. q.* 7. *diſp.* 1. *n.* 21. *& dub.* 2. *n.* 25.

Ex dictis reſolvuntur ſequentes caſus.

Expreſſa cenſetur invocare, ſeu convenire, & pactom facere cum dæmone, qui vel verbis dæmonem iovocat; vel ſaltem facto aliquid uſurpat, per quod ſcit, aut putat dæmonem cooperari.

2. Is vero tacite paciſcitur, qui vanis, & naturaliter improportionatis utitur ad aliquid cognoſcendum, vel efficiendum. Neque requiritur, ut dæmon aliquando pactus ſit, ſe ad talis vani medii adhibitionem euncurſurum: eo enim ipſo, quo quis vanitatibus iis utitur, dæmon ſe immiſcet, licet præter intentionem utentis ſit eum invocare, ut docent Suar. Leſſ. & Sanch. *ll. cc.*

3. Non excuſatur a peccato, qui utendo talibus rebus, quas conſtat eſſe naturaliter improportionatas, proteſtatur, ſe nullum cum dæmone commercium intendere, quia reipſa facit contra ſuam proteſtationem. Cum enim nec Deus, nec Angeli boni talibus ſe miſceant, dæmon implicite iis invocatur, ut præter citatos docent Laym. & Bon. *ll. cc.*

4. Neque is excuſatur, qui talia media utilie credit propter experientias, quie has dæmon procurat, ut homines paulatim illaqueet, & ad ſimilia uſurpanda inducet. V. Sanch. 2. *mor. c.* 38.

5. Si quis ab aſtris, ſomniis, ſimilibuſve ita dependeat, ut omnes pene actiones ſuas, & vitam juxta ea regulare velit, eum morteliter peccare, docent Leſſ. Suar. Sanch. *l. c.*

6. *Ex talium obſervatione ſemel atque iterum aliquid amittere, ad quod alioqui ſub mortali non teneris, veniale tantum eſſe cenſent* Cajet. & Arm. v. ANIMAD. II. *Somnium: uti & ſubinde timere leviter, ne ita ſit, aut eveniat, quod portendunt*, ut notat Suar. ſup. *l. c.*

7. *Communiter, & ut plurimum in ſimilibus, in quibus tacitum tantum eſt pactum, venialiter tantum peccari, docent conſequenter Doctores ſupra citati, & mox citandi*: quia communiter fere aliquid iſtorum interveoit, quæ a mortali excuſare dicunt, ut v. g. quod fides integra non adhibeatur. Sanch. *l. c. n.* 13. Cajet. *in ſumm.* Armil. *&c.* Recte tamen notat Delrio, eſſe ſemper rem valda periculoſam, juxta illa ſuas actiones dirigere, etiam non credendo. V. Sanch. *l. c.* ANIMAD. III.

8. *Licita eſt* 1. *Phyſiognomia, quæ ex vultu, diſpoſitione, & habitudine corporis, & membrorum.* 2. *Chiromantia, ſi ex lineis, & partibus manuum conſideret temperiem corporis, imo etiam animi propenſiones, & affectus probabiliter conjectet.* 3. *Item divinatio, qua ex ſomniis conjectat hominis complexionem, & hinc affectiones animi diurnas.* 4. Item illa, quæ ex avium, piſcium, aliorumve animalium voce, motu, eliiſve actionibus naturales aliqui effectus prænontiantur futuri, ut plurimum, v. g. ſerenitas, pluvia, &c. 5. *Aſtrologia naturalis, quæ effectus corporeos, & naturales, ut ventos, eclipſin, fertilitatem, ſalubritatem, morbos, & ſimilia prædicit, qua ad medicinam, vel agriculturam conducunt; imo etiam, cum ex puncto nativitatis, ſive horoſcopo probabiliter prædicit complexionem corporis, & affectiones animi. Quia hæ divinationes omnes naturales ſunt, & mediis proportionatis utuntur.* Leſſ. *l.* 2. *c.* 43. *d.* 7. ANIMAD. IV.

9. Illicitæ vero ſunt omnes prædictæ divinationes, ſi ex iis aliquid noſci, vel prænuntiari intendatur circa ea, ad quæ proportionata non ſunt; ut circa effectus contingentes, & liberos, aut quæ a

* Loco *ſæpe tamen* dicito, & nunquam, aut raro; quia hæc ignorantia eius eſt, quod non ſolum ſcire, ſed facile ſciri poteſt. Simplicitas vero cum craſſa ignorantia conjuncta, non eſt genuina ſimplicitas, ſed ſtolidita s potius dicenda eſt. Boſemb. peccata ex ignorantia, & ſimplicitate, ut ipſe loquitur, admiſſa facile excuſat; quod lector in mente habeat; quia hac de re illum ubique monere nimis longum, & moleſtum eſt.

Deo pendent; ut circa ſtatum animæ, dona gratiæ, divitias, honores, fortunam, nuptias, ſtatum vitæ, & ſimilia, quorum electio voluntaria eſt, & a libera hominum voluntate pendet: itemque de rebus occultis, ut furto, theſauro abſcondito. V. Leſſ. *l. c.* & Bonac. *d.* 3. *q.* 5. *p.* 3. n. 11. Suar. Sanch. *l. c.* Bonac. *n.* 11.

Animadv. V. 10. *Peccant, qui Ægyptios de fortuna conſulunt, & quidem, ſi fiat cum firma fide, vel ſcandalo,* &c. *mortaliter: ſi vero cauſa curioſitatis, vel riſus, ut fit communiter, venialiter tantum.* Fill. & Sanchez.

11. Superſtitioſa eſt divinatio, quæ fit per ſortes divinatorias, ad futurum, vel occultum aliquid cognoſcendum, quaſi ſortibus vis aliqua divina inſit: ut ſi quis v. g. ex taxillorum projectione, & diſpoſitione divinet, quis ſit obtenturus victoriam, beneficium, &c. Idem fere eſt de ſortibus conſultoriis; quibus inquiritur, quid in hac, vel illa re ſit agendum. Dixi *fere:* quia aliquando hæ licitæ ſunt, quando cauſæ neceſſitas, & honeſtas exigit; aptiorque modus dubium vincendi non apparet: dummodo fiant præmiſſa oratione cum debita reverentia: & indicium non expectetur, niſi a ſolo Deo: ut v. g. ſi quis hærens in bivio aliter quoad viam ſe determinare non poſſit: vel ſi divino inſtinctu, aut juſſu fiant, ut 1. *Reg.* 10. in electione Saulis contigit. Fill. Sanch. Bonac. *l. c.* (*f.*)

12. Sortes diviſoriæ ſine ſuperſtitione, & plerumque licite fieri poſſunt, ſive ad honeſtum ludum, ſive ad hæreditatis diviſionem, ſive ad litis compoſitionem, dummodo litigantes, qui æquale jus habent, conſentiant, quia nihil aliud continent, quam contractum inter eos, qui ad aliquam rem jus habent, ut illius ſit, cui ſors obtigerit. Sic etiam, ſi plures mortem meriti ſint, nec expediat omnes puniri, ſorte definiri poteſt, qui ex iis ſit occidendus. Dixi, *plerumque:* tum quia in electionibus eccleſiaſticis ſunt illicitæ, ut Laym. *l.* 3. t. 4. & Bon.; tum quia officia ſæcularia non ſorte, ſed ſecundum perſonarum aptitudinem ſunt dividenda, etſi inter plures æque aptos, & dignos ſorte agi poſſit. V. Leſſ. *c.* 43.

13. Poteſt excuſari a ſuperſtitione, (*g*) qui modo illicito futura ſe velle divinare oſtendit joci cauſa. Ratio eſt, quia non eſt actus ſuperſtitioſus, nec affectatio cognitionis Deo propriæ, ſed tantum vanitas aliqua. Suar. & Sanch. Regin. *l.* 17. *n.* 170.

DUBIUM III.

Quid, & quotuplex ſit idololatria?

Reſp. 1. Ea eſt, quando tribuitur honor creaturæ, ſicut Deo. D. Th. *q.* 94. *a.* 1. Id vero fit, ut docet Leſs. *l.* 2. *c.* 43. non tantum ſacrificio, ſed etiam quovis ſigno honoris, *quo quis creaturæ, tamquam Deo, ſe ſubmittere intendit,* (*h*) v. g. genuflexione, ſuffitu, detectione capitis ad ſtatuam Jovis.

Reſp. 2. Idololatria eſt duplex. Alia materialis, ſive ſimulata, ut cum quis ſine interno affectu, ex metu mortis, cultum idolo exhibet. Alia formalis, ac propria, vel perfecta, ut cum quis adorat idolum, quod ex infidelitate putat eſſe Deum; vel imperfecta, cum quis vel ex odio Dei, vel ex affectu aliquid a dæmone, aliave creatura obtinendi, ipſi, quaſi Deo, cultum defert. Laym. *l. c.* ex S. Aug. & S. Thom.

Unde reſolves.

1. Idololatria aliquando conjungitur cum infidelitate, vel hæreſi, cum ſcilicet creatura adorata in intellectu habetur pro Deo, aliquando non.

2. Idololatria etiam materialis, & ficta eſt grave, & mortale peccatum: quia eſt ſaltem mendacium pernicioſum, & contra religionem; ſæpe etiam contra confeſſionem fidei externam. (*i*) Sanch. *l.* 2. *c.* 37. *n.* 21. Azor. 1. *p. l.* 9. *c.* 11.

3. Idololatria imperfecta ob malitiam voluntatis eſt peccatum gravius, quam perfecta. V. Laym. *l.* 4. *c.* 10. *c.* 2. Sanch. *l. c.*

DUBIUM IV.

Quid, & quotuplex ſit vana obſervantia, & unde colligatur?

Reſp. 1. Ea eſt ſuperſtitio, qua medio aliquo improportionato, & a Deo non inſtituto procuratur aliquis effectus, v. g. ſanitas, ſcientia, &c. S. Th. 2. 2. *q.* 96. *a.* 3. Bonac. & alii. Differt autem a divinatione, quod hæc tantum ordinatur ad occultorum cognitionem; illa vero ad effectum externum. Convenit cum eadem, quod utraque nitatur pacto dæmonis, eique tribuat perfectionem propriam Dei. Unde quæ de divinatione dicta ſunt, proportionaliter huic accommodari debent.

Reſp. 2. Dividitur 1. ſicut divinatio, in eam, quæ ex pacto expreſſo cum dæmone, & in eam, quæ ex implicito pacto procedit. 2. Dividitur communiter in quatuor ſpecies. Prima dicitur Ars notoria, quæ inſpectione certarum figurarum, vel certo aliquo jejunio, oratione &c. utitur ad ſcientiam repente, ac ſine labore acquirendam, ut faciunt Anabaptiſtæ. Secunda dicitur Magia (quod nomen alioqui generale eſt, quæ verſatur circa corpora varie immutanda, alioſque effectus miros. Tertia eſt obſervatio eventuum, qua ex conſideratione alicujus eventus conjicitur, quid ſit futurum. ut v. g. ſi ex eo, quod caſu occurrat vulpes, canis, aut cadaver, certa imminere credat, & inde actiones ſuas moderetur. Quarta dicitur obſervatio ſanitatum, cum adhibentur quædam ſigna, orationes, certus numerus crucium, ſacra verba, &c. velut neceſſaria, & efficacia ad pellendos morbos. Idem eſt de geſtatione reliquiarum cum vana circumſtantia, v. g. in tali capſa, tot diebus, cum tali herba, &c. Sanch. *c.* 40. *n.* 11. Fill. t. 14. *c.* 6. *n.* 157.

Reſp. 3. *Vana obſervantia, ſicut divinatio, eſt peccatum mortale ex genere ſuo.* Ratio eſt, tum quia tribuit honorem divinum creaturæ, expectando ab ea, quod a ſolo Deo expectari debet: tum quia utitur pacto cum dæmone. Leſſ. Bon. *q.* 5. *p.* 4. & alii. Nec poteſt excuſari a mortali ex parvitate materiæ: quia ſimpliciter, & in omni materia uſurpatur cognitio, aut virtus Dei propria. *Aliunde tamen fieri poſſe, ut non ſit mortale, docent* Auct. ſupra cit. *dub.* 2. *reſ.* 3. 1. *Ratione ignorantiæ, ſi pactum ſit implicitum tantum.* 2. *Si non adhibeatur fides, licet timeatur ita eſſe, vel futurum.* Vide dicta de divinatione *dub.* 2. *reſ.* 3. *caſu* 7. & Leſſ. *dub.* 8. *n.* 53. & 66. Animadv. VI.

Reſp. 4. Vana obſervantia cognoſci poteſt. 1. Ex inſufficientia cauſæ adhibitæ ad effectum, ſi nimirum nec habeat naturalem virtutem, nec de ſupernaturali legitime conſtet. 2. Ex adjunctione falſæ, vel vanæ circumſtantiæ, ut verbi gratia, ſi flagellatio fieri debeat certa hora, numero, manu, flagro ſerico; ſi nomina adhibeantur ignota, vel characteres peregrini, verba falſa, vel apocrypha, v. gr. Chriſtum habuiſſe febres, vel ſpaſmum, &c. Item, ſi ponatur vis in modo ſcribendi, v. g. Evangelium S. Joannis a virgine oriente Sole, &c. 3. Si effectus ſtatim evaneſcat, &c. Delrio *l.* 2. *q.* 5. Sanch. *c.* 40. *n.* 43.

Ex dictis reſolves.

1. Superſtitioſum eſt 1. Sumere aliquam potionem, vel bolum, vel quidvis aliud uſurpare ad ſcientiam aliquam ſubito acquirendam. 2. Geſtare amuleta, ligaturas, involucra falſis characteribus conſignata contra vulnera, vel ſubitam mortem, ne poſſint lædi, vel ne ſanguis effluat, vel ad conciliandam inviſibilitatem, impenetrabilitatem, amorem, fortunam, nocumenta, & maleficia. 3. Ex caſu fortuito conjicere de eventu, v. g. ſibi aliquid boni, vel mali eventurum, ut ſi mane egrediens pedem offendat, ideoque domum regrediatur, timens aliquid infauſti. 4. Dies aliquos habere tamquam fauſtos, alios vero infauſtos, ideoque negotium omittere, v. g. die Veneris nolle ungues præcidere. 5. Feminarum carminatricum benedictiones, & preces ad morbum depellendum adhibere. 6. Projicere ſtatuam alicujus Sancti in flumen, ut pluat. 7. Si putentur Miſſæ non prodeſſe defunctis, niſi legantur ſeptem, cum ſeptem certi coloris

vis candelis, & ſeptem eleemoſynis. 8. Si unguento armario, quo gladius inungitur, abſens curetur. 9. Si certo feſto, v. g. S. Joannis, certæ adhibeantur orationes, vel feſto S. Matthiæ hederæ folia aquis imponantur, ut cognoſcatur, cui debeant nubere. 10. Si quibuſdam precibus, imaginibus, aut characteribus, aut crucibus tribuatur certa, & infallibilis vis, v. g. evadendi ab hoſte, expellendi morbos, non moriendi ſine prævia confeſſione, non incidendi in infortunium, &c. Aliud tamen eſt ea per orationes petere, ac ſperare. Delr. *l.* 3. *p.* 2. *q.* 4. *ſ.* 7. Suar. *c.* 15. Leſſ. *c.* 44. *d.* 3. Sanch. *n.* 34. & 37. Fill. *n.* 150.

ANIMAD. VII. 2. *Superſtitioſum non eſt* 1. *Obſervare Lunam, aut tempora aptiora colligendis herbis (v. g. die S. Joannis Baptiſtæ)* purgandis corporibus, cædendis arboribus, &c. 2. Verba ſacræ Scripturæ, vel reliquias geſtare ad Dei tantum honorem, & ſine dictis vanitatibus. 3. *Circa templum alicujus certi Sancti ter jumentum circumducere; die alicujus certi Sancti equis venam ſecare*, &c. ſi ſcilicet hæc fiant, ut major devotio excitetur, & affectus Sanctorum meritis adſcribatur. Aliud tamen eſſet, ſi putarentur tales circumſtantiæ infallibiles, aut plane neceſſariæ, aut per ſe efficaces. Vide Navar. *in man. c.* 11. Addit Laym. ex Cajet. *ſi homines rudes bona fide, & ex devotione aliquem ritum ab Eccleſia non receptam obſervent, aliquando in ſua ſimplicitate relinquendos, cum difficulter abducantur ab eo, quod bona fide a ſuis majoribus acceperunt.* 4. Nec damnandæ quædam devotiones, quas vocant novendiales, v. g. novem, vel ad exemplum S. Gregorii triginta, vel alium certum numerum Sacrorum celebrare, *cum certo numero, & magnitudine candelarum, & ſimilia*, ſi fiant in memoriam alicujus myſterii, v.g. novem menſium, quibus Chriſtus fuit in utero, vel quinque vulnerum, &c. Eſſet tamen ſuperſtitioſum, credere eas preces non prodeſſe in majore, vel minore numero. 5. *Multi excuſant etiam eos, qui ſanant morſos a rabido cane, quod putent illos ad hoc habere gratiam gratis datam:* & ſic tenent Navar. *in man. c.* 11. V. Sanch. Laym. Bon. *ll. cc.*

3. Non eſt illicitum uti virtute rei naturalis, quæ per ſuperſtitionem cognita eſt, modo ejus obſervatio, aut operatio non pendeat ab ope dæmonis. Ratio eſt, quia licet illa cognitio male parta ſit, peccatum tamen tranſiit, neque virtus naturalis ex eo quicquam mali contraxit. Vid. Sanch. 2. *mor. c.* 38. Bon. *q.* 5. *p.* 4. Laym. *l.* 4. *t.* 10. *c.* 4.

D U B I U M V.

Quid ſit maleficium, & quomodo poſſit tolli?

Reſp. 1. Maleficium eſt vis nocendi aliis, ex pacto, & cooperatione dæmonis. Differt a Magia, quod hæc intendat facere mira; illud autem dirigatur ad nocendum. Tol. *l.* 4. *c.* 10. Fill. *t.* 24. *c.* 8. *q.* 1.

Reſp. 2. Maleficium aliud dicitur Amatorium, ſeu philtrum, cujus uſus eſt ad carnalem amorem, vel odium excitandum, dæmone hominis phantaſiam commovente, nihil tamen agente in voluntatem. Unde patet, ſi maleficio ſic infecti labantur, eos vere peccare, quia libertas non aufertur. Aliud dicitur Veneficium, quo alicui perſonæ, vel ejus bonis damnum infertur. Fill. *l. c. n.* 183. Azor. 1. *t. l.* 8. *c.* 26.

Reſp. 3. Contra maleficia uti licet. 1. Remediis petitis ex medicina. 2. Exorciſmis, & Sacramentis Eccleſiæ, peregrinationibus, invocationibus Sanctorum, &c. 3. Deſtructione ſignorum, per quæ dæmon nocet, abſque tamen alio maleficio. Navar. & communiter alii.

ANIMAD. VIII. 4. *Si maleficus licito modo poteſt maleficium tollere, licet eum ad id arceſſere, rogare, imo etiam pecunia inducere, vel verberibus, aut tormentis cogere* (non tamen interficere, ſi nolit) Lugo, Dian. *p.* 8. *t.* 7. *R.* 53. *idque, etiamſi conſtet, eum id facturum per novum maleficium, ſicuti ex cauſa licet ab uſurario petere mutuum ad uſuram. Ratio eſt, quia cum habeam jus petendi quod ab illo recte præſtari poteſt, & eſt indifferens, imputabitur illius malitiæ, ſi id male faciat.* V. Sanch. *l.* 7. *de matr. d.* 94. *n.* 11. Fill. *n.* 192. Leſſ. *l.* 2. *c.* 54. *d.* 6. contra Delrium. 5. Licet etiam contrarium ſignum poſitivum apponere, ſi ſit tamen honeſtum: v. g. ſi dæmon eſſet pactus cum malefico, ſe tandiu nociturum, quandiu maleficiatus ſe cruce non ſignaret, aut lavaret corpus (nam plerumque fit cum tali aliqua conditione, v. g. ut tandiu duret, quandiu manet aliqua ligatura, aut res aliqua certo loco defoſſa) licebit illi ſe ſignare, lavare, &c. Suar. Leſſ. *l.* 2. *c.* 44. *n.* 45. Ratio eſt, quia non eſt intentio poſitiva recuperandi ſanitatem eo medio, ſed tantum tollendi ſignum, & diſſolvendi pactum cum dæmone. Unde ulterius patet, licere repercutere ſagam, quæ te tetigit; ea enim repercuſſa ſolet noxa ceſſare, ut habet Leſſ. *l. c.* & Sanch. *lib.* 7. *de matr. d.* 95. & 96. 6. Si maleficus non poteſt tollere maleficium, niſi per novum, non licet eum ad id inducere, quia id eſſet inducere ad peccatum, & actui intrinſece malo cooperari. Suar. Sanch. Leſſ. &c. *ll. cc.* Si dubitetur, an poſſit ſine maleficio novo tollere, non licet ab eo petere, ut habet Laym. *l.* 4. *tr.* 10. *c.* 4. *n.* 9. Sanchez, & Suarez, quia eſt periculum peccandi. Facilius autem præſumi poteſt, eum, qui ſigna poſuit, poſſe ea ſine novo maleficio deſtruere, quam eum, qui non poſuit. Unde, ſi hic ſuam operam offerat, prius erit examinandus de modo ſolvendi. V. Laym. *hic*, Bon. *d.* 3. *q.* 5. *p.* 5.

Quæres: Quomodo Confeſſario agendum cum Divinatoribus, Magis? &c.

Reſp. 1. Examinandi ſunt, præterquam de variis ſuperſtitionibus. 1. Quo fine tali ſuperſtitioni ſe addixerint, v. g. an ratione vehementis paſſionis, triſtitiæ, vindictæ, avaritiæ, aut ſanctitatis nomen conciliandi, quæ eſſet ſacrilega hypocriſis. 2. De apoſtaſia, idololatria, & hæreſi: abnegant enim Chriſtum, & Deum: renunciant Sacramentis: habent dæmonem pro Deo, vel Sancto; nec damnatum putant, aut miſerum, & conſequenter illius aſſeclas non eſſe damnandos. 3. De blaſphemiis in Deum, & Sanctos, de ſacrilegiis; abutuntur enim rebus ſacris, ut aqua benedicta, Euchariſtia, &c. 4. De luxuria, & commixtione cum dæmone. 5. De damnis proximo illatis. Suar. Sanch. Fill. Bon. *l. c.*

Reſp. 2. Monendi ſunt, eos teneri 1. Pactum expreſſum, ſi quod habent cum dæmone, aut commercium abjurare, & diſſolvere. 2. Libros ſuos, ſchedas, ligaturas, aliaque inſtrumenta artis comburere. 3. Comburere chirographum, ſi habent: ſi vero ſolus dæmon id habeat, (*k*) *non neceſſario cogendus eſt, ut reddat*: quia pactum ſufficienter diſſolvitur per pœnitentiam. 4. Damna illata reſarcire, ad quod proinde etiam tenetur Fiſcus (ubi veneficorum bona confiſcantur) uti & heredes, ſi ad eos bona deveniant. Laym. *l. c.* Suar. *t.* 1. *de rel. l.* 2. *c.* 17. Sanch. *l. c. c.* 40. Fill. &c.

Reſp. 3. A Parochis moneri, & a Confeſſariis examinari circa hoc præceptum potiſſimum debent 1. Opiliones, qui variis dediti eſſe ſolent obſervationibus, ut gregem ſuum a lupis, vel ſcabie, vel aliis incommodis tueantur. 3. Fabri ferrarii, qui circa equos ſanandos utuntur verbis vel ex pſalmis, vel ex oratione dominica deſumptis. 2. Ruſtici, qui ad ſananda pecora inanibus, & ſuperſtitioſis obſervationibus utuntur, vel recurrunt ad peritos talium artium. 4. Vetulæ, quæ circa mulieres laborantes in partu, vel ex matrice vanas, & ſuperſtitioſas adhibent orationes. 5. Milites, qui deferunt ſecum ſacra nomina, vel orationes ad certitudinem, quod in bello, vel duello non ſint vulnerandi, nunquam aqua, igne, vel ſubita morte perituri.

N o t æ.

(a) Primum Decalogi præceptum partim eſſe affirmativum, partim negativum, rectiſſime ait Buſ.. Quamvis enim Ex. 24. verbis negativis conceptum ſit, *non habebis Deos alienos coram me, non facies tibi ſculptile* &c.; tamen *eam habet*, inquit Cat. Rom. p. 3. de 1. Dec. præc. n. 3., *ſententiam conjunctam: me verum*

Deum coles, alienis diis cultum non adhibebis. Hinc Chriſtus Matt. 4. v. 10. hoc præceptum affirmando exponit, dum ait: *Scriptum eſt enim: Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies*. Hoc autem ſcriptum eſt Deut. 6. v. 13. *Dominum Deum tuum timebis, & illi ſoli ſervies*.

At hic quæritur, utrum materia hujus præcepti ſint actus tantum Religionis, ut Buſ. affirmat, an etiam Theologicarum virtutum.

Nam Cat. loco cit. n. 4. ait. *In priori autem* (parte præcepti, quæ eſt affirmativa) *continetur præceptum fidei, ſpei, & caritatis*; & Nat. Alex. Theol. t. 2. p. 432. a. 5. §. 1. fide, ſpe, & caritate Deum coli, multis D. Auguſtini teſtimoniis confirmat. Hæc quæſtio quoad mores parum, aut nihil momenti habet, & paucis D. Th. verbis 2. 2. q. 122. a. 1. ad 4. ſolvitur, dicendo, quod *præcepta Decalogi pertinent ad caritatem, ſicut ad finem ſecundum illud 1. ad Tim. 1. finis præcepti* eſt caritas; *ſed ad juſtitiam pertinent, inquantum ſunt immediate de actibus juſtitiæ*: non ergo immediate de actibus fidei, ſpei &c.

At cur Buſ. quoad actus Religionis ad Scholaſticos nos mittit; quaſi affirmativa hujus præcepti pars ad mores non pertineret, & a morali Theologo tractanda non eſſet? Hic ſcilicet baſilice fallitur.

Actus religionis, ut ipſe innuit, partim interni ſunt, partim externi, & omnes ſimul undecim numero ſunt ex D. Th. 2. 2. q. 82. 83., & ex communi Theologorum ſenſu; hoc eſt devotio, oratio, adoratio, ſacrificium, oblatio, primitiæ, decimæ, votum, juramentum, adjuratio, & divini nominis in laudem aſſumptio. Quoniam vero de ſacrificio, voto, juramento, aliis locis in hoc opere ſermo eſt, reliquos actus hic paucis perſtringere neceſſarium puto.

Quid eſt devotio?

Ex D. Th. 2. 2. q. 82. a. 1. *Reſpondeo dicendum, quod devotio dicitur a devovendo. Unde devoti dicuntur, qui ſeipſos quodammodo Deo devovent, ut ei ſe totaliter ſubdant .... unde devotio nihil aliud eſſe videtur, quam voluntas quædam prompte tradendi ſe ad ea, quæ pertinent ad Dei famulatum*. At nonne, inquis, hoc magis ad caritatem, quam ad Religionem pertinet? Reſp. *Ad caritatem pertinet immediate, quod homo tradat ſeipſum Deo adhærendo ei per quamdam ſpiritus unionem. Sed quod homo tradat ſeipſum Deo ad aliqua opera divini cultus, hoc immediate pertinet ad Religionem, mediate autem ad caritatem, quæ eſt Religionis principium*. Ita S. Th. a. 2. ad 1.

Porro *cauſa devotionis extrinſeca, & principalis Deus eſt*; quia, ut ait Jacobus cap. 1. v. 17. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens a Patre luminum*.

Cauſa vero intrinſeca ex parte noſtra oportet, quod ſit meditatio, ſeu contemplatio, & hæc duplex; *una quidem ex parte divinæ bonitatis, & beneficiorum ipſius ſecundum illud Pſ. 72.* Mihi adhærere Deo bonum eſt, & ponere in Domino Deo ſpem meam, *& hæc conſideratio excitat dilectionem, quæ eſt proxima devotionis cauſa. Alia vero eſt ex parte hominis conſiderantis ſuos defectus, ex quibus indiget, ut Deo innitatur ſecundum illud Pſ. 120.* Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi. Auxilium meum a Domino, qui fecit cœlum & terram. *Et hæc conſideratio excludit præſumptionem, per quam aliquis impeditur, ne Deo ſe ſubjiciat, dum ſuæ virtuti innititur*. D. Th. a. 3.

Quod ſi quæras, utrum devotio ſit neceſſaria, & præcepta, reſpondeo ex iis, quæ ad divinum cultum pertinent, alia ſub præceptum cadere, alia ſub conſilium. Voluntas faciendi prima eſt neceſſaria, & præcepta, non item faciendi altera.

Quid eſt oratio?

Reſp. D. Th. q. 83. a. 1. loquendo *de oratione, prout ſignificat quamdam deprecationem, vel petitionem* ex D. Dam. l. eam ita definit: *Oratio eſt petitio decentium a Deo*. Dicitur *decentium a Deo*; *quia*, ut ait D. Th. a. 4., *Omnes orationes noſtræ ordinari debent ad gratiam, & gloriam conſequendam; quæ ſolus Deus dat ſecundum illud Pſalm. 83.* Gratiam, & gloriam dabit Dominus. At numquid, inquis, Sancti orandi non ſunt? Reſp. qui ita ſentiret, eum impie ſentire, ſacra Trid. Syn. ſeſſ. 25. de invocat. Sanct. definit. At ſancti Angeli, & homines pie orantur, *ut eorum precibus, & meritis orationes noſtræ ſortiantur effectum*, ut loquitur D. Th. eodem a. 4.; & Eccleſiæ conſuetudo confirmat in LITANIIS, ET ORATIONIBUS PRO MISSA, Officio &c.

At ſi orationes noſtræ ad gratiam, & gloriam ordinari debent, numquid temporaria bona a Deo peti nequeunt? Reſp. Peti omnino poſſunt, & debent, ut docet D. Th. a. 6., & Eccleſiæ uſus confirmat; at neceſſaria ſolum petenda ſunt juxta illud Prov. 30. *Tribue tantum victui meo neceſſaria*; & petenda ſunt, ut ait D. Th. a. 6., *Non quidem principaliter, ut in eis finem conſtituamus, ſed ſicut quædam adminicula, quibus adjuvamur ad tendendum in beatitudinem*; quo ſenſu accipiendum eſt illud Matth. 6. *Primum quærite Regnum Dei, & juſtitiam ejus, & hæc omnia* (ſcilicet temporalia) *adjicientur vobis*, ut habet D. Th. a. cit. ad 3.

Quotuplex eſt oratio?

Reſp. ex D. Th. a. 12. q. cit. 83. duplex eſt, hoc eſt *communis*, quæ ab aliis dicitur publica, & *ſingularis*, quæ ab aliis dicitur privata. *Communis quidem oratio eſt, quæ per miniſtros Eccleſiæ in perſona totius fidelis Populi Deo offertur; & ideo oportet, quod talis oratio innoteſcat toti Populo, pro quo profertur; quod non poſſet fieri, niſi eſſet vocalis ... oratio vero ſingularis eſt, quæ offertur a ſingulari perſona cujuſcumque ſive pro ſe, ſive pro aliis orantis; & de hujuſmodi orationis neceſſitate non eſt, quod ſit vocalis*.

Oratio eſt ne adultis ad ſalutem neceſſaria?

Reſp. Deus quidem poſſet ſalutem hominibus conferre etiam non oratis; at ex ſuaviſſimo ejus ordine voluit, orationem nobis eſſe neceſſariam; quæ eſt communis Theologorum ſententia, D. Auguſtini auctoritate fulta, qui enarr. in Pſ. 102. n. 10. ait: *Deus autem dare vult, ſed non dat, niſi petenti, ne det non capienti*; & de dono perſeverantiæ cap. 16 (t. 10. col. 842. n. 39.) inquit. *Immo cum conſtet, alia Deum danda etiam non orantibus, ſicut initium fidei, alia nonniſi orantibus præparaſſe, ſicut uſque in finem perſeverantiam* &c. Hanc neceſſitatem inculcat ſacra Scriptura Lucæ 18. v. 1. *Oportet ſemper orare, & non deficere*. Matth. 26. v. 41. *Vigilate, & orate, ut non intretis in tentationem*. Jacobi 1. v. 5. *Si quis autem veſtrum indiget ſapientia, poſtulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei*. Hinc D. Aug. de bono viduitatis cap. 17. (t. 6. p. 381.) *jubet autem nobis, ut & ſapientes, & continentes ſimus, ſine quibus bonis juſti, perfectique eſſe non poſſumus. Sed oremus, ut det, quod jubet, adjuvando, & inſpirando, qui commonuit, quid velle debeamus præcipiendo, & vocando: quia quod hinc dedit, ut conſervet, oremus: quod autem nondum dedit, ut ſuppleat, oremus*.

Ex hac orandi neceſſitate orationis præceptum exiſtit, Scripturæ verbis mox citatis conceptum; item Luc. 21. 36. *Vigilate, omni tempore orantes*: 1. Theſſ. 17. *Sine intermiſſione orate*: ad Tim. 1. 2. v. 8. *Volo ergo Viros orare in omni loco* &c. Hinc D. Th. 2. 2. q. 83. a. 3. ad 2. ait, quod *petere cadit ſub præcepto religionis; quod quidem præceptum ponitur Matth. 7., ubi dicitur*: Petite & accipietis.

De his, hoc eſt de orationis neceſſitate, & præcepto nulla jure controverſia eſſe poteſt. Nam ſophiſticæ lites, quæ audiendæ non ſunt, quacunque in re excitari poſſunt.

Illud quæri poteſt, utrum orationis lex hujuſmodi ſit, ut oratio continua, & non interrupta eſſe debeat. Nam oracula ſupra deſcripta, *oportet ſemper orare; ſine intermiſſione orate* &c. hanc aſſiduitatem, & perſeverantiam imponere videntur.

Reſp. D. Th. 2. 2. q. 83. a. 14. ad 4. ait, *quod aliquis continue orat vel propter continuitatem deſiderii*, (*quod quidem*, ut habet in c., *debet eſſe continuum vel actu, vel virtute. Manet enim virtus hujus deſiderii in omnibus, quæ ex charitate facimus. omnia autem debemus in gloriam Dei facere*) *vel quia non intermittit, quin temporibus ſtatutis oret, vel propter effectum, ſive in ipſo orante, qui etiam poſt orationem remanet magis devotus, ſive etiam in alio, puta cum aliquis ſuis beneficiis provocat alium, ut pro ſe oret, etiam quando ipſe ab orando ceſſat, & quieſcit*.

Iis, quæ dixiſti, non repugno, ais; ſed quæro, quandonam determinate, & quam frequenter orationis præceptum obliget?

Reſp. Hoc opus, hic labor eſt. Quod tamen de Theologicarum virtutum actibus diximus, ac præſertim de ſpe, cujus fundamentum eſt fides, huc transferendum eſſe puto. Nam oratio, ſpei interpres, & comes eſt; & quoties ſpes edenda eſt, oratio quoque adjungenda videtur, ne ſpes ſine oratione præſumptio ſit inanis. Hac de re conſule, ſi lubet, Concinam Th. t. 2. p. 317. n. 7. & ſeq.. Mihi, qui paucis rem tranſigere volo, nec tamen neceſſaria omittere, ſatis videtur, ſi univerſe loquendo, & omiſſis Eccleſiæ miniſtris, cum D. Th. in 4. diſt. 15. q. 4. a. 1. q. 3. (apud eumdem Concinam p. 321.) dixero. *Sed omnibus etiam, qui Eccleſiæ miniſterio non funguntur, videtur ab Eccleſia determinatum tempus orandi ſtatutum eſſe, cum ex Canonum ſtatuta teneantur diebus feſtis, divinis officiis intereſſe, ut miniſtris pro Populo orantibus ſuam intentionem conforment*.

An hoc tibi durum videtur? Mihi vero faciliſſimum, & non ſolum feſtis, ſed ſæpius obeundum. Quid enim faci-

facilius, quam crebrius in die ex animo dicere? *Adjuva me Domine Deus meus. Domine ne diſcedas a me: miſerere mei Deus: converte nos Domine ad te*, & ſimilia, de quibus S. Auguſtinus ad Probam (apud D. Th. 2. 2. q. 83. a. 14.) ait: *Dicuntur fratres in Ægypto crebras quidem habere orationes, ſed eas tamen breviſſimas, & raptim quodammodo jaculatas* &c.

Præſertim cum oratio non ſolum ſit neceſſaria, & præcepta, ſed etiam meritoria, ſi orantis gratia, & caritate informata ſit, ut habet D. Th. a. 15. q. cit., & ad impetrandum ſine dubio efficaciſſima juxta illud Joann. 16. v. 24. *Petite, & accipietis*, & Luc. 11. *Omnis, qui petit, accipit*. Hinc D. Auguſtinus apud D. Th. a. mox cit. *Non nos hortaretur, ut peteremus, niſi dare vellet*; & D. Th. ad 2. a. cit. *Et ideo ponuntur quatuor conditiones, quibus concurrentibus ſemper aliquis impetrat quod petit; ut ſcilicet pro ſe petat, neceſſaria ad ſalutem, pie, (ſi petat a Deo complementum alicujus peccati, eſt non pie orare*, idem D. Th. ibidem) *& perſeveranter*. Si hæc adſint, *indubitanter accipit quod petit, ſed quando debet accipere*. Quædam enim non negantur, ſed ut congruo dentur tempore, differuntur, *ut Auguſt. dicit ſuper Joann.* Ita D. Th. ibidem.

Non ſemel, inquit, audivi Concionatores clamantes, peccatores a Deo non exaudiri; qui illud Joann. 9. *Scimus, quia peccatores Deus non audit*, & illud Prov. 28. *Qui declinat aures ſuas, ne audiat Legem, oratio ejus erit execrabilis*, in medium afferre ſolent; quid ad hæc?

R. S. Th. quatuor conditiones ſupra deſcriptas poſtulat, quibus, ut ipſe ait, *concurrentibus ſemper aliquis impetrat quod petit*. Inter has porro conditiones illa non recenſetur, ut qui petit, juſtus ſit: ergo Concionatores, quos innuis, contra S. Doctorem ſentiunt; imo S. Doct. hanc ſuam mentem art. 16. explicatius promit, ubi ita loquitur. *Sed contra eſt, quod Auguſt. dicit ſuper Joann.* Si peccatores non exaudiret Deus, fruſtra Publicanus dixiſſet: Domine propitius eſto mihi peccatori; & *Chryſoſt. dixit ſuper Matth.* omnis qui petit, accipit; idest ſive juſtus ſit, ſive peccator.

Reſpondeo dicendum (eſt doctrina angelica, ab omnibus ſubmiſſe audienda) *quod in peccatore duo ſunt conſideranda, ſcilicet natura, quam diligit Deus, & culpa, quam odit. Si ergo peccator orando aliquid petit, inquantum peccator, ideſt ſecundum deſiderium peccati, in hoc a Deo non exauditur ex miſericordia*, (en interpretatio legitima textuum, quos male Concionatores nonnulli intelligunt) *ſed quandoque auditur ad vindictam, dum Deus permittit peccatorem adhuc amplius ruere in peccata. Deus enim* quædam negat propitius, quæ concedit iratus, ut Auguſt. dicit.

Orationem vero peccatoris ex bono naturæ deſiderio procedentem Deus audit, non quaſi ex juſtitia, quia peccator hoc non meretur, ſed ex pura miſericordia, obſervatis tamen quatuor præmiſſis conditionibus &c. An Peccatores, illud orare non poſſunt, *Converte nos, Domine, ad te, & convertemur*? an in ſalutatione Angelica illud omittere debent, *ora pro nobis peccatoribus*? an ab oratione abſtinere omnino debent? nam ſi nullam vim habent, cur eam adhibere debent? Nolo hic plura dicere: illud unum ſidenter, & vere dico, eos, quicumque ſint, peſſime dicere, qui peccatores in deſperationem conjiciunt, eos orantes a Deo non audiri affirmare imperite audentes. Convertant ſe, inquiet aliquis, prius ad Deum. Qui ita loquitur, imperitiſſime, & Pelagiane loquitur, quaſi peccator ſine implorato DEI AUXILIO AD DEUM ſe convertere ſuis viribus poſſit.

Explica melius, ais, cur oratio pro aliis ad Deum fuſa, non ſemper, nec certo impetratoria ſit. Nam hæc doctrina nos languidiores facit ad orandum pro aliis.

Reſp. Sicuti ex caritatis officio proximo bona cupere debemus, ita quoque pro eo orandum omnino eſt juxta illud Jacobi 5. *Orate pro invicem, ut ſalvemini*. Hinc ex D. Cypriano in oratione Dominica, *ideo non dicimus* Pater meus, *ſed noſter*, nec da mihi, *ſed* da nobis, *quia unitatis Magiſter noluit privatim precem fieri, ut ſcilicet quis pro ſe tantum precetur: unum enim orare pro omnibus voluit; quoniam in uno omnes ipſe portavit*. Ita ex D. Th. art. 7. c. & ad 1.; ex quo ad 2. *contingit quandoque, quod oratio pro alio facta non impetrat, etiam fiat pie, & perſeveranter, & de pertinentibus ad ſalutem propter impedimentum, quod eſt ex parte ejus, pro quo oratur ſecundum illud Hier. 15.* Si ſteterint Moyſes, & Samuel coram me, non eſt anima mea ad Populum iſtum; & ad 3. ait, *quod etiam pro peccatoribus orandum eſt, ut convertantur, & pro juſtis, ut perſeverent, & proficiant. Orantes tamen, non pro omnibus peccatoribus exaudiuntur, ſed pro quibuſdam. Exaudiuntur enim pro prædeſtinatis, non autem pro præſcriptis ad mortem.*

Dicito aliquid de oratione Dominica a Chriſto inſtituta, & præcepta, quæ proinde omnium optima eſt, & præſtantiſſima.

Reſp. de hac D. Auguſt. ad Probam (apud D. Th. art. 9.) ait. *Si recte, & congruenter oramus, nihil aliud dicere poſſumus, quam quod in iſta oratione Dominica poſitum eſt. In oratione dominica*, ait D. Th., *non ſolum petuntur omnia, quæ recte deſiderare poſſumus, ſed etiam eo ordine, quo deſideranda ſunt*; & quia Deus maxime omnium rerum, noſtrique ipſorum amandus eſt, idcirco in hac oratione primum omnium petitur, *ſanctificetur nomen tuum, per quam petitionem*, ait D. Th., *petimus gloriam Dei. Secunda vero ponitur*, adveniat Regnum tuum; *per quam petimus ad gloriam Regni ejus pervenire*. 3. dicitur, *fiat voluntas tua*. Nam Dei gratia, & auxilium nobis prorſus neceſſarium eſt, ut ejus voluntatem, ſeu præcepta facientes, ad Regnum Dei, ſeu beatitatem in cælis perveniamus. *Maledictus* enim *omnis*, (Jer. 17. 5.) *qui ſpem ponit in homine*; „ ac per hoc & in ſe ipſo qui ſpem ponit, hu„ jus maledicti vinculo innectitur. Ideo nonniſi a Do„ mino Deo petere debemus quidquid ſperamus nos vel „ bene operaturos, vel pro bonis operibus adepturos. ita S. Aug. in Enchiridion cap. 114. (tit. 6. col. 039. n. 30.)

At hic quæſo, cum oramus, *ſanctificetur nomen tuum*, putas ne, hanc petitionem eo ſolum ſpectare, ut Deus hic in terris cognoſcatur, ametur, laudetur? Cum dicimus, *adveniat Regnum tuum*, credis ne, nos ſolam noſtram futuram in cœlis beatitatem petere; cum petimus, *fiat voluntas tua*, an quæ in terris fiunt, tantum petimus?

Reſp. Dei nomen non ſolum in terris, ſed multo magis in cœlis ſanctificatur. Deus non ſolum in cœlis regnat, ſed hic quoque, tum præcipue, cum ſua omnipotenti, & miſericordi gratia noſtram voluntatem, noſque ipſos totos ſuæ regiæ divinæ voluntati prorſus ſubdit. Ejus porro ſanctiſſima voluntas in terris ſemper imperfecte, in cælis perfectiſſime impletur. Hinc D. Aug. cap. 115. Ench. „ nam quod dicimus, *ſan„ ctificetur nomen tuum, adveniat Regnum tuum, fiat voluntas tua ſicut in cælo & in terra* („ quod non ab„ ſurde quidam intellexerunt in Spiritu, & corpore,) „ omnino ſine fine retinenda ſunt; & hic inchoata, „ quantumcumque proficimus, augentur in nobis; per„ fecta vero, quod in alia vita ſperandum eſt, ſemper „ poſſidebuntur." Reliquas vero petitiones, *panem noſtrum &c. quis non videat*, ait D. Aug. ibidem, ad *præſentis vitæ indigentiam pertinere*?

At nonne tunc maxime Dei voluntas fit, cum ſeu in terris, ſeu multo magis in cœlis ejus nomen ſanctificatur, & ipſe in nobis regnat? Reſp. maxime. Cur ergo, inquis, additur illa tertia petitio *fiat voluntas tua* &c.? Reſp. S. Lucas cap. 11. v. 2. hanc tertiam petitionem omiſit; quia, ut ait S. Aug. cap. 116. Ench.; *oſtendens Lucas, tertiam petitionem, duarum ſuperiorum eſſe quodammodo repetitionem, magis eam prætermittendo facit intelligi*.

Reliquæ petitiones haud ægre intelliguntur; at illud *panem noſtrum* &c. indicat ne tantum victus neceſſitatem, ſeu ſufficientiam?

Reſp. Intelligi etiam poteſt *de pane Sacramentali, cujus quotidianus uſus proficit homini, in quo etiam intelliguntur omnia alia Sacramenta*, ut habet D. Th. 2. 2. q. 83. art. 9. Hinc D. Aug. cap. 115. Ench. cit. ait: *panis vero quotidianus ideo dictus eſt, quia hic eſt neceſſarius, quantus animæ, carnique tribuendus eſt, ſive ſpiritualiter, ſive carnaliter, ſive utroque intelligatur modo*.

Additur *dimitte nobis*, &c., ut peccatores intelligant, hanc orationem ſibi eſſe adhibendam, & valde ſperandum, ut ſuorum veniam peccatorum hujus ſanctæ precationis ope conſequantur; quidquid nonnulli contra dicant, aut clament. Ne quis vero muſſitet, de peccatis tantum quotidianis, ſeu venialibus hic ſermonem eſſe, D. Th. art. 9. cit. ait: *tria autem ſunt, quæ nos a beatitudine prohibent. Primo quidem peccatum, quod directe excludit a Regno, ſecundum illud 1. ad Cor. 6.* neque fornicarii, neque idolis ſervientes &c. Regnum Dei poſſidebunt; *& ad hoc pertinet quod dicitur, dimitte nobis debita noſtra*. Quando vero oramus, & ne nos inducas in tentationem; *non petimus*, ut ait S. Th., *ut non tentemur*, (quia ſcriptum eſt, *beatus vir, qui ſuffert tentationem*) *ſed ut a tentatione non vincamur; quod eſt in tentationem induci*.

At cur, inquis, S. Lucas, loco cit. illud *ſed libera nos a malo*, non poſuit?

Reſp. *ut intelligeremus*, inquit D. Aug. cap. 116. Ench., *ad illud ſuperius, quod de tentatione dictum eſt, pertinere, ideo quippe ait*; Sed libera; *non ait* & libera, *tanquam unam petitionem eſſe demon-*

ſtrans ; (noli hoc , ſed hoc) ut ſciat unuſquiſque in eo ſe liberari a malo , quod non infertur in tentationem.

Nihil ne de prooemiolo, *Pater noſter , qui es in cœlis* dicendum? Videtur enim , inquis , artificium quoddam eſſe ad Dei benevolentiam captandam . Reſp. An Deo fucum facere artificiis poſſumus. An Deus artificia, & non puram cordis ſinceritatem a nobis poſtulat? Dicito, quo illa pauca verba ſpectent.

Reſp. Cum D. Th. art. 9. cit. ad 5. dico, quod *oratio non porrigitur Deo , ut ipſum flectamus* , (quia ejus decreta ſunt immobilia) *ſed ut in nobis ipſis fiduciam excitemus poſtulandi ; quæ quidem præcipue excitatur in nobis , conſiderando ejus charitatem ad nos , qua bonum noſtrum vult & ideo dicimus :* Pater noſter ; *& ejus excellentiam , qua poteſt , & ideſt dicimus* , qui es in cœlis. Hactenus paucis de oratione , prout eſt precatio, ſeu petitio , & prout a D. Damaſceno definita fuit . Nam oratio latiori ſenſu , & ut ait D. Th. art. 17. ad 2., *communiter ſumpta* , ſuas habet partes , ſeu ſpecies, quas enumerat Ap. 1. ad Tim. 2. , ubi ait . *Obſecro , primum omnium fieri obſecrationes , orationes , poſtulationes , gratiarum actiones pro omnibus hominibus* , quæ hoc ordine a D. Th. art. 17. proponuntur . Prima eſt oratio , hoc eſt *aſcenſus intellectus ad Deum* , quia qui Deum orat, neceſſe eſt , ut ad ipſum mente accedat: Altera eſt poſtulatio, ſeu petitio , qua vel aliquid determinate petitur , ut *panem noſtrum quotidianum da nobis hodie* , quam *quidam nominant proprie poſtulationem* , vel *indeterminate ; ut cum quis petit juvari a Deo, quod nominant ſupplicationem* . Quod ſi ſolum factum narretur, ut Joann. 11. *Ecce quem amas , infirmatur*, vocatur inſinuatio.

3. Eſt obſecratio , *quæ eſt per ſacra conteſtatio ; ſicut cum dicimus* per nativitatem tuam libera nos Domine.

4. Eſt gratiarum actio ; *quia de acceptis beneficiis gratias agentes , meremur accipere potiora , ut in collecta dicitur* . Ita D. Th. art. 17. cit. corp. Subdit S. Doct. in *pluribus etiam Eccleſiæ collectis hæc quatuor attendi poſſunt ; ſicut in collecta Trinitatis , quod dicitur* , omnipotens ſempiterne Deus , *pertinet ad orationis aſcenſum in Deum : quod dicitur* , qui dediſti famulis tuis &c. *pertinet ad gratiarum actionem : quod dicitur*, præſta quæſumus &c. *pertinet ad poſtulationem : quod in fine ponitur*, per Dominum noſtrum &c. *pertinet ad obſecrationem*.

Pro coronide hujus rei ex Natali Alex. Th. t. 2. p. 679. cap. 1. n. 2. hæc ſubjicere placet.

„ Duplex eſt oratio , interior una , ſive mentalis,
„ exterior altera , ſive vocalis , quo ſpectat illud Pſ.
„ 38. *& in meditatione mea exardeſcet ignis* . Hæc
„ neque in ſuſpenſione omnis actus , neque in ſola
„ receptione , aut ſtatu quodam paſſivo , neque in
„ ſpeculatione ſola, nec in ſolo amore ; ſed in acti-
„ bus intellectus , & voluntatis , ad Dei cultum , &
„ honorem relatis , meditatione ſcilicet , ſive conſide-
„ ratione rerum divinarum, & nihili noſtri, atque in-
„ digentiæ, & Dei amore , rerumque æternarum deſide-
„ rio, aliiſque piis affectibus poſita eſt.

„ Supremus illius orationis gradus eſt contemplatio,
„ qua anima ſupra ſe evecta , abſque inquiſitione ra-
„ tionis , varioque diſcurſu , Deum , reſque divinas
„ contemplatur , in eiſque defixa penitus mentis acie ,
„ ardenti amore, Deo conjungitur, quæ a D.Aug. ſib.12.
contra Fauſtum cap. 42. dicitur *Sancta quædam ebrietas alienatæ mentis ab ſufra labentibus temporalibus , æternam lucem ſapientiæ contuentis*.

„ Ad hunc orationis gradum non perveniunt, niſi
„ purgatæ animæ, quæ diuturna pœnitentia, & mor-
„ tificatione perturbationes & pravas cupiditates na-
„ turæ corruptæ ſubegerunt , propriæque voluntatis
„ ſtudiis , & affectibus ſeſe exuerunt." Quod prolixa D Aug. auctoritate lib. 22. contra Fauſtum cap. 52. illuſtrat , & confirmat. Sed hac de re myſticæ Theologiæ tractatores , ac præſertim S. Thereſia conſulenda eſt.

De vocali oratione infra , cum de horis canonicis ſermo erit.

Quid eſt adoratio?

Reſp. Adorationis nomen , inquit Nat. Alex. Th. t. 2. p. 433. cap. 3. §. 5. cujus fere verbis hic lubens utor , varias habet ſignificationes . „ Significat
„ interdum venerationem quamcumque exhibitam al-
„ teri in teſtimonium excellentiæ ipſius; & ſi quidem
„ humana , ſeu civilis excellentia dumtaxat ſpectetur,
„ adoratio , quæ propter ipſam dicitur exhiberi , non
„ eſt actus Religionis, ſed cultus tantum civilis, qui ,
„ ut ait Concina Th. tit. 3. p. 3. n. 4., *obſervantia*
„ nuncupari ſolet : ſic Abraham adoraſſe Filios Neth
„ tanquam Dominos terræ , in qua verſabatur , &
„ Betſabee adoraſſe Davidem , Scriptura ſacra comme-
„ morat Gen. 23., & 3 Reg. 1. Si autem ſpiritualia
„ (ſeu , ſi vis , ſupernaturalis) excellentia conſidere-
„ tur , adoratio , quæ propter illam dicitur exhiberi,
„ eſt cultus ſpiritualis , & ad Religionem pertinens.
„ Qui quidem cultus , ſi Sanctis Angelis , vel Beatis
„ hominibus cum Chriſto regnantibus impendatur, *Du-*
„ *lia* dicitur eccleſiaſtico loquendi more ; Si Virgini
„ Deiparæ dicitur *Hyperdulia* ob ſingularem illius ſupra
„ cæteros Sanctos, & Angelos ipſos excellentiam , ex
„ dignitate Matris Dei , & gratiarum plenitudine tan-
„ tæ dignitati reſpondente æſtimandam; Si autem Deo
„ in recognitionem infinitæ illius excellentiæ , ſupre-
„ mique dominii , *Latria* dicitur .

Hæc doctrina apud Catholicos certiſſima eſt . Legatur Syn. Trid. ſeſſ. 25. de invocatione veneratione & Sanctorum. Nam de eminentia dignitatis , & ſanctitatis Virginis Deiparæ ſupra omnes longe Sanctos Angelos, & Homines nemo dubitat ; eamque Eccleſia in ejus Litaniis Angelorum, Patriarcharum , Apoſtolorum , Sanctorum omnium Reginam confitetur & prædicat.

De ejus immaculata Conceptione , quam ego ſine dubitatione profiteor , & veneror , Alex. VII. conſt. *Solicitudo omnium Eccleſiarum* (habetur apud Natalem Alex. Th. t. 2. p. 150.) ita loquitur. *Vetus eſt Chriſtifidelium erga ejus B. Matrem Virginem Mariam pietas , ſentientium ejus animam in primo inſtanti creationis , atque infuſionis in corpus fuiſſe ſpeciali Dei gratia , & privilegia , intuitu meritorum Jeſu Chriſti ejus Filii , humani generis Redemptoris , a macula peccati originalis præſervatam immunem , atque in hoc ſenſu Conceptionis feſtivitatem ſolemni ritu colentium & celebrantium ; crevitque horum numerus , atque hujuſmodi cultus poſt editas a felicis recordationis Sixto IV. P. Præd. noſtro in ejus commendationem Apoſtolicas conſtitutiones , quas Sacrum Conc. Tridentinum innovavit, atque obſervari mandavit . Aucta rurſus , & propagata fuit pietas hæc , & cultus erga Deiparam poſt erecta hoc nomine, approbantibus Romanis Pontificibus , Monaſteria Religioſorum Ordinum, & confraternitates , ac indulgentias , ita ut accedentibus quoque pleriſque celebrioribus Academiis ad hanc ſententiam, jam fere omnes Catholici eam complectantur.*

At inquies , nonne D. Th. p. 3. q. 27. art. 2. contrarium conceptis verbis ſenſit?

Reſp. Id negari non poteſt . At ſi rem conſideres, D. Th. in hanc ſententiam conceſſit , quia *ſi B. Virgo nunquam incurriſſet maculam originalis culpæ , non indiguiſſet redemptione , & ſalute , quæ eſt per Chriſtum* , quam ſequelam ſuſtulit Alex. VII. verbis mox citatis , *ſpeciali Dei gratia, & privilegio , intuitu meritorum Chriſti , humani generis Redemptores* . B. Virginis Deiparæ ſanctificatio non fuit, ut habet S. Th. ibidem . *emundatio a peccato originali* , ſed ejuſdem originalis peccati præſervatio ex *ſpeciali Dei gratia* , & *privilegio* &c. ut loquitur Alex. VII.

Si S. Th. poſterioribus temporibus , ac præſertim poſt Alex. VII. ſcripſiſſet , non dubito , quin ſententiam , quam pleræque celebriores Academiæ , ac fere omnes Catholici , ut loquitur Alex. VII. amplectuntur , ſua graviſſima auctoritate , & angelica doctrina confirmaturus fuiſſet. Demum qui contra ſentiunt , attente perpendant propoſitionem 73. Baji , quæ ita habet : *Nemo præter Chriſtum eſt abſque peccato originali . Hinc B. Virgo mortua eſt propter peccatum ex Adam contractum ; omneſque ejus afflictiones in hac vita , ſicut & aliorum juſtorum , fuerunt ultiones peccati actualis , & originalis* . Hæc damnata propoſitio tres habet partes, omnes damnata, quarum ſi aliqua non fuiſſet damnanda & damnatas , fuiſſet omiſſa . Et quo facile intelligitur , quid hinc colligendum ſit.

Porro cum omnes Sancti poſt Deiparam Virginem colendi ſint , tum præcipue Chriſto viciniores , ac Sanctiſſimi Joannes Baptiſta , & Joſeph B. Mariæ Sponſus , & Apoſtoli ; qua de re S. Th. 2. 2. q. 106. art. 4. ait . *Non eſt tamen expectandum , quod ſit aliquis ſtatus futurus , in quo perfectius gratia Spiritus Sancti habeatur , quam hactenus habita fuerit , & maxime ab Apoſtolis* , qui primitias Spiritus acceperunt ; (ad Rom. 8. v. 23.) *ideſt* & tempore prius , & cæteris abundantius , *ut Gloſ. dicit Rom.* 8.

Præceptum colendi , ſeu adorandi Deum , quatenus affirmativum eſt, per ſe ne obligat?

Reſp. Quidam verſatiles opinatores , ut Tamburinus, Fagundez , & alii , ut refert Concina Th. t. 3. p. 4. n. 6. q. 2. ex Leandri teſtimonio , negare auſi ſunt . Hæc laxa opinio . communi Theologorum ſententia , ut idem Conc. habet , rejicitur . Enim vero eo ipſo, quod hoc præceptum , ut vides , affirmativum eſt , & ab aliis diſtinctum , ex ſe vim habet obligandi , ſicut reliqua Decalogi præcepta. Quod dicitur de præceptis fidei , ſpei , & caritatis , idem de præcepto colendi Deum quoad obligationem per ſe dicendum eſt . At certum eſt , præcepta fidei, ſpei, & caritatis , per ſe, & vi ſua obligare ex prop. damnata ab Alex.VII. ergo cer-

certum quoque eſt præceptum colendi Deum per ſe, & ex vi ſua obligare.

Porro ea frequentia hoc præceptum obligat, quã lex Theologicarum virtutum. „ Eadem enim eſt, ait Conc. „ loco cit., utriuſque præcepti ratio. Ideo enim in „ lucem editi ſumus, ut Deum noſtrum fide, ſpe, ca- „ ritate, & religionis actibus colamus; ideoque vita „ noſtra moralis, & Chriſtiana his actionibus vivere „ debet. “

Idem habent Salmant. tom. 5. pag. 202. quod confirmatur ex paritate præcepti orationis.

Sicut autem Deus ſua immenſitate ubique præſens eſt, ita ubique colendus; at præſertim in templis in hunc finem ab Eccleſia inſtitutis.

Cui Latriæ cultus exhibendus eſt?

Reſp. Deo, Sanctiſſimæ Trinitati, quæ Deus eſt in tribus perſonis; ſingulis Sanctiſſimæ Trinitatis Perſonis; quia ſingulæ Deus ſunt; Chriſto, qui non ſolum homo, ſed Deus eſt; ac demum Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento; quod Sacra Synod. Trid. ſeſſ. 13. cap. 5. confirmat; & can. 6. anathema pronuntiat, *Si quis dixerit, in ſancto Euchariſtiæ Sacramento Chriſtum, unigenitum Dei Filium non eſſe cultu latriæ etiam externo adorandum &c.*

Chriſtus, ut homo, eſt ne latria adorandus?

Reſp. Chriſtus, ut homo, inquis, non eſt Deus: ergo non eſt latria adorandus. Reſp. antecedens falſum eſt. Non enim in Chriſto duo ſunt ſuppoſita, ſeu Perſonæ; quæ eſt hæreſis Neſtorii a Concilio Epheſino ſub Cæleſtino Papa damnata, cujus verba recitat Gonetus in Man. t. 5. p. 370. cap. 4. *unus enim eſt Dominus Jeſus Chriſtus, non diviſus, neque diſſectus*, ut ait eadem Syn. Epheſina. Quare dum dicitur, *Chriſtus ut homo*, idem eſt ac ſi dixeris, Chriſtus ut perſona aſſumptam habens humanitatem: Porro perſona quæ humanitatem aſſumpſit, eſt Dei verbum, quod latria adorandum eſt.

Neque enim, quia humanitatem aſſumpſit, deſiit eſſe Deus. *In eo, qui honoratur*, inquit S. Th. p. 3. q. 25. a. 1., *duo poſſumus conſiderare; ſcilicet eum, cui honor exhibetur, & cauſam honoris: proprie autem honor exhibetur toti rei ſubſiſtenti . . . cauſa autem honoris eſt id, ex quo ille, qui honoratur, habet aliquam excellentiam.* At tota res ſubſiſtens in Chriſto, eſt ipſe Chriſtus, hoc eſt Deus factus homo, qui latria colendus eſt.

In Trinitate ſunt tres, qui honorantur, ſed eſt una cauſa honoris, (hoc eſt divinitas) *in myſterio autem incarnationis eſt e converſo*, ait D. Th. a. cit. ad 2., hoc eſt unus eſt, qui adoratur, & duæ ſunt cauſæ adorationis, hoc eſt divinitas, & humanitas.

Qui plures in Chriſtum adorationes invexerunt, damnati ſunt velut hæretici. *Si quis in duabus naturis adorari dicit Chriſtum, ex quo duæ adorationes introducuntur, ſed non una adoratione Deum verbum incarnatum cum propria ipſius carne adorat, ſicut ab initio Dei Eccleſiæ traditum eſt, talis anathema ſit.* Ita Syn. 5. Gen. apud D. Th. a. cit.

Excellentia quidem humanitatis Chriſti non eſt infinita, cum ſit creatura; at Chriſtus homo ſpecificative, ut Schola loquitur, adorandus eſt ex ratione allata, & ex auctoritate Syn. citatæ.

Nam humanitas Chriſti, reduplicative percepta, ſeu per mentem a Dei verbo diviſa, quia ut talis limitata eſt, latria non adoratur, ut docent Theologi cum D. Th., ait Conc. Th. t. 3. p. 6. n. 4. q. a. Verba D. Th. a. a. ſunt hæc. *Alio modo poteſt intelligi adoratio humanitatis Chriſti, quæ fit ratione humanitatis Chriſti perfectæ omni munere gratiarum; & ſic adoratio humanitatis Chriſti non eſt adoratio latriæ, ita ſcilicet quod una, & eadem perſona Chriſti adoretur adoratione latriæ propter ſuam divinitatem, & adoratione duliæ propter perfectionem humanitatis.*

Quod ad 1. confirmat auctoritate Damaſc. lib. 4. ort. fidei c. 3., ubi dicit. *Si dividas ſubtilibus intelligentiis quod videtur, ab eo, quod intelligitur, inadorabilis eſt, ut creatura*, ſcilicet (ait D. Th.) adoratione latriæ. Hinc ipſe Chriſtus Joann. 14. v. 16. *Ego rogabo Patrem*, & v. 28. *Quia Pater major me eſt.* Nam quatenus rogat Patrem, & Patre minor eſt, latria ei non convenit. Cum œcumenicis Conciliis duas in Chriſto adorationes, quaſi duabus Perſonis negavi; at admiſſa ex Catholica fide una in Chriſto perſona, diverſas eum honorandi cauſas propter diverſas naturas neceſſe eſt, ut admittam.

Quid de Sanctorum reliquiis, & ſacris imaginibus ſentiendum?

Reſp. Honorem, & venerationem illis eſſe impertiendam, ex Eccleſiæ Catholicæ uſu, & ſenſu certiſſimum eſt; qua de re legi poteſt ſacra Syn. Trid. ſeſſ. 25. de *invocatione, venerat., & reliquiis Sanct. & ſacris imaginibus.*

Epiſcopis porro mandat, ut doceant, *imagines Chriſti, Deiparæ Virginis, & aliorum Sanctorum, in templis præſertim habendas, & retinendas, eiſque debitum honorem, & venerationem impertiendam; non quod credatur ineſſe aliqua in iis divinitas, vel virtus, propter quam ſint colendæ, vel quod ab eis ſit aliquid petendum; vel quod fiducia in imaginibus ſit figenda, veluti olim fiebat a Gentibus, quæ in idolis ſpem ſuam collocabant:* Ergo idem illis cultus non eſt exhibendus, ac prototypis; quoniam in prototypis divinitas ineſt, ut in Chriſto; in Sanctis virtus impetrandi; a Chriſto, & Sanctis diverſo tamen modo petendum eſt, & in iis fiducia ponenda; *ſed*, pergit ſacra Syn., *quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræſentant*; ſicuti honor, qui ſervo defertur, ad Dominum refertur; at ſicut non eſt idem honos ſervo, & Domino exhibitus; ita non eſt idem honor imagini, & prototypo delatus.

Eodem certe honore non eſt honoranda Regis Imago, ac Rex; quia imago propter Regem honoratur: ergo multo magis Rex. *Propter quod unumquodque tale, & illud magis.* Nam ſi, ut ait Concina Theol. p. 20. n. 8. t. 3., *non imagines, ſed prototypa in imaginibus repræſentata colimus*, ipſas imagines ut exhibentes prototypa non colimus, quod eſt contra Synodum Tridentinam. Utrumque colimus, & prototypa, & imagines ex Eccleſiæ ſenſu & definitione; at non utrumque eodem cultu.

Dum Concilia, inquit Concina eodem loco, *Moguntinum, Senonenſe, aliique Scriptores aſſerunt, imagines Chriſti adorandas non eſſe latriæ cultu*, (adde, idem definiri, ut habet Bellarminus tom. 2. lib. 2. cap. 22. &c., a Syn. ſeptima, act. 7., & Concilio Nic. 2. act. 7., & ab Adriano Papa 1. ep. ad Carolum Magnum; & ab Irenæo, Epiphanio, Auguſtino, Damaſceno inter hæreticos numerari, qui Chriſti imaginem divinis honoribus colebant) *loquuntur de cultu abſoluto ipſis imaginibus exhibendo.*

Reſp. Imagines abſolute, hoc eſt, ut res corporeæ ſine relatione ad prototypa, nullo prorſus cultu proſequendæ ſunt; totus cultus iis tribuendus, eſt relativus, hoc eſt prout exhibent Chriſtum, Deiparam, Sanctos. Quare cum ſacra Concilia, ac præſertim œcumenica, quæ rem extra controverſiam ponunt, definiunt, Chriſti imagines latriæ cultu non eſſe adorandas, eas eſſe adorandas, pro certo ponuot; adorandas porro, non ut quid corporeum, ſed reduplicative, ut imagines ſunt, & Chriſtum repræſentant.

Quod ſi Chriſti imagines, ut tales, latria adorandæ non ſunt; Deiparæ Virginis, & Sanctorum ſimulachra inferiore cultu eſſe proſequenda, ac prototypa, non eſt dubitandum.

Novi, quo loco hic ſim; ſed œcumenicorum Conciliorum auctoritatem pluris certe facere debeo, quam cujuſcumque vel maximi, & maxime venerandi Doctoris nomen.

Quamvis S. Thomam œcumenicorum, quorum mox memini, Conciliorum, & Adriani, auctoritatem latuiſſe, non immerito conjicit Bellarminus; quia diu latuerunt; cujus tamen S. Th. ſententia eo ſenſu vera eſt, cum in imagine prototypum colitur, non cum ipſa imago; quæ quatenus imago eſt, & colenda, & cultu diſtincto, at inferiore, ac prototypum, colenda eſt; cum non ſit ipſum prototypum.

Monumenta, quæ ex Bellarmino attuli, ejus fide nituntur. Cum enim ruri ſcribam, accuratius ſcribere nequeo.

Hinc porro fit ex eodem Ven. Bellarmino, ut ipſa Crux, cui Chriſtus affixus fuit, ejuſque partes, clavi, lancea, ſpinæ &c. maxima quidem veneratione, intenſoque cordis affectu, non tamen latria colendæ ſint; quia ex Chriſti contactu illud conſequi non potuere, ut ſint ipſe Chriſtus. Ex quo intelligitur, Sanctorum veſtes, & hujuſmodi eſſe venerandas, non tamen eodem cultu, ac ipſi Sancti.

Quid præterea animadvertis circa cultum Sanctis Viris exhibendum?

Reſp. Viros ſanctitatis fama illuſtres privato cultu poſſe poſt eorum mortem affici, communis eſt Theologorum doctrina, ut habet Bellarminus t. 2. lib. 1. de ſanct., & beat. cap. 10., Salmant. t. 5. p. 221. Concina Th. t. 3. p. 14. n. 11.; „ idque, inquit, conſtat ex „ univerſali Populi Chriſtiani vetuſtiſſima conſuetudi- „ ne. Quin prima, ut ita dicam, janua, quæ viam „ aperit ad beatificationem, & canonizationem, eſt „ Populi devotio, & concurſus ad iſtorum defunctorum „ ſepulchra, & invocatio eorumdem in infirmitatibus. „ Et ſi, dum in terris degunt, licitum eſt privatim il- „ los rogare, ut pro nobis intercedant; quidni licebit „ idem peragere poſt illorum mortem? “ Publico tamen cultu, uti eſt altaris erectio, divini officii recita-

tio,

tiu, Miſſa, & hujuſmodi, honorandi omnino ſunt; uti pariter communis Theologorum ſententia eſt.

Hinc Urbanus VIII. conſt. 39. *Sanctiſſimus* (habetur apud Anacletum t. 3. juris can. p. 602.) *animadvertens abuſus, qui irrepſerant, & quotidie irrepere non ceſſant, in colendis quibuſdam cum Sanctitatis, aut Martyrii fama, vel opinione defunctis, qui, etſi neque Canonizationis, neque Beatificationis honore inſigniti ſint ab Apoſtolica Sede, eorum tamen imagines in Oratoriis, atque Eccleſiis, aliiſque locis publicis, ac etiam privatis, cum laureolis, aut radiis, ſeu ſplendoribus proponuntur, miracula, & revelationes, aliaque beneficia a Deo per eorum interceſſiones accepta in libris rerum ab ipſis geſtarum enarrantur, & ad illorum ſepulchra tabellæ, imagines, & res aliæ ad beneficia accepta teſtificanda, & lampades, & alia luminaria apponuntur; Volenſque protinus hujuſmodi abuſui occurrere.... decrevit, ac quorumvis Hominum cum Sanctitatis, & Martyrii fama, quantacumque illa ſit, defunctorum imagines, aliaque prædicta, & quodcumque aliud, venerationem, & cultum præſeferens, & indicans, in Oratoriis aut locis publicis, ſeu privatis, vel in Eccleſiis tam ſæcularibus, quam regularibus cujuſcumque Religionis, ordinis, inſtituti, Congregationis, aut ſocietatis apponantur, antequam ab Apoſtolica Sede canonizentur, aut Beati declarentur; & ſi quæ appoſita ſunt, amoveantur, prout ea ſtatim amoveri mandavit.... ad horum Hominum ſepulchra vetuit etiam, ac inhibuit, tabellas, atque imagines ex cera, aut argento, aut ex alia quacumque materia tam pictas, quam fictas, atque exſculptas appendi, aut affigi, & lampades, ſive alia quæcumque luminaria accendi ſine recognitione ab Ordinario omnino... facienda, Sedique Apoſtolicæ referenda, ac probanda.*

Declarans, quod per ſupradicta præjudicare in aliquo non vult, neque intendit iis, qui aut per communem Eccleſiæ conſenſum, vel per immemorabilem temporis curſum, aut per Patrum, Virorumque Sanctorum ſcripta, vel longiſſimi temporis ſcientia, ac tolerantia Sedis Apoſtolicæ, vel Ordinarii coluntur.

Porro *longiſſimum tempus, illiuſque immemorabilem curſum... intelligi declaravimus, eſſe tempus centum annorum metam excedens.* Idem Urb. VIII. conſt. *Cæleſtis Jeruſalem* n. 134. (apud eumdem Anacl. p. 603.)

At quidem faciendum, ſi hujuſmodi tabellas &c. Hominum inter Sanctos, vel Beatos non adſcriptorum ad Eccleſiam, quis detulerit, tanquam alicujus gratiæ per eos divinitus impetratæ monumenta?

Reſp. *Liceat Eccleſiaſticis Perſonis Eccleſiarum locorum prædictorum curæ præpoſitis tabellas, & imagines ſive pictas, ſive ex quavis materia fictas, atque alia quæcumque collatæ gratiæ fidem facientia ſimul cum deferentis, aliorumque, qui conjecti fuerint, atteſtationibus accipere, atque approbantibus Ordinariis, ad quos referre ſtatim omnia teneantur, in ſecreto aliquo ſeorſum ab Eccleſia loco cuſtodire, ibidemque jam amota collocare, & aſſervare.* Idem Urbanus apud eumdem Anacletum p. 603.

Quare publicus cultus, qui ſcilicet ex Eccleſiæ auctoritate Beatis, & Sanctis tribuitur, cum ſanctitatis fama demortuis deferri non poteſt.

Quinam cultus Beatis, & Sanctis, Eccleſiæ univerſæ, & APOSTOLICÆ SEDIS auctoritate declaratis tribuitur, aut tribuendus eſt?

Reſp. Id ex ipſo univerſæ Eccleſiæ uſu, & Apoſtolicis diplomatibus ſumendum eſt. Olim declarabantur, & colebantur Sancti communi Epiſcoporum, & Populorum conſenſu. At poſtquam ſolemnis ritus, qui nunc viget, declarandi Beatos, & Sanctos, inductus eſt, (inductum autem fuiſſe a Leone III., notat Bellarminus apud Anacletum t. 3. juris can. p. 600. n. 7.) hæc poteſtas Apoſtolicæ Sedi reſervata eſt. Hinc Alex. III. cap. 1. tit. 45. lib. 3. decr. inquit. *Illum ergo non præſumatis de cætero colere; cum etiamſi per eum miracula fierent, non liceret vobis ipſum pro Sancto abſque auctoritate Rom. Eccleſiæ venerari.*

Ut ad rem propius veniam, diſcrimen eſt inter Beatos, & Sanctos a Romanis Pontificibus declaratos. Cum quis Beatus declaratur, ſummus Pontifex tantum permittit, non autem præcipit, ut certo cultu ab eo præſcripto honoretur, idque permittit non omnibus Chriſti fidelibus, ſed determinato alicui loco, puta Provinciæ, Regno &c., aut certæ Religioni. Hinc, ut referunt Salmantic. tom. 5. p. 208., Clemens X. in Bulla *beatificationis* nunc S. Joannis a Cruce ita habet. *Tenore præſentium indulgemus, ut memoratus Dei ſervus Joannes a Cruce in poſterum Beati nomine nuncupetur, ejuſque corpus, & reliquiæ venerationi fidelium (non tamen in proceſſionibus circumferantur) exponantur: imagines quoque radiis, ſeu ſplendoribus exornentur, ac de eo quotannis die anniverſaria ejus obitus recitetur Officium, & Miſſa celebretur de Confeſſore non Pontifice juxta Rubricas Breviarii, & Miſſalis.*

At cum Sanctus quis Apoſtolicæ Sedis auctoritate nominatur, non ſolum permittitur, ſed ſtatuitur, ut pro Sancto in Cælis regnante ab omnibus habeatur, & coli quocumque honore ex Eccleſiæ auctoritate Sanctis deferri conſueto poſſit.

Hi autem publici honores, ſeu cultus ex Bellarmino tom. 2. de Sanct. beat. lib. 1. cap. 7. ſunt ſequentes.

Primo, ut dictum eſt, decernitur, ut tales Sancti ab omnibus habeantur, & publice Sancti nominentur. 2. Invocantur in publicis Eccleſiæ precibus, puta in litaniis, Miſſa, officio, orationibus. 3. In eorum memoriam, & honorem aræ, & templa eriguntur. 4. In eorum cultum Miſſæ, & horæ canonicæ dicuntur. 5. Dies feſti iis colendis deſtinantur. 6. Eorum imagines ſplendoribus, ſeu radiis decorantur. 7. Eorum reliquiæ pretioſis thecis incluſæ publice honorantur. Sed hac de re accuratiſſime diſputavit Card. Lambertinus, poſtea Bened. XIV.

At, ut diſcrimen, de quo ſermo eſt, magis innoteſcat, juvat hic attexere ſequens decretum ſcitu digniſſimum, & neceſſarium. (Habetur apud Anacletum t. 3. juris can. p. 605.)

Ad aures Eminentiſſimorum Patrum Congregationis Sac. Rituum plures devenerunt, qui patrantur, indultorum exceſſus in materia præſtationis cultus Beatis adhuc non canonizatis,

Quamobrem eos eliminare, ac ne in futurum inducantur, providere ſtudentes, ad infraſcripta devenerunt decreta, &

1. *Quod Beatorum imagines, etiam non principaliter, & uti ſimplices appoſitæ, ſimulacra, picturæ, tabellæ, aut ſcripturæ eorum præclara geſta repræſentantes, aut referentes in Eccleſiis, Sacrariis, & Oratoriis quibuſcumque, & præſertim in quibus Miſſæ Sacrificium, vel alia divina officia peraguntur, inconſulta Sede Apoſtolica nullo modo exponantur.*

2. *Quod ubi indultum fuerit per Sedem Apoſtolicam, imagines, ſimulacra, pictaſque tabellas in Eccleſiis poni, & coli poſſe, in pariete tantum, non autem ſuper Altari collocandi facultas tributa cenſeatur.*

3. *Quod ſi conceſſa fuerit per eandem Sedem Apoſtolicam altarium erectio, non tamen ob id Miſſam, & Officium de prædictis Beatis celebrandi, vel recitandi facultas tradita præſumatur. Nam ſpecifica, & expreſſa conceſſio ſuper his præcedere debet.*

4. *Ubi in uno loco cultus fuerit conceſſus, non extendatur inconſulto Pontifice ad alium locum, quavis alia concurrente auctoritate.*

5. *In locis, ubi Beatos prædictos ab omnibus coli permiſſum fuit, non inde publica Officii recitatio permiſſa cenſeatur, ſed tantummodo privata, nec ſatisfactoria præcepta recitationis, niſi quoad illos, quibus Sedes Apoſtolica de hoc indulſerit.*

6. *Miſſæ pariter, quæ fuerint indultæ certis Perſonis, nempe Presbyteris regularibus, vel ſæcularibus alicujus loci, vel Monaſterii, ſeu Presbyteris alicujus Eccleſiæ ſervitio præcipue addictis, a conſuetudinibus Sacerdotibus quavis dignitate etiam Cardinalatus inſignitis minime celebrentur.*

7. *Dies feſti in Beatorum eorumdem memoriam non celebrentur, niſi ſpeciali indulto Apoſtolico proviſum fuerit.*

8. *Eorumdem nomina in Calendariis non apponantur, niſi tantum illius loci, earumque Perſonarum, in quo, & a quibus cultus cum Officio, & Miſſa celebretur.*

9. *In quibuſvis Eccleſiaſticis precibus etiam in Oratoriis privatis recitandis particularia eorum ſuffragia non apponantur, vel recitentur.*

10. *Publicis in precibus præter indultas, & a Sede Apoſtolica approbatas iidem Beati non invocentur.*

11. *Eorumdem Reliquiæ in proceſſionibus minime circumferantur.*

12. *Sacra eadem Congregatio præſentibus declarare, & juſſione removere non intendit cultum Beati per communem Eccleſiæ conſenſum, vel per immemorabilem temporis curſum, aut per Patrum, Virorumque Sanctorum ſcripta, vel temporis centum annorum metam excedentis ſcientiam, ac tolerantiam Sedis Apoſtolicæ, aut Ordinariorum hactenus præſtitum;* (hoc juxta declarationem Urbani VIII. ſupra mox relatam) *aut certis modo, & forma ab eo tempore vis exhibitum.*

Verum ſi a centum annis citra cultus hujuſmodi aliqua ex parte auctus, & extenſus eſſe conſtiterit, eo caſu ſacra eadem Cong. eumdem in priſtinum reduci jubet, prout quemvis cultum extra caſus prædictos (n. 12.) *ad expreſſa tantum verbaliter in Apoſtolicis indultis* (his verbis quadantenus emendantur Salmanticenſes, qui t. 5. p. 209. id cum ea limitatione admittunt, *niſi implicite in conceſſis contineantur*, quod addo non criticæ pru-

prurigine, ſed unico veritatis, & ſanctæ cautionis ſtudio) *omnino revocari mandat ſub pœnis* &c.

13. *Firmis quoque remanentibus decretis, nempe ne Beati in Patronos eligantur, ut eorum Natalia cum octavis celebrentur, & aliis quibuſcumque a Sacra Cong. hactenus emanatis, quæ præſenti decreto renovantur.*

14. Etc. Hæc omnia *Sanctitas ſua approbavit.* Anno 1659. 27. Septembris.

At ſuper hæc decreta dubitatum fuit; *primo an ubi indultum fuerit, ut Miſſa de aliquo Beato celebretur, liceat ejus imaginem, & ſimulachrum ſuper altari exponere, nec non votivas tabelias ibidem appendere.*

2. *An ſi dies feſti in Beatorum honorem non celebrentur, extendatur ad feſta devotionis.*

3. *An indulta recitandi Officium cum octava, vel ſine octava, & celebrandi Miſſam de Beatis, fuerint revocata per dictum decretum Sacræ Congregationis.*

4. *An in Eccleſiis, in quibus Officium, & Miſſa de Beatis recitari, ac reſpective celebrari poſſunt, liceat eorum Reliquias exponere.*

5. *An Epiſcopi Regulares, qui ex indulto Sedis Apoſtolicæ gaudent privilegiis ſuæ Religionis, de quibus ſunt capaces pro eorum conditione, poſſint de Beatis ſuæ Religionis recitare Officium, & in propriis Cathedralibus Miſſam celebrare, & Altare Beatis prædictis erigere.*

Sacra Rituum Congregatio reſpondit.

Ad primum affirmative: ad ſecundum negative: ad tertium pariter negative: ad quartum affirmative: ad quintum negative. Die 17. Apr. 1660. Julius Epiſcopus Sabin. Card. Sacchetus. Loco ✠ Sigilli. F. M. Phæbeus S. Rit. Cong. Secret. gratis etiam quoad ſcripturam. Romæ ex Typographia Rev. Cam. Ap. 1660. Ita refert Anacletus loco ſupra cit.

Quid de Reliquiarum furtis ſentiendum?

Reſp. Si a fidelibus earum adoratoribus ſurripiantur, non eſt dubium, quin hoc furtum culpæ vertendum ſit. Juſtis enim poſſeſſoribus cum res ſupra omne pretium poſita, ut in noſtra ſpecie ſit, eripitur, gravis iis injuria irrogatur; ideoque gravis culpa admittitur.

At ſi infidelibus ſubtrahantur, nullum peccatum admitti Salmanticenſes aliis citatis t. 5 p. 217. ſentiunt, &, ut mihi videtur, recte ſentiunt.

Infideles enim non ſunt juſti Reliquiarum poſſeſſores, ſed uſurpatores, illæque fidelibus jure debentur: ergo cum alia ratione recuperari non poſſunt, iis jure ſurripiuntur; præſertim ut ab irriverentia vindicentur.

Quid de incertis Reliquiis faciendum?

Reſp. Illud idem, quod Urbanus VIII. ſupra mox relatus de imaginibus, & monumentis Virorum cum ſanctitatis fama defunctorum, quos Eccleſia nec Sanctos, nec Beatos declaravit, faciendum præſcripſit. Sumus enim in eadem navi. Sunt ergo a publicis locis removendæ, & ſecreto cuſtodiendæ; ut ſcilicet erroris, & ſuperſtitionis occaſio ſubtrahatur; & nihilominus, quia ſanctæ fortaſſe ſunt, aliquid iis reverentiæ tribuatur. Hanc doctrinam ſequitur Natalis Alex. Th. t. 2. p. 499. reg. 2., eamque confirmat auctoritate, & verbis ab eo relatis Amolo Lugdunenſis Epiſcopi; quæ apud ipſum, ſi vis, legito.

Quid eſt oblatio?

Reſp. *Nomen oblationis*, inquit D. Th. 2. 2. q. 86. a. 1., *commune eſt ad omnes res, quæ in cultum Dei exhibentur; ita quod ſi aliquid exhibeatur in cultum divinum, quaſi in aliquod ſacrum, quod inde fieri debeat, conſumendum, & oblatio eſt, & ſacrificium . . . Si vero ſic exhibeatur, ut integrum maneat divino cultui deputandum, vel in uſus miniſtrorum expendendum, erit oblatio, & non ſacrificium:* ut cum offeruntur calices, lampades, candelabra &c. in Dei cultum.

Hujuſmodi ergo oblationes de ſui ratione habent, quod voluntarie offerantur ſecundum illud Ex. 25. Ab homine, qui offert ultroneus, accipietis eas. Ideoque ſub præceptum non cadunt.

Poteſt tamen contingere, quod aliquis ad oblationes teneatur quadruplici ratione.

Primo quidem ex præcedenti conventione; ſicut cum alicui conceditur aliquis fundus Eccleſiæ, ut certis temporibus certas oblationes faciat; quod tamen habet rationem cenſus.

Secundo propter præcedentem deputationem, ſeu promiſſionem; ſicut cum aliquis offert donationem inter vivos, vel cum relinquit in teſtamento Eccleſiæ aliquam rem mobilem, vel immobilem in poſterum ſolvendam.

3. *Modo propter Eccleſiæ neceſſitatem: puta ſi miniſtri Eccleſiæ non haberent, unde ſuſtentarentur.*

4. *Propter conſuetudinem: tenentur enim fideles in aliquibus ſolemnitatibus ad aliquas oblationes conſuetas. Tamen in his duobus ultimis caſibus remanet oblatio quodammodo voluntaria, ſcilicet quantum ad quantitatem, vel ſpeciem rei oblatæ.* Hactenus S. Th., „ Quem, inquit Anacl. t. 3. juris can. p. 497. n. 183., Theo- „ logi, & Canoniſtæ in hoc paſſim ſequuntur. “

Contra hanc doctrinam Canones fruſtra objiciuntur. Cap. 13. q. 1. can. 10. D. Hier. ad Damaſum inquit: *Quia Sacerdotes pro omnibus orare debent, quorum eleemoſynas, & oblationes accipiunt.* Reſp. Accipiunt ſcilicet oblationes, ſicut eleemoſynas a ſponte dantibus. Hinc idem S. Hier. cap. 7. q. 1. cau. 12. ait. *His*, hoc eſt laicis, *conceſſum eſt uxorem ducere &c. oblationes ſuper altari apponere* &c.

Cap. 69. diſt. 1. de conſecr. Gregor. 7. dicit. *Omnis Chriſtianus procuret ad Miſſarum ſolemnia aliquid Deo offerre.* Reſp. illud *procuret* tantum hortamentum eſt, non præceptum: quod tamen pii Chriſtiani præſtant, dum eleemoſynas in Eccleſiæ, altarium &c. beneficium erogare ſolent. At addit. *Etenim in collectis Sanctorum Patrum liquido apparet, quod omnes Chriſtiani offerre aliquid Deo ex uſu Sanctorum Patrum debent.* Reſp. ait *ex uſu*: ergo ubi hic uſus non viget, non adeſt obligatio legalis. Cæterum omnes Sanctorum exempla imitari debent. Hinc ſubdit: *Ad ipſum enim prius confugiendum eſt, qui noſtræ curare poſſit animæ paſſiones.*

Anaſtaſius Papa cap. 55. q. 1. cau. 16. *Statuimus, ut ſi quis oblationes Eccleſiæ, vel decimas, quas Populus dare debet &c.* Reſp. *dare debet*, ſi miniſtrorum neceſſitas, vel conſuetudo id poſtulet; quæ recte Anacl. n. 182. eſt communis Doctorum interpretatio.

Porro ut conſuetudo obliget, in toto, aut majori Populi parte vigere, & diuturna eſſe debet, videlicet per decennium, quod ſufficit: ut ex communi docet Anacletus n. 185. 186., quem, ſi vis, conſule.

Qui autem *oblationes debitas*, ait S. Th. ad 3., *non reddunt, poſſunt puniri per ſubtractionem Sacramentorum, non per ipſum Sacerdotem, cui ſunt oblationes faciendæ, ne videatur pro Sacramentorum exhibitione aliquid exigere, ſed per ſuperiorem aliquem.*

Oblationes occaſione funerum, ſi Paræciani cadaver in ſua Paræcia tumuletur, ejus Parocho ſeu Eccleſiæ obveniunt: at quæritur, quid juris, ſi alibi ſepeliatur.

Reſp. Hujuſmodi oblationes, loci, ubi tumulatur, Parocho ex toto ſine controverſia deferendæ non ſunt; ſed aliquota earum pars proprio ejus Parocho obvenit. Quod ſi quæras, quota, ſeu quæ pars de jure proprio Parocho debeatur, id definit Clemens III. cap 9. tit. 28. lib. 3. decr., ubi hac de re loquens ait.

Certificari voluiſti, quomodo illa clauſula, quæ in privilegiis ſolet apponi, ſalva juſtitia illarum Eccleſiarum, a quibus mortuorum corpora aſſumuntur, intelligi debeat, & exponi. Cum autem ſuper hoc articulo diverſa Anteceſſorum noſtrorum manaverint inſtituta, Leone juſtitiam illam quandoque tertiam partem, quandoque mediam, & Urbano quartam fere cenſentibus; nos tale præbemus in hac varietate reſponſum, ut, ſicut B. Hieronymus inquit, unaquæque provincia in ſuo ſenſu abundet, ſecundum rationabilem conſuetudinem regionis illa juſtitia circa medietatem, vel tertiam, aut quartam partem pro locorum diverſitatibus attendatur.

Hic vero non ubi defunctus mortuus eſt, ſed ubi tumulatur, attenditur, ſeu ſit ſuorum majorum ſepultura, ſeu ab eo electa.

At quid dicendum, ſi quoad hanc juſtitiam, ut eam appellat Clemens III., ſeu Canonicam portionem, ut vulgo dicitur, nihil ex conſuetudine definitum ſit?

Reſp. Quarta oblationum pars negari certe non poteſt; quia in hanc omnium Pontificum decreta conveniunt; nec enim qui plus conferri conſtituere, minus negarunt; imo confirmarunt; quia in majori minus continetur.

An hæc ſola, & nihil amplius debetur?

Reſp. Affirmat Anacl. t. 3. juris can. p. 455. citatis Gloſſ., Abb., Mol., & aliis.

Ratio eſt, quia, cum hac in re Pontificum decreta diſcrepent, illa prævalere debent, quæ numero ſuperiora ſunt: at quæ quartam partem definiunt, ſunt numero ſuperiora. De hac mentio habetur cap. 10. *In noſtra præſentia*, cap 8. *Cum in ſuper* t. 28. lib. 3. decr. cap. 2. *Dudum* t. 7. lib. 3. Clem.

Hinc a Syn. Trid. cap. 13. de ref. ſeſſ. 25. canonica portio definitur *quarta, quæ funeralium dicitur.*

Adde, quod cap. 1. t. 22. lib. 1. in 6. Bonifacius VIII. ita loquatur. *Cum unus in XV., alius in X., tertius vero in quinque pronuntiant, illius, qui dixit de ſumma minori (cum in illa omnes concordes exiſtant) ſententia efficax cenſeatur.* In noſtra ſpecie unus Pontifex in dimidium, alter in tertiam partem, tertius in quartam pronuntiavit, hujus pronuntiata ſententia, qui de minori ſumma dixit, efficax cenſenda eſt.

Quod *ſi ab eo, qui duo habet domicilia, ſe collocans æqualiter in utroque, in loco tertio eligitur ſepultura, domiciliorum Eccleſiæ habebunt inter ſe dividere canonicam portionem.* Ita Bonifacius VIII. cap. 2. *Cum quis* t. 2. lib. 3. in 6.

Quid ſunt decimæ?

Reſp.

Digitized by Google

Reſp. ex Anacleto t. 3. juris can. p. 473. q. 1. ſunt decima pars omnium fructuum, & proventuum juſte acquiſitorum, Deo in recognitionem univerſalis, ſupremique dominii debita, atque Eccleſiæ miniſtris ſolvenda. Eſt in re communis, ut ipſa ait.

Illud *Deo in recognitionem* &c. a Concina Th. t. 5. p. 342. cap. 1. n. 1. omittitur; ea forte ratione, quod ad definitionem neceſſarium non videatur, vel quod id præcipua quadam ratione ad hebraici populi decimas referendum ſit. Cæterum ex ipſa ſacra Syn. Trid. ſeſſ. 25. cap. 12. *decimarum ſolutio debita* dicitur *Deo*.

Quotuplicia generis decimæ ſunt?

Reſp. Sunt duplicia generia: aliæ ſunt reales, quæ etiam prædiales dicuntur; aliæ perſonales. Primæ ex fructibus terræ, arborum, animalium, locatarum domorum proventibus ſumuntur; aliæ ex hominum induſtria, labore, artificio, officio &c. Quam diviſionem habet quoque D. Th. 2. 2. q. 87. a. 2. ad 1.

Quo jure decimæ ſolvendæ ſunt? Reſp. S. Th. loco mox cit. ita loquitur. *Quod eis, qui divino cultui miniſtrabant ad ſalutem Populi totius, populus neceſſaria victus miniſtraret, ratio naturalis dictat; Sicut & his, qui communi utilitati invigilant, ſcil. Principibus, & militibus, & aliis hujuſmodi, ſtipendia victus debentur a Populo. Unde & Ap. hoc probat 1. ad Cor. 9. per humanas conſuetudines, dicens*: quis militat ſuis ſtipendiis unquam? Aut quis plantat vineam, & de fructibus ejus non edit." *Sed determinatio certæ partis exhibendæ Miniſtris divini cultus, non eſt de jure naturali*. Loquitur quidem Sanctus Doct. de miniſtris veteris Legis; at ejus ratio & doctrina miniſtris quoque Evangelicis apprime convenit. Hinc de his in fine corporis art. loquens ait: *ſic ergo patet, quod ad ſolutionem decimarum homines tenentur partim quidem ex jure naturali*, (hoc eſt quatenus neceſſaria Miniſtris novi Teſtamenti ſuppeditare tenentur) *partim etiam ex inſtitutione Eccleſiæ; quæ tamen penſatis opportunitatibus temporum, & perſonarum, poſſet aliam partem determinare ſolvendam*. (*Ex inſtitutione Eccleſiæ*, quatenus decimam fructuum partem ſolvendam præſcribit)

Hæc doctrina non eſt controverſa; ſed aliis terminis ex uſu ſcholæ dici ſolet, ſolutionem decimarum *materialiter, & ſecundum ſubſtantiam* eſſe juris naturæ; non item ſi *formaliter* conſiderentur.

At *formaliter*, hoc eſt quoad decimam partem, in veteri lege juris erant divini; ut liquet ex Levit. 27. imo Judaicus populus triplicia decimæ ſolutione ex divina lege tenebatur: prima ſolvebatur Levitis, Num. 18.; altera in ſacrificiorum uſus cedebat, Deut. 14., & hæ ambæ ſingulis annis pendebantur: 3. quolibet triennio pauperibus erat impendenda. Eodem Deut. cap. 14. De his loquitur D. Th. a. 1. arg. 4.

Accedit quarta decima, hoc eſt decimam decimæ, quam Levitæ ſummo Sacerdoti tribuere divinitus præcipiebantur, Num. 18. v. 26. 27. 28. de qua D. Th. a. 4. ad 3. ubi ſi placet, animadverte, nullum in veteri lege de perſonalibus decimis extitiſſe præceptum, ut obſervat S. Th. a. 2. ad 1., nihilominus Levitæ, & Sacerdotes commodis affluebant; ut videri poteſt apud Tirinum in cit. cap. 18. Num.

Nonne, inquis, etiam Chriſtiano Populo jure divino impoſitum eſt, ut decimas *formaliter* quoad decimam omnium proventuum partem Eccleſiia ſolvat?

Reſp. Hæc ſane fuit veterum Canonici juris interpretum opinio, quam ſaltem quoad decimas prædiales propugnat Anacletus t. 3. juris can. p. 474. Reſp. 2. At „ mirum eſt, inquit merito Concina Th. t. 5. p. „ 35. cap. 3. n. 2. Auctorem illum poſt unanimem „ omnium Theologorum" (quorum Dux non inficiante Anacleto eſt ſine dubio D. Th.) „ conſenſum, „ quin & recentium Canoniſtarum ſententiam, propugnandam ſuſcepiſſe opinionem apertiſſime falſam;" quæ a Bellarmino apud ipſum Conc. appellatur *error*.

Jus divinum veteris legis ſine ulla dubitatione quoad hanc rem abolitum eſt; quia non ad moralia, ſeu naturalia præcepta, ſed ad judicialia pertinuit; qua de re D. Th. hic a. 1.

In nova porro lege nullum extat præceptum de decimis *formaliter* ſumptis, ſed ſolum de iis *quoad ſubſtantiam* conſideratis. Hoc præceptum Anacletus nec proferre potuit, nec protulit, neque ullum illius veſtigium. Quid ergo contendit? Aerem ſcilicet verberant, & ridiculi ſunt, qui jus Evangelicum jactant; neque ullum Evangelicum textum, quo jus illud contineatur, aut contineri videatur, in medium afferunt.

At inquit Anacl. q. 2. cit. n. 13. „ Certum eſt apud „ omnes etiam adverſarios in dubiis, & controverſiis, „ an quid ſit de jure divino, nec ne, debere nos ſtare „ interpretationi Eccleſiæ, ac Summorum Pontificum; atqui Summi Pontifices, & Eccleſia, ſeu Con„ cilia generalia univerſaliter, & abſque diſtinctione in„ ter formaliter, & materialiter acceptas decimas, „ expreſſe declarant, decimas eſſe de jure divino: " Ergo. Aſſumptionem probat, multiplices textus juris canonici in medium proferendo; qui, licet ſine diſtinctione loquantur, ſine hæſitatione de decimis quoad ſubſtantiam ſumptis intelligendi ſunt. Ex quo totum Anacleti ædificium corruit. Nam *ubi jus non diſtinguit, ne nos quidem diſtinguere debemus*, niſi tamen diſtinctio neceſſario adhibenda ſit: at hic eſt proſus, & evidenter neceſſaria; quia jus Evangelicum decimas quoad ſubſtantiam evidentiſſime præcipit; at quoad quotam, ſeu formam nihil omnino habet.

Nolo hic plura addere contra opinionem obſoletam, & antiquatam, & ipſius Eccleſiæ uſui, & ſenſui contrariam, ex quo decimæ mutationibus obnoxiæ fuerunt, & ſunt; cum tamen jus Evangelicum nec Eccleſiæ, nec varietati ſubſit.

Quare decimæ *formaliter* ſumptæ juris tantum ſunt apud Chriſtianos Eccleſiaſtici, uti eſt unanimis Theologorum, & recentium juris interpretum ſententia.

Itaque ſi quæras, quinam, & quas decimas ſolvere teneantur? Reſp. cum Concina Th. t. 5. p. 354. n. 4. „ conſuetudo potiſſimum locum habet in circumſtantiis decimarum, quod nempe ſolvuntur ex his re„ bus, non ex illis, in hac, non in illa menſura, hoc, „ non illo tempore. Hoc ipſum præſtare valet præ„ ſcriptio; dummodo adſint requiſita neceſſaria pro le„ gitima præſcriptione." Hinc decimæ *formaliter* ſumptæ nec ab omnibus, nec ex omni re ubique ſolvendæ ſunt. Syn. Trid. ſeſſ. 25. cap. 12. de ref. ita conſtituit. *Præcipit igitur S. Synodus omnibus, cujuſcumque gradus, & conditionis ſint, ad quos decimarum ſolutio ſpectat*, (*non ait omnibus abſolute, ſed ad quos* &c.) *Ut eas, ad quas de jure tenentur*, (hic quoque inquit *eas, ad quas* &c) *in poſterum Cathedrali, aut quibuſcumque aliis Eccleſiis, vel Perſonis, quibus legitime debentur, integre perſolvant*.

At D. Th. a. 2. concludit: *Et ideo de omnibus poſſeſſis decimæ ſunt ſolvendæ*. Reſp. hæc doctrina de jure communi eſt intelligenda, ut habet Wigand tract. X. ex. 2. n. 18., at locorum conſuetudo aliter ſe habet. Hinc idem S. Doct. a 4. ad 2. de Regularibus loquens ait, quod *tenentur de jure communi decimas dare*; at ſubdit: *Habent tamen aliquam immunitatem ſecundum diverſas conceſſiones eis a Sede Apoſtolica factas*. Quod de Apoſtolicis conceſſionibus dicitur, idem de legitima conſuetudine, aut præſcriptione dicendum.

Iterum objicis ex eodem D. Th. a. 3. *jus accipiendi decimas ſpirituale eſt... quod ad ſolos Clericos pertinet habentes curam animarum*.

Reſp. D. Th. ſubdit ibidem: *Res autem, quæ nomine decimarum dantur, corporales ſunt. Unde poſſunt in uſum quorumlibet cedere, & ſic poſſunt etiam ad laicos pervenire*; & ad 3. ait, *quod ſicut res nomine decimæ acceptas poteſt Eccleſia alicui laico tradere, ita etiam poteſt et concedere, ut dandas decimas ipſi accipiant, jure accipiendi miniſtris Eccleſiæ reſervato; ſive pro neceſſitate Eccleſiæ, ſicut quibuſdam militibus decimæ debentur in feudum per Eccleſiam conceſſæ; ſive etiam ad ſubventionem pauperum, ſicut quibuſdam Religioſis laicis, vel non habentibus curam animarum aliquæ decimæ ſunt conceſſæ per modum eleemoſynæ*. Ex quo fit, ut præter Clericos curam animarum habentes, non ſolum Regulares, ſed etiam Laici decimas percipere poſſint.

An, inquis, Laici ſine jure, quod ad ſolos animarum Curatores ex D. Th. ſpectat, decimas jure percipere poſſunt? Quomodo eas jure percipere poſſunt, *jure accipiendi Miniſtris Eccleſiæ reſervato*, ut ad 3. D. Th. loquitur?

Reſp. jus ſpirituale in animarum cura fundatum, ad laicos pertinere non poteſt, de quo locis citatis loquitur S. Doct; at jus percipiendi decimam partem fructuum, ex ſe non eſt ſpirituale, ideoque laicis competere poteſt. Hinc D. Th. ad 3. ait, *quibuſdam militibus decimæ debentur* &c. Si debentur, eas accipiendi jus habent; qua de re non eſt dubitandum. Conſule, ſi vis, Wigand loco cit. n. 19., & Anacletum t. 3. juris can. p. 490. n. 130.

Quid de primitiis ſentiendum?

Reſp. Primitiæ hoc loco idem ſunt, ac primi fructus agrorum, & arborum, qui Deo offeruntur; ut habet Concina Th. t. 5. p. 341. cap. 1. n. 1., & ex communi ſenſu, ut ait Anacl. t. 3. p. 496. n. 171.; quæ ex lege quidem veteri definitæ erant, ſed, ut ait D. Hier. cap. 1. t. 30. lib. 3. decr., *offerentium arbitria derelictæ. Traditionem quoque accepimus*, ſubdit idem S., *Hebræorum, non lege præceptam, ſed arbitrio Magiſtrorum inolitam, quod qui plurimum, quadrageſimam partem dabant Sacerdotibus, qui minimum, ſexageſimam. Inter quadrageſimam, & ſexageſimam licebat quodcumque voluiſſent, offerre*. „ Unde, inquit D. Th. 2. 2. q. 86.

„ a. 4.

,, a.4. ad 1., videtur, quod inter hos terminos ſint primitiæ offerendæ ſecundum conſuetudinem patriæ. " Ait *ſecundum conſuetudinem patriæ*; quia per conſuetudinem omnino abrogari poſſunt, ac plurima in locis abrogatæ videntur, ut habet Anacl. loco cit. n. 177.; & Concina loco item cit. p. 394. n. 6. inquit: ,, communiter tum Theologi, tum Canoniſtæ fatentur, inſtitutum reipſa fuiſſe in Eccleſia hoc præceptum, (ſolvendi primitias.) Communis quoque eſt ſententia, ipſa experientia manifeſta confirmata, ubique ſere obſoletum, & abrogatum eſſe ejuſmodi præceptum; & hac ratione verum eſt, fideles nunc non obligari ad primitias ſolvendas. "

Quid eſt adjuratio, & quid de ea ſentiendum?

Reſp. Ex D. Th. 2. 2. q. 90. a. 1. a. 3. adjuratione utimur ad Deum, ad homines, ad Dæmones, ad irrationales creaturas.

Deum adjurare, a. c. ſed contra, idem eſt, ac eum *per aliqua ſacra obſecrare, eum obteſtantes*; qua de re ſupra, cum de orationis partibus dictum eſt.

Homines adjuramus, cum eos aut ad aliquid faciendum, vel omittendum per divini nominis, aut cujuſcumque rei ſacræ invocationem movere volumus.

Dæmones adjuramus rei alicujus ſacræ conteſtatione vel per modum deprecationis, vel per modum compulſionis.

Irrationales creaturas adjuramus diverſo modo, de quo mox.

Deum adjurare, ſeu obſecrare, non ſolum licitum, ſed laudabile religionis opus eſt, ita tamen ut non intendamus, ſicuti ait D. Th. a. 1. ad 3., ejus voluntatem, quæ immutabilis eſt, movere, ſed ut ab eo *per æternam ejus voluntatem aliquid obtineamus non ex meritis noſtris, ſed ex ejus bonitate*.

Quod ſi *alicui* (homini) *non ſibi ſubdito adjurando neceſſitatem agendi aliquid imponere quis intendat, talis adjuratio illicita eſt; quia uſurpat poteſtatem in alium, quam non habet*; quo ex D. Th. ad 1. ſpectat illud Origenis tract. 35. ſuper Matthæum: *Æſtimo, quoniam non oportet, ut vir, qui vult ſecundum Evangelium vivere, adjuret alterum*.

Tamen (D. Th.) *propter aliquam neceſſitatem ſuperiores, inferiores ſuos tali genere adjurationis conſtringere poſſunt*.

Si vero intendat ſolummodo per reverentiam divini nominis, vel alicujus rei ſacræ aliquid ab alio obtinere abſque neceſſitatis impoſitione, talis adjuratio licita eſt reſpectu quorumlibet. D. Th. a. c.

Licet ne adjurare dæmones?

Reſp. Dæmones adjurare per modum deprecationis non licet; *quia ille modus adjurandi videtur ad quamdam benevolentiam, vel amicitiam pertinere, qua non licet ad dæmones uti*.

Per modum compulſionis *poſſumus dæmones adjurando per virtutem divini nominis tanquam inimicos repellere, ne nobis noceant ſpiritualiter, vel corporaliter ſecundum poteſtatem divinam datam a Chriſto ſecundum illud Luc.* 10. ,, Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſupra ſerpentes, & ſcorpiones, & ſupra omnem virtutem inimici; & nihil vobis nocebit. " Hac adjuratione utitur Eccleſia, cum ait Rit. Rom. *Adjuro te, ſerpens antique, per Judicem vivorum, & mortuorum* &c. *ut ab hoc famulo Dei* &c. *diſcedas*.

Non tamen (D. Th.) *licitum eſt eos adjurare ad aliquid ab eis addiſcendum, vel etiam ad aliquid per eos obtinendum; quia hoc pertineret ad aliquam ſocietatem cum ipſis habendam; niſi forte ex ſpeciali inſtinctu, vel revelatione divina aliqui Sancti ad aliquos effectus dæmonum operatione utantur; ſicuti legitur de Beato Jacobo, quod per dæmones fecit Hermogenem ad ſe adduci*. Trita doctrina eſt D. Th. a. 2.

Quid de irrationalis Creaturæ adjuratione ſentiendum?

Reſp. Irrationalis creatura duplici modo adjurari poteſt. *Uno modo, ut adjuratio referatur ad ipſam irrationalem creaturam ſecundum ſe; & ſic vanum eſſet, irrationalem creaturam adjurare*; quia ſcilicet nihil intelligit, ideoque ex rerum ſacrarum conteſtatione ad agendum moveri non poteſt.

Alio modo, ut referatur ad eum, a quo irrationalis creatura agitur, & movetur, hoc eſt ad Deum, cujus virtute, & diſpoſitione omnia moventur; quod fit per deprecationem ad Deum directam, *quod pertinet ad eos, qui divina invocatione miracula faciunt*.

Quoniam vero Diabolus ex permiſſione divina utitur aliquibus irrationalibus creaturis, puta aere, nubibus &c. ad ciendas grandines, ventos, tempeſtates, fulmina &c., ut noceat hominibus; adjuratione utimur contra diabolum, ut compellatur, & coerceatur a nocumentis. Eſt doctrina D. Thomæ a. 3.

Quid eſt divini nominis in laudem aſſumptio?

Reſp. Ut ipſa verba ſonant, eſt laus, quam Deo ore tribuimus; qua quidem utimur, non ut *ei, qui eſt inſpector cordium, noſtros conceptus manifeſtemus, ſed ut noſipſos, & alios audientes ad ejus reverentiam inducamus*. Hanc oris laudem eſſe Religionis actum Deo gratiſſimum, univerſæ Eccleſiæ uſus, & ſacra Scriptura, ac præſertim Pſalmi affatim teſtantur, ut illud Pſ. 49. *Sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter, quo oſtendam illi ſalutare Dei*.

Porro, inquit S. Th. q. 91. a. 2., *Salubriter fuit inſtitutum, ut in divinas laudes* non ſolum vox utcumque, *ſed cantus aſſumerentur, ut animi infirmorum magis provocarentur ad devotionem. Unde Aug. dicit in* 10. *Conf.* ,, Adducor cantandi conſuetudinem approbare in Eccleſia, ut per oblectamenta aurium, infirmior animus in affectum pietatis aſſurgat; " *& de ſeipſo dicit in* 9. *Conf.* ,, Flevi in hymnis, & canticis tuis, ſuave ſonantis Eccleſiæ tuæ vocibus commotus acriter " Cavendum tamen eſt, ne accidat, quod D. Hier. reprehendit (habetur cap. *cantantes* diſt. 92.) *Deo non voce, ſed corde cantandum; nec in tragædorum modum guttur, & fauces medicamine linendæ ſunt, ut in Eccleſia theatrales moduli audiantur, & cantica*.

Idem de Muſica dicas, de qua Syn. Trid. ſeſſ. 22. Decreto de obſervandis, & evitandis in celebratione Miſſæ ita loquitur. *Ab Eccleſiis vero muſicas eas, ubi ſive organo, ſive cantu laſcivum, aut impurum aliquid miſcetur .... arceant*. De muſicis inſtrumentis Bened. XIV. de Syn. Diæc. lib. XI. cap. VII. n. 6. ait: *ſatius viſum eſt .... organo, aliiſque nonnullis inſtrumentis retentis, ea dumtaxat ab Eccleſiarum choris eliminare, quæ theatralibus ludis potius, quam ſacris locis, & actionibus convenire viſa ſunt*.

De aſſumptione divini nominis in laudem plura, cum de horis canonicis diſputabitur.

(b) 5. *Qui ut Populum moveat, fingit miraculum* &c. *ſæpe tamen excuſatur ignorantia, vel ſimplicitate*.

Hæc ſtulta ſimplicitas eſt, & ignorantia vel ſemper, vel ut plurimum culpanda; de qua vide dicenda contra Buſembau lib. 5. cap. 1. animad. 1., & cap. 2. animad. 1. & 11.

(c) 2. *Jejunare die dominico, cum non* &c.

,, Superſtitione pollutum fuit, " inquit Concina Th. t. 3. p. 35. q. 4., ,, Manichæorum jejunium diebus dominicis deſtinatum, quod in contemptum reſurrectionis Chriſti Domini inſtitutum erat. Qui vero jejunant, ut carnem, ſenſuſque effrænes cohibeant, non contemnunt, ſed colunt Eccleſiæ diſciplinam .... Conſultius tamen eſt ſeſe ad Eccleſiæ ritum conformare, hiſque diebus jejunio abſtinere, niſi aliqua peculiaris ratio urgeat &c. " Hæc mihi rationabilia videntur; ideoque, quantum in me eſt, ab omni culpa, & ſuperſtitione libero eos, qui diebus dominicis jejunant, etiamſi alii non jejunent; illos tamen hortor, ut potius feria 6., aut ſabbatho jejunent.

Hæc tamen, & ſimilia bona intentione facta, venialia &c. *quia* &c.

Levitas quidem materiæ a mortali culpa excuſat, non tamen bona intentio, ſi lex in re gravi violetur; quia bona intentio rerum naturam mutare nequit, ideoque efficere non poteſt, ut culpa ex ſe gravis, fiat levis; nec fatua ſimplicitas, quæ idem eſt, ac vincibilis & culpanda ignorantia. Vide dicenda de Miſſa.

(d) *Nam ex ſignis* &c.

Recte ait *ex ſignis*; quia futura in ſeipſis Deo ſoli nota ſunt; quia ejus æternitati, quæ omnia tempora futura, veluti nunc ſint, complectitur, ſunt præſentiſſima; quod de nulla creatura dici poteſt. Ita D. Th. p. 1. q. 57. a. 3. loquens de Angelis; quod idem de Dæmonibus eadem naturali perſpicacia donatis intelligendum eſt.

Cogitationes quoque humani cordis Dæmoni in ſeipſis ignotæ ſunt juxta illud Hier. 17. *Pravum eſt cor hominis, & inſcrutabile, & quis cognoſcet illud? Ego Dominus* &c. Et Ap. 1. Cor. 2. *Quæ ſunt hominis nemo novit, niſi Spiritus hominis, qui in ipſo eſt*. D. Th. a. 4.

Porro ſicuti de hominis intimis cogitationibus ſagaciſſime conjiciunt Dæmones, ita quoque de futuris eventibus etiam contingentibus, quorum tamen certam notitiam aſſequi non poſſunt juxta illud Iſ. 41. *Annuntiate nobis, quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus, quia dii eſtis vos*.

D. Aug. lib. 2. Retract. cap. 30. ita loquitur. *Ubi dixi* (lib. de div. Dæm.) *Dæmones aliquando & hominum diſpoſitiones non ſolum voce prolatas, verum etiam cogitatione conceptas, cum ſigna quædam exprimuntur in corpore, tota facilitate perdiſcere, rem dixi occultiſſimam audaciore aſſeveratione, quam debui. Nam pervenire iſta ad notitiam dæmonum per nonnulla etiam experimenta compertum eſt. Sed utrum ſigna quædam dentur ex corpore cogitantium illis ſenſibilia, nos latentia, an alia vi, & ea ſpiritali iſta cognoſcant, aut* dif-

Digitized by Google

difficillime poteſt ab hominibus, aut omnino non poteſt inveniri.

Hæc quoad mores eo ſpectant, ut tacitæ idololatriæ reos eos putemus juxta verum Buſ. principium, qui dæmonum ope ſe certo ſcire poſſe in animum induxerint cordis humani cogitationes, aut futuro contingentia ex humano arbitrio pendentia.

Ubi vero Buſ. dicit extra parentheſim, *ſi vero ſint tales, quas dæmon naturaliter ſcire poteſt*; *nihilominus, illicita eſt eo quod* &c. *Quod importat* &c.; omnia recte; at cum addit, & *forte etiam, ut vult Suar. contra Val. ſuperſtitionem*, an Suarezii ſententia in dubium vocanda eſt? Bene habet, quod Buſ. nos mittit ad S. Thomam qui 2. 2. q. 92. a. 2. de hoc certe non dubitat, & q. 95. a. 2. ita concludit. *Manifeſtum eſt ergo, quod divinatio, ſpecies ſuperſtitionis eſt.* Ratio ex eodem S. Doct. ad 2. cur *hujuſmodi divinatio pertineat ad cultum dæmonum*, (idem eſt, cur ſit ſuperſtitio) eſt, quia *aliquis utitur quodam pacto tacito, vel expreſſo cum dæmonibus.* Hinc S. Cyrillus Hieroſol. apud Natalem Alex. Th. t. 2. p. 500. reg. 8. inquit: *Auguria, divinationes, omina* &c. *cultus Diaboli ſunt.*

(e) *Divinatio eſt duplex* &c. Hic, ni fallor, omnia recte. Vide, ſi lubet, Concinam Th. tom. 3. diſſ. 2. cap. 4. q. 4. 5. pag. 44.

(f) De ſortibus legi poſſunt Nat. Alex. Th. t. 2. p. 504. reg. 14. 15., & Concina Th. t. 3. p. 58. cap. 4., ſed præcipue, & attente legendus eſt S. T. 2. 2. q. 95. a. 8., unde illi ſuam doctrinam maxime hauſere.

Porro ex S. Doct. a. 8. *Sortes proprie dicuntur, cum aliquid* (*ab homine ſerio*, ut habet a. 3.) *fit, ut ejus eventu conſiderato aliquid occultum innoteſcat*; e. g. conſideratis punctis, quæ ex teſſerarum jactu exiſtunt, figuris, quæ ex plumbo liquefacto in aquam projecto proveniunt, & aliis hujuſmodi.

Et quidem (pergit S. Doct.) *ſi quæratur judicio ſortium, quid cui ſit exhibendum, ſive illud ſit res poſſeſſa, ſive ſit honor, ſive dignitas, ſeu pœna, aut actio aliqua, vocatur ſors diviſoria: Si autem inquiratur, quid agere oporteat, vocatur ſors conſultoria: ſi vero quæratur, quid ſit futurum, vocatur ſors divinatoria.*

At hujuſmodi ſortes ſunt ne licitæ?

Reſp. Sortium eventus vel a ſtellarum diſpoſitione, vel a caſu, vel ab aliqua ſpirituali cauſa expectatur.

Si primum, ſortis jactus ſuperſtitioſus eſt, & illicitus; quia ſtellæ vi carent, ut talem eventum efficiant, multoque magis, ut ejus ope aliquid occultum aperiant. Ita S. Th., cujus auctoritate confirmatur doctrina Buſ. ca. 11., ubi ait, *ſuperſtitioſa eſt divinatio, quæ fit per ſortes divinatorias* &c.

Si ſecundum, quod locum habere poteſt ſolum in diviſoria ſorte, non videtur habere, niſi forte vitium vanitatis; ſicut ſi aliqui non valentes aliquid concorditer dividere, velint ſortibus ad diviſionem uti, quaſi fortunæ exponentes, quam quis partem accipiat. Ex qua doctrina confirmatur, quod ait Buſ. ca. 11. *ſortes diviſoriæ* &c.

Hinc idem S. Doct., cum ſortium uſum in Eccleſiaſticis electionibus improbet, ſubdit. *Secus autem eſt in temporalibus dignitatibus . . , in quarum electione plerumque homines ſortibus utuntur, ſicut & in temporalium rerum diviſione*; quæ, ut ait Concina Th. t. 3. p. 59. q. 8., communis ſententia eſt. Hinc illud Prov. 18. v. 18. *Contradictiones comprimit ſors, & inter potentes quoque dijudicat.*

Si vero, ait D. Th., *ex ſpirituali cauſa expectetur ſortium judicium, quandoque quidem expectatur ex dæmonibus, ſicut legitur Ezech. 21. quod* „ Rex Babylonis „ ſtetit in bivio, in capite duarum viarum, divinationem quærens, commiſcens ſagittas, interrogavit „ idola, & exta conſuluit; " *& tales ſortes ſunt illicitæ, & ſecundum Canones prohibentur.*

Quandoque vero expectatur a Deo ſecundum illud Prov. 16. Sortes mittuntur in ſinum, ſed a Domino temperantur; & *talis ſors ſecundum ſe non eſt mala, ut dicit Aug.* Pſalm. 30. enarr. 3. in v. 16. in manibus tuis ſortes meæ, ubi inquit. *Sors enim non aliquid mali eſt, ſed res eſt in dubitatione humana divinam indicans voluntatem.* Ubi animadverte D. Thomæ contextum, ex quo elicitur, S. Doctorem hic de ſorte diviſoria loqui. *Poteſt tamen in hoc*, ſubdit, *quadrupliciter peccatum incidere. Primo quidem, ſi abſque ulla neceſſitate ad ſortes recurratur. Hoc enim videtur ad Dei tentationem pertinere.*

Secundo ſi quis etiam in neceſſitate, abſque reverentia Dei, ſortibus utatur; quod Ven. Bedæ auctoritate confirmat.

Tertio ſi divina oracula ad terrena negotia convertantur. Unde Aug. dicit ad inquiſitiones Januarii, „ Qui „ de paginis Evangelicis ſortes legunt, etſi optandum „ ſit, ut id potius faciant, quam ad dæmonia conſulenda concurrant; tamen etiam iſta mihi diſplicet conſuetudo, ad negotia Sæcularia, & ad vitæ hujus „ vanitates " divina oracula velle convertere.

Quarto ſi in electionibus Eccleſiaſticis, quæ Spiritus Sancti inſpiratione fieri debent, aliqui ſortibus utantur. Unde, ſicut Beda dicit ſuper actus Ap. „ Matthias ante Pentecoſten ordinatus, ſorte quæritur; quia ſcilicet nondum erat plenitudo Spiritus Sancti in Eccleſia effuſa: Septem autem Diaconi poſtea non ſorte, ſed electione Diſcipulorum ſunt ordinati. " Hactenus S. Th.

Hinc Honorius 3. cap. 3. t. 21. lib. 5. decr. ait, *Sortis uſum in electionibus* (Eccleſiaſticis de quibus loquitur) *perpetua prohibitione damnantes*; imo ſortium uſus non ſolum vetitus eſt, ſed in Eccleſiis viduatis nullam efficit electionem ex cap. *quia propter* 42. t. 6. lib. 6. decr.

At, inquis, ex D. Auguſt. elici videtur, ſortes etiam in Eccleſiaſticis electionibus eſſe permiſſas. Nam poſtquam loco mox cit. dixit, *ſors enim non aliquid mali eſt*, &c. id confirmat electione Matthiæ Apoſtoli per ſortes facta, ſubdens. *Nam & ſortes miſerunt Apoſtoli, quando Judas tradito Domino periit, & ſicut de illo ſcriptum eſt, abiit in locum ſuum, cœpit quæri, quis in locum ejus ordinaretur: electi ſunt duo judicio humano, & electus de duobus unus judicio Divino: de duobus conſultus eſt Deus, quemnam ipſorum eſſe vellet, & cecidit ſors ſuper Matthiam.* Quid ad hæc? An, inquis, Apoſtolorum exempla imitari non licet?

Reſp. Reſponſionem habes ex Ven. Beda mox allatam. Ante effuſionem Spiritus Sancti id licebat; poſt non licuit. D. Aug. exemplo Apoſtolorum uſus eſt, non ut evinceret, Eccleſiaſticas electiones noſtro tempore licere per ſortes faciendas, ſed ut ſortium uſum univerſe non eſſe malum, evinceret. Quod ſi contendas, illum in Eccleſiaſticis quoque electionibus non eſſe malum; id, ſi vis, tibi concedam, ſpectata rei natura; at neceſſe eſt, ut quoque concedas, illum eſſe malum, quia prohibitur. Ergo ut lites vitemus, quæ certe quoad fieri poteſt vitandæ ſunt, hoc erit malum, quia prohibitum, non prohibitum, quia malum.

Sed hic quæris, utrum quod de licito ſortis diviſoriæ uſu dictum eſt, idem dici de ſorte conſultoria poſſit?

Reſp. maxime. Nam perinde eſt, ſeu per ſortes neceſſitate urgente a Deo precibus quæras, quid alia vel honore, vel pœna &c. præſtandum ſit, ſeu quid tibi agendum. Sumus ſcilicet quoad mores in eadem navi.

Quare D. Th. a. cit. ita loqui pergit. Si *vero neceſſitas immineat, licitum eſt cum debita reverentia ſortibus divinum judicium implorare. Unde Auguſt. dicit in epiſt. ad Honor.* (nunc 228. n. 12. tom. 2.) *Si inter Dei Miniſtros inde ſit diſceptatio, qui eorum maneat, ne fuga omnium, & qui eorum fugiant, ne morte omnium deſeratur Eccleſia. . . . , quæ diſceptatio ſi aliter non potuerit terminari, quantum mihi videtur, qui maneant, & qui fugiant, ſorte legendi ſunt*; & in primo de Doct. Chriſt. cap. 28. t. 3. p. 1. *Si tibi abundaret aliquid, quod oporteret dari ei, qui non haberet, nec duobus dari poſſet, ſi tibi occurrerent duo, quorum neuter alium vel indigentia, vel erga te aliqua neceſſitudine ſuperaret, nihil juſtius faceres, quam ut ſorte eligeres, cui dandum eſſet, quod dari utrique non poſſet.*

Id vero Sanctorum acto, qui tam in veteri, quam in novo Teſtamento ſortibus uſi ſunt, confirmant. Legitur enim Joſ. 7., quod Joſue ex præcepto Domini, judicio ſortium punivit Achan, qui de anathemate ſurripuerat: Saul etiam ſorte deprehendit, Filium ſuum Jonatham mel comediſſe, ut habetur 1. Reg. 14 Jona etiam a facie Domini fugiens, ſorte deprehenſus eſt, & in mare dejectus, ut legitur Jonæ 1. Zacharias etiam ſorte exiit, ut incenſum poneret, ut legitur Luc. 1. Matthias etiam ſorte ab Apoſtolis ad Apoſtolatum electus eſt, ut legitur Act. 1. ita D. Th. arg. 2.

At quoniam conditiones, quas ſupra ex D. Th. memoravi, *in praxi vix aliquando obſervari, animadvertunt Theologi, idcirco hujuſmodi ſortitiones rejiciendæ ſunt, & in rebus dubiis jura, leges, prudentiæ regulæ, Viri ſapientes conſulendi ſunt, ſortibus neglectis.* Ita Concina Th. t. 3. p. 60. n. 9.. Hoc monitum ſapiens eſt, quo ex Prov. 14. 16. *Sapiens timet, & declinat a malo, ſtultus tranſilit, & confidit.*

Quid de ſortibus divinatoriis dicendum?

Reſp. Has non licere, ut habet Buſ. ca. 11. Ratio ex Nat. Alex. Th. t. 2 p. 504. reg. 14. eſt, quia *neque ex rerum natura, neque ex Deo, vel Eccleſiæ inſtitutione vim habent ullam ſignificandi res contingentes futuras, aut alioquin occultas.* Ergo eorum eventus a Deo dirigente expectari non poteſt, ideoque ſunt ſuperſtitioſæ. Hinc Leo IV. cap. 7. q. 5. can. 26. ait. *Sortes,*

qui-

quibus cuncta vos in veſtris diſcriminatis judiciis, quod Patres damnaverunt, nihil aliud, quam divinationes, & maleficia eſſe decernimus.

D. Quidem Aug. ſupra cit. ait, *ſors enim non aliquid mali eſt*, at ſubdit, *ſed res eſt in dubitatione humana*, hoc eſt cum neſcimus, & dubitamus, quid nobis agendum ſit, *divinam indicans voluntatem*: non autem res eſt, futura contingentia, aut alia occulta, quæ ex Dei providentia ignota nobis ſunt, & eſſe debent, manifeſtans.

Hinc D. Th. a. cit. ad 3. judicium ferri candentis, & aquæ ferventis ad propriam innocentiam evincendam adhibitum improbat; *tum quia*, inquit, *ordinatur ad judicanda occulta, quæ divino judicio reſervantur*; *tum quia hujuſmodi judicium non eſt auctoritate divina ſancitum*. Hæ eædem rationes in ſortes divinatorias apprime cadunt; quas proinde jure rejicimus, & improbamus.

(g) *Poteſt excuſari* &c. *qui* &c. Hoc admitti poteſt, dum ſerio divinare nolit. Malitia enim ſuperſtitionis non in eo, quod fit, ſita eſt, ſed in eo, ut ex facto divinare quis velit occulta, & futura. Recole definitionem ſortis.

(h) *Id vero fit* &c., *quo quis creaturæ, tanquam Deo, ſe ſubmittere intendit*, v. g. &c.

Cur quæſo Bul. huc intrudit illud *intendit*? An idololatriæ peccatum non admittitur, niſi adſit prava intentio, qua quis creaturæ veluti Deo ſe ſubmittere velit? Hoc ſcilicet tam falſum eſt, quam quod maxime. D. Th. 2. 2. q. 94. a. 1. ad 1. ait, *quod ſicut religio non eſt fides, ſed fidei proteſtatio per aliqua exteriora ſigna; ita ſuperſtitia eſt quædam infidelitatis proteſtatio per exteriorem cultum; quam quidem proteſtationem nomen idololatriæ ſignificat* &c., & D. Aug. a D. Th. hic laudatus lib. 2. de Doct. Chr. cap. 20. inquit: *Superſtitioſum eſt, quidquid inſtitutum ab hominibus eſt ad facienda, & colenda idola pertinens, vel ad colendum ſicut Deum creaturam, partemve ullam creaturæ, vel* &c. Legatur S. Doct. a. 2., & a. 3. ad 1. Non eſt ergo dubitandum, quin idololatriæ crimen patretur ſolo exteriore cultu, etiamſi interius creatura non colatur ut Deus; quod docet quoque ipſe Bul. hic Reſp. 2., & ca. 2. Quid ergo hic Reſp. 1. ſibi vult illud *intendit*? An Buſ. ſibi contradicit? An forte ipſam idololatriam per mentales reſtrictiones, de quibus tract. 2. cap. 2. animad. 15., excuſatam vult? An ſine mala intentione nunquam peccatur? Sed nobis ſatis ſit, quid ſentiendum ſit, intelligere, quidquid Buſ. ſibi velit.

(i) *Idololatria* &c. *ſæpe etiam contra confeſſionem fidei externam*. Illud *ſæpe* delendum eſt, & ejus loco *ſemper* ponendum; Quia ex natura ſua juxta D. Th. a. 1. ad 1. mox cit. *eſt quædam infidelitatis proteſtatio per exteriorem cultum*. At hæc proteſtatio etiam ſimulata eſt ex ſe, & ſemper externæ fidei confeſſioni contraria, ut ex ipſis terminis liquet: ergo.

(k) *Si vero ſolus dæmon id habeat, non neceſſario cogendus eſt ut reddat*. Recte, & contrarium putare, eſt aperte errare, ut monet Concina Th. t. 3. p. 85. q. 4., imo vero, ut omne cum dæmone commercium vitetur, ne id quidem tentandum eſt, quia ſicuti pactum cum dæmone, ea ipſa ratione, quia longe peſſimum eſt, nullum, & irritum ex natura ſua eſt, ita quoque ejus chirographum. Satis ergo eſt, ſi maleficus cum intimo, & intenſo ſuorum peccatorum dolore & dæmonem, & pactum, & chirographum ex animo abjiciat, & abjuret.

ANIMADVERSIO I.

PA Concina Theol. t. 3. p. 46. n. 13 ita habet: „Eſtne mortale crimen divinatio cum pacto ſive „expreſſo, ſive tacito? Reſp. Sententia affirmans certa eſt apud omnes, & perſpicue colligitur tum ex „Deut. 18. *Non inveniatur in te, qui hariolos ſciſcitetur, neque qui pythones conſulat*: tum ex Iſ. 28 *Dixiſtis: Percuſſimus fœdus cum morte, & cum inferno „fecimus pactum*." Ignorantia, qua quis putat, pactum implicitum cum dæmone non eſſe mortale, eſt aperti juris divini, & naturalis, ideoque inexcuſabilis. Ignorantia, qua quis cenſet, divinationem, quæ reipſa ſuperſtitioſa eſt, eſſe naturalem, fortaſſe aliquando excuſat, ſed, ut ait Genettus infra citandus, *res eſt admodum periculoſa*, &, ut inquit Concina l. c. perraro id accidit. Quod attinet ad eos, qui divinationibus certam fidem non habent, vide mox dicenda ad c. 6.

ANIMADVERSIO II.

Idem habet La-Croix n. 10. ſi pauculas actiones moderetis ſecundum prædictionem Aſtrologi, v. g. ſi navem non conſcendas eo die, quo prædixit te ſubmergendum. Qui ſemel atque iterum peccat peccatum ſuperſtitioſæ divinationis, ſemel atque iterum mortaliter peccat; quia ſuperſtitioſa divinatio implicitum cum dæmone pactum includit, &, ut ait D. Th. 2. 2. q. 95. ar. 2. ad 2. *pertinet ad cultum dæmonum*, ideoque ex certa omnium ſententia eſt mortale peccatum, ut mox dictum eſt: ſed qui ex aſtrorum, ſomniorum, aut ſimilium obſervatione ſemel atque iterum aliquid omittit, aut facit, ſemel atque iterum peccat peccatum ſuperſtitioſæ divinationis. Idcirco enim ex tali obſervatione aliquid omittit, aut facit, quia ex aſtris, ſomniis, &c. aliquid fortuitum portendi putat: ergo &c. Ridicula ſane excuſatio, quod culpa ex natura ſua mortalis eo nomine fiat venialis, quia ſemel aut iterum fit. At quid ſi ſæpius? Ex habitu jam comparato juxta novam Theologiam venialis iterum evadit. Hæc ſane metempſychoſis eſt mirabilior pythagorica.

Uti & ſubinde timere leviter, ne ita fit, aut eveniat, quod portendunt &c. Ita ſentit etiam La-Croix p. 192. n. 9. qui pro ſua opinione citat Cajet. Fil. Val. Diet. Caſtrop. Tamb. contra Sanch. & alios. „Ratio eſt, „inquit, quia revera aſtra inclinant." Reſp. falſum eſt, aſtra revera inclinare homines ad certas actiones, falſum præterea eſt, ex aſtrorum, etiamſi inclinandi vi pollerent, obſervatione conjici poſſe contingentes liberas hominum actiones, ut patebit ex mox dicendis ad c. 8. ergo quia aſtra, ſomnia, & ſimilia prorſus indicia præbent futurorum eventuum contingentium, conjectura ex iis deſumpta ſuperſtitioſa eſt, tacitum cum dæmone pactum includens, ideoque mortalis culpa. Hinc Sixtus V. conſtit. *Cœli, & terræ* * ait: *Quare dubitandum non eſt, in hujuſmodi futurorum contingentium, & fortuitorum eventuum inquiſitione, & præcognitione diaboli operationem ſe fallaciter immiſcere, ut ſua fraude, ac dolis miſeros homines a via ſalutis avertat, & laqueo damnationis involvat*. Hinc evaneſcit fictitium illud commentum, quo La-Croix utitur, inquiens: „Nec „refert, quod Sixtus V. videatur hoc prohibuiſſe. Nam „Suar. aliique cum Sporer t. 1. c. 9. n. 16 dicunt, „eam prohibitionem reſtringi ad ſolum ſ[illegible] externum." Qui ita loquuntur, Sixti conſtitutionem, ejuſque verba mox excripta non legerunt, aut ſe non legiſſe fingunt; præſertim cum Sixtus addat: *Cum S. Auguſt. præcipuum Eccleſiæ lumen, eum, qui hæc obſervat, qui attendit, qui credit, qui in domum recipit, qui interrogat, chriſtianam fidem, & baptiſmum prævaricaſſe affirmet*. Habet ne hic locum alia interpretatio La-Croixii, qua ita ait? „Aut ſaltem dici poteſt, quod prohibeat ea, „quæ alioquin jure naturæ ſunt illicita, quale quidem „non eſt conjecturalis ejuſmodi prædictio, quæ in natura ſufficiens habet fundamentum ob dictam inclinationem, quam aſtra afferunt." Sixtus V. præmiſſis doctrinis veluti fundamentis nixus tandem conſtituit, *ut ſeverius canonicis pœnis, aliiſque puniantur*, qui fallaces divinandi artes exercent, profitentur, & docent, aut diſcunt, aut in eis ſe quomodolibet intromittunt, *etiamſi id ſe non certo affirmare aſſerunt, aut proteſtentur*. Eſt ergo, contra ac ait La Croix, mortale peccatum, velle cognoſcere ex aſtrologia etiam per ſolam conjecturam aliquod contingens liberum, quia ita punit Sixtus V. qui idcirco illud gravibus pœnis punitum vult; quia ita docet D. Auguſt. ab eodem Pontifice citatus: quia, ut ait idem Pontifex, non eſt dubitandum, quin in hujuſmodi futurorum contingentium inquiſitione, & præcognitione diaboli operatio ſeſe immiſceat. Nec enim diabolus in certa futurorum contingentium notitia ſeſe immiſcere poteſt, cum illa ne ipſi quidem certo nota ſint, ut docet D. Th. 1. p. q. 57. ar. 3. & patet ex Iſ. p. 41. *Annuntiate, quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus, quod dii eſtis vos*, a. demum quia id clare colligitur ex Deut. 18. cit. *Non inveniatur in te, qui ariolos ſciſcitetur, nec qui pythones conſulat, nec divinos, nec quærat a mortuis veritatem. Omnia enim hæc abominatur Dominus*.

ANIMADVERSIO III.

Hæc vero doctrina ex mox dictis rejicienda eſt. Et ſane quod ex natura ſua mortale peccatum eſt, communiter, & ut plurimum tale eſt, ut fornicatio, perjurium &c. atqui divinatio, in qua implicitum tantum cum dæmone pactum intervenit, juxta certam omnium ſententiam, ex natura ſua mortale peccatum eſt: ergo communiter, & ut plurimum tale eſt.

* Extat apud Gen. in fine tomi 6.

ANIMADVERSIO IV.

Ex phyſiognomia conjici poſſe temperiem corporis, atque hinc animi propenſiones, quæ inde derivantur, non diffiteor; ſi tamen hæ generatim conjiciantur, nec ad ſingularia deſcendatur: quia enim ſingulares affectiones, puta iræ, libidinis, &c. a multis, ac variis cauſis oriuntur, ignotæ ſunt; multo vero magis occultæ ſunt liberæ animi attentiones, aut diſſenſiones pravis inſurgentibus affectibus, ſeu paſſionibus. Itaque caveat phyſiognomon, ne ſuos limites prætergrediatur, & peccet.

Chiromantia vero ne ad temperiem quidem corporis conjiciendam confert. Nec enim lineæ, & ſigna, manuum palmis impreſſa, ex corporis temperamento, ſed ex earumdem manuum in utero matris complicatione proficiſcuntur, ut docti recentes phyſici animadvertunt. Ergo ad temperamentum, multoque magis ad vitæ brevitatem, vel diuturnitatem cognoſcendam inutiliter obſervantur. Ex manuum tamen tenuitate, craſſitie, humiditate, ſiccitate, aſperitate, lævitate, & conformatione aliquam temperamenti conjecturam ſumi poſſe, non diffiteor; quia hæc ex eodem temperamento oriuntur.

Item divinatio, quæ ex ſomniis conjectat hominis complexionem, & hinc &c. Somnia naturalia non ex ſolo temperamento, ſed ex aliis cauſis, ut ex animi affectibus præſertim vehementibus, ac diuturnis, cibi, potuſque ratione, & quantitate, aeris, locique natura, tempeſtatumque diverſitate oriri poſſunt, vel ex variarum cauſarum complicatione. Ex quo fit, ut ex ſomniis incerta ſit temperamenti conjectatio; multo vero magis incerta conjectura diurnarum animi affectionum, quæ præter enumeratas cauſas ex aliis fontibus, ut ex varia vivendi conſuetudine cum luſoribus, feminis, avaris, iracundis &c. multiſque fortuitis eventibus proficiſcuntur. His perpenſis, qui ex ſomniis diurnas animi ſuturas affectiones conjectant, non prudenter, ſed temerarie eas conjectant, & cum ſuperſtitionis ſuſpicione; quia, ut ait D. Th. 2. 2. q. 95. ar. 6. *divinatio, quæ innititur falſæ opinioni, eſt ſuperſtitioſa, & illicita*: at opinio, quæ putat ex ſomniis poſſe rationabiliter conjectari diurnas animi affectiones, ex mox dictis falſa eſt: ergo divinatio hac opinione nixa, eſt ſuperſtitioſa, & illicita.

Hinc explodendus eſt La-Croixius, qui p. 192. n. 10. ait: „ Credere ſomniis non eſt mortale, quando quis „ non omnino credit, rem in ſomno oſtenſam eſſe ve- „ ram, ſeu futuram, ſed tantum propter tale ſomnium „ aliquid de ſe non malum operatur, ut evitet malum, „ quod ſomnium minatur.

Hæc fides ſomniis præſtita, licet non certa, ſuperſtitioſa tamen eſt, ac implicitum cum dæmone, unde ſomnia immitti poſſunt, pactum includit; ideoque ex natura ſua mortalis juxta mox dicta ad c. 6. quia ſomnia ex natura ſua malum futurum, quod phantaſmata exhibent, portendere nulla ratione poſſunt.

At, inquit La-Croix, „ quamvis ſit aliqua levitas, „ vel ſimplicitas, aut nimia timiditas, tamen non ap- „ paret gravis malitia; quia non tam credit, illud eſſe „ a Deo, aut ideo eſſe verum, quam poſſe aliunde eſſe „ verum. “ Ita Suar. &c. Reſp. in fide ſomniis præſtita maxima levitas, aut timiditas emicat, unde ſuperſtitioſa fides, quæ eſt leſiſera, exiſtit. Quod ſi ratio eſſet credendi, ſomnium eſſe a Deo, nulla eſſet culpa ſomnio credere, imo illi credendum eſſet. Hinc Num. 12. dicitur. *Si quis fuerit inter vos propheta Domini, in viſione apparebo ei, vel per ſomnium loquar ad illum*; qua de re D. Th. 2. 2. q. 95. ar. 6. Si autem a Deo ſomnium non eſt, undenam poteſt eſſe verum, aut veroſimile, niſi a dæmone?

„ Ex quo infert Tambur. n. 22. ait La-Croix, (p. 192. „ n. 10.) hominem in ſomno ſæpius admonitum, ut cer- „ to loco terram effoderet, ſicque reperiret ollam auro „ plenam, non peccaſſe graviter, quamvis deceptus ſit, „ & invenerit ollam plenam nigris carbonibus. “ Reſp. videlicet ex malo, & falſo principio mala, & falſa concluſio ſponte eruitur. Admonitionem deſcriptam præſertim ter repetitam ex nigro ſpiritu derivatam homo pro certo habere, aut ſaltem ſuſpicari debuit; quod poſtea facta perſpicue oſtenderunt ollæ inventio, & nigri carbones in olla inventi. Graviter ergo peccavit, ſomnio, quod ex natura ſua tale quid manifeſtare non poterat, nec divinitus immiſſum ulla ratio oſtendebat, fidem habendo.

Aſtrologia naturalis, quæ effectus corporeos ... prædicit; imo etiam cum ex puncto nativitatis &c. *quia hæ divinationes omnes naturales ſunt* &c.

Divinationes naturalium effectuum ex aſtris, naturales eſſe non ſolum Aſtrologi, qui ſuam agunt cauſam, ſed etiam ex ſcholaſticis Philoſophis non pauci affirmant; at ſanior Aſtronomorum, & Philoſophorum pars id inficiatur. Nam ex cauſis generalibus non poſſunt præcognoſci effectus peculiares: aſtra ſunt cauſæ generales naturalium effectuum: ergo peculiares naturæ effectus ex aſtris præcognoſci non poſſunt. Peculiares naturæ effectus ex variis, & complicatis, occultiſque ut plurimum cauſis dependent, uti ſunt venti, pluviæ, grandines, ſterilitas, ſalubritas aeris, morbi &c. quos proinde ex ſtellis præcognoſcere velle, inane, ſtultum, ac temerarium eſt.

Adde, quod ſtellæ fixæ propter immenſam a nobis diſtantiam, vim admodum exiguam in hæc ſublunaria exerant: planetæ quoque, ſi Solem, & Lunam excipias, vel quia a nobis nimis diſtant, vel quia a Sole, unde omnis eorum vis derivatur, nimis remoti ſunt, vel quia non valde magni, parum virium quoad terreſtria corpora habent. Ex quo fit, ut tum ſtellæ fixæ, tum planetæ, ſi excipias Solem, & Lunam, ad prædicendos naturales effectus inaniter obſerventur; cum tamen Aſtrologi ſuas prædictiones non a Sole, & Luna, ſed aliunde deſumere ſoleant.

Aſtrologorum principia futilia ſane ſunt, & ad libitum conficta. Primo enim totum cæli ambitum in duodecim partes, ſeu regiones, quas ipſi domos appellant, dividunt. Sed cur cæleſtes domus ſunt duodecim, non pauciores, non plures? Cur prima domus infra horizontem ab ipſis ponitur, non ſupra? Cur hæc prima conficta domus, ab iis dicitur domus vitæ, non mortis? Cur ſecunda appellatur domus divitiarum, non paupertatis, tertia fratrum, non filiorum, aut parentum, & ſic deinceps? In hac ſcilicet diviſione, & denominatione nulla iis ratio, aut obſervatio præſto eſt; ſed ſui tantum cerebri commentis ducuntur.

Secundo cur Saturnus, ut ipſi volunt, triſtitiam ingerit, Mars iram, Jupiter hilaritatem, aliique planetæ alias affectiones? Nullam rationem ſui dicti afferre poſſunt.

Tertio dicant Aſtrologi, ſi poſſunt, cur planetarum aſpectus, puta trinus, & ſextilis, ſint, ut ipſi volunt, benefici quadratus vero, & oppoſitus malefici?

Quarto cur canicula, ut ipſi affirmant, æſtus cauſa eſt, plejades pluviarum, orion nimbiorum? Hæ conſtellationes circa terraqueum globum quotidie convertuntur; cur ergo certis tantum temporibus, ut ipſi comminiſcuntur, non ſemper ſuas in nos exerunt vires?

Præterea canicula, ut Gaſſendus phyſ. ſect. 2. lib. 6. obſervat, ultra Æquatorem ſita cum ſit, ſi quam vim habet, in ſubjectos auſtrales populos, quam in noſtras regiones fortius promeret. Attamen hiemem ii habent, cum nos caniculares dies agimus. Nimirum hæc, & alia multa ab Aſtrologis conficta, ex ſola plebeculæ credulitate, hominumque ignorantia invaluere.

Accedit, quod vel omnia ſidera, vel aliqua tantum ſublunaribus dominantur. Si aliqua tantum, erit aſſignanda ratio, cur alia dominium in hæc inferiora non habeant. Quod ſi omnia, quæ, qualis, & quanta ſit omnium ſiderum vis notum eſſe aſtrologis deber, ut futura prævideant; qui tamen ne eorum quidem numerum ſciens. *Numera ſtellas, ſi potes*, Gen. 15. Imo veteribus aſtrologis aſtrologiæ patentibus innumeræ ſtellæ nuperis temporibus & navigationum in auſtrales plagas, & teleſcoporum ope detectæ, ignotæ fuerunt.

Sed illud hic merito animadvertendum etiam eſt, Solis, & ſtellarum fixarum, quæ juxta doctiſſimos recentes Philoſophos totidem ſoles ſunt, vim totam ex luce, & calore eſſe petendam: planetarum vero virtus ex lumine a Sole mutuato deſumitur. Itaque quod a calore, & lumine ſeu inſito, ſeu aſcito, motuque cæleſtium corporum prædici poteſt, uti ſunt anni tempeſtatum viciſſitudines, eclipſes, variæ planetarum phaſes, & ſitus, id ex diligenti obſervatione rationabiliter prædicitur: at ſerenitates, tempeſtates, pluviæ, morbi &c. inde prædici non poſſunt: ergo ex aſtris hi naturales effectus præcognoſci nequeunt. Quod ſi quis contra rationem ad arabicas qualitates, occultaſque virtutes confugere velit, ex iis eo ipſo, quia ſunt occultæ, nihil indicii ſumi poteſt. Quare Iſ. 10. dicitur: *A ſignis cæli nolite metuere, quæ timent gentes*. Ipſæ fallaces naturalium effectuum prædictiones, inanem hanc quoque in re aſtrologiam eſſe evincunt. Aſtrologi, ut refert Iſaac Cardoſo philoſ. liberæ lib. 3. q. 21. ob plures, magnaſque conjunctiones in aqueis ſignis celebrandas, generale diluvium, immenſamque ſtragem anno 1524. menſe Februario futuram prædixerunt; attamen Februarius illius anni, impluvius, ac ſerenus, contra ac moris eſt, totus abiit. Gauricus, ut idem Cardoſo habet, Venetiarum Urbem terræ cohærentem anno 1600. fore aſſeruit.

Ludovicus XI. Francorum Rex, ut ait Purchot. Philoſ. t. 3. venatum quadam die iturus, aſtrologum interrogavit, futura ne eſſet illa dies ſerena, affirmavitque aſtrologus; at cum mox in carbonarium incidiſſet, hunc quo-

quoque ſciſcitatus eſt, qui pluviam imminere reſpondit, uti mox accidit. Quare Rex aſtrologo ex aula ejecto, carbonarium, aſtrologum agere juſſit. Accipe, ſi lubet, annuas aſtrologorum ephemerides, quibus tum ipſis annis ſuum ex ſtellis fatum, tum certis, ſeu ſingulis diebus pluvias, nubila, grandines, ſerenitates &c. adſcribunt, ac omnia diligenter animadverte, quæ toto anni tempore accidunt, eventuſque cum prædictionibus confer; ex hac ſola, & facili obſervatione intelliges, futilem eſſe divinationem ipſorum naturalium effectuum ex aſtris petitam. Huc quoque ſpectat illud Favorini apud Aulum Gellium lib. 14. noctium attic. c. 1. *Iſta omnia, quæ aut temere, aut aſtute vera dicunt, præ ceteris, quæ mentiuntur, non ſunt pars millesima.* Ex Luna tamen, quia nobis proxima eſt, majoremque vim, ſi Solem excipias, quam reliqua aſtra, in hæc ſublunaria corpora exerit, aliquam prænotionem, & agendi regulam quoad agriculturam, & alia ſimilia ſumi poſſe, non inficior. Quamquam omnia, quæ Lunæ vulgo tribuuntur, vera non ſunt. Ex. g. animalium oſſa medulla abundare, cancrorum carnem majora incrementa capere, piſces pinguiores eſſe in plenilunio, quam in aliis Lunæ phaſibus, teſte experientia falſum eſſe, ait Boyle Phyſ. tom. 2.

Illud quoque concedo, ex variis Lunæ coloribus imminentem pluviam, ventum, ſerenitatem prædici poſſe juxta illum vulgatum verſiculum, *Pallida Luna pluit, rubicunda flat, alba ſerenat:* quia varii illi colores ex diverſa aeris diſpoſitione, quæ eſt proxima illorum effectuum cauſa, proficiſcuntur. Verum ex aſtrorum motibus, poſitione, domibus prædici poſſe ventos, pluvias, fertilitates, morbos &c. ex dictis inficiandum omnino eſt; quos eventus ſi aſtrologi quandoque præſagiunt, vel temere, vel quia dæmon eorum ſe intermiſcet inquiſitionibus, præſagiunt.

Quæ hactenus dicta ſunt, multo magis in horroſcopi obſervatione, atque inde ducta complexionis, animique affectionum divinatione locum habent. Si enim ſtellæ fixæ aliquam in naſcentem puerum vim habent, quæ ſane exigua eſt, ac minor, quam fax in ejus cubiculo accenſa, majorem certe habent, quæ pueri meridianum attigere, quam quæ in horizonte verſantur. Præterea certum eſt, temperamenti diverſitatem non ex ſtellarum vi, quæ eadem eſt, non varia tum quoad omnes, tum præſertim quoad eos, qui eodem loco, & tempore in lucem prodeunt, ſed ex parentum, lactis, ciborum, aeris, exercitationum, aliorumque ſimilium varietate proficiſci. At mihi objicis D. Thomam, qui 1. p. q. 115. ar. 4. ad 3. ait: *Quod plures hominum ſequuntur paſſiones, quæ ſunt motus ſenſitivi appetitus, ad quas cooperari poſſunt corpora cæleſtia: pauci autem ſunt ſapientes, qui hujuſmodi paſſionibus reſiſtant; & ideo aſtrologi ut in pluribus vera poſſunt prædicere, & maxime in communi, non autem in ſpeciali.* Reſp. D. Thomas ait: *in communi, non in ſpeciali.* Quamquam S. Doctor pro temporis, quo ſcripſit, ratione, illud Aſtrologis conceſſit, quod recentes doctiſſimi Philoſophi illis denegant, & merito; ut mox dicta evincunt.

His ex philoſophia deſumptis, & conſtitutis ita ratiocinandum eſt. D. Thomas 2. 2. q. 95. ar. 2. ait: *Quod dæmones ingerunt ſe vanis inquiſitionibus futurorum, ut mentes hominum implicent vanitate, de qua vanitate dicitur in Pſ. 39.* Non reſpexit in vanitates, & inſanias falſas. *Vana autem inquiſitio futurorum eſt, quando aliquis futurum prænoſcere tentat, unde prænoſci non poteſt.*

Atqui ex mox dictis futuri naturales effectus, ut ſterilitates, morbi &c. ex aſtris prænoſci non poſſunt. Ergo inquiſitio futurorum naturalium eventuum ex aſtris eſt vana; ideoque ſuperſtitioſa, quia ex eodem S. Doct. dæmones ſe ingerunt vanis inquiſitionibus futurorum: ergo ex natura ſua mortalis culpa eſt; quia omnis divinatio etiam cum tacito dæmonis pacto, lethalis noxa eſt ex certa omnium ſententia, ut dictum eſt ad Reſp. 3. Huc referendum eſt illud Ap. ad Gal. 4. *Dies obſervatis, & menſes, & tempora, & annos. Timeo vos, ne forte ſine cauſa laboraverim in vobis.* [a] De his tamen divinationibus illud Genetti Theol. mor. t. 6. p. 124. q. 12. uſurpo. „ Sic licet ignorantia poſ„ ſit aliquando excuſare, ut ſi crederetur, rem ſciri „ poſſe per media adhibita, quæ cenſentur mere na„ turalia; nihilominus res eſt admodum periculoſa, „ nec facile quis ſibi perſuadere debet, aut etiam in „ his admodum delicatis ſibi adulari. “

Animadverſio V.

Qui divinos de fortuna conſulunt, mortaliter peccant, etiamſi non firma, ſed ſolum probabilis, & formidoloſa fides iis habeatur ex dictis ad c. 6. Hinc D. Aug. 2. ſuper Gen. ad litt. ait: *Quapropter bono Chriſtiano ſive mathematici, ſive quilibet impie divinantium, & maxime dicentes vera, cavendi ſunt, ne conſortio dæmoniorum animam deceptam, pacto quodam ſocietatis irretiant.* Et Lev. 19. dicitur: *Non declinetis ad magos, nec ab ariolis aliquid ſciſcitemini, ut polluamini per eos.*

Si vera cauſa curioſitatis, vel riſus, ut fit communiter, venialiter tantum. Ridiculum eſt putare, peccatum, quod ex natura ſua lethiferum eſt, fieri veniale, ſi curioſitatis, aut riſus cauſa fiat: ariolos de fortuitis eventibus conſulere ex natura ſua lethiferum peccatum eſt, ut patet ex auctoritate D. Aug. & Lev. mox allata. Ergo &c. D. Th. 2. 2. q. 95. ar. 2. ad 1. ait, quod *divinatio pertinet ad curioſitatem quantum ad finem intentum, qui eſt præcognitio futurorum; ſed pertinet ad ſuperſtitionem quantum ad modum operationis.* Curioſitas non tollit ſuperſtitionem divinationis, ſed ejus cauſa eſt; ideoque culpam mortalem non deſtruit, ſed efficit. Divinos conſulis ex curioſitate, ut ſcias, quid dicant, utrum vera, an falſa: ergo putas, eos poſſe dicere vera: ergo aliquam iis fidem habes; quod ad lethalem culpam ex dictis ſatis eſt.

D. Auguſt. a Sixto V. citatus, & ad Reſp. 3. relatus, eos, qui divinos in domum recipiunt, aut interrogant, chriſtianam fidem, & baptiſmum prævaricaſſe affirmat. Quacumque ergo ex cauſa ariolos interroges, mortifere peccas. Mortifere, inquam, peccas eo ſaltem nomine, quod eos ad ſuperſtitioſam divinationem, hoc eſt ad culpam mortalem inducis. In hæc ferme ſenſa loquitur quoque Concina Theol. t. 3. p. 58. n. 6.

Animadverſio VI.

Vana obſervantia, ſicut divinatio, eſt peccatum mortale ex genere ſuo &c. Recte, & vere.

Aliunde tamen, ſubdit Buſ., *fieri poſſe, ne non ſit mortale, docent Auct. ſupra cit. dub. 2. reſ. 3. 1. ratione ignorantiæ, ſi pactum &c. 2. ſi non &c.*

Vide hic animadverſiones in reſp. 3. a Buſ. citatam, & in c. 6. & 8.

Ignorantia a peccato mortali non excuſat, niſi ſit invincibilis, quæ ſi talis reipſa ſit, ab omni culpa liberat. Secunda Buſembaum excuſatio, „ Si non adhi„ beatur fides, licet timeatur ita eſſe, vel futurum, “ ex dictis locis citatis futilis eſt, & rejicienda.

Animadverſio VII.

Hoc exemplum ſuperſtitioni favere puto, quæ apud vulgum invaluit. Nulla enim ratio aſſignari poteſt, cur dies S. Joannis Baptiſtæ aptior ſit colligendis herbis, purgandis corporibus, cædendis arboribus &c. quam aliæ dies anteriores, aut poſteriores. Hæc vaniſſima obſervatio eſt, ex plebecula orta, quam Theologi inſectari, non fovere debent. Genettus Theol. t. 6. p. 124. q. 20. eam improbat, omneſque docti ſani cerebri rident.

Circa templum alicujus Sancti ter &c. die alicujus certi Sancti equis &c. ſi ſcilicet hæc fiant, ut major devotia &c.

Hæc ſcilicet ridicula, vana, & ſuperſtitioſa ſunt, quæ viris cordatis partim riſum, partim indignationem movent. La-Croix p. 194. n. 28. rectiſſime ait: „ „ Si ſigna, aut res vanæ adhibeantur ad effectum qua„ lemcumque obtinendum, eſt ſuperſtitio; quia Deus „ non immiſcet ſe rebus vanis: ergo effectus non poteſt „ eſt expectari, niſi a dæmone. “ Atqui trina circumductio jumenti circa templum alicujus Sancti, venæ ſectio die alicujus Sancti, & ſimilia ſunt res prorſus vanæ: ergo ſuperſtitioſæ. Mulicrcularum delirantium

I a eſt,

[a] Licet Apoſtolus feſtorum dierum legis veteris obſervationes, eo textu primario reprehenderet; nihilominus (quia ſacra Scriptura litterales quoque intelligentias plures admittit) ad id referri poteſt, ad quod ego illum traxi. Audiatur D. Auguſtinus lib. 2. ad Januarium, ſeu ep. 55. cap. 7. n. 13. „ Non itaque dies obſervamus, & annos, & menſes & tempora, ne audiamus ab Apoſtolo, *timeo vos, ne forte ſine cauſa laboraverim in vos.* Eos enim culpas, qui dicunt: non proficiſcar hodie, quia „ poſterna dies eſt, aut quia Luna ſic fertur; vel, proficiſcar, ut proſpera cedant, quia ita ſe habet poſitio ſiderum. Non „ agam hoc menſe commercium, quia illa ſtella mihi agit menſem; vel agam, quia ſuſcepit menſam. Non plantem hoc anno „ vineam, quia biſſextus eſt. Non autem quiſquam ſapiens arbitretur obſervatores temporum reprehendendos, qui dicunt: non „ proficiſcar hodie, quia tempeſtas exorta, aut non navigemus, quia adhuc ſunt hybernæ reliquiæ; nunc tempus ſeminandi eſt, „ quia imbribus autumnalibus terra ſatiata eſt; vel ſi qui forte alii naturales effectus circa motum aeris, & humores ad variam „ dicemporum qualitatem in ſiderum ordinatiſſima converſione notati ſunt, de quibus dictum eſt, cum conderentur; *& ſint „ in ſignis, & temporibus, & in diebus, & in annis.*

Digitized by Google

eſt, putare, his vaniſſimis rebus devotionem excitari: & adſcribere effectus meritis Sanctorum, cum ea fiunt, quibus Sancti irritantur.

Concilium Mechlin. anni 1607. tit. 45. cap. 3. ait, (apud Gen. t. 6. p. 141.) *Doceant, ſuperſtitioſum eſſe, expectare quemcumque effectum a quacumque re, quem res illa nec ex inſtitutione divina, vel approbatione Eccleſiæ producere poteſt*. Atqui deſcripta circumductio jumenti, & venæ ſectio nec ex divina inſtitutione, nec ex Eccleſiæ approbatione ſanitatem producere poſſunt. Ergo. Hinc D. Th. 2. 2. q. 96. ar. 4. ad 3. de reliquiarum geſtatione loquens, ait: *Si portentur ex fiducia Dei, & Sanctorum, quorum reliquiæ ſunt, non erit illicitum. Si autem circa hoc attenderetur aliquid aliud vanum, puta quod vas eſſet triangulare, aut aliquid aliud hujuſmodi, quod non pertineret ad reverentiam Dei, & Sanctorum, eſſet ſuperſtitioſum, & illicitum*. An obſervantiæ a Buſembao probatæ ad reverentiam Dei, & Sanctorum pertinent?

Addit Laym. ex Cajet. ſi homines rudes bona fide &c. aliquando in ſua ſimplicitate relinquendos, cum diſſiculter &c.

Hæc doctrina accommodatitia eſt. Homines in malis conſuetudinibus, a quibus ægre ſemper abducuntur, eſſe relinquendos, idem eſt, ac exitiales animæ morbos ſine remedio relinquere. Hoc nihil aliud eſt, niſi velle, ut ſacerdotes ſint canes muti, contra vitia latrare non valentes. Hoc repugnat Apoſtolo 2. ad Tim. 4. præcipienti: *Argue, obſecra, increpa in omni patientia, & doctrina*. Illam Buſembaum objectionem, quod difficulter a ſua mala conſuetudine homines abducendi ſint, præoccupat Ap. cum ſubdit: *Erit enim tempus, cum ſanam doctrinam non ſuſtinebunt, ſed &c. & a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur*. At quid inde? Ergo ne ceſſandum eſt? *Tu vero*, ait D. Paulus, *vigila, in omnibus labora, opus fac Evangeliſtæ, miniſterium tuum imple*. Itaque non Buſembaum, non La-Croix, qui p. 196. n. 36. ſimilia docet, non alii, quicumque ii ſint, ſed D. Paulus audiendus eſt, & præſſandum, quod Concilium Toletanum a Gen. t. 6. p. 136. q. 58. relatum, ait his verbis: *Quæ ignorantia, ſimplicitateque hominum, ſuperſtitioſe depellendorum morborum, aliarumque rerum inanes obſervationes temere irrepſerunt, eas omnes frequenti adhortatione, adductiſque rationibus confeſſarii, & concionatores a populorum animis evellere, & ab iis dediſcere curabunt*.

Nec damnandæ quædam devotiones .... cum certo numero, & magnitudine candelarum, & ſimilia, ſi fiant &c.

Si certus ille numerus, & magnitudo candelarum ſit juxta Eccleſiæ ritum, bene habet, ſi ſit præter Eccleſiæ ritum, & inſtitutionem, aut contra communem conſuetudinem, vana res eſt & ſuperſtitioſa, ut docet D. Th. 2. 2. q. 93. a. 2. inquiens: *Si autem aliquid... ſit præter Dei, & Eccleſiæ inſtitutionem, vel contra conſuetudinem communem, quæ ſecundum Auguſtinum pro lege habenda eſt, totum hoc reputandum eſt ſuperfluum, & ſuperſtitioſum*.

Multi excuſant etiam eos qui ſanant morſus &c. quod nutent illos &c.

Immo Dei providentia juxta altiſſimæ ſuæ ſapientiæ conſilia omnibus uno tempore conſulit; ſed nihil unquam fruſtra facit. Initio naſcentis Eccleſiæ ſigna, inter quæ illud eſt *ſuper ægros manus imponent, & bene habebunt*, frequentia erant, quia, ut ait S. Gregor. hom. 29. in Evang. *neceſſaria Eccleſiæ fuerunt. Ut enim ad fidem creſceret multitudo credentium, miraculis fuerat nutrienda*. At apud nos Catholicos, apud quos fides multis abhinc ſæculis profundas fixit radices, ſignorum frequentia, quia neceſſaria non eſt, ceſſavit. *Hinc enim eſt*, ait idem S. Gregorius, *quod Paulus dicit. Linguæ in ſignum ſunt, non fidelibus, ſed infidelibus*. Hinc interim puto, curationum gratiam, quam Deus impertire quidem poteſt, cui voluerit, ſed nunquam, niſi ſapientiſſime impertit, non eſſe facile admittendam, ſeu credendam. *Qui credit cito, levis corde eſt, & minorabitur*: Eccli. 19. præſertim cum veteratorum, & præſtigiatorum copia nunquam, & nuſquam deſit.

Ergo qui rabidorum canum morſus, aut alios morbos ſine naturalibus remediis ſanant, univerſe loquendo ſuſpecti eſſe debent; nec tamen ſingulares hujuſmodi perſonæ ſtatim damnandæ ſunt, ſed omnes circumſtantiæ, ac præſertim modus, quo morbi curantur, circumſpiciendæ, ut ſuperſtitionis lues caveatur, nec venuſta gratiæ gratis datæ ſpecies nos decipiat.

Quamquam Buſembaum, Laymannum, La-Croixium male docentes, *homines rudes bona fide, & ex devotione aliquem ritum ab Eccleſia non receptum* obſervantes, *aliquando in ſua ſimplicitate relinquendos*, ſatis refutaverim, addere tamen juvat aliud Ap. textum ad Tit. cap. 1. v. 12., ubi ait. *Dixit quidam ex illis proprius ipſorum Propheta*: Cretenſes ſemper mendaces, malæ beſtiæ, ventres pigri. *Teſtimonium hoc verum eſt*.

Ergo ne, ut Buſ., Laym., La-Croix inſinuant, tacendum? Audiatur Ap., qui ſubdit: *quam ob cauſam increpa illos dure, ut ſani ſint in fide*. Hinc D. Joann. Chryſ. in hunc locum ait. *Iſti quidem immundi ſunt; cæterum tu eorum cauſa ne taceas, & ſi illi non ſuſcipiant*, inquit, (*erant enim incredibiles, ſeu imperſuaſibiles*) *tu tamen quod tui eſt muneris, perfice; & ſi illi non obtemperent, tu tamen admone, conſule*.

ANIMADVERSIO VIII.

Ab uſurario peti poſſe ex cauſa mutuum ad uſuram, ex alibi dictis, & D. Th. 2. 2. q. 78. ar. 4. falſum eſt. Præterea jus verberum, & tormentorum non quibuſcumque, ſed ſolum ſuperioribus in ſubditos pro ratione auctoritatis competit, puta magiſtratibus, parentibus. Non ergo cuilibet cogere licet maleficum verberibus, aut tormentis, ut maleficium tollat. Præterea undenam tibi conſtare poteſt, maleficum poſſe, ſi velit, maleficium innocenter tollere? An diabolici hominis atteſtatio, ulla fide digna eſt? Si maleficus in promptu habet naturalia remedia tollendi maleficium, ea manifeſtare debet, ut novi maleficii ſuſpicio tollatur. Quod ſi ea prodere nolit, ſuæ fallaciæ vehemens indicium præbet. Ergo ut minimum res incerta eſt. At teſte Concina Theol. t. 3. p. 78. n. 5. *omnes aſſerunt, te illicite petere maleficii diſſolutionem, ſi incertus ſis, vel dubites utrum maleficus ſciat medium licitum, quo auferre maleficium queat*.

Tandem cur ad remedia naturalia, ad preces, jejunia, eleemoſynas, ſacramentorum frequentiam, Eccleſiæ benedictiones non confugis? Cur maleficii pœnam patienter non toleras? *Patientia vobis*, inquit D. Paulus, *neceſſaria eſt*. „ Ideo (ſapienter inquit Concina loco mox cit.) „ nunquam permitterem, ut quis a malefico peteret „ maleficii diſſolutionem. “ *Nam qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea*. Eccli. 13.

Hic animadverſione digna mihi videtur doctrina La-Croixii p. 197. n. 42. ubi ait: „ Non peccavit ruſticus „ apud Tambur. &c., qui cum audiret, dæmonem pa- „ ctum feciſſe cum avaro ſene, ut nemo theſaurum ter- „ ra defoſſum inveniret, niſi qui ſupra locum pultem „ comederet, ibi pultem comedit, & theſaurum invenit. “ Pultem quidem ſeu domi, ſeu in agro, ſeu alibi comedere, res eſt ex ſe indifferens; at pultem certo loco comedere diabolo duce, & doctore, ut theſaurum invenias, mihi ſane res indifferens non videtur, ſed impia. Omnis quippe communicatio cum dæmone impia eſt: atqui ruſticus in propoſita ſpecie cum dæmone commercium habuit, quia ejus doctrina, & ope uſus eſt: ergo impius fuit.

Diabolum conſulere, ejuſque opem implorare, graviſſimum ſine dubio crimen eſt: at perinde eſt ſeu diabolum conſulas, ejuſque opem implores, ſeu ejus documenta, & auxilia ab eo tibi ſponte oblata audias, & acceptes. Hoc alterum præſtitit ruſticus. Poterat enim diabolus deſcriptum cum avaro ſene pactum inire nemine, ſi voluiſſet, audiente: dum vero illud inire voluit, & iniit ruſtico audiente, huic obtulit ſua documenta, & auxilia: hæc ruſticus libens audivit, & accepit, iiſque uſus eſt: ergo graviſſime peccavit. Nec eſt, cur dicas, ruſticum uſum fuiſſe dæmonia doctrina, & ope, ut maleficium deſtrueret. Nam maleficium maleficio deſtruere impium eſt. Pluribus opus eſſe non puto, ut La-Croixii doctrina ex Tamburino deſumpta confutetur.

CAPUT II.

De irreligioſitate, ejuſque ſpeciebus.

Irreligio, quæ religioni opponitur per defectum, vel tendit directe ad irreverentiam Dei, & eſt tentatio Dei, aut perjurium: vel tantum tendit ad irreverentiam rerum ſacrarum, & eſt ſacrilegium, aut ſimonia. De perjurio in ſecundo præcepto; de reliquis hic.

DUBIUM I.

Quid ſit tentatio Dei.

Reſp. *Tentatio Dei eſt dictum, vel factum, quo* ANIMAD. I.
quis explorat, num Deus ſit potens, ſapiens, miſericors, aut aliquam perfectionem habeat. S. Thom. 2. 2. q. 97. art. 1. Sanch. &c. Ea eſt duplex, ſcilicet vel *formalis*, quando quis expreſſe dubitans de aliqua Dei perfectione, eam experiri cupit; ut ſi quis petat miraculum, quo pateſiat fidem catholicam eſſe

ve-

veram; vel Deus ſit miſericors, eum aripiendo a læſione: vel eſt *im ita, & interpretativa*, quando quis, etſi expreſſe non intendat Deum tentare, id tamen petit, vel agit, quod ſuapte natura eo referri videtur; *ut ſi quis ſe committat periculo, a quo vel nullo modo, vel vix poſſit eripi, niſi miraculoſe*; vel ſi media naturalie omittat, ſperans a ſolo Deo effectum, v. gr. in morbo periculoſo reſpueos medicinem, petenſque, ac ſperens a Deo temere ſanitatem. Nav. *c.* 51. Leſſ. *n.* 4. Item ſi ſine neceſſitate, & cauſa rudis abſque præparatione velit concionari, ſperans a Deo ſibi ſuggerendos conceptus. Suarez, Sanch. Leſſ. Laym. *l.* 4. *t.* 10. *c.* 5.

Unde reſolves.

1. Tentatio Dei formelis eſt peccatum ex genere ſun mortale io quacumque etiam meteria. Ratio eſt, qoia includit dubitationem de perfectionibus Dei, quæ in gravem Dei contemptum rednndat, vel magnam irreverentiam, curioſius agendo cum Deo, quaſi eum ludione. Leſſ. *l.* 2. *c.* 45. *d.* 1. Sanch. *l.* 2. *c.* 34. Suer. & ceteri commun.

ANIMAD. II. 2. *Interpretativa tentatio, cui dubitatio illa deeſt, plerumque eſt tantum peccatum veniale ob imperfectionem actus, ignorantiam, inconſiderationem, vel parvitatem periculi.* Imo ſæpe nullum eſt peccatum, quando ſcilicet juſta cauſa ſubeſt, v. g. Dei inſtinctus, neceſſites, vel pia utilites. Sayr. Tolet. Cajet. S. Thom. 2. 2. *q.* 92.

3. Si quis in puteum ſe conjiciet, ad decleraudem Dei erga ſe providentiam, aut ſupra prunee ambulet, ad innocentiam oſtendendam, eſt interpretativa tentatio Dei: uti etiam ſunt eæ probationes, quæ fiunt per ferrum candene, aquem ferventem, vel frigidam, &c. de quibus v. Binsfeld. & Delrium *l.* 4. *diſq* Licet enim Deus eliquando teles purgationes miraculoſe probarit, id contigit, vel quia Deo inſpirante factæ ſunt, vel quia innocentes ad eas compulſi ſunt liberati. Bonac. *d.* 3. *qu.* 9. *p.* 1.

DUBIUM II.

Quid, & quotuplex ſit ſacrilegium.

Reſp. Sacrilegium eſt violatio rei ſacræ, hoc eſt dicatæ cultui divino, & peccatum mortale ex genere ſuo, ſi opus ſpecialiter repugnat cum rei ſanctitate; *non vero, ſi generaliter tantum repugnet*, (*a*) quomodo omnia peccata mortalia generaliter repugnant ſanctitati, v. g. templi, ita ut ibi cum veniali peccato committantur. Eſt autem ſacrilegium triplex: Perſonale, quo perſona; Locale, quo locus; & Reale, quo res aliæ violantur. S. Thom. 2. 2. *qu.* 99. *art.* 3. & ceteri Theologi.

Unde reſolves.

1. Perſonale ſacrilegium eſt percuſſio Clerici, pertractio ejuſdem ad judicium ſæculare, item luxurioſa violatio perſonæ Deo per votum caſtitatis ſacratæ, de qua v. infra *t.* 4. *c.* 2. *d.* 6. *præced. dub.* 2.

2. Locale ſacrilegium eſt omnis actus, quo Eccleſia polluitur, ut eſt v. g. occiſio hominis, effuſio humani ſanguinis, vel ſeminis illicita, & notorie; ſepultura excommunicati, vel non baptizati: item ſi actus quidem profani fiant in Eccleſia, & repugnantes ejus immunitati, ut ſi negotiationes, illiciti concubitus, & ſpurcities, ſeditiones, concilia ſæcularia, ſtipulationes equorum, incendia, effractiones, ſpoliationes. Item ſi materie rei ſacræ, vel Eccleſiæ directe ad profanos uſos convertetur; ſi reus ex Eccleſia, velut aſylo, extrahetur; (*b*) niſi tamen ſit latro publicus, vel nocturnus populator agrorum, vel enorme maleficium fiducia aſyli iſtic commiſerit. Denique ſi furto auferantur res Eccleſiæ, aut ibi depoſitæ. Laym. *c.* 7. Bon. *q.* 6. *Si vero*

ANIMAD. III. *res ablata fuerit per accidens tantum in Eccleſia, v. g. crumena viri divitis, probabiliter non committi ſacrilegium, docet Dian. p.* 1. *c.* 3. *R.* 27. ex Fagund. & ſex aliis, contra Soarez, Laym. &c.

3. Reale ſacrilegium eſt indigna tractatio, & adminiſtratio Sacramentorum, ut ſi miniſtrentur, vel ſuſcipiantur cum peccato mortali. Item profanatio vaſorum, & inſtrumentorum ſacrorum: v. g. ſi quis calice utatur in convivio, ornamenta altarium, vel Sacerdotum ad uſus profanos applicet: intellige de iis, quæ conſecrari, vel ſaltem benedici ſolent: *nam ad nuptias, vel communem uſum adhibere ſape- tes, candelabra, pelvim, imo & manutergium, & cetera, quæ mediate ſerviunt miniſterio ſacro, non eſſe peccatum docet Tambur. expedit. ſacrif. l.* 1. *c.* 2. *niſi fiat ex aliquo contemptu ſaltem implicita, ut ſi ſemper, & indifferenter ſic utaris ſupradictis.* ANIMAD. IV. Atque idem affirmat de candelis, ramis, aqua, incenſo, & ſimilibus benedictis, quod in modicis iſtis benedictionibus non agatur cum tanto rigore ab Eccleſia, ut patet in pane, ligno, carbonibus, &c. benedictis. Vide *loc. c.* §. 3. Item violatio vel indigna tractatio ſacrarum imaginum, & reliquiarum. Item abuſus Scripturæ, ſacræ, , v. g. *ad ſtabiliendas hæreſes, vel res turpes*. Item raptura bonorum Eccleſiæ, ſuppreſſio piorum legatorum, vel jurium Eccleſiæ defraudatio, &c. Vid. Fill. *tr.* 24. *c.* 9. Regin. *l.* 19. *n.* 57. Suar.

4. Peccatur etiam ſacrilegio peccato omiſſionis, v. g. ſi quæ ad ſacrificium ſpectant, ut corporalia, & ſimilia, ſint valde immunda. (*c*) Bon. *de Euch.*

5. In confeſſione exprimenda eſt ſpecies, & materia ſacrilegii. Ratio prioris eſt, quia ſæpe diverſam malitiam habet, v. g. percuſſio Sacerdotis, & fornicatio cum eodem. Ratio poſterioris eſt, quia etiam materia aliquando auget, & addit malitiam, v. gr. ſi ſit contra Euchariſtiam, addit, ſecundum Gordonum, communi violationi rei ſacræ aliud peccatum contra latriam. ANIMAD. V. *Attingere autem nuda manu calices, patenas, aras ceteros, & cetera chriſmate delibuta non licet feminis, & laicis. Citra contemptum tamen non eſt mortale, ſi vacua ſint, & ſi cauſa ſubſit, nec veniale.* Suarez, Tamb. *loc.* §. 1. Sine cauſa autem veniale eſſe, docet Suar. Con. & alii commun. licet Tamb. *l. c.* ex Sa, &c. *contrarium cenſeat probabile: uti & ſi corporalia*, vel purificatoria laventur ab iiſdem. V. §. 2. Cetera autem, quæ Euchariſtiam immediate non contingunt, nec chriſmate unguntur, ut mappas, veſtes ſacerdotales, immediate contingere omnibus licet. Suarez, Laym. Tambur. *l. c.* ubi ex Paleo, &c. idem concedit de reliquis: ſicut etiam, ut eaſdem thecis incluſes penes ſe habeant; vel laici in publicis proceſſionibus geſtent. Idem docet cum Laym. de pyxide, *ſive ciboria, & lunula benedictis, quando ſacram Euchariſtiam nondum continuerunt. Item de corporalibus, pallis, & purificatoriis, quando poſt ſacrum uſum lota ſunt*: ex Laym. & Bonac. *imo etiam ante lotionem*. Laym. Tamb. *l. c.*

DUBIUM III.

De Simonia.

ARTICULUS I.

Quid ſit, & quotuplex?

Reſp. Simonia eſt ſtudioſa voluntas emendi, aut vendendi pretio temporali aliquid ſpirituale, vel ſpirituali annexum. D. Th. 2. 2. *q.* 100. *art.* 1. Laym. *l.* 4. *tract.* 10. *c.* 8. &c. Dicitur 1. *voluntas emendi*, &c. ANIMAD. VI. *quibus verbis intelligitur quivis contractus onerſus*, ſive venditionis, ſive locationis, ſive permutationis, aut renunciationis: *quia ſimonia non conſiſtit ſine pactione aliqua tacita, vel expreſſa, & obligatione ex pacto. Quod addo, quia obligatio naturalis quæcumque, ut gratitudinis, ſive antidoralis non ſufficit: v. g. quando quis ſperat, vel intendit tantum, non tamen obligat. Sa V. Simonia.* Ratio eſt, quia non facit contractum. V. Bon. *de Simon. d.* 1. *q.* 6. *p.* 1. Leſſ. *l.* 2. *c.* 35. *d.* 20. Dicitur 2. *pretio temporali*: ſive illud ſit muneris, ſive linguæ, ut eſt laus, vituperium, patrocinium; ſive obſequii, & famulatus. Dicitur 3. *ſpirituale*; quo nomine intelligitur *res ſupernaturalis ad ſalutem ordinata*, (*d*) ſive ſit formaliter talis, ut gratia, & dona Spiritus ſancti: ſive cauſaliter, ut ſunt Sacramenta, concio, preces, & ſacramentalia: ſive ſit affectus, & uſus poteſtatis ſupernaturalis, ut conſecratio, abſolutio, diſpen-

ſatio, benedictio, excommunicatio, electio, præſentatio, confirmatio, collatio beneficii, aliique actus juriſdictionis eccleſiaſticæ. Dicitur 4. *ſpirituali annexum*, ad comprehendendum ea, quæ non ſunt per ſe ſpiritualia, ſed ad ea ordinantur, iiſque ſunt annexa; ſive antecedenter, ut jus patronatus reſpectu beneficii; vaſa, & veſtes ſacræ reſpectu Sacramentorum: ſive concomitanter, ut labor in adminiſtratione Sacramentorum juxta ſenſum infra dicendum: ſive conſequenter, ut reditus beneficiorum, qui dantur propter officium ſpirituale. Unde patet, malitiam ſimoniæ conſiſtere in irreverentia, quæ committitur, dum res ſpirituales inſtar temporalium pretio æſtimantur, & contractibus ſubjiciuntur; atque eſſe peccatum mortale ex genere ſuo, nec veniale fieri poſſe ex materiæ levitate: quia nullum donum gratiæ, licet parvum, poteſt vendi ſine gravi irreverentia tum ipſiuſmet doni, tum etiam Dei. Poteſt tamen eſſe veniale ob actus imperfectionem, & ignorantiam: Suar. t. 3. *de rel. l.* 4. *c.* 36. Azor. Fill. Laym. *l. c.* Leſſ. *l.* 2. *c.* 35. *d.* 1.

Reſp. 2. Simonia eſt triplex. Prima dicitur mentalis, cum exterius vel nihil datur temporale, (& Animad. VII. dicitur pure mentalis) *vel cum aliquid datur, & dicitur mixte mentalis, cum intentione obligandi ad reddendum ſpirituale, ſine ullo pacto externo.* Secunda dicitur conventionalis, quæ ad ipſum pactum exterius procedit ſine reali executione; diciturque pura, ſi ſiſtat in mutua conventione; mixta autem, ſi de reali, & conventionali aliquid participet, ut v. g. ſi ex altera tantum parte realiter compleatur. Atque huc reducitur ſimonia confidentiæ, cum quis alteri dat beneficium, ut illud ſibi, vel alteri reſignet, vel cum onere dandi certam partem fructuum. Tertia dicitur realis, quæ ſcilicet utrimque realiter completur. V. Leſſ. *l. c. d.* 6.

2. Simonia dividitur in eam, quæ eſt juris divini, eſtque prohibita propter malitiam ſuam, v. g. oſtiam conſecratam vendere: & eam, quæ eſt juris humani, eſtque mala tantum propter prohibitionem, & ſic ab Eccleſia prohibetur 1. *Vendi-* Animad. VIII. *tio beneficiorum, ſecundum id, quod in ipſis temporale eſt, ſcilicet quoad jus præciſum percipiendi fructus.* 2. Venditio officiorum extrinſece tantum ordinatorum ad res ſacras, (*e*) v. g. Sacriſtæ, Oeconomi, Advocati Eccleſiæ, Theſaurarii. 3. *Obligatio pecuniæ alicui facta, ut ſuadeat alteri, ut det beneficium.* 4. *Pactio de reſignando beneficio, vel ſolvenda penſione, ſi alter beneficium ſibi impetret.* 5. *Permutatio, & reſignatio beneficiorum, item reſervatio penſionis ex beneficio reſignato, & in caſu permutationis beneficiorum æquatio fructuum* &c. Si abſque ſuperioris auctoritate fiant; quæ ſi accedat, licita erunt. 6. *Acceptio muneris, etiam ſponte oblati*, pro examine ad Parochiam, ex Trident. *ſeſſ.* 24. *cap.* 18. *pro collatione ordinum, pro tonſura, litteris dimiſſoriis*, ex Trident. *ſeſſ.* 21. *cap.* 10. Excipitur tamen decima pars aurei pro Notario, ſi ſalarium non habeat, & conſuetudo permittat. 7. *Exactio pecuniæ pro admiſſione ad religionem, non pro ſtatu tantum*, (is enim ſpiritualis eſt, ideoque jure divino invendibilis) *ſed etiam pro onere ſuſtentationis*: niſi Monaſterii tenuitas, vel conſuetudo contraria excuſent. V. Laym. *cap. ult.* Bon. *d.* 1. *q.* 1. & 2. Leſſ. Azor. 3. *p. l.* 12. *c.* 14.

Ex dictis reſolves.

1. Simonia eſt concionari, catechizare, Miſſas facere pro pretio, niſi excuſetur ratione laboris, non intrinſeci (is enim ſacer eſt, & inæſtimabilis; ſcilicet vel ipſa actio ſacra, vel in ea intrinſece incluſus) ſed extrinſeci, non annexi rei ſpirituali, ut pro labore itineris, vel cantus in Miſſa, vel ratione alterius incommodi pretio æſtimabilis. Ratio eſt, quia illæ actiones ex natura ſua ordinantur ad aliquid ſupernaturale, & ad ſalutem, non autem ad aliquid temporale; ſicut doctio quæcumque, etiam Theologiæ, quæ pretio æſtimabilis eſt. Bon. *l. c.* Suar. Fill. &c. *V. infra l.* 6. *t.* 3. *c.* 4. *d.* 1. Laym. *l. c.* §. 4.

2. Item ſimonia eſt dare, vel accipere pretium pro abſolutione a peccatis, cenſuris, pro diſpenſatione in voto, juramento, impedimento matrimonii, irregularitate &c. Poteſt tamen in his aliquid exigi *per modum mulctæ* (*f*) ad cauſam piam applicandæ. Laym. *l. c. n.* 10.

3. *Non eſt ſimonia dare aliquid ad redimendam* Animad. IX. *vexationem e negante Sacramenta in neceſſitate*, Suar. Leſſ. Laym. *vel ab inique impediente electionem, vel poſſeſſionem beneficii, ad quod jus in re habes.* Quod addo, quia ſi nondum habes jus in re, etſi poſſis redimere vexationem ab eo, qui tantum poteſt obeſſe, non tamen ab eo qui & prodeſſe, & obeſſe poteſt. Ratio eſt, quia non datur tanquam pretium æquivalens rei ſpirituali, ſed ut alter ad officium rite præſtandum inducatur. *Nec ſimiliter ſimonia eſt, dare ſtipendium ad ſuſtentationem Clerici etiam divitis pro Miſſis, concionibus, aut de eo etiam paciſci. Ratio eſt, quia non datur tamquam pretium ſpiritualis officii, ſed perſonæ in alterius gratiam occupatæ; nec pro operatione ſpirituali, ut ſpiritualis eſt, ſed ut in alterius gratiam ſuſcepta:* proindeque non eſt eleemoſyna, ſed debitum juſtitiæ. Suar. Laym. *l.* 4. *t.* 10. *cap. ult.* &c. contra Rich. Sylv. &c.

4. Non eſt ſimonia reddere, vel redimere penſionem mere temporalem: quia non fundatur in titulo ſpirituali, nec refertur ad functionem ſpiritualem. Dixi *temporalem*; quia ſpiritualis, quæ datur v. g. concionatori, vel coadjutori Epiſcopi propter officium eccleſiaſticum, in eoque fundatur, nec differt a beneficio, niſi quod non ſit perpetua, vendi nequit: *mixta vero, ut v. g. quæ datur Parocho ſeni, vel Clerico pauperi ad ſuſtentatio-* Animad. X. *nem, non quidem vendi poteſt: redimi tamen poteſt*, modo obligatio recitandi Officium B. V. impoſita non extinguatur. Quod intellige, ſi in loco, ubi fit venditio, Bulla ſit recepta. Ratio eſt, quia qui penſionem redimit, non emit jus ſpirituale, ſed extinguit onus temporale ſolvendi certam ſummam pecuniæ. Leſſ. *c.* 35. *dub.* 21. Suar. *c.* 26. *n.* 5. Laym. *l. c. n.* 46.

5. Non eſt ſimonia juris divini (etſi quandoque juris humani eſſe poſſit) *ſpirituale cum ſpirituali* Animad. XI. *permutare*, v. g. beneficium pro beneficio, reliquias cum reliquiis &c. vel *dare temporale pro temporali*, ut ſi calicem, vel agnos Dei præciſe ratione materiæ vendas; vel *dare temporale pro ſpirituali, per modum doni gratuiti, etiam cum ſpe, vel intentione excitandi ad remunerationem doni ſpiritualis, vel contra.* Ratio eſt, quia gratitudo non reſpicit pretium, ſed beneficium: nec ſolvit debitum juſtitiæ, ſed antidorale: quo non excluditur, quin gratis detur. Recte tamen monet Suarez, hujuſcemodi dona ob præſumptionem valde cavenda. *Item donare, promittere, vel negare temporale quippiam, ſub conditione operis ſpiritualis præſtandi, modo non fiat per modum retributionis, ſeu commutationis: v. g. ſi parens filio promittat munus, ſi Sacramenta frequentet.* Ratio eſt, quia hic non intervenit contractus oneroſus, ſed ſiſtitur vel in liberali donatione, vel donatione ſub tali conditione, & modo. Suar. *l.* 4. *c.* 45. Laym. *l. c. n.* 8.

ARTICULUS II.

Quæ ſit pœna Simoniæ?

Reſp. 1. *Sola ſimonia Confidentiæ, & Realis, in* Animad. XII. *Ordine, beneficio eccleſiaſticos, & Religionis ingreſſu pœnas juris ipſo facto inducit*: licet ob ingreſſum religionis raro incurratur, ut dictum eſt, vel ob tenuitatem Monaſterii, vel contrariam conſuetudinem receptam. Suar. *cap.* 56. & 57. Leſſ. *d.* 23. Laym. *l. c.* §. 7.

Reſp. 2. Ob ſimoniacam collationem, & ſuſceptionem ordinum, etiam primæ tonſuræ, incurritur excommunicatio, & ſuſpenſio Papalis. Leſſ. *diſp.* 24. Laym. *l. c.*

Reſp. 3. Ob ſimoniam Realem in beneficio eccleſiaſtico incurritur 1. Excommunicatio Papalis. 2. Irrita eſt electio, præſentatio, confirmatio, & inſtitutio: unde talis non facit fructus ſuos: *id-* Animad. XIII. *que etiam, licet a tertia perſona taliter proviſus id ignoraverit, niſi tamen contradixerit, vel niſi a tertio data fuerit pecunia per fraudem, ut redderetur* inha-

inhabilis, vel niſi bona fide poſſederit beneficium per triennium. Leſſ. *l.* 2. *cap.* 35. *d.* 31. Laym. *l.* 4. *t.* 10. *cap. ult.* Bon. *d.* 1. *q.* 7. *p.* 2. *n.* 20. ea Gom. Garz. &c. 3. *Efficitur inhabilis ad idem beneficium*, etiam per diſpenſationem Epiſcopi obtinendum, *aliis tamen beneficiis jure ipſo non privatur, nec ad alia obtinenda fit inhabilis ante ſententiam Judicis*, Suar. *c.* 54. *n.* 7.

Reſp. 4. Simonia Confidentiæ completa, dato, & accepto beneficio, licet accipiens promiſſionem viciſſim non impleverit, inducit 1. Excommunicationem Papalem utrique parti contrahenti. 2. Annullat reſignationem, & collationem beneficii, in quo eſt commiſſa; & inhabilitat ad idem poſtea obtinendum. 3. Privat omnibus beneficiis, & penſionibus ante obtentis; non tamen ante ſententiam latam. 4. Beneficia ſic collata ſoli Pontifici reſervantur. Leſſ. *cap.* 35. *d.* 26. Suar. *cap.* 43. Laym. *n.* 76. (*g*)

ARTICULUS III.

An, & cui reſtituendum quod ſimoniace acceptum?

Reſp. 1. *Nihil ſpirituale ſimoniace acceptum, præter beneficium* (ſub quo continetur penſio, ſecundum Bon. negante Leſſ.) *eſt reſtituendum*. Ratio eſt quia cetera vel reſtitui non poſſunt, ut Sacramenta, vel non ſunt reſtituenda ante ſententiam: cum Canones aliud non ſtatuerint, ea Leſſ. *n.* 68. Suar. Fill. &c. contra Azor. Laym. Bon. *d.* 1. *q.* 7. *p.* 5. *diſſ.* 2. Dixi *præter beneficium*; quia hoc retineri non poteſt, etiam ante judicis ſententiam: ut patet cum ea *cap. Si quis neque* 1. *q.* 1. tum ex 2. *Extrav. Cum deteſtabile de ſimonia*. V. Bon. *l. c.* ubi addit etiam fructus perceptos eſſe reſtituendos; tum quia nullo juſto titulo poſſunt retineri, cum adeptio beneficii ſimoniaca, ſit ipſo facto irrita: tum quia ſic expreſſe habetur in *Extrav. Cum deteſtabile, de ſimonia*. V. D. Th. 2. 2. *qu.* 100. *ar.* 6. Nav. *l.* 5. *Conſ.* 62. Leſſ. *l.* 2. *cap.* 35. *dub.* 31.

Animad. XIV.

Reſp. 2. *Pretium acceptum pro beneficio, collatione Ordinum, Sacramentorum, & Sacramentalium, ſi notabiliter excedat id, quod pro ſuſtentatione exigi poterat, item pro admiſſione ad Religionem, jure poſitivo reſtituendum eſt. Hoc tamen poſterius nonniſi poſt latam ſententiam, ſi admiſſus in Monaſterium maneat*; quia plerumque ratione alimentorum retineri poteſt, modo in communem uſum convertatur. V. Bon. *l. c.* Leſſ. *l.* 2. *c.* 35. *d.* 30.

Animad. XV.

Reſp. 3. *Acceptum pro beneficio, aliave re ſpirituali, non ſecuta collatione, jure naturæ reſtituendum eſt ei, a quo eſt acceptum: quia deeſt titulus retinendi, cum non præſtetur id, pro quo eſt datum. Si vero res tradita ſit, ſimonia utrinque completa, probabilius eſt reſtituendum eſſe Eccleſiæ, & non danti*; quia Eccleſia utrumque punire intendit, ut Leſſ. Laym. *hic l. c.* §. 9.

Animad. XVI.

Notæ.

(a) *Non vero ſi generaliter tantum &c. quomodo omnia peccata mortalia generaliter repugnant ſanctitati, v. g. templi, ita ut ibi cum veniali peccato committantur*.

An omnia peccata mortalia in templo admiſſa, veri nominis ſacrilegia non ſunt, novamque mortalem noxam non contrahunt? Hic ego non ſubtiles commentatores, ſed æquum piorum hominum ſenſum conſulo. Quis enim, ſi pio animo ſit, Eccleſiam laſcivia, vindictis, & quibuſcumque letiferis culpis turpiter, graviterque deturpari non ſentit, ipſo intimo ſenſu ſine ulla ratiocinatione id dictante?

Quod de furto rei non ſacræ in ſacro loco patrato hic contra Buſembau oſtendo animad. 3., hoc eſt, ipſum eſſe genuinum ſacrilegium, idem de alia criminibus omnino ſentiendum eſt.

An omnia crimina templi ſanctitati graviter non adverſantur? Ergo ſunt vera ſacrilegia.

Si ipſo Buſembau fatente negotiationes, concilia ſæcularia, ſtipulationes equorum, quæ ex ſe culpanda non ſunt, in Eccleſia peracta, ſacrilega ſunt, multo magis ſacrilega ſunt mortalia peccata.

Hæc quoad facta externa. Nam actus mortales internos furandi, adulterandi &c. extra Eccleſiam, at in Eccleſia conceptos, Eccleſiæ ſanctitatem non violare, eſt opinio teſte Concina Th. *t.* 3. p. 97. n. 6. valde communis. At, inquit Conc., *templum inſtitutum eſt, ut in eo loco peculiari cultu Deum adoremus non modo externo, ſed potiſſimum interno.. Quare non mihi videtur adeo manifeſtum eſſe, ut a ſacrilegio immunis ſit quicumque ſive interius, ſive exterius in Eccleſia delinquit*. Quid a me hic plura quæris?

(b) *Sive reus in Eccleſia, velut aſylo extrahatur*. Recte. *Niſi tamen ſit latro publicus, vel &c.*

Quinam ab Eccleſiaſtica immunitate excludantur, declarat, & definit Bened. XIII. in appendice Conc. Romani p. 176. n. 25. conſt. Ea quo divina.

(c) *Peccatur etiam ſacrilegio &c. v. g. &c. ſint valde immunda. Bon.*

At ſi hæc ſacra utenſilia *valde* quidem *immunda non ſint*, at immunda, erit ne actus Religionis iis uti? Rubricæ Miſſalis, quæ omnino audiendæ ſunt, inter defectus numerant, *ſi corporalia non ſint munda*.

(d) *Dicitur 3. ſpirituale, quo nomine intelligitur res ſupernaturalis ad ſalutem ordinata, ſive &c.*

Hac eadem intelligentia illud *ſpirituale* accipitur a Concina Th. *t.* 10. p. 79. n. 2., & a Wigandt tract. 10. ex. 7. Reſp. 2. p. 442.

Hæc animadverſio eo ſpectat, ne ſcrupulos contra Advocatos, Medicos, Ludi-Magiſtros, & alios pro mercede conſilia dantes, aut docentes moveamus.

D. Th. 2. 2. q. 100. a. 3. ad 3. ait. *Ille autem, qui habet ſcientiam, & non ſuſcepit eum hoc officium, ex quo obligetur aliis uſum ſcientiæ impendere, licite poteſt pretium ſuæ doctrinæ, vel conſilii accipere, non quaſi veritatem, aut ſcientiam vendens, ſed quaſi operas ſuas locans. Si autem ex officio ad hoc teneretur* (ut Medici, Advocati, artium, & ſcientiarum Doctores conducti) *intelligeretur ipſam veritatem vendere. Unde graviter peccaret*. Hac de re loquitur S. Doct. in eundem ſenſum quæſt. 71. c., & ad 2.

At aliud eſt de uſu donorum ſupernaturalium, uti ſunt ſacræ conciones, catecheſes, conſilia in animæ ſalutem, & ſimilia; quæ ſine Simoniæ labe vendi non poſſunt. De his Chriſtus Matth. 10. v. 8. dixiſſe intelligitur: *Gratis accepiſtis, gratis date*. Quod concedit quoque Buſ. hic ca. 1. Vide etiam, ſi lubet, Concinam loco cit. p. 103. n. 20., & Wig. p. 447. n. 138.

(e) *Venditio officiorum extrinſece &c. v. g. Sacriſtæ &c.*

Hanc Buſ. ſententiam probat Wig. tract. 10 ex. 7. p. 448. Reſp. 4., & Concina Th. *t.* 10. p. 80. n. 3.

(f) *Poteſt tamen in his aliquid exigi per modum &c.*

Hoc eſt Sacerdos pœnitenti Satisfactionis loco eleemoſynas imponere poteſt, & aliquando debet; qua tamen in re valde caveat, ne ſuam cauſam agat, & avaritiam foveat cum pœnitentis ſcandalo. Nam de mulctis, aut expenſis pro abſolutione a cenſuris, & diſpenſationibus ex Romanis Conſtitutionibus ſubeundis noſtrum non eſt judicare. Viderint Miniſtri, ne emungant, aut extorqueant quod leges non permittunt.

(g) De Simoniacorum pœnis legi poſſunt Concina Th. *t.* 10. lib. 1. diſſ. 3. cap. 8. p. 129. Natalis Alex. Th. *t.* 2. cap. 7. a. 4. p. 30. Anacletus *t.* 5. juris can. lib. 5. decr. t. 3. §. 11. p. 112., & ſeq.

Animadversio I.

HÆC doctrina abſolute, & ſine reſtrictione, ſeu explicatione tradita multos ſanctos lædit, qui pericula ſe commiſere, e quibus nulla ratione, niſi per miraculum eripi potuerunt; ut cum S. Joannes de Deo impavidus in ignem proſiliit, ac per dimidiam horam inter flammas jam in immenſum ſuccreſcentes verſatus eſt; (Brev. Rom. 8 Martii.) Et cum S. Raymundus de Pennafort ex inſula Baleari majori fugiens, pallioque ſuper maris undas extenſo inſidens, Barchinonam exiguo temporis ſpatio pervenit (Brev. Rom. 23. Jan.). His exemplis plena eſt eccleſiaſtica Hiſtoria. Itaque hic quoque audiendus eſt D. Thomas 2. 2. qu. 97. art. 1. inquiens: *Sed quaſi interpretative Deum tentat, qui, etſi non intendit experimentum de Deo ſumere, aliquid tamen petit, vel facit, quod ad nihil aliud eſt utile, niſi ad probandam Dei poteſtatem, vel bonitatem, vel cognitionem*. Mox ſubdit: *Quando ergo propter aliquam neceſſitatem, vel utilitatem committit ſe aliquis divino auxilio in ſuis petitionibus, vel factis, hoc non eſt Deum tentare. Dicitur enim in 2. Paral.* 20. Cum ignoremus, quid agere debeamus, hoc ſolum habemus reſidui, ut oculos noſtros dirigamus ad te. *Quando vero hoc agitur abſque utili-*

Digitized by Google

utilitate, & neceſſitate, hoc eſt interpretative tentare Deum. Hactenus S. Th. Hinc ſi cum La-Croixio p. 197. n. 46. quæras, utrum ſit tentatio Dei petere, ut Deus voluntatem ſuam manifeſtet aliquo miraculo; reſpondeo juxta mox allatam D. Thomæ doctrinam, eſſe, ſi nulla ſit neceſſitas, vel utilitas hujuſmodi manifeſtationis; ſi autem ea manifeſtatio ad Dei gloriam, vel proximi ſalutem ſit neceſſaria, vel utilis, non erit tentatio Dei. Nam falſum eſt, quod apud La-Croixium ait Valentia, ad tentationem Dei requiri, ut aliquis de aliqua Dei perfectione dubitet. Id requiritur quidem ad expreſſam Dei tentationem, non ad implicitam, ſeu interpretativam, ut liquet ex citatis D. Thomæ verbis.

Animadverſio II.

Interpretativa Dei tentatio divino præcepto adverſatur, *Non tentabis Dominum Deum tuum*, Deut. 6. & Matth. 4. & ad Dei irreverentiam pertinet; ideoque ea natura ſua letalis culpa eſt: culpa autem natura ſua letalis, plerumque talis eſt, & ex accidenti raro fit venialis. Ignorantia Decalogi vincibilis eſt, nec a mortiferis culpis contra eum admiſſis excuſat, quidquid Buſ. aut alii contra dicant; inconſideratio, quæ ad ignorantiam facti pertineat, excuſabit, ſi ſit involuntaria, ſecus ſi voluntaria fuerit aut in ſe, aut in cauſa. Parvitas vero materiæ tentationem venialem non efficit; quia non minus repugnat Dei præcepto qui illum in re parva, quam qui in re magna tentat; æqualem enim injuriam illi irrogat; cum gravitas injuriæ non ex rei magnitudine, ſed ex ipſa tentatione, quæ eo ex natura ſua ſpectat, ut divinarum perfectionum experimentum capiat, deſumatur. Hanc ſententiam probat P. Concina Theol. t. 3. p. 92. n. 4. eamque a Suarezio, Sanch. Salmant. aliiſque pluribus defendi, ait.

Animadverſio III.

Niſi mihi nota eſſet verſatilis probabilitatis indoles, mirarer, quod a ſacrilegio purgetur furtum hic deſcriptum. Can. *Quiſquis* 17. qu. 4. dicitur: *Similiter ſacrilegium committitur, auferendo ſacrum de ſacro, vel non ſacrum de ſacro, ſive ſacrum de non ſacro*. In propoſita Buſ. ſpecie aufertur non ſacrum de ſacro: ergo ſacrilegium perſpicue admittitur. Nonne Buſembao fatente, negotiatio, ſæculares cœtus, equorum ſtipulationes in Eccleſia peractæ, ſacrilegia ſunt? ergo multo magis furtum. Hinc D. Th. 2. 2. q. 99. art. 1. ait: *Omne illud, quod ad irreverentiam rerum ſacrarum pertinet, ad injuriam Dei pertinet, & habet ſacrilegii rationem*. An furtum ſeu crumenæ, ſeu cujuſcomque alterius rei in Eccleſia commiſſum, ad irreverentiam rei, ſeu loci ſacri non pertinet? Quid ergo contra opinari, aut diſputare nonnulli audent?

Animadverſio IV.

D. Thom. 2. 2. qu. 99. art. 1. ait, quod *ſacrum dicitur ex eo, quod ad divinum cultum ordinatur*: atqui tapetes, candelabra, &c. Eccleſiæ, ordinata ſunt ad divinum cultum: ergo ſunt res ſacræ. Adhibere autem res ſacras ad uſum profanum, evidens eſt in eas irreverentia, evidenſque culpa. Hanc irreverentiam, & culpam quiſque pius agnoſcit, qui intimo quodam horroris ſenſu tangitur, ſi tapetes, candelabra, & cetera Eccleſiæ ornamenta profanis uſibus adhiberi intellexerit. Hinc idem D. Th. qu. 99. cit. art. 3. res ſacras quoad ſuum ordinem, & dignitatis locum recenſens, penultimo loco numerat *ea, quæ pertinent ad ornatum Eccleſiæ, & miniſtrorum*; ac demum ita concludit: *Quicumque autem contra quodcumque prædictorum peccat, crimen ſacrilegii incurrit*. Quid majori veneratione dignum eſt, ſuppellex ne templi Hieroſolymitani, an noſtrarum Eccleſiarum, quarum illud fuit figura? At Balthaſar Rex Babylonis divinam ultionem expertus eſt, quod ipſe, ejuſque optimates, uxores &c. in vaſis aureis, & argenteis templi Hieroſolymitani biberint. (Dan. 5.) Nec eſt, quod dicas, Balthaſarem in contemptum bibiſſe. Hoc enim Scriptura non memorat; imo cum in iis nonniſi ipſe, & perſonæ apud eum honoratiores biberint, ea vaſa in honore habuiſſe viſus eſt. Tota ergo ejus culpa in eo fuit, ut ſacra vaſa uſu profano pollueret. Hinc c. 43. conſec. d. 1. dicitur: *Ad nuptiarum ornatum divina miniſteria non præſtentur; ne dum improborum contactu, pompaque ſæcularis luxuriæ polluantur, ad officia ſacri myſterii videantur indigna*, & c. 39. ejuſdem diſt. Clemens Papa inquit: *Altaris palla, cathedra, candelabrum, & velum, ſi fuerint vetuſtate conſumpta, incendio dentur; quia non licet ea, quæ in ſacrario fuerint, male tractari, ſed incendio univerſa tradantur*.

Aliud eſt de pane, ovis, agno benedicto, & aliis hujuſmodi, quæ ad ſacrum uſum non ſunt deſtinata.

Item abuſus Scripturæ ſacræ, v. g. ad ſtabiliendas hæreſes, vel res turpes: item ad ſcurrilia, fabuloſa, vana, adulationes, detractiones &c. Conc. Trid. ſeſſ. 4. de edit. & uſu ſac. libr.

Animadverſio V.

Attingere autem nuda manu calices, patenas &c. non licet feminis, & laicis. Hactenus recte, & vere. At poſt addit: *Licet Tamb. ex Sa, &c. contrarium cenſeat probabile*, hoc eſt ne veniale quidem peccatum eſſe, ſi laici, & feminæ ea ſacra inſtrumenta etiam ſine cauſa tangant.

Hoc vero non eſt probabile, ſed aperte falſum. Nam Sixtus Papa cap. 41. *In ſancta* d. 1. de conſec. ait: *In ſancta hac apoſtolica ſede ſtatutum eſt, ut ſacra vaſa non ab aliis, quam a ſacratis, Dominoque dicatis contrectentur hominibus. Indignum enim valde eſt, ut ſacra Domini vaſa, quæcumque ſint, humanis uſibus ſerviant, aut ab aliis, quam a Domino famulantibus, eique dicatis tractentur viris*. Et Stephanus Papa c. 42. *Veſtimenta* d. 1. cit. inquit: *Veſtimenta eccleſiaſtica, quibus Domino miniſtratur, & ſacrata debent eſſe, & honeſta... quæ nec ab aliis debent contingi, aut ferri, niſi a ſacratis hominibus; ne ultio, quæ Balthaſſar Regem percuſſit, ſuper hæc tranſgredientes, & talia præſumentes veniat, & corruere eos faciat ad ima*.

In his textibus notanda ſunt illa verba, *indignum enim valde eſt*; item illa, *ne ultio, quæ Balthaſſar* &c. *veniat, & corruere eos faciat ad ima*; quæ gravem culpam denotare videntur. Itaque illud quoque Buſembaum, „citra contemptum tamen, non eſt mortale, „ſi vacua ſint“ ſuſpectum mihi eſt; quia cum citatis ſummorum Pontificum oraculis concordare mihi non videtur. Hinc Nat. Alex. Theol. t. 2. p. 497. art. 13. ait: „Sacrilegii etiam rei ſunt, qui ſacra vaſa tra„ctare, ſeu tangere non verentur, cum ſacris initiati „non ſint, nec licentiam habeant.“

Nam c. 32. d. 23. dicitur: *Non liceat cuilibet ex lectoribus ſacra altaris vaſa portare, nec aliis, niſi iis, qui ab Epiſcopo Subdiaconi fuerint ordinati*.

Corporalia porro, & purificatoria non a feminis, aut laicis, ſed a ſubdiaconis, aut ſuperioribus gradibus abluenda ſunt; eademque corporalia, & pallæ, quia ex lotione conſecrationem non amittunt, tangi non debent, niſi a prædictis, vel de licentia, etiam poſtquam lota fuerint.

Animadverſio VI.

An ſine contractu oneroſo non eſt ſimonia? Minime, inquit Buſembaum.

Quia ſimonia non conſiſtit ſine pactione aliqua tacita, vel expreſſa, & obligatione ex pacto.

Verum hoc falſum eſt; quia ut ſimonia admittatur, ſufficit prava voluntas paciſcendi de re ſpirituali, vel huic annexa, ut patet ex definitione ſimoniæ mox allata, & ab ipſo Buſembao approbata. Hinc Simon Magus, in nova lege impius ſimoniæ parens (Act. 8.) oblatione pecuniæ Apoſtolis facta, ut ſpiritualem poteſtatem obtineret, ſimoniam admiſit, etiamſi Apoſtoli in eam nec expreſſe, nec tacite conſenſerint, ſed execrati fuerint. Ex quo fit, ut ſimonia ſubſiſtat ſine obligatione ex pacto, contra ac falſo ait Buſembaum.

Quod addo, quia obligatio naturalis quæcumque, ut gratitudinis &c. *v. g. quando quis ſperat* &c.

Hoc quidem eſt conſectarium doctrinæ a Buſembao mox traditæ. At doctrina mox tradita aperte falſa eſt: ergo præſens quoque conſectarium eſt falſum.

Et ſane quod nec vendi, nec emi poteſt, ne in compenſationem quidem gratuitam, ſeu antidoralem bonorum temporalium dari, aut accipi valet. Quod enim datur, aut accipitur in hujuſmodi compenſationem, pretio æſtimabile eſſe debet, ut hinc inde aut æqualitas, aut aliquid æqualitati ſimile exiſtat. Itaque illa additio Buſembau, *quod addo, quia* &c. damnatur in propoſit. 45. ab Innoc. XI. proſcripta, quæ talis eſt. *Dare temporale pro ſpirituali non eſt ſimonia, quando temporale non datur tanquam pretium, ſed dumtaxat tanquam motivum conferendi, vel efficiendi ſpirituale, vel etiam quando temporale ſit ſolum gratuita compenſatio pro ſpirituali, aut e contra*.

Hinc tit. 3. de ſimon. c. 34. de Clerico, qui pure ſine pacto, vel conditione qualibet bona ſua Eccleſiæ largitur, hæc habentur. *Si tamen qui talem donationem facit, ea intentione ducatur, ut per temporalia bona, quæ offert, ſpiritualia valeat adipiſci, & Clerici, qui eum in Fratrem admittunt, non eſſent eum, niſi commoda temporalia perciperent, admiſſuri, ſine dubio tam ille, quam iſti apud diſtrictum Judicem, qui ſcrutator eſt cor-* dium,

Digitized by Google

dium, *culpabiles judicantur*. Et D. Th. 2. 2. qu. 100. art. 5. ad 2. ait: *Si tamen aliquis det beneficium eccleſiaſticum alicui hoc pacto*, *vel intentione*, *ut exinde ſuis conſanguineis provideat*, *eſt manifeſta ſimonia*: & ad 3. inquit: *Munus a lingua dicitur vel ipſa laus pertinens ad favorem humanum*, *qui ſub pretio cadit*, *vel etiam preces*, *ex quibus acquiritur favor humanus*, *vel contrarium evitatur*. *Et ideo ſi aliquis principaliter ad hoc intendat*, *ſimoniam committit*. *Videtur autem ad hoc principaliter intendere*, *qui preces pro indigno porrectas exaudit*. *Unde ipſum factum eſt ſimoniacum*. *Si autem preces pro digno porriguntur*, *ipſum factum non eſt ſimoniacum*; *quia ſubeſt debita cauſa*, *ex qua illi*, *pro quo preces porriguntur*, *ſpirituale aliquid confertur*. *Tamen poteſt eſſe* (nota) *ſimonia in intentione*, *ſi non attendatur ad dignitatem perſonæ*, *ſed ad favorem humanum*.

At hic inquit Anacl. Theol. Mor. p. 202. n. 41. *Si quis det honorariam* (puta munera, obſequia, laudes) *alteri* (ut Epiſcopo, beneficii patrono, electori) *ad captandam dumtaxat ejus benevolentiam*, *vel conciliandam amicitiam*, *ut poſtea ſui memor ex benignitate conferat beneficium*, *vel aliam rem ſpiritualem*, *non committit ſimoniam*; *quia deeſt pactum*, *& totum hinc inde gratis datur*.

Illud hic omitto, Anacletum ſibi contradicere. Qui enim vult ſibi puta, ab Epiſcopo beneficium conferri ex benignitate, ejus dumtaxat benevolentiam non vult, ſed aliquid aliud, hoc eſt ipſum beneficium, imo hoc principaliter; quia in hujus gratiam, benevolentiam collatoris per munera, & obſequia captat. Hic beneficiorum auceps, avarus eſt, ambitioſus, turpis, fraudulentus, injuſtus. Avarus eſt, quia emolumenta ex largitione aucupatur: ambitioſus, quia honores præter dignitatem quærit; nec enim eccleſiaſticis gradibus digni ſunt, qui eos ambiunt; turpis, quia Epiſcopi benevolentiam tanti facit, quanto ſibi conſtat: fraudulentus, quia dum Epiſcopi veneratur, & benevolus videri vult, nihil aliud ſpectat, niſi ſuam utilitatem, & honorem: injuſtus, quia quantum in ipſo eſt, beneficia dignis eripit, ſibique indigno quærit.

Sed eſt etiam ſimoniacus; quia dat temporale tanquam motivum conferendi, ſeu efficiendi ſpirituale; cum per obſequia, & munera benevolentiam captans, eo demum ſpectet, ut eorum ope ſpiritualia conſequatur; quæ doctrina damnatur in prop. 45. mox allata. Huc ſpectant auctoritates mox adductæ. Nam perinde eſt, ſeu collator, beneficii collatione emolumenta ſæcularia quærat, ſeu quicumque munerum collatione eccleſiaſtica beneficia. Neque enim quia intervenit Prælati benevolentia, ſimoniæ labes abſtergitur; quia ſcilicet munera, & obſequia hinc non amittunt vim motivam efficiendi ſpirituale beneficium, imo hinc eam acquirunt; nec enim eam vim haberent, niſi Prælati animum erga peſſimum largitorem conciliarent. Itaque ſi hujuſmodi munera, ſimoniaca eſſe deſinunt, quia benevolentiæ interventu moveant ad ſpiritualia conferenda, nulla munera eſſent ſimoniaca; & quia nulla munera ſine accipientis benevolentia movent ad conferendum ſpirituale. Quod ſi res ita eſt, fruſtra damnata eſt prop. 45.

La-Croix p. 199. n. 61. ait: „ Docent Sanch. Mald. „ Sylv. &c. ſi temporale non æquiparetur ſpirituali, „ non eſſe ſimoniam, licet ſpirituale intendatur, aut „ fiat principaliter propter temporale, quamvis fateantur, in eo poſſe eſſe aliquam inordinationem, ſaltem „ venialem. “

Quodnam diſcrimen, quæſo, eſt inter hanc doctrinam, & prop. 45. proſcriptam?

Si temporale aliquid detur pro ſpirituali, etiamſi non detur ut pretium, (idem eſt, etiamſi ei non æquiparetur) ſed ſolum ut motivum rei ſpiritualis, ſimonia eſt, damnata in prop. 45. Idem porro ſonant illa La-Croixi verba, *licet ſpirituale intendatur principaliter propter temporale*, quod temporale ſcilicet datur, aut fit, ut ſpirituale aliquid obtineatur. Et contra eadem ſimonia eſt, ſi ſpirituale fiat, aut detur principaliter propter temporale.

At inquit La-Croix: „ Rationem dant, quia tem„ porale illud non intenditur tanquam pretium, (hoc principio nixi ſunt, qui propoſitionem 45. proſcriptam litteris conſignarunt) „ ſed tanquam eleemoſyna, vel „ ſtipendium, quod ex officio peti poteſt pro ſuſtenta„ tione, & ideo Cong. & Burg. univerſaliter ſic ha„ bent: *Non eſt reprehenſibilis*, *qui bona opera facit*, *ut* „ *aſſequatur bonum temporale*. “ (Si ita eſt, emendandum eſt Evangelium Matth. 6. ubi dicitur: *Attendite*, *ne juſtitiam veſtram faciatis coram hominibus*, *ut videantur ab eis*. Honor enim, & laus ſunt bona temporalia.) „ *Quia bona opera ſunt media ordinata a Deo*, *non* „ *tantum ad bona ſpiritualia*, *ſed etiam ad temporalia*. „ Ergo qui illa adhibet, ut media ad bona temporalia „ obtinenda, ſecundum illos non peccat, dummodo „ habitualiter paratus ſit etiam ſervire Deo, quamvis non daretur tale bonum temporale. “ Ita La-Croix.

Reſp. Quomodo habitualiter paratus eſſe poteſt ſervire Deo, quamvis non daretur tale bonum temporale, qui principaliter ſpiritualia opera edit, ut bonum temporale acquirat? Qui hunc principalem finem in ſuis ſpiritualibus operibus, puta Miſſa, horis canonicis, Parœciæ officiis ſibi proponit, ita animo affectus eſt, ut talia ſpiritualia opera omitteret, niſi temporalia commoda conſequeretur. Itaque in eo ſophiſtica eſt La-Croixii ratio, quod quæri poſſit veluti finis principalis operum ſpiritualium, quod quæri poteſt veluti eleemoſyna, & ſuſtentationis ſtipendium.

At iterum objicit, „ Qui dat ſacerdoti temporale ſti„ pendium, per illud principaliter intendit Miſſam, „ quæ eſt aliquid ſpirituale, & tamen non eſt ſimonia„ cus: ergo viceverſa qui dat, vel facit aliquid ſpi„ rituale principaliter pro temporali, tanquam ſtipen„ dio, non eſt ſimoniacus. “

Reſp. Hæc objectio, ſicuti proxima ſuperior, eo natura ſua tendunt, ut propoſitionis 45. proſcriptionem in nihilum redigant. Si qui ſacerdoti dat ſtipendium, per illud principaliter intendat Miſſam, eſt manifeſtus ſimoniacus, damnatus in prop. 45. quia dat aliquid temporale tanquam motivum efficiendi ſpirituale. Similiter manifeſtus ſimoniacus eſt ſacerdos, qui Miſſam principaliter celebrat pro ſtipendio. Qui contra loquuntur, in meridiana luce prop. damnatarum ſponte cæcutiunt. Hinc Catech. Concilii Trid. p. 2. c. 7. n. 4. ait: *Quamvis enim ex Apoſtoli ſententia*, *naturæ*, *&* *divina lex jubeat*, *ut qui altari ſervit*, *ex altari vivat*, *tamen quæſtus*, *& lucri cauſa ad altare accedere*, *maximum* (non venialis culpa, ut volunt Scriptores a La-Croixio citati) *ſacrilegium eſt*. Et c. 11. *Non ſolum* q. 3. cau. 1. ita habetur: *Non ſolum venditores ſunt columbarum*, *& domum Dei faciunt domum negotiationis*, *qui ſacros ordines*, *largiendo pretium pecuniæ*, *vel laudis*, *vel etiam honoris*, *ingerunt*; (idem eſt profecto, niſi deſipimus, largitione pecuniæ, vel laudis &c. inquirere ordines, ac Miſſam ab alio celebrandam) *verum ii quoque*, *qui gradum*, *vel gratiam in Eccleſia ſpiritualem*, *quam Domino largiente perceperunt*, *non ſimplici intentione*, *ſed cujuslibet humanæ cauſa retributionis exercent*. Adeo hæc clara, & decretoria ſunt contra eos, qui pro ſtipendio Miſſam principaliter celebrant, ut nihil ſupra.

P. 202. n. 74. Idem La-Croix ita habet. „ Si quis „ etiam antecedenter det aliquid, vel præſtet obſequium „ temporale, non intendens in altero ſtrictam obliga„ tionem, neque debitum ad hoc, vel aliud determi„ nate, ſed tantum expectans naturalem gratitudinem, „ ad quam quiſque obligatur poſt acceptum benefici„ um; vel e contra ſi quis præſtet beneficium ſpiri„ tuale ſic expectans naturalem gratitudinem per aliquid „ temporale, non committit ſimoniam, nec peccat, ut „ docent multi cum Suarez, Dian. &c. “

Hoc alterum *vel e contra* &c. eſt aperta ſimonia, Evangelio contraria præcipienti: *Gratis accepiſtis*, *gratis date*. Qui enim pro ſpirituali beneficio, quod præſtat, aliquid temporale expectat, gratis non dat. Hic eſt venditor columbarum, & domum Dei facit domum negotiationis; quia gratiam ſpiritualem non ſimplici intentione, ſed humanæ cauſa retributionis exercet. In hunc cadit illud Urbani II. c. 8. *Salvator* cau. 1. q. 3. *Ideo qui eaſdem res* (eccleſiaſticas) *non ad hoc*, *ad quod inſtitutæ ſunt*, *ſed ad propria lucra munere linguæ*, *vel indebiti obſequii*, *vel pecuniæ largitur*, *vel adipiſcitur ſimoniacus eſt*.

Hic demum damnatur in prop. 45. quia vult, ſpirituale gratuita temporalis beneficii compenſatione rependi.

Qui autem *antecedenter dat aliquid* &c. ſimoniacus ex dictis eſt, ſi in gratuitam compenſationem beneficii temporalis collati expectet aliquid ſpirituale ſive determinatum, ſive indeterminatum, quod quoad ſimoniam perinde eſt. Si vero beneficium temporale conferat ei, unde nihil ſpirituale expectet, non eſt ſimoniacus, eſt tamen avarus; quia benefacere remuneraturis, avaritia eſt.

Ex his pariter, & ex prop. 45. proſcripta refellitur quoque quod La-Croix dicit n. 75. „ Ille, cui aliquid „ temporale datum, vel præſtitum eſt ab altero, ideo„ que naturaliter obligatur ad gratitudinem, non pec„ cat, ſi donet ſpirituale, aut e contra ſi accepto ſpi„ rituali donet temporale, ad ſatisfaciendum illi obliga„ tioni antidorali. “ Qui ita loquuntur, putant, & ponunt, ſpiritualium beneficiorum diſtributores, eſſe eorum dominos.

Nam ſi œconomi tantum ſint, ſicuti revera ſunt, iis nequeunt accepta beneficia rependere, ſed ea dare tantum poſſunt juxta voluntatem Domini, quæ certe

te

te non ſit, ut beneficia, quæ acceperunt, illis recompenſent.

P. 204. n. 102. quærit, „ utrum ſit ſimonia dicere, „ Confer mihi beneficium, intercede pro me &c. & ero „ tibi gratus. Reſp. Si in genere id dicat, & ſincere „ procedat ſine intentione dandi temporale pro ſpirituali, aut contrahendi novam obligationem, ſed ſolum exponendi ſuam obligationem antidoralem, cui „ poſtea liberum ſit ſatisfacere per quodcumque, non „ eſt ſimonia; & hoc tantum volunt Auctores aliqui, „ præſertim apud Dian. p. 10. &c. “ Hactenus La-Croix.

Sed nonne putida, & aperta ſimonia eſt, illud unum dicere, & nihil amplius, *Confer mihi beneficium*? (Hic enim pono, non eſſe ſermonem de Clerico indigente, qui pro ſua neceſſitate beneficium ſimplex petere cogatur, & petat.) Ea enim dictio, *Confer mihi beneficium*, petitio eſt, ſeu precatio rei ſpiritualis: at petitio rei ſpiritualis, ſimoniaca eſt: quia illa petitio eſt aliquid temporale; porro qui per aliquid temporale tentat adipiſci aliquid ſpirituale, eſt putidus, & apertus ſimoniacus: ergo qui dicit, *Confer mihi beneficium*, eſt putidus, & apertus ſimoniacus. Hic ſcilicet largitione honoris (preces enim ſunt honor, quem petens exhibet illi, a quo aliquid petit) ſacros ordines, aut aliquid ſimile inquirit; quod ſimoniacum eſſe, patet ex c. 55. qu. 3. cau. 1. mox cit. Hic dat temporale, uti ſunt preces, tanquam motivum rei ſpiritualis; quæ eſt ſimonia damnata prop. 45. cit. ergo multo magis ſimoniacus eſt, ſi non ſolum precetur dicendo, *Confer mihi beneficium*, ſed etiam illud addat, *& ero tibi gratus*. Idem porro ſentiendum, ſi dicat, *Intercede pro me; & ero tibi gratus*. Hi videlicet munere linguæ ſpiritualia adipiſci volunt, qui ut ſimoniaci damnantur etiam ab Urbano II. mox cit.

Quod ſi eo ipſo ſimonia admittitur, quo quis Interceſſorem adhibet, ut ordines, vel beneficia ſpiritualia conſequatur, falſa poſitione utitur La-Croixii doctrina, quam habet p. 202. n. 91. ubi inquit: „ Dare pecuniam „ non pro interceſſione, ſed pro labore in eundo, & „ redeundo ad collatorem, aut pro damno ideo cauſato, vel pro lucro ceſſante, aut pro diſpendio temporis, quod ad intercedendum conſumitur, & in quo „ negligitur utilitas alioquin obventura, non eſt ſimonia, uti habet communis apud Dian. &c. “

Hæc enim doctrina ponit, ſimoniam non admitti, dum interceſſio pro re ſpirituali obtinenda adhibetur.

Hanc La-Croix ſententiam inſectatur Concina Theol. t. 10. p. 213. n. 3. ea ratione, quia ſi pecunia dari non poteſt pro ipſa interceſſione, ne dari quidem poteſt pro labore ad interceſſionem neceſſario, aut pro damno inde orto. Primum ſimoniacum eſſe, adverſarii ipſi fatentur: ergo & alterum. Hæc paucis eſt Conciniana ratio.

At hic contra P. Concinam indignabundi inſurgunt P. Zacharias n. 91. cit. & P. Noceti ab eodem Zacharia appellatus, eumque veluti La-Croixianæ ſententiæ deformatorem in crimen vocant. Non loquitur La-Croix, ait Noceti, *de motu, tempore, & allocutione intrinſece, & per ſe neceſſariis ad interceſſionem; ſed loquitur de itinere laborioſo, de itinere repetito ad collatorem*: ac poſt multa ita concludit: *Poteſt ſine ſimonia aliquid tradi, non pro illis ridicularis titulis confictis in ſua amplificatione a P. Concina*, (illi ridiculari tituli toti ſunt in ratione Concinæ mox allata) *ſed pro labore in repetendis pluribus itineribus ad collatorem, qui tamen tantus ſit, ut cenſeatur æſtimabilis pretio, vel damno inde ſecuto*; quod confirmat adductis textibus Nav. Suar. Villalobos, Fill. Leſſ. Bonac. & ait, hanc ſententiam eſſe communiſſimam.

Aſt ego hic quæro, vel labor in repetendis itineribus eſt neceſſarius, aut ſaltem utilis ad interceſſionem, vel non neceſſarius, & inutilis. Si neceſſarius ſit, tum P. Zacharia, tum P. Noceti fatentur, pro eo pecuniam nec tradi, nec accipi poſſe. Ergo pecunia nec tradi, nec accipi poterit, ſi labor non neceſſarius quidem, ſed utilis tamen ſit ad interceſſionem, ut collatoris animus facilius, & ſecurius moveatur, aut in propoſito permaneat. In ea ergo ſolum hypotheſi interceſſori tradi pecunia poterit, ſi ejus labor ſit inutilis ad interceſſionem. Huc demum clamores contra Concinam deveniunt. At nec beneficiorum aucupatores tam bardi ſunt, ut inanes labores rependere velint, nec interceſſores tam imprudentes, ut pro inanibus laboribus mercedem poſtulent. Hæc in moribus hominum fingenda non ſunt, quia nunquam accidunt. Ergo merces, quæ interceſſori rependitur, pro labore neceſſario, & utili rependitur; quam ipſi adverſarii ſimoniacam eſſe, fateri coguntur, & fatentur. Ceterum labor in repetendis pluribus itineribus nunquam tantus eſſe poteſt, uti falſo ponit P. Noceti, ut pretio æſtimabilis cenſeatur. Labor ille turpis eſt, non mercede, ſed pœna dignus; & quo major, eo turpior, magiſque puniendus; ex quo P. Noceti intelliget diſcrimen inter laborem ſacerdotis ituri ad Eccleſiam valde diſtantem, & laborem interceſſoris pro ſpirituali beneficio. Nam labor ſacerdotis non eſt turpis, ut labor interceſſoris. P. Concina ſuam doctrinam contra P. La-Croix confirmat auctoritate S. Caroli Conc. Med. 5. ubi ait: *Qui beneficium eccleſiaſticum vacans multis, & ambitioſis precibus per ſe, vel per alios petierit, eo facto ita redditur indignus, ut per biennium ei enim neque illud, neque aliud beneficium conferri poſſit*; & S. Bernardi lib. 4. de conſid. c. 4. inquientis: *Alius pro alio, alius forte & pro ſe rogat. Pro quo rogaris, ſit ſuſpectus; qui ipſe rogat pro ſe, jam judicatus eſt; nec intereſt per ſe, an per alium quis roget.*

An inquit P. Noceti: „ Illi textus, ut patebit eos „ conſideranti, id probant, illicitum eſſe procurare ſibi beneficia eccleſiaſtica vel per ſe, vel per alium, „ vel propriis precibus vel alienis. “ (Quod negat La-Croix p. 204. n. 102. mox a me confutatus), „ Ceterum probant ne ii textus, non eſſe dandam mercedem interceſſori pro ſuo labore extrinſeco interceſſioni; neque eſſe ipſi compenſanda damna, quæ propter interceſſionem obvenerunt? Ceteri judicent. “ Hactenus illa.

Reſp. Illi textus, primum explicate tradunt; alterum, quod non ſit danda merces interceſſori, ex iis colligitur. Si juxta eos textus interceſſorem adhibere, illicitum, ideoque ſimoniacum eſt, multo magis illicitum, & ſimoniacum erit, interceſſorem præmio, & pecunia donare, ut ſimoniacæ pravitatis ſit cooperator. Quid opus eſt, ut Noceтus judicium hac de re aliis relinquat? *Ceteri judicent*. Res enim aperta eſt, oculos ſanos aperire volentibus. At inquit ipſe: *Pro labore extrinſeco interceſſioni*, & pro damnis, quæ interceſſori *propter interceſſionem obvenerunt*. Reſp. Interceſſio uno verbo, aut paucis fane fit. At collator ſuas objicit difficultates morum, doctrinæ, eccleſiaſticæ diſciplinæ deficientium, aut ab eo non ſatis probatorum in deſiderante beneficium, harumque dotum in aliis emicantium, qui proinde ex conſcientia præferendi ſint.

Itaque callidus interceſſor, & pravus itque, reditque viam toties, multumque temporis, quo alias forte ſimiles peſſimas utilitates comparare in promptu habebat, conſumit, ac tandem ſuis diabolicis artificiis omnes difficultates amolitur, & collatoris animum vincit. Hic eſt *extrinſecus labor interceſſioni*; nec enim alius aſſignari poteſt; hæc ſunt damna, quæ propter interceſſionem ſponte ſubire ſolet interceſſor. Si pro hoc diabolico labore interceſſioni extrinſeco, & pro damno interceſſori inde emanante, pecuniam dare licet, multo magis eam dare pro intrinſeco interceſſionis labore licebit. Sed de his hactenus.

Ut P. Zachariæ inanes clamores, calliditatem, fallacias lector facile deprehendat, attente recolat, eſſe ſcilicet ſimoniam, dicere, *Confer mihi hoc beneficium*, multoque magis ſi addatur, *& ero tibi gratus*; quod ego contra La-Croixium hic oſtendi; atque hinc me collegiſſe, ſimoniam quoque ab eo admitti, qui dicat, *intercede pro me, & ero tibi gratus*; ex his porro effici, illam La-Croixii doctrinam, qua ait, ſimoniam non eſſe, ſi quis pecuniam det non pro interceſſione, ſed pro labore in eundo, & redeundo ad collatorem, falſa poſitione niti; quia ponit, ſimoniam non admitti interceſſionis uſu.

Contra hæc P. Zach. muſſitare auſus non eſt, ergo ſuum La-Croixium ruere inaniter conatur, dum a Simoniæ labe beneficii aucupem purgare ortitur, qui interceſſori pecuniam det pro labore in eundo, & redeundo ad collatorem? Si enim is eo ipſo nomine ſimoniacus eſt, quia interceſſorem adhibet; multo magis ſimoniacus eſt, ſi non ſolum adhibeat, ſed etiam pro laboribus huc ſpectantibus, qualeſcumque illi ſint, pecunia rependat. La-Croixius hoc alterum inficiatus eſt, quia prius inficiatus erat. At tu, mi Zach. qua fronte hoc alterum inficiari audes, qui prius inficiatus non es, nec inficiari potes?

Dum ad metaphyſicas præciſiones, quibus tui opinatores rem moralem cum ingenti animarum diſpendio fœda corrupere, confugis, rem involvis, incautos decipis, La-Croixium non defendis. Sed tuam reprehenſionem audiamus.

Ego ſup. col. 5. (ſed lector antecedentia quoque recolere neceſſe habet) contra P. P. Zachariam, & Nocetium ſcripſi: *aſt ego hic quæro, vel labor in repetendis itineribus eſt neceſſarius, aut ſaltem utilis ad interceſſionem, vel non &c.* uſque ad illud, huc *demum clamores contra Concinam deveniunt*. Quid tu, mi Zach.? „ Sæpius, Spec. IV.
„ inquis, optavi, ut nunquam tibi in mentem veniſſet p. CXVIII.
„ theologicas in Jeſuitas animadverſiones ſcriptitare; nunc „ cum vero id, ſi unquam alias, exoptarem. Si ad-

„ ver-

„ verſarius tuus hæc de te fingeret, ut te veluti bardum plane, ac ſtupidum omnium ludibriis exponeret, „ fidem vix mereretur, adeo abſona hæc ſunt, atque „ ab omni humano ſenſu aliena. R. hæc, nihil, & inane reipſa ſunt; eo tamen ſpectant, ut bardos lectores inducant, ut tibi nihil dicenti oculis clauſis fidem habeant. Perge. „ Neceſſarius utique hic labor eſt ad „ intereeſſionem, ſed non per ſe, & intrinſece: extrinſecus tantummodo eſt, & ex accidentariis circumſtantiis. Neque unquam aut Nocetius, aut Zacharias „ fatebuntur, pro eo pecuniam nec tradi, nec accipi „ poſſe, ſi accidentarius ſolum & extrinſecus ſit. Recole Nocetii paritatem. “

R. præclare ſane! Quid ſibi volunt arabica illa tua verba, labor neceſſarius *per ſe, & intrinſece*; labor neceſſarius, *at extrinſece, & ex accidentariis circumſtantiis*? Dum ita loqueris, tuis adverſariis, qui te nec intelligere poſſunt, os certe obſtruis; quia ne tu quidem te ipſe intelligis. Labor neceſſarius interceſſioni efficaci, de qua hic ſermo eſt, ille intelligitur, ſine quo interceſſio ſui voti compar fieri nequit: at quid ſonat *labor per ſe, & intrinſece neceſſarius*? hoc ſcilicet ipſum, aut nihil.

Labor extrinſecus, ſeu per accidens interceſſionis efficacis ille eſt, ſine quo interceſſio efficax, ſeu ſui voti compos eſſe poteſt. Hæc eſt hujus ſcholaſtici termini *extrinſecus per accidens* explicatio. At hic labor non eſt efficaci interceſſioni neceſſarius. Itaque tua illa locutio, & diviſio, labor neceſſarius *per ſe, & intrinſece*, labor neceſſarius, *at extrinſece, & ex accidentariis circumſtantiis* nihil eſt, niſi verborum ſonitus, confuſioniſque, & contradictionis chaos.

Interceſſio (quæ hic idem eſt contra latinæ vocis ſenſum, ac precatio pro alio) uno quidem, aut paucis verbis fieri poteſt, & fit; & quandoque efficit, quod vult ſine labore eundi, & redeundi ad collatorem. In hac ſpecie hic labor interceſſioni extrinſecus eſt, non neceſſarius, inutilis. At nos loquimur de interceſſione efficaci, quæ efficax non eſt, nec eſſe potuit ſine labore eundi, & redeundi ad collatorem; in qua ſpecie labor eundi, & redeundi ad collatorem neceſſarius eſt, & ſcholaſtice loquendo *intrinſecus, eſſentialis, non extrinſecus & accidentarius*, niſi interceſſioni generice acceptæ, de qua non loquimur.

Nocetii paritas, quam me conferre vis, a me illis verbis refutata jam fuit. *Ex quo P. Nocetii intelliget diſcrimen inter laborem Sacerdotis ituri ad Eccleſiam valde diſtantem, & laborem interceſſoris pro ſpirituali beneficio. Nam labor Sacerdotis non eſt turpis, ut labor interceſſoris.*

At tu hic ita reponis: „ Turpis labor interceſſoris? „ eccur? An non licet pro aliquo intercedere, ejus merita celebrando, injuſtaſque, ſi quæ in eum prolatæ „ fuerint, criminationes diluendo, ut beneficium quodpiam conſequatur? Turpe eſt, mi Franzoja, PP. Buſembaum, La-Croixii, & Zachariæ animadverſorem „ ita diſſerere, ut omnes ratiocinandi leges proterat. „ Nempe duo, quæ maxime differunt, inepte confundis, procurare ſcilicet ſibi beneficia Eccleſiaſtica vel „ per ſe, vel per alium, vel propriis precibus, vel alienis, & intercedere pro alio. Illud illicitum eſt; „ hoc adeo illicitum non eſt, ut ſæpiſſime laudem promereatur.“

Reſp. Enim vero, mi Zach., miſeret me tui, qui non intelligas intercedere pro alio, a quo quis rogatus fuit, malum eſſe: ſi alium adhibere, ut intercedat, malum ſit, ut reipſa eſt, & tu quoque aperte faſſus es ſi hic peccat, & ſimoniacus eſt, qui ille peccati, & ſimoniæ adjutor, & fautor, innoxius eſſe poteſt?

Niſi torte ad tuam illam arabicam materialem peccati cooperationem hic quoque te recipias; quæ tamen in te P. Cuniliatum, quem pro te infeliciter jactaſti, tibi aperte repugnare, ſi eum legeris, tuis oculis cernes, aut certe cernere poteris.

Qui ſuas apud collatorem preces ſponte interponit pro Clericis probis, doctis, de Eccleſia benemerentibus, & dignioribus, non ſolum omni culpa vacat, ſed multa laude dignus eſt. At nos de hujuſmodi interceſſore locuti non ſumus; ſed de interceſſore rogato, quem beneficii auceps adhibet, ut beneficium ſimoniace conſequatur. Quid tu ad hæc? Hæc aut non intelligis, nec diſtinguis, aut te non intelligere fingis, & fraudulento æquivoco uteris.

Zach. „ Sumis præterea, *callidum interceſſorem, & „ pravum ire, redireque, ut ſuis Diabolicis artificiis „ omnes difficultates amoliatur, & collatoris animum „ vincat*. At ubi nam de callido, pravoque interceſſore „ loquitur La-Croixius? “

Reſp. Hoc interrogare audes? Nonne La-Croix de interceſſore rogato, cui aliquid promittitur, aperte loquitur? Loquitur enim de interceſſore, cui beneficii auceps dicit: *Intercede pro me, & ero tibi gratus*. Hunc ego pravum & callidum interceſſorem appellavi; quia talem eſſe, res ipſa loquitur; cum ſit ſimoniacæ labis cooperator, & adjutor.

Zach. „ Scire debueras, digniores ſæpe eos eſſe, qui „ interceſſionibus maxime indigeant, virtuti, & ſcientiæ adverſantibus iniquorum artibus, quas interceſſor „ prudens, ac pius æmulari debeat.

Reſp. ſcire debueras, digniores evadere indignos beneficiis, ſi interceſſores adhibeant, ut ea conſequantur. Imo id noſti; quia illicitum eſſe, interceſſores adhibere, palam confeſſus es. Nihilominus hæc objicere, ut tibi contradicas, audes!

Z. „ Finge tamen, loquutum La Croixium de pravo, callidoque interceſſore. Peccabit is reus erit, ſi „ interceſſerit: ſed quid hoc ad Simoniam, de qua „ una hic quærimus? “

Reſp. Quærimus de Simonia interceſſorem adhibentis, non interceſſoris. Sed hic quoque Simoniæ reus eſt, quia ſimoniaci adjutor; ſicuti adulterii, furti, &c. reus eſt, qui adulterum, furem &c. in adulterio, furto &c. adjuvat. An hæc tibi nondum nota ſunt?

Zach. „ Sacerdos, de quo ſupra Nocetius, ſacrilege „ celebrat: ergo ne pro labore itineris merces amplior „ non debetur? Vah ridiculam conſequutionem! Quemadmodum labor ille extrinſecus eſt celebrationi, „ ita & ſacrilegio extrinſecus eſt. Nihil ergo ad rem „ facit, quod ſacrilege celebret. Idem dicas de interceſſore pravo, & callido. Neque enim pro prava „ interceſſione daretur pecunia in La-Croixiana hypotheſi, quum nec pro ipſa quidem interceſſione daretur, ſed pro labore, damniſque inde ſequutis, quæ „ quum interceſſioni extrinſeca ſint, pravo etiam interceſſionis ipſius, aliiſque pravis circumſtantiis extrinſecæ ſunt. “

Reſp. Illius tuæ primæ conſecutionis, *ergo ne &c.* cujus inficiatorem exagitas, *Vah ridiculam &c.* nego, mi Zach., ſuppoſitum. Nam pro Miſſa ſacrilege celebrata nihil debetur, ut tu ponis.

Sicuti milites contra ſuum Principem militantes, ſtipendiis digni non ſunt, ſed pœna; ita Sacerdotes ſacrilege, hoc eſt contra ſuum Regem, & Deum celebrantes. Ap. 1. Cor. 9. v. 13. *Neſcitis*, inquit, *quoniam qui in ſacrario operantur, quæ de ſacrario ſunt, edunt, & qui altari deſerviunt, cum altari participant?* Non enim ſacrilegi ſacrifici, qui corpore in ſacrario ſunt, at animo ab eo maxime alieni, & contra ipſum, in ſacrario juxta Apoſtoli ſenſum operantur, neque altari deſerviunt, cum altaris inimici ſint, & rebelles: ergo de ſacrario edere, & cum altari participare jure non poſſunt; ut tu in tua concluſione poſuiſti, inſultando, ſi quis contra hiſceret.

Aliam concluſionem elicis „ Nihil ergo ad rem facit, quod ſacrilege celebret. “ At quid hic tibi vis? Vis ne hic, nihil ſacrifico deberi pro Miſſa, contra ac in priore concluſione poſuiſti, aliquid vero pro itineris labore? At aliquid eſſe dandum pro itineris labore in Miſſæ gratiam ſuſcepto, & nihil pro Miſſa, contendere, ſtultum eſt; ſicuti a pari ſtultum eſt (bona tua venia loquar) aſſerere, quod tamen tu hic aſſeruiſti, pro labore, quem interceſſor interceſſionis cauſa ſubivit, aliquid eſſe tribuendum, & nihil pro interceſſione.

Hoc La Croixius, contra ac tu de eo fingis, non ſomniavit, qui pro ipſa interceſſione pecuniam dari permittit. Si enim pecuniæ promiſſionem permittit, *intercede pro me, & ero tibi gratus*, pecuniæ quoque erogationem neceſſe eſt, ut permittat.

Vis ne, mi Zach., tuam priorem concluſionem, cujus ſuppoſitum falſum eſſe oſtendi, ſubſiſtere, & ſacrilego ſacrifico tum pro Miſſa, tum pro itineris labore ſtipendium deberi?

Jam, ne tua paritas claudicet, in noſtra quoque ſpecie tum pro ipſa interceſſione, (quod tamen negaſti) tum pro eundi, & redeundi labore merces tribuenda erit. Si hæc tua dicta, tenebricoſum chaos appellavero, an tibi convitiabor? A malarum cauſarum tuitione abſtine, quæ non niſi ſophiſticis, & corruptis, involutiſque commentis defendi poſſunt.

Animadverſio VII.

A Buſembao ſimonia mixte mentalis definitur, *cum aliquid datur cum intentione obligandi ad reddendum ſpirituale ſine ullo pacto externo*. Illud *obligandi* juxta mox dicta intelligi debet de obligatione non ſolum juſtitiæ, ſed etiam, ut ajunt, antidorali, hoc eſt remuneratoria, addique etiam illud debet, *ſeu movendi quocumque modo ad dandum ſpirituale, aut contra*. Quia ad ſimoniam ſatis eſt, ut quis per temporalia viam ſibi ſternat, aut ſternere putet ad ſpiritualia, aut contra.

An-

Digitized by Google

ANIMADVERSIO VIII.

Inter ſimonias jure tantum eccleſiaſtico vetitas numeratur a Buſ.

1. *Venditio beneficiorum ſecundum id, quod in ipſis temporale eſt, ſcilicet quoad jus præciſum percipiendi fructus.*

At Paſchalis Papa c. Si quis objecerit cau. 1. q. 3. inquit: *Si quis objecerit, non conſecrationes emi, ſed res ipſas, quæ ex conſecratione proveniunt, penitus deſipere probatur. Nam cum corporalis Eccleſia, aut Epiſcopus, aut Abbas, aut tale quid ſine corporalibus rebus in nullo proficiat, ſicut nec anima ſine corpore corporaliter vivit, quiſquis alterum vendit, ſine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum derelinquit.* Venditur ergo non poteſt jus præciſum percipiendi fructus beneficii, ut falſo ponit Buſ. ſed qui hoc jus vendit, jus quoque ſpirituale vendit: contrarium dicere, eſt deſipere. Venditio juris ſpiritualis eſt ſimonia non ſolum eccleſiaſtico, ſed divino, naturalique jure aperte vetita: ergo venditio beneficii, quocumque te vertas, ſimonia ſemper eſt, divino, naturalique jure prohibita.

Hinc D. Th. 2. 2. qu. 100. art. 4. ait: *Aliquid poteſt eſſe annexum ſpiritualibus dupliciter. Uno modo ſicut ex ſpiritualibus dependens, ſicut habere beneficia eccleſiaſtica, dicitur ſpiritualibus annexum, quia non competit, niſi habenti officium clericale: unde hujuſmodi nullo modo poſſunt eſſe ſine ſpiritualibus; & propter hoc ea nullo modo vendere licet; quia eis venditis intelliguntur etiam ſpiritualia venditioni ſubjici.* Si ſimoniacum non eſſet vendere beneficia quoad jus temporale, ne contra juſtitiam quidem eſſet hujuſmodi venditio; quia jus temporale ex natura ſua eſt pretio æſtimabile, ideoque vendibile: *At non eſt contra juſtitiam beneficia eccleſiaſtica conferre gratis, quia collator conferens illa beneficia eccleſiaſtica pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione beneficii, ſed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur*: eſt prop. 22. ab Alex. VII. damnata. Ergo venditio beneficiorum quoad jus temporale, ex natura ſua ſimoniaca eſt. Licet enim jus ſpirituale, & temporale mente ſeparentur, re tamen ipſa ſunt inſeparabilia.

3. *Obligatio pecuniæ alicui facta, ut ſuadeat alteri ut det beneficium.*

Hæc eſt putida aperta ſimonia, jure naturali, ac divino prohibita, ut patet ex mox dictis contra La-Croixium. Perinde enim eſt, ſeu pecuniam quis det collatori, ſeu alteri, qui ei ſuadeat, ut beneficium ſibi conferat. Utroque enim modo ſibi viam ſternit ad ſpirituale beneficium per pecuniam. In hunc illud Act. 8. aperte cadit: *Pecunia tua tecum ſit in perditionem, quoniam donum Dei exiſtimaſti pecunia poſſideri.*

4. *Pacta de reſignando beneficio, vel ſolvenda penſione, ſi alter beneficium tibi impetret.*

Hujuſcemodi perverſæ pactiones idem prorſus ſunt, ac obligatio pecuniæ alicui facta, ut ſuadeat alteri, ut det beneficium; quia promittunt aliquid pretio æſtimabile, hoc eſt beneficii fructus, ſeu eorum partem, ut jus ſpirituale conſequantur.

Buſ. has natura ſua ſceleſtiſſimas pactiones, juris naturali, & divino repugnare inficiatur, quia jus emolumenti a ſpirituali jure ſeparat; quæ ſeparatio juxta Paſchalem Papam mox citatum eſt aperta, & magna inſipientia.

5. *Permutatio .... reſervatio penſionum &c. & in caſu permutationis &c.*

Quoad hæc vide dicenda lib. 4. c. 2. art. 5. q. 2. Reſp. 2.

6. *Acceptio muneris etiam ſponte oblati pro collatione &c.*

Hæc ſimonia eſt juris divini, & naturalis; quia accipitur pecunia pro uſu ſpiritualis poteſtatis, ut ex iis, quæ dicta ſunt, manifeſtum eſt.

Si autem munera præſertim ſponte oblata acciperentur titulo eleemoſynæ, ſeu conſuetudinis, non eſſet ſimonia juris divini, & naturalis. Hinc D. Th. 2. 2. q. 100 art. 2. ad 4. inquit: *Si vero exigantur aliqua in conſecrationibus Epiſcoporum, Abbatum benedictionibus, & ordinationibus Clericorum pro chriſmate, & vel oleo ſancto, & aliis hujuſmodi quaſi quædam ſtipendia per conſuetudinem approbata, non eſt ſimonia; ſi tamen deſit intentio emendi, vel vendendi, ſed tantum referatur ad ſolam conſuetudinis obſervantiam, & præcipue quando aliquis voluntarie ſolvit. In his tamen omnibus*, inquit Angelicus, *ſollicite cavendum eſt, quod habet ſpeciem ſimoniæ, vel cupiditatis ſecundum illud Ap. 1. ad Theſſ. ult.* Ab omni ſpecie mala abſtinete vos.

Hinc orta eſt prohibitio Syn. Trid. ſeſſ. 21. cap. 1. de ref. *Quoniam ab eccleſiaſtico ordine omnis avaritiæ ſuſpicio abeſſe debet, nihil pro collatione quorumcumque ordinum, etiam Clericalis Tonſuræ, nec pro litteris dimiſſoriis, aut teſtimonialibus, nec pro ſigillo, nec alia quacumque de cauſa etiam ſponte oblatum, Epiſcopi, & alii ordinum collatores, aut eorum miniſtri, quovis prætextu accipiant.*

7. *Exactio pecuniæ pro admiſſione ad religionem, non pro &c. ſed etiam pro onere ſuſtentationis, niſi &c.*

D. Th. 2. 2. qu. 100 art. 3. ad 4. ait, quod *pro ingreſſu monaſterii non licet aliquid exigere, vel accipere quaſi pretium: licet tamen, ſi monaſterium ſit tenue, quod non ſufficiat ad tot perſonas nutriendas, gratis quidem ingreſſum monaſterii exhibere, ſed accipere aliquid pro victu perſonæ, quæ in monaſterio fuerit recipienda, ſi ad hoc non ſufficiant monaſterii opes.*

Ergo exactio pecuniæ in admiſſione ad religionem pro onere ſuſtentationis, ſi monaſterium ea pecunia non indigeat, natura ſua ſimoniaca eſt ſecundum S. Thomam, ideoque contraria conſuetudine, quidquid Buſ. contra dicat, minime excuſabilis. Et ratio præterea eſt, quia exigere pecuniam pro re, ſeu jure juri ſpirituali annexo, & ab hoc dependente, eſt evidens ex dictis contra Buſembaum ſimonia juris naturalis, & divini: at jus alimenti, ſeu, quod idem eſt, onus ſuſtentationis eſt inſeparabiliter annexum profeſſioni Religionis, quia ſicuti Religionem profeſſus, ſeu profeſſa Religionis jugo, & regulis ſubditur, ita jus habet ex ipſa profeſſione proveniens, ut ex ejus bonis ſuſtentetur. Ergo exigere pecuniam pro onere ſuſtentationis a religioſo, eſt manifeſta ſimonia juris naturalis, & divini, nulla contraria conſuetudine excuſanda; qua de re legi poteſt Concina Theol. t. 10. p. 104. cap. 5.

Quia tamen monaſteria monialium, etiamſi ſufficientes reditus pro alendis numerariis monialibus habeant, ſine dotibus diu ſuſtineri experientia teſte non poſſunt, idcirco hæc quoque, dotes recipere poſſunt, ut decrevit ſacra Congregatio ſummis Pontificibus approbantibus. Ita refert Fagnanus apud Nat. Alexand. Theol. t. 2. p. 40. reg. 32. Idem habet Bened. XIV. lib. xi. de Syn. diœc. cap. 6. n. 2.

P. La-Croix p. 210. n. 187. ait: „ Non eſt ſimonia „ facere mutuos contractus circa dotem, & ſumptus pro „ ſuſtentatione ejus, qui Religionem ingreditur, aut „ pro oneribus temporalibus a domo religioſa ſuſtinendis in gratiam admittendi. Ita S. Thom. ad 4. aliique ſancti viri &c. "

At S. Thom. ut patet ex ejus verbis mox citatis, abſolute non loquitur, ſicuti loquitur La-Croix, ſed ſub conditione, *ſi monaſterium ſit tenue, quod non ſufficiat ad tot perſonas nutriendas*; idque repetit, inquiens: *ſi ad hoc non ſufficiant monaſterii opes*. Titulus ſuſtentationis, ut oſtenſum mox eſt, non eſt legitimus, nec ſufficit pro accipienda dote, & ſumptibus ab eo, qui religionem profeſſurus eſt; ſed requiritur neceſſitas, ſeu tenuitas monaſterii; & quia monaſteria monialium ſine dotibus diu ſuſtineri non poſſunt, merito tenuia putantur, ideoque poſſunt ſine ſimonia dotes recipere. Huc ſpectat decretum ſacræ Congreg. an. 1683. 18. Septemb. quod hoc loco refert P. Zacharia, non autem eo, ut titulo ſuſtentationis, ſi abſit monaſterii neceſſitas, dotes recipi poſſint.

Buſembaum in hac animadverſione reprehendi, quod ſeptimo loco *exactionem pecuniæ pro admiſſione ad religionem, non pro ſtatu tantum, (is enim ſpiritualis eſt, ideoque jure divino invendibilis,) ſed etiam pro onere ſuſtentationis* inter ſimonias jure tantum Eccleſiaſtico vetitas numeret, *niſi monaſterii tenuitas, vel conſuetudo contraria excuſet*. Hanc enim Simoniam naturæ jure prohiberi, contendi, & oſtendi.

At Suarezius t. 1. de Relig. lib. 4. de Simon. cap. 57. apud Bened. XIV. lib. XI. de Syn. Diœc. cap. VI. o. IV. ita objicit. " Quemadmodum matrimonium carnale conſiderari poteſt in ratione Sacramenti, & in „ ratione contractus civilis, cui annexum eſt onus „ alendi conjugem, & familiam; atque hujus intuitu „ exigitur dos a puella, quam pro ipſo Sacramento accipere ſimoniacum foret. Ita etiam matrimonium „ ſpirituale, ſive profeſſio religioſa, eſt ſtatus quidem ſpiritualis, at eſt præterea contractus quidam „ humanus inter religioſum, & Religionem, quæ ſe „ obligat ad illum ſuſtentandum. Quare, concludit „ Suarez, ſola ſpectata rei natura, quamvis nihil „ poſſit exigi pro ipſo ſtatu religioſo, qui ſpiritualis „ eſt, poſſet tamen exigi pro hoc onere alendi perſonam religioſam, quod eſt temporale, & pretio æſtimabile. Verum, quoniam jus ad alimenta è Monaſterii proventibus percipienda, profluit ab ipſa profeſſione religioſa, idcirco Eccleſia, ne ulla ratione „ pretium pro illa accipi videretur, diſtricte vetuit, „ quidquam ab eo exigi, cui Monaſterium neceſſaria „ ad victum ſtipendia ſubminiſtrare poteſt. Hactenus „ Suarez. "

Reſp. Hæc argumentatio vim magnam præſefert, quæ inſignem Theologum Suarezium non ſolum movit, ſed perſuaſit. At a principiis & doctrina Angeli-

ci

ci Doctoris, niſi errandi periculis noſmet objicere volumus, recedendum non eſt. Diſcrimen inter carnale, & ſpirituale matrimonium quoad rem noſtram in eo eſt, quod jus alimenti in ſpirituali matrimonio, huic non ſolum inſeparabiliter annexum eſt, ſed ab eo quoque dependet, &, ut ait Suarezius, profluit; ideoque hac ipſa de cauſa hoc jus emi non poteſt, ſeu pretio comparari, niſi ſimul ipſa religioſa profeſſio ematur; quod ex natura ſua ſimoniacum eſt. En D. Th. 2. 2. q. 100. a. 4. jam citatus inquiens, *quod aliquid poteſt eſſe annexum ſpiritualibus, dupliciter. Uno modo, ſicut ex ſpiritualibus dependens, ſicut habere beneficia Eccleſiaſtica dicitur ſpiritualibus annexum; quia non competit, niſi habenti officium Clericale. Unde hujuſmodi nullo modo poſſunt eſſe ſine ſpiritualibus. Et propter hoc ea nullo modo vendere licet; quia eis venditis, intelligantur etiam ſpiritualia venditioni ſubjici.*

Contra vero jus alimenti in carnali matrimonio, non a Sacramento, ſed a contractu matrimonii oritur; qui contractus a Sacramento non pendet, cum ſine eo eſſe poſſit, ut in ethnicis, ſed contra Sacramentum a contractu; quia Sacramentum ſine contractu eſſe nequit. Ex quo fit, ut ſine ſimonia dos exigatur pro jure, ſeu onere alimenti.

Quædam autem inquit D. Th. a. cit., *ſunt annexa ſpiritualibus, inquantum ad ſpiritualia ordinantur; ſicut jus patronatus, quod ordinatur ad præſentandum Clericos ad Eccleſiaſtica beneficia, & vaſa Sacra, quæ ordinantur ad Sacramentorum uſum. Unde hujuſmodi non præſupponunt ſpiritualia*, (ſicut contractus matrimonii nihil ſpirituale præſupponit) *ſed magis ea ordine temporis præcedunt; & ideo aliquo modo vendi poſſunt, non autem inquantum ſunt ſpiritualibus annexa.*

Animadversio IX.

Non eſt ſimonia dare aliquid ad redimendam vexationem a negante ſacramenta in neceſſitate.

Idem habet La-Croix p. 208. num. 159. idque intelligit, ſeu neceſſitas extrema ſit, ſeu etiam gravis. At S. Thom. 2. 2. qu. 100. a. 2. ad 1. ita loquitur. *Dicendum, quod in caſu neceſſitatis quilibet poteſt baptizare; & quia nullo modo eſt peccandum, pro eodem eſt habendum, ſi Sacerdos abſque pretio baptizare non velit, ac ſi non eſſet qui baptizaret. Unde ille, qui gerit curam pueri, in tali caſu licite poteſt eum baptizare, vel a quocumque alio facere baptizari. Poſſet tamen licite aquam a Sacerdote emere, quæ eſt purum elementum corporale. Si autem eſſet adultus, qui baptiſmum deſideraret, & immineret mortis periculum, nec Sacerdos eum vellet ſine pretio baptizare, deberet, ſi poſſet, per alium baptizari. Quod ſi non poſſet ad alium habere recurſum, nullo modo deberet pretium pro baptiſmo dare, ſed potius abſque baptiſmo decedere. Suppleretur enim ei ex baptiſmo flaminis, quod ei ex Sacramento deeſſet.* Hac tanta, ac tam luculenta auctoritate nixi idem affirmant Nat. Alex. Theol. t. 2. 9. 40. reg. 33. & Concina Theol. t. 10. p. 99. qu. 7. Et ſane cum pretium dare pro baptiſmi, aut alterius Sacramenti adminiſtratione, ſit ſimonia juris naturalis, & divini, ideoque ex natura ſua, & intrinſece mala, ſicut adulterium, perjurium &c. nunquam, nullaque ex neceſſitate permiſſa eſſe poteſt. Qui dicunt, non eſſe ſimoniam, cum pecunia datur pro Sacramenti adminiſtratione in extrema, aut quod pejus eſt, in gravi neceſſitate, idem eſt, ac ſi dicant, extremam, aut gravem neceſſitatem, rerum naturas, quæ ſunt neceſſariæ, & immutabiles, immutare; idem eſt, ac ſi dicant, perjurium, adulterium &c. in extrema, aut gravi neceſſitate non eſſe perjurium, adulterium &c. Huic rationi ex S. Thomæ verbis mox citatis, *& quia nullo modo eſt peccandum* &c. deſumptæ maxime velim, ut Buſemb., La-Croixii, & aliorum ab ipſis citatorum fautores, ſi poſſint, reſpondeant, & Angelici Doctoris ſententiam non ex arbitrio, ſed ratione corrigant.

At quæſo, qui volens redimere vexationem, pecuniam dat Sacerdoti, ut in extrema neceſſitate Sacramentum miniſtret, eam profecto dat, ut Sacerdotem ad Sacramenti adminiſtrationem moveat. Negate ne id adverſarii, aut contrarium oſtendere, quantumlibet ſubtiles, & in ſcholaſtica palæſtra exercitati ſint, poſſunt? At *dare temporale* (pecuniam) *pro ſpirituali* (pro Sacramenti adminiſtratione) *non eſt ſimonia, quando temporale non datur tamquam pretium, ſed dumtaxat tamquam motivum conferendi, vel efficiendi ſpirituale, vel etiam* &c. eſt propoſ. 45. ſæpe citata, & damnata. Quocumque ſe vertant Buſemb., & La-Croix fautores, eorum doctrinam a damnatione ægre purgabunt. Non enim neceſſitas ſeu gravis, ſeu extrema efficit, ut pretium, quod datur pro Sacramenti collatione, non ſit motivum conferendi ſpirituale. At inquit Buſemb., & cum eo La-Croix, pecunia in noſtra ſpecie *non datur tamquam pretium æquivalens rei ſpirituali, ſed ut alter ad officium rite præſtandum inducatur.* Reſp. Hæc exceptio in propoſitione quoque proſcripta includitur, & nihilominus fuit proſcripta. Ab hac ratione abſtinere debuerat ſaltem La-Croix; at hic, dum eam attulit, propoſitionem proſcriptam in mente non habuit. Qui ſimoniam admitti nolunt, niſi pretium, quod datur, detur loco pretii, hoc eſt rei æquivalentis rei ſpirituali, ſimoniam a Catholicis numquam admitti volunt; quam utinam homines bene agendo, non male docendo ex orbe chriſtiano expellerent. Et ratio clara eſt, quia cum quilibet Catholicus noverit, res ſpirituales quocumque pretio infinite ſuperiores eſſe, pretium dare non poteſt pro ſpiritualibus loco pretii, ſed ſolum loco motivi, aut compenſationis. Illud quoque aperte falſum eſt, pecuniam in noſtra ſpecie dari, ut alter, puta Sacerdos, ad officium rite præſtandum inducatur. Nam reipſa inducitur ad indignam Sacramenti adminiſtrationem. Sacerdos, qui Sacramentum miniſtrare non vult, niſi oblata pecunia, eſt apertus ſimoniacus, Sacerdotio indigniſſimus: ergo qui illum ad Sacramenti adminiſtrationem oblata pecunia inducit, ad apertam ſimoniam inducit. Eſt ne hoc inducere Sacerdotem ad officium rite præſtandum?

At, inquit La-Croix, datur pretium *ad removendam vexam, vel ad tollendum impedimentum pravæ voluntatis.* Reſp. Hic quidem eſt finis proximus dantis pecuniam; at finis principalis eſt ipſa collatio Sacramenti; pecuniæ enim datione removet voluntatem non conferendi Sacramentum, ut Sacramentum conferatur. Quamquam pecuniæ datione pravam voluntatem non removet, ſed fovet, & explet. Dum enim pecunia tali peſſimo Sacerdoti datur, habet ille quod ſua teterrima voluntas optat.

Vel ab inique impediente electionem, vel poſſeſſionem beneficii, ad quod jus in re habes.

Ante electionem jus quidem habere quis poteſt ad rem, hoc eſt ut eligatur, non in re, hoc eſt jus adminiſtrandi officia beneficii, & fructus percipiendi. Itaque removere per pecuniam impedimenta ab inique impediente electionem, ad quam jus quis habet, ſimoniacum eſt, ut docet D. Thom. 2. 2. qu. 100. a. 2 ad 5. in hæc verba. *Ad 5. dicendum, quod antequam alicui acquiratur jus in Epiſcopatu, vel quacumque dignitate, vel præbenda per electionem, vel proviſionem, ſeu collationem, ſimoniacum eſſet adverſantium obſtacula pecunia redimere. Sic enim per pecuniam pararet ſibi viam ad rem ſpiritualem obtinendam. Sed poſtquam jus alicui jam acquiſitum eſt, licet per pecuniam injuſta impedimenta removere.*

Illud ergo alterum, quod Buſemb. habet, hoc eſt licere dare aliquid ad redimendam vexationem ab inique impediente poſſeſſionem beneficii, ad quod jus in re habes, hoc eſt quod tibi legitime collatum fuit, verum eſt; ſed hinc non eſt colligendum primum; quia in ſecundo legitime proviſus ſibi viam non parat per pecuniam ad jus ſpirituale, ſed ad ſolam poſſeſſionem juris corporalis, quod jam habet; at in primo pecunia viam ſternit ad jus ſpirituale; quod ſimoniacum eſt.

Item ſimoniacum eſſet, pecunia vexationem redimere, etiam poſtquam jus in re acquiſitum eſt, ſi tale jus dubium ſit, & his ſuis fundamentis nixa intentetur, ut recte advertit P. Concina Theol. t. 10. p. 116. c. 7. qu. 1.

Nec ſimiliter ſimonia eſt dare ſtipendium ad ſuſtentationem &c. pro Miſſis, concionibus, aut de eo etiam paciſci.

Idem habet La-Croix p. 209 num. 165. quoad accipientem ex pacto, quod perinde eſt.

Pactum de Miſſarum (idem eſt concionum, aliarumque ſpiritualium functionum) ſtipendio improbant tum Nat. Alex. Theol. t. 2. p. 41. reg. 35. tum Concina Theol. t. 8 p. 462. num. 6. & merito. Nam Urbanus III. Decret. lib. 3. tit. 19. c. 5. *Quæſitum* ait: *Generaliter itaque teneas, quod commutationes præbendarum de jure fieri non poſſunt, præſertim pactione præmiſſa, quæ circa ſpiritualia, vel connexa ſpiritualibus, labem ſemper continet ſimoniæ.* Nota illa verba *præſertim pactione præmiſſa, quæ* &c. Si ergo pactio ſtipendii pro Miſſis, concionibus, aliiſque ſacris functionibus ſimoniaca non eſt, vel Miſſæ, conciones &c. non ſunt res ſpirituales, vel Urbanus III. errat. Quod ſi Miſſæ, conciones &c. ſunt res ſpirituales, aut La-Croix, Buſemb., & quos ipſi citant, errant, aut ſanctiſſimus Pontifex Urbanus III. Alterutrum eligere neceſſe eſt.

La-Croix quidem citare pro ſe audet D. Thom. 2 2. q. 100. a. 2. At S. Doct. non art. quidem 2. ſed 3. ad 2. qu. a La-Croix citatæ ait: *Prædicantibus etiam temporalia debentur ad ſuſtentationem prædicantium, non autem ad emendum prædicationis verbum. Unde ſuper illud 1. ad Tim. 5.* Qui bene præſunt Presbyteri &c.

dicit Gloſſa : Neceſſitatis eſt accipere, onde vivitur, caritatis eſt præbere : non tamen venale eſt Evangelium, ut pro bis prædicetur. Si enim ſic vendunt, magnam rem vili vendunt pretio. *Similiter etiam aliqua temporalia dantur Deum laudantibus in celebratione eccleſiaſtici officii ſive pro vivis, ſive pro mortuis, non quaſi pretium, ſed quaſi ſuſtentationis ſtipendium. Et eo etiam tenore pro proceſſionibus faciendis in aliquo funere aliquæ eleemoſynæ recipiuntur. Si autem hujuſmodi pacta interveniente fiant, aut etiam cum intentione emptionis, vel venditionis, ſimoniacum eſſet.* Notet Lector hæc poſtrema verba, *Si autem* &c. ut intelligat, S. Thomam La-Croixio, qui eum pro ſe citat, contraria aperte tradere, & ſacris Canonibus conſentanea.

Ratio Buſemb., *quia non datur* &c. eſt aperte ſophiſtica, utpote quæ falſo ſuppoſito nitatur. Ponit enim, ſpiritualem operationem, quatenus in alterius gratiam ſuſcipitur, non eſſe ſpiritualem, ſed profanam, non ſecus ac labor ſutoris, agricolæ &c. in aliorum beneficium occupatorum; quod eſt aperte falſum. Si ratio Buſemb. valeret, unumquodque Sacramentum in pactum deduci poſſet, quatenus in alterius gratiam adminiſtratur; omneſque Canones ſimoniam damnantes, una Buſembau diſtinctiuncula peſſum irent. Chriſtus Matth. 10. ita præcipit : *Gratis accepiſtis, gratis date*; quod perinde eſt, ac ſi dicat : ſpiritualem poteſtatem gratis accepiſtis, ejus uſum aliis gratis impendite; at Buſemb. hunc uſum non gratis, ſed accepto ex pactione pretio aliis impendi poſſe, ait. Conciliet qui poteſt, Buſembaum cum Chriſto. At, inquit Buſemb. ſtipendium ſuſtentationis *non eſt eleemoſyna, ſed debitum juſtitiæ*. * Reſp. Stipendium ſuſtentationis eſt quidem debitum, ut patet ex Ap. 1. ad Cor. 9. a. v. 7. uſque ad 14. At debitum eſt reduplicative, quatenus ſcilicet eſt ſtipendium ſuſtentationis, non quaſi pretium laboris ſpiritualis in alterius gratiam ſuſcepti, ut patet ex dictis, & monet D. Thom. a. 3. cit. ad 3. quia labor, ſeu operatio ſpiritualis in animarum obſequium impenſa, pretio inæſtimabilis eſt; ideoque in pactum deduci ſine ſimoniæ labe non poteſt. Rationes La-Croixii re eædem ſunt, ac mox refutatæ.

Utrum vero Sacerdoti etiam diviti liceat pro Miſſis, concionibus &c. eleemoſynas ſine pacto tamen accipere, quæri non immerito poteſt. Nam D. Paulus 1. ad Cor. 9. v. 14. ait : *Ita & Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere.* Ergo qui aliunde habent, unde vivant, non poſſunt quicquam pro Miſſis &c. accipere; quia inde accipere nequeunt, ut vivant. D. Thom. 2. 2. q. 100. a. 2. ait : *Accipere autem aliqua ad ſuſtentationem eorum, qui ſacramenta Chriſti miniſtrant, ſecundum ordinationem Eccleſiæ, & conſuetudines approbatas, non eſt ſimonia, neque peccatum. Non enim ſumitur tamquam pretium mercedis, ſed tamquam ſtipendium neceſſitatis* : & D. Auguſt. ab eo cit. inquit : *Accipiant ſuſtentationem neceſſitatis a populo, mercedem diſpenſationis a Domino.*

At Sacerdotes divites non poſſunt pro Miſſis aliquid accipere ut *ſtipendium neceſſitatis*, ut loquitur S. Thom., ut *ſuſtentationem neceſſitatis*, ut dicit S. Aug. quia ſunt ſine neceſſitate : ergo aliquid accipere non poſſunt. Hinc D. Thom. in 4. d. 23. qu. 3. a. 2. qu. 2. ad 4. ait. *Si tamen Sacerdos non habet alios ſumptus, & non tenetur ex officio Miſſam cantare, poteſt accipere denarios* : ergo ſi habet alios ſumptus, uti dives, denarios pro Miſſa accipere nequit. Idem ſane dicendum eſt de Sacerdote celebrante, concionante &c. ac de monaſterio ad religionem admittente; quia tum ille, tum hoc dant aliquid ſpirituale : ergo ſicuti monaſterium, ut oſtenſum fuit, nihil accipere poteſt pro admiſſione ad Religionem, aut admittendi ſuſtentatione, niſi indigeat, ita Sacerdos pro ſacris functionibus Miſſæ &c. nihil accipere valet, niſi indigens ſit. Miſſæ ſtipendium, eleemoſyna vulgo dicitur; & reipſa talis eſt; quia non eſt merces, nec pretium. At eleemoſynam accipere non poſſunt, niſi qui indigent : ergo. Hinc Epiſcopi, niſi forte tenuiores ſint, Cardinales, Sacerdores familiarum illuſtrium, & divitum, aut pingues Eccleſiæ reditus habentes rem indignam ſibi facere viderentur, ſi pro Miſſis eleemoſynas emendicarent, aut acciperent. P. Concina, qui contrarium ſentire videtur, objicit Theol. t. 8. p. 461. num. 4. univerſalis Eccleſiæ conſuetudinem permittentem Sacerdotibus indiſcriminatim, ut eleemoſynas pro Miſſa accipiant. Ita ſane; non tamen ea eſt Eccleſiæ conſuetudo, ut omnes Sacerdotes aut quærant, aut accipiant pro Miſſia eleemoſynas. Hoc ſcilicet eorum conſcientiæ permittitur. Si tamen Sacerdotes divites conſuetas eleemoſynas accepent, ut in pauperum ſubſidium, aut alios pios uſus eas impendant, non ſunt reprehendendi; nam etiam in hac ſpecie eas acceptant, ut ſtipendium neceſſitatis, ſi non ſuæ, at proximi; quod perinde eſſe videtur. At ſi eas accipiant, ut ſplendidius vivant, ut ſuos ditent, ut opes cumulent, ut eas prodigant, excuſandi certe non ſunt. Hac in re mecum ſenſiſſe P. Concinam pro certo habeo, & ex ſuis typis colligo; atque in præſenti quæſtione non tam ſenſu, quam loquendi modo illum mihi adverſari puto. **

ANIMADVERSIO X.

P. Concina Theol. t. 10. p. 165. num. 10. ait : „ Ex Bulla S. Pii V. quæ incipit *Ex proximo* omnes „ recenſitæ penſiones " (hoc eſt mixtæ, datæ vel Clerico pauperi in alimentum, vel Parocho ſeni impotenti, vel reſignanti beneficium pacifice poſſeſſum, vel denique uni litigantium circa beneficia ob bonum pacis) „ annexæ ſunt titulo ſpirituali, omneſque Clerici „ penſionarii aſtringuntur recitare officium parvum B. „ V. ideo nec vendi, nec redimi ſine ſimonia va„ lent : " & hanc eſſe communem ſententiam, poſt affirmat.

Et ſane ſi penſio mixta fatente ipſo Buſembao vendi non poteſt, ne redimi quidem poteſt. Redemptio enim reſpectu redimentis eſt quædam emptio, eſt autem venditio reſpectu ejus, qui jus penſionis diſtrahit; diſtrahit enim jus percipiendi quotannis certam pecuniæ ſummam. Ergo &c.

Præterea jus annuæ penſionis eſt quid annexum juri ſpirituali beneficii, ſicuti jus percipiendi annuos beneficii fructus eidem juri ſpirituali annexum eſt. Penſio enim eſt jus habendi partem fructuum beneficii : at jus juri ſpirituali annexum, & ab eo dependens nulla pactione diſtrahi, emi, redimi poteſt ſine ſimonia, ut liquet ex cap. *Quæſitum* cit. & ex dictis : ergo penſio ex partium conventione redimi non poteſt.

Sicuti enim penſio ex partium conventione conſtitui nequit, ſed ſolum Eccleſiæ, ſeu ſummi Pontificis auctoritate, titulo piæ ſubventionis; ita ex earumdem partium pactione diſſolvi non poteſt, ſed ſolum ex Eccleſiæ auctoritate eodem titulo neceſſitatis, aut pietatis.

At inquit Buſ. cum Laym. *Qui penſionem redimit, non emit jus ſpirituale, ſed extinguit onus temporale ſolvendi certam ſummam pecuniæ.*

Reſp. Non emit quidem jus ſpirituale, emit tamen jus ſpirituali annexum, quod ad ſimoniam ſatis eſt; ipſa enim extinctio oneris temporalis eſt quædam emptio; quia enim is, a quo penſio redimitur, ſuum jus vendit, neceſſe eſt ut qui eam redimit, jus illud emat. Emptio enim, & venditio ſunt relativa, & reciproca, nec una ſine altera poteſt ſubſiſtere. Itaque ſi ſtylus Curiæ Romanæ, ut ipſe Laym. ait t. 2. lib. 4. tr. 10. c. ult. ſect. 5. num. 48. veluti ſimoniacas damnat mixtarum penſionum venditiones, redemptiones quoque earumdem damnandæ ſunt. Idem profecto eſt quoad mores, ſeu penſionatius alii, ſeu penſionem ſolventi jus ſuum diſtrahat : atqui fatentibus ipſis adverſariis, dum jus ſuum alii diſtrahit, ſimoniacus eſt : ergo eſt quoque ſimoniacus, dum illud diſtrahit penſionem ſolventi : ergo penſionem quoque ſolvens, ſimoniacus eſt. Hinc Genet. Theol. t. 2. p. 232. q. 11. ait, penſionea ſine Sedis Apoſtolicæ auctoritate redimi non poſſe, ne ſimoniæ labes in tali redemptione obrepat; quod valde periculoſum eſſe, aſſerit.

ANIMADVERSIO XI.

Non eſt ſimonia juris divini vel dare temporale pro ſpirituali per modum doni gratuiti, etiam cum ſpe, & intentione excitandi &c. vel contra.

Hæc eſt putida ſimonia juris divini, & naturalis, ab Innoc. XI. propoſit. 45. proſcripta, & ſacris Canonum legibus improbata ex jam dictis, præſertim in Reſp. 1. hujus articuli 7. ubi etiam Buſemb. ſophiſma, *ratia eſt, quia gratitudo* &c. profligatum invenies. Me enim magnopere tædet, ſophiſmata jam contrita iterum diluere.

Item

* Eſt eleemoſyna eo ſenſu, quia accipi non poteſt, niſi titulo ſuſtentationis; non tamen eo ſenſu eleemoſyna eſt, ut poſſit a dante omitti.

** D. Aug. lib. de op. Monach. cap. 26. t. 8. *Qui enim propter hoc evangelium prædicat, ut habeat, unde manducet, & unde veſtiatur, ſimul ſe putat & Deo ſervire, quia evangelium prædicat, & Mammonæ, quia propter hæc neceſſaria prædicat; quod Dominus dicit fieri non poſſe. Ac per hoc ille, qui propter iſta evangelium prædicat, non Deo, ſed Mammonæ ſervire convincitur, etſi Deus illo ad aliorum provectum, quomodo ipſe neſcit, utatur. Nam huic ſententiæ ſubjungit, dicens.* Ideo dico vobis, nolite ſolli„ citi eſſe animæ, quid manducetis, neque corpori, quid veſtiamini, " *non ut iſta non procurent, quantum neceſſitati ſatis eſt, ſed ne* &c. D. Aug. ait, *quantum neceſſitati ſat eſt*; ergo ſine neceſſitate, & in opulentia procurari nequeunt.

Item donare, promittere, vel negare temporale &c. v. *g. ſi pater* &c.

Quia hic ponitur, nihil accipi, nullamque eſſe acceptionis expectationem, ſimoniæ in donante &c. locus non eſt. Cautio tamen hic quoque adhibenda eſt, ne qui accipiunt, ſpiritualia opera obeant eo principali fine ducti, ut temporale munus conſequantur; quod ſane valde perverſum, & ſacrilegum eſſet.

Animadverſio XII.

Nat. Alex. Theol. t. 2. p. 44. reg. 43. notat, ſimoniam quoque mentalem, qua ſcilicet aliquis nullo pacto præcedente per munera ſeu a manu, ſeu a lingua, ſeu ab obſequio beneficium ſpirituale conſequi in animo habuerit, & conſecutus ſit, renuntiandi beneficio obligationem, quæ eſt pœna juris, inducere. At Buſembau ſententia deſerenda non eſt. Nam Greg. IX. Decret. lib. 5. tit. 3. cap. *Mandato*, inquit: *Dicimus, mandatum Apoſtolicum etiam ad Abbates extendi, & ad reſignationes ſpiritualium, & temporalium, quæ nullo pacto, ſed affectu, animi præcedente utrimque taliter acquiruntur (in quo caſu delinquentibus ſufficit per ſolam pœnitentiam ſuo ſatisfacere Creatori) eos præ ſimonia hujuſmodi non teneri*. Hæc ſummi Pontificis verba rem clare conficiunt, nec in contrarium tee præſumendum eſt, ut notat etiam Card. Cajet. in comment. D. Thom. ad a. 6. qu. 100. 2. 2. Hinc D. Thom. hoc art. ad 6. loquens de eo, qui ex interiori ſolum voluntate ſimoniam admiſit, ſicuti accidit, cum nullum pactum intervenit, ait, *quod quoad Deum ſola voluntas facit ſimoniacum, ſed quoad pœnam eccleſiaſticam exteriorem non punitur ut ſimoniacus, ut abrenuntiare teneatur; ſed debet de mala intentione pœnitere*; quibus textibus nixus idem Nat. reg. 42. docet, nec mentalem, nec conventionalem, ſed ſolam realem ſimoniam, excommunicationem, aliaſque pœnas canonicas inferre: at obligatio renuntiandi beneficio, eſt pœna canonica: ergo &c.

Nat. objicit D. Thom. a. 6. cit. ajentem, *quod nullus poteſt licite retinere id, quod contra voluntatem domini acquiſivit, puta ſi aliquis diſpenſator de rebus domini ſui daret alicui contra voluntatem, & ordinationem domini ſui, ille, qui acciperet, licite retinere non poſſet. Dominus autem, cujus Eccleſiarum Prælati ſunt diſpenſatores, & miniſtri, ordinavit, ut ſpiritualia gratis darentur ſecundum illud Matth.* 10. Gratis accepiſtis, gratis date; *& ideo qui muneris interventu ſpiritualia quæcumque aſſequitur, ea licite retinere non poteſt*. Qua ratione, & verbis D. Thomæ illud confici fortaſſe putavit Nat., ſimoniacum ex munere ſine conventione, jure naturæ teneri beneficio renuntiare.

Reſp. D. Thom. hic loquitur de pœnis, quas Eccleſiæ leges inflixere. Quærit enim, *utrum ſit conveniens ſimoniaci pœna, ut privetur eo, quod per ſimoniam acquiſivit*. Hanc pœnam eſſe convenientem, primo quidem evincit ex c. 1. q. 1. cap. *Si quis Epiſcopus*, hoc eſt ex ipſa ſapientiſſima Eccleſiæ ordinatione, tum ratione mox allata. Itaque illud *muneris interventu* intelligendum eſt de munere ex pacto dato. Hinc D. Thom addit: *Inſuper ſimoniaci tam vendentes, quam ementes ſpiritualia, aut etiam mediatores aliis pœnis puniuntur, ſcilicet infamia, & depoſitione, ſi ſint Clerici, & excommunicatione, ſi ſint laici, ut habetur 1. q. 1. cap. Si quis Epiſcopus*. Eodem modo loquitur S. Doct. de pœna privationis beneficii ſimoniaco inflicta, ac de aliis, quæ non infliguntur, niſi ex ſimonia ex pacto prævio admiſſa; ſuamque mentem explicat quoque in reſp. ad 6. mox allata. Prælati licet beneficiorum domini non ſint, legitima tamen facultate ea conferendi donantur: ideoque eorum collatio licet mala, valida tamen eſt; ſicuti œconomus facultate a domino donandi ſibi commiſſa, valide donaret, etiamſi ea abuteretur contra Domini voluntatem. Si collatio ſimoniaca, jure naturali, & divino eſſet invalida, quia Dei voluntati contraria; invalida quoque eſſet collatio injuſta, & infidelis, quia hæc quoque divinæ legi repugnat: hoc poſterius eſt aperte falſum: ergo & prius. Videlicet lis quoad rem hanc finita eſt ex declaratione Greg. IX. mox allata.

Animadverſio XIII.

Ob ſimoniam realem irrita eſt electio &c. *idque etiam licet a tertia perſona taliter proviſus id ignoraverit* &c. *niſi bona fide poſſederit beneficium per triennium*.

„ Contendunt tamen plures (inquit Conc. Theol t. „ 10. p. 132. n. 7.) eum, qui inſcienter beneficium ſi- „ moniace recepit, & triennali poſſeſſione bona fide il- „ lud tenuit, non poſſe eodem privari; “ quam ſententiam ipſe nec probat, nec improbat. Mihi ſuſpecta eſt, nec ſatis tuta. Nam Bonifacius VIII. reg. 1. de reg. juris in 6. inquit: *Beneficium eccleſiaſticum non poteſt licite ſine inſtitutione canonica obtineri*: at inſtitutio in noſtra ſpecie non fuit canonica, quia juxta Canonum vim fuit nulla: ergo beneficium licite obtineri non poteſt. Si licite obtineri non poteſt, ne licite quidem retineri poteſt; quia ex reg. 18. *non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non ſubſiſtit*. Adverſarii nituntur reg. 36. Cancellariæ apoſtolicæ de triennali, quæ extat apud Anaclerum t. 3 juris can. p. 128. At illa regula contra inquietos litigantes lata, tutum facit triennalem pacificum beneficii poſſeſſorem, dum beneficium poſſideat *abſque ſimoniaco ingreſſu*. Reſpondet Anacl. t. 5. juris canon. p. 116. num 278. illud *abſque ſimoniaco ingreſſu* intelligendum eſſe de eo, qui vel per propriam ſimoniam beneficium acquiſivit, vel alterius ſimoniam, cujus ope beneficium adeptus eſt, infra triennium cognovit.

At hæc magis divinatio, quam interpretatio videtur. Nam *ubi lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus*: at lex citata non diſtinguit, ſed abſolute excipit ſimoniacum ingreſſum: ergo ſine diſtinctione de quocumque ſimoniaco ingreſſu intelligenda eſt. *Odia quidem reſtringi, & favores convenit ampliari* ex reg. 15. n. 6.

At hoc intelligi debet juxta mentem concedentis favorem, & ſervato verborum ſenſu. At reg. cit. non concedit triennale poſſeſſuri, qui ſimoniace beneficium obtinuit, ut ſit tutus, imo hunc a ſuo favore excludit.

Præterea ex reg. prædicta, triennalis pacificus poſſeſſor *ſuper eiſdem beneficiis taliter poſſeſſis moleſtari quidem nequit* quoad forum externum, at quoad conſcientiam ſummus Pontifex nihil dicit. Poſſeſſio bonæ fidei illud commodi habet, ut poſſeſſor fructus conſumptos reſtituere non teneatur; at ipſum beneficium cum fructibus extantibus reſtituere tenetur. Hæc eſt angelica D. Thom. doctrina 2. 2. art. 6. cit. ad 3. ubi ait: *Si vero eo neſciente, nec volente, per alios alicujus promotio ſimoniace procuratur, caret quidem ordinis executione, & tenetur reſignare beneficium, quod eſt conſecutus cum fructibus extantibus: non autem tenetur reſtituere fructus conſumptos quia bona fide poſſedit, niſi forte inimicus ejus fraudulenter pecuniam daret pro alicujus promotione, vel niſi ipſe expreſſe contradixerit. Tunc enim non tenetur ad renuntiandum, niſi forte poſtmodum pacto conſenſerit, ſolvendo, quod fuit promiſſum*. Illas duas Buſembau exceptiones, „ niſi tamen contradixerit, vel niſi „ a tertio data fuerit pecunia per fraudem, “ habet quoque Angelicus Doct.; illam tertiam „ vel niſi bona „ fide poſſederit per triennium, “ S. Doct. non habet. Doctrina ergo Buſembao, & Anacleti Angelico Doctori fuit ignota; quam proinde ut ſuſpectam habeamus, nec clauſis oculis excipiamus, pati debent cum ſuis.

Sed illud quoque hic notandum eſt, eum, qui expreſſe contradixerit ſimoniæ per alios admiſſæ, pœnas nihilominus incurrere, & beneficium reſignare teneri, ſi ei poſtmodum conſentiat, ſimoniacum promiſſum ſolvendo, ut explicate habet S. Doct. in verbis mox relatis, *niſi forte* &c. Et hoc idem habet Innoc. III. Decret. lib 5. tit. 3. cap *Sicut*, inquiens: *Quoniam ex eo, quod contra prohibitionem, & voluntatem tuam (a qua poſtmodum minime receſſiſti) aliquis te penitus ignorante promiſit pecuniam, & exolvit, præſertim cum is nulla ſit tibi conſanguinitate conjunctus, nihil debet tibi ad pœnam, vel culpam (ſicut credimus) imputari, niſi poſtea conſenſeris, pecuniam ſolvendo promiſſam, aut reddendo ſolutam*. In hac ſpecie pœnam abdicationis beneficii non eſſe ſubeundam, niſi poſt Judicis ſententiam, valde probabile putat Laym. t. 2. lib. 4. cap ult. ſect. 7. At D. Thom. & Innoc. III. auctoritates recitatæ ſatis aperte repugnant; quas qui ſi ſtare optant in hominum corruptorum ſinceritatem, eas extinguent. At inquit Laym. beneficii collatio abſolute, & valide perfecta ſemel fuit: ergo ſubſiſtit, donec per Judicis ſententiam infirmetur. Reſp. Nego antecedens; quia beneficii collatio non abſolute, ſed dependenter a contradictionis perſeverantia fuit valida. Hæc eſt aperta mens D. Thom & Innoc III. citati.

Efficitur inhabilis ad idem beneficium &c. Id recte. *Nec ad alia obtinenda ſit inhabilis ante ſententiam Judicis*.

Hoc vero aperte pugnat cum Conſtit. S. Pii V. *Cum primum*, in qua ſic habetur. *Qui dignitates eccleſiaſticas ſimoniace acquiſierit, illis ſit ipſo jure privatus, & in futurum inhabilis ad eas, & quaſcumque alias obtinendas. Qui beneficium, aut officium eccleſiaſticum ſimoniace adeptus fuerit, perpetuo ſit inhabilis ad ea, & quæcumque alia beneficia*. Lex clara eſt. „ At reponunt „ Salmant. (inquit Concina Theol. t. 10. p. 132. n. „ 8.) conſtitutionem S. Pii V. non eſſe uſu receptam. „ Non negant acceptationem, ſed uſum executionis. „ Porro ſi legis inobſervantia legem abrogaret, actum

„ de omnibus legibus eſſet. Quare opinio Salmant., „ Sanch., Leſſ., Caſtrop., & aliorum, quos citant „ Salmant. falſa eſt.“ Hactenus ille.

ANIMADVERSIO XIV.

In fine reſp. Buſemb. mittit Lectorem ad S. Thomam 2. 2. qu. 100. art. 6. ubi S. Doct. inquit: *Et ideo qui muneris interventu ſpiritualia quæcumque aſſequitur, ea licite retinere non poteſt.* & ad 2. ait, *quod ille, qui ſimoniace recipit ſacrum ordinem, recipit quidem characterem ordinis propter efficaciam Sacramenti, non tamen recipit gratiam, neque ordinis executionem; eo quod quaſi furtive ſuſcepit characterem contra principalis Domini voluntatem; & ideo eſt ipſo jure ſuſpenſus* &c. & ad 5. inquit, *quod ſi aliqui ſunt in monaſteria ſimoniace recepti, debent abrenuntiare. Et ſi hi ſcientibus commiſſa eſt ſimonia, poſt Concilium Generale* (Lateranenſe MCCXV. cap. *Quoniam*) *ſine ſpe reſtitutionis de monaſterio ſuo repelluntur, & ad agendam perpetuam pœnitentiam ſunt in arctiori regula ponendi, vel in aliquo loco ejuſdem Ordinis, ſi arctior Ordo non inveniretur.*

ANIMADVERSIO XV.

Reſp. 2. *Pretium acceptum pro beneficio* &c. *ſi notabiliter* &c.

Hic legenda ſunt, quæ mox dixi n. 1. c. 2. & Synod. Trid. tum ibi relata, tum ſeſſ. 24. c. 14. de reform.

Hoc tamen poſterius nonniſi &c. *ſi admiſſus* &c.

Hac de re audiendus eſt D. Thom. 2. 2. qu. 100. a. 6. ad 4. ubi ait, *quod pecunia, vel poſſeſſio, vel fructus ſimoniace accepta debent reſtitui Eccleſiæ, in cujus injuriam data fuerunt, non obſtante quod Prælatus, vel aliquis de collegio illius Eccleſiæ* (idem eſt de monaſterio) *fuit in culpa; quia eorum peccatum non debet aliis nocere; ita tamen quod quantum fieri poteſt, ipſi, qui peccaverunt, inde commodum non conſequantur. Si vero Prælatus, & totum collegium* (idem eſt, totum monaſterium) *ſunt in culpa, tunc debet cum auctoritate ſuperioris vel pauperibus, vel alteri Eccleſiæ erogari.* Non ergo plerumque retineri poteſt ratione alimentorum, modo in communem uſum convertatur, ut perperam ait Buſemb. non enim ſuppeditatio alimentorum eſt ſufficiens ratio retinendi pecuniam ſimoniace acceptam; quia profeſſus jus habet ad alimenta e monaſterii bonis ſibi ſubminiſtranda. Hinc Urbanus IV. alias V. extrav. comm. lib. 5. tit. 1. c. 5. *Sane* ait: *Inſuper erga perſonas illas, quæ in præmiſſis recipiendo aliqua, contra canonicas ſanctiones peccaſſe naſcuntur, volentes nos reddere gratioſos, omnia recepta hujuſmodi, ſi ad communem uſum monaſteriorum, ſeu locorum eorum ſunt applicata, ea ad dictum uſum licite concedimus retineri.* Non ait, ea ad dictum uſum jure retineri poſſe, ſed *volentes nos reddere gratioſos* &c. hoc eſt ex indulgentia, & gratia ea licita retineri concedit.

ANIMADVERSIO XVI.

Deeſt quidem titulus retinendi acceptum in eo, qui ſimoniace accepit, ſeu non præſtet, ſeu etiam præſtet id, pro quo accepit. Nec enim ſimoniaca collatio beneficii &c. ullum jus præbet retinendi ſimoniace acceptum; quia ipſi juſtitiæ adverſatur, ut patet ex prop. 22. ab Alex. VII. proſcripta; quod multo magis verum eſt de collatione ordinis, aut alterius rei ſpiritualis, cui emolumentum temporale annexum non eſt. At nullus quoque titulus eſt recuperandi in eo, qui ſimoniace dedit. Nec enim ſcelus divino, naturalique juri contrarium, jus ullum tribuere poteſt: at datio ſimoniaca, ſcelus eſt divino, naturalique juri contrarium: ergo nullum jus tribuit. Hinc D. Thom. 2. 2. qu. 62. a. 5. ad 2. ait, *quod aliquis dupliciter aliquid dat illicite. Uno modo quia ipſa datio eſt illicita, & contra legem, ſicut patet in eo, qui ſimoniace aliquid dedit; & talis meretur amittere quod dedit. Unde non debet ei reſtitutio fieri de his. Et quia etiam ille, qui accepit, contra legem accepit, non debet ſibi retinere, ſed debet in pios uſus convertere.*

TRACTATUS II.

De ſecundo præcepto Decalogi.

PRohibet hoc præceptum omnem inordinatam uſurpationem nominis Dei, qualis potiſſimum fit blaſphemando, temere jurando, vovendo & non ſervando, de quibus hic agendum.

CAPUT I.

Quid & quotuplex Blaſphemia?

REſp. Blaſphemia directe oppoſita laudi Dei, eſt verbum maledictionis, vel convicii, ſeu contumeliæ in Deum, ſive id fiat attribuendo ei falſa, ſive negando vera, ſive tribuendo creaturis, quæ ipſi debentur, ſive etiam dicendo vera, ſed quæ ad ejus dehonorationem ſeu vilipenſionem tendant: ut fit per modum ei indignantis, contemnentis, &c. ita commun. DD. S. Th. 2. 2. *q.* 13. Bon. *diſp.* 3. *q.* 8. Sanch. 2. *mor.* 1. 82. Laym. *l.* 4. *t.* 10. *c.* 6. &c.

Unde reſolves.

1. Blaſphemat, qui contra Deum infrendens, ei maledicit: item, qui ait ſe aliquid acturum eo invito: item, qui eum negat, qui jurat ſerio per deos falſos, qui eum vocat tyrannum, injuſtum, nolle, aut non poſſe nos juvare, non curare noſtra, dæmonem eſſe fideliorem, plus poſſe, non omnia bene eſſe ordinata, melius in creatione quædam fieri potuiſſe, aut debuiſſe, &c. Quæ quidem ſi quis credat ita eſſe, & non tantum in ira, aut deſperatione effutiat, tunc eſt blaſphemia hæreticalis, ideſt cum hæreſi conjuncta: quod in confeſſione eſt addendum, quia ſpecie differt ab imprecativa. Hurt. 2. 2. *d.* 91. *ſect.* 12. §. 54.

2. Revocantur etiam ad blaſphemiam alia ſigna contra Deum, licet verba non adſint: ut ſpuere in cælum, infrendere dentibus, &c. imo etiam ſola mente blaſphemia interior committi poteſt, ſicut etiam laus mentalis Dei. (*a*)

3. *Blaſphemat item, qui in Sanctos, vel ſacra contumelioſus eſt, intellige, ut Sancti ſunt, ſive cum habitudine ſaltem virtuali ad Deum, ita ut moraliter hujus etiam honor cenſeatur tangi, quia alioquin tantum erit contra duliam, ſi nimirum contra illos, ut homines quidam in terris fuerunt, dicatur. Quod veniale eſt, ſi joco fiat, verbi gratia, ſi ſanctos Criſpinum, & Chriſpinianum voces ſutores, Joannem, & Paulum eunuchos:* grave vero erit, ſi contemptim, vel ex odio, aut indignatione contra Sanctos hæc dicas. Licet vero blaſphemiæ in Deum non admittant materiæ parvitatem: *multi tamen admittunt in iis, quæ fiunt contra Sanctos.* Ele. 1. 1. Extr. ANIMAD. I.

4. Blaſphemat item qui iratus, etſi non contra Deum, ſed contra alios, aut alia, eadem tamen ſerio profert, quæ ex ſua ſignificatione, aut modo loquendi, ac circumſtantiis important imminutionem divini honoris, aut improperium: *licet enim id non intendat formaliter, intendit tamen indirecte, & virtualiter: quamvis id ex ſubreptione ſæpe ſit veniale tantum, ſi tantum moraliter fiat.* ANIMAD. II.

5. In confeſſione exprimendum eſt, ſi quis (quod tamen raro contingit) directe, & formaliter Deum inhonorare intenderit, aut et formaliter iratus fuerit. Laym. *l. c.*

6. Blaſphemat item, qui injurioſe uſurpat membrum Chriſti: v. g. perdat te Dei ſanguis, vulnera, mors Dei, caput, paſſio, Sacramenta, chriſma, & ſimilia ſacra: cum ea non ad perdendum, ſed ad ſalvandos nos data ſint; & communiter in his apprehendant homines magnam Dei, earumque rerum vilipenſionem contineri. Laym. *ibid. n.* 12.

7. Qui talium verborum conſuetudinem habet, tenetur ſub peccato mortali ſerio conari eam tollere. Quod ſi facit, & tamen labitur, poteſt excuſari aliquando; eo quod juramenta iſta impetu naturali effuſa non ſunt voluntaria nec in ſe, nec in cauſa, utpote retractata propoſito efficaci. Laym. *l.* 1. *t.* 2. *c.* 3. *n.* 6. V. Eſcob. 1. 1. *e.* 3. *n.* 37. Si non conetur, idque Confeſſarius noverit, neget ei cum diſcretione abſolutionem. Laym. *l. c.*

8. Interim plurimi excuſantur ob inadvertentiam in ſubita commotione, tametſi non ſatis excuſare videatur quod quidam ajunt, iis verbis aliud ſe non intendere, quam uſurpare tanquam interjectiones ſignificativas iræ ſuæ; tum quia æque ſe poſſunt aſſueſacere ad verba alia iræ, & ſeriæ voluntatis ſignificativa: tum quia, tametſi id non poſſent, nihilominus non videtur licere uſurpare ea,

quæ

quæ ex communi apprehenſione aliorum ſunt inhonorativa Dei.

9. Quod ſi vero quis in ira *contra hominem*, (*b*) non indignando Deo, ſed homini tantum, nude nominet *mortem Dei*, *ſeptem Sacramenta*, v. g. o Dei mors, vulnera, &c. ſine ſcandalo, & ſine iis circumſtantiis, quibus contemptus importatur, non ſunt blaſphemiæ, ſed vana uſurpatio nominis divini, hoc præcepto prohibita, & peccatum inter venialia grave, ut Cajet. & Armilla V. *Blaſphemia*, & Sanchez ſupra. Quamquam propter periculum incidendi in blaſphemias, & quia raro abeſt ſcandalum, ac nihilominus apud audientes Deus, ejuſque ſacra contemptu inhonorari, raro excuſantur, & merito abſterrentur homines a ſimilibus dictis, ut notat Laym. *l. c.*

ANIMAD. III. 10. *In ira imprecari aliis dæmonem, grandinem, fulgur*, &c. *etſi multi confundant cum blaſphemiis, non tamen eſt blaſphemia, ſed dira imprecatio, quæ plerumque* (ſaltem, quando dicitur in illos, qui amantur ab irato) *ob ſubitam commotionem, & inadvertentiam, ac defectum ſeriæ voluntatis non eſt, niſi venialis*: quia cum ſe homines reflectunt, ajunt longe aliter ſe ſentire, ac ſenſiſſe, ita ut videantur interjectiones tantum quædam eſſe ad ſignificandam iram: tametſi Chriſtianos parum deceat tam abſurdis interjectionibus uti. Bon. *l. c.* ex Nav. Tolet. Reg. &c. Bald. *d.* 25. *n.* 10. *ubi etiam cenſet veniale tantum eſſe, ſibimetipſi ex ira dæmonem imprecari, ſeu quod non lædat graviter caritatem. Verum Molin.* &c. *non audent id excuſare a mortali, propter fœditatem, horrorem, & perverſitatem*. Grave autem eſt, ſi ſubditi Superioribus, filii parentibus (licet materialiter tantum) ſic maledicant, præſertim in faciem: quia eſt grave contra debitam reverentiam. Bald. *l. c.* vid. infra *l.* 5. *c.* 2. *d.* 16.

11. In ira uſurpare dæmonem ſine imprecatione, non eſt per ſe peccatum; aſſidua tamen ejus nominatio non decet Chriſtianum: & ratione ſcandali poſſet eſſe gravis. Laym. *l. c.*

12. In confeſſione exprimenda eſt qualitas blaſphemiæ, videlicet utrum contra Deum, an Sanctos fuerit: illas enim ſpecie differre, eſt probabile ſecundum Suar. Sanch. Regin. Azor. Laym. Dian. *R.*
ANIMAD. IV. 30. Lug. *d.* 15. *n.* 2. *Contrarium tamen tenet* Trull. *l.* 1. *n.* 11. *d.* 2. *n.* 5. cum Dian. *p.* 1. *de circumſt. R.* 30.

Notæ.

(a) Hanc rem in omnem partem verſavi, ut quoad fieri poſſet, in bono lumine collocarem; de qua tandem hæc mihi dicenda viſa ſunt.

Quid eſt blaſphemia?

Reſp. *Nomen blaſphemiæ*, ait D. Th. 2. 2. q. 13. a. 1., *importare videtur quamdam derogationem alicujus excellentis bonitatis, & præcipue divinæ. Deus autem, ut Dion. dicit* 1. *cap. de Div. nom., eſt ipſa eſſentia veræ bonitatis. Unde quidquid convenit Deo, pertinet ad bonitatem ipſius; & quidquid ad ipſum non pertinet, longe eſt a ratione perfectæ bonitatis, quæ eſt ejus eſſentia. Quicumque ergo vel negat aliquid de Deo, quod ei convenit, vel aſſerit de eo, quod ei non convenit, derogat divinæ bonitati*. Hic ergo blaſphemus eſt, non alius. Ergo, inquis, qui de Deo vera dicit, blaſphemus non eſt. Reſp. Ita ſane. Qui enim de Deo vere loquitur, Deo laudem dat; idemque blaſphemus eſſe non poteſt. Hinc D. Auguſt. lib. contra Mendacium cap. 19. tom. 6. col. 472. *blaſphemando*, inquit, *de ipſa falſa dicuntur Dei*.

At nonne blaſphemia eſt, *cum attribuitur creaturæ, quod Deo appropriatur*? Reſp. Ita ſane. *At attribuere id, quod eſt Dei proprium alicui creaturæ, eſt ipſum Deum dicere idem creaturæ*. Objectio, & ſolutio eſt D. Thomæ a. 1. cit. 3., & ad 3.

Quotuplici modo blaſphemia committitur?

Reſp. *Uno quidem modo eſt ſecundum ſolam opinionem intellectus: alio modo conjuncta quadam affectus deteſtatione, ſicuti e contrario fides Dei per dilectionem perficitur ipſius*. Ita S. Th. a. 1. cit.

Et ne alia blaſphemiæ diviſio?

Reſp. *Si conſiſtat tantum in corde, eſt cordis blaſphemia: ſi autem exterius prodeat per locutionem*, (idem eſt per alia ſigna) *eſt oris blaſphemia; & ſecundum hoc* (prout oris blaſphemia) *blaſphemia confeſſioni* (fidei) *opponitur*. Ita S. Th. eodem a. 2.

Si ita eſt, inquis, exterior, ſeu oris blaſphemia interiorem blaſphemiam includit. Reſp. Hæc conſecutio ex D. Thomæ mente ſponte ſua oritur.

At hinc fit, ais, ut omnis exterior blaſphemia, cordis infidelitatem includat. Reſp. ex D. Thoma id negari non poteſt.

Ergo, reponis, vulgatiſſima illa diviſio a Theologis uſurpata in blaſphemiam hæreticalem, & ſimplicem, vana eſt, & nulla, quid ad hæc?

Reſp. Quia vox, intimi ſenſus animi index eſſe ſolet; (*ex abundantia enim cordis os loquitur*) idcirco D. D.Matth.12.
Th. ponit, exterius blaſphemantem, interius quoque v. 34.
blaſphemare. Quoniam vero accidere poteſt, ut qui ore blaſphemat, corde non blaſphemet, & aliud verbis proferat, aliud animo ſentiat, hinc orta eſt diviſio, cujus meminiſti. Nam blaſphemia hæretica cum hæreſi, ſeu infidelitate animo concepta conjungitur; at ſimplex blaſphemia ab hæretico, ſeu infideli ſenſu ſejungitur.

Prioris hæreticæ blaſphemiæ abſolutio Summo Pontifici reſervata eſt; a qua, cum reipſa hæreſis ſit exterius prodita, nemo abſolvere poteſt, niſi ſpeciali, & nominatim expreſſa Pontificia facultate munitus ſit; quod de ſimplici blaſphemia dici non poteſt. Bened. XIV. de Syn. diæc. lib 9. cap. 4. n. 5.

His itaque poſitis blaſphemia cum hæreſi, & imprecatione, ſeu convitio Dei conjuncta, omnium peſſima eſt, & a D. Thoma a. 1. cit. ad 1. appellatur *blaſphemia perfecta*; huic ſuccedit blaſphemia cum hæreſi conjuncta, at ſine Dei imprecatione, & convitii voluntate; 3. demum loco eſt blaſphemia nec hæretica, nec cum contumeliæ intentione prolata.

At quid, inquis, ſi quis blaſphemando ſine hæretico ſenſu, *ut fere accidit inter Chriſtianos*, ut ait Conc. Th. t. 3. p. 100. n. 2., ſolam exerceat voluntatis deteſtationem, contumelias in Deum diabolice evomendo?

Reſp. Dei deteſtatio, ſeu odium, monſtrum eſt Diaboli proprium, omnium peccatorum graviſſimum, ipſaque hæreſi, & quacumque infidelitate pejus ex D. Thoma 2. 2. q. 34. a. 2. & ad 2. Quod autem ait Concina, *ut fere accidit inter Chriſtianos*, res facti eſt, de qua judicandi facultas mihi non ſuppetit. Verba ea ſe hæretica ſunt, nulla, ut pono, conditione prolata. Si hujuſmodi diabolicos homines interroges, diabolicas blaſphemias ſe evomuiſſe norunt, & confitentur; at ſi quo animi ſenſu, utrum hæreſi, nec ne in illo infernali impetu infecto, ne ipſi quidem fortaſſe norunt. Quid ergo? Reſp. Illud hic menti ſtatim occurrit, *ex ore tuo te judico*: ergo te, cum ab hæreſi abſolvendi facultatem non habeam, in hac rationabili dubitatione abſolvere non poſſum. Utrum alii poſſint, ipſi viderint.

Blaſphemiæ ne reus eſt, qui blaſphema verba proferens, verum ſe dicere putat, aut falſum ſe proferre ignorat?

Reſp. Id in hæreticis præſertim locum habet, qui ſuam hæreſiarcharum doctrinam Apoſtolicam, & divinitus traditam impie jactitant; qui nihilominus blaſphemi ſunt. Sicut enim alia crimina, ita blaſphemia ex ignorantia non excuſatur, niſi forte hæc fuerit invincibilis. Hinc Ap. 1. ad Tim. 1. ait: *Prius blaſphemus fui, & perſecutor, & contumelioſus; ſed miſericordiam Dei conſecutus ſum; quia ignorans feci in incredulitate*. Se reum blaſphemiæ, licet ex ignorantia blaſphemaverit, S. Paulus agnoſcit; at minus reum, quam ſi ſciens blaſphemaſſet. Itaque D. Aug. lib. contra Mendacium cap. 19. ſupra cit. *Tanto eſt autem quis inexcuſabilior*, ait, *ſive perjurus, ſive blaſphemus, quanto magis ea, quæ pejerando, vel blaſphemando aſſerunt, falſa noverunt eſſe, vel credunt: ſicut & Saulus excuſabilius blaſphemavit, quia ignorans fecit*.

Hinc veluti perverſa, & a D. Paulo aliena eorum ſanitas deteſtanda eſt, qui a peccato mortali excuſant blaſphemantes ex habitu *abſque plena, & ſufficienti advertentia ad peccatum mortale*, idque, addunt aliqui, etiamſi ita diſpoſiti ſint, ut, licet animadverterent, nihilominus blaſphemarent; quos explodit Concina Th. t. 3. p. 103. n. 5. q. 3 & n. 7. q. 4. eorum enim ignorantia in cauſa, hoc eſt in ipſo habitu, quem delere non conantur, voluntaria eſt; ideoque inexcuſabilis eſt, nec blaſphemias inde profectas excuſare proinde poteſt. Vide dicenda de ignorantia, & peccatis.

Hæc repudiata doctrina ſimilis eſt doctrinæ Pelagianorum, de quibus D. Aug. lib. 4. contra Julianum cap. 91. col. 1185. *Numquid in voluntate dicendus eſt habere peccatum ſecundum vos ipſos*, (Pelagianos) *qui eum vultis intelligi vi conſuetudinis cogi peccare nolentem?* Juxta Pelagianos vi conſuetudinis homo peccat invitus: ergo peccando non peccat. Juxta Scriptores, de quibus hic ſermo eſt, vi conſuetudinis homo peccat ignorans: ergo peccando non peccat. Hæ ſcilicet doctrinæ ſunt germanæ ſorores; niſi hæc pejor dicatur propter deſcriptam additionem.

Eſtne blaſphemus, qui ſerio jurat per falſos Deos, e. g. Jovem, Mercurium &c.?

Reſp. Hunc Catech. Rom. p. 3. de 2. dec. præc. n. 26. perjurium appellat. Sed ex Buſ. hic ca. 1., & Concina Th. s. 3. p. 105. cap. 3. n. 5. eſt etiam blaſphemus; *quia*, inquit Concina, *cultus Deo ſoli, aut Sanctis propter Deum debitus, tribuitur falſis diis, aut dæmonibus. Qui vero*, ſubdit Concina, *joci cauſa, & animo deridendi, non colendi falſos Deos, jurat per Jovem, non blaſphemat, nec culpam perpetrat*.

Audivi, inquis, homines vere Catholicos ſerio dicere ſolitos: *per Jovem non ita eſt, non ita faciam* &c., an iſti blaſphemi ſunt?

Reſp. Equidem non putem; quia hi a pueris Poetarum libris aſſueti, aut alios ſimilia dicere ſolitos audientes, has voces uſurpant, non ut inanibus diis, quos, ut neceſſe eſt, pro nihilo habent, honorem habeant, ſed ut affirmate aliquid pronuncient. Illud *per Jovem* &c. penes ipſos idem eſt, ac reipſa, in veritate ita eſt. Cæterum auctor ipſis ex animo ſum, ut catholicam fidem tenaciſſime retinentes, ab ethnicis locutionibus abſtinere aſſueſcant.

Habes ne aliquid in ea, quæ Buſ. dicit ca. 8.?

Reſp. Buſ. ita loquitur: *Interim plurimi excuſantur ob inadvertentiam in ſubita commotione*. Hic non loquitur de iis, qui ea conſuetudine ob inadvertentiam in blaſphemias labuntur, quos mox explosi; ſed de illis, qui ſubito motu correpti in eas erumpunt. Siquidem excuſantur, ſi, ut loquitur D. Th. 2. cit. ad 3., cujus verba hic habes animad. 1., *in verba imaginata prorumpant, quorum ſignificationem non conſiderant*: at ſi blaſphemarum vocum ſenſum percipiant, excuſari a blaſphemia non poſſunt; quia blaſphemias ſcientes, & volentes diabolice eructant.

Qui vero eo prætextu ſuas blaſphemas voces excuſatas volunt, quod eas veluti interjectiones ſuam iram ſignificantes uſurpent, flagitioſiſſime loquuntur. Nec enim intentio non mala, aut etiam bona peccatis ſeu cordis, ſeu facti, ſeu oris ſuum virus adimere poteſt. Hæc ſceleſta excuſatio omnia peccata de medio facile tollit: quia facile eſt, ut bona intentione fieri dicantur, aut etiam fiant.

Ira non verbis exprimenda, ut Buſ. permittere videtur, ſed comprimenda eſt, multoque minus diabolicis blaſphemis vocibus explenda. Nam dum ſubdit, *tametſi id non poſſent*, contra arbitrii libertatem, & divinæ auxilia gratiæ loquitur.

Ergo blaſphemiæ nulla excuſatio relicta eſt. Suas illi diabolicas culpas intimo, & vehementi dolore aſſidue deflere, ſeveram, & diuturnam pœnitentiam agere, contra diabolicam conſuetudinem Dei auxilio enixe implorato omni conatu pugnare, in Dei, Deiparæ, & Sanctorum laudibus os, & cor indeſinenter occupare debent; & cavere ne hæreticarum blaſphemiarum abſolutionem ab iis, qui eas abſolvendi poteſtate carent, fruſtra eliciant, aut extorqueant.

(b) *Quod ſi vero quis in ira contra hominem* &c.

Qui indignabundi exclamant, a *Dei mors, corpus, ſanguis* &c. maximum ingerunt ſcandalum, & per contumeliam, ſeu contemptum ſacratiſſimam Dei hominis facti mortem, corpus &c. nominant: ideoque blaſphemi habendi ſunt, ſicuti eos habet Concina Th. s. 3. p. 106. cap. 5. in fine n. 1. Suarezio appellato, & Segnerius ſerm. p. 5. ſerm. 8. citatis quoque Silv., & Toleto, ſi tamen prædictæ voces ſacrilegæ ex loci conſuetudine non uſurpentur. Nam ſi uſitatæ ſint, eas blaſphemiæ incuſare non audet. Hac ratione Segnerius Suarezii, Sil., & Tol. doctrinam temperat.

Ego vero, ut libere loquar, eas magis reprehendendas puto, ubi vulgo uſurpantur, quam ubi in uſu non ſunt; quia peccandi uſus peccatum non tollit, nec minuit, ſed auget.

At hic objeis: qui verba mox enunciata pronunciant, nihil falſi de Deo dicunt: ergo ipſa mox dicta ex S. Thoma, & D. Auguſtino non ſunt blaſphemi.

Reſp. Antecedens verum eſt, ſi ea verba quoad primariam ſeu præcipuam eorum notionem accipiantur, non item ſi ſecundaria illorum ſignificatio attendatur, qua de re ars cogitandi p. 1. cap. 14. Modus enim, quo ab indignabundis efferuntur, apertam contumeliam, & contemptum in res illas ſacratiſſimas includit, & exprimit: at contumelia, & contemptus rerum omni adoratione proſequendarum, falſitatem apertam involvit: ergo.

Quid de Buſ. ca. 15. *in ira* &c. ſentiendum putas?

Reſp. Ridiculum mihi eſt, id in ira licitum ponere, quod extra iram non licet. Ira, ſicut alii animi motus, peccatum efficit, non tollit. Quare ſi in ira dicas, *ab inſidiis Diaboli libera nos Domine*, aut quid ſimile, id licet, & bonum eſt: at ſi ira te abripiat ad Dæmonem per imprecationem, aut alio quovis malo modo nominandum, non eſt dubium, quin pecces.

Animadversio I.

Hic Buſ. ſatis involute loquitur. Diſtinguit Sanctos, ut Sancti ſunt, & ut homines in terris. An Sancti ut homines in terris, Sancti non ſunt? An tunc ſolum Sancti eſſe cœperunt, cum in cælum conſcenderunt? At certum eſt, eos in cælum conſcendiſſe, quia Sancti in terris fuerunt. Itaque ſi contra illos, ut homines quidam in terris fuerunt, dicatur, duliæ quidem directe repugnas. (Nec enim alius cultus Sanctis tribuitur, aut tribuendus eſt.) At duliæ imminutio Deo ſemper contumelioſa eſt, veraque blaſphemia, ut docet S. Th. 2. 2. q. 13. art. 2. ad 2. quia qui Sanctorum honorem imminuit, Deo, qui eorum ſanctitatis principalis cauſa, & auctor eſt, contumeliam irrogat.

Quod veniale eſt, ſi joco fiat, v. g. ſi Sanctos &c.

Sanctos viros ſutores, fabros, eunuchos &c. ſi tales fuerint, reverenter appellare, nihil mali eſt; at ſi in contumeliam eos ita vocites, etiamſi joco id fiat, contumelia in Deum redundat, ideoque a gravi culpa excuſari nequis. Neque enim blaſphemiæ ſcelus joco minuitur, ſed augetur, ut recte advertit P. Concina Theol. t. 3. p. 104. n. 11. nihil quippe ſceleſtius eſt, quam joci cauſa Dei majeſtatem contumelioſis verbis lædere; quaſi divina Majeſtas res ſit in jocum vertenda. Hoc porro fit, cum contumeliæ in Sanctos per jocum impie evomuntur.

Multi tamen admittunt (parvitatem materiæ) *in iis, quæ fiunt contra Sanctos*.

D. Thom. 2. 2. q. 13. ar. 2 quærit, utrum blaſphemia ſit ſemper peccatum mortale; & reſpondet, *quod blaſphemia eſt peccatum mortale ex ſuo genere: quia ſecundum genus ſuum repugnat caritati divinæ, quia derogat divinæ bonitati*. In Reſp. ad 3. illud tamen excipit, *ſi quis ſubito ex aliqua paſſione in verba imaginata prorumpat, quorum ſignificationem non conſiderat. & tunc eſt peccatum veniale, & non habet proprie rationem blaſphemiæ*. Omnis ergo blaſphemia proprie dicta, juxta S. Doct. eſt mortalis. *Alio modo* (blaſphemia ſine deliberatione procedit), *quando advertit, hoc eſſe blaſphemiam, conſiderans ſignificata verborum; & tunc non excuſatur a peccato mortali, ſicut nec ille, qui ex ſubito motu iræ aliquem occidit juxta ſe ſedentem*. Ergo blaſphemia, quotieſcumque eſt voluntaria, eſt ſemper peccatum mortale. Nam etiam blaſphemia in Sanctos derogat divinæ bonitati, unde omnis ſanctitas derivatur. Hinc Concina Theol. t. 3. p. 102. n. 1. recte ait: „Nunquam ergo ex parte materiæ blaſphemia erit peccatum veniale; eo quod materia iſthæc parvitatis gradus minime excipiat."

Animadversio II.

Blaſphemat item qui iratus &c. *licet enim eam* &c. *intendit tamen indirecte, & virtualiter*. Hactenus recte.

Quamvis id ex ſubreptione ſæpe ſit veniale tantum, ſi tantum moraliter fiat

Illud *ſi tantum* (lege) *materialiter moraliter fiat*, fateor me non intelligere, nec divinare volo. Ceterum hæc Buſembaii doctrina intelligenda, aut corrigenda eſt juxta ſenſum D. Thomæ mox allati in Reſp. ad 3.

Animadversio III.

Hoc quoque intelligendum, aut corrigendum eſt juxta D. Thomam mox citatum. Si enim qui aliis dæmonem &c. imprecantur, ſignificationem verborum ex ſubito motu non advertant, a mortali culpa excuſantur; ſecus, ſi eam advertant. Cum enim verborum ſignificatio advertitur, imprecatio eſt voluntaria; & eum ex ſe ſit graviſſima, a mortifera culpa excuſari non poteſt.

Ubi etiam cenſet, veniale tantum eſſe &c. *ex quod non lædat graviter caritatem*.

Hæc ratio, ut ego ſentio, aperte falſa eſt. Si enim imprecatio dæmonis ex ira aliis jacta, caritatem graviter lædit; multo gravius eam lædit, qui eam in ſemetipſum contorquet; quia unuſquiſque magis ſemetipſum, quam alios ex caritate diligere debet. Itaque audiendus eſt Mol. & alii, qui, ut Buſ. ait, *non audent id excuſare a mortali propter fœditatem, horrorem, & perverſitatem*; & quia ratio adverſarii ex mox dictis falſa eſt.

Animadversio IV.

Cave, ne hac contraria opinatione, vel, ut melius dicam, aberratione abripi te ſinas, in quam jure invehitur P. Concina Theol. t. 3. p. 101. n. 6. 7.

CA-

Digitized by Google

CAPUT II.

De Juramento.

DUBIUM I.

Quid ſit Juramentum.

RESP. Juramentum eſt invocatio tacita, vel expreſſa numinis divini, tamquam primæ, & infallibis veritatis, in teſtem alicujus rei. Hæc autem invocatio in eo conſiſtit, quod jurans, quantum in ſe eſt, cupiat, ac velit, Deum id quod jurat, teſtari, & manifeſtare (ſi, & quando nimirum illi placuerit, ſive in hac vita, ſive in altera) tanquam quod ad ipſo Deo ſit cognitum, & verum. Ita communiter DD. S. Thom. 2. 2. *qu.* 89. *art.* 1. Bon. *d.* 4. *qe.* 1. *p.* 1. Sanch. 3. *mor. c.* 1. Laym. *l.* 4. *tr.* 3. *c.* 1.

Unde reſolves.

ANIMAD. I. 1. *Quoad forum internum jurat quiſquis interius intentionem habet ſive formalem, ſive virtualem, & invocat Deum in teſtem, ſive his ſive illis verbis, ac ſignis, ſive etiam nullis uſus ſit: ita ut, ſi quis utatur verbis nullo modo importantibus juramentum, & is tamen ea putet eſſe juramenta, vere juret; & e contra.* Suar. *l.* 1. *c.* 1. Sanch. *l.* 3. *c.* 1. Laym. *l.* 4. *t.* 3. *c.* 1. Quoad forum autem externum, quænam formulæ jurandi rationem habeant, ac proinde quæ verba licite uſurpari in converſatione poſſint, patet ex ſequentibus.

2. Quando dubium eſt de jurantis intentione, judicari ſolet ſecundum communem acceptionem verborum, quibus eſt uſus.

3. Veram rationem juramenti habent hæ formulæ: teſtor Deum, vel invoco Deum teſtem: item, *auff meinem eidt*, *bey meinem eidt*, niſi aliud de uſurpantis intentione conſtet, quia multi ita loquuntur, v. g. *ich ſchvver a dir ein eidt*, vel *bey meinem eidt*, hoc, vel illud faciam: quorum tamen mens non eſt ſerio id jurare, ſed tantum iracunde, & gravius affirmare. Laym. *l. c. c.* 2.

4. Fides a Sacerdotibus loco juramenti exigi ſolita per eorum conſecrationem, uti & formula illa Principum, *bey Unſer Furſtlichen Ehren, a der Crevven*, etſi non ſint juramentum, tamen in foro fori accipiuntur loco juratæ promiſſionis; uti & ſi a perſonis illuſtribus, vel nobilibus dicatur, *bey meiner Adlichen Ehren, Crevven, und Slauben*. V. Layman. *l. c. e.* 2.

ANIMAD. II. 5. *Formula hæ, Deus novit, Deus teſtabitur ſuo tempore, coram Deo loquor, Deus novit omnia, Deus videt meam conſcientiam, cenſentur tantum narrative proferri, non invocative (atque adeo non ſunt juramenta) niſi aliud conſtet, aut ex circumſtantiis probetur.* Laym. *l. c. n.* 4. Bonac. *qu.* 1. *p.* 2. ex Suar. Leſſ. Sanch. &c.

ANIMAD. III. 6. *Non ſunt juramenta, quæ dicuntur per modum ſponſionis: v. g. expono caput meum, amputentur mihi aures, ni ita ſit,* &c. Vid. Sanch. *l. c. n.* 42.

ANIMAD. IV. 7. *Non vere jurat qui, ut juramentum coactus vitet, dicit, ſe jurare per omne id, per quod poteſt;* quia, cum res nulla ſit, per quam abſque neceſſitate jurare licite poſſit, cenſentur per nihil jurare intendiſſe.

ANIMAD. V. 8. Non ſunt juramenta (quod Confeſſarii, & Catechiſtæ moneant, ne ex erronea conſcientia peccetur) vere, certe, in veritate, fide boni viri, per fidem meam, *fide boni Chriſtiani, vel Sacerdotis*, vel Regis; per conſcientiam meam, ſuper conſcientiam meam, &c. ut habet Leſſ. *c.* 42. *d.* 1. Bonac. *l. c.* quia tantum ſignificant illum loqui ex dictamine conſcientiæ, & notitia veritatis; nec in teſtem adducitur Deus: eſſet tamen juramentum dicere, per fidem catholicam, per ſanctum Evangelium: quia tunc cenſetur in teſtem adduci illius fidei, & Evangelii auctor. V. Laym. *l. c.*

9. Non jurat, qui dicit, tam verum eſt, quam Sol lucet, quam hic ſedeo, ambulo, &c. Unde etſi comparatio falſa ſit, tantum eſt mendacium, cum nullus in teſtem invocetur. *Idem eſt, ſi dicas, quod dico, eſt Evangelium, eſt inſtar fidei, eſt de fide*, &c. ANIMAD. VI.

10. Quamvis hæ, & ſimiles comparationes, *tam verum eſt, quam Deus eſt, quam Chriſtus eſt in venerabili Sacramento, quam verum eſt Evangelium:* item, *tam ſum innocens, quam B. Virgo, vel S. Franciſcus*, &c. communiter videantur continere juramentum cum blaſphemia; id tamen non ſatis apparet, quia nullus in teſtem invocatur. Neque videtur eſſe blaſphemia, ſi ſit verum, & animus proferentis ſit ſignificare tantum ſimilitudinem, ut ſenſus ſit, hoc verum eſſe ſuo modo, ſicut alterum eſt verum ſuo modo. Tunc vero eſſet blaſphemia, ſi uſurpans intenderet ſignificare, tantam eſſe (ſecundum æqualitatem) in ſuo dicto certitudinem, quanta eſt in ea veritate fidei. Sanch. 2. *mor. c.* 31.

ANIMAD. VII. 11. *Non eſt juramentum, cum quis jurat per creaturas, in quibus nihil divinæ bonitatis ſpecialiter elucet: quia tunc non cenſentur adduci cum relatione ad Deum, ut ſi dicas: juro per hanc barbam, veſtem*, &c. Cenſetur autem juramentum, cum fit per creaturas nobiliores: cum per eas tunc accipiatur earum Creator, ut qui in iis ſingulariter reſidet, ac relucet: ſic v. g. dum juratur per cælum, intelligitur illius habitator: dum per terram, is, cujus hæc eſt ſcabellum: dum per templum, is, qui ibi colitur: dum per aliquod Sacramentum, is, qui inſtituit: dum per Crucem, is, qui in ea fixus eſt; dum per Evangelia, ea tangendo, aut nominando, is, cujus ea verba ſunt. Bon. *q.* 1. *p.* 1. *n.* 4. Suar. Sanch. *ll. cc.*

DUBIUM II.

Quotuplex ſit Juramentum?

Reſp. Diviſiones aliquot communiter aſſeruntur, ſed tantum accidentales, quæ ſpeciem non mutant, ut in confeſſione diſtinguere non ſit opus. (*a*) Suarez, Leſſ. Bon. *p.* 2. Itaque dividitur.

Primo in Verbale, Reale, & Mixtum; cum videlicet vel verbis fit, vel actione aliqua, ut erectione digitorum, contactu Crucis, Sceptri, Evangeliorum: vel & verbis ſimul, & actione corporali, unde & vocatur juramentum corporale. V. Bonac. *p.* 2.

Secundo in Invocatorium, ſeu conteſtatorium, & in Execratorium, ſeu imprecatorium. Illud eſt, quo Deus ſimpliciter, ut teſtis, invocatur; hoc autem, quo non ſolum vocatur ut teſtis, ſed etiam ut vindex, cum jurans ſe, vel alium dilectum, vel aliquid ſui, aut ſuorum ſubjicit Deo puniendum, ſi falſum dicat: ut, ita me Deus amet, adjuvet: puniat me Deus: faciat Deus, ut hinc nunquam ſanus ſurgam: nec conjugem, nec liberos vivos hodie intuear; tollat me Deus ſubitanea morte: in æternum damnet; ſuper animam meam, &c. in quibus quando falſo juratur, an ſit conjuncta altera ſpecies malitiæ contra caritatem ſui, aut proximi, Scholaſtici controvertunt. Negant Suar. Valent. &c. quia non ſolet quis etiam amico ſuo tale malum ex animo imprecari; ſed potius cogitat Deum non facturum eſſe. V. Bonac. *d.* 4. *qu.* 1. *p.* 2.

Tertio in Aſſertorium, & Promiſſorium. Illud eſt, quo præterita, vel præſentia affirmantur, aut negantur: hoc autem eſt, quo aliquid futurum promittitur. Addunt aliqui Comminatorium, ut v. g. per Deum ego te cædam. Sed hoc referri poteſt ad promiſſorium. In confeſſione non opus eſt explicare, utrum per Deum, an Sanctos juraris: quia eſt ejuſdem ſpeciei malitia, cum jurans ſemper intendat Deum adducere in teſtem. Suar. Leſſ. *c.* 42. Lugo *d.* 16. *n.* 286.

DUBIUM III.

An, & quando ſit licitum jurare.

Reſp. Juramentum, ſi debito modo fiat, licitum eſt. Eſt de fide. Et quidem eſt actus Religionis, ut omnes docent. Tunc autem debito modo fit, cum in eo obſervantur hæc tria. 1. Eſt judicium,

quod

quod exigit, ut cum diſcretione, prudentia, conſideratione, ac reverentia, non ſine neceſſitate, aut gravi cauſa fiat. 2. Eſt juſtitia, quæ exigit, ut quod juratur, ſit res juſta, licita, & honeſta. 3. Eſt veritas, ut nimirum ſit res vera, aut ſaltem ex gravi ratione putetur eſſe vera *; ita ut, prout ex defectu alicujus horum minor, aut major in Deum injuria, aut irreverentia redundare cenſetur, ita quoque majus, aut minus committatur peccatum.

Unde reſolvitur.

ANIMAD. VIII. 1. *Quoad judicium, ſi hoc ſolum deſit, ut plurimum eſt veniale tantum: ut ſi quis abſque neceſſitate juret, ſive ex levitate quadam animi, ſive ex conſuetudine.* V. Sanch. *l.* 3. *c.* 6. *n.* 22. Leſſ.

ANIMAD. IX. 2. *Mortaliter tamen etiam hic, aut venialiter peccare poteſt, juxta quantitatem negligentiæ, quam jurans admittit in inveſtigatione veritatis, vel tollenda conſuetudine.* Sanch. *n.* 10.

3. Et ſic mortalis eſt ſtatus illorum, qui non tollunt conſuetudinem jurandi ſine attentione, ſitne verum hoc, an falſum, quod jurare ſolent.

4. Quod ad juſtitiam ſpectat, peccat mortaliter, qui jurat ſe facturum rem mortaliter malam; ut ſe aliquem interfecturum, quia eſt gravis irreverentia, divina auctoritate ſe ad peccatum mortale quaſi obligare, ita ut hic duæ malitiæ concurrant: una, quod velit malum; altera, quod ad hoc abutatur auctoritate Dei odio habentis omne malum. Bon. *l. c. p.* 3. Leſſ. *l.* 2. *c.* 42. *d.* 3.

ANIMAD. X. 5. *Venialiter autem peccat, qui jurat facere rem venialiter malam, aut vanam, aut inutilem, aut frivolam:* cum ibi levis tantum irreverentia cenſeatur. Bon. *ibid.* Leſſ. *l. c.*

ANIMAD. XI. 6. *Item peccat venialiter, qui jurat aliquid contra conſilia evangelica*: ut ſe non ingreſſurum Religionem, non daturum eleemoſynam, aut mutuum. Suar. Leſſ. Sanch. Bon. *l. c.*

7. Quod ad veritatem ſpectat, cum hæc deeſt, peccatur mortaliter; quia committitur gravis in Deum irreverentia; quippe cum adducatur in teſtem falſitatis, quaſi vel ipſe veritatem neſciat, vel velit, aut poſſit decipere teſtando falſum. Nec hic excuſat levitas materiæ: quia, ſive hæc ſit gravis, ſive levis, ſeria, ſive jocoſa, æqualiter tamen repugnat Deo teſtificari falſum: & tale juramentum dicitur perjurium. S. Thom. 2. 2. *qu.* 79. *ar.* 7. Leſſ. Sanch. Bon. *l. c. An autem, & quando perjurium poſſit eſſe veniale per accidens*, vid. Eſcob. *t.* 1. *e.* 3. *n.* 6.

ANIMAD. XII. 8. Nec excuſatur, vel qui jurat verum, ſi id putabat eſſe falſum, vel qui jurat pro certo, de quo ipſe dubitat, etſi a parte rei verum ſit. Sot. Nav. Bon. *l. c.*

ANIMAD. XIII. 9. Peccat æque graviter, qui ab altero exigit juramentum, ſciens eum eſſe pejeraturum. *Excipe, niſi juſta cauſa, & neceſſitate exigat: quia tunc perjurium ex ſola pejerantis malitia ſequitur, nec ipſe moraliter cenſetur illius cauſa, cum utatur ſuo jure.* Quod tamen extra judicium raro habet locum in privatis perſonis. S. Thom. *q.* 29. Suar. *l.* 3. *c.* 13. & 14. Sanch. *l.* 3. *c.* 8.

ANIMAD. XIV. 10. *Non pejeravit, qui juravit aliquid reipſa falſum, quod ipſe bona fide, & cum ratione putavit eſſe verum.*

11. *Excuſari ſubinde quidam ſimplices a mortali perjurio videntur poſſe, ratione inconſiderationis, cum uſurpant quaſdam formulas juratorias, ut, per animam meam, puniat Deus. Etſi enim ſciant id vocari juramentum, non tamen apprehendunt, quod jurare ſit aliquid grave, & invocare Deum in teſtem, ſed tantum apprehendunt confuſam aliquam rationem mali non tanti momenti.* V. Bon. *l. c.* Laym. *c.* 14.

DUBIUM IV.

An in juramento liceat uti æquivocatione?

ANIMAD. XV. Reſ. *Jurare cum æquivocatione, quando juſta cauſa eſt, & ipſa æquivocatio licet, non eſt malum: quia ubi eſt jus occultandi veritatem, & occultatur ſine mendacio, nulla irreverentia fit juramento. Quod ſi ſine juſta cauſa fiat, non erit quidem perjurium, cum ſaltem ſecundum aliquem ſenſum verborum, vel reſtrictionem mentalem verum juret:* erit tamen ex genere ſuo mortale contra religionem: cum ſit gravis irreverentia, ad alterum in re gravi decipiendum uſurpare juramentum. Ita communiter DD. Sanch. *l.* 3. *c.* 6. Bon. *p.* 12. Laym. *c.* 13.

Unde reſolvitur.

1. Graviter peccat, qui utitur æquivocatione, quando non rogatus, ſed ſponte ſua jurat: quia tunc tenetur uti vocabulis ſecundum communem ſignificationem, inquit Tolet. *l.* 4. *c.* 21. eo quod non habet rationem æquivocandi.

2. Graviter item peccat, qui utitur æquivocatione, quando juramentum juſte exigitur, ut a judice, vel ſuperiore, in re gravi. Bon. *l. c.*

3. *Si autem fiat tale juramentum in re levi, per jocum, & citra inobedientiam, ac notabile damnum alterius, erit tantum veniale, ut probabiliter docet Sanchez l.* 3. *c.* 6. *contra alios: quia ſola diſcretione, ſive judicio caret.* V. Bon. *l. c.* ANIMAD. XVI.

4. *Licet æquivoce jurare, ſi juramentum exigatur injuſte, ut v. g. ſi quis exigat juramentum, qui jus non habet, v. g. judex incompetens: vel ſi non ſervet ordinem juris. Item, ſi exigatur per vim, injuriam, metum, v. g. ſi vir exigat juramentum ab uxore de adulterio occulto: ſi latrones exigant a te lytrum cum juramento.* Sayr. *l.* 4. *c.* 3. & *l.* 1. *c.* 17. Leſſ. Trull. *l.* 2. *c.* 1. *d.* 15. ANIMAD. XVII.

5. *Qui exterius tantum juravit ſine animo jurandi, non obligatur, niſi forte ratione ſcandali, cum non juraverit, ſed luſerit. In foro tamen externo poteſt cogi,* ut ſervet. Sanch. 7. *mor. c.* 10. *n.* 11. Trull. *l.* 2. *c.* 1. *d.* 10. ANIMAD. XVIII.

DUBIUM V.

Quæ, & quanta ſit obligatio juramenti promiſſorii?

Reſp. 1. In juramento promiſſorio duæ affirmantur veritates, una de præſenti primaria, quod ſcilicet jurans habeat animum implendi quod promittit, altera ſecundaria de futuro, quod ſcilicet impleturus ſit ſuo tempore, quod promittit: ſive promittat Deo, & eſt votum cum juramento, ſive homini, & eſt jurata promiſſio humana. Unde oritur obligatio implendi, ſi rationabiliter poſſit. Ita communiter DD. et Laym. *l.* 4. *t.* 3. *c.* 6. Bon. *p.* 7.

Unde reſolves.

1. Defectu primæ veritatis jurans vere peccat mortaliter, ſi vel non habet animum implendi, ſive materia ſit parva, ſive magna: (*b*) *licita, ſive illicita*: vel ſi dubitat, an facturus ſit, necne, quod jurat, vel ſi putat ſibi moraliter impoſſibile, ut impleat quod promittit, quia quoad iſtam veritatem præſentem, promiſſorium ab aſſertorio non differt: unde nec parvitas materiæ excuſat. *ibid.*

2. Defectu ſecundæ veritatis vere pejerat is, qui quod promiſit, poſtea non implet, ſi rationabiliter implere poteſt. *Id ſolum hic dubitatur, an qui promiſit rem exiguam cum juramento, ut v. g. dare alteri unum pomum, vel nummum pro eleemoſyna, vel caſtigare prolem, vel inter vendendum nolle ſe minori pretio vendere, vel nolle primum locum occupare, aut præcedere in ingreſſu porta &c. an, inquam, ſub gravi peccato teneatur hæc ſervare.* Ubi ſpeculative quidem videtur, quod ſic, quia vere adductus eſt Deus ut teſtis, quod ſit facturus: ergo ſi ſine cauſa non facit, quantum in ſe eſt, facit Deum teſtem falſum. Cajet. Val. Tol. *l.* 4. *c.* 22. *Nihilominus probabiliter alii tenent contrarium*, ut Sanch. V. Laym. *ſup. c.* 4. ANIMAD. XIX.

3. *Illud certum eſt, quod ſi ex eo quod juraſti, tantummodo parum aliquid non ſerves, non eſt grave:* v. g. ſi juraſti te non bibiturum vinum, non peccas mortaliter, parum bibendo. Sanch. *t.* 1. *l.* 4. *c.* ANIMAD. XX.

* Conſule hic animad. XIV. Item VIII. & IX.

4. c. 12. n. 21. *quia tunc excuſat parvitas materiæ.* Et ſic excuſantur, qui jurant ſervare ſtatuta alicujus Capituli, Collegii, Univerſitatis &c. ſi poſtea parvum aliquod ſtatutum violent. Et idem dic de tabellionibus juratis, & aliis miniſtris juſtitiæ; ut & de eo, qui ex ſumma, quam alteri ſe daturum juraſſet, parum tantum detraheret. Navar. Suar. Sanch. V. Laym. Bon. *q.* 14.

Animad. XXI. 4. *Obligaris probabiliter juramento promiſſorio, etſi extortum ſit a te per injuriam, ac metum, ut ſi oblitus uti æquivocatione, juraſti prædonibus dare lytrum, uſurario uſuram.* Bec. 2. 2. *q.* 82. &c. *Negat tamen Azor. tr.* 5. *l.* 11. *c.* 7. *q.* 2. *in materia tamen matrimonii, quia matrimonium coactum metu cadente in conſtantem virum nullum eſt; hinc etiam juramentum extortum de eo contrahendo, videtur relaxatum ipſo jure*, ait Cajet. V. *Perjurium.* Suar. *c.* 8. Sanch. Bon. *p.* 9.

5. Obligaris item, etſi juramentum ſit errore, aut dolo extortum, ſi dolus, vel error verſetur tantum circa circumſtantias accidentales non Animad. XXII. magni momenti: *nam ſi verſetur circa ſubſtantiam; ut v. g. ſi annulum te daturum alteri jures, putans eſſe ferreum, cum ſit aureus; vel circa circumſtantias magni momenti, quibus cognitis non juraſſes, non obligaris.* V. Sanch. *l.* 3. *c.* 11. *n.* 18. Suar. &c.

Animad. XXIII. 6. *Non inducit ullam obligationem, ſi jures rem malam, aut vanam, aut inutilem, aut, ut habet Cajet. indifferentem, quæ nec ex fine, nec ex circumſtantiis cohoneſtatur*; quia juramentum non poteſt eſſe vinculum iniquitatis, aut vanarum rerum, ac otioſarum, ad quas Deus non vult nos obligari. Bon. & alii communiter. Ubi nota ex Laym. *ſup. cap.* 6. juramentum non convaleſcere, etſi talis res illicita, & vana, poſtea mutatis circumſtantiis fiat honeſta, cum juxta *reg.* 18. juris in 6. *non firmetur tractu temporis, quod initio non ſubſiſtit.*

7. Nec obligaris implere, ſi quid juraſti contra conſilia evangelica: ut non ingredi Religionem, non dare eleemoſynam &c. Mol. Sanch. Laym. *l.* 4. *t.* 3. *c.* 6. Et licet peccatis talia jurando, non tamen peccas non implendo. Cajet. V. *Perjurium.*

8. Teneris implere, nec poteſt commutari in aliud opus melius, ut verbi gratia religionem, ſi aliquid juraſti in utilitatem, aut gratiam alicujus hominis, aut aliquorum; dummodo ſit honeſtum, & ſine peccato impleri poſſit. Unde verbi gratia alumnus qui juravit ſe ſerviturum Principi, aut huic, vel illi Eccleſiæ &c. non poteſt ingredi Animad. XXIV. religionem ſine relaxatione. *Excipe tamen, ſi juraſſes Titiæ eam ducere*: nam eo caſu potes, ea relicta, ingredi religionem: *quia juramentum ſortitur naturam actus, cui apponitur: promiſſioni autem matrimonii hæc tacita conditio ineſt, niſi ingrediar religionem.* Vide Laym. *c.* 6. Bon. *d.* 4. *q.* 1. *p.* 3.

Reſp. 2. *Juramentum promiſſorium eamdem habet conditionem, eodemque modo explicandum eſt, quo promiſſio, vel propoſitum, cui eſt annexum. Ratio eſt, quia acceſſorium ſequitur principale, ideoque quando non obligat promiſſio, nec obligat juramentum appoſitum*, Leſſ. *l.* 2. *c.* 42. *d.* 2. Bon. *d.* 4. *q.* 1. *p.* 6. Trull. *l.* 2. *c.* 1. *d.* 17.

Unde reſolves.

1. Titius, qui cum juramento promiſit nuptias Bertæ diviti, ſanæ, virgini, bonæ famæ &c. non tenetur ſtare juramento, poſtquam Berta incidit in paupertatem, infirmitatem, fornicationem, vel infamiam: quia promiſſio ipſa non obligat eo caſu. (*c*)

Animad. XXV. 2. *Qui urbanitatis cauſa juravit ſe ante alterum non ſeſſurum, bibiturum, vel ingreſſurum domum* &c. *non peccat contra juramentum, ſi coactus ab altero prius ſedeat, bibat, vel ingrediatur: tum quia promiſſio illa*, vel propoſitum habet tacitam conditionem adjunctam, niſi me coegeris, qua ſublata, non obligat, & conſequenter nec juramentum: tum quia relaxatur ab altero cedente juri ſuo. Bon. *l. c.* Sanch. Leſſ. Trull.

Animad. XXVI. 3. Qui juravit ſe ſervaturum decreta, & regulas, vel ſtatuta alicuis Congregationis, Univerſitatis vel Capituli, tantum tenetur ſervare ea, quæ ſunt in vigore, & quatenus ſunt in uſu, vel ſervantur a majore parte Capituli, niſi tamen aliud conſtet de mente jurantis, vel hic voluerit ſe ad illa independenter a ſtatutis obligare. Ratio patet, quia promiſſio ipſa non aliter obligat. Trull. *l. c.* Azor. Leſſ. Dian. *p.* 2. *tr.* 6. *R.* 39.

4. *Qui juravit ſe ſervaturum ſecretum, non peccat contra juramentum illud detegendo, quando non poteſt illud celari abſque gravi ſuo, vel alterius* damno, quia ipſa promiſſio ſecreti non videtur obligare, niſi hac conditione. (Si non noceat.) Syl. Bon. Sanch. Trull. *l. c.* Animad. XXVII

5. Qui juravit Judici ſe dicturum quæ novit, non tenetur revelare occulta. Ratio patet. Leſſ. Bon. Trull. *l. c.*

6. Qui juravit, ſe ſoluturum debitum intra menſem, non tenetur intra illum vi juramenti ſolvere, ſi a creditore terminus ſolutionis prorogetur: quia cum hic cedat juri ſuo, ceſſat obligatio promiſſionis, & conſequenter juramenti. Azor. Bon. Trull. *l. c. n.* 18.

DUBIUM VI.

Quibus caſibus excuſetur ab impletione, qui in promiſſorio juramento obligationem contraxit?

Reſp. Tales caſus præter ea, quæ ex ſuperioribus colliguntur, a Tol. & Cajet. recenſentur iſti. 1. Si quod bonum erat tempore juramenti, (*d*) *propter circumſtantias poſtea fiat illicitum*, vel vanum, vel impeditivum majoris boni, vel melius ſit omitti, quam impleri. Sanch. *c.* 15. 2. *Si juramentum mutes in opus aliquod aperte melius, & Deo gratius: id enim quiſque per ſe poteſt*, ut habet Tolet. *cap.* 23. Excipe tamen ſemper, ſi quid in hominis commodum juraſſes: nec enim Deus illum vult defraudari. 3. Si notabiliter mutetur ſtatus rei, ut ſi v. gr. juraſſes aliquem punire juſta punitione, is autem ſupplex veniam peteret, & ageret pœnitentiam, poſſes ei ſine periculo condonare: quia juramentum obligabat, ſervato eodem ſtatu, in quo non pœniteret. Laym. *cap.* 9. 4. Si res jurata facta ſit inutilis ad intentum, maxime ſi magis illius deſtructiva; ut ſi v. g. ex correctione impœnitentis filii cenſeretur is magis deſtruendus, quam emendandus, aut ſit turbanda familia, ſecuturæ rixæ cum uxore, & ſic præſtet non corrigere. Regin. *l.* 18. *cap.* 56. Bon. *l. c. p* 14. 5. Si ita ferant conditiones illæ, quas in quovis promiſſorio juramento tacite ſubintelligi, notum, & DD. docent. Tales autem ſunt, ut Laym. dicit *ſup. c.* 9. *ſi potero.* (*e*) 2. ſalvo jure Superioris. 3. niſi res notabiliter mutetur. 4. niſi obligatio tollatur. De quo ſequens dubium. Animad. XXVIII

DUBIUM VII.

Quomodo obligatio juramenti tollatur per irritationem, diſpenſationem, commutationem, & remiſſionem.

Reſp. De hoc ex conditionibus jam poſitis, & poteſtate Superiorum in ſuos, ac ſuorum vota, a Laym. *hic cap.* 11. & aliis communiter hæc traduntur.

1. Quod ſpectat ad irritationem; *irritare*, (*f*) & *annullare poteſt* juramentum omnis Superior, maritus, aut dominus, qui, & quomodo irritare poteſt ſuorum vota, Sanch. *c.* 69. *n.* 7. Suar. Azor. Fill. *l.* 25. *c.* 9. *p.* 17. *dub.* 6. V. Caput ſequens.

2. Poſſunt & iidem irritare juramenta promiſſoria, facta in gratiam hominis, quotieſcumque ipſam promiſſionem, ſeu contractum infirmare iis conceſſum eſt.

3. Quoad diſpenſationem: *quicumque habet poteſtatem ordinariam, vel delegatam, vel privilegium diſpenſandi in votis, poteſt in iiſdem diſpenſare, etiamſi jurata ſint.* Animad. XXIX.

4. *Quoad commutationem, eadem eſt ratio, quæ de diſpenſatione.*

5. Quod attinet ad remiſſionem, ſive relaxationem, juramentum factum in favorem hominis non poteſt relaxari, niſi ab eo, cui factum eſt, aut cui ra, & promiſſa materia ſubjecta eſt.

6. Et

Digitized by Google

6. Et is quidem poteſt remittere, *etſi talis favor ei juratus eſſet propter Deum* (g) v. g. ſi quis propter Deum juraſſet pauperculæ eam ducere, poteſt ipſa juramentum illud relaxare, ut habet Navar. & alii, contra Sotum, & Sylv. quia licet juramentum principaliter factum ſit propter Deum, quia tamen executio eſt in favorem hominis, ab hominis etiam voluntate dependet.

7. An etiam civilis poteſtas relaxare poſſit juramenta ſuorum ſubditorum in temporalibus, quando juſta cauſa ſubeſt, v. g. quia metu, vel per aliam injuriam extorta ſunt, *controvertitur*. (h) Alii negant, alii ajunt apud Laym. Probabile eſt, quod docet Sanch. *l.* 3. *c.* 12. cum Suarez, non poſſe relaxare directe, ſicut poteſtas eccleſiaſtica, quando diſpenſat; ſed tantum indirecte, v. g. ratione materiæ, vel ſupplendo vicem ejus, cui juratum eſt, & qui remittere debeat. Plura ad forum externum ſpectantia circa juramentum vide apud Laym. *ſup. c.* 11. Bon. *l. c.*

Notæ.

(a) *Diviſiones aliquot* &c. *ſed tantum accidentales* &c., *ut in confeſſione diſtinguere non ſit opus. Suarez* &c.

Hæc Buſ. ſententia teſte Concina Th. t. 3. lib. 5. 10 dec. diſſ. 1. cap. 7. n. 15. p. 404. communior eſt: at n. 27. ſubdit. *Utraque opinio ſua fruitur probabilitate.* Si ita res eſt, in dubio verſamur: at in dubiis, cum de animæ negotio agitur, certa incertis præferenda ſunt, præſertim vero cum de Sacramenti valore ſermo eſt, ut liquet ex prop. 1. ab Innoc. XI. proſcripta: at in præſenti re non ſolum de animæ ſalute, verum etiam de Sacramenti valore agitur. Quæritur enim, utrum diverſitas juramentorum, quæ violantur, in confeſſione neceſſario explicanda ſit, ut confeſſio integra, & valida ſit. Ergo.

Sed ut rem hanc quoad fieri poteſt explicatius evolvamus; juramenta verbalia, realia, mixta ſpecie non differunt, ſed ſolum quoad modum, quo fiunt; quæ diverſitas in genere moris exigua eſt, nec neceſſario in confeſſione aperienda. Quid enim neceſſe eſt dicere, juramentum Evangelii tactu fuiſſe peractum, non voce, vel contra? Hac de re nullam excitari jure poſſe controverſiam putem.

Controverſia in eo eſt, utrum juramenta aſſertoria, promiſſoria, execratoria ſpecie differant. Ego hic ita diſcurro. Actus ſpecie differunt pro diverſitate objectorum ex D. Thom. citando animad. 16. in cap. 1. lib. 5. At juramenta aſſertoria, & promiſſoria habent diverſa objecta: nam aſſertio rem, ſeu objectum ſpectat ſub ſola ratione veri; at promiſſio etiam ſub ratione fidelitatis, quæ in re gravi etiam ſine juramento graviter obligat ex dicendis animad. 2. in cap. 3. tract. 5. lib. 3. Ergo juramentum aſſertorium, & promiſſorium ſpecie differunt, & hujus violatio duplicem malitiam gravem, (ſi ſit de re gravi) & ſpecie diverſam includit.

In juramento autem execratorio Deus non ſolum ut teſtis, ſed etiam ut vindex appellatur, quæ additio graviſſima eſt, ex æquo judicio ſpecie diverſa. Teſtis enim, & vindex quoad mores ſpecie differunt. Omnia juramenta in eo conveniunt, ut Deus teſtis vocetur. At hæc convenientia generalis eſt, nec diverſitatem ſpecierum expungit; ſicuti generalis convenientia in furtis, ut ſcilicet res aliena ſine domini conſenſu accipiatur, furtorum ſpecificam differentiam, ut alia ſint rapinæ, alia ſacrilegia, alia furta ſimpliciter, non excludit. Quare juramentum execratorium ab aliis juramentis ſpecie differre merito dicitur; quod tamen, etiamſi in dubium quis vocare velit, nihilominus in confeſſione ex mox dictis aperiendum eſt; præſertim cum in confeſſione non ſolum peccatorum ſpecies diverſæ explicandæ ſint, ut ponit Buſ., ſed etiam circumſtantiæ malitiam notabiliter aggravantes, ut ſuo loco contra Buſembau evincam: at extra controverſiam eſt, violationem juramenti promiſſorii in re gravi, & execratorii, quod D. Aug. cit. hic anim. 3. *graviſſimum juriſjurandi genus* appellat, addere circumſtantiam notabiliter aggravantem: ergo hæc in confeſſione ſunt neceſſario explicanda.

Item ſi Judex juramentum præcipiat, hæc circumſtantia, quæ inobedientiæ noxam perjurio addit, ex neceſſitate patefacienda eſt.

Buſ. *Tertio . . . addunt aliqui comminatorium, ut v. g. per Deum ego te cædam: ſed hoc referri poteſt ad promiſſorium.*

Tale juramentum, ſi pœna intentata juſta ſit, ut ſi Pater filio contumaci juret *per Deum te verberabo*, implendum eſt; & hoc ſenſu ad promiſſorium juramentum referri poteſt. At ſi comminatio ſit injuſta, & mala, quæ ſine peccato præſtari non poſſit, tale juramentum eſt genuinum perjurium ex animad. hic 10.

(b) *Defectu primæ veritatis jurans vere peccat mortaliter, ſi vel non habet* &c. *ſive materia . . . ſit licita, vel illicita.*

Jurans mortaliter peccat, cum res jurata eſt illicita, etiamſi implendi animum habeat ex animad. hic 10., imo gravius peccat, quam ſi animum non implendi haberet ex animad. hic 11.

(c) *Titius, qui cum juramento promiſit* &c. *non tenetur ſtare . . . poſtquam Berta* &c.

Si Berta in fornicationem incidat, Buſ. ſententia certa eſt, ab Innoc. III. definita cap. *Quemadmodum ſi vir* 25. t. 24. l. 2. decr., cujus verba habes hic animad. 27. Idem videtur dicendum, ſi in paupertatem, infamiam, aut notabilem infirmitatem, quæ curari non poſſet, incideret ex animad. 22. & 27.

Hinc idem Innoc. cap. 25. cit. *Quod ſi poſt hujuſmodi juramentum mulier fieret non ſolum leproſa, ſed etiam paralytica, vel oculos, vel naſum amitteret, vel quicquam ei turpius eveniret; numquid vir teneretur eam ducere in Uxorem? Profecto ductam non poſſet dimittere. Sed numquid non ductam admittere teneretur? Quamvis interdum contractum non dirimat, quod impedit contrahendum.* Subobſcure quidem, & quaſi dubitanter loquitur; attamen innuit, mulierem repelli poſſe, ut habet etiam capitis ſummarium; idque non ea ratione, *quia promiſſio non obligat eo caſu*, ut habet Buſ.; (hanc enim rationem refutatam leges animad. 24., & refutat quoque Anacl. c. 2. juris can. p. 335. n. 99.) ſed quia ipſum juramentum ſuas habet legitimas interpretationes & conditiones, ut declarat idem Innoc. hoc eodem cap. loquens, *quod quidem* (juramentum) *propter ſubintelligendam conditionem* &c. De his agit Anacl. p. 230. n. 52. & ſeq.

Hic ea ſubintelligitur conditio, *ſi res in eodem ſtatu permanſerint*, hoc eſt ſi non fuerint notabiliter mutatæ. Quia tamen res extra dubitationis aleam eſſe non videtur, idcirco cum D. Antonino citando a. 22. recte dicitur: *In his tamen caſibus tutius erit, ſi petatur abſolutio.*

(d) *Tales caſus præter ea* &c. *recenſentur iſti. 1. Si quod bonum erat* &c. *poſtea fiat illicitum, vel vanum, vel* &c.

Paucis hic dicito, juramentum jam peractum non obligare, ſi res jurata ex circumſtantiarum mutatione fiat illicita, aut majoris boni impeditiva; reliqua Buſ. verba aut confuſa ſunt, aut ſuperflua, & nihil dicunt, ut ex animad. hic 23. intelligi poteſt.

(e) 5. *Si ita ferant conditiones illæ* &c. *tales autem ſunt 1. ſi potero*, intellige non ſolum potentia facti, ſed etiam juris, hoc eſt, ſi licite potero, ut jam Buſ. præoccupavit initio hujus Reſponſionis.

Conditionibus autem a Buſembau allatis adde, ſi altera pars fidem non ſervaverit. Hinc Greg. III. cap. 3. *pervenit* t. 24. lib. 2. decr. ait. *Nec tu ei, etiamſi promiſſum tuum juramento, vel fidei obligatione, interpoſita conditione firmaſſes, aliquatenus teneris, ſi conſtat, eum conditioni minime paruiſſe.*

(f) *Quod ſpectat ad irritationem, irritare* &c.

Hic non inutilis ſpeculationis cauſa quæritur, utrum Superior, maritus, Dominus ſuorum ſubditorum juramenta ipſa irritent. Si enim ea, vel vota, de quibus idem dicendum eſt, irritant, ſeu, ut Buſ. ait, annullant, neceſſe eſt, ut ex ſe vim habeant obligandi; qua ſi careant, fruſtra in irritum mittuntur. Quæritur ergo, utrum ex ſe obligent, ut eorum vis irritatione tollenda ſit, an nulla vi ex ſe polleant, ut irritatio ſupervacanea dicatur. Reſp. Vota ſubditorum quatenus tales ſunt, & quoad ea, in quibus ſubditi ſunt, ex natura ſua ſunt conditionalia, ut attente conſiderans facile intelligit, & colligitur ex D. Thoma 2. 2. q. 88. a. 8., quod explicate docet ad 4.

Vota autem conditionalia ſunt ſuſpenſa, & ea ſe irrita, donec conditio impleatur. Conditio in votis (idem eſt in juramentis) ſubditorum ea eſt, ſi Superiorum aſſenſus acceſſerit. Hoc ergo deficiente juramenta, & vota ſubditorum nulla ſunt. Quare dum Superiores ſubditorum vota irritare dicuntur, proprie loquendo ea non irritant, ſed ſubtrahunt id, ſine quo ea ea ſe irrita ſunt. *Et ideo* (concludit S. Th. a. cit.) *non poteſt* (ſubditus) *ſe per votum firmiter obligare in his, in quibus alteri ſubjicitur, ſine conſenſu ſui Superioris.*

Ex his intelligis, eſſe verum, & quo ſenſum verum ſit, quod habet Buſ. ca. 2. *Poſſunt & iidem* &c.

(g) *Et is quidem poteſt remittere, etſi talis favor ei juratus eſſet propter Deum v. g. ſi quis propter Deum* &c.

Id ego totum concedo; *quia licet juramentum principaliter factum ſit propter Deum*, ſicuti ex locutione operan-

Digitized by Google

rantis omnia opera propter Deum, veluti ultimum finem principaliter facienda ſunt juxta illud Ap. 1. Cor. 10. v. 31. *Sive ergo manducatis, ſive bibitis, ſive aliquid facitis, omnia in gloriam Dei facite; quia tamen*, ſubdit Buſ., *executio*, hoc eſt finis operis, *eſt in favorem hominis* principaliter, idcirco *ab hominis etiam voluntate pendet*; Ratiocinatio Buſ. concludens mihi videtur.

Neque enim ut homo, cui juratur, juramentum relaxare poſſit, debet eſſe finis principalis juramenti ex intentione jurantis: alioquin cum nemo hoc modo finis principalis eſſe debeat, nemo juramentum in ſui gratiam editum remittere poſſet. Satis ergo eſt, ſi homo, cui juratur, ſit finis principalis operis, uti in ſpecie a Buſ. propoſita accidit, ut juramentum remittere poſſit.

Hæc, ni maxime fallor, eſt doctrina D. Thomæ 2. 2. q. 89. a. 9 ad 2., ubi ait, *quod homo poteſt alteri promittere aliquid ſub juramento dupliciter. Uno modo, quando promittit aliquid pertinens ad utilitatem ipſius, puta ſi ſub juramento promittat, ſe ſerviturum ei, vel pecuniam daturum; & a tali promiſſione poteſt abſolvere ille cui promiſſio facta eſt. Intelligitur enim jam ei ſolviſſe promiſſum, quando facit de eo ſecundum ejus voluntatem.* Hæc eſt ipſa Buſ. ſpecies. Minime, inquis; quia Buſ. addit, *etſi talis favor et juratus eſſet propter Deum*; quod S. Th. non habet. Reſp. Buſ. additio non efficit, ut res promiſſa non pertineat ad utilitatem ejus, in cujus gratiam juratum eſt: ergo ſpeciem non variat: finis operantis non dat ſpeciem actui, ſed finis operis; qui idem eſt, quicumque ſit finis operantis. Ergo cum finis operis in noſtra ſpecie ſit utilitas ejus, cui jurata promiſſio facta eſt, hic juratam promiſſionem remittere poteſt, quicumque ſit finis operantis. D. Th. finis operantis non meminit, quia ad rem non facit. Hinc S. Doct. pergit. *Alio modo promittit aliquis alteri, quod pertinet ad honorem Dei*, (non ex fine operantis, ſed ex ipſo opere) *vel utilitatem aliorum, puta ſi aliquis ſub juramento promittat alicui, ſe intraturum Religionem, vel aliquod opus pietatis facturum; & tunc ille, cui promittitur, non poteſt abſolvere promittentem; quia promiſſio non eſt facta ei principaliter*, (quia ſcilicet in ejus utilitatem ex ipſo opere promiſſo non cedit) *ſed Deo; niſi forte ſit interpoſita conditio, ratione cujus poſſit, ſcilicet, ſi illi videbitur, cui promittitur, vel aliquid aliud tale.* Verba Angelici mihi perſpicua ſunt; iis, qui litigare volunt, erunt obſcura.

(h) *An etiam civilis poteſtas relaxare poſſit* &c., *controvertitur.*

At hæc controverſia, ſi res explicetur, ut par eſt, ut mihi videtur, evaneſcit.

Hic ſermo eſt non de juramenti diſpenſatione, quam ad eccleſiaſticam poteſtatem pertinere certum eſt, ſed de irritatione jam ſupra explicata. Ex dictis ergo hic in ea. 2. Buſ., & ex D. Thoma ibi cit. vota, & juramenta ſubditorum ex natura ſua conditionalia ſunt, itaut vim obligandi non habeant, niſi Superior conſentiat, aut ſaltem non repugnet: civilis poteſtas, legitima ſuperior eſt; ergo ejus ſubditorum vota, & juramenta vim obligandi non habent, ea non conſentiente, aut repugnante. Hinc D. Th. 2. 2. q. 89. a. 9. ad 3. ait, *quod ad unumquemque pertinet irritare juramentum, quod a ſibi ſubditis factum eſt, circa ea, quæ ejus poteſtati ſubduntur*. Quare juramenta, & vota juſtis Principatus legibus, aut præceptis contrariis nullius roboris ſunt, etiamſi leges, aut præcepta juramentis, & votis poſteriora ſint.

Buſ. *Probabile eſt . . . non poſſe relaxare directe*; (id certum eſt) ſed *tantum indirecte . . .* vel *ſupplendo vicem ejus* &c. e. g. Titius minis, & vi Cajum cogit, ut juret, centum aureos, quos minime debet, ſibi infra menſem numeraturum.

Si Titius juramentum ſponte remittere, ut jus poſtulat, nolit, ad jus vocatus a Judice cogi poteſt, ut illud relaxet: Item Judex Cajo præcipere, ne vis juri prævaleat, poteſt, ut pecuniam Titio minime numeret; vel ipſe loco Titii, ejus vicem ſupplendo, juramentum Caji remittere poteſt. Laym. lib. 4. tract. 3. cap. 12. n. 9.

Animadversio I.

JUxta Buſembaum quoad forum conſcientiæ non jurat qui juramenti formulis utens, nullam jurandi intentionem habet, vel habet intentionem non jurandi. Hæc opinio adeo mihi abſurda eſt, ut de mente Buſembaum, qui eam hic ſatis non aperit, dubitaverim. At ſerpſum perſpicue explicat hoc cap. dub. 4. c. 5. imo ejus opinio, ut habet Concina Theol. t. 3. p. 439. qu. 6. communis eſt; quam tamen ipſe valide confutat, & adverſariorum cavillos diluit. An jurantis intentio, rerum naturam, & vocabulorum vim pervertere, & prout libuerit, inflectere poteſt, itaut quæ ex verborum notione vera juramenta ſunt, juramenta non ſint? Si animus non jurandi hominem voce jurantem a juramento quoad conſcientiam liberat; animus non blaſphemandi, non detrahendi, non conviciandi, blaſphemantem, detrahentem, conviciantem a blaſphemia, detractione, convicio purgaret: hoc poſterius eſt falſum, & abſurdum: ergo & prius. Juramentum eſt aſſumptio, ſeu invocatio divini nominis in teſtimonium alicujus rei: juramentum ergo peractum eſt, cum Deus voluntarie, ſeu deliberate aſſumptus eſt teſtis rei, quam enuntias. Neque animus non jurandi poteſt deſtruere naturam juramenti voluntarie peracti; ſicuti animus non faciendi, vel non dicendi, quæ ſponte facis, aut dicis, facta, & dicta tua in irritum mittere nequit. Si juramentum quoad conſcientiam juramentum non eſt, cum jurandi animus deeſt, vel eſt animus non jurandi, quid ergo eſt? Eſt, inquit Tambur. apud Conc. Theol. t. 3. p. 390. n. 2. juramentum materiale inſtar juramenti a psittaco prolati. Ita ſane eſſet, ſi jurans, verborum, quibus jurat, ſenſum non intelligeret, hoc eſt ſi voluntarie non juraret: at ponimus jurantem voluntarie jurare: ergo ejus juramentum, veri nominis, & formale juramentum eſt; quod tam differt a psittaci juramento, quam homo ab ipſo psittaco.

Adverſarii graviſſimam juramenti fidem de medio tollunt. Quia enim juramenti vis ab animo jurantis, qui nos ſemper latet, juxta ipſos pendet, etiamſi homo exterius juret, incertum eſt, utrum reipſa juret; ideoque exteriori juramento fides abroganda eſt.

Ipſa perjuria juxta adverſarios culpa vacant, ſi falſum juratum ſit ſine animo jurandi; quia ubi juramentum non eſt, ibi perjurium eſſe non poteſt. Nec Tribunalia perjuros punire jure poſſent, niſi prius faterentur, ſe jurandi animum habuiſſe. Fruſtra quoque juramenta imponerentur; quia in jurantium arbitrio ſitum eſſet non jurare, cum exterius jurant. An hæc valde abſurda non ſunt?

Adde, quod, ſi exterius juramentum ſine animo jurandi, juramentum non ſit, illud uſurpare ex cauſa liceat. Cur enim id non liceat? imo vero hæc adverſariorum doctrina quo ſpectare poteſt, niſi eo ut aliquando jurare liceat ſine animo jurandi? At, *cum cauſa licitum eſt jurare ſine animo jurandi, ſive res ſit levis, ſive gravis*, eſt prop. 25. ab Innoc. XI. proſcripta. Ergo implicite proſcripta quoque eſt antecedens doctrina, unde prop. damnata proficiſcitur. At hic fortaſſe inquies, propoſitionem 25. fuiſſe proſcriptam, non quia qui jurat ſine animo jurandi, reipſa juret, ſed quia mendax eſt. Reſp. at cur mendax eſt? quia ſcilicet tale juramentum, verum juramentum eſt. Nam ſi juramentum non eſſet, animus non jurandi ab exteriore loquendi forma non diſcreparet; ideoque mendacium abeſſet.

At objiciunt, juramentum a jurantis voluntate pendere, ideoque juramentum nullum eſſe, ſi jurandi voluntas abſit.

Reſp. Hæc ratio fallaciſſima eſt; quæ, ſi valeret, omnia peccata, furta, adulteria, &c. de medio tolleret, ſi ſine voluntate furandi, adulterandi &c. fierent. Quamquam voluntas ut non furandi, adulterandi &c. dum quis voluntarie furatur, adulterat &c. ita voluntas non jurandi, dum quis voluntarie jurat, ridicula, impoſſibilis, & contradictoria eſt. Dum enim quis voluntarie, hoc eſt advertenter jurat, vult jurare: ergo contradictorium eſt, ut velit non jurare. Eſt enim contradictorium velle jurare, & velle non jurare. Huc demum venit adverſariorum doctrina, quæ proinde pro nihilo habenda eſt.

Animadversio II.

Formulæ hæ, *Deus novit*, *Deus teſtabitur ſuo tempore*, *coram Deo loquor*, &c. idem prorſus ſunt ac *ſcit Deus*, *teſtis eſt Deus*. Porro cum quis ait, *ſcit Deus*, *teſtis eſt Deus*, me verum dicere, ſeu, quod idem eſt, rem ita eſſe, vere jurat; quia Dei teſtimonium in ſui dicti confirmationem aſſumit. Hinc D. Aug. ſerm. 180. de verbis Ap. ait: *Non vos fallant, qui neſcio quomodo volentes ipſas jurationes diſcernere, vel potius non intelligentes, dicunt, non eſſe jurationem, quando dicit homo, ſcit Deus, teſtis eſt Deus, invoco Deum ſuper animam meam, verum me dicere .... Ita ne vero quiſquis eſt pravi cordis, & perverſi cordis, ſi dicas, per Deum, juras; ſi dicas, teſtis eſt Deus, non juras? quid eſt enim, per Deum, niſi teſtis eſt Deus? aut quid eſt, teſtis eſt Deus, niſi per Deum?* Ergo omnes formulæ a Buſ. allatæ verum ſunt juramentum, cum aſſumuntur in confirmationem dictorum.

At, inquit Buſ. „ illæ formulæ cenſentur tantum nar-

„ rati-

„ rative proferri, non invocative, niſi aliud conſtet, „ aut ex circumſtantiis probetur. “ Reſp. illæ formulæ poſſunt quidem narrative proferri, ut ſi concionatur dicat, Deus novit abſcondita cordis; at cum adhibentur in confirmationem dictorum, invocative proferuntur, & ſunt veri nominis juramenta, ut ex D. Aug. & ratione allata liquet. Non eſt ergo res involvenda, & peccatorum excuſationes prætexendæ.

Juramentum quoque eſt, cum Sacerdos aliquid promittit, aut ita eſſe affirmat per ſuum ſacrum characterem, quidquid contra dicat Buſ. hic c. 4. proxime ſuperiori; quia illa affirmandi, aut promittendi ratione, Deum, qui ſacri characteris auctor eſt, ſuæ aſſertionis, aut promiſſionis teſtem aſſumit. Si enim qui dicit, *Per caput meum ita eſt*, jurat juxta illud Matth. 5. *Nolite jurare omnino neque per cælum, neque per terram, neque per Hieroſolymam, neque per caput tuum*; multo magis jurat qui rei ſacræ atteſtatione aliquid confirmat.

Animadverſio III.

La-Croix p. 225. n. 258 ait, non eſſe juramenta, *ſim nequam, ſim fur, ſi ita non eſt*,

Concina quoque Theol. t. 3. p. 388. n. 13. ait, „ non „ eſſe juramenta, ſi quis dicat, *ſim nequam, mendax*, „ *infidelis, hæreticus, ſim fur, amputetur mihi naſus*, „ *auricula, ſi ita non eſt*. “

Segnerius contra ſerm. mor. p. 2. ſerm. 10. ait, juramenta execratoria eſſe illa, *Se non è il vero, che io mi ſprofondi, che un di mi mangi i figliuoli miei per la fame*; & ut ego ſentio, recte. Nam iſtæ imprecationes aſſumuntur in confirmationem dicti, Deuſque non ſolum ut dictorum teſtis, ſed etiam ut mendacii ultor invocatur. Perinde enim eſt, ac ſi dixeris: Deus vitam, aures &c. mihi eripiat, vel ſuam gratiam ſubtrahendo, hæreſi, nequitiæ, &c. me permittat, niſi verum ſit, quod dixi. Hinc D. Th. 2 2 q. 89. art. 1. ad 3. ait: *Duplex eſt modus jurandi. Unus quidem per ſimplicem Dei conteſtationem, ſicut cum aliquis dicit*, Eſt mihi Deus teſtis, vel cor in Deo loquor, vel per Deum, *quod idem eſt, ut dicit Aug.* (Hoc confirmat mox dicta ad c. 5. a. 1 t.) proxima præcedente. *Alius modus jurandi eſt per execrationem, dum ſcilicet aliquis ſe, vel aliquid ad ſe pertinens ad pœnam obligat, niſi ſit verum quod dicitur.* Atqui in formulis Buſenbau, Concinæ, Segnerii aliquis obligat ſe ad pœnam, niſi ſit verum, quod dicit. Ergo per execrationem jurat; quod confirmat D. Aug. in Pſ. 7. inquiens: *Jurare videtur per execrationem, quod eſt graviſſimum juriſjurandi genus, cum homo dicit, ſi quid feci, illud patiar*, ex. g. naſi amputationem, mortem, divinæ gratiæ jacturam.

Neque vero formulæ recitatæ ſponſiones dici poſſunt. Sponſio enim, vulgo, *ſcommeſſa*, eorum eſt, quæ ſunt in noſtra poteſtate. At auricula, naſus, caput &c. non ſunt in noſtra poteſtate, ſed ad ſupremum Dei dominium pertinent: ergo de his ſponſio fieri nequit; multoque minus de divinis auxiliis, quibus deficientibus homo fit nequam, infidelis, hæreticus. Ergo enarratæ formulæ non ſunt ſponſiones, ſed juramenta execratoria.

Animadverſio IV.

Non vere jurat qui .... dicit ſe jurare per omne id per quod poteſt.

Imo vero hoc graviſſimum juramentum merito putari debet. Cum enim quis multis modis jurare poſſit, e. g. per Sanctos, per Deiparam, per ſacra Evangelia, per Chriſtum &c. per hæc omnia jurat, qui ait: *Juro per omne id per quod poſſum*. Nullum enim alium ſenſum hujuſmodi verba habere poſſunt; neque Buſ. ab his juramenti vim abjudicare poteſt, niſi ad intentionem confugiat, eique vim tribuat efficiendi, ut quæ exterius juramenta ſunt, talia nequaquam ſint. Huc ſcilicet tendit ratio ab eo allata, „ quia, cum res nulla „ ſit, per quam abſque neceſſitate jurare licite poſſit, „ cenſetur per nihil jure intendiſſe. „ At hoc ſophiſma exſufflatum jam fuit ad c. 1. Nullo quidem modo ſine neceſſitate jurare licet; at cum quis ait, *Juro per omne id per quod poſſum*, illud *poſſum* abſolute enuntiat; non cum adjectione *licite*: ergo reipſa jurat, quia reipſa multis modis jurare poteſt.

Animadverſio V.

Non ſunt juramenta (*quod Confeſſarii* &c.) *vere, certe, in veritate* &c. *fide boni Chriſtiani, vel Sacerdotis, vel Regis, per conſcientiam meam* &c.

Hic porro, formulis prædictis non addi verbum *juro*. Si enim hoc addatur, ut *juro in veritate, vel ſuper conſcientiam meam* &c. non eſt dubitandum, ut ego ſentio, quin ſit verum juramentum, ut dicam ad c. 11. Si vero formulæ ſine verbo *juro* adhibeantur: illæ *vere, certe, in veritate, per conſcientiam meam, ſuper conſcientiam meam*, ex ſe, ſeu vocum vi, & ſignificatione non ſunt juramenta ex ratione, quam affert Buſembaum. Quæſtio eſſe poteſt de illis formulis, *per fidem meam, fide boni Chriſtiani, vel Sacerdotis*. Hæc eſſe juramenta, affirmat Natalis Theol. t. 2. p. 532. reg. 30. Sive enim nomine fidei intelligatur fides theologica, ſeu fidelitas, cum quis ait, *In fide mea*, teſtem appellat Deum, cujus veritas in utraque fide modo licet diverſo promicat. Id confirmat ex Capitulari Aquiſgranenſi Caroli Magni ab Epiſcopis approbato, ubi dicitur: *Sunt aliqui, qui per caritatem, & veritatem jurant, & cavent ſe a juramento nominis Dei, & neſciunt, quod idem eſt Deus, quod caritas, & veritas, dicente Joanne Apoſtolo*, quia Deus caritas eſt. *Item ipſe Dominus in Evang.* Ego ſum via, & veritas. *Ideo qui in veritate, & caritate jurat, in Deo jurat*. P. Concina Theol. t. 3. p. 385. n. 9. illud *per fidem meam, in veritate, in fide boni viri*, non habet pro juramento ex communi hominum ſenſu; niſi qui ea verba profert, jurandi animum habeat. At dubitat de iis formulis *per fidem boni Chriſtiani, in fide Religioſi, per fidem Sacerdotis* vulgo *da Criſtiano, alla fe criſtiana, da Religioſo, da Sacerdote, in fede di Sacerdote*. La-Croix p. 216. n. 258. ait: „ Sacerdos jurans fide ſacerdotali: item Princeps in fidem „ Principis &c. ſi id faciant in circumſtantiis, in qui„ bus exigi ſolet juramentum, debent in utroque foro „ præſtare omnia, atque ſi juraſſent per Evangelia: „ idem eſt, ſi in judicio juraſti v. g. per fidem viri no„ bilis, quando tenebaris jurare per Deum. Idem putant „ etiam extra judicium Sanch. Gobat, Dicaſt. aliique, „ ſi deliberate dicantur talia verba, per conſuetudinem „ eſſe, & accipi velut juramenta. “

Ex his illud colligere merito poſſumus, formulas ſupra deſcriptas, juramenti vim habere: primo ex intentione loquentis, qui iis utens jurare intendit: ſecundo ex circumſtantiis, in quibus accipiuntur pro juramento; tertio ex communi regionis, & probatorum hominum uſu, qui certas formulas pro juramentis habet. Adde quarto, ſi iis addatur verbum *juro*. Ceterum illæ ipſæ formulæ, *in fide Chriſtiani, Religioſi, Sacerdotis* ancipitem, & æquivocum ſenſum habere mihi videntur. Vel enim ita intelligi poſſunt, qui eas profert, eam ſibi fidem haberi velit, quæ Chriſtiano, Religioſo, Sacerdoti habenda eſt; vel ita, ut Deum teſtem ſuæ aſſertionis implicite invocent. Quid ergo? niſi neceſſitas juramentum poſtulet, ab iis abſtinendum eſt, juxta illud Matth. 5. *Sit ſermo veſter, eſt, eſt, non, non: quod his abundantius eſt, a malo eſt*. Hinc Concina n. cit. merito ait: „ In praxi tamen omnes, quorum ego con„ feſſiones audirem, abſtinere ab ejuſmodi expreſſionibus „ juberem. “

Animadverſio VI.

P. Concina Theol. t. 3. p. 107. n 3. recenſitas a Buſ. formulas, & illis ſimiles blaſphemas eſſe, aſſerit; cujus ratio eſt, „ quia æquant creatam veritatem divinæ ve„ ritati, & quod proprium Dei eſt, creaturæ tribuunt. “ At hic forte aliquis ita diſcurret. Sunt quædam veritates naturæ lumine ita certæ, ut nihil certius eſſe poſſit, e. g. *Bis duo ſunt quatuor, nihil non eſt cauſa entis*, & cetera principia per ſe nota, ac genuinæ demonſtrationes. Deum exiſtere, ex demonſtrationibus evidentiſſimum eſt. At geometricæ demonſtrationes non minus evidentes ſunt, principia vero per ſe nota, etiam magis. Tota porro fides eo fundamento nititur, ut Deus exiſtat: ergo omnium fidei veritatum certiſſima eſt naturalis exiſtentiæ Dei notitia; qua tamen non minus certæ, & perſpicuæ ſunt aliæ naturales veritates, Si quis ergo dicat, Tam verum eſt, totum eſſe majus ſua parte, quam vera eſt Dei exiſtentia, Evangelium, &c. eſt ne hic blaſphemus? Maxime, inquis, quia æquat creatam veritatem divinæ. Quid ſi quis id inficietur? qui enim ita loquitur, veritates a Deo profectas inter ſe comparat. Sicuti enim fidei veritates a Deo revelante derivantur, ita naturales veritates ab ipſo Deo, naturæ lumen infundente, proficiſcuntur. Illi quidem creatam veritatem divinæ æquant, & blaſphemi ſunt, qui dictis hominum non minus ſe credere ajunt, quam fidei articulis; vel qui incertas veritates tam certas ſe habere dicunt, quam fidei articulos. At blaſphemi non videntur, qui certiſſimas naturales veritates tam veras ſe habere dicunt, quam Dei exiſtentiam, aut fidei articulos; qua tamen de re alii judicent. Hæc tamen dicta ego non probo; quia etſi non philoſophicas, pias tamen aures offendunt. Et ratio eſt, quia Dei exiſtentia, & fidei myſteria non ſolum pro certiſſimis habenda ſunt, ſed pro animi ſenſu

iis

iis tenaciſſime adhærendum eſt; quod alterum naturalibus veritatibus non convenit.

Qui vero ait, *tam ſum innocens, quam B. Virgo, vel S. Franciſcus* &c. id uſurpare ſolet quoad certum crimen ſibi imputatum; a quo etiamſi liber ſit, arrogantius tamen, ac præſertim in B. Virginem contumelioſe loquitur. Nam ſuam innocentiam B. Virginis innocentiæ etiam quoad determinatam culpam æquare, ſtultitiæ, ac arrogantiæ impudentiſſimæ eſt. Quamquam enim in eo genere aliquis ſe non peccaſſe pro certo habere ſibi videatur, facile fallitur. Si non peccavit facto, at dicto, & cogitatione aut graviter, aut ſaltem leviter peccavit. Præterea certiſſimum eſt, ejus animum ab ea culpa tam vehementi, ac puro affectu non eſſe alienum, ac Sanctiſſima Deipara. Hæc ergo temeraria, impudentia, & contumelioſa in ſanctiſſimam præſertim Deiparam dicta Confeſſarii, Concionatores, & alii valde increpent: præſertim cum ſceleſti, aut ſaltem minus probi, non boni innocenteſque viri has locutiones adhibere ſoleant.

Animadversio VII.

Idem videtur ſentire Conc. Theol. t. 3. p. 383. n. 8. Ego contrarium cenſeo. Juramentum enim eſt, ut definit ipſe Buſ. c. 2. dub. 1. invocatio tacita, vel expreſſa numinis divini, tanquam primæ, & infallibilis veritatis, in teſtem alicujus rei: at qui ait, *juro*, Deum vocat in teſtem: ergo reipſa jurat; contradictorium ſcilicet eſt, ut qui ait *juro*, non juret. Neque vero illa additio *per hanc barbam, veſtem*, aut alias res viliores, juramentum jam peractum in nihilum mittere poteſt; præſertim cum juramento contraria non ſit. Res enim omnes etiam maxime viles ad Deum, veluti principium, & finem natura ſua referuntur, ejuſque veritatem falli neſciam mirifice exhibent; cum neceſſario veræ, ſupremæque veritati conformes ſint.

Qui ait, *Juro per hunc Dei panem, per Dei ignem* &c. vere jurat, ut fatetur P. La-Croix p. 216. n. 258. & P. Concina, & negari jure non poteſt. At cur jurat? Quia Deum in teſtem vocat. Porro etiamſi omittatur illud *Dei*, Deus nihilominus in teſtem vocatur, dum dicitur, *Juro*. Quid enim eſt *juro*, niſi Deum teſtem appello?

Præterea ſi quis dicat, Juro per vitam mei equi, per conſervationem hujus arboris, aut alterius rei inanimatæ, reipſa jurat, ut docent Leander, Suar. Sanch. nec inficiatur Concina. Cur ergo juramentum non eſt, cum quis ait, Juro per meum equum, per hunc arborem, ignem &c.? formula enim eadem eſt.

Chriſtus Matth. 5. inquit: *Ego autem dico vobis, non jurare omnino, neque per cælum, quia thronus Dei eſt; neque per terram, quia ſcabellum eſt pedum ejus; neque per Hieroſolymam, quia civitas eſt magni Regis; neque per caput tuum juraveris, quia non potes unum capillum album facere, aut nigrum.* Ego autem putem, *per cælum* omnia intelligi, quæ in cælis ſunt; *per terram* omnia, quæ in terris; *per caput tuum* omnia, quæ in homine. Nam omnia hæc ſui Creatoris majeſtatem ſuo modo repræſentant; ideoque perinde eſt, ſeu rem magis, ſeu minus præſtantem jures. Nec enim in juramento, rei, per quam juratur, nobilitas, aut vilitas, ſed Dei majeſtas attenditur, quæ in qualibet vel minima re mirifice eluceſcit.

Hinc D. Aug. de ſerm. Dom. in monte lib. 1. cap. 17. n. 52. tom. 3. p. 2. pag. 188. ait. „ Quæri autem poteſt, cum diceretur, *ego autem dico vobis, non jurare* „ *omnino*, (Matth. 5. 34.) cur additum ſit, *neque* „ *per cælum, quia thronus Dei eſt*, & cætera uſque „ ad id, quod dictum eſt, *neque per caput tuum*. „ Credo propterea, quia non putabant Judæi ſe teneri „ jurejurando, ſi per iſta juraſſent; & quoniam audie- „ rant, *reddes autem Domino jusjurandum tuum*, non „ ſe putabant Domino debere jusjurandum, ſi per cæ- „ lum, aut terram, aut per Jeroſolymam, aut per ca- „ put ſuum jurarent; quod non vitio præcipientis, ſed „ illis male intelligentibus factum eſt. Itaque Domi- „ nus docet, nihil eſſe tam vile in Creaturis Dei, ut „ per hoc quiſque pejerandum arbitretur; quando a „ ſummis uſque ad ima divina providentia creata re- „ gantur, incipiens a throno Dei uſque ad capillum al- „ bum, aut nigrum . . . ergo Deo debet jusjurandum „ ineſtabiliter tenenti omnia, & ubique præſenti, quiſ- „ quis etiam per caput ſuum jurare voluerit; & hic „ etiam cætera intelliguntur; quæ omnia utique dici „ non poterant, ſicut illud commemoravimus dictum „ ab Apoſtolo: *quotidie morior per veſtram gloriam*, (1. „ Cor. 15. 31.) quam jurationem ut Domino ſe debere oſtenderet, addidit, *quam habeo in Chriſto Jeſu*.

Animadversio VIII.

Si judicium eo ſenſu deſit, ut ſola jurandi neceſſitas abſit, eſſe tantum veniale peccatum, non diffiteor. Primo quia tale juramentum in Scriptura nec æterna pœna dignum, nec exoſum, nec iis vocibus perſtringitur, quæ letalem culpam indicent. Exod. 20. dicitur: *Nec enim inſontem habebit Dominus eum, qui aſſumpſerit nomen Domini Dei ſui fruſtra.* Eccli. 23. *Sic omnis jurans, & nominans* (Sanctos) *in tota a peccato non purgabitur*. Et v. 14. *Etſi in vacuum juraverit*, (hoc eſt, ut explicat D. Th. 2. 2. qu. 89. art. 5. ad 3. *ſine debita cauſa, & neceſſitate*) *non juſtificabitur*, hoc eſt, ut Interpretes ibi notant, juſte non agit.

2. Ex communi ſententia, quam ſequitur Segnerius ſerm. 10. p. 1. & Concina Theol. t. 3. p. 418. n. 5.

3. S. Ambroſius lib. de exhort. Virg. c. 11. juramentum graviter reprehendit, quatenus perjurii periculum continet. *Qui autem*, inquit, *non jurat, utique non pejerat: qui autem jurat, aliquando neceſſe eſt incidat in perjurium; quia omnis homo mendax*. Ergo juxta mentem D. Ambroſii juramentum non eſt mortale crimen, niſi adjunctum habeat periculum perjurii. In eumdem ſenſum loquitur D. Auguſt. ſerm. 180. de verbis Ap. c. 11. *Ipſa eſt anguſtia, perjurium, præcipitium. Qui jurat, juxta eſt. Qui non jurat, longe eſt. Peccat, & graviter, qui falſum jurat, non peccat, qui verum jurat . . . qui autem verum jurat, non peccat, ſed prope eſt ad peccatum . . . Falſa juratio exitioſa eſt, vera juratio periculoſa eſt, nulla juratio ſecura eſt*; & Innoc. III. c. *Etſi Chriſtus* 26. tit. 24 lib. 2. Decret. inquit: *Sic & juramentum per ſe quidem malum non eſt, cum ſit confirmatio veritatis; ſed tamen prohibetur ex cauſa, quoniam ex frequenti, & incauta juratione perjurium ſæpe contingit.* Ex his ſatis perſpicue colligitur, juramentum non eſſe letiferam culpam, ubi abſit perjurii periculum; ideoque ſolam deficientiam neceſſitatis non eſſe mortalem.

At Buſ. addit: *Ut ſi quis abſque neceſſitate juret, ſive ex levitate quadam animi, ſive ex conſuetudine.*

Hic vero Boſemb. cum SS. Ambroſio, Auguſtino, & Innoc. III. mox citatis conciliari non poteſt. Ex eorum enim textibus liquet, eum, qui ex conſuetudine jurat, in proximo pejerandi periculo verſari; ideoque mortaliter peccare. Nec enim incauta juratio a frequenti juratione ſejungitur. Labilis enim eſt hominis lingua; & facile fallitur, qui facile affirmat, & negat, multoque facilius pejerat, qui aſſidue jurat; quia ne pejeres, non ſolum res vera, ſed certa, & explorata eſſe debet ex Cat. Rom. de 2. Dec. præc. n. 21. & D. Th. 2. 2. q. 89. art. 7. ad 1. An qui ex quacumque levi cauſa ſæpiſſime, ac fere in ſingula verba jurant, uti faciunt conſuetudinarii juratores, de rebus certis & exploratis, ſemper jurant? Jurant ſcilicet, ut Buſ. ait, ex levitate animi, hoc eſt ſine conſideratione, & cautione, ſeu res certa ſit, ſeu dubia, & incerta; ideoque falſum ſæpe jurant; & dum vere jurant, a perjurio alieni non ſunt propter pejerandi periculum. Qui contrarium aſſerere audent, experientiæ, rationi, & Patribus adverſantur, imo ipſi Scripturæ Eccli. 23. v. 9. ajenti: *Jurationi non aſſueſcat os tuum; multi enim caſus in illa*: & v. 12. *Vir multum jurans, implebitur iniquitate.*

Hinc corrigendus eſt La-Croix, qui p. 217. n. 271. ait: „ Si ſit conſuetudo jurandi non falſo, quamvis conſue- „ tudinem nunquam retractaverit, non peccat niſi ve- „ nialiter, quia ſingula talia juramenta ſunt tantum „ venialia: “ multoque magis, cum inquit n. 272. „ Si „ ſit conſuetudo jurandi falſo, ſed inadvertenter, quam „ non retractavit, ſi juramenta, quæ nunc fiunt, non „ proficiſcuntur ab illa conſuetudine, ſed ex paſſione, „ vel ſubito motu, uti proceſſiſſent, licet non adfuiſ- „ ſet conſuetudo, non erit mortale. “ Ipſa enim conſuetudo ex dictis eſt proximum periculum perjurii, & multorum perjuriorum origo, multoque magis, ſi ſit conſuetudo jurandi falſum.

At inquit La-Croix, *ſingula talia juramenta ſunt tantum venialia*.

Reſp. Fieri quidem poteſt, ut aliquod juramentum eorum qui habent conſuetudinem jurandi, ſed non falſo, ſit tantum veniale, ſi videlicet non ſolum vere jurent, ſed etiam adhibita cautione, ut de re certa, & explorata jurent; at hoc raro accidit; ideoque ſingula juramenta ut plurimum ſunt peccata mortalia juxta citatum Scripturæ oraculum, *Vir multum jurans, implebitur iniquitate*.

In eo etiam La-Croix fallitur, ut ponat, juramenta jurantis falſo ex conſuetudine, ab ipſa conſuetudine non proficiſci, ſed ex paſſione, vel ſubito motu. Qui enim non habent pravam jurandi conſuetudinem, raro ex paſſione, & ſubito motu jurant, rariſſime falſo jurant. At qui falſo jurandi conſuetudinem habent, ſæpe ac ſæpiſſime ex quocumque vel levi motu jurant falſum; ideo-

que etiamſi juramenti falſitatem non advertant, a mortali culpa non excuſantur, quia ipſa inadvertentia eſt voluntaria in cauſa, hoc eſt in ipſa conſuetudine, quam non retractarunt, nec corrigere ſtuduerunt. Dum vero La-Croix pro ſua ſententia citat D. Thomam, ſallocitat. Nam D. Th. 2. 2. qu. 98. art. 3. ad 2. infra referendus a perjurio excuſat eum, qui *ex lapſu linguæ*, hoc eſt præter intentionem falſum inadvertenter jurat; non qui ex conſuetudine jurandi falſo inadvertenter jurat. * Hac de re legi poteſt Concina Theol. t. 4. p. 155. n. 33. & ſeq.

ANIMADVERSIO IX.

Mortaliter tamen etiam hic, aut venialiter &c. juxta quantitatem &c.

Idem habet La-Croix p. 217. n. 72. imo ait: Prout „ ergo negligentia, aut contemptus hujus examinis erit „ gravis, aut levis, ſietque juramentum cum reflexione „ ad eam, ſeu cognitione illius, erit perjurium grave, „ vel leve." D. Th. 2. 2. q. 54. art. 3. inquit: *Poteſt ergo dupliciter contingere, quod negligentia ſit peccatum mortale. Uno modo ex parte ejus, quod prætermittitur per negligentiam, quod quidem ſi ſit de neceſſitate ſalutis, ſive ſit actus, ſive circumſtantia, erit peccatum mortale.* At veritas juramenti, & vitatio periculi perjurii eſt de neceſſitate ſalutis: ergo negligentia, ex qua veritas juramenti prætermittitur, vel perjurii periculum non cavetur, eſt ex natura ſua mortalis culpa, hoc eſt ſeu magna ſit, ſeu parva dicatur; quia culpæ gravitas non ex quantitate negligentiæ, ſed ex gravitate ejus, quod ex negligentia oritur, deſumitur. Hinc D. Aug. ſerm. 28. de verbis Ap. inquit: *Homines falſum jurant, vel cum fallunt, vel cum falluntur.* Quid eſt *falluntur*, niſi culpa ſua falluntur? In hac enim hypotheſi falſum jurant, hoc eſt perjurii rei ſunt. Sed qui ex incuria ſeu magna, ſeu parva inveſtigandæ veritatis, aut abolendæ pravæ jurandi conſuetudinis falluntur, culpa ſua falluntur. Ergo rei ſunt falſi juramenti, hoc eſt mortaliter peccant. Hoc conceptis verbis docet Catech. Conc. Trid. de 2. Dec. præc. n. 21 inquiens: *Simili quoque ratione pejerat qui id jurat, quod verum exiſtimat; & tamen revera falſum eſt; niſi quantum potuit, curam & diligentiam adhibuerit, ut totam rem compertam, & exploratam haberet.* Nota illa verba, *niſi quantum* &c. quæ falſo jurantem, cum ſe vere jurare putat, a perjurio non excuſant, niſi cujuſcumque negligentiæ in veritate inveſtiganda expers fuerit.

ANIMADVERSIO X.

Venialiter autem peccat, qui jurat facere rem venialiter malam.

Hæc eſt communis ſententia, ut ait La-Croix p. 216. n. 265. quam tamen Concina Theol. t. 3. p. 428. n. 4. jure rejicit, ſolidiſque rationibus apud ipſum legendis confutat; quibus adde auctoritatem, & rationem D. Thomæ. Nam omne perjurium juxta D. Thomam 2. 2. qu. 98. art. 3. & omnes, eſt mortale peccatum: at ex eodem S. Doct. art. 1. ad 3. *quocumque modo quis jurat illicitum, ex hoc ipſo falſitatem incurrit; quia obligatus eſt ad hoc, quod contrarium faciat*: & art. 2. ad 3. inquit, quod *ille qui jurat, ſe facturum aliquid illicitum, jurando incurrit perjurium propter defectum juſtitiæ*. Ergo juramentum de quacumque re etiam ſolum venialiter mala mortale crimen eſt.

Huc ſpectat prop. 24. ab Innoc. XI. damnata, quæ ita habet: *Vocare Deum in teſtem mendacii levis, non eſt tanta irreverentia; propter quam velit, aut poſſit damnare hominem.* Nam qui jurat, ſe facturum rem venialiter malam, Deum vocat in teſtem mendacii. Nam vel habet animum faciendi quod jurat, vel non. Si non, apertum eſt mendacium; ſi habet, mendacium nihilominus eſt, quia contrarium, ac juravit, facere debet; ideoque neceſſe eſt ut juramentum falſum ſit.

Multo ergo magis letalis culpæ rei ſunt qui rem mortaliter malam ſe facturos jurant, quidquid nonnulli contra ſenſerint; a quibus ipſe La-Croix loco mox cit. recedit propter auctoritatem, ut ipſe ait, communis, ſeu communioris ſententiæ contrarium docentis.

ANIMADVERSIO XI.

Item peccat venialiter, qui jurat aliquid contra conſilia evangelica, ut &c.

Hanc opinionem, quia communiſſima eſſe dicitur, ne ipſe quidem Concina deſerere auſus eſt Theol. t. 3. p. 429. n. 6. Sed juxta ſolidiſſimam Angelici Doctoris, cujus una auctoritas pluris eſt, quam recentium contra ſentientium exercitus, conceptam mentem 2. 2. qu. 89. art. 7. *quicumque jurat, ſe aliquid facturum, obligatur ad hoc faciendum, ad hoc quod veritas impleatur*: ergo juramentum, quo quis non obligatur ad faciendum, quod juravit, veritate deſtruitur: ergo eſt perjurium, & mortale crimen. At juramentum contra conſilia evangelica, non obligat ad faciendum quod juratum eſt: ergo eſt perjurium, & mortale crimen.

Præterea qui jurat contra conſilia evangelica, vel habet animum faciendi quod juravit, vel non. Si non, perjurium evidens defectu veritatis de præſenti. Si autem habet animum faciendi quod juravit, gravius peccat. Sicut enim juramento temere peracto, melius eſt non facere quod juratum eſt, (conſilium enim evangelicum non deſinit eſſe melius, quia contra ipſum temerarium juramentum editum fuit, qua de re D. Th. 2. 2. qu. 98. art. 2. ad 2.) ita melius eſt habere voluntatem non faciendi, quod contra conſilia evangelica juratur. Hinc ipſe Concina p. 430. n. 2. cit. ait: „ Si „ tamen quis omitteret executionem alicujus conſilii „ evangelici ea potiſſimum ratione, quia juravit talem „ omiſſionem, dubio procul mortaliter peccaret; quia „ error ſaltem tacitus in fide eſſet, ſi crederet juramentum obligare ad ea omittenda, quæ ad evangelicæ „ perfectionis aſſecutionem conducunt."

Adde, quod ex D. Th. art. 7. cit. juramentum falſum eſt, cum non fit id, quod juratur: ergo falſum quoque eſt, aut etiam multo magis, cum id juratur, cujus oppoſitum facere etiam peracto juramento melius eſt. At cum juratur contra conſilia evangelica, oppoſitum ejus, quod juratum fuit, melius eſt. Ergo

Tandem cur qui jurat, ſe facturum rem venialiter malam, ex mox dictis ad c. 3. mortaliter peccat? quia hoc juramentum eſt falſum. Cur falſum eſt? quia jurans illud implere ſine culpa non poteſt. Qui contra conſilia evangelica jurat, poteſt quidem juramentum ſine culpa peragere; at laudabiliter illud negligit: quod quoad juramenti falſitatem perinde eſt.

Adverſarii in eo falluntur, quod juramento contra conſilia evangelica, prudentiam tantum, non veritatem deeſſe putant. Hinc D. Th. 2. 2. qu. 98. art. 2. ad 2. hoc juramentum perjurium diſerte vocat. Ait enim, *quod ille, qui jurat, ſe non intraturum religionem, vel non daturum eleemoſynam, vel aliquid hujuſmodi, jurando perjurium incurrit propter defectum judicii, & ideo quando facit id, quod melius eſt, non eſt perjurium, ſed perjurio contrarium. Contrarium enim ejus, quod facit, ſub juramentum cadere non poterat.* Hic ſermo eſt de veri nominis perjurio, in quo explicando tota quæſtio 98. vertitur. At forte, inquis, D. Th. juramentum, de quo loquimur, appellat proprium non abſolute, *ſed propter defectum judicii*: ergo deficit a propria ratione perjurii. Reſp. Cum. D. Th. ait *propter defectum judicii*, rationem aſſignat cur ſit perjurium, non autem innuit, proprie perjurium non eſſe. Perjurium enim, ut docuit idem Angelicus art. 1. ad 3. ex S. Hieron. non ſolum defectu veritatis, ſed etiam defectu juſtitiæ, & judicii admittitur. Defectu quidem judicii duplici modo. Primo cum quis indiſcrete jurans, periculo ſeſe objicit falſum jurandi, ut art. 1. cit. dixit. Secundo in præſenti ſpecie, in qua imprudens juramentum falſitatem involvit. Ergo juramentum contra conſilia evangelica, eſt letale peccatum, quod docuit etiam Nat. Alex. Theol. t. 2. p. 522. reg. 5.

ANIMADVERSIO XII.

Cum perjurium ex ſui ratione ſit peccatum mortale, ut docet D. Th. 2. 2. qu. 98. art. 3. nec materiæ levitas hic excuſet, ut conſenſus eſt Bul. & certum eſt ex prop. 24. ab Innoc. XI. proſcripta, ea ſolum ratione perjurium veniale eſſe poteſt, quia eſt involuntarium. Hanc ſolam exceptionem habet D. Th. art. cit. ad 2. inquiens: *Ille autem, qui ex lapſu linguæ jurat, ſi quidem advertat, ſe jurare & falſum eſſe quod jurat, non excuſatur a peccato mortali, ſicut nec a Dei contemptu. Si autem hoc non advertat, non videtur habere intentionem jurandi, & ideo a crimine perjurii excuſatur.* Hinc Concilium Conſtantienſe, & Martinus V. eos omnes, qui in ſuſpicionem erroris Joannis Wicleſ, & Joannis Hus venerint, interrogari jubent, *utrum credant, quod perjurium ſcienter commiſſum ex quacumque cauſa, vel occaſione, pro conſervatione vitæ propriæ, vel alterius, etiam in favorem fidei, ſit mortale peccatum.* Apud Nat. Alex. Theol. t. 2. p. 526. reg. 13.

ANI-

* Qui enim ex conſuetudine jurandi falſum, falſo inadvertenter jurat, non præter intentionem, ſed ex intentione in ipſa conſuetudine implicite incluſa jurat.

Animadversio XIII.

La-Croix quoque p. 190. n. 266. ita ait: „ Si adſit „ juſtæ cauſæ, licitum eſt petere juramentum ab eo, „ quem putas pejeraturum: ita &c.

Buſ. qui ſupra dixit, licere ex rationabili cauſa petere ab infideli juramentum per falſos deos, a concubinario Sacramenti adminiſtrationem, velut celebret, ut ſibi conſtaret, dicere etiam debuit, ex juſta cauſa, & neceſſitate permiſſum eſſe, juramentum a pejeraturo exigere. At nos ex D. Th. & Aug. Buſ. opinionem in ſuperioribus ſpeciebus rejecimus: ergo in præſenti quoque rejiciendus eſt. Sumus enim in eadem navi. Sicuti ex nulla cauſa peccare licet, ita ex nulla cauſa licet inducere alterum ad peccandum; quia hoc ex ſe peccatum eſt: at exigere juramentum a pejeraturo, eſt inducere illum ad peccandum; ergo &c. Non enim perjurium ex ſola pejerantis malitia ſequitur, ut falſo Buſ. ait, ſed etiam ex inducente, qui eo ipſo, quod inducit, ejus cauſa eſt; neque ſuo jure utitur, ſed ſua libertate abutitur, cum propter neceſſitatem aliquam ad peccandum inducit proximum. Hinc D. Aug. ſerm. 180. de verbis Ap. c. 10. (habetur c. *Qui exigit* cau. 22. q. 5.) inquit: *Et ipſe, qui exigit jurationem, multum intereſt, ſi neſcit, illum falſum juraturum, an ſcit. Si enim neſcit, & ideo dicit, Jura mihi, ut fides ei fiat, non audeo dicere, non eſſe peccatum*, (ne hoc quidem audet tantum Eccleſiæ lumen) *tamen humana tentatio eſt. Si autem ſcit* (en ſpecies noſtra) *eum feciſſe, novit feciſſe, & cogit jurare, homicida eſt. Ille enim ſuo perjurio ſe perimit; ſed iſte manum interficientis & expreſſit, & preſſit*. Ita loquitur S. Aug. non autem ait, ut Buſ. „ perjurium ex ſola pejerantis malitia ſequitur, nec al„ ter &c. “ D. Aug. auctoritatem ſuo calculo confirmat D. Th. 2. 2. q. 98. art. 4. ubi eo etiam nomine valde reprehendendus eſt Buſ. qui Angelicum Doct. ſibi expreſſe contrarium in ſui patrocinium citare auſus eſt. Accedit Gelaſius Papa c. *Si quis* cau. 22. qu. 5. ubi ait: *Si quis pejeraverit, & alios ſciens in perjurium duxerit, quadraginta dies pœniteat in pane, & aqua, & ſeptem ſequentes annos, & nunquam ſit ſine pœnitentia; & alii, ſi conſcii fuerint, ſimiliter pœniteant*. Hanc ſententiam confirmant Concina Theol. t. 4. p. 131. 32. n. 6. 7. 8. SS. Raym. Antonini, Bonavent. aliorumque plurimorum, graviumque Theol. auctoritate.

Quod ad Judices attinet, D. Th. art. 4. cit. ita inquit: *Si autem aliquis exigat juramentum tanquam perſona publica, ſecundum quod exigit ordo juris ad petitionem alterius, non videtur eſſe in culpa, ſi ipſe juramentum exigat, ſive ſciat eum falſum jurare, ſive verum; quia non videtur ille exigere, ſed ille, ad cujus inſtantiam exigit*. Hic vero ſapienter ſubdit Nat. Alex. Theol. t. „ 2. p. 529. reg. 22. Debet tamen (Judex) ſerio ad„ monere juraturum religionis jurisjurandi, & actorem „ urgere, ut illud remittat. Explorare etiam par eſt, „ an credat actor, illum eſſe perjuraturum. Tunc enim „ licere non videtur Judici jurisjurandum exigere ad „ petitionem ipſius, quam non eſſe juſtam, ſed divi„ næ majeſtati injurioſam, evidens eſt. Si autem actor „ exiſtimet, alium non eſſe pejeraturum, & Judicem „ urgeat, ut ab eo exigat jusjurandum, exigere illud „ poteſt abſque peccato, modo cauſa civilis ſit, non „ criminalis; in qua juramentum a reo exigi non po„ teſt, ſi accuſator in probatione deficiat, ſed ille pœ„ nam talionis luere debet ſecundum can. *Qui crimen* „ c. 2. q. 8. “

Animadversio XIV.

An perjurus non eſt, etiamſi bona fide ex probabili tantum ratione verum eſſe putet?

La-Croix p. 217. n. 267. quærit, „ an ſit licitum „ jurare rem, quam tantum probabiliter judico eſſe „ veram? Reſp. inquit, Sanch. Caſtrop. aliique cum „ Diana affirmant. Quia juras hoc, quod judicas ve„ rum: ergo non pejeras. Unde quod aliquis audivit a „ viro nobili, & fide digno, poteſt ſecundum illos „ AA. affirmare, & extra judicium jurare eſſe verum; „ quod aliqui apud Dianam extendunt ad juramentum „ etiam in judicio &c. “

Verum hæc opinio a La-Croixio relata, cujus oppoſitam ipſe quoque probabiliorem putat, rejicienda omnino eſt; quia juramentum adhiberi non poteſt, niſi de re nobis certa, & explorata, quod P. Concina Theol. t. 3. p. 412. n. 7. confirmat auctoritate Catech. Conc. Trid. p. 3. de 2. Dec. præc. ſec. 2. Bellarmini, & S. Ambroſii; & confirmari poteſt etiam ex S. Thoma, qui 2. 2. q. 89. art. 7. ad 1. ait, *quod aliud eſt de ſimplici verbo, aliud de juramento, in quo divinum teſtimonium imploratur. Sufficit enim ad veritatem verbi, quod aliquis dicat id, quod propoſuit ſe facturum; quia hoc jam verum eſt in cauſa ſua; ſed juramentum adhiberi non debet, niſi in re, de qua aliquis firmiter certus eſt*. Probabilia non ſunt certa, multoque minus firmiter certa; quod tamen Angelicus requirit, ut juramentum adhiberi poſſit. Hinc, dum La-Croix loco cit. ait, „ & præ„ requiritur ſaltem talis certitudo, ut nulla, vel par„ va, & non prudens ſit formido de veritate partis „ oppoſitæ, vel ſaltem ut non ſit formido æqualis: “ dum, inquam, La-Croix ita loquitur, majorem probabilitatem ad juramentum ſufficere putat; qua ſane in re corrigitur a D. Thoma citato, a Cath. loco appell. qui exigit, ut jurans id ita eſſe arbitretur adductis *certiſſimis argumentis*, a Bellarmino, ex quo ad juramentum *requiritur veriſſima certitudo*, a D. Ambroſio, ex quo *jurare eſt judicium ſcientiæ*: item ait: *Lux tibi præeat, ſi jurare diſponis, id eſt cognitio veritatis præcedat, ut vinculum ſacramenti tibi non poſſit nocere*. Ait, *cognitio veritatis*, non majoris probabilitatis. Perjurium enim eſt, cum res jurata juramento diſſentanea eſt. At res jurata juramento diſſentanea eſt, cum quis probabiliori ratione ductus abſolute jurat, rem ita eſſe; nec enim res jurata abſolute talis eſt, ſed ſolum cum additione, hoc eſt probabilius eſt talis. Ergo &c. Qui aliquid verum eſſe, probabilius putant, jurare quidem poſſunt, illud verum ſibi videri, non tamen abſolute eſſe verum. Præterquamquod hujuſmodi juratores periculo falſum jurandi ſeſe objiciunt; ideoque excuſandi non ſunt.

La-Croix eodem loco ait: „ In cauſis, ubi juramen„ tum erit in favorem, ſufficiet minor certitudo, ubi „ autem ex eo grave incommodum naſci poſſet alteri, „ requiretur major. “ Hæc perinde ſonant, ac ſi La-Croix dixiſſet: major ratio habenda eſt, majorque cautio adhibenda, ne proximus grave incommodum patiatur, quam ne nomen Dei in vanum aſſumatur. Sint ne hæc recte dicta, alii me tacente judicare facile poſſunt.

P. Concina Theol. t. 3. p. 410. n. 5. refert eadem verba P. La-Croixii, quæ mox (initio huj. cap.) ego deſcripſi. At P. Zacharia hic vult nos audire P. Nocetium Ver. vind. c. 31. inquientem: *P. Concina hic duo præſtat. Primum adeo mutilate refert textum P. La-Croix, ut perſuaſum relinquat lectoribus, P. La-Croix adhærere uni ſententiæ, cum adhæreat omnino oppoſitæ*; ut ego monui.

P. Concina totum textum n. 267. La-Croixii non refert, quia toto ad rem, de qua agit, non indiget. An hoc magnum crimen eſt? Ceterum P. Concina nihil habet, quo perſuadeat lectoribus, ut La-Croix ſentiat quod non ſentit.

Ait enim eodem n. 5. „ Opinionem vero, quam P. „ La-Croix ex Sanchez, aliiſque refert, ceu improbabi„ lem reſpuimus. “

Deinde, inquit Nocetius, *expreſſe imponit P. La-Croix, quod doceat, ſufficere unicum teſtem fide dignum ad jurandum extra judicium; cum hoc nunquam dicat ex propria ſententia, ſed ad omne juramentum poſtulet certitudinem moralem; quæ omnia producto integro textu manifeſta fient &c.*

Reſp. Verum eſt, P. Concinam P. La-Croixio prædictam ſententiam adſcribere p. 413. n. 9. ubi etiam addit, eam eſſe communem penes recentes Theologos. Magna ne injuria eſt, aut dedecus, La-Croixium cum communi recentium ſentire?

At La-Croix id non docuit. Reſp. Expreſſe quidem id non docuit, at ex ejus verbis, hanc eſſe ejus mentem, ſatis aperte colligitur. Ex iis enim, quæ in hunc caſum dixi, major probabilitas juxta La-Croixium ſufficit, ut quis jurare poſſit: at unicus teſtis fide dignus (ſi nihil obſtet, ut ponimus) rem facit non ſolum probabiliorem, ſed abſolute, ſeu ſine contradictione probabilem; quod firmius eſt, quam rem eſſe in conflictu contrariæ probabilitatis probabiliorem: ergo dum P. Concina dicit n. 9. cit. ex La-Croixio, & aliis ſufficere unicum teſtem fide dignum ad jurandum extra judicium, loquitur ex mente ipſius La-Croixii. Hæc eſt certitudo moralis La-Croixiana. Quid hic pluribus opus? Nam dum La-Croixius ait, *Et hæc ultima ſententia videtur probabilior*, priorem juxta ſuum ſiſtema tutam facit.

Quid ergo neceſſe erat, Zachariam, & Nocetium his fallacibus tricis, quæ nihil docent, niſi eos erga Concinam eſſe male affectos, lectorum aures obtundere?

Excuſari ſubinde poſſunt quidam ſimplices a mortali perjurio videntur poſſe &c.

Cur excuſari ſubinde poſſunt? quia, inquit „ non „ apprehendunt, quod jurare ſit aliquid grave, & „ invocare Deum in teſtem, ſed tantum apprehen„ dunt confuſam aliquam rationem mali non tanti mo„ menti. “

Buſ. ponit, non peccari, niſi peccati malitia appre-

hendatur; qui eſt pelagianus error, ut ſæpe monendum eſt. Ex hoc porro errore illud ſponte ſua conſequitur, mortaliter non peccari, niſi mortalis malitia apprehendatur: & quia quidam, ut Buſ. ait, ſimplices in quibuſdam perjuriis non apprehendunt mortalem malitiam, idcirco a mortali culpa eos excuſat. At quoniam hæc ratio falſo, & erroneo principio nititur, idcirco excuſatio futilis eſt.

Ignorantia, quod perjurium ſit mortale, inexcuſabilis eſt, ſicuti inexcuſabilis eſt ignorantia, quod mollities, adulterium, furtum ſint letales culpæ: ignorantia, quod vocare Deum in teſtem, & jurare, ſit aliquod grave, & quod certa perjuria ſint mortalia, perinde eſt ac ſi dixeris, ignorantiam, quod hoc adulterium, furtum &c. ſit leteſerum, eſſe excuſabilem. Nullum ſcelus eſt, quod a mortali noxa excuſari propter inconſiderationem, & ignorantiam non poſſit, ſi perjurium poteſt.

Itaque ſimplices, ut ait Buſ., hoc eſt corruptæ conſcientiæ homines, de quibus loquimur, non ſunt ſubinde excuſandi a mortali perjurio, ſed graviſſime monendi ſunt, nec a Confeſſariis abſolvendi, niſi firmum habeant propoſitum in poſterum ab iis abſtinendi.

Dum P. Concinam contra P. Noceetium defenderem, ſcripſi. *Cæterum P. Conc. nihil habet, quo perſuadeat lectoribus, ut La Croix ſentiat, quod non ſentit. Ait enim eadem n. 5.* „ Opinionem vero, quam P. La-Croix „ ex Sanchez, aliiſque refert, ceu improbabilem re„ ſpuimus. "

P. Zach. p. cxix. hic ſubdit: „ Et hoc loco certe „ nihil habet Concina, quo perſuadeat lectoribus, ut „ La-Croix ſentiat, quod non ſentit. " R. Nihil amplius volo; quia ibi de eo tantum loco, non de aliis loquor. Hinc recitatis P. Noceetii verbis fateor, P. Concinam p. 413. n. 9. prædictam ſententiam La-Croixio adſcribere. Ergo, mi Zach. inaniter ſubdis: „ Noceetius non Concinam arguit ob ea, quæ ſcripſit p. „ 410. locum appellavit ex pag. 413. deſcriptum: *inquiunt* „ *Salmant.*, *Sporer*, *La Croix*. Hoccine non eſt perſua„ dere lectoribus, ut La-Croixius in ea ſententia non „ fuerit? "

Reſp. Eſto. Zach. „ quomodo ergo P. Concina nihil habet, „ quo perſuadeat lectoribus, ut La-Croix ſentiat, quod non „ ſentit? " Reſp. Quid inde? Zach. „ hui quid eſt pugnan„ tia loqui, ſi hoc non eſt? " Reſp. Si de eodem textu dicantur, vere; ſi de alio, & alio, ut a me dicta ſunt, ſicut meorum dictorum contextus aperte declarat, perſpicue falſum eſt. Hinc Concinam illis verbis defendo: *Magna ne injuria eſt* &c.; deinde: *& La Croix id non docuit. Reſp. expreſſe quidem id non docuit; at ex ejus verbis hanc eſſe ejus mentem, ſatis aperte intelligitur;* quod allata ibi ratione efficio. Quid tu? Zach. „ Dia„ lecticos appello: ipſi de hocce paralogiſmo tuo ju„ dicent. "

Reſp. Tuum erat, mi Zach., meam rationem fallacem eſſe evincere, non inaniter exclamare. At ſubdis: „ interea duo hæc habeto. Primum eſt, ut demum le„ gitima eſſet hæc tua ratiocinatio, unum hoc pro„ bare, P. La-Croixium non ſibi ſatis conſtitiſſe. "

Reſp. Si logicæ leges tibi innotuiſſent, loco tui illius *unum hoc*, dixiſſes, alterutrum probare, hoc eſt vel P. La-Croixium ſibi non conſtitiſſe, vel ſenſiſſe, ut P. Concina ſcripſit, & quia ego La-Croixium inconſtantem ponere nolui, hoc alterum concluſi. Cæterum, mi Zach., his tricis lectores fruſtra fatigamus; quos ne nimio tædio afficiam, miſſis aliis a te inaniter, atque etiam odioſe dictis, ad illud alterum, quod indicaſti, venio. Zach. „ verum his opus non eſt: nam „ e La-Croixii ſententia perperam argumentaris. Pro„ babilitas abſoluta, quam velles invito La-Croixio „ veluti ad juramentum ſufficientem tribuere, etſi ſi„ ne contradictione eſt, ſtat tamen cum prudenti for„ midine de oppoſito: ergo qui talem ad juramentum „ prærequiri certitudinem aſſirmat, ut *nulla, vel par*„ *va, & non prudens ſit formido de veritate partis op*„ *poſitæ*, non poteſt ſola abſoluta probabilitate eſſe „ contentus. " Reſp. Si demas illud *invito*, concedo totum.

Zach. „ quod autem addit La-Croixius, *vel ſaltem* „ *ut non ſit formido æqualis*, indicat quidem, majo„ rem ſaltem probabilitatem ſufficere, quæ æqualem „ formidinem elidat; ſed hinc plane ſequitur contra„ rium, quam quod vis. "

Reſp. Hoc probandum. Zach. „ nam cum abſoluta „ probabilitate etiam ſine contradictione, ſtat æqualis „ prudens formido. " Reſp. Hoc eſt paradoxum valde inſolens, & aperte falſiſſimum. Zach. „ quæ enim proba„ bilitas prudentem formidinem excludit, ut in ruſtico, „ propoſitio &c., reſpectiva moralis eſt certitudo. "

Reſp. Eſto. Zach. „ ergo qui majorem requirit proba„ bilitatem, in abſoluta probabilitate conquieſcere ne„ quit. " Reſp. nego ſuppoſitum conſequentis. Ponis enim, majorem probabilitatem eſſe reſpectivam moralem certitudinem, quod eſt aperte falſum.

Zach. „ at, inquis, abſoluta illa probabilitas ſine „ contradictione eſt: ſane: at quid inde? " Reſp. Inde eſt, ut ſit firmior, quam major probabilitas.

Zach. „ hoc unum, oppoſitam opinionem non habe„ re pro ſe motiva. "

Reſp. Nego ſuppoſitum; quia enim nulla ſunt contraria momenta, nulla eſſe poteſt oppoſita opinio, niſi forte in ſtolido cerebro.

Zach. „ hinc autem non fit, ne habere quidem poſ„ ſe" (pro ſe motiva.) Reſp. recte; at quid inde? Zach. „ at formido non ex ſolis motivis contrariis ori„ tur, ſed etiam ex iis, quæ exiſtere poſſunt. " Reſp. Formido vana, eſto: prudens, pernego.

Zach. „ ſuſpicari enim prudentiſſime poſſum, ne for„ te aliæ auctoritates, & rationes lateant, Viri illius „ fide digni de auditu teſtantis narrationem plane ever„ tentes. " Reſp. cur addis de auditu? Cavillari ſcilicet vis. Miſſa cavillatione, ſuſpicio ex incognitis, & mere poſſibilibus non eſt prudens, ut tu ex arbitrio aſſeris, ſed inanis, & temeraria. Paucis: quia teſtis fide dignus eſt, ei prudenter creditur; non tamen plene, quia unus eſt. Uni teſti fide digno magis ex prudentiæ lege creditur, quam fide digniori, qui teſtimonio fide digni retundatur. Teſtis unus fide dignus eſt inſtar quatuor in una lance, in cujus oppoſita nihil ſit: teſtis fide dignior teſte fide digno repulſus, eſt inſtar quinque, aut, ſi vis, etiam ſex in lance, quæ in oppoſita quatuor retundantur. Intelligis ne, mi Zach., an intelligere non vis? Nam reliquas tuas inanes cavillationes, ne lectori nimis gravis ſim, prætermitto.

Animadversio XV.

Æquivocatio, ſeu amphibologia, ut nomen ipſum ſonat, obſcura locutio eſt, quæ varios patitur ſenſus, qui tamen vel ex verborum ipſorum vi, vel ex rerum circumſtantiis intelligi poſſunt. Hac homines uti ſolent, ut aliquid occultent, quod ſciri nolunt.

Hæc porro locutio mendax non eſt, ſed vera. * Quocumque enim ſenſu a loquente accipiatur, ab ejus animo non diſcordat: ergo vera eſt; quia locutio falſa, ſeu mendax eſt, cum homo aliud verbis enuntiat, aliud animo habet.

At, inquies, hæc locutio eo nomine vituperabilis eſt, quod hominem, quocum loqueris, fallat; quia verba alio ſenſu a loquente accipiuntur, ac ipſe intelligit.

Reſp. Vere ais, ſi nulla ſit rationabilis cauſa æquivoce loquendi; at ſi hæc adſit, vituperabilis non eſt. Sicuti enim, dum quis interrogatur, recte tacet, ſi tacendi ratio ſit; ita qui loquitur, non eſt neceſſe ut ſua verba accipiat juxta auditoris ſenſum, ſi neceſſitas, aut ratio poſtulet, ut alio ſenſu accipiantur. Hac enim in ſpecie loquens non decipit, ſed auditor ſeipſum decipit, cum loquenti nullam cauſam præbeat accipiendi verba alio ſenſu, ac ipſe accipit.

At peccat, qui primævæ ſermonis inſtitutioni repugnat: repugnat autem, qui aliter accipit verba, ac auditor, quia primæva ſermonis inſtitutio eo ſpectat, ut loquentis ſenſa patefaciat, non ut occultet. Reſp. Primæva ſermonis inſtitutio huc quidem ſpectat, ea tamen addita exceptione, niſi neceſſitas, aut ratio aliud poſtulet: quæ exceptio niſi admittatur, verba ambigua & obſcura, ex ipſis dictionariis, & libris editis, nedum ex hominum locutione, expungenda forent. At ipſa ſacra Scriptura, ambigua, & obſcura dictione non raro utitur. Ea uſus eſt Jacob Gen. 27: cum Patri quærenti, *Quis es tu, fili mi?* reſpondit, *ego ſum primogenitus tuus Eſau*. Erat enim primogenitus non origine: ſed divino jure. Attamen D. Aug. in q. ſuper Gen. D. Joann. Chryſoſt. hom. 53. in Gen. D. Th. 2. 2. qu. 110. art. 3. ad 3. aliorumque graviſſima auctoritate a mendacio purgatur, ut legi poteſt apud Canum lib. 2. de locis cap. 4. Hanc adhibuit Machabæorum mater (2. Machab. 7.) quæ, cum ab Antiocho Rege multis verbis extimularetur, ut adoleſcenti filio ſuo conſuleret, *promiſit ſuaſuram ſe filio ſuo*, ſuaſitque contraria omnia, ac Rex petebat. An idcirco male locuta eſt ſancta mulier? minime vero gentium; quia, licet verbum *ſuadea* contra Regis mentem acceperit, illud tamen ſano ſenſu, juſtaque de cauſa ita accepit. S. Athanaſius (Brev. Rom. die 2. Maji) *iis, qui ſe inſequebantur, ex induſtria occurrit, & quærentibus, quantum inde abeſſet Athanaſius, reſpondit, cum non* lon-

* Conc. Theol. t. 3. p. 258. n. 6. & ſeq.

longe abeſſe. Vitæ tuendæ neceſſitate S. vir obſcure, & æquivoce reſpondit, non tamen mendaciter. Quia illud *non longe abeſt*, vere dicitur ex hominum more tum de eo, qui e. g. 50. aut 100. hexapedas abeſt, tum de eo, qui præſens eſt. Chriſtus ipſe de S. Joanne Baptiſta Matth. 11. dixit: *Ipſe eſt Elias, qui venturus eſt*, cum tamen Joannes negaret, ſe eſſe Eliam. *Elias es tu? Et dixit, non ſum*. Joann. 1. erat ſcilicet, & non erat Elias. Erat Elias ſpiritu, ſeu præcurſoris officio, & virtute; perſona non erat Elias. Plurimæ ſunt in ſacra Scriptura antilogiæ, ſpecie contrariæ, quæ tamen divinæ ſunt auctoritatis; quibus docemur, locutiones non ſolum diverſa, ſed etiam adverſa acceptione, ſi ratio poſtulaverit, uſurpari poſſe. Hinc D. Th. 2. 2. qu. 110. art. 3. ad 4. ait: *Licet tamen veritatem occultare prudenter ſub aliqua diſſimulatione, ut Aug. dicit in lib. de mendacio*. Diſſimulatione utimur vel ſilentio, vel ſermonis ad alia converſione, vel æquivocatione. Illa diſſimulandi ratio uſurpanda eſt, quam prudentia ſuggeſſerit, & neceſſitas poſtulaverit.

At hic quæri poteſt, utrum æquivocatio, prout explicata fuit, juramento confirmari ſine culpa poſſit? Reſp. Affirmandum videtur, ſi neceſſitas juramentum requirat. Nam pono, veritatem æquivoce expoſitam, eſſe indubitatam. Locutio enim vera, & indubitata, ſi neceſſitas juramentum poſtulet, juramento ſine culpa confirmari poteſt: at explicata æquivocatio ex dictis verax eſt, non mendax, & ponitur etiam indubitata: ergo &c. Hæc ſententia penes Theologos communis eſt, ut monet Concina Theol. t. 4. p. 101. n. 14. Si Machabæorum mater ab Antiocho coacta juraſſet, ſe filio ſuaſuram, eam ne perjurii ream faceres? Si Abraham a Pharaone compulſus juraſſet, Saram eſſe ſuam ſororem, eum ne in crimen vocares? *Vere enim*, inquit Gen. 20 *ſoror mea eſt, filia patris mei, & non filia matris meæ, & duxi eam in uxorem*. Nihilominus negotium faceſſere videtur non tam P. Concina, qui loco cit. contrarium ſentire videtur, quam graviſſima D. Auguſtini Ep. 125. ad Alipium auctoritas dicentis: *Illud ſane certiſſime dici non ambigo, non ſecundum verba jurantis, ſed ſecundum expectationem ejus, cui juratur, quam novit ille, qui jurat, fidem jurationis impleri.... unde perjuri ſunt, qui ſervatis verbis, expectationem eorum, quibus juratum eſt, deceperunt*. Idem repetit ep. 126.

Reſp. D. Aug. loquitur de juramentis, quæ jure exiguntur, quibuſve pacta, & fœdera confirmantur. Cum enim hæc in gratiam eorum, quibus juratur, fiant, juxta ipſorum mentem intelligenda ſunt. Aliud eſt de juramentis vi extortis. Qui enim ea extorquet, nullum jus habet, ut eo ſenſu fiant, quo ipſe intelligit. Itaque dum jurans alio ſenſu ea accipit, ac qui vim intulit, hunc non decipit, ſed hic ſe ipſe ex culpa ſua decipit.

Ex D. Auguſt. auctoritate illud Boſ. dictum refellitur, quod ſi hoc juſta cauſa fiat, non erit quidem perjurium, cum ſaltem ſecundum aliquem ſenſum &c. verum juret." Quod dictum emendat etiam Angelicus 2. 2. qu. 89. art. 7. ad 4 inquiens: *Quando non eſt eadem jurantis intentio, & ejus, cui jurat, ſi hoc proveniat ex dolo jurantis*, (qui ſcilicet proximum decipere in animo habet) *debet juramentum ſervari ſecundum ſanum intellectum ejus, cui juramentum præſtatur. Unde Iſidorus dicit*: Quacumque arte verborum quis juret, Deus tamen, qui conſcientiæ teſtis eſt, ita hoc accipit, ſicut ille, cui juratur, intelligit. *Et quod hoc intelligatur de doloſo juramento, patet per id quod ſubditur*. Dupliciter reus fit, qui & nomen Dei in vanum aſſumit, & proximum dolo capit.

Hinc refellendus quoque eſt La-Croix, juxta quem p. 218. n. 176. jurans ſine animo jurandi, proprie loquendo non jurat. Si enim juxta SS. Auguſtinum, Iſidorum, & Thomam juramentum vim habet obligandi juxta ſanum intellectum ejus, cui juratur, etiamſi jurans per dolum eo modo ſe obligare non intendat, neceſſe eſt ut juramentum proprie tale ſit, & obliget, etiamſi jurans per fictionem, jurandi animum non habeat.

Falſo autem La-Croix pro ſua ſententia citat D. Th. 2. 2. qu. 98. a. 3. ad 2. verbis S. Doctoris non recitatis. Sed illa legere potes ad c. 7. dub. 3. unde intelliges La-Croixii oſcitationem.

Quod ſi (ut ad primum inſtitutum veniam) jurans animo ſimplici, & a deceptione alienus ſit, non obligatur juxta ſenſum illius, cui jurat, ſed juxta ſenſum, quo ille ſuum juramentum intelligit. Hinc D. Thom. poſt mox cit. verba ſubdit: *Si autem jurans dolum non adhibeat, obligatur ſecundum intentionem jurantis. Unde Greg. dicit 26. mor.* „Humanæ aures talia verba noſtra judicant, qualia foris ſonant; divina vero judicia, talia foris audiunt, qualia ex intimis proferuntur." Ergo cum dolo non utatur, qui coactus æquivoce jurat, ejus juramentum quoad conſcientiam vim habet, prout ipſe ſano ſenſu illud accipit, non prout a coactore accipitur.

Hactenus de æquivocatione, ſeu amphibologia, prout vox ipſa ſonat. Nam caſuum arbitri eam cum reſtrictione mentali confundere ſolent. La-Croix, qui poſt propoſitiones proſcriptas ſcripſit, duplicem mentalem reſtrictionem facit p. 218. n. 284. Altera eſt pure mentalis, alia non pure mentalis. Prior eſt, cum qui loquitur, verba aliter accipit, ac ſignificant, quia mente aliquid ſubintelligit, quod ſubintellectum ex circumſtantiis non innoteſcit; ſi hoc ſubintellectum ex circumſtantiis notum ſit, dicitur reſtrictio non pure mentalis. E. g. Cajus ex induſtria occurrens Titio, ab eo anxie, ſeu ſollicite petit, utrum Sempronium viderit, ac mente ſubintelligit *recenter*; quæ additio ex circumſtantiis Titio nota eſt; ideoque reſpondet, Non vidi, licet illum nudius tertius viderit. Hanc reſtrictionem non eſſe mendacem, La-Croix aſſerit, & nemo jure, ut ego puto, inficiari poteſt. At prior mendax eſt, ut ipſe fatetur n. 285. E. g. interroganti, utrum hodie viderim Petrum, reſpondeo, Non vidi, & ſubintelligo *in foro*, cum tamen viderim domi; mendax ſum. Nam D. Auguſt. lib. de mendacio c. 3. ait: *Quapropter ille mentitur, qui aliud habet in animo, aliud verbis, vel quibuslibet ſignificationibus enuntiat*; uti facit, qui reſtrictione pure mentali utitur. Nam animo ſubintelligit id, quod exterius non enuntiat. Quod ſi reſtrictioni pure mentali juramentum addat, perjurus eſt. Contraria doctrina eſt ipſa propoſ. 26. ab Innoc. XI. proſcripta, quæ ita habet: *Si quis ſolus, vel coram aliis, ſive interrogatus, ſive propria ſponte, ſive recreationis cauſa, ſive quocumque alio fine juret, ſe non feciſſe aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra ſe aliquid aliud quod non fecit, vel aliam viam* (Sanchez, unde hæc propoſitio ſumpta eſt, habet *aliam diem*, ut advertit Concina Theol. t. 3. p. 468. n. 2.) *ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur, nec eſt perjurus*. Itaque qui ait, *juro, me hac nocte non dormiviſſe*, ſubintelligendo *commode*; vel *non habere pecuniam*, intelligendo *quam tibi mutuam dare velim*; vel uxor, qui jurat, ſe non eſſe mœchatam, intra ſe addendo *hac nocte*, vel fœmina, qui jurat, ſe alteri non luſiſſe, ſubintelligendo *hodie*, & alia his ſimilia, ſunt certa damnata perjuria, ſi jurantes reipſa habeant, aut fecerint, quod negant, etiamſi non habeant, aut fecerint cum additione, quam animo concipiunt; quæ ex nulla cauſa, aut neceſſitate excuſari poſſunt, ut patet ex propoſ. 27. ab eodem Innoc. XI. proſcripta, quæ talis eſt. *Cauſa juſta utendi his amphibologiis* (in propoſ. 26. deſcriptis) *eſt, quoties id neceſſarium, aut utile eſt ad ſalutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio cenſeatur tunc expediens, & ſtudioſa*. Et ratio præterea eſt, quia mendacium, & perjurium numquam, nullaque ex cauſa licent.

Ipſæ reſtrictiones non pure mentales juramento confirmari non poſſunt, niſi ſubintellectum in mente certo, & evidenter conſtet. Sicuti enim juramentum ob reverentiam divini adorandi Nominis adhibendum non eſt, niſi de veritate certo comperta, ita in reſtrictione non pure mentali adhiberi non poteſt, niſi ipſa reſtrictio certo & evidenter nota ſit.

La-Croix p. 218. num. 288. ait: „Non eſt reſtrictio pure mentalis, ſi quis reſpondeat ad mentem interrogantis, quamvis verba, quæ reſpondet, de ſe forent falſa, ſi non decerentur in illis circumſtantiis." Hæc doctrina mihi mali habet, ſi reſpondens, talem eſſe judicet interrogantis mentem non ex arbitrio, ſed ex ratione; v. g. „ſi me interroges, inquit, an occiderim Cajum, reſpondeo, non occidi, & licet occiderim, non mentior, nec pecco." Cur non mentiris nec peccas? „Quia, inquit, in circumſtantiis illis, in quibus crimen eſt plane occultum, quod ſi fatear, periclitatur vita mea, non debeo præſumere, niſi aliunde mihi conſtet, quod me interroges, an crimen commiſerim abſolute." Abſolute interrogas, & non debeo præſumere, quod abſolute interroges? Mihi ſane videtur præſumptio arbitraria, & falſa, niſi circumſtantiæ aliud perſuadeant. Ratio eſt, inquit La-Croix, „quia non habes jus ad me ita abſolute interrogandum, neque in illis circumſtantiis teneor id, quod nequidem ſemiplene eſt probatum, revelare tibi cum certa jactura vitæ, quamvis tu etiam eſſes Judex meus." Reſp. Aliud eſt, eum, qui interrogat, jus interrogandi non habere; aliud, ipſum eo ſenſu, hoc eſt abſolute, ex mente ſua interrogare. Si jus interrogandi non habet, tacere, ſermonem ad alia convertere, ipſum reprehendere potes &c. At quia jus interrogandi non habet, & quia ex reſponſione tua vera ad interrogata, vitæ jactura tibi imminet, & perperam,

& ex arbitraria præſumptione colligis, interrogantem cum reſtrictione interrogare, dum abſolute interrogat, an occideris Cajum. Illud ſaltem quæſo hic cave, ne mendacio perjurium adjicias. Hac La-Croixii doctrina, quam, ut ipſe ait, plurimi tradunt, per cuniculos adoriri, & amoliri merito videri poteſt damnatione propoſ. 27. mox relatæ.

Animadversio XVI.

Juramentum cum reſtrictione pure mentali peractum, eſt veri nominis perjurium, quod ſi veniale dicas in re levi, incurris in propoſ. 24. ab Innoc. XI. proſcriptam; ſi veniale appelles, quia per jocum fit, toto cœlo aberras. *Qui jocoſe perjurat*, inquit S. Th. 2. 2. qu. 98. a. 3. ad. 2. *non evitat divinam irreverentiam, ſed quantum ad aliquid magis auget; & ideo non excuſatur a peccato mortali*.

Animadversio XVII.

Si reus contra juris ordinem, vel a Judice incompetente jurare coactus, juret, ſe non commiſiſſe furtum, homicidium &c. quod reipſa commiſit, ſubintelligendo in carcere, ubi illud non commiſit, vel aliquid aliud: ſi uxor metu mortis juret ſe adulterium non patraſſe, quod reipſa patravit, intelligendo *hodie*, vel quid ſimile: ſi quis latronis vi adactus juret, ſe illi certam pecuniam daturum, quam dare non vult, ſubintelligendo debeo, ſi debuero &c. & alia juramenta hisſimilia, ſunt certa perjuria propoſ. 26. proſcripta.

Animadversio XVIII.

Falſum eſt, juramentum ſine animo jurandi, non eſſe juramentum, ut jam oſtenſum eſt ſupra dub. 1. c. 1. & dub. 4. Reſp. Contra Buſemb., & La-Croix.

In foro tamen externo poteſt cogi ut ſervet.

Si non eſſet verum juramentum, nec in foro quidem externo cogi poſſet ut illud ſervaret. Nec enim leges divinæ, aut humanæ eam Judicibus fori externi facultatem tribuunt, ut cogant ad ſervanda juramenta, quæ reipſa juramenta non ſunt. Ergo ſi cogi re ipſa poteſt ut ſervet, juramentum ſine animo jurandi vere juramentum eſt.

Ex hactenus dictis explodendi ſunt, qui materialem ſuppoſitionem, qua verba omni ſenſu deſtituta quandoque uſurpari poſſe dicunt, commenti ſunt. Ex Logicorum quidem doctrina habemus, ſuppoſitionem aliam eſſe materialem, qua voces loco ſui, aliam formalem, qua loco rerum adhibentur. At in nulla philoſophia invenies ſuppoſitionem materialem explicatam, ut ſupra. Hoc novum commentum recentioribus Moralibus relictum fuit, quo mendacia tegerentur. Tota vocum vis, & ratio in eo ſita eſt, ut aliquid ſignificent. Huc ſpectat ſapientiſſimus naturæ Auctor, cum loquendi facultatem nobis dedit, ut loquendo animi noſtri ſenſa aperiremus. Vox ex unanimi omnium ſenſu eſt ſonus articulatus ad exprimendas cogitationes inſtitutus; & D. Auguſt. lib. 15. de Trin. c. 11. ait: *Verbum, quod foris ſonat, ſignum eſt verbi, quod intus latet*. Ex quo intelligitur, falſum omnino eſſe, quod ait Cattanena apud Concinam, voces in aliqua hypotheſi ex humanæ Reipublicæ lege nihil ſignificare. Naturæ enim lex, quam univerſa hominum Reſpublica ſequitur, ea eſt; ut qui nihil ſignificare vult, taceat; cum vero loquitur, aliquid ſignificet.

Materialis ſuppoſitio, prout hic accipitur, mentali reſtrictione ab Innoc. XI. proſcripta deterior eſt. Nam reſtrictio mentalis vocum ſenſum tantum mutat per additionem mentis; ſuppoſitio materialis illum omnino deſtruit, & in nihilum redigit; quod ſane pejus eſt. Ergo ſuppoſitio materialis, damnata mentali reſtrictione damnabilior eſt. Ex communi hominum ſenſu pendet, ut voces aliquid definitum, ut lapidem, arborem &c. denotent; & hac ratione dicuntur ſigna *ad placitum*, at ne ex communi quidem hominum ſenſu pendet, ut aliquid indefinite ſignificent; quia hoc ex intima ſui natura, naturæque Auctoris lege hominum arbitrio minime obnoxia ſignificant; & hoc ſenſu ſigna naturalia dicuntur. Hinc D. Thom. 2. 2. q. 110. a. 3. ait: *Cum enim voces naturaliter ſint ſigna intellectuum, innaturale eſt & indebitum, quod aliquis voce ſignificet id quod non habet in mente.* Ergo multo magis innaturale eſt, ut nihil ſignificet. Sed de his conſule, ſi vis, Concinam Theol. t. 3. p. 485. c. 10. & ſeq.

Huc referendus eſt uſus ſcientiæ ſeu notitiæ communicabilis, quæ aliis communicari poteſt, & incommunicabilis, quæ nemini communicanda eſt. Hæc enim eo ſpectant, ut ſi de re ſibi nota, ſed ex gravi cauſa occultanda interrogeris, reſpondere poſſis, *neſcio*, vel *non feci*, ſubintelligendo, ut revelem. Quæ reſponſio, eſt apertum mendacium, additoque juramento perjurium ab Innoc. XI. damnatum, ut jam ex dictis liquet. Sed hic quoque conſuli poteſt P. Concina Theol. t. 3. in fine, & initio t. 4. Illud D. Auguſt. lib. contra mend. c. 21. in mente habendum eſt. *Aut ergo cavenda mendacia recte agendo, aut confitenda pœnitendo; non autem cum abundent infeliciter vivendo, augenda ſunt & docendo. Sed eligat qui hoc putat, unde ſubveniat periclitanti homini ad quamlibet ſalutem, qualiacumque mendacia; dum tamen & apud tales obtineamus, nulla cauſa nos ad pejerandum, & blaſphemandum oportere perduci.*

Animadversio XIX.

Nihilominus probabiliter alii tenent contrarium. Idem contrarium docet La-Croix p. 340. n. 305.

Sed hæc opinio rejicienda eſt, uti rejicitur a Concina Theol. t. 3. p. 421. n. 5. & ſeq. Catech. enim Synod. Trident. ſine ulla diſtinctione ait: *Ejuſdem vero peccati* (hoc eſt perjurii) *reus cenſendus eſt, qui ſe aliquid jurejurando facturum promittit, cum tamen aut promiſſum implere in animo non fuerit, aut, ſi fuit, quod promiſit, reipſa non præſtat.* Ejuſdem criminis juxta Catechiſmum reus eſt, qui non habet animum implendi juratum promiſſum, ac qui non implet: ſed fatente ipſo Buſemb. hic c. 1. qui non habet animum implendi juratum promiſſum, vere peccat mortaliter, ſive materia ſit parva, ſive magna: ergo etiam qui illud non implet, ſeu res magna ſit, ſeu parva. In hunc ſenſum loquuntur S. Raym., S. Antoninus, & Gerſonius apud Concinam loco mox cit. Hinc D. Auguſt. in Reſp. cit. ſine ulla limitatione ait: *Unde perjuri ſunt, qui ſervatis verbis expectationem eorum, quibus juratum eſt, deceperunt.* Si perjuri ſunt, qui in re notabili decipiunt, perjuri quoque ſunt, qui in re parva decipiunt; ideoque mortaliter peccant.

Ratio evidens eſt: quia ex D. Thoma 2. 2. qu. 89. a. 7. *quicumque jurat, aliquid ſe facturum, obligatur ad id faciendum, ad hoc quod veritas impleatur*: ergo qui aliquid leve juratus promittit, nec implet, eſt perjurus: ergo mortaliter peccat; quia perjurium etiam in re levi eſt certum mortale peccatum, ut patet ex propoſit. 24. ab Innoc. XI. proſcripta. Hinc refellendus eſt La-Croix, qui in ſuam ſententiam pertrahit D. Thomam, qui 2. 2. qu. 110 a. 3. ad 5. ait: *Quod ille, qui aliquid promittit, ſi habeat animum faciendi quod promittit, non mentitur; quia non loquitur contra id, quod gerit in mente.* Si non mentitur, non pejerat, ſed ſolum contra fidelitatem, quæ in re parva levis culpa eſt, agit, non implendo promiſſum. Reſp. An S. Doct. pugnantia loquitur? Lege ejus verba 2. 2. qu. 89. a. 7. ad 1. recitata ad cap. 10. dub. 3. Itaque illud quoque falſum eſt, quod idem La-Croix ait, prædictum juramentum eſſe falſum non formaliter, ſed materialiter tantum. Hinc idem D. Thom. art. 7. qu. 89. hic cit. ait: *In juramento, quod præſtatur de his, quæ ſunt fienda a nobis, obligatio cadit ſupra rem, quam aliquis juramento firmavit. Tenetur enim aliquis, ut faciat verum eſſe id, quod juravit: alioquin deeſt veritas juramento.* Si veritas deeſt, juramentum vere mendax eſt, ſeu, ſi ita loqui velis, formaliter falſum, & veri nominis perjurium.

Præterquamquod infidelis promiſſor, eſt ne verax promiſſor? Hic ſane ex communi hominum ſenſu mendaciſſimus eſt. Si, dum promitteret, habuit animum faciendi promiſſa, ejus quidem locutio fuit vera, ut habet D. Thom. hic citatus; at, ſi promiſſa non faciat, cum poteſt, mendax eſt in opere: eſt ergo verax in intentione, mendax in executione.

Ipſe quidem Concina loco cit., & p. 424. num. 11. excipit juramenta, quibus matres pomum, aut quid leve pueris ſpondent, aut viri ingenui negant, ſe primum locum occupaturos; quod poſtea nec illæ, nec iſti præſtant; quia, inquit, in his juramentis ſenſus eſt hypotheticus. At ſi in his ſenſus hypotheticus eſt, cur non in aliis de re levi? Buſembaum de his, ac de aliis eodem modo loquitur. Verborum ſignificatio abſoluta eſt: ergo perperam fingitur ſenſus conditione aliqua implicitus, ex. g. niſi ratio contrarium ſuadeat. Quod ſi dum abſolute jurant, conditionem ſubintelligunt, reſtrictione mentali ab Innoc. XI. damnata, quæ a mendacio, & perjurio non excuſat, utuntur. Ceterum ego crediderim, hos juratores de his levibus rebus ex prava conſuetudine jurantes, abſolute jurandi animum habere, & non implere jurata, quia mali ſunt, nec juramenti religionem verentur. Qui proinde a Concionatoribus, & Confeſſariis fidenter, & valde reprehendendi ſunt, nec ab his abſolvendi niſi certa ſigna pœnitentiæ, & abſtinendi abs peſſimo jurandi uſu præbuerint.

Ani-

Animadverſio XX.

Illud certum eſt, quod ſi &c. non eſt grave, quia tunc excuſat parvitas materiæ

Hanc limitationem improbat ipſe La-Croix loco mox cit. Et ſane ſi parvitas materiæ a mortali culpa non excuſat, ſi tota promiſſio jurata, rei ſit levis, & non fiat; cur excuſat, ſi ex eo, quod juraſti, tantummodo parum aliquid non ſerves? An in hac ſpecie perjurus non es? Veritas ſcilicet eſt indiviſibilis. Quod enuntias, aut verum eſt, aut non eſt verum, hoc eſt falſum. Nihil medium eſt inter verum, & non verum, ſeu inter verum, & falſum. At ſi ea eo, quod juraſti, tantummodo parum aliquid non ſerves, juramentum non eſt verum: ergo eſt falſum, & perjurium. Qui jurat, ſe totum aliquid facturum, omnes ejus partes complectitur; ex quo fit, ut ſi pars aliqua omittatur, juramentum a veritate deficiat; quia non facit, quod juravit: juravit enim totum, nec tamen totum fecit. Si jures, te dediſſe centum, cum nonaginta dederis, aperte perjurus es: ergo es quoque perjurus, ſi jures, te daturum centum, & non des, niſi nonaginta; quia ſicuti juramentum aſſertorium ſupra rem præteritam, aut præſentem cadit, ita promiſſorium ſupra rem futuram, ut jam ex D. Thoma dictum eſt, & res ipſa loquitur. Eſt ne verum, eum dare centum, qui centum non dat, eum non bibere, qui bibit, eum ſervare omnia ſtatuta, qui omnia non ſervat? Si verum non eſt, falſum eſt; & ſi falſum eſt, addito juramento eſt perjurium; & ſi perjurium eſt, mortale crimen eſt. At, inquis, rigidior eſt hæc ſententia. Reſp. Veritas ſemper rigida eſt juxta illud, *Obſequium amicos, veritas odium parit.*

Animadverſio XXI.

Quid hoc rei eſt, *obligaris probabiliter* &c. *negat tamen Azorius*, niſi opinare, & facito, ut libuerit? Hæc ſane ſcribendi ratio valde accommoda eſt corruptæ hominum indoli; quia legem eorum arbitrio ſubdit. Sed hac in re nec Buſemb., nec Azor. audiendus eſt; quia communis ſententia eſt, ut ipſe Bonac. t. 2. p. 220. p. 9. num. 2. teſtatur, juramentum gravi, injuſtoque metu extortum obligare; quam confirmat D. Thom. 2. 2. q. 98. a. 3. ad 2. monens: *Coactio non aufert juramento promiſſorio vim obligandi reſpectu ejus, quod licite fieri poteſt; & ideo ſi aliquis non impleat, quod coactus juravit, nihilominus perjurium incurrit, & mortaliter peccat.* Idem docet Alexander III. cap. *Si vero* de jurejurando, dicens: *Si vero aliquis quemquam graviſſimo metu ſub religione juramenti ſuum jus refutare coegerit, ipſumque ſibi retinuerit; quia nos conſulere voluiſti, dicimus, tibi reſpondendum, quod non eſt tutum, quemlibet contra juramentum ſuum venire, niſi tale ſit, quod ſervatum vergat in interitum ſalutis æternæ; nec nos alicui dare materiam volumus veniendi contra juramentum proprium, ne auctores perjurii videamur.* Idem habetur cap. *Ad aures* de his, quæ vi, metuque cauſa fiunt.

In materia tamen matrimonii &c. nullum eſt.

Cur nullum eſt? „ Quia, inquit Buſ. matrimonium „ coactum metu cadente in conſtantem virum, nullum „ eſt. Hinc etiam juramentum extortum de eo con„ trahendo, videtur relaxatum ipſo jure. “

Reſp. Conſequentia non videtur legitima. Aliud enim eſt matrimonium, aliud matrimonii promiſſio. Nam etiamſi hæc fuerit coacta, remota coactione matrimonium ſponte, & valide contrahi poteſt; ideoque contrahi etiam, ut videtur, debet, ſi promiſſio fuerit jurata. *Quia*, ut ait Alex. III. mox citatus, *non eſt tutum, quemlibet contra juramentum ſuum venire, niſi tale ſit, quod ſervatum vergat in interitum ſalutis æternæ.* At juramentum coactum contrahendi matrimonium non eſt tale, quod ſervatum vergat in interitum ſalutis æternæ; ergo &c. Quæcumque coacta promiſſio jure naturæ nulla eſt; *quia*, ut ait D. Thom. 2. 2. qu. 9. a. 7. ad 3. *ille, qui vim intulit, hoc meretur, ut ei promiſſum non ſervetur.* At ſi juramentum accedat, hoc, etſi coactum ſit, obligat. Ergo obligat quoque coactum juramentum contrahendi matrimonium.

Animadverſio XXII.

Nam ſi verſetur circa ſubſtantiam, v. g. ſi &c. vel circa circumſtantias &c. non obligaris.

Hoc recte dictum videtur. Nam ex D. Thom. a. 7. cit. ad 4. *ſi jurans dolum non adhibeat, obligatur ſecundum intentionem jurantis*; at jurans in ſpecie propoſita dolum non adhibet, nec habet intentionem ſe obligandi: ergo non obligatur. Idem ſentit S. Antoninus p. 2. tit. 10. c. 6. *In his tamen caſibus*, ſubdit, *tutius erit, ſi petatur abſolutio, ut ſentiunt multi Doctores.*

Animadverſio XXIII.

P. quoque Concina Theol. t. 3. p. 431. num. 5. ait, quod *juramentum de re indifferenti, nullam parit obligationem*; quæ tamen ſententia ſuas habet difficultates. Nam juxta D. Th. 2. 2. q. 89. a. 7. in corp., & ad 2. & Canones mox citatos juramentum obligat, niſi vergat in deteriorem exitum, hoc eſt, ut explicat S. Doct. niſi quod juratum eſt, malum ſit, aut majoris boni impedimentum. Res indifferens non eſt mala: ergo ſi nec majus bonum impedit, jurata præſtanda eſt. At, inquis, res indifferens, eſt otioſa, & inutilis: ergo non eſt idonea juramenti materia. Reſp. Eo ſenſu non eſt idonea juramenti materia, quod de ea jurandum non ſit. Hinc hujuſmodi juratores acriter reprehendi debent, veluti contemptores adorandi divini nominis, quod aſſumunt in rebus non ſolum levibus, ſed etiam nullius momenti, perinde ac ſi quid abjectum eſſet. At cum res indifferens criminoſe jurata eſt, præſtanda eſt, ne juramentum ſit mendax, & crimen crimini addatur. At, inquit Buſemb., Deus non vult nos obligari ad res vanas, & otioſas. Reſp. Deus ſua lege ad eas neminem obligat, & unumquemque obligari prohibet, dum prohibet, ne nomen ſuum in vanum aſſumatur: at cum juratæ ſunt, ad eas obligat, quia jurantem obligat, ut in veritate juret. *Jurabis, Vivit Dominus, in veritate, & in judicio, & in juſtitia.* Jer. 4.

At iterum objicies. Ex D. Thom. quodl. 12. q. 14. a. 2. *juramentum obligans debet habere judicium, juſtitiam, & veritatem*, at juramentum de re indifferenti non habet judicium: ergo non obligat. Reſp. Judicium, quo præditum eſſe debet juramentum obligans, in eo ſitum eſt, ut ſit de re licita, quæ majus bonum non impediat. Hinc S. Doct. loco hic cit. ait: *Juramentum enim non ſolum amittit vim, quando eſt illicitum, ſed etiam quando jurando pejeratur.* Jurando autem pejeratur ex eodem cit. ad dub. 3. c. 6. cum juratur aliquid impediens majus bonum.

Cap. *Venerabilem* de electione §. *Idem etiam* habetur: *Utrum vero dictum juramentum ſit licitum, vel illicitum, & ideo ſervandum, vel non ſervandum extiterit, nemo ſanæ mentis ignorat ad noſtrum judicium pertinere.* Ergo juxta ſummum Pontificem juramentum licitum, hoc eſt rei licitæ ſervandum eſt.

Cur feneratoribus uſura, prædonibus lytrum ex juramento etiam coacto promiſſum ex dictis dandum eſt? *Quia*, inquit D. Thom. 2. 2. qu. 98. a. 3. ad 1. *coactio non aufert juramento promiſſorio vim obligandi reſpectu ejus, quod licite fieri poteſt.* Ergo res licita, ſicuti eſt indifferens, etiam coacte jurata, neceſſario præſtanda eſt.

Et ſane dare lytrum prædonibus, uſuram feneratoribus, non eſt actio natura ſua bona, ſed danti quoad pecuniam, accipienti quoad animam damnoſa; & nihilominus, quia res eſt promiſſa, & jurata, præſtanda eſt. Alexander III. cap. *Debitores* tit. 6. de electione ita decernit. *Debitores ad ſolvendas uſuras, in quibus ſe obligaverant, cogi non debent. Si vero de ipſarum ſolutione juraverint, cogendi ſunt Domino reddere juramentum, &, cum uſuræ ſolutæ fuerint, creditores ad eas reſtituendas ſunt eccleſiaſtica ſeveritate (ſi neceſſe fuerit) compellendi.*

Circuitus ille, ut debitores jurati uſuras ſolvant, ac poſt ut creditores eas reddere cogantur, ex ſe, hoc eſt ſi juramentum non interceſſiſſet, eſt vanus, & inutilis, at quia juramentum interceſſit, efficitur neceſſarius, quia juramenti veritatem implere neceſſe eſt.

Clericus gravi, injuſtoque metu coactus, eccleſiaſticum jus abjurat. Proprii juris refutatio Clerico incommoda, quoad conſcientiam indifferens ponitur, ideoque ſi juramentum de ſe indifferente non obligaret, dictum Clerici juramentum non eſſet obligatorium. At contrarium reſpondit idem Alex. III. cujus verba exſcripſi ad c. 4.

Nimirum ſi res jurata, quæ ſine animæ detrimento fieri poſſit, non fiat, juramentum falſum eſt: at res indifferens ſine animæ detrimento fieri poteſt: ergo ſi jurata non fiat, juramentum eſt falſum; quod numquam permiſſum eſt.

Animadverſio XXIV.

Excipe tamen, ſi juraſſes Titiæ eam ducere: nam eo caſu potes eo relicto ingredi Religionem, quia &c. Idem habet La-Croix p. 222. p. 324.

Hic dicerem, ſponſam de viri propoſito monendam eſſe; quæ ſi juratam in ſui gratiam promiſſionem relaxet, virum a juramenti vinculo abſolvit, ut habetur ex D. Thom. 2. 2. q. 89. a. 9. ad 2.

Quod ſi ſponſa promiſſionem relaxare nolit, eam e viro implendam eſſe, puto; quia promiſſio eſt de re licita, nec majus bonum impedit. Poteſt enim vir contracto, & non conſummato matrimonio, ad Religionem, ſi voluerit, migrare. Hinc cap. *Commiſſum* de ſponſalib. ſummus Pontifex ait: *Reſpondemus, quod tutius eſt ei (juramenti religione ſervata) prius contrahere, & poſtea, ſi elegerit, ad Religionem migrare; ſi tamen poſt deſponſationem copula non dignoſcitur interveniſſe carnalis.* Illud *tutius* non comparative accipiendum eſt, quaſi tutum quoque ſit oppoſitum. Si enim hoc quoque tutum eſſet, reſpondiſſet Pontifex in ſpecie propoſita, quod a contrahendo matrimonio abſtinere poterat, dum ad Religionem migraret. Eſt ergo intelligendum poſitive, perinde ac ſi diceret, periculoſum eſſe non contrahere. Quod hic dixi, confirmatur ex mox dictis ad c. 6.

At inquit Buſemb. *Juramentum ſortitur naturam actus, cui apponitur: promiſſioni autem matrimonii hæc tacita conditio ineſt, niſi ingrediar Religionem.*

Reſp. Ipſe La-Croix p. 221. n. 315. ait, propoſitionem Buſemb. univerſe veram non eſſe; quod patet ex jam dictis. In jurata autem promiſſione matrimonii talem conditionem, niſi ingrediar Religionem, non ineſſe, declaravit Alex. III. cap. *Commiſſum* cit.

Juramentum promiſſorium &c. Ratio eſt, quia acceſſorium &c. ideoque quando non obligat promiſſio, nec obligat juramentum appoſitum.

Hæc concluſio ex dictis eſt aperte falſa. Juramentum vero eſſe acceſſorium promiſſionis, quam confirmat, eo ſenſu verum eſt, quod promiſſioni adjungitur, non eo ſenſu, quod ſit quid minus dignum, aut minus, vel æqualiter obligans; ideoque in jurata promiſſione non promiſſio, ſed juramentum eſt quid principale; quia promiſſione longe præſtantius eſt, ac magis obligans. Ex quo intelligitur, falſum illud quoque eſſe, juramentum promiſſorium eandem habere conditionem, eodemque modo explicandum eſſe, quo promiſſio, vel propoſitum, cui annexum eſt. Contra ergo dicendum, promiſſionem, & propoſitum juratum ſequi conditionem juramenti, hoc eſt oportere eſſe firma, & irrevocabilia, quidquid contra mollis Theologia doceat.

ANIMADVERSIO XXV.

Qui urbanitatis cauſa juravit &c. non peccat contra juramentum &c. Idem habet La-Croix p. 223. n. 353.

Primo quidem valde reprehendendi ſunt, qui in his rebus ſacroſanctum Dei nomen aſſumunt; deinde hæc juramenta obligatoria eſſe videntur; quia ſine culpa impleri poſſunt, nec majus bonum impediunt. At inquit Buſemb. „Promiſſio illa, vel propoſitum habet tacitam conditionem adjunctam, niſi me coegeris, qua ſublata non obligat, & conſequenter nec juramentum.“

Reſp. Nego conſequentiam; quia *juramentum*, ut docet D. Thom. 2. 2. q. 89. a. 7. ad 1. *adhiberi non debet, niſi in re, de qua aliquis firmiter certus eſt.* Nec in juramento abſoluto, cujuſmodi eſt illud, de quo loquimur, conditiones ad arbitrium fingendæ ſunt. Ne ipſi quidem juratores, cum de leviſſimis his rebus vaniſſime, & crimoſe jurant, tacitam illam conditionem, *niſi me coegeris* in mente habent; quam ſi haberent, verendum magnopere eſſet, ne in reſtrictiones mentales ab Innoc. XI. damnatas inciderent.

Obligatio ſi qua eſt, relaxatur, inquit Buſemb., ab altero cedente juri ſuo.

Reſp. Miror, quod in his quoque leviſſimis rebus jura fingantur. Quodnam jus tribuit, qui urbanitatis, hoc eſt ſceleris cauſa juravit, ſe ante alterum non ſeſſurum, vel ingreſſurum domum? Nullum ſcilicet, ſed ſolum ſuum firmum propoſitum oſtendit. Itaque hi juratores non mollibus, & fallacibus doctrinis palpandi ſunt, ſed vehementer, & graviter monendi, ac increpandi. Primo quia hi ſunt juratores conſuetudinarii, ideoque iniquitate ex Eccli. 23. pleni. Secundo quia vel hoc juramentum obligat, ut ego ſentio (nam ex D. Thom. 2. 2. qu. 89. a. 7. *quicumque jurat, ſe aliquid facturum, obligatur ad hoc faciendum, ad hoc quod veritas impleatur;*) vel non obligat. Si primum, mortaliter peccant, quia non faciendo quod jurant, ſunt perjuri. Si ſecundum, ipſum juramentum eſt perjurium, ut dictum eſt ad dub. 3. c. 6.

ANIMADVERSIO XXVI.

Qui juravit ſe ſervaturum decreta &c. tantum tenetur ſervare ea, quæ ſunt in vigore, & quatenus ſunt in uſu, &c.

Qui ita juravit, eſt quidem liber ab iis decretis, & regulis ſervandis, quæ ex rationabili, & legitime præſcripta conſuetudine abolitæ ſunt, quia hæ regularum vim non habent; non item ab iis, quæ ex morum corruptela non ſunt in vigore, & uſu. Quia corruptela, regularum vim iis non adimit. At qui juravit, abſolute juravit, ſe decreta, & regulas ſervaturum. Ergo omnes regulas, & decreta ſervare tenetur, quæ decretorum, & regularum vim habent.

ANIMADVERSIO XXVII.

Qui juravit ſe ſervaturum ſecretum, quando non poteſt illud celari abſque gravi ſuo, vel alterius damno.

Qui juravit ſecreti cuſtodiam, quæ in alterius injuſtum damnum vergit, juramento non tenetur; quia juramentum non eſt vinculum iniquitatis. Id etiam liquido colligitur ex cap. 23. *Quintavallis* tit. 24. lib. 3. Dec. & cap. 27. ejuſdem tituli. Fuit tamen perjurus in ipſo juramento, ſi, dum juraret, prævidit, aut prævidere debuit, arcani cuſtodiam proximo noxiam fore, ut ex dictis liquet.

Qui juravit ſecreti cuſtodiam, quam grave ſibi damnum allaturam, dum juraret, ſentiebat, juramento, quidquid ſentiat Buſemb. tenetur, etiamſi coactus eam juraſſet: *quia*, ut ait S. Thom. 2. 2. q. 89. a. 7. ad 3. *magis debet damnum temporale ſuſtinere, quam juramentum violare.*

Si autem jurata ſecreti cuſtodia in grave damnum jurantis, quod ex non prævifis eventibus oritur, vergat, in hac ſpecie a Buſemb. opinione recedendum non videtur. Nam ex c. 25. tit. 24. lib. 2. Decret. habetur: *Si vir mulieri juraſſet, quando contraxit cum illa, quod eam ſemper pro legitima uxore teneret; pro fornicatione, quam mulier antea commiſiſſet, non poſſet eam dimittere, ſed pro fornicatione, quam poſtea perpetraret, eam dimittere poſſet, non obſtante hujuſmodi juramento. Quoniam in eo talis erat ſubintelligenda conditio, ſi videlicet in legem illa conjugii non peccaret. Item ſi quis juravit, ſe ducturum aliquam in uxorem, non poteſt ei opponere fornicationem præcedentem, ſed ſubſequentem, ut illam non ducat in conjugem; quia in illo juramento talis debet conditio ſubintelligi, ſi videlicet illa contra regulam deſponſationis non venerit.* Ergo in ſecreti quoque cuſtodiendi juramento ea conditio ſubintelligi videtur, niſi in grave damnum meum veneric. Talis enim merito eſſe cenſetur intentio hominis animo ſimplici, & ſine dolo jurantis. Hinc Honorius III. c. 31. *Petitio* tit. 24. cit. juramentum a Canonicis Antiochenis extortum, ne contra Principem Antiochenum de cetero eſſent, ita interpretatus eſt, ut non ſolum pro juribus, & honoribus Eccleſiæ, ſed etiam pro ſuis ipſorum ſpecialibus legitime defendendis contra ipſum Principem libere ſtare poſſent.

ANIMADVERSIO XXVIII.

A juramenti promiſſorii impletione excuſaris. 2. *Si juramentum mutes in opus aliquod aperte melius &c.*

Mutatio alia propria eſt, qua ſubſtituitur una materia pro alia diverſi generis, ut preces pro jejunio, jejunium pro eleemoſyna &c. Alia eſt impropria, qua materia minor in majorem ejuſdem generis mutatur, ut pauciores preces in plures, minor eleemoſyna in majorem.

Mutatio ſecundi generis in melius ut in voto, ita in juramento fieri propria auctoritate poteſt; quia tum votum, tum juramentum per hanc mutationem affluentius impletur; ut ſi juraſſes, te Eccleſiæ argenteum calicem donaturum, & aureum donares. At mutationem proprie dictam in melius propria auctoritate in voto fieri non poſſe, contendit P. Concina Theol. t. 3. p. 345. qu. 2. D. Thom. & D. Bonavent. antiquorumque Theologorum contra recentes auctoritate, validiſque rationibus apud ipſum legendis nixus. Ex qua ſententia merito ſequenda, tum quia ſolidior, tum quia votum in tuto ponit, quod contraria periculo objicit, illud ſponte ſua conſequitur, mutationem propriam in melius ne in juramento quidem fieri propria auctoritate poſſe. Et ſane qui jurat, obligatur, ut faciat eſſe verum, quod juravit ex D. Thom. & dictis. At qui materiam certam juratam in aliam meliorem diverſi generis mutat, non facit eſſe verum quod juravit. Nonne falſo jurat, qui eleemoſynam ſe daturum cum juraverit, eam non dat, ſed preces fundit? Ergo &c. Itaque qui in tuto eſſe volunt, illud ipſum faciant, quod jurarunt; ac tum addant quodcumque opus bonum, prout voluerint.

ANIMADVERSIO XXIX.

Qui habet facultatem delegatam diſpenſandi in votis, aut ea commutandi, ea uti non poſſe in votis juratis, recte monet Concina Theol. t. 4. p. 174. n. 4. Ratio eſt, quia votum, & juramentum ſunt duo diſtincta vincula, quo-

quorum alterum in alieno non continetur: ergo qui ſimpliciter habet facultatem delegatam diſpenſandi in votis, in iis, ſi jurata ſint, diſpenſare non poteſt. Idem dicito de commutatione.

CAPUT III.

De Voto.

DUBIUM I.

Quid ſit votum, & quotuplex?

RESp. 1. Eſt promiſſio facta Deo, deliberate, de bono poſſibili, & meliori. D. Th. 2. 2. *q.* 88. V. Sanch. & Laym. *l.* 4. *tr.* 4. Unde patet, quod votum ſit actus latriæ ſoli Deo debitus. Quare dum vovemus quædam Sanctis, ſenſus eſt, vovari ea Deo in honorem ſimul Sanctorum: ſicut templa, & altaria ædificamus Deo in eorumdem honorem. Porro ex ſingulis particulis datæ definitionis multi caſus reſolvuntur: quos, ut vitetur confuſio, & conſulatur memoriæ, ſeparatis dubiis proponam.

Reſp. 2. Dividitur votum 1. in Abſolutum, & Conditionatum. Illud eſt, quod fit ſine ulla conditione, ut voveo eleemoſynam; hoc autem, quod fit cum conditione, ita ut, niſi hac poſita, non exurgat obligatio: ut, voveo eleemoſynam, ſi ſanitati reſtituar, vel (quod dicitur Pœnale) voveo facere diſciplinam, ſi hoc fecero. In Solemne, & Simplex. Illud eſt, quod, ut tale, acceptatur ab Eccleſia, & ſunt hæc duo: votum caſtitatis, quod majoribus Ordinibus annexum eſt, & votum profeſſionis religioſæ. Simplex autem votum eſt omne aliud, quod talem ſolemnitatem non habet. Ubi ſciendum, quod votum ſolemne reddit perſonam jure inhabilem ad contractus, vel actus contra votum, ut ad matrimonium, vel dominium bonorum habendum. Vide infra *l.* 4 *c.* 1. *in tr. de ſtatu relig.* Simplex autem tale votum, v. g. caſtitatis (excipio, quod in Societate Jeſu emittitur poſt Novitiatum) aut ingrediendæ Religionis, etſi reddat contractum, v. gr. matrimonii illicitum, non tamen invalidum. Vide infra *lib.* 6. *de matrim.* 3. In Reale, & Perſonale. Illud eſt, cum pecunia vel alia res externa pretio æſtimabilis promittitur, ut calix, eleemoſyna: hoc autem, cum aliqua hominis actio, vel ceſſatio ab actione, ut votum jejunii, peregrinationis, abſtinentiæ a luſu. His aliqui adjungunt Mixtum ex utroque, ut ſi voveas peregrinationem cum oblatione alicujus rei. Vide Leſſ. *l.* 2. *c.* 40. (*a*)

DUBIUM II.

Quæ requiratur voti deliberatio, & intentio?

Reſp. Cum voti obligatio ſit graviſſima, requiritur intentio, deliberatio, & libertas perfecta, qua quis libere, & directe in ſe voluerit promittere, cum animo ſe obligandi. (*b*) Ita Doctores communiter. Leſſ. Bon. *d.* 4. *q.* 2. *p.* 1.

Unde reſolves.

1. Ætas, & uſus rationis (*c*) ad vovendum ea ſufficit, quæ ſatis eſt ad peccatum mortale perfecto actu humano, & directo in ſe volitum. Excipe tamen votum ſolemne Religionis, quod invalidum eſt ante certam ætatem.

2. Non obligat votum (*d*) *factum cum ſemiplena animadverſione*, vel deliberatione, v. g. ex repentino animi motu, vel conſuetudine, lingua mentem præveniente, vel ex calore iracundiæ rationis uſum auferente. Azor. Sanch. Trull. *l.* 2. *c.* 2. *d.* 1. ubi notat, non eſſe ſufficiens indicium, quod defuerit perfecta ratio, vel deliberatio, ſi voventem facto voto mox pœniteat: item motum iræ raro, & vix unquam impedire uſum rationis.

3. Quod ſi is, qui ſcit ſe voviſſe, dubitat, an cum ſufficienti deliberatione, & uſu rationis, ob defectum ætatis: ſi quidem vovit ante ſeptennium, votum non obligat, niſi conſtet de ſufficienti rationis uſu; quia eum jus in tali non præſumit; & poſſeſſio ſtat pro libertate: ſi vero poſt ſeptennium vovit, obligat: quia poſſeſſio eſt pro voto, cum præſumatur uſus rationis, niſi conſtet oppoſitum. *Si denique dubites, utrum ante, an poſt ſeptennium* ANIMAD.
voveris, teneri voto vult Sanchez, & Palaus: negat I.
Dian. &c.

4. *Vota facta in ebrietate, etiam ante præviſa, &* ANIMAD.
ſic volita in cauſa, non ſunt valida, cum non ſint II.
volita in ſeipſis, & directe; bonum autem non conſurgat, niſi ex integra cauſa, quamvis ad peccatum ſatis ſit voluntarium indirecte, & in cauſa. Laym. *l.* 4. *t.* 4. *c.* 1. *n.* 4.

5. Vota facta in metu non incuſſo ad hoc ipſum, ut votum extorqueretur, valida ſunt, quia ſunt ſimpliciter voluntaria, & deliberata: *facta autem in* ANIMAD.
metu injuſte incuſſo ad ipſum votum extorquendum, III.
invalida ſunt ex communi, non quia non ſint voluntaria, ſed quia vel jus ea irritat, vel Deus non acceptat, ne det vim injuſtæ coactioni; idque, ſive metus ſit gravis, ſive levis; dummodo quis formaliter ex ſolo tali metu voveat. Suar. *de Voto l.* 1. *cap.* 8. Sanch. Fill. *t.* 26. *c.* 1.

6. Quoad vota emiſſa ex errore, (*e*) ſi error fuerit circa ſubſtantiam materiæ promiſſæ, vel circa conditionem ſubſtantialem, vel circa finem, ſive rationem formalem, ac motivum vovendi; *votum nullum eſt*, ut v. g. 1. *Circa ſubſtantiam*, (*f*) ſi quis voveat certum aliquem ſuum calicem, quem putat argenteum, cum ſit aureus: vel ſe ingreſſurum certum Monaſterium, putans eſſe Ordinis Sancti Benedicti, cum ſit Carthuſianorum. 2. *Circa conditionem* ſubſtantialem: (*g*) ſi quis v. g. voveret ſe ingreſſurum Monaſterium, ubi putaret religioſam diſciplinam, & eſſentialia Religionis ſervari accurate, & tamen non ita eſſet: vel ſi voveret peregrinationem (*h*) ad limina Apoſtolorum, putans tantum diſtare centum milliaribus, cum tamen diſtarent trecentis. 3. *Circa cauſam finalem:* (*i*) ſi quis v. g. voveret aliquid in gratiarum actionem pro ſanitate parenti reddita, & is re ipſa non fuiſſet ægrotus, vel eſſet mortuus. Et ratio nullitatis talium votorum eſt, quia hic deficit liber conſenſus, qui non fertur in incognitum, & nihil tam eſt contrarium conſenſui, quam error. Fill. *t.* 25. *c.* 1.

7. Vota, quæ emittuntur poſt Novitiatum, in quocumque approbato Ordine, ſolvat matrimonii carnalis, non ſunt irrita ob ullum errorem, niſi ſolum ſubſtantialem circa ſubſtantiam.

8. Si error circa conditionem ſubſtantialem ſit de re parvi momenti, non redditur votum irritum; ut ſi iter peregrinationis, quam quis vovit, ſit paulo longius, quam putabatur, quia parum reputatur pro nihilo. Item ſi error ſit tantum circa cauſam impulſivam, valet votum: quia illa eſt tantum cauſa ſecundaria, qua ſepoſita, actus eſt ſufficienter voluntarius ſecundum ſubſtantiam. Neque talis error in ceteris contractibus actum vitiat: v. g. vovit aliquis peregrinationem Romam ſtudio colendi Deum, & ſimul etiam habuit cauſam ſecundariam impulſivam, ut viſitaret fratrem, quem putavit eſſe Romæ, quem etſi intelligat deinde iſthic non eſſe, non ideo deſinit obligari voto. Et ex his patet, quomodo intelligendum ſit, quod dici ſolet, vota non obligare ultra intentionem voventis. Sanch. *l.* 4. 1. 2. Leſs. *l.* 40. *d.* 2.

9. Ad votum non ſufficit nudum propoſitum, licet firmiſſimum: quia qui tantum propoſuit, non tenetur ſub peccato præſtare: qui autem promiſit, obligatur ſub peccato, & niſi præſtet, agit contra fidem Deo datam. Bon. *p.* 1. Laym. *l. c.*

10. Ad votum aliquando ſufficit promiſſio implicita, ut patet in ſuſceptione Ordinum ſacrorum, ubi licet non dicatur, voveo, vel promitto caſtitatem, votum tamen hoc fit implicite, hoc ipſo quod ſciens Eccleſiam annexiſſe iis Ordinibus illud votum, eos ſuſcipis. An vero, ſi quis plane id ignoraret, adhuc cenſeretur vovere ex implicita intentione, dubium eſt. *Aliqui ajunt, aliqui probabilius negant;* (*K*) dicuntque talem teneri ad caſtitatem, non ex voto, ſed ex Eccleſiæ præcepto. Sanch. *de matrim. l. c. d.* 87. *n.* 21. Bon. *q.* 2. *p.* 1. *& comm.* ANIMAD.
11. *Si quis haberet intentionem promittendi quidem,* IV.
ſed

ſed tamen ſe non obligandi, *nullum eſſet votum*, ſecundum Nav. Sylv. Sanch. *n.* 27. Leſs. *l.* 2. *c.* 40. *dub.* 1. *n.* 6. Bonac. & alios contra Cajet. quia talis non vult vovere, cum apponat conditionem contra ſubſtantiam actus. Unde de Lugo *d.*24. *de juſt. ſec.*5. & alii contendunt, talem non poſſe dici promittere. Verum videtur aſſa quæſtio de nomine. Si vero haberet animum vovendi, & ſe obligandi, non tamen implendi; tunc etiam graviter peccaret, & votum eſſet validum. Sanch. Fill. Bon. *p.* 1. *nu.* 14. Laym. &c.

DUBIUM III.

Quæ requiratur materia voti?

Reſp. Ea debet eſſe poſſibilis (cum impoſſibile nec efficaciter intendi poſſit, nec ad illud ſit obligatio) *& non ſolum bona*, *ſed etiam melior*, quam oppoſitum, (*l*). ſive ejus omiſſio: quippe finis intrinſecus voti eſt honorare per hoc Deum: id autem non poteſt fieri, niſi offeratur illi aliquid gratum: gratum autem eſſe non poteſt, ut quis obligetur ad relinquendum id, quod eſt melius. Sanch. *l.* 9. *c.* 7. Laym. Navar. &c.

Unde reſolves.

1. *Invalidum eſt votum nunquam peccandi venialiter*, (*m*) cum id moraliter, & ordinarie ſit impoſſibile. Aliqui tamen volunt, ſic voventem teneri iſto voto ad vitanda mortalia, & venialia graviora, de quo Scholaſtici, Nav. *c.* 12. *n* 63. Suar. *l.* 2. *c.* 3. Sanch. *de matr. l.* 9. *d.* 35.

2. Invalidum eſt votum *de re vana*, (*n*) *vel inutili*, vel indifferente, niſi ex circumſtantiis, aut fine fiat bona: quia Deo diſplicet ſtulta promiſſio, & hinc eam non acceptat: ac peccat venialiter talie vovens; ut v. gr. ſi quis decidens ex equo, voveat non amplius equum aſcendere. Navar. *cap.* 12. Sanch. 4. *mor.* *c.* 7.

3. Invalidum eſt vovere mala, & qui vovet mor-
ANIMAD. V. tale, peccat mortaliter; *qui autem veniale*, *eum venialiter tantum peccare dicunt* Se, Syl. &c. V. Juramentum: *licet mortaliter peccare velit*, Cajet. V. Votum, & Leſſ. *l.* 2. *c.* 4. *d.* 5. *quod videtur probabilius.*

4. Invalidum eſt votum, cui adjungitur finis, (*o*) vel alia circumſtantia mala tenens ſe ex parte rei votæ: ut verbi gratia vovet quis eleemoſynam ad obtinendam vanam gloriam, aut impetrandum per eam victoriam injuſtam, felicem ſucceſſum furti, adulterii, &c. aut in gratiarum actionem pro ſucceſſu talis peccati; quia datio eleemoſynæ ad talem finem eſt actio blaſphema, quaſi Deus peccata promoveat, ideoque non poteſt eſſe materia voti. Cajetan. Nav. *c.* 12. Sanchez *c.* 6. Laym. *l.* 4. *t.* 4. *c.* 2. *n.* 6. Fill. *t.* 26. *c.* 5.

5. Validum autem eſt, etſi ei adjungatur finis, vel alia circumſtantia mala tenens ſe tantum ex parte voventis: ut verbi gratia, ſi quis ex vana gloria, aut ex ira erga importunum mendicum, voveat ei dare eleemoſynam: qui tunc res iſta bona eſt, quam vovet, licet ipſe voveat male, & cum peccato. *ibid.*

6. Validum item eſt votum factum ex affectu erga rem bonam ut bona eſt, etſi conjuncta cum cauſa mala: (*p*) *ut ſi quis voveret eleemoſynam*, *ſi ex duello evaſerit ſalvus*, ſi non capiatur in furto, ſi filius ſibi naſcatur ex adulterio, quod parat &c. licet enim duellum, furtum, adulterium vella, malum ſit; tamen his poſitis non lædi, non infamari, prolem gigni, mala non ſunt, ſed Dei dona; & votum non cadit ſuper iſta mala, ſed ſuper hæc bona, conſiderata (ut ſuppono) quatenus in ſe bona ſunt. Nav. Laym. *l. c.*

7. *Invalidum eſt*, *& veniale peccatum*, *vovere bo-*
ANIMAD. VI. *num quod eſt impeditivum boni majoris*, *ut præſertim ſunt vota contra conſilia evangelica*, *ut v. g. manere in ſæculo*, *ducere uxorem*, *ire ad militiam*, *facere mercaturam*. Navar. *n.* 29. Suar. Fill. *c.* 1. *q.* 7. *n.* 58. Sanch. &c.

8. Si tamen aliquod bonum per ſe, & abſolute minus fieret per accidens majus bonum, tunc talia vovere valet; ut v. g. ſi quis videret ſuſceptionem Ordinum ſibi damnoſam. V. Bon. *p.* 1.

9. Matrimonium ordinarie invalide vovetur, quia ordinarie melior eſt cælibatus. Dixi *ordinarie*, quia *valide vovetur*. 1. Si quis ad hoc obligetur; aut quia ſine injuria, aut gravi infamatione ſponſæ, vel liberorum ex ea conceptorum, a ſponſalibus non poteſt recedere. 2. Si id Reipub. valde utile futurum æſtimetur, ut quia verbi gratia ex eo ſperatur pax inter Principes, converſio hæreticorum, regni tranquillitas. 3. *Si quis ob fragilitatem*, *& in-* ANIMAD. VII.
veteratam conſuetudinem peccandi adeo ſit pronus ad lapſum, *ut prudentes judicent conſultum ei eſſe*, *ut nubat*: *in quo tamen ultimo Laym. & alii diſſentiunt.* V. Bon. *l. c.* Fill. *n.* 6. Nav. Suar. *l. c.* Laym. *n.* 52.

DUBIUM IV.

Quæ, *& quanta ſit obligatio voti?*

Reſp. Tanta eſt, ª quantam tum quantitas materiæ permittit, tum intentio voventis, qua ſe vel multum, vel parum, vel abſolute, vel cum certa conditione, reſtrictione temporis, qualitatis obligare vult, deſignat: ita ut, etſi obligatio voti ſit juris naturalis, vis tamen ejus pendeat a voluntate, & facto hominis, tanquam prævia conditione, ut tantum, vel tantum obliget. Ita commun. V. Laym. *cap.* 3. *p.* 5.

Unde reſolves.

1. In materia levi nemo obligatur ſub mortali, quia materia id non permittit. Navar. *n.* 40. Sanch. *l.* 4. *c.* 12. Laym. *l. c.* Verbi gratia, voviſti recitare quotidie *Salve Regina*: omittendo ſemel, iterumque, non peccas mortaliter, quia materia eſt parva. Sanch. *l.* 4. *c.* 12. Laym. *l. c.* Azorius *l.* 25. *c.* 15. *Imo*, *etſi toto anno omittas*, *eſſe tantum venia-* ANIMAD. VIII.
le, *eo quod materiæ iſtæ parvæ non coaleſcant in unam*, *probabiliter docet* Dian. *c.* 5. *miſc. n.* 24. ex Soto, Arag. & Tann. 2. 2. *d.* 4. *dub.* 3. contra Valent. &c.

2. *In materia gravi*, *etſi quis poſſit ſe obligare tan-* ANIMAD. IX.
tum leviter, communiter tamen cenſetur voluiſſe ſe obligare graviter, niſi aliunde conſtet. Unde violans tale votum peccat graviter ex genere ſuo. V. *ib.*

3. Qui poſtquam gravi voto ſe obſtrinxit, ſerio deinde dolet, quod fecerit, non peccat graviter, modo retineat animum implendi. V. Sa *v. Votum.*

4. Qui violat votum de re jam ante præcepta, verbi gratia, qui poſt votum caſtitatis fornicatur, debet in confeſſione addere, quod votum id habeat, aut quod Ordines acceperit, ſi Confeſſarius neſciat, quia duplex tunc eſt malitia peccati. Suar. *c.* 6. Leſs. *d.* 7. Sanch. *c.* 5. Fill. *c.* 2. *q.* 7.

5. Alieno voto nemo obligatur ex vi illius voti. Unde ſi qui Canones videntur indicare, filium a patre Religioni devotum teneri eam profiteri, intelligendi ſunt, ſi filius votum patris ſemel ratificaverit. Suar. *c.* 9. Sanch. Laym. *c.* 5. *n.* 6.

6. Cum heres teneatur ſolvere vota realia defuncti, non tenetur vi voti, ſed ex juſtitia; ſicuti tenetur alia illius debita, legata &c. ſolvere. *ibid.*

7. Eodem modo, ſi communitas aliquid vovit, in quod poſteri non conſenſerunt, non tenentur id ſervare vi voti, ſed interdum ratione pacti, ſtatuti, vel longæ conſuetudinis. V. Laym. hic *c.* 3.

8. Cum quis vovet factum alterius, ſenſus eſt, ſe curaturum id eo modo, quo licite poteſt, ut verbi gratia, rogando, perſuadendo, vel etiam præcipiendo, ſi ſit Superior, vel etiam aliquando paeſcendo, & ſuppeditando ſumptus. Sic parens, qui filium devovit religioni, ad nihil aliud tenetur, quam ut conetur eam filio perſuadere: *ſic qui Miſ-* ANIMAD. X.
ſas, *vel peregrinationem alterius curandam vovit*, *quando ſtipendium*, *ac ſumptus ei perſolvit*, *non tenetur alium ſubſtituere novis ſumptibus*, *ſi prior non præſtet*, *ad quod ſe obligavit*. Sanch. Laym. *n.* 7.

9. Vota perſonalia non implentur, niſi per vo-
ven-

ª Quoad hanc Buſemb. reſponſionem vide animadv. hic VIII. & IX.

ventem: unde qui vovit peregrinationem Romam v. gr. non ſatisfacit, ſi conducat alium: *neque ad id tenetur*, (*q*) *ſi ipſe non poſſit*. *ibid.*

10. Vota realia ſolvenda ſunt ex proprio: (*r*) unde qui nequit ex ſuo, non tenetur ab alio mendicare. Quod ſi poſſit ex ſuo, & tamen alius ſive rogatus, ſive ſponte pro ipſo velit ſolvere, id valet; quia tunc quod alter dat, fit ipſius: non autem actio alterius perſonæ poteſt fieri alterius. V. *ibid.*

Animad. XI. 11. *Vota conditionalia non obligant, ceſſante conditione, etiamſi ipſe vovens cauſa fuerit, ut conditio non poneretur; dummodo id non impediverit per dolum, vim, aut malitiam*: ut verbi gratia, *voviſti peregrinationem, ſi eam Petrus approbet: deinde ſubmittis, qui perſuadeat, ut non approbet: illo igitur non approbante, non teneris. Imo, etſi malitioſe per fraudem, dolum &c. impediveris, adhuc probabile eſt, te voto non teneri, ut habet Lay. c. 6. ex Suarez, & aliis*. Interim Laym. recte hic advertendum monet ad intentionem voventis: ut v. g. ſi filius vovit ſe ingreſſurum Religionem, niſi pater contradixerit, videtur ejus intentio fuiſſe, niſi contradixerit ex ſe, ſua ſponte ſibi relictus &c.

12. Qui vovit rem certam, & determinatam, v. g. hunc calicem, ſi ea res pereat, non tenetur ad aliam, cum id non ſoleat intendi; ſi autem eam rem vendiderit, probabilius videtur eſſe, teneri dare pecuniam, quam accepit: quia qui vovet rem, cenſetur promittere omnem ejus utilitatem.

13. Qui vovit aliquid faciendum certo tempore, (*s*) ut jejunare hoc, vel iſto die, illo tranſacto, ſive cum culpa, ſive ſine culpa ejus ad nihil tenetur; & neque, ſi prævideris impedimentum eo tempore ſuperventurum, tenebatur prævenire, cum hæc non ſoleat intentio voventis eſſe. Suar. Nav. *l.* 1. V. Bon. *p.* 5.

Animad. XII. 14. *Qui vovit aliquid ſine certo tempore, verbi gratia peregrinationem, tantum tenetur implere, cum commode primum poteſt*: quia ſic mortaliter quiſque cenſetur intelligere ſuam promiſſionem, ut habita commoditate non nimis diu differat, quamvis minor cauſa ſufficiat ad differendum, quam ad omittendum. Fill. *t.* 4. *q.* 10. Suar. Laym. *c.* 3. Bon. &c.

Animad. XIII. 15. *Qui vovit aliquid ſine certo loco, v. gr. ingredi religionem S. Benedicti, ſatisfacit intrando quodcumque Monaſterium illius Ordinis, in quo ſerventur ſubſtantialia regulæ*. Neque tenetur pro admiſſione peragrare provinciam, ſed ſatis eſt adire loca aliquot non nimis diſſita. *Et ſatisfacit voto, ſi, poſtquam ingreſſus eſt, remittatur, aut egrediatur (ſaltem cum juſta cauſa, qualis eſt v. g. gravis, ac diuturna triſtitia, & anxietas, ſive ex natura ipſa, ſive aliunde nata*. Excoh. ex Sanch. *t.* 1. *l.* 4. *c.* 16. *n.* 100.) *ante profeſſionem*. V. Trull. *l.* 2. *c.* 2. *d.* 20. *n.* 7. & 8.

Animad. XIV. 16. *Qui vovit aliquid ſine certa qualitate, v. gr. religionem in genere, poteſt ingredi quamcumque, etiam laxiorem, modo ſerventur eſſentialia, & ſit approbata. Similiter, ſi quis vovit triticum, &c. non tenetur dare optimum, quod habet, ſed ſatis eſt (loquendo de obligatione præciſe) ut det, quod non ſit plane ineptum.*

17. Qui vovit aliquid *ſine certa quantitate*, (*t*) v. gr. eleemoſynam, pecuniam, frumentum, &c. ſatisfacit dando quantum voluerit, modo non tam parum, ut videatur potius irridere ſuum votum, quam implere. Ratio horum omnium petitur ex intentione voventis, qua nemo cenſetur ſe obligare, niſi ad id, quod commode poteſt, & communiter eſt decens, Suar. Sanc. *l.* 4. *s.* 13.

18. In dubio de mente voventis, debet fieri interpretatio ſecundum verborum, quibus uſus eſt, proprietatem, vel potius communem, & uſitatam acceptionem. Fill. *t.* 26. *c.* 2. Laym. *c.* 3.

19. Qui vovit, ſi ludat chartis, dare decem imperiales, *tenetur* ſecundum Sanchez *dare toties decem*, (*u*) quoties ludit, quia pœna eſt actui acceſſoria. Videtur tamen negare Laym. *l.* 4. *tr.* 4. *cap.* 5. *n.* 4. Vide Trull. Dian. *p.* 5. *t.* 9. R. 60.

DUBIUM V.

Quot modis tollatur obligatio voti?

Reſp. Dupliciter tolli poteſt. 1. Nullius auctoritate interveniente: idque vel materiæ mutatione: ut ſi materia ante honeſta, fiat turpis, indifferens, vel impeditiva majoris boni, ratione novæ circumſtantiæ, vel prohibitionis: vel ſi fiat impoſſibilis abſolute, aut moraliter, vel deſitione conditionis, a qua pendebat. 2. Interventu auctoritatis humanæ: idque tripliciter, irritatione, commutatione, vel diſpenſatione; de quibus ſequentibus dubiis. Eſt communis. Sanch. *l.* 4. *c.* 24. Leſſ. *l.* 2. *cap.* 24. Suar. Fill. *t.* 26. *c.* 8.

Unde reſolves.

1. Etſi tua culpa materia facta ſit impoſſibilis, inutilis &c. tamen, poſtquam jam talis facta eſt, ceſſat obligatio, *& ſufficit pœnitere de culpa*. (*x*)

2. Si concurrat obligatio duorum votorum incompoſſibilium, implendum eſt id, quod eſt præſtantius, & Deo gratius, & alterum ceſſat. Quod ſi vero ſit æquale, aut neſcias, utrum ſit melius, implendum eſt, quod prius voviſti, & ruit poſterius; ſi & hoc neſcis, libera eſt electio. V. Trull. *l.* 2. *c.* 2. *d.* 9.

3. *Si materia voti fiat impoſſibilis quoad partem tantum, tunc, ſi commode talis materia dividi non poteſt, aut non ſolet, ad nihil teneris*: v. g. *voviſti ædificare templum, ſi totum non potes, non teneris ad partem*. Animad. XV.

4. Si vero dividi commode poteſt, & ſolet, manet obligatio ad illam partem, quam potes: ut v. gr. 1. Qui non poteſt jejunare tota hebdomada, poteſt autem aliquot diebus, ad hoc tenetur. 2. Qui matrimonium contraxit, & conſummavit poſt votum caſtitatis, tenetur non petere debitum: cum eatenus votum adhuc ſit poſſibile (reddere enim debet.) V. Bon. *p.* 7. §. 1.

5. Quod ſi votum dividi quidem poſſit, ſed unum in eo ſit principale, reliqua vero acceſſoria tantum, non per ſe ſeorſim intenta, ſed dependenter a priori, tanquam illius appendices, & modi; tunc, ſi principale fiat impoſſibile, ruit etiam obligatio acceſſorii, non autem contra: (*y*) ut v. g. voviſti peregrinationem Romam in cilicio, & ibi certi aliquid offerre; ſi peregrinatio impoſſibilis fiat, non teneris cilicium ferre, & oblationem mittere. V. Sanch. *l.* 4. *c.* 1. Bon. *d.* 4. *t.* 2. *p.* 4. §. 4. Trull. *l.* 2. *c.* 1. *d.* 10.

DUBIUM VI.

De voti irritatione.

ARTICULUS I.

An, & quomodo tollatur obligatio voti per directam irritationem?

Reſp. Cum non debeat violari cujuſquam dominium, ac quilibet dominus poſſit uti ſua libertate, hinc ſi poteſtati dominativæ alterius ſit ſubjecta alicujus voluntas, poteſt is ſubditi illius omnia vota, qualiacumque ſint, *ad ſuum libitum ſine ulla cauſa valide irritare directe*, (*z*) hoc eſt, poteſt velle, & pronuntiare, ut illa vota nulla ſint, ita ut nullo etiam caſu obligatio poſtea reviviſcat (*etſi peccent, ſi abſque cauſa irritent; ut docent* Leſſ. *l.* 2. *c.* 40. *n.* 75. Navar. Suar. Fill.) *Porro hoc jus provenit ex jure poſitivo, quo datur alicui legitima poteſtas dominativa in voluntatem alterius*. Ita communiter DD. V. Sanch. *l.* 4. *c.* 24. *n.* 30. & 31. Animad. XVI.

Unde reſolves.

1. Quivis pater, & in ejus defectu avus paternus, tutor, imo etiam mater non tantum ſi tutrix ſit, ſed etiam in priorum defectu; *& ſecundum quoſdam, reliquis deficientibus, etiam magiſter, vel herus*, ut Suar. Leſs. *d.* 10. *n.* 78. contra Sanchez, poteſt directe irritare vota liberorum impuberum, *ut* Animad. XVII.

colli-

colligitur ex c. Mulier. 32. *q.* 2. *c.* 1. *&* 22. *q.* 3. *& c. Si quis de reg.* Impubertas autem ſecundum jura finitur in maſculis anno decimo quarto completo, in fœminis, duodecimo completo, a die nativitatis computando, ut Sanch. *l. c.* Laym. *t.* 4. *c.* 2. Bon. *diſp.* 4. *q.* 2. *p.* 6. §. 2.

2. Vota religioſorum (non tamen novitiorum) etiam ſub prædeceſſoribus emiſſa irritare poſſunt directe, præter Papam, Abbates, Guardiani, Priores, & Rectores, *ac probabiliter etiam* Abbatiſſæ, (*aa*) ut habet Suarez *l.* 7. *de voto c.* 7 *a.* 19. Regin. *l.* 81. *n.* 342. Fill. Bon. *l. c. a.* 76. Excipitur tamen votum tranſeundi ad religionem ſtrictiorem. V. Binsfeld. 3 *p. Ench. c.* 9. Leſs. *n.* 73. Sanch. *c.* 24. *n.* 3. Bon. *l.* 5

ANIMAD. XVIII. 3. *Idem poteſt, ſecundum Sanchez l.* 9. *de matrim. d.* 39. *maritus reſpectu votorum uxoris: licet probabilius id alii limitent ad ea vota, quæ mariti juri præjudicent.* Laym. *hic c.* 7. Fill. *tr.* 26. *c.* 8. *q.* 8. Leſs. *d.* 19. *n* 83. *& d.* 15.

4. Qui ſemel votum irritavit, ſi poſtea nolit, non ideo revalidatur, ut vult Sa, *v. Irritatio voti.*

5. Nullus ſupradictorum poteſt directe irritare vota emiſſa ante ſubjectionem, v. g. ante matrimo-

ANIMAD. XIX. nium: *facta vero intra tempus ſubjectionis, de re implenda poſt tempus ſubjectionis, v. g. in pubertate, vel poſt obitum mariti, poſſunt irritare.* Bon. *l. c.*

ANIMAD. XX. 6. *Votum, de quo dubium eſt, utrum emiſeris tempore libertatis, an ſubjectionis, non poſſe irritare Superiorem,* docet Salas *t.* 2. *q.* 21. & Caram. *l.* 3. *c.* 1. *d.* 1. *Sed contrarium tenent* Suar. Sanch. Bon. &c. cum Bard. *l.* 6. *c.* 1. §. 28.

7. *Facta tempore ſubjectionis poſſunt adhuc irritari*

ANIMAD. XXI. *poſt illud;* v. g. *quando filius jam eſt pubes. Quod verum eſt, etſi in pubertate ea ratificaſſet, putans ex errore eſſe firma:* ſecus tamen, ſi infirma eſſe noviſſet, & independenter a prioribus ratificaſſet, ut Leſſ. *l.* 2. *c.* 40. *dub.* 10.

8. *Supradicti poſſunt revocare, ac directe irritare*

ANIMAD. XXII. *vota, etſi ſemel ea ratificaverint, quia non privarunt ſe dominio, & poteſtate ſua.* V. Suar. *de voto l.* 8. *c.* 6. Quod ſi tamen id ſine cauſa fiat, erit ſecundum quoſdam peccatum mortale, licet probabilius id negent Suar. *l. c. c.* 4. & Laym. *hic.*

9. Prælatus poteſt irritare votum ſubditi, a prædeceſſore æquali, vel inferiore confirmatum, non tamen a Superiore. V. de his Bonac. *loc. cit.* §. 3. Laym. *c.* 7.

ARTICULUS II.

Quis vota indirecte poſſit irritare?

Reſp. Si alicui *non quidem* voluntas voventis, ſed voti materia *ſit ſubjecta,* (*bb*) ita ut in hanc jus habeat, is tale votum poteſt irritare, irritatione indirecta; hoc eſt ejus obligationem ſuſpendere, inquantum ſuo juri præjudicatur, idque ex lege naturæ docente, quod nemo poſſit alteri promittere aliquid in præjudicium tertii. S. Thom. in 4. *d.* 38. Suarez, Leſſ. &c. *ll. cc.*

Unde reſolves.

1. Sic irritare poſſunt, præter ſupra nominatos, pater reſpectu filiorum puberum, *quamdiu manent in domo paterna, nec ſunt emancipati:* (*cc*) item tutor puberis, uſque ad annum vigeſimum quintum, in iis, quæ eorum poteſtati officiunt. Laym. *c.* 7.

2. Idem poteſt uxor reſpectu mariti v. gr. ſi is voverit longiorem peregrinationem, habitare alibi, cubare ſeorſim, quæ derogant vitæ ſociali, & uſui dominii, quod habet in corpus mariti. Leſſ. *n.* 83. Fill. *n.* 273.

3. Item dominus, & domina * reſpectu famulorum, ut ſi ii voverint jejunium, quo fierent inepti ad obſequia domini: quale votum non eſt caſtitatis, vel brevis orationis. Leſſ. *n.* 86.

4. Item non tantum Pontifex reſpectu omnium fidelium, ſed etiam Epiſcopi, & Principes reſpectu ſubditorum, quando materia illis præjudicat. *Denique ſuperiores* (*dd*) *reſpectu novitiorum* in iis, quæ impediunt novitiatus exercitia. Leſſ. *d.* 13. *n.* 8.

5. Non poſſunt irritare indirecte vota de re alias præcepta, ** v. gr. non furandi, quia nemini præjudicant. Item neque vota implenda tunc, quando materia voti non erit amplius ſubjecta; v. g. vota ſervi implenda, cum erit liber: & conjugis, cum alter erit mortuus.

6. *Poteſt quis etiam indirecte irritare vota longe ante facta, quam ſibi materia ſubjiceretur:* v. g. *facta a conjuge longe ante matrimonium.* ANIMAD. XXIII.

7. Poteſt quis etiam vota a ſe, vel anteceſſore conceſſa, & confirmata indirecte irritare, *** ut patet ex art. ſuperiore. Excipe tamen, niſi ſuo jure ceſſiſſet, & hanc conceſſionem ſubditus acceptaſſet: ut v. g. in voto caſtitatis, mutuo mariti, & uxoris conſenſu facto. *Secus tamen eſſet, ſi vel ſola uxor, vel* ANIMAD. XXIV. *uterque independenter ab altero voviſſet.*

8. Vota indirecte tantum irritata reviviſcunt, & obligant, quando alteri deſinunt præjudicare. V. de his Bon. *p.* 7. Laym. *c.* 8.

DUBIUM VII.

Quid ſit commutatio voti?

Reſp. Commutatio eſt ſubſtitutio alterius operis honeſti loco ejus, quod voto promiſſum erat, ſub eadem obligatione. Circa quam, ut licite fiat, traduntur hæ regulæ. Prima, ad commutationem voti requiritur auctoritas eccleſiaſtica. 1. Quando commutatio fit in paulo minus bonum: quod ſi notabiliter minus ſit, dicetur diſpenſatio. 2. Quando dubium eſt de æqualitate boni. 3. Quando fit in bonum æquale: *licet aliqui tunc putent ſufficere auctoritatem propriam. Hæc tamen ſufficit ad commutationem in melius, quia in meliori minus continetur.* ANIMAD. XV. Voco autem melius, quod eſt tale in ordine ad utilitatem ſpiritualem voventis, & Deo gratius.

Secunda. Ad commutationem voti in æquale requiritur cauſa, licet minor, quam ad diſpenſationem, quia diſpenſatio plane liberat ab obligatione voti, commutatio vero aliud ſubrogat. Unde ſi fiat in melius, nulla cauſa requiritur; *ſi in æquale cum auctoritate Superioris, ſufficit major in illud propenſio.* Si vero dubitetur, an ſit æquale, ſufficit notabilis utilitas in implendo. Vide Leſſ. *l.* 2. *c.* 40.

Unde reſolves.

1. Quamvis oratio abſolute ſit melior jejunio, non licet tamen propria auctoritate hoc in illam commutare; quia hic, & nunc poteſt jejunium eſſe Deo gratius, utpote utilius ad bonum ſpirituale hujus hominis. Leſſ. *d.* 16. Sanch. *c.* 56.

2. Omnia vota perſonalia propria auctoritate commutari poſſunt in votum religionis: imo ipſo jure omnia vota realiter ſic mutantur in profeſſione.

3. Qui habet votum religionis, non poteſt illud propria auctoritate commutare in ſuſceptionem Epiſcopatus: tum quia hic non efficit hominem perfectiorem, quam religio, licet perfectiorem eſſe ſupponat: tum quia non conſtat, quod illud hic & nunc ſit Deo gratius: tum quia ſic reſpondit Innocentius III. apud Bon. *in ſecundum præceptum d.* 4. *q.* 2. *p.* 7. Idem docet Leſſ. *l.* 2. *c.* 4. *d.* 16. *ar.* 103. Azor. Sanch. Laym. *l.* 4. *t.* 5. *c.* 6. *n.* 15. Palaus *d.* 3. *t.* 16. *n.* 2. Fagun. Dian. *p.* 6. *t.* 6. *R.* 62.

4. Qui habet facultatem diſpenſandi, habet etiam commutandi, non tamen contra, quia commutatio eſt pars diſpenſationis; qui autem poteſt majus, etiam minus poteſt. Qui autem habet facultatem commutandi tantum, non poteſt mutare, niſi in æqualia: quod moraliter, & non ſcrupuloſe æſtimandum eſt, ut monet Laym. *c.* 8. In qua æſtimatione, ait Cajet. non negligenda ſunt concomitantia: v. g. in voto peregrinationis habenda ratio non tantum

* Quoad hæc vide animadv. XVII.
** De hic ex lege animadv. XIX. & XVII.
*** Vide animadverſionem XXII.

tum laboris, ſed etiam expenſarum, quas feciſſet. Suar. Leſſ. Vide Bon. p. 7. §. 3.

Animad. XXVI. 5. *Si is, cujus votum mutatum eſt, malit deinde implere primum, id poteſt: tum quia id eſt melius, vel æquale: tum quia in ejus favorem factum eſt, cum tacita conditione, ſi ei placuerit.* Leſſ. num. 97. Sanchez, Fill. n. 289.

Animad. XXVII. 6. *Si voti legitime a Superiore commutati materia, ſive opus fiat impoſſibile, vel indifferens, non tenetur redire ad prius, quia obligatio extincta eſt.* Vid. Laym. Bon. *ll. cc.*

DUBIUM VIII.

Quid ſit diſpenſatio, & qui poſſint diſpenſare in votis?

Reſp. 1. Diſpenſatio eſt abſoluta obligationis voti condonatio, nomine Dei facta. Ad hanc, ut valeat, juſta cauſa requiritur; qualis v. g. 1. Bonum Eccleſiæ, vel commune Reip. 2. *Notabilis difficultas in obſervatione voti.* 3. *Imperfectio actus, vel levitas, ac facilitas, ex qua proceſſit votum.* Suar. *l. c. c.* 17. Fill. n. 260. Sanch. *l.* 4. *c.* 45. Vide Bon. *p.* 7. *n.* 24. Laym. *c.* 8. *n.* 5.

Animad. XXVIII. (margin note at the sentence "Notabilis difficultas in obſervatione voti …")

Unde reſolves.

1. Cum cauſa non ſufficit ad integram diſpenſationem, partim diſpenſari, partim commutari poteſt. Bon. *l. c.*

Animad. XXIX. 2. *Prælatus videns, ac* (cum facile poſſit) *non contradicens, videtur diſpenſare*, ait Se.

Animad. XXX. 3. *Poteſtas etiam delegata diſpenſandi in votis extendit ſe etiam ad vota jurata, & juramenta pia ſoli Deo facta.* V. Suar. *l.* 6. *de voto*, Sanch. *l.* 8. *de matrim. dub.* 3.

4. Ante voti acceptationem a certa perſona, aut Eccleſia, non cenſetur ei jus acquiſitum, ideoque ſine ejus injuria poteſt diſpenſari, vel commutari.

Reſp. 2. Poteſtas diſpenſandi convenit omnibus Prælatis, qui habent juriſdictionem in foro externo, vel privilegium. Leſſ. *l.* 2 *c.* 40. *n.* 12. Sanch. *c.* 37. & commun. Unde diſpenſare poſſunt ſequentes. 1. Papa reſpectu omnium fidelium in omnibus votis. 2. Epiſcopus reſpectu ſuorum ſubditorum, non autem Parochus; qui tantum habet juriſdictionem fori interni. Suar. *l.* 1. *c.* 12. 3. Prælati Regulares exempti reſpectu ſuorum Religioſorum, & Novitiorum: (*ee*) idque circa vota, quæ vel in ſæculo, vel etiam in Novitiatu fecerunt. Leſſ. *n.* 8. & 107. Sanch. *l.* 9. *de matr. d.* 29. non autem Prælati non exempti, neque Abbatiſſæ. Suar. Leſſ. *ll. cc.* 4.

Animad. XXXI. *Ex privilegio Papæ, Confeſſarii Ordinum Mendicantium ſecundum conceſſionem, & moderationem ſuorum Superiorum*, ut notat Leſſ. *d.* 13. *n.* 108.

Reſp. 3. Supradicti omnes Papa inferiores poſſunt diſpenſare in omnibus votis, exceptis quinque ſoli Papæ reſervatis, ſcilicet voto Caſtitatis perpetuæ, Religionis approbatæ, Peregrinationis ad limina Apoſtolorum, ad S. Jacobum Compoſtellam, & Ultramarina, ſive in Terram Sanctam. Vid. Bon. Leſſ. Laym. *ll. cc.*

Notæ.

(a) Hæ quidem præcipuæ ſunt voti diviſiones, quibus Concina Th. t. 3. p. 175. cap. 7. alias addit, quæ penes Scriptores moralium paſſim occurrunt; uti eſt diviſio voti in affirmans, & negans; in perpetuum, & temporarium; in reſervatum, & non reſervatum, in publicum, & occultum; in expreſſum, & implicitum; quæ ex ipſis terminis ſatis innoteſcere videntur.

Nam illud *implicitum* idem eſt, ac votum annexum actioni; uti votum caſtitatis, ut habet & Buſ., Subdiaconatus ſuſceptioni affixum dicitur; ſicuti etiam loquitur S. Th. ſuppl. q. 53. a. 3., ubi ait, *quod ordo Sacer… apud Græcos impedit matrimonium contrahendum ſolum ex vi ordinis; ſed apud Latinos impedit ex vi ordinis, & ulterius ex voto continentiæ, quod eſt ordinibus ſacris annexum; quod etiamſi quis verbo tenus non emittat, ex hoc ipſo tamen quod ordinem ſuſcipit, ſecundum ritum occidentalis Eccleſiæ intelligitur emiſiſſe.* Hoc eo ſenſu ego accipio, ut votum emiſiſſe intelligatur, qui e continentiæ ab Eccleſia præſcriptæ onus ſponte ſuſcipit, qui ſacros ordines recipit. Hinc Syn. Trid. ſeſſ. 24. can. 9. inquit: *Si quis dixerit, Clericos in ſacris ordinibus conſtitutos, vel Regulares caſtitatem ſolemniter profeſſos poſſe matrimonium contrahere, contractumque validum eſſe, non obſtante lege eccleſiaſtica, vel voto: & appoſitum &c. anathema ſit.* Illud *vel voto* ad Regulares pertinere, perſpicuum eſt: ergo illud *lege Eccleſiaſtica* ad Clericos in ſacris ordinibus conſtitutos refertur.

Nihilominus hi quoque annexo voto tacite emiſſo continentiæ teneri dicuntur; quia eo ipſo, quod ſacros ordines accipiunt, continentiam ſervare tenentur.

(b) Quoad hanc reſponſionem, animadverſiones rem in bona luce collocare ſatis videntur.

(c) *Ætas, & uſus rationis* &c.

Concina Th. t. 3. p. 119. n. 5. ait. *Communiſſima ſententia eſt, ad votum neceſſariam eſſe plenam perfectamque deliberationem… quæ in eo ſita eſt, quod vovens ſit plene ſui compos, quod cognoſcat, & advertat id quod promittit.* Tum p. 121. n. 10. ſubdit.

Communiſſima ſententia tenet, ſufficere deliberationem virtualem contentam in actibus præcedentibus, dummodo in actu ipſo emittendi votum ſui compos ſit vovens.

Hæc virtualis deliberatio ſufficit in omnibus actionibus humanis, in quibus actualis rara eſt ob mentis noſtræ imbecillitatem. Sic intentio virtualis ſufficit ad perficienda Sacramenta. Quare qui exacto adprobationis anno in aliquo Novitiatu, ut vocant, cum deliberatione profitendi ſtatum religioſum accedit ad Oratorium vota nuncupaturus, quamquam reipſa, & actualiter non cogitet de votis, quia alio diſtractus eſt, profeſſio & vota valida ſunt, ut communiter Theologi docent.

(d) *Non obligat votum* &c.

Semiplene deliberantes eos intellige, qui ſui plene compotes non ſunt, ut ſemidormientes, temulenti, & ii qui ſunt hujuſmodi.

Repentini animi motus, ſi ii intelligantur, qui deliberationem, ſeu advertentiam præripiunt, votum irritum reddunt, ſecus non item. Hinc Concina p. 119. n. 6. ait. *Vota, licet repente fiant, valida ſunt, quando ex deliberata voluntate profluunt: Imprudentia tamen laborant, quæ juſtam præbet cauſam impetrandi vel diſpenſationem, vel commutationem.*

In dubiis vota ex ſanioris Theologiæ certis principiis implenda ſunt, niſi diſpenſatio, quæ facile concedenda eſt, impetretur.

(e) *Quoad vota emiſſa ex errore &c. votum nullum* &c.

Ego quidem huic doctrinæ ex ratione a Bus. in fine hujus ca. 6. allata non repugno, at utrum illi aliquid addendum ſit, videamus. Nam vota ex errore, nulla quidem ſunt quoad id identicum, quod promittitur; at nulla ne ex omni capite ſunt?

(f) *V. g. ſi circa ſubſtantiam* &c.

Qui certum calicem, quem putat argenteum, cum reipſa aureus ſit, vovet, hunc in ſpecie dare non tenetur. Id ſponte fateor cum Buſembau.

At numquid nihil dare cogitur? Qui hoc votum edit, non nihil, ſed aliquid certe Deo ſciens, & volens promittit: quid autem ſciens, & volens Deo promittit, niſi argenteum calicem? Ergo hunc dare tenetur.

Promittit, inquis, argenteum calicem, ſi hic, qui talis non eſt, ſit argenteus: ergo reipſa nihil promittit. Reſp. ſi voventis voluntas, unde voti vis pendet, ſatis certo ſit, non diſſentio. Voluntas voventis, ais, ex ipſa voti nuncupati ratione, & natura conſtat; quia hunc calicem, non alium, non quid æquivalens vovet. Ergo ſi hic calix non ſit argenteus, nihil ex vi voti dare cogitur. Reſp. urges tu quidem, & manus tibi darem, ſi in aureo calice argenteus calix virtute & pretio non contineretur, uti reipſa decies puta, & amplius continetur.

Nam dum hunc calicem, quem putat argenteum, quis vovet, ejus voluntas rem hanc individuam phyſice ſumptam non ſpectat, ſed rei pretium & valorem; quem, cum in aureo calice multiplicatum reperit, cur dare non tenetur? Voveo e. g. hanc crumenam, in qua 30. aureos contineri puto, cum reipſa 60. contineantur, in pauperum gratiam; 60. quidem pauperibus erogare non teneor, at negare ne potes, me 30. iis diſtribuere oportere? Idem accidit in noſtra ſpecie. Si in calice, quem voviſti, unum argenteum haberes, illum Deo offerre voti tui vi cogereris: at cum decem habeas, unum dare recuſas? Vide quæſo, ne ſubtiles argutationes laquei ſint, quibus animam tuam irretias.

Bus. *Vel ſe ingreſſurum certum monaſterium* &c. Hic cum Buſembau pono ordinem Carthuſianorum ſubſtantie, ſeu eſſentia ab ordine S. Benedicti differre; quia inſigni diſcrimine ab eo differt. Hinc voventem a certi illius monaſterii ingreſſu liberum cum Bus. puto.

At numquid a cujuſcumque monaſterii ingreſſu liber eſt? D. Th. 2. 2. q. 88. a. 3. ad 2. ait, quod qui vovet aliquod Monaſterium intrare, *ſi quidem intentio ejus ſuit ſe obligare ad Religionis ingreſſum principaliter, & ex conſequenti elegit hanc religionem, vel hunc locum, quaſi magis ſibi congruentem, tenetur, ſi non poteſt ibi recipi*, (idem eſt, ſi propter ignorantiam ab hujus ingreſſu liber ſit) *alibi religionem intrare. Si autem principaliter intendit ſe obligare ad hanc religionem, vel ad hanc locum propter ſpecialem complacentiam hujus religionis, vel loci, non tenetur aliam religionem intrare, ſi eum illi recipere nolant*. Quare in noſtra quoque ſpecie voventis voluntas, unde obligandi vis oritur, penſatis omnibus accurate perpendenda eſt juxta D. Thomæ regulam mox allatam, ne recte judicetur.

(g) 2. *Circa conditionem ſubſtantialem: ſi quis v. g. voveret ſi ingreſſuram &c.* Recte quidem; at hic quoque juxta regulam D. Thomæ judicium ferendum eſt.

(h) *Vel ſi voveret peregrinationem* &c. Hoc ego quoque probo, quod probat quoque Wig. p. 404. Reſp. 3. Ratio eſt, quia vovens votum ſuum tali plus minus diſtantiæ illigare mihi videtur; quæ cum enormiter major ſit, votum ex voventis voluntate nullum efficit.

Auctor tamen valde eſtem, ut qui tale votum emiſit, aliquid ſuæ voluntati æquivalent præſtaret.

(i) 3. *Circa cauſam finalem: ſi quis v. g.* &c. Id quoque probandum &c. Conſule nihilominus, ſi placet, Concinam Th. t. 3. p. 239. n. 4.

(k) *Aliqui ajunt, aliqui probabilius negant, dicuntque talem teneri ad caſtitatem non ex voto, ſed ex Eccleſiæ præcepto*. Hoc poſtremum de omnibus dicito. Eccleſia non votum, ſed legem continentiæ annexuit omnibus ſacros ordines ſuſcipientibus; ex qua lege votum implicitum, ut ajunt, ortum habuit, ut ex mox dictis in dub. 1. Reſp. 2. intelligit.

(l) *Et non ſolum bona, ſed etiam melior, quam oppoſitum, ſeu ejus omiſſio*. Recte. Nec enim hic, cum dicitur *melior*, fit comparatio cum alio bono; (alioquin votum nullum eſſet, niſi de bono perfectiſſimo) ſed cum oppoſito, ſeu omiſſione ejus, quod vovetur. Nam fieri poteſt, ut aliquid ſit bonum, ut nubere; attamen ejus oppoſitum, ut non nubere, melius ſit.

At D. Th. 2. 2. q. 88. a. 2. *majus*, ſeu melius *bonum* appellat in *comparatione ad bonum, quod communiter eſt de neceſſitate ſalutis*; hoc eſt melius bonum ex D. Thoma eſt opus conſilii, non præcepti: ergo non omne bonum ſuo oppoſito melius, voti materia eſt. Reſp. ex eodem S. Doctore ibidem, quod opus conſilii *propriiſſime cadit ſub voto*.

Opus autem præcepti, *ſine quo non poteſt eſſe ſalus, cadit quidem ſub voto in quantum voluntarie fit, non autem inquantum eſt neceſſitatis*.

(m) *Invalidum eſt votum nunquam peccandi venialiter, cum id* &c. Recte.

Communiſſima enim ſententia eſt, ait Conc. Theol. t. 3. p. 172. num 54., *votum vitandi omnia peccata non ſolum collective (quod certum eſt apud omnes) ſed etiam diviſive, nullum eſſe*; quod confirmat ratione a Buſembau allata; quæ ratio a Synodo Tridentina ſeſſ. 6. can. 23 certiſſima eſt ita definiente. *Si quis hominem ſemel juſtificatum dixerit amplius peccare non poſſe &c. aut contra poſſe in tota vita peccata omnia etiam venialia vitare, niſi ex ſpeciali Dei privilegio, quemadmodum de Beata Virgine tenet Eccleſia, anathema ſit*.

Illud *diviſive* negat quidem Wig. p. 405. q. 3. R. 8. Sed qui ſingula ſine ulla exceptione ſe vitaturum vovet, perinde eſt, ac ſi omnia ſimul non facturum voveat. Qui enim ſingula ſine exceptione vitat, omnia ſimul vitat.

Quare votum de certis, & definitis venialibus culpis vitandis, ex. g. de tali jocoſo mendacio, de non comedenda ſtata ſuperflua cibi quantitate &c., & humano more ſine gratiæ divinæ miraculo poſſibile eſt, & validum; at de ſingulis venialibus culpis fugiendis ſine exceptione, hoc moraliter, & ordinarie, ut Buſ. ait, eſt impoſſibile ex Syn. Trid. mox allata.

Aliqui tamen volunt &c. Horum ratio eſt, quia votum quatenus eſt impoſſibile, non obligat; obligat tamen, quatenus eſt poſſibile: at poſſibile eſt, graviora venialia, multoque magis mortalia non committere: ergo, cum vovens in noſtra ſpecie hæc omnia ſuo voto complexus ſit, hæc vitare vi voti cogitur.

Sed hac in ſpecie conſultius mihi videtur, ut voti diſpenſatio impetretur, quam ego faciliime concedendam cum aliqua prudenti commutatione permixtam exiſtimo.

(n) *Invalidum de re vana* &c. Hoc certum eſt. *Ac peccat venialiter talia vovens*. Hac de re conſule hic animadv. 6.

(o) *Invalidum eſt votum, cui adjungitur finis* &c. Alium eſſe finem operis, ſeu phyſicum, ſeu intrinſecum, quem ipſa actio vi ſua efficit, ut jejunium carnis macerationem; alium operantis, ſeu moralem, ſeu extrinſecum, quem agens pro ſuo ſibi arbitrio proponit, ut ſi quis jejunet inanis gloriæ cauſa, diſtinctio eſt certa, & trita.

At finem operantis, de quo Buſ. ea voce *cui adjungitur finis* ſubdividi in eum, qui ſe teneat ex parte operis, *tenens ſe ex parte rei votæ*; & in illum, qui ſe teneat tantum ex parte operantis, *tenens ſe tantum ex parte voventis*, diſtinctio eſt mihi ſane confuſa, & nulla, aut etiam contradictoria; quia finis, qui ſe tenet ex parte operis, ipſius operis finis eſt, non operantis.

Vovere eleemoſynam ad obtinendam vanam gloriam, ut habes Buſ. ca. 4., & eandem vovere ex vana gloria, ut habet ca. 5. penes me ſunt ſynonima, non diſtinctæ notiones. Quid enim eſt ex *vana gloria*? Ad obtinendam vanam gloriam. Quid eſt *ad obtinendam vanam gloriam*? Ex vana gloria. Utrobique vana gloria eſt finis movens ad eleemoſynam vovendam.

Itaque hoc modo vovens male vovet, & vovendo peccat. Nihilominus, quia eleemoſyna, quam vovet, bona eſt; hæc, ut mihi videtur, malo fine pœnitentia deleto, & mutato facienda eſt. Cum enim votum ex parte objecti, & finis partim bonum, & partim malum ſit, quatenus malum eſt, invalidum eſt; quatenus bonum eſt, cur validum dici non debet? Multo vero magis validum mihi videtur, ſi ad removendam mendici importunitatem, quæ me movet ad iram, ei eleemoſynam dare voveam, quia meæ iræ cauſam tollere, malum non eſt.

(p) *Validum item eſt votum &c., ut ſi quis voveret eleemoſynam, ſi ex duello evaſerit ſalvus, ſi* &c.

Hujuſmodi votum eſſe malum, pro certo habeo; quia includit voluntatem malam perpetrandi duellum, furtum &c.; qua de re, ut mihi videtur, controverſia eſſe non debet. At eſt ne invalidum? Reſp. maxime, eo ipſo quia malum eſt; & ita ſentit Concina Th. t. 3. p. 159. n. 25. Votum enim rei ex ſe bonæ, ut eſt eleemoſyna, directæ ad malum finem, ſecundum omnes, ait Concina, nullum eſt: tale autem eſt votum, de quo ſermo eſt. Reipſa enim eleemoſyna dirigitur ad victoriam injuſtam, ad furtum impunitum &c. ergo &c. Ut votum valeat, neceſſe eſt, ut res promiſſa Deo grata ſit: at eleemoſyna ad malum finem directa, non eſt Deo grata, ſed inviſa: ergo ejus votum non valet.

Qui hæc vota valida eſſe contendunt, ſceleribus favent. Hinc enim ſceleſti homines anſam capiunt ſcelera admittendi, putantes ea votorum vi felicia futura.

At, inquit Buſ., hujuſmodi vota non cadunt ſuper mala, *ſed ſuper bona conſiderata (ut ſuppono) quatenus in ſe bona ſunt*. Reſp. ſi ut mente hæc ſeparas, ita reipſa ſepararentur, recte quidem; at quia hæc bona, incolumitas, libertas, proles reipſa cum peccatis, hoc eſt cum duello, furto, adulterio conjuncta ſunt, mala ſunt, ideoque voti objecta eſſe nequeunt. Si, ut ſupra dixi, malum finem deleas, & oderis, eleemoſyna bona erit, & facienda; & quamdiu cum malo fine conjuncta eſt, mala eſt, nec unquam facienda. Ergo ab his nullis, & ſceleſtis votis recedendum omnino eſt. At quæro, inquit, utrum hæc ſceleſta, & nulla vota, non revocata, ſi ex animo res acciderit, ſint implenda? Reſp. in hac hypotheſi facito eleemoſynam, & alia bona opera promiſſa, ut Deus tua tibi ſcelera remittat, tibique ſua gratia præſto ſit, ne in ſimilia, aut alia ſcelera, & vota labaris.

(q) *Neque ad id tenetur, ſi ipſe non poſſit*.

Si ipſe non poſſit ſine culpa ſua, non tenetur; quia non tenetur facere, quod ipſe non vovit: at non vovit alium conducere: ergo; ſententia communiſſima eſt, inquit Concina Th. t. 3. p. 196. q. 2. n. 3.

Si autem ex culpa ſua non poſſit, adhuc ipſum non teneri, communior ſententia eſt teſte eodem Concina; at eum teneri, ut idem teſtatur n. 4. q. 3., docent S. Antoninus, Angelus, Richardus, Carthuſianus. Verba S. Antonini hæc a Conc. afferuntur. *Si autem fecerat votum cauſa devotionis eundi, ſuperveniente impedimento non tenetur ire, vel mittere, niſi forte fuerit in mora, & ſic eſt in culpa, quia, cum potuit, noluit*. Ratio eſt, quia nemo ex ſua culpa commodum reportare debet: at ſi qui vovit Romanam peregrinationem, alium mittere non teneretur, quia ex culpa ſua Romam ire non poteſt, ex eadem ſua culpa commodum reportaret; commodum ſcilicet ſolutionis ab omni votis lege: ergo a lege mittendi alium non ſolvitur.

At cum Concina inquis, „ ex eo autem quod impotentia contingat ex culpa voventis, ſolum conſequitur, quod vovens tunc teneatur pœnitere de peccato præterito, ut ait Angelicus; minime vero ſequitur, quod vovent debeat per alium votum implere."

Reſp.

Digitized by Google

Reſp. Id ex ratione mox allata conſequi videtur; nec D. Th. loco a Concina cit. hoc eſt 2. 2. q. 88. a. 3. ad 2. illud habet, ut vovens de peccato dolere ſolum debeat; ſed ait: *Quod ſi illud, quod quis vovit, ex quacumque alia cauſa impoſſibile redditur, debet hoc facere, quod in ſe eſt, ut ſaltem habeat promptam voluntatem faciendi quod poteſt*, hoc eſt principium ponit huic ſententiæ contrarium, ut ipſe Concina n. 4. dixit; qui tandem caute ſubdit. „ Ceterum, ut ſincerior pœnitentia de commiſſo peccato appareat, & ut infidelitatem ſuam erga Deum quoquo modo compenſet vovens, debet in re tanti momenti tutiorem partem „ eligere. " Si hoc fiat, res in tuto eſt. Secus in tuto non eſt. Nam in noſtra ſpecie res perinde ſe habet, ac is, qui ſub conditione vovens, ſua ſponte conditionem impedit, qua de re animad. 22. nam in voto ea conditio includitur: ſi potero.

(r) *Vota realia* &c. De doctrina hujus numeri mihi dubitandum non videtur, quam confirmat quoque Concina Th. t. 3. p. 197. 198. q. 4 5.

(s) *Qui vovit* &c. Hic ego utor doctrina D. Thomæ allata in ca. 6. dub. 2. Si enim intentio voventis fuit ſe principaliter obligare ad jejunium, & ex conſequenti hunc diem elegit, eo elapſo jejunare nihilominus tenetur. Si autem principaliter ſe obligare intendit ad hunc diem propter ſpecialem complacentiam hujus diei, puta quia eſt vigilia alicujus Sancti, eo tranſacto a jejunio liber videtur; ſi tamen id accidat ſine culpa voventis. Nam ſi ex ejus culpa jejunium fuit omiſſum, ex ratione ad n. 9. allata alio die jejunare debet, quod ex eadem ratione confirmat Concina p. 199. q 8.

Ex his intelligitur, quid ſentiendum videatur, ſi voto emiſſo impedimentum præviderit. Si enim principaliter ſe voluit obligare ad ſtatam diem, prævenire non tenetur, at ſi principaliter obligare ſe voluit ad jejunium, aut prævenire, aut poſt ſtatim jejunare tenetur.

(t) *Qui vovit aliquid ſine certa* &c. In hanc rem ita loquitur Concina Th. t. 3. p. 236. q. 19. „ Qui vovit eleemoſynam abſolute, nulla ſignata quantitate, „ vel qualitate, poteſt quamcumque quantitatem, & „ qualitatem offerre, dummodo apta, & congrua ſit „ voti materia. " Congrua autem voti materia eſſe debet aliquid grave comparate ad voventem ex eodem p. 185. o. 16. Hoc idem innuere aliis verbis videtur Bul., dum ait, *modo non tam parum, ut videatur potius irridere ſuum votum, quam implere.*

(u) *Qui vovit, ſi ludat* &c., *tenetur dare toties* &c.

Si votum ita fiat: ſi luſero, voveo peregrinationem hieroſolymitanam, aut ingreſſum in Religionem, aut caſtitatem, communiter fatentur Auctores, eas pœnas non eſſe totidem vicibus ſubeundas. De aliis pœnis aliter ſentiunt. Quia frequenter voventes, pœnas leves ſibi imponere intendunt toties luendas, quoties votum tranſgreſſi fuerint; ut dum vovent, aut aliquas preces, aut parvas eleemoſynas, genuflexiones &c. ita Conc. Th. t. 3. p. 251. n. 17. q. 14.

In præſenti ſpecie voventem interrogarem, qui ſi reſpondeat, ſibi in animo fuiſſe dare, vel non dare decem imperiales toties, quoties luſerit, lis finita eſt. Quod ſi dicat, hac de re nihil cogitaſſe, cum nihil ſit volitum, quin præcognitum, dando ſemel decem, etiamſi ſæpe luſerit, ſuo mihi voto ſatisfeciſſe videretur; ſi reſpondeat; in mente quidem habuiſſe repetitum luſum, at de repetenda decem imperialium datione, nihil decreviſſe, ad repetendum mihi adigendus non videretur; quia ejus voluntas ſuo voto repetitionem complexa non eſt.

Illud, *ſi ludat chartis*, tum in ſemel, tum in ſæpius ludentem æque cadit. Illud *decem imperiales* ex vi verbi amplius non dicit, quam decem: amplius autem diceret, ſi decem repetenda forent. Eign. Deut. 23. v. 23. dicitur. *Quod autem ſemel egreſſum eſt de labiis tuis, obſervabis, & facies, ſicut promiſiſti Domino Deo tuo, & propria voluntate, & ore locutus es.* In voto, niſi aliunde voluntas conſtet, verba ſponte prolata attendanda ſunt.

Qui in noſtra ſpecie ſemel dat decem, obſervat quod egreſſum eſt de labiis ſuis, & facit, ſicut promiſit, & propria voluntate, & ore locutus eſt. Ergo ſuo voto ſatisfacit. At, inquit Bul., *pœna eſt actui acceſſoria.* Reſp. Ita; at quid inde? Inde eſt, inquis, ut pœna toties ſubeunda ſit, quoties actus repetitur. Reſp. Hic ſermo eſt de pœna voluntaria, quæ non eſt repetenda, niſi talis fuerit voventis voluntas. At in noſtra ſpecie voventis voluntas non fuit, ut pœna repeteretur; quia id ſuo ore non promiſit.

(x) *Etſi ſua culpa* &c., *& ſufficit* &c.

Si materia facta ſit impoſſibilis, inutilis &c. pro omni tempore, *ceſſat* certe *obligatio*; at ne vovens ex ſua culpa commodum referret, eum pœnitentem pœnitentiæ loco adigerem, ut aliquid voto æquivalens præſtaret. Ita quoque ſentit Conc. Th. t. 3. p. 199. n. 12. q. 8.

Si vero materia facta ſit impoſſibilis pro tempore, quo ex voto præſtanda fuit, at poſt poſſibilis, tunc erit præſtanda ex dictis in ca. 13. dub. 4.

(y) *Quod ſi votum dividi* &c., *ſed unum* &c. *non autem contra.*

Si voventis intentio talis fuit, qualis hic deſcribitur, de hac doctrina non dubito.

Buſ. *V. g. voviſti peregrinationem Romam in cilicio, & ibi certi aliquid offerre; Si peregrinatio impoſſibilis fiat, non teneris cilicium ferre.* Ita ego quoque ſentio ex doctrina a Buſ. allata, quia mens voventis hic non voluit cilicium, niſi dependenter a Romana peregrinatione.

At Buſ. addit: *& oblationem mittere.* Hic ego voventem interrogarem, ut ſuam ipſe voluntatem declararet. Nam qui ita vovet, duo vovet, peregrinationem in cilicio, & oblationem: porro non intelligitur, oblationem in tali voto a peregrinatione ita pendere, ut hac facta impoſſibili, oblationis quoque poſſibilis obligatio ceſſet, niſi talis fuerit voventis mens. Quare niſi vovens declaret noluiſſe ſe obligare ad oblationem, niſi dependenter a peregrinatione, eum ab oblatione exemptum non putarem, aut ſaltem in dubio non eximerem. Mecum ſentit Concina *Quadrageſima appellante* tap. 3. p. 1. n 8. p. 7.

(z) *Cum non debeat violari* &c. *poteſt is* &c. *ſine ulla cauſa valide irritare directe, hoc eſt* &c.

In hanc rem juvat efferre doctrinam D. Thomæ 2. 2. q. 104. a. 5. ubi hæc habentur; & primo quidem *in his, quæ pertinent ad interiorem motum voluntatis, homo non tenetur homini obedire, ſed ſolum Deo.* Ex quo intelligis; voluntatem, contra ac ait Buſ., nemini eſſe ſubjectam, nec a quoquam vota de interioribus actibus ullo modo irritari poſſe.

2. *Non tenentur nec ſervi Dominis, nec filii Parentibus obedire de matrimonio contrahendo, vel virginitate ſervanda, aut aliquo alio hujus modi.*

3. *In his, quæ pertinent ad diſpoſitionem actuum, & rerum humanarum tenetur ſubditus ſuo ſuperiori obedire ſecundum rationem ſuperioritatis; ſicut miles Ducis exercitus in his, quæ pertinent ad bellum; ſervus Domino in his, quæ pertinent ad ſervilia opera exequenda; filius Patri in his, quæ pertinent ad diſciplinam vitæ, & curam domeſticam, & ſic de aliis.*

At inquis: D. Paulus ad Col. 3. ait. *Filii obedite Parentibus per omnia. Servi obedite per omnia Dominis carnalibus.* Reſpondet S. Doct. ad 1., *quod hoc, quod Apoſtolus dicit, intelligendum eſt per omnia quantum ad illa, quæ pertinent ad jus patriæ, vel dominativæ poteſtatis.*

(aa) *Vota religioſorum* &c. *ac probabiliter etiam Abbatiſſæ, ut habet Suarez* &c.

Concina Th. t. 3. p. 295. n. 9. q. 5. hac de re ita loquitur. „ Aliqui contendunt, eas " (Abbatiſſas, & Prioriſſas) „ dumtaxat vota illa irritare poſſe, quæ „ gubernationi, & regimini directe adverſantur . . . . „ Communis tamen ſententia oppoſitum defendit, videlicet Abbatiſſas, & Prioriſſas omnia ea vota irritare poſſe ſuarum Monialium, quæ Abbates, & Priores, ſive Prælati in ſuis Cœnobiis valent; eo quod „ Sanctimoniales, non ſecus ac Religioſi, obedientiam „ vovent, eamque reddere tenentur ſuis Abbatiſſis, & „ Prioriſſis, non modo in rebus domeſticis, & politicis, „ ſed etiam, imo potiſſime in iis, quæ animarum profectum ſpectant " pro qua ſententia 14. Theologos nominatim, citatis locis appellat. Sed ratio ab eo allata, inſtitutum evincere mihi videtur.

(bb) *Si alicui non quidem voluntas voventis* &c. *ſit ſubjecta* &c. Voluntas voventis ex D. Thoma mox cit. nemini ſubjecta eſt, *ſed ſolum Deo.*

(cc) *Sic irritare poſſunt* &c. *Pater* &c. *quamdiu manent in domo paterna* &c.

Cur Bul. hoc addit? Laym. loco ab eo cit., hoc eſt lib. 4. tract. 4 cap. 7. n. 13. hanc limitationem non habet. Nec enim filii extra domum paternam manentes, a patria poteſtate immunes ſunt. Nam filii emancipati ſine Patris conſenſu vivere poterunt quoad ea, in quibus ratione emancipationis Patri non ſubſunt.

Porro filii quoque puberes Parentibus ſubſunt non ſolum in iis, quæ ad familiæ regimen ſpectant, ſed etiam in iis, quæ ad diſciplinam vitæ pertinent, ut patet ex verbis D. Thomæ mox allatis. Ex quo juxta S. Doctorem fit, ut Pater irritare poſſit vota filiorum puberum, quæ huc ſpectant, ut vota jejuniorum, macerationis corporis, peregrinationum &c., etiamſi domeſticæ rei non officiant.

Nec enim quia filii puberes uſum rationis perfecte aſſecuti ſunt, quoad proprias actiones plenum jus a patria poteſtate liberum nacti ſunt, dummodo excipias jus eligendi ſtatum, puta matrimonium, cœlibatum, religionem, ut docuit D. Th. . . . Novi equidem hac in re me adverſarios habere, quos citat, & ſequitur Con-

cina Th. t. 3. p. 297. n. 3. q. 2. Sed D. Thomæ adhæreo, cujus ſententiam ratio a me allata confirmare mihi videtur.

At mihi objicitur ipſe D. Th., qui 2. 2. q. 88. a. 8. ad 2. ait, *quod ex quo homo venit ad annos pubertatis, ſi ſit liberæ conditionis, eſt ſuæ poteſtatis quantum ad ea, quæ pertinent ad ſuam perſonam*; quid inde? Perge. *Puta quod obliget ſe religioni per votum, vel quod matrimonium contrahat*. Nonne S. Doct. ſuam mentem ſatis aperuit? Illud *quæ pertinent ad ſuam perſonam*, idem eſt ac ad obligationem ſuæ perſonæ per religionem, aut matrimonium, non ad obligationem ſuarum actionum. Subdit quidem S. Doct. *non autem eſt ſuæ poteſtatis quantum ad diſpoſitionem domeſticam*; quod veriſſimum eſt; at hoc non excludit, quod ſuæ poteſtatis non ſit quantum ad ſuas actiones. An Parentes filiis puberibus ea ſolum præcipere poſſunt, quæ ad rem domeſticam ſpectant, & nihil eorum, quæ ad filiorum perſonas, & ad rectam vivendi normam pertinent? Hoc ſcilicet valde abſurdum, & falſum eſt.

(dd) *Denique ſuperiores reſpectu novitiorum in iis, quæ* &c.

Hoc eſt, inquit Concina Th. t. 3. p. 295. n. 10., „ perſonalia vota, quæ novitiatus exercitia, & regimen interturbant, impedire valent; nec eadem novitii implere tenentur. Ea quoque vota, quæ nimium onerant novitios, ſuſpendere novitiatus tempore Prælati, ſeu Magiſtri jure queunt. Si tamen Novitii, religione relicta, ad ſæculum redeant, vota reviviſcunt, eaque implere aſtringuntur. Vota realia, quæ nec impediunt adminiſtrationem, ſeu regimen Religionis, nec novitios valde aggravant, ut ſunt vota elargiendi eleemoſynam, atque de ſuis bonis diſponendi, nec irritandi, nec ſuſpendendi, ſeu impediendi facultate pollent Prælati. Hæc tamen vota ſive realia, ſive perſonalia, commutari in alia pia opera a Prælatis poſſunt. Et hæc commutatio ceſſaret, ſi novitios Religionem relinqueret; quia commutatio cenſetur facta duntaxat pro tempore novitiatus. Hæc omnia communia ſunt. "

(ee) *Prælati regulares* &c. *reſpectu etiam novitiorum; idque circa* &c.

Teſte Concina Th. t. 3. p. 318. n. 3. q. 2. eſt communis opinio paucis negantibus; quia Prælati regulares ſpiritualem juriſdictionem in ſuos Novitios exercent; & quia hi Religionis privilegiis fruuntur.

Animadverſio I.

HAc de re La-Croix p. 226. n. 387. ita inquit. „ Sanchez dicit, ſi dubites, an ſeptennium fuerit expletum, te teneri; tum quia rata ſunt vota ante ſeptennium, tum quia eſt certum, & excuſatio dubia; oppoſitum tamen putat non improbabile Caſtr. & Ovied. "

Juxta hos verſatiles opinatores, cum hinc inde diſputatur, opinionem eligere, & facere, ut libuerit, licet; quæ docendi ratio, ut ſuo loco oſtenſum eſt, periculi pleniſſima, & falſa eſt. In præſenti ſpecie votum implendum eſt, niſi forte conſtiterit, puerum, qui votum emiſit, rationis uſum non attigiſſe. Sanchez ſententia *communior eſt*, ait Concina Theol. t. 3. p. 220. num. 15. *quam defendunt Lugſius, Turrian. Suar. Fauſtus, Malderus, & alii plures*. Sanch. ſententia ratione confirmatur; pro contraria nulla ratio affertur. Ergo ſententia Sanch. contrariæ præferenda eſt. Adde, quod, ut vere ait Buſ., jus ante ſeptennium, rationis uſum non præſumit, poſt ſeptennium præſumit: ergo qui dubitat, utrum votum ante, an poſt ſeptennium emiſerit, ex juris præſumptione dubitat, utrum in eo uſum rationis habuerit, hoc eſt dubitat, utrum votum ſit, nec ne validum; in qua hypotheſi, quidquid contra falſo dicat Gobat apud La-Croixium loco hic cit., certum eſt, votum eſſe implendum; quia certum præceptum eſt, in dubiis tutiorem viam eſſe eligendam. At idem „ Gobat, ait La-Croix, putat in his partibus ſeptentrionalibus id (hoc eſt uſum rationis poſt ſeptennium) præſumi non debere; quia ſerius aſſequimur plenum uſum rationis; hinc addit, ſi puer Germanus dubitet, an ante nonum annum expletum emiſerit votum, ſe judicatorum non obligari, niſi ex ſingulari indole, vel inſtitutione aliud colligeretur. „

Ego vero dico hos Scriptores non eſſe audiendos; quia ipſi ſacros canones aut non legunt, aut non audiunt. Alex. III. cap. *Litteras*, & *Acceſſit de deſponſ. impuberum*, uſum rationis poſt ſeptennium præſumit etiam in partibus ſeptentrionalibus: quia ad ſeptentrionales Epiſcopos, hoc eſt, ad Epiſcopum Herfordienſem, & Archiepiſcopum Eboracenſem ſcribit.

Animadverſio II.

La-Croix p. 225. n. 368. recte diſtinguit. Si enim qui votum prævidet, in ejus obligationem ante ebrietatem conſenſit, poſito quod in ebrietate voveret, voto tenetur. Si autem non conſenſit, non tenetur; & hujus ratio eſt, quia hic ſe inebrians non vult votum, ſed ſolum verba voti.

Animadverſio III.

P. Concina Theol. t. 3. p. 242. n. 8. ait. „ Denique nec metus levis irritat votum, ut communiter fatentur omnes; quia parum & leviter conſenſum liberum lædit. Et hoc certum eſt penes omnes Auctores. " Loquendo de metu gravi, ſententia Buſemb. quoad vota ſolemnia certa eſt, ut patet ex epiſt. S. Leonis ad Ruſticum Narbonenſem Epiſcopum, & can. *Sicut* cau. 20. q. 2. & ex Conc. Trid. ſeſſ. 25. c. 19.

Sed quoad vota ſimplicia, incerta eſt. Primo quia Theologi hac in re in contrarias ſententias abeunt, ut advertit Concina Theol. t. 3. p. 243. n. 11. Secundo quia vota ex metu gravi ad id incuſſo facta, ex natura ſua voluntaria ſunt, ut nemo negare poteſt, & ipſe Buſ. fatetur: ergo ex natura ſua ſunt valida. Nec dicas cum Buſ. quod Deus ea non acceptet, ne det vim injuſtæ coactioni. Nam Deus injuſtam quidem coactionem odit, at voluntariam, & bonam promiſſionem ſibi factam probat, & accipit eo ipſo, quia voluntaria eſt, & bona. At jus, inquit Buſ., ea irritat. Reſp. Proferat Buſ. aut qui cum eo ſentiunt, jus poſitivum eccleſiaſticum talia vota ſimplicia irritans, & manus damus. At ſi hujuſmodi jus nuſquam perſpicue habetur, obſcuro, & ancipiti eccleſiaſtico juri jus certum naturæ præferendum eſt; quia incertis certa præferenda ſemper ſunt. Præterea ſi juramenta gravi, injuſtoque metu extorta juxta ſacros Canones a nobis ſupra productos obligant, cur de coactis votis idem dicendum non eſt?

Eccleſiæ lex vota ſolemnia coacta irrita fecit, quia eorum obligatio fortior eſt, & diſpenſatio difficilior, & quia, ſi obligarent, maximo periculo animas objicerent. At hæ rationes in votis ſimplicibus locum non habent. Itaque aut vota ſimplicia gravi metu injuſte extorta implenda ſunt, aut, ut ſapienter, ſicut ſolet, loquitur Concina Theol. t. 3. p. 244. n. 12. tutius, & probabilius eſt, diſpenſationem eſſe impetrandam.

Animadverſio IV.

Si quis rudis, & bene moratus dicat, ſe habuiſſe intentionem & promittendi, ſeu vovendi, non tamen ſe obligandi, ſuam vocem ignorat, & putari poſſet, ipſum habuiſſe propoſitum, votum non emiſiſſe.

At qui reipſa promittit, & vovet, vult ſe obligare. Quid enim eſt promittere, niſi obligare ſe ad aliquid in alterius gratiam? ergo eſt contradictorium, ut quis reipſa promittat, & voveat, nolitque ſe obligare. Quæſtio ergo a Buſ. propoſita, ejuſque doctrina eſt de ſubjecto, ut ajunt ſcholæ, non ſupponente. Vide tamen, ſi lubet, Concinam Theol. t. 3. p. 125. n. 17.

Animadverſio V.

Hanc Cajetani ſententiam ſequitur Wigandt, Concina Theol. t. 3. p. 264. n. 35. Salmant. & alii, tum ab his, tum a Conc. citati. Ratio eſt, quia votum eſt promiſſio; promiſſio autem in gratiam ejus fit, cui promittitur, ergo qui veniale peccatum vovet, ſuo voto profitetur, veniale peccatum eſſe Deo gratum: hæc porro profeſſio impia eſt, & blaſphema; ideoque culpa graviſſima, non venialis.

At inquit La-Croix p. 228. n. 424. „ Verbum voveo in re, vel fine turpi paſſim non ſignificat votum, ſed ordinarie juramentum, uti cum quis dicit, *voveo me vendicaturum*, intelligit, *juro*, tunc ſi materia ſit levis, ſecundum dicta n. 205. peccatum erit leve. "

At hæc doctrina ex dictis explodenda eſt; quia juramentum de re leviter mala eſt perjurium, ideoque grandis culpa.

Animadverſio VI.

Hoc votum eſt certe invalidum; utrum vero ſit veniale peccatum, an mortale, res incerta videtur. La-Croix p. 228. n. 425. ait: „ Votum rei indifferentis, vel ob finem indifferentem eſt tantum veniale, quia nec actus Deo eſt contumelioſus, nec materia poſitive ingrata. Putat quidem Beja p. 1. c. 66. hoc eſſe

„ pec-

„ peccatum blaſphemiæ, ideoque grave, eo quod æqui-
„ valenter dicat, Deum delectari rebus vanis, & inu-
„ tilibus; ſed contra eſt, quod non ſit illa mens voven-
„ tis, ſed tantum imprudentia circa electionem mate-
„ riæ. “ Hactenus ille. Verum hæc reſponſio, Bejæ rationem non elidit. Ad mortale enim peccatum non requiritur intentio mala, ſed ſatis eſt ut actio ex ſe graviter ſit criminoſa, uti eſſe votum rei indifferentis, oſtendit ratio Bejæ. Hinc Natalis quoque Alex. Theol. t. 2. p. 435. ſec. 8. ait: „ Quamobrem neque res illi-
„ citæ, ſeu opera per ſe mala, neque res indifferentes
„ ſunt materia voti; & contra religionem graviter pec-
„ caret, qui opera hujuſmodi voveret. “ Quod ſi votum rei indifferentis letalis culpa merito putari poteſt, multo magis letalis eſt culpa votum contra conſilia evangelica. Juramentum contra eadem conſilia eſſe mortale, ſupra oſtenſum eſt: ergo idem de voto videtur dicendum; præſertim cum ex D. Thom. 2. 2. q. 89. a. 8. votum ſanctius ſit, magiſque obliget, quam juramentum; ideoque gravius peccatum ceteris paribus ſit, quod votum, quam quod juramentum violat.

Animadversio VII.

Matrimonium valide vovetur ..... 3. ſi quis ob fragilitatem &c. *in quo tamen Laym. & alii diſſentiunt.*

P. quoque Concina diſſentit Theol. t. 3. p. 232. q. 6. ſuamque ſententiam tum auctoritate, tum ratione valide confirmat, ut apud ipſum legi poteſt.

Nam qui tale votum emiſit, religionem ingredi poteſt: quia ſequi poteſt conſilia evangelica: ergo illud votum nullum eſt.

Qui libidine vincitur, quia remediis ad eam vincendam inſtitutis uti renuit, melius eſt ut nubat. *Quod ſi non ſe continent*, ait Ap. 1. Cor. 7. *nubant. Melius eſt enim nubere, quam uri*. At quilibet, ſi velit, continenter vivere poteſt; cum continentiæ donum nemini illud recte petenti Deus deneget, nec ſupra id quod poſſumus, nos tentari patiatur ex Syn. Trid. ſeſſ. 24. can. 9. Sed qui ob fragilitatem, & inveteratam conſuetudinem in carnis peccata valde proni ſunt, non ſolum in precibus, ſanctiſque meditationibus frequenter verſari, ſed carnem jejuniis macerare, omneſque peccandi occaſiones ſollicite fugere debent, ut continenter vivant; quæ ſi, ut poſſunt, præſtent, non eſt dubium quin illis conſultius ſit cælibem, quam conjugalem vitam agere ex Syn. Trident. ſeſſ. 24. can. 10. ita definiente: *Si quis dixerit, ſtatum conjugalem anteponendum eſſe ſtatui virginitatis, vel cælibatus, & non eſſe melius, ac beatius manere in virginitate, aut cælibatu, quam jungi matrimonio; anathema ſit*. Ergo certum eſt, votum matrimonii in homine ad libidinem valde prono eſſe malum, & nullum; quia non eſt de meliori bono.

Animadversio VIII.

Imo etſi toto anno omittas, eſſe tantum veniale, eo quod &c. *probabiliter docet Dian.* &c. *contra Valent.* &c.

Idem habet La-Croix p. 231. n. 450. videlicet hac de re hinc inde probabiliter, ut ait Bul., diſputatur. At cum hinc inde probabiliter diſputatur, ſana Theologia veriſſime docet, non licere ſequi opinionem faventem cupiditati, ſed tutiorem eſſe ſequendam. Tutior opinio in re præſenti eſt, ut parvæ preces, ex. gr. unum *Salve Regina* quotidie recitetur; quod, ſi toto anno omiſeris, neceſſario confitearis ſaltem ut dubium mortale peccatum cum firmo propoſito a ſimilibus de cetero abſtinendi. Sed miſſis recentium auctoritatibus, quæ hinc inde afferuntur, cur opinio Buſ. recitata, probabilis eſt? quia, inquit, „ materiæ iſtæ parvæ non coale-
„ ſcunt in unam. “

Reſp. Materiæ illæ parvæ, ut *Salve Regina* ex voto quotidie recitandum, non coaleſcunt quidem quoad tempus, coaleſcunt tamen quoad mores; quia omnes ſimul ſunt materia, ſeu objectum unius voti: ergo ſingularum quoque omiſſiones coaleſcunt: quia non diſtincta vota, ſed unum & idem votum lædunt. Quoad culpam perinde ſane eſt, ſeu unum *Salve Regina* ſingulis diebus totius anni ex voto recitandum ſemper quis omittat; ſeu 365. *Salve Regina* uno die ex voto dicenda, omnia prætermittat: in ſecunda ſpecie mortaliter peccat: ergo etiam in prima. At inquit La-Croix.
„ Azor. Gran. Vaſq. Sanch. & alii communiter proba-
„ bilius diſtinguunt, & dicunt, ſi votum erat affixum
„ diei, materias non uniri, ſed obligationem tranſire
„ cum die. “ Atqui votum recitandi ſingulis diebus totius anni unum *Salve Regina*, eſt affixum diei: ergo &c.

Reſp. Fateor, obligationem tranſire cum die; fateor, ſingulas parvas materias non poſſe uniri, ut voto una die ſatisfiat. At quid inde? An idcirco deſinunt eſſe partes unius voti? An omiſſæ omnes, graviter votum non lædunt? Minime vero gentium. Ut libere, & cum bona venia loquar ſpeculationes, quas La-Croix ex cit. Auct. affert, ex arabica ſchola deſumptæ, & ad mores tranſlatæ, ſophiſticam artem olere, nihilque aut veri, aut boni continere mihi videntur.

Ex his ſpeculationibus derivata eſt veluti rivulus ex fonte prop. 38. ab Innoc. XI. proſcripta: *Non tenetur quis ſub pœna peccati mortalis reſtituere quod ablatum eſt per pauca furta, quantumcumque ſit magna ſumma totalis*. Non enim alia de cauſa a reſtitutione eximebant furem paucorum furtorum, licet tota ſumma magna, aut valde magna eſſet, niſi quia ſingula parva furta in unum coaleſcere & unum grave furtum facere non putabant. At ſi Auct. prop. 38. proſcripti fuerunt, an probandi erunt, qui ex ſimilibus miſeris commentis ſimilia docent?

Animadversio IX.

In materia gravi etſi quis poſſit ſe obligare tantum leviter.

La-Croix quoque ait: „ Obligatio voti poteſt eſſe le-
„ vis, licet materia ſit gravis: “ & pro ſe citat Suar. Sanch. Caſtrop. Tamb. alioſque, ut ipſe loquit, communius cum Illſ. contra Sot. Paſq. & alios.

At qui ita loquuntur, obligationem a voto ſeparant; quæ tamen illi inſeparabiliter annexa eſt, ut dictum eſt ad c. 21. dub. 2. Quid eſt rem gravem vovere, niſi Deo promittere rem gravem? Quid eſt rem gravem Deo promittere, niſi Deo ſe obligare ad rem gravem præſtandam? An obligatio, qua quis Deo ſe obligavit ad rem gravem præſtandam, levis eſſe poteſt? *Quod ſemel egreſſum eſt*, dicitur Deut. 23. *de labiis tuis, obſervabis, & facies, ſicut promiſiſti Domino Deo tuo, & propria voluntate, & ore locutus es*. Si propria voluntate, & ore rem gravem Deo promiſiſti, hanc facito: alioquin gravis omiſſionis rationem Deo reddes. Neque enim, ut falſo ait La-Croix, lex divina & naturalis in re gravi voventem graviter obligans, a voventis voluntate pendet, ut leviter obliget. A voventis quidem voluntate pendet ut gravem, vel levem obligationem ſuſcipiat; at cum gravem obligationem, rem gravem vovendo, ſuſcepit, ridiculum, & contradictorium eſt, ut leviter ſe obligare poſſit. Poteſt quidem vovens rem gravem, habere intentionem leviter ſe obligandi, ut La-Croixii ſophiſmati reſpondeam; at quia hæc intentio ridicula, & ſophiſtica, voto rei gravis contradictorie opponitur, vitium expers eſt, & pro nihilo merito habetur.

An ſi centum aureos nummos homini promitteres, addere auderes, te ad eos numerandos leviter tantum obligare velle? Sophiſta ſcilicet, & ridiculus eſſes, ſi ita diceres. Illa additio promiſſioni contraria eſt. Si promiſſionem vis, additio tollenda eſt; quam ſi non tollis, ipſa eam tollit promiſſio; quia cum ea conciliari non poteſt. Qui hac de re plura cupit, adeat Concinam Theol. t. 3. p. 587. n. 19. Nam hæc quæſtio penes me adeo inepta, & cavillatoria eſt, ut in ea pluribus immorari non poſſim.

Animadversio X.

Sic qui Miſſas, vel peregrinationem alterius curandam vovit, quando &c. *non tenetur alium ſubſtituere* &c. *ſi prior non præſtet* &c.

Idem docet La Croix p. 229. n. 430. „ Quia, inquit,
„ non intendit, niſi curare Miſſam, prout communiter
„ fit, nempe dando ſtipendium ei, quem prudenter iu-
„ dicabat lecturum, neque enim ſe obligavit ad certum
„ eventum ſecuturum. “

Si votum fuiſſet tantum præbendi ſtipendium Sacerdoti, ut Miſſam celebraret, res bene haberet. At tum Bul. tum La-Croix ponunt, voventem voviſſe curandam Miſſam, aut Miſſas, vulgo *faccio voto di far dire una Meſſa, o più e. g.* 50. In quo voto intentio voventis ea eſſe mihi videtur, ut non ſolum ſtipendium Sacerdoti detur, ſed etiam ut reipſa, quantum in vovente eſt, Miſſa, aut Miſſæ celebrentur. Hinc a Sacerdote atteſtatio aut ſcripto, aut ſaltem voce exigi ſolet Miſſarum celebratarum. An ſi Sacerdos teſtari nolit, aut neget, ſe ſatisfeciſſe, res ſilentio tranſigenda eſt, nec urgendus, ut ſatisfaciat, & ſatisfactionem teſtetur? An ſi hic negligat, idque reſciat qui voverat, hic ad nihil ultra tenetur, ut La-Croix loquitur? In hac ſpecie vovens, ut ſit in tuto, urgere, & cogere Sacerdotem debet, ut ſatisfaciat, vel ſaltem ſtipendium reſtituat, & hoc recuperato, vel etiam non recuperato curare, ut per alium Miſſa, aut Miſſæ celebrentur. Si vovens ita ſe gerat, in tuto eſt; ſecus in tuto eſſe mihi non videtur. D. Th. 2. 2. q. 88. ar. 3. ad 2. de re ſimili loquens ait: *Ille, qui vovit monaſterium aliquod intrare, debet dare operam, quantum poteſt, ut ibi recipiatur*. Ita qui vovet

curandas Miſſas, debet dare operam, quantum poteſt, ut Miſſæ celebrentur.

Animadversio XI.

Vota conditionalia non obligant, ceſſante &c. etiamſi ipſe vovens cauſa fuerit &c. imo etſi malitioſe &c. adhuc probabile eſt &c.

La-Croix p. 232. n. 469. ita loquitur. „ Si conditio „ pendeat a conſenſu alieno, v. g. voviſti religionem, „ ſi pater tuus conſentiat, potes rogare patrem, attamen „ ſine vi, aut dolo, ut non conſentiat. Suar. &c. „ contra Sanch. qui &c.

Non tam a ſubtilibus diſputatoribus, quam a viris bene moratis, quid hac in re ſentiant, ſcire velim. Nam ſicut palatum bene affectum de ſaporibus, ita probus homo de moribus recte judicare ſolet; præſertim ubi non tam ratiocinii, quam ſincero animi ſenſu, ſicut in præſenti ſpecie accidit, opus eſt. Qui enim animo ſimplici conditione alterius aſſenſus aliquid vovet, hunc aſſenſum veluti conditionem ſui voti includit, ne ſuo voto ei diſpliceat, cui diſplicere non vult, ideoque hunc aſſenſum ex animo deſiderat. Ergo ſi precibus, aliave ratione hunc aſſenſum impedire coneris, ſophiſticus homo es; aut ſincere conditionem in tuo voto non incluſiſti, aut animum mutaſti: apage ergo. Malus homo es, non excuſandus, ſed valde culpandus. Deo enim, non homini ludificatur, qui aliquid ſub alterius aſſenſus conditione vovet, animumque habet movendi omnem lapidem, ut aſſenſum impediat. Quod ſi hunc pravum, & ſophiſticum animum non habet, ſicuti habere non debet, voto ſuo repugnat, dum conditionem impedire conatur; & nihilominus voto tenetur, etiamſi conditionem impediat: quia ex ſua iniquitate commodum reportare non debet. Hinc lege in execut. 85. ff. de verb. ſignificat. dicitur: *Quicumque ſub conditione obligatur curaverit, ne conditio exiſteret, nihilominus obligatur.* Quod ſi hoc verum eſt in humanis contractibus, multo magis verum eſt in voto. Illa ergo La-Croixii ratio, „ quia ne implicite „ quidem vovit non ita rogare, ut ſuppono, “ falſa eſt, & poſitio fictitia. Multo ergo magis rejicienda eſt opinio Buſemb. quoad alteram partem, *imo etſi malitioſe* &c. quam ipſe La-Croix improbat. Sed hic legere potes Concinam Theol. t. 3. p. 247. q. 7. & 8.

Animadversio XII.

Qui vovit aliquid ſine certo tempore v. g. &c. tantum tenetur implere, cum commode primum poteſt.

Ita loquitur etiam La-Croix n. 428 & Concina Theol. t. 3. p. 268. §. 4. n. 1. at ſubdit Conc. „ Cum dicitur „ quam primum commode poteſt, ſenſus minime eſt, „ quod quæcumque difficultas ſatis ſit ad differendum „ Religionis ingreſſum, ſed indicatur, quod ſolummodo „ grave aliquod obſtaculum poteſt quandoque excuſare „ dilationem. Si enim quæcumque difficultas ſatis foret „ ad licite moras nectendas, vix umquam tempus opportunum, „ & commodum adeſſet implendi votum. Illud „ ergo tempus opportunum pro voti executione reputatur, „ quo vovens moraliter, ideſt abſque urgenti, „ gravique impedimento ſæculum relinquere, & Religionem „ amplecti valet &c. “ Tum p. 269. num. 2. addit: „ Communiter Auctores ſentiunt, peccare mortaliter „ voto Religionis devinctum, ſi data opportunitate „ ultra dimidium anni, voti ſui executionem „ procraſtinet. Plus temporis pro aliorum votorum executione „ permittunt; quia in his per dilationem nihil „ divino obſequio ſubtrahitur. Si quis tamen ultra unum „ aut alterum annum etiam iſtorum executionem „ protraheret, peccaret mortaliter, niſi gravia excuſarent „ impedimenta. “ Hinc Deut. 23. dicitur: *Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere; quia requiret illud Dominus Deus tuus; & ſi moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum*; quod oraculum voto adſtrictis valde inculcandum eſt: forte enim plus ſignificat, quam vulgo putatur.

Animadversio XIII.

D. Thom. 2. 2. q. 189. art. 4. quærit, *utrum ille, qui vovet Religionem ingredi, teneatur perpetuo in Religione permanere*, & reſpondet in corp. *quod obligatio voti ex voluntate procedit. Nam* vovere voluntatis eſt, *ut Aug. dicit.*

Intantum ergo fertur obligatio voti, inquantum ſe extendit voluntas & intentio voventis. Si ergo vovens intendit ſe obligare non ſolum ad ingreſſum Religionis, ſed etiam ad perpetuo remanendum, tenetur perpetuo remanere. Si autem intendit ſe obligare ad ingreſſum Religionis cauſa experiendi, cum libertate remanendi, vel non remanendi, manifeſtum eſt quod remanere non tenetur. Si vero in vovendo, ſimpliciter de ingreſſu Religionis cogitavit, abſque hoc quod cogitaret de libertate exitus, vel de perpetuitate remanendi, videtur obligari ad ingreſſum religionis ſecundum formam juris communis; quæ eſt, ut ingredientibus detur annus probationis: unde non tenetur perpetuo remanere.

Hac ergo in re ſpectanda eſt voluntas voventis. Buſ. videtur in mente habere votum quoad tertiam formam a D. Thoma explicatam, *ſi vero in vovendo, ſimpliciter* &c. & videtur dubitare, utrum egrediens ſine juſta cauſa voto ſatisfaciat, dum ait *ſaltem cum juſta cauſa*. Reipſa non pauci id affirmant, ſ at negantium ſententia communior eſt, & probabilior, quam ſequitur, & confirmat P. Concina Theol. t. 3. p. 266. n. 6. Hinc D. Th. ad 3. ar. cit. *Quod ille qui intrat, ut ſtatim exeat, non videtur ſatisfacere voto ſuo, quia ipſe in vovendo hoc non intendit.* Ergo idem dicendum de eo, qui ſine cauſa exit, quia in vovendo hoc non intendit. Qui de ingreſſu Religionis vovendo ſimpliciter cogitavit, experiri voluit, utrum Religio ipſi expediat. Cur experiri voluit? Ut ſcilicet in ea remaneat, ſi ipſam ſibi expedientem compererit. Hæc merito præſumitur eſſe intentio voventis: ergo in ea remanere debet, ſi ſibi congruam deprehenderit; ideoque ſine rationabili cauſa ab ea exire non poteſt.

Animadversio XIV.

Qui vovit &c. v. g. Religionem in genere, poteſt ingredi quamcumque, etiam laxiorem, modo &c.

Hic merito quæritur, quænam ſint Religiones, quæ in eſſentialibus deficiunt. Eas graphice deſcribit P. Concina Theol. t. 3. p. 256. q. 4. Sunt autem illæ, in quibus Religioſi privata peculia habent, domicilia incolunt ampliora, aut ornatiora, quam ſæculi homines, lautioribus, ſi velint, epulis veſcuntur, pro arbitrio e monaſteriis exeunt, ludis vacant, ſilentia, jejunia, aliaſque conſtitutiones paſſim, & impune violant.

Qui ergo vovit Religionem in genere, hujuſmodi laxas deſcriptas Religiones ingrediendo, voto non ſatisfacit. Ratio evidens eſt; quia votum eſt de meliori bono: at ingreſſus in has Religiones, non eſt melius bonum; quia non faciliorem, ſed difficiliorem reddunt ſalutis conſecutionem, difficillimum enim eſt, Religioſum in iis non vinci communibus pravis exemplis violandi regulas, & præcepta, ac præſertim paupertatis votum: ergo &c. Ex quo etiam intelligitur, votum ingrediendi has Religiones eſſe irritum, ut docet quoque Concina l. c.

Similiter ſi quis vovit triticum &c.

In hac ſpecie intentio voventis ea eſſe videtur, ut det triticum, aliaſque res nec optimas, nec deterrimas, ſed mediocres.

Sed hic, ne in Buſembaum ſemper immoremur, alii ſub examen paulisper veniant.

P. Concina Theol. t. 3. p. 183. n. 13. ait: „ Non „ eſt autem audiendus P. Claudius La-Croix, qui lib. „ 3. p. 1. n. 148. hoc eſt n. 448. nimis laxe contendit, „ integrum Roſarium omittere, levem eſſe materiam „ quoad votum. “

Hic P. Zach. recitat verba P. Noceti c. 24. Ver. vind. inquientis: „ Nimis laxe procul dubio; ſi quidem id doceret „ P. La-Croix. Verum tantum abeſt, ut loquens „ de Roſario, quod juxta ipſum eſt materia levis, adjungat „ illam vocem *integrum*, quam pro ſua ore liberalitate „ adjungit P. Concina, ut diſertiſſime proteſtatur, „ ſe non loqui de Roſario integro, ſed de parte „ ejus tertia “

Hic quidem P. Concina integrum textum La-Croixii non perpendit, ſed Roſarium pro integro accepit, qui facilis error eſt, præſertim in viro eruditiſſimo plurimos examinante. Sed merito hic quæritur, utrum La-Croixii doctrina juxta ipſius mentem accepta laxitatem oleat. „ Non libet, inquit ipſe Nocetus, a laxitate „ liberare illud ipſum, quod docet P. La-Croix. In „ hoc enim opuſculo de laxitate, veritate, & falſitate „ ſententiarum nullo modo diſputare decrevi: „ eas omnes relinquo, ut cum Juriſtis loquar, *in ſtatu* „ *quo*. “

Ita ſcilicet loqui ſolent, qui non habent, quomodo ſuorum, quos in tuto ponere percupiunt, ſententias tueantur. Nec enim hic defendi poteſt La-Croix, qui concedit, „ eſſe mortale omittere Roſarium pro pœnitentia „ injunctum in confeſſione peccati mortalis. “

Cur hic eſt peccatum mortale, ſi omiſſum in voto non eſt? „ Quia, inquit, ſibi injungitur velut aliquid „ pœnoſum, &, ſi eſt notabiliter pœnoſum, uti communiter „ cenſetur eſſe, eſt materia gravis; e contra „ per votum ſit tantum veluti cultus Dei, qui non videtur „ eſſe notabilis in recitatione Roſarii. “

Mira ſane doctrina, quod Roſarium, ſeu tertia ejus pars ſit quid notabile quoad pœnam recitantis, non autem

tem quoad cultum Dei, & Deiparæ. „ Eadem recitatio, inquit P. Concina, ut a Miniſtro ſacro impoſita, eſt gravis, quia pœnalis; ut vero ſanctificata per votum, evadit levis? Lepida ſane hæc ratiocinandi methodus, quæ paſſim in Caſuiſtis quibuſdam occurrit. Immo recitatio per votum conſecrata, gravior, & ſublimior evadit; quoniam a nobiliori virtute elicitur." Hæc Concinæ ratio nonne doctrinam La-Croixii æque confutat, ſeu accipiatur, uti a Concina accepta eſt, ſeu juxta mentem La-Croixii? Quid ergo ejus adverſarii contra eum fruſtra clamitant?

Idem P. Concina Theol. t. 3. p. 170. n. 47. ait: „ Qui vovit non ludere chartis, juxta communem ſenſum ab omni chartarum ludo abſtinentiam promiſit; cum ludus iſte ſuapte natura periculoſus ſit."

P. Zacharia recitatis his P. Concinæ verbis contra La-Croixium argumentantis, infeliciter, & importune p. 238. La-Croix n. 432. addit: "Verum quia id aſſeritur facilitate, eadem negatur."

Hinc non de ſenſu Auctoris, ſed de doctrinæ ſanitate ſermo eſt. Legant qui velint, legat ipſe Zacharia Concinam p. 169. n. 46. & pag. 170. n. 47. & ſi Zach. contra Concinam hiſcere audebit, non deerit, qui ſanam ejus doctrinam contra cavillos defendat. Nam ſi Zach. illud in animo habet, ut Concinam exſcriptis paucis ejus truncatis verbis in invidiam vocet, ejuſque doctrinam, quia ſuæ indoli contraria, ſuſpectam faciat, etiam ſine importunis typis voti compos eſt quoad eos, qui parati ſunt jurare in verba magiſtri. At viri eruditi, & ſanæ mentis non judicant, niſi oculis ſuis legant; quia *qui credit cito, levis corde eſt, & minorabitur.* Eccli. 19.*

Non eſſe credendum Zachariæ Concinam miſere inſectanti, niſi oculis legatur, argumento evidenti eſt illud quoque, quod ſequitur.

La-Croix p. 231. n. 454. ait: „ a. Si voluiſti (*in voto de non ludendo*) redimere jacturam temporis, comprehendiſti ludum etiam moderatum, itemque luſum pro alio, quia vere luderes cum jactura temporis, poteris tamen per alium ludere, licet aſpiciendo perdas tempus. Caſtrop. Tamb."

Zacharia inquit: Sic citat hunc locum P. Concina. "(Locum Concinæ non deſignat.) „ Si voviſti redimere jacturam temporis, comprehendiſti ludum &c."

Quæſo abs te, P. Zacharia, legiſti ne P. Concinam? Ubi quæſo habet ea verba, *ſi voviſti redimere jacturam temporis?* Ego enim, niſi oculi me fallunt, apud ipſum Theol. t. 3. p. 171. n. 48. ita lego. *Non minus falſum eſt, quod loco cit. pergit docere La-Croix cum Caſtropalao, & Tamburino, nempe dum voviſti non ludere, ne tempus teras, te poſſe per alium ludere, licet aſpiciendo perdas tempus.* Hactenus ille, La-Croixii ſenſum ſincere retulit. Quid ergo Zach. qui Concinæ textum non legiſti, cum Nocetio Concinæ infideliter adſcribitis, quæ ex arbitrio impugnetis? At pergit Concina. *Audiſtin? Licet perdas tempus ludendo aliena manu, votum non fregiſti; ſi autem propria manu ludis, votum fregiſti. Peracuta revera, & mirifica Theologia! Manifeſtam laxitatem non vacat longius improbare.* Hæc Zach. & Nocet. legere, ſanamque doctrinam ab eo diſcere, non illum per figmenta impugnare debuerant.

La-Croix p. 232. n. 460. inquit: "Quamvis voverit non bibere vinum, ut ſic vitaret ebrietatem, tamen non tenetur abſtinere a cervilia, vel aliis potibus inebriantibus. Eſt communis cum Sanch. Gob. & aliis contra Cajet. & Baldell." Additque probabile eſſe, hunc ne teneri quidem abſtinere a vino aduſto, vulgo *acquavite*. Hanc ſententiam hac ratione impugnat Concina Theol. t. 3. p. 226. n. 3. *Quando vovens vult evitare ebrietatem, & promittit abſtinentiam a vino, quia iſte eſt potus magis uſualis, & aptior ad ebrietatem; & deinde cervifia, cremato, aliiſque liquoribus æque ac vinum, inebriandi efficaciam habentibus ſeſe replet, votum illius irriſorium* &c. ubi a Zach. ita reprehenditur n. eit.

„ Sed hic Theol. omnia exaggerat. Non ait La-Croix, nec alius quivis dicet, licere voventi abſtinentiam a vino, replere ſe aliis liquoribus æque, ac vinum inebriandi efficaciam habentibus, ac multo minus dicit, hunc licere hiſce aliis liquoribus ſe inebriare. Hæc de ſuo addit P. Concina."

Hæc ſane de ſuo addit Concina, quia contra La-Croix ratiocinatur. Si P. Zacharia Theologi impugnatoris perſonam cum dignitate ſuſtinere volebat, Concinæ rationi, quod non præſtitit, reſpondere, non illi falſa imputare debuerat. Ceterum mihi mens non eſt, P. Concinæ ſententiam ex omni parte teneri. Ego hic ita diſcurrerem. Finis ut legis, ſic voti, quod privata lex eſt, ut recte ait P. Zach. & fatetur Conc. ſub legem, & votum non cadit. Sub votum illud unum cadit, quod voto promittitur. Itaque ſi vovens abſtinentiam a vino, ut ebrietatem vitet, in mente habuit alios liquores inebriare valentes, eoſque ſuo voto comprehenſos voluit, non eſt dubium, quin ab iis quoque ex vi voti abſtinere debeat. Si autem alios liquores in mente non habuit, eos ſuo voto non comprehendit: ideoque ab iis abſtinere non tenetur. Id ego cum Zach. La-Croix, & aliis fateor; quia ſcilicet alii potus, ut cervifia, quæ ex frugibus elici ſolet, aut liquores ex ceraſis, aliiſve fructibus expreſſi non ſunt vinum; quo nomine non intelligitur, niſi liquor ex uvis expreſſus. Rationi autem a P. Concina allatæ reſpondeo, eum, qui vovit abſtinentiam a vino, ut ebrietatem vitaret, ſi aliis liquoribus ſe inebriet, votum ſuum quoad ejus finem fruſtraneum reddere; ideoque contra votum non peccare, quia voti finis ſub votum non cadit, nec vovens contra rem voto promiſſam agit. Ergo ſolum peccat peccatum ebrietatis contra temperantiam.

Difficultas eſſe poteſt quoad vinum aduſtum, vulgo *acquavite*, quod vini ſpiritus eſt, ejuſque pars vegetior, & fortior; quod hac de cauſa comprehendi videtur in voto abſtinendi a vino. Nec enim vinum eſſe deſinit, quia fortius eſt, & aduſtum. Quod ſi hac de re eſſet dubitandum, interpretatio facienda eſſet non in favorem libertatis, ut perperam docet La Croix, ſed voti, ut recte aſſerit Concina ex certa generali regula contra veritatis opinatores, quod in dubiis tutior via ſit eligenda.

ANIMADVERSIO XV.

Si materia voti fiat impoſſibilis quoad partem tantum, tunc, ſi commode &c. ad nihil teneris.

Buſ. hujus doctrinæ rationem nullam aſſignat. Ergo audiendus non eſt. Rem voto promiſſam magis obſtringimur implere, quam quæ humano præcepto impoſita eſt: quia voti executio juris eſt naturalis, & divini. At lex humana, cum ex toto fieri non poteſt, ex parte, qua fieri poteſt, implenda eſt, ut patet in jejunio, & canonico officio. Hinc prop. 24. *Qui non poteſt recitare Matutinum, & Laudes, poteſt autem reliquas horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad ſe minorem*, ab Innoc. XI. proſcripta eſt: ergo multo magis materia voti, ſi fiat impoſſibilis quoad partem tantum, quoad aliam poſſibilem implenda eſt. Illa Buſ. additio: „ Si commode talis materia dividi non poteſt, aut non ſolet," novum inventum eſt, ad laxandum accommodatum, utpote quod a lege liberet, ſi commode impleri nequeat.

Audiendus eſt D. Thom. qui 2. 2. q. 88. a. 3. ad 2. ait: *Quod ſi illud quod quis vovit, ex quacumque alia cauſa impoſſibile reddatur, debet hoc facere quod in ſe eſt, ut ſaltem habeat promptam voluntatem faciendi quod poteſt:* & in 4. d. 38. q. 1. ar. 3. q. 3. ad 1. inquit: *Vel eſt factus impotens ad totum perficiendum, quamvis non ad partem; & tunc ad illud quod poteſt, remanet obligatus.* D. Thom. ſententia perſpicua eſt, & ſolida, quam ſequitur P. Concina Theol. t. 3. p. 166. n. 40. & alii ab eo citati. Qui enim totum aliquid vovet, ejus omnes partes ſuo voto complectitur. Ergo ſi totum non poſſit, eas partes, aut partem, quam poteſt, implere tenetur; in eaque ſolum hypotheſi a parte voti implenda vovens, qui totum non poteſt, excuſaretur, ſi pars voti eſſet quid vanum, & inutile, ut monet etiam Concina p. 167. n. 41.

ANIMADVERSIO XVI.

Etſi peccent, ſi abſque cauſa irritent, ut docent &c. Ita etiam ſentit P. Concina Theol. t. 3. p. 288. n. 5. ut apud ipſum legi poteſt.

Porro hoc jus provenit ex jure poſitivo, quo &c.

Verius eſt, facultatem irritandi vota ex jure naturali derivari, quia ſubditi jure naturali, & divino ſuis ſuperioribus, quicumque ſint, ſubduntur: ergo ſuperiores jure naturali, & divino eorum vota irritare poſſunt; qua de re, ſi lubet, Concinam Theol. t. 3. p. 289 q. 2. legito.

ANIMADVERSIO XVII.

Caput *Mulier* a Buſ. cit. loquitur de poteſtate patris in vota, & juramenta mulieris in puellari ætate exiſtentis, nihilque habet de facultate heri, & magiſtri in vota famulorum, & diſcipulorum impuberum. Lib. autem 5. dec. tit. 41. de regulis juris nihil invenio, quod ad rem hanc faciat.

Ita-

* Legi hic poteſt textus Conc. p. & n. citata.

Iraque cum hæc poteſtas heris, & magiſtris neque ex poſitivo, neque ex naturali jure competat, iis ex arbitrio conceditur. Sententia Buſ. contraria, communior, & probabilior eſt, ut ait Concina Theol. t. 3. p. 304. q. 14. Quod tamen intellige de heris quoad famulos mercede conductos; nam mancipiorum, quæ nulla libertate fruuntur, ea vota domini irritare poſſunt, quæ ſuo juri officiunt, non item alia, ut habet idem Concina multis pro ſe citatis Theol. t. 3. p. 311. n. 4.

Animadversio XVIII.

Idem poteſt ſecundum Sanch. maritus reſpectu votorum uxoris: „ ſed, ait La-Croix p. 234. n. 488., „ recte contradicit Illſ. n. 127. quia poteſtatem talem „ neque ex jure naturæ, vel poſitivo, neque ex con„ tractu habet. “

Itaque Buſ. recte addit: *Licet probabilius alii limitent ad ea vota, quæ* &c. Hoc ſequitur, & confirmat P. Concina Theol. t. 3. p. 304. c. 4. q. 5. ſolvitque adverſariorum rationes, ut apud ipſum legi poteſt.

Itaque ſi uxor votum edat abſtinendi a theatris, choreis, alea, ornatu ſuperfluo, ſecundis nuptiis; illud, ſeu illa maritus irritare non poteſt; ideoque, quidquid contra pronuntiet maritus, implenda ſunt.

Animadversio XIX.

Parentes poſſunt quidem omnia vota filiorum impuberum etiam poſt pubertatem implenda irritare, ut docet D. Th. 2. 2. q. 88. ar. 9. quæ ſententia communis eſt, ut ait Concina Theol. t. 3. p. 297. n. 2. Hinc cau. 20. q. 2. can. *Puella* dicitur: *Puella, ſi ante 12. annos ætatis ſponte ſua ſacrum ſibi velamen aſſumpſerit, poſſunt ſtatim parentes ejus, vel tutores id factum irritum facere, ſi voluerint. At ſi annum, & diem id diſſimulando conſenſerint, ulterius nec ipſi, nec ipſa mutare hoc poterunt.*

At maritus uxoris vota poſt ejus obitum implenda irritare non poteſt, uti eſt communior ſententia, quam probat Concina Theol. t. 3. p. 308. n. 15. & ſequitur ipſe La-Croix contra Buſemb. p. 235. n. 496. Ratio eſt, quia fatente ipſo Buſ. hic. c. 3. probabilius eſt, maritum non poſſe ea uxoris vota irritare, quæ ſuo juri non nocent: at vota uxoris poſt mariti obitum implenda, hujus juri non nocent. Ergo &c.

Animadversio XX.

Votum, de quo dubium eſt &c.

La-Croix quoque n. 500. ait, hæc vota poſſe irritari. At hæc vota non poſſe licite irritari a ſuperiore, ego pro certo habeo. Ratio eſt, quia irritatio non ex opinione, ſed ex veritate poteſtatis irritandi vim habet, ita ut ea nulla ſit, ſi votum reipſa emiſſum fuerit tempore libertatis: ergo ſi ſuperior in dubio, de quo ſermo eſt, votum irritet, non ſolum juris ſibi non competentis uſurpandi periculum ſponte ſubit, ſed etiam irritationem nullitati, & ſubditum violandi voti periculo objicit; quod licere nullo modo poteſt. Poſſeſſio dominii, quam obtendit La-Croix, nulla eſt, ſi ſuperior ſit extra dominii tempus.

Animadversio XXI.

Facta tempore ſubjectionis poſſunt &c. quod verum eſt, etſi in pubertate ea ratificaſſet, putans eſſe firma.

Hæc Buſ. doctrina in lubrico verſari mihi videtur. Dum enim pubes votum, quod impubes fecit, ideoque nullum fuit, confirmat, putans ex errore eſſe firmum, illud deliberate firmum facit, & ratum habet, hoc eſt vult illud, ea poteſtate, & auctoritate, qua pollet, valere: at pubes ea auctoritate pollet, ut votum in ætate impuberi editum valeat, nec ſit irritationi obnoxium: ergo votum ab eo confirmatum valet: nec eſt irritationi amplius obnoxium. Cum aliquid confirmamus, illud robur illi addimus, quod pro præſenti poteſtate poſſumus: at pubes in præſenti habet poteſtatem efficiendi, ut votum ſuum irritari nequeat: ergo &c.

Dum pubes votum ætate impuberi emiſſum confirmat, ſuum aſſenſum præbet rei voto promiſſæ, hoc eſt iterum idem vovet, quod voverat, ſeu prius votum infirmum, ſeu ex errore firmum putet.

Hinc P. Concina Theol. t. 3. p. 298. n. 4. ait: „ Vo„ ta a filiis edita in ætate pupillari, ſeu impuberi, ſi „ confirmata fuerint ab ipſis in pubertate, rata & fir„ ma habentur, nullique irritationi obnoxia ſunt, dum„ modo perſonalia ſint, nullumque damnum inferant „ patriæ poteſtati. Ut vero dicatur votum confirma„ tum, ſatis haud eſt voventem illud ſervare; ſed opor„ tet ut nova, & expliciata deliberatione illud ratum „ habeat, ſeu ut denuo voveat, & ſecundo voto priori „ quodammodo robur adjiciat.

Hæc doctrina mihi verior abſolute videtur, quam contraria Buſ. & aliorum; qua de re etiamſi dubitandum eſſet, ſtandum tamen ex dictis voto eſſet.

At, inquies, pubes in noſtra ſpecie votum confirmans, illud ratum habet dependenter ab ejus firmitate: ergo cum hæc non ſubſiſtat, ratihabitio nulla eſt. Reſp. Si antecedens foret verum, concluſio quoque eſſet legitima; & fateor, voti ratihabitationem eſſe nullam, ſi mens puberis votum confirmantis ea ſit, ut illud nolit confirmatum, niſi firmum fuerit. Verum hæc confirmatio eſſet conditionata. Nos autem ponimus, ut ego ſentio, & pono, confirmationem eſſe non conditionatam, ſed abſolutam. Quamvis enim pubes in eo ſit errore, ut ſuum impuberis votum firmum putet, nihilominus votum abſolute ratum habet, non ſub ea conditione, ſi firmum ſit. Hæc conditio, inquis, involvitur in ipſa confirmatione ex errore profecta. Reſp. Ego vero puto, votum, & voti confirmationem quantum eſt in ipſo vovente, eſſe abſolutam, niſi vovens, aut votum confirmans aliquam conditionem in mente habeat. Cum ergo pubes votum confirmans, nullam in mente conditionem habere ponatur, confirmatio abſoluta exiſtimanda eſt. Confirmat ſuum votum, quia illud ſibi abſolute acceptum eſt, & quia ſuam voluntatem in eo præſtando immobilem facere in animo habet. Ergo illud non confirmat ſub conditione.

Animadversio XXII.

Supradicti poſſunt revocare &c. etſi ſemel ea ratificaverint; quia &c.

Suarez locum, quem Buſemb. pro ſe citat, Concina Theol. t. 3. p. 298. n. 6. pro contraria ſententia appellat, quam ipſe probabiliorem putat quoad vota impuberum a patre confirmata; quia, inquit, vota impuberum ſunt conditionata, hoc eſt ſi pater conſenſerit: ergo conditione impleta, hoc eſt accedente patris conſenſu rata, & firma ſunt. Reſp., hoc eſt ſunt abſoluta, concedo; hoc ratio evincit, hoc eſt ſunt irrevocabilia, nego; ic ratio non oſtendit.

Nec enim quia abſoluta, irrevocabilia ſunt; quia, ut Buſ. recte ait, qui vota confirmarunt, ſuo ſe dominio, & poteſtate non privarunt, ideoque, ſicut Princeps privilegium concedens, illud revocare poteſt, ita pater facultatem, quam filio dedit edendi votum. Hinc cau. 33. q. 5. cap. *Manifeſtum* dicitur: *Manifeſtum eſt, ita voluiſſe legem, fœminam eſſe ſub viro, ut nulla vota ejus, quæ abſtinentiæ cauſa voverit, reddantur ab ea, niſi auctor vir fuerit permittendo. Nam cum ad peccatum ejuſdem viri pertinere voluerit, ſi prius permiſerit, & poſtea prohibuerit, etiam hic tamen non dixit, ut faciat mulier, quod voverat, quia permiſſa jam prius a viro fuerat. Viri dixit, eſſe peccatum, quia abnuit, quod prius conceſſerat; non tamen mulieri vel ex hoc permiſſum dedit, ut quod vir prius conceſſerat, poſtea ſi prohibuerit, contemnatur.* Si vota uxorum de abſtinentiis a viris confirmata valide ex hoc canone revocantur, pari aut potiori ratione valide revocari poſſunt a patre vota filiorum eo conſentiente emiſſa.

Alias quoque promiſſiones, quas filius ex patris aſſenſu fecit, patre repugnante implere non poteſt; quia illæ promiſſiones filium non obligant; quia ex lib. 3. inſt. tit. 20. § 5. & 10. *qui in poteſtate parentis eſt impubes, ne auctore quidem patre obligatur.* Quare non filius, ſed pater erit cogendus, ut vel ipſe impleat, vel permittat, ut filius præſtet, quod ejus auctoritate promiſit.

Excipiendum tamen videtur votum religionis ab impubere ex patris conſenſu emiſſum, ſi filius ad pubertatem pervenerit. Nam filius pubes quoad religionis ingreſſum, paternæ poteſtati non eſt ſubditus: ergo ſi impubes illum valide vovit, præſtare pubes debet etiam patre reclamante; quia pater non poteſt ejus executionem impedire: at filius impubes accedente patris conſenſu valide vovit religionis ingreſſum: ergo pubes factus etiam patre reclamante religionem ingredi debet. Huc ſpectat Canon *Puella* cit. ad e. 5.

At ſi annum & diem &c.

Votum quoque continentiæ, quod uxor conſentiente viro emiſit (idem dicas de voto viri conſentiente uxore) a viro irritari non poſſe videtur: quod Buſ. ar. 2. e. 7. & Concina Theol. t. 3. p. 307. n. 9. & 10. affirmant, licet nonnulli ab hoc citati repugnent. Ratio eſt, quia dum uxor conſentiente viro continentiam vovet, vir cedit juri, quod habet in corpus uxoris. Nam votum ſine hac ceſſione nullum eſſet: at cum vir juri ſuo ſemel ceſſerit, palam eſt, ceſſionem revocari non poſſe. Hinc S. Antoninus p. 3. tit. 1. c. 22. §. 3. inquit: *Doctores multi, & præcipue D. Th. in 4. & Joann. de*

Nea-

Neapoli quodl. 8. dicunt, quod votum continentiæ emiſſum ab uno conjugum de licentia alterius, ſeu ſine licentia, ſed poſtea ratificatum, licentians non poteſt revocare. Unde ſi ille, qui ſic vovet, peteret debitum, non ſolum licentians non tenetur reddere, imo nec debet; alias peccaret mortaliter ſecundum Joannem Neapolitanum; quia cooperaretur ei in crimine mortali. Nec communiter tenetur, quod dictum eſt a quibuſdam, quod ita poſſit revocari votum continentiæ ſemel conceſſum ab altera, ſicut votum abſtinentiæ.

Animadversio XXIII.

Poteſt quis etiam indirecte irritare vota longe &c. v. gr. vota facta a conjuge longe ante matrimonium.

Hoc aſt eorum executionem ſuſpendere poteſt, ſi, & quatenus vota juri ſuo obſunt; non tamen poteſt eo ſenſu indirecte irritare votum puta continentiæ ante matrimonium emiſſum, ut jus petendi debitum concedat. Nam cum neuter conjugum jus habeat obligandi alterum ad petendum, ſed ſolum ad reddendum debitum, manifeſtum eſt, nec uxorem poſſe irritare votum continentiæ viri, nec virum uxoris quoad obligationem non petendi. Hinc D. Th. in 4. d. 38. q. 1. ar. 2. q. 2. ad 4. ait: *Quantum ad ea, in quibus factus non eſt impotens votum continentiæ ſervare, adhuc poſt contractum matrimonium obligatur ad ſervandum. Propter quod mortua uxore tenetur totaliter continere. Et quia ex matrimonii vinculo non obligatur ad debitum petendum, ideo non poteſt debitum petere ſine peccato, quamvis poſſit ſine peccato reddere debitum exigenti, poſtquam obligatus eſt ad hoc per carnalem copulam præcedentem.*

Animadversio XXIV.

Si ſola uxor, vel ſolus vir independenter ab alterius conſenſu continentiam abſolute voveat, temere vovet, & debitum petenti reddere debet, ut docet S. Fulgentius ep. 1. de deb. Conjug. c. 9. inquiens: *Si vero continentiam unus veſtrum ſine alterius vovit conſenſu, temerarie ſe voviſſe cognoſcat, & debitum conjugi caſta ſinceritate redhibeat.*

At debitum petere non poteſt, nec quoad hoc votum ab altero conjuge irritari poteſt, ut ex mox dictis intelligitur; & hoc idem ex eadem ratione dicendum eſt, votum ſcilicet irritari non poſſe, ſi uterque conjugum independenter ab altero voverit; in qua ſpecie certum eſt, neutrum poſſe petere debitum, uterque tamen, ut videtur, debitum reddere debet, ut ait Buſ. lib. 6. tract. 6. cap. 2. dub. 2. c. 5. multis pro ſe citatis, & Genettus Theol. t. 5. p. 474. q. 16. & ratio eſt, quia cum jus petendi ex matrimonio oriatur, illud ex voto vovens non amittit, ſed ſolum ſe obligavit eo non uti; ideoque culpabiliter quidem eo utitur, non tamen invalide. *Nam multa facta tenent, quæ fieri prohibentur*

La-Croix p. 235. n. 504. ait: " Illſ. 1. 5. n. 127. docet, neutrum conjugem poſſe irritare alterius votum de non petendo debito conjugali, cum neuter „ habeat jus obligandi ad petendum, ſed tantum ad „ reddendum. " Hactenus recte; at addit: „ fatetur „ tamen oppoſitum eſſe probabile, & in praxi tutum. „ quia unus poteſt obligare alterum, ne ſe reddat inhabilem ad petendum, quia inde naſceretur grave onus, & moleſtia in matrimonio, cum ſæpe difficile ſit, & maxime uxori verecundæ debitum petere. "

Hæc ſcilicet eſt verſatilis Theologiæ indoles, ut contradictoria probet, & tutum quoad conſcientiam faciat quod eſt maxime periculoſum.

Sed nego, unum conjugem poſſe obligare alterum, ne ſe reddat inhabilem ad petendum. Hoc jus commentitium eſt. Nam ex contractu matrimonii conjux jus habet obligandi alterum ad reddendum, ideoque ne ſe ad hoc impotentem reddat, non ad petendum, ideoque ne ad hoc quoque, ut ſe ad hoc inhabilem reddat. Nego ex impotentia petendi naſci grave onus, & moleſtiam in matrimonio. Ex hac enim impotentia nihil juris detrahitur alteri conjugi, nihilque novi oneris ei imponitur; quia ſi vult ſibi debitum reddi, illud petere debet, etiamſi alter facultatem petendi retineat; imo inde matrimonii onus levius efficitur ex parte conjugis voto non obſtricti, qui a debiti redditione a non petente exoneratur, & plenum jus petendi, cum libuerit, retinet.

At, inquit La-Croix, difficile eſt petere, maxime uxori verecundæ. Reſp. Hæc difficultas non a voto, ſed a voluntate ejus, qui debitum ſibi reddi vult, oritur. Quamquam novam difficultatem fingi, ubi non eſt. An mulieribus nullæ petendi artes deerunt? Niſi forte cum libidine ardeant, a conjugali opere alienæ videri velint, ut intemperantiæ hypocriſim addant.

Animadversio XXV.

Ad commutationem voti requiritur auctoritas Eccleſiæ. 3. Quando ſit in bonum æquale; licet aliqui tunc putent, ſufficere auctoritatem propriam.

Contrariam ſententiam probabiliorem putat ipſe La-Croix p. 236. n. 522. quæ, ut monet Concina Theol. t. 3. p. 350. n. 16. apud ipſos recentes morum Scriptores communior eſt. Hinc ipſe Laym. aſſerit, Prælati auctoritatem eſſe quoque neceſſariam, cum dubitatur, utrum id, in quod commutatio facienda eſt, ſit melius. Sed hoc ex mox dicendis clarius intelligetur.

Hæc tamen ſufficit ad commutationem in melius, quia in meliori minus continetur.

Hæc opinio apud recentes communis eſt, ut monet Concina Theol. t. 3. p. 345. qu. 1. quem La-Croix p. 236. n. 523. hoc modo laxat. „ Ut materia voti propria auctoritate commutari poſſit in aliam tantum „ probabiliter meliorem, requirunt Suar., Sanch., Caſtrop. certitudinem, quod ad minimum ſit æqualis; „ ſed Illuſ. num. 149. id non requirit, dicens, uti ſecundum probabilem ſententiam alia præcepta ad plus „ non obligant, quam ut eis probabiliter ſatisfaciam „ ſecundum dicta lib. 1. n. 609. ita & hic eſſe. "

Mira ſane vis probabilitatis, quæ facit, ut præceptis ſatisfiat, cum re ipſa non ſatisfit. Quod omnipotentiæ denegatum eſt, ut ſint quæ non ſunt, id verſatilis probabilitas poteſt?

Sed in eo ſibi La-Croix contradicit, quod, cum num. 522. dixerit, neminem poſſe propria auctoritate votum ſuum commutare in aliquid tantum æquale, nunc dicat poſſe illud commutare in aliquid, quod forte etiam minus ſit; quia non requirit certitudinem, quod ſit æquale.

Verum his miſſis dicendum, commutationem voti in bonum melius ejuſdem generis propria auctoritate fieri poſſe; qua de re nulla eſt quæſtio. Ex. gr. voviſti decem nummos in eleemoſynam, & das viginti. Hæc eſt abundantior voti ſolutio, quæ valde laudanda eſt; & hic habet locum ratio Buſemb. quod in meliori minus continetur.

At ſi commutatio propria ſit, hoc eſt in bonum diverſi generis, puta eleemoſynæ in jejunium, vel jejunii in preces &c. talis voti commutatio propria auctoritate ne in bonum quidem evidenter melius fieri poteſt.

Hæc ſententia recentibus Scriptoribus adverſa, a P. Concina antiquorum Theologorum auctoritate confirmatur, ac præſertim SS. Thomæ, & Bonaventuræ, & Levit. 27. ubi dicitur: *Animal autem, quod immolari poteſt Domino, ſi quis voverit, ſanctum erit, & mutari non poterit, ideſt nec melius malo, nec pejus bono: quod ſi mutaverit, & ipſum, quod mutatum eſt, & illud, pro quo mutatum eſt, conſecratum erit Domino.* Hæc ſane lex, quæ de voto non mutando eſt, ad jus non cæremoniale, ſed morale, & naturale pertinere merito dicitur, ideoque ad nos quoque pertinet. Ratio hujus ſententiæ eſt, quia, dum res voto promiſſa in aliam quamcumque diverſam mutatur, editi voti vinculum ſolvitur, ejuſque loco novum vinculum ſubſtituitur: at licet unuſquiſque novum vinculum ex ſe ſubire poſſit, propria tamen auctoritate editi voti vinculum ſolvere non poteſt. Ut enim hoc ſolvatur, neceſſarius eſt Dei, cui promiſſio facta eſt, aſſenſus; quem aſſenſum Dei loco nemo privata auctoritate præbere poteſt, ſed ſolum Prælatus, qui in *Eccleſia gerit vicem Dei: & ideo*, concludit Angelicus 2. 2. q. 88. a. 12. *in commutatione, vel diſpenſatione votorum requiritur Prælati auctoritas, qui in perſona Dei determinat, quid ſit Deo acceptum, ſecundum illud* 2. *Cor.* 2. „ Nam „ & ego quod donavi, ſi quid donavi, propter vos in „ perſona Chriſti, " Excipit ſolum Angelicus in reſp. ad 1. votum Religionis, in quod quæcumque vota commutari poſſunt, ut patet ex cap. *Scripturæ* de voto &c. quia, ut ait S. D. *omnia alia vota ſunt quorumdam particularium operum: ſed per Religionem homo totam vitam ſuam Dei obſequio deputat: particulare autem in univerſali includitur.* Ex quo fit, ut omnia alia vota in Religionis voto includantur, ideoque in eam commutari poſſint. At votum unius rei particularis non includitur in alia re diverſa, licet meliori: ergo &c. Sed hic legendus eſt Concina Theol. t. 3. p. 345. q. 1. qui hanc rem ex dignitate tractat.

Secunda .... ſi (commutatio voti fiat) *in æquale cum auctoritate ſuperioris, ſufficit* &c.

Ita loqui mihi videntur, qui hominum voluntati obſequi valde cupiunt.

Nec enim major propenſio, quæ ratione deſtituta poteſt, ſed rationabilis major propenſio in æquale bonum, ſufficiens cauſa judicanda eſt commutandi votum. Hinc P. Concina Theol. t. 3. p. 355. qu. 3. eorum opinionem,

ncm, qui ad commutatioiem voti in æquale bonum ſolam voventis petitionem (petitio ex majori propenſione oritur, & in idem cum ipſa recidit) ſufficere putant, merito rejicit. Nam aliud eſt petitio, aliud petitionis, ſeu mutationis voti eauſa: cauſa mutationis juata nmnes neceſſaria eſt, ut mutatio voti recte fiat: ergo ſola petitio non ſufficit.

Animadversio XXVI.

Si is, cujus votum mutatum eſt, malit deinde implere primum, id poteſt; tum quia &c. tum &c.

Idem habet La-Croix p. 236. num. 516. ea Leſſ., Laym., Spor. „ Quamvis, inquit, Suar., Sanch., & „ alii cum Dian. negent, ta poſſe ad priorem mareriam „ redire, ſi materia ſubrogata fuerit melior, quia pu„ tant, commutationem eſſa factam in ſavorem Dei, „ qui acceptavit. Sed hanc limitationem non admittunt „ alii. "

Quid ergo? Ergo opinata, & fac, ut libuerit. Hæc eſt probabilium concluſio. Nos, ut, quantum in nobis eſt, juata ſanam Theologiam loquamur, concedimus, mutatione voti, ſuperioris auctoritate in minus bonum facta, voventem ad priorem Deo promiſſam materiam redire poſſe; quia mutatio in hac ſpecie eſt ſavor, & gratia, qua nemo uti cogitur; & ita ſentit etiam Concina Theol. t. 3. p. 362. n. 4.

At ſi mutatio facta ſit in bonum melius, aut etiam æquale, ad prius propria auctoritate vovens redire non poteſt. Superior enim Dei loco in hac commutatione illud unum præſtat, ut unam materiam pro alia ſubſtituat, at voti vinculum ſeu votum intactum relinquat: at vovens propria auctoritata votum in æquale bonum, multoque minus in deterius commutare nequit ex jam dictis: ergo &c. Hanc ſententiam confirmat quoque Conc. p. 372. qu. 3. At, inquit Bulemb. mutatio facta eſt in ſavoram ſubditi cum tacita conditione, ſi ei placuerit. Reſp. Hæc conditio recte intelligitur, cum commutatio in minus bonum facta eſt, non item ſi facta fuerit in æquale, aut majus.

Ratio eſt, quia in priori mutatione non ſolum reſciſſio obligationis quoad promiſſam materiam, ſed etiam novæ materiæ ſubſtitutio in voventis gratiam fit; at in poſteriore, novæ materiæ ſubſtitutio, voventis onus eſt, a quo ſua ſe auctoritate eximere non poteſt. Se, inques, non eximit propria auctoritate, ſed, ut ait La-Croix loco citato, ex benigno, & interpretativo conſenſu Eccleſiæ. Reſp. Ecclaſiæ conſenſus non eſt ad arbitrium fingendus. Si La-Croix, aut alii ex Eccleſiæ dictis hunc conſenſum eruant, manus dare parati ſumus. At quando de ſuo loquuntur, hanc veniam nobis petimus, ut eos non audiamus.

Animadversio XXVII.

Si voti legitime a ſuperiore commutati materia, ſive opus fiat impoſſibile, vel indifferens, non tenetur redire ad prius &c.

In eadem ſenſa loquitur La-Croia n. 516. cit. imo addit, id verum eſſe, etiamſi materia ſubrogata fiat impoſſibilis, aut inutilis ex culpa voventis; quaſi vero vovens ex ſua culpa commodum axemptionis reportare debeat, aut poſſit. Ceterum cum ſuperior non diſpenſet, ſed commutet, ſatis aperte intelligitur, ejus mentem eſſe, ut, ſi materia ſubſtituta fiat impoſſibilis, aut inutilis, alia pia opera ſubrogentur. Si enim alia eſſet ajus mens, eſſet non prudens œconomus, ſed diſſipatur. Neque valet ratio Buſ. & La-Croiait, qui aadem utitur. Nam etiamſi ex commutatione prioa votum eatinguatur, intelligi tamen debet extinctum cum onere præſtandi æquivalens, ſi materia ſubrogata aut impoſſibilis, aut inutilis fiat; qoa in re, ne quid temere fiat, ipſe ſuperior conſulendus erit, ut priorem, aut novam materiam ſubſtituat.

Animadversio XXVIII.

Si notabilis difficoltas prævia non fuit, ſed tota de novo emergat, aut poſt votum innoteſcat, ſufficit pro diſpenſatione ax communi ſententia.

Si autem fuerit prævia, adhuc putat Tamb. n. 18. probabile eſſe quod ſufficiat. Ita La-Croix p. 237. num. 541. qui aliqoa contra ſentire fatetur. Concina quoqua Theol. t. 3. p. 342. qu. 6. contra ſentit. Qui enim vovens, gravem difficultatem prævidit, ad hanc vincendam ſuo ſe voto implicita obſtrinait; nec ullius momenti eſt adverſariorum ratio, quod difficultas licet præcognita, in eaecutione tamen major deprehendatur. Nam ſi id ordinarie accidit, ipſum difficultatis augmentum prævideri potuit; quod tamen augmentum non eſt quid notabile, quod juſtam diſpenſandi cauſam ſuppeditet. Si tamen difficultati etiam præcognitæ aliæ cauſæ addantur, puta grave periculum violandi votum; pro diſpenſatione ſufficient ex communi ſententia, ut monet idem Concina.

Imperfectio actus, vel levitas, ac facilitas &c.

At ſi votum emiſſum validum eſt, cur relaxandum eſt nullo impedimento occurrente? inquit Concina alioa citans. Si quia conſilio non ſatis maturo leviter, & facile vovit, id ſibi imputare debet, nec inde cauſam ſufficiantem diſpenſationis deſumera poteſt. Hic tamen, ut recte monet idem Conc. p. 341. q. 4. imperfectæ deliberationis, & vovendi facilitatis origo, voti gravitas, voventis conditio perpendenda ſunt, omnibuſque ſerio penſatis aut abſoluta diſpenſatio, aut cum permutatione mixta, quod tutius eſt, impertiri poterit.

Animadversio XXIX.

Prælatus videns, ac non contradicens videtur diſpenſare, ait Sa.

Qui ita loquuntur, non tam ſolide ratiocinari, quam divinare mihi videntur. Cum anim multæ cauſæ eſſe poſſint, propter quas Prælatus videns ſubditum ſuo voto repugnantem, ai non contradicat, etiamſi facile poſſit, ut, negligentia, ſpes, timor &c. ſubditus ex ſuia Prælati taciturnitate temere colligit, ſecum in voto diſpenſatum fuiſſe. Votum certum eſt, diſpenſatio divinatoria, hoc eſt aut fictitia, aut ut minimum incerta: certa autem incertis præſertim in animæ negotio neceſſatio præfarenda ſunt: argo votum prædictæ diſpenſationi ſine dobitatione prævalet, & ſervandum eſt. Hanc ſententiam penes juris eanonici, & civilis interpretea communem contra nonnullos recentis doctrinæ Scriptores propugnat Concina Theol. t. 6. p. 473. q. 3.

Animadversio XXX.

Poteſtas etiam delegata diſpenſandi in votis extendit ſe &c.

Supra ad cap. 2. dub. 7. e. 3. diximua, habentem facultatem delegatam diſpenſandi in votis, diſpenſare non poſſe, ſi jurata ſint ex ratione ibi allata. At quoniam Buſ. ſuam opinionem hic repetit, contraria quoque doctrina repetenda eſt. Adde, quod qui dicunt, poteſtatem delegatam diſpenſandi in votis ſe extendere ad vota jurata, perinde eſt, ac ſi dicant, poteſtatem delegatam diſpenſandi in votis, ad juramenta quoque ſe eatendere; nec enim quia votis juramenta adduntur, juramenta eſſe deſinunt. An hujuſmodi extenſio rationabilis eſt? poteſtas delegata, utpote quæ a jure exorbitat, eſt ſavor perſonæ, non legis; & quia lex pluris ſcienda aſt, quam perſona, idcirco ſavor legis ſavori perſonæ præferendus eſt. Ea quo fit, ut poteſtas delegata ſtricte accipienda ſit. Qua argo ratione poteſtas dalegata diſpenſandi in votis ſimpliciter, & ſine additione, eatenditur ad vota jurata, hoc eſt ad vota cum additione inſigni juramenti? Vereor ſcilicet, ne hæc eatenſio ex arbitrio, & indulgendi indole, non ax amore veritatis oriatur.

Animadversio XXXI.

Ex privilegio Papæ Confeſſarii Ordinum mendicantium &c.

Hic legendus eſt P. Concina Theol. t. 3. p. 320. c. 12. ubi oſtendit, Confeſſarios regulares poſſe quidem ſæcularium vota commutare, non tamen in iis diſpenſare.

TRACTATUS III.

De tertio, & quarto præcepto.

CAPUT I.

Quid tertium præceptum: Mementu, &c.

PRæceptum hoc, quatenus vult tampus aliquod ſanctificari, ſive impendi cultui divino, aſt naturale, & adhuc obligat: quatenus vero tempus id deſignatur die Sabbati, eſt ceremoniala, & in novo teſtamento abrogatum, ac pro eo ab Eccleſia deſignatus dies Dominicus, & feſti, præſcriptuſque modus colendi, ut quædam opera illis diebus fiant, quædam non: hæc prohibentur, illa præcipiuntur. Bonac. Laym. ex D. Th. 2. 2. q. 122.

D U-

D U B I U M I.

Quæ opera tum hoc præcepto, tum ab Eccleſia prohibeantur?

Reſp. 1. Die feſto prohibentur omnia opera ſervilia, hoc eſt quæ & verſantur circa materiam externam, & vel mechanica, & illiberalia ſunt, v. g. ſuere, ſabricare: vel requirunt tantum laborem corporis, & ab operariis tantum, & ſervis fieri ſolent. Ita DD. communiter. Vid. Laym. *l.* 4. *tr.* 6. *c.* 1. Suar. Fill. &c. ex D. Th. *l. c.*

Unde reſolves.

1. Impertinens eſt ad rationem operis ſervilis, utrum fiat ex lucro, an ex recreatione, ex hac, an iſta intentione, pia, vana, & turpi. Cajet. Suar. Laym. *l. c. &c.* contra Sylv. & Canoniſtas.

2. Impertinens quoque eſt, ſive fiat cum defatigatione, & labore, ſive non; ſive brevi, ſive longo tempore, &c. quia nihil horum mutat naturam operis.

ANIMAD. I. 3. *Servile non eſt, ideoque nec prohibitum, feſto ludere, choreas ducere, inſtrumenta muſica pulſare, iter facere pedibus, equo, curru, vel navi: unde etiam ad hæc neceſſaria ſunt licita.* Navar. c. 13. Tol. & Layman, Suar. *de feſt. s.* 27.

4. Nec ſervile eſt, ducere jumenta ſine onere, cum id ſit iter facere, ut ait Fill. *hic c. 9. n.* 170. Ducere autem jumenta, currus, vel navigium onuſtum mercibus eſt ſervile. Suar. *l. c.* Fill. *l. c.* Quod ſi tamen ante feſtum talia itinera incepta ſint, continuatio eorum permittitur, vel ob publicam utilitatem, vel ob damnum, quod alias ſequeretur.

ANIMAD. II. 5. *Item nec ſervile eſt, ſive gratis, ſive pro pretio docere, ſtudere, ſcribere, tranſcribere, & ſecundum quoſdam*, ut Medin. Lopez, & Armillam, quorum ſententiam probabilem docet Laym. contra Fill. Axor. & alios multos, *pingere etiam coloribus* (nam de rudibus lineamentis plerique concedunt) terere tamen colores, & non pingere, ſed tingere, ut v. g. colorare aſſeres, vel pannos, dealbare parietes, illiberale eſt.

ANIMAD. III. 6. *Videntur etiam excuſari poſſe in typographiis litterarum collocatores, quando poſt divina collocant neglectum penſum*, ut habet Laym. *hic*. Imprimere tamen ſervile habetur. Eſcob. *E.* 5. c. 4. Suarez, Layman, &c.

ANIMAD. IV. 7. *Excuſat etiam Fill. hic n.* 169. *diſtillationem, quæ ſine corporis fatigatione potius ad experientiam, & peritiam fit, quam ex officio, & arte.*

ANIMAD. V. 8. *Servile aliqui non putant* (alii contrarium tenent, & excuſant per conſuetudinem, ad otium, aliaque pejora vitanda) *venari*. Granat. 2. 2. *c.* 7. *t.* 12. *d.* 4. *ſ.* 7. *n.* 65. *aucupari, militare, gladiari, piſcari* (ſaltem in fluminibus recreationis gratia) *& ſimilia*; piſcatio tamen moderata eſſe debet. V. Laym. & Fill. t. 27. *c.* 9. *qu.* 12. Bon. *d.* 5. *qu.* 1. *p.* 2. *n.* 25. Eſcob. qui docet, laborioſam, & ex officio non licere. *Similiter quidam excuſant puellas ad otium vitandum acu pingentes.* Arm. Axor. Palaus, Sa, Marchant. V. Dian. *p.* 5. *t.* 6. *R.* 15. *& p.* 4. *tr.* 4. *R.* 62.

Reſp. 2. Prohibentur præterea quædam opera non ſervilia, quæ dicuntur forenſia, ut ſunt mercatus, placitum, judicium ad mortem, vel pœnam, & ſtrepitus omnis judicialis, id eſt actiones, quæ ad deciſionem cauſarum tam civilium, quam criminalium, tam ſæcularium, quam eccleſiaſticarum ſpectant. Ita commun. DD. *ex cap.* 2. *de feriis*. (*a*)

Unde reſolves.

1. Feſto non licet citare, educere teſtes, id eſt, exigere juramentum judiciale, proferre, aut exequi ſententiam, quæ ſi feratur, eſt irrita. V. Laym. *l.* 4. *t.* 7. *c.* 2. *n.* 7.

2. Nec licet emere, & vendere res non neceſſarias, negotiari publice, vel privatim, inire contractus emptionis, locationis, permutationis, &c. (niſi ex conſuetudine, vel aliis juſtis cauſis excuſentur) quia intelliguntur nomine mercatus, qui prohibitus eſt *c.* 2. *de feriis*, ut docet Bon. ex Suar. *c.* 13. & Fill. *t.* 27. *c.* 10. *q.* 2. *n.* 180.

3. Feſto licet excommunicare, diſpenſare, judicem privatim informare, advocatum conſulere, conſilia conficere, eligere, &c. quia non requirunt ſtrepitum judicialem. V. Bon. *l. c.*

D U B I U M II.

Quæ cauſæ excuſent ab obſervatione feſtorum, ob quas opera prohibita liceant?

Tales præcipue ſunt ſeptem.

Prima. Diſpenſatio Epiſcopi, vel habentis poteſtatem quaſi epiſcopalem, ut ſuperiores Religioſorum, imo & Parochi, quando non datur facilis acceſſus ad Epiſcopum. Suar. *c.* 33. Laym. *c.* 4. *n.* 2. Bon. *p.* 1. n. 20.

Secunda. Conſuetudo: *nam ſic licent nundinæ illæ in feſtis paſſim haberi ſolitæ, & præparationes deliciarum non neceſſariarum, ut cupediarum, placentarum, & ſimilium ciborum artificioſorum:* item emptiones, & venditiones rerum parvi momenti. Bonac. *l. c.* Layman *l. c.* ANIMAD. VI.

Tertia. Pietas in Deum, per quam licent opera, quæ proxime (non quæ remote) ſpectant ad cultum Dei; ut pulſare campanas, circumferre imagines vel cruces in ſupplicatione. *Ornare autem, & verrere templa, ac ſimilia, quæ ad ipſum officium non ſpectant, ſi abſque ratione in feſtum differantur, venialia habentur.* Fill *n.* 219. Bon. *l. c.* ANIMAD. VII.

Quarta. Caritas erga proximum; per quam licent, & valent actus judiciales pauperum orphanorum, viduarum, & miſerabilium perſonarum, ne expenſis graventur. Sic etiam poſſunt ruſticanorum, in parvis oppidis, ſi aliis diebus adeſſe nequeant, cauſæ civiles agitari. Similiter licet pauperibus, & infirmis pro tunc egentibus ſubvenire. Item emere, & vendere ruſticis, qui aliis diebus impediuntur. Laym. *s.* 2. *n.* 7 V. Dian. *t.* 1. *R.* 34.

Quinta. Neceſſitas propria, vel aliena, corporis, vel animæ, ſi nimirum ſine gravi incommodo, aut detrimento aliquid omitti non poſſit. Quo modo excuſantur. 1. Judicia, quæ celeritatem requirunt, v. gr. ſi latro ſit fugitivus, niſi tunc capiatur. 2. *Servi, & ancillæ coacti a dominis laborare, nec audentes recuſare*: quod ſi tamen frequenter contingat, eos deſerere debent. Suarez, Laym. *loc. c.* 3 Iidem, & ſimiles reficientes ſuas veſtes, cum id aliis diebus non poſſint. 4. *Pauperes*, qui ſe, ſuoſque alere non poſſunt, operantes privatim, ſine ſcandalo, maxime quando multi dies feſti concurrunt. Bonac. *num.* 13 5. Coqui, & culinarii. 6. *Piſtores, & laniones, & ſimiles in oppidis populoſis, & concurſu feſtorum.* 7. Chirurgi, & Pharmacopolæ. 8. Conflatores ferri, & vitri, coctores laterum, calcis, &c. & quicumque, quorum opus ſemel ceptum non poteſt interrumpi ſine damno. 9. *Molitores*, & naucleri pendentes a vento. 10. *Piſcatores halecum, thynnorum*, &c. qui certo tantum anni tempore id poſſunt. 11. Inſtauratores fontium, pontium, viarum publicarum, & ſimilium, quæ moram non patiuntur. 12. Sartores in operibus neceſſariis, ut funeribus, nuptiis, &c. ſi aliter fieri non poteſt, ut ſatisfaciant. 13. Agricolæ ad cavendum damnum ruri laborantes, ut ſi ob pluviam imminentem ſegetes vel fœnum congregent. Bon. *n.* 13. Fill. n. 211. 14. *Denique excuſantur etiam mercatores, qui clauſis tabernis quædam vendunt*; cum præſupponere poſſint, emptoribus ea tunc eſſe neceſſaria, nec alias commode emere poſſe. De ſupra dictis v. Suar. Filliuc. Laym. Bon. *ll. cc.* ANIMAD. VIII.

Sexta. *Utilitas, non ſimpliciter neceſſaria, ſed ad communem lætitiam, vel ſplendorem: ſic enim licet in adventu, vel ortu Principis laborare, ut perficiantur theatra, ignes, veſtes*, &c. Quanquam monet recte Suarez, præſtare in hoc caſu petere veniam a Paſtoribus. V. Bon. ANIMAD. IX.

Septima. Excuſet item, ſaltem a gravi peccato, parvitas operis, ſeu temporis. *Unde grave non videtur una hora laborare*, ut habet Suar. *l.* 2. *de feſt. c.* 33. maxime, ut notat Laym. ſi labor non ſit nimis ſervilis, & fatigans corpus. *Imo durum videtur mortalis damnare, ſi quis duas, aut tres horas impendat.* ANIMAD. X.

Digitized by Google

dai. Vide Fill. *t.* 27. *c.* 1. *q.* 1. *n.* 103. In forenſibus autem, & judicialibus materiæ quantitatem non ea quantitate temporis, ſed qualitate operis deſumendam, monet Excob. *E.* 5. *c.* 3. *n.* 14. ex Palao *l.* 1. *tr.* 9. *d.* 2. *p.* 3. *n.* 4. Sic grave peccatum eſſe aſſerit venditionem rei magni momenti, cum magna ſolmnitate, licet brevi tempore fiat. Quod intellige (ſecundum prædicta) niſi conſuetudo, vel neceſſitas eacuſet.

D U B I U M III.

Quæ opera feſtis præcipiantur?

Reſp. (*b*) Præcipitur 1. Auditio concionis, non tamen ſub mortali, niſi quatenus quiſque tenetur diſcere neceſſaria ad ſalutem. V. Trident. *ſ.* 24. *c.* 4. *de reform.* Fill. *hic*, *c.* 8. Bon. *t.* 1. *d.* 5. *q.* 1. *p.* 2. *n.* 27. Suar. &c. Dian., *niſi quatenus*, &c. quia homines rudiores ignorantes præcipua myſteria fidei, ea præſertim, quæ ſub gravi obligatione eos ſcire teneri dictum aſt ſupra *l.* 2. *tr.* 1. *c.* 1. tenentur lege caritatis (ſi alias ea commode addiſcere non poſſint) ſub gravi peccato concioni, vel potius catechaſi intereſſe. Bon. *d.* 2. *in præc.* 2. *n.* 28. addens eo caſu concionem atiam Miſſæ præferendam eſſe. Trul. *l.* 1. *c.* 1. *d* 4. *num.* 12. Fag. &c. 2. Præcipitur ſpeciali præcepto obligante ſub mortali, audire Miſſam, hoc eſt morali, & humana aſſiſtentia, ſive præſentia ei intereſſe. Eſt communis ea cap. *Omnes fideles*, & ea cap. *Miſſas*, *de conſecrat. diſt.* 5. *contra Ang. & Roſellam*, *qui ſemel*, *vel iterum negligere*, *dicunt eſſe veniale.* (*c*) Obligat hoc præceptum omnibus feſtis omnes baptizatos uſum rationis habentes; non autem infantes, amentes, vel catechumenos. Ratio primæ partis eſt, quia eſt, univerſale. Ratio ſecundæ eſt, quia aſſiſtantiam humanam habere non poſſunt. Ratio tertiæ eſt, quia non ſunt Eccleſiæ ſubjecti. C. Lugo *d.* 22. *ſ.* 1. & 2. ax Nav, Sanch. & Conin.

Unde reſolves.

1. Non aſt obligatio audiendi concionem in Parochia propria: tum quia DD. multi nullum hac de re præceptum agnoſcunt; cum Trident. *ſeſſ.* 24. *c.* 4. *de reform.* dicat, *teneri*, *ubi id commode fieri poteſt*: tum quia, ſi qua obligatio fuit, ai derogatum eſt per privilegia Regularium, & generalem conſuetudinem contrariam. Suar. *de rel.* t. 1. *l.* 2. *c.* 16. Azor. Nav. Cencd. Zerol. *p.* 2. V. præd. Trull. *l.* 2. *c.* 1. *d.* 4. Vide Barb. *in Trid. ſeſſ.* 24. *c.* 4. Imo Fratres Prædicatores, & Minores & qui cum ipſis in privilegiis communicant, concionantes in ſuis Eccleſiis quovis anni tempore poſſunt auditoribus ſuis concedere 18. annos, & 320. dies Indulgent. nomine Papæ. Dian. *p.* 4. *t.* 4. *R.* 22. ex Rodriq. &c.

2. Non eſt obligatio ad audiendam Miſſam feria quinta, & ſexta, & ſabbato majoris Hebdomadæ, neque diebus Rogationum Azor. Henriq. Suar. *d.* 88. *ſect.* 5.

3. In die Nativitatis Chriſti tantum teneris audire unam Miſſam. Navar. Suar. Fill.

4. Satisfacit, qui recitat ſub Miſſa (ex obligatione) Horas Canonicas, vel pœnitentiam injunctam in Confeſſione, ut contra Cajetan. Sylv. Ang. Armill. docent Suar. Sa, Rodriq. Fill. &c. Ratio aſt, quia duobus præceptis poteſt ſimul ſatisfieri, ANIMAD. XI. ut v. ſupra *l.* 1. *t.* 2. *cap.* 3. *dub.* 3. *Idem de eo*, *qui confitetur tempore Miſſæ*, *affirmat Regin. l.* 19. *n.* 14. *dummodo intentionem habuerit audiendi Miſſam.* Negat autem Suarez *d* 88. *ſect.* 6. Azor. *c.* 7. *q.* 6. Cordonus, Card. Lugo *l. c.* ſi quidem poſſit differre Confeſſionem, nec adſit neceſſitas præcepti confeſſionis. Idem dicit Bonac. *diſp.* 4. *art. ult. p.* 1., ubi contrariam praxim quorundam excuſat, vel ob neceſſitatem communicandi, vel intentionem audiendi Miſſam aliam, vel denique ob bonam fidem.

5. Satisfaciunt etiam inſervientes Miſſæ, ſi recedant allatum neceſſaria, v. g. vinum, hoſtiam, thus, &c. quia, cum hæc ordinentur ad officium, non cenſentur abeſſe, dummodo non recedant ab Eccleſia, vel ſaltem non longe. V. Bon.

6. Peccat, qui non audit integram Miſſam; & quidem venialiter, ſi omittatur parva pars; mortaliter, ſi notabilis, verbi gratia, *media*, *vel tertia* ANIMAD. XII. *pars. Laym. tamen*, *& alii durum putant*, *mortalis damnare eum*, *qui ab Offertorio uſque ad finem adſit*: additque communiter excuſati a mortali, qui audiunt a principio Epiſtolæ, vel ſecundum alios Evangelii uſque ad finem, val ab initio uſque ad Communionem. V. Bon. *l.* 1. *d.* 4. *q. ult.* Card. Lugo *d.* 22. *ſect.* 1. *n.* 3.

7. *Non peccat*, *ſaltem mortaliter*, *qui a duobus ſacerdotibus ſucceſſive duas dimidias Miſſas audit*, ut ANIMAD. XIII. habet Navar. *c.* 21. Sa, Sot. Henriq. Dian. *t.* 1. *tr.* 3. *R.* 18. Bon. *d.* 4. *q. ult. p.* 11. Hurt. contra Suarez, Con. Fag. quia audit integram Miſſam. *Ob quam cauſam eſt probabile*, *etſi ſimul audiat*, *ut habet Bon. l. c. Hurt. & Dian. contra Reg. Con. Card. Lugo*, &c. *quorum ſententia videtur probabilior.*

8. Non ſatisfacit, qui ſub ſacro dormit, pingit, docet, vel qui eſt poſt murum, aut aliam rem, tali loco, unde nihil audiri, videri, vel notari poſſit, quid fiat; quia non cenſetur moraliter præſens. *Satisfacit tamen ſurdus*, *cæcus*, *& quicumque* ANIMAD. XIV. *(licet ſit poſt oſtium*, *aut columnam*, *vel in feneſtra*, *vel procul a templo) ita eſt præſens*, *ut ex ſignis externis colligere poſſit*, *quid a celebrante agatur*, *ſpectata loci natura (etiamſi per accidens nihil audiat*, *videat*, *aut intelligat) ſitque pars per moralem conjunctionem ejus multitudinis*, *quæ dicitur præſens*, *& eſt in conſpectu alterius.* Bon. *l. c.*

9. Audiens debet eſſe attentus, ſaltem virtualiter, & in conſuſu, ut aliquo modo advertat, quid fiat: *Hinc ſi quis nunc attendat*, *nunc fabuletur*, *ut* ANIMAD. XV. *tamen ſemper advertere poſſit*, *quid fiat*, *licet peccet irreverentia*, *non tamen damnandus eſt mortalis. Imo Con.* 3. *p. qu.* 83. *cum Sylv. Roſel. & Med. docet*, *eum ſatisfacere*, *qui voluntarie toto ſacro eſt diſtractus*, *modo ſibi ſit præſens*, *& cum reverentia externa aſſiſtat.* Quod probabile eſſe, docet Laym. contra Suarez, Bon. & alios. V. Con. *l. c.* & Card. Lugo *n.* 26. & 27. Plura de tota hac materia vide ſupra *l.* 1. *t.* 2. *c.* 3. *dub.* 2. 3. & 4.

10 Præceptum audiandæ Miſſæ impletur quocunque in loco, ſive in Parochiali, aut Cathedrali, ſive in Regularium eccleſia, *ſive in Oratoriis privatis*, ſive extra Eccleſiam audiatur. Ratio aſt, quia ANIMAD. XVI. Eccleſia tantum auditionem Miſſæ præcipit, non autem locum: ergo quovis loco impletur. Tol. *l.* 9. *c.* 7. Azor. *c.* 6. Rodr. Nav. Fill. Nug. Suar. Con. Bon. *d.* 4. *qu. ult. r.* 32. *n.* 4. & plures. Quæ doctrina, licet certa ſatis ſit, nihilominus, quia poſt omnes ſupra citatos Auctores a quodam moderno, viro alias docto, in dubium vocatur, peculiari dubio examinanda eſt, ne cui (quia liber obvius aſt) ſcrupulus, aut conſcientia naſcatur erronea.

D U B I U M IV.

An ſit obligatio audiendi Miſſam in Parochia Dominicis, & Feſtis majoribus?

Reſp. Etſi id quidem decens ſit, non tamen aſt obligatio. Eſt communis Auctorum (quos vide *ſuperiore dub. caſ. ult.*) & ut ait Card. Lugo *diſp.* 23. *ſect.* 1. *n.* 2. certa; etſi Marcantius in Candelabro myſtico: t. 4. *cap.* 7. & in Reſolutionibus moralibus in forma manualis editis *cap.* 8. in dubium vocet: ſcrupulumque movere conetur. Ratio eſt 1. Quia nullum extat aa de re præceptum. 2. Quia *caput Ut Dominicis*, jubetur Parochus ante Miſſam ejicere eos, qui, proprio Parocho contempto, illhic Miſſam audire valient: ergo ſine contemptu (formali) licet. 3. Quia *cap. Si quis*, *de conſecr.* jubentur ii, qui habent oratorium domi, in majoribus feſtivitatibus audire ſacrum in Parochia, vel in civitatibus. 4. Quia univerſalis fidelium, & ipſorummet atiam Parochorum doctorum, & Conſeſſariorum (qui pœnitentes hac de re non interrogant) conſuetudo id non tantum, ut loquitur Marchant. *loc. cit.* inſinuat, ſed manifeſta docet. 5. Quia Trid. *ſeſſ.* 22. *c.* 7. tantum dicit, populum debere moneri (non autem teneri) ut frequenter adeant Parochias, ſaltem Dominicis, &

feſtis

Digitized by Google

feſtis majoribus. Vide Fagund. Lugo, Barboſ. Zened. Trull. *l.* 3. *c.* 1. *dub.* 6.

Nec obſtant, quæ March. objicit, ut

1. Quod jura antiqua decernant contrarium; eo quod Sixtus IV. *de tregua, & pace*, præcipiat, ne Mendicantes prædicent, non teneri audire Miſsam in Parochia Dominicis, & feſtis. Nam imprimis ex illo Sixti decreto nihil ſequitur, cum is non dicat teneri, ſed tantum prohibeat, ne publice *prædicetur, non teneri*. Cum enim honeſtiſſimum ſit, populum audire Miſsam in Parochia, idque ſuadere deceat, minime deceret id (publice præſertim) diſſuadere: nam inde ſcandala, & proprii Parochi contemptus ſequi poſsent. Et hoc eſt, quod Sixtus cavere voluit. Deinde, eſto antiqua forſan aliqua jura id habeant, ea poſterioribus temporibus, per varia privilegia, receptamque conſuetudinem univerſalem, eſt derogatum. Cajet. Lugo &c. Auctor. cit.

Nec obſtat 2. quod multos Canoniſtas eam opinionem ſecutos aſserit. Eſto enim olim quidam ſic ſenſerint: hoc tamen tempore, poſt tot, & tam ampla privilegia, poſt tam claram, & diuturnam conſuetudinem, poſt Eminentiſs. Cardinalium declarationes, & ipſorum etiam Pontificum nota decreta, contraria (*ut vid. ſeq. Reſp.*) an aliqui id doceant, neſcio.

Nec 3. locus Trid. paulo ante in reſp. citatus, quem objicit, ut patet ex ipſis verbis, & declaratione Eminent. Cardinalium, Auctorumque communi explicatione.

Reſp. 2. Epiſcopus non poteſt cenſuris, mulctis, aliiſque pœnis cogere ad audiendam Miſſam in Parochia. Eſt contra March. *l. c.* ubi ait. *Regulares ita communiter reſpondere, ut privilegiorum ſuorum fimbrias magnificent, & dilatent phylacteria:* & contra Auctorem Parochiani obedientis. Ratio autem eſt, quia, ut ait Navar, Epiſcopus non poteſt tollere (nec reſtringere) jus commune, & generalem totius orbis conſuetudinem. Ita docent præter Auct. ſup. cit. S. Anton. *p.* 2. *tit.* 9. *c.* 10. §. 1. *d.* 4. Sylv. *v. Miſſa*. Tolet. Leym. *lib.* 4. *t.* 7. *c.* 3. *&c.* & commun. omnes Theologi, & Canoniſtæ moderni: afferuntque Azor. *t.* 1. *lib.* 7. *c.* 8. *q.* 6. & Card. Lugo *diſ.* 20. *lib.* 1. pro hac ſententia declarationem Cardinalium in Trident. quæ expreſſe habet: *Non poſſe Ordinarium mulctis, & pœnis cogere ad audiendam Miſſam, vel Concionem in propria Parochia, etiam in caſu negligentiæ, & contumaciæ.* Et, ſi quis his duobus, tamquam Regularibus, minus fidat, legere poteſt eamdem declarationem apud Barb. in Trident. *ſeſſ.* 22. *c.* 8. *de Sacrif. Miſſ. & ſeſſ.* 24. *de refor. c.* 4. *n.* 12. Item *tract. de offic. & poteſt. Parochi*, ubi eamdem ſententiam Barb. ipſe ſequitur, & pro ea ſupra viginti Auctores celebres partim Theologos, partim Canoniſtas, qua Regulares, qua non Regulares citat. Vide *ejuſdem Remiſſiones* in Trid. impreſſ. Antuerpiæ anno 1644. & Zerolam *in Praxi Epiſcopali p.* 2. *v. Parochia, & p.* 1. *v. Miſſa* §. 6. Idem diſertis verbis confirmat Clemens VIII. anno 1592. 20. Decemb. decreto ſuo, circa hanc ipſam controverſiam Duaci excitatam, quo eam dirimit, his verbis: *Præſenti noſtro decreto ſancimus, licere ſæcularibus, Chriſtique fidelibus univerſis, Miſſas diebus Dominicis, & Feſtis aliis majoribus audire in Eccleſiis tam Fratrum Prædicatorum, quam aliorum Mendicantium, nec non etiam Collegii Societ. JESU, juxta eorum privilegia, & antiquas conſuetudines, dummodo id in contemptum parochialium Eccleſiarum non faciant: & tam dictis Fratribus Prædicatoribus, ac Presbyteris dictæ Societatis, quam aliis privilegiatis, quibus id a Sede Apoſtolica indultum eſt, idoneis tamen, & ab Ordinario approbatis, peccata ſua, etiam Quadrageſimali, & Paſchali, & quovis alio tempore confiteri licite poſſe &c.* Quod ſi vero dicta privilegia, & alia ſimilia clarius cognoſcere lubet, inſpiciatur (ut alia taceam) Compendium Privilegiorum Societatis JESU, ubi præter Leonis X. clara ſunt verba Pauli III. in Extrav. data anno 1549. Kalend. Novemb., quæ incipit, *Licet debitum*: qua *omnibus Chriſti fidelibus, cujuſcumque conditionis, qui verbi Dei prædicationibus in templis ejuſdem Societatis interfuerint, concedit ut ibidem Miſſas audire, & Sacramenta recipere libere, & licite valeant, neque ad id ad parochiales Eccleſias accedere teneantur.* Porro, ne quis miretur, tam ampla privilegia Regularibus conceſſa a variis Pontificibus, placebit inſpicere eorum Bullas: in quibus reperiet motiva graviſſima: aut ſi nec inſpicere lubet, recogitet ſaltem, Deum ipſum Innocentio III. (dum vidit Eccleſiam Lateranenſem jam jam ruituram) oſtendiſſe eam ſuſtentari a S. Dominico, & S. Franciſco. Conſideret, quod, ſicut olim in varias orbis plages, & in ipſam Germaniam doctrina Chriſti tranſlata eſt opera Regularium, ita ſine eorum ſubſidio conſervata diu non fuiſſet, vel ſaltem minus floruiſſet. Et denique, ne Regularibus ſuccenſeat quiſquam, quod privilegia ſua tueantur, ſciendum eſt, quod ſine conſenſu Sedis Apoſtolicæ iis renunciare, aut cedere non poſſunt, ut *v. lib.* 2. *Decret. tit.* 43. *de arb. c.* 5. imo, etſi faciant, irritum fore, & peccaturos: quia injuriam inferret Ordini, & Eccleſiæ toti. Nunc ad argumenta Marchantii breviter reſpondeo.

1. Affert auctoritatem cujuſdam P. Capuccini, qui Parochianum obedientem ſcripſit. Et huic quidem me paulo ante ſat multas, graveſque auctoritates oppoſuiſſe exiſtimo.

2. Ait, quorumdam Epiſcoporum praxim eſſe contrariam, eamque fundari in jure antiquo, & novo Trid. *l. c. ſeſſ.* 22. & *ſeſſ.* 24. ubi dicit, teneri unumquemque Parochiæ ſuæ intereſſe, ad audiendum verbum Dei, & rudimenta fidei: hæc autem in pleriſque locis ruralibus docentur in Miſſa: ergo etiam ad Miſſam poſſunt compelli.

Reſp. 1. Praxim iſtam (ſicubi eſt) paucorum eſſe, & contrariam praxi communi Epiſcoporum, in omnibus regnis, & provinciis, & inſuper Præſulis ſummi.

2. Praxim iſtam nec fundari in jure antiquo, cum illi (ſi quod fuit) per privilegia ſit derogatum, & abrogaverit conſuetudo: nec in novo. Tum quia Trid. *l. c.* loquendo de concionibus, & catecheſi, nullam facit mentionem Miſsæ: & in pœnalibus non valet illatio. Tum quia Trid. expreſse addit (quod Marchantius in ſua citatione omittit, cum tamen ad rem plurimum faciat) *ſi commode fieri poteſt*. Tum quia nec illam quidem obligationem, quoad conciones, eſse receptam oſtendit univerſalis Eccleſiæ conſuetudo; eo quod forte regulariter *commode fieri non poterat*, ut notat Card. Lugo *l. c.* Neque Catecheſis communiter docetur in Miſsa, niſi forte in pagis, ubi rarius contendunt Regulares cum Parochis de re præſenti. Denique neſcio, an non Epiſcopi, de quibus loquitur, ex numero forte ſint eorum, de quibus Pius V. in Bulla, *Etſi Mendicantium*, queritur, quod, etſi Epiſcopi Ordines Mendicantes merito colere, & adjuvare deberent, non ſolum id negligant, verum etiam Concilii Tridentini verbis in pravum ſenſum detortis, eos incommodis, & perturbationibus afficiant.

3. Citat decreta Synodi Leodienſis, & Namurcenſis, ſubjungitque: *Quis vero audeat hæc contemnere, & Patres iſtius Synodi, inter quos multi Theologi fuerunt?*

Reſp. Decreta iſta (& ſi quæ forte ſunt ſimilia) intelligenda eſse, ne cum contemptu proprii Parochi audiant ſacrum extra Parochiam: aut, ſi quæ ſenſum alium habent, non eſſe recepta, vel uſu abrogata. Ita Auct. cit. commun. Videri poteſt Card. Lugo *l. c.* Barboſ. & Zerol. *ll. cc.* & digniſſimus lectu libellus Franciſci Pontani Concionatoris Regii, cujus titulus: *Reſponſa ad quæſita cujuſdam Primarii Prælati* &c. excuſus primum Gallice Nancæi, anno 1625. poſtea vero latinitate donatus, & recuſus Viennæ Auſtriæ, typis Michaelis Rictii, anno 1634. Mitto rationes ceteras, quibus frequentationem Parochiæ (ſine obligatione tamen) perſuadere conatur: cum eam, utpote honeſtam imprimis, atque decentem, minime improbare, ſed erroneam tantum conſcientiam impedire intendam; ne videlicet cum perſuaſione obligationis parochialis, vel cum apprehenſione peccati Regularium templa frequententur.

DUBIUM V.

Quæ excuſent ab auditione Sacri?

Reſp. Duæ ſunt cauſæ, quarum altera ſi adſit, ANIMAD. XVII. *non teneris curare celebrari privatim in portatili cum privilegio, neque (etſi id conſilii ſit) preces interim alias loco Miſſæ dicere*, *ut habet* Nav. *c.* 13. Suar. Fill. *t.* 5. *c.* 3. *q.* 11.

Prima cauſa eſt impotentia, vel ſimpliciter, vel moralis; aut difficultas ex notabili incommodo, proprio, vel proximi: corporis, vel bonorum, vel etiam honoris: quia hæc eſt mens Eccleſiæ præcipientis inſtar diſcretæ, & benevolæ matris. Bon. *d.* 4 *qu. ult. p. ult.* Nav. Fill. *t.* 5 *cap.* 7. *q.* 11. Suar. *d.* 85.

Secunda cauſa eſt *quodcumque motivum rationabile*, ANIMAD. XVIII. *quo quis bona fide putat ſe excuſari*. V. Suar. *in* 3. *p. ſ.* 6. *c.* 5. Laym. & Bon. *l. c.*

Unde reſolves.

ANIMAD. XIX. 1. Excuſantur, qui ſunt in navigatione, vel carcere. Item in morbo, *vel convaleſcentia, in qua obſit prodire foras*. Item qui ſunt in excommunicatione, vel interdicto: de quo ſuo loco.

ANIMAD. XX. 2. *Item, qui cuſtodiunt caſtra, urbem, gregem, infantes, vel puerum (qui in templo quietus, & ſine perturbatione aliorum contineri non poteſt) vel domum, aut agris ſolatio ſunt, aut coquere debent, & ſimilia curare, quæ omitti non poſſunt*. Bon. Con. *num.* 86, & 314.

ANIMAD. XXI. 3. *Item, cui periculum eſt gravis offenſionis mariti, parentum, vel dominorum*. Henric. Suar. Fill. *num.* 286. Si tamen id fere ſemper fieret, de alio medio laborandum eſſet.

4. *Item, ſi quis alioqui amiſſurus eſſet occaſionem* ANIMAD. XXII. *commodam itineris*, v. g. ſocios, cum viam ignoret, vel pericula metuat. Alias vero tenetur ad Miſſam ante iter, vel in itinere. Suarez *ſect.* 6. Rodriq. Bon. *l. c.*

5. Si ſit gravis difficultas eundi ad Eccleſiam ob diſtantiam, v. g. unius, vel alterius milliaris Germanici, vel etiam minoris ſpatii: maxime ſi via ſit moleſta, cælum pluvium. Ubi habenda eſt ratio perſonarum, loci, temporis, & conſuetudinis, Bonac. Suar. Fill. *l. c.* March. *Reſ. paſt. t.* 4. *cap.* 6. *num.* 7.

ANIMAD. XXIII. 6. *Si ex conſuetudine patriæ feminæ egredi non ſoleant tempore luctus, vel etiam poſt partum*. Syl. Cajet. & Fill. *n.* 229.

ANIMAD. XXIV. 7. *Si quis non habet veſtes ſtatui ſuo convenientes*. Nav. Henr. Sa, Azor. Bon. *l. c.*

8. Si quæ ex occulta fornicatione prægnans metuat, ne id advertatur, ſi prodeat. Laym. *lib.* 4. *tr.* 5.

ANIMAD. XXV. 9. *Si qua ſciret, alteri, a quo perdite amaretur, ſequuturam occaſionem peccati, ſi prodiret*, Sa, Fill. *num.* 227.

NOTÆ.

(a) Hic legendus eſt D. Th. 2. 2. q. 122. a. 4. ad 3., ubi profert illud Lev. 23. „ Omne opus ſervile non „ facietis in eo; tum ſubdit. *Opus autem ſervile dicitur a ſervitute: eſt autem triplex ſervitus. Una quidem qua homo ſervit peccato ſecundum illud Joann.* 8. *Qui facit peccatum, ſervus eſt peccati; & ſecundum hoc omne opus peccati dicitur ſervile. Alia vero ſervitus eſt, qua homo ſervit homini: eſt autem homo alterius ſervus non ſecundum mentem, ſed ſecundum corpus, & ideo opera ſervilia ſecundum hoc dicuntur opera corporalia, in quibus unus homo alteri ſervit. Tertia autem eſt ſervitus Dei, & ſecundum hoc opus ſervile poſſet dici opus latriæ, quod pertinet ad Dei ſervitium.*

Hæc tertia ſervitus, ut D. Th. ait, & omnes norunt, non eſt feſtorum cultui contraria, ſed præcepta. *Sed alia opera ſervilia*, ſubdit S. Doct., *quæ dicuntur ſervilia primo, vel ſecundo modo, contrariantur obſervantiæ Sabbathi, inquantum impediunt applicationem hominis ad divina. Et quia magis homo impeditur a rebus divinis per opus peccati, quam per opus licitum, quamvis ſit corporale; ideo magis contra hoc præceptum agit qui peccat in die feſto, quam qui aliud corporale opus licitum facit*, quod confirmat D. Auguſtini auctoritate, quam hic habes animad. 1. Addit autem S. Doctor: *non autem qui peccat venialiter in Sabbatho, contra hoc præceptum facit; quia peccatum veniale non excludit ſanctitatem.*

D. Thomæ ſententiam P. Conc. Th. t. 5. lib. 2. diſſ. 2. cap. 2. p. 34. confirmat non ſolum D. Auguſtini, ſed SS. Ambroſii, Antonini, Bonaventuræ, B. Alberti Magni, Catech. Rom., Conciliorum Lingonenſis, Eboracenſis, Colonienſis, & gravium Theologorum auctoritate, rationumque momentis, contrariæ recentis opinionis cavillationibus exploſis.

„ Neque tamen, ſubdit n. 22. p. 41., vexandi ſunt „ fideles, quod in præteritis confeſſionibus hanc tem„ poris ſacri circumſtantiam omiſerint; quoniam in „ iis ſumus, in quibus ignorantia excuſare valet.... „ Satis enim mihi eſſe videtur, ſi, dum alia confiten„ tur peccata, ſimul exponant, ſe elapſo tempore fre„ quenter diebus ſacris peccaſſe, nec debitum talem „ confitendi circumſtantiam cognoviſſe: quapropter „ nunc ſe de omnibus confiteri, & de omnibus pecca„ tis diebus feſtis perpetratis ſe ſummopere dolere. "

Propterea ipſi videntur excipienda *omnia peccata interna, & plura etiam externa*, quia de re doctiorum eſto judicium. Hanc exceptionem D. Th. non habet inquiens, *omne opus peccati dicitur ſervile*.. *Magis contra hoc præceptum agit, qui peccat* &c.

Illud Bul. ca 4 *Quod ſi tamen ante feſtum talia itinera incepta ſint, continuatio eorum permittitur* &c. confirmat declaratio ſacræ Rit. Congreg. (apud Concinam t. 5. p. 57. n. 7.) his verbis, „ Ceterum his die„ bus (feſtis) licere agalonibus, ac aliis jumento„ rum vectoribus, ſeu mercium conductoribus, bajulis, „ & aliis hujuſmodi ſervientibus, ac nonniſi ſarcinas, „ & onera ſumariorum cauſa exonerare, & deponere, „ inceptumque iter, Miſſa tamen prius audita, tranſ„ eundo proſequi, & continuare; non autem debere „ ſarcinas componere, & jumenta onerare ad iter de „ novo incipiendum. "

Subdit „ neque mercatoribus, aut aliis Civibus, & „ Viatoribus his diebus etiam clauſis apothecis merces „ vendere, aut aſportare licere, niſi tantum ad vi„ ctum neceſſaria, aut alia minuſcula (ut habet Buſ. „ dub. 2. *Secunda. Item emptiones* &c.) & modici mo„ menti opera jam conflata, & elaborata pro tranſ„ euntium hoſpitum, advenarum, & exterorum urgen„ ti, & præſentanea neceſſitate, & opportunitate. " Ubi tamen animadverte, hæc permitti pro exteris, non pro incolis, quibus hæc emendi facultas præſto ſemper eſt.

(b) S. Pius V. Conſtit. *Cum primum* (habetur apud Concinam lib. t. 5. p. 57. n. 4.) ita loquitur, & conſtituit. *Cum vero dierum feſtorum obſervatio ad Dei cultum maxime pertineat, & in lege divina præcipiatur, cupientes* &. *mandamus, ut omnes dies Dominici, & præcipue in honorem Dei, B. Mariæ Virginis, SS. Apoſtolorum feriati cum omni veneratione obſerventur. & omnes in diebus præfatis Eccleſias frequentent, divinis officiis devote intendant, ab omni illicito, & ſervili opere abſtineant* &c., ubi notanda ſunt illa verba *mandamus, & omnes, ab omni illicito* &c.

Benedi. vero XIII. tit. xr. Conc. Rom. cap. 1. inquit: *Cum autem Toletani Concilii tertii Decreta, graviter eos peccare definiatur, qui feſtis diebus, audita tantummodo Miſſa, otio ſe dedentes, totum in aleis, & choreis inhoneſtis, in ebrietatibus, comeſſationibus, aliiſque peccatis, & vanitatibus tranſigunt, ne* &c. Vide etiam hic animadv. 2.

(c) Opinionem Angeli, & Roſellæ aut ſilentio premere, aut refutare debuerat Bul., eo ipſo, quia communi ſententiæ, & expreſſo Eccleſiæ præcepto communi fidelium conſuetudine roborato, cujus verba habes hic animad. 13., contraria. Hinc illa prop. n. 52. *Præceptum ſervandi feſta non obligat ſub mortali, ſepoſito ſcandalo, ſi abſit contemptus*, ab Innoc. XI. proſcripta fuit. At præceptum ſervandi feſta, audiendæ Miſſæ præceptum includit: ergo hoc præceptum ſub mortali obligat. Porro qui præceptum ſub mortali obligans violat, toties mortaliter peccat, quoties illud violat; & ſi ſemel tantum illud violaverit, peccatum mortale ſemel incurrit, nec illud effugere poteſt.

Hæc certa ſunt; hæc eſt communis Chriſtiani populi perſuaſio. Hinc Synodus Patavina anni 1624 p. 1. cap. 9. definit, quod Miſſæ ſacrum *quilibet die feſto audire ſub lethalis peccati reatu tenetur*.

ANIMADVERSIO I.

SErvile non eſt .... feſto ludere, choreas ducere, iter facere pedibus. Unde etiam ad hæc neceſſaria ſunt licita.

Cate-

Digitized by Google

Catech. Concilii Trid. p. 3. de feſt. obſerv. n. 22. illud Deut. *Non facies omne opus in eo* &c. explicans, docet, his verbis ad id primum nos inſtitui, *ut quæcumque divinum cultum impedire poſſunt, omnino vitemus.* Nec enim ſervile opus die feſto vetatur, quia malum ſit, ſed quia mentem a divino cultu abſtrahit: atqui choreæ, ludi, & ſimilia mentem a divino cultu abſtrahunt: ergo die feſto prohibentur. Hanc ſententiam Nat. Alex. Th. t. 2. p. 546. ter. 3. & Concina SS. Patrum, & Conciliorum auctoritate confirmant. D. Aug. conc. 1. in Pſ. 32. de feſtis diebus loquens, ait: *Melius enim utique tota die foderent, quam tota die ſaltarent*: & in Pſ. 91. *Melius eſt enim arare, quam ſaltare.* Hinc Synod. Patavina anni 1624. Epiſcopo Marco Cornelio p. 1. cap. 9. docet, publicum, & grave peccatum eſſe, cum homines feſtorum dierum tempus *luſibus, comeſſationibus, choreis, vel interdum mercaturis conterant, & traducant.*

Quod attinet ad iter, P. Concina Theol. t. 5. p. 43. n. 4. ita inquit: „ S. Antoninus 2. p. t. 9. c. 7. §. 5. ait: „ *Item abſtinendum ab itinere dietario, niſi neceſ-* „ *ſitas cogat, vel aliud pium opus inducat, ut videlicet* „ *viſitatio alicujus Eccleſiæ, vel conſecutio indulgentiæ,* „ *vel reformatio pacis, ſeu amotio ſcandali, & hujuſmo-* „ *di.* Cajet. & Sotus docent, iter opus eſſe ſuapte na- „ tura ſervile, ſolumque ratione conſuetudinis licitum „ eſſe. Et certe difficile videtur ab ſpecie ſervilis ope- „ ris excipi poſſe laborem illum, quo ſervus pedibus in- „ tegrum diem iter ageret. Conſulendi itaque ſunt fide- „ les, ne ſine rationabili cauſa iter ſuſcipiant; quoniam „ certum eſt, illud a cultu divino animum abſtrahere. „ Ceterum damnandi non ſunt letalis culpæ, etiamſi abſque „ cauſa illud arripiant. Quoniam conſuetudo univerſa- „ lis obtinet, poſſe Chriſtianos feſtis diebus abſque cul- „ pa ſaltem gravi iter agere, ut Theologi communiter „ ſentiunt. “

Alia tamen opera ſervilia, quæ ad iter agendum neceſſaria eſſent, permiſſa non ſunt. Neque enim permiſſio itineris includit permiſſionem operis ſervilis vetiti, ſine quo iter fieri non poſſit; ſed contra prohibitio ſervilis operis involvit prohibitionem operis permiſſi, quod ſine eo fieri non poteſt; *quia bonum ex integra cauſa, malum ex quocumque defectu, nec ſunt ex Ap. facienda mala, ut eveniant bona.* Hinc Conc. Matiſconenſe 2. anni 585. can. 1. ait: *Nemo ſibi talem neceſſitatem exhibeat, quæ jugum cervicibus jumentorum imponere cogat*; multoque minus permiſſa ſunt die feſto opera ſervilia ad choræas, ludos ſcenicos, & ſimilia neceſſaria.

ANIMADVERSIO II.

Item nec ſervile eſt ſive gratis, ſive pro pretio ... tranſcribere.

Qui pacto pretio tranſcribunt, vulgo *copiſti*, opus mechanicum, & ſervile, ideoque die feſto vetitum exercent; quod P. Concina graviorum Theologorum, ac præſertim D. Antonini, & V. Bellarmini auctoritate confirmat Theol. t. 5. p. 49. q. 1. Eum, ſi lubet, legito.

Et ſecundum quoſdam &c. *pingere etiam coloribus.*

Hoc ſeu pretii, ſeu recreationis, ſeu diſcendi cauſa fiat, eſſe opus ſervile diebus feſtis prohibitum, communior eſt Theologorum, imo & canonum interpretum ſententia, ut habet idem Concina p. 42. n. 2. t. 5. Ratio eſt, quia ars pingendi mechanica eſt. At, inquit Buſ. contraria ſententia probabilis eſt. Reſp. Eo ipſo quia minus probabilis eſt, periculoſa eſt, ideoque quoad praxim omnino vitanda.

ANIMADVERSIO III.

Videntur etiam excuſari poſſe ... litterarum collocatores, quando &c.

Conc. Theol. t. 5. p. 44. n. 7. monet, tale opus juxta omnes fere graves Theologos eſſe ſervile, & contrariam ſententiam omnino improbabilem cenſet.

Quæ quoad praxim eſt ſine ulla dubitatione improbanda.

ANIMADVERSIO IV.

Excuſat etiam Fill. diſtillationem, quæ &c.

Diſtillatio quoque videtur eſſe opus ſervile; nec quia experientiæ, aut peritiæ cauſa fit, etiamſi corpus non valde defatigetur, tale eſſe deſinit. In his rebus periculum fugiendum eſt, nec vanis diſputationibus tempus terendum.

ANIMADVERSIO V.

Servile aliqui non putant ... venari, aucupari, militare, gladiari, piſcari, ſaltem &c. *& ſimilia ... ſimiliter quidem excuſant puellas ad otium vitandum acu pingentes.*

Venationem, aucupium, & piſcationem eſſe opera ſervilia, feſtiſque diebus ex ſe vetita, *dubitare arbitror neminem*, ait P. Concina Theol. t. 5. p. 43. n. 3. quia, inquit, ſunt opera corporalia, atque ad corporis utilitatem diriguntur, atque hominibus, & beſtiis communia. Quod confirmatur ex c. *Licet* de fer. ubi Alex. III. inquit: *Indulgemus, ut liceat parochianis veſtris, diebus Dominicis, & aliis feſtis, ſi Alecia terræ ſe inclinaverint, earum captioni ingruente neceſſitate intendere.* Pontifex hic ob ſolam ingruentem neceſſitatem piſcandi exercitium impertitur. Sublata igitur neceſſitate, illicitum eſt. Excipit quoque Pontifex a privilegio diſpenſationis majora ſolemnia feſta. Neque abſolute diſpenſat, ſed cum onere, quod *poſt factam capturam Eccleſiis circumpoſitis, & Chriſti pauperibus congruam faciant portionem.* Hactenus Concina. Idem porro dicendum de venatione, & aucupio ex eadem, aut pari ratione.

Acu quoque pingere, ſervile opus eſſe, feſtiſque interdictum, docet idem Concina p. 42. n. 2. Quid enim diſcriminis eſt inter acu, & penicillo pingere? nullum ſcilicet. At poſterius ex dictis eſt opus ſervile. Ergo & prius. Nam inepta eſt illa Buſemb. ratio, quod hæc ad otium, & pejora mala vitanda fiant; quæ ſi valeret, omnia opera mechanica, & ruralia permitti poſſent. An diebus feſtis, quia ſervilibus operibus vacandum non eſt, otio, & vitiis, non precibus, ſanctiſque operibus incumbendum?

Quæ hactenus dicta ſunt, confirmantur auctoritate Concilii Meldenſis apud Nat. Theol. t. 2. p. 542. l. 4. c. 5. a. 6. quod octo diebus Paſcharis, qui tunc feſti erant, abſtineri jubet *ab omni opere rurali, fabrili, carpentario, gynæceo* (hoc certe comprehendit opus acupictorium, feminarum proprium) *cæmentario, pictorio, venatorio, foreaſi, mercatorio, audientiali, ac ſacramentis exigendis ... quod ſi quis temerare præſumpſerit, excommunicetur.*

„ Si autem alicubi (ait Concina p. 43. n. 3.) conſuetu- „ do obtineat piſcandi in fluminibus recreandi animi cau- „ ſa aliquo exiguo temporis intervallo, non eſt impro- „ banda. “ Hoc idem intelligi debet de venatione, & aucupio.

Quod attinet ad militiam, D. Th. 2. 2. q. 40 art. 4. ait: *Pro tuitione Reipublicæ fidelium, licitum eſt juſta bella exercere in diebus feſtis, ſi tamen hoc neceſſitas expoſcat. Hoc enim eſſet tentare Deum, quis imminente tali neceſſitate vellet a bello abſtinere. Sed neceſſitate ceſſante non eſt licitum bellare in diebus feſtis propter rationes inductas.* Idem dicas de gladiatoriæ artis exercitio.

ANIMADVERSIO VI.

Conſuetudo. Nam ſic licent .... præparationes deliciarum &c.

Hoc quoque merito improbat P. Conc. t. 5. p. 66. n. 7. An non eſt manifeſta corruptela, quod labores ſerviles gulæ, & intemperantiæ intervenientes diebus feſtis exerceantur?

ANIMADVERSIO VII.

Ornare autem, & verrere templa &c. *ſi abſque ratione in feſtum differantur, venialia habentur.*

Mira ſane doctrina, quod ornare, & verrere templum die feſto, peccatum ſit, non item cupedias, & gulæ irritamenta præparare. Hæc non tam Theologiæ documenta, quam ſomnia mihi videntur. Quoad rem præſentem audiendus eſt Catech. Conc. Trid. p. 3. de 4. Dec. præc. n. 23. qui ait: *Neque tamen eæ actiones, nec ea opera vetantur* (die feſto) *quæ ad divinum cultum attinent, etiamſi ſervilia ſint, ut altare inſtruere, templa alicujus feſti die cauſa ornare, & reliqua hujus generis; ideoque a Domino dictum eſt, ſacerdotes in templo Sabbatum violare, & ſine crimine eſſe.* Opera enim ſervilia diebus feſtis eatenus vetantur, quatenus mentem a divino cultu abſtrahunt: at verrere templa, ornare altaria, & ſimilia mentem a divino cultu non abſtrahunt, ſed mentem in eo occupant; ergo non ſunt vetita.

Hoſtias tamen conficere, Eccleſiæ agros colere, templum ædificare, die feſto permiſſum non puto, niſi neceſſitas id exigat. Qua de re lege, ſi vis, Concinam Theol. t. 5. p. 54. n. 4. & 5.

P. Zach. Hoc ſuum commentum typis dignum exiſtimavit. „ Miraris hic Buſ. docuiſſe: *ornare autem* p. cxix
& verrere templa, ac ſimilia, quæ ad ipſum officium non ſpectant, ſi abſque ratione in feſtum differantur, venialia habentur; „ cum paulo antea (animad. vi.) „ licitas ſcripſiſſet *præparationes deliciarum non neceſſa-*

Digitized by Google

„ *viarum, ut cupediarum, placentarum, & ſimilium ci-* „ *borum artificioſorum. Hæc*, inquis, *non tam Theolo-* „ *giæ documenta, quam ſomnia mihi videntur*. Reſp. „ Ita ſane, mi Zach.: at quid tu? Zach. Puto ſcilicet, „ te ſomniare, dum vigilas. Quid enim quæſo hic, „ quod ſanæ Theologiæ repugnet? Ergo ne inter ſervilia „ opera diebus feſtis vetita cenſentur *præparationes de-* „ *liciarum non neceſſariarum*? Quum non ſæcularium mo- „ do, qui paullulum e plebejorum fæce emergant, ſed „ eccleſiaſticorum omnium, Epiſcoporum, Cardinalium, „ Pontificis maximi conſuetudo ſit, ut feſtis diebus lau- „ tiori menſæ accumbant? An omnes violati præcepti „ reos facies? omnes gulæ & intemperantiæ addictos? „ Judæos ne nos putas, qui vetemur feſtis diebus co- „ quere pulmenta, aliaque ad convenientem cujuſque „ ſtatui menſam pertinentia? Patres, qui convivia in „ Martyrum ſolemnitatibus ad eorum memorias olim „ habitas inſectati ſunt, alias omnino reprehenſionum „ ſuarum cauſas in medium adtulerunt, non hanc „ Franzojo-Concinianam, non licere feſtis diebus cu- „ pediarum, placentarumque præparationes. Cum his, „ cæteriſque Chriſtianis ſentire ſi malim, quam tecum „ Franzoja, ne quæſo indigneris. “

Reſp. Præclara ſane eſt, mi Zach., hæc tua exclamatio, & in Franzojam invidiam concitat non exiguam: at quæſo, eſt ne non dicam theologica, ſed chriſtiana, & Chriſti, non Ariſtippi diſcipulo digna?

Aperte falſum eſt, præparationes deliciarum non neceſſariarum, ut cupediarum &c. inter ſervilia opera diebus feſtis vetita non cenſeri; niſi forte velis coquorum labores non eſſe ſerviles, aut diebus feſtis eſſe permiſſos, quia deliciis non neceſſariis inſerviunt. Alterutrum tibi probandum neceſſario erat, ut conſuetudinem, quam univerſalem eſſe quoad non plebejos nimis confidenter, & falſo jactas, corruptelam non eſſe evinceres.

Menſam cujuſque ſtatui congruam non damno; at menſæ luxum, & delitias minime neceſſarias, ut cupedias &c., ſi probavero, non ſolum a chriſtiano, ſed a cujuſcumque etiam ethnici moderati hominis, & philoſophico ſano ſenſu longe abero.

S. Thomas 2. 2. q. 148. a. 2., & 4., & S. Gregorius ab eo citatus, omneſque ad unum Theologi *laute*, & *ſtudioſe* comedi, inter gulæ vitia recenſent. Tu vero, mi Zach., horum doctrinæ inter tuam rethoricam inanem exclamationem, illiuſque celeberrimi verſiculi omnibus Theologiæ tyrunculis noti, *præpropere, laute, nimis, ardenter, ſtudioſe*, prorſus oblitus, cibos lautos, & ſtudioſe præparatos non eſſe gulæ irritamenta, & vitia, alta voce clamas; utque duplex peccatum uno oris hiatu foveas, & inſulces, lautas, & ſtudioſas ciborum præparationes diebus feſtis eſſe permiſſas, contendis

Neque his contentus, totius chriſtiani orbis, qui e plebeja fæce paululum emergat, non ſolum profani, ſed etiam Eccleſiaſtici, Eminentiſſimi, ſupremi ordinis uſum obtrudis; quaſi vero ſuperior, Eminentiſſimus, & ſupremus Eccleſiaſticus gradus ſuo exemplo, quaſi inſonante buccina omnes Chriſtianos ad ſerviles diebus feſtis labores in gulæ gratiam invitet, & extimulet. Hæc eſt P. Zachariæ Theologia!

Zach. „ An Buſemb. præterea tibi diſplicet, quod „ docuerit, *ornare, & verrere templa* &c.? “ Reſp. Non ſolum hoc mihi improbatur, ſed mirum, & inſolens videtur, quod pius labor ornandi, & verrendi templa in Dei cultum ſuſceptus, malus dicatur, labor autem coqui, non pietati, ſed gulæ inſerviens licitus putetur?

Zach. „ Cur quæſo? Quia id Romano Catechiſmo ad- „ verſatur. Scilicet nec Buſemb., nec Catechiſmum „ intelligis. Catechiſmi, quæ appellas, verba hæc ſunt; *neque tamen eæ actiones, nec ea opera vetantur*, (die feſto) *quæ ad Divinum cultum attinent, etiamſi ſervilia ſint, ut altare inſtruere, templa alicujus feſti diei cauſa ornare, & reliqua hujus generis*. „ Negat ne hoc Buſ.? Minime. “ Reſp. Maxime.

Zach. „ Hoc ait, ea vetari, ſi abſque ratione in „ feſtum differantur; de quo caſu Catechiſmus nihil „ habet. “ Reſp. Nihil habet! Actiones, quæ non vetantur, licent, etiamſi abſque ratione in eum diem differantur, quo vetitæ non ſunt; ſicuti ex. g. opera ſervilia die veneris, & ſabbathi licent, etiamſi abſque ulla ratione in eos dies prorogentur. Non enim quærenda ratio eſt, cur certo die id faciam, quod eo die mihi prohibitum non eſt; ſed ratio quærenda eſt, cur certo die id faciam, quod eo die mihi vetitum eſt. At ex Catechiſmo *ea opera* (die feſto) *non vetatur, quæ ad Divinum cultum attinent, etiamſi ſervilia ſint, ut altare inſtruere* &c. Ergo etiamſi abſque ratione, ſeu cauſa in diem feſtum differantur, licent. Contrarium porro aperte habet Buſ.: ergo Buſ. Catechiſmo adverſatur.

Zach. „ Hæc ergo eſt Buſ. mens, actiones illas lice- „ re, ſi aliqua juſta de cauſa in feſtum differantur; „ ſecus, *ſi abſque ratione in feſtum differantur*. “

Reſp. Et quia hæc eſt Buſ. mens, idcirco Catechiſmo adverſatur, ut oſtendi. At pergit Zach. Quid hic „ non chriſtianum? Si declamationibus tuis uti vellem „ &c. “

Reſp. An Chriſtianum eſt, abſolute permittere præparationes deliciarum non neceſſariarum die feſto, eodemque die templorum ornatum abſolute prohibere?

Nam tuas inanes declamationes omittendas eſſe, ſatius duxi, ne tempus in tricis conteram.

Zach. „ Verum præter Catechiſmi auctoritatem (ad- „ de, Chriſti oraculo confirmatam) Syllogiſmum hunc „ objicis; *opera enim ſervilia* &c. “ ut in mea animadverſione.

Sed quæſo, mi Zach., ſi mea ratio tibi non probatur, quo vitio laboret, patefacito. Propoſitio ex ſe ſatis clara eſt. Hinc D. Thom. 2. 2. q. 122. a. 4. ad 3. *Sed alia opera ſervilia, quæ dicuntur ſervilia primo, vel ſecundo modo* (hoc eſt, quo homo ſervit peccato, vel homini) *contrariantur obſervantiæ Sabbathi, inquantum impediunt applicationem hominis ad divina*. Et Catech. cit. n. 21. inquit. *Quibus verbis* (non facies omne opus &c.) *ad id primum inſtituimur, ut quæcumque divinum cultum impedire poſſunt, omnino vitemus. Facile enim perſpici poteſt, omne ſervilis operis genus prohiberi, non quidem ea re, quod ſua natura turpe, aut malum ſit, ſed quoniam mentem noſtram a Divino cultu, qui finis præcepti eſt, abſtrahit*.

Aſſumptio res facti eſt, omnibus nota. Opera enim Divini cultus, ut ſunt verrere templa, &c. mentem non abſtrahunt a divino cultu, ſed mentem in eo, ut dixi, occupant; quia hoc ipſo, quod mens in eo ipſo, quod fit, occupatur, in divino cultu occupatur. Concluſio perſpicua eſt, & legitima. Quid ergo habes, mi Zach., quod meæ argumentationi objicias? Nihil ſcilicet; ſed ut tuum adverſarium quacumque ratione vexes, ita pergis.

„ Quid dicam? Non intelligere te, P. Buſemb. poſſe „ idem argumentum in te intorquere, qui licere negas, „ feſtis diebus pingere, aut pro pretio tranſcribere, „ hoſtias conficere, templum ædificare. “ Nam quid, „ ſi dixerit Buſ.? *Opera ſervilia diebus feſtis eatenus vetantur, quatenus mentem a Divino cultu abſtrahunt*: „ At Chriſti paſſionem pro pretio tranſcribere, pingere „ Crucifixum, aut Deiparæ imaginem, hoſtias confice- „ re, templum ædificare, mentem in eo occupant: er- „ go non ſunt vetita: quo te vertes, mi Franzoja? “

Reſp. An, mi Zach., meam argumentationis propoſitionem e Catechiſmi, & D. Thomæ, atque adeo ex Evangelii puriſſimo fonte hauſtam in controverſiam vocare audes? Audi iterum D. Thomam 2. 2. q. 122. a. 4. ad 3., ubi inquit: *Tertia autem eſt ſervitus Dei, & ſecundum hoc opus ſervile poſſet dici opus latriæ, quod pertinet ad ſervitium Dei. Si autem ſic intelligatur opus ſervile, non prohibetur in die Sabbathi; quia hoc eſſet contrarium fini obſervationis Sabbathi*.

Homo enim ad hoc ab aliis operibus abſtinet in die Sabbathi, ut vacet operibus ad Dei ſervitium pertinentibus; & inde eſt, quod, ſicut dicitur Joann. 7. Circumciſionem homo accipit in Sabbatho, ut non ſolvatur lex Moyſi. *Inde etiam eſt, quod ſicut dicitur Matth. 12.* Sabbathis Sacerdotes in templo Sabbathum violant, *ideſt corporaliter in Sabbatho operantur*, ET SINE CRIMINE SUNT. *Et ſic etiam Sacerdotes in Sabbatho arcam circumferentes, non tranſgrediebantur præceptum de obſervatione Sabbathi*. Meam aſſumptionem, eſſe ſpeciem generalis propoſitionis, non adeo excorſes, ut in controverſiam voces; meam concluſionem eſſe legitimam, nec inficiari, nec dubitare audes. Nihilominus, ut rem quomodocumque involvas, propoſitionem iis ſpeciebus quæ in ea contineri mihi viſæ non ſunt, ſubdole accommodas; quaſi in re morali de omni re ſubtiliter, & certo pronuntiari poſſit. Pacto pretio non licere die feſto tranſcribere, dixi, & dico; non tamen cum illo tuo addito, *Chriſti paſſionem*, item pingere non licere, ſcripſi, & ſcribo, at ſine illa tua additione *Crucifixum, aut Deiparæ imaginem*. Utrum hæc cum tua additione liceant, piorum, & ſanorum Theologorum, judicium eſto. Hoſtias vero conficere, & templum ædificare ex æquo ſenſu, quo moralia metienda ſunt, hujuſmodi eſſe, non videntur, ut mentem in divino cultu occupent.

At tu, mi Zach., qui me ſubtilem, & metaphyſicum eſſe vis, ubi materia non patitur, quomodo tuum Buſembaum vindicas, qui pacto pretio tranſcribere, & characteres componere, & diſtillare die feſto permittit, ornare autem, & verrere templa non permittit?

Animadversio VIII.

Servi, & ancillæ coacti &c. nec audentes recuſare.

Hoc

Hoc ipſo peccant, quia dominis contra Eccleſiæ præcepta imperantibus abnuere non audent. Nam Eccleſiæ magis, quam malis dominis male jubentibus parendum eſt.

Famuli ergo ex malorum dominorum imperio die feſto laborantes ea ratione excuſandi non ſunt, quod malum imperium detrectare non audeant; ſed excuſari poſſunt, ſi grave damnum ſubituri ſint, niſi laborent. Ita S. Antoninus p. 2. t. 9. c. 7. inquiens: *Item qui compelluntur a dominis juſto metu ad laborandum in diebus feſtivis, quæ ſi non facerent, notabiliter damnificarentur in perſona, vel rebus, videntur poſſe excuſari propter metum.*

Piſtores, & laniones, & ſimiles in oppidis &c.

Non abſolute, ut Buſ., ſed adjecta conditione, & cautione cum D. Antonino p. 2. t. 9. c. 7. dicendum: *Carnifices*, hoc eſt lanii, *& pincernæ præparantes victualia in feſtis, ut ſequenti die vendant, ſi non poterant prius* (hoc notandum) *præparari, vel præparata conſervari, videntur excuſari a mortali.*

Barbitonſores, addit ibidem S. Vir, *non in radendo*, (quia in hac re nulla eſt neceſſitas) *ſed in minuendo ſanguine, & ferratores equorum, & hujuſmodi, puta pharmacopolæ, ſi in feſtis exerceant artem ſuam principaliter propter neceſſitatem eorum, quibus ſerviunt, non propter cupiditatem lucri, excuſantur; & ſimiliter qui eos requirunt de arte ſua, ſi alias non poterant ſibi commode providere, excuſantur.*

Molitores &c.

In his juxta D. Antoninum loco mox cit. *poteſt ſervari conſuetudo patriæ non prohibita a Prælatis; ſecus*, inquit, *de molendinis cum jumentis; & hoc niſi neceſſitas urgeret propter victualia.*

Piſcatores halecum &c.

De hoc vide dicta ad c. 8. dub. 5.

14. *Denique excuſantur etiam mercatores, qui* &c.

In his, aliiſque ſimilibus notanda eſt regula Gerſonii apud Nat. Theol. t. 2. p. 545. reg. 2. ajentis: *Obſervatio Sabbati quoad circumſtantias temporis, & modi, & loci pro maxima parte relicta eſt determinationi Prælatorum, quæ cognoſcitur tum ex eorum inſtitutis, tum ex conſuetudinibus per eos legitime toleratis. De operibus ſervilibus non exercendis diebus dominicis, & feſtivis plus, & frequenter determinat conſuetudo loci, & perſonarum a Prælatis tolerata, quam alia lex ſcripta. Conſuetudo exercendi opera ſervilia hæc ab iſtis, hæc ab illis in diebus feſtivis tunc maxime dicenda eſſet corruptela, quando totaliter a ſervitio Dei, & a cultu feſtorum, & maxime ab auditione Miſſæ revocaret; quando præterea hæc ſervilia magis ex cupiditate, quam pia neceſſitate Reipublicæ pertractantur.*

De tabernis Syn. Patavina ita habet: *Officinæ omnes his dumtaxat exceptis, quæ ad ægrotorum curationem, aut ad victum quotidianum ſpectant, omnino obſerentur, Viſtores merces, libri, imagines, ſigna, picturæ, teſſeræ, aleæ, larvæ, & alia venalia nec exponantur, nec per urbem circumferantur.* Idem præcipit S. Carolus Borrom. Conc. 3. Med. apud Nat. t. 2. p. 543.

Animadversio IX.

Utilitas non ſimpliciter neceſſaria, ſed &c. *ſic enim licet in adventu, vel ortu Principis laborare* &c. *quamquam monet* &c.

D. Th. 2. 2. qu. 40. art. 4. ait: *Neceſſitate ceſſante non eſt licitum bellare diebus feſtis*: at perficere theatra, quæ longe melius deſtruerentur, quam extruerentur, ignes, veſtes, &c. non eſt res neceſſaria: ergo diebus feſtis non eſt permiſſa. Ergo venia a Prælatis quoad hæc neceſſario petenda eſt, qui ex circumſtantiis judicabunt, utrum ſit concedenda, an neganda.

Animadversio X.

Grave non videtur una hora laborare, ut habet Suar.

Hanc opinionem ſequitur La-Croix p. 240. n. 580. qui addit, mandantem ſex famulis, ut ſinguli una hora ſimul laborent, ſeclulo ſcandalo, nonniſi venialiter peccare; quia, inquit, non eſt una gravis inhonoratio feſti, ſed ſex leves. Contra vero Nat. Alex. Theol. t. 2. p. 545. ponit, laborem unius horæ die feſto eſſe gravem culpam, qui proinde ait: *Letalis peccati reos eſſe dominos, qui famulis opera ſervilia imponunt diebus feſtis vel per horam abſque gravi neceſſitate, ſive ſervi illi Chriſtiani ſint, ſive infideles, ſive mentis compotes, ſive perpetuo amentes.*

Quid ergo? quoad laborem unius horæ, res videtur dubia, ideoque periculoſa, multoque magis periculoſum eſt, mandare ſex famulis, ut ſinguli una hora ſimul laborent. Ipſe La-Croix fatetur probabilius mortaliter peccare mandantem, ſi mandet, ut famuli ſucceſſive laborent.

At quoad mores perinde eſt, ſeu mandet, ut ſucceſſive, ſeu ut ſimul laborent. Dum enim mandat, vult omnium, quibus mandat, laborem. Ergo mortaliter peccat, dum valde notabilem ſex horarum laborem mandat, ſeu ſimul, ſeu ſucceſſive die feſto fiat.

Quoad peccatum mandantis laborem die feſto, La-Croix n. 579. in utramque partem more ſuo diſputat, ſi quibus imponitur, ſint infideles non baptiʒati, & perpetuo amentes, qui Eccleſiæ præceptis ſubditi non ſunt.

At ea ipſa ratione, quia utrimque probabiliter diſputatur, certum eſt juxta ſanam Theologiam, tutiorem partem neceſſario quoad praxim eſſe ſequendam, ideoque a Natalis ſententia non eſſe recedendum. Sed hac in re verba ipſius divinæ legis attente, & pie conſideranda ſunt, quæ Deut. 5. 16. ita habent: *Memento, ut diem Sabbati ſanctifices ... non facies omne opus in eo tu, & filius tuus, & filia tua, ſervus tuus, & ancilla tua, jumentum tuum, qui eſt intra portas tuas*; quibus verbis præcipitur, ne cuiquam ſervilia opera diebus feſtis mandentur.

Imo durum videtur mortalis damnare, ſi quis duas, aut tres horas impendat.

Nat. Alex. loco cit. ait: „ Flagitioſæ igitur, & „ omnino damnandæ ſunt propoſitiones illæ: " *Singulis feſtis per duas operari horas, non eſt mortale peccatum, quamvis animo fixum teneas, id toto anno efficere velle, & de facto efficias*: " &: *Dominus injungens laborem duarum horarum viginti famulis ſimul, non peccat mortaliter. Idemque erit, ſi ſinguli ſucceſſive per modicam moram eodem die laborent, etiamſi uno poſt alterum laborante tota dies occupetur.* Quia inquit, „ præ„ ceptum de ſanctificatione Sabbati abſurdis cavilla„ tionibus infringunt. " Wigandt quoque tract. 10. ex. 5. n. 505. pro certo habet, duarum horarum laborem die feſto eſſe letalem. Idem affirmat Concina Theol. t. 5. p. 62. n. 2. & hanc eſſe communiorem ſententiam ais.

Scripſi paulo ſupra: *At ea ipſa ratione, quia utrimque probabiliter diſputatur, certum eſt juxta ſanam Theologiam, tutiorem partem neceſſario quoad praxim eſſe ſequendam.*

Omiſſis aliis anterioribus hujus animadverſionis, hoc p. cxix.
ſibi carpendum delegis P. Zach., qui ita loquitur. „ Quid? Hæc *ſana Theologia eſt?* Immo damnata ab „ Alex. VIII. Nonne Alex. VIII. eos confixit, qui do„ cuerant, non licere ſequi opinionem vel inter proba„ biles probabiliſſimam? Ergo non *ea ipſa ratione, quia* „ *utrimque probabiliter diſputetur, certum eſt juxta ſa*„ *nam Theologiam, tutiorem partem neceſſario quoad pra*„ *xim eſſe ſequendam*. Nam etiam quum probabiliſſima „ eſt opinio quæpiam, utrimque probabiliter diſputa„ tur; neque omnis probabiliſsima opinio tutior eſt, ſeu „ favens legi: igitur vel a probabiliſsima opinione re„ cedendum erit, ut tutiorem ſequamur, contra quam „ Alex. VIII. tradit; vel tua illa, ſeu potius Natalis Ale„ xandri poſitio a ſana Theologia quammaxime abhorret."

Reſp. Videlicet, mi Zach., mea ſenſa omnibus meis lectoribus notiſsima, ſophiſtice, ſeu potius fraudulenter pervertiſti. Cum dixi, *quia utrimque probabiliter diſputatur*, ſermo eſt vel de æquali utrimque probabilitate, vel de minori quoad partem minus tutam. Hoc tibi quoque notum erat. At non ſine fraude contra me garrire voluiſti.

Si nos probabiliores, opinionem magis probabilem, licet minus tutam, ſanam agendi regulam eſſe, non negamus, an id de probabiliſsima ſententia negabimus? Contra probabiliſsimam ſententiam non probabiliter, ut tu falſe, vel malitioſe ais, ſed improbabiliter, aut leviſsima probabilitate diſputatur. An aut ego, aut Natalis Alex., aut quicumque alius probabilior Theologus eos damnamus, qui a leviſsima minus tuta probabilitate non recedunt? Hic certe, mi Zach., aut ſomniaſti, aut imponere lectori, meque, & Nat. Alexandrum calumniari voluiſti.

Zach. „ Contendis eodem loco, ubi de feſtis diebus „ agitur, *verba ipſius Divinæ legis attente, & pie con*„ *ſideranda eſſe*: Memento, ut diem Sabbathi ſancti„ fices &c. " Reſp. An hic quoque erravi?

„ Zach. At vide, ne hic a chriſtiana ad judaicam Theolo„ giam tranſilias. Si enim nimis verba legis urgeas, „ ne jumento quidem uti die feſto licebit. Nam Deu„ teronomii lege prohibetur *facere omne opus etiam ju*„ *mentum*. Habenda ſcilicet præ oculis lex eſt, ſed ea

* Id docet La-Croix p. 242. n. 595.

„ chriſtiana conſuetudine, & Eccleſiæ noſtræ ſtatutis „ intelligenda. Neque enim Chriſtiani eo rigore, quo „ Judæi, legem illam ſervare cogimur. “

Reſp. Vide, mi Zach., ne hic a chriſtiana Theologia valde recedas. D. Thomas 2. 2. q. 122. a. 4. ad 3. inquit. *Sed de quo opere intelligatur* (mox recitata Deuteronomii lex) *apparet per id, quod exponitur Lev.* 23. Omne opus ſervile non facietis in eo.

An ex chriſtiana conſuetudine, & Eccleſiæ ſtatutis, jumento uti die feſto licet ad arandum, ad onera portanda, aut vehenda? Quod ſi jumento uti ad ſervilia opera die feſto non licet, cur Servo, quicumque ille ſit?

ANIMADVERSIO XI.

Idem de eo, qui confitetur &c. affirmat Regin. dummodo &c. negat autem Suar. &c.

Negat quoque Nat. Alex. Theol. t. 2. p. 53. Concina t. 5. p. 88. n. 6. Wig. tract. 10. ex. 5. num. 101. La-Croix p. 245. n. 655. varias opiniones affert, quas omnes probabiles eſſe ait, licet ſuadeat, longam Confeſſionem extra Miſſam fieri. Mihi non vacat, nec neceſſe eſt, omnia huc ſpectantia ad trutinam revocare. Illud enim certum eſt, cum hic inde probabiliter diſputatur, tutiora ex præcepto eſſe facienda. Ceterum ego ſentio, confitentem, neceſſariam attentionem habere ad Miſſam non poſſe, ideoque eam non audire; & hunc eſſe fidelium ſenſum, qui maxime attendendus eſt, puto.

ANIMADVERSIO XII.

Laym. tamen, & alii durum putant mortalis damnare eum qui ab offertorio uſque ad finem adſit.

Hanc eandem ſententiam refert La-Croix p. 246. num. 665. additque probabilius videri, ſi dicamus Miſſam non audiri, ſi quis non veniat ſub initium Evangelii, & permaneat uſque ad finem.

P. Concina ſanioris Theologiæ Doctor t. 5. p. 75. n. 3. ait: „ Fideles, qui ab Epiſtola incluſive uſque ad „ finem aſſiſtunt Miſſæ, ſatisfaciunt præcepto; ſecus „ ii, qui vel lecta integra Epiſtola, vel potiori jure „ lectu etiam Evangelio, Miſſam audire inciperent. „ Ratio eſt, quia confeſſio, introitus, collectæ cum „ epiſtola notabilem partem Miſſæ conſtituunt, & no- „ tabiliorem, ſi Evangelium etiam includatur, “ Hæc ſententia, quam ipſe fuſius explicat, & moderata, & ſatis cauta æquis rerum æſtimatoribus merito videri poteſt.

ANIMADVERSIO XIII.

Non peccat ſaltem mortaliter, qui a duobus &c. duas dimidias Miſſas audit.

Hanc opinionem La-Croix p. 243. n. 611. adhuc magis probabilem ait, quam a 32. AA. doceri apud Paſqualig. monet. Tum n. 612. eum, qui ſine juſta cauſa audiat duas tales medias Miſſas, peccare venialiter addit.

At eſto, ſit probabilis; juxta graviores Theologos eſt minus ſaltem probabilis, ut monet Concina Theol. t. 5. p. 79. q. 3. Ergo non eſt tuta agendi regula, ſed periculoſa, & vitanda. Eam improbat idem Concina, & Nat. Alex. Theol. t. 2. p. 549. reg. 7. & ratio eſt, quia cap. 64. d. 1. de conſecrat. dicitur: *Miſſas die dominico ſæcularibus totas audire ſpeciali ordine præcipimus*. At qui duas dimidias Miſſas ſucceſſive audit, e. g. a conſecratione uſque ad finem, tum ab initio uſque ad conſecrationem, Miſſam integram, ſeu totam non audit, quia ſicut unaquæque res, ita Miſſa tota, & integra ex partibus unitis, non ſeparatis conſtat: ergo præcepto non ſatisfacit, ideoque letaliter peccat. Contendit quidem La-Croix, duas dimidias Miſſas eſſe unam Miſſam, ſicuti unum eſt officium, inquit, licet prius orem partem poſteriorem, & poſtea priorem, v. g. tertiam ante primam. Reſp. Diſcrimen eſt, quia hic eſt ſolum ordinis inverſio, & partes illæ officii ſeparabiles ſunt, at Miſſæ partes non ſunt ſeparabiles, & præterea exigunt ad unitatem, ut ab uno ſacerdote dicantur. Nam ſi ſacerdos in media Miſſa deficiat, & alter ſuccedat, & Miſſæ reliquum ſuppleat; hic nomine prioris in extrema neceſſitate agit, ideoque una Miſſa eſt. Nec valet, quod ſubdit La-Croix, unum ſcilicet eſſe principalem offerentem, & oblatum, hoc eſt Chriſtum; quæ ratio ſi oſtenderet, duas dimidias Miſſas eſſe unam Miſſam, oſtenderet etiam, omnes Miſſas eſſe unam. La-Croixii ergo rationes ineptæ ſunt, & aperte cavillatoriæ. Hic cavillandi modus ex arabica ſchola derivatus, ut Philoſophiam, ita Theologiam fœde corrupit. Nos ex ſimplicitate, & abſque fallaciis loquentes, dicimus juxta communem Fidelium ſenſum, totam Miſſam, ut citatus canon præcipit, non audiri, niſi integra unius ſacerdotis Miſſa audiatur; & opinionem contrariam non probabilem, ſed ſophiſticam eſſe, ut jam oſtenſum eſt.

Ob quam cauſam eſt probabile, etſi ſimul audiat.

Hæc opinatio, eſt prop. 53. ab Innoc. XI. damnata, quæ ita ſonat: *Satisfacit præcepto Eccleſiæ de audiendo ſacro, qui duas ejus partes, imo quatuor ſimul a diverſis celebrantibus audit*. Prior Bulemb. & La-Croix opinio ad hanc proſcriptam viam ſternit; ex quo multo magis intelligis, illam quoque eſſe rejiciendam.

ANIMADVERSIO XIV.

Satisfacit tamen quicumque (licet ſit &c. vel procul a templo) ita eſt præſens &c.

Si quis e feneſtra domus ab Eccleſia etiam ſeparatæ, vel alio loco non ſolum videat, ſed etiam audiat ſacerdotem celebrantem, is, ut mihi videtur, præcepto ſatisfacit, dum attente, & devote audiat. Nam præceptum ex c. *Miſſas* mox cit. illud ſimpliciter præcipit, ut tota Miſſa die feſto audiatur, de loco nihil præcipit: ergo locus non eſt neceſſarius ad implendum præceptum; ideoque præceptum impleri poteſt etiam ab iis, qui ſunt extra Eccleſiam, dum Miſſam attente, & devote audiant. Pia enim, & devota auditione iis quoad animum aſſociantur, qui ſunt in Eccleſia. Corporis præſentia in Eccleſia ea ſolum de cauſa neceſſaria eſt ad Miſſæ præceptum peragendum, ut Miſſa audiatur. Ergo ſi hæc audiri poſſit, & audiatur ſine corporis præſentia in Eccleſia, præcepto ſatisfit. Sicuti præcepta non ſunt ex arbitrio tollenda, aut extenuanda, ita ex arbitrio fingenda non ſunt.

Contra vero qui non ex neceſſitate propter populi affluentiam, ſed ſponte ſua extra Eccleſiam, vel in loco a ſacerdote celebrante remoto in Eccleſia exiſtentes, ſacerdotem non audiunt, præceptum Miſſæ audiendæ implere mihi non videntur; quia cap. citatum Miſſæ auditionem præcipit. Ergo cum hæc ex propria culpa, & ſponte non auditur, præceptum non impletur. Non enim præſentia, ſed auditio præcipitur. Hic eſt fidelium, ac præſertim piorum ſenſus, qui in amplis Eccleſiis Miſſam audire volentes, eo ſe conferunt, ubi ſacerdotem celebrantem audire poſſint. Hinc eſt, ut ſacerdotes in Miſſa muſſitantes multa reprehenſione digni ſint; quia non ſibi tantum, ſed aliis quoque Miſſam celebrant; ideoque voce clara, & moderate elata eam recitare debent. Omnes ergo, niſi neceſſitas aliud poſcat, Miſſam die feſto audituri, Eccleſiam, aut loca proxima ad id deſtinata ingredi debent quoad fieri poteſt, ne periculum violandi præceptum ſubeant.

ANIMADVERSIO XV.

Si quis nunc attendat, nunc fabuletur, ut tamen ſemper advertere poſſit &c. non tamen eſt damnandus mortalis.

Idem habet La-Croix p. 245. n. 653. Illud hic ſtatuendum eſt quoad factum, utrum in confabulatione interrupta notabile tempus inſumatur, ut explicate ponit La-Croix, & ponere videtur Buſ.; hoc enim poſito letalis culpa evidens eſt. Eccleſiam enim, ut infra oſtenderur, actualem attentionem in Miſſæ auditione die feſto præcipit, nec auditionis poteſtate quamvis proxima, quidquid Buſemb. contra dicat, aut ſentiat, contenta eſt; quia certum eſt, præcepta non de actuum præparatione, ſed de ipſis actibus imponi. Sed qui per notabile tempus ſermones attentioni permiſcent, actualem attentionem ad Miſſam per id tempus ſponte omittunt; & qui per notabile tempus ſeu continuatum, ſeu interruptum attentionem ſponte omittunt, præceptum graviter lædunt: ergo mortaliter peccant.

At La-Croix loco cit. ita loquitur. „ Si tamen iſta “ (hoc eſt actiones pingendi, ſcribendi, confabulandi, res alias fixe aſpiciendi, & conſiderandi) „ interru- „ ptim tantum fiant, & relinquant attentionem inter- „ nam, quamvis illam minuant, erit veniale tantum. “ Ponit ergo La-Croix per confabulationem, picturam, ſcriptionem &c. interruptam, internam attentionem ad Miſſam non tolli ſed ſolum minui. Reſp. Hic ſcilicet blanda ſibi ſomnia fingit, ut peccata excuſet. Illæ actiones Miſſæ auditioni interruptim admixtæ non ſolum attentionem, quo tempore fiunt, ſacræ rei eripiunt, ſed etiam animum ad diſtractionem a re ſacra, quo tempore non fiunt, diſponunt; ita ut homines mali hæc facientes rei ſint diſtractionis aut toto, aut ferme toto Miſſæ tempore. Hæc ordinarie accidunt, nec ad extraordinarios caſus in re morali confugiendum eſt, ut noſtra, aut aliorum peccata inanibus prætextibus tegamus.

Imo Con. &c. docet, eum ſatisfacere, qui voluntarie toto ſa-

to ſa-

to ſacro eſt diſtractus, modo &c. *quod probabile eſſe docet Laym. contra Suar.* &c.

Hæc opinatio eſt intolerabilis, quam divinum illud oraculum refellit: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe eſt a me.* Quamvis enim Eccleſia actus mere internos, qui uni Deo noti ſunt, non præcipiat, eos tamen indirecte præcipit, cum neceſſarii ſunt ad actus externos rite præſtandos, quos ipſa imperat. Sicut attentio, & devotio in horarum canonicarum recitatione explicite præcipiuntur cap. *Dolentes* de celeb. Miſſarum; ita attentio, & devotio in Miſſæ præceptæ auditione, implicite præceptæ intelliguntur, ne auditio Miſſæ hypocriſis ſit Deo exoſa. Propoſitio, qua quidam aſſerere auſi ſunt, præcepto communionis annuæ ſatisfieri per ſacrilegam Domini manducationem, ab Innoc. XI. num. 55. damnata eſt. Cur damnati Auct. hoc aſſerebant? Quia Eccleſia actum mere externum, non internum juxta ipſos præcipit. Ex hoc eodem principio præſens Buſemb. doctrina derivata eſt. At hoc principium Innoc. XI. implicite proſcripſit, dum concluſionem cum eo neceſſario connexam damnavit. Ergo proſcriptum quoque intelligitur, per ſolam externam reverentiam ſatisfieri præcepto audiendæ Miſsæ die feſto. Hinc Cœtus Cleri Gallicani (apud Nat. Alex. t. 2. p. 550. reg. 8.) anno 1700. hanc propoſitionem, *Præcepto Eccleſiæ de audiendo ſacro ſatisfit per reverentiam exteriorem tantum, animo licet voluntarie in aliena, imo & prava cogitatione defixo*, temerariam, ſcandaloſam, impietati faventem, & præcepto Eccleſiæ illudentem judicavit, & declaravit.

La-Croix p. 245. num. 650. rem involvere videtur, dum ait: „ Et hic ſupponimus cum communiori, quod aliqua attentio interna requiratur, ſaltem talis, per quam dicat religioſo exiſtere ſub ſpecie, & cultu externo colenti Deum reſpectu ſacrificii, ut recte explicat Paſqual. "

Videtur enim ſolum requirere attentionem ad externam piam corporis conformationem, quæ nihil efficit, niſi ut præcepti violationi hypocriſis addatur. Sed quidquid ſit de ejus mente, nihil ad nos.

Animadverſio XVI.

Qui in privatis oratoriis die feſto Miſſam audiunt, præcepto non ſatisfaciunt, niſi ſint de familia ejus, cui facultas conceſſa eſt, uti declarant Pontificum Brevia, quæ hac in re conſulenda ſemper ſunt.

Animadverſio XVII.

Duæ ſunt cauſæ, quarum altera ſi adſit, non teneris curare celebrari in portatili cum privilegio.

Idem habet La-Croix p. 244. n. 676. quam opinionem communem eſſe, ait contra aliquos. P. Concina Theol. t. 5. p. 108. n. 2. contra inquit: „ Ego abſolute eum teneri dico: quia ejuſmodi privilegia non conceduntur niſi divitibus, & nobilibus, qui abſque gravi, immo communiter levi incommodo poſſunt ſtipendium conferre Sacerdoti, ut ſibi Miſſam celebret. Anne privilegium illud, eorum dumtaxat fovendæ deſidiæ inſervire debet? Nonne congruum eſt, ut qui commodum ſentit, ſentiat quoque & onus? Sola gravis difficultas ſtipendii, quæ, ut dixi, in præfatis privilegium habentibus rariſſima eſt, excuſare poteſt. " Hactenus ille, cujus chriſtianæ doctrinæ utroque pollice ego ſubſcribo.

Neque (etſi id conſilii ſit) preces interim alias loco Miſſæ dicere &c.

La-Croix p. 249. n. 691. ita inquit. „ Docent Marchant. & Spor. t. 3. cap. 4. n. 36. excuſatos a Miſſa die dominico teneri ſub mortali Deum colere aliquo ſpeciali cultu ſaltem interno, quia præceptum divinum eſt, ut in ſabbato, quod apud nos eſt dominica, Deus ſpecialiter colatur. Hoc vult S. Auguſt. ſerm. 251. de temp. " *Obſervemus diem dominicum, & ſanctificemus illum .... Qui vere hoc non poteſt, ſaltem in domo ſua oret, & non negligat Deo ſolvere votum, & reddere penſum ſervitutis ſuæ.* Quid ad hæc La-Croix? „ Satis tamen erit, ait, abſtinere a ſervilibus ea intentione, ut colatur Deus, qui in ſabbato quievit. Nec obligatio illius intentionis eſt in feſtis pure ab Eccleſia inſtitutis. "

Hæc ne eſt ſolutio adverſariorum rationis? Ita ne reſpondet auctoritati D. Auguſtini? La-Croix rationem negligit, perinde ac ſi in re morali locum non haberet; D. Auguſtini primi Eccleſiæ luminis auctoritatem, perinde ac ſi unius recentis Scriptoris eſſet, roſuper habet, cum tamen pluris ſit, quam tercentorum recentium.

Ita loquitur, ac ſi dies dominica juris eſſet divini, alia vero feſta juris mere eccleſiaſtici; cum tamen omnes dies feſti, etiam dominici quoad temporis determinationem juris ſint eccleſiaſtici, ut docet D. Th. 2. 2. qu. 122. art. 4. ad 4. ubi ait, *quod obſervantia diei dominicæ in nova lege ſuccedit obſervantiæ ſabbati, non ex vi præcepti legis, ſed ex conſtitutione Eccleſiæ, & conſuetudine populi chriſtiani.* Idem docet Catech. Rom. p. 3. de 3. Dec. præc. n. 19. quæ eſt communis Theologorum ſententia, ut advertit Concina Theol. t. 5. p. 13. n. 7.

Omnia ergo feſta quoad dierum determinationem ſunt juris eccleſiaſtici. Sed quia juris divini, & naturalis eſt, ut *homo deputet*, ſicut loquitur D. Thom. 2. 4. cit. ad 2. *aliquod tempus vitæ ſuæ ad vacandum divinis*, quoad hujus temporis deputationem Eccleſiæ legi ſe ſe conformare debet; ideoque juris divini, & naturalis merito eſſe dicitur, ut feſtis diebus cultui divino vacemus: qua de re legendus merito eſt Concina Theol. t. 5. p. 94. c. 6. Qua doctrina poſita illud ſponte ſua neceſſario conſequitur, illum peccare, qui Miſſa non audita, Deum nullo alio cultu die feſto proſequitur. Hic, inquam, peccat non contra Eccleſiæ præceptum, quod eſt de Miſſa, quam audire non potuit, ſed contra divinum de ſanctificatione feſtorum.

Sicut ergo mortaliter peccat, qui Miſſam die feſto, cum poſſit, non audit, quia Eccleſiæ præceptum violat; ita multo magis mortaliter peccare videtur, qui, cum Miſſam audire nequeat, nullum alium cultum Deo præſtat, quia divinum juſſum tranſgreditur; in quam ſententiam pronus eſt etiam P. Concina Theol. t. 5. p. 113. num. 21. Nam hunc peccare, pro certo habet; cum ille quoque ex D. Antonino peccet, qui Miſſam tantum audit die feſto. *Non vacare*, inquit p. 2. t. 9. cap. 7. §. 4. *Deo pro majori parte diei, tamen peccatum eſt.* Cujus ſententiam ſequitur Nat. Alex. Theol. t. 2. p. 552. reg. 10. & Concina Theol. t. 5. p. 94. c. 6. eamque fuſe confirmat. Ergo multo magis peccat qui, cum Miſſam audire non poſſit, nullum aliud pium opus exercet.

Hic neceſſe eſt, ut totum diem feſtum aut otio diffluat, aut in permiſſis, hoc eſt non ſervilibus laboribus illum occupet. At de hujuſmodi homine ita pronuntiat Nicolaus in reſp. ad Conſulta Bulg. cap. 10. & 11. *Quæ omnia*, hoc eſt pſalmos, hymnos, orationes, eleemoſynas &c. *ſi quis negligens, orationi tantum vacare noluerit, & ad cæteras mundi vanitates licitos labores converterit, melius ei fuerat ipſo die* (feſta) *laborare manibus ſuis, ut haberet, unde tribueret neceſſitatem patientibus.* Hinc intelligis, quantopere a veritate alienus ſit La-Croix, dum ait: „ Satis tamen erit abſtinere a ſervilibus ea intentione, ut colatur Deus. " Deus enim abſtinentia a ſervilibus laboribus non colitur; ſed hæc abſtinentia diebus feſtis præcipitur, ut Deus pſalmis, canticis, precibus &c. colatur.

Multo vero magis ad laxandas habenas ſe proclivem oſtendit, dum addit, „ nec obligatio illius intentionis eſt in feſtis pure ab Eccleſia inſtitutis. " Quaſi vero reliqua feſta præter diem dominicum, nullum prorſus cultum Deo præſtandum, ſi Miſſa audiri nequeat, ex præcepto poſtulent.

Sed miſſis his abſurdis commentis, neglectiſque Buſemb., La-Croixio, & aliis, Confeſſarii, Parochi, Concionatores S. Auguſtini, & Nicolai I. doctrinæ ſe ſe conformare debent.

Animadverſio XVIII.

Secunda cauſa eſt quodcumque motivum &c. *quo quis bona fide putat ſe excuſari.*

Hic Buſemb. rem involvit. Rationabilis cauſa, ſi ſit ſufficiens, ab audiendo ſacro die feſto excuſat: at ſi ſufficiens reipſa non ſit, ex bona fide, hoc eſt ex falſa perſuaſione, non excuſat. Noſtra enim conſcientia, ſeu perſuaſio non eſt recta agendi regula, niſi legi conformis ſit; a qua ſi abhorreat, a culpa non excuſat, niſi ſit invincibilis; quod raro accidit.

Animadverſio XIX.

Excuſantur qui ſunt ... in convaleſcentia, in qua obſit prodire foras.

Buſemb. benignitate probabili abſolute ait, *obſit* &c. An hoc verum eſt, etſi leviſſime obſit? Non quodcumque, ſed ſolum grave damnum, aut incommodum a Miſſa die feſto audienda excuſat. Cum leve aliquod incommodum timeri fere ſemper poſſit, ſi ægri ex morbo haud plene confirmati foras prodeant, facile eſt ut ex Buſemb. doctrina anſam capiant violandi feſta.

La-Croix p. 244. num. 678. ait: „ Sanch., Dicaſt., Gob. dicunt, etſi ad negotia alia, ad quæ afficeris, exire poſſes, te non ideo ſtatim teneri adire Miſſam, ſi hanc adiens cum repugnantia naturæ alterari poſſes, & pati non leve incommodum. "

Hæc doctrina mihi valde corrupta videtur, quæ malos

los homines ex pravo affectu a ſacris rebus alienos excuſar, ſi Miſſam die feſto non audiant, quia ex ſua ipſorum peſſima ad Miſſam repugnantia non leve incommodum ſibi timent ex ejus auditione, cum tamen ad ſua negotia ſæculi, ad voluptates &c. ſine incommodo exire poſſint. Hæc, ut bona venia loquar, abſurda, & a pietate longe aliena commenta mihi videntur.

Deſcripti homines, in quorum corde humana divinis, & profana negotia ſacris præceptis prævalent, non mollibus, fallacibuſque opiniunculis excuſandi ſunt, ſed graviſſimis verbis increpandi.

Animadversio XX.

Item qui cuſtodiunt caſtra, urbem, gregem &c.

Hac de re P. Concina Theol. t. 5. p. 109. n. 5. caute ita loquitur. " Qua de cauſa excuſantur cuſto„ des arcium, ovium, armentorum, vinearum, mer„ ciumque vectores, quando res ſibi commiſſas neque „ ad tempus relinquere ſine gravi periculo valent. „ Quando tamen plures ſunt, pluraque ſacra, vices „ mutare debent, & ſucceſſive Miſſam audire. "

Cum his limitationibus Buſemb. loqui debuerat, ut recte loqueretur.

Aut coquere debent, & ſimilia curare, quæ omitti non poſſunt.

Hæc aliis committi, aut per mediam horam omitti, ſeu interrumpi non poſſunt, ut ſacrum audiatur? An majori curæ eſſe debet gula, quam Miſſæ feſtæ auditio? Quis unquam putaſſet, religioſos morum tractatores hæc docere? Docent tamen, nec ſe reprehendi patiuntur.

Animadversio XXI.

Item cui periculum eſt gravis offenſionis mariti, parentum &c.

P. quoque Concina ait: „ Uxores ob grave marito„ rum ſcandalum vitandum licite poſſunt Miſſam omit„ tere; " at ſtatim ſubdit, „ prudentia tamen opus „ eſt, & juxta circumſtantiarum varietatem conſilium „ dandum eſt. " Videlicet præceptum Miſſæ audiendæ propter ſcandalum phariſaicum prætermittendum non eſt: ſcandalum ex infirmitate, reddita ratione, & cautione adhibita ſedatur; alioquin phariſaicum evadit. Ergo Miſſa die feſto propter ſcandalum omittenda non eſt, niſi addatur periculum gravis damni uxori, filiis, famulis inde imminentis.

Animadversio XXII.

Item ſi quis alioquin omiſſurus eſſet occaſionem commodam &c.

D. Antoninus p. 2. t. 9. cap. 10. ait: *Aliquis eſt in ſocietate aliquorum, qui nolunt expectare Miſſam, & ſine ſocietate illa non bene poteſt iter facere, vel quia ignorat viam, quæ difficilis eſt, & periculoſa, vel quia non eſt tuta a latronibus, vel quia ab illis habet expenſas itineris, & hujuſmodi: excuſatur hic ſine dubio.*

D. Antoninus loquitur de eo, qui eſt in ſocietate, & qui iter proſequi neceſſe habet. Nam ſi iter non neceſſarium ſuſcipiendum ſit, commoda potius ejus occaſio, quam Miſſa, omittenda eſt.

Animadversio XXIII.

Si ex conſuetudine patriæ feminæ egredi non ſoleant tempore luctus &c.

D. Antoninus p. 2. t. 9. cap. 10. ita loquitur: *Quod viduæ aliquibus diebus, vel hebdomadis in morte virorum maneant domi in ſignum triſtitiæ, unde & Miſſam non audiant, videtur tolerandum, ſi eſt de more patriæ. Sed quod maneant per integrum annum, vel per ſex menſes, excuſari non poſſunt, quia magna abuſio eſt.*

D. Carolus Borrom. Conc. I. Mediol. conſtituerat, ne viduæ menſem ut ſummum excederent ſine Miſſa diebus feſtis audienda.

At re maturius penſata hanc ipſam permiſſionem Conc. III. Mediol. ſuſtulit. *Feſtis diebus*, inquit, *ſacroſanctis Miſſæ ſacrificiis fideles omnes interſint. Neque vero excuſentur puellæ nubiles, neque deinceps viduæ ne permiſſu quidem primi noſtri Concilii ob recentem mariti mortem, neque ullo alio cujuſvis conſuetudinis prætextu.*

Ait, *conſuetudinis prætextu*; quia rationabile non eſt, ut viduæ, quæ precibus inſtare debent, a Miſſa præcepta abſint. Idem dicas de mulieribus poſt partum, poſtquam viribus recuperatis domo exire poſſunt. Hinc improbanda quoque eſt illa La-Croixii doctrina p. 249. n. 690. ubi ait: „ Non ſtatim condemnandi ſunt mor„ talis adoleſcentes, vel puellæ emanentes a Miſſa, „ quando pro eorum matrimoniis fiunt proclamationes, „ niſi aliam Miſſam, aut in alio templo audire poſ„ ſint. " Nonne iſti Eccleſiæ præceptum in re gravi aperte violant? Quomodo ergo a mortali culpa excuſari poſſunt? Quia „ ſi adſint, inquit La-Croix, aſpi„ ciuntur, videntur, verecundantur, & conſuetudo tum „ emanendi, ſi alicubi ſit, eos excuſat. Ita March. „ &c. "

Cauſæ ne tam leves, & ridiculæ a graviſſimo Eccleſiæ præcepto eximunt? Si ita eſt, de Eccleſiæ præceptis magna ex parte actum eſt. Si alicubi ſit conſuetudo tum manendi extra Eccleſiam, manere quidem extra illam adoleſcentes, & puellæ poſſunt, dum tamen die feſto Miſſam audiant. At ſi manendo extra Eccleſiam Miſſam non audiant, Miſſæ non auditæ reatum, hoc eſt mortalem culpam incurrunt.

Animadversio XXIV.

Si quis non habeat veſtes ſtatui ſuo convenientes.

Ne hæc quoque cauſa ſufficiens mihi videtur; quia in publicum prodire ſine veſtibus ſtatui convenientibus, nullum affert damnum. Pudor inde oriundus, nulla ratione oritur; quia ſuam profiteri pauperiem, nihil habet dedecoris; imo jactabundi hominis eſt, ornatu ſupra vires uti velle. Quod ſi aliqua verecundia pro implendo Eccleſiæ præcepto ſubeunda ſit, eam Chriſtianus ſubterfugere nec debet, nec, ut mihi videtur, poteſt; quia nonniſi gravia incommoda ab Eccleſiæ lege excuſant.

Animadversio XXV.

Si quæ ſciret, alteri &c. ſequuturam occaſionem peccati &c.

Occaſio peccati, ſeu ſcandalum ortum ex egreſſu in publicum feminæ, quæ perdite amatur, phariſaicum eſt, non puſillorum. Qui enim eam perdite amat, occaſionem peccandi ex malitia ſua quærit, & amat. Sed ut ſcandalum phariſaicum vitetur, Miſſæ feſtæ præceptum prætermittere non licet. Ergo mulier, quæ ſcit, alteri, a quo perdite amatur, ſequuturam occaſionem peccati, ſi prodeat, a Miſſæ præcepto non excuſatur. Atque ita ſcribit etiam P. Concina Theol. t. 5. p. 109. num. 5.

CAPUT II.

De quarto præcepto: *Honora patrem, &c.*

DUBIUM I.

Ad quid teneantur liberi erga parentes?

Reſp. Tenentur vi hujus præcepti, tum genitoribus, tum Superioribus, in iis rebus, in quibus quiſque, & quamdiu ſubjectus iis eſt, amorem, reverentiam, & obedientiam præſtare, ita ut, ſi notabilis horum defectus ſit in re gravi, graviter peccetur: quod facilius fiet reſpectu parentum, quam aliorum. Ita communiter. V. Fill. *t.* 28. *p.* 2. *c.* 1. Reg. *l.* 2. *c.* 1. *&c.*

Unde reſolves.

1. Contra amorem graviter peccat filius. 1. Si ſigna odii parentibus oſtendat, & aſpere tractet. 2. Si torvo oculo fere ſemper intueatur, ac ita aſpere loquatur, ac ſi odio haberet. 3. Si non ſubveniat in gravi neceſſitate ſpirituali, vel corporali. 4. Si non impleat eorum teſtamenta, & legata, modo heres ſit. Si grave malum, v. g. mortem, illis optet. Nav. Reg. *l.* 20. *n.* 8. Fill. *t.* 28. *c.* 1. *q.* 3. & 7.

2. Contra reverentiam graviter peccat filius. 1. Si percutiat etiam leviter, ſecundum Regin. 2. Si manum ad percutiendum deliberate attollat. 3. Si graviter contriſtet. Reginald. *lib.* 20. *n.* 24 Fill. *n.* 17. *c.* 17. 4. Si animo deliberato ad gravem iram provocet verbis contumelioſis, vel talibus, quibus ſciat graviter offendendos. 5. Si maledicta, convicia, &c. in eos conjiciat. Navar. Fill. &c. 6. Si pauperes deſpiciat, vel nolit agnoſcere: quod ſi tamen exterius tantum diſſimulet ſe noſſe, & nolit apud ſe habere ex juſta cauſa, dummodo provideat de neceſſariis, Bonacina excuſat a peccato gravi, eo quod

ratio-

Digitized by Google

rationabiliter non ſint inviti, 7. Si in foro externo etiam de vero crimine accuſet, extra crimen hæreſis, proditionis, vel conjurationis in Principem, cum non aſt alius corrigendi modus, V. Bonac. *d.6.*

3. Contra obedientiam graviter peccat 1. Si in re gravi ſit inobediens circa ea, quæ pertinent ad gubernationem domus, bonos mores, vel animæ ſalutem. Fill. *n.* 20. 2. Si contra voluntatem parentis ducat uxorem ſe indignam. Indigna autem dicitur, cum qua non poteſt contrahere ſine dedecore juxta ſuæ regionis uſum: non tamen poteſt exhæredari idcirco. 3. Si ſine juſta cauſa nolit eam ducere, quam vult parens, maxime ſi inde ſopirentur odia, aut parentum neceſſitas levaretur. Erit autem juſta cauſa, v.gr. ſi ſit impar familia, ſi infirma, deformis, fama, vel immorigera. 4. Si, inconſultis parentibus, nubat, ut habet Sanch. *Poteſt tamen, ubi conſuluit, ipſis invitis prudenter contrahere cum ſe digna; cum circa electionem ſtatus ſit ſui juris.* Leſſ. *l.* 2. *c.* 40. *n.* 43. Sanch. *l.* 4. *c.* 15. Fill. *q.* 10. *n.* 20. An, & quomodo peccent liberi furando parentibus, vid. infra *l.* 3. *t.* 5. *c.* 1. *d.* 4. Item, an alienare poſſint bona, v. infra, *l.* 3. *t.* 5. *c.* 3. *d.* 2. & *l.* 3. *t.* 5. *c.* 4. *d.* 1.

Animad. I.

4. Tenetur proles alere parentes egentes, (*a*) *adeo ut*, ſi in gravi neceſſitate aliter juvari non poſſint, *teneatur manere in ſæculo* (niſi tamen in hoc illi certum, vel certe valde probabile periculum ſalutis immineret) &, ſi religionem ſit ingreſſus, teneatur egredi, & juvare parentes: dummodo eorum neceſſitas ejus profeſſionem anteceſſerit. Fill. *q.* 5. n. 9. Bon. *q.* 1. *p.* 6.

Animad. II. 1. *Si vero neceſſitas poſt profeſſionem ſuperveniat, ſi extrema ſit, tenetur egredi, petita prius, licet non obtenta, venia.* Si autem ſit gravis tantum, in qua utcumque poſſunt vivere, non tenetur quidem, poteſt tamen egredi, ſi Prælatus permittat. Quo caſu tenetur, in quantum non obſtat ſuo intento, deferre habitum, & obſervare ſubſtantialia Religionis: at, poſtquam parentibus ſubventum eſt, redire. V. Leſſ. *l.* 2. *cap.* 41. *dub.* 3. Vide & infra *t.* 5. *c.* 1. *dub.* 4.

DUBIUM II.

Ad quid teneantur parentes erga filios?

Parentes, quo nomine etiam intelliguntur aſcendentes v.gr. avus, proavus, &c. tenentur gravi obligatione juris naturalis conſervationem, & educationem liberorum curare. Circa quod ex Bonac. *diſp.* 3. *q.* 1. Azor. *p.* 2. *l.* 2. *q.* 17. Fill. *tr.* 28. *c.* 2.

Reſolvuntur hi caſus.

1. Graviter peccant parentes, qui ſine juſta cauſa prolem hoſpitali, vel locis publicis exponunt. V. Bon. *hic*, & Fill. *t.* 21. *p.* 2. *c.* 2. & *infra* tr. 5. *c.* 1.

2. Mater tenetur (ſub veniali tamen) lactare propriu lecta, (*b*) *niſi habeat juſtam excuſationem*: tunc vero tenetur ſub gravi peccato bonam nutricem quærere. Bon. *d.* 6. *q.* 1. *p.* 6. Laym. Item tenetur ſecundum jura prolem alere ad finem anni tertii: poſtea educatio uſque ad emancipationem ſpectat ad patrem. Excipe, niſi hic eſſet pauper, & mater dives. Fill. Laym. *l.* 5. *t.* 10. *c.* 3. Regin. *l.* 20. *nu.* 32.

3. Pater tenetur proli non tantum legitimæ, ſed etiam (in quo jus civile a canonico correctum juxta *cap. Cum haberet*) ſpuriæ curare alimenta, hoc eſt, cibum, potum, veſtitum, & honeſtas artes, juxta ſuum ſtatum, niſi tamen aliunde ſe alere poſſit, & non indigeat; deinde etiam dotem filiæ. Et quidem Clerici, etiam ex fructibus eccleſiaſticis, poſſunt hæc ſuis ſpuriis præſtare. Fill. *l. c. t.* 28. *c.* 2. *n.* 2. Laym. *l.* 5. *tract.* 10. *p.* 3. *c.* 5. Vide infra *tr.* 5. *c.* 4. *d.* 5. *q.* 1. Hinc peccant 1. Si non adhibeant diligentiam ſaltem mediocrem, ut acquirant bona, quibus filii alantur, habeantque hereditatem ſecundum ſuum ſtatum. 2. Si bona dilapidando impotentes ſe reddant ad liberos honeſte ſecundum ſtatum ſuum educandos, ac dotandos. Bon. *d.* 6. *q.* 1. *p.* 6. Azor. Filliuc. &c. 3. Si ſine legitima cauſa filiæ dotem negent (vel filium exhæredent) v. gr. quia vult ingredi, vel eſt ingreſſa Religionem, vel quia ipſis invitis nupſit, licet ſe indigno. Bon. *l. c.* §. 2. ex Azor. Reginald. &c. vel quia filius ordinem ſacrum ſuſcepit. Sicut enim pater tenetur dotare ſuas proles pro matrimonio, vel ingreſſu Religionis; ita etiam ad ſuſcipiendos ſacros ordines. Neque hæc donatio eſt revocabilis: imo ſic donata non poſſe computari in legitimam, aut diviſionem cum fratribus, docet Barb. *c.* 17. Contrarium tamen tenent Molin. &c. cum Dian. *p.* 8. *t.* 6. *R.* 91. & 92.

4. Parens tenetur proli ſubvenire, relicta religione, iiſdem caſibus, quibus proles parenti, quos vide *ſuperiore dubio caſ.* 4. & 5.

5. Parentes gravi obligatione tenentur inſtruere liberos per ſe, vel alios, in neceſſariis ad ſalutem. Hinc graviter peccant 1. Si, quantum in ipſis eſt, non curent, ut bonis moribus imbuantur, doctrinam chriſtianam, ſeu fidei rudimenta addiſcant, pravorum conſortia vitent, mandata Dei, & Eccleſiæ obſervent, Sacramenta frequentent, a peccatis abſtineant. Azor. Fill. Bon. *l. c.* 2. Si occaſiones peccandi ab iis non avertant, vel in locis, aut domibus ſuſpectis habitare permittant. Trul. *t.* 1. *d.* 3. *n.* 4. 3. Si conſilio, vel exemplo malo depravent. 4. Si non objurgent, puniantque diſſolutos: moderate tamen; nam peccant etiam verberando immoderate, v.g. ut notabiliter lædantur. Sot. Syl. Bon. *l. c.* & *d.* 3. *de contract. q. ult. p.* 3.

6. Tenentur etiam proli relinquere libertatem circa electionem ſtatus. Unde peccant invitos ad matrimonium, vel religionem cogendo, vel abſtrahendo. Et quidem Trid. *ſeſſ.* 25. *de Reg.* 18. excommunicat cogentes ad Monaſterium filias.

7. Etſi frater fratri, vel ſorori, ſaltem in extrema, vel quaſi extrema neceſſitate teneantur ſubvenire lege tum caritatis, tum pietatis; non tamen eſt ea obligatio, quæ inter parentes, & liberos, cum non ſit iſta dependentia. V. Leſſ. *l.* 2. *c.* 31. *n.* 34. Unde, ſi profeſſus eſt in religione, non tenetur egredi, ut eis ſuccurrat. Trull. *l.* 2. *cap.* 2. *d.* 24. *n.* 8. ex Suar. &c.

Quæres, an filius aliquando poſſit a patre privari hæreditate?

Reſp. Poteſt ex juſta cauſa, alias non: eadem in teſtamento debet exprimi. *Auth. Sed hodie*, *C. de inoff. teſt.* Talis autem cenſetur.

1. Ingratitudo (niſi in gratiam patris redierit, ipſumque pœnituerit ante teſtamentum conditum) ut ſi affecit patrem gravi injuria, vel ejus vitæ inſidiatus eſt, vel manus injecit, vel maleficis ſe immiſcuit. Bon. *d.* 3. *q.* 7. *p.* 3. ex Cov. Sanch. Azor. Mol. &c.

2. Si novercam, ſeu patris uxorem cognoverit carnaliter; ſi parenti furioſo, vel carcere detento noluit ſuccurrere, fidejubendo: ſi impedierit patrem teſtari: ſi bona parentum dilapidaverit, cum gravi ipſorum diſpendio.

3. Si filia minor 25. annis luxurioſam vitam elegerit, &c. Circa quas

Nota, valere has cauſas, quando filius aliunde habet unde vivat; nam alimentis ad vitam neceſſariis privari non poteſt: cum debeantur jure naturæ, quod a jure civili tolli non poteſt. Bon. *d.* 6. *q.* 1. *p.* 6. §. 3. ex Sanch. Mol. Azor. Regin. Fill. Trull. *l.* 4. *c.* 1. *d.* 3. & *t.* 2. *l.* 7. *c.* 17.

DUBIUM III.

Ad quid teneantur tutores, curatores, qui parentum ſunt loco?

Tutor (idem eſt de curatore) tenetur curam gerere pupilli, ejuſque bona rite, & fideliter adminiſtrare. Ratio eſt, quia in hunc finem conſtituitur, & aſſignatur pupillo patris loco. Quare, ſi delinquat, vel notabiliter ſit negligens hac in re, peccat graviter, & ad compenſationem damni, quod pupillus ex eo accepit, obligatur (& ſaltem de dolo, & culpa lata) imo etiam ſi tutoris officium exercet pretio (quod tamen ſi ab initio non eſt conſtitutum, cenſetur ſuſcepiſſe gratis) tenetur etiam de levi culpa. Bonac. *de contract. d.* 3. *q.* 19. *part.* 4.

Un-

Unde reſolves.

1. Totor tenetor rueri perſonam pupilli, dum opus eſt, eumqoe bonis moribus imbuere, & bene educare, per ſe, vel per alios, Bon. *l. s.*

2. Tenetur bona pupilli fideliter adminiſtrare, ideoque (officium tutoris ſuſcipient) inventarium conficere, alioqui damoa ex ejus defectu ſecuta reſarcira; nec licet illi, pupillo pecuniæ nimium ad uſus inutiles concedere.

3. Tutor (uti & curator) tenetur conſervare omnia jura, bona, & actiones pupilli (vel minoris) & bona alias peritura vendare, pecuniamque convertere in emptionem bonorum ſtabilium, vel in cenſum, &c. prout fuerit utilius. Ibid. ex Rebel. *p. 2. l. 22. q. 17.*

4. Si tutor, vel curator pecuniam pupilli convertit in ſuos uſus, tenetur ad reſtitutionem totius lucri ceſſantis, vel damni emergentis, quod inde accepit pupillus, vel minor. *l. c.* Rebell. *q. 17.*

5. Tenetur item ad reſtituendos fructus (deductis expenſis) quos ex bonis pupilli percipere poterat, & ſoa culpa non percepit. Sil. v. *Tutor* §. 4. Rebel. *l. s.*

6. Tenetur nomina debitorum exigere, & debita pupilli perſolvera, ita tamen, ut; quantum fiari poteſt, bono pupilli conſulat. Sylv. Reb. *ll.cc.* Tab. *ib.*

7. Tutor, vel curator non poteſt donationes, vel remiſſiones gratioſas facere de bonis pupilli, quia non ad deſtruendum, ſed ad tuendum eſt conſtitutus, *ibid.* Excipe donationem remuneratoriam; ſic enim poteſt v. g. ſtipendio debito pro liberali ſervitio aliquid addere ex liberali donatione. Mol. Lugo *d. 23. ſect.* 10. Sanch. Trull. *l. 7. c. 17. d.* 8. Vid. Dian. *p.* 8. *t. 6. R.* 17.

8. Deniqua tenetur (officio finito) reddera rationem: quia hoc onus eſt commune eorum, qui bona aliena adminiſtrant. V. Bon. *de con. d. 3. q. 19. p.* 4. & infra hoc libro *t. 4. c. 3. in appendice ad contractus.*

DUBIUM IV.

Quæ obligatio dominorum, & famulorum, aliorumque Superiorum, & inferiorum erga ſe invicem?

Reſp. 1. Domini, & Superiores tenentur hebere curam famulorum, aliorumque ſoorum ſubditorum. Patet ex 1. ad Tim. 1. *Si quis ſuorum, &c.* Et ratio eſt, qnia ſunt ipſorum caput, & vices parentum gerunt; ideoque tenentur quodammodo ad eadem, ad quæ parentes. Imprimis vero curare tenentur, quentum in ipſis eſt, ut ſervent præcepta Dei, & Eccleſiæ. Bon. *dub. 16. q. 1. p.* 8.

Unde reſolves.

1. Peccant domini graviter 1. Si ſine juſta cauſa impediant ſemulos, na feſtis Miſſam audiant; vel ſi feſtis opera ſervilia imponant, vel ſi jubeant ea, quæ ſine peccato fieri non poſſunt. Nav *c. 14. &c.* 2. Si peccandi occaſionem permittant, cum poſſint impedire; aut ſi graviter delinquentes non corrigant, vel negligentes neceſſaria ad ſalutem non moneant, corripiant. Bon. *l. c.*

2. Peccant item graviter 1. Si gravibus injuriis afficiant, diabolos, canes, &c. appellent. Bon. *l. c.* & Trull. *l. 4. c. 1. d.* 6. licet Dian. *p. 7. t. 7. R.* 47.
Animad. III. *excuſet a peccato talem contumeliam, quod ex ira, & indeliberatione ſoleat proferri.* 2. Si alimenta convenientia non præbeant, mercadem juſtam (dummodo fideliter ſervierint) non ſolvent, vel differant abſque rationabili cauſa. *ibid.* 3. Si anta elapſum terminum temere domo expellant: in quo caſu (niſi graviſſima ex cauſa id fecerint) tenentur ad ſolutionem integræ mercedis. Leſſ. Azor. *c. 14. q.* 1. Fill. u. 117. Reg. Mol. &c. Eſcob. *c. 3. E. 9. q.* 33. 4. Si enim, qui liberos, alioſve domeſticos verbis, exemplo, val moribus pravis corrumpit, & reprehenſione non emendatur, e domo non dimittent. Nav. *c.* 14. Azor. Trull. *d. 61. n.* 2.

3. Herus non tenetur famulo infirmo (quamdiu ægrotat) dare ſalarium; niſi in extrema, vel gravi neceſſitate (tunc enim debet ex caritate) imo ſumptus in ejus curationem impenſos poteſt repetera. Molin. *l. 1. t. 28. c. 4* u. 8. Eſcob. 1. 3. *c. 9.*

Reſp. 2. Famuli, ceterique ſubditi tenentur ſuis dominis, & ſuperioribus aliquo modo eadem, quæ filii parentibus, nimirum amorem, reverentiam, & obedientiam præſtara. Ratio patet ex dictis, quia ſunt illis quaſi loco parentum. S. Thom. 2. 2. *q.* 103. Regin. *l. 20. n.* 26.

Unde reſolves.

1. Peccant famuli graviter 1. Si non laborent, vel ſerviant fideliter: tenentuque ed compenſationem damni. Molin. Leſſ. *l. 1. c.* 24. 2. Si grave damnum inferant, vel inferri permittant, cum poſſint impedira. Nev. *c.* 14. u. 22. Fill. r. 28. *c. 3. q.* 10. Regin. *l. c.* Et quidem, ſi damnum illud inferatur ſive a conſamulis, ſiva ab extraneis in rebus, quarum cura ipſis commiſſa aſt, a reſtitutione non poſſunt excuſari. Molin. Leſs. *l. 2. c. 23. p. 30. n.* 65. Fill. *t. 36. c. 9. q. 9.* u. 114. 3. Si abſque graviſſima cauſa diſcedant a domino ante terminum elapſum; ultra hunc vero manere non tenentur, atiamſi morbo impediti ſervire aliqnandiu non potuerint. Molin. *l. c.* Regin. u. 517. Eſcob *E. 7. n.* 50. 4. Si domino in rebus magni momenti non obediant. Bon. *l. s.*

2. *Famuli non peccant, ſi ſuſtentationem, vel mercedem juſtam domino negante, utantur compenſatione occulta,* Mol. *l. c.* Fill. *tr. 36. c. 6. q. 3. dummodo tamen alius modus non ſit impetrandi*; nec plus accipiatur, quam debetur: neque ſcandalum, aut aliud incommodum grave timeatur. Vide Bon. *de reſtit. d. 2. q. ult. p. 2. n.* 16. Animad. IV.

3. *Similiter pro obſequiis, ad quæ non tenebantur, præſtitis* (ſi quidem illa non gratis, & liberaliter, ſed animo mercedis exhibuerint) *licere eu rebus domini accipere compenſationem, quæ aliter obtineri non poſſit, docet Navar.* r. 17. u. 108. Leſs. *l. c.* Plura de his v. infra *t. 5. r. 1. d. 4. & r. 3. d.* 10. & Bonac. *d. 6. q. 1. p.* 8. Animad. V.

DUBIUM V.

Ad quid teneantur conjuges erga ſe mutuo, vi hujus præcepti.

Reſp. Uxor in iis, quæ ſpectant ad domus gubernationem, & bonos mores, tenetur obedire marito: hic vero uxorem, non ut ſervam, ſed ut ſociam tractare. Ratio eſt, quia maritus eſt capot, & uxor commembrum. Navar. *c. 14. n.* 20. Trull. Fill. r. 28. *c. 9. q. 6. n.* 144. & comm.

Unde reſolves.

1. Conjuges peccant 1. Si debita intentiona non contrahant matrimonium. 2. Si ſine diſpenſatione prætermittant proclamationes. 3. Si Sacramentum matrimonii in ſtatu peccati mortalis recipiant. 4. Si utantur matrimonio contra naturam, vel modo indebito, vel cum periculo abortus. 5. Si debitum ſine juſta cauſa negent. 6. *Si cum periculo pollutionis tactus habeant impudicos.* Animad. VI.

2. Peccat graviter uxor 1. Si maritum rixis, vel aliter verbis ad gravem iram, vel blaſphemiam provocet. Fill. *l. c.* u. 145. & Bon. 2. *Si quid notabile expendat contra voluntatem viri, & conſuetudinem feminarum ſimilis ſtatus*, niſi tamen ex paraphernalibus, ſi habet. 3. Si ſpreto viro ſibi imperium vendicet. 4. *Si nolit ſequi virum domicilium mutantem, dummodo poſſit ſine periculo vitæ, & ſalutis, & contrarium non ſint pacti*: & maritus poſt nuptias non ſit factus vagus. Navar. Tol. Bon. *p.* 7. V. infra r. 5. *c. 1. dub.* 4. 5. Si ſine ſufficienti indicio mala judicet de mariti continentia. 6. Si ſine juſta cauſa debitum neget: v. infra *l.* 6. 7. Si ſe ingerat in adminiſtrationem domus ſine juſta cauſa, qualis eſt, ſi v. gr. meritus prodigus bona familiæ dilapidet. Silv. Trull. *c. 1. d. 4. n.* 18. Animad. VII.

3. Peccat graviter maritus 1. Si verbis contumelioſis, vel infamatoriis afficiat uxorem. 2. Si impediat illam circa præcepta Dei, val Eccleſiæ *ſine juſta cauſa.* (1) Sayr. *l. 7. c.* 7. Nav. *c.* 14. Si vero impediat atiam ſine cauſa circa ea bona, quæ conſilii tantum ſunt, ut eſt confeſſio, communio, &c. communiter tantum peccat venialiter, niſi conſtet, quod magnam ex iis utilitatem percipiat. Sayr. Fill. Bon. *q.* 1.

q. 1. *p.* 7. Trull. 3. Si cædat graviter: moderate tamen caſtigare verbis, vel etiam ex gravi cauſa moderatis verberibus, habita ratione conditionis, & ſtatus, quandoque poteſt. 4. *Si alimenta neget*, (*d*) *niſi tamen uxor a conſortio mariti propria culpa diſceſſerit*. 5. Si negliget gubernationem domus, & rem familiarem. 6. *Si uxori non cohabitet*, (*a*) vel ſine juſta cauſa diu abſit. 7. Si, cum poſſit, alimenta non procuret. V. Fill. *n.* 140. & 141. Nav. *c.* 14. *n.* 19. Tol. *l.* 5. *c.* 2. Sanch. *l.* 10. *de matrim. diſp.* 18. *n.* 16. Bon. *p.* 7.

D U B I U M VI.

Quæ obligatio parochorum erga ſuos?

Reſp. Curatus, ſive Parochus jure divino tenetur 1. Reſidere in ſua Parochia. Trid. *ſeſſ.* 23. *c.* 1. *de ref.* Barb. *de off. Paroch. c.* 8. *n.* 1. alioqui in conſcientia fructus non facit ſuos, teneturque pro rata abſentiæ reſtituere fabricæ Eccleſiæ, vel cauſæ piæ. Poteſt tamen ex juſta cauſa, & licentia Epiſcopi ad breve tempus abeſſe. V. Navar. *c.* 5. Azor. *t.* 2. *l.* 2. *c.* 4. Poſſev. Barb. Trull. *l.* 4. *c.* 1. *d.* 8.

2. Tenetur adminiſtrare Sacramenta, quoties, & quanto cum periculo, v. infra, & Bon. *tr.* 1. *d.* 3. *q.* 3. *p.* 2. Poſſev. *ll. citatis*.

3. *Orare pro populo, & celebrare, ut populus audiat*
ANIMAD. VIII. *Miſſam: quam etiam teneri eum eidem applicare diebus ſaltem feſtis, & aliquot aliis, docet Tol. l. 3. c. 5. Sed negant Suar. Com. in 3. p. 83. art. 1. d. 1. cum nullo jure id cautum ſit*. Vid. Bon. *q. ult.* Barb. *l. c.*

ANIMAD. IX. 4. *Docere populum concionando, arguendo*, &c. *per ſe, vel per alios*. Tol. *l.* 5. *c.* 5. Poſſ. Barboſ. Trul. *ll. cc.* V. ſupra.

5. Tenetur ſingulis diebus dominicis, & feſtis ſolemnibus populo doctrinam chriſtianam explicere,
ANIMAD. X. per ſe, *vel per alium*, ut conſtat ex Trident. *ſeſſ.* 24. *c.* 4. *de reform.* idque ſub gravi obligatione etiam juris divini, ob ſummam neceſſitatem, propter quam eos ab Epiſcopis, aliiſque Prælatis ad id cogi poſſe ſub pœna excomunicationis (omneſque alios, ut eam audiant, diſcant, & ſciant) docet Trull. *l.* 1. *c.* 1. *d.* 4. *n.* 7. & 8. Bald. *t.* 2. *l.* 1. *d.* 48. Sanch. Pal. Barb. &c.

6. Tenetur infirmos viſitare, pauperum curam habere, peccata corrigere, &c. de quibus Poſſ. Reg. *tom.* 2. *l.* 20. *c.* 5. *ſ.* 3. Barb. *c.* 7. Vide ſupra.

D U B I U M VII.

Quæ obligatio præceptorum, & diſcipulorum?

Reſp. Inter præceptores (idem eſt de pædagogis) & diſcipulos eſt quodammodo eadem obligatio, quæ inter parentes, & liberos.

Unde reſolves.

1. Diſcipuli peccant. 1. Si præceptoribus, & pædagogis non exhibeant honorem, & reverentiam. 2. Si non obediant in rebus pertinentibus ad ſtudia, & bonos mores. 3. Si eos conviciis, vel contumelioſis verbis traducant. 4. Si negligenter ſtudeant, ſcholarum, aut ſtudiorum tempore luſui vacent, vel otio. 5. Pecunias parentum dilapident, vel inutiliter expendant. 6. Malo fine ſtudeant. 7. Gymnaſii ſui leges, vel Academiæ ſtatuta (ſi quidem ea ad peccatum obligent) non ſervent. 8. Scientias ſuperſtitioſas, aut vetitas addiſcant, vel libros prohibitos legant. 9. Stipendium debitum doctori ſuo non ſolvant cum poſſint. Vide Navar. *c.* 23. *&* 25. Fill. *tr.* 28. *p.* 2. *c.* 10. *q.* 1.

2. Magiſtri, & pædagogi peccant. 1. Si peccata diſcipulorum diſſimulent, & non corrigant, quando poſſunt. 2. Profectum eorum in literis non ſedulo promoveant. 3. Non doceant bonos mores. 4.
ANIMAD. XII. *Si ex propoſito falſa doceant ut vera, vel ſuperſtitioſa, & ſaluti noxia*. 5. Non ſtudeant ipſi, ut officio ſatisfaciant. 6. Si ſtipendium exigant majus juſto, vel quam Gymnaſii leges, aut conſuetudo permittat. 7. Doctoratus inſignia negent dignis, vel indignis conferant, quod Nav. dicit eſſe mortale; præſertim in Theologia, Jure canonico, civili, & Medicina: nam in Philoſophia forte veniale tantum eſſe cenſet Caj. v. *Doctor*. 8. Si diſcipulis malo ſint exemplo. 9. Si malis moribus imbutos, & qui aliis pernicioſi ſunt, ad ſcholas admittant, vel ex iis non dimittant. V. Trull. *l.* 4. *c.* 1. *d.* 11.

N o t æ.

(a) *Tenetur proles* &c. *adeo ut* &c. *teneatur manere in ſæculo*. Idem habet S. Th. 2. 2. q. 101. a. 4. ad 4., ubi ait: *Ille enim, qui eſt in ſæculo conſtitutus, ſi habet Parentes, qui ſine ipſo ſuſtentari non poſſunt, non debet eis relictis religionem intrare; quia tranſgrederetur præceptum de honoratione Parentum.*

At Buſ. addit (*niſi tamen in hoc illi certum* &c. *immineret.*)

Ego contra pro certo habeo, certum periculum ſalutis illi imminere, qui religionem relictis in hac ſpecie Parentibus ingrederetur; quia mortaliter peccaret, præceptum de honoratione Parentum, ut ait S. Thom., violando.

Sed Buſ. forte exſuſcitavit opinionem, de qua S. Doct., ſubdens. *Quamvis quidam dicant, quod etiam in hoc caſu licite poſſet eos deſerere, eorum curam Deo committens: Sed ſi quis* (reponit S. Doct.) *recte conſideret, hoc eſſet tentare Deum; cum habens ex humano conſilio quid ageret, periculo Parentes exponeret ſub ſpe divini auxilii.*

Buſ. *Et ſi religionem ſit ingreſſus, teneatur* &c., *dummodo* &c.

Recte. D. Th. non diſtinguit niſi inter eum, *qui eſt adhuc in ſæculo conſtitutus*, & eum, *qui eſt in Religione profeſſus; & reputatur jam quaſi mortuus mundo; unde non debet occaſione ſuſtentationis parentum exire clauſtrum, in quo Chriſto conſepelitur, & ſe iterum ſæcularibus negotiis implicare: tenetur tamen, ſalva ſui Prælati obedientia, & ſuæ Religionis ſtatu, pium ſtudium adhibere, qualiter ejus parentibus ſubveniatur.* D. Th. ibidem. Ex quo intelligitur, idem quoad rem præſentem dicendum eſſe de eo, qui religionem quidem ingreſſus, at nondum eſt profeſſus, ac de illo, qui in ſæculo vivens religioſum habitum non ſuſcepit; quia ne prior quidem religionis vinculis innexus eſt, liberumque ei eſt ad ſæculum remeare. Hic S. Th. confirmat, quod dixerat in quodl. cit. animad. 2.

(b) *Mater tenetur lactare* . . . . . *proprio lacte, niſi* &c.

Recte; quæ Patrum ſententia eſt, ut animadvertit Bened. XIV. lib. XI. de Syn. cap. 7. n. 9. Quod *adfirmant omnes non Chriſtiani modo, verum etiam ipſi Ethnici*, ut ait Concina Th. t. 4. p. 239. 240. n. 9. q. 7.

At nonne ſaltem nobiles ab hoc officio immunes ſunt? *Adfirmant*, inquit idem Concina p. 241. n. 11. q. 8., *communiter recentiores*; idque propter conſuetudinem, cui, probro ipſis eſſet, niſi morem gererent.

At hanc conſuetudinem teſte Bened. XIV. loco cit. Gregorius Magnus pravam appellat; eodemque modo loquuntur alii Patres. Enim vero aperte prava eſt. Naturæ enim officium, non pauperum, & ignobilium fœminarum proprium eſt, ſed commune omnibus; a quo deficere, idem eſt, ac ipſi naturæ juri perſpicue repugnare.

At jus naturæ, inquit Catalanus cum ſuo Bonacina, ſolum præcipit, ut filii alantur, non autem ut proprio ubere id fiat. Ita habet Conc. n. 11. cit. Reſpond. Si hoc verum ſit, non ſolum nobiles, ſed omnes fæminæ a filiis proprio ubere lactandis eſſent immunes; quod eſt apertiſſime falſum, & omnibus Theologis, & Patribus ex mox dictis contrarium.

An nobiles mulieres uberibus, & lacte carent? Porro ubera, & lac ex naturæ inſtituto eo ſpectant, ut infantes lactentur? An alieni, propriis filiis repudiatis?

Sicuti uterus humani generis parens eſt, ita ubera altricia. Ergo ſicuti ex lege naturæ omnes ſine exceptione gravidæ mulieres prolem in utero geſtant, & nutriunt, ita ex eadem lege eamdem prolem in lucem editam uberibus propriis lactare debent. Hoc ſi recuſent, non honeſtæ, ſed probroſæ ſunt, & matres non ex toto, ſed ex dimidio; quia in utero tantum prolem nutriunt, extra uterum nutrire renuunt.

Quid mihi nobilitatem, aut uſum objiciunt? Quaſi vero nobilitas, & uſus naturæ contrarius, ipſam nobilitatem, & naturam non deforment?

Cur ſuorum filiorum pericula, & detrimenta, dum eos eliis nutriendos tradunt, non pertimeſcunt? An his diligentia etiam accurata in nutricibus ſeligendis ſatis occurritur? An nutrices ſi quo occulto laborent morbo, illud produnt? At ex nutricum morbo lac corrumpi, & filios inde nutritos depravari, res eſt comperta; ut illud omittem, infantes pro ratione lactis, cor-

poris

Digitized by Google

poris conſtitutionem motare, & nutricibus quoad temperamentum, & indolem morum ſimiles fieri. Hoc ne nobilitate officium dignum?

Lac natura duce ex uberibus erumpere, & in os filii veſtri influere geſtiens ex induſtria continete, ubera volentia, nolentia areſacite; & hoc, nobile opus dicite, aut vobis volentibus dicant, qui, quid ſibi velint, ignorant. Vos, nobiles mulieres, contra naturæ legem peccare, & generis nobilitatem, quæ, ſi genuina eſt, a virtute ortum ducit, depravare res eſt indubitata.

At hoc peccatum eſt ne tantum veniale, ut dixit Buſ. in ſua parentheſi?

Reſp. teſte Concina p. 243. n. 14. Hoc peccatum non eſſe letale, communis Theologorum ſententiam eſt. At quid ipſe? *Præciſum*, inquit, *culpæ gradum penitus ignoro*. Bened. XIV. n. 10. loci cit. nonnullos Theologos memorat hanc culpam mortalem putantes; ac melius Navarrum, & a Lapide ſentire opinatur, qui eam venialem faciunt. Res ſcilicet dubia eſt. Quodnam quæſo inſigne diſcrimen eſt inter lac hominis nutritioni a natura deſtinatum, quod alio divertitur, & humanum ſemen ad hominis generationem inſtitutum, quod ſceleſte effunditur? Si quoad priorem ſpeciem hominis alimento alio modo utcumque conſulitur, etiam quoad poſteriorem idem dici poteſt.

Videlicet, ne prolixus ſim, *ſapiens timet, & declinat a malo, ſtultus tranſilit, & confidit*. Prov. 14 v. 16.

(c) Peccat graviter maritus. 2. *Si impediat illam* &c. *ſine cauſa*. Hoc *ſine cauſa* ſolum cadit in præcepta Eccleſiæ: nulla enim juſta cauſa eſſe unquam poteſt Dei legem non implendi, aut impediendi.

(d) 4. *Si alimenta neget, niſi tamen* &c. Adde, vel niſi adulterii marito comperti rea ſit. Nam ſicut mulier adultera a tori ſocietate repelli poteſt, ita jus amittit dotis, & alimentorum. Si tamen res ad forum externum delata fuerit, alimenta illi ſuppeditare maritus cogitur, donec ſententia ſuper hac re fuerit prolata. Concina Th. t. 4. p. 246. q. 4. re ad forum quoque delata maritum quoad conſcientiam a ſuppeditandis Alimentis liberat; quod verum eſt, donec a Judice ad ea præſtanda cogatur. Nam legitimæ ſententiæ ſtare debet.

(e) 4. *Si uxori non cohabitet*. Intellige non ſolum in eadem domo, ſed in eodem toro; quia ſeparatio a toro Uxore ſponte non conſentiente idem eſt, ac debiti negatio; quæ gravis culpa eſt. Vel *ſine juſta cauſa diu abſit*. Juſta autem cauſa eſt. „1. Geſtio negotiorum fa„miliæ. 2. Exilium judicis ſententia præſcriptum. 3. „Vitæ periculum. 4. Conſenſus mutuus ad continen„tiam ſervandam remoto incontinentiæ periculo. 5. „Bellum, Principis imperio ſuſceptum. 6. Brevis pere„grinatio: longa enim repugnante uxore ſuſcipi ne„quit." Ita Concina p. 247. n. 7.

ANIMADVERSIO I.

P*Oteſt tamen, ubi conſuluit, ipſis invitis prudenter contrahere* &c.

Si parentes quoad electionem uxoris a filio ſuſcipiendæ, forent tantum conſiliarii, Buſ. recte diceret: at parentes non ſunt ſolum conſiliarii filiorum quoad electionem uxoris, (quod officium ad quoſcumque rerum peritos, & prudentes pertinere poteſt) ſed auctoritatem quoad rem hanc in filios exercent: ergo Buſ. recte non loquitur. At, inquit ipſe, filius circa electionem ſtatus eſt ſui juris. Reſp. Quid inde? Hæc ratio nimis probat, ideoque nihil probat. Quia enim filii ſui juris ſunt circa electionem ſtatus, hunc inconſultis quoque parentibus eligere ſine culpa poſſunt. Ergo ſi hæc ratio quoad electionem uxoris valeret, filii uxorem ſine culpa eligere poſſent, etiam non conſultis parentibus; quod ipſe Buſ. rejicit. Itaque filii ſunt quidem ſui juris quoad electionem ſtatus, non tamen quoad electionem uxoris; qua in re a voluntate, & conſenſu parentum pendent, ideoque graviter peccant, ſi parentibus rationabiliter invitis uxorem eligant; quod Concina Theol. t. 10. p. 281. n. 4. communi Theologorum, & Juris canonici interpretum conſenſu, Nat. vero Alex. ſacrorum Canonum, Patrum, & Conciliorum auctoritate confirmat Theol. t. 2. p. 89. prop. 2. Huic quidem doctrinæ haud repugnare, & cautionem adhibere videtur Buſ. dum ait: *Poteſt prudenter contrahere cum ſe digna*. In eo tamen falli mihi videtur, quod prudentiam filii quoad uxoris dignitatem judicandam prudentiæ parentum præferat. Filii maturitate judicii parentibus longe inferiores quoad familiæ adminiſtrationem judicandi ſunt, niſi circumſtantiæ aliud ſuadeant. Præterea filii quoad electionem uxoris, amore, qui cæcos homines facit, abripi ſe ſinunt. Ex quo fit, ut ſuum judicium de uxoris dignitate, parentum judicio ordinarie loquendo ſubmittere debeant, &, ſi vere Chriſtiani ſint, ſubmittant. Ceterum illos aſperos parentes reprehendo, qui filiis uxorem probam, ſatiſque dignam familia ducere volentibus reſiſtunt, ut ditiorem, & nobiliorem etiam minus probam, unde gravia damna probabiliter timenda ſunt, ducere eos cogant. Sed hac in re tum parentes, tum filii peccare ſolent; at hi facilius, & frequentius, quam illi; ideoque magna cautio adhibenda eſt, ne filiis contra parentes indulgeamus.

ANIMADVERSIO II.

Si vero neceſſitas poſt profeſſionem ſuperveniat, ſi extrema ſit, tenetur egredi, petita prius, licet non obtenta venia.

Hæc ſuppoſitio Buſ. ſi parentum neceſſitas extrema ſit, nec religionem profeſſus, obtinere veniam poſſit, ut iis ſuccurrat, exotica nimis eſt, nec admittenda. Cum ſuperiores tentatis omnibus, facultatem religioſo denegant e monaſterio egrediendi, ut parentibus ſubveniat, (qua in re faciles eſſe non debent, ne fallaciis, & ſcandalis viam aperiant) religioſus filius ponere debet, vel parentum neceſſitatem non eſſe extremam, vel ſe ineptum eſſe ad illis ſubveniendum; nec in re tanti momenti contra ſuperiorum judicium, & voluntatem moliri quidquam debet: ne, dum pietatis prætextu parentibus ſubvenire in animo ſibi habere videtur, apoſtaſiæ crimen incurrat. Hinc D. Thom. quod. 10. q. 5. ar. 2. *Si ſine ejus obſequio parentes nullo modo vivere poſſunt, ſic tenetur eis ſervire, & alia opera perfectionis prætermittere, & peccaret, eos dimittens .... Secus autem eſt de illo, qui jam religionem intravit; quia cum jam ſit mortuus mundo, ſolutus eſt a lege, qua in mundanis obſequiis parentibus tenebatur. In aliis autem ſpiritualibus, puta orationibus, & hujuſmodi tenetur eis ſervire*.

ANIMADVERSIO III.

Licet Diana excuſet &c.

Quoad hanc Dianæ excuſationem vide dicenda ad lib. 5. c. 1. dub. 2. reſp. 1.

ANIMADVERSIO IV.

Famuli non peccant, ſi ſuſtentationem vel mercedem juſtam Domino negante, utantur compenſatione &c. *dummodo tamen* &c.

Si herus certam mercedem famulo ſeu ex pacto, ſeu etiam ſine expreſſo prævio pacto tribuat, quam famulus juſtam non putat, ideoque aliquid occulte ſurripit in compenſationem, ſine dubio peccat. Quia nemo judex in cauſa propria eſſe, poteſt, & iniquum omnino eſt herum a famulo indicta cauſa damnari. Hinc illa prop. n. 37. ab Innoc. XI. damnata eſt: *Famuli & famulæ domeſticæ poſſunt occulte heris ſuis ſurripere ad compenſandam operam ſuam, quam majorem judicant ſalario, quod recipiunt*.

Quid ſi herus mercedem liquido juſtam, ut ex pacto ſolvendam, ex aperta iniquitate aut ex toto, aut ex parte non ſolvat?

Reſp. Ne in hac quidem ſpecie poteſt famulus occulta compenſatione uti, ſed ad tribunalia confugere debet. Si enim huc non confugiat, juris ordinem prætermittit, ſibique publicæ poteſtatis auctoritatem arrogat; quod culpa vacare non poteſt. Hinc D. Th. 2. 2. q. 66. ar. 5. ad 3. ait: *Qui furtim accipit rem ſuam apud alium injuſte detentam, peccat quidem, non quia gravet eum, qui detinet, & ideo non tenetur ad reſtituendum aliquid, vel compenſandum, ſed peccat contra communem juſtitiam, juris ordine prætermiſſo*.

Famuli difficultates, & expenſas, ſi ad Judices confugere debeant, objiciunt. At pro mercedibus, facilis ad eos aditus eſſe ſolet, & debet: nec expenſæ neceſſariæ ſunt: quia quoad hæc minuta & expedita negotia, res compendio definitur.

Quamquam nec incommodum, nec difficultas obtinendæ ſolutionis, ab ea omnium gentium lege ſolvit, ut nemo, niſi publicæ poteſtatis auctoritate, rem ſibi debitam vindicet. Nam ridiculum, & falſum eſt, ut recte animadvertit Concina Th. t. 4. p. 567. n. 7. ſacra gentium Jura quoad conſcientiam non obligare, niſi commode, & facile obſervari poſſint. Omnes leges jugum ſunt, onus, ac ſæpe grave, quod tamen non eſt excutiendum, ſed portandum. Qui leges non obligare volunt, niſi ſint faciles, & commodæ, omnes ferme leges de medio tollunt.

At quid, inquis, ſi aditus ad judicem ſit famulis impervius, aut inutilis?

Reſp. Vel expectandum, vel ad ſuperiorem judicem confugiendum. Quod ſi ſpes omnis obtinendi mercedem publi-

Digitized by Google

publicæ juſtitiæ ope interclaſa ſit, quod rariſſime accidit, nihilominus occulta compenſatio permiſſa non eſt, ſi inde ſcandalum, aut aliud grave incommodum proximi timeatur, ut fatetur ipſe Buſ.; quia caritas non patitur, ut mei damni vitandi cauſa occaſionem præbeam damno innocentis proximi cum famæ, reique ipſius jactura.

Quod ſi periculum ſcandali, & damni proximi abſit, P. Concina Theol. t. 4. p. 569. n. 12. rem dubiam facit. Primo quia nemo indicta cauſa damnari poteſt: at occulta compenſatio debitorem damnat indicta cauſa; ergo non licet.

Reſp. Indicta cauſa nemo damnandus eſt, ſi via pateat ad tribunalia, vel debitum incertum ſit: at ſi debitum certum ſit, cauſa jure naturæ jam dicta eſt, nec ſine evidenti iniquitate exigitur, ut cauſa apud judices dicatur: ergo ſine horum ſententia, cum via ad eos non patet, debitum vindicari poteſt.

Objicit ſecundo, quod nemo in cauſa propria judex eſſe poteſt, cum ubique gentium publici judices inſtituti ſint, ut unumquemque judicent.

Reſp. Hæc ſane gentium lex eſt; at naturæ jus poſtulat, ut unuſquiſque ſuum jus habeat: porro jus naturæ juri gentium prævalet: ergo cum ambo hæc jura ſervari non poſſunt, jus naturæ prætermiſſo gentium jure ſervari poteſt. Quamquam judices pro controverſiis inſtituti ſunt, non pro rebus evidentibus, in quibus cum natura jus, & ſententiam proferat, locum fori judicibus non relinquit judicandi, ſed ſolum confirmandi ſententiam naturæ jure dictam, & puniendi repugnantes eidem juri naturæ. Neque vero idem gentium jus exigit, ut certus debitor commodum ex ſua referat iniquitate, ut certus creditor jure unquam ſuo fraudetur. Ergo, cum acceſſus ad tribunalia non patet, permittit in creditis evidentibus occultam compenſationem; quæ eſt communis Theologorum ſententia, a qua non eſt neceſſe ut recedamus.

At hic aliquis fortaſſe objicet D. Auguſtinum lib. 22. contra Fauſtum c. 72. dicentem; *Quid abſurdum eſt, ſi Ægyptii ab Hebræis, homines inique dominantes ab hominibus liberis, quorum etiam mercedis pro eorum tam duris, & iniquis laboribus fuerant debitores, rebus terrenis, quibus etiam ritu ſacrilego in injuriam Creatoris utebantur, privari meruerunt? Quod tamen ſi Moyſes ſua ſponte juſſiſſet, aut hoc Hebræi ſua ſponte feciſſent, profecto peccaſſent.* At merces Hebræis evidenter debita erat, nec acceſſus ad tribunalia patebat: ergo occulta compenſatio non eſt permiſſa, etiamſi merces liquida ſit, & aditus ad judices interclusus.

Reſp. Merces Hebræis quidem evidenter debita erat, non tamen a ſubditis Pharaonis, ſed ab ipſo Rege, cujus imperio duris, & iniquis laboribus fuerant vexati. Hebræi autem vaſa aurea, & argentea a ſubditis Pharaonis acceperunt, ideoque peccaſſent, ſi ſponte ſua, non Dei juſſu id feciſſent.

Animadverſio V.

Similiter pro obſequiis, ad quæ non tenentur, præſtitis &c.

Hic repetanda eſt prop. 37. ab Innoc. XI. proſcripta: *Famuli, & famulæ domeſticæ poſſunt occulte heris ſuis ſurripere ad compenſandam operam ſuam, quam majorem judicant ſalario, quod recipiunt.*

At famuli, qui pro obſequiis, ad quæ non tenentur, animo mercedis exhibitis compenſationem accipiunt, eam accipiunt, quia operam ſuam majorem judicant ſalario, quod recipiunt: ergo in proſcripta propoſitione includuntur. Duplici ex capite hi famuli damnabiles ſunt: primo quia de mercede controverſa judicium propria ſibi auctoritate arrogant: ſecundo quia uſurpatum, ideoque iniquum judicium propria auctoritate exequuntur.

Cur perverſi homines mentem ſuam domino non aperiunt, ſi pro obſequiis minime debitis mercedem volunt? Cum enim illa obſequia liberaliter exhibere queant in grati erga herum animi ſignum, ut ejus benevolentiam ſibi comparent, vel mercedis intuitu; herus, qui ne mercedis quidem nomen audit, liberaliter ea præſtari non immerito putat; ideoque turpiter decipitur, dum famulus mercedem pro iis animo ſpectat, turpiuſque læditur, dum eadem merces famulis judicio taxata clam ſurripitur. Præterea hi famuli ſuo ne munere exacte funguntur? Nihil ne unquam muneris loco ab heris acceperunt? Illud tandem animadvertendum eſt, compenſationem obſequiorum, quæ non debentur, & pro quibus nulla pactio interceſſit, domini arbitrio relinqui: ergo non eſt dubitandum, quin damnandi ſint famuli, qui eam ſibi ex arbitrio ſuo temere arrogant, & uſurpant.

Animadverſio VI.

Peccant conjuges 6. ſi cum periculo pollutionis tactus habeant impudicos.

Cur Buſemb. illud addit, *cum periculo pollutionis*? An tactus impudici inter conjuges, ſi periculum pollutionis abſit, permiſſi ſunt? An ſola pollutio extra opus conjugale conjugibus vetita eſt? An uxor excepto pollutionis periculo meretricium, naturæque repugnantem uſum ſui corporis marito permittere, & maritus uxoris corpore ad omnem etiam belluis ignotam libidinem, dum pollutionis periculum abſit, uti poteſt? Pudenda ſane ſunt, quæ hac de re permittunt recentis Theologiæ Doctores ratione repugnantes, auctoritate deſtituti, ut videri poteſt apud Concinam Theol. t. 10. p. 407. q. 4.

Alex. VII. hanc propoſ. num. 40. damnavit: *Eſt probabilis opinio, quæ dicit, eſſe tantum veniale, oſculum habitum ob delectationem carnalem, & ſenſibilem, quæ ex oſculo oritur, ſecluſo periculo conſenſus ulterioris, & pollutionis.* An ſi oſcula, & tactus impudici inter perſonas non conjuges mortalia peccata ſunt, etiamſi periculum ulterioris conſenſus, puta copulæ, & pollutionis abſit, hæc eadem oſcula, & tactus inter conjuges licent? Matrimonium eos excuſare non poteſt, quia nullum in eos jus tribuit; ſed deteriores facit, quia matrimonii ſanctitas ab iis fœde polluitur. Hinc D. Auguſt. lib. de bono conjugali cap. 11. ait: *Cum vero vir membro mulieris non ad hoc inſtituto uti voluerit, turpior eſt uxor, ſi in ſe, quam in alia fieri permiſerit.* His verbis S. Doctor omnes impudicos conjugum tactus execratur, & mortaliores culpas facit, quam ſi inter non conjuges exercerentur. Vide etiam dicenda ad 6. lib. tract. 4. c. 2. d. 2. reſp. 2. Conjugibus &c.

Animadverſio VII.

Peccat graviter uxor. 2. Si quid notabile expendat contra &c. & conſuetudinem &c.

Quid ſi uxor aliquid notabile contra voluntatem viri expedens, expendat quidem juxta conſuetudinem feminarum ſimilis ſtatus, at conſuetudo ſit corrupta e. g. expendendi, ſeu prodigendi in aleas, choræas, theatra &c.? Quid, ſi expenſæ, viri facultatibus ſuperiores ſint, impediantque, quominus vir debita ſolvat, famulorum mercedi ſatisfaciat, filiorum, & familiæ neceſſitati, & honeſtati conſulat?

Videlicet vir caput eſt uxoris, rerum ſuarum, dotiſque fructuum adminiſtrator, & dominus cum onere ſuſtentandi uxorem, & familiam pro viribus, & ſtatus conditione. Ergo mulier graviter peccat, ſi contra viri voluntatem aliquid notabile expendat juxta uſum feminarum ſimilis ſtatus, ſi aut uſus ſit malus, aut expenſæ, familiæ noceant, uno verbo ſi non conſtet, virum officio ſuo deeſſe. Dixi, ſi non conſtet: quia ſi vir, cum poſſit, neceſſaria uxori non ſuppeditet, hæc non peccabit, ſi in res ſibi neceſſarias, in quas jus habet, aliquid notabile clanculum expendat. Audienda eſt D. Auguſt. ep. 199. ad Ecdiciam, ubi ait: *Porro ſi de faciendis eleemoſynis, & in pauperes expendendis rebus tuis, de quo bono opere, & magno tam evidentia præcepta ſunt Domini, cum viro tuo fideli, & tecum ſanctæ continentiæ pacta ſervante conſilium communicare deberes, ejuſdemque non ſpernere voluntatem; quanto magis de habitu atque veſtitu nihil tibi præter ejus arbitrium mutandum, vel uſurpandum fuit, unde nihil divinitus legimus imperatum?*

Si nolit ſequi virum &c. dummodo .... contrarium non ſint pacti.

Etiamſi pactum de non mutando domicilio initum fuerit, nihilominus uxor virum alio migrantem ſequi debet, ſi neceſſitas e. g. recuperandæ ſalutis, vitandi inimicitias &c. virum cogat domicilium mutare. Quia neceſſitas nec legi, nec pacto ſubjicitur, & uxor cum viro ex matrimonii lege cohabitare debet. Ita Concina Theol. t. 4. p. 250. n. 6.

Animadverſio VIII.

Orare &c. & celebrare &c. quam etiam teneri applicare &c. ſed negant Suar. &c.

La-Croix quoque utramque ſententiam probabilem facit, licet fateatur, affirmantem eſſe conformiorem Tridentinæ Synodo p. 254. n. 762.

Sed qua ratione opinio negans probabilis eſſe poteſt, ſi Tridentinæ declarationi aperte contraria eſt? Syn. enim Trid. ſeſſ. 23. c. 1. de ref. ait: *Cum præcepto divino mandatum ſit omnibus, quibus animarum cura commiſſa eſt, oves ſuas agnoſcere, pro his ſacrificium offerre &c.* his verbis ſacra Syn. aperte declarat, Parochos divino præcepto obſtringi, ut Miſſam pro populo offerant. Quid ad hæc? „ Ad Trident. (inquit La-Croix)

„ dicunt, tantum velle, ut Parochos in ſacrificio generaliter oret pro ſuis. “

At offerre ſacrificium pro ſuis ovibus, non eſt idem ac generaliter orare pro iis; ſed idem ſonat, ac applicare pro illis ſacrificium. Si hoc modo liceat ſacri Concilii verba extorquere, nulla lex, aut definitio tam clara ferri poteſt, quam per extortas, & alienas interpretationes eludere non ſit permiſſum. Hac ſola ſacræ Synodi extorſione recentis moralis doctrinæ Scriptores ſuam indolem ſatis oſtendunt, ut ſcilicet ſuis opinationibus leges, ac ſacras definitiones ſubjiciant, non ſe illis. Poſt ſacram Trid. Synodum illud ſolum dubitari poterat, non utrum, ſed quoties, quibuſve diebus Miſſa pro populo ab animarum curatoribus offerenda foret. At hanc dubitationem ſuſtulit Bened. XIV. Bulla CXL ubi definivit, animarum curatores diebus dominicis, aliiſque feſtis diebus de præcepto, Miſſam pro populo celebrare teneri, idque ſatis eſſe; neque ab hoc onore Parochos, & Œconomos pauperes liberat, ſed hos ex Epiſcoporum licentia poſſe oblatas pro Miſſis feſtorum dierum eleemoſynas accipere ea conditione concedit, ut Miſſæ pro populo aliis diebus non feſtis ſuppleantur. Hanc Bullam refert tum P. Concina Theol. App. t. 1. p. 157. tum P. Zacharia t. 1 La-Croix p. 454. quæ adeo perſpicua eſt, ut nullum P. Zachariæ locum relinquat ſuum La-Croixium defendendi.

Animadversio IX.

Docere populum &c. per ſe, vel per alios.

La-Croix quoque p. 457. n. 765. inquit: „ Tol. tamen „ de inſt. ſac. l. 5. c. 5. n. 9. dicit ſatis eſſe, ſi per alium „ ſemper concionetur (Parochus:) in quam ſententiam „ etiam inclinat Poſſav. „ Haſtenus ille, qui nihil addit, quaſi hæc ſententia probari poſſit.

At a ſacra Synodo Trid. aperte contraria eſt: nam ſeſſ. 5. c. 2. de ref. *ſtatuit, & decrevit, omnes Epiſcopos, Archiepiſcopos, Primates, & omnes alios Eccleſiarum Prælatos teneri per ſeipſos, ſi legitime impediti non fuerint, ad prædicandum ſanctum Jeſuchriſti Evangelium.* Et ſeſſ. 24. c. 4. de ref. ita habet: *Prædicationis munus, quod Epiſcoporum proprium eſt, cupiens S. Synodus &c. mandat, ut in Eccleſia ſua ipſi per ſe, aut, ſi legitime impediti fuerint, per eos, quos ad prædicationis munus aſſument; in aliis autem Eccleſiis per Parochos, ſive iis impeditis per alios ab Epiſcopo impenſis eorum, qui eas præſtare vel tenentur, vel ſolent, deputandos in civitate, aut in quacumque parte diœceſis cenſebunt expedire, ſaltem omnibus diebus dominicis, & ſolemnibus diebus feſtis. Tempore autem jejuniorum, Quadrageſimæ, & adventus Domini quotidie, vel ſaltem tribus in hebdomada diebus, ſi ita oportere duxerint, ſacras Scripturas, divinamque legem annuntient, & alias, quotieſcumque id opportune fieri poſſe judicaverint.* Lex clara eſt, quæ tergiverſatione eludi non poteſt; ex qua conſtat, Parochos legitime non impeditos, ſi per alios concionentur, graviter peccare.

Animadversio X.

Tenentur ſinguli &c. doctrinam chriſtianam explicare per ſe, vel per alium, ut conſtat ex Trid ſeſſ. 24. c. 4. de reform.

Hic quoque Buſemb. ex arbitrio loquitur, dum addit, *vel per alium*. Cum enim, ut ipſa La-Croix p. 457. n. 766. fatetur, „ major ſit obligatio catechizandi, quam „ concionandi, ut omnes docent, & non tantum pro „ pueris, ſed ſæpe etiam pro adultioribus, qui vel non „ ſciverunt ſatis, vel obliti ſunt, “ ſi Parochi per ſeipſos concionari, multo magis catechiſmum evolvere, & veluti frangere per ſeipſos tenentur. Syn. Trid. loco a Bul. cit. ait: *Iidem etiam* (hoc eſt Epiſcopi) *ſaltem dominicis, & aliis feſtivis diebus pueros in ſingulis parochiis fidei rudimenta, & obedientiam erga Deum, & parentes diligenter ab iis, ad quos ſpectabit, doceri curabunt; & ſi opus ſit, etiam per cenſuras eccleſiaſticas compellent, non obſtantibus privilegiis, & conſuetudinibus.* Porro ad quos ex officio ſpectat in ſingulis parochiis fidei rudimenta &c. docere, niſi ad perſonas Parochorum, qui a grege aluntur in hunc finem?

Ergo ipſi per ſeipſos id præſtare debent; quia ad id etiam per cenſuras ab Epiſcopis compelli poſſunt, non obſtantibus privilegiis, & conſuetudinibus. Id quoque edicit eadem ſacra Syn. ſeſſ. 5. c. 2. de ref. his perſpicuis verbis: *Archipresbyteri quoque, Plebani, & quicumque parochiales, vel alias curam animarum habentes Eccleſias quocumque modo obtinent, per ſe, vel per alios, ſi legitime impediti fuerint, diebus ſaltem dominicis, & feſtis ſolemnibus plebes ſibi commiſſas pro ſua, & earum capacitate paſcant ſalutaribus verbis, docendo ea,* (eo Catechiſmus a Parochis per ſeipſos, niſi legitime impediti fuerint, docendus) *quæ ſcire omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem; annuntiandoque eis* (en ſacra concio) *cum brevitate, & facilitate ſermonis vitia, quæ eos declinare, & virtutes, quas ſectari oportet, ut pœnam æternam evadere, & cæleſtem gloriam conſequi valeant.*

Si Parochi, ut Buſemb. permittit, per alios concionari, per alios catechiſmum tradere poſſunt, quidni per alios infirmis quoque præſto eſſe, ſacramenta miniſtrare, & alia munia obire poterunt? Hinc ſane fieret, ut Parochi non ad ſollicitudines, & labores, ſed ad otium, & voluptatem vocati cenſerentur. At res longe aliter ſe habet. Dum enim animarum curam ſuſcipiunt, onus angelicis humeris formidandum ſuis humeris imponunt; & quia ipſis, non aliis tale onus imponitur, ipſi per ſe, non alii eorum loco, illud pro ſuis viribus ſuſtinere tenentur. Ipſis a populo alimenta ſuppeditantur: ergo ipſi, non alii, concionari, catechiſmum tradere, ſacramenta adminiſtrare, & alia ſacra ipſorum propria munera peragere tenentur. Hinc paſtores vere probi, & emunctæ naris ſervos ſui populi ſeſe appellitant, uti reipſa ſunt; quia populo quoad animæ neceſſitatem ſtipendio, & officio in hunc finem accepto inſervire magis debent, quam heris famuli quoad corporis obſequia.

Hinc Ap. 2. ad Cor. 4. v. 5. ait, *Nos autem ſervos veſtros per Jeſum*, hoc eſt *propter Jeſum*, ut explicat S. Joann. Chryſoſt., ubi etiam animadverte, Apoſtolum Corinthiorum ſervum ſe appellare, etiamſi ne victum quidem ab iis acciperet, ut ipſe teſtatur 1. Cor. 9. v. 15.

Animadversio XI.

Magiſtri peccant. 4. Si ex propoſito falſa doceant &c.

Non ſolum peccant, cum ex propoſito, ſed etiam cum ex incuria, vel ignorantia (ignorantia enim culpæ eis vertitur, cum ex officio ſcire ea debeant, quæ alios docent) doctrinas falſas, ſuperſtitioſas, moribus noxias tradunt; quia ſcilicet in cauſa voluntarii ſunt. Idem de iis dicito, qui laxas, & periculoſas opiniones typis evulgant, quas ſi fideles quoad praxim ſequerentur, ingens morum corruptio, ut ait Alex. VII. in proœm. ad prop. a ſe damnatas, inde erumperet. Illi enim, quantum in ipſis eſt, ſcandalum ingerunt, & mores depravant; quod ſine grandi crimine fieri non poteſt. Neque ignorantia, quæ vincibilis eſt, eos excuſat. Nam ſi abſque præoccupatione, partium ſtudio, aliiſque malis affectibus, res attente, & ſano examinarent, periculum, & virus ſuarum opinionum deprehenderent. Nam ſi imperiti cum ſint, libros evulgare velint, hoc ipſum temeritatis vitium eſt, quod errata non excuſat.

TRACTATUS IV.

De quinto, & ſexto præcepto.

CAPUT I.

Quid quinto præcepto prohibeatur?

Non occides.

PRohibetur hominis occiſio, mutilatio, verberatio, aliaque ſimilis afflictio injuſta; de qua quæritur quæ, & quando ſit injuſta.

DUBIUM I.

An aliquando liceat occidere, vel mutilare ſemetipſum?

Reſp. Abſque divina auctoritate non licet ſeipſum directe, & ex intentione occidere. Ratio eſt, quia eſt contra caritatem ſui; & fit injuria Reip. & Deo, qui eſt ſolus directus, & abſolutus Dominus humanæ vitæ. Dixi 1. *abſque auctoritate divina*, propter Sampſonem, & quoſdam Martyres, qui ſeipſos occiderunt, vel ex divina inſpiratione, vel inculpata ignorantia. Dixi *directe*; quia indirecte quandoque licet ſe occidere, hoc eſt, aliquid facere, vel omittere, ex quo præter intentionem mors certo ſequatur: quia præceptum conſervandi vitam, utpote affirmativum, non ſemper obligat, ſed poteſt omitti propter bonum finem, neceſſitatem, vel magnam utilitatem. S. Th. 2. 2. q. 64. V. Fill. *hic t.* 29. *c.* 4. *q.* 5. & Bec. 2. 2. *t.* 3. *c.* 7. *q.* 8.

Un-

Digitized by Google

Unde reſolves.

1. Miles poteſt imo tenetur perſiſtere in ſtatione, etſi moraliter certus ſit ſe occidendum, Card. ANIMAD. I. Lugo *d.* 10. *qu.* 1. *Item poteſt ad evertendam turrim hoſtilem, aut perdendos hoſtes, pulverem incendere, etſi ſciat ſe obruendum; uti & navem mergere, vel incendere, ne hoſtis ea potiatur, cum gravi Reipub. damno*, ut docet Leſſ. *l.* 3. *c.* 9. *n.* 32. Fagund. *t.* 1. *l.* 5. *l.* 11. *Similiter licet ſe objicere tela, vel ictui ad ſervandam vitam Principis, amici ad mortem injuſte damnari vices ſubire*: Leſſ. *l.* 2. *c.* 9. *n.* 30. *vel in naufragio tabulam cedere*, ex Tol. Leſſ. *l. c.* Lopez *p.* 1. *c.* 65. Item ſrevire peſte infrctis, vel ad tugiendum Incendium ex alto ſe præcipitem dara, cnm certo periculo mortis. Leſſ. & Fill. *l. c.* Laym. *c.* 1. *n.* 3. Card. Lugo *diſp.* 10. *ſ.* 1. ubi tamrn everſionem illam turris, & combuſtionem navis (ſi quidem nulla ſit ſpes evadendi) timide, & nonniſi ex graviſſima, v. g. boni publici canſa, videtur concedera. V. *n.* 31. 52. &c. Maldeıum *tr.* 3. *c.* 2. *dub.* 19. Dian. *p.* 5. *tr.* 4. *R.* 26. Fagund. *p.* 5. *c.* 11. *n.* 6. *& ſeq.*

ANIMAD. II. 2. *Etſi virgini non liceat ad caſtitatem ſervandam directe ſe occidere, licet tamen ai certo periculo mortis ſe exponere, etiam pro ſola integritate corporali, licet eationabiliter præſumeret, ſe non conſenſuram; quia integritas iſta magni æſtimatur.* Vid. Laym. *c.* 1. *n.* 3.

3. Rro licrr non fugere, imo etiam ſponte ſe ſiſtara judiai plectendum; licet poſitive ſeipſum perimere non poſſit, etiamſi a judice id ei committatur. V. Leſſ. *c.* 9. *d* 6. Card. Lugo *d.* 10. *de juſt. ſ.* 1. *n.* 38. contra Vaſq. 1. 2. *d.* 173. *c.* 3.

4. Etſi Carthuſianus in extrema ægritudine poſſit ſervare vitam veſcendo carnibus, idque probabiliter ei tum licrat, atque adeo non peccet, qui inſcio præberet cibos ex carnibus: Sanch Dian. *p.* 8. *t.* ANIMAD. III. 7. *R.* 70. *licite tamen, & laudabiliter etiam tum omittit, cum certa pericula mortis*, ut contra Vaſq. & Gran. docet Diao. *p.* 5. *d.* 4. *R.* 32. ex Vict. Lor. &c. *quia eationabiliter negligit vitam pro bono communi Ordinis*. Card. de Lugo *d.* 10. *n.* 32. contra Azor. & Eſcob. *t.* 6. *c.* 7. *ubi docet, teneri carnibus veſci, ſi exigit neceſſitas, ita ut aliter vitam conſervare non poſſit*: quod Sanch. *p.* 2. *conſ. l.* 5. *c.* 1. *d.* 35. cum alııs ſex ita diſtinguit: ſi neceſſitas veſcendi ab intrinſeco, v. g. morbo, ex quo judicio Medicorum convaleſcere non poſſit, oiſi eſu carnium, ait probabilius eſſe, eum non teneri veſci (tametſi licite poſſit) quia morietur naturaliter ex morbo, aujus ipſa non eſt cauſa: ſi vero ſit ab extrinſeco, v. g. ſi ob inopiam aliorum ciborum fame moriendum eſſet, teneri veſci, quia mors illa, cum ſit violenta, ipſi imputaretor.

5. Licet carnem vigiliis, & inedia moderate affigere: qui aotem adverſens vitam iis notabiliter minui, nihilominus continuaret, peccaret graviter, ut notat Laym. *d.* 3. *de juſt. t.* 3. *p.* 3. *c.* 1. *n.* 5. ex Cajet. Etſi hic multi ob bonam fidem, & zelum Deo placendi excuſentur. V. Bon. *d.* 2. *q. ult. ſ.* 1. *p.* 7. *n.* 9. Fill. *l. c.* Card. Lugo *de juſt. d.* 10. *ſect.* 2. *n.* 32. 33. 36. &c. *Ubi recte notat, aliud eſſe procurare* ANIMAD. IV. *abbreviationem vitæ, ſeu mortem poſitive ſibi afferre: aliud permittere, vel periculum ejus ſubire, vel non adhibere media ad avertendam.* Prios ait eſſe illicitum, v. gr. pœnitentiis indiſcretis, carniſque macerationibus vitam notabiliter abbreviare, poſterius vero ſæpe licera: *ideoque non teneri Carthuſianum carnibus veſci, nec aliquem alium uti pretioſa, & exquiſita medicina, ad mortem vitandam: nec ſæcularem relicta domicilio quærere ſalubriorem aerem extra patriam.*

6. Excuſantur ægri, qoi panlo anta mortem, cauſa humilitatis, vel boni exempli, petunt humi collocari, qoia non intendunt vitam abbreviare. V. Vaſq. *l.* 1. *Addit Laym. l.* 3. *t.* 3. *p.* 3. *p.* 3. *c.* 1. *n.* 5. ANIMAD. V. *non teneri quemquam mediis extraordinariis, & nimis duris, v. g. abſciſſione cruris*, &c. *vitam conſervare*: niſi tamen ea communi bono ſit neceſſaria. V. Leſſ. *l. c.* Sanch. *in opuſc. t.* 1. *l.* 5. *c.* 1. *d.* 34. ubi dicit, infirmum in periculo mortis, ſi ſit ſpes ſalutis, non poſſe medicamina reſpuere: *non videtur tamen virgo ægrotans (per ſe loquendo) teneri ſubire manus Medici, vel Chirurgi, quando id ei graviſſimum eſt, & magis, quam mortem ipſam, horret.* Eſcob. *E.* 7. *c.* 8. ex Turrian. *ſum. p.* 1. *c.* 263. *d.* 5.

Reſp. 2. Non licet ſa motilare, niſi ſit neceſſarium ad conſervationem corporis totius: quia nemo eſt ſuorum membrorum abſolute dominus. Leſſ. *l.* 3. *c.* 9. *d.* 14.

Unde reſolves.

1. Non licet ſe caſtrare ad conſervandam caſtitatem, vrl ſedandas tentationes, quia hoc ad eum finem non eſt neceſſarium. S. Th. 2. 2. *q.* 65. *art.* 1. Leſſ. Mol. Fill. *t.* 29. *c.* 4. *qu.* 3. &c.

2. Peccant parentes, qui filios etiam conſentientes caſtrant, ut ſiot utiles caotui. V. Laym *l.* 3. *t.* 3. *c.* 1.

Quæres, An ſepeliendus ſit in loco ſacro, qui ſeipſum occidit?

Reſp. *Id vetant Eccleſiæ Canones: qui tamen non ſunt* ANIMAD. VI. *intelligendi de iis, qui ex furore, amentia, vel paſſione graviſſimæ triſtitia, turbata phantaſia, id fecerunt*; vel qui ante mortem vere da hoc doluerunt. Quod ſi conſtrt, quempiam ſeipſum occidiſſe, & dubitetur, utrum drliberate, an ex animo turbato factum, in praxi privatur ſacra ſepultura, cum præſumatur ſecundum opus externum voluntarie eſſe factum: niſi tamrn ex circumſtantiis contrarium colligatur. Si vero dubitetur, a ſeipſo, an ab alio, v. gr. ſit præcipitatus in aquam? delictum tam atrox, & contra naturam non præſumitur ſine evidentibus indicıis. Molin. *t.* 3. *d.* 20. Vide Laym. *l. c. n.* 8. Vide etiam Excob. *E.* 7. *qu.* 8. *ubi dicit, eum, qui moritur ex vulnere in duello accepto, ſi vivus ex loco diſceſſit, non eſſe privandum ſepultura eccleſiaſtica.*

DUBIUM II.

An, & quomodo liceat occidere malefactorem?

Reſp. Extra canſam oeceſſariæ defenſionis, da quo infra, nulli id licet, niſi auctoritate publica, & juris ordine ſervato, ut patet *Exod.* 22. & *R.* 13.

Unde reſolves.

1. Non licet marito uxorem, aut patri filiam occidera in adulterio deprehrnſas: quia ad id non habent auctoritatem publicam; & legrs aiviles id permittentes in Jure Canonico ſont correctæ, tanquam iniquæ. Secus eſt de proſcriptis, quos occidendi cuivis auctoritas publica datur: idque non injuſte, aum ad Reip. defenſionem ſit neceſſarium. Peccant tamen, qui non ex xelo juſtitiæ, ſed odio, aut privatæ vindictæ cauſa faciunt. V. Laym. *l. c.*

2. Peccat Princeps, vel Magiſtratus (regulariter loquendo) ut v. inſra *l.* 5. *c.* 3. *d.* 1. qui occidi jubet reos non citatos, val non auditos, vel non damoatos, etſi privata ſcientia conſtet eſſe nocentes: qnia ex jore naturæ actus publicus fieri debet ex ſcientia, & auctoritate publica. V. Cajet. V. *homicidium*. Fill. *tr.* 29. *c.* 2. *qu.* 6. *n.* 27. Boo. *l. c. p.* 2. *n.* 7. V. & infra *l.* 5. *c.* 3. *d.* 1.

DUBIUM III.

An, & quomodo liceat occidere privata auctoritate iniquum aggreſſorem?

Reſp. *Jus naturæ permittit, ut vim vi repellas, &* ANIMAD. VII. *aggreſſorem, qui inique eripere tibi conatur vitam, aut quæ ad eam honeſte agendam tibi ſunt neceſſaria, ut bona temporalia, honores, pudicitiam, membrorum integritatem, prævenias, & occidas*: ita tamen, ut id fiat animo ta defendendi, & cum moderamine tutelæ inculpatæ, hoc eſt, noo inferendo majus damnum, nec utendo majora vi, quam neceſſariom aſt ad arcendam iojoriam. Ita aomm. S. Th. *q.* 74. *art.* 7. Mol. &c. Leſſ. *dub.* 8. *n.* 44.

Unde reſolves.

1. Non licet reo occidere miniſtros joſtitiæ, a quibus ad carcerem, vel ſupplicium trahitur: uti nec licet id proſcripto, ut notat ex communi Layman,

meo, *lib.* 3. *t.* 3. *p.* 2. quia non ſunt iniqui aggreſſores.

Animad. VIII. 2. *Etſi ob contumeliam aliquam, verbi gratia, ſi viro honorato dicatur, Mentires, non liceat alterum occidere, eo quod aliter repelli poſſit, ac ſoleat* (Leſſ. Azor. Hurt. &c. Dian. *p.* 5. *t.* 4. *R.* 12. & 13.) *licere tamen, ſi aggreſſor fuſtem, vel alapam viro valde honorato impingere conaretur, quam aliter avertere non poſſet, docent cum Dian. l. c. R.* 4. *Leſſius, Hurt. & alii* 12.

Animad. IX. 3. *Si fuſte, vel ſolo vulnere, vel amputatione brachii, vel aliter arcere injuſtam vim potes, non licet occidere.* Unde ſi quis ſit perſona talis, cui non ſit dedecus fugere, debet fugere potius, ſi poteſt, & ſalvare ſe: *ſecus autem, ſi turpe ſit fugere: v. gr. viro nobili, vel officiali bellico*; niſi rurſus hic & nunc id tali turpe non eſſet, ob præſentiam invaſoris, vel alias ejus qualitates, v. g. quia ebrius eſt, vel amens: talem enim occidere non licet, quando potes fugere. Mald. Dian. *p.* 5. *tr.* 4. *R.* 9. V. Laym. *l.* 3. *t.* 3. *p.* 3. *cap.* 3.

4. Non licet occidere furem ob res exiguas. *

Animad. X. *Licet autem, ſi quis auferat honorem valde notabilem, aut bona magni momenti, niſi tamen alia via, v. gr. judicis, vel aliter, arceri, aut recuperari poſſint. Quare, quando jura ſignificant furem nocturnum occidi impune, non autem diurnum, præſupponunt, quod plerumque nocturni non poſſint aliter arceri, diurni autem poſſint.* Alioquin enim, ſi nocturnus poteſt capi, non debet occidi: & ſi diurnus non poteſt capi, nec repeti ab eo, quod aufert, niſi occidendo, id licet. *Ea tamen non debent eſſe parvi momenti, & minimum unius aurei ſecundum Molin. t.* 4. *t.* 3. *d.* 16. *n.* 7. Vid. Laym. *c.* 3. vel potius ſecundum alios apud Dian. *p.* 5. *t.* 4. *R.* 18. duorum: quanquam & hoc Dian. *l. c.* nimis laxum videatur: imo Bon. *de reſt.* rem non magni valoris hic cenſet, etſi ſit trium, vel quatuor aureorum. Si tamen talem rem fur verbi gratia uſurpet, vidente, ac reſiſtente domino, aut cuſtode, aut huic vim faciat, v. g. repetentem incipiat ferro invadere, permittunt cædem Bonec. Dian. *l. c.* uti etiam, ſi dubium ſit, an res poſſit aliter ſalvari, aut recuperari. Bon. *l. c.* quia nemo, inquit, tenetur ſe exponere periculo amittendi res ſuas. V. Laym. *c.* 1. Nav. Leſſ. Dian. *l. c.*

Animad. XI. 5. *Probabilius eſt, hoc etiam licere Clericis, & Religioſis, ob bona temporalia.* Jura vero in contrarium afferri ſolita intellige, quando non ſervatur moderamen inculpatæ defenſionis. Laym. *l. c.* Tan. *t.* 3. *d.* 4. *q.* 8. *d.* 4. Eſcob. *E.* 7. *s.* 8. *ubi etiam docet ex Tan. t.* 3. *d.* 4. *n.* 68. *licere virgini occidere invaſorem pudicitiæ, ſi violationem nequeat aliter evadere.*

6. Cum tamen iniquus aggreſſor ſit in periculo ſalutis, poteſt quis ex caritate ei parcere, & injuriam potius pati;

Animad. XII. *ſed non tenetur, eo quod alter ſua malitia ſit in iſto periculo.* Laym. *ibid.*

7. Non licet occidere, ſi injuria jam eſt contracta, vel aggreſſor jam fugit; quia id non eſſet ſe defendere, ſed vindicare, ut docent Tol. Rodr.

Animad. XIII. *Sed Henr. & Navar. c.* 15. *n.* 5. *Fern. p.* 1. *c.* 9. § 1. *dicunt, ſi læſus magnam faceret jacturam honoris, niſi fugientem mox perſequeretur, poſſe eum perſequi, & percutere, quantum eſſet ſatis ad defenſionem honoris.* Quod Laym. Bon. Leſſ. Fill. Card. Lugo, &c. putant practice vix poſſe fieri ſine vindicta: etſi ſpeculative videatur eſſe probabile. Vide Dian. *p.* 2. *t.* 3. *miſc. R.* 14. *Concedit tamen C. Lugo, Molin. Leſſ.* &c. *cum Dian. p.* 8. *t.* 7. *miſc. R.* 47. *licere furem fugientem, v. gr. cum equo tuo conficere telo, vel ſagitta, quia invaſio adhuc durat. Etſi vero id non liceat, poſtquam in tutum ſe recepit, ſi tamen per judicem non poſſis recuperare rem tuam, potes ingredi locum, ubi illa detinetur, eamque tibi vendicare, & ſi aliter vi impediat, vim vi repellere.* Tan. Leſſ. Mald. Hurt. Dian. *p.* 5. *t.* 5. *R.* 37. & *p.* 8. *t.* 7. *R.* 47.

Animad. XIV. 8. *Ad defenſionem vitæ, & integritatis membrorum, licet etiam filio, religioſo, & ſubdito ſe tueri, ſi opus ſit, cum occiſione, contra ipſum parentem, Abbatem, Principem*: niſi forte propter mortem hujus ſecutura eſſent nimis magna incommoda, ut bella, &c. Syl. Bon.

Animad. XV. 9. *Licet quoque occidere eum, de quo certo conſtat, quod de facto paret inſidias ad mortem; ut ſi uxor v. gratia ſciat, ſe noctu occidendam a marito, ſi non poteſt effugere, licet ei prævenire.* Navar. Leſſ. *num.* 45. Fill. *num.* 39.

Animad. XVI. 10. *Hinc etiam dicunt alii, ut Sanch.* 2. *mor. c.* 29. *& alii, licere occidere eum, qui apud Judicem falſa accuſatione, aut teſtimonia,* &c. *id agit, unde certo ſibi conſtat, quod ſis occidendus, vel mutilandus, vel etiam* (quod alii difficilius concedunt) *amiſſurus bona temporalia, honorem,* &c. quia hæc non eſt invaſio, ſed juſta defenſio: poſito, quod de alterius injuria tibi conſtet, nec ſit alius evadendi modus. Leſſ. tamen, Fill. & Laym. non audent id defendere, propter periculum magnorum abuſuum. V. Eſcob. *Ex.* 7. *c.* 8. Hurt. Lugo *d.* 10. *ſ.* 7. Dian. *p.* 8. *t.* 7. R. 52. **

11. Quandocumque quis juxta ſupradicta habet jus alium occidendi, id poteſt etiam alius pro eo præſtare; cum id ſuadeat caritas. Fill. Tan. *t.* 3. *d.* 4. *qu.* 8. Mol. *d.* 18. An autem, & quando ad hoc teneatur, vide Leſſ. *l.* 2. *c.* 9. *d.* 13. Dian. *p.* 5. *t.* 4. *R.* 6. *t.* 4. 20.

DUBIUM IV.

An aliquando liceat occidere innocentem?

Reſp. Directa intentione, & ſcienter nunquam licet, niſi Deus omnis vitæ Dominus concedat: indirecte autem, & per accidens aliquando licet, utendo nimirum ſuo jure, & dando operam rei licitæ, & neceſſariæ, ac tanti momenti, ut vitæ æquivaleat. S. Thomas, & Doctores communiter.

Unde reſolves.

1. Si tyrannus minetur urbi excidium, niſi innocens occidatur, id non licet directe. Neque valet, ſicut membrum licet abſcindere pro ſalute corporis, ita & civem pro Repub.; quia homo eſt tantum pars moralis Reip. a qua non accipit eſſe, & vivere, ſicut membrum corporis a corpore. Mol. *t.* 4. *s.* 3. *d.* 10. Leſſ. Fill. &c.

Animad. XVII. 2. *Poteſt tamen Reſpublica eo caſu talem cogere, ut tyrannum adeat, &, ſi nolit, tradere; cum ex caritate, & juſtitia legali teneatur vitam exponere pro Republica. Unde, ſi id renuat, ſit nocens. Neque hoc erit cooperari ejus morti, ſed tantum permittere; cum traditio de ſe ſit indifferens, & mors tantum ſequatur indirecte, & præter intentionem Reip.* Molin. *l. c.* Leſſ. *l.* 2. *c.* 9. *d.* 7. Fill. *t.* 9. *num.* 11. Laym. &c. Limitat autem Card. Lugo *d.* 10. *de juſt.* ſi innocens ſit ſubditus, vel peregrinus teneatur mori pro Republ. aliena.

Animad. XVIII. 3. *Si fugere non poſſis mortem, perſequente hoſte, niſi per viam anguſtam, qua quiſpiam iſtic ſedens, eſſet obterendus, licet nihilominus* (*dummodo tamen, ſi infans eſt, ſit baptizatus,* ut monet Card. Lugo, & Eſcob. *Exod.* 7. *c.* 8.) *fugere cum ejus periculo, & interitu, præter tuam intentionem.* Leſſ. *num.* 58. Fill. *num.* 36.

4. Similiter ad expugnandam urbem, & victoriam reportandam, ſi neceſſarium ſit, licet tormenta in eum locum dirigere, ubi multi ſunt innocentes: quia horum mors præter intentionem ſequatur. Leſſ. *l. s.*

5. Non licet occidere obſides, etſi qui eos miſerunt, non ſervent fidem: quia ſunt innocentes. Bon. *t.* 2. *qu. ult. ſect.* 3. *p.* 7. Dian. *p.* 5. *c.* 4. *R.* 35. contra Azor. &c.

Quæres, an aliquando liceat procurare abortum?

Reſp. Quicunque malitioſe in ſe, vel altero curat abortum, peccat graviter, ſive fetus ſit animatus, quia eſt verum homicidium, ſive non, quia tendit ad occiſionem hominis, & eſt contra naturam generationis. Leſſ. *l.* 10. *n.* 61. Si tamen ad vitam matris conſervandam omnino ſit neceſſarium, ſequentes Regulæ tenentur.

Animad. XIX. 1. *Si fetus mortem matri allaturus probabiliter necdum ſit animatus anima rationali* (animari autem communiter ajunt mares die quadrageſimo, femellas vero octogeſimo: quæres

* Hinc proſcripta eſt opinio dicens poſſe occidi furem pro conſervatione unius aurei, ab Innoc. XI. *Prop.* 31.

** Circa doctrina hujus n. 10. animadverte Prop. 17. & 18. proſcriptas ab Alexandro Papa VII.

rea valde incerta eſt) *quidam permittunt, etiam directa intentione expelli*, ut Sanch. *l. 9. de matr. d. 20. n. 9. & 10.* Hene. &c. contra Leſſ. *l. 2. c. 9. d. 16.* & alios, *quorum ſententia in praxi ſuadenda: quorſum enim directe expellas, cum indirecte liceat, & ſufficiat? 2. Si vero fetus ſit animatus, materque judicetur moritura cum prole, niſi medicinam ſumat, licet eam ſumere, & ſecundum quoſdam tenetur intendendo directe ſuam tantum ſanitatem, etſi indirecte, ac conſequenter deſtruatur fetus*: quia in pari neceſſitate mater poteſt magis proſpicere ſibi, quam proli. 3. Si vero cum morte matris ſpes vitæ, & baptiſmi prolis affulgeat, tenetur mater ſecundum pleroſque ſub mortali abſtinere ab omni remedio deſtructivo prolis, quia tenetur vitam corporalem exponere pro extrema neceſſitate ſpirituali infantis. Contrarium tamen docet Lud. Lopez, quod Sa V. *Caritas* dixit eſſe probabile. V. Leſſ. *l. c.* Sanch. Fill. *t. 29. t. 6. q. 1.* Bon. *t. 8. art. 3.*

D U B I U M V.

De Duello, & Bello.

A R T I C U L U S I.

Quid ſit, & an liceat Duellum?

Reſpond. Duellum eſt duorum (vel ſubinde etiam plurium) certamen, quod ex condicto, uno indicente, & altero acceptante, ſuſcipitur: ita ut id non ſit vitam defendere, ſed exponere periculo.
ANIMAD. XX. Quod etſi communiter ſit mortale peccatum, *licitum tamen eſt ex juſta cauſa, quæ ſemper eſt attendenda*. Vid. Trident. *ſeſſ. 25. cap. 19. de reform.* Sanch. 2. *mor. c. 39.* Item de pœna duellantium. V. infra *de excomm.* & Sanch. *l. c.*

Unde reſolves.

1. Duellum non eſt licitum ad indagandam veritatem, vel juſtitiam, vel purgationem objecti criminis, aut litem terminandam: quia eſt fallax, imo ſuperſtitioſum medium ad eum finem, cum etiam innocens homicidium & facere, & pati poſſit. Trull. *l. 5. c. 2. d. 13. n. 12.*

2. Neque ob inimicitias, aut ad injuriam vindicandam, neque ob ſolam oſtentationem virium, aut delectationem.

3. Nec item ad evitandam ignominiam: quia
ANIMAD. XXI. apud bonos, & prudentes honorem non perdet: *imo nec apud alios, ſi provocanti dicat, ſe eum non æſtimare dignum cum quo congrediatur, contra leges divinas, & humanas. Interim iturum ſe in dies libere ſuas vias, paratumque ſemper fore, & nunc eſſe, contra quemvis invaſorem ſe tueri*. Trull. *loc. cit. num. 4.*

4. Duellum licet acceptare, vel offerre ad conſervandam æſtimationem exercitus apud hoſtes, eoſque debilitandos, vel ad terminandum bellum cum minore damno. V. Sanch. *l. c.*

5. Acceptare item licet, ſi quis alias te occiſurus, concedat tamen arma, ut ſic fortunam experiaris: quia eſt tantum defenſio, poſito quod aliter non poſſis evadere. Similiter, ſi Judex duos ad mortem damnatos vellet duello congredi: quia alter alterius eſſet conſtitutus miniſter juſtitiæ. Trull. *l. c.*

ANIMAD. XXII. 6. *Denique, ſi vir nobilis in aula regia, vel militaris in caſtris, provocatus ſiſteret ſe, mera defenſionis gratia, cum ſpe prævalendi, privandus alioqui, ob ſuſpicionem ignaviæ, dignitate, officio, vel favore Principis, non audet eum damnare* Laym. *l. 3. t. 3. p. 3. cap. 3.* eumdem excuſat Hurt. *2. 2. d. 170. ſ. 8. §. 73.* Leſs. *c. 9. d. 8.* Fill. *c. 8. qu. 6.* Nav. *c. 13.*

A R T I C U L U S II.

An, & quouſque liceat bellum?

Reſp. Bellum defenſivum, quo ſcilicet vis injuſta repellitur, licet etiam privata auctoritate: offenſivum vero, quo vis infertur, ut liceat, tres conditiones requirit. 1. Ut geratur auctoritate Principis, vel Magiſtratus nullum agnoſcentis Superiorem: qualis eſt Papa, Imperator, Reges, & quædam Reſpublicæ, verbi gratia Venetorum, Genuenſium &c. 2. Ut adſit juſta cauſa, eaque gravis; verbi gratia, neceſſitas boni communis, & quietis conſervandæ, recuperatio injuſte ablatorum, coercitio rebellium, defenſio innocentum &c. Vide Laym. *hic*, & Molin. *t. 1. d. 104.* Dian. *p. 6. t. 4. R. 3.* 3. Ut fiat ex recta intentione, hoc eſt, non ex odio, ſed ex amore boni communis, quamquam ſi hæc ultima ſola deſit, non ſit obligatio reſtitutionis. Ita common. cum D. Thom. *q. 41.* Laym. *l. 2. t. 3. c. 12.*

Unde reſolves.

1. Si quis juſtum bellum gerat, non poteſt alter licite ſe defendere, quia circa eamdem rem non poſſunt duo habere contraria jura. *Fieri tamen poteſt, ut neutra pars peccet, ob ignorantiam invincibilem*. Fill. *n. 185.* ANIMAD. XXIII.

2. Tenetur Rex, antequam bellum incipiat, omni diligentia curare, ut certus ſit de ejus juſtitia, & gravi cauſa. Ad quod ſequentia conducent. 1. Ut curet habere non tantum peritos, ſed etiam bonos Conſiliarios. 2. Ut attendat, an etiam a ſuis impediantur, vel interveniant litteræ, aut inſtructiones ad ipſum. 3. Si non tantum a ſuis Conſiliariis, ſed etiam a diverſis Theologis curet juſtitiam belli ſecundum leges evangelicas examinari, & libere edici. 4. Si auditis omnibus, ipſe quoque coram Deo illam examinet, ſtatuatque id quod in puncto mortis ſe feciſſe vellet. *Denique, licet ſufficiat opinio probabilis de juſtitia belli*, ſi tamen juſtitia maneat æqualiter dubia, & alter ſit in poſſeſſione, non licet ei bellum indicere, cum melior ſit conditio poſſidentis. Fill. *t. 29. cap. 9. q. 4.* Trull. *l. 5. cap. 2. d. 3.* ubi cum Dian. *p. 4. t. 4. R. 72.* docet licere etiam Principi concedere repreſalia, ſervatis tamen conditionibus certis, quas vide apud Pal. *t. 1. c. 6. d. 5. p. 4.* & hic infra *art. ſeq.* ANIMAD. XXIV.

3. Perſpecta juſtitia belli, debet ea proponi parti adverſæ: quæ ſi offeret competentem ſatisfactionem, non debet bellum inchoari. *Imo, ut probabilius eſt, ſi cœptum ſit, debet, ſi non ex rigore juſtitiæ, ſaltem plerumque ex caritate mox finiri*. V. Mol. ſupra *d. 103.* Trull. *l. 5. c. 2. d. 3.* ANIMAD. XXV.

4. Poteſt Princeps pro ſatisfactione petere reſtitutionem ablatorum, & expenſarum, item aliquid in pœnam illatæ injuriæ. Dual. *Hinc poteſt victos privare bonis, etiam innocentes*, tributa iis imperare, extruere arces, & cetera, quæ ad ſecuritatem ſunt neceſſaria. Coninch. Dian. *p. 6. d. 4. R. 22.* ANIMAD. XXVI.

5. Principes tenentur ſtipendia ſolvere militibus; alioqui tenentur compenſare damna tum ipſis militibus, tum aliis, qui ab iis damnum acceperunt. Con. Pal. Dian. *p. 6. t. 4. R. 29.*

6. Tenentur etiam aliquando Principes catholici a bello alioqui per ſe juſto abſtinere, ſi inde oriturum ſit ſcandalum, & ſpiritualis ruina multorum, ac detrimentum Eccleſiæ. V. Pal. Dian. *p. 6. t. 4. R. 7.*

7. Etſi per ſe loquendo, in bello juſto liceat advocare infideles in auxilium, per accidens tamen ſubinde, imo plerumque non licet, ratione ſcandali, ut periculi in fide; verbi gratia, ne ſubditi pervertantur, ſacra profanentur &c. Regin. *tom. 2. l. 21. n. 10.* Fill. *n. 81.*

8. Similiter licet alteri Principi, etiam alterius fidei, in bello juſto auxilium ferre; niſi tamen ſit periculum ſcandali, incrementi hæreſeos, & damni veræ fidei. Vide Con. *tr. de Caritate d. de Bello*.

9. Duces, Tribuni, Centuriones, aliique Officiales peccant, tenenturque ad reſtitutionem. 1. Si pauciores habeant milites, quam in ſolutione ſtipendii exhibent. 2. Quando debent ex officio commeatum curare, & dant militibus cibum, vel potum corruptum, ex quo morbi oriuntur. 3. Si in tranſitu per regiones accipiant pecunias a variis pagis, ne iſthic pernoctent, aut morentur. 4. Si uni militi dent plura ſyngrapha ad domos diverſas. Molin. Bec. Dian. *p. 6. t. 4. R. 27. & 28.* 5. Si ſtipendium militibus ſubtrahentes permittant extorquere ab innocentibus neceſſaria.

10. Miles, qui in bello & juſto, & injuſto paratus eſt mereri ſtipendia, eſt in malo ſtatu, & incapax abſolutionis, niſi mentem corrigat: & quidem, ſi militet in bello injuſto, tenetur ad reſti-

tutionem damnorum; niſi inculpabilis ignorantia excuſat: tunc enim ſufficit reſtitutio eorum, quæ in ſpecie habet, vel aorum, in quibus factus eſt ditior. V. *infr.*

11. Si vocatus ad bellum ſit ſubditus Principis, qui bellum gerit, aut ab eo ante conductus, non tenetur inquireea de juſtitia belli, quamdiu nulla vehemens ſuſpicio occurrit in contrarium, quæ poſitive reddat dubium; quia potaſt præſumere pro ſuo Principa, cnt in dubio debet obedire, ejuſque auctoritas plerumque illi ſufficiet ad formandum etiam poſitive judicium probabile de juſtitia cauſæ, ne eum dubia fide operatur. V. Card. Lugo *d.* 18. *de juſtit. ſ.* 1. *n.* 21. Si vero non ſit ſubditus, tenetur prius inquirere, & poſtea ſaltem probabile formare judicium, bellum eſſe juſtum. Molin. *d.* 113. *num.* 171. Laym. *l.* 2. *cap.* 3. *c.* 12. *n.* 8. Aror. Mald. Regin. contra quoſdam apud Dian. *tom.* 2. *tr.* 5. *miſc. R.* 96. & *tom.* 3. *R.* 7. Card. Lugo *l. c.* Eſcob. *E.* 7. 7. *c.* 8.

12. Miles intelligens bellum eſſe injuſtum, in quo eſt, non poteſt abſolvi, niſi velit, quam primum poteſt, curare dimiſſionem, & interea abſtinare ab actibus hoſtilitatis, verbi gratia, cæde, præda &c. V. Laym. *l.* 2. *t.* 3. *cap.* 12. *An autem talis poſſit occidere militem hoſtilem ſe invadentem*, (*a*) v. Eſcob. *E* 7. *c.* 8.

ARTICULUS III.

Quid in bello juſto liceat?

Reſp. Etſi circa hoſtes in bello juſto liceat ea omnia facera, quæ ad finem belli ſunt neceſſaria; verbi gratia, occidere, ſpoliara &c. innocentes tamen (quo nomine intelliguntur pueri, qui arma geſtare non poſſunt, mulieres, ſenes, Religioſi, Clerici, peregrini, mercatores, & ruſtici) directe vita Animad. ſpoliari non poſſunt; *bonis tamen externis poſſunt, ſi* XXVII. *ſint pars Reipub. hoſtilis, aliterque finis belli obtineri non poſſit.* Mol. Bel. *p.* 2. *cap.* 10. 11. & 12. Laym. Fill. *n.* 191. &c. Ratio eſt, quia cum ſint pars Reipub. poſſunt propter hujus delicta puniri in iis bonis, quæ Reipub. dominio ſubſunt.

Unde reſolves.

Animad. 1. *Per accidens licet aliquando comburere etiam Ec-* XXVIII *cleſias, & hoſtes ex iis extrahere, in iis ſpoliare, & occidere, ſi v. g. Eccleſia velut caſtro ad expugnandum utantur.* Sylv. V. *Bellum num.* 11. Sa, Bon. *p. ult.* §. 3.

2. Contra hoſtem licet uti inſidiis, & ſtratagematis, dummodo abſint mendacia: etſi etiam hæc, v. gr. quando exploratores ſe fingunt amicos, non ſint mortalia. Ea vero, ad quæ cavenda nulla prudentia datur, v. gr. veneno inficere puteos, aquas, glandes, ſunt contra jura belli, nec licent. Mol. *d.* 111.

3. Fides hoſti data ſervanda eſt, niſi vel coactus dederis, vel in grave detrimentum cederet Reip. aut Religionis; aut ſi hoſtes eam non ſervent: aut denique conditiones, ac circumſtantiæ plane ſint mutatæ. Dual. Pal. Dian. *l.* 1. *R.* 10. Vide etiam Laym. *l.* 3. *t.* 3. *c.* 12.

4. Capti in bello etiam ex parte capientium juſto, niſi obſtet ſcandalum, aut ſpecialis promiſſio, poſ- Animad. ſunt fugere. *Capti vero in bello ex parte capientium* XXIX. *injuſto & fugere, & bona hoſtium ſecum auferre poſſunt.* Laym. *l.* 2. *tom.* 2. *c.* 12. *n.* 16. An obſides liceat occidera, v. ſup. *dub.* 4. *c.* 5.

Animad. XXX. 5. *Poteſt quidem aliquando* (raro tamen, & nonniſi ob cauſas graviſſimas) dari urbs in prædam: milites tamen privata auctoritate prædas agere, aut hoſtibus damna inferre non poſſunt, quia ſunt executores tantum, & miniſtri. V. Sa, ver. *Bellum*, Laym. *hic tr.* 3. *c.* 12. Fill. *n.* 198. Dian. *p.* 6. *t.* 4. *tota. Dum autem urbs ſpoliatur injuſte, gregarios milites tantum teneri ad damnum, quod ipſi intulerunt, probabile eſſe docet* Dian. *l. c. R.* 31. ea Sylv. Nav. &c. Item *p.* 4. *t.* 5. *R.* 86. Vide infra *t.* 4. *c.* 2. *d.* 4.

6. Milites peccant cum onere reſtituendi, ſi a ruſticis, aliiſve, apud quos hoſpitantur, vel per quorum loca tranſeunt, auferant, aut invitis extorqueant, vel etiam donata accipiant (niſi conſtet omnino libera fieri: ſiquidem donationes illæ plerumque non ſpontaneæ, ſed coactæ ſunt) præter ea, quæ ex conſtitutione Principis iis debent ſubminiſtrare; *niſi tamen ſint in extrema, vel ſaltem gravi* Animad. *neceſſitate.* Mol. Coninch. Pal. Bec. &c. Dian. *p.* 6. *t.* XXXI. 4. *R.* 21.

7. *Repreſſalia licita ſunt his conditionibus.* 1. Ut Animad. manifeſte conſtet, cives alterius Reipub. feciſſe inju- XXXII. riam. 2. Ut Superiores illorum rogati recuſent adminiſtrare juſtitiam. 3. Ut conſtat, eos culpabiliter id recuſare. 4. Ut Princeps ſupremus, cauſa cognita, id concedat. 5. Ut non inferatur plus damni, quam juſta ſatisfactio requirit. 6. *Ut non concedantur in perſonas eccleſiaſticas.* Molin. Dian *p.* 4. *t.* 3. *R.* 72. ex 18. aliis.

Quæres, ad quem pertineant bona hoſtibus erepta? Reſp. 1. Immobilia cedunt Principi, aut Reipublicæ; mobilia fiunt capientis, niſi conſuetudo habeat, ut pars cedat Principi, & Communitati. 2. *Jure Cæſareo, niſi conſuetudo ſit contraria, bona ablata* Animad. *juſto bello ab iis, qui ea injuſte poſſidebant, fiunt ca-* XXXIII *pientium, poſtquam ea in ſua præſidia deportarunt.* Valent. *tom.* 3. *d.* 4. *q.* 3. Mol. *d.* 18. & Hurt. *l.* 2. *d.* 169. *ſ.* 12. §. 119. ubi requirit, ut una ſaltem nocte poſſederint. Vide etiam Sylv. Bonac. *l. c. d.* 10. & *ſeq.* Dian. *p.* 6. *t.* 3. R. 23. *ubi contra Durand. docet hanc ſententiam eſſe in praxi tutam.*

NOTÆ.

(a) *An autem talis poſſit occidere militem hoſtilem ſe invadentem* v. &c.

Reſp. Id licet, ſi alia ratione ſuam vitam tueri, nequeat; ſecus non licet; qua de re vide animad. 7. & ſequentes.

ANIMADVERSIO I.

Miles poteſt ad evertendam turrim hoſtilem &c. *pulverem incendere, etſi* &c. *uti* &c.

Mando, inquit La-Croix p. 259. n. 787. tanquam probabilius defendit id eſſe illicitum; Lugo putat in cauſa boni publici eſſe licitum, ſi ab hoſtibus eras occidendus.

Quid ergo? Reſp. Verſatilis probabilitas in lubrico verſatur: ſana Theologia docet, in animæ negotio incertis certa eſſe præferenda. Certum porro eſt, eum non peccare, qui pulverem non accendit ad evertendam turrim hoſtilem, vel ad perdendos hoſtes, unde ipſe quoque perimendus ſit; incertum autem, utrum peccet, ſi accendat: ergo juxta ſanam Theologiam accendere non licet.

Et ſane D. Aug. lib. 1. de civ. Dei a D. Th. 2. 2. q. 64. art. 5. ad 4. laudatus inquit: *Nec Sampſon aliter excuſatur, quod ſeipſum cum hoſtibus ruina domus oppreſſit, niſi quod latenter Spiritus ſanctus hoc juſſerat, qui per illum miracula faciebat.* Non ex publico bono, de quo ibi agebatur, cum Sampſon opprimendo, plura hoſtium millia oppreſſerit, ſed ſolum ex latenti divino imperio Sampſonem S. Auguſt. excuſat. Ego miles, aut quilibet alius ſemetipſum occidere non poteſt, turrim, aut navem incendendo, ut hoſtes pereant, vel ne turri, aut navi cum Reipublicæ damno potiantur. Ratio autem eſt, quia, cum homo ſuæ vitæ dominus non ſit, illam perimere nunquam poteſt, niſi ex imperio ſupremi Domini, qui unus hominum vitæ dominatur. Occiſio ſui ipſius grande peccatum ex natura ſua eſt, quod nullo ex fine honeſtari poteſt. Sicuti pro bono publico adulterari, pejerare &c. non licet, quia ſunt ex ſe mala, ita pro eodem publico bono ex eadem ratione ſeipſum interficere nunquam permiſſum eſt.

Similiter licet .. amici ad mortem injuſte damnati vices ſubire, vel in naufragio tabulam cedere ex Tol. &c.

Idem docet La-Croix p. 259. n. 780.

Hæc eſt communis ſententia, ut ait Concina Theol. t. 1. p. 438. n. 14. contrariam tamen, ut idem fatetur, tuentur Paludanus, Gabriel, Bellarminus, aliique; quibus ego aſſentior. Ratio ex ordine caritatis, qui ſub præceptum cadit, deſumitur; ex quo noſmetipſos magis, quam alios amare tenemur. Hinc ipſe Buſ. lib. 2. tract. 2. c. 2. dub. 1. Reſp. 1. docuit, unumquemque ex ordine caritatis teneri magis ſeipſum, quam proximum quoad corporis bona diligere: ſed qui amici ad mor-

Digitized by Google

mortem injuſte damnati vices ſubit, vel in naufragio tabulam cedit alteri, magis amat proximum, quam ſeipſum: ergo peccat. Hinc S. Aug. lib. de mend. cap. 6. ait: *Si quis pro alterius temporali vita ipſam ſuam temporalem vitam perdat, non eſt jam diligere illum, ſicut ſeipſum, ſed plus diligere, quam ſeipſum; quod ſanæ doctrinæ regulam excedit*. Si autem ſanæ doctrinæ regulam, excedit, peccatum eſt. Ergo &c.

At inquies cum P. Concina, id abſolute quidem non licere, licere tamen, ſi virtutis, puta amicitiæ, vel caritatis cauſa fiat. Reſp. id fieri non poſſe virtutis, & caritatis cauſa, quod virtuti, & caritati adverſatur: at vitam proximi propriæ vitæ præferre, virtuti, & caritati adverſatur, ut oſtenſum eſt. Ergo id fieri nequit virtutis & caritatis cauſa, niſi inani & fallaci intentione, quæ nihil prodeſt, nihilque valet.

Præterea actio quidem adiaphora ea bona intentione fit bona: at actio ex ſe mala, ſicuti eſt, ut oſtendimus, præferre propriæ vitæ vitam proximi, nulla bona intentione bona fieri poteſt. Duplici ergo ea capite, ut mihi videtur, falluntur, qui contrarium ſentiunt. Primo quia amicitiæ & caritatis cauſa fieri dicunt, quod amicitiæ, & caritati repugnat, ut quis ſcilicet magis amicum, & proximum, quam ſeipſum diligat. Hæc ſcilicet intentio commentitia eſt, & falſa, ideoque nihil virium habet ad bene agendum. Secundo quia prius oſtendendum ipſis eſt, præferre vitam alienam propriæ, eſſe opus permiſſum; quod niſi oſtenderint, nunquam efficient, ut intentio bonum efficiat opus quod ex ſe malum eſt.

Animadversio II.

Etſi virgini non liceat &c. licet tamen ei certo periculo mortis ſe exponere etiam pro ſola integritate corporali.

Exponere ſe certo periculo mortis, ut ſi virgo ex alta turri ſe præcipitem det, vel in puteum ſe demergat, aut in ardentem fornacem ſe conjiciat, perinde eſt, ac ſi ſe occidat, gladio ſuo ſibi pectori infixo. Nullum inter hæc diſcrimen communis ſenſus reperit. At mulieri ſe occidere non licet, ne ab alio corrumpatur, ut docet D. Th. 2. 2. qu. 64. art. 5. ad 1. & Buſ. hic fatetur. Ergo ne certo quidem mortis periculo ſe exponere in hunc eumdem finem ei licet. Audiamus S. Auguſtinum lib. 1. de Civ. Dei cap. 26. inquientem: *Sed quædam, inquiunt, ſanctæ feminæ tempore perſecutionis, ut inſectatores ſuæ pudicitiæ devitarent, in rapturum, atque necaturum ſe fluvium* (en ſpecies a Buſ. propoſita) *projecerunt, eoque modo defunctæ ſunt, earumque martyria in catholica Eccleſia, veneratione celeberrima frequentantur*. Quid tolerum et maximum Eccleſiæ lumen? *De his*, inquit, *nihil temere audeo judicare. Utrum enim Eccleſiæ aliquibus fide dignis teſtificationibus, ut earum memoriam ſic honoret, divina perſuaſerit auctoritas, neſcio. Quid ſi enim hoc fecerunt non humanitus deceptæ, ſed divinitus juſſæ, nec errantes, ſed obedientes, ſicut de Sampſone aliud nobis fas non eſt credere? Cum autem Deus jubet, ſeque jubere ſine ullis ambagibus intimat, quis obedientiam in crimen vocet? quis obſequium pietatis accuſet? Sed non ideo ſine ſcelere facit, quiſquis Deo immolare filium decreverit, quia hoc Abraham etiam laudabiliter fecit*.

Si ex Sancto Aug. non poſſunt mulieres ad pudicitiam tuendam certo mortis periculo ſeſe objicere, niſi ex manifeſto Dei imperio, multo minus id poſſunt virgines ad ſolam corporis integritatem ſervandam.

Poteſt quidem mulier, imo debet mortem potius a ſceleſto invaſore intentatam ſubire, quam ſui violationem permittere, uti eſt communis ſententia, quam P. Concina Theol. t. 4 p. 344 n. 7. propugnat. Nam in hac ſpecie mortem ſibi non infert, ſed virtutis cauſa inſtar martyrum patitur. At ſi e turri præceps ſponte ruat, ſi in puteum, aut flumen, aut ignem ſe projiciat, ipſa ſibi vim infert, ipſa ſe interimit; quod licere illi ad caſtitatem, multoque minus ad ſolam corporis integritatem tuendam non poteſt. Corporis integritas, ut lubet, magni fiat; quæ tamen ſola, & a virtute ſejuncta æquo, ac ſolido judicio aut nihili, aut parvi facienda eſt; longe tamen pluris ipſa virtus, & caſtitas, quæ corrupto corpore conſervari poteſt, facienda eſt. Ergo virgo virtutis jacturam, æternæque damnationis periculum, certo mortis diſcrimini ſeſe objiciendo ſtulte eligit, ut corporis integritatem conſervet. Nihil ſane ſtultius eſt, quam totum corpus perdere, ut corporis pars intacta ſit, quidquid contra Buſ. ſentiat.

Animadversio III.

Etſi Carthuſianus ... poſſit ſervare vitam &c. licite tamen &c. etiam tam amittit cum certo periculo mortis, ut contra Vaſq. &c. docet &c.

Ego ſane Vaſ. & Gran. aſſentior. Nam D. Th. 2. 2. qu. 69. art. 4. ad 2. ait: *Si aliquis ſit condemnatus, ut fame moriatur, non peccat, ſi cibum ſibi occulte miniſtratum ſumat; quia non ſumere, eſſet ſeipſum occidere*. Juxta D. Thomam, & communem ſenſum ille ſe occidit, qui cibum ad vitam conſervandam neceſſarium non ſumit: qui ſe occidit, peccat contra divinam, & naturalem legem: ergo &c. An Carthuſiano contra divinam, & naturalem legem peccare licet?

At ex Sanch. & aliis ſex, Carthuſianus carnibus veſci debet, ſi alioqui fame periturus ſit, non item ſi ex morbo. Reſp. Hæc diſtinctio futilis eſt. Nam morbo, & fame perire perinde eſt; perinde ſe occidit, qui carnem non comedit, qua recuſata perit, ſeu ex fame, ſeu ex morbo pereat. Hic eſt ſcopulus communis. At, inquiunt, qui ex morbo perit, naturaliter perit, quia ipſe morbi cauſa non eſt; qui vero ob inopiam aliorum ciborum fame perit, niſi carnem comedat, violenta morte perit, ideoque peccat. Reſp. Hæc quoque diſtinctio ſophiſtica eſt. An inedia interius corpus non conſumit, ſicut morbus? Seu ex inedia, ſeu ex alio morbo intereas, naturaliter eo ſenſu peris, ut non ab extrinſeca, puta enſe, igne &c. ſed ab intrinſeca cauſa vitam conficiente pereas. Vim porro tibi infers, quia, intrinſecam mortis cauſam ſumpta carne removere cum poſſis, non removes. Quare in utraque hypotheſi indirecte ſe interimit Carthuſianus, & ideo graviſſime peccat. At inquiunt, rationabiliter negligit vitam pro bono communi ordinis. Reſp. Bonum commune ordinis Carthuſiani non ex violatione, ſed ex obſervantia legis divinæ, & naturalis, quæ aperte præcipit, ut cibum ad vitam conſervandam neceſſarium quilibet ſumat, deſumendum eſt. Hæc quidem penes me certa ſunt. At etſi eſſet incerta, nihilominus Carthuſianus in deſcripta hypotheſi carne veſci neceſſario deberet. Nam juxta ſanam, & veram Theologiam certa incertis ex neceſſitate præcepti præferenda ſunt, quod ſæpe repetendum eſt: at certum eſt, Carthuſiano licere veſci carnibus in morbo, qui medicorum judicio ſine earum eſu ſervari non poteſt, ut ipſi adverſarii fatentur: ergo, etiamſi incertum foret, utrum ab iis abſtinere licite poſſet, nihilominus iis veſci teneretur.

Animadversio IV.

Ubi recte notat, aliud eſſe procurare abbreviationem vitæ, aliud permittere, &c. vel non adhibere media &c.

Idem habet La-Croix p. 258. n. 775.

Ego vero quoad mores, & culpam juxta Angelici Doct. ſententiam mox relatam idem eſſe puto, ſeu quis mortem poſitive, e. g. gladio, veneno &c. ſibi inferat, ſeu indirecte ſubtractione eorum, quæ ſunt ad vitæ tuitionem neceſſaria, ex. g. ſinendo, ſanguinem e vulnere effundi, cibum, aut medicinam neceſſariam, &c. non ſumendo.

Ex quo fit, ut, ſicut Carthuſianus ex dictis peccat, abſtinendo a carnibus in extrema ſeu famis, ſeu morbi neceſſitate, ita quoque peccet, qui exquiſita, & pretioſa medicina, aut domicilii mutatione, quæ ſint ad vitam neceſſaria, non utitur; quia contra naturæ, & caritatis præceptum, ſuæ vitæ pecuniam, commodum, irrationabilem paſſionem, ſeu cupiditatem præfert; quæ in re gravis culpa aperta eſt.

Exquiſitæ medicinæ, regionis mutatio, & ſimilia ſine culpa ut plurimum omittuntur, quia vel ſunt remedia incerta, aut virium expertia, vel aliis remediis ſuppleri poſſunt. At ſi ea neceſſaria ad vitam tuendam ponantur, ea recuſare, perinde eſſet, ac cibo abſtinere, & fame perire, hoc eſt ſe occidere; quod licere nunquam poteſt.

Animadversio V.

Addit Laym. &c. non teneri quemquam mediis extraordinariis .... vitam conſervare.

Idem habet La-Croix n. 775. cit.

Sublimior, & ſanior eſt ethnici Ariſtotelis doctrina Eth. 3. ad Nicom. c. 7. ajentis: *Mori autem fugientem paupertatem, vel amorem, vel ægritudinem aliquam, non eſt viri fortis, ſed ignavi potius. Mollis enim animi eſt, res ærumnoſas, & laborioſas fugere*. Ergo juxta hunc eximium morum Philoſophum, mortem ſubire, ne cruris, aut brachii abſciſſionem patiaris, ignavi molliſque animi eſt. Licet ne eſſe animi mollis, & ignavi?

Præterea naturæ, & caritatis lex eſt, ut vita cruri, vel brachio etiam cum vehementi dolore abſcindendo præferatur: ergo qui brachii, aut cruris abſciſſionem cum vehementi dolore conjunctam, at pro tuenda vita neceſſariam recuſat, naturæ, & caritatis legi repugnat. Licet ne naturæ, & caritatis legi repugnare? Qui contra ſentiunt, prius velim, ut his brevibus ratiunculis reſpondeant.

Si

Digitized by Google

Si vita communi bono neceſſaria ſit, ex præcepto conſervanda eſt, etiam cum violenta cruris, aut brachii abſciſſione, ut fatetur Buſ. ex Laym. & La-Croix concedit. Cur id? quia commune bonum Reipublicæ, aut Eccleſiæ ex lege naturæ, & caritatis cruri, & brachio etiam violenter abſcindendis præferendum eſt: at eadem caritatis lex, & naturæ præcipit, ut vitam cruri, & brachio violenter recidendis præferamus: ergo &c. Illud hic unum diſcrimen eſt, quod publicum bonum magis amandum, ac pluris faciendum ſit, quam propria vita; at hoc non impedit, quin propria vita cruri, & brachio præponenda ex naturæ, & caritatis lege ſit.

Non videtur tamen virgo ægrotans (per ſe loquendo) teneri ſubire &c. *quando* &c.

Idem docet La-Croix n. 776.

Hæc doctrina, ſicut aliæ non paucæ, non juxta rationis ordinem, ſed juxta perſonæ indolem, & propenſionem tradita mihi videtur. Si enim virgini graviſſimum ſit, Medici, & Chirurgi manus pati, eas juxta Buſ. & La-Croixium recuſare poteſt: ergo ſi ipſi id graviſſimum non ſit, eas pati tenebitur. Lex ergo juxta hos Scriptores indoli puellæ eſt accommodanda, non puella legi.

Omnia quidem cautio in gratiam verecundæ puellæ adhibenda eſt, ut, ſi fieri poſſit, curatio in partibus verecundis per edoctas mulieres adhibeatur; at ſi Chirurgi inſpectio, & manus neceſſaria ſit, eam recuſare idem eſt, ac ſemetipſam interficere, non ſecus ac ſeipſum interficit, qui fame conficiendus, cibum renuit. Chirurgi oculos, & manus ex neceſſitate pati, ratio non vetat, ſed ſuadet: ergo puellæ horror ex inani ipſius apprehenſione oritur. An inanis apprehenſio, quantumvis vehemens ſit, a naturæ, & caritatis lege, quæ vitæ conſervationem præcipit, excuſat? Ego hic maxime velim, ut puellæ genuinam verecundiam, non fucatam, naturæque legi contrariam edoceantur. Nam ſi in dicta curatione peccati periculum timent, eas quidem laudo, ſed illud inculco, non ut curationem neceſſariam recuſent, ſed ut Dei auxilium implorent, in eoque fiduciam certam collocent, qui eſt *adjutor in neceſſitatibus, in tribulatione.*

ANIMADVERSIO VI.

Qui tamen non ſunt intelligendi &c.

Sicuti graviſſima triſtitia, & phantaſiæ turbatio rationis uſum non adimens a ſuicidii reatu non excuſat, ita a pœna profanæ ſepulturæ non liberat; imo ſuicidium ſine graviſſima paſſione, & phantaſiæ turbatione non accidit. Rit. Romanum de iis, quibus eccleſiaſtica ſepultura danda non eſt, ita habet: *Seipſos occidentibus ob deſperationem, vel iracundiam, (non tamen, ſi ex inſania id accidat) niſi ante mortem dederint ſigna pœnitentiæ.* Non excipit, niſi eos, qui ex inſania ſe occidunt. Quod autem ſe occidant ex iracundia, deſperatione, triſtitia &c. perinde eſt.

Ubi dicit, eum qui moritur &c. *non eſſe privandum* &c.

Hoc recte dictum videtur. Nam Syn. Trid. de iis, qui duellum committunt, inquit: *Et ſi in ipſo conflictu deceſſerint, perpetuo careant eccleſiaſtica ſepultura.* Ait, *in ipſo conflictu*, non ex conflictu. Hinc Rit. Romanum docet, ſepulturam eccleſiaſticam negandam eſſe *morientibus in duello, etiamſi ante obitum dederint pœnitentiæ ſigna*: inquit *in duello*, non vulnere ex duello accepto.

Ita ſane uſque ad tempus Benedicti XIV., qui anno 1752. Conſtitut. *Deteſtabilem*, quam in hujus operis calce refero, pœnam ampliavit his verbis. *Præterea ſimili motu, & auctoritate decernimus, & declaramus, ſepulturæ ſacræ privationem a ſacroſancta Tridentina Synodo inflictam morientibus in loco duelli, & conflictus, ns, incurrendam perpetuo fore etiam ante ſententiam Judicis a decedente quoque extra locum conflictus ex vulnere ibidem accepto; ſive duellum publice, ſive privatim indictum fuerit, ac etiamſi vulneratus ante mortem non incerta pœnitentiæ ſigna dederit, atque a peccatis, & cenſuris abſolutionem obtinuerit; ſublata Epiſcopis, & Ordinariis locorum ſuper hac pœna interpretandi, ac diſpenſandi facultate, qua cæteris documentum præbeatur fugiendi ſceleris, ac debitam Eccleſiæ legibus obedientiam præſtandi.*

ANIMAUVXRSAO VII.

Jus naturæ permittit, ut ... aggreſſorem qui &c. *prævenias, & occidas, ita tamen* &c.

Buſ. latam aperit viam iniquis, trucibuſque homicidis, cum ea permittat ad conſervanda bona temporalia, honores, pudicitiam, membrorum integritatem; idque etiam præveniendo. Et ut ſuæ doctrinæ pondus addat, pro ſe citat D. Thomam, at falſo. Nam S. Doct. 2. 2. q. 64. art. 7. inique invaloris occiſionem ſolum permittit ad neceſſariam propriæ vitæ tuitionem. Ita enim loco cit. loquitur. *Ex actu ergo ſeipſum defendentis duplex effectus ſequi poteſt: unus quidem conſervatio propriæ vitæ, alius autem occiſio invadentis. Actus ergo hujuſmodi ex hoc, quod intenditur conſervatio propriæ vitæ, non habet rationem illiciti; cum hoc ſit cuilibet naturale, quod ſe conſervet in eſſe, quantum poteſt. Poteſt tamen aliquis actus ex bona intentione proveniens, illicitus reddi, ſi non ſit proportionatus fini. Et ideo ſi aliquis ad defendendam propriam vitam utatur majori violentia, quam oportet, erit illicitum. Si vero moderate violentiam repellat, erit licita defenſio. Nam ſecundum jura vim vi repellere licet cum moderamine inculpatæ tutelæ. Nec eſt neceſſarium ad ſalutem, ut homo actum moderatæ tutelæ permittat ad vitandam occiſionem alterius; quia plus tenetur homo vitæ ſuæ providere, quam vitæ alienæ. Sed quia occidere hominem non licet, niſi publica auctoritate propter bonum commune, ut ex ſupradictis patet, illicitum eſt, quod homo intendat occidere hominem, ut ſeipſum defendat, niſi ei, qui habet publicam auctoritatem; qui intendens hominem occidere ad ſui defenſionem, refert hoc ad publicum bonum, ut patet in milite pugnante contra hoſtes, & in miniſtro Judicis pugnante contra latrones; quamvis etiam iſti peccent, ſi privata libidine moveantur.*

Pro recta S. Thomæ intelligentia nota, eum, qui hominem occidit in ſui defenſionem, utrumque velle, hoc eſt & alterius occiſionem, & ſui defenſionem. Quod ſi alterum pro ſuæ vitæ defenſione occidere velle non liceret, ne occidere quidem liceret. Quod enim velle non licet, ne facere quidem licet. Imo impoſſibile eſt, ut qui ſciens, nec vi coactus occidit, non velit occidere. Quare dum D. Thomas ait, *Illicitum eſt, quod homo* (privata auctoritate) *intendat occidere hominem, ut ſeipſum defendat*, illud *intendat* idem eſt, ac velit cædem hominis, quaſi finem, ita ut occidenti occiſio placeat, quatenus occiſio eſt malum proximi; quo ſenſu occidendi voluntas etiam pro ſui defenſione mala eſt. Quare D. Thomas his verbis perſonæ odium prohibitum vult, non occidendi voluntatem, quatenus occiſio bona eſt occidenti, ipſique neceſſaria, ut ſuam vitam, quam proximi vitæ ex naturæ, & caritatis lege præfert, conſervet. Hoc modo S. Doctorem eſſe accipiendum, tum ratio ſuadet, tum ipſe idem, qui 2. 2. q. 108. a. 2. docet, vindicationem eſſe virtutem, quia ulciſcitur *non intentione nocendi, ſed intentione removendi nocumenta.*

ANIMADVERSIO VIII.

Etſi ob contumeliam aliquam .... non liceat alterum occidere.

Hic implicite concedere Buſ. videtur, ob contumeliam aliquam, v. g. ſi viro honorato dicatur, *mentiris*, licere alterum occidere, ſi ea contumelia aliter repelli non poſſit, aut non ſoleat; quæ doctrina Evangelio, humanitati, ipſique juri defenſionis adeo adverſatur, ut apud Chriſtianos confutatione indigna ſit. Legere tamen, ſi velis, potes Genettum Theol. t. 7. p. 16. qu. 7. hac de re loquentem.

Secundo nullam culpam agnoſcere in eo videtur, qui has contumelias eo modo repellit, quo repelli ſolent. Homines porro contumelias contumeliis, aut gravioribus injuriis repellere ſolent. Hoc ne caritas, aut Evangelium permittit? *Non vosmetipſos defendentes, cariſſimi*, ait Ap. ad Rom. 12. 19. *ſed date locum iræ*: & v. 21. *Noli vinci a malo, ſed vince in bono malum.* Et Chriſtus ita præcipit Matth. 5. *Ego autem dico vobis, diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos, orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos.* Honor mundi, hoc eſt ſtultorum hominum, minuitur quidem, aut etiam perit, niſi contumeliæ contumeliis, aliiſve gravibus injuriis retundantur; at hic honor ab homine chriſtiano pro nihilo habendus eſt. Solidiſſimus chriſtiani hominis honor in eo eſt, ut Chriſti legem, quæ injuriarum, & contumeliarum tolerantiam imperat, impleat, ejuſque, & Sanctorum exempla ſequatur.

D. Th. 2. 2. q. 72. art. 3. docet, hominis animum ad contumelias patienter tolerandas paratum eſſe oportere, cum opus eſt. *Quandoque tamen*, inquit, *oportet ut contumeliam illatam repellamus maxime propter duo. Primo quidem propter bonum ejus, qui contumeliam infert, ut videlicet ejus audacia reprimatur, & de cetero talia non attentet, ſecundum illud Prov. 26.* Reſponde ſtulto juxta ſtultitiam ſuam, ne ſibi ſapiens videatur. *Alio modo propter bonum multorum, quorum profectus impeditur propter contumelias nobis illatas. Unde Gregorius dicit ſuper Ezech.* „Hi, quorum vita in exemplo „imitationis eſt poſita, debent, ſi poſſunt, detrahentium ſibi verba compeſcere, ne eorum prædicationem „non audiant, qui audire poterant, & ita in pravis „moribus remanentes, bene vivere contemnant.“

Auda-

Audaciam ergo convicianti nostro ſilentio nutrire non debemus, multoque minus ſpirituale proximi damnum, quod ex conviciis non repreſſis quandoque oritur, permittere; ſed convicia moderata refutatione, aut reprehenſione, non ex inani honoris cupiditate, ſed ex caritatis officio repellenda ſunt ... Hinc D. Th. in reſp. ad 1. art, *quod audaciam convicianti contumelioſi debet aliquis moderate reprimere, ſcilicet propter officium caritatis, non propter cupiditatem privati honoris. Unde dicitur Prov. 26.* „ Ne reſpondeas ſtulto juxta ſtultitiam „ ſuam, ne ei ſimilis efficiaris. “

Reſpondet autem ſtulto juxta ſtultitiam ſuam, qui contumelias contumeliis, aut aliis gravibus injuriis repellit.

Licere tamen, ſi aggreſſor fuſtem, vel alapam viro valde honorato impingere conaretur, quam aliter &c. docent cum Dian. Leſſ. &c.

Cave quæſo, christiane lector, ne te quindecim, aut plures moveant, dum tam atrocia facinora, caritati, & naturæ juri repugnantia permittunt. Ut alapam, aut fuſtis ictum vir valde honoratus avertat, hominem occidere poteſt? ubinam gentium leges inveniuntur, quæ id permittant? Qui ita ſcribunt, nec Decalogum, nec Evangelium in mente certa habent. An tam atrox doctrina confutatione apud Christianos indiget? hic ſcilicet honor defendendus obtenditur. Sed christiani hominis honor in tolerantia injuriarum conſiſtit, nec crudeli hominis cæde defenditur, ſed amittitur. Prop. 30. ab Innoc. XI. proſcripta ita habet: *Fas eſt viro honorato occidere invaſorem, qui nititur calumniam inferre, ſi aliter hæc ignominia vitari nequit: idem quoque dicendum, ſi quis impingat alapam, vel fuſte percutiat, & poſt impoſitam alapam, vel ictum fuſtis fugiat*. Cur damnatæ propoſitionis auctores truculentam cædem permittebant? ad honoris defenſionem. Ad honoris quoque defenſionem eamdem truculentam cædem permittit Buſemb. Nam ſeu occidas hominem calumniam inferre conantem, quam aliter vitare non poſſis, ſeu impingentem alapam, aut fuſte percutientem, ac poſt fugientem, ut habet prop. proſcripta, ſeu fuſtam, aut alapam, quam aliter avertere non poſſis, impingere nitentem, ut Buſemb. docet, perinde omnino eſt. Itaque in prop. 30. proſcripta aperta includitur doctrina a Buſ. hic tradita.

ANIMADVERSIO IX.

Si fuſte, vel ſolo vulnere &c. non licet occidere.

Sicuti Buſ. ſupra dixit, licere occidere conantem impingere fuſtem, vel alapam, ſi aliter averti injuria nequeat; ita hic multo magis permiſſum putat, talem injuſtam vim vulnere, vel brachii amputatione arcere; quæ poſitio minus quidem atrox eſt, quam ſuperior; at quinto Decalogi præcepto evidenter nihilominus adverſa. Supremus enim legiſlator, qui hominis cædem prohibuit, vulnera & quamcumque artuum amputationem vetuit. Non enim hic defenſionis jus obtrudi poteſt; quod in his levibus injuriis, quæ nullum, aut vix ullum corpori detrimentum afferunt, locum non habet. Christus Matth. 5. v. 38. ait: *Audiſtis, quia dictum eſt: Oculum pro oculo, & dentem pro dente*. Noſtri recentes Doctores, defenſionis prætextu antiquam illam falſorum ſcribarum doctrinam amplificarunt, dum non ſolum talionis legem, ſed graviorem vindictam, puta vulnus, vel amputationem brachii permittunt, ut arceatur imminens alapæ, aut fuſtis impactio. Attamen hi, ut ſcribæ, apud vulgum Magni Theologi non ſine vitiorum fomento audiunt. At quid Christus? *Ego autem*, inquit Christus, *dico vobis* (hoc eſt apertum præceptum) *non reſiſtere malo: ſed ſi quis te percuſſerit in dexteram maxillam tuam*, (en impactio alapæ, pro qua Buſ. atrocia facinora permittit) *præbe illi & alteram*. Hanc legem impleverunt ſancti Viri, ut S. Spiridion (Brev. Rom. die 14. Decembris) qui *cum quidam publicus illius ſacræ maxillæ incuſſiſſet colaphum, promptus ad dominicam legem implendam præbuit & alteram*. Christi lex noſtris miſeris, & malis affectibus, & opinionibus ſeſe non accommodat, ſed iis, ut vi nobis illata cælum aſſequamur, reſiſtit. Quid hic contra Christum recentes muſſitare audent? De corporis damno, inquiunt, non loquimur, ſed de contumelia, quam vulnere, & brachii amputatione arceri poſſe aſſerimus. An ſi Christus injuriam acceptam reparari vetat, eam imminentem arceri permittit? Quamquam contumelia jam accepta eſt, cum quis alapam, aut fuſtem tibi impingere conatur. Ergo dum illius arcendæ prætextu, vulnus infligis, aut membrum amputas, privata auctoritate, quod omnium gentium, nedum Christi leges prohibent, vindictam ſumit. Si Buſembaum, aut ejus Socii, vel etiam non Socii D. Thomam, ut debuerant, ſerio, non fucata ſpecie audire voluiſſent, ab eo didiciſſent, *audaciam convicianti contumelioſi* (idem eſt alapam, aut fuſtem impingere conantis,) non vulnere, non brachii amputatione (quod horrendum eſt) *ſed moderate* verbis christianis, & gravibus eſſe, cum neceſſitas convicianti, aut boni publici id poſtulat, reprimendam, *ſcilicet propter officium caritatis, non propter cupiditatem privati honoris*. Hinc intelligis, non Christi, & Christianæ Theologiæ doctrinam, ſed ejus loco, mundi, hoc eſt inſanorum hominum præoccupationes obtrudi, dum Buſ. addit: „ Unde ſi quis ſit perſona talis, „ cui non ſit dedecus fugere, debet fugere potius, „ ſi poteſt, & ſalvare ſe: ſecus autem, * ſi turpe ſit „ fugere, v. g. viro nobili &c. “ Non enim poſſum has omnes ineptias deſcribere. Fugientes, & tolerantes injurias ſeu verborum, ſeu alapæ, & fuſtis, *hi ſunt*, Sap. 5. *quos habuimus aliquando in deriſum, & in ſimilitudinem improperii. Nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam, & finem illorum ſine honore. Ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei, & inter ſanctos ſors illorum eſt.*

ANIMADVERSIO X.

Licet autem, ſi quis auferat honorem valde notabilem, niſi tamen &c.

Hæc Buſ. doctrina aperta includitur in prop. 30. ab Innoc. XI. proſcripta, quæ hominis cædem pro avertenda calumnia, & alapæ, fuſtiſve impactæ ignominia, quæ aliter vitari nequeant, condemnat.

Præterea ab Alex. VII. hæc prop. n. 18. proſcripta eſt. *Licet interficere falſum accuſatorem, falſos teſtes, ac etiam judicem, a quo iniqua certo imminet ſententia, ſi alia via non poteſt innocens damnum evitare.*

Si iniquos hic deſcriptos, qui non ſolum honoris, ſed libertatis, & vitæ inimici ſunt, interficere non licet, etiamſi alia ratione damnum vitari non poſſit; multo minus occidere licet, qui ſolum aufert honorem valde notabilem, etiamſi alio modo injuria arceri, aut reparari nequeat. Huc etiam ſpectat prop. 17. ab eodem Alex. VII. damnata.

La-Croix p. 261. n. 802. ita loquitur. „ Quamvis ſæ„ culari laico licitum eſſet occidere eum, qui certo, „ & proxime parat calumniam, ſi aliter impediri non „ poſſet, tamen hoc tantum liceret, quando parat ex„ trajudicialiter &c. “

Hac de re poſt tam apertas ſummorum Pontificum damnationes dubitat! An neceſſe eſt La-Croixii dubitationem confutare?

Aut bona magni momenti.

Idem habet La-Croix n. 808. idque a pluribus, quam centum, & communiſſime doceri ait.

At bona magni momenti, de quibus hic Buſ. loquitur, hoc eſt pecunia, & alia pretio æſtimabilia, minora ſunt, quam honor, & fama, juxta illud Prov. 22. *Melius eſt nomen bonum, quam divitiæ multæ; ſuper argentum, & aurum gratia bona*. Ergo ſi proſcripta eſt doctrina, quæ permittit cædem calumniatoris, aut honorem lædentis ad honorem, & famam tuendam, ſeu recuperandam, multo magis proſcriptione digna eſt opinio, quæ permittit occiſionem furis ad tuenda, vel recuperanda bona magni momenti.

Genettus Theol. t. 7. p. 14. q. 6. ex ordine caritatis, quo bona proximi ſuperioris ordinis, noſtris inferioris ordinis præferre tenemur, recte colligit, pro defendendis propriis bonis non licere hominem occidere.

La-Croix p. 261. n. 812. negat conſequentiam. *Nam quæ inter rem, & vitam eſt inæqualitas, ea favore innocentis, & raptoris odio compenſatur, inquit Grotius l. 2. c. 1. n. 11.* Ita La-Croix. Reſp. An ex Grotio ordo caritatis a catholicis Theologis diſcendus eſt? Grotius hæreticus, caritate prorſus deſtitutus, tenebras quidem caritati offundere, non lucem afferre potuit. Caritas omnes complectitur ſeu reos, ſeu innocentes, ſeu inimicos, ſeu amicos; falſumque eſt, vitam raptoris eſſe poſthabendam bonis innocentis. Si raptor odio habendus eſſet, ut hæreticus Grotius vult, *raptoris odia*, recte quidem Grotius ratiocinaretur: at caritas poſtulat ut raptor diligatur, ejuſque vita noſtris bonis præferatur. Hinc S. Greg. Magnus l. 31. mor. cap. 8. *Plus ipſis raptoribus debemus metuere, ne ſemetipſos perdant, quam rebus irrationabilibus defendendis inhiare.*

Genettus ſuam ſententiam confirmat luculenta auctoritate D. Auguſtini l. 1. de libero arb. c. 5. ajentis: *Quomodo apud divinam providentiam a peccato liberi ſunt, qui pro his rebus, quas contemni oportet, humana cæde polluti ſunt?*

Quid

* Quod idem habet La-Croix p. 261. n. 803. & communiſſime doceri ait, intellige ea inſanientis mundi, non ex Christi doctrina.

Quid hic La-Croixius? Illud *contemni oportet*, ita explicat ex D. Aug. ideſt, *quas homines inviti amittere poſſunt*, quaſi ex D. Auguſtino bona externa ſeu divitiæ contemnendæ non ſint, quia inviti eas amittere poſſumus. At D. Auguſtinus ibidem ita loquitur: *Liberum itaque eſt neminem necare pro iis rebus, quas inviti poſſunt amittere, & ob hoc amare non debent*. D. Auguſtinus colligit, non eſſe amandas, ſeu eſſe contemnendas res, quas inviti amittere poſſumus: at caritas certe non patitur, ut pro rebus non amandis, ſeu contemnendis vitam proximi, quam ex caritate amare debemus, de medio tollamus. Hæc eſt D. Auguſtini & ratio, & mens aperta.

At inquit La-Croix: „ Ergo nequidem licebit occide„ re pro vita ſua defendenda, cum etiam hanc inviti „ amittere poſſimus. Itaque loquitur (D. Auguſt.) de „ caſu, quo invaſor occideretur ex odio, vel quo exce„ deretur moderamen, quia nempe res propria aliter de„ fendi poſſet. “ Reſp. Hoc ſane non eſt D. Auguſtinum interpretari, ſed contra ipſum aperte pugnare. Ipſa quidem vita, ſi pro Dei gloria, aut communi Reipublicæ bono opus ſit, contemnenda eſt; at quia ejus domini non ſumus, eam perdere non poſſumus, ſed tueri debemus.

At divitiarum domini ſumus, ideoque eas conſervare non tenemur; eaſque abſolute eſſe contemnendas, veluti ſalutis æternæ impedimenta, omnes Sancti, & Chriſtus dictis, & exemplis docuerunt; ideoque pro vita quidem tuenda hominem interficere licet, non item pro divitiis. Hinc idem S. Aug. ſuper Exodo (refertur cap. 3. *Si perfodiens* tit. 12. de homic. lib. 5. decret.) ait: *Si perfodiens inventus fuerit fur, & percuſſus mortuus fuerit, non eſt illi homicidium imputandum. Si autem ortatur Sol ſuper eum, reus erit. Intelligitur ergo non pertinere ad eum homicidium, ſi fur nocturnus occidatur: ſi autem diurnus fuerit, ad homicidium pertinere. Hoc eſt enim, quod ait, Si oriatur ſol ſuper eum &c. quia poterat diſcernere, quod ad furandum, non ad occidendum veniſſet; & ideo non debet occidi. Hoc etiam in antiquis legibus ſæcularibus (quibus iſta eſt antiquior) invenitur, impune ſcilicet occidi nocturnum furem quoquo modo: diurnum autem, ſi ſe telo defenderit: jam enim plus eſt, quam fur.*

Ex his intelligitur, quo D. Auguſtini ratio, & mens ſpectet; item falſum eſſe, quod ait Buſ. „ Quando jura „ ſignificant, furem nocturnum occidi impune, non au„ tem diurnum, præſupponunt, quod plerumque nocturni non poſſint aliter arceri, diurni autem poſſint. “ Hæc ſcilicet interpretamenta finguntur non pro veritate, ſed pro tuitione propriæ ſententiæ. Eadem noſtra ſententia confirmatur auctoritate Alex. III cap. *Suſcepimus* tit. 12. de hom. citand. a. ſeq., & cap. *Si vero* de ſent. excomm. quod eſt Innoc. IV. Huc ſpectat illud Eccl. 29. *Perde pecuniam propter fratrem*; eamdemque graviſſimi Auctores tuentur, ut legi poteſt apud Concinam Theol. t. 4. p. 322. §. 4. Hinc Clerus Gallicanus an. 1700. hanc propoſitionem aliis ſimilis furfuris annexam n. 36. *Non ſolum vitam, ſed etiam bona temporalia, quorum jacturam eſſet graviſſimum damnum, licitum eſt defenſione occiſiva defendere ... fatemur rarius licitum eſſe eccleſiaſticis .... ſi tamen aliquando futurum contingat tale malum, (ideſt graviſſimum damnum) etiam ipſis licitum erit, bona iſta cum occiſione furis defendere*: hac cenſura notavit: „ Hæ propoſitiones „ legi Dei, & ordini caritatis divinitus inſtituto contra„ riæ ſunt, pernicioſæ, & erroneæ. “ (apud Nat. Alex. Theol. t. 2. app. altera p. 55.

Huc demum veniunt centum, & amplius verſatiles Scriptores, quorum meminit La-Croix mox citatus, quorumve auctoritas, dum ſanctis Patribus noſtris magiſtris adverſatur, pro nihilo habenda eſt.

Exploſa hac Buſ., La-Croixii, & aliorum doctrina evaneſcunt omnes quæſtiones, & opinationes, quas excitant, & propinant tum Buſ. tum La-Croix ea veluti fundamento nixi, quarum illa apud Buſ. *Ea tamen non debent eſſe parvi momenti, & minimum unius aurei ſecundum Molin.* eſt explicate damnata ab Innoc. XI. prop. 31.

ANIMADVERSIO XI.

Probabilius eſt hæc etiam licere Clericis, & Religioſis ob bona temporalia.

Si ſæculi hominibus licerent, Clericis quoque ob ſua, & Religioſis ob communia bona tuenda viderentur permiſſa; quia jus defenſionis nemini denegatur. At quia ex dictis talia non licent ſæculi hominibus, multo minus Clericis, & Religioſis, qui bona fortunæ, magis quam ſæculares, contemnere debent, permiſſa eſſe poſſunt. Hinc Alex. III. cap. *Suſcepimus* de homic. inquit: *Suſcepimus litteras tuas, per quas cognovimus, quod cum lator præſentium in cuſtodia cujuſdam domus cum altero fratre maneret, ingredientes de nocte quidam latrones ad eos, turpiter ipſos in perſonis affligere, & denudare veſtimentis propriis præſumpſerunt: in quos iſti reſumptis viribus inſurgentes, ligaverunt illos, & detinere uſque ad notitiam Capituli voluerunt. Cum autem iſte rem ad tuam audientiam perlaturus, ligatos eos in fratris ſui cuſtodia dimiſiſſet, & fures ſe ſolvere niterentur, fratres illos (ac ipſe ab eis interimeretur) occidit. Verum quoniam expediebat potius poſt tunicam relinquere pallium, & rerum ſuſtinere jacturam, quam pro conſervandis vilibus rebus, & tranſitoriis tam acriter in alios exardeſcere, abſtineat iſte humiliter ab altaris miniſterio, & uterque peccatum ſuum ad arbitrium tuum ſtudeat expiare: conſtat enim, eos contra manſuetudinem eccleſiaſticam ex utriuſque ope interemptos.* An hic ſermo eſt de iis, qui moderamen inculpatæ defenſionis non ſervarunt? Arbitrarium ſcilicet commentum eſt illud Buſemb. „ Jura „ vero in contrarium afferri ſolita intellige, quando non „ ſervatur moderamen inculpatæ defenſionis. “

Si his commentitiis extorſionibus, & figmentis ſummorum Pontificum definitiones eludere licet, de ſana doctrina actum jam eſt.

Ubi etiam docet ex Tan. &c. licere virgini occidere invaſorem .... ſi &c.

Idem docet La-Croix p. 252 n. 802. ubi, inquit, ſupponunt omnes communiter cum Lugo. Huic recentium communi ſententiæ repugnant tum Genett. Theol. t. 7. p. 18. tum Concina Theol. t. 4. p. 334. §. 5. D. Auguſtini auctoritate, quæ pluris eſt, quam recentium exercitus, freti. Inquit enim S. Doct. lib. 1. de lib. arbit. c. 5. *De pudicitia vero quis dubitaverit, quin ea ſit in ipſo animo conſtituta, quandoquidem virtus eſt? Unde a violento ſtupratore eripi nec ipſa poteſt. Quidquid igitur murus erat ille, qui occiditur, id totum in poteſtate noſtra non eſt. Quare quemadmodum noſtrum appellandum ſit, non intelligo. Quaproter legem quidem non reprehendo, quæ tales permittit interfici; ſed quo pacto iſtos defendam, qui interficiunt, non invenio.*

Cur mulieri invaſorem pudicitiæ interficere licet? An ut ejus crimen impediat? At non licet crimen majus admittere, ut alienum minus vitetur. *Conſtat autem*, inquit D. Thom. 2. 2. quæſt. 64. art. 5. ad 3. *minus eſſe peccatum fornicationem, vel adulterium, quam homicidium.* An ut proprium crimen vitet? *At non eſt*, ait idem S. Thom. *crimen mulieris per violentiam violatæ, ſi conſenſus non adſit; quia non inquinatur corpus, niſi de conſenſu mentis, ut Lucia dixit.* An timore, ne conſentiat in peccatum? At, inquit Angelicus eodem loco, *non ſunt facienda mala, ut veniant bona, vel ut vitentur mala præſertim minora, & minus certa. Incertum enim eſt, an aliquis in futurum conſentiat in peccatum. Potens eſt enim Deus, hominem quacumque tentatione ſuperveniente liberare a peccato.* An ut corporis integritatem ſervet? Hæc ſane a caſtitate virginali ſejuncta nihili eſt. Ejus jactura cum virginali virtute conjuncta maximi facienda eſt. *Si invitam*, ait S. Lucia (Brev. Rom. 13. Decembris) *juſſeris violari, caſtitas mihi duplicabitur ad coronam.* An ut honorem ſuum tueatur? at hic ſine virtutis jactura nonquam amittitur. * Itaque cum S. Auguſtino, maximo Eccleſiæ lumine, quo *pacto iſtos*, ſeu iſtas *defendam, qui interficiunt, non invenio*. Si recentes Scriptores majori lumine, quam S. Auguſtinus, perfuſi rationem invenere, qua iſtos, ſeu iſtas, de quibus loquimur, in ſpecie, de qua loquimur, defendant, eam nobis ediſſerant, & manus dare parati ſumus; dum rationis, ſeu antiquæ ſolidæ auctoritatis loco ſuorum recentium ſeriem, quam ſana Theologia contra Patres reſpuit, nobis non obtrudant.

ANIMADVERSIO XII.

Sed non tenetur, eo quod alter ſua malitia ſit in iſto periculo.

Ergo ex caritate juxta Buſ. licet & corpus, & animam proximi invaſoris irreparabiliter perdere, ut bona a Chriſtiano contemnenda defendas. Qui ita loquuntur, caritatis vim, & indolem nec explicant, nec norunt, ſed reginæ virtutum pulcherrimam ſpeciem, & majeſtatem fœde deturpant. *Caritas*, inquit Ap. 1. Cor. 13. *patiens eſt ... non quærit quæ ſua ſunt ... omnia ſuffert, .. omnia ſuſtinet.* At invaſor ſua malitia in iſto periculo eſt, ait Buſ. Reſp. Hæc non eſt ratio, ſed petitio principii; ponit enim periculum ab invaſore incurri ſine malitia invaſi; qui ſi malus non eſſet, plus ipſis raptoribus metueret, ut loquitur S. Greg. Magnus ſupra cit. *ne ſeipſos perdant, quam rebus irrationabilibus defendendis inhiaret.*

ANI-

* Intellige jure. Nam injuria amitti poteſt.

Animadverſio XIII.

Sed Henr. &c. *dicunt, ſi læſus magnam faceret jacturam honoris, niſi fugientem mox perſequeretur, poſſe eum perſequi, & percutere* &c. *quod Laym.* &c *etſi ſpeculative* &c.

Ita etiam loquitur La-Croix p. 261. n. 804.

Concedit tamen Card. Lugo &c. *licere furem fugientem... conficere telo* &c.

Idem docet La-Croix n. 810. ſi fur fugiat cum re magni momenti, quæ aliter recuperari non poſſit. Et idem licere Clericis ex Moya, Dian. &c. addit. Sed hæc ex dictis exploſa ſunt. At objicit La-Croix: „ Si „ liceret abſque vitæ periculo ſic rapere aliena, mul„ tum augeretur audacia, & malitia hominum. Dein„ de talis fugiens reipſa cenſetur adhuc actu aggredi bo„ num, quod rapit, lib. t. 3. n. 94. “ Ita ille. Reſp. Pulchra ſane ratio, quæ privatis hominibus auctoritatem tribuit compeſcendi facinoroſos, eoſque magis puniendi, quam alicubi ipſi judices, & leges ſoleant. An legum quoque, & magiſtratuum ordo perturbandus eſt, ut truculentæ cædes exerceantur?

Si tamen per judicem non poſſis recuperare rem tuam, potes &c. *& ſi alter impediat* &c.

Sed hoc falſum eſſe; ex ſupra dictis paret. Si enim bonorum invaſorem occidere non licet, ne detentorem quidem licet, aut etiam multo minus.

Animadverſio XIV.

Ad defenſionem vitæ, & integritatis &c. *licet etiam.. ſe tueri, ſi opus ſit, cum occiſione* &c.

Iniquum vitæ invaſorem occidi poſſe, cum alio modo ea conſervari nequit, ſana doctrina eſt, quam tradit S. Th. 2.2. q. 64. ar. 7. Catech. Rom. p. 3. de 5. Dec. præc. n. 8. & S. Auguſt. cit. ad c. 4. 10. At pro tuenda membrorum integritate idem licere, illi docent, qui proximi occiſionem permittunt pro defenſione honoris, pecuniæ, pudicitiæ. Hæc poſterior doctrina ex dictis rejicienda eſt; ergo prior quoque ſuſpecta eſſe debet, maxime vero ſi pater, Princeps, Epiſcopus, Abbas occidendi eſſent. Enim vero licet vitæ honor poſtponatur, dubitari tamen merito poteſt, utrum membrorum integritati poſthabendus ſit: at ex dictis pro tuendo honore proximum interficere non licet: ergo dubitari ſaltem poteſt, utrum pro defendenda membrorum integritate illum occidere liceat. Porro in dubio ex præcepto via tutior eligenda eſt: ergo &c. Præterea dum iniquum invaſorem occidis, non ſolum ejus vitam, ſed animam perdis. Permittit ne caritas, ut pro tuenda membrorum integritate non ſolum vitam, ſed animam proximi perdamus? At ille, inquies, in hæc pericula ex ſua malitia ſponte ſeſe conjicit. Reſp. Proximus, quia malus eſt, non deſinit eſſe proximus; nec ejus malitia, caritatis legem tollit. Ergo malitia, & ſcelus invaſoris invaſo non ſuffragatur, ut illum poſſit occidere. Tandem recentes doctrinæ SS. Patribus noſtris magiſtris ignotæ ut minimum ſuſpectæ eſſe debent. An recentes eis doctiores ſunt? Ergo niſi noſtri ſcriptores ſuam opinionem permittentem cædem invaſoris pro defendenda membrorum integritate, doctrinæ Patrum conformem oſtenderint, ſuſpecti eſſe debent, & quoad praxim repudiandi.

Animadverſio XV.

Licet quoque occidere eum, de quo certo conſtat &c. *ut ſi uxor* &c.

Hic a Buſembao ponitur tanquam certum, quod certum eſſe non poteſt. Quomodo certo conſtare poteſt alicui, puta uxori eſſe a viro occidendam? An quia vir præter morem arma in promptu habet? At hæc multis de cauſis parari poſſunt. An quia hoc alicui manifeſtavit? At qui tam atrox conſilium manifeſtat, non habet animum firmum illud perficiendi. Hæc manifeſtare, perinde eſt, ac velle, ut occidendus id ſciat, ac ſibi caveat. Præterea hominis voluntas in dies, & horas mutabilis eſt. Ergo ſuſpiciones habere quidem aliquis poteſt, ut ab alio occidendus ſit, certam notitiam habere non poteſt. At caritati, legique naturali repugnat, ut homo hominem occidat, quia ab illo ſe occidendum ſuſpicatur. In ſolo conflictu, ubi res certa eſt, permiſſam eſſe aggreſſoris cædem, ut tuam vitam conſerves, communis Theologorum ſententia eſt, ut ait Concina Theol. t. 4. p. 304. n. 2. ergo Buſ. poſitio, & opinio rejicienda eſt. Hinc Clerus Gallicanus anno 1700. de his propoſitionibus (apud Nat. Alex. Theol. t. 2. app. altera p. 55. num. 37. 38.) 1. *Quando quis decrevit te occidere, & hoc alicui manifeſtavit, ſed nondum cœpit id exequi, potes eum prævenire (occidendo) ſi aliter non potes effugere; ut ſi maritus pugionem habeat ſub cervicali ad occidendum noctu conjugem, ſi quis venenum tibi propinandum paraverit, ſi Rex unus adverſus alium claſſem adornaverit.* 2. *Si arma quidem necdum paraverit, ſed habet tantum decretum firmum, & efficax te occidendi, quod tibi revelatione divina, vel manifeſtatione confidenter amicis facta innoteſcit, potes prævenire: quia per iſtud decretum etſi pure internum ſufficienter cenſetur eſſe aggreſſor.* De his, inquam, propoſitionibus hanc cenſuram tulit. „ Doctrina his duabus propoſitionibus contenta, juri naturali, divino, „ poſitivo, & gentium contraria eſt, nefandis cædibus, „ & phanatiſmo viam ſternens, ſocietatis humanæ per„ turbativa, Regibus quoque præſentiſſimum periculum „ creat. “

Animadverſio XVI.

Hinc etiam dicunt alii &c. *licere occidere eum qui* &c.

Hæc phanatica doctrina ex mox dictis aperte falſa eſt, & ab Alex. VII. prop. 18. proſcripta, quæ ita habet: *Licet interficere falſum accuſatorem, falſos teſtes, ac etiam judicem, a quo iniqua certo imminet ſententia, ſi alia via non poteſt innocens damnum evitare.*

Animadverſio XVII.

Poteſt tamen Reſpublica eo caſu talem cogere ut Tyrannum adeat &c. *& ſi nolit* &c.

P. Concina Theol. t. 4. p. 292. n. 5. contrariam tuetur ſententiam, pro qua cit. D. Thomam, Domin. Soto, Joann. a S. Thoma, Salmant., & alios. Ratio eſt, quia Reipublicæ non licet quidem innocentem occidere, ne ad urbis excidium evitandum, ut Buſ. c. 1. confeſſus eſt, nec illum (quod idem eſt) Tyranno tradere ab eo occidendum. Hinc D. Th. 2. 2. q. 6. ar. 6. docet, peccatorem in communis boni gratiam poſſe occidi; quia bonum commune peccato corrumpitur: at idem bonum commune juſtorum vita conſervatur, & promovetur: *& ideo*, concludit Angelicus, *nullo modo licet occidere innocentem*: & ar. 2. ait, *quod hominem in ſua dignitate manentem occidere, ſit ſecundum ſe malum. Quare* dicitur (Exod. 22.) *Inſontem, & juſtum non occides.* At innocentem occidere, innocentem Tyranno ab eo occidendum tradere, illum cogere, ut Tyranno a quo occidendus quæritur, adeat, idem ſonant, idemque prorſus ſunt juxta communem hominum cavillationes odientium ſenſum: ergo hæc omnia ſunt mala, nulloque fine licent.

Licet ne publicæ ſalutis cauſa cogere mulierem ut Tyrannum adeat ab eo conſtuprandam, aut adulterandam? Ergo multo minus licet cogere innocentem, ut crudelem mortem a Tyranno ſubeat.

Quæ ex natura ſua mala ſunt, numquam, nulloque ex fine licent. Ergo cum occiſio innocentis ex natura ſua mala ſit, nunquam, nulloque ex fine licet. Porro ſi ea non licet, ne illi quidem cooperari licet: ut cogere innocentem, ut Tyrannum adeat, a quo occidendus quæritur, eſt cooperari ejus occiſioni. Ergo &c.

At inquit Buſ. „ Neque hoc erit cooperari ejus mor„ ti, ſed tantum permittere. “ Reſp. Hoc eſt aperte ſophiſticum, & falſum. Mortem tantum permittit, qui eam, cum impedire poſſit, non impedit. At Reſpub. in noſtra ſpecie non ſolum innocentis mortem non impedit, ſed id agit unde ejus mors proficiſcitur; niſi forte minis, & imperio innocentem cogere, ut morti a Tyranno inferendæ ſeſe offerat, ſit nihil agere.

Perinde ſane eſt hominem cogere, ut ſicario, ſeu Tyranno caput amputandum ſubmittat, ac illum cogere, ut e turri ſe præcipitem det, aut in necaturum fluvium ſeſe projiciat. Qui contra loquuntur, vocum ſignificationes, hominumque ſenſum communem pervertunt. „ Traditio, inquit Buſemb. de ſe indifferens „ eſt, & mors tantum ſequitur indirecte, & præter intan„ tionem Reipubl. “ Reſp. Mirum eſt, hæc a Theologo dici poſſe! Tradere innocentem crudeliſſimæ Tyranni ſecuri, aut gladio, res eſt de ſe indifferens? Mors tantum ſequitur indirecte, & præter intentionem Reipub.? Quis hæc ferre poſſit? Porro ſi Reſpublica cogere non poteſt innocentem, ut morti a Tyranno inferendæ ſe ſe offerat, palam eſt, eum imperio reluctantem non fieri nocentem. Tenetur ille quidem ex caritate, & legali juſtitia vitam exponere pro Republica, ſalvo tamen legum, & innocentiæ jure. At legum, & innocentiæ jus non patitur, ut truculentam mortem a Tyranno contra omnia jura inferendam ſubeat. Præterquamquod ſi innocens Tyranno ſeſe offerat, fit cooperator, & particeps ejus ſceleris ea ratione, qua mulier ad libidinem quæſita particeps fieret criminis, ſi ſeſe ſtuprandam offerret.

An i-

ANIMADVERSIO XVIII.

Si fugere non poſſis &c. niſi per viam &c. licet nihilominus . . . . fugere cum ejus periculo, & interitu &c.

Qui per viam anguſtam fugit, hominemque illic ſedentem obterit, & interficit, innoxium hominem interficit: innoxium hominem interficere, quia per ſe malum eſt, ne propriæ quidem vitæ tuendæ cauſa licet. Quod enim per ſe malum eſt, nullius boni cauſa eſt permiſſum. An vitæ tuendæ cauſa permiſſum eſt pejerare; adulterari &c.? Ergo &c.

Si ex mox dictis innocentem ne publicæ quidem auctoritati, publici boni cauſa occidere permiſſum eſt, multo minus id licet privato homini ad propriæ vitæ defenſionem.

Petrus homo facinoroſus ſtricto gladio mortem tibi intentat, niſi Paulum occidas, licet ne tibi Paulum occidere? Si hoc non licet, ne licet quidem hominem in via ſedentem occidere, ut perſequentis inimici gladium effugias. Eſt enim eadem utrobique ratio, & ſpecies.

Videlicet dum permittitur occiſio hominis pro vitæ propriæ defenſione, ſermo eſt de homine invaſore, qui vitam tibi eripere conetur, non de homine innoxio, qui nihil contra te moliatur. Hinc D. Thom. cit. ad Reſp. dub. 3. explicate loquitur de occiſione *invadentis*, tum ſubdit, *ſi vero moderate violentiam repellat*. Et Clem. V. in Conc. Vienn. cap. un. tit. 4. lib. 5. Clem. ait: *Si furioſus, aut infans, ſeu dormiens hominem mutilet, vel occidat, nullam ex hoc irregularitatem incurrit. Et idem de illo cenſemus, qui mortem aliter vitare non valens, ſuum occidit, vel mutilat invaſorem*. Ait *invaſorem*, non innocentem.

Itaque illud Buſemb. *præter tuam intentionem* habet quidem locum in occiſione invaſoris vitam tibi eripere conantis, non in præſenti ſpecie, in qua innocens occiditur.

ANIMADVERSIO XIX.

. Si *fetus mortem matri allaturus, probabiliter necdum ſit animatus &c. quidam permittunt &c.*

P. Concina Theol. t. 10. p. 409. num. 23. ait: „ Si „ fetus nondum animatus ſit, licitum erit illum in „ extremo periculo ejicere, ut matris ſaluti conſulatur; quemadmodum docent S. Antoninus, Sylveſter, „ Sanchez, Armil., Navar., Eſtius, & alii communiter. “

Huic ſententiæ repugnat Nat. Alex. Theol. t. 2. p. 604. reg. 14. „ Procuratio enim, inquit, abortus ante „ animationem eſt mortale peccatum, juri naturali contrarium. Prolis nempe conceptionem, quæ ex carnali copula ſecuta fuiſſet, impedire, eſt contra naturam, finemque naturalem generationis; ac proinde „ nullius boni finis intentione honeſtum, ac licitum fieri poteſt. Et certe, cum ad vitandum mortis periculum, quod mulier ſibi ex partu imminere experta „ eſt; aut quod ex detectione criminis certo imminet, „ ſi mulier concipiat, & fetus in lucem prodeat, non „ liceat impedire conceptionem, id etiam non licet ad „ vitandum mortis periculum aliunde impendens: *quia homicidii feſtinatio eſt, prohibere naſci*, ut ait Tertull. cap. 9. Apol. *nec refert natam quis eripiat animam, an naſcentem diſturbet*. Hactenus Nat. Et ſane ſi propoſ. 34. ab Innoc. XI. proſcripta eſt, *Licet procurare abortum ante animationem fetus, ne puella deprehenſa gravida occidatur, aut infametur*, erit ne probanda doctrina, quæ fetus inanimati extinctionem permittit, quia mors matri imminere putatur ab eodem fetu? Si mors matri extrinſecus impendens, fetus inanimis extinctione averti nequit, cur mors averti poſſit, ſi ab eodem fetu impendere credatur, non intelligo. Fetus ſemper innocens eſt, non iniquus invaſor. Mors, quæ ab eo impendet, non ex ejus culpa, ſed ex naturæ diſpoſitione, Divinæ providentia, & ordine oritur. Quo ergo jure mater, ut ſuam vitam tueatur, inanimi fetui manus violentas injicit? Non jure defenſionis, quod hic ex dictis locum non habet. Non jure dominii, quod in eum mater nullum habet. Illud enim naturæ humanæ rudimentum, hominis poteſtati non eſt obnoxium, ſed ſupremo tantum Dei dominio: ergo ſupremi dominii jus lædit, qui necem violentam illi infert. Ratio, propter quam fetus inanimis extinctio ad vitandam matris mortem extrinſecus impendentem ab Innoc. XI. proſcripta eſt, nulla alia aſſignari poteſt, niſi quia ea extinctio natura ſua mala eſt: ſi autem natura ſua mala eſt, numquam, nulloque ex fine permiſſa eſt. Quia mollities, naturæ jure ex propoſ. 49. ab Innoc. XI. damnata, vetita eſt, ne vitæ quidem conſervandæ cauſa licet: at ſi mollities, hoc eſt proprii ſeminis expulſio; jure naturæ vetita eſt; multo magis eodem jure vetita eſt inanimis fetus, in quo feminæ, & maris ſemen ex naturæ ordine permixtum, humani corporis, & hominis rudimentum includit, expulſio. Quod ſi mollities ne vitæ quidem tuendæ cauſa permiſſa eſt, multo minus permiſſa eſt inanimis fetus expulſio. Quod ſi hactenus dicta evincere videntur, inanimem fetum expelli non poſſe, etiamſi certam mortem matri ſit allaturus, multo minus id licebit, ſi, ut loquitur Buſemb. *probabiliter*, * non certo ſit allaturus. Sed Buſemb. illud *probabiliter* fortaſſe adjecit, quia in incerto hic verſamus. Sed ſi in incerto ſumus, nihil attentandum eſſe, pro certo habendum eſt. Incertum eſt, utrum fetus inanimis mortem matri allaturus ſit; incertum eſt, utrum expulſio fetus inanimis ſalutem matri allatura ſit. Quid ergo agendum? Alia remedia adhibenda ſunt, a parricidiali remedio abſtinendum.

2. *Si vero fetus ſit animatus, materque &c. niſi &c. licet eam ſumere &c.*

Si fetus animatus extinguatur pro conſervanda matris vita, crimen homicidii proprie dicti admittitur; quia homo nullius culpæ reus privata auctoritate occiditur.

Si ex communi Theologorum conſenſu ne publica quidem auctoritate, publicique boni cauſa innocentem occidere licet; multo minus innocentem hominem in utero matris exiſtentem privato jure, privatique boni, hoc eſt maternæ vitæ tuendæ gratia de medio tollere permiſſum eſt.

Poteſt quidem mater, ut Buſemb. ait, ſibi magis, quam proli proſpicere; non poteſt tamen, ut ſibi proſpiciat, prolem occidere. Poteſt ne natam, hoc eſt ex utero egreſſam prolem, ut ſibi conſulat, interimere? Cur ergo eam utero detentam, ut ſuæ ſaluti proſpiciat, interficere poteſt? Ponderis animati, quod utero geſtat, cuſtos eſt, non domina. Ergo nullum in ejus vitam jus habet: ergo ſi interficiat, ut ſibi proſpiciat, matricida eſt.

Membrum quidem, quia in totius hominis gratiam datum eſt, mutilare licet, ut totus homo in tuto ſit; at proles non eſt in matris gratiam, ſed contra potius mater in gratiam prolis. Iniquum invaſorem pro neceſſaria vitæ tuitione occidere potes; at fetus non ex iniquitate, ſed ex naturæ opere, & ordine, Deo ita non ſolum permittente, ſed volente, matris vitæ contrarius eſt. Cur ergo tibi permiſſum putas hominem, & filium interimere, ut morbum a Deo tibi immiſſum depellas? Illud demum hic addo, remedia, quæ fetum conficiunt, incerta admodum eſſe, ac magis periculoſa, quam utilia videri merito poſſe. Ita certe cenſuit Iſaac Cardoſo Philoſ. liberæ lib. 6. qu. 101. Philoſophus, & Medicus ſuorum temporum celeberrimus, qui hac de re ita ſcripſit. *Si abortus ſua natura factus, maxime eſt periculoſus, multo magis erit, violenter procuratus, magisque periclitabitur mulier, quam ex morbis. Neque neceſſario mors ſequitur ex uteri tuberculo, aut anguſtia; neque licet certum periculum experiri pro incerto, fetuſque vivus facilius educitur, quam mortuus, quia habemus naturam adjutricem*. Mox ſubdit, quod *Hippocrates celebri juramento affirmavit, ſe numquam abortum procuraſſe, nec dediſſe peſſum, aut medicamentum pro abortu faciendo, & corrumpendo fetu; & in epidemiis, cum plures uterum gerentes curaſſet morbo acuto laborantes, numquam inſinuavit pro conſervanda vita abortum eſſe procurandum*.

. Sed hac de re peritorum Medicorum eſto judicium, Chriſtiani Theologi eſt, eos ab immanis crudelitatis audacia, & periculo deterrere. Intentio directa ſanitatis, & indirecta, ac conſequens expulſionis fetus, quam Buſemb. obtrudit, inanis eſt, cum agitur de re ex natura ſua mala, uti eſt expulſio fetus tum inanimis, tum multo magis animati, ſicuti oſtenſum eſt.

La-Croix p. 263. n. 826. ita loquitur. „ Licitum eſt „ matri de vita periclitanti aſſumere medicamenta pro „ ſanitate, v. g. balneum, emiſſionem ſanguinis, quamvis hæc indirecte cedant in occiſionem fetus etiam „ animati, uti cum aliis multis docent Sanchez, Lugo, Delbene. Si tamen medicina non aliter conduceret ad ſanitatem matris, niſi quatenus expelleret fetum, illicitum eſſet ſumere, quia directe intenderetur expulſio fetus tamquam medium ſanitatis, quod „ intrinſece malum eſt; hinc debet medicina habere alium effectum in ordine ad ſanitatem. “

At

* Ita equidem legi in typis Patavinis 1749., quibus uſus ſum: ſed ea lectio ex aliis typis corrigenda mihi in hac altera editione, viſa eſt.

Digitized by Google

At hæc quoque diſtinctio Buſemb. diſtinctioni ſimilis, nihil ſolidi habet,

Nam ſeu medicina habeat alium effectum in ordine ad ſanitatem præter fetus expulſionem, ſeu hunc tantum, ſemper verum eſt, hominem innocentem, & filium interimi; quæ res ex natura ſua mala, numquam permiſſa eſſe poteſt. Commentum vero prorſus futile eſt, occiſionem hominis licere, quia cum alio affectu bono conjungitur.

Animadversio XX.

Duellum &c. *Licitum tamen eſt ex juſta cauſa, quæ* &c.

Duellum vel publica auctoritate, vel privata poteſtate committitur. Si publica auctoritate, illud ex juſta, hoc eſt boni publici cauſa licere, communior ſententia, ut ait Wig. p. 263. Reſp. 5. tradit, quam ipſe probat.

Si enim ſupremo Principi, de quo loquor, bellum, in quo integer exercitus contra hoſtes cum periculo pugnat, permiſſum ex juſtis cauſis ſine dubio eſt; multo magis duellum, quo unus, aut pauci contra unum, aut paucos pugnam committunt, ex juſtis cauſis illi licere, dicendum eſt; præſertim cum duellum a ſupremis Principibus eligatur, ne multorum centenorum, aut millium ſanguis effundatur.

At Nat. Alex. qui contrariam ſententiam tuetur Theol. t. 1. p. 601. reg. 12. objicit, juſtam Reipublicæ cauſam unius periculo, medioque prorſus incerto committi, a ratione alienum eſſe.

Reſp. Prudentiæ Principis eſt judicare, utile ne ſit cauſæ publicæ, duellum præ bello eligere. Nam bellorum quoque exitus incerti ſunt, quibus tamen juſta Reipublicæ cauſa committitur, & ex neceſſitate committenda eſt. Ergo multo magis duello committi poteſt, licet ejus exitus anceps ſit, ſi id expedire Princeps cenſuerit. Nam ceteris paribus melius eſt, publicas controverſias paucorum, quam multorum cæde dirimi. Davidis cum Goliatho duellum laudibus extollit Eccl. c. 47. nec niſi celebrare poſſumus ſanctum Wenceslaum adverſus Radiſlaum ad ſingulare certamen deſcendentem, cui Angeli (Brev. Rom. die 28. Septembris) arma miniſtraſſe viſi ſunt, & dixiſſe adverſario, ne ferias. Hæc exempla ſatis evincunt, duella publica auctoritate ex juſtis cauſis commiſſa, non ſolum permiſſa, ſed laudabilia eſſe, cum ſuſcipiuntur, ut innumeris hominum cædibus parcatur.

At nulla juſta cauſa eſſe poteſt, quidquid Buſemb., aut La-Croix p. 264. qu. 187. contra opinentur, committendi, ſeu acceptandi duellum privata auctoritate.

Synodus enim Trident. ſeſs. 25. c. 19. de reform. inquit: *Deteſtabilis duellorum uſus fabricante diabolo introductus, ut cruenta corporum morte animarum etiam perniciem lucretur*, (hæc ſola verba attente conſiderata, omnes duellorum cauſas non juſtas, ſed inanes eſſe declarant) *ex chriſtiano orbe penitus exterminetur*. Si uſus duellorum non ſolum alicunde, aut ex parte, ſed penitus ex orbe chriſtiano exterminandus eſt, nulla omnino ex cauſa permiſſus eſſe poteſt. Hinc Bened. XIV. epiſt. ad Auctorem tract. de duello anno 1753. die 3. Martii * inquit: *Quicumque præjudiciis vacuum ad præfatam conſtitutionem noſtram* (qua quinque propoſitiones ad duellum ſpectantes damnaverat) *animum adjecerit, luce clarius perſpiciet, id unum nobis propoſitum fuiſſe, ut omne duellis patrocinium eriperemus*. Ait *omne*; quo verbo omnes duelli cauſas futiles eſſe, aperte oſtendit. Ergo Buſemb., & quicumque cum eo ſenſerunt, perperam ait: „ Licitum tamen eſt ex juſta cau-„ ſa, quæ ſemper eſt attendenda. “ Mutilatio quidem, aut etiam occiſio invaſoris pro tuenda vita, quæ aliter defendi nequeat, permiſſa eſt, ut non ſolum Theologi communiter tum Catech. Rom. ſed etiam maximi Eccleſiæ Doctores S. Thom., & S. Aug., & ipſe Clem. V. in Concil. Viennenſi ſupra citati docent; at in duello alter ad conflictum provocat, alter acceptat, cui proinde liberum eſt conflictum recuſare; ideoque defenſionis propriæ vitæ neceſſitas locum in duello non habet.

Hinc eſt, ut Bened. XIV. Pontifex ſapientiſſimus *omne duellis patrocinium ereptum voluerit*; ex quo illud ſponte ſua, & perſpicue conſequitur, a ſupremo Eccleſiæ Hierarcha omnes improbari de duello tractatus, quatenus illi ex quacumque cauſa indicto, aut ſuſcepto quocumque modo patrocinantur. Hoc adjeci, non ut quemquam vellicem, ſed ut omnes ab ea defenſione deterream.

Animadversio XXI.

Nec item ad evitandam ignominiam: quia apud bonos ... honorem non perdet. Hactenus recte. *Imo nec apud alios, ſi provocanti dicat, ſe* &c. *interim iturum ſe* &c. *paratumque ſemper fore ... ſe tueri*.

Quorſum hæc? Hujuſmodi dicta, ſunt hominis honorem mundi, hoc eſt ſtultorum, qui ab homine chriſtiano contemnendus, & repudiandus eſt, in magno pretio habentis; quæ proinde a Theologo nec probari, nec ſuggeri debent, ſed damnari. Præterea illa verba, *interim iturum ſe* &c. *paratumque* &c. indicant, hominem non a duello, ut a deteſtabili ſcelere, quo diabolus cruenta corporum morte animarum etiam perniciem lucratur, omnino averſum, ſed ad illud animo paratum, ſi inimicus invadat.

Hæc ne ſenſa ſunt chriſtiano Theologo digna? Sacræ ne Synodo Tridentinæ, quæ duella ex orbe chriſtiano exterminata vult, conformia?

Itaque provocanti ad duellum, reſpondendum eſt, duellum Chriſti legi contrarium, a ſacris Conciliis, & ſummis Pontificibus damnatum, chriſtianæ profeſſionis homine eſſe prorſus indignum. Hæc eſt chriſtiana reſponſio, non quam Buſemb. ſuggerit, quæ Chriſtum cum mundo conciliare irrito conatu nititur. *Si mundus vos odit, ſcitote, quia me priorem vobis odio habuit*. Joan. 5.

Animadversio XXII.

Denique ſi vir nobilis in aula &c. *vel militaris* &c. *ſiſteret ſe* &c.

Buſembaum cum ſuis anteſignanis omnes ingenii nervos contendit, ut mundum cum Chriſto amico nexu conglutinet; quod eſt impoſſibile. Nam Chriſtus Joan. 8. ait: *Vos de hoc mundo eſtis, ego non ſum de hoc mundo*: & Joan. 15. v. 18. *Si mundus vos odit, ſcitote, quia me priorem vobis odio habuit*: & v. 19. *Si de mundo fuiſſetis, mundus, quod ſuum erat, diligeret: quia vero de mundo non eſtis, ſed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus*.

Vir nobilis, aut militaris, qui ad duellum provocatus, ſiſtit ſe, meræ, ut Buſemb. fingit, defenſionis gratia, cum ſpe prævalendi, privandus alioquin, ob ſuſpicionem ignaviæ, dignitate, officio, vel favore Principis, homo eſt de mundo; quærit enim, & amat quæ ſunt mundi, dignitatem, officium, favorem Principis; & ne hæc amittat, Chriſto, & ejus legi nuntium mittens, duellum acceptat. Nam dum provocatus ſe ſiſtit, idem eſt, ac ſi verbo dicat, *duellum accipio, niſi a provocatione deſiſtas*. Dixi, meram defenſionem fingi; quia vita defenditur, ſi duellum recuſetur; at ſi acceptetur, vita evidenti mortis periculo exponitur. Præterquam quod, quantumvis aliquis hujus artis peritus ſit, in eo ne ſemper totum ſe eſſe polliceri poteſt, ut letales adverſarii ictus tantum repellat, aut eludat, ejuſque vitam numquam petat? Adde, quod qui in deſcripto caſu ſe ſiſtit, facto ipſo duellum acceptans, niſi adverſarius ſeipſum retractet, ſui adverſarii ſceleri, & immani facinori conſentiat, & cooperetur. Hinc ab Alex. VII. proſcripta fuit hæc propoſitio n. 2. *Vir equeſtris ad duellum provocatus, poteſt illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat*: idem eſt, ne ob ſuſpicionem ignaviæ, ut Buſemb. ait, dignitate, officio, vel favore Principis privetur. Nam privatio dignitatis, officii, favoris Principis ob ſuſpicionem ignaviæ, eſt ignaviæ nota.

At, inquis, privatio dignitatis, officii &c. non ſolum ignominiæ nota eſt, ſed etiam notabilis emolumenti, & fortunarum jactura. Reſp. At cur ignominiæ nota non excuſat acceptantem duellum? Quia ſcilicet duelli acceptatio, deteſtabile ſcelus ex natura ſua eſt: ergo illud excuſari non poteſt, etiamſi recuſans non ſolum ignominiæ notam, ſed etiam fortunarum jacturam ſubeat; & ne hac de re dubitare quiſquam poſſit, en propoſitiones a Bened. XIV. recens, hoc eſt anno 1752. quarto Idus Novembris proſcriptæ. ** Prima propoſitio. *Vir militaris, qui niſi offerat, vel acceptet duellum, tamquam formidoloſus, timidus, abjectus, & ad officia militaria ineptus haberetur, indeque officio, quo ſe, ſuoſque ſuſtentat, privaretur, vel promotionis alias ſibi debitæ, ac promeritæ ſpe perpetuo carere deberet, culpa, & pœna vacaret, ſive offerat, ſive acceptet duellum*. Propoſitio 4. *Licitum eſt in ſtatu hominis naturali acceptare, & offerre duellum ad ſervandas cum honore fortunas, quando alio remedio earum jactura propulſari nequit*.

* Extat apud La Croix edit. poſtrema p. 265.
** Hæc Conſtitutio extat in lib. prodromo La Croixii p. 15.

ANIMADVERSIO XXIII.

Fieri tamen poteſt ut neutra pars peccet ob ignorantiam invincibilem.

Ignorantia invincibilis ea eſt, quæ ſtudio, & diligentia vinci non potuit: porro cum bellum graviſſima res ſit, ejus juſtitia virorum doctorum, & proborum ope diligentiſſime examinanda eſt: ex diligentiſſimo autem examine a doctis probiſque viris iuſcepto veritas, ſi certa eſt, liquido eruitur; ſi obſcura, jus anceps eſſe detegitur. Ergo ignorantia invincibilis, qua utraque bellantium pars certum jus belli ſibi competere putet, locum habere non videtur. Nam ſi jus belli anceps ſit propter rationes hinc inde probabiles, ab eo ex mox dicendis abſtinendum eſt.

ANIMADVERSIO XXIV.

Denique, licet ſufficiat opinio probabilis de juſtitia belli &c.

Si verſatilis probabilitas in omni re periculoſiſſima, & averſanda eſt, ut initio hujus operis contra Buſemb. & alios recentes oſtendimus; multo magis fugienda eſt; cum de bello, unde infinitæ calamitates exiſtunt, agitur.

Dum Buſemb. ait, *ſufficit opinio probabilis*; juxta ſuum opinandi modum, minorem quoque probabilitatem complectitur: at ſi hæc propoſitio, *Probabiliter exiſtimo, Judicem poſſe judicare juxta opinionem minus probabilem*, ab Innoc. XI. n. 2. damnata eſt; multo damnabilior eſt opinio Buſemb., quæ ſupremo Principi in cauſa belli; in qua non de unius privati hominis fortunis, ſed de populorum, ac infinitorum hominum bonis, & vita agitur, judicare permittit juxta opinionem minus probabilem, eamdemque ſequi, & exequi. Principes tum humanitatis, tum caritatis lege ab effundendo humano, & proximi ſanguine, maxime vero ſuorum ſubditorum, quos veluti filios diligere, quorumque utilitatem in ſuo regimine unice ſpectare neceſſe habent, animum maxime alienum, & averſum habere omnino debent. Hinc porro fit, ut bellum odiſſe, nec niſi urgente neceſſitate, compertaque ejuſdem belli juſtitia ſuſcipere debeant. Ita loquitur S. Auguſt. ep. 189. alias 205. ad Bonifacium, inquiens: *Pacem habere debet voluntas, bellum neceſſitas, ut liberet Deus a neceſſitate, & conſervet in pace.*

ANIMADVERSIO XXV.

Imo, ut probabilius eſt &c. *debet ſaltem plerumque ex caritate mox finiri.*

Buſemb. ait *probabilius*, ut in arbitrio belligerantis ſit proſequi, ſi voluerit, bellum; addit *plerumque*, ut ejuſdem cupiditati magis faveat.

At cum pars adverſa competentem ſatisfactionem offert, ſicuti Buſemb. ipſo favente, inchoari non debet, ita cœptum finiendum eſt; quia oblata competente ſatisfactione, nulla juſta relinquitur cauſa proſequendi bellum; ideoque ſi non intermittatur, non ea neceſſitate, ſed ex arbitrio contra D. Auguſtinum mox citatum geritur. Proſequenti in hac hypotheſi bellum jure imputatur *nocendi cupiditas, ulciſcendi crudelitas, implacatus, atque implacabilis animus ... libido dominandi, quæ in bellis jure culpatur*, ut ait idem S. Doct. lib. 22. contra Fauſtum. Non ſolum ea lege caritatis, non ſolum *plerumque*, ut Buſemb. loquitur; ſed ex juſtitiæ vi, & ſemper inceptum bellum intermittendum eſt, cum pars adverſa convenientem ſatisfactionem offert. Nec enim juſtitia ex ſummo etiam rigore aliquid amplius exigere poteſt. Juſtitia enim, æqualitas: eſt at per competentem ſatisfactionem æqualitas reparatur: ergo juſtitiæ ſatisfit: ergo nihil amplius poſtulari poteſt; ideoque bellum revocandum eſt. Id fatetur ipſe Laym. lib. 2. tr. 3. c. 12. aſſ. 4., at addit, condignam ſatisfactionem eſſe ferme impoſſibilem; quia totus exercitus inique belligerantis in mortem tradendus eſſet. At hic probabilis benignitas in crudelitatem vertitur, etiamſi totus exercitus nocens eſſe ponatur, cum tamen totus fere nocens non ſit. Nam ex D. Auguſt. lib. 22. contra Fauſtum c. 75. *vir juſtus, ſi forte ſub Rege homine etiam ſacrilego militet, recte poteſt illo jubente bellare, civicæ pacis ordinem ſervans; cui quod jubetur, vel non eſſe contra Dei præceptum, certum eſt, vel utrum ſit, certum non eſt; ita ut fortaſſe reum Regem faciat iniquitas imperandi, innocentem autem militem oſtendat ordo ſerviendi.* Ex Buſemb., & Laym. doctrina illud ſponte conſequitur, ut belligerantes, quibus veriſimiles belligerandi rationes numquam deſunt, bella non intermittant, niſi prout ſpes acquirendi, aut amittendi timor, hoc eſt *libido dominandi*, quam in bellis D. Auguſt. culpat, ſuaſerit. Itaque miſſis Buſemb., & Laym. cum res injuſte ablatæ, damnaque illata reſarciuntur; belli expenſæ refunduntur, & pro injuria irrogata aliquid ſatisfactionis loco ex æquo judicio offertur, nihil amplius ex ipſo rigore juſtitiæ exigi poteſt, bellumque etiam cœptum finiendum eſt. Imo cum D. Auguſt. ep. 189. alias 205. ad Bonif. dicat, *Sicut rebellanti, & reſiſtenti violentia redditur, ita victo, vel capto miſericordia jam debetur, maxime in quo pacis perturbatio non timetur*; multo magis miſericordia debetur nondum victo, pacem poſcenti, & æquam ſatisfactionem offerenti.

ANIMADVERSIO XXVI.

Hinc poteſt victos privare bonis etiam innocentes.

Princeps, *Dei miniſter eſt*, inquit Ap. Rom. 13. *vindex in iram ei, qui male agit*: porro bonorum ſpoliatio, vindicta eſt, & ſane graviſſima: ergo qui male non egerunt, bonis ſpoliari non poſſunt. Ipſi naturæ juri repugnat, ut innocentes pœna, ſicuti eſt bonorum ſpoliatio, afficiantur.

Hinc Alex. III. in Conc. Lateranenſi (habetur lib. 1. Dec. tit. 39. c. 2.) hanc legem belli tempore ſervandam tulit. *Innovamus ut Presbyteri, Monachi, converſi, peregrini, mercatores, ruſtici euntes, vel redeuntes, vel in agricultura exiſtentes, & animalia, quibus arant, & ſemina portant ad agrum, congrua ſecuritate lætentur*: quæ lex cum ipſam naturæ æquitatem, & jus contineat, nulla contraria conſuetudine aboleri poteſt. Inter armorum quidem furorem leges ſilere ſolent; nec tamen ſana doctrina, militum, aut victorum crimina excuſat.

ANIMADVERSIO XXVII.

Bonis tamen externis ſpoliari poſſunt, ſi &c.

Cur innocentes externis bonis ſpoliari poſſunt? Hæc ſpoliatio juri divino, & naturali ex mox dictis repugnat: ergo non licet. At Buſemb. addit, „ ſi aliter fi„ nis belli obtineri non poſſit. “ Reſp. Finis belli aliter non obtinendus, honeſtare non poteſt iniquam ſpoliationem, divino, naturalique juri repugnantem. Hæc ex natura ſua mala, ex nullo fine licere poteſt. Si vita ſpoliari ab hoſte juſtum bellum gerente non poſſunt, cur bonis ſpoliari poſſunt? Ratio eſt, inquit Buſemb., „ quia, cum ſint pars Reipublicæ, poſſunt propter hu„ jus delicta puniri in iis bonis, quæ Reipublicæ dominio ſubſunt. “ Reſp. Ratio quidem valeret, ſi noxarum Reipublicæ forent participes; at cum innocentes ſint, iniquum eſt, eos cum nocente Republica confundi. *Filius non portabit iniquitatem patris*: ergo ne filii quoque innocentes Reipublicæ noxiæ, hujus iniquitatem portare debent. Præterquamquod externa ſubditorum bona ſubſunt quidem Reipublicæ juri quoad juſtam vectigalium impoſitionem, & quoad legitimum, & rationabilem uſum, non quoad proprietatem, & dominium, quod ſine controverſia ad ſubditos pertinet; ita ut Principes non domini, ſed cuſtodes ſint bonorum ad ſubditos pertinentium.

Hinc cum Rex Achabus 3. Reg. 21. Nabothi ſubditi ſui vineam peteret, non pro imperio eam occupavit, ſed aliam meliorem permutationis loco illi obtulit, aut juſtum argenti pretium. Quoniam vero impia Jezabel Achabi uxor, Nabothum, quia tum permutationem, tum venditionem vineæ recuſaverat, per calumniam, falſoſque teſtes occidendum curaverat, virumque ſuum in defuncti vineæ poſſeſſionem miſerat, Elias Dei juſſu Achabo occurrit, illique exprobravit in hæc verba: *Occidiſti, inſuper & poſſediſti*. Nota in rem noſtram illud, *inſuper & poſſediſti*.

At, inquit Wig. (p. 258. n. 188.) qui Buſemb. ſententiam ſequitur, *horum bonorum ſpoliatio eſt juſta quædam defenſio*. Reſp. Non juſta quædam, ſed fictitia defenſio eſt.

Defenſio enim fictitia eſt, non juſta, cum nulla præceſſit impugnatio: at innocentium nulla præceſſit impugnatio: ergo defenſio fictitia eſt.

Nat. Alex. Theol. t. 2. p. 641. reg. 19. hanc ſpoliationem excuſat, ſi ſit de iis rebus, *quibus hoſtes uterentur adverſus eos, qui juſtum bellum gerunt, v. g. armis, navibus, equis, eorumque pabulo, & commeatu, & ideo*, inquit, *pagos, oppida, domos incendunt, agros populantur*. Ita ſane fieri ſolet. At hoc quid aliud eſt, niſi innocentes ad extremam miſeriam redigere? Licet ne homines nullius criminis reos extremis cladibus afficere? Tolerabile mihi videretur, eos ſpoliari armis, equis, navibus, quibus hoſtes uterentur, ea addita conditione, ut omnia opportune reſtituenda forent; at illos omnibus ſpoliari bonis nunquam reſtituendis poſſe, in animum ego ſane inducere non poſſum. Hujuſmodi ſpoliationem naturæ juri, nedum caritati contrariam puto; eam vetari in decreto Alex. III. deſcripto ad cap. 4. art. 2. exiſtimo; eam divinis legibus adverſari optimior.

ANI-

Digitized by Google

ANIMADVERSIO XXVIII.

Per accidens licet aliquando comburere etiam Eccleſias &c. ſi v. g. &c.

Hic quoque valde ſuſpicor excuſari quæ fiunt, non doceri quæ facienda ſunt. Illud mihi certum eſt, Dei cultum omnibus victoriis potiorem eſſe; nec victoriæ cauſa ea eſſe permiſſa, quæ Dei cultui contraria ſunt. At Eccleſias, quæ ſunt domus Dei, comburere, hoſtes in iis ſpoliare, & occidere, ſi illis veluti caſtris ad repugnandum utantur, Dei cultui contrarium eſt. Nec enim quia hoſtes Eccleſiam polluunt, & profanant, id aliis permiſſum eſt, niſi dicamus peccatum licere, quia alii peccant. Ergo &c.

ANIMADVERSIO XXIX.

Capti vero in bello ex parte capientium injuſta & fugere, & bona hoſtium ſecum auferre poſſunt.

Cur hoſtium bona ſecum auferre poſſunt? „ In compenſationem inquit Laym. lib. 2. tr. 2. c. 13. num. „ 26. Dico 2. damni illati, vel debitæ mercedis pro- „ pter præſtita ſervitia. “ Hoc vero intellige, dum captivorum creditum ſit omnino certum, nec ulla ſpes ſit illud obtinendi a debitoribus nec Principum, aut Judicum ope juxta dicta l. 3. t. 3. c. 2. d. 4. Reſp. 2. c. 2.

ANIMADVERSIO XXX.

Poteſt quidem aliquando (raro tamen &c.) dari urbs in prædam.

Id ponit quoque La-Croix p. 269. n. 885. Laym. id permittit, ut hoſtium pertinacia frangatur, ut militum languentium ardor excitetur, ut denique bellum expediri, & pax juſta obtineri poſſit.

Hic ego ita ratiocinor. Mala quidem, & peccata minora permitti poſſunt, ut majora vitentur: at mala, & peccata urbis direptionem comitantia ſunt longe iis majora, quæ ea permiſſa vitantur: templorum incendia, ſtupra, adulteria, ſacrilegia, innocentium cædes, ac innumera mala religioni, juſtitiæ, caritati contraria ſunt indivulſa urbium direptionum conſectaria; mala vero, quæ permiſſa direptione vitantur, aut nulla, aut exigua ſunt, ſi cum his comparentur: ergo urbis direptio permitti nunquam poteſt.

Meretricia, ſeu lupanaria permitti poſſe ea ſola ratione dicuntur, quia his permiſſis graviores libidines, ut adulteria, ſacrilegia, peccata contra naturam vitari putantur. Ediſſerant nunc mihi qui urbium direptiones permitti poſſe ajunt, mala, & ſcelera majora, quæ impediantur permiſſis urbium direptionibus, & conſequenter ſceleribus, quæ ipſas conſequuntur. Hic ſane ſilent, nec habent, quo ſe defendant. Certum eſt, innumera, grandia, immania facinora, quæ a militibus in urbium direptione admitti ſolent, a belli ducibus permitti non poſſe ſine graviſſimo reatu: at hoc ipſo, quod urbis alicujus direptionem permittunt, ea facinora permittunt; quia permiſſa urbis direptione, impediri teſte experientia nequeunt. Ergo urbis direptiones ſine graviſſimo reatu permitti non poſſunt. Enim vero Laymanni rationes, propter quas urbium direptiones permitti poſſe affirmat, in hominum militarium conſilio, & cœtu valere forte poſſunt, apud ſanos Theologos (ſit venia dicendi licentiæ) ridiculæ ſunt. An ut hoſtium pertinacia frangatur, ut militum ardor excitetur, ut juſta pax facilius obtineatur, innumera, & immania ſcelera permitti poſſunt?

Harum politicarum rationum cauſa vel unum peccatum permitti poſſe, dicere, aperte nefarium eſt. Hoc enim nihil aliud eſſet, niſi divina humanis ſubdere. Quamquam hoſtium pertinacia victoriis frangitur, non ſævitia in victos: pax facilius obtinetur clementiæ, quam crudelitatis uſu, & fama. Milites liberali, & juſta præmiorum diſtributione accenduntur, ſcelerum permiſſione ad militarem diſciplinam excutiendam, & ad ſeditiones excitantur.

Dum autem urbs ſpoliatur injuſte, gregarios milites tantum teneri ad damnum quod ipſi intulerunt, probabile eſſe, docet Dian.

Hac de re ita loquitur S. Raym. apud Nat. Alex. Theol. t. 2. p. 648. reg. 22. „ Quid ſi plures fuerunt „ raptores quaſi pares, quia nullus induxit alium ad „ eundum vel erat aliquis dominus alterius, ſed qui- „ libet per ſe ivit? Ad hoc credo dicendum, quod ſi „ vadunt inſimul, quaſi ſint unus exercitus, quilibet „ teneatur in ſolidum; quia in tali caſu quilibet juvat „ alios, & facit eos fortiores. Iſti enim poſſunt dici „ ſquammæ ſe prementes, de quibus loquitur Job 41. „ *Corpus illius, quaſi ſcuta fuſilia, compactum ſquam-* „ *mis ſe prementibus*. Facit ad hoc ext. de homic. cap. „ *Sicut dignum*; & omnes ſunt cooperatores. Quare „ quilibet tenetur in ſolidum. Alias ſi non iverunt ſi- „ mul, ſed quilibet per ſe ſeparatim faciebat damnum, „ quilibet tenetur pro eo, quod fecit. Vel forte in u- „ troque caſu poſſet tolerari, quod quilibet ſatisfaceret „ de his, quæ habuit, & induceret alios pro poſſe ad „ ſatisfaciendum. Sed primum dictum eſt tutius. “

Ceterum gregarii milites totius exercitus damnum reparare nequeunt; ideoque ex impotentia a totius damni reparatione eximuntur.

ANIMADVERSIO XXXI.

Milites peccant &c. ſi auferant &c. niſi tamen ſint in extrema, vel ſaltem gravi neceſſitate.

Permiſſum eſt furari non ſolum in extrema neceſſitate, ſed etiam in gravi, eſt propoſ. 36. ab Innoc. XI. proſcripta. Ergo doctrina Buſemb. permittentis militibus auferre, aut extorquere ab invitis in gravi neceſſitate, damnata eſt.

ANIMADVERSIO XXXII.

Repreſſalia licita ſunt his conditionibus &c. 6. ut non concedantur in perſonas eccleſiaſticas.

Ergo juxta Buſembaum concedi poſſunt in quaſcumque non eccleſiaſticas perſonas etiam innocentes; quarum bona occupari poſſe diſerte affirmat Laym l. 2. t. 3. c. 12. num. 23. Nat. Alex. Theol. t. 2. p. 642. reg. 19. ad repreſſaliarum juſtitiam requirit, ut *in perſonas innocentium non ſæviatur; quia æquitati naturali contrarium eſt, alium pro alio in perſona prægravari*. At æquitati naturali illud etiam repugnat, ut in bonis quoque alius præ alio prægravetur. Si Princeps ſuos ſubditos innoxios pro noxiis privare bonis non poteſt, cur alienos poteſt? Pro culpa, inquis, Principis jus reddere renuentis. At pro Principis culpa jura principatus occupari poſſunt, ut pœnam luat, qui culpam admiſit; innocentes vero ſubditos pro Principis culpa puniri poſſe, juſtitia non patitur. Hinc illud oraculum, *Filius non portabit iniquitatem patris.*

Gregorius X. in Conc. gen. Lugdunenſi (habetur in ſexto lib. 5. t. 8.) ait: *Etſi pignorationes, quas vulgaris elocutio repreſſalias nominat, in quibus alius pro alio prægravatur, tamquam graves legibus, & æquitati naturali contrariæ, civili ſint conſtitutione prohibitæ; ut tamen earum prohibitio in perſonis eccleſiaſticis tanto amplius timeatur, quanto ſpecialius inhibentur, eas concedi contra perſonas prædictas, ſeu bona ipſorum, aut quantumcumque generaliter prætextu cujuſvis conſuetudinis (quam potius reputamus abuſum fore) conceſſas, ad illas extendi, præſenti decreto diſtrictius inhibemus.* Repreſſalias æquitati naturali abſolute contrarias ait, quia unus pro alio prægravatur, hoc eſt quocumque modo prægravetur; quem ſenſum ſequentia quoque verba, *ut tamen earum prohibitio* &c. aperte habent.

ANIMADVERSIO XXXIII.

Jure Cæſareo, niſi conſuetudo ſit contraria, bona ablata &c. ſunt capientium poſtquam ea in ſua prædia deportarunt.. .. Dian. contra Durand. docet, hanc ſententiam eſſe in praxi tutam.

Ego eam minime tutam puto. Bona enim injuſte ablata ſine ulla controverſia ejus ſunt, cui per injuriam fuerunt erepta; nec legitimi domini eſſe deſinunt, quia in alias a furibus, aut violentis raptoribus manus tranſierunt. Hoc eſt naturæ jus: ergo jure naturæ bona ab iis juſto bello ablata, qui ea injuſte poſſidebant, ſuis legitimis dominis ſunt reſtituenda. Huic porro juri naturæ nullum poſitivum jus derogare poteſt; quia jus poſitivum legis vim non habet, niſi juri naturæ ſit conſentaneum.

Juſtum bellum, jus quidem tribuit, ut bona hoſtium injuſte bellantium occupata in victorum dominium tranſeant, non illorum, qui nullam intulerunt injuriam. Qui contra ſentiunt, innocentes puniri poſſe ponunt; quod naturali, divinoque juri aperte adverſatur.

At inquit Laym. num. 14. mox. cit. hoc jus introduci potuiſſe boni communis cauſa, tum ad excitandos militum animos, tum ad innumeras lites, quæ facile oriri poſſent, tollendas.

Reſp. Bonum commune procuratur juris naturæ obſervatione, non violatione, quæ non ſolum unius populi, ſed omnium gentium bonum lædit: militum animi non rapinis, ſed juſtis ſpoliis excitandi ſunt: lites non latrociniorum tuitione, ſed pœna tollendæ ſunt, Nam Innoc. III. cap. *Sicut* 29. tit. 24. lib. 2. Decret. quem Laym. pro ſe citat, nihil prorſus habet, quod illi faveat. En verba ſummi Pont. eo cap. *Si conſtiterit, quod prædictus H. injuſte bellum moverit, contra I. ipſam H. inducere ſtudeatis, ut univerſa per hujuſmodi violentiam occupata reſtituat conquerenti:* quæ verba ne per ſomnium quidem Laym., & Buſemb. favent.

CAPUT II.

De ſexto præcepto, & nono.

Non mœchaberis, & non concupiſces &c.

CОnjungo hæc duo præcepta, quia utroque idem explicite, vel implicite prohibetur, ſcilicet peccata impudicitiæ, & luxuriæ. Eſt autem luxuria inordinatus appetitus, vel uſus delectationis, ſeu ſenſus venerei, qui fit cum commotione ſpirituum generationi ſervientium, circa partes corporis venereas; ita ut appetitus, vel delectationes aliæ, etſi etiam ſenſitivæ, aut ſenſitivorum, ſi tamen non ſint venereæ, aut venereorum, nec ad ea ordinentur, non ſpectent ad luxuriam. Porro actus, ſeu peccata luxuriæ diſtinguuntur in imperfectos, in quibus non intervenit ultimus terminus venereorum, quæ eſt deciſio ſeminis, ut ſunt actus interni deſideriorum, & oblectationum moroſarum, qui ſpeciem ſumunt ab objectis; & perfectos, ac conſummatos, qui terminum jam dictum habent adjunctum. Qui rurſus ſunt duplices. Alii enim ſunt naturales, qui naturæ non repugnant, *nec ſpecie differunt in ratione luxuriæ* * (etſi per deformitatem ſuperadditam aliquando ſpecie differant) *v. g. adulterium, inceſtus &c.* Alii innaturales ſunt, ſeu contra naturam, in quibus conditiones a natura inſtitutæ, v. g. identitas ſpeciei, vas debitum &c. non ſervantur. Et hi etiam in ratione luxuriæ differunt ſpecie, quæ in illis variatur ſecundum modos, quibus committuntur, naturæ repugnantes.

DUBIUM I.

An, & quanta peccata ſint oſcula, amplexus, tactus, verba obſcœna, & ſimilia, extra matrimonium?

Reſp. Ad id dignoſcendum, diſtinguenda eſt imprimis intentio, & delectatio venerea, & venereorum ab intentione, & delectatione ſenſitiva, & ſenſitivorum aliorum, quæ conſiſtit in quadam proportione, & conformitate rei tactæ cum organo tactus. Deinde ſciendum, intentionem, & ſenſum venereorum eſſe mortalem, & excludere a regno cælorum, ſecundum Apoſtolum ad Gal. 5.

Unde reſolves.

1. Oſcula, amplexus, aſpectus, tactus, & ſimilia, ſi extra matrimonium fiant, ex intentione actus luxurioſi, vel ob delectationem veneream, etiamſi non illam perfectam, quæ eſt in ſeminatione, ſunt tamen ſemper peccata mortalia: quia eo animo, ** *extra matrimonium*, ſunt impudica, & natura ſua talis delectatio tendit ad perfectam. Fill. *t.* 30. *c.* 9. *num.* 294. Leſſ. *l.* 4. *c.* 3. *d.* 8. Sanchez *l.* 9. *d.* 46.

2. Tales actus ſunt ejuſdem naturæ cum perfectis, ſive conſummatis: ideoque in confeſſione explicandum, utrum ſint habiti cum ſimili ſexo, an diverſo, cum libera, an conjugata, cognata, perſona ſacra, &c. Leſſ. *d.* 15. Sanch. *l.* 1. *c.* 2.

ANIMAD. I. 3. *Oſcula, amplexus, compreſſiones manuum, & ſimilia non obſcœna, ſi fiant tantum officii, aut moris patrii, aut amoris honeſti, vel benevolentiæ augendæ cauſa, etiamſi delectatio venerea ſuboriatur* (modo in eam non conſentiatur) *non ſunt peccata*. Leſſ. Fill. *l. c. num.* 171.

ANIMAD. II. 4. *Si vero iſta fiant ex aliqua veniali vanitate, joco, curioſitate, levitate, petulantia, imo etiam ſenſualitate, ſive affectu ſenſuali, ac naturali* (dummodo non cum delectatione venerea, nec ejus cauſa, etſi præter intentionem ſuboriatur, ea repulſa, ac tunc abſtinendo ab illis) *venialem culpam non excedunt*. Vide Fill. *hic*, Leſſ. Sanch. *l. c.* Dian. *p.* 4. *t.* 4. R. 536. *Contrarium tamen eſt tutius*. V. Trul. *l.* 6. *c.* 1. *d.* 12. *n.* 8.

5. *Idem dicendum de tactu, & aſpectu inhoneſtarum partium corporis proprii*, aut commixtionis animalium, non cum animo venereo, ſed ex curioſitate tantum, aut levitate, ſecluſo tamen ſcandalo, & periculo conſenſus venerei. Imo, ſi tactus talis, aut aſpectus proprii corporis naturalis, aliquo, ac non malo fine fiat, ne veniale quidem erit, ut v. gr. ſi frictione extinguere velis pruritum non venereum; dummodo tamen abſit periculum pollutionis, aut conſenſus in eam, ſi improviſo præter intentionem forte obveniret. Leſſ. *n.* 63. Fill. *n.* 214. Sanch. *l.* 9. *d.* 31. ANIMAD. III.

6. Tactus nudi, & aſpectus partium inhoneſtarum alterius corporis, maxime diverſi ſexus, aut concubitus humani ex curioſitate (nam de neceſſitate aliud eſt) etiam ſecluſo affectu venereo, videntur non poſſe excuſari a mortali, propter gravem indecentiam, & periculum proximum actus venerei: niſi tamen aſpectus fiat ex loco tam remoto, & ita obiter, ut hæc abſint. Sanch. *n.* 23. & 29. Fill. *n.* 218. Laym. &c.

7. *Aſpectus vero, & ſubinde etiam (rarius tamen propter periculum adjunctum) tactus, ex petulantia, vel curioſitate, partium inhoneſtarum alterius corporis, ejuſdem tamen ſexus, citra affectum, & periculum conſenſus venerei*, excuſari poſſe a mortali, ut v. g. quando ſimul aliqui natant, vel lavant, docet Laym. *l.* 3. *ſ.* 4 ex Sanch. *l.* 5. *mor. c.* 6. n. 12. 13. & *n* 27. & 28. Trul. *d.* 12. *n.* 15. ANIMAD. IV.

8. *Verba turpia, lectio obſcœnorum, ſpectatio comœdiarum turpium, cantiones inhoneſtæ, geſtus, literæ, & dona amatoria*, ſi tantum fiant ex curioſitate, vel vano ſolatio, non ſunt mortalia; ſecus tamen, ſi fiant vel animo inhoneſto, ſive venereo, *vel cum periculo ruinæ ſpiritualis ſui, vel aliorum*. Sanch. *d.* 46. *q.* 3. Fill. *t.* 30. *c.* 10. *q.* 3. ANIMAD. V.

9. *Choreæ*, niſi malo fine fiant, *aut cum periculo aliquos, aut ſeipſum incitandi ad libidinem, vel cum alia circumſtantia mala, ſecundum ſe non ſunt malæ, nec actus libidinis, ſed lætitiæ*. Quando vero ſancti Patres eas interdum valde reprehendunt, loquuntur de turpibus, & earum abuſu. V. Caj. v. *Chorea*. Fill. *num.* 223. ANIMAD. VI.

10. Exhibentes comœdias turpes, item facientes libros, aut picturas incitantes ad libidinem peccant mortaliter, quia ſunt ruina proximi; cum moraliter certum ſit, multos inde ad peccatum incitandos. Fill. *n* 211. Similiter Magiſtratus, qui permittunt exhiberi turpes comœdias, peccare mortaliter docet Hurt. & concedit Bald. ſi auctoritatem illis præſtent, approbent, vel foveant, addit tamen poſſe aliquando excuſari, ſi ad majus malum impediendum non puniant, & tantum tolerent. V. de Dian. *p.* 5. *t.* 15. *R.* 82.

11. Perſona ſoluta permittens ſe tangi ab alia, tactu, qui vulgo cenſetur pudicus, ut prehenſio, contrectatio manus, amplexus, & oſcula juxta morem patriæ, non peccat, niſi ei conſtet fieri pravo affectu; huic enim cooperari non licet. *Docet tamen Fill. etiam tunc admitti poſſe, ne tangens infametur. Admittens autem tactus impudicos* (*ut mamillarum, & obſcœnarum partium*) *vel oſcula furtiva, & moroſa, vel indecentia, peccat*: quia præſumitur affectus malus. V. Fill. *l.* 30. *n.* 169. & inf. *l* 5. *c.* 1. *dub.* 2. ANIMAD. VII.

Quæres, an, & quatenus liceant tactus, aſpectus, &c. inter conjuges, vel ſponſos?

Reſp. 1. Conjugibus licent, ſi referantur ad copulam; ad hanc enim licite ſe excitant. *Alio autem fine, v. g. voluptatis cauſa ſi fiant, ſunt peccata venialia: quia matrimonium eos cohoneſtat, ac defectus debiti finis non eſt mortalis; niſi tamen habeantur cum periculo pollutionis*: quæ cum iis ſit illicita, eo caſu erunt mortalia, regulariter ſaltem. Sanch. *l.* 9. *d.* 46. n. 7. Fill. *n.* 357. & alii. ANIMAD. VIII.

Reſp. 2 Sponſis tactus impudici non licent; *pudici vero in partibus honeſtis licent, ſi ex iis tantum intendant delectationem ſenſitivam*; ſecus, ſi veneream. Sanch. *l. c. n.* 50. &c. Bon. *p.* 9. n. 6. &c. ANIMAD. IX.

DU-

* Hæc eſt apertiſſime falſum.
** Illud *extra matrimonium* peſſime additur. a. hic v199.

DUBIUM II.

Quæ ſint ſpecies luxuriæ conſummatæ naturales?

Reſp. Eæ dicuntur, in quibus fit commixtio eo modo, quo natura inſtituit; v. g. quando ſervantur ſexus diverſus, ſpecies eadem, vas, & modus naturalis, &c. *Vide in princ. hujus cap.*

Unde reſolvitur tales eſſe has ſequentes, quæ ideo in confeſſione ſunt exprimendæ.

1. Eſt fornicatio, quæ eſt concubitus ſoluti cum ſoluta (hoc eſt, quæ ſit libera a voto, matrimonio, religione) ex mutuo conſenſu. Ad hanc reducitur
ANIMAD. X. 1. Concubinatus, qui eſt fornicatio continuata. *Unde concubinarius, ſicut & meretrix, ordinarie non debet abſolvi, niſi dimiſſa concubina, aut muliere ſuſpecta, cujus retentio ſcandalum daret, licet cum ea non peccaret.* Sanch. *l.* 1. *mor. c.* 8. Navar. *c.* 3. Filliuc. *t.* 30. *c.* 2. *n.* 56. 2. *Congreſſus cum alterius ſponſa, quæ eſt fornicatio intra eandem ſpeciem gravior, & in confeſſione aperienda, ſaltem reſpectu ſponſæ*, ut docet Rod. *t.* 3. *c.* 109. Sanch. *de matr. t.* 1. *l.* 1. *d.* 2. *n.* 6. Fag. *t.* 1. *l.* 4. *c.* 3. Fill. *t.* 2. *tr.* 30. *c.* 2. *n.* 53. contra Govar. Vivald. Ledeſ. Azor. *quorum ſententiam (etiam reſpectu ſponſæ) probabilem, & in praxi tutam cenſet* Dian. *p.* 1. *tr.* 7. *R.* 5.

ANIMAD. XI. 2. *Stuprum, hoc eſt defloratio virginis, ipſa invita; quia ſi conſentiat, erit tantum fornicatio ſimplex, nec circumſtantia in confeſſione aperienda*, ut probat Leſſ. & Sanch. *l.* 7. *diſp.* 12. contra Nav. Azor. & alios.

3. Raptus, cum ſcilicet perſona aliqua (ſive maſculus, ſive femina, ſive nupta, ſive innupta) libidinis cauſa abducitur illata vi ſive abductæ, ſive iis,
ANIMAD. XII. quorum poteſtati ſubeſt. *Si quæ tamen ſponte diſcedat cum amaſio inſciis parentibus, non erit proprie raptus, ſed fuga, non addens malitiam ſpecie diſtinctam fornicationi.* Lug. *d.* 16. *n.* 137. Fill. *n.* 10. Vid. Bon. Idem dicit Dian. *p.* 1. *t.* 7. *R.* 37. ex Leſſ. *l.* 2. *c.* 19. *d.* 1. Sanch. *de matr. t.* 2. *l.* 7. *d.* 4. *n.* 5. *&c.*

4. Adulterium, cum ſcilicet uterque, vel alteruter coeuntium eſt conjunctus matrimonio, etiamſi adulterantis conjux ſit contentus: aſto enim tunc illi non fiat injuria; fit tamen ipſi ſtatui, Sacramento, & huic præcepto. Quod ſi femina adulterans ſit conjugata, gravius habetur, quam ſi vir, propter incommoda graviora, v. g. damnum veri hæredis, prolis incertitudinem, &c. Si vero uterque ſit conjugatus, adhuc gravius eſt, quia ſunt duæ injuriæ in utriuſque conjugem, in confeſſione exprimendæ. Fill. *t.* 26. *c.* 4. *n.* 85. *&* 89.

5. Inceſtus, hoc eſt congreſſus cum conſanguinea, vel affine uſque ad quartum gradum, eo gravius peccatum, quo gradus eſt propinquior: quem proinde in confeſſione exprimere, *ſaltem ſecurius* eſt: * ut habet Navar. *c.* 6. Card. Lugo *d.* 16. *n.* 312. Sicut etiam multo gravior eſt inceſtus cum conſanguinea, quam cum affine in eodem gradu, v. gr. cum matre, quam cum noverca; cum ſorore propria, quam cum ſorore uxoris; & rurſus gravior eſt cum affine, quam cum cognatu ſpirituali, vel legali. Addi vero debet, ſi in primo gradu fuerit, utrum cum matre, an cum filia, an ſorore. Card. Lug. *l. c.* & Eſcob. *de actibus humanis E.* 2. *c.* 6. ubi ex Hurt. *d.* 9. *de pœn. diſ.* 4. *Probabile dicit, inceſtum*
ANIMAD. XIII. *in eodem gradu, & linea, ejuſdem eſſe ſpeciei* (eo tamen graviorem, quo gradus eſt vicinior ſtipiti) *& ſatis eſſe dicere, Habui rem cum conſanguinea in linea recta. Ad hanc ſpeciem revocatur tanquam analoga, fornicatio cum filia confeſſionis; cum proprie non ſit cognatio ſpiritualis, quam tamen circumſtantiam in confeſſione exprimendam eſſe*, probat Sanch. *l.* 7. *de matr. d.* 55. Con. *d.* 32. Fagund. & *ceteri probabiliter* contra Sa, *v. Confeſſio*, & Dian. V. Card. Lugo *num.* 355.

6. Sacrilegium, hoc eſt violatio rei ſacræ per actum venereum. Res autem ſacræ, quæ ſic vio-
ANIMAD. XIV. lantur, ſunt locus, & perſona. *Unde ſacrilegium eſt* 1. *Omnis actus luxurioſus exterior (qualis etiam eſt v. g. pollutio, & probabiliter etiam tactus impudici.* V. Lugo *n.* 464.) *in loco ſacro, hoc eſt templo, vel cœmeterio: niſi tamen fiat a conjugibus ex neceſſitate, v. g. ad vitandam incontinentiam.* 2. Omnis actus luxurioſus tam interior, quam exterior in perſona, vel cum perſona voto caſtitatis conſecrata: *circa quem tamen probabile eſt, non opus eſſe exprimere, utrum fuerit votum ſolemne, an ſimplex: ſicuti neque, ſi duplici titulo ſit ſacrata, v. g. quia eſt Sacerdos, & Religioſus: quia moraliter eſt una numero malitia.* Sanchez *de matr. l.* 7. *d.* 27. *n.* 7. Henr. & ceteri, quos citat Dian. & ſequitur *p.* 1. *t.* 7. *R.* 3. Card. Lugo, *d.* 16. *de pœn. ſ.* 4. Bon. *q.* 4. *p.* 17. Eſcob. *E.* 8.

DUBIUM III.

Quæ ſint ſpecies luxuriæ conſummatæ contra naturam?

Reſp. Cum contra naturam eſſe dicantur eæ, in quibus fit ſeminatio modis repugnantibus inſtitutioni naturæ, ita ut juxta tales modos ſpecies varientur, hinc reſolvitur, tales ſpecies eſſe ſequentes.

1. Eſt congreſſus inordinatus, hoc eſt innaturalis, ſive indebitus concumbendi modus, cum ſcil. ſervatur quidem identitas ſpeciei, diverſitas ſexus, & debita naturæ organa, ſed inordinato tantum modo acceditur: v. g. cum vir ſuccumbit, vel averſe accedit more pecorum, vel a latere, vel ſtando, aut ſedendo, aliave ratione inſolita: quod eſt contra naturam: mortale, quando inde periculum eſt impediendæ generationis, aut effundendi ſeminis; alias, ſi hoc periculum caveatur, aut non ſit, eo quod matrix feminæ ſatis attrahat ſemen, & retineat, ut fit plerumque, non contra, ſed præter naturam erit: & veniale grave, imo nullum, ſi gravis cauſa adſit, v. g. quia mulier eſt prægnans, vel quia corporis diſpoſitio ſive utriuſque, ſive alterutrius conjugis aliter fieri non patitur. Fill. *tr.* 30. *c.* 8. *q.* 8. *n.* 156.

2. Mollities, ſive pollutio; & eſt, cum abſque congreſſu, ſeu copula, voluntarie procuratur fluxus ſeminis, ſive id foras effundatur, uti in maribus, ſive intus diffluat in matricem, ut in feminis. Et hoc peccatum præter propriam malitiam, ſæpe aliam habet adjunctam, ut v. g. fornicationis, adulterii, inceſtus, &c. cum quis nimirum ſimul imaginatur, ac deſiderat congreſſum alicujus perſonæ liberæ, conjugatæ, &c. quod proinde ſi fiat, in confeſſione aperiendum eſt. Plura de mollitie v. ſequenti dubio.

3. Sodomia imperfecta, & eſt congreſſus cum debito quidem ſexu, maris nempe cum femina, ſed extra vas naturale. Poteſt etiam ſimul habere alias malitias, v. g. adulterii, ſi fiat cum conjugata; inceſtus, ſi cum conſanguinea. Bon. *q.* 4. *de matr. p.* 11. *n.* 1. Filliuc. *l. c. n.* 158.

4. Sodomia perfecta, & eſt congreſſus duorum ejuſdem ſexus, ut maris cum mare, vel feminæ cum femina, & poteſt etiam habere alias malitias adjunctas, v. g. inceſtus: *quo caſu cognationis gradum non* ANIMAD. XV.
neceſſario explicari docet Eſcob. de act. hum. E. 2. *c.* 6. *ſed ſatis eſſe dicere, Coivi cum conſanguineo, vel affine; quia nec miſcetur caro, nec contrahitur affinitas, nec linea variat ſpeciem.* Ita ille. Explicandum tamen eſſe, fueritne agens, an patiens, dicit Card. Lugo *d.* 16. *n.* 423. contra Dian. *tom.* 2. *t.* 4. *de ſacram. R.* 159. *& p.* 6. *t.* 6. *R.* 36.

5. Beſtialitas, quod eſt graviſſimum inter omnes; & eſt congreſſus, in quo non ſervatur identitas ſpeciei; v. g. ſi homo coeat cum beſtia, ſive ejuſdem ſexus ſit, ſive non. Neque opus eſt explicare, qualis ſive cujus ſpeciei fuerit: quia eſt differentia tantum materialis, & in genere entis, non autem formalis, & in genere moris. Eſcob. *E.* 2. *c.* 6. Fill. *t.* 2. *tr.* 30. *c.* 7. *n.* 131. Huc revocatur peccatum cum dæmone ſuccubo, vel incubo. Cui peccato ſuperadditur malitia contra religionem, & præterea etiam ſodomiæ, adulterii, vel inceſtus, ſi affectu viri, vel mu-

* Vide dicenda de circumſtantiis notabiliter aggravantibus. Et hic n. [illegible].

mulieris, ſodomitico, adulterino, vel inceſtuoſo cum dæmone coeat. V. Bon. *de matr. q. 4. p. 12.* Fill. n. 162.

DUBIUM IV.

An aliquando liceat procurare pollutionem?

Reſp. Auctoritate Scripturæ, quæ molles a regno cælorum excludit, 1. *Cor. 6.* docent omnes, nullo caſu licitum eſſe intendere, vel procurare directe mollitiem, ne cauſa quidem ſanitatis, ac vitandæ alias certæ mortis. Cauſam dat Sanch. *l. 9. d. 17.* quod natura adminiſtrationem ſeminis, extra matrimonium, in omni evento, homini denegarit, eo quod adeo vehemens ſit in ea re ſenſus voluptatis, ut homines paſſione excæcati paſſim ſibi facile perſuaderent, habere ſe juſtam cauſam irritandi ſeminis, unde plurima, graviſſimaque vitia contra bonum commune, & in impeditione generationis emergerent. Navar. *c. 16.* Leſſ. & commun.

Unde reſolves.

1. Diſtillatio, quæ eſt fluxus humoris quaſi medii inter urinam, & ſemen (cum quo coloris, & viſcoſitatis ſimilitudinem gerit) ſine ingenti illa delectatione, non eſt vera pollutio, &, ſi proveniat ſine omni commotione ſenſus veneres, ut quandoque fit, de ea non magis laborandum, quam de ſudore, dicit Cajet. Si vero fiat cum ſenſu carnis, & commotione ſpirituum generationi ſervientium, tum ei cooperari, vel cauſam præbere, non eſt, vel eſt peccatum; idque veniale, vel mortale, ad eundem modum, quo de pollutione dicetur. Sanch. *l. 9. d. 45. n. 32.* Laym. *l. 3. t. 4. n. 18.*

2. Si ſemen judicio medicorum tranſivit in materiam venenoſam, licet eam medicamentis expellere, etſi prætee intentionem ſequatur aliqua veri ſeminis emiſſio. Sanchez *l. 9. de matr. d. 17. n. 16.* Fill. *t. 30. c. 8. n. 150.* Trull. *l. 6. c. 1. d. 8. §. 1.*

ANIMAD. XVI. 3. *Non tenetur quis (modo tamen abſit periculum conſenſus in voluptatem, nec voluntarie promoveat) impedire pollutionem ſponte ſua evenientem, aut jam cœptam, v. g. in ſomno, comprimere, ſed poteſt ſanitatis cauſa ſinere, ut natura ſe exoneret; quia id non eſt procurare, ſed pati, ut effluat, quod alias corruptum ſanitatem læderet. Unde idem admittit Sanch. etiamſi orta eſſet prius ex culpa; modo de ea doleat, & conſenſum ulteriorem abſtrahat, additque plerumque expedire* munire ſe cruce, & ſine alio attactu, quietis manibus, rogare Deum, ne permittat lapſum in delectationem. Sanch. *d. 17. n. 17.* Trull. *l. 6. c. 1. d. 10.*

4. *Licitum eſt ob finem honeſtum, v. gr. minuendæ* ANIMAD. XVII. *tentationis, ſanitatis, tranquillitatis animi, optare ſimplici affectu ſpontaneam, & naturalem exonerationem naturæ, modo deſiderium illud non ſit cauſa efficax pollutionis. Similiter licet etiam de ea gaudere, via naturali, & ſine peccato facta: quia objectum iſtius deſiderii, & gaudii non eſt malum:* quamquam ejuſmodi deſideria ſimplicia inutilia eſſe, nec periculo carere, quidam bene obſervent. Leſſ. *d. 14. n. 15.* Laym. *n. 17.*

ANIMAD. XVIII. *Si quis facturus rem aliquam neceſſariam, vel licitam, & honeſtam, prævidet inde naturaliter ſecuturam pollutionem (idque multo magis valet de diſtillatione) quam tamen ille nullo modo velit, nec intendat, tunc, modo abſit periculum conſenſus in delectationem, non tenetur abſtinere a tali actione, quia proſequenti ſuum jus non imputatur effectus per accidens, & præter intentionem ſecutus. Hinc non obſtante periculo pollutionis,* licet audire confeſſiones mulierum, ſtudere caſibus conſcientiæ, tangere ſe ex neceſſitate, ſeminas caute, & cum neceſſitate alloqui, *oſculari, amplecti juxta morem patriæ, ſi alioqui incivilis habendus eſſet.* Quod ſi tamen periculum eſſet conſentiendi in delectationem (quod colligitur inde, ſi ſæpius ex ſimili occaſione mortaliter ſit lapſus) a cauſa illa, quantumvis licita, abſtinendum eſſet: proindeque Confeſſarius tali caſu teneretur relinquere officium. Fill. Sanch. *l. 9. d. 45.* Navar. *cap. 16.* Laym. *n. 16.* Monet autem Laym. eum, qui in actionibus honeſtis, & utilibus talem miſeriam experitur, facilius liberari contemnendo, quam æſtimando; quia imaginatione, & timore augetur.

6. Si pollutio ſecutura prævideatur ex re illicita, otioſa, vel minus neceſſaria, & hæc ſit cauſa propinqua, ac natura ſua ad venerem ordinata, ut ſunt actus luxurioſi, tactus, aſpectus, lectio, auditio, locutio turpis; mortale eſt ab illa non abſtinere: quia in eam conſentiens, moraliter in effectum conſentire cenſetur. *Quod ſi res illa ſit cauſa tantum remota, per accidens tantum ad pollutionem concurrens,* ANIMAD. XIX. *qualis eſt v. gr. eſus, aut potus calidorum, equitatio, confabulatio inutilis, crapula, ebrietas etiam mortalis (modo pollutionem non intendat, & abſit periculum venerei conſenſus) ſecuta pollutio, non eſt mortale: quia in talem rem conſentiens non ideo velle cenſetur effectum.* Fill. *tr. 30. c. 8. q. 6. num. 152.* Sanch. *l. c.* Leſſ. *l. 4. c. 3. d. 14.* V. Dian. *p. 5. t. 3. R. 4. Addunt quidam DD. hanc regulam, pollutionem in cauſa volitam tantum eſſe peccatum, quantum eſt ipſa; ut, ſi cauſa ſit peccatum mortale, etiam ipſam fore mortalem: ſi ſit veniale, venialem: ſi vero cauſa nullum ſit peccatum, nec ipſam fore (ſecluſo ſemper periculo conſenſus:) hinc venialem v. g. eſſe illam, quæ provenit ex lectione curioſa, vel aſpectu per ſe non mortali.* Trull. *l. 6. c. 1. d. 9.* ex Lopez, Henr. Vaſq. Bonac. *de matr. p. 10.* V. Dian. *p. 1. t. 2. miſc. R. 56.*

7. Pollutio in ſomno facta eſt mortalis. 1. ſi ante directe, vel formaliter eſt procurata, *& cauſa non eſt retractata. 2. quando poſt ſomnum placuit, & approbata eſt propter delectationem veneream; alias non.* Fill. *qu. 5. num. 148.* Trull. *loc. cit. num. 9.* ANIMAD. XX.

Quæres, an mutua pollutio inter mares, vel feminas procurata ſit mollities tantum, an ſodomia?

Reſp. Si fiat ex ſolo affectu ad veneream libidinem abſque concubitu, eſſe tantum mollitiem; ſi vero fiat ex affectu ad perſonam illam indebiti ſexus (præſertim ſi adſit aliqua conjunctio, & commixtio corporum) eſt quoad malitiam ſodomia (*a*). Fill. *t. 30. c. 8.* Plura de tota hac materia vide infra *l. 5. c. 1. d. 2. a. 2.* de peccato in genere, & Auctores citatos.

NOTÆ.

(a) Reſp. *Si fiat ex ſolo affectu &c. abſque concubitu, eſſe tantum mollitiem. Si vero &c.*

Si abeſſet affectus erga perſonam ejuſdem ſexus, pollutio eſſet unius, aut ſeparatim fieret: at cum mutua ſit, aperte ſodomitica eſt, ſeu ex concubitu, ſeu ex mutuis tactibus hæc fœditas exiſtat.

ANIMADVERSIO I.

O*ſcula, amplexus &c. ſi fiant tantum &c. etiamſi delectatio &c. modo &c. non ſunt peccata.*

„ Quod tamen periculoſum eſt, inquit S. Antoninus „ p. 2. t. 15. c. 2. apud Nat. Theol. t. 2. p. 631. & ideo „ cavendum eſt ab his inter virum, & mulierem etiam „ religioſos. *Bonum eſt* (inquit Apoſt.) *mulierem non* „ *tangere*. Nam, ut dicitur Eccle. 3. *qui tetigerit pi*„ *cem*, cui ſimilis eſt mulier, *inquinabitur ab ea*. “ Hactenus ſanctus vir. Multo vero magis ab iis abſtinendum eſt, ſi delectationem veneream in iis ſuboriri expertus quis ſit.

Si enim eam delectationem, ſeu motum venereum per eos actus quis velit, & quærat, eſt certa mortifera culpa, ut omnes tenent fatente ipſo La-Croixio n. 893. p. 271. & patet ex propoſ. 40. ab Alex. VII. damnata, quæ ita habet. *Eſt probabilis opinio, quæ dicit tantum eſſe veniale oſculum habitum ob delectationem carnalem, & ſenſibilem, quæ ex oſculo oritur, ſecluſo periculo conſenſus ulterioris, & pollutionis.* At etiamſi veneream delectationem in iis non quærat, nec illi conſentiat, ſed eam ſolum prævideat, non ſemper mortaliter in iis peccari aliqui quidem apud La-Croix loc. cit. ſentiunt, modo periculum conſenſus abſit; at fatente ipſo La-Croixio „ ſententia illa eſt probabilis, attamen pericu„ loſa pro praxi. “ Si pro praxi periculoſa eſt, pro praxi cavenda eſt; quia *qui amat periculum peribit in illo*, quamvis a fautore probabilitatis probabilis dicatur.

ANIMADVERSIO II.

Si vero iſta fiant ex aliqua veniali vanitate &c. imo etiam ſenſualitate, ſive affectu ſenſuali, & naturali (dummo-

Digitized by Google

modo &c.) venialem culpam non excedunt. Contrarium tamen eſt tutius.

Si contrarium tutius eſt ipſo Buſembao fatente, exploſa verſatili probabilitate, quæ in lubrico ſemper verſatur, hoc ſequendum eſt. Periculum venereæ delectationis in his tactibus, & oſculis ex vanitate, joco, curioſitate, levitate, petulantia libatis, longe majus eſt, quam ſi ex patriæ more fiant: ergo multo magis cavenda ſunt; præſertim cum hæc fieri non ſoleant, niſi familiaritas & propenſio animi, quæ periculum augent, præceſſerit.

At vero diſtinctio naturalis tactus ſenſualitatis a venerea in iis, qui mulieres tangunt, & oſculantur, inanis & fictitia eſt, & ad libidinem fovendam ſolum utilis. Senſus quidem tactus a ſenſu venereo diſtinguitur. At dum vir mulierem tangit, aut oſculatur ex ſenſualitate, non tactus, ſed veneream ſenſualitatem quærit.

At Buſemb., inquies, loquitur in hypotheſi. Reſp. Hypotheſes fingere, quæ nunquam accidunt, non ſolum inanis res eſt, ſed quoad mores periculoſa. Hinc enim occaſio facile oritur excuſandi, hoc eſt fovendi mortiferas libidines prætextu naturalis ſenſualitatis tactus. Fingamus, inquis, ſaltem ingenii exercendi cauſa, virum tangentem, aut oſculantem mulierem quærere ſolum delectationem naturalem tactus, qualis percipitur ex lævigati, aut mollis corporis contrectatione: eſt ne hic letalis culpæ reus? Reſp. Maxime; & ratio eſt, quia ille tactus ex natura ſua eſt proximum periculum libidinis, ſeu conſenſus in veneream libidinem. Corruptio naturæ, proclivitas ad laſciviam, vis muliebris illam excitandi, ac moralis impoſſibilitas ſeparandi in tactu mulieris ſenſum tactus a ſenſu venereo id aperte evincunt. In hæc ſcola non ſolum loquitur P. Concina Theol. t. 4. p. 432. q. 4. & in ep. theol. mor. p. 27. ſed ipſe P. La-Croix, qui n. 894. ait: „ Quia autem „ quandiu ſumus in hoc mortali corpore non videtur „ moraliter poſſibile, ut cum tali delectatione ſenſibili „ (loquitur in noſtro caſu) deliberate quæſita, & ad„ miſſa non adſit periculum proximum delectationis ve„ nereæ, hinc Mendo n. 93. & Sporer in Tyr. Sac. p. „ 4. n. 531. recte dicunt, hanc ſententiam (quæ ait, „ non eſſe mortalem delectationem in præſenti caſu) „ non eſſe practice probabilem. "

Adde, quod hac præſertim in re iniquitas ſibi mentiatur, & appellet, aut etiam putet naturalem tactus ſenſationem, quæ reipſa venerea eſt.

Animadversio III.

Idem dicendum de tactu, & aſpectu inhoneſtarum partium corporis proprii.

Si hic tactus, aut etiam aſpectus ex ſenſualitate fictitia tactus fieri dicatur, ex mox dictis culpa mortalis eſt; ſi abſque illa ſenſualitate, & ſine ulla prorſus neceſſitate fiat, cum ſit valde turpis, & impudicus, culpa letali vacare mihi non videtur. Apoſtolus enim 5. ad Gal. inter opera carnis e regno Dei excludentia hæc numerat, *fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria*. Negari ne poteſt, tactum, & aſpectum inhoneſtarum partium corporis proprii ſine ulla neceſſitate habitos, impudicitiam includere? ergo negari non poteſt, eos e regno cælorum excludere.

Animadversio IV.

Aſpectus vero, & ſubinde etiam (rarius tamen &c.) tactus ex petulantia &c. citra affectum, & periculum, excuſari poſſe &c. docet &c.

Si tactus inhoneſtarum partium proprii corporis ſine ulla neceſſitate habitus ex Apoſtoli doctrina mox recitata, mortalis culpa merito putatur; multo magis idem dicendum de tactu, aut etiam aſpectu talium partium alieni corporis. Nam dum Buſ. addit *citra periculum conſenſus venerei*, fingit quod nunquam accidit. Itaque P. Concina Theol. t. 4. p. 435. n. 17. hos tactus inter culpas mortales merito recenſet; quia *pudori & honeſtati valde repugnant, & vehementer provocant ad laſciviam, pollutionem, aut ſodomiam. Excipiendi ſunt*, inquit, *pueri natantes, qui caſu, & abſque ulla prava intentione ſe tangerent. A culpa tamen gravi eos non excuſarem, ſi deliberato animo, & data opera in dictis partibus ſe tangerent*. Hactenus ille.

Animadversio V.

Verba turpia, lectio obſcœnorum &c. ſi tantum fiant &c. non ſunt mortalia.

Nat. Alex Theol. t. 2. p. 626. reg. 5. contra ait: „ Verba impudica, & obſcœna proferre, turpiaque can„ tica componere, & canere, letale, ut plurimum pec„ catum eſt. " Ratio eſt, quia ut plurimum ad libidinem provocant. Hinc Apoſt. 1. ad Corinth. 15. ait: *Nolite ſeduci*: quaſi nos contra Buſ. doctrinam, qui a verbis turpibus, lectione obſcœnorum, ſpectatione comœdiarum turpium, cantionibus inhoneſtis periculum ruinæ ſpiritualis ſui, vel aliorum aliquando abeſſe ponit, munire nos voluerit: *corrumpunt bonos mores colloquia prava*. Multo vero magis geſtus, litteræ & dona amatoria, ſui, & aliorum ruinæ ſpiritualis periculum continent; ideoque ex natura ſua, & ut plurimum letales culpæ ſunt.

Animadversio VI.

Choreæ, niſi malo fine fiant, aut cum periculo aliquos, aut ſeipſum incitandi ad libidinem, ſecundum ſe non ſunt malæ &c. ſed actus lætitiæ.

Intellige ſunt actus lætitiæ diabolicæ, ideoque malæ; cujus rei illud evidenti argumento eſt, quod homines vere probi ab iis abſtinent, & abſtinendum putant. *Choreæ*, inquit S. Franciſcus Saleſius p. 3. introd. ad vitam dev. cujus verba in latinum verto, *ex natura ſua adiaphoræ ſunt; ſed eo modo, quo fieri ſolent, ad vitium valde declinant, ideoque periculorum plenæ ſunt*. „ Chorea mundana eſt circulus, cujus centrum eſt dia„ bolus, & cujus circumferentia ſunt angeli ejus cir„ cumſtantes; & ideo raro vel nunquam ſine peccaro „ fit. * " In hæc ſenſa loquuntur Sancti, & Patres omnes, ac recenter D. Carolus Bor. apud Nat. Theol. t. 2. p. 630. reg. 8. & Bened. XIV. apud Concinam Theol. t. 4. p. 425. n. 9. qui ſubdit: *Cum hæc ita ſe habeant, quis negare auſus fuerit, choreas (etiamſi ſpeculative loquendo culpa carerent) vitioſas eſſe, & communiter in praxi peccatorum plenas?* Fruſtra, & falſo Buſ. ait, Patres, qui choreas valde reprehendunt, loqui de turpibus, & earum abuſu; loquuntur enim de choreis *communiter*, ut in praxi fiunt; uti de iis loquitur S. Franciſcus Saleſius, S. Carolus Borom., Bened. XIV. Hinc Eccleſiaſt. c. 19. ait. *Cum ſaltatrice ne aſſiduus ſis, nec audias illam, ne forte pereas in efficacia illius. Virginem ne conſpicias, ne forte ſcandalizeris in decore illius .... propter ſpeciem mulieris multi perierunt; & ex hoc concupiſcentia quaſi ignis exardeſcit.* Si plura cupis, lege Concinam Theol. t. 4. p. 409. c. 3.

Animadversio VII.

Docet tamen Fill. etiam tunc (hoc eſt, ſi ei conſtet fieri pravo affectu) *admitti poſſe, ne tangens infametur.*

Id admittit etiam Concina Theol. t. 4. p. 437. n. 23. ſubdit tamen: „ Verum raro accidere poteſt, ut ne„ queat mulier abſque ſcandalo repellere libidinoſum oſ„ culatorem. " At D. Antoninus apud Nat. Alex. Theol. t. 2. p. 631. reg. 9. ait: *Quæ permittit, hæc ſibi fieri ab eo, quem æſtimat ad hoc moveri amore libidinoſo, mortaliter peccat, quia facientem, & conſentientem par pœna conſtringit, ut dicitur cau. 2. q. 1. c. Notum*. Loquitur autem de oſculis, manuum tactibus, & amplexibus ex patriæ more. Si hæc culpa ex parte mulieris conſentientis, ex natura ſua mortalis eſt, ut reipſa eſt, excuſari certe non poteſt ex fine vitandi infamiam laſcivi hominis, qui eam ſuæ culpæ vertere debet. Nulla ſcilicet ex cauſa peccare, aut alterius peccato conſentire licet. Si mulier laſcivi hominis tactui, aut oſculo conſentire poſſet, ne ille infamiam ſubiret, non intelligo, cur ejus quoque concubitum pati non poſſet, ne clamando, & reſiſtendo ejus crimen proderet. Hoc poſterius non licet: ergo ne prius quidem licet. Probatur propoſitio. Nam inter concubitum, & tactum laſcivum aliud diſcrimen non eſt, niſi quod tactus minor culpa eſt, concubitus major, utraque tamen mortalis: ergo mulier aut neutrum, aut utrumque pati poteſt, infamiæ, aut mortis ſuæ, vel alienæ vitandæ cauſa. Nec ad rem facit, ſi dicas, in concubitu majus eſſe venerei conſenſus periculum. Nam ipſa voluntaria permiſſio, ſeu paſſio concubitus ex ſe mortalis eſt, præciſo quocumque alio conſenſu, & periculo; quæ ſi vitandæ mortis, aut infamiæ cauſa liceret, Dei adjutorium omni periculo majus, tam gravi neceſſitate urgente merito ſperandum eſſet. Probatur aſſumptio. Nam Lucretiam Romanam, quæ, ut ſe ab infamia liberaret, concubitum paſſa eſt, S. Auguſtinus graviſſime reprehendit. Nonnulli quidem docuerunt, caſtam Suſannam potuiſſe ſenum libidinem pati, ut ſuam infamiam, & mortem vitaret; at hanc corruptam opinationem tum Nat. Alex. Theol. t. 2. ep. 104. tum Concina Theol.

t. 4.

* Eſt definitio choreæ a S. Carolo Bor. probata.

t. 4. p. 455. c. 6. confutant; eamque damnavit Clerus Gallicanus anno 1700. apud eumdem Nat. app. altera p. 55. prop. 44. ergo &c.

Admittens autem tactus impudicos, (ut &c.) velſeula &c. peccat.

Peccat, intellige mortaliter: quia ex Ap. *digni ſunt morte non ſolum qui hæc faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus.*

Animadversio VIII.

Alio autem fine, v. g. voluptatis cauſa ſi fiant, ſunt peccata venialia.

D. Antoninus p. 1. t. 1. c. 21. §. 6. ait: *Sextus caſus, in quo conjuges peccant mortaliter, eſt quando conjux voluptatem prævenit, & provocat diverſis modis, ut manibus, vel cogitationibus, vel edendo calida, & incentiva, ut poſſit plures convenire. Hoc tamen non ſimpliciter intelligendum eſt, ſed quando in talibus præparatoriis propter ſe delectatur. Sicut ſi confricationibus impudicis membra attrectando, ſequatur pollutio extra vas debitum, non eſt dubium, quod eſt mortale; quia omnis pollutio extraordinaria, eſt peccatum mortale, quando vigilando procuratur. Idem videtur, ſi diu inſiſtat in hujuſmodi, non intendendo venire ad actum conjugalem, ſed finem in his ponere.*

Tactus venereæ voluptatis cauſa habiti, impudici ſunt: at tactus impudici ſunt mortales culpæ; quia impudicitia ex Apoſt. ad Gal. 5. ſupra citat. a regno Dei excludit: ergo &c.

Si pollutio extra vas debitum ſine controverſia mortalis eſt, cur mortalis non eſt laſcivus tactus, qui pollutionis incohatio eſt? Non enim in laſcivia parvitas materiæ a mortali excuſat. At inquit Buſemb. „ Matrimonium eos tactus cohoneſtat, & defectus debiti „ finis non eſt mortalis. "

Reſp. Si matrimonium pollutionem extra vas debitum non cohoneſtat, qua ratione tactus impudicos, qui ſunt pollutionis initium, cohoneſtare poteſt? Matrimonium cohoneſtat quidem actus, in quos jus tribuit: at nullum jus in tactus impudicos venereæ voluptatis cauſa habitos tribuit: ergo rectius aſſeritur, matrimonii ſanctitatem his tactibus fœde pollui, ſicut etiam ſupra dictum aſt tract. 3. c. 2. d. 5. ca. 1.

Quare defectus debiti finis in noſtra ſpecie mortalis eſt; quia ipſi actus ex natura ſua ſunt mortales, nec unquam permiſſi, niſi ex neceſſitate adhibiti in ordine ad copulam; ergo ſublato hoc fine ſunt mortales.

Hinc D. Antoninus loco mox citat. *Sed ſi quis cauſa generandæ prolis, vel vitandæ fornicationis in ſe, vel in ſocio, aut debitum reddendi, cum alias ſit impotens, provocet ſe eſu, vel potu calefactivorum, aut oſculis, & amplexibus, quibus etiam animalia ſe provocant, ut columbæ, & urſi, vel aliquibus aliis tactibus, in quibus non quærit ſe delectari, ſed ſolum ad actum illum præparari, non videtur peccatum: quia licet juvare naturam corporis ad obediendam rectæ rationi.* Tum illa verba, *cum alias ſit impotens*, tum ratio a ſancto viro allata indicant, illum a peccato non excuſare tactus inter conjuges habitos, niſi ad copulam neceſſarii aliquo modo ſint. Tum addit: *Item ſi hoc facit, ut ſit potens cognoſcere propter delectationem, quam tamen nollet cum alia experiri, tunc gravius peccat, præveniendo delectationem, non tamen mortaliter; quia non quærit in hac provocatione delectari*, (ergo ſi in hac provocatione delectari quærat, juxta S. Virum mortaliter peccat) *ſed in actu conjugali. Unde videtur idem ſpecie, quod de fine.*

Animadversio IX.

Sponſis tactus ... pudici in partibus honeſtis licent, ſi ex iis intendant delectationem ſenſitivam.

Cum ſponſis nullum ſit in alterius corpus jus, quod de tactibus inter ſolutas perſonas dicitur, idem de ſponſorum tactibus dicendum eſt. Sed ex dictis c. 4. h. dub. tactus ex affectu ſenſuali inter ſolutas perſonas habiti non ſolum non licent, ſed ſunt mortalia peccata. Ergo hujuſmodi tactus non ſolum ſponſis, ut laxe ait Buſemb. non licent, ſed ſunt mortiferæ culpæ.

Hinc S. Carolus Bor. Conc. prov. 6. ita inquit; *Itaque Epiſcopi cura ſit pœnis, & cenſuris, quas arbitratu ſuo conſtituet, ſancire, ne ſponſi, priuſquam matrimonium in Eccleſia per verba de præſenti ex ritu celebraverint, non modo ſimul non habitent, ſed ne ullo quidem modo mutua conſuetudine, commerciove utantur.* Similia habent plures aliæ Synodi, quas refert Genettus Theol. t. 5. tract. 9. c. 1. q. 10. Si S. Carolus, multique alii Epiſcopi in ſuis Synodis mutuum ſponſis commercium graviter interdicunt propter ingens libidinis periculum, an iis licere ponunt oſcula, tactus, ut ſenſitivam tantum delectationem inde percipiant? Hic ſcilicet Buſemb. & quos citat, ex arbitrio loquuntur, & licitæ delectationis prætextu anſam ſponſis dant, ut innumeras mortales culpas admittant, & animas perdant.

Sed veniamus ad La-Croixium, quem merito a Concina impugnatum per abrupta Zacharia defendere conatur, Concinam quoquo modo vellicet.

P. Concina Theol. t. 4. p. 434. n. 16. ait: „ Sanchez, „ Nav. & alii docent, tactus hujuſmodi (in partibus „ verendis, aut illis affinibus) culpa gravi carere, ſi „ ſupra veſtes exerceantur. Hanc eamdem opinionem „ defendit P. Claudius La-Croix lib. 3. p. 1. num. 904. „ allegans auctoritatem P. Sanch. " Poſt ſubdit: „ Nec „ audiendus P. La-Croix docens cit. n. 904. veniale „ tantum peccatum eſſe, ſi fiant ejuſmodi tactus ex le- „ vi delectatione tactus veſtium. " P. Zacharia infidelitatis arguit P. Concinam in hujuſmodi citatione; qua fronte, judicet Lector. La-Croixii verba num. cit. 904. hæc ſunt. „ Tactus ſuper veſtes ad partes verendas „ tum eſt mortalis, ſi quæratur delectatio conſurgens „ ex tactu mediato cogitato. Si autem fiat ex petulan- „ tia tantum, aut ex levi delectatione tactus veſtium, „ erit veniale tantum. Sanchez n. 11. „ Ita La-Croix.

An Concina La-Croixio impoſuit? Quæſtio eſt, utrum tactus in partibus verendis ſupra veſtes ſint culpæ mortales? Nonne id aperte negat La-Croixius, dum ait: „ Si autem fiat ex petulantia tantum &c. erit tantum „ veniale. " Nam eos eſſe mortales, ſi quæratur delectatio ex tactu mediato cogitato, nulla quæſtio eſt. Hæc quoad fidem P. Concinæ; paucis nunc P. La-Croixii doctrinam attingamus.

Hypotheſis, qua La-Croix ponit, hujuſmodi tactum ſuper veſtes ad partes verendas fieri tantum ex levi delectatione tactus veſtium, ridicula eſt, metaphyſica, quæ nunquam accidit, & mortales libidines fovere ſolum apta; ideoque hanc hypotheſim merito explodit Concina, dum ait: „ Delectatio hæc non captatur ex „ veſtis contactu; ſiquidem veſtes tangi poſſent in bra- „ chiis; ſed delectatio eſt ex tactu pudendorum veſte „ media. Hanc porro delectationem mortalem eſſe, non „ venialem aſſerimus. " Quid hic carpendum, aut quid non laudandum? *Falſum*, ait P. Zach. *id primo*. Quid falſum? Nonne veſtes tangi poſſent in brachiis? *Fiage*, inquit, *quempiam habere femoralia ex oloſerico, non item alias veſtes; mulier ne tangere poſſet oloſericum in brachiis, ubi non eſt?* Tanta ne cupido eſt mulieri percipiendi delectationem ex tactu oloſerici, ut illud in femoralibus quoque viri, & ſuper ipſius pudenda, quia ibi forte mollius eſt, tangere non dubitet? Quæ id audet, proſtitutam mulierem ego appello. Quo autem nomine eam donatam Zach. qui per ridiculas technas excuſare conatur, velit, ignoro. *Deinde*, ſubdit Zach. *qui dicit, non eſſe, niſi veniale peccatum tactus veſtium ex levi delectatione tactus ipſius veſtium, non negat, delectationem captari poſſe ex tactu pudendorum veſte media, & tum eſſe mortale peccatum; hoc ait, non eſſe mortale peccatum, dato quod unice fiat, ſaltem per poſſibile, ex levi delectatione tactus veſtium.* Hoc ſane nihil eſt, niſi repetitio La-Croixianæ doctrinæ, non ejus defenſio, nec Concinianæ confutatio.

Illud tantum recte ait contra ſuum La-Croixium, *ſaltem per poſſibile*. Satius ergo erat, Zachariam ſilentio rem premere, ſanamque doctrinam ſaltem ſilendo probare, quæ tactus, de quibus loquimur, mortalis criminis damnat, tum quia valde turpes ſunt, tum quia proximum libidinis periculum continent, tum quia ſine libidinis affectu vix fieri poſſunt.

Adde, quod hi impudentiſſimi tactus ſint aperta ſcandala, & invitamenta ad conſummatam libidinem, atque efficaciora, quam ſi vir mulierem, vel contra ad concubitum ore rotundo invitaret; ita ut merito dicere poſſimus, nonniſi inconſiderate, & incaute a nonnullis fuiſſe a letali culpa excuſatos. Nam P. Zacharia ſuum La-Croixium defendendi, & Concinam carpendi ſtudio abreptus, in hunc ſcopulum impegit.

Animadversio X.

Unde concubinarius, ſicut & meretrix, ordinarie non debet abſolvi, niſi dimiſſa concubina, aut &c.

Concubinarius, ſicut & meretrix, non ſolum ordinarie, ſed numquam eſt abſolvendus, niſi prius concubinam dimiſerit. Ratio, ne longior ſim, aperta eſt ex prop. 61. ab Innoc. XI. proſcripta, quæ ita habet. *Poteſt aliquando abſolvi, qui in proxima occaſione peccandi verſatur, quam poteſt, & non vult omittere, quinimo directe, & ex propoſito quærit, aut ei ſe ingerit.* Concubinarius retinens concubinam, eſt ne in proxima occaſione peccandi? quamdiu eam non dimittit, nonne proximam occaſionem peccandi, quam poteſt, & non vult dimittere, ex propoſitio quærit, aut ei ſe ingerit? Hæc ſunt non jura, ſed facta manifeſta. Ergo concubinarium ali-

Digitized by Google

aliquando poſſe abſolvi, concubina non dimiſſa, eſt doctrina incluſa in propoſ. 61. damnata. Illud ergo *ordinarie* non Buſ. emendandum eſt, & illius loco illa particula *nunquam*, licet aliquibus moleſta futura ſit, ſubſtituenda. At nonnulli morum laxatores, hoc eſt, ut ego ſentio, animarum perditores, multa hic ponere, & fingere parati fortaſſe ſunt, non ut animas perdant, quas tamen, dum corruptas doctrinas tuentur, quantum in ipſis eſt, reipſa perdunt, ſed ut Buſembaum, ejuſque anteſignanos defendant. Utilitates, & commoda multa, & gravia concubinario, ejuſque domui ea concubinæ retentione, certam concubinæ miſeriam, ſi dimittatur, cum ea non amplius peccari obtrudent. Reſp. Hæc non ſunt objecta Theologis digna, ſed anilia terriculamenta, & diaboli verſutiæ, ut animas ſuis laqueis irretitas, permittentibus, ſi fieri poſſit, Theologis, & Confeſſariis, non dimittat. An Theologus, & Chriſtianus ignorat, regnum cælorum vim pati, & violentos, maxime, ſi prava peccandi conſuetudine detineantur, rapere illud? Audi rurſus Chriſtum Matth. 18. *Si autem manus tua*, mulier illa, tibi maxime utilis, aut neceſſaria, aut manus, vel pes, *vel pes tuus ſcandalizat te; abſcide eum, & projice abs te &c. & ſi oculus tuus*, mulier illa tibi non minus accepta, aut pretioſa, quam oculus tuus, *ſcandalizat te erue eum, & projice abs te*, &c. *Proxima occaſio peccandi non eſt fugienda, quando cauſa aliqua utilis, aut honeſta non fugiendi occurrit*, eſt propoſ. 62. ab Innoc. XI. proſcripta.

Quid hic hiſcere audes? Concubinarius, inquis, habet firmum propoſitum dimittendi concubinam; ſed quia ſtatim id facere non poteſt ſine ſui honoris detrimento, tantiſper expectandum eſt, ac interim abſolvendus. In his enim cautio, & prudentia neceſſaria eſt. Reſpond. Hæc tua cautio, & prudentia a Chriſto Matth. loc. cit. ejuſque Vicario propoſ. 62. deſcripta, damnata eſt.

Mulier, ais, quam quis retinet, olim concubina, non eſt amplius concubina; cum ea ab aliquot diebus, aut hebdomadis, ut ex ejus confeſſione compertum ponitur, non peccat. Ergo abſolvi poteſt. Reſp. Dæmonis aſtus callidior eſt, quam ut recens Theologia illum aſſequi poſſit. Concupiſcentiam aliquandiu quieſcere, & dormire ex induſtria patitur, ne mulier ad arbitrium, & libidinem viri expoſita, & parata, quæ eſt aperta proxima peccandi occaſio, ejiciatur, & ut Sacramenta ſub aliqua pœnitentiæ ſpecie indigne adminiſtrentur, & accipiantur. Quid quod concubina non ſolum eſt proxima occaſio, ſeu ſcandalum viro, a quo retinetur, verum etiam aliis, qui ea peſſimo illo exemplo in libidines ruendi anſam accipiunt? Sed de his hactenus.

Congreſſus cum alterius ſponſa, quæ eſt fornicatio intra eamdem ſpeciem gravior, & in confeſſione aperienda, ſaltem reſpectu ſponſæ, ut docent &c.

Hactenus recte, dum addas, talem circumſtantiam eſſe in confeſſione manifeſtandam etiam ab eo, qui cum ſponſa fornicatur, quia gravem injuriam, non minus ac ſponſa, ſponſo infert, prolemque incertam efficit, item a ſponſo fornicante cum alia ex ea ratione, quia ſponſam notabiliter lædit. Itaque cum Buſ. ea verſatili mala probabilitate addit, *contra Covar.* &c. *quorum ſententiam (etiam reſpectu ſponſæ) probabilem, & in praxi tutam cenſet Dian.* audiendus non eſt.

Animadversio XI.

Stuprum, hoc eſt defloratio virginis ipſa invita: quia ſi conſentiat, erit tantum fornicatio ſimplex, nec circumſtantia in confeſſione aperienda, ut probat Leſſ. &c. *contra Navar.* &c.

Hæc Buſ. doctrina protſus rejicienda eſt. *Stuprum*, inquit Angelicus 2. 2. qu. 154. art. 6. Sed contra, *proprie conſiſtit in actu venereo, quo virgo defloratur*; idque in c. evincit hoc diſcurſu: *Ubi circa materiam alicujus vitii occurrit aliqua ſpecialis deformitas, ibi debet poni determinata ſpecies illius vitii. Luxuria autem eſt peccatum circa venerea exiſtens. In virgine autem ſub cuſtodia patris exiſtente quædam deformitas ſpecialis occurrit, ſi corrumpatur; tum ex parte puellæ, quæ ex hoc, quod violatur nulla pactione conjugali præcedente, & impeditur a legitimo matrimonio conſequendo, & ponitur in via meretricandi, a quo retrahebatur, ne ſignaculum virginitatis amitteret; tum etiam ex parte patris, qui de ejus cuſtodia ſollicitudinem gerit ſecundum illud Eccli.* 42. Super filiam luxurioſam confirma cuſtodiam, ne quando faciat te in opprobrium venire inimicis. *Et ideo manifeſtum eſt, quod ſtuprum, quod importat illicitam virginum deflorationem ſub cura parentum exiſtentium, eſt determinata luxuriæ ſpecies.* Hanc manifeſtam S. Thomæ doctrinam tuentur Concina Theol. t. 4. p. 460. c. 7. multos pro ea citans, ac præcipue S. Antoninum, Nat. Alex. Theol. t. 2. p. 320. reg. 10. Genettum Theol. t. 7. p. 85. qu. 8. & Wig. tract. 5. ex. 2. n. 35. An virginis conſenſus ſpecialem deformitatem in virginitatis defloratione ſitam tollit? Si virginitatis defloratio ſpecialem habet in luxuriæ genere deformitatem, uti reipſa habet, poſita defloratione neceſſe eſt ut ſpecialis illa deformitas exiſtat, quam nullus conſenſus tollere poteſt.

Si conſenſus virginis ſtupri rationem tolleret, conjugatorum quoque conſenſus adulterii reatum deſtrueret. Eſt enim eadem ratio: quod ſi Buſembau fautores, aut patroni id inficientur, maxime velim, ut diſcrimen aſſignent. Atqui conjugatorum conſenſus adulterii reatum non deſtruit. Illa enim prop. *Copula cum conjugata, conſentiente marito, non eſt adulterium, adeoque ſufficit in confeſſione dicere, ſe eſſe fornicatum*: hæc, inquam, prop. eſt 50. ab Innoc. XI. damnata. Ergo &c.

Vis mulieri illata novam malitiam addit ſeu ſtupro, ſeu adulterio, ſeu alteri cuicumque libidini. *Stuprum vero*, ut ait D. Thom. 2. 2. qu. 154. art. 7. a quo qui ſapiunt, non recedunt, ſed diſcunt, *ſine raptu invenitur, quando aliquis abſque violentiæ illatione virginem illicite deflorat.*

Quia enim virginitas apud Deum, & homines ſpeciale, magnique pretii ornamentum eſt; ejus corruptio culpabilis ſpecialem habet turpitudinem, & deformitatem; quam virginis conſenſus eluere non poteſt. Habet quidem virgo ſuæ virginitatis dominium, at illam ſine ſpeciali turpitudine prodigere non poteſt. Qui eam deflorat, illi quidem injuriam non facit, ſi conſentiat; quia injuria non fit niſi invito; ſpeciale tamen, & inſigne damnum ei infert, ſicuti inſigniter noceret, qui conſentienti manum abſcinderet. Itaque neglecto Buſembao defloratio virginis etiam conſentientis eſt circumſtantia ſpecifica, ſeu ſpeciem mutans; quæ non ſolum juxta Theologos, ſed ex ſacræ Syn. Trid. doctrina ſeſſ. 14. cap. 5. in confeſſione neceſſario explicanda eſt.

Animadversio XII.

Si quæ tamen ſponte diſcedat &c. *non erit proprie raptus, ſed fuga, non addens malitiam* &c.

Fuga voluntaria mulieris cum amaſio inſciis parentibus, atrox ſine controverſia injuria eſt, ipſis parentibus illata: hæc porro atrox injuria, quam tum mulier, tum vir fugientes, parentibus mulieris inferunt, crimen eſt grave, & diſtinctum a ſimplici fornicatione: ergo in confeſſione neceſſario explicandum eſt. Dum id fiat, res bene habet, ſeu raptum appelles, ſeu non. Nec enim de nomine, ſed de crimine in confeſſione agitur. P. Concina Theol. t. 4. p. 468. n. 6. in propoſita ſpecie raptum committi, probabilius putat. Ego illud crimen, furtum mulieris, ſi occulte fiat, appellarem; ſi vero adhibita parentibus aperta vi, raptus eſſet quoad parentes, crimenque atrocius.

Animadversio XIII.

Ubi ex Hurt. probabile dicit, in eodem gradu, & linea, ejuſdem eſſe ſpeciei &c. *& ſatis eſſe dicere, Habui rem cum conſanguinea in linea recta.*

Id in confeſſione dicere, ſatis non eſt, ſed gradus quoque explicandus eſt; quia gradus diverſitas ex communi ſenſu notabile diſcrimen efficit: porro circumſtantiæ notabiliter aggravantes, aut minuentes crimen, in confeſſione neceſſario aperiendæ ſunt ex dicendis ſuo loco. Ergo &c.

Hanc ſententiam tuentur tum Nat. Alex. Theol. t. 2. p. 325. reg. 9. tum Concina Theol. t. 4. p. 476. n. 5.

Ad hanc ſpeciem revocatur tanquam analoga fornicatio cum filia confeſſionis ... quam tamen circumſtantiam in confeſſione exprimendam eſſe, probat S ... Con. Fag. & ceteri probabiliter contra Sa &c.

Illud *probabiliter*, quaſi contraria ſententia improbanda non ſit, delendum eſt, & abſolute dicendum, circumſtantiam filiæ confeſſionis in luxuriæ crimine eſſe neceſſario confitendam. Ita docent quoque Gen. t. 7. p. 93. qu. 13. & Nat. Alex. Theol. t. 2. p. 323. reg. 24. peccatum enim cum filia confeſſionis, ejuſdem gravitatis eſt, ac peccatum cum ſpirituali cognata. Nam Symmachus Papa cap. *Omnes* can. 30. qu. 1. ait: *Omnes, quos in pœnitentia ſuſcipimus, ita noſtri ſunt ſpirituales filii, ut & ipſi, quos vel nobis ſuſcipientibus, vel trinæ merſionis vocabulo mergentibus unda ſacri baptiſmatis regeneravit.* At circumſtantia cognationis ſpiritualis neceſſario in confeſſione explicanda eſt: ergo etiam circumſtantia filiæ Confeſſionis. Hinc eodem cap. ſubditur: *Quapropter hoc ſcelus* (cum filia Confeſſionis) *ſi quis perpetraverit, non ſolum dignitatis honorem amittat, verum etiam uſque ad exitum vitæ ſuæ jugi pœnitentiæ ſe ſubdat.*

Et cap. *Non debet* qu. 1. cit. *Non debet Epiſcopus, aut Presbyter commiſceri cum mulieribus, quæ ei ſua fuerint confeſſæ peccata. Si forte (quod abſit) hoc contigerit, ſic pœniteat, quomodo de filia ſpirituali, Epiſcopus*

quin-

quindecim annos, Presbyter duodecim, & deponatur, ſi tamen in conſcientiam populi devenerit. Ex his perſpicuum eſt, contrariam ſententiam nec probari poſſe, nec eſſe probabilem.

ANIMADVERSIO XIV.

Unde ſacrilegium eſt 1. Omnis actus luxurioſus exterior &c. in loco ſacro, hoc eſt templo, vel cæmeterio.

At quid ſi actus laſcivus interior ſit? Reſp. Non eſt dubitandum, quin deſideria committendi libidines in loco ſacro, ſint ſacrilegia; quæ eſt omnium doctrina, ut monet Concina Theol. t. 4. p. 483. n. 14. Si qui vero in Eccleſia exiſtentes, extra Eccleſiam laſcivias admittere deſiderant, vel ibi moroſis laſcivis cogitationibus immorantur. „ contendunt, inquit Concina, tum non committi ſacrilegium, eo quod Eccleſia ſe teneat ex parte ſubjecti. " Hæ tamen cogitationes, & deſideria obſcœna ex communi Theol. ſenſu quamdam ſacrilegii malitiam induunt, ut idem ait. Quoniam vero hæc circumſtantia ex æquo, & pio ſenſu notabilem deformitatem libidini addere videtur, idcirco in Confeſſione non eſt prætermittenda.

Et probabiliter etiam tactus impudici.

Cur addit *probabiliter*? ut ſcilicet quilibet, prout libuerit, contrariam quoque ſententiam eligat. At nonne tactus impudici in Eccleſia habiti inſignem loco ſacro injuriam evidenter irrogant? Cur ergo ſacrilegi non ſunt? De hoc ſcilicet non eſt dubitandum; imo idem dicendum de oſculis, amplexibus, verbis, aſpectibus impudicis, ut recte docet Concina Theol. t. 4. p. 482. n. 13. 14. quia hæc omnia mortalia peccata ſunt, locique ſacri reverentiæ notabiliter contraria.

Niſi tamen fiat a conjugibus ex neceſſitate, v. g. ad vitandam incontinentiam.

Hanc Buſ. opinionem, quæ multorum eſt, rejicit P. Concina Theol. t. 4 p. 481. n. 12. & S. Antoninus p. 3. t. 1. c. 22. §. 2. qui enumerans caſus, in quibus matrimonii uſus mortalis eſt, ait: *Secundus caſus eſt quantum ad locum, in quo talis actus exercetur, videlicet in loco ſacro. Sive ergo alius locus habeatur, ſive non poſſit haberi* (hæc ad rem noſtram nota) *alius locus ad hoc, certum eſt, quod non licet petere;* (ait certum) *ſed nec reddere tenetur aliud, quod reddi non poteſt ſine irreverentia loci ſacri.* Hæc doctrina ex æquo, & pio ſenſu æſtimata, certa mihi videtur. At Buſ. objicit neceſſitatem. *Niſi ex neceſſitate*, ait. Quænam, quæſo, neceſſitas eſt exercendi operis conjugalis, ut ne ſanctiſſimis quoque templis parcatur? An, niſi exerceatur, vita excedendum eſt? V. g. inquit, *ad vitandam incontinentiam*. Hoc perinde eſt, ac ſi dicat, irreverentiam ſacratiſſimis locis irrogari poſſe, ut incontinentia vitetur. An incontinentia vitari non poteſt, niſi templum profanetur? An ipſe locus omni reverentia ex divino, naturalique jure colendus ſatis non eſt, ut libidinem pietatis freno coerceat? Cur ad preces, & jejunia, & ad ſanctas meditationes non recurritur? Si uxor infirma ſit, nonne a conjugio per menſes, & annos abſtinendum eſt? Quod in ea hypotheſi ex phyſica, in præſenti ex pietatis, & religionis neceſſitate faciendum eſt. *Nam propter hoc* (opus conjugale in Eccleſia peractum) *indiget reconciliatione ſecundum Joannem Andream, quantum eſt ex natura facti; licet per accidens, ſi eſt occultum, non indigeat reconciliatione, quod etiam ponit Hoſtienſis.* Ita S. Antoninus loco cit.

2. *Omnis actus &c. circa quem tamen probabile eſt, non opus eſſe exprimere, utrum fuerit votum ſolemne, an ſimplex.*

Buſ. ait, *probabile eſt*. Hæc verſatilis probabilitas animabus exitioſa, apud Buſembaum frequentiſſima eſt.

Nat. Alex. Theol. t. 2. p. 323. reg. 21. docet, circumſtantiam voti ſimplicis, aut ſolemnis in peccato luxuriæ, eſſe in Confeſſione exprimendam. Eſt enim circumſtantia valde notabilis, ut omnes æqui rerum æſtimatores intelligunt. Simplex enim votum inſtar ſponſaliorum eſt, ſolemne inſtar matrimonii, quo vovens ſuum corpus Deo tradit, & conſecrat. Hinc Innoc. I. ep. 2. ad Victricium Rhotomagenſem Epiſcopum c. 12. de religioſis virginibus ait: *Quæ Chriſto ſpiritualiter nupſerunt.*

Itaque ſicut in peccato libidinis neceſſario exprimenda eſt circumſtantia ſponſaliorum, aut matrimonii, ita circumſtantia voti ſimplicis, & ſolemnis; niſi forte votum ſolemne Confeſſario notum ſit.

Hic ego quidem ſentio, quid arabicis ſpeculationibus aſſueti objicere parati ſint. Sed illud ſatis ſit apud æquos, & probos homines, ut ab inutilibus contentionibus abſtineam, circumſtantiam voti ſimplicis, & ſolemnis eſſe notabilem.

Sicuti neque, ſi duplici titulo ſit ſacrata v. g. &c. quia moraliter eſt una numero malitia.

Cum uterque titulus ſacerdotii, & religionis ſeparatus, ſacrilegam luxuriam efficiat, cur duplex ille titulus in una perſona conjunctus, eſt moraliter una numero malitia? An quia illi tituli uniuntur, ſacri eſſe deſinunt? an quia uniti ſunt, utrumque luxuria non polluit?

Ergo perſona duplici titulo Sacerdotii, & Religionis ſacra, luxuriam admittens, duplex uno actu ſacrilegium admittit. Sed fac, quod ego non concedo, rem hanc eſſe dubiam; nihilominus duplex ille titulus in confeſſione neceſſario exprimendus eſt; quia ſicuti mortalia dubia peccata neceſſario confitenda ſunt, ita neceſſario confitenda eſt circumſtantia, de qua dubitatur, utrum peccatum in genere ſacrilegii, hoc eſt in genere mortali multiplicet. Tandem extra controverſiam eſt, peccatum luxuriæ ea duplici dicto titulo notabiliter gravius eſſe, quam ſi ex uno tantum titulo ſacrilegum ſit. Ergo duplex ille titulus neglecto Buſ. & qui contrarium ſentiunt, neceſſario confitendus eſt; atque ita docent tum Nat. Alex. reg. 22. p. mox cit. tum Concina Theol. t. 4. p. 480. n. 6.

ANIMADVERSIO XV.

Quo caſu cognationis gradum non neceſſario explicari docet &c.

Hi ſcilicet ad laxandum, ſeu, quod idem eſt, ad corrumpendum mores comparati, cum de ſuo loquuntur, audiendi non ſunt. Sicut mox dub. 2. e. 5. dictum eſt, gradus conſanguinitatis, & affinitatis in naturali inceſtu eſſe neceſſario in Confeſſione exprimendos, ita idem dicendum in ſodomitico inceſtu ex eadem ratione.

ANIMADVERSIO XVI.

Non tenetur quis (modo tamen &c.) impedire pollutionem ſponte ſua evenientem.

Abſolute quidem, & fidenter hic loquitur Buſemb. at ejus doctrina mihi valde ſuſpecta eſt. Pollutio enim voluntaria, culpa vacare non poteſt: at pollutio non ſolum voluntaria eſt, cum procuratur, ſed etiam cum permittitur. Ergo &c. Si quis non teneatur impedire quoad fieri poteſt pollutionem ſponte ſua evenientem, multo minus impedire tenebitur obſcænos, & venereos motus ſponte ſua exortos: hoc eſt falſum, & abſurdum: ergo & prius. *Debitores ſumus*, ait Ap. Rom. 8. *Non carni, ut ſecundum carnem vivamus. Si enim ſecundum carnem vixeritis, moriemini: ſi autem ſpiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* Nonne pollutio ſponte ſua eveniens, carnis opus eſt? Ergo qui illam non impedit, nec illi repugnat, ſecundum carnem vivit: ergo juxta Apoſt. morietur. Ergo ut vivat, illud carnis factum ſpiritu mortificare debet.

Dum Buſ., ait „ Modo tamen abſit periculum conſenſus in voluptatem, " fatetur, conſenſum in voluptatem, eſſe culpabilem: at voluptas voluntaria non poteſt eſſe culpabilis, niſi culpabile ſit opus, unde oritur. Hinc voluptates moderati cibi, & potus, & operis conjugalis, culpæ verti non poſſunt: ergo ipſum opus hoc eſt ipſa pollutio, unde voluptas exiſtit, culpabilis eſt, ſi ſit voluntaria: negari autem non poteſt, pollutionem ſponte evenientem fieri voluntariam, dum ei non reſiſtitur: ergo.

Præterea periculum conſenſus in voluptatem, dum ipſa polutio permittitur, abeſſe non poteſt, quia voluptas vehementer ſollicitat animum, imo vero dum voluptas permittitur, voluntas indirecte in eam conſentit, aut etiam directe; quia vult id, unde exiſtit.

At inquit Buſ. ſi non permittatur ſemen effluere, corruptum ſanitatem lædet. Reſp. Id quidem nonnulli medici teſtantur; ſed experientia multorum, qui pollutionem abſque ſanitatis detrimento cohibuerunt, contrarium evincit. Præterea peccare ne licet ſanitatis cauſa?

Itaque in hanc rem pie, ac ſolide dicere mihi videtur Nat. Alex. Theol. t. 2. p. 333. reg. 55. „ Cum autem vigilanti præter voluntatem contingit illa obſcænitas, (hoc eſt pollutio) non ſolum rejiciendæ ſunt & abnegandæ turpes cogitationes, non ſolum mortificatio carnis adhibenda, & divinæ gratiæ auxilium invocandum, ſine qua nemo continens eſſe poteſt, ſed ſiſtenda, & cohibenda, quantum fieri poteſt, ſeminis fluxio. *Quoniam* (inquit piſſimus Gerſonius) *etſi hæc retentio nocere debeat corpori, proderit animæ.* Addit, *naturam alio forte modo ſe allevare*: exemplo puerperarum rem illuſtrat, quibus areſcunt ubera, cum lac elici deſinit, alioquin jugiter ſcaturit, & fluere paratum eſt. *Sic pollutiones iſtæ, & pruritus tutius abſtinendo vincuntur.* " Hactenus ille.

Aut jam captam, v. g. in ſomno, reprimere.

Idem quidem admittitur: *quia*, ut ait D. Th. in 4. d. 9. qu. 1. art. 4. ad 5. *ex quo in dormiendo excitatus eſt motus carnis, non ſubjacet voluntati vigilantis ulterius motus ille, nec reputatur vigilaſſe, quouſque perfectum uſum liberi arbitrii recuperavit.* Et hæc eſt communis ſententia, quam tuetur quoque Concina Theol. t. 4. p. 504. n. 48.

Unde

Digitized by Google

Unde idem admittit Sanch. etiamſi orta eſſet prius ex culpa, modo &c.

Si pollutio ex culpa, e. g. obſcænis cogitationibus, impudicis tactibus &c. vigilantis orta ſit, ejus continuationis permiſſio eſt mortalis culpæ conſummatio. Eſt enim conſenſus in opus natura ſua mortaliter malum.

Animadversio XVII.

Licitum eſt ob finem honeſtum &c. optare ſimplici affectu ſpontaneum &c. modo deſiderium illud &c. ſimiliter licet etiam de ea gaudere &c.

Idem habet La-Croix p. 283. n. 832. quam ſententiam communiorem eſſe, ait.

At ſicuti ex dictis non licet permittere pollutionem ſponte ſua evenientem, ita multo minus eam optare, culpa vacat, aut de ea gaudere. Si tamen ſermo ſit non de ſpontanea pollutione abſolute, ſed de ſpontanea nocturna pollutione, Buſemb. opinio non ſolum a multis, ſed ab ipſo S. Antonino p. 2. t. 6. c. 4. traditur; eique favere videtur ipſe D. Th. in 4. d. 9. qu. 1. art. 4. ad 5. ubi de ea loquens ait: *Si autem placeat, ut naturæ exonerațio, vel alleviatio, peccatum non creditur.*

At Theologi primi ſubſelii, ut Dominicus Soto, Medina, Sylvius, & alli citati tum a P. Concina Theol. t. 4. p. 508. tum a P. Nat. Alex. Theol. t. 2. p. 331. reg. 48. in contrarium abeunt ſententiam: quam ſequuntur cum eruditiſſimo Ballerino iidem ſolidiſſimi Theologi Nat. & Concina.

Ratio Nat. Alex. hæc eſt, quia ex D. Auguſt. & D. Thoma quod licet deſiderare, petere etiam licet; quæ res evidens eſt: atqui petere non licet, ut nocturna in ſomnis pollutio accidat; imo Eccleſia univerſa ex more contrarium petit in hymno Completorii, dum ita orat: *Hoſtemque noſtrum comprime, ne polluatur corpora.* Ergo &c. Præterea pollutio, ſeu ſeminis effuſio ſine concubitu, luxuriæ enormis ſpecies eſt, ſemperque ſeu ex natura ſua mala, quando eſt voluntaria. Eſt autem voluntaria, quando quis eam ex quocumque fine appetit, vel de ea gaudet. Ergo nunquam licet deſiderare nocturnam pollutionem ex quocumque fine, neque de illa gaudere.

Huic ſecundæ rationi reſponderi poteſt, naturalem ſeminis effuſionem non eſſe natura ſua malam, ut ſputum, urina &c. naturæ affectus eſt.

Sed hic merito animadvertitur, naturalem ſeminis effuſionem, eſſe quidem naturæ effectum, non tamen naturæ innocentis, ut urina, ſputum &c. ſed naturæ corruptæ, & rebellantis, ut fornicatio, inceſtus &c. in ebrietate, & aut ſomno admiſſa. Sicuti ergo non ſolum culpa, ſed mortalis culpa eſt, deſiderare fornicationem, inceſtum &c. in ſomno admittenda, vel de iis ſine culpa admiſſis gaudere; ita mortalis culpa videtur deſiderare naturalem in ſomno pollutionem, aut de illa gaudere. „ Et deſiderium hujuſmodi (inquit Nat.) „ carere non videtur peccato mortali. “

„ Convenit penes omnes (ait Concina p. 506. n. 52.) „ illicitam eſſe delectationem de pollutione nocturna „ etiam præterita, quæ ortum duxerit ex tactu proprio, „ vel alieno, aut ex turpi cogitatione etiam in ſomno „ habita; quia tum pollutio non fuit mera naturæ evacuatio, ſed venereæ cauſæ fructus, atque adeo objective mala. “ Sed perinde eſt, ſeu pollutio ex tactu, turpive in ſomniis cogitatione, ſeu ſine his oriatur; quia tactus, turpiſve illa cogitatio omnis culpæ expers ponitur, ipſiuſque naturæ affectus.

Cur tactus, turpiſve in ſomnis cogitatio venerea dicitur, & objective mala, niſi quia ex natura corrupta, & ad venerem prona orta eſt?

At nonne pollutio ſine tactu &c. orta, ex natura corrupta, & ad venerem prona derivatur? An ſi tactus, turpiſve cogitatio, venerea eſt, & objectum malum, ipſa pollutio non eſt venerea, & malum objectum? Itaque non puto admittendam La-Croixii doctrinam, ex qua juxta aliquos *pollutio involuntaria tum tantum retinet malitiam objectivam, & materialem, quando ſequitur ex cauſa non naturali, ſed alia, v. g. ex tactu, turpiloquio* &c. n. 932.

Accedit, quod, cum voluptas ſit operationis, aut apprehenſionis appendix, ſeu conſectarium, quoad moralem bonitatem, & malitiam ſequitur naturam ipſius apprehenſionis, aut operis, ut docent Ariſt. Eth. 7. & S. Th. 1. 2. qu. 34. art. 1. ergo mala eſſe non poteſt, niſi opus ipſum, unde exiſtit, ſit malum: atqui voluptas nocturnæ pollutionis ex ſe mala eſt: ergo ipſa quoque pollutio ex ſe, ſeu natura ſua mala eſt. Deſiderate voluptatem nocturnæ pollutionis, aut de ea gaudere nulla ex cauſa licet, ut omnes fatentur: ergo nulla quoque ex cauſa licet deſiderare ipſam nocturnam pollutionem, aut de gaudere.

Videlicet negari non poteſt, nocturnam pollutionem eſſe opus carnis corruptæ, rebellantis, &, quod hinc conſequitur, qui eam ex quacumque cauſa deſiderant, aut de ea gaudent, eos vivere ſecundum carnem: at Ap. Rom. 8. mox cit. ait: *Si enim ſecundum carnem vixeritis, moriemini; ſi autem ſpiritu facta carnibus mortificaveritis, vivetis.*

Nam quod ad D. Thomam nobis objectum attinet, ipſe nihil hac de re affirmat, ſed aliorum ſolum opinionem profert, dum ait, *peccatum non creditur.*

Animadversio XVIII.

Si quis facturus &c. Hinc non obſtante periculo pollutionis licet feminas oſculari, amplecti juxta morem patriæ, ſi &c.

Morem oſculandi, & amplectendi feminas, eſſe corruptum, ac vitandum, non dubito.

Nam præter ea, quæ ex S. Antonino dicta ſunt dub. 1. c. 3. Deus Proverb. 6. v. 27. & ſeq. ait: *Numquid poteſt homo abſcondere ignem in ſinu ſuo, ut veſtimenta illius non ardeant? Aut ambulare ſuper prunas, ut non comburantur plantæ ejus? Sic qui ingreditur ad mulierem proximi ſui, non erit mundus, cum tetigerit eam.* Hoc divinum oraculum, ſi apertis oculis attente conſideretur, luce clarius nos docet, amplexus, & oſcula mulierum, eſſe proxima libidinis, hoc eſt mortalis peccati pericula, ideoque ordinarie loquendo mortalia peccata. Multo ergo magis ſunt mortalia peccata, ſi inde periculum pollutionis immineat. An pollutio voluntaria, non eſt in ſchola Chriſti apertum mortale peccatum? Lege Ap. 1. ad Cor. 6. *Neque fornicarii*, inquit, *neque adulteri, neque molles, neque maſculorum concubitores regnum Dei poſſidebunt.* Nota illud *molles*. Porro perinde eſt, ſeu pollutio (idem eſt mollities) in ſe, ſeu in cauſa voluntaria ſit; nec enim deſinit eſſe voluntaria, quia in cauſa voluntaria eſt; & ad mortalis peccati rationem ſatis eſt, ſi in cauſa voluntarium ſit: at qui mulieres juxta corruptum patriæ morem oſculantur, amplectuntur cum pollutionis periculo, pollutionem in cauſa volunt: ergo mortaliter peccant. Hinc Nat. Alex. Theol. t. 2 p. 329. reg. 41. recte, & ſolide inquit: „ Cum vero vigilanti, & directe, vel indirecte conſentienti, cauſamve prævisam, quam avertere tenebatur, & poterat, non avertenti contingit pollutio, letale ſemper „ peccatum eſt. “ Itaque non ſolum non peccant, ut male ait Buſemb. qui mulieres oſculantur, amplectuntur ex more patriæ cum pollutionis periculo, ſed mortaliter peccant.

At Buſemb. addit, „ ſi alioqui incivilis habendus eſſet. “ Reſp. Miſera ſane excuſatio, illi prorſus ſimilis, qua duelli acceptatio excuſatur, ne quis a ſtultis ignavus putetur. Nonne ſtulti ſunt, qui hominem pium, peccati periculum fugientem, ſuoque exemplo corruptos mores improbantem, veluti inurbanum traducunt? An non haberi a ſtultis inurbanum, res eſt adeo pretioſa, ut manus, vel oculus? At Chriſtus Matth. 5. ait: *Si oculus tuus dexter ſcandalizat te, erue eum, & projice abs te; ſi dextra manus tua ſcandalizat te, abſcinde eam, & projice abs te.*

Ex mox dictis refellitur quoque La-Croix, qui p. 282. n. 923. refert, nec improbat multos excuſantes a mortali culpa actionem in genere luxuriæ venialiter malam, unde futura prævidetur pollutio; uti ſunt juxta Sporerium ab ipſo citatum ſupplem. ſeu proœm. Theol. t. 2. c. 5. n. 29. *aſpectus, tactus, oſcula, amplexus levitatis, vel curioſitatis tantum gratia obiter facti, aut etiam cauſa voluptatis ſenſibilis captandæ.* Hæc enim doctrina deterior longe eſt, quam mox refutata Buſemb. opinio, in quam proinde merito invehitur etiam P. Concina Theol. t. 4. p. 497. n. 32. eamque improbat ipſe Buſemb. hic c. 6.

Animadversio XIX.

Quod ſi res illa ſit cauſa tantum remota &c. qualis eſt ex. gr. &c. crapula, ebrietas etiam mortalis (modo &c.) ſecuta pollutio non eſt mortale. Idem docet La-Croix n. 924. imo probabilius putat, nullum eſſe peccatum contra caſtitatem.

Ego quoque fateor, pollutionem ortam, & prævisam ex cauſa, ut ajunt, remota, & per accidens, uti eſt crapula, ebrietas, omniſque actio mala ad luxuriæ genus non pertinens, aut eſſe letalem culpam, aut nullam. At valde abſurdum, ac ſano, pioque ſenſui repugnans videtur, pollutionem, quam prævidi, & cui cauſam, quæcumque hæc ſit culpabiliter præbui, nullam eſſe culpam: ergo dicendum eſt, eſſe mortalem culpam.

Hujuſcemodi pollutio, ex cauſa, ut ajunt, remota, & per accidens profecta, aut eſt involuntaria, aut voluntaria: ſi involuntaria eſt, omni culpa vacat. At ſi voluntaria eſt, ex Ap. mox cit. eſt mortifera culpa: at ipſis adverſariis fatentibus eſt voluntaria, quia ponunt, cau-

Digitized by Google

cauſam ſponte, & culpabiliter ipſi fuiſſe præbitam. Qua ergo ratione, ſeu fronte negant, eſſe culpam mortalem? *Quia*, inquit Buſemb. *tu talem rem conſentiens, non ideo velle cenſetur effectum*. Reſp. Hoc ſane non eſt probabile, ſed aperte falſum, & ſophiſticum. Ille enim reipſa, & evidenter in effectum conſentit, qui ejus cauſam, quam vitare poteſt, & debet, quæcumque ea ſit, vult, & ponit: at crapula, ebrietas, & alia, ſunt, & ponuntur cauſæ pollutionis, quæ ex his deri-vanda prævidetur; rurſus hæ cauſæ vitari non ſolum poſſunt, ſed debent; quia vel malæ ſunt, vel inutiles: ergo qui eas vult, in pollutionem evidenter conſentit.

Quid ad hæc? Apud La-Croixium Sporer, Sanchez, & alii, peccari venialiter ajunt, cum cauſa luxuriæ, quam quis ſponte ponit, & directe vult, eſt cauſa per accidens, & indirecta, quæ non eſt in materia luxuriæ.

At hæc quoque reſponſio, ſeu ratio eſt aperte ſophiſtica, quia eſt aperta petitio principii. Quæſtio enim præſens eſt, utrum quæ vult pollutionem in cauſa ad luxuriam non pertinente, mortaliter peccet: qui ergo dicunt, hunc mortaliter non peccare, quia cauſa, quam vult, ad luxuriam non pertinet, ridicule, & aperte principium petunt. An res morales ridiculis, apertiſque captionibus tractandæ ſunt? An ridiculæ, apertæque captiones mortalia peccata non ſolum apud homines, ſed etiam apud Deum excuſant?

Qui prævidet ex ſua ebrietate rixas, & blaſphemias, non ſolum ebrietatis, ſed rixarum, & blaſphemiarum reus eſt: ergo ſi ex ſua ebrietate luxuriam, puta pollutionem prævideat, pollutionis reus eſt. An venialiter tantum peccat, qui pollutionis reus eſt? Venialiter ergo tantum peccabit ille quoque, qui rixarum, & blaſphemiarum reus eſt. *Nolite*, inquit Ap. ad Eph. 5. *inebriari vino, in quo eſt luxuria*. Non excuſat Apoſtolus, ut probabiles opinatores, luxuriam ex ebrietate ortam, ſed præcipit, ut ebrietas vitetur, quia ab ſebrietate luxuria oritur. Sed Buſemb., La-Croix, & quos citant, lectorem credulum, & ſcholaſticarum vocum, ac cavillationum minus peritum illis vocibus *remote*, *per accidens*, *indirecte* decipiunt.

Quoad mores, effectus malus per accidens contingere, ſeu culpæ non imputari dicitur, cum præter opinionem, & vim cauſarum contingit: at cum pollutio ex crapula, ebrietate, aliiſque hujuſmodi prævidetur, hæc præter opinionem, nec præter vim cauſarum contingit: ergo pollutio per accidens non contingit, ſed culpæ imputatur. Perinde ſane eſt quoad culpam pollutionis, ſeu ex ebrietate, & crapula, ſeu ex oſculo, & amplexu mulieris oriatur; quia pollutio non eſt diverſa pro cauſarum diverſitate, ſed prorſus eadem: ſed pollutio orta, & prævia ex oſculo, & amplexu mulieris ex dictis ad c. 5. eſt mortalis; quod Buſemb. ipſa hic fatetur, ſi oſcula, amplexus, aſpectus &c. turpes ſint, & laſcivi: ergo mortalis quoque eſt, ſi ex aliis culpabilis cauſis oriatur.

Addunt quidam DD. hanc regulam, pollutionem in cauſa volitam tantum eſſe peccatum, quantum eſt ipſa, ut &c.

Buſemb. varias opinationes propinat, ut lectoris non utilitati, ſed genio conſulat. Prædictam regulam rejicit P. Concina Theol. t. 4. p. 500. n. 39. & mox dicta explodunt. Pollutio ex ſe nec indifferens eſt, nec venialis tantum culpa; quia ſi res indifferens ex ſe eſſet, ex quacumque cauſa orta, culpæ non verteretur; rurſus ſi eſſet tantum ex ſe culpa venialis, non evaderet mortalis, quia ex mortali culpa derivaretur; nec enim culpa venialis, ut mendacium officioſum, riſus ineptus, fit mortalis, quia ex mortali crimine oritur. Ergo pollutio ex ſe mortalis eſt; quod docet Ap. 1. ad Cor. 6. *Neque fornicarii, neque adulterii, neque molles &c. regnum Dei poſſidebunt*. Hinc porro efficitur, ut pollutio a mortali crimine non excuſetur, ſeu in ſeipſa, ſeu in cauſa voluntaria ſit, ſicuti accidit in aliis ſeralibus culpis. Cur enim aliæ mortales culpæ, mortales eſſe non deſinunt, etiamſi in cauſa tantum voluntariæ ſint, pollutio vero voluntaria in cauſa, mortalis non eſt?

Apoſtolus molles e regno Dei excludit ea ratione, qua fornicarios, & adulteros. Sicuti ergo fornicatio, & adulterium etiam in cauſa voluntaria ab eo excluduntur, ita quoque mollities, ſeu pollutio.

ANIMADVERSIO XX.

Pollutio in ſomno facta, eſt mortalis. 1. ſi ante directe &c. eſt procurata, & cauſa non eſt retractata.

Etiamſi cauſa pollutionis retractetur, nihilominus mortalis culpa fuit admiſſa, eo ipſo quod ejus cauſa ſponte fuit poſita: culpa vero ſeu mortalis, ſeu venialis ſemel admiſſa, voluntatis arbitrio amplius non ſubeſt; quia contradictorium eſt, infectum fieri, quod factum jam fuit. Hæc non probabilia, ſed evidentia ſunt.

Quando poſt ſomnum placuit &c. propter delectationem &c. alias non.

Illud *alias non* ex dictis c. 4. videtur falſum. Nam gaudium de objecto mortali, & mortaliter malum, fieri non poteſt veniale, quia objectum placet, non ut tale, ſed propter bonum inde profectum. Alioquin ex hac ratione a mortali excuſaretur gaudium de fornicatione, adulterio, morte proximi &c. ſi fornicatio, adulterium &c. placerent, non quatenus talia, ſed quatenus utilia. Hæ præciſiones ad culpam minuendam nihil habent viſium; quia voluntas inquinatur ex objecto, quod appetit, aut quo delectatur, quale eſt in ſemetipſo, non quale apprehenditur. *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea*; nec per præciſiones ab inquinamento immunis fit.

Nunc tranſeundum erat ad ſeptimum Decalogi præceptum. At P. Zacharia ſuis interlocutionibus nos revocat, ut a ſeriis meditationibus ad ludrica animum convertentes, illum tantiſper recreemus.

La-Croixius p. 281. num. 916. ita ſcribit. „ Taberna „ p. 2. t. 1. c. 3. §. 5. dicit, puellam non peccare, ſi „ ob evidens periculum mortis, vel ingentis infamiæ „ non adhibeat omnia omnino media ad depellendum „ ſtupratorem, v. gr. ſi hunc, cum poſſet, non occi„ dat, “ (hoc ſane nefarium eſt) „ ſi non inclamet „ viciniam, ſed mere patiatur coitum, *tamen ſecluſo o„ mni periculo conſenſus*. „ (Quod eſt impoſſibile) „ Et licet hanc propoſitionem “ (a Clero Gallicano anno 1700. proſcriptam) „ editis libris teneant A. A. plu„ res, quam 50. &c. tamen non expedit, eam publice „ proponere, aut defendere, quia apta eſt cauſare abu„ ſus, præſertim apud rudes. “

Hactenus La-Croixius; at hic ſubdit P. Zacharia: *P. Concina t. 4. p. 456. ait, P. La-Croix hæc docere ex Buſemb., & Taberna; utique ex viſus ſui imbecillitate id ſcripſerit bonus Concina. Nam La Croix hic citat ſolum Tabernam*. Vere, &, ſi vis, feſtive. At cur Zacharia de re minutiſſima, ac nullius momenti tam glorabunde triumphat, ac ſi Romanos Carthaginenſes devici ſſent? Sunt ne hæc gravis Theologi, an vani, & ridiculi hominis? *Cetera*, inquit Zacharia, *quæ congerit hic idem Theologus* (Concina) *adverſus Auctorem noſtrum* (La-Croixium) *ſunt oppido ridicula*. Audiamus hæc oppido ridicula P. Concinæ, levandi animi cauſa. *Ait P. La-Croix, non eſſe hanc doctrinam publice defendendam, nec proponendam. Cur ergo, inquit Concina, proponitur, & vi Probabiliſmi defenditur?* (Concina hic addit, *dum non impugnatur*, quod a P. Zacharia omiſſum, illum in malæ fidei ſuſpicionem adducit.) Sed audiamus Zachariam indignabunde inclamantem: *Ita ne vero? Ab eo defenditur propoſitio iſthæc, ab eo, inquam, qui negat, eam eſſe defendendam? At ſaltem La-Croix illam publice propoſuit*. Non ſolum publice eam propoſuit, ſed cum ſit verſatilis opinator, eamque a pluribus quam 50. A. A. teneri dicat, nec impugnet, eam defendit veluti rectam morum regulam. Id vult Concina, dum ait: “ Cur ergo „ proponitur, & vi Probabiliſmi defenditur, dum „ non impugnatur? “ Idque idem Concina merito reprehendit.

Habes ne, Zacharia, aliquid quod hic carpas? *Nego*, inquit Zacharia, hoc eſt negat doctrinam typis impreſſam, & recuſam, publice fuiſſe propoſitam. Negat ſcilicet veritatem luce clariorem.

„ An, inquit Concina, libri typis impreſſi, & re„ cuſi in angulo, in cryptis latitant? “ Hic Zacharia magis rhetoricis figuris, quam theologicis doctrinis aptus, iterum exclamat: *O præclarum Theologum! qui non intelligit, id unum iis Claudii noſtri verbis denotari, non eſſe eam propoſitionem populo, & rudibus præſertim explicandam, non eſſe diſſeminandam in vulgus*.

At ſi hæc propoſitio vera, & ſolida, eſt, cur populo opportune, & prudenter tradi non poteſt? An veritas, caute & prudenter populo tradita, nocere poteſt? His verbis Zacharia cum ſuo La-Croixio ſatis oſtendunt, non eſſe huic doctrinæ fidendum, quam populo tradi nolunt, eam tamen typis evulgant, nec improbant, hoc eſt probant; ſeu, ut verſatilium opinatorum moris eſt, ſibi contradicunt.

At nobis ſatis ſit, Zachariam auſum quidem fuiſſe in Concinam inepte invehi, at ſanam ejus doctrinam attingere auſum non fuiſſe; ac reliqua, quæ hoc loco adjicit, negligamus.

Nam P. Concinam juxta æquos rerum æſtimatores ſolidæ, ac ſanæ Theologiæ, ac ſacræ eruditionis laude adeo excellere putem, ut P. Zacharia (abſit invidia verbo) ab eo hanc doctrinæ rationem diſcere debeat, nec illi impugnando par ſit.

Miſ-

Miſſis P. Zachariæ in hanc meam animadverſionem nugis a me in eadem jam præoccupatis, & refutatis, illud in mea La-Croixiani textus parentheſi, quod *eſt impoſſibile* reprehendit, ajens: „ Non quidem impoſſi„ bile eſt, ut tu ex tripode pronuntias, puellam il„ lam coitum pati ſecluſo omni periculo conſenſus, „ ſed longe difficillimum. “ Reſp. Id ſane impoſſibile eſt; quod tu, mi Zach., pro tua ſola confidentia inſcite negas; conſenſum vero a puella non præſtari, longe difficillimum; & quia hoc alterum eſt longe difficillimum, illud primum hoc eſt periculum ſecludi, eſt omnino impoſſibile. Tu, qui arabicis diſtinctiunculis tantopere delectaris, has omitte, & ubi diſtinguendum eſt, diſtingue, hoc eſt diſtingue hic periculum a conſenſu; tuumque erratum, meique dicti veritatem percipies.

In alteram ejuſdem La-Croixiani textus meam parentheſim *a Clero Gallicano anno* 1700. *proſcriptam* ita garrit.

„ Quod ſi Clerus Gallicanus eam propoſitionem pro„ ſcripſit, ut ais, gratulor equidem Dominico Soto „ Doctiſſimo Dom. Theolog., & Goneto præterea „ verſatilium (uti enim ſemel liceat vocabulo quo de„ lectari te maxime video) opinionum reprehenſori, „ qui, cum hanc ipſam Doctrinam propugnarint ille lib. 5. „ de juſt. q. 1. a. 5., hic de act. humanis diſp. 1. n. 39., „ nec præterea (quod prudentiſſime a La-Croixio fa„ ctum) caverint, ne ex ea palam propoſita abuſus „ oriantur, multo gravius Jeſuita peccarunt. “

Reſp. Hoc, mi Zach., ut dixi, garrire eſt, non theologice diſputare. Si Theologi, quos nominas, ſentiendo, ut affirmas, (qua de re eos conſulere mihi rurí ſcribenti non licet) peccarunt, & multo gravius tuo La-Croixio peccarunt te fatente, quoad doctrinam, de qua ſola lis inſtituenda eſt, lis finita eſt. Quod ſi de indicata Cleri Gallicani proſcriptione dubitas, Natalis Alex. Gallus Theol. eruditiſſimus t. 2. Theol., app. altera pag. lv. n. 44., hanc propoſitionem his verbis conceptam affert. „ In hac vi, & metu infamiæ, „ mortiſque poterat Suſanna dicere: non conſentio „ actui, ſed patiar, & tacebo, ne me infametis, & „ adigatis ad mortem..... forte Suſanna id vel neſcie„ bat, vel non cogitabat. Sic enim honeſtæ, caſtæque „ virgines putant, ſe eſſe reas, ſeque conſenſiſſe le„ nonibus, ſi non clamore, manibus, totiſque viribus „ reſiſtant..... potuiſſet Suſanna in tanto periculo „ infamiæ, & mortis negative ſe habere, ac permit„ tere in ſe eorum libidinem, modo interno actu in eam „ non conſenſiſſet, ſed eam deteſtata & execrata fuiſ„ ſet; quia majus bonum eſt vita, & fama, quam „ pudicitia. Unde hanc pro illa exponere licet.

CENSURA (Cleri Gallicani 1700.)

Hæc propoſitio temeraria eſt, ſcandaloſa, caſtarum aurium offenſiva, erronea, & legi Dei contraria.

P. cxix. ait. „ Zach. ſæpius in hiſce tuis animad„ verſionibus ſugillatur. Viderit illa, num e re ſua „ eſſe ſentiat, te pro meritis caſtigare, vicemque ama„ rulento convitiatori rependere.

In poſtremam vero meam periodum ita loquitur. „ Miſerum certe Zachariam, ſi a Concina Theologicæ „ doctrinæ, & Sacræ eruditionis rationem diſcere de„ beat, nec illi impugnando par ſit! Nemo eorum, „ qui conviciorum plauſtra in Jeſuitam hunc ſuæ So„ cietatis vindicem conjecerunt, illum ſexcentis libel„ lis contumelioſius, quam tu pauciſſimis hiſce verbis la„ ceſſivit.... tu vero, tantillus cum ſis, ſi cum il„ lis conferaris, hunc ipſum Zachariam auſus es ad „ Concinæ magiſterium veluti tirunculum quemdam „ amandare. “

Reſp. Ne mihi quæſo, mi Zach., iraſcaris, ſed tuis ſcriptis. Non te, quem diligo, & cujus virtutes, ſi mihi notæ eſſent, laudarem, ſed tua ſcripta tum in meis animadverſionibus, tum in earum vindiciis reprehendo. Nec enim commendare debeo, quæ reprehenſione digna cenſeo; nec tacere, ne meum ſilentium ſanæ doctrinæ damnum afferat. Cæterum tuas quoque laudes, ubi res id ferebat, ſilentio non præterii.

At vicem, mi Zach., rependere amarulento convitiatori, cujuſmodi ego non ſum, ſenſus eſt non chriſtianus, ſed judaicus, & ethnicus.

Ad P. Concinam vero ego tantillus, & nihili te miſi non quaſi tirunculum, ſed ut ſanioris Theologiæ, a qua tua ſcripta aliena ſunt; rationem in tuam, & aliorum ſalutem animo imbiberes, & imites, ſacra latis eruditione, vivido ingenio, dicendi arte, multaque lectione te inſtructum eſſe, omnes norunt. At cum his, mi Zach., abutaris, negotium quidem tua calliditate, figuris, artificiis, involutis diſcurſibus, arabicis diſtinctiunculis, arcanis dictionibus faceſſis tuis adverſariis; at nec Concinæ, nec aliis rite impugnandis par eſſe unquam poteris; quia contra ſanam doctrinam, & veritatem, ut corruptos opinatores tuearis, ſtare non dubitas. Utinam tandem aliquando conſilium mutes.

Sed te, mi Zach., parumper miſſo, ad clariorem nocturnæ pollutionis notitiam hæc addo.

Primo „ Si quis per cogitationes, tactus, aſpectus, „ vel quaſcumque alias delectationes venereas habitas „ ante ſomnum, intendat pollutionem in ſomno, cer„ tum eſt, quod illæ delectationes præter malitiam, „ quam in ſe habent, etiam contrahant malitiam pol„ lutionis, ſive in illa poſtea ſequatur, ſive non. “ Ita ipſe La-Croix t. 1. p. 183. n. 929., & res ex ſeipſa loquitur.

Secundo „ convenit penes omnes, peccare mortali„ ter eum, qui aliquam ex recenſitis cauſis “ (quæ ſunt venialis cibi, vel potus exceſſus, curioſus mulieris aſpectus, otioſum cum fæmina colloquium) „ appli„ cat eo animo, ut inde pollutio (nocturna) ſequa„ tur “ Concina Theol. t. 4. p. 503. n. 45. idem dicas, ut Nat. Alex. Theol. t. 2. p. 331. reg. 46. 47., & Buſ. hic ajunt, ſi quis calidis cibis veſcatur, vel certo modo in lecto ſe componat, vel aliud quippiam faciat ea intentione, ut pollutio in ſomno contingat. Ipſa enim prava luxuriæ voluntas, mortifera ſine dubitatione culpa eſt.

At quid, inquis, ſi prædictas cauſas vel innoxias, vel veniales eo quidem fine adhibeat, ut nocturnam efficiant pollutionem, non tamen propter veneream voluptatem, ſed propter ſanitatem? Reſp. hac de re animad. xvii. dictum eſt.

Tertio venialis cibi, aut potus exceſſus, non fit mortalis, quia pollutio in ſomnis inde orta putetur. Hac de re nec probabiles, nec probabiliores Theologi, ut Nat. Alex. Theol. t. 2. p. 330. reg. 45., & Concina Theol. t. 4. p. 503. n. 44. dubitant; eſtque perſpicua D. Thomæ doctrina 2. 2. q. 154 a. 5., & p. 3. q. 80. a. 7., quæ ex mox dicendis clarior evadet.

Quarto nullo modo peccat qui ſine culpa, puta ex naturæ ſuperfluitate, aut imbecillitate, ex neceſſaria, aut utili venereorum peccatorum lectione, ex dæmonis turpia ſomnia excitantis nequitia, aut ſimilibus cauſis pollutionem in ſomnis patitur. Res ſeipſa loquitur; quia talis pollutio nec in ſe, nec in cauſa culpabilis eſt; idque explicate docet D. Th. locis mox citatis; quod nemo in dubium vocat, non La-Croix t. 1. p. 183. n. 930., non Nat. Alex. Th. t. 2. p. 330. reg. 45., non Concina Th. t. 4. p. 503. n. 46.

Hactenus dicta certa ſunt.

Sed hic primo quæritur, utrum culpa venialis in genere luxuriæ, ut curioſus mulieris aſpectus, otioſum cum ea colloquium, pollutionem, quæ inde in ſomno oriri putetur, mortalem noxam efficiat. La-Croix loco mox cit. ex Sporer negat. D. Th. 2. 2. q. 154. a. 5. ait, *quod nocturna pollutio dupliciter poteſt conſiderari: uno modo ſecundum ſe, & hoc modo non habet rationem peccati;* quia in ſomno *ratio non habet liberum judicium...., & ideo, quod agit homo dormiens, non imputatur ei ad culpam, ſicut illud, quod agit furioſus, aut amens. Alio modo poteſt conſiderari nocturna pollutio per comparationem ad ſuam cauſam, quæ poteſt eſſe triplex.*

Prima eſt corporea, uti ſpermatis abundantia: altera animalis interior, ſicuti eſt peccatorum carnis cogitatio.

Tertia eſt ſpiritualis exterior, ut dæmon phantaſmata commovens.

Quælibet porro harum cauſſarum vel culpabilis eſt, vel culpa vacat. Si cauſa ſit culpabilis, nocturna pollutio ex S. Doctore culpæ rationem habet ex *ſua cauſa, vel ex parte ſuæ cauſæ:* Ergo majorem culpam habere non poteſt, quam ſua cauſa. Ex quo fit ut mortalis eſſe nequeat, ſi cauſa ſit ſolum venialis.

Præterea ſi pollutio ex culpa veniali in genere luxuriæ profecta, mortalis dicatur, mortalis quoque eſſet, ſi ex levi peccato alterius generis oriretur; at conſequens eſt falſum, nec ab adverſariis admittitur: ergo Prima propoſitio; quia inter cauſas ad luxuriam, & ad aliud peccati genus pertinentes quoad malitiam cauſarum, ut cauſæ ſunt, nullum diſcrimen eſt, ut oſtendi animadverſione 19. hinc S. Th. hujus diſcriminis neceſſatio memorandi, ſi extaret, nullam habet mentionem.

Adde, quod S. Doct. cit. artic. ita concludit. *Sic igitur patet, quod nocturna pollutio, nunquam eſt peccatum, ſed quandoque eſt ſequela peccati.*

Quod nunquam peccatum eſt, ſed ſolum quandoque ſequela peccati, poteſt ne eſſe lethale peccatum? Huic doctrinæ repugnare videtur P. Concina Theol. t. 4. p. 503. n. 44., ubi ait: „ Ex curioſo, & familiari aſpe„ ctu, vel etiam otioſo colloquio cum muliere experi„ ris pollutiones: (nocturnas) nulla prorſus cauſa ad„ eſt, talem ſive ſpectandi, ſive alloquendi mulierem. „ Quod ſi nihiloſecius eam alloqui, & videre volun-

Q „ tarie

„ tarie pergas, hoc in caſu gravi culpæ tibi pollutio-
„ nes verterem, quia cauſa illa, quæ abſolute eſt le-
„ vis, evadit tibi gravis reſpective, & comparate ad
„ naturæ tuæ conditionem. Accedit, quod, ut ſupra
„ dictum eſt, qui hujuſmodi cauſas nec utiles, nec ne-
„ ceſſarias non evitat, animi ſui propenſionem in pol-
„ lutionem manifeſtat. “ Reſp. At ipſa non repu-
gnat; quia fatetur, cauſam illam ad luxuriam perti-
nentem, abſolute levem eſſe, etiamſi inde nocturna pollutio extiterit. At dum eam cauſam ponere pergis, non eam tantum, ſed effectum ipſum velle videris; in qua voluntate gravitas culpæ ineſt.

Hinc idem Concina cit. num. 44. His verbis abſolvit. *Et, ut paucis rem comprehendam, & ſcrupuli omnes, ac perplexitates abigantur, ſtatus perſonæ bene moratæ, aut depravatæ, regula erit ſecatur, unde eruere valeas, quando, nec ne pollutio dicenda letalis erit.* Si nocturna pollutio juxta P. Concinam ex veniali luxuriæ noxa orta, letalis ex ſe eſſet, talis foret, ſeu ex bene morato, ſeu ex depravato homine proficiſceretur, & regula ab ipſo tradita ſupervacanea foret. Ergo juxta P. Concinæ mentem nocturna pollutio, etiam ex luxuriæ veniali culpa profecta, non eſt ex ſe letalis, ſed ſolum, cum ejus fœditatis voluntas accedit, quam ipſe in ſpecie, de qua loquitur, jure ſuſpicatur.

Quæritur ſecundo, utrum dicta pollutio ex mortali crapula, aut ebrietate exiſtens, mortalis ſit.

Reſp. Tum Nat. Alex. t. 2. p. 330 reg. 45., tum Concina Theol. t. 4. p. 500. n. 39., & p. 502. n. 44. affirmant; & uterque D. Thomam appellant 2. 2. q. 154. ar. 5. (idem habet p. 3. q. 80. a. 7.) ex iis D. Thomæ verbis a me recitatis, *tunc nocturna pollutio habet rationem culpæ ex ſua cauſa*, ſeu ex *parte cauſæ ſuæ*.
„ Nam, inquit Concina, ut ex univerſo articuli con-
„ textu patet, ſermonem ibi habet S. Thomas de pol-
„ lutione, quæ in ſua cauſa eſt peccatum mortale, ſi
„ cauſa fuerit letalis. Arguit enim abſolute ex mali-
„ tia cauſæ malitiam effectus. “

Reſp. Articuli contextus a me ob oculos poſitus mox fuit; ex quo malitiam effectus ex malitia cauſæ argui ex S. Doctore non poſſe puto eo ſenſu, ut in nocturnæ pollutionis mortali cauſa duplex mortalis ſit culpa, altera cauſæ, altera ipſius pollutionis. Id certe ex D. Thomæ ratiocinatione non colligitur, multoque minus ex concluſionis verbis, quæ ſunt, *tunc nocturna pollutio habet rationem culpæ ex ſua cauſa: & ſic patet, quod nocturna pollutio habet rationem culpæ ex parte cauſæ ſuæ.*

Ex his perſpicuum mihi videtur, S. Doctorem conſiderare nocturnam pollutionem, & ſimul cauſam, unde oritur, culpamque ſolum agnoſcere in cauſa, non in ipſa.

Juxta S. Doctorem *nocturna pollutio nunquam eſt peccatum*. Non eſt peccatum, inquis, in ſe, ſed ex parte cauſæ, ſeu comparate ad cauſam ſuam. Id ego quoque concedo. Ergo ne eſt peccatum mortale, ſi ex mortali cauſa oriatur? Eſt ſane ex parte ipſius cauſæ, non tamen ipſa quoque; quia ipſa *nunquam eſt peccatum*. Unum in hac ſpecie mortale peccatum agnoſco, non duplex. Quia ipſa *pollutio nocturna nunquam eſt peccatum; ſed quandoque eſt ſequela peccati præcedentis*. Aliud eſt, quod pollutio oriatur ex peccato, ſeu ſit *ſequela peccati*, quod S. Doct. affirmat, & nemo negat, aliud quod ex peccato orta, peccatum, & mortale peccatum evadat; quod S. Doctor nec hic, nec alibi affirmat, ſed contrarium.

Et ſane abſurdum eſt, innoxium effectum ex mortali culpa ortum, mortaliter noxium fieri; cum ne actio quidem venialiter mala, mortalis evadat, ſi ex mortali crimine proficiſcatur. An riſus immoderatus, verbum incongruum, & alia ſimilia ex ebrietate orta, gravia peccata evadunt? At hic forſaſſe inquiet aliquis: nocturna pollutio *materialiter* gravis culpa eſt. Quid eſt *materialiter* gravis culpa eſt? Poteſt eſſe materia, ſeu objectum gravis culpæ. At quid inde? Inde ſcilicet fit, ut ſi quis eam optet, ſeu de induſtria efficiat, aut efficere conetur, mortaliter peccet; non item, ut, ſi a mortali culpa exiſtat, ipſa quoque mortalis culpa ſit, a ſua cauſa diſtincta.

Non malitia cauſæ in effectum non malum, ſed malitia effectus in cauſam ex ſe non malam, hoc eſt quæ mala non eſſet, ſi non eſſet cauſa, refunditur.

Si ebrietas, quatenus cauſa dictæ fœditatis, mortifera eſſet, quæcumque alia ejuſdem cauſa, mortalis foret, quia quæcumque alia cauſa, illud idem habet, quod ebrietas, quatenus cauſa. Conſequens eſt falſum, & abſurdum: ergo & antecedens.

Audiatur iterum Angelicus Doct. p. 3. q. 80. a. 7., in quo quærit, *utrum nocturna pollutio aliquem impediat a ſumptione* Euchariſtiæ.

Quamvis, inquit, *nocturna pollutio ſecundum ſe conſiderata, peccatum mortale eſſe non poſſit, nihilominus tamen ratione ſuæ cauſæ quandoque habet peccatum mortale annexum*. Non ait, ſit peccatum mortale *ratione ſuæ cauſæ*, *ſed habet mortale peccatum annexum; &* ideo, ſubdit, *conſideranda eſt cauſa pollutionis nocturnæ.*

De pollutione nihil, de cauſa tantum S. Doct. ſollicitus eſt. Tum explicatis tribus nocturnæ pollutionis cauſis, quas ſupra expoſui, ſubjicit. *Quælibet autem harum trium cauſarum poteſt & ſine peccato, & cum peccato veniali, vel mortali exiſtere, & ſi quidem ſit ſine peccato, vel cum peccato veniali, non ex neceſſitate impedit ſumptionem hujus ſacramenti*. Hic non diſtinguit inter cauſas veniales ad luxuriam, & ad alia vitia pertinentes, ſed abſolute, ſine ulla limitatione ait, quod ſi cauſa *ſit cum peccato veniali, non ex neceſſitate impedit ſumptionem hujus ſacramenti*; quæ verba confirmant, quod primæ huc propoſitæ quæſtioni, *ſed hic primo quæritur*, reſpondi. *Si vero*, pergit S. Doct., *ſit cum peccato mortali, impedit ex neceſſitate*. Eodem ſcilicet modo conſtanter loquitur, & malitiam cauſarum pollutionis conſiderat ex ſua ipſarum natura, non ex effectu, hoc eſt malitiam cauſarum in effectum refundi non vult.

Ipſa ſacra Scriptura, ſolam corporis fœditatem legali ritu purgandam in nocturna pollutione agnoſcit. Nam Deut. 23. v. 10. inquit. *Si fuerit inter vos homo, qui nocturno pollutus ſit ſomnio, egredietur extra caſtra, & non revertetur, priuſquam ad veſperam lavetur aqua, & poſt ſolis occaſum regredietur in caſtra*. Huic oraculo concinit Eccleſia in hymno Completorii, *hoſtemque noſtrum comprime, ne polluantur corpora*, ait *corpora*, non animæ.

Enim vero ſi mortales culpæ, ut ebrietas, novam mortalem noxam contraherent, cum nocturnæ fœditatis cauſæ ſunt, eam contraherent, etiamſi pollutio poſtmodum forte impediretur; quia peccatum in cauſa admittitur, cum cauſa ponitur. At conſequens tum ex ſe abſurdum videtur, tum quia infinita confuſio tum in pœnitentibus, tum in confeſſariis inde exiſteret, non intelligentibus, quandonam mortales culpæ, cauſæ fuerint pollutionis; cum enim ſperma naturæ opus ſit, ignorare nos neceſſe eſt, utrum ex præcedentibus culpis in ſomno fluat, an ex diaboli nequitia, vel ex naturali cauſa. Hinc S. Doct. de præſcriptione hujus fœditatis nunquam meminit.

Tandem ſi mortales culpæ duplicarentur, cum pollutionis cauſæ ſunt, duplicarentur quoque, cum venereorum tactuum, & ſomniorum etiam ſine pollutione, imo ſomniati homicidii, furti &c. cauſæ exiſterent. Nam nullum diſcrimen eſt quoad mores ſeu malitiam inter nocturnam pollutionem, & alia ſomniata gravia crimina, ſed ſolum ex corporis fœditate, & mentis diſtractione, quam pollutio parere ſolet, ut docet S. Th. p. 3. q. 80. a. 7. ad 5., ubi ſubdit: *Si tamen ſomnium homicidii proveniat ex cauſa, quæ eſt peccatum, præſertim mortale, impedit a ſumptione hujus ſacramenti ratione ſuæ cauſæ*. Eodem modo loquitur S. Doct. de cauſa homicidii ſomniati, ac de cauſa pollutionis; ex quo aperte intelligitur ex mente S. Doctoris, mortalem cauſam pollutionis non eſſe duplicem mortalem culpam, ſi mortalis cauſa ſomniati homicidii duplex culpa non ſit, ſicuti reipſa non eſt.

At objicies, qui cauſam vult, effectum quoque vult; Ergo qui cauſam nocturnæ pollutionis vult, ipſam pollutionem vult: qui ipſam pollutionem vult, mortaliter peccat: ergo &c.

Reſp. Hæc ratio nimis probat. Hinc enim fieret, ut nocturna pollutio non ſolum ex quacumque veniali culpa, ſed etiam ex inculpabili actione orta, mortalis eſſet; quod eſt certo falſum.

Qui cauſam vult, effectum quoque vult, at non in ſe, ſed in cauſa. Qui vult pollutionem in cauſa, mortaliter non peccat, quia non vult peccatum in cauſa; cum pollutio, de qua ſermo eſt, non ſit peccatum. Sed hac de re lubrica, & difficili hactenus.

TRACTATUS V.

De ſeptimo Præcepto.

Non furtum facies.

CUM hoc prohibeatur omnis injuſta damnificatio in bonis proximi, quæ fit, 1. per furtum, & rapinam, 2. per omiſſionem reparationis damni illati, 3. per iniquitatem contractuum; de his tribus hic agendum.

CA-

CAPUT I.

De furto.

DUBIUM I.

Quid ſit furtum, & quale peccatum?

REſp. Eſt occulta, & injuſta rei alienæ ablatio, invito rationabiliter domino. (a) Quod ſi res ſit ſacra, dicitur ſacrilegium, de quo ſupra. Si aperte cum vi fiat, eſt rapina, a furto ſpecie diſtincta. Licet autem furtum, ceteris paribus, quam rapina, levius ſit, & ex genere ſuo minimum inter ea, quæ circa proximum committuntur, eſt tamen mortale, ſi quantitas ſit notabilis. Ita commun. omnes. V. Bon. *d. 7. q. 8.*

Unde reſolves.

1. *Qui alienum accipit per jocum, vel ob bonum,*
ANIMAD. I. *aut commodum illius, a quo accipit, non furatur.* v. gr. ſi uxor auferat mariti pecunias, ne ludis, aut comeſſationibus prodiget; aut vinum, ne inebrietur: aut librum hæreticum, ne leget: *aut famulus det eleemoſynam non nimis magnam valde indigenti, in qua dominus rationabiliter non ſit invitus,* a quo tamen ob verecundiam, vel aliam cauſam non audeat petere. V. Leſſ. *l. 2. c. 12.*

2. Qui pro ſe, vel alio in extrema neceſſitate conſtituto alienum accipit, quantum neceſſarium eſt, nec furatur, nec tenetur reſtituere poſtea ſic abſum-
ANIMAD. II. ptum: ſiquidem re, & ſpe indigens fuit. *Idem docent Leſſ. l. c. d. 4. Malder. Diana, &c. de neceſſitate gravi.* Verum id probabilius alii negant cum Laym. *l. 3. t. 3. p. 1. c. 1. n. 7.* ex S. Thom. 2. 2. *q. 66.* a. 7. Sylve. Ang. V. Dian. *t. 1. p. 2. t. miſc.* R. 2. Card. Lug. *d. 16. ſ. 7.*

ANIMAD. III. 3. *Nec item furatur, qui accipit in compenſationem juſtam, ſi aliter ſibi debitum accipere nequeat: v. g. ſi famulus juſtum ſtipendium non poſſit aliter obtinere; vel inique inductus ſit ad ſerviendum inique pretio.* Vide Laym. *l. c.* & Tol. *l. 5. cap. 15.*

DUBIUM II.

ANIMAD. IV. *Quæ ſit quantitas notabilis ad mortale peccatum?*

Variæ ea de re ſunt ſententiæ. Nav. nimis ſcrupuloſe ſtatuit medium Regalem: alii nimis laxe 10. aureos, moderatius Tol. Med. Leſſ. &c. duos Regales: etſi minus ſufficiat, ſi notabiliter noceat.

Reſp. Ea non mathematice, ſed moraliter metienda eſt, non tantum ex valore rei ablatæ, ſed etiam ex circumſtantiis perſonæ, cui aufertur: ſi nimirum ei grave damnum infertur, aut ſaltem caritas chriſtiana graviter læditur, quomodo reſpectu valde divitis, imo etiam Regis, unus, vel alter aureus notabile quid videtur: reſpectu vero mediocriter divitum, quatuor circiter Regales, ſive medius Imperialis; reſpectu mechanicorum duo; reſpectu pauperis, unus. Ita nunc pleriquc cum Bonac.

Unde reſolves.

1. Grave peccatum eſt auferre rem parvam domino valde proficuam, verbi gratia, ſartori acum, quam unicam habet, nec habere aliam poteſt, qua ſe alat. Leſſ. *lib. 2. cap. 12. d. 8.*

2. Grave item eſt (etſi non in ſpecie furti) ſi fur ſciat ex jactura rei parvæ domino ſecuturam valde magnam moleſtiam, v. g. quia valde ad eam afficiebatur, nec ſimilis recuperari poteſt: niſi tamen res ſit nullius prorſus momenti. V. Bon. *d. 2. q. 8. p. 1.*

ANIMAD. V. 3. *Plus requiritur ad notabilem quantitatem in rebus, quæ ultro proveniunt, & ſunt valde expoſitæ, v. g. fructus ad viam publicam.* V. Leſſ. *l. c.*

ANIMAD. VI. 4. *Plus item, ſi quis e diverſis, vel ab uno interpolatim parva, & plura furetur.* Vid. Leſſ. *l. c. n. 46.*

DUBIUM III.

Quam graviter peccet, qui multa minuta furta committit?

Reſp. Hic quoque quantitas læſionis, vel damnificationis, *quæ fit proximo, & quam fur intendit,* (b) eſt menſura quantitatis peccati. Vide Leſſ. *l. c.* Sanch. *l. 7. c. 21.*

Unde reſolves.

1. *Si quis ex occaſione tantum furetur, ſive uni, ſive* ANIMAD. VII.
pluribus, modicum, non intendens notabile aliquid acquirere, nec proximo graviter nocere ſingulis furtis, non peccat graviter, neque ea ſimul ſumpta unum mortale conſtituunt: poſtquam tamen ad quantitatem notabilem pervenit, eam detinendo, mortaliter peccare poteſt. Leſſ. *d. 7.* Sanch. *l. 7. c. 21.* Bon. *q. 8. p. 2. Verum & hoc mortale evitabit, ſi vel tunc reſtituere non poſſit, vel animum habeat paulo poſt reſtituendi ea ſaltem, quæ tunc accipit.* Gran. Dian. *p. 3. t. 6.* R. 25.

2. *Si autem per plura parva furta uni, vel pluri-* ANIMAD. VIII.
bus facta habeat intentionem paulatim ditefcendi, vel inferendi grave damnum, peccat graviter ea intentione: ac, licet executio ſingulorum ſit tantum venialis ex ſe, ut tamen ſubſtet tali intentioni, eſt continuata executio peccati mortalis: Leſſ. *l. 2. c. 12. d. 7.* Sanch. *l. c.* quia nocent graviter Reip. & praxis illa valde pernicioſa eſt ſocietati humanæ, v. gr. ſi ſartor particulas panni a diverſis ſurripiat; ſi mercatores utentur brevioribus ulnis, &c. *Interim hi excuſantur ſubinde a gravi peccato.* 1. *Ex eo, quod dictum eſt caſu primo.* 2. *Si id faciant, ut ſe ſervent indemnes, vel quia alias non lucrarentur, vel pretium augere deberent, & tunc non invenirent emptores.* Roſella ver. *Emptio.* 3. *Si aliter non habeant, unde ſe, vel ſuos alant.*

3. Si plures ſimul, vel ſucceſſive plura furta parva alicui faciant, quæ ſimul ſumpta graviter illi noceant; tunc, ſi alter de altero non ſciat, nullus peccat graviter: v. gr. ſi viatores ex vinea unam, alteramve uvam rapiant, & comedant: *etſi hoc li-* ANIMAD. IX.
cere dicant Covar. Vel. & Ripa contra Dian. p. 3. t. 6. R. 30. Si autem ſinguli conſpirent, ſinguli graviter peccant. *Si denique de ſe mutuo ſciant, nullus tamen alteri ſit cauſa furti, probabilius eſt non eſſe mortale, ut docent Leſſ. Tan.* &c. contra Suar. Vaſq. V. Bon. *l. c.*

DUBIUM IV.

Quid ſentiendum de furtis domeſticorum, vel amicorum?

Reſp. Licet vere furtum ſit, ſi uxor, liberi, amici, ſervi patrisfamilias invito quid auferant, *plerumque tamen major quantitas requiritur,* (c) ut ſit mortale, cum plerumque hic dominus aut non rationabiliter invitus, aut ſaltem minus invitus ſit, ut ab his, quam ab aliis, auferatur: vel, etſi valde invitus ſit, ſæpe tamen id fiat, non tam ratione rei acceptæ, quam modi accipiendi clam, aut ratione finis, ob quem accipitur, v. gr. ad ludendum, potandum, &c. V. Cajet. v. *Furtum.* Leſſ. *cap. 12. n. 76.*

Unde reſolves.

1. Uxor graviter peccat, (*d*) *ſi notabilem ſummam accipiat,* invito marito, etiam ex dote, vel bonis communibus; quia licet media pars ad eam ſpectet, maritus tamen habet uſumfructum illius partis, ideoque tenetur ad reſtitutionem. Trull. *l. 7. c. 6. d. 8. n. 7.* &c.

2. Similiter peccat graviter maritus contra juſtitiam, cum obligatione reſtituendi, ſi aliquid notabile uxori ſuripiat, abſque ejus conſenſu, ex bonis ipſius paraphernalibus, vel aliis propriis, ſiquidem libera eorum adminiſtratio ipſimet uxori competat; quia par eſt ratio mariti, & uxoris quoad bona propria. V. Villab. *t. 2. d. 13.* Trull. *l. 6. c. 1. d. 9.*

3. *Uxor poteſt dare eleemoſynam, & munera, ſecun-* ANIMAD. X.
dum conſuetudinem aliarum mulierum iſtius loci, & conditionis, etiamſi maritus eleemoſinas omnes illi pro-

bilem; quia conſuetudo hoc jus ei tribuit, quo maritus eam privare non poteſt. ibid. n. 13. Dian. *p.* 1. *t.* 3. *R.* 22. & *p.* 5. *t.* 8. *R.* 34. *ubi cum Mol. & decem aliis docet, poſſe eam inſcio marito dare vigeſimam partem annui cenſus, vel lucri; eo quod hoc pertineat ad decentiam ſtatus, & maritus irrationabiliter ſit invitus.* Hinc etiam poteſt cum Abigail moderatas eleemoſynas dare, ut mariti converſionem impetret, vel ne Deus illum puniat. Vaſq. Bonac. Regin. & alii decem contra Con. &c. V. Dian. *p.* 2. *t.* 16. *R.* 23. & *p.* 5. *t.* 8. *R.* 34.

4. Uxor poteſt bona expendere, marito abſente, vel fatuo: quia tunc ad illam ſpectat adminiſtratio domus: item quæ acquirit ſua induſtria: item paraphernalia, hoc eſt bona, quæ præter dotem marito allatam, ſibi reſervavit. Trull. *l. c.* & cet. commun.

5. Non peccat uxor, ſubducendo aliqua, vel compenſationis cauſa, ſi vir ſit prodigus: quia is tunc facit uxori injuriam, partem ipſius profundendo: vel pro victu, veſtibus, cæteriſque ſibi, vel familiæ neceſſariis, quæ mariti ſæpe non intelligunt, & fruſtra ab illis peterentur. Bon. Trull. *l. c.*

Animad. XI. 6. *Uxor, ſi ejus pater, mater, vel proles ex alio matrimonio ſit pauper, ita ut miſere ſecundum ſtatum ſuum vivant, & maritus eis nolit ſuccurrere, poteſt ex bonis ſuis propriis, vel etiam ex communibus (dummodo poſt mortem viri omnia computet in ſua parte) eis ſubvenire, quia jure naturæ tenetur eos alere, & maritus in id conſentire.* Nav. Pal. Leſſ. *l.* 2. *c.* 12. *d.* 14. Dian. *p.* 5. *t.* 8. *R.* 34. ubi illam poteſtatem extendit ad fratres, & ſorores, quod etiam Leſſ. *l. c.* & Trull. *l.* 6. *c.* 1. *d.* 9. judicant probabile.

7. Filius peccat graviter, invitis parentibus, notabilem ſummam accipiens, (*a*) qualis non ſemper eſt ſecundum Leſſ. *c.* 12. ſi filius patri prædivti duos, vel tres, imo ſecundum Sanchez, quinque, vel ſex aureos furetur: eo quod parens ſit minus invitus, & filius ſit aliquid patris. Unde non tenebitur ad reſtitutionem, niſi forte cohæredibus graviter noceat,

8. Si filius notabilem ſummam expendat in res turpes, aut vanas, contra voluntatem parentum, ex pecunia ſibi ſuppeditata ad uſus honeſtos, putat Leſſ. *c.* 22. *d.* 13. eum peccare mortaliter; etſi excuſet a reſtitutione, ſi pater rogatus facile condonaturus putetur,

Animad. XII. 9. *Si filius v. g. mercatoris, vel cauponis adminiſtret bona parentis, poteſt a patre exigere ſalarium, quantum dare deberet extraneo, & ſi id impetrare non poſſit, vel exigere non auſit, poteſt clam accipere.* Ita probabiliter Laym. *l.* 3. *ſ.* 5. *t.* 4. *c.* 8. Dian. *p.* 4. *t.* 4. *R.* 66.

10. Etſi famuli in eſculentis, & poculentis, quæ domo exportant, aut divendunt, graviter peccent;

Animad. XIII. *qui tamen ipſi domi conſumunt, in iis facilius* (uti & Religioſi) *excuſantur*; cum in his dominus, aut Præfectus ſæpe tantum ſit invitus quoad modum accipiendi clam, non quoad rem. Quod tamen timeri poſſet, ſi extraordinaria acciperentur. Laym. Eſc. & Leſſ. *d.* 2. *c.* 12. *d.* 9. *n.* 48. *ubi docet, quod furta minima famulorum ex comeſtibilibus, quæ claudi non ſolent, non coaleſcant, ſi non ad vendendum, ſed ad comedendum tantum accipiantur.*

11. Cum a gravi peccato furtum domeſticum non poteſt excuſari, tunc uxor tenetur reſtituere ex paraphernis, filius ex caſtrenſibus, vel quaſi, vel, ſi ea non habet, poſt mortem patris aſſerta in diviſio-

Animad. XIV. nem hæreditatis, *ſi quantitas rei ablata ſit valde magna, nec pater reſtitutionem tacite, vel expreſſe dimiſerit. Famuli vero ſi ſine magna difficultate reſtituere non poſſint*, jubeantur compenſare officiis, & obſequiis extraordinariis, quantum poſſunt. Laym. *l.* 3. *t.* 3. *p.* 1. *c.* 1.

Notæ.

(a) Ex S. Thoma 2. 2. q. 66. a. 3. *Propria ratio furti eſt, ut ſit occulta acceptio rei alienæ.* Illud *invito Domino* communiter additur, illudque habet quoque S. Th. q. 62. a. 8. perſpicuitatis, non neceſſitatis gratia. Nam ſi dominus conſentiat in acceptione rei ſuæ, acceptio non eſt Domino occulta, ſed nota. Illæ particulæ *injuſte rationabiliter*, reipſa vacant. Nam eo ipſo, quod alienum occulta accipitur, injuſte, & Domino rationabiliter invito accipitur. Hæc obiter animadvertere operæ pretium fuerit, ne genuina furta ſpecioſis titulis palliata a furti reatu excuſentur.

(b) *Quæ ſit proximo, & quam fur intendit* &c.

Hæc ita accipienda ſunt, ut peccati menſura ex ſola damni intentione ſumenda ſit, etiamſi damnum reipſa non inferatur, aut contra ex ſolo damno reipſa illato, quæcumque ſit damnifici intentio.

Buſ. Quid aliter ſentit; ſed animad. 7. refutatur.

(c) *Licet vere furtum ſit, ſi uxor, liberi* &c., *plerumque tamen major quantitas* &c.

Licet hæc doctrina tolerabilis videatur, dum habenæ nimis non laxentur; ſanior tamen mihi videtur ſententia Concinæ Th. t. 4. p. 577. n. 3. ajentis. „ Admiſſa vera juſtitia inter Patrem, & filium, quando „ nullo modo præſumi prudenter poteſt conſenſus Pa„ tris in filii acceptionem, non video, cur poſſit aſſi„ gnari major quantitas in furto filii, ac in furto ex„ tranei. "

Hujus ſententiæ eſſe videtur S. Antoninus, (apud Gen. t. 7. p. 177.) qui p. 2. t. 1. c. 15. §. 1 ait. *Si filiusfamilias abſtulit de bonis Parentum contra voluntatem eorum, furtum commiſit; & ſi eſt quid notabile, mortale eſt.* Ait *quid notabile* abſolute ſine ulla additione, aut comparatione cum aliorum furtis. Huc ſpectat illud Prov. 28. *Qui ſubtrahit aliquid a Patre ſuo, vel a matre, & dicit hoc non eſſe peccatum, particeps homicidæ eſt*, hoc eſt prædonum ſocius: ergo idem, ac ipſi, furando peccatum peccat. Et ſane ſi vere furtum eſt, ut veriſſime ait Buſ., quod a filiis, uxoribus, ut tales ſunt, admittitur, cur grave furtum non eſt, quod reipſa tale eſt? Illa Buſ. verba, *cum plerumque hic dominus aut non rationabiliter invitus, aut ſaltem minus invitus ſit, ut ab his, quam ab aliis, auferatur*, mihi vacant, aut etiam contra ipſum pugnare videntur. Sunt enim miſeræ conjecturæ; mihi certe, ſi Pater eſſem, major injuria a filiis, quibus ego pro ſtatus ratione conſulerem, irrogata in eorum furtis videretur, quam ſi ab aliis mihi eadem, aut etiam amplior ſumma eriperetur; quia filiorum, quam aliorum injuriæ, meum animum longe vehementius exulcerarent.

Nam quod Buſ. ſubdit, *etſi valde invitus ſit, ſæpe tamen id fiat* &c. id nihil prorſus eſt. Nam certe ea ratione Paterfamilias invitus eſt, quia clam, hoc eſt eo non conſentiente accipitur. Nam ſi conſentiat, furtum non ſolum non eſt mortale, ſed nullum.

In eo ipſo ſicuti furti natura, ita ejus gravitas ſita eſt, quod clam accipiatur. Quod ſi clam acceptum in aleas, ebrietates, & ſcelera, ut fieri ſolet, inſumatur, peccatum peccato additur, non autem in hoc ſolum furti reatus conſiſtit.

(d) *Uxor graviter peccat, ſi notabilem ſummam* &c. recte.

Buſ. *Quia licet media pars ad eam ſpectet* &c. hic forte Buſ. aliqua municipalia ſtatuta innuit. Nam non ſolum media, ſed tota dos quoad ſortem principalem ad uxorem ſpectat. At hoc ad rem noſtram nihil.

(e) *Filius peccat graviter invitis Parentibus notabilem ſummam accipiens.* Vere; idque intellige, ſeu una, ſeu pluribus vicibus ſummam notabilem ſurripiat.

Buſ. *Qualis non ſemper eſt* &c. hic ex arbitrio loquitur, & falſo; ſi, ut ſupra rationabiliter animadvertimus, eadem ſumma ſit notabilis quoad filium, quæ quoad alios alienos notabilis eſt. Ab his arbitriis ſacri miniſtri ſibi cavere debent, illudque in mente habere *ſapiens timet, & declinat a malo: ſtultus tranſilit, & confidit.* Prov. 14.

Animadversio I.

Qui alienum accipit per jocum, vel ob bonum, aut commodum illius, a quo accipit, non furatur.

Qui joco alienum accipit, non ut illud ſibi vindicet, ſed ut per breve tempus occultet, hic ſane non furatur; nec peccare videtur, ſi perſonarum, ac rerum circumſtantiæ, talem jocum non eſſe injurium ſuadeant.

At qui per jocum rem alienam accipit invito domino, ut eam ipſe habeat, diabolice jocatur, & furtum admittit. Nec enim quia ſcelera per jocum fiunt, ſcelera eſſe deſinunt: porro accipere rem alienam invito domino, ut quis eam habeat, eſt apertum furti ſcelus: ergo quia joco fit, tale eſſe non deſinit.

Vel ob bonum &c.

Furtum ex D. Thom. 2. 2. qu. 66. a. 3. in eo proprie conſiſtit, *ut ſit occulta acceptio rei alienæ*. Porro non ſunt facienda mala, ut eveniant bona ex Ap. doctrina: ergo a furti crimine non excuſantur, qui alienum accipiunt ob bonum, & commodum illius, a quo acci-

accipiunt; ut ſi qui e. g. pecuniam elam eripiant prodigis, feneratoribus, & aliis, qui ea in ſui, & aliorum damnum abutuntur. Nam licet rationabiliter in eo inviti non ſint, ut peccandi opportunitas, & facultas iis ſubtrahatur, ſunt tamen rationabiliter inviti, ut pecunia propria ſine ſuo conſenſu ſpolientur.

Uxor quidem, quæ familiæ curam gerere debet, jusque habet ut viri pecuniis ſuſtentetur, excuſari poterit, ſi, cum precibus, & admonitionibus nihil agat, pecunias ei auferat, ne ludis &c. eas prodigat, quas illa in familiæ neceſſitates impendat, aut impendendas conſervet. Hoc enim modo & ſibi, & viro, & familiæ conſulit.

At famulus, ſicut quilibet alius, ut docet D. Thom. 2. 2. qu. 66. a. 7. ad 3. poteſt quidem de bonis domini ſuccurrere patienti extremam neceſſitatem, cum ipſe de ſuis non poſſit; non tamen, ut Buſemb. falſo ait, *valde indigenti*. Nam illa propoſitio, *Permiſſum eſt furari non ſolum in extrema neceſſitate, ſed etiam in gravi*, ab Innoc. XI. n. 36. proſcripta eſt. Quod ſi ad propriam magnam, ſeu gravem indigentiam levandam furari proſcriptum eſt; multo magis ad alienam.

Hinc cap. *Forte* cauſ. 14. qu. 5. dicitur: *Forte aliquis hoc ſecum cogitat, & dicit: multi ſunt Chriſtiani divites, avari, cupidi; non habebo peccatum, ſi ſuum illis abſtulero, & pauperibus dedero. Etiam in hac re parcat unuſquiſque animæ ſuæ. Quia hujuſmodi cogitatio ex diaboli calliditate ſuggeritur. Nam etiamſi totum tribuat pauperibus, quod abſtulerit, addit potius peccata, quam minuat.* Videlicet quicumque ſibi rei alienæ dominium uſurpat, peccat. Nam in extrema neceſſitate, & quoad hanc omnia ſunt communia; nec qui pro ſua vita tuenda accipit pecuniam in aliena poteſtate exiſtentem, alienum accipit, ſed ſuum, quia jus naturæ vitæ conſervandæ elidit proprietatem bonorum ex gentium jure derivatam.

Animadversio II.

Idem docent Leſſ. &c. de neceſſitate gravi.

At hæc doctrina ab Innoc. XI. propoſit. 36. mox deſcripta, damnata eſt; nec probabilis, ut eam ponit Buſemb. haberi poteſt.

La-Croix p. 285. n. 957. ait: „ Si neceſſitas gravis „ ſit urgens, recte docent Lugo n. 254. Leſſ. &c. pri„ vato eſſe licitum ſurripere neceſſaria ad illam ſuble„ vandam; nam ſecundum dicta l. 2. n. 195. tum cen„ ſetur extrema eſſe moraliter præſens, cum ſit proxi„ ma, aut hæc illi ſit æquivalens, & ideo hanc ſen„ tentiam dicit eſſe certam Tamb. §. 1. “

La-Croixius perperam confundit gravem neceſſitatem, ſi urgens ſit, cum extrema, ut ſuorum probabilium doctrinam a proſcriptione eximat, ideoque poſt recitata mox deſcripta verba x P. Concina Theol. t. 4. p. 555. n. 14. ita refellitur. „ Leſſius, Lugo, & alii docuerunt „ opinionem proſcriptam ab Eccleſia. Et P. La-Croix „ illos citat, tamquam Auctores opinionis, quæ ſit tu„ ta conſcientiæ regula. Quantumvis neceſſitas gravis, „ ſit urgens, ut eſt illa amittendi honorem, decidendi „ a proprio ſtatu, ſubeundi gravem infamiam, & hu„ jus generis aliæ, numquam licitum efficitur furtum; „ quoniam hujuſmodi neceſſitates nullum vitæ pericu„ lum afferunt, & ideo non tranſiliunt limites neceſſi„ tatis gravis. At P. P. Viva, & La-Croix, ne dica„ tur, Leſſium, & Lugo docuiſſe theſim proſcriptam, „ illam vana diſtinctione eludunt. Nemo utique Theo„ logorum docuit, in neceſſitate communiter dicta li„ citum eſſe furtum, ſed ſolum in neceſſitate valde „ gravi. In hac neceſſitate licitum eſt furtum ſecun„ dum P. P. Viva, & La-Croix. Nihil ergo, quod do„ cuerint Theologi chriſtiani, ſed ſolam chimæram a „ nemine productam damnavit Eccleſia. “

Ita Concina: audi nunc Zachariam, qui num. cit. ita loquitur. *Hic etiam* (in doctrina La-Croixii, de qua ſermo eſt) *ſui ſimilis eſt Concina Theol. &c. dum cavillatur, hanc doctrinam incidere in propoſit. 36. ab Innoc. XI. damnatam. Propoſitio loquitur de gravi neceſſitate generatim. Quid cum illa commune neceſſitati urgenti?*

Hæc ſcilicet thraſonica verba ſunt hominis aerem verberantis, & imponere contendentis. P. Concina jam præoccupavit in verbis mox recitatis P. Zachariæ infirmam, & ſophiſticam illam reſponſionem, *propoſitio* (damnata) *loquitur de gravi* &c. Quid refellam ego miſeram objectionem jam in antecessum ab illo ipſo refutatam, cui objicitur? Jam dixi, & nunc repeto, P. Zachariam, P. Concinæ impugnando imparem eſſe, nec, cum illum coarguendum ſuſcepit, ſatis conſideraſſe, *quid valeant humeri, quid ferre recuſent.*

Legat P. Zacharia, ejuſque fautores totam quæſtionem 20. p. 553. & ſeq. Theol. t. 4. a P. Concina evolutam; ac tum demum ſanam ejus Doctrinam, ſi poſſunt, refellant.

Hic vero in iis, quæ idem P. Zach. num. 952. in P. Concinam contorquet, immorandum non puto, tum quia doctrinam non attingunt, tum quia La Croixium a pyrrhoniſmo, ut Zach. inaniter contendit, defendere nequeunt. Ipſe enim La-Croixius ſe pyrrhonicum palam fatetur, cum ſe verſatilem opinatorem profiteatur. Adde, quod Zachariæ dicta adeo minuta, nulliuſque momenti ſint, ut illa refutare idem ſit, ac operam perdere. Demum Zachariæ dicta huc omnia ſpectant, ut, ſi fieri poſſit, oſtendant, La-Croixium in eam ſententiam Coninchii pronum eſſe, ut vir nobilis in extrema laborans neceſſitate, eleemoſynam petere teneatur, uti revera tenetur, contra ac falſo opinantur Leſſ., Caſtrop., Dicaſt. ab eodem citati. At etiamſi La-Croix hujuſmodi veram ſententiam probet, contrariam tamen aperte non improbat, ideoque juxta ſuum opinandi modum probat. Sed adeo ne otioſi ſumus, ut in his tricis tempus terere debeamus?

Animadversio III.

Nec item furatur qui accipit in compenſationem juſtam.

De occulta compenſatione actum eſt ſupra tr. 3. c. 2. d. 4. Reſp. 2. c. 2. & 3.

At La-Croix p. 286. num. 965. compenſationi occultæ locum dat, „ cum rem tibi debitam non facile poſ„ ſis obtinere ... Tum autem, inquit, non potes fa„ cile obtinere ſi deberes per litem, vel publicam pot„ eſtatem cogere eum magnis expenſis, vel jactura ami„ citiæ, & gratiæ tibi multum utilis, uti cum aliis „ notat Tambur. §. 1. n. 3. ubi cum Diana dicit non „ fore mortale, quamvis deſit hæc conditio: e contra „ Molin. dicit, fore mortale. “

En La-Croixianus phyrrhoniſmus, *ubi cum Diana* &c. *e contra Mol. dicit* &c. qui in oculos ſæpiſſime incurrit, & a quo Zacharia neſcio qua fronte La-Croixium purgare conetur.

Sed hic quærimus a La-Croixio, cur occultæ compenſationi locum det, cum res debita facile obtineri non poteſt? Id enim affirmat, nulla ſuæ affirmationis addita ratione; quod ſane repugnat primis principiis hominum mature, & caute loquentium. Nam, ut Logici ajunt, *affirmantis eſt probare*. Itaque ejus aſſertio confutatione non indiget; ſed unico verbo *Nego* ſatis refutatur. Expectanda ergo eſt ratio La-Croixianæ aſſertionis, ac tum demum refutatio neceſſaria erit.

Quamquam autem La-Croixiana aſſertio refutatione non indigeat; attamen, ne chriſtianus populus, ac præſertim Confeſſarii ſpecioſo illo titulo, *uti cum aliis notat Tamb.* decipiantur, illam habes confutatam loco a me hujus animadverſionis initio, citato. Eam quoque refellit P. Concina Theol. t. 4. p. 562. num. 7. hac ratione ſane legitima, & ſolida his verbis concepta. „ Si ordo juſtitiæ a legitimo Judice exercendæ non ca„ dit ſub gravi obligatione, omnia ſuſdeque pertur„ bantur, & Reſpublica fraudibus, furtis, doliſque re„ pletur. “

P. Zacharia animoſus vir huic rationi ita reſpondet num. cit. 965. *Ne timeas*: (veluti Dux, aut Imperator ſuis probabiliſtis animos facit, ne ratione vinci ſe ſinant) *diſtingue, ſi ordo juſtitiæ non cadit unquam ſub gravi obligatione, omnia ſuſdeque perturbantur, concede: ſi ordo juſtitiæ non cadit ſub gravi obligatione, tum etiam quum ſi illum ſerves, magnæ tibi ſint faciendæ expenſæ, vel ſubeunda jactura amicitiæ, & gratiæ non qualiſcumque, ſed tibi multum utilis, nega.*

Concede, inquit Zacharia; hoc eſt, concedit ſaltem ſuum La-Croixium, qui paucis verbis duo errata complectitur, in eo decipi, ut probet, non eſſe mortalem reatum, ſi quis occulta compenſatione tum quoque utatur, cum rem debitam aliter obtinere facile etiam poſſit; quod ſane erratum neceſſe eſt, ut exiguum non ſit, cum ſocii quoque & amici ſui Zachariæ aures offendat.

At quoad alterum periodi membrum, quo La-Croixium defendere conatur, perinde eſt, ac ſi dixerit, vim obligandi in legibus a notabili ſubditi utilitate pendere; quæ notabilis utilitas ſi cum lege conciliari non poſſit, non utilitas legi, ſed lex privatæ utilitati cedere debet. Hæc eſt P. Zachariæ Concinianæ rationis impugnatoris Theologia.

Præterea ſi magnæ expenſæ in lite faciendæ, & jactura amicitiæ, aut gratiæ valde utilis eximunt ab ordine ſanctiſſimo legum, & populorum omnium, ut nemo propria auctoritate ſibi jus faciat, cum ſæpe accidat, ut vel magnæ expenſæ faciendæ ſint, vel hæ expenſæ ſint magnæ reſpectu creditoris pauperis, aut crediti non magni, vel ſubeunda ſit jactura amicitiæ, ſeu gratiæ valde utilis, aut raro, aut numquam famulis, artificibus, operariis &c. pro ſuæ mercedis compenſatione ad Judices recurrendum erit. Hinc porro fit, ut fa-

Digitized by Google

muli, artifices &c. pro arbitrio ſibi credita aut fingant, aut amplificent, ac Rempublicam, ut dicit P. Concina, fraudibus, furtis, doliſque repleant. His malis occurrere ſe putat La-Croix, dum pro occulta compenſatione poſtulat, non ſolum ut debitum ſit certum num. 962. ſed etiam *ut vir valde doctus, multum prudens, ac verſatus in re morali judicet certum eſſe, quod tali homini fiat injuria* n. 974.

Hic P. Concina Theol. t. 4. p. 560. num. 1. ita ait: ,, Idem docent Caſuiſtæ alii non pauci. Hæc opinio nobis laxa videtur, & in damnata propoſitione (37. ab Innoc. XI.) includi. Neque enim plus juris in bona dominorum habent docti & periti, quam famuli. Si vetitum eſt famulis proprio judicio præfinire taxationem majoris mercedis, quam cum domino pacta fuerit; eadem ratione vetitum erit etiam eam augere judicio alieno privato. Verum habet, facilius eſſe, decipi famulum in cauſa propria, quam virum doctum a partium ſtudio alienum. At non propterea infertur, Confeſſarium, aut quempiam alium doctum virum, judicem legitimum eſſe illius inæqualitatis. Poſt ſubdit, hanc diſtinctionem, ut frivolam a Salmanticenſibus quoque explodi, " Verum hic quoque Zach. interloquitur, illiſque Concinæ verbis, quæ ipſe pro arbitrio ſuo tranſponit, *ſi vetitum eſt famulis* &c. uſque ad illa *judicio alieno privato*, reſpondet: *Diſparitas eſt manifeſta, neque aliunde petenda, quam ex ipſo hoc La Croixii loco.*

Diſparitas quidem eſt manifeſta, ſi ſermo ſit de judicii maturitate & veritate. Eam aſſignat Concina ſubſequentibus deſcriptis verbis, quæ Zacharia ſilentio premit, quia eam aliunde eſſe petendam non vult, niſi ea La-Croixio; quaſi veritas etiam manifeſta non ſit admittenda, niſi ex ſocio ſuo La-Croixio veniat. Sed id levandi animi cauſa. At ſi ſermo ſit de judicii legitima auctoritate, perinde eſt, ſeu famulus, ſeu quilibet alius vir etiam doctiſſimus privatus judicet: ex quo doctiſſimi viri judicio nullum jus ſeu famulus, ſeu artifex, ſeu quæſtor, ſeu belli dux &c. acquirit occulte compenſandi operam ſuam, quia ut rectiſſime ait P. Concina, *non plus juris in bona dominorum habent docti, & periti, quam famuli*. Eſt ne hoc non ſolum verum, ſed etiam evidens? Ita ſane.

At Zacharias magis animoſus, quam cautus de hac Concinæ ſententia non ſolum vera, ſed lippis, & tonſoribus aperta, ita pronuntiat. ,, Quot verba, tot hallucinationes. Famuli, de quibus hic, jus ſupponuntur habere in bona dominorum, æquivalens nempe labori ſuo, alias nullo modo liceret illis uti occulta compenſatione. Periti vero non habent ipſi quidem jus, ſed declarare poſſunt famulos illud habere. "

O miſerum Zachariam, qui cum Concina contendere vult! Periti declarare quidem poſſunt jus, quod habent famuli in bona dominorum; at hæc declaratio nullum jus dat famulis, ut propria auctoritate, & de facto, quod omnium gentium juri adverſatur, accipiant, quod ſibi debetur. Hæc veritas non Theologis ſolum, ſed omnibus vel infimæ plebeculæ hominibus nota eſt. Contraria vero doctrina, *Famuli, & famulæ domeſticæ poſſunt occulte heris ſuis ſurripere ad compenſandam operam ſuam, quam majorem judicant ſalario, quod recipiunt*, eſt prop. 37. ab Innoc. XI. proſcripta. Illud judicant intellige ſeu ex ſe, ſeu aliorum accedente conſilio, & ſententia. Nam etiamſi ex aliorum etiam ſententia judicent, ipſi tamen ſunt, qui judicant: ipſi dominos per apertam injuriam indicta cauſa condemnant; ipſi publicæ auctoritatis jus ſibi uſurpant, ſententiam dicendo, ac executioni mandando. Hæc ego puto in prop. 37. damnari.

ANIMADVERSIO IV.

Quæ ſit quantitas notabilis ad mortale peccatum?

,, Reſpondendum eſt (ait Nat. Alex. Theol. t. 2. p. 635. a. 2.) furti gravitatem æſtimandam ex pretio rei, vel pecuniæ ſumma, quæ ſurripitur; quæ ſi ad diurnum unius hominis victum ſufficiat, mortale peccatum eſſe videtur illius furtum, ſive diviti, ſive pauperi ſubtrahatur. "

Hanc ſententiam probat Concina Theol. t. 4. p. 540. n. 4. & La-Croix cum ſuis, quos citat p. 288. n. 985. & quia juxta Concina medius aureus ſatis eſt ad diurnum cujuſcumque Principis victum; medius aureus eo non repugnante materia gravis dici poteſt reſpectu cujuſcumque perſonæ.

,, Si divitibus privatis, inquit idem Concina n. 9. tres julios, ſeu tres libellas Venetas ſurriperes, crederem, te peccare mortaliter. Si a perſonis inferioribus, puta a mercatoribus, ab artificibus neque pauperibus, neque divitibus, ſed ſua induſtria commode vitam tranſigentibus duos auferas julios, forte gravem culpam non evades. "

Tandem p. 541. n. 10. eum graviter peccaturum vix dubitat, qui unum julium ſurripiat artificibus, qui unius diei labore illum vix lucrantur.

Varia ſane ſunt hac de re Theologorum placita. Sed ipſa ſententiarum varietas, & judicandi difficultas, periculi nos admonet: quia *ſapiens timet, & declinat a malo*. Prov. 14.

ANIMADVERSIO V.

Plus requiritur ad notabilem quantitatem in rebus, quæ &c.

Hoc Buſ. dictum nec ſatis ſolidum, nec tutum mihi videtur. Ratio eſt, quia fructus, etſi ſine incommodo, ſeu ultro proveniant, pleno nihilominus jure ad agri dominum pertinent; nec alii quidquam juris habent, ut eos accipiant. Fructus vero expoſiti, quo magis injuriæ patent, eo magis ab iis abſtinendum eſt, ne dominus nimis gravetur, & lædatur.

ANIMADVERSIO VI.

Plus item, ſi quis a diverſis vel ab uno interpolatim parva &c. furetur.

Si quis a diverſis parva, & pluſa auferat, facile concedam, plus requiri ad mortalem culpam, quam ſi uni eripiat, ceteris paribus; quia plures ceteris paribus minus damnum patiuntur, quam unus; & quia quod notabile eſt reſpectu unius, æquo judicio non cenſetur notabile reſpectu multorum. Dixi ceteris paribus; quia ſi diverſi, quibus ſubtrahitur, ſint pauperes, & unus ſit dives, aliter erit dicendum. At ſi notabilis quantitas uni eripiatur, perinde eſt, ſeu una, ſeu pluribus vicibus eripiatur. Nec enim quia una vice auſertur, aut quantitas, aut damnum creſcit, niſi forte peculiares circumſtantiæ aliud ſuadeant.

ANIMADVERSIO VII.

Si quis ex occaſione tantum furatur &c. non intendens &c. non peccat graviter, neque ea ſimul ſumpta &c. poſtquam tamen &c.

Ipſe La-Croix p. 290. n. 1005. aperte ait, oppoſitum eſſe tenendum cum communi. Certum enim eſt, acceptionem rei alienæ in notabili quantitate, eſſe ex natura ſua letalem culpam: at ponimus, eum, qui ex occaſione modicum quid furatur, per modica furta aliquid notabile accipere: ergo certum eſt, eum admittere culpam ex natura ſua letalem. Porro cum culpa ex natura ſua letalis eſt, ex nulla intentione venialis fieri poteſt. Quamquam cum ipſa plura furta ſimul ſumpta notabile quid contineant, & graviter proximo noceant, contraria illa intentio non acquirendi aliquid notabile, nec proximo graviter nocendi ſingulis furtis, ridicula, & contradictoria eſt quoad poſtremum furtum. Hoc enim aliis additum eſt facto ipſo acquiſitio ſeu acceptio notabilis rei alienæ, & damnum grave proximi. Si retentio ultimæ materiæ levis cum aliis, cum ad notabilem quantitatem ventum eſt, gravis culpa eſt fatente Buſ. cur non acceptio alienæ rei eamdem malitiam habet, ac retentio? Ergo ſi retentio eſt mortalis, mortalis quoque eſt acceptio.

Falſum ergo illud quoque eſt, ſingula minuta furta unum mortale non conſtituere; quod ſi verum eſſet, quilibet innumera minuta furta occaſione oblata admittere ſine mortali culpa poſſet; quæ conſecutio ſane abſurda, & aperte falſa, latam graviſſimis proximi damnis viam aperit; &, dum minuta furta excuſat a mortali, maxima quoque ex plurimis minutis conflata excuſat.

Verum & hoc mortale evitabit, ſi vel tunc &c.

Hoc ex mox dictis aperte falſum eſt. An impotentia reſtituendi, vel animus reſtituendi facultatem impertit furandi? An mortale furtum a mortali culpa excuſat? At ex dictis ultima levis alienæ rei acceptio aliis addita, eſt mortalis ex ſe culpa: ergo &c.

ANIMADVERSIO VIII.

Si autem &c. ac, licet executio ſingulorum ſit tantum venialis ex ſe.

Executio poſtremi furti, quo notabilis quantitas completur ex dictis eſt mortalis; idque implicite vel ipſe Buſ. invitus fatetur. Nam juxta ipſum hi minuti fures *nocent graviter Reipub. & praxis illa valde pernicioſa eſt ſocietati humanæ, v.g. ſi ſartor particulas panni a diverſis ſurripiat, ſi mercatores utantur brevioribus ulnis* &c. Hoc enim grave nocumentum humanæ ſocietati infertur ipſa prava praxi, ipſoque facto, non intentione, ergo ipſa praxis, & factum, gravis, & mortalis culpa eſt.

Interim excuſantur &c. 1. ex eo, quod dictum eſt caſu primo. 2. ſi id faciant &c. 3. &c.

Poſtquam Buſ. illud verum principium admiſit, & tradi-

didit, *quia nocent graviter* &c. ad inanes peccatorum gravium excuſationes deſinat contra illud Pſ. 140. *Non declines cor meum in verba malitiæ ad excuſandas excuſationes in peccatis*. Prima excuſatio ex dictis contra Buſ. ad c. 1. aperte futilis eſt. Aliæ excuſationes, quas congerit, 2. *ſi id faciant* &c. 3. *ſi* &c. ſunt item omnes inanes, & fallaces: & ratio eſt, quia grave furtum a mortali culpa nihil excuſare poteſt, niſi neceſſitas extrema, non gravis, multoque minus lucrandi cupiditas, aut propria indemnitas, ut perperam, & falſo habet Buſemb. *Permiſſum eſt furari non ſolum in extrema neceſſitate, ſed etiam in gravi*, eſt prop. 36. ab Innoc. XI. proſcripta. Si ex hac proſcriptione non eſt permiſſum furari in gravi neceſſitate, peccat qui ea preſſus furatus, etiamſi leve aliquid furetur; quia revera furatur: ergo ſi in gravi neceſſitate aliquid notabile furetur, mortaliter peccat, quia furtum eſt grave; & quia ejus peccatum non poteſt eſſe ejuſdem quantitatis, ac ſi leve quid furatus fuiſſet.

Minuta furta, quæ hic Buſ. a mortali excuſat, nocent graviter Reipublicæ, & ſunt valde pernicioſa ſocietati humanæ: ergo ſunt apertæ mortales culpæ. Nec enim tituli, quos in eorum excuſationem affert, efficiunt, ut leviter noceant Reipub. & humanæ ſocietati. Ille titulus, *ſi id faciant, ut ſe ſervent indemnes*, eſt prorſus intolerandus. Eſt enim res manifeſta, illum mortaliter peccare, qui grave furtum ſeu una, ſeu pluribus vicibus admittit, ut ſuum damnum vel reparet, vel prævertat. Nec enim damnum meum, furandi facultatem mihi tribuit. An alteri nocere poſſum, ut meum nocumentum vitem? An meum nocumentum jus mihi tribuit in res alienas? Commenta ſcilicet hæc ſunt, quæ ſana doctrina non ſine indignatione repudiat. Multo ergo magis intolerandus eſt alter ille titulus, *vel quia alias non lucrarentur, vel quia* &c. quod idem eſt. An ſi alio modo homines lucrari non poſſunt, niſi furando, furari poſſunt, aut ſaltem furando graviter non peccant? An lex illa decalogi, *non furtum facies* intelligenda eſt cum hac reſtrictione, ſi alias lucrari poſſim? Excuſatio ſane miſera, at in Theologo non ferenda.

3. Excuſatio, *ſi alias non habeant, unde ſe, vel alios alant*, aliis quidem tolerabilior eſt, non tamen admittenda. Dicitur quidem Prov. 6. v. 30. *Non grandis eſt culpa, cum quis furatus fuerit: furatur enim, ut eſurientem impleat animum*. At hæc culpa dicitur *non grandis*, ſi comparetur cum adulterio, ut antecedentia, & ſubſequentia legenti palam eſt. Abſolute tamen grandis eſt culpa: quia v. 31. ſubditur: *Deprehenſus quoque reddet ſeptuplum, & omnem ſubſtantiam domus ſuæ tradet*.

Si mercatores, aut ſartores *alias non habeant*, non bona, non induſtriam, *unde ſe, vel ſuos alant* parce, tenuiter vivendo, non ad furtum lege naturali, ac divina ſub gravi culpa vetitum, ſed ad piorum miſericordiam confugere debent. Nam furtum grave etiam ex minutis furtis coaliturn a mortali culpa non excuſatur, niſi extrema neceſſitas urgeat, quæ omnem culpam eluit, quaque urgente furtum non eſt furtum. Hinc propoſ. illa, *Non tenetur quis ſub pœna peccati mortalis reſtituere, quod ablatum eſt per pauca furta, quantumcumque ſit magna ſumma totalis*, eſt 38. ab Innoc. XI. damnata.

Animadversio IX.

Etſi hoc licere (viatoribus unam, alteramve uvam rapere) *dicant* &c.

Hoc eſſe leve peccatum, res ipſa loquitur: at hoc licere, aperte falſum eſt. Nonne viatores unam, alteramve uvam ex aliena vinea rapientes, aperte furantur? Accipiunt enim rem alienam domino non conſentiente: at furtum divina, naturalique lege vetitum eſt, & ex natura ſua, ſemperque peccatum. Ergo &c.

Deus quidem Deut. 23. v. 24. Iſraelitis hoc permiſit. *Ingreſſus vineam proximi tui, comede uvas, quantum tibi placuerit; foras autem ne efferas tecum*. At hæc lex judicialis eſt, ac ſine controverſia abolita, ſicut ea, quæ v. 25. ſubſequitur: *Si intraveris in ſegetem amici tui, franges ſpicas, & manu conteres, falce autem non metes*.

Si denique de ſe mutuo ſciant, nullus tamen &c. *probabilius eſt, non eſſe mortale, ut docent* &c.

Hanc ſententiam ſequitur quoque La-Croix p. 290. n. 1010. Contrariam tuetur Concina Theol. t. 4. p. 546. q. 2. quæ auctoritate potior eſt, ut apud ipſum videri poteſt. Ratione vero potiorem eſſe, ego ſane affirmare non auſim, & ne ipſe quidem P. Concina affirmat. Aqua hic mihi ferme hæret; at ratione conſulta vix in animum inducerem, ut ſingulis onus reſtitutionis in ſolidum, ſeu totius damni ab omnibus ſimul illati imponerem. Mihi quilibet ſatisfaceret, ſi quiſibet reſtitueret quod abſtulit, quod aperte docet Sanct. Raymund. citatus p. 272. cap. 5. tit. 4. c. 1. artic. 3. Nulla enim alia de cauſa quilibet totius damni ſarciendi debitor eſſe poteſt, niſi quia totius damni cauſa ſit: at ponimus, neminem eſſe cauſam damni, quod alii inferunt. Ergo. Neque dici poteſt, quemlibet ratione conſenſus, ſeu cooperationis totius damni, totum ſarcire teneri: nam conſenſus, reſtitutionis obligationem inducit, quando moves ad accipiendum, quod fit *conſentiendo expreſſe*, ut docet D. Th. 2. 2. q. 62. ar. 7. Hinc ibidem ait, quod *ſemper obligant ad reſtitutionem* &c. *ſecundo conſenſus in eo ſcilicet, ſine quo rapina fieri non poteſt*. At qui ſciunt tantum, alios furari, etiamſi ipſi quoque furentur, non ſunt cooperatores, nec expreſſe conſentientes alieni furti, quod ſine eorum conſenſu nihilominus fieret. Ergo non ſunt obnoxii reſtitutioni eorum, quæ alii furantur.

Animadversio X.

Uxor poteſt dare eleemoſynam, & munera &c. *etiamſi maritus* &c. *prohibeat*. Idem docet La-Croix p. 292. n. 1021.

Contra Nat. Alex. Theol. t. 2. p. 635 ar. 2 inquit: „ Ream uxorem, quæ inconſulto, & invito marito notabiles eleemoſynas eroget, S. Thom. poſt S. Auguſtinum in ep. ad Ecdiciam ſcripta aſſerit, Theologique conſentiunt univerſi. “

Et ſane S. Aug. ep. 199. ad Ecdic. (habetur ca. 33. q. 5. c. 4. *Quod Deo*.) ita habet: *Nihil ergo de tua veſte, nihil de tuo auro, vel argento, vel quacumque pecunia, aut rebus ullis terrenis tuis ſine arbitrio ejus* (mariti) *facere debuiſti*. Hunc textum ſibi objicit La Croix, & reſpondet: „ S. Auguſt. loquitur de profuſa eleemoſyna, ut conſtat ex contextu. “ At hoc ex arbitrio fingitur. Id ex D. Auguſt. contextu non ſolum non conſtat, ſed ne illud quidem colligitur: ex D. Aug. contextu contrarium colligitur, & conſtat: quia ait *nihil*, quod non ſolum profuſas, ſed etiam moderatas eleemoſynas explicare complectitur. Hinc eadem ep. ait: *Porro ſi de faciendis eleemoſynis, & in pauperes expendendis rebus tuis, de quo bono opere, & magno tam evidentia præcepta ſunt Domini, cum viro tuo fideli, & tecum junctæ continentiæ pacta ſervante, conſilium communicare deberes, ejuſdemque non ſpernere voluntatem* &c. S. Auguſt. ait, *eleemoſynis, & in pauperes* &c. cur nos addimus *profuſis*, quod ille non habet? Hoc ſcilicet eſt ire contra mentem Sancti Eccleſiæ Doctoris, non ejus ſequi auctoritatem.

Audiatur S. Th. fideliſſimus S. Auguſtini interpres, & aſſecla, qui 2. 2. q. 32. ar. 8. ad 2. ait: *Si uxor habeat alias res præter dotem, quæ ordinatur ad ſuſtentanda onera matrimonii, vel ex proprio lucro, vel quocumque alio licito modo, poteſt dare eleemoſynam etiam irrequiſito conſenſu viri, moderatas tamen, ne ex earum ſuperfluitate vir depauperetur. Alias autem non debet dare eleemoſynam ſine conſenſu viri vel expreſſo, vel præſumpto, niſi in articulo neceſſitatis, ſicut de monacho dictum eſt*. Eſt ne hic opus adnotatione, ut clariſſima D. Thomæ mens intelligatur? Nota illud *moderatas*. *Alias autem* &c. *ſicut de monacho dictum eſt*. Audi nunc angelicæ doctrinæ rationem. *Quamvis enim mulier ſit æqualis viro in actu matrimonii, tamen in his, quæ ad diſpoſitionem domus pertinent, vir caput eſt mulieris ſecundum Ap. 1. ad Cor. 11. B. autem Lucia ſponſum habebat, non virum. Unde de conſenſu matris poterat eleemoſynam facere*, Doctrina S. Auguſt. & S. Thom. apoſtolica eſt. Uxor enim nec multas, nec paucas, nec profuſas, nec moderatas eleemoſynas facere poteſt ſine conſenſu ſui capitis: vir ex Ap. eſt caput uxoris: ergo. Nam profuſæ eleemoſynæ ex natura ſua reprehenſibiles ſunt: quia non caritatis, quæ ordinata eſt, ſed prodigalitatis ſunt opus. At inquit Buſ. „ Conſuetudo hoc jus ei tribuit, quo maritus „ eam privare non poteſt. “ Reſp. Conſuetudo, jus faciendi moderatas eleemoſynas uxori tribuit, quia præſumitur viri conſenſus: at ſi vir repugnet, conſuetudo nullum jus uxori tribuere poteſt; quia conſuetudo efficere non poteſt, ut mulier viro tamquam capiti quoad rerum domeſticarum adminiſtrationem non ſubſit. Hoc enim naturæ ordini, divinoque juri, quod nulla conſuetudo abolere poteſt, aperte adverſatur.

La-Croix ea ratione nititur, „ quia iſta (expenſæ, „ ſeu munera, & eleemoſynæ ex more aliarum mulierum ſimilium) pertinent ad competentem, & decentem ſuſtentationem, ad quam jus habet. “ Reſp. Aperte falſum eſt, expenſas pro decenti victu, & veſtitu (qua tamen de re judicium ad virum pertinet) non neceſſarias, eleemoſynas, munera ad decentem uxoris ſuſtentationem pertinere. Si id concedimus, uxoris jus quoque permittendum eſt ad choreas, theatra, ludos, & ſimilia, quæ apud ſimiles mulieres in more poſita ſunt.

Hæc quoad jus; nam quoad factum, uxores quoad eleemoſynas congruas & conſuetas, viri conſenſum ex D. Raymundo præſumere poſſunt, etiamſi vir abſolute elee-

Digitized by Google

eleemoſynas prohibuerit: *quia*, inquit) lib. 2. t. de furtis §. 9. apud Conc. tom. 4. p. 579.) *ſolent mariti facere prohibitionem uxoribus abſolute, ut ſic temperent eas non a toto, ſed ab exceſſu, quem ſuſpicantur. Poteſt etiam formare ſibi conſcientiam ex qualitate, & miſeria pauperis, cogitans, quod ſi maritus illum videret, omnibus modis placeret ei, quod illi faceret eleemoſynam. Si autem omnino, & præciſe ipſi uxori conſcientia ſit, quod viro diſpliceat, & ſcandalizatur inde, deponat conſcientiam illam, ſi poteſt. Sin autem, non debet dare* (concordat S. Vir cum S.S. Auguſt. & Thoma) & *ſic intelligitur*, (en legitima explicatio mentis D. Auguſt. contra La-Croixium) *quod dicitur* q. 5. *can.* Quod Deo. *Hoc autem ultimum dico, niſi videret pauperem indigere ad mortem: tunc enim deberet dare* intrepide; *alias peccaret*; uti docuit etiam D. Th. mox cit.

Ubi cum Mol. & decem aliis docet, poſſe eam inſcio marito dare vigeſimam partem annui cenſus, vel lucri; eo quod &c.

Hi ſcilicet quoad vigeſimam partem cenſus, vel lucri, uxorem in virum metempſychoſi non minus admirabili, quam pythagorica, tranſmutant. At ſi uxori vigeſimam partem annui cenſus, vel lucri aſſignant, ei ſaltem imponerent vigeſimam partem oneris familiæ ſuſtentandæ. Minime vero gentium, inquiunt. Onus familiæ, & uxoris quoad ſtatus boneſtatem, aut decentem ſplendorem ſuſtentandæ, totum ſit viri. Nam vigeſima pars annui cenſus, vel lucri præter honeſtam ſuſtentationem, ex ipſius ſtatus decentia ad uxorem pertinet. An ſatyram ſcribam, ſi hanc doctrinam aut riſu, aut miſeratione dignam eſſe dixero? Eam ſane merito improbari a Lugo, Sporerio, Tamburino, ipſe La-Croix fatetur n. 1031. cit.

Animadversio XI.

Uxor, ſi ejus pater, mater, vel &c *& maritus eis* &c. *poteſt ex bonis ſuis propriis, vel etiam ex communibus* (*dummodo* &c.) *eis ſubvenire: quia jure naturæ* &c.

Maritus quidem habens ſuperflua ſtatui, ex caritate conſentire tenetur, ut uxor neceſſaria ſuppeditet parentibus ſuis, & proli ex alio matrimonio, non tamen ex juſtitia: quæ autem ex caritate eroganda ſunt, a ſponte dantibus accipi quidem poſſunt, at ab invitis ſine juſtitiæ violatione ſubtrahi non poſſunt.

Uxor jure naturæ tenetur alere ſuos parentes, & filios ex alio matrimonio, at de ſuo, non de alieno. Si uxor habeat bona paraphernalia, aut aliunde honeſte acquiſita, quorum adminiſtratio ad ipſam jure pertineat, ex his juxta S. Thomam cit. ad c. 3. eleemoſynam facere poteſt, & prædictas perſonas alere debet. Verum, cum Buſ. ei permittit, ut eas ex bonis mariti eo repugnante ſuſtentet, pietatis, & caritatis ſpecie illi indulget, ut juſtitiam violet, eamque ad tartara mittit. Hinc Eccli. 34. v. 21. dicitur: *Immolantis ex iniquo oblatio eſt maculata*; & B. Gregorius l. 7. ep. 110. ad Siagrium (refertur can. 14. q. 5. c. 7.) ait: *Eleemoſyna Redemptoris noſtri oculis illa placet, quæ non ex illicitis rebus, & iniquitate congeritur, ſed quæ de rebus conceſſis, & bene acquiſitis impenditur.*

At Buſemb. hoc permittit, *dummodo poſt mortem viri omnia computet in ſua parte*. Reſp. Hoc ſane perinde eſt, ac ſi Buſemb. dixerit: furari licet, de alieno eleemoſynam impendere licet, dummodo reſtituendi animus ſit. Si hoc recte dictum ſit, Buſemb. recte loquitur: ſecus, non eſt audiendus, uti reipſa audiendus non eſt.

Animadversio XII.

Si filius v. gr. mercatoris &c. *poteſt a patre exigere ſalarium, quantum* &c. *& ſi id impetrare non poſſit, vel* &c. *poteſt clam accipere. Ita* &c.

Laym. lib. 3. de juſt. tract. 3. p. 3. c. 8. n. 12. non improbat quidem ut verſatilis opinator opinionem a Buſ. allatam quoad priorem partem; ſed nihilominus docet, nec conſuetudinem, nec jura id filio permittere, quod Buſ. permittit. La-Croix p. 293. n. 1034. ait, ſententiam Buſembao contrariam eſſe longe probabiliorem, & n. 1035. addit: „Quamvis daremus, primam ſententiam (Buſ.) probabiliorem eſſe, attamen adhuc abſolute tenendum eſſet, ſi a patre negaretur ſalarium, vel filium puderet petere, non fore licitum filio occulte ſibi illud compenſare; quia compenſatio occulta jus certum poſtulat."

Rectiſſime Concina Theol. t. 4. p. 577. n. 4. inquit: „Falſa eſt prior opinio, quæ filiis patres in laboribus, mercatura, agricultura, aliove opere adjuvantibus ſalarium jure deberi aſſerit; falſiſſima vero altera, quæ compenſatione illius ſalarii illos uti, ſi a patre ſalarium negetur, contendit."

Ratio breviter eſt, quia filii jure naturæ, & gentium, atque conſuetudinis parentes adjuvare tenentur: at pro eo, quod ex debito fit, merces exigi jure non poteſt; multo vero minus negata, occulte accipi valet: ergo &c. Hac in re fuſius probanda non immoror; quia evidens mihi videtur, nec eam a ſanis Theologis in controverſiam vocari putem.

Animadversio XIII.

Quæ tamen ipſi (famuli) *domi conſumunt, in iis facilius, uti & Religioſi, excuſantur.*

Si victus famulis in poculentis, & eſculentis ex pacto detur, omni culpa vacant, dum neceſſaria ad congruum victum conſumunt; non item, ſi gulæ cauſa conſumant; quia victus, non gulæ explementum iis debetur.

Si victus iis præbeatur in pecunia, aut certa cibi, & potus quantitate, ut apud aliquos in more poſitum eſt, famuli poculenta, aut eſculenta ſibi minime debita conſumentes, peccant; quia nullum in ea jus habent. Ex ſua autem ipſorum nequitia, non ex ratione, quidquid Buſ. ſine ratione contra dicat, præſumunt, herum in iis non eſſe invitum. Cur enim herus invitus non ſit, ut famuli pacto, & congruo victu non contenti clam ſurripiant, & cuſtodiæ loco, ut debent, conſumant res ipſius domini?

Ubi docet, quod furta minima famulorum ex comeſtibilibus &c. *non coaleſcant, ſi non ad vendendum* &c. *accipiant.*

Hic Buſ. ex arbitrio, & contradictorie loquitur. Cur non coaleſcunt? nullam rationem aſſignat, aut aſſignare poteſt. Ergo ex arbitrio loquitur. Fatetur, ea eſſe furta, ut reipſa ſunt: ergo coaleſcunt; quia plura aliquid notabile reipſa efficiunt; iiſque multiplicatis gravis ſumma hero ſurripitur. Ergo Buſ. ſibi contradicit. Si minuta illa famulorum furta non coaleſcerent, reſtitutionis onus ſub gravi obligatione non inducerent; quod eſt aperte damnatum in prop. 38. ab Innoc. XI. proſcripta.

Quid enim refert, ſeu famuli ablata vendant, ſeu conſumant? Id quoad herum perinde eſt, qui damnum æque patitur, ſeu ablata vendantur, ſeu conſumantur. Si prius fiat, avaritiæ, ſi alterum, gulæ ſervitur; at in utraque ſpecie genuinum furtum admittitur.

Animadversio XIV.

Si quantitas rei ablatæ ſit valde magna.

Quid ſibi volunt hæc verba, *ſi quantitas rei ablatæ ſit valde magna?* An debet eſſe centum millium aureorum? Videlicet cum furtum, culpam mortalem includit, onus reſtitutionis ſub eadem mortali culpa infert.

Famuli vero ſi ſine magna difficultate reſtituere non poſſint &c. *jubeantur* &c.

Ab onere reſtitutionis non magna difficultas, ſed ſola impotentia liberat juxta illud D. Auguſtini (habetur c. 1. q. 6. can. 14.) *Si res aliena, propter quam peccatum eſt, cum reddi poſſit, non redditur, non agitur pœnitentia, ſed fingitur.* Magna reſtituendi difficultas fere omnia, ac præſertim pauperum, ac famulorum furta comitatur: quæ ſi a reſtitutione excuſaret, reſtitutio raro imponenda eſſet, ac furta in immenſum excreſcerent.

Sicuti furtum a culpa non excuſatur, niſi ex neceſſitate extrema; ita rei alienæ detentio, quæ reipſa furtum eſt, ſeu perſeverantia in furto, excuſari non poteſt, niſi ex eadem extrema neceſſitate, quæ rariſſime accidit. Hanc eſſe ſanam Doctrinam, a qua recentes opinatores valde recedunt, D. Auguſtini auctoritati, & propoſitionis 36. proſcriptioni conſentaneam, ac notandam puto.

Neque vero alia, ut officia, & obſequia extraordinaria reſtitutionis loco ſine conſenſu ejus, cui ablata res eſt, imponi poſſunt; quia ad ſalutem ipſa reſtitutio, cum fieri poteſt, ex allata S. Auguſt. auctoritate neceſſaria eſt. Reſtituere autem ex S. Thoma 2. 2. q. 62. a. 1. *nihil aliud eſſe videtur, quam iterato aliquem ſtatuere in poſſeſſionem vel dominium rei ſuæ.* Ergo ad ſalutem neceſſarium eſt, ut ipſa res ablata, aut ſi hæc deſit, ejus pretium reddatur. Ergo falſum eſt, quod ait Buſ. famulis magnam reſtituendi difficultatem patientibus, obſequia extraordinaria loco reſtitutionis imponi poſſe, & eſſe imponenda.

CA-

Digitized by Google

CAPUT II.

De Reſtitutione.

DUBIUM I.

Quid ſit reſtitutio, & qui teneantur ad eam?

REſp. 1. Reſtitutio eſt actus juſtitiæ ad ſalutem neceſſarius neceſſitate præcepti, (*a*) quo reparatur damnum proximo illatum per injuriam, ita ut radix reſtitutionis non ſit quævis læſio proximi, v.g. contra caritatem, &c. in quibus non habet jus, quod violetur, ſed ea tantum, quæ eſt contra juſtitiam, in qua proprie injuria infertur, hoc eſt, læditur aliquod jus proximi, quod is habet in re, vel ad rem, in qua damnum patitur. Quod variis modis fieri poteſt, v.g. furando, defraudando, deſtruendo, rem alterius negligenter cuſtodiendo, occidendo, mutilando, detrahendo honorem, conviciando, & ſimilibus.

Reſp. 2. Ex data reſponſione patet, teneri ad reſtitutionem eos, qui intulerunt injuriam damnoſam. *Hæc autem eſt duplex, ſcilicet materialis*, (*b*) ut v.g. cum quis rem alienam deſtruit, accipit bona fide, vel retinet, id eſt probabiliter judicans id ſibi licere, vel eſſe ſuam: & formalis, qua quis rem alienam deſtruit, accipit, vel retinet mala fide, id eſt, cum ſciat, vel ſcire poſſit, ac debeat id ſibi non licere, & rem non eſſe ſuam. V. Laym. *l.* 3. *t.* 2. *c.* 1. Leſſ. *l.* 2. *c.* 7. *d.* 6. Bon. *d.* 3. *q.* 1. *p.* 6.

Unde reſolves.

ANIMAD. I. 1. *Qui injuriam intulit, ex qua alteri nullum eſt damnum ſecutum, ut ſi adulterium commiſit, ſine damnificatione alterius, non tenetur in conſcientia ad reſtitutionem*; cum hæc ſit reparatio damni: poteſt tamen a judice cogi ad ſatisfaciendum pro injuria.

2. Quiſquis intulit injuriam damnoſam, etiam materialem tantum, tenetur reſtituere, ſed nonniſi id, quod ex alterius re adhuc habet, vel quo ex ea factus eſt ditior.

3. Qui intulit injuriam formalem, ſive rem adhuc habeat, ſive non, tenetur reſtituere, & quidem
ANIMAD. II. tantum quantum eſt damnum ſecutum. *An vero ſufficiat culpa venialis, controvertunt Auctores, & ſententia utraque probabilis videtur, ac in praxi tuta; ſaltem quando non commode poteſt reſtituere.* V. Auct. cit. & Laym. *l.* 3. *t.* 2. Leſſ. *l.* 2. *c.* 7. *d.* 1. *n.* 27. C. Lugo *diſp* 8. *ſeſ.* 5. *n.* 56.

DUBIUM II.

An qui cooperantur ad damnum alterius, teneantur ad reſtitutionem?

Reſp. Tenentur omnes illi, qui quoquo modo ſunt cauſa influens, & efficax damni ſecuti, ac qui ex officio, & obligatione juſtitiæ obligati cavere damnum, non caverunt. Ita communiter Doctores. Unde concludunt, teneri ad reſtitutionem comprehenſos ſequentibus verbis.

Juſſio, conſilium, conſenſus, palpo, recurſus,
Participans, mutus, non obſtans, non manifeſtans;

Patet ex ſequentibus caſibus.

1. Tenetur ad reſtitutionem mandans, ſive expreſſe mandet, ſive tacite, dicto nimirum, vel facto, ex quo verbi gratia famulus colligat, hero gratum fore, ſi faciat: non autem tenetur, qui ratum tantum habet opus ſuo nomine factum, uti nec mandans, ſi ante executionem mandatum retractet, idque mandatario innoteſcat: quia tunc non eſt vera cauſa. Molin. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 3. *d.* 3. Filliuc. *t.* 32. *n.* 54.

2. Tenetur item conſulens, aut precibus, ac pro-
ANIMAD. III. miſſionibus ad damnificationem inducens. *Quod ſi tamen ante executionem conſilium ſuum retractet, &, quantum poteſt, contrarium ſuadeat, etſi non perſuadeat, probabile eſt excuſari a reſtitutione*; maxime ſi eum, cui damnum paratur, moneat, ut caveat. V. Bonac. & Tann. 2. 2. *d.* 4. *q.* 6. *dub.* 14. Sa, *v. Conſilium*, & Dian. *tr.* 2. *miſc. R.* 18. & *tr.* 5. *R.* 38.

3. Tenetur item qui ſuo conſenſu, calculo, vel ſuffragio eſt cauſa efficax damni. Leſſ. *d.* 3. *n.* 23. Fill. *t.* 32. *c.* 1.

4. Item palpo, ut qui laude, adulatione, vel exprobratione ignaviæ, aliterve alium ad damnum inferendum excitat, animat. Leſſius, Fill. *l. c.*

5. Item qui inferenti damnum præbet recurſum, illum receptat, illius furta, aut inſtrumenta occultat, vel ea emendo rapinas fovet, &c. *ibid.* Hi enim omnes, uti & is, cui res furtivæ traditæ ſunt in cuſtodiam, tenentur (non manifeſtato fure) reſtituere domino. *Et ſic peccare eos, qui a ſartoribus emunt fragmenta panni, ſeu veſtium*, docet Villalob. ANIMAD. IV.
apud Dian. *p.* 4. *tr.* 4. *R.* 176. *licet ibid.* *Sanch. excuſet eos, qui iſta emunt a ſartoribus magiſtris, eo quod his plerumque detrahatur plus a juſta mercede, quam mereantur iſta fragmenta, ideoque licite ea retineant*: neque hic a peccato excuſari caupones, qui a filiis familias acceptant pecunias, aliaſve res parentibus ſurreptas, notat Laym. *l.* 3. *t.* 2. *c.* 5. Bon. &c. *Qui vero poſt delictum ipſum reum juvat ad fugiendum* (*non concurrendo ad delictum*) *non tenetur reſtituere*, modo non det illi ſpem refugii in poſterum: tum quia non eſt cauſa damni: tum quia reo licet fugere, ut infra dicetur *l.* 4. *d.* 7.

6. Item participans de præda, aut quoquo modo cooperans: ut agens excubias, applicans ſcalas, parans inſtrumenta, conficiens litteras, &c. in bello ANIMAD. V.
iniquo tormenta advehens, &c. *Excuſantur tamen* (*modo actio per ſe non ſit mala*) *qui ea non ſponte, ſed juſſa metu coacti faciunt, v. g. cum ruſtici furto a ſolis militibus facto, coguntur eorum prædas avehere, vel pecora abigere*, Leſſ. *l.* 5. *n.* 19.

7. Item tenentur cauſæ, quæ privative ad damnum alterius concurrunt; nimirum mutus, ſive non clamans, cum poteſt: aut non obſtans, non manifeſtans; ſed tunc tantum, quando tales ex aliquo pacto, vel officio, vel ſtipendio, &c. tenentur ex juſtitia damnum cavere. S. Th. 2. 2. *q.* 62. *a.* 7. Sic Princeps, Magiſtratus, belli Dux, tenentur ad reſtitutionem damnorum, quæ a feris, latronibus, militibus, ob ipſorum culpabilem negligentiam dantur. Item Conſiliarii, Canonici tacentes, abſentantes ſe, non impedientes iniquam conſtitutionem, vel electionem. Item tutores, adminiſtratores bonorum, &c. non impedientes damna pupillis, minoribus, Eccleſiis provenientia. Item cuſtodes montium, vinearum, ſylvarum, agrorum, piſcinarum, qui damna non impediunt, vel facta non manifeſtant. Mol. *d.* 116. Fill. *t.* 32. *c.* 2. *q.* 12. Vide ſupra *l.* 3. *t.* 3. *c.* 2. Item principes, & domini territoriorum, ſi ſciant vias publicas infeſtari prædonibus, & cum poſſint, non impediant, tenentur mercatoribus, & ceteris viatoribus damna, quæ ab iſtis accipiunt, compenſare. Dian. *p.* 8. *t.* 7. *R.* 38.

8. Supradicti non tenentur ad reſtitutionem, quando non fuerunt cauſa efficax damni; ut v. gr. ſi fur, homicida non fuit efficaciter motus mandato, conſilio alterius, ſed nihilominus abſolute erat facturus. Item, ſi v. g. in Capitulo alii ante te dederint ſuffragium, ita ut videas, te nihil impetraturum, etſi neges; tunc enim non teneris reſtituere, licet pecces, pro qualitate damni, addendo tuum, vel mandando, conſulendo, &c. Bon. *l. c.*

9. *Probabile eſt, non teneri ſupradictos, ſi non ſit* ANIMAD. VI.
moraliter certum, eorum mandatum, conſilium efficaciter induxiſſe: quia in dubio melior eſt conditio poſſidentis; præſertim circa materiem juſtitiæ. Leſſ. *t.* 3. *d.* 4. Bon. *q.* 2. *p.* 4. Dian. *t.* 5. *miſc. R.* 64. Tan. 2. 2. *d.* 4. *q.* 6. *d.* 14.

10. *Nec tenentur, ſi efficaciter tantum concurrant ad* ANIMAD. VII.
circumſtantiam, & modum actus damnoſi, v. g. ſi quis tantum impellat alium, ut citius, vel animoſius hoc, vel illo loco, vel modo noceat. V. Lay. *l.* 2. *ſ.* 5. *t.* 2. *c.* 5.

11. Nec tenetur, qui deliberate volenti inferre magnum damnum ſuadet, ut minus eidem inferat, quia tunc utiliter alterius negotium gerit. Dico eidem, quia non licet impedire damnum unius cum injuria alterius.

12. *Non tenetur item* (contra Nav. Ang. &c.) ANIMAD. VIII.
Confeſſarius, etſi ex officio confeſſiones audiat, aut Parochus, &c. ſi ex negligentia, vel ignorantia pœnitentem non moneat, aut obliget ad reſtitutionem; quia, etſi

Digitized by Google

etſi ex officio teneatur bene inſtruere pœnitentem, ideoque peccet graviter omittendo, quando eſt neceſſarium; non tamen ad hoc tenetur ex obligatione erga tertium, quaſi ex juſtitia debeat ejus damnum cavere, aut procurare, ut hoc ei compenſetur. Secus tamen dicendum videtur, ſi poſitive reſtitutionem impediat ex malitia, imo etiam ex ignorantia craſſa, vel culpa lata: quia tunc conſilio ſuo eſt cauſa efficiens damni. V. Leſſ. & Bon. *d.* 1. *q.* 2. *p.* 11. Laym. *l.* 3. *t.* 4. *c.* 7. & infra *l.* 6. *t.* 2. *d.* 5.

DUBIUM III.

An ſupradicti teneantur ſinguli reſtituere in ſolidum, & quo ordine?

Reſp. Cum plures damnificantes, vel ſeorſim ſinguli rem ſuam agere poſſint, vel conjunctim, atque alii aliis plus, minusve in damnum influere, hinc ex tali ordine, & menſura influxus ordo, & menſura reſtitutionis deſumenda eſt. Ita commun. Doctor.

Unde reſolves.

1. Si plures abſque conſenſu, quiſque per ſe ſeorſim, & caſu concurrant ad damnum, ſinguli non plus tenentur reſtituere, quam quod quiſque per ſe damni intulit. Lay. *l.* 3. *t.* 2. *c.* 6.

2. Si plures cum conſenſu, & ſe invicem juvantes id fecerunt, ſinguli in ſolidum tenentur reſtituere totum damnum: quia ſinguli ſunt cauſa totius damni, cum unus juvet alterum, & procedat ex confidentia, quam habet in auxilio aliorum. Unde ſi unus eorum reſtitutionem fecit, poteſt a reliquis, nimirum a principali totum, aut, ſi is nolit, a reliquis pro rata ſingulorum repetere. Bon. *de reſt. d.* 1. *q.* 2. *p.* 11. ex Vaſq. Mol. Fill. &c.

3. Quod ſi actio damnificans fuit lucrativa, & apud aliquem ex cooperatoribus res ablata adhuc exiſtit, aut is eam mala fide abſumpſit, tenetur is primo loco reſtituere ipſam, vel æquivalens; &, ſi ille non faciat, reliqui. Leſſ. *l.* 2. *c.* 3.

4. Si actio damnificans non fuit lucrativa, ut quia res periit, & deſtructa eſt, ut fit v. gr. in combuſtione, mutilatione, detractione, tunc ante alios primo tenetur reſtituere, qui mandavit, vel qui cauſa fuit primaria, vel executor primarius, ut in bello Princeps, & Dux, & ſi is non ſit facturus, vel

ANIMAD. IX. quia non vult, vel quia non poteſt, tenentur reliqui, ver. gr. ceteri milites. *Quod etſi de militibus ſpeculative verum ſit, practice tamen ii excuſantur per accidens:* tum quia non poſſunt totum reſtituere: *tum quia dominorum voluntas non eſt, nec expectatio, ut plus reſtituant, quam partem ſuam:* ideoque ſi hanc poſſunt, ad id tenentur: uti & ſi quid adhuc reliquum habent ex iniquo. Laym. *l.* 3. *t.* 2. *c.* 6. *n.* 5. ex Cajet. Mol. &c. Imo Bonac. *de reſt. d.* 1. *q.* 2. *p.* 10. *n.* 13. ex Nav. *c.* 17. Vaſq. Leſſ. *d.* 4. *n.* 37. dicit militem gregarium, qui alios non induxit, non teneri ad reſtitutionem totius damni illati a toto exercitu, ſed tantum pro ſua parte. V. ſup. *t.* 4. *c.* 1. *d.* 5. *a.* 3.

2. Si damnum paſſus condonat reſtitutionem principali damnificanti, etiam minus principales liberantur, non autem vice verſa: quia ruente principali, ruit acceſſorium, non contra. V. Laym. *loc. ſup. cit.*

DUBIUM IV.

An teneatur reſtituere, qui alium impedivit a conſecutione alicujus boni?

Reſp. Attendendum, an lædatur jus alicujus, quod a natura, lege, vel aliter habeat: & an per vim, fraudem, calumniam, & mendacia quis alium impedierit, num vero aliter. Inde enim apud Layman. *l. c.* Bon. *q.* 2. *p.* 12.

Reſolvuntur ſequentes caſus.

1. Qui alterum impedivit a conſecutione rei debitæ ex juſtitia, tenetur ad reſtitutionem Leſſ. *c.* 12. *d.* 18. Fill. *t.* 32. *c.* 3. *q.* 12. *n.* 72.

2. *Si res non erat debita ex juſtitia, ſed conferenda ex libera voluntate, tunc qui ſine vi, fraude, & calumnia collatorem induxit, ut v. gr. officium, vel legatum, beneficium eccleſiaſticum, & ſimilia dona gratuita non conferat cui apud ſe conſtituerat, aut qui petierat, ſed vel nulli, vel alteri etiam minus digno;* ANIMAD. X. etſi ſæpe is poſſit graviter peccare, præſertim ſi id ex odio, vel alio malo fine faciat; *non tamen tenetur ad reſtitutionem.* Azor. 3. *p. l.* 4. *c.* 9. Vaſq. Sa, Bon. *p.* 13.

3. Si in re prædicta ex libera voluntate conferenda, aliquis per vim, fraudem, vel calumniam collatorem induceret, ne ei daret, aut eum a petitione (cum quivis habeat jus petendi) aut a conſecutione talis rei per vim, fraudem, calumniam, vel mendacium impediret (cum etiam quivis jus habeat, ne inique impediatur) is teneretur ad compenſationem damni arbitrio viri prudentis juxta certitudinem, vel probabilitatem, qua alter tale bonum alioqui aſſecuturus fuiſſe exiſtimaretur, dummodo tamen eo ſit dignus: nam, ſi indignus eſt, non tenetur ad reſtitutionem, niſi famæ, ſi eam forte læſerit. Leſſ. *l.* 2. *c.* 12. *d.* 18. Mol. *t.* 1. *d.* 135. Sa v. *Reſtitutio n.* 221. V. Bon. *l. c.*

DUBIUM V.

Cui, vel quibus reſtituendum?

Reſp. Attendendum ad naturam juſtitiæ, & quis damnum patiatur, quidve ratio, & leges ferant communiter. V. Leſſ. & Laym. hic *c.* 9.

Unde reſolves.

1. *Quando bona reſtituenda, ſive debita quæcumque, ſunt incerta, hoc eſt, cum cui debeantur, ignoras, aut adire non potes, aut illi reſtituere, tunc ſi ea habeas ſine delicto, ut ſi inveniſti, vel a mercatore, v. g. per errorem accepiſti duas ulnas panni pro una, & jam is diſceſſit, nec ſcis, quo abierit, teneris adhibere aliquam diligentiam inquirendi; poſt quam, ſi ſpes non ſit ſciendi dominum, probabile eſt, quod non tenearis ea dare pauperibus* (licet ita plerique cum D. Th. ſentiant, & ſit magis pium, ac practice ſuadendum) *ſed poſſis tibi retinere, ut docet Petrus Navar.* quem ſequitur Laym. hic, & Leſſ. *l.* 2. *c.* 14. *d.* 7. *n.* 48. idque Dian. *p.* 2. *t.* 3. *miſc. R.* 5. *dicit eſſe tutum in praxi.* Si vero ea habeas ex delicto, ut furto, uſura, teneris ea reſtituere pauperibus, vel Eccleſiæ, hoſpitali, &c. quia debet tunc fieri reſtitutio meliori modo, quo poteſt; ut ſaltem, cum corpori domini non proſit, proſit ejus animæ, dum in pauperes expenditur. Ita commun. DD. ut videbis apud Laym. hic: ANIMAD. XI.

2. Qui multis minutis furtis, v. g. olei, panis, vini, &c. damnum intulit multis civibus, eum teneri reſtituere, non pauperibus, ſed ipſis civibus (minoris deinceps vendendo, aut majore menſura, donec veniatur ad æqualitatem) dicit Mol. At Vaſq. & Eſcob. *dicunt eſſe probabile, quod poſſit dare pauperibus, præſertim civitatis ejuſdem.* ANIMAD. XII.

3. Quando bona ſunt certa, ordinarie reſtitui debent poſſeſſori juſto, a quo accepta ſunt, vel cui damnum illatum; etſi is non ſit immediatus dominus. Unde quod acceptum eſt a depoſitario, commodatario, conductore, cuſtode, adminiſtratore, debet non domino, ſed ipſis reſtitui; quia alioqui ipſis fieret injuria, ſi jure poſſeſſionis, detentionis, cuſtodiæ, aut utilitatis ſpoliarentur; & damnum, atque lucrum ceſſans compenſari deberet.

4. Excipitur tamen hic, 1. Si horum nihil intereſſet, ut ſi ſine illorum damno, infamia, domino reſtituatur. 2. Si probabiliter ipſi putarentur rem abſumpturi, vel ablaturi cum injuria domini; quo modo bona Eccleſiæ non Prælato diſſipatori, ſed potius Capitulo reſtituenda ſunt. Item accepta a filiofamilias, pupillo, furioſo, uxore, religioſo; ſi ſint ex iis bonis, quorum adminiſtratio ipſis non competit, plerumque reſtituenda ſunt patri, tutori, marito, Prælato. Sic etiam ſi bona alicujus publicata, & fiſco addicta ſint: tunc enim depoſitum, & ſimilia debita fiſco debent reddi.

5. *Cum quis, ignorato domino, cui reſtituendum erat,* ANIMAD. XIII.

Digitized by Google

erat, non præmiſſa aliqua diligentia pauperibus diſtribuit, non ſatisfecit domino poſtea comparenti: ſecus, ſi diligentia ſit præmiſſa. V. Leſſ. *l.* 2. *c.* 14. *d.* 3.

ANIMAD. XIV. 6. *Cum dominus quidem ſcitur, ſed ei mitti non poteſt ſine ſumptu, tunc, ſi res male accepta eſt, tenetur reſtituens aliquas expenſas ex ſe facere: ſi autem bene accepit, non niſi expenſis domini. Quando nullo modo poteſt mitti, expectandum eſt ad tempus, & ſi adhuc non ſit ſpes, reputatur debitum incertum.* Tol. *l.* 5. *c.* 24.

7. *Cum quis accepit rem alienam a poſſeſſore bonæ fi-*
ANIMAD. XV. *dei putante rem eſſe ſuam, cum non ſit, tum, ſi quidem intervenerit aliquod juſtum pactum, ut depoſiti, commodati, pignoris,* &c. *illi reſtituendum eſt, non domino;* qui tamen ex caritate monendus erit, ſi id et profuturum putetur, ſine alterius graviore incommodo, infamia, &c. Vaſq. Azor. *p.* 3. *l.* 4. *c.* 3. *q.* 2. Si autem aliter accepta eſt, tunc vero ſuo domino reſtitui debet, ſi eum noviſti, & abſque incommodo fieri poſſit.

ANIMAD. XVI. 8. *Quando a fure, vel alio venditore quis emit, ſive mala, ſive bona fide rem furtivam, tenetur reſtituere domino, non furi.* Ita comm. Mol. Reg. *t.* 1. *l.* 10. *c.* 5. *n.* 40. Tol. tamen *l.* 5. *c.* 57. Sylv. Ant. Mald. *in* 2. 2. *tit.* 4. *c.* 3. *d.* 2. *probabiliter ſentiunt poſſe reddi furi, ut ab eo pretium ſuum recuperet, quia non conſtituit rem pejore loco, quam ante fuerat; & conſequenter ipſa non infert domino damnum.* Quod Nav. Trul. *l.* 7. *c.* 11. *d.* 4. *admittunt cum hac limitatione; ſi mox, & non poſt longum tempus contractum reſcindat, vel ſi certe ſciat, furem redditurum rem domino, vel ſi dominus rei ſit mortuus, aut abſit, ita ut conveniri non poſſit.* Quod ſi autem pretium ſuum recuperare non poſſit a venditore, tenetur reddere domino, & ſibi damnum adſcribere. Quod ſi porro ſciens rem eſſe furtivam, emat eo fine, ut invento, vero domino reſtituat, tunc ſi emit parvo pretio, tenebitur id ei domino refundere, cum utiliter ejus negotium geſſerit: ſecus autem, ſi pretium eſſet fere æquale rei: tunc enim ſufficit refundere ad arbitrium viri prudentis tantum, quantum videtur meritus rem domini utiliter redimendo. V. Leſſ. *l. c. c.* 14. *d.* 3. Dian. *p.* 2. *t.* 3. *R.* 5.

9. *Si bona fide rem alienam, v. g. equum emiſti ab*
ANIMAD. XVII. *altero, v. g. Petro, & vendidiſti tertio, v. g. Paulo: & poſtea cognoſcatur eſſe Joannes, eoque repetente a Paulo, Paulus repetat pretium a te, exiſtimat quidem probabile Nav & Dian. p.* 1. *t.* 8. *R.* 68. *non teneri te Paulo id reddere, (ſi in nullo factus ſis ditior) ſed ſufficere, ſi tuam actionem, quam habes in Petrum, ei cedas. Verum Sot. Salon. Leſſ. Sayr. Bonac. de reſt. q.* 4. *p.* 2. *rectius docent, teneri te, urgente Paulo, contractum reſcindere, & pretium reſtituere:* tum quia vendidiſti rem vitioſam: tum quia teneris de evictione emptori, nec eum potes remittere ad illum, cum quo nihil habet negotii. *Quod ſi tamen Paulus, cum poſſit, tibi non reſtituat equum, ſed Joanni, & hoc ipſo impediat, quominus pretium tuum poſſis recuperare, nec tu teneris ei pretium ab ipſo acceptum reſtituere.* Bon. Leſſ. &c. V. Trull. *l.* 11. *d.* 31.

Quæres, cui reſtituendi, ſive quodi ſint theſauri, & alia inventa, quæ habentur pro derelictis?

Reſp. Quando nullius domini ſunt, jure naturali, & gentium fiunt primo occupantis. Poteſt tamen per conſuetudinem, & leges aliter quid ordinari, quod ſervandum eſt. De quo v. Leſſ. *l.* 2. *c.* 5. *d.* 10. Laym. *l.* 3. *t.* 1. *c.* 5.

Quæres 2. an, & cui reſtituenda, quæ capiuntur venatione juſte prohibita?

Reſp. Id æſtimandum partim ex jure naturæ, partim ex conſuetudine, & legibus, ac juribus particularibus, ut v. apud Laym. *l. c. l.* 3. *t.* 1. *c.* 5. *n.* 14. & Leſſ. *c.* 8. *d.* 9. & Sa, v. *Venatio.*

Ex quibus reſolvitur hic caſus.

Venator iniquus tenetur reſtituere ſaltem damna, quæ ſegetibus, fructibuſque infert.

DUBIUM VI.

De rebus, quæ debent reſtitui.

ARTICULUS I.

Quid debeat reſtitui ab inferente injuriam materialem tantum, ſive a poſſeſſore bonæ fidei?

Reſp. Qui bona fide damnum intulit, aut poſſidet aliquid, de quo poſtea melius cognoſcit; tenetur, ne incipiat eſſe poſſeſſor malæ fidei, & detinere alienum, id tantum, & non plus reſtituere, quod ex ea re ipſi ſupereſt, una cum ejus fructibus, ſi extent, vel quatenus inde factus eſt ditior; præterquam ſi dominium ſibi comparavit per legitimam præſcriptionem. Ita commun. DD. Mol. Sanch. Leſſ. *l.* 2. *c.* 6. Bonac. *d.* 1. *q.* 1. *p.* 1. Laym. *l.* 3. *t.* 2. *c.* 2.

Unde reſolves.

1. Si veſtem v. gr. bona fide donatam a fure, aut alio portaſti, & fere attriviſti, ac poſtea dominus compareat, teneris eam, aut æqualem ei reſtituere, & inſuper perſolvere, quantum attrita eſt, ſi alias veſtem æqualis valoris attriviſſes, ſi autem eam amiſiſti, aut ablata tibi eſt, &c. ad nihil teneris. Bon. *l.* 1. Laym. *n.* 1. V. Trull. *l.* 7. *c.* 11. *d.* 1. *Si autem res, quam a fure bona fide accepiſti (ſive* ANIMAD.
donatione, ſive emptione) ſit uſu conſumptibiles, eam- XVIII.
que cum tuis miſcuiſti, ita ut diſcerni nequeat; etſi deinde deprehendas furtivam fuiſſe, non teneris reſtituere. Navarr. Sylv. Sayr. Leſſ. Bonac. *d.* 1. *q.* 3. *p.* 1. quia per illam commixtionem bona fide factam, eſt in te translatum dominium, ut colligitur *l. Si alieni nummi, ff. de ſolut.* Neque eſt ratio, cur hæc potius, quam illa pars cenſeatur aliena; atque adeo perit obligatio realis, & tantum manet perſonalis in venditore. Vide Dian. *p.* 4. *t.* 4. *R.* 66. Trull. *l.* 7. *c.* 11. *d.* 3. Leſſ. *l.* 2. *c.* 20. *d.* 18. ubi addit, eſſe valde probabile, jurique naturæ conforme, quod verus dominus rei illius ablatæ, & permixtæ (quamdiu totus cumulus extat) retineat jus in re, ut ex iſto cumulo ſibi ſatisfiat ante alios, imo poſſit ex eo occulte accipere.

2. Milites bona fide militantes, intellecta poſtea belli injuſtitia, id tantum reſtituere debent, quod adhuc habent ex præda, & quo facti ſunt ditiores. Bon. *l. c.*

3. Qui bona fide per inculpatam ignorantiam celebravit contractum, quem poſtea uſurarium eſſe cognoſcit, non in plus tenetur, quam factus eſt ditior V. Laym. *l.* 3. *t.* 2. *c.* 3.

4. *Poſſeſſorem bonæ fidei, ſi adhibita diligentia in-* ANIMAD.
clinat in eam partem, quod res non ſit ſua, teneri ali- XIX.
quid reſtituere juxta inclinationem, docet Con. *d.* 13. *dub.* 10. *n.* 39. At Pal. *t.* 1. *d.* 2. *p.* 2. *n. ult. putat ad nihil teneri: quia poſſeſſio contrariis rationibus non convincentibus præponderat.* Idem docet Vaſq. apud Eſcob. *t.* 2. *c.* 3. *n.* 154. Dian. *p.* 4. *t.* 3. *R.* 24. & 26. *Si neglexit inveſtigare veritatem, & deinde ſciri non poteſt, dixit Palaus l. c. ad nihil teneri.*

5. Si bona fide rem vendidiſti dono tibi datam, teneris reſtituere pretium, quia factus es locupletior; & ſatis debet eſſe tibi, non habere minus, quam ante. *Quod ſi tamen apud alterum res eſt, is* ANIMAD.
reddere tenetur. ibid. & Vaſq. *c.* 9. §. 2. Mol. Leſſ. *l.* XX.
2. *c.* 14. *d.* 3.

6. *Si bona fide rem ipſe emiſti, & vendidiſti abſ-* ANIMAD.
que lucro, nihil teneris reſtituere, ſed ſolus is, apud XXI.
quem res eſt. Mol. *l.* 1. Leſſ. *l.* 2. *c.* 14. *d.* 1. contra Vaſq. &c.

7. Si rem alienam bona fide donaſti, non donaturus aliam, ſi hanc non habuiſſes, ad nihil teneris: quia non es factus ditior: ſecus, ſi aliam donaturus fuiſſes (quia tunc parcendo tuæ, factus es ditior) vel ſi aliquid accepiſti in remunerationem. Bonac. Trull. *l.* 7. *c.* 11. *d.* 1.

8. Si aliena re lucratus es, tanquam inſtrumento, v. g. frumentum alienum alio deportatum vendidiſti, vel pecuniam alienam negotiationi expoſuiſti,

ſti, non teneris illud lucrum reſtituere; quia non eſt fructus rei alienæ, ſed ſuæ meræ induſtriæ: tales enim fructus dicuntur meræ induſtriæ, quos ipſa natura ea ſe nullo modo gignit, ſed tantum concurrit ut inſtrumentum operantis. Laym. *l. 1. n. 3.* ex S. Thom. &c.

9. Fructus omnes rei, ſive ii ſint mere naturales, hoc eſt, qui vix ullo hominum labore egent, ut ſetus animalium, arborum, herbæ, & gramina; ſive ſint ſimul induſtriales, ſive mixti, hoc eſt, ad quos æque, aut magis hominum labor cum natura concurrit, ut v. g. ſegetes, & quæ ſerendo gignuntur; item vinum, oleum, lana &c. quo etiam referuntur pretia locationis domorum, jumentorum, &c. qui fructus civiles appellantur: hi, inquam, fructus rei, ſi percepti, & extantes ſint, domino reſtitui debent, deductis tamen expenſis propriis, & æſtimatione laboris. Et quidem pretium locationis ex re aliena debet domino reſtitui, licet is rem, ſi penes ſe habuiſſet, non fuiſſet locaturus. V. Laym. *l. c.* Si tamen fructus iſti reales bona fide poſſeſſi fuerint tempore a lege præſcripto ad uſucapiendum illos (quod ſi adſit titulus, eſt biennium inter præſentes, inter abſentes quadriennium: ſi autem non adſit titulus, anni 30. cum bona fide) non ſunt reſtituendi; quia uſucapio transfert dominium. Salon. Trull. *l. 7. c. 11. d. 3.*

Animad. XXII. 10. *Si a fure accepiſti (ſive bona, ſive mala fide) rem uſu conſumptibilem, ver. gr. vinum, oleum, triticum, eum propriis ipſius furis rebus permixtum, ita ut diſcerni non poſſit, non teneris reſtituere, ſi fur ad reſtituendum ſit potens: quia fur per commixtionem iſtius rei cum propria acquiſivit ejus dominium, atque adeo illud tanquam verus ejus dominus potuit transferre.* Navarr. Sanch. Leſſ. Bonac. Trull. *l. 7. c. 11. d. 3.* V. Dian. *p. 2. t. 5. miſc. R. 40.*

ARTICULUS II.

Quid debeat reſtitui ab inferente injuriam formalem, ſeu mala fidei damnificatore, ſeu poſſeſſore?

Reſp. Id juxta ſupradicta æſtimandum a quantitate tum juris, quod alter habet, tum damni, quod injuſte infertur, cui æquale reddi debet, niſi aliunde de damnificati mente, & conſenſu rationabiliter præſumatur.

Unde reſolves.

1. Si damnificatus habeat jus in re, in qua damnum eſt paſſus, reſtitutio ei facienda eſt in ſolidum; ſi autem tantum habeat jus ad rem, reſtitutio facienda eſt pro quantitate juris, conſideratis circumſtantiis: quia non debetur ſolidus valor rei, quæ expectabatur, cum tantum ſit in ſpe, & multis modis poſſit impediri.

Animad. XXIII. 2. *Qui in loco publico ſuæ civitatis contra juſtam prohibitionem paſcit, vel ligna cædit, non tenetur ad reſtitutionem, niſi communitati graviter nocuerit, v. gr. ſtirpes incidendo, arbores ædificiis idoneas ſternendo:* quia rationabiliter præſumitur mens Reip. non eſſe, ſuis membris uſum publicorum locorum rigidius prohibere, quam ſub mulcta ſolvenda, caſu quo deprehendantur.

3. Gravius tamen peccaret, & teneretur ad reſtitutionem, ſi quis paſceret in loco alicujus privati; *etſi etiam hic præſumi aliquando poſſit de conſenſu*
Animad. XXIV. *domini, qui ſæpe non intendit, ut fiat reſtitutio, ſed ut deprehenſus pœnam luat.*

Animad. XXV. 4. *Qui venantur, vel piſcantur in locis alteri locatis, vel alias prohibitis* (ſaltem ſi ea concluſa, vel circumſepta non ſunt) *non peccare mortaliter, nec teneri ad reſtitutionem,* docet Dian. ex Leſſ. Dicaſt. &c. *p. 9. t. 9. R. 39.* contra Bon. &c.

5. Etſi probabilius ſit, & in praxi communiter tenendum, peccari mortaliter circa vectigalium fraudationem, ea eaque oriri obligationem reſtitutionis;
Animad. XXVI. *non omnino tamen improbabiliter id alii quidam negant, eo quod conſuetudo interpretetur non eſſe mentem legislatorum ad aliud obligare, quam ut deprehenſi mulctentur.* V. Nav. *c. 23.* Sa, v. *Gabella.* Bon. *q. 9. p. 1. num. 5.* ex Nav. Fill. *t. 28. num. 114.* Leſſ. Mol. *d. 9.* Dian. tr. *de leg. R. 19.* Laym. *l. 3. t. 3. p. 1. cap. 8. n. 4.* & 5. vide etiam Dian. *p. 1. t. 11. R. 38. & p. 2. t. 17. R. 38. ubi ex Cajet. Med. Soto,* &c. *docet non eſſe negandam abſolutionem pœnitenti, qui defraudavit gabellas, ſeu vectigalia impoſita rebus iis, quæ emuntur non ad negotiationem, ſed ad uſus proprios, vel familiæ neceſſaria, v. g. pani, carnibus, piſcibus, frumento, oleo,* &c.

6. *Ceterum ordinarie injuſtus, ſeu malæ fidei damnificator, aut poſſeſſor tenetur non tantum reſtituere* Animad. XXVII.
rem ablatam, & fructus perceptos (exceptis ſuis expenſis, & induſtria) ſed etiam ſarcire damnum emergens, & lucrum ceſſans, cum vere ſit injuſta cauſa talium damnorum. Unde, ſi dominus, re ſua retenta per culturam, vel negotiationem percepturus fuiſſet ex agro ſuo, aut pecunia centum florenos, & alter parum, vel nihil, debet is domino ſuo ſatisfacere pro centum illis florenis: *quamvis communiter ſoleant domini plurimum remittere, ſi res componatur.* Laym. *l. 3. t. 2. c. 4. n. 7.*

7. Si res aliena, dum injuſte detinetur, creſcat, ut pretium ejus augeatur, domino creſcit, ac proinde id ei præſtari debet. V. Laym. hic *l. 3. t. 2. c. 4.*

8. *Si res aliena, dum injuſte detinetur, pereat, aut deterior fiat, idque caſu, vel juſta hoſtium incurſione,* Animad.
vel naturaliter, & certum ſit apud dominum æque perituram fuiſſe, non tenetur alter reſtituere: quia nihil XXVIII.
novi detrimenti domino apud furem v. g. accidit, quod non apud ipſum. Si vero non fuiſſet peritura apud dominum, vel ſaltem nonniſi per injuriam, tunc injuſtus detentor adhuc tenetur ad reſtitutionem, licet ſine culpa ſua res perierit. Laym. *t. 2. c. 4. num. 2.*

9. Si res aliena apud iniquum detentorem pereat, idque ipſius culpa, aut quia is abſumpſit, alteri donavit, deſtruxit, &c. tunc, etiamſi domino relicta, fuiſſet certo peritura, nihilominus tenetur pro ea domino ſatisfacere, ut eſt communis apud Laym. *l. c.* Leſſ. &c.

10. *Qui fingens ſe pauperem, vel alium, quam eſt,* Animad.
extorſit eleemoſynam, non tenetur reſtituere, ſi parva XXIX.
fuit, qualis oſtiatim mendicantibus datur; ſecus, ſi fuit magna; tunc enim, quia ſubintelligitur conditio hæc (ſi pauper eſt), tenetur reſtituere ſecundum Molin. danti; *ſecundum Palaum, vel danti, vel aliis pauperibus.* V. Eſcob. *t. 3. E. 2. c. 6. n. 109.*

11. Qui in extrema neceſſitate conſumpſit, quod ante acceperat commodatum, conductum, vel precarium, non tenetur reſtituere: quia nec ratione rei acceptæ, cum ea nec in ſe, nec in pretio extet; nec ratione acceptionis, cum jure eam conſumpſerit; nec ratione contractus, cum hic non obliget, niſi re pereunte ſua culpa. Leſſ. Hurt. Trull. Dian. *p. 5. t. 8. R. 10. Imo probabiliter ne id* Animad.
quidem, & quod ante illam neceſſitatem erat furatus, XXX.
& in ea conſumpſit, quia furtum illi non ademit jus, quod ad rem in tali caſu habebat. Con. Pal. Hurt. Dian. *l. c. R. 8.* contra Leſſ. & Vaſq. ſicut neque ſi in ipſa neceſſitate accepiſſet, & conſumpſiſſet. Dian. *l. c. R. 9.* ex Azor. & 6. aliis contra Leſſium.

ARTICULUS III.

An, & quid debeat reſtitui pro injuria illata corpori, verbi gratia per mutilationem, occiſionem, &c.

Reſp. *Injuſtus occiſor, mutilator in conſcientia te-* Animad.
netur tantum reſtituere pro damnis bonorum fortunæ, XXXI.
quæ ex tali occiſione vulnere, &c. directe ab eo cauſata ſunt, juxta prudentis arbitrium: *præciſe autem pro vita, membro, vel cicatrice nihil tenetur reſtituere ſecundum rigorem,* cum ſint bona altioris ordinis, quæ pecunia æſtimari non poſſunt. Ita contra Sotum, Sylv. &c. probat Leſſ. *l. 2. c. 9. d. 23.* V. Laym. *l. 3 t. 3.*

Unde reſolves.

1. *Qui occidit ebrius alium, ſi ebrietas non fuit* Animad.
culpabilis, & voluntaria, vel licet fuerit talis, ſi XXXII.
tamen homicidium vel non prævidit, vel diligentiam debitam adhibuit ad cavendum, non tenetur ad reſtitutionem; tenetur autem, ſi prævidit, & non cavit. Bon. *d. 2. q. ult. ſ. 2. p. 1.*

2. Qui

Digitized by Google

2. Qui occidit Cejum, putans eſſe Titium, tenetur ad reſtitutionem; quia actio iſta eſt Cajo injurioſa. Bon. *l. c.* ex commun.

Animad. XXXIII. 3. *Si læſus ante mortem omnia remiſit, ad nihil tenetur occiſor:* quia filiis non fit injuria in bonis, niſi quatenus læduntur in patre contra ejus voluntatem (volenti enim non fit injuria.) Ergo ſicut per eum jus acquirunt, ſic etiam amittunt: etſi non recte faciat parens, ſi filii valde egeant. Leſſ. *l.* 2. *c.* 9. *d.* 26.

Animad. XXXIV. 4. *Etſi præciſe pro vita, membro, occiſione non ſit obligatio reſtituendi, per ſententiam tamen judicis cogitur injurians ſatisfacere pro injuria.*

5. Conſilium eſt, ut Confeſſarius pro his injunget eleemoſynas, & Miſſas pro ſalute occiſi

6. Si occiſus, vel mutilatus fuerit ſervus, vel animal, tunc etiam pro vita, & membris facienda eſt reſtitutio: quia horum vita pretio æſtimatur: ac proinde tantum debet reſtitui, quanti potuiſſet vendi; & pro mutilatione, vel cicatrice, quanto pluris venderetur.

6. Pro expenſis funeris nihil reſtituitur: quia illæ aliquando faciendæ tandem fuiſſent: niſi forte occaſione illatæ necis, v. gr. extra patriam, majores fieri oportuerit.

8. Reſtitui debent impenſæ factæ in curationem, & medicamenta vulnerati, vel occiſi. Fill. *t.* 32. *c.* 8. *n.* 202.

9. Item lucra, quæ ex mutilatione, vel vulneratione ceſſarunt; non quidem tam in ſolidum, ac ſi de facto eſſent acquiſita, ſed pro majore, aut minore ſpe, quam læſus habuit illa acquirendi. V. Trull. *lib.* 7. *c.* 8. *d.* 3.

Animad. XXXV. 10. *Si homicida a Magiſtratu plectatur, verius eſt adhuc teneri ad damna ſarcienda, cum morte ſua tantum ſatisfaciat juſtitiæ publicæ, non heredibus occiſi. Qui tamen, cum plerumque aliud non exigant, videntur eſſe contenti, ac proinde heredes homicidæ ad nihil tunc teneri.* Fill. *l. c. n.* 214.

Animad. XXXVI. 11. *Debet autem reſtitutio fieri tantum parentibus interfecti, filiis, & uxori:* quia hi ſoli directe læduntur, cum moraliter cenſeantur una perſona cum occiſo. Niſi tamen occiderit animo etiam nocendi aliis; nam tunc etiam his reſtituere teneri, dicit Card. Lugo *de Juſt. d.* 11. *n.* 8. ex Leſſ. V. Trull. *l. c. d.* 4.

Animad. XXXVII. 12. *Etſi probabile ſit, deberi etiam reſtitutionem creditoribus occiſi, ſi quod damnum illis ex ea cæde obveniunt; contrarium tamen etiam probabile* (ſaltem ſecundum limitationem caſus præcedentis) *eſt*; cum occiſio illa non ſit directe cauſativa illius damni V. Laym. *l. c. n.* 4.

Animad. XXXVIII. 13. *Non tenetur occiſor aliquid iis reſtituere, quos occiſus alebat ex liberalitate*, quia damnum illorum per accidens ſequitur. V. Leſſ. *l.* 1. *c.* 9. *n.* 26. Trull. *l. c.*

14. *Nec tenetur ad damna*, (*e*) quæ v. gr. provenient ex morte alicujus innocentis, qui per errorem putaretur homicidium feciſſe, & ſic captus plecteretur: quia hujus mors non directe cauſaretur ab ipſo, ſed per accidens, & ex errore, vel malitia accuſatorum. Vid. Bon. *d.* 2. *q. ult. ſ.* 2. *p.* 2.

ARTICULUS IV.

Quid debeat reſtitui pro illato ſtupro?

Reſp. Qui virginem per injuriam defloravit, tenetur tantum rependere damnum, quod ei ex tali injuria eſt ſecutum, idque vel matrimonio, vel damni æſtimatione, ad arbitrium prudentis, ut talem nimirum inveniat, qualem manens virgo inveniſſet. V. Sanch. *l.* 7. *d.* 14. Fill. *t.* 32. *c.* 8. *n.* 209.

Unde reſolves.

Animad. XXXIX. 1. *Præciſe pro ſola virginitate non obligat reſtitutio. Unde ſi ſtuprum manſit clam, aut non impedivit, quin æque laute nuberet, ad nihil tenetur ſtuprator.* Leſſ. Bonac. *q.* 4. *de matr. p.* 7.

2. Item ad nihil tenetur, ſi defloravit conſentientem, abſque vi, fraude, vel promiſſione matrimonii, quia non eſt facta injuria. *ibid.* & Trull. *d.* 2.

3. Si virginem importunis precibus flexit, nihil tenetur reſtituere, quia adhuc conſenſit libere: niſi forte preces tales fuerint, ut cum vi, & coactione æquipararentur; ut ſi conjunctæ fuerint cum minis, vel metu reverentiali, v. g. ſi fuit illius dominus, vel vir magnæ auctoritatis. Trull. *c.* 9. *d.* 3.

4. Si per promiſſionem veram vel fictam matrimonii eam flexit, tunc tenetur ducere eam, quia in omni contractu, ubi alter ex parte ſua acceptavit, & implevit, tenetur & alter implere, etiamſi ficte contraxerit; quia tenebatur ex juſtitia vere contrahere, cum alioqui omnia humana commercia fraudibus paterent. *Et id quidem verum eſt, etiamſi ſtuprator religionem voviſſet.* Leſſ. *l.* 2. *c.* 10. *d.* 3. & 4. Trull. *d.* 3. Animad. XL.

5. Non tamen tenetur fictus promiſſor eam ducere caſu, quo 1. Is puellam valde notabiliter conditione excederet, vel verbis uſus eſſet fictionem facile indicantibus. 2. Si ipſa conſcia eſſet prædicti voti; quia tunc ipſa contraxiſſet mala fide. 3. Si ipſe putavit eſſe virginem, cum tamen non eſſet. 4. Si ex matrimonio grave damnum, aut ſcandalum timeretur. 5. Si ipſe jam ſacris initiatus eſt, aut alteri matrimonio copulatur; tunc enim his caſibus ſolum teneretur curare, ut æque commode nubat, modo ante dicto, dando ſcilicet dotem, vel aliter. V. Sanch. 1. *de matr. d.* 10. *l.* 1. Trull. *l.* 7. *c.* 9. *d.* 3.

ARTICULUS V.

Quid debeat reſtitui pro adulterio?

Reſp. Cum ex adulterio damnificari poſſint conjux alter, & proles legitimæ, circa ſuſtentationem, hereditatem, & patet, quod uterque adulterans, nata ex prole, debeant, cum id damnum cauſent, eatenus reſtituere, quatenus poſſunt ſine detrimento altioris boni, & cauſatione majoris mali. Eſt communis. V. Laym. *l.* 4. *t.* 3. *p.* 1. *c.* 14.

Unde reſolves.

1. Quod attinet ad ipſam adulteram, ordinarie non tenetur prodere, quod proles ejus ſpuria ſit: nam & viro ſuo triſtitiam, & ſui odium, & diſcordias domeſticas crearet, ac famam ſuam prodigeret, quibus damna fortunæ merito cedunt. Accedit, quod proles matri non teneatur credere, ſe eſſe illegitimam. Fill. *tr.* 32. *q.* 222.

2. Debet tamen, ſi poteſt, aliis induſtriis damnum compenſare, v. gr. 1. diligentius adminiſtrando rem familiarem. 2. de cultu corporis detrahendo, 3. ſi habet bona propria, plus legitimis, quam ſpurio, relinquendo. 4. eum inducendo, ut, relicta hereditate, vel ejus parte, amplectatur ſtatum eccleſiaſticum, vel religioſum, ſi idoneus ſit, &c. Trull. *l. c. d.* 4.

3. *Quod attinet ad ipſum adulterum ſpurii patrem, etiam ipſe ſæpe excuſatur vel in toto, vel ex parte, ſive quia damnum ab adultera compenſatum fuit, vel compenſandum creditur*, ſive quia reſtitutio non poteſt fieri ſine periculo vitæ, diſpendio famæ, turbatione, & diſcordiis familiarum, *ſive quia non eſt certus, filium eſſe ſuum.* V. Leſſ. *l.* 3. *c.* 10. *d.* 6. Bon. *de matr. q.* 4. *p.* 15. Trull. *l.* 7. *c.* 8. *d.* 7. Animad. XLI.

ARTICULUS VI.

Quid debeat reſtitui pro fama, & bonis ſpiritualibus, ut inductione ad peccatum, avocatione a Religione?

Reſp. 1. *Juxta dicta, ſi reſtitui non poſſunt bona ablata ex bonis ejuſdem ordinis, non eſt obligatio faciendi ex bonis diverſi ordinis.*

Unde reſolves.

1. *Pro fama reſtituenda eſt fama; cum id non potes, non teneris ad pecuniam, & bona fortunæ, niſi per ſententiam a Judice cogaris ſic ſatisfacere.* Eadem eſt ratio de reliquis. Quod ſi tamen, lædendo famam, in bonis etiam fortunæ alteri damnum allatum eſſet, conſtat ex ſupra dictis, quid faciendum ſit. Porro de læſione famæ, &c. v. infra. Animad. XLII.

2. Si quis alterum induxit ad peccatum ſuaſione, vel exemplo ſuo, tenetur quidem ex caritate, quoad poteſt, eum revocare ad meliorem ſtatum, ſed non ex juſtitia. *Leſſ. l. 2. c. 8. d. 2. num.* 20. Leym. *c. 8. n.* 1.

3. Si quis autem induxit fraude, dolo, injuſto metu, &c. tenetur ad id ex juſtitia: quia quiſque habet jus, ne injuſte lædatur in bonis ſpiritualibus. Unde, ſi lædatur, debet id ſpirituale reſtitui, ſi poteſt. *ibid.*

Animad. XLIII. 4. *Si quis aliquem (etiam Novitium) abduxit ab ingreſſu religionis*, tamen ſine vi & fraude, etſi graviter peccarit, id irrationabiliter faciendo, ac proinde teneatur et rurſus ſuadere ingreſſum ex caritate, *non tamen ex juſtitia vel illi, vel religioni tenetur, quæ nullum adhuc in eum jus acquiſivit.* V. Laym. *l. 3. t. 2. s.* 8.

5. Si quis Religioſum ad apoſtaſiam induxerit ſuaſione, aliave cooperatione, obligetur ex juſtitia religioni ad reſtitutionem, non quidem ut ipſe (quod aliqui volunt) loco alterius ingrediatur, ſed ut ſuadeat alteri, quoad poteſt, reditum, & compenſet monaſterio commoda, quæ ex hereditate, bonis, vel induſtria alterius expectabantur.

Animad. XLIV. 6. *Si quis veneno, philtro, aliove modo alicui deſtruxit memoriam, rationem, &c. tenetur eodem modo, quo mutilator, aut vulnerans, de quo ſupra, ad reſtitutionem lucri ceſſantis, & damni inde ſecuti in bonis fortunæ.*

DUBIUM VII.

De circumſtantiis reſtitutionis.

ARTICULUS I.

Quo tempore, loco, & modo debeat reſtitui?

Reſp. Debet quamprimum, & eô modo, ac loco reſtitui, quo jus, & intereſſe damnificati requirit, & commode, ac moraliter fieri poteſt ſine gravi incommodo, quod quis pateretur in re ſua propria ultra debitum. V. Leym. *his l. 3. tr. 2. c.* 10. Fill. *tr. 32. c. 4. q.* 21.

Unde reſolves.

1. Qui non poteſt commode reſtituere aperte, faciat clam; & qui non poteſt per ſe, faciat per aliam perſonam interpoſitam, v. g. Confeſſarium.

2. Poſſeſſor malæ fidei, v. gr. fur, debet ſuis ſumptibus ad eum locum rem deferre, ubi alter habiturus fuiſſet, ſi non fuiſſet ablata, deſtructa, vel inique detenta; deductis tamen expenſis, quas alter eam ſervando, vel deferendo debuiſſet facere.

Animad. XLV. *Excipe, niſi transferendo deberet plus impendere, quam res valet: tunc enim plerumque ex præſumpta mente domini poſſet reſtituere pauperibus, vel in uſus pios.* Bon. *q. 6. p.* 1.

3. Bonæ fidei poſſeſſor ſatisfacit, (*d*) *ſi reſtituat in loco, ubi rem poſſidet. l. c.*

4. Debita ex contractu, eo loco, & tempore ſolvi debent, de quo inter partes conventum fuit expreſſe, vel tacite. V. Leſſ. Bon. *l. c.*

5. Si quis poſſit quamprimum reſtituere totum, ad id tenetur.

Animad. XLVI. *Si tamen alter dilatione non pateretur alterius damnum, aut non notabile, non facile arguendus eſſet gravis peccati is, qui cum propoſito ſatisfaciendi differret, aut paulatim per partes ſolveret.* V. Bon. *de contract. d. 1. q. 6. p.* 2.

6. Qui ſcit, ſe teneri ad reſtitutionem, &, cum poſſit in vita, non vult reſtituere, niſi in articulo mortis, vel poſt mortem per heredes, abſolvi non debet, nec poteſt: quia ſemper eſt in actuali peccato, & impœnitens. Sylv. Sayr. Bonac. Trull. *c. 14. d.* 11.

ARTICULUS II.

Quo ordine reſtitui debeat?

Reſp. Certum eſt, neceſſario ordinem non ſervari, quando debitor omnibus ſolvere poteſt; quando vero tantum non habet, aut heredibus reliquit, ſequentes regulæ ſervandæ.

1. Si debitor rem alterius apud ſe habet, quocumque titulo habeat, ſive ex furto, ſive ex depoſito, ſive inventione &c. debet prius reſtitui domino ſuo, vel eo deficiente, pauperibus. *Similiter* Animad. XLVII.
ſi res empta ad creditum, pretio non ſoluto, adhuc extet. Nav. Sylv. Bon. *qu. 3. p.* 2. Hoc tamen Leſſ. *c. 15. d.* 2. contra Bon. &c. limitat, niſi venditor ab emptore fidejuſſorem, vel pignus accepit.

2. *Si reſtitutio facienda ſit ratione injuſtæ actionis,* Animad. XLVIII.
prius reſtitui debent certa, hoc eſt, quorum domini cognoſcuntur, quam incerta. Bon. Leſſ. *d. c.* quia illa jure naturæ debentur ſuis dominis, hæc autem jure ſolo poſitivo pauperibus.

3. *Prius facienda eſt reſtitutio debitorum licite contractorum, quam uſurarum; cum in his dominus non* Animad. XLIX.
fuerit ſimpliciter invitus.

4. Debita ex titulo oneroſo prius ſolvenda ſunt, quam quæ debentur gratuito, v. g. ex promiſſione; quia hæc includunt tacitam conditionem, niſi quid obſtet. Hinc debita defuncti ſolvenda ſunt ante omnia legata, etiam pia. Nav. Sylveſt. Con. *q. 8. p.* 2.

5. In reliquis debitis ſervandum eſt jus particulare loci, ſi tale ſit, & non repugnet juri naturæ. Si nullum ſit, ſequendum eſt jus commune, ſecundum quod 1. *Solvenda ſunt debita, ad quæ bona de-* Animad. L.
bitorum expreſſe fuerunt obligata. 2. *Dos uxoris extrahenda eſt.* 3. *Debita, ad quæ bona debitorum ſunt tacite hypothecata.* 4. *Depoſita perdita in poteſtate debitorum.* 5. *Debita privilegiatorum.* 6. *Aliorum creditorum*: poſt quos omnes ſunt hi, a quibus uſuræ acceptæ ſunt; & adhuc poſt hos reſtituenda ſunt bona incerta. Quando autem multi unius rationis creditores inveniuntur, temporis antiquitas inter eos ſervanda eſt. V. Laym. *l. 3. tr. 2. c. 11. ubi addit, ex bonis debitoris, ſi is defunctus ſit, imprimis ſolvendas eſſe impenſas funeris, & quæ ad confectionem inventarii, apertionem teſtamenti, item ad Medicos, & Pharmacopolas pertinent.* V. Fill. *s. 4. q.* 13.

Quæres, utrum prius exigenti non liceat prius ſolvere?

Reſp. 1. Solvens ſciente poſteriori, prætetito qui habet hypothecam priorem, vel privilegiatam, peccat, teneturque priori de damno, qui etiam poteſt recuperare ſolutum; Leſſ. *d.* 5. ex *l. Scimus*, §. *Si præterea*, *s. De jure delib.*

2. *Si ex pluribus creditoribus perſonalibus æqualibus* Animad. LI.
aliquis exigat (ſive in judicio, ſive extra) *tenetur ei in integrum ſolvere; quia diligentia fecit eum potiorem.* Nav. Sylv. Bon. *l. c.* ex *l. Pupillus*, *ff. Quæ in fraudem.*

3. *Debitor ſciens ſtatum ſuum labentem, non pot-* Animad. LII.
eſt non petenti integre ſatisfacere, ſed debet omnibus perſonalibus ſolvere pro rata (ſi tamen iſti ſolutionem accepiſſent, an poſſet retinere, controvertitur: v. Bonac. Leſſ. *l. c.* Trull. *l. 7. c. 14. d.* 22.) nec poteſt uni ſolvere, omiſſis aliis, niſi ſecundum ordinem ſupradictum.

ARTICULUS III.

Quæ a reſtitutione excuſent?

Reſp. 1. Ex parte debitoris excuſant ea, quæ faciunt, (*e*) *ut creditor rationabiliter debeat* eſſe contentus; etſi de facto non ſit contentus. Ita commun. Doct.

Unde reſolvuntur caſus ſequentes.

1. *Excuſaris in foro conſcientiæ* (juxta ſententiam Animad. LIII.
probabilem) *a compenſatione damni, ſi illud datum ſit ſine tua culpa theologica gravi, hoc eſt mortali peccato*, niſi aliud cum altero pactus ſis, vel inde ſis factus ditior. Unde excuſaris, ſi v. gr. aliquem occidiſti ex ſubita ira, (*f*) *ut ſi fuerit motus tantum primo primus, vel ſecundo primus:* vel ſi ex oblivione non extinxeris candelam, & hinc ortum ſit incendium, &c. Quod ſi advertens periculum in actionibus periculoſis, omittas eam diligentiam præcavendi, quam homines ejuſdem conditionis communiter præſtare ſolent, graviter peccas; & teneris reſtituere damna ſecuta. *Porro* in foro externo proceditur ſecundum culpam juridicam, quæ ſæpe

non

non eſt peccatum; & dividitur in latam, levem, & leviſſimam.

Animad. 2. *Excuſaris a reſtitutione incertorum, ſi feciſti com-*
LIV. *poſitionem cum Epiſcopo, vel Papa.* Leſſ. *c.* 20. *d.* 11. Bon. *q. ult. p.* 2.

Animad. 3. *Item, ſi caſu, quo teneris rem reſtituere pauperi-*
LV. *bus, tibi ipſi revera indigenti eam des:* & tunc quidem poſtea factus ditior, adhuc non teneris reſtituere. V. Laym. *l.* 3. *t.* 3. *c.* 12.

4. Si non poſſis reſtituere, *niſi cum notabiliter graviore damno* tibi, vel tuis, vel Reipub. inferendo, (*g*) quam æſtimari debeat commodum ex reſtitutione creditori obventurum: tunc enim differre potes, dum ceſſet iſta impotentia. Laym. *l. c.* ex Sylv. Nav. &c. Idque verum eſt, etſi debitum ſit ex delicto, uti & in ſequentibus caſibus.

Animad. 5. Si ad reſtituendum ſis impotens; *ut ſi vivere*
LVI. *non poſſis ſecundum decentiam tui ſtatus juſte a te acquiſiti. Unde, ſi nobilis,* v. g. *non poteſt ſtatim ſolvere, niſi ſe privet famulis, equis, armis,* &c. *vel civis primarius, niſi obeat artem mechanicam ſibi inſuetam;* vel mechanicus, niſi vendat inſtrumenta ſua, quibus vivit, aut magnum damnum ſubeat, poteſt differre, & paulatim reſtituere ſine jactura ſui ſtatus. Laym. *l. c.* Bon.

6. Quod ſi tamen tua culpa in illas anguſtias delapſus ſis, v. g. luxuria, ludis, ſuperfluis expenſis veſtium, tibi imputare debes, quod jam ſine ſtatus tui amiſſione non poſſis ſatisfacere. *ibid.*

7. Quod ſi item creditor ex dilatione æquale damnum ſubire debeat, tu potius, quam is, ſuſtinere debes, cum ejus conditio ſit melior. Excipitur extrema neceſſitas, in qua, quoad uſum, ſunt omnia communia. *ibid.*

8. Quod ſi item damnum, quod timetur ex reſtitutione, non eſſet propriorum bonorum, ſed in hoc præciſe tantum, quod ſpoliet ſe rebus debitis, non poteſt ideo differre reſtitutionem; quia hoc non eſt pati in ſuis rebus, neque ſuum ſtatum amittere, ſed eſt dimittere alienum, & reverti ad ſtatum proprium. Sayr. Bonac.

9. Item excuſaris a reſtitutione, ſi fieri nequit abſque periculo ſalutis animæ tuæ, vel tuorum: ut v. g. ſi non poſſis abſque peccato, ut ſi ſit periculum, ne uxor, aut filiæ ſe proſtituant, ne filii ſedent latrociniis, ne ipſe per impatientiam incidas in deſperationem. Bon. Laſſ. Mol. Fill.

10. Item, ſi non poſſis reſtituere abſque periculo vitæ vel notabili detrimento famæ: cum alias plus damni ſuſtineres, quam intuliſti, Bon. *d.* 1. *q. ult. p.* 1.

11. *Item, ſi cedas bonis; quia leges conceſſerunt, ut*
Animad. *qui contraxit multa debita, nec habet unde ſolvat, poſ-*
LVII. *ſit cedere bonis, ea relinquendo in manibus creditorum, & tunc maneat liber, ita ut etiam in conſcientia ſit tutus, retentis inſtrumentis artis, & quæ ad ſuſtentationem ſunt neceſſaria. Quod ſi tamen poſtea redeat ad pinguiorem fortunam, tenetur adhuc reſtituere, ex L. Cum & filiifam. qui bon. Nav. Bon. Leſſ. ex quo Trull. l. 7. d. 15. c. 5. ſic limitat; ſi acquirat plus, quam ad decentiam ſtatus eſt neceſſarium, ex dicta L. Qui bon. Niſi tamen debita proveniant ex delicto,* v. gr. furto: eo enim caſu tantum poſſe retinere, quæ ſimpliciter neceſſaria ſunt ad victum, docet Navar. Salon. Leſſ. *l. c.* etſi hic concedat ea, quæ poſt ceſſionem juſte acquiruntur, licite retineri, ſi ad ſtatum ſint neceſſaria. V. Tolet. Laym. *l.* 3. *c.* 12. Leſſ. *l.* 2. *c.* 16. *d.* 3. Bonac. Trull. *l. c.* Porro, etſi ceſſionem dictam non habere locum in bonis ex delicto provenientibus communiter teneant DD. cum Laym. *l. c.* contrarium tamen ex Leſſ. Dian. &c. docet Trull. *l. c.* Denique, etſi debitor principalis ceſſerit, non ideo liberantur fidejuſſores. Card. Lugo, Dian. *p.* 7. *t.* 8. R. 18. & alii.

Reſp. 2. Ex parte creditoris excuſat. Si is, cui debet reſtitui, ſemel remiſerit, expreſſe, vel tacite, v. g. ſi laceravit tuum chirographum, vel tibi reddidit. Remiſſio autem hæc debet eſſe libera, non metu, fraude, vel mendacio extorta. Fill. *tr.* 32. *c.*
Animad. 5. *q.* 9. Leſſ. *l.* 2. *c.* 16. *d.* 2. 2. *Excuſat in foro con-*
LVIII. *ſcientia, ſi ſolviſti ei, cui debebat tuus creditor.* Leſſ. *d.* 5. Bon. *p.* 3. 3. *Si compenſatio facta eſt creditori per commodum æquivalens,* v. g. *per procurationem officii non gratis factam.* 4. *Omitti, aut ſaltem differri poteſt reſtitutio, imo aliquando debet, ſi creditor ſit abuſurus,* v. g. ſi quis pecunias tibi mutuo datas repetat ad fornicandum, vel aliter peccandum. Item ſi eas repetat ad peccandum contra juſtitiam, ſive inferendum damnum injuſtum tertiæ perſonæ: niſi tamen ex negatione reſtitutionis timeretur majus malum.

Notæ.

(a) *Reſtitutio eſt actus juſtitiæ, ad ſalutem neceſſarius neceſſitate præcepti*, non medii, at præcepti naturalis & divini.

Ita ut radix reſtitutionis non ſit quævis læſio &c. hac de re lege animad. I.

(b) *Hæc autem* &c. *ſcilicet materialis . . . & formalis.*

Loco verborum Buſ. dicito: injuria autem, ſeu læſio duplex eſt: altera materialis; hoc eſt ex invincibili ignorantia a culpæ reatu immunis; altera formalis, qua quis ſciens, aut ex vincibili ignorantia proximum lædit.

Si damnum illatum ſit ex invincibili ignorantia, reparandum eſt, prout habet Buſ. ca. 2. *quiſquis intulit.* At ſi ignorantia fuit vincibilis, non ſolum res adempta, aut læſa, ſed etiam damna inde orta, & lucra ceſſantia reſtituenda ſunt; quia ex culpa damnifici hæc omnia profecta ſunt.

(c) *Nec tenetur ad damna quæ* &c. Cur non tenetur? Quia, inquit Buſ., *hujus mors non directe cauſaretur ab ipſo, ſed per accidens* &c.

At licet ex hujus intentione mors non accidat, ex ejus tamen culpa accidit; quod omnino ſatis eſt, ut damna inde exiſtentia reſarcire debeat ex cap. *ſi culpa tua* hic in animad. ſæpe citato Lege animad. 27. 28.

(d) *Bonæ fidei poſſeſſor ſatisfacit, ſi reſtituat in loco* &c.

Id univerſe, & ſine limitatione dici non poteſt, ſed videndum eſt quo titulo acceperit; qua de re legatur animad. hic 14.

(e) *Ex parte debitoris excuſant ea, quæ faciunt, ut creditor rationabiliter* &c.

Quoad illud *rationabiliter* lege animad. 56.

(f) *Unde excuſaris, ſi v. g. aliquem occidiſti ex ſubita ira, ut ſi fuerit motus tantum primo primus, vel ſecundo primus.*

Ipſi quidem ſubiti motus excuſantur; *quia*, ut ait D. Th. 1. 2. q. 77. a. 8., *ratio deliberans non poteſt occurrere. Cum autem*, ſubdit, *ex paſſione aliquis procedit ad actum peccati* (ad adulterium, homicidium &c.) *vel ad conſenſum deliberatum, hoc non fit ſubito. Unde ratio deliberans poteſt hic occurrere. Poteſt enim excludere, vel ſaltem impedire paſſionem, ut dictum eſt. Unde ſi non occurrat, eſt peccatum mortale; ſicut videmus, quod multa homicidia, & multa adulteria per paſſionem committuntur.* Hinc idem Angelicus a. 7. q. 77. cit. ait, quod *membra non applicantur operi, niſi per conſenſum rationis.* Itaque Buſ. falſo ſuppoſito laborat, dum ponit, aliquem occidi indeliberate, ſeu ſine culpa. Lege, ſi vis, animad. a. in lib. 5. cap. 1. & animad. 1. in cap. 2. ejuſdem lib. 5.

Buſ. *Quod ſi advertens periculum* &c. Adde aut advertere debens ex animadverſionibus mox citatis.

(g) *Si non poſſis reſtituere, niſi cum notabiliter* &c. ex. g., inquit Laym. loco a Buſ. cit., hoc eſt lib. 3. de juſt. tract. 2. cap. 12. „Si creditor multum diſtet, „ut plures expenſæ faciendæ ſint in re debita ipſi „tranſmittenda, quam debitum valeat.“ Recte, & juxta doctrinam S. Thomæ, cujus verba hic leges animad. 14., ubi nota illud: *& poſſit commode tranſmitti; alioquin debet in aliquo loco tuto deponi, ut pro eo conſervetur, & domino ſignificari.*

„Secundo, pergit Laym., ſi debitor ſolvere non „poſſit, niſi domum v. g., vel prædium vendat multo minoris, ideoque longe majori detrimento, quam „debitum valeat, tali caſu ſolutio differri poteſt, ut „bene docet Nav. &c.“ Hæc ſpecies, & reſolutio priori ſimilis eſt, & æquiſſima. Cum enim debitor ultra debitum ſolvere non teneatur, nec ſtatim ſolvere poſſit, niſi multo plus det, quam debeat, a præſenti ſolutione merito excuſatur.

R 2 Ani-

ANIMADVERSIO I.

Qui injuriam intulit, ex qua alteri &c. *ut ſi* &c. *non tenetur in conſcientia ad reſtitutionem.*

Injuria quidem irrogari poteſt ſine damno pecuniæ, aut etiamſi ſine corporis læſione; at injuriam irrogari poſſe ſine damno abſolute, hoc eſt ſine ullo damno, contradictorium eſt. Injuriam enim inferre nihil aliud eſt, niſi inviti jus lædere, ſeu illi nocere, ſeu, quod idem eſt, damnum facere. Qui alteri non nocet, ille certe injuriam non facit. Qui adulterium committit ſine damnificatione alterius quoad ejus pecuniam, ſeu bona pretio æſtimabilia, quia proles adultera non naſcitur, aut non eſt alenda, quia moritur, valde nihilominus nocet adulteræ viro, quia ejus jus in conjugis corpus fœde violat, honoremque contaminat. At qui alteri nocet, reſtitutionis, ſeu, ſi vis, ſatisfactionis lege tenetur. Ergo adulter reſtitutionis lege tenetur, etiamſi quoad pecuniam damnum non intulerit. Ita merito Wig. p. 338. q. 6. n. 96. Reſp. 1. Nam Chriſtus Matth. 5. ait: *Si frater tuus habet aliquid adverſum te, vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum.* At frater tuus, cujus thorum fœde violaſti, habet aliquid adverſum te. Ergo neceſſe eſt, ut exhibita debita ſatisfactione illi reconcilieris. Hæc eſt ſententia S. Thomæ 2. 2. q. 62. ar. 2. ad 1. ajentis, *quod in quibus non poteſt recompenſari æquivalens, ſufficit, quod ibi recompenſetur quod poſſibile eſt, ſicut patet de honoribus, qui ſunt ad Deum, & ad parentes, ut Phil. dicit in 8. Eth. & ideo, quando id, quod eſt ablatum, non eſt reſtituibile per aliquid æquale, debet fieri recompenſatio, qualis poſſibilis eſt: puta cum aliquis alicui abſtulit membrum, debet ei recompenſare vel in pecunia, vel in aliquo honore, conſiderata conditione utriuſque perſonæ ſecundum arbitrium boni viri.* An quia jus conjugis per adulterium læſum, & dedecus illi illatum æqualiter reparari nequit, nullo modo reparandum eſt? An injuriæ maximæ nulla ſatisfactione compenſandæ ſunt, cum minores æqualiter compenſandæ ſint? Cap. *Si culpa tua* de injuriis &c. dicitur: *Si culpa tua datum eſt damnum, vel injuria irrogata, ſeu* &c. *jure ſuper his ſatisfacere te oportet.* Nota illud *damnum datum, vel injuria irrogata* disjunctive dictum, ut intelligas injuriam quoque, quæ nec corpori, nec pecuniæ damnum intulit, ſatisfactionis juri eſſe obnoxiam. Qui injuriam intulit ſine damno aut rerum æſtimabilium, aut corporis, a judice, fatente Buſemb. cogi poteſt ad ſatisfaciendum pro injuria; at judex, qui juris cuſtos eſt, neminem cogere poteſt ad id quod jus non exigit: ergo jus exigit, ut adulter, & quicumque alter injuriam intulit, pro injuria ſatisfaciat. Ergo Buſ. opinio, licet apud Concinam Theol. t. 7. p. 220. n. 1. communis eſſe penes recentes dicatur, nihilominus deſerenda eſt.

ANAMADVERSIO II.

An vero ſufficiat culpa venialis, controvertunt auctores, & ſententia utraque probabilis videtur, ac in praxi tuta; ſaltem &c.

Probabile, & in praxi tutum apud Buſembaum, & verſatiles opinatores idem ſonat; in ſana Theologia probabile, cum hinc inde tale eſt, idem ſonat, ac periculoſum, ideoque quoad praxim culpabile.

Sed in præſenti ſpecie, ſi utraque ſententia probabilis foret, non utraque, ſed neutra, hoc eſt nec affirmans, nec inficians obligationem reſtituendi totius damni, in praxi tuta eſſet. Ratio eſt, quia ex contraria hinc inde probabilitate dubium rationabile oritur: in dubio autem rationabili, utrum totum damnum illatum, reſtituendum ſit, an nihil, ut æqualitas ſervetur, neutraque pars gravetur, dimidii damni reſtitutio præſcribenda eſt. Si nihil reſtituatur, injuria evidens fit damnum paſſo; ſi totum reſtitui jubeatur, evidens injuria fit ei, qui damnum ex levi culpa dedit.

Sed, cum de damni reparatione ſermo eſt, illa quæſtio, utrum culpa fuerit mortalis, an venialis, in damno dato locum non habet. Quia, cum damnum illatum grave eſt, inconſideratio, ſeu negligentia mortalis eſt ex D. Thom. 2. 2. q. 54. ar. 3. ubi ait: *Poteſt ergo dupliciter contingere, quod negligentia ſit peccatum mortale. Uno modo ex parte ejus, quod prætermittitur per negligentiam, quod quidem ſi ſit de neceſſitate ſalutis, ſive ſit actus, ſive circumſtantia, erit peccatum mortale.* Hæc angelica doctrina valde notanda eſt, mentique infigenda, ne quolibet doctrinæ vento circumferamur. Nam cum prætermittitur per negligentiam id, unde grave damnum proximo infertur, id prætermittitur, quod eſt de neceſſitate ſalutis; ideoque negligentia non poteſt eſſe venialis, ſed eſt mortalis. Hinc ſacri canones damnum ex culpa datum ſine ulla diſtinctione reparandum explicate præcipiunt. Gregorius IX. cap. 9. mox cit. lib. 5. decret. t. 36. ait: *Si culpa tua datum eſt damnum, vel injuria irrogata, ſeu aliis irrogantibus opem forte tuliſti, aut hæc imperitia tua, ſive negligentia evenerunt; jure ſuper his ſatisfacere te oportet; nec ignorantia te excuſat, ſi ſcire debuiſti, ex facto tuo injuriam veriſimiliter poſſe contingere, vel jacturam.* Mox ſubdit: *Sane licet qui occaſionem damni dat, damnum videatur dediſſe; ſecus eſt tamen in illo dicendum, qui ut non accideret, de contingentibus nil omiſit.* Cap. 2. ejuſdem tit. dicitur: *Si quis aperuerit ciſternam, & foderit, & non operuerit eum, cecideritque bos, vel aſinus in eum, dominus ciſternæ reddet pretium jumentorum: quod autem mortuum eſt, ipſius erit.* Et cap. 5. *Si egreſſus ignis comprehenderit acervos frugum, ſive ſtantes ſegetes in agris, reddet damnum qui ignem ſuccenderit:* & cap. 6. *Si quis domum, vel aream cujuſquam incenderit voluntarie, ſublata, & incenſa omnia reſtituat, & tres annos pœniteat.* Hi canones nullam mortalis, aut venialis culpæ in damno dato mentionem faciunt; ſed damnum ex culpa illatum, eſſe reparandum abſolute ſine ulla diſtinctione decernunt. Horum præſcripta, veneratione excipienda, & ad praxim redigenda, fidenter pronuntio.

ANAMADVERSIO III.

Quod ſi tamen ante executionem conſilium &c. *probabile eſt, excuſari a reſtitutione, maxime* &c.

Hac de re loquitur etiam La-Croix p. 296. n. 28. Ego hic principii loco pono illud D. Thomæ 2. 2. q. 62. ar. 7. *Unde tunc tenetur ſolum conſiliator, & palpo, id eſt adulator, ad reſtitutionem, quando probabiliter æſtimari poteſt, quod ex hujuſmodi cauſis fuerit injuſta acceptio ſubſecuta.* Hac ergo in re omnes circumſtantiæ attente conſiderandæ ſunt, quibus penſatis ſi ex æquo judicio putetur, damnum ex conſilio, aut precibus licet revocatis fuiſſe derivatum, illud erit reſtituendum. Ceterum cum conſiliator, aut precator non ſolum conſilium, & preces revocat, ſed quantum in ipſo eſt, contrarium ſuadet, & precatur, nec tamen perſuadet; univerſe loquendo probabiliter æſtimari poteſt, damnum non ex vi conſilii, aut precum, ſed ſolum ex perverſa damnifici voluntate fuiſſe profectum; ideoque conſiliatorem, aut precatorem, niſi quid peculiare obſtet, a reſtitutione eſſe immunem. In hanc ſententiam loquitur quoque P. Concina Theolog. t. 7. p. 134. n. 23.

ANIMADVERSIO IV.

Licet ibidem Sanch. excuſet eos, qui iſta emunt a ſartoribus magiſtris, eo quod &c.

Sartores, qui panni fragmenta ſibi retinent, quia juſta merces liquide debita iis non ſolvitur, occulta compenſatione contra ordinem juris utuntur, ideoque peccant; non tamen reſtituere tenentur; ideoque hujuſmodi fragmenta in hac hypotheſi vendere, & ab aliis emi poſſunt. Utrum vero quoad factum res ita ſe habeat, an contra, peritorum conſuetudinis locorum judicium eſto. In dubio ab emptione abſtinendum eſt.

Qui vero poſt delictum ipſum reum juvat ad fugiendum, (non concurrens ad delictum) non tenetur &c. *modo* &c.

Si Buſemb. loquatur de damnifico, qui nihil alienæ rei exportans, fugit, non ut rem furtivam in tuto ponat, ſed ut pœnam evadat, recte habet.

At ſi loquatur de fure cum re furtiva fugiente, ut eam retineat, qui illum juvat ad fugiendum, ejus furto cooperatur. Perinde enim eſt, ſeu furem adjuves ad furandum, ſeu ad furtum retinendum: quia non minus peccat qui furtum retinet, quam qui admittit; neque fuga, qua furtum in tuto ponitur, licet, ſed illa ſolum, qua quis pœnam evadere conatur.

ANIMADVERSIO V.

Excuſantur tamen (modo &c. *) qui ea non ſponte, ſed juſto metu* &c.

Quoad hæc lege dicta tr. 2. c. 2. ar. 3. ca. 6. & 7. pag. 141. n. 23. 24. quod enim de cooperationibus ibi deſcriptis dicitur, de præſentibus quoque dicendum eſt.

ANIMADVERSIO VI.

Probabile eſt, non teneri ſupradictos, ſi non ſit moraliter certum &c.

Hic ſermo eſt de iis, qui juſſione, conſilio, conſenſu, laude ad furtum, ſeu damnum inferendum movere conantur, ſeu volunt. In his porro certa notitia quoad efficaciam mandati, conſilii, &c. ut plurimum non habetur. Quare Angelicus Doct. ſupra cit. ad c. 2. non ex certa ſcientia, ſed ex æqua (non verſatili) probabilitate regulam eſſe quoad efficaciam ſumendam docuit. *Unde tunc ſolum*, ejus verba repeto, quæ digna ſunt ut menti contra fallacias infigantur, *tenetur conſiliator, &*

pal-

Digitized by Google

palpo, ideſt adulator, ad reſtitutionem, quando probabiliter æſtimari poteſt, quod ex hujuſmodi cauſis fuerit injuſta acceptio ſubſecuta. Hæc angelica doctrina, reg. 45. in 6. confirmatur. *Inſpicimus in obſcuris, quod eſt veriſimilius, vel quod plerumque fieri conſuevit.* At inquit Buſemb. „ In dubio melior eſt conditio poſſidentis, præ„ ſertim circa materiam juſtitiæ. "

Reſp. Buſemb. ſophiſtice ratiocinatur, cum dubium eſſe colligit, quando non eſt moralis certitudo. Inter moralem certitudinem, & dubium media eſt probabilitas. Moralis certitudo omnem formidinem de oppoſito quoad mores, ſeu actiones hominum excludit; probabilitas ſuis nititur fundamentis rationabilibus, quæ animum movent, non tamen certum faciunt, nec omnem de oppoſito timorem removent. Itaque axioma, quod ipſe ceteroquin pervertit, ſeu perperam accipit, ad rem præſentem non facit; in qua non de dubio, ſed de probabilitate ſano ſenſu explicata ſermo eſt.

Quod ſi de mandati, aut conſilii &c. efficacia non abſoluta probabilitas, ſed hinc inde probabilitas, hoc eſt rationabile dubium habeatur, non deſunt, qui mandantem, ſeu ſuadentem ad totius damni compenſationem obligent, & cit. reg. 45. in 6. nituntur; quia cum conſilium, vel mandatum præceſſit, & poſt damnum illatum eſt, veroſimilius eſt, & plerumque accidit, damnum ex vi conſilii, vel mandati fuiſſe profectum. Reſp. Hoc quidem generatim loquendo verum eſt; at in præſenti generatim non loquimur, ſed de peculiari ſpecie loquimur, in qua propter rerum circumſtantias penſatis omnibus non veroſimilius eſt, damnum ex vi conſilii, aut mandati fuiſſe datum, ſed rationabile dubium. Itaque reg. 45. cit. ad præſentem quæſtionem non facit.

Buſ. contra in dubio ex ratione mox allata nihil reſtituendum eſſe, ait. Reſp. conditionem poſſidentis in dubio eſſe meliorem, cum dubium juris cadit ſupra rem poſſeſſam, utrum ſit poſſidentis, an alterius. At in præſenti dubium non cadit ſupra rem poſſeſſam, ſed ſupra conſilium, aut mandatum, utrum fuerit efficax, nec ne; ideoque regula a Buſ. allata abs re noſtra eſt. Quid ergo? Cum ex dictis nec totum in dubio, de quo agimus, nec nihil reſtituendum ſit, illud ſponte ſua conſequitur, dimidium eſſe reſtituendum, vel pro ratione dubii, ut docet P. Concina Theol. t. 7. p. 231. n. 55. & ex dictis ad c. 8. d. 3. e. 1. lib. 1. cap. 2. colligitur. Nam ſi mandatum ſit efficax, reſtitutionis obligationem inducit; ſin minus, ab ea liberat. Ergo, cum dubium eſt, utrum fuerit efficax, dubia quoque eſt reſtitutionis obligatio. In hac porro dubia obligatione, ut æqualitas ſervetur, periculum, & emolumentum ad utramque partem æqualiter pertinet; quod fit, cum dimidium damnum reparatur. Poſita enim dimidii reparatione, utraque pars tum in periculo amittendi dimidii, tum in commodo dubio acquirendi dimidii reperitur. At ſi totum damnum reparetur, nullius jacturæ periculum ſubit qui damnum paſſus eſt, habetque emolumentum, quod forte nullum ipſi debebatur; contra vero qui totum reparat, ſubit periculum jacturæ totius, quod dat, nec ullius emolumenti commodum habet; quæ æqualitatis, & juſtitiæ adverſantur.

Animadverſio VII.

Nec tenentur, ſi efficaciter tantum concurrant ad circumſtantiam, v. g. ſi quis tantum impellat alium, ut citius noceat.

La-Croix p. 296. n. 31. ita loquitur. „ Qui furi parato poſt octo dies furari ſuadet furari hodie, tenetur „ reſtituere, quia fur interea potuiſſet impediri: ergo „ jam conſulens eſt cauſa efficax damni quoad ſubſtan„ tiam, ut recte Mol. d. 736. n. 3. " Pro hac ſententia Concina Theol. t. 7. p. 228. q. 2. citat Cajetanum, Soto, Tapiam, Leſſ., Bonac., Ledeſma, & ſermo eſt de totius damni reſtitutione; eamque idem tuetur.

At ſubdit La-Croix: „ Excuſat tamen Lugo n. 25. ſi „ non ſuaſit abſolute furari, ſed tantum circumſtantiam „ temporis, (quod dixerat Buſ.) verb. grat. quia cer„ to prævidebat, poſt octo dies cauſandum eſſe majus „ damnum, & conſentit Illſ. n. 186. "

Hic ſcilicet La-Croix ſibi contradicit. Nam qui furi parato poſt octo dies furari, ſuadet furari hodie, & qui furi ſuadet furari hodie, quia certo prævidebat poſt octo dies cauſandum eſſe majus damnum, non ſunt diverſæ ſpecies, ſed eadem. Cur enim certo prævidet, ut La-Croix ponit, poſt octo dies cauſandum eſſe majus damnum, niſi quia videt furem poſt octo dies paratum ad furandum?

Ergo cum hæc conciliari non poſſint, & quod prius La-Croix dixit, recte dictum merito videatur, hoc poſterius rejiciendum eſt.

Revera enim qui furi parato ad furandum poſt aliquot dies, ſuadet ut ſtatim furetur, eſt cauſa efficax damni quoad ſubſtantiam; eſt enim cauſa actionis damnificæ, ſeu furti; nec enim modus actionis, ſeu ejus anticipatio ab ipſa actione ſeparari poteſt: qui ſuadet alicui, ut hodie, ut ſtatim furetur, non ſolum ſuadet illud *hodie*, *ſtatim*, ſed etiam ut furetur; ergo non ſolum anticipationem, ſed etiam furtum ſuadet: ideoque reſtitutioni obnoxius eſt. In eo enim tum Buſ. tum La-Croix errant, quod circumſtantiam temporis ab actione ſeparent, quæ mente quidem ſeparantur, at reipſa ſeparari nequeunt. Qui ſuaſione impellit alium ad damnum citius inferendum, hoc damnum vult, eidem facto conſentit, & cooperatur: ergo non ſolum caritatem, ſed juſtitiam violat: ergo reſtituere tenetur. Quæro enim utrum hic ſuaſor peccet? An negare potes, hominem, qui proximum a peccatis, & damnis inferendis diſſuadere tenetur, peccare, dum ſuadet, ut damna citius inferantur? Iterum quæro, utrum hoc peccatum caritati tantum, an etiam juſtitiæ adverſetur? Evidens ſcilicet eſt, hic peccari contra juſtitiam; quia agitur de damno, & injuria proximi. Peccatum contra juſtitiam infert ne debitum reſtitutionis? Quid ergo? Concluſio aperta eſt.

Sed illud hic quoque in La-Croixio animadverſione dignum eſt; „ quia certo prævidebat poſt octo dies cau„ ſandum eſſe majus damnum. " Hæc enim certa poſitio, commentitia eſt, & quaſi fanatica. De futuris contingentibus, inquiunt Logici communi conſenſu, non datur determinata veritas, quod dictum comparate ad noſtram cognitionem indubitatum eſt, & principii loco habendum. Ergo aperte falſum eſt, certo prævideri, poſt octo dies idem, aut majus damnum a fure eſſe inferendum. Undenam hæc certa prævisio, niſi quis prophetico ſpiritu afflatus ſit, haberi poteſt? Nonne ipſa voluntas furis nunc determinata parati ad damnum poſt octo dies faciendum, ſponte ſua maxime mutabilis eſt? Nonne ex alieno conſilio, mandato, minis, etiamſi ipſe, quantum in ipſo eſt, in pravo propoſito obſtinate perſeveret, mutari poteſt? Quid dicam de innumeris impedimentis, quæ perſeveranti obſtinatiſſime furis, aut damnifici voluntati objici poſſunt, quominus faciat, quod in pravo animo habet? Non Theologi, ſed fanatici, ut ego puto, hominis eſt, ponere, certo prævideri poſſe damnum poſt octo dies futurum. Hæc futilis, & vaniſſima poſitio a Theologia aliena eſſe debet; quæ ſi adhibeatur, mores corrumpere poteſt, informare non poteſt.

Præterea ipſa cooperatio efficax ad injuriam, & damnum, etiamſi damnum aliunde, aut alio tempore futurum ſit, juſtitiam violat, & reſtitutionis obligationem infert. Sicut enim ab injuria, & damno illato aliquis non excuſatur, quia damnum ab aliis, vel alio modo inferendum erat, ut fatetur ipſe La-Croix p. 297. n. 49. ita a damni, & injuriæ cooperatione nemo excuſari poteſt; quia damnum alio tempore, vel alia ratione faciendum eſt. Petrus paratus eſt occidere Joannem: illi animum facis, ut animoſius id faciat. Titius incendere vult domum hoc loco; tu illi ſuggeris, ut alio loco, ubi incendium aut facilius excitabitur, aut latius diffundetur, incendat. Cajus ex ſe interficere in animo habet Franciſcum: illi ſuades, ut Franciſcum veneno de medio tollat: idem Cajus vult occidere in via; illum hortaris, ut occidat domi. Omnes hæ facinoroſæ ſuaſiones, quidquid Buſ. quidquid alii contra ſcribant, aut ſentiant, juſtitiæ aperte contrariæ ſunt, & reſtitutionis obligationem inducunt.

Animadverſio VIII.

Non tenetur item (contra Nav. &c.) Confeſſarius, etſi ex officio &c. *ut Parochus* &c. *ſi ex negligentia, vel ignorantia pœnitentem non moneat* &c.

Imo tenetur, ut ſentit etiam Genettus Theol. t. 7. p. 270. q. 7. idque colligitur ex verbis cap. *Si culpa tua* mox deſcriptis ad dub. 1. e. 3. nam juxta illud cap. damnum, quod ex imperitia vel negligentia evenit, jure reparandum eſt: at Buſ. ponit, ex Confeſſarii imperitia, vel negligentia evenire damnum tertio, cui reſtitutio non fit: ergo &c. Præterea ex eodem cap. habetur: *Nec ignorantia te excuſat, ſi ſcire debuiſti, ex facto tuo injuriam veriſimiliter poſſe contingere vel jacturam.* Sed Confeſſarius ſcire debuit, ex facto ſuo, hoc eſt ex omiſſione admonitionis, injuriam veroſimiliter poſſe contingere, vel jacturam illi, cui reſtitutio non fit: ergo ex ſua ignorantia non excuſatur.

Hinc D. Thom. 2.2. q. 62. a. 7. ad 3. ait, *quod non ſemper ille, qui non manifeſtat latronem, tenetur ad reſtitutionem, aut qui non obſtat, vel qui non reprehendit; ſed ſolum quando incumbit alicui ex officio, ſicut principibus* &c. At Parochis, aliiſque Confeſſariis incumbit ex officio reprehendere damnificos, eoſque ad reſtitutionem cogere: ergo id omittentes, ipſi reparare damnum tenentur. Adde S. Bernardinum Senenſem, qui ſerm. 32. in Dom. 4. Quadr. ita loquitur. *Si quis ex officio ſuo tenetur a damno alterum defenſare, vel præſervare, non tan-*

Digitized by Google

tum ſi ex malitia, verum etiam ſi ex negligentia, vel incuria, aut imperitia officia ſuo notabiliter indebita contingit illum damnificari, cui ſic debetur, totum illud damnum reſtituere obligatur; mox in hoc numero ab eo cenſentur *medici corporum, & animarum, & maxime Confeſſores ignari, & negligentes*.

Illa Bul. ratio, quod Confeſſarius non tenetur pœnitentem monere *ex obligatione erga tertium, quaſi ex juſtitia debeat ejus damnum cavere, aut procurare ut hoc ei compenſetur*; hæc, inquam, ratio ex dictis captioſa eſt. Nam Confeſſarius non tenetur quidem cavere ex juſtitia damnum tertii, quod ad ſuum tribunal non defertur; at illud cavere tenetur, ſi ad ſuum tribunal deferatur. Ex officio pœnitentem a damnis inferendis avertere; ex officio eumdem pœnitentem ad damna illata reparanda cogere tenetur. Si id omittat, officio ſuo deeſt, damnorumque illatorum, & non reparatorum reus eſt; ideoque ex juſtitia ipſe ea reparare tenetur.

Nec enim pœnitenti tantum, ſed iis quoque, quorum cauſæ ex confeſſionis neceſſitate ad ſe deferuntur ab eodem pœnitente, jus ex officio dicere debet. Si tamen omiſſam admonitionem poſt adhibeat, a reſtitutionis onere liber erit.

Animadversio IX.

Si actio &c. tenentur reliqui v. g. &c. Hactenus recte, *Quod etſi de militibus ſpeculative verum ſit*, (hoc eſt univerſe loquendo, & niſi addantur circumſtantiæ a reſtitutione excuſantes) *practice tamen &c. tum quia non poſſunt totum reſtituere*.

Hæc circumſtantia milites quidem excuſat a reſtitutione totius, ſi reipſa non poſſint totum reſtituere, non tamen ab omni reſtitutione, quam quilibet pro ſua facultate facere tenetur.

Tum quia dominorum voluntas non eſt, nec expectatio, ut plus &c.

Illud *dominorum voluntas* fingitur ex arbitrio. Nam dominorum voluntatem eam merito eſſe ponimus, ut reſtitutio iis fiat, prout jus poſtulat; niſi forte ſponte, nullaque vi coacti aliud proteſtentur.

Illud *expectatio* nihil momenti habet; nec enim a reſtitutione quiſquam liber eſt, quia damnum paſſus illam non expectat, ſeu non ſperat: quia hæc deſperatio ab iniquitate raptorum oriri poteſt. Juxta S. Raymundum, cujus verba recitavi tr. 4. c. 1. artic. 3. c. 5. *poſſet tolerari, quod quilibet ſatisfaceret de his, quæ habuit, & induceret alios pro poſſe ad ſatisfaciendum, ſed primum dictum eſt tutius*; ut ſcilicet quilibet in ſolidum reſtituere teneatur. Quod autem dicitur de damno lucrativo, ſeu utili, idem dicendum de damno ſine lucro. Ratio autem, cur quilibet in ſolidum reſtituere teneatur, ea eſt, quia quilibet aliis damnum inferentibus auxilium fert, eorumque criminis eſt particeps: at non ſolum reſtituere tenetur qui latrocinium admittit, aut damnum infert, ſed etiam qui adjuvat & criminis particeps eſt; qua de re legendus eſt D. Thom. 2. 2. q. 62. ar. 7. ergo ſinguli milites non ſolum damnum, quod ipſi fecerunt, ſed totum damnum, cui faciendo auxilium præbuerunt, reparare tenentur. Nec enim excuſari poſſunt a damno, cui faciendo auxilium præbuerunt, reparando; quia damnum quoque fecerunt, hoc eſt quia crimen crimini addidere.

La-Croix p. 298. n. 53. ita quærit. „ Si ſinguli non „ fuerint cauſa ſufficiens ad totum damnum, v. gr. ad „ ſpoliandum viatorem, & tamen ſimul ſumpti fuerunt „ cauſa, an ſinguli obligentur ad reparandum totum „ damnum. " Huic quæſtioni ita reſpondet. „ Tres ſunt „ ſententiæ, 1. eſt Cajet. Sot. Med. Mol. Covarr. Lay. „ Leſl. Tann. qui abſolute affirmant, quia ſinguli in„ fluunt in totum damnum, uti inſinuatum eſt n. 30. " Hæc ſane ſententia ſolidiſſima eſt, ejuſque ratio breviter enuntiata, efficax „ 2. eſt Nav. ait La-Croix, Silv. „ Adv. & aliorum, qui abſolute negant; quia ſinguli „ ſunt cauſa partialit damni partialitate cauſæ; & quam„ vis ſinguli influant in totum damnum, tamen non in„ fluunt totaliter; ideſt damnum non habet totum ſuum „ eſſe a ſingulis, tanquam cauſis ſeorſim ſufficientibus ad „ ipſum totum ponendum. " Hæc ratio eſt aperta principii petitio, ut lector emunctæ naris intelligit. Non enim hic craſſi, aut indocilis ingenii homines alloquor. Subdit La-Croix: „ 3. Rebell. Lugo d. 19. n. 82. & alio„ rum, qui melius ſic diſtinguunt: ſi ſinguli moveant „ alios ad ponendum damnum, aut ſi ſingulis non con„ currentibus damnum non poneretur, ſinguli tenentur „ ad totum; quia reipſa tum ſunt cauſa moraliter adæ„ quata totius damni: ſinguli enim potuiſſent, & debuiſ„ ſent impedire, non dando ſuum concurſum. „ Id extra controverſiam eſt, & ponitur a La-Croixio, quod tamen ſi ad arabicarum commentationum tribunal revocetur, ſuis difficultatibus erit obnoxium. „ E contra, La„ Croixii verba ſunt, ſi ſinguli non moveant alios, & „ ſingulorum concurſu ſublato, adhuc fieret totum da„ mnum; " (hic eſt quæſtionis ſtatus attente notandus) „ ſinguli non tenebuntur ad totum, ſed tantum „ ad partem: " (hæc eſt quæſtionis reſolutio, quæ La-Croixio placet) „ quia ſinguli non poſuerunt nequidem „ moraliter vim cauſativam totius damni, nec illud pot„ erant, aut ſaltem non tenebantur impedire. " Hæc eſt reſolutionis ratio; hoc eſt, ut ego ſentio, ſophiſma. Si ſinguli moveant alios ad ponendum damnum, puta conſilio, aut conſenſu externis ſignis expreſſo, ſinguli tenentur ad totum, ut La-Croix fatetur, & reipſa eſt; ſi ſinguli facto ipſo conveniant, & concurrant ad totum damnum, ad totum reſarciendum non tenentur? *Digni ſunt morte*, inquit Ap. Rom. 1. *non ſolum qui faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus*. Quinam magis conſentit damno; qui nutu, aut verbo illi conſentit, an qui facto & opere? Si qui nutu, aut verbo toti damno conſentit, totius damni reparandi lege tenetur, cur eadem lege non tenetur, qui ipſo opere, & facto eidem toti damno conſentit? Hic ſcilicet (utor La-Croixii verbis) poſuit moraliter vim cauſativam totius damni, ac multo magis, quam qui nutu, aut verbo toti damno conſenſit. Singuli quidem phyſice, hoc eſt manu, & armis totum damnum non efficiunt; at moraliter totum ſinguli efficiunt; quia ſinguli ſingulos adjuvant ad totum damnum efficiendum. Neque eorum quiſquam eo nomine a totius damni reatu excuſatur, quia eo non concurrente, ſeu non adjuvante nihilominus fieret; ſed eo ipſo reus eſt totius damni, quia ad totum damnum alios adjuvat.

An non adjuvat ad totum damnum, cum reipſa adjuvat: quia ipſo non adjuvante nihilominus fieret? His commentis opponenda eſt Ap. doctrina mox deſcripta: *Digni ſunt morte non ſolum qui faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus*.

Porro quod dicitur de latronibus, qui ſinguli non ſufficiunt ad ſpoliandum viatorem, at ſimul illum ſpoliarunt, idem dicendum de iiſdem, & militibus domum, pagum, aut urbem inique diripientibus; quia eadem ſpecies eſt.

Animadversio X.

Si res non erat debita &c. tunc qui ſine vi &c. inducit collatorem, ut v. g. ... beneficium eccleſiaſticum, & ſimilia dona gratuita &c.

Quamvis beneficia eccleſiaſtica gratis conferenda ſint, non tamen eo ſenſu dona ſunt, ut ex arbitrio conferri poſſint. Collatores beneficiorum, non ſunt domini, ſed diſpenſatores, nec cum ea conferunt, quidquam de ſuo dant, ſed dant quod eſt Chriſti. Quare illa conferre tenentur juxta voluntatem Dei, hoc eſt prout animarum utilitas, & meritorum, ſeu juſtitiæ diſtributivæ ratio poſtulat.

Hac doctrina, ne quis ex Buſembau verbis errandi anſam accipiat, conſtituta, non ipſe Buſemb. ſed S. Th. audiendus eſt, qui 2. 2. qu. 62. art. 2. ad 4. ita loquitur: *Dicendum, quod aliquis poteſt impedire aliquem, ne habeat præbendam multipliciter. Uno modo juſte, puta ſi intendens honorem Dei, vel utilitatem Eccleſiæ procuret, quod detur perſonæ digniori; & tunc nullo modo tenetur ad reſtitutionem, vel ad aliquam recompenſationem faciendam. Alio modo* (hic ad rem præſentem ſingula verba S. Doctoris attente notanda ſunt) *injuſte, puta ſi intendat ejus nocumentum, quem impedit propter odium, vel vindictam, aut aliquid hujuſmodi; & tunc ſi impedit, ne præbenda detur digno, conſulens, quod non detur, antequam ſit firmatum, quod ei detur, tenetur quidem ad aliquam recompenſationem, penſatis conditionibus perſonarum, & negotii ſecundum arbitrium ſapientis. Si vero firmatum ſit, quod alicui detur præbenda, & aliquis propter indebitam cauſam procuret, quod revocetur* (in hoc caſu ait Buſemb. „ Etſi ſæpe is poſſit graviter peccare, præſertim ſi id ex „ odio, vel alio malo fine faciat, non tamen tenetur „ ad reſtitutionem; at S. Th. ait) *idem eſt, ac ſi jam habitam ei auferret; & ideo tenetur ad reſtitutionem æqualis*. " Buſemb. ait, non tenetur ad reſtitutionem: D. Th. ait, *tenetur ad reſtitutionem æqualis*.

Cui fides habenda? an quiſquam frontis adeo perfractæ reperietur, qui Buſembaum, & quos citat, cum Angelico Doctore comparare audeat? Angelici Doctoris ſententia communis eſt, ait P. Concina Th. t. 7. p. 218. n. 2. At huic ſententiæ obſtare audet etiam La-Croix, qui ex Sanch. hanc generalem regulam p. 298. n. 69. ponit. „ Qui impedit alium ab aſſecutione boni, ad quod non „ habet jus nec in re, nec ad rem, ad nihil tenetur, „ niſi ex parte modi impediendi adſit externa injuſtitia, „ ſive niſi impediat vi, fraude, detractione, vel men„ dacio. "

Hæc eſt ipſiſſima Buſembau doctrina, S. Thomæ, & communi ſententiæ adverſa. Nam cui beneficium nondum collatum eſt, is nec in re, nec ad rem jus habet. Audiamus nunc rationem La-Croixii. „ Ratio eſt, in-

" quit,

Digitized by Google

,, quit, quia nulla injuria fit: ſi enim principalis negans ,, tale bonum, ad nihil tenetur, neque tenetur per ſe ,, loquendo impediens. "

Reſp. Injuria quidem eſt juris violatio; ideoque ſi nullum aliud eſſet jus, niſi in re, & ad rem, nulla fieret injuria niſi habenti jus in re, vel ad rem. At præter jus in re, & ad rem, quod eſt jus proprietatis, extat aliud jus, quod dicitur condignitatis, ſeu dignitatis. Primum jus, hoc eſt in re, & ad rem, pertinet ad juſtitiam commutativam; alterum, hoc eſt dignitatis, pertinet ad juſtitiam diſtributivam.

Itaque principalis, hoc eſt ad rem noſtram loquendo collator puta beneficii eccleſiaſtici, negans tale bonum digno, ſeu digniori, non ſolum facit injuriam Deo, cujus jus, ſeu dominium ſibi uſurpat, cum ſit tantum œconomus, ſeu diſpenſator, non ſolum injuriam facit Eccleſiæ, quam privat utilitate ſibi debita; ſed injuriam facit etiam digno, ſeu digniori, cui ex jure juſtitiæ diſtributivæ, & voluntate domini beneficii, ſeu Dei, beneficium erat conferendum; ea ratione, qua procurator, ſeu œconomus, cui commiſſa eſt pecunia pauperibus diſtribuenda, iiſdem pauperibus injuriam irrogat, ſi eam amicis non indigentibus conferat. Exploſo ergo La-Croixii ſophiſmate, angelicæ S. Thomæ doctrinæ tenaciter adhærendum eſt.

Quoad hereditates, & legata (idemque dicendum de aliis donis gratuitis & liberalibus) P. Concina Theol. t. 7. p. 120. n. 7. ita inquit: ,, Si teſtatori decumbenti, ,, qui deſtinavit relinquere legatum Sempronio, aut illum heredem inſtituere, conſilio, precibuſque ſuaſiſti, ,, ut tibi potius, aut amico, Sempronio neglecto, bona legaret, & hereditatem relinqueret, nec te peccare, nec ad reſtitutionem teneri, docent communiter auctores. Ego ne unquam id facias, definio. " Ita ille.

Si ex rationabili cauſa legatum, aut hereditatem alicui deſtinatam impedias, & in alium tuo conſilio, aut precibus transferas, nulla ratio eſſe videtur, cur a communi ſententia diſcedendum ſit; imo laudabile eſt, legata, aut hereditatem irrationabiliter relinquere volentem a propoſito avocare. At ſi abſque ulla rationabili cauſa id facias, legatum, aut hereditatem e manibus legatarii, aut heredis deſtinati extorques; quod ſine injuria fieri non poſſe videtur. Quamvis enim legatarii, & heredes teſtatore vivente nullum jus habeant ad legata, & hereditatem, jus tamen habere videntur, ne alii ſine cauſa impedimento ſint, quominus ea beneficia conſequantur. *Licet*, ait P. Concina t. 7. p. 197. n. 20. *ante acceptationem Paulus* (donatarius) *non habeat jus ad rem, jus tamen habet, ne alter impediat bonum ſibi faciendum a donante*. Principalis, puta teſtator, aut donans, ut La-Croixii rationi hic quoque reſpondeam, negans tale bonum, ad nihil quidem tenetur; quia, cum ſit ſuorum bonorum, quæ in alterius jus nondum tranſiere, dominus, nemini injuriam facit, dum voluntatem mutat, & dona revocat.

At alios, qui domini non ſunt, jus habere mutandi conſilio, aut precibus ſine ulla rationabili cauſa ejus voluntatem, & quantum in ipſis eſt, uni eripere legatum &c. ut alteri tribuat, non ſatis intelligo. Hoc ſane naturali æquitati adverſatur; hoc proximo nocet; de hoc impedimento, veluti de inſigni injuria homines vulgo queruntur. Hinc. Clem. V. in Conc. Viennenſi (Clem. lib. 5. t. 7. c. 1. §. 1.) Religioſis *in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub interminatione maledictionis æternæ* inhibet, *ne, cum confectionibus teſtamentorum intererunt, a reſtitutionibus debitis, aut legatis matricibus Eccleſiis faciendis retrahant teſtatores; nec legata, vel debita, aut male ablata incerta ſibi, aut aliis ſingularibus ſui Ordinis fratribus, vel conventibus in aliorum præjudicium fieri, ſeu erogari procurent*. Caſum Clementinæ excipiunt quidem communiter adverſarii, & La-Croix p. 299. n. 74. ,, Non ,, tenetur tamen, inquit, ad reſtitutionem faciendam, ,, vel procurandam ... nec peccatum eſt, niſi contra ,, obedientiam debitam Pontifici, qui non præcipit reparationem damni; imo Sanch. putat, Religioſum non ,, peccaturum, ſi id faceret bono zelo, ſciens, eſſe majorem utilitatem teſtantis, & non peteret relinqui ,, ſibi, vel amicis. "

Hæc poſtrema verba ,, imo Sanch. &c. " nec ſatis cauta, nec ſatis conformia ſunt obedientiæ erga ſummum Pontificem. Zelum præceptis pontificiis contrarium qui bonum appellat, rerum naturas, & nomina pervertit. Bonus Religioſus pontificiis mandatis obedire debet, non tribunal ſuperbe erigere, quo contra ſummos Pontifices judicet eſſe melius, aut utilius, quod eorum præceptis aperte adverſatur. Inhibitionem Clem. V. eſſe merum jus poſitivum, ut fidenter aſſerit La-Croix, dum ait, ,, nec peccatum eſt, niſi contra &c. " res incerta mihi videtur. Si enim res a Clem. V. vetita, ex jure naturæ eſſet adiaphora, & permiſſa, Religioſos, ut videtur, ſuaſione ab ea avertiſſet, nec graviſſima, & terribili illa prohibitione *in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub interminatione maledictionis æternæ* nixus fuiſſet. Hæc graviſſima inhibitio periculum ſaltem indicat violandi naturæ jus. Adde, quod illud *in aliorum præjudicium fieri*, legatorum diverticula juſtitiæ adverſari ſatis indicant.

Itaque communem, & La-Croixii ſententiam quoad hereditates, & legata, & donationes inter vivos fidenter quidem improbare non audeo, eam tamen nec certam habeo, nec tutam, niſi forte adverſarii eam in meliori lumine collocent.

Hactenus dicta illud etiam ſatis oſtendunt, falſum eſſe, quod ait La-Croix, ,, ſi enim principalis negans ,, tale bonum, ad nihil tenetur &c. " hoc inquam falſum eſſe, evincit reſponſio ibi adhibita: ex qua colligitur, principalem, puta collatorem, electorem &c. injuſte beneficium conferentem, aut eligentem, reſtitutionis lege teneri. At hic forte mihi objicis, reſtitutionem eſſe actum commutativæ juſtitiæ, ut explicare habet D. Th. 2. 2. q. 62. a. 1., & communis ſententia; ideoque peccantem contra juſtitiam diſtributivam, uti eſt injuſtus collator, elector &c., reſtitutione non teneri, quia ad eum non pertinet juſtitiæ commutativæ actum exercere. Reſp. Iniquus diſtributor reduplicative, ut Schola loquitur, prout talis eſt, reſtitutione non tenetur; ea tamen tenetur ſpecificative, ut ejuſdem ſcholæ terminis utar; hoc eſt ille idem ea tenetur, quia, dum inique diſtribuit, juſtitiam quoque commutativam lædit; juſtitiam diſtributivam violat, quia geometricam proportionem lædit, quatenus in ejus diſtributione compenſatio hujus meriti non habet eandem rationem, ac compenſatio alterius meriti, juſtitiam vero commutativam lædit, quia inter compenſationem, & meritum æqualitatem non efficit; ideoque hanc æqualitatem reparare tenetur; quod eſt officium commutativæ juſtitiæ.

At Laym., inquis, lib. 3. de juſt. tract. 2. cap. 5. n. 4. ita loquitur. " Advertendum eſt cum Soto &c., diſcrimen eſſe inter bona communia, quæ ex diſtributiva juſtitia diſtribui ſolent. Nam eorum aliqua in ,, commodum Reipublicæ præcipue tendunt, cujuſmodi ,, ſunt publica officia, eccleſiaſtica beneficia: quæ ſi ,, poſthabitis dignis, conferantur indignis, proprie non ,, infertur injuria iis, qui digni ſunt: eo quod nullum ,, ad ea proprie, & ſtricte jus habeant. " Reſp. Hæc eſt Buſ., & La Croix doctrina jam refutata. Itaque dum Laym. concludit, ,, quamobrem nec reſtitutio aliqua ipſis facienda eſt, " male concludit, quia ex malis principiis concludit: dum vero addit ,, ſed potius Reipublicæ, ſi exinde damnum accepit, " recte. Adde tamen & Eccleſiæ, quæ ex his malis diſtributionibus ſemper damnum accipit, ut perſpicue intelligitur ex animad. 11. lib. 5. cap. 3. Buſ. Beneficia eccleſiaſtica præcipue tendunt in Eccleſiæ utilitatem, & Dei honorem, ut ait Laym., at commodum quoque beneficiariorum ſpectant, qui inde commodam, & honeſtam vitæ ſuſtentationem hauriunt; qua cum ab iniquis diſtributoribus privantur, inſignem ab iis injuriam ex juſtitia reparandam eos accipere, quicumque ſanos oculos habent, perſpicue intelligunt.

Sed audiamus, quod Laym. ſubjicit. ,, Alia vero ,, communia bona ſunt, quorum diſtributio per ſe, ac ,, præcipue tendit in commodum partium, veluti cum ,, dux Belli ſpolia hoſtium inter milites pro ſingulorum meritis, ac dignitate diſtribuere debet: tum ,, peccabit quidem contra diſtributivam juſtitiam, ſi ea ,, vel in proprios uſus convertat, vel largiatur iis, quibus non competit, reſtitutionem tamen poſtea facere cogitur non ſecundum diſtributivam, ſed commutativam juſtitiam &c. " Quia ſcilicet male diſtribuendo commutativam quoque juſtitiam læſit, ut ex mox dictis intelligitur. In eo tamen falli mihi videtur Laym., quod diſtributio aliquorum bonorum communium *per ſe, ac præcipue tendat in commodum partium*, hoc eſt privatorum hominum. Nam cum hujuſmodi diſtributio ex lege facienda ſit, *lex autem* ex D. Iſidoro diſt. 4. cap. 2., *nullo privato commodo, ſed pro communi civium utilitate conſcripta* eſſe debeat, omnis communium bonorum diſtributio communem civium utilitatem, ſeu publicum bonum per ſe, & præcipue ſpectare debet; quod evidens eſt in exemplo a Laym. allato. Nam ea diſtributio eo præcipue ſpectat, ut milites ad ſtrenue pugnandum animentur; quod eſt publicum bonum. Cur ergo dux belli in exemplo Laymanni, reſtitutioni obnoxius eſt? Quia ſcilicet iis militibus non dat, quibus ex lege dandum erat, aut minus dat, quam dare debuerat. Quæro nunc, utrum beneficiorum collatores, electores &c. ex lege dignis, & dignioribus beneficia tribuere debeant. Id ſcilicet ex lege naturali, divina, eccleſiaſtica præſtare debent; quod perſpicue intelliges ex animad. 2. in lib. 5. cap. 3. Hanc ſententiam, quæ mihi maxime probabilis eſt,

ipſe

Digitized by Google

ipſe Bonacina, licet verſatilis opinator, probat Theol. Mor. tom. 2. de reſt. in genere diſp. 1. q. 1. p. 1. prop. 1. n. 24. citatis Rebello, Cajet., Nav., Sa, & aliis, cum de competitione, ſeu concurſu agitur. At hoc idem locum habet, etiamſi ſine concurſu beneficium, ſeu beneficia diſtribuantur; quia non concurſus, ſed hominis dignitas, aut major dignitas ex legum vi jus ad beneficia tribuit. Idcirco autem non concurrentibus, dum concurſus fit, nihil reſtituendum eſt; quia non concurrentes ſuo juri ſponte cedunt, cum conditionem omittant ex lege neceſſariam, ut beneficium obtineatur. Si impedientes injuſte, ne beneficium detur, reſtitutioni obnoxii ſunt, cur eidem obnoxii non ſunt non dantes injuſte ex D. Thoma hic citato? Qui primum negare audent, ut Buſ., & La-Croix, etiam alterum negare poſſunt. At ſi primum jure negari non poteſt, ne alterum quidem jure improbari valet, hic enim ſermo eſt de dantibus œconomis, non dominis. Audiatur D. Th., qui a. 1. cit. tertio loco ita ſibi objicit. *Reſtitutio eſt quaſi quædam recompenſatio ejus, quod ſubtractum eſt: ſed aliquid poteſt homini ſubtrahi non ſolum in commutatione, ſed etiam in diſtributione; puta cum aliquis diſtribuens minus dat alicui, quam debeat habere: ergo reſtitutio non magis eſt actus commutativæ juſtitiæ, quam diſtribuens.* Quid porro huic objectioni reſpondet? An aſſumptionem negat? Eam ſcilicet concedit, & reſtitutionem eſſe faciendam fatetur, ſolumque ait, talem reſtitutionem eſſe actum juſtitiæ commutativæ. En ejus verba. *Ad 3. dicendum, quod recompenſatio, quam facit diſtributiones ei, cui dedit minus, quam debuit, fit per comparationem rei ad rem; ut quanto minus habuit, quam debuit, tanto plus ei detur; & ideo jam pertinet ad juſtitiam commutativam.*

Animadversio XI.

Quando bona reſtituenda, ſive debita quæcumque ſunt incerta, hoc eſt &c. *tunc ſi ea habeas ſine delicto, ut ſi inveniſti, vel* &c. *teneris* &c. *poſt quam, ſi ſpes non ſit* &c. *probabile eſt, quod non tenearis* &c. *ſed poſſis tibi retinere, ut docet* &c. *idque Diana dicit, eſſe tutum in praxi.*

Favente ipſo Buſembaum plerique cum D. Thoma ſentiunt, debita incerta eſſe in pauperes eroganda. Et ſane S. Doct. 2. 2. q. 62. art. 5. ad 3. ait: *Quod ſi ille, cui debet fieri reſtitutio, ſit omnino ignotus, debet homo reſtituere, ſecundum quod poteſt, ſcilicet dando in eleemoſynas pro ſalute ipſius (ſive ſit mortuus, ſive ſit vivus) præmiſſa tamen diligenti inquiſitione de perſona ejus, cui eſt reſtitutio facienda. Si vero ſit mortuus ille, cui eſt reſtitutio facienda, debet reſtitui heredi ejus, qui computatur quaſi una perſona cum ipſo* &c.

Idem docet S. Antoninus quoad res inventas, quæ de propinquo fuerunt in bonis alicujus, nec habentur pro derelicto, S. Raym., Concilium Beneventanum anni 1374. S. Carolus Bor., Catech. Concilii Tridentini, ut legitur apud Genettum Theol. c. 7. p. 32. q. 7.

An ſententia hiſce graviſſimis auctoritatibus contraria, probabilis, & in praxi tuta dici poteſt? Tum Buſ., tum La-Croix p. 300. n. 89. S. Thomam citant additis multis aliis, ejuſque ſententiam veluti magis piam, & in praxi conſulendam laudant. At hæc laus, quæ reipſa nulla eſt, non impedit, quominus ſuorum contra ſentientium opinationem probabilem, valde probabilem, & in praxi tutam appellent; quod perinde eſt, ac ſi D. Thomam pro nihilo habeant. Non enim hic ſermo eſt de conſilio, ſed de lege. Quamquam verſatilis probabilitas contradictoria probat, nec minus ad cælum per viam angelico Doctori contrariam iri putat, quam per juſtitiæ legem a S. Doctore explicatam. Hic eſt deplorabilis, & exitioſus opinandi modus recentium probabilium.

At ſicuti D. Thomæ dogmata tutiſſima, & inconcuſſa ſummi Pontifices prædicant; ita dubitandum non eſt, quin ab iis diſcedere ſit periculoſiſſimum, additis præſertim graviſſimis auctoritatibus SS. Raym. Anton., Caroli Bor., Conc. Benev., & Catech. Rom. At quibus rationibus audent contra ſentire?

Buſ. nullam affert. La-Croix has rationes profert. „ Per inventionem acquiritur dominium rei, quæ domino caret: ſed res perdita poſt quæſitum, & non inventum dominum, eſt moraliter tanquam res carens domino: ergo. “ Reſp. Nego min. Aliud eſt, dominum rei ignorari, aliud rem domino carere. Poſt quæſitum, & non inventum dominum, rei dominus ignoratur; hoc verum eſt; at hinc non ſequitur, rem domino carere; quod perperam adverſarii affirmant. 2. „ Quia prudenter præſumitur, dominum velle, ut inventor rem aſſervet, vel, ſi malit, utatur, aut diſtrahat cum obligatione reſtituendi æquivalens, ſi reſciatur, ipſum eſſe dominum: ita enim dicerent ſaltem plerique, ſi poſt amiſſam rem ſuam interrogarentur; ſuadetque etiam aliqua æquitas; quia, cum inventor rem domini bene geſſerit, inquirendo in eum, meretur ſibi relinqui, ſi dominus non reperiatur. Denique, idem poſtulat ratio boni communis: nam ſi inventor ſciat, ſe nihil inde habere poſſe, niſi moleſtiam in inquirendo, vel reſtituendo, facile fiet, ut rem relinquat, ubi jacet, quod cederet in damnum dominorum. “

Reſp. Hæc altera ratio priorem deſtruit; concedit enim, rem habere dominum quæſitum, nec inventum, uti reipſa eſt. At non prudenter, ſed inaniter præſumitur, voluntatem domini eſſe, ut res inventa ſit inventoris, ſi ipſe dominus non inveniatur. In hac hypotheſi illud prudenter præſumitur, ut dominus velit, eam cedere in ſuæ animæ utilitatem, illam indigentibus, non iis, qui non indigent, eſſe erogandam, illam in uſus pios eſſe convertendam. Hæc enim eſt voluntas rationabilis, & prudens: nos autem domini voluntatem rationabilem, & prudentem præſumere debemus, non eam fingere ex arbitrio. Atque ita dicerent non plerique, ſed omnes, ſi ſapiunt, qui poſt amiſſam rem ſuam interrogarentur. Porro non ſolum æquitas, ſeu honeſtas, ſed juſtitia poſtulet, ut de re aliena fiat, prout dominus vult, aut, ſi is ſuam voluntatem declarare non poſſit, prout rationabiliter & prudenter velle præſumitur. Inventor quidem, dominum inquirendo, ejus rem bene geſſit, ideoque gratuita aliqua compenſatione dignus eſt, quam ex æquitate, ac præſumpta domini voluntate, illi conſiderata conditione perſonæ, pretio rei inventæ, aliiſque circumſtantiis a Confeſſario concedi poſſe, non inficior. At inventorem dignum eſſe, quia rem forte invenit, quia diligentiam inquirendi dominum adhibuit, ut res ſibi relinquatur, ſi dominus non inveniatur, ex æqua æſtimatione, ex arbitrio, & falſo aſſeritur. An ſi e. g. invenerit crumenam quingentorum aureorum, tanto pretio dignus eſt pro exiguo, ac fere nullius momenti labore in inquirendo domino? Hæ ſane non ſunt rationes probabiles, ſed commenta evidenter falſa. Denique ratio boni communis poſtulat, ut naturæ jus ſervetur, hoc eſt ut res inventa, cujus dominus non invenitur, impendatur juxta ejus voluntatem rationabiliter præſumptam. Nam iniqui inventores inventa ſibi retinent. Homines ſibi tantum nati, animi abjecti, caritatis expertes, humanæ ſocietatis vinculum aut ignorantes, aut negligentes, res inventas, ut ait La-Croix, relinquunt, ubi jacent, ne moleſtiam inquirendi, & inveniendi dominum ſubeant. Homines vero chriſtiani, & humanitate non deſtituti res inventas cuſtodiunt in gratiam dominorum, non ut eas ſuas faciant dominis non inventis. An rationes a La-Croixio allatæ, & mox examinatæ, quæ nullo momento conſtant, imo contrarium oſtendunt, ac adverſarii volunt, ſatis ſunt, ut a graviſſimis auctoritatibus S. Thomæ, & aliorum ſupra productis recedamus?

Animadversio XII.

Qui multis minutis furtis &c. *non teneri* &c. *dicit Mol.* Hactenus recte. *At Vaſq. & Eſcob. dicunt eſſe probabile, quod poſſit* &c.

Hæc probabilitas ne ſpeciem quidem habet probabilitatis. Nam juxta S. Thomam 2. 2. qu. 62. art. 5. *neceſſe eſt, ut ei fiat reſtitutio, a quo acceptum eſt*; & ratio evidens eſt, quia damnum reſarciendum eſt illi, cui fuit illatum; alioquin æqualitas, in qua tota juſtitiæ vis ſita eſt, per injuriam violata non reparatur: at damnum illatum fuit per minuta furta civibus: ergo his, non aliis reſtituendum eſt. Id colligitur ex Alex. III. c. 5. *Cum tu* tit. 19. lib. 5. Dec. ajente, *quod qui uſuras extorſerint, cogendi ſunt per pœnam, quam ſtatuimus in Concilio, eas his, a quibus extorſerunt, vel eorum heredibus reſtituere, vel (his non ſuperſtitibus) pauperibus erogare.* Quod enim dicitur de minutis uſuris, quas Alexandrum voluiſſe comprehendere, non eſt dubitandum, cum abſolute *uſuras* dicat, idem de minutis furtis dicendum eſt. Pauperes in locum eorum, qui damnum paſſi ſunt, tunc ſolum ſubrogari poſſunt, & debent, cum damnum paſſis reſtitutio fieri nullo modo poteſt, ut ex Decret. mox allata patet: at in noſtra ſpecie ipſis civibus damnum paſſis reſtitutio fieri poteſt modo a Buſembau deſcripto: ergo pauperes in eorum locum ſubſtitui nequeunt.

Præterea, *non tenentur quis ſub pœna peccati mortalis reſtituere quod ablatum eſt per pauca furta, quantumcumque magna ſit ſumma totalis*, eſt prop. 37. ab Innoc. XI. proſcripta: hoc porro idem, quod habet prop. proſcripta, docent Vaſq. & Eſcob. dum ajunt, poſſe dari pauperibus, quod multis minutis v. g. olei, panis, & vini &c. furtis ablatum eſt. Nam dare pauperibus, quibus nihil ereptum eſt, non eſt reſtituere; quia reſtituere nihil aliud eſt, quam iterato aliquem ſtatuere in poſſeſſionem, & dominium rei ſuæ, ut veriſſime & præclare more ſuo docet Angelicus 2. 2. q. 62. art. 1. Ergo ſine dubitatione explodenda eſt opinio, de qua hic ſermo

eſt,

Digitized by Google

eſt quamque, ut ait, & tacite probat Buſ., veluti probabilem obtrudunt Vaſq. & Eſcob.

Animadverſio XIII.

Cum quis, ignorato domino &c. non ſatisfecit &c. Hactenus vere, & recte. *Secus ſi diligentia ſit præmiſſa.*

Buſemb. tum c. 1. tum hic aliquam diligentiam tantum in re præſenti poſtulat. Verum aliqua diligentia non ſufficit, ſed requiritur accurata diligentia, ut docet D. Thom. cit. ad c. 1. iis verbis: *Præmiſſa tamen diligenti inquiſitione de perſona ejus, cui reſtitutio facienda eſt:* & Catech. Conc. Trid. de 7. Dec. præc. n. 9. ait: *Quod ſi rerum dominus nulla ratione inveniri poteſt, illa ſunt bona in uſus pauperum conferenda.*

Quoad praxim res inventæ, quarum dominus ignoratur, denuntiandæ ſunt in Eccleſia, aut per præconem, ubi repertæ ſunt, ut docent S. Antoninus, S. Raym., & Synod. Benev. cit. apud Genettum Theol. t. 7. p. 190. qu. 8.

Quod ſi elapſo poſt denuntiationem multo tempore nulla ſpes affulgeat reperiendi verum dominum, tunc demum in pauperes recte erogantur, nec ulla reſtitutionis obligatio ſupereſt, etiamſi præter rerum ordinem, & expectationem dominus poſtea compareat.

Animadverſio XIV.

Cum dominus quidem ſcitur, ſed ei mitti non poteſt &c. tunc, ſi res male accepta eſt, tenetur reſtituens aliquas expenſas ex ſe facere.

Reſtituens non aliquas tantum, ſed omnes neceſſarias expenſas facere de ſuo debet, ut dominus indemnis ſervetur, naturali æquitate ita poſtulante. Hinc illa juris reg. (86. in 6.) *Damnum, quod quis ſua culpa ſentit, ſibi debet non aliis imputare.* Atque ita recte ſentit Nat. Alex. Theol. t. 2. p. 650. reg. 28. quod confirmat quoque can. *Redintegranda* cauſ. 3. q. 1.

Si autem bene accepit, non niſi expenſis domini.

Id quoque univerſe, & ſine limitatione dictum, falſum eſt. Id verum eſt in gratuito depoſito; quia hoc accipitur in gratiam tantum deponentis; ideoque depoſitarius nullo ſumptu gravandus eſt in depoſiti translatione. At ſi res ex commodato, aut mutuo accepta eſt, in loco, ubi fuit accepta, reſtitutio facienda eſt expenſis commodatarii, aut mutuatarii; quia in horum gratiam commodatum, & mutuum acceptum fuit; ideoque dantes commodatum, & mutuum abſque ulla expenſa, ibi ea recipere debent, ubi dedere. Idem dicas de pretio rei emptæ, quod ibi ſolvendum eſt, ubi emptio fuit celebrata, niſi aliter fuerit conventum. Et ita docet Nat. Theol. t. 2. p. 651. reg. 30.

Quando nullo modo poteſt mitti, expectandum &c.

Hic quoque non Buſemb. ſed D. Thom. audiendus eſt, qui 2. 2. q. 62. a. 5. ad 3. ait: *Si vero ille* (dominus rei) *ſit multum diſtans, debet ſibi tranſmitti, quod ei debetur; & præcipue ſi ſit res magni valoris, & poſſit commode tranſmitti: alioquin debet in aliquo loco tuto deponi, ut pro eo conſervetur, & domino ſignificari.* Id faciendum eſt, cum dominus ſcitur, ut Buſemb. ponit. Quod ſi dominus quidem ſciatur, at ignoretur, ubi ſit, & utrum vivat, cum nihil illi ſignificari poſſit, res nihilominus, ut ait S. Doct., & naturalis æquitas ſuadet, *debet in aliquo loco tuto deponi, ut pro eo conſervetur.* Adempta vero omni ſpe ipſius vitæ, non tamen efficitur debitum incertum, quidquid Buſemb. ſentiat, aut dicat, ſed reſtitutio facienda eſt ejus heredibus. *Si vero ſit mortuus ille*, inquit S. Doct. ibidem, *cui eſt reſtitutio facienda, debet reſtitui heredi ejus, qui computatur quaſi una perſona cum ipſo.* Nam pauperes, & pia loca heredibus tantum deficientibus in locum domini ſubrogari poſſunt, & debent, ut ex cap. *Cum tu* cit. ad c. 2. aperte intelligitur, & ex verbis D. Thom. cit. ad c. 1.

Animadverſio XV.

Cum quis accepit rem alienam a poſſeſſore bonæ fidei &c. tum, ſi quidem &c. illi reſtituendum eſt, non domino.

Idem affirmat Concina Theol. t. 7. p. 167. n. 2. de pignore, commodato, depoſito. Quoad depoſitum idem quoque habet S. Raym. in Summula c. 7. de furtis, inquiens: *Furtivas ſi res ſervandas dem tibi, quas tu eſſe ſcias furtim ſublatas, has mihi reddas, non harum domino.*

Hoc etiam aſſerit Anacletus t. 3. juris can. p. 221. n. 23. qui tamen addit, rem furtivam domino eſſe reddendam, ſi ipſe cum fure in ea repetenda concurrat. Si autem res aliena a poſſeſſore bonæ fidei emptione, aut alio titulo interveniente accepta eſt, ipſi domino reſtituenda eſt. Quia res ſemper clamat ad dominum; nec qui vendit, aut tu eam retinere potes, cum alienam eſſe noſti; & ita docet idem Conc. loco mox cit.

Animadverſio XVI.

Tol. tamen &c. probabiliter ſentiunt, poſſe reddi furi, ut ab eo pretium ſuum recuperet. Idem habet La-Croix p. 301. n. 100. cui contrarium tantum *probabilius videtur.*

Sed hæc jactata probabilitas, fucata eſt, non ſolida, & rejicienda; tum ex mox dictis, quia ſcilicet res clamat ad dominum, tum quia fatente ipſo Buſemb. communi ſententiæ, qua de re conſuli etiam poteſt Anacl. t. 3. juris can. p. 224. n. 105. & ſeq. adverſatur. Adde, quod ex D. Thom. non ſem. l cit. *reſtituere nihil aliud eſſe videtur, quam iterato aliquem ſtatuere in poſſeſſionem, vel dominium rei ſuæ:* at cum furi reddis rem, ut tuum pretium recuperes, non ſtatuis dominum in poſſeſſionem rei ſuæ: ergo non reſtituis: ergo peccas. Qui emit rem furtivam ſeu mala, ſeu bona fide, reſtituere certe tenetur; quod nemo inficiari poteſt, ne quis dicat, alienæ rei detentorem non peccare. Qui mala fide rem furtivam emit, ex duplici titulo reſtituere debet, hoc eſt tum ratione injuſtæ acceptionis, tum ratione rei alienæ, quam habet; qui vero bona fide, titulo tantum rei, quam habet. Hæc quoque eſt doctrina D. Thomæ 2. 2. q. 62. a. 6. ad 1. ajentis: *Tenetur ad reſtitutionem & ille, qui rem abſtulit ratione injurioſæ acceptionis, & ille, qui rem habet ratione ipſius rei:* ſed non ſolum probabile, aut probabilius eſt, ſed certum, & indubitatum, illum non reſtituere, qui rem domino non reddit, ſed alteri ut furi dat, quocumque modo det: ergo ſuæ obligationi non ſatisfacit. Qui contrariam opinionem probabilem ponunt, ab iis peto, ut huic rationi reſpondeant, aut eam ſolum probabiliter inſtitutum probare, oſtendant. At objicit Buſemb. qui rem furi reddit, ut ſuum pretium recuperet, eam *non conſtituit pejore loco, quam ante fuerat, & conſequenter ipſe non infert domino damnum.* Reſp. Hæc ratio non eſt probabilis, ſed aperte ſophiſtica. Non infert quidem novum damnum domino; at damno jam illato, facto conſentit, & in eo perſeverat, quamdiu rem ipſi domino non reddit. Certum eſt, eum juſtitiæ repugnare, qui rem furtivam a ſe emptam, quam furtivam eſſe novit, alii vendit, ut ſuum pretium recuperet, etiamſi eam pejore loco non conſtituat, ac cum a fure detinebatur: ergo idem dicendum, cum eam furi reddit. Eſt enim prorſus eadem ratio.

Peccatum ejus, qui rem alienam detinet, aut diſtrahit, aut donat &c. non eſt in eo, ut rem pejore loco conſtituat, ac fuerat, poſtquam per injuriam ablata eſt, ſed in eo, ut meliore loco eam non conſtituat, hoc eſt ut non reſtituat; ſicuti eum teneri, certum eſt.

Quod Nav. &c. admittunt &c.

Hactenus dicta, & allatæ rationes locum habent, ſeu emptor rei furtivæ poſt longum tempus, puta poſt menſem, aut annum, ſeu mox, puta poſt unam aut alteram horam, rem furi reddat, ut pretium recuperet. Nec enim temporis brevitas, aut diuturnitas ſpeciem variat.

Quod ſi rei dominus ſit mortuus, aut abſit, ut conveniri non poſſit, faciendum eſt, quod ſupra de rei alienæ inventore dictum fuit. In ea tantum hypotheſi res furi reddi poſſet, ut pretium repeteretur, ſi certum eſſet, furem eam eſſe domino redditurum; quia perinde eſt, ſeu per ipſum emptorem, ſeu per alium res domino reſtituatur. At hypotheſis vix certa eſſe poteſt; nec certitudo eſt fingenda, ubi non eſt.

Sed hic animadverſione dignus eſt La-Croixius, qui p. 301. num. 99. ita loquitur. „ Si fur tibi vendiderit, nec poſſis aliter recipere tuum pretium, poteris
„ hoc pretium repetere, permittendo, ut fur rem il-
„ lam " (alienam) „ recipiat. "

Rem furi reddere non potes, ut tuum pretium recuperes, ſicuti mox oſtenſum eſt, & ut ipſe La-Croix hoc veluti probabilius admittit; & permittere potes, ut fur illam recipiat? Quodnam, quæſo, diſcrimen eſt inter hoc, ut rem alienam furi tuis manibus tradas, & illud, ut permittas, furem eam ſibi recipere? *Permittere*, idem eſt ac conſentire, ut fur eam recipiat: tuus conſenſus quoad mores idem eſt, ac tua operatio, ſeu rei traditio. Nonne perinde eſt, ſeu tuum triticum alteri ipſe tradas, ſeu conſentias, ut alter illud accipiat? Æquum, & ſanum judicium, nullum inter hæc diſcrimen agnoſcit. Fur rem alienam in tua poteſtate poſitam te permittente accipiens, ſine dubio peccat: ergo tu quoque peccas, permittens, ſeu conſentiens, ut eam accipiat; quia juxta Ap. *digni ſunt morte non ſolum qui faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus.* At La-Croixii ſententia communis eſt; „ uti habet communis, „ inquit ipſe. Reſp. Utrum hæc ſententia ſit, nec ne communis, me ignorare fateor; ſed ea nec vera, nec ſolida, nec probabilis, ſi ad rectæ rationis tribunal

revo-

revocetur, ſed ſophiſtica, & falſa mihi videtur. Si communes probabilium opiniones nihil ſolidius haberent, omnes ego explodendas putarem. Ejus ratio eſt, „ quia, „ inquit La-Croix, habes jus ad tuum pretium, pro quo „ nihil accepiſti: “ ergo potes illud repetere. Reſp. Concedo conſequentiam; at ſi pro tuo pretio nihil accepiſti, cur pro eo recuperando alienum das?

„ Deinde, ſubdit, non obligaſti te ad conſervandam „ cum tanto damno rem domini: ergo permittere potes, „ iterum eripi. “

Reſp. Si hæc ratio aliquid momenti habet, illud quoque oſtendit, te poſſe furi rem reddere, ut pretium tuum recuperes; quia te non obligaſti ad conſervandam cum tanto damno rem domini. Sed illud hic quæro, quodnam damnum, rei furtivæ emptor patiatur, niſi permittat, rem a fure iterum eripi, ut ſuum pretium recuperet? Damnum, inquis, patitur totius pretii, quod furi enumeravit. Reſp. Hoc damnum nunc non patitur, ſed illud jam paſſus eſt, cum furi pecuniam dedit; damnum paſſus eſt in ipſa rei emptione, non autem illud patitur in rei conſervatione. Ergo fingitur, emptorem damnum pati pro conſervanda re domini, niſi permittat illam eripi a fure, ut ſuum pretium recipiat. In hac ſpecie damnum non patitur, ſed damnum, quod jam ſubiit, cum alienæ rei jactura reparat; quod permiſſum eſſe, ne probabiles quidem opinatores dicere audebunt.

Animadverſio XVII.

Si bona fide rem alienam v. g. &c. *emiſti* &c. *& vendidiſti* &c. *exiſtimat quidem probabile Nav.* &c. *non teneri te Paulo* (ſi &c.) *id reddere, ſed* &c.

Hæc dumtaxat probabilitas improbanda eſt. Nam fatente ipſo Buſemb. Sot. Salm. &c. rectius docent, teneri te, exigente Paulo, contractum reſcindere, & pretium reſtituere; quod evincunt rationes, quas ſtatim affert; cum pro priori contraria opinione nulla ratio producatur. Nec enim recentium auctoritas ratione deſtituta, & ſana ratione impugnata, opinionem probabilem, ut ego quidem ſentio, facere poteſt; cum potius pro nihilo, aut fere pro nihilo habenda ſit.

Quod ſi tamen Paulus, cum poſſit, tibi non reſtituat &c. *& hoc ipſo impediat, quominus* &c. *nec tu teneris pretium* &c. *reſtituere.*

Etiamſi Paulus poſſit, non tamen debet equum tibi reſtituere, qui tuus non eſt, ſed Joannis, qui eſt equi dominus, ut ex mox dictis ad c. 8. liquet.

Ex reſtitutione autem a Paulo, prout jus exigit, facta nullum tibi contra ipſum jus derivari poteſt: ergo pretium, quod pro re vitioſa, hoc eſt non tua, accepiſti, eidem Paulo reſtituere omnino teneris.

At, inquit Buſemb. Paulus hoc ipſo, quod tibi equum non reſtituit, impedit, ut ponimus, quominus tuum pretium poſſis recuperare. Ergo hujus damni tibi illati reus cum ſit, illud reſarcire tenetur; ideoque tu pretium ab eo acceptum reſtituere non teneris. Reſp. Si hoc impedimentum ex Pauli culpa oriretur, ratio valeret: at in Paulo, qui jus fecit, nulla eſt culpa, ideoque ratio futilis eſt. Impedimentum, quominus pretium tuum recuperes, ex Petri iniquitate exiſtit, qui pecuniam reſtituere recuſat, niſi equum recipiat. An Paulus Petri iniquitatem portare debet? An tu a reſtitutionis onere liber evadis, quia Petrus iniquus eſt, tibique facit injuriam?

Animadverſio XVIII.

Si autem res, quam a fure bona fide accepiſti (*ſive* &c.) *ſit* &c. *etſi deinde deprehendas, furtivam eſſe, non teneris reſtituere.*

Non teneris rem in individuo reſtituere; quia hæc res cum aliis permixta, aut confuſa dignoſci non poteſt; ideoque in individuo reſtitui non poteſt.

At, inquit Buſemb. *Per iſtam commixtionem bona fide factam, eſt in te tranſlatum dominium, ut colligitur* l. Si alieni nummi §. de ſolutione. *Neque eſt ratio, cur hæc potius, quam illa pars cenſeatur aliena; atque adeo periit obligatio realis, & tantum manet perſonalis in venditore.*

Idem habet La-Croix p. 303. num. 117. ſi res diverſi generis confuſæ, ordinaria humana arte ſeparari nequeant, ut ex. g. ſunt vinum, & mel in mulſo confuſa.

Reſp. Non eſt quidem in hujuſmodi confuſione, aut mixtione, ubi partes diverſorum dominorum dignoſci, ſeu ſeparari nequeunt, ratio, cur hæc potius, quam illa pars cenſeatur aliena; ſed ne ratio quidem eſt, cur hæc potius, quam illa pars cenſeatur mea. Enimvero portento ſimile eſt, confuſionem rei alienæ cum mea, tanta vi præditam eſſe, ut dominum vel non conſentientem, quia inſcius, vel invitum, ſuæ rei dominio ſpoliet, illudque in me, quia domino injuriam, ejus rem eo non conſentiente contrectando, irrogo, transferat. Ego ſane, quidquid Buſemb., quidquid La-Croix, aut Leguleji contra ſentiant, in animum inducere non poſſum, ut huic portento acquieſcam. Illud ego potius legibus recte conſtitui putarem, ut qui rem alienam cum ſua inſcio, aut invito domino permiſceret, aut confunderet, in pœnam injuriæ domino illatæ, ſuæ rei dominium amitteret. At ut dominium totius cumuli in permiſcentem, ſeu confundentem eum domini injuria, transferatur, hoc naturæ jus averſatur, & reſpuit; cui, ſi quæ forent civiles leges adverſæ, derogare non poſſunt. Itaque illud Leſſ., quod Buſemb. refert, verum eſſe puto, „ eſſe valde probabile, jurique naturæ con„ forme, quod verus dominus rei illius ablatæ, & per„ mixtæ (quamdiu totus cumulus extat) retineat jus „ in re, ut ex iſto cumulo ſibi ſatisfiat ante alios. “ Nam ſi confuſio rei alienæ cum tua fiat communi conſenſu, vel caſu, fatente La-Croixio num. cit. 117. & Laym. l. 3. de juſt. t. 1. ſect. 5. cap. 5. n. 21. p. 216. dominium totius eſt commune utrique; quod Layman confirmat *l. Adeo* §. *Voluntas*, & *inſtit.* §. *Si duorum*. At ſi dominus in confuſionem conſentiens, rei ſuæ cum alia confuſæ dominio non privatur, cur privari eo poteſt, ſi in confuſionem non conſentiat? *L. Si alieni nummi*, quam citat Buſemb. ita habet: *Si alieni nummi inſcio, vel invito domino ſoluti ſunt; manent ejus, cujus fuerunt: ſed ſi mixti aliis ſunt, ita ut diſcerni non poſſint, ejus fieri, qui accepit, in libris Cujacii ſcriptum eſt, ita ut furti actio domino cum eo, qui dediſſet, competeret.* Sed hanc legem de nummis ſpecialem eſſe, nec ad alias res transferendam, putat Anacletus Theol. Mor. p. 479. n. 27. 28. ſuaſque rationes affert apud ipſum legendas. Verum illud quoque falſum eſt, domino in ſpecie, de qua loquimur, contra eum tantum, qui nummos dederit, actionem competere: cum ipſi adverſarii actionem perſonalem contra eum, qui nummos accepit, domino concedant. Eo ergo ſenſu fiunt ejus, qui accepit, quatenus ex eo cumulo, in quo ſunt permixti, ſine diſcrimine, & delectu pecuniam expendere poteſt, manente tamen obligatione non ſolum perſonali, ſed etiam reali ſatisfaciendi domino, quo inſcio, vel invito ſoluti fuere.

Animadverſio XIX.

Poſſeſſorem bonæ fidei, ſi adhibitis &c. *teneri* &c. *at Pal. putat ad nihil teneri, quia* &c.

Buſ. Pyrronicorum more contrarias opiniones affert, ut lector pro ſuo arbitrio opinetur, & agat; quod ſane exitioſum animæ eſt.

Quid ergo? Reſp. Palai opinio periculoſa eſt, & rejicienda; quia ratio pro ea allata, nullius momenti eſt. Qua enim facilitate illud aſſerit, „ quia poſſeſſio con„ trariis rationibus non convincentibus præponderat, “ eadem facilitate negatur. Porro aſſerenti probatio incumbit, non neganti. *In dubio* quidem *melior eſt conditio poſſidentis*, non autem cum examinatis omnibus in eam partem inclinat, quod res non ſit ſua; quia non eſt dubius. Dubius enim eſt, qui ſuſpenſus hæret, nec magis in hanc, quam in oppoſitam partem inclinatur. Hæc eſt genuina dubii notio, quam tradit D. Thom. qu. 14. de verit. art. 1. ubi ait: *Quandoque intellectus non inclinatur magis ad unum, quam ad aliud vel propter defectum moventium, ſicut problematibus, de quibus rationes non habemus, vel propter apparentem æqualitatem eorum, quæ movent ad utramque partem. Et iſta eſt dubitantis diſpoſitio, quæ fluctuat inter duas partes contradictionis*. Idem confirmat P. Concina App. t. 2. p. 62. n. 5. & 6. S. Antonini, & Suarezii auctoritate.

Et ſane illud effatum *in dubio melior eſt conditio poſſidentis* ſumptum eſt ex l. 171. ff. de reg. juris, ubi dicitur, *in pari cauſa poſſeſſor potior haberi debet*, & ex reg. 65. in 6. ubi habetur, *in pari delicto, & cauſa potior eſt conditio poſſidentis*: at cum rationes poſſeſſorem inclinant in eam partem, ut res non ſit ſua, non eſt par cauſa ipſius, ſuique adverſarii, ſed hujus cauſa melior eſt, etiamſi rationes non ſint convincentes: ergo poſſidentis conditio non eſt potior: ideoque tuta conſcientia rem totam retinere non poteſt.

Si neglexit inveſtigare veritatem &c.

Si dubio ſuborto neglexit inveſtigare veritatem, ipſam veritatem contempſit, hoc eſt peccavit. At hinc non colligitur, rem poſſeſſam alieni juris eſſe; ideoque ex hoc ſolo capite eam reſtituere non tenetur.

Animadverſio XX.

Quod ſi tamen apud alterum res eſt, is reddere tenetur.

Is quidem reddere tenetur; tu vero illi pretium; quia rem vitioſam vendidiſti, & de evictione teneris.

Animadverſio XXI.

Si bona fide rem ipſe emiſti, &c. *nihil teneris reſtituere, ſed ſolum ut* &c.

In hac ſpecie ex mox dictis ad e. 5. pretium emptori reſtituere teneris, quod tibi a venditore reſundendum eſt. Hinc D. Thom. 2. 2. qu. 77. art. 3. ait: *Si vero eo* (venditore) *ignorante aliquis prædictorum defectuum in re vendita fuerit, venditor quidem non peccat; quia facit injuſtum materialiter, nec ejus operatio eſt injuſta; tenetur tamen, cum ad ejus notitiam pervenerit, damnum recompenſare emptori*. Loquitur S. Doct. de ignoratis defectibus ſpeciei, quantitatis & qualitatis. At ſi horum ignoratorum defectuum damnum, cum ad notitiam pervenit, emptori compenſandum eſt; eadem proſecta ratione compenſari debet damnum rei quoad ſubſtantiam vitioſæ, quæ quoad venditorem nullius pretii eſt, quia alieni juris.

Animadverſio XXII.

Si a fure accepiſti rem uſu conſumptibilem, v. gr. vinum &c. *cum propriis ipſius furis rebus permixtum .... non teneris reſtituere, ſi fur ad reſtituendum ſit potens.*

Cur non teneris reſtituere? *Quia fur*, inquit Buſemb. *per commixtionem iſtius rei cum propriis acquiſivit ejus dominium, atque adeo illud tamquam verus dominus potuit transferre*. At hæc ratio ex mox dictis ad cap. 6. falſa eſt: ergo doctrina, quæ ea veluti fundamento nititur, corruit.

Præterea ſi fur reſtituere poteſt, ipſe non teneris, ut ait Buſemb. ergo ſi fur reſtituere non poſſit, tu reſtituere teneris. Hæc concluſio ex Buſemb. doctrina oritur; & hanc concluſionem omnes admittunt, ut monet Concina Theol. t. 7. p. 101. n. 4. Quæro nunc, cur tu reſtituere tenearis, ſi fur non poſſit? Ratione ſcilicet, ſeu titulo rei acceptæ, ſi cum bona fide accepiſti? ergo falſum eſt, dominium rei acceptæ in te fuiſſe translatum. Si autem mala fide accepiſti, ex duplici titulo reſtituere teneris, hoc eſt tum rei acceptæ, tum injurioſæ acceptionis.

Quæro tandem, utrum obligatio reſtituendi in fure ſit perſonalis, an realis?

Si perſonalis eſt, ejus propria eſt, nec in alium transfertur, ſeu fur poſſit, ſeu non poſſit reſtituere: ſi realis eſt, in eum tranſit, qui rem reſtitutioni obnoxiam accipit, ſeu fur poſſit, ſeu non poſſit reſtituere; quia reſtitutionis debitum ipſi rei annexum eſt: at fatentibus omnibus, reſtituendi obligatio tranſit in accipientem rem a fure, ſi fur non poſſit reſtituere: ergo obligatio reſtituendi in fure eſt realis: obligatio porro realis tranſit cum re, ſeu in quemcumque res devenerit, nec ab eadem re ſeparari poteſt: ergo qui rem a fure accepit, ſeu fur non poſſit, ſeu poſſit reſtituere, reſtitutioni ejuſdem rei obnoxius eſt.

Quia tamen fur ſuarum rerum cum alienis permixtarum, ſeu confuſarum dominium non amiſit; idcirco qui ex eo cumulo accepit, non totum, quod accepit, ſed partem tantum ſervata proportione reſtituere tenetur.

Animadverſio XXIII.

Quid in loco publico ſuæ civitatis contra juſtam prohibitionem paſcit, vel &c. *non tenetur ad reſtitutionem, niſi* &c.

Hic ſine ulla dubitatione peccat; quia ex D. Th. 1. 2. q. 96. art. 4. & communi Theologorum ſententia, ut falſus eſt ipſe Buſemb. lib. 1. t. 2. e. 1. d. 4. nullæ Principum leges obligant in conſcientia; imo hæc eſt fidei veritas, ut recte advertit P. Concina Theol. t. 6. p. 400. cap. 3. n. 1. quia Rom. 13. dicitur: *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit; non enim eſt poteſtas niſi a Deo: .... itaque qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit. Qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt*. Hinc porro fit, ut juſta prohibitio, jure paſcendi, ſeu ligna cædendi privet: at qui jure paſcendi, ſeu ligna cædendi privatus paſcit, aut ligna cædit, jus, ſeu juſtitiam lædit; & qui jus, ſeu juſtitiam lædit reſtitutione tenetur: ergo qui contra juſtam prohibitionem paſcit, ſeu ligna cædit, ad reſtitutionem tenetur. Quid hic jure reponi poteſt? *Rationabiliter*, inquit Buſ. *præſumitur mens Reipubl. non eſſe, ſuis membris uſum publicorum locorum rigidius prohibere, quam ſub mulcta ſolvenda, caſu quo deprehendantur.*

Reſp. Si rationabiliter præſumitur, quod Buſeb. hic ait, cur rationem non affert ſuæ præſumptionis? Si Reipublicæ mens eſſet, ut paſcentes, vel ligna cædentes pro paſcuis, aut lignis cædendis aliquid ſolverent, vectigal imponeret, non autem lege lata hæc prohiberet. At, ut ponimus, legem, & juſtam legem prohibentem fert: ergo temere præſumitur, ejus mentem tantum eſſe, ut deprehenſi mulctam ſolvant. Lex juſta ex mox dictis obligat quoad conſcientiam: prohibitio juſta paſcendi, aut ligna cædendi, addita mulcta contra tranſgreſſores, eſt lex juſta: ergo. An mulctæ additio legi ſuam vim adimit? immo mulcta adjicitur in legis gratiam, & robur, ut qui obedientiæ officio ad legis obſervantiam non moventur, ſaltem pœnæ timore impellantur. Hæc eſt Ap. loco mox citat. doctrina, ubi ſubdit: *Ideo neceſſitate ſubditi eſtote non ſolum propter iram* (en mulcta,) *ſed etiam propter conſcientiam*.

Animadverſio XXIV.

Etſi etiam hic præſumi aliquando poſſit de conſenſu domini, qui ſæpe &c.

Qui id præſumunt, ſine ratione, ac prorſus temere, imo contra rationem præſumunt, ac perinde ſe habent, ac ſi fures aliquando præſumant, dominum ſuo furto conſentire, ac nolle ſibi ablata reſtitui. Hujuſmodi temerariæ, ac facinoroſæ præſumptiones latam viam infinitis damnis, ac furtis aperiunt, eamque reſtitutioni præcludunt, ac animas ad tartara mittunt. Quod ſi temere, & contra rationem præſumitur, dominum aliquando conſentire, ut damna ſibi inferantur, vel ut illata non reparentur, etiamſi peculiari, & publica prohibitione non vetentur; multo magis temerarium, ac ſtultum eſt, id præſumere, dum curat, publicæ auctoritatis mandato addita mulcta, ea prohiberi. An de his a Theologis, imo a ſanæ mentis hominibus dubitari poteſt?

Animadverſio XXV.

Qui venantur &c. (*ſaltem* &c.) *non peccare mortaliter, nec teneri* &c. *docet* &c. *contra Bonac.* &c.

Quo in ſecundo caſu dictum fuit, idem hic quoque dicendum videtur ex eadem ratione ibidem allata; niſi quod qui venantur, aut piſcantur in locis alteri locatis jus privatum violant, qui in locis publicis prohibitis, jus publicum. Et quoad primos attinet, ita loquitur La-Croix p. 315. n. 262. „ Si quis egrediatur limites „ venationis ſuæ, & in alienis limitibus nullo ſpeciali ſepimento clauſis capiat feras, Bon. citans Mol. „ Fill. & Sa dicit, eum peccare mortaliter, & teneri „ reſtituere, quia læſit jus cum damno. Laym. num. „ 14. dicit, poſſe peccare mortaliter, quia violatio talis juris ſoli alteri competentis ſolet magni æſtimari, maxime ſi frequenter fiat; ſe non ideo debebitur „ reſtitutio ferarum, quia non erant ſub dominio alterius, ſed adhuc jure gentium communes. “ Feræ quidem etiam intra limites venationis propriæ alicujus, non ſunt ſub ejus dominio; quia nondum captæ, aut occiſæ ſunt, & fugere poſſunt; nec tamen jure gentium communes dici poſſunt: alioquin ab omnibus capi, & occidi ſine culpa poſſent, quod Laym. tacente La-Croixio negat. Feræ ergo intra dictos limites, ſunt propriæ quoad jus eas capiendi, & occidendi; ideoque ab aliis ibi captæ, aut occiſæ reſtituendæ ſunt ex æqua damni æſtimatione, non ex toto. Hinc ipſe La-Croix addit: „ Admittunt tamen A. A. communiter contra Vaſq. & Lugo n. 69. eſſe obligationem reparandi damna, ſi v. g. captis feris pleriſque, „ ſilva multum vileſceret: “ tum ſubdit: „ Tur. Dicaſt. „ Leſs. n. 44. putant, peccari tantum venialiter violando tale jus, ſi feræ non patiantur magnam ſtragem; imo Burg. cent. 1. ca. 52. valde probabiliter „ putat, ordinarie nequidem venialiter peccari, quia „ domini paſſim id ſciunt, & ipſimet faciunt, videnturque invicem conſentire, contenti mulcta, vel „ pœna, ſi quis in facto deprehendatur. “

Videlicet La-Croix more ſuo pyrrhonice diſputat, ac tandem laxior eſt ipſo Buſembao. Nos iis, quæ diximus, inhærentes mortaliter peccari dicimus, cum illatum damnum ex æqua æſtimatione notabile eſt, & hoc eſſe reparandum, aſſerimus; quia alienum jus læſum fuit. Nam dominos conſentire, ut damnum ſibi inferatur, & punitos velle qui in facto prædæ deprehenduntur, contradictorium eſt.

Animadverſio XXVI.

Etſi probabilius ſit, & in praxi communiter tenendum, peccari &c. *ex eaque oriri* &c. *non omnino tamen improbabiliter id alii quidam negant, eo quod* &c.

Hic Buſ. non obſcure fatetur, cum ait, *Non omnino tamen improbabiliter*, &c. hanc probabilitatem eſſe tenuiſſimam, ac vix intra probabilitatis limites contineri; eam tamen non refellit; imo, cum in ejus gratiam rationem afferat, veluti non improbandam agendi regulam proponit. At hæc propoſ. *Generatim, dum probabilitate ſive intrinſeca, ſive extrinſeca, quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confiſi*

ali-

Digitized by Google

aliquid agimus, ſemper prudenter agimus: hæc inquam propoſ. eſt 3. ab Innoc. XI. proſcripta: ergo ex ipſa Buſ. confeſſione conſequitur, proſcriptum eſſe, peccatum fraudantium vectigalia non eſſe mortale, nec reſtituendi obligationem inducere.

La-Croix p. 316. n. 269. ita loquitur. „ Nav. Angel. Beja, aliique multi docent, leges de ſolvendis „ vectigalibus eſſe tantum pœnales, & non obligare in „ conſcientia, quam ſententiam Leſs. Bon. aliique di„ cunt eſſe probabilem; probabilius tamen eſt, quod „ obligent in conſcientia, & quidem ex juſtitia, uti „ docent plurimi cum Sanch. Lugo, Dicaſt. Sporer, „ Mendo. Nam Scrint. ad Rom. 13. dicit: *Reddite* „ *omnibus debita; cui tributum, tributum: cui vectigal* „ *vectigal*. & Matth. 22. *Reddite ergo quæ ſunt Cæſaris,* „ *Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo.* " Hactenus La-Croix. Sed illud hic quæro, utrum ſententia, quam Paulus Ap. & Chriſtus tradidit, ſit tantum probabilior? Utrum huic contraria poſſit eſſe probabilis? Utrum opinio S. Paulo Ap., & Chriſto repugnans, poſſit eſſe recta agendi regula? Nam quod probabile eſt, juxta La-Croixium eſt recta agendi regula. An Apoſtoli, & Chriſti verba perſpicua non ſunt? Nam Apoſtoli, & Chriſti verba non eſſe certiſſima, & indubitata, & ſententiam his contrariam non eſſe indubitato, & certiſſime falſam, maxima hæreſis eſt. Contraria opinatio, quam La-Croix probabilem eſſe falſo concedit, præterquamquod Apoſtolo, & Chriſto adverſatur, falſo ſuppoſito nititur, quod juſtæ Principum leges pœnas tranſgreſſoribus infligentes non obligent quoad conſcientiam. Hoc enim ex mox dictis ad c. a. eſt certo falſum, quia eidem Apoſtolo aperte contrarium. Hinc de his duabus propoſitionibus, *Populus non peccat, etiamſi abſque ulla cauſa non recipiat legem a Principe promulgatam: Subditi poſſunt juſta tributa non ſolvere*: de his inquam, quarum alteram La Croix probabilem habet, Clerus Gallicanus anno 1700. hanc cenſuram tulit (apud Nat. Alex. Theol. t. 2. append. altera p. lxx. n. 24. prop. 109. 110.) „ Hæ propoſitiones ſeditioſæ ſunt, „ apoſtolicæ doctrinæ, ac dictis dominicis aperte con„ tradicunt. " Itaque pro certa habenda eſt doctrina Catech. Rom. p. 3. de ſept. Dec. præc. n. 10. inquientis; *In hoc crimine rapacitatis includuntur, qui quæ Eccleſiæ præſidibus, & magiſtratibus debentur, vectigalia, tributa, decimas, & reliqua hujus generis non ſolvunt, vel intervertunt, & ad ſe transferunt*. Si quis hac de re plura cupit, adeat Concinam Theol. t. 6. p. 420. n. 3., qui adverſariorum quoque cavillos diſſolvit.

Et hæc quoad juſta vectigalia, & tributa. Nam ſi iniqua ſint, vel quia ſine proportione impoſita, vel quia publicæ neceſſitatis rationem excedunt, ac ſubditos ex arbitrio gravant; de his in præſenti non loquor; imo hæc, quia injuriam, non juſtitiam continent, quoad conſcientiam non obligant. Hinc Deus Mich. 3. ait: *Audite Principes Jacob, & duces domus Iſrael; numquid non veſtrum eſt ſcire judicium, qui odio habetis bonum, & diligitis malum, qui violenter tollitis pelles eorum deſuper eos, & carnem eorum deſuper oſſibus eorum?* &c. ſunt verba Dei increpantis, ac poſt ea minantis, ut textum legenti patet. Hinc orta eſt illa doctrina, cujus meminit Buſemb. *ubi ex Cajet. Med. Soto &c. docet, non eſſe negandam abſolutionem pœnitenti, qui &c.* Hi enim Auct. putant, vectigalia pro his rebus impoſita non eſſe juſta, uti ſentit etiam Wig. p. 185. q. 15. Supp. 2., niſi publica neceſſitas aliud poſtulet.

p. cxx. Neglectis fremebundis P. Zach. in me latratibus, quoad doctrinam hoc unum habet. „ Diſce, mi Franzoja, duplicem a Theologis, Juriſque conſultis quæ„ ſtionem fieri. Altera eſt, an ſubditi conſcientiæ le„ ge teneantur, aliqua Principibus tributa pendere, ea „ quæ jure communi, conſuetudine, aut legibus pœ„ nam æternam in violatores appellantibus. Altera „ quæſtio eſt, an eadem conſcientiæ lege teneantur „ ſubditi vectigalia ſolvere, quæ legibus temporariam „ pœnam infligentibus præſcribuntur. Certiſſima eſt, ſi „ prima quæſtio dirimenda ſit, eorum ſententia, qui „ affirmant; eoque ſpectant Chriſti, & Apoſtoli teſti„ monia, ut hæreticus ſit oporteat, qui illud inficiari „ audeat. At ſi ad alteram quæſtionem accedamus, „ etſi probabiliorem opinionem ajentes propugnent, „ hæc tamen non ita certa eſt, ut prior, neque tam „ aperte, quemadmodum illa, ex Scripturarum effatis „ ducitur, quamquam his conformior eſſe videatur. " Reſp. Hæc tua reſponſio mihi ſatis eſſet, ſi verſatilis opinator non eſſes: at quia talis es aliquid reponere juvat.

Ex legibus alias, pœnas temporarias imponere, alias non imponere, doctrina certa eſt, & vulgatiſſima, quam a P. Zachariæ magiſterio diſcere non eſt neceſſe. Ex legibus vectigalibus alias, hujuſmodi pœnas imponere, alias non item, ut tu a Theologis, & Juriſconſultis me vis diſcere, nondum revera didici, Bonacina t. 2. de reſtitutione in particulari q. 9. p. 1., Laym. de juſt. tract. 3. cap. 3., Anacletus t. 3. juris can. lib. 3. decret. tit. 39. §. 111., ut alios omittam, de hac tua diviſione, cum tamen citatis locis de vectigalibus agant, & alias diviſiones afferant, omnino ſilent. Tuus La-Croixius loco a me in animadverſione recitato dum ait, „ Nav., Angel., Beja, aliique multi „ docent, leges de ſolvendis vectigalibus eſſe tantum „ pœnales &c." fundamenti loco habet, leges vectigalium eſſe pœnales, non partim pœnales, partim non pœnales; at tu, quia in dubium vocare non potes, utrum vectigalia ſaltem aliqua Principibus ex conſcientiæ lege ſolvenda ſint, novam diviſionem commentus es, ne Scripturæ impugnatoris notam incurreres; quam tamen effugere non potes eo ipſo, quia tua diviſio commentitia eſt.

Si certiſſima eſt te fatente ſententia affirmans quoad vectigalia, ut tu fingis, non pœnalia, cur certiſſima non eſt quoad vectigalia pœnalia? Si quoad hæc non eſt certiſſima, quoad nulla certiſſima eſt, quia omnia vectigalia ſub pœna ſolvenda ſunt. Allati Scripturæ textus æque urgent, etiamſi fingas, quædam vectigalia non eſſe pœnalia, quoad vectigalia ſub pœna impoſita. Nec enim hæc deſinunt eſſe vectigalia, aut jus Cæſaris, hoc eſt Principis, quia addita pœnæ comminatione imponuntur. Pœna legi addita, vim legis non minuit, ſed potius auget; quia legiſlatoris mentem intenſiorem eſſe, aperte declarat.

Iterum audi Apoſtolum Rom. 13. v. 5., *ideo*, inquit, *neceſſitate ſubditi eſtote non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam*. Principis ira, ſeu pœna obligationem quoad conſcientiam aperte, & certo includit; quam ſi non includeret, pœna non juſta, ſed tyrannica eſſet, quia innocentes punirentur. Hinc S. Joann. Chryſ. in hunc D. Pauli textum inquit: *Quid eſt non ſolum propter iram. Non ſolum*, inquit, *quod Deo, non ſubditus adverſaris, neque quod maxima tibi ipſi mala & a Deo, & ab hominibus concitas; ſed quod & in maximis tibi benefacit Magiſtratus, dum & pacem, & adminiſtrationem politicam procurat.*

Tuus Tirinus in hujus loci expoſitione, *neceſſitate*, inquit, tum divinæ, tum humanæ legis, *ſubditi eſtote non ſolum propter iram*, ſeu punitionem alioquin infligendam, ſed *etiam propter conſcientiam*, ne fiat hæc rea violatæ legis, & læſæ majeſtatis etiam divinæ. Sed mea quoque animadverſio recolenda eſt, ut clamorum P. Zach. inanitas magis liqueat.

Animadverſio XXVII.

Ceterum ordinarie injuſtus, ſeu malæ fidei damnificator, &c. *aut poſſeſſor tenetur non tantum reſtituere* &c. *ſed* &c.

Cur Buſemb. addit illud *ordinarie*? Reſtitutio enim, de qua hic loquitur, ex rei natura debetur, juſtitia id poſtulante, ideoque non ordinarie ſolum, ſed ſemper debetur.

Quamvis communiter ſoleant domini plurimum remittere, ſi res componatur.

Compoſitio locum habet in dubio jure, non in certo jure: jus autem damnum paſſi, ut totum damnum reſtituatur, in præſenti ſpecie certum eſt: ergo compoſitio locum non habet; ſed integra reſtitutio facienda eſt. Poteſt quidem dominus, ſi velit, reſtitutionem ex parte, aut etiam ex toto remittere. Sed remiſſio fraude, aut vi extorta, nihil momenti quoad conſcientiam habet.

Animadverſio XXVIII.

Si res aliena, dum injuſte detinetur, pereat &c. *idque caſu* &c. *& certum ſit* &c. *non tenetur alter reſtituere.*

D. Th. 2. 2. q. 62. ar. 6. ad 1. ait: *Tenetur ad reſtitutionem & ille, qui rem abſtulit ratione injurioſæ acceptionis, & ille, qui rem habet ratione ipſius rei*: ergo qui rem alienam injuſte detinet, non ſolum ratione rei, ſed etiam ratione injuſtæ acceptionis, aut detentionis, reſtitutionis lege tenetur: at etiamſi res caſu pereat, certo peritura etiam apud dominum, non idcirco injuſta acceptio, aut detentio deſinit, aut tollitur: ergo injuſtus acceptor, ſeu detentor reſtituere nihilominus tenetur.

At inquit Buſemb. *Nihil novi detrimenti domino apud furem v. g. accidit, quod non apud ipſum*. Reſp. Id quidem verum ponitur: at quid inde? Si fur reſtituere rem teneretur ſolum ratione ipſius rei, quam habet, inde quidem fieret, ut re ſine ſua culpa pereunte, ab onere reſtitutionis liberaretur: at ille reſtituere debet etiam ratione injuſtæ acceptionis, & detentionis: ergo quamdiu ratio injuſtæ acceptionis, aut detentionis ſubſiſtit, tamdiu ſubſiſtit obligatio reſtituendi; atqui ratio injuſtæ acceptionis, & detentionis

ſub-

Digitized by Google

ſubſiſtit, etiamſi ſine ejus culpa res pereat, & etiamſi apud dominum æque peritura fuiſſet: ergo etiam in hoc caſu reſtituere tenetur. Æquitas tamen poſtulat, ut compenſetur damnum in ipſa rapina, ſeu furto illatum, hoc eſt quanti res valebat, cum fuit erepta, ſi ratione ſolius acceptionis reſtitutio facienda ſit. Eripit e. g. fur veſtem incendio flagrante, eodem apud ipſum conſumptam, ac certo apud dominum conſumendam; hæc veſtis, dum eripitur, nullius pretii ex æqua æſtimatione eſt; ideoque fur in hac ſpecie nihil reſtituere teneri videtur; quia licet animo injuriam intulerit, reipſa tamen nullam intulit. At reſtitutionis obligatio non oritur ex injuria animo, aut conatu illata, ſed ex injuria reipſa irrogata. Ergo &c. At ſi veſtis incendio flagrante erepta, in tuto a fure fuit poſita, quæ poſtea apud ipſum caſu periit, eodem peritura apud dominum; fur nihilominus reſtitutioni obnoxius eſt ratione injuſtæ acceptionis, & detentionis.

Animadversio XXIX.

Qui fingens ſe pauperem, vel alium, quam eſt, extorſit eleemoſynam, non tenetur &c. *ſecus ſi magna fuit.*

Ex Catech. Conc. Trid. p. 3. de 7. Dec. præc. n. 9. *Furtum præterea facere videntur, qui fictis ſimulatiſque verbis, quive fallaci mendicitate pecuniam extorquent; quorum eo gravius eſt peccatum, quod furtum mendacio cumulant.* Ratio eſt, quia qui rem alienam fraude extorquent, contra domini voluntatem extorquent, ideoque furti rei ſunt: ſed qui mendicitatem, aut aliam perſonam ſimulantes, eleemoſynam emungunt, rem alienam fraude contra domini voluntatem extorquent: ergo furti rei ſunt. Qui autem furti rei ſunt, acceptum reſtituere tenentur, non ſolum ſi ſit magna, ſed etiamſi ſit parva res. Sicut enim rem parvam alienam accipere non licet, ita ne retinere quidem licet. Fateor, minutum furtum ſicut a mortali culpa, ita a gravi reſtituendi obligatione eſſe immune, non tamen ab omni.

At ſi minuta furta plura ſint, & notabilem quantitatem efficiant, mortalis culpæ reatum, & mortalem reſtituendi obligationem inducunt ex dictis cap. 2. dub. 3. c. 2. p. 186. ergo qui ficta paupertate, aut perſona notabilem pecuniæ ſummam per multas minutas extorſiones elicuerunt, & mortaliter peccarunt, & ſub mortali reſtituere tenentur.

An qui minutas plures eleemoſynas per ſimulationes & mendacia extorquent, a gravi culpa, gravique reſtituendi obligatione eo prætextu, quem inſinuat Buſemb. ſe liberos putant; quia minutæ eleemoſynæ non habent, ut magnæ, adjunctam illam conditionem, ſi pauper eſt? Si ita eſt, minutæ eleemoſynæ, non ſunt eleemoſynæ, ſed prodigalitates. Prætextus ſcilicet fictitius eſt, & futilis, nec Theologo dignus.

At cui reſtitutio facienda eſt? Reſp. Minutæ eleemoſynæ ſolius medicitatis fallacia emunctæ, pauperibus dari poſſunt. Cum enim dantes, unius eleemoſynæ titulo dederint, evidens eſt, eorum mentem fuiſſe ut in pauperum ſubſidium impenderentur. At ſi eleemoſyna magni momenti, non paupertatis tantum, ſed etiam perſonæ, e. g. nobilis, propinquæ, beneficæ &c. fictione extorta fuiſſet, cum hæc in gratiam perſonæ data fuerit, danti reſtituenda eſt, nec aliis pauperibus ſine dantis permiſſione tuto dari poſſe mihi videtur.

Animadversio XXX.

Imo probabiliter ne id quidem, quod ante illam neceſſitatem (extremam) *erat furatus, & in ea conſumpſit.*

Idem habet La-Croix p. 317. n. 288. ita tamen ut fur teneatur, ſi poſſit, poſtea compenſare damna cauſata domino uſque ad tempus neceſſitatis. Quod ſi rem, antequam conſumeret, per commiſtionem fecerat ſuam, poſt neceſſitatem tenetur reſtituere etiam rem, inquit idem La-Croix.

Sed quia ex alibi dictis fur per commiſtionem rem alienam ſuam non facit, idcirco ex hoc titulo, qui inanis eſt, non eſt obligandus ad reſtitutionem. Itaque ſeu fur alienam rem cum ſua miſcuerit, ſeu non miſcuerit, etiamſi eam in extrema neceſſitate conſumpſerit, reſtituere, cum poterit, tenebitur. Id docent Sotus, Ricardus, Sylveſter, Armilla, Tabiena, Medina, Azorius, Lorca, Vaſquez, & alii, quos citat, & ſequitur P. Concina Theol. t. 4. p. 552. q. 4. oppoſitam opinionem laxam exiſtimans. Extrema quidem neceſſitas, ut ajunt Buſemb. & La-Croix, dat furi jus rem conſumendi. At quid inde? Inde ſcilicet efficitur, ut ea conſumptio innocens ſit, nec inferat obligationem reſtituendi. Id lubens fateor. At ponamus, rem furto ablatam caſu perire, aut vi, ſeu clanculum furi eripi abſque ulla ipſius culpa. Hæc quoque rei conſumptio, aut ablatio quoad furem innocens eſt, ideoque reſtituendi onus illi imponere nequit. Nihilominus fur reſtituere tenetur, ut nemo inficiari poteſt, & confeſſus eſt ipſe Buſ. hic c. 8. & docet S. Raym. lib. 2. tit. de raptoribus §. 21. ergo reſtituere quoque tenetur, etiamſi in extrema neceſſitate rem conſumpſerit. Repetenda, & inculcanda eſt doctrina Angelica recitata ad c. 8. *Tenetur ad reſtitutionem & ille, qui rem abſtulit ratione injurioſæ acceptionis, & ille, qui rem habet ratione ipſius rei.* Fur in noſtra ſpecie ad reſtitutionem non tenetur ratione ipſius rei; quia illam non habet, & jure conſumpſit; at tenetur ratione injurioſæ acceptionis, cui inſeparabiliter annexa eſt reſtitutionis obligatio. Sicuti ergo innocens rei conſumptio injurioſam rei acceptionem, hoc eſt furti noxam, nec abolet, nec abolere poteſt, ita nec tollit, nec tollere poteſt reſtituendi obligationem. La-Croixii ergo, & Buſ. ratio ſophiſtica eſt; quia a ſenſu, ut Logici ajunt, reduplicativo ad ſpecificativum tranſit. Porro doctrina, quæ ſophiſmate nititur, nec recta, nec probabilis eſſe poteſt. Neç enim tenuis auctoritas aliquorum recentium probabilium, doctrinæ falſo fundamento nixæ probabilitatem conciliare poteſt, præſertim, ut hic accidit, longe graviori auctoritate eliſa. *Neque fures ... neque rapaces Regnum Dei poſſidebunt*, ait Ap. 1. Cor. 6. at ſunt fures, ſeu rapaces, qui cum poſſint, ablata non reſtituunt; quia voluntate furto, ſeu rapinæ adhærent, alienum retinent, in ſuo crimine perſeverant. Hinc D. Aug. ep. 54. ad Macedonium (habetur can. 14. q. 6. c. 1.) ait: *Si res aliena, propter quam peccatum eſt, cum reddi poſſit, non redditur, non agitur pœnitentia, ſed fingitur.* S. Doct. non ait, ſi non pereat, ſi ex neceſſitate conſumatur, &c. ſed illud ſolum habet, *cum reddi poſſit*, ſolam impoſſibilitatem reddendi excipiens. Itaque cum furtum, ſeu rapina admiſſa eſt, non ſunt quærendæ excuſationes a reſtitutione; quia ſola impoſſibilitas excuſat.

Animadversio XXXI.

Injuſtus occiſor, mutilator ... præciſe pro vita, membro, vel cicatrice nihil tenetur reſtituere ſecundum rigorem, cum ſint &c.

Hæc opinio probabilior quoque videtur La-Croixio p. 318. n. 299. pro qua multos citat. Sed pro contraria quoque multos appellat, qui putant injuriam ſuperioris ordinis compenſandam eſſe bono inferioris ordinis, ſi æqualiter compenſari non poſſit, eamque probabilem fatetur.

P. quoque Concina Theol. t. 7. p. 210. n. 7. utramque ſententiam probabilem facit: hæc tamen poſterior tutior eſt, & rationes, inquit, quibus nititur, validiores videntur. S. Th. pro hac certe ſtat: nam 2. 2. q. 62. a. 2. ad 1. ait, *quod in quibus non poteſt recompenſari æquivalens, ſufficit quod ibi recompenſetur quod poſſibile eſt, ſicut patet de honoribus, qui ſunt ad Deum, & ad parentes, ut Phil. dicit in 8. Eth. & ideo quando id, quod eſt ablatum, non eſt reſtituibile per aliquid æquale, debet fieri recompenſatio, qualis poſſibilis eſt: puta cum aliquis alicui abſtulit membrum, debet ei recompenſare vel in pecunia, vel in aliquo honore, conſiderata conditione utriuſque perſonæ ſecundum arbitrium boni viri.*

La-Croix p. 319. n. 300. ita reſpondet. „ S. Thomam „ varie explicat Bann. cujus explicationes quamvis re„ jiciat Petſoh. p. 274. tamen innuit poſſe dici, quod „ S. Th. non ſit aſſertive locutus, ſed tantum ſignifi„ carit, ſi damnum vitæ, vel membri compenſari de„ beret, fore compenſandum per aliquid aliud. "

Hæc ſcilicet, & quidquid aliud in mentem venerit, dici poſſunt ab iis, qui S. Thomam aut non legerunt, aut ejus mentem pro ſuo arbitrio in alienos ſenſus extorquere parati ſunt. Nam ejus verba, quæ La-Croix non refert, hic exſcripta, adeo luculenta ſunt, ut explicatione non indigeant.

D. Thomæ doctrinam mox ante tradiderat Greg. IX. inquiens (cap. *Si culpa tua* de injuriis, & damno:) *Si culpa tua datum eſt damnum, vel injuria irrogata, ſeu aliis irrogantibus* &c. *jure ſuper his ſatisfacere te oportet.* Intelligendus eſt, inquis, Greg. de injuria, quæ æqualiter reparari poſſit. Reſp. Ita ſane intelligendus eſſet, ſi ita loqueretur; at Greg. ita non loquitur, ſed ſine diſtinctione loquitur, ideoque ſine diſtinctione intelligendus eſt. Si ſummorum Pontificum, & Eccleſiæ Doctorum ſententias noſtris opinionibus accommodamus, ab iis diſcere nolumus, nec pro noſtris magiſtris, uti debemus, eos habere volumus.

Id confirmatur Exod. 21. ubi v. 22. dicitur: *Si rixati fuerint viri, & percuſſerit quis mulierem prægnantem, & abortivum quidem fecerit, ſed ipſa vixerit, ſubjacebit damno, quantum maritus mulieris expetierit, & arbitri judicaverint;* & v. 26. *Si percuſſerit quiſpiam oculum ſervi ſui, aut ancillæ, & luſcos eos fecerit, dimittet eos liberos pro oculo, quem eruit.*

Hæc divina lex naturæ legi non poteſt non eſſe conſenianea; at hæc præſcribit, ut pro damno, quod æqualiter reparari non poteſt, aliquid pro æquitate, & prout poſſibile eſt, compenſetur: ergo naturæ lex id poſtulat.

La-Croix p. 318. n. 299. objicit v. 19. cap. cit. Ex. ubi, inquit, „ dicitur, percuſſorem fore innocentem, „ ideſt liberum, ſi percuſſus non moriatur, dummodo „ operas ſolvat, ac expenſas in medicos reſtituat: ſic „ autem abſolute non pronuntiaretur liber, ſi de jure, „ & in conſcientia, ad quam dirigendam potiſſimum eſt „ Scriptura, teneretur etiam dare aliquid pro vulnere, „ vel mutilatione. “ Reſp. At eadem Scriptura aliquid dandum præcipit pro abortu ex injuria facto, & pro ſervi oculo eruto; quæ duo exempla ſatis confirmant ſententiam noſtram. Nam Deus compenſationem pro percuſſione voluiſſe remittere videtur in pœnam rixantis percuſſi: ſermo enim ibi eſt de eo, qui alterum percuſſit lapide vel pugno in rixa. At ſi percuſſio fiat ſine rixa, aut non rixanti, compenſationem exigit; ut patet ex v. 22. & 26. allatis.

Chriſtus ipſe Matth. 5. v. 3. inquit: *Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adverſum te*, hoc eſt injuria a te fuerit affectus; *relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo; & tunc veniens offeres munus tuum.* Si ex Chriſti præcepto ſatisfactio exhibenda eſt pro quacumque injuria etiam verbis tantum irrogata, multo magis hoc fieri debet in gravioribus injuriis mutilationis, vulnerum &c. Accedit ratio, quæ ſuadere non poteſt, injurias maximas, quæ æqualiter reparari non poſſunt, nulla ratione eſſe reparandas; ſed contra poſtulat, ut quomodo fieri poteſt, & ex æquo judicio reparentur. La-Croix n. 304. id concedit, ſi attingatur æqualitas ſaltem ſecundum partem; at ſi ne ex parte quidem attingatur, id negat. „ Nullum „ autem bonum, inquit, diverſi generis, eſt pars aliquota boni alterius generis, aut æqualitatis faciendæ: ergo juſtitia non obligat ad ponendum quicquam „ ex bono alterius generis. “ Hæc La-Croixii reſponſio argumentationem non ſolvit, ſed per ſubtilitates metaphyſicas eludit. Illud enim principium naturæ lumine omnibus inſitum, inconcuſſum ſemper manet, injuriam, & damnum, quod nec ex toto, nec ex parte æqualiter reparabile eſt, eſſe reparandum quoad fieri poteſt, humano modo, & prout humana ſocietas patitur & poſtulat. Eſt enim valde abſurdum, jus nihil pro iis maximis injuriis exigere, quæ nec ex toto, nec ex parte æqualiter reſarciri poſſunt; quod ingens abſurdum qui admiſerit, homines a minoribus injuriis deterrere forte poterit, at ingentibus injuriis latiſſimam ſternet viam. Hoc abſurdum & D. Th. & Greg. IX. & citata Scripturæ Exod. 21. & Matth. 5. oracula explodunt, & rejiciunt. La-Croixii reſponſionem, quæ apud adverſarios communis eſt, ita refellit P. Concina p. 209. n. 5. „ Ita ne vero? Offenſa illata Deo per peccatum, eſt „ ſupremi ordinis; ſatisfactio vero pœnitentiæ, inferioris: non eſt ergo Deo reddenda, quia non eſt ejuſdem ordinis? “

Objicit La Croix l. ult. §. *de his, qui effuderint, vel* &c. ubi habetur: *Cum liberi hominis corpus ex eo, quod dejectum, effuſumque quid erit, læſum fuerit, judex computat mercedes medicis præſtitas, ceteraque impendia, quæ in curatione facta ſunt. Præterea operarum, quibus caruit, aut cariturus eſt ob id, quod inutilis factus eſt. Cicatricum autem, aut deformitatis nulla fit æſtimatio; quia liberum nullam recipit æſtimationem.* Reſp. Ita ſane. At judex præter hic deſcriptas compenſationes, pro ipſo læti corporis damno, quod nullam recipit æſtimationem, pœnam irrogat, & offenſorem aut carcere, aut exilio, aut morte &c. juſtitia ita poſtulante, punit. Quid hic adverſarii? Nos dicimus, nihil a fori interni judicibus pro injuriæ compenſatione offenſori imponendum eſſe, cum externi fori judices ſuo officio juxta leges functi fuerint. Itaque quoad conſcientiam res in tuto eſt, cum forum externum legitimæ juſtitiæ ſatisfecerit. At ipſa praxis fori externi, ipſæ ejus leges præter compenſationem damnorum, quæ ex læſo, aut occiſo corpore derivantur, pro ipſo læſo, aut occiſo corpore compenſationem exigunt, & imponunt. Hinc colligere debent Confeſſarii, ſuis pœnitentibus pro illis injuriis minoribus, puta verborum contumeliis, impactis alapis, pugnis &c., quæ ad forum externum non deferantur, imponendam eſſe juxta recitatum Chriſti præceptum compenſationem pro perſonarum, & circumſtantiarum varietate, puta veniæ petitionem, obſequia, pecuniæ largitionem &c., idque multo magis pro injuriis atrocioribus, ſi forum externum eas non reparet.

Animadverſio XXXII.

Qui occidit ebrius alium, ſi ebrietas &c. vel, licet fuerit talis, ſi tamen &c. non tenetur ad reſtitutionem.

Licet quis homicidium ex ebrietate non præviderit, homicidii tamen reus eſt, ideoque reſtitutioni obnoxius, illud prævidere potuit, ideoque debuit, puta quia ebrietas rixarum, contumeliarum, &c. cauſa in illo homine eſſe ſoleat. In hac enim ſpecie homicidii periculo proximo ſeſe objecit, illudque in cauſa voluntarium illi fuit. Huc ſpectat cap. ſæpius cit. *Si culpa tua*, ubi dicitur: *Nec ignorantia* (homicidium non præviſum) *te excuſat, ſi ſcire debuiſti ex factis tuo* (ex tua ebrietate) *injuriam veriſimiliter poſſe contingere, vel jacturam.*

Animadverſio XXXIII.

Si læſus ante mortem omnia remiſit, ad nihil tenetur occiſor.

La-Croix p. 320. n. 310. §. 7. ita inquit. „ Quamvis Buſenb. ex Leſſ. reſolvat, ſi læſus ante mortem „ omnia remittat occiſori, hunc ad nihil teneri, quod „ etiam docent Molin. & Sanch. tamen videtur dicendum „ cum Lugo d. 11. n. 63. & Illſ. n. 88. non poſſe remittere obligationem reſtituendi pro damnis, quæ advertenter (hic adde, ſeu advertere debens) cauſavit, lædendo „ jus, quod habebant alii v. g. ad alimenta, ad ſpem „ melioris hereditatis, ad plenam ſolutionem debiti. „ Hoc enim jus non pertinebat ad occiſum, ſed immediate ad heredes, aut creditores. “

Animadverſio XXXIV.

Etſi præciſe pro vita &c. non ſit &c. Quoad hoc conſole mox dicta ad Reſp. *Per ſententiam tamen judicis cogitur injuriam ſatisfacere pro injuria.*

Recte quidem; at hinc colligitur, jus exigere, ut offenſo pro injuria ſatisfaciat. Judex enim, juris executor eſt, nec onus ex arbitrio imponere poteſt. Hinc Ariſt. Eth. 5. c. 4. ait: *Adire ad judicem, adire ad jus eſt. Nihil enim aliud videtur eſſe judex, quam jus animatum.* Et S. Th. 2. 2. q. 67. art. 4. inquit: *Quilibet judex tenetur jus ſuum reddere unicuique.* Ergo ſi judex cogere poteſt offenſorem, ut pro injuria ſatisfaciat, jus exigit hujuſmodi ſatisfactionem.

Animadverſio XXXV.

Sic homicida a magiſtratu &c. verius eſt adhuc teneri ad damna facienda, cum morte ſua &c.

Recte ſane. Nec enim mors occiſori inflicta compenſat damna, quæ ex morte occiſi, heredes paſſi ſunt: at jus poſtulat, ut hæc quoque compenſentur: ergo &c. At nonnulli inquiunt, omnia remiſſa cenſeri, ſi homicida morte juxta leges puniatur. Reſp. Mors homicidæ inflicta, æqualitatem ſolum conſtituit cum morte, quam ille interfecto intulit, non item cum damnis, quæ occiſi hæredes ſubiere: at hæc quoque reparanda ſunt; quia juſtitia eſt æqualitas. Præterea juſtitia poſtulat, ut reſtitutio ei fiat, cui damnum illatum eſt: at damnum illatum fuit heredibus occiſi: ergo his reſtitutio facienda eſt. Porro per mortem homicidæ nulla his reſtitutio fit: ergo etiamſi homicida morte plectatur, nihilominus reſtitutio, occiſi hæredibus facienda eſt.

Qui tamen, cum plerumque aliud non exigant, videntur &c. ac proinde heredes homicidæ ad nihil tunc teneri. Fill.

Si heredes occiſi apud judicem ſe nihil quoad bona interfectoris petere poteſtati ſint, juri ſuo explicate ceſſerunt, reſque in tuto eſt quoad homicidæ heredes. At ſi juri ſuo nec apud judicem nec alia ratione aperte ceſſerunt, ſola eorum taciturnitas, quæ ex aliis cauſis, quam ex condonatione, oriri poteſt, tutos non facit homicidæ heredes. Reſtituendi enim obligatio, incerta debiti remiſſione non extinguitur: at taciturnitas heredum occiſi, ut ſummum eſt incerta remiſſio: ergo, ut heredes occiſi in tuto ſint, aut damna reſarcire, aut ſpontaneam, & expreſſam condonationem impetrare debent.

Animadverſio XXXVI.

Debet autem reſtitutio fieri tantum parentibus interfecti, filiis, & uxori.

P. Concina Theol. t. 7. p. 253. n. 26. addit *& nepotibus*, hoc eſt filiorum filiis.

La-Croix p. 320. n. 310. ait: Sot. Nav. Adrian. „ Panorm. Roſel. Valq. Turr. aliique apud Lug. d. 11. „ n. 74. dicunt in hoc caſu “ (hoc eſt ſi occiſor prævideat hoc eorum damnum) „ teneri compenſare etiam „ extraneos, quod Illſ. t. 4. d. 2. n. 78. defendit tanquam ſpeculative probabilius, licet agnoſcat oppoſitum eſſe practice probabile. Ratio eſt, quia qui per „ vim impedit alterum a conſecutione boni, tenetur „ da-

Digitized by Google

„ damnum compenſare ſecundum æſtimationem ſpei „ probabilis, & proximæ, quam habuit, uti dictum eſt „ n. 69. ſed hic occidens illos omnes impedit per vim: „ ergo. Confirmatur. Nam ſi quis per fraudem indu- „ xiſſet Titium ad bona illa non præſtanda, teneretur „ compenſare omnibus etiam non habentibus jus, ſed „ ſolam ſpem illam obtinendi ſecundum dicta n. 69. „ ergo multo magis qui occidendo per vim impedit. "

Hæ rationes inſtitutum evincunt, non ſolum ſi damnum prævilum fuerit, ſed etiamſi, ut hic accidit, prævideri debuit. Nam ſi hoc ſpeculative, hoc eſt ſpectata ratione, & auctoritate, probabilius eſt, oppoſitum quoad praxim non eſt probabile, ſed periculoſum, & criminoſum; qua in re corrigendus eſt Illſ. a La-Croixio hic citatus. Porro damnum non ſolum occiſi parentibus, aut filiis &c. ſed quibuſcumque ab homicida illatum, eſſe ab eo reparandum, cap. quoque *Si culpa tua* ſæpius citatum clare oſtendit, quod hic repero. *Si culpa tua datum eſt damnum, vel injuria irrogata, ſeu &c. jure ſuper his ſatisfacere te oportet.* Nec valet excuſatio, quod damnum non fuerit prævilum; quia ſubditur: *Nec ignorantia te excuſat, ſi ſcire debuiſti ex facto tuo injuriam veriſimiliter poſſe contingere, vel jacturam.* An homicida ſcire non debuit, ea homicidio a ſe admiſſo veriſimiliter poſſe contingere jacturam? non enim damna, ſeu jacturæ ea homicidio, ſunt extraordinariæ, ſed ordinariæ: ergo prævideri poſſunt, ideoque debent. Hinc porro fit, ut ſint voluntariæ in cauſa, ideoque reſarciendæ, ut canon cit. præſcribit. Ratio illa Buſ. *quia hi ſoli* (parentes, filii, uxor interfecti) *directe læduntur, cum moraliter cenſeantur una perſona cum occiſo*: hæc, inquam, ratio a La-Croixio fuit occupata, & perſpicue diluta. Naturæ enim lumen omnibus inſitum evidenter dictat, damna iis omnibus ſine ulla exceptione eſſe reparanda, quibus illata ſunt. Hæc eſt ipſa æqualitas, in qua tota commutativæ juſtitiæ vis ſita eſt.

Conſanguinei, propinqui, aut alii quicumque ab occiſo alimenta, & beneficia ex mera ejus liberalitate accipiebant, nullum quidem jus compenſationis ab eo, vel ejus heredibus habent; at jus compenſationis contra homicidam habent. Jus enim habent, ne liberalia beneficia per vim ſibi extorqueantur: at homicida per vim extorſit beneficia liberalia, quæ occiſus conferebat propinquis, aut aliis: ergo jus violavit: ergo damnum illatum reparare jure debet.

Si homicida occiderit animo nocendi aliis, ipſo Buſembaum fatente his reſtituere tenetur: ergo reſtituere his tenetur, etiamſi animus nocendi abſit. Non enim nocendi animus, ſed reale nocumentum reſtitutionis onus inducit: at reale nocumentum illatum fuit. Ergo &c. Quod ſi illatum non fuerit, reſtitutio locum non habet: quia juſtitia eſt æqualitas rei ad rem.

Hæc ſententia præter eos, quos La-Croix citavit, a S. quoque Antonino traditur, qui p. 2. t. 2. c. 2. §. 2. ait: *Si interfectus ſuſtentabat aliquas perſonas, ut patrem, filios, & hujuſmodi operibus manuum ſuarum, tenetur interfector omnibus illis ad tantum, quantum illis abſtulit ſubſidii propter occiſionem ejus.*

Ait *aliquas* indefinite, tum exempla addit patris, & filiorum, at ſubdit & *hujuſmodi*, puta fratres, & ſorores, nepotes &c. Vide etiam dicta in c. 2. d. 4.

Animadversio XXXVII.

Etſi probabile ſit, deberi etiam reſtitutionem creditoribus occiſi &c. contrarium tamen etiam probabile (ſaltem &c.) eſt.

Hoc contrarium ex mox dictis rejicitur. Laym. ad quem Buſ. lectorem mittit, lib. 3. de juſt. t. 3. p. 3. c. 6. n. 4. p. 289. ait: „ *Creditoribus valde probabile* „ *eſt*, latum damnum ab homicida reſarciendum eſſe. „ Ita docet Mol. &c. contra Sal. &c. .... Nam occiſus arctiore obligatione juſtitiæ tenebatur erga creditores, quam erga parentes, uxorem, & filios; cujus rei ſignum eſt, quia his alimenta, & hereditas „ non præſtantur, niſi deducto ære alieno. Ergo ſi homicida damnum reſarcire cogitur, quod uxori, liberis, parentibus occaſione injuſtæ cædis accidit; multo magis creditoribus, ſi ob eamdem homicidii cauſam debito ſuo privati fuerunt, jactura hæc ab homicida compenſanda erit ſecundum juſtitiæ rigorem; „ quamvis in praxi id non obſervetur. " Ita ille. Sed hæc praxis naturali juri contraria nihil momenti habet, ut homicidæ conſcientiam, niſi reſarciat jacturam creditorum occiſi, in tuto ponat.

At inquit Buſ. *Occiſio illa non eſt directe cauſativa illud damni.*

Reſpond. Ponimus, damnum creditorum non aliunde oriri, quam ea morte interfecti. Quid ergo ait Buſemb. occiſionem illam non eſſe directe cauſativam illius damni? Etiamſi occiſor non habeat animum efficiendi illud damnum, cum tamen reipſa illud culpa ſua efficiat, reſarcire quoque illud tenetur.

Hic iterum fortaſſe objicis: Creditores jus tantum habent in perſonam, & bona debitoris: ergo nullum jus habent in homicidam.

Reſp. Diſt. anteced. jus directum conc. indirectum neg. antec. & conſ. Habent enim creditores jus, ne quiſquam vi præſertim, aut dolo eos impediat, quominus ſuum creditum conſequantur: hoc jus violat homicida, qui debitorem ſuo labore, & induſtria ſoluturum debitum occidendo vi impedit, ne illud ſolvat: ergo damnum in creditores inde derivatum reſarcire debet.

Animadversio XXXVIII.

Non tenetur occiſor aliquid iis reſtituere, quos occiſus alebat ex liberalitate.

Hoc ex dictis in c. cit. rejiciendum eſt. At inquit Buſemb. *Damnum illorum per accidens ſequitur*. Reſp. Hoc falſum eſt, quia ponimus, illorum damnum ex ipſa morte, ſeu cæde occiſi derivari. Quod ſi illud *per accidens* idem ſonet, ac eos, quos occiſus ea liberalitate alebat, non eſſe unam perſonam cum occiſo, hæc cavillatio eſt petitio principii.

Animadversio XXXIX.

Præciſe pro ſola virginitate non obligat reſtitutio: unde ſi &c. ad nihil tenetur ſtuprator.

Quod ſupra dictum eſt contra Buſemb. præciſe pro adulterio, cæde, mutilatione eſſe ſatisfaciendum injuriam paſſo, idem hic ex iiſdem rationibus dicendum, ſtupratorem præciſe pro ſola virginitate per vim, aut deceptionem corrupta ſatisfacere oportere. Hinc cap. 1. de adult. &c. tit. 16. lib. 5. dec. quod ex 22. Exod. ſumptum eſt, dicitur: *Si ſeduxerit quis virginem, nondum deſponſatam, dormieritque cum ea, dotabit eam, & habebit uxorem. Si vero pater virginis dare noluerit, reddet pecuniam juxta modum dotis, quam virgines accipere conſueverunt.* Hæc ſatisfactio imponitur pro ipſa ſtupri injuria, non pro damnis conſequentibus.

D. Thom. 2. 2 q. 154 ar. 6. ad 3. ait, *quod ſtuprum habet duplicem injuriam annexam; unam quidem ex parte virginis, quam etſi non vi corrumpat, tamen eam ſeducit, & ſic tenetur ei ſatisfacere. Unde dicitur Ex. 22. Si ſeduxerit &c. Aliam vero injuriam facit patri puellæ. Unde & ei ſecundum legem tenetur ad pœnam. Dicitur enim Deut. 22.* „ Si invenerit vir puellam virginem, quæ non habet ſponſum, & apprehendens concubuerit cum illa, & res ad judicium venerit, dabit „ qui dormivit cum ea, patri puellæ quinquaginta ſiclos argenti, & habebit eam uxorem; & quia humiliavit illam, non poterit dimittere eam cunctis diebus vitæ ſuæ. " *Et hoc ideo ne videatur ludibrium feciſſe, ut Auguſtinus dicit.*

S. Antoninus p. 2. tit. 5. c. 6. inquit: *In foro autem conſcientiæ ſic agendum videtur ſecundum Guillelmum. Si deflorat eam voluntariam, non tenetur ei, patri autem tenetur, quia injuriatus eſt ei. Unde in aliquo ſatisfaciat, vel ſaltem cum placet. Si autem ſeduxit, puta promiſſionibus, mendaciis, non videtur fuiſſe voluntaria. Invitam ergo, & ſeductam ſi conſtupravit, injungendum eſt, quod ſatisfaciat ad arbitrium boni viri, vel cum ea componat. Et ſi promiſiſſet eam ducere in uxorem, ut copulam ab ea extorqueret, ſervet promiſſum, & multo magis juramento firmatum. Et hoc, niſi nimis diſtans eſſet eorum conditio, puta mulier plebeja, vir nobilis, & potens. Non enim mulier præſumitur fraudem ignoraſſe; vel etiam ſi magnum aliquod ſcandalum inde creditur proventurum; & tunc petat remiſſionem promiſſi, & aliter faciat ſecundum ſuam facultatem, & mulieris indigentiam.*

Animadversio XL.

Et id quidem verum eſt, etiamſi ſtuprator religionem vovisset.

Hoc perinde eſt, ac ſi Buſ. dixerit, matrimonii promiſſione, qua virgo ad ſtuprum inducitur, religionis votum ſolvi. At hic quæro, quodnam fortius vinculum ſit, promiſſio ne matrimonii virginem inducens ad ſtuprum, an jurata matrimonii promiſſio? Nam juxta Buſembaum lib. 3. t. 2. c. 2. d. 5. ca. 8. qui jurat, ſe ducturum Titiam, ea relicta religionem ingredi poteſt, etiamſi nullum religionis ſuſcipiendæ votum emiſerit; qua tamen de re vide ibi dicta: ergo juxta ipſum religionem ingredi poteſt etiam promiſſor, & ſtuprator virginis, etiamſi religionis votum non ediderit; ergo multo magis poteſt, imo debet eam ingredi, qui ejus voto obſtrictus eſt. At, inquit Buſ., in jurata matrimonii promiſſione hæc conditio tacite intelligitur, niſi religionem ingrediar. Cur ergo eadem tacita conditio non

Digitized by Google

intelligitur in matrimonii promiſſione ad ſtuprum inducente? Sed mitta hac ratione ad hominem, ita diſcurro.

Cum promiſſio promiſſioni contraria eſt, prior, & fortior ſervari debet. At in noſtra ſpecie votum religionis prius eſt, nec non fortius, quia promiſſio Deo facta fortior eſt, quam quæ fit mulieri ad ſtuprum inductæ: adde, quod religionis votum ex objecto, ſeu ex parte rei promiſſæ longe excellentius eſt, quam matrimonii promiſſio; quia in eo promittitur ſolemne votum, quo omnia abdicantur, totuſque homo Deo in ejus obſequium dicatur: ergo &c. Vide etiam quæ Buſemb. ait lib. 6. t. 6. c. 1. d. 2. ca. 5. huic ejus aſſertioni contraria, & quæ ibi animadvertuntur.

In hac ergo ſpecie alterutrum, ut mihi videtur, præſtandum eſt. Vel a ſummo Pontifice voti diſpenſatio impetranda eſt, & matrimonium cum deflorata ineundum; vel votum religionis implendum eſt, & ſatisfactio defloratæ virgini exhibenda; quarum contrahere matrimonium ſine diſpenſatione tutum mihi non videtur.

Animadversio XLI.

Quod attinet ad ipſum adulterum ſpurii patrem, etiam ipſe ſæpe excuſatur &c.

Buſemb. excuſationes aucupatur, quæ conſcientiam in tuto non ponunt. Nat. Alex. t. 2. p. 623. reg. 2. ita loquitur. „ Tenentur autem ad reſtitutionem ſinguli „ pro rata, ſi communi conſenſu ad adulterium convenerunt; at ſi adulter mulierem pellexit, provocavit, „ ipſe in ſolidum obligatur ad omnia damna reſarcienda, cum præcipua illorum cauſa ſit. Ipſo tamen deficiente adultera tenetur in ſolidum; quia peccato ſuo „ damna hujuſmodi volens procuravit. “ Idem habet Concina Theol. t. 7. p. 220. num. 3. Juxta hanc ſolidam doctrinam ſi adultera ad adulterium provocata totum damnum compenſavit, excuſatur quidem adulter a compenſandis filiis legitimis, aut eorum patre, non tamen abſolute excuſatur nec ex toto, nec ex parte, quidquid Buſemb. dixerit: ſed ipſam adulteram ex toto reſarcire debet. Hinc D. Th. 2. 2. q. 62. ar. 7. ad 2. ait: *Uno tamen reſtituente illi, qui paſſus eſt damnum, alius eidem reſtituere non tenetur, ſed illi, qui ſunt principales in facto; & ad quos res pervenit, tenentur aliis reſtituere, qui reſtituerunt.* At adulter provocans ad adulterium, eſt principalis in facto: ergo adulteræ, quæ reſtituit, reſtituere tenetur.

Si autem adulterium mutuo conſenſu fuit perpetratum, adultera, quæ ex toto damnum compenſavit, pro dimidia parte ab adultero reſarcienda eſt.

Nam quia damnum, ut Buſemb. ait, compenſandum creditor, hoc non liberat adulterum a compenſandis iis, ad quos damnum pertinet; quia certum debitum non opinione, aut ſpe, ſed reali ſolum ſolutione tollitur.

Sive quia non eſt certus, filium eſſe ſuum.

In hanc rem ita loquitur P. Concina loco mox cit. n. 4. „ Quando vero dubitatur, cujuſnam ſit proles, „ adulteri, an mariti, in favorem matrimonii potius „ judicandum eſt. Titulus poſſeſſionis eſt una ex conjecturis, quæ judicium favens matrimonio ſuadet. „ Idcirco dicitur, *in dubiis melior eſt conditio poſſidentis:* quia poſſeſſio eſt titulus, qui aliis conjecturis „ adjunctus, meliorem efficit poſſeſſoris conditionem: „ quæ ſententia teſte La-Croix p. 322. n. 335. eſt communis. Verum ſi his non obſtantibus adhuc æque „ probabiles, aut probabiliores rationes ſuaderent, prolem eſſe ſpuriam, & adultero adſcribendam; tum „ exiſtimarem pro rata dubii compenſationem eſſe faciendam, ſalvo ſemper meliori judicio. “ Videlicet juſtitiæ æqualitas poſtulat, ut in æquali dubio, utrum totum, an nihil ſolvendum, ſeu compenſandum ſit, dimidium detur, aut, ſi dubium ſit inæquale, pro ratione dubii. Hinc enim æquale eſt utrinque damni periculum, & æqualis lucri ſpes; neutraque pars quoad hoc gravatur, nec conqueri poteſt. Et ita ſentit Mol. apud La-Croix n. 335. cit. Proles quidem etiam in tali caſu præſumitur legitima ex communi ſententia: quia hæc dividi non poteſt, & ratione matrimonii eſt in poſſeſſione honeſtatis: at damna dividi poſſunt, & adulter eſt in poſſeſſione turpitudinis.

Juxta dicta, ſi reſtituat &c. non eſt obligatio &c.

Imo vero ex iis, quæ contra Buſemb. ſupra animadverſa ſunt, obligatio eſt reſtituendi ex bonis diverſi ordinis, cum reſtitutio fieri non poteſt ex bonis ejuſdem ordinis.

Animadversio XLII.

Pro fama &c. cum id non potes, non teneris ad pecuniam, & bona fortunæ, niſi per ſententiam &c.

Imo ex dictis teneris. Hinc D. Th. 2. 2. q. 62. ar. 2. ad 2. ait: *Si non poſſit famam reſtituere, debet ei aliter recompenſare, ſicut & in aliis dictum eſt.*

Animadversio XLIII.

Si quis aliquem etiam novitium abduxit &c. non tamen ex juſtitia vel illi, vel religioni tenetur, quæ nullum &c.

Religioni ex juſtitia teneri videtur; quia licet nullum jus in novitium acquiſierit, jus tamen ex dictis dub. 4. ca. 2. habere videtur, ne quiſquam irrationabiliter impediat profiteri religionem volentes, & commoda, quæ hinc in religionem derivantur.

Animadversio XLIV.

Si quis veneno &c. deſtruxit memoriam &c. tenetur eodem modo, quo mutilator, aut vulnerator &c.

Eodem ſane modo tenetur, quo mutilator, aut vulnerans &c. At hi ex dictis contra Buſembaum non ſolum damna, & lucra ceſſantia reparare debent, ſed etiam pro mutilatione, inflicto vulnere &c. ſatisfacere læſo debent. Ergo &c.

Solidi Theologi eſt, ſcelera, quantum in ipſo eſt, detegere, & amovere; poſtquam vero admiſſa ſunt, curare, ut vera pœnitentia, & neceſſaria ſatisfactione deleantur, non ut ſatisfactio eludatur, & corruptæ hominum indoli accommodetur. Non enim illud ſpectandum, ut plures, ſed ut ſinceri, ac germani pœnitentes ad ſacra tribunalia confluant.

Animadversio XLV.

Excipe, niſi &c. tunc enim plerumque ex præſumptu &c. poſſet reſtituere pauperibus, vel &c.

Non ex præſumptione, quæ arbitraria eſſe poteſt, & ſemper incerta eſt, agendum; ſed ſi res ad dominum, qui in longinquas terras migravit, nonniſi magnis expenſis mitti poſſit, conſervanda eſt, aut, ſi conſervari non poſſit, vendenda, & domino ſignificandum, quid de re, aut pretio fieri velit.

Ceterum expenſæ neceſſariæ, ut res eo transferatur, ubi extaret, ſi ablata non fuiſſet, niſi dominus ex indulgentia, aut caritate eas remittat, a malæ fidei poſſeſſore faciendæ ſunt, etiamſi rei valorem ſuperent, ut dictum eſt dub. 5. e. 6., & ut apud Concinam Theol. t. 7. p. 166. n. 20. docent Cajet. Nav. Covar. Valent. & alii, quos ipſe ſequitur.

Animadversio XLVI.

Si tamen alter dilatione non pateretur ulterius damnum, aut &c. non facile arguendus eſſet gravis peccati is, qui cum propoſito ſatisfaciendi differret.

Si res ita eſſet, ut ait Buſemb. debiti ſolutio, ſeu reſtitutio ſæpe differri poſſet ad multos annos, & uſque ad mortem; quia ſæpe accidit, ut creditor ex dilatione ſolutionis nullum damnum patiatur: at abſurdum eſt, ſolutionem debiti ſine gravi culpa differri poſſe ad multos annos, & uſque ad mortem: ergo &c.

In eo fallitur Buſ., quod ponat, mortalem culpam prorogatæ ſolutionis ex eo ſolum capite eſſe ſumendam, quod dilatio notabile damnum afferat creditori: quod falſum eſt. Ipſa enim alienæ rei detentio invito domino, ex natura ſua, mortalis culpa eſt; quia juſtitiæ contraria eſt. Hinc D. Th. 2. 2. q. 62. ar. 8. ait, *quod ſicut accipere rem alienam eſt peccatum contra juſtitiam, ita etiam detinere eam; quia per hoc, quod aliquis detinet rem alienam invito domino, impedit eum ab uſu rei ſuæ, & ſic ei facit injuriam. Manifeſtum eſt autem, quod nec per modicum tempus licet in peccato morari; ſed quilibet tenetur peccatum ſtatim deſerere ſecundum illud Eccl.* 21. Quaſi a facie colubri fuge peccatum. *Et ideo quilibet tenetur ſtatim reſtituere, ſi poteſt, vel petere dilationem ab eo, qui poteſt uſum rei concedere.* Idem repetit in reſp. ad 3. Itaque in Syn. Neapol. anni 1576. a Greg. XIII. confirmata cap. 19. de pœn. dicitur: *Ne quis cito manus imponens, alienis peccatis communicare convincatur, caveant Sacerdotes, ne ante debitam vel famæ, vel pecuniæ ſatisfactionem, cui reſtituendi facultas fuerit, aliquem abſolvant, præcipue ubi pœnitens datum in ſuperiori confeſſione præceptum neglexerit.* Et S. Carol. Bor. in admon. Confeſs. n. 47. ait: *Non aſſolva innanzi la debita reſtituzione, e ſoddisfazione quelli, che anno di ciò qualche obbligo, potendo farlo; eccettuando quelli, che ſono in grave, e pericoloſa infermità, alli quali però comandi, ed incarichi, che quanto prima ſatisfacciano.* Et P. Concina Theol. t. 7. p. 82. n. 19. quærit, „ abſolvi ne poteſt qui nolit ſtatim, cum poteſt, reſtituere? “ Reſpondet, „ negant omnes, quoniam ex reg. juris in 6. *non dimittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum.* Qui eorum

Digitized by Google

„ nim deliberate rem alienam retinet, in peccati ſta-
„ tu verſatur: ejuſmodi autem abſolutionis capaces
„ non ſunt. "

Animadversio XLVII.

Similiter ſi res empta ad creditum &c. *adhuc extet.*

Bona Eccleſiæ, minorum, & fisci credito empta, & extantia, iis ipſis, hoc eſt Eccleſiæ, minoribus, & fiſco, reſtituenda ſunt: quia eorum dominium non transfertur in emptorem, donec pretium ſolutum fuerit, uti eſt communis ſententia apud Concinam Theol. t. 7. p. 174. n. 9. & Laym. mox citandum.

De aliis quæſtio eſt. P. Concina opinionem Buſ. ſequitur, quam communiorem eſſe ait. Laym. lib. 3. de juſt. t. 2. c. 21. n. 2. contrariam communem facit, & amplectitur, quam probat quoque La-Croix p. 374. n. 974.

Hujus ratio eſt, quia ſi res credito empta, & extans venditori reddenda eſſet ante alios quoſcumque creditores, vel ea in dominium emptoris non eſſet translata, vel tacita reali hypotheca eſſet creditori obligata. Primum falſum eſt, quod concedit etiam P. Concina, & jure negari nequit. Contractu enim peracto, reque tradita, ejus dominus non eſt amplius venditor, ſed emptor, cujus periculo res perit, qui eamdem credito emptam donare, vendere, permutare, ac de ea, prout ipſi libuerit, diſponere non prohibetur. Imo lib. 3. inſtit. tit. 24. de empt. &c. dicitur: „ Cum autem „ emptio, & venditio contracta ſit, quod effici diximus ſimul atque pretio convenerint, cum ſine ſcriptura res agitur, periculum rei venditæ ſtatim ad „ emptorem pertinet, tametſi adhuc ea res emptori „ tradita non ſit. " Ex quo intelligitur, dominium rei emptæ ad emptorem pertinere etiam ante ipſius rei traditionem: ergo multo magis poſt traditionem; qua de re dubitari merito non poteſt. Alterum quoque, quod ab adverſariis aſſeritur, falſum jure dicitur; quia nullo jure aſſeritur. Si res credito empta, reali onere hypothecæ aſſtringeretur, hoc onus illi perpetuo inhæreret, in quaſcumque manus tranſiret; quamdiu pretium primo venditori ſolutum non fuiſſet: at hoc non eſt verum, nec humanæ ſocietati conſentaneum, & communi ſenſui repugnans videtur. Itaque probabilius eſt, rem credito emptam non venditori eſſe reddendam, ſed iis dandam, qui potiori, & anteriori jure in perſonam emptoris fruuntur.

Animadversio XLVIII.

Si reſtitutio facienda ſit ratione injuſtæ actionis, prius reſtitui debent certa.... quam incerta &c.

Hæc Buſemb. opinio a Laym. l. 3. de juſt. t. 2. c. 21. communis dicitur; eamque ſequitur Nat. Alex. Theol. t. 3. p. 657. reg. 41. nixus auctoritate S. Antonini, cujus ratio eſt: *quia non ſuccedit in pauperibus ipſe Chriſtus, niſi quando non repeτiuntur perſonæ certæ, quibus reſtitui debent certa, ut quaſi per ſubſtitutionem ſuccedere videatur. Secundo quia pauperibus non tenentur heredes dare pro reſtitutione incertorum, niſi unica ratione, ſcilicet in foro Dei; ſed creditoribus certis tenentur duplici ratione, ſcilicet in foro Dei, & in foro mundi; quia heredes poſſunt a creditoribus in judicio conveniri.*

Qui contra, hunc ordinem negant, ſed debita certa, & incerta pro rata ſolvenda eſſe, putant, ea ratione nituntur; quia æquitati contrarium videtur, ut ex uſuris, furtis, rapinis certa debita ſolvantur; nec tutus in conſcientia videtur creditor, ſi hæc male parta pro ſolutione recipiat. Debitor enim de ſuo, non de alieno ſolvere debet. Hæc ratio ſolida videtur, quæ P. Concinam Theol. t. 7. p. 174. n. 8. ancipitem in hac quæſtione efficit.

Nec eſt, cur reſpondeas cum Buſemb. & Laym. debita incerta, quorum creditor ignoratur, ex ſolo jure poſitivo, ſeu eccleſiaſtico pauperibus deberi. Cum enim ex ignorati creditoris, ſeu domini voluntate rationabiliter præſumpta pauperibus debeantur, jure naturæ debentur. Eſt enim naturæ jus, ut aliena bona juxta domini voluntatem impendantur; quæ ſi expreſſe ſciri non poſſit, ſatis eſt, ſi rationabiliter præſumatur.

Rationi ergo allatæ melius reſponderi poſſe videtur, eſſe quidem æquitati contrarium, ut certa debita ex bonis male partis ſolvantur, ſi hæc bona in ſpecie extent; quia bona hæc aliena ſunt, nec ex alieno debita ſolvenda ſunt; quam exceptionem habet communis ſententia, ut monet Laym. At non videtur æquitati contrarium, ut bona incerta per injuriam acquiſita, quæ in ſpecie non extant, certis creditoribus tribuantur; quia hæc incerta bona in ſpecie non extantia non ſunt aliena, ſed propria debitoris, licet ſolvendis debitis obnoxia. Nam, ut dicitur *l. Qui vas* tit. de furtis indig. *neque nummus ex re furtiva redactus, furtivus eſt.* Ex quo fit, ut hæc incerta bona in ſpecie non extantia potiori jure fruentibus danda ſint.

Porro creditores certi potiori jure gaudent, quam incerti, ſi tempore pares ſint, multoque magis ſi ſint priores. Nam ſi quis velit, creditores incertos certis eſſe præferendos, ſi hi tempore poſteriores ſint, huic ego certe non repugnem. Nam incerti quoque creditores jus certum habent in debitorem, ejuſque bona; hoc porro jus tempore prius, elidi non poteſt jure, quod poſteriores certi creditores acquirunt: ergo incerti creditores anteriores, certis creditoribus poſterioribus jure potiores ſunt.

At hæc poſitio, inquis, creditores incertos melioris conditionis efficit, quam certos; quia hi, ſi perſonales ſint, nec privilegiati, etiamſi tempore priores ſint, aliis poſterioribus non præferuntur, ſed omnibus pro rata nulla habita ratione temporis ſolutio facienda eſt, ut habet Laym. loco cit. aſſere. 7. Anacletus tom. 3. juris can. p. 336. n. 92. Nat. Alex. reg. 41. cit.

Reſpondeo, a citatis Auctoribus id aſſeri ex legibus poſitivis communibus, quæ, cum proprii principatus legibus non confirmantur, non eſt neceſſe ut ſerventur, niſi ex jure naturæ deriventur. At ſpectato naturæ jure priores tempore, jure quoque potiores ſunt. Ex quo principio P. Concina Theol. t. 7. p. 178. n. 18. ſimplices creditores tempore priores, poſterioribus præferendos cenſet.

Et hæc ſententia teſte P. La-Croixio p. 327. n. 403. eſt S. Th. Gab. Med. Maj. Val. Sa, Suar. Salon. Tol. & aliorum cum Lugo dicente, jus civile in hoc eſſe correctum a canonico. Illa enim reg. *qui prior eſt tempore, potior eſt jure*, eſt reg. juris canonici, hoc eſt 54. in 6. „ Ratio eſt, inquit La Croix, quia prioritas temporis dat „ prælationem non tantum habenti jus in re, ſed etiam „ tantum habenti jus perſonale, & ad rem, uti patet, ſi plures emerint eamdem rem, ſi eadem puella „ ſpoponderit pluribus. Nam tempore prior præfertur; „ cujus ratio eſt, quia prior tempore obligaverat ſibi debitorem ad hoc dandum: idem autem eſt de debito „ alio. Nec refert, quod in emptione obligaverit ſe ad „ aliquid determinate: nam licet ſe obligaſſet indeterminate ad hoc, vel illud, ſi hoc periiſſet, teneretur illud dare primo emptori: ergo cum etiam ſic obligarit hæc, vel illa bona, omnia ſub disjunctione ſunt „ obligata priori; & ſi hoc valet ſpectato jure naturæ in debitis realibus, valet etiam in perſonalibus. „ Sic enim ſi meam perſonam heri obligavi Cajo, & „ hodie obligem Titio cras ad laborandum, tenebor „ cras laborare Cajo & non Titio. Ratio a priori eſt, „ quia quando ſe priori obligabat, etiam ſe ſimul obligabat ad removenda omnia impedimenta hujus ſolutionis, inter quæ eſſet obligatio ſequens reſpectu „ alterius. "

Animadversio XLIX.

Prius facienda eſt reſtitutio debitorum &c. *quam uſurarum.*

Hac de re lis parva non eſt. Alii, ut Buſ. opinatur, putant prius eſſe reſtituenda debita ex contractu, quam ex delicto: alii contra præferunt debita ex delicto debitis ex contractu.

Lugo, ut teſtatur P. La-Croix p. 326. n. 379. d. 20. n. 36. „ concludit cum Sylveſt. P. Nav. Mol. Vaſq. „ Leſſ. Bann. Arrag. Azot. Turr. Regin. Bonac. Tann. „ Caſtr. Haun. Herinex, Petſch, Illuſ. aliiſque communiter, non eſſe neceſſario ſervandum ordinem inter illa debita ex delicto, vel contractu, neque inter „ debita ex delicto majori, vel minori.

Hinc P. Concina Theol. t. 7. p. 176. n. 12. putat, ea debita eſſe præferenda, quæ tempore priora ſunt, ſeu ſint ex delicto, ſeu ex contractu, ſi debitor, dum ea contraxit, ſolvendo erat. Ejus ratio eſt, quia prior creditor jus certum, & legitimum in bona debitoris tunc acquiſivit: jus hoc certum, & legitimum per poſteriora debita non eliditur; quia dum hæc contrahuntur, debitor non habet, unde ſolvat; cum omnia ſua bona anterioribus creditoribus obligata jam ſint. Ergo. Hæc ſententia confirmatur ex his, quæ mox dicta ſunt ad c. 2.

At inquit Buſemb. „ In his (hoc eſt in ſolvendis „ uſuris) dominus non fuit ſimpliciter invitus. " Reſp. Ita ſane. At quid inde? hinc potius colligitur contrarium, ac Buſemb. vult. Quia enim creditor in ſolvendis uſuris ex parte fuit invitus, duplex jus habet in feneratorem: alterum, ut rei æqualitas violata reparetur: alterum, ut injuria irrogata reſarciatur; at creditor ex juſto contractu unum tantum jus habet, ut ſcilicet rei æqualitas compenſetur. Verum quia creditori ex juſto contractu, ſi prior ſit, injuria irrogatur, niſi ei ſatisfiat; nec cuiquam injuria irroganda

eſt, ut injuria jam alteri illata reparetur, idcirco creditores ex delicto non ſunt præferendi, ſi tempore poſteriores ſint. Hinc D. Antoninus (apud Nat. Alex. Theol. t. 2. n. 657. reg. 41.) ait : *Indecens videtur, uſurum reſtitui de re juſte alteri obligata. Nam per hoc non tollitur injuria facta proximo, & Deo, ſed additur nova, quia alienum aufertur. Nec enim tenetur Deo, & proximo ratione uſuræ perpetratæ, vel alterius male ablati, niſi inquantum poteſt de jure. Nemo enim ad impoſſibile obligatur. Si igitur non poteſt reſtituere uſuras, niſi ſubtrahendo jus alterius, pro tunc excuſatur a reſtitutione.*

Animadversio L.

In reliquis .... 1. Solvenda ſunt debita, ad quæ bona debitorum expreſſe ſunt obligata. 2. Dos uxoris extrahenda eſt.

Juxta La-Croix p. 327. n. 395. „ Creditor privilegiatus, quamvis ſit poſterior, præferri debet non „ privilegiatis etiam hypothecatis, uti oſtendit Lugo „ ſect. 5. & tenent omnes communiter. " Porro inter credita privilegiata n. 398. numerat recuperationem dotis pro uxore, aut ejus heredibus neceſſariis. Itaque juxta La Croix primo dos extrahenda eſt ; ſecundo ſolvenda ſunt debita, ad quæ bona debitorum expreſſe fuerunt obligata, contra ac affirmat Buſemb.

Sed hic quoque ordo temporis attendendus videtur, Nam ſi debita expreſſe hypothecata, dote priora ſint, prius quoque ſolvenda ſunt ; ſi ſint poſteriora, dos præfertur, dos, inquam, data, & numerata ante hujuſmodi debita ; & hanc ſententiam Anacletus t. 3. juris can. p. 335. n. 86. 87. ſequitur, & ait eſſe communem. Nam res hypotheca affecta, inchoative facta eſt creditoris, ut recte ait La-Croix n. 391. ergo ſpectato naturæ jure ſine ejus voluntate in alterius jus tranſire non poteſt. Neque vero privilegia alieno juri nocere, neque juri naturæ adverſari poſſunt. In dubio vero, utrum dos, an aliæ hypothecæ expreſſæ, ſint priores, dos præfertur, ut ait Nat. Alex. Theol. t. 2. p. 658. reg. 41. ea juris regula nixus, *in ambiguis pro dotibus reſpondere, melius eſt*.

Debita, ad quæ bona debitorum ſunt tacite hypothecata.

Hic quoque ordo temporis ſpectandus videtur, uti habet La-Croix n. 392. quæ ſententia ipſo teſte communior eſt. Ratio eſt tum mox allata, tum reg. 54. in 6. *qui prior eſt tempore, potior eſt jure*, tum demum quia, ut ratiocinatur La-Croix, res non minus eſt obligata per legis diſpoſitionem, quam ex conſenſu expreſſo domini.

Ubi addit, ex bonis debitoris, ſi is defunctus ſit, imprimis ſolvendas eſſe impenſas funeris ... item quæ ad medicos &c.

Idem affirmat Anacl. n. 81. loci cit. appellato Garcia, & aliis ; atque, ſumptus funebres creditis quoque hypothecariis eſſe præferendos ; & hoc idem aſſerit de debitis contractis in ultima infirmitate apud pharmacopæos, medicos, & chirurgos. Idem ait La-Croix n. 399. quod omnes communiter docere, addit.

Contra P. Concina Theol. t. 7. p. 176. n. 13. & p. 177. n. 16. creditores hypothecarios perſonalibus etiam privilegiatis ex omnium ſententia præferendos eſſe, contendit. „ Quoniam, inquit, creditores hypothecarii non in perſonam modo, verum etiam in bona hy- „ pothecata jus habent ; ceteri vero creditores ſimpli- „ ces jus dumtaxat habent in perſonam : ergo illis iſtis „ anteponendi ſunt. " Idque Nat. Alex. Theol. t. 2. p. 657. reg. 41. confirmat ex l. *Eos* cod. *Qui potiores*, ubi dicitur : *Eos, qui acceperunt pignora, cum in rem actionem habeant, privilegiis omnibus, quæ perſonalibus actionibus competunt, præferri conſtat.* La-Croix ſuam opinionem aſtruit l. penult. §. de relig. & ſumptibus funerum ; at hanc legem P. Concina n. 16. interpretatur quoad creditores perſonales ; inter quos primum locum habent, qui cauſa funerum * expendunt, itemque pharmacopolæ, medici, chirurgi.

Animadversio LI.

Si ex pluribus creditoribus &c. aliquis exigat &c. tenetur ei in integrum ſolvere ; quia &c.

Id quidem plures docent ex ratione a Buſemb. allata. „ Contra Mol. Vaſq. Caſtrop. Lug. dicunt, tantum valere, ſi acceſſerit ſententia Judicis. Quia ex „ eo præciſe, quod petat, non auget jus ſuum, nec „ minuit aliorum. " Ita La-Croix p. 327. n. 404. quæ ſententia rationabilior ex adducta ratione mihi videtur.

Animadversio LII.

Debitor ſciens &c. (Si tamen iſte ſolutionem accepiſſet, an poſſet retinere, controvertitur.)

Controvertitur quidem, & affirmat La-Croix n. 404. cit. At Concina Theol. t. 7. p. 179. n. 22. contrarium docet, cum creditores habent jus æquale : aitque, eum, qui integram ſolutionem recipit cum aliorum damno, ad reſtitutionem teneri. „ Siquidem, inquit, nulla lex „ poſitiva declarat validam hanc ſolutionem. Quandoquidem, cum jure naturæ omnes creditores ſint æqua- „ les in jure exigendi, neceſſario conſequitur, ut ſint „ quoque æquales in ſolutione, & ut pro rata ſingulis „ ſolvatur. Neque jura creditorum a debitoris arbitrio „ pendent, ita ut is queat unum alteri præferre. Hæc „ mihi certa videntur ; & hanc opinionem ſuſtinent „ graviores Theologi, eamque ut probabiliorem defen- „ dunt Salmant. " Hactenus ille.

La-Croix n. 407. creditorem poſſe retinere integram ſolutionem ait : „ quia permiſſive ſe habet, & res ſolu- „ ta, uti ſupponitur, non erat obnoxia reliquis credi- „ toribus, ſed ſola perſona debitoris : ergo creditor po- „ tuit, & reipſa acquiſivit dominium rei ſolutæ ; ſicu- „ ti mutuatarius acquirit dominium rei ſub uſuris mu- „ tuatæ, licet mutuans ſic dando peccet contra juſti- „ tiam. "

Reſp. Illud *permiſſive ſe habet*, perinde eſt, ac ſi dicat, creditorem conſentire injuriæ, quam debitor certe facit, ut fatetur ipſe La-Croix, aliis creditoribus : ergo, cum ſit injuriæ cooperator, damnum reſarcire tenetur. Res ſoluta non eſt quidem, ut ponitur aliis creditoribus obnoxia ; neque tamen creditor eam accipere poteſt cum aliorum damno, & injuria ; quam ſi accipiat, damno, & injuriæ ſatisfacere ex juſtitiæ lege debet. Huc ſpectat canon ſæpe cit. *Si culpa tua datum eſt damnum, vel injuria irrogata, ſeu aliis irrogantibus opem forte tuliſti, aut* &c. *jure ſuper his ſatisfacere te oportet*. Hinc porro fit ut, etiamſi detur, creditorem acquirere dominium rei ſolutæ, illud tamen acquiſierit cum gravamine, & debito reſtituendi ; ſicut mutuatarius reſtituere tenetur in æquivalenti rem mutuo acceptam, licet ejus dominium acquiſierit.

Animadversio LIII.

Excuſaris in foro conſcientiæ (juxta ſententiam probabilem) &c. ſi illud datum ſit ſine tua culpa theologica &c.

Quoad hoc vide dicta dub. 1. cap. 3. culpa enim juridica non ſolum quoad forum externum, ſed etiam quoad internum obligat ; quia juſtæ leges ex alibi dictis conſcientiam ſine dubio obſtringunt. Quod ſi diligentia a legibus præſcripta abſque ulla culpa, ex. g. ex oblivione, aut inadvertentia involuntaria prætermittatur, hæc inculpabilis omiſſio a damni reſtitutione non ſolum quoad conſcientiam, ſed etiam in foro externo apud juſtos Judices, ſi involuntarium probetur, liberat.

Animadversio LIV.

Excuſaris a reſtitutione incertorum, ſi feceris compoſitionem cum Epiſcopo, vel Papa.

„ Compoſitio, de qua Buſ. loquitur, eſt conventio, „ in qua Papa debitori indulget, ut major quantitas de- „ biti incerti, ideſt cujus dominus neſcitur, mutetur in „ minorem, v. gr. ut pro viginti aureis dentur viginti „ ſolidi ad uſum pium, reliquum autem ſibi retineat „ debitor. " Ita La-Croix p. 328. n. 410.

Hanc facultatem ita componendi, Epiſcopo quoque competere pro ſua diœceſi, nonnulli putant ; at „ Sylv. „ Cord. Rod. Mol. Turr. Lugo, Illſ. dicunt (Epiſcopum) non poſſe, uti & praxis oſtendit ; quia Epiſco- „ pus nec habet jus altum in res temporales, nec pot- „ eſtatem illam (quam habet Papa) indirecte diſpo- „ nendi de rebus temporalibus ſubditorum, quam ſoli „ Papæ concedunt auctores. " Ita La-Croix n. 413.

Quoad bona inventa (idemque multo magis dicendum eſt de bonis incertis ex delicto profectis, quæ non ſolum ratione rei acceptæ, ſed etiam ratione injuſtæ acceptionis reſtituenda ſunt) ita loquitur Concina Theol. t. 7. p. 33. n. 8. „ Contendunt etiam, poſſe „ inventores a ſummo Pontifice Bullam impetrare com- „ poſitionis, & domino non comparente bona compoſi- „ ta ſibi retinere. Verum ego, niſi peculiari urgeat cau- „ ſa vera, ejuſmodi componenda non admitterem ; quia „ nempe veræ cauſæ non ſunt, quæ ſummo Pontifici „ exponuntur. Quandoquidem ſi inventores veri pau- „ peres ſint, domino non reperto applicare ſibi bono- „ rum partem, imo omnia juxta gradum egeſtatis, & „ bonorum quantitatem poſſunt. Qua in ſe prudentia

„ viri

* Intellige neceſſariorum, non funebrium pomparum ; qua de re Muratorius Difeſa della Giuriſpr. p. 263. cap. 16.

„ viri judicium adhibendum eſt, conferendo paupertatis „ ſtatum cum bonorum valore. Si enim pars bonorum „ ſat eſt ad levandam paupertatem inventoria, in alios „ pauperes alteram partem erogare inventor abſtringitur. “ Hæc ſapienter dicta mihi videntur; quia ſummus Pontifex incertorum bonorum non eſt dominus, ſed ſolum adminiſtrator.

Animadverſio LV.

Item, ſi caſu, quo teneris rem reſtituere pauperibus, tibi ipſi revera indigenti eam des &c.

Id intellige juxta mox dicta ex P. Concina.

Animadverſio LVI.

Si ad reſtituendum ſis impotens; ut ſi vivere non poſſis ſecundum decentiam &c. *unde ſi nobilis* &c.

„ Statum tamen ſuum, inquit Nat. Theol. t. 2 p. „ 656. reg. 40. imminuere tenetur, quantum ſalva ex- „ terna honeſtate, & decentia, famaque ſua poteſt, & „ expenſas domus ſuæ, ac familiæ moderari, ut ſol- „ vat debita, & res alienas quamprimum reſtituat. “ Idem habet Concina Theol. t. 7. p. 282. n. 5. & D. Antoninus a Nat. citatus; quæ tamen intelligenda ſunt, dummodo ſimile detrimentum non immineat creditori ex mora ſolutionis, vel reſtitutionis, ut recte monet idem Natalis, & Buſ. hic concedit e. 7.; quæ ſententia communis eſt teſte La-Croix p. 329. n. 430. Nec audiendi ſunt, qui hoc limitant, ſi res reſtituenda ſit ſub dominio creditoris, vel ſi obligatio ſit ex delicto, quorum meminit idem La-Croix, nec eos refellit.

Sed illud hic quæſo, ne mihi arrogantiæ vertatur, ſi nonnulla hic animadvertam, quæ ſolidorum Theologorum judicio ſubjicio.

Et primo quidem S. Antoninus dubitanter loquitur. Ait enim, *quod forte tutius eſſet, ſcilicet reſtituere, & in Deo confidere, etiamſi oportet mendicare ſecundum Raymundum*: item inquit: *Cum efficaciter videntur facere quod poſſunt ad reſtituendum, & in aliis ſe bene habere, & cum timore Dei, credo, poſſunt abſolvi, & communicari*. Ait *Credo*.

Præterea cum eodem S. Antonino p. 2. tit. 2. cap. 8. objici poteſt, *quod reſtituere eſt actus negativi præcepti, quia reducitur, ſeu explicatur per hoc, quod eſt non retinere alienum. Sed præceptum negativum obligat pro ſemper*. *Reſpondetur*, inquit ſanctus vir, *ſecundum Scotum, quod alienum injuſte, & invito domino retinere, ſimpliciter prohibetur. Et ideo ſemper, & pro ſemper neceſſe eſt ſaluti, alienum non retinere. Sed quando quis habet propoſitum & voluntatem reſtituendi alienum pro tempore opportuno, ex tunc retinet domino rei volente, id eſt velle debente. Vult autem hoc dominus rei, etſi non actu elicito, tamen actu debito & honeſto; quia debet velle, quod qui ſuum habet, retineat, quouſque poterit opportune reſtituere. Et ſi dicat: Dominus rei hoc agit invite, & quia non vult, quod per quantumcumque tempus, ſuum retineatur: dicendum ſecundum Scotum, quod domino inordinate volente ſtatim rehabere ſuum, & per conſequens contra rectam rationem nolente proximum retinere ſuum, tunc tenens non eſt retentor injuſtus*. Hactenus Sanctus ex mente Scoti.

At hic animadvertendum videtur, creditorem, ſeu dominum, de quo ſermo eſt, agere quidem contra rationem, & caritati repugnare, non tamen juſtitiæ; quia non alienum, ſed ſuum poſtulat. Ergo debitor nullum jus habet contra creditoris voluntatem retinendi, quod ad eum pertinet, & in quod jus nullum habet; ideoque contra juſtitiam peccat, dum ſine mora debitum non ſolvit, licet non ſine magno incommodo ſolvere poſſit. Hunc ego puto eſſe ſenſum D. Thomæ 2. 2. q. 62. ar. 8. ajentis: *Et ideo quilibet tenetur ſtatim reſtituere, ſi poteſt, vel petere dilationem ab eo, qui poteſt uſum rei concedere*. Non difficultas, non incommodum etiam grave, ſed ſola reſtituendi impotentia a reſtitutionis onere, aut a præſenti reſtitutione liberat.

S. Thom. ait *quilibet* ... *ſtatim* ... *ſi poteſt*. In materia juſtitiæ paupertas locum non habet, nec juſtam excuſationem aut non ſolvendi, aut differendi ſolutionem præbet. *Pauperis quoque*, dicitur Ex. 23. *in judicio non miſereberis*. Pauper nec vendicare ſibi, nec retinere alienum ſuo jure poteſt, ſed a domini, & creditoris voluntate, & caritate pendere debet. Poſtquam gentium jure rerum diviſio, & proprietas inducta eſt, nemo proprietatis jure excidit propter alienam paupertatem, ſed ſolum propter extremam proximi neceſſitatem, ut docet D. Thom. 2. 2. qu. 66. ar. 7. Hinc illa ratio exiſtit: *Detinere id, quod alteri debetur, eamdem rationem nocumenti habet cum acceptione injuſta*, ait D. Thom. q. 66. cit. ar. 3. ad 2. Ergo in ea ſolum neceſſitate retineri alienum poteſt, in qua illud accipi permittitur: ſed alienum accipere non licet, niſi in extrema neceſſitate ex eodem Angelico mox citato, cujus contraria opinio ab Innoc. XI. proſcripta eſt prop. 36. ita ſonante: *Permiſſum eſt furari non ſolum in extrema neceſſitate, ſed etiam in gravi*: ergo in ſola extrema neceſſitate alienum retineri poteſt. Hinc Rit. Rom. de ſacr. pœnit. ait: *Nec abſolvat eos, qui talis beneficii ſunt incapaces; quales ſunt qui ... aliena, ſi poſſunt, reſtituere nolunt*.

At hic inquit La-Croix p. 330. n. 435. „ Præceptum „ reſtituendi videtur imitari præcepta affirmativa, & „ ſaltem requirit poſitionem actionis moraliter; præce- „ ptum autem non ſurripiendi eſt negativum: jam au- „ tem præcepta negativa obligant non tantum ſemper „ pro ſemper, ſed etiam magis quam affirmativa.

Reſp. D. Thom. 2. 2. qu. 62. a. 8. ad 1. reſpondet, *quod præceptum de reſtitutione facienda, quamvis ſecundum formam ſit affirmativum, implicat tamen in ſe negativum præceptum, quo prohibemur rem alterius detinere*. Poſitio actionis, quam reſtituendi præceptum requirit, illud non efficit affirmativum: quia actio reſtitutionis ſtatim facienda eſt, nec differri poteſt; *quia per dilationem reſtitutionis committitur peccatum injuſtæ detentionis, quod juſtitiæ opponitur*; ut ait D. Thom. ad 3. art. cit.

At, pergit objicere La-Croix, „ furando ſpolias domi- „ num re, quam poſſidet, ſed reſtituendo ſpolias te „ re, quam habes: facilius autem eſt non ſpoliare al- „ terum, quam ſpoliare ſe ipſum, ideoque dominus „ non ita eſt invitus, ſi non reſtituas, quam ſi ſurri- „ pias: ergo cauſa excuſans a reſtitutione, non ideo „ excuſat a ſurreptione.

Reſp. Juſtitiæ amatoribus æque facile eſt non ſpoliare alterum re ſua, quam ſpoliare ſe ipſos re aliena. Si ergo quis majorem difficultatem experiatur in hoc altero, quam in primo, id ex culpa, & vitio ſuo oritur; quippe qui animo adhæret rei alienæ, quam habet. Ex quo fit, ut hæc major difficultas ſpoliandi ſe re aliena, nullam legitimam excuſationem afferat reſtituere nolenti, nec efficiat dominum minus invitum, ſi alienum retineas, quam ſi ſurripias. Ceterum idem eſt, in furto permanere, & furari. At qui non reſtituit, permanet, ſeu perſeverat in furto, ergo idem peccatum peccat, ac qui furatur. Præterea furari, & non reſtituere cum juſtitia æqualiter pugnant: ergo ſunt paria peccata.

At inquit La-Croix: „ Ille plus influit, qui primo, „ & poſitive cauſat damnum, quam qui illud jam po- „ ſitum permittit, ſeu non impedit: ſurripiens autem „ primo, & poſitive influit; non reſtituens tantum ne- „ gative, non tollendo: ergo hic facilius excuſatur, „ quam ille. “

Reſp. Falſum eſt, non reſtituentem negative tantum ſe habere: qui enim alienum detinet, alterius malum poſitive operatur: qui autem non reſtituit, ſeu non tollit damnum, alienum detinet: ergo &c. ideoque facilius excuſari non poteſt, quam fur; imo vero ſi ad has ſubtiles commentationes confugimus, magis excuſabitur fur, quam non reſtituens; quia fur non ſine labore, & periculo furatur, at detinens alienum nec periculo, nec labori obnoxius eſt, aut certe minus, quam fur.

Animadverſio LVII.

Item ſi cedas bonis, quia &c.

Leges conceſſere, ut qui non habet, unde ſolvat, bonis cedere poſſit ea relinquendo in manibus creditorum. Quare ceſſio bonorum non eſt titulus diſtinctus ab impotentia ſolvendi, ſed eſt proteſtatio ſolemnis, & juridica impotentiæ, ex qua fit, ut in foro externo quoad debita vexari nequeat. Itaque quod dictum eſt de impotentia, idem dicendum quoad conſcientiam de ceſſione bonorum.

Retentis artis inſtrumentis, & quæ ad ſuſtentationem ſunt neceſſaria, etiam ſuorum (ait La-Croix) convenienter ad ſtatum.

Hoc perinde eſt, ac ſi La-Croix dixerit, creditoribus non eſſe danda, niſi ſuperflua ſtatui convenienter ſuſtentando, ita ut creditores titulo juſtitiæ plus juris non habeant in debitorem, quam pauperes titulo caritatis; quod ſane abſurdum eſt, & juſtitiam ad nihilum ferme redigit.

Qui contraxere debita ſuis facultatibus ſuperiora, nihil de ſuo habent, ſed quidquid habent, alieni juris eſt. Quod autem alieni juris eſt, retineri non poteſt, niſi extrema neceſſitas urgeat: ergo debitores bonis cedentes, ex vi juſtitiæ omnia ſua bona creditoribus concedere debent, non partem tantum, aut etiam minorem partem retinendo ſibi neceſſaria ad convenientem ſui, & ſuorum ſtatum; ac ſolum retinere poſſunt neceſſaria ad extremam neceſſitatem levandam, ne fame, aut nuditate pereant, aut pereundi periculo ſe ſe objiciant; niſi creditorum caritas, ut ab iis fieri ex ejuſdem caritatis præcepto debet, indulgens ſit. Hoc confirmat D. Auguſt. (habetur cauſ. 14. qu. 6. c. 2.) in-

Digitized by Google

inquiens : *Si res aliena, propter quam peccatum eſt, cum reddi poſſit, non redditur, non agitur pœnitentia. Si autem veraciter agitur, non remittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum: ſed, ut dixi, cum reſtitui poteſt. Plerumque enim qui aufert, amittit, ſive alios patiendo malos, ſive ipſe male vivendo, nec aliud habet, unde reſtituat. Huic certe non poſſumus dicere, Redde quod abſtuliſti, niſi cum habere credimus, & negare.* D. Auguſt, ut ejus verba ſine præoccupationibus conſideranti patet, de phyſica impotentia loquitur, non de morali, ſeu magna reſtituenda difficultate, & gravi reſtitutionis incommodo. Ait enim abſolute *cum reddi poſſit; plerumque .... amittit .... nec aliud habet, unde reſtituat*. Neque eſt, cur dicas, S. Auguſtinum eſſe intelligendum de debitis ex delicto. Nam ex dictis hic art. 2. cap. 3. debita ex delicto, & contractu æquali jure gaudere videntur quoad reſtituendi obligationem; quia juſtitiæ æqualitas, unde reſtituendi obligatio oritur, æqualiter urget debitores ſeu ex delicto, ſeu ex contractu. At inquis, D. Auguſt. ait, *ſi res aliena, propter quam peccatum eſt*; at qui rem alienam ex contractu accipit, propter ipſam non peccavit: ergo D. Auguſt. loquitur tantum de debitis ex delicto. Reſp. Qui ex contractu rem alienam accipit, accipiendo quidem non peccat, ſi reſtituendi animum habuerit, at poſtea peccat, ſi culpa ſua ſe impotentem reddat ad reſtituendum, aut ſi ſtatuto tempore, cum poſſet, non reſtituerit.

Quod ſi tamen poſtea redeat ad pinguiorem &c. tenetur &c.

Non ſolum tenetur reſtituere, ſi ad pinguiorem fortunam redeat, ſed teſte ipſo Laym. l. 3. de juſt. t. 2. c. 12. n. 5. p. 246. „ tam in foro externo, quam interno compelli poteſt ad laborandum, & acquirendum, unde ſolvat, quantum conditio, & ſtatus perſonæ permittit, ſicuti conſtat ex l. 4. §. *de ceſſ. bon.* & de foro conſcientiæ ex communi teſtantur Cov., Mol., P. Nav. “

Ex quo Trall. ſic limitat, ſi acquirat plus quam &c.

Hæc limitatio ex dictis corruit. Cum enim ſola impotentia ſolvendi, ſeu reſtituendi a reſtitutione excuſet, nec qui habet ſupra neceſſitatem victus ſui, impotens ſit, reſtituere debet. Nec enim jus creditoris eſt ſolum in bona præſentia, ſed etiam futura debitoris; & hoc jus eadem vi premit debitorem quoad bona futura, ac quoad præſentia.

Niſi tamen debita proveniant ex delicto, v. g. furto.

Hoc vero contrarium eſt iis, quæ dixit c. 3. a. 2. ubi ait: „ Prius facienda eſt reſtitutio debitorum licite „ contractorum, quam uſurarum. “ Sed hæc debita quoad reſtitutionis jus ex ibi dictis paria ſunt.

ANIMADVERSIO LVIII.

Excuſat in foro conſcientiæ, ſi ſolviſti ei, cui &c.

Pro hac ſententia ſex citat La-Croix p. 338. n. 453. „ Quod verum eſt, (ſubdit ipſe) ſi debita ſint ejuſdem rationis, nec ſit alius creditor præferendus. “

At ſi ſolutio facta creditori tui creditoris quoad forum externum non valet, ut concedit La-Croix, niſi forte debitor aliquo modo obligatus ſit creditori ſui creditoris quoad id, quod ſolvit; cur valet in foro conſcientiæ? Dum Buſemb., & La-Croix ita loquuntur, ponunt, juſtas Principum leges non habere vim obligandi conſcientiam; quod eſt aperte falſum, & ſacræ Scripturæ ex alibi dictis aperte contrarium. Ergo ſolutio facta creditori mei creditoris, quia in foro externo non valet, ne in foro quidem conſcientiæ valere poteſt.

In foro conſcientiæ juxta S. Thomam 2. 2. q. 62. art. 5. reſtitutio neceſſario facienda eſt ei, a quo acceptum eſt: accepiſti autem a tuo creditore: ergo illi in foro conſcientiæ reſtitutio neceſſario facienda eſt.

Si concedamus, debitorem poſſe ſolvere creditori ſui creditoris, debitor omnia commercia ſui creditoris ſuſdeque vertet, ut ejus creditorem inveniat, cui ſuo commodo ſolvat. Hoc porro ſcelus eſt, non ſolum grati animi officio repugnans, & humanæ ſocietati exoſum, ſed etiam juſtitiæ juri adverſum.

At, inquit La-Croix, ſolvendo creditori tuo acquiro jus, quod habet creditor tuus contra te: atqui hoc jus, & illud, quod tu contra me habes, ſunt æqualia, uti ſuppono: ergo jam inter jura illa eſt poſita compenſatio, ſive æqualitas.

Reſp. diſt. maj. Si jure ſolviſti, conc. ſi injuria, neg. maj., & conſeq.

Jus enim acquiri non poteſt, ſi quod factum eſt, ſit contra jus. Nunc quæro, quo jure ſolviſti creditori tui creditoris. Non jure publico, quod talem ſolutionem nec permittit, nec ratam habet; non jure privato, ſeu ex conſenſu tui creditoris, quem huic ſolutioni ſine ejus, ut ponimus, permiſſione factæ repugnare omnes intelligunt: ergo ea ſolutione nullum jus contra tuum creditorem acquiſiviſti, ſed ſolum contra creditorem tui creditoris. Ergo niſi tuus creditor, quem in perverſa ſolutione, de qua ſermo eſt, inſigni injuria affeciſti, injuriam remittat, & ſolutionem ratam ex miſericordi animo habeat, tuo creditori ſolvere debes. Ita ſane ex vi ſolutionis. At ſi creditor tui creditoris jus ſuum in tuum creditorem tibi cedat, tale jus extinguet debitum tuum. Sed hæ artes malæ ſunt, & ab honeſtate alienæ.

3. *Si compenſatio facta eſt creditori &c. v. g. per procurationem officii non gratis factam.*

Qui officia alicui curant demandanda, ſi ſana mente, & conſcientia ſint, non ſuam ipſorum, ſed publicam utilitatem ſpectare debent. Publicorum officiorum, ut Prætoris, Ducis militum, Præfecti ſatellitum &c. nundinatio injuſta eſt, perverſa, legibus, bonoque publico contraria, pernicioſa.

Vel perſona, cui publicum officium procuras, eo digna eſt, vel indigna.

Si digna, gratuito commendanda eſt non ſolum in ejus gratiam, ſed etiam publici boni cauſa, cui unuſquiſque ex juſtitiæ legalis debito conſulere pro ſua virili debet. Si eam quis commendare nolit, niſi ex pretio, malus eſt, & injurius, utpote qui ex alieno, hoc eſt ex aliena dignitate utilitatem captat. Multo vero magis malus eſt, & manifeſtus publici boni hoſtis, qui curat, ut ad publicum officium perſona indigna aſſumatur. Quod ſi ex ſua commendatione pretium quærat, ex ſuo ſcelere pretium quærit, & ſcelus ſceleri addit. Ergo. Buſemb. qui per procurationem officii non gratis factam ſolvi debita putat, & ponit, per injurias, & ſcelera ſolvi debita putat, & ponit. Sed hac de re conſuli poteſt Concina Theol. t. 7. p. 159. c. 12. n. 1. uſque ad 9.

4. *Omitti, aut ſaltem differri poteſt reſtitutio .... ſi creditor &c.*

Illud *omitti* perperam dicitur. D. Thom. angelice more ſuo ita loquitur 2. 2. q. 62. a. 5. ad 1. *Quando res reſtituenda apparet eſſe graviter nociva ei, cui reſtitutio facienda eſt, vel alteri, non ei debet tunc (nota illud tunc) reſtitui; quia reſtitutio ordinatur ad utilitatem ejus, cui reſtituitur. Omnia enim quæ poſſidentur, ſub ratione utilis cadunt. Nec tamen debet ille, qui detinet rem alienam, ſibi appropriare, ſed vel reſervare, ut congruo tempore reſtituat, vel etiam alii tradere tutius conſervandam.* Vide etiam dicta cap. 2. dub. 1. cap. 2. nam quod ibi dictum eſt de furto, quod non excuſatur, ſi aliquid malis hominibus ſurripiatur, idem dicendum eſt de alienæ rei retentione, quæ genuinum furtum eſt. Putat quidem La-Croix p. 329. num. 426. non eſſe tum obligationem reſtituendi, ſi creditor ſit abuſurus re ſibi reddita ad peccandum; pro qua opinione aliquot citat aliis repugnantibus; in qua ſpecie ſi peccatum impediendum foret ex dilatione reſtitutionis, ex D. Thom. mox cit. reſtitutionem differri poſſe non inficior, ut ipſe quoque La-Croix habet.

CAPUT III.

De Contractibus.

DUBIUM I.

Quid in genere ſit contractus?

RESP. Eſt pactum, ſive conſenſus duorum, quo ſcienter, libere, & legitime uterque ſe viciſſim, vel minimum ſaltem una pars ſe alteri acceptanti obligat, quocumque ſigno externo id fiat: ut v. gr. in contractu mutui, ex una parte mutuans ſe obligat non repetere mutuum ante certum tempus; ex altera parte mutuatarius ſe obligat tunc illud reddere; & ſic de aliis. In promiſſione autem, vel donatione abſoluta una pars tantum obligatur poſt alterius acceptationem.

Unde reſolvuntur caſus ſequentes.

1. Si alteri promiſiſti, aut donaſti interius tantum, aut ſi externo ſigno quidem, alter autem non acceptavit, non fuit contractus, nec obligaris.

2. Invalidus eſt contractus, ſi contrahentes ſint inhabiles ad contrahendum, vel ſi jus poſitivum reſiſtat. V. Leſs. *l.* 2. *c* 37. *d.* 8.

3. Item ſi materia contractus ſit illicita, ut ſi ſit peccatum; vel illegitima, ut ſi fur vendat rem alienam.

4. Item

Digitized by Google

4. Item ſi contractus ſit factus vi, dolo, vel errore verſante circa rei ſubſtantiam: v. g. ſi acetum pro vino, vitrum pro gemma vendidiſti.

5. Non eſt invalidus contractus (etſi aliquando ob injuriam poſſit reſcindi) ſi error, vel dolus interveniat circa qualitatem, aut circumſtantiam accidentalem; v. gr. emiſti vinum Moſellanum, putans eſſe Rhenanum, *niſi forte intentio contrahentis fuerit conditionata non obligandi ſe*, (*a*) niſi exiſtente tali qualitate, aut circumſtantia; qualis virtualiter fuiſſe cenſeri poteſt, ſi error verſetur circa circumſtantiam valde immutantem objectum, & nimis excedentem ejus exiſtimationem, ut notat Laym. *l.* 3. *t.* 4. *c.* 6.

6. Nec eſt invalidus contractus, ſive oneroſus, ſive gratuitus, ex metu licet gravi, injuſte incuſſo, cum adhuc ſimpliciter ſit liber, & voluntarius: *licet poſſit a Judice reſcindi pro arbitrio metum paſſi*.
ANIMAD. I. Ita communiter apud Sanch. *d.* 8. *n.* 4. Card. Lugo *d.* 12. Laym. *l. c. c.* 5. Excipiuntur tamen aliqui contractus, qui ipſo facto ſunt irriti, (ſaltem ex jure poſitivo) ſi ex metu gravi fiant; *talis eſt*, 1. *Contractus matrimonii, etiamſi juramentum acceſſerit*, ex *c. Cum loco*, & *c. Veniens*. 2. Profeſſio religioſa, ex *c.* 1. *De his*. 3. *In aliis quibuſcumque votis*. 4. *Contractus dotis promiſſæ, vel ſolutæ*, qui in hoc ſequitur naturam matrimonii, cui acceſſorius eſt, *leg. Si mulier*, §. *Si dos*, *ff. Quod metus cauſa*. 5. Promiſſio, vel traditio, in rebus Eccleſiæ, *c.* 15. *q.* 6. 6. Auctoritas tutoris per metum extorta, *leg.* 1. §. *ult. ff. de auctor. tutor.* His adduut alii plures: ut promiſſionem, & donationem gratuitam, renunciationem beneficii, juriſdictionem per metum extortam. Verum hi controvertuntur, ut v. Card. Lugo *de juſt. d.* 22. *n.* 115. *& ſeq.*

7. Non poſſunt contrahere, qui bonorum ſuorum adminiſtrationem non habent: quales fere ſunt prodigi, furioſi, filii familias, uxores, religioſi, pupilli minores: exceptis quibuſdam caſibus, de quibus v. Leſſ. *l.* 2. *c.* 17. *d.* 4. & infra hic *c.* 4. *d.* 1.

DUBIUM II.

Quid in ſpecie de promiſſione, & donatione?

Reſp. Quæ huc ſpectant, facile colliguntur ex dictis ſupra de voto *l.* 3. *t.* 2. *c.* 3.

Ex quibus, & doctrina præcedentis dubii reſolvitur.

1. *Promiſſio acceptata a promiſſario, ſi materia ſit*
ANIMAD. II. *notabilis, an ſub mortali obliget ſecundum ſe ſpectata*, non convenit inter DD. Cajet. negat, quem ſequitur Mærat. *tom.* 2. *de juſtit. d.* 19. *ſ.* 10. Alii (forte probabilius) affirmant cum Vaſq. 1. *p. d.* 65. *c.* 7. *n.* 4. Fill. Mald. &c. Dixi *ſecundum ſe*; quia certum eſt, quod per accidens poſſit obligare ſub mortali, v. g. ratione gravis damni quod alias promiſſarius pateretur; ut ſi promitteres ei dare mutuum, & ille tibi confiſus aliunde ſibi non proſpexiſſet. V. Leſſ. *l.* 2. *c.* 18. *d.* 5.

2. *Tota hæc obligatio communiter dependet ab inten-*
ANIMAD. III. *tione promittentis. Circa quod notat Sa, vix quemquam promittentium intendere ſe obligare, aut alteri dare jus exigendi, niſi addat juramentum, aut faciat inſtrumentum*; ſed plerumque tantum intendere declarare ſuum propoſitum. V. [illegible] *t.* 3. *E.* 5. *c.* 6. & Mol. Hinc, ut in foro externo cenſeatur valida promiſſio, requiritur præter acceptationem, ut exprimatur cauſa, propter quam promittitur; alioquin præſumitur errore, vel joco facta. Trull. *l.* 7. *c.* 16. *n.* 6. ex Covar. & Villal.

3. Donare non poſſunt 1. Carentes uſu rationis. 2. Muti, & ſurdi nati; ſecus, ſi tantum ſint ſurdi, vel muti, vel, licet utrumque, ſi norint ſcribere. 3. Senes deliri, ſive bis pueri; ſecus, ſi ſint
ANIMAD. IV. judicio vegeto. 4. *Pupilli, vel impuberes*, (niſi ad pias cauſas) *donationes tamen eorum in foro conſcientiæ ſunt validæ*. V. inf. *c.* 4. *d.* 1. 5. *Damnatus criminis capitalis*. Vide Dian. *p.* 8. *t.* 6. *R.* 3.

4. Qui præſunt Civitatibus, Univerſitatibus, Rebuſpublicis, &c. non poſſunt facere donationes, niſi remuneratorias, vel in eleemoſynas. Sanchez, Dian. *p.* 8. *t.* 6. *R.* 16. Imo ſi Reges, & Principes nimis ſint profuſi in donationibus, in præjudicium regni, vel ſtatus (præſertim ſi debitis gravati, iis ſatisfacere non poſſint, vel ſubditi nimium graventur exactionibus) poſſunt eæ revocari a ſucceſſore. Bart. Lugo, &c. cum Dian. *p.* 8. *t.* 6. *R.* 28. & 123.

5. Donatio patris, filio facta ſtudiorum cauſa, eſt valida, nec filius tenetur computare in legitimam; tum quia fuit loco alimentorum; tum quia, ſi detrahatur, jam non fuit donatio contra hypotheſim. Wading, & ſex alii cum Dian. *p.* 8. *t.* 6. *R.* 23. & 29. Sed Trul. limitat, niſi conſtet, contrariam intentionem patris fuiſſe. Quod ſi tamen de ea non conſtet, præſumendum eſſe de pietate patris, ideoque tales expenſas ordinarie poſt mortem patris non venire in collationem bonorum, nec debere conferri in commune, niſi pater proteſtatus fuerit, ſe velle in legitimam computari. Ita etiam Wading *ex leg. ſi Pater* 2. *ff. Familiæ erciſc.*

6. Si pater officium filio emit, debet pretium computari in diviſione cum fratribus; non autem, ſi illud gratis a Principe obtinuit; *uti neque quæ filio intuitu meritorum patris ſunt donata, quia ſunt quaſi caſtrenſia*. Mol. Fag. Dian. *p.* 8. *t.* 6. *R.* 127. & 128. ANIMAD. V.

7. Donatio ante acceptationem non parit obligationem, *ne naturalem quidem*, (*b*) poteſtque revocari, etiamſi voluerit ſe abſolute obligare; præſenti autem, & tacenti facta, cenſetur ab eo acceptata; quia in favorabilibus habetur pro conſenſu. Mol. & alii 18. Dian. *p* 8 *t.* 6. *R.* 89. 98. & 108. Pro altero vero nemo poteſt acceptare ſine ſpeciali commiſſione, niſi donatio fiat Eccleſiæ, vel cauſæ piæ: nam hanc ſine acceptatione valere, & irrevocabilem eſſe, eſt probabile. Laym. Dian. *l. c. R.* 106. & *p.* 3. *t.* 5. *R.* 107. Multis tamen caſibus, dummodo verba dirigantur in præſentem, poteſt pater, vel mater pro filio, etiam emancipato, tutor pro pupillo, curator pro minore, filiusfamilias pro patre, ſervus pro domino, monachus pro monaſterio; imo etiam, ſecundum multos, quicumque alterius curam gerit, ut Prælatus pro Religioſo, maritus pro uxore, dominus pro ſervo, &c. ſtipulari. Denique idem jura permittunt Judicibus, & Notariis publicis. Sanch. Mol. Trull. &c. Dian. *p.* 8. *t.* 6. R. 97.

8. Etſi acceptes donationem verbalem, qua tibi Cajus, v. g. dat equum abſentem, non acquiris jus in re, & dominium equi ante traditionem. Unde ſi interea Cajus det, aut vendat eum alteri, eique tradat, is dominium acquirit, tu autem habes actionem in Cajum pro injuria ratione juris, quod habebas ad rem. Ac ſic donatio pure verbalis ante realem, hoc eſt rei traditionem, vix differt a promiſſione, ut Leſſ. *l. c. d.* 2.

9. Donatio, uti & remiſſio debitorum liquidorum, una vice, & uno animi motu, uni, aut pluribus facta, ultra ſummam 500. ſolidorum (quæ ſumma hodie ad 500. vel ſecundum quoſdam ad 800. aureos Italicos excurrit, ut ex Claro, &c. notat Laym. *l.* 3. *t.* 4. *c.* 12. *n.* 15.) non tenet quoad hunc exceſſum; ſed lege ita ſtatuente, ob communa bonum poteſt a donatore pro arbitrio repeti. Excipe, niſi Judici donatio ea inſinuata ſit, aut juramento firmata, aut facta ad pias cauſas, aut ad redemptionem captivorum, aut ad reparationem ædium incendio, vel ruina deſtructarum, aut ſit remuneratoria beneficiorum, aut fiat in remunerationem jurium, ſaltem ſperatorum, vel denique fiat militibus a belli duce, ex bonis propriis mobilibus, vel hoſtium ſpoliis. Vide Leſſ. *l. c. lib.* 2. *cap.* 18. *num.* 102. Laym. *l.* 3. *t.* 4. *c.* 12. *n.* 15. Tannar. *d.* 6. *de juſt. q.* 2. *d.* 2. *n.* 15. ex Mol. Claro, Rabello, &c. quare, ſi tunc repetatur, quod abſque iis conditionibus, vel ultra dictam ſummam datum eſt, tenetur donatarius reddere ipſi, aut heredibus repetentibus; ſi non repetatur, poteſt retinere. Vide Auctores cit.

10. Si donationi apponatur modus, tacite, vel expreſſe, non quidem obligando, ſed tantum deſiderando, ſperando, &c. aliquid alterum facturum; vel animo eum ad hoc inflectendi, valet donatio, etſi finis non ſequatur: *v. gr. det aliquis puellæ ad* ANIMAD. VI.
ejus conſenſum eliciendum; ſi poſtea non conſentiat, non tenetur datum reddere; nam, etſi non dediſſet, ſi

ſci-

Digitized by Google

ſciviſſet eam ſibi non conceſſuram, tamen dedit abſolute, ſine obligatione alia, ut ponitur: ſecus eſſet, ſi vere intendiſſet eam obligare, & hac conditione dediſſet. Leſſ. *c.* 18. *d.* 16. & 17.

ANIMAD. VII. 11. *In ſimilibus donationibus allectivis poteſt aliquis, v. gr. prædicta puella, acceptare, etſi non intendat præſtare*, quod donator ſperat, cum donatio ſit abſoluta, animo alliciendi, non obligandi. *Unde, ſi ſpe fruſtratus repetat, dicens ſe non dediſſe, niſi ſub tali obligatione, non tenetur puella credere*; quia eo ipſo, quod donator non expreſſit conditionem, præſumitur ſine ea dediſſe, & repetere vel animo vindictæ, vel ut conſenſum extorqueat. Leſſ. *l. c.* Dian. *p.* 1. *t.* 2. *m. R.* 40.

12. Non tenet donatio ob cauſſam præteritam, vel præſentem, quæ vere, non eſt; ut v. gr. ſi dem tibi aliquid, quia apud Principem meam cauſam tranſegiſti; vel quia pauper es, & revera non ita eſt, teneris reſtituere, cum ſit error in formali cauſa, & principali. Unde qui mentiuntur ſe pauperes, cum non ſint, debent aliis pauperibus eleemoſynam reſtituere. Aliud eſt, ſi error ſit tantum in cauſa ſecundaria; ut verbi gratia ſi vere ſint pauperes, & ſimulent inſuper ſanctitatem, ad hominum miſericordiam provocandam: quia tunc primaria intentio dantium eſt dare pauperi. Bonac. Leſſ. Vide Dian. *p.* 8. *t.* 6. *R.* 89.

DUBIUM III.

Quibus caſibus donatio poſſit revocari?

Reſp. 1. Donatio inter vivos, hoc eſt, qua quis vult, ſe vivo, rem abſolute alterius eſſe, poteſt revocari (etſi res jam tradita ſit) tribus caſibus; niſi tamen donatio fuerit remuneratoria, aut facta ſit Eccleſiæ, vel Monaſterio.

Sunt autem hi caſus.

1. Si donatarius enormiter ingratus ſit: ut ſi donanti atroces injurias inferet, ſi inopie preſſum non alat, &c. Quod notandum pro filiis, quibus parentes omnia donarunt, & eos poſtea negligant. Sylv. Leſſ. Bonacin. Trull. *c.* 17. *d.* 12. Neque valet pactum, ut donatio non poſſit ob ingratitudinem revocari. Bartol. & alii 8. Lugo, Dian. *p.* 8. *t.* 6. *R.* 57. Debet tamen ingratitudo coram judice probari, ante cujus ſententiam donatarius non tenetur reſtituere. Mol. Lug. & alii 4. Dian. *l. c. R.* 58. poſt eam vero etiam fructus perceptos poſt litem conteſtatem. Mol. Dic. Dian. *R.* 58. Ab heredibus autem non poteſt revocari ob eas cauſas, ob quas donator ipſe potuiſſet, ſi eas ipſe ſcivit, & tacuit; ſecus, ſi ignoravit. Gom. Hurt. Wading, Lug. Dian. *l. c. R.* 54.

2. Et quidem revocatio etiam habet locum in legato reſpectu legatarii, ſi defunctum teſtatorem gravi injuria afficiat, v. g. uxorem ejus carnaliter cognoſcat. Mol. Dicaſt. Dian. *l. c. R.* 58.

3. Non habet autem locum 1. in donationibus factis Eccleſiæ, tametſi Prælatus, vel Clericus fuerit ingratus: quia facta eſt ob bonum animæ teſtatoris, & principaliter Deo, qui ingratus eſſe non poteſt. Leſſ. Lug. Hurt. Hun. Vad. Dian. *l. c. R.* 56. 2. In donatione remuneratoria (v. g. pro beneficiis alias non debitis, & aliquo modo æquivalentibus) quia potius eſt remuneratio, quam donatio. Remuneratoria autem cenſetur 1. Si donator in ipſa donatione expreſſe meminerit meritorum, vel 2. Si de meritis conſtet. 3. In dubio. Dian. *l. c. R.* 115. 116. 17. 19. 20. &c. ex Barb. &c.

4. Si quis prole carens magnam partem bonorum donaverit, & poſtea naſcatur proles: quia ex juris diſpoſitione ineſt donationi hæc tacita conditio, niſi naſcantur mihi liberi. Et quidem, ſi facta ſit extraneo, revocari poteſt tota: *ſi alicui aſcendentium,*
ANIMAD. VIII. *ut patri, vel avo, vel Eccleſiæ, aut cauſis piis, tantum revocari poteſt, quantum neceſſarium eſt, ut filii habeant legitimam.* Quamquam recte notat Leſſius, ad ædificationem expedire, ut quod Eccleſiæ, vel monaſterio datum eſt, Prælatus totum reſtituat. *Porro etſi juraverit, ſe non revocaturum donationem; adhuc poteſt, liberis natis, revocare; quia hoc juramentum non excludit tacitam conditionem dictam.* Excipe, niſi expreſſe etiam hanc conditionem excluſerit: tunc enim ipſe revocare non poſſet: poſſent tamen ejus liberi poſt mortem patris. Bon. Leſſ. *c.* 18. *d.* 14. An autem hæc revocatio locum habeat, ſi filii naſcantur illegitimi, qui poſtea legitimentur, v. Dian. *l. c. R.* 63. & 64. Item, an in donatione remuneratoria, *R.* 65. ubi cum Mol. & aliis ſex negat, niſi excedat cauſam.

5. *Si donatio fuerit inofficioſa, contra officium paternæ pietatis*: ut ſi pater tantum donet, ut filii priventur ſua portione legitima: tunc enim poſt mortem patris poſſunt filii revocare. Nav. *c.* 26. Leſſ. *l. c.* licet donatio fuerit juramento confirmata. Megal. & alii 5. Dian. *p.* 8. *t.* 6. *R.* 66. Imo etiam vivente patre; licet enim ante mortem patris non debeatur legitima ut tradenda, debetur tamen ut conſervanda. Hinc, ſi pater bona diſſipet, poteſt a filio per judicem cogi, ut ſervet legitimam, ne is poſt mortem patris careat alimentis. Ita probabiliter Dian. *l. c.* ex aliis 6. contra Leſſ. &c. *An autem, & quando donatio reſcindenda in totum*, vide Dian. *l. c.* — ANIMAD. IX.

6. *Per ſupervenientiam liberorum, ut probabilius affirmat Dian. p.* 8. *t.* 6. *R.* 78. *ex aliis* 4. *contra quoſdam.* Si tamen pater non revocaverit, non poteſt a filiis poſtea natis revocari, niſi pro ratione Falcidiæ, ſive ex teſtamento, ſive ab inteſtato ſucceſſerint. *ibid.* — ANIMAD. X.

DUBIUM IV.

Quid ſit donatio mortis cauſa, & an poſſit revocari, quomodo, & quibus competat?

Reſp. 1. Donatio mortis cauſa, qua quis ſic donat, ut velit rem eſſe alterius primum poſt ſuam mortem, ut ſi dicas, do tibi hoc poſt mortem meam, vel cum moriar, vel quia timeo, me nunc moriturum, revocari poteſt etiam tribus caſibus his.

1. Si donatorem pœniteat, ſive expreſſe, ſive implicite, ut ſi rem illam donet alteri. Leſſ. *l. c.*

2. Si dedit intuitu alicujus inſtantis periculi, ex quo metuit mortem, hoc ipſo, quo periculum evaſit, cenſetur tacite revocata donatio; ut ſi quis det in gravi morbo, vel inſtante prælio. Bon. *diſp.* 3. *q.* 13. *p. ult. n.* 20.

3. Si donatarius moriatur ante donatorem, ipſo jure revocata eſt; ut etiam accidit in teſtamentis, & legatis. Secus eſt in promiſſione, & donatione inter vivos, quæ tranſit ad heredes. Quod ſi donator promiſerit ſe non revocaturum, tranſit in donationem inter vivos. Vide Leſs. *c.* 18. *d.* 14. *n.* 116. Mol. *d.* 286. & *d.* 288. Azor. *l.* 11. *c.* 11. *q.* 4. Bon. *l. c.*

Reſp. 2. Hæc donatio fieri debet in præſentem: Dian. *l. c. R.* 66. & alii 5. *nec valet in abſentem ſine nuntio* ad hoc deſtinato, vel epiſtola: (*c*) licet valeat, ut fideicommiſſum, ſi fuerint adhibiti teſtes. Dian. &c. *l. c.* Valet autem probabiliter, etſi donatarius præſens tacuerit.

Reſp. 3. Donare mortis cauſa poſſunt omnes, & ſoli, qui poſſunt teſtari, excepto filiofamilias, (*d*) *qui, licet teſtamentum condere nullo modo poſſit*, cum hoc ſit juris publici, donare tamen mortis cauſa, cum id ſit juris privati, poteſt, ſi adſit patris conſenſus expreſſus: *imo ſine hoc donare eum poſſe non tantum de caſtrenſibus, ſed etiam de adventitiis, probabile cenſet* Dian. *l. c. R.* 68. & 69. Hinc donare ſic poſſunt minores 25. annis, etiam ſine conſenſu ſui curatoris. Dian. *l. c. R.* 71. ex Molin. & aliis. — ANIMAD. XI.

4. Non autem uſurarius, niſi prius uſuris ſatisfecerit, vel cautionem præſtiterit, *poteſt tamen ad cauſas pias. ib. R.* 73. ex Fagun. & aliis. 6. Nec ſurdus, & mutus a natura; ſecus, ſi a caſu ſuperveniente, (vel ſi ſurdus ſit, aut mutus tantum) licet donare inter vivos poſſit, ſecundum quoſdam. Azor. Dian. *p.* 5. *t.* 6. *R.* 12. — ANIMAD. XII.

DUBIUM V.

Quid ſit commodatum, precarium, & depoſitum?

Reſp. Commodatum eſt contractus, quo res aliqua mobilis, vel immobilis quoad ſolum uſum gratui-

tuito conceditur, idque ad aliquod certum tempus explicite, vel implicite determinatum: ut ſi dicas, commodo tibi hunc librum, vel domum ad unum menſem; implicite, ut ſi dicas, commodo tibi librum, ut eum delctibas; quia tunc implicite tantom temporis determinatur, quantum neceſſarium eſt ad commode deſcribendum.

Precarium eſt, quo conceditur petenti res utenda, non ad certum tempus (in quo differt a commodato) ſed donec concedens repetat, ſive expreſſe, ſive tacite, ut ſi det alteri, aut vendat. Laym. *l.* 3. t. 4. *c.* 14.

Depoſitum eſt, quo aliquid traditur cuſtodiendum, ut integrum reddatur. Et communiter eſt res mobilis, vel ſe movens, ut veſtis, equus, &c.

Unde circa hæc reſolvuntur.

1. Commodator non poteſt repetere abſque injuſtitia ante definitum tempus. Laym. *l.* 3. t. 4. *c.* 14.

2. Quod ſi tamen commodanti damnum impendeat, poteſt repetere, licet ſimile damnum impenderet commodatario ex rei ante tempus repetitione, ut habet Leſſ. *c.* 27. *d.* 5. quia, ut ait Nav. in commodatione intelligitur tacita hæc conditio, niſi interea contigerit, rem eſſe neceſſariam commodanti. Laym. *l. c.*

3. Si depoſitarius bona fide exiſtimet depoſitori non diſpliciturum, ſi re depoſita utatur, (*e*) *licebit uti, alias non.* Leſſ. *l. c. d.* 2.

4. Si depoſitum ſit res uſu conſumptibilis, ut triticum, vinum, pecunia, quæ exponendo abſumitur, eaque tradita ſit certo numero, pondere, & menſura, *non videtur depoſitarius peccare ſaltem graviter iis utens*, (*f*) ſi certus ſit, ſe tantumdem ejusdem bonitatis habiturum, quando repetetur. Leſſ. *l. c.* Secus, ſi pecunia tradita fuerit ſacculo, vel arca incloſa, vel munita ſigillo. Sylv. Azor. Leſſ. Bonec.
Animad. V. Trull. *c.* 25. *d.* 1. *Verum ſi is, cui res commodata,*
XIII. *locata, depoſita, & pignorata eſt, negligenter cuſtodiat, ita ut pereat, negligentia autem non ſit theologica culpa mortalis, probabile eſt*, quod dixi ex Soto, Sa, non teneri ad reſtitutionem in conſcientia. *Alii tamen aliter ſentiunt, nimirum teneri reſtituere, qui juridicam culpam in cuſtodiendo contraxerit, ſi ea fuerit lata, & ſubinde ſi levis tantum, imo & aliquando ſi leviſſima, nimirum quando depoſitio facta eſt in commodum utriuſque; & ſi pretium pro cuſtodia accipiat.* Vide apud Leſſ. *c.* 7. *d.* 8. Laym. t. 4. *c.* 25. ubi docet depoſitarium tantum teneri de dolo, vel culpa craſſa, quæ dolo æquipararetur.

Dicitur autem juridica culpa lata, ſeu craſsa, cum quis facit, aut omittit, quod ut plurimum non facerent, vel omitterent in ea re homines ſuæ confeſſionis; ut v. gr. ſi quis rem apud ſe depoſitam relinquit in loco publico, etſi inadvertenter. Levis autem dicitur, cum quis facit, vel omittit, quod non facerent, vel omitterent homines ſuæ profeſſionis diligentes: ut ſi quis depoſitum relinquit in ſuo cubiculo, ſed negligit oſtium claudere. Leviſſima dicitur, cum facit, vel omittit, quod non facerent homines diligentiſſimi; ut ſi quis oſtium quidem obſeraverit, ſed neglexerit tentare manu, an eſſet bene clauſum.

5. Sartores, molitores, & ceteri artifices, quibus res traditur polienda, vel immutanda; item nautæ, caupones, apud quos res deponuntur, tenentur ex levi culpa, quia depoſitio fit etiam in commodum ipſorum: imo Sylv. ver. *Nauta*, vult eos teneri ex leviſſima, *ex l.* 1. *ff. Depoſiti*: idque cautum eſſe ad vitandas eorum fraudes. Quod etiam Leſs. & Trull. *c.* 25. *ar.* 1. putant eſse probabile in utroque foro, ſi quis eis rem expreſse tradiderit cuſtodiendam; si autem ipsis tantum videntibus depoſuerit, v. gr. in diverſorio, navi &c. ne ex lata quidem teneri. V. Bonac. Trull. Dian. *p.* 1. *l.* 8. *R.* 74.

Animad. 6. *Si depoſitarius (idem eſt de commodatario) dubi-*
XIV. *tet, an depoſitum ſua culpa perierit, non tenetur in conſcientia ad reſtitutionem.* Sanch. *de matrim. lib.* 2. *d.* 41. *num.* 18. quia in dubio non præſumitur delictum, *ex l. Merito, ff. Pro ſocio.* Vide Dian. *p.* 2. *t.* 9. *R.* 49. In foro tamen externo, ſi res depoſitarii manſerint incolumes, præſumitur de dolo, niſi depoſitarius probet, depoſitum caſu periiſſe, & non potuiſſe ſimul cum rebus ſuis (imminente v. gr. incendio) ſervari: tunc enim non teneretur, quia præſumptio doli ceſſaret. Vide Palaum *t.* 1. *de conſ. d.* 3. *p.* 4. Trull. *c.* 25. *d.* 1.

7. Si domino repetenti depoſitum remiſerit per hominem, qui fidelis habebatur, iſque ſibi retinuerit, vel perdiderit, domino periiſſe, dicit Mol. citatus ab Eſcob. V. Trull. *l. c.*

8. Deponens rem uſu non conſumptibilem, poteſt a depoſitario pro ejus uſu aliquid accipere; quia is eſt pretio æſtimabilis (licet eo caſu non depoſiti, ſed locati, & conducti contractus ſit dicendus.) Secus, ſi ſit uſu conſumptibilis: tunc enim depoſitum, eo ipſo, quod depoſitarius incipit eo uti, induit naturam mutui, ex quo (ſecluſa ratione lucri ceſſantis &c) nihil licet accipere, ut v. *dub. ſeq.* & Bon. *d.* 3. *q.* 13. *p.* 3. Trull. *l. c.*

DUBIUM VI.

Quid ſit mutuum?

Reſp. Eſt contractus, quo rei alicujus numero, pondere, vel menſura conſtantis dominium a mutuante in mutuatarium transfertur, cum obligatione reſtituendi eandem, vel ſimilem ſpecie, & bonitate. Proprie autem mutuum fere eſt in rebus uſu conſumptibilibus, inter quas etiam eſt pecunia: quæ, licet non abſumatur, nec pereat in ſe, perit tamen exponenti. Diſtinguitur a permutatione, quod in ea reddatur res alterius ſpeciei, item a pignore, hypotheca, depoſito, commodato, & locato, quod dominium in iis non transferatur, ſed uſus tantum. Bon. *d.* 3. *q.* 3. *p.* 1.

Unde reſolves.

1. Mutuans obligatur monere de vitio rei; alioqui ad damnum tenetur in conſcientia.

2. Item non repetere rem ante tempus, niſi ipſe ſit in pari neceſſitate.

3. Item præſtare caſum fortuitum mutuatarius tenetur, cum penes hunc rei dominium ſit, & rem eadem quantitate, & qualitate reddere ſuo tempore.

4. In vero mutuo lucrum aliquod accipere non licet, quia eſt uſura, de quo *dub. ſeq.*

DUBIUM VII.

Quid ſit uſura?

Reſp. Eſt lucrum immediate proveniens ex mutuo, ita ut mutuans ſupra ſortem, id eſt ſummam capitalem, lucretur aliquid, quod ſit pecunia æſtimabile, *ita ut lucrum tale præciſe intendatur ratione mutui.* (*g*) Quod plane iniquum eſt, & grave peccatum contra jus humanum, & divinum; cum mutuans acquirat lucrum ex re jam non amplius ſua; quia res mutuata jam tranſiit in dominium mutuatarii, ut patet ex definitione. Et regula generalis eſt: omne pactum, vel gravamen, ſive onus additum mutuo, præter id, quod ei proprium, & intrinſecum eſt, reddit contractum uſurarium. Bonac. *d.* 3. *q.* 3. *p.* 3. Card. Lugo &c.

Unde reſolves.

1. Peccat graviter ex genere ſuo exercens talem uſuram, etſi ſit mentalis tantum abſque externo pacto. Dicitur enim uſura mentalis, cum quis intentionem habet accipiendi aliquid ex mutuo ultra ſortem, etſi externo pacto id non exprimat: ſicut realis, ſeu exterior uſura dicitur, cum quis intentionem illam per pactum aliquod exprimit. Quod aliquando tantum implicite fit in aliquo contractu, & vocatur uſura palliata, cum videlicet contrahentes prætendunt alium contractum emptionis, locationis &c. in quo tamen revera uſurarium quid intervenit. Vide exempla apud Tol. *l.* 5. *c.* 31.

2. *Non eſt uſura, ſi mutuans nihil intendat ut pretium, ſed tantum ſperet aliquid ex gratitudine, & ex* Animad.
intentione illi aliquid donetur; licet illud ut finem XV.
principalem intendat. Molin. t. 2. *p.* 305. *n.* 5. Card. Lugo *d.* 25.

3. Quod ſi tamen intelligeret ſibi aliquid donatum

Digitized by Google

tum, non gratis, ut putebat, ſed ut debitum eationa mutui, teneretur reſtituere, quantum inde ditior avaſiſſet, ut habet Sa v. *Uſura*. Card. Lugo *d.* 25. *ſect.* 3.

ANIMAD. XVI. 4. *Nec eſt uſura dare mutuum, alterius amicitia captanda cauſa, atque ulterius inde ſperare officium, quia amicitia non æſtimatur pretio.* Card. Lugo *l. c.*

5. Pactum tamen de obtinendo a mutuatario (vel ejus opera) officio aliquo, illicitum eſt, & uſurarium. Ita commun. Molin. *d.* 310. Leſs. Sal. Card Lu-

ANIMAD. XVII. ga contra Navarr. *Etſi Salas de uſura d.* 9. *n.* 4. *eum excuſet, qui mutuat aliquid cum pacto, ut ſtatim præſtetur aliquod beneficium ex gratitudine.* Vid. Trull. *l.* 7. *c.* 19. *diſp.* 7.

6. Pactum, ut a mutuatario conferatur beneficium eccleſiaſticum, eſt uſura (& ſimonia) quia cogitur is ſubire novum onus.

7. Non eſt uſura, cum quis non potens ſua recuperare, mutuet, ut ſibi reddantur ſua, vel ne ſibi inique noceatur: quia hæc jure jam ante debentur, & ſic non facit lucrum, nec imponit novam obligationem. Bon. *q.* 3. *t.* 3. *n.* 15. ex Azor. Reg. &c.

ANIMAD. XVIII. 8. *Nec eſt uſura exigere aliquid ratione periculi recuperationis, difficultatum, vel expenſarum, quæ erunt, vel metuuntur in recuperanda ſorte*: quia pretio æſtimari poteſt, quod quis ſe in tale periculum, & difficultatem conjiciat. Con. *d.* 3. *q.* 3. *p.* 5. Neceſse tamen eſse, ut periculum iſtud &c. deducatur in pactum expreſſe, vel tacite, docet Leym. *l.* 3. *t.* 4. *cap.* 16. *n.* 9. ex Medin. Val. Mol. Leſs. &c. Idem dicit Card. Lugo *num.* 80. Et ſic liciti ſunt montes pietatis, ut vocant, hoc eſt, theſauri quidam, qui in refugium pauperum a Rep vel Principe reponuntur, ut inde pauperibus gratis mutuetur, ita tamen, ut parum retribuant pro expenſis, quæ fiunt in miniſtros, & conſervationem talium montium. V. Tol. *l.* 5. *c.* 18. Leſs. *l.* 2. *c.* 20. Bon. *l. c. p.* 13.

ANIMAD. XIX. 9. *Nec eſt uſura, ſi timens difficultatem, aut fraudem mutuatarii in reddendo tempore conſtituto, paciſcaris, ut, ſi tunc non ſolvat, aliquid det præter capitale loco pœna, quæ pœna licite exigetur, dummodo non fiat alia intentione, quam ut mutuatarius ſic quaſi conſtringatur, ne ſua culpa fallat.* Unde ſi mutuatarius abſque ſua culpa non poſſit ſolvere, non licebit pœnam exigere, ut habet Tol. *ſupra c.* 32. qui ait, manifeſtum eſſe argumentum pravæ intentionis, ſi optes non ſolvi tibi præfixo tempore, ut pœnam recipias: ac ſimpliciter uſuram fore, ſi certo ſciens alterum non valiturum ſolvere, adhuc tali pœna oneres. V. Bonac. *d.* 3. *q.* 3. *p.* 7. Mol. *t.* 2. *d.* 317. Leſſ. *l.* 2. *c.* 20. *d.* 15.

10. Nec eſt uſura, paciſci, & accipere aliquid ratione damni emergentis (ſi quidem mutuum vere illius cauſa ſit) aut lucri ceſſantis, vel ceſſaturi, dummodo de hoc præmoneatur mutuatarius: ut ſi volebas domum reficere, aut poteras nunc commodo tempore emere triticum, privando autem te tua pecunia in dando mutuo corruit domus, & poſtea carius emes triticum. Item non poteris lucrari cum tua pecunia, quod poteras, & volebas negotiando, ita ut mutuatio ſit vere cauſa lucri ceſſantis. Ubi notat Tol. ſupponendum in hoc titulo lucri ceſſantis. 1. Quod vere volueris cum ea pecunia negotiari, & non habeas aliam. 2. Quod malis negotiando, aliterve lucrari, quam ſic mutuando, ita ut mutues tantum in gratiam mutuatarii. 3. Ut minus exigas, quam lucrari poteras, & deductis expenſis; quia lucrum ceſſans non eſt actu, ſed in potentia, & variis adhuc eventibus obnoxium. Unde ad arbitrium viri prudentis, pro majore, vel minore ejus certitudine æſtimare id poteris, & ſic cum mutuatario de eo paciſci S. Thom. *art.* 1. *ad* 2. Mol. *d.* 324. Sal. *dub.* 26. &c. Card. Lug. *d.* 25. *ſect.* 6. Bonac. *q.* 3. *p.* 4. Hinc qui non habuit animum negotiandi, vel ſi non erant, nec brevi ſperabantur merces, vel non erat moraliter certus de lucro, nihil poteſt accipere ultra ſortem: quia mutuatio iſta vere non fuit cauſa lucri ceſſantis. Eadem ex cauſa uſura eſt, ſi mercatores credito vendentes aliquid ultra pretium rigoroſum accipiant titulo lucri ceſſantis; verbi gratia, rem tantum valentem 100. vendant pro 105. numerandis poſt annum, quia vendendo ad creditum (quod eſt virtualis mutuatio) plures habent emptores, pluresque res vendunt, & ſic compenſatur lucrum ceſſans; atque adeo illud non ceſſet ratione hujus venditionis. Dian. *p.* 2. *t.* 34. Trul. *c.* 19. *d.* 9. *vid. dub. ſeq.*

11. Mutuare frumentum vetus cum obligatione, ut reſtituatur novum (præſertim certo tempore) eſt uſura, ſi mutuans ſciat novum fore melius, & majoris pretii. Sylv. Nav. Trull. *d.* 15. *n.* 11.

12. Eſt uſura ex communi ſententia, ſi des mutuum, ut poſtea mutuatarius ex debito civili obligetur tibi rurſus mutuare, aut vendere, vel apud te in tua officina emere merces, aut operas ſuas locare; quia talis obligatio eſt res pretio æſtimabilis cum privet mutuatarium poteſtate alibi emendi, & locandi operas. Leſſ. *l.* 1. *c.* 20. *d.* 8. Card. Lugo *d.* 15. *n.* 46. V. Laym. *l.* 3. *t.* 4. *c.* 16. *num.* 3. Bon. *l. c. p.* 3.

13. Uſura eſt, mutuare Principi, vel Reip. eo pacto, ut interim, dum non ſolvitur, ſis liber a tributis, vel oneribus juſtis ſolvendis. Salas, Card. Lugo *n.* 64. ex communi.

14. Item mutuare ea lege, ut mutuatarius eam pecuniam exigat a debitore mutuantis, a quo non facile extorquebit. *Quod addo, quia, ſi ſponte onus illud ſuſcipiat, eo quod facile poſſit obtinere, non erit uſura.* Ibid. & Bon. *l. c.* ANIMAD. XX.

15. Item, ſi frumentum, quod alibi habes, des mutuum, obligando, ut tibi reddatur hic, vel alibi (cum majoribus ſumptibus, vel laboribus) ubi plus valet. *ibid.*

16. *Uſura etiam eſt, obligare mutuatarium, ut partem mutui accipiat in mercibus, quibus non indiget.* *ibid.* ANIMAD. XXI.

17. In mutuo pecuniario, niſi aliter conventum ſit, ſi quis dat mutuo v. g. 100. florenos, non poteſt exigere plus, quam eorum pretium, & valor tunc fuerit. Unde, ſi eorum valor tunc augeatur, non poteſt repetere 100. quia reciperet aliquid ſupra ſortem. Quod ſi valor decreſcat, debet mutuatarius reddere plus, quam 100. quia alias non reſtitueret ad æqualitatem. Vide Leſſ. *l.* 2. *c.* 22. *d.* 8. Leym. *l.* 3. *t.* 4. *c.* 16. *n.* 16. Bonac. *l. c. p.* 3.

18. In mutuo tamen aliarum rerum, ut vini, tritici, &c. aliter ſe res habet; quia, ſi quis v. g. mutuet alteri 10. modios tritici, ſive pretium creſcat, ſive non, poteſt repetere 10. Ratio disparitatis eſt, quia in pecunia non ſpectatur ordinarie (niſi aliter conventum ſit ob certas, & licitas cauſas) niſi valor, ſive pretium. Unde non debet reſtitui, niſi pretium æquale. At vero in frumentis, &c. ſpectatur ipſa materia: quia non petitur mutuum frumentum propter pretium frumenti, ſed propter ipſum corpus, & ſubſtantiam: ergo, etſi creſcat pretium illius, poteſt repetere tot menſuras, quot dedit mutuo. *Interim tamen quidam de his rebus eodem modo loquuntur, quo de moneta.* V. Laym. *l. c. n.* 14. & Bon. *l. c.* ANIMAD. XXII.

Quæres: Quæ obligatio, & pœna ſit uſurariorum, & cooperantium?

Reſp. 1. Uſurarius etiam non manifeſtus, ac heredes tenentur reſtituere, imo etiam omnes ii, qui ex parte uſurarii cooperantur efficaciter: v. g. judices, domini temporales, notarii, famuli, advocati, qui quovis modo juvant, vel cogunt mutuatarios ad ſolutionem uſurarum. Dixi (poſitive, ſeu efficaciter) quia habendo ſe negative, poſſunt permittere uſurarios, ob juſtam cauſam, & neceſſitatem pauperum. *Præterea in praxi, ex præſumpta voluntate mutuatariorum, fere excuſantur minus principales famuli.* 2. Uſurarius publicus, ſive notorius non debet admitti ad communionem altaris, nec abſolvi, donec reſtituat uſuras, nec ſepeliri in loco ſacro; & qui ſcienter ſepelit, ipſo facto eſt excommunicatus. 3. Addit Laym. *l. c. n.* 21. *ejus teſtamentum ipſo jure irritum eſſe,* (*h*) niſi ante mortem reſtituerit. V. Leſſ. Bon. Trull. *c.* 14. *d.* 22. ANIMAD. XXIII.

D U-

DUBIUM VIII.

De emptione, & venditione.

ARTICULUS I.

Quid ſit emptio, & venditio?

Reſp. Eſt contractus, quo pretium pro merce ſolvitur; completurque mercis traditione. Venditio contra. Juſtitia ejus in hoc conſiſtit, ut pretium ſit juſtum, ſive exæquet valorem rei, & contra. Alias, ſi abſque legitimo titulo ſecus fiat, committetur injuſtitia gravis, vel levis, pro gravitate exceſſus, qui proinde ad reſtitutionem in conſcientia obligabit; etſi in foro externo ad reſtitutionem ſere non cogatur quis, niſi ultra dimidium defraudaverit. V. Laym. *c.* 17. Bon. *d.* 3. *q.* 2. *p.* 1. & 4.

Unde reſolves.

Animad. XXIV. 1. *Quod ſpectat ad emptorem, is poteſt emere vilius, quam res valeat, ſi ei non ſit commoda, vel emat in gratiam venditoris, ac ſimiles ſint circumſtantiæ, quæ rem faciant viliorem. Nec obſtat, quod venditor neceſſitate ductus vendat vilius; quia venditio manet voluntaria*, inquit Cajet. Vid. Bon. *l. c. n.* 21. & 23. Poteſt nihilominus graviter peccari contra caritatem, ſi quando pauperculi extrema inopia res ſuas vendere coguntur, nimis viliter ab eis emas. Laym. *l. c. n.* 10.

2. Emptor poteſt emere minoris, ex eo quod multa ſimul emat; quia tunc venditorem liberat multis curis; & expeditum facit ad alia nova comparanda, unde merito pretium deſcreſcit. Bon. *l. c. p.* 3. n. 13. ex Leſſ. Reg.

3. Quoad venditorem, is communiter debet vendere ſecundum pretium taxatum a lege, vel magiſtratu; quod ſi nullum eſt, id cenſebitur juſtum, quod morali hominum æſtimatione imponitur. Quod non conſiſtit in indiviſibili, ut anxie ſcrupulari oporteat, ſed dividitur in infimum, medium, & ſummum, ſive, ut alii vocant, pium, moderatum, & rigoroſum, ita ut intra latitudinem hujus pretii vendere, & emere liceat, nunc ſummo, nunc infimo.

4. Si quid emptori valde utile ſit, non licet hoc ſolo nomine rem vendere ultra pretium juſtum: quia utilitas emptoris tota eſt ipſius, non venditoris. Bonac. *l. c.* n. 27. ex Leſs. *l.* 2. *c.* 27. *d.* 4. Fill. *t.* 35. *n.* 77.

Animad. XXV. 5. *Licet autem vendere carius*, quam valet pretio currente, ſi alii boni tituli adſint, & ſimul de hoc emptorem moneas; quia tunc illi non fit injuria. Tales autem ſunt, v. gr. lucrum ceſſans, aut damnum emergens, aut incommodum, vel moleſtia tibi obveniuia ex rei venditione, *aut affectus in eam ſingularis*, ut ſi acceperis a majoribus, a Principe. *Item ſi res ſint novæ, raræ, & ſingulares: ut v. gr. peregrini flores, aves, feræ, monumenta antiqua, picturæ, numiſmata.* Laym. *l.* 3. *t.* 4. *c.* 17. §. 1. *nu.* 10. Bon. *l. c. n.* 15. ex Leſs. Reg. &c.

6. Qui res minutim, & in parva quantitate vendunt, poſſunt aliquanto carius vendere, quam qui in magna quantitate; quia debent majores labores, expenſas, &c. impendere ad ea conſervanda, & ſic quidam excuſant caupones, & ſtabularios, qui avenam, fenum, paleas, &c. carius vendunt, quam alii; dummodo pretium iis non ſit taxatum. Sal. Trull. *d.* 15. *n.* 21.

7. Non licet carius vendere præciſe ob dilatam ſolutionem, aut vilius emere, ob præciſe anticipatam ſolutionem; quia in venditione, quæ fit credito, vel in anticipata ſolutione eſt virtuale mutuum, ideoque uſura, ſi quid ſupra ſortem exigatur. Quod intellige, niſi interveniat alius titulus ex ſupra enumeratis de uſura: vel niſi aliunde creſcat pretium, v. g. ex frequentia emptorum, &c. Bon. *l. c.* ex Leſſ. Regin. Fill. &c. V. ſuperiore dub.

8. Licitum eſt vendere rem cum pacto de retrovendendo, id eſt, ut emptor teneatur tibi ſtatuto tempore, vel cum volueris, eam revendere, modo vera, & non ficta emptio fiat, nec palliata uſura intercedat. Mol. *d.* 375. Leſſ. *dub.* 14. &c. Qui addunt, juxta æſtimationem illius operis, ac pacti, pretium eſſe imminuendum. V. Card. Lug. *d.* 26. *num.* 189.

9. *Monopolia, id eſt, cum unus, vel plures id efficiunt, ut ipſi ſoli aliquid vendant, vel cum mercatores conſpirant, non minoris vendere, non ſunt contra juſtitiam; modo non conſpirent ultra juſtum pretium vendere.* Ita contra Rebell. Nav. &c. docent Mol. Leſſ. &c. Qui tamen concedunt, eſſe contra caritatem. Vid. Card. Lug. *d* 26. *ſect.* 13. Porro Principum, vel Magiſtratus eſt, cum uni, vel paucis tale privilegium conceditur, ut ſoli aliquid vendant, iis etiam pretium taxare, & ſic providere, ne ſubditi graventur. V. Leſſ. *c.* 21. *d.* 20. Card. Lugo *l. c.* & Trull. *t.* 20. *d.* 18. ubi recte notat ex Nav. &c. etſi alia monopolia ex juſta cauſa, auctoritate Principis, vel Reipub. conceſſa taxato pretio ſint licita, v. gr. bibliopolis, ut nemo alius talem librum vendat, vel ut tantum ſit unus, aut duo tabernarii in aliquo loco; nihilominus quando unus, vel pauci propria auctoritate ea conſtituunt, v. gratia emendo merces certi generis, ut frumentum, vinum, oleum, &c. ut ipſi deinde arbitratu ſuo vendant carius, peccare ſemper etiam contra juſtitiam cum obligatione reſtituendi. Animad. XXVI.

10. *Venditor debet emptorem præmonere de notabili vitio rei, quod ei obeſſe poteſt*, v. g. ſi equus ſit furioſus, domus ruinoſa, oves morbidæ, pannus aduſtus, &c. alioqui tenetur de fraude, & damno ſecuto: *ſaltem ſi defectus fuerit in ſubſtantia, vel quantitate*, v. g. ſi deficiat in pondere, vel menſura, aut vendiderit rem unam pro alia: & ſic peccat mortaliter cum obligatione reſtituendi. 1. Qui frumentum venditurus ponit prius in loco humido, ut intumeſcat. 2. Qui vino Rhenano miſcet Francicum. 3. Qui carnes bobulas vendit pro vervecinis, &c. V. Leſſ. Bon. Dian. *p.* 1. *t.* 8. *R.* 51. Trul. *d.* 11. Quando autem venditor poſſit juſta tacere vitia qualitatis rei, quæ venditur, ſine obligatione reſtituendi pretium, vel reſcindendi contractum, vid. Card. Luga *d.* 26. *ſ.* 8. *n.* 128. & Trull. *t.* 20. *d.* 11. ubi notat venditionem factam ab ignorante vitium rei eſſe validam; *reſcindendam tamen, vel reducendam ad æqualitatem, niſi venditor contra hoc exceperit.* Animad. XXVII.

11. *Si ſcias occulte debitorem tuum non eſſe ſolvendo, injuſtum videtur, iis qui id neſciunt, debitum illud vendere pretio ordinario; tum quia eſt dolus; tum quia vitium intrinſecum crediti non revelatur.* Bon. *l. c. p.* 10. ex Leſſ. *c.* 21. *d.* 10. Fill. &c. Animad. XXVIII.

12. *Etſi venditor ſciat pretium mercis mox minuendum, licet tamen vendere pretio currente, & non dicere emptori* (ſecluſo tamen dolo, fraudibus, & mendaciis, quibus emptorem allicere ad emendum ei non licet) *quia pretium currens ſimpliciter adhuc eſt juſtum.* Bonac. *qu.* 2. *p.* 5. *n.* 12. ex Azor. & Fill. &c. Animad. XXIX.

13. *Si cui datum eſt aliquid vendendum pretio v. gr. infimo, vel moderato, & is vendat rigoroſo, probabile eſt*, ut habet Angel. v. *Emptio, non teneri reſtituere, ſed poſſe retinere exceſſum, cum ſua induſtria acquiſiverit.* Aliud tamen eſt de famulis mercatorum, quibus indeterminato pretio traditur meliori modo vendendum, quo poſſunt, in utilitatem domini. V. Laſſ. *d.* 18. Card. Lugo *d.* 26. *ſ.* 9. Animad. XXX.

14. *Quando ſartoribus ementibus pannum pro iis, quibus veſtes conficiunt, minoris venditur, quam aliis, eo quod ſint parochiani mercatorum, vel ſæpe ab iis emant, poſſunt partem pretii remiſſam ſibi retinere, dummodo alias fideliter agant, quia nulli ſit injuria:* & cum mercatorum plurimum interſit, ut tales ad ipſorum potius, quam ad aliorum officinas veniant, cenſentur in ipſorum gratiam remittere, iiſque donare eam partem. Filliuc. Dian. *p.* 1. *t.* 8. *R.* 26. *Negat tamen Salas, eo quod mercatores falſo dicant ſe remittere, ut alliciant.* Animad. XXXI.

15. Cum res duobus in ſolidum eſt vendita, is dominium acquirit, cui tradita eſt, dummodo is pretium ſolverit. Si neutri tradita ſit, debetur ei, qui prius tempore emit, & alter habet actionem in venditorem. Si quid tamen vendatur, aut detur Eccleſiæ, vel aliis piis locis, acquiritur dominium ante traditionem. V. Leſſ. *l. c.* & Card. Lugo *d.* 26. & *ſ.* 9

16. *Si res pereat ante traditionem, & ſit certa, ac determinata, v. gr. hæc domus, hoc dolium vini, perit emptori, niſi aliter expreſſe conventum ſit, aut vendi-* Animad. XXXII.

Digitized by Google

teris culpa pereat. Si autem res ſit indeterminata (ut ſi quis emerit 10. modios tritici ax granario, oves ex grege) *aut ſi emat rem determinatam quidem, ſed ad menſuram* (ut acervum totum tritici uno floreno in ſingulas menſuras) *tunc ante rei traditionem, aut menſurationem, periculum ſpectat ad venditorem*. V. Leſſ. *d.* 12. *l. c.* Card. Lugo *d.* 26. *ſ.* 14. *n.* 216. Laym. *l.* 3. *t.* 4. *c.* 17. §. 2. Bon. *q.* 2. *p.* 8.

17. Si res vendita pereat, aut deterior fiat poſt traditionem, perit emptori; licet pretium nondum perſolverit, quia res domino perit. Laym. Bonac. *ll. cc.*

Quæres 1. An, & quomodo liceat emere chirographa, ſeu credita alterius?

Reſp. Si credita in poſterum exigenda (ſiva jus, quod habet alier, ut ipſi in futurum aliquid ſolvatur) ſint certa, ea minoris emere, ſolutione anticipata, eſt uſure, ſecluſo tamen lucro ceſſante, & damno emergenta. Bon. *d.* 3. *qu.* 3. *p.* 10. ex Mol. Leſſ. Tol. Fill. quia accipitur aliquid ſupra ſortem ex mutuo; nam mutuat implicite mioorem pecuniam pro axigenda majore. Dixi *certa*, quia ſi credita ſint incerta, periculoſa, & litigioſa, ac cum difficultate exigenda, licite is, qui non eſt cauſa iſtius difficultatis, minoris emit, prout difficultas, vel incertitudo ſolutionis minor eſt, vel majoi, quia cum tali periculo, & difficultate minus valent. Boo. *l. c.* Trull. *l.* 7. *c.* 20. *d.* 8.

Unde reſolves.

1. Uſurem committunt 1. Mioiſtri Regum, & Priucipum, &c. qui ut anticipatam faciant ſolutionem, aliquid accipiunt a creditoribus. 2. Qui aliquid accipiunt a debitoribus conceſſa dilatione ad ſolvandum; quia accipiunt aliquid ultra ſortem pro mutuo virtuali. Bon. *l. c.* Nav. Mol. Sal. &c.

2. Mioorís ami poſſunt regularitar credita, & ſtipendia, ſiva ſalaria debita militibus, aut ſamulis Nobilium, quia habent adjuncta incommoda, pericula, & moleſtias in axigendo: quam ob cauſam idem licet, atiamſi credita illa tempore præſenti, vel etiam prætarito fuerint ſolvenda. Bon. *l. c.* aa Reg. Mol. &c.

3. Qui ipſe aſt cauſa difficilis ſolutionis, peccat contra juſtitiam emendo minoris, & tenetur ad reſtitutionam: tum quia ipſa aſt cauſa damoi, com ipſius culpa creditum valeat minus; tum quia alioqui præmium ex delicto ſuo reportaret. Mol. *d.* 313. Fill. Bonac. *l. c.* Hinc quæſtores Principum, ad quos ſolutio pertinet, quando ipſi ſunt cauſa difficilis, & inſignæ ſolutionis, non poſſunt chirographa, vel credita emere minoris, ut docent Auct. cit. Additque Salas, & Mol. *l. c.* nou eſſe liberum Quæſtoribus, &c. quibus incumbit ſolvere magnatum debita, uni potius ſolvere, quam alteri (niſi quis forte jus præ aliis habeat. V. ſupra de ordine reſtit.) ſed teneri omnibus ſolvere pro rata. Bon. *l. c.* V. Trull. *l.* 1. *d.* 10.

ARTICULUS II.

Quid ſit negotiatio, & quibus illicita?

Reſp. Ea eſt, cum quis rem ſibi comparat eo animo, ut integram, & non mutatam carius vendendo, vel permurando lucretur. *Quod quia obnoxium eſt periculo multorum peccatorum, & valde diſtractivum, ac indecens ſtatui clericali, ſic lucris inhiare, ſevere prohibitum eſt Clericis conſtitutis in ſacris, & Religioſis omnibus*, ita ut mortaliter peccent, ſi multam negotiationi dent operam, ut ait Leſſ. quem v. *l. c. d.* 1. Laym. *l.* 3. *t.* 4. *c.* 17. Bon. *de contr. art.* 3. *q.* 1. *p.* 5. Card. Lugo *d.* 26 *ſ.* 3. *n.* 19.

Animad. XXXIII.

Unde reſolves.

Animad. XXXIV. 1. *Si Clericus ſemel, iterumque tantum negotietur* in materia oon gravi, *v. g. libros, cruces*, &c. *emat, ut occulte iterum vendat carius, non eſt mortale*. Leſſ. Mald. Fill. Dian. Card. Lug. *l. c.*

Animad. XXXV. 2. *Non eſt negotiatio Eccleſiaſticis, vel Religioſis prohibita, ſi emant pecora, quæ paſcuis ſuis ſaginata vendant: quia vendunt fructus ſuorum prædiorum, vel agrorum*. Mol. Leſſ. Card. Lug. *ſ.* 3. *n.* 29. *uti nec ſi greges alant, ut fetus, lac, lanam vendant*. Card. Lugo *l. c.* Ubi tamen negant licere iis conducere agros, ut fructus vendant, eo quod (licet oon ſit negotiatio propriæ dicta) ſpecialiter illis ſit prohibitum in Conc. Carthag. V. *l. c.*

3. Non peccat Clericus 1. Si emat agrum cum fructibus jam maturis, illoſque vendat; quia vendit fructus agri ſui. Card. da Lugo *l. c.* ex Mol. Fill. &c. 2. Si id, quod ad proprios uſus emerat, poſtea, vel quia non indiget, vel mutato conſilio, carius vendat. *ibid.*

An vero, & quomodo Clericis liceat negotiari per alios non ſamulos, præſertim in neceſſitate, v. g. Card. de Lugo *d.* 26. *ſ.* 4. *n.* 36. Trull. *l. c. d.* 19. Baib. *de jur. un. l.* 1. *c.* 40. *art.* 1. Animad. XXXVI.

DUBIUM IX.

Quid ſit contractus cenſus, & an licitus?

Reſp. Is eſt, cum certa ſumma pecuniæ, v. gr. 100. florenis, emo a te jus percipiendi quotaonis ex bouis tuis, aut certa aliqua re tua utili, ſive fructifera certam aliquam penſionem, ſeu cenſum, v. gr. florenos 5. aonuos, vel 6. prout conſuetudioe, vel lege taxatum erit: ita ut hic noo ſit mutuum, & uſura, ſi alias prevam intentionem oon habeas, ſed vera emptio, & venditio, qua emitor non præciſa ipſa penſio, ſed jus eam percipiendi: quod longe minus valet, ideoque minoris emitur; licet poſt multos annos pretium longe ſuperat. Molin. Leſſ. Laym. *l.* 3. *t.* 4. *c.* 18. & ceteri communiter. Rectius tameu Card. Lug. *d.* 27. *ſ.* 2. *n.* 20. probat, ad excuſandum cenſum ab uſura, dicendum eſſe, emi penſiones, ueque jus ad illas, oeque fructus, ſed potius partem uſusfructus talis prædii, ſuper quo cenſus conſtituitur; ita ut dominium totum directum prædii maneat apud venditorem, dominium vero utile, ſeu jus uſusfructus ex parte vendatur.

Unde reſolvuntur ſequentes caſus, qui etiam ex natura emptionis, & venditionis ſolvi poſſunt.

1. Hic coutractus eſt injuſtus, ſi non ſervetur pretium juſtum a lege, vel conſuetudioe probatum, quomodo pro Germania conſtituit Carolus V. ut jus ad 5. tantum pro 100. ematur.

2. Non ſolum licitus eſt cenſus realis, ideſt conſtitutus ſuper re aliqua, ut ſupra dictum, ex cujus utilitate penſio extrahatur, ita ut ad quemcumque res treuſeat cum illa obligatione, & onere: *ſed etiam* Animad. XXXVII.
(ſaltem ex natura rei, & ſecluſa prohibitione legis poſitivæ) perſonalis, & conſtitutus immediate ſuper perſona, quæ ſua opera, & induſtria utilis ſit, & fructum aliquem pariat, vel bona in ſpe, vel re habeat. unde penſio duci poſſit: alioqui enim jus, quod venderet, non eſſet pretio æſtimabile, & ſic contractus fictitius. Ita probabiliter Cov. Leſſ. Sal. *dub.* 3. *n.* 2. &c. contra Nav. Mol. Card. Lug. *d.* 37. *ſ.* 225. *n.* 25. *ubi cenſum mere perſonalem illicitum eſſe docet eſſe probabilius, & prolixe probat.*

3. Iniqui ſunt venditores, ſeu cenſuarii, qui emptoribus, ſive cenſualiſtis obligant rem non potentem reddere fructus, ſaltem tot, quot penſio exigit, aut reddeotem quidem, ſed jam aliis cenſibus venditos. Bon. *d.* 3. *q.* 4. *p.* 1. *n.* 9. & 13.

4. Sicut iu emptione res perit damno emptoris, ſic etiam in cenſu reali, ſi res, ſuper quam impoſitus eſt cenſus, pereat, vel fructus ejus abſque culpa venditoris; tunc enim perit cenſus, ita ut emptor, ſive cenſualiſta non poſſit amplius recipere fructus, ſiva cenſum; quia qui emit, ſuo periculo emit. Bon. *l. c.* Fill. *t.* 35. *p.* 2. *n.* 225. Uude ad hoc incommodum cavendum inveutus eſt ſequens modus.

5. *Licitum eſt, ut probat* Tol. *l.* 5. *c.* 46. & Leſſ. *c.* Animad. XXXVIII
22. *d.* 11. *contractui cenſus adjungere aliud pactum aſſecurationis, ut ſi res, ſuper quam fundatus eſt cenſus, pereat, id fiat damno venditoris, ideoque nihilo minus obligatus ſit vel ſuper aliis bonis ſuis eum ſtatuere, vel reſtituta ſorte eodem pretio redimere. Debet tamen hoc pactum venditori compenſari*, augendo pretium cenſus, vel quod eodem recidit, minorem penſionem deſignando. Bon. *l. c. n.* 30.

6. *Ex natura rei licitus eſt non tantum cenſus irredimi-* Animad. XXXIX.

dimibilis, ſed etiam redimibilis cum ex una parte, tum utrinſque, ut patet ex terminorum explicatione: quia irredimibilis cenſus dicitur, cum venditor non poteſt illum pro ſuo arbitrio redimere; redimibilis autem, cum poteſt, reddendo emptori eandem ſummam, quam accepit, atque ita rurſus ſibi emendo, quod ante vendiderat. Utrinque redimibilis dicitur, cum ita conventum eſt, ut tam emptor, quam venditor poſſit emptionem ſactam reſolvere, & ſummam, quam dedit, repetere. Leſſ. *d.* 10. Dian. *p.* 2. *t.* 5. *m. R.* 76. Vide dicta de pacto retrovend. in empt. *ſup.*

7. Nihilominus, quia contractus cenſus redimibilis, ex parte emptoris, eſt periculoſus, ſuaderi non facile debet; nam in Conſtit. Martini V. & Calliſti III. PP., uti & Caroli V. Imper. uſurarius contractus judicatur. Verum id intelligi debet ſecundum præſumptionem fori externi: præterquam quod illæ Conſtitutiones multis locis eatenus non ſint receptæ, quatenus prohibent ea, quæ juri naturali non advertantur, ut notat Laym. *l.* 3. *t.* 4. *c.* 18.

8. Cenſus vitalitius, quia eſt virtualis ſponſio, & nititur aventu fortuito, licitus eſt. Fill. Dian. *p.* 7. *t.* 9. *R.* 70.

DUBIUM X.

Quid ſit Cambium?

Reſp. Cambium, quod permutationem ſignificat, hic accipitur pro ſola permutatione pecuniæ. Et eſt contractus, quo Campſor aliquis Campſario volenti cambit pecunias, cum lucro aliquo præter ſortem. Quod ſi ſine intentione uſuraria fiat, ob titulos juſtos tali lucro æſtimabiles, patet non eſſe malum. Unde cum quatuor ſint cambiorum genera, nimirum 1. Cambium minutum, ſeu manuale, 2. Cambium per literas, 3. Cambium reale, 4. Cambium ſiccum, ſeu fictum;

Circa ea reſolvuntur.

1. Licitum eſt Cambium minutum, in quo dantur pecuniæ minores pro majoribus, vel contra: quia hic ſunt juſti tituli aliquid lucrandi, nimirum labor Campſoris in numeranda pecunia, item diligentia in pecunia omnis generis conquirenda, ut Campſariis quibuſvis ſit paratus; item puritas materiæ, & commoditas, ut cum aurum, vel alia moneta commoda datur pro minuta, & incommoda: Laym. *l.* 3. *t.* 4. *c.* 19. *n.* 4.

2. Licitum eſt item Cambium per litteras, cum ſcilicet Campſor, v. g. Monaſterii Prior, accipit pecunias, quas poſtea literis datis alibi, v. gr. Francofurti refundit per ſuos factores; quia hic etiam ſunt juſti tituli, ſcilicet virtualis trajectio pecuniæ, & ejus aſſecuratio. Tantumdem enim facit, ac ſi Campſario pecuniam ejus Francofurtum transferat ſuo periculo. Minus tamen Campſor exigere debet, quam ſi realiter tranſtuliſſet. Laym. *l. c.* Bon. *d.* 2. *q.* 5. *p.* 1. Nav. Leſſ. &c.

3. Item licitum eſt Cambium reale, cum Campſor hic Monaſterii Prior dat pecunias, ut per ſuos alibi eas recipiat a Campſario, qui alibi habet pecunias, ſed eget nunc iis hic. Titulus hujus Cambii eſt item translationis, & aſſecurationis: tantumdem enim facit Campſor, ac ſi pecunias Campſarii abſentes ſiſteret hic præſentes, vel, ut alii ajunt, ac ſi præſenti pecunia emeres abſentem, quæ utique minus valet. Laym. *l. c. n.* 6. & 7. Bon. *l. c.*

4. Illicitum eſt Cambium fictum, ſeu ſiccum, quod nihil aliud eſt, quam titulus lucrandi; ut v. g. Titius indigens pecuniis petit a Campſore ſibi dari 100. Campſor autem non aliter dat, niſi Francofurti, verbi gratia, vel alio loco diſtante ſolvendos, petitque ab eo pretium, quod ſolet dari pro locis ſimilibus. Titius ergo accipit, & tamen vere non cogitat reddere in iſtis locis, imo forſan nec habet illic correſpondentem, idque conſtat Campſori: contractus hic eſt Cambium fictum, ac revera mutuum, ideoque palliata uſura. Excuſabitur tamen Campſor, ſi lucrum illud exigat titulo lucri ceſſantis. Plura vide apud Tol. *l.* 5. *c.* 52. Bonac. *d.* 3. *q.* 5. *p.* 1.

5. *Quod attinet ad Cambium Francofurtenſe*, in quo mercatores dantes Cambium ad proximas nundinas, quo magis eæ diſtant, eo plus exigunt, ſi ideo præciſe plus exigatur, quia ſolutio diutius differtur, *uſura eſt; ſi autem ratione alterius tituli juſti, v. gr. lucri ceſſantis, cum pecunia mercatorum ſit inſtrumentum lucrandi, quo ſi diutius carent, carent lucro, & quo longius eſt tempus, & plures Cambium petunt, ideoque creſcit valor pecuniæ, tunc lucrum eſt juſtum.* Laym. *l. c. n.* 9. ex Mol. Lex. &c. Animad. XL.

6. Qui cambiendo, vel aliter, pecuniam adulterinam accepit, ſive ex ignorantia, aut inadvertentia, non poteſt illam expendere: quia res vitioſa non poteſt tradi alteri, vitio non detecto, ut ſupra *de vendit.* Neque ex eo, quod ipſe deceptus eſt, poteſt decipere alios, cum actio, qua deceptus fuit, nullum ad hoc jus tribuat. Bon. *d.* 3. *q.* 5. *p.* 1. ex Azor. Sanch. &c.

DUBIUM XI.

Quid ſit locatio, & conductio?

Reſp. Eſt contractus, quo quis perſonam, vel rem aliquam mobilem, vel immobilem alteri ad tempus utendam, vel fruendam concedit, certo pretio, aut mercede, ſeu penſione conſtituta. Utenda conceduntur, verbi gratia elocata domus, equus, ſervus, &c. fruenda conceduntur elocatæ vaccæ, capra, fundus, pomarium, &c.

Unde, conſiderata hujus contractus natura, & juris diſpoſitione, reſolvuntur ſequentes caſus.

1. Si res locata ante traditionem pereat, contractus diſſolvitur, & conductor liberatur.

2. Si abſque culpa conductoris, uſus, vel fructus rei ceſſet, v. gr. quia domus ruinam minatur, infeſtatur ſpectris, *vel ob periculum peſtis (niſi tamen* Animad. XLI. *quoad hoc conſuetudo ſit contraria)* aut belli, tutam habitationem non præſtat, liberatur conductor a ſolvenda penſione pro tempore, quo non poteſt inhabitare, vel alia re conducta uti, vel frui, ut vide apud Laym. *l.* 3. *t.* 4. *c.* 23. Leſſ. *l.* 2. *c.* 24. *d.* 1. &c.

3. *Servo, aut laboratori conducto non debetur ſtipendium temporis notabilis, quo æger decubuit;* nec ægro, niſi expenſæ modicæ: niſi tamen aliter ſit conventum, aut conſuetudo ferat. V. Sa v. *Conductio.* Animad. XLII.

4. Propter modicum damnum, vel infortunium, nihil remittitur colono de penſione: ſecus ſi magna ſit clades. Quod ſi tamen antecedentium, vel ſequentium annorum fertilitate damnum compenſetur, non remittitur. (*i*) Laym. *n.* 7. Leſſ. *l.* 2. *c.* 24. *d.* 4.

5. Si pluribus annis ob cæli clementiam (ſecus ſi ob induſtriam colentis) uberiores fructus ex fundo elocato proveniant, *poteſt colono penſio augeri.* (*k*) Laym. *n.* 8.

6. Expenſas facere in rem conductam, quæ duraturæ ſunt, v. gr. conſervare ſarta tecta, tributa, & onera publica præſtare, ad locatorem, ſeu dominum ſpectat, niſi aliter conventum ſit, aut conſuetudo ferat. Laym. *l. c. n.* 4.

7. Si conductor in rem conductam neceſſarias, ſive utiles expenſas fecerit, poteſt eas de penſione detrahere, vel repetere a locatore, &, dum non ſolvuntur, retinere rem conductam. Laym. *l. c.* Mol. *d.* 496.

8. Etſi incendium plerumque accidat culpa inhabitantium, & ſic in dubio contra illos præſumptio ſit; quia tamen ſæpe id fit culpa famulorum, quam paterfamilias præſtare non cogitur, hinc conductor abſolvendus eſt, niſi locator oſtendat culpam. V. Laym. ſup. *n.* 6. & Dian. *p.* 7. *t.* 7. *R.* 31. ubi ex Hun. & Ber. docet, ſi conſtat accidiſſe culpa certi, & determinati alicujus de familia, iſque circa officium ſuum deliquerit, v. gr. ſtabularii, qui lumen male cuſtodierit in ſtabulo, teneri patremfamilias (niſi famulus iſte pro fideli, ac diligenti fuerit habitus) de damno: ſecus ſi culpa alterius, vel ſi non conſtet, utrum caſu, an culpa cujuſquam acciderit.

9. Si conductor domus, v. gr. ante tempus velit emigrare, id quidem licet, poteſtque alteri locare: ceteroqui autem de penſione nihil ei remittitur.

10. Locator non poteſt ante tempus præfinitum

conductorem invitum privare re conducta, niſi in his caſibus. (*l*) 1. Si penſionem non ſolvat: expectare tamen debet biennium, ſi ultra biennium res ſit conducta. 2. Si caſus improviſus accidat, ob quem domus v. gr. ipſi domino ſit neceſſaria. 3. Si rem locatam reficere neceſſe ſit, nec poſſit fieri altero inhabitante. 4. Si conductor in re conducta male verſetur. v.g. deſtruat, vel abutatur, ut alendo ibi meretrices. Laym. *n.* 9.

11. Succeſſor univerſalis, ſive heres non poteſt ante completum tempus conductorem expellere: partialis autem ſucceſſor, ut emptor, donatarius, legatarius, &c. *non tenetur ſtare contractui locationis*, (*m*) uti neque conductor; niſi tamen aliter pactum ſit, v.g. ne res locata durante tempore locationis alienetur. V. Leſſ. *l.* 2. *c.* 24. & Laym. *l.* 3. *t.* 4. *c.* 22.

DUBIUM XII.

De contractu emphyteuſis, feudi, & libelli.

Reſp. 1. Emphyteuſis eſt contractus ſimilis locationi, in quo res immobilis, quæ cultura poſſit effici melior, conceditur alteri, vel in perpetuum, vel non brevius ſaltem, quam ad decennium; ita ut dominium ejus directum, & poſſeſſio civilis maneat apud dominum, qui tradit in emphyteuſim; dominium autem utile transferatur in emphyteutam, cum hoc onere, ut quotannis certum canonem, ut vocant, ſeu penſionem domino ſolvat: *quam ſi totam*

ANIMAD. XLIII. *ſolvere negligat, 26. annis continuis in emphyteuſi eccleſiaſtica (cum ſcilicet res eſt Eccleſiæ, vel pii loci) vel in ſæculari 36. annis, incidit ipſo jure in pœnam commiſſi, ut dominus eum expellere poſſit, etſi de ſolutione interpellatus non fuerit.* Licet enim Bart. & alii quidam apud Dian. *p.* 8. *t.* 7. *R.* 36. dicant, ſi per 30. vel 40. annos non ſolverit, eum præſcribere immunitatem in futurum, id tamen Weſemb. & alii quinque negant. V. *l.c.* Porro quid juris ſit in hoc contractu, pendet ex conſuetudine locorum, quæ varia eſt, & ex ipſa conventione contrahentium, quæ ſcripto inſtrumento concipi debet, ut valeat. V. Laym. *l.* 3. *t.* 4. *c.* 23. Leſſ. *l.* 2. *c.* 24. *d.* 8.

Reſp. 2. Feudum eſt contractus ſimilis emphyteuſi, quo res immobilis alicui conceditur, cum translatione dominii utilis, proprietate retenta, ſub onere non quidem aliquid ſolvendi, ſed exhibendi fidelitatem, & obſequium perſonalem directo domino. Quod ſi item non faciat vaſſallus (ſic enim dicitur feudi acceptor) perdit feudum. Interdum etiam in feudo aliquid perſolvi debet in recognitionem domini directi, ſed tunc ex ea parte deficit a puro feudo, & declinat ad emphyteuſim. Porro, quid juris ſit circa feuda, pendet item a locorum conſuetudine, quæ juris communis ſunt. V. A. A. cit.

Reſpon. 3. Contractus libellaticus, ſive datio ad libellum dicitur, cum emphyteuta, vel feudatarius rem illam, quam in feudum, vel emphyteuſim accipit, ſimili contractu tradit tertio, (ad quod tamen, ſi in decennium fiat, requiritur domini conſenſus) ita ut ſit quaſi ſubfeudum, & ſubemphyteuſis. Ita Leſſ.

DUBIUM XIII.

Quid ſit ſponſio, & ludus?

Reſp. Sponſio eſt contractus, in quo duo de veritate, aut eventu alicujus rei certantes ſibi invicem aliquid ſpondent, ut id ejus ſit, qui veritatem aſſecutus fuerit: ver. g. certo tecum 10. imperialibus hanc, vel iſtam civitatem obſeſſam, captam, &c. *Ut licite fiat, requiritur* 1. *ut fiat ſuper re du-*

ANIMAD. XLIV. *bia*. 2. ut ſi æqualitas in re, quæ ſpondetur, cum æquali incertitudine. 3. dubius eventus in utroque. 4. ut uterque eodem ſenſu accipiat id, de quo certatur. Molin. Leſſ. C. Lug. *d.* 36. *ſ.* 6.

ANIMAD. XLV. *Ludus vero eſt contractus, quo ludentes inter ſe paciſcuntur, ut victori cedat, quod uterque depoſuit. Hi contractus jure naturæ liciti ſunt, modo debitæ conditiones adſint*, & aliunde non interveniat ſcandalum, aut juſta prohibitio, *aut iniquitas ſe miſceat, nec peccati ſit occaſio*: quia, ſicut quivis ſuæ rei dominus poteſt alteri eam donare abſolute, ſic etiam ſub aliqua conditione, ſive ea fortuita ſit, ſive ex induſtria pendeat. Leſſ. *c.* 26. *d.* 1. Bon. *d.* 2. *q.* 3. *p.* 1.

Unde reſolves.

1. Qui rei dominus non eſt, aut alienare eam non poteſt, non poteſt etiam de ea ludere, aut deponere. *Et ſic deberet reſtituere, qui lucratus eſſet a* ANIMAD. XLVI.
religioſo, & filiofamilias non potente alienare. Lay. *l.* 3. *t.* 4. *c.* 21. *n.* 5.

2. *Si tamen filiusfamilias (& idem de religioſo* ANIMAD. XLVII.
ait Nav. apud Leſſ. l. c. d. 1.) *alatur in diſtante loco a parentibus, poterit ex alimentis moderate aliquid inſumere in honeſtum luſum*, v. g. 5. ex 100. quia talis communiter præſumitur voluntas parentum, ut habet Sot. *l. c.* Laym. &c. Ac præterea poteſt etiam filius deponere quicquid lucratus fuerit, cum ad hoc etiam parens cenſeatur tacitam facultatem dare. Laym. *l. c.* Bon. *de reſt. d.* 1. *q.* 3. *p.* 2. *n.* 10. *& ſeq.*

3. Tenetur reſtituere, qui vicit faciendo contra conditiones ludi, & decipiendo; aut fraude, ac per injuriam alterum pertraxit ad ludendum; v. gr. ſi ſimularet ſe plane ignarum luſus, & ſic alterum multo imperitiorem provocaret, qui alioqui ludere noluiſſet, *aut ſi conviciis laceſſeret*, ad quæ vitanda ANIMAD. XLVIII.
alter conſenſiſſet in luſum, alias non conſenſurus. Mol. *d.* 517. Laym. *l. c.* Bon. *d.* 2. *q.* 3. *p.* 2. *n.* 3.

4. *Si in re, quæ ſpondetur, ſit inæqualitas, & hæc* ANIMAD. XLIX.
alteri parti (v. g. cujus pecunia major eſt) *ſit nota, iſque nihilominus ſpondere velit, valet contractus probabiliter*: quia ſcienti, & volenti non fit injuria, ut dicit Navar. Medin. Sanch. Dian. *Contrarium tamen probabilius docent* C. Lug. *d.* 31. *ſ.* 6. *n.* 81. ex Mol. Leſſ. & Bon. Si autem ignota ſit, non poteſt alter lucrari; quia non eſt æqualis conditio utriuſque, & alter nulli ſe exponit periculo. V. Azor. *p.* 3. *l.* 5. *c.* 25. *q.* 7. Bon. *d.* 5. *q.* 3. *p.* 2. *q.* 36. *n.* 3. Salas *de ludo*, *d.* 13. *n.* 3. Eſc. & C. Lug. *l. c.*

5. *Per ſe quidem, & jure naturæ licita eſt etiam* ANIMAD. L.
ſponſio de futuro eventu, qui damnum proximi conjunctum habet, v. g. Petrum intra annum moriturum (etſi enim detur occaſio optandi, vel machinandi mortem Petro, id eſt per accidens, poteſtque idem periculum eſſe in cenſu vitalitio) jure tamen humano ſæpe prohibetur. C. Lug. *l. c. n.* 74.

6. *Etſi ſponſio cum conditione illicita, v. g. plus* ANIMAD. LI.
altero potaturum, ſit illicita, quia inducit ad peccatum; quod tamen ea lucratus es, non teneris reſtituere. Sanch. Lugo Dian. *p.* 7. *t.* 9. *R.* 69.

7. *Probabile eſt, quod docet Mol. &c. dum qui mi-* ANIMAD. LII.
nis, vel conviciis ad luſum inductus eſt, & perdit, victorem non teneri reſtituere; quia talis abſolute voluntarie luſit. Bon. *l. c.* ex Molin. & Gat. contra Azor. Leſſ. Regin. Fill. & cet. communiter.

8. *Communior ſententia eſt, teneri reſtituere, qui* ANIMAD. LIII.
luſit, vel certavit, certo præſciens ſe victurum eſſe. Contrarium tamen, nempe non teneri, dummodo dolus abfuerit, tenent Tol. & Sa, v. Contractus; *quia non tenetur quis ex juſtitia ſuam peritiam, vel ſcientiam adverſario declarare: ſed is ſuæ temeritati imputet, quod auſus fuerit cum eo deponere, cujus ſcientiam non norat.* V. Bonac. *l. c. n.* 4. Dian. *p.* 7. *t.* 9. *R.* 62.

9. Non tenetur reſtituere, qui utitur aſtutiis illis, quas regulæ luſus, & conſuetudo recepta patitur; cum uterque ſciat, tales aſtutias eſſe ſolitas, & ſic tacite in illas libere conſentiat. Azor. Fill. Leſſ. Bon. *l. c. p.* 2. *n.* 2. v. gr. Si potiores chartas habens, & ſecurus de victoria augeat ſponſionem, vel ſimulet metum, ut adverſarius augeat. 2. Si ſciens ſe inferiores chartas habere, diſſimulet, augeatque ſponſionem, ut ſic relinquatur ſibi, quod erat appoſitum. Card. Lugo, Sanchez, Sal. Dian. *p.* 7. *t.* 9. *R.* 43. 3. *Si inſpiciat chartas alterius, ex* ANIMAD. LIV.
ſola ipſius negligentia, & abſque fraude; ſecus, ſi ita ſe collocet, ut poſſit videre; vel ſi alium conſtituat, a quo admoneatur. 4. *Si chartas a tergo diſcat noſſe inter ludendum, quas ante non ſignarat, nec noverat.* Trull. Sanch. Lug. Dian. *p.* 4. *t.* 9. *R.* 50. & 52.

10. *Qui vero utitur fraudibus non adhiberi ſolitis,* ANIMAD. LV.
vel colludenti ignotis: v. gr. ſuſſuratur chartas, vel ſignis a tergo notat, vel utitur notatis, aut iis,

quas

quæs ante novit, ignorente ſocio, val arte quadam eae componit, &c. *tenetur reſtituere non tantum lucrum, ſed etiam quantum alteri valebat ſpes lucrandi, imo etiam colludendi*. Regin. Amic. Trul. Dian. *l. s. R.* 42. Vida etiam *p.* 4. *t.* 3. *R.* 25. & Bon. *de reſt. d.* 2. *q.* 3. *p.* 2.

11. Si ludens habeat animum non ſolvendi, vel ſi perdat, repetendi, non poteſt lucrari, atque adeo nec retinere, quod eſt lucratus; quia fraudulenter decipit, nec alter vellet cum eo ludere, ſi id ſciret. Leſſ. *l. c. d.* 5. *n.* 21. Regin. *n.* 388. Bon. *l. c.*

12. Peccant graviter, & communiter mortaliter, qui totos ſe luſibus tradunt, cum ſciant in gravia ſe inde peccata labi, aut impotentes reddi ad ſolvenda debita, vel alendos liberos, & uxorem, &c. Sanch. Trull. *c.* 27. *d.* 1.

ANIMAD. LVI. 13. *Peccat item ludens, ſi luſus lege poſitiva ſit prohibitus*, ut luſus alearum, & ſimiles, qui magis in fortuna, & caſu, quam in induſtria fundantur. *At laicis ratione circumſtantiarum ſub veniali*, clericis ſub mortali prohibentur. Leſſ. *l.* 2. *c.* 26. *nu.* 6. Intellige, ſi clericus crebro, perque longum tempus luſarit, non autem ſi per breve tempus, & cauſa recreationis, & abſit ſcandalum; quia canones id prohibentes non videntur recepti, niſi quatenus id fieret cum periculo ſcandali, ut habet Leſſ. *d. r.* Laym. *l.* 3. *t.* 4. *c.* 21. *n.* 1. Notat autem Dian. *p.* 7. *t.* 5. *R.* 2. & 3. ex Lug. Dicaſt. Amic. Trull. &c. prædictis legibus per contrariam conſuetudinem ita derogatum eſſe, ut non tantum laicus, ſed etiam clericus non peccet, ſi principaliter pro recreatione, & ſimul pro lucro moderato ludat chartis, vel aleis. *In Religioſis tamen* (*apud quos diſcipline regularis viget*) *uti & Epiſcopis, a peccato gravi excuſari vix poſſe*, *ib. R.* 4. ex Molin. Dicaſt. Lug. &c. *niſi Sanchez conatur excuſare, ſi urgeat neceſſitas, verbi gratia, excitandi, aut recreandi infirmum, vel ſi parum ludat ob ſolam recreationem*.

ANIMAD. LVII. 14. *Si quis ludo tali vetito lucratus fuerit, juxta ſententiam probabiliorem non tenetur ad reſtitutionem ante judicis ſententiam: quia jura non annullant contractum, nec impediunt acquiſitionem dominii, ſed tantum concedunt, ut poſſit repeti*. An vero qui tali luſu perdidit, teneatur poſtea adhuc ſolvere, alii negant. Vida Leſſ. hic *d.* 5. Molin. Regin. Filliuc. &c. alii affirmant, ut Azor. Reb. Val. &c. apud Bon. *l. c. p.* 3. *n.* 2. Vide Dian. *p.* 2. *t.* 7. *R.* 8. & *p.* 7. *t.* 9. *R.* 21.

ANIMAD. LVIII. 15. *Ludere pro Pſalmo, vel Oratione Dominica recitanda*, non eſt peccatum, nec irreverentia. Nav. Rebel. Sanch. Dian. *p.* 7. *t.* 9. *R.* 1.

DUBIUM XIV.

Quod ſit contractus ſocietatis.

Reſp. Is eſt, cum aliqui inter ſe conveniunt, & contributis aliquibus rebus ad lucrandum idoneis, ſive fructiferis, ut pecunia, animalibus, induſtria, labore, &c. commune aliquod lucrum faciunt, quod, uti & damnum, pro ratione, & rata cujuſque dividunt inter ſe. V. Leſſ. Laym. *c.* 20. Bon. *q.* 6. *p.* 1.

Unde ſpectando id, quod ratio, & juſtitia natura hic requirit, reſolvuntur hi caſus.

1. Plus lucrari debet, qui confert pecuniam, & operam ſuam, quam qui vel pecuniam, vel operam ſolam.

2. Capitale, ſeu ſors, quam quivis contribuit, ſi pereat caſu, vel culpa ſociorum leviſſima, contribuenti perit. Unde diſcrimen eſt inter hunc contractum, & mutuum: quia in mutuo ſors data alienetur, & dominium ejus transfertur in mutuatarium, cujus proinde ſolius periculum, ac damnum eſt, ſi caſu pereat; in ſocietate autem, qui ſortem confert, eam non omnino alienat a ſe; & ſicuti commodum, ac lucrum ad eum ſpectat, ſic etiam periculum, & damnum. Bon. *l. c.*

ANIMAD. LIX. 3. *Poteſt tamen etiam fieri in hoc contractu, ut quis juſte ſervet ſortem ſuam indemnem, & inſuper certum lucrum percipiat, ſi nimirum ad contractum ſocietatis adjungantur duo alii, aſſecurationis, & venditionis, cujus tale exemplum ponit Laym.* Inis ſocietatem cum mercatore, & contribuis ei 1000. florenos, v. g. ſpes eſt, quod is quotannis lucraturus ſit 300. cujus lucri dimidium, v. g. jure ſocietatis tibi debetur una cum ſorte; ſed quia ad te quoque pertinere deberet ejuſdem ſortis periculum, ut ipſe id periculum in ſe ſuſcipiat, & tibi ſortem aſſecuret, in hujus oneris compenſationem, relinquis ei majorem partem lucri ſperati, ut ſcilicet duæ partes lucri ad ipſum, & tertia ad te pertineat. Et curſus, quia ſpes lucri hujus incerta eſt, ideo adhuc partem hanc lucri ſperati, nempe 100. florenos in ſpe, vendis etiam eidem 50. vel 60. v. gr. annuis certis, & in re, & ſic tandem id lucrum facis, & ſortem ſerves indemnem. V. Laym. & Bonac. *ll. cc.*

4 Societas etiam in pecoribus valide, & licite inſtituitur. Et interdum quidem ita, ut tam pecora ipſa, quæ alteri paſcenda, & nutrienda traduntur, quam emolumenta, & fructus, ipſaque detrimenta, & damna danti, & accipienti communia ſint: *interdum vero ita, ut pecorum dominium, ideoque etiam periculum*, ſive caſus fortuitus ſpectet ad ſolum dantem; emolumenta autem fructuum, nempe fetus, lanæ, lactis, ad utrumque. V. Leſſ. hic, & Laym. *l.* 3. *t.* 4. *c.* 20. ANIMAD. LX.

DUBIUM XV.

Quid ſit aſſecuratio, & fidejuſſio?

Reſp. 1. Contractus aſſecurationis eſt, quo quis alienæ rei periculum in ſe ſuſcipit, obligando ſe, vel gratis, vel pro certo pretio, ad eam compenſandam, ſi perierit. Quod ſi gratis fiat, eſt gratuita promiſſio: ſi pretio, eſt quaſi emptio, qua aſſecurans vendit ſuam obligationem præſtandi alteri rem ejus indemnem. Ad ejus juſtitiam requiritur, ut eventus rei ſit incertus utrique, ſaltem quoad notitiam, quam de eo habent; quia alioqui non ſervaretur æqualitas. Leſſ. Bon. *d.* 3. *q.* 9. *p.* 3. Leſſ. *l.* 2. *c.* 28. *d.* 4. *n.* 24.

Unde reſolves.

1. Si aſſecurans certus ſit rem eſſe in tuto, inique pretium petit, & tenetur reſtituere. *ibid.* Bon. *d.* 3. *q.* 9. *p.* 3.

2. *Si res nondum eſt in tuto, etſi privata ſcientia ſciat non fore periculum*, licere nihilominus pretium ordinarium aſſecurationis accipere, dicit Leſſ. *l. c. n.* 27. *Quia illa obligatio ob pericula ordinaria magni æſtimatur*, & cauſæ occultæ, quæ periculum minuunt, non imminuunt communem æſtimationem. Verum id Bon. *d.* 3. *q.* 9. *p.* 3. *n.* 3. Card. de Lug. *d.* 31. *ſ.* 7. rectius negant. ANIMAD. LXI.

3. Si cupiens rem ſuam aſſecurari, certo ſciat eam jam periiſſe, non poteſt paciſci de ejus aſſecuratione. V. Leſſ. *l. c. n.* 25.

Reſp. 2. Fidejuſſio eſt contractus, quo quis alienam obligationem ſuſcipit implendam, *ſi debitor principalis non ſolverit*. Ita comm. DD. ANIMAD. LXII.

Unde reſolves.

1. *Pro fidejuſſione licet accipere pretium, etſi nullum periculum timeatur*; quia ex ſe pretio eſt æſtimabilis. Nav. Azor. *p.* 3. *l.* 11. *c.* 12. *d.* 5. Fill. *n.* 159. ANIMAD. LXIII.

2. *Mulieres ex fidejuſſione* (*ſaltem ſi juramentum abſit, & inſtrumentum publicum*) *non tenentur*, uti nec Clerici, niſi quatenus ſolvere commode poſſunt, ut non egeant. V. Laym. Bonac. *q.* 9. *p.* 2. Leſſ. *l. c. c.* 28. ANIMAD. LXIV.

3. Fidejuſſor non obligetur plus, quam principalis; & hujus obligatio, ſi ſit invalida, erit etiam fidejuſſoris. Card. Lug. &c. commun.

4. Fidejuſſor regulariter non poteſt conveniri, niſi facta excuſſione principalis debitoris, conſtet ipſum non eſſe ſolvendo. Azor. *l. c.* Fill. *n.* 153.

5. Debitor tenetur de omni damno ſua culpa accedente fidejuſſori, &c. Vide Azor. *d.* 10. Bonac.

6. Ex fidejuſſione Religioſi propria auctoritate facta monaſterium non obligatur, niſi quatenus in ejus utilitatem verſum eſt. Vide Leſſ. *c.* 28. & Lay. *c.* 29. *n.* 7.

7. Qui fidejuſſit pro reo, cui periculum capitis impendebat, ſi is aufugit, non eſt ejus loco ple-

ctendus, quia non præſumitur ſic ſe obligare; imo nec poteſt, cum non ſit dominus vitæ. Sylv. Bon. Leſſ. *d.* 7. *n.* 41.

8. Si debitor ſua colpa non ſolvit, tenetur fidejuſſori, qui pro ipſo ſolvit, non tantum ipſum debitum, ſed etiam damna, & expenſas omnes com-
ANIMAD. LXV. penſare. *Si vero ſine culpa, v. gr. ob impotentiam, non ſolvit, ad ſolum debitum videtur teneri.* Azor. Sylv. Sa, Bonac. Trull. *cap.* 26. *d.* 2.

DUBIUM XVI.

Quid ſit pignus, & hypotheca?

Reſp. Pignus eſt contractus, quo debitor dat creditori rem aliquam mobilem, vel immobilem, ut ſit pro debito obligata, ex eaque ſolutio peti poſſit. Aliquando tamen pignus accipitur pro ipſa re, quæ datur. Differt autem ab hypotheca, quod pignus proprie ſit rei mobilis, illa immobilis. Mol. Fill. Bon. *q.* 10. *p.* 1.

Unde reſolves.

1. Pignore non licet uti contra voluntatem domini; quia eſt res aliena, ad ſecuritatem tantum, & non ad uſum tradita. Bonac. *l. c.* ex Mol. Reg. &c. Si tamen utatur, v. gr. equo, vel agro, debet valorem uſus (uti & fructus omnes, ſi ſit res ex ſe fructifera) computare in ſortem, deductis expenſis, quia alioqui committet uſuram, cum res domino ſuo fructificet. Nav. Bon. Trull. *c.* 26. *d.* 2.

2. Non poſſunt oppignorari, quæ non poſſunt vendi, v. g Eccleſiæ. Molin. *d.* 530. Leſſ. *l.* 2. *c.* 28. *d.* 3. Bon. *l. c.*

3. Immobilia, uti & mobilia pretioſa, cultui divino dicata, v. gr. calices, caſulæ, &c. non poſſunt oppignorari, niſi in neceſſitate, quia tunc etiam vendi poſſunt, ut Eccleſiæ, & indigentibus ſubveniatur. Vide Nav. *c.* 17. Leſſ. Bon. *l. c.*

4. Creditor, qui pignus ab aliquo accepit, *poteſt illud alteri oppignorare*, (*n*) ſed non pro majore quantitate. Neque poteſt vendere, debitore non ſolvente, niſi poſt biennium, & eo prius monito. Quidam tamen dicunt, poſſe vendere poſt trinam monitionem. V. Laym. *l.* 3. *t.* 4. *c.* 30. Bon. *l. c. n.* 9.

5. Eandem rem non licet oppignorare, ſeu in hypothecam dare pluribus, niſi ſit ſufficiens ad ſolvendum omnibus, vel poſteriores de priore hypotheca admoneantur, Azor. Filliuc. Bon. *d.* 3. *q.* 10. *p.* 1. Trull. *c.* 26. *d* 4.

Quæres: Quid ſit contractus Antichriſeos, germanice *ein Pfandſchafft*.

Reſp. Is eſt, cum in contracto pignoris convenitur, ut creditor utatur pignore, v. gr. agro, ac fructus inde tamdiu lucretur, donec debitum ipſi reſtituatur.

Unde circa hunc ex ſupradictis reſolves.

ANIMAD. LXVI. 1. *Contractus hic videtur juxta Cajetan. Sot.* &c. (*contra quoſdam Juriſtas*) *eſſe uſurarius*; quia creditor ultra ſortem aliquid lucratur, cauſa ſolius mutui, quæ eſt uſura. V. Laym. *l.* 3. *c.* 4. *t.* 16. *n.* 12.

ANIMAD. LXVII. 2. *Poſſunt tamen intervenire tituli juſti lucrandi fructus ex pignore, ſeu diminutione ſortis: ut ſi v. gr. fructus ex hypotheca percepti non ſuperent quantitatem penſionis, quæ jure cenſus ſuper eandem conſtituti exigi poteſt, cum pacto redhibitionis*, ut ſupra dictum eſt de cenſibus: aut ſi alioquin lucrum ceſſet, aut damnum emergat, dum debitum differtur. Unde non facile damnandi illi, qui a Principibus in locum debitorum agros, paſcua, officia, &c. in anticriſin habent. V. Laym. *l. c.* & Binsfeld. *de Uſuris*. Mol. Leſſ. &c.

NOTÆ.

(a) *Non eſt invalidus contractus* &c., *niſi forte intentio contrahentis* &c.

Buſembau ſententia aliis verbis hæc eſt. Si dolus circa qualitatem ſit concomitans, hoc eſt ſi cauſam contractui non det, qui fieret, etiamſi dolus abeſſet, contractus validus eſt ex communi ſententia; auctarium tamen pretii, cui dolus cauſam præbuit, ex conſcientiæ lege, juſtitiæ æqualitate ita poſtulante, ſemper refundendum eſt; quod ſi juſti pretii dimidium exeedat, actionem etiam quoad externum forum ſuppeditat.

Si autem dolus circa qualitatem ſit antecedens, hoc eſt contractui cauſam dederit, qui ſine dolo initus non fuiſſet, contractus ex parte dolum paſſi nullus eſt. Intentio contrahentis in hac ſpecie, ut ait Buſ., eſt conditionata, ideoque ſublata conditione nulla; ita ſentic etiam Concina Th. t. 7. p. 245. q. 3. n. 6. Voluntas, inquis, nulla eſt quoad qualitatem, non quoad ipſam rem, puta vinum, equum, bovem &c. Reſp. Imo propter qualitatem nulla eſt quoad ipſam rem, in quam non conſentit, quia occulta qualitate viliata.

Obligatio ex D. Th. hic animad. 1. *tollitur per coactionem*: ergo etiam per dolum, qui contractui cauſam dat; aut etiam multo magis. Quia hic contractus non eſt voluntarius, cum tamen contractus ex coactione, ſicuti omnia, quæ ex metu fiunt, hic & nunc voluntarius ſit.

Obligatio tollitur per coactionem; quia ille, qui vim intulit, hoc meretur, ut ei promiſſum non ſervetur, ait S. Thom. An qui dolum dantem cauſam contractui texuit, hoc non meretur, ut ei promiſſum non ſervetur? Reipublicæ magnopere intereſt, ut doloſi homines non commodum, ſed pœnam ex ſuis dolis reportent; ideoque ut eorum fraudulenti contractus quoad fieri poteſt, in irritum ad arbitrium dolum paſſi mittantur.

(b) *Donatio ante* &c. *non parit* &c. *ne naturalem quidem.*

Ratio eſt, quia donatario nullum jus acquiritur, priuſquam donationem acceptet. Nam nullus contractus, niſi utriuſque contrahentis conſenſu perficitur: ergo, cum donatio ſit gratuitus quidem, at contractus, ſine conſenſu donatarii perfici non poteſt; ex quo fit, ut nullum ei jus ante acceptationem acquiratur; ideoque a donante revocari poſſit.

Hæc tamen revocatio ab inconſtantiæ nota, & turpitudine vix immunis eſſe poteſt; niſi forte inopinatæ revocandi cauſæ extiterint.

At cur Buſ. addit, *etiamſi voluerit ſe abſolute obligare*? Eſt enim contra naturam contractus, ut alter contrahentium ſine alterius conſenſu ſe obliget.

Buſ. *præſenti autem & tacenti facta, cenſetur ab eo acceptata*; *quia* &c. recte. Nam reg. 43. juris in 6. *qui tacet, conſentire videtur*, in iis ſaltem locum habet, quæ in tacentis favorem cedunt ex communi ſententia, ut notat Anacl. t. 3. juris can. p. 417. n. 11. contra Tiraq., & nonnullos alios, qui regulam 44. *ts*, *qui tacet, non fatetur*; *ſed nec utique negare videtur*, fruſtra objiciunt. Nam ſicuti 43. ex æquiſſimo ſenſu communiter accipitur quoad favorabilia, ita 44. quoad ea, quæ tacenti incommoda ſunt, & quoad contractus oneroſos, qui utrum ſint utiles, an damnoſi, incertum eſt; ideoque tacentem animo ſuſpenſum eſſe, merito judicatur. Hac æquiſſima intelligentia regulæ citatæ, quæ ſpecie tenus contrariæ videntur, conciliandæ omnino ſunt, & conciliantur.

Cæterum hujuſmodi regulæ ajunt, *videtur*, quia tacentis animus ex ipſo ſilentio occultus, nonniſi conjiciendo, & circumſtantias rerum acute perpendendo intelligi poteſt.

(c) *Nec valet in abſentem ſine nuntio* &c., *vel epiſtola.*

Cur non valet ſine nuntio &c.? Quia Diana, & alii 5. teſte Buſ. ita definiunt. At Dianæ, & aliorum 5. laxorum ipſi ſimilium, ut conjicere non ſine ratione licet, Scriptorum auctoritas a me certe levis eſſe judicatur. Utrum alii idem ſentiant, ignoro. Sed pro veritate quantum in me eſt, loquor. Cur loco nuntii ad hoc deſtinati, vel epiſtolæ, verba mortis cauſa donantis, eodem momento non ſunt? An hæc donantis mentem aperte non declarant, non minus, ac nuntius, aut epiſtola? Jure certe naturæ vocalis donatio valida eſt, & firmiſſima, dum humano more comperta ſit. Lege quæſo verba Greg. IX. recitata animad. 5. in cap. 4. hujus tract. 5.; ex quibus arbitrium Dianæ, & aliorum eſſe repudiandum, aperte cognoſces.

(d) *Excepto filiofamilias, qui licet teſtamentum condere nullo modo poſſit* &c.

Ipſe Buſ. cap. 4. hujus tract. 5. dub. 3. Reſp. 1. ait: *omnes homines liberam de ſuis bonis teſtandi facultatem habent, niſi naturali, aut poſitivo jure prohibeantur*: tum ſubdit, *poſitivo* (jure prohibetur) *Filius-familias de bonis adventitiis, ſiquidem ante clericatum advenerint*. Ergo de bonis caſtrenſibus, & quaſi caſtrenſibus teſtari poteſt; ſicuti docet etiam Concina Th. t. 7. p. 649. n. 6., quæ ſententia teſte Anacleto t. 3. juris can. p. 392. n. 298. communis & certa eſt, perſpicuis juris civilis textibus, quos affert, nixa, & a Bonifacio 8., cujus verba habes hic animad. XI., confirmata.

Idem

Digitized by Google

Idem dicas de bonis adventitiis, quæ poſt Clericatum advenere, quod Concina confirmat n. 6. cit. c. de Epiſ., & Cler. l. *Sacros* 32., ubi dicitur: *Ea, quæcumque in eodem Clericatus gradu, locoque viventes acquirere, & habere potuerint, etiamſi in Patris poteſtate conſtituti ſint, tanquam bona propria vindicent, de his, ſi quando libitum fuerit, teſtandi, vel alienandi, vel donandi libera facultate conceſſa.* Idem ex communi ſententia habet Laym. lib. 3. de juſt. tract. 5. cap. 3. n. 2.

(e) *Si depoſitarius bona fide &c. ... licebit uti.*

Licet hæc doctrina, prima fronte mala non videatur; ſi tamen attente penſetur, exceptis caſibus extra ordinem repudianda eſt. Fides quam Buſ. bonam appellat, non eſt bona, ſed mala fides; quia pacto contraria: depoſiti enim pactum in eo eſt, ut depoſitarius rem depoſitam diligenter cuſtodiat in gratiam deponentis, non ut ea utatur. Dum ea utitur, depoſitum in commodatum propria auctoritate convertit; quod bona fides minime patitur.

Hæc bona Buſ. fides latam injuriis, & damnis viam aperit, dum depoſitarii opinionem legem facit, imo pactorum legi ſuperiorem. Sicut depoſitarius arroganter & perverſe aliena re apud dominum exiſtente uteretur ſine certo ejus conſenſu, ita idem accidit in noſtra ſpecie; quia nihil prorſus juris domino deperit re ſua depoſitario ad cuſtodiam tradita. Quare Buſ. fides non eſt bona, ſed arrogans, & improba, ac exceptis rariſſimis eventibus a culpa excuſare non poteſt.

(f) *Si depoſitum ſit res uſu conſumptibilis, ut &c. eaque tradita ſit certo &c. non videtur depoſitarius peccare ſaltem graviter &c. quando repetetur.*

Depoſitarius depoſitum in mutuum ſponte ſua ſine deponentis conſenſu contra fidem depoſiti in hac ſpecie licentiſſime, hoc eſt flagitioſe, convertit; quod ſine gravi deponentis injuria, & ideo ſine gravi culpa fieri non poteſt, niſi materiæ parvitas excuſet. Hoc eſt apertum naturæ jus.

At Buſ. addit, *ſi certus ſit, ſe tantumdem* &c. At qui hoc certum eſſe poteſt? Depoſitor pro arbitrio rem depoſitam repetere poteſt; & depoſitarius eam ſine mora reddere repoſcenti debet.

Qui ergo depoſitario certum eſſe poteſt, depoſito conſumpto, ſe tantumdem ejuſdem bonitatis habiturum, quando repetetur? Hæc ſcilicet hypotheſis ficititia eſt, anſamque præbet injuriis, & peccatis.

Sed quæſo, nonne qui rem alienam domino non conſentiente contrectas, furti reus eſt? Recole hic animad. in furti definitionem, quam ex D. Thoma concinnavi. Sed qui in Buſ. ſpecie rem depoſitam conſumit, rem alienam domino non conſentiente contrectat: hæc eſt res facti aperta. Ergo furti reus eſt; neque ab hoc reatu excuſatur, quia tantumdem reſtituere in animo habet; quia reſtituendi animus, furti naturam, & culpam non tollit.

(g) *Ita ut lucrum tale præciſe intendatur ratione mutui.* Quia recentes opinatores ad intentionem confugere ſolent, ne quis decipiatur, uſura eſt, ſeu lucrum ratione mutui intendatur, ſeu reipſa percipiatur, qualiſcumque ſit mutuatoris intentio. Hoc vero accidit, quotieſcumque nullus alius juſtus titulus a mutuo diverſus accedit.

(h) 3. *addit Laym. ... ejus teſtamentum ipſo jure irritum eſſe, niſi &c.*

Hoc accuratius intelliges ex Greg. X. lib. 5. in 6. tit. 5. cap. 2.. ubi ita loquitur. *Teſtamenta quoque manifeſtorum uſurariorum aliter facta (ideſt, niſi de uſuris ſatisfecerint, vel de ſatisfaciendo pro ſuarum viribus facultatum præſtent idoneam cautionem) non valeant, ſed ſint irrita ipſo jure.*

(i) Omnia recte, & ex naturali æquitate. Hinc Greg. IX. lib. 3. decr. tit. 18. cap. 3. inquit. *Propter ſterilitatem afficientem magno incommodo conductores vitio rei ſine culpa coloni, ſeu caſu fortuito contingentem, colonis eccleſiæ tuæ pro rata penſionis remiſſio eſt facienda, niſi cum ubertate præcedentis, vel ſubſequentis anni valeat ſterilitas compenſari.*

(k) *Si pluribus annis* &c. *poteſt colono penſio augeri.*

Poteſt quidem augeri, ſi ob antecedentem ſterilitatem fuerit diminuta, ut æquitas ex ſe loquitur, & colligitur ex mox citatis Greg. IX. verbis, & explicare dicitur l. *Ex conducto* apud Anacl. t. 3. juris can. p. 268. n. 79. at ſi penſio propter ſterilitatem remiſſa non fuerit, ne augeri quidem propter ubertatem poterit.

At quid ſi ſterilitate non præcedente, fructus uberiores ex cæli clementia per multos annos percipiantur, quæ videtur eſſe Buſ. ſpecies?

Reſp. id quidem aut nunquam, aut vix unquam accidis. Præterea ubertas fructuum pretium minuit, ideoque quoad pecuniariam penſionem nihil, aut quaſi nihil commodi conductori afferre ſoles. Ex quo fit, ut vix unquam æquitas patiatur, penſionem conductori augeri poſſe ob fructuum ubertatem. Quod ſi accidat, id ex æquitate fieri poſſe, eadem penſio ob ſubſequentium annorum ſterilitatem minuenda erit.

(l) *Locator non poteſt* &c., *niſi in his caſibus*, &c. Quæ hic Buſembau habet, docentur a Greg. IX. loco mox citato.

(m) *Succeſſor univerſalis* &c. *non poteſt* &c. *particularis autem* &c. *non tenetur ſtare* &c.

Idem habet Concina Th. t. 7. p. 631. n. 20. Anacl. t. 3. juris can. p. 268. num. 82. Genett. Theol. t. 1. p. 336. q. 3., quod civilium legum auctoritate confirmat.

(n) *Creditor, qui pignus* &c. *poteſt illud alteri oppignorare, ſed non* &c. Id ex naturæ æquitate derivatur, ne quis ex dato mutuo in neceſſitatem petendi mutui conjectus, detrimenta ſuſtinere cogatur. Hoc Anacl. t. 3. juris can. p. 314. n. 40. confirmat l. 1. c. *Si pignus*, ubi dicitur: *Etiam id, quod pignori obligatum eſt, a creditore pignori obſtringi poſſe, jamdudum placuit;* Quod tamen expirat, cum primum debitor prior ſolvit, ut ea eadem lege conſtat.

Buſ. *Sed non pro majore quantitate.* Id quoque ex naturali æquitate exiſtit, ne ſcilicet debitor majori onere gravetur, quam quod ex juſtitiæ æqualitate ſubire debet.

Buſ. *Neque poteſt vendere* &c.

Laym., ad quem Buſ. nos mittit, loco ab eo citato ita ſcribit: *Deinde apponi poteſt pactum, ut ſi debitor in mora ſolvendi exiſtat, ... pignus, vel hypothecam ſtatim diſtrahere liceat, atque inde accepto debito, quod reliquum eſt, debitori reſtituatur juxta legem, Si convenit. 4. §. de pign.*

Sin autem nihil conventum de pignore diſtrahendo, nihilominus diſtrahi poteſt biennio poſt moram, & interpellationem debitoris l. ult. c. de jure dom.

Sed & ſi conventum fuerit, ut pignus diſtrahere non liceat; poſteaquam tamen ter denuntiatum eſt debitori, ut ſolvat, bienniumque interim elapſum eſt, pignus diſtrahere conceſſum eſt, uti habetur in cit. l. Si convenit, & docet Gloſſ. ibidem, Sylv. &c. Nav. &c. ne ſcilicet, ut ego puto, creditor re ſibi debita fraudetur.

Verumtamen ſi creditor pignus diſtrahat, non poterit ipſemet emere, ne quidem per interpoſitam perſonam, ſicuti habetur in l. Qui &c. Hæc omnia ex ſe æquiſſima confirmat Anacl. t. 3. juris can. p. 318. n. 70. & ſeq. allatis textibus perſpicuis legum, quas indicat Laym., & communis Theol. ſententiæ auctoritate; quæ tamen ex Principatuum, & locorum legibus, & conſuetudinibus aliquam variationem ſubire queunt.

Animadversio I.

N*On eſt invalidus* &c. *licet poſſit a judice reſcindi pro arbitrio metum paſſi.*

Recte quidem id additur. Ex quo fit, ut metum paſſus jus habeat, ut contractus in foro externo reſcindatur; ideoque ab eo tuta conſcientia reſilire poſſit abſque ulla judicis ſententia; ne qui metum incuſſit, ex ſua malitia, & injuria commodum referat. Hinc D. Th. 2. 2. qu. 88. art. 7. ad 2. ait, *quod in juramento, quod quis coactus facit, duplex eſt obligatio. Una quidem, qua obligatur homini, cui aliquid promittit, & talis obligatio tollitur per coactionem; quia ille, qui vim intulit, hoc meretur, ut ei promiſſum non ſervetur. Alia* &c.

Talis eſt 1. Contractus matrimonii, etiamſi juramentum acceſſerit.

Cap. *Cum locum*, & cap. *veniens* a Buſemb. citatis de matrimoniis juratis nihil quidem habetur; at cum ibi matrimonia coactione, gravique metu contracta irrita declarentur, ſequitur, nulla eſſe, etiamſi jurata fuerint. Nec enim juramentum poteſt efficere validum, quod ex lege Eccleſiæ irritum eſt. Præterea juramentum de re mala, malum & nullum eſt: at juramentum confirmans matrimonium gravi metu coactum, eſt de re mala; quia de re legi Eccleſiæ contraria: ergo eſt malum & nullum. Et ita loquitur quoque P. Conc. Theol. t. 7. p. 262. n. 6.

3. *In aliis quibuſcumque votis.* Hac de re vide dicta t. 2. c. 3. d. 2. ca. 5.

4. *Contractus dotis promiſſæ, vel ſolutæ.*

Recte quidem, ſi juramentum non acceſſerit: at ſi contractus juratus ſit, promiſſio præſtanda eſt non ex vi contractus, ſed ex vi juramenti, ſicuti implenda eſt coacta, & jurata promiſſio facta latroni. Hinc D. Th. loco mox cit. ait: *Alia autem eſt obligatio, qua quis Deo obligatur, ut impleat, quod per nomen ejus promiſit, & talis obligatio non tollitur in foro conſcientiæ.* Huc ſpectant dicta t. 2. c. 2. d. 5. ca. 4.

At Buſ. objicit: „Contractus, de quo ſermo eſt, in „hoc ſequitur naturam matrimonii, cui acceſſorius „eſt.“

Reſp.

Digitized by Google

Reſp. Juramentum additum promiſſioni non eſt quid acceſſorium eo ſenſu, ut majorem obligandi vim non habeat, quam ipſa promiſſio; ſed eſt quid præcipuum, obligans, etiamſi promiſſio non obliget, ut intelligitur ex dictis contra Buſ. loco mox cit. & Reſp. 2. ejuſdem d. 5. & ex dicendis l. 6. t. 6. cap. 1. d. 1. ca. 3. Si tamen matrimonium nec contractum ſit, nec contrahatur, contractus dotis promiſſæ, vel ſolutæ etiam juratus, nullus eſt; quia tale juramentum ex rei juratæ natura intelligi debet, dum matrimonium, ſine quo dos non eſt dos, fuerit initum.

Animadversio II.

Promiſſio acceptata &c. ſi materia ſit notabilis, an ſub mortali obliget &c. non convenit inter DD. Cajet. negat, quem &c. alii (forte probabilius) affirmant cum Vaſq. &c.

Negat quoque La-Croix p. 355. n. 772. ego affirmantibus adhæreo. Promiſſio enim, quæcumque ea ſit, eſt actus, quo quis ſe obligat ad aliquid in gratiam alterius: ergo, cum acceptata fuerit, in foro conſcientiæ obligat ex jure naturæ, & gentium, uti eſt communis ſententia, ſicut monet etiam Anacletus t. 1. juris can. p. 371. n. 27. Hinc D. Thom. 2. 2. qu. 88. art. 3. ad 1. ait: *Quod ſecundum honeſtatem ex qualibet promiſſione homo homini obligatur; & hac eſt obligatio juris naturalis: ſed ad hoc, quod aliquis obligetur ex aliqua promiſſione, obligatione civili, quædam alia requiruntur*. Hinc ea ratio exiſtit. Quod obligandi vim habet, in re levi leviter obligat, in gravi graviter: at ex dictis quælibet promiſſio etiam ſimplex civilibus ſolemnitatibus deſtituta, obligandi vim habet: ergo in re gravi graviter obligat. Promiſiſti e. g. duos obulos Petro; Paulo promiſiſti decem aureos; an ſi violatio prioris promiſſi venialis tantum culpa eſt, poſterioris quoque omiſſio eſt ſolum noxa venialis?

At inquit La-Croix: „ Fidelitatem ſecundum ſe non „ obligare ſub mortali, docet cum communi Gorm. de „ juſt. n. 648. in hoc enim eſt ſimilis veracitati, quæ „ ſecundum ſe etiam tantum ſub veniali obligat. "

Reſp. Ex dictis ſub diſtinctione in materia levi conc. in gravi nego. Violationem fidelitatis in re gravi eſſe culpam mortalem, colligi poteſt etiam ex voto; cujus violatio in re gravi nemine diffitente grave peccatum eſt. Nec enim gravitas culpæ in voti violatione ex eo capite deſumitur, quod violetur fides Deo promiſſa, ſed quod violetur in re gravi. Nam ſi violetur in re levi, levis culpa eſt. Nam aliud eſt de veracitate, in qua aliquid faciendum dicitur ſine promiſſione, & obligatione. In hoc enim, ſi non fiat, ne venialiter quidem peccatur, dum faciendi animum quis habuerit, cum ſe facturum dixit. Hinc D. Thom. 2. 2. qu. 110. art. 3. ad 5. de promittere ait: *Quod ille, qui aliquid promittit, ſi habeat animum faciendi quod promittit, non mentitur; quia non loquitur contra id, quod gerit in mente.*

Infidelitas quidem (ut aliam objectionem præoccupem) in ſimplici promiſſione, non eſt violatio juſtitiæ commutativæ, aut particularis; eſt tamen violatio juſtitiæ univerſalis, ſeu legalis; quia ad commune bonum & humanæ ſocietatis vinculum pertinet, ut quiſque promiſſorum fidem ſervet. Cur promiſſio civilis gravem obligationem parit nemine inficiante? eam ſcilicet parit, non quia civilis eſt; (nec enim ſolemnitates chirographi ſubſcripti, aut publicæ ſcripturæ a Notario exaratæ, aut teſtium vim promiſſioni tribuunt, ſed ſupponunt, & declarant) ſed quia promiſſio eſt. Hæc eſt naturæ, & gentium lex: id declarat S. Thom. citatus, dum ait: *Et hæc eſt obligatio juris naturalis*. Leges poſitivæ obligandi vim tribuunt civili promiſſioni quoad forum externum; at dum hoc præſtant, ſatis declarant, promiſſionem ex ſe graviter obligare, ſi de re gravi ſit. Hanc ſententiam præter eos, quos citat Buſemb., tuentur teſte P. Concina Theol. t. 7. p. 636. n. 8. S. Antoninus, Sylveſter, Covarr. Soto, & alii, & hanc ego putem eſſe ſententiam omnium hominum honeſtatis amatorum.

Animadversio III.

Tota hæc obligatio communiter dependet ab intentione promittentis.

Si ita eſt, qui promittit ſine animo ſe obligandi, nullam contrahit obligationem: at hoc eſt aperte falſum; quia obligatio ſeriæ promiſſioni inſeparabiliter annexa eſt, ut ejus definitione ad cap. 1. allata, & ex dictis ad ca. 11. t. 2. c. 3. d. 2. ca. 2. d. 4. liquet.

Circa quod notat Sa, vix quemquam promittentem intendere ſe obligare, aut &c. ſed plerumque tantum intendere declarare ſuum propoſitum.

Intentio ſe obligandi in promittente non eſt neceſſaria, ſed ſupervacanea; ideoque, cum qui promittit, advertat, & norit ex vi ipſius promiſſionis ſe obligare, intentionem non addit ſe obligandi.

Quod ſi qui promittunt, intendant tantum declarare ſuum propoſitum, homines ſunt non veraces, & honeſti, ſed mendaces, ac turpes. Porro cum nemo ex ſua nequitia commodum reportare debeat, ex ipſa externa promiſſione nihilominus obligatur. Cum enim homines animum aliorum penetrare non poſſint, verba inſpiciunt, unde omnis obligatio jure gentium pendet; itaque ipſa externa fides obligationem parit; quam fidem qui violant, perfidi ſunt, humanæque ſocietati merito exoſi.

Animadversio IV.

Donare non poſſunt.... pupilli, vel impuberes.

Pubertatis annus in maribus eſt decimus quartus, in feminis duodecimus: qui ergo, vel quæ pubertatis annum non attigerunt, ſunt impuberes, ſeu pupilli: hi, cum doli capaces ſunt, ſeu rationis uſu præditi, ea donare poſſunt, quæ ſibi a parentibus, vel tutoribus conceſſa ſunt, ut iiſdem pro arbitrio utantur. Quamquam etiam pro horum bonorum diſpoſitione Juriſconſulti communiter teſte Concina Theol. t. 7. p. 253. n. 2. requirunt ætatem pubertati proximam, quæ in maſculis eſt annus decimus, ut ait Concina, vel decimus cum dimidio, ut habet Layrr. l. 3. de juſt. p. 3. t. 3. c. 9. n. 5. p. 314. in feminis nonus cum dimidio. Hujus ratio eſt, quia ad contractus cum hominibus, ut plurimum callidis, ineundos plus luminis requiritur, quam in multis aliis hominum officiis.

Bona immobilia, aut mobilia pretioſa, quæ ſervando ſervari, hoc eſt ultra triennium conſervari poſſunt, ne cum tutoris quidem auctoritate diſtrahere poſſunt, niſi judicis decretum accedat.

Præterea pupilli ne alia quidem bona, quorum domini ſunt, ſine tutorum auctoritate donare poſſunt. Sed quæſtio eſt, utrum hujuſmodi donationes in foro conſcientiæ ſint validæ. Buſ. affirmat, dum ait: „ Donationes tamen eorum in ſoro conſcientiæ ſunt va„ lidæ. " Ego neganti ſententiæ ſubſcribo.

Quamvis enim pupilli bona ſua cui voluerint, donare poſſint ſpectata ſola naturæ lege; non tamen poſſunt ſpectatis civilibus legibus, quæ ipſis de ſuis bonis diſponendi poteſtatem ſine tutoris auctoritate ademerunt: ergo eorum donationes quoad conſcientiam non ſunt validæ. Conſequentia in ſana Theologia eſt certiſſima; quia in ſana Theologia certiſſimum eſt, civiles, ſeu ſæcularium Principum leges quoad conſcientiam vim habere. Illud ergo unum Theologo inquirendum eſt, utrum leges civiles pupillis ademerint facultatem diſponendi de ſuis bonis ſine tutorum auctoritate. Boſemb. id non negat, imo explicate affirmat, dum ait: *Donare non poſſunt.... pupilli, ſeu impuberes, niſi ad pias cauſas*. Quare cum addit, *Donationes tamen eorum in foro conſcientiæ ſunt validæ*, aut ſibi contradicit, aut falſiſſime ponit, civiles, ſeu Principum leges non habere vim quoad conſcientiam.

P. Viva Buſemb. doctrinæ ſubſidium ſe ferre forte putat, dum ait, leges civiles prohibere, non irritare contractus a pupillis ſine tutorum auctoritate initos. At ſi hoc verum eſſet, eorum contractus etiam in foro externo validi eſſent. Quamquam leges civiles communes, eorum contractus non ſolum prohibent, ſed etiam aperte irritant. Hæc enim habentur 1. Inſtit. §. Quibus alienare non licet: *Neque pupillum, neque pupillam, ullam rem ſine tutoris auctoritate alienare poſſe.... nec debitum ſolvere ſine auctoritate tutoris poſſe; quia id quod ſolvunt, non fit accipientis, cum ſcilicet nullius rei alienatio eis ſine tutoris auctoritate conceſſa ſit*. Item lib. 2. § de acquir. rerum dominio dicitur: *Pupillus quantum ad acquirendum non indiget tutoris auctoritate; alienare vero nullam rem poteſt, niſi præſente tutore auctore*. Hæ leges, quas P. Concina Theol. t. 7. p. 254 n. 6. contra P. Vivam producit, adeo perſpicuæ ſunt, ut ne impudenti quidem cavillatione de ſola prohibitione intelligi queant. Has porro leges ex Principum approbatione, & tribunalium uſu acceptatas veræ legis vim habere, compertum puto: ex quo fit, ut in conſcientia quoque vim habeant. Hinc S. Paulus ad Gal. 4. ait: *Quanto tempore heres parvulus eſt, nihil differt a ſervo, cum ſit dominus omnium, ſed ſub tutoribus, & actoribus eſt uſque ad præfinitum tempus a patre*. Servi donatio ſine domini conſenſu quoad conſcientiam eſt invalida: ergo etiam pupilli ſine conſenſu tutoris; quia pupillus teſte D. Paulo nihil differt a ſervo. Quid hic objici poteſt poſt tam apertam D. Pauli ſententiam?

Objicit nihilominus Laym. lib. 3. de juſt. p. 3. t. 3. c. 9. n. 7 p. 314. hoc modo. Obligatio naturalis oritur ex conſenſu: ſed pupillus pubertati proximus, & minor 25. annis ſufficientem conſenſum habet: ergo naturaliter ex contractu obligatur.

Reſp. Diſt. maj. in iis, de quibus quis liberam diſpoſitio-

ſitionem habet, conc. in iis, de quibus liberam diſpoſitionem non habet, nego maj. & conſ. Quia pupilli, & minores non habent liberam ſuorum bonorum diſpoſitionem; ideoque eorum contractus non valent.

At, inquit Laym., leges civiles obligationem naturalem omnino non infirmarunt, licet in externo foro actionem adverſus pupillum denegarint.

Reſp. Leges civiles obligationem naturalem omnino infirmarunt, ut patet ex verbis ipſarum legum mox allatis, quæ ſunt perſpicua, & ex D. Pauli oraculo ad Gal. 4. mox adducto. Cur leges civiles fatente Laym. actionem adverſus pupillum in externo foro denegarunt? quia nolunt, ipſius contractus valere, nec ipſum poſſe ſine tutoris auctoritate ſe obligare: at leges civiles non ſolum in externo foro, ſed etiam quoad conſcientiam obligant; ergo quamvis naturæ lex permittat, ut pupilli rationis compotes contrahere poſſint, non tamen impedit, quin leges contrarium ſtatuant; imo, cum pupillorum ratio infirma ſit, nec ſatis apta ad contractus, inſinuat, ut leges iis adimant contrahendi ſine tutorum conſenſu facultatem. Quare cum leges contrahendi facultatem pupillis reipſa ademerint, eorum contractus omni jure nulli ſunt, & invalidi. Itaque cum leges, quas citat Laym., dicunt, pupillum ſine tutoris auctoritate contrahentem naturaliter obligari, intelligendæ ſunt in hypotheſi, quod ſola naturæ lex ſpectetur præciſis poſitivis legibus: quibus poſitis nulla obligatione pupillus contrahens irretitur. Si hæ non exiſterent, obligaretur; at quia exiſtunt, non obligatur.

At iterum objicit Laym. deficiente obligatione principali non valet acceſſoria: ſi autem ad contractum pupilli ſine tutoris conſenſu celebratum fidejuſſor accedat, is etiam civiliter obligatur: ergo ſignum eſt, principalem obligationem pupilli aliquo modo, hoc eſt naturaliter ſubſiſtere.

Reſp. Conſequentia non eſt legitima; quia fidejuſſor in hac ſpecie non acceſſorii, ut ponit Laym. in minore, ſed principalis perſonam induit, ut recte reſpondet P. Concina Theol. t. 7. p. 255. n. 7.

5. *Damnatus criminis capitalis.*

P. Concina Theol. t. 7. p. 650. n. 8. ait: „ Damnatos „ ad mortem, & illos, quibus aqua, & igni interdicebatur, inhabiles ad teſtandum declarat *l. Ejus*, *qui* §. „ *Sed cui* ff. de teſtam. aliæque leges; quæ tamen hodie vix alicubi locum habent. Illud verum eſt, eos „ teſtari non poſſe, quorum omnia bona fiſco adjudicata fuerint. “

Animadverſio V.

Uti neque quæ filio intuitu &c. quia ſunt quaſi caſtrenſia.

Hæc bona non ſunt quaſi caſtrenſia, ſed profectitia. Hinc Laym. l. 3. de juſt. t. 4. c. 8. num. 8. p. 311. ait: „ Denique profectitia bona dicuntur, quæ cum „ nec caſtrenſia, nec quaſi caſtrenſia ſint, vel ex bonis patris profecta, vel patris intuitu filiofamilias donata ſunt. “

Idem habet Concina Theol. t. 7. p. 50. n. 3. & Wigan Trib. p. 290.

At hujuſmodi bona, quæ ex rebus patris, vel occaſione patris a filio acquiruntur, ad patrem pleno jure ſpectant §. *Sancimus* l. *Per quas perſonas* teſte Laymanno. Idem docet Concina, qui ſubdit: „ Neque „ aliam afferunt niſi ſimilia bona utilitatem, niſi quod „ ob patris delictum publicari nequeunt: “ ergo quæ filio intuitu meritorum patris ſunt donata, in diviſione cum fratribus computanda ſunt.

Animadverſio VI.

V. g. dat aliquis puellæ ad ejus &c. ſi poſtea non conſentiat, non tenetur datum reddere. Nam &c. ſecus &c.

In hac ſpecie non tenetur quidem ex juſtitia datum reddere. Sed quia puella turpiter accepit, ac turpe donum reſpuere debuerat, turpiter acceptum indignabunda reſtituere omnino debet, ut fœdi amoris fomentum, & ſcandalum tollat, ut chriſtiane, & ſancte, ac rectiſſime advertit P. Concina Theol. t. 7. p. 158. n. 12.

Animadverſio VII.

In ſimilibus donationibus allectivis poteſt aliquis, v. gr. prædicta puella, acceptare &c.

Hoc eſt aperte falſum; & naturali honeſtati prorſus contrarium. Nec enim a quibuſcumque, nec propter quaſcumque cauſas accipere dona licet, multo vero minus a laſcivis amatoribus luxuriæ cauſa oblata. His de rebus ethnicus Ariſt. Eth. 4. ſolidius, & honeſtius loquitur, quam Buſ. & qui cum eo ſentiunt.

Præterea dum puella illecebroſa dona acceptat, non ſolum peccat, quia accipit, a quo non debet accipere, & propter eas cauſas, propter quas non debet accipere; ſed quia turpem amorem fovet amaſii, ſeque ipſam libidinis periculo objicit. In has licentiores feminas illud Ap. cadit: *Non ſolum digni ſunt morte qui hæc faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus*: quia licet externæ libidini non conſentiant, laſcivis tamen affectibus facto ipſo conſentiunt. At Buſ. hic ſolum conſiderat, quid juſtitia poſtulat, quaſi vero nullæ aliæ virtutes ſint præter juſtitiam, aut peccari non poſſit, niſi contra juſtitiam. Ex quo fit, ut latum libidinibus campum aperiat.

Unde ſi ſpe fruſtratus repetat ..... non tenetur puella reddere.

Puella expectare non debet, ut turpe donum repetatur, ſed ſponte illud reddere, ut monuimus caſ. 10. debet. Quod enim turpiter acceptum eſt, nonniſi turpiter retinetur. Quod ſi incaute, & licenter accipiendo, fœdo amori conſentit, neceſſe eſt ut ſuum diſſenſum oſtendat non ſolum repellendo turpem amaſium, ſed etiam ejus dona, & illecebras; quorum monumenta retinere, & turpe, & periculoſum eſt.

Animadverſio VIII.

Si quis prole carens .... alicui aſcendentium, ut patri, vel avo, vel Eccleſiæ &c. tantum revocari poteſt, quantum neceſſarium eſt, ut filii habeant legitimam.

Id improbat Laym. l. 3. de juſt. t. 4. c. 12. n. 20. p. 325. „ quia, inquit, id nullo jure probari poteſt. Quare contrarium tenendum cum Molina. “ Ita ille quo ad donationes aſcendentibus factas; & hoc idem intelligi multo magis debet de donationibus Eccleſiæ, vel cauſis piis impertitis; ubi jus civile locum non habet: jus autem naturæ dictat, filios nullum ius habere, niſi in bona, quæ parentes habent in eorum origine, non in anteriora, quæ amplius non ſunt in parentum poteſtate.

Porro etſi juraverit ... adhuc poteſt revocare.

Qui jurat ſe non revocaturum donationem, beneficium, ſeu facultatem revocandi juramento excludit: qui juramento excludit beneficium, ſeu facultatem revocandi donationem, eam amplius revocare non poteſt; quia unuſquiſque juri ſuo, & beneficio ſibi a legibus conceſſo renuntiare poteſt. Ergo &c.

At inquit Buſ. *Hoc juramentum non excludit tacitam conditionem dictam*, hoc eſt niſi liberi mihi naſcantur.

Reſp. Hoc falſum eſt. Cur enim additur juramentum non revocandi, niſi ut tacita illa conditio excludatur? Niſi hanc tacitam conditionem juramentum excluderet, fruſtra adderetur; quia donationem æque revocare poſſet, ac ſi non juraſſet. An juramentum fruſtratorium eſſe debet? Si donator dictam conditionem expreſſe excluſerit, fatente Buſemb. donationem revocare non poteſt: ergo multo minus eam revocare poteſt, ſi ſe non revocaturum juraverit; quia majorem vim habet juramentum, quam expreſſa excluſio conditionis.

Præterea teſtamentum non ſolum ex civilis, ſed etiam ex naturalis juris diſpoſitione revocari poteſt; at ſi juramentum non revocandi accedat, ex communi tum Juriſconſultorum, tum Theologorum conſenſu, revocari licite non poteſt, ut animadvertit Concina Theol. t. 7. p. 668. cap. 7. qu. 2. Ergo a pari, imo multo magis idem in præſenti ſpecie dicendum eſt. Sicuti enim teſtator jurando renuntiat favori legis revocationem teſtamenti permittentis; ita donator eidem favori jurando nuntium mittit. Dixi autem *multo magis*; quia revocatio donationis ſola poſitiva lege permittitur; at revocatio teſtamenti etiam lege naturali permiſſa eſt. Quod ſi quis hic cum Laym. loco mox citato dicat, juramentum, veluti acceſſorium, ſortiri conditionem actus, cui adjungitur, is refutabitur tum ex dictis ad c. 6. dub. 1. aliiſque locis ibi citatis; tum quia ſi hæc ratio valeret, teſtamentum quoque revocari poſſet, etiamſi juramentum non revocandi acceſſiſſet; quod eſt contra communem ſententiam, ut hic dictum fuit.

Animadverſio IX.

Si donatio fuerit inofficioſa &c. an autem, & quando donatio reſcindenda in totum, vide &c.

„ Plerumque tamen, inquit Laym. loco mox citato „ n. 58. inofficioſa donatio per querelam apud Judicem „ inſtitutam revocatur ſolum, quatenus modum excedit, & legitimam portionem diminuit, ſicut conſtat „ ex l. Si *mater* c. de inoffic. donat, & docet Abb., „ Cov., Mol., Clarus. “

Idem docet Anacletus t. 3. juris can. p. 344. n. 74. Idque ſeu in unum, aut plures filios, ſeu in extraneos facta ſit inofficioſa donatio ex cit. lege, ubi dicitur, *ſive in quoſdam liberos, ſive in extraneos exhauſit.*

Ani-

Digitized by Google

Animadverſio X.

Per ſuperventientiam liberorum, ut probabilius affirmat &c. *contra quoſdam.*

Hoc Anacletus quoque t. 3. juris can. p. 343. n. 69. negat. Ratio eſt, quia l. *Si unquam* 8. cap. de revoc. donat. ab eo cit. dicitur: *Si unquam libertis patronus filios non habens, bona ſua omnia, vel partem aliquam donatione largitur, & poſtea ſuſceperit liberos, totum, quidquid largitus fuerit, revertatur, in ejuſdem donatoris arbitrio, ac ditione remanſurum: at non eſt ſine liberis, cui vel unus filius, unave filia eſt*, l. *Non eſt* 148. §. de v. ſ. ab eodem Anacleto cit. Ergo qui habet unum filium, aut filiam, donationem factam revocare non poteſt per ſuperventientiam filiorum, hoc eſt ſi alii liberi poſt donationem ei naſcantur. Sed hæc quæſtio ex peculiaribus regionum legibus, aut uſu definienda eſt.

Animadverſio XI.

Imo ſine hoc donare eum poſſe non tantum de caſtrenſibus, ſed etiam de adventitiis, probabile cenſet Diana &c.

Huic probabilitati adverſari videtur Bonif. VIII. qui cap. *Licet pater* de ſepult. in 6. lib. 3. t. 12. inquit: *Quamvis autem filiusfamilias abſque patris aſſenſu ſibi poſſit libere eligere ſepulturam, pro anima tamen ſua præter ipſius aſſenſum (niſi peculium caſtrenſe, aut quaſi caſtrenſe habeat) aliquid judicare non poteſt.*

Quod ſi concedamus probabile eſſe, filiumfamiliæ ſeu mortis cauſa, ſeu inter vivos de ſuis bonis adventitiis donare poſſe, id intelligendum eſt de iis, quorum uſusfructus ad patrem non ſpectat, ut habet Laym. lib. 3. de juſt. t. 4. cap. 12. n. 7. Sed hic quoque in re locorum conſuetudines, aut leges attendendæ ſunt.

Animadverſio XII.

Uſurarius ... poteſt tamen ad cauſas pias.

Illud *poteſt tamen* &c. intellige, dum tamen id fiat ſine damno eorum, quibus uſuræ reſtituendæ ſunt. Nam ipſo naturæ jure nemo teſtari poteſt de re aliena, ſeu aliis debita, ut piæ cauſæ faveat.

Animadverſio XIII.

Verum ſi is, cui res &c. *negligenter cuſtodiat, negligentia autem non ſit theologica culpa mortalis, probabile eſt* &c. *alii tamen aliter ſentiunt* &c.

Quoad hoc conſule dicta c. 2. d. 1. caſ. 3. Dubium non eſt, quin juſtæ Principum leges conſcientiam obligent: ergo ſi juſtæ Principum leges reſtituere eum cogunt, qui in aliena re cuſtodienda juridicam culpam admiſit, etiam quoad conſcientiam reſtituere cogitur.

Fateor tamen, has leges præſumptione niti, hoc eſt culpam quoad Deum, & jus naturæ præſumere; ideoque ſi, qui juridicam culpam admiſit, eam inculpabiliter admiſerit, & reipſa innocens ſit, reſtitutionis pœnam luere quoad conſcientiam non cogitur; & ne in foro quidem externo, ſi ſuam innocentiam probet, cogi poteſt.

Hinc can. citati ad caſ. 3. culpam ſemper ſupponunt in eo, qui damnum reparare debet. Juri enim naturæ repugnat, ut damnum ſentiat, qui nullius culpæ reus eſt.

Animadverſio XIV.

Si depoſitarius (idem eſt de commodatario) dubitet, an depoſitum &c. *non tenetur* &c.

In hac ſpecie totum quidem reſtituendum non eſt, ſed aut dimidium, ſi animus æqualiter anceps ſit, aut pro ratione dubii. Hoc naturalis æquitas, & juſtitiæ æqualitas poſtulat, ut ea alibi quoque dictis conſtat.

At inquit Buſemb. *In dubio non præſumitur delictum.*

Reſp. Ita ſane; at ne innocentia quidem præſumi poteſt, aut debet; ideoque nec depoſitario, nec deponenti favendum eſt; ſed uterque æquale periculum damni, & lucri ſubire debet.

Cum de vindicativa juſtitia agitur, in dubio nec delictum præſumitur, & reo favendum eſt; quia nihil utilitatis in perſonam læſam ex pœna dubio reo inflicta redondat, nihilque incommodi ex pœnæ remiſſione. Secus res ſe habet in juſtitia commutativa, in qua utilitas ex damni reparatione in læſum, & incommodum ex reparationis omiſſione redundat.

Animadverſio XV.

Non eſt uſura, ſi mutuans nihil intendat ut pretium, ſed tantum ſperet &c. *licet illud ut finem principalem intendat.*

Hic primum deſcribenda propoſ. 42. ab Innoc. XI. proſcripta, quæ ita habet. *Uſura non eſt, dum ultra ſortem aliquid exigitur, tamquam ex benevolentia, & gratitudine debitum.* Uſura hic damnata in eo ſita eſt, ut aliquid exigatur tamquam debitum. Quod enim ex benevolentia, & gratitudine dandum eſt, ſponte dari debet, nec exigi poteſt quaſi debitum, ſeu quaſi jus in illud ſit.

Quod ſi mutuatarius aliquid ſponte det in grati animi ſignum, illud accipi ſine uſura poteſt, ut docet D. Thom. 2. 2. qu. 78. ar. 2. his verbis. *Si vero accipiat* (mutuator) *aliquid hujuſmodi non quaſi exigens, nec quaſi ex aliqua obligatione tacita, vel expreſſa, ſed ſicut gratuitum donum, non peccat; quia etiam antequam pecuniam mutuaſſet, licite poterat aliquod donum gratis accipere; nec pejoris conditionis efficitur per hoc quod mutuavit.* Si autem non peccat, qui a mutuatario donum gratuitum accipit, ne peccat quidem, qui illud expectat, ſeu ſperat, ſeu etiam petit gratis dandum, & hoc idem tradit D. Thom. ar. cit. ad 3. inquiens: *Si vero munus ab obſequio, vel a lingua* (idem dicas de munere a manu) *non quaſi ex obligatione rei exhibetur, ſed ex benevolentia, quæ ſub æſtimationem pecuniæ non cadit, licet hoc accipere, & exigere, & expectare.* Illud *exigere*, ut ex contextu liquet, idem ſonat, ac petere aliquid non jure debitum, ſed gratuito, & ſponte dandum.

Contra vero ſi ſperetur aliquid ſupra ſortem ex vi mutui, ſeu ex obligatione rei debitum, eſt uſura mentalis, &, ſi accipiatur, reſtituendum eſt. Nec enim retineri poteſt, niſi ex ſpontanea dantis liberalitate, gratique animi ſenſu proficiſcatur.

At quid, ſi aliquid ſperetur non ex vi quidem mutui, ſed ut donum gratuitum veluti finis principalis mutui, ita ut mutuator mutuum daturus non eſſet, niſi illud donum ſperaret?

Reſp. Hæc intentio prava eſt, avarique hominis propria, qui opus miſericordiæ, aut liberalitatis in ſuum commodum detorquet. Hinc S. Raymundus a Genet. Teol. t. 1. p. 239. qu. 2. citatus ait: *Ideo hanc naturalem obligationem* (mutuatarii) *non poteſt creditor deducere in pactum, vel ſaltem ſperare effectum ipſius obligationis naturalis: quia creditor nullo modo debet pactum apponere, nec principaliter* (nota) *ſpem, vel intentionem in tali retributione habere, ſed propter Deum, & ex caritate principaliter debet mutuare proximo indigenti: & tunc forte ſi ſecundario ſperet, quod ille debitor ſibi remutuet, vel aliquid ſimile, ſi opus fuerit, forte non eſt reprobandum.*

Utrum autem intentio doni gratuiti veluti finis principalis mutui ſit uſura obligans ad reſtitutionem, dubitari poteſt.

Buſemb. negat, & eum eo communiter ſentiunt recentes, ut habet Concina Theol. t. 7. p. 461. num. 10. „Verum eum homines, inquit ipſe, nimio ardore in „lucrum abripiantur, dum lucrum iſtud eſt cauſa prin„cipalis, & movens ad mutuum, præſcindere illi non „ſolent ſpem lucrandi ex mutuo a ſpe lucrandi ex li„beralitate debitoris: “ ideoque quoad praxim prædictam intentionem, ſeu ſpem uſuræ mentalis damnat.

Hinc Urb. VIII. cap. *Conſuluit* de uſur. t. 19. lib. 5. Decr. ait: *Conſuluit nos tua devotio, an ille in judicio animarum quaſi uſurarius debeat judicari, qui non alias mutuo traditurus, eo propoſito mutuam pecuniam credit, ut licet omni conventione ceſſante, plus tamen ſorte recipiat. Et utrum* &c. *Verum, quia, quid in his caſibus tenendum ſit, ex Evangelio Lucæ manifeſte cognoſcitur, in quo dicitur:* Date mutuum, nihil inde ſperantes. *Hujuſmodi homines pro intentione lucri, quam habent, (cum omnis uſura, & ſuperabundantia prohibeatur in lege) judicandi ſunt male agere, & ad ea, quæ taliter ſunt accepta, reſtituenda in animarum judicio efficaciter inducendi.*

Intelligendus eſt, inquiunt, præſens Canon de intentione lucri ex vi mutui, non ex mutuatarii liberalitate percipiendi.

Reſp. Cum ſummus Pontifex ſine diſtinctione loquatur, ea nos uti non debemus, ſed faciendum quod docet, & præcipit. Nam vel illa diſtinctio ſpectato hominum more locum non habet; vel qui dat aliquid ſupra ſortem, non ſponte dat, ſed timore, ne mutuatorem, nihil dando, offendat; vel dat, quia ex vi accepti mutui tribuendum eſſe putat; vel illa reſtitutio a Confeſſario imponenda eſt in pœnitentiam, peccatique pœnam, ut per quæ quis peccat, per ea puniatur, neve quod turpiter acceptum eſt, turpiter retineatur, & ut pœnitentes reſtituere coacti, ab hujuſmodi culpis coerceantur. Tandem illa reſtitutio neceſſaria eſt, ut detegatur, utrum dans ex mera liberalitate, & ſponte dederit, an timore, vel errore ductus.

Si

Si enim ſuam mentem aperiat, & reſtitutionem recipere nolit, mutuator donum gratuitum retinere poterit, ita tamen ut noverit, mutuum animo liberali, & miſericordi eſſe tribuendum.

Animadverſio XVI.

Non eſt uſura dare mutuum, alterius amicitiæ captandæ cauſa &c.

Ita ſane. Hinc D. Thom. 2. 2. qu. 78. ar. 2. ait: *Recompenſationem vero eorum, quæ pecunia non menſurantur, licet pro mutuo exigere, puta benevolentiam, & amorem ejus, qui mutuavit, vel aliquid hujuſmodi.*

Atque ulterius inde ſperare officium.

Hoc vero ſuſpectum eſt, & involutum, atque explicatione indiget.

Si enim amicitiam, quam ex mutuo capias, ad officium obtinendum, veluti ad finem referas, intentio principalis mutui, eſt officium: quæ intentio ex modo dictis turpis eſt, & mala, ac uſuræ ſuſpicione infecta. Si autem officium quidem ſperes, ad mutuum autem moveat te amicitia, veluti finis principalis, illud daturum, etiamſi officium non ſperares, ex D. Raym., & D. Thom. modo citatis excuſaris.

Verum quia officia, quæ propter mutua, aut munera conferuntur, vel conferenda curantur, vix recte, & ſine diſtributivæ juſtitiæ læſione conferuntur, mutuum dandum eſt abſque omnis intentione utilitatis, ut mutuator ab omni avaritiæ, ambitionis, & injuſtitiæ ſuſpicione liber ſit.

Animadverſio XVII.

Etſi Salas eum excuſet, qui mutuat aliquid cum pacto, ut ſtatim &c.

Hæc Salæ opinatio a Buſembao relata, nec improbata, proſcripta intelligitur in damnata propoſ. 42. ſupra deſcripta ad caſ. 2. Si enim proſcriptum eſt, exigere aliquid ultra ſortem, tamquam ex gratitudine debitum, proſcriptum quoque eſt, paciſci cum mutuatario, ut ſtatim præſtet aliquod beneficium ex gratitudine. Quod enim tamquam debitum exigere non licet, ne in pactum quidem deducere licet. Imo vero opinio Salæ, damnata propoſ. 42. deterior eſt. Quia ex opinione damnata exigitur quidem aliquid ultra ſortem, tamquam ex gratitudine debitum, at pactum non adjicitur; ac juxta Salam pactum quoque adjici poteſt, ut exigatur etiam ex vi pacti, quod uſuræ pravitatem auget.

Animadverſio XVIII.

Nec eſt uſura exigere aliquid ratione periculi recuperationis.

„ Hunc titulum eſſe juſtum, docent fere omnes con„ tra paucos apud Dian. Et id verum eſſe, quando eſ„ ſet periculum tantum probabile amittendæ ſortis, „ tenet Sylv., Serra, Moya, aliique cum Caſtrop. " Hactenus La-Croix p. 362. n. 851. cujus ratio eſt, „ quia hic & nunc non obligor mutuare, uti ſuppono; „ nam *dare mutuum non ſemper tenetur homo*, inquit „ S. Th. 2. 2. q. 78. ar. 1. ad 3. ergo nec obligor ſub„ ire illud periculum. " Ex vi hujus argumentationis ſerio conſideratæ illud vere, & logice conficitur: ergo nec obligor ſubire illud periculum, quamdiu mutuum dare ex præcepto non teneor; hoc inquam conficitur, & nihil aliud.

„ Illud autem, ſubdit La-Croix, ſubire eſt pretio „ æſtimabile, uti certum eſt, & manifeſte oſtendit ex „ jure, & Auctoribus Covar. l. 3. &c. ergo ſi ſubeam „ in ſavorem mutuatarii, poſſum ideo accipere ali„ quid. " Hic vero P. Zacharia Lectorem mittit ad ſuum P. Zech. locis ab eo citatis.

Sed prætermiſſo P. Zech., quem legere non vacat, argumentationem La-Croixii ad trutinam revoco.

Concluſio anterioris argumentationis, quæ in hac poſteriore principii loco eſt, hæc eſt, ut animadvertimus, legitima, & logica.

Non obligor ſubire periculum mutui, quamdiu mutuum ex præcepto dare non teneor: at hoc periculum, ait La-Croix, eſt pretio æſtimabile: quid ergo? Ergo quamdiu mutuum ex præcepto dare non teneor, non teneor ſubire, ſeu obnoxius fieri alicui rei pretio æſtimabili. Hic non ludimus, ſed ſerio de re graviſſima diſputamus. Logicos omnes, qui ſophiſtici non ſint, appello; nulla alia concluſio legitime ex prædicta argumentatione eruitur, quam a me recitata, & expreſſa.

La-Croix ergo ex ſuo arbitrio, & ſophiſtarum more illam concluſionem elicit: *ergo ſi ſubeam* (periculum mutui) *in ſavorem mutuatarii, poſſum ideo accipere aliquid.*

Miſſa ergo ſophiſtica La-Croixii argumentatione, cum Genetto Th. t. 1. p. 245. q. 2. Nat. Alexandro Th. t. 2. p. 301. reg. 3. Concina Th. t. 7. p. 375. e. 18. exiſtimo, uſuram eſſe, aliquid ſupra ſortem exigere in mutuo ratione periculi recuperandæ ejuſdem ſortis.

De iis enim, quæ inſeparabili nexu conjuncta ſunt, idem judicium quoad mores ferendum eſt; ita ut, ſicut in ſimonia accidit, qui unum vendit, ne alterum quidem invenditum derelinquat; hoc eſt, ſi vendis id, quod eſt inſeparabile a mutuo, ipſum mutuum vendas; at periculum recuperandæ ſortis in mutuo, quod appellatur periculum facti, humano more eſt inſeparabile a mutuo; quod oſtendit tum ordinaria hominum infidelitas, & injuſtitia, tum humanæ voluntatis mutabilitas, tum demum infiniti caſus, quibus humanæ res obnoxiæ ſunt, propter quos mutuatarius ſolvendo non ſit, aut ſaltem non ſine magno incommodo ſolvere poſſit, ideoque ſolvere nolit. Ergo qui periculum recuperandæ ſortis vendit mutuatario, ſeu quod idem eſt, aliquid ab eo propter tale periculum exigit, ipſam mutuationem vendit; quæ eſt evidentiſſima uſura.

La-Croix n. 852. propoſitæ argumentationis minorem negat a nobis jam oſtenſam, & evictam; quam teſte La-Croixio n. 854. Sylv., Serra, aliique apud Mend. veram eſſe, fatentur, & affirmant, ideoque ratione periculi ſemper poſſe aliquid exigi docent. „ Sed, ſubdit „ La-Croix, tenendum eſt oppoſitum: ſi enim mutua„ tarius ſit potens ſolvere, ſimulque homo induſtrius, „ & verax, ideoque præſumatur ſoluturus, nullum ibi „ eſt morale periculum. Quamvis autem ſit periculum „ commune, v. g. quia mutuatarius poſſet depauperari, „ poſſet poſtea non velle ſolvere, tamen tale pericu„ lum non eſt ſufficiens, uti teſte Pallav. de juſtit. n. „ 128. tale enim periculum compenſatur cum periculo, „ cui ſors ſubeſſet apud mutuantem: poſſet enim per„ di, vel eripi. "

Hac animadverſione poſita hæc ratio in gratiam La-Croixii confici poteſt. Periculum mutuo extrinſecum, ſeu ab eo ſeparabile, & pretio æſtimabile juſtum titulum mutuatori ſuppeditat exigendi aliquid ſupra ſortem: atqui probabile periculum ſortis ex modo dictis eſt mutuo extrinſecum, ſeu ab eo ſeparabile, & pretio æſtimabile: ergo &c.

Reſp. Illud ergo hic tamquam certum ponendum eſt, aliquid ſupra ſortem in mutuo exigi non poſſe propter quodcumque periculum; alioquin numquam deeſſet juſtus titulus lucrandi ex mutuo; quia numquam deeſt aliquod periculum amittendæ ſortis. At Bened. XIV. in epiſtola encyclica ad Epiſcopos Italiæ (habetur apud Concinam t. 1. App. p. 164.) ait: *Sed illud diligenter animadvertendum eſt, falſo ſibi quemquam, & nonniſi temere perſuaſurum reperiri ſemper, ac præſto ubique eſſe vel una cum mutuo titulos alios legitimos, vel ſecluſo etiam mutuo, contractus alios juſtos, quorum vel titulorum, vel contractuum præſidio, quotieſcumque pecunia, frumentum, aliudve id generis alteri cuicumque creditur, toties ſemper liceat auctarium moderatum ultra ſortem integram, ſalvamque recipere. Ita ſi quis ſenſerit, non modo divinis documentis, & catholicæ Eccleſiæ de uſura judicio, ſed ipſi etiam humano communi ſenſui, ac naturali rationi proculdubio adverſabitur.*

Quare illud ſolum dubitari poteſt, utrum propter non qualecumque commune, & remotum, ſed ſolum propter probabile, ſeu proximum periculum ſortis recipere aliquod auctarium liceat in mutuo. Verum ſi ita eſt, quæſtio quoad praxim vix locum habet; quia nemo ordinarie loquendo mutuum dat, ubi periculum probabile imminet amittendæ ſortis, puta decoctoribus, dubiæ fidei hominibus, aut qui ſolvendo non ſint; ſed mutuum dari ſolet, ubi probabile periculum ſortis amittendæ non eſt, & nihilominus titulo periculi auctarium exigitur; quæ eſt evidens uſura, a Scriptura, & Patribus, & a Bened. XIV. damnata. Sed facta hypotheſi, quæ rara eſt, quod vel propter importunas preces, vel propter petentis indigentiam, vel propter nimiam, & imprudentem mutuatoris facilitatem mutuum detur cum noto probabili ſortis periculo, quæro, cur propter tale periculum auctarium exigi poſſit, cum tamen propter commune periculum non poſſit? Nam ſicuti proximum periculum eſt pretio æſtimabile, ita quoque remotum; in eoque ſolum quoad hoc differunt, quod illud pluris, hoc minoris æſtimandum ſit. At, inquit La-Croix „ ta„ le periculum (remotum, ſeu commune) compenſatur „ cum periculo, cui ſors ſubeſſet apud mutuantem: „ poſſet enim perdi, vel eripi. "

Reſp. At apud mutuatarium non ſolum ſors poteſt perdi, vel eripi; ſed poteſt in luſus, luxum, libidines inſumi; poteſt donari, aliis infidis, aut ſolvere non valentibus mutuo dari, negotiationi periculis plenæ exponi &c. Quare falſum eſt, & communi ſenſui adverſum, periculum commune ſortis in mutuatario compenſari cum periculo, cui ſors apud mutuatorem ſubeſſet. Ergo ſi auctarium propter periculum commune ſortis exigi non poteſt, ne exigi quidem poteſt propter periculum pro-

Digitized by Google

probabile. Præterquamquod ſæpe accidit, ut ignoretur, utrum periculum ſortis ſit probabile, an commune. Mutuatarii animum quis ſcire poteſt? Ejus facultatem, ſeu bona vix nota eſſe poſſunt: quis ejus debita ſciri non poſſunt. Qui res ſuas bene gerunt, mutuis non indigent, nec ea poſtulare ſolent. Quare ipſa mutui petitio, ſi rem recte penſemus, periculi admonet mutuatorem, qui tamen, quale ſit hoc periculum, ignorat. Hæc eſt ordinaria mutuatorum conditio. Juxta La Croixium ſi periculum eſt probabile, auctarium exigi poteſt: ſi periculum eſt commune, exigi non poteſt: ergo cum ignoratur, uti ordinarie accidit, utrum periculum ſit probabile, an tantum commune, manifeſto uſuræ periculo ſe ſe objicit, qui auctarium ex mutuo poſtulat. Huc demum recidit verſatilis probabilitas, ut Chriſtianos in peccandi pericula conjiciat.

Longe ergo ſanior, & verior eſt doctrina, quæ aſſeſit, propter periculum recuperandæ ſortis quodcumque, aut qualecumque illud ſit, nunquam licere auctarium exigere. Licet enim periculum probabile, ſeu proximum, non ſit intimum, ſeu inſeparabile ab omni mutuo, eſt tamen inſeparabile a mutuo determinato, quod hic & nunc datur: & hoc ſatis eſt, ut propter ipſum, auctarium exigi nequeat; ſicuti ſatis eſt, ut nihil exigi poſſit propter temporale commodum rei ſpiritualis, quia hic & nunc eſt inſeparabiliter annexum rei ſpirituali.

Qui enim vendit id, quod mutuo inſeparabiliter hic & nunc annexum eſt, hic & nunc ipſum mutuum vendit; quæ eſt certa, & indubitata uſura.

Adde, quod, cum mutuatarius ſortem reſtituit, ab omni periculo liberat: ergo ſi ultra ſortem aliquid exigatur, pro nihilo exigitur; quia periculum nullum hic & nunc eſt. Accipitur, inquis, pro periculo, quod fuit. At ſi licet pro periculo, quod jam fuit, & tunc nullum eſt, aliquid accipere, pro ipſa ſorte jam reſtituta aliquid exigere licebit; quia etiam ipſa ſors ante reſtitutionem aliquid fuit. Quare ſicuti poſt reſtitutionem nihil pro ipſa ſorte exigi poteſt, ita nec pro periculo quidem exigi quidquam poteſt; quia reſtitutio non minus periculum, quam ſortem in nihilum redigit.

At rationes, inquis, a te allatæ non obſtant, quominus alter a mutuatore aliquid accipiat pro periculo ſortis ſine uſuræ labe, aut periculo: ergo etiam ipſe mutuator illud accipere poteſt.

Reſp. neg. conſ. & paritatem. Nam alius a mutuatore, aliquid ab eodem mutuatore accipiens pro periculo ſortis mutuatæ, in ſe ſuſcipit tale periculum, itaut ſi ſors pereat, ſuo ipſius damno pereat; hoc appellatur periculum juris, quod juſtum titulum præbet accipiendi aliquid: at mutuator eſt tantum obnoxius periculo facti, ita ut quidquid accidat, mutuatarius eidem ſemper debitor maneat. Hinc fit, ut ſi mutuatarius pretium ſolvat pro periculo ſortis, pro nihilo illud ſolvat; quia periculi pretium, & onus eidem mutuatario inhæret, & impoſitum eſt, nec in mutuatorem transfertur. Pretium, & onus periculi mutuatario ſemper inhæret, inquis, etiamſi jus mutuatoris contra ipſum in alium transferatur. Reſp. Hinc autem fit, ut nec mutuator, nec quicumque alius, ab eo quidquam pro tali periculo exigere queat. At nonne, ais, periculum ſortis, cui mutuator expoſitus eſt, illud idem eſt, quod alius a mutuatore in ſe ſuſcipit, & pro quo pretium jure accipit? In mutuatore eſt periculum facti, in alio eſt periculum juris; at periculum eſt idem, nec poteſt eſſe pretio æſtimabile in alio a mutuatore, ſi pretio æſtimabile non ſit in ipſo mutuatore. Reſp. periculum eſt idem, & in utroque pretio æſtimabile; at hoc pretium a mutuatario exigi non poteſt propter rationes allatas, licet exigi poſſit a mutuatore, ſi quis in ſe tale periculum ſubeat; quia tale periculum in alio a mutuatore cum mutuo connexionem non habet.

Et ſane ſi propter probabile ſortis periculum aliquid exigere liceat, a pauperibus mutuatariis illud exigere liceret; quia periculum ſortis in iis probabile eſſe ſolet: at Exod. 22. dicitur: *Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi, qui habitat tecum, non urgebis eum quaſi exactor, nec uſuris opprimes*. Neque dicas id repugnare ſolum caritati; nam illud *uſuris* aperte indicat, acceſſorium a pauperibus mutuatariis exactum, juſtitiæ quoque adverſari.

Sed hac de re conſulendus eſt P. Concina, qui doctrinam paucis a me explicatam fuſe evolvit, eamque Evangelii, Patrum, plurimorum Theologorum auctoritate, communique Canonici Juris peritorum conſenſu, ac rationibus validis confirmat, & adverſariorum cavillos diſſolvit. Hunc ſolidiſſimum Theologum cum ejus adverſarii confutare nequeant, ejus doctrinam intactam relinquunt, ac perſonam minutis calumniis impetunt.

P. Concina Theol. t. 7. p. 276. §. 5. n. 1. inquit: „ Ratione periculi facti non pauci juniores Probabiliſtæ „ defendunt, abſque uſuræ labe exigi in mutuo lucrum „ poſſe. Imo eo laxitatis prolapſi nonnulli ſunt, ut illos „ aſſerere non puduerit in omni mutuo hoc periculum „ reperiri. Hoc fatetur vel ipſe P. Claudius La-Croix „ lib. 3. p. 2. de uſ. n. 854. *Sylvius, Serra, aliique* „ *apud Mends in ſtatera diſp. 6. n. 58. docuerunt, ſemper eſſe periculum ſortis, quando datur mutuum:* „ *ideoque ratione periculi ſemper poſſe aliquid exigi.*“

Ita ſane habet La-Croix. Quid ergo hic reprehendendum? At adverſarii, ut P. Concinam carpant, nodum in ſcirpo inepte quærunt.

P. Zach. ad citata La-Croixii verba hæc refert. „ Quid „ contendit P. Concina, inquit Nocetius cap. 58. ver. vind., præfigendo illi ſententiæ nomen Patris La-„ Croix? Vel contendit, Patrem La-Croix ſolum referre illam opinionem &c.“ Reſp. Hoc unum, & nihil amplius P. Concina contendit. At ſubdit: „ Si contendit, P. La-Croix ſolum referre; quis unquam recenſendo propoſitiones damnabiles, & earum catalogum „ pertexendo,” (hic non opinionum catalogus texitur, ſed una tantum ſententia refertur) „ præfigit nomen „ ejus Auctoris, qui ſit merus eorum relator?“ Reſp. Quilibet præfigere poteſt, ſi hoc nomen præfigat ut relatoris, ſicuti fecit P. Concina, non ut Auctoris, ſeu defenſoris ſententiæ relatæ. „ Certiſſime lectores ſtatim „ ſibi perſuadent, ſcriptorem præfixum eas defendere: „ vel, ut mitiſſime loquar, non rejicere, ut proprio „ experimento qui legunt recitata verba P. Concinæ, „ teſtari poſſunt.“ Reſp. Hoc ſibi perſuadent qui mutila P. Concinæ verba legerint, non qui integra, uti a me relata ſunt: quæ integra verba, Sole clarius declarant, referri a P. Concina P. La-Croxium veluti relatorem tantum ſententiæ Sylvii, & Serræ Ordinis Dominicani, quos P. Concina vehementes reprehendit, ut omnes intelligant, ipſum non pro domo ſua, & contra alienam, ſed pro veritate, & contra falſitatem pugnare. Ergo fruſtra Nocetius, ut Concinam in calumniæ ſuſpicionem adducat, hæc addit. „ Si vero contendit, P. „ La-Croix eam opinionem defendere, aut ſaltem non „ impugnare, ut relinquit lectoribus perſuaſum, egre-„ gie eſt calumniatus.“ An in his ineptiis refellendis tempus terendum eſt? P. Concinæ ſcripta typis evulgata, quæ ego maxima ex parte non ſolum legi, ſed attente conſideravi, luce clarius oſtendunt, ipſum eſſe non ſolum ſolidum, & eruditiſſimum Theologum, ſed Religioſum valde probum, veritatis eximium amatorem, a calumniis alienum, non ſecus ac cælum a terra remotum eſt; ſed quia verſatilem probabilitatem exſecratus eſt, in eamque, ut debuit, vehementer, ac ſolidiſſime in omnibus ſuis voluminibus invectus, omnes verſatiles opinatores contra ſe concitavit; a quibus, infinitis dicteriis, & calumniis impetitus eo glorioſior apud æquos rerum æſtimatores emicat, quo majorem pro veritate invidiam ſubire non dubitavit.

Difficultatum, vel expenſarum, quæ erunt, vel metuuntur in recuperanda ſorte.

Buſemb. eodem loco habet periculum ſortis, difficultates, expenſas, quæ erunt, vel metuuntur in ea recuperanda.

At ſicuti expenſæ in ſorte recuperanda, ab ipſa ſecernuntur, ſortiſque augumentum ſunt, ita earum periculum a ſortis periculo diſtinguitur. Nam difficultates ab expenſis, & damnis ſeparatæ, puta quia debitor non reſtituit, niſi ſæpius monitus, niſi perterrefactus, niſi ad tribunalia citatus, apud æquos rerum æſtimatores pretio non æſtimantur.

Ipſæ expenſæ non ex arbitrio, ſed ex neceſſitate factæ pro ſorte recuperanda, ſicuti apud Judices fori externi, ita quoad conſcientiam, etiamſi nullum pactum præceſſerit, jure rependendæ ſunt, & jure exigi poſſunt.

Hac de re nulla quæſtio eſſe poteſt; ſed quæritur, utrum pro expenſarum, quæ metuuntur periculo, aliquid ſupra ſortem exigi queat, ſi hac de re prævium pactum inter mutuatorem, & mutuatarium initum fuerit. Affirmat Buſemb., La-Croix n. 856. p. 362. & alii communiter, ut monet Concina Th. t. 7. p. 308. n. 2. Eorum ratio eſt, quia damnum emergens e mutuo, juxta omnes compenſandum eſt; at expenſæ probabiliter faciendæ in ſorte recuperanda, reputantur damnum emergens: ergo ſunt compenſandæ.

Reſp. cum P. Concina p. 409. num. 8. expenſas eſſe compenſandas, poſtquam factæ jam ſunt, non priuſquam fiant, propter incertum earum eventum, qui forte non continget. Si enim non contingat, compenſatio locum non habet.

At, inquies, ipſum periculum probabile expenſarum, eſt pretio æſtimabile: ergo pro ipſo periculo ex prævio pacto compenſatio exigi poteſt: compenſatio, inquam, non æqualis expenſis, quæ metuuntur, ſed ex æquo judicio pro ratione periculi. Titius e. g. multis negotiis implicitus, homo fidei incertæ, ac duræ cervicis adeo importunis precibus, ac tam multis rationibus te urget, ut mutuum, de quo rogaris, ei dare tandem conſtituas;

ſed

ſed quia prudenter periculum prævides expenſarum in ſorte recuperanda, ei mutuum das adjecto pacto, ut aliquid ſupra ſortem, puta dimidium expenſarum, quæ probabiliter metuuntur, tribuat. Deſcriptum pactum, de quo propter recentium auctoritatem nihil dubitas, mihi ſuſpectum eſt. Quæro enim abs te, cur tale pactum adjicias? An ut lucrum ex mutuo captes? At hæc eſt evidens uſura. Minime vero, inquis; ſed pactum addo, ut me indemnem ſervem.

Si te indemnem ſervare vis, pactum facito, ut, ſi expenſas pro recuperanda ſorte fieri contigerit, eas mutuatarius reparare debeat.

Hoc pactum & honeſtius eſt, & tuo nomini, ac famæ conſulit, & mutuatarium valde urget, ne moras nectat in ſorte reſtituenda, ac demum te indemnem ſervat. Quod ſi illud recuſas, in ſuſpicionem avaritiæ, & uſuræ adduceris, atque indicas, te non tuam indemnitatem, ſed lucrum ex mutuo quærere, dum pro expenſarum periculo paciſceris. Hoc quidem periculum eſt aliud a periculo ſortis, eſt pretio æſtimabile, ideoque ex natura ſua videtur in pactum deduci poſſe; ſed quia in circumſtantiis, in quibus verſamur, jure timetur, ne uſuræ pallium ſit, idcirco ſuſpectum nobis eſt, & mutuatores ab eo deterremus, ac deterrendos putamus.

Animadversio XIX.

Nec eſt uſura, ſi timens &c. paciſcaris, ut, ſi tunc non ſolvat, aliquid det ... loco pœnæ: quæ pœna &c. dummodo &c. unde &c.

Hæc ſententia, ut fatetur P. Concina Theol. t. 7. p. 412. n. 4. communis habetur. Eamdem ſequitur Wig. in Trib. p. 383. q. 13. & Genettus Theol. t. 1. p. 243. q. 1. *Tertius uſus* &c. Ratio eſt, quia voluntaria fidei fractio culpabilis eſt, & juſtitiæ contraria, ideoque pœna digna: ergo non repugnat juſtitiæ pactum, ut pœnam ſolvat, qui fidem fregit, dum pœna ſit moderata, non excedens.

P. Concina n. 5. contra ita ratiocinatur. „ Ideo pactum pœnæ conventionalis de acceſſione ſupra ſortem „ in mutuo licitum dici poteſt, quia mutuator hoc pacto ſervat ſe indemnem; ſed pactum iſtud ineptum „ eſt ad ſervandum indemnem mutuatorem: ergo fenebre eſt.

Reſp. Hæc ratio videtur eſt petitio principii. Quæſtio enim præſens eſt, utrum abſque titulo lucri ceſſantis, aut damni emergentis pactum adjicere liceat, ut mutuatarius, qui in culpabili mora ſolvendi ſit, debeat aliquid ſupra ſortem in pœnam tribuere. Itaque major, quam Concina non probat, ex ratione a nobis allata negatur. Intereſt quippe Reipublicæ ut juſta pacta ſerventur, & culpabilis fidei fractio a pœna immunis non ſit.

Quod attinet ad conditiones pœnæ conventionalis, quas P. Concina (p. 415. § 4.) loco cit. impugnat, hæc breviter animadverto.

Intentio mutuatoris pœnam imponentis eſſe debet, ut mutuum condicto tempore ſolvatur; quod ſi ex culpa mutuatarii non fiat, ut acceſſionem moderatam accipiat, non quod mutuum dederit, ſed quod fides contra jus fracta fuerit. Prima voluntas abſoluta eſt, altera hypothetica, ſeu conditionalis.

Nonnulli teſte Concina ſecundam conditionem addunt, ut pœna ſemel tantum ſolvatur, non iterum, aut ſæpius, puta in ſingulos menſes, aut annos.

Quoad hoc dicendum, pœnam moderatam eſſe oportere; & quia pœna repetita, moderationis limites facile excedit, idcirco dicta conditio fuit a nonnullis adjecta.

Tertia conditio eſt, ne fama mutuatoris lædatur; quæ conditio omni contractui, imo omni actioni communis eſt, ut ſcilicet ſcandalum puſillorum evitetur, neve ipſis anſa male agendi, aut temere judicandi detur.

Quarta conditio eſt, ut mutuator, antequam pœnam imponat, credat, debitorem poſſe, & velle ſuo tempore ſolvere.

Hic animadverto, mutuatorem in ea quidem ſententia eſſe debere, ut debitor intra præfinitum tempus ſolvere poſſit; alioquin pœnam ſine culpa imponere, hoc eſt lucrum ex mutuo captare vellet; quæ eſt evidens uſura.

Quod ſi creditori illud humano more certum ſit, mutuatarium velle ſolvere ſine mora, quia eſt integræ fidei, pactum pœnæ conventionalis ſupervacaneum eſſet, & feneratitium. In hac enim ſpecie ſolutionis dilatio non aliunde proficiſci poſſe putatur, quam ex fortuito caſu, & impotentia debitoris; quæ dilatio pœna digna non eſt: ideoque in hac ſpecie ſub pœnæ conventionalis pallio lucrum ex mutuo quæritur.

Pœna igitur conventionalis imponi non poteſt, niſi cum mutuatarius præſtituto tempore ſolvere poſſe creditur, at dubitatur, utrum fidem ſit ſervaturus, ut, ſi ex culpa non ſolvat, fractæ fidei pœnam luat.

Quod ſi definito tempore totum quidem debitum non ſolvat, at ex parte ſolvat, merito præſumitur, totum non ſolvi ex impotentia: ideoque pœna conventionalis repeti non poterit, niſi aliunde infidelitas conſtet: quæ ſi comperta ſit, nihilominus pœna pro factæ ſolutionis ratione minuenda erit.

Hæc animadvertere non inutile duxi, ne, ſi quis pœnam conventionalem a morolo, & culpabili debitore exegiſſet, reſtitutionis onus abſque ullo examine ei imponatur, quod jure imponi non poſſit.

Ceterum fateor, fideles a pœnæ conventionalis pacto eſſe diſſuadendos, aut etiam abſterrendos: quia mali ſpeciem habet, & dubitationem ingerit, illud adjici ad palliandam uſuram, ſeu lucrum, quod ex mutuo captetur.

Præterea hoc pactum initi non poteſt, niſi adjecta conditione, ſi debitor ex culpa ſua ultra præfixum terminum ſit procraſtinator: quæ culpa ut plurimum incerta cum ſit, dubium quoque relinquit, utrum pœna exigi jure poſſit. Itaque ut eſt his dubiis, & anguſtiis conſcientia ſoluta ſit, a pœnæ conventionalis pacto abſtinere tutius, & melius eſt.

Id campſoribus vetuit S. Pius V. Bulla 88. quam refert Genettus in fine t. 2. his verbis: *Porro ad tollendas quoque in cambiis, quantum cum Deo poſſumus, occaſiones peccandi, fraudeſque feneratorum, ſtatuimus, ne deinceps quiſquam audeat ſive in principio, ſive alias certum & determinatum intereſſe in caſu non ſolutionis paciſci.*

Animadversio XX.

Quod addo, quia ſi ſponte anus illud ſuſcipiat, eo quod facile &c. non erit uſura.

Hæc additio ita temperanda eſt, ut mutuatarius pecuniam reddere debeat, ſi eam a mutuatoris debitore reipſa conſequatur: non item, ſi eam ſpe ſua deceptus conſequi non poterit. Nec enim reſtitutio ex fallaci mutuatarii ſpe, ſed ex ipſa pecunia re accepta debetur.

Animadversio XXI.

Uſura etiam eſt, obligare mutuatarium ut partem mutui accipiat in mercibus, quibus non indiget.

Adde, aut quas a mutuatore emere non vult, quia ab aliis aut minoris ſe empturum novit, vel ſperat, aut melioris conditionis.

Uno verbo nunquam mutuatario onus imponendum eſt, ut merces loco pecuniæ accipiat: quia, cum tale onus pretio æſtimabile ſit, aliquid ſupra ſortem ex mutuo exigeretur: quæ eſt manifeſta uſura. Id docet S. Antoninus apud Nat. Alex. Theol. t. 2. p. 308. reg. 28. inquiens: *Si quis mutuat alteri ea intentione, vel pacto, ut vadat ad molendinum ſuum, vel furnum, vel apothecam ſuam ad emendum, vel ut intret ſcholas ſub eo, & hujuſmodi, alias non mutuaturus, uſuram committit, etiamſi non majori pretio ſibi vendit propter hoc, ſeu plus ab eo, quam ab aliis petit. Ratio eſt, quia commoditatem, ſeu utilitatem inde recepit, quæ pretio æſtimari poteſt*: xiv. q. 3. cap. *Si feneraveris*, & ext. eodem tit. cap. *Conſuluit*: *& tenetur*, inquit ſanctus vir, *reſtituere*. Hinc D. Th. 2. 2. q. 78. art. 2. ad 4. ait, *Quod pecunia non poteſt vendi pro pecunia ampliori, quam ſit quantitas pecuniæ mutuatæ, quæ reſtituenda eſt. Nec ibi aliquid eſt exigendum, aut expectandum, niſi benevolentiæ affectus, qui ſub æſtimationem pecuniæ non cadit; ex quo poteſt procedere ſpontanea mutuatio.* Ex D. Thoma nihil exigendum aut expectandum ex mutuo, niſi benevolentia: ergo exigi non poteſt a mutuatario, ut merces loco pecuniæ accipiat, vel aliquid aliud.

Animadversio XXII.

Interim tamen quidam de his rebus (vino, tritico &c.) *eodem modo loquuntur, quo de moneta.*

Si hæ res ex pacto dentur juxta earum valorem, ut pretium, non res condicto tempore reſtituatur, eſt venditio credita pecunia; in qua nihil mali eſt, dum rei venditæ pretium juſtum ſit.

At ſi hujuſmodi res, ut vinum, triticum &c. mutuo dentur, pretium pro rebus exigi non poteſt, ſed ſolum res ipſæ; & contra mutuatarius res ipſas in eadem quantitate, & qualitate reſtituere tenetur, nec pro ſuo arbitrio pretium ſubſtituere poteſt.

Animadversio XXIII.

Præterea in praxi ex præſumpta voluntate mutuatariorum fere excuſantur minus principales famuli (a reſtitutione.)

Famuli principales feneratitiæ arti propinquius deſervientes illi ſunt, qui uſuras colligunt, aut mutuatarios ad eas ſolvendas urgent; minus principales uſuris remo-

tius cooperantes ſunt, qui nomina ſcribunt, pecunias numerant, illas cuſtodiunt. Primi ea communi ipſorum recentium ſententia contra juſtitiam peccant, & reſtitutioni obnoxii ſunt, ut monet P. Concina Theol. t. 7. p. 335. 36. n. 10. idque colligitur etiam ex Buſembao.

Poſteriores a reſtitutionis obligatione liberant, ut Buſemb., imo etiam a peccato, ſicuti a peccato excuſant meretricum famulas, quæ fornicari volentibus portam aperiunt, aut lectum ſternunt, ne ſuam mercedem amittant. Hanc opinionem, quod ad peccatum attinet, idem Concina veluti laxam, & falſam rejicit; qua de re vide dicta l. 2. t. 3. c. 2. d. 5. art. 3. ca. 4.

A reſtitutione eos Buſ. ſere excuſat ex præſumpta mutuatariorum voluntate. Hæc præſumptio mihi videtur nequiſſima. Nec enim dicitur, quibus indiciis, aut rationibus nitatur. Si præſumpta mutuatariorum voluntas a reſtitutione excuſat famulos minus principales feneratorum, cur non principales, cur non ipſos feneratores? Hæc præſumptio a reſtitutione excuſabit omnes cooperatores ſaltem minus principales omnium furtorum, & rapinarum. Vera, & rationabilis præſumptio eſt, ut damnum, & injuriam paſſi ab iis omnibus ſibi reſtitui velint, qui damno, & injuriæ cooperati ſunt, ut, ſicut culpæ participes fuerunt, ita quoque pœnam luant. Itaque niſi injuriam paſſi reſtitutionem remittant, temerarium eſt præſumere, illam ab iis remitti.

P. Concina ignorare ſe fatetur, utrum prædicti minus principales famuli a reſtitutionis onere propter ignorantiam immunes ſint.

S. Thom. 2. 2. qu. 72. art. 7. ait: *Sciendum tamen, quod quinque præmiſſorum*, (cooperantium ad furtum, aut rapinam) hoc eſt juſſio, conſenſus, recurſus, participans, non obſtans, *ſemper obligant ad reſtitutionem*.

Participatio autem eſt, ut ipſe S. Doct. ait, *quando ſcilicet aliquis participat in crimine latrocinii, & in præda*. At prædicti famuli minus principales participant in crimine latrocinii: ergo ex D. Thoma reſtituere tenentur. Id ego quoque fateor, inquis; at ignorantia eos forte excuſat. Ego vero exiſtimo, imo pro certo habeo, eos ea ignorantia a reſtitutione non excuſari. Ratio eſt, quia ſcire debent, imo ſciunt, ex ſua in uſuras cooperatione injuriam, & jacturam in mutuatarios derivari: at certum eſt, eos, qui ſcire debent, ac multo magis qui ſciunt, ea ſua cooperatione injuriam, & jacturam in alios derivari, reſtitutioni obnoxios eſſe, ut patet ex canone ſæpe cit. *Si culpa tua*, atque hic neceſſario repetendo, ubi dicitur: *Si culpa tua datum eſt damnum vel injuria irrogata, ſeu aliis irrogantibus opem* (uti ſunt famuli, de quibus loquimur) *forte tuliſti, aut hæc imperitia tua, ſive negligentia evenerunt; jure ſuper his ſatisfacere te oportet; nec ignorantia te excuſat, ſi ſcire debuiſti ex facto tuo injuriam veriſimiliter poſſe contingere, vel jacturam.*

Animadversio XXIV.

Quod ſpectat ad emptorem, is poteſt emere vilius, quam res valeat, ſi ei non ſit commoda, vel emat in gratiam venditoris &c.

Hic noto illam particulam disjunctivam *vel*; cujus loco ſi Buſ. particulam copulativam *&* adhibuiſſet, res bene ſe haberet. At non intelligitur, quomodo emptor in gratiam venditoris emat rem ſibi commodam, ut Buſemb. inſinuare videtur, aut ſaltem rem ambiguam relinquere. Cum emptor rem ſibi commodam emit, emptio eſt in gratiam tum venditoris, tum emptoris: ideoque ex hoc capite rei pretium minui nequit.

Hæc de re caute loquitur, ut ſolet, P. Concina Theol. t. 7. p. 302. n. 18., dum ait: „Secundo minoris, quam „ abſolute merx valet, emi poteſt, quando in gratiam „ venditoris ultro mercem offerentis emitur, quæ alioquin non emeretur; quia nunc adeo utilis, & commoda merx non eſt emptori; quemadmodum carius „ venditur, quando in gratiam emptoris venditur id, „ quod alias non venderetur. Caute tamen adhibendus „ eſt modus, & in his circumſtantiis ob oculos babenda eſt „ ſancta fraternitatis regula; *quod tibi non vis fieri, „ alteri ne feceris*, “ Hactenus ille.

Nec obſtat quod venditor neceſſitate ductus vendat vilius.

„ Hæc opinio (inquit idem Concina loco hic cit.) „ falſa, & ſcandali plena eſt. Tunc ſolum neceſſitas eſt „ ratio augendi, vel diminuendi pretium, quando eſt „ communis, & univerſalis, ob quam merces abſolute „ ob copiam, vel raritatem creſcunt, aut decreſcunt. „ Ceterum perſonalis neceſſitas vendentis, vel ementis „ nunquam ratio legitima eſſe poteſt, ob quam pretia „ rerum varientur. Alioquin carius pauperibus vendendæ merces eſſent, quia neceſſitate coacti emunt: „ quod injuſtitiam, & inhumanitatem præfert. “

Hæc doctrina ex angelico D. Thomæ fonte eruitur, qui 2. 2. qu. 77. art. 1. ait: *Si vero aliquis multum juvetur ex re alterius, quam accepit*, (ut accidit, cum pauperes neceſſitate coacti aliquid emunt) *ille vero qui vendit, non damnificetur carendo re illa, non debet eam ſupervendere; quia utilitas, quæ alteri accreſcit, non eſt ex vendente, ſed ex conditione ementis. Nullus autem debet vendere alteri, quod non eſt ſuum, licet poſſit ei vendere damnum, quod patitur.*

Sicuti autem carius vendere propter neceſſitatem emptoris non potes: ita contra propter venditoris inopiam vilius emere non vales. Utilitas enim, quæ vilius ementi propter venditoris inopiam accreſcit, non eſt, conditione ementis, ſed vendentis: ideoque emens ex alieno utilitatem capit: quod aperte iniquum eſt.

Animadversio XXV.

Licet autem vendere carius, quam valet &c. ſi aliqui boni tituli adſint ... aut affectus in eam ſingularis, ut ſi acceperis a majoribus, a Principe.

Si affectus ſit rationabilis, ut in adductis exemplis, res bene habet. „ Debet tamen pretium illud (affectus) „ moderatum eſſe, ait Concina Theol. t. 7. p. 287. n. 9. „ juxta prudentum æſtimationem. Sæpe venditores affe„ ctum hunc enormi pretio vendere ſtudent, dum ab „ emptoribus neceſſitate preſſis ſollicitari ſe ſentiunt: & „ ſæpe conjungunt atque confundunt cum proprio affe„ ctu commodum, & neceſſitatem emptoris. Atque tum „ graviter peccant, & ad reſtitutionem tenetur. “

Item ſi res ſint novæ &c.

Hæ res novæ, raræ, ſingulares plus minus habent ſuum pretium determinatum ex peritorum æſtimatione; & hoc pretio vendendæ ſunt, non ex arbitrio venditoris, ut rectiſſime monet idem P. Concina Theol. t. 7. p. 299. n. 12.

Animadversio XXVI.

Monopolia ... non ſunt contra juſtitiam; modo non conſpirent &c.

Qui monopolia ab injuſtitia excuſant, ea ratione nituntur, quia merces vendere juſto pretio, juſtitiæ non repugnat: ergo neque conventio mercatorum conſpirantium non minoris vendere, dum pretium juſtum ſit, injuſta eſt.

At hæc ratio ſophiſtica eſt: aliud enim eſt, merces certo juſto pretio vendere, non minori, aliud conſpiratio mercatorum de non minuendo certo juſto pretio.

Nec Logicæ leges, nec lumen in mentibus noſtris ſignatum patitur, ut ex priori actione permiſſa, alteram longe diverſam permiſſam eſſe inferamus.

Contraria ſententia, quam tuetur Genettus Theol. t. 1. p. 223 c. 5. & Concina Theol. t. 7. p. 286. n. 4. ita ratiocinatur. Conventio, hominum ſocietati damnoſa, non ſolum caritati, ſed etiam juſtitiæ contraria eſt: at conventio mercatorum conſpirantium non vendere minoris, licet pretium juſtum ſit, hominum ſocietati damnoſa eſt: quia, cum ea conventio eo ſpectet, ut merces ſummo pretio vendantur, impedimento eſt, quominus pretio modo mediocri, modo infimo diſtrahantur: quod ſane hominum ſocietati damnoſum ſine controverſia eſt: ergo hæc conventio eſt iniqua. Hæc porro ratiocinatio recta eſt & ſolida: ideoque hæc ſententia ſequenda eſt, prior deſerenda.

At inquiet aliquis: Impedimentum, quominus merces pretio infra ſummum diſtrahantur, jus non violat: quia emptores jus non habent, ut minoris vendantur, cum tale pretium juſtum ſit.

Reſp. Ex dictis impedimentum deſcriptum injuſtum eſt; quia licet emptores jus non habeant, ut hic, vel ille mercator minoris vendat, quam ſummo pretio; jus tamen habent, ne impediantur, quominus mediocri, & infimo pretio merces comparare queant. Hujuſmodi impedimentum veluti injurium tum naturæ lex, tum jus civile execratur. Lex *jubemus* c. de monopoliis a Genet. cit. ait: *Jubemus, ne quis illicitis habitis conventionibus conjuret, aut paciſcatur, ut ſpecies diverſorum corporum negotiationis, non minoris, quam inter ſe ſtatuerint, venumdentur.*

Animadversio XXVII.

Venditor debet emptorem præmonere ... ſaltem ſi defectus fuerit in ſubſtantia, vel qualitate.

Hic audiendus eſt D. Thom. qui fraudem in venditione committi docet non ſolum ex defectu ſpeciei, ſeu ſubſtantiæ, & quantitatis, ſed etiam qualitatis. Inquit enim 2. 2. qu. 77. art. 2. *Tertius defectus eſt ex parte qualitatis, puta ſi aliquod animal infirmum vendat quaſi ſanum. Quod ſi quis ſcienter fecerit, fraudem committit in venditione. Unde eſt illicita venditio. Et in omnibus talibus non ſolum aliquis peccat, injuſtam venditionem faciendo, ſed etiam ad reſtitutionem tenetur. Si vero eo ignorante aliquis prædictorum defectuum* (ſpeciei, quanti-

Digitized by Google

quantitatis, qualitatis) *in re venditor quidem non peccat, quia facit injuſtum materialiter, nec ejus operatio eſt injuſta, ut ex ſupradictis patet: tenetur tamen, cum ad ejus notitiam pervenerit, damnum recompenſare emptori.*

Hinc liquet, emptorem non ſolum de notabili, ut Buſemb. ait, ſed de quocumque occulto rei venditæ vitio eſſe monendum, cujus occultatio emptori obſit: alioquin tenetur de fraude, & damno ſecuto, idque non ſolum ſi vitium fuerit in ſubſtantia, & quantitate, ſed etiam in qualitate. Quia ſeu multum, ſeu parum, & quacumque ratione nocere proximo, ſemper iniquum eſt, & damnum ſemper eſt reparandum; licet culpa mortalis non admittatur, niſi damnum ſit notabile.

Ubi notat, venditionem ... validam, reſcindendam tamen &c. niſi venditor contra hoc exceperit.

Venditor rei vitium ignorans, a compenſatione non excuſatur, quia contra hoc excepit. Ipſa enim exceptio eſt iniqua, ut ſcilicet rem, de cujus vitio dubitat, eodem pretio vendat, ac ſi nullum eſſet periculum vitii.

Si tamen venditor excipiens, ſeu declarans, ſe nolle vitii, quod ignorat, periculum ſuſcipere, pro ratione periculi pretium minuat, ad nihil tenetur, ut res ipſa loquitur, & docet Genettus Theol. t. 2. p. 222. qu. 5. & Concina Theol. t. 7. p. 324. n. 23.

Quod ſi occultatio vitii rei venditæ nec periculoſa ſit, nec damnoſa emptori, ſed eo ſolum ſpectet, ut venditorem indemnem ſervet, non eſt culpabilis, nec injuſta.

Hinc D. Thom. art. 3. qu. 77. cit. poſtquam docuit, venditionem eſſe illicitam, & doloſam, damnique compenſationi obnoxiam, ſi occulta rei venditæ vitia, unde damnum, vel periculum in emptorem derivatur, non detegantur, ſubdit: *Si vero vitium ſit manifeſtum, puta cum equus eſt monoculus, vel cum uſus rei etſi non competat venditori, poteſt tamen eſſe conveniens aliis, & ſi ipſe propter hujuſmodi vitium ſubtrahat quantum oportet de pretio, non tenetur ad manifeſtandum vitium rei: quia forte propter hujuſmodi vitium emptor vellet plus ſubtrahi de pretio, quam eſſet ſubtrahendum. Unde poteſt licite venditor indemnitati ſuæ conſulere, vitium rei reticendo.*

Animadversio XXVIII.

Si ſcias occulte debitorem tuum &c. injuſtum videtur &c.

Hæc injuſtitia non opinabilis eſt, ſed certa & evidens ex ipſa ratione a Buſemb. allata. Quare loco illius *videtur* dicito, *eſt injuſtum.*

Animadversio XXIX.

Etſi venditor ſciat pretium mercis mox minuendum, licet tamen vendere pretio currenti &c.

Idem ſentit etiam Concina Theol. t. 7. p. 302. n. 20. eſtque ſententia D. Thomæ 2. 2. qu. 77. art. 3. ad 4. ubi ait: *Quod vitium rei facit rem in præſenti eſſe minoris valoris, quam videatur. Sed in caſu præmiſſo* (eſt caſus ipſiſſimus Buſ.) *in futurum res expectatur eſſe minoris valoris per ſuperventum negotiatorum, qui ab ementibus ignoratur. Unde venditor, qui vendit rem ſecundum pretium, quod invenit, non videtur contra juſtitiam facere, ſi quod futurum eſt, non exponat. Si tamen exponeret, vel de pretio ſubtraheret, abundantioris eſſet virtutis; quamvis ad hoc non videatur teneri ex juſtitiæ debito.* Huic S. Doctoris ſenſui contrarius eſt Cicero off. lib. 3. cap. 7. ſed ſcrupuli movendi non ſunt iis, qui juxta S. Thomæ opinionem agunt.

Animadversio XXX.

Si cui datum eſt aliquid vendendum pretio &c. & is vendat rigoroſo, probabile eſt &c. poſſe retinere exceſſum, cum &c.

La-Croia p. 293. n. 1041. ita loquitur. „Si tibi committatur venditio equi pro 50. aureis, & vendas pro „ 52. non poteris hos duos retinere; quia pretium eſt „ determinatum, ne venderes infra, non autem ut non „ venderes ſupra, niſi aliud colligatur ex verbis, vel „ circumſtantiis, Haun ſupra, Illſ. t. 4. d. 2. n. 404. “ Hactenus recte contra Buſemb.

„ E contra ſi dominus voluerit, equum jam vendi „ pro 50. ” (hæc hypotheſis merito fictitia habetur, niſi dominus expreſſe forte dixerit, ſe nolle equum vendi ultra 50. nec infra 50. quod via unquam accidit) „ jam autem non poſſis vendere carius “ (ſi vendere non poſſis carius, ut vendere carius non debes, cur pro 50. non vendis?) „ ſed ſperes te poſtea poſſe, licite „ emes illum tibi pro 50. ut poſtea vendas, quanti poteris, & hoc, quod erit ſupra 50., erit tuum, Lu„ go n. 150. Sporer n. 39. “

In hac ſpecie turpitudo, ut mihi videtur, in eo eſt evidens; quod qui mandati gratuitum officium ſuſcepit, emptoris, & negotiatoris perſonam inſcio equi domino, & mandante ſibi arroget. Si quæſtum ex equo ſibi ad venditionem commiſſo facere in animo habebat, cur illum a domino non emit? An poteſt emere nemine ſibi vendente? Nec enim dominus equi conſenſit, ut emeretur ab eo, cui vendendum commiſit; multo vero minus conſentire præſumendus eſt, ut eo inſcio ſibi arroget dominium rei, quam vendendam mandavit. At ſaltem hic procem, qui ex arbitrio ſuo perſonam mutat lucri cauſa, 50. aureos equi domino numeraret, ſtatim ac equum emere, & ſuum facere in animo habet. At non ita ponit La-Croia, qui ſubdit: „ Signum autem, „ quod tibi emas, eſt, ſi in te ſuſcipias periculum, alia„ que] onera, quæ ſequuntur dominium equi, itaut, ſi „ pereat, velis illum perire tibi, &c. “ Ergo equus tranſit in dominium ejus, qui mandatum vendendi ſuſcepit, ſola hujus voluntate, & arbitrio ſine pecuniæ enumeratione, ſine domini conſenſu, eo ipſo, quia vult eſſe equi dominus. Et hanc turpitudinem, quam omnes æqui honeſtique homines execrantur, ſuis commentis honeſtare ſe poſſe probabiles opinatores exiſtimant!

Turpiter, & doloſe agit, qui accepto, & ſuſcepto mandato vendendi equum pretio infimo, aut moderato, illum vendit pretio ſummo, ſibique, ut Buſemb. permittit, exceſſum infimi, aut moderati pretii retinet; quia ſub ſpecie officii, & benevolentiæ quæſtum ex aliena re contra mandati naturam captat. Nam, ut l. *Obblig.* §. *Mandati*, dicitur, *mandatum, niſi gratuitum, nullum; nam originem ex officio, atque amicitia trahit.* At, inquit Buſemb. exceſſum ſua induſtria acquiſivit. Reſp. Buſemb. ſpecioſo induſtriæ nomine calliditatem, & fraudem donat; ideoque ab ipſo La-Croiaio contraria docente merito refutatur. At dum La-Croia per commenta fictitiæ venditionis hunc exceſſum ab eo, cui mandatum commiſſum eſt, retineri poſſe, ait, nihil aliud facit, niſi novas calliditates, & dolos dolis addere; quæ certe quæſtum honeſtare non poſſunt, ſed illum turpiorem ac iniquiorem reddunt.

Animadversio XXXI.

Quando ſartoribus ementibus &c. minoris venditur, quam aliis, eo quod &c. poſſunt partem pretii remiſſam &c. negat tamen Salas, eo quod &c.

Negat quoque Genettus Theol. t. 1. p. 205. qu. 2. Ratio ei mox dictis eſt, quia ſartores ex mandato emunt, onuſque gratuito emendi ſuſcipiunt: ergo doloſe, & fraudulenter agunt, dum ex ea emptione quæſtum percipiunt.

At, inquit Boſemb. mercatores in ſartorum gratiam cenſentur aliquid de pretio remittere, iiſque donare eam partem: ergo partem remiſſam, & donatam retinere poſſunt.

Reſp. Jactata mercatorum remiſſio in gratiam ſartorum fallaciſſima merito creditur, quia ut plurimum eſt hujuſmodi. Præterea ſi ſartores illi poterent minori pretio aliquid emere, injuriam faciont, ut docet ipſe La-Croia p. 293. num. 1044. citatis Mollina, Lugo, Sporer, Illſs.

Itaque juxta La-Croia partem pretii remiſſam ſartores tunc ſolum retinere poterunt, cum merces minori comparare nequeunt.

Acuta ſane limitatio; at non honeſta, nec tuta, & mandato ab iis ſuſcepto contraria. Dum enim mandatum ſuſcipiunt emendi, ſuam operam, & gratiam, ſi qua eſt, pollicentur in mandantis favorem; idque amplis verbis, ubi occaſio fert, oſtentant: ergo mandati fidem violant, & fraudulenter ſe gerunt, dum jactatam pretii ex parte relaxationem in ſuum lucrum convertunt. Præterea ſi qua ſit pretii remiſſio, ea ex emptorum frequentia, non ex ſartoris perſona derivatur. Ergo in emptorum, non in ſartoris utilitatem cedere debet.

Ita ratiocinatus Genettus, &, ut mihi videtur, non ſophiſtica ſubtilitate, ſed ſolida ſimplicitate.

Animadversio XXXII.

Si res pereat ante traditionem, & ſit certa &c. perit emptori, niſi &c.

Hæc ſententia communis eſt, ut habent Anacletus t. 3. juris can. p. 235. n. 213. & mihi quoque vera videtur. At objicies cum Concina Th. t. 7. p. 267. n. 5. res domino perit: at res vendita ante traditionem, eſt in dominio venditoris: ergo eidem perit. Reſp. maj. eſt certa; min. mihi falſa videtur.

Emptio enim, ut ait Genettus Th. t. 1. p. 276. c. 2. qu. 2. *eſt contractus, quo dominium alicujus rei pro certo pretio acquiritur. Hæc definitio*, ait ipſe, *ex jure civili deſumpta eſt.* Et ſane jure naturæ, & gentium emere ni-

Digitized by Google

re nihil aliud eſt, niſi dominium rei alienæ certo pretio ex partium conventione comparare: vendere contra eſt transferre dominium rei propriæ in emptorem pro certa pecunia; ita ut res, quæ ante venditionem erat venditoris, peracto venditionis contractu fiat emptoris.

At, inquis, ante traditionem emptor jus quidem habet ad rem, hoc eſt jus habet, ut res ſibi tradatur, non tamen jus habet in re, quia illam in ſua poteſtate non habet.

Reſpondeo, rem venditam ante traditionem non eſſe quidem de facto in emptoris poteſtate; at contendo, de jure in ejus eſſe poteſtate & dominio. Venditor enim de re vendita, licet nondum tradita, jure diſponere non poteſt, non eam donare, non vendere, non ea uti, non ejus fructus percipere. Cur hoc? Quia ſcilicet ejus dominium non amplius habet: quia ejus dominium in emptorem translatum eſt, qui proinde eam donare, vendere &c. poteſt, perinde ac ſi in ejus manibus eſſet.

Cur fatentibus omnibus emptor jus habet in rem, hoc eſt ut res ſibi a venditore tradatur? Quia res eſt emptoris, non venditoris. Nec enim emptor, rei dominus fit, quia ipſi traditur, ſed ipſi traditur, quia ejus dominus eſt.

At hic objicis jus civile §. *Utique* inſtit. de empt. & vendit. ubi dicitur: *Qui nondum emptori tradidit rem, adhuc ipſe dominus eſt.*

Reſpondeo ex meis dictis, venditorem eſſe dominum de facto, non de jure. Fateor tamen, emptorem ante rei traditionem dominium non acquirere quoad omnes ejus affectus. Si enim res a venditore iterum vendatur, & alteri bona fide ementi tradatur, eam prior emptor ſibi vendicare non poteſt. *Ceterum cum emptio*, ait l. §. 3. de empt. & vend. *& venditio contracta ſit (quod effici diximus, ſimul atque de pretio convenerit) periculum rei venditæ ſtatim ad emptorem pertinet, tametſi adhuc ea res emptori tradita non ſit.* Objectæ legi aliter reſpondet Anacletus loco citato, quem, ſi mea reſponſio non arridet, conſule.

Si autem res ſit indeterminata, ut &c. *aut ſi emat rem determinatam quidem, ſed ad menſuram, ut* &c. *tunc ante rei traditionem ..., periculum ſpectat ad venditorem.*

Ratio eſt, quia in his venditionibus ea conditio involvitur, ut res talis ſpeciei, & menſuræ, aut numeri tradatur. Periculum tamen pretii, & qualitatis rei ad emptorem pertinet, ita ut ſi res pretio decreſcat, aut ſine venditoris culpa deterior fiat, incommodum ad emptorem pertineat; ſicuti contra commodum ad eum ſpectat, ſi res melior fiet, aut ejus pretium augeatur, ſicuti animadvertit Concina p. 268. n. 7. niſi forte aliter conventum ſit.

ANIMADVERSIO XXXIII.

Quod quia obnoxium eſt &c. *ſevere prohibitum eſt Clericis in ſacris conſtitutis, & Religioſis omnibus, ita ut* &c.

Solis Clericis in ſacris conſtitutis negotiationem eſſe vetitam, communis recentium opinio eſt teſte La-Croixio p. 376. n. 1003. „ Sed Vega, inquit, Tab., Sa, „ Salas, aliique cum Lugo putant, Clericos etiam in „ minoribus conſtitutos, ſi beneficium habeant ad ſu„ ſtentationem ſufficiens, contineri prohibitione; quia „ hos nulla neceſſitas excuſat, & in ipſis valent omnes „ rationes prohibitionis; ac leges prohibentes utuntur „ ſimpliciter nomine Clerici. “

Et ſane can. *Fornicari* diſt. 88. ex D. Auguſt. deſumpto dicitur: *Fornicari omnibus ſemper non licet, negotiari vero aliquando licet, aliquando non licet. Antequam enim eccleſiaſticus quis ſit, licet ei negotiari, facto jam non licet.*

Hic quæro, utrum Clericus minoribus tantum ordinibus initiatus, Eccleſiaſtici nomine veniat, etiamſi beneficio eccleſiaſtico non gaudeat.

De iiſdem Clericis can. *His igitur* ex D. Iſidoro ſumptus habet: *Amorem pecuniæ, quaſi materiam cunctarum criminum, fugiant, & ſæcularia officia, negotiaque abjiciant*: & D. Hieronymus ep. 2. ad Nepotian. (habetur c. 9. diſt. 88.) ait: *Negotiatorem Clericum ex inope divitem, ex ignobili glorioſum quaſi quamdam peſtem fuge.* Hinc Alex. III. cap. *Secundum* Dec. lib. 3. t. 50. ita præcipit. *Secundum inſtituta prædeceſſorum noſtrorum ſub interminatione anathematis prohibemus, ne Monachi, vel Clerici cauſa lucri negotientur.* Cum ergo lex non diſtinguat inter Clericos ſacris, & minoribus ordinibus initiatos, inter beneficiarios, & non beneficiarios, omnes ea comprehendi, dicendum eſt. Præſertim cum rationes legis prohibentis, quas Buſemb. attingit, ad omnes Clericos indiſcriminatim pertineant. Adde, quod Alex. III. hic cit. eiſdem verbis, eademque ratione prohibet, *ne Monachi, vel Clerici cauſa lucri negotientur.* At fatente ipſo La-Croixio num. cit. 1003. negotiari prohibetur quivis Religioſus, etiam non Clericus: ergo negotiari quoque prohibetur quivis Clericus etiam ſacris non initiatus, etiam eccleſiaſtico beneficio carens.

Præterea omnes Clerici, privilegiis Cleri fruuntur: ergo omnes legibus ad Clericos ſpectantibus obnoxii ſunt, quia ex reg. 55. in 6. *Qui ſentit onus, ſentire debet commodum, & e contra.*

Hinc D. Thom. 2. 2. qu. 77. art. 4. ad 3. ſine ulla exceptione ait. *Quod Clerici non ſolum debent abſtinere ab his, quæ ſunt ſecundum ſe mala, ſed etiam ab his, quæ habent ſpeciem mali; quod quidem in negotiatione contingit, tum propter hoc, quod eſt ordinata ad lucrum terrenum, cujus Clerici debent eſſe contemptores, tum etiam propter frequentia negotiatorum vitia*: quia difficulter exuitur negotiator a peccatis labiorum, *ut dicitur Eccli. 26. Eſt & alia cauſa; quia negotiatio nimis implicat animum ſæcularibus curis, & per conſequens a ſpiritualibus retrahit. Unde & Ap. dicit 2. ad Tim. 2.* „ Nemo militans Deo, implicat ſe negotiis ſæcularibus. “ Hactenus D. Th. An Clericus minor non militat Deo? An Deo non militat, ſi eccleſiaſtico beneficio careat? Si pauca, quæ dixi, attente, pie, ac ſine præoccupatione conſiderentur, negotiationem omnibus Clericis ſine diſcrimine interdictam eſſe, evincunt.

Nam neceſſitas non ſubditur legi, & non ſolum Clericos, ſed etiam Sacerdotes cauſæ, & pro ſola neceſſitate negotiantes excuſaret.

ANIMADVERSIO XXXIV.

Si Clericus ſemel, iterumque tantum negotietur in materia non gravi, v. gr. libros, cruces &c. *emat, ut occulte iterum vendat carius, non eſt mortale.*

Hac in re hoc eſto principium. Leges, quæ Clericis negotiationem vetant, ſub letali culpa obligant. Hoc omnes communiter Theologi fatentur, exceptis Cajetano, Michaele de Palao, & Rodriguez, ut teſtatur P. Concina Theol. t. 7. p. 280. n. 6. Ergo ſicuti aliæ leges eccleſiaſticæ ſub gravi culpa obligantes, ut lex jejunii, Miſſæ feſto die audiendæ, officii divini &c. ſemel violatæ, letalis peccati reatum inducunt; ita lex, quæ Clericis negotiationem interdicit, nulla materiæ parvitas excuſet. Concluſio legitima eſt, eam ut reſte La-Croixio p. 376. n. 1004. veram habent Mol., Rebell., & alii cum Caſtrap. At La Croix ut verſatilis opinator (hoc idem eſt, ac pyrrhonicus Doctor, quem titulum ejus aſteclæ, ut Zacharia, & Nocetius tantopere averſantur, quia Concina La-Croixium vere ita nominat) ſtatim ſubdit: „ Tamen putant alii, probabilem eſſe „ ſententiam Cajet., Salas, Delbene de immun. eccl. „ c. 5. d. 3. ſ. 3. & aliorum, qui id negant. „

Ex hac loquendi ratione quid diſcitur, niſi hac in re eſſe contrarias opiniones? At quid tum poſtea? Juxta verſatilem probabilitatem La-Croixii perinde eſt, ac ſi dicatur: elige opinionem, ut placuerit: tuo arbitrio relictum eſt & opinari, & facere ſine ſcrupulo, & remorſu, quidquid contra rigidiores nonnulli obtrudant, prout volueris. Hæc eſt methodus La-Croixiana, quam P. Concina probabiliſticum pyrrhoniſmum appellat, & reprehendit. Jure ne, an injuria? An in rebus dubitabilibus periculum neceſſariu fugiendum non eſt? Sed de his alibi. Illud nunc a P. Zacharia, & aliis La-Croix patronis poſtulo, ut rationem a me allatam examinent, ejuſque infirmitatem evincant, ac tum demum ſuum Claudium extollant. Nam P. Concina, de cujus Theologia ita refert Nocetius a Zacharia exſcriptus p. 376. n. 997. La-Croix, *ajunt illam* (Concinæ Theologiam) *eſſe meram collectionem opinionum omnium rigidiorum ſolido ratiocinio vacuam, declamationibus vero conviciiſque pleniſſimam: ajunt* &c. P. inquam, Concina de negotiatione Clericis vetita modeſtiſſime ita loquitur num. 6. cit. „ Sit ne parva, an gravis materia, una, & altera „ tranſgreſſio, me latet. “ Ego vero exiſtimo, unam, & alteram tranſgreſſionem poſſe eſſe materiam gravem; quia materiæ gravitatem non ex ſolo numero, ſed ex rerum, quæ in negotiationem veniunt, quantitate, & pretio petendam puto. An ſi Religioſi apoſtolicas miſſiones in Braſilica obeuntes, navem mercibus onuſtam, quod ab eorum nonnullis factitari, hiſtoriæ perhibent teſte P. Concina p. 285. n. 6. ſemel tantum, aut iterum in Hiſpaniam negotiationis cauſa mitterent, materia parva dicenda eſſet, non gravis? Itaque idem P. Concina, qui a lubrica probabilitatis via longe recedit n. 6. cit. ita concludit: „ Si Clericus, qui ſemel legem „ violaſſet, ad me accederet, non abſolverem, niſi pro„ mitteret, ſe in poſterum non negotiaturum. “

At quid de Buſembao ajendum? „ Quoad negotia„ tionem in materia non gravi, conſentiunt omnes „ communiter cum Buſemb. ſupra, “ inquit La-Croix. Ita ſane: at nonnihil difficultatis habere videtur Buſemb. doctrina in exemplis quæ affert. Nam perinde loqui-

Digitized by Google

quitur, ac ſi materia gravis eſſe non poſſit, dum Clericus libros, cruces &c. emit, ut occulte iterum vendat carius. An ſi Clericus integram bibliothecam magni pretii emat, ut occulte carius vendat, materia levis eſt? Non ex qualitate, ſed ex pretio, ut dixi, & repeto, ſumenda eſt materiæ gravitas in negotiatione. At, objicit La-Croix, „ negotiari videtur ſonare habi- „ tum, ſeu frequentiam, quæ non eſt, ſi una tantum „ vel altera vice fiat. “ Reſp. cap. 13. *Quid eſt* diſt. 88. dicitur: *Quid eſt aliud negotium, niſi quæ poſſint vilius comparari, carius velle diſtrahere?* Falſum ergo eſt, quod ait La-Croix, negotiari ſonare habitum, ſeu frequentiam. Quamquam ſi Clericus ſemel aut iterum negotians, lucri cupiditate, & illecebris capiatur, difficillimum erit, ut ex iis laqueis ſe ſe expediat; nec deerunt prætextus ex ipſis morum tractatoribus deſumpti, quibus ſe ſe tueatur.

Animadversio XXXV.

Non eſt negotiatio .... ſi emant pecora &c. *quia vendunt* &c. *uti nec ſi greges alant* &c.

Poſſunt quidem Clerici retinere, atque locare boves, oves, aliaque animalia, quæ habent ex ſucceſſione, vel decimis, eorumque fructus vendere abſque reatu, ut habet Anaclatus t. 3. juris can. p. 18. num. 135. aitque, id fuiſſe definitum a ſacra Congregatione Concilii Tridentini apud Barbolam; quia in hac ſpecie nulla intervenit negotiatio, cum non emant, ut carius vendant. At Buſemb. ſpecies alia eſt.

Ego exiſtimarem Clericis permiſſa, quæ iis permittit Buſemb., ſi ſui, vel familiæ ſuſtentandæ neceſſitate coacti, vel, ut ſe indemnes, quia ſua paſcua vendere nequeunt, vel nonniſi viliſſimo pretio, præſtent, ea faciant.

At ſi pecora emant, ut ſuis paſcuis ſaginata lucri cauſa vendant, vel ſi eadem comparent, ut fetus, lac, lanam vendentes lucrum faciant, eos negotiationi ſe ſe immiſcere putem, aut ſaltem valde dubitem. *Quid eſt aliud negotium*, inquit can. mox cit. *niſi quæ poſſunt vilius comparari, carius velle diſtrahere?* At Clerici in ſpecie poſita pecora vilius comparata, carius diſtrahere volunt: ergo negotiantur.

At, inquit Buſemb. Clerici in ſpecie poſita vendunt fructus ſuorum agrorum. Reſp. Hoc falſum eſt; quia reipſa ponuntur emere, & vendere pecora, fructus autem ſuorum prædiorum in ſaginanda, aut alenda pecora inſumunt, ut horum fructuum ope addita emptione, & venditione pecorum, eorumque fetuum &c. lucrum faciant.

At, inquis, negotiatio propria dicta ea eſt, cum quis rem ſibi comparat eo animo, ut integram, & non mutatam carius vendendo, vel permutando lucretur. At hoc non fit a Clericis in ſpecie deſcripta: ergo &c.

Reſp. Ita ſane definitur negotiatio a Buſemb. in reſp. b. ar. a. At ego ſuſpicor, illas particulas *integram*, & *non mutatam* additas ex arbitrio fuiſſe, non ut negotiationis natura explicaretur; quæ ſine illis particulis ſubſiſtit. Qui lanam emunt, ut pannos inde confectos lucri cauſa vendant; qui bombycum integumenta vulgo *gallette* comparant, ut ſericum inde paratum lucri cauſa diſtrahant, &c. nonne negotiatores vulgo habentur, & ſunt? Hinc in allata ex jure canonico negotiationis definitione nulla mentio fit de rebus, quæ emuntur, & venduntur, integris, & non mutatis ſervandis; quia ad negotiationis naturam ſatis eſt, ut res emantur, & vendantur lucri cauſa, ſeu illæ non mutentur, ſeu mutentur. At objicis, artificium eſſe, non negotiationem, ſi res vilius emantur, ut mutatæ carius diſtrahantur. Reſp. Id verum eſſe, ſi res per artem mutatæ nihilo carius diſtrahantur, quam quanto conſtant artificum operæ: at qui res emunt, ut aliena manu mutatis, & venditis lucrentur, hi non artifices, ſed negotiatores ſunt.

Lex eccleſiaſtica Clericis, & Religioſis negotiationem interdicens, non eo ſpectat, ut res, quæ emuntur, & venduntur, non mutatæ, & integræ maneant, ſed eo, ut perſonæ Dei cultui dicatæ, ſæcularibus emendi, & vendendi curis animum non implicent, neve terrenis lucris inhient, ſeſeque peccandi periculis objiciant.

Hæc eſt vis, mens, & ſpiritus hujus legis. Porro qui res emunt, ut eas mutatas carius vendant, non ſolum in emptione, & venditione lucri cauſa animum occupant, ſed etiam in rerum mutatione, ideoque a divino cultu magis diſtrahuntur, & in majora peccandi pericula ſe ſe conjiciunt, quam qui res emunt, eaſque integras vendunt. Ex quo fit, ut violatæ legis magis rei ſint, quam qui ſine rerum mutatione negotiantur. Huc demum ſubtilitates recentium peccata excuſare conantium tendunt.

Animadversio XXXVI.

An vero, & quomodo Clericis liceat negotiari per alios, præſertim &c. *vide* &c.

La-Croix p. 376. n. 1005. ita loquitur. „ Si Cleri- „ cus negotietur per alium, v. g. pecuniam exponat, „ alius autem addat induſtriam, multi apud Lugo n. 36. „ dicunt eſſe illicitum. Med. Arm. Mol. Rebel. aliique „ communiter cum Laym. n. 44. Caſtrop. n. 7. dicunt, „ non eſſe ſaltem mortale; veniale tamen eſſe docent „ Mald. & Mol. quibus conſentit Rebel. ſi per ſeipſum „ rationes dati, & accepti exigat. Turr. dicit, per ſe „ loquendo, & ratione prohibitionis, nequidem eſſe ve- „ niale, ac conſentit Lugo, addens tamen poſſe eſſe „ veniale, aut etiam mortale, ſi Clericus ſe ſimul pa- „ rum, aut nimium tali negotiationi implicet. Leſs. n. „ 6. merito dicit, id indecorum eſſe, nec faciendum „ abſque juſta cauſa. “

Hæc eſt Theologia P. La-Croixii, qui ſane ſe verſatiſſimum oſtendit in recentium probabilium lectione. Ex eo diſcere quidem poſſumus hiſtoriam probabilium doctrinarum; at ſanas morum regulas, quo unice ſpectare debet Chriſtianorum Theologia, ab eo haurire non poſſumus.

Miſſis ergo hi opinionum ambagibus, quæ confuſionem pariunt, nullumque veritati lumen afferunt, dubitandum non eſt, quin Clerici, & Religioſi per alios ſeu famulos, ſeu non famulos negotiantes peccent, & legem negotiationem ipſis prohibentem violent. Nam, ut ait Concina Theol. t. 7. pag. 281. „ prohibentis le- „ gis finis, &, ut ita dicam ſpiritus, eo tendit, ut „ Clericos, & Monachos Deo ſacratos a congregandis „ divitiis avellat, ut divino cultui totos ſe dedant, ut „ Deum & ſibi, & populo propitium reddant. Aliquid „ indecentiæ exterioris detrahitur, quod aliorum opera „ Clerici negotientur; ſed cupiditatis & avaritiæ pravitas „ tuta viget, alieno induta pallio. Quare præfata opi- „ nio “ (quæ ſacris perſonis per alios negotiari permittit) „ falſa mihi eſt, & circuitionis plena. Imo nec „ verba legis ſervant citati Theologi. Abſolute quippe „ leges vetant Clericis negotiationem. Diſtinctiuncula „ invecta per ſeipſos, & per alios, arbitrarium com- „ mentum eſt ad legem eludendam, quodque cum legis „ ſpiritu hoſtiliter pugnat. Quid quod, dum Clerici, „ vel Monachi mercatorum induſtria negotiantur, con- „ tinuis perplexitatibus, curis, ſollicitudinibus anguntur? Hinc ſuſpiciones, ne debito lucro defraudentur. „ Hinc timor jacturæ, illinc ſpes ingentis lucri animos „ exagitant, menteſque perturbant, ſæpe fortius, „ quam ſi per ſeipſos negotiationem exercerent. Quid „ quod vel ipſi celebriores, opulentioreſque inſtitores „ non ſeipſis, ſed miniſtrorum induſtria negotiationem „ exercent? Quid, amabo te, diſcriminis hos inter, & „ Clericos, Clauſtraleſque, qui mercatorum induſtria „ ſuas negotiatentur pecunias? “

Eſtne hæc Concinæ ſententia rigidior, ſolido ratiocinio vacua, declamationibus, conviciiſque pleniſſima?

Addo, quod Clericus, qui alieno nomine, & pecunia negotiatur, Eccleſiæ legem aperte violet: ergo a pari, aut multo magis Eccleſiæ legem violat, cum ſua pecunia per alios negotiationi operam dat; quia in hac ſpecie perſonam principalem gerit.

Ut autem intelligas, Clericos per interpoſitas perſonas negotiantes non ſolum peccare, ſed mortale peccatum admittere, perpende graviſſima ſummi Pontificis Benedicti XIV. verba Conſtitut. *Apoſtolicæ ſervitutis anni* 1747. Calend. Martii * ita inquientis. „ Cum itaque, „ ut non ſine gravi animi noſtri mœrore accepimus, „ veſana humanarum rerum cupiditas ita nonnullorum „ Clericorum invalerit animos, ut illicitam Eccleſiaſti- „ cis negotiationem ad evitandas pœnas adverſus illam „ exercentes a ſacris canonibus, & apoſtolicis Rom. „ Pont. prædeceſſorum noſtrorum conſtitutionibus ſan- „ citas, ſub alieni nominis velamine, Dei timore, ec- „ cleſiaſtici nominis decore, & æterno ſuarum anima- „ rum periculo poſthabitis, temere, nulliterque exer- „ cere non dubitent; & quod palam temporalium pœ- „ narum metu aggredi non audent, quæſitis deinde co- „ loribus, & vanis inanium rationum prætextibus clam „ efficere non timeant, quaſi vel Dei oculos, qui & il- „ luminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit con- „ ſilia cordium, latere, vel ſupremi Judicis, qui non „ fallitur, examen effugere poſſint: non attendentes, „ quod Clericus &c. omnes & ſingulas Rom. PP. præd. „ noſtrorum prædict. conſtitutiones &c. innovamus, „ confirmamus &c. illaſque ſic innovatas, confirmatas „ &c. ad Clericos illicite ſub alieno laici nomine quo- „ modolibet negotiantes, perinde ac ſi per ipſos, ac

 „ pro-

* Eam refert P. Zech apud La Croix p. 376.

„ proprio eorum nomine negotia ipſa illica exercerent
„ &c. motu, & poteſtatis plenitudine præfatis per-
„ petuo extendimus, & ampliamus &c.

Ex his graviſſimis verbis aperte intelligitur, Clericos aliorum opera negotiantes, graviſſime, & letaliter peccare, ac ſuper hac re nullam, niſi a ſophiſticis, & maleferiatis hominibus litem moveri poſſe.

Hic progrediendum erat; ſed P. Zachariæ nutibus, & aperta me voce revocat, ut accuſationem Nocetii, Concinæ intentatam audiam.

La-Croix in ſuis addendis, in art. a. Buſ. n. 997. ita quærit. „ Qualis negotiatio, & quibus Clericis ſit pro-
„ hibita? Reſp. 8. 3. Licitum eſt omnibus emere cum
„ animo vendendi ſine lucro; quia non eſt prohibita ne-
„ gotiatio, niſi fiat cauſa lucri, ubi habetur c. *Secun-*
„ *dum, ne Clerici, vel Monachi*: unde ſi Clericus emit
„ aliquid, ut conſumat, & poſtea pretium illius cre-
„ ſcat, vendere poteſt, ſperans, ſe vilius empturum;
„ eſt enim actus œconomicæ prudentiæ. S. Th. Mol.
„ Sa, Laym. &c. "

Hic vero P. Zach. hæc P. Nocetii verba refert „ P.
„ Concina (inquit Noc. c. 95. verit. vind.) refert ve-
„ rum, ſed non refert totum; & illud occultat, quod
„ cedit in maximam utilitatem P. La-Croix. Ego au-
„ tem revelabo, ut lectores videant tum artificium P.
„ Concinæ, tum cujuſmodi ſint, & quibus auctoribus
„ muniantur ſententiæ, quas in libris Jeſuitarum no-
„ tat ut laxas. En textus integer P. La-Croix. " Quem a me mox allatum legis.

Tum ſubdit: Quæro, cur P. Concina ſuppreſſit ci-
„ tationem S. Thomæ? Parum ne facit ad imminuen-
„ dam invidiam P. La-Croix habere S. Thomam aucto-
„ rem doctrinæ ſuæ? Et reipſa illam tradit Angelicus
„ 2.2.q.74. q. 77. a. 4. ad 2. his verbis. " *Ad ſecundum dicendum, quod non quicumque carius vendit aliquid, quam emerit, negotiatur; ſed ſolum qui ad hoc emit, ut carius vendat. Si autem emit rem, ut vendat, ſed ut teneat, & poſtmodum propter aliquam cauſam eam vendere velit, non eſt negotiatio, quamvis carius vendat. Poteſt enim hoc licite facere, vel quia in aliquo rem melioravit, vel quia pretium rei eſt mutatum ſecundum diverſitatem loci, vel temporis* &c.

„ Et tamen hæc doctrina, quæ in S. Thoma erat ve-
„ riſſima, in lib. P. La-Croix tanquam circæo venefi-
„ cio facta eſt repente laxa. Carpit hic P. Concina mo-
„ re ſuo P. La-Croix, illumque vocat &c.

Illud hic ego quoque a P. P. Zach. & Nocetio quæro, ubi nam invenerint P. Concina referentem allatam doctrinam La-Croixii, occultantem auctoritatem D. Th. qua muniri dicitur, eamque laxam appellantem? Locum enim Concinæ non citant.

Theol. t. 7. lib. 3. diſs. 2. c. 3. ubi a n. 5. p. 279. uſque ad n. 13. p. 287. de negotiatione Clericorum, & Monachorum diſſerit, ne La-Croixii quidem nomen a P. Concina citatum, niſi mei imbecilli me fallunt oculi, lego.

Pag. 282. n. 12. hæc habet. „ Infert tertio (Card.
„ de Lugo, non La-Croix) non eſſe negotiationem pro-
„ hibitam, ſi procurator Conventus in principio anni
„ emat pro uſibus Conventus, ſeu Collegii 2000. peco-
„ ra v. gr. vel centum dolia vini, ne periculo ſe ex-
„ ponat emendi poſtea carius, ſi forte, prout evenire
„ ſolet, aliqua hiberno tempore moriantur, vel aliqua
„ dolia vini aceſcant. Quod ſi hæc mala non contin-
„ gant, poterit ſuperflua vendere, & *quidem*, inquit,
„ *cariori pretio; quia pecora meliorata ſunt, & vinum*
„ *etiam vetus pluris venditur*. Facienda tamen hæc ſin-
„ cero animo, ſubdit. Illa autem ſpes vendendi carius
„ ſuperflua non eſt, inquit, finis directus, ſed remo-
„ vens prohibens; quatenus, niſi illam ſpem haberet,
„ non emeret fortaſſe plura, ne majores ſumptus fa-
„ ceret ſuperfluos de præſenti, ſine ſpe recuperandi il-
„ los. Fortaſſe procurator domus non percipiet vim il-
„ lius diſtinctionis, nempe quod ſpes vendendi carius
„ ſuperflua pecora, & dolia vini ſit finis *non directus*,
„ *ſed removens prohibens*.

„ Severius hæc diſcutere non vacat. Si negotiationis
„ finis abeſſet, poſſet vinum vetus, cum melius ſit, a
„ Religioſis potari, & novum ordinario pretio vendi.
„ Verum hæc a circumſtantiis pluribus pendent. Ideo
„ judicium ſuſpendo. Illud ex Scripturis ſanctis, & ſa-
„ cris canonibus ſcio, cavendum Religioſis ſummopere
„ eſſe vel ab ipſa mercimonii ſpecie, & umbra. " Hæc ſunt P. Concinæ verba, ex quibus, & La-Croixii nomine, ubi de negotione Clericis, & Religioſis vetita agitur, in eodem P. Concina non invento, hanc veniam a P. P. Zacharia, & Nocetio mihi peto, ut ſuſpicer eos ardore impetendi P. Concinam abreptos, fictum Concinam ex phantaſiæ illuſione ſibi efformaſſe, quem impugnarent; quam ſuſpicionem ſi ex animo mihi eripuerint, rem mihi gratam, ſibi honorificam facient.

Ceterum illud jure contendere mihi poſſe videor, P. La-Croixium, contra ac fidenter affirmat P. Nocetius, non habere auctorem doctrinæ ſuæ S. Thomam. Poteſt quidem juxta S. Thomam qui rem emit, non ut carius venderet, ſed ut haberet, poſtmodum ex aliqua cauſa eam etiam carius vendere, quin ſit negotiator, re meliorata, vel mutato ejus pretio. At S. Th. non ait, rem carius venditam, quia vendens ſperat, ſe vilius empturum, non eſſe negotiationem. Id de ſuo addit La-Croix; & fruſtra, ac falſo in ſuæ opinionis patrocinium advocat D. Thomam ſuffragantibus ſibi Zacharia, & Nocetio.

Attente legatur textus La-Croixii, & S. Thomæ, unde perſpicue intelligetur diſcrimen inter cautiſſimam S. Thomæ doctrinam, & La-Croixii opinionem. Imo vero quia carius vendit, quam emerit, ea ſolum de cauſa negotiator non ſit, quia cum emeret, carius vendendi intentionem non habebat, negotiator fieri videtur, cum carius vendit ea ſpe, ut vilius emat. Hæc enim poſterior intentio æquivalet intentioni vendendi carius quod emptum fuit; & quoad mores perinde eſt, ſeu vilius emas, ut carius vendas, ſeu carius vendas, ut vilius emas. Illud prius eſt aperta negotiatio: ergo etiam hoc poſterius. Imo hoc poſterius negotiatio explicate dicitur cap. *Quid eſt* d. 88. cit. n. 34. 35. proxime præced. Negotiatorem enim efficit in contractibus lucri cupiditas, non contractus determinatio. Seu emat, ſeu vendat, ſeu permutet, negotiatur eſt, dum contractus iniit lucri animo. Itaque Clerici, & Religioſi ab hoc actu, ut eum appellat La-Croix, œconomicæ prudentiæ abſtinere debent, ne leges eccleſiaſticas violare videantur, ſeu, ut rectius loquar, reipſa violent.

ANIMADVERSIO XXXVII.

Licitus eſt cenſus etiam (ſaltem ex natura rei &c.) perſonalis, & conſtitutus immediate &c. Ita probabiliter Cov. &c. contra Nav. &c. Card. Luga, ubi cenſum mere perſonalem illicitum eſſe, docet eſſe probabilius, & prolixe probat.

Cenſum perſonalem eſſe legitimum ex jure naturæ ponit quoque La-Croix p. 378. n. 1022.

Hic ego Buſembau dictis inhærere volo, dum Lector non Buſemb. ſed ſani & ſolidi Theologi perſonam induat. Buſ. docente, cenſus perſonalis eſt ſpectato tantum jure naturæ probabiliter permiſſus, & legitimus: eodem Buſemb. non negante, cenſus perſonalis ſpectato tantum jure naturæ probabilius loquendo eſt illegitimus, & illicitus. Porro juxta ſanam, & ſolidam Theologiam certum eſt, in morum quæſtionibus neceſſario ſequendam eſſe probabiliorem ſententiam, quæ ſimul tutior ſit. Ergo cum tutior ſit ſententia, quæ a cenſu perſonali veluti juri naturæ contrario eſſe abſtinendum docet, hæc ſententia neceſſario amplectenda eſt.

Et ſane ut cenſus naturæ jure ſit legitimus, duo ſunt neceſſaria: primum eſt, ut ſuper re immobili conſtituatur; alterum, ut ſuper re annuatim conſtanter frugifera. Ratio primæ conditionis eſt, quia ſors in cenſu immobiliter perſeverat: ergo id quoque, quod ſorte in cenſu emitur, immobile eſſe debet; alioquin emptio eſſet fictitia eo ipſo, quod emptum ut immobile, tale non eſſet. Ratio poſterioris conditionis eſt, quia cenſu conſtituto, annua penſio conſtanter ſolvenda eſt: ergo id quoque, quod emitur, annuam penſionem conſtanter ferre debet, ne emptio ſit pariter fictitia.

Porro emptio cenſus perſonalis, utraque dicta conditione deſtituitur: prima quidem, quia perſona, & induſtria, in qua cenſus conſtituitur, innumeris viciſſitudinibus, & morti obnoxia eſt; altera vero, quia licet perſona fructum ſua induſtria ferat, hic tamen inconſtans eſt ex natura ſua propter mutationes, quibus in dies perſona ſubjicitur. Ergo cenſus perſonalis ſpectato ſolum naturæ jure eſt illegitimus. Hinc Martinus V. Callixtus III. Nicolaus V. & S. Pius V. unanimi conſenſione conſtituerunt, ut cenſus ſuper re immobili conſtituatur, ideoque cenſum perſonalem veluti fœneratitium exploſerunt. Conſuetudo horum Pontificum conſtitutionibus alicubi contraria, quia cupiditati, non rationi favet, & ex ipſa rei natura vel mala, ut ego ſentio, & oſtendi, vel ſaltem periculoſa, & ſuſpecta, legibus pontificiis derogare non poteſt, nec conſcientiam in tuto ponere. Sed qui hac de re plura cupit, adeat Concinam Theol. t. 7. p. 571. cap. 10. de ea fuſe & ſolide diſputantem.

Benedictus XIV. de Syn. Diœc. lib. 10. cap. 5. n. 5. hac de re ita loquitur. *Vehementer tamen ſuſpicamur, in cenſu mere perſonali, præſertim utrimque redimibili eas deſiderari conditiones, quas non ſolum Pontificia Conſtituta, verum etiam ipſum jus naturale, & divinum expoſcunt, ne ſit larvatus contractus mutui, & propterea coram Deo uſurarius.*

Animadverſio XXXVIII.

Licitum eſt &c. contractui cenſus adjungere aliud pactum aſſecurationis, ut ſi res .... pereat, id fiat damno &c. debet tamen &c.

Pactum aſſecurationis, de quo loquitur Bal., contrarium eſt Bullæ S. Pii V. *Cum onus*, ubi ait: *Poſtremo cenſus omnes in futurum creandos non ſolum re in totum, vel pro parte perempta, aut infructuoſa in totum, vel pro parte effecta, volumus ad ratam perire, ſed etiam &c.*

At pactum aſſecurationis efficit, ut cenſus ad ratam minime pereant re vel ex toto, vel ex parte perempta, aut infructuoſa effecta: ergo Pianæ conſtitutioni aperte contrarium eſt.

Præterea inquit S. Pius: *Conventiones directe, aut indirecte obligantes ad caſus fortuitos eum, qui alias ex natura contractus non tenetur, nullo modo valere volumus.* At venditor cenſus ex natura contractus ad caſus fortuitos, quibus res cenſui ſubjecta perit, non tenetur; quia re pereunte perit jus rei inhærens; idque fatetur etiam La-Croix p. 378. n. 1022. cit. Med. Tol. Rebel. Mol. Leſſ. ergo pactum aſſecurationis, quo, ſi res cenſui ſubjecta caſu pereat, venditoris damno pereat, ex S. Pii V. conſtit. invalidum eſt.

Hic tamen animadverto, pericula alia eſſe communia, & extraordinaria, ex quibus fundi rariſſime pereunt; alia eſſe particularia, & ordinaria, ex quibus fundi nec raro, nec difficulter pereunt, ut eſt ex. gr. periculum inundationis & excidii in fundo flumini proximo. Priora pericula pretio æſtimabilia non ſunt, nec rerum valorem minuunt: poſteriora æſtimabilia ſunt, rerumque iis ſubjectarum pretium deprimunt. Qui priora pericula ad ſe ex vi contractus, & rei natura pertinentia, in alium nova addita conventione transfert, communi hominum, & rerum conditioni obnoxius eſſe recuſat, & ab æquitate alienus eſt. At poſteriora pericula eo ipſo, quia pretio æſtimabilia ſunt, emptor cenſus ſubire non tenetur; quæ ſi ſubeat, aliunde compenſandus eſt: ergo ſine injuria pactum aſſecurationis exigere, & acceptare poteſt. Si quis fundum proximo periculo obnoxium emat, nonne illud pactum jure adjicere poteſt, ut, ſi pereat, id fiat damno venditoris? Cur ergo tale pactum emptioni cenſus apponere non licet? Penſio annua cenſus ex fundo tuto, & a periculis remoto legitime percipitur: ergo ſi fundus periculo, puta flumini proximus ſit, aut annua penſio augenda eſt, aut ſi conſueta tantum, non major exigatur, illud jure exigi poterit, ut pactum aſſecurationis a proximo periculo addatur.

Quod ſi ex mox dictis pactum aſſecurationis a proximis periculis jure naturæ legitimum eſt, cujus omiſſio, annua penſione non aucta, gravis foret cenſus emptori, a S. Pio V. in irritum miſſum non fuiſſe, non ſine ratione putare poſſumus.

Et ſane S. Pius valere non vult conventiones obligantes ad caſus fortuitos eum, qui alias ex natura contractus non tenetur; at caſus ex proximis periculis derivati non videntur fortuiti; quia ordinarie accidere ſolent, nec ſunt præter expectationem; præterea cenſualiſta ex natura contractus non tenetur ad caſus periculi proximi, ſed hos præſtare debet cenſuarius: (quia ſuæ rei inhærent præter communem rerum ordinem) aut cenſualiſtam alio modo compenſare.

Nam quod Summus Pont. addit, *Poſtremo cenſus omnes &c. volumus ad ratam perire*, referendum videtur ad illud, quod ſupra dixerat, *conventiones directe, aut indirecte obligantes &c.* eodemque ſenſu intelligendum.

Animadverſio XXXIX.

Ex natura rei licitus eſt non tantum cenſus irredimibilis, ſed etiam redimibilis &c.

„ At pretium cenſus a cenſuario irredimibilis debet „ eſſe fere duplo majus, quam redimibilis, uti omnes „ fatentur, & obſervatur in praxi, inquit Lugo num. „ 138.“ Ita La-Croix pag. 378. num. 1012. Sed hic quæritur, utrum jure naturæ liceat pactum, quo obſtringitur cenſuarius, ut redimat cenſum ad arbitrium emptoris? „ Affirmant, inquit P. Concina Theol. t. 7. „ p. 593. c. 13. n. 1. Valentia, Leſſius, Caſtropalaus, „ Layman locis ab eo citatis. Hæc opinio laxa, & manifeſte falſa eſt. Ratio evidens eſt. Quoties tra„ dis pecuniam, vel uſum cujuſque rei conſumptibilis „ cum pacto, ut tantumdem reſtituatur, uſura eſt, ſi „ acceſſiones præter ſortem exigas. Id autem in præ„ ſenti evenit. Siquidem emis cenſum mille aureorum „ pretio: quinquaginta in annos ſingulos exigis; cenſua„ rium cogis, ut poſt triennium, vel ſexennium cen„ ſum redimat eodem pretio, ſeu ut ſibi reddat mille „ aureos, in ſortem non computatis annuis acceſſioni„ bus ſeu penſionibus. Quid amplius ad verum mutuum „ requiritur?“ *

Ut verum fatear, hæc ratio momentum mihi habere non videtur. Major enim vera eſt, ſi nulla emptio, nullusve alius legitimus titulus percipiendi acceſſiones interveniat; non item, ſi emptio, aut alius legitimus titulus eas acquirendi accedat. At in cenſu emptio intervenit, ut ait ipſe P. Concina, *emis cenſum*. Cenſus enim nihil aliud eſt, niſi emptio uſusfructus, ſeu dominii utilis prædii, quod cenſui ſubjicitur, ut docet idem Conc. Theol. t. 7. p. 570. n. 10. & fateri omnes debent, niſi cenſus omnes feneratitios eſſe contra unanimem Theologorum, & Canoniſtarum ſententiam, ſummorum Pontificum Bullis confirmatam velint; qua de re idem Conc. p. 566. 67. c. 9. Emptio porro uſusfructus, ſeu dominii utilis prædii cenſui ſubjecti, jus infert acceſſionum ſupra ſortem, ut nemo inficiari poteſt: ergo pactum cenſui adjectum, ut ſors poſt certum tempus, puta quinquennium &c. refundatur ad arbitrium cenſualiſtæ ea ſolum ratione uſuram inducere poteſt, ſi emptionis naturam deſtruat, eamque in mutuum convertat. Nam quamdiu emptio dominii utilis ſubſiſtit, tamdiu ſubſiſtit legitimus titulus percipiendi acceſſiones ſupra ſortem. At pactum, de quo loquimur, naturam emptionis non deſtruit, nec in mutuum convertit, ut ipſe P. Concina fatetur, dum ait, *emis cenſum &c.* Pactum enim prædictum non eſt emptioni contrarium, ſed ejus acceſſorium. Præterea mutuum, quidquid caſu accidat, a debitore reſtitui ſemper debet, non item ſors cenſus, quæ damno cenſualiſtæ perit, ſi fundus, in quo conſtituta eſt, caſu fortuito pereat, ut mox dictum eſt. Ergo pactum reſtituendæ ſortis in cenſu poſt certum tempus, ut quinquennium &c. jure naturæ licere videtur, ut contra Thomiſtas a P. Concina citatos ſentiunt plurimi non ſolum a P. Concina, ſed etiam a Laym. l. 3. de juſt. t. 4. c. 18. n. 5. appellati, & Wigand Thomiſta in Trib. p. 385. Reſpon. 5. rat. 5.

S. Pius V. Bulla citat. ita quidem habet: *Pacta etiam continentia, pretium cenſus extra caſum prædictum ab invito, aut ob pœnam, aut ob aliam cauſam repeti poſſe, omnino prohibemus.* At hæc lex mere poſitiva merito creditur. Hinc ait, *prohibemus*, non feneratitia declaramus, aut quid ſimile.

Ex his fieri putem, ut, ſi lex non ſit poſſibilis ſecundum conſuetudinem patriæ, (nam, ut ait D. Iſidorus c. 2. diſt. 4. *erit autem lex .... ſecundum patriæ conſuetudinem, loco temporique conveniens &c.*) hæc conſuetudo illi contraria toleranda videatur. „ At cenſus utrim„ que redimibilis, ut ait Wig. loco cit. eſt in conſue„ tudine totius Germaniæ, Galliæ &c. & practicatur a „ viris prudentibus, doctis, probis, & timoratis, eccle„ ſiaſticis, & religioſis:“ ergo, ubi hæc conſuetudo invaluit, cenſus utrimque redimibilis non videtur damnandus, licet ſit diſſuadendus.

In eadem ſenſa loquitur Benedictus XIV. de Syn. Diœc. lib. X. cap. 5. n. 5. inquiens. *Verum quamquam nos ſciamus, eundem Summum Pontificem* (Pium V.) *ſupplicante Catholico Rege Philippo II. indulſiſſe Hiſpanis, ut ad ſuæ conſtitutionis quoad eas conditiones, quæ juris naturalis, aut divini non ſunt, exactam obſervationem adſtringerentur, ſicuti narrant Gutierez cit. q. 177. in fin., & Felicianus de ſolis lib. 1. de cenſ. cap. 7. n. 2., nec dubitemus, ab eadem obligatione potuiſſe contrario uſu, ſeu legitima præſcripta conſuetudine cæteras eximi nationes &c.*

Nam cenſus redimibilis tantum in favorem emptoris, & irredimibilis a cenſuario, durus eſt, oneroſus eidem cenſuario, & ab æquitate, & æqualitate alienus, ideoque juri naturæ contrarius.

Animadverſio XL.

Quod attinet ad Cambium Francofurtenſe, uſura eſt.

Hæc uſura certa eſt, ut videri poteſt cum apud Genettum Th. t. 1. p. 315. q. 14. tum apud Concinam Th. t. 7. p. 557. n. 2. Cambium enim Francofurtenſe eſt, dum Campſor pecuniam hic, puta Veronæ numerat, a Campſario Francofurti reddendam cum lucro tanto majori, quanto longiori tempore nundinæ diſtant, ut definit Concina loco cit. Hoc porro cambium eſt apertum mutuum cum lucro, ideoque aperta uſura; in eoque ſolum differt a cambio ſicco, quod in cambio ſicco pecunia tradita cum lucro, ibi repoſcitur, ubi cambium celebratur. At perinde eſt ex rei natura, ſeu pecunia tradita ibi repetatur cum lucro, ubi cambium fit, vel fingitur, ſeu alibi: ergo, cum cambium ſiccum ſit manifeſta uſura, cambium quoque Francofurtenſe aperta uſura eſt.

Audiatur S. Pius V. conſt. *In eam* anni 1571. 5. Kal. Feb. ubi ait.*

Pri-

* Refertur a Patre Concina Theolog. t. 7. p. 58.

Primum igitur damnamus ea omnia cambia, quæ ſicca nominantur, & ita confinguntur, ut contrahentes, ad certas nundinas, ſeu ad alia loca cambia celebrare ſimulent; ad quæ loca ii, qui pecuniam recipiunt, litteras quidem ſuas cambii tradunt, ſed non mittuntur; vel ita mittuntur, ut tranſacto tempore, unde proceſſerunt, inanes referantur; aut etiam nullis hujuſmodi litteris traditis, pecunia ibi denique cum intereſſe repoſcitur, ubi contractus fuerat celebratus. Nam inter dantes, & recipientes uſque a principio ita convenerat, vel certe talis intentio erat; neque quiſquam eſt, qui in nundinis, aut locis ſupradictis, hujuſmodi litteris receptis, ſolutionem faciat. Cui malo ſimile etiam illud eſt, cum pecuniæ ſive depoſiti, ſive alio nomine ficti cambii traduntur, ut poſtea eodem in loco, vel alibi (hoc alibi, eſt Cambium Francofurtenſe) *cum lucro reſtituantur. Sed & in ipſis cambiis, quæ realia appellantur, interdum, ut ad nos perfertur, campſores præſtitutum ſolutionis terminum, lucro ex tacita, vel expreſſa conventione recepto, ſeu etiam tantummodo promiſſo, differunt. Quæ omnia nos uſuraria eſſe declaramus, &, ne fiant, diſtrictius prohibemus.* Poſtquam ſupremus Hierarcha uſurarium tum cambium ſiccum, tum Cambium Francofurtenſe conceptis verbis declaravit, quis Catholicus contrarium opinari audeat? Nihilominus aliqui Cambium Francofurtenſe emendicatis prætextibus excuſare non dubitant. „ Cambium Francofurtenſe, inquit La-Croix p. 380. n. 1034. etiam per hoc excuſatur ab aliquibus, quod tempore propinquo nundinis ſit copia pecuniarum, adeoque multitudo campſorum faciat cambium vilius; e contra tempore remotiore eſt minor copia. Unde cum talis pecunia habeat ſe per modum mercis, pretium ejus augebitur ex penuria venditorum, & minuetur ex copia. Ita innuunt Cajet. Med. Tol. Sa, Salas cum Caſtrop. d. 7. p. 7. n. 3., Laym. n. 9., Leſſ. n. 35. “ Illud ſcilicet aperte falſum eſt, quod pecunia ſe habeat inſtar mercis, & quod ejus pretium augeatur ex penuria campſorum, & minuatur ex copia. Pecunia enim ſuum habet determinatum pretium ex communi, aut Principum taxatione, quod propter campſorum penuriam, aut copiam non mutatur. Quod ſi campſores illud mutant, ex arbitrio ſuo, & avaritia contra jus id faciunt. Quamquam, dum La-Croix ait, campſores eſſe pecuniæ venditores, & pecuniam apud ipſos eſſe inſtar mercis, ſatis declarat, eos eſſe feneratores; hoc enim poſito cambium quoque ſiccum iis permittitur eo lucroſius, quo nundinæ, quibus pecunia reſtituenda eſt ibi, ubi datur, remotiores ſunt.

Si autem ratione alterius tituli juſti v. g. lucri ceſſantis, cum pecunia mercatorum &c.

In La-Croixii ſcopulum Buſ. quoque impegit, dum ait: *Ideoque creſcit valor pecuniæ*. Ratio Buſ. hæc eſt. Lucrum in cambio Francofurtenſi eſt juſtum, ſi percipiatur ob lucrum ceſſans: atqui lucrum in cambio Francofurtenſi mercatoribus ceſſat; quia eorum pecunia cum ſit inſtrumentum lucrandi, ea diutius ſine lucri jactura carere non poſſunt: ergo.

Reſp. Hæc ratio nimis probat: probat enim, ex quolibet mutuo poſſe mercatores lucrum exigere. Præterea hæc ratio in irritum mittit decretum S. Pii V. hic enim uſurarium declaravit cambium Francofurtenſe: Buſemb. illud ab uſura purgat propter lucrum ceſſans, quod obtendit. Nec eſt, quod dicas, cambium Francofurtenſe abſolute eſſe uſurarium, non item, ſi adſit titulus lucri ceſſantis. Cum enim ratio Buſemb. eo tendat, ut evincat, titulum lucri ceſſantis in cambio Francofurtenſi locum ſemper habere, fruſtranea omnino efficitur ejus damnatio a S. Pontifice profecta.

In eo igitur, ut rationi allatæ directe reſpondeam, ſophiſtica & falſa eſt Buſ. argumentatio, quod lucrum in mercatoribus ceſſans dicat, quia eorum pecunia ſit lucrandi inſtrumentum; & hoc nomine titulum ipſis adſciſcat accipiendi auctarium.

Fateor, lucrum ceſſans eſſe juſtum titulum in quocumque mutuo accipiendi aliquid ſupra ſortem, dummodo tamen neceſſariis conditionibus, quas deſcribit Genettus Th. t. 5. p. 234. q. 4., & de quibus fuſe diſputat Concina Th. t. 7. p. 420. cap. 15., inſtructum ſit.

Ut lucrum ceſſans ſit juſtus titulus accipiendi acceſſionem, non ſatis eſt ut mercatorum pecunia ſit lucri inſtrumentum, ſed præterea neceſſe eſt, ut lucrum ex ea oriundum, ſit moraliter certum, ut rectiſſime docet P. Concina Th. t. 7. p. 431. §. 5. Hinc Paulus III., Julius III., Pius IV., ut refert idem Concina p. 483. n. 9. collocantibus pecuniam in ſacris montibus acceſſionem concedunt non omnibus, ſed iis tantum, (non aliis) *qui caritatis zelo adducti, ac pro pauperum ſubventione, non fenerandi* (hic idem eſt ac lucrandi) *animo pecunias deponunt tempore illo, quando merces paratas, ac prædia ad emendum parata haberent, ex quorum reditu quatuor, & ultra pro centenario percipere poſſunt.*

Hic per tranſennam monere mihi liceat P. Zachariam apud La-Croix p. 363. n. 859., ut mirari deſinat, quod titulus lucri ceſſantis, dum neceſſariis conditionibus munitus ſit, ex communi etiam ſaniorum Theologorum ſententia habeatur ut juſta ratio percipiendi aliquid ſupra ſortem. Saniores enim Theologi Pontificiis doctrinis diligenter ſtudent, iiſque tenaciter inhærent. Quare cum Summi Pontifices hunc titulum ex mox dictis approbent, neceſſe eſt ut a ſanis quoque, & ſolidis Theologis probetur. Sed ad rem revertamur. Pecunia in mercatoribus eſt quidem lucrandi inſtrumentum; at non ſemper habent paratas merces, aut parata prædia, unde lucrari tantum poſſint, quantum ex cambio Francofurtenſi: ergo cambium Francofurtenſe campſoribus non ſemper eſt permiſſum.

Præterea ut ex cambio Francofurtenſi, ſeu ex quocumque alio mutuo acceſſionem exigere titulo lucri ceſſantis mercatores jure valeant, non ſolum paratam lucroſam negotiationem habere debent, ſed etiam voluntatem eam inſtituendi, quam negotiationem, & voluntatem relinquant, & deponant in gratiam eorum, qui Francofurtenſe cambium, aut aliud quodcumque mutuum petunt, ut habet idem Concina Th. t. 7. p. 424. 25. §. 2. & 3. & ratio eſt, quia ſi deſcriptam voluntatem non habeant, negotiatio utilis, quæ in promptu eſt, quoad ipſos perinde eſt ac ſi non eſſet; ideoque occaſione mutui, aut cambii Francofurtenſis lucrum non ceſſat, quod facturi non erant, etiamſi mutui, aut cambii occaſio ſeſe non obtuliſſet. Ergo ſi voluntas amplectendi paratam lucroſam negotiationem deſit, titulus lucri ceſſantis in cambio Francofurtenſi fictitie obtruditur, ut uſura pallietur. Hanc voluntatem eſſe neceſſariam, ut acceſſio ex mutuo jure peti poſſit, aperte declarant mox citata ſummorum Pontificum verba, *qui caritatis zelo, ac pro pauperum ſubventione, non fenerandi animo &c.*; hoc eſt non animo lucrandi, ſed ut officium caritatis, aut benevolentiæ exerceant, mutuum, ſeu cambium Francofurtenſe, quod eſt verum mutuum, eligunt præ negotiatione, aut prædiorum emptione. Ergo mercatores Francofurtenſe cambium exercentes, uſuræ peccatum peccant triplici ex capite. Primo quia illud exercent, cum juſti cambii, aut negotiationis occaſio deeſt: ſecundo quia, etſi occaſio negotiationis adſit, eam amplect. in animo non habent: tertio quia, etſi negotiationem paratam, & voluntatem eam amplectendi deſerant, id faciunt non in petentium cambium gratiam, ſed in ſuum ipſorum commodum, & utilitatem.

Hic vero fruſtra mihi objiciuntur ea La-Croix verba p. 380. n. 1032. „ Sed cum ea bulla (S. Pii V. *In eam*) vix uſpiam ſit uſu recepta, communiter cenſetur non obligare, uti notant Salas &c. Hinc D. D. non damnant eos qui non obſervant, inquit Leſſ. l. 2. c. 25. n. 33. eo quod conſtitutio illa recepta non fuerit. Itaque videndum eſt, quid jus naturæ requirat. “ Hactenus ille.

„ Qui ſunt (ait Concina Theolog. t. 7. 554. n. 3. contra La-Croixium) iſti juris naturæ judices? Juniores Probabiliſtæ? Non vidit Pont. Summus Pius V.? Non viderunt Theologi doctiſſimi, quorum conſilio uſus ille eſt? Si Bajani, ſi Janſeniani ſimili reſponſo Bullam Pianam, & Innocentianam rejicerent, quibus cenſuris digni eſſent? An Pontificiæ conſtitutiones in fidei articulis ſecus ac morum regulis obligant? Sed cur conſtitutio uſu recepta non eſt? Quia non obſervatur a mercatoribus. Næ iſthæc egregia ratio! “

Sane quod attinet ad cambium ſiccum, & Francofurtenſe, & ad lucrum, quod in cambiis realibus mercatores captant ex dilatione præſtituti termini ſolutionis, contraria campſorum conſuetudo nullam vim habet, nihilque aliud eſt, niſi peccandi conſuetudo; quia ſummus Pontif. non ſolum ea prohibuit, ſed etiam uſuraria declaravit, ut patet ex verbis Bullæ ſupra recitatis.

Animadverſio XLI.

Si abſque culpa conductoris &c. *vel ob periculum peſtis* (*niſi tamen quoad hoc conſuetudo ſit contraria*) &c.

Attendenda quidem eſt conſuetudo rationabilis; at irrationabilis deſerenda, & corrigenda eſt. Irrationabile porro eſt, jurique naturæ repugnans, ut qui domo conducta propter periculum, ſeu impedimentum peſtis uti non poteſt, penſionem nihilominus ſolvat. Ergo, niſi in ipſa locatione annua penſio fuerit propter periculum peſtis imminuta, tempore peſtis, quo domus inhabitari nequit, nihil ſolvendum eſt.

Animadverſio XLII.

Servo, aut laboratori &c.

Laboratori in diem conducto nihil ſtipendii debetur iis diebus, quibus æger non laborat. Quoad famulos ad annos conductos, conſuetudines, & conventiones, ut ait

Buſ,

Buſ. ſervandæ ſunt. Et quoad omnes non ſolum jus, ſed caritas, quæ eſt plenitudo legis, in mente ſemper habenda eſt.

Animadverſio XLIII.

Quam ſi totam ſolvere negligat 26. annis &c. *vel in ſæculari 36. annis, incidit* &c.

Laym. loco a Buſ. cit. n. 8. ait, emphyteutam ipſo jure in pœnam commiſſi cadere, ſi tribus annis continuis in emphyteuſi laica, vel duobus item continuis in eccleſiaſtica integram penſionem non ſolvat, etiamſi de ſolutione interpellatus non fuerit: idque confirmat legum civilium auctoritate, & aliorum Doct. ſuffragio. Idem habet Concina Theol. t. 7. p. 623. e. 58. n. 3. Buſembau lapſum ex typographiæ mendo excuſare volebam; ſed in textu apud La Croix lego *viginti ſex* non arithmetice, ſed litteris exarato.

Animadverſio XLIV.

Ut licite fiat (ſponſio) *requiritur* &c.

Hic Buſ. ponit, ſponſionem iis conditionibus, quas explicat, munitam licere. At contrarium docuere Gabriel, Sylv. aliique, & ipſe S. Antoninus, quos citat, & ſequitur Concina Theol. t. 7. p. 608. q. 7. Ratio eſt, quia irrationabile eſt, lucrum, quod laboris tantum, & induſtriæ merces eſſe debet, a fortuito caſu quærere: at ſponſio a fortuito caſu lucrum quærit: ergo eſt irrationabilis. Præterea turpe eſt, ex proximi, quem amare, & cui benefacere oportet, depreſſione, & damno emolumentum captare: hoc fit in ſponſione: ergo &c.

Tandem ſponſiones oriri non poſſunt, niſi ex avaritia, jactantia, ſuperbia, ideoque bonæ, aut indifferentes eſſe non poſſunt.

Animadverſio XLV.

Ludus vero eſt contractus &c.

Ludus ex rei natura eſt operatio ad animi requiem, & levamen inſtituta, ut ex D. Thoma 2. 2. q. 168. a. 2. & Ariſt. Eth. 4. colligitur. At ex malis hominum moribus factum eſt, ut ludus non ad animi requiem, ſed ad lucrum convertatur inito pacto, ut victori cedat quod uterque depoſuit, ſicuti eum definit Buſembaum.

Hunc contractum jure naturæ licitum eſſe, ait Buſ. modo debitæ conditiones adſint, & aliunde &c. ut apud ipſum legitur.

La-Croix p. 384. n. 1072. varias, ac invicem pugnantes opiniones more ſuo referens, rem involvit, at tandem concludit his verbis. „ Admittunt tamen omnes, „ nullum fore peccatum, ſi quis ludat ad lucrandum, „ ut alicui neceſſitati ſubveniat. “

Ut res hæc in bono lumine collocetur, duplex ludus lucratorius diſtinguendus eſt: alter fortuitus eſt, ut ludus alearum alternantium, vulgo *baſſetta*, taxillorum &c. alter ab induſtria, & dexteritate pendet, ut ludus trudiculorum, pilæ, &c. ludus fortuitus lucri cauſa, quidquid Buſ. aliique contra ſentiant, malus eſt; quod oſtendunt rationes, quibus ſponſionem malam eſſe oſtendimus, quæ idem de ludo fortuito evincunt. Præterea ludus ex naturæ ordine, ut ex D. Thoma, & Ariſt. animadverti, ad animi refocillationem & quietem refertur: ergo, dum ad lucrum refertur, naturæ ordo pervertitur, præſertim cum ad lucrum ordinatus, animum non recreet, ſed vexet & angat. Perverſio porro ordinis naturalis ſemper mala, & vitioſa eſt: ergo &c.

Hujuſcemodi ludum natura ſua malum eſſe, non ſolum aſſerit, ſed rationibus evincit S. Franciſcus Saleſius Introd. ad vitam dev. p. 3. c. 32. idem docet S. Raymundus apud Genettum Theol. t. 1. p. 373. q. 1. aſſerens, *quod peccatum eorum, qui aleæ deſerviunt, ſit mortale, & grave*. Idem S. Antoninus apud eumdem Gen. p. 376. q. 6. inquiens: *Ludus aleæ eſt peccatum mortale ſecundum Raymundum, quod credo verum, quando ex cupiditate quis ludit, ſcilicet principaliter motus ad acquirendum, & quid notabile per ludum*. D. Antonini ſententiam teſte La-Croix loco mox cit. tuentur Abul. Abb. Gabr. Richard. Silv. Comitolus: „ quia tum principaliter „ concupiſcitur res proximi, & intenditur grave illius „ damnum; ſed, inquit La-Croix, paſſim omnes cum „ Diana c. 1. tenent contrarium; quia licitum eſt con„ cupiſcere, & licito modo acquirere rem proximi, quod „ fit per contractum ludi, qui juſtus eſt. “

At hæc ratio virium expers eſt. Si enim vim haberet, probaret, ludum eſſe licitum, ſeu omnis culpæ expertem, quod eſt aperte falſum. Contractus quidem ludi non eſt injuſtus, nec victor ex vi hujus contractus pecuniam recipiens, injuriam victo facit, ut fatetur S. Franciſcus Saleſius loco mox cit. At quid inde? Si nullum aliud eſſet peccatum, niſi juſtitiæ contrarium, inde efficeretur, contractum ludi eſſe licitum. At contractus ludi licet injuſtus non ſit, turpis tamen eſt, liberalitati, ut nemo inficiari jure poteſt, adverſus, & avaritiæ actus, ſeu effectus. Hinc ipſe ethnicus Ariſt. Eth. 4. c. 1. aleatores lucri cauſa inter avaros cum latronibus enumerat. Præterea per hujuſmodi contractum turpem, & avarum cum illicito modo concupiſcatur res proximi, & grave illius damnum cupiatur, caritas graviter læditur: ergo hic contractus non ſolum malus eſt, ſed graviter, & mortaliter malus merito videtur, ut viſus eſt SS. Raym. & Antonino, aliiſque gravibus Auctoribus ex La-Croix teſtimonio mox citatis.

S. Carolus Bor. ludos aleatorios, & lucratorios ex inſtituto, ſeu profeſſione exercitos mortaliter malos cenſere facit, quia ſunt occaſiones ex natura ſua inducentes ad peccatum. Nam in admonit. ad Confeſſarios n. 39. inquit: *Nel primo ordine di occaſioni, cioè quelle che di ſua natura ſono induttive al peccato, ſono il far profeſſione di giuoco di carte, a dadi, ovvero tener caſa apparecchiata a queſt' effetto per altri* &c. Hos porro abſolvendos non eſſe, docet, niſi has peccandi occaſiones ſe relicturos promiſerint. Quod ſi alias id polliciti, promiſſum non impleverint, abſolutionem iis prorogandam eſſe, affirmat, etiamſi denuo promittant. Itaque Confeſſarii, qui ſuos pœnitentes, ac ſeipſos ſalvos eſſe volunt, probabilibus opinatoribus, in quos forte incidere, haud auſcultantes, lucratorios aleatores cogere debent, ut ab hujuſmodi ludo abſtineant; tum quia juxta ſanctos, & graviſſimos Theologos aleatorius ludus, in quo ſumma notabilis exponitur ſorti, mortalis culpa eſt; tum quia, niſi ab eo abſtineant, ei aſſueſcunt, ejuſque profeſſores facti in proxima peccandi occaſione verſantur, nec abſolutione digni eſſe poſſunt, niſi illum deſerant.

Ex hactenus dictis rejiciendus omnino eſt La-Croix, dum ait: „ Admittunt tamen omnes, nullum fore pec„ catum, ſi quis ludat ad lucrandum, ut alicui neceſ„ ſitati ſubveniat. “ Certum enim eſt, non eſſe peccandum, ut alicui neceſſitati ſubveniatur: ex dictis ludus aleatorius lucri cauſa, eſt ex natura ſua peccatum: ergo. Neque quidquam valet ea Buſ. ratio, „ quia ſicut quivis ſuæ rei dominus poteſt alteri eam „ donare abſolute, ſic etiam ſub aliqua conditione, „ ſive ea fortuita ſit, ſive ex induſtria pendeat: “ hæc, inquam, ratio nihil valet, quia falſa poſitione nititur. Ponit enim, victum in ludo donare, cum evidens ſit, eum non donare, ſed ex oneroſo contractu pecuniam amittere. Præterquamquod ipſa donatio turpis, & mala eſt, ſi perperam fiat, uti certe perperam fit, cum in perſonas turpes nullo honeſto fine propoſito effunditur, v. g. in aſſentatores, hiſtriones, aleatores. Audiatur Ethn. Ariſt. qui de moribus ſolidius loquitur, quam nonnulli Chriſtiani profeſſione Theologi. Ait enim lib. 4. Eth. ad Nicom. c. 1. *Quare ne liberales quidem ſunt eorum* (prodigorum) *donationes. Nam nec honeſtæ ſunt, nec honeſti cauſa fiunt, nec ut par eſt; ſed interdum quos homines oporteat in paupertate ætatem agere, hos collocupletant; &, cum iis, qui temperatis, & probatis ſunt moribus, nihil donent, in aſſentatores, aliarumque voluptatum miniſtros multa largiter effundunt.*

Adde, quod qui ludunt lucri cauſa, ut alicui neceſſitati ſubveniant, multo turpius agunt, quam qui ſupervacaneas pecunias ludi ſorti exponunt. Illi enim, ut ſuæ neceſſitati ſubveniant, in periculum majoris neceſſitatis, extremæque miſeriæ ſeſe conjiciunt, &, quod hinc conſequitur, in multorum ſcelerum occaſiones. Itaque hi aleatores, quos La Croix excuſatos vult, & ſtulti, & improbi aperte ſunt.

At quid dicendum de ludo lucratorio, qui fortuitus non ſit, ſed ab induſtria pendeat?

Reſp. Si hic ludus propter lucrum principaliter exerceatur, culpa non vacat, ut docet Concina Theol. t. 7. p. 601. q. 2. & 3. item p. 610. in Caſinum. Ratio ex dictis eſt, quia lucrum in ludo principaliter intentum, naturæ ordinem pervertit, cum ludi finis ex ordine naturæ ſit animi levamen, non lucrum.

Quod ſi finis principalis ludi non ſit lucrum, ſed mentis recreatio, permiſſus eſt, dum nec temporis, nec pretii nimium in eum impendatur: qua de re conſuli etiam poteſt S. Franciſcus Saleſius Introd. ad vitam devot. p. 3. c. 31.

Animadverſio XLVI.

Et ſic deberet reſtituere, qui lucratus eſſet a Religioſo &c.

Loco illus *deberet*, dic debet reſtituere. Hinc D. Th. 2. 2. qu. 32. art. 7. ad 2. ait: *Circa illa vero, quæ per aleas acquiruntur, videtur eſſe aliquid illicitum ex divino jure, ſcilicet quod aliquis lucretur ab his, qui rem ſuam alienare non poſſunt,* * ſicuti ſunt minores, & furioſi, & hujuſmodi, puta filiifamilias, Religioſi; *&*

quod

* *Sunt verba D. Th. art. 8. ad 1. & 3.*

quod aliquis trahat alium ex cupiditate lucrandi ad ludum, & quod fraudulenter lucretur : & in his caſibus tenetur ad reſtitutionem.

Animadversio XLVII.

Si tamen filiusfamilias (& idem dic de Religioſa ait Nav. apud Leſs. &c.)

Hanc Navarri, quem alii ſecuti ſunt, opinionem refert quoque P. Concina in diſciplina ap. monaſt. diſs. 6. c. 4. §. 2. n. 1. p. 307. eamque p. 308. a n. 2. uſque ad 12. præclare refellit; ac vere docet p. 313. n. 13. nihil pecuniæ ludo exponi a Regularibus poſſe. „ Tum „ quod, inquit, ludi pecuniarii non ſunt materia con„ grua honeſtæ recreationis, quæ Religioſos pauper„ tatis evangelicæ voto obſtrictos deceat, tum quod „ ejuſmodi ludi ſuapte natura cupiditatem pecuniarum „ accendunt, & viam aperiunt ad quamlibet nummorum „ ſummam prodigendam, ut experientia conſtat. Pec„ cabunt ergo, ſi vel obolum ludo committent? utique. „ Sed ſi materia levis ſit, levis quoque culpa erit, ut „ in furto, aliiſque peccatis. “

Docet 2. n. 14 Superiores non poſſe ſubditis licentiam impertiri aut vacandi ludis fortuitis, aut exponendi cuicumque ludo etiam induſtriæ nixo pecuniam; & Prælatos fere ſemper mortaliter peccare, dum in hos ludos conſentiunt, aut eos pro viribus non impediunt. Quia, cum Prælati bonum commune promovere, ejuſque impedimenta ex officio amovere debeant, graviter huic nocent, dum abuſum, ſeu corruptelam invehi ſinunt, licet abuſus mortalem culpam initio attingere non videretur.

Docet 3. p. 314. n. 15. non ſolum ſæculares a Religioſis lucrantes, reſtitutione, ut ex D. Thoma & D. Antonino monitum mox fuit, ſed etiam Religioſos a ſæcularibus: „ quia, inquit, Prælati conſentire licite „ non valent, ut per media illicita (Religioſi ſubditi) „ lucrentur; “ ideoque ne conſentire quidem poſſunt, ut turpia lucra retineant. Præterea Religioſi a ſæcularibus lucrantes non ſolum turpiter, ſed etiam per injuriam lucrantur. In ludo enim, ne juſtitia lædatur, æqualitas eſſe debet: at eſt aperta inæqualitas, Religioſum poſſe a ſæculari lucrari, qui, ſi vincat, nihil a Religioſo lucrari queat: ergo Religioſus lucrum ludi retinere non poteſt.

Docet 4. n. 16. Regulares omnes utriuſque ſexus, qui ludendi ludis pecuniariis conſuetudine ſunt irretiti, eſſe in ſtatu damnationis, & in continuo mortali peccato verſari ſecundum omnes vel benigniores Theologos, ipſumque Bordoninm, & Rotarium.

Docet 5. n. 17. Regulares utriuſque ſexus, qui ludo fortuito, vulgo *loto*, pecuniam exponunt, non ſolum eo nomine peccare, quia hic ludus natura ſua malus, regularibus maxime vetitus eſt, ſed etiam quia ſæcularibus ſcandalum præbent, animos exemplo ſuo malo ad ludendum iis adjicientes. Hinc qui frequenter ludunt, in continuo mortali peccato, & in ſtatu damnationis verſantur; in quo ſtatu celebrantes ſacrilegiis polluuntur, & confeſſiones excipientes malitiam augent. „ Hæc omnia, inquit, vera certaque ſunt ſecun„ dum omnes ad unum Theologos. “

At, inquis, ſi ita eſt, major, aut maxima Regularium collapſorum pars damnaretur. Reſpondeo, hoc conſectarium non eſſe mirum, ſed verum, niſi reſipiſcant.

Docet 6. n. 19. eos quoque regulares mortaliter peccare, qui præfato *loto* aliorum nomine ludunt, quia dant operam rei illicitæ, maxime ſibi; vel ut lucrentur pecunias in Dei cultum impendendas. Quoniam ab his Deus paupertatis holocauſtum requirit, non pollutas victimas vetito ludo comparatas. „ Et hoc, inquit, „ extra diſputationem eſt. “ Hactenus Concina totidem fere verbis.

Animadversio XLVIII.

Tenetur reſtituere.... aut ſi conviciis laceſſeret &c.

Adde, vel ſi nimia importunitate alium ad ludum pertraxit. Hinc D. Antoninus a Genetto cit. Theol. t. 5. p. 385. q. 2. ait: *Cum quis attraxit aliquem ad ludum per vim, vel nimiam importunitatem ſive in principio, ſive in medio, cum alius vellet dimittere, & non fuit, tunc etiam tenetur reſtituere ſecundum Thomam,* (cujus verba retuli ad c. 1.) *& Raymundum.*

Hanc ſententiam, ut ait idem Gen., amplexi ſunt Sylveſter, Cajet., Bannes, Soto, Covarruviss, & hoc teſte ceteri communiter. Ratio eſt, quia ipſa nimia importunitas injuriam affert: ergo lucrum inde derivatum, injurium eſt, ideoque reſtituendum.

At La-Croix p. 384. n. 1080. contra ita loquitur. „ Si tamen ad ludendum adduxerit tantum per impor„ tunas preces, ordinarie non tenebitur reſtituere; quia „ nec fecit injuriam, nec cauſavit involuntarium, uti „ tenent Leſſ. & plerique alii cum Dian. qu. 34. con„ tra Navar. Sylv. Sanch. qui tamen fatetur oppoſi„ tam ſententiam eſſe ſatis probabilem, & tutam.

Oppoſitum ſatis probabile apud verſatiles opinatores idem ſonat, ac tutum; apud ſanos Theologos idem eſt, ac periculoſum, & malum. Ceterum importunus, injurius certe eſt, & importunitas injuria. Hic eſt communis ſenſus hominum. An injuriam non facit, qui importunis, ſeu nimis importunis precibus pertrahit alium nolentem ad furandum, ad fornicandum &c.? injuriam ergo facit is quoque, qui nimia importunitate alium inducit ad ludi periculum, cui ſe exponere nolebat. Hæc apud æquos homines in dubium non vocantur, a probabilibus negantur. At nos his neglectis ſequi debemus ſenſum communem, & auctoritatem SS. Thomæ, Raymundi, Antonini, & graviſſimorum Theologorum, ſi errare nolumus.

Animadversio XLIX.

Si in re, quæ ſpondetur, ſit inæqualitas &c. valet contractus probabiliter. Contrarium tamen probabilius &c.

Probabilius idem eſt in ſana Theologia, ac neceſſario ſequendum. Et ſane juſtitia in æqualitate ſita eſt; inæqualitas eſt ipſamet injuſtitia: ergo inæqualitas in re, quæ ſpondetur, apertam injuſtitiam includit. Quoniam vero inæqualitatis notitia eam non tollit, ita quoque injuſtitiam non tollit. At, inquit Bus. *ſcienti, & volenti non fit injuria:* ergo qui inæqualitatem ſponſionis novit, & eam nihilominus vult, injuriam non patitur.

Reſp. Antec. verum eſt, ſi voluntas ſit abſoluta, non item, ſi ſit conditionata. Si ſponſor inæqualitatem ſciens, eam eligat, etiamſi æqualitas ſponſionis illi offeratur, nullam injuriam patitur: at nos ponimus, ſponſorem velle inæqualitatem ſibi notam ſub conditione, hoc eſt quia alter ſpondere non vult, niſi ſit inæqualitas; certum porro eſt, eum injuriam facere, qui contractum inire non vult ſine inæqualitate alteri contrahenti noxia, & hunc alterum injuriam pati, etiamſi inæqualitatem norit, & velit, quia æqualitatem obtinere non poteſt; ut patet in injuſta venditione, emptione, mutuatione, aliiſque injuſtis contractibus, qui injuſti eſſe non deſinunt, quia damnum patiens eorum injuſtitiam novit, & in eam conſentit, quia juſtitiam conſequi non poteſt: ergo non ſolum probabilius, ſed certum eſt, ſponſionem inæqualem, ſeu ex natura ſua injuſtam non deſinere eſſe talem, etiamſi altera pars inæqualitatem norit, & conditionate acceptet, quia æqualitatem obtinere nequit.

Animadversio L.

Per ſe quidem .... licita eſt etiam ſponſio de futuro eventu, qui damnum proximi conjunctum habet ..... (etſi enim detur occaſio &c. id eſt per accidens, poteſtque &c.)

Occaſio peccati per accidens quoad mores illa eſt, quæ ſpectatis omnibus rerum circumſtantiis vim non habet inducendi ad peccatum, & raro, ſeu caſu inducit: at ſponſio de morte, aut alia calamitate alicujus intra certum tempus v. g. annum futura, conſiderata hominum propenſione ad malum, vehementi vincendi cupiditate, avaritiæ ſtimulis, addita præſertim morum pravitate, qua hujuſmodi ſponſores carere non ſolent, vim habet inducendi ſponſorem ad machinandam, aut ſaltem ad optandam mortem: ergo hæc occaſio non eſt occaſio per accidens, ſed per ſe, ideoque mala, & fugienda.

Adde, quod ex dictis quælibet ſponſio ex natura ſua mala eſt: ergo multo magis, ſi ſit de malo proximi futuro, quæ alterius peccati occaſionem præbeat.

At inquit Buſemb. eadem occaſio, ſeu periculum eſſe poteſt etiam in cenſu vitalitio. Reſp. Diſcrimen eſt; quia cenſus vitalitius eſt permiſſus. Ceterum ſi periculum optandi mortem proximo inde exiſtat, non eſt dubium, quin a cenſu vitalitio ſuſcipiendo abſtinendum ſit.

Animadversio LI.

Etſi ſponſio cum conditione illicita ... ſit illicita, quod tamen ea lucratus es, non teneris reſtituere.

Contra Buſembaum hic ita diſcurro. Greg. IX. c. *Pactiones* t. 35. lib. 5. dec. ait: *Juxta legitimas ſanctiones pactum turpe, vel rei turpis, aut impoſſibilis de jure, vel de facto, nullam obligationem inducit.* At ſponſio de re mala, v. g. alterum altero plus potaturum, eſt pactum turpe, rei turpis, & de jure impoſſibilis: ergo nullam obligationem inducit. At lucrum ex nulla prævia obligatione acquiſitum, injuſtum eſt; lucrum vero injuſtum, neceſſario reſtituendum eſt: ergo lucrum,

quod

quod quis ex ſponſione ſuperandi alterum in potu acquiſivit, neceſſario reſtituendum eſt.

Reſpondebis, pretium promiſſum ob turpem actionem, ut in noſtra ſpecie accidit, nullam inducere obligationem, priuſquam culpa admiſſa fuerit, ut omnes concedunt; at culpa admiſſa promiſſionem, ſeu pactum eſſe præſtandum, nec recipientem pretium reſtitutione teneri; quæ eſt communior Theologorum opinio, ut ait Concina Theol. t. 7. p. 146. n. 3. & ſeq.

At ſi pactum rei turpis, ſeu de re turpi, nullam obligationem parit, antequam res turpis admittatur, ne ea quidem admiſſa ullam vim habet; quia pactum eſt reciprocum, quod ſcilicet vel utrumque paciſcentium, vel neutrum obligat: ergo ſi non obligat contrahentem ad rem turpem faciendam, ne alterum quidem obligat ad pretium pro re turpi jam admiſſa promiſſum præſtandum. Si enim turpe, & flagitioſum eſt, polliceri pretium pro re turpi, turpe quoque, & flagitioſum eſt pretium tribuere pro re turpi jam admiſſa. At pactum rei turpis juxta Greg. IX. mox citatum nullam obligationem inducit: ergo pactum de pretio tribuendo pro re turpi jam admiſſa nullam obligationem inducit.

Qui turpiter egit, non ex vi pacti, quod omni vi carebat, ſed ſponte ſua, & ex mera ſua malitia egit: porro nihil debetur ei, qui ſponte ſua, & ex mera ſua malitia egit: ergo &c. pactum enim tribuendi aliquid pro re turpi admiſſa, cum de jure nullum ſit, perinde eſt, ac ſi initum non fuiſſet: at ſi initum non fuiſſet, culpæ jam admiſſæ nihil prorſus deberetur: ergo ne quidquam quidem debetur, quia pactum initum fuit; rei ſcilicet turpi admiſſæ nec ſine pacto, nec prævio pacto merces debetur, ſed pœna.

Neque enim hominum pacta contra æternam Dei legem vim habere queunt: at ex æterna Dei lege culpis admiſſis pœna debetur: ergo hominum pacta efficere non poſſunt, ut merces eis debeatur. Hæc mihi non ſolum probabiliora, ſed certa videntur. Qui tamen plura cupit, conſulat Concinam Theol. t. 7. p. 146. c. 10. & 11.

At inquis: Si hactenus dicta vera ſunt, meretrices reſtituere tenentur turpes ſuos quæſtus; quod eſt contra S. Thomam, & alios communiter & falſum.

Reſp. Meretricibus ex pacto nihil debetur. Quæ autem ipſis dono dantur, ea retinere poſſunt, ſicuti alii quilibet ſine injuria retinent, quæ ipſis propter ſcelera admiſſa, prodige, & flagitioſe donantur; quia ſine injuſtitia accipiunt. Hinc D. Thom. 2. 2. qu. 32. art. 7. ait: *Tertio modo eſt aliquid illicite acquiſitum, non quidem quia ipſa acquiſitio ſit illicita, ſed quia id, ex quo acquiritur, eſt illicitum, ſicut patet de eo quod mulier acquirit per meretricium. Et hoc proprie vocatur turpe lucrum. Quod enim mulier meretricium exerceat, turpiter agit, & contra legem Dei; ſed in eo, quod accipit, non injuſte agit, nec contra legem. Unde quod ſic illicite acquiſitum eſt, retineri poteſt, & de eo eleemoſyna fieri.*

Animadverſio LII.

Probabile eſt, quod docet &c. contra Azor. Leſſ. &c. & ceteros communiter.

Idem habet La-Croix p. 384. n. 1080. inquiens: „Eum quoque, qui coegit alterum ad ludendum, non „teneri reſtituere, ſi lucretur, ſuſtinent Trull. Dic. „Hurt. Dian. R. 32. quia nec coactio illa, nec ludus „videtur fuiſſe cauſa damni, ſed fortuna, vel peritia „ludentis; &, ſi cogens perdidiſſet, debuiſſet ſolvere: „hinc inferunt, æquum eſſe, ut etiam potuerit lucrari: ſed probabiliter contradicunt Mald. Steph. n. 51. „& alii, ſi coactio fuit injurioſa: ex hac enim debebitur compenſatio damni ſecuti.“

Hæc eſt La-Croixii, & Buſ. Theologia, hoc eſt pyrrhoniſmus, & contradictio hinc inde probabilis.

Buſ. ſupra c. 3. reſtitutionis lege eum teneri aſſeruit, qui alterum conviciis ad ludum pertraxit; & hic fatetur, hanc ſententiam eſſe communem; & nihilominus contrariam quoque probabilem facit.

Nos miſſa hac pyrrhonica, & exitioſa opinandi methodo dicimus, minis, aut conviciis cogentem ad ludendum, teneri reſtituere, quod lucratus eſt.

Si enim ex dictis contra La-Croix ad c. 3. & juxta SS. Thomam, Antoninum, Raymundum, & alios communiter graves Theologos reſtitutioni obnoxius eſt, qui nimia importunitate alium ad ludum pertraxit, & vicit; multo magis eadem reſtitutione tenetur, qui minis, & conviciis ad ludendum coegit. An minæ, & convicia apertam injuriam non continent? An id, quod per apertam injuriam acquiſitum eſt, jure acquiſitum fuit, & jure retineri poteſt? At inquit La-Croix: „Nec „coactio illa, nec ludus videtur fuiſſe cauſa damni, „ſed fortuna, vel peritia ludentis.“ Reſp. utrumque fuit cauſa damni, fortuna quidem, vel peritia, cauſa proxima, ſeu immediata; coactio vero, cauſa remota, ſeu mediata. Certum porro eſt, cauſam damni ſeu proximam, ſeu remotam, reſtitutionis lege teneri, ſi ex culpa, damni cauſa ſit. *Si culpa tua datum eſt damnum, vel injuria irrogata, &c. jure ſuper his ſatisfacere te oportet*, inquit Greg. IX. c. ult. t. 36. l. 5. dec. An qui culpabilis remota cauſa damni eſt, culpa ſua damnum non intulit? Si cogens perdidiſſet, debuiſſet quidem ſolvere, quia injuriam paſſus non eſt, at male hinc inferunt, æquum eſſe, ut etiam potuerit lucrari; nec enim quiſquam ex ſua culpa, & injuria lucrari jure poteſt. Buſ. ait, victorem cogentem non teneri reſtituere, quia coactus abſolute voluntarie luſit. Reſp. ſicuti La-Croixii, ita Buſemb. ratio ſophiſtica eſt. Abſolute quidem voluntarie luſit eo ſenſu, ut hic & nunc voluntarie luſerit, non tamen eo ſenſu, ut ludus ſecundum ſe ſit ei voluntarius: ludum enim eligit, non quod ipſi placeat, ſed ut minas, & convicia vitet; ſicuti viator latroni pecuniam dat, non quod datio ei placeat, ſed ut mortem ſibi intentatam vitet; & mutuatarius feneratori uſuram tribuit, non quod id ipſi placeat, ſed ut mutuum conſequatur. Sicuti ergo latro, & fenerator injuſti ſunt, & reſtituere debent, quod per vim extorſerunt, ita cogentes ad ludum injuriam irrogant, & reſtituere debent, quod ex ludo coacto lucrati ſunt.

Animadverſio LIII.

Communior ſententia eſt, teneri &c. contrarium tamen ... tenent &c.

La-Croix quoque p. 384. n. 1068. 69. contrarias hac de re opiniones refert, veluti utrinque probabiles.

At ſententia ex Buſ. communior, eſt etiam verior. Qui enim ſponſione certat, aut ludit, certo præſciens, ſe victurum, manifeſtam inæqualitatem admittit: ludi enim æqualitas in eo ſita eſt, ut ſpes lucri, & jacturæ periculum ſint plus minus æqualia: at ubi eſt manifeſta inæqualitas, ibi eſt manifeſta injuſtitia; quæ reſtitutionis onus indubitato infert: ergo &c.

At inquit Buſ. *Non tenetur ex juſtitia ſuam peritiam, vel ſcientiam adverſario declarare; ſed ſi &c.*

Reſp. Hæc ratio cavillatoria eſt. Nam non tenetur quidem, ſi ex occultatione nullum damnum in adverſarium derivetur; at ſi tacendo damnum proximo inferat, ſuam peritiam, & ſcientiam ex juſtitia tenetur adverſario declarare.

At qui certo ſcit, ſe in ſponſione, aut ludo ſuperiorem futurum, tacendo damnum infert adverſario: ergo tenetur ſua peritiam, vel ſcientiam adverſario declarare, aut a ſponſione, & ludo abſtinere. Neque vero adverſarii ignorantia, aut temeritas injuſtitiam tollit, quia inæqualitatem non tollit; ſicuti emptoris imperitia, aut temeritas, venditoris, qui ultra limites juſti pretii rem diſtrahit, non diluit injuſtitiam.

Quod ſi qui ſe victurum ſponſione, aut ludo certo novit, ſuam peritiam, vel ſcientiam adverſario manifeſtet, nihilominus contractus hinc inde oneroſus, cum ſit ex natura ſua injuſtus, fieri juſtus non poteſt. Sed in hac ſpecie injuria tollitur, ſi adverſarius admonitus, donare ſe velle profiteatur ſub conditione, ſi ſponſor, aut ludens vincat.

Animadverſio LIV.

Non tenetur reſtituere ... 3. ſi inſpiciat chartas alterius ex jola &c.

Qui ſuas chartas ita ex negligentia diſponit, ut ab adverſario inſpici poſſint, adverſarii fide & ſinceritate nititur: ergo bona fides, & honeſtas poſtulat, ut adverſarius vel chartas non inſpiciat, vel ſuum adverſarium ſuæ negligentiæ admoneat. Ipſos honeſtos luſores, ſi tamen luſores profeſſione, honeſti eſſe poſſunt, ita ſe gerere contra recentis probabilitatis placita, atque ita in animum induxiſſe puto.

4. *Si chartas a tergo diſcat noſſe inter ludendum, quas &c.*

La-Croix p. 385. num. 1084. ait: „Similiter teneris „reſtituere ... ſi a tergo tui colluſoris habeas ſpeculum, in quo chartas ejus videas, quia talis deceptio „eſt etiam inſolita.“

Quid ſi hæc deceptio eſſet ſolita? An deceptio, quia ſolita eſt, malitia ſua exuitur? „In dubio autem, ſubdit La-Croix, an aliqua deceptio ſit contra leges luſus, necne, ſtandum eſt judicio viri in tali genere „luſus periti, ut cum communi notat Sanch. dub. 12. „Lugo n. 33.

Hæc ſane doctrina mihi nova eſt, & admirabilis, qua ponitur, aliquam deceptionem eſſe juxta leges, hoc eſt, ut ego intelligo, juxta rectas regulas luſus. Ego enim in animum induxeram, omnem deceptionem eſſe contra regulas rectas ludorum, & damnabilem, ideoque inferre reſtituendi obligationem. Qui mendacia amphibologiis, &

Digitized by Google

& reſtrictionibus, aliiſque titulis donata licere ſcribunt, deceptiones quoque permittere poſſunt. Induſtriam, dexteritatem, artes, dum hæc omnia a deceptione aliena ſint, in ludis non eſſe injurioſa per me liceat; at deceptiones quoque, & fraudes a juſtitia in ludis non abhorrere, meæ imbecillitati evidenter falſum videtur. Et quoniam aperta fraus, honeſto homine indigna penes me eſt, ut quis inter ludendum chartas a tergo noſſe diſcat, hunc ego reſtitutione eorum, quæ hac fraude lucratus eſt, teneri exiſtimo.

Animadverſio LV.

Qui vero utitur fraudibus non adhiberi ſolitis &c. tenetur reſtituere non tantum lucrum, ſed etiam quantum alteri valebat ſpes lucrandi, imo etiam &c.

Duo extrema vitioſa, hæc Buſemb. doctrina continere mihi videtur. Primum jam refutatum eſt, ut fraudes ſolitas, in ludo permiſſas ponat. Alterum eſt, ut qui per fraudes inſolitas lucratur, non tantum lucrum reſtituere debeat, ſed etiam quantum alteri valebat ſpes lucrandi.

Hæc enim ſpes lucrandi nihili valet. Spes enim lucrandi in ludo, ſi abſque injuria ludus fiat, cum æquali plus minus timore, & periculo amittendi conjuncta eſt: ergo nullius pretii eſt: ergo pro illa ſpe nihil colludenti reſtituendum eſt.

Animadverſio LVI.

Peccat item ludens, ſi ludus lege poſitiva ſit prohibitus, ut luſus alearum &c.

Ludum alearum, ſimileſque fortuitos non ſolum poſitiva, ſed naturali lege prohibitos eſſe, oſtenſum eſt in reſp. h. dub. 13.

At laicis ratione &c. ſub veniali, Clericis ſub mortali prohibentur.

Ludum aleatorium in ipſis laicis eſſe culpam mortalem, ſi eo principali fine ludant, ut quid notabile lucrentur, vel ejus conſuetudine, ſeu profeſſione implicentur, ibidem evici; quam doctrinam confirmant SS. Patres, ut S. Baſilius, qui in eum acriter invehitur, aitque, ſpiritum malignum illi aſſiſtere, & furorem, ac inſaniam illi accendere; S. Ephrem, qui illum inter opera dæmonis quibus in baptiſmo nuntium mittimus, recenſet; S. Cyprianus, qui eum appellat culpam mortalem; S. Ambroſius, qui eum deteſtatur, ac inter cetera inquit: *Vitæ hanc aleam rectius dixerim, quam pecuniæ; ſub momento fertur, quod valeat æternum*. Ita ipſe P. Caſinus (apud Concinam Theol. t. 7. p. 611. n. 5.) qui ab his graviſſimis auctoritatibus poſt perperam deſciſcit. Porro ſi hoc verum eſt in laicis, multo magis eſt verum in Clericis.

Ex his refellitur La-Croix, qui p. 385. n. 1091. ait: „ Azor., Mol., Salas, Rebell., Caſtrop. aliique cum „ Diana dicunt, non prohiberi Clericis una, aut altera „ vice ludere, ſed ut ne fiat ſæpe, & uſu, uti ex aliis „ notat Steph. n. 49. "

An una, aut altera vice Clericis non prohibetur ludus, cui ex SS. Patrum teſtimonio, etiamſi a laicis exerceatur, dæmon aſſiſtit, inſanumque furorem inſpirat, qui inter diaboli opera in baptiſmo abjurata, & inter mortales culpas recenſetur, in quo non tam pecunia, quam animæ vita, & æternitas luditur? Aleæ ludus jure naturæ omnibus vetitus eſt; & quod jure naturæ omnibus vetitum eſt, nec ſæpe, nec raro, nec ſemel cuiquam licet, multo vero minus Clericis. Innoc. III. in Concil. gener. Later. (habetur c. 15. tit. 1. lib. 3. Decret.) ita præcipit: *Clerici ... ad aleas, & taxillos non ludant, nec hujuſmodi ludis interſint*. An illud *non ludant*, idem eſt, ac ſæpe non ludant? Hæc ſcilicet non interpretatio, qua lex hæc perſpicua non indiget, ſed aperta legis extorſio eſt.

„ Imo, ſubdit La-Croix, Sa, & Valent. contra Sa„ las, & Caſtrop. excuſant etiam conſuetudinem a mor„ tali, ſi fiat recreationis cauſa. "

Recentibus opinatoribus numquam deſunt commenta eludendi, aut extenuandi leges. Juxta ipſos ſi Clerici una, aut altera vice aleis ludant, legem non violant; ſi ſæpe, & ex conſuetudine ludant, legem leviter lædunt, dum recreandi animi cauſa ludant.

S. Carolus Borrom. conſuetudinarios alearum luſores, quia in proxima peccandi occaſione verſentur, etiamſi laici ſint, a Sacramentis arcendos docet: La-Croix ipſos Clericos ex conſuetudine aleatores a mortali culpa excuſat, ſi recreandi animi cauſa in hac prava conſuetudine verſentur; perinde ac ſi conſuetudo ludendi aleis minus peccatum ſit in Clericis, quam in laicis.

An ludus alearum, quia recreandi animi gratia ſuſcipitur, & ex uſu a Clerico fit, inter opera diaboli cenſendus non eſt? An ipſi dæmon non aſſiſtit, furoremque, & inſaniam non accendit? An in eo non tam pecunia, quam anima, & æternitas non luditur? An inter mortales culpas non eſt numerandus, ut SS. Patres docent?

Ipſa ludendi conſuetudo ex æquo, & ſano judicio, eſt graviſſima legis violatio; neque intentio, aut finis, factum ex natura ſua mortale in veniale tranſmutare poteſt. Clerici non ex diaboli operibus, ſed ex honeſtis actionibus, non ex ſacrarum legum violatione, ſed ex obedientia, animi levamen quærere debent. Quamquam ludus aleatum, in quo pecunia ſorti exponitur, animum non relaxat, nec recreat, ſed angit, ſollicitat, turbat, & vexat. Ergo intentio recreandi animum ex ludo aleatorio, peccatum non extenuat; quia finis intentus non habetur, ſed contrarius.

Hinc c. 1. *Epiſcopus* diſt. 35. dicitur: *Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus aleæ, atque ebrietati deſerviens aut deſinat, aut certe damnetur. Subdiaconus, aut lector, aut cantor ſimilia faciens, aut deſinat, aut communione privetur. Similiter etiam laicus*. Hic canon ponit, ludum aleatorium eſſe mortale peccatum, quia illum cum ebrietate confundit, eademque pœna dignum judicat, nec tamen punitum graviſſima pœna vult, niſi ſit conſuetudinarius, ut indicant illa verba *deſerviens, aut deſinat, aut damnetur*.

At inquit Buſemb. *Canones id* (ludum alearum) *prohibentes non videntur recepti, niſi quatenus id fieret cum periculo ſcandali, ut habet Leſſ. d. 1. Laym. &c.* At hoc interpretamentum arbitrarium eſt, contradictoria involvit, & eſt falſum. Eſt arbitrarium, quia nulla ratione nititur. Ita nonnullis videtur, quia ita videtur, non quia ratio id ſuadeat. Contradictoria involvit; quia ludus aleatorius Clericorum, præſertim frequens, & ex uſu non ſolum cum periculo ſcandali, ſed cum ſcandalo ſemper conjunctus eſt. Hinc enim exemplum, & animos ludendi aleis tum alii Clerici, cum multo magis laici ſumunt ſine ullo conſcientiæ remorſu. Nec enim ſibi perſuadere poſſunt culpam eſſe, quod a ſacris perſonis ex uſu fit. Eſt demum falſum; quia, cum contrarius uſus Clericorum, aut Regularium, ſi quis eſt, ſit manifeſta corruptela, eccleſiaſticæ diſciplinæ hoſtiliter contraria, eorumque honeſtatem fœde deturpans, ſacris Canonum legibus ne tantillum quidem derogare poteſt. *Hinc ſtatuit ſancta Synodus* (Trident. ſeſſ. 22. c. 1.) *ut quæ alias a ſummis Pontificibus, & a ſacris Conciliis de Clericorum vita, honeſtate, cultu, doctrinaque retinenda, ac ſimul de luxu, comeſſationibus, choreis, aleis, luſibus, ac quibuſcumque criminibus, nec non ſæcularibus negotiis fugiendis copioſe, ac ſalubriter ſancita fuerunt, eadem in poſterum iiſdem pœnis, vel majoribus arbitrio Ordinarii imponendis, obſerventur; nec appellatio executionem hanc, quæ ad morum correctionem pertinet, ſuſpendat. Si qua vero ex his in deſuetudinem abiiſſe compererint, ea quam primum in uſum revocari, & ab omnibus accurate cuſtodiri ſtudeant, non obſtantibus conſuetudinibus quibuſcumque, ne ſubditorum neglectæ emendationis ipſi condignas Deo vindice pœnas perſolvant*. Hæc ſacra verba decretoria ſunt, ſi attento animo, ac præjudiciis vacuo leguntur.

„ Prohibitio autem, inquit La-Croix loco citato, ex„ tenditur ad ſolos Clericos in ſacris conſtitutos, vel „ ratione beneficii geſtantes habitum, uti docent Ca„ jet., Leſſ., aliique cum Steph. "

At id quoque ex arbitrio dicitur, imo aperte contra legem. *Clerici*, inquit Concil. Later. ſub Innoc. III. mox cit. *ad aleas, & taxillos non ludant*. An minores Clerici, non ſunt Clerici? An hi honeſtam vitam eccleſiaſtico ſtatu dignam ducere non tenentur? At ad honeſtam vitam eccleſiaſtico ſtatu dignam pertinet, ut aleis non ludant. Ergo, ſicuti Clerici privilegiis gaudent, ita onera portare debent. La-Croix minoribus Clericis permittit, quod ipſis laicis vetitum eſt. Nam aleatorius ludus ipſis laicis ex dictis, & SS. Patrum doctrina prohibitus eſt. Itaque can. mox cit. *Epiſcopus*, non ſolum punitos ſevere vult majores Clericos aleis, & ebrietati deſervientes, ſed etiam minores, cantorem, lectorem, & ipſos laicos.

In Religioſis tamen (apud quos &c.) uti & Epiſcopis &c.

Cur addit Buſemb. *apud quos diſciplina regularis viget*? An de Religioſis, apud quos diſciplina regularis non viget, ſecus dicendum eſt?

An diſciplinæ regularis relaxatio, hoc eſt prava conſuetudo, vim habet mutandi peccata mortalia in venialia, aut in res adiaphoras? Hæc monſtra ſunt, quæ non confutatione, ſed lacrymis indigent.

Etſi Sanch. conetur excuſare, ſi urgeat neceſſitas, v. gr. excitandi &c. infirmum.

Hoc ſcilicet nihil aliud eſt, niſi aucupari prætextus inanes eludendi leges. An ſacros Canones, & naturæ jus violare licet, ut vitioſo infirmo ſolatium afferas? Infirmus ab Epiſcopo, aut Regulari excitandus eſt, ut animum ab aleis abſtrahat, & ad animæ curam convertat,

non

non pravo exemplo in ſuo vitio fovendus. Epiſcopus, aut Regularis, qui aleis ludat pretextu recreandi infirmum, duplex peccatum admittit; alterum utendi ludo ſibi graviter vetito; alterum aperti ſcandali, quo infirmum in ſuo vitio fovet. Hæc non probabilia, ſed certa ſunt.

Animadverſio LVII.

Si quis ludo &c. lucratus fuerit ... non tenetur &c. quia &c. an vero qui tali luſu perdidit, teneatur &c. alii negant &c. alii affirmant.

D. Thom. 2. 2. qu. 32. art. 7. ad 2. poſt verba hic c. 1. deſcripta ſubdit: *Aliquid autem videtur ulterius illicitum ex jure poſitivo civili, quod prohibet univerſaliter tale lucrum* (alearum;) *ſed quia jus civile non obligat omnes, ſed eos ſolos, qui ſunt his legibus ſubjecti, & iterum per diſſuetudinem abrogari poteſt; ideo apud illos, qui ſunt hujuſmodi legibus obſtricti, tenentur univerſaliter ad reſtitutionem qui lucrantur, niſi forte contraria conſuetudo prævaleat, aut niſi aliquis lucratus ſit ab eo, qui traxit eum ad ludum; in quo caſu non tenetur reſtituere, quia ille qui amiſit, non eſt dignus recipere, nec poteſt licite retinere, tali jure poſitivo durante. Unde debet de hoc eleemoſynam facere in hoc caſu.*

Ex hac angelica doctrina intelligitur, eum, qui aleis lucratus eſt, (loquendo de iis locis, in quibus jus civile vim habet, nec contrario uſu abrogatum eſt) reſtitutioni obnoxium eſſe ante Judicis ſententiam, quia reſtituere tenetur ex vi legum, quæ ex ſe, ſine Judicis ſententia conſcientiam obligant; imo vero Judicis ſententia obligandi vim non habet, niſi ex vi legum. Judex nihil aliud eſt, niſi jus quoddam animatum, quod leges declarat, eaſque caſibus contingentibus ſcite accommodat. Si jura aleatorii ludus contractum in irritum non mittunt, nec dominii acquiſitionem impediunt, ut Buſemb. fatetur, concedere non poſſunt, ut repeti poſſit, quod eſt acquiſitum. Eſt enim contradictorium, ut repeti concedatur, quod contra jus non eſt acquiſitum.

Secundo intelligitur, eum, qui tali aleatorio ludo perdidit, ubi jus civile in ſuo vigore permanet, non teneri ſolvere. Si enim victus ſolvere teneretur, victor reſtituere non teneretur: at victor ex mox dictis lucrum reſtituere, ubi jus civile in ſuo vigore permanet, tenetur: ergo victus ſolvere non tenetur.

Ubi vero jus civile vim non habet, vel contraria conſuetudine abrogatum eſt, victus in alearum ludo ſolvere debet, & victor lucrum retinere poteſt: quia licet aleatorii ludi contractus turpis ſit, non tamen eſt injuſtus.

Ludere pro pſalmo &c.

Ego ſuſpicor, in ſacrarum rerum irreverentiam cedere ut ſorti exponantur. Præterea ſacra profanis miſcere, non videtur pium. Vide etiam, ſi lubet, P. Concinam Theol. t. 7. p. 602. n. 4.

Animadverſio LVIII.

Poteſt tamen etiam fieri &c. ut quis juſte ſervet ſortem ſuam indemnem, & inſuper &c. ſi &c.

Contractus aſſecurationis contractui ſocietatis additus, eidem contrarius eſt, & ſocietatem in mutuum transfert; quia pecuniæ dominium non penes dantem manet, ſed in recipientem transfertur. Ergo falſum eſt, in contractu ſocietatis fieri poſſe, ut quis juſte ſervet ſortem ſuam indemnem, & inſuper certum lucrum percipiat; quia ſervata ſorte indemni, dans ſortem, ex mutuo certum lucrum percipit; quæ eſt aperta uſura.

Cum dans ſortem, per alterum aſſecurationis contractum, eam in tuto ponit, facto ipſo inquit: Nolo tecum ſocietatem habere; quia nolo eſſe periculorum, & damnorum particeps; (ſocietas enim ut lucri, ita damni, & periculi ex natura ſua communicatio eſt) ſed volo, pecuniam meam eſſe tuam ea conditione, ut certam penſionem quotannis mihi ſolvas, & ſors, quidquid acciderit, integra ſemper maneat. Hic porro contractus evidentiſſime feneratitius eſt, & a Sixto V. conſtit. *Deteſtabilis* anni 1489. proſcriptus. * Ergo &c. Hæc obiter attigi; quia qui hac de re informari plenius volunt, conſulere debent Genettum Theol. t. 5. p. 277. & 290. Nat. Alexandrum Theol. t. 2. p. 309. ac præſertim Concinam tum in oper. *Uſura contractus trini*, tum Theol. t. 7. p. 486. toto c. 21. ubi doctrinam paucis a me traditam fuſe, ac ſolidiſſime confirmat, & contrariam falſam ac ſophiſticam opinationem e fundamentis evertit.

Hinc Bened. XIV. de Syn. Diœc. lib. X. cap. 7. n. 5. ait. *Equidem, cum tempore Clementis VIII. compilandus eſſet liber ſeptimus decretalium, fuit dubitatum, an illi inſerenda foret prædicta Sixtina Conſtitutio, atque in Congregatione habita die 12. Novembris 1593. deliberatum, non eſſe inſerendam, eo quod nihil novi in ea decernatur, ſed contractus reprobetur in ſe feneratitius, jam a jure communi proſcriptus, ſicuti colligitur ex actis Congregationum ea ſuper re habitarum, quæ aſſervantur in Archivo Arcis S. Angeli.*

Hinc rejiciendus eſt La-Croix, qui p. 386. n. 1099. ait: „ Si Cajus det Titio 10. gallinas eo pacto, ut ſingulis diebus reddat unum ovum, & teneatur numerum integrum gallinarum ſervare, ideoque, ſi una moriatur, vel eripiatur, ſubſtituere aliam, Med. &c. putant, hunc contractum eſſe injuſtum, quia &c. Sed Laym., Caſtrop. & alii probabilius dicunt, poſſe eſſe juſtum. “ Poteſt ne eſſe probabilius, quod a ſummis Pontificibus eſt proſcriptum? At prædictus contractus conceptis verbis, & perſpicuis proſcriptus eſt a Sixto V. *Damnamus* &c. Ergo non eſt dubitandum, quin ſit injuſtus, & feneratitius. At, inquit La-Croix, „ periculum compenſari poteſt per plures fructus, ut recte Cov. l. 3. var. cap. 2. n. 4. onus autem alendi compenſatur per longe plura ova a reliquis gallinis habenda. “

Reſp. An licet ratiunculis contendere, ut doctrina a ſummis Pontificibus explicate damnata & reprobata propugnetur veluti probabilis, imo probabilior? An ratiunculæ apud Catholicos, & ſanos Theologos vim contra pontificias ſanctiones, & declarationes habere ullam poſſunt? Legantur verba Sixti V. mox recitata, quæ Sole clariora ſunt, & Sole clarius La-Croixii opinionem damnant, & reprobant.

Igitur falſum eſt, periculum gallinarum, Titio impoſitum, & onus alendi gallinas compenſari per plures fructus, ſeu ova a reliquis gallinis habenda. Periculum enim ſortis ſocio impoſitum non compenſatur, niſi omnes fructus, & lucrum ſortis ad ſocium pertineat. Qui ſortem confert, eo ſolo nomine, & titulo fructus, & lucrum percipere ex ea poteſt, quia periculo, & damno obnoxius eſt: nam qui ſine periculo, & damno ex ipſa ſorte lucrum conſequitur, illud ex mutuo conſequitur; quia dominium ſortis in alium transfert. Præterea contractus La-Croix in eo etiam injuſtus eſt, ut qui gallinas tradit, ſingulis annis totum ferme ſortis pretium lucretur; quod ſane lucrum non ſolum injuſtum, ſed barbarum eſt.

Animadverſio LIX.

Societas &c. interdum quidem ita, ut tam pecora ipſa &c. quam &c. danti, & accipienti communia ſint; interdum vero ita, ut pecorum &c.

Cum dominium, ideoque etiam periculum pecorum in eorum ſocietate ad ſolum dantem ſpectat, emolumenta fructuum, nempe fetus, lanæ, lactis, ad utrumque recte pertinent, ut jure ait Buſemb. Si dominium, ideoque etiam periculum ad ſolum recipientem ſpectet, dans pecora ex mox dictis, & Sixti V. declaratione nihil utilitatis percipere valet. Hinc porro fit, ut qui pecora ea pactione tradit, ut eorum periculum, & fortuitus caſus ſibi, & recipienti æque communis ſit, dimidiam tantum partem ejus lucri jure conſequi poſſit, quod is conſequitur, qui ſuo unius periculo pecora in ſocietatem tradit.

Animadverſio LX.

Si res nondum eſt in tuto, etſi &c. ſciat, non fore periculum, licere nihilominus &c.

In his Buſ. verbis contradictio involvitur. Res enim in tuto reipſa eſt, cum ſeu publica, ſeu privata ſcientia ſcitur, non fore periculum; ideoque inique petitur pretium aſſecurationis periculi, quod reipſa nullum eſt, ut recte dixit Buſ. hic c. 1. cui præſens doctrina adverſatur. Sed penes verſatiles opinatores contradictiones ſunt uſitatæ, nec improbabiles.

Obligatio præſtandi rem ob pericula ordinaria, quæ reipſa nulla ſunt, nullius pretii reipſa eſt, nec magni æſtimari poteſt, niſi ex ignorantia, & errore; at ignorantia, & error efficere non poteſt, ut quod nihili eſt, reipſa in pretio ſit. Cauſæ occultæ, quæ periculum

* Sixtus V. Bulla citata apud Gen. loco citato ait: *Damnamus, & reprobamus omnes, & quoſcumque contractus, & conventiones, & pactiones poſthac ineundos, vel ineundas, per quos, ſeu quas cavebitur perſonis pecunias, animalia, aut quaslibet alias res ſocietatis nomine tradentibus, ut etiamſi fortuito caſu quamlibet jacturam, damnum, aut amiſſionem ſubire contingat, ſors ipſa, ſeu capitale ſemper ſalvum ſit, & integrum a ſocio recipiente reſtituatur, ſive ut de certa quantitate vel ſumma in ſingulos annos, aut menſes reſpondeatur; ſtatuimusque hujuſmodi contractus, conventiones, & pactiones uſurarios, & illicitos poſthac cenſeri debere.*

minuunt, communem quidem æſtimationem non minuunt, reipſa tamen periculi precium minuunt; imo efficiunt, ut periculum, quod reipſa non eſt, nullum pretium habeat. Hinc S. Th. 2. 2. q. 77. art. 3. ad 4. de occulto rei vitio loquens, ait: *Vitium rei facit rem in præſenti eſſe minoris valoris, quam videatur:* ergo qui ordinarium pretium aſſecurationis periculi, quod nullum eſſe novit, recipit, pretium pro nihilo accipit; quod eſt evidenter iniquum. Itaque repudiata ſententia Leſſii, probanda eſt ſententia Bonac. & Card. Lugo, quos ipſe Buſ. rectios ſentire fatetur. Sed hac de re, ſi lubet, Concinam quoque Theol. t. 7. p. 620. n. 5. & 6. legito.

Animadverſio LXI.

Si debitor principalis non ſolverit. Ita comm. &c.

Buſemb. ait *non ſolverit*, hoc eſt, ut intelligere, aut corrigere oportet, ſi ſolvendo non ſit. Nec enim fidejuſſor conveniri poteſt, ſi debitor principalis non ſolverit, ſed tunc ſolum cum invenitur non habere, unde ſolvat, niſi forte aliter conventum ſit, ut ex Auth. *Præſente* c. de fidejuſs. oſtendit Genettus Theol. t. 1. p. 359. c. 1. & docet Conema Theol. t. 7. p. 621. c. 27. n. 5. & ipſe Buſemb. hic c. 4. fatetur.

Animadverſio LXII.

Pro fidejuſſione licet accipere pretium, etſi nullum periculum timeatur.

Hic cum Genetto Theol. t. 1. p. 361. q. 5. & p. 362. q. 6. diſtinguendum eſt. Si fidejuſſio ſuſcipiatur in gratiam creditoris, ſeu ad ejus petitionem, licet. At ſi fidejuſſio fiat in gratiam debitoris, non licet. Ratio eſt, quia ſi fidejuſſor loco fidejuſſionis debitoris debitum ſolveret, nihil ſupra pecuniam ſolitam ſine ſenore accipere poſſet: ergo multo minus pro fidejuſſione aliquid ſine uſuris accipere valet; quia minus eſt fidejuſſio, quam debiti ſolutio. Id Genettus confirmat auctoritate S. Antonini.

At, inquis, ſi fidejuſſor aliquid a creditore pro fidejuſſione accipere poteſt, cur non a debitore? Nam ſecuritas, quam præſtat, eadem utrobique eſt, idemque periculum.

Reſp. Perſonarum, pro quibus fidejuſſio fit, diverſitas diſcrimen ſuppeditat. Qui enim fidejubet in gratiam creditoris, periculum juris ſubit; quia ſi debitum pereat, ejus damno perit; & perinde ſe habet, ac qui periculoſum creditum in ſe ſuſcipit, quod minoris vulgo æſtimatur, ac reipſa eſt.

At qui in gratiam debitoris fidejubet, non juris, ſed ſolum facti periculum ſuſcipit; quia ex vi pacti debitor ſibi ſemper obnoxius eſt. At ex dictis dub. 7. c. 8. propter periculum facti nihil exigi poteſt, licet aliquid jure exigatur propter periculum juris: ergo aliquid recipi poteſt pro fidejuſſione in gratiam creditoris ſuſcepta, non item a debitore. Hinc D. Antoninus a Genetto citatus ait: *Puris quidem videntur mutuare, & ultra ſortem certum quid recipere, & penes creditorem ſatis dare, & aliquid a debitore recipere.* Qui enim in gratiam debitoris ſatisdat, mutuum implicite illi dat; ideoque aliquid recipiens ex ſatisdatione, aliquid ex mutuo implicito recipit: quæ eſt uſura.

At vero ſi nullum periculum timeatur, ne a creditore quidem pro fidejuſſione quidquam recipi poteſt. Sicut enim ex mox dictis in c. 2. pro aſſecuratione periculi, quod reipſa nullum in re ſit, nihil accipi poteſt, ita ne pro fidejuſſione quidem, ſi nullum periculum timeatur. Eſt enim falſum, quod fidejuſſio ex ſe pretio æſtimabilis ſit, ut Buſ. ait. Fidejuſſio ſublato periculo nullius pretii eſt, imo inutilis, & inanis. Fidejuſſio enim petitur ad cautionem, hic eſt unus ejus finis: at ubi nullum periculum timetur, cautio eſt inutilis, & inanis: ergo fidejuſſio inutilis, & inanis eſt, ubi nullum periculum timetur. Hinc ipſe La-Croix n. 1106. p. 387. Buſembao contradicit, licet verſatiliter more ſuo.

Dicere potius Buſemb. debuerat, in humanis rebus pericula timeri ſemper poſſe; ideoque fidejuſſionem propter periculum credito ſemper annexum, pretio æſtimabilem ſemper eſſe. Verum avari, & ab æqua lance alieni hominis eſt, aliquid exigere propter pericula remotiſſima, quæ præter rerum ordinem damna pariunt, quæque ab æquis hominibus in humanarum rerum viciſſitudine pro nihilo habentur.

Animadverſio LXIII.

Mulieres ex fidejuſſione (ſaltem ſi &c.) non tenentur... niſi &c.

Mulieres etiam habentes liberam ſuorum bonorum adminiſtrationem, fidejubere lege prohibentur; at lex ſuas exceptiones habet. Fidejuſſioni enim ſtare in utroque foro coguntur, 1. ſi in propriam utilitatem fidejubeant, & fidejuſſio in earum utilitatem reipſa cedat. 2. Si pro dimiſſione ſervi. 3. Si pro dote mulieris. 4. Si apud creditorem, qui 25. annis minor ſit. 5. Si pro fidejuſſione ſeu ab initio, ſeu poſtea aliquid accipiant. 6. Si animo decipiendi, ſcientes, ſe fidejuſſione non teneri. 7. Si juramento fidejuſſionem confirment. Ita Anacletus t.3. juris can. p. 322. n. 22. qui nullam his de rebus penes doctores controverſiam eſſe, addit.

Porro fidejuſſio mulieris ſine publico inſtrumento tribus teſtibus ſubſignato edita, ex eodem Anacl. n. 39. ipſo jure irrita eſt, etiamſi mulier exceptione, ſeu privilegio S. C. Vellejani non utatur; quam ſuam ſententiam contra Laym. & alios communiter, perſpicuis verbis ex cod. deſumptis confirmat. Si tamen mulier monita, S. C. Vellejani beneficio renuntiet, renuntiatio valet, & fidejuſſioni ſtare cogitur, ut cum communiori ſententia putat idem Anacl. n. 23. 24. quem, ſi lubet, conſule agentem quoque p. 323. n. 28. & ſeq. de fidejuſſione Clericorum. Hæc enim magis ad Juriſperitos, quam ad Theologos ſpectant.

Animadverſio LXIV.

Si debitor ſua culpa &c. tenetur &c. ſed etiam damna, & expenſas compenſare. Hactenus recte. *Si vero ſine culpa v. g. &c. ad ſolum debitum videtur teneri.*

Hæc opinio fidejuſſori dura, vera mihi non videtur. Eſt enim a ratione & æquitate alienum, ut qui pro beneficio alteri impenſo expenſas & damna ſubit, compenſari non debeat: talis eſt fidejuſſor: ergo. Debitur quidem, ut ponitur, culpa vacat; ideoque ex hoc capite onus ſubire non tenetur; at onus ſubire tenetur, quod alter in ejus gratiam, & propter beneficium eidem collatum reipſa ſubiit. Adde, quod acceſſorium ſequitur principale: expenſæ, & damna, quibus fidejuſſor obnoxius fuit, ſunt acceſſorium debiti etiam ſine culpa non ſoluti: ergo debitum ſequuntur; ideoque a debitore ſunt refundenda, ſicut ipſum debitum. Nam ſicut debitum, quod fidejuſſor ſolvit, habetur pro re, quam principalis debitor accepit, ita expenſæ, & damna debito inhærentia: at reſtitutio non ſolum debetur propter injuſtam acceptionem, ſed etiam ex re accepta. Itaque juſtitia, & æquitas poſtulant, ut principalis debitor non ſolum debitum, ſed etiam expenſas, & damna compenſet, quæ fidejuſſor, ſine debitoris quidem culpa, at nihilominus ex neceſſitate, ſubire coactus fuit.

Animadverſio LXVI.

Contractus hic videtur juxta Cajet. &c. (*contra* &c.) *eſſe uſurarius.*

Hic contractus ſine ulla dubitatione uſurarius eſt; quod evincit tum ratio a Buſembao allata; tum quia pignoris dominium penes debitorem manet, ideoque ejus fructus ad ipſum pertinet. Quod ſi uſura evidens eſt, aliquid ſupra ſortem ſine pignore mutuatam exigere; multo magis uſura eſt, ſi in aſſecurationem ſortis pignus, aut hypotheca accipiatur. Hinc D. Thom. 2. 2. q. 78. art. 1. ad 6. ait: *Quod ſi quis pro pecunia ſibi mutuata obliget rem aliquam, cujus uſus pretio æſtimari poteſt, debet uſum illius rei ille, qui mutuavit, computare in reſtitutionem ejus, quod mutuavit; alioquin ſi uſum illius rei quaſi gratis ſibi ſuperaddi velit, idem eſt ac ſi pecuniam acciperet pro mutuo, quod eſt uſurarium; niſi forte eſſet talis res, cujus uſus ſine pretio ſoleat concedi inter amicos, ſicut patet de libro accommodato.*

Animadverſio LXVI.

Poſſunt tamen intervenire tituli &c. ut ſi v. gr. fructus &c. non ſuperent &c.

Seu fructus ex hypotheca percepti non ſuperent quantitatem penſionis, quæ jure cenſus ſuper eamdem conſtituti exigi poſſet, ſeu minores ſint, ex mox dictis evidenter uſurarii ſunt. Non enim exceſſus acceſſionis ſupra ſortem uſuram facit, ſed ipſa acceſſio qualiſcumque, & undecumque percipiatur; quod docet ipſe Laym. lib. 3. de juſt. t. 4. c. 30. n. 7. ad quem Buſemb. lectorem mittit. Hinc Alex. III. c. *Conqueſtus* tit. 19. lib. 5. dec. inquit: *Diſcretioni veſtræ mandamus, quatenus ſi terram ipſam titulo pignoris detinetis, & fructibus ejus ſortem recepiſtis, prædictam terram Clerico memorato reddatis, niſi terra ipſa de feudo ſit monaſterii veſtri.* Hæc perſpicua verba rem conficiunt, nec dubium relinquunt. Quare, contra ac ait Buſ., damnandi ſunt, qui ex agris, paſcuis, officiis &c. in pignus, ſeu hypothecam creditorum ſuorum a Principibus, ſeu privatis perſonis ſibi traditis fructus, ſeu utilitatem percipiunt in ſortis detractionem non computandam.

Et

Digitized by Google

Et hæc eſt etiam communis ſententia, ut ait Anscl. t. 3. juris can. p. 315. n. 53. quam confirmat P. Conc. Th. t. 7. p. 596 n. 8. contra Dianam, & Syn. Albenenſis apud Genettum Theol. tom. 1. p. 403. inquiens: *I contratti, i quali volgarmente ſi dicono a godere, a godere, cioè che chi preſta ad un'altro verb. grat. cinquanta ſcudi, riceve da quello a godere una caſa, o vigna, o altro ſtabile fruttifero, ſintantochè gli ſarà reſtituito il ſuo dinaro, ſono parimenti illeciti, ſe in eſſi non interviene altro titolo, per il quale detti ſcudi cinquanta ſi rendano fruttiferi, o ſe non ſi verificano le condizioni di vendita cum pacto redimendi* &c.

CAPUT IV.

De tutela, & teſtamentis.

DUBIUM I.

Quid ſit tutela, & curatela?

RESp. Sunt quaſi contractus, quibus Tutor, & Curator ad procuranda bona, & commoda minorum cujuſcumque ſexus, qui vel parente carent, vel ſub ejus poteſtate conſtituti non ſunt, obligantur ex juſtitia, perinde ac ſi ex contractu ea obligatio ſuſcepta fuiſſet; ſupplente nimirum lege, vel magiſtratu vim contractus. Differunt tutor, & curator; quod tutor ſolum datur impuberibus, etiam invitis: & principaliter datur perſonis, ut curet earum educationem, & inſtitutionem, ſecundario vero datur etiam bonis illarum, reſpectu omnium negotiorum. Curator vero datur minoribus, poſt annos expletos pubertatis, uſque ad annum 25. completum; nec communi jure datur invitis, niſi in certis caſibus: & datur principaliter rebus minorum, ſecundario perſonis. Unde pro directione in foro conſcientiæ, ex jure tum naturali, tum poſitivo communi reſolves ex Laym. & Tan. t. 3. d. 1. q. 7. d. 10. Bon. d. 3. q. 19.

1. Tutores ſive ſint teſtamentarii, hoc eſt relicti ex teſtamento, aut codicillo patris; ſive ſint dativi, hoc eſt conſtituti a Judice, aut Magiſtratu; ſive ſint legitimi, hoc eſt præſcripti a lege (quibus præ ceteris eſt mater, (*a*) ſi velit, & promittat ſe non tranſituram ad alias nuptias, quin prius tutelam abdicet, & rationem reddat; dein avia, & conſanguinei proximiores idonei) tenentur, uti & curatores, jurare, ſe fideliter officium ſuum facturos, ac fidejuſſorem dare, rem minoris ſalvam, & integram reſtituendam: & univerſim tacita omnia eorum bona ſunt hypothecata minori: ita ut, ad quemcumque pervenerint, poſſit illa minor ſibi vendicare, ut ſibi ſatisfiat, ſi quid illorum colpa eſt paſſus. V. Tan. *l. c.* Laym. *l. 3. t. 4. c. 9.* Bon. *l. c.*

2. Bona minorum tenetur Tutor, vel Curator adminiſtrare ea cura, quam diligens paterfamilias propriis ſuis rebus adhiberet, tam impediendo, & præcavendo damna, quam procurando commoda, & lucra minoris; alioqui damnum, & defectus congrui lucri ipſi imputabitur, & tenebitur etiam in conſcientia ad reſtitutionem. Vide ſup. *l. 2. t. 3. c. 2. d. 3. R. 6.*

3. Bona immobilia minorum, aut alia pretioſa, quæ poſſunt ſervari, non poſſunt alienari, ſaltem ſine Judicis decreto.

4. Tutori, aut Curatori, & perſonis ei ſubjectis nihil licet emere, ſive per ſe, ſive per alium, ex illis bonis minoris, quamdiu illi tales ſunt; niſi cum auctoritate Judicis, aut cum ejus decreto bona pupillorum publice, per juratum venditorem omnibus venalia exponuntur.

5. Sine decreto Judicis non poteſt minor remittere, vel renuntiare hereditati, legatis, fideicommiſſis, aliiſque juribus ſibi acquiſitis. Si tamen religionem ingreſſus ſit, poteſt bona alienare, quia moritur quaſi.

6. Pupillus, dum infans eſt, hoc eſt, minor ſeptennio, vel infantiæ proximus (ita ut ſi maſculus eſt, non expleverit annum decimum cum dimidio, ſi femina, nonum cum dimidio) nihil per ſe efficere poteſt, quo ullo modo vel alteri obligetur, vel alium ſibi obliget: at pubertati proximus obligere quidem ſibi poteſt alium, ſed non ſe alteri, ſaltem civiliter. Sanch. *d. 38.* Leſſ. *l. 2. c. 17. num. 61.* Laym. *c. 9. num. 7.*

7. Eadem eſt ratio minoris, ſi Curatorem habeat: quem ſi ſemel ſuſceperit, tenetur illi ſubeſſe jure communi uſque ad annum 25. expletum; &, ſi litem habeat, tenetur ad eam ſumere Curatorem, exceptis tamen cauſis ſpiritualibus. Quod ſi Curatore careat, valent acta per illos, ita tamen, ut ſi læſi ſint, reſtituantur in integrum. Vid. Auth. cit. & Bon. *d. 3. q. 5. p. ult.*

8. Etſi minores ſine Curatorum auctoritate donare non poſſint, niſi quæ ejus conditionis adoleſcentes donare ſolent (in iis enim præſumitur tacitus conſenſus Curatoris) *qui tamen dona ab iis accepit, non tenetur reſtituere, niſi repetantur legitime;* ANIMAD. I.
quia probabile eſt valere naturaliter, tametſi non civiliter. Mol. Lugo, Trull. Dian. *p. 8. t. 6. R. 4. & 7.*

9. Tenentur Curatores, & Tutores ſingulis annis adminiſtrationis rationem reddere; ubi, ſi quis deſes, aut noxius reperiatur, amovendus eſt, impoſita ſatisfactione, aliuſque ſubrogandus.

10. Si Tutor, vel Curator, poſt rationes officii redditas, fidelis deprehenſus fuerit, debetur ei præmium, quod in quibuſdam locis eſt viceſima pars redituum bonorum omnium minoris, in aliis autem decima pars.

11. Porro, qui non poſſint eſſe tutores, & curatores; & qui a tutela, & curatela excuſentur, ne iis imponi poſſint, v. gr. habentes quinque filios ſuperſtites, pauperes, &c. v. apud Tann. *l. c.* & Sa, v. *Minor*, ubi ſic habet: *Tutor non poteſt eſſe junior 25. annis, niſi forte mater, nec religioſus, nec femina (niſi mater, aut avia, & uxor caſu ante dicto) nec Clericus in ſacris, ſi non velit, nec Epiſcopus, niſi miſerabilium perſonarum. Horum vero tutelam ſuſcipere teneatur & Epiſcopi, & Clerici, & Religioſi: quod ego,* inquit, *de religioſis univerſim non admitto.* V. Laym. *l. c.*

12. Si tutor, & curator, cum tenerentur negotiari, omiſerunt, poſſunt pupilli ab eis accipere 5. pro 100 Sa, v. *Curator*. Vid. etiam Navar. *c. 25.* Plura vid. ſup. *l. 3. tr. 3. c. 2. dub. 3.*

DUBIUM II.

Quid, & quotuplex ſit teſtamentum?

Reſpond. 1. Teſtamentum eſt voluntatis juſta ſententia de eo, quod quis poſt mortem ſuam fieri vult, cum directa heredis inſtitutione. Quod additur, ut diſtinguatur a reliquis ultimis voluntatibus; nam differt a legato, ſeu fideicommiſſo partiali, quod hoc ſit donatio quædam a defuncto relicta, & ab herede præſtanda: a codicillo vero differt, quia codicillus eſt quaſi teſtamentum imperfectum, & non fit ad inſtituendum heredem, niſi ex privilegio, verbi gratia, in militia, ſed ad aliquid in teſtamento explicandum, addendum, mutandum, detrahendum, vel ad legata inſtituenda. Vid. Laym. *l. 3. t. 5. c. 1. & ſeq.* Tan. t. 3. *d. 4. q. 8.* Leſſ. *l. 2. c. 19.* Bon. *d. 3. q. 17. p. 1.*

Reſp. 2. Teſtamentum eſt duplex. 1. In ſcriptis, ſeu clauſum: quod teſtamentum teſtator, ſive ſua, ſive alterius manu ſcriptum, *ſeptem teſtibus idoneis*, ANIMAD.
non defectuoſis, non cæcis, non ſurdis, mutis, nec II.
furioſis, prodigis, infantibus, religioſis, cognatis, qui in teſtatoris poteſtate ſunt (quibus adde ipſum heredem, & qui in ejus ſunt poteſtate) ſed maſculis, puberibus, liberis, ad id rogatis, & vocatis coram offert, profitendo id eſſe ſuum teſtamentum: tum, ſi poſſit, manu ſua ſubſcribit, alioqui octavus pro eo teſtis: dein omnes, & ſinguli ſeptem teſtes eodem tempore ſubſcribunt, ſi poſſint, per ſe ipſos, proprioque, vel alieno, aut communi omnes ſigillo conſignant. Laym. *l. c.* Bonac. *diſt. 3. q. 12. p. 1.* 2. Nuncupativum, quod minorem ſolemnitatem requirit, ſcilicet tantum, ut ſeptem teſtes idonei ſupra dicti convocati audiant, & intelligant teſtatoris voluntatem, coram eis ſcriptam, vel voce articulata prolatam. Etſi vero talis nuncupatio coram teſtibus a notario in ſcriptum communiter redigi

Digitized by Google

ſoleat, id ſit non ad actus ſubſtantiam ſervandam, ſed ad meliorem probationem, & ſecuritatem, ſi teſtes decedant, vel inidonei reddantur. Si autem teſtamentum careat ſolemnitate debita; dubiteturque, utrum teſtator voluerit conficere clauſum, an apertum, velut ut nuncupativum: hæc enim præſumitur teſtatoris voluntas, ne actus omnino corruat. Sanc. *l. 4. conſ.* Lugo *t. 2. de juſt. d.* 24. Bard. *d. 6. q.* 10. §. 1.

Porro præter has ſolemnitates jure communi requiſitas, aliæ ſunt partialium locorum, quas in ſingulis locis norunt periti Notarii: qui proinde, ne impiogatur, utiliter adhibentur.

Quæres, An teſtamentum ſit validum, cui deſunt ſolemnitates a jure civili requiſitæ?

ANIMAD. III. Reſp. 1. *Si teſtamentum factum ſit ad cauſas pias, etiam in foro externo eas non requiri, ſed ſufficere eas, quæ ſunt juris gentium, ſcilicet duos teſtes:* in foro autem conſcientiæ, ſuppoſita poteſtate diſponentis, ſufficere ſcripturam, nutum, vel aliud ſignum teſtatoris, abſque ullo teſte. *Quod ſi tamen manus teſtatoris non extet*, requiruntur duo teſtes in foro externo, inter quos etiam ſemina eſſe poteſt. Covar. & alii 12. Dian. *p. 7. t. 6. R.* 16. Item Confeſſarius, vel Parochus eſſe poteſt, licet legata ſint pro ſua Eccleſia, idque ad hoc tantum, ut voluntas teſtatoris probari poſſit, & Judex pro ea ſententiam ferat. Vid. Leſſ. & Card. Lugo *tom. 2. d. 22. ſect. 9. ubi etiam probat, in tali teſtamento ad pias cauſas non eſſe neceſſariam heredis inſtitutionem.* Ac licet morte interveniente, non fuerit abſolutum, valet tamen quoad legata pia in eo jam expreſſa. Malder. Laym. Dian. *par. 5. t. 16. R.* 126. *An autem tale teſtamentum ad cauſas pias principaliter factum, ſi ſolemnitates deſint, valeat quoad legata profana, controvertitur.* Negant Bonac. & Lugo. Affirmant Covar. Sa, Leſſ. Fill. Sanch. Barboſ. Trull. *c. 18. d.* 4. Dian. *p. 7. t. 6. R. 4. Denique teſtamentum ad pias cauſas non ſolemne revocat aliud ſolemne, etſi hujus mentionem non faciat.* Molin. &c. Dian. *p. 6. t. 6. R. 25. & 26. idque, etiam ſi prius etiam fuerit ad cauſas pias.* Mol. & alii 6. *licet hoc poſterius quidam negent.* V. *l. c. R.* 26. 27.

ANIMAD. IV. Reſp. 2. *Si teſtamentum factum eſt ad cauſas non pias, hominibus ruſticanis quinque teſtes ſufficiunt, ſi plures haberi nequeant: nec ſubſcriptione opus erit, ſi litterati non ſunt.* Lay. *l. c. c. 2 n.* 16. Bonac. *l. c. p. 5. n.* 4.

Reſp. 3. Tempore peſtis non requiruntur ſeptem teſtes ſimul congregati ad teſtamenti ſubſcriptionem, ſed ſufficit, ſi ſinguli ſeparatim adhibeantur. Adde, æquitatem poſtulere, ut, quando teſtis, vel notarius haberi non poſſunt, ultimæ voluntates validæ pronuntientur, ſi de voluntate defuncti liquido conſtet. Hinc in Camera Imperiali valet teſtamentum, peſte valde graſſente, conditum coram duobus, vel tribus teſtibus, inter quos Confeſſarius eſſe poteſt. Atque hæc vera ſunt ſecundum jus commune Cæſareum, ſecluſis ſpecialibus locorum ſtatutis. Nam Venetiis v. gr. & Viennæ duo teſtes ad teſtamentum ſufficiunt. Vid. Laym. *l. c. c.* 2. Imo abſolute loquendo tempore peſtis ſufficere ſolemnitates juris gentium, atque adeo tres, vel duos teſtes, docet Dian. *p. 7. t. 6. R.* 34. ex Sa, Laym. &c. atque inter eos eſſe poſſe ſeminam, & notarium ipſum (tametſi non ſit immatriculatus) modo non ſit conſanguineus, vel affinis defuncti. *R.* 36. ex Menoch. &c. nec opus eſſe, ut ſint rogati, vel audiant vocem teſtantis (etſi hoc quidam requirant) modo eum videant: *R. 37. & 38.* neque invalidari, licet ægrotus convaleſcat. *R.* 39. ex aliis 8. Denique, ſi Parochus ſcribat coram unico teſte, habere vim teſtamenti, ſaltem nuncupativi, dicit Molin. & March. cum Dian. *l. c. R. 34. & 41.* vid. etiam *p. 5. t. 3. R.* 123.

ANIMAD. V. Reſp. 4. *Etſi probabilis, & ſecura ſententia ſit* Cov. *Bon. d. 3. q. 1. p. 4. & aliorum*, teſtamentum factum ad cauſas non pias, ſine ſolemnitatibus jure requiſitis, invalidum eſſe in foro conſcientiæ, præterquam quoad legata pia: Molin. Lugo, Veſq. Sanchez, Dian. *p. 7. t. 6. R.* 3. contra Barboſ. ita ut heres per illud inſtitutus, & legatarius teneantur ad reſtitionem heredibus ab inteſtato: *contrarium tamen verius eſt, ideoque licite retinetur, quod tali teſtamento poſſidetur.* Ratio eſt, quia illæ ſolemnitates tantum requiruntur ad cavendam deceptionem, & ad fidem in foro externo faciendam. V. Leſſ. *l. 2. c. 19. diſt.* 3. C. Lugo *diſt. 22. ſ. 9.* Unde ſecundum hanc poſteriorem ſententiam reſolves ſequentes caſus.

1. Heres ab inteſtato, ſi ſciat voluntatem defuncti, tenetur reſtituere hereditetem, & ſolvere legata iis, quibus teſtamento minus ſolemni, aut ex voluntate ejus debentur. Mol. Leſſ. contra Bon. *l. c.*

2. *Si dubius ſit de voluntate teſtatoris, debet cum illis componere pro ratione dubii:* quia, cum nec ipſe, nec alii cœperint adhuc poſſidere bona fide, in dubio par eſt eorum conditio. V. Bon. *l. c.* ANIMAD. VI.

3. *Si heres ab inteſtato retineat hereditatem, & legata, poſſunt illi, quibus aliquid per tale teſtamentum erat relictum, uti occulta compenſatione, quia revera res illa erant ipſorum.* V. Bon. *l. c.* ANIMAD. VII.

4. Si heres ab inteſtato fateatur, mentem teſtatoris fuiſſe, ut hereditatem nomine fideicommiſſi alteri traderet, vel legatum aliquod ſolveret, aut ſi, oblato juramento, jurare noluerit, cogendus eſt, etiam in foro externo, hereditatem tradere, & ſolvere legatum.

5. Ob eandem cauſam idem dicendum eſt, ſi fateatur voluntatem teſtatoris fuiſſe, ut hereditas, non ut fideicommiſſum, ſed immediate perveniret ad alium: quia non eſt recurrendum ad fidem teſtium, vel ad juris ſubtilitetem, quando is, cujus intereſt, ipſe confitetur teſtatoris voluntatem. Vide Leſſ. & C. de Lugo *l. c.*

Reſp. 5. *Etſi probabile ſit, Clericorum, & Novitiorum teſtamenta facta ad cauſas non pias ſine ſolemnitatibus juris non valere:* Molin. & alii 3. *cum tamen contrarium etiam ſit probabile, ex Suar. &c. poteſt heres ex tali teſtamento hereditatem adire pro foro conſcientiæ.* Dian. *p. 9. t. 9. R.* 16. ANIMAD. VIII.

Reſp. 6. *Milites hujus temporis gaudent iiſdem privilegiis teſtandi, quibus olim, dummodo in caſtris (vel in propinquo ex cauſa legitima) verſentur.* Dia. *p. 7. t. 15. R. 24. & ſeq.* ex aliis 13. contra Bald. &c. atque adeo ſufficiunt iis duo teſtes (licet probabiliter nec hi requirantur, *R.* 45.) etiam non rogati, *R.* 46. & alii 4. contra Mol. Lug., &c. etiam alias inidonei, modo non ſint impuberes, nec cæci, vel ſervi, *R.* 47. Lugo, Vaſq. &c. Neque opus eſt eorum ſubſcriptione, vel ſignorum appoſitione, vel ut ſint in conſpectu teſtatoris, *ibid.* Imo miles jure militari (quo præſumitur eſſe teſtatus in dubio) poteſt teſtari ſolo nutu. *R.* 49. Poteſt etiem plura ſimul teſtamenta valida facere, vel pro perte teſtatus, vel pro parte inteſtatus decedere. *R.* 53. & 55. Valetque ejus teſtamentum etiam poſt miſſionem honeſtam, ſed non ultra annum. Mol. Lug., &c. *R.* 61. Denique poſſunt milites ſupradicto modo teſtari, tametſi ſint ſurdi, & muti (ſaltem ſi in caſtris auditum, & vocem amiſerunt.) Dian. *R.* 48. 49. & 59. ex aliis. ANIMAD. IX.

DUBIUM III.

De renuntiatione hereditatum.

ANIMAD. X. Reſp. 1. *Renuntiatio futuræ hereditatis, niſi juramento firmetur, nullius roboris eſt.* Ratio eſt, quia ita jure cautum eſt propter bonum publicum. Excipe 1. Niſi quis in ipſo teſtandi actu renunciet juri ſucceſſionis, vel poſt teſtamentum conditum, in quo præteritus eſt, præteritionem ſui approbet. 2. Niſi heres neceſſarius, poſt debitam ſibi portionem integram a patre acceptam, reliquæ hereditati renuntiet: qui tamen, ſi bona patris poſtea augeantur, legitimam eorum portionem poteſt exigere.

Reſp. 2. Renunciatio hereditatis, cum odioſa ſit, & contra jus commune, ſtrictæ interpretationis eſſe debet.

Unde reſolves caſus ſeq.

ANIMAD. XI. 1. *Non obſtat renuntiatio hereditatis, etiam jurata a filia facta, quominus ab eodem patre, mutata iterum voluntate, poſſit inſtitui heres.* Molin. Sanch. *l. 7. c. 7.*

2. Si filius renuntiavit in favorem fratris, eo mortuo ante patrem, is, qui renuntiavit in prima hereditate, ſuccedere poteſt: imo etiam inſtitui debet,

Digitized by Google

bet, quia cauſa renuntiationis ceſſavit. Mol. *d.* 579. *num.* 19.

ANIMAD. XII. 3. *Filius poſt juratam renuntiationem nihilominus ſuccedere poteſt in iis bonis, quæ pater ad ſecundas nuptias tranſiens, liberis ex priori matrimonio ſuſceptis relinquere cogitur.* Ratio eſt, quia in his filius non ſuccedit jure ſanguinis, cui renuntiavit, ſed propter civiles conſtitutiones, & favores. Mol. *n.* 21.

4. Etſi filia accipiens dotem a patre dicat ſe ea contentam, & renuntiare paternæ hereditati: pactum tamen illud eſt invalidum, eoque non obſtante, poteſt poſtea petere complementum legitimæ portionis ſuæ. *Ex L. Pactum dotale C. de collat. L. Si quando C. de pact. & cap. Quamvis pactum, de pact. in 6.* Mol. Sanch. *lib. 6. conſ.* Lugo *Reſp. mor. lib. 6. dub.* 24.

5. Si parentes dent filiæ dotem infra portionem legitimæ debitæ, inducantque eam coactione, vel fraude, ſeu dolo ad renuntiandum legitimæ, non ſunt in conſcientia tuti, ſed tenentur illi reſtituere libertatem. Sanch. *l. 4. de mat. d. 9.* Lugo *l. c.* Ac licet filia, ſi renuntiationem juramento firmaverit, eam ſervare teneatur: ſi tamen dolus, vel metus intervenerit, licebit relaxationem juramenti injuſte extorti petere: eaque obtenta non tenebitur pacto, quod ex injuſta coactione proceſſit. V. Sanch. *l. 2. mor. c.* 13. Lug. *t. 2. de juſt. d. 22. ſ. 8. & reſp. mor. l. 6. d.* 24.

Reſp. 3. Omne pactum, vel donatio de alterius viventis hereditate ipſo jure irrita eſt; v. g. irritum eſt pactum, quo Titius hereditatem, quam ſperat a Sempronio, promittit, aut obligat Cajo. Ratio eſt, quia tales pactiones odioſæ ſunt, & plenæ periculis ob inſidias, quæ parantur ejus vitæ, ſuper cujus bonis fit pactio. Laym. *c. 7. n.* 3.

Excipe 1. Niſi conſentiat is, de cujus hereditate agitur, & in eo conſenſu uſque ad mortem perſeveret. 2. Niſi renuntiatio fiat in favorem communitatis, ſeu collegii; hic enim ceſſat præſumptio, vel periculum inſidiarum. 3. Niſi quis ob conſtitutiones Ordinis, de omnibus bonis, & juribus acquiſitis, & acquirendis diſponere debeat, idque in favorem communitatis piæ, vel etiam certæ perſonæ pauperis. Sanc. *cap. 2. n.* 54. Laym. *l. c. n.* 3. 4. Niſi fiat pactum circa hereditatem perſonæ incertæ, verbi gr. ſi quæ mihi hereditas obvenerit, dum vixero, tua eſto: ceſſat enim periculum. Mol. Sanch. *l. 7. c.* 2.

Quæres, Quouſque ſe extendat conſtitutio Trid. *ſ. 25. c. 16. de regular.* irritans donationes, & renunciationes, etiam juratas, quæ fiunt ab ingredientibus religionem, niſi fiant cum licentia Epiſcopi, ſive Vicarii, intra duos menſes proximos ante profeſſionem, & profeſſio poſtea ſubſequatur?

Reſp. 1. Hanc conſtitutionem non habere locum in codicillis, teſtamentis, aut donationibus mortis cauſa; quia hujus conſtitutionis ratio eſt, ne per renunciationem hereditatis novitiis imponatur neceſſitas profitendi; hæc enim ratio ceſſat in his ultimis voluntatibus, quippe quæ uſque ad profeſſionem revocabiles ſunt. Quare valet adhuc hodie teſtamentum a novitio conditum, neque rumpitur, ſecuta profeſſione, etſi monaſterium in eo præteritum fuerit. Sanchez *l. 7. c.* 5. Qui autem licite a Religione recedit, recuperat omnia bona cuicunque ante donata, intuitu ingreſſus in Religionem.

Reſp. 2. Ea conſtitutione non prohiberi donationem modicam, quia ceſſat ratio. Sanch. *n.* 23.

Reſp. 3. Ea comprehendi renunciationem Beneficii eccleſiaſtici. Ratio eſt, quia hæc eſt amiſſio magni juris, ob quam libertas egrediendi e religione impeditur. Sanch. *n.* 37.

Reſpond. 4. Per eandem etiam irritantur renunciationes, quæ fiunt ante ingreſſum religionis, intuitu, vel cauſa impulſiva ingrediendi; qualis intentio in dubio præſumitur, ſi non multo ante ingreſſum factæ ſint. Ratio eſt, tum quia Concilium abſolute loquitur: tum quia alias non ſufficienter conſuluiſſet libertati novitiorum. Nav. Leſſ. *lib. 2. cap. 41. num.* 40. contra Sanchez: *cujus tamen ſententia eſt*
ANIMAD. XIII. *probabilis. Unde ſic donatum tuto retineri poteſt, donec per ſententiam Judicis reſcindatur.*

Reſpond. 5. Irritam etiam eſſe donationem, ſeu renunciationem bonorum, ſub conditione profeſſionis edendæ factam, ita ut, ea non ſecuta, corruat. Nav. Sanch. *num.* 17. Mol. &c. Ratio eſt, quia donantes, ſeu renunciantes ægre contriſtant donatarios, ut eos de poſſeſſione ſemel capta dejiciant, & Monaſteria, quæ tales donationes acceperunt: omnes modos adhibent, ut tales ad profeſſionem inducantur. Laym. *cap. 7. n.* 8.

Reſpond. 6. Non obſtante hac conſtitutione, validas eſſe renunciationes, aut donationes, ante vel poſt ingreſſum Societ. JESU factas, juxta ejus conſtitutiones. Ratio eſt, quia Tridentinum Societatem diſerte excipit. Dixi, *juxta conſtitutiones*; quia in iis donationionibus, quæ contra conſtitutiones fiunt, non videtur habere locum, quia Tridentinum id voluit in favorem Societatis. Quod autem ob gratiam alterius conceditur, non eſt in ejus diſpendium retorquendum. Mol. Sanch. Laym. *l. c.*

DUBIUM IV.

Qui poſſint, & debeant eſſe executores teſtamenti?

Reſpond. 1. Illi a Teſtatore nominari poſſunt unus, vel plures ex heredibus, vel non heredibus; nec tantum maſculus, ſed etiam femina. Sanch. Wading. Dian. *p. 8. t. 5. R.* 4. non tantum laicus, *ſed etiam clericus, & religioſus.* Hic tamen non ſine ſui Prælati licentia, & quidem Generalis, ſi ſit Soc. JESU: Fratres de Obſervantia nullo modo. *Quod ſi tamen religioſus, contra Canonum decreta, executor teſtamenti ſit, acta ejus valent.* Ita Laym. ANIMAD. XIV.
cap. 11. Et ratio eſt, quia ſpectato jure naturali, ſufficit voluntas Teſtatoris, & executoris, nec Canones executionem religioſi infirmant, ſed prohibent tantum. V. Bon. *de conſ. d. 3. q.* 18. Dian. *p. 8. t. 5. R. 9.* 10. Et, licet impubes executor eſſe non poſſit, poteſt tamen minor, ſi explevit annum 17. Sanch. Lugo, Vvading, Dian. *p. 8. t. 5. R.* 6. Nullus autem cogi poteſt, ut ſit executor. Dian. *l. c. R.* 27. Detrectans tamen hoc ipſo perdit legatum (ſaltem quod in præmium muneris ei relictum fuit) ceditque hoc aliis executoribus. Molin. Lugo, Dian. *p. 8. t. 5. R.* 17. contra Wald.

Reſpond. 2. Si nullus a teſtatore nominatus eſt executor, executio pertinet ad heredem, etiam quoad legata pia; quo tamen caſu Epiſcopus jure communi ad ſe pertrahere poteſt. Laym. *l. c.*

Reſpond. 3. Executor non poteſt officio fungi per alium, niſi teſtator id ei permiſerit, aut niſi committatur executio nudi facti jam declarati. Sanch. Card. de Lugo, Dian. *punct. 8. t. 5. R.* 26.

Quæres 1. An religioſus executor legatum in pias cauſas monaſterio ſuo applicare poſſit?

Reſp. poſſe. Ratio eſt, quia ſi quid obſtaret, eſſet ex eo, quod executor, etiam indigens, eleemoſynam ſibi ex teſtamento applicare nequeat, niſi teſtator indigentiam ejus ignoraverit, aut ea poſtmodum ſupervenerit, cum, ſi eam cognoviſſet, certum quid ei legaturus fuiſſe videatur. Sed hæc ratio non ligat; quia cauſa Monaſterii diſtincta eſt a cauſa, ſeu perſona profeſſi, ſicut cauſa Eccleſiæ a cauſa beneficiati. Unde etiam quivis juſſus aliquid dare pauperibus, poteſt id tribuere cognatis, vel filiis ſuis: quia evidens eſt diſtinctio inter donantem, & accipientem. Syl. Sanc. *l. 6. c. 11. n.* 56. V. Dian. *p. 8. t. 5. R.* 46. Porro ad pias cauſas legata dicuntur, quæ intuitu pietatis relicta ſunt, nimirum 1. Loco, vel perſonæ ſacræ. 2. Hoſpitali. 3. Confraternitatibus. 4. Pupillis, & Orphanis. 5. Quod cauſa alimentorum iis, qui indigent. 6. Quod cauſa ſtudii, ſaltem theologici. 7. Ad conſtructionem monumenti. 8. Ad utilitatem publicam, verbi gr. pro munienda urbe in neceſſitate, vel viis reficiendis, Dian. *p. 7. t. 6. R. 29. & 30.* ex Bald. & cet. multis.

Quæres 2. Quomodo relicta incerta executioni ſint mandanda?

Reſpond. 1. Si incertitudo ſit ex parte legatarii, jure civili corruit legatum; ver. gr. quia ſunt duo ejuſdem nominis, & amicitiæ erga teſtatorem, jure civili corruit legatum. (*b*) *in foro conſcientiæ tamen* tenetur executor inter eos dividere æqualiter, ſi in

id conſentiat. Mol. &c. Dian. *p.* 3. *t.* 5. *R.* 58. Trull. *d.* 12. 2. Legata ad cauſas pias ob incertitudinem loci, vel Eccleſiæ, non fiunt caduca, ſed plerumque pauperiori Eccleſiæ, vel Xenodochio danda erunt. 3. *Si incertitudo ſit ex parte rei legatæ, videndum*, an terminos a natura habeat, ut ver. gr. bos, & equus, vel ab arte, & induſtria, ut domus, veſtis, &c. *Si a natura habeat, danda eſt una ex mediocribus, ſi ab arte, electio ad heredem pertinet, qui rem in eo genere minimam dando ſatisfacit.* Idemque dicendum eſt de legatis in numero, pondere, & menſura conſiſtentibus. Vid. Laym. *l. c. n.* 7. 8. & 9.

ANIMAD. XV.

ANIMAD. XVI. Reſpond. 2. *Si acceperint ſummam pecuniæ diſtribuendam pauperibus, non tenentur dare pauperioribus, poſſuntque etiam dare hoſpitalibus, Eccleſiis (quæ ornamentis, vel fabrica indigent) Monaſteriis, vel iis, qui ſecundum ſuum ſtatum non poſſunt vivere,* ſive ii ſint opifices, ſive altioris conditionis, etiam Nobiles. Vaſq. Mol. & alii 8. dummodo tamen non conſtet, vel ex ſignis colligatur, aliam fuiſſe intentionem teſtatoris, quæ ſemper attendenda eſt. Dian. *p.* 2. *t.* 15. *R.* 8. Si vero deſignaverint ſemel certos pauperes, (*c*) *non poſſe eos variare*, docet Wading, *ſed affirmat* Lugo. V. Dian. *p.* 8. *t.* 5. *R.* 50. & *p.* 2. *t.* 16. *R.* 19. *Poſſunt etiam ſibi ipſis, vel ſuis cognatis, ſi vere pauperes ſint, præſertim ſi teſtator id ignoraverit, eam applicare.* Wading. Dicaſtill. Dian. *p.* 8. *t.* 5. *R.* 46 & 47.

Quæres 3. An legata ad certas pias cauſas poſſint ab executore, vel Epiſcopo commutari in alium pium uſum?

Reſp. 1. Si voluntas teſtatoris impleri poteſt juſte, & honeſte, *non licet eam commutare* in opus quantumcumque melius, *niſi ex diſpenſatione* Pontificis, (*d*) & juſta de cauſa, Mol. Wad. Dian. *p.* 1. *t.* 17. *R.* 28. & *p.* 8. *t.* 5. *R.* 63. &c. communiter contra Vaſq. & aliquos, qui docent, Epiſcopum poſſe commutare in æquale, vel melius. Interdum tamen ad Epiſcopum, heredes, & executores pertinet, ſecundum epikeiam interpretari, non alienum eſſe a defuncti voluntate, ſi mutatio fiat; v. gr. ſi teſtator pecuniam Eccleſiæ leget ad calices comparandos, & Eccleſia non egeat calicibus, ſed caſulis. Mol. Lay. *l. c. n.* 10. Vid. Vaſq. *opuſc. de teſt. cap.* 8. §. 5. *d.* 3. *n.* 104. Trull. *c.* 18. *d.* 12. Barboſ. *de off. & poteſt. Epiſc.*

Reſpond. 2. Si ad uſum a teſtatore deſtinatum applicari nequeant, *non ideo fiunt caduca*, ſed arbitrio Epiſcopi, & executoris ad aliam piam cauſam applicanda ſunt: (*e*) ita tamen, ut quoad fieri poteſt defuncti voluntas impleatur. Ratio eſt, quia is principaliter intendit ea in ſalutem animæ ſuæ ad Dei honorem relinquere. Molin. *diſp.* 294. Bonac. *diſp.* 3. *de cont. quæſt. ult. par. ult.* Barb. *de offic. Epiſcop.*

Ex dictis reſolvuntur ſequentes caſus.

1. Si teſtator pauperi determinato aliquid legaverit, hic autem ante ſolutionem moriatur, heres illud tenetur alteri pauperi dare; quia præſumitur legatum pium factum in beneficium animæ teſtatoris, adeoque deſignatio pauperis demonſtrative, non taxative facta fuiſſe: niſi tamen aliud conſtet, vel ex circumſtantiis colligatur de teſtatoris intentione, de qua ſi maneat dubium, manet data reſolutio. Mol. Sanch. Bard. *d.* 6. *c.* 10. §. 7.

2. Si legata pia inveniantur inducta, & non conſtet de teſtatoris intentione, *tenetur heres ea ſolvere*; (*f*) quia præſumitur id fortuito, ac caſualiter, & non ex teſtatoris voluntate accidiſſe. Bard. *d.* 6. *c.* 10. §. 17.

3. Si Teſtator legaverit ſummam pecuniæ pro certo numero ſacrorum; heres autem eam ſummam Sacerdoti cuipiam bono tradiderit, ac poſtea ob mortem dicti Sacerdotis, aliamve ob cauſam dubitet prudenter, an ſacrificia illa ſint peracta, *non tenetur curare ea iterum celebranda*: (*g*) quia ſatisfecit teſtatoris voluntati. Bard. *d.* 6. *q.* 10. §. 22.

Quæres 4. Intra quod tempus, quo ordine, & modo heredes, & executores defuncti voluntatem exequi debeant, & quis cogere poſſit?

ANIMAD. XVII. Reſp. 1. *Teneri ſtatim poſt aditam hereditatem, confectumque inventarium, etiam intra annum, niſi juſto impedimento excuſentur; imo in legatis piis intra ſex menſes*, Mol. Vaſq. Dian. *p.* 8. *t.* 5. *R.* 53. *idque, etiamſi hereditas non ſit adita*, (*h*) eo quod heres vel ante fuerit mortuus, vel eam repudiarit. Cov. & alii tres, Dia. *p.* 7. *t.* 6. *R.* 25. Unde ſi differant notabiliter (præſertim ſolutionem piorum legatorum) aut negligant exequi, graviter peccant; teneunturque damnum, quod alii ipſorum culpa acceperunt, compenſare. Bon. *d.* 3. *q.* 18. *p.* 4. Nav. *c.* 25. Lug. Dian. *p.* 8. *t.* 5. §. 52.

Reſp. 2. Ab utroque Judice, eccleſiaſtico, & ſæculari compelli poſſunt (ſi tamen laici ſunt.) *Quod ſi poſt annum a monitione judicis, vel Epiſcopi exequi negligant*, (*i*) omni commodo (excepta tota legitima, ſi heredes neceſſarii ſunt) ex teſtamento ipſis proveniente privantur. Vid. Laym. *l. c. t.* 5. *c.* 11. C. de Lug. *d.* 26. *de juſt.* Dian. *p.* 3. *t.* 3. *R.* 59. Valerum, Trull. *d.* 11. imo, ſi intra annum negligant exequi, jus executionis devolvitur ad Epiſcopum. Molin. & alii octo. Dian. *p.* 8. *t.* 5. *R.* 40. Nec admittitur purgatio moræ. Sanch. Dian. *l. c. R.* 33. & 54. Sed tenetur Epiſcopus exequi, removendo illos ab executione, & emolumentis ſpoliando; atque in defectum Epiſcopi, idem poteſt Metropolitanus. Mol. Merol. Dian. *R.* 57.

Reſp. 3. Executor tenetur omnia exequi ſecundum mentem teſtatoris: ad hoc tamen executor particularis non poteſt vendere bona defuncti, niſi hic ita ſtatuerit: univerſalis autem poteſt. Lug. *d.* 24. *ſ.* 17. Dia. *p.* 8. *t.* 5. *R.* 32. Neque poteſt unquam, invito herede, rem legatam dare legatario: quia non poteſt, niſi per Judicem, ſpoliare heredem ſua poſſeſſione, licet teneatur monere Epiſcopum, ut heredem cogat. Sanch. Lug. Dian. *p.* 8. *t.* 5. *R.* 39. Quod ſi bona non ſufficiant ad legata omnia ſolvenda diſtribuenda ſunt omnibus æqualiter pro rata (etiamſi ſint pia, & licet una res certa, & in individuo ſit legata) nec licet uni præ aliis gratificari; quia par omnium eſt ratio, & jus. Sylv. Sanch. Bon. Dian. Trull. *l.* 7. *c.* 18. *d.* 12.

Reſpond. 4. *Tenentur Executores reddere rationem executionis (ideoque probabiliter*, etiamſi teſtator eos hoc onere liberaſſet) exceptis iis, quæ teſtator juſſit erogari ſecreto. Dian. *p.* 8. *t.* 5. *R.* 34. & alii 35. Poſſuntque ad hoc cogi ab Epiſcopo, vel Capitulo, Sede vacante, *R.* 36. & 37. & 62. *niſi ſint Regulares plene exempti, quos cogi poſſe alii negant, affirmant alii*, ut vide *l. c.* Denique non debetur iis ſalarium, cum ſit officium voluntarium amicitiæ: ſi tamen damnum ex eo patiantur, vel ſint etiam adminiſtratores bonorum, debet aſſignari a Judice, Lugo *d.* 24. *ſeſſ.* 16. *n.* 335. Vid. Dian. *R.* 39. Plura de executione piarum, & ultimarum voluntatum v. apud Trull. & Dian. *ll. cc.* & Barb. *lib.* 3. *de jure univ. c.* 27. ANIMAD. XVIII.

DUBIUM V.

De iis, qui teſtari, & heredes inſtitui poſſunt.

Reſp. 1. Omnes homines liberam de ſuis bonis teſtandi facultatem habent, niſi naturali, aut poſitivo jure prohibeantur. *Naturali autem jure teſtari vetantur infames, furioſi, amentes, niſi tamen lucida intervalla habeant, vel in una tantum materia delirent, & in aliis non*, ut Nav. Sanc. *lib. de matr. d.* 8. Quid autem ſentiendum de eo, qui ex morbo aliquandiu delirat, v. Card. Lugo *d.* 14. *ſ.* 4. *Poſitivo autem, ſurdus ſimul, & mutus a natura*, prodigus, ſervus, uſurarius publicus, filiusfamilias de bonis adventitiis (ſi quidem ante eletieatum advenerint, ut v. C. de Lugo *de juſt. d.* 24. *n.* 67.) impubes, captivus apud hoſtem, damnatus ad mortem, ſi bona ejus confiſcentur. C. Lugo *l. c. n.* 72. profeſſus religionem. ANIMAD. XIX.

ANIMAD. XX. *Dico*, profeſſus, *quia novitius, cum adhuc ſui juris ſit, abſque ſuperioris licentia valide teſtari poteſt, etiam non ſervata juris ſolemnitate*, ut habet Trull. *c.* 18. *d.* 5. ex Sa, & Bon. &, ſi quidem inteſtatus decedat, proximi conſanguinei in bonis ſuccedunt. Similiter Religioſus Societatis, poſt emiſſa vota ſimplicia, atſi non licite, valide tamen poteſt te-

ſta-

Digitized by Google

ſtari; quia dominium bonorum ſuorum retinet impeditum quaſi voto paupertatis, quoad diſpoſitionem ſine licentia ſuperioris; non tamen ulla conſtitutiona canonica diſpoſitio irritatur. Ita Molin. Sanch. Laym., qui addit, poteſtatem teſtandi, ſeu jure, ſeu conſuetudine, etiam Religioſis ordinum militarium conceſſam, frequenterque a Pontifice concedi iis ſolere, qui extra clauſtrum Beneficium, vel Epiſcopatum habent.

Reſp. 2. Omnes homines etiam amentes, ſurdi, muti, ſervi, imo & communitas, heredes institui poſſunt, niſi ſpecialiter prohibeatur. Ita Bon. *de con. d. 4. quæſt. ult.* Quia ad hoc tantum requiritur plena poteſtas in diſponente, & capacitas in herede. Incapaces autem ſecundum jura ſunt 1. *Apoſtatæ, & Hæretici*, (*K*) eorumque receptores, defenſores, fautores: licet probabile ſit, eos ante ſententiam judicis ad reſtitutionem non teneri, eo quod hoc jus in eo rigore non ſit receptum. Leſſ. *lib.* 2. *c.* 19. *dub.* 5. Sanch. *l.* 2. *c.* 14. n. 31. 2. Civitas hoſtium, & communitas Judæorum. 3. Damnatos ad metalla: *perſecutores, & percuſſores Cardinalium*, (*l*) & qui ob crimen active inteſtabiles ſunt. Leſſ. *l. c.* Adde caſus, in quibus aliqui excluduntur a bonis defuncti; ut 1. Heres (uti & legatarius) qui teſtatorem occidit, *leg. ult. §. ult. ff. de bonis damnatorum*. 2. Idem ſi teſtatori prohibuit teſtari, aut teſtamentum revocare, aut ſi ad uxorem teſtatoris accedat. 3. Si dum teſtator mente captus fuit, heres illius curam non habuit, aut ſi captivum redimere neglexit. V. Mol. *d.* 168. & 202. C. de Lugo *d.* 24. n. 75.

Unde reſolves.

1. Heredes institui poſſunt profeſſi Ordinum, quibus permiſſum eſt bona immobilia in communi poſſidere, eorumque nomine monaſterium ſuccedit. Tales autem ſunt omnes fere Religiones, *excepto Ordine Minorum de Obſervantia, & Capuccinorum*. (*m*) Ratio eſt, quia illi ſunt incapaces, ſecundum Trident. *ſeſſ.* 25. *c.* 3. *uti & Profeſſi Soc.* JESU. Vide
ANIMAD. XXI. Sanch. *l.* 6. *c.* 18. Bon. *l. c.* Laym. *l.* 3. *t.* 5. *c.* 15. *licet contrarium probabilius eſſe putet Wading. tr. de cont. l.* 4. *dub.* 1. *ſ.* 4. Vide Dian. *p.* 9. *t.* 9. *R.* 16.

2. Collegia Soc. JESU, & domos etiam profeſſæ hereditates accipere poſſunt, modo bona immobilia, quæ communi uſui, & habitationi non deſerviant, vendantur, & non deferantur intuitu profeſſi, aut vota formata habentis.

Dixi, *hereditates*, quia, ſicut Minores, & Capuccini legare, & alia donata admittere poſſunt; ita etiam Soc. JESU, etſi intuitu alicujus profeſſi tantum ea deferantur. Vide Laym. *l. c.*

ANIMAD. XXII. 3. *Teſtator poteſt quemvis extraneum inſtituere heredem, nulla facta mentione conſanguineorum collateralium, etiam fratris pauperis*, dummodo abſit ſcandalum, & gravis neceſſitas illorum: quia nullo jure prohibetur, & bona ſunt ipſius, de quibus diſponit libere. Bon. & alii 5. Dian. *p.* 1. *t.* 8. *R.* 83. & 85. Item p. 5. *t.* 3. *R.* 114.

Quæres 1. Quæ ſit diviſio heredum?

Reſp. Heres alius eſt ex teſtamento, alius ab inteſtato. Heres ex teſtamento, vel eſt univerſalis, ſive ex aſſe; vel partialis, ſeu ex parte tantum, v. gr. ex triente, vel dodrante, vel quadrante. Uterque horum vel eſt heres neceſſarius, qui neceſſario inſtitui debet, ut ſunt omnes in recta linea deſcendentes, & poſt hos aſcendentes, niſi ſit cauſa juſta exheredandi; vel non neceſſarius, quem teſtator poteſt inſtituere, & non tamen cogitur. Laym. *c.* 5. n. 9.

Quæres 2. Quantum heredibus neceſſariis debeatur?

Reſpond. Jure novo legitimam portionem deſcendentium eſſe trientem hereditatis, ſi non ſint plures, quam quatuor liberi; ſi plures, ſemiſſem. Similiter aſcendentium portio, etſi unus tantum ſit, eſt triens hereditatis, idque abſque ullo gravamine, modo, & conditione; alioqui pro non appoſitis habentur. *Quod ſi autem alicui aſcendentium,*
ANIMAD. XXIII. *vel deſcendentium portio legitima non relinquatur, competit ei actio ad petendum complementum, vel ad reſcindendum teſtamentum, ut ipſo jure nullum; maxime ſi cauſa idonea exheredationis non ſit inſerta, & probata.* Laym. *c.* 8. n. 10.

His adde 1. Rumpi teſtamentum ob poſthumi præteritionem 2. Peccare parentes, ſi abſque juſta cauſa ex inordinato affectu erga liberos, ſucceſſionis inæqualitatem inter eos inſtituant. Juſtæ autem cauſæ hujus inæqualitatis erunt merita, & obſequium majora; ſi puſilli magno ſumptu in ſtudiis ali debeant; ſi qui plus egere videantur: Dian. *p.* 1. *t.* 8. *R.* 83. ſi quis in ſtudiis ſuſtentatus ſit Doctor, poſſitque lucrari, & alii ſecus: *imo pater id, quod habet ſupra partes legitimas filiis debitas, poteſt de rigore relinquere extraneo.* Trull. *c.* 18. *d.* 19. Bonac.
ANIMAD. XXIV.
Dian. *p.* 1. *t.* 8. *R.* 83. Liberos naturales, niſi legitimati ſint, reſpectu patris non eſſe heredes neceſſarios, reſpectu tamen matris eſſe; idque æquali jure cum legitimis. Quod ſi tamen pater liberis caret, naturales poteſt inſtituere heredes, modo parentes ſuperſtites legitima portione non priventur. 4. Fratrem, & ſororem tunc tantum poſſe infirmare teſtamentum, ſi perſona infamis inſtituta ſit. Laym. *l. c. num* 12. 13. Vid. Bonac. *d.* 3. *de cont. q. ult. p.* 3. 5. Patrem non poſſe expenſas factas pro filio in ſtudiis literarum repetere: ſi quidem eas liberaliter fecit, vel donavit; ſecus ſi habuit animum repetendi, & computandi in legitimam. Quod ſi pater non repetiit, quando potuit, non tenetur filius eo mortuo in diviſione conferre in commune, quia præſumi poteſt liberaliter factas, vel condonatas, niſi aliunde conſtet contrarium. Azor. Villalob. Trull. *t.* 1. *l.* 4. *cap.* 1. *d.* 3. V. ſupra, *c.* 3. *d.* 2 *de donatione*.

Quæres 3. Qui heredes ſuccedant ab inteſtato, aut teſtamento rupto, vel irrito?

Reſp. 1. Ante omnes alios patri ſuccedere legitimos liberos, & in demortuorum locum nepotes. 2. Deficientibus deſcendentibus, patrem, & matrem defuncti, & in eorum locum avos, & avias. 3. *His quoque deficientibus, fratres, & ſorores ex utra-* ANIMAD. XXV.
que parte conjunctos; idque æquis portionibus, excluſis iis, qui ex ſolo patre, vel matre conjuncti ſunt. 4. Si ex fratribus, vel ſororibus utrinque conjunctis unus mortuus liberos reliquerit, ſuccedunt hi loco parentis ſui cum patruis, non in capita, ſed in ſtirpes. Si tamen fratres, & ſorores utrinque conjuncti omnes mortui ſunt, tunc eorum liberi, excluſis patruis ex una tantum parte conjunctis, non in ſtirpes, ſed capita, adeoque æquis portionibus ſuccedunt; quia duorum fratrum filii, non ſuorum parentum loco, ſed jure propriæ conjunctionis ſuccedunt. Cum ergo æqualiter juncti ſint, æquales etiam in portione hereditatis eſſe debent. 5. Deficientibus fratribus, & ſororibus utrinque conjunctis, eorumque liberis, ſuccedunt fratres, & ſorores, ex una tantum parte conjuncti: hoc tamen diſcrimine, ut, qui ex parte patris ſunt juncti, ſuccedant in bona e patre provenientia, in reliquis æqualiter omnes. 6. Si fratres, & ſorores, eorumque filii deficiant, ſuccedunt propinquiores collaterales, uſque ad decimum gradum: & fit talis ſucceſſio in capita, nulla habita ratione, an ex altera parte, an ex utraque ſint conjuncti. 7. In horum defectu, ſuccedit uxor, & denique in illius morte, fiſcus ſæcularis in bonis omnibus laici ab inteſtato defuncti: fiſcus autem eccleſiaſticus in bonis Clerici. Laym. *c.* 6. n. 1. 2. 3. & 4.

His adde 1. Si uxor, ſuſceptis ex priori marito liberis, ad ſecundas nuptias tranſit, quicquid a priore marito, donatione, aut teſtamento acquiſivit, ejuſdem matrimonii liberis cedere. Similiter, ſi maritus alteram uxorem ducat.

Adde 2. Heredem adeundo hereditatem, non commoda tantum, & jura, ſed etiam debita, & onera realia defuncti in ſe transferre. Interim tamen duplici beneficio gaudere. 1. Ut ſupra vires hereditatis non obligetur. 2. Quod deductis expenſis funeris, & ſolutis debitis, quartam partem hereditatis obtinere debeat heres, vel heredes; & ſi eam non habent, legatis, non tamen piis, ut notat Trull. *l.* 7. *c.* 18. *d.* 12. ex *Authent.* Similiter C. *ad legem Falc.* detrahere poſſunt, beneficio legis Falc. Laym. *l.* 3. *t.* 5. *c.* 6. n. 7. Sanch. *l.* 4. *c.* 15. Ut autem hoc beneficio frui poſſit heres, conficere tenetur

Digitized by Google

tur inventarium, tametſi hanc obligationem teſtator poſſit remittere, reſpectu legatariorum, & fideicommiſſariorum, quibus ex mera liberalitate aliquid relinquit, non tamen reſpectu creditorum, quibus præjudicare non poteſt. Univerſim enim ab onere inventarii, & a rationibus reddendis eos, quibus poteſt relinquere bona, ſine onere dandi partem aliis, poteſt liberare, iiſque concedere, ut eorum dictis, vel juramenta ſtetur. Mol. Card. de Lugo *d. 34. ſ. 8. n. 236.*

Notæ.

(a) *Qualis eſt mater, ſi velit, & promittat* &c. Ab hoc tamen officio repellitur, ſi luxurioſam vitam agit, ut habet Lay. lib. 3. de juſt. tract. 4. cap. 9. n. 3. citans gloſſ., Abb., Sylv., Mol., Nav., & colligit ait ex l. ult. c. *eodem*; quod ſane rationi maxime conſentaneum eſt, ne pupilli bona diſſipet, eumque pravis ſuis exemplis depravet.

Buſ. *Deus avia*, intellige paterna ex eodem Laym. loco citato.

(b) Si *certitudo ſit ex parte legatarii* &c. *v. g.* &c. *In foro conſcientiæ tamen* &c. Illud *in foro conſcientiæ* &c. juri naturæ mihi maxime conſentaneum videtur, cui ſi jus poſitivum diſſentaneum ſit, lex penes me non eſt. *Erit autem lex*, ait D. Iſidorus, (habetur cap. 2. diſt. 4.) *honeſta, juſta . . . ſecundum naturam* &c.

(c) *Si vero deſignaverint ſemel certos pauperes, non poſſe eos variare*, docet &c. *Sed affirmat* &c. Et rectiſſime, ut ego quidem ſentio, Luzo affirmat. Nec enim deſignatio lex eſt, nec ullum jus deſignatis pauperibus tribuit. Executores non ſolum poſſunt, ſed debent variare, ſi alios pauperes deſignatis præferendos poſt deſexerint juxta animad. hic 16.

(d) Reſp. 1. *Si voluntas teſtatoris impleri poteſt juſte* &c., *non licet* &c., *niſi ex diſpenſatione* &c.

Hæc ſententia, quæ ex Buſembau eſt communis, licet Vaſq., & alii eo teſte repugnent, rectiſſima, & certa eſt, definita a Clem. V. in Concilio Vienn., (habetur cap. 2. t. 11. lib. 3. Clem.) ubi ait. *Cum tamen ea, quæ ad certum uſum largitione ſunt deſtinata fidelium, ad illum debeant, non ad alium (ſalva quidem Sedis Apoſtolicæ auctoritate) converti*. Definitio perſpicua eſt, & juri naturæ maxime conſentanea.

Buſ. *Interdum tamen ad Epiſcopum* &c. *pertinet, ſecundum Epikejam interpretari* &c. *v. g. ſi teſtator* &c.

Hic Buſ. ſibi contradicit. Supra enim recte dixit, voluntatem teſtatoris, quæ juſte, & honeſte impleri poſſit, non eſſe commutandam in opus quantumcumque melius, niſi &c. nunc vero ex interpretatione Epiſcopi &c. eam in melius mutari poſſe affirmat. *Interpretatio*, inquit D. Th. 2. 2. q. 120. a. 1. ad 3., *locum habet in dubiis . . . . ſed in manifeſtis non eſt opus interpretatione, ſed executione*. Voluntas autem teſtatoris manifeſta ponitur. Recole verba Clem. V. *ea, quæ ad certum uſum* &c. *ad illum , . . . non ad alium...*

Si pecunia legata eſt ad calices, &; quia Eccleſia iis non eget, in caſulas impendatur, nonne aperte ad alium uſum convertitur, ac fuit teſtatoris voluntas? At, ſi nunc viveret, id ipſi placeret. Reſp. Hoc eſt teipſa interpretari, & mutare ejus voluntatem. Faciendum eſt, quod teſtator voluit, non quod nunc, ſi viveret, velle putetur. Hoc facere idem omnino eſt, ac ad alium uſum largitiones fidelium convertere, ac fuerunt deſtinatæ contra decretum Clem. V. Hujuſcemodi interpretationes nonnulli, ut Buſ. hic, & Anacl. t. 3. juris can. p. 448. n. 805. monent, concedunt, quia pietatis ſpeciem habent, & rationabiles prima fronte videntur. At ſi res attentius conſideretur, a vera pietate, quæ teſtatorum velut ſacram legem jure naturæ, & gentium conſecratam habet, alienæ ſunt.

Epikeja, ſeu æquitas a legis verbis recedit, ubi *malum eſt ſequi legem poſitam; bonum autem eſt, prætermiſſis verbis legis, ſequi id, quod poſcit juſtitiæ ratio, & communis utilitas*; ut habet D. Th. 2. 2. q. 120. a. 1. at facere, quod Teſtator præſcripſit in noſtra ſpecie, non eſt malum, ſed bonum. Ergo epikeja locum non habet.

Itaque cum B. Greg. citando a. 5. concludamus: *ultima voluntas defuncti modis omnibus conſervari debet*; neque ad interpretationem, aut epikejam, quæ hic locum non habent, pietatis ſpecie confugientes, contra ultimam defuncti voluntatem cum animæ periculo ire contendamus.

(e) *Non ideo ſunt caduca, ſed arbitrio Epiſcopi* &c. *ita tamen* &c.

Omnia recte. Ita quoque habet Laym. lib. 3. de juſt. tract. 5. cap. 22. q. 4. n. 10. citans Covarr., & Abb.; quæ ſententia teſte Anacl. t. 3. juris can. p. 449. n. 809. communis eſt, eamque probat etiam Concina Th. t. 7. p. 682. n. 19. Ea porro confirmatur a Greg. IX. cap. 3. t. 26. lib. 3. decr., ubi ait: *Quod ſi* (Monaſterium a teſtatore præceptum) *intra prædictum tempus, ſive in loco, quo conſtitutum fuerat, ſeu, ſi ibi non poteſt, & alibi placet ordinari, tecum implere* (hæres) *neglexerit, tunc per te*, &c. ait, *ſi ibi non poteſt, & alibi placet ordinari*.

Syn. vero Trid. ſeſſ. 25. cap. 8. de ref. ita definit. *Quod ſi hoſpitalia hæc ad certum peregrinorum, aut infirmorum, aut aliarum perſonarum genus ſuſcipiendum fuerint inſtituta; nec in loco, ubi ſunt dicta hoſpitalia, ſimiles perſonæ, aut perpaucæ reperiantur; mandat adhuc, ut fructus illorum in alium pium uſum, qui eorum inſtitutioni proximior ſit, ac pro loco, & tempore utilior, convertantur, prout Ordinario cum duobus de Capitulo, qui rerum uſu peritiores ſint, per ipſum deligendis magis expedire viſum fuerit*; hactenus quoad præſentem a. Buſ. reſp.

At Sacra Syn. pergit, *niſi aliter forte etiam in hunc eventum in eorum fundatione, aut inſtitutione fuerit expreſſum; quo caſu quod ordinatum fuit, obſervari curet Epiſcopus; aut, ſi id non poſſit, ipſe, prout ſupra, utiliter provideat*. Sacra Syn. ait, *quod ordinatum fuit*, non quod per Epikejam ex præſumpta teſtatoris voluntate melius putetur; quæ voluntas juxta ſacram Synodum mutanda non eſt, niſi cum impleri nequit, *aut, ſi id non poſſit* &c.

(f) *Si legata pia* &c., *tenetur heres* &c.

In hac ſpecie omnes circumſtantiæ perpendendæ mihi videntur, ne teſtatoria voluntas defraudetur, ac ſimul ne heres indebito onere gravetur.

Nam ſi adhibita accurata diligentia res hinc inde dubia ſit, heres mihi cogendus non videretur, ut legatum, ſeu legata pia integre ſolveret, ſed ex dimidio, aut pro ratione dubii.

(g) *Si teſtator* &c. *heres autem eam ſummam Sacerdoti* &c., *non tenetur* &c.

Hic quoque primo quærerem, utrum pecuniæ ſumma fuerit notabilis; & ſi ita eſt, cur totam uni, licet bonus putetur, Sacerdoti tradiderit, non pluribus, ut piæ legantis menti quam primum fieri poterat, ſatisfieret?

Secundo, cur eleemoſynam, quæ nonniſi poſt ſacra peracta debetur, anticipaverit?

3. Cur a Sacerdote miſſarum atteſtationem non petierit? Nec enim omnia ex bona fide, quæ ſæpe experientia teſte fallit, metienda ſunt. Sacerdotes pii in hac ſpecie, in qua heres rationem in foro quoque externo reddere tenetur, ſponte offerunt atteſtationem; aut etiam anticipatam eleemoſynam recuſant.

4. Cur poſt Sacerdotis obitum diligentiam non adhibuerit, ut Miſſarum atteſtatio ſaltem ex commentariolis, quæ probi Sacerdotes pro miſſis ex officio, ſeu commiſſione celebrandis conficere ſolent, emicaret?

Multa ſcilicet hic diſcutienda ſunt, priuſquam ſuper hac re judicium feratur. Buſ. ex ſua verſatili probabilitate ad indulgendum prona nimis facile, & fidenter pronuntiare mihi videtur.

(h) *Idque etiamſi hereditas non ſit adita* &c.

In hac ſpecie executor ſibi merito conſulet; neque enim legata, quæcumque ſint, implenda ſunt, niſi prius conſtet, hæreditatem eſſe ſolvendo.

(i) *Quod ſi poſt annum* &c. Hanc pœnam Laym. lib. 3. de juſt. tract. 5. cap. 11. n. 13. ex jure communi deſumit; quam Conc. Moguntinum (cap. 6. tit. 26. lib. 3. decr.) comminatur, & ab Epiſcopo infligendam decernit. *Si hæredes*, inquit, *juſſa teſtatorum non adimpleverint, ab Epiſcopo loci illius omnis res, quæ eis relicta eſt, canonice interdicatur cum fructibus, & cæteris emolumentis*.

Buſ. *Immo ſi intra annum* &c. *jus executionis* &c. Id explicate habetur cap. 3. t. cit. ubi Greg. IX. ait. *Quod ſi intra prædictum tempus* (hoc eſt intra annum)... *tecum implere neglexerit, tunc per te ædificetur* &c.

(k) *Incapaces ſunt 1. apoſtatæ & hæretici* &c.

Excipiuntur tamen, ait Anacl. t. 3. juris can. p. 405. n. 402., „ Lutherani, & Calviniſtæ, utpote qui ſaltem „ in Imperio Rom. hæredes eſſe poſſunt vi pacis Mo„ naſterienſis. “

(l) *Perſecutores, & percuſſores Cardinalium*, addit Concina Th. t. 7. p. 651. cap. 3. n. 1. poſt Judicis ſententiam. Hæc pœna præter alias infligitur a Boniſ. VIII. cap. 5. t. 9. lib. 5. in 6., cui obnoxios facit eorum ſocios, mandantes, factum ratum habentes, conſilium, aut favorem dantes, & poſtea ſcienter receptantes, vel defenſantes.

(m) *Hæredes* &c. *excepto ordine Minorum de obſervantia, & Capuccinorum*; adde & Reformatorum, ut habet Anacl. n. 403. loci mox cit.

Ari-

Digitized by Google

Animadverſio I.

Qui tamen dona ab iis accepit, non tenetur reſtituere, niſi repetantur legitime.

Hoc ex dictis c. 3. h. t. d. 1. ca. 3. rejiciendum eſt, quia ex ibi dictis eorum donationes in foro conſcientiæ nullæ ſunt.

Animadverſio II.

Buſ. docet, in teſtamento tum ſcripto, ſeu clauſo, tum noncupativo ſeptem teſtes requiri; quod ſane ex jure civili verum eſt; *At jus civile*, inquit D. Thom. 2. 2. q. 32. ar. 7. ad 2. *non obligat omnes, ſed eos ſolos, qui ſunt his legibus ſubjecti*. Hinc Alex. III. c. *Cum eſſet* tit. 26. de teſtam. lib. 3. Dec. improbat conſuetudinem in Hoſtienſi Epiſcopatu tunc temporis vigentem, qua teſtamenta, ſeptem, aut quinque teſtium ſubſcriptione non munita reſcindebantur. *Et teſtamenta*, inquit, *quæ parochiani coram Presbytero ſuo, & tribus, vel duabus aliis perſonis idoneis in extrema fecerint voluntate, firma decernimus permanere.* Hoc vero Pontificium decretum intelligendum eſt de terris temporali Summi Pontificis ditioni ſubjectis; quia illa verba *& teſtamenta* &c. cum antecedentibus connectuntur, quæ ad Hoſtienſis Epiſcopatus conſuetudinem referuntur; atque hoc modo Doct. ea communiter intelligunt, ut habet Laym. l. 3. de juſt. t. 5. c. 2. n. 17. & ipſe Genettus Theol. t. 1. p. 391. q. 6. Itaque in aliis regionibus, Principum leges, & locorum conſuetudines obſervandæ ſunt.

Animadverſio III.

Si teſtamentum factum ſit ad cauſas pias, ſufficere &c. ſcilicet duos teſtes.

Teſtamentum jure naturæ, & gentium validum eſt, quocumque externo ſigno teſtatoris voluntas fuerit declarata, ut recte advertit Laym. l. 3. de juſt. t. 5. c. 2. n. 3. p. 377. Porro in teſtamento ad pias cauſas, juris civilis, aut conſuetudinis ſolemnitas non requiritur; quæ teſte eodem Laym. n. 2. eſt omnium ſententia; & ratio eſt, quia jura ſæcularia cauſis piis præjudicium afferre non poſſunt: ergo teſtamentum ad pias cauſas, ad ſui valorem nec duos teſtes, nec aliam quamcumque ſolemnitatem requirit.

Hinc fit, ut ſucceſſor voluntatem teſtatoris ad pias cauſas ſibi notam in conſcientia exequi debeat, etiamſi nulla ſuppetat ratio eam probandi. Et hæc voluntas in foro quoque externo valida pronuntianda eſt, etiamſi teſtes deſint, dummodo ſucceſſor ab inteſtato eam fateatur, ſicuti fateri eam debet, ut ex mox dicendis liquebit ad Reſp. 4.

Quod ſi manus teſtatoris non extet, requiruntur duo teſtes &c.

Nam ſi manus teſtatoris extet, etiamſi nulli teſtes adhibiti fuerint, teſtamentum ad pias cauſas etiam in foro externo valere debet, dummodo ſufficienter conſtet, eam fuiſſe teſtatoris ſcripturam. Ratio eſt, quia teſtes ad ſubſtantiam ſeu vim teſtamenti ad pias cauſas ne in foro quidem externo neceſſarii ſunt, ſicuti aliæ ſolemnitates ex neceſſitate non requiruntur. Ergo cum conſtat, teſtamentum ad pias cauſas revera fuiſſe factum, uti ſufficienter conſtat, cum conſtat, illud teſtatoris manu fuiſſe exaratum, validum eſſe debet etiam in foro externo; quod recte affirmat Laym. aliis pro ſe citatis c. 2. cit. coroll. 2.

Ubi etiam probat, in tali teſtamento ad pias cauſas non eſſe neceſſariam heredis inſtitutionem.

Recte quidem. Sed huic ſententiæ obſtare videtur Anacletus, qui t. 3. juris can. p. 356. n. 3. ait, heredis inſtitutionem eſſe de eſſentia cujuſvis teſtamenti, ita ut nullum teſtamentum licet privilegiatum ſine ea valeat; additque, hanc eſſe communem, & certam ſententiam. Verum cum id non oſtendat, niſi juris civilis auctoritate, quæ cauſis piis præjudicium afferre nequit, & teſtamentum etiam ſine heredis inſtitutione jure naturæ validum ſit, teſtamentum ad pias cauſas etiam ſine heredis inſtitutione valere, dicendum eſt. Quare Anacletus vel intelligendus eſt de aliis teſtamentis privilegiatis, vel, ſi complectatur etiam teſtamenta ad pias cauſas, rejiciendus eſt.

An autem tale teſtamentum .... valeat quoad legata profana, controvertitur. Negant &c. affirmant Covar. Sa &c.

Pro affirmante ſententia plures a Buſembaum citantur: affirmat quoque Laym. c. 2. cit. n. 20. citatis pro ſe Mol. & Tiraq. Ejus ratio eſt, quia ſubſiſtente principali ſubſiſtere quoque debet acceſſorium: ergo, cum legata profana in teſtamento ad pias cauſas principaliter facto ſint quid acceſſorium, teſtamentum etiam quoad iſta valere debet.

Præterea æquitas non patitur, ut teſtamentum, cujus vi pia cauſa lucratur, in ejuſdem piæ cauſæ favorem oppugnetur: oppugnaretur autem in ejuſdem piæ cauſæ favorem, ſi legata profana irrita eſſent: quia hæc cauſæ piæ veluti heredi accreſcerent: ergo teſtamentum ad cauſas pias principaliter factum ſine ſolemnitatibus, valet quoque quoad profana legata. Hæc ſententia mihi ſane æqua, & rationabilis videtur.

Denique teſtamentum ad pias cauſas non ſolemne revocat &c. etſi &c. idque etiamſi prius etiam fuerit ad cauſas pias. Mol. &c. licet hoc poſterius quidam negent.

At merito quæritur, qua ratione id negent. Nam teſtamentum ad pias cauſas non ſolemne, ut mox dictum, & oſtenſum eſt, validum eſt: teſtamentum autem validum revocat quodcumque aliud anterius teſtamentum, cui contrarium ſit. Nam ex Ap. ad Heb. 9. *Teſtamentum in mortuis confirmatum eſt: alioquin nondum valet, dum vivit, qui teſtatus eſt*: ergo teſtamentum ad pias cauſas non ſolemne revocat, & in irritum mittit quodcumque aliud ſolemne etiam ad pias cauſas.

Animadverſio IV.

Si teſtamentum factum eſt ad cauſas non pias, hominibus ruſticanis quinque teſtes ſufficiunt, ſi &c. nec ſubſcriptione opus erit &c.

In terris Pontificiæ temporalis ditionis teſtamentum non ſolum ruſticorum, ſed quorumcumque coram Parocho, & tribus, aut duobus teſtibus idoneis factum, etiamſi plures haberi poſſint, ex Alex. III. mox appellato validum eſt. In aliis regionibus non tam jus civile commune, quam peculiares Principum leges, aut probatæ conſuetudines attendendæ ſunt, ut ipſe Buſ. fatetur Reſp. 3.

Animadverſio V.

Etſi probabilis, & ſecura ſententia ſit &c. teſtamentum &c. invalidum eſſe in foro conſcientiæ &c. contrarium tamen verius eſt &c.

Quomodo in conſcientia tutus eſſe poteſt, qui retinet id, quod verius eſt, eſſe alienum? An enim is, cui teſtamentum favet, tum is, cui contrarium eſt, in conſcientia tuti ſunt, dum retinent rem vel ex teſtamento, vel contra teſtamentum?

Verſatilis probabilitas in omni quidem re, ſed in hac præſertim, ubi de juſtitia agitur, propter prop. 26. ab Alex. VII. & 2. ab Innoc. XI. proſcriptas repudianda eſt, uti ab ipſo Anacleto t. 3. jur. can. p. 360. repudiatur, ipſoque recte ab aliis omnibus.

Quare in propoſita maxime controverſa quæſtione dico primo, heredem ab inteſtato ſuccedentem, qui defuncti voluntatem compertam habet, quia e. g. eam ſuis auribus audivit, teneri in conſcientia ſolvere legata, & fideicommiſſa, etiamſi teſtamentum, aut condicillus debita ſolemnitate careat, ut ait quoque Buſemb. ca. 2. Unica enim ratio, cur tale teſtamentum, aut codicillus, non valeret, ea eſſet, quia in foro externo eſſent irrita: atqui etiam in foro externo ſunt valida, ſi heres defuncti voluntatem teſtetur, ut ex unanimi D. D. ſenſu expreſſis juris civilis teſtibus uixo oſtendit Anacletus t. 3. juris can. p. 365. n. 77. & fatetur Buſemb. ca. 4., ergo cum eodem Anacleto p. 369. n. 98. concludendum, hujuſmodi teſtamentum, & condicillum in foro conſcientiæ obligare.

At quid ſi heres defuncti voluntatem ſibi compertam non fateatur? Reſp. nihilominus legata, & fideicommiſſa in conſcientia ſolvere debet, ut evincit idem Anacl. n. 99. & 100. An heres ex ſua iniquitate commodum referre debet? Iniquum porro eſt, ut ipſe veritatem ſibi compertam in aliorum damnum reticeat, aut inficietur: ergo hinc nullum commodum referre debet; ideoque legata, & fideicommiſſa ſolvere nihilominus in conſcientia debet.

Secundo tale teſtamentum minus ſolemne, certum & compertum, valet quoque quoad hereditatem, ſeu heredis inſtitutionem, ut tum auctoritate, tum validis rationibus confirmat idem Anacletus p. 366. n. 83

Cum enim quilibet jure naturæ, & gentium teſtari poſſit, mens Principium certas ſolemnitates in teſtamentis poſtulantium alia eſſe nec debet, nec poteſt, niſi ut doli, & fraudes vitentur: ergo ubi fraudis, & doli nulla ſuſpicio eſt, quia veritas liquido comperta eſt, Principum mens eſt, ut teſtamentum minus ſolemne valeat.

Hinc B. Greg. c. *Ultima* q. 2. tal. 13. ait: *Ultima voluntas defuncti modis omnibus conſervari debet*. & D. Antoninus apud Gen. Theol. t. 1. p. 392. q. 7. inquit: *Nota, quod, cum quis ſanus, vel infirmus, qui eſt ſanæ mentis, ultimo diſponit de bonis ſuis, de quibus poteſt diſponere, per ſimplicem ſcripturam, vel per verba ſolum, non violentatus, vel circumventus, ſed libere ſine notario,*

&

& teſtibus debitis, ſtandum eſt ejus tali diſpoſitioni in foro conſcientiæ, & heredes, quibus hoc conſtat certitudinaliter, tenentur ad obſervandum illud, etiamſi prius per ſolemne teſtamentum aliter diſpoſuerat: & Greg. IX. c. *Indicante* de teſtam. c. 26. lib. 3. decret. dicit: *Cognovimus R. referente, quod moriens uxor Redempti concham argenteam nudis verbis juſſit venundari, & ſuis dare libertis, & ſcutellam argenteam cuidam monaſterio reliquiſſe. In quibus voluntatem ejus per omnia volumus adimpleri*. Quod autem de legato dicitur, de hereditate quoque dicendum eſt. Solemnitatis enim defectus, aut utrumque, aut neutrum vitiat.

ANIMADVERSIO VI.

Si dubius ſit...debet cum illis componere pro ratione dubii.

Dum certa eſt teſtatoris voluntas, ejus teſtamentum etiam minus ſolemne in utroque foro ex dictis valet: quia mens Principum eſt, & eſſe debet, ut valeat. At cum teſtatoris voluntas dubia eſt, mens Principis nec eſt, nec eſſe debet, ut teſtamentum minus ſolemne valeat. Si enim in hac ſpecie vel ex toto, vel ex parte valeret, lex irritans teſtamentum minus ſolemne, eſſet inanis: quia nihil efficeret, ſeu teſtatoris voluntas eſſet certa, ſeu etiam incerta. Ergo teſtamentum minus ſolemne, in quo dubia eſt teſtatoris voluntas, ex vi legis poſitivæ nullum eſt. Certum porro eſt, poſitivam Principis legem etiam in foro conſcientiæ vim habere, D. Paulo ad Rom. 13. dicente: *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit .... Qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit: qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt*. Ergo heres ab inteſtato, dubius de voluntate teſtatoris, qui teſtamentum minus ſolemne condidit, hereditatem, & legata retinere etiam in conſcientia poteſt.

At inquit Buſ. *Cum nec ipſe* (heres ab inteſtato) *nec alii coeperint bona fide poſſidere, in dubio par eſt eorum conditio*.

Buſembaum ratio efficax eſſet, ſi ſolæ naturæ lex foret ſpectanda; & poſitivæ Principium leges pro nihilo habendæ: at hæ vim ſuam etiam quoad conſcientiam habent. Itaque heres dubius de voluntate teſtatoris, quoad hereditatis, & bonorum poſſeſſionem, dubium jure deponit, & bona fide poſſidet, quia legis vi & auctoritate poſſidet.

Quod ſi teſtamentum præſcriptis ſolemnitatibus præditum ſit, & dubium nihilominus de teſtatoris voluntate oriatur ex ſermonis obſcuritate, aut ambiguitate, & circumſtantiarum conditione, tunc compoſitio, ſeu tranſactio pro ratione dubii locum habet, & faciende eſt.

ANIMADVERSIO VII.

Si heres ab inteſtato retineat &c. poſſunt illi, quibus &c. uti occulta compenſatione.

Hanc Buſemb. reſolutionem rejicit ipſe La-Croix in hunc locum n. 5518.

At inquit Buſ. „ Revera res illæ erant ipſorum. “ Reſp. teſtamentum minus ſolemne ex juſta lege certam fidem non facit, niſi heres ab inteſtato defuncti voluntatem certo noverit, & fateatur: at hic in præſenti ſpecie defuncti voluntatem facto ipſo negat, dum hereditatem, & legata retinet: ergo teſtatoris voluntas in præſenti ſpecie ex juſta lege, incerta præſumitur; & quia incerta præſumitur, legata, & hereditas ab ipſa lege in irritum mittuntur. An occulta compenſatio locum quoque habere poteſt in hereditate, & legatis, quæ ea Principum lege, nulla ſunt, & irrita?

Ponimus, inquis, heredem ab inteſtato, defuncti voluntatem compertam habere, & ea mera iniquitate hereditatem, & legata retinere.

Reſp. In hac quoque ſpecie ad tribunalia confugiendum eſt; quia incommoda ex legum diſpoſitione ſubeunda recuſari jure nequeunt ab iis, qui earumdem legum beneficia & commoda conſequi volunt.

Sed de occulta compenſatione dictum eſt t. 3. c. 2. d. 4. R. 2. ar. 2.

ANIMADVERSIO VIII.

Etſi probabile ſit &c. cum tamen contrarium etiam ſit probabile &c. poteſt heres &c.

Verſatilis probabilitas in materia præſenti, quæ ad juſtitiam pertinet, maxime repudianda eſt, & ab ipſis probabilibus communi ſenſu hodie repudiatur, ut ſupra in Reſp. 4. monuimus.

Quod ſi ex contrariis rationibus, & auctoritatibus dubium merito oriatur, utrum Clericorum, & Novitiorum teſtamentum minus ſolemne ad cauſas profanas, ſit nec ne validum, hereditas ab inſtituto herede non poteſt, ut perperam Buſemb. affirmat, pro foro conſcientiæ adiri, ſed res per tranſactionem componenda eſt.

Ego tamen in eam ſententiam pronus ſum, ut hujuſmodi teſtamentum nullum ſit. Ratio eſt, quia licet Clerici ſæculari poteſtati ſubditi non ſint, iis tamen legibus, quæ pro communi bono feruntur, nec ipſorum privilegiis adverſantur, non ex legum quidem vi, ſed ex naturali æquitate ſubſunt; ne ſcilicet a civili ſocietate diſcordent, & ſicut civilium legum commodum ſentiunt, ita quoque earum onus portent: at lex civilis teſtamentum minus ſolemne irritans, pro communi bono lata eſt, nec Clericorum privilegiis adverſatur: ergo Clerici huic legi ſubſunt; &, quod hinc conſequitur, eorum teſtamentum minus ſolemne, irritum eſt.

ANIMADVERSIO IX.

Milites hujus temporis gaudent &c.

Quamquam ex juriſperitorum ſententiis, ac præſertim ea juris civilis auctoritate æquitas colligi poteſt privilegiorum, quibus milites in ſuis teſtamentis gaudere congruum ſit; attamen hæc privilegia aliunde deſumi non poſſunt, quam ex Principum legibus, & locorum conſuetudinibus. Nec enim jus civile veterum Imperatorum, multoque minus Doctorum ſententiæ privilegia teſtandi militibus hodiernis concedere poſſunt.

ANIMADVERSIO X.

Renuntiatio futuræ hereditatis, niſi juramento firmetur, nullius roboris eſt.

Renuntiatio quidem futuræ hereditatis juramento firmata valet, ut habetur in c. *Quamvis* in ſex. lib. 1. tit. 18. At hæc regula ſuam habet exceptionem. Si enim renuntiatio fiat ſine conſenſu ejus, de cujus hereditate, ſeu bonis agitur, in favorem tertii, nulla eſt, etiamſi juramento fuerit confirmata; uti ex communiſſima ſententia, multiſque Rotæ deciſionibus aſſerit Anacletus t. 3. juris can. p. 420. n. 542. Ratio eſt, quia tale juramentum vergit in deteriorem exitum, hoc eſt in damnum alterius: occaſionem enim præbet deſiderandi, & machinandi mortem ejus, cujus hereditas expectatur: hinc in l. ult. de pactis dicitur, *quod hujuſmodi pactiones odioſæ eſſe videntur, & plenæ triſtiſſimi, & periculoſi eventus*. Ergo juramentum hujuſmodi non eſt obligatorium.

ANIMADVERSIO XI.

Non obſtat renuntiatio &c. quominus ab eodem patre .... poſſit inſtitui hæres.

Si renuntiatio a filio jurata, facta ſit in favorem tertii ſine conſenſu Patris, cujus hereditas renuntiatur, ex mox dictis nulla eſt, etiamſi non revocetur.

Si facta ſit in favorem tertii ſine juramento cum conſenſu patris, ab hoc valide revocari poteſt, etiamſi hic juraverit, ſe conſenſum non revocaturum; quia licet revocando ſit perjurus, revocatio nihilominus valet ea natura ſua. Nam conſenſus patris, ut tertius hereditatem loco filii conſequatur, eſt ſollar teſtamenti, quod valide revocari ſemper poteſt. Et ita ſentit Anacletus t. 3. juris can. p. 420. n. 536. 37. citans Mol. Sanch. & alios, ac communem.

At ſi renuntiatio cum conſenſu patris facta a filio, ab hoc jurata ſit, quæri poteſt, utrum filius a patre heres inſtitutus, hereditatem adire ſine perjurio poſſit; & videtur negandum.

Nam ſi tale juramentum in hac ſpecie non valeat, id fit, vel quia juramentum vergit in deteriorem exitum, vel quia revocatio conſenſus patris, juramentum relaxat, vel demum quia juramentum intelligendum eſt ſub conditione, ſi pater conſenſum non revocaverit.

At prædictum juramentum non vergit in deteriorem exitum; quia non eſt de re mala, nec quæ majus ſpirituale bonum impediat; qua de re S. Thom. 2. 2. q. 89. art. 7.

Item pater ſuum conſenſum revocando juramentum non relaxat; quia poteſt quidem is, in cujus gratiam juratum eſt, juramentum relaxare, ut docet D. Th. 2. 2. q. 89. art. 9. ad 2. nemo tamen poteſt relaxare juramentum, quod in aliorum utilitatem cedit ex eodem S. Doct. at jurata renuntiatio paternæ hereditatis facta ex conſenſu patris in favorem tertii, ad hujus utilitatem pertinet: ergo pater hoc juramentum relaxare non poteſt.

Demum juramentum ſub conditione intelligi non poteſt, quia fuit abſolutum. Qui juramenta abſoluta ſub conditione intelligunt, in reſtrictiones mentales, & perjuria incidunt.

Itaque his perpenſis filius, qui paternæ hereditati jurando renuntiavit ex conſenſu patris in favorem tertii, hæreditatem a patre relictam tuta conſcientia adire poſſe non videtur.

Animadverſio XII.

Filius poſt juratam &c. *nihilominus ſuccedere poteſt in iis* &c.

Dum filius patri acceptanti paternam hereditatem juratus renuntiat, iis paternis bonis renuntiat, quæ ſibi poſt mortem patris jure debentur, hoc eſt iis, quæ pater ad ſecundas nuptias tranſiens, liberis ex priore matrimonio ſuſceptis relinquere cogitur. Inanis enim, & ridicula eſt renuntiatio patri facta eorum bonorum, quorum ipſe pater vivens, & moriens arbiter eſt, & in quæ filius nullum jus habet.

Ergo filius poſt juratam renuntiationem, non poteſt in iis bonis ſuccedere, quæ pater ad ſecundas nuptias tranſiens, liberis ex priore matrimonio ſuſceptis relinquere cogitur; quia ſuccedens perjurium incurreret.

Hinc Bonifacius VIII. c. *Quamvis* in ſext. lib. 1. t. 18. ait: *Quamvis pactum patri factum a filia, dum nuptui traderetur, ut dote contenta nullum ad bona paterna regreſſum haberet, improbet lex civilis; ſi tamen juramento non vi, nec dolo præſtito firmatum fuerit ab eadem, omnino ſervari debet, cum non vergat in æternæ ſalutis diſpendium, nec redundet in alterius detrimentum.* At ne juramentum quidem filii renuntiantis paternæ hæreditati vertit in æternæ ſalutis diſpendium, nec redundat in alterius detrimentum: ergo omnino ſervari debet.

In his, inquit Buſ. *filius non ſuccedit jure ſanguinis, cui renuntiavit, ſed propter civiles conſtitutiones, & favores*. *Mol. n.* 21.

Reſp. Hæc ratio ſophiſtica merito dicitur. Civiles enim conſtitutiones, & favores in præſenti ſpecie a jure ſanguinis, ut falſo ponit Buſemb., non diſtinguuntur, ſed in idem recidant. Jus ſanguinis in filio ſuccedendi patri, naturæ jus eſt, civilibus conſtitutionibus roboratum. Dum filius paternæ ſucceſſioni renuntiat, non ſolum juri ſanguinis, ſeu juri naturæ renuntiat quoad ſucceſſionem, ſed civilibus quoque conſtitutionibus in ſanguinis, & naturæ juris gratiam editis. Alioquin ejus renuntiatio eſſet inanis & irrita; quia perinde ſuccedere poſſet, ac ſi non renuntiaſſet. Ergo falſo, & perperam aſſeritur, filium, qui paternæ hereditati juratus renuntiavit, juri ſanguinis renuntiaſſe, non civilibus conſtitutionibus, & favoribus; imo dum juratus juri ſanguinis, & naturæ renuntiavit, multo magis juri & favori civili renuntiaſſe intelligendus eſt. Uno verbo dum paternæ hereditati renuntiavit, omnibus juribus ſeu naturalibus, ſeu poſitivis, ex quorum vi paterna hereditas ad ipſum ſpectat, renuntiaſſe, niſi ſophiſtici ſumus, intelligitur.

Animadverſio XIII.

Contra Sanch. cujus tamen ſententia eſt probabilis. Unde ſic donatum tuto retineri poteſt, donec &c.

In eo certe fallitur Buſ. quod tuto retineri poſſe putet illud, cujus donatio per ſententiam judicis ponitur reſcindenda. Nec enim tuto aut jure retineri poteſt, quod contra jus eſſe ponitur: ponitur autem eſſe contra jus, quod judicis ſententia reſcindendum ponitur: ergo &c. Quod ſi donatio ante ingreſſum religionis, facta intuitu ingrediendi religionem, in dubium merito vocanda putaretur propter contrarias ſententias, res per compoſitionem tranſigenda erat. La-Croix ait p. 390. num. 1126. „ Decretum Tridentini non habet locum in re-
„ nunciationibus ante ingreſſum factis, etiamſi intuitu
„ religionis fiant, uti expreſſe declararunt interpretes
„ Tridentini apud Gallemart ad hunc locum, ſeſs. 25.
„ c. 16. de reg.) & apud Dian. &c. quamvis contradi-
„ cant multi cum Barboſa &c.

Contradicit quoque Anacl. t. 3. juris can. p. 527. n. 543. & ſeq. Ita tamen ut contrariam opinionem probabilem ponat. Res ſcilicet controverſa eſt, nec ſatis liquido apparet, cui ſententiæ ſit inhærendum.

In hac altera editione re attentius penſata, caput 16. ſeſſionis 25. Synodi Trid. de iis, qui religionem ingreſſuri ſunt, loqui mihi non videtur, ſed ſolum de ingreſſis; non ſolum quia titulus, & rubrica ſeſs. 25. eſt de *Regularibus*, ad quos ingreſſi tantum, non ingreſſuri ſpectant; de quibus alteris ſi ſacra Syn. cap. 16. loqui voluiſſet, id ſuis verbis expreſſiſſet, ut id præſtat cap. 17., & 18., ſed maxime quia cap. 16. eſt continuatio cap. 15., & ad illud refertur per ea verba, *nulla quoque renuntiatio, aut obligatio antea facta* &c. Porro capite 15. dicitur, *profeſſio autem antea facta*, hoc eſt ante annum 16. expletum, & integrum probationis annum *ſit nulla* &c. at poſt hanc extremam capitis 15. periodum ſtatim ſubſequuntur prima illa verba capitis 16. *nulla quoque renuntiatio, aut obligatio antea facta* &c. ergo illud *antea* hujus cap. 16. accipiendum eſt eodem ſenſu ac *antea* capitis 15. ſed *antea* capitis 15. de ingreſſis religionem loquitur: ergo *antea* quoque capitis 16. de ingreſſis intelligendum eſt.

Caput. 15. de ingreſſis religionem loqui, ejus verba aperte declarant. Nam quoad rem noſtram ita habet. *Nec qui minore tempore, quam per annum, poſt ſuſceptum habitum in probatione ſteterit, ad profeſſionem admittatur.* Illud *poſt ſuſceptum habitum* idem eſt, ac poſtquam Religionem ingreſſus fuit. Tum ſacra Syn. ſubdit: *Profeſſio autem antea facta* &c. hoc eſt ante 16. ætatis expletum annum, & ante integrum probationis annum *poſt ſuſceptum habitum*, ſeu, quod idem eſt, Religionis ingreſſum.

Si ſacra Synodus irritare voluiſſet renuntiationes bonorum ante Religionis ingreſſum ex ejus intuitu factas, id aperte declaraſſet. Res enim obvia eſt, & ſæpe accidere poteſt, non aliquid extra ordinem, & rariſſimum: & præterea res eſt gravis ponderis; ex quo etiam credibile eſt, a Tridentinis Patribus de ea actum fuiſſe, nec tamen quidquam eos decernere voluiſſe, ne forte nimis arctaretur libera facultas diſponendi de bonis ſuis. Hac de re legem non eſſe, ex ipſa Synodo Tridentina ſatis apparet; ad mentem legiſlatorum univerſe loquendo velle confugere, idem eſt, ac leges, quæ non ſunt, condere. Velle aliquid extraordinarium accidere poſſe, in quo Judices ex æquitate in irritum mittere poſſint renuntiationes ab ingreſſuris religionem factas religionis ſuſcipiendæ intuitu, non inficior. At generatim id fieri poſſe, ego ſane conſiteri non poſſum. Si *contra eum, qui legem dicere potuit apertius, faciendo eſt interpretatio*, ut ait reg. 57. in 6., multo magis legem in iis locum non habere, de quibus tacuit, cum loqui poſſet, dicendum eſt. Pro intelligentia eorum, quæ hactenus dicta ſunt, neceſſe eſt, ut lector ob oculos habeat cap. 15., & 16. ſeſs. 25. cit.

Animadverſio XIV.

Quod ſi tamen Religioſus &c. *acta ejus valent. Ita Laym. & ratio eſt* &c.

Laym. ſententiam communem eſſe, fatetur Anacl. t. 3. juris can. p. 446. n. 778. qui tamen contrariam Covar. Mol. Sylv. & aliorum probabiliorem exiſtimat. Hi enim D. D. putant, acta Religioſi, qui teſtamentum ſine licentia ſuperioris exequitur, jure poſitivo infirmari. Nam l. *Non dubium* cod. de leg. dicitur: *Quæ lege fieri prohibentur, ſi fuerint facta, non ſolum inutilia, ſed pro infectis etiam habentur, licet legiſlator prohibuerit tantum, nec ſpecialiter dixerit, inutile eſſe debere, quod factum eſt.*

Reſp. Theodoſius Imperator, cujus citata verba ſunt, de ſuis legibus ita ſtatuere potuit; at hoc ad alias leges transferri non debet; quia, ut ait Innoc. III. c. *Ad Apoſtolicam* 16. tit. 31. dec. lib. 3. *multa fieri prohibentur, quæ ſi facta fuerint, obtinent roboris firmitatem.*

Objiciunt 2. Boniſac. VIII. c. *Religioſus* in ſext. lib. 3. tit. 11. ubi ait: *Religioſus executor ab aliquo in ſua voluntate ultima deputatus, non poteſt (cum velle, & nolle non habeat) hujuſmodi officium ſuſcipere, vel exequi, niſi a ſuperiore ſuo petita ſuper hoc licentia, & obtenta.*

Reſp. Boniſ. in hoc cap. legem poſitivam non condit, ſed naturæ jus ſpectato obedientiæ voto declarat, ut ex ipſorum ejus verborum contextu intelligitur.

Itaque illud *non poteſt*, idem ſonare videtur, ac jure, ſeu ſine legis violatione non poteſt; quæ enim contra legem ſunt, fieri non poſſe vulgo dicuntur. Item illud *cum velle, & nolle non habeat*, eodem ſenſu accipiendum eſt: quia ſcilicet, cum religioſi voluntas voluntati ſuperioris ſubdita ſit, de jure, hoc eſt honeſte, & ſine culpa ſine ejuſdem ſuperioris licentia velle, & nolle non habet. Licet autem de jure quoad licitum, ſeu honeſtum nihil poſſit; quoad vim tamen, ſeu valorem ejus acta in teſtamenti executione ſine ſui ſuperioris licentia peracta, in irritum legum auctoritate non mittuntur, ideoque valere videntur.

Animadverſio XV.

Si incertitudo ſit &c. *videndum* &c. *ſi a natura habeat, danda eſt* &c. *ſi ab arte, electio* &c. *qui* &c.

Petrus teſtator ex. gr. indefinite ita inquit: Lego Cajo unum bovem, & Petro unam veſtem. Executor, ſeu heres, ait Buſ., dare debet unum bovem mediocrem Cajo, dando autem deterrimam veſtem Petro, ſatisfacit. Idem habet Laym. l. 3. de juſt. t. 5. c. 21. n. 9., qui addit bovis electionem, ſi hoc rerum genus ſit in patrimonio teſtatoris, ad legatarium pertinere, dum meliorem non eligat, ita tamen, ut electio ſemel facta mutari nequeat; at ſi boves non ſint in teſtatoris patrimonio, electionem ad heredem pertinere ait.

„ Ex-

„ Excipiunt tamen, inquit Laym., D. D. communiter ab hac aſſertione legatum ad piam cauſam, „ quod ſi indeterminate factum ſit, præſtandum eſſe, „ quod in tali genere melius eſt. “ Sunt tamen, ut ipſe Laym. ait, qui etiam in piis legatis indefinitis ſufficere putent, ut præſtetur quod in eo genere minimi pretii ſit.

Ego dicerem, legata indefinita ex parte rerum legatarum, eſſe implenda ex æquitate miſſis ſubtilibus controverſiis; in his non ſolum teſtatorum verba, ſed eorum mentem eſſe maxime conſiderandam; quæ ſi penſatis circumſtantiis dubia ſit, nec maxima, nec minima, ſed mediocria in quocumque rerum genere danda eſſe, putarem. Hac enim ratione periculum jacturæ, & lucri ſpes quoad heredem, & legatarium æqualia ſunt, ideoque juſtitia locum habet.

ANIMADVERSIO XVI.

Si acceperint ſummam pecuniæ &c. *non tenentur* &c. *poſſuntque* &c.

Buſ. Rectiſſime ait, teſtatoris intentionem ſemper eſſe attendendam. Ex hoc principio certo, & inconcuſſo colligitur, pecuniæ ſummam pauperibus a teſtatore relictam ita eſſe diſtribuendam, ut pauperiores non ſolum non omittantur, ſed etiam largius ſubleventur, quam minus pauperes. Quia hanc eſſe ejus mentem, ipſius verba oſtendunt, & ratio perſuadet.

Nomine autem pauperum, perſonæ pauperes intelligendæ ſunt, non Eccleſiæ, quibus cum teſtatores aliquid legare volunt, eas ſuo nomine indigitant; nec item xenodochia, monaſteria, quæ ſufficientem victum vel ex ſuis redditibus, vel ex fidelium eleemoſynis collectum habent, ut ex Palud. recte advertit Laym. lib. 2. de juſt. t. 5. c. 21. n. 8. quia paupertate reipſa non premuntur: teſtator autem vult perſonis paupertate vexatis ſubvenire.

Præterea cum teſtator hæc loca, hoc eſt Eccleſias, xenodochia, monaſteria diſtincte nominare potuerit, nec nominaverit, ea excluſiſſe intelligitur juxta reg. 57. in 6. ubi dicitur: *Contra eum, qui legem dicere potuit apertius, eſt interpretatio facienda.*

Summa ergo pecuniæ a teſtatore deſtinata, ut pauperibus diſtribuatur, non ex arbitrio executoris, ſed ex chriſtianæ prudentiæ, & caritatis regulis juxta rationabilem mentem teſtatoris diſtribuenda eſt; ita ut pauperes loci exteris præferantur; (quia niſi aliud conſtet, hanc fuiſſe teſtatoris voluntatem, rationabiliter præſumitur;) inter hos vero, egentiores minus egentibus potiores ſint; inter æqualiter egentes, conſanguinei, & affines defuncti magis ſubleventur, quam alii; item meliores magis, quam mali, aut minus boni. Hac de re legi poſſunt Anacletus t. 3. juris can. p. 449. n. 281. & Nat. Alex. Theol. t. 1. p. 562. reg. 16.

Poſſunt etiam ſibi ipſis vel &c. *eam applicare.*

Poſſunt ſane; ita tamen, ut diſtributores ſint, nec ſibi, aut ſuis cognatis omnia vindicent. Hinc D. Th. 2. 2. q. 32. art. 9 ad 3. ait: *Cum aliquis diſtributor ponitur eleemoſynarum, poteſt & ipſe ſibi accipere, ſi indigeat, eo tenore, quo & aliis miniſtrat.* Ubi diligenter notandum eſt illud *eo tenore, quo* &c. ne diſtributor pro ratione indigentiæ in alios parcior, in ſe largior (quod facile, ſed non recte fit) ſit.

Illud etiam animadverterem, executorem nihil ſibi eleemoſynæ loco arrogare poſſe, ſi a teſtatore aliquid determinate ſibi legatum ſit. Nam in hac ſpecie putarem, teſtatoris mentem eſſe, ut legato contentus pecuniæ ſummam aliis pauperibus diſtribueret.

ANIMADVERSIO XVII.

Teneri ſtatim poſt aditam hereditatem . . . . etiam intra annum, niſi &c. *imo* &c. *intra ſex menſes.*

Hæredes & executores teneri ſtatim poſt aditam hereditatem &c. exequi defuncti voluntatem, res certa, & clara eſt; quia differre legatorum ſolutionem, & eleemoſynarum diſtributionem a teſtatore præſcriptam, idem eſt, ac alienum retinere; quod ne per modicum quidem tempus licet, ut angelice docet D. Thom. 2. 2. q. 62. art. 8.

At dum Buſemb. addit „ etiam intra annum, imo in legatis piis intra ſex menſes, “ ipſe ſibi contradicit. Neque enim qui ad annum, aut ad ſex menſes legatorum ſolutionem differt, ſtatim ſolvit.

Neque valet, ſi dicas, tempus unius anni pro exequendis ultimis voluntatibus ad cauſas profanas; & ſex menſium ad cauſas pias, a jure concedi.

Reſpondeo enim cum Anacleto t. 3. juris can. p. 447. n. 786. hoc tempus a jure determinari quoad pœnas, quas executores incurrunt, ſi elapſo eo tempore defuncti voluntatem non impleverint, non autem quoad culpam.

ANIMADVERSIO XVIII.

Tenentur executores &c. (*idque probabiliter, etiamſi* &c.)

Non ſolum probabiliter, ſed ſine controverſia tenentur executores rationem reddere executionis teſtamenti ad pias cauſas, etiamſi teſtator eos ab hoc onere liberaſſet: quia Greg. IX. c. *Tua nobis* 17. tit. 26. lib. 3. Decr. inquit: *Cum igitur in omnibus piis voluntatibus ſit per locorum Epiſcopos providendum, ut ſecundum defuncti voluntatem univerſa procedant, licet etiam a teſtatoribus id contingeret interdici; mandamus, quatenus executores teſtamentorum hujuſmodi, ut bona ipſa fideliter, & plenarie in uſus prædictos expendant, monitione prævia compellas.*

Et hoc idem videtur dicendum quoad teſtamenta ad cauſas profanas. Ratio eſt, quia privata voluntas juri ſubdita, nec ſe, nec alios a legum vinculo ſolvere poteſt: ergo, cum leges obligent executores teſtamentorum ad rationem reddendam, ne teſtator quidem eos ab hoc onere liberare poteſt.

Præterea teſtatores liberant executores teſtamentorum a ratione reddenda, quia illis fidem habent: at hi ſuam fidem oſtendere non poſſunt, niſi rationem reddant. Ergo. Adde, quod cum rationem non reddunt, dant indicia infidelitatis; quæ indicia cogunt Principes, ut rationem exigant, ne in publici boni perniciem infidelitas maneat impunita.

Niſi ſint regulares plene exempti &c.

Clemens V. in Conc. Viennenſi (habetur c. *Religioſis* Clement. lib. 3. tit. 6.) ita inquit, & præcipit. *Religioſis etiamſi exemptis deputatis ad executionem cujuslibet ultimæ voluntatis, circa ipſius executionis officium (quod utique non poſſunt, niſi a Superiore ſuo petita ſuper hoc licentia, & obtenta ſuſcipere) volentes præſcindere materiam delinquendi; præſentis conſtitutionis auctoritate ſtatuimus, quod tales etiamſi prælationis fungantur officio, locorum Ordinariis debitam reddere, ipſique Ordinarii ab eiſdem abſque dolo, fraude, ſeu negligentia de ſuſceptæ executionis officio teneantur exigere rationem; illos, quos circa id deliquiſſe repererint, in aliorum exemplum pœna debita (quocumque non obſtante privilegio) puniuri.* Lex clara eſt, &, niſi vitiligatores ſumus, lis dirempta.

ANIMADVERSIO XIX.

Naturali autem jure teſtari vetantur infames &c. *amentes, niſi tamen* &c. *vel in una materia* &c.

Loco *infames* lege infantes, uti legitur in textu apud La-Croix.

Homines autem reperiri, qui in una materia delirent, in aliis ſana mente ſint, magis fingi, quam rationis, aut experientiæ momentis aſſeri putem. Homines craſſioribus ignorantiæ, & vitiorum tenebris involutos, mentis imbecillioris, vehementibus cupiditatibus abreptos exiſtere, qui aliquibus in rebus delirantes videantur, facile concedam. At qui una in re vere delirat, hoc eſt uſu rationis omnino caret, non intelligo, quomodo in aliis ſanus mente eſſe poſſit. Omnimoda enim privatio in una re, talis eſt in omnibus, ut omnimoda privatio vitæ, ſenſus, pecuniæ &c. Sed quod ad rem præſentem attinet, ex loquendi modo, quo teſtator utitur, intelligi poterit, ſit, nec ne condendi teſtamenti capax.

Poſitivo autem ſurdus ſimul & mutus a natura.

Hic non ſolum poſitivo, ſed naturali jure condendi teſtamenti incapax eſt, ut recte docet Anacletus t. 3. juris can. p. 392. n. 289. quia ſuam voluntatem ſufficienter declarare non poteſt.

De prodigis, qui ut tales per magiſtratus declarati ſunt, ſeu quibus bonorum adminiſtratio interdicta eſt, de ſervis proprie dictis, ſeu mancipiis, publicis uſurariis, niſi prius uſuras reſtituant, aut de reſtitutione facienda cautionem præſtent, filiisfamilias quoad bona profectitia, & adventitia, impuberibus, captivis apud hoſtem, damnatis ad mortem, ſi eorum bona publicata fuerint, & aliis conſuli poteſt Anacletus t. 3. juris can. p. 390. & ſeq. §. 10. aliique juris periti, ad quos hæc materia proprie ſpectat.

ANIMADVERSIO XX.

Dico, profeſſus, quia novitius &c. *teſtari poteſt etiam non ſervata juris ſolemnitate.*

Quod de Clerico ſine juris ſolemnitate teſtante dictum eſt d. 2. Reſp. 5. idem de novitio dici debet.

ANI-

Animadverſio XXI.

Uti & profeſſi Soc. JESU &c. licet contrarium probabilius eſſe putet Wad. &c.

Laym. l. 3. de juſt. t. 5. c. 5. n. 3. p. 382. hanc legem ex p. 6. conſtit. c. 2. §. 12. deſumptam refert: *Non ſolum particulares profeſſi, & coadjutores formati, hereditariæ ſucceſſionis non erunt capaces, verum nec domus, nec Eccleſia; nec collegia eorum ratione.* Probabilior ne ea opinio eſſe poteſt, quæ conceptiſſimis verbis conſtitutionum Societatis aperte adverſatur?

Animadverſio XXII.

Teſtator poteſt quemvis extraneum inſtituere heredem nulla facta mentione .. etiam fratris pauperis, dummodo &c. quia nullo jure prohibetur &c.

Teſtator quidem nullo jure, ſeu nulla humana politiva lege, quæ juſtitiæ ordini conſulit, id facere prohibetur; at id facere prohibetur divina caritatis lege, ex cujus ordine conſanguinei collaterales, ac præſertim fratres, qui primum locum inter eos obtinent, aliis, ac præcipue extraneis præferendi ſunt; at cum teſtator conſanguineos egentes, ac præſertim fratrem pauperem negligit, ut omnia ſua bona aliis relinquat, deſcriptum caritatis ordinem pervertit: ergo peccat. Hinc D. Paulus 1. ad Tim. 5. v. 8. ait: *Si quis autem ſuorum, & maxime domeſticorum curam non habet, fidem negavit, & eſt infideli deterior.* An ſuorum curam habet, qui fratrem quoque pauperem in teſtamento negligit, ut alienos heredes inſtituat? Præterea hujuſmodi teſtamenta ſcandali plena ſunt, tum quia ſunt indicia animi erga conſanguineos male affecti, anſamque præbent obtrectationibus, & odio erga defunctum; cum quia malo exemplo ſunt. Illa Buſ. hypotheſis, ſeu conditio, *dummodo abſit ſcandalum*, utpote fictitia, & quæ locum nunquam habet, loquendo de fratribus pauperibus, etiamſi gravi neceſſitate non premantur, rejicienda eſt. Nat. Alex. Theol. t. 1. p. 557. reg. 5. in hanc rem præclare ait, veræ pietatis officium eſſe, ut quis ſuorum curam gerat; caritatis ordinem poſtulare, ut ſuis prius, quam alienis ſubveniat, ut nepotes, aut cognatos inopes ſublevet potius, quam ſacella erigat, vel exornet, ſacerdotia augeat, vel perpetua anniverſaria ſibi defuncto conſtituat.

„ Id, inquit, S. Aug. doctrina, & exemplis confirmavit. Nam & aliquas hereditates recuſavit, ut ſcribit „ Poſſidius in ejus vita cap. 24. non quia pauperibus inu„ tiles eſſe poſſent, ſed quia juſtum, & æquum eſſe „ videbat, ut a mortuorum vel filii, vel parentibus, „ vel affinibus magis poſſiderentur, quibus ab eis deficientes dimittere noluerunt. "

Animadverſio XXIII.

Quod ſi autem alicui aſcendentium, vel &c. competit ei &c.

Si alicui aſcendentium, vel deſcendentium aliquid in teſtamento relinquatur jure hereditario, quod tamen legitimam portionem non exæquet, competit ei actio ad petendum complementum; ſi autem nihil jure hereditario relinquatur, nec legitima prætereundi, ſeu exheredandi cauſa apponatur, teſtamentum quoad heredis inſtitutionem nullum eſt, non quoad alia. Si vero legitima exheredandi cauſa apponatur, quæ tamen ab herede inſtituto probari nequeat, heredi neceſſario competit querela inofficioſi teſtamenti, qua illud evacuet quoad extranei heredis inſtitutionem. Ita Laym. l. 3. de juſt. t. 5. c. 5. n. 11. p. 384.

Sed pius teſtator litium occaſiones tollere, injurias ſibi illaſas ſervare, & neceſſariis heredibus non ſolum legitimam portionem, ſed detractis legatis ex chriſtianæ caritatis, & prudentiæ lege inſtituendis reliqua omnia relinquere debet.

Animadverſio XXIV.

Imo pater id quod habet ſupra &c. poteſt de rigore relinquere extraneo.

Id quidem jure fori, non tamen jure poli; quia contra caritatis ordinem, & naturæ legem præfert, aut æqualem facit alienum filiis.

Animadverſio XXV.

His quoque deficientibus fratres &c. idque æquis portionibus, excluſis &c.

In his, aliiſque ſimilibus, quæ ex poſitivo jure pendent, regionum leges, & conſuetudines etiam quoad conſcientiam attendendæ, & ſervandæ ſunt. Quia jus civile commune non obligat, niſi aut jus naturæ, vel gentium includat, aut lege, vel conſuetudine proprii loci firmatum fuerit.

TRACTATUS VI.

De Præcepto octavo, nono, decimo, & Præceptis Eccleſiæ.

CAPUT I.

De Præcepto octavo.

PRohibetur hic omnis injuſta læſio famæ, & honoris proximi: ac præcipue omnis falſitas, & mendacium: ac læſio verbalis, quæ fit tum in judicio falſo, accuſando, vel verum celando, de quo ſupra; tum etiam extra pernicioſe mentiendo, ſecreta revelando, de quo v. Bonac. *de reſt. d. 2. q. 1. p. ult.* Laym. *l. 3. t. 3. p. 2. q. 5.* ac denique detrahendo.

DUBIUM I.

Quid ſit ſuſpicio, judicium temerarium, & dubitatio; ac quale peccatum?

Suppono hæc tria differre inter ſe, quod Judicium ſit firma animi ſententia, ſeu aſſenſus indubitatus; Suſpicio, aſſenſus inchoatus, quo quis inclinat in unam partem, judicans probabiliter, latere aliquod fundamentum opinandi. Dubitatio autem non eſt aſſectus (niſi cauſaliter) ſed quaſi ſuſpenſio animi, in neutram partem inclinando. Quærit r ergo hic non de ſuſpicione, & judicio prudenti, quod ſufficientibus indiciis nititur, ſed de imprudenti, & temerario, quod iis deſtituitur. Majora autem indicia requiruntur ad judicium, quam ad ſuſpicionem; & ad hanc, quam ad dubitationem.

Reſp. 1. Judicium temerarium, cum plena advertentia, de gravi malo proximi, communiter eſt mortale, contra juſtitiam. Ita Fill. Leſſ. *c. 29. l. 2.* Laym. *l. c.* t. 3. *c.* 2. Ratio eſt, quia proximo fit gravis injuria, dum ſine cauſa improbus habetur, cum habeat jus ad bonum nomen, & famam: præterquam quod ex his judiciis plerumque gravia mala ſequantur. (*a*) *in confeſſione tamen non opus eſt explicare ſpeciem mali judicati*, cum omnia uni juſtitiæ commutativæ in ſpecie infima adverſentur * Eſcob. *E. 19. c. 4. n. 36.*

Dixi, *communiter;* quia, ſi judicium habeat magnam probabilitatem, etſi non omnino ſufficientem ad certitudinem, erit veniale; quia moralis certitudo, & magna probabilitas non adeo diſtant, ut cenſeatur gravis injuria, judicare certum, quod eſt valde probabile, verb. gr. ſi judices juvenem ſolum cum puella inventum in cubiculo illicita tractaſſe. Ex quibus reſolvitur, peccari tantum venialiter temere judicando ſequentibus caſibus. V. Tann. 2.2. *qu. 3. d. 2.*

1. Si non ſit grave malum, *quod proximo temere impingis*; (*b*) & ſic eum, qui judicat alium eſſe ſpurium, vel filium Judæi, a mortali excuſant Nav. Azor. & Leſſ. contra alios apud Dian. *p. 5. R. 69.*

2. *Si ſit grave quidem, ſed non perfecte advertas.* Animad. I.

3. *Si advertas quidem te male judicare, non tamen advertas ſigna eſſe inſufficientia, nec de iis dubites.* Animad. II.

4. *Si ſigna ſint ſufficientia ad opinionem ſaltem probabilem.* Animad. III.

---

* Si quis illud *cum omnia uni juſtitiæ &c.* inficietur, an injuria inficiabitur? An eadem temerarii judicii ſpecies eſt, ſi quis blaſphemus & hæreticus judicetur, ac ſi maledicus, aut libidinoſus? Nonne ſpecies mali judicati, quod eſt judicii objectum, eidem temerario judicio ſpeciem dat? Præterea hæc Buſ. doctrina, ex poſitione oritur, ut ſpecies tantum peccati aperienda in confeſſione neceſſario ſiat; quæ poſitio falſa ueſo ſuo loco oſtendetur.

Animad. IV. 5. *Mortale etiam non eſt* (*per ſe loquendo*) *ſi de indeterminata tantum judices: quia nulli fit gravis injuria*. Etc. *l. r.* ex Fagund.

Animad. V. Reſp. 2. *Suſpicio, & dubitatio temeraria ex genere ſuo videntur eſſe peccata tantum venialia, maxime ſi procedant ex errore intellectus, qua indicia ut ſufficientia apprehenduntur*. Ita Laym. ex S. Thom. Nav. Molin. Fill. *tr.* 4. *c.* 1. *q.* 5. Leſſ. *l.* 2. *c.* 29. *d.* 3. &c. contra multos, qui putant eſſe mortale. Ratio eſt, quia communiter ſuſpicio tantum eſt concitatio quædam ad aſſenſum: manet enim in mente ſuſpicantis aliquo modo bona exiſtimatio proximi: ergo non fit illi gravis injuria, cum non totaliter deturbetur de poſſeſſione bonæ famæ: fit tamen aliqua, quia temere dubitatur.

30 Dixi, *maxime ſi ex errore*; quia talis, cum non ſit per ſe voluntaria, nec pertinax, meretur excuſationem: ſi vero ex malevolentia in ſuſpicione gravi perſiſtas, erit mortale, ut docent Leſſ. Fill. &c. ob injuriæ gravitatem. Atque idem eſt de dubitatione poſitiva, orta ex malevolentia abſque cauſa: procedit enim ex contemptu alterius, proindeque gravis injuria reputatur.

Quæres, Quomodo diſcerni poſſit ſuſpicio a judicio firmo, quando formido de oppoſito expreſſe non eſt conjuncta?

Reſp. Cajetanus cenſet eum judicare, qui rogatus, an habeat rem pro certo, reſpondet ſibi certam, aut fere certam videri; eum vero ſuſpicari, qui reſpondet ſe non eſſe moraliter certum, ſed facile poſſe falli. V. Bon. *de reſt. d.* 2. *q.* 7. *p.* 1.

DUBIUM II.

Quid ſit, & quam grave peccatum detractio?

Reſp. Detractio eſt alienæ famæ injuſta violatio, vel denigratio. Differt a contumelia, quæ eſt injuſta honoris diminutio. 1. Objecto: quia contumelia honor, detractione autem fama læditur, quæ eſt opinio, ſeu exiſtimatio de alterius excellentia; honor autem eſt teſtificatio alienæ excellentiæ animo conceptæ. 2. Differt modo: quia contumelia inſtar rapinæ fit aperte contra præſentem: detractio ut plurimum inſtar furti occulte, & contra abſentem. Unde, licet contumelia detractione gravior ſit, eſt tamen detractio peccatum mortale ex genere ſuo; etſi ex parvitate materiæ, aut indeliberatione fieri poſſit veniale. Ratio eſt, quia eſt gravius furto, quod eſt mortale, cum lædat proximi famam, quæ eſt majus bonum, quam opes.

Detractio alia eſt directa, & formalis, quæ fit ex intentione famam lædendi, alia indirecta, & materialis tantum, quæ fit ex levitate, & loquacitate aliqua.

Ex dictis reſolves.

1. Regulariter non eſt mortale (etſi per accidens ratione damni ſequentis tale eſſe poſſit) revelare naturale defectus animi, corporis, vel natalium: quia tales non ſunt mortales; nec infamia apud prudentes reputatur, quod quis, v. grat. ſit ſtupidus, ſpurius, luſcus. Bon. 1. 2. *d.* 2. *q.* 4. *p.* 2.

Animad. VI. 2. *Plerumque etiam levis detractio habetur, ſi alium infamet generalibus nominibus peccatorum mortalium, v. gr. eſſe iracundum, ſuperbum*, &c. (*etſi aliquando gravis eſſe poſſit*) quia audientes plerumque interpretantur de naturali propenſione, & defecto involuntario: nec oritur grave damnum famæ. S. Anton. 1. *p. t.* 8. *c.* 4. Sylv. Leſſ. *d.* 4. *n.* 18. Laym. *l.* 3. *t.* 3. *p.* 2. *c.* 9. *n.* 3.

Animad. VII. 3. *Similiter non erit mortale communiter referre peccata mortalia, quæ ob conditionem perſonæ non notabiliter famam lædant; v. g. ſi dicas militem habere concubinam, pugnaſſe in duello, cogitare vindictam, adoleſcentem eſſe prodigum, deditum amoribus*, &c. Laym. *l.* 3. *t.* 3. *p.* 2. *c.* 3.

4. Fieri tamen poteſt, ut narrando defectus etiam naturales, ſpectata conditione, & ſtatu illius, graviter noceas, & ſic graviter pecces: ut ſi gravem, & optimi nominis Prælatum, aut Religioſum, mendacijs aſſuetum eſſe; virum gravem, ac conſularem, illegitime natum, Judæum, &c. dicas. Idem eſt, etſi de altero nihil in particulari, ſed tantum in genere dicas, v. gr. te ſcire aliquid de illo, quod ſi dicas, magno illum rubore ſit affecturum. Card. Lug. *d.* 14. *n.* 49.

5. Crimen, aut defectum alicujus, modo verum, ſæpe licet prodere ob juſtas cauſas: v. gr. 1. Cum expedit ſuperiorem ſcire eorum defectus, ut emendentur, de quo vide ſupra de *Corr. frat.* & ſic eos, qui crimen occultum filiarum parentibus, vel famulorum heris, in ordine ad correctionem (cavendo tamen, ne ex revelatione majus damnum ſequatur) ſignificent, communiter excuſari docet Trull. *l.* 7. *c.* 10. *d.* 11. ex Bonac. &c. uti & uxorem loquentem cum marito (vel contra) de criminibus occultis filiorum, vel famulorum. 2. Cauſa conſilii, vel auxilii capiendi; in quo tamen videndum, ut cum minimo damno tertii fiat. 3. Cauſa cavendi alterius damni; ut ſi alicujus æſtimatio falſo concepta de ejus doctrina, probitate, eſt aliis pernicioſa. Unde, cum agitur de conferendo officio, de contrahendo matrimonio, de ſuſcipienda religione, aſſumendo medico, præceptore, famulo, famula, &c. licet manifeſtare (imo aliquando oportet) occulta alterius impedimenta, inhabilitatem, crimina, unde notabile aliquod incommodum merito timeretur: dummodo nulla alia ſit ratio commodior impediendi, & damnum, quod proximo timetur, ſit majus, aut ſaltem æquale damno, quod ex manifeſtatione defectus, aut criminis alterius ei obvenerit. Leſſ. *l.* 2. *c.* 11. *d.* 12.

6. *Hinc quoque, ſi quis injuſte lædit famam tuam, nec potes eam tueri, nec recuperare alia via, quam imminuendo quoque famam illius, id licet, dummodo falſa non dicas, in tantum, quantum ad tuam famam conſervandam neceſſe eſt, nec magis lædas, quam læderis, collata tua, & alterius perſona*. V. Card. de Lug. *n.* 50. Animad. VIII.

7. *Si quis ſolatii tantum cauſa, & non intentione detrahendi, alicui amico narret injuriam ab alio ſibi factam, non videtur eſſe mortale, etſi inde aliqua infamia proveniat auctori*; ea enim ipſi imputanda eſt. Cavendum tamen, ne dicatur pluribus, vel apertius nominetur perſona, quam neceſſe ſit ad conſilium, vel ſolatium. Leſſ. Laym. Tan. 2. 2. *q.* 8. *d.* 2. *n.* 4. Card. Lugo *d.* 14. & ſic excuſari poſſe famulos (ſaltem a mortali) qui injurias ſibi ab heris ſuis, uxores, quæ a maritis, filios, qui a patre, Religioſos, qui a Prælato illatas, doloris tantum mitigandi cauſa referunt, docet Trull. *l.* 7. *c.* 10. *d.* 11. ex Leſſ. Laym. Tann. Nev. Dian. *p.* 2. *R.* 39. Idem putat Cajet. dicendum, ſi crimen occultum revales uni alicui viro prudenti, & taciturno, cui dicere perinde ſit, ac ſi nulli diceretur: eo quod damnum illud cenſeatur leve: & ſic Trull. *l.* 7. *c.* 10. *d.* 11. cum Dian. *p.* 1. *t.* 3. *m. R.* 22. & *p.* 2. *t.* 5. *m. R.* 33. excuſat pœnitentem, qui in confeſſione manifeſtat complicem: dicuntque cum Tanner. Bonec. Eſcob. *E.* 9. eam ſententiam eſſe probabilem. Verum hoc univerſim non videtur ſatis tutum, quia læſio famæ apud unam etiam perſonam cenſetur gravis: ut patet ex judicio temerario: imo ſæpe quidam ægrius ferunt, ſe lædi apud unam perſonam gravem, quam tres, vel quatuor alias. Unde Suar. Fill. Leſſ. Azor. & Laym. putant communiter eſſe mortale. Vide Card. Lugo *l. r.* Animad. IX.

8. *Crimen ſimpliciter publicum, ſive ſit notoriam jure, ſive facto, manifeſtare his, qui neſciunt, non eſt peccatum mortale injuſtitiæ*: quia hoc ipſo auctor amiſit jus ad famam, cum ratio juſti judicii, & evidentia facti faciat, ne de injuria juſte queri poſſit. Quod confirmat conſuetudo, mandans hiſtoriæ publica crimina. Animad. X.

Dixi: non eſt mortale injuſtitiæ: *quia detegere eo loco, quo fama non erat perlatura, vel nonniſi poſt longum tempus, vel aliter cum gravi mœrore ejus, qui commiſit, ſæpe poteſt eſſe mortale contra caritatem*, ut Leſſ. Val. Tol. *l.* 5. *c.* 65. contra Nav. & Cajet. V. Card. Lug. *d.* 14. *n.* 59. Feg. *p.* 2. *l.* 5. *c.* 3. Animad. XI.

9. Similiter non eſt peccatum contra juſtitiam ſaltem mortale, quærere cauſam captivitatis alicujus, vel de ea loqui: ſicut enim captivitas eſt publica, ſic etiam cauſa videtur eſſe facta publica. Sayr. Bonac. Trull. *l.* 7. *c.* 10. *d.* 11. Ubi eodem modo excuſat eum, qui refert delictum alicujus publi-

cum,

eum, referendo ſimul pœnitentiam, & emendationem; ſecus, ſi taceatur pœnitentia, quam fecit: & ſic ait peccare hiſtoriographus, deſcribendo peccata mortuorum publica, & non referendo pœnitentiam, vel emendationem, ſi reſipuerint.

10. Similiter manifeſtare crimen, quod nondum eſt publicum, moraliter tamen certum eſt, brevi fore publicum (ſive per facti evidentiam, ſive per ſententiam Judicis) non eſt mortale, quia parum nocet, niſi tamen ex iſta anticipatione ſequerentur gravia damna, verbi gratia, in officio, &c. Card. Lugo *l. c. n.* 92.

11. Infamem in uno crimine de altero valde affini infamare, eſt tantum veniale: ut v. gr. ſi de adultero dicas, quod miſerit literas amatorias: quia tunc non notabiliter augetur infamia. De diſparato tamen, & non connexo crimine infamata, eſt mortale: quia infamis in uno genere vitii non amiſit jus famæ in aliis virtutibus. Tan. *d.* 4. *de juſt. q.* 8. *d.* 7. *n.* 141. ex Nav. & Leſſ. contra Sylv. v. *detractio*, Palud. &c.

ANIMAD. XII. 12. *Detractio materialis ex loquacitate orta, eſt mortale, ſi gravem proximi læſionem importet, idque advertatur:* quia etſi non intendatur directa læſio alterius; ea tamen indirecte, & implicite eſt volita, & æquivalet formali. *Veniale autem tantum erit, ſi non ſequatur læſio gravis; quia ſcilicet communiter non ſerio accipitur, uti auditur. Similiter erit veniale tantum, audita referre, ut audita tantum, hoc eſt, nihil affirmando de rei veritate, ſed dubitationem potius ſuam de ea ſignificando, ita ut nulla inde ſecutura putetur infamia, nec auditores rationabiliter ſint credituri*. Ita contra Azor. *n.* 3. *l.* 13. *c.* 5. docet Tanner. 2. 2. *d.* 4. *q.* 8. *dub.* 7. *n.* 121. Eſc. *E.* 10. *c.* 4. *n.* 40. *eo quod diffamatio, ſi forte ſequatur, imputetur audienti ſi credat.* Idem docet Card. de Lugo *l. c.* recte limitans, niſi grave damnum ex modo narrandi, vel ex levitate audientium (qui temere credituri ſint, & vulgaturi) ſecuturum poſſis prævidere. Hinc peccas graviter contra juſtitiam, ſi referens grave crimen addas, id tibi dictum eſſe a viro fide digno, quia præbes ſufficiens fundamentum credendi. V. Dian. *t.* 5. *m. R.* 18.

13. Mortuum infamare, minus grave eſt, quam vivum: mortale tamen, & ad reſtitutionem obligans. Leſſ. *l.* 2. *c.* 11. *d.* 21. Bon. *d.* 1. *q.* 3. *p.* 2.

14. *Non eſſe mortale de aliquo ignoto, vel indeterminato male loqui, v. g. in tali loco eſſe multos improbos, in tali Collegio unum Canonicum commiſiſſe grave crimen, v. gr. ſimoniam*, docet Eſcob. *E.* 10. *c.* 4. Fagund. quod Trull *l.* 7. *c.* 10. *d.* 4. ex Bon. Azor. &c. limitat, ſi non ſit tale, quod in alios redundet.

ANIMAD. XIII.

15. Graviſſime autem peccant, qui Ordini, ſeu ſtatui alicui Religioſorum in communi, vel Monaſterio detrahunt, dicendo v. g quod in eo male vivatur, non ſervetur obſervantia regularis &c. *niſi id ſit plane notorium*: quia graviſſime nocent, tenenturque ſub mortali ad reſtitutionem toti communitati, a qua Superioris remiſſio non excuſat. Sot. Nav. Trull. *c.* 10. *d.* 14. *Talem autem ſufficienter confiteri*, (*c*) ſi dicat, Detraxi cuidam Religioni, Ordini, vel Monaſterio &c. ſive ſit communitas numeroſa ſive non, docet Lug. & Tamb. *de exped. confeſ. l.* 2. *c.* 2.

16. Similiter mortale eſt, tacita perſona, nominare Monaſterium, vel Ordinem religioſum, ex quo aliquis grave peccatum occultum, v. g. adulterii, vel fornicationis, commiſerit. Navar. Tull. *c.* 10. *d.* 14.

17. *Explicandum eſt in confeſſione, an apud mul-*

ANIMAD. XIV. *tos, & quot circiter; an vero apud unum tantum alicui detraxeris.* Ita probabiliter Bonac. *de Sacr. d.* 4. *q.* 5. *p.* 2. §. 3. *diff.* 3. *n.* 16. & 21. ex Sanch. Sylv. Andr. *n.* 135. Sed Card. Lugo *d.* 16. *n.* 125. 130. & 140. ex Navar. Salas, Con. &c. negat, *dicitque contrarium eſſe probabilius*. Nec omittendum, ſi quem infamaveris libello famoſo; cum id ſit genus detrahendi graviſſimum, & ad plurimos pertinens. *Non tamen neceſſario dicendum, in quo genere infamaveris: quia fama ſemper eſt ejuſdem ſpeciei in genere moris*. Card. Lugo *d.* 16. *n.* 265.

18. Peccat mortaliter contra juſtitiam, & tenetur ad reſtitutionem ratione cooperationis is, qui audit detractorem, excitando, vel animando efficaciter: qui vero lætatur tantum detractione audita, aut, licet non lætetur, qui non impedit, cum commode poſſit, peccat pro ratione damni mortaliter, vel venialiter contra caritatem: non tamen tenetur ad reſtitutionem, niſi ſit ſuperior, pater, vel dominus: is enim ex officio tenetur impedire ſubditum, ne alteri injuſte noceat.

Dixi, *ſi commode poſſit;* quia non peccat, qui putat monitionem ſuam nihil profuturam: *vel ex eo magnum incommodum metuit*: (*d*) vel qui rationabili verecundia prohibetur, ob auctoritatem detrahentis. Debet tamen tunc diſcedere, ſi commode poteſt, faciem triſtiorem oſtendere, vel alio ſermonem avertere. Leſſ. & Bonac. *l. c.* Hinc æqualis raro, inferior rariſſime tenetur corrigere detractorem. 1. Quia audiens plerumque neſcit, an quod dicitur, ſit notorium, tametſi ipſe ignoraverit; & in dubio non eſt, cur damnet detractorem. In quo multi falluntur, exiſtimantes, ſimul ac aliquid audiunt dici contra proximum, id ſibi mox refutandum. 2. Quia, cœpta detractione, ſæpe melius conſulitur proximo, ſi ſinatur abſolvi, quam ſi abrumpatur. Nam, ſi diſtincte explicetur, ſæpe non tam graviter apprehenditur, quam initio conceptum erat. 3. Quia ſæpe ſine gravi offenſione non potes corrigere. 4. Quia ſæpe alter habet juſtam cauſam manifeſtandi, præſertim uni ſoli. Card. Lugo *l. c. n.* 128. V. Dian. *t.* 3. *m. R.* 24. & *t.* 5. *m. R.* 25.

Quæres 1. An liceat alium infamare ad tormenta gravia vitanda?

Reſp. 1 Licet, ſi crimen ſit verum: quia nullam alteri facit injuriam, cum habeat jus illud in neceſſitate revelandi.

Reſp. 2. Si crimen ſit falſum, non licet: quia ANIMAD. XV.
eſſet mendacium perniciosum. *Sylv. tamen, & Navar. putant, veniale tantum eſſe, ſi ſola infamia ſequatur, & poſt torturam revocetur, eo quod non ſit infamia efficax*. V. infra *l.* 4. *c.* 3. *d.* 7.

Quæres 2. An liceat ſeipſum infamare?

Reſp. Id non eſſe ſaltem mortale regulariter. Ita Leſſ. Fill. & Laym. *l.* 3. *t.* 3. *p.* 2. *cap.* 3. *n.* 14. quia non eſt contra juſtitiam, cum ſit famæ ſuæ dominus; nec contra caritatem, quia hæc non obligat ad bona externa conſervanda, niſi in quantum id exigit ſalus propria, vel proximi.

Dixi, *regulariter:* quia per accidens poteſt eſſe mortale, ut v. g. ſi tua fama ſit neceſſaria muneri, vel ſi tibi damnum vitæ, vel aliis infamiæ ex eadem ſequeretur.

Unde reſolves.

Non eſt mortale, ad vitanda gravia tormenta, falſum crimen ſibi imponere, ex quo etiam mors ſequatur: quia non tenetur homo cum tantis cruciatibus vitam ſuam tueri, nec talis dicitur ſe interficere, ſed tantum ex juſta cauſa vitam morti exponere, Leſſ. & Fill. V. infra *l.* 4. *c.* 3. *d.* 7. ANIMAD. XVI.

DUBIUM III.

An, & quomodo fama reſtituenda?

Reſp. Niſi ſit cauſa excuſans, patet ex natura juſtitiæ, & ex dictis de reſtitutione, famam injuſte ablatam reſtitui debere. Et quidem, ſi verum crimen quis narravit, debet opinionem conceptam, quantum poteſt, apud audientes abolere, dicendo v. g. ſe male dixiſſe, injuriam intuliſſe, deceptum eſſe &c. Vel, ſi hac ratione parum proficiatur, eum laudando in aliis rebus, crimen extenuando, honorem ejus in re alia procurando &c. ſic enim ſenſim tantundem fama ejus illuſtrabitur ex una parte, quantum ex altera obſcurata fuit. Quod ſi autem crimen falſum impegiſti, teneris id aperte retractare (adhibito etiam, ſi opus eſt juramento) apud eos quibus dixiſti, & (per ſe loquendo) ad quos infamia pervenit, ſive apud auditores mediatos: ut contra Leſſ. & Tann. 2. 2. *d.* 4. *qu.* 6. *d.* 6. *num.* 146. docet Card. Lugo, quia totum damnum famæ, cujus cauſa es, teneris reparare.

ANIMAD. XVII. *Licet aliquando ſufficiunt dicere, te penitus deceptam, rem aliter ſe habere, male te informatum fuiſſe.* V. Laym. *l.* 3. *c.* 3. *p.* 2. *c.* 7. Leſſ. *c.* 11. *d.* 30.

ANIMAD. XVIII. *Dixi* per ſe: *plerumque enim per accidens ab hac obligatione talis excuſatur, reſpectu auditorum mediatorum: tum ob moralem impotentiam, tum quia eo ipſo, quod apud immediatos retractavit, implicite illis commiſit, ut hanc retractationem ipſi indicent aliis, ſi quibus forte revelaverint. Idque confirmat praxis Confeſſariorum*, qui tantum obligant, ut retractent apud eos, quibus ipſi revelarunt. V. Card. Lugo *l. c.*

Unde reſolves.

1. Confeſſarii eſt, uti & Concionatorum, bene inſtruere ſuos, & monere de reſtitutione, ac fuga vitii tam communis.

ANIMAD. XIX. 2. *Is, qui bona fide, vel probabili errore ductus, ſine formali mendacio falſum de alio dixit, tenetur (intellecta poſtea materiali injuſtitia) ad reſtitutionem:* licet non tam ſtricte, quam qui infamavit per injuriam formalem: hic enim tenetur reſtituere cum detrimento famæ ſuæ, etiam æquali, alter *non item,* (a) *ſed tantum, quatenus ſine ſuo notabili incommodo poteſt.* Molin. Leſſ. Card. Lugo *d.* 15. *num.* 4. *Similiter qui crimen narravit de uno, quod auditores ex errore intellexerunt de alio, licet non ex juſtitia (ſi quidem non ejus actio, ſed error audientium cauſa fuerit damni injuſti) tamen ex caritate tenetur ad reſtitutionem, cum poſſit grave damnum proximi ſine ſuo detrimento præcavere.* Bon. *d.* 44.

3. Qui detraxit alteri libello famoſo, tenetur, ut efficax ſit reſtitutio, eam facere contrariis ſcriptis, vel publica revocatione. Sa, Bonac. *d.* 2. *de reſt. q.* 4. *p.* 9.

4. Si ex læſione famæ ortum etiam eſt alteri damnum fortunarum, ut ſi privatus eſt officio, excidit ſpe divitis matrimonii, amiſit dotem &c. tunc & fama debet reſtitui, & damnum illud compenſari, ad arbitrium prudentum. Et quidem obligatio reſtitutionis famæ, cum ſit pure perſonalis, non tranſit ad heredes: obligatio autem compenſationis dicti damni, cum habeat reſpectum ad bona infamatoris, tranſit ad heredes. Laym. *l. c. c.* 7. *n.* 4.

Quæres 1. Quæ excuſent a reſtitutione famæ?

Reſp. Patere ex dictis *de reſt. l.* 3. *t.* 9. *c.* 2.

Unde reſolves.

1. Excuſatus es a famæ reſtitutione, ſi plane ſis impotens.

ANIMAD. XX. 2. *Si crimen occultum, quod dixiſti, vel ſimile alia ratione fiat publicum.* Card. Lug. *d.* 15. *ſ.* 5. *n.* 37.

3. *Si fama aliis modis jam recuperata ſit,* (f) ut infamati purgatione, vitæ probitate, teſtimonio prudentum. Leſſ. *l.* 2. *c.* 11. *d.* 24. Etſi tunc pro damno, quod ſecutum eſt, debeat ſatisfieri. Card. Lug. *d.* 15. *ſ.* 3.

4. Si prudenter judicetur, jam dudum eam oblivione deletam. Quo caſu maxime prudentia opus eſt: nam aliquando periculoſius eſt retractare renovando memoriam. Vid. Card. Lugo *d.* 13. *ſ.* 5. *num.* 35.

ANIMAD. XXI. 5. *Si is, cui detraxiſti, tibi ſimiliter detraxerit, nec velit reſtituere;* quia tunc potes jure compenſationis, ſeu retentionis uti, dummodo infamia illata non redundet in alios. Ita probabiliter Tol. Leſſ. Sylv. Mald. Dian. *r.* 2. *tr.* 5. *R.* 30. Mol. contra Cajet. Tan. C. Lug. & Nav.

ANIMAD. XXII. 6. *Si non poſſis abſque periculo vitæ, vel ſi fama reſtituenda, ſit minoris valoris, quam fama detractoris. Sic v. g. Prælatus non tenetur reſtituere vili homini, ſi aliter non poteſt, quam cum amiſſione famæ ſuæ multo majoris momenti, ſed ſufficit tunc, ſi infamatum laudet, aut pecunia compenſet.* Vid. Card. Lugo *l. c.*

ANIMAD. XXIII. 7. *Si infamatus ſponte remiſerit, (modo tamen ejus infamia non redundarit in alios, ut familiam, ſtatum) ſive expreſſa, ſive tacita ſit condonatio:* tametſi nihilominus ex caritate damnum reſarcire aliquando tenearis, ſi poſſis abſque gravi incommodo. Card. Lug. *d.* 15. *ſ.* 3. *n.* 28 *Imo aliquando etiam ſufficit condonatio præſumpta, ſive interpretativa voluntas ejus, qui poteſt condonare: ſi nimirum ille ſit ita affectus, ut ſi rogaretur, facile condonaret: tunc enim non eſt invitus, ſaltem quoad ſubſtantiam, etſi fama non reſtituatur.* Vid. Card. Lugo *l. c.*

Quæres 2. An reſtitutio famæ licite condonetur?

Reſp. Licite fit in iis caſibus, in quibus ſeipſum licet infamare; in quibus autem, & quam graviter peccat ſe infamando, in iiſdem, & tam graviter peccat condonando. Navar. Trull. *l.* 7. *c.* 10. *d.* 38.

Unde reſolves.

1. Condonans famæ reſtitutionem, peccat mortaliter. 1. Si infamia redundet in alios. 2. Si inde ſequatur ſcandalum. 3. Si ſit vir valde utilis Reipub. & ex infamia fructus impediatur. 4. Si fama ſit neceſſaria ad muneris gubernationem. Sot. Leſſ. Trull. *l. c.* qui tamen notant, condonationem ſemper eſſe validam, quando fama non redundat in alios, ſecus quando redundat. Unde parentes non poſſunt condonare, quando redundat in filios; neque filii, quando in parentes. V. Auth. cit.

2. Ex eo vero præciſe, quod infamatus, vel contumelia affectus, converſans cum infamatore, videatur remittere injuriam, non cenſetur condonare reſtitutionem famæ, vel honoris, ſicut nec alia debita per familiaritatem. Nav. *c.* 18. Trull. *d.* 29.

CAPUT II.

Quid de Præcepto nono, & decimo?

REſp. Prohibent omnes internas concupiſcentias, & delectationes voluntarias illorum operum, quæ Præceptis ſecundæ tabulæ, præſertim ſexto, & ſeptimo vetantur. Qua de re vide ſupra: & patebit ex dicendis de peccatis, infra *l.* 5.

NOTÆ.

(a) *In confeſſione tamen non opus eſt explicare ſpeciem mali judicati.* Nego. Ratio eſt, inquit Buſ., quia *omnia uni juſtitiæ commutativæ in ſpecie infima adverſantur.* Id quoque falſum eſt, ſicuti falſum eſt, omnem alienæ rei acceptionem eidem juſtitiæ in ſpecie infima eſſe contrariam, uti ſimplex furtum, rapina, ſacrilegium.

Videlicet actus ab objectis ex D. Th. alibi citato ſpeciem deſumunt: at temerariorum judiciorum objecta ſunt ipſa mala judicata; quæ ſpecie diverſa ſunt, ut furtum, adulterium, hæreſis &c. Ergo judicia temeraria ſpecie ſine dubitatione differunt. Itaque in confeſſione neceſſario aperiendum eſt, hominem fuiſſe temere judicatum blaſphemum, hæreticum, latronem &c. Sed lege etiam animadverſionem hic 14.

(b) *Si non ſit grave malum, quod proximo temere impingis* &c. Hic ſcilicet controvertitur; ſed Buſ. doctrina rationi conſentanea videtur, dum inde grave detrimentum in proximum non redundet. Vide, ſi lubet, Concinam Th. t. 4. p. 654. n. 12., & ipſum Buſ. in hoc cap. dub. 2. ca. 4. Quod enim ibi dicit, præſenti ſpeciei accommodari poteſt.

(c) *Talem autem ſufficienter confiteri, ſi dicat, detraxi cuidam Religioſo &c. docet &c.*

Hæc aperte falſa doctrina in anteceſſum refutata fuit hoc cap. ex dictis in Reſp. 1. dub. 1. Qui ait, *detraxi cuidam Religioſo*, & nihil addit, nec gravitatem, nec ſpeciem, nec numerum detractionum explicat, ita ut mirum ſit, eſſe aliquos, qui hujuſmodi confeſſionem tam confuſam ſufficientem dicere auſi ſint contra Synodum Tridentinam cap 5. ſeſs. 14. ubi ait. *Conſtat enim, Sacerdotes judicium hoc incognita cauſa exercere non potuiſſe, neque æquitatem quidem illos in pœnis injungendis ſervare potuiſſe, ſi in genere dumtaxat, & non potius in ſpecie, ac ſigillatim ſua ipſi peccata declaraſſent.*

(d) *Vel ex eo magnum incommodum metuit .... ſi commode poteſt.*

Hæc loquendi ratio, quæ Dei mandati vim ex commodo metitur, mihi maxime diſplicet, & Evangelio contraria eſt. Lege animad. 23. 24. &c. in dub. 4. cap. 2. tract. 3. lib. 2.

Qui tamen diſcedit, aut alio ſermonem convertit, vel faciem triſtiorem exhibet, facto ipſo detractorem

corri-

corripit. Hinc Prov. 25. v. 23. *ventus aquilo diſſipat pluvias; & facies triſtis linguam detrahentem*.

Item non peccat, qui monitionem prætermittit, quia profuturam non putat ex D. Aug. animad. 23. cit. Hinc Eccli. 32. v. 6. *ubi auditus non eſt, non effundas ſermonem*. Vide tamen, ne temere putes inutilem tuam correptionem.

Buſ. *Hinc æqualis raro, inferior rariſſime tenetur corrigere* &c.

Hanc laxitatem refutatam leges animad. hic 14.

At Buſ. ſui dicti rationes affert. 1. *quia audiens* &c. 2. *quia* &c.

Reſp. hæ rationes non pro æqualibus tantum, aut inferioribus, ſed pro omnibus detrahentium auditoribus militant; ideoque, cum nimis probent, nihil probant.

Quoad primam, ſi homo notæ tibi probitatis crimen proximi famæ grave narret, merito ponis, illud eſſe publicum, ut monet quoque Concina Th. t. 4. p. 647. q. 3. n. 7.

Si autem ignores, quid hoc rei ſit, cur corripias, qui, utrum peccaverit, neſcis? Correptio non eſt adhibenda, niſi eum crimen certum eſt.

Nihilominus auditor chriſtiane aget, ſi prudenti modo oſtendat, detractiones ſibi diſplicere.

Quoad alteram, Buſ. recte mihi ſentire perpenſis tamen circumſtantiis videtur.

Buſ. 3. *Quia ſæpe ſine gravi offenſione* &c.

Hic Buſ. non recte loquitur. Non enim gravis corripiendi offenſio, ſed correptionis inutilitas a corripiendi officio excuſat. Quo magis detractor correptione exulceratur, eo magis ad emendationem excitari videtur, ſi prudenter fiat, hoc eſt & opportuno tempore, & loco, & modo.

4. *Quia* &c. De hoc nihil eſt, quod dicamus, niſi quod cum conſilii cauſa aliena occulta crimina panduntur, ſaltem ut plurimum non eſt neceſſe, ut eorum auctores revelentur.

(e) *Alter non item, ſed tantum quatenus ſine ſuo notabili incommodo poteſt*; Adde, ſi tamen hoc incommodum unquam accidere poſſit. Nec enim intelligitur, grave damnum, aut incommodum in eum redundare poſſe, qui falſum crimen de alio ſe per errorem dixiſſe aperte, & prudenter fateatur; cum inde potius hominis veracis, probi, & juſti laudem conſequi debeat.

(f) 3. *Si fama aliis modis jam recuperata ſit*.

Hæc ſententia teſte P. Concina Th. t. 4. p. 679. n. 3. q. 2. communis eſt. Nam *reſtituere*, ut ait S. Th. 2. 2. quæſt. 62. art. 1., *nihil aliud eſſe videtur quam iterato aliquem ſtatuere inpoſſeſſionem, vel dominium rei ſuæ*. At infamatus in noſtra ſpecie ponitur eſſe in poſſeſſione, vel dominio rei ſuæ, hoc eſt famæ ſuæ: ergo reſtitutio in noſtra ſpecie locum non habet.

Buſ. *Etſi tunc pro damno &c. debeat ſatisfieri*. Hoc ſane certum eſt, ſed non ſufficit; quia, ut ſubdit Conc. loco mox cit., *pro infamia quoque, quam paſſus eſt tempore intermedio, neceſſaria eſt æqua compenſatio juxta perſonæ qualitatem, vel veniæ petitione, vel honorem & laudem tribuendo, aut alio aliquo ſigno pro varietate circumſtantiarum*. Ita ille recte.

Buſ. 4. *Si prudenter &c. Quo caſu &c. Nam aliquando* &c. Omnia recte; „ ſi tamen dubium ſit, ſubdit „ Conc. loco mox cit., utrum in mente auditorum ob„ tineat irrogata diffamatio, tutior via eligenda eſt, „ & quod favet innocenti, exequendum. “

Animadverſio I.

P*Eccatur tantum venialiter, temere judicando ... ſi ſit grave quidem, ſed non perfecte advertas*.

La-Croix quoque ad mortalem culpam temerarii judicii p. 395. n. 1176. poſtulat plenam advertentiam, & deliberationem. Juxta hos probabiles opinatores ubi non eſt plena advertentia, ibi non eſt mortalis culpa, ubi nulla eſt advertentia malitiæ, culpa nulla eſt; qui eſt Pelagianus error, ut alibi oſtenſum eſt.

Animadverſio II.

Si advertas quidem, te male judicare, non tamen advertas &c. nec de iis dubites.

Non ſolum eo nomine Buſ. opinio rejicienda eſt, quod advertentiam, aut ſaltem dubitationem de malitia temeritatis ad mortalem culpam poſtulet, quod fuit a nobis expulſum l. 1. t. 2. cap. 4. d. 1. Reſp. ſed etiam quia contradictionem involvit. Qui enim advertit, ſigna, quibus in judicando nititur, eſſe inſufficientia, aut de eorum ſufficientia dubitat, firmum judicium de proximi pravitate habere non poteſt; quia advertentia, aut dubitatio inſufficientium, ſeu vacillantium argumentorum, ſeu ſignorum formidinem, & vacillationem animi natura ſua ingerit. Itaque Buſ. opinio a Concina quoque rejicitur Theol. t. 4. p. 655. n. 14. Inadvertentia ergo gravitatis malitiæ, quam quis proximo temere judicando impingit, aut inſufficientiæ ſignorum, a mortali culpa non excuſat, niſi ſit involuntaria. Porro inadvertentia ea negligentia, ea animi pravitate, ex pravis animi motibus, quibus non reſiſtitur, orta, in cauſa voluntaria eſt, ideoque a culpa gravi non excuſat, excuſaret autem, ſi non ex culpa, ſed ex naturæ infirmitate, quod in judiciis temerariis raro accidere videtur, ortum haberet.

Animadverſio III.

Si ſigna ſint ſufficientia ad opinionem ſaltem probabilem.

Juxta Buſembau prima principia, ſigna, quæ ex ſe ſufficerent ad inclinandum animum, ſeu ad generandam opinionem probabilem, vim ſuam non amittunt, etiamſi contraria indicia æqualiter, aut ferme æqualiter probabilia adſint. At ſi hæc adſint, ex rei veritate perinde eſt, ac ſi nullum foret pravitatis proximi argumentum; quia argumenta, ſeu indicia contraria æqualia, aut ferme æqualia ſeſe mutuo elidunt. Ergo judicium de proximi pravitate, in hac ſpecie eſt prorſus temerarium, nullaque ratione a culpæ mortalitate excuſandum, quidquid contra verſatilis periculoſa probabilitas opinetur.

Animadverſio IV.

Mortale etiam non eſt &c. ſi de indeterminato tantum judices; quia &c.

Idem habet Conc. Theol. t. 4. p. 653. n. 10. ubi ad particularia deſcendens ita loquitur. „ Si judices, mu„ lierem larvatam, velatam, tibique omnino incogni„ tam, eſſe meretricem, aut hominem longius occurren„ tem, atque adeo prorſus tibi ignotum reputes eſſe fu„ rem, non peccas letaliter: quia nulli determinatæ „ perſonæ injuriam irrogat. Similiter ſi judices, in hac, „ vel illa civitate, aliqua gravia perpetrari crimina, „ nullam deſignando determinatam perſonam, a gravi „ culpa excuſaris. “

At in rem hanc juvat me quoque ſpeciem moralem, quæ facile accidere poteſt, proponere. Cajus temere judicat alterutrum, e. gr. Joannem, aut Petrum adulterum, ſimoniacum, homicidam &c. Quæro utrum Cajus mortaliter peccet? Nam juxta poſita principia videtur negandum: Cajus enim indefinite judicat. At ex æquo judicio valde dubitandum eſt de culpa mortali; quia uterque gravi ſuſpicione infamiæ, ſeu criminis ad famam gravis, apud temerarium judicem laborat.

Animadverſio V.

Suſpicio, & dubitatio temeraria ... videntur eſſe peccata tantum venialia.

Ita ſane D. Th. quodl. 12. art. 34. inquiens: *Suſpicia autem eſt aliquid imperfectum in genere judicii, & ideo eſt imperfectus motus; & ideo non eſt mortale ex genere. Quamvis ſi fiat ex odio, erit aliquando mortale*.

Idem repetit 2. 2. q. 60. ar. 3. ubi ait: *Eſt autem triplex gradus ſuſpicionis. Primus quidem gradus eſt, ut homo ex levibus indiciis de bonitate alicujus dubitare incipiat, & hoc eſt veniale, & leve peccatum: pertinet enim ad tentationem humanam, ſine qua vita iſta non ducitur, ut habetur in gl.* (hoc eſt in D. Aug. tract. 90. in Joannem) *ſuper illud 1. ad Cor. 4.* Nolite ante tempus judicare. His graviſſimis S. S. Eccleſiæ Doct. Auguſt. & Thom. auctoritatibus nixi idem docent Genettus Thol. t. 7. p. 371. q. 4. & Concina Theol. t. 4. p. 658. n. 9. 10. &c. Pergit S. Th. *Secundus gradus eſt, cum aliquis pro certo malitiam alterius æſtimat ex levibus indiciis: & hoc ſi ſit de aliquo gravi, eſt peccatum mortale, inquantum non eſt ſine contemptu proximi. Unde gloſ. ibidem ſubdit.* Si ergo ſuſpiciones vitari non poſſumus quia homines ſumus, judicia tamen, id eſt definitivas firmaſque ſententias continere debemus. *Tertius gradus eſt, cum aliquis judex ex ſuſpicione procedit ad aliquem condemnandum: & hoc directe ad injuſtitiam pertinet: unde eſt peccatum mortale*. Hactenus S. Doctor.

Animadverſio VI.

Plerumque etiam levis &c. ſi &c. v. gr. eſſe iracundum &c.

Idem habet P. Concina Theol. t. 4. p. 621. n. 2. ex communi doctrina.

Etſi aliquando gravis eſſe poſſit.

Idem ex eodem Concina intellige, cum perſona, cui

 detra-

detrahitur, tantæ famæ, & integritatis eſt, ut apud auditores illius nomen ex tali detractione grave detrimentum pari jure puterur, quod præſertim accidit, cum detractor multæ eſt auctoritatis, qui proinde opinionem graviter pravam in auditorum animis imprimit.

Animadversio VII.

Similiter non erit mortale &c. *v. g. ſi dicas militem habere concubinam* &c. *adoleſcentem* &c.

Hæc Buſemb. exempla cum aliqua moderatione intelligenda videntur. Quamvis enim milites generatim loquendo aut nullum, aut leve famæ diſpendium patiantur, dum in duello pugnant, & vindictas injuriarum machinantur, aut hæc feciſſe dicuntur, de quibus ipſi gloriari ſolent; ſi tamen miles quoad peccata luxuriæ, bonæ famæ ſit, & concubinam, quæ ipſius uxor creditur, eſſe quis dixerit: hæc detractio non ſolum quoad mulierem, ſed quoad ipſum militem levis haberi poſſe non videtur.

Item ſi adoleſcens integri nominis patrimonium patris in luxum, comeſſationes, aleas &c. prodigere, vel luxuriæ peccatis implicatus eſſe dicatur, an detractio levis habenda eſt?

Animadversio VIII.

Hinc quoque ſi quis injuſte lædit &c. *nec potes* &c. *id licet, dummodo falſa non dicas, intantum, quantam* &c.

Hanc Buſemb. doctrinam refert Concina Theol. t. 4. p. 631. n. 26. 27. eamque laxam habet, nec cum Evangelio conciliari poſſe putat, niſi diminutio famæ proximi, ut tuam tuearis, aut in bonum detractoris vergat, aut neceſſaria ſit ad ſcandalum, vel impedimentum ſalutis aliorum tollendum.

Peccat ſine dubio, qui odio, ſeu livore vindictæ movetur ad famam proximi lædendam, etiamſi id neceſſarium putetur ad propriæ famæ tuitionem. Qui ita ſe gerit, Evangelio aperte repugnat.

Ceterum diminutio famæ proximi ex fine honeſtari poteſt; honeſtatur enim, ut ait ipſe P. Concina, & negari non poteſt, ſi aut in bonum detractoris cedat, aut neceſſaria ſit ad ſcandalum tollendum.

Quid ni ergo honeſtetur, ſi neceſſaria ſit ad propriæ famæ tuitionem?

Cur diminutio famæ proximi honeſtatur, ſi aut in bonum detractoris cedat, aut ad ſcandalum tollendum neceſſaria ſit? Quia ſcilicet amotio ſcandali, & ſpirituale proximi bonum ex lege caritatis magis amandum eſt, quam ejus famæ integritas: atqui ex ipſa caritatis lege magis propria, quam aliena fama amanda eſt; quia noſmet magis, quam alios diligere debemus: ergo ut noſtram famam injuſte læſam tueamur, cum alia via non ſuppetit, quam imminutio famæ detractoris, id licet, dummodo falſa non dicamus, nec læſio famæ proximi cum noſtro damno collata nimis enormis ſit.

Sicuti vitam propriam tueri licet etiam cum cæde injuſti invaſoris, cum alia ratione defendi non poteſt; ita propriam famam ab alio injuſte læſam defendere licet etiam cum diminutione famæ injuſti detractoris, ſi alia ratio eam defendendi non ſuppetat. Ordo enim caritatis poſtulat, ut unuſquiſque ſeipſum magis diligat, quam proximum; ideoque uti ſuæ magis, quam alienæ famæ conſulat. Ex quo fit, ut ordini caritatis non repugnet, qui injuſti detractoris famam minuit, ut ſuam conſervet, vel recuperet.

Quod ſi dicas, mundi honorem, & fallacem famam, eſſe ex Chriſti doctrina contemnendam, id quidem verum eſt: at nos in præſenti non loquimur de mundi, hoc eſt ſtultorum hominum honore, & fama, quæ inania bona, ipſaque vitia in pretio habet, ſed de fama ſolida, quæ veritate nititur, & ex virtute oritur; & hanc in pretio habendam eſſe, aſſerimus juxta illud Prov. 22. *Melius eſt bonum nomen, quam divitiæ multæ.* Quod ſi fama virtutis, & integritatis reipſa contemnenda eſſet, detractio non eſſet culpæ vertenda, quia proximum non læderet.

Petrus e. gr. (exempla ſunt, quæ ſæpe contingunt) ut fur, vel adulter, &c. a Paulo falſo traducitur, nulla porro alia ratio ſuppetit Petro, qua ſuam læſam famam tueatur, niſi ut Paulum calumniatorem oſtendat; idque reipſa oſtendit, hoc eſt ipſum falſa dixiſſe non ſolum aſſerit, ſed quoad fieri poteſt, evincit. Vocas ne Petrum in crimen? Si vindictæ animus deſit, ego illum ab omni culpa abſolverem. Bono enim non ſolum privato, ſed publico ſemper expedit, ut veritas victa non relinquatur.

Chriſto magiæ crimen quidam impegerunt, dicentes Luc. 11. v. 15. *In Beelzebub Principe Dæmoniorum ejicit dæmonia*, quos ille redarguit, & calumniatores eſſe evincit. Ergo Chriſtus ſuo exemplo nos docuit, calumniatoris famam ſine culpa lædi poſſe, cum ad noſtram famam tuendam id neceſſarium eſt. *Exemplum*, inquit ipſe Joann. 13. 15. *dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.* Chriſti exemplum imitati ſunt Sancti Viri, ut videre licet in Martyrologio die 30. Ap. Neapoli in Campania &c., & 2. Maii in Brev. Rom. in vita S. Athanaſii.

Animadversio IX.

Si quis ſolatii tantum cauſa &c.

Ne meis dictis perſpicuitas deſit, inverſo Buſ. ordine incedendum mihi eſt.

Quæritur ergo primo, utrum revelare grave occultum proximi crimen viro prudenti, & taciturno, ſit venialis tantum culpa, ut Card. Cajet. Petrus Nav. Dian. & alii ſentiunt?

Reſpondet Buſ. hanc ſententiam univerſim non videri ſatis tutam. Huic contrariam probabiliorem eſſe, ait La-Croix p. 398. n. 1197. & pro ea citat cum aliis Illſ. n. 105. Ratio Buſ. eſt: *Quia læſio famæ apud unam etiam perſonam cenſetur gravis; ut patet ex judicio temerario; imo ſæpe quidam ægrius ferunt, ſe lædi apud unam perſonam gravem, quam tres, vel quatuor alias. Unde Suar. Fill. Leſſ. Azor. & Laym. putant, communiter eſſe mortale.*

Hanc eandem ſententiam ſequitur Concina Theol. T. 4. p. 632. n. 7. pro qua citat Bannez, Dom. Soto, Pradum, Tapiam, Salmanticenſes, La-Croixium jam citatum, eamque ex angelico D. Thomæ fonte 2. 2. q. 73. art. 1. ad 2. derivari putat, ubi S. D. ait: *Quamvis etiam ſi uni ſoli aliquis de abſente malum dicat, corrumpit famam ejus non in toto, ſed in parte.* Sicuti ergo letifere peccat, non ſolum qui totam hominis vitam cæde extinguit, ſed etiam qui ejus partem, ex. g. brachii, pedis, auris abſciſſione; ſicut mortaliter delinquit non tantum qui totam alicujus pecuniam expilat, ſed etiam qui partem, quæ ſit aliquid notabile, ſurripit; ita letalis culpæ rea eſt non ſolum qui totam alicujus famam, coram multitudine detrahendo, diſſipat, ſed etiam qui ex parte eam corrumpit, detrahendo apud unum; quia detractio de re gravi, leve eſſe non poteſt.

Hac ſententia, quæ valde rationabilis eſt, poſita, quæritur ſecundo, utrum qui ſolatii tantum cauſa, non detrahendi animo, alicui amico gravem injuriam ſibi illatam, puta uxoris adulterium, filiæ violentam conſtuprationem narrat, mortaliter peccet. Buſemb. negat. At hæc opinio mihi ſuſpecta eſt, & ex mox dictis falſa videtur. Nam revelatio gravis criminis uni facta, mortalis culpa eſt: at mortalis culpa non poteſt effici venialis, quia inde ſolatium quæritur. Malum enim ſolatium, culpam non minuit, ſed potius auget: at ſolatium, quod ex detractione quæritur, malum eſt; quia voluptas quoad bonitatem, & malitiam ſequitur naturam actionis, unde captatur: ergo ſolatium ex detractione (idem eſt ex revelatione gravis injuriæ, quam quis paſſus eſt) quæſitum, detractionis culpam non minuit. An atrocis injuriæ ultio, levis culpa evadit, quia non explendi livoris, ſed graviſſimi doloris leniendi cauſa ſumitur? An ebrietas veniale peccatum ſit, ſi eligatur, non quod ipſa placeat, ſed in triſtitiæ remedium? Idem dicas de ſimilibus. Ergo detractio gravis, & ex ſe mortalis, non efficitur venialis, quia triſtitiæ mitigandæ gratia ſit. Itaque homo chriſtianus non ex peccatis, unde dolor oriri debet, ſed ex patientiæ virtute lenimentum triſtitiæ quærere debet.

Quare dum famuli injurias ab heris mercedem non ſolventibus, uxores a maritis adulteris, filii a patre crudeli, Religioſi ab injuſto, & duro Prælato ſibi illatas leniendi doloris cauſa, ut ajunt, referunt, ſuamque detractionem in pœnitentiæ tribunali accuſant, graviter monendi ſunt, nec ſine vero dolore, & efficaci propoſito abſtinendi, & famam reſtituendi, abſolvendi videntur.

At quid, inquis, ſi conſilii capiendi cauſa, perſona, quæ gravem injuriam intulit, reveletur? Reſp. Si revelatio perſonæ lædentis neceſſaria non ſit, ſicuti eſſe non ſolet, ut conſilium recte accipiatur, revelans a gravi culpa immunis eſſe non videtur; quod ex mox dictis intelligitur. Hinc Catech. Conc. Trid. de oct. præc. n. 8. ait: *Et ſi quid occultius ab aliquo commiſſum ſit, quod ubi reſcitum fuerit, grave, aut turpe ſit ad famam, eam rem qui ubi, quando, quibus neceſſe non ſit, promulgaverit, is obtrectator & maledicus jure dicitur.* Ex his intelligis, evulgantem injurias ſolatii, aut conſilii cauſa, quod ſine perſonæ lædentis manifeſtatione recte accipi poteſt, abs obtrectatione, hoc eſt a mortali culpa non excuſari. At ſi hujuſmodi revelatio ſit neceſſaria, revelans excuſabitur; quia ex offenſoris culpa in neceſſitatem revelandi ejus injuriam, & perſonam conjectus eſt; neque, ut ejus famæ parcat, gravibus periculis ſe ſe objicere debet. Id vero colligitur ex mox citatis Catechiſmi verbis; & hoc ſenſu accipienda mihi videtur

com-

Digitized by Google

communis ſententia, quæ, ut ait Concina Theol. T. 4. p. 622 n. 5. permittit, ut qui ſecreto, graviterque læſus eſt, leniendi doloris, & capiendi conſilii cauſa lædentem amico prudenti patefaciat. Huc quoque ſpectare mihi videntur illa D. Thomæ 2. 2. q. 73. art. 2. verba: *Et ſi quidem verba, per quæ fama alterius diminuitur, proferat aliquis propter aliquod bonum neceſſarium, debitis circumſtantiis obſervatis, non eſt peccatum, nec poteſt dici detractio.*

Animadversio X.

Crimen ſimpliciter publicum &c.

Crimen triplici modo publicum, ſeu notum, aut notorium dicitur. Primo facto, quod ſcilicet coram multis, ex. gr. in foro, in platea, &c. admiſſum eſt. Secundo jure, quod Judicis ſententia declaratum eſt, vel rei confeſſione, aut teſtium aſſertione conſtat, licet Judicis ſententia lata nondum fuerit. Tertio fama; & hoc ab aliis, & aliis diverſimode explicatur, ut legi poteſt apud La-Croix p. 400. n. 1219.; ſed fama publicum illud recte dici poteſt, quod in vulgus ſparſum eſt, & vulgo publicum dicitur. Neque enim hic ſubtilibus commentationibus locus eſt.

Hoc poſito loqui de crimine occulto coram iis, quibus notum eſt, non eſt culpa, nec detractio; quia fama non denigratur; qua de re nulla eſt diſſenſio. Secundo crimen publicum ſeu jure, ſeu facto manifeſtare iis, qui neſciunt, non eſt peccatum mortale injuſtitiæ, ut recte ait Buſ. ex ratione ab eo allata. Et hoc intelligitur ſeu manifeſtetur in loco, ubi publicum eſt, ſeu etiam ubi notum non eſt, ſed brevi pervulgandum merito creditur.

Quod ſi crimen nec jure, nec facto, ſed ſolum injuſta divulgatione publicum ſit, P. Concina Theol. T. 4. p. 625. n. 15. contra Salmanticenſes, alios pro ſe citantes, putat publicari non poſſe in locis, ubi publicum non eſt; cujus ratio eſt, quia cum crimen injuſte publicatur, reus ſua fama injuſte ſpoliatur: ergo ſemper retinet jus ad eamdem. Igitur ſicuti peccat qui bona injuſte ſurrepta accipit; ita peccat qui diffamationem injuſtam ad alia loca extendit; quæ ſane ratio oſtendit, crimen injuſte divulgatum ne in loco quidem, ubi publicum eſt, aliis illud ignorantibus manifeſtari poſſe; quod docent teſte La-Croixio p. 400. n. 1220. Bon. Hsun o. 545. & alii cum Steph. n. 22. quæ ſententia non ſolum pia, ſed verior, immo vera merito videri debet. Nam falſum eſt, quod adverſarii dicunt, reum criminis per publicationem amiſiſſe jus ad famam. Nec enim jus per injuriam amittitur: ergo cum reus criminis per injuriam ſua fama ſpoliatus fuerit, jus ad famam non amiſit. At „ nimis durum foret non poſſe loqui de publicis, & reipſa vix „ unquam poſſet quis loqui de crimine publico, quia „ primi ſermones ſæpiſſime fuerunt injurioſi.“ Ita objiciunt adverſarii apud La-Croix. Sed hæc ratio futilis eſt; nec enim quia aliquid durum, aut difficile noſtræ naturæ corruptæ videtur, idcirco a legis vinculo ſolvitur. Si hæc ratio valeret, plurima, aut etiam omnia præcepta de medio tollerentur; quia plurima, aut etiam omnia præcepta noſtræ naturæ corruptæ dura, & difficilia videntur. *Arcta enim via eſt*, teſte Chriſto, *quæ ducit ad Cœlum*; quæ eſt via divinorum præceptorum.

Animadversio XI.

Dixi, non eſt mortale injuſtitiæ: *quia detegere eo loco quo fama &c. ſæpe poteſt eſſe mortale contra caritatem, ut &c.*

Hic diſtinctione opus eſt. Vel enim crimen facto publicum eſt, vel jure.

Si jure, hoc eſt publica Judicis ſententia publicum ſit, quocumque in loco publicari poſſe videtur, ut ex communi Theologorum ſententia affirmat Concina Theol. T. 4. p. 624. n. 11. Neque vero caritas nos cogit, ut jure noſtro non utamur per ſe loquendo. At cum crimen publica Judicis ſententia notum eſt, jus habemus illud ubique publicandi; quia hoc jus ipſa ſententia nobis tribuit: ergo &c. Gravis mœror rei, eſt potius ipſius ſupplicium a Judice ipſi inflictum, cujus miniſtri quoad criminis divulgationem ſunt omnes homines. Sicuti ergo contra caritatem non peccant ſatellites reum hominem capientes, & carnifices eum morte, aut alia pœna afficientes; ita quoque homines ejuſdem rei crimen, & pœnam evulgantes, caritati non adverſantur; præſertim cum boni publici interſit, facinoroſos noſſe, tum ut ab iis alii ſibi caveant, tum ut a ſceleribus, quæ impunita non abire noverunt, abſtineant: caritas autem privato publicum bonum præfert.

Si autem crimen notum ſit ſola teſtium aſſertione, reus non eſt legitime privatus jure ad ſuam famam, ideoque ejus crimen evulgari non poteſt. Item ſi ſententia ſit ſolum publicata intra aliquam congregationem, cœnobium, aut religionem, extra illam communitatem manifeſtari nequit ſine injuria tum ipſius communitatis, quæ ex divulgatis ſuorum criminibus nota infamiæ aſpergitur, tum rei, qui intra communitatem tantum jus famæ amiſit. Pariter cum in S. Inquiſitionis Tribunali aliquis reprehenditur, aut punitur, peccat qui hæc revelat; quia Judices evulgationem nolunt. Ita idem Concina ex communi ſenſu.

Quod ſi crimen facto, vel fama in aliqua Civitate juſte publicum ſit, quæſtio eſt, utrum alibi, ubi evulgandum non creditur, manifeſtari queat.

Alii ajunt evulgantem peccare contra juſtitiam, alii contra caritatem, alii ab omni culpa eum abſolvunt. Pro hac poſtrema ſententia P. Concina p. 625. nu. 14. cit Cajet. Banez, Tapiam, Pradum, Nunnium, Fagundez, Filliuc. Salmant. &c. Ratio eſt, quia reus criminis publici, abſolute, & ſine limitatione jus amiſit ad ſuam famam. At hoc videtur incertum: merito enim dici poteſt, ipſum amiſiſſe jus ad famam ſolum in loco, ubi crimen publice admiſit. Præterea caritati adverſatur, proximum ejus boni poſſeſſione ſpoliare, quod ſine alterius injuria poſſidet: at reus publici criminis, ſuam famam poſſidet ſine cujuſpiam injuria, ubi crimen occultum eſt: ergo &c. Hiſtorici literis quidem publica crimina evulgant; at illi in communem utilitatem ſua ſcripta publicant, cui jura privata cedere videntur. Ceterum illi quoque ſuarum hiſtoriarum rationem ſupremo Judici reddere debent. Quare in propoſita quæſtione pius, & prudens Chriſtianus intelligere poteſt, eſſe *tempus tacendi, non tempus loquendi*, Eccl. 3. tacere enim ſine dubio culpa vacat; loqui, incertum eſt, utrum culpa vacet.

Animadversio XII.

Detractio materialis &c. eſt mortale, ſi gravem &c. idque advertatur.

Quid ſi non advertatur? detractio gravis, nihilominus mortalis eſt, ſi inadvertentia voluntaria ſit aut in ſe, aut in cauſa, ex. gr. in uſu detrahendi, quem, ut debueras, corrigere non ſtuduiſti.

Veniale autem tantum erit, ſi non &c.

Gravitas ut aliorum criminum, ita detractionis ex objecto, hoc eſt ex culpa, quæ ubi refertur, gravis, aut turpis ſit ad famam, præcipue petenda eſt: porro cum detractio ex objecto, hoc eſt ex natura ſua gravis eſt, levis, ſeu venialis eſſe non poteſt.

Venialis fit, inquit Buſ., ſi non ſequatur læſio gravis; quia *ſcilicet communiter non ſerio accipitur, nec creditur.*

At ſi ex detractione, ex natura ſua gravi, læſio gravis non ſequatur, id per accidens eſt, hoc eſt præter rei naturam; ex quo proinde detractio venialis fieri non poteſt. perinde enim eſt, ac ſi gravi ictu impetas aliquem, qui tamen graviter non læditur, quia ictum vel propulſat, vel eludit. Quamquam fictitium eſt, communiter non ſerio accipi, non credi, quod ex loquacitate aliquis obtrectet. Homines ad malum credendum vulgo proni ſunt, illudque ordinarie loquendo credunt, niſi præter fidem ſit, aut detractor mendax habeatur. Adde, quod detractionum auditores, cum aliorum crimina libenter audiant, ea animo facile imbibant. Ex quo fit, ut illa quoque, quæ ut ab aliis audita narrantur, haud ægre credant, etiamſi detractor nihil affirmet. At ponimus, inquit Buſ. auditores rationabiliter non eſſe credituros, ita ut, ſi diffamatio forte ſequatur, imputetur audienti, ſi credat. Reſp. etiamſi auditores ratione conſulta credere non debeant, ſi tamen ratione conſulta, hoc eſt penſata auditorum conditione, & facti narratione credituri putentur, aut eos credituros dubitetur, diffamatio non audienti tantum, ſed etiam narranti imputanda eſt; quia hic prævidit, aut prævidere debuit, diffamationem ex ſua narratione eſſe derivandam, aut ſaltem de hoc dubitavit, aut dubitare debuit. Quare opiniunculis recentibus omiſſis, Confeſſarius hujuſmodi detractores graviter monebit, eoſque, prout opus eſſe viderit, ad reparandam famam coget, illud ipſis ſuggerens, ſententiam tutam, & chriſtiano homine dignam illam eſſe, ut aliorum crimina ſilentio premamus, & de noſtris ſerio cogitantes, hæc pœnitentia delere conemur, non augere, aliena narrando.

Animadversio XIII.

Non eſſe mortale de aliquo &c. ex. gr. in tali loco eſſe &c. in tali collegio unum Canonicum &c.

Hanc doctrinam redarguit ipſe Buſ. hic cap. 26. ubi ait: *Mortale eſt tacita perſona nominare Monaſterium, vel Ordinem Religioſorum, ex quo aliquis grave peccatum occultum v. g. adulterii, vel fornicationis commiſerit.* Hoc enim perinde eſt, ac dicere in tali loco eſſe mul-

Digitized by Google

multos improbos, in tali collegio unum Canonicum eſſe ſimoniacum; niſi forte mortale crimen non ſit, laicis, aut ſæcularibus Sacerdotibus obloqui, ſit autem mortale de Regularibus detrahere. Nam qui nominat Ordinem religioſum, magis indeterminate loquitur, quam qui Congregationem, aut collegium Sacerdotum ſæcularium, vel locum laicorum indigitat.

Animadversio XIV.

Explicandum eſt in confeſſione, an apud multos, & quot circiter, an vero apud unum tantum alicui detraxeris: ita probabiliter Bon. &c. ſed C. Lugo &c. negat, dicitque contrarium eſſe probabilius.

Hic Buſ. impingit in propoſitionem 1. ab Innocent. XI. proſcriptam. Nam quod in Sacramentis conferendis liceat ſequi opinionem probabilem de valore ſacramenti relicta tutiore, eſt ipſa 1. propoſitio ab Innoc. XI. proſcripta: ergo proſcripta quoque implicite eſt opinio docens, licere pœnitenti ſequi opinionem probabilem de valore ſacramenti, relicta tutiore. Sumus enim in eadem navi; quia uterque tum Sacerdos miniſtrans, tum pœnitens ſuſcipiens ſacramenta ex opinione probabili de ſacramenti valore, ſacramentum ſacrilege tractat, illud fruſtrationis periculo objiciens. In præſenti porro ſpecie, utrum neceſſe ſit explicare numerum eorum, coram quibus maledicus alicui detraxit, agitur de valore ſacramenti, quia agitur de confeſſionis integritate. Ergo qui docet, poſſe maledicum in confeſſione reticere numerum auditorum ſuæ detractionis, quæ eſt opinio probabilis, (ſi tamen probabilis ſit) contraria vero tutior, incidit in propoſitionem 1. ab Innoc. XI. proſcriptam. Porro hæc eſt Buſ. doctrina, qui opinionem Card. de Lugo referens, eam non improbat, ideoque juxta ſua verſatilia principia probat. Quamquam contraria Bonacinæ, & aliorum ſententia non ſolum probabilior, ſed vera mihi videtur. Perinde enim peccas, ſeu repetitis vicibus modo apud unum, modo apud alterum alicui obtrectes, ſeu una vice apud multos ex. gr. ſex, aut decem; quia idem damnum ejus famæ inferi. Diſcrimen in eo ſolum eſt, quod in prima ſpecie ſunt plura peccata numero diſtincta, in altera unum peccatum, multis æquivalens. Qui apud decem alicui detrahit, ſimilis eſt furi, qui decem aureos ſimul ſurripit; qui decem vicibus eidem modo apud unum, modo apud alterum obtrectat, ſimilis eſt furi, qui decem vicibus aureos decem alicui furatur. Ergo ſicut fur quantitatem furti in confeſſione neceſſario explicare debet, ita maledicus, qui famam alienam diripit, quantitatem damni explicare, & numerum auditorum ſuæ detractionis aperire neceſſario debet.

Non tamen neceſſario dicendum, in quo genere infamaveris, quia fama ſemper eſt ejuſdem ſpeciei in genere moris. Card. Lugo &c.

Hic Buſ. pro fundamento habet, ſolas circumſtantias peccati ſpeciem mutantes in confeſſione neceſſario eſſe explicandas, non item alias etiam notabiliter aggravantes: at hoc fundamentum valde nutat, ut ea dicendis de confeſſionis integritate contra Buſemb. liquebit.

At etiamſi hoc fundamentum probabile eſſet, nihilominus circumſtantiæ notabiliter aggravantes neceſſario confitendæ eſſent, ut ibidem ea prop. 1. ab Innoc. XI. proſcripta oſtendetur.

Præterea Buſ. ait quidem, famam eſſe ſemper ejuſdem ſpeciei in genere moris; at cur id non oſtendit? Qua facilitate illud affirmat, eadem negari poteſt. Bona fama, ſi ſit vera, eſt acceſſorium operis boni, mala operis mali: acceſſorium ſequitur naturam ſui principalis: ergo ſicut opera bona, & mala ſpecie diverſa ſunt, ita quoque fama, & infamia, loquendo de fama, & infamia vera; neque aliter dicendum de fama, & infamia falſa. Et ſane aliud eſt, Confeſſarium e. g. credi indoctum & imperitum, aliud, & longe diverſum credi hæreticum: aliud, Sacerdotem haberi tenacem, aliud, & longe diverſum, putari ſimoniacum. Aſſertio ergo Buſembau duplici nutante poſitione nititur, quarum prior etiamſi probabilis ſit, nihilominus aſſertio reſpuenda eſt. Quanto ergo magis eſt repudianda, cum etiam poſterior aut falſa, aut ſaltem incerta ſit?

Animadversio XV.

Si crimen ſit falſum, non licet; quia eſſet mendacium pernicioſum. Hactenus recte, & vere.

Sylv. tamen, & Nav. putant, veniale tantum eſſe, ſi ſola infamia ſequatur, & poſt &c. eo quod &c.

At hæc doctrina damnatur ab Innoc. XI. prop. 44. ita ſonante: *Probabile eſt, non peccare mortaliter, qui imponit falſum crimen alicui, ut ſuam juſtitiam, & honorem defendat. Et ſi hoc non ſit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in Theologia.*

Hæc porro propoſitio proſcripta eadem eſt, ac opinio a Buſ. allata. Nam qui falſum crimen imponit ad vitanda gravia tormenta, illud, ut pono, negtavis Buſ. ſim imponit, ut ſuam juſtitiam, & honorem defendat. Si enim ea culpa ſua torquendus ſit, qui falſum crimen alteri ad torturam vitandam imponit, multo gravius peccaret, & opinio Buſ., eſſet ipſa proſcripta 44. propoſitione deterior.

At, inquis, Buſ. opinio non eſt abſoluta, ſed conditionata, hoc eſt, *ſi ſola infamia ſequitur, & poſt torturam revocetur.*

Reſp. Hoc additamentum eſt involucrum imperitis fucum facere aptum, at Buſ. opinionem a damnatione purgare ineptum.

Propoſitio enim damnata juxta obvium, & naturalem ejus ſenſum accipitur de impoſitione falſi criminis, unde ſola infamia derivetur; quia nullam aliorum conſequentium malorum mentionem facit. Et ſane ſola infamia, quæ graviſſimum ex ſe malum eſt, per injuriam irrogata, non poteſt non eſſe mortalis culpa: at infamis per falſi criminis impoſitionem impacta, per injuriam irrogatur: ergo. Nec metus torturæ, aut cupiditas proprium honorem, & juſtitiam tuendi a mortali culpa excuſat; ſicuti adulteri, ſimoniaci, homicidæ &c. a gravi, & letali peccato non excuſantur, quia hæc ſcelera vel metu, vel cupiditate ducti admittunt. Omnes ſceleſti ſcelera patrant vel ex metu, vel ex cupiditate. Si metus, & cupiditas a mortali culpa excuſant, jam nulla mortalis culpa ab hominibus patratur. Animadverte etiam illud, calumniatorem in judicio, non ſolum calumniæ, ſed perjurii quoque crimen incurrere; quia in cauſa criminali juramentum de calumnia vitanda præſtatur.

Præterea vix fieri poſſe videtur, ut qui infamiam in judicio ſubit, gravia vitæ, & pecuniæ detrimenta non ſubeat. At ponit Buſ., calumniam poſt torturam revocari. Reſp. hoc vero, quod Buſ. non advertit, contradictorium eſt. Si enim calumnia impingitur ad vitandam torturam, ponimus, calumniatorem torturam eludere: ſi autem torturam eludit, contradictorium eſt, ut poſt torturam calumniam revocet.

Adde, quod qui falſum crimen impingit, ac poſtea illud revocat, perinde ſe habet, ac qui furatur, ac poſtea reſtituit, vel qui grave vulnus infligit, ac poſtea illud curat. Sicuti ergo furtum, & vulnus non deſinunt eſſe mortiferæ culpæ, quia poſtmodum reſtitutio fit, aut remedium adhibetur, ita idem dicendum de calumnia, quæ poſtea revocetur. Nam illud quoque, quod Buſ. ait, infamiam ſcilicet non eſſe efficacem, quia calumnia removetur, contradictionem involvit. Si enim infamia non eſſet efficax, revocatione opus non eſſet. Quod ſi revocatio, infamiæ efficaciam impedit, jam infamia ex ſe fuit efficax, ideoque mortalis culpa. Hic Buſ. ſophiſtice ubique loquitur, ut intelligas, eum defendere opinionem proſcriptam.

Animadversio XVI.

Non eſt mortale, ad vitanda &c. falſum &c. ex quo etiam mors ſequatur.

Hanc eandem doctrinam Buſ. repetit l. 4. cap. 3. d. 7. art. 1. Reſp. 3. quam ibi refutatam leges.

Animadversio XVII.

Licet aliquando ſufficiat dicere &c.

Cum crimen falſum quis alteri impegit, recte ait, ſe penitus deceptum, rem aliter ſe habere &c. at ſi verum crimen per injuriam aperuit, dum ita loquitur, mendax eſt. Quomodo enim dicere, niſi mendaciter poteſt, ſe fuiſſe deceptum, cum reipſa deceptus non fuerit, rem aliter ſe habere, cum res aliter ſe non habeat? At nunquam licet mentiri: ergo fama alia ratione reparanda eſt, puta laudibus non falſis perſonæ, cui detractum eſt.

Animadversio XVIII.

Dixi per ſe: *plerumque enim &c.*

P. Concina Theol. t. 4. p. 670. n. 5. hanc Buſemb. doctrinam, & rationes, quibus eam confirmat, ſincere refert; tum ſubdit: „ P. Claudius La-Croix ejuſdem P.
„ Buſ. commentator ſcribit lib. 3. p. 2. n. 1242. proba-
„ bilia eſſe, quæ docet P. Buſ., ſed probabilius dicen-
„ dum eſſe, ut ſequitur. Si detractor famam læſit co-
„ ram auditoribus, quos prævidit aliis revelaturos cri-
„ men detectum, tum tenetur coram iſtis etiam auditori-
„ bus mediatis ſe retractare, ſi auditores immediati id præ-
„ ſtare nolint, aut negligant. Si contra prudenter præ-
„ ſumpſerit detractor, ſuos auditores immediatos nemi-
„ ni manifeſtaturos delictum, tum liber eſt a retracta-
„ tione coram auditoribus mediatis. Hæcque ſententia
„ communis eſt. Sed P. La-Croix probabilem vocando
„ ſententiam Buſ. quam etiam docet Lug. tom. 1. de
„ juſt. diſp. 5. ſect. 2. n. 29. vi ſui probabiliſmi licitam
„ In

„ in praxi proponit ſuis lectoribus. Probabilem quoque „ appellant hanc opinionem Salm. t. 13. c. 4. p. 9. n. „ 123. Illud apud omnes convenit, ad impoſſibile teneri neminem. Alterum quoque certum eſſe debet, nempe omni meliori modo, quo fieri poteſt, famam eſſe „ reſtituendam. Qui coram aliis detrahit, raro attenta „ hominum infirmitate, & vehementi in hoc vitium pro„ penſione præſumere prudenter valet, hos non eſſe aliis „ idem crimen revelaturos; idque experientia compertum eſt. Quare ſi illi non ſe retractaverint, tenetur „ detractor primus, cum moraliter poſſit, ſe coram auditoribus etiam mediatis retractare; quia ſcilicet ſua „ detractione in cauſa fuit, ut alii crimen evulgarent." Hactenus P. Concina, &, ut ego puto, ſapienter. Debitum enim reſtitutionis ut pecuniæ, ſic famæ reali ſolum reſtitutione ſolvitur, non implicita, ſeu tacita commiſſione, ut alii reſtituant, ſicuti falſo ponit Buſemb., neque a reſtitutionis onere quis liberatur, quia alii quoque huic oneri ſubſunt, niſi hi reipſa reſtituant; cui doctrinæ praxis Confeſſariorum ſeſe conformare debet.

Animadversio XIX.

Is qui bona fide &c. tenetur (intellecta &c.) ad reſtitutionem.

Tenetur non ſolum caritatis, ſed juſtitiæ lege ex communi Theologorum ſententia, ut monet P. Concina Th. t. 4. p. 670. n. 4 nam cum non reparas famam, poſtquam a te licet ſine culpa læſam noveris, rem alienam, hoc eſt ipſam famam, quam abſtuliſti, voluntarie retines; quod eſt apertum injuſtitiæ peccatum. Porro quod dictum eſt de eo qui falſum crimen narrat, quod invincibiliter verum putat, hoc intellige de eo, qui crimen occultum, quod publicum invincibiliter crederet, aliis revelaret, itemque de eo, qui ex naturali, & invincibili inadvertentia, & linguæ lapſu in detractionem ſe incidiſſe diceret. Nam qui crimen falſum, quod invincibiliter verum putat, alicui impingit, culpabilis detractor eſt, ſi commentitium crimen, occultum eſſe exiſtimet.

Similiter qui crimen narravit de uno, quod auditores ex errore intellexerunt de alio, licet non ex juſtitia &c. tamen ex caritate tenetur &c.

Si narratio detractione vacet, quia crimen verum, & publicum eſt, bene habet, quod ait Bul. „ At ſi quia, „ inquit Concina loco mox cit., uni detraheret, & au„ ditores intelligerent de alio, lege juſtitiæ deberet de„ tractor palinodiam canere." Hoc idem docet quoque La-Croix p. 402. n. 1245. citatis Mol. Lugo, Spor. contra Leſs. Ratio eſt, quia licet detractor perſonam denigratam præter intentionem læſerit, ex ſua tamen culpa læſit; ideoque ex juſtitia famam reſarcire debet; quia, ut inquit cap. Si *culpa tua* ſæpe cit. *ſi culpa tua datum eſt damnum, vel injuria irrogata .... jure ſuper his ſatisfacere te oportet.*

At inquit Bul. non narrantis actio, ſed error audientium cauſa fuit damni injuſti. Reſp. non ſolum audientium error, ſed etiam detrahentis culpa, fuit cauſa injuſti damni; quia ex hac error ortum habuit; & ſine ea error non extitiſſet. Detractor hac ſpecie perinde ſe habet, ac ſi quis volens ferire Paulum, ex errore, & præter intentionem feriat Petrum. Ergo ſicut vulnerator Petri damna ipſi illata reſarcire ex juſtitia debet, ita detractor in noſtra ſpecie famam ex auditorum errore præter detrahentis intentionem denigratam reparare ex eadem juſtitia debet, ac ſimul providere, ne fama illius, quem, cum detraheret, lædere voluit, diſpendium patiatur.

Animadversio XX.

Si crimen occultum, quod dixiſti, vel ſimile, alia ratione fiat publicum.

Dum Bul. ait *vel ſimile*, rem certe nimis dilatat, & laxat. An ſi furtum decem aureorum, quos Titius Petro ſurripuit, reveles, ac poſt publicum fiat furtum viginti aureorum, quos idem Titius Joanni furatus eſt, a reſtitutione famæ quoad fieri poteſt liber es? an ſi adulterium, quod Cajus admiſit cum Franciſca, manifeſtaſti, ac poſt publicetur adulterium, quod idem Cajus cum alia patravit, famam ejus a te læſam reparare non teneris? an aliorum detractiones, & peccata tuum debitum ſolvunt? Hoc ſcilicet abſurdum, & falſum eſt.

Illud *alia ratione*, idem eſt, ac non ex vi tuæ detractionis, ſed aliunde. Nam ſi ex vi detractionis, quia tuæ detractionis auditores crimen evulgarunt, publicum factum ſit, reſtitutioni graviſſime obnoxius es, ut affirmat etiam Concina Theol. t. 4. p. 680. num. 3. „ Omnemque, ut recte ait ipſe, induſtriam adhibere „ debes, ut hanc publicam diffamationem de medio tol„ las." At ſi publicatio criminis aliunde oriatur, ipſe quoque P. Concina detractorem a reſtitutione liberat n. 3. cit. p. 679. Ratio ejus eſt, quia „ ſi crimen publi„ cum fuiſſet, dum illud revelaſti, nec culpam, nec „ debitum reſtitutionis contraxiſſes. Eadem ergo ra„ tione a reſtitutione liber evadis, ſi poſt tuam reve„ lationem flagitium publicetur." At hæc concluſio mihi legitima non videtur. Si publicatio criminis culpam tuæ detractionis aboleret, conſequentia recte colligeretur: at publicatio criminis tuam culpam non abolet, nec injuriam a te proximo illatam reparat, ſed amplificat. Hinc ita ratiocinor: qui injuriam intulit, eam ex juſtitia reſarcire tenetur, niſi aliunde fuerit reparata: ſed detractor injuriam intulit, neque hæc criminis publicatione fuit reparata, ſed aucta: ergo detractor ex publicatione criminis a ſe revelati a reſtitutione famæ non liberatur.

Diffamationem quidem publicam abolere non teneris; quia hæc ex tua culpa orta non eſt, at damnum tuæ detractionis, quod ex culpa tua datum eſt, reſarcire teneris; a qua reſtitutione excuſari non potes, niſi reſtitutio ſit fruſtratoria, & inutilis.

Animadversio XXI.

Si is, cui detraxiſti, tibi ſimiliter detraxit, nec velit reſtituere.

Hanc Buſ. ſententiam, cum injuria hinc inde illata æqualis eſt, Natalis quoque Alex. Theol. t. 2. p. 358. reg. 33. defendit; at Concina Theol. t. 4. p. 684. n. 14. eam acriter impugnat; cujus opinio mihi primum veroſimilior viſa eſt; at poſt re iterum examinata Natali, & Buſ. adhærere, rationabilius exiſtimavi. Rationes, quæ huc me impulere, hæ ſunt. Detractor famam a ſe denigratam reſtituere recuſans, injuſtus, & injurius eſt, ſi famam ab altero ſibi æqualiter imminutam reſarciri velit; quam reſtitutionem ſi apud æquum Judicem peteret, cum ſibilis merito repelleretur. Ergo in hac ſpecie nullum jus habet, ut a ſuo detractore fama ſibi reſtituatur: ergo hic non reſtituens, nullum jus violat; ideoque reſtituere non tenetur.

Jura, ut fama hinc inde æqualiter denigrata reſtituatur, æqualia ſunt.

Hinc porro fit, ut qui juri, quod alter in ſe habet, ſatisfacere renuit, jus ſuum contra ipſum amittat; ſicuti conjux, qui alterius conjugis jus adulterio violavit, ſuum in ejus corpus jus perdit; & ſicuti Petrus, qui a Joanne certum damnum paſſus eſt, reſtitutionem petere non poteſt, ſi ipſe Joanni æquale damnum intulit.

A contractibus, in quibus jura paria utrimque ſunt, qui per injuriam reſilit, alteri jus tribuit, ut ipſe quoque reſiliat. Ergo qui famam imminutam reſarcire recuſat, alteri ejus criminis in ſe reo jus dat, ut ipſe quoque a famæ reſtitutione reſiliat. Nam ſeu jura ex contractu, ſeu ex reciproco delicto orta ſint, perinde eſt.

Objicit P. Concina, detractionis culpam deleri non poſſe, niſi adſit propoſitum abſolutum, non conditionatum, famæ reſtituendæ.

Reſp. In caſu, de quo loquimur, hoc eſt, cum detractor æqualem ſuæ famæ detractionem ab altero paſſus eſt, propoſitio merito negatur ex rationibus mox allatis.

At, inquit, compenſatio famæ, qua quis famam reſtituere non vult, quia ſibi non reſtituitur, eſt actus vindictæ; quia hæc compenſatio non reparat famam compenſantis: ergo hæc compenſatio in eo eſt, ut malum malo rependat: hoc eſt vindicta & livor.

Reſp. Nego ant., & conſeq. licet enim compenſatio, de qua ſermo eſt, famam compenſantis non reparet, non tamen vindictæ actus eſt. Non enim qui compenſatione utitur, malum malo rependit; ſed bonum, quod juſtitia ab eo non exigit, facere omittit.

At nonne ſaltem caritas hoc bonum facere cogit? Reſp. caritas non cogit, ut ſuccurramus patientibus malum ex neceſſitate, non ex eorum maligna præſenti voluntate. Hanc malam voluntatem, ſi fieri per nos poteſt, inflectere, ac in bonam convertere ex caritate debemus; at mala, quæ ex mala voluntate oriuntur, recte permittuntur, ut prava voluntas, eorum pondere vexata, ad bonam frugem redeat. Quod ſi mala voluntas ne malis quidem, quæ jure patitur, inflectatur, quid facias homini malo, qui malus obſtinato animo eſſe vult?

At P. Concina inſtat. Voluntas, inquit, qua famam denigraſti, mala fuit: ergo mala quoque eſt voluntas, qua famæ denigrationem removere non vis; quia culpam non removes.

Reſp. Antec. veriſſimum eſt: conſequentia eſſet legitima, ſi famam reparandi debitum ſit; at hoc debitum in noſtra ſpecie negatur ex rationibus mox adductis.

ctis. Detractor ſuam detractionem deteſtatur, quia ſuit injuſta; omiſſionem reſtitutionis famæ non deteſtatur, quia reſtitutio non eſt neceſſaria.

„ Compenſationi tamen non eſt locus, ut recte mo-
„ net Nat. loco mox cit., cum inæqualis eſt injuria;
„ vel cum unus alteri damnum reſarcire vult, vel cum
„ ſcandalum ex compenſatione oriretur, vel cum mu-
„ tuum damnum ab utraque parte nondum illatum eſt. "

Animadverſio XXII.

Si non poſſis abſque periculo vitæ, vel ſi fama reſtituenda ſit &c. *quam* &c. *ſic v. g. Prælatus* &c.

„ Hæc eſt, inquit P. Concina Theol. t. 4. p. 679. „ n. 2. communis, ac probabilior opinio. " Ego hic animadverto, in famæ reſtitutione ut virtutis officium, ita ſolidæ laudis, quæ a virtute ſeparari nequit, ſplendorem magnopere emicare. Quamvis igitur qui ſuam falſam detractionem revocat, calumniatorem ſe fuiſſe fateatur; ipſa tamen revocatio maximæ virtuti, & laudi vertitur, ita ut hæc ſplendida virtutis functio omnem maculam ex calumniæ confeſſione ortam aſpergat, idque eo efficacius ac præſtantius, quo illuſtrior perſona eſt, quæ id præſtat.

Quare cavendum magnopere eſt, ne jactata famæ in falſæ detractionis retractatione jactura, effugium ſit, quo juſtitiæ officium eludatur.

Si illuſtrior perſona malo detractionis exemplo alios ad detrahendum incitavit, nonne neceſſe eſt, ut contrario bono retractationis exemplo eos a detractione abſterreat? Quod ſi detractor in famæ reſtitutione gravius etiam infamiæ dammum (quod tamen accidere poſſe, non intelligo) pateretur, quam ſit infamia a ſe alteri irrogata, id ſibi imputare debet, cum ſua culpa in has ſe anguſtias conjecerit.

Veritas, & innocentia mendacio, & ſceleri ſuccumbere certe non debet. Hoc enim eſt aperte ſceleſtum, & injurium: at veritas mendacio, & innocentia ſceleri ſuccumbit, ſi calumnia verax appareat, & infamati innocentia ſceleſta habeatur propter calumniatoris ſcelus; quod ſane accidit, ſi calumniator ſuam calumniam non retractet.

Itaque calumniæ retractatio via eſt ad ſalutem tota; retractationis omiſſio nunquam tuta mihi videtur. Nam hic quoque illud dictum celeberrimum D. Auguſtini locum habet: *Non remittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum, ſi tamen reſtitui poſſit.*

Animadverſio XXIII.

Si infamatus ſponte remiſerit &c. *ſive expreſſa, ſive tacita ſit condonatio.*

Id intellige, dummodo tacita condonatio certa ſit, non dubia, nec incerta pro certa habeatur.

Item aliquando ſufficit condonatio præſumpta, ſive, &c.

Condonatio præſumpta, ſeu interpretativa Buſembao ſui ipſius interprete in eo conſiſtit, ut læſus ita affectus ſit, ut ſi rogaretur, facile condonaret. Hæc porro non eſt reſtitutionis famæ condonatio, ſed conditionata, ut creditur, diſpoſitio ad condonationem. Quod autem conditionata, nec certa diſpoſitio ad condonationem aliquando ſufficiat, ut detractor a fama reſtituenda liber ſit, mira mihi, & periculoſa, imo falſa doctrina videtur.

Detractio non fuit præſumpta, hoc eſt nec conditionata, nec incerta, nec ſola diſpoſitio ad ipſam, ſed abſoluta, certa, ac ipſiſſima detractio: ergo detractionis reparatio debet eſſe abſoluta, certa, ac ipſa reparatio, non reparatio conditionata, incerta, ac diſpoſitio ad ipſam; qualis includitur in præſumpta, ſeu interpretativa condonatione a Buſembao deſcripta. Juſtitia enim eſt æqualitas; nec æqualitas ulla ne per ſomnium quidem invenitur inter injuriam per detractionem illatam, & dictam præſumptam condonationem, quæ inſigni, ac maximo intervallo ab ipſa injuria diſtat.

Voluntaria, & libera injuriæ condonatio idem ſane eſt, ac ejuſdem injuriæ reparatio: at diſpoſitio præſertim conditionata, & incerta ad condonationem, nec condonatio eſt, nec ipſi æquivalet, ſed ab ea infinite prope dixerim remota eſt: ergo ne per ſomnium quidem detractorem liberat ab onere reſtitutionis.

Sicuti diſpoſitio detractoris ad famam reſtituendam ſatis minime eſt, ut juſtitiæ ſatisfaciat, ſed neceſſaria eſt ipſa famæ reſtitutio; ita diſpoſitio ejus, qui famæ detrimentum paſſus eſt, ad condonationem minime ſufficit, ut juſtitiæ ſatisfiat, ſed ipſa condonatio neceſſario requiritur.

Hæc mihi adeo evidentia videntur, ut nonniſi per cavillos in controverſiam vocari poſſe putem.

Si infamiam paſſus, ad condonandum, ſi rogetur, paratus putatur, cur ab eo condonationem deniſſe non petis? Si non petis, cur non reſtituis? Cum nec petere condonationem vis, nec famam reſtituere, evidenti argumento eſt, te ne paratum quidem eſſe ad jus faciendum, ideoque abſolutione eſſe indignum. Eſt enim falſum illud Buſ. quod infamatus in ſpecie, de qua loquimur, non ſit invitus, ſaltem quoad ſubſtantiam, etiſi fama non reſtituatur. Revera enim invitus eſt, quia reipſa non condonat, ſed ſolum diſpoſitus ad condonandum ponitur; multoque magis invitus eſt, quia ne conditio quidem ab infamante ponitur, ſine qua condonare non vult.

CAPUT III.

Quid de Præceptis Eccleſiæ?

Reſp. Etſi ea ſint plurima; præcipue tamen toti chriſtiano populo communia quinque numerantur. Ex quibus hic agendum reſtat de tertio, quia de primo, & ſecundo actum eſt in Præcepto tertio Decalogi. De quarto, & quinto infra lib. de Sacram.

DUBIUM I.

Quid requiratur ad jejunium eccleſiaſticum, & quanta ejus obligatio?

Reſp. Jejunium ex præcepto Eccleſiæ, obligante ſub mortali, requirit tres conditiones. Laym. *l.* 4. *t.* 6. *c.* 1. *n.* 13.

1. Eſt unica tantum comeſtio de die in ordine ad nutritionem. Quæ ita neceſſaria eſt conditio, ut ſe- Animad.
cunda comeſtione pecces mortaliter; *reliquis autem* I.
ſupra ſecundam, ad ſummum venialiter tantum. Lay. *c.* 1. *n.* 1. & 13.

2. Eſt abſtinentia ab eſu carnium, itemque ovorum, & lacticiniorum; eo quod ex carne originem Animad.
trahant, multumque nutriant. *Unde intra Quadra-* II.
geſimam jure communi prohibentur; extra eam permittuntur. Imo intra eam, quibuſdam locis conſuetudo permittit, quæ ubique notanda eſt. Bon. *d. ult. q.* 1. *p.* 2. ex Sylv. Nav. Leſſ. Azor. Laym. *l. c.* Fill. Fag. *p.* 4. *l.* 1. *c.* 2. *Adde, diſpenſatum quoad carnes, etiam lacticiniis, & ovis veſci poſſe, non tamen vice verſa: &, cui eſt permiſſus uſus carnium, etiam ſecunda refectio permiſſa videtur,* ut contra Reg. Leſſ. Navar. &c. probabiliter docent Azor. *l.* 7. *c.* 10. *q.* 3. Fill. *t.* 27. *c.* 3. *q.* 4. Tolet. &c. *Confirmatque Bon. l. c. ſi eſus carnium ſit permiſſus ob debilitatem naturæ, & non propter nauſeam, vel damnum tantum.* V. Leſſ. Fill. Azor. &c. Ratio eſt, quia de eſſentia jejunii eſt abſtinentia a carnibus.

3. Conditio eſt certa hora refectionis, quæ eſt circa meridiem, niſi aliud loci conſuetudo ferat. Idque non mathematice computandum, ſed moraliter.
Dictam autem horam notabiliter ſine juſta cauſa præ- Animad.
venire, mortale putat Navar. & quidam alii; ſed pro- III.
babilius docent eſſe veniale Tol. & Fill. eo quod non violetur ſubſtantia, ſed tantum circumſtantia. Tol. Leſſ. *d.* 2. *n.* 13. V. Laym. *c.* 3. *n.* 10. *& ſeq.*

Dixi. 1. notabiliter, & ſine cauſa: *quia præveni-* Animad.
re ex juſta cauſa, v. g. ſi iter ſit faciendum, ſi hoſpi- IV.
tes dimittendi &c. & abſque ea, per mediam horam tantum, nullum peccatum videtur eſſe. Dilatio in veſperam & licita eſt, & laudabilis, ſi nihil ante ſumas.

Ex dictis reſolves.

1. *Non ſolvitur jejunium per diviſionem prandii, ob* Animad.
negotium incidens, vel ſi quid ſumatur per modum me- V.
dicinæ, vel ob debilitatem, aliamve cauſam rationabilem, uti apud Religioſos faciunt miniſtri, & lectores menſæ, quia non niſi unicam refectionem intendunt. Et hinc Sanchez *to.* 2. *opuſc. l.* 5. *c.* 1. *d.* 34. Eſcob. *t.* 2. *E.* 7. *c.* 3. *n.* 29. *excuſant famulos menſæ miniſtrantes, ſi aliquid prægustent, aut ex reliquiis guloſe ſumant, tum ut melius ſerviant, tum ut famem ſublevent (intellige, ſi cum illorum refectione licita moraliter uniatur.) Nec ſolvitur per ſumptionem electuariorum, vel crebriorem hauſtum, ante quem modicum ſumere, ne potus noceat, permittit Azorius,* Eſcob. *to.* 2. *E.* 7. *c.* 3. *n.* 28. *& quidem toties, quoties biberit, dummodo non in*

frau-

Digitized by Google

fraudem jejunii, verbi gratia quinque, vel ſex amygdales, vel quid ſimile. Rrgin. &c. cum Dian. *p.* 1. *t.* 9. *R.* 24. quia ordinantur potius ad alterationem corporis, vel digeſtionem ciborum, quam nutritionem.

Excipe tamen 1. Si quis ſumeret lac, juſculum, & ſimilia, quæ ſive ſorbeantur, ſive comedantur, non habent rationem potus, ſed cibi, ac principaliter referuntur ad nutriendum. 2. Si quis poma, pira, vel etiam uvas in magna quantitate ſumeret; quia habent rationem cibi. Dicaſt. & alii ſez. Dian. *p.* 9. *t.* 6. *R.* 14. 3. Niſi quis in magna quantitate electuaria in fraudem jejunii ſumeret. *Qui vere in*
Animad. VI. *potu valde excederet, contra temperantiam quidem, non tamen contra jejunium peccaret, ſaltem mortaliter.* Lay. *l. c. n.* 7.

2. Jejunium non ſolvitur per collatiunculam ve-ſpertinem, etſi hæc non ad ſomnum, ſed ad nutritionem ordinetur: quia conſuetudo permittit. Addo, *veſpertinam*: quia ſine cauſa non licet illam ſumere mane, vel meridie: ex juſta tamen cauſa licet utrumque: ut ſi fiat ratione debilitatis, nego-
Animad. VII. tiorum, ſtudiorum, *ſine ea erit veniale tantum, cum non violetur ſubſtantia jejunii.*

Animad. VIII. *Quoad ejus quantitatem, communiter deſignatur quarta, vel quinta pars integræ cœnæ*, ut contra Dian. 1. *p. t.* 4. *R.* 117. Turr. &c. docet Reg. *c.* 2. *l.* 6. *n.* 185. Laym. *c.* 1. *num.* 9. Fill. *t.* 2. *tr.* 27. *p.* 2. *c.* 2. *q.* 7. *n.* 33. dicens, ita deciſum eſſe in celebri Academia Theologorum, *qui omnes in quartam partem conſenſerunt.* Idem probat Eſcob. *t.* 1. *E.* 13. *c.* 3. *n.* 61. ſi quidem cœna ordinaria duarum librarum pondus non excedat, quia talis in reliquis præceptis modica cenſetur, ac proinde tanto quis magis, minuſve peccat, quanto magis, vel minus tranſgreditur. *Adde, quibuſdam locis ex conſuetudine plus permitti ſæcularibus, religioſis, nobilibus, quam plebeiis, & in frigidis regionibus, quam in aliis,* ut notat Laym. *l.* 4. *t.* 8. *c.* 1. & Bonac. *l. c. Plus item quibuſdam in locis in vigilia Nativitatis Domini, & alibi in cœna Domini, permitti ex conſuetudine*, dicit Med. Cajet. *n.* 34. & Sanch. *in opuſc.* Eſcob. *t.* 1. *E.* 7. *c.* 3. Quod. Bon. non improbat, ubi ea conſuetudo eſt recepta.

Quoad qualitatem, in ea prohibentur cibi ad nutritionem communiter ordinati, quique inter fercula fere apponuntur. Permittuntur autem leviores, ut fructus, aliave ex ſaccharo, & melle confecta;
Animad. IX. *& pro more regionis parum butyri, & caſei ut in regionibus ſeptentrionalibus, ob fructuum inopiam.* Laym. *l. c. num.* 9.

3. In confeſſione non ſufficit dicere, non ſervavi, aut fregi jejunium, ſed addendum, utrum refectione multiplici, an eſu carnium. Et ſi hoc, utrum ſemel, an ſæpius quantitatem notabilem ſum-
Animad. X. pſerit: *quia probabile ſatis eſt etiam in hac materia, parvitatem a mortali excuſare, ut docet* Bonac. *t.* 2. *d. ult. p.* 1. *q.* 2. & Tann. *t.* 3. *q.* 3. *d.* 5. verbi grat. *ſi coquus, aut ægroti miniſter parum carnis prægustans*, Eſcob. *l. c. n* 54. Sanchez *in opuſc. t.* 2. *l.* 5. *c.* 1. *dub.* 12. *num.* 10. *vel ex aliis cibis quartam tantum partem collationis ſerotinæ, ſive unam, vel duas uncias ſumat: hanc enim eſſe materiam parvam, rum Turrian. & Leon docet Dian. p.* 5. *t.* 5. *R.* 11. & *p.* 8. *t.* 7. *R.* 54. *eſſe probabile.* Si autem ſæpius eodem die parum ſumeret, peccaret graviter: quia materiæ illæ coaleſcerent in unam magnam, ut contra Salas docet Dian. *p.* 3. *t.* 6. *R.* 43. Denique, ſi ſit in Quadrageſima, utrum fregeris eſu ovorum aut lacticiniorum. Tametſi etiam Dian. *t.* 9. *R.* 54. & *t.* 6. *miſc. R.* 80. citans multos Doctores, dicat, certum eſſe, quod ſit mortale, ſi non ex jure poſitivo, ſaltem ex conſuetudine, in omnibus fere mundi partibus recepta, veſci ovis, & lacticiniis in Quadrageſima; *probabile*
Animad. XI. *tamen eſt, & tutum (ſaltem in Germaniæ partibus) eſſe tantum veniale.* Laym. *c.* 1. *n.* 3. Fagund. *l.* 1. *c.* 2. &c. *Tum quia, licet conſuetudo habeat, ea tamen non ſemper ſub peccato, præſertim mortali, obliget.* V. Fill. *t.* 27. *c.* 3. Bonac. *n.* 2. *Tum quia Eccleſia non tam graviter ad hoc obliget: ut patet tum ex verbis ipſis, tum ex faciliore diſpenſatione in his, quam in carnibus. Ob quam cauſam etiam laridi, & adipis uſum facilius concedi poſſe pauperibus*, docet Laym. *l.* 4. *t.* 8. *c.* 1. *n.* 5. *Imo ait, nec divitem propter eum uſum continuo damnandum eſſe peccati mortalis, præſertim cum Sylv.* verb. Jejunium, *& alii dicam, ei cui ovorum & lacticiniorum uſus permiſſus eſt, etiam laridi, & saginæ permiſſum videri: idque non improbat* Azor. *l.* 7. *cap.* 10. *q. ult.* Laym. hic, Fagund. *p.* 4. *l.* 1. *c.* 2. *n.* 20. *ubi dicit, pinguedinem inter carnes non computari.* V. Dian. *p.* 1. *t.* 9. *R.* 21. Verum in his videndum ubique, quid recepta piorum conſuetudo ferat, a qua non temere recedendum, Azor. *l.* 7. *c.* 10. *q. ult.*

Dies, ſi ſit in Quadrageſima; *quia extra eam lici-* Animad. XII.
te veſcitur ovis, qui debet jejunare, v. g. ob Jubilaum, Henric. &c. vel ex pœnitentia ſacramentali, Fag. vel ex voto, aut in vigilia; V. Dian. *p.* 1. *t.* 9. *R.* 5. & 6.

DUBIUM II.

Quæ cauſæ excuſent a jejunio?

Reſpond. Hæ ſequentes. 1. Superioris diſpenſatio; qua tamen non eſt opus, ſi neceſſitas ſit evidens, ſed in dubio tantum: idque ſive ad eſum carnium, ſive ad ſecundam refectionem. Talis autem ſuperior eſt Epiſcopus, & Parochus, etiam præſente Epiſcopo, quando legitima conſuetudo ſic habet. Imo Sylv. & Sanch. *de matr. lib.* 8. *d.* 9. *num.* 27. & in *opuſc. t.* 2. *l.* 5. *c.* 1. *dub.* 5. *num.* 18. abſolute affirmat, poſſe diſpenſare præſente Epiſcopo: quia, inquit, ad Epiſcopum non recurritur in minimis, ut uſus habet: quod Epiſcopi ſciunt, & non contradicunt. Verum id totum pendet ab uſu, & conſuetudine, ſine qua non licebit. V. Trull. *l.* 2. *c.* 3. *d.* 7. Item Prælatus, & in ejus abſentia Vicarius illius, ut habet Sanch. *l. c.* reſpectu ſuorum Religioſorum: non tamen Confeſſarius, licet privilegiatus, ſi non ſit Parochus: quia non habet juriſdictionem in foro externo. Sanchez *l. c.* contra Pal. Unde tantum poteſt judicare de juſtitia cauſæ. *Cauſa autem va-* Animad. XIII.
lida ad diſpenſandum erit vel vera, vel quæ talis putatur. ſufficit enim credulitas inculpata. Item, cum quis bona fide putat, ſe a jejunio excuſari, etſi cauſa inſufficiens ſit, tantum venialiter peccare, docet Cajet. At ſi vere bona fide putet, ſe plane excuſari, nullo modo peccare videtur.

2. *Cauſa eſt impotentia, qua excuſantur,* qui ſine notabili damno non poſſunt jejunare: ut ſunt juniores uſque ad annum 21. completum: quibus tamen poſt ſeptimum annum carnes dari non debent. *Item debiles, infirmi, convaleſcentes, prægnantes, lactantes, &c.* Ratio eſt, quia hi omnes egent alimento multiplicato: *uti & ſenes communiter ſexagenarii, niſi evidenter conſtet, poſſe jejunare ſine damno. In dubio autem, an poſſint, non tenentur cum periculo tentare fortunam:* quia cum de ætate conſtet, & robur ſit dubium, non eſt expectandum, donec deficiat; tunc enim irrecuperabilis eſt defectus. Gra. *t.* 2. *d.* 6. *tr.* 3. *p.* 1. *d.* 7. *ſ.* 5. *n.* 39. Eſcob. Lay. *l.* 4. *tr.* 8. *c.* 3. Tan. 2. 2. *d.* 3. *q.* 3. *dub.* 5. Fill. *tom.* 2. *tr.* 27. *p.* 2. *c.* 6. & cæteri communiter contra Nav. Sa Sanch. *de matr. t* 2. *l.* 7. *d.* 32. *n.* 16. & *par.* 2. *conſil. l.* 5. *t.* 1. *d.* 4. *n.* 7. item Dian. *p.* 1. *t.* 9. *R.* 20. &c. qui abſolute, ſine omni reſtrictione, ſexagenarios omnes a jejunio liberant. Quam ſententiam Trull. tanquam communiorem, & magis conformem tempori, & imbecillitati humanæ, ut ait, ſequitur (cum Molf. Ortiz. &c.) *l.* 3. *c.* 2. *d.* 7. *n.* 2 præſertim cum ſcrupulis, quibus exponit contraria, liberet. *Quidam inſuper id extendunt ad eos, qui pro toto vitæ tempore certis diebus voverunt jejunium: adduntque eſſe probabile, quod ſufficiat, ſi annus 60. ſit inchoatus, eo quod id in favorabilibus habeatur pro completo.* Dian. *p.* 6. *t.* 14. *R.* 83. ex Naldo, & Sanch. Item *p.* 9. *t.* 7. *R.* 73. ex Trull. & aliis 6. *Eademque ætate, uti & ante annum 21. Regulares non teneri ad jejunia ſui Ordinis, probabile affirmat Dian. p.* 9. *t.* 7. *R.* 73. *ex aliis* 4. *qui etiam probabile cenſet excuſari fœminas quinquagenarias, p.* 9. *t.* 7. *R.* 93. *ex aliis* 4. *Denique pauperes, qui non habent alium cibum præter prohibitum, vel non ſufficientem pro unica refectione. Vide Sanch.* in opuſc. *ubi ex Navar. Gabr. Ang. excuſat eos, qui laborant tertiana, vel quartana, item qui ex vacuitate ſtomachi notabilem capitis dolorem, vel vertiginem patiuntur,*

tur, vel tota nocte caleſieri, aut dormire non poſſunt. Neque hos teneri mane ſumere collatiunculam, & veſperi cœnam, notat Dian. p. 1. *t.* 9. *R.* 51. ex Fill. & alii 3. *quia nemo tenetur pervertere ordinem refectionum.*

Animad. XV. 3. *Cauſa eſt labor, vel officium, cum quo jejunium non poſſit conſiſtere, qualis eſt agricolarum, & multorum opificum, ut fabrorum, piſtorum, ſutorum,* &c. etſi de ſutoribus neget Angles: cujus ſententiam Sanchez dicit eſſe veram, ſi non ſuant, ſed tantum ſcindant corium, & materiam præparent; non tamen pictorum, ſartorum, quorum labor exiguus eſt. Excuſat etiam Laym. *l.* 4. *t.* 8. *c.* 3. figulos, *argentarios*, ferrarios, lignarios, fullones, cœmentarios, coriarios, & *textores*. Dian. *p.* 4. *t.* 4. *R.* 138. & Gordon. *t.* 2. *l.* 6. *q.* 18. *c.* 6. verſantes prælum typographicum, non tamen typorum compoſitores; *ſaſſores autem ferrarios, & ſimiles, etiam die ante, vel altero quo non laborant, excuſat Azor. &c. cum Dian. p.* 1. *t.* 9. *R.* 9. *Similiter excuſatur, qui pedibus facit iter per magnam diei partem, ut ait Sanch in opuſc. l. c.* Vid. Fill. *n.* 119. Ratio horum omnium eſt, quia communiter horum vires non ſufficiunt ad hujuſmodi labores cum jejunio. *Dixi*, pedibus *quia multi non excuſant equites; longa tamen equitatio ad plures dies*, ut docet Fill. *tract.* 37. *cap.* 6. *merito excuſat. Ubi etiam concedit ob labores præcedentes, & ſubſequentes, poſſe aliquem excuſari, ſi probabiliter debilitatus, vel debilitandus putetur, ita ut officia rite fungi nequeat.* V. Bon. *diſt. alt. quæſt.* 4. *num.* 11. *Ex eodem capite Doct. excuſant conjugem, ſi debitum reddere non poſſit, quando jejunat; uti & uxorem, quæ ob maciem non poſſit cum jejunia ſe viro gratam præſtare.* Bon. *l. c.* Atque univerſim loquendo, nemo tenetur opus, ad quod obligatur, omittere ob præceptum jejunii, ait Cajet. Quod intelligo, niſi iſta obligatio ſit valde levis, & rationabiliter poſtponenda obligationi jejunii.

Animad. XVI. 4. *Eſt pietas, vel majus bonum. Unde excuſantur, qui cum jejunio non poſſunt vacare operibus melioribus, ver. gr. Concionatores, Præceptores ordinarii, Confeſſarii, Cantores*, & quotquot opera caritatis, & miſericordiæ, tam corporalia, quam ſpiritualia exercent, etiam ob mercedem, ſi ea cum jejunio peragere non poſſunt. Fill. *t.* 2. *tract.* 27. *p.* 2. *c.* 6. *n.* 24. Azor. *p.* 1. *l.* 6. *c.* 28. Fern. Navar. Sylveſt. Fagund. &c. Atque hi quidem omnes intelligunt, & ſere addunt, quando eorum labores cum jejunio non poſſunt conſiſtere. Diana autem (abſolute loquendo) *d. t. s.* 9. *R.* 9. Prædicatores, qui diebus quadrageſimalibus (intelligo omnibus) concionantur, putat a jejunio excuſandos: quia, inquit, ſummopere laborant: non item eos, qui Dominicis tantum concionantur, niſi ſint debiles. Sanch. tamen *in conſil. p.* 2. *l.* 5. *c.* 1. *d.* 13. *n.* 6. 7. & 8. Trull. *lib.* 3. *cap.* 3. *d.* 7. putat a jejunio quadrageſimæ communiter, & regulariter excuſari eos, qui ter, vel quater in hebdomada concionantur cum fervore. De lectoribus vero Dian. *l. c.* cum Fagund. *p.* 4. *l.* 1. *c.* 8. *n.* 19. cenſet non omnes excuſandos, ſed eos tantum, quorum labor eſt improbus: vel qui ita ſunt debiles, ut ſatisfacere non poſſint. Idem fere ſentit Sanch. licet *l. c.* putet Lectores eos, qui quotidie quatuor lectiones legunt (ut in Societate faciunt præceptores Grammaticæ) ſatisfacere, ſi media quadrageſima, ſive ter in hebdomada jejunent; eo quod ſit magnus labor, & paucis annis ſic fatigentur, ut progredi non poſſint. Sic ille. Verum præſtat, ut Superiores, ad tollendum ſcrupulum, cum talibus diſpenſent; ut monet idem Sanch. *l. c. Nam in omnibus iſtis regula certa, & univerſalis ſtatui non poteſt alia, quam quod lex Eccleſiæ non obliget cum magna difficultate*, ut notat Laym. *c.* 2. *n.* 3.

Animad. XVI. 5. Caritas, *vel etiam urbanitas ſecundum quoſdam excuſant etiam a veniali eum, qui die jejunii rogatus ab amico modicum cibi ſumit.* Med. Fag. Fill. Dian. *p.* 2. *t.* 9. *R.* 29. *vel qui ad excitandum infirmorum appetitum comedit parum, etiam carnis.* Sanch. Dian. *p.* 3. *t.* 5. *R.* 32.

Animadversio I.

Reliquis autem ſupra ſecundam, ad ſummum venialiter tantum.

Buſemb. ita loquitur, ac ſi dubitandum ſit, utrum in reliquis comeſtionibus ſupra ſecundam die jejunii, venialiter peccetur. At hoc peccatum certum eſt, tum quia lex jejunii contumacius violatur, tum quia reliquæ comeſtiones ſupra ſecundam, abſtinentiæ contrariæ, manifeſta gulæ peccata ſunt; quæ ſententia fatente La-Croixio p. 404. n. 1265. eſt communiſſima.

Illud tantum dubitari poteſt, utrum hoc peccatum ſit, jejunii legi contrarium, ideoque mortale, an tantum veniale, quia jejunii legi non adverſum. Communior opinio, quam La Croix num. cit. probabilem appellat, ideoque probat, licet contrariam valde probabilem dicat, ait, in caſu propoſito venialiter tantum peccari. Hujus opinionis ratio eſt, quia jejunium ſecunda refectione fractum fuit: ergo violari amplius non poteſt: quod enim obſervari non poteſt, ne violari quidem poteſt.

Reſp. Hæc ratio aperte ſophiſtica eſt. An quia jejunium ſecunda refectione violatum ſemel fuit, iterum, ac tertio violari nequit? An præcepti una violatio, ejus vim deſtruit, & in nihilum redigit? Si ita eſt, peccatoribus gratulandum eſt, qui, cum ſemel legem violaverint, eam felicitatem conſecuti ſunt, ut eam amplius violare non poſſint.

Si Eccleſia jejunii diebus alteram comeſtionem, quæ cum abſtinentia, ſeu temperantia conciliari poteſt, interdicit, an tertiam, & quartam &c. quæ helluonum propriæ ſunt, permittit? In eo adverſarii, ut ego quidem ſentio, baſilice falluntur, quod præceptum de una comeſtione die jejunii ſumenda, affirmativum ponant. Si enim tale eſſet, qui ab omni comeſtione, tota jejunii die abſtineret, hoc præceptum frangeret; quod eſt evidentiſſime falſum.

Hoc ergo præceptum negativum eſt, quod unam comeſtionem permittit, plures prohibet. Ex quo fit, ut qui poſt unam comeſtionem alias ſumit, toties jejunii legem frangat, hoc eſt toties mortaliter peccet, quoties eas repetit. Imo vero in reliquis comeſtionibus ſupra ſecundam jejunii lex deterius, & turpius violatur, quam in ſecunda; quia reliquæ abſtinentiæ, in cujus gratiam lex jejunii lata eſt, longe magis adverſantur, quam ſecunda.

Itaque Concionatores, & Confeſſarii, helluones, qui die jejunii plures ſupra ſecundam refectiones ſumunt, non ſolum quia turpiter intemperantes ſunt, ſed quia plura contra jejunii legem mortalia peccata admittunt, valde reprehendere, & graviorem ſatisfactionem iis imponere debent. Hanc ſententiam tuentur Nat. Alex. Theol. t. 2. p. 560. reg. 11. & Concina Theol. t. 5. p. 250. qu. 2. gravioreſque Theologi ab hoc citati.

Animadversio II.

Eſt abſtinentia ab eſu carnium, & lacticiniorum &c. unde intra quadrageſimam jure communi prohibentur, extra eam permittuntur.

Quoad ova, & lacticinia in jejuniis extra quadrageſimam uniuscujuſque regionis conſuetudo pro lege habenda eſt. Hinc D. Thom. 2. 2. qu. 147. ar. 8. ad 3. ait: *Quod ova, & lacticinia jejunantibus interdicuntur, inquantum ſunt ex animalibus exorta carnes habentibus. Unde principalius interdicuntur carnes, quam ova, & lacticinia. Similiter etiam inter alia jejunia ſolemnius eſt quadrageſimale jejunium, tum quia obſervatur ad imitationem Chriſti, tum etiam quia per ipſum diſponimur ad redemptionis noſtræ myſteria devote celebranda. Et ideo in quolibet jejunio interdicitur eſus carnium; in jejunio autem quadrageſimali interdicuntur univerſaliter etiam ova, & lacticinia; circa quorum abſtinentiam in aliis jejuniis diverſæ conſuetudines exiſtunt apud diverſos, quas quiſque obſervare debet ſecundum morem eorum, inter quos converſatur. Unde Hieron. dicit* (ep. 28. ad Lucinium) *de jejuniis loquens;* Unaquæque provincia abundet in ſuo ſenſu, & præcepta majorum, leges apoſtolicas arbitretur. Et D. Auguſt. ep. 54. ad Januarium ait: *Faciat ergo quiſque quod in ea Eccleſia, in quam venit, invenerit.*

Adde, diſpenſatum quoad carnes, etiam lacticiniis, & ovis veſci poſſe.

Hoc ego verum non puto eo ſenſu, ut diſpenſatus quoad carnes, carnibus ſimul, oviſque, & lacticiniis veſci poſſit. Si enim diſpenſatus quoad carnes, ſimul cum iis ova, & lacticinia comedere poſſet, multo magis piſces: at piſces ſimul cum carnibus comedere non poteſt, ut declarat, & edicit Bened. XIV. conſtit. *Non ambi-*

Digitized by Google

ambigimus anni 1741. * ubi ait: *Nolumus tamen, vos ignorare, cum hujuſmodi neceſſitate & ſervandam eſſe potiſſimum unicam comeſtionem, ſicut alias hic Romæ, ac nos ipſi hoc anno urgentibus cauſis diſpenſantes expreſſe præſcripſimus, & licitas, atque interdictas epulas promiſcue minime apponendas eſſe.* Et conſtit. *In ſuprema* ejuſdem anni 1741. ** poſtquam falſam, & commentitiam mox exſcriptorum verborum extorſionem ſevere redarguit, ſubdit: *Nos quibuſcumque quacumque occaſione, ſive multitudini indiſcriminatim ob urgentem, graviſſimamque neceſſitatem, ſive ſingulis ob legitimam cauſam, & de utriuſque medici conſilio, dummodo nulla certa, & periculoſa affectæ valetudinis ratio intercedat, & aliter fieri neceſſario exigat, in quadrageſimæ, aliiſque anni temporibus, & diebus, quibus carnium, ovorum, & lacticiniorum eſus eſt prohibitus, diſpenſari contigerit, ab omnibus omnino nempe excepto unicam comeſtionem ſervandam, & licitas, atque interdictas epulas minime eſſe apponendas, tenore præſentium declaramus, & edicimus.*

Porro cum Archiepiſcopus Compoſtellanus tum alia, tum quarto loco quæreret, *quænam ſint epulæ licitæ, quæ vetantur cum interdictis conjungi.*

Reſpondemus, inquit idem Summus Pontifex anno 1744. 8. Julii, *epulas licitas pro iis, quibus permiſſum eſt carnes comedere, eſſe carnes ipſas; epulas interdictas eſſe piſces, adeoque utrumque ſimul adhiberi non poſſe. Piſcibus tamen edendis non interdicuntur ii, quibus datur tantum facultas adhibendi ova, & lacticinia.* *** Ergo diſpenſati jejunii diebus quoad carnes, non intelliguntur diſpenſati etiam quoad ova, & lacticinia ſimul cum carnibus comedenda.

Præterea diſpenſatus quoad carnes, ſalubres tantum, ut verveсinas, vitulinas &c. comedere poteſt, ſicuti declarat Clemens XI. in edicto anni 1702. his verbis: **** *Animadvertant & medici, & qui petunt licentiam, ut attendant qualitatem carnium, quod nempe ſint ſalubres; quia hæ ſolæ permittuntur in quadrageſima his, qui ex juſta cauſa nequeunt veſci cibis quadrageſimalibus*; idemque repetit Bened. XIV. conſtit. anni 1741. ***** Quod ſi diſpenſatio quoad carnes, ex ipſius diſpenſationis vi ſalubres tantum carnes permittit, cur ova, & lacticinia permittit? Diſpenſatio ex natura ſua eo ſpectat, ut neceſſitati ſatisfaciat, non ut genio, & gulæ inſerviat: at uſus carnium ſine ovis, & lacticiniis quoad neceſſitatem ſatis eſt: ergo diſpenſatio ova, & lacticinia ſimul cum carnibus non permittit.

At hic inquiet fortaſſe aliquis: diſpenſatus quoad carnes, pulmentum, vulgo *mineſtra*, carnium jure coctum comedit, reliquum prandii lacticiniis, & ovis, ſeu etiam piſcibus perficit; quia id pro ſua neceſſitate ſatis eſt. Reſp. Si res ita eſt, & pulmento deſcripto reipſa indigeat, illudque ſoris ſit, laudo hominis pietatem qui abſtinentiam quoad fieri poteſt ſectatur. Hunc ſummorum Pontificum menti adverſari non puto, ſed conformem. Eos vero reprehendendo, qui cibo neceſſario non contenti gulæ inſerviunt, ac voluptatis cauſam per cavillos agentes, ſuam intemperantiam excuſatam volunt; qua de re Concina in Commentario mox citato p. 110. num. 7.

Et cui eſt permiſſus eſus carnium, etiam ſecunda refectio permiſſa videtur, ut contra &c. probabiliter docent &c.

Pro hac falſa Buſemb. opinione nonnulli noſtro hoc tempore prolixe, & ſophiſtice pugnarunt; quorum confutationem legere licet apud Concinam, (*Quareſima appellante.*) Sed lis nunc finita eſt, ut ex verbis Bened. XIV. mox deſcriptis liquido cernitur.

Buſemb. opinionem La-Croix quoque p. 404. n. 1269. improbaverat; de cujus ſenſu exultans, & triumphans P. Zacharia ita admiratur. „Viden? Laxiſſimum illum, „ atque Hiſtorico Probabiliſmi inviſum laxiſſimum La- „ Croixium, hac in re ſtatutis plane conformem, quæ „ a Bened. XIV. prodierunt; neque tamen &c.“ Quorſum hæc? Ut ſcilicet invidiam concitet contra P. Concinam extra rem. Utinam La-Croix veritati conformia ubique doceret, nec confutatione, ac reprehenſione ejus doctrina non raro indigeret.

Non La-Croixius, ut P. Zacharia ſua vehementi phantaſia abreptus ait, ſed ejus non paucæ opiniones P. Concinæ non parum diſplicent, quas proinde ſolide confutat, ne ſanæ Theologiæ, & moribus noceant. Si Zacharia Concinam graviter, ac theologice, non figurate, hoc eſt pueriliter redargutum velit, neceſſe eſt ut ejus doctrinam La-Croixio contrariam refutet. At hæc provincia dura eſt, quam ſi Zach. alicubi aggredi auſus eſt, infeliciter geſſit, ut nos ſuis locis hactenus oſtendimus.

Confirmatque Bonac. ſi ejus carnium ſit permiſſus ob debilitatem naturæ, & non propter &c.

In hanc rem ita loquitur P. Concina Theol. t. 5. p. 164. n. 1. „ Diſtinguendi ergo inprimis ſunt impotentes a diſpenſatis. Impotentes ad jejunium ſunt infirmi, qui tum a carnibus, tum ab unica comeſtione ſoluti ſunt, non titulo alicujus diſpenſationis, ſed titulo ſolius impotentiæ: de his nulla poteſt eſſe difficultas. Secundo ii, qui diſpenſantur, ſunt in duplici claſſe. Alii namque ſunt debiles, valetudinarii, qui frequenti cibo indigent, ſimulque carnibus; & quia ita evidens non eſt eorum impotentia, quemadmodum eſt illa decumbentium, febrique laborantium, idcirco diſpenſatione opus habent. Iſtos quoque tum a carnibus, tum a jejunio diſpenſari poſſe concedimus. Quando autem poſſint, debeantque ab utroque, quando ab uno tantum onere ſolvi, prudentis, & chriſtiani medici reliquimus judicio. Poſterioris claſſis „ &c.“

Et hic eſt ſenſus verborum cit. conſtit. *In ſuprema, Dummodo nulla certa, & periculoſa affectæ valetudinis ratio intercedat, & aliter fieri neceſſaria exigat.* Itaque diſpenſatus a carnibus, repetita refectione uti non poteſt, niſi neceſſitas repetitæ refectionis evidens ſit; quia in diſpenſatione a carnibus non includitur diſpenſatio quoad repetitam comeſtionem, ut jam a ſummis Pontificibus definitum eſt. Quod ſi neceſſitas repetitæ refectionis non ſit evidens, hujus quoque diſpenſatio neceſſario impetranda eſt.

At inquit Buſemb. *De eſſentia jejunii eſt abſtinentia a carnibus.*

Reſp. Quid inde? Cur Buſemb. metaphyſica illa voce *eſſentia* in re morali, hoc eſt alieno loco utitur? Si ſolidam rationem in promptu habuiſſet, clarius loqui potuerat. An qui a carnibus abſtinet, nihil reliqui habet, in quo jejunet? An jejunium eſt quid ſimplex, ac individuum?

Jejunium eccleſiaſticum tria, ut poſt dicemus, continet, hoc eſt abſtinentiam ab altera refectione, abſtinentiam a carnibus, abſtinentiam uſque ad certam horam. Qui in horum uno diſpenſatus eſt, non in aliis, alia præſtare evidenter tenetur.

Animadverſione quoque digna eſt disjunctiva Buſemb. locutio, *non propter nauſeam, vel damnum tantum.*

Dum enim ita loquitur, ponit, diſpenſationem carnium concedi poſſe propter ſolam piſcium nauſeam ſine damno; quod falſum eſt. Jejunii præceptum eo ſpectat, ut caro conflictetur, quod abſque incommodo eſſe non poteſt. Hinc eſt, ut diſpenſatio ab hoc præcepto concedenda non ſit, niſi grave damnum ſaluti afferat, aut probabiliter allaturum putetur. Sacra enim jejunii lex contemneretur, ſi propter quodcumque leve incommodum ab ea diſpenſaretur. Ergo nauſea piſcium, quæ aut ex gulæ vitio, aut etiam ex naturæ diſpoſitione oriatur, quæ tamen ſine gravi incommodo ſuperari poſſit, legitima diſpenſandi cauſa non eſt, ſed ſola illa nauſea, quæ piſces ſine gravi ſalutis detrimento pati non poteſt.

Animadversio III.

Dictam autem horam notabiliter ſine juſta cauſa prævenire &c. probabilius docent eſſe veniale Tol. Fill. eo quod &c.

Hoc peccatum, e. g. ſi præveniatur per unam, aut duas horas, eſſe mortale 24. Doctorum auctoritate confirmat P. Concina Theol. t. 5. p. 275. q. 7. inter quos ſunt S. Antoninus, Cajet., Palud., aliique non inferioris ſubſellii, quibus adde Nat. Alexandrum Theol. t. 2. p. 561. reg. 13. Ratio eſt, quia juxta omnes Theologos, & caſuum arbitros jejunium eccleſiaſticum præter unicam comeſtionem, & abſtinentiam a carnibus, ſtatam quoque comedendi horam, quæ noſtro tempore eſt meridiana, expoſcit, ut ait P. Concina Quar. appell. p. 1. num. 2. idque, ut inquit Anacletus Theol. Mor. p. 423. n. 8. ex perpetua, & univerſali Eccleſiæ conſuetudine patet. Ergo qui unum ex prædictis omittit, non jejunat; quia ſingula ad jejunium ſunt neceſſaria: qui autem non jejunat, moraliter peccat; hinc damnatur ab Alex. VII. ea propoſitio num. 23. *Frangens jejunium Eccleſiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, niſi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat, puta quia non vult ſe ſubjicere præcepto*: ergo qui ſtatam comedendi horam omittit, ſicuti faciunt, qui eam notabiliter præveniunt, mortaliter peccat.

Præterea qui ab univerſali, & perpetua Eccleſiæ conſuetudine, quæ ſine controverſia legis vim habet,

 nota-

* Habetur apud Concinam in lib. *La diſciplina antica, e moderna della Romana Chieſa intorno il quar. digiuno* p. 61. ** Apud Concinam lib. mox cit. p. 69. *** Apud Concinam. In Reſcriptum Bened. XIV. ad poſtulata ſeptem Archiepiſcopi Comp. &c. Commentarius Theologicus. Habetur initio operis. **** Apud Concinam in diſcipl. mox cit. p. 338. n. 5. ***** Num. 31 hic cit. apud eumdem Concinam.

Digitized by Google

notabiliter recedit, letalis criminis reus eſt: at qui ſtatum comedendi die jejunii tempus notabiliter, e. gr. per unam, aut duas horas prævenit, ab univerſali, & perpetua Eccleſiæ conſuetudine notabiliter recedit: ergo letalis criminis reus eſt. Hinc D. Thom. in 4. d. 15. qu. 3. art. 4. qu. 3. ait: *Ille jejunium ſolvit, qui Eccleſiæ determinationem non ſervat. Unde cum Eccleſia inſtituerit certum tempus comedendi jejunantibus, qui nimis notabiliter anticipat, jejunium ſolvit*. Et cap. *Solent* 50. diſt. t. de conſecr. dicitur: *Solent plures, qui ſe jejunare putant in quadrageſima, mox ut ſignum audierint ad horam nonam, comedere: qui nullatenus jejunare credendi ſunt, ſi ante manducaverint, quam veſpertinum celebretur officium*. Quod ſi primis Eccleſiæ ſæculis, quibus jejunium quadrageſimæ ad veſperam uſque protrahebatur, non jejunabant, hoc eſt mortaliter peccabant ex propoſ. 23. mox cit. & ab Alex. VII. proſcripta, qui ante veſperam comedebant; multo magis letaliter delinquunt, qui noſtro tempore horam meridianam minus gravem, & incommodam notabiliter anticipant. Hac de re caute, & moderate loquitur Nat. loco cit. qui ait: „ Paululum anticipare horam prandii abſque neceſſitate aliqua, ſeu cauſa legitima, v. „ gr. hora dimidia ante meridiem prandere, veniale „ peccatum eſt. Æſtimato meridie menſæ accumbe- „ re nullum peccatum eſt. Ad jejunium enim requiri- „ tur hora determinata non ſecundum ſubtilem exami- „ nationem, ſed ſecundum groſſam æſtimationem, ut „ loquitur D. Thom. 2. 2. qu. 147. art. 7. ad 2. Nota- „ bilis anticipatio, horæ ſcilicet integræ, letale pecca- „ tum eſt. “

At, inquit Buſemb. notabili anticipatione prandii non violatur ſubſtantia, ſed tantum circumſtantia jejunii. Ergo &c.

Reſp. Buſemb. ſibi contradicit. Nam in reſp. h. dub. 1. dixit, jejunium ex præcepto Eccleſiæ obligante ſub mortali requirere tres conditiones; quarum poſtrema eſt certa hora refectionis, quæ eſt circa meridiem. Ergo hac conditione deficiente jejunium ad Eccleſiæ præceptum exactum, non eſt jejunium, ſeu, ſi ſcholaſtico more loqui velis, non habet formam, eſſentiam, ſeu ſubſtantiam eccleſiaſtici jejunii: ergo defectus hujus conditionis eſt fractio jejunii, hoc eſt mortalis culpa; quod Laym. t. 2. l. 4. t. 8. e. t. n. 11. p. 146. concedit, ſi ſermo ſit de jejuniis antiquis. „ Verum tamen, „ inquit, ſpectata hodiernæ Eccleſiæ conſuetudine, „ per quam cœna in prandium, ſeu tempus, quo com- „ muniter homines prandere ſolent, translata eſt, non „ videtur tertium illud requiſitum ad ſubſtantiam jeju- „ nii pertinere, ſed vel accidentarium eſſe, vel ſecun- „ darium; cujus prætermiſſio, adeoque anticipatio tem- „ poris comedendi cenſeri tantum debeat culpa venia- „ lis. “ Ita Laym. qui eo vitio laborat, quod affirmet ſine probatione tertium requiſitum, de quo ſermo eſt, non pertinere ad ſubſtantiam hodierni jejunii: hoc ſcilicet ore rotundo negatur; & hoc ſatis eſt, ut aſſertio Laymanni in fumum abeat; quia affirmanti, non neganti probatio incumbit ex Logicorum regulis. Præterea quid eſt eſſentia, ſeu ſubſtantia hodierni eccleſiaſtici jejunii, niſi abſtinentia, prout Eccleſiæ lege jejunii diebus præcipitur? At jejunii diebus, Eccleſiæ lege præcipitur inter cetera prorogatio refectionis ad meridiem: ergo prorogatio refectionis ad meridiem eſt de eſſentia, ſeu ſubſtantia jejunii. Cur antiqui Chriſtiani mortaliter peccabant notabili refectionis anticipatione? Quia Eccleſiæ legem, & conſuetudinem violabant: at nonne hodierni Chriſtiani refectionis tempus notabiliter anticipantes, Eccleſiæ legem, & conſuetudinem violant? Ergo mortaliter peccant, imo vero turpius, & inexcuſabilius peccant, quam antiqui; quia facilius, & commodius præceptum tranſgrediuntur.

Huic porro eccleſiaſtici jejunii legi Regulares ſubeſſe, extra omnem controverſiam eſſe debet; imo, cum ii in ſacrarum legum obſervantia ſæcularibus exemplo præire teneantur, illam tum quoad alias conditiones, tum quoad ſtatam meridianam refectionis horam exactius obſervare debent, quam ſæculares. Contrariæ conſuetudines, ſi alicubi forte vigeant, apertæ corruptelæ ſunt, univerſali, ac perpetuæ fidelium conſuetudini contrariæ, ſtatuique religioſo hoſtiliter adverſæ. Privilegia Leon. X. quæ Pellizarius, Portel, Diana, quos male ſecutus eſt La-Croix p. 409. n. 1277. (in Regularium ne gratiam dicam, an damnum?) commenti ſunt, nullis legitimis documentis nituntur, & ficticia merito habentur, quia accurate inquiſita, numquam inventa fuere. Præterea ab omni veriſimilitudine longe abeſt, ſummos Pontifices privilegia conceſſiſſe Regularibus univerſale jejunium relaxantia, unde in ſæculares homines malum redundat exemplum.

Hanc ſententiam tradit Concina loco hic cit. p. 279. n. 8. q. 2., ubi ita loquitur. „ Communiter tractatores rei moralis Diana, Leander, Cozza, pluriſque „ alii comminiſcuntur privilegium indultum Regulari- „ bus noctu ad matutinas horas ſurgentibus anticipan- „ di diebus jejunii prandium per horam. Sed neminem „ vidi, qui ejuſmodi privilegium in medium afferat, vel „ locum indicet, ubi reperiatur. Quare, niſi privile- „ gium mihi oſtendatur, dico, Regulares debere ad ho- „ ram conſuetam prandium differre. “

Idem ſentit Nat. Alexander loco item hic appellato, ex quo „ gravius cæteris peccant eccleſiaſtici ac reli- „ gioſi Viri, qui refectionis tempus diebus jejunii anti- „ cipant; “ tum quia pravum exemplum, & ſcandalum laicis præbent, tum quia, cum in cœnobiis hora ſumendi cibi vulgo ſit undecima, jejunii diebus ad duodecimam, ſeu meridiem proroganda eſt. Nam quia *jejunium eccleſiaſticum debet eſſe pœnale, & ſatisfactorium, idea aliquid additur* ex D. Th. in 4. ſent. diſt. 15. q. 3. a. 4. q. 3. „ Religioſi denique Viri, inquit, & Clerici „ paſſioni Chriſti ſeſe conformare magis tenentur, car- „ nem ſuam per jejunium affligendo ſecundum illud „ Ap. ad Gal. 5. *qui Chriſti ſunt, carnem ſuam crucifixe-* „ *runt cum vitiis, & concupiſcentiis*. „ Quam fœdum „ igitur eſt, ut indulgeant carni ad tempus refectionis „ anticipandum, privilegia neſcio quæ obtendentes! “ Haſtenus ille. Hæc privilegia, aliæque contrariæ ſententiæ machinæ lubricæ jam ſunt; nihilominus, ut ex erudito Viro intelleai, non deeſt, qui eam rueri pergat, in ejuſque ſubſidium nonnullorum cœnobiorum * aliis repugnantibus conſuetudinem vocet; quaſi vero rationabilis & legitima poſſit eſſe conſuetudo, quæ contra legem, & generalem chriſtiani populi conſuetudinem pugnat, quæ carnis concupiſcentiam fovet, & ſcandalum parit.

At nobis objicit D. Thomam 1. 2. q. 97. a. 3. ad 3., ubi ait. *Si vera multitudo non habeat liberam poteſtatem condendi ſibi legem, vel legem a ſuperiori poteſtate poſitam removendi, tamen ipſa conſuetudo in tali multitudine prævalens, obtinet vim legis, inquantum per eos toleratur; ad quos pertinet multitudini legem imponere. Ex hoc enim ipſa videntur approbare, quod conſuetudo introduxit*. Reſp. D. Th. ait, *multitudo*, *in tali multitudine*, non *Comunità*, ut adverſarius inſcite, aut fraudulenter vertit. *Multitudo* idem hic eſt, ac populus, ſeu perfecta communitas, puta Regnum, principatus, provincia, civitas; qua de re D. Th. 1. 2. q. 90. a. 3., non communitas imperfecta, uti ſunt ſeu laicorum, ſeu Religioſorum familiæ. Hæc enim, quia perfectæ communitati ſeſe conformare tenetur, germanam corruptelam inducit, dum uſum ei contrarium introducere audet. Si uſus prandendi ante meridiem jejunii diebus in laicorum familiis, ſine dubitatione damnaretur, an in religioſis familiis probandus eſt? Imo in his magis improbandus, quam in illis; quia religioſo ſtatui magis adverſus, majuſque ſcandalum præbet. *Mos Populi Dei*, (inquit S. Aug. a D. Th. 1. 2. q. 97. a. 3. citatus) *& inſtituta majorum pro lege ſunt tenenda; & ſicut prævaricatores legum divinarum, ita & contemptores conſuetudinum eccleſiaſticarum coercendi ſunt*. Protractio prandii ad meridiem jejunii diebus, eſt ne mos Populi Dei, eſt ne majorum inſtitutum? Ergo pro lege habenda eſt: ergo qui hanc conſuetudinem uſu contrario contemnunt, coercendi ſunt, non palpandi: turpis ſcilicet eſt omnis pars, quæ toti non congruit. An religioſæ familiæ Chriſtiani populi pars non ſunt? Si ex Syn. Trid. ſeſs. 25. cap. 12. de Regul. & Mon. *dies feſti, quos in Diœceſi ſua ſervandos Epiſcopus præceperit, ab exemptis omnibus etiam Regularibus* obſervandi ſunt; multo magis univerſalis jejunii lex, & conſuetudo ab iis obſervanda eſt. Nonne evidens corruptela eſſet, ſi religioſæ domus uſum haberent comedendi carnes, aut plenam refectionem repetendi jejunii diebus? Cur igitur corruptela non eſt, uſus anticipandi meridiem? utrobique enim contra univerſalem legem, & conſuetudinem agitur. Hujuſmodi uſus in nonnullis cœnobiis ex privilegiis, quæ vera, & genuina vulgo habebantur, laxiſque opinionibus, quæ rectæ morum regulæ putabantur, ortus, eo ipſo irrationabilis & malus eſt, quia ex falſis, fictiſque principiis profectus. Neque ea temporis lapſu vim ſumere poteſt; quia *non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non ſubſiſtit*. Reg. 18. in 6. Dixi *in nonnullis*. Nam Victor Faber Doct. Theolog. Pat. coll. 28. Ap. 1744. ita ſcribit. „ Qui in Padova non ſolo le Monache più oſſervan- „ ti, e rigide, come ſono le Cappuccine, l'Eremite, „ ed altre, ma anche le più miti per ragione di regola, „ poſpongono univerſalmente il pranzo ne' giorni di di- „ giuno differendolo alcune al mezzodì ſuonato, altre „ vicino al mezzodì. Per dare queſta notizia al meglio „ fondata, non ſolo ho io interrogato in qualche luo- „ go, ma di più ho preſa informazione da Sacerdoti „ pratici de' Monaſterj; e da ogni parte ho ricavata la „ verità, che le ſcrivo &c. “ An a Fœminis Viri legum

* P. Gab. Ang. Vincentin in explicatione regulæ S. Franciſci; cujus ſanctitati, & auſteritati adverſatur, dum contra juſtam legem carnis patrocinium ſuſcipit.

gum obſequium diſcere debent? Quid tu mihi, P. G. A., horum contrarium uſum alicubi ſervantium auctoritatem tam fidenter objectas, ac ſi Vaticani oraculum eſſet? An neſcis, a multis illud, quod tantopere D. Auguſtinus improbat, uſurpari, *quod volumus, juſtum eſt*? Illud ne ignoras, *dediſcit animus ſero, quod didicit diu*? Auctoritas in propria cauſa nullius momenti eſt, præſertim ex ſuppoſititiis, falſiſque fundamentis orta, & contra ſentientium, & agentium auctoritate repulſa.

Quare videris, ne in te illud D. Aug. lib. 2. de anima, & ejus origine cap. 6. (tom. 10.) cadat. *Si ergo te didiciſſe arbitraris, quod adhuc neſcis, non plane didiciſti, ſed temere credidiſti, quod libenter audiſti, & ſubrepſit tibi falſiloquium per ſuaviloquium.*

Sententia, Nat. Alexandri, & Concinæ, quam ego ſecutus ſum, non ſolum pia, tuta, & contraria, ſeu tua, longe probabilior eſt, ſed, niſi aliud habes, quod contra ſcribas, unice vera.

Animadversio IV.

Dixi 1. notabiliter, & ſine juſta cauſa; *quia prævenire ex juſta cauſa, v. g. ſi iter ſit faciendum, ſi hoſpites dimittendi &c. & abſque ea per mediam horam tantum, nullum peccatum videtur eſſe.*

Ut ab hoc ultimo exordiar, jam a Nat. Alex. cit. fuit improbatum, & merito. Si enim notabilis anticipatio prandii letalis culpa eſt, ut contra Buſemb. mox oſtenſum eſt, illud neceſſario conſequitur, exiguam anticipationem, puta per mediam horam, eſſe noxam venialem. Omnis receſſus a lege, culpabilis ſemper eſt: atqui anticipatio prandii diebus jejunii per mediam horam, eſt evidens receſſus a lege: ergo evidenter culpabilis eſt.

Porro ut ſine culpa prævenias notabiliter ſtatam refectionis horam, non ſufficit quælibet juſta cauſa, ſed gravis cauſa requiritur. Nec enim levis, licet rationabilis ſit, cauſa a lege eximit, quæ, ſi ea quacumque etiam levi cauſa omittatur, magis contemnitur, quam, ut par eſt, in magna veneratione habeatur.

D. Thom. 2. 2. q. 147. ar. 41. ad 3. ait: *Quod circa peregrinos, & operarios diſtinguendum videtur. Quia ſi peregrinatio, & operis labor commode differri poſſit, aut diminui abſque detrimento corporalis, vel ſpiritualis vitæ, & exterioris ſtatus, qui requiritur ad conſervationem corporalis, vel ſpiritualis vitæ, non ſunt propter hoc Eccleſiæ jejunia prætermittenda. Si autem immineat neceſſitas ſtatim peregrinandi, & magnas diætas faciendi, vel etiam multum laborandi vel propter conſervationem vitæ corporalis, vel propter aliquid neceſſarium ad vitam ſpiritualem, & ſimul cum hoc non poſſint Eccleſiæ jejunia obſervari, non obligatur homo ad jejunandum; quia non videtur fuiſſe intentio Eccleſiæ ſtatuentis jejunia, ut per hoc impediret alias pias, & magis neceſſarias cauſas. Videntur tamen in talibus recurrendum eſſe ad Superioris diſpenſationem; niſi forte ubi eſt ita conſuetum; quia ex hoc ipſo quod Prælati diſſimulant, videntur annuere.* Juxta inconcuſſam S. Doctoris doctrinam, duo requiruntur, ut peregrinatio, ſeu iter, ſit cauſa ſufficiens diſpenſandi, ſeu eximendi a jejunio. Primum eſt, ut iter ſit neceſſarium ad vitam corporis, vel animæ: alterum, ut jejunium cum itinere componi non poſſit. Si alterutrum deſit, iter a jejunio non ſolvit, ideoque ne a notabili quidem prandii anticipatione, qua jejunium frangitur. Buſembaum autem nec itineris neceſſitatem, nec impotentiam componendi horam prandii jejunalem cum itinere nominat, ſed ſine ulla limitatione liberaliſſime eximit a ſtata refectionis hora, *v. g. ſi iter ſit faciendum.*

Ex his porro intelligitur, eſſe prorſus inexcuſabilem, qui hoſpitibus jejunii die dimittendis notabiliter anticipans prandium, cum iis comedit, quidquid Buſemb. contra ſentiat. Hic enim nulla eſt, ne levis quidem juſta cauſa prandium præveniendi, ſed ſolum inanis, & malus reſpectus ad homines. An, ne hoſpitibus minime probis diſpliceas, Eccleſiæ præceptum pro nihilo habere tibi licet?

Ergo, dum notabiliter ante meridiem cum iis prandes, mortaliter peccas; alterumque mortale peccatum addis, ſi ipſis hoſpitibus ſine neceſſitate mox explicata comedere optantibus prandium paras; quia eorum mortali peccato conſentis. Miſſis ergo lubricis, & falſis Buſemb. opinatiunculis, audiatur iterum Angelicus, qui qu. 147. cit. art. 7. ad 3. ait: *Vel ſi forte* (loquitur de taxatione temporis comedendi jejunii diebus) *propter infirmitatem, vel ætatem, aut aliquid hujuſmodi, hoc eis in magnum gravamen cederet, eſſet cum eis in jejunio diſpenſandum, vel ut aliquantulum prævenirent horam.*

S. D. & non quamcumque cauſam ſufficere putat, ſed magnum gravamen poſtulat, ut in jejunio, vel in horæ anticipatione diſpenſetur. Non hoſpitum dimiſſio, non arbitrarium iter, non leve incommodum, ſed ſolum grave detrimentum eſt cauſa ſufficiens diſpenſandi, aut eximendi ab hora ſtata refectionis, jejunii diebus.

Animadversio V.

Non ſolvitur jejunium per diviſionem prandii ob negotium incidens.

La Croix p. 409. n. 1279. ita loquitur: „ Si quis interrumpat ob negotium, Paſq. deciſ. 121. putat, eum „ poſſe complere prandium abſoluto negotio, quamvis „ hoc duraret uſque ad veſperum; quia cum illa interruptio ſit involuntaria, prandium, ad quod jus habet, manebit complebile per ſequentem comeſtionem: „ contradicit Tamb. in Dec. l. 4. c. 4. §. 2. num. 18. „ Non enim apparet, quomodo id quod veſperi comedit, poſſit cum cibo jam digeſto facere unam comeſtionem. Hinc Diana, & Lezana dicunt, non debere intercedere plus, quam unam, vel duas horas: nam „ duas etiam admittit Sanch. Quamvis Eſcob. putet, „ id eſſe nimium, ideoque cum Tamb. tantum unam „ concedat. Nihilominus Leander, & Steph. t. 1. d. 5. „ n. 123. probabiliter ſic diſtinguunt: ſi interrumpat ultra duas horas, & prius ſumpſerit, quantum ſatis eſt „ ad jejunium ſine magno incommodo tolerandum, non „ poterit redire; ſi autem prius non ſumpſerit tam multum, dicunt cum Paſq. poſſe redire, dummodo retinuerit intentionem redeundi, quæ uniat illas duas comeſtiones in unum prandium. “

Hæc eſt hiſtorica La-Croixii deſcriptio opinionum verſatilium, quæ, cum mutuo pugnare videantur, reipſa tamen non pugnant; quia contrariis ſuam probabilitatem relinquunt. Quid hinc lector? Si verſatilis opinator ſit, quod abſit, illud diſcit, ut pro ſuo arbitrio ſequi poſſit quos maluerit. Si ſit ſanæ doctrinæ ſtudioſus, recitatas opiniones ex arbitrio confictas pro nihilo habet. Quid ergo? inquis. Reſp. Eccleſia jejunii diebus unam refectionem permittit, plures prohibet: cum prandium dividitur, & per notabile tempus e. gr. duplicis, aut etiam unius horæ interrumpitur, refectio non eſt una, ſed multiplex: ergo qui prandium per notabile tempus interrumpit, eccleſiaſticæ jejunii legi adverſatur. At quid, inquis, ſi negotium incidat? Reſp. *Omnia tempus habent*, ait Eccl. c. 3. Dum comedis, non eſt tempus vacandi negotiis; hæc ſuum habent tempus; ideoque poſt refectionem ſunt tractanda, & peragenda.

An ut negotia incidentia agas refectiones contra Eccleſiæ legem multiplicare potes? Nam ſi interruptio prandii exigua ſit, pro nihilo haberi poteſt.

Quod ſi negotium ſit neceſſarium, nec moram patiatur, ut ſi moribundi confeſſio excipienda ſit, vel rixæ ſedandæ, vel morbus repentinus curandus, & ſimilia neceſſario, ac ſtatim facienda, prandii diviſio culpa vacat; quia neceſſitas non ſubditur legi.

Vel ſi quid ſumatur . . . ob debilitatem.

Si debilitas exacte jejunanti in magnum gravamen, ut loquitur S. Thom. cit. cederet, is aut diſpenſandus, aut eximendus a jejunio eſſet pro ratione ſuæ neceſſitatis, hoc eſt vel ut prandii horam præveniret, vel ut aliquid ante prandium ſumeret. At propter levia incommoda non licet aliquid ſumere ante prandium diebus jejunii. An jejunantes ſine ullo incommodo, & debilitate jejunare volunt; an noſtræ quoque corruptæ naturæ accommodata, & ſuavis eſſe debet jejunii lex? Qui ob quamcumque debilitatem cibos ante prandium diebus jejunii ſumunt, a Chriſti cruce nimis alieni ſunt, jugo legis ſeſe non ſubjiciunt, ſed legem ſibi, pati denique nihil volunt, ideoque cum Chriſto gaudere non poſſunt.

Aliamve cauſam rationabilem, uti apud Religioſos faciunt miniſtri, & lectores menſæ.

Hi, ut ait La-Croix p. 409 n. 1280. „ poſſunt ſumere cibum etiam in magna quantitate, per horam circiter ante prandium ſuum, & poſtea hoc complere expleto ſuo ſervitio: Sanch. Leand. Tamb. n. 17. & alii „ cum Dian. p. 10. t. 14. Reſp. 61. “

Hæc ſane opinatio proxima ſuperiore jam refutata deterior eſt. Si enim propter quamcumque debilitatem cibos ante prandium ſumere non licet jejunii diebus, multo minus id licet ſine ulla debilitate.

An quia in Religioſorum cœnobiis aliqui menſæ miniſtrant, vel inter menſam legunt, licentiam habent frangendi jejunium? Si miniſtrantes menſæ Religioſorum hanc licentiam habent, cur non miniſtrantes menſæ ſæcularium? an adminiſtratio menſæ, vel lectio in magnum gravamen cedit, niſi cibos ante prandium ſumant? timendum ſcilicet eſt, ut in deliquium, aut febrim, aut gravem morbum incidant, niſi vires ante prandium refocillent? hæc ne ſunt digna Religioſis ad auſteritatem vitæ, ad carnis macerationem deſtinatis? hæc ne ſunt exempla, homines ſæculi ad carnem macerandam excitantia? hæc ne exacta ſacratiſſimæ legis jejunii obſervantia? La-Croixius non ſine malo exemplo per commentitia privilegia permittit Regularibus univerſe, ut

Digitized by Google

jejunii diebus prandium per unam horam anticipent, nunc etiam ſine fictis privilegiis, menſæ religioſæ miniſtris, & lectoribus ex ſua liberalitate concedit, ut ante horam prandii ſui, hoc eſt duas horas ante ſæculatium prandium cibum ſumant etiam in magna quantitate! Quid quæſo hoc eſt, niſi menſæ miniſtris, & lectoribus permittere, ut jejunium frangant, hoc eſt, ut mortaliter peccent? Res evidens eſt; nec La-Croixii patroni, aut fautores, quantumlibet ſubtilia ingenia torqueant, contrarium unquam oſtendent. „ Ratio eſt, inquit La-„ Croix, quia habent jus tum incipiendi prandium cum a-„ liis, occurrente autem negotio, quale eſt tale ſervi-„ tium, licite interrumpunt. “

Reſp. Falſum eſt, hos miniſtros, & lectores habere jus inchoandi prandium eo tempore, quo permittit La-Croix, hoc eſt unam circiter horam ante prandium ſuum, hoc eſt duas horas ante meridiem: hoc jus prorſus fictitium eſt, ut jam oſtendi: contradictorium eſt, eos inchoare prandium cum aliis, ſi ante horam circiter illud inchoent ante prandium ſuum, hoc eſt ante prandium regulare, ut ego ſine ulla calumnia intellexi, & alii forte intelligere poſſunt. At nunc pono, La-Croixium eſſe intelligendum de prandio proprio menſæ miniſtrorum, & lectorum, quod poſt aliorum prandium ſumunt.

At ne ita quidem accepta La-Croixii opinio, admitti poteſt, etiam poſito, quod Religioſi debito, hoc eſt meridiano tempore prandeant. Habent enim jus omnes Religioſi eo tempore inchoandi prandium, non tamen habent jus interrumpendi prandium, hoc eſt duas refectiones contra Eccleſiæ legem ſumendi. Prandium inchoatum interrumpi quidem poteſt propter negotium incidens, hoc eſt, quod caſu, & præter expectationem accidat, dum, ut dixi, neceſſarium ſit, nec moram patiatur. At negotium miniſtrandi menſæ, & legendi non eſt incidens, ſed prævisum, & ordinarium; ideoque ex hoc capite ſumi non poteſt legitima interrumpendi prandii excuſatio.

At, inquit Buſ. „ nonniſi unicam refectionem intendunt. “ Reſp. hæc ſane ratio ridicula eſt. Nec enim Eccleſia unicam refectionem diebus jejunii præcipiens, intentione unius refectionis, cui factum repugnet, contenta eſt, ſed unicam realem refectionem poſtulat.

Et hinc Sanch. &c. excuſant famulos &c. ſi aliquid prægustent, aut ex reliquiis guloſe ſumant, tum ut &c.

Digna ne ſunt hæc, quæ refellantur? an etiam famem nolle pati, an etiam gulæ incitamentum legitimæ cauſæ ſunt interrumpendi prandium jejunii diebus? melius ne inſerviunt famuli guloſi, an abſtinentes? melius ne inſerviunt famuli, qui nihil incommodi pati volunt, an qui incommoda ferre parati ſunt, & ſolent?

Menſæ melius, vel, ut vere loquamur, deterius inſervire, eſt ne neceſſitas, & legitima cauſa ab Eccleſiæ lege unicam refectionem diebus jejunii præcipiente excuſans? Qui ita loquuntur, putant ne, jejunii legem eſſe ſacratiſſimam, & quadrageſimale jejunium a tota per orbem Eccleſia, ut loquitur Bened. XIV. (conſt. *Non ambigimus* anni 1745.) inter præcipua orthodoxæ diſciplinæ capita annumerari?

Nec ſolvitur per ſumptionem electuariorum.

Hic diſtinctione opus eſt. Si enim electuaria, vulgo *conſerve*, infirmitatis cauſa ſumantur, licent, dum pro modo indigentiæ ſumantur. Si ſumantur abſque neceſſitate infirmitatis, ob delectationem, vel ad famem ſedandam, vetita ſunt; &, niſi materiæ parvitas excuſet, letalis culpæ reatum includunt; quia ciborum vim habent, & nutriunt; quæ ſententia ex ſe clara, antiquorum, & recentium quoque Theologorum auctoritate confirmatur, ut monet P. Concina Theol. t. 5. p. 203. qu. 3. Et hoc ſenſu loquitur D. Thom. 2. 2. q. 147. art. 6. ad 3. dum ait: *Quod electuaria etiamſi aliquo modo nutriant, non tamen principaliter aſſumuntur ad nutrimentum, ſed ad digeſtionem ciborum. Unde non ſolvunt jejunium, ſicut nec aliarum medicinarum aſſumptio; niſi forte aliquis in fraudem electuaria in magna quantitate aſſumat per modum cibi.*

La-Croix p. 410. n. 1294. ait: „ S. Thom. Laym. & „ Steph. num. 92. dicunt, licere electuaria, confecta, „ ſeu conſerva, ut vocant, cum accipiantur, non ut a-„ limenta, nec in fraudem legis, ſed ut medicamenta, „ aut præſervativa, niſi acciperentur in magna quanti-„ tate; ſed contradicunt Fagund. & Dian. Reſp. 6. quia „ videntur habere rationem cibi, nec licere poſſunt, „ niſi actu male affectis pro medicina, vel de propinquo „ alioquin infirmandis ad præſervativam. “

Recte quidem Fagund. & Dian. at hi S. Thomæ non contradicunt, ſed ejus mentem diſtinctius aperiunt. Electuaria habent rationem cibi, & rationem medicinæ: ſumuntur per modum cibi, cum ſine ulla neceſſitate infirmitatis, aut ſupra proportionem neceſſitatis comeduntur, & in hac ſpecie non licent. Sumuntur per modum medicinæ, cum ſumuntur ex neceſſitate ad curandam, vel præſervandam infirmitatem utique imminentem, non remotam, & incertam; pro qua nulla ſit neceſſitas ſumendi electuaria. Hic porro eſt ſenſus allatorum D. Thomæ verborum.

Vel crebriorem hauſtum, ante quem modicum ſumere, ne potus noceat, permittit &c. & quidem toties, quoties libet, dummodo &c. v. gr. 5. vel 6. amygdalas, vel quid ſimile.

„ Communiter, inquit La-Croix p. 410. n. 1293. te-„ nent omnes cum Dian. p. 10. t. 14. Reſp. 59. ratio-„ ne potus, ne noceat, non licere plus panis, vel ci-„ bi ſumere, quam mediam unciam; quia hæc quanti-„ tas commiſta potui ſufficit ad impediendum nocumen-„ tum. “

Reſp. hanc ſpeciem proponere juvat. Poſt prandium quadrageſimale nonnulli aſſident menſæ ſcyphis, & lagenis optimi vini, ac bellariis inſtructæ. Dies tranſigunt inter amænos ſermones, ac ludos, ac cyathos identidem exhauriunt ſumptis ſemper ante potum 5. aut ſex amygdalis, aut cibo ſimili mediam unciam non excedente. At quia cyathi frequentes ſunt, & converſatio ad multas horas protrahitur, plures eorum notabilem cibi quantitatem iteratis vicibus ſumunt. Quæro ego hic non ab homine ſevero, & aſpero, nec a molli, & laxo, ſed ab homine æquo & probo, quid de his ſentiat? Hi certe *ducunt in bonis dies ſuos*: at quid inde? *& in puncto*, inquit Job c. 21. v. 13. *ad inferna deſcendunt*. Sed miſſis aliis, illud unum quæritur, utrum ſumptio deſcripti cibi illis liceat.

La-Croix n. cit. ſubdit: Recte monet Steph. n. 122. his verbis: *Puto de facto ſub colore, ut potus noceat, ſæpius a variis aliqua ſumi tantum ideo, ut potus magis ſapiat, quod profecto non licet*, Recte ſane: at quid ſi modicus cibus deſcriptus reipſa ſumatur, ne potus noceat? Hoc licet, ait Buſ. nec La-Croix diſſentit. Ego vero hujuſmodi amænos homines non ſolum peccare, ſed mortaliter peccare exiſtimo, imo pro certo habeo. Nam qui in die jejunii ſæpius quid modicum comederit, frangit jejunium: hæc propoſitio eſt indubitata, quia contraria ab Alex. VII. n. 29. eſt expreſſe proſcripta: at deſcripti homines modicum quid ſæpius jejunii die comederunt, hæc eſt noſtra poſitio, & ſpecies: ergo jejunium fregere: ergo mortaliter peccarunt. Concluſiones ſunt legitimæ, & evidentes. Contraria vero Buſemb. La-Croixii, & aliorum doctrina eſt aperte damnata.

Neque enim ſuæ doctrinæ damnationem evadere poſſunt, quia repetito modico cibo addunt permiſſionem repetiti, hoc eſt intemperantis potus. Hæc enim permiſſio damnabiliorem reddit propoſitionem damnatam. Ipſa repetitio modici cibi, mortalis culpa eſt; nec venialis fieri poteſt, multoque minus licita, quia in gratiam potus ſumitur.

Cur enim ab ipſo potu non abſtines, ſi ſine vetito cibo potum ſumere non potes? nec enim potus etiam permiſſus licitum facit cibum prohibitum. Præterea ſi potus ſine cibo nocet, evidenti argumento eſt, naturam potu non indigere: nec enim naturæ nocere ea poſſunt, quibus ipſa indiget. Quod ſi aliquid incommodi ex abſtinentia potus quis pateretur, nonne illud neceſſario ſubeundum eſſet, ne cibus vetitus ſumeretur? Hæc certa ſunt æquis, & ſanis hominibus, nedum Theologis. Lege tamen, ſi lubet, etiam Concinam, qui Theol. t. 5. p. 225. qu. 3. Buſemb. & La-Croix mox deſcriptam opinionem refutat.

ANIMADVERSIO VI.

Qui vero in potu valde excederet, contra temperantiam quidem, non tamen contra jejunium peccaret, ſaltem mortaliter.

Idem ſentit D. Thom. 2. 2. qu. 147. art. 6. ad 2. ubi ait: *Eſt autem aliud jejunium Eccleſiæ, quod dicitur jejunium jejunantis; & iſtud non ſolvitur, niſi per ea, quæ Eccleſia interdicere intendit, inſtituendo jejunium. Non autem intendit Eccleſia interdicere abſtinentiam* (lege *ſumptionem*, ut advertit Concina Theol. t. 5. p. 199. n. 2. & ſenſus poſtulat) *potus, qui magis ſumitur ad alterationem corporis, & digeſtionem ciborum aſſumptorum, quam ad nutritionem, licet aliquo modo nutriat, & ideo licet pluries, jejunantibus bibere. Si autem quis immoderate potu utatur, poteſt peccare, & meritum jejunii perdere, ſicuti etiam ſi immoderate cibum in una comeſtione aſſumat.* Et hoc fatentur Theologi omnes communiter, ut ait idem Concina loco mox cit.

Si autem vinum extra refectionem ſumatur in fraudem jejunii, hoc eſt ad famem ſedandam, probabilius putat P. Concina Theol. t. 5. p. 200. qu. 3. en frangi jejunii legem. Quia enim lex jejunii extra refectionem cibum prohibeat, ejuſdem legis mens merito putatur eſſe, prohibere, ne ſubſtituatur loco cibi tanta vini præſertim optimi copia, quæ nutriat, & famem abigat, ut cibus. Pro hac ſententia citat Concina multos tum veteres, tum

tum recentes, ac inter hos ipſum Dianam, qui hancopinionem probabilem eſſe fatetur.

La Croix p. 409. n. 1290. contrariam opinionem, quæ apud recentes communior eſt, tuetur; ſed in eo errat, ut pro ſe citet S. Thomam loco mox appellato, ubi abſolute S. Doct. permittit potum die jejunii extra refectionem.

Sed D. Thom. intelligendus eſt ſenſu, ut Logici ajunt, reduplicativo, hoc eſt ut permittat potum, quatenus potus, non ſi rationem cibi habeat, ut mox explicatum eſt. Hinc idem Angelicus in 4. d. 15. qu. 3. art. 4. qu. 1. ad 2. ita concludit; *Et ideo ille, qui potat extra horam unicæ comeſtionis, non dicitur bis manducare; & propter hoc nec ſtatutum Eccleſiæ frangit; niſi fraudem faciat; quia legem violat, qui in fraudem legis aliquid facit.*

At, inquit La-Croix, „ intentio ſumentis non mutat „ rationem potus, qui de ſe eſt tantum ad ſitim ſedan- „ dam, & refrigerandum ſanguinem, quamvis etiam ju- „ vet ad vehendos, & concoquendos cibos. “.

Reſp. Licet potus cibi naturam non habeat, eam tamen æquivalenter hoc eſt cibi vim habet, ſi vinum exquiſitum, & copioſe ſumatur, quod teſte experientia nutrit; ex quo fit, ut hac ratione ſumptum, ſit in fraudem legis, ac legem, ut ait D. Thom., violet. Illud porro, quod ait La-Croix, vinum refrigerare ſanguinem, eſt falſum, & experientiæ contrarium, qua conſtat, vino ſanguinem incaleſcere. Sed hoc extra rem moralem.

Animadversio VII.

Ait, mane ſumere collatiunculam ſine cauſa die jejunii, eſſe tantum veniale; quæ ſane opinio communior eſt, ut ait P. Concina Theol. t. 5. p. p. 272. n. 17. & juxta ipſum probabilior. Ratio eſt, inquiunt, quia hac ordinis inverſione non violatur ſubſtantia jejunii, ſeu, ut clarius loquamur, Eccleſiæ lex notabiliter non læditur. At hæc ratio, ſeu propoſitio incerta videri merito poteſt. Eccleſia enim diebus jejunii ex perpetua, & univerſali conſuetudine, ut ſupra ex communi Theologorum ſenſu dictum eſt, abſtinentiam cibi uſque ad certam horam, hoc eſt noſtro tempore meridianam, præcipit; & qui hoc tempus comedendo notabiliter anticipat, ut contra Buſ. & Laym. oſtenſum eſt, mortaliter peccat: at qui collatiunculam mane ſumit, tempus meridianum comedendo notabiliter anticipat: ergo videtur peccare mortaliter.

Anticipat, inquis, non prandendo, ſed collatiuncula; quod diverſum eſt.

Reſp. diverſum quidem eſt quoad cibi quantitatem; ſed tamen quantitas cibi in ipſa collatiuncula ſumpta, notabilis quoad jejunium eſt, & ex ſe jejunium ſpectata quantitate, ut ponimus, frangit; & præterea tempus refectionis notabiliter anticipat. Neque vero in noſtra ſpecie, eſt ſola ordinis inverſio, ſed etiam notabilis temporis anticipatio: eſſet ſola ordinis inverſio, ſi collatiuncula non mane, ſed meridie ſumeretur, prandio ad veſperam protracto.

At cum mane ſumitur, non ſolum invertitur ordo, ſed etiam tempus comedendi notabiliter prævenitur, in quo notabilis eſſe videtur legis læſio. Quoad rem phyſicam perinde eſt, ſeu mane, ſeu veſpere collatiunculam ſumas; at quoad Eccleſiæ legem res non eſt eadem, ſed contraria. Quoad Eccleſiæ legem idem eſt, ſeu mane prandeas, & veſpere collatiunculam ſumas, ſeu, mane collatiunculam ſumas, & veſpere prandeas: at primum eſt mortalis culpa: ergo etiam alterum. Hinc Nat. Alex. Theol. t. 2. p. 561. reg. 13. in fine ait: „ jejunium violare, & mortaliter peccare, qui mane „ ſumit jentaculum, prandio in veſperam dilato, niſi „ neceſſitas, vel infirmitas cogat. Jentaculum vero, ſi- „ ve collationem, ut loquimur, meridie ſumere licet, „ plena refectione in ſerotinum tempus dilata, ſi legiti- „ ma cauſa ſubſit, veluti ſi quis prandere non poſſit „ ante veſperam propter negotia, propter profectionem, „ propter hoſpites veſpere venturos, propter ſummam „ difficultatem dormiendi vacuo ſtomacho; at ſine cau- „ ſa legitima prandium in cœnam mutare jejunii diebus „ non licet. “

Animadversio VIII.

Quoad ejus quantitatem communiter deſignatur quarta, vel quinta pars integræ cœnæ.

Cum ſerotina collatiuncula Eccleſiæ conſuetudine, Paſtoribus non improbantibus invecta ſit, ejus quoque quantitas ab eadem conſuetudine petenda eſt. Conſuetudo porro non ab hominibus malis, laxis, ventri ſervientibus, ſed a probis, rectæque conſcientiæ ſumi debet: ergo regula non ſolum quantitatis, ſed etiam qualitatis ciborum in ſerotina collatiuncula ab uſu hominum proborum rectæque conſcientiæ deſumenda eſt.

Id docet Doctor Doctorum Bened. XIV. in reſcripto ad poſtulata Archiepiſcopi Compoſtellani, * qui ſecundo loco quærebat: *an iis, quibus conceſſum eſt veſci carnibus, poſſint in veſpertina refectiuncula ea quantitate carnis veſci, quæ jejunantibus permittitur. Reſpondemus*, inquit ſummus Pont. *non licere, ſed opus habere eo cibo, eaque uti potione, quibus utuntur homines jejunantes rectæ meticuloſæ conſcientiæ.* Hanc certiſſimam regulam admittit quoque P. La-Croix p. 410. n. 1297. Sed poſtmodum pro veſpertina collatiuncula n. 1299. octo cibi uncias concedit. „ Videtur tamen, ſubdit, proba- „ bilius dici, quod quantitas reſtringi debeat ad quar- „ tam circiter, vel quotam partem prandii, ut habet „ Buſemb. “

P. Concina poſtquam hac de re erudite diſſeruit, ut ipſa res poſtulabat, ita loquitur Theol. t. 5. p. 260. n. 5. „ Ut itaque, ſicut præmiſi, media ego via incedam, „ opiniones, quæ ſive quartam cœnæ partem, ſive octo „ uncias permittunt, rejicio tanquam laxas, & ut ego „ arbitror, a vera conſuetudine Eccleſiæ exorbitantes. „ Paululum quoque, quin pluſquam paululum ab anti- „ qua recedo ſeveritate, & ſanctis viris mediæ, ut ita „ dicam, iſtius conſuetudinis ætatis, gravioribuſque „ Theologis accedere volo. Duas uncias panis, & unam „ unciam aut amygdalarum, aut ficuum, aut nucum „ detractis corticibus permitterem in collatione ſeru- „ tina. Hæc ſententia minus recedit a Sanctorum do- „ ctrina, & praxi, ſimul etiam humanitati indulget; „ ſed indulgentia ita moderata eſt, ut a laxitate rece- „ dat. Non negaverim tamen, juxta varias corporum „ conſtitutiones poſſe aliquantulum præſtitam regulam „ relaxari. “ Hactenus ille, ut ego quidem pro mea tenuitate ſentio, caute, moderate, & ſapienter.

Adde quibuſdam locis ex conſuetudine plus permitti ſæcularibus, quam Religioſis, nobilibus, quam plebeiis, & in frigidis &c.

De nobilibus idem habet La-Croix n. mox cit. idemque permittit iis, qui continuo dediti ſunt ſtudiis, aliiſque negotiis fatigantibus caput, quia ſpiritus iis citmagis deficiunt.

P. Concina Theol. t. 5. p. 270. n. 16. quærit: „ An „ viri nobiles, delicati, advocati procuratores, lecto- „ res, omneſque ſtudiis vacantes, ſumere poſſint colla- „ tionem majoris quantitatis, quam ceteri? Quidve di- „ cendum de Curia Romana? Reſp. Paſqualigus dec. 199. „ Leand. t. 5. diſp. 4. q. 28. & ſeq. Card. Cozza p. 3. „ d. 9. aliive docent, omnes laudatos viros poſſe am- „ pliorem ſumere collationem, & pro ratione obtrudunt „ conſuetudinem, ac delicatam corporis conſtitutionem. „ Iſtorum Auctorum opinio non modo improbabilis, ſed „ & indigna, ut proponatur, eſt. Quandoquidem neque „ nobilitas, neque divitiæ, neque recenſitæ profeſſiones „ ab obſervantia jejunii excuſare poſſunt. Ergo neque a „ ſobrietate in ſerotino jentaculo ſumenda. Ut falſitas „ iſtius opinionis omnino pateat, expendendi ſunt ſtatus „ ſinguli enumerati. Atque in primis nobilitas nullo „ privilegio potitur adverſus legem. Deinde plurimi no- „ biles fortioris, & robuſtioris conſtitutionis ſunt, quam „ multi plebeii. Si plures viri graves delicati ſunt, „ etiam plures viri plebeii habent conſtitutionem graci- „ lem minuſque firmam. Futile ergo eſt, aſſerere, no- „ bilitatis ſtatum, cauſam ſufficientem eſſe augendi col- „ lationem ſerotinam. Sed ſive nobiles, ſive plebeii ſint, „ ſi aliqua peculiari debilitate, vel incommodo laborent, „ poterunt plus minuſve juxta ſuperioris docti, & pru- „ dentis arbitrium a lege collationis ſerotinæ diſpenſa- „ ri. Cur vero advocati, procuratores, lectores, omneſ- „ que, qui ſtudiis vacant, poſſunt ſumere ampliorem col- „ lationem? Quænam conſuetudo id permittit? Nulla „ ſane. Si enim præfatis omnibus licita eſſet majoris „ quantitatis collatio, potiori jure licita foret omnibus „ artificibus, ſutoribus, barbitonſoribus, pictoribus, ali- „ iſque. Plebeii poſtea, qui artibus magis laborioſis in- „ ſudant, a jejunio etiam excuſarentur, Pro quibus er- „ go ſtatuta eſt regula illa octo unciarum? An pro Re- „ ligioſis? Leander loco cit. q. 30. ait, poſſe iſtos *am- „ pliorem refectiunculam ſumere*, etiamſi continuo ſtu- „ diis non vacent, dummodo *certis horis (nempe quin- „ que, vel ſex) ſtudeant, etiamſi id faciant recreationis „ gratia; vel ſi in choro canant, aut manibus laborent.* „ Concludam ergo cum Caramuele in Theol. fund. n. „ 1539. *Ergo ſi etiam Religioſos excludimus, qui erunt „ in Eccleſia Romana, qui teneantur obſervare jejunia?*

* Habetur apud Concinam t. 1. App. ad Theolog.

Digitized by Google

„ Dicamus potius e contrario, nobiles, procuratores, viroſque graves minorem præ ipſis plebeis debere ſumere collationem; tum quod lautius prandeant, & ſaturentur, tum quod minus laborent corpore, & conſequenter corpus magis indomitum habere ſoleant, tum denique quia iſti ſeveriore indigere ſoleant pœnitentia. Qui vero ſtudiis vacant, minus ventrem implere debent. Nulla ergo ratio, nullaque conſuetudo permittunt nobilibus, advocatis, procuratoribus, & lectoribus majorem collationem, quam ceteris Chriſtianis. Una pro omnibus lex. Sola infirmitas, viriumque debilitas, non ſtatus diverſitas, relaxare legis rigorem poteſt. Conſuetudinem, quam de Curia Romana obtrudunt, nimirum licitum eſſe in præfata Curia ſumere majorem collationem conſueta, inventum eſt illorum Caluſtarum, quos loco cit. q. 25. recenſet Leander. Quin in Curia Romana, ubi ſedes eſt Religionis noſtræ, ſeverius Eccleſiæ præcepta ſervari debent; ne inimici noſtri obgannire, & exprobrare audeant, Roma ſcilicet exire edicta, ut illud Auguſti, minime vero ibi ſubſiſtere. Neque aliquorum abuſus (quos, ſi tolerant, nunquam approbant Pontifices ſummi, ſed pro viribus parte evellere conantur) pro conſuetudine legitima opponi valent. “

Quod attinet ad frigidas regiones, cibos quidem magis illæ digerunt; at calidiores languori magis obnoxiæ ſunt; noſque jejunium hiemali, quam æſtivo tempore facilius toleramus. Itaque frigus nullam rationem ſuppeditare videtur ſumendi ampliorem collatiunculam jejunii diebus.

Plus item quibuſdam in locis in vigilia Nat. Domini, & alibi &c.

La-Croix n. 1301. in vigilia Nat. Domini, etiamſi incidat in ſabbatum quat. temporum, permittit collationem duplo majorem: „ imo Sanch., inquit, dicit ex fructibus, & conſervis poſſe accipi ad ſatietatem, quod Vivald. extendit ad vigilias Paſchæ, & Pentecoſtes... Sed attendenda eſt conſuetudo locorum. " Magna illa, & ſanctiſſima jejunia non largiorem veſpertinam collatiunculam permittere, ſed minorem potius exigere mihi videntur. Uſus hominum laxæ conſcientiæ, etiamſi multi ſint, non eſt conſuetudo, ſed corruptela. Nam homines vere probi, rectæque, & meticuloſæ conſcientiæ illa jejunia exacte, ut puto, obſervant. Refectio ad ſatietatem, ut permittit La-Croix, jejunium prorſus deſtruit, ideoque eſt manifeſta corruptela valde corripienda, non accommodatitiis opiniunculis fovenda.

ANIMADVERSIO IX.

Et pro more regionis parum butyri &c. ut &c.

Si hic mos etiam penes homines timentes Deum, rectæque conſcientiæ vigeat, juxta mentem Bened. XIV. cujus verba ſupra deſcripſimus, licebit, ſecus non licebit.

ANIMADVERSIO X.

Quia probabile ſatis eſt, etiam in hac materia parvitatem a mortali excuſare, ut docet &c.

Hanc ſententiam communiter docent Theologi, ut ait Conc. Th. t. 5. p. 160. n. 2. tum in fine hujus numeri addit: „ Præciſa quantitas aſſignari vix poteſt. In hoc omnes conveniunt, quod particula carnis, quæ comeditur, debeat eſſe ſatis exigua, ut pro parvitate materiæ judicari debeat.

Vel ex aliis cibis quartam tantum partem &c. ſive unam, vel duas uncias ſumat: hanc enim eſſe materiam parvam, cum &c. docet Dian.... eſſe probabile.

Hac de re ſimplices, beneque morati homines rectius judicabunt, quam ſubtiles diſputatores in ſcolaſtica palæſtra exercitati, præſertim ſi hi in utramque partem flecti, & ad laxandum proni ſint. Qui mane duas uncias ſolidi cibi, & duos, aut tres cyathos generoſi vini ſumit, meridie ad ſatietatem prandet, veſpere ſex, aut octo uncias cibi ſumit, ut Buſ. permittit, hunc ego non jejunare puto, aut pro certo habeo; idque non ſubtili ratiocinatione, quæ hic vix locum habet, ductus, ſed ea naturali æquitate.

ANIMADVERSIO XI.

Probabile tamen eſt, & tutum (ſaltem in Germania &c.) eſſe tantum veniale.

Cur id probabile eſt? „ Tum quia, inquit, licet conſuetudo habeat, ea tamen non ſemper ſub peccato, & præſertim mortali, obligat.

Hic Buſemb. incidit in prop. 32. ab Alex. VII. damnatam, quæ ita habet: *Non eſt evidens, quod conſuetudo non comedendi ova, & lacticinia in quadrageſima obliget.* Hanc porro conſuetudinem obligare ſub mortali, eo ipſo intelligitur, quia obligat. Obligat enim, quia legis vim habet: lex autem, niſi materiæ parvitas excuſet, ſub mortali obligat: ergo comeſtio ovorum, & lacticiniorum in quadrageſima, niſi materiæ parvitas excuſet, mortalem reatum inducit. Præterea qui Eccleſiæ legem in materia jejunii violat, jejunium frangit: qui jejunium frangit, mortaliter peccat: contraria prop. eſt 23. ab eodem Alex. VII. proſcripta: ergo qui in quadrageſima ova, & lacticinia comedit, mortaliter peccat; quia Eccleſiæ legem violat; & hic eſt ſenſus communis omnium fidelium conſcientiæ bonæ, & timentis Deum.

Ex his intelligitur, falſum eſſe illud, quod Buſemb. ſubdit; „ tum quia Eccleſia non tam graviter ad hoc obligat, ut patet tum ex verbis ipſis, tum ex faciliore diſpenſatione in his, quam in carnibus. “ Hoc, inquam, ex dictis falſum eſſe intelligitur; quia ipſa conſuetudo legem * quæ præcipit abſtinentiam ab ovis, & lacticiniis in quadrageſima, vim graviter obligandi habere declarat, imo ipſa conſuetudo vim legis graviter obligantis habet. Hinc D. Th. 2. 2. q. 147. ar. 8. ad 3. ait: *In jejunio autem quadrageſimali interdicuntur univerſaliter etiam ova, & lacticinia.* Nam facilius diſpenſatur in ovis, & lacticiniis, quam in carne, non quod obligatio abſtinendi ab illis non ſit gravis, ſed quia gravior eſt obligatio abſtinendi a carne. Itaque *Catholici omnes*, inquit Concina Theol. t. 4. p. 187. n. 3. *nunc ſuſtinent ſententiam, quam D. Th. docuit, nempe lacticinia in quadrageſimali jejunio ſub gravi culpa vetita eſſe.*

Ob quam cauſam etiam laridi, & adipis uſum concedi poſſe pauperibus, docet Laym. &c. imo ait, nec divitem &c. præſertim cum &c. ubi dicit &c.

Buſemb. diſcurſus hic eſt. Eſus ovorum, & lacticiniorum Quadrageſimæ tempore, non eſt mortalis culpa: ergo uſus laridi, & adipis in pauperibus nulla culpa eſt. At hic non eſt diſcurſus, ſed ſophiſticum portentum. Antecedens ex mox dictis falſum eſt. At etiamſi verum eſſet, ut perperam ponit Buſemb. ejus diſcurſus non poteſt eſſe legitimus, niſi ponamus, laridi, & adipis uſum in pauperibus, eccleſiaſtico jejunio minus adverſari, quam uſum ovorum, & lacticiniorum: at hæc poſitio portentum eſt, communi hominum ſenſu improbatum: ergo Buſemb. diſcurſus ſophiſticum portentum eſt.

Sed mittamus tum hunc diſcurſum, tum reliqua abſurda, quæ hic Buſ. congerit, & pauca dicamus, quod res eſt. Laridum, & pinguedo non ſolum ſunt caro, ſed pars carnis ſapidior, delicatior, ac magis nutritia, ut habet communis omnium ſenſus: ergo non ſolum Quadrageſimæ, ſed omnium jejuniorum tempore eorum eſus ſub mortali culpa interdictus eſt ubique, & omnibus.

ANIMADVERSIO XII.

Dixi, ſi ſit in Quadrageſima; *quia extra eam licite veſcitur ovis &c.*

Chriſtianus licite quidem veſcitur ovis in jejuniis extra Quadrageſimam, ubi conſuetudo loci id habet; at ſi iis veſcatur contra patriæ conſuetudinem, non ſolum peccat, ſed graviter peccat, ut initio h. dub. in Reſp. auctoritate SS. Th., Hier., Aug. oſtenſum eſt; & hic eſt fidelium ſenſus, ut recte advertit P. Concina Th. t. 5. p. 188. n. 5.

Quare eadem jejunii forma locorum conſuetudini accommodata, obſervanda quoque eſt in jejuniis propter Jubilæum, ex pœnitentia ſacramentali, aut ex voto peragendis; quia talia eſſe merito præſumitur mens Summi Pontificis, Confeſſarii, & voventis, niſi aliud illi declarent, aut vovens intendat. Qui contra ſe gerunt in Jubilæo, illi quidem non peccant, ſed indulgentiam non conſequuntur; peccant autem qui ea vi voti, aut pœnitentiæ a Confeſſario impoſitæ jejunare tenentur.

ANIMADVERSIO XIII.

Cauſa autem valida ad diſpenſandum erit vel vera, vel quæ talis putatur: ſufficit enim credulitas inculpata.

Illud *credulitas* idem hic ſonat, aut ſonare debet, ac ſententia ſuis fundamentis ſolidis nixa, & cauta, non opinio a nimia credendi facilitate orta. Nam *qui credit cito, levis corde eſt*, ut dicitur Eccle. 19. Talis enim credulitas non eſt inculpata.

Hinc Bened. XIV. in Brevi *Non ambigimus* anni 1741. in-

* Hac lex habetur cap. *Denique* diſt. 4.

inquit: *Nos ſane, quibus in hac ſublimi Apoſtolicæ procuratoris ſpecula conſtitutis undique gentium nuntii afferuntur, lacrymis ſatis deplorare non poſſumus, auguſtiſſimam quadrageſimalis jejunii obſervantiam ob nimiam, nullis legitimis urgentibus cauſis, ubique indiſcriminatim diſpenſandi facilitatem, plane ſublatam eſſe &c.*

La-Croix p. 412. n. 1308. ait: „ Ad diſpenſandum „ cum particularibus ſufficit una ex cauſis a jejunio non „ totaliter, ſed aliquo modo, attamen non ſufficienter „ excuſantibus. "

Si cauſa nec ex toto, nec ſufficienter excuſet, non eſt legitima diſpenſandi cauſa, hoc ipſo quod ſufficienter non excuſet. An diſpenſatio cum cauſa non ſufficienti, legitima eſſe poteſt? Talis diſpenſatio non eſſet in ædificationem, ſed in deſtructionem; nec eſſet prudens, quia ſine neceſſitate legem relaxaret, ſed prodiga. Si tamen cauſa non ſufficiens ut diſpenſetur a jejunio ex toto, ſufficiens ſit, ut ab eo ex parte diſpenſetur, ex parte diſpenſari poterit pro neceſſitatis modo, & ratione. Hæc enim eſt diſpenſantis prudentia, ut diſpenſationem moderetur, prout neceſſitas poſtulat, nec limites neceſſitatis excedat, ne legum diſſipator ſit.

At inquit La-Croix in fine n. cit. " Eccleſia pro par„ ticulari diſpenſatione in favorem hujus, vel illius „ perſonæ non ita rigide procedit, eo quod lex com„ munis ipſius adhuc retineat obſervantiam ſui quoad re„ liquos. "

Ex his, & ſimilibus dictis ortum forte habuit nimia diſpenſandi facilitas, unde auguſtiſſima quadrageſimalis jejunii obſervantia plane ſublata eſt, ut lacrymis deplorat Bened. XIV. mox citatus. Eccleſiæ miniſtri, & diſpenſatores, ut in aliis rebus, ita in jejunio, nec rigidi, nec laxi, ſed prudentes, cauti, & exacti in cauſis diſpenſationis cognoſcendis, & in ipſa diſpenſatione in favorem cujuſcumque perſonæ eſſe debent, ut legis onus diſpenſent, non legem diſſipent. An quia lex retinet obſervantiam ſui quoad reliquos, obſervanda non eſt ab aliquo particulari, qui eam poteſt obſervare? Imo vero etiam quoad reliquos legis obſervantia valde relaxatur, cum animadvertunt, legem facile, & ſine ſufficienti cauſa relaxari; unde quidam legis contemptus exoritur. Sed hac de re vide etiam dicta lib. 1. t. 2. c. 4. dub. 4. in Reſp.

Idem La-Croix p. 412. n. 1300. ait: „ Si quis initio „ Quadrageſimæ obtineat diſpenſationem a jejunio ob „ morbum, a quo poſt dies 8. integre ſanetur, Salas, „ & Burgh. cent. 1. c. 24. putant, manere diſpenſatum „ pro reliqua parte Quadrageſimæ, tum quia lex eſt „ ſublata, nec redit ſine voluntate Superioris, tum „ etiam quia diſpenſatio cum juſta cauſa ſemel facta, „ non revocatur, & favent dicta l. 1. n. 740 Sed con„ trarium eſt probabilius cum Sanch. de Mat. l. 8. d. „ 30. n. 4. Steph. t. 1. d. 5. n. 128. & aliis; quia diſ„ penſatus tantum potuit petere pro tempore, quo erat „ cauſa; & diſpenſans cenſeri debet diſpenſaſſe tantum „ pro eodem tempore; alioquin illicite diſpenſaſſet: op„ poſita tamen ſententia haberet locum, ſi dubium „ eſſet, an perfecta ſanitas ſit obtenta: item pro ſcru„ puloſis. "

Poſterior ſententia non ſolum probabilior eſt, ut eam appellat La-Croix, ſed certa ex dictis ad p. 34. reg. 5. l. 1. t. 2. c. 4. d. 4 etiamſi diſpenſatus abſolute diſpenſationem petierit, atque etiam impetraverit. Quod autem addit La-Croix, oppoſitam ſententiam habere locum pro ſcrupuloſis, id aperte falſum eſt; quia eſt evidens, ſcrupuloſos ab Eccleſiæ legibus non eſſe immunes, nec ab iis eſſe diſpenſatos, cum nulla eſt diſpenſationis cauſa, ſeu cum cauſa diſpenſationis evidenter ceſſavit.

Quod ſi dubium ſit, utrum perfecta ſanitas ſit obtenta, nec tamen dubitetur, utrum diſpenſatus carnibus indigeat, ſed certum ſit, ipſum ſine gravi incommodo poſſe ab iis abſtinere, ab iis abſtinere omnino tenetur; nec prior falſa ſententia illi quidquam ſuffragatur; quidquid contra ſentiat La-Croix. Quia diſpenſatio ſuffragatur ſolum neceſſitati, non genio, aut voluptati.

Item cum quis bona fide putat ſe &c. etſi cauſa &c. tantum venialiter peccare docet Cajet. at ſi vere bona fide putet &c. nullo modo peccare videtur.

Hæc Buſemb. opinatio, falſa poſitione, ſeu principio nititur. Qui enim a jejunio ſine diſpenſatione ſe excuſatum putat, certam & evidentem neceſſitatem non jejunandi habere debet; in qua hypotheſi nullum eſt periculum cauſæ inſufficientis. Nam qui timet, aut timere debet, utrum cauſa ſit ſufficiens, cauſam ſuam allegare, & diſpenſationem petere debet; quod Nat. Alex. Th. t. 2. p. 557. reg. 4. confirmat auctoritate D. Th. 2. 2. qu. 147. a. 4. D. Caroli Bor. Conc. Med. 1. Concil. Narbonenſis anni 1609. cap. 10 & D. Antonini p. 2. cap. 2. ergo ſi quis in re dubia, ſua bona fide nixus jejunium ſolvat, jejunii violationis, & mortiferi peccati reus eſt, ſeu cauſa reipſa inſufficiens ſit, quia bona fides, ſeu ignorantia culpabilis eſt: ſeu etiam forte ſufficiens, quia violandi jejunii legis periculo leſe objicit.

Animadversio XIV.

Cauſa eſt impotentia &c. Item debiles, infirmi &c.

Illud *&c.* Buſemb. pro non adjecto a cauto lectore haberi poteſt; ſi enim in dubium revocamus, aut non excuſatos merito habemus, quos ipſe expreſſe excuſat, quid dicendum ſit de illo *&c.* ſatis intelligitur.

Non quæcumque debilitas, aut infirmitas a jejunio excuſat, ſed ſolum ea, quæ ſine gravis ſalutis detrimento jejunium ferre non poteſt. *Quando vero*, ait recte P. Concina Th. t. 5. p. 308. c. 22. n. 1. *dubitatio occurrit, num infirmitas, & debilitas excuſent, necne, medicus conſulatur, & a Superiore diſpenſatio pro majori ſecuritate petatur*; quod confirmant mox dicta ex Natali, & auctoritatibus graviſſimis ab eo adductis.

Uti & ſenes communiter ſexagenarii, niſi evidenter conſtet &c.

Pro hac Buſ. ſententia plures citat La-Croix p. 412. n. 1317. & inter alios Dianam, qui teſte eodem La-Croixio certo & infallibiliter exiſtimat, ſexagenarios excuſari. Pro contraria multos alios, in quam ipſe pronum ſe oſtendit; & hæc ſententia penes graviores Theologos communiſſima eſt, ut ait Concina Th. t. 5. p. 291. n. 8. qui eorum ſeriem texit, ac poſt ſubdit: „ Unde „ contraria opinio nullo probabilitatis gradu fruitur. "

Ratio evidens eſt. Nec enim ætas, ut falſo ponit prior opinio, ex ſe excuſat a jejunio, ſed impotentia ætati adjuncta: lex enim jejunii univerſalis eſt, & omnes, qui jejunare poſſunt, complectitur. Hinc D. Th. 2. 2. q. 147. art. 4. ad 2. *pueros, quamdiu ſunt in ſtatu augmenti, quod eſt ut in pluribus uſque ad finem tertii ſeptennii*, a jejunio eximit propter evidentem cauſam non jejunandi, hoc eſt tum propter debilitatem naturæ, quæ non multo ſimul, ſed frequenti cibo indiget, tum quia multo nutrimento propter neceſſitatem augmenti opus habent: at ſenectus ſexagenaria, aut etiam major non eſt impotens experientia teſte ad jejunium. Ego ſexageſimum annum ingreſſus, ejuſque complemento proximus, nullam difficultatem jejunio hujus Quadrageſimæ anni 1657. qua hæc ſcribo, experior; neque mortifere peccaturum pro certo haberem, ſi non jejunarem, etiamſi propter ætatem aliæ excuſationes a recenti probabili doctrina petitæ non deeſſent, quas ego tum quoad meipſum, tum quoad alios rejicio, & pro nihilo habeo.

P. Concina, ut ipſe teſtatur, ſexageſimum annum agens felicius jejunabat, quam ætate 30. aut 40. annorum. Navarrus octuageſimo, Joannes Pontas octuageſimo ſeptimo anno jejunare poterant. „ Omnes fere ſe„ nes, ſubdit idem Concina, quos ipſe agnovi, & „ agnoſco, exceptis debilibus & infirmis, felicius, „ quam juvenes 25. & 30. annorum, & viri 50. ann. „ jejunans. " Hinc S. Baſilius ſerm. 2. de jejunio apud eumdem P. Concinam inquit: *Senibus aſſuetudo, & familiaritas ab antiquo ad ipſum*, (jejunium) *levem facit laborem*. Ergo ætas ſexagenaria, aut etiam major a jejunio minime excuſat.

In dubio autem, an poſſint, non tenentur cum periculo tentare fortunam; quia &c.

Si ſenes ſani ſint, & robuſti, nullum dubium eſt, quin poſſint teſte experientia, ac docentibus S. Viris, ac graviſſimis Theologis jejunare. Si autem ætati ſexagenariæ infirmitas aliqua, aut debilitas adjuncta ſit, unde merito dubitetur, utrum jejunii onus ſine gravi detrimento ferre poſſint, non ea licentia, quam Buſemb. cum aliis recentioribus ex arbitrio concedunt ſexagenariis ſine limitatione, uti, ſed facere debent, quod angelice docet S. Th. 2. 2. q. 147. a. 4. ubi ait: *Si vero cauſa ſit dubia, debet aliquis ad Superiorem recurrere, qui habet poteſtatem in talibus diſpenſandi; & hoc eſt obſervandum in jejuniis ab Eccleſia inſtitutis, ad quæ omnes communiter obligantur, niſi in eis fuerit aliquod ſpeciale impedimentum.*

Quidam inſuper id extendunt ad eos, qui voverunt jejunium.

Hanc opinionem multo magis rejicere debemus, quam ſuperiorem, ſicuti eam rejicit P. Concinam Th. t. 5. p. 296. in fine n. 10. Si enim annus ſexageſimus a jejunio eccleſiaſtico non liberat, multo minus eximit a jejunio totius vitæ ex voto; quia jejunium ex voto, jure naturali, & divino obligat; quod jus fortius eſt, quam jus eccleſiaſticum. Qui jejunium toto vitæ tempore certis diebus voverunt, ſuum ne votum implent, ſi ſexageſimo anno non jejunent? an ſexageſimus annus eſt totum vitæ tempus in iis, qui 70. 80. aut amplius annos vivunt? Arbitrarium commentum eſt, totius vitæ tempore intelligi annos 60. non amplius in iis, qui ultra annum ſexageſimum vivunt. Itaque hanc ſententiam rejicit ipſe La-Croix n. 1319. eamque teſte eodem, Laym. improbabilem dicit.

Ad-

Digitized by Google

Adduntque, eſſe probabile, quod ſufficiat, ſi annus 60. ſit inchoatus, eo quod &c.

Feſtivi ſane ſunt, quid id addunt. Iſti de ſuis commentitiis opinatiunculis perinde loquuntur, ac ſi pontificiæ conceſſiones eſſent.

Quid ego in his ridiculis figmentis refellendis, quæ ſponte ſua corruunt, immorer?

Eademque ætate, uti & ante annum 21. Regulares &c. probabile affirmat Diana &c.

Opinionem, quæ Regulares ſexagenarios, & Moniales quinquagenarias a jejuniis regulæ excuſat, P. Concina Th. t. 5. p. 296. n. 10. appellat improbabilem, falſam, laxam, & diſciplinæ regulari infeſtam. Quod mox dicta oſtendunt; quia Regulares jejuniis regulæ ex vi voti obnoxii ſunt. Ergo ætas ſexagenaria, aut quinquagenaria ab iis jejuniis non eximit, niſi ipſa regula dictam ætatem excipiat: at regula dictam ætatem non excipit, ſed abſolute, & ſine reſtrictione ſuos ſubditos obligat: ergo &c. Et ſane licet lex, & regula omnes eventus complecti, & prævidere non poſſit, ætatem tamen quinquagenariam, & ſexagenariam prævidit; & quia illa ætas communis eſt multis regularibus, eam quoad jejunium excepiſſet, ſi exceptam voluiſſet; ergo, cum illam non exceperit, ex nudo arbitrio, & opinandi libertate a quibuſdam excipitur.

Accedit, quod, ut recte diſcurrit P. Concina, Superiores regularium exemplo aliis præire debeant, & Ordinum conſtitutiones a præfecturis eos excludant, qui regulæ oneribus impares ſunt: at quinquagenariæ moniales, & ſexagenarii regulares a præfecturis non excluduntur, imo ii maxime ad eas apti ſunt, & eligi ſolent: ergo regulæ oneribus, ideoque jejuniis impares non ſunt.

Tandem Regulares ante 21. annum expletum, Eccleſiæ jejuniis non ſunt obnoxii; at jejuniis regulæ tenentur, ut communiter Theologi docent teſte P. Concina Th. t. 5. p. 290. n. 5., qui contrariam Buſ. opinionem evidenter falſam appellat. Et ratio eſt perſpicua; quia quilibet emittens votum jejunandi ante 21. annum, eo evidenter obſtringitur: at regulares ante 21. annum profeſſi, voto ſe obſtringunt obſervandi præcepta regulæ, ideoque jejunia, quæ regula ſub mortali præcipit: (nam ſi regula jejunia præſcribat ſub veniali, vel ſub ſola pœna, ſub hoc tantum onere iis tenentur:) ergo regulares ante 21. annum jejuniis regulæ tenentur: ergo multo magis iiſdem regulæ jejuniis tenentur regulares ſexagenarii, & moniales quinquagenariæ, qui ab Eccleſiæ jejuniis liberi, ut ſupra oſtenſum eſt, non ſunt.

Nam ſicuti ſexagenarii viri a jejuniis Eccleſiæ non eximuntur, ita ne quinquagenariæ quidem mulieres, quidquid Buſ. dicat; cujus ſententiam Laym. Fagund. Joann. Sanc. Tamb. improbabilem dicunt teſte La-Croixio n. 1318. eamque ipſe La-Croix rejicit; eamque eſſe rejiciendam, ex dictis liquet.

Denique pauperes, qui non habent &c.

Quoad hoc recte. Hinc D. Th. 2. 2. q. 147. a. 4. ad 4. ait, *quod pauperes, qui poſſunt ſufficienter habere, quod eis ſufficiat ad unam comeſtionem, non excuſantur propter paupertatem a jejuniis Eccleſiæ; a quibus tamen excuſari videntur illi, qui fruſtatim eleemoſynas mendicant, qui non poſſunt ſimul habere quod eis ad victum ſufficiat.* Hoc tamen, ut mihi videtur, raro accidit. Si enim fruſta panis, aliorumque ciborum, vel minoras pecunias colligant, ſimul habebunt, quod eis ad prandium ſufficiens ſatis ſit.

Audi nunc, ſi lubet, La-Croixium, qui n. 1321. ita loquitur. „Pauperes tenentur jejunare eo die, quo ſimul habent plenum prandium, niſi ex præcedente inedia ita eſſent debilitati, ut jejunium commode ferre non poſſet. Ita Sanch. in conſ. C 5. e. 1. d. 15. Lez. aliique cum Steph. t. 1. d. 5. n. 130: pro prandio tamen debito non ſufficiunt panis, olera, & fructus, ut docent Sanch., Angles, Paſq., aliique apud Dianam in comm. v. jejun. n. 54. neque ſolus panis, & vinum, inquit Tamb. in dec. l. 4. c. 5 §. 7. n. 34. ſufficerent tamen pro uno, vel altero die, uti notant idem Tamb. & Steph. ſupra. Addit Paſq. ad debitam ejuſmodi refectionem requiri, ut pro potu adſit vinum, vel ſaltem cereviſia, ubi non adeſt vinum; ſed Dian. aliique contradicunt, quia poteſt per ſe loquendo ſine tali potu conſiſtere plena refectio.“

Hæc ſunt opinamenta eorum, qui ſe humanæ corporis conſtitutionis, &, quod longe majus eſt, legis eccleſiaſticæ arbitros ſine ulla legitima auctoritate faciunt.

Si ab iis quæri poſſet, unde has doctrinas excerpſerint, reſpondere non poſſent, niſi ſe ita ſentire, quia ita ſentiunt. Non enim ſuæ opinationis rationem afferunt, nec afferre poſſunt. Illud falſum principium menti infixum habent, Eccleſiæ legem non obligare, niſi non ſolum poſſibilis, ſed etiam facilis, & commoda ſit. Qui jejunium commode ferre non poſſunt, ii juxta La-Croixii verba hic citata jejunio non tenentur. Sana doctrina contra ait, jejunii legem obligare, cum ſine gravi non concupiſcentiæ, & carnis ſpiritui reluctantis, ſed ſalutis detrimento ſervari poteſt. Pauperes autem ſine gravi ſalutis detrimento jejunare poſſunt, etiamſi nihil habeant præter panem, legumina, & fructus; quia his cibis eorum ſtomachus aſſuevit, & inde ſufficiens alimentum capit, etiamſi non repetatur, non ſecus ac aliæ perſonæ ex piſcibus. An febris, aut morbus timeri poteſt, niſi deſcripti pauperes plenam refectionem veſpere ſumant? Nos miſeros, qui timemus, ubi timendum non eſt, ac noſtræ phantaſiæ figmenta, legem eſſe volumus! Primi Chriſtiani etiam nobiles, & divites in quadrageſima ſola xerophagiis, ideſt cibis aridis, & exſiccatis veſcebantur, nec tamen inde ullum ſalutis detrimentum incurrebant. Quid Sanctos memorem? An hi naturam habent a noſtra diverſam? *Cognoſcamus*, inquit S. Ambroſius in libro de Sancto Joſeph, *illos* (Sanctos) *non naturæ præſtantioris fuiſſe, ſed obſervantioris, nec vitia neſciſſe, ſed emendaſſe.*

Vide Sanch. in op. ubi ex Nav. &c. excuſat eos, qui laborant &c. item qui ex vacuitate ſtomachi &c. neque hos teneri mane ſumere &c. quia nemo &c.

Ipſe La-Croix p. 413. n. 1325. improbat opinionem Buſemb. & aliorum putantium, hos non teneri mane ſumere collatiunculam, & veſperi cœnam. Ratio eſt, quia juxta inconcuſſam D. Thomæ doctrinam, qui legem ex toto ſervare non poteſt, ex parte & quo modo poteſt, eam ſervare tenetur: ergo certum eſt, quidquid Buſemb. & alii probabiliſtæ contra dicant, eum, qui ordinem refectionum ab Eccleſia præſcriptum tenere non poteſt, eo autem inverſo jejunare poteſt, hunc ordinem invertere teneri, nec poſſe ſumpto pleno prandio plenam quoque refectionem veſpere ſumere.

Buſemb. opinio implicite damnatur in prop. 54. ab Innoc. XI. proſcripta.

Si ea hac propoſitione damnata, qui non poteſt recitare matutinum, & laudes, poteſt autem reliquas horas, has recitare tenetur; pari, aut potiori ratione qui jejunium ſervare non poteſt meridie prandendo, poteſt autem, ſi mane collatiunculam ſumat, prorogato ad veſperam prandio, hoc præſtare debet. Dixi *aut potiore ratione*; quia matutinum cum laudibus eſt quid majus comparate ad totum officium, quam ordo refectionum reſpectu jejunii: ergo multo magis jejunium ſervare tenetur, qui ordinem refectionum tenere nequit, quam reliquas officii horas dicere, qui matutinum cum laudibus recitare non poteſt. Itaque P. Concina Theol. t. 5. p. 310. n. 4. Buſemb. opinionem laxiſſimam non ſine ratione appellat. Reipſa enim falſa eſt, & prop. 54. proſcripta ab Innoc. XI. damnabilior jure dici poteſt.

Sed quoad languores, & morbos illud etiam animadvertendum eſt, tum medicinam, tum Theologiam ſuas partes in jejunio habere, nec alteram in alterius meſſem falcem mittere debere. Sana Theologia docet, nec propter difficultatem, nec propter leve incommodum jejunia eſſe frangenda; item hæc ſervanda eſſe, ſi incommodis alia ratione ſuccurri poſſit; nec ex toto ſolvenda eſſe, ſi ex parte ſoluta, ſufficiens morbis, aut languoribus remedium præbeant. His ex Theologia peraſtis, medici eſt de morbi, & languoris ratione, gravitate, periculo, ac remedii neceſſitate judicare. Quod ſi ſolvendi jejunii neceſſitas ex periti, ac probi medici judicio evidens ſit, ſine ſcrupulo ſolvi poteſt; ſi dubia, diſpenſatio ex angelica S. Thomæ doctrina mox citata, neceſſaria eſt.

ANIMADVERSIO XV.

Cauſa eſt labor, vel officium, cum quo jejunium non poſſit conſiſtere &c.

Hic animadverte primo illam Buſ. particulam disjunctivam *vel*, qua innuit, officium ſine labore a jejunio diſpenſare, & cum jejunio conſiſtere non poſſe; quod eſt evidenter falſum.

Præterea ut labor a jejunio excuſet, non ſatis eſt, ut cum jejunio conciliari nequeat, ſed præterea requiritur, ut ſit neceſſarius vel ad animæ ſalutem, vel ad vitæ, aut ſtatus conſervationem. Hinc D. Thom. angelice more ſuo 2. 2. q. 147. ar. 4. ad 3. ait: *Si peregrinatio, & operis labor commode differri poſſit, aut diminui abſque detrimento corporalis ſalutis, & exterioris ſtatus, qui requiritur ad conſervationem corporalis, vel ſpiritualis vitæ, non ſunt propter hoc Eccleſiæ jejunia prætermittenda:* & Sanctus Antoninus (apud Conciniam Theol. t. 5. p. 320. n. 3. & 4.) inquit: *Multum laborantes, quibus imminent neceſſitas* (nota) *multum laborandi, ſi non poſſunt jejunium obſervare, excuſantur; alias ſi poſſunt utrumque facere commode, tenentur jejunare. Si poſſunt differre ... aut ſubtrahere, vel diminuere laborem, ita ut poſſint jejunare, & ex hoc non incurrerent detrimentum ſui ſtatus, tenentur ad jejunium.* Idem docent apud Conciniam p. 321. n. 4 *Gabriel*, *Durandus*, *Armilla*. Sed huic

ſen-

ſententiæ, quæ ne in controverſiam quidem jura vocari poteſt, adverſatur La-Croix p. 413. n. 1335. ubi ait: „ Excuſat tamen juſta cauſa, (a jejunio) qualis juxta „ Moyam n. 22. eſt omnis labor aſſumptus ad utilita„ tem ſpiritualem, aut corporalem, propriam, vel alie„ nam. Hinc ſecundum ipſum excuſant *omnes artes*, „ etiamſi artifices ad ſui ſuſtentationem non indigeant, „ uti docent Roſel. Silv. Lell. Vind. Gob. p. 2. prop. „ 13. n. 18. qui referunt, Eugenium IV. ita declaraſſe.

Illud *excuſant omnes artes* proſcribitur propoſitione 30. ab Alexand. VII. damnata, quæ ita habet: *Omnes officiales, qui in Republica corporaliter laborant, ſunt excuſati ab obligatione jejunii, nec debent ſe certificare, an labor ſit compatibilis cum jejunio*. Non omnis ars, nec omnis labor, ſed illa ſolum ars, & labor a jejunio excuſat, quæ cum jejunio ex certa ſcientia non eſt compatibilis. Propoſitionem 30. proſcriptam retulit ipſe La-Croix n. 1328. ſed nunc in gratiam ſuorum probabilium ejus obliviſcitur. Illud quoque aperte falſum eſt, laborem aſſumptum ad utilitatem præſertim corporalem excuſare a jejunio. Nec enim utilitas corporis, ſed ſola neceſſitas ab Eccleſiæ præceptis excuſat: ipſa ſpiritualis utilitas cedere debet ſpirituali neceſſitati obediendi eccleſiaſticis legibus; ac valde abſona eſt illa mollis probabilium doctrina, quæ propter commoda, & lucra licentiam ex arbitrio ſuo præbet eundi contra auguſtiſſimum jejunii præceptum. Refertur quidem in compendio privileg. Frat. min. ut habet etiam P. Concina Theol. t. 5. p. 320. n. 1. vivæ vocis oraculum Eugenii IV. anno 1440. evulgatum his verbis: *Idem Eugenius declaravit, quod artifices laborioſas artes exercentes, & ruſtici ſive divites, ſive pauperes non tenentur jejunare ſub præcepto peccati mortalis; & quod abſolvi poſſunt, & induci ad eleemoſynas, & alia bona opera facienda*. Sed hoc oraculum commentitium eſſe, multa ſuadent. Primo, quia S. Antoninus, qui eo tempore ſcripſit, illius non meminit, imo contrarium aperte docuit verbis mox recitatis. Præterea quid ſibi volunt ea verba, *non tenentur jejunare ſub præcepto peccati mortalis*? An tenentur ſub veniali? An tranſgredientes auguſtiſſimam jejunii legem, graviſſime obligantem, venialiter tantum peccant? Et *quod abſolvi poſſunt, & induci ad eleemoſynas* &c. Vel a jejunio ſunt ſoluti, vel non. Si ſoluti ſunt, abſolutione non indigent, neque opus habent eleemoſynis, aliiſque pietatis operibus expiare peccatum, quod non admiſerunt. Si autem a jejunio ſoluti non ſunt, ad pœnitentiam, & propoſitum in poſterum jejunandi neceſſario induci debent. Ita plus minus recte obſervat P. Concina; quæ omnia, inquit, redolent falſitatem præfati oraculi. Adde, quod, cum jactatum oraculum abſoluta declaret, *quod artifices laborioſas artes exercentes* &c. *non tenentur jejunare* &c. omnes laborioſas artes complectatur, ideoque faveat propoſitioni 30. ab Alex. VII. proſcriptæ; ex qua compertum eſt, non omnes laborioſas artes, ſed eas ſolum a jejunio excuſare, quarum laborem non eſſe cum jejunio compatibilem, certum eſt.

Sed pejora ſunt, quæ La-Croix n. 1335. cit. addit, inquiens: „ Item excuſant honeſtæ recreationes quan„ doque aſſumptæ: item univerſaliter omnia opera je„ junio meliora, quia Eccleſia non intendit hæc impe„ dire. “ Hac de re infra ſermo erit.

„ Addunt Vict. Heriq. Caſtrop. Bonac. Sanch. Boſ„ ſius, excuſare laborem ex quovis honeſto fine aſſum„ ptum, ut ſi operoſe veneris, ludas, curras pedibus, „ eas ad amicum inviſendum, cum poſſes equo &c. quia „ nulla lex videtur tibi prohibere talem actionem ex „ honeſto fine ſuſceptam: ſuppoſita autem fatigatione „ inde cauſata, jejunium eſt moraliter incompoſſibile: „ requirit tamen merito Sanch. ut hoc non fiat frequen„ ter. “ Hactenus La-Croix; cujus dicta non tam refutanda ſunt, quam lacrymis deploranda; quæ tamen ex mox dictis evidenter refutata ſunt. Nam, ut La-Croixiano ſophiſmati reſpondeam, ipſa lex, quæ jejunium præcipit, implicite prohibet omnem laborem non neceſſarium, qui jejunium excludat; ſicuti lex, quæ Miſſæ auditionem die feſto præcipit, prohibet, ne toto mane diei feſti dormias, ne venando, aucupando, ſcribendo, &c. totum mane occupes.

Ex his, quæ hic diximus, rejicienda quoque eſt doctrina La-Croixii n. 1329. dicentis; „ Ars ex ſe laborio„ ſa liberat unumquemque a jejunio etiam robuſtum, „ & potentem cum eo labore jejunare. “ Contrarium aperte docet S. Antoninus mox citatus. Idem docet P. Concina Th. t. 5. p. 320. n. 3. Ipſe Buſembaum La-Croixio repugnat, dum ait, quod „ tertia cauſa (a jejunio „ excuſans) eſt labor, vel officium, cum quo jejunium „ non poſſit conſiſtere, “ Ergo ſi labor cum jejunio poſſit conſiſtere, a jejunio non excuſat; quæ concluſio ex ſe evidens eſt. Si enim cum poſſis jejunare, non jejunes, jejunii fractio tuæ tantum malæ voluntati adſcribitur. Hæc eſt aperte quoque mens S. Thomæ, qui poſt recitata verba loco hic cit. ſtatim ſubdit: *Si autem immineat neceſſitas ſtatim peregrinandi, & magnas dietas faciendi, vel etiam neceſſitas laborandi vel propter conſervationem vitæ corporalis, vel propter aliquid neceſſarium ad vitam ſpiritualem*; (nota illud *neceſſitas*, quo verbo refutantur quæ ſupra dixit La-Croix de laboribus non neceſſariis, quos ex arbitrio a jejunio excuſare vult) *& ſimul cum hoc non poſſit Eccleſiæ jejunia obſervari, non obligatur homo ad jejunandum*: ergo ſi ſimul cum hoc poſſint Eccleſiæ jejunia obſervari, obligatur homo ad jejunandum.

Quidquod La-Croixii doctrina pejor eſt prop. 30. ab Alex. VII. proſcripta, & mox deſcripta? Nam auctores proſcriptæ propoſitionis corporaliter laborantes excuſabant a jejunio in dubio, utrum labor foret cum jejunio compatibilis, ideoque dicebant, eos non teneri ſe certificare, an labor ſit compatibilis cum jejunio: at La-Croix eos excuſat, etiamſi poſſint jejunium cum arte ex ſe laborioſa componere, idque abſolute affirmat, hoc eſt ſeu dubitent, ſeu etiam certum habeant, ſe poſſe jejunare. Quid ergo opus erat, La-Croixium referre prop. 30. ab Alex. VII. damnatam, ac poſt ſtatim docere damnationi contraria? „ Eccleſia, inquit La-Croix, „ non includit ſic laborantes. “ Reſp. unde nam id didicit? Id ſcilicet ex arbitrio affirmat; imo Eccleſia ſic laborantes explicite includit, cum damnat propoſitionem permittentem ſic laborantes non jejunare.

„ Lex eſt, ait, ſecundum id, quod communiter eſt: „ communiter autem non poſſunt homines cum ejuſmodi „ labore jejunare. “ Reſp. Quænam, aut qualis eſt iſta argumentatio? Concedo utramque propoſitionem: at quid inde? niſi La-Croixius, vel, ut melius loquar, ejus fautores argumentationem ad rem conficiant, ſupervacaneum eſt, tempus hic terere.

Buſemb. inter artes laborioſas, quæ cum jejunio componi non poſſunt, recenſet piſtores, ſutores, figulos argentarios, textores. At cum Nat. Alex. Theol. t. 2. p. 555. reg. 3. tum Concina Theol. t. 5. p. 321. n. 4. piſtores, ſutores, figulos argentarios a jejunio non excuſant, niſi forte, ut hic addit, propter infirmitatem ſuæ conſtitutionis jejunium ferre ſimul cum neceſſario labore non poſſint; & hæc ſententia recta eodem Concina penes antiquos, & graviores Theologos communis eſt.

Quoad textores Concina cum Buſembaum concordat p. 320. n. 2. ab eo diſcordat Nat. loco mox citat. La-Croix excuſat a jejunio textores, qui texunt latos pannos etiam pedum adminiculo n. 1330. Sanctus Vincentius Ferrerius a P. Concina cit. p. 321. n. 6. ait: *Sutores autem, & ſartores, notarii, & ſimiles, qui ſedendo faciunt opera ſua* (in hoc certe numero ſunt etiam textores) *non excuſantur a jejunio*. Et ſane inter ſutores, & textores aut nullum, aut exiguum quoad laborem diſcrimen eſſe videtur. Si ergo ſutores a jejunio non excuſantur, ne textores quidem excuſari poterunt.

Verum ut in aliis, ita hac quoque in re terminos determinata præfinire, & labores minuta, & ſingillatim deſignare, qui cum jejunio componi nequeant, difficillimum eſt, aut etiam impoſſibile.

Quid ergo? Quædam opera, ut fabri lignarii, ferrarii, foſſoris, lapicidæ, bajuli, agricolæ, vinitoris, & ſimilia, quibus corpus evidenter, & valde fatigatur, cum jejunio conciliari non poſſunt; ideoque ex neceſſitate exercita a jejunio excuſant; niſi, ut dictum mox eſt, propter extraordinarium robur cum jejunio componi valeant.

Alia opera, ut pictorum, muſicorum, procuratorum, judicum, advocatorum, & hujuſmodi, corpus parum debilitant, nec impotens reddunt ad jejunium; ideoque ab eo non excuſant.

De quibuſdam operibus, e. g. ſutorum, textorum, dubitari poteſt.

Sed in opere laborioſo non ſolum ejus natura, ſed etiam operantis conſtitutio conſideranda eſt; qui ſi non poſſit ſine gravi ſalutis diſpendio laborem ſibi neceſſarium ferre, a jejunio excuſatur, ut patet ex verbis S. Thomæ 2. 2. q. 147. ar. 4. ad 3. mox citatis. Quod ſi dubium ſit, utrum labor cum jejunio componi poſſit, diſpenſatio petenda eſt; quæ pro ratione neceſſitatis concedi debet, e. g. vel prandii anticipatione, vel veſpertinæ refectiunculæ augmento, vel alio modo.

Foſſores autem, ferrarios, & ſimiles etiam die uno, vel altero, quo non laborant, excuſat Azor. &c. *cum Diana* &c.

Idem habet La-Croix p. 413. n. 1333. Ego vero non intelligo, homines licet duris laboribus exercitos excuſari a jejunio iis diebus, e. g. feſtis intermediis, quibus non laborant. Licet enim labor ſit magnus, vires tamen ei pares ſunt, & corpus aſſuetum. Quod ſi magnum laborem non jejunantes facile tolerant, cur non laborantes jejunium ferre non poſſunt? an jejunium magnis, & duris laboribus majus onus eſt? quodnam grave detrimentum ex jejunio dierum, quibus non laborant, imminere iis poteſt? An a jejunio excuſantur,

etiam-

etiamſi compertum non ſit, eorum laborem non poſſe cum jejunio conciliari? At hæc doctrina proſcripta eſt ab Alex. VII. prop. 30. Ego ſane ſuſpicor, Buſemb. & La-Croixium ita ſcripſiſſe, quia alii ita ſcripſere, non quod ratione, quam nullam afferunt, ducti ſint; deſcriptos vero operarios jejunii uſum non habentes, difficultatem quidem jejunandi ex contraria aſſuetudine ſubire, poſſe tamen, ſi velint, ſine ullo gravi detrimento jejunium iis diebus, quibus non laborant, tolerare; ideoque teneri.

Similiter excuſatur qui pedibus facit iter per magnam diei partem.

P. Concina Th. t. 5. p. 323. n. 8. inquit: „Qui iter „ pedeſtre neceſſarium inſtituunt, ſi longum ſit, & per „ integrum diem committitur excuſantur; ſecus, ſi „ iter liberum ſit, & differri poſſit in aliud tempus. „ Sic docent D. Th., Antoninus, Paludanus, Sylve„ ſter, & fere omnes antiqui. Non ergo iter breve ex„ cuſat. Habenda tamen ratio eſt viæ arduæ, & luto„ læ, quæ multum debilitat itinerantem."

Item ratio haberi poteſt corporis vel imbecilli, vel anterioribus diebus valde defatigati. At in dubio, utrum labor excuſet, jejunandum eſt ex prop. 30. ab Alex. VII. proſcripta.

Dixi pedibus; quia multi non excuſant equites.

Illorum vero opinatio, qui eos abſolute, hoc eſt ſine limitatione excuſant, ab Alex. VII. damnata eſt, prop. 35. quæ ita habet: *Excuſantur abſolute a præcepto jejunii omnes illi, qui iter agunt equitando, utcumque iter agunt, etiamſi iter neceſſarium non ſit, & etiamſi iter unius diei conficiunt.*

Longa tamen equitatio ad plures dies, ut docet Fill. merito excuſat.

Addi tamen a Buſemb. debuerat, *neceſſaria*. Nam ſi equitatio neceſſaria non ſit, ex D. Thoma, & mox dictis certe non excuſat. S. Vincentius Ferrerius ſerm. 1. fer. 4. cin. a jejunio excuſat itinerantes pedeſtres propter neceſſitatem. *Equitantes autem* (inquit) *non excuſantur. Equus, vel mulus poterit cœnare, ſed non vos ſine peccato.* Ita refert P. Concina Th. t. 5. p. 323. n. 9. equitationis enim labor exiguus videtur, quia motus fit ſedendo; ideoque equitatio etiam ad plures dies ordinarie ſaltem loquendo cum jejunio componi ſine gravi detrimento poteſt. Quod ſi propter circumſtantias itineris, temporis, imbecillæ conſtitutionis &c. equitatio neceſſaria ad plures dies cum jejunio componi nequeat, idque evidens ſit, a jejunio excuſabit: in dubio diſpenſatio petenda eſt.

Ubi concedit ob labores &c. probabiliter &c.

Si probabilitas præſentis, aut etiam futuræ debilitationis a jejunio excuſat, *qui corporaliter laborant, non debent ſe certificare, an labor ſit compatibilis cum jejunio*: at hoc ab Alex. VII. prop. 30. proſcriptum fuit: ergo Buſemb. probabilitas improbanda eſt.

Ex eodem capite Doct. excuſant conjugem, ſi debitum reddere non poſſit, quando jejunat.

P. La-Croix p. 413. n. 1338. ait. „Licet conjux red„ datur minus potens ad reddendum debitum, non ideo „ tenetur omittere jejunium; quia habet jus ad opera „ ſpiritualia, licet per hæc aliquantulum impediatur a „ debito corporali, ita Cornejo, Steph. t. 2. d. 5. n. „ 531." Ex his ita argumentor. Qui habet jus ad opera ſpiritualia, licet per hæc aliquantum impediatur a debito corporali, eadem opera ſpiritualia, ſi præcepta ſint, peragere tenetur, licet per hæc aliquantum impediatur a debito corporali: ergo conjux tenetur jejunio præcepto, etiamſi eo minus potens reddatur ad debitum conjugale reddendum.

D. Th. ſupp. q. 64. a. 1. ubi quærit, *utrum alter conjugum teneatur alteri ad redditionem debiti*, tertio loco ita ſibi objicit: *Quicumque facit ſe impotentem ad faciendum id, ad quod ex præcepto tenetur, peccat. Si ergo aliquis ex neceſſitate præcepti tenetur ad reddendum debitum, videtur, quod peccet, ſi jejunando, vel alias corpus ſuum attenuando, impotentem ſe reddat ad debiti ſolutionem; quod non videtur verum.*

Huic objectioni reſpondet S. Doct. *quod ſi aliquis reddatur impotens ad debitum ſolvendum ex cauſa, ex matrimonio ſequuta, puta cum prius debitum reddidit, & eſt impotens ad debitum ſolvendum, ulterius mulier non habet jus petendi, & in petendo ulterius, ſe magis meretricem, quam conjugem exhibet. Si autem reddatur impotens ex alia cauſa, ſi illa eſt licita, ſic iterum non tenetur, nec poteſt mulier exigere: ſi vero illicita* &c. *tunc peccat; & peccatum uxoris* &c. Si ex D. Thoma conjux non peccat, qui ex actione licita redditur impotens ad debitum ſolvendum, alter conjux non habet jus impediendi actiones licitas alterius: ergo multo minus præceptas, uti eſt jejunium: porro ſi alter, alterius conjugis jejunium impediendi jus non habet, uterque jejunio tenetur; quia uterque tenetur ſervare Eccleſiæ præceptum, cum conjugatio jure non impeditur.

Jura privata juri publico non derogant: jura conjugum ex mutuo pacto orta, privata ſunt; ergo juri publico eccleſiaſtico jejunia præcipienti non derogant. Jus petendi debitum ſuis limitibus continetur; & ſicut debitum in loco ſacro, vel publico peti non poteſt, ita ab eo peti non poteſt, qui jejunium præceptum ab Eccleſia cum debiti redditione componere nequit.

Hinc Nat. Alex. Th. T. 2. p. 555. reg. 3. ait: „Con„ jugatos a jejunii obligatione liberari, quando illud „ ſervando nequeunt invicem reddere debitum conjuga„ le, falſa eſt, & erronea propoſitio, caſtaſque aures, „ & animos offendens, ut mirum ſit a quibuſdam ca„ ſuum arbitris aſſertam. Quis enim eccleſiaſtici jeju„ nii lege tenebitur, ſi conjugati non tenentur? Præter„ ea tantum abeſt, ut jejunium violare poſſint conju„ gati abſque mortali peccato, ut conjugale debitum „ invicem reddant, ut potius conveniat, eos abſtinere „ ab opere conjugali, ut purius, ſanctiuſque jejunent; „ idque optet, ac vehementer ſuadeat Eccleſia &c."

Similia habet P. Concina Th. t. 5. p. 316. n. 13. & 14. „ Ad evitandum tamen, inquit idem Concina n. 12. „ peccatum incontinentiæ tenetur conjux debitum red„ dere ſub gravi culpa, etiamſi (quod vix contingere „ poteſt) frangere jejunium deberet. Hocque certum „ eſt apud omnes, quando periculum incontinentiæ, „ non ex culpabili intemperantia, ſed ex fragilitate or„ tum ducit."

At objiciunt. Lex divina, & naturalis legi eccleſiaſticæ præferenda eſt: lex reddendi debiti divina eſt ex Ap. ad Cor. 7. & naturalis: ergo eccleſiaſticæ legi jejunii præferenda eſt; ideoque ſi utraque ſervari nequeat, jejunium prætermitti poteſt.

Reſp. Hæc ratio, quæ prima ſpecie efficax videtur, eo vitio laborat, quod nimis probet; probat enim, non ſolum jejunium præceptum omitti poſſe, ſed etiam debere, ſi eo ſervato debitum reddi nequeat; quod ne adverſarii quidem affirmare audent.

Lex divina, & naturalis abſoluta præferenda quidem eſt legi Eccleſiæ; at lex divina, & naturalis, quæ non abſolute, ſed ſolum in hypotheſi noſtrarum promiſſionum, & pactorum nobis imponitur, non præfertur eccleſiaſticæ legi. Hinc votum non eſt implendum, ſi abſque prætermiſſione legis eccleſiaſticæ, puta jejunii, Miſſæ die feſto audiendæ &c. impleri nequeat.

Nec enim homo per ſuas promiſſiones licet jure divino, & naturali obligantes ab Eccleſiæ poteſtate divinitus derivata, & cui Chriſtianus divino jure ſubeſt, ſeſe eximere poteſt. Ergo cum obligatio reddendi conjugalis debiti ex mutuo conjugum pacto oriatur, licet ſit juris divini, & naturalis, non tamen præferri poteſt Eccleſiæ legi, ſed ſalva Eccleſiæ lege locum habet. Nec enim ſanctum matrimonii fœdus eo ſpectare poteſt, ut ſacrſancitiſſimas Eccleſiæ leges abrumpat.

Uti & uxorem, quæ ob maciem non poſſit cum jejunio ſe viro gratam præſtare.

Hæc ſpecies fictitia poſitione nititur, ſeu, ut ſchola loquitur, eſt de ſubjecto non ſupponente. Cum enim jejunium pravos & ſupervacaneos humores exſiccet, & conficiat, ſanguinem puriorem efficit, ideoque venuſtatem potius conciliat, quam deformet. S. Margarita Cortonenſis, ut in Brev. Rom. 23. Feb. legitur, ſuam ſpecioſam formam longa carnis maceratione, ut maxime cupiebat, abolere non potuit. Figmentum ergo eſt, Chriſtiano, & Philoſopho indignum ponere, mulierem moderata paucarum hebdomadarum abſtinentia deformari, atque ipſis hinc permittere, ut jejunium frangant, ne viris diſpliceant. Chriſtianæ uxores ſuis quidem viris placere ſtudent, ſed magis Deo. Hoc eſt neceſſarium virtutis officium, a quo aperte deſciſcerent, ſi Eccleſiæ Chriſti ſponſæ legem violarent, ut viris placerent. Uxores viris placere debent, ſi ſint caſtæ, ſobriæ, abſtinentes, eccleſiaſticorum præceptorum obſervantes. Quod ſi viris uxorum vitia placeant, uxores viris placere non debent. Sed opinatio Buſembaum magis Ariſtippi, quam Chriſti ſchola digna, refutatione non indiget; quam Concina Th. T. 5. p. 358. n. 16. ſtomachabundus inſectatur.

Animadversio XVI.

Eſt pietas, vel majus bonum. Unde excuſantur, qui cum jejunio &c. v. g. Concionatores, &c.

Diſtinctione hic ego utor. Opera pietatis & caritatis neceſſaria & præcepta, quæ cum jejunio conciliari non poſſunt, a jejunio excuſant; quia præceptum majus minori præponderat. Hac de re nulla lis eſſe poteſt.

At eadem opera non neceſſaria, nec præcepta, ex ſe jejunio meliora, ab eo excuſare quidam affirmant, alii negant; quibus ego ſubſcribo. Ratio eſt, quia præcepta conſiliis præferenda ſunt: ergo jejunium præceptum eſt præferendum quibuſcumque operibus, quæ ex conſilio fiunt.

2. Neceſſitas quidem juxta D. Thomam, & omnes, a le-

Digitized by Google

a lege excuſat, at non electio: at opera non neceſſaria, nec præcepta, etiam jejunio meliora ex electione ſuſcipiuntur: ergo a jejunii lege non excuſant.

3. Oratio mentalis vocali melior eſt; at Clericus divinum officium præceptum omittere non poteſt, ut orationi mentali vacet, etiamſi daremus, utrumque fieri non poſſe: ergo ne jejunium quidem eccleſiaſtica lege præſcriptum prætermitti poteſt, ut opera evidenter meliora, quæ cum eo componi nequeunt, ſuſcipiantur.

4. Saul Reg. 1. 15. omnes Amalecitas interficere, ac univerſa eorum demoliri divinitus juſſus, bellum contra eos ſuſcepit, partaque victoria omne vulgus occidit, Regem vero, & optima quæque eorum reſervavit, ex quibus holocauſtum Deo obtulit: evidenter enim melius eſt optima quæque Deo immolare, quam illa abſumere. Nihilominus Samuel Dei juſſu Saulem valde increpavit, inquiens v. 22. c. cit. *Numquid vult Dominus holocauſta, & victimas, & non potius, ut obediatur voci Domini? melior eſt enim obedientia, quam victimæ, & auſcultare magis, quam offerre adipem arietum*. Ergo opera natura ſua meliora ab obedientia non excuſant. Adde, quod opus minus bonum ex obedientia factum præſtat operi ex ſe meliori ſponte ſuſcepto.

5. Id confirmat S. Th. 2. 2. q. 147. a. 4. ad 3. ſupra cit. ubi ait: *Si enim immineat neceſſitas multum laborandi propter aliquid neceſſarium ad vitam ſpiritualem, & ſimul cum hoc non poſſint Eccleſiæ jejunia obſervari, non obligatur homo ad jejunandum*. Ait S. Doct. *neceſſitas, propter aliquid neceſſarium*, non propter aliquid melius. *Quia non videtur*, inquit, *fuiſſe intentio Eccleſiæ ſtatuentis jejunia, ut per hoc impediret alias pias, & neceſſarias cauſas*.

Ex his fit, ut Concionatores, qui nec ex officio, nec ex obedientia, nec ex populi neceſſitate, cui per alios, aut aliomodo ſuccurritur, concionandi munus ſponte ſua ſuſcipiunt, aut etiam ſuggeſta non tam forte animarum ſalutis, quam propriæ gloriolæ, aut lucri cauſa aucupantur, a jejunio ſe excuſare eo prætextu non poſſint, quia concio opus melius ſit, quam jejunium. His enim reſpondendum eſt: *Melior eſt obedientia, quam victimæ, & auſcultare magis, quam offerre adipem arietum*.

Quoad Concionatores, qui ex neceſſitate vel populi, vel obediendi ſuis Superioris, ſacrum munus obeunt, quæritur, utrum concionatorius labor jejunium pati poſſit. Et primo quidem dubitandum non videtur, quin abſtinentiam a carnibus pati queat. Si enim duriores, & aſſidui labores agricolarum, fabrorum &c. cum abſtinentia a carnibus conciliari poſſunt, & reipſa conciliantur, multo magis cum ea conciliari poteſt minor, nec aſſiduus totius diei concionatorius labor. Quod ſi forte quidam Concionatores propter infirmam corporis conſtitutionem a carnibus Quadrageſimæ tempore abſtinere non valeant, concionibus abſtinere debent. Hoc præcipiunt conſtitutiones Ord. Prædicat. *ne plus*, inquiunt, *tanto ſcandalo offendant, quam verbis ædificent*. Idem habent conſtit. Soc. Jeſu; omneſque alias, quas ſe legiſſe meminit, carnium eſum vetare Concionatoribus tempore quadrageſimæ, teſtatus P. Concina Th. T. 5. p. 327. n. 7. Scandalum reipſa ingens eſt, Concionatores, qui ad pœnitentiam verbis vehementibus populum excitant, pœnitentiam adeo averſari, ut contra Eccleſiæ legem auguſtiſſimo quadrageſimæ jejunio carnes ex frivolis prætextibus comedere non erubeſcant.

Hæc quoad carnes, & quoad omnes etiam quotidianos Concionatores. Qui enim ter, aut quater in hebdomada concionantur, etiam ab altera refectione abſtinere, & jejunii legem ex omni parte obſervare eos poſſe, exiſtimo. Hujus rei ego experientia edoctus, teſtis ſum; qui cum quater in hebdomada concionarer, jejunium quoad omnes ſuas partes, ablegato cocholate, quod illi contrarium eſſe, pro certo habeo, toto quadrageſimæ tempore ſuſtinere facillime potui, & ſuſtinui. Contrariam opinionem nimis laxam appellat P. Concina Theol. t. 5. p. 328. n. 9. & ſane incredibile eſt, labore trium, aut quatuor in hebdomada horarum, qualis eſt deſcriptorum Concionatorum, corpus tantopere defatigari, ut jejunio ferendo par eſſe non poſſit. Nam reliquus labor memoriter diſcendi conciones, mentis eſt, non corporis, cui labori abſtinentia magis utilis eſt, quam noxia.

Ex quo etiam illud fieri mihi videtur, ut quotidiani quoque concionatores jejunare, ſi velint, poſſint; quia corporeus eorum labor unius circiter horæ eſt: neque unius horæ labor tantus eſſe poſſe videtur, ut hominem jejunio imparem efficiat. Corpus ille quidem totum agitat, at totus tamen eſt in vocis contentione, uniuſque horæ ſpatio abſolvitur.

Si quotidiani quadrageſimæ concionatores jejunare non poſſent, quid de iis dicendum eſſet, qui toto anno quotidie concionantur? At D. Vincentius Ferrerius *quotidie Miſſam ſummo mane cum cantu celebravit; quotidie ad populum concionem habuit; inviolabile ſemper jejunium, niſi urgens adeſſet neceſſitas, ſervavit*. Ita Brev. Rom. die 5. Aprilis. Quid ad hæc? An S. Vincentius Ferrerius ferrei corporis erat? Si ille toto anni tempore quotidie concionando, quotidie jejunare potuit, cur alii ſolo quadrageſimæ tempore quotidie concionantes, ſola quadrageſima jejunare non poſſunt? Neceſſe eſt, ut hic repetam illud S. Ambroſii lib. de S. Joſeph: *Cognoſcamus, illos* (Sanctos) *non naturæ præſtantioris fuiſſe, ſed obſervantioris, nec vitia neſciſſe, ſed emendaſſe*. Non me latet, Theologos communiter, ut ait P. Concina Theol. t. 5. p. 328. n. 8. pronuntiare a jejunio liberos illos, qui quotidie in quadrageſima concionantur; at idem Concina ſtatim ſubdit: „ Sed ego aſſerere non „ audeo, officium ipſum concionandi a jejunio excuſa„ re; cum potius e contrario ſanctitas talis miniſterii „ & ſeveram jejunii obſervantiam, & precum fervorem, „ & alia pœnitentiæ tum internæ tum externæ opera ex„ poſcat, ut Patres docent, & ſancti Concionatores omnes „ reipſa præſtiterunt. “ Præſens quæſtio facti quæſtio eſt, utrum ſcilicet quotidiani quadrageſimæ concionatores cum officio concionandi jejunium conciliare poſſint: at dubium non eſt, quin in facti quæſtione experientia opinioni præponderet. Experientia Sanctorum Concionatorum teſtatur, jejunium conciliari poſſe cum quotidiana quadrageſimæ concione: ergo hæc experientia opinioni contrariæ præponderat. P. Concina n. 8. mox cit. ita concludit. „ Quare Concionatores, qui jejunare poſ„ ſunt, ad jejunium teneri puto. Qui certo impoten„ tes ſunt, vel qui dubitant de ſua impotentia, a ſu„ periore jejunii diſpenſationem, vel commutationem „ obtineant. Sub initium maxime miniſterii diſpenſatio „ facile tribuenda eſt: “ Facile tribuenda intellige iis, ut mox dixit, de quorum impotentia dubitandi ratio eſt.

At Buſemb. præceptores quoque ordinarios, Confeſſarios, cantores a jejunio liberaliſſime excuſat. Quod ſi immunitates a Buſemb. conceſſæ ad praxim deducerentur, de jejunio actum jam eſſet; imo jejunii lex foret ſupervacanea, utpote quæ paucos tantum otioſos complecteretur. Ego, ut de me, quod res eſt, ipſe confitear, per quinque luſtra ordinarii præceptoria officio functus, numquam a me jejunio ſolutum putavi, ſed jejunare potui, ac jejunavi. Labor mentis non copiam, ſed parcitatem cibi poſtulat. Quod ſi jejunium nonnihil imbecillitatis afferat, ferenda ea eſt, non exercenda. Idem, aut etiam multo magis de Confeſſariis dicendum. Nam ſi cantores a jejunio excuſantur, a Cœnobiis choro addictis illud exulare video, video illud exulare a Canonicis, aliiſque, qui divinum in choro officium canere debent, & canunt. Sed nos mittamus opinationes ex arbitrio confictas, & ſacratiſſimum *jejunium, ipſius Domini noſtri Jeſu Chriſti exemplo veluti conſecratum, ab Apoſtolis traditum, a ſacris canonibus ubique præſcriptum, & ab univerſali Eccleſia ab ipſo ſuo primordio retentum, & conſervatum*, ut loquitur Bened. XIV. conſtit. *Non ambigimus*, magna in veneratione habeamus, illudque ablegatis inanibus excuſationibus exacte obſervemus. Neque vero jejunium, corporis ſaluti adverſatur, ut ponere videntur, qui undecumque prætextus expiſcantur illud frangendi, *ſed animabus corporibuſque curandis*, ut ait Eccleſia (ſabb. ante 1. Dom. quad.) *ſalubriter inſtitutum eſt*. Ex quo fit, ut non ſolum animæ, ſed corporis quoque inimicos eos habere debeamus, qui ſuis commentis ab eo nos abducere ſtudent.

At Buſemb., inquis, rem hanc caute concludit, dum ait: *Nam in omnibus iſtis regula certa, & univerſalis ſtatui non poteſt alia, quam quod lex Eccleſiæ non obliget cum magna difficultate, ut notat Laym.* Regula ipſa univerſalis, quam Buſemb. hic conſtituit, non eſt legitima, ſed flexilis, & lubrica. Neque enim difficultas etiam magna ab Eccleſiæ lege eximit; alioquin etiam helluones, & jejunare non aſſueti, qui non ſine magna difficultate jejunant, a jejunii lege immunes forent. Dum Buſemb. ita loquitur, ponit, in cælum ſine magna difficultate conſcendi; quod Scripturæ oraculis alibi recitatis, & obviis aperte contrarium eſt. Hinc S. Gregorius hom. 37 in Evang. inquit: *Sed ad magna præmia perveniri non poteſt, niſi per magnos labores*. Qui ſine magna difficultate jejunare volunt, primas magnas jejunandi difficultates ſuperent, uſuque jejunandi comparato ſine magna difficultate jejunabunt.

Eccleſia mater clementiſſima, animæ ſalutis longe magis, quam corporis commodi amans, leges fert eidem animæ ſaluti accommodatiſſimas, licet carnis concupiſcentiæ infeſtas; ſuos filios jejunii obſervantia nec mori, nec gravia corporis detrimenta pati, nec tamen eos delicatulos, & molles, ſed fortes, & incommodi carnem macerantis, ut ſpiritu vivant, & vigeant, tolerantes eſſe vult; nec ſua jejunia, quia caro contra ſpiritum concupiſcens ægerrime ea patitur, frangi permittit.

Animadverſio XVII.

Caritas, vel etiam urbanitas ſecundum quoſdam excuſat etiam &c.

An etiam diabolica urbanitas a jujunio excuſat? Amicus die jejonii invitans ad comedendum contra legem, apertus dæmonis miniſter eſt, ſollicitans ad legis ſacratiſſimæ violationem. Qui ab eo rogatus, cibum ſumit, diabolicæ tentationi ob inanem, & malum reſpectum ſuccumbit, & apertiſſime adverſarur legi. Mirum ſane eſt, quod Theologiæ tractatores de bis dubitent, nedum contea ſentisnt.

Vel qui ad excitandum infirmorum appetitum comedit &c.

Caeitas exigit, ut infirmos chriſtianis operibus, & exemplis juvemus, non ur fractione auguſtiſſimi jejunii ſcandalo iis ſimus. An ſcandalum apertum non eſt, earnem comedere jejunii die eo inani, ac frivolo prætextu, ot infirmum ad comedendum excites? An aliæ rationes deſunt, quibus eum ad neceſſarium cibum ſumendum extimules? Enim vero luce clarius eſt, tum in aliis legibus naturalibus, divinis, eccleſiaſticis, tum in auguſtiſſimo jejunii præcepto eum *opinandi modum irrepſiſſe, quem ſi pro recta regula fideles in praxi ſequerentur, ingens irruptura eſſet chriſtiane vitæ corruptela*, ut loquitur Alea. VII. in proœm. ad propoſ. a ſe proſcriptas.

LIBER IV.

De præceptis particularibus certo hominum ſtatui propriis.

CUm omnes fideles ſicut præcepta Decalogi, ita etiam alia præcepta, quæ pertinent ad ſtatum, & officium uniuſcujuſque, teneantur ſcire ſub peccato mortali; ita ut ipſa eorum ignorantia vincibilis, licet non ſequstur tranſgreſſio, ſit peccatum mortale (*Sylv. Sayr. Sanch. Bald. t. 1. l. 1. d. 9. n. 8. & 9.*) hinc poſt præcepta omnibus cammunia, agendum de præceptis propriis certorum ſtatuum in particulari.

CAPUT I.

De ſtatu Religioſo.

DUBIUM I.

Quæ ſit natura ſtatus religioſi?

REſpond. Status Religionis eſt fidelium ad divinæ caritatis perfectionem tendentium, editis votis perpetuæ paupertatis, caſtitstis, & obedientiæ, ſtabilis in communi vivendi modus, ab Eccleſia approbatus.

Dico, *ab Eccleſia*; quia, etſi olim Epiſcopi Religiones approbsra poterant; poſtea tamen in Concilio Lateranenſi ſub Inoocentio tertio ſtatutum eſt, ne nova Religio inducatur, niſi approbata a Papa. Ratio eſt, quia cum Raligio ſit communitas ſacra, in qua debet eſſe ſpiritualis juriſdictio; hæc autem a Papa proveniat; decens eſt, ut talis communitas ab eodem approbetur. Laym. *l.* 4. *t.* 5. *c.* 1.

Unde reſolvuntur caſus.

1. Ad eſſentiam Religionis non requiruntur vota ſolemnia. Ratio eſt, quia qui in Societ. JESU vota ſimplicia edunt, ſunt veri Religioſi, uti definivit Gregor. XIII. in Bulla, *Aſcendente Domino*. Laym. *l. c. n.* 4.

2. Non ſunt Religioſi ii Ordines militares, qui conjugalem caſtitatem tantum vovent: ſunt tamen vere Religioſi milites S. Joannis, & Teutonici, eorumque ſimiles, cum tria vota ſubſtantialia habeant. Similiter ex Fratribus, & Sororibus Tertiariis, ſive Ordinis Sancti Franciſci, ſive aliorum, tantum ſunt Religioſi, qui in Religione approbata, ſecundum certam Regulam, tria vota ſubſtantialia emittunt. Contra autem ii non ſunt, qui licet tria iſta emittant, & communiter, vel ſeorſim habitent, regulam tamen a Sede Apoſtolica approbatam non profitentur. Laym. *l. c.*

3. Religioſi non ſunt, qui, edito voto perpetuæ paupertatis, & caſtitatis, obedientiam vovent Confeſſario, aut Epiſcopo. Ratio eſt, quia tali voto non ſubjiciuntur juriſdictioni ſpirituali, quæ a Deo, medio ejus Vicario, provenire debet. *ibid. n.* 7.

4. Etſi Papa in votis ſolemnibus Religionis diſpenſare poſſit, ut quis deſinat eſſe Religioſus: non poteſt diſpanſare tamen, ut quis manens Religioſus ſubſtantialibus votis non teneatur; quia ad eſſentiam Religionis illa ſpectant. Laym. *l. c. num.* 8. ex Nav. &c.

5. *Religioſus, promotus ad Cardinalatum, vel Epiſcopatum, obſtrictus manet votis eſſentialibus ſuæ Religionis, etſi quoad aliquos effectus paupertatis, & obedientiæ exemptus cenſeantur. Deinde, etſi jugo Regulæ abſolutus ſit quoad culpam, & pœnam*; tamen ex obligatione moralis honeſtatis ea ſervare debet, quæ eum decent, & cum ejus muneze conſiſtunt. Hinc quoad habitum, ſui Ordinis colorem deferre debet, etſi quoad figuram, Epiſcopi ſæcularibus ſe conformare poſſit, ut Clemens VIII. conceſſit apud Sanchea *6. mor. c. 6. Imo, ſi Epiſcopatum reſignet, vel ob culpam deponatur, abſque degradatione, tamen non tenetur ad regularem obſervantiam redire*; quia retinet eminentiam epiſcopalem, ob quam ab obedienria regulari exemptus fuit. Ibid. ex S. Tho. Rodrig. Sanchez &c. Secus eſt in Cardinali Religioſo, qui non eſt Epiſcopus; hic enim relicto Cardinslatu, nihil retinet ex dignitate cardinalitia, ideoque ſi Papa ejus renunciationem acceptarit, tenetur redire ad obedientiam regularem ſui Ordinis. Pal. de Lug. *reſp. mor l. 5. d.* 12. Animad. I.

6. Religioſus ad Parochiam promotus, cum votis aſtrictus maneat, tenetur deferre habitum Religionis, Regulamque obſervare in omnibus, quæ cum ſuo munere conſiſtere poſſunt. Idque non tantum ſecundum moralem honeſtatem, ſed ſub obligatione gravis culpæ, *ſi ad eam Regula obliget* (*a*). Ita Laym. *l.* 4. *t.* 5. *cap.* 1. *num.* 12. & 11., ubi addit, etſi Parochus Religioſus in iis, quæ ad regulam ſpectant, ſubjectus maneat ſuperiori, jam tamen conſuetudine multis locis obſervari, ut non tantum in pertinentibus ad diſciplinam eccleſiaſticam, ſed etiam in plerique aliis, ab obedientia Prælati eximatur, & Epiſcopo ſubjiciatur. Vid. Sanch. *l. 6. mor. c. 6. n.* 36.

DUBIUM II.

Quæ requirantur ad valorem profeſſionis religioſæ?

Reſpond. Ad valorem ejus tres requiruntur conditiones. 1. Eſt qualitas, ſeu aptitudo voventis, ſcilicet ut, juxta Trident. *ſeſſ.* 25. *cap.* 15. *de Regularibus*, decimum ſextum ætatis annum expleverit, annumque integrum cum religioſo habitu ſteterit in probatione, nullumque habeat impedimentum, quod, per ſtatuta a Pontifice confirmata, in iſto Ordine ſubſtantiale eſſe cenſeatur. Azor. *tr.* 1. *lib.* 12. *cap.* 2. *qu.* 6. & 7. Rodrig. *t.* 2. *cap.* 6.

2. Conditio, conſenſus, & acceptatio expreſſa, vel tacita Prælati Ordinis; per hanc enim Religioni incorporari debet. Idque ordinarie, non tantum cum conſilio, ſed etiam cum conſenſu Capituli, aut certe majoris, aut principalioris partis, ſecundum cujuſcunque Ordinis ſtatuta. Navar. Leſſ. *c.* 41. *d.* 7.

3. Ut profeſſio ſponte facta ſit, non cogente gravi metu, qualis eſſet incarceratio, alimentorum ſubtractio, eo quod in profeſſionem conſentire noluerit. Itemque metus reverentialis, non quidem ſe ſolo, ſed accedente precum, blanditiarum, & imperii ſæpius repetita importunitate, aut gravi offenſione, aut diu continuata indignatione conſanguineorum, adjunctis etiam minis de ſubſidiis negandis, ſi ex Religione egrediatur; hæc enim vel ſingula, vel certa ſimul juncta, conſiderata conditione hominis rudis, timidi, &c. metum juſtum incutere poſſunt, & profeſſionem irritare, ut docet Laym. cum aliis *l.* 4. *tr.* 5. *cap.* 5. Leſſ. *lib.* 2. *cap.* 43. *diſt.* 7.

Unde reſolvuntur ſequentes caſus.

1. *Is, qui profeſſionem irritam edidit, ex defectu* Animad. II.
alicujus conditionis ex jam dictis, niſi eam poſtmodum taci.

Digitized by Google

tacite, vel expreſſe ratificaverit, egredi e religione, & uxorem ducere poteſt; licet, ob evitationem ſcandali, cauſam egreſſus dicere debeat: & ſi ad forum externum cauſa deveniat, defectum profeſſionis probare, idque intra quinquennium a die profeſſionis: poſt illud enim non auditor, juxta Trid. *c.* 19. *ſeſſ. ead.* quia præſumitur eam interea ratificaſſe.

Animad. III. 2. *Quod ſi tamen ſciret, illam juris præſumptionem falſam eſſe, eo quod vel ignorans impedimentum, vel metu gravi, aliave juſta cauſa impeditus reclamare intra quinquennium non potuerit, vel impedimentum ſit eſſentiale, ac perpetuum, aut ſaltem ultra quinquennium duret, eo elapſo poteſt reclamare, debetque audiri in judicio, ſaltem extraordinarie, vel in integrum reſtitui*, ut contra Bonac. *de clauſ. d.* 4 *q.* 2. *p.* 16. docent Sanch. *d.* 32. *n.* 22. Leſſ. *l.* 2. *c.* 41. *d.* 7. Azor. *l.* 12. *c.* 4. *q. ult.* Dian. *p.* 3. *t.* 2. *R.* 53. Barb. in Trid. *ſeſſ.* 25. *c.* 19. *n.* 8. ubi plures alios citat: *& niſi aliud quid impediat, fugere poteſt, ut docet Laym.* Qui addit, ſi fuga ſine gravi ſcandalo, vel incommodo tentari non poſſet, monendum a Confeſſario, ut profeſſionem tacite ratificet: quod fiet, ſi profeſſorum habitum proprium deferat, actuſque iis proprios exerceat, cum intentione, quod profeſſus talis Ordinis eſſe velit. V. Auct. cit. & Dian. *p.* 8. *t.* 7. *R.* 51. ubi ex Trid. *ſeſſ.* 25. *c.* 19. probat Epiſcopum de nullitate profeſſionis ſine interventione Superioris regularis ſententiam ferre non poſſe; & ſi faciat, fore nullam.

D U B I U M III.

Ad quid teneatur Religioſus vi ſuæ profeſſionis?

Reſp. Religioſus vi ſuæ profeſſionis tenetur ad progrediendum aliquo modo in via perfectionis. *Quia ex vi profeſſionis tenetur velle ſervare ſuum ſtatum, qui eſt perfectionis, ſive tendentium ad perfectionem (licet ſecundum ſe non ſit præcepti, ſed conſilii:)* hoc autem eſt intrinſece velle tendere ad perfectionem. S. Th. 2. 2. *q.* 186. *ar.* 1. & 2. & *q.* 184. *ar.* 5. Laym. *l.* 3. *t.* 5. *c.* 2. *n.* 1. Suar. *de relig. t.* 4. *l.* 1. *c.* 4. Bard. *d. conſid. d.* 7. *c.* 6. *§.* 5.

Unde reſolves.

1. Religioſus non tenetur actu eſſe perfectus, ſed *tantum ſtudere perfectioni.* (*b*) Bard. &c. *l. c.*

2. Tenetur tendere ad perfectionem 1. Per media eſſentialia. 2. Per vota. 3 Per auxilia ſecundaria, non contemnendo ea. Laym. *l. c. c.* 9. *n.* 13. 4. Tenetur aliquibus mediis uti, & ſi omnia media abiiciat, non eſt in ſtatu ſalutis. Suarez, Laym. *l. c.* dicens, ſi nullum perfectionis ſtudium adhibeat, ſed omnia monita, & Regulas negligat, eo quod ſub mortali non obligent, peccare mortaliter. 5. Tenetur ad aliqua opera bona ſuperogatoria, ſive ſpecialiter non præcepta, nec promiſſa: quia alias, moraliter loquendo, non poteſt habere debitam intentionem ſalutis. Suar *l. c.*

3. Tenetur tendere ad perfectionem per media ſuæ Religionis, non per alia; hoc eſt, ſervando ſuas Regulas. Sanch. *l.* 6. *c.* 5. *n.* 1. & 2. Hinc peccat, 1. per contemptum Regulæ, hoc eſt, ſi nolit ſubiici, *ibid. n.* 6 2. Si tantum velit ſervare, quæ ſub mortali obligant, quia contemnit perfectionem, *ibid. n.* 7. 3. Per actum directa contrarium, hoc eſt, nolendo perfectionem: quod eſſe mortale, docet Sanchez *n.* 10. Pellis & Bard. *l. c.*

Animad. IV. 4. *Si quis non tantum intendat non eſſe ſolicitus in obſervatione regulæ, ſed etiam nunquam ſervare, etiamſi facile poſſit, eſt mortale, vel proxima diſpoſitio ad illud, utique poteſt fieri ſine contemptu formali.* Suarez *l. c. n.* 24.

Animad. V. 5. *Si ex remiſſione animi, & ſine ullo juſto titulo, per directam intentionem, velis aliquam Regulam non ſervare, erit ſaltem levis contemptus, & peccatum veniale.* Suarez *l. c.*

6. Frequenter, & ex conſuetudine violare regulam, eſſe mortale, dicit Sanchez *lib.* 6. *mor. c.* 4. *num.* 18. & 20. Tum quia perturbat religioſam diſciplinam; tum quia ſecundum quoſdam eſt contemptus interpretativus, vel ſaltem probabiliſſimum eius periculum: tenetur autem ſub mortali ita vivere, ut non ſit graviter pernicioſus Religioni, inducendo alios malo exemplo ad regulæ laxitatem. Sanchez, Laym. *l.* 4. *t.* 5. *c.* 9. Tum quia conſtituit ſe in eo ſtatu, ut tanquam incorrigibilis ſit expellendus: tenetur autem quiſque ratione votorum, quibus ſe Religioni addixit, ita ſe gerere, ut ſit tolerabilis, & non mereatur expelli; at qui nullum conatum perfectionis adhibendo, Regulas ſine diſcrimine tranſgreditur, reddit ſe intolerabilem, ut debeat expelli, aut, ſi toleretur, plurimum nocet: ergo per accidens, & indirecte agit contra profeſſionem, peccatque mortaliter. Sanch. *c.* 4. *n.* 18. Vide Auct. cit.

7. Religioſus Societatis JESU peccat mortaliter, ſi non adhibet diligentiam in cavendis defectibus, ob quos ſe dimittendum, vel eiiciendum prævidet; & licet ita dimiſſus, ſit liber in conſcientia; ſi tamen ſit dimiſſus ob fraudem, vel peccata in eum finem commiſſa, irrita eſt dimiſſio, utpote obtenta per dolum dantem ipſi cauſam (ſicut in matrimonio, & ceteris contractibus) unde ſubiacet pœnis apoſtatarum. Bonac. *de clauſ. q.* 1. *p.* 12. §. 1.

8. Scolaſticus Societatis JESU, qui pravis moribus de induſtria dimiſſionem extorſit, vel falſis allegationibus impetravit, non eſt liber a votis. Leſſ. *l.* 2. *c.* 40. *d.* 15. Sanch. *l.* 6. *c.* 9. *n.* 99. Laym. *l.* 5. *t.* 5. *c.* 9. *num.* 13.

D U B I U M IV.

Ad quid Religioſus obligetur vi votorum?

Reſp. 1. Religioſus ex voto paupertatis obligatur, ut nihil habeat proprium. Nomine proprii autem intelliguntur bona temporalia pretio æſtimabilia, quorum dominium, vel certe facultatem diſponendi liberam, & independentem in perpetuum abdicavit. Conſtat *ex c. Non dicatis* 12. *quæſt.* 1. *c. Monachi.*

Dicitur 1. (Bona temporalia:) quia retinet Religioſus dominium bonorum ſpiritualium, honoris, famæ, & ſimilium. Item jus eligendi, præſentandi, conferendi regulare beneficium, &c. S. Thom. 2. 2. *q.* 186. *art.* 7. Sanch. *l.* 7. *c.* 18. Leſſ. *l.* 2. *c.* 4. *d.* 5. Laym. *l.* 4. *t.* 5. *c.* 7.

Dicitur 2. (Dominium, vel facultatem diſponendi) propter Religioſos Societ. Jeſu, qui poſt emiſſa vota retinent, & acquirere poſſunt dominium radicale bonorum temporalium, non tamen habent jus actuale de iis pro ſuo arbitrio diſponendi, vel utendi, in cujus abdicatione eſſentia religioſæ paupertatis conſiſtit. Sanchez, Laym. *l. c. n.* 3.

Dicitur 3. (*independenter*) *quia Religioſus, etiam profeſſus, poteſt habere peculium dependens, & revocabile ad nutum Superioris, quod nomine proprii non comprehenditur.* Laym. *c.* 7. *n.* 12. Animad. VI.

Unde ſequentes caſus reſolvuntur.

1. Non repugnat voto paupertatis, quod Religioſi habeant bona in communi, etiam immobilia. Imo ſine conſenſu Papæ non poſſunt ſe obligare communitati, quod ea nunquam ſint acquiſituri, quia præjudicarent immunitati eccleſiaſticæ. C. Lug. *reſp. mor. l.* 3. *d.* 8. Neque poſſunt fructus, ſeu reditus a donatore deſtinatos ad ea emenda applicare ad uſus alios, v. grat. ſolvenda debita, &c. *ib. d.* 10.

2. *Non repugnat paupertati, ſi Religioſo detur villa, vel alius locus adminiſtrandus nomine Monaſterii, idque in Monaſterii commodum. Imo nec repugnat, ſi detur in commodum, vel incommodum ipſiuſmet Religioſi aliquod eccleſiaſticum Beneficium.* Quo caſu competit ei adminiſtratio redituum, quos ad ſui ſuſtentationem, piaſque cauſas applicare poteſt, juxta Canonum conceſſionem: quod reliquum eſt, pertinet ad Eccleſiam, vel Beneficium, cui ſervivit: ac conſequenter donationes de reditibus beneficii factæ ab eo in uſus non pios invalidæ ſunt, & contra juſtitiam, neque accipientes poſſunt tuta conſcientia retinere. Suarez *to.* 4. *de relig. l.* 5. Moliu. *d.* 276. &c. communitat. Ratio eſt, quia non habet dominium dictorum redituum. C. Lugo *de juſt. t.* 1. *d.* 4. *ſ.* 1. *Nihilominus Wading. apud Dian. p.* 8. *t.* 6. *R.* 153. *probabile cenſet, quod, etſi illicitæ, validæ tamen ſint iſtæ donationes, idemque multo magis de donationibus Epiſcoporum regularium cenſet cum eodem Dian. l. c. R.* 132. &c. *contra Sanch. Suar.* &c. Ad Monaſte- Animad. VII.

riom vero omnia alia pertinent, quæ aliunde, quam ex Beneficio acquiruntur, niſi ex conſuetudine cedant Eccleſiæ. Nav. Azor. *to.* 1. *l.* 12. *c.* 10. *q.* 6. & 7. Laym. *l. c.* Vide Trid. *ſeſſ.* 25. *c.* 2. *de Regul.*

Animad. VIII. 3. *Non tantum jure antiquo, ſed etiam poſt Trident. probabile eſt, Religioſo in Monaſterio, vel juxta illud manenti annuatim aſſignari poſſe reditum, ut ex eo vivat ſuo commodo, & incommodo, revocabiliter tamen ad nutum Prælati: ſimiliter Monialibus victum præberi poſſe, ita ut ipſa ſibi labore manuum veſtes comparent.* Ita contra Azor. Leſſ. & Mol. docent Sanchez *l.* 7. *mor. c.* 22. Tan. Laym. *l.* 4. *c.* 7. *Qui addit, talem conſuetudinem, ubi viget, non damnandam; probat tamen tolli debere, ſi commode poſſit, monetque, non ſine urgentiſſima cauſa introducendam.*

4. Peccat contra paupertatem Religioſus, ſi quid, ſeu domi, ſeu foris, etiam ex iis, quæ ad victum, & veſtitum pertinent, ſine Superioris conſenſu expreſſo, tacito, vel præſumpto, accipiat, retineat, abſumat, permutet, alteri donet, vel accommodet. Ita Leſs. *l.* 2. *c.* 41. *d.* 8. & *d.* 9. *n.* 79. Sanch. 7. *mor. c.* 19. *n.* 53. & *c.* 11. *n.* 32. Suar. *to.* 3. *de rel. l.* 8. *c.* 11. Laym. *l.* 4. *t.* 5. *c.* 7. Azor. *to.* 1. *l.* 12. *c.* 12.

Animad. IX. Dixi, *ſine conſenſu tacito: quia, ſi Prælatus ſciat, ſubditum aliquid accipere, retinere, vel expendere, & non prohibet, cum facile poſſit, tacite conſentire, & approbare videtur.* Unde Sanchez 6. *mor. c.* 19. *ait, ſi in aliqua Religione conſuetudo viget aliqua recipiendi, vel expendendi ſine licentia, id excuſari per tacitam licentiam Prælati, qui, id tolerando, conſuetudinem rationabiliter declarat.* Etſi Prælatus ſubdito donet, vel donari permittat imagines, roſaria, &c. ſciens non indigere iis omnibus ad proprium uſum, cenſetur facultatem concedere donandi aliis, ut notat Layman. Monet tamen Leſs. talem conſenſum non præſumendum, niſi in rebus parvis, & crebro occurrentibus.

Animad. X. *Dixi* 2. vel præſumpto; *hic enim locum habet, cum res urget, Superiorque non eſt præſens. Ad hunc autem, ut vult Sanch. & Bonac. non ſufficit, quod Superior libenter concederet, ſi peteret (alioqui omnes donationes a Prælatis permitti ſolitæ licerent ſine venia; quod cederet in everſionem diſciplinæ regularis) ſed requiritur, ut ipſe cenſeatur concedere, quamvis non petas, & nolit in iis circumſtantiis te petere. Addunt tamen Suar. & Leſſ. excuſari a mortali, ſi præſumatur affectus Superioris libenter rem conceſſuri, ſi rogaretur.* Ratio eſt, quia tunc cenſetur rem habere ex voluntate Superioris ſaltem virtuali, quæ in illo affectu latet; ideoque, ſi Superior tantum ſit invitus quoad modum, venialiter quidem peccari; *non tamen contra paupertatem, docent Suar. Sanchez, Lay. l.* 5. *t.* 5. *c.* 7.

5. Contra votum paupertatis peccas, ſi quid ex rebus in uſum tuum conceſſis, in alium uſum expendas, aut culpabiliter amittas, vel deſtruas lata culpa. Ratio eſt, quia in iis tantum habes uſum facti, idque precario, quamdiu Superiori videbitur; eſtque actus dominii, poſſe rem arbitratu ſuo deſtruere. Sanch. *c.* 19. Laym. *n.* 6. Leſſ. *n.* 79.

6. Item peccas, ſi quid abſcondas, ut illud liberæ diſpoſitioni Superioris ſubducas. Nec Procuratores, Œconomi, Adminiſtratores, Prælati inferiores quicquam poſſunt expendere, contra quam Regula Ordinis, voluntas Superiorum, vel conſuetudo poſtulat. Ratio eſt, quia non ſunt domini bonorum communium, ſed tantum adminiſtratores. Laym. *num.* 8. ex S. Thom.

7. Si Prælatus permittat ſubdito, ut bona, ex quacumque cauſa, aut titulo provenientia, in uſus vanos, turpes, aut illicitos expendat, aut ſuperflua, pretioſa, & ſtatum ſuum dedecentia penes ſe habeat, peccat & Prælatus, & ſubditus contra votum paupertatis; eſtque talis donatio, ſeu alienatio irrita, & reſtitutioni obnoxia. Navarr. Sylveſt. Valent. Molin. *t.* 2. *d.* 276. Azor. Leſſ. *d.* 9. Sanchez, Laym. Quia Prælatus non poteſt dare veniam majorem, quam ipſe habet: ipſe autem, cum non ſit dominus, non poteſt bona ſuo arbitrio, & inutiliter expendere, ſed tantum in Religionis neceſſitatem, & utilitatem. V. C. Lug. *de juſt. d.* 3. *ſ.* 7. *n.* 121.

Reſp. 2. Religioſus voto caſtitatis obligatur, ut abſtineat ſe ab omni voluntaria delectatione venerea, interna, & externa: proindeque, ſi quis contra caſtitatem peccet, duo peccata admittit, luxuriæ, & ſacrilegii. Leſſ. & Lay. *c.* 8.

Reſpond. 3. Religioſus ex voto obedientiæ obligatur ad omnia, quæ Superior præcipit, ſecundum Regulas, & Conſtitutiones Ordinis, ſive directe, & expreſſe, ſive indirecte, & implicite. *Et quidem, ſi præcipiat in virtute ſanctæ obedientiæ, in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, vel ſimili forma, tenetur obedire ſub mortali: quia intendit obligare quantum poteſt: ſub veniali autem, ſi alia forma utatur, vel ſub nulla;* quod conſuetudo in Societate Jeſu approbavit. Vide S. Thom. 2. 2. *q.* 104. Sylv. Sanch. *l.* 6. *mor. c.* 1. Leſſ. *l.* 2. *c.* 4. *d.* 9. Laym. *c.* 9. Animad. XI.

Animad. XII. *Porro quæ indirecte pertinent ad Regulam, Sylv. & quidam alii ampliant ad illa, quæ faciunt ad pleniorem ejus obſervationem. Sanch. tamen arctat ad res valde neceſſarias, ſine quibus regula commode ſervari nequit; alioqui enim Superior quaſvis corporis macerationes præcipere poſſet:* ordinantur enim ad pleniorem obſervationem Regulæ. Laym. *l.* 4. *t.* 5. *c.* 9. Leſſ. *l.* 2. *c.* 4. *d.* 9.

Unde reſolves.

Animad. XIII. 1. *Non tenetur ſubditus obedire in iis*, quæ ſunt vel contra Regulam (niſi Superior in ea poſſit diſpenſare, & legitima cauſa diſpenſandi ſubſit) vel ſupra Regulam, ut eſſent magnæ macerationes (niſi in pœnam, vel ad obligationem votorum neceſſariæ) *vel ut acceptet Epiſcopatum.* Dian. *p.* 6. *t.* 9. *R.* 33. & alii ſex: vel infra Regulam, ſcilicet vana (niſi præcipiat ex cauſa, quæ ſit ſecundum Regulam, verbi gratia, ut obedientia exerceatur) nec refert, quod Regulæ jubeant in omnibus obedire; id enim non de obligatione voti, ſed de obedientiæ perfectione intelligitur. Ita Suar. Sanch. 6. *mor. c.* 2. & Laym. (*c*)

2. Si regula Ordinis ſub peccato obliget, ejus tranſgreſſio eſt contra votum, & ſacrilega. Ratio eſt, quia talis Regula non eſt minus præceptiva, quam vox Superioris, & ſubditus promittens obſervationem Regulæ, eo modo quo ipſe intendit, ſe obligare cenſetur: proindeque Carthuſianus verbi gratia carnes edens, vel Franciſcanus feria ſexta non jejunans, & contra obedientiam, & contra temperantiam peccat. S. Thom. *in* 2. *d.* 44. *q.* 2. *ar.* 3. Valent. Sanchez 6. *mor. c.* 1. & 4. Vaſq. Rodr. Laym. *l. c. n.* 6. Excob. &c.

3. Si Regula ſub peccato non obligat, tranſgreſſor illius non peccat contra votum obedientiæ. Ratio eſt, quia talis Regula non continet proprie præceptum, ſed tantum eſt ordinatio, ſeu monitum, obligans tantum ad pœnam, ſi imponatur. S. Thom. Laym. *l. c.* &c. Hinc nec tranſgreſſio illius, ex rationabili cauſa, & bono fine, ſeu ex motivo virtutis facta, v. gr. ſi extra tempora loquatur cum ſocio, ut mœſtum conſoletur, eſt peccatum; erit tamen veniale, ſi ex negligentia, torpore animi, aliove inordinato affectu fiat. Laym. *l. c.* Quem ut plurimum concurrere, adeoque raro omni culpa vacare, putant Val. Sanch. & Suarez. Qui addunt, quod ſi quis frequenter, & quaſi per conſuetudinem Regulam tranſgrediatur, religioſam diſciplinam graviter perturbet, eaque ex cauſa in periculo expulſionis ſe conſtituat, peccet mortaliter. Laym. *l.* 5. *c.* 9. Sanch. *n.* 18.

4. Etſi Capitulares novum ſtatutum condere poſſint, quo ipſi, aliique poſtmodum profeſſionem edituri obligentur; ante tamen profeſſi, qui in illud non conſenſerunt, eo non obligantur, ſi ad Regulam Ordinis non directe, nec indirecte ſpectet. Laym. *loc. cit. num* 10. Niſi tamen ſtatutum fiat in Capitulo generali, vel ſaltem provinciali (juxta cujuſque Ordinis inſtitutum) concurrente majore parte ſuffragiorum; & non ſit regulæ difforme. Vide Excob. *de leg. E.* 1. *cap.* 12. *n.* 15. Ratio eſt, quia quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari, juxta *reg.* 39. *in* 6. Addunt Laym. & Sanch. ex Syl. & Azor. *t.* 1. *l.* 13. *c.* 11. *q.* 19. Leſſ. *l.* 2. *c.* 41. *n.* 22. *nec Pontificem poſſe* Religioſos cogere ad arctiorem vivendi rationem, (*d*) *quam inſtituti prima forma poſtulat.* Quia obligatio obediendi, etiam

Digitized by Google

jam Pontifici, provenit ex voto, quod ſactum fuit ſecundum proprium Regulæ inſtitutum. Si tamen Regulæ reformatio neceſſarium medium eſſet ad Ordinis conſervationem, ad eam Prælatus cum Capitulo, multoque magis Pontifex, illos cogere poteſt, quando ad hoc ſe implicite quiſque obligaſſe cenſetur. Sylv. Leſſ. Sanch. Laym. *ll. cc.*

ANIMAD. XIV. *Etſi conſuetum non ſit, nec conſultum, ut Prælati ſub peccato præcipiant actus internos, probabile tamen eſt fieri poſſe, ut docent Laym. Suar. &c.* Ratio eſt, quia veriſimile eſt, quod aliqui Religioſi ad id ſe obligare intendant, cum ſe quaſi holocauſtum Deo tradant.

Quæres, An ſubditus teneatur obedire, ſi dubitet, utrum res ſit licita, quam Prælatus jubet, vel juſta cauſa imperandi?

Reſp. 1. *Communiter teneri, quia tunc melior eſt*
ANIMAD. XV. *conditio Superioris*, qui eſt in poſſeſſione poteſtatis præcipiendi; in dubio autem nemo ſpoliandus eſt jure, quod habet. Nec dicas, ſubditum etiam eſſe in poſſeſſione libertatis, cum habeat debitum parendi.

ANIMAD. XVI. Reſp. 2. *Non teneri, ſi grave damnum obediendo timeat. Ratio eſt, quia in dubio favendum eſt reo, eique, de cujus damno agitur. Etſi enim ſubditus non ſit in poſſeſſione libertatis, eſt tamen in poſſeſſione juris, quo poteſt ſe a periculoſis rebus conſervare.* Leſſ. Sanchez *6. mor. c.* 4. aliique.

DUBIUM V.

Qui poſſint, vel teneantur ingredi Religionem?

Reſpond. 1. Omnes illi, & ſoli poſſunt ingredi Religionem, qui ſunt ſui juris, nec aliis obſtricti: qui vero aliis obſtricti ſunt, non poſſunt ſine eorum conſenſu. Leſſ. *l.* 2. *c.* 41. *d.* 3.

Unde 1. non poſſunt ingredi Religionem impuberes, (*e*) *quia ſubſunt parentibus*, vel tutoribus, quoad vitæ diſpoſitionem. 2. Nec filii, *ſi parentes ſine illis ſe alere nequeant*. (*f*) Lay. *l.* 4. *t.* 3. *c.* 3. *n.* 1. 3. Nec ſervi *ſine conſenſu dominorum*. (*g*) 4. Nec qui de-
ANIMAD. XVII. cepit virginem *ſub promiſſione matrimonii*. (*h*) 5. *Nec is, qui non eſt ſolvendo creditoribus*, modo in ſæculo manendo poſſit intra paucos annos ſolvere. D. Th. tamen, Sylv. Fumos, v. *Religio*, & alii putant, illum poſſe bona præſentia cedere creditoribus; quia perſona hominis liberi non eſt pro pecunia obligata. 6. Nec *Epiſcopus*, ſine conſenſu Papæ, (*i*) cui juramento ſe obſtrinxit; *præterquam quod ſit obſtrictus ſuæ Eccleſiæ*, ſicut maritus uxori. 7. *Nec conjuges poſt matrimonium conſummatum; niſi vir per vim conſummaſſet, ante expletos duos menſes, qui eis a jure conceduntur*, aut niſi alter conjugum commiſiſſet adulterium: tunc enim innocens ingredi poſſet.

Reſp. 2. Qui vovit religionem, tenetur ingredi ſecundum ſequentes regulas.

1. Non tenetur, imo nec poteſt licite ingredi Ordinem, in quo collapſa eſt diſciplina regularis, idque ob periculum perverſionis. Laym. *l.* 4. *t.* 5. *c.* 6. *n.* 5.

2. Qui vovit laxiorem, licite ingreditur ſtrictio-
rem, non tamen contra, quia minus præſtaret,
ANIMAD. XVIII. quam promiſit. *Quod ſi tamen profiteatur in laxiore, valida eſt profeſſio, & liberatur a voto ſtrictiorem ingrediendi.* Ratio eſt, quia votum ſolemne, quo fit perſonæ traditio, & religioni jus in perſonam acquiritur, derogat priori voto ſimplici, per quod nullum tale jus Religioni ſtrictiori erat acquiſitum. Laym. *l. c.* ex S. Th. &c.

ANIMAD. XIX. 3. *Is, qui vovit experiri Religionem ſtrictiorem, poteſt id commutare in votum profitendi, & perſeverandi in laxiore.* Ratio eſt, quia hoc melius eſt. Lay. *l. c.* ex Sanch. &c.

ANIMAD. XX. 4. *Profeſſo licentiam tranſeundi ad Ordinem laxiorem Epiſcopus, vel Prælatus Ordinis exemptus cum conſenſu Capituli diſpenſative ex juſta cauſa dare poteſt.* Laym. *l. c.* Leſſ. *l.* 2. *c.* 41. *n.* 103. Sanch. *6. mor. c.* 7.

5. Profeſſus ad Ordinem ſtrictiorem, petita, licet non conceſſa, Prælati ſui licentia, ex juſta cauſa tranſire poteſt. Quod addo, quia hujuſmodi tranſitus ſine cauſa temere fieri non debet. Quod ſi fiat, ſpectanda eſt auſteritas circa ſilentium, & ſolitudinem, idque non tantum ſecundum inſtitutum Regulæ, ſed etiam ſecundum obſervationem præſentem. Probatur ex *c. Licet, de Regularibus*. (*k*) V. Lay. Leſſ. Sanch. *ll. cc.*

Ex dictis reſolvuntur hi caſus.

1. Canonici Regulares ad Monachos tranſire poſſunt, non contra, cum Religio Monachorum auſterior ſit. Laym. *l. c.*

2. *Profeſſus Regulam ſtrictiorem, ſi ea non ſerve-* ANIMAD. XXI.
tur in ſuo Monaſterio, ubivis ejuſdem Ordinis, nec ſit ſpes reformationis, poteſt tranſire ad Ordinem laxiorem, in quo Regula ſervetur: ita ut, conſiderato præſenti ſtatu, ducat vitam ſtrictiorem. Laym. *l.* 4. *t.* 5. *c.* 6. *n.* 10. ex Sanch. Rodr. &c.

DUBIUM VI.

Ad quid teneantur Religioſi ejecti, & fugitivi?

Suppono, Religioſum juſtas ob cauſas e Religione expelli poſſe. (*l*) 1. Si in gravi, vel pernicioſo crimine exiſtens, notorie incorrigibilis appareat; in quo tamen caſu Moniales perpetuo potius carceri mancipandas, quam ejiciendas, putat Sanchez *lib. 6. mor. cap.* 9. 2. Si ob criminis infamiam, ſine gravi Ordinis damno, tolerari nequeat. 3. Si in admiſſione reticuerit impedimentum vel eſſentiale, vel ſaltem admodum grave, verbi gratia lepram, &c. ut docent Navar. Sa, verb. *Religio num.* 34. Sanchez *6. mor. c.* 4. *num.* 56. Ratio eſt, quia in re admodum gravi decepit, ita ut fraus dederit cauſam admiſſioni. Vide Dian. *p.* 9. *t.* 9. *Reſ.* 57. ubi docet, quod, licet hactenus ex communi ſententia Sanch. Suar. Azor. Rodr. &c. Religioſi propter delictum aliquod grave, etiam ſemel perpetratum, potuerint expelli, jam tamen propter declarationem Urbani Octavi, editam anno 1624. per nulla privilegia poſ-
ſint expelli e Religione (*excepta Societate Jeſu*) niſi ANIMAD. XXII.
ſint incorrigibiles: tales autem non cenſeantur, niſi unius anni jejunio, & pœnitentia in carcere ſint probati.

Hoc ſuppoſito, reſpondeo. 1. Profeſſus e Religione ob culpam ejectus manet Religioſus, votiſque adſtrictus. Layman *l.* 4. *t.* 4. *c.* 13. ex communi.

Unde reſolvuntur hi caſus.

1. Ejectus rerum, quas acquiſivit, uſum, & adminiſtrationem tantum ſibi vendicare poteſt, non
autem dominium: neque illud acquiritur *Monaſte-* ANIMAD. XXIII.
rio, cujus non eſt membrum amplius, ſed Eccleſiæ, in qua Beneficium habet; vel Papæ, ſi Beneficium non habet, & exemptus eſt. Quod ſi non ſit exemptus, Epiſcopo loci. Laym. *l. c.* ex Mol. & Leſſ.

Dixi, *Ejectus*; quia fugitivos, & apoſtatas, iis exceptis, quæ ex Beneficio eccleſiaſtico acceptata ſunt, Monaſterio acquirere verius eſt, ſi illud dominii in communi capax ſit, ſin minus, Sedi Apoſtolicæ. Ratio eſt, quia Monaſterium, inſtar ſervorum, eos vendicare, & reducere poteſt. Laym. *loc. cit.* Azor. Sylv. &c.

2. Ejectus per culpam non omnino ſolutus eſt voto obedientiæ, etſi ejus executio magna ex parte
ceſſet: *quia caret Superiore, a quo dirigatur.* Debet ANIMAD. XXIV.
tamen illud ſervare in præparatione animi, ſi recipiatur. Laym. *l. c.* ex Nav. & Leſſ.

3. *Idem a reliquis monaſticis obſervantiis, & regu-* ANIMAD. XXV.
lis: ut a jejuniis, vigiliis, delectu ciborum, & ſimilibus liber eſt. Laym. *l.* 4. *t.* 5. *c.* 13. Sa *n.* 40. Navar. & alii contra Leſſ. Sanchez, &c. Ratio eſt, quia talium obſervatio non comitatur ſimpliciter profeſſionem votorum ſubſtantialium, ſed ſtatum regularem, e quo ille eſt expulſus.

4. *Etſi non ſit improbabile, quod docent Nav. &* ANIMAD. XXVI.
Azor. probatque Rodr., ejectum tuto manere extra ſuum Ordinem, nec teneri receptionem petere, eo quod juſtæ ſententiæ ſuæ ejectionis ſe conformare poſſit; contrarium tamen communius eſt, & probabilius. Ratio eſt, quia, cum ſit obligatus votis, tenetur ſe qualificare, ut vota ſua convenienter profeſſioni exequi poſſit. Quæ ratio magis probat, ſi Ordo ipſum revocet. Laym. *l. c. num.* 6. ex Sylv. Sanch. & Leſſ.

Digitized by Google

ANIMAD. XXVII. 5. *Ejectus poteſt tuta in ſæculo manere: ſi in Monaſterio non recipiatur, niſi Religionem laxiorem intrare malit*: quia aliam non vovit, neque per ipſum (ut ſupponitur) jam ſtat, quominus in ſua recipiatur. Ita Rodr. Laym. &c. *l. c. Ubi addit, Prælatos poſſe aliquem ſub conditione ejicere, ut vel aliam Religionem intret, vel ad ſuam revertatur; imò etiam Ordinarii locorum ejectos ad hoc cogere poſſunt*. Ratio eſt, quod tales non ſine periculo, & ſcandalo aliorum in ſæculo vivant. V. Laym. *l.* 2. *a.* 8. & 9.

ANIMAD. XXVIII. Reſp. 2. *Prælati Ordinum fugitivos, & apoſtatas requirere tenentur, ſi abſque gravi Ordinis damno poſſint*, & non omnino incorrigibiles videantur. Ita Sanch. *l. c.* Ratio prioris partis eſt, quia jure divino, & naturali tenentur Prælati proſpicere eorum ſaluti. Ratio poſterioris eſt, quia ii ob juſtam cauſam poſſint ejici, ob eandem etiam, poſtquam malitioſe exierunt, poterunt non recipi. Laym. *l. c. n.* 7. Sanchez, &c.

Dixi, fugitivos, & apoſtatas: *quia per ſententiam juſtam ejectos, etſi ſe converterint, neceſſario recipiendos negant Sanch. l. c.* & Azor. *l.* 12. *c.* 17. affirmant Nav. Molin. *c.* 1. *d.* 140. Leſſ. *l.* 2. *c.* 41. *d.* 15. utrique probabiliter.

Quæres, An profeſſus in uno Monaſterio poſſit cogi, ut ſe transferat ad aliud?

Reſp. Poſſe, ſi plura Monaſteria faciant unum corpus ſub uno capite; *ſecus, ſi ſingula ſubſint ſuis ſuperioribus, ſub Epiſcopo*, vel immediate ſub Papa. Ratio eſt, quia non vovit obedientiam, niſi in hoc conventu. (*m*) Lay. *l. c. n.* 10. V. etiam Sanch. *l.* 6. *mor. c.* 32.

N o t æ.

(a) *Religioſus ad parochiam &c., tenetur &c., Regulamque obſervare &c., idque non tantum &c., ſed ſub obligatione gravis culpæ, ſi ad eam regula obliget*. Rectiſſime.

Ubi addit, etſi Parochus religioſus &c., jam tamen conſuetudine multis locis obſervari, ut &c.

Hujus ſententiæ patronis Laym. affert Hoſtienſem, Angelum, Roſ., Sylv., Sanch., quos id probare ait ex cap. *In parochia* 16. q. 1., & cap. *Sane* 6. q. 2.

At cap. *In parochia* hac de re nihil prorſus extat; cap. vero *Sane* contrarium definitur, quia ibi præcipitur, *ut hujuſmodi Sacerdotes de populi quidem cura Epiſcopis rationem reddant, Abbati vero pro rebus temporalibus ad monaſterium pertinentibus debitam ſubjectionem exhibeant, & ſic ſua cuique jura ſerventur*.

Conſuetudinem quidem Laym., ut Buſ. ait, profert. At conſuetudo canonicis ſanctionibus, ſeu declarationibus contraria, repudianda eſt, non fovenda. *Sua cuique jura ſerventur*, ait can. Hoc fiat, & ſatis eſt.

Hi regulares nec vi voti, nec vi legis Epiſcopo ſubditi ſunt quoad monaſticas leges: ergo vel nemini, vel ſuis regularibus ſuperioribus. Conſuetudo rationi diſſentanea, legis vim habere nullo modo poteſt. Sed de his obiter.

(b) *Religioſus non teneatur &c. ſed tantum ſtudere &c.*

Ita quoque D. Th., qui 2. 2. q. 186. a. 2. ad 3. ait, *quod Religio nominat ſtatum perfectionis ex intentione finis. Unde non oportet, quod quicumque eſt in Religione, jam ſit perfectus, ſed quod ad perfectionem tendat*.

Buſ. 2. *Tenetur tendere ad perfectionem*. 1. *Per media eſſentialia*; quæ ſunt præcepta caritatis ex D. Thom. a. 2. q. cit.

2. *Per vota*, paupertatis, continentiæ, & obedientiæ, quæ omni Religioni eſſentialia ſunt ex D. Thom. a. 3. 4. 5. q. cit.

3. *Per auxilia ſecundaria non* &c. hoc eſt regulas ad vota ordinatas. Qua de re D. Th. a. 9. q. cit. ait: *Votum profeſſionis reſpicit principaliter tria prædicta, ſcilicet paupertatem, continentiam, & obedientiam: alia vero omnia ad hæc ordinantur. Et ideo tranſgreſſio horum trium obligat ad mortale: aliorum autem tranſgreſſio non obligat ad mortale, niſi vel propter contemptum regulæ; quia hoc directe contrariatur profeſſioni, per quam aliquis vovit regularem vitam, vel propter præceptum ſive oratenus a Prælato factum, ſive in regula expreſſum; quia hoc eſſet facere contra obedientiæ votum*.

(c) D. T. 2. 2. q. 104. a. 5. ad 2. textum Ap. ad Col. 3. *Filii obedite Parentibus per omnia... ſervi obedite per omnia dominis carnalibus* explicans, illud *per omnia* intelligit „quantum ad illa, quæ pertinent ad jus pa„triæ, vel dominativæ poteſtatis.“ Ergo a pari, cum regulæ jubent in omnibus obedire, illud *in omnibus* accipiendum eſt quoad ea, quæ ad jus religioſæ poteſtatis ſpectant. At ex eodem S. Doct. ad 3. *Religioſi obedientiam profitentur quantum ad regularem converſationem, ſecundum quam ſuis Prælatis ſubduntur; & ideo quantum ad illa ſola obedire tenentur, quæ poſſunt ad regularem converſationem pertinere; & hæc eſt obedientia ſufficiens ad ſalutem*.

Si autem etiam in aliis obedire voluerint, hoc pertinebit ad cumulum perfectionis, dum tamen illa non ſint contra Deum, aut contra profeſſionem regulæ; quia talis obedientia eſſet illicita. Sic ergo poteſt triplex obedientia diſtingui. Una ſufficiens ad ſalutem, quæ ſcilicet obedit in his, ad quæ obligatur: alia perfecta, quæ obedit in omnibus licitis: alia indiſcreta, quæ etiam in illicitis obedit.

(d) *Addunt Laym. & Sanch. &c. nec Pontificem poſſe Religioſos cogere ad arctiorem &c. quam iuſtituti prima forma poſtulat*.

Hoc dictum audax mihi videtur, quaſi vero ſupremus Pontifex, qui omnibus poſitivis humanis legibus ſuperior eſt, in Regularium inſtituta poteſtatem non habeat, aut eam ſolum habeat, ut levius eorum onus efficiat, non gravius. An ad arctiorem vivendi rationem eos cogere non poteſt, etiamſi neceſſitas, aut publici boni utilitas id poſtulet?

Qui præceptis Pontificis reluctantur, contumaces ſunt, non excuſatione digni; eoſque Paulus IV. *filios rebelles, & hæreſis fautores* appellavit, ut ex Sacchini hiſt. Soc. refert, Appendix alle riſſ. part. §. 4. p. 179

At inquit Buſ. *obligatio obediendi etiam Pontifici provenit ex voto, quod &c.*

Reſp. Videlicet Buſ. hic contra ipſum Supremum Hierarcham cavillationes contorquet, ut Regulares, qui ejus imperio, & auctoritati maxime omnium obſequentes eſſe debent, contra eum armet. Ex hoc Buſembaico ſenſu profecta eſt rebellio, hæreſis fomes, de qua ſupra ex Paulo IV. ſummo Pontifice.

Buſ. cavillatio fallaciſſima eſt. Religioſi quidem ex D. Thoma cit. hic n. 2. ſuis Prælatis *quantum ad illa obedire tenentur, quæ poſſunt ad regularem converſationem pertinere*.

Summus Pontifex præcipit aliquid Religioſis, aut religioſo Ordini. Quid hic muſſitas? An audes dicere, præceptum ad regularem converſationem non pertinere? Quid, ſi reipſa pertineat, & qui contra temere blaterant, ſint ex eorum numero, *qui noluerunt intelligere, ut bene agerent*? At res ſaltem dubia eſt. An in dubio ſubditorum, non Prælati, & ſupremi Prælati judicium eſt?

Sed in ſummo Pontifice duplex auctoritas quoad Regulares diſtinguenda eſt; altera ut ſupremi eorum Prælati, cui ex voto ſubſunt, de qua ſola Buſembau ſophiſtice; altera ut ſupremi totius Eccleſiæ Paſtoris & Capitis, qua longe majora poteſt.

Regulares, qui ei obedire præ contumacia nolunt, an abolere non poteſt? *Si autem Eccleſiam* (Eccleſiæ ſupremi Capitis) *non audierit, ſit tibi tanquam Ethnicus, & publicanus*. Matth. 18. v. 17.

Si prima inſtituti forma vim legis habet, quia a Summo Pontifice probata, an additio primi inſtituti minus eſt, etiamſi ab eodem ſupremo Paſtore profecta, & præcepta?

Buſ. quidem ſuum dictum temperat, dum addit, *ſi tamen regulæ reformatio neceſſarium medium eſſet &c.*; at quoad praxim, illa particula conditionalis *ſi* quoad ſummum Pontificem audacter intruditur. Dum enim reformat, illud *ſi* abolet; quia reformationem ad Ordinis conſervationem, &, quod longe melius, ac magis neceſſarium eſt, ad totius Chriſtianæ Reipublicæ bonum utilem, aut neceſſariam judicat. An ejus judicium, quia facti eſt, carpere audes? Vide quæſo, quid ſentiendum ſit de ſubditis, qui ex officio & profeſſione aliis exemplo eſſe debent, in ſupremum Judicem, & legiſlatorem tribunal erigere audentibus.

(e) *Unde primo non poſſunt ingredi religionem impuberes, quia ſubſunt Parentibus; vel &c.*, quaſi impuberes conſentientibus Parentibus, vel tutoribus religionem ingredi poſſint, ut ex Reſp. hic 2., & nunc a Buſ. dictis ſponte ſua oritur.

Ergo impuberes ne conſentientibus quidem iis, quibus ſubſunt, Religionem ſuſcipere queunt ex ætatis defectu, ut conſtat ex Syn. Trid. ſeſſ. 25. cap. 15. 16.

(f) *Nec filii, ſi parentes ſine illis &c.*

Hæc ſententia teſte Anacleto t. 3. juris can. p. 509. n. 10. communis eſt, Clementis VIII. Bulla 72. nixa, & cap. *Si qui Filii* 2. diſt. 30. conformis, quæ in dubium vocanda non eſt.

Hinc D. Th. 2. 2. q. 189. a. 6. ait, *quod Parentibus in neceſſitate exiſtentibus, ita quod eis commode aliter, quam per obſequium filiorum ſubveniri non poſſit, non licet Filiis prætermiſſa obſequia parentum Religionem intrare. Si vero non ſint in tali neceſſitate, ut filiorum obſequio multum*

Digitized by Google

tum indigeant, poſſant prætermiſſo parentum obſequio ſi-lit Religionem intrare etiam contra præceptum parentum.

(g) *Nec ſervi ſine conſenſu dominorum.*

Hic non eſt ſermo de famulis conductitiis, qui famulatum pro libito ſalvis tamen pactis dimittere poſſunt; ſed de ſervis, qui libertate carent, & mancipia dicuntur, de quibus Concilium Chalcedonenſe (cap. 12. q. 1. cauſ. 16.) ait, *& neminem ſervorum ſuſcipi in monaſterium, ut ſit cum eis Monachus; niſi cum Domini proprii licentia,*

(h) *Nec qui decepit Virginem ſub promiſſione matrimonii.*

Hæc ſententia, pro qua Bonac. t. 1. p. 243. n. 4. appellat Sanch., Henriq., Reginal., Rodriqu., & alios plures, valde æqua mihi videtur.

Neque enim Religionem cum alterius injuria ingredi licet: at Virginis corruptor in noſtra ſpecie injuriam eidem, religionem ingrediendo, infert; quia ſidem turpiter violat, dedecus Virgini illatum non reparat, eamque multis animæ, & corporis periculis, & detrimentis objicit. Ergo.

Religio majus quidem bonum eſt, quam Matrimonium; at illa conſilii eſt, matrimonium in noſtra ſpecie res eſt præcepti.

Simplex matrimonii promiſſio, aut etiam ipſum matrimonium ratum, tacitam ex jure conditionem habet, ſi ſponſus Religionem non elegerit.

At hæc tacita conditio noſtræ hypotheſi accommodari non poteſt.

Si tamen damna quoad fieri poteſt reparentur, & pericula amoveantur, accedente mulieris conſenſu, ejus corruptor Religionem ingredi poterit. Nam teſte D. Th. 2. 2. q. 189. a. 1. *Religionem ingredi non ſolum expedit his, qui ſunt exercitati in præceptis.... ſed etiam his, qui non ſunt exercitati, ut facilius peccata vitent, & perfectionem aſſequantur.*

(i) *Nec Epiſcopus ſine conſenſu Papæ, cui &c. præterquam quod &c.* Omnia recte. Hæc ſententia communis, & certa eſt, ut ait Anacl. t. 3. juris can. p. 509. n. 76., quam tradit Innoc. 3. cap. 18. *Licet quibuſdam* t. 31. lib. 3. decr., ubi ait: *Illa ſemper regula inviolabiliter obſervata, ut nullus abſque licentia Rom. Pont. præſumat occaſione quacumque deſerere præſulatum;* idemque habet cap. 2. *Inter corporalia* t. 7. lib. 1. decr., quod ex eodem Innoc. intelligendum eſt de Epiſcopo electo, & confirmato, licet nondum conſecrato.

(k) Innoc. III. cap. *Licet* a Buſ. cit. ita loquitur. *Licet quibuſdam Monachis, & Canonicis &c. a Sede Apoſtolica ſit indultum, ne poſtquam aliquis profeſſus fuerit apud eos, ad alium locum poſſit ipſis invitis, arctioris etiam religionis obtentu, tranſire..; quia tamen, ubi ſpiritus Dei eſt, ibi libertas..., ea ratione videtur hoc illis conceſſum, ne quis ex temeritate, vel levitate in jacturam, vel injuriam ſui Ordinis ſub prætextu majoris Religionis ad alium Ordinem tranſvolaret.., non quidem ut ei tranſeundi licentia denegetur, qui eam cum humilitate, ac puritate duxerit poſtulandam, ut non ficte, ſed vere ad frugem melioris vitæ valeat tranſmigrare. Talis ergo poſtquam a Prælato ſuo tranſeundi licentiam poſtulaverit, ex lege privata, quæ publicæ legi præjudicat,* (hoc eſt nocet) *abſolutus, libere poteſt ſanctioris vitæ propoſitum adimplere, non obſtante proterva indiſcreti contradictione Prælati, quia privilegium meretur amittere, qui conceſſa ſibi abutitur poteſtate,... quocirca advertat univerſi, quibus hujuſmodi privilegium eſt conceſſum, ſe ad concedendam licentiam tranſeundi taliter poſtulantibus de jure teneri.... Si vero probabiliter dubitetur, utrum quis velit ad Ordinem arctiorem, aut laxiorem, ex caritate, an ex temeritate tranſire, Superioris eſt judicium requirendum.*

Verba hæc lucida ſunt. Si Ordo, ad quem regularis tranſire vult, arctior eſt, lis finita eſt de jure, & licentia impertienda. Si vero dubitetur, utrum ſit arctior, an laxior, dubitatur, utrum ex caritate, an temeritate tranſitus tentetur. In hac ſpecie *Superioris eſt judicium requirendum.*

(l) *Suppono, Religioſum &c.*, & tres cauſas Buſ. affert veluti legitimas ejiciendi religioſos e religione. At poſt decretum Urbani VIII., cujus verba habes hic animad. 22., *a Religionibus nullus legitime profeſſus ejici poteſt, niſi ſit vere incorrigibilis.* Verba Summi Pontificis perſpicua ſunt. Hinc Anacl. t. 3. juris can. p. 528. n. 227. veriſſime ait: „ Hodie nulla alia, quam incorrigibilitas, ſufficiens, & legitima cauſa eſt valide „ profeſſum ejiciendi. Caret controverſia &c.

At, inquis, Buſ. quoque id admittit; quia Dianam citat ajentem, quod... *propter declarationem Urbani VIII.* &c. Reſp. cur ergo tres cauſas ejectionis ab eo allatas non improbat? Rem ſcilicet involvit, quam aperte declarare, operæ pretium fuit.

Tales autem (incorrigibiles) *non cenſeantur, niſi unius anni* &c.

An hoc tantum requiritur? Ex verbis Urbani VIII. *Vere incorrigibilis minime cenſetur, niſi non ſolum concurrant ea omnia, quæ ad hoc ex juris communis diſpoſitione requiruntur, ſublatis &c., verum etiam unius anni ſpatio in jejunio, & patientia probetur in carceribus.*

Ut autem de jure communi quis dicatur incorrigibilis quoad ejectionem, 1. requiritur, ut crimen ſit grave, e. g. homicidium, perjurium, furtum, 2. ut ſit publicum, non ſolum in Religione, ſed etiam extra ipſam, 3. ut reus ter correctus, & punitus ſit; de quibus conſulatur Anacl. loco mox cit. n. 228. 229. 230.

(m) *Reſp. Poſſe, ſi &c, ſecus ſi ſingula &c. ſub Epiſcopo, vel immediate ſub Papa. Ratio eſt, quia non vovit &c.*

Ex D. Th. cit. animad. hic 25. Regularis vovet vitam regularem, ſeu vitam ſecundum regulam, aut obedientiam ſecundum regulam. Quare ſi regulæ monaſteriorum, de quibus ſermo eſt, hoc habeant, ne Regulares cogi poſſint, ut ad aliud monaſterium tranſeant, res bene habet *ſpectato communi jure*, ut addit Laym. loco a Buſ. cit.

At ſi regulæ nihil hac de re habeant, ſcire velim, cur Regulares ad id juſta cauſa poſtulante cogi nequeant? in hac ſpecie falſum eſt, eos non voviſſe obedientiam, niſi in hoc conventu; cum obedientiam ſecundum regulam voverint, quam in alio conventu ſervare poſſunt, & debent.

Eo ipſo, quia hi Regulares ſubſunt ſuis Superioribus *ſub Epiſcopo, vel immediate ſub Papa*, ipſe Epiſcopus, aut Papa ex juxta cauſa hunc tranſitum præcipere poteſt, maxime vero Papa ex plenitudine ſuæ poteſtatis.

Animadversio I.

R*Eligioſas promotus &c. etſi quoad aliquos effectus &c. exemptus cenſeatur.*

Exemptus quidem cenſetur ab obedientia *Prælatorum* regularium, ut docet D. Th. 2. 2. q. 185. ar. 8. ad 3. inquiens, *quod hoc eſt per accidens, quod Epiſcopi religioſi obedire Prælatis ſuarum religionum non tenentur; quia ſcilicet ſubditi eſſe deſierant, ſicut & ipſi Prælati religionum.*

Quoad effectum paupertatis eo ſenſu exemptus eſt, ut diſpenſationem, ſeu œconomicam diſtributionem, non proprietatem, & dominium redituum, & bonorum undecumque ſibi provenientium habeat ex eodem Angelico ibidem dicente: *Proprium autem nullo modo habere poſſunt. Non enim paternam hereditatem vendicant quaſi propriam, ſed quaſi Eccleſiæ debitam. Unde ibidem* (cap. *Statutum* can. 18.) *ſubditur*, „ *quod poſtquam Epiſcopus* „ *ordinatur* (Monachus), *ad altare, ad quod ſanctifica-* „ *tur, & titulatur, ſecundum ſacros canones, quod ac-* „ *quirere poterit, reſtituat.*" *Teſtamentum autem facere nullo modo poteſt; quia ſola ei diſpenſatio committitur rerum eccleſiaſticarum, quæ morte finitur, ex qua incipit teſtamentum valere, ut Ap. dicit ad Heb. 9. Si tamen ex conceſſione Papæ teſtamentum faciat, non intelligitur ex proprio facere teſtamentum, ſed Apoſtolica auctoritate intelligitur eſſe ampliata poteſtas ſuæ diſpenſationis, ut ejus diſpenſatio poſſit valere poſt mortem.*

Deinde, etſi jugo Regulæ abſolutus ſit quoad culpam, & pœnam; tamen &c.

Buſemb. laxat habenas, & abſolute loquitur, ubi diſtinctione opus eſt. D. Th. art. cit. docet, ſtatum religionis eſſe viam, & diſpoſitionem ad perfectionem, veluti diſciplinam ad magiſterium; Epiſcopatum vero eſſe ſtatum perfectionis: porro diſpoſitio non tollitur adveniente forma, ſeu perfectione, niſi quoad id, quod formæ, ſeu perfectioni repugnat; ex quo Angelicus concludit, *quod ſi qua ſunt in regularibus obſervantiis, quæ non impediant pontificale officium, ſed magis valeant ad perfectionis cuſtodiam, ſicut eſt continentia, paupertas, & alia hujuſmodi, ad hæc remanet religioſus etiam factus Epiſcopus obligatus, & per conſequens ad portandum habitum ſuæ religionis, qui eſt hujus obligationis ſignum.*

Si qua vero ſunt, ſubdit, *in obſervantiis regularibus, quæ officio pontificali repugnant, ſicut eſt ſolitudo, ſilentium & aliquæ abſtinentiæ, vel vigiliæ graves, ex quibus impotens corpore redderetur ad exequendum pontificale officium, ad hujuſmodi obſervanda non tenetur.*

In aliis autem poteſt diſpenſatione uti, ſecundum quod requirit neceſſitas perſonæ, vel officii, & conditio hominum, cum quibus vivit, per modum, quo etiam Prælati religionum in talibus ſecum diſpenſant. Hæc ſunt angelica documenta, diligenter conſideranda, nec prætergredienda.

At objices ex cap. *Statutum* mox cit. quod monachum *canonica electio a jugo monaſticæ profeſſionis abſolvit, & ſacra ordinatio de monacho Epiſcopum facit.*

Reſpondet D. Th. ar. 8. cit. ad 2. *Quod ille, qui ſit*

de monacho Epiſcopus, abſolvitur a jugo monaſticæ profeſſionis non quantum ad omnia, ſed quantum ad illa quæ officio pontificali repugnant. Hinc Innoc. (habetur ca. 16. q. 1. c. 3) ad Victricium ep. 2. c. 10. ait: *De monachis, qui diu morantes in monaſteriis, ſi poſtea ad clericatus ordinem pervenerint, ſtatuimus, non debere eos a priore propoſito diſcedere.*

Imo ſi Epiſcopatum reſignet, vel &c. tamen non tenetur ad regularem obſervantiam redire, &c. ibidem ex S. Th. &c.

In eo non parum mihi reprehendendus videtur Buſemb., quod pro opinionibus ab eo hactenus traditis citet S. Thomam, qui tamen illis, ut vidimus, contrarius eſt. Itaque præſens quoque Buſemb. opinio merito rejicitur. Nam juxta doctrinam, & verba D. Thomæ mox citata religioſus creatus Epiſcopus a regulari obſervantia non abſolute, & ſine limitatione, ut male docuit Buſemb. ſed ſolum quoad ea quæ pontificali officio repugnant, abſolvitur: at, cum Epiſcopatum reſignavit, officium pontificale dimiſit: ergo ad regularem obſervantiam redire debet. Si non redeat, a priore propoſito, ſeu voto diſcedit. An hoc ipſi licet? Id ipſi non licere, conſtituit Innoc. mox cit. In eo ſcilicet fallitur Buſemb. quod putet, regularem Epiſcopum ab obedientia regularum eſſe exemptum propter eminentiam epiſcupalem, quam reſignato Epiſcopatu retinet. Non enim eminentia epiſcopalis, ſed officium epiſcopale juxta D. Thomam ex parte eximit Epiſcopum regularem a regularum obedientia. An gradus eccleſiaſticus, & ſacer character pugnat cum officiis piis, & religioſis? Imo vero quo ſublimior eſt eccleſiaſtica dignitas, eo humilior, & pietatis, ac virtutis officiis, cujuſmodi ſunt regulares obſervantiæ, magis dedita eſſe debet.

Sed hac de re dubitari non poteſt. Nam Benedictus XIII. Conſt. *Cuſtodes* tom. 6. Bullarii Ord. Prædicatorum p. 582. ita decernit apud Bened. XIV. lib. XIII. de Syn. cap. 16. n. 4. *Decernimus, volumus, & præcipimus, ut Monachi, Mendicantes, & cujuſque alterius inſtituti Regulares ſpecialiſſima etiam mentione digni, qui Epiſcopatu ſibi quidem collato quacumque de cauſa ſe in poſterum abdicare permiſſi fuerint, clauſtra ſuæ Religionis repetere omnino teneantur, & debeant, iis tantum exceptis, qui a nobis, ſive a Romanis Pontificibus anteceſſoribus, aut ſucceſſoribus noſtris obtinuiſſent, vel obtinebunt facultatem expreſſam vivendi extra clauſtra, ſacro aliqui munere, quod cum vita Clauſtrali exerceri non poſſet, ex peculiari voluntate noſtra, vel eorumdem Anteceſſorum, aut Succeſſorum noſtrorum ſpeciatim addicti; quod quidem munus reſpiciat ſervitium & obſequium noſtrum, vel Succeſſorum noſtrorum, ſive hujus ſanctæ Apoſtolicæ Sedis.* „Quod eſt plane conſonum, ſubdit Bened. XIV. „ duobus decretis Summorum Pontificum Alex. VII., & „ Clem. XI., de quibus meminit ipſa Benedictina con- „ ſtitutio. “

Animadversio II.

Is qui profeſſionem irritam edidit &c. niſi eam poſtmodum &c. egredi e religione &c. poteſt; licet &c. cauſam &c.

Hæc quidem Buſemb. ſententia communis eſſe dicitur ab Anacleto t. 3. juris can. p. 526. n. 206. ab eoque probatur; ſed cum Tridentina Synodo pugnare mihi videtur, quæ ſeſſ. 25. c. 19. de Regul. inquit: *Quicumque regularis prætendat, ſe per vim, & metum ingreſſum eſſe religionem, aut etiam dicat, ante ætatem debitam profeſſum fuiſſe, aut quid ſimile, velitque habitum dimittere quacumque de cauſa, aut etiam cum habitu diſcedere ſine licentia ſuperiorum, non audiatur, niſi intra quinquennium tantum a die profeſſionis, & tunc non aliter, niſi cauſas, quas prætenderit, deduxerit coram ſuperiore ſuo, & ordinario. Quod ſi antea habitum ſponte dimiſerit, nullatenus ad allegandam quamcumque cauſam admittatur, ſed ad monaſterium redire cogatur, & tanquam apoſtata puniatur; interim vero nullo privilegio ſuæ religionis juvetur.* Qui privatur jure allegandi ſuas rationes, & cauſas, & ad monaſterium redire cogitur, & tanquam apoſtata puniendus eſt, is certe non eſt innocens, ſed graviſſimæ culpæ reus, ſi lex juſta ſit: at qui ſponte ſua, ſeu propria auctoritate religionem deſerit, quia putat, ſe irritam Religionis profeſſionem edidiſſe, ex Synodi Tridentinæ lege allata privatur jure allegandi ſuas rationes, & cauſas, ad monaſterium redire cogitur, & tanquam apoſtata puniendus eſt: ergo aut graviſſimæ culpæ reus eſt, aut lex Tridentina non eſt juſta: hoc poſterius nemo concedere poteſt; ergo concedendum eſt prius.

At inquit Anacletus loco cit. Eccleſia id præſtat, quia præſumit, talem vel ab initio valide fuiſſe profeſſum, vel ſaltem profeſſionem ratificaſſe; quæ præſumptio in conſcientiæ foro cedit veritati. Reſp. Si Eccleſia, ſeu Syn. Trid. præſumit, talem vel valide fuiſſe profeſſum, vel ſuam profeſſionem ratificaſſe, illum præſumit valde culpabilem ſine certa, & liquida ratione: at jura ſine certa, & liquida ratione neminem culpabilem præſumunt.

Præterea ſi ex incertis, & fallacibus rationibus præſumeretur aut valide profeſſus, aut ſuam profeſſionem ratificaſſe, ſaltem illi relinqueretur locus allegandi cauſas, & rationes dimiſſæ religionis: at locus, & aditus allegandi ſuas rationes illi a ſacra Syn. Trid. intercluditur: ergo ſacra Syn. præſumptione non nititur.

Adde, quod pœna præſertim graviſſima, non ex præſumpta, ſed ſolum ex certa culpa irrogari poteſt: ergo ſacra Synodus graviſſimis pœnis decernens puniendum, qui ſponte ſua religionem deſerit, culpam certam in eo ponit. Porro hæc certa culpa in eo ſita eſt, ut religionem deſerat ſine legitima forma ab ipſa ſacra Synodo præſcripta, hoc eſt propria, non publica auctoritate.

At, inquit Anacletus, „ profeſſio religioſa eſt ardu- „ um opus conſilii, ad quod nemo tenetur, neque cogi „ poteſt invitus. “ Reſp. Id quidem verum eſt, at quid inde? Non enim Syn. Trid. quemquam cogit, ut religionem profiteatur, imo cogentes anathemate ferit ſeſſ. 25. c. 18. at poſtquam profeſſio emiſſa eſt, nemini diſceſſum e religione permittit ſine publica auctoritate, & ſententia. Porro cum certum ſit, juſtiſſimas Eccleſiæ, & ſacræ Synodi leges conſcientiam obligare, certum quoque eſt, eum peccare, qui contra Tridentinam legem e religione diſcedit.

Animadversio III.

Quod ſi tamen ſciret, illam juris præſumptionem falſam eſſe, eo quod &c. eo elapſo &c. Et niſi aliud quid impediat, fugere poteſt, ut docet Laym.

Hæc fuga non licet. Si enim fuga ex mox dictis ante quinquennium vetita eſt, pari, aut potiori ratione poſt quinquennium a profeſſione, prohibita eſſe intelligitur. Publici ſcilicet boni ratio poſtulat, ut diſceſſus e religione, privatæ poteſtati, unde gravia, & multa mala orientur, non permittatur: porro publico bono privatum jus cedere debet: quare jus diſcedendi e religione in eo, qui irritam fecit profeſſionem, locum non habet, niſi publici judicii auctoritas intervenerit; ſicuti qui jus habet in bona ab aliis poſſeſſa, ea ſibi vindicare non poteſt, niſi legitima interveniente judicum poteſtate.

Si quis profeſſionem jure naturæ nullam emiſit, quia e. gr. ficte profeſſus eſt, ſuæ fictionis pœnam merito luit, dum in religione permanere cogitur.

Si profeſſio, Eccleſiæ jure, nulla ſit, quia vel ante legitimam ætatem, vel ante annum probationis integrum, vel ex gravi metu emiſſa eſt, par eſt, ut beneficio ab Eccleſia conceſſo religionem deſerendi nemo fruatur, niſi ſervatis Eccleſiæ legibus.

Id quoque aperte colligitur ex conſtitut. Bened. XIV. anni 1748. quarto nonas Martii *datam*, * ubi ait: *Si quis in ordine regulari profeſſus, poſt unicam ſententiam favore nullitatis profeſſionis pronuntiatam, ſive pendente, ſive omiſſa culpabiliter appellatione, e clauſtris exire, a Religione diſcedere, quodque magis eſt, habitum regularem abjicere præſumpſerit; volumus, atque ſtatuimus, omnibus eum pœnis, atque cenſuris a ſacris canonibus, & a conſtitutionibus apoſtolicis contra apoſtatas latis atque ſancitis ſubjacere, & obnoxium eſſe; decernentes pariter, in hujuſmodi cauſis de profeſſionis nullitate, liberum profeſſo non eſſe a Religione migrare, niſi duas ſaltem obtinuerit ſententias conformes, quibus ab eo emiſſa profeſſio nulla & irrita declarata fuerit.*

Ex hac conſtitutione intelligitur, non licere hoc tempore profeſſo e religione diſcedere, niſi poſt duas ſententias, quibus ejus profeſſio irrita declaretur. Ex hac eadem manifeſtum eſt, legem prohibentem religioſo diſceſſum e religione, non eſſe hypotheticam, ſeu præſumptione, quod is valide fuerit profeſſus, aut profeſſionem ratam habuerit, mixam, ſed abſolutam. Cum enim ſummus Pontifex profeſſo exitum e religione inhibeat, etiam poſtquam unam ſententiam in favorem nullitatis ſuæ profeſſionis obtinuerit, hinc intelligitur, dictam præſumptionem non eſſe fundamentum legis, ſeu inhibitionis; quia ſententia lata in favorem nullitatis profeſſionis præbet fundamentum præſumendi, profeſſionem fuiſſe invalidam, nec fuiſſe ratificatam; & nihilominus ſummus Pontifex graviſſimis cenſuris, & pœnis prohibet profeſſo diſceſſum e Religione; idque ante quinquennium, de quo citata verba loquuntur, ideoque multo magis poſt quin-

* Apud La-Croix t. 4. p. 5.

Digitized by Google

quinquennium, cum diſceſſus juxta leges difficilior eſt, imo ex Synodo Trid. nullo modo permiſſus. Sed quoad ordinem fori externi legenda eſt conſtitutio mox cit. Bened. XIV., ex qua illud liquet, admitti quidem noſtris temporibus inſtantias *pro reſtitutione in integrum adverſus lapſum quinquennii; de quibus tamen*, ait idem Summus Pont., *judicium facere ad apoſtolicam Sedem ſemper privative pertinuit, ſive ex parte profeſſi, ſive ex parte Religionis inſtantiæ hujuſmodi proponerentur, ac licet ipſa reclamatio ob impedimentum per totum quinquennium perſeverans dilata fuiſſe diceretur.*

Ex eadem conſtit. intelliges, bona ex parte falſa eſſe, quæ La-Croix t. 2. p. 5. n. 53. aſſerit.

Animadversio IV.

Si quis non tantum intendat non eſſe &c., ſed etiam numquam ſervare &c. eſt mortale, vel &c. vixque poteſt fieri ſine contemptu formali.

D. Th. 2. 2. qu. 186. a. 9. ad 3. ait, *quod tunc committit aliquis, vel tranſgreditur ex contemptu, quando voluntas ejus renuit ſubjici ordinationi legis, vel regulæ, & ex hoc procedit ad faciendum contra legem, vel regulam.* Idem porro ſonant ea Buſemb. verba, *nunquam intendit ſervare regulam*, ac hæc D. Thomæ, *renuit ſubjici ordinationi regulæ*; imo Buſemb. verba magis ſignificant, quia ponunt, voluntatem ſubditi velle tranſgredi totam regulam, idque ea additione, etiamſi facile ſervare eam poſſit: ergo voluntas ſubditi regularis a Buſemb. deſcripta, non ſolum verum, & formalem contemptum includit, ſed, quod pejus eſt, univerſalem. Corrigenda ergo eſt mollis illa, & involuta locutio, *vixque poteſt fieri ſine contemptu formali*. Tranſgreſſio porro regulæ ex contemptu, & ipſe contemptus, eſt mortalis culpa ex D. Th. a. 9. cit. ubi ait: *Votum autem profeſſionis reſpicit principaliter tria prædicta, ſcilicet paupertatem, continentiam, & obedientiam; alia vero omnia ad hæc ordinantur. Et ideo tranſgreſſio horum trium obligat ad mortale: aliorum autem tranſgreſſio non obligat ad mortale, niſi vel propter contemptum regulæ; quia hoc directe contrariatur profeſſioni, per quam aliquis vovit regularem vitam; vel propter præceptum, ſive oretenus a Prælato factum, ſive in regula expreſſum; quia hoc eſſet facere contra obedientiæ votum.* Idem docet D. Antoninus p. 3. tit. 16. §. 9. inquiens: *Nam quod contemptus ſit mortale, patet num. 15. ubi contemnens mandatur morte puniri*; quæ eſt communis ſententia teſte P. Concina Diſcip. ap. monaſt. p. 2. diſſ. 2. c. 4. n. 2. p. 337. ergo qui non vult ſervare regulam, mortaliter peccat, multoque magis qui nunquam regulam ſervare intendit, etiamſi facile poſſit, ut Buſ. loquitur.

Animadversio V.

Si ex remiſſione animi &c. erit ſaltem levis contemptus, & peccatum veniale. Suar. &c.

Hic Buſemb. pro fundamento habet, contemptum alium eſſe levem, & venialem, alium eſſe gravem, & mortalem pro diverſitate legis leviter, vel graviter obligantis; quæ eſt opinio non paucorum caſuum arbitrorum, ut monet Concina loco citato. At hæc opinio rejicienda eſt, quia contemptus ex natura ſua, hoc eſt omnis contemptus mortifera noxa eſt ex D. Th., & D. Antonino mox citatis, & communi Theologorum ſententia. Et ratio D. Thomæ evidens eſt. Tranſgreſſio enim voti ſolemnis, mortalis eſt: at qui per directam intentionem renuit ſubjici alicui regulæ, tranſgreditur votum ſolemne obedientiæ, quo vitam regularem, hoc eſt juxta regulas inſtituendam vovit: ergo mortaliter peccat. Hinc ſolvitur illa ratio Suarezii, * qui putat, religioſum non peccare mortaliter, ſi habeat animum non ſervandi ullam regulam, ſi regula obliget ſolum ad pœnam, dummodo ſit paratus ad pœnam; quia in objecto illius actus non eſt materia contraria ulli voto, vel præcepto. Revera enim ille actus eſt contrarius voto; quia vovit, ſe victurum juxta regulas. „ Ipſæ conſtitutiones Ordinis Prædicatorum, quæ nullam omnino ſive levem, ſive gravem culpam tranſgreſſores perpetrare declarant, manifeſte ſubdunt, cujuſque vel minimi ſtatuti contemptorem noxam contrahere mortalem. *Declaramus, quod ſicut tranſgreſſio præcepti in regula, vel conſtitutione poſiti, ſive a Prælato facti, non obligat ad culpam; ita tranſgreſſio conſtitutionis quantumcumque minimæ ex contemptu facta obligat ad culpam mortalem; quia, ut dicit S. Bernardus, neglectus ſemper culpabilis eſt, contemptus vero damnabilis.* Hactenus Concina c. 4. cit. " Hinc Luc. 10. v. 16. dicitur: *Qui vos audit, me audit; & qui vos ſpernit, me ſpernit: qui autem me ſpernit, ſpernit eum, qui miſit me*: ſpernit autem Chriſti miniſtros, qui Ordinum inſtitutores non audit, eorumque regulas a Sancta Sede confirmatas, quas ſolemni voto profeſſus eſt, animo abjicit. Quare omnis contemptus, quidquid contra ſcripſerit Suarezius, & alii, Sanctorum, ac præſertim D. Thomæ auctoritati, & communi Theologorum ſententiæ repugnanter, mortifera culpa eſt.

Animadversio VI.

Dicitur 3. independenter: quia Religioſus &c. poteſt habere peculium &c.

Hæc Bul., & aliorum opinio Tridentinæ Synodo ſeſſ. 25. de Reg. c. 1. adverſatur ita loquenti. *Sancta Syn. hoc decreto præcipit, ut omnes Regulares tam viri, quam mulieres ad regulæ, quam profeſſi ſunt, præſcriptum vitam inſtituant, & componant; atque inprimis quæ ad ſuæ profeſſionis perfectionem, ut obedientiæ, paupertatis, & caſtitatis, ac ſi quæ alia ſunt alicujus regulæ, & Ordinis peculiaria vota, & præcepta, ad eorum reſpective eſſentiam, necnon ad communem vitam, victum, & veſtitum conſervanda pertinentia, fideliter obſervent.* Hæc lex ponit, communem vitam, victum, & veſtitum ex monaſticarum regularum præcepto eſſe conſervanda: at peculium, hoc eſt pecunia, & ſupellex a communibus Monaſterii bonis ſeparata, etiamſi dependens ſit, & ad Superioris nutum revocabilis, communi vitæ, victui, & veſtitui palam adverſatur: ergo regulis, & præceptis monaſticis, ac Tridentini menti, & legi contrarium eſt.

Hinc idem Concilium cap. 2. ait: *Nemini igitur Regularium tam virorum, quam mulierum liceat bona immobilia, vel mobilia, cujuſcumque qualitatis fuerint, etiam quovis modo ab eis acquiſita tanquam propria, aut etiam nomine conventus poſſidere, vel tenere, ſed ſtatim ea Superiori tradantur, conventuique incorporentur.* Notanda ſunt ea verba, *tanquam propria, aut etiam nomine conventus*, quæ aperte declarant, bona ſeu immobilia, ſeu mobilia a communibus Monaſterii bonis ſeparata, nullo titulo a Regularibus haberi poſſe. At, inquiunt, peculium a Regularibus, & monialibus ex Superioris licentia retinetur. Reſp. Hæc licentia perperam datur, & irrita prorſus eſt. Quia Superior contra regulæ præcepta, quorum cuſtos ex officio eſt, licentiam dare non poteſt. Si Superior peculii licentiam ſubditis dare poſſet, ipſe quoque peculium habere permitteretur: at hoc ipſi non permittitur, ſed prohibetur a Syn. Trid. inquiente, *nemini igitur* &c. hoc eſt nec ſubdito, nec Superiori. Neque contraria conſuetudo objici poteſt, quæ irrationabilis omnino eſt, regularis diſciplinæ inſigne laxamentum, multorumque, & gravium malorum origo. Hinc S. Synodus cap. 22. hujuſmodi conſuetudinem improbat, dum ait: *Hæc omnia, & ſingula in ſuperioribus decretis contenta* (inter quæ eſt peculiorum prohibitio) *obſervari præcipit in omnibus cœnobiis, ac monaſteriis &c. non obſtantibus ... conſuetudinibus, vel præſcriptionibus etiam immemorabilibus.* Clemens vero 8. conſt. anni 1569. ait: *Nulla quorumcumque Superiorum diſpenſatio, nulla licentia quantum ad bona immobilia, vel mobilia Fratres excuſare poſſit, quominus culpæ, & pœnæ ab ejuſdem Concilii* (Tridentini) *decretis impoſitæ, & ipſo facto incurrendæ obnoxii ſint, etiamſi Superiores aſſererent, hujuſmodi diſpenſationes, aut licentias concedere poſſe, quibus in ea re fidem minime adhiberi volumus. Fratrum veſtitus, & ſupellex cellarum ex communi pecunia* (non ex peculio) *comparetur, & omnino uniformis ſit Fratrum, & quarumcumque Superiorum, ſtatuique paupertatis, quam profeſſi ſunt, conveniat.* Hæc perſpicua ſunt, & a Confeſſariis diligenter animadvertenda, ne eos regulares, aut moniales abſolvant, qui ſupra deſcriptis decretis parere recuſant. Si quis hac de re plura cupit, legat Concinam in Diſcip. ap. monaſt. & in defenſione decretorum Concilii Tridentini; ubi hanc veritatem luculentiſſime explicat, & a cavillis adverſariorum vindicat.

Animadversio VII.

Non repugnat paupertati, ſi religioſo detur villa &c.

Hoc quoque Tridentinæ Synodo c. 2. citato repugnat, ubi ait: *Nec deinceps liceat Superioribus bona ſtabilia* (uti ſunt villa, agri &c.) *alicui Regulari concedere etiam ad uſumfructum, vel uſum, adminiſtrationem, aut commendam*; additque Clem. VIII. in citata conſtitutione, *etiam depoſiti, aut cuſtodiæ nomine.* Quid igitur? Sacra Synod. præcipit, ut *adminiſtratio bonorum monaſteriorum, ſeu conventuum ad ſolos officiales eorumdem ad nutum Superiorum amovibiles pertineat*; Ergo aliis

* Apud La-Croix t. 2. p. 9. n. 58.

liis villæ, ſeu alterius loci adminiſtratio dari non poteſt.

Imo nec repugnat, ſi detur in commodum, vel incommodum .... eccleſiaſticum beneficium.

Beneficia quidem regularia ex Syn. Tridentina ſeſſ. 25. c. 10. regularibus tantum conferenda ſunt: at ipſa dari in commodum, vel incommodum eorumdem regularium, non ſatis bene ſonare videtur. Ad ipſos pertinet adminiſtratio, ſeu diſpenſatio redituum, quos non in ſua commoda, ſed in ſuas neceſſitates, & uſus ſtatui pauperratis convenientes impendere, & quod ſupereſt, in pauperum ſuſtentationem, Eccleſiæque ſibi commiſſæ cultum erogare non ſolum poſſunt, ſed etiam debent.

Recte Buſemb. ait „ Quod reliquum eſt, pertinet ad „ Eccleſiam &c. ac conſequenter donationes &c. ſunt „ invalidæ &c. neque accipientes &c.

Nihilominus VVading. probabile cenſet, quod etſi illicitæ, validæ tamen ſint iſtæ donationes, idemque multo magis de donationibus Epiſcoporum &c. cenſet &c.

Cur Buſemb. hanc opinionem refert, nec tamen refellit? Ut ſcilicet ex vi probabilitatis eam quiſque, prout libuerit, ſequi valeat. Ecce lues, & venenum probabilitatis. Contraria ſententia fatente Buſembao communis eſt; quod evidenti argumento eſt, eam eſſe certam. Nec enim recentes in ſententiam libertati contrariam conſpirant, niſi certis fundamentis nixa ſit. Nititur ſcilicet non ſolum S. Thomæ, ſed etiam *cap. Statutum* cit. dub. 1. c. 5. auctoritate. Certum eſt, Regularem factum Parochum, aut etiam Epiſcopum, votis ſuæ profeſſionis non ſolvi: certum ergo eſt, eum non habere dominium bonorum, quæ acquirit, multoque minus eccleſiaſticorum redituum, quorum ne ſæculares quoque Parochi, & Epiſcopi domini ſunt: ergo certum eſt, donationes ab iis factas in uſus non pios eſſe irritas, ideoque tuta conſcientia a donatariis retineri non poſſe. Nam donationes, ſeu diſpenſationes in pios uſus, ex natura ſua, & bonorum eccleſiaſticorum, vim habent.

Animadverſio VIII.

Non tantum jure antiquo, ſed etiam &c. probabile eſt &c. revocabiliter tamen ad nutum Prælati.

Hæc opinatio aperte falſa eſt, & cum Synodo Trid. evidenter pugnat.

Et primo quidem permitti non poteſt religioſo, ut extra monaſterium, licet ſocia illud, maneat; quia vitam, & victum cum aliis communem habere ex regulis monaſticis omnino debet; a qua communitate, ſeu ſocietate ſeparatur, dum extra Monaſterium manere permittitur. Præterea manſio extra Monaſterium eſt occaſio, & cauſa, ut regularis nimiam vivendi licentiam contra ſuas regulas, & religioſum ſtatum cum ſcandalo ſibi arroget. Ex quo fit, ut id religioſo permitti non poſſit.

Aſſignationem vero annui reditus, ut ex eo vivat ſuo commodo, & incommodo, aperte pugnare non ſolum cum monaſticis regulis, ſed cum Synodo Tridentina, declarant ejuſdem Syn. verba mox deſcripta, & Clem. VIII. mox citatus in præſenti dub. Præterquamquod annuus redditus religioſo aſſignatus, ut ex eo vivat ſuo commodo, & incommodo, anſam illi præbet, vel excedendi in victu, & veſtitu limites a paupertate religioſa præſcriptos, & in alia peccata labendi, ſi abundans ſit; vel quærendi pecuniam per fas, & nefas, ſi ſuæ indoli non ſit accommodatus, ac denique multis modis peccandi, quomodocumque res ſe habeat.

Similiter monialibus victum &c. ita ut ipſæ ſibi labore manuum veſtes comparent.

Quidquid moniales manuum labore ſibi comparant, Præpoſitæ, ſeu Abbatiſſæ tradere, & conventui incorporare tenentur. Hæc non eſt ſcholaſtica opinio, ſed explicata Syn. Tridentinæ lex mox deſcripta *Dicitur* 3. ergo id ſibi retinere non poſſunt, ut veſtes ſibi comparent: quæ veſtes juxta conſtitutionem Clem. VIII. ibidem citatam ex communi, non ex peculiari cujuſcumque monialis pecunia comparandæ ſunt. Nam quod de Fratrum veſtitu definit, idem de monialium veſtibus eſſe intelligendum, evidens eſt; quia iiſdem legibus obnoxiæ ſunt. Jus porro antiquum, hoc eſt tum omnium Religionum regulæ, tum antiqui Summi Pontifices, & Concilium Lateranenſe III. & IV. eamdem communem vivendi rationem Regularibus præſcribunt, ut apud eruditiſſimum Concinam Diſcip. ap. monaſt. p. 1. diſſ. 1. cap. 7. & ſeq. legi poteſt.

Qui addit, talem conſuetudinem, &c. non eſſe damnandam &c.

Talis conſuetudo, religionum regulis, & antiquis, ac novis legibus contraria, ac reprobata, ac regularis diſciplinæ relaxativa, manifeſta corruptela eſt, ideoque ſine dubio damnanda, ac tollenda; qua de re legendus eſt cit. P. Concina diſſ. 4. c. 4. & ſeq.

Animadverſio IX.

Dixi ſine conſenſu tacito; *quiaſi Prælatus ſciat, ſubditum aliquid accipere &c. & non prohibet &c. tacite conſentire &c. videtur.*

Poſita communitate vitæ, victus, & veſtitus in cœnobiis neceſſaria, & præcepta, vix locum habent quæſtiones de licentia accipiendi, expendendi, & retinendi, de quibus Buſ., & fuſius La-Croix in hoc Buſ. dubium agit. Cum enim quidquid regulares accipiunt, aut acquirunt, Superiori tradere, & Conventui incorporare teneantur, certum eſt, eos non accepturos, niſi ſibi conſtet, ſe habere licentiam accipiendi. Item cum nihil habere, & retinere poſſint, niſi quod neceſſarium eſt, & ſuppeditatum ex communibus bonis, ſuperfluum eſt quærere, utrum ſit neceſſaria licentia retinendi veſtes, libros &c., quæ apud ſe habent. Item non eſt opus licentia expendendi, quia expenſæ a monaſterio, & ejus officialibus faciendæ ſunt, niſi forte ratione itinerum, in quibus pro neceſſitate, non pro arbitrio ex pecuniis monaſterii expendere debent.

Quod ſi de hujuſmodi licentiis ſermo ſit poſito Fratrum, & monialium peculio, non ſolum licentiæ tacitæ, aut præſumptæ accipiendi, retinendi, expendendi non liberant eos a culpa, ſed ne expreſſæ quidem, ut jam ex dictis manifeſtum eſt; qua de re conſuli poteſt P. Concina Diſcip. ap. mon. diſſ. 4. c. 3. & diſſ. 6. cap. 2.

Unde Sanch. &c. ait, ſi in aliqua Religione conſuetudo viget aliqua recipiendi &c.

Sicuti peculiorum conſuetudo etiam ex licentia expreſſa Superiorum, damnabilis eſt, ita multo magis conſuetudo expendendi ex ipſis, aut recipiendi aliqua in favorem eorumdem peculiorum ſine licentia. Præterquamquod conſuetudo accipiendi, & expendendi ſine licentia, ſubditum ſubtrahit ab obedientiæ exercitatione, illumque relinquit ſuo arbitrio; quod ſane in religione grande malum eſt. An Superiores religionum inſtituti ſunt, ut taceant, & tacendo permittant?

Animadverſio X.

Dixi 2. vel præſumpto: *hic enim locum habet, cum &c. Superiorque non eſt præſens.*

In hac ſpecie ponitur, Prælatum fore aſſenſurum, ſi præſens eſſet. At hæc præſumpta licentia quoad acceptiones, donationes, & alienationes non ſufficit. Nam cum valor actus a Superioris licentia pendet, ad ejus valorem non ſufficit ratihabitio futura, ſeu, quod idem eſt, præſumptio conſenſus poſtmodum præſtandi, ut patet in alienatione bonorum eccleſiaſticorum, in adminiſtratione pœnitentiæ, & matrimonii ex præſumptione licentiæ, quæ certo danda ponitur, ſi peteretur; atqui valor acceptionis, donationis, alienationis in ſubdito regulari a licentia Prælati pendet, ut omnes Theologi fatentur: ergo ex licentia præſumpta Prælati non valet acceptio, donatio, alienatio ſubditi regularis. Ita ſolide argumentatur P. Concina Diſcip. ap. monaſt. p. 2. diſſ. 6. cap. 2. §. 4. n. 7.

Verum, ut accidit iis, qui malas cauſas tuentur. Buſemb. rem hic valde implicat, & involvit. Subdit enim: „ Ad hunc autem, (*conſenſum præſumptum*) ut vult „ Sanch., & Bonac., non ſufficit, quod Superior libenter „ concederet, ſi peteres, (alioquin omnes donationes a „ Prælatis permitti ſolitæ licerent ſine venia, quod cederet in everſionem diſciplinæ regularis) ſed &c.

His verbis perinde eſt, ac ſi dicat, conſenſum præſumptum Prælati non ſufficere ad donationes. Nam conſenſus præſumptus, ſeu licentia præſumpta nihil aliud eſt, niſi conſenſus, ſeu licentia, quæ ponitur danda a Prælato, ſi adeſſet, & rei conditionem cognoſceret. Sed mittamus quæſtionem de voce, ſeu de vocis ſignificatione. Quid requiritur ad conſenſum, ut Buſemb. male appellat, præſumptum, ut donationes, expenſæ &c. a ſubdito regulari factæ valeant, & liceant? *Requiritur*, inquit, *ut ipſe* (ſuperior) *cenſeatur concedere, quamvis non petas, & nolit in iis circumſtantiis te petere.*

Si conſenſus præſumptus, ut ſupra dixi, locum habet, cum res urget, ſuperiorque non eſt præſens, quomodo cenſeri poteſt, ipſum concedere? An cenſeri poteſt, ſuperiorem abſentem, & ignorantem, quid agatur, concedere, ſeu aſſentiri, ut fiat quod fit? Id certe cenſeri non poteſt; quia nihil volitum, quin præcognitum. Qui ita loquuntur, ſuperiorem ponunt prophetiæ ſpiritu afflatum, occulta, & abſentia intelligentem.

Præterea quid ſibi vult implicata illa dicendi ratio, *ſuperior cenſetur concedere, quamvis non petas, & nolit in iis circumſtantiis te petere?* An ſuperior vult, te non obſervare tuas regulas præcipientes, ut licentiam petas, & ſine ea nihil facias? Quomodo cenſetur concedere, ſi concedere, hoc eſt licentiam dare non vult? Hæc ſcilicet ſophiſtica ſunt, quæ ſanum ſenſum non admittunt, ideoque pro non dictis haberi debent.

Ad-

Digitized by Google

Addunt tamen Suar. &c. excuſari a mortali, ſi præſumatur affectus &c. ſi rogaretur.

Hanc opinionem merito impugnat P. Concina cap. 2. mox cit. §. 3. p. 291. & p. 292. §. 4. Cum enim regularis rem habet, quam putat ſuperiorem conceſſurum, ſi rogaretur, eam habet ſine licentia; quia licentiam, cum facile poſſet, nec petiit, nec impetravit; at regularis, qui rem habet ſine licentia, mortaliter peccat; quia votum paupertatis poſtulat, ut nihil habeat ſine licentia. Præſumpta licentia excuſare poteſt, cum operandi neceſſitas urget, nec ad Prælatum facilius eſt acceſſus: at in præſenti ſpecie ponimus, neceſſitatem abeſſe, & licentiam facile peti, & impetrari poſſe: ergo præſumpta licentia, de qua hic loquimur, non excuſat; quæ ſi excuſaret, omnia, quæ a ſuperiore concedenda putantur, abſque ejus licentia haberi, accipi, donari &c. ſine gravi culpa poſſent; quod ſane valde abſurdum eſt.

At, inquit Buſemb., regularis cenſetur rem habere ex voluntate ſuperioris, quæ in illo affectu latet. Reſp. Superior in noſtra hypotheſi ponitur pronus ad concedendum, non tamen concedit: at ſubditus ſine conceſſione accipiens, retinens, donans mortaliter peccat: ergo &c. Superior pronus ponitur ad concedendum non abſolute, ſed ſub conditione, ſi rogetur: ergo ſublata conditione, hoc eſt petitione, ne pronus quidem eſt ad concedendum, ſed invitus, uti reipſa eſſe debet: ergo ſubditus rem habet, donat &c. contra ſuperioris voluntatem, ideoque mortaliter peccat.

At, inquit Buſemb. ſuperior eſt tantum invitus quoad modum. Reſp. Hoc vero ſatis eſt, ut ſubditus mortaliter peccet, quia rem habet contra voluntatem ſuperioris; ſicut mortaliter peccat, qui rem alienam ſine conſenſu domini accipit, quam dominus conceſſurus putatur, ſi rogaretur.

Sed tum regulares de ſua ſalute ſolliciti, tum eorum, ac præſertim monialium Confeſſarii, qui ſuo muneri ſatisfacere ex animo velint, conſulant, & attente legant citatam Diſciplinam apoſtolico monaſticam; unde luce clarius intelligent, non paucos tum regulares, tum moniales in magno ſalutis diſcrimine verſari, nec abſolvi poſſe, niſi peculia, ſeu depoſita omnino abjiciant, ac omnia in commune conferant, & de communibus bonis victum, ac veſtes accipiant.

Animadverſio XI.

Et quidem ſi præcipiat in virtute ſan. obed. vel in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, vel &c. tenetur obedire ſub mortali; quia &c. Hactenus recte. *Sub veniali autem, ſi alia forma utatur, vel ſub nullo; quod conſuetudo &c.*

Cur ſubditus ſub veniali, aut nulla culpa obedire tenetur, ſi ſuperior præcipiat aliis verbis, ac in virtute ſanctæ obedientiæ, vel in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti? An præcipiendi auctoritas, & vis in Prælato a certa verborum forma pendet? At certum eſt, eam eſſe deſumendam a legitima ejus poteſtate, & prælatione: ergo certum eſt, Prælati præceptum, quibuſcumque verbis conceptum, eamdem obligandi vim habere; ideoque ſubditos obedientiæ votum violare, ac mortaliter peccare, niſi illud impleant. Hæc doctrina, quæ, ut ego ſentio, in dubium jure vocari non poteſt, explicate traditur a S. Thoma 2. 2. qu. 186. art. 9. ubi ait: *Aliorum autem tranſgreſſio non obligat ad mortale, niſi vel propter contemptum regulæ, quia &c. vel propter præceptum ſive oretenus a Prælato factum, ſive in regula expreſſum; quia hoc eſſet facere contra obedientiæ votum.* Contra obedientiæ votum regularis facit, quando facit contra præceptum, non contra formam præcepti. Ex varia dicendi forma, qua ſuperior utitur, colligi quidem poteſt, utrum hortetur tantum, ſeu ſuadeat, an præcipiat. At cum præcipit, quæcumque ſit forma præcepti, ipſum præceptum ſubditum obligat, ut ex obedientiæ voto ſolemni illud impleat.

Animadverſio XII.

Porro quæ indirecte &c.

Prudentes ſuperiores præclare ſecum actum putabunt, ſi ſubditi regulas ordinis, & ſtatuta obſervent; neque in eorum poteſtate eſſe putem onera oneribus addere. Hinc D. Thom. 2. 2. q. 104. art. 5. ad 3. ait: *Quod regulares quantum ad illa ſola obedire tenentur, quæ poſſunt ad regularem converſationem pertinere.* In dubio tamen, utrum ſuperior poſſit, nec ne præcipere, illi neceſſario obediendum eſt; alioquin periculum eſſet violandi votum. At prudens ſuperior pauciſſimis, nec niſi neceſſariis præceptis ſubditos urgebit.

Animadverſio XIII.

Non tenetur ſubditus obedire &c. vel ut acceptet Epiſcopatum.

Id confirmatur ex D. Thom. mox cit. nam cum Epiſcopatus ad regularem converſationem, ſeu diſciplinam non pertineat, a qua imo ea parte abſolvit, regularis a ſuo ſuperiore cogi non poteſt, ut illum acceptet, ſed ſolum a ſupremo Eccleſiæ Paſtore.

Animadverſio XIV.

Etſi conſuetum non ſit &c. ut Prælati &c. præcipiant actus internos; probabile tamen eſt id fieri poſſe, ut docent &c.

Hæc opinio contraria eſt D. Thomæ, qui 1. 2. qu. 91. art. 4. ait: *De his poteſt homo legem facere,* (idem eſt præcipere) *de quibus poteſt judicare:* hæc propoſitio eſt excluſiva: *judicium autem hominis,* inquit, *eſſe non poteſt de interioribus actibus, qui latent, ſed ſolum de exterioribus motibus, qui apparent.* Ex his D. Thomæ propoſitionibus hæc concluſio evidenter eruitur: ergo homo non poteſt facere legem de interioribus actibus. D. Thomæ mens clara eſt. Nec enim dici poteſt, S. Thomam eſſe intelligendum de lege coactiva pœnas infligente, non de lege directiva obligante quoad conſcientiam. Si enim ita intelligatur, major propoſitio hunc ſenſum haberet; de his poteſt homo legem coactivam facere, de quibus poteſt judicare, hoc eſt cogere, & punire, quod eſt ridiculum, & a S. Doctoris mente, & verbis maxime alienum, qui ex poteſtate judicandi colligit poteſtatem faciendi legem, & contra ex adempta judicandi poteſtate ademptam infert poteſtatem condendæ legis. Præterea idem S. Doct. 2. 2. qu. 104. art. 5. inquit: *Alio modo non tenetur inferior ſuo ſuperiori obedire, ſi ei aliquid præcipiat, in quo ei non ſubdatur. Dicit enim Seneca in 3. de beneficiis:* Errat, ſi quis exiſtimet, ſervitutem in totum hominem deſcendere. Pars enim melior excepta eſt. Corpora obnoxia ſunt, & adſcripta dominis, mens quidem eſt ſui juris. *Et ideo,* concludit Angelicus, *in his, quæ pertinent ad interiorem motum voluntatis, homo non tenetur homini obedire, ſed ſolum Deo.* Idem docet Catech. Rom. p. 3. in 9. & 10. Decal. præc. n. 5. inquiens: *Hocque inter divinas, & humanas leges intereſt, quod hæ rebus tantum externis contentæ ſunt; illæ vero, quoniam animum Deus intuetur, ipſius animi puram ſinceramque caſtitatem, atque integritatem requirunt.* At, inquit Buſemb., veriſimile eſt, quod aliqui Religioſi ad id ſe obligare intendant, cum ſe quaſi holocauſtum Deo tradant. Reſp. Hæc ratio ad rem non facit. Non enim hic quæritur, quæ nam ſit obligatio aliquorum Religioſorum ex eorum peculiari intentione; ſed quæ univerſe Religioſorum obligatio ſit ex vi voti obedientiæ, & ſuperiorum auctoritatis, quæ a ſubditorum intentione non pendet.

Animadverſio XV.

Reſp. 1. Communiter teneri, quia tunc melior eſt &c.

In hac ſpecie ſubditus ſuas dubitandi rationes ſuperiori exponere debet; eique præcipere perſeveranti, dubio depoſito parere debet. Quia cum ſuperior Dei vices agat, inferior ejus judicio in iis, quæ ad illius officium pertinent, magis, quam proprio deferre debet.

At ſi retento dubio pareat, peccat. Nec enim auctoritas ſuperioris præcipientis licitum facere poteſt, quod natura ſua malum eſt: at operari cum dubio, utrum actio liceat, eſt natura ſua malum; tum quia operans cum dubio non agit juxta fidem, ſeu conſcientiæ dictamen, tum quia peccandi periculo ſe ſe objicit: ergo auctoritas ſuperioris præcipientis licitam non poteſt facere operationem in dubio, utrum liceat.

Nam ſi ſuperior, ut ait Buſemb., eſt in poſſeſſione poteſtatis præcipiendi, multo magis in eadem poſſeſſione poteſtatis præcipiendi eſt jus naturæ, quod præcipit, ne in dubio, utrum aliquid liceat, operemur. Porro cum juri naturæ ipſe ſuperior ſubditus ſit, præcipere non poteſt, quod ipſi adverſatur, hoc eſt ut ſubditus operetur cum dubio, utrum liceat, nec ſubditus ei in hac ſpecie parere poteſt. Quod ſi fatente Buſembao hic reſp. 2. ſubditus parere non tenetur, ſi grave damnum obediendo timeat, qua de re mox; multo minus parere tenetur, cum peccatum, quod eſt omnium damnorum graviſſimum, parendo timet.

Animadverſio XVI.

Reſp. 2. Non teneri, ſi grave damnum obediendo timeat.

Recta ſane; at merito quæritur, quodnam grave damnum ſubditus obediendo timere poſſit? Non quoad pecu-

cuniam, & res pretio æſtimabiles; quia nihil proprii habet; non quoad honorem, & famam, quæ obediendo acquiritur, & augetur. An obediendo timet impedimentum, ne ad gradus Ordinis aſcendat?

At hic timor ex ambitione profectus, Religioſo indignus eſt, & malus, qui proinde inobedientiam a culpa excuſare nequit. Nam ſi ex obedientia damnum ſalutis ſibi timeat, ſui timoris cauſas aperire ſuperiori, eique in præcepto perſiſtenti abjecto timore parere tenetur. Si enim ſubditus dubium, ſeu timorem peccati abjicere, & ſuperiori præcipienti obedire debet; multo magis dubium, ſeu timorem damni corporis deponere, & ſuperioris præcepto ſe ſe ſubjicere tenetur. Subditus, cum ſuperior præcipit, non agit perſonam rei, ut falſo ponit Buſemb.; attamen, cum de ejus damno agitur, fateor, ipſi favendum eſſe, eumque jus habere, ut a periculis ſe ſe præſervet. Ex quo fit, ut, ſi pericula, in quæ obediendo conjicitur, evidentia ſint, puta ſi ei præcipiatur, ut e feneſtra ſe præcipitem det, ut in flumen ſe ſe projiciat, ut venenum ſumat &c., obedire non teneatur, nec debeat: at ſi pericula non ſunt evidentia, ſed dubia, judicium ad ſuperiorem pertinet, & ſubditus ſuperioris judicio ſuum judicium ſubmittere debet, & parere.

Animadversio XVII.

Nec is, qui non eſt ſolvendo &c. D. Thom. tamen, Sylv. &c. putant, illum poſſe bona &c.

D. Thom. 2. 2. qu. 189. art. 6. ad 3. id ſane docet. *Quia*, inquit, *perſona liberi hominis ſuperat omnem æſtimationem pecuniæ. Unde licite poteſt exhibitis rebus ſuis religionem intrare; nec tenetur in ſæculo remanere, ut procuret, ut debitum ſolvat.* Quam doctrinam tum tanti Doctoris auctoritate, tum ſolidiſſima ejus ratione nixam quilibet tuto ſequi poterit, dum religionem ingrediatur, non ut a moleſtiis ſe liberet, ſed ut Deo ſerviat, & ab ea recipiatur.

Nec conjuges poſt matrimonium conſummatum, niſi vir per vim conſummaſſet ante expletos duos menſes &c.

Hanc Buſemb. ſententiam communiorem, & probabiliorem eſſe, ait Anacl. t. 3. juris can. p. 535. Reſp. 3. ſaltem ſi uxor virum de ſua voluntate, & propoſito monuerit. Contrariam, pro qua citat etiam Pontium, veram putat Concina Theol. t. 10. p. 242. n. 27. Ratio eſt, quia matrimonium inſolubile, ingreſſum in religionem intercludit: at matrimonium etiam vi conſummatum, eſt inſolubile. Matrimonii enim rati indiſſolubilitas ex ipſa corporum conjunctione, qua vir, & mulier fiunt una caro, oritur: corporum porro conjunctio eadem eſt, ſeu ſponte, ſeu vi fiat: vis quidem injuriam uxori affert, conſummationis tamen matrimonialis naturam non deſtruit; quia talis conſummatio nec adulterium eſt, nec fornicatio, ſed vera conjugalis copula: ergo matrimonium etiam vi conſummatum, ingreſſum in religionem intercludit.

Nam ingreſſus in religionem poſt matrimonium ratum permittitur, quia illud religionis profeſſione diſſolvitur, ut definit Syn. Trid. ſeſſ. 24. can. 6.

At Anacletus contendit, per copulam vi extortam matrimonium penitus non conſummari; tum quia, inquit, matrimonium conſummatum repræſentat unionem Chriſti cum Eccleſia, quam unionem voluntariam involuntaria copula repræſentare non poteſt; tum quia vis impedit conſummationem matrimonii ſpiritualis: ergo multo magis carnalis.

Reſp. Involuntaria copula in eo repræſentat Chriſti unionem cum Eccleſia, quia indiſſolubile vinculum corporum efficit. Nam ſpiritualis matrimonii conſummatio cum ad animum pertineat, vi impeditur: at matrimonii carnalis conſummatio in corporum conjunctione conſiſtit, quæ vi non impeditur, nec tollitur.

At, inquit Anacl., non quævis injurioſa, ſed ſolum legitima matrimonii conſummatio impedit ingreſſum in religionem. Reſp. Hæc non eſt ratio, ſed petitio principii. Quæritur enim in præſenti, utrum injurioſa, & illegitima matrimonii conſummatio impediat ingreſſum in religionem.

Nemo, ait, ſine culpa privari debet jure ſuo.

Reſp. Ipſa matrimonii conſummatio privat jure ingrediendi religionem, etiamſi conſummetur ſine ulla culpa. Hoc enim jus tollitur ex indiſſolubili vinculo matrimonii, quod tale efficitur ex ipſa conſummatione. Falſum eſt abſolute, & ſine limitatione loquendo, neminem ſine culpa privari jure ſuo: privari enim poteſt, & privatur ſine culpa ex ipſa rerum natura, & ratione.

Maritus afferens vim uxori, & injuriam, ex ſua iniquitate, quatenus iniquitas eſt, nullum commodum reportat, imo hinc pœna dignus eſt; at nihil abſurdi eſt, ipſum reportare aliquod commodi ex eadem iniquitate, quatenus inde matrimonium fit indiſſolubile.

Enimvero abſurda res eſt, mulierem, licet innoxiam, & invitam in monaſterio ventrem gerere, prolem parere, & lactare. Itaque P. Concinæ ſententia, cui ego ſubſcribo, ſacris legibus conformior eſt. Nam Alex. III. cap. *Verum* (Dec. lib. 3. tit. 32.) ait: *Verum poſt conſenſum legitimum de præſenti, licitum eſt alteri, altero etiam repugnante, eligere monaſterium, (ſicuti ſancti quidam de nuptiis vocati fuerunt) dummodo carnalis commiſtio non intercesſerit inter eos.* Hæc verba *Dummodo* &c. ſine ulla exceptione prolata, ſine exceptione intelligenda ſunt. Eodem modo, hoc eſt ſine diſtinctione copulæ voluntariæ, & violentæ loquitur cap. *Ex publico*. Sed quid pluribus opus eſt in ſpecie, quæ rariſſime accidit? Illud certum eſt, uxorem ante bimeſtre vi cognitam, ſine culpa, & honeſte ſuo viro adhærere: utrum vero monaſterium ingredi poſſit, ex dictis eſt ſaltem incertum. In iis porro, quæ ad animæ ſalutem pertinent, certa incertis neceſſario præferenda ſunt: ergo uxor ante bimeſtre a viro vi cognita, illi adhærere debet; nec monaſterium ingredi poteſt.

Animadversio XVIII.

Quod ſi tamen profitetur in laxiore .... liberatur &c.

Ita ſane D. Thom. a Buſemb. cit. 2. 2. qu. 189. ar. 8. ad 3. *Quia*, inquit S. Doct. *votum ſolemne, quo quis obligatur minori Religioni, eſt fortius, quam votum ſimplex, quo quis adſtringitur majori Religioni. Poſt votum enim ſimplex ſi contraheret aliquis matrimonium, non dirimeretur, ſicut poſt votum ſolemne. Et ideo ille, qui jam profeſſus eſt in minori Religione, non tenetur implere votum ſimplex, quod emiſit de intrando Religionem majorem.*

Si tamen religio, quam quis profeſſus eſt, eo ſenſu laxior ſit, ut a ſuis regulis receſſerit, in ea licite permanere propter animæ periculum non poteſt, ut recte monet Concina Theol. t. 3. p. 256. n. 9. idque oſtendit in Diſcip. ap. mon. p. 2. diſſ. 5. c. 22. quod etiam intelligitur ex dictis l. 4. t. 2. c. 3. d. 4. ca. 26.

Animadversio XIX.

Is, qui vovit experiri Religionem ſtrictiorem, poteſt id commutare &c.

Hic ita diſcurro. Votum experiendi Religionem ſeveriorem, & votum profitendi mitiorem, (nam votum perſeverandi in mitiore, nullum eſt, cum impediat tranſitum ad ſtrictiorem, hoc eſt impediat majus bonum) ſunt vota diverſa, nec unum in altero continetur; ideoque commutatio prioris voti in poſterius, eſt commutatio proprie dicta: at commutatio voti proprie dicta, de qua l. 3. t. 2. cap. 2. dub. 6. ne in rem quidem evidenter meliorem propria auctoritate fieri poteſt, ut contra recentes cum antiquis Theologis oſtenſum eſt l. 3. t. 2. cap. 3. dub. 7. in reſo. Ergo qui vovit experiri Religionem ſtrictiorem, propria auctoritate non poteſt ſuum votum commutare in votum profitendi mitiorem.

Præterea votum etiam profitendi religionem, ex natura ſua conditionatum eſt; quia nemo profiteri poteſt, niſi acceptetur: votum vero experiendi præter conditionem incluſam in voto profitendi, alteram habet, ut religionem profiteri non cogatur, ubi experiendo, eam ſibi accommodatam deprehenderit. Dubitari autem poteſt, utrum votum prius, an poſterius melius ſit. Licet enim prius eo capite melius ſit, quod ea ſola ratione a profeſſione vovens removeri poſſit, ſi non acceptetur, a poſteriore tamen in eo ſuperatur, quod hoc ſit boni melioris: porro, cum dubitatur, utrum id, in quod votum commutandum eſt, ſit melius, dubitandum non eſt, quin ad commutationem Prælati auctoritas neceſſaria ſit.

Animadversio XX.

Profeſſo licentiam tranſeundi ad Ordinem laxiorem Epiſcopus &c. dare poteſt.

Anacletus t. 3. juris can. p. 532. ſect. 9. de tranſitu ab una ad aliam Religionem agens, inter alias conditiones, illam quoque regulariter loquendo neceſſariam eſſe ait, ut tranſitus fiat ad ſtrictiorem Ordinem; quod tum aliorum auctoritate, tum præſertim cap. *Sane*, & cap. *Licet* l. 3. dec. t. 31. confirmat.

Tranſiri quoque poſſe in aliqua extraordinaria hypotheſi ex juſta cauſa a ſtrictiore Ordine ad mitiorem, non eſt inficiandum. At licentiam, ſeu facultatem hujus tranſitus ab Epiſcopo, vel Prælato Ordinis exempto cum conſenſu capituli ut Buſemb. affirmat, dari diſpenſative poſſe, non eſt concedendum. Nam Syn. Trid. ſeſſ. 25. cap. 19. de reg. inquit: *Nemo etiam Regularis cujuſcumque facultatis vigore transferatur ad laxiorem Religionem.* Porro a Tridentina, & Canonum lege nec Epiſco-

ſcopi, nec Prælati regulares diſpenſare poſſunt, ſed ſolus ſupremus Eccleſiæ Hierarcha pro plenitudine ſuæ in Eccleſiæ regimine poteſtatis. Ergo. Et ita habet etiam Nat. Alex. Theol. t. 2. epiſt. 67.

Animadversio XXI.

Profeſſus regulam ſtrictiorem, ſi ea non ſervetur &c. nec ſit ſpes &c. poteſt tranſire &c.

Non ſolum profeſſus poteſt, ſed etiam debet deſerere Ordinem, in quo non ſervantur regulæ ſubſtantiales, ſeu præcipua, uti eſt vitæ, victus, & veſtitus communio, ac peculiorum exilium, ut dictum mox eſt; ad laxiorem tamen ordinem ſine licentia ſummi Pontificis tranſire ex mox dictis non poteſt.

At, inquit Buſ. conſiderato præſenti rerum ſtatu ponimus, vitam laxioris Ordinis regulas ſervantis eſſe ſtrictiorem: at regularis poteſt eligere vitam ſtrictiorem: ergo &c.

Reſp. Quoad rem præſentem vita ſtrictior, aut laxior non ex Religioſorum moribus, ſed ex Religionis regulis deſumenda eſt. Nam, ubi laxe vivitur, non Religio laxa eſt, ſed Religioſi ſunt laxi. Religio ergo laxior illa dicenda eſt, quæ mitiores regulas habet: at Syn. Trid. prohibet, ne quiſquam *regularis transferatur ad laxiorem religionem*: ergo prohibet, ne transferatur ad religionem, quæ mitiores regulas habet. Et ſane ſi regularis ſtrictiorem religionem, ubi laxe vivitur, profeſſus, ad laxiorem, ubi regulæ ſervantur, tranſeat, ſuum votum non in melius, ſed in deterius commutat. Non enim qui religionem profitentur, vovent vitam, prout laxe vivitur, (hoc enim eſſet vovere vitam irregularem) ſed vovent vitam juxta regulas: ergo qui ſtrictiorem religionem, ubi laxe vivitur, profeſſus, ad laxiorem, ubi regulæ ſervantur, tranſit, ſuum votum in deterius commutat; quod propria auctoritate fieri non poſſe, evidens eſt.

Animadversio XXII.

(*Excepta Societate Jeſu.*)

Buſ. hac de re aut ſilere, aut ſuæ exceptionis rationem afferre debuit. Nam Urb. VIII. in conſtit. a Buſ. cit. ſect. 6. ſtatuit, * *ut in poſterum a Religionibus nullus legitime profeſſus ejici poſſit, niſi ſit vere incorrigibilis. Vere autem incorrigibilis minime cenſeatur, niſi non ſolum concurrant ea omnia, quæ ad hoc ex juris communis diſpoſitione requiruntur, ſublatis hac in parte ſtatutis, & conſtitutionibus cujuſcumque Religionis, & Ordinis etiam a ſede Apoſtolica approbatis, & confirmatis, verum etiam unius anni ſpatio in jejunio, & patientia probetur in carceribus.* In hac lege, nulla eſt exceptio: imo, cum incorrigibilem neminem haberi velit, niſi habeat conditiones a ſe deſcriptas, *ſublatis hac in parte ſtatutis &c. cujuſcumque Religionis* &c. omnem Religionem ſua lege comprehenſam Urb. VIII. perſpicue vult.

Animadversio XXIII.

Buſemb. ait, dominium bonorum, quæ eccleſiaſtica non ſint, ſed ab ejecto aliunde acquiſita, Papæ acquiri, ſi exemptus ſit. At Regularis, priuſquam e religione ejiciatur, poteſt quidem ab Epiſcopi juriſdictione eſſe exemptus; at ſtatim ac ejectus eſt, Epiſcopi juriſdictioni ſubjicitur. *Ejecti*, inquit Urb. VIII. in conſt. cit. cujus verba refert. Anacl. p. 529. n. 240. t. 3. *quamdiu non redierint ad religionem, in habitu clericali incedere debent, atque Ordinarii loci juriſdictioni, & obedientiæ ſubeſſe, proindeque Generalis illico expulſionis ſententiam Ordinario notificare teneatur.* Ex quo effici videtur, ut bona, quæ ex induſtria, donatione, aut alio titulo non eccleſiaſtico a Regularibus ejectis acquiruntur, ad Epiſcopi, cui ſubſunt, jura pertineant.

Animadversio XXIV.

Quia caret ſuperiore &c.

Intellige regulari, non omni ſuperiore; quia ſubjicitur ex mox dicta juriſdictioni, & obedientiæ Ordinarii loci.

Animadversio XXV.

Idem a reliquis monaſticis &c. liber eſt.

Contraria ſententia (ſermo eſt de regulis, quas ejectus ſervare extra ordinem poteſt) apud ipſos recentiores communis eſt, ut ait Anacl. t. 3. juris can. p. 530. reſp. 3. obligatio enim ſervandi regulas a ſolemni voto profeſſionis oritur, falſumque eſt, quod ait Buſ. regularum obſervationem non comitari ſimpliciter profeſſionem votorum ſubſtantialium, ſed ſtatum regularem, quo ſcilicet in monaſteriis cum aliis Religioſis regularis vivat: hoc, inquam, falſum eſt. Nam regularis abſolute, & ſine additione ſtatus regularis, vovit vitam regularem, ſeu vitam ſecundum regulam, aut obedientiam ſecundum regulam: quæ ſunt variæ ſolemnis profeſſionis formulæ, ut obſervat D. Thom. 2. 2. qu. 186. art. 9. ad 1. ergo obligatio ſervandi regulas eſt abſoluta, non conditionata, & a ſtatu regulari independens; quia ipſum votum fuit abſolutum.

Votum porro ſolemne, eſt perpetuum, & irrevocabile: ergo ejectus a religione, a monaſticis obſervantiis, & regulis, ut jejuniis, vigiliis, delectu ciborum, & aliis, quæ extra ordinem fieri poſſunt, non eſt liber. Si juxta D. Thomam cit. dub. 1. ca. 5. regularis ad Epiſcopatum evectus, licet a cœnobio, & communione cum aliis regularibus ſeparatus, nihilominus illis regulis obnoxius eſt, quæ pontificale officium non impediunt; multo magis regularis ejectus eas ſuæ Religionis regulas ſervare tenetur, quas ſtatus ejectionis patitur. An ejectus ex ſua culpa commodum reportare debet? nam pœna ejectionis eum liberare non poteſt, niſi ab onere, quod ferre non poteſt.

Animadversio XXVI.

Etſi non ſit improbabile, quod docent Nav. &c. tuto manere &c. nec teneri &c. contrarium tamen communius eſt, & probabilius. Ratio eſt &c.

Hoc ſatis eſt, ut pro certo habeamus, ejectum tuto non manere extra ſuum ordinem, ac teneri receptionem petere, ut oſtendit etiam ratio a Buſemb. pro hac ſententia allata. Nam ratio, quæ pro opinione priori a Buſ. adducta eſt, futilis eſt & ſophiſtica. Juſta quidem ponitur ſententia ſuæ ejectionis; ideoque ejectus illi ſeſe conformare non ſolum potuit, ſed etiam debuit, exeundo ex ordine. At dum manet extra ordinem, nec receptionem petit, juſtæ ne ſententiæ ſuæ ejectionis ſeſe conformat? Sententia ejectionis illud ne includit, ut extra ordinem maneat, & receptionem non petat? Regularis ejicitur, quia ſine diſciplinæ religioſæ detrimento retineri in ordine non poteſt: ejicitur, ut pœna infamiæ deterritus, & afflictus corrigatur, & correctus ad ordinem redeat. Ergo pravos ſuos mores corrigere, correctuſque receptionem petere debet. Superiores autem eum emendatum recipere in ordinem tenentur, imo eum annuatim requirere ſollicite debent, ut redeat, ne vagandi occaſionem habens, propriæ ſalutis detrimentum incurrat. Hæc certa ſunt; ac ita præcipit Greg. IX. cap. fin. *Ne Religioſi* Dec. lib. 3. t. 31.

Animadversio XXVII.

Ejectus poteſt tuto &c. ſi in monaſterio non recipiatur.

Buſemb. omnem lapidem movet, ut ejecti extra ordinem manere poſſint: ſacri canones contra nihil intentatum reliquunt, ut ad ſuos ordines redeant; quia in re boni Paſtoris, qui labori, & induſtriæ non parcit, ut errantes oves ad ovile reducat, officium exprimunt, & inculcant. Hinc Greg. IX. cap. mox cit. ait: *Ne religioſi vagandi occaſionem habentes, ſaluti propriæ detrimentum incurrant, & ſanguis eorum de Prælatorum manibus requiratur; ſtatuimus, ut præſidentes capitulis celebrandis ſecundum ſtatutum Concilii generalis,* (Lat. ſub Innoc. III. c. 12.) *ſeu Patres, Abbates, ſeu Priores fugitivos ſuos, & ejectos ordine ſuo, requirant ſollicite annuatim. Qui ſi in monaſteriis ſuis recipi poſſunt ſecundum ordinem regularem, Abbates, ſeu Priores eorum, monitione præviæ, per cenſuram eccleſiaſticam compellantur ad receptionem ipſorum, ſalva ordinis diſciplina.* Illa ergo poſitio Buſemb. „ Neque per ipſum, ut „ ſuppono, jam ſtat, quominus in ſua recipiatur: " hæc, inquam, poſitio commentitia eſt; nam per Religioſum ejectum ſtat, ne recipiatur, ſi ad bonam frugem non redeat: per ipſum iterum ſtat, ne recipiatur, ſi ad bonam frugem reverſus receptionem non petat; quia eam petere debet, ut mox oſtenſum eſt: denique per ipſum ſtat, ne recipiatur, ſi ad bonam frugem reverſus, & receptionem petens, repellatur; quia poteſt, & debet ad eos confugere, ad quos ſpectat, ut juxta legem mox deſcriptam Greg. IX. etiam cenſuris eccleſiaſticis cogant Abbates, ſeu Priores ad ſui receptionem.

Ubi addit, Prælatos poſſe aliquem ſub conditione ejicere &c. imo etiam Ordinarii locorum &c. cogere poſſunt.

Undenam Prælati regulares habeant hanc facultatem, ut

* Habetur apud Anacl. t. 3. juris can. p. 318. n. 227.

Digitized by Google

ut aliquem ejicere poſſint ab ordine ſub conditione, ut vel aliam Religionem intret, vel ut ad ſuam revertatur? Unde Ordinarii locorum eam habent poteſtatem, ut ejectum ad id cogere poſſint? Facultates Prælatorum regularium, & Epiſcoporum ex arbitrio Scriptorum certe non pendent. Omnem quidem lapidem movere ex officio paſtorum, & ex citata lege Greg. IX. debent, ut ejectos ad ſuæ Religionis ovile, quoad fieri poteſt ſalva ordinis diſciplina, reducant; at eos cogere non poſſunt, ut aliam Religionem ingrediantur; non ſtrictiorem, ut Buſ. fatetur, quia ſi admitiorem minus apti ſunt, multo minus apti erunt ad ſeveriorem; non laxiorem; quia non habent poteſtatem diſpenſandi a Tridentina lege, quæ ait ſeſſ. 25. c. 19. de reg. *Nemo etiam regularis cujuſcumque facultatis vigore transferatur ad laxiorem ordinem*. Si ex hac lege nec Prælati regulares, nec Epiſcopi poſſunt permittere, ut regularis quicumque ſit (*nemo etiam regularis*) tranſeat ad laxiorem ordinem, (*cujuſcumque facultatis vigore*) multo minus ad id cogere poſſunt.

Animadversio XXVIII.

Prælati Ordinum fugitivos, & apoſtatas requirere tenentur &c. Dixi fugitivos &c. quia per ſententiam juſtam ejectos, etſi &c. neceſſario &c. negant &c. affirmant &c. utrique probabiliter.

Prælati ordinum non ſolum fugitivos, & apoſtatas, ut Buſ. ait, ſed etiam ejectos requirere ſollicite annuatim tenentur, ut conceptis, & perſpicuis verbis præcipit Greg. IX. cap. *Ne Religioſi* mox deſcripto. Ergo multo magis eoſdem ejectos, ſi ſe correxerint, recipere tenentur; quod explicate præcipitur in eodem capite, ex quo Prælati ordinum monitione prævia per cenſuram eccleſiaſticam compellendi ſunt ad eorum receptionem. At Pontificia lex abſoluta eſt, nullaque quoad hoc limitatione circumſcripta. Si Greg. IX. de injuſte ejectis tantum præcipere voluiſſet, id, cum ſit res obvia, & magni momenti, expreſſiſſet: at id non expreſſit, imo contrarium aperte innuit, dum ſub ea conditione ejectos recipiendos præcipit: *Si in monaſteriis ſuis recipi poſſunt ſecundum ordinem regularem... ſalva ordinis diſciplina*. Illa enim conditio locum non habet in injuſte ejectis, de quibus dubitandum non eſt, quin recipi poſſint, *ſalva ordinis diſciplina*. Præterea injuſte ejecti non ſolum *annuatim*, ut Greg. jubet, requirendi, ſed ſtatim requirendi, & recipiendi ſunt, illique puniendi, qui eos injuſte ejecerunt. Adde, quod ex fine, & ratione legis aperte intelligitur, eam eſſe intelligendam de juſte ejectis. Ratio enim, & finis, cur Greg. IX. præcipiat, ut ejecti ſollicite requirantur, & emendati recipiantur, eſt, *ne vagandi occaſionem habentes, ſalutis propriæ detrimentum incurrant, & ſanguis eorum de Prælatorum manibus requiratur*. Porro ſive injuſte, ſive juſte ejecti ſint, vagandi occaſionem habent, & propriæ ſalutis detrimentum incurrere poſſunt: ergo non eſt dubitandum, quin Gregoriana lex de juſte ejectis intelligenda ſit, & quin contraria ſententia, quæ eamdem de injuſte ſolum ejectis accipit, ſit evidenter falſa.

An caritas permittit, ut juſte ejecti, at emendati, & in ſuos ordines recipi poſtulantes, cum aliorum ſcandalo, & propriæ ſalutis periculo extra ſua monaſteria manere cogantur? cur ejiciuntur ab ordine, niſi quia ordinem perturbant, & aliis Religioſis ſcandalo ſunt? at cum ad bonam frugem redierunt, nec ordinem perturbaturi, nec ſcandala aliis regularibus allaturi, ſed ſuas regulas ſervaturi, bonoque exemplo alios ædificaturi merito putantur, & ponuntur: ergo ceſſat cauſa ejectionis, eaque ceſſante ipſe effectus ceſſare debet; *ne ſanguis eorum de Prælatorum manibus*, ut ait Greg. IX. *requiratur*. Hinc Urb. VIII. in ſupracit. conſtit. *Sacra Congregatio* anni 1624. 21. Septembris ſect. 21. inquit: *Ac poſtremo cenſuit, eſſe innovandam, ac ſuæ Beatitudinis auctoritate innovat conſtitutionem fel. record. Greg. IX. relat. in cap. fin. extra de regul. ac præterea declarat, eam conſtitutionem in iis quoque vendicare ſibi locum, ſervandamque eſſe, qui juſte, definitiveque, ac juris ordine ſervato expulſi fuerint, dummodo tamen in expulſis hujuſmodi ſubſit ſpes evidens emendationis ex litteris ſaltem teſtimonialibus Ordinarii, cujus conſcientiam in his litteris concedendis Sacra Congregatio oneravit.*

Caput II.

De ſtatu Clericorum.

Clerici generaliter dicuntur illi, qui ſacris Ordinibus, vel prima ſaltem tonſura ſunt initiati. Ad quorum ſtatum cum multa pertineant, de quibus alibi agendum; hic agemus de Beneficiis Eccleſiaſticis, Horis Canonicis, & aliis paucis.

Dubium I.

De Beneficiis Eccleſiaſticis.

Articulus I.

Quid, & quotuplex Beneficium Eccleſiaſticum?

Reſp. 1. Beneficium Eccleſiaſticum eſt jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis Eccleſiæ propter officium aliquod ſpirituale, auctoritate Eccleſiæ conſtitutum. (*a*) Ita Laym. *l.* 4. t. 2. c. 1. Leſs. *l.* 2. *c.* 35. *d.* 1.

Dicitur 1. *Jus perpetuum*, ad excludendam Vicariam, & Commendam temporalem, quæ non ſunt Beneficia; de quibus Canones loquuntur.

Dicitur 2. *Propter officium*: *quia in Beneficio duo jura a ſe mutuo ſeparabilia diſtinguuntur*. 1. Eſt jus, Animad. 1.
ſeu poteſtas exercendi muneris ſpiritualis, eſtque ſimpliciter ſpirituale. Alterum eſt jus percipiendi reditus eccleſiaſticos: quod etſi ſecundum ſe ſit temporale, quatenus tamen fundatur in officio ſpirituali, eique annexum eſt, ſpiritualitatem aliquam participat.

Dicitur 3. *Auctoritate Eccleſiæ*, &c. quia ſolius Prælati eſt officia in Eccleſia inſtituere, eiſque proventus eccleſiaſticos annectere; ipſiuſque eſt reſpicere, quot, & qualibus miniſtris Eccleſia egeat.

Reſp. 2. Beneficium dividitur 1. in Sæculare, quod pro Sæcularibus; & Regulare, quod pro Regularibus eſt inſtitutum; Unde ſine diſpenſatione nec ſæculare Regulari, nec contra conferri poteſt. Porro omne Beneficium præſumitur eſſe ſæculare, niſi probetur eſſe regulare, vel ex prima ſui inſtitutione, vel per poſſeſſionem pacificam 40. annorum; per eam enim ex ſæculari fit regulare, & contra.

2. Beneficium aliud eſt duplex, aliud ſimplex. Duplex dicitur, quod eſt cum adminiſtratione, ut Papatus, Epiſcopatus, & omnia, quæ dicuntur dignitatis, hoc eſt, quæ habent præeminentiam, cum juriſdictione in foro externo, ut Præpoſitura, Decanatus, Archidiaconatus, Abbatia, ſive ſæculares, ſive regulares, Prioratus clauſtralis. Item Perſonatus, qui eſt eminentia in Eccleſia ſine juriſdictione, v. g. locus honorificus in choro, in proceſſionibus, ſuffragiis ferendis, ut Cantoria, & ſimiles. Item Beneficia, quæ dicuntur officia, habentque adminiſtrationem rerum eccleſiaſticarum ſine juriſdictione; ut Cuſtos, Theſaurarius, Primicerius, Archipresbyter. Denique duplicia dicuntur Beneficia curata. Hæc enim omnia duplici onere, & cura conſtricta cenſentur, cum præter recitationem precum omnibus communem, habeant aliquam adminiſtrationem, & eminentiam. Simplicia dicuntur, quæ tantum ſunt inſtituta ad officia divina obeunda, neque adminiſtrationem, vel eminentiam ſingularem habent; ut Canonicatus ſive ſæculares, ſive regulares, Capellaniæ. V. Laym. *l.* 1. & Leſſ. *l.* 2. *c.* 34. *d.* 2.

Articulus II.

Quomodo acquirantur, & conferantur Beneficia?

Reſp. 1. Beneficia Eccleſiaſtica uno ex tribus modis communiter acquiruntur. 1. Per electionem, v. gr. Canonicorum, vel etiam poſtulationem (quæ eſt electio ejus, qui non erat de Capitulo, vel de jure non erat capax) & confirmationem Superioris, ſi electum, vel poſtulatum idoneum eſſe intelligat. 2. Per præſentationem Patroni præviam, & inſtitutionem ſubſequutam, a Prælato Eccleſiæ factam, ſi præſentatus ſit idoneus. Etſi vero Patronus præſentato jus ad rem conferat, ita ut Beneficium alteri conferri nequeat, jus tamen in re, & collatio beneficii per inſtitutionem datur. Per collationem liberam, quando beneficium ſolo jure Prælati datur, nec Patronatus juri ſubeſt. Unde etiam Beneficia ex modo conferendi dividuntur in Electiva, Patronata, & Libera.

Reſp. 2. In qualibet diœceſi Epiſcopus eſt proprius collator Beneficiorum, niſi ex legitima præſcri-

Digitized by Google

ſcriptione hoc jus alteri competat: ſupremus autem, & univerſalis collator omnium Beneficiorum non patronatorum eſt Papa. Leſſ. *lib.* 2. *cap.* 35. *d.* 10. Ratio prioris eſt, quia Epiſcopus in ſua diœceſi eſt moderator ſacrorum: ergo ipſius eſt officia ſacra conferre. Ratio poſterioris eſt, quia Papa eſt ſupremus diſpenſator bonorum Eccleſiaſticorum, & Ordinarius Ordinariorum. Poteſt autem Papa tribus modis Beneficia conferre. 1. Jure præventionis. 2. Jure concurſus. 3. Jure devolutionis, de quibus vide Leſſ. *loc. cit.* ubi notat, jure præventionis, & concurſus ad vitandas lites rarius Papam uti; imo per concordata Germaniæ inter Sedem Apoſtolicam, & Fridericum Imperatorem, per conſtitutionem Nicolai quinti, quæ incipit, *Ad ſacra, &c.* alterni tantum menſes Papæ collationi reſervantur, ſcilicet Januarius, Martius, &c. reliqui vero Ordinariis collatoribus relinquuntur. Imo, ſi per tres menſes, a die notæ vacationis, in loco Beneficii nulla diſpoſitio, vel gratia Papæ appareat, Ordinarius conferre poteſt. Similiter, mortuo Papa, quandiu ſedes vacat. Leſſ. *l. c.* Laym. *c.* 20. Quod ſi autem Pontifex, & Ordinarius eodem die idem Beneficium diverſis contulerint, & neutrius collationis prioritas appareat, præferendus eſt, qui invenitur in poſſeſſione, quia pro eo jus præſumit. Si neuter eſt in poſſeſſione, præfertur proviſus a Pontifice, ob dignitatem proviſoris. Barb. & Bard. *d.* 6. *cap.* 6. §. 10. ex *cap. Si a Sede.* Denique ſi ultima nocte menſis epiſcopalis beneficium cœperit vacare, in dubio, utrum ante an poſt mediam noctem, qua incipit menſis papalis, ſi nemo ſit in poſſeſſione, nec ulla proviſio, præſumptio juris eſt pro Ordinario. Gonzal. Barboſ. Bard. *d.* 6. *c.* 6. §. 11.

ANIMAD. II. Quæres 1. *Quid, & quotuplex ſit jus Patronatus?*

Reſp. 1. *Eſſe poteſtatem præſentandi ad beneficium eccleſiaſticum vacans.* Reſp. 2. *Eſſe duplex, ſcilicet jus patronatus eccleſiaſtici,* quod alicui competit, quia ex bonis eccleſiaſticis; *& jus patronatus laici, quod alicui competit, quia ex bonis patrimonialibus Eccleſiam fundavit, vel dotavit, vel erexit.* Layman *l.* 4. *t.* 2. *c.* 13. *n.* 2. & 4.

Quæres 2. Quando patronus teneatur præſentare, Beneficio vacante?

Reſp. Si patronatus ſit laicus, teneri intra 4. menſes: ſi eccleſiaſticus, intra 6. (*b*) intra quos niſi fiat præſentatio, Beneficium fit liberum, ejuſque diſpoſitio pro ea vice devolvitur ad eum, cujus eſt inſtituere præſentatum.

Quæres 3. Quid faciendum, ſi multi præſententur?

Reſp. 1. Si patronus, qui antea præſentavit Petrum, præſentet poſtea Paulum, velitque hunc præferri, *poterit Prælatus inſtituere, utrum maluerit,* ſi patronatus ſit laicus: (*c*) quia tunc præſentatio ſecunda non facit irritam primam, nec contra. Si tamen patronatus ſit eccleſiaſticus, prior tempore erit potior jure, ex *cap. Cum authent. de jure patr.* Reſp. 2. Si ex duobus patronis, alter Petrum, alter Joannem præſentet, *poteſt collator conferre, utri maluerit.* (*d*) Imo juxta Syl. Epiſcopus tunc tertio conferre poteſt, eo quod patroni non conveniant. Reſp. 3. Si multi patroni inter ſe ſint diſcordes, *is inſtituendus, in quem plures conveniunt* (*e*) V. Leſſ. *l. c. d.* 8. Laym. *l. c.*

ARTICULUS III.

Quæ intentio, & qualitates requirantur ad Beneficium accipiendum?

Reſp. 1. Ut Beneficium aliquod valide, & licite obtineatur, requiritur, ut ſit perſona capax, & habilis, hoc eſt, *ut ſit Clericus,* (*f*) *non illegitimus* (cum quo tamen Epiſcopus diſpenſare poteſt ad Ordines minores, & Beneficium ſimplex, cui Ordo major non eſt annexus) non irregularis, non excommunicatus, non improbus, aut facinoroſus, ut habeat ſcientiam competentem ad munus Beneficio

ANIMAD. III. annexum, *& ætatem legitimam, niſi diſpenſetur, ſcilicet pro Beneficio ſimplici annos* 14. (*ſufficere tamen* 14. *inchoatum,* docet Dia. *p.* 3. *t.* 6. *R.* 64. ex Azor. & aliis 5.) pro eo, quod Subdiaconatum requirit, vigeſimumprimum, pro eo, quod Diaconatum, vigeſimumſecundum, pro eo, quod Sacerdotium, vigeſimumquartum inchoatum. Colligitur ex Trid. *ſeſſ.* 22. 23. &c. *In his tamen, & ſimilibus caſibus multi excuſantur, vel quia illud jus ubique non eſt receptum, vel quia bona fide tres annos fuerunt in poſſeſſione, quæ veluti uſucapionem, & dominium parit.* Ita Leſſ. *dub.* 20.

Reſp. 2. *Qui recipit Beneficium quodcumque habens* ANIMAD. IV.
annexum Ordinem ſacrum, tenetur habere voluntatem ſaltem conditionatam clericandi, & ſacrum Ordinem accipiendi intra tempus a jure requiſitum, Laym. *c.* 14. Leſſ. *l.* 2. *c.* 34. *d.* 26. Ratio eſt, quia ſuſcipiens officium, cui obligatio eſt annexa, omni modo ſe habilitare tenetur. Imo, ſi curatum, ſeu parochiale eſt, habetque intentionem ſacerdotium intra annum non ſuſcipiendi, ſed parochiam dimittendi, non tantum mortaliter peccat, ſed etiam ipſo jure eſt privatus, & ad fructuum reſtitutionem tenetur, ut patet ex *c. Commiſſ.* §. 7. *de elect. in* 6. *Quod ſi tamen, mutata voluntate, ante finem anni Sacerdos fiat, fructus retinere poteſt; imo & Epiſcopus diſpenſare poteſt, ut Vicario ſubſtituto, ſtudiis per ſeptennium vacet.*

Dixi 1. *Habens annexum Ordinem ſacrum, quia ſi* ANIMAD. V.
is non ſit annexus, & Beneficium ſit ſimplex, licet illud acceptet animo fructus lucrandi, & deinde uxorem ducendi, non niſi venialiter peccat, ſi alias officio ſuo ſatisfaciat, ut docet Laym. *c.* 17. Sanch. *de matr. d.* 45. Vaſq. *Ratio eſt, quia illa perverſio ordinis non videtur gravis, nec ullo jure vetatur, ideoque ad nullam fructuum reſtitutionem tenetur.* Unde Garz. *p.* 3. *c.* 4. *n.* 42. talem ab omni culpa excuſat.

Dixi 2. *Voluntatem ſaltem conditionatam;* quia, ſi ex juſta cauſa poſtmodum ſtatus clericalis minus illi convenire videatur, poteſt animum mutare, etiamſi Beneficium ſit curatum, (ver. gr. ſi primogenitus familiæ, aut frater unicus ſine liberis decedat) ſi opimum matrimonium ad conſervationem familiæ nobilis, vel ad lites graves ſopiendas neceſſarium offeratur. *Ratio eſt, quia non eſt mens Eccleſiæ, ita ad eccleſiaſticum ſtatum obligare, ut hæc, & ſimilia bona impediantur. l. c.*

ARTICULUS IV.

An liceat habere plura Beneficia?

Reſpondeo. Plura Beneficia poſſidere, non eſt ter ſimpliciter intrinſece mala, nec omnino indifferens, ſed ſpeciem mali præferens; imo ordinarie illicita, & naturali juri repugnans (ſi talia ſint, quorum unum ad honeſtam ſuſtentationem ſufficiat) niſi juſta cauſa ex circumſtantiis cohoneſtetur. Ita ſere Layman. *lib.* 4. *t.* 2. *cap.* 8. *num.* 2. ex D. Thom. Leſſ. Azor. & cet. commun. Quia, ut docet Trid. *ſeſſ.* 24. pluralitas hujuſmodi magnam inordinationem involvit, dum minuitur cultus divinus, Eccleſia operariis, fundator pia intentione, pauperes utiliores Eccleſiæ futuri, ſuſtentatione privantur. Hinc Beneficia diſtinguuntur in Incompatibilia primi generis, in quibus, accepta pacifica poſſeſſione ſecundi, vacat prius; qualia ſunt plura Beneficia curata, item plures Dignitates, Perſonatus, duo Beneficia uniformia ſub eodem tecto: & in Incompatibilia ſecundi generis, quæ etſi ſine peccato citra diſpenſationem obtineri nequeant, *primum tamen altero obtento non vacat:* (*g*) qualia ſunt Beneficia reliqua reſidentiam poſtulantia, verbi gratia Canonicatus duo diverſarum Eccleſiarum, in quibus recepta eſt conſuetudo Tridentini *ſeſſ.* 24. *cap.* 12. *de reform.* ut non liceat ultra tres menſes Canonicis ab Eccleſia abeſſe. Unde
Laym. *c.* 8. *n.* 6. *docet, Canonicatus in Cathedralibus Ec-* ANIMAD. VI.
cleſiis Germaniæ, quæ ex immemorabili conſuetudine requirunt tantum reſidentiam medii anni, vel trium menſium, inter compatibilia beneficia numerandos.

Dixi, *niſi juſta cauſa cohoneſtetur:* quia qui per diſpenſationem plura beneficia obtinuit, niſi juſta cauſa ſubſit, in conſcientia non erit tutus, ſed tenebitur alterum reſignare, ut docet Leſſ. *n.* 124.

Porro juſta cauſa diſpenſandi erit evidens neceſſitas, ANIMAD. VII.
& utilitas Eccleſiæ, & quandoque etiam prærogativa, & merita perſonæ, ver. gr. inſignis nobilitas, dignitas, ſcientia, auctoritas, virtus, &c. modo caveatur,

tur, ne Beneficiorum coacervatio, facta etiam ob prærogativam perſonæ, ad privatum tantum, & non ad commune bonum referatur. *Imo ſunt diſpenſatione plura beneficia ſequentibus caſibus haberi poſſunt.*

1. Si utrumque adeo ſit tenue, ut neutrum ſufficiat ad ſuſtentationem, modo utrumque ſit ſimplex, nec reſidentiam requirat.

2. Quando parochia eſt annexa Canonicatui, eique acceſſoria: tunc enim utramque per modum unius poſſidetur, ita tamen, ut teneatur Vicarium perpetuum in Eccleſia alere.

3. Quando beneficia legitime ſunt unita.

4. *Quando alius idoneus, & dignus non reperitur.*

5. *Quando unum beneficium habetur in titulum, alterum in commendam non perpetuam, ſed ad aliquot menſes, donec de idoneo provideatur.* Ita Regin. ex Sylv.

Quæres, An, & quomodo Clerici teneantur ad reſidentiam?

Reſp. 1. Epiſcopos, Parochos, eoſque, qui curatum
ANIMAD. VIII. beneficium habent, jure divino teneri. *Nec ſufficit, ſi per alios adminiſtrent, niſi majus bonum urgeat:* quia contra rationem eſt, ut hic officium, & fructus, alter onus habeat. Bon. *tr. 1. diſt. 5. de oblig. benef. p. 1.*

Reſp. 2. Ita teneri ad reſidentiam, ut ſi Epiſcopi
ANIMAD. IX. intra annum ultra tres, *& Parochi ultra duos menſes abſque legitima cauſa per Epiſcopum cognita, & approbata abſint, mortaliter peccent, & fructus non faciunt ſuos.* Ita Trident. *ſeſſ. 23. de reform. c. 1.* V. Bonac. *l. c.* Notat autem Dian. *p. 9. t. 7. R. 53.* ex Bard. ſupradicta etiam habere locum in Superioribus ſive Prælatis regularibus; ideoque eos teneri tempore peſtis, etiam cum periculo, ſuis aſſiſtere.

Reſpond. 3. Qui in Eccleſiis Cathedralibus, vel Collegiatis obtinent Dignitates, Canonicatus, præbendas, vel portiones, ſi intra annum ultra tres menſes abſint, primo anno media parte fructuum, ſecundo vero anno omnibus fructibus, quos illo anno lucrati ſunt, privandos. Quæ tamen pœna eſt ſententiæ ferendæ, non latæ, ut conſtat ex Trid. *ſeſſ. 24. c. 10.*

Reſp. 4. *Cauſas a reſidentia excuſantes eſſe, 1. Do-*
ANIMAD. X. *ctionem Theologiæ, vel Juris Canonici, neque ad hoc licentiam Prælati, aut Epiſcopi requiri:* requiri autem ad doctiones literarum humaniorum, & Philoſophiæ, niſi contrarium habeat conſuetudo. 2. *Studium Theologiæ, vel Juris Canonici; id enim per quinque annos etiam excuſat.* 3. *Obſequium Papæ, vel Epiſcopi, ad Eccleſiæ utilitatem.* 4. Licentiam legitimam, ex quavis alia juſta cauſa. 5. *Honeſtam conſuetudinem, ubi diſpoſitio Concilii non eſt recepta.* V. Bon. *l. c.*

Reſpond. 5. *Qui abſque juſta cauſa abeſt, peccat*
ANIMAD. XI. *mortaliter, non tamen tenetur ad reſtitutionem fructuum, ſi officio ſatisfecerit, niſi ad eam condemnetur, vel niſi id aliquo jure ſit expreſſum.*

Reſpond. 6. *Eos, qui ex legitima cauſa abſunt,*
ANIMAD. XII. *non lucrari diſtributiones*, juxta Tridentinum; niſi tamen abſint ad curanda negotia Eccleſiæ, ex commiſſione Capituli, vel omnino involuntarie, ob morbum, captivitatem, injuſtam excommunicationem, &c. *Vide Leſſ. lib. 2. cap. 34. dub. 29.*

ARTICULUS V.

Quibus modis Beneficia amittantur?

Reſpondeo 1. Beneficia quatuor modis amittuntur. 1. Per mortem beneficiati. 2. Ex diſpoſitione juris, idque vel propter alterius Beneficii incompoſſibilis conſecutionem, vel per profeſſionem religioſam, vel per contractum matrimonii, vel per commiſſionem criminis, (verbi gratia hæreſis, ſchiſmatis, ſodomiæ ſæpius exercitæ) cui amiſſio Beneficii ipſo facto eſt annexa, ut vide apud Leſſ. *l. c. c. 34. d. 34.* 3. Per ſententiam judicis. 4. Per liberam reſignationem, de qua

Reſp. 2. Reſignatio eſt ſpontanea proprii beneficii dimiſſio, facta coram legitimo ſuperiore ad acceptante. Eſtque duplex, ſcilicet tacita, quæ fit ex juris diſpoſitione; ut dum quis Religionem profitetur: & expreſſa, quæ rurſus eſt duplex, ſcilicet pura, quæ fit ſine conditione, & pacto appoſito, coram Ordinario, qui beneficium cuilibet alteri conferre poteſt; & conditionata, ſeu in favorem; eaque vel eſt ſimplex in favorem, ut quando fit abſque reſervatione; vel eſt qualificata, quando ſcilicet fit reſervato ſibi jure regreſſus, vel penſione, vel fructibus aliquibus, quæ ob ſimoniam juris humani, nonniſi in Pontificis manibus fieri poteſt. *Et*
quamvis verius ſit, etiam reſignationem ſimplicem in ANIMAD. XIII.
Pontificis manibus faciendam, cum alioqui periculum ſit, ne Beneficiorum reſignationes ſpeciem quandam hereditariæ ſucceſſionis acquirant, quod jura canonica deteſtantur; *probabile tamen eſt, in manus Ordinarii fieri poſſe, eo quod permutatio in ejus manibus fieri poſſit. Idque a fortiori verum eſt, ſi fiat ſine modo obligatorio; quamvis addita deprecatione, ut perſona certa conferatur.* Idque obſervari poteſt, ubi non eſt recepta Bulla Pii V. quamlibet perſonæ ſucceſſuræ deſignationem prohibens, quam citat Laym. hic c. 17.

Porro, ut reſignatio conditionata valida ſit, requiritur. 1. Ut beneficium ſit reſignantis, cum reſignatio ſit juris ſui dimiſſio. 2. Ut fiat libere. 3. *Ut fiat in manibus ejus*, qui poteſt admittere, (b) ſcilicet Pontificis, Ordinarii, Collatoris, vel inſtitutoris, juxta dicta. 4. *Ut acceptetur a Prælato*, in cujus manibus fit; quia ſine acceptatione jus ſuum reſignans non perdit. 5. Ut conferatur illi, in cujus favorem cum clauſula conſueta, *non aliter, nec alias*, eſt reſignatum. 6. Ut is, cui confertur, acceptet; alias enim reſignans non perdit beneficium, propter clauſulam, *non aliter*. 7. Requiritur conſenſus Patroni, vel electorum, prout beneficium eſt patronatum, vel electivum. 8. Si reſignans ſit infirmus, ut a reſignatione ſupervivat 20. dies; alias enim per obitum vacare cenſebitur. 9. Ut ſi reſignatio fiat in Curia Romana, intra ſex menſes a ſupplicatione oblata computandos, in loco beneficii publicetur: ſin autem extra Curiam, intra menſem: alioqui, ſi contingat reſignantem mori, antequam reſignatarius cepit poſſeſſionem, beneficium per obitum vacare cenſebitur. Leſſ. & Laym. *c. 17.*

Reſp. 3. Permutatio beneficiorum, quæ eſt quædam ſpecies conditionalis reſignationis, fit, cum duo beneficiati unum, vel plura ſua beneficia, Pontifici non reſervata, in manus Ordinarii, alteriuſve epiſcopali dignitate præditi reſignant, cum conditione, ut poſtea viciſſim alteri, alterius beneficium conferat. Quod quandoque Epiſcopus inſtituere poteſt, ſi neceſſitas ita exigat; vocatis tamen iis, quorum intereſt, ſcilicet Patrono, & Collatore inferiore. Ad hanc autem omnia requiruntur, quæ ad reſignationem in favorem. V. Leſſ. *c. 31. d. 35.* & 3d. Laym. *c. 17.* Bonac. *de ſimon. d. 1. q. 4. ſ. 12.*

Quæres 1. An licitæ fiant permutationes coram Ordinariis, in menſibus reſervatis per concordata Germaniæ?

Reſp. Affirmative, quia per reſervationem concordatorum non cenſetur Pontifex voluiſſe conditionem Ordinariorum Germaniæ deteriorem facere, quam Epiſcoporum extra Germaniam, coram quibus id ſimpliciter licet.

Quæres 2. An licitum ſit permutare beneficia, compenſata fructuum æqualitate?

Reſp. 1. Non licere, ſi beneficium copioſius, non ſeparatis proventibus a titulo, permutetur cum tenuiore. Ratio eſt, quia exceſſus ille, eo ipſo quo manet annexus titulo, eſt debitus titulo, ideoque pro eo nihil exigi poteſt, quin etiam exigatur pro titulo.

Reſp. 2. *Poſſe peti compenſationem, ob hujuſmodi* ANIMAD. XIV.
permutationem, a Pontifice, pro incommodo temporali, quod alter ſubit, ſpoliando ſe proventibus ſui beneficii; ideoque talis compenſatio non eſt pretium beneficii, aut proventuum annexorum, ſed conditio, ut ſe indemnem ſervet, ſine qua conditione nollet ſe ſpoliare.

Reſp. 3. *Jura proventuum poſſe ſeparari a titulis,* ANIMAD. XV.
& primo nudos titulos, deinde alio contractu jura proventuum, utpote temporalia, permutari, compenſata exceſſu opulentioris; idque auctoritate ſolius Papæ. Vide Leſſ. *l. c.* Bonac. *l. c. ſ. 12. n. 11.*

Quæres 3. An licite permutetur beneficium hac lege, ut expenſæ litis, vel Bullarum refundantur per recipientem?

Reſp.

Digitized by Google

ANIMAD. XVI. Reſp. *Videri permutationem ſimoniacam, ſi impenſæ ſint cauſa impulſiva permutationis, ſine qua actus non fuerit futurus. Idem de ſimili reſignatione affirmarem.* V. Leſſ. *l. c.* Bon. *l. c. n.* 6.

ARTICULUS VI.

Quid, & quotuplex ſit penſio?

Reſp. Penſio eſt jus percipiendi fructus ex alieno beneficio. Eſtque triplex. 1. Temporalis, quæ datur propter miniſterium temporale, verbi gr. Cantori, Æditu, Patrono, & defenſori Eccleſiæ. 2. Spiritualis, quæ fundatur in titulo mere ſpirituali, ut quæ datur Concionatori, Coadjutori Epiſcopi, Parocho, &c. 3. Media, quæ fundatur in ſtatu ſpirituali; non tamen officio ſpirituali, ut quæ datur Clerico pauperi, vel Parocho ſeni ad ſuſtentationem, *vel quæ datur cauſa reſignationis, & litis* ANIMAD. XVII. *componendæ*. Duæ poſterioriores dicuntur Clericales, quia Clericis; prima Laicalis, quia Laicis tantum datur.

Porro circa penſiones Laym. *cap.* 18. & Leſſ. do- ANIMAD. XVIII. cent hæc, 1. *Etſi eam deſignare propitum ſit Papæ, id tamen etiam Epiſcopum poſſe in cauſis ſpecialibus, & neceſſariis, v. verb. gr. propter paupertatem, & ſenium reſignantis, vel litis compoſitionem, vel propter adæquandos fructus in permutatione beneficiorum.* 2. Debere eſſe moderatam, ita ut beneficiato relinquatur ſufficiens ſuſtentatio; talis autem plerumque cenſetur tertia pars fructuum. 3. Ad penſionem non requiri conſenſum patroni, ut quidam volunt, quia id nullo jure ſtatutum eſt. Neque ullum fit præjudicium per impoſitionem penſionis, cum is fructus non percipiat ex beneficio, ſed tantum habeat jus inſtituendi, & præſentandi, quod ei non adi- ANIMAD. XIX. mitur. 4. *Penſionarius poſt conſtitutionem Pii V. ubi ea eſt recepta, tenetur recitare Officium B. V. nec facit fructus ſuos, ſi omittat.* 5. Penſionem extingui morte penſionarii, ſicut uſusfructus morte uſufructuarii. Poſſet tamen Papa facere perpetuam, ex plenitudine poteſtatis. De venditione, & redemptione penſionis v. Laym. *c.* 18. & Leſſ. *l.* 2. *c.* 25. *d.* 22. Bon. *l. c.* §. 13.

DUBIUM II.

De Horis Canonicis.

ARTICULUS I.

Qui obligentur ad horas?

Reſp. 1. Clerici majorum Ordinum, etiam ſuſpenſi, excommunicati, degradati, tenentur tum jure eccleſiaſtico, tum generali conſuetudine Eccleſiæ.

Dixi, *majorum Ordinum*; quia minorum non tantum non ad horas, ſed neque ad Pſalmum *Miſerere* tenentur, quem, vel ſimile quid cum Epiſcopus primam tonſuram conferens injungit, non videtur obligare, niſi ut vel tantum fiat aliquoties, vel per modum conſilii. Leſſ. *l.* 2. *c.* 37. *d.* 9.

Unde reſolvuntur hi caſus.

1. Tenetur ad horas, qui cum diſpenſatione Papæ duxit uxorem; niſi in hoc ipſo ſit diſpenſatus: quia diſpenſatio, utpote odioſa, ſtricta eſt explicanda; & characterem retinet. Bon. & Azor. *l. c. c.* 5. contra alios.

1. Clericus incipit obligari a puncto Subdiaconatus ſuſcepti: & quidem ad horas reſpondentes horæ, qua ordinatur. Bon. *tr. de hor. qu.* 1. *p.* 5. ex communi.

Reſp. 2. Omnes religioſi profeſſi, ad chorum deſtinati, utriuſque ſexus, obligantur ad horas; idque ex antiqua, & recepta conſuetudine; *quam ta-* ANIMAD. XX. *men quidam, ut Aragonius, putant non obligare tam ſtricte, ut peccent mortaliter, ſi bis, terve omittant; & de monialibus dubitat Cajet. Med. Arm. Dian. t.* 12. *R.* 17. imo eas (atque adeo omnes Religioſos ſacris non initiatos) non teneri ſub onere peccati, abſolute, ſed nimis laxe, docet Petrus March. apud Dian. *p.* 9. *t.* 6. *R.* 7. contra aliorum communem, & veram ſententiam: quæ docet, teneri ſecundum ſuas regulas, & conſuetudines. Bonac. *q.* 2. *p.* 2. *n.* 5. ex Azor. Leſſ. Malder.

Unde reſolves.

1. *Non tenentur ad horas* 1. *Novitii*. 2. *Converſi*. ANIMAD. XXI.
3. *Religioſi Societatis Jeſu, Militantes, Hoſpitalarii, & cæteri choro non deſtinati*. Trull. *loc. c. cap.* 7. *d.* 12. §. 5.

2. Is, qui ex una religione tranſit in aliam, in qua non eſt hæc conſuetudo, non tenetur, quia conſuetudo non obligat, ubi non eſt recepta. Ita Suar. & Laym. *Idem dic de Religioſo ejecto, vel qui diſ-* ANIMAD. XXII. *penſationem obtinuit perpetuo vivendi extra Monaſterium, quia etſi maneat Religioſus, non tamen regularis*. Ita probabiliter Sot. Sanch. Bon. *d.* 1. *q.* 2. *p.* 2. *n.* 4. &c. contra Suar.

Reſp. 3. Beneficiati, quotquot habent jus in re, & plenum dominium beneficii, ſi fructus percipiant, vel percepturi ſint, tenentur ad horas. Leſſ. & Laym. *l.* 4. *t.* 2. *c.* 4. ex comm. & Conc. Lateran. ſub Leone X. Ratio eſt, quia beneficium datur propter officium.

Unde reſolves.

1. *Non tenentur ante acceptam poſſeſſionem*, nec ſi ANIMAD. XXIII. ſine ſua culpa fructus nullos percipiant, nec percepturi ſint, Laym. *l.* 4. *t.* 2. *c.* 4. *n.* 3. quia non habent beneficium ſecundum omnem effectum. Videntur tamen pro ratione fructuum teneri ad aliquoties legendum. Trull. *l. c.*

2. Tenetur is, qui etſi (ſive ſine, ſive cum ſua culpa) non recipiat omnes ſuos fructus, recipit tamen tantam partem, quæ ſufficit ad ſuſtentationem. Bon. *d.* 1. *q.* 6. *p.* 3.

3. *Tenentur ii, qui primo, aut etiam ſecundo anno* ANIMAD. XXIV. *non percipiunt fructus, eo quod aſſignentur fabricæ, vel prædeceſſori mortuo*; quia etiam ipſi mortui fruentur eodem privilegio, & ſic pro tota vita ſatisfaciunt fabricæ. Bon. *p.* 4. *n.* 22. Laym. *c.* 5. Suar. Regin. &c. *Contraria tamen ſententia non eſt improbabilis, &* negat Leſſ. cum Cajet. ſe talem damnaturum, *eo quod vel reſignare, vel mori ante poſſit, & ſic non ſuo anno gratia*. Laym. *l. c.* Pal. Trull. *d.* 13. §. 3.

4. *Tenentur & ii, qui habent beneficium tenue;* ANIMAD. XXV. *octo v. gr. vel decem aureorum; quia jura omnibus indiſtincte obligationem horarum imponunt, ſicut iis, qui ſunt in majoribus ordinibus*. Ita probabiliter Sylv. Azor. Suar. Pal. Bonac. *d.* 1. *q.* 2. *p.* 4. *n.* 17. & communis contra Sotum, Leſſ. Rodr. & Dian. *R.* 9. Malder. qui dicunt, ſi habet beneficium tam tenue, ut certam partem mediocris ſuſtentationis alicujus Clerici non adæquet, non teneri. Vide Dian. *loc. cit.* Eſcob. *tr.* 5. *Ex.* 6. *c.* 13. *quorum ſententiam non damno*. Vide Trull. *l.* 1. *c.* 7. *diſ.* 12. §. 3. ubi notat, eum, qui habet plura beneficia tenuia, ex quibus competentiam habeat, teneri ad horas.

5. Non excuſatur, qui primis annis partem recipit, eo quod fructus expendat in ſubſtitutum: quia horarum onus beneficio annexum eſt, & perſonale, cum quo ſponte acceptatur. Bonac. *l. c.* ex Azor. Vaſq. Fill. &c.

6. *Si filius a patre coactus ad ſtatum eccleſiaſticum,* ANIMAD. XXVI. *percipiat ipſe fructus, tenetur ad horas: ſecus, ſi percipiat pater; hic vere ad reſtitutionem obligatur*. Laym. *c.* 5. *n.* 2. ex Leſſ. *l.* 2. *c.* 34. *d.* 3.

7. *Probabile eſt, eum, qui non reſidet ex legitima* ANIMAD. XXVII. *licentia, vel diſpenſatione, ideoque fructus non recipit non teneri ad horas; quia obligatio hæc eſt propter ſuſtentationem datam*. Trull. *l.* 1. *c.* 7. *d.* 13. §. 3. ex Sanch. &c.

8. *Non tenentur, qui habent præſtimonia*, quæ ſo- ANIMAD. XXVIII. lent dari adoleſcentibus in ſubſidium ſtudiorum, eo quod non ſint proprie dicta dicta beneficia. Ita Medin. Garz. & Leſſ. contra Nav. Sot. & Rodriq. *Tamen recte monet Laym. c.* 5. *n.* 6. conſiderandam rationem præſtimoniorum. Si enim dentur in titulum perpetuum, & habeant annexum aliquod obſequium ſpirituale, quod per Laicum expediri nequit, eſſe beneficia eccleſiaſtica, proindeque obligare ad horas; ſecus, ſi conſiſtant in ſolo temporali obſequio. *Similiter non tenentur penſionarii*, cum penſiones non ſint proprie dicta beneficia, ut *dub. præc.* videri

Bb 2 pot-

Digitized by Google

poteſt. *Quod limitat Eſcob. t. 5. E. 6. c. 4.* ex Palao, ſi fruantur penſione ob ſæcularia obſequia; *ſecus, ſi titulo Clericali*. Denique neque tenetur Coadjutor, ſi non adminiſtrat; quia obligatio tenet proprietarium. Pal. Eſcob. *l. c.* V. Laym. *c. 5. n. 9.*

9. Etſi habens plura beneficia ſatisfaciat unica recitatione horarum, tenetur tamen tot facere commemorationes, quot ſunt beneficia, ſeu patroni beneficiorum; quia par eſt omnium ratio. Bon. Teull. *l. c. n. 27.*

ARTICULUS II.

Quanta ſit hæc obligatio?

Reſp. 1. Eſt tanta, ut peccet mortaliter quiſquis habens hoc onus, horas, vel notabilem earum partem omittit. Ita communiter omnes, contra Angelum, *v. Horæ*, & Richardum: qui dicunt non eſſe mortale, niſi quis habeat conſuetudinem omittendi, quam ſententiam Leſſ. non audet dicere probabilem, quod ſit contra torrentem Doctorum. Ratio eſt, quia violat præceptum in re gravi pertinente ad virtutem religionis.

Ex dictis reſolvuntur hi caſus.

1. Non eſt mortale omittere unum pſalmum, lectionem, vel quid ſimile, ut habet communis contra Navar. *nec tertiam partem parvæ horæ, contra Azor.*
ANIMAD. XXIX. *& Mold. quia non cenſetur pars notabilis*. Talem autem dicit Palaus *lib. 1. p. 5.* eſſe in Matutino, quod eſt æquale uni parvæ horæ. *Sanch. in ſum. t. 1. l. 1. cap. 18. n. 8. dicit tres lectiones cum reſponſoriis in feriali officio, eſſe materiam parvam.* In parvis horis dicit Fern. Fill. & Laym. dimidium eſſe notabilem quantitatem. V. Eſc. *l. c. cap. 13. n. 107.* ubi docet, unam parvam horam non eſſe partem notabilem, reſpectu totius Officii, quod per modum unius eſt præceptum. Verum hoc merito rejicitur ab aliis.

2. Eſt mortale, ſi omittas vel unam integram ex horis, quæ ſunt ſeptem, Matutinum cum Laudibus, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Veſperæ, & Completorium: vel dimidiam etiam ex brevioribus, ut docet Fern. Regin. Fil. Suarez, Laym. contra Bonac. & Leſſ. vel ex matutino 9. lectiones cum reſponſoriis, ut Sanch. *1. mor. c. 18.* aut partem æquivalentem horæ uni minimæ, ut Suar. *de rel. t. 2. l. 5. c. 25.* & Gavantus: vel, ut alii, unum Nocturnum. V. Bon. *d. 1. qu. 1. p. 1.* Dian. *p. 2. t. 12. R. 26. & 41.*

3. Sive omiſſio horarum (abſtrahendo a multiplicatione actuum voluntatis) ſit unum numero peccatum, ut vult Bonac., ſive ſint plura formaliter, ut docet Leſſ., ſive unum multiplex, ut Suarez, ſive unum pluribus æquivalens, ut Fill. loquitur; *probabile tamen eſt, in confeſſione explicandum, quot*
ANIMAD. XXX. *horæ ſint omiſſæ*: eo quod ſit circumſtantia tenens ſe ex parte objecti, & conſtituens actum in ratione ſua individuali. Bonac. *l. c. n. 9.* Leſſ. Suar. Filliuc.

Reſp. 2. Tanta eſt obligatio, ut inducat ei onus reſtitutionis fructuum, pro rata omiſſionis Officii, qui titulo beneficii ad horas tenetur, ſi elapſis ſex menſibus poſt adeptam poſſeſſionem (is enim etſi graviter peccet omittendo, non tamen tenetur ad reſtitutionem) culpabiliter officium non recitaverit. Patet ex Concil. Lateranenſi ſub Leone X. ſed quia dubium fuit, utrum hoc Concilium eſſet receptum, Pius V. Bullam edidit, quæ eſt apud Navar. *c. 25.* qua hoc decretum confirmat, ac declarat ſic, ut qui uno die totum officium omiſerit, teneatur reſtituere omnes fructus illi diei reſpondentes: verbi gratia, qui accipit annue 365. florenos, teneatur pro uno die reſtituere unum florenum, qui autem omiſerit Matutinum tantum, mediam partem fructuum unius diei; qui reliquas horas, etiam mediam partem: qui vero unam ex illis, ſextam partem: eaque reſtitutio facienda eſt vel fabricæ, vel pauperi-
ANIMAD. XXXI. bus. Laym. Filliuc. Bonac. *d. 1. qu. 5. p. 2.* &c. *contra de la Cruz, & Lopez, apud Dian. p. 2. t. 12. R. 34. qui dicunt, ſi beneficiatus intra annum per 8. vel 10. dies tantum omittat, non teneri ad reſtitutionem, eo quod ſit ſervus liberaliſſimi Domini, qui multo minus, quam domini temporales, ad pauca attendat.*

Unde reſolves.

1. Clerici majorum ordinum, qui ſolo titulo ordinis, & quotquot alio titulo, quam beneficii, ad horas tenentur, non obligantur ad dictam reſtitutionem: quia nullos percipiunt fructus propter onus recitandi officium. Bonac. *l. c. p. 2. n. 3.*

2. *Nec ii obligantur, qui ex naturali oblivione, juſto impedimento, bona fide, invincibili ignorantia, aut aliter abſque culpa omiſerunt.* Ratio eſt, quia in conſcientia non debetur pœna, ubi non eſt culpa. Leſſ. ANIMAD. XXXII.
Suar. Bon. *n. 4.*

3. *Valde probabile eſt, quod qui alia onera habent, quam precum, v. g. Paſtores, Epiſcopi, &c. omittentes horas, poſſint retinere majorem partem fructuum illius diei, ratione dictorum onerum: ſufficiatque dare tertiam partem, vel quartam fructuum: eo quod tantum obligentur ad reſtitutionem fructuum reſpondentium oneri divini officii*, Nav. Fill. Bon. *p. 3.* Dian. *p. 2. tr. 12. Reſ. 8.* citans alios multos. ANIMAD. XXXIII.

4. *Si talis paſtor habeat tenues reditus ad ſuſtentationem, videtur ad nihil obligandus*; cum ob alia onera illi debeatur ſuſtentatio. Laym. *l. 4. tr. 2. cap. 5.* Imo Dian. *p. 2. tr. 12. R. 9.* Mald. *tr. 10. c. 2. dub. 3. dicunt eum, qui habet beneficium valde tenue, v. gr. cujus reditus tertiam partem mediocris ſuſtentationis non adæquent, non teneri, ob horas aliquoties neglectas, ad reſtitutionem.* ANIMAD. XXXIV.

5. *Reſtitutio hæc fieri poteſt vel pauperibus amicis, vel aliis, vel ipſi etiam beneficiato, ſi pauper eſt.* ANIMAD. XXXV.
Item impendi poteſt in fabricam domus, vel meliorandos agros beneficii: quia hæc nomine fabricæ etiam intelliguntur apud Suarez, & Bonac. *Denique aliquando compenſari poteſt, offerendo ſuffragia pro defunctis, aliiſque precibus*, ut vid Bon. *loc. c. p. 4. & ſic etiam per alium, ſeu per officium, aut preces ab alio ad tuam intentionem recitatas, & a te defunctis applicatas, ſatisfieri poſſe*, docet Quinten. *t. 8. ſect. 6. Nec continuo damnandum, qui ordinarie recitare ſolitus, ſemel, verbi gr. vel bis in anno omiſit, etſi nihil reſtituat*, docent Sot. Mad. Fill. *c. 10. num. 316.* & 317.

6. *Qui pecuniam, quam ob neglectas horas tenetur reſtituere, ſive erogare in uſus pios, impendit in alios, quam vel in pauperes, vel fabricam beneficii, non ſatisfecit (ſecundum jus commune, ubi Concilium Lateranenſe, vel Bulla Pii V. eſt recepta) obligationi ſuæ, niſi aliud ferat conſuetudo, vel ſtatutum alicubi receptum*: quia diſerte præcipitur reſtitui pauperibus, vel fabricæ beneficii. Vid. Bon. *q. 2. p. 2.* & 4. ANIMAD. XXXVI.

7. *Poſſe aliquando beneficiatum excuſari a reſtitutione ob horas neglectas, titulo pecuniæ expenſæ* (intellige poſt omiſſionem horarum) *etſi non iſto intuitu, in pauperes, vel alios uſus pios, cenſet Dian. d. 3. R. 37. ex Laym. l. 3. ſ. 5. t. 2. c. 12. n. 9. eſſe probabile*: tum quod quidam Auctores ita ſentiant: tum quod videatur eſſe virtualis intentio omnium dantium eleemoſynas, ſatisfacere per illas omnibus obligationibus, quas ſuis peccatis contraxerunt; tum quod leges eccleſiaſticæ benigne debeant explicari. *Addit Jo. de Salas, de leg. d. 15. ſeſſ. 2. n. 27. Vaſquez, ſi Canonicus groſſam, ſeu corpus ſui Canonicatus vere, & abſolute lucretur, priuſquam omittat officium, non teneri ad reſtitutionem, propter omiſſionem ſequentem, eo quod pœna non ſit, ut fructus jam ſuos factos reſtituat, ſed ut fructus non faciat ſuos*. Sic illa apud Dian. *p. 2. t. 12. R. 8.* ut infra *art. 4. §. 6.* in fine. ANIMAD. XXXVII.

8. *Ubi Bulla Pii V. non eſt recepta, poteſt videri probabile, beneficiatum ad dictam reſtitutionem non obligari*, ut habet Sylv. *v. Clericus*.

ARTICULUS III.

Quæ excuſent a recitatione horarum?

Reſp. Hæc ſequentia. 1. *Infirmitas gravis, v. g. dolor notabilis capitis, ita ut ſine incommodo, vel incremento morbi legi non poſſint.* Dixi, *gravi*, quia levis, v. g. dolor ſtomachi, aut pectoris, vel etiam aliquando febris tertiana, aut quartana non excuſat, cum toto die non affligat. Ita Nav. Fill. Laym. Bon. *d. 1. q. 6. p. 1.* Porro totaliter excuſatus non tenetur, ut quidam volunt, audire alium legentem, ANIMAD. XXXVIII

nec

Digitized by Google

nec alium ſubſtituere, ut habet Fill. & Sa, v. *Horæ*. Si tamen commode poteſt, & ſolet legere cum ſocio, tenetur, ut habet Leſſ. & Bon. V. Dian. *p.* 2. *t.* 12. *R.* 43.

2. Juſtum impedimentum, v. g. metus proditionis

ANIMAD. XXXIX. inter hæreticos. *Item gravis, vel repentina occupatio, vel opera caritatis majoris momenti, quam hora, quæ ſine ſcandalo, vel gravi incommodo ſuo, vel alterius omitti non poſſint. Quo modo etſi Concionatores, vel Confeſſarii aliquando excuſari poſſint, idque ex benigna Eccleſiæ intentione, ut docent Sylv. Suar. & Laym. &c. tenentur tamen anticipare, ſi poſſint, v. g. ſi mane prævideas, te tota die confeſſionibus occupandum, quæ differri non poſſint.* Ita ex Suar. & Azor. Bon. *l. c. p.* 2. *n.* 1. & 2. &c. communiter.

ANIMAD. XL. *Ex hoc capite dicunt etiam aliqui, non teneri te repetere, quod neglexiſti, (nec recitando, nec audiendo) dum thurificando ad Magnificat, vel Benedictus, vel libros neceſſarios circumferendo, vel lectionem mox cantandam prævidendo, vel alia in choro neceſſaria peragendo occupatus fuiſti; quia chorus totus pro eo, qui in re ad officii celebritatem pertinente occupatur, videtur ſupplere, & non tantum ſuo, ſed etiam aliorum miniſtrantium nomine recitare, aut canere.* Ita Laym. *l.* 4. *tr.* 1. *cap.* 5. *n.* 7. Henr. Sylv. Azor. Sot. Mulſ. Nald. Arag. Regin. citati a Dian. *p.* 2. *t.* 12. *R.* 3. *Idem de eo, qui choro, organis muſicis alternis verſibus reſpondet, dicunt Navar. Sanch. Arag. & Rodr. apud Laym. l. c. ſcilicet eum non eſſe obligatum, ut etiam voce proferat:* ſed negat Eſcob. *t.* 5. *E.* 6. V. Trull. *d.* 16.

3. *Cæcitas. Bonac. p.* 2. *n.* 4. *&c. communiter.*

ANIMAD. XLI. 4. Carentia breviarii inculpata. Quod ſi tamen memoriter poſſis dicere vel totum officium, vel

ANIMAD. XLII. unam horam, teneris. *Si vero tantum ſcias Pſalmos, vel Lectiones, vel Capitula, dicit Fill. t.* 2. *tr.* 23. *c.* 9. *n.* 187. *citans Navar. & Suar. item Eſcob. E.* 6. *n.* 149. *probabile eſſe, non teneri: quia Pſalmi ut ſic non ſunt hora canonica, ad quam tenetur Clericus. Idem dicit Garz. de benef. c.* 1. *p.* 12. *c.* 1. *num* 221. *Mald. in* 2. 2. *t.* 10. *c.* 2. *d.* 5. *& Jo. Sancius in ſelect. d.* 15. *n.* 1. *citati a Dian. eo quod Lectiones, & Capitula ſint pars, licet minor, maxime principalis, ita ut abſque illis non ſit officium canonicum. Idem concedit Sanch. l.* 2. *c.* 19. *in Matutino feſti duplicis, vel ſemiduplicis.* V. Bon. *p.* 2. *n.* 6. Dian. *p.* 2. *tr.* 12. *R.* 30. & 43. *Verum hæc probare non auſim; ſed potius*, quod docet Bon. *d.* 1. *ar.* 6. *p.* 2. impeditum ex aliqua dictarum cauſarum, ſi poſſit dicere partem notabilem, ad id teneri, alias ad nihil. Denique ſi quis careret Breviario, quo uti ſolet, v. gr. Romano, tenetur legere aliud, quod habere poteſt; quia per utrumvis impletur ſubſtantia præcepti. Creuſ. Eſcob. Dian. *p.* 9. *t.* 9. *R.* 25.

ANIMAD. XLIII. 5. *Diſpenſatio, quam ſine cauſa ſolus Papa dat valide, cum cauſa Epiſcopi. Et ſic Subdiaconum, qui ex diſpenſatione pontificia ducit uxorem, hoc ipſo liberari ab onere horarum*, contra Bon. & Azor. docet Sanch. *de matr. l.* 8. *d.* 8. Dian. *p.* 8. *t.* 3. *R.* 34.

ARTICULUS IV.

Quomodo recitandæ ſint horæ?

Reſp. In recitatione horarum ſequentes circum-

ANIMAD. LXIV. ſtantiæ ſunt ſervandæ. 1. *Ut recitentur juxta præſcriptum Breviarii Romani, juſſu Pii V. editi, ſaltem publice.* Excipe Religioſos, qui habent peculiare Breviarium Ordinis, & Eccleſias, quæ 200. annis ante inſtitutionem Breviarii per Pium V. peculiare habuerunt: eæ enim ſine conſenſu Epiſcopi illud mutare non poſſunt. *Privatim tamen omnibus etiam regularibus probabile eſt, licere ex conſuetudine uti Romano*, ut docet Leſſ. *qu.* 37. *d.* 12. Rodriq. & Sa v. *Horæ*, Bonac. *d.* 1. *q.* 3. *p.* 1. Adde, quod qui eo utitur, ne in choro quidem obligetur ad pſalmos pœnitentiales, graduales, officium defunctorum, excepto die animarum. Officium tamen B. V. in choro recitari debet, ubi eſt conſuetudo. Ita Fill. & Bon. ex Bulla Pii V. & Clem. VIII. *Item tenetur ad Litanias diebus Rogationum; tum quia ſunt pars officii eo die; tum quia peculiaris de ea ee eſt conſtitutio.* Ita Bonac. *l. c.* ex Fill. *Etſi contrarium probabile eſſe dicat Dian. p.* 2. *t.* 12. *R.* 12. *ex Vaſq. item Eſcob. t.* 5. *E.* 6. *Quod ſi ex inadvertentia, vel neceſſitate, v. g. quia lectiones de feſto nullas habes, officium mutes, ita ut dicas de feria, quando erat dicendum de Sancto, vel contra, nullum erit peccatum, nec obligatio repetendi;* licet conſultum ſit repetere ea, quæ ad proprium officium pertinent: *ſi vero ſtudio idem mutes, aliud ſentiendum videtur: cum ratio non ſit eadem. Quamquam, quod eo caſu venialiter tantum pecces, nec tenearis repetere, vel reſtituere quidquam, eo quod ſubſtantia præcepti ſit impleta, probabile eſſe cenſet Eſcob. t.* 5. *E.* 6. *c.* 5. Dian. *p.* 3. *t.* 12. *R.* 3. item Cajet. Sylv. Binsfeld. Azor. Valent. Leſſ. Fill. &c. citati a Bonac. *d.* 1. *q.* 2. *p.* 1. *num.* 17. & Dian. *l. c.* contra alios multos, quos citat, & ſequitur Barb. Laym. vero *l.* 4. *t.* 1. *cap.* 4. *n.* 4. cum Suarez limitat, niſi per fraudem, quaſi multo longius in multo brevius, v. gr. paſchale, mutetur (*licet Caram. apud Dian. p.* 7. *t.* 11. *R.* 26. *contra communem ſentiat, etiam ſic præceptum impleri, & venialiter tantum peccari*) aut idem pro libito toto anno dicatur; quia eſt gravis inordinatio. Vide Trull. *d.* 14. *n.* 11. *ubi docet, eum, qui per errorem legit hodie de Sancto, qui cras v. g. colitur*, poſſe cras legere de Sancto, qui hodie celebratur, ne is hoc modo omittatur; imo ita faciendum eſſe vult Quintan. *t.* 8. *ſing.* 10. *Verum contrarium rectius tenet Villal. eo quod præſtet ſemel, quam bis, errare; idque multis bene confirmat* Card. Lug. *reſp. mor. l.* 5. *d.* 8. *Similiter eum, qui per errorem*, vel oblivionem in feſto duplici, vel ſemiduplici non recitavit de proprio, poſſe de eo legere primo die non impedito 9. lectionum officio, docet idem Quintan. *t.* 9. *ſ.* 9. eſſe probabile. *Verum & hoc merito rejicit Card. Lugo l. c. & ipſe Quintan. contrariam ſententiam agnoſcit probabiliorem. Denique, qui in aliquibus horis erravit, legendo, v. gr. de feria, quando erat de feſto, vel contra*, agnoſcens errorem, non debet eum continuare, ſed reliquas horas legere juxta officium eo die currens, ut in iis ſaltem conformet ſe toti Eccleſiæ, vel communitati, cujus eſt pars; & obſervat legem, quantum poteſt. Card. Lug. *l. c.*

2. Pronuntiatio vocalis exterior; ea enim eſt de ſubſtantia præcepti. Et ſi quidem cum ſocio legis (quod recte fit, & eſt conforme primæ inſtitutioni Eccleſiæ, ac publico orandi ritui; atque licitum, etiamſi is ad eas non obligetur, nec interius attendat. Bon. *q.* 3. *p.* 2. §. 1.) ea pronuntiatio adhibenda eſt, ut ab eo exaudiri poſſis, eumque audire viciſſim. *Sa tamen*, v. *Horæ*, *putat ſatisfie-* ANIMAD. XLV. *ri, etſi quædam non percipias, quæ a ſocio dicuntur: neque ideo aliquid ſcrupuloſe repetendum eſſe: ſi vero ſolus legas*, ita legendas eſſe, ut audire teipſum poſſis, docent Regin. & Suar. *ſed probabile eſt, id non requiri, cum Eccleſia id non præcipiat*, ut docent Azor. *p.* 1. *l.* 10. *cap.* 11. *q.* 4. Bonac. & Dian. *R.* 11. admittitque Fill. *t.* 23. *c.* 3. *num.* 117. pro ſcrupuloſis. Si plures duobus recitent officium ſimul, non debet unus unum, alter alterum, tertius tertium verſum recitare, ſed alternatim facto duplici tantum choro, ſive plures ſint ex una parte, ſive pauciores; quia ſic habet uſus, & praxis Eccleſiæ; ſecus eſt de lectionibus, quarum primus primam, ſecundus ſecundam, tertius tertiam recitat; imo alicubi conſuetudo permittit, ut omnes ab uno recitentur aliis audientibus. Bonac. *d.* 5. *qu.* 1. *p.* 1. §. 1. ex Suar. Azor. & Laym. *addens etiam ſatisfacere eum, qui lectiones, vel orationes, vel capitula, vel reſponſoria tantum audit; & non recitat.* V. Bon. *l. c.* Trull. *d.* 16. *n.* 17.

3. Pronuntiatio integra, ſine ſyncopa, & abbreviatione verborum, & ſyllabarum, & abſque præcipitantia. Bonac. *d.* 1. *q.* 3. *p.* 1. §. 1. Ex hoc tamen defectu in publico facilius peccari poteſt mortaliter ratione ſcandali, & ſeverioris præcepti Eccleſiæ, quam in privato. Azor. & Fill. *t.* 2. *l.* 23. *cap.* 2. Eſcob. Dian. *p.* 2. *t.* 12. *R.* 32. ubi addit 1. Eum, qui cum tali, qui ultimas ſyllabas abſcindit, recitat officium, ſatisfacere ſuo officio, nec teneri repetere. Quando in cantu, propter nimiam celeritatem, & abſciſſionem ſyllabarum (vel alia de cauſa) audientes non poſſunt verbum percipere, & attendere, ordinarie tantum eſſe peccatum veniale, neque obligari ad iteratam recitationem officii; niſi adſit contemptus, vel grave ſcanda-

 lum,

Digitized by Google

lum, ſeu notabilis corruptio, & deformatio verborum, in toto cantu. Vide Dian. *l. c.* Sylv. & Trull. *d.* 15. ubi ex Nav. Azor. Leſſ. & Pal. negant ſatisfacere eos, qui cum ſociis recitant ita feſtinanter, ut nondum expletis a ſocio verſiculis, ipſi incipiant, quia pars, quæ anticipatur, non communicatur cum ſocio, qui eam audire nequit. Excuſant autem ex Navar. Sa, & Suar. ſurdum, qui alios in choro canentes non intelligit, nec ſequi poteſt.

ANIMAD. LXVI. 4. Pronunciatio continuata unius horæ. *Si autem interruptio notabili tempore ſine cauſa fiat, erit tamen veniale tantum, ut ajunt* Fern. Laym. & Leſſ. *diſt.* 19. *quia ſinguli pſalmi ſuam completam ſignificationem habent.* Si juſta ex cauſa fiat, nulla culpa erit, nec repetenda priora; quod verum eſt, etiamſi animo repetendi interrupiſſes: conſilii tamen eſt, ſi interruptio longa eſſet, repetere ab initio pſalmi, vel nocturni; *imo probabile eſt, nocturnos ſingulos ſeparatim, ſaltem intra trium horarum ſpatium dici poſſe* (quod certum videtur, ſi juſta cauſa concurrat) *quia ſecundum quoſdam antiquitus ita fiebat*, ut docet Fill. t. 23. *c.* 6. & Bonac. *q.* 5. *p.* 3. Eſcob. &c. Addit Quintan. t. 8. *ſeſſ.* 3. *lectiones, ſive tres ſint, ſive novem, poſſe abſque culpa gravi, ſine cauſa, & cum hac, abſque ulla culpa dividi a pſalmodia ejuſdem matutini.* Diviſio autem matutini a laudibus non dicit interruptionem officii: unde privatim fieri poteſt ſine cauſa. Dian. *par.* 5. *t.* 14. *R.* 48. ex Bonac. Fill. Sanch. &c. Itam Trull. *l.* 1. *c.* 7. *d.* 11.

ANIMAD. XLVII. 5. *Ne invertatur ordo horarum abſque juſta cauſa: quod ſi tamen fiat, erit tantum veniale:* quia ordo iſte, ſaltem extra chorum, non eſt ſub præcepto, niſi ſecundario, & tamquam circumſtantia minoris momenti. Quod ſi autem per inadvertentiam, vel ex juſta cauſa mutes, v. gr. ut amico, vel ægro, qui tecum legere cupit, ſatisfacias, nullum erit peccatum: vel ſi in choro dicantur poſteriores horæ, cum tu necdum dixeris priores; vel ſi interim advertas te aliquid omiſiſſe, vel priorem horam nondum dixiſſe: perges enim, & ſupplebis in fine. Similiter, ſi cauſa, vel neceſſitas inſtet horas dicendi, potes dicere laudes, dilatis lectionibus, vel aliquo ſimili, quod ad manus non eſt. Vide Bon. *q.* 3 *p.* 4.

ANIMAD. XLVIII. 6. Ut, niſi juſta cauſa excuſet, dicantur tempore præfixo a jure, vel conſuetudine, *quæ nunc obtinuit, ut matutinum, & laudes abſoluto Completoria in Eccleſia, hora circiter quarta, & ſecundum Bonac. etiam tertia dicantur*: & hyeme quidem, media hora ante Solis occaſum dici poſſe, ait Fill. ex communi ſententia, cum etiam privilegium quibuſdam concedatur, ut hora ante occaſum dicant. Quod tamen non eſt ſignum, id ſine privilegio fieri non poſſe, quia talia ſæpe dantur ad tollendos ſcrupulos, & dubia, quæ ſequuntur ex varietate opinionum. Juxta eamdem ſententiam non peccabit, ait Bonacina, qui Primam, Tertiam, Sextam, & Nonam duabus, vel tribus horis poſt ortum Solis dicit: tum quia eſt moderata, & conſueta poſtpoſitio; tum quia tempus a jure præſcriptum magnam latitudinem, teſte conſuetudine, habet: erit tamen veniale, Matutinum, ſine cauſa, ad veſperum differre, vel ante prandium ſine cauſa Veſperas, & Completorium dicere: quia hæc eſt inſueta inverſio. *In Quadrageſima autem (i) Veſperæ legi poſſunt privatim poſt prandium*; cum rubrica Breviarii feria quarta Cinerum non imponat præceptum. Navar. Sanch. Trull. *d.* 18. *n.* 6.

Dixi, *ſine cauſa*: quia, ſi iter, aliave cauſa urgeat, ſecundum Cajet. & alios, omnes horæ mane dici poſſunt, uſque ad veſperas incluſive. Denique ad vitandum mortale ſufficit dici omnes a media nocte uſque ad alteram mediam noctem: prætérquamquod Matutinum pridie poſſit anticipari. *Quod*

ANIMAD. XLIX. *ſi intra dictum tempus quis horas non dixerit, peccavit quidem, non tamen tenetur poſtmodum dicere, quia ſunt onus affixum diei, etſi ſupplendo poſſit ſecundum quoſdam reſtitutionem ſubterfugere, eo quod rependat æquale.* Molfeſ. 3. *tom.* 2. item Major, Palud. Ledeſma &c. apud Henriq. *l.* 12. *c.* 13. Bonac. *d.* 1. *q.* 5. *p.* 2. *n.* 5. ubi dicit, eam ſententiam eſſe probabilem, citatque pro ea Suar. & Fill. ſed male quia hi loquuntur tantum de primo medio anno, vel ſpectato ſolo jure naturæ, & ſecluſo jure poſitivo. Expreſſa autem eam ſequitur Quintan. *t.* 8. *ſ.* 6. vocatque veriorem contrariam. Vide etiam Dian. *p.* 2. *t.* 11. *R.* 24.

7. *Ut devote, & cum attentione interna virtuali ſaltem recitentur, ſive ea ad Deum ſit, ſive ad ſenſum verborum, ſive, ut ait Cajet. ad verba ſolum.* Quam poſtremam ſufficere, recte notat Leſſ. ſuppoſito tamen animo orandi, & vacandi Deo. Unde attentionem confuſam ſaltem ad Deum, & ad verba includit, cum alioqui attentio præciſe ad ſola verba nihil ab externa attentione differre videatur. *Ita communiter contra Navarr. Sylv. & Can. qui nullam attentionem internam requirunt, ſed tantum externam, quæ excludat omnem actionem incompoſſibilem cum attentione interna, licet animo voluntarie interea diſtraharis.* Quæ ſententia, ſecundum Layman. & Leſſ. non eſt improbabilis; & utilis tum ſcrupuloſis, tum Confeſſariis, ne beneficiatis ſine attentione horas recitantibus imperent reſtitutionem fructuum, partim ob Doctorum auctoritatem, partim quod hoc præcepto tantum materiales quædam preces, earumque externa pronuntiatio (per quam, ſicut per Hymnos organo cantatos, a Deo aliquid Eccleſia poteſt impetrare) præcipi videantur; devotio vero tanquam finis præcepti extrinſecus ad ejus ſubſtantiam non pertinget. *Verum noſtra ſententia eſt communior, & probabilior.* Et probatur: ſine oratione enim interna nulla eſt oratio, ergo hoc ipſo quod ſub mortali ad orationem obligaris, ſub mortali item ad aliquam attentionem ex prædictis obligaberis. Nec refert, quod Eccleſia non poſſit per ſe actus internos præcipere; poteſt enim eos præcipere, ut ſunt neceſſarii ad actus externos debite præſtandos, ut ſunt actus virtutis. Quo modo cum poſſint præcipere confeſſionem, poteſt etiam contritionem. Dixi, *cum attentione interna virtuali ſaltem*: etſi enim melior ſit actualis, ſufficit tamen virtualis: quam Bonac. & alii communiter dicunt manare ex actuali, quamdiu non revocatur expreſſe, vel tacite per diſtractionem voluntariam, vel actionem cum debita attentione incompoſſibilem. Unde licet involuntarie diſtraharis, virtualiter tamen attendis. 1. Si in genere intenderis officium dicere modo conſueto, vel animo laudandi Deum, vel ſatisfaciendi tuo muneri. 2. *Si* cum confuſa aliqua apprehenſione, & propoſito opus conſuetum faciendi, recites. Vide Bonac. *d.* 1. *q.* 3. *p.* 3.

Ex dictis reſolves.

1. Is, qui dubitat ob avagationem mentis, an aliquid omiſerit, ſi probabilem conjecturam habeat, ſe dixiſſe, vel quia propoſuit antea attendere, vel quia ſe reperit in fine, v. gr. pſalmi, præſumere poteſt, ſe dixiſſe, ſi ex libro, vel memoria, ceteroqui non errare ſolita, dixit; proindeque melius erit, ſi non repetat, ad vitandas anxias conſuetudines, & ſcupulos, & ut totum officium ſine perturbatione decurratur. Ita Binſeld. *cap.* 11. *d.* 13. Laym. *c.* 5.

2. *Qui ſponte diſtractus nullam harum attentionum habuit, graviter peccavit, teneturque ſecundum ſententiam communem horas repetere, nec fructus facit ſuos*: ANIMAD. LI.
quia non fecit opus præceptum, quod erat, ut devote oraret. Sot. Navar Regin. Fern. Suar. Bonac. & Trull. *l.* 1. *c.* 7. *d.* 17. *ubi ex Navar. addit, excuſari a mortali eum, qui recitationem horarum ita differt, vel ita ſe componit, ut advertat ſe ſomno præoccupandum, v. gr. ſi Completorium veſperi reſervet dicendum in lecto, ſciens ſe tunc ſomno ſolere obrui. Quidam tamen Doct. paulo ante citati negant, eo caſu neceſſariam eſſe repetitionem: eo quod ſubſtantia operis ſit impleta, abſque circumſtantia devotionis. Multoque magis, ac probabilius iidem negant obligationem reſtitutionis; eo quod ad illam tantum teneantur, qui officium omiſerunt, non qui diſtracte dixerunt.* V. Bon. *l. c.* Leſſ. Laym. & Dian. *tr. de horis*, *R.* 1. & 2. Eſcob. *t.* 5. *E.* 4. *c. ult.* *n.* 62.

3. Cum recitatione officii conjungere actiones, quæ notabiliter non impediunt, v. g. induendi, abluendi, veniale eſt, ſi fiat ſine cauſa; alias nullum,

Eſcob.

Eſcob. *l. c. c.* 7. Qui vero advertenter occupat ſe in aliqua re incompoſſibili cum attentione interna, v. gr. in ſcriptione, lectione, &c. graviter peccat, & præcepto non ſatisfacit: atque adeo tenetur repetere. Nav. Suar. Bon. Trull. *l. c.*

DUBIUM III.

Quid Clerici poſſint circa diſpoſitionem fructuum ſuorum Beneficiorum?

Resp. 1. *Clerici Beneficiarii, quoad eam partem bo-*
ANIMAD. LII. *norum eccleſiaſticorum, quæ neceſſaria eſt ad congruam ſuſtentationem, & decentiam ſtatus, ita ſunt domini, ut de iis poſſint libere diſponere. Ubi recte notat Navar. hanc congruitatem, & decentiam habere latitudinem, & ſuos gradus: proindeque, ſi infimum congruæ ſuſtentationis pretium ſint floreni 300. medium 400. ſummum 500. Clericus autem infimo vivat, de reliquo libere poſſe diſponere. Ita commun. quia id acquiſivit ut ſtipendium ſuſtentationis, quaſi mercedem operis præſtiti.*

ANIMAD. LIII. Reſp. 2. *Probabilius etiam eſt, contra Nav. & multos Canoniſtas, beneficiarios non regulares* (ſecus enim eſt de regularibus, ut ait Card. Lug. *c.* 1. *d.* 4. *ſ.* 1. *n.* 2.) *abſolute eſſe dominos omnium ſuorum proventuum, ideoque, etſi in profanos uſus expendant, non teneri ad reſtitutionem.* Eſt communior inter recentiores, apud Binsfeld. Mald. & Bon. *d.* 3. *p.* 1. ex S. Thom. Sot. Mol. &c. tum quia fructus faciunt ſuos, ut ſupponit Trid. *ſeſſ.* 24. *c.* 12. tum quia alioqui non poſſent fructuum dominium in alios transferre (extra pios uſus,) omneſque eorum donationes, & contractus eſſent invalidi, & ut tales a judice declarandi, & bona Eccleſiæ reſtituenda: quod cum numquam ſit factum, præſumi non debet eſſe faciendum. Cardin. Lugo *d.* 4. *num.* 1. Quo non obſtante, teneri eos bona eccleſiaſtica, congruæ ſuſtentationi ſuperflua, expendere in pios uſus, tam eſt communis ſententia, ut Cardin. Lug. *d.* 4. *num.* 10. dicat, nimis ſingularem eſſe ſententiam Petri Hurtad. & Dian. dicentium, eos ſatisfacere, ſi (ſecluſis gravibus neceſſitatibus) erogant in communibus neceſſitatibus quartam partem redituum Eccleſiaſticorum, vel certe dimidium ejus, quod congruæ ſuſtentationi ſupereſt. V. Card. Lugo *l. c.* ubi plurimis pro ſe citatis Auct. oſtendit, Tol. Molin. & Bonac. male citati pro contraria ſententia, imo ipſummet Hurt. & Dian. in ea non perſtitiſſe, atque nulla vel auctoritate, vel ratione fulciri; ac denique ſuam multis probat, præſertim ex Trident. *ſeſſ.* 25. *c.* 5. *de ref.* oſtenditque, iſtam obligationem naſci ex jure non tantum humano, ſed etiam divino naturali. Vide etiam Bon. *l. c. p.* 2. *Porro congrua ſuſtentatio Clerici cenſetur, quæ neceſſaria eſt ad ſtatus, & familiæ ſuſtentationem, ſecundum conditionem ſtatus, gradus, dignitatis, qualitatis*, & regionis, in qua habitat. Bon. *l. c.* Mol. Laym. Card. Lugo, &c.

Unde reſolvuntur hi caſus.

1. Congrua ſuſtentatio non eſt æqualis reſpectu omnium, quia plus requirit Epiſcopus, quam Decanus; Decanus, quam Canonicus; Canonicus in Eccleſia principali, quam Parochus; debilis, & tener, quam robuſtus, & valens: & quod ſufficit in uno loco, non ſufficit in alio. Quapropter ſtandi debet ad uſum aliorum timoratæ conſcientiæ, in eodem gradu, &c. Nec obſtat, quod beneficiatus emerſerit ex humili, quominus poſſit ſtatui ſuo convenientes ſumptus facere, ut ex Mol. docet C. Lugo *l. c.* V. Bon. *l. c. n.* 8.

2. Nomine congruæ ſuſtentationis etiam intelligitur debita hoſpitalitas, non tantum in pauperes peregrinos (qui maxime commendantur Clericis a Trid.) ſed etiam urbanos, Card. Lugo *n.* 66.

3. Debita, quæ Clericus contraxit pro ſua ſuſtentatione, vel ob piam cauſam, poteſt ſolvere ex reditibus eccleſiaſticis: non item quæ contraxit ante beneficium obtentum, niſi ſit pauper. *ibid. num.* 67.

ANIMAD. LIV. 4. *Poteſt Clericus ex bonis ſuperfluis licite in ſtudiis alere ſuos conſanguineos, ſi aliunde non habent, eo quod parentes vel nolint, vel non poſſint alere in ſtudiis.* *ibid.* & Bonac. *p.* 2. *n.* 13.

5. Si habet ſorores pauperes, vel filios ſpurios, ex fructibus Beneficii dotare licet, ſi aliunde non poteſt: quia naturali jure debet illis alimenta, in quorum locum ſuccedit dos. Mol. Binsfeld. &c. Cavendum tamen ſub mortali, ne vel illas notabiliter ſupra ſtatum exaltet, vel hos legitimis æquet: etſi nobilis plus poſſit dare, quam alius infimæ ſortis. V. Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 3. *n.* 4.

6. *Si bona ſuperflua expendant in uſus profanos, v.* ANIMAD. LV.
gr. in venationes, canes, equos, paraſitos, ludiones, luxum, in amicos, cognatoſque ditandos, &c. (*quod intellige de quantitate notabili in genere prodigalitatis, quæ longe major eſt, quam in genere furti*) *graviter peccat quidem, non tamen tenetur ad reſtitutionem: quia eſt dominus fructuum; & conſequenter neque is, qui accepit.* Ita contra Nav. &c. communiter Doctor. alii ex Trid. *ſeſſ.* 21. *c.* 1. Azor. *t.* 2. *l.* 7. *c.* 8. *q.* 2. Vide Laym. *l.* 4. *t.* 2. *c.* 3. *n.* 4. Bon. *d.* 4. *p.* 3. *n.* 9. & *p.* 4. *n.* 1. &c.

Quæres 1. Quæ teneantur in pios uſus expendere?

Reſp. Ea omnia, quæ acceperunt ſive ab Eccleſia, ſive ab aliis, tanquam procuratores cultus divini; non autem illa, quæ vel in cultum divinum ublata non ſunt, vel jam ab Eccleſia in cultum divinum ſunt expenſa. Card. Lugo *d.* 4. Ratio eſt, quia priora habent annexam obligationem Religionis, poſteriora non, vel ſi habuerint, ea jam eſt extincta per expenſionem in pios uſus.

Unde reſolves.

1. *In profanos uſus expendi poſſunt a Clericis bona* ANIMAD. LVI.
patrimonialia, atque, quæ hereditate, induſtria, donatione, aliove modo, ut Laici, acquirunt; *vivendo interim ex beneficiis. Item quaſi patrimonialia, hoc eſt, quæ acquirunt quidem ut Clerici, non tamen ut reditus beneficii, ſed ut ſtipendia alicujus officii clericalis, v. gr. ratione concionis, pro Miſſa, funere, officio defunctorum, adminiſtratione Sacramentorum, anniverſariis &c.* Sanch. Card. Lugo *l. c. n.* 13. Bon. *p.* 2. *n.* 16.

2. *Probabilius eſt, in profanos uſus poſſe expendi* ANIMAD. LVII.
diſtributiones, ſive præſentias (ut vocant) quæ beneficiariis ob præſentiam in Choro diſtribuuntur. Ita Syl. Bonac. Card. Lugo *n.* 24. Bon. *p.* 2. *n.* 17. contra Sanch. &c.

3. *Fructus, qui dantur ob Capellaniam, vel Vica-* ANIMAD. LVIII.
riam non collativam, ſed ad nutum amovibilem, poſſunt expendi in uſus profanos: quia non ſunt fructus beneficii (hoc enim confertur per collationem canonicam) ſed bona quaſi patrimonialia. Vide Card. Lugo *n.* 28.

4. *Probabiliter etiam Penſionarius licite ſuam pen-* ANIMAD. LIX.
ſionem expendit in uſus profanos; quia eam Papa extrahit ex reditibus beneficii, & dat alteri, qui id beneficium non habet. C. Lugo *l. c.* contra Bon. &c. Secus eſt de eo, qui beneficium habet in commendam, quia ſubſtituitur loco beneficiarii. *ibid.*

5. *Partem, quam Clericus parce vivendo ſibi ſervat* ANIMAD. LX.
ex congrua ſuſtentatione, licite expendit in uſus profanos, quia expenſa eſt jam ante in uſus pios. *ibid.* & Bon. *d.* 4. *p.* 2. *n.* 14. ex Molin.

Quæres 2. Quid intelligatur nomine uſus pii?

Reſpond. Qui vel ad cultum divinum, vel miſericordiam ſpiritualem, aut corporalem ordinatur, verbi gratia ad cultum templorum, neceſſitatem pauperum, hoc eſt eorum, qui non habent neceſſaria ſive ad naturam, ſive ad ſtatum ſervandum; item in uſum Religioſorum, in Capellanias, Miſſae, ſuffragia pro defunctis, hoſpitalia, &c.

Unde reſolvuntur ſequentes caſus.

1. Si Clericus ſuperflua expenderit in uſus profanos, v. g. emerit ſibi bona immobilia, non poteſt hæc retinere, quia obligationi bonis ita annexæ non ſatisfecit; & adhuc poteſt ſatisfacere, cum bona empta pretio æquivaleant. Cardin. Lugo *n.* 43. V. Bon. *num.* 20.

2. *Qui in uſum profanum a Clerico bona accipit do-* ANIMAD. LXI.
no, ex ſuperfluis, poteſt excuſari a peccato, ſi eum non induxit ad talem donationem, neque per eam Clericus redditur impotens ad ſuperflua expendenda in uſus pios.

V.

V. Card. Lugo *nn.* 40. Quia Clericus *ex* patrimonialibus, vel quaſi patrimonialibus poteſt ſubſtituere.

3. Clerici quidem ex conſuetudine multis locis recepta, licite poſſunt teſtari de reditibus beneficio-

ANIMAD. LXII. rum, non tamen, niſi ad cauſas pias: *etſi enim, ubi conſuetudo invaluit, etiam in uſus profanos valide teſtentur*, peccant tamen mortaliter. V. Leſſ. *l.* 2. *c.* 19. *d.* 4. Laym. *l. c.* Bonac. *d.* 4. *p.* 3. *n.* 2. & 5. Trid. *ſeſſ.* 2. *c.* 1. *de ref.* & ſequitur ea dicta. *Niſi tamen fecerint cum facultate Papæ; quæ licet ſuperveniat teſtamento jam condito, facit tamen illud convaleſcere.* V. Sanch. Sal. Dian. *p.* 8. *t.* 3. *R.* 99. ſupra *l.* 3. *t.* 5. *c.* 4.

D U B I U M IV.

Quis ſit habitus Clericorum, quæ artes, officia, actiones iis prohibeantur?

ANIMAD. LXIII. Reſp. 1. *Clericos majoribus ordinibus initiatos, vel etiam minoribus, ſi habeant beneficium, quoad habitum obligari ad ferendam tonſuram, & veſtem clericalem*, quæ non debet eſſe virgata, in qua diverſi coloris virgæ ducantur, nec partita, ſeu diſſecta.

Reſp. 2. Quoad artes, prohibentur macellariorum, tabernariorum, joculatorum; quorum etiam

ANIMAD. LXIV. ludis, uti & baſtiludiis prohibentur intereſſe. *Item medicorum, aut chirurgorum, ubi opus eſt inciſione, aut aduſtione; niſi, ut habet Nav, erga pauperes, aut propinquos, aut in neceſſitate.*

ANIMAD. LXV. Reſp. 3. *Quoad officia, prohibetur* (*ſi ſint beneficiati, vel initiati ſacris*) *officium Judicis in cauſa ſanguinis, Advocatorum, Patronorum, Tabellionum, ſeu Notariorum, in placitis ſæcularibus. Quod addo, quia in ſpecialibus quibuſdam caſibus hæc licent; v. g. advocare pro perſonis conjunctis, & miſerabilibus.* Ratio autem eſt, quia Clericus non debet ſe immiſcere negotiis ſæcularibus. Sayr. *l.* 12. *c.* 23. *n.* 6. (qui tamen concedit inſtrumenta ab eo facta valere) Bonac. *in prac. d.* 10 *q.* 1. *p. ult.* Laym. *l.* 2. *t.* 1. *c.* 8. *n.* 4. *& notat conſuetudine inductum eſſe, ut officio Cancellarii, Conſiliarii, imo etiam Judicis fungi poſſint in cauſis civilibus.*

ANIMAD. LXVI. Reſp. 4. Quoad actiones prohibentur arma portare, *niſi in itinere, tabernas intrare, venationi clamoſæ vacare* (*quod addo, quia venatio ſine ſtrepitu, recreationis cauſa, permittitur*) accipitres, vel falcones alere pro venatione, aleâ, aut taxillis ludere, mercaturam, aut negotiationem lucri cauſa (non tamen neceſſitatis) exercere, cohabitare mulieri, niſi ſit mater, ſoror, amita, aut certa talis, quacum nullum periculum, aut ſcandalum immineat. Leſſ. *l.* 2. *c.* 5. *d.* 9. *n.* 40. *Caj. tamen v. Clericus, contra Ang. & Nav. docet, horum, & ſimilium tranſgreſſionem non eſſe mortalem, ſi abſit temeritas, contumacia, contemptus, & ſcandalum.* Vide Laym. *l.* 5 *t.* 3. *c.* 12. *n.* 2. *&* 3. *Nec refert, quod tranſgreſſor ſit excommunicandus, quia hæc pœna eſt ſententiæ ferendæ, quam non niſi contumax poſt monitionem incurrit.* Quod tamen univerſim Nav. putat eſſe laxius, maxime cum Canones utantur verbo, Præcipio. Unde ait eſſe mortale, ſi habitum, vel tonſuram non geſtent. Quod reſtringit Bon. *d.* 8. *de ſacr. qu.* 1. *p. ult. n.* 8. ſi ſint initiati majoribus ordinibus, aut habeant beneficium, & tonſuram, vel habitum longo tempore, abſque juſta cauſa, non geſtent, tunc enim peccare mortaliter; citatque pro ſe Reg. Navar. Vaſq. Negant tamen Syl. & Lay. *l. c.* ſi non ſit notabilis exceſſus ſupra loci conſuetudinem. Negotiari vero eſſe mortale, concedit idem Laym. *l.* 3. *t.* 4. *c.* 17. & alii commun. Sed de hoc v. ſupra *l.* 3. *c.* 3. *d.* 7. de emptione, & venditione.

N O T Æ.

(a) *Beneficium Eccleſiaſticum eſt jus perpetuum* &c.

Huic definitioni perſpicuitatis gratia, cum Anaclero t. 3. juris can. p. 60. n. 6., adde *perſonæ Eccleſiaſticæ*, ſeu Clerico ſaltem prima tonſura initiato; quia nemo alius beneficii Eccleſiaſtici capax eſt, ut habet quoque Buſ. hic a. 3. R. 1.

(b) *Quæres* 2. *quando patronus* &c. *Reſp.* &c.

Buſ. reſponſio certa eſt. Nam, ut alia jura omittantur, Bonif. VIII. cap. un. t. 19. lib. 3. in 6. ait. *Verum licet patronus laicus ad præſentandum tempus habeat quadrimeſtre dumtaxat; Eccleſia tamen, ſeu Monaſterium, cui facta eſt a laico juris patronatus collatio, tempus habet ſemeſtre.* Hoc porro tempus non a die vacationis beneficii, ſed notitiæ ejuſdem vacationis computandum eſt ex communi ſententia, pluribus Rotæ deciſionibus confirmata apud Anacl. t. 3. juris can. p. 565. n. 55., & certa ex Innoc. III. cap. 5. t. 8. lib. 3. decr., ubi ita definit. *Semeſtre autem tempus non a tempore vacationis Præbendarum, ſed notitiæ ipſius potius volumus computari.*

Quoad devolutionem quoque, de qua Buſ. *Intra quos, niſi fiat* &c., *beneficium* &c. res eſt definita. Nam Inn. III. cap. 27. t. 38. lib. 3. decr. de patronatu laico in litem deducto loquens, ſi intra quatuor menſes lis non fuerit finita, *ex tunc*, inquit, *Eccleſiam ipſam de Perſona idonea non differas ordinare; ita quod*, addit, *illi ex hoc non debeat in poſterum præjudicium generari, qui jus evicerit patronatus.*

Alex. vero III. cap. 22. t. cit. quoad Eccleſiaſticum patronatum inquit: *Illas autem Eccleſias*, de quarum patronatu controverſia fuerit, *ſi intra ſex menſes, poſtquam vacaverint, non fuerit controverſia terminata, licitum tibi ſit de perſona idonea ordinare.* Quod ſi hoc verum eſt, cum præſentationis prorogatio ex lite oritur, qua in ſpecie jus incertum ponitur, nec præſentatio fieri poteſt; multo magis hoc idem locum habet, cum dilatio ex Patronorum negligentia ortum habet.

(c) Reſp. 1. *Si Patronus* &c. *poterit Prælatus inſtituere, utrum maluerit, ſi* &c. *ſi tamen patronatus ſit eccleſiaſticus* &c.

Hæc vera ſunt, ſi ambo præſentati æque digni habeantur, ut tradit Lucius III. cap. *Cum autem* 24. t. 38. l. 3. Dec., ubi ait. *Cum autem advocatus Clericum idoneum Epiſcopo præſentaverit, & poſtulaverit poſtmodum eo non refutato* (idem dicas, ſi prior refutetur; quia, ut recte ait Buſ., *Præſentatio ſecunda non facit irritam primam, nec contra*) *alium æque idoneum* (ſummus Pontifex de æque idoneis explicata loquitur) *in eadem Eccleſia admitti, quis eorum alteri præferatur, judicio Epiſcopi credimus relinquendum, ſi laicus fuerit, cui jus competit præſentandi, verum ſi Collegium, vel eccleſiaſtica perſona præſentationem haberet, qui prior eſt tempore, jure potior eſſe videtur.*

Nam ſi alter altero dignior ſit, hic ſine dubitatione ex juſtitiæ jure, & Eccleſiæ utilitate ita poſtulante præferendus eſt; qua de re conſule animad. 2. in cap. 3. lib. 5.

Dixi cum Buſ., præſentationem ſecundam non irritare primam, etiamſi prior a præſentante refutetur; at in hac ſpecie accuratior diſcuſſio de dignitate præſentatorum habenda eſt; quia dum prior præſentatus refutatur, a Patrono re melius penſata minus idoneus judicari videtur.

(d) *Si ex duobus patronis* &c. *poteſt collator* &c. Hoc quoque locum habet, ubi ambo æque digni ſunt. Nam poſita impari dignitate, collator digniorem inſtituere tenetur ex mox dictis, & ut præclare docet Nat. Alex. Theol. t. 2. p. 13. reg. 23.

(e) *Si multi* &c., *is inſtituendus eſt, in quem* &c.

Valet quidem inſtitutio ejus, in quem plures conveniunt, dum dignus ſit, etiamſi alii ſint digniores, ut ex communi ſententia habet Anacl. t. 3. juris can. p. 570. n. 92.; at, cum merita ſunt inæqualia, juſtitiæ, & bono communi ſemper repugnat, qui inferiorem meritis ſuperiori præfert, etiamſi illi plura Patronorum vota faveant.

Syn. Later. (cap. 3. *Quoniam* t. 38. l. 3. decr.) an. 1179. ita definit. *Præſenti decreto ſtatuimus, ut, ſi forte in plures partes fundatorum ſe vota diviſerint, ille præficiatur Eccleſiæ, qui majoribus juvatur meritis, & plurimorum eligitur, & approbatur aſſenſu.* Cum major dignitas cum pluribus Patronorum votis conſentit, res extra controverſiam eſt. At ſi illa cum his collidatur, ea certe præferenda eſt; quia præſentatio minus digni illicita eſt; præſentatio dignioris non ſolum eſt licita, ſed valde laudanda. Ergo non ille, in quem plures conveniunt, ut Buſ. abſolute loquendo male loquitur, inſtituendus eſt, ſed qui majoribus juvatur meritis.

(f) *Ut ſit Clericus non illegitimus* (*cum quo tamen Epiſcopus* &c.)

Id certum eſt ex Bonif. VIII. cap. 1. t. 11. in 6., ubi ait. *Is, qui defectum patitur natalium, ex diſpenſatione Epiſcopi licite poteſt* (*ſi ei aliud canonicum non obſiſtat*) *ad ordines promoveri minores, & obtinere beneficium, cui cura non imminet animarum, dummodo ſit tale, ſuper quo per ipſum Epiſcopum valeat diſpenſari.*

Buſ. *Non improbus, aut facinoroſus.* An ſi nec bonus, nec malus ſit, ſed mediam quandam morum viam inſiſtat, beneficii capax erit putandus? Syn. Trid. ſeſſ. 23.

cap.

cap. 5. de ref. ait: *Ad minores ordines promovendi bonum a Parocho, & a Magiſtro ſcholæ, in qua educantur, teſtimonium habeant*: ergo multo magis promovendi ad beneficia.

Porro bonum mihi certe teſtimonium non videretur, ſi Parochus, & Magiſter teſtarentur, Titium nec improbum, nec facinoroſum eſſe; nec unquam auctor eſſem, ut Epiſcopus tali teſtimonio contentus, illum minoribus ordinibus initiaret, multoque minus beneficium ei conferret.

Bul. *Ætatem legitimam*... *ſcilicet pro beneficio ſimplici annos* 14. ita Syn. Trid. cap. 6. ſeſſ. 23. cit., ubi ait. *Nullus prima tonſura initiatus, aut etiam in minoribus ordinibus conſtitutus, ante decimum quartum annum beneficium poſſit obtinere*.

Bul. *Sufficere tamen* 14. *inchoatum*, *docet* &c.

„ Id a Sacra Congregatione fuiſſe deciſum, refert „ Garcias.. ac tenet Barboſa... citans plurimos alios." Anacl. t. 1. juris can. p. 205. n. 215.

Videlicet qui 14 annum inchoavit, ante hunc annum non eſt. Ergo ex vi legis Trid. beneficium obtinere non prohibetur.

(g) *Hinc beneficia diſtinguuntur in incompatibilia primi generis, in quibus* &c. *& in incompatibilia ſecundi generis, quæ etſi ſine peccato* &c. *primum tamen altero obtento non vacat*, nec tamen ſimul retineri poſſunt, ſed datur optio habenti, ut eligat retinendum, & alterum dimittat aut ſponte, aut per Judicis ſententiam, ut habet Anacl. t. 3 juris can. p. 92. n. 286. Hujus rei exemplum habetur cap. 7. *Referente* t. 5. l. 3. decr., ubi Alex. III. de Presbytero duas Eccleſias habente loquens ait: *Tibi mandamus, quatenus præſcripto* ſ. *de prædictis Eccleſiis una, quam maluerit, relicta, alteram* &c. hoc eſt alteram jubet alteri aſſignari. At hæc optio ab Alex. III. conceſſa anno 1180., ſublata fuit ab Innoc. III. anno 1216. cap. 28. *De multa* eodem tit., ubi ita definit. *Præſenti decreto ſtatuimus, ut quicumque receperit aliquod beneficium curam habens animarum annexam, ſi prius tale beneficium habebat, eo ſit ipſo jure privatus; & ſi forte illud retinere contenderit, etiam alio ſpolietur*. Loquitur ſine ulla exceptione, aut limitatione.

Nihilominus optio, de qua ſermo eſt, ex indulgentia temporibus malis ita poſtulantibus conceſſa fuit tempore quoque Synodi Sacræ Trid. ſeſſ. 24. cap. 17. de ref., ubi dicitur. *Illi vero, qui in præſenti plures parochiales Eccleſias, aut unam Cathedralem, & aliam parochialem obtinent, cogantur omnino, quibuſcumque diſpenſationibus, ac unionibus, ad vitam* (quæ malis artibus impetrantur) *non obſtantibus, una tantum parochiali, vel ſola Cathedrali retenta, alias parochiales infra ſpatium ſex menſium dimittere: alioquin tam parochiales, quam beneficia omnia, quæ obtinent, ipſo jure vacare cenſeantur*, &c.

Beneficia, quæ jure obtineri nequeunt, jure retineri nequeunt. Apoſtolicæ diſpenſationes, ſi juſta adſit diſpenſandi cauſa, valent, ut jure obtineantur, & jure retineantur. Artes quoad ſæculi homines bonæ ſunt, quoad Chriſti tribunal flagitioſæ. Hominum avaritiæ, quæ eſt idolorum ſervitus, & ambitioni ego homunculus nomine Theologus fræna ſatis valida adhibere non poſſum. Beneficiis onuſti ad tartara ruere volunt, & ruunt, non obſtante diſpenſatione, aut alio prætextu, quia illud Apoſtoli *habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſimus*, aliis forte annuntiant, ſibi vero, quaſi ad Eccleſiaſticos homines non pertineat, accommodare nolunt.

La-Croix t. 2. n. 896. ait. *Beneficia*,... *ſunt incompatibilia vel ſimpliciter, ſi unum ipſa jure excludat alterum; vel ſecundum quid, ſi poſſint quidem haberi ſimul, ſed non licite*. At ſi *non licite*, ergo unum ipſo jure excludit alterum. An quod non licet, poteſt non eſſe contra jus? Videlicet non licet, eſt contra jus, ſunt ſynonima. Non licet, non eſt contra jus, ſunt contradictoria. Hinc P. Zacch. t. 2. La-Croix ad n. 924. ita habet. „ In eadem Aquilana, ut refert Lanfredinus t. 5. „ theſ. Reſol. p. 241. ad dubium ſic propoſitum, " *obtineas beneficium Eccleſiaſticum ſufficiens ad honeſte ſuſtentandum, fuit inſtitutus ab Epiſcopo ad aliud beneficium juriſpatronatus ad præſentationem patroni laici, & utrumque beneficium retinuit, eorumque fructus percepit per duos annos abſque diſpenſatione Apoſtolica; quæritur, quodnam ex dictis beneficiis vacaverit? Reſpondit Sacra Congregatio, utrumque ipſo jure vacaſſe*. Utrumque enim licite retineri non potuit: ergo utrumque contra jus retentum fuit; quod idem eſt, ac utrumque ipſo jure vacaſſe.

(h) 3. *Ut fiat in manibus* &c. 4. *Ut acceptetur a Prælato* &c. Hæc corrigenda ſunt juxta animad. 13.

(i) *In Quadrageſima autem Veſp. legi poſſunt privatim poſt prandium, cum* &c.

Idem habet La-Croix, qui præter citatos a Buſ. alios pro hac ſententia appellat t. 2. p. 114. n. 1316., & Gavantus ſeſſ. 6. cap. 10. n. 6. „ Imo, ſubdit La-Croix, „ congruentius eſt ita fieri." Ego congruentius puto, privatam recitationem publicæ conſonam.

Animadverſio I.

Quia in beneficio duo jura a ſe mutuo ſeparabilia diſtinguuntur.

Duo jura, hoc eſt jus percipiendi reditus eccleſiaſticos, & jus, ac debitum muneris ſpiritualis, mente quidem in beneficio ſeparabilia ſunt, reipſa tamen, & jure ſeparari nequeunt; quia qui ſpirituale munus, ut adminiſtrandi ſacramenta, Miſſam celebrandi, pſallendi in choro &c. non obit, jus non habet percipiendi fructus beneficii; quos ſi reipſa perceperit, veluti injuſte perceptos reſtituere debet. Et ratio eſt, quia jus percipiendi fructus beneficii eo principali, ac unico fine conceditur, ut ſpirituale munus ad Dei cultum, & animarum ſalutem obeatur. Hinc cap. *Quia per ambitioſam* in ſex. l. 1. t. 3. Boniſ. VIII. ait: *Et officium plerumque, propter quod & beneficium eccleſiaſticum datur, omittitur*; & Syn. Trident. ſeſſ. 21. c. 3. de reform. inquit: *Cum beneficia ad divinum cultum, atque eccleſiaſtica munia obeunda ſint conſtituta* &c.; at ceſſante fine principali, & unico, cujus cauſas jus percipiendi fructus eccleſiaſticos conceditur, neceſſe eſt ut tale jus ceſſet, & intereidat: ergo qui eccleſiaſtica munia non obit, jus percipiendi fructus beneficii non habet. Hinc S. Paulus 1. ad Cor. 9. ait: *Neſcitis, quoniam qui in ſacrario operantur, quæ de ſacrario ſunt, edunt, & qui altari deſerviunt, cum altari participant?* contra vero *ſi quis*, dicit idem Ap. 2. ad Theſſ. 3. *non vult operari, nec manducet*. Quare concilium Colon. anni 1549. t. 3. tit. 9. (apud Genett. Th. t. 2. p. 3. q. 1. ita habet: *Divini juris eſt, ut qui ſervit altari, de altari vivat; nec bono jure is, qui non ſervit altari, de altari vivit, ſicut ſtipendium non debetur niſi militanti*.

Animadverſio II.

Quæres 1. *quid, & quotuplex ſit jus patronatus? Reſp.* 1. *eſſe poteſtatem* &c. *Reſp.* 2. *eſſe duplex* &c.

Qui accuratiorem juris patronatus notionem, & diviſionem cupit, adeat Anacletum t. 3. juris can. p. 564., vel alios juris canonici interpretes.

Jus enim patronatus eccleſiaſticum non ſolum eſt, cum quis ex bonis eccleſiaſticis Eccleſiam conſtruxit, vel dotavit, ſed etiam quod communitati, vel perſonæ eccleſiaſticæ competit ratione Eccleſiæ, dignitatis, aut beneficii, quod habet, ut ex communi, & certa ſententia habet idem Anacl. p. 565. n. 49.

Et jus patronatus laici, quod &c. *quia ex bonis* &c. *fundavit, vel dotavit, vel erexit*.

Dum Buſ. ita loquitur, pro fundamento habet, juſpatronatus tribus modis acquiri, hoc eſt *fundatione*, prout accipitur ut diſtincta ab erectione, ſeu conſtructione Eccleſiæ, *dotatione*, & *erectione*, ſeu ædificatione Eccleſiæ; quæ ſententia teſte Anacleto t. 3. juris can. p. 559. n. 4. communiſſima eſt, anſamque præbuit trito illi verſiculo:

Patronum faciunt dos, ædificatio, fundus.

Ego quidem communiſſimæ ſententiæ repugnare aperte non audeo; meas tamen dubitandi rationes expono, ut ſolido, & æquo judicio librentur.

Fundatio, ut titulus diſtinctus ab ædificatione, & dotatione, ſumitur, prout eſt datio, ſeu donatio fundi, vel ſoli, in quo Eccleſia ædificetur: at donatio fundi, in quo Eccleſia ædificetur, res eſt parvi momenti, nec ea æquo judicio digna, cui juſpatronatus tribuatur. Ergo fundationi, prout explicata eſt, & explicatur, juſpatronatus non competit. Conſulamus hac de re jura eccleſiaſtica. Syn. Trident. ſeſſ. 15. c. 12. de reform. ita loquitur. *Nemo etiam cujuſvis dignitatis eccleſiaſticæ, vel ſæcularis quacumque ratione, niſi Eccleſiam, beneficium, aut Capellam de novo fundaverit, & conſtruxerit, ſeu jam erectam, quæ tamen ſine ſufficienti dote fuerit, de ſuis propriis, & patrimonialibus bonis competenter dotaverit, juſpatronatus impetrare, aut obtinere poſſit, aut debeat*. Hic ego æquiſſimos homines opinionibus minime præoccupatos poſtulo Synod. Trident., ut quis juſpatronatus acquirere poſſit, poſtulat, ut quis de novo Eccleſiam fundaverit, & ſimul conſtruxerit; nec ſola fundatione contenta eſt. Loquitur enim copulativa adhibita particula &, non disjunctive, quo ſenſu cum loqui vult, utitur particula disjunctiva *ſeu*, *ſeu jam erectam* &c. Fruſtra ergo Anacl. contendit, Synodum uti particula &, & *conſtruxerit*, disjunctive. Cur enim illud & disjunctive accipiat, cum eodem loco uſurpet *ſeu*, quando disjunctive intelligi vult? Hæc ipſa particularum

varia-

variatio eodem contextu uſurpata, ſenſus variationem ſatis indicat.

Præterea illud *fundaverit* non eſt idem, ac fundum, ſeu ſolum dederit, ſed idem, ac fundamenta jecerit; quia *fundare* (italice *fondare*) ſonat, fundamenta jacere ſeu facere, & per Synecdochem totum ædificium conſtruere. Senſus ergo ſacræ Synodi eſt, ad acquirendum juſpatronatus non ſufficere, ut Eccleſiæ fundamenta fiant, ſed neceſſarium eſſe, ut Eccleſia conſtruatur. Hinc ſacra Syn. ibidem ſubdit: *In caſu autem fundationis, aut dotationis, hujuſmodi inſtitutio Epiſcopo, & non alteri inferiori reſervetur.* Hic duos tantum titulos acquirendi juriſpatronatus agnoſcit, hoc eſt fundationem, quæ idem eſt, ut ſe ipſa explicuit, ac Eccleſiæ ædificatio, & dotationem; idque repetit ſeſſ. 25. cap. 9. de reform. ubi ait; *Decernit S. Synodus, ut titulus juriſpatronatus ſit ex fundatione, vel* &c. Fundi ergo datio non tribuit juſpatronatum, ſed fundatio, hoc eſt conſtructio Eccleſiæ.

Adverſarii æquivocatione laborant, dum objiciunt cap. 32. *Decernimus* cau. 16. q. 7. ubi dicitur: *Decernimus, ut quamdiu fundatores Eccleſiarum in hac vita ſuperſtites extiterint, pro eiſdem locis curam permittantur habere ſollicitam, atque rectores idoneos iiſdem baſilicis, iidem ipſi offerant Epiſcopis ordinandos.* Nec enim *fundatores Eccleſiarum* (vulgo *fondatori delle Chieſe*) ſunt datores ſoli, ſeu fundi Eccleſiarum, ſed earum conſtructores; qui eſt obvius, & genuinus ſenſus eorum verborum. Et hoc ſenſu loquitur Concilium Lateranenſe cap. *Quoniam* lib. 3. decret. tit. 38. inquiens: *Quoniam in quibuſdam locis fundatores Eccleſiarum, aut heredes eorum, poteſtate, in qua eos Eccleſia hucuſque ſuſtinuit, abutuntur* &c.

Igitur Eccleſiæ fundatio eſt legitimus titulus acquirendi juſpatronatus, ſi ſumatur, prout dictio latina, & ſenſus communis poſtulat, pro Eccleſiæ ædificatione, non pro fundi datione, quem ſenſum nec latina locutio, nec ſenſus communis patitur, nec ex ſacris canonibus, nec ex Tridentina Synodo peti poteſt, ex qua imo contrarium eruitur, ut oſtenſum eſt.

Animadverſio III.

De ætate neceſſaria ad beneficia, legenda eſt S. Syn. Trident. juxta quam ſeſſ. 24. cap. 8. de reform. *Pœnitentiarius* debet eſſe *annorum quadraginta, ſeu alius qui aptior pro loci qualitate reperiatur.* Item ex eadem cap. 12. *Nemo igitur deinceps ad dignitates quaſcumque, quibus animarum cura ſubeſt, promoveatur, niſi ſaltem 25. ſuæ ætatis annum attigerit* &c. *Decernentes*, inquit Greg. X. in Conc. Lugdunenſi cap. *Licet* 14. tit. 6. in ſext. l. 1. *collationes de parochialibus Eccleſiis iis, qui non attigerint 25. annum, de cetero faciendas, viribus omnino carere.*

Subdit ſacra Syn. Trid. *Ad ceteras autem dignitates, vel perſonatus, quibus animarum cura nulla ſubeſt, Clerici aliaquin idonei, & 22. annis non minores adſciſcantur.* Tum ait: *Neminem etiam deinceps ad dignitatem, canonicatum, aut portionem recipiant, niſi qui eo Ordine ſacro ſit initiatus, quem illa dignitas, præbenda, aut portio requirit, aut in tali ætate, ut infra tempus a jure, & ab hac Sancta Synodo ſtatutum initiari valeat.* Porro eadem S. Syn. ſeſſ. 7. cap. 12. de reform. quoad hoc ita ſtatuerat. *Facultates de non promovendo, præterquam in caſibus a jure expreſſis, conceſſæ ad annum tantum ſuffragentur.*

In his tamen &c. *multi excuſantur, vel quia illud jus non eſt ubique receptum, vel quia bona fide tres annos fuerunt in poſſeſſione* &c.

Divini, & naturalis juris eſt, uti oſtendimus in hoc dub. 2. ſ. §. 1., ut nemo beneficii fructus percipere valeat, niſi munera eidem annexa obierit: ergo qui ætatis, & ordinum defectu eadem munera obire non poteſt, beneficii incapax jure naturali, & divino eſſe videtur. Incapacitas quidem ſuſcipiendi ordines neceſſarios propter ætatis defectum ex jure poſitivo oritur: at poſita hac incapacitate juris poſitivi, juris naturalis, & divini eſt, ut incapax ordinum neceſſariorum a beneficio arceatur: ergo Tridentina lex, de qua loquimur, jus naturale, & divinum involvit, & includit; ideoque contrario uſu, qui malus eſt, ei derogari non poteſt.

Triennalis pacifica poſſeſſio, dum ſimoniæ vitio ingreſſus vacaverit, & poſſeſſor in beneficia, ſi diſpoſitioni Apoſtolicæ ex reſervatione generali in corpore juris clauſa, reſervata fuerint, ſe non intruſerit, valet, ne idem poſſeſſor ſuper eiſdem beneficiis moleſtari poſſit, ut habet regula Cancellariæ Apoſtolicæ de triennali, quam refert Anacl. t. 3. juris can. p. 521.

Quod attinet ad peccatum, difficile eſt ut bona fides excuſet. Si enim clerici beneficia conſequi velint, cognoſcere tenentur quæ ſunt neceſſaria, ut legitime obtineri queant; hujuſmodi enim cognitio ad ſtatum perſonæ pertinet: ergo oppoſita ignorantia, culpæ merito vertitur. Bona fides, quæ jactatur, ex nimio deſiderio conſequendi beneficia, hoc eſt ex avaritia, & ambitione oriri ſolet; ex quo fit, ut omittatur debita inquiſitio eorum, quæ ſunt neceſſaria, ut beneficium rite acquiratur, & conſulantur palpones, qui lucri ſpe viam ſternant ad beneficium obtinendum poſthabita ſollicitudine, ut legitime obtineatur.

Animadverſio IV.

Qui recipit beneficium quodcumque &c. *tenetur habere voluntatem ſaltem conditionatam clericandi, & ſacrum Ordinem accipiendi* &c.

Primo certum eſt, voluntatem conditionatam, aut etiam abſolutam clericandi non ſufficere, ut beneficium recipi poſſit. Qui enim reipſa clericus non eſt, beneficii capax non eſt.

At ne in Clerico quidem voluntas conditionata ſacrum Ordinem ſuſcipiendi intra tempus a jure præſcriptum ſufficit. Nam, ut vere, ac pie ait P. Concina Th. t. 10. p. 552. n. 13. „ qui beneficium accipiunt, vel retinent „ cum animo dubio, & conditionali ſuſcipiendi Sacerdotium, ſi frater habuerit ſucceſſionem, ſi illa hereditas non advenerit &c. peccant mortaliter, & fructus perceptos reſtituere tenentur; (qua de re infra) „ quia iſti fraudulenter (hoc eſt contra Eccleſiæ mentem, quam ſuis malis artibus decipiunt) fructus percipiunt, & beneficia reipſa ideo accipiunt, ut propriæ „ cupiditatis, avaritiæ, & ambitionis inſtrumenta ſint. „ Iſti omni prorſus Dei vocatione carent. “ Hactenus ille. Et ſane cur ſacra Synodus Tridentina mox citata in promovendo ad beneficium, cui ſacer Ordo annexus eſt, eam ſaltem ætatem poſtulat, ut infra tempus a jure, & ab ipſa ſtatutum eo initiari poſſit? ut ſcilicet ſuo tempore ſacrum Ordinem ſuſcipiat, ideoque, cum promovetur, abſolutam voluntatem habeat illum ſuo tempore ſuſcipiendi: ergo qui voluntatem abſolutam non habet, ſed conditionatam, Eccleſiæ aperte illudit, & beneficium fraudulenter accipit.

At inquit Buſ. *Dixi 2. Non eſt mens Eccleſiæ, ita ad eccleſiaſticum ſtatum obligare, ut hæc, & ſimilia bona* (opitu matrimonii ad conſervationem familiæ nobilis, vel ad lites graves ſopiendas) *impediantur.*

Reſp. Hoc perinde eſt, ac ſi Buſ. dixerit, Eccleſiæ menti non repugnare, ut eccleſiaſtica beneficia, prout terrenarum rerum ratio, & commodum poſtulat, accipiantur, retineantur, dimittantur. Hoc perinde eſt, ac ſi dixerit, non eſſe Eccleſiæ menti contrarium, ut ſpiritualia corporalibus, divina humanis, ſacra profanis ſubjiciantur. Hæc ne ſana argumentatio, & doctrina?

Eccleſia neminem abſolute loquendo obligat ad ſtatum eccleſiaſticum, ſed eos tantum, qui eccleſiaſticis beneficiis, quæ ſine ſtatu eccleſiaſtico obtineri nequeunt, potiri volunt.

Quod ſi tamen, mutata voluntate, ante finem anni Sacerdos fiat, fructus retinere poteſt.

Contrarium cum Soto, & Tuleto ſentit Concina loco mox citato; at cum Buſemb. teſte eodem Concina ſentiunt Salmant. Sanch. Leſſ. Nav. & alii; quorum ſententia mihi verior videtur, quia ſacris canonibus conformior.

Nam Bonif. VIII. cap. *Commiſſa* 35. in ſext. lib. 1. tit. 6. ita inquit: *Ceterum ſi promoveri ad Sacerdotium non intendens, parochialem receperis Eccleſiam, ut fructus ex ea per annum percipias, ipſam poſtmodum dimiſſurus* (*niſi voluntate mutata promotus fueris*) *teneberis ad reſtitutionem eorumdem, cum eos receperis fraudulenter*: ergo ſi voluntate mutata ad Sacerdotium promoveatur, ad fructuum reſtitutionem non tenetur. Hæc eſt aperta, ut ego ſentio, hujus capitis mens.

At objicit P. Concina: actus poſterior antecedentem actum invalidum firmare non poteſt: at fructuum beneficii perceptio cum voluntate non ſuſcipiendi Sacerdotium, eſt invalida: ergo a poſteriore voluntatis mutatione, & Sacerdotii ſuſceptione firmari, ſeu valida fieri non poteſt.

Reſp. Negando majorem: nam actus poſterior ſanat, & vegetat actum anteriorem infirmum; idque ex diſpoſitione ſupremi Eccleſiæ capitis, ut patet ex verbis mox citatis.

Imo & Epiſcopus diſpenſare poteſt, ut &c. *ſtudiis per ſeptennium vacet.*

Reſp. Id quidem verum eſt, ſpectato jure antiquo (c. 34. *Cum ex eo* lib. 1. tit. 6. in ſext.) at mutatis temporibus, rerumque circumſtantiis jus illud ex contraria rationabili conſuetudine, & a Synodo Tridentina fuit correctum, & abolitum. Hæc enim ſeſſ. 23. cap. 1. de reform. de Parochis loquens, ait: *Diſcedendi autem licentiam* (ab Epiſcopo) *in ſcriptis, gratiſque concedendam ultra bimeſtre tempus, niſi ex gravi cauſa, non obtineant.*

Mens Concilii, quod de menſibus loquitur, ea eſſe intelli-

Digitized by Google

telligitur, ut licentia ab Epiſcopis ad annos, puta ad quinquennium, ſeptennium minime prorogetur. Bonifac. VIII. in cap. *Cum ex eo* mox citato Epiſcopis facultatem dat diſpenſandi eom Parochis, ut uſque ad ſeptennium literarum ſtudio inſiſtentes ad Sacerdotium promoveri non teneantur, quia ſine hac diſpenſatione nonnulli eo tempore parochiales Eccleſias recuſabant, legendique, ac proficiendi opportonitas tollebatur in grande univerſalis Eccleſiæ, quæ ad ſui regimen viris literatis maxime indiget, diſpendium, & jacturam. At noſtro tempore hæc ratio ceſſat; quia ſine prædicta diſpenſatione non deſunt idonei, & docti Sacerdotes, qui ad parœcias aſſumantur, quique in ſua cura manentes, librorum typis editorum ope in ſcientiis, & litteris valde proficere valeant. Itaque facultatem abſentiæ ab Eccleſiis parochialibus ſtudiorum cauſa Parochis non eſſe concedendam, nec ab Epiſcopia concedi poſſe, declaravit Sacra Congregatio Concilii Tridentini interpres, ut legitur apud Anacletum t. 3. juris can. p. 51. n. 147.

Animadverſio V.

Quia ſi is non ſit annexus &c. nonniſi venialiter peccat.

Hanc ſententiam omnium communem eſſe, ait La-Croix p. 76. n. 861., tum ſubdit: „ Sed Navar. Gom. „ Garz. Caſtrop. adhuc dicunt, probabile eſſe, quod nullo modo peccet; quia nullum præceptum viget, quod „ ab illo violetur, & jus relinquit illi liberum tranſitum „ ad nuptias: neque videtur agi contra mentem Eccleſiæ, quæ vult beneficiatum ſuſtentari ex beneficio, „ quamdiu illud habet, & deſervit, nec obligat ad permanendum in illo. “

Dum La-Croix ita loquitur, ponit, Clericum ſacris Ordinibus non initiatum, & ſimplici beneficio donatum perinde eſſe, ac profanum artificem, aut negotiatorem, qui ſuo operi, aut negotiationi tamdiu inſiſtere in animo habet, quamdiu ſibi commodum erit, & utile. Clericus minor, qui ſimplex beneficium acceptat animo lucrandi fructus, & deinde uxorem ducendi, ſtatum clericalem ad lucrum veluti ad primarium ejus finem refert; in qua perverſione ordinis, evidens eſt violatio juris divini, & naturalis; imo quia hæc perverſio ordinis indigniſſime tractat ſpiritualia, & divina, terrenis lucris, & commodis ea ſubjiciens, quæ divinitus ad Dei cultum, & animarum ſalutem unice inſtituta ſunt, valde enormis eſt, & inſignis; ideoque non ſolum omni culpa non vacat, ſed mortalem culpam includit, uti ſentiunt teſte La-Cruſio Sot. Tol. Nav. Fill. & Lugo; quam ſententiam Concina Th. t. 10. p. 153. n. 25. veram merito appellat. Jus permittit quidem Clerico minori liberum tranſitum ad nuptias, non tamen illi permittit, ut in clericatu permaneat lucri cauſa: Eccleſiæ mens eſt ſane, ut beneficio donatus ex eo ſuſtentetur, quamdiu illud habet; Eccleſiæ tamen menti apertiſſime repugnat, ut qui Clericatum retinet, lucrum ex beneficio reportet. Aliud eſt vivere ex altari, hoc eſt ex officiis ſpiritualibus, quod naturalis, & divina lex permittit ex Ap. 1. Cor. 9.; aliud ex altari lucrum quærere, & altaris officia ad lucrum veluti ad finem principalem referre, quod naturali, divinæque legi aperte repugnat, eamque graviſſime violat. Hinc S. Bernardus de vita, & moribus Cler. c. 51. *Si beneficium eo quærit, aut tenet animo, eoque intuitu, ut hujus vitæ habeat neceſſaria, evangelizat, ut manducet, & perverſo nimis ordine cæleſtibus terrena mercatur*: & Dion. Carthuſianus lib. contra plural. benef. ait: *Qui eccleſiaſtica beneficia optant, quærunt, impetrant, ſuſcipiunt non intuitu ſpiritualis boni, puta divini officii, ut ſcilicet competentiam habentes, Deo devotius, quietiuſque miniſtrent, ſed intuitu commodi temporalis; iſti ſunt ſubverſores rectiſſimi ordinis rerum, atque in temporalibus finem ſibi conſtituunt. Idcirco mortaliter peccant, etiam unicum beneficium competens taliter cupiendo, obtinendo, habendo.* Plura hac de re legi poſſunt apud Genettum Theol. t. 2 pag. 29. cap. 3. quæſt. 2. Hinc ſententiam Filliuc. & Lugo teſte La-Croix probant ex Bulla Pii IV. 22. *Inter cæteras*, quæ „ talem acceptationem cujuſcumque „ beneficii reddit irritam, ac prohibet ſub pœna excommunicationis, & maledictionis æternæ, ac privationis omnium aliorum beneficiorum etiam ante habitorum, & inhabilitatis ad omnia impoſterum ipſo „ facto ſine alia declaratione incurrenda; ex quibus „ clauſulis colligunt eſſe gravitatem præcepti, dicuntque, „ quod A. A. contrariæ ſententiæ non viderint, vel non „ ponderarint hanc Bullam. “ Recte enimvero: quid enim contra ex æquo judicio, & ratione conſulta dici poteſt? „ Econtra tamen (La-Croix ſubdit) Garz. & „ Caſtrop. de cenſ. d. 3. p. 30. n. 8. dicunt, Bullam illam tantum pro Curia Romana eſſe latam, quia initio facit mentionem Cardinalium, & Datarii, ad quos „ ſpectat proviſio beneficiorum, utique non omnium, „ ſed eorum, quæ Romæ conferuntur; ideoque etiam „ teſtantur Fill. & Lugo ſupra, quod in Curia Romana exigatur juramentum, quod beneficia non accipiant „ animo dimittendi, & reipſa Lugo tantum reſpondet in „ caſu, qui erat in Curia Romana.

Ex his intelligis, La-Croixium etiam contra apertas pontificias Bullas expiſcari prætextus, ut peccata excuſet. Cur lex pontificia pro toto orbe catholico neceſſaria, pro ſola Romana Curia lata eſt? an peccata, quæ Romæ mortalia ſunt, alibi aut venialia, aut nulla ſunt? poteſt ne alicui in mentem venire, Summos Pontifices ſub graviſſimis pœnis acceptationem beneficiorum cum animo ea dimittendi prohibere ſolum Romæ, & in ſola Curia Romana, non alibi? Hæc ſane mihi ſomnia videntur, quæ ſcripta non crederem, niſi meis oculis legiſſem.

Animadverſio VI.

Unde Laym. docet, canonicatus in cathedralibus &c. quæ ex immemorabili &c. inter compatibilia beneficia numerandos.

Canonicatus prædicti de facto quidem compatibiles ſunt, ſi reſidentia diverſis anni temporibus alligata ſit; at de jure non ſunt compatibiles.

Nam ut conſuetudo jus faciat, non ſatis eſt, ut ſit diuturna, & immemorabilis, ſed illud inprimis requiritur, ut ſit rationabilis; at conſuetudo in cathedralibus Eccleſiis Germaniæ, ut Canonici medium tantum annum, vel tres menſes reſideant, eſt irrationabilis: ergo quamvis ſit immemorabilis, jus non facit. Probatur aſſumptio. Nam ea conſuetudo divinum cultum minuit, otium fovet, anſam præbet aucupandi plurium gradus, & officia, amplificandi reditus eccleſiaſticos, & ex iis diteſcendi, aut cum luxu, & prodige vivendi. Adde, quod ex ipſa naturæ jure iniquum ſit, ut fructus beneficii totius anni, præſertim amplos, percipiat, qui medium tantum annum, aut tertiam, ſeu quartam anni partem beneficio, & Eccleſiæ inſervit; ſicut iniquum eſt, operarium totius diei mercedem conſequi, ſi medio tantum die, aut tertia diei parte laboraverit. Hinc Syn. Trident. ſeſſ. 2. c. 12. de reform. inquit: *Præterea obtinentibus in eiſdem cathedralibus, aut collegiatis dignitates, canonicatus, præbendas, aut portiones non liceat vigore cujuslibet ſtatuti, aut conſuetudinis ultra tres menſes ab eiſdem Eccleſiis quolibet anno abeſſe*. His verbis ſacra Synodus, Germanorum Canonicorum conſuetudinem reſidendi in Cathedralibus medium tantum annum, aut tres menſes apertiſſime improbat, & rejicit. Ex quo fit, ut quo diuturnior eſt, eo ſit deplorabilior, non autem ut juris vim habeat, aut habere unquam poſſit.

Ex hac prava conſuetudine illud, ut indicavi, conſequitur, ut Nobiles, & Magnates Germani plures canonicatus in cathedralibus Germaniæ Eccleſiis conſequantur, & retineant, etiamſi unus canonicatus ad vitam honeſte, & ex eccleſiaſtico ſtatu ſuſtentandam ſufficiat; quod ſacra Syn. Trid. his graviſſimis verbis ſeſſ. 24. cap. 17. reprehendit, & prohibet. *Cum eccleſiaſticus ordo pervertatur, quando unus plurium officia occupat Clericorum, ſancte ſacris Canonibus cautum fuit, neminem oportere in duabus Eccleſiis conſcribi. Verum quoniam multi improbæ cupiditatis affectu ſeipſos, non Deum decipientes, ea, quæ bene conſtituta ſunt, variis artibus eludere, & plura ſimul beneficia obtinere non erubeſcunt; Sancta Synodus debitam regendis Eccleſiis diſciplinam reſtituere cupiens, præſenti decreto, quod in quibuſcumque perſonis quocumque titulo, etiamſi Cardinalatus honore fulgeant, mandat obſervari, ſtatuit, ut in poſterum unum tantum beneficium eccleſiaſticum ſingulis conferatur; quod quidem ſi ad vitam ejus, cui confertur, honeſte ſuſtentandam non ſufficiat, liceat nihilominus aliud ſimplex ſufficiens, dummodo utrumque perſonalem reſidentiam non requirat, eidem conferri; hæcque non modo ad cathedrales Eccleſias, ſed etiam ad omnia alia beneficia tam ſæcularia, quam regularia quæcumque, etiam commendata pertineant, cujuſcumque tituli, ac qualitatis exiſtant.* Hæc verba non interpretatione, ſed attenta, & pia meditatione indigent. Hujuſmodi lex pontificiæ quidem ſupremæ diſpenſationi raro aliquo in caſu ſubeſt, at uſu contrario imminui non poteſt. Indubitatum enim eſt, beneficia eccleſiaſtica quæcumque ex Eccleſiæ mente, rerumque natura ad Dei cultum, animarumque ſalutem eſſe inſtituta: certum rurſus eſt, excepto raro aliquo caſu, unum non poſſe magis, aut æqualiter promovere Dei cultum, animarumque ſalutem, quam plures: ergo lex Tridentina pontificiæ ſupremæ diſpenſationi raro aliquo in caſu ſubeſt, ſed uſu contrario imminui non poteſt; quia uſus rationabilis ex pluribus actibus rationi conſentaneis, non ex aliquo raro caſu oritur.

Pluralitas canonicatuum, aliorumque beneficiorum reſidentiam poſtulantium uni collatorum, habetur, ac re-

ipſa

ipſa mala aſt in omnibus chriſtiani orbis partibus; quia divinum cultum imminuit, ac animarum ſaluti ſubſidia detrahit.

Cur ego in Germania bona aſſa poteſt, aut permiſſa? Nimirum conſuetudo ita habet, non quod ſit rationabilis, ſed quia iis, qui potentia, & auctoritate plurimum valent, utilis eſt, & commoda ad honores, & divitias cumulandas.

At La-Croix p. 80. n. 874. ipſo Buſembaum pejora docet, dum ait: „ Etiam facit conſuetudo aliquarum Ec-„ cleſiarum, ut Canonici non reſidentes, nec conſtituen-„ tes alium, qui deſerviat pro ſe, licita, & ſine diſpen-„ ſatione percipiant totos fructus, dummodo maneant „ ſufficientes miniſtri pro officio, & cultu divino. “

Hic La-Croix Canonicos animat, ſi teterrima corruptela ita ferat, a reſidentia ſine limitatione, hoc eſt non ſolum medii anni, ſed etiam totius. An etiam per plures annos? Hæc ſententia confutatione non indiget; quia, cum non probetur, ſponte ſua corruit. Dicta conſuetudo a Syn. Trid. ſeſſ. 24 c. 12. de reform. verbis mox cit. damnatur, & improbatur. Dicta conſuetudo divino juri contraria aſt, dicenta Apoſtolo 2. ad Theſſ. 3. *Quoniam ſi quis non vult operari, non manducet*. Non enim Canonici titulus, ſed opus præbendæ fructibus dignum aſt, juxta illud ejuſdem Apoſtoli 1. ad Tim. 5. v. 18. *Dignus eſt operarius mercede ſua*. Demum dicta conſuetudo juri naturæ repugnat: jus enim naturæ poſtulat, ut beneficio non potiatur, qui officio, cujus cauſa inſtitutum eſt, non fungitur: at Canonicorum beneficium inſtitutum fuit, ut reſideant, & in choro pſallant: hæc fundatorum, & Eccleſiæ mens eſt: ergo Canonici non reſidentes ipſo jure naturæ fructibus beneficii privantur; multoque magis, ſi ne alios quidem ſubſtituant, qui pro ſe choro inſerviat. An conſuetudo a Synodo Tridentina damnata, juri divino, & naturali contraria, juris vim habere poteſt?

A N I M A D V E R S I O VII.

Porro juſta cauſa diſpenſandi (ut quis plura beneficia obtineat) *erit* ...., *& quandoque etiam prærogativæ, & merita perſonæ. v. g. inſignis nobilitas* &c.

Buſemb. duas aſſignat juſtas diſpenſandi cauſas: prima aſt urgens neceſſitas, & utilitas Eccleſiæ: altera quandoque etiam prærogativæ &c. quæ loquendi ratio, & diviſio (in diviſione enim unum membrum, juxta Logicorum leges, in altero includi non debet) ponit, prærogativas, & merita perſonæ eſſe juſtam cauſam diſpenſandi quo ad beneficiorum pluralitatem, etiamſi urgens neceſſitas, & Eccleſiæ utilitas id non poſtulet. Quod nullo modo admittendum aſt. Cum enim eccleſiaſtica beneficia ad Dei cultum, & animarum ſalutem ſint inſtituta, diſpenſatio, ut quis plura beneficia obtineat, nunquam juſta, & legitima eſſe poteſt; niſi neceſſaria, aut utilis ſit ad Dei cultum, & animarum ſalutem. Hoc conceptis verbis docet S. Bernardus lib. 3. ad Eugen. c. 4. inquiens: *Ubi neceſſitas urget, excuſabilis diſpenſatio: ubi utilitas provocat, diſpenſatio laudabilis eſt: utilitas dico communis, non propria. Nam cum nihil horum eſt, non plane fidelis diſpenſatio, ſed crudelis diſſipatio eſt*. In hunc ſenſum loquitur P. Concina Th. t. 10. p. 171. n. 10. & 11. q. 2. Hinc Syn. Trid. ſeſſ. 24. c. 17. mox citata mandat, ut unicum beneficium conferatur etiam ipſis Cardinalibus ſine ulla exceptione; quia ſcilicet ſublimitas perſonarum, ſcientia, merita &c. ad rem non faciunt, ut plura beneficia conſequi poſſint, niſi ratio neceſſitatis, aut utilitatis communis accedat. Sublimes perſonæ, litteratæ, doctæ, de Eccleſia benemerentes unico ſufficienti beneficio contentæ ſunt, ſi vere probæ ſint. Quod ſi plura beneficia aurupentur, vera probitate carent, & ne illo quidem ſufficienti, quod habent, dignæ. Innoc. III. c. 28. *De multa* tit. 5. lib. 3. dec. ita quidem loquitur. *Circa ſublimes tamen, & litteratas perſonas, quæ majoribus beneficiis ſunt honorandæ, cum ratio poſtulaverit, per Sedem Apoſtolicam poterit diſpenſari* (ut plura beneficia conſequantur.) At animadvertendum, Innoc. non abſolute dixiſſe, circa ſublimes, & litteratas perſonas poſſe diſpenſari, ſed cum ea additione, *cum ratio poſtulaverit*. Hæc porro ratio nulla alia eſſe poteſt, niſi neceſſitas, aut utilitas animarum, & divini cultus.

Imo ſine diſpenſatione plura beneficia ſequentibus caſibus haberi poſſunt. Quando alius idoneus, & dignus non reperitur.

Id quidem noſtro tempore in tanta ſacrorum miniſtrorum multitudine rariſſime accidit; at ſi accidat, nemo tamen privatus, ut recte ait P. Concina Theol. t. 10. p. 175. n. 7. „ judex eſſe harum circumſtantia-„ rum poteſt; ſed ſolus Summus Pontifex, tanquam „ univerſalis Eccleſiæ proviſor, & Dei Vicarius inter-„ pretari jure valet, has hic & nunc circumſtantias „ locum habere. “

Et ratio aſt, *quia ſi obſervatio legis ſecundum verba* ut habet D. Th. 1. 2. qu. 96. a. 6. *non habeat ſubitum periculum, cui oporteat ſtatim occurri, non pertinet ad quemlibet, ut interpretetur, quid ſit utile Civitati, & quid inutile Civitati; ſed hoc ſolum pertinet ad Principes, qui propter hujuſmodi caſus habent auctoritatem in legibus diſpenſandi*: at in noſtra ſpecie non imminet ſubitum periculum, ut neceſſe ſit uni conferri plura beneficia: nam ſubito periculo, ſi quod eſt, conſuli poteſt alia ratione, quam per collationem plurium beneficiorum uni perſonæ: ergo ſine diſpenſatione non poteſt quis plura beneficia habere, etiamſi alius idoneus, & dignus non reperiatur.

Quando unum beneficium habetur in titulum, alterum in commendam &c.

Id non abſolute verum eſt, ſed addita ea conditione, ut id in Eccleſiæ commendatæ evidentem neceſſitatem, aut utilitatem cedat, non in commodum Commendatarii. Hinc Greg. X. cap. *Nemo* in ſext. lib. 1. tit. 6. ait: *Nemo deinceps parochialem Eccleſiam alicui non conſtituto in ætate legitima, & Sacerdotio commendare præſumat, nec tali etiam, niſi unam, & evidenti neceſſitate, vel utilitate ipſius Eccleſiæ ſuadente. Hujuſmodi autem commendam (ut præmittitur) rite factam declaramus ultra ſemeſtris temporis ſpatium non durare, ſtatuentes, quidquid ſecus de commendis Eccleſiarum parochialium actum fuerit, eſſe irritum ipſo jure.*

A N I M A D V E R S I O VIII.

Nec ſufficit, ſi per alios adminiſtrent, niſi majus bonum urgeat.

Majus bonum urgens, propter quod a reſidentia Epiſcopi, & Parochi abeſſe poſſunt, ac per alios Eccleſiam ſibi commiſſam adminiſtrare, ex Synodo Tridentina ſeſſ. 23. cap. 1. de reformat. eſt *chriſtiana caritas, urgens neceſſitas, debita obedientia, ac evidens Eccleſiæ, vel Reipublicæ utilitas*. Neque tamen hæ cauſæ legitimæ ſufficiunt, ut abeſſe poſſint, ſed probandæ ſunt. Hinc ſacra Syn. ſubdit: *Decernit eadem Sacroſancta Syn. has legitimæ abſentiæ cauſas a Beatiſs. Rom. Pontif.* (quoad Epiſcopos), *aut Metropolitano, vel eo abſente* &c. *in ſcriptis eſſe approbandas, niſi cum abſentia inciderit propter aliquod munus, & Reipublicæ officium Epiſcopatibus adjunctum; cujus quoniam cauſæ ſunt notoriæ, & interdum repentinæ, ne eas quidem ſignificari Metropolitano neceſſe erit.*

Sacra quidem Syn. ſatis habuit, ſi cauſæ abſentiæ Epiſcoporum a Summo Pontifice, vel a Metropolitano, vel &c. in ſcriptis approbarentur. At Urbanus VIII. conſt. 139. conſtituit, ut Epiſcopi a ſuis Eccleſiis abeſſe non poſſint, *niſi obtenta prius a nobis, & Rom. Pontifice licentia*. Idem repetit Bened. XIV. conſtit. *Ad univerſæ* anni 1746. 3. nonas Septembr. ubi ait: *Ut autem Epiſcopi a ſuis Eccleſiis*, vel *Diœceſibus licite abeſſe poſſint, quum præter cauſam canonicam, expreſſa quoque licentia Rom. Pontificis, ut ſupra diximus, ſit neceſſaria, excepto caſu prædictæ trimeſtris abſentiæ a Concilio permiſſæ, pro qua nulla peculiaris requiritur licentia*, &c.

Parochi autem hanc licentiam ab Epiſcopis obtinere debent, ut ex mox dicendis liquebit.

A N I M A D V E R S I O IX.

Si .... Parochi ultra duos menſes abſque legitima cauſa per Epiſcopum &c. *abſin**. &c.

Buſemb. ita loquitur, ac ſi Parochi ad duos menſes ſine Epiſcopi licentia a ſuis parœciis abeſſe poſſint, ſicuti Epiſcopi ſine licentia Summi Pontificis ad tres menſes a ſuis Eccleſiis abeſſe queunt. At hoc falſum eſt, & Tridentinæ Synodo contrarium, quæ loco mox cit. ait: *Eadem omnino etiam quoad culpam, amiſſionem fructuum, & pœnas de Curatis inferioribus, & aliis quibuſcumque, qui beneficium aliquod eccleſiaſticum curam animarum habens obtineat, Sacroſancta Syn. declarat, & decernit; ita tamen, ut quandocumque eos, cauſa prius per Epiſcopum cognita, & probata abeſſe contigerit, Vicarium idoneum ab ipſo Ordinario approbandum* &c. *relinquant*. Nota illa verba, *quandocumque eos, cauſa prius* &c. ex quibus intelligitur, Parochos ſine ſuorum Epiſcoporum licentia a ſuis parœciis nunquam, & ne ad duos quidem menſes, vel brevius tempus abeſſe.

Poſt Sacra Syn. ſubdit: *Diſcedendi autem licentiam in ſcriptis, gratiſque concedendam ultra bimeſtre tempus, niſi ex gravi cauſa non obtineant*. Hic quoque a Sacra Syn. perſpicue ponitur, Parochos a ſuis Eccleſiis diſcedere non poſſe ſine Epiſcopi licentia.

Non me latet, Navarrum contrarium docuiſſe, cujus ſententiam veluti probabilem cenſuere Azor. Caſtrop. & nonnulli alii, quos confutat Anacletus t. 3. juris can. p. 42. n. 67. & ſeq. ut apud ipſum legi poteſt.

Neque vero probabilis eſſe, nec probari unquam poteſt

eſt opinio, quæ ſacræ Synodo Tridentinæ ſatis aperte contraria eſt, quidquid nonnulli contradicant. Hanc ſacra Congregatio, ut teſtantur Garcias, & Fagnanus apud Anacl. n. 67. cit. cenſuit, quod Parochi non poſſint ſic abeſſe per duos menſes, imo nec per hebdomadam abſque licentia Epiſcopi, quæ, cauſa cognita, & in ſcriptis concedenda eſt.

ANIMADVERSIO X.

Cauſas a reſidentia excuſantes eſſe. 1. doctionem Theol. vel &c.

Hic excipiendi ſunt Parochi, ut mox dictum eſt a. 3. Reſp. 2. quibus non eſt concedendum, ut a ſuis Eccleſiis vel docendi, vel diſcendi cauſa abſint.

Neque ad hoc licentiam Prælati, aut Epiſcopi requiri.

Honorius III. cap. fin. t. 5. lib. 5. Decret. ait: *Docentes vero in theologica facultate, dum in ſcholis docuerint, & ſtudentes in ipſa, integre per annos quinque percipiant de licentia Sedis Apoſtolicæ proventus Præbendarum, & beneficiorum ſuorum, non obſtante aliqua alia conſuetudine vel ſtatuto, cum denario fraudari non debeant in vinea Domini operantes*.„ Quod tamen (inquit Genettus Th. „ t. 2. p. 100. q. 10.) intelligi convenit, dum id agunt cum facultate ab Epiſcopo obtenta. Ad illum enim ſpectat judicare, utrum ex illorum abſentia Eccleſia non patiatur detrimentum.“ Hoc inſinuat ipſe Honorius, qui, cum ſuo tempore rari eſſent magiſtri, ſtatuit, *ut ab Eccleſiarum Prælatis, & Capitulis ad theologicæ profeſſionis ſtudium aliqui docibiles deſtinentur*. Idem colligitur ex Sacr. Trid. Synodo ſeſſ. 5. c. 1. de reform. ubi ait: *Et ne ſub ſpecie pietatis impietas diſſeminetur, ſtatuit eadem S. Synodus, neminem ad hujuſmodi lectionis officium tam publice, quam privatim admittendum eſſe, qui prius ab Epiſcopo loci de vita, moribus, & ſcientia examinatus, & approbatus non fuerit*. Sacra quidem Syn. loquitur de Sacræ Scripturæ lectione; ſed ex paritate lectionis theologicæ, aut juris canonici, & ex ratione Sacræ Synodi ſatis intelligitur, idem eſſe dicendum quoad lectores Theologiæ, & juris canonici. Idem ex cap. *Relatum* tit. 4. lib. 3. decret. habetur, ubi Alex. III. de præſentatis ad Eccleſias, & reſidere recuſantibus loquens ait, quod *non debent admitti, & admiſſi poterunt removeri, niſi forte de licentia ſuorum Prælatorum, vel ſtudio litterarum, vel pro aliis honeſtis cauſis contigerit eos abeſſe*. Ait *de licentia ſuorum Prælatorum*. An illud *vel ſtudio litterarum, vel pro aliis honeſtis cauſis* Theologiæ ſtudium, & doctrinam, ſeu lectionem non complectitur? Itaque hanc licentiam Epiſcopi eſſe neceſſariam, ut Clerici beneficiarii ſtudiorum cauſa abeſſe poſſint, fatetur quoque Anacletus t. 3. juris can. p. 51. n. 139. & La-Croix p. 80. n. 73.

2. Studium Theologiæ, vel juris &c. id enim per quinque annos &c.

Id intelligendum ſtante mox dicta de licentia Epiſcopi. Nam docentes Theologiam, eique ſtudentes in eadem navi quoad hoc ſunt ex Hon. III. mox citato, & ex rei natura.

3. Obſequium Papæ, vel Epiſcopi ad Eccleſiæ utilitatem. Intellige evidentem, ut loquitur Syn. Tridentina ſeſſ. 23. c. 1. de reform. mox citata.

5. Honeſtam conſuetudinem, ubi diſpoſitio &c.

Concilii Tridentini diſpoſitio æquiſſima eſt, & ſancta; nec conſuetudo contraria excuſare poteſt, niſi forte ex peculiaribus rationabilibus loci cauſis, e. g. ex aeris intemperie corporibus valde noxia, quæ ſine gravi ſalutis detrimento novem menſium reſidentiam non patiatur, in qua tamen ſpecie diſpenſatio ab Apoſtolica Sede videtur impetranda, non licentia arroganda ſine diſpenſatione.

ANIMADVERSIO XI.

Reſp. 5. Qui abſque juſta cauſa abeſt, peccat &c. non tamen tenetur &c. ſi &c. vel niſi id aliquo jure ſit expreſſum.

Hic excipiendi ſunt Epiſcopi, & Parochi, qui fructus ſuos non faciunt, eoſque reſtituere tenentur, niſi reſideant, ut conſeſſus eſt Buſ. Reſp. 2. & explicate definit Synodus Tridentina ſeſſ. 23. c. 1. de reform. ubi de Epiſcopis ita loquitur. *Si quis autem (quod utinam nunquam eveniat) contra hujus decreti diſpoſitionem abfuerit, ſtatuit Sacroſancta Syn. præter alias pœnas adverſus non reſidentes ſub Paulo III. impoſitas, & innovatas, ac mortalis peccati reatum, quem incurrit, eum pro rata temporis abſentiæ fructus ſuos non facere, nec tuta conſcientia, alia etiam declaratione non ſecuta, illos ſibi detinere poſſe; ſed teneri &c.* Tum addit: *Eadem omnino etiam quoad culpam, amiſſionem fructuum, & pœnas de curatis inferioribus, & aliis quibuſcumque, qui beneficium aliquod eccleſiaſticum curam animarum habens, obtinent, Sacroſancta Syn. declarat, & decernit.*

ANIMADVERSIO XII.

Reſp. 6. Eos, qui ex legitima cauſa abſunt, non lucrari diſtributiones ex Trident., niſi tamen &c. Vide Leſſ. &c.

Loco Leſſii, ad quem Buſemb. nos mittit, ſatius erit legere decretum Boniſ. VIII. cap. *Conſuetudinem* lib. 3. in ſext. tit. 3. quod Syn. Trid. ſeſſ. 24. cap. 12. de reform. *in uſum revocat, non obſtantibus quibuſcumque ſtatutis, & conſuetudinibus*. Porro in dicto cap. ita habetur. *Statuimus, ut diſtributiones ipſæ quotidianæ, in quibuſcumque rebus conſiſtant, Canonicis, ac aliis beneficiatis, & Clericis Eccleſiarum ipſarum, qui eiſdem officiis in ipſis Eccleſiis adfuerint, tribuantur juxta Eccleſiæ cujuslibet ordinationem rationabilem jam factam, vel faciendam. Qui vero aliter de diſtributionibus ipſis quicquam receperit, (exceptis illis, quos infirmitas, ſeu juſtæ, & rationabilis corporis neceſſitas, aut evidens Eccleſiæ utilitas excuſaret) rerum ſic receptarum dominium non acquirat, nec faciat eas ſuas: imo ad omnium reſtitutionem, quæ contra hujuſmodi noſtram conſtitutionem receperit, teneatur. De diſtributionibus etiam pro defunctorum anniverſariis largiendis idem decernimus obſervandum.*

La-Croix p. 81. n. 878. ait: „ Si obligatus ad præſentiam in choro, compareat quidem, ſed non canat, peccat, niſi conſuetudo prævaleat, quod aſſiſtens poſſit per Vicarium canere... Poteſt facere conſuetudo, ut tantum aſſiſtens percipiat diſtributiones, recitando horas privatim, Azor. Med. Tol. Leſſ. Gan. dummodo habeant capellanum, & miniſtrum, qui canat.“

Hanc falſam, & abſurdam opinionem ſolidiſſime refellit Genettus Theol. t. 2. p. 100. q. 11. & p. 153. q. 2. allatis præſertim variorum Conciliorum ſanctionibus, quibus improbatur. Suum Claudium hic deſeruit vel ipſe P. Zacharia, qui in cit. numerum ita habet: „ Num vero Canonici teneantur in Choro alta voce canere, atque contra hanc obligationem conſuetudo prævalere poſſit, ſi quæras; ſcito, S. C. quod ad primum attinet, affirmativæ ſententiæ adhæſiſſe ſemper, negativæ quoad ſecundum ſpectat;“ tum varia ejuſdem ſacræ Congregationis decreta profert, quæ perſpicue id declarant. Sed huic rei ultimam manum impoſuit Bened. XIV. in ſuo Brevi anno 1748. die 19. Jan. * ubi ait: *Porro nolumus inter tot, tantaque privilegia eidem Capitulo (Veronenſi) & Canonicis conceſſa, numerandum eſſe illud, quod, quemadmodum tibi, æque ac nobis notum eſt, antiqua traditione contra ſacrorum Canonum ſanctiones, ac noſtram præſertim conſtitutionem, cujus initium eſt, Cum ſuper oblatas, invectum ab ipſis Canonicis non modo contenditur, ſed etiam ſervatur, intereſſendi duntaxat choro, & cum ceteris Manſionariis, Capellanis, Acolytis, & Clericis canentibus, pſallentibuſque adſiſtendi, nunquam vero cum iiſdem canendi, pſallendive, etſi nonnullos eorumdem eſſe accepimus, qui aliter ſentientes a conſcientiæ angoribus agitantur, ex eo quod eapropter ſe non feciſſe fructus ſuos exiſtiment; Itaque a te, dilecte fili noſter, poſcimus & flagitamus, ut non ſolum hujuſmodi abuſum, & corruptelam ab eccleſiaſtica diſciplina abſonam, & canonicis ordinationibus, ac noſtræ quoque conſtitutioni contrariam penitus evellere, & eradicare adnitaris; verum etiam ipſos ſuaviter, fortiterque admoneas, & horteris, ut impoſterum ea, qua decet, ac tenentur, reverentia choro interſint, adſiſtantque, nec non pari pietate, attentione, ac vigilantia omnino canere, vel pſallere cum ceteris ſtudeant, & contendant. Deinde iiſdem edicas, & notum facias, nos quemadmodum per haſce noſtras in forma Brevis literas tibi declaramus, & injungimus, decernere atque ſtatuere, ſicut in eadem conſtitutione noſtra innuimus, ipſos, ſuoſque ſucceſſores Canonicos choro quidem intereſſentes, adſiſtenteſque, minime vero canentes, pſallenteſve nullo pacto ex præbendis, & diſtributionibus facere fructus ſuos, atque adeo reſtitutioni obnoxios eſſe, ac fore.*

Conſtitutio Sole clarior eſt, quam ſi quis eludere ſophiſtice conetur, evidentiſſimæ veritati, ac Spiritui ſancto adverſatur. Ex hac porro conſtitutione apertiſſime intelligitur, multo magis abuſum eſſe, & corruptelam, conſuetudinem aliquarum Eccleſiarum, ut Canonici non reſidentes, nec conſtituentes alium, qui deſerviat pro ſe, totos fructus percipiant, dummodo maneant ſufficientes miniſtri pro officio, & cultu divino; quidquid contra falſo, & abſurde dixerit idem La-Croix n. 80. quem refutavimus ar. 4.

* Habetur apud Concinam Th. t. 2. p. 520. n. 28.

Animadversio XIII.

Et quamvis verius ſit etiam reſignationem ſimplicem (in favorem) *in Pontificis manibus faciendam, cum alioqui periculum ſit &c. probabile tamen eſt &c. eo quod permutatio* &c.

Beneficiorum permutationes abſque prævia pactione, Epiſcopi auctoritate fieri quidem poſſunt pro Eccleſiarum utilitate, quia id jura permittunt, cap. *Quæſitam* lib. 3. decret. tit. 19. at quid inde? Ergo ne reſignatio quoque ſimplex in favorem, in manibus Ordinarii fieri poteſt? Hæc illatio legitima eſſet, ſi jura canonica eam permitterent, ſicuti permutationem permittunt, dummodo hæc ſine prævia permutantium pactione, & pro Eccleſiarum permutatarum utilitate fiat. At illatio Buſemb. illegitima, & falſa eſt; quia jura canonica reſignationem ſimplicem in favorem prohibent. *Renuntiare autem beneficio, ut detur alteri, eſt ſimoniacum*, inquit S. Antoninus p. 2. t. 1. c. 5. §. 11. *quia prohibitum, ſcilicet ex jure poſitivo*; & S. Raym. in ſumma l. 1. tit. 1. de ſimonia ait: *Quædam ſunt ſimoniaca, quia prohibita, ſcilicet per conſtitutionem Eccleſiæ tantum, ut cum quis renuntiat Eccleſiæ illa conditione, vel pacto, ut nepoti ſuo detur, vel aliis* (apud Genet. t. 2. p. 58. quæſt. 5.) Nam, ut habetur c. 39. *Tua nos*, 3. lib. 5. decret. *in talibus* (hoc eſt rebus ſpiritualibus) *omnibus pactio, aut conventio ceſſare debet juxta canonicas ſanctiones*. Imo quoad reſignationes, etiam ſi in favorem non fiant, ita conſtituit S. Pius V. conſt. 58. *Quanta Eccleſiæ Dei: Præcipimus, ne Epiſcopi, aut alii collatores de beneficiis, & officiis reſignandis, aut ſuis, aut dimittentium conſanguineis, affinibus, vel familiaribus etiam per fallacem circuitum multiplicatarum in extraneos collationum audeant providere. Quod ſi ſecus, ac etiam quidquid contra formam prædictorum fuerit a quocumque temere attentatum, id totum ex nunc vires & effectum decernimus non habere*. Qui vero &c.

Idque a fortiori verum eſt, ſi fiat ſine modo obligatorio, quamvis addita &c.

Idem ſentit La-Croix p. 91. n. 1014. „ Idque non tantum poſt reſignationem, ut limitant aliqui cum Ni„ col. t. d. 9. §. 5. ſed etiam ante, vel dum ea fit, dum„ modo abſit omne etiam tacitum pactum. " Et pro hac ſententia multos citat, ac ipſum S. Antoninum loco non indicato, pro contraria unum Hoſtienſem. P. Concina Theol. t. 10. p. 184. q. 15. La-Croixii opinionem falſam dicit; & merito. Preces enim, quas reſignans interponit apud collatorem, ſunt ſemper in gratiam carnis, & ſanguinis, hoc eſt conſanguineorum, affinium, familiarium, & contra Eccleſiæ utilitatem; quæ preces ex natura ſua malæ ſunt, etiamſi prohibitæ jure poſitivo non eſſent. Præterea hæ preces a S. Pio V. conſtit. cit. vetitæ ſunt his verbis: *Caveant autem Epiſcopi, & alii prædicti, itemque omnes electores, præſentatores, & patroni tam eccleſiaſtici, quam laici, quicumque ſint, ne verbo quidem, aut nutu, vel ſigno, futuri in hujuſmodi beneficiis, & officiis ſucceſſores ab ipſis reſignantibus, aut aliis eorum ſignificatione, vel hortatu deſignentur, aut de his aſſumendis promiſſio inter eos vel etiam intentio qualiſcumque intercedat*. Mens ſummi Pontificis probis viris, ac de ſua ſalute ſolicitis perſpicua eſt. Sed audi cavillos probabilium opinatorum, quos La-Croix in ſuæ opinionis patrocinium profert. „ Barb. inquit, Zoeſ. & „ Engel dicunt id prohiberi collatori tantum, ne pro„ mittat alicui conferre. " Collatori tantum? An illa pontificia verba, *itemque omnes electores, præſentatores, & patroni* &c. nihil ſignificant? Item aperte falſum eſt, illud tantum prohiberi, ne collatores, & electores &c. promittant conferre, eligere &c. quem reſignans deſignaverit; quia aperte prohibetur, ne verbo, nutu, vel ſigno futuri ſucceſſores a reſignantibus deſignentur. „ Nav. Pariſ. Sanc. Caſtrop. dicunt tantum vetari deſi„ gnationem, vel intentionem, ſi expreſſe vel tacite „ deducatur in pactum. " Præclara ſane interpretatio pontificiæ mentis, quæ particulam disjunctivam *aut*, *aut de his aſſumendis* &c. ex arbitrio ſuo convertit in conditionalem *ſi*. „ Alii dicunt, eſſe admonitionem tantum, „ ut hoc non fiat, non autem præceptum; nam tantum „ dicit, *caveant*: de cetero nudæ illæ preces nullam „ collatori obligationem afferunt, & de ſe non ſunt „ illicitæ. Et videntur valere dicta, quamvis reſignans „ ſic ſperet, ſitque ita conſtitutus, ut non reſignaret, „ ſi ſciret, huic non conferendum; quia hæc ſpes, ac „ diſpoſitio animi, nec eſt de ſe mala, nec ullibi pro„ hibetur, Nav. Pariſ. Azor. &c. " Hactenus ille. Videlicet Buſemb. ex toto, La-Croix ex dimidio citatam S. Pii V. legem abrogat, imo vero ipſe quoque La-Croix ex toto eam abrogat, dum eam admonitionem tantum eiſe ſuggerit, non præceptum. At exceptis nonnullis, quos La-Croix non nominat, *alii dicunt* &c. reliqui omnes legem, & præceptum in S. Pii verbis agnoſcunt. Illud enim *caveant* ... *ne* &c. voluntatem legiſlatoris prohibentis quoad reſignantes, & præcipientis quoad Epiſcopos, & alios exprimunt, ut impediant, quominus reſignantes ſucceſſores deſignent; quod ſane fit, ſi reſignationes cum deſignationibus ſucceſſorum non admittant. Hac ratione legi obediunt; ſi cavillos La-Croixii, aut Buſemb. audiant, legem violant. Nudæ quidem preces nihil mali habent, imo ex natura ſua bonæ ſunt, ſi pro digniori in Eccleſiæ utilitatem interponerentur; verum quia id vix unquam, aut nunquam accidit, ſed contra interponuntur contra Eccleſiæ utilitatem, ut propinquitati, amicitiæ, cupiditati ſerviatur; idcirco S. Pontifex eas prohibuit. At, inquit Buſemb. „ id obſer„ vari poteſt, ubi non eſt recepta Bulla Pii V. &c. " Reſp. Mala ſane animadverſio, quæ pro fundamento habet, vim obligandi in bullis quoque Rom. Pontificum, quorum auctoritas, & poteſtas a Deo immediate eſt, a ſubditorum acceptatione pendere: hoc ſane tam falſum eſt, quam quod maxime. Ceterum ne uſus quidem Pianæ legi contrarius, ſi alicubi forte vigeat, tolerabilis eſſe poteſt, quia rationabilis eſſe non poteſt, cum cupiditati hominum faveat, & Eccleſiæ bono repugnet.

Contra id, quod dixi hic, beneficiorum permutationes Epiſcopi quidem auctoritate fieri poſſe, at ſine prævia permutantium pactione ex cap. *Quæſitum*, poſt primam editionem animadverti, P. Concinam Theol. t. 10. lib. 1. diſſ. 3. cap. 7. n. 13. p. 120. ita loqui. „ Eo „ ipſo quod ejuſmodi permutationes fieri legitima au„ ctoritate valent, conſequitur, ut beneficiati valeant „ convenire, paciſci, & honeſtas conditiones propone„ re probandas, aut rejiciendas a legitimo Superiore. " Ita ille. Reſp. conſequentiam non admitto. Hujuſmodi pactiones, quæcumque ſint, dum beneficia attingant, honeſtæ eſſe non poſſunt, ſed ſemper illicitæ ſunt, & ſimoniacæ, ideoque a legitimo Superiore ſemper rejiciendæ; quia cap. cit. *Quæſitum* Urbanus III. ita loquitur, *generaliter itaque teneas, quod commutationes præbendarum de jure fieri non poſſunt, præſertim pactione præmiſſa, quæ circa ſpiritualia, vel ſpiritualibus connexa labem ſemper continet ſimoniæ*. Ergo hujuſmodi pactiones præbendarum, ſi Urbanum III. audire volumus, ſicuti omnino debemus, ſimoniacæ ſunt, nunquam faciendæ, & ſemper improbandæ.

At ſine prævia pactione, dictæ permutationes ex Eccleſiæ utilitate, ut dixi, Epiſcopi auctoritate fieri poſſunt. Nam ibidem ſubditur. *Si autem Epiſcopus cauſam inſpexerit neceſſariam, licite poterit de uno loco ad alium transferre Perſonas, ut quæ uni loco minus ſunt utiles, alibi ſe valeant utilius exercere*.

Animadversio XIV.

Reſp. 2. *Poſſe peti compenſationem* &c. *pro incommodo temporali, quod* &c.

Qui compenſationem in beneficiorum permutatione petit pro incommodo temporali, quod ſubit, ſe ſpoliando copioſioribus proventibus, pro re annexa juri ſpirituali pretium petit: at hæc eſt aperta ſimonia, jure naturali, & divino vetita; quia, ut habet cap. *Si quis objecerit* cau. 1. q. 3. *quiſquis horum alterum vendit, ſine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum derelinquit*. At inquit Buſemb. „ Talis compenſatio non eſt „ pretium beneficii, aut proventuum annexorum, ſed „ conditio, ut ſe indemnem ſervet, ſine qua conditio„ ne nollet ſe ſpoliare. "

Reſp. Hæc eſt mera verborum illuſio. Perinde enim eſt, ſeu compenſationem petas ut pretium exceſſus proventuum beneficii, quod cedis, ſeu ut conditionem, ut te indemnem ſerves. Compenſatio enim natura ſua eo ſpectat, ut te indemnem ſerves. Vendis ex. g. vini dolium pro quinque aureis, ut pretium tuæ rei æquivalens habeas, alter vero dat vini dolium ea conditione, ut quinque aureos recipiat, ne ex datione vini damnum ſubeat; quid quæſo diſcriminis eſt inter priorem, & poſteriorem contractum? Nullum ſcilicet, niſi verborum. Permutatio beneficiorum adjecta conventione compenſationis fructuum, realis ſimonia eſt; quia pro re juri ſpirituali annexa pretium exigitur; quæ proinde ſimonia, nulla verborum arte, nullaque intentionis inflexione a ſimoniaca labe purgari poteſt.

Summus quidem Pontifex penſionem in permutatione inæqualium beneficiorum imponere poteſt accipienti pinguius in gratiam illud dimittentis, non tamen titulo compenſationis, qui ſimoniacus eſt jure naturali, & divino, ſed alio juſto titulo indigentiæ, & eleemoſynæ. Hinc cœtus Cardinalium, & Præſulum a Paulo III. anno 1538. pro morum reformatione ſelectorum, quorum monita integra habes apud Nat. Alexandrum (hiſt. Eccleſiaſt. tom. 9. p. 45. ſæc. 6.) inquit: *Alius abuſus, cum beneficia conferuntur, ſeu cum ceduntur aliis, irrepſit in conſtituendis ſuper eorum fructibus penſionibus; imo quandoque cedens beneficio, omnes ſibi fructus reſervat. Qua in re illud eſt animadvertendum, nulla alia de cauſa, alioque jure penſiones conſtitui poſſe, niſi ut quaſdam* eleemo-

eleemoſynas, quæ in pios uſus, & indigentibus concedi debent. Ex hac ſolidiſſima doctrina illud ſponte conſequitur, penſiones titulo compenſationis imponi non poſſe. Eccleſiaſtica enim beneficia ſunt res Deo oblatæ, & pauperum patrimonia; ideoque penſiones ex iis decerptæ non niſi in pias cauſas, & ſubſidium pauperum converti poſſunt: at fructuum compenſatio nec quid pium eſt, nec indigentiæ ſuffragium: ergo pro fructuum compenſatione penſiones imponi nequeunt. Vide, ſi lubet, Genettum Theol. t. 2. p. 221. q. 4.

At inquies: ipſe Concina Theol. t. 10. p. 138. q. 2. n. 3. pro cauſa legitima imponendi penſionem aſſignat rationem æqualitatis in beneficiorum inæqualium permutatione. Idem habet Nat. Alexander Theol. tom. 2. p. 8. reg. 16.

Reſp. Nat. id colligi putat ex cap. *Ad quæſtiones* lib. 3. dec. tit. 19. at ibi ſermo eſt de permutatione ab iis facta, qui jure proprietatis Eccleſias, ſeu beneficia poſſident. Cap. enim cit. loquitur de duabus Eccleſiis conventualibus, quarum utraque paræcialem Eccleſiam habebat cum poſſeſſionibus magis alteri, quam ſibi vicinam. In hac ſpecie paræciarum permutationem fieri, & refundi pecuniam habenti copioſiores reditus poſſe, reſpondet Clemens III. *Sic tamen quod illi contractus* (permutationis paræciarum, & poſſeſſionum) *nequaquam ſibi invicem miſceantur*. At nos loquimur de permutatione beneficiorum, quæ in titulum poſſidentur; cui permutationi addita compenſatione inæqualium redituum illa decretalis non ſuffragatur.

Animadverſio XV.

Reſp. 3. Jura proventuum poſſe ſeparari a titulis, & primo &c. deinde &c. compenſata &c. idque auctoritate ſolius Papæ.

Summus Pont. pro ſua ſuprema auctoritate poteſt quidem jura proventuum a beneficiorum titulis ſeparare; at id jure fieri nequit, niſi ſeparatio ad Dei gloriam, & cultum, vel pauperum ſubſidium referatur; quorum neutrum emicat, ſi ſeparatio eo ſolo nomine fiat, ut in permutatione beneficiorum, opulentioris exceſſus compenſetur.

Animadverſio XVI.

Reſp. Videri permutationem ſimoniacam &c.

Permutatio beneficiorum ea lege, ut expenſæ litis, vel bullarum refundantur per recipientem, ex natura ſua ſimoniaca eſt; quia pro beneficio dimiſſo, ſeu pro ejus fructibus qui ſunt quid annexum juri ſpirituali, accipitur aliquid pretio æſtimabile: ex quo fit, ut talis permutatio ex quacumque cauſa fiat, ſimoniaca eſſe non deſinat; idemque dicendum de ſimili reſignatione.

Sed hic nonnulla libet addere ad Simoniam fiduciariam, ſeu confidentiæ, quæ etiam beneficiorum confidentia dicitur, pertinentia.

Quid eſt Simonia confidentiæ? Reſp. Buſemb. lib. 3. tract. 1. cap. 2. dub. 3. art. 1. Reſp. 2. eam ad ſimoniam conventionalem revocans definit; „ cum quis alteri „ das beneficium, ut illud ſibi, vel alteri reſignet, vel „ cum onere dandi certam partem fructuum. “ Ait *dat*, non ſolum libere conferendo, ſed etiam dandum curat eligendo, poſtulando, præſentando, reſignando, aut *dat* electum, præſentatum &c. inſtituendo, confirmando. Ita Anacl. tom. 5. juris can. lib. 5. decr. tit. 3. §. 2. n. 32. p. 77., & La-Croix in cit. Buſ. art. n. 63. p. 200., atque ita a Pio IV., & S. Pio V. conſtitutum affirmant ex communi ſententia. Sed hic addendum eſt, non ſolum dantes, ſed etiam recipientes hoc ſimoniæ crimen incurrere, ut explicate tradunt Concina Theol. t. 10. cap. 7. cit. p. 126. n. 25., & Natalis Alex. Theol. t. 2. p. 34. reg. 18.; quod Natalis ex S. Pio V. Conſt. *Intolerabilis* 1569. Kal. Junii, quam integram habes apud Anacletum t. 5. cit. p. 78. n. 42., confirmat, ubi S. Pontifex ſtatuit, *ut ſi quis quacumque auctoritate Eccleſiam, vel Monaſterium, aut aliud beneficium eccleſiaſticum qualecumque ex reſignatione, vel ceſſione cujuſcumque Perſonæ ſimpliciter, aut cum circuitu retroceſſionis, cum regreſſu, vel acceſſu etiam ſola dimittentis intentione receperit, ut illam, vel illud etiam in eventum regreſſus, vel acceſſus eidem dimittantur, vel alteri poſtea conferantur, aut illius fructus, vel eorum pars aliis, vel aliis concedantur, vel penſiones ſolvantur ex eiſdem, hæc confidentia cenſeatur*. Hæc verba recipientes ſimoniæ fiduciariæ crimine involvi, explicate, & perſpicue decernunt.

De dantibus autem idem Pontifex ibidem ita conſtituit. *Item ſi ordinarius, vel alius collator contulerit antehac, aut conferat in futurum beneficium eccleſiaſticum quovis modo vacans ea conditione tacita vel expreſſa, ut poſtea in alterum pro arbitrio collatoris, ſeu alterius cujuſcumque contra juris communis ordinationem diſponatur, ſive ut de eo proviſus, fructus illius, vel partem ad utilitatem, vel libitum conferentis, aut cedentis, aut alterius relinquat & remittat, ſeu penſionem illi, vel illis, quem, vel quos idem collator, aut cedens, vel alius per ſe, vel alium ſcripto, aut verbo juſſerit, ſeu ſignificaverit, perſolvat; & pariter, ſi a Patrono etiam laico, vel altero præſentatore, ſeu electore contigerit, aut contingat id fieri*. Hic pactum non ſolum expreſſum, ſed etiam tacitum explicate nominatur; qua de re ne ipſi quidem La-Croix, & Anacletus locis ſupra indicatis dubitant, imo id ex communi ſententia, & pontificiis conſtitutionibus fatentur. Hoc vero non ſolum quoad dantes, ſed etiam quoad accipientes intelligi debet; quia facientes, & conſentientes pari pœna puniuntur.

Hinc ex verbis ejuſdem Pii V. mox recitatis qui beneficium *ex reſignatione, vel ceſſione cujuſcumque perſonæ ſimpliciter .... etiam ſola dimittentis intentione receperit*, crimen confidentiæ incurriſſe ſtatuitur.

Quoniam in conſtitutione citata S. Pii V. ingreſſus, regreſſus, & acceſſus nominantur, & fiduciariam ſimoniam continere dicuntur, has dictiones explica.

Reſp. Acceſſus eſt, cum quis in alicujus manus e. g. Titii beneficium pervenire cupiens, qui vel ob ætatem, vel ob alias cauſas ejus capax non eſt, illud confert, aut cedit, aut alio modo dandum curat alteri e. g. Cajo, ea adjecta conditione, ut remoto impedimento Titius illud conſequatur. Ingreſſus eſt, cum quis beneficium ſibi collatum, ſed nondum poſſeſſum ea conditione cedit alteri, ut ſi accipiens moriatur, vel illud ex alia cauſa reipſa non obtineat, in cedentem redeat. Regreſſus eſt, cum idem fit quoad beneficium jam poſſeſſum.

Quæritur hic, utrum Natalis Alex. Theol. t. 2. lib. 2. reg. 18. p. 35. recte ſcripſerit: „ Si quis beneficium „ recipiat ab eo, qui cum intentione, atque conditione fiduciaria verbis expreſſa ſibi reſignat, neque tamen verbo, nec animo, nec ipſo facto annuat voluntati dimittentis, ſed mentem gerat a ſimoniaca illa „ fiducia omnino alienam, eoque dumtaxat animo beneficium ſuſcipiat, ne reſignans aperta in contrarium „ declaratione repulſus, alium quærat, inveniatque, „ qui pravæ illius voluntati præbeat aſſenſum, reus ille non eſt ſimoniæ fiduciariæ. “

R. Concina Theol. t. 10 lib. 1. diſſ. 3. cap. 5. n. 25. p. 127. hac de re inquit. „ Ego tamen hunc reſignatarium a culpa non excuſarem, quia cooperaretur pravitati reſignantis, nec excuſatur ob hoc quod impedire intendat contractum ſimoniacum cum altero. Siquidem prius ſibi quiſque a propria cooperatione in „ alterius peccatum cavere, quam impedire alienum „ debet. “ Sed illud quoque hic animadvertendum eſt, quod talis reſignatarius ipſo facto, contra ac ait Natalis, annuit voluntati dimittentis. Eo enim ipſo, quod beneficium recipit, nec fiduciariam conditionem explicate reſpuit, huic tacite, ſeu facto ipſo aſſentitur. Hoc eſt illud tacitum pactum, quo fiduciariam ſimoniam committi, communis ſententia eſt, teſte Anacl. n. 32. cit., & S. Pius V. illis verbis *ea conditione tacita, vel expreſſa* aperte declarat.

Præterea recolantur hic verba ejuſdem S. Pii V. *Ut ſi quis quacumque auctoritate* &c., & perpende illud *ſimpliciter*, hoc eſt nullo adjecto pacto, aut conditione, & illa *ſola dimittentis intentione receperit*, *ut* &c. Sola ergo intentio fiduciaria dimittentis, recipientem inficit Simonia fiduciaria ex mente, & verbis S. Pii V., dum recipiens facto ipſo illam accipit, & probat, etiamſi mente improbare dicitur; falſumque mihi eſt, Pontificem id unum ſibi velle, ut ait Natalis, ubi prava offerentis intentio perſpecta fuerit, de pravo ſuſcipientis affectu præſumendum eſſe. Hic non de pravo ſuſcipientis affectu, ſed de facto pravo ſermo eſt, quod ſimoniacum fiduciarium eſſe, Summus Pontifex decernit, & ut ego ſentio, perſpicuis verbis. Ait enim *receperit*, quæ vox non affectum, ſed ſolum factum indicat.

2. Quæritur, utrum ſimoniæ fiduciariæ reus ſit, qui reſignat, aut alio modo dandum curat, aut dat beneficium ea conditione, ut penſio ipſi, non aliis ſolvatur.

Reſp. Navarrus, & Leſſius teſte Anacl. t. 5. juris can. p. 77. cit. (cum Navarro ſenſit etiam Natalis Alex. reg. 18. cit.) negant; & ſolam communem ſimoniam in hac ſpecie admitti volunt; contra vero eodem teſte n. 37. affirmant Caſtropalao, Garcias, Suarez, & alii; quam ſententiam idem probat, & ego ſequor. Ratio adverſariorum eſt, quia S. Pius V. Simoniam confidentiæ, dum penſio reſervatur, admitti declarat, dum ea *aliis, vel aliis* ſolvitur: ergo non admittitur, ſi penſio ipſi reſignanti, aut alio modo danti, vel dandum curanti beneficium ſolvatur.

Reſp. in textu, ubi de dantibus ſermo eſt, tum apud Anacletum, tum apud Natalem Alexandrum legitur *illi, vel illis*, ut ego deſcripſi, *quem, vel quos idem collator, aut cedens, vel* &c. *juſſerit, vel ſignificaverit*. Porro certum eſt, collatorem, aut cedentem, ſeipſum deſignare

poſſe. Ergo in hac ſpecie collator, aut cedens ſimoniam confidentiæ incurrit. Præterea dum S. Pius ait, *ut de eo proviſus fructus illius, vel partem ad utilitatem, vel libitum conferentis, aut cedentis* &c. *relinquat, & remittat*, nonne penſionem danti reſervatam aperte deſignat? Quid eſt penſio, niſi jus percipiendi fructus ex alieno beneficio, ut Buſ. hoc cap. dub. 1. a. 6. eam definit? At ubi de recipientibus ſermo eſt, habetur *alii, vel aliis*. Reſp. Quid inde? Nonne ſatis eſt, ſi S. Pontifex ſuam mentem uno loco aperiat? Adde, quod, ut ratiocinatur Anacl. n. 37., S. Pius V. Bullam Pii IV. *Romanum Pontificem* 1564. 17. Kal. Novemb., quam integram habes in calce Concilii Tridentini, confirmat, & innovat: atqui Bulla Pii IV. declarat ſimoniam confidentiæ admitti, cum reſignantes annuas penſiones ſibi reſervari procurant, & obtinent: ergo &c. Concluſio perſpicua eſt.

Quæritur 3., utrum Simonia confidentiæ in permutatione beneficiorum locum habeat, ſi fiat cum pacto acceſſus, ingreſſus, aut penſionis.

Reſp. Nav., Suar. Palao teſte Anacl. n. 39. quos ipſe ſequitur, negant, quia, inquiunt, Bullæ Pii IV. & S. Pii V. de permutationibus non loquuntur, & lex pœnalis ſtricte accipienda eſt. Verum licet in ſuis conſtitutionibus permutationes ſpecifico ſuo nomine non indigitentur, videndum tamen, ne, cum S. Pius V. ait *ex reſignatione, vel ceſſione*, hac voce *ceſſione* eas non ſpecifice quidem, at generice explicate declaraverit, & complecti voluerit. Nam qui beneficium ex permutatione recipit, ex ceſſione recipit; & cum addit, *cujuſcumque Perſonæ*, perſonas quoque permutantes comprehendere videtur, quæ non minus peccant, quam cedentes ſimoniace, aut etiam forte magis. Quare *ſententia adfirmans* in quæſtione præſenti *probabilior eſt*, ait Concina Theol. t. 10. cap. cit. n. 28. p. 128.

At, inquis, cum permutantes in noſtra ſpecie ſimoniaci ſine dubio ſint, quid neceſſe eſt quærere, utrum eorum ſimonia ſit confidentiæ? Idem dicas de aliis hujuſmodi quæſtionibus.

Reſp. Aliæ ſimoniæ in beneficiis admiſſæ, quæ confidentiæ non ſunt, excommunicationem Papæ reſervatam inferunt, beneficii jura in irritum mittunt, ſimoniacoſque ad futura beneficia inhabiles efficiunt ex Conſtit. Pauli II. *Cum deteſtabile* lib. 5. ext. comm. t. 1. cap. 2., quam habet etiam Genett. Theol. t. 2. p. 218. q. 7., & S. Pii V. *Cum primum*, cujus verba legis mea animad. XXII. in cap. 2. tract. 1. lib. 3. Buſ.; at fiduciariæ ſimoniæ reos *omnibus præterea, & ſingulis aliis Eccleſiis, monaſteriis, dignitatibus, adminiſtrationibus, officiis, & beneficiis obtentis .... nec non fructibus, penſionibus, & aliis rebus eccleſiaſticis, ac etiam Romanæ Curiæ, & aliis officiis temporalibus præſentium auctoritate privamus*; ſic & conſtituit Pius V. Conſt. cit.

Hic forte quæris, utrum hæc privatio abſoluta ſit, an ea conditione intelligenda, *niſi ſtatim ad ſe reverſi, & reſipiſcentes, celeri dimiſſione* (beneficii ſimoniace parti) *ſibi proſpexerint*, ut notat Natalis reg. XVIII. cit., & habent verba Bullæ.

Reſp. S. Pius V. tum de iis loquitur, qui ante ſuam Conſtitutionem beneficia, penſionem &c. *Confidentiæ vitio receperunt, & retinent*, tum de illis, *qui quid tale admiſerint in futurum*. Quare illa verba *niſi ſtatim ad ſe reverſi* &c. non ad utroſque, ſed ad primos tantum referenda ſunt, ut verborum contextus attente lectus ſatis aperte indicat.

Animadversio XVII.

Vel quæ datur cauſa reſignationis, & litis componendæ.

Dum Buſemb. diſtinguit penſionem, quæ datur Clerico pauperi, vel Parocho ſeni ad ſuſtentationem, ab ea, quæ datur cauſa reſignationis vel litis componendæ, ponit, reſignationem, & litis compoſitionem eſſe ex ſe nulla alia cauſa accedente juſtos titulos penſionis.

At cum ex meis dictis penſio imponi non poſſit cauſa compenſationis inæqualium fructuum in beneficiorum permutatione, reſignationis quidem cauſa reſignatario imponi jure valet. An penſio aſſignari poteſt reſignanti, etiamſi dives, vel ditiſſimus ſit? An reditus eccleſiaſtici non indigentibus, nec pro Eccleſia laborantibus dari poſſunt? Si Apoſtol. 1. ad Tim. 6. de omnibus ait, *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſimus*; multo magis Clerici in ſortem Domini vocati habentes quæ ſibi ſufficiunt, iis contenti eſſe debent, nec tuta conſcientia ex beneficiis reſignatis penſiones petere poſſunt: ergo ne dari quidem iis poſſunt. Hinc cœtus Cardinalium, & Præſulum a Paulo III. pro morum, & Curiæ reformatione ſelectorum ſupra cit. inquit; *Ideo omnes fructus reſervari, adimique id omne, quod divino cultui, ſuſtentationique habentis beneficium tribui debet, magnus eſt abuſus; itemque penſiones dari Clericis divitibus, qui commode, & honeſte vivere queunt ex reditibus, quos habent, magnus eſt abuſus, tollendus uterque.*

Eccleſiæ Dei nunquam defuerunt, nec deerunt homines æqui, probi, ſanæque doctrinæ aſſertores, qui recta ſuggerant, & dicant; ſed multo plures ſunt, qui pulvillos conſuunt ſub omni cubito manus, & ſana docentes acerrime vexent.

Qui ajunt, penſiones imponi poſſe litis componendæ, ſeu finiendæ cauſa, ut Buſemb. & La-Croix p. 46. n. 556. nituntur cap. *Niſi eſſent* lib. 3. decret. tit. 5. ubi Innoc. III. talem penſionem a Judicibus delegatis impoſitam tolerat adjecta conditione, ut non beneficium, ſed beneficiarii perſona onerata maneat. At initio ſtatim ait: *Niſi eſſent viri providi, & honeſti tam qui ordinationem fecerant, quam illi, circa quos eſt facta ordinatio in Eccleſia veſtra ſuper negotio prioratus, ordinationem illam valde ſuſpectam propter exempli perniciem haberemus.* Ex his verbis intelligitur, hanc decretalem impoſitioni penſionis, componendæ litis cauſa, non favere, ſed potius adverſari. Nam factum illud ſingulare propter ejus circumſtantias tolerat quidem Pontifex, at declarat, illud non eſſe conſtituendum veluti exemplum, ſeu agendi regulam, imo hoc exemplum pernicioſum eſſe ait: *Ordinationem illam valde ſuſpectam propter exempli perniciem haberemus*; quæ verba valde notanda ſunt. Et ſane ex D. Thoma 2. 2. qu. 100. art. 2. ad 5. *antequam alicui acquiratur jus in epiſcopatu, vel quacumque dignitate, vel præbenda per electionem, vel proviſionem, ſeu collationem, ſimoniacum eſſet, adverſantium obſtacula pecunia redimere. Sic enim per pecuniam pararet ſibi viam ad rem ſpiritualem obtinendam.* Porro lite ſuper beneficio excitata, atque hinc inde ancipiti jus in beneficio anceps & dubium eſt: ergo periculum eſt, promittentem pecuniam, ſeu penſionem, ut litis vexatio ceſſet, viam ſibi ad jus beneficii parare pecuniæ interventu, hoc eſt in ſimoniæ periculum ſponte incidere; quod licere non poteſt. Hinc Alex. III. cap. *Super eo* lib. 1. dec. tit. 36. inquit: *Super eo, quod quæſiviſti, utrum de eccleſiaſtico beneficio in litigium deducto poſſit fieri tranſactio, tale damus reſponſum, quod tranſigi ſuper re ſacra, & litigioſa non poteſt. Etenim res ſacra ut poſſideantur aliquo dato, vel retento, ſeu promiſſo, ſpeciem credimus habere ſimoniæ. Aliàs ſi gratis, & amicabiliter inter ſe litigantes componant, ſacris canonibus nequaquam dicimus obviare.* Ergo in litibus beneficiorum eccleſiaſticorum tranſactio onerosa non licet, ſed ſolum gratuita, hoc eſt ſine impoſitione penſionis.

Quod autem ex ſe non licet, ne Judicis quidem auctoritate licet. Nec enim Judicis auctoritas efficere poreſt, ut res ſacræ aliquo dato, vel retento, vel promiſſo poſſeſſæ, ſine ſpecie ſimoniæ poſſideantur.

Animadversio XVIII.

Porro circa penſiones .... etſi eam deſignare proprium ſit Papæ, id tamen etiam Epiſcopum poſſe &c.

Similia habet La-Croix p. 99. n. 1122. ubi ait: „Poſſunt Epiſcopi, ſi adſit juſta cauſa, imponere penſio„nem perſonæ habenti; vel habituræ beneficium &c.“

Sed hic audiendum eſt edictum Innoc. XII. anni 1692. 21. Novembris ubi ita præcipit: „*Volendo la Santità di noſtro Signore*, con la ſua paterna carità, e zelo „eccitare li Parrochi alla maggior vigilanza delle ani„me alla loro cura commeſſe, e facilitargli il modo „di ſovvenire alle neceſſità delle medeſime con più „abbondanti elemoſine; quindi è, che per ordine eſ„preſſo datoci a bocca dalla Santità ſua comandiamo, „che per l'avvenire non ſi abbiano d'aggravare le „parrocchiali etiam di juſpadronato laicale di penſio„ni, e che ciò debba oſſervarſi ancora dagli ordinarj „nelle proviſte, ch' eſſi faranno per farne. In oltre „che non ſi ammettano reaſſegne, o permute di par„rocchiali con riſerva di penſioni a favore di chi ſi „ſia, e ſotto qual ſi voglia titolo etiam di preſtazio„ne di alimenti; e che molto meno ſi riſervino penſio„ni ſopra le medeſime parrocchiali *ſine cauſa beneficia „pleno* di conſenſo dei poſſeſſori per qualſivoglia cau„ſa, e titolo. Dalla Dataria, queſto dì 21. Novem„bre 1692. Band. Card. Prodatario.“ Hoc edictum refert Genettus Theol. t. 2. p. 224.

Hic vero illud quoque animadvertendum eſt, reſignationes beneficiorum cum reſervatione penſionum ſub apoſtolico beneplacito, addito eodem tempore pacto cum reſignatario eas abolendi repræſentata pecunia, palliatas beneficiorum venditiones eſſe, a ſacris canonibus, & apoſtolicis conſtitutionibus improbari, nullaſque, & irritas eſſe, ut declarat & decernit Bened. XIV. conſtit. *Ita ſublimi* anni 1741. 4. Calend. Sept. quæ præterea tam reſignantem, quam reſignatarium ipſo facto privat omni jure beneficii, & ad alia inhabiles decernit additis aliis, ut in ipſa conſtit. legi poteſt. Habetur apud La-Croixium t. 2. p. 94.

Ani-

Digitized by Google

Animadverſio XIX.

Penſionarius poſt conſtitutionem Pii V. . . . tenetur &c.

S. Pius V. c. *Ex proximo* t. 15. lib. 2. in ſept. ita præcipit. *Quicumque penſionem, fructus, aut alias res eccleſiaſticas ut clericus percipit, eum modo prædicto ad dicendum officium parvum B. M. V. decernimus obligatum, & penſionum, fructuum, rerumque ipſarum amiſſioni obnoxium*,

Id inquit Buſ. verum eſt, ubi Bulla Pii V. recepta eſt. Reſp. Hanc Bullam uſu receptam eſſe, teſtantur AA. communiter, ut ait ipſe La-Croix p. 100. n. 1156. quod ſi alicubi ad praxim non redigeretur, redigenda eſſet; quia ipſa naturalis ratio dictat, ut qui in Dei cultu, & laudibus ſe occupare recuſat, reditus ex beneficiis ad Dei gloriam inſtitutis decerptos percipere nequeat. *Si quis non vult operari*, ait Ap. ad Theſſ. 3. *nec manducet*.

Animadverſio XX.

Omnes Religioſi &c. idque ex antiqua, & recepta conſuetudine.

Hæc antiqua, & recepta conſuetudo vim legis habet: at lex in materia gravi graviter ſeu mortaliter obligat: recitatio porro divini officii gravis materia eſt: ergo conſuetudo antiqua, & recepta, ut omnes Religioſi utriuſque ſexus choro deſtinati horas canonicas recitent, eos graviter, ſeu mortaliter obligat; ex quo fit, ut eas vel una die, nedum bis, aut ter omittentes, mortalem culpam admittant, quidquid contra quidam dicant, quorum ſententiam Buſemb. aut reticere, aut refellere debuit. Vide, ſi lubet, Natalem Alex. Theol. t. 2. p. 50. reg. 6. & Concinam Theol. t. 2. p. 399. §. 2. & p. 402. q. 2.

Animadverſio XXI.

Non tenentur ad horas. 1. Novitii . . . 3. Religioſi Societatis Jeſu.

Id intellige in ſenſu reduplicativo, hoc eſt, ſi, & quam diu ſacris initiati non ſunt.

Animadverſio XXII.

Idem dic de Religioſo ejecto, vel qui diſpenſationem obtinuit &c.

Qua ratione id probabile eſſe, ait Buſemb.? quia, inquit, etſi maneat Religioſus, non tamen regularis: at hæc ratio ſophiſtica, & falſa eſt ex dictis cap. 1. dub. 6. c. 3. ideoque non eſt dubitandum juxta ibidem dicta, quin Religioſus, qui diſpenſationem obtinuit perpetuo vivendi extra monaſterium, & ejectus teneatur recitare horas canonicas; atque id fatetur ipſe La-Croix p. 103. n. 1191. ſed exceptos eum Sanch. aliiſque, quos citat contra Nav. Rodriq. Azor. &c. vellet ejectos, per quos non ſtat, quominus in ſuam Religionem iterum admittantur. Sed hic quæro, utrum Superiores ſuæ Religionis, quia ſunt culpabiles, Religioſos ejectos eximant ab onere profeſſionis: quæro iterum, utrum ejecti, quia non admittuntur ex aliena culpa ad ſervandas omnes regulas ſuæ Religionis, ab iis quoque liberentur, quas ſervare poſſunt. Recta P. Concina Theol. t. 2. p. 403. n. 16. hac de re ait: „ Communior, & „ probabilior opinio affirmat " (ejectum e monaſterio judicis ſententia obnoxium eſſe horis canonicis) „ ſive per ipſum ſtet ad monaſterium regredi, ſive ſecus. Quoniam per hanc expulſionem non amittit „ ſuum ſtatum. "

Animadverſio XXIII.

Non tenentur ante acceptam poſſeſſionem.

Hic diſtinctione opus eſt; & primo certum eſt, beneficiarios teneri recitatione precum canonicarum ante acceptam poſſeſſionem beneficii, ſi per ipſos ſtet, quominus poſſeſſionem accipiant. „ Nam paria ſunt (in„ quit merito Laym. lib. 4. t. 2. c. 5.) habere poſſeſ„ ſionem, & per aliquem ſtare, quominus habeat, ſic„ uti colligitur ex c. *Licet Epiſcopus* de præb. in 6. " idem habet Concina Theol. t. 2. p. 411. n. 26. nec de hac re controverſia eſſe poteſt.

Quod ſi quis a capienda beneficii poſſeſſione impediatur per litis conteſtationem, beneficiarius ab horarum canonicarum penſo juxta ſententiam magis receptam abſolvitur, ut ait Laym. loco cit. quam ſequitur non ſolum La-Croix p. 104. n. 1199. ſed etiam Antoine Theol. mor. p. 232. n. 7. & Concina Theol. t. 2. p. 411. n. 26. q. 19. quæ ſententia ſuis rationabilibus fundamentis innititur, ut apud Concinam legi poteſt. Utrum vero beneficiarium tutum in conſcientia efficiat, ſi horas non recitet, non ſatis certum mihi videtur.

Si jus beneficii collati certum ſit, & fructus percipiendi certo ſint, obligatio recitandi horas canonicas certa eſt: ſi jus beneficii nullum ſit, certum eſt obligationem eſſe nullam: at jus anceps beneficii, fructuſque dubii, uti accidit, cum beneficiarius litis conteſtatione impeditur a capienda ejus poſſeſſione, eſt quid medium inter utramque expoſitam ſpeciem: ergo obligatio quoque recitandi horas canonicas media eſſe videtur inter obligationem certam, & nullam. Ex quo fieri videtur, ut talis beneficiarius ex æquo judicio teneri videatur divinum officium ex dimidio, puta alternis diebus recitare. Alia onera beneficii, e. gr. Miſſarum, adminiſtrationis ſacramentorum &c. lite pendente non ſuſpenduntur, ſed implenda ſunt. Cur ergo ſuſpenditur onus recitandi horas canonicas? Quænam canonica conſtitutio ſuſpenſionem horarum canonicarum lite pendente permittit? Si beneficiarius ex lite ſibi intentata victoriam reportet, quo jure fructus illius temporis, quo beneficii onus non ſuſtinuit, percipere poteſt? an litigium, quod ſuſtinuit, eſt beneficii onus? an eſt onus loco officii divini ab Eccleſia ſubſtitutum? Itaque dum litigantes de beneficio contendunt, ſicuti aliis oneribus beneficii qua ratione fieri poteſt ſatisfaciunt, ita oneri quoque horarum canonicarum ſeſe ſubmittere ne renuant, aut alter alteri cedat. Hoc certe tutum eſt; contrarium ſatis tutum non eſſe, videri non injuria poteſt.

Si vero poſſeſſio beneficii, aut fructuum perceptio vi, & fraude impediatur, nullaque ſpes ſit eos obtinendi, quod accidere poteſt, ſi beneficium inter hæreticos exiſtat, beneficiarius ab onere officii liber eſt, ut docet Concina Theol. t. 2. p. 411. n. 25. pro qua ſententia multos citat, & communem eſſe, ait. Ratio eſt, inquit, quia beneficiarius non poteſt aſtringi ad penſum officii, niſi ob fructus aut perceptos, aut percipiendos. Nec enim qui de altari non vivit, altari ſervire cogitur, nec onus ſubire tenetur, qui nullum commodum reportat. „ Si „ tamen fructuum impedimentum (ſubdit idem Conc.) „ non ſit perpetuum, vel ad longum tempus, cum Sua„ rez lib. 4. c. 20. n. 15. & 16. aliiſque exiſtimarem, „ tunc ad horas canonicas ſolvendas beneficiarium tene„ ri; quia tunc habet beneficium, jus colligendi fructus, „ & moralem ſpem eoſdem in futurum aſſequendi; id„ que ex eo patet, quod ſi ob temporum ſterilitatem, „ aut iniquorum rapinam beneficiarius fructibus iſtis pri„ vetur, non propterea liber evadit ab onere divini of„ ficii.

Animadverſio XXIV.

Tenentur ii, qui primo, aut &c. contraria tamen ſententia non eſt improbabilis, & negat Leſſ. &c. eo quod &c.

Huic contrariæ ſententiæ repugnat ipſe La-Croix p. 103. n. 1194. „ Nam, inquit, fructus reſpondentes tem„ pori, quo poſſederunt, reipſa percipiunt, & in vita „ poſſunt diſponere de iis poſt mortem percipiendis. " Repugnat quoque Concina multis citatis Theol. t. 2. p. 410. n. 24.

Sed quoad fructus, qui primo, aut etiam ſecundo anno aſſignantur fabricæ, vel prædeceſſori mortuo, ut Buſ. ait, diligenter animadvertenda eſt doctrina D. Thomæ 2. 2. q. 100. art. 4. ad 3. dicentis: *Circa collationem vero beneficiorum ſciendum eſt, quod ſi Epiſcopus antequam beneficium alicui conferat, ob aliquam cauſam ordinaverit, aliquid ſubtrahendum de fructibus beneficii conferendi, & in pios uſus expendendum, non eſt illicitum: ſi vero ab eo, cui beneficium confert, requirat aliquid ſibi exhiberi de fructibus illius beneficii, idem eſt, ac ſi aliquod munus ab eo exigeret, & non caret vitio ſimoniæ.*

Ex hac angelica doctrina primo intelligitur, omnes fructus beneficii ſubtrahi non poſſe, ſed ſolum partem. Ait enim, *aliquid ſubtrahendum*. Eſt enim irrationabile, ut qui altari ſervit, de altari vivere nequeat, & ut omnes fructus beneficii, cujus onus beneficiarius ſuſtinet, in aliorum manus perveniant. Hinc Joann. 22. cap. *Suſcepti* extrav. comm. lib. 3. tit. 3. fructus primi, vel ſecundi, vel alterius anni defuncto, fabricæ, Eccleſiis, vel perſonis habentibus annalia de conſuetudine, privilegio, vel ſtatuto, in totum applicari vetat, etiamſi a longis retroactis temporibus id fuerit obſervatum; & præcipit, ut ex fructibus beneficii nihil percipiant ultra ſummam, pro qua illud in decimæ ſolutione taxari conſuevit, vel, ſi taxatio decimæ non ſit, ultra dimidios fructus ejuſdem beneficii.

Hinc fit, ut omnes fructus primi, ſecondi vel alterius anni ne fabricæ quidem, aut Eccleſiæ aſſignari jure poſſint, multo vero minus canonicis antiquioribus, aut prædeceſſori mortuo.

Secundo ne ſimonia admittatur, pars fructuum beneficii ſubtrahenda eſt, priuſquam beneficium conferatur, ita ut ipſum beneficium, in cujuſcumque manus devenerit, huic oneri obnoxium ſit.

Tertio pars fructuum beneficio ſubtracta in pios uſus impendi debet; ideoque Eccleſiæ quidem, aut ejus fabricæ aſſignari poteſt, vel pauperibus; at cur aſſignari poſſit antiquioribus canonicis ſufficientem victum habentibus, non intelligitur; multo vero minus prædeceſſori mortuo; quia talis aſſignatio in utilitatem heredum defuncti cedit. Sed hac de re legenda quoque eſt ab iis, ad quos hæc ſpectant, ſacra Syn. Trid. ſeſſ. 24. cap. 14. de reform.

His poſitis quod ad obligationem recitandi officii attinet, vel aſſignatio fructuum primi aut alterius anni aliis, ac beneficiario facta, iniqua eſt, vel æqua. Si iniqua, beneficiarius ex aliorum iniquitate immunitatem ab horis canonicis referre non poteſt. Si æqua, multo minus eſt immunis ab eo onere; quia cum beneficium ſponte ſuſceperit, ejus quoque juſtis oneribus ſeſe ſubjecit. Adde, quod conſuetudines, & ſtatuta peculiarium Eccleſiarum, etiamſi rationabilia ſint, non poſſunt beneficiarium ſubtrahere oneri ab univerſali Eccleſiæ lege ipſi impoſito; multo vero minus irrationabilia: at onus recitandi officium divinum ex univerſali Eccleſiæ lege beneficiario impoſitum eſt: ergo &c.

At beneficiarius in caſu propoſito officium divinum non recitans, damnandus non eſt, quia vel reſignare, vel mori ante poſſit, & ſic non frui anno gratiæ. Ita Buſemb.

Reſp. Hæc Buſemb. ratio perinde ſonat, ac ſi dixerit: quia beneficiarius malæ conſuetudini ſervit, ſeu ſervire cogitur; & quia vel ſponte, vel invitus ejuſdem malæ conſuetudinis commodum fortaſſe perrecturus non eſt, idcirco ab officii penſo liber eſt. Hujuſmodi ſunt rationes verſatilis probabilitatis, quæ illud evincunt, ab ea eſſe valde abhorrendum.

ANIMADVERSIO XXV.

Tenentur & ii, qui habent beneficium tenue, octo v. g. &c. quia jura &c. Ita probabiliter &c. contra Sotum &c. qui dicunt &c. quorum ſententiam non damno.

Buſemb. more ſuo in contrarias partes ſe flectit, & cum poſteriorem ſententiam non damnet, ne eos quidem damnat, qui illam in praxi ſequuntur.

La-Croix p. 303. n. 1195. multas hac de re opiniones, ac varias affert, quæ tamen in id conſpirant, ut beneficiarium tenuis beneficii poſſeſſorem vel ex toto, vel ex parte ab onere canonici officii liberent. Contra vero Genettus ſolidiſſimus Theologus Theol. t. 2. p. 136. qu. 8. hac de re ita loquitur. „ Cum Pontifices, Concilia, & ſancti Doctores generaliter, & ſine ulla prorſus exceptione loquantur, temerarium certe foret, „ eorum decreta reſtringere; præſertim cum nemo dubitare poſſit, quin noviſſent Summi Pontifices, & „ Patres in Conciliis congregati, multa eſſe tenuia beneficia; & ita ſi eorum poſſeſſores a recitatione officii liberare voluiſſent, id aliquo modo expreſſiſſent. „ Cum igitur hanc exceptionem nunquam appoſuerint, „ neque nos apponere poſſumus ſine temeritatis nota, „ maxime cum videamus, plura Concilia noviſſima, „ quæ tali reſtrictioni adverſantur; “ uti ſunt Rhemenſe, Burdigalenſe, Turcanum, quorum verba deſcribit: idemque confirmat auctoritate S. Antonini, & Gloſſæ in can. *Clerici* diſt. 91. verbo *Vigilis*. Eamdem ſententiam propugnant tum Natalis Alex. Theol. t. 2. p. 49. reg. 2. tum Concina Theol. t. 2. p. 409. n. 22. adductis multorum auctoritatibus; & ratio eſt, quia onus officii non ex quantitate redituum, ſed ex ipſo beneficio oritur. Nec enim beneficia, inquit, eccleſiaſtica, mercimonia ſunt, ut quantitati laboris reſpondeat quantitas pretii. Mens enim Eccleſiæ in conferendis beneficiis ea eſt, ut beneficiarii in horarum canonicarum precibus occupati, Deo cultum exhibeant, & animarum ſaluti conſulant. Lege etiam verba S. Pii V. mox citanda ad c. 8. a 28, quæ ſunt evidenter contraria Buſemb. & La-Croixio.

ANIMADVERSIO XXVI.

Si filius a patre coactus &c. ſecus, ſi percipiat pater.

Ita ſane Laym. l. 4. t. 2. c. 5. n. 2. qu. 1. ex Leſſio. Sed eum nec Buſ. nec Laym. ullam ſuæ aſſertionis rationem afferant, ea ſponte ſua corruit. Cur filius a patre coactus ad ſtatum eccleſiaſticum, horas canonicas recitare non tenetur, ſi non ipſe, ſed pater beneficii fructus percipiat? an eccleſiaſticæ ſanctiones hanc habent exceptionem? nonne perinde eſt ſeu pater, ſeu filius beneficii fructus percipiat? Pater enim filio omnia neceſſaria ſubminiſtrat. Præterea in filii arbitrio poſitum eſt percipere fructus beneficii ipſi collati, quia ad ipſum jure pertinent: ergo cum per ipſum ſtet, quominus eos percipiat, ab onere horarum excuſari non poteſt, quia eo permittente a patre percipiuntur. Adde, quod filius valde culpandus eſt, tum quod patri ſine auctoritate, & impie jubenti paruerit, ut eccleſiaſticum ſtatum contra Dei vocationem aſſumeret, tum quod beneficium, quo erat indignus, quæſierit, aut acceptaverit. An ex multiplici culpa ſua illud commodi reportare debet, ut immunis ſit ab onere officii annexo beneficio, quod accepit? Quid ergo? In hac ſpecie malus, & ignavus filius ſuas culpas deflere, & tum beneficium, tum Clerici ſtatum, ſi ſacris initiatus non ſit, dimittere debet, non quærere, utrum ſibi liceat officium omittere.

At, inquis, hæc doctrina diſcordias inter patrem, & filium ſuſcitat. Reſp. An filius a patre malo, quatenus malus eſt, diſcordare non debet? Chriſtus Matth. 10. inquit: *Non veni pacem mittere, ſed gladium. Veni enim ſeparare hominem adverſus patrem ſuum &c. & inimici hominis, domeſtici ejus.*

Præſens ergo Buſ. & Laym. opinatio tum ex ſe abſurda eſt, tum, quoniam abſurdas poſitiones pro fundamento habet, eſt, ut ſcholæ ajunt, de ſubjecto non ſupponente.

Hic vero (pater) *ad reſtitutionem obligatur.*

Ita ſane: at quid inde? ergo filius quamdiu beneficium non dimittit, officium recitare debet, ne pater injuſte fructus percipiat, neve æternum pereat, ſi non reſtituat. At quid tum poſtea? videlicet, cum debitum reſtitutionis ſit reale, ad heredes tranſit: ergo ipſe filius, patris, ut ponitur, futurus heres, eidem reſtitutioni obnoxius erit. An filius hæc pericula, & mala cavere non debet, ſi poſſit? Poteſt autem, recitando divinum officium: ergo non eſt dubitandum, quin teneatur illud recitare.

ANIMADVERSIO XXVII.

Probabile eſt, eum, qui non reſidet ex legitima &c. ideoque &c. non teneri ad horas.

Si ſermo ſit de iis, qui non reſidentes ex juſta cauſa, & licentia, puta ratione ſtudiorum, quotidianas quidem diſtributiones non percipiunt, at beneficii, ſeu præbendæ fructus colligunt, non eſt dubitandum, quin horas canonicas devote legere teneantur

Quod ſi de iis loquamur, qui non reſidentes, nullos omnino fructus colligunt, quia omnes reſidentibus diſtribuuntur, nihilominus graviores Theologi, ut Dominicus Soto, Paludanus, Turrecremata, Cordub., Ledeſma, Navarrus, aliique docent, eos ad horas canonicas teneri. Ratio eſt, quia per ipſos ſtat, quominus fructus non percipiant; quia ſi velint, reſidere poſſunt, & fructus colligere: at ex voluntaria fructuum privatione immunitatem ab officio divino oriri, irrationabile eſt: ergo &c; Ita P. Concina Theol. t. 2. p. 408. n. 18.

At inquit Buſ. *Obligatio hæc eſt propter ſuſtentationem datam.* „ Reſp. hæc ratio falſa eſt. Hæc namque obligatio proficiſcitur ex beneficio, & jure percipiendi fructus ejuſdem. Qui vero abeſt ab Eccleſia, quantumvis ex legitima cauſa, habet beneficium, & jure potitur percipiendi ejuſdem beneficii reditus. Quod porro „ reipſa non colligat, non aliunde evenit, quam ex libera illius electione. “ Ita Concina loco cit.

Hoc porro intelligendum eſt de iis, qui licet legitime abſint, abſunt tamen magis ex privata cauſa, puta ſtudiorum, quam ex evidenti Eccleſiæ utilitate. Si enim ex evidenti Eccleſiæ utilitate abſint, tanquam præſentes habendi ſunt. Nec enim rationi congruum eſt, ut abſentia, quæ in evidentem Eccleſiæ utilitatem cedit, in damnum abſentis convertatur. Vide decretum Urbani VIII. cap. *Conſuetudinem* cit. dub. 1 art. 4. reſp. 6. in quo nota verba parentheſi clauſa, *exceptis illis, quos infirmitas, ſeu juſtæ & rationabilis corporis neceſſitas, aut evidens Eccleſiæ utilitas excuſaret.* At de his, qui fructus reipſa percipiunt in abſentia, in præſenti ſermo non eſt.

ANIMADVERSIO XXVIII.

Non tenentur, qui habent præſtimonia, quæ ſolent dari &c. eo quod non ſint proprie dicta beneficia &c.

In hac quæſtione conſideranda exhibeo verba S. Pii V. c. *Ex proximo* lib. 1. in 7. t. 15. dicentia: *Declarantes, præſtimonia, præſtimoniales portiones, & qualiacumque beneficia* (hinc aperte intelligitur, etiam beneficia tenuia, quidquid Buſ. La-Croix, & alii contradicant, obligare ad officii recitationem non ſolum aliquot, ſed ſingulis diebus) *etiam nullum omnino ſervitium habentia obtinentes, cum prædictis pariter contineri*; hoc eſt, ut antea dixit, graviter peccare, qui primis ſex menſibus poſt obtentum beneficium, officium non dixerit, niſi legitimum impedimentum ipſum excuſaverit, & poſt ſex menſes pro rata fructus, ſuos non facere. La-Croix p. 304. n. 1200. hæc eadem S. Pii V. verba recitat, nec tamen animadvertit, eſſe aperte contraria iis, quæ dixit n. 1195. & quoad præſtimonia nos mittit ad Buſemb. in reſ. 8. in

qua

Digitized by Google

qua verſamur. Laym. a Buſ. cit. lib. 4. t. 3. cap. 5 qu. 6. n. 6. ita ait: „ De præſtimoniis poſterioris generis, „ quæ interdum Clericis ab eccleſiaſtico Prælato conferuntur non ratione alicujus ſpiritualis officii, ſed „ ob aliam cauſam, qua ceſſante ipſis auferuntur, e. g. „ dum in litterarum ſtudiis verſantur, uſque dum ſacerdotes fiant, vel donec beneficium aliquod acquirant; „ de his, inquam, præſtimoniis intelligendi ſunt DD. „ qui negant, ex iis obligationem naſci horas canonicas recitandi, cum non ſint beneficia eccleſiaſtica, ſed „ mera ſtipendia. “

At etiamſi hujuſmodi præſtimonia ad tempus collata, beneficia proprie non forent, nihilominus recitationi officii obnoxia ſunt; quia S. Pius V. in cit. conſtit. non ſolum beneficia, ſed etiam præſtimonia huic oneri ſubjicit, dum ait: *Declarantes, præſtimonia, præſtimoniales portiones, & qualiacumque beneficia* &c.

Neque eſt, cur dicas, S. Pium V. eſſe intelligendum de præſtimoniis, quæ in titulum perpetuum dantur; quia cum S. Pius ſine ulla reſtrictione loquatur, & non ſolum præſtimonia, ſed etiam præſtimoniales portiones nominet, ex arbitrio cum reſtrictione intelligitur. Si præſtimonia, quæ dantur in titulum perpetuum, & aliquod ſpirituale obſequium annexum habent, obligant Clericos fatente Laym., & Buſemb. ad perpetuam horarum canonicarum recitationem, cur quæ dantur ad tempus ſine ullo alio onere, Clericos non obligabunt ad temporariam earumdem horarum lectionem? Hæc temporalia præſtimonia ab eccleſiaſticis reditibus deſumuntur, ideoque Eccleſiæ bona ſunt: at qui ex Eccleſiæ bonis ſuſtentatur, Eccleſiæ ſervire ex jure naturæ, & divino a. ad Theſſal. 3. tenetur: hoc porro obſequium jure naturæ debitum, a S. Pio V. determinatur per recitationem officii divini: ergo hoc recitandum eſt.

Similiter non tenentur penſionarii, cum &c. quod limitat Eſcob. &c.

Penſionarii ad dicendum officium parvum B. M. V. obligantur, ſi ut Clerici penſiones percipiant, ut decernit S. Pius V. cit. conſtit. *Ex proximo*, cujus verba habes ar. 6. d. 2, h. cap. Qui aliter docent, audiendi non ſunt.

Animadversio XXIX.

Non eſt mortale omittere &c. nec tertiam partem parvæ horæ, contra Azor. &c. quia non cenſetur pars notabilis.

La-Croix p. 105. n. 1202. ita inquit: „ Media pars „ parvæ horæ, v. g. tertiæ non eſt materia peccati mortalis, ut tenent multi cum Gavanto, & Stoz contra &c. “

P. Concina Theol. t. 2. p. 477. n. 4. hos omnes ex arbitrio loqui merito exiſtimat. Ratio enim hic deeſt; & quod uni grave, alteri leve videtur. Quid ergo? Cum de animæ ſalute agitur, certa incertis præferenda ſunt. Neminem puto adeo ſtultum reperiri, ut dimidiam horam, vel aliquid amplius omittat, & reliquum horæ recitet.

Omiſſio unius integræ horæ etiam minoris, mortalis eſt, ut fatetur ipſe Buſemb., & La-Croix num. cit. qui contrariam opinionem improbabilem merito habet.

At ſubdit: „ Quod ſi omittas minus, quam totam „ parvam horam, non peccas mortaliter. Lect. Bonac. „ &c. “ Quid ſi ſolum recites, v. gr. *Deus in adjutorium meum intende?* Peccas nihilominus, inquit mortaliter, quia ita parum pro nihilo reputatur. His verbis innuere videtur, eum, qui ſolum diceret *Deus in adjutorium &c. cum hymno*, mortaliter non peccaturum. Sed hæc minuta ſunt, & ſophiſtica.

Num. 1203. inquit: „ Plures tamen apud Gobat &c. „ docent, eum non peccare mortaliter, qui ex ſingulis „ horis omitteret duos pſalmos, & hymnum, eo quod „ ad mortale videatur requiri; ut in una eademque hora omittatur pars notabilis; quæ ſententia non videtur eſſe omnino improbabilis. „

Hæc ſententia eſt aperte falſa; ejuſque ratio aperte ſophiſtica.

Qui ita loquuntur, graviſſimam morum Theologiam contemptui objiciunt, moreſque corrumpunt; nec eſt neceſſe in his abſurdis commentis refellendis tempus terere. Ego ſane pro certiſſimo habeo, omittentem ſingulis horis canonicis duos pſalmos, & hymnum non ſolum mortaliter peccare, ſed longe gravius peccare, quam qui tres integras minores horas prætermitteret; quia non ſolum majorem officii partem omitteret, quam qui tres integras horas non legeret, ſed etiam officium longe turpius detruncando deformaret; & mecum ſentire non ſolum omnes ſanos Theologos, ſed omnes homines ad æquitatem comparatos, non dubito.

Sanch. dicit tres lectiones cum reſponſoriis in feriali officio eſſe materiam parvam.

Hoc ſcilicet dicitur ex mero arbitrio, & ſine ulla ratione: ergo pro non dicto haberi debet, nec eſſe porro recta agendi regula. Quamquam dum Sanch. addit *in feriali officio*, innuere videtur, aut ſolam, aut præcipue relativam quantitatem in officio eſſe conſiderandam, ut de notabili, aut parva ejus quantitate quoad peccatum judicium fiat, quæ ſane conſideratio cavillatoria eſt, ad negligentiam, & peccata fovenda aptiſſima. Poſſent enim ita cavillari: pars decima non eſt quid notabile reſpectu totius: at una parva hora ne decima quidem pars eſt totius officii: ergo una parva hora non eſt quantitas notabilis; ideoque ejus omiſſio non eſt culpa mortalis; quam concluſionem ab Eſcobario, & aliis adoptatam non ſolum P. Concina ut laxam, & falſam rejicit Theol. t. 2. p. 477. n. 3. ſed improbant quoque Buſemb., & La-Croix. Ejus porro falſitas etiam ex conſtit. S. Pii V. *Ex proximo* ſupra cit. ſatis aperte colligitur, ubi ſtatuit, beneficiarium pro ſingularum horarum officii omiſſione ſextam partem fructuum uni diei reſpondentium amittere. Poſſent etiam adhibito ſophiſtico Sorite ita arguere. Si decima officii divini pars non eſt quid notabile, an erit nona, an octava, an ſeptima? Atque hoc modo non ſolum unius, ſed etiam duarum horarum ex minoribus omiſſionem a gravi peccato eximere. Sed has cavillationes, quæ maleferiatis ſophiſtis in mentem venire poſſunt, non ſolum pietas, ſed judicii ſanitas rejicit, & exſibilat. Quid ergo? Magnum, & parvum, ſi ſubtiliter, & metaphyſice loqui velimus, ut talia non ſunt quantitates, ut recte docet Ariſtot. cap. 6. Categ., ſed relationes; quia abſolute loquendo nihil magnum eſt, aut parvum, ſed ſolum relative. Hinc eadem res ad diverſa comparata, magna, & parva eſt. At humano, & communi more loquendo hoc abſolute magnum, illud abſolute parvum dicitur; & præterea aliquid magnum, & parvum ex relatione appellatur.

Itaque cum de moribus ſermo eſt, magnum, & parvum tum abſolute, tum relative ex æquo hominum rectorum, minimeque cavillantium judicio deſumendum eſt. „ At tres lectiones cum ſuis reſponſoriis ſunt materia gravis in prudenti hominum exiſtimatione, “ ait P. Concina Theol. t. 2. p. 478. num. 7. ideoque earum omiſſio gravis culpa merito habetur.

Si ex mox dictis media, aut etiam tertia pars parvæ horæ ex æquo judicio, eſt dubia notabilis quantitas, tres lectiones cum reſponſoriis, quæ tertiæ partis parvæ horæ duplum ſunt, notabilis quantitas ex æquo judicio merito habetur. Nec enim hic evidentia locum habet. Ceterum qui de his, aliiſque hujuſmodi dubitare volunt, aut ſibi dubitandum putant, illud principium indubitatum in mente ſemper habeant, in dubiis tutiora ex neceſſitate præcepti eſſe ſequenda.

Animadversio XXX.

Sive omiſſio horarum &c. ſit unum numero peccatum, ſive ſint plura &c. probabile tamen eſt, in confeſſione explicandum, quot horæ ſint omiſſæ; eo quod &c.

Hoc Buſemb. *probabile* cave ne intelligas verſatili more, quaſi contrarium quoque probari queat. Memor hic eſto propoſ. 1. ab Innoc. XI. proſcriptæ; ea quia ſi Sacerdos in Sacramentis conferendis, cum de Sacramenti valore agitur, probabilem propoſitionem ſequi non poteſt, ſed tutiorem ſequi tenetur, ita etiam pœnitens in Sacramentis ſuſcipiendis idem præſtare debet, ne Sacramentum irritationis, & animam æternæ damnationis periculo objiciat. In ſpecie porro præſenti agitur de Sacramenti valore, quia agitur de confeſſionis integritate. Quamquam mihi non ſolum probabile, ſed certum eſt, in confeſſione eſſe explicandum numerum horarum omiſſarum, quia cujuslibet horæ omiſſio gravis, & mortalis quantitatis omiſſio eſt; qua de re ſuo loco.

Animadversio XXXI.

Contra de La Cruz, & Lopez apud Dian. qui dicunt &c. non teneri &c.

Buſemb. citat conſtit. S. Pii V. ejuſque ſenſum ad amuſſim in medium profert. Sed cur poſtea opinionem La Cruz, & Lopez huic Bullæ contrariam refert, eorumque rationes adducit, nec tamen eos refutat? An opiniones, ſummorum quoque Pontificum conſtitutionibus aperte adverſantes, probabiles, & rectæ morum regulæ eſſe poſſunt? Hæc ſunt verba cit. conſtitut. *Statuimus, ut qui horas omnes canonicas uno, vel pluribus diebus intermiſerit, omnes beneficii, ſeu beneficiorum fructus, qui illi, vel illis diebus reſponderent, ſi quotidie dividerentur; qui vero matutinum tantum, dimidiam; qui ceteras omnes horas, aliam dimidiam; qui harum ſingulas, ſextam partem fructuum ejuſdem diei amittat* &c. Lex Sole clarior eſt. Si ex hac lege qui vel una die totum officium, aut etiam ejus partem omittit, reſtitutioni indubitanter obnoxius eſt, quomodo a reſtitu-

Digitized by Google

ſtitutione liber erit, qui per octo, vel decem dies intra annum idem officium recitare neglexerit? Opinio de La Cruz, & Lopez eſt aperte falſa, & intoleranda, quia cit. conſtitutioni aperte contraria,

Sed audi nunc La-Croixium, qui p. 105. num. 1211. ita inquit: „ Si quis per biennium, vel ultra horas o„ miſerit, putant Sanch., & alii cum Gob. in exp. t. „ 5. n. 588. ſatis eſſe, ſi Confeſſarius eum obliget ad „ reſtitutionem quartæ partis fructuum, quia videtur „ nimis durum, & moraliter impoſſibile reſtituere to„ tum. "

Hæc ſane opinatio deterior eſt mox confutata, tum quia legis tres partes ex quatuor deſtruit, tum quia ipſam legem veluti nimis duram, & impoſſibilia præcipientem incuſat. Itaque ſubdit La-Croix; „ Sed dicen„ dum eſt obligari ad reſtituendum totum, ſi abſque „ gravi incommodo poſſit, ſaltem ſucceſſive per partes; „ quia non apparet, per quid excuſetur: ad grave ta„ men incommodum non cenſetur velle eum obligare „ Eccleſia. "

At dum La-Croix relatam Sanch., & aliorum malam opinationem ſpecie tenus confutat, idem quoad rem ipſam cum iis ſentire mihi videtur; quia qui per biennium, vel ultra horas omiſit, ſine gravi incommodo reſtituere non poteſt. Mali enim beneficiarii, qui per integros annos officium non recitant, otioſi, ac per ipſum otium in vitiis occupati, omnia prodigunt; ideoque ſine gravi incommodo reſtrictioris victus, & ablegationis vitiorum reſtituere non poſſunt.

Hæc eſt ſpecies moralis, in qua verſamur. Quid hic objicere mihi poſſunt patroni, aut aſſeclæ La-Croixii? An beneficiarii Clerici, aut Sacerdotes otioſi, mali, vitiis pleni, divinum officium per integros annos omittentes, ſine gravi incommodo, conſcientiæ, juſtitiæ, Pontificiis æquiſſimis legibus ſatisfacere ſe poſſe putant? Nolo hic plura dicere, ne La-Croixio inſultare videar, & quia res ſanos mentis oculos habentibus perſpicua eſt.

Animadversio XXXII.

Nec ii obligantur, qui ex naturali &c.

Cur Buſemb. hic in eo tantopere laborat, ut beneficiarios non recitantes officium a reſtitutione excuſet? Nonne ſatis erat dixiſſe *ex naturali oblivione, juſto impedimento*? Cur addit, *bona fide, invincibili ignorantia, aut aliter abſque culpa omiſerunt*? Lateranenſe Concilium ſub Leone X. cujus verba mox recitabo, a reſtitutione non excuſat beneficiarios, niſi ex legitimo impedimento officium omittant. Nam oblivio naturalis officii recitandi, caſus eſt rariſſimus, quem memorare ſupervacaneum eſt, aut forte noxium, ne oblivioni naturali oblivio voluntaria in cauſa, & culpabilis admiſceatur. At quid ſibi volunt quoad rem præſentem illa Buſemb. verba, *bona fide, invincibili ignorantia, aut aliter* &c. Putat ne Buſemb. eſſe bonam fidem, & invincibilem ignorantiam, a culpa, & reſtitutione excuſantem, ſi beneficiarius officium omittat, quia neſcit, ſe huic oneri eſſe obnoxium? At unuſquiſque ſcire tenetur ea, quæ ad proprium ſtatum, & officium pertinent: horarum canonicarum recitatio ad officium, & ſtatum beneficiarii pertinet: ergo beneficiarius ſcire tenetur, hanc ſuam obligationem; neque hujus obligationis ignorantia inculpabilis eſt, ideoque omittentem nec a culpa excuſat, nec a debito reſtitutionis; multo vero minus excuſatur, ſi ſciat quidem, ſe recitatione officii teneri, at neſciat debitum reſtitutionis, ſi recitationem omittat.

Animadversio XXXIII.

Valde probabile eſt, quod qui alia onera habent, quam precum .... omittentes &c. *poſſint retinere majorem* &c. *ſufficiatque dare* &c. *eo quod tantum* &c.

Idem habet La-Croix p. 105. n. 1214. Sed poſſibile non eſt, ut Paſtores, & Epiſcopi peculium divini officii negligentes, in peccato mortali verſantes, ad Deum humillimis precibus non confugientes, aliis ſuis muneribus rite ſatisfaciant. Itaque, cum Buſemb., & La-Croix ajunt, Paſtores, & Epiſcopos divinum officium non recitantes, poſſe ſibi retinere majorem partem fructuum beneficii ob alia onera, quæ ſuſtinent, eorum dictum videtur eſſe de ſubjecto, ut ſcholæ ajunt, non ſupponente. Verum hoc miſſo, ponamus, tales beneficiarios jure naturæ poſſe ſibi retinere fructus reſpondentes oneribus, quibus obnoxii ſunt, præter officium, quod omittunt; conſiderandæ tamen præterea ſunt pontificiæ conſtitutiones. Porro Leo X. in Conc. Later. c. 1. t. 15. lib. c. in 7. ita conſtituit. *Statuimus, & ordinamus, quod quilibet habens beneficium cum cura, vel ſine cura, ſi poſt ſex menſes ab obtento beneficio divinum officium non dixerit, legitimo impedimento ceſſante, beneficiorum ſuorum fructus non faciat ſuos pro rata omiſſionis officii, & temporis; ſed eos tamquam injuſte perceptos* &c. Hic Summus Pontifex legem condit, *Statuimus* &c. qua omnes etiam Paſtores animarum complectitur, omnesque ſine ullo diſcrimine amiſſioni fructuum ſuorum beneficiorum obnoxios facit, ſi officium omittant; neque hac in re, ſeu jactura ullam vult haberi rationem aliorum miniſteriorum, quibus funguntur, ſed ſolum officii, quod omittitur, & dierum, quibus omittitur: & S. Pius V. Later. Concilii mentem clarius explicans, inquit: *Statuimus, ut qui horas omnes canonicas uno, vel pluribus diebus intermiſerit, omnes beneficii, ſeu beneficiorum ſuorum fructus, qui illi, vel illis diebus reſponderent, ſi quotidie dividerentur; qui vero* &c. *amittat*. Ait *omnes fructus*, non partem officio reſpondentem. Hanc pœnam, ut beneficiariorum ſocordiam excuterent, & neceſſarias preces omittentium culpam punirent, Summi Pontifices imponere potuerunt, eamque perſpicue impoſuerunt. Itaque vera eſt eorum ſane gravium Theologorum, quos citat, & ſequitur P. Concina Th. t. 2. p. 423. q. 11. ſententia Buſemb. La-Croixio, & aliis contraria, quæ aſſerit, beneficiarios horas canonicas omittentes, omnes ſuorum beneficiorum fructus pro rata omiſſionis amittere, & non ſolum reſpondentes oneri divini officii.

Animadversio XXXIV.

Si talis paſtor habeat tenues reditus &c. *videtur ad nihil* &c. *Imo Dian.* &c. *dicunt, eum qui habet* &c. *non teneri* &c.

Quoad hæc conſule mox dicta att. 1. ca. 4. & c. 8. videlicet cum Conc. Lateran. ſub Leone X. dicat *Quilibet*, omnes beneficiarios aperte includit, & cum S. Pius V. dicat *Qualiacumque beneficia*, an tenuia, ſeu curam animarum habeant, ſeu non, non complectitur? Si menti Summorum Pontificum, eorumque legi inhærere volumus, ut debemus, hac de re dubitandum non eſt.

Animadversio XXXV.

Reſtitutio hæc fieri poteſt vel pauperibus amicis &c.

Ita ſane: ſed cavendum eſt, ne alii pauperes, ac præſertim pauperiores, ſi quid notabile reſtituendum ſit, negligantur, quia non ſunt amici.

Vel etiam ipſi beneficiato.

Id quoque admittit communis opinio, ut habet P. Concina Theol. t. 2. p. 426. n. 25. Sed hic alieno prudenti conſilio opus eſt, tum ne ſine neceſſitate beneficiarius ſibi fructus retineat, tum ne limites in quantitate retinenda excedat; qua de re legi poteſt Concina loco citato.

Denique aliquando compenſari poteſt, offerendo ſuffragia &c.

Ab hac ſententia merito abhorret P. Concina Theol. loco citato n. 26. Nam ſuffragia pro defunctis, aliæque preces, opera quidem pia ſunt, & animæ utilia; at hujuſmodi opera non ſunt fructuum a beneficiario amiſſorum reſtitutio, uti præcipitur a Leone X., & S. Pio V. juxta quos beneficiarius officium non recitans, beneficii fructus *tamquam injuſte perceptos in fabricas ipſorum beneficiorum, vel pauperum eleemoſynas erogare tenetur.*

Evidens ergo eſt, ſuffragiis pro defunctis, aliiſque precibus legem Leon. X., & S. Pii V. non impleri. Quomodo beneficiarius officium non recitans, retinere poteſt beneficii fructus, ſi eos amiſit, ſi injuſte eos percepit, ſi erogare eos tenetur in fabricas ipſorum beneficiorum, vel pauperum eleemoſynas? An Summi Pontifices permiſerunt, ut loco reſtitutionis fructuum injuſte perceptorum, ſuffragia pro defunctis aliquando offerrentur, aliæque preces dicerentur? Opinio ergo Buſemb. quam hic refuto, eſt arbitraria, & falſa, non ſecus ac ſi quis debitorem pecuniæ a pecunia numeranda abſolveret, dummodo ſuffragia pro defunctis offerret, aut certas preces recitaret.

Nec continuo damnandum, qui ordinarie &c. *ſemel, v. g. vel bis in anno omiſit, etſi nihil reſtituat, docent* &c.

Hæc doctrina eſt aperte contraria conſtitutionibus Leon. X., & S Pii V. ut ex verbis citatis clare intelligitur.

Animadversio XXXVI.

Qui pecuniam, quam &c. *impendit in alios* &c. *non ſatis fecit obligationi ſuæ* &c.

Nonne ſatis erat hæc dixiſſe? Cur Buſemb. addit, *ubi Concilium Lateranenſe, vel Bulla Pii V. eſt recepta, niſi aliud ferat conſuetudo, vel ſtatutum alicubi receptum?* Videlicet ea eſt verſatilium opinatorum indoles, ut ſuis commentis leges elevent, & ſi fieri poſſit, in nihilum

quo-

quoque redigant, quod ſane Buſemb. tum alibi, tum in præſenti articulo aperte indicat. Dum hic Buſemb. diſtinguit inter Concilium Later., vel Bullam Pii V. receptam, & non receptam, vult, leges pontificias a ſubditorum acceptatione quoad vim obligandi pendere: quæ ſane doctrina, ut alias monuimus, & repetendum eſt, in ſana Theologia aperte falſa eſt, & intolerabilis. Auctoritas enim ſuprema Eccleſiæ, a Deo proxime derivata, ab ipſo completam vim habet obligandi ſuis legibus. Quod ſi ne poteſtatum quidem ſæculi poteſtas a populo pendet, ut ſubditos ſuis legibus obliget, niſi forte regimen ſit democraticum, multo minus eccleſiaſtica, & ſuprema Eccleſiæ poteſtas.

Quod attinet ad conſuetudinem, vel ſtatutum alicubi receptum aliter impendendi fructus beneficii ob neglectas horas reſtituendos, ac Later. Conc., & Bulla S. Pii V præſcribit, talis conſuetudo rationabilis eſſe non poteſt, ideoque prædictis legibus derogare nequit. Nullus enim uſus magis pius, & fini, cujus gratia beneficia inſtituta ſunt, magis accommodatus ordinarie loquendo eſſe poteſt, quam ut beneficii fructus a beneficiario reſtituendi, in eorumdem beneficiorum fabricas, & pauperum eleemoſynas impendantur. Nam ſi quandoque in raro aliquo caſu contrarium accidat, ea iis, quæ raro, & præter rerum ordinem contingunt, conſuetudo legitima, & rationabilis induci non poteſt; ſed in hujuſmodi caſibus legis diſpenſatio petenda eſt. Hinc P. Concina Theol. t. 2. p. 415. c. 8. n. 1. ait, ab omnibus Theologis ut falſam eam opinionem improbari, qua nonnulli contendebant, decretum Concilii Lateran. non fuiſſe uſu receptum. Ex his intelligis, multo magis repudiandum eſſe, quod ait Buſemb. hic c. 8. „ Ubi Bulla Pii V. non eſt recepta, poteſt videri „ probabile, beneficiatum ad dictam reſtitutionem non „ obligari. "

Poſſe aliquando beneficiatum excuſari a reſtitutione &c. (*intellige poſt omiſſionem horarum*) *cenſet* &c.

Ita ſane intelligendum eſt, ſeu illa additio parentheſi clauſa, a Buſemb., ſeu ab aliis poſt propoſitiones ab Alex. VII. damnatas appoſita ſit. Hæc enim propoſ. *Reſtitutio fructuum ob omiſſionem horarum ſuppleri poteſt per quaſcumque eleemoſynas, quas antea beneficiarius de fructibus ſui beneficii fecerit.* Hæc, inquam, propoſ. eſt 33. ab Alex. VII. proſcripta. Particula *antea* tum in indice propoſ. in calce Buſemb., tum apud Wig., & Anacletum legitur, licet a P. Concina Theol. t. 2. p. 428. num. 28. fuerit omiſſa; quam tamen habet idem Conc. p. 362.

At etiamſi Buſemb. hoc modo intelligatur, a Concina loco mox citato impugnatur. „ Quoniam, inquit, „ beneficiarius elargiens eleemoſynas nullo habito re„ſpectu ad reſtitutionis ſuæ debitum, liberaliter do„nat: liberali autem donatione non ſatisfit oneri, „ quod ex juſtitia debetur. Quid quod ſimilibus elee„moſynis beneficiatus forſitan intendit ſatisfacere præ„cepto erogandi ſuperflua? Nonne beneficiarii, ut „ ceteri chriſtiani, eleemoſynarum præcepto ſubdun„tur? " Ita P. Concina, cujus rationes negotium quidem faceſſunt; at ſi attente conſideres, eo tendunt, ut ad ſatisfaciendum præcepto, ſatisfaciendi intentio requiratur; quod non eſt admittendum; ſed contra cum Laym. lib. 1. t. 4. cap. 4. n. 7. Wig. p. 173. n. 62. reſp. 6. Antoine p. 32. reſp. 1. p. 1. Buſemb. l. 1. t. 2. cap. 3. dub. 2. & communi dicendum, præcepto ſatisfieri, dum voluntarie fit id, quod præcipitur, etiamſi expreſſa intentio ſatisfaciendi præcepto non adſit: atqui dum beneficiarius pecuniam ob neglectas horas reſtituendam erogat in pauperes, aut in ſuorum beneficiorum fabricas, voluntarie facit id, quod Later. Concilium, & S. Pius V. præcipiunt: ergo præcepto ſatisfacit, etiamſi expreſſam intentionem ſatisfaciendi præcepto non habeat; quia hujus præcepti neſcius, aut immemor eſt.

Sicuti ex communi ſententia, præcepto audiendi Miſſam die feſto ſatisfacit, qui immemor diei feſti, eam attente, & devote audit, & jejunii præceptum implet, qui jejunat, licet non recordetur, eſſe jejunium; ita a pari beneficiarius reſtitutioni obnoxius, dum reipſa reſtituit, legem exequitur, etiamſi propter ignorantiam, aut inadvertentiam, ſuam obligationem in mente non habeat. Cum reipſa fecerit, quoad Lat. Concilium, & S. Pius V. præcipiunt, quid ab eo amplius requiras? an propter omiſſionem intentionis ſatisfaciendi legi, eum cogendum putas ad reſtitutionem reipſa factam repetendam? at id nec Conc. Lat., nec S. Pius V. præcipiunt; nec aliunde hanc eſſe mentem ſacrorum Legiſlatorum colligi poteſt: itaque, ut mihi videtur, ad id cogendus non eſt: & ita ſentiunt non ſolum Dian. & Laym. a Buſ. citati, ſed Suar. Sanch. Lugo, Gobat, Du-Bois a La-Croixio citati. Ego tamen meam opinionem ſeveriori ſaniorum Theolog. examini, & judicio ſubmitto.

Addit Jo. de Salas, Vaſquez, ſi Canonicus groſſam, ſeu corpus ſui canonicatus &c. *non teneri ad reſtitutionem* &c. *eo quod* &c.

Vaſquez contrariam ſententiam conceptis verbis propugnat, ut monet Concina Th. t. 2. p. 421. n. 13. pro qua citat etiam Leandrum, Pellizarium, Suarez, Caſtropalaum, additque Salæ opinionem omni probabilitate carere.

Ratio, qua Buſ. utitur: *Eo quod pœna non ſit, ut fructus jam ſuos factos reſtituat, ſed ut fructus non faciat ſuos:* hæc, inquam, ratio ſophiſtica eſt, falſoque ſuppoſito, legi inſidiatur. Nec enim Canonicus, qui ſuæ Canonicatus groſſam, ſeu corpus vere percepit, *abſolute*, ut falſo ponit Buſemb. illud lucratus eſt, ſed ſub conditione, & onere recitandi officium tempore fructibus perceptis reſpondente. Ex quo fit, ut, ſi conditionem non impleat, fructus percepti ſui non ſint, ſed alieni juris, ideoque reſtituendi. Nam quoad jus perinde eſt, ſeu Canonicus, aut alius beneficiarius beneficii fructus percipiat ante, ſeu poſt divini officii omiſſionem. Hinc Concil. Later. ſæpe citatum ait: *Statuimus, & ordinamus, quod quilibet habens beneficium cum cura, vel ſine cura, ſi poſt ſex menſes ab obtento beneficio divinum officium non dixerit, legitimo impedimento ceſſante, beneficiorum ſuorum fructus non faciat ſuos pro rata omiſſionis officii, & temporis, ſed eos tanquam injuſte perceptos in fabricas* &c. *erogare teneatur.* His verbis ſacrum Concilium, Buſemb. cavillationem præoccupavit, & ſuſtulit, dum non ſolum ait, *fructus non faciat pro rata* &c. ſed etiam addit, *ſed eos tamquam injuſte perceptos in fabricas* &c. *erogare teneatur*. Hæc ſane evidentia ſunt ſanis, & æquis hominibus. Nam ſophiſticæ indolis homines undecumque cavillandi anſam arripiunt, nec cavillandi finem unquam faciunt.

Animadversio XXXVII.

Infirmitas gravis &c. *ita ut ſine incommodo* &c. *legi non poſſint.*

„ Gravis infirmitas, inquit P. Concina Th. t. 2. p. „ 496. §. 2. n. 1. omnium conſenſu ab officio perſol„vendo excuſat; quia infirmitas gravis impotentem „ reddit hominem ad tale ſubeundum onus. " Recte enimvero; at cum Buſ. ait: „ ita ut ſine incommodo „ legi non poſſint: " illud *ſine incommodo* abſolute enuntiatum, recte dictum non videtur. Gravis infirmitas ab officio excuſat, quia hominem impotentem reddit ad tale onus: at ſi officium ſine gravi incommodo ab infirmo recitari poteſt, aut infirmitas non eſt abſolute gravis, aut ſaltem gravis non eſt reſpectu officii; quia hominem ad illud impotentem non reddit. Ego quidem cum infirmis morbis vere gravibus laborantibus benigne agendum puto, qui ſi onus infirmitatis patienter ferant, aliis oneribus gravandi non ſunt. Hanc eſſe mentem Eccleſiæ, quia benigna eſt, exiſtimo. At ſi Eccleſia benigna mater eſt, blanda tamen non eſt. Lex horarum canonicarum, factu facilis eſt, aut ſaltem non valde difficilis etiam poſitis in infirmitate, quæ non valde gravis ſit. Nam ſi officium totum ſine interruptione recitatum, omnia grave merito videri poſſit; per partes tamen diviſum, & pro morbi ratione opportune dictum, cur grave incommodum allaturum, putandum eſt? Mens quieſcere non poteſt. Cur ergo Deo per aliquantulum temporis ſpatium vacare ſine gravi incommodo nequit? Vereor, ne gravia incommoda ſegnitiei, animique a divinis alieni vitio non raro fingantur. Nam oris labor in officii recitatione exiguus eſt, ac nullius momenti. Experientia in me teſte didici, in morbis etiam non levibus, quæ lecto me aſſidue affigebant, officium ſine ullo, aut certe ſine gravi incommodo recitari poſſe. Id in aliis cur non accidet? Illud cavendum, ne, ſi caro infirma ſit, ſpiritus quoque infirmus, piger, a divinis alienus ſit.

Neque vero audiendi ſunt, qui teſte La-Croixio p. 106. „ n. 1224. inquiunt cum Pelliz. t. 2. tr. 5. c. 8. „ n. 116. licet tales infirmi bonam diei partem confabulationibus expendant, atque etiam libros recrea„tionis cauſa legant, inde non ſequitur, teneri ad ho„ras; quia ſermones, & lectiones illæ afferunt ægro „ recreationem, nec morbus inde ingraveſcit, ſed po„tius levatur: econtra recitatio horarum eſt res ſe„ria, & ex natura ſua gravat caput, ac moleſtiam „ affert. Unde etiam poſtquam febris infirmum deſe„ruit, dum adhuc vires ſunt imbecilles, & homo con„valeſcit, poteſt ad aliquot dies differre recitationem; „ quia illa imbecillitas adhuc cenſetur infirmitas, nec „ veriſimile eſt, quod Eccleſia poſt r ot labores neget „ eam requiem ægro; hinc etiam fieri poteſt, ut quis „ prius celebret Miſſam, quam oret horas, ut cum aliis „ Sanch. Tamb. &c. "

Hi, inquam, audiendi non ſunt, licet La-Croix eos dignos habeat, qui audiantur. Neque tamen neceſſe eſt ut refellantur: nam eos referre, eſt refellere. Quid e-

nim

nim abſurdius dici poteſt, quam confabulationes per bonam diei partem, & lectionem librorum recreationis cauſa, animum, & morbum levare, ſermonem vero cum Omnipotenti Deo moleſtum eſſe, & infirmitatem gravare? Ita ne loquuntur homines, non rudes, non improbi, ſed docti, & pii? An etiam poſtquam febris abiit, &c. poteſt infirmus ad aliquot dies differre recitationem? at illa imbecillitas adhuc cenſetur, ait La-Croix, infirmitas: ergo juxta La-Croixium quæcumque infirmitas excuſat ab officio. Hoc vero ne Buſemb. quidem tolerat, juxta quem non quæcumque, ſed ſolum gravis infirmitas ab officio liberat. Durat ne gravis infirmitas, etiam poſtquam febris, hoc eſt gravis infirmitas ceſſavit? At inquit La-Croix, non eſt veriſimile, quod Eccleſia poſt tot labores neget eam requiem ægro. Ego ſane putabam, ægrum, de quo loquimur, requiem animi, & corporis levamen in divinis laudibus, ac precibus inventurum. At La-Croix ponit, divinas laudes, & preces canonici officii aſſe grande onus, cui ferendo impar ſit homo etiam ab ægritudine liber, quia robuſtas vires nondum recuperavit. Nos vero, qui tam abſurda commenta deglutire non poſſumus, magnam nobis probabilium opinatorum invidiam concitamus. Verum hic audiatur S. Carolus Conc. IV. Mediol. (apud Gen. Th. t. 4. p. 549.) ubi ait: *Itaque, ſi quando corporis infirmitate affectus eſt ipſe Clericus, pro ſua conſcientia recte videat, quid præſtare poſſit, ne omittendo graviter peccet, & beneficii, ſi quod habet, fructus ſuos non faciat*. Diligenter notanda ſunt ſingula ſancti Viri verba, unde quiſque implorato Dei lumine intelligere poterit, quando in infirmitate ſit, aut non ſit ab officii penſo liber, & utrum ex toto, an ſolum ex parte ſolutus ſit.

Animadverſio XXXIX.

Item gravis, vel repentina occupatio.

Loco particulæ *vel* dicito *&*. Si enim gravis, maximique momenti occupatio repentina non ſit, & præverti potuit, ac conciliari cum officio, id ſine dubio præſtandum eſt.

Vel opera caritatis &c. *quæ* &c. *omitti non poſſint.*

Adde, nec differri. Si enim differri poſſint, aut totam diem neceſſario non poſtulent, differenda ſunt, & utrique debito, quoad fieri poteſt, ſatisfaciendum.

Quomodo etſi Concionatores, vel Confeſſarii aliquando excuſari poſſint, &c. *tenentur tamen anticipare, ſi poſſint, v. g.* &c.

Concionatores ratione concionis, etiamſi quotidiana ſit, ab officio divino non excuſantur; quia illud recitare, ſi velint, reipſa poſſunt; imo divini officii precibus attente, ac devote recitatis maxime indigent, ut divinum auxilium implorent, quo concionandi munere rite, & ad animarum ſalutem accommodata fungi queant. „ Viginti, & amplius annorum ſpatio (inquit „ Concina Th. t. 2. p. 499. n. 3.) quotidianas ego ha„ bui conciones in primoribus Italiæ Civitatibus, & „ nec ſemel officium neglexi. Quid quod Clemens VII. „ privilegium conceſſit * Clericis Theatinis, ut illo„ rum Prælati valeant diſpenſare cum Concionatori„ bus? Si iſtud munus ſuapte natura eximeret, inane „ eſſet privilegium iſtud. “ Qui Ingenio, & dotibus ad concionandum neceſſariis præditi ſunt, plures iis ſuperſunt horæ, quibus Deo vacare poſſunt. Qui neceſſariis dotibus carent, ab hoc munere abſtineant, præſertim ſi concionem cum divino officio componere nequeant. Ita recte monet idem Concina p. 500. n. 4. Huc ſpectant, quæ dixi lib. 3. t. 6. c. 3. dub. 2. 4. *ſi pietas* de jejunio a Concionatoribus ſervando.

Animadverſio XL.

Ex hoc capite dicunt etiam aliqui, non teneri te repetere, quod &c. *dum* &c. *quia chorus totus pro eo qui*, &c. *videtur ſupplere* &c. *Ita Laym.* &c.

Ego illud hic animadverto, pro certo habendum eſſe, præceptum divini officii ſingulis perſonis ad illud obligatis impoſitum eſſe. Id perſpicue colligitur ex Conc. Lat. mox citato, quod privat beneficii fructibus, qui *divinum officium non dixerit*: præceptum autem, quod ſingulas perſonas afficit, a ſingulis implendum eſt; ex quo fit, ut chorus non ſuppleat, nec ſupplere poſſit pro iis, qui officium alternis non dicunt. Miniſteria ad officii in choro recitandi celebritatem neceſſaria, ſi rite, & ordine, ut fieri debet, peragantur, impedimento non ſunt, quominus divinum officium ab iis, a quibus ex præcepto dicendum eſt, alternis dicatur. Quod ſi choro inſervientes, ac divinum officium dicere obſtricti, aliquid minorum caſu aut non recitent, aut non audiant, ſcrupuli movendi non ſunt. His paucis animadverſis omnes lites, niſi ſophiſtici ſimus, quoad rem hanc ſublatæ ſunt.

Idem de eo qui choro, organis muſicis alternis verſibus reſpondet, dicunt Navar. Sanch. &c. *ſcilicet eum non eſſe obligatum, ut etiam voce proferat* &c.

Hæc opinatio, ex nimia opinandi licentia orta, & valde abſona mihi videtur. An valde abſonum non eſt, ut pulſare organum idem ſit, ac officium dicere? quid abſurdius excogitari poteſt, quam ut is officium dicat, qui ore nihil profert? An officii penſum manibus quoque muſica inſtrumenta contrectantibus perſolvitur? Miror, quod hæc in controverſiam vocentur. Dum Buſ. ait: *Sed negat Eſcob.*, addendum erat, *& recte negat.*

Animadverſio XLI.

Cæcitas. Bonac. &c. *communiter.*

Id quidem verum eſt, ſi, ut ordinarie accidit, cæcus officium memoriter non teneat. At ſi illud memoriter dicere poſſit, nulla ratio eſt, cur ab eo ſolutus dicatur. Contrariam Pellizarii, Sanch., & Sanch. opinionem laxam, & falſam merito putat P. Concina Th. t. 2. p. 494. n. 7.

Quod ſi officium proprium cæcus neſciat, ſciat vero commune, hoc ab eo recitandum eſt; quia præceptum divini officii duo continet, hoc eſt recitationem ſeptem horarum canonicarum, & ritum, ſeu formam, qua recitandæ ſunt. Ex quo fit, ut qui ritum ſervare non poteſt, ab horarum canonicarum, quas dicere poteſt, recitatione, nullatenus liber ſit; præſertim cum horarum recitatio ſit præcipua præcepti pars. Ita rectiſſime idem Concina n. 8. & juxta principia inconcuſſa angelici Doctoris: ex quibus præcepta, cum ex toto impleri non poſſunt, eo modo, quo fieri poteſt, implenda ſunt.

Animadverſio XLII.

Si vero tantum ſcias pſalmos, vel lectiones, vel capitula, dicis Fill. &c. *probabile eſſe, non teneri.*

Cur id probabile dicitur? „ quia Pſalmi ut ſic non „ ſunt hora canonica, ad quam tenetur clericus. “ Reſp. Hanc rationem paulisper conſidera. Eſt enim hujuſmodi. Clericus tenetur tantum ad horam canonicam: pſalmi ut ſic non ſunt hora canonica: ergo qui carens breviario tantum ſcit pſalmos, ad eos non tenetur. Reſp. Præclara ſane ratio, quæ omnes prorſus leges de medio tollit, cum integre ſervari non poſſunt. Cur inconcuſſa illa Angelici doctrina negligitur, qua S. Doct. ait, præcepta, cum ex toto ſervari non poſſunt, ea ratione eſſe ſervanda, qua fieri poteſt?

Si allata ratio vim haberet, non ſolum major pars traheret ad ſe minorem, ex quo ſophiſmate orta eſt prop. 84. ab Innoc. XI. proſcripta, ſed etiam minor majorem, quod longe cavilloſius eſt.

Sed ait Buſ. *Idem dicit Garz. Mald & Jo. Sancius citati a Dian. eo quod lectiones, & capitula ſint pars, licet minor, maxime principalis, ita ut abſque illis non ſit officium canonicum. Idem concedit Sanch. in Matutino feſti dupl. vel ſemidupl.*

Reſp. Ratio hic adducta eadem eſt, ac prior mox refutata. Concludit enim, pſalmos, quos quis recitare poteſt, ſub præceptum recitandi officium non cadere, ſi lectiones, & capitula dici nequeant; quia ſine lectionibus, & capitulis canonicum officium non ſubſiſtit; quod perinde eſt, ac ſi dicant, præceptum ruere, etiamſi majori ex parte impleri poſſit, cum aliqua ejus pars principalis impleri non poteſt. Ex quo principio infinita abſurda, & corruptiones in mores inducerentur. Sed in eo quoque valde falluntur, quod lectiones inter partes maxime principales officii numerent ſine ullo temperamento. Lectiones enim ſecundi, & tertii nocturni ex hiſtoriis eccleſiaſticis, & S. Patrum dictis deſumuntur; quæ licet maxime venerabilia ſint, ſine maximo tamen errore divinis pſalmorum oraculis æquari nequeunt, nedum iis præferri.

At Buſ. tandem addit: „ Verum hæc probare non auſim. “ Nos vero hæc improbare, & valde improbare audemus.

Animadverſio XLIII.

Diſpenſatio, quam ſine cauſa ſolus Papa dat valide, cum cauſa Epiſcopi.

Diſpenſatio a Papa ſine cauſa conceſſa, etiamſi valida foret, inutilis tamen eſt ad culpam tollendam, ut patet ex dictis l. 2. t. 2. c. 4. dub. 4. reſp.

Quo-

* Hoc privilegium refert p. 470. n. 20.

Quoad Epiſcopos, ſi ſermo ſit de diſpenſatione in perpetuum, ſeu ad totum vitæ tempus, eos diſpenſare non poſſe, communis ſententia eſt, ut ait Concina Th. t. 2. p. 308. n. 3. quia inferior non habet poteſtatem in legem ſuperioris. Lex autem obligans beneficiarios, & clericos ad canonicas preces, lata ab Eccleſia eſt. In caſibus tamen occurrentibus diſpenſare pro temporum, & circumſtantiarum varietate, & ex rationabili cauſa ſuos ſubditos poſſunt Epiſcopi; quia & Pontifex id conceſſiſſe rationabiliter præſumitur, & conſuetudo invecta id confirmat. Qua diſpenſandi facultate potiuntur etiam Vicarii Epiſcoporum ex eorumdem conceſſione, & peculiari mandato, nec non etiam Vicarii Capitulorum Sede vacante. Sunt verba ejuſdem Concinæ loco cit.

Et ſic Subdiaconum, qui ex diſpenſatione &c. hoc ipſo liberari ab onere horarum contra Bonac. & Azor. docet Sanch. Dian. &c.

Qua ratione Sanch. & Dian. id docent? Buſ. enim nullam affert. An tenuis auctoritas duorum probabilium aliis duobus repugnantibus tuta agendi regula eſſe poteſt? Id ſcilicet damnatur in prop. 3. ab Innoc. XI. proſcripta. Diſpenſatus quoad unum, non intelligitur diſpenſatus quoad alterum, niſi poſterius in priore contineatur: at recitatio canonici officii non continetur in cœlibatu: ergo. Rurſus, Subdiaconus, qui matrimonium contrahit, canonicas horas recitare poteſt. Ergo debet.

Animadversio XLIV.

Ut recitentur juxta præſcriptum &c. *faltem publice*.

Certum eſt, canonicum officium non ſolum publice, ſeu in choro, ſed etiam privatim extra chorum eſſe recitandum juxta præſcriptum Breviarii Romani, ut Sanct. Pius V. aperte edicit in Bulla ipſi Breviario præfixa, ubi ait: *Omnes vero, & quaſcumque apoſtolicas, & alias permiſſiones, ac conſuetudines, & ſtatuta etiam juramento, confirmatione apoſtolica, vel alia firmitate munita, nec non privilegia, licentias, & indulta precandi, & pſallendi tam in choro, quam extra illum* &c. *omnino revocamus, volumuſque, illa omnia vim & effectum de cetero non habere*. Tum ſubdit, *omni itaque alio uſu quibuslibet, ut dictum eſt, interdicto* &c. demum addit, *neminem ex iis, quibus hoc dicendi, pſallendique munus impoſitum eſt, niſi hac ſola formula ſatisfacere poſſe*. Verba ſunt perſpicua, & decretoria tum quoad publicam, tum quoad privatam recitationem.

Privatim tamen omnibus etiam Regularibus probabile eſt, licere ex conſuetudine, uti Romano, ut docet Leſſ. &c. *Bon.* &c.

Oppoſita opinio, inquit Concina Th. t. 2. p. 291. nu. 6. probabilior eſt, pro qua citat Suar. Nav. Bonac. eo ipſo loco, quo Buſ. illum pro ſe appellat, Bellarm. Garc. Valent. Azor. Caſtrop. Trull. Pelliz. Barboſam, & alios plures; tum addit: „ Refert Garcias declarationem Congregationis Concilii, qua præcipitur, ſingulos privilegiatos juxta propriæ Eccleſiæ ritum recitare divinum „ officium. Et ſane magnam præferret deformitatem, „ ſi in cujuſque privati arbitrio repoſitum eſſet, proprium „ ritum immutare. “

Si enim Eccleſiæ ſeu ſæcularium, ſeu Regularium ſuum inveteratum ritum a Romano diverſum mutare non poſſunt ſine conſenſu Epiſcopi, & univerſi capituli, ut habet citata Bulla S. Pii V., multo minus privatæ perſonæ ex arbitrio ſuo illum mutare poſſunt, ſuæque Eccleſiæ ritui repugnare.

Item tenetur ad Litanias diebus rogationum; tum quia ſunt pars officii eo die, tum quia peculiaris de ea re eſt conſtitutio. Ita Bonac. ex Fill.

Hactenus recte; & hanc ſententiam defendunt etiam teſte Concina Th. t. 2. p. 387. n. 23. Suar. Trull. Caſtr. Lezana, Leander, Salman. qua de re non eſt dubitandum; quia Rubricæ id præſcribunt, dum Fer. 2. Rogat. ita inquiunt: *Hoc triduo qui non interſunt proceſſionibus Rogationum, privatim poſt Laudes dicant Litanias cum ſuis precibus, & orationibus ſine pſalmis pœnitentialibus.* Et ſane cum S. Pius V. in citata conſtitutione peccati reos non eſſe declaret, & conſtituat, qui Off. B. V. M., & defunctorum, & ſeptem pſalmos pœnitentiales, & graduales omittunt iis diebus, quibus in rubricis præſcribuntur, taceat autem de Litaniis rogationum, hæc rubrica ſervanda omnino eſt. Itaque audiendus non eſt Buſ. dum addit: *Etſi contrarium probabile eſſe dicat Dian.* &c.

Quod ſi ex inadvertentia, vel neceſſitate &c. *officium mutes, nullum erit peccatum, nec obligatio repetendi, licet* &c.

Hæc ſententia, loquendo de inadvertentia inculpabili, omnium communis eſt teſte La-Croix p. 209. nu. 1251. quam ſequitur etiam Genettus Th. t. 2. p. 260. qu. 25. & hæſitanter Concina Th. t. 2. p. 482. nu. 18. „ Addit tamen Suarez, inquit hic, ſi officium recitatum „ multo brevius eſt eo, quod tali die impoſitum eſt, neceſſariam eſſe aliquam compenſationem, addendo aliquos pſalmos. “

Idem docet Abelly teſte La-Croixio loco mox cit. ſed hanc obligationem ipſe La-Croix ex Card. & aliis negat: „ quia, inquit, quamvis minus recitarit, tamen „ recitavit officium, quale communiter recitatur in Eccleſia, adeoque implevit ſubſtantiam præcepti. “ Reſp. Hæc ratio nimis probat: probat enim ne ab eo quidem quidquam eſſe ſupplendum, qui de induſtria mutavit officium majus in minus: quia hic quoque recitavit officium, quale communiter recitatur in Eccleſia, ideoque implevit ſubſtantiam præcepti. Itaque implevit quidem, (quia omnes, ut ait La-Croix, ita volunt) ſubſtantiam præcepti, hoc eſt præceptum eo majori, & præcipua ſui parte, non tamen ex toto, ideoque ſupplendum neceſſario eſt, quod totius præcepti ſatisfactioni deeſt.

Ceterum hic animadverſione digna præterea eſt bulla S. Pii V. qui ſtatuit, omnes, qui horas canonicas ex ritu Rom. Eccleſiæ dice tenentur, ad eas dicendas ex *Rom. Breviarii præſcripto, & ratione omnino teneri, neminemque, niſi hac ſola formula ſatisfacere poſſe*: at qui unum officium pro alio recitat, officium non dicit juxta præſcriptam formam Breviarii Romani: ergo ſeu volens, ſeu ex inadvertentia id præſtet, præcepto non ſatisfacit; ideoque, ut præcepto ſatisfaciat, officium repetere, illudque, ut Rom. Breviarium præſcribit, dicere tenetur.

An hæc argumentatio ſophiſtica eſt? Illud tibi lubens concedo, eos, qui ex inadvertentia officium mutant, legis præcepto, non reipſa, (reipſa enim non ſatisfaciunt) ſed ex præſumpta Eccleſiæ benignitate, & mente forte ſatisfacere. At hæc præſumptio, & interpretatio mentis Eccleſiæ, non eſt certa, nec evidens, ſed errori obnoxia: ergo qui officium ex inadvertentia mutant, pro certo habere non poſſunt, ſe præcepto, & conſcientiæ ſatisfeciſſe. Quid ergo? Ergo, ſi me tenuiſſimum inter Theologos conſulis, ſi officii mutatio non magnum habet diſcrimen, ſupple quod non dixiſti, aut, ſi diſcrimen magnum eſt, officium juxta rubricas repete, & dicito. P. Concina Theologus mentis acerrimæ, & valde pius de ſeipſo loco cit. ita inquit, „ Non ſemel offendi in „ hunc ſcopulum (mutandi officium) & ſemper aliud „ illius diei proprium officium recitavi. “ Dubitanter enim communem ſententiam negantem, officium eſſe ex neceſſitate in ſpecie propoſita repetendum, probavit.

Quamquam, quod eo caſu venialiter tantum preces, nec &c. *probabile eſſe cenſet Eſcob.* &c. *contra alios multos, quos citat, & ſequitur Barb.*

Hinc inde more ſuo hac de re diſputat La-Croix, contrarias opiniones proferens, ac multos citans p. 209. n. 1250. ac tandem ita concludit. „ His tamen non obſtantibus fatentur Card. n. 16. & Gob. n. 868. manere probabile, quod mutatio officii in aliud minus ſit „ tantum veniale, excepta mutatione in paſchale, vel „ pentecoſtale.

Eſto, id probabile ſit; at contrarium quoque La-Croixio ipſo non inficiante probabile eſt, imo teſte Carden. n. 76. ab eodem La-Croixio cit. probabilius. Ergo juxta indubitatam ſanioris Theologiæ contra verſatiles opinatores doctrinam illud prius probabile, periculum mortalis culpæ, imo mortalem culpam includit; ideoque quoad praxim repudiandum omnino eſt. Adde, quod illi mortaliter ſine dubio peccant, qui præcepto recitandi officium non ſatisfaciunt: at qui unum officium pro alio de induſtria recitat, præcepto recitandi officium non ſatisfacit, ut patet ex conſtit. & verbis mox citatis S. Pii V. ergo mortaliter peccat. Quæro nunc ab adverſariis, utrum hæc ratio ſit tantum probabilis, an apodictica? Si enim apodictica eſt, contraria opinio non poteſt eſſe probabilis. Neque enim probabile eſſe poteſt, licet plurimorum auctoritate niti dicatur, * quod pontificiis conſtitutionibus aperte repugnat. At, inquit La-Croixius cum ſuo Buſemb. „ videtur impleri ſubſtantia, „ (in mutatione, de qua ſermo eſt) cum orentur 7. „ horæ, uti communiter orantur ab Eccleſia, & negligitur tantum modus, ſeu ritus accidentalis. Nec refert, quod fiat ad libitum, & in fraudem, quia adhuc non videtur eſſe magna mutatio quoad ſubſtantiam.

Reſp. Evidenter falſum eſt, eum, qui officium de induſtria mutat, implere ſubſtantiam præcepti; quia evidens eſt, illum non recitare officium ex præſcripto, & ratione Breviarii Romani. Brev. enim Rom. ſingulis diebus

* Cajetanus, quem ut inſpectum a Gobat pro priori ſententia La Croix citat, pro contraria ſtat conceptis verbis, quæ legi poſſunt apud Concinam loco mox citando. Ex quo aliorum, ac maxime S. Antonini citationes in ſuſpicionem merito veniunt.

bus officia affigit : at qui ex præſcripto, & ratione Rom. Breviarii officium non recitat, evidenter non implet ſubſtantiam præcepti; quia S. Pius V. conceptis verbis ſtatuit, *neminem . . . niſi hac ſola formula ſatisfacere poſſe*. Hæc ergo *formula* ſeu modus; aut ritus non eſt accidentalis, ut falſo ait La-Croix, ſed eſſentialis; quia ſine hac formula, modo, & ritu S. Pius V. ſtatuit, neminem præcepto recitandi officium ſatisfacere poſſe. Conſule, ſi lubet, Concinam Theol. t. 2. p. 480. q. 5. qui & ipſe affirmat, ſententiam a La-Croix deſenſam nulla frui probabilitate.

Licet Caramuel &c. *ſentiat, etiam ſic præceptum impleri* &c.

Hæc Caramuelis opinatio tum ex dictis aperte falſa eſt, tum ab Alex. VII. proſcripta fuit prop. 34. quæ ita habet: *In die palmarum recitans officium paſchale, ſatisfacit præcepto.*

Verum contrarium rectius tenet Villal. eo quod &c. *idque multis* &c.

Hoc contrarium, quod aſtruit quoque Concina Theol. t. 2. p. 482. n. 15. omnino tenendum eſt. Si enim hoc non ſequaris, officium non recitas ex præſcripto, & forma Breviarii Rom., ideoque præcepto non ſatisfacis juxta mox dicta. Et ex eadem ratione rejicienda eſt opinio, quam Buſemb. refert illis verbis, *ſimiliter eum, qui per errorem* &c. quamque ipſe Buſ. repudiat.

Denique qui in aliquibus horis erravit, legendo &c.

Debet errorem agnoſcens illum corrigere, ut recte monet Buzemb. ſed præterea, ut res in tuto ſit, ſupplenda quoque videntur, quæ ſunt propria diei, de quo officium dicitur, ut pii ſacerdotes facere conſueverunt.

Recte quidem, ut dixi, Buſemb., at La-Croix p. 530. n. 1252. aliter ita loquitur: „ Si multum proceſſeris „ in officio indebito, poteris continuare errorem, ſi „ velis, Quintan. Caram. Gobat n. 642. quamvis me„ lius ſit non continuare. “

Hoc perinde eſt, ac ſi dixerit, multum progreſſum in errore, erroris continuandi facultatem tribuere; hoc perinde eſt, ac ſi diceret, errorem, quia multus eſt, diſpenſare a Breviarii præſcripto, & S. Pii V. conſtitutione, & lege. Hæc eſt La-Croixii Theologia. Sed hic nonnulla alia, quæ La-Croix ait cit. num. curſim perſtringamus. Inter juſtas cauſas officii ſine peccato mutandi enumerantur, ait, „ ſi habeas peculiarem de„ votionem erga aliquem Sanctum, aut ad peculiare „ feſtum, Onuph. Lay. l. 4. t. 2. c. 5. n. 3. ſed id „ communiter non ſufficit: quia optima devotio eſt „ ſe conformare præſcripto Eccleſiæ. “

Si id communiter non ſufficit, fateri videtur id aliquando ſufficere. Non ſolum ergo grave incommodum, non ſolum gravis difficultas, ſed etiam arbitraria devotio a lege Eccleſiæ juxta La-Croixium aliquando excuſat.

Hoc ne probabile eſt? Non ſolum optima devotio eſt, ut La Croix ait, ſed neceſſaria devotio eſt ſe conformare præſcripto Eccleſiæ. *

„ Si deſtinatis cras eſſe alibi, putat Tamb. in dec. „ lib. 2. c. 5. §. 2. n. 25. te poſſe hodie dicere Veſpe„ ras, & Matutinum ſecundum illud alterum offi„ cium. “

La-Croix nullam hic rationem affert, vultque, nos inſtar Pythagoræorum credere dicenti. Si propoſitum alio proficiſcendi efficeret, ut ibi eſſem, quo ire in animo habeo, recte quidem La-Croix. At quamdiu hic maneo, tamdiu legibus hujus loci teneor: ergo officium recitare non poſſum juxta ritum, & leges alterius loci. Quamvis enim veſperæ, & matutinum ad diem ſequentem pertineant, dici tamen ſemper debent juxta legem, & ritum loci, ubi recitantur: & hanc ſententiam veluti probabiliorem ſequitur quoque Concina Theolog. t. 2. p. 483. n. 16.

„ 3. Si habites cum religioſis, vel obeas exercitia „ apud illos, putat Gob. a n. 636. te poſſe orare de „ Sanctis in ea domo tunc occurrentibus. “

Si facultates recitandi officium de quibuſdam Sanctis Regularibus, ſolis religioſis conceſſæ ſunt, cur iis uti poſſunt, qui cum religioſis habitant, vel apud illos exercitia obeunt? An quia cum religioſis habitant, vel apud eos aliquo munere funguntur, religioſi evaſerunt? An deſinunt eſſe ſubditi ſui Ordinarii, & legum ſuæ diœceſis, quia cum religioſis habitant?

„ 4. Si ſis Capellanus monialium, poteris orare de „ Sancto, de quo agunt moniales, & de quo debebis „ miſſam legere, ut ſic officium tuum concordet cum „ miſſa. “

Hæc eſt La-Croixii argumentatio. Capellanus monialium poteſt officium dicere de Sancto, de quo miſſam in Eccleſia monialium legere debet: At Capellanus monialium debet in Eccleſia monialium legere miſſam de Sancto, de quo agunt moniales: ergo Capellanus monialium poteſt officium dicere de Sancto, de quo agunt moniales.

Præclara ſane argumentatio, cujus ambæ præmiſſæ falſæ ſunt. Propoſitio falſa eſt; quia etiamſi Sacerdos Miſſam Eccleſiæ, in qua eam celebrat, conformare poſſit, aut etiam debeat; in officio tamen non Eccleſiæ, ubi Miſſam legit, ſed diœceſi, ſuique Ordinarii legi ſe ſe ſubjicere, & aptare tenetur, ut juxta præſcriptum Brev. Romani, & legem S. Pii V. illud recitet. Nam Miſſa quidem officio quoad fieri poteſt, concordare debet, officium vero Breviarii præſcriptioni. Aſſumptio quoque falſa eſt. Nam Capellanus poteſt quidem, non tamen debet in Eccleſia monialium Miſſam legere de Sancto, de quo agunt moniales, qua de re ſuo loco.

„ 5. Si velis compenſare officium omiſſum, Gob. n. „ 638. “ Hoc quoque ſupra refutatum eſt.

„ 7. Si ſit neceſſitas repentina ſtudendi, concionan„ di, docendi, &c. putant Nav. & Sanch. in conſ. l. „ 7. c. 2. d. 25. te poſſe præoccupare brevius offi„ cium “.

Studium præſertim rerum ſacrarum, concio, inſtructio, res quidem ſunt valde bonæ, & laudabiles; ſed oratio melior, & laudabilior. Neceſſitas ſtudii, concionis &c. cedere debet neceſſitati obediendi ſummis Pontificibus præcipientibus, ut officium recitetur juxta præſcriptum Breviarii. *Melior eſt enim obedientia, quam victimæ, & auſcultare magis, quam offerre adipem arietum.* 1. Reg. 15. An ſtudere, concionari, docere non poteris, niſi brevius officium præoccupes? An quarta, tertia, dimidia pars horæ adeo tibi neceſſaria eſt, ut tuo muneri ſatisfacere nequeas, niſi debito officio eam ſubtrahas? Ego ſane pro certo habeo, ſtudium, concionem, inſtructionem neceſſariis, ac præceptis precibus non impediri, ſed valde juvari. Quare hanc La-Croix opinionem omnino explodendam puto.

„ 8. Ut adjuves neſcientem orare, vel infirmum, „ vel defeſſum. “

Quaſi vero hæc officia caritatis obiri nequeant, niſi deformetur officium, & ſacræ leges violentur. An hæc commenta refutatione indigent? „ & univerſaliter di„ cunt Tamb. n. 37. & Stoz n. 386 ſi ex cauſa reci„ tes cum ſocio, te poſſe cum ipſo recitare officium, „ ſi habeat diverſum a tuo.

Ego autem dico, eos, qui ita dicunt, venerandas ſummorum Pontificum leges exiguo in pretio habere, quibus proprium, aut ſocii, quocum officium recitatur, commodum præferunt. Cur ſolus officium non recitas, ſi recitando cum ſocio a Breviarii præſcripto recedendum tibi eſt? An ſocius, ſi cum eo recitas, facultatem habet a lege, & præcepto Breviarii diſpenſandi?

„ 9 Si facias iter longum, & neceſſarium, nec com„ mode poſſis legere ex Breviario, Sil. & Onuph. di„ cunt, te poſſe orare officium, quod memoria tenes; „ Tamb. abſolute dicit, iter eſſe cauſam juſtam. “

Hic nota illud, *nec commode poſſis legere ex Breviario*, ut intelligas, recentes probabiles non vereri, ut par eſt, ſacras Pontificum leges, quas negligi permittunt, niſi commodæ ſint. Nos vero ab his laxamentis abhorrentes, jugum legis, etiamſi commodum non ſit, portemus, neque ab eo nos ſolutos putemus, niſi ex impotentia, aut neceſſitate.

Nam iter eſt abſolute loquendo juſtam cauſam mutandi officium, eſt longe deterius. An etiamſi iter longum non ſit, multaſque horas relinquas dicendi officium proprium diei ſine ullo incommodo? An etiamſi iter non ſit neceſſarium? An etiamſi inutile ſit, & ex ſola voluptate ſuſceptum? Si ita res habet, neceſſe eſt ut dicamus, non eſſe rem præceptam, dicere officium proprium diei, & S. Pii V. conſtitutionem citatam non eſſe legem, & Epiſcopos, dum in regulis recitandi officium ajunt, *præcipimus, & mandamus*, aut ſimilibus verbis utuntur, nolle præcipere, ſed ſolum conſilium dare. Hæc ſunt neceſſaria conſectaria opinionis recitatæ, quæ ſane non ſolum falſa, ſed valde abſurda eſt.

Sed his abſurdis laxamentis ſe mederi forte putavit La-Croix, dum citatum num. ita concludit, „ Sed quid„ quid ſit de quibuſdam ex his cauſis puto, gratius eſſe „ Deo, & magis meritorium, ut, quantum orari pot„ eſt, ſemper oretur officium præſcriptum. “

Qua in re nos valde fallit, dum præceptum mutat in conſilium. Sed ad Buſembaum regrediamur.

ANIMADVERSIO XLV.

Sa tamen v. Horæ putat ſatisfieri, etſi quædam non percipias, quæ a ſocio dicuntur,

Illud

* Sacra Rit. Congreg. reſpondit, non eſſe relinquendum officium debitum pro ſuo officio devotionis. Die 29, Nov. 1603. It refert Gavant. Comm in Rub. Brev. Rom. ſect. 5, c. 3, tit. 2.

Illud *quædam* intellige pauca. Si enim multa ſint, quæ non percipis, notabilem quantitatem conſtituentia, aliter ſentiendum eſt. Nam cum quis legit officium cum ſocio, auditio, ſeu perceptio eorum, quæ ſocius pronuntiat, ſupplet propriam pronuntiationem, ejuſque loco eſt. Ergo ſicuti qui notabilem officii quantitatem recitare omittit, præcepto non ſatisfacit, ita eidem non ſatisfacit, qui notabilem quantitatem eorum, quæ a ſocio dicuntur, non percipit.

Si vero ſolus legas, ita legendas eſſe, ut teipſum &c. Sed probabile eſt, id non requiri, cum Eccleſia id non præcipiat, ut docent &c.

Eccleſia præcipit pronuntiationem: cum reipſa pronuntias, ſatisfacis. Ceterum pronuntiatio, ſeu diſtincta vocis articulatio eſſe non videtur, quæ ne ab ipſo quidem pronuntiante ſublatis internis, & externis impedimentis audiri poteſt. Quid hic plura cupis? Ipſe La-Croix p. 113. n. 1294. ita ſentit, atque communiter ita doceri.

Bonac. ex Suar. &c. addens etiam ſatisfacere, qui &c.

Reſponſoria alternatim dici ſolent; quæ conſuetudo omittenda non eſt.

Animadverſio XLVI.

Si autem interruptio notabili tempore ſine cauſa fiat, erit tamen veniale tantum, ut ajunt &c.

Idem ſentit La-Croix p. 113. n. 1306. quantacumque ſit interruptio.

At contra in magna interruptione, niſi totum repetatur, graves Auctores, ut Nav. Suar. Valq. Azor. Regin. &c. mortalem culpam agnoſcunt favente eodem La-Croix, quos ſequitur P. Concina Theol. t. 2. p. 485. n. 3.

Magna enim interruptio unitatem tollit, ideoque efficit, ut non horæ canonicæ, ſed ſolum earum partes dicantur: at Eccleſia præcipit, ut ipſæ horæ canonicæ dicantur, nec tantum earum partes: ergo

Reſpondet La-Croix, partes horarum ſatis uniri vel per intentionem continuandi, vel, ſi hæc abſit, ſaltem per hoc, quod intra diem, aut tempus, quo durat obligatio, addantur, ſicuti eſt una diſputatio, una confeſſio, licet una vice non abſolvatur. Verum cum interruptio idem ſit, ac ſeparatio, & ubi ſeparatio eſt, ibi unio eſſe nequeat; falſo ait La-Croix, partes horarum ſatis uniri, quia intra diem dicuntur. Nam intentio certe vim non habet uniendi, quæ reipſa ſeparata ſunt. Sicuti ergo diſputatio, confeſſio, comeſtio &c. per notabilem interruptionem multiplex fit, nec una manet, quidquid contra La-Croix dicas; ita idem dicendum de horis canonicis magna interruptione interpolatis.

Præterea magna horarum interruptio ex prudenti æſtimatione notabilem deformitatem continet, nec levem irreverentiam irrogat divinæ Majeſtati, quam orantes alloquuntur. „ Quis, inquit Concina, gravis inho„ neſtatis reum non reputaret illum, qui mane inci„ piens alloqui nobilem Principem, ex arbitrio in me„ dio ſermone orationem interciperet, poſt prandium „ colloquium reſumpturus? “ Ergo in magna interruptione gravis, ſeu mortalis culpa valde timenda eſt, & diligenter cavenda. Nam ſinguli pſalmi habent quidem, ut ait Bul. & La-Croix, completam ſignificationem, tamen notabili interruptione recitati non efficiunt horam canonicam ab Eccleſia præſcriptam, ut jam oſtendimus.

Imo probabile eſt, nocturnos ſingulos ſeparatim, ſaltem &c. dici poſſe, (quod certum &c.) quia ſecundum quoſdam &c.

Tres nocturni apud Veteres alicubi ſeparatim, hoc eſt tribus vigiliis noctis recitari conſueverant, ut ex D. Hieron. & D. Th. obſervat erudiſſimus P. Concina Th. t. 2. p. 368. n. 8. at alibi ſimul media nocte dicebantur.

Si prior conſuetudo alicubi vigeret, ea ſine reprehenſione ſervari poſſet. At cum noſtro tempore nulla Eccleſia nocturnos dividat, privatis non licet ſuæ, & univerſalis Eccleſiæ conſuetudini repugnare.

Addit Quint. lectiones &c. poſſe abſque culpa gravi ſine cauſa, & cum hac abſque culpa dividi &c.

Idem habet La-Croix p. 114. num. 1310. Probabiles opinatores & proni, & faciles ſunt ad minuendas, & tollendas culpas. Cum de mortali culpa agitur, niſi res mihi evidens ſit, ex meo ſenſu nihil dicere audeo.

Qui lectiones, præſertim cum novem dicendæ ſunt, a pſalmodia matutini dividit, non ſolum eo nomine peccat, quia interruptione uti ſolet, quæ, ſi notabilis ſit, ex mox dictis contra Bulemb. & La-Croix videtur eſſe mortale peccatum; ſed etiam quia ordinem invertit; de qua inverſione mox dicetur. Illud ſolum hic noto, inverſionem ordinis in partibus horarum deformiorem merito cenſeri, quam in ipſis horis.

Animadverſio XLVII.

Ne invertatur ordo &c. quod tamen ſi fiat, erit tantum veniale.

Ita quoque ſentit La-Croix p. 114. n. 1308. „ Vaſ„ quea tamen, ait Concina Theol. t. 2. p. 485. n. 5., „ docet peccare mortaliter eum, qui frequenter, & ex „ conſuetudine talem ordinem interturbaret. Et profe„ cto negari haud poteſt, quin magnam committeret „ deformitatem talis habitualis & conſuetudinaria or„ dinis inverſio. Accedit, quod ab hac continuata ordi„ nis inverſione vix ſeparari poteſt contemptus virtua„ lis adverſus ordinem præſcriptum ab Eccleſia; quo „ contemptu accedente omnes fatentur peccari leta„ liter. “

Animadverſio XLVIII.

Conſuetudo nunc obtinuit, ut Matutinum & laudes abſoluto Completorio &c. hora circiter &c. dicantur.

La-Croix multas hac de re opiniones more ſuo congerit p. 114. n. 1314. at demum ita concludit. „ Unde uni„ verſaliter cenſeo, tum inchoari poſſe Matutinum, „ quando Sol eſt propinquior ad occaſum, quam ad me„ ridiem, ſive ſit hiems, ſive æſtas: & ita etiam do„ cent Comit. Fill. Peſſiz. ac vidi ante hac etiam in „ Directorio aliquo Romæ impreſſo ita notatum eſſe: “ idque confirmat deſcripta tabella Romæ typis Cameræ Apoſtolicæ edita pro hora dicendi Matutinum pro die ſequenti. Hæc ſane regula, ut monet quoque Concina Theol. t. 2. p. 487. n. 6. certior eſt, & congruit cum tempore, quod in tabulis Calendariorum communiter aſſignatur. Et ratio eſt, quia, cum Matutinum, & Laudes pro die ſequenti ex invecta conſuetudine dici queant poſt Veſperas, Veſperæ autem ſint medium tempus inter meridiem, & occaſum, elapſo hoc medio tempore dici ſine ſcrupulo poſſunt.

Animadverſio XLIX.

Quod ſi intra dictum tempus &c. peccavit quidem, non tamen tenetur &c. quia ſunt onus affixum diei. Hactenus recte. *Etſi ſupplendo poſſit ſecundum quoſdam reſtitutionem ſubterfugere eo quod rependat æquale &c.*

Hæc opinatio arbitraria mihi videtur. Nam beneficiarius ex decreto Conc. Lateranenſis ſupra cit. officium omittens, fructus ſuos non facit; qui fructus ſuos non facit, ex arbitrio, & contra legem eos ſibi arrogat, niſi lex ex aliqua cauſa id permittat: at lex non permittit, ut beneficiarius ſupplendo horas amiſſas fructus retineat: ergo &c. At inquit Bulemb. qui ſupplet, rependit quidem æquale, ſi materialem quantitatem ſolum ſpectes; at ſi temporis circumſtantiam conſideres, & Eccleſiæ mentem, nihil rependit; quia officium hodiernum alia die recitatum, eſt contra Breviarii, hoc eſt Eccleſiæ præſcriptionem, ideoque ne injungendum quidem pro pœnitentia illi, qui illud omiſit, ut ex D. Thoma recte advertit Genettus Theol. t. 2. p. 168. q. 31. Eccleſiæ perſpicua mens eſt, ut hodierni fructus beneficii acquirantur recitatione hodierna officii, non craſtina, aut alia die pro diebus anterioribus. Hanc ſententiam, quam teſte Bulemb. Quintan. veriorem, ego veram appello, tuetur P. Concina Theol. t. 2. p. 420. q. 7. & pro ea citat Leandrum, multoſque alios ab hoc citatos,

Animadverſio L.

Ut devote, & cum attentione interna, virtuali ſaltem recitentur &c. ita communiter contra Nav. &c. qui nullam &c.

Hanc ſententiam eſſe communiorem fatetur La-Croix p. 117. n. 1340., pro qua 50. Auctores ab Hurt. numerari ait, & S. Thomam ſtare, concedit; pro contraria vero 24. & amplius citari, inquit; in quam ipſe pronum ſe oſtendit, quia priora rationes ſolvere nititur, ac tandem concludit, hanc eſſe, & manere probabilem n. 1342. Verum etiamſi foret probabilis, eam tamen ſequi omnino non liceret, ut toto hujus operis contra La-Croixium, & probabilium turbam invicte oſtendimus.

Sed quoniam La-Croix rationes hic perpendi vult, ei morem libenter, ut par eſt, gerimus. Dum Eccleſia officium canonicum præcipit, orationem præcipit: at oratio ſine devotione, & attentione interna ſaltem virtuali non eſt oratio: ergo per orationem vocalem officii ſine ulla devotione, & attentione interna, Eccleſiæ præcepto non ſatisfit. La-Croix quidem negat minorem, citatque non paucos aſſerentes, ut ipſe ait, nullam internam attentionem requiri ad orationis eſſentiam, n. 1341. a quibus ego longe diſſentio. Quid enim diſcrimi-

nis eſt inter homines voluntaria diſtractione voces proferentem, & pſittacum? An pſittacus, ſi pſalmum, aut orationem dominicam proferat, vere orat? Vera oratio Deo accepta eſt, & impetratoria: at oratio ſine ulla attentione nec Deo accepta eſt, nec impetratoria, ut docet S. Th. 2. 2. q. 83. art. 13. Hinc D. Baſil. in lib. de conſtit. Monaſt. c. 1. ait, *quod divinum auxilium eſt implorandum non remiſſe, nec mente huc vel illuc evagante; eo quod talis non impetrabit, quod petit, ſed etiam magis Deum irritabit*: & D. Aug. ep. 109. *Pſalmis, & Hymnis cum oratis Deum, hoc verſetur in corde, quod profertur in ore*. Et Chriſtus Matth. 15. *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe eſt a me*. Ex quibus fit, ut oratio vocalis ſine ulla devotione, & attentione non ſit vera oratio, ſed orationis ſimulacrum, ac ſimulatio. Hoc porro intelligitur de attentionis defectu, ſeu diſtractione voluntaria. Nam qui ex inſtinctu ſpiritus ad orandum accedit, etiamſi ex aliqua infirmitate mens poſtmodum evagetur, ille nihilominus in ſpiritu, & veritate orat, ut loquitur S. Th. ar. cit. ad 1. at ſi *ex propoſito in oratione mente evagetur, hoc peccatum eſt, & impedit orationis fructum*, ut ait idem S. Doct. ad 3. Hæc eſt D. Thomæ mens aperta, quidquid dicat La-Croix, qui ſi ita ſentit, probandus eſt, at neceſſe eſt ut retractet, quod ait, nullam internam attentionem requiri ad orationem, ſeu orationis eſſentiam, neque per obſcuras technas lectores decipiat. Si vero contra ſentiat, omnino explodendus eſt, nec audiendus, dum S. Thomam loco cit. pro ſe appellat.

His conſtitutis confirmatur allata ratio. Eccleſia enim, cujus regimen ſalutis animarum cauſa inſtitutum eſt, habet ſine dubio poteſtatem condendi leges neceſſarias, & utiles ad earumdem animarum ſalutem: at leges, quæ internam devotionem, & attentionem in horis canonicis præcipiunt, ſunt ad animarum ſalutem utiles & neceſſariæ ex mox dictis: ergo Eccleſia in horis canonicis internam devotionem, & attentionem præcipere poteſt; ideoque reipſa præcipit eo ipſo, quia attentio & devotio ſunt ad orationem neceſſariæ, & ad animæ ſalutem.

An Eccleſia, dum horas canonicas præcipit, externam tantum compoſitionem, quæ ſine interna devotione hypocriſis eſt, ac ſolum externum verborum ſonitum imperat?

Sicuti Eccleſia, dum annuam Confeſſionem, & Communionem imperat, internam pietatem imperat, & contra docentes damnat prop. 54. ab Alex. VII. & 55. ab Innoc. XI. proſcriptis; ita dubitandum non eſt, quin canonici officii orationem præcipiens, internam pietatem, hoc eſt devotionem, & attentionem præcipiat.

Audiamus ipſum Eccleſiæ præceptum cap. *Dolentes* decret. lib. 3. tit. 41. ubi Innoc. III. in Conc. Lateranenſi ita loquitur, & præcipit. *Dolentes referimus, quod non ſolum quidam minores Clerici, verum etiam aliqui Eccleſiarum Prælati circa comeſſationes ſuperfluas, & fabulationes illicitas (ut de aliis taceamus) fere medietatem noctis expendunt, & ſomno reſiduum relinquentes vix ad diurnum concentum avium excitantur, tranſcurrendo undique continua ſyncopa matutinum. Sunt & alii, qui Miſſarum ſolemnia vix celebrant quater in anno, & (quod deterius eſt) intereſſe contemnunt; &, ſi quando hæc celebrantur, interſint, chori ſilentium fugientes, intendunt exterius collocutionibus laicorum, dumque auditum ad indebitos ſermones effundunt, aures intentas non porrigunt ad divina. Hæc igitur, & ſimilia ſub pœna ſuſpenſionis penitus inhibemus, diſtricte præcipientes in virtute obedientiæ, ut divinum officium, quantum eis Deus dederit, ſtudioſe celebrent, pariter & devote*. Hic ſcilicet expreſſe præcipitur devotio, quæ interiorem attentionem includit; quod confirmat Syn. Trid. ſeſſ. 24. cap. 12. de ref. ubi ait: *Omnes vero divina per ſe, & non per ſubſtitutos compellantur obire officia &c. atque in choro ad pſallendum inſtituto, hymnis, & canticis Dei nomen reverenter, diſtincte, devoteque laudare*. „ Reſponderi poteſt, „ inquit La-Croix n. 1342., quod in cap. *Dolentes* præ„cipiantur tantum actus externi religionis, uti etiam „ in Trid. ſeſſ. 24. c. 12. de ref. Nam ibi agitur contra „ illos, qui in choro ſub Officio fabulantur, ut adver„tit Conin. Hinc ipſe Suar. notat, evincitque Lugo „ n. 37. ex eo cap. nihil concludi contra poſteriorem „ ſententiam. “

Reſp. Hæc interpretatio extorta eſt, & menti ac verbis relatis Innoc. III. contraria. Si enim Innoc. III. externam ſolum devotionem præcipere voluiſſet, illud tantum dixiſſet, *hæc igitur, & ſimilia ſub pœna ſuſpenſionis inhibemus*, & ſupervacaneum fuiſſet addere, *diſtricte præcipientes* &c. ergo dum hæc addit, internam animi devotionem præcipere vult, & præcipit. Duplex quippe præceptum in allatis verbis ſatis aperte diſtinguitur, alterum negativum, quo prohibetur exterior indevotio, & irreverentia, *hæc igitur* &c. *penitus inhibemus*; alterum affirmativum, quo ſtudioſitas, & devotio præcipitur, *præcipientes* &c.

Dum prohibet, ſub pœna ſuſpenſionis prohibet; dum præcipit, diſtricte in virtute obedientiæ ſine adjectione pœnæ præcipit; quia interioris devotionis deficientia pœnis non ſubjicitur; ſicut ita ſubjicitur exterior indevotio. Notanda ſunt etiam illa verba *quantum eis Deus dederit*, quibus oſtendit, ſe illud præcipere, quod ſupernaturale Dei auxilium poſtulat, nempe eſt interior, non ſola exterior devotio. Præterea addit, *quantum Deus dederit*, quia, ut ait S. Th. ad 2. art. cit. *mens humana propter infirmitatem naturæ diu ſtare in alto non poteſt. Pondere enim infirmitatis humanæ deprimitur anima ad inferiora. Et ideo contingit, quod quando mens orantis aſcendit in Deum per contemplationem, ſubito evagetur ex quadam infirmitate*. Hanc communem ſententiam tuentur quoque Genettus Theol. t. 2. p. 141. q. 11. & Nat. Alex. Theol. t. 2. p. 51. reg. 8. Concina vero, qui in contrariam ſe pronum quoad Eccleſiæ præceptum oſtendit Theol. t. 2. p. 435. n. 22., re melius conſiderata ſuam opinionem Theol. t. 6. p. 398. n. 19. emendavit his verbis. „ Nam reipſa Eccleſia præcipit attentionem „ interiorem orationi neceſſariam. “

Reliquum nunc eſt, ut paucis refutemus cavillationes La-Croixii, qui pro contraria ſententia ita diſcurrit. „ Lex poſitiva, quæ obligaret ad attentionem internam, „ non eſt ſatis promulgata, cum graviſſimi D. D. eam „ dari negent, alii de ea dubitent. Ergo non obligat „ ſecundum dicta lib. 1. a. n. 274. 2. Pontifices ſciunt „ ſententiam, quæ ejuſmodi obligationem negat, de„fendi; & tamen, cum facile poſſent, non contradi„cunt: ergo agnoſcunt legem illam non eſſe certam: „ ergo nec obligat, ſed libertas noſtra eſt in poſſeſſio„ne contra eam, uti etiam lib. 1. a. n. 272. dictum „ eſt.

Reſp. Hæ ſunt rationes ex intimis probabiliſtarum penetralibus erutæ, quibus nihil abſurdius cogitari poteſt. Lex poſitiva, quæ obligaret ad attentionem internam, non eſt ſatis promulgata? An ne leges quidem in generalibus Conciliis latæ, ſatis promulgatæ ſunt? An ne Syn. quidem Tridentina? Hæ enim ſunt leges poſitivæ, quæ ad internam officii attentionem ſpectant. Qua nota digna ſit hæc La-Croixii obſervatio, meum non eſt judicare; ſed certe valde abſona eſt. Qui contra obligationem internæ attentionis ſcripſere, non legis promulgationem, de qua nulla quæſtio eſſe poteſt, ſed legem ipſam negarunt, falſo tamen, ut jam oſtenſum eſt. Lex quidem Concilii Lateran. aperte præcipit, obligationem internæ attentionis, ut eam attente conſideranti mox dicta evincunt; at etiamſi ſubobſcura eſſet, nihilominus obligaret, ut Segnerii pro probabilitate pugnantis rationem initio hujus operis ſolventes vicimus. Si omnes leges, quæ negantur a probabilibus, non eſſent leges, in eorum arbitrio poſitum foret leges abolere; quod quam ſit falſum, ne quid amplius dicam, nemo non videt. Poſita hac doctrina probabiles opinatores eſſent poſiti ſupra omnes principatus, & regna, ac ſupra omnem etiam ſupremam eccleſiaſticam Hierarchiam.

Altera La-Croixii argumentatio eſt defenſio omnium opinationum etiam maxime corruptarum, & abſurdarum, quæ hactenus a Summis Pontificibus explicate proſcriptæ non fuere.

Dum La Croix ait, *Pontifices ſciunt, ſententiam &c. defendi*, ponit, ſummos Pontifices omnia ſcire, quæ a probabilibus opinatoribus, vel etiam ab aliis non probabilibus defenduntur. Quod enim de hac opinatione La-Croix affirmat, idem in omnes opinationes typis evulgatas cadit. An ſummi Pontifices omnes morales libros, & ſingula abſurda, & falſa, quæ in iis continentur, legerunt, aut audierunt? Summi Pontifices ſunt quidem Chriſti Vicarii, non tamen ſunt ipſe Jeſus Chriſtus, qui omnia novit. Hoc eſt primum abſurdum alterius La-Croixianæ cavillationis; alterum abſurdum primo non inferius, aut majus illud eſt, omnia etiam ſomnia, & deliramenta, quæ non proſcribuntur a ſummis Pontificibus, ab iis pro incertis haberi; & quod inde juxta La Croixium conſequitur, eſſe regulas rectas & tutas actionum. Ipſe Innoc. XI. in proœmio ad theſes a ſe proſcriptas peſſimam La-Croixii cavillationem præoccupat, dum ait: *Non intendens tamen Sanctitas ſua per hoc decretum alias propoſitiones in ipſo non expreſſas, & Sanctitati Suæ quomodolibet, & ex quacumque parte exhibitas, vel exhibendas ullatenus approbare*. At La-Croix quæ a ſummis Pontificibus non improbantur, approbari contendit, quia vult, ſummos Pontifices habere tanquam incertas, ideoque vi obligandi deſtitutas omnes leges, quas ſcriptores negant, aut in controverſiam vocant, dum horum doctrinas non condemnant. Ingens ſane abſurdum, leges non eſſe leges, quia negantur, aut in controverſiam vocantur; ex quo conſequitur, ſcriptores eſſe, ut mox dicebam, legiſlatoribus quibuſcumque ſuperiores, eorumque legibus vim tribuere, & adimere poſſe, prout opinari ma-

lue-

luerint. At quid ſi ſummi Pontifices condemnent? Sicuti ſummorum Pontif. leges negando, aut in controverſiam vocando, in nihilum ſe redigere eas poſſe putant; ita quoque eorum condemnationes negando, aut in controverſiam vocando, eas infringere ſe poſſe cenſebunt.

Si ſolæ theſes a ſummis Pontificibus judicio ſalſi nefrio determinare proſcriptæ, neceſſario vitandæ ſunt, ut contendit La-Croixii argumentario, illud conſequitus, ne propoſitiones quidem probabiles, minuſque tutas, cum de valore Sacramentorum agitur, neque judicia fori externi juxta opiniones minus probabiles lata eſſe improbanda, & ne opiniones quidem tenuiter, aut etiam tenuiſſime probabiles eſſe neceſſario rejiciendas; quæ ſunt tres primæ prop. ab Innoc. XI damnatæ. An quælibet doctrina a ſummis Pont. expreſſe non proſcripta, recta morum regula eſt?

Si ita eſt, ipſæ doctrinæ a ſummis Pontificibus proſcriptæ, priuſquam proſcriberentur, erant rectæ morum regulæ; cum tamen certum ſit, multas doctrinas a ſummis Pont. fuiſſe proſcriptas, quia erant jam falſæ, & corruptæ. Non enim ſunt falſæ, & corruptæ, quia damnatæ, ſed ſunt damnatæ, quia falſæ, & corruptæ. Damnatio non efficit, ut doctrinæ ſint malæ, & peſtiferæ, ſed earum venenum, & luem fidelibus declarat, & demonſtrat.

Sed illud quoque falſum eſt, quod La-Croix ait, omnia, quæ a ſummis Pontificibus non definiuntur, eſſe incerta, & ab iis haberi pro incertis. Pontificiæ definitiones ad fidem, & mores ſpectantes fide divina ſunt certiſſimæ: *Rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua*; qua de re legendus eſt Melchior Canus lib. 6. de locis: at ſunt-ne omnia incerta præter ea, quæ divina fide ſunt certiſſima? Qui hoc ajunt, in apertum pyrrhoniſmum incidunt. Qui hoc ajunt, non ſolum certas concluſiones, ſed principia ipſa lumine naturæ nota in dubium vocant, ac omne jus naturæ incertum faciunt, imo vero etiam divinum, niſi pontificia definitio acceſſerit, ut pro arbitrio agere liceat. Quamquam illud quoque falſum eſt, incertas leges non obligare; quia juxta Scripturæ oracula, & Sanctorum dicta, & naturæ jus, & perpetuam Eccleſiæ traditionem, cum de animæ ſalute agitur, certa incertis præferenda ſunt; ideoque cum lex dubia eſt, ſervanda eſt.

Contra ita P. Zach. ſpec. v. p. cxx. „ Primum autem „ ex te quæro, qua veritate ſcripſeris, P. La-Croix in „ eam ſententiam, quæ attentionem internam in horis eſſe negat graviter ab Eccleſia præceptam, *pro-* „ *num ſe oſtendere, quia prioris rationes ſolvere nititur,* „ *ac tandem concludit*, hanc eſse, & manere probabi- „ lem? “

Reſp. An rationes a me allatæ, & a te exſcriptæ id non oſtendunt?

Zacch. „ Caligarunt, mihi crede, oculi tui, qui hæc „ ſolum in La-Croixio legerunt. Adhibe quæſo perſpi- „ cillia, & lege, quæ continenter ſequuntur: *prior ta-* „ *men pro praxi ſuadenda, ac merito ſequenda*: hæccine „ ſcriberet, qui in oppoſitam pronus eſset ſententiam? “

Reſp. maxime; quia illud *prior tamen* &c. conſilium indicat, non præceptum. An La-Croixium ita improbum eſſe vis, ut interiorem in horis can. attentionem non ſolum eſse præceptam neget, ſed etiam diſsuadeat, ac merito reſpuendam dicat?

Zacch. „ At *probabilem* illam *manere*, ait: ita ſane. „ Sed hoc nondum percepiſti durum caput, non omnes „ probabiles opiniones eſse in praxi ſequendas; “ (Reſp. hoc jamdiu percepi; utinam vero tuum molle, & docile caput, idipſum recte perciperet.) „; ſed alias eſse „ ſpeculative ſolum probabiles, alias practice etiam „ probabiles, & has ſolum in praxim redigi poſse? “

Reſp. Ergo tu quoque, mi Zach., mecum conſentiens, qua de re mihi placeo, La-Croixii, quam probabilem manere ait, opinionem quoad praxim improbas; La-Croixius vero, *cum illam opinionem probabilem eſſe, & manere* ait, te auctore idem eſt, ac ſi dixiſset, eam eſse quoad praxim improbabilem. Quod autem de hac dicimus, de aliis fere innumeris propoſitionibus, quas La-Croixius probabiles appellat, & alii improbant, dicendum erit; ita ut hæc pugna verborum ſit, non ſententiarum.

Eum vero tibi, tuoque P. Danieli, quem in folio ben. Lect. inſcripto in hanc rem appellas, maxime gratulor, quod rationem inveneritis conciliandi eos, quos univerſus orbis ſibi maxime quoad ſententias mutuo adverſari hactenus exiſtimavit.

Itaque La-Croixii lector hanc regulam ſane optimam, & pernecceſsariam præ oculis ſemper habeat. Cum La-Croixius aliquam opinionem (minus tutam) *probabilem* appellat, idem eſt, ac ſi dicat, quoad praxim eſse rejiciendam. Quid neceſse eſt, mi Zach., in extimulandis ſtudioſis, & doctis, ut tuum La-Croixium legant, te tantopere deſudare?

Admiſſa mox recitata regula neminem puto futurum, qui a La-Croixii lectione abhorreat; & ego quoque pro modulo meo auctor ſum, ut omnes eum legant, & tutiſſima conſcientia ſequantur.

Quid? An, dum mea tuis dictis conformo, torvis me oculis aſpicis?

Tuus Vaſquezius detecto capite a te audiendus ita inquit. *Hoc ipſo, quod opinio probabilis eſt, ſicut abſque ulla nota poſſumus eam ſpeculative amplecti ac defendere, ſic etiam ſana conſcientia poſſumus ſecundum eam operari*. Cov. p. 156. litt. 3. Bul. lib. 1. tract. 1. cap. 2. dub. 2. affirmat, licere *ſequi opinionem* (de ſpeculative probabili loquitur) *etiam alienam, & minus tutam relicta probabiliore, & tutiore propria, ſecluſa* &c. *& dummodo optata, quæ eligitur, adhuc ſit probabilis*.

Quid eſt opinio *ſpeculative* quoad ſpeculationem probabilis?

Ea ſcilicet, ſi vocem *ſpeculative* æquo, & ſano ſenſu accipere velimus, quam mens probare rationabiliter debet: Si rationabiliter probanda eſt, rationabiliter loquendo recta praxis regula eſt. An morum Theologia ſpeculando aliquid probat, a quo quoad praxim abhorrendum ſit? Theologia, quæ praxis regula non ſit, non eſt morum Theologia, ſed quid commentitium, & monſtruoſum.

Cum aliquis moralis Theologus ſentit, aliquid licere, an quoad praxim contrarium ſentit? Cum alii ejus opinionem probabilem eſſe ajunt, an quoad praxim improbabilem eſse affirmant? Hæc ſcilicet ſomnia, ſeu monſtra ſunt? Quid tu? An me non intelligere hanc tuam diſtinctionem præ mea inſcitia inflatis buccis clamas? Me tua ſonantia verba illud ſignificantia, quod tibi, tuiſque placet, ignorare lubens fateor; illudque etiam addo, ne te quoque tua myſteria aſſequi, quæ modo hanc, modo aliam notionem, prout commodum fuerit, habitura ſunt. Tuus La-Croixius, de hac tua diſtinctione, veluti de re magni momenti t. 1. p. 89. n. 115. diſſerens, multis, diverſiſque modis a tuis opinatoribus eam accipi animadvertit. At ſani, eruditique Viri hæc rident. Vos autem his arabicis diſtinctiunculis, confuſis, & tenebricoſis gloriamini, ut a veſtris adverſariis exagitati ad novas ſemper latebras recipere vos poſſitis, neve unquam vos victos ſaltem ſilendo in veritatis gratiam fateamini. Hæ tuæ, mi Zach., miræ cavillationes illud perſpicue evincunt, tuum La-Croixium, Buſemb., & ſimiles, aut blattia relinquendos eſſe, aut contrario, ac eorum verba ſonant, ſenſu eſſe accipiendos.

Animadversio LI.

Qui ſponte diſtractus eſt, graviter peccavit.... teneturque.... horas repetere.

Hoc oſtendit ratio a Boſ. hic allata, & eſt evidens conſectarium doctrinæ mox traditæ, & propugnatæ. Itaque explodendi ſunt illi quidam Doct., qui negant, ut Buſemb. ait, eo caſu neceſſariam eſſe repetitionem. Cum enim ſine attentione, ſeu cum voluntaria diſtractione recitatum eſt officium, phyſica quidem, ſeu materialis, ſi ita loqui libet, ſubſtantia operis impleta fuit, non tamen forma, & ut ita dicam, anima ejuſdem operis. Interior enim attentio, & devotio eſt ipſa precum eſſentia, forma, & anima; cum preces ſine interiori attentione, & devotione non ſint preces, niſi materialiter, ac inſtar ſonituum, ſeu vocum pſittacorum. Hinc Joan. 4 dicitur: *Spiritus eſt Deus, & eos, qui adorant eum, in ſpiritu, & veritate oportet adorare*. Hanc adorationem in ſpiritu, & veritate Eccleſia præcipit, cum attentionem, & devotionem præcipit; & eo ipſo quia præcipitur, eſt eſſentialis operis, quatenus præceptum eſt.

Nec fructus facit ſuos.

Hoc quoque eſt neceſſarium conſectarium doctrinæ ſupra firmatæ. Nam beneficiarii non implentes præceptum canonici officii, fructus ſuos non faciunt: ſed beneficiarii cum voluntaria diſtractione officium recitantes, non implent ex dictis præceptum canonici officii: ergo &c. Leges enim non pſittacis, ſed hominibus imponuntur, quæ idcirco humano modo implendæ ſunt: humanus porro orandi modus eſt orare non ſolum voce, ſed corde, & animo: ergo Eccleſiæ lex eſt, ut non ſolum voce, ſed corde, & animo a beneficiariis officium oretur, ut beneficii fructus ſuos faciant. Quare non eſt audiendus Buſemb. qui, poſtquam recte docuit, in contrariam partem ſe verſat, & ait: *Multoque magis, ac probabilius iidem negant obligationem reſtitutionis*. Cur id multo probabilius negant? *Eo quod*, inquit, *ad illam tantum teneantur, qui officium omiſerunt, non qui diſtracte dixerunt*. Reſp. At hæc non eſt ratio, ſed principii petitio: illud enim ipſum in præſenti quæritur, utrum qui diſtracte officium dixerunt, reſtitutione teneantur. Præterea qui omittunt officium, reſtitutione tenentur: at qui diſtracte illud recitant, illud omittunt, quia of-

ſcium diſtracte recitatum non eſt officium, non eſt precatio, non eſt laus Dei, ſed materialis ſonitus verborum. Imo vero qui officium diſtracte dicunt, pejores ſunt, quam qui omittunt. Qui enim illud omittunt, Eccleſiæ præceptum tantum violant; qui vero illud diſtracte dicunt, non ſolum Eccleſiæ, ſed Dei, qui ſacras preces reverenter, & devote *in ſpiritu & veritate*, ut dicitur Joan. 4. recitari præcipit, præceptum negligunt. Hinc Matth. 5. de iis conqueritur, qui diſtracta preces fundunt: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe eſt a me*. An quia beneficiarii officium diſtracte recitantes, omittentibus pejores ſunt, & peccatum peccato addunt, beneficii fructus lucrantur?

At hic forraſſe objiciet aliquis. Fructuum amiſſio pœna eſt; at pœna ab Eccleſia non infligitur propter actus internos, aut eorum omiſſionem; quia de iis nec judicat, nec judicare poteſt: ergo &c.

Reſp. Amiſſio fructuum jam acquiſitorum, pœna quidem eſt; at amiſſio fructuum nec jure acquiſitorum, nec jure debitorum, non eſt pœna, ſed gratiæ privatio, ſeu indebitæ mercedis ſubtractio. Dum autem Eccleſia beneficiarios fructibus beneficii privat, quia ſine attentione, & devotione officium recitant, eos privat fructibus nec jure acquiſitis, nec jure debitis; ideoque hæc privatio non eſt proprie loquendo pœna, ſed gratiæ, ſeu indebitæ mercedis ſubtractio. Eccleſia beneficia confert ea adjecta conditione, ut beneficiarii fructus beneficii ſuos non faciant, niſi officium attente, ac devote dicant.

Cum beneficiarii conditionem non implent, fructuum commodo ſponte ſe privant, non tamen pœnam incurrunt; quia de ſuo nihil amittunt, ſed ſolum non lucrantur; ſicuti operarius proprie loquendo non punitur, dum merces minime debita ei ſubtrahitur, quia contra pacta in agro, aut vinea perperam laborando, magis nocuit, quam profuit.

Ubi ex Nav. addit, excuſari a mortali eum, qui recitationem horarum ita differt, vel ita ſe componit, ut advertat ſe ſomno præoccupandum &c.

Hic ſcilicet in cauſa vult omiſſionem horarum, aut earum recitationem ſine ulla attentione, & devotione: ergo evidens eſt, hunc mortaliter peccare; miror quia, quod contrarium dici poſſit, niſi ab iis, qui putant præcepto ſatisfieri ſine ulla attentione, & devotione; atque in deſcripta a Buſ. ſpecie ponunt, officium reipſa recitari, nec eſſe omiſſionis periculum.

A n i m a d v e r s i o LII.

Clerici beneficiarii quoad eam partem bonorum &c. ita ſiant domini, ut &c.

Libere de iis diſponere poſſunt infra fines tamen pietatis, & honeſtatis, ex. gr. in favorem amicorum, & conſanguineorum, ſi indigeant, aut grati animi, ſeu remunerationis cauſa, non item ea arbitriu, & ſine ulla juſta cauſa. Sordidæ enim avaritiæ, ſuperbæque ambitionis opus eſt, ſi beneficiarius parcius, quam par eſt, vivat, ut ſuos locupletet, & in altiorem ſtatum avehat. Hæc eſt S. Thomæ mens, qui 2. 2. qu. 185. a. 7. poſtquam in corp. dixit, *de his autem*, (bonis eccleſiaſticis) *quæ ſunt ſpecialiter ſuo uſui deputata, videtur eſſe eadem ratio, quæ eſt de propriis bonis*, in reſp. ad 2. adjicit, *quod bona* Eccleſiarum non ſunt ſolum expendenda *in uſus pauperum, ſed etiam in alios uſus; & ideo ſi de eo, quod uſui Epiſcopi, vel alicujus clerici eſt deputatum, velit aliquis ſibi ſubtrahere, & conſanguineis, vel aliis dare, non peccat, dummodo illud faciat moderate, ideſt ut non indigeant, non autem ut ditiores inde fiant. Unde Ambroſius dicit in lib. 1. de offic.* „ Hæc eſt approbanda liberalitas, ut proximos ſanguinis tui non deſpicias, „ ſi egere cognoſcas, non tamen ut illos ditiores fieri velis eo, quod tu potes conſerre inopibus. “

Ubi recte notat Nav. hanc congruitatem, & decentiam habere latitudinem, & ſuos gradus &c.

Ita ſane. Hinc D. Th. art. 7. cit. ait: *Si vero non ſunt prædicta bona diſtincta, eorum diſtributio fidei ejus* (Epiſcopi, aut alterius beneficiarii) *committitur, & ſi quidem in modico deficiat, vel ſuperabundet, poteſt hoc fieri abſque bonæ fidei detrimento; quia non poteſt homo in talibus punctualiter accipere illud, quod fieri oportet. Si vero exceſſus ſit multus, non poteſt latere. Unde videtur bonæ fidei repugnare; & ideo non eſt abſque peccato mortali*. Si D. Thomæ verba animo pio, & æquo conſiderentur, & ad praxim revocentur, res in tuto eſt. At latitudo, quam Buſ. e. g. affert, non eſt quid modicum. Ducenti floreni, qui ſupra trecentos, aut in lautiorem victum, aut in profanos uſus impendantur ab eo, cui pro infimo gradu ſuæ ſuſtentationis trecenti ſufficiunt, eſt multus æquo judicio exceſſus, qui latere non poteſt, ideoque bonæ fidei repugnat, nec eſt, ut ait S. Doct., abſque peccato mortali.

A n i m a d v e r s i o LIII.

Probabilius etiam eſt, contra Nav. &c. beneficiarios... abſolute eſſe dominos omnium &c. ideoque etſi &c. non teneri ad reſtitutionem.

Ita loquitur probabilis auctor ad mala indulgendum pronus. At Paulus Comitolus inſignis ejuſdem Soc. Jeſu Theologus, & ad veritatem compoſitus, ita inquit; (apud Genett. Th. t. 2. p. 169. c. 11. q. 1.) „ A recentis memoriæ hominibus ſæpe addubitatum eſt illud, „ quod ab antiquis magiſtris, & melioribus Auctoribus „ ſuperioris, atque adeo noſtræ ætatis incontroverſiam „ nunquam vocatum eſt, num ii, quibus eccleſiaſtica „ Sacerdotia, beneficiaque mandata ſunt, ſint bonorum „ fructuumque omnium, qui ex eis percipiuntur, veri „ domini. Auctores neſcio qui novam, & periculoſam „ opinionem poſt mille, & quingentos annos in chriſtianam Rempublicam invehere conati ſunt, eos, a „ quibus eccleſiaſtica beneficia obtinentur, fructuum, „ quos illa pariunt, veros eſſe dominos; quorum ipſi „ opinionem in iis libris, quibus Parochorum officia perſecuti ſumus, omni machinarum genere convellere, „ atque evellere conati ſumus. Horum hominum ſenſum a Conciliorum decretis, a Rom. Pontificum ſanctionibus, a Sanct. Patrum ſententiis, a Theologorum „ conſenſione, a ſacrorum canonum graviſſimis explanatoribus, & a certiſſima ratione demonſtravimus abhorrere. “

Idem præſtitere Genett. Th. t. 2. p. 170. qu. 2. Nat. Alexander Th. t. 2. p. 621. reg. 9. & Concina Th. t. 2. p. 72. & ſeq., qui hanc veritatem ſolide, & erudite, ac fuſe demonſtrat. Ego, ne actum agam, rem hanc paucis evinco.

Syn. Trident. ſeſſ. 25. cap. 1. de reform. ita inquit: *Omnino vero eis* (Epiſcopis) *interdicit, ne ex reditibus Eccleſiæ conſanguineos, familiareſve ſuos augere ſtudeant, cum Apoſtolorum canones prohibeant, ne res Eccleſiæ, quæ Dei ſunt, conſanguineis donent*. Juxta S. Syn. *res Eccleſiæ, Dei ſunt*; ergo non ſunt hominum, nec ad eorum dominium pertinent. Deus ſupremum quidem habet in omnia bona dominium; at quia etiam homines in res ſuas dependenter a Deo jure gentium dominium habent, eas amicis, & aliis donare non prohibentur. At res Eccleſiæ Epiſcopi ſuis conſanguineis donare prohibentur, quia *Dei ſunt*, hoc eſt quia Epiſcopi nullum in eas dominium habent. Hic eſt genuinus ſacræ Synodi ſenſus. Res Eccleſiæ a piis fidelibus Deo oblatæ, & donatæ ſunt, non hominibus: eædem Epiſcopis, aliiſque beneficiariis concreditæ, ut ſuis, ac pauperum neceſſitatibus conſulerent, & in pios uſus impenderent. Hinc Urbanus Papa, ut ait Brev. Rom. die 25. Maji, de bonis Eccleſiæ attributis ſcripſit his verbis (habetur can. 12. q. 1. c. 26.) *Ipſæ res fidelium, quæ Domino offeruntur* (offeruntur Domino, non hominibus) *non debent in alios uſus, quam eccleſiaſticos, & chriſtianorum fratrum, vel indigentium converti, quia vota ſunt fidelium, & pretia peccatorum, ac patrimonia pauperum*. Ait *patrimonia pauperum*, non beneficiariorum. Bened. vero XIV. anno 1747. die 16. Maji, dum ageretur cauſa ſuper donatione officiorum vacabilium facta ab Innoc. X. Olympiæ Maldalchinæ, ſedens pro tribunali hæc pronuntiavit. *Sciant, intelligantque omnes, Pontifices ſummos eſſe dumtaxat adminiſtratores, & diſpenſatores eccleſiaſticorum redituum; atque adeo Innoc. X. donare præfatæ Olympiæ officia vacabilia, de quibus cauſa agitur, nequaquam potuit. Pii fideles ſancto Petro, non Pontificum nepotibus bona ſua obtulere. Quamobrem quidquam nos impertiri nepoti noſtro conſtantiſſime ſemper recuſavimus*. Hinc ſententiam definite dixit contra actorem donatarium, eumque obſtrinxit, ut tria ſcutorum millia Cameræ Apoſtolicæ ſolveret. Hujus rei teſtis auricularis fuit P. Concina, ut aſſerit Th. t. 6. p. 496. nu. 13., qui verba Pontificis mox deſcripta ab eo vernacule enuntiata in latinum idioma fideliter vertit.

At Buſ. pro ſa eſt communiorem inter recentiores ſententiam, ipſumque D. Thomam: *tum quia*, inquit, *fructus faciunt ſuos, ut ſupponit Trid. ſeſſ 24. c. 12. tum quia alioqui non poſſent fructuum dominium in alios transferre* (*extra pios uſus*), *omneſque eorum donationes, & contractus eſſent invalidi, & ad tales* &c. ut apud ipſum legitur.

Reſp. Singulis objectionibus reſpondeo: & primo Clerus Gallicanus anno 1700. hanc regulam tradit (apud Nat. Theol. t. 2. app. altera p. 60.) *ut in rebus theologicis ad fidei, & morum dogmata ſpectantibus Theologos quidem etiam modernos audiamus, ſi tamen conſonas SS. Patribus tradant ſententias. Deinde, ut, ſi ab eis recedant, harum opinionum inhibeatur curſus, nedum earum aliqua ratio habeatur, aut ulla eis tribuatur auctoritas*. „ At compertum eſt, inquit Concina Th. t. 2, „ p. 75. §. 3. n. 14. communi aſſenſione antiquos Patres

tres furti, & ſacrilegæ rapinæ damnare beneficiarios, „ qui in profanos uſus, ſactos Eccleſiæ reditus effun„ dunt.“ Horum aliquot citat exſcriptis eorum verbis Genettus Theol. t. 2. p. 176. & ſeq.: ergo recentiorum auctoritas hac in re nullius ponderis eſt; præſertim cum & ſacri canones, & poſteriores ſancti doctiſſimi viri eodem ore, ac ſancti Patres loquantur; quos plurimi recentes, ac præſertim ſanioris doctrinæ aſſertores ſecuti ſunt, ut legi poteſt apud Concinam Theol. t. 2. p. 90. n. 52. & ſeq.

Ejuſdem ſententiæ, contra ac perperam ait Buſemb., eſt Angelicus, qui 2. 2. q. 100. a. 1. ad 7. de Rom. Pontifice ait: *Quamvis enim res Eccleſiæ ſint ejus ut principalis diſpenſatoris, non tamen ſunt ejus ut domini, & poſſeſſoris*: juxta quem ſenſum locutus eſt Bened. XIV. mox cit. & q. 119. a. 3. ad 2. loquendo de prodigo, *qui peccat in alterum, conſumendo bona, ex quibus aliis deberet providere*, ſubdit: *& præcipue hoc apparet in clericis, qui ſunt diſpenſatores bonorum Eccleſiæ, quæ ſunt pauperum, quos defraudant, prodige expendendo*: & q. 185. a. 7. de Epiſc. inquit: *ſed eccleſiaſticorum bonorum ſunt diſpenſatores, vel procuratores*, eoſque dominos ſolum facit quoad eam partem, ſeu quoad ea, *quæ ſunt ſpecialiter ſuis uſibus deputata*; cujuſmodi certe non ſunt bona totius beneficii, quando beneficium pingue eſt, ſeu parco, & moderato beneficiarii victui ſuperfluit.

Quoad Synodum Tridentinam, ex qua noſtra ſententia valide, & rationabiliter fuit confirmata, cum ponit, beneficiarios facere fructus ſuos, illud *ſuos* accipiendum eſt non quoad dominium, cui ſacra Synodus repugnat, ſed quoad œconomiam, & adminiſtrationem. Hinc Innocent. IV. in c. *Cum ſuper* de cauſa poſſeſſ. & proprietatis n. 3. a Genetto Th. t. 2. p. 182. q. 5. relatus inquit: *Non Prælatus, ſed Chriſtus dominium, & poſſeſſionem rerum Eccleſiæ habet. Unde quæcumque homines offerunt Eccleſiis, dicuntur eſſe oblata Deo, can. Nulli liceat 12. q. 2. Et ſi quando inveniantur hæc bona Deo oblata, eſſe Epiſcoporum, vel Prælatorum, vel Capitulorum, dic eſſe eorum quoad gubernationem.* En germana interpretatio vocis *ſuos* a ſacra Syn. Tridentina uſurpata; *ſuos*, ut dixi, quoad adminiſtrationem, non quoad dominium, ut perperam accipit Buſ.

Ad tertiam Buſ. objectionem dico, beneficiarios extra uſus non pios, reipſa non transferre dominium fructuum beneficiorum in alios, omneſque eorum tales donationes, eſſe jure invalidas, & Eccleſiæ reſtituendas, ut præclare docet Nat. Alexander Theol. t. 1. p. 624. reg. 11. S. S. Raymundi, & Antonini auctoritate nixus; quod etiam patet ex oraculo Bened. XIV. mox relato. Quod ſi Eccleſia de rapinis, & ſacrilegiis, quæ beneficiarii in infideli, & injuſta ſacrorum proventuum adminiſtratione admittunt, ordinaria judicia in foro externo non habet, ſuis rationibus ducitur; & fortaſſe eæ ſunt, ne infinitis controverſiis locum præbeat, neve Sacerdotum nomen nimiæ invidiæ, & infamiæ pateat. Ceterum ea de jure haberi poſſe, non eſt dubitandum, uti factum fuit a Bened. XIV. hic cit.

Porro congrua clerici ſuſtentatio cenſetur, quæ neceſſaria eſt ad ſtatus, & familiæ ſuſtentationem ſecundum conditionem &c.

La-Croix quoque ita loquitur p. 83. num. 904. Verum congrua clerici, ut ex beneficio ſuſtentandi ſuſtentatio, ex conditione quidem, & gradu eccleſiaſtico deſumenda eſt; (aliud enim e. g. Epiſcopum, aliud Parochum decet) non tamen ex grado profano ex. g. Comitis, Marchionis, aut ex familiæ nobilitate, ut recte advertit P. Concina Theol. t. 2. p. 92. n. 38. Ratio evidens eſt. Nam eccleſiaſtici proventus ad clericos, quatenus clerici ſunt, ſuſtentandos fuere inſtituti, non ad gradus ſæculi, & ſanguinis amplitudinem tuendam.

Hanc & piorum fundatorum, qui ſua bona Deo, non ſæculi hominibus donarunt, & Eccleſiæ beneficia in Dei cultum, & animarum ſalutem erigentis, mentem fuiſſe, & eſſe, in controverſiam jure vocari non poteſt. Hinc Syn. Tridentina ſeſſ. 25. cap. 1. de reform. ait: *Quapropter exemplo Patrum noſtrorum in Concilio Carthaginenſi non ſolum jubet, ut Epiſcopi, ut Epiſcopi* ſine diſtinctione, hoc eſt ſeu nobilis, & ſublimis familiæ ſint, ſeu inferioris, & ignobilis) *modeſta ſupellectili, & menſa, ac frugali victu contenti ſint, verum etiam in reliquo vitæ genere, ac tota eorum domo caveant, ne quid appareat, quod a ſancto hoc inſtituto ſit alienum, quodque non ſimplicitatem, Dei zelum, ac vanitatum contemptum præſeferat.* Corrupti nonnullorum eccleſiaſticorum mores, quos laxiores opiniones typis evulgatæ fovent, ab hac ſancta lege alieni quidem ſunt, & ſæculum imitantes, ſuum faſtum, & rapinas, decorem, & honeſtatem appellant; at hi miſeri, in quo eccleſiaſtici ſtatus decor, & honeſtas ſita ſit, non intelligentes, nec intelligere volentes, ad tartara properant.

Spec. V. p. cxx. Ne proliziore ſcriptione Lectori moleſtus ſim, P. Zach. pro dominio proventuum, quos beneficiarii percipiunt, ex Bened. XIV. lib. VII. de Syn. Diœc. cap. 11. primo mihi objicit D. Thom. quod. 6. q. 7. a. 12. ad 3. ubi ait. *Aliter dicendum eſt de illis eccleſiaſticis bonis, quæ principaliter ſunt attribuenda neceſſitatibus pauperum; & ex conſequenti neceſſitatibus miniſtrorum, ſicuti ſunt bona hoſpitalium, & aliorum hujuſmodi, & aliter de illis bonis, quæ ſunt principaliter attributa uſibus miniſtrorum, ſicut ſunt prabendæ Clericorum, & alia hujuſmodi; nam in primis bonis peccatum committitur non ſolum ex abuſu, ſed etiam ex ipſa rerum conditione, dum aliquis in ſuos caſus aſſumit, quod eſt alterius, & ideo tenetur ad reſtitutionem tanquam defraudator rei alienæ. In ſecundis vero bonis non committitur peccatum, niſi per abuſum, ſicut & de bonis patrimonialibus dictum eſt. Unde non tenetur quis ad reſtitutionem, ſed ſolum ad pœnitentiam agendam.*

Secundo loco ex eodem Bened. XIV. mihi objicit Synodum Tridentinam, & argumentationem, quam inde adverſarii pro dominio Eccleſiaſticorum bonorum eliciunt.

Reſp. nonne, mi Zach., hæc momenta vi deſtitui evici? Nonne eum D. Thomam, tum Synodum Tridentinam ſententiæ a me propugnatæ favere oſtendi? Quid crambem recoquis, nihilque momentis a me allatis reponis?

Bened. XIV. eo loco, ut ex ejus lectione conſtat, illud unum ſpectat, et Epiſcopos a quæſtione dominii eccleſiaſticorum bonorum definienda diſſuadeat; quia quæſtio eſt. Ita ſcilicet. At in hac quæſtione quænam ſententia verior, & probabilior eſt? Hac de re doctiſſimus Pontifex nihil dicit; imo ſe in ſententiam dominium negantem pronum oſtendere videtur. Refert enim Synodum Nonantulanam anni 1688., ubi ita legitur. *Superfluos Eccleſiæ reditus in pios uſus expendant, memores illorum non eſſe dominos, ſed tantum commendatarios, & adminiſtratores*; & Synodum Veliternam anni 1698., quæ ita habet: *Quicumque reditus eccleſiaſticos poſſident, noverint, res Eccleſiæ nihil aliud eſſe, quam vota fidelium, pretia peccatorum, & patrimonia pauperum; earumque propterea miniſtros ſe eſſe, non dominos, ut quod illis ſupereſt, in pauperum neceſſitatibus erogent.* An hæc momenta valida non ſunt pro ſententia dominium negante?

Adde, quod idem Bened. XIV. poſt ſubdit. „ Licet „ autem nos ejuſmodi Epiſcoporum effata haudquaquam „ reprehendamus, cum liberum illis fuerit ſententiam „ amplecti, quam innumeri Theologi laudabiliter pro„ pugnant, (nota hoc, *innumeri Theol. laud.* &c.) & „ tutiorem eſſe, atque in praxi conſulendam etiam alii, „ qui pro contraria ſtant, doctores fatentur &c.“

Quid quod ipſe Bened. XIV., cum eo ventum eſt, ut hac de re ſententia pro Tribunali ferenda foret, eam pro ſententia dominium negante tulit, ut hic in mea animadverſione ex P. Concina teſte de audite præſente retuli?

At, inquis, D. Thomas... Reſp. D. Thomas in Summa, veluti poſtremo, & irrevocabili teſtamento, hac de re ſuum ſenſum aperte declaravit, ut ejus textus a me allati, & ab eo ter repetiti luculenter declarant. In quodlibeto loco mox exſcripto, & a lectore hic repetendo illud *principaliter* adverſarii ad ſe trahunt. At illud *principaliter* idem eſt, ac *ſpecialiter* ſui interprete eodem D. Th. 2. 2. q. 185. a. 7., cujus verba in animadverſione retuli. An *ſpecialiter* beneficiariorum uſibus ea bona attributa ſunt, quæ eorum uſibus ſunt ſupervacanea? Audiatur D. Th. eodem a. cit. in quodlib. in corp., unde ejus mens præcipue haurienda eſt. *Dicendum, inquit, quod aliter videtur ſe habere circa bona patrimonialia, & circa bona eccleſiaſtica. Nam bonorum patrimonialium, vel licite acquiſitorum homo vere eſt Dominus..... bonorum vero eccleſiaſticorum Clerici non ſunt VERE DOMINI, SED DISPENSATORES.* &c. Divi Thomæ mens mihi, &, ut puto, cuicumque æquo lectori perſpicua eſt; qua tamen de re legi etiam poteſt P. Concina Theol. t. 2. lib. 1. in dec. diſſ. vi. cap. x. §. xv. p. 77. & ſeq.

Demum ex eodem Bened. XIV. ibidem P. Zach. mihi opponit Card. Bellarminum, non quod contra ſentiat, ſed quod hanc quæſtionem, quæ præ manibus eſt, veluti inutilem rejiciat. Nam in ep. ad Theanenſem Epiſcopum Nepotem ſuum cont. 8. & 9. ſcripſit. *Non diſputo quæſtionem illam, an Prælati ſint vere Domini redituum eccleſiaſticorum, & an teneantur reſtituere, quæ male expenderunt. Parum enim refert, utrum Prælatus damnetur ad inferos, quia peccavit contra juſtitiam, an quia peccavit contra caritatem, non bene diſtribuendo facultates ſuas. Solum quæro in quos uſus debeat expendere ſuas eccleſiaſticas facultates, ut non amittat vitam æternam.*

His mihi objectis P. Zacch. glorioſe in mei contemptum more ſuo ita concludit. „ *An pronus ad male in„ dulgendum is*“ (Buſemb., quem hic hujuſmodi lau-

de, quaſi ea dignus non ſit, donavi) „ ſit, qui in ea „ quæſtione, *quam parum refert determinare*, alterutram ſententiam eligit? Illuſtriſſime Doct. Colleg. Pat. „ Franzoja quo te vertes, ut a meis hiſce interrogationibus “ (Enimvero dum hæc exſcribo, riſum continere non poſſum) „ te defendas? Miſeret certe me „ tui, qui tam impudens fueris, ut Benedictum XIV. in „ ea quæſtione, in qua maxime a te diſſentit, appellare non dubitaris. “

Reſp. Aliis tuis, mi Zach., ut appellas, interrogationibus, ſeu verius declamationibus in compendium a me redactis, ut lectoris tædium vitarem, jam reſpondi. Textui ex Ven Bell. Card. ſumpto reſpondeo, parum referre, quæſtionem, de qua agimus, determinare quoad eos malos, & obſtinatos beneficiarios, qui pœnitentia neglecta damnantur. Hæc eſt Bellarmini mens, qui ait: *Parum enim refert, utrum Prælatus damnetur* &c. At magni intereſt, eam determinare quoad eos, qui perverſæ adminiſtrationis pœnitentia ducti, ſalutem conſequi volunt; & quoad donatarios, legatarios, hæredes, in quos eccleſiaſtica bona pervenere, de quibus animad. 55. Inutilem quidem, & damnoſam operam tuus Buſ. ad male indulgendum pronus, & qui cum eo ſentiunt, huic quæſtiuni navarunt. At contrariam ſententiam teſte Bened. XIV. *Innumeri Theologi laudabiliter propugnant*.

A N I M A D V E R S I O LIV.

Poteſt clericus ex bonis ſuperfluis licite in ſtudiis alere ſuos .... ſi &c. eo quod &c.

Id quidem clerico licet, ſi penſatis omnibus circumſtantiis opus pietatis & miſericordiæ ſit, conſanguineos in ſtudiis alere; ſecus, non licet. Si beneficiarius nepotes habeat honeſtæ familiæ, pauperes, mechanicis operibus minime aſſuetos, bonæque indolis, & ſpei, parcos ſumptus, dum alios pauperes non negligat, iis præbere poterit, ut litteris, ſcientiiſque informati habeant, unde victum ſibi comparare queant.

At ſi nepotes plebejos, ad aratrum, manuumve laborem natos in publicis lyceis alat, ut laurea donati medicos, cauſarum patronos &c. agant, hoc nihil aliud eſt, quam eos pauperum patrimonio ad altiorem ſtatum evehere; quod licere non poteſt.

Nam ſi parentes poſſint, at nolint filios in ſtudiis alere, cur beneficiarius falcem in alienam meſſem mittit? an adeo ſtupidus eſt, ut non intelligat, eccleſiaſticos reditus ad augendam familiam prodigi, ſi ipſe eos in ſtudiis alat, cum parentes nolunt?

Itaque beneficiarii neglectis caluum arbitris illud Divi Ambroſii lib. 1. de offic. c. 30. attente meditentur. *Eſt etiam illa probanda liberalitas, ut proximos ſeminis tui non deſpicias, ſi egere cognoſcas. Melius eſt enim ut ipſe ſubvenias tuis, quibus pudor eſt ab aliis ſumptum depoſcere, aut alicui ſubſidium neceſſitati; non tamen ut illi ditiores eo fieri velint, quod tu potes conferre inopibus*. Dum parentes ſuos filios in ſtudiis, cum poſſint, alere nolunt, ſed Eccleſiæ reditibus eos ali volunt, ſubſidium litæ neceſſitati non quærunt, ſed ditiores fieri volunt pauperum ſumptu. *Cauſa enim*, ſubdit S. Pater, *præſtat, non gratia. Neque enim propterea te Domino dicaſti, ut tuos divites facias, ſed ut vitam tibi perpetuam fructu boni operis acquiras, & pretio miſerationis, peccata redimas tua. Putant, ſe parum poſcere? Pretium tuum quærunt, vitæ tuæ fructum adimere contendunt, & ſe juſte facere putant. Et accuſat, quod eum divitem non feceris, cum te ille velit æternæ vitæ fraudare mercede. Videlicet inimici hominis, domeſtici ejus*. Matth. 10. v. 36. Hinc Syn. Trident. ſeſſ. 25. cap. 1. de reſorm. ait: *Si pauperes ſint* (conſanguinei, & familiares) *iis ut pauperibus diſtribuant; eas autem* (res Eccleſiæ) *non diſtrahant, nec diſſipent illorum cauſa*. Ex Divo Ambroſio, & Synodo Tridentina illud perſpicue elicitur, conſanguineos Eccleſiæ reditibus tunc ſolum in ſcholis ali poſſe, ſi id recte & miſericorditer fieret, etiamſi conſanguinei non eſſent. *Cauſa enim, non gratia præſtat*, ait S. Ambr. *Si pauperes ſint, iis ut pauperibus diſtribuant*, inquit Synodus Trident. Hæ ſunt regulæ agendi, & ſcribendi; juxta quas P. Concina Th. t. 2. p. 107. n. 77. 78. contra eos, qui ex arbitrio loquuntur, ſcripſit.

A N I M A D V E R S I O LV.

Si bona ſuperflua expendat in uſus profanos, graviter peccat quidem, non tamen tenetur ad reſtitutionem: quia &c. & conſequenter &c.

Imo tenetur, quia ut contra Buſ. reſp. 2. oſtenſum eſt, non eſt dominus fructuum ſuo frugali, & congruo victui ſuperfluorum; quod confirmat S. Bernardus ep. 2. ad Falconem, inquiens: *Denique quidquid præter neceſſarium victum, & ſimplicem veſtitum de altario retines, tuum non eſt, rapina eſt, ſacrilegium eſt*; in quam ſenſum loquitur etiam S. Laurentius Juſtinianus a Concina Theol. t. 2. p. 76. n. 18. relatus. Adde D. Raymundum de Pennafort in Summa lib. 2. tit. de rapt. & prædon. §. 8. & 9. aientem: *De meretricibus autem, & hiſtrionibus, de quibus quæſitum eſt, dico, Prælatos, & Clericos, qui res Eccleſiæ talibus, vel ſimilibus turpibus perſonis conferunt, vel etiam conſanguineis non propter naturam ſuſtentandam, ſed ut faciant eos divites de patrimonio Crucifixi, item divitibus, & potentibus non propter aliquam cauſam licitam, & honeſtam, ſed propter favorem ſæculi, & pompam; tales, inquam, Prælatos, & clericos, qui talibus conferunt bona eccleſiaſtica pauperibus debita, dico eſſe raptores, & per conſequens teneri ad reſtitutionem omnium*.

Hinc porro conſequitur eos quoque, in quos hujuſmodi ſacrilegæ rapinæ pervenerunt, reſtitutione teneri, contra ac perperam docet Buſ. ex contrario falſo principio jam refutato. Hinc S. Raym. ſubdit: *Sed quid de focariis, & hujuſmodi turpibus perſonis, & aliis ſupradictis*, (conſanguineis, & divitibus) *quæ ſic paſcuntur, vel ditantur de rebus Eccleſiæ? Numquid tenentur ad reſtitutionem? Utique*: quod confirmat ex D. Auguſt. (refertur cau. 14. q. 6. cap. 1.) *Si res aliena, propter quam peccatum eſt, cum reddi poſſit, non redditur, non agitur pœnitentia, ſed fingitur, ſi autem veraciter agitur, non remittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum; ſed, ut dixi, cum reſtitui poteſt*.

Ex his illud quoque fit, ut contra ac dixit Buſ. & La-Croix p. 118. n. 1358. mortale crimen a beneficiario admittatur, cum ea notabilis ſuperfluorum quantitas ex bonis eccleſiaſticis ab eo prodigitur, quæ in furto ad mortalem culpam ſatis eſt; quia reipſa furtum, ſeu rapinam committit, dum prodigit non ſuum; non ſecus ac œconomus res domini prodigens contra ejus voluntatem. Qua in re La-Croix ſibi contradicit, dum ait: „ Sive ſit ex juſtitia, ſive tantum ex religione obligatio expendendi fructus ſuperfluos in cauſas pias, DD. „ communiter fatentur, longe majorem materiam requiri pro gravi violatione præcepti non expendendi „ in uſus profanos, quam furto gravi, ut notat Illſ. „ t. 2. d. 3. n. 150. “ Si enim talis obligatio ex juſtitia oritur, uti reipſa ex dictis oritur, ſi prodigentia eccleſiaſtici proventus in uſus non pios, eſt rapina, ut eam appellant S. Bernardus, & S. Raym. citati, ratio evidenter dictat, in hujuſmodi prodigentia eam quantitatem ad mortale peccatum ſufficere, quæ ſufficit in furto. An quia beneficiariorum rapina ſacrilega eſt, majorem quantitatem ad letale crimen requirit, quam furtum rei profanæ? La-Croix vero non ſolum majorem, ſed longe majorem quantitatem requirit. Hæc eſt indoles probabilium, ut laxent habenas.

A N I M A D V E R S I O LVI.

In prophanos uſus expendi poſſunt a Clericis bona patrimonialia, &c. vivendo interim ex beneficiis.

Juvenin quidem, & Genett. Theor. t. 2. p. 198. qu. 12. huic ſententiæ repugnant; quam tamen tuetur Nat. Alex. Th. t. 1. p. 624. reg. 14. & SS. Patrum auctoritates, quas illi pro ſe afferunt, explicat.

S. Th. 2. 2. q. 185. a. 7. tertio loco ſibi objicit Div. Hieronymum aientem: *Clericos illos convenit ſtipendiis Eccleſiæ ſuſtentari, quibus parentum, & propinquorum bona nulla ſuffragantur: qui autem bonis parentum, & opibus propriis ſuſtentari poſſunt, ſi quod pauperum eſt, accipiunt, ſacrilegium committunt, & incurrunt*.

Huic objectioni S. Doct. ita reſpondet. *Ad tertium dicendum, quod non omnia bona Eccleſiarum ſunt pauperibus largienda; niſi forte in articulo neceſſitatis, in quo pro redemptione captivorum, & aliis neceſſitatibus pauperum etiam vaſa cultus divino dicata diſtrahuntur, ut Ambroſ. dicit: & in tali neceſſitate peccaret clericus, ſi vellet de rebus Eccleſiæ vivere, dummodo haberet patrimonialia bona, de quibus vivere poſſet*.

Buſ. Item quaſi patrimonialia, hoc eſt, quæ acquirunt quidem ut clerici, non tamen ut reditus beneficii, ſed ut ſtipendia &c.

Hic Buſ. loquens de clerico beneficiario, ponit tanquam certum, oblationes pro concionibus, exequiis funerum, officio defunctorum, adminiſtratione ſacramentorum, anniverſariis &c. quæ vulgo ſtolæ fructus dicuntur, non eſſe fructus beneficii; quod, licet a non paucis recentibus affirmetur, mihi tamen, qui eorum auctoritatem, ut par eſt, magni non facio, falſum videtur. Sicuti enim ſtola, ſeu ſtolæ officium beneficiarii, quatenus beneficiarius eſt, jus, & debitum eſt, ita ſtolæ fructus, ipſius beneficii fructus ſunt, incerti quidem, hoc eſt modo minores, modo majores, attamen beneficii fructus, non ſecus ac decimæ, & fructus agrorum &c. qui & ipſi quoad quantitatem incerti ſunt. Qua de cauſa decimæ, fructus agrorum, &c. Parochis

con-

Digitized by Google

concrediti ſunt, niſi ob concionem, catechiſmum, adminiſtrationem ſacramentorum, aliaſque hujuſmodi functiones a Parochis ex officio obeundas? An quia fideles præter decimas, fructus agrorum &c. aliqua inſuper offerunt Parochis concionantibus, ſacramenta adminiſtrantibus &c., hujuſmodi oblationes ad Parochos, ut Parochi ſunt, non deferuntur? Sunt ergo fructus beneficii, quia propter functiones beneficiarii proprias, & quatenus beneficiarius eſt, ipſi offeruntur. Hinc cap. *Inquirendum* decret. lib. 3. tit. 25. dicitur: *Inquirendum eſt, ſi quis Presbyterorum de reditibus Eccleſiæ, vel oblationibus, vel votis fidelium, alieno nomine res comparavit; quia ſicut nec ſuo, ita nec alieno Presbyter fraudem facere de facultatibus eccleſiaſticis debet: quoniam hoc ſacrilegium eſt, & par crimini Judæ furis, qui ſacras oblationes aſportabat, & furabatur.* Eccleſiaſticas facultates appellat non ſolum reditus Eccleſiæ, ſed oblationes, & vota fidelium beneficiariis collata, & ſacrilegum furtum eſſe, ait, hujuſmodi facultates in profanos uſus clam converti: at fructus ſtolæ ſunt oblationes, & vota fidelium beneficiariis collata: ergo &c.

Idem habet Alex. III. cap. *Quia nos* 9. dec. lib. 3. tit. 26. ubi ait: *Reſpondemus, quod licet Clerici de his, quæ paternæ ſucceſſionis, vel cognationis intuitu, aut de artificio* (cap. *Relatum* 12. hujus tit. additur *aut doctrina*) *ſunt adepti, ſeu dono conſanguineorum, aut amicorum non habito reſpectu ad Eccleſiam pervenerunt ad ipſos, libere diſponere valeant; de his tamen, quæ conſideratione Eccleſiæ perceperunt, nullum de jure poſſunt facere teſtamentum.* At ſtolæ fructus nec ex paterna ſucceſſione, vel cognatione, nec ex artificio, aut doctrina, nec ex dono conſanguineorum, aut amicorum, ſed conſideratione Eccleſiæ ad beneficiarios perveniunt: ergo nullum de his teſtamentum de jure facere poſſunt: ergo horum fructuum domini non ſunt; &, quod hinc neceſſario conſequitur, in uſus profanos eos convertere nequeunt.

At Anacl. t. 3. juris can. p. 345. tit. 25. n. 7. ita objicit: „ Fructus, ſeu reditus ſtolæ, Clericis etiam curatis non intuitu beneficii, ſed præciſe intuitu induſtriæ, ſeu laboris ſpiritualis præſtiti dantur tanquam ſtipendium, & merces abſque ullo tacito, aut expreſſo onere ſuperflua in cauſas pias erogandi. “ *Reſp.* Hoc ſcilicet ex arbitrio aſſeritur, rem involvit, & abſurda poſitione nititur. Ponit enim, reditus beneficii animarum curatoribus tribui ex jure ejuſdem beneficii ſibi collati ſine ſpirituali labore; cum tamen certum ſit, beneficiarios, niſi ſpiritualem laborem, & officium impendant, nullum in beneficii fructus jus habere. Diſtinguendi quidem ſunt labores, & opera Parochorum. Alia enim ſponte ab iis ſuſcipiuntur, nec ad eos, ut Parochi ſunt, ex officio pertinent, ut ſi honeſto artificio horis ſucciſivis vacent, vel docendi litteras, aut ſcientias munere fungantur; & horum operum ſtipendia, & lucra ad eos pleno jure pertinent: at labores, & opera, quæ ex officio ad eos ut Parochos ſpectat, nullum jus a beneficii jure diſtinctum, & ſeparatum iis tribuunt. Sicut enim hujuſmodi functiones jure parœciali obeunt, ita jure parœciali, non alio, earum fructus percipiunt. Porro functiones ſtolæ, ut exequiarum, adminiſtrationis baptiſmi, anniverſariorum &c. ad jus, & officium Parochi pertinent: ergo oblationes, quas earum intuitu percipiunt, beneficii fructus, ſeu portiones ſunt.

Itaque textus Luc. 10. *Dignus eſt enim operarius mercede ſua*, quem Anacletus in ſuæ opinionis confirmationem adducit, ad rem non facit. Non enim nos ſtolæ fructus Parochis ſubtrahimus, imo dicimus, eos ipſis eſſe tribuendos; ſed illud aſſerimus, eos eſſe fructus beneficii, quorum adminiſtrationem, non dominium Parochi habent.

Quamquam dum Anacletus ex hoc evangelico textu colligit, ſtolæ fructus, aut alios proventus eccleſiaſticos præciſe dari tanquam ſtipendium, & mercedem ſpiritualis laboris, verendum eſt, ne eo abutatur. Chriſtus enim eo loco ita inquit: *In eadem autem domo manete, edentes, & bibentes, quæ apud illos ſunt: dignus eſt enim operarius mercede ſua.* Itaque illud *mercede* idem ſonat, ac ſuſtentatione vitæ, juxta illud Ap. 1. ad Cor. 9. *Neſcitis, quoniam qui in ſacrario operantur, quæ de ſacrario ſunt, edunt, & qui altari deſerviunt, cum altari participant?* Hinc D. Auguſtinus laudatus a D. Thoma 2. 2. q. 100. art. 2. ait: *Accipiant ſuſtentationem neceſſitatis a populo, mercedem diſpenſationis a Deo.*

Si reditus ſtolæ, aut alii proventus darentur præciſe ut ſtipendium, & merces induſtriæ, ſeu laboris ſpiritualis, ſimonia admitteretur; quia hoc modo venderetur, & emeretur ſpiritualis labor.

Itaque idem Chriſtus Matth. 10. ait: *Gratis accepiſtis, gratis date.*

Quomodo hi duo textus Luc. 10. & Matth. 10. qui ſpecie tenus contrarii videntur, conciliari poſſunt, niſi eo modo, quo diximus, ut ſenſus ſit: pro ſpirituali labore nihil ut pretium, ſeu mercedem proprie dictam, vulgo *pagamenta* accipite; accipite autem aliquid, ut mercedem improprie, hoc eſt ut ſuſtentationem neceſſitatis?

Hæc eſt angelica D. Thom. doctrina art. 7. qu. 100. cit. ubi ait: *Vendere quod ſpirituale eſt in hujuſmodi actibus ſpiritualibus, aut emere, ſimoniacum eſt: ſed accipere, aut dare aliquid pro ſuſtentatione miniſtrantium ſpiritualia ſecundum ordinationem Eccleſiæ, & conſuetudinem approbatam, licitum eſt; ita tamen quod deſit intentio emptionis, & venditionis, & quod ab invitis non exigatur per ſpiritualium ſubtractionem, quæ ſunt exhibenda. Hoc enim haberet quamdam venditionis ſpeciem.*

At quid, inquis, de iis, quæ Clerici, qui Parochi non ſunt, acquirunt ut Clerici pro concione, Miſſa, adminiſtratione ſacramentorum &c.?

Reſp. De his dictum eſt l. 3. t. 1. c. 2. d. 3. art. 1. ea. 3. Ex iis autem, quæ ibi dicta ſunt, Clerici pro ſpiritualibus functionibus nihil accipere poſſunt, niſi titulo ſuſtentationis; quæ eſt conſtans doctrina S. Thomæ tum ibi, tum hic citati, & S. Auguſtini, quam confirmant oracula ſacræ Scripturæ mox citata; at Clerici non ſunt domini eorum, quæ titulo ſuſtentationis accipiunt, nec ea in uſus profanos expendere poſſunt; quia ceſſante titulo, ſeu ratione ſuſtentationis ceſſat jus ea accipiendi, & retinendi: ergo &c.

Hanc ſententiam tuetur Gen. Theol. t. 2. p. 196. qu. 25. eamque confirmat auctoritatibus SS. Thom. Auguſt. & Canonum jam hic allatis.

Falſum enim eſt, bona, quæ Clerici acquirunt ut Clerici, eſſe bona quaſi patrimonialia. Quæ enim acquirunt ut Clerici eccleſiaſtica bona dici debent, & ſunt; quia ea acquirunt conſideratione Eccleſiæ, ſeu eccleſiaſtici ſtatus. Hinc ſacri canones citati non tria, ſed duo tantum bonorum genera in Clericis agnoſcunt; hoc eſt ea, quæ titulo laicis communi acquirunt, quorum ſunt domini; & ea, quæ titulo clericali, ſeu intuitu Eccleſiæ, aut, quod idem eſt, eccleſiaſtici gradus comparant, quorum dominium non comparant.

Animadversio LVII.

Probabilius eſt, in profanos uſus poſſe expendi diſtributiones &c.

Hoc vero non probabilius, ſed falſum eſt tum ex hactenus dictis, tum quia diſtributiones inter beneficii reditus computandæ ſunt; quia Canonicis, aliiſque beneficiariis conferuntur, quatenus beneficiarii ſunt, ne ſuo muneri deſint. Nec enim quia a corpore beneficii ſeparatæ fuerunt, naturam redituum beneficii amiſere; cum in eas nullum jus habeant, niſi beneficiarii. Itaque opinatio Buſemb. non ſolum a Genetto Theol. t. 2. p. 194. q. 9. & a Concina Theol. t. 2. p. 105. n. 74. ſed etiam ab ipſo Anacleto alius citatore t. 3. juris can. p. 345. n. 9. rejicitur.

Animadversio LVIII.

Fructus, qui dantur ob capellaniam, vel vicariam non collativam, ſed &c. poſſunt expendi in uſus profanos, quia non ſunt fructus &c. ſed bona &c.

Hoc quoque ex dictis rejiciendum eſt, ſicuti rejicitur a Genetto loco modo cit. quia licet non ſint fructus beneficii, numerari tamen non debent inter bona quaſi patrimonialia, ſed inter bona eccleſiaſtica eccleſiaſticorum officiorum intuitu, & ſuſtentationis titulo acquiſita.

Animadversio LIX.

Probabiliter etiam penſionarius licite ſuam penſionem expendit in uſus profanos.

Hæc quoque probabilitas fucata eſt, & reipſa falſa. Nam penſionarius ſolo titulo ſuſtentationis, & pietatis penſionem recipit. Hinc Cœtus Card. & Præſulum a Paulo III. promotum, & Curiæ reformatione ſelectorum monuit, *nulla alia de cauſa, alioque jure penſiones conſtitui poſſe, niſi ut quaſdam eleemoſynas, quæ in pios uſus, & indigentibus concedi debent*, ut ſupra retuli hoc cap. dub. 2. art. 5. qu. 2. reſp. 2.

Penſiones enim nihil aliud ſunt, niſi portio fructuum beneficii; ideoque quod de beneficio dicitur, idem de penſionibus omnino dicendum eſt.

Summus quidem Pontifex extrahit penſionem ex reditibus beneficii, eamque dat beneficium non habenti; at quid inde? An ſummus Pontifex facultatem dat penſionario, ut partem fructuum beneficii ſibi aſſignatam in profanos uſus convertere poſſit? minime vero gentium. Hanc facultatem ſummus Pontifex nec dat, nec dare poteſt; quia ne ipſe quidem beneficiorum dominus eſt, ſed ſupremus diſpenſator tantum; ex quo fit, ut res Deo oblata in profanos uſus ne ipſe quidem convertere queat, multoque minus aliis facultatem dare, ut id faciant.

Ani-

Animadverſio LX.

Partem, quam Clericus parce vivendo ſibi ſervat &c. licite expendit in uſus profanos &c.

Buſ. in id ſuos conatus intendit, ut ſacros reditus in profanos convertat. Hac de re conſule dicta in Reſp. 1. hujus dub. Beneficiarius enim meminiſſe debet, ut totum beneficium, ſic partem ſuæ ſuſtentationi deſtinatam, eſſe rem Deo dicatam, & ſacram, quæ proinde in profanos uſus conferri nequit. Genett. Theol. c. 2. p. 192. qu. 8. hanc eſſe conſtantem, & perpetuam ſacrorum Canonum, & ſanctorum Patrum doctrinam, præclare affirmat, ut patet ex eorum auctoritatibus ſupra citatis.

Nam quod Buſ. ait: „ quia expenſa eſt jam ante in „ uſus pios, “ contradictorium eſt. Quod enim jam ante expenſum fuit, non amplius exiſtit, nec iterum expendi poteſt.

Animadverſio LXI.

Qui in uſum profanum a Clerico bona accipit &c. poteſt excuſari &c. ſi eum non induxit &c. neque per eam &c.

Si caſnum arbitri tanta vi homines a peccatis avocarent, quanta eorum peccata excuſant, præclare nobiſcum ageretur. At cum contra faciant, vix dici poteſt, quantam Eccleſiæ Dei perniciem inferant; qua de re Alex. VII. in proœm. prop. ab ipſo proſcriptarum.

Etiamſi donatarius in ſpecie a Buſ. propoſita Clericum non inducat ad ſibi donanda ſuperflua in uſum profanum, donationi tamen conſentit: porro donatio Clerici eſt ſacrilega rapina, quæ a lue ſacrilegii, & rapinæ non excuſatur ea adjecta conditione, ſi Clericus per eam non reddatur impotens ad ſuperflua expendenda in uſus pios. Hæc enim conditio contradictionem involvit. Quod enim Clericus jam expendit in uſus profanos, impoſſibile eſt ut in pios uſus expendat. An quod a Clerico expenſum jam fuit, penes ipſum nihilominus remanet? Quod ſi Clericus ex bonis laico titulo ſuis, poſſit ſacrilegam rapinam reparare, an ſacrilega rapina deſinit eſſe talis?

Ergo quocumque ſe vertat Buſ., ſemper certum eſt, laicum donatarium in ſpecie propoſita conſentire ſacrilegæ rapinæ, non ſecus ac ſi argenteam lampadem, aut quid ſimile e templo ereptum a ſacrilego fure acciperet, quia fur ex propriis bonis reſarcire damnum poteſt: at conſentire ſacrilegæ rapinæ, certum ſacrilegium eſt ex Ap. 1. Rom. 36. dicente: *Digni ſunt morte non ſolum qui ea faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus*: ergo &c. Si conſentire ſacrilegæ rapinæ, eam accipiendo, non eſſet peccatum, ne peccatum quidem eſſet ad illam inducere: at Buſ. negare non audet, inducentem Clericum ad donationem ſeu ſacrilegam deſcriptam rapinam peccare; Cur ergo accipientem, & conſentientem a peccato excuſare audet?

Animadverſio LXII.

Etſi enim, ubi conſuetudo invaluit, etiam in uſus profanos valide (Clerici) *teſtentur*, &c. *& ſequitur ex dictis.*

Idem habet La-Croix p. 118. n. 1359. 1360. ubi hac in re conſuetudini ſtandum eſſe, ait.

Ex dictis Reſp. 2. contra Buſ. ubi oſtendimus, Clericos non eſſe dominos proventuum eccleſiaſticorum, aperte conſequitur, Clericos in uſus profanos teſtantes non ſolum mortaliter peccare, ut Buſ. concedit, ſed invalide quoque teſtari. Quod ſi, ut oſtenſum eſt ca. 6. donationes profanæ bonorum eccleſiaſticorum ſunt invalidæ, an validæ erunt, ſi mortis cauſa fiant? *De his*, inquit Alex. III. ibi cit. *quæ conſideratione Eccleſiæ perceperunt*, (Clerici) *nullum de jure poſſunt facere teſtamentum*. Conſuetudo teſtandi de bonis Eccleſiæ, facultatem quidem impertire poteſt Clericis, ut ea in uſus pios poſt mortem & valide, & licite relinquant; quia ſicuti ipſorum viventium, ita morientium conſcientiæ, & fidei committitur eorum diſpenſatio: at ea conſuetudo nec dat, nec dare poteſt facultatem Clericis, ut rei alienæ, & Chriſti, ac pauperum patrimonii domini evadant.

Niſi tamen fecerit cum facultate Papæ, quæ licet &c.

Facultas teſtandi a ſummo Pontifice Clericis conceſſa, ubi teſtandi conſuetudo non viget, vim conſuetudinis ſupplet, efficitque, ut & valide, & ſine culpa in uſus pios teſtentur de bonis Eccleſiæ; at poteſtatem teſtandi in uſus profanos ſummus Pontifex nec dat, nec dare poteſt; quia ne ipſe quidem eccleſiaſticorum proventuum eſt dominus, ut jam oſtenſum ſupra eſt. Hinc Innoc. XII. conſtit. * *Romanum decet Pontificem*, inquit: *Eam ab ipſo pontificatus noſtri primordio ſervandam propoſuimus, & haſtenus Deo adjuvante ſervare ſtuduimus diſciplinam, ut in bonorum, & redituum ad hanc ſanctam Sedem, & Cameram noſtram apoſtolicam ſpectantium diſtributione, juſtitiæ, & prudentiæ leges, & regulas cuſtodientes, ſummam meritorum, nullam autem carnis, & ſanguinis, aut cujuſcumque humani affectus rationem haberimus*. Qui de ſuo dant, juſtitiæ lege & regula opus non habent, ſed ſolum prudentiæ; quia de ſuo dantes, contra juſtitiam peccare non poſſunt, ſed ſolum contra alias virtutes; at Innoc. XII. agnoſcit neceſſitatem cuſtodiendæ juſtitiæ in diſtributione bonorum ad apoſtolicam Sedem & Cameram pertinentium: ergo aperte fatetur, ſe eorum dominum non eſſe. Idem porro, aut multo magis dicendum de bonis, & proventibus aliarum Eccleſiarum. Itaque ſi ſummi Pontifices beneficiariis facultatem concedant teſtandi in conſanguineorum favorem; aut hæ conceſſiones pietatis, & miſericordiæ titulo nituntur, & legitimæ ſunt; aut, niſi eo titulo nitantur, mendacio, vel importunitate extortæ, nihil roboris quoad valorem in conſcientiæ foro obtinent.

Animadverſio LXIII.

Clericos &c. quoad habitum obligari &c.

Hic Buſ. ponere videtur, Clericos minorum ordinum non beneficiarios, lege deferendi habitum clericalem, & tonſuram non teneri, quod La-Croix p. 128. n. 1371. expreſſe concedit, loquendo de gravi obligatione, *niſi frui velint privilegiis Clericorum; quia de his non loquitur. Trident.*

Hanc opinionem Anacl. t. 3. juris can. p. 10. reſp. 3. n. 69. communem eſſe, ait; quam tamen Nat. Alexander Theol. t. 1. p. 613. reg. 1. & Genettus Theol. c. 5. p. 60. q. 7. jure improbant, & refutant. Concilium enim Carthag. 4. diſt. 26. cap. 8. ſine ulla exceptione inquit: *Clericus profeſſionem ſuam & habitu, & inceſſu probet; & ideo nec veſtibus, nec calceamentis decorem quærat*. Et Syn. Trid. ſeſſ. 14. cap. 6. de ref. ait: *Quoniam vero, etſi habitus non facit monachum, oportet tamen Clericos, veſtes proprio congruentes ordini ſemper deferre, ut per decentiam habitus extrinſeci, morum honeſtatem intrinſecam oſtendant*. An Trid. de minoribus Clericis non loquitur, cum ſine ulla diſtinctione dicat, *oportet tamen Clericos &c.*? Ipſum naturæ lumen dictat, Clericos quoſcumque a ſæculo ſeparatos, & in ſortem Domini vocatos ut morum honeſtate, ita habitu modeſto, ſuoque ſtatui congruente a ſæculi hominibus eſſe diſcernendos. Qui ſecus ſe gerunt, a ſua vocatione deſciſcunt, indignoſque ſe præbent, qui ad majores ordines promoveantur, aut quodcumque beneficium obtineant; quod ſane multæ Synodi a Genetto relatæ conſtituunt. Hinc Clemens V. in Concilio Viennenſi (Cap. *Quoniam* tit. 1. lib. 3. Clement.) ita loquitur: *Quoniam qui abjectis veſtibus proprio congruentibus ordini, alias ſumere, & in publico portare rationabili cauſa ceſſante præſumit, profeſſorum illius ordinis prærogativa ſe reddit indignum* &c. Hæc porro verba aperte declarant, minores quoque Clericos ſubditos eſſe legi deferendi habitum clericalem, & tonſuram; quia habitus clericalis, & tonſura ſunt veſtis eorum ordini congruens. Hinc idem Clemens in eadem conſtit. eoſdem minores Clericos virgata, vel partita veſte publice ſine rationabili cauſa utentes, ac ſimul tonſuram deferentes, (ſi enim hanc quoque abjiciant, ad ſæculum ſe remeaſſe oſtendunt, quod Eccleſia iis non interdicit) quo tempore tali habitu utuntur, inhabiles ad eccleſiaſticum beneficium obtinendum ipſo facto reddit; quam conſtitutionem innovat Syn. Trid. loco mox cit. Ex quibus manifeſtum eſt, Anacletum aperte decipi, dum ait, Clementinam citatam, & Synodum Trid. expreſſe loqui de Clericis in ſacris conſtitutis, aut beneficium obtinentibus. Qui tum Clementinam citatam, tum Synodum Trid. attente legerint, Anacleti, & La-Croix aberrationem perſpicue deprehendent. Nam dum La-Croix minores Clericos a gravi obligatione deferendi habitum clericalem, & tonſuram eximit, ſi frui nolint privilegiis Clericorum, id verum eſt, eo ſenſu, ſi Clerici eſſe nolint, ſeu ſi clericalem ſtatum abjiciant. Nam dum ſacri Canones minores Clericos clericali veſte non utentes, Clericorum privilegiis privant, gravem eorum obligationem deferendi clericalem habitum indicant, quamdiu Clerici eſſe volunt.

Animadverſio LXIV.

Quoad artes prohibentur ... Item medicorum, aut chirurgorum, ubi opus eſt inciſione, aut aduſtione.

At ſi inciſione, aut aduſtione opus non ſit, ſunt ne Clericis permiſſæ?

Cap.

* Eam refert Genett in calce t. 2. Theol.

Digitized by Google

Cap. *Tua nos* 19. tit. 2. lib. 5. dec. Monachus Sacerdos, qui tumorem gutturis mulieris ferro aperuerat, reprehenditur, non præciſe quia inciſionem adhibuit, ſed quia officium alienum ſibi non congruens uſurpavit. *Reſpondemus*, inquit Innoc. III. *quod licet ipſe Monachus multum deliquerit, officium alienum uſurpando, quod ſibi minime congruebat; ſi tamen* &c.

Hinc cap. *Clerici* 15. tit. 1. lib. 5. dec. idem Innoc. III. ait. *Clerici officia, vel commercia ſæcularia non exerceant, maxime inhoneſta*: at ars medica, & chirurgica, ſeu urat, aut ſecet, ſeu non, eſt ſæculare officium. Ergo. Nam perinde eſt, ſeu inciſio aut aduſtio adhibeatur, ſeu non; nec ulla ratio aſſignari poteſt, cur medicina, & chirurgia cum inciſione, aut aduſtione conjunctæ Clericis vetentur, ſine inciſione autem, & aduſtione permittantur.

Abſolute autem, & ſine limitatione prohibentur, quia ſunt ſæcularia officia, quæ Clericos divinis addictos non decent; maxime quia, cum prædictæ artes ſtudio, & exercitatione totum hominem occupent, a ſpiritualibus officiis animum valde diſtrahunt; &, cum in corporu morbis curandis vertentur, ab animorum ægritudinibus ſanandis; quod eſt Clericorum proprium officium, hominem abducunt. Quare D. Carolus Bor. Conc. 1. Med. cap. 2. Clericis aut ſacris initiatis, aut Eccleſiæ beneficia obtinentibus illud inter alia abſolute, & ſine ulla reſtrictione interdicit, *ne artem medendi faciant*. Hanc ſententiam ipſe Anacletus t. 3. juris can. p. 662. n. 16, licet ad indulgendum pronus, tuetur.

Bened. vero XIV. lib. XIII. de Syn. cap. X. n. 5. poſtquam oſtendit, medicæ artis exercitationem iis, qui ſacris ordinibus initiati eſſent, juxta veterem diſciplinam interdictam non fuiſſe, ſubdit. „ Verum quia ſubinde Eccleſia juſtis ac urgentibus de cauſis interdicendum cenſuit monachis, ac majorum ordinum Clericis medicæ artis exercitium, uti videre eſt can. 6. Concilii Rhemenſis habiti ſub Innoc. II. anno 1131., & can. 9. Concilii Lat. eodem ſedente Pontifice celebrati an. 1139. in coll. Labeana t. 10. col. 984., & col. 1004., hæcque diſciplina conſtabilita fuit ab Alex. III. in cap. *Non magnopere*, & ab Honorio III. in cap. *Super ſpecula, ne Clerici, vel Monachi*, ac deinceps protracta, & ampliata fuit ad Clericos quoque minoribus tantum Ordinibus initiatos, ſed Eccleſiaſticum beneficium poſſidentes; hinc ſequitur, neceſſarium nunc eſſe his omnibus apoſtolicum indultum, ut medendi artem valeant exercere. “

Niſi, ut habet Nav. erga pauperes, aut propinquos, aut in neceſſitate.

Buſemb. more ſuo rem nimis laxat. Anacletus loco mox cit. ex Sanch. Pirihing, Barb Mol. Bonac. & aliis permittit, ut Clericus urgente neceſſitate, & ceſſante periculo mortis chirurgiam, aut medicinam exerceat ex caritate erga miſerabiles perſonas, cum alii medici, aut chirurgi deſunt, vel minus idonei ſunt. Quando autem periti haberi poſſunt, ne cauſa quidem pietatis id Clericis licebit, Ita Anacletus cautius, & rationabilius.

Animadverſio LXV.

Reſp. 3. Quoad officia, prohibetur (ſi ſint beneficiati, vel initiati ſacris) officium Judicis &c. Advocatorum &c.

Sicut Clerici minores, clericales veſtes ex dictis deferre tenentur, ita ab officiis ſæcularibus a Buſemb. hic deſcriptis abſtinere debent ex Ap. 2. ad Tim. 2. dicente: *Nemo militans Deo* (An Clerici minores, Deo non militant?) *implicat ſe negotiis ſæcularibus, ut ei placeat, cui ſe probavit*. Hinc ſacri canones Clericis indefinite, hoc eſt omnibus, ſæcularia officia interdicunt, ut c. *Clerici* mox cit. in Reſp. 2. An officia a Buſemb. deſcripta ſæcularia non ſunt? Quare cap. *Pervenit* 26. diſt. 86. quod eſt Concilii Chalcedonenſis, dicitur: *Pervenit ad ſanctam Synodum, quia de iis, qui in Clero connumerantur* (minores Clerici in Clero certe connumerantur) *quidam propter turpis lucri gratiam alienarum poſſeſſionum conductiones, & cauſas ſæculares* (Judicum, advocatorum &c.) *ſuſcipiunt; & a ſacris quidem officiis ſe per deſidiam ſeparant, ad domos autem ſæcularium concurrunt, & ſubſtantiarum eorum gubernationes avaritiæ cauſa ſuſcipiant. Decrevit ergo ſancta, & magna Synodus, neminem horum deinceps, hoc eſt Epiſcopum, ſive Clericum, aut Monachum conducere poſſeſſiones, aut miſceri ſæcularibus procurationibus* (uti ſunt officia a Buſ. deſcripta) *niſi forte qui legibus ad minorum ætatum tutelas, ſive curationes inexcuſabiles attrahuntur, aut cui Civitatis ipſius Epiſcopus eccleſiaſticarum commiſerit gubernacula, & orphanorum, ac viduarum, quæ indefenſæ ſunt, & earum perſonarum, quæ maxime eccleſiaſtico indigent adminiculo, propter timorem Dei. Si quis vero tranſgreſſus fuerit hæc præcepta, correctioni eccleſiaſticæ ſubjaceat.*

Quod addo, quin in ſpecialibus quibuſdam caſibus hæc liceat, v. gr. advocare pro perſonis conjunctis.

Id non licet, niſi perſonæ conjunctæ miſerabiles ſint, quæ maxime eccleſiaſtico indigent adminiculo, idque de licentia Epiſcopi, ut patet ex mox cit. verbis Concilii Chalced.

At notat conſuetudine inductum eſſe, ut officio Cancellarii &c. fungi poſſint in cauſis civilibus.

Laym. l. 3. tr. 5. p. 5. c. 8. n. 5. ita inquit: „ Neque item in ſpecie prohibitum reperitur, ſed potius per Eccleſiæ conſuetudinem conceſſum, ut perſonæ eccleſiaſticæ in Principum etiam ſæcularium Curiis fungi poſſint officio Conſiliarii, Cancellarii, imo etiam Judicis in cauſis civilibus, ut monet Abb. in c. *Clericis* &c.

Etiamſi hæc officia perſonis eccleſiaſticis in ſpecie vetita non fuiſſent, certum tamen eſt, ex ſacris canonibus mox citatis, ea fuiſſe ipſis in genere vetita; quia ſunt ſæcularia negotia, & ſæculares procurationes. An quæ ſacri canones eccleſiaſticis in genere prohibent, ea ipſis in ſpecie permiſerunt? Præterea Innoc. III. c. *Sicut* 8. tit. 50. lib. 3. Dec. inquit: *Frat. tuæ mandamus, quatenus Clericis in ſacris ordinibus conſtitutis tabellionatus officium* (hoc Cancellarii, qui eſt magiſtratus tabellio, officium includit) *per beneficiorum ſubtractionem appellatione poſtpoſita interdicas*; & c. 5. *Clericis* tit. 50. hic cit. Alex. VII. ait: *Jubemus etiam ſub interminatione anathematis, ne quis Sacerdos officium habeat Vicecomitis, aut Præpoſiti ſæcularis.*

Contrarius aliquorum uſus non eſt legitimus, ſed corruptus, & malus. Syn. quippe Trid. ſeſſ. 22. cap. 1. de refor. *ſtatuit, ut quæ alias a ſummis Pontificibus, & a ſacris Conciliis de Clericorum vita, honeſtate, cultu, doctrinaque retinenda, ac ſimul de luxu, comeſſationibus, choreis, aleis, luſibus, ac quibuſcumque criminibus, nec non ſæcularibus* (hoc nota ad rem noſtram) *negotiis fugiendis copioſe, ac ſalubriter ſancita fuerant, eadem in poſterum iiſdem pœnis, vel majoribus arbitrio Ordinarii imponendis obſerventur; nec appellatio executionem hanc, quæ ad morum correctionem pertinet, ſuſpendat. Si qua vero ex his in deſuetudinem abiiſſe compererint, ea quamprimum in uſum revocari, & ab omnibus cuſtodiri ſtudeant, non obſtantibus conſuetudinibus quibuſcumque, ne ſubditorum neglectæ emendationis ipſi condignas, Deo vindice, pœnas perſolvant.* Sacra Syn. præcipit obſervari quæ ſacri Canones tum quoad alia, tum quoad ſæcularia negotia a Clericis vitanda ſanxerunt: quorum obſervantiam non tam ad jus poſitivum humanum, quam ad jus naturæ, & divinum pertinere innuit, dum inobſervantiæ cohibitio, & punitio ad morum correctionem ſpectare ait; ideoque contrarios uſus non tolerat, ſed aboleri vult; idque Epiſcopis inculcat, ne ipſi pœnas pro neglecta ſubditorum emendatione, Deo vindice, perſolvant. Si Epiſcopi negligentes emendationem Clericorum, qui ſæculi negotiis, & procurationibus, Cancellariorum, & Judicum officiis in curiis ſæcularibus fungentes implicantur, peccant teſte Synodo Tridentina, an ipſi Clerici hæc officia peragentes, a culpa immunes ſunt? Repetenda hic eſt divina illa lex a D. Paulo promulgata: *Nemo militans Deo, implicat ſe negotiis ſæcularibus, ut ei placeat, cui ſe probavit*: at officium Cancellarii, & Judicis civilium cauſarum in curiis ſæcularibus, eſt ſine controverſia negotium ſæculare: ergo Clericis divina lege vetitum eſt: ergo nulla contraria conſuetudine licere poteſt.

Ipſo naturæ jure valde dedecet, Chriſti miniſtros fieri miniſtros ſæcularium Principum, quorum ſunt patres, & magiſtri teſte Greg. VII. c. 9. *Quis dubitet* diſt. 96. & ad litium, ac negotiorum ſæculi adminiſtrationem animos, & curas eos convertere, qui ſe Eccleſiæ, animarum ſaluti, & Dei cultui addixere. Ergo nulla conſuetudo efficere poteſt, ut Clerici poſſint eſſe ſine culpa Cancellarii, & Judices in curiis ſæcularibus.

Quod autem ad conſiliarii officium attinet, utinam ſæculi Principes nihil unquam facerent ſine Sacerdotum divinæ, & eccleſiaſticæ legis peritorum, animarumque ſalutis, non aulicæ gratiæ ſollicitorum conſilio, ab iiſque in tributis, legibus, bellis, fœderibus, aliiſque diligenter exquirerent, quid liceat, quid non liceat, neque ab eorum conſiliis unquam diſcederent. Hæc conſilia præbere nec divina, nec eccleſiaſtica lex Sacerdotibus interdicit, ſed illud iis vetat, ut mala, aut ſæcularia conſilia Principibus ſuggerant.

Animadverſio LXVI.

Reſp. 4. Quoad actiones prohibentur arma portare, niſi in itinere.

Cap. *Clerici* 2. tit. 1. lib. 3. Dec. ita ſtatuitur: *Clerici arma portantes, & uſurarii excommunicentur.* Ex quo infertur, peccatum Clericorum arma geſtantium eſſe mortale. *Quia*, cap. *Nemo Epiſcoporum* 41. q. 3. cau. 11. *anathema eſt æternæ mortis damnatio, & nonniſi pro mortali debet imponi crimine, & illi, qui aliter non potuerit*

Digitized by Google

erit corrigi. Ubinam a lege tam gravi excipiuntur Clerici iter agentes? *Neceſſitas* quidem, ut ait D. Thom., & cum eo omnes, *non ſubditur legi*: at ordinarie loquendo nulla neceſſitas eſt, ut Clerici in itinere arma deferant: ergo nulla ratio eſt, cur Clerici ordinarie loquendo arma in itinere deferre permittantur. Anacletus t. 3. juris can. p. 17. num. 123. opponit conſuetudinem. At Syn. Trident. mox cit. ſtatuit, ut quæ antiqui Canones de vita, honeſtate, & cultu Clericorum conſtituere, in uſum revocentur, & ab omnibus obſerventur non obſtantibus quibuſcumque conſuetudinibus; & S. Antoninus a Nat. Alex. Theol. t. 2. p. 424. reg. 31. citatus ait, quod Clericos non excuſat conſuetudo patriæ, ut contra decorem, & modeſtiam ſtatus clericalis multa faciant, quæ canonibus prohibentur ext. de vita, & honeſtate Clericorum.

Venationi clamoſæ vacare (quod addo, quia venatio ſine ſtrepitu, recreationis cauſa permittitur.)

Ex La-Croix p. 122. num. 1375. Clericis interdicta *intelligitur venatio, quæ ab ipſis cum magno clamore, & ſcandalo exercetur ... Addunt*, inquit, *Suar., Sa, Caſtrop. t. 16. d. 4. p. 13. § 5. etiam a veniali excuſari, ſi venatio ſit rara, & moderata, & ad reficiendas vires. Putant etiam Lugo, Diana, Dicaſt. quietam venationem cum retibus, laqueis, paucisque canibus non eſſe prohibitam eccleſiaſticis.*

Synod. Trident. ſeſſ. 24. cap. 12. de refor. præcipit, ut Canonici *ab illicitis venationibus, & aucupiis abſtineant*. Unde colligitur, quaſdam venationes, & aucupia Clericis eſſe illicita, quædam eſſe permiſſa. Venationes, & aucupia, quæ cum canibus, accipitribus, aut aliis ſimilibus feris avibus fiunt, Clericis vetita ſunt, ut clare colligitur ex cap. 1. & 2. tit. 24. lib. 5. Decret. de Clerico venatore; multoque magis ſi Clerici armis, quæ iis ſpecialiter prohibentur, utantur. Cap. enim 1. cit. dicitur: *Epiſcopum, Presbyterum, aut Diaconum, canes, aut accipitres, aut hujuſmodi ad venandum habere non licet. Quod ſi quis talium perſonarum in hac voluptate ſæpius detentus fuerit, ſi Epiſcopus eſt, tribus menſibus a communione; ſi Presbyter, duobus; ſi Diaconus, ab omni officio ſuſpendatur*. Hujuſmodi ergo venationes prohibitæ ſunt, nec permiſſæ, etiamſi raro fiant; quia Syn. Trident. cit. renovat antiquos Canones circa vitam, & honeſtatem Clericorum non obſtantibus quibuſcomque conſuetudinibus. Aucupia vero, quæ ſine armis, canibus, accipitribus, aliiſque rapacibus & feris avibus fiunt, ſunt permiſſa.

Cajet. tamen v. Clericus contra Ang., & Nav. docet, horum, & ſimilium tranſgreſſionem non eſſe mortalem, ſi abſit temeritas &c. *nec refert, quod tranſgreſſor ſit excommunicandus, quia* &c *quod tamen* &c.

Buſemb. more ſuo varias, & diſcrepantes opiniones colligit, ut quiſque eas ſeligat, quæ ſibi commodiores videntur; quæ ſane de moribus diſputandi ratio noſtræ corruptæ naturæ congruit, at animæ ſaluti noxia eſt.

Quæſtiones, utrum culpa ſit letalis, an venialis, lubricæ eſſe ſolent. Si tamen ex contrariis opinionibus dubium oriatur de gravitate culpæ, mortale crimen eſt cum tali dubio operari; neque dubii depoſitio excuſat, ſi ex iis momentis, unde oritur, dubium deponatur; quia in hac hypotheſi dubii depoſitio temeraria eſt. Illud ex arbitrio Buſemb. affirmat, aut ponit, tranſgreſſorem legis aliquid ſub excommunicatione ferendæ ſententiæ Clerico prohibentis mortaliter non peccare. Contrarium aperte colligitur ex cap. *Nemo Epiſcoporum* mox citato in hac reſp. ubi ſermo eſt de excommunicatione ferendæ ſententiæ, hoc eſt non infligenda, *niſi illi, qui aliter non potuerit corrigi; attamen nonniſi pro mortali debet imponi crimine*. Porro hæc graviſſima pœna Clericis comam relaxantibus cap. *Si quis* 4. tit. 1. lib. 3. Decr. imponitur. *Si quis*, inquit, *ex Clericis comam relaxaverit, anathema ſit*: ergo comæ relaxatio, mortalis culpa eſt: quod tamen ea moderatione accipio, ſi relaxatio comæ ſit notabilis exceſſus ultra modum, & morem benemoratorum, & piorum Clericorum.

Porro, ut de armorum delatione, de qua mox dictum eſt, ſileam, aleatum, & taxillorum ludus, qui etiam laicis vetitus eſt, tabernarum ingreſſus, præſertim frequens, negotiatio, de qua conſule dicta lib. 3. t. 5. c. 3. dub. 8. art. a conhabitatio, cum ſuſpectis mulieribus graviores in Clericis culpæ merito haberi poſſunt, quam comæ relaxatio, aut incongrui habitus geſtatio. Itaque miſſis probabilibus opinationibus, unde veritas, quam ne ipſi quidem quærunt, erui nequit, ſacræ leges accurate obſervandæ ſunt; quas ſi Clerici quandoque violent, ſuarum culparum excuſationes a recenti doctrina ne aucupentur cum animarum periculo, ſed eas ſincero, ac dolenti animo confiteantur cum firmo propoſito obſervandi in poſterum ſacros Canones.

CAPUT III.

De ſtatu, & officio perſonarum ſæcularium quarundam, præſertim judicialium.

DUBIUM I.

Quæ requirantur ad legitimum judicium?

Reſpond. Hæc tria. Primum eſt juriſdictio, ſine qua ſententia nulla eſt, & peccatur mortaliter, ut ex D. Thom. 2. 2. q. 60. habet communis. Quare peccat Judex ſæcularis, ſi perſonas, aut cauſas mere eccleſiaſticas ad ſe trahat: uti & Eccleſiaſticus, ſi mere civiles, niſi forte per accidens, ob defectum juſtitiæ in foro ſæculari, aut niſi ſint cauſæ miſerabilium perſonarum. Porro, quæ cauſæ dicantur mere civiles, quæ eccleſiaſticæ, & quæ mixtæ, noſſe oportet judices, & juriſperitos, poteſtque videri apud Laymann *l.* 4. *c.* 2. Card. de Lugo *d.* 17. *ſ.* 3.

Secundum, Rectus proceſſus, v. gr. ut citetur reus, & audiatur, &c. Niſi forte expediat aliquando, cum delicta ſunt atrocia, in flagranti crimine deprehenſos ſubito plectere, vel in criminibus exceptis communem procedendi modum mutare: nam judici ſupremo, (dummodo crimen ſit publicum) aliquando licere, ſine citatione, defenſione, & omni proceſſu, reum morti adjudicare, eo quod factum notorium, & publicum, ſit loco accuſatorum, & teſtium, neque reo jus defendendi ſe in judicio relinquat, docent Navar. *c.* 2. *num.* 10. Leſſ. Fill. Bon. *d.* 10. *in præcp. q.* 2. *p.* 2. *num.* 5. Vide etiam Card. Lugo *d.* 37. *ſ.* 5. Trull. *l.* 8. *c.* 1. *d.* 13. Ubi tamen bene notandum, quod, etſi talia crimina excipiantur a communi diſpoſitione legis poſitivæ, & juris communis, non tamen legis, ſeu juris naturæ: ideoque graviter peccare Judicem, qui in tali proceſſu, v. gr. contra Sagas, quidvis licere putat. V. Cautionem criminalem *c.* 17. 18. 37. *& ſeq.*

Tertium, Recta intentio, ut ſcilicet procedatur ex intentione juſtitiæ. Unde ſi judex procedat ex odio, aliove fine malo, ver. gr. ob inanem gloriam, peccabit, non quidem contra juſtitiam, ſed caritatem, aliamve virtutem, mortaliter, aut venialiter, prout finis illius mortalis, aut venialis erit. Bon. *d.* 10. *q.* 2. *p.* 3.

DUBIUM II.

De poteſtate, & officio Judicis.

ARTICULUS I.

Quid requiratur in Judice?

Reſp. 1. Præter tria dicta ſuperiore dubio, requiritur ſcientia, qua ſciat ſuo munere recte fungi. Ita commun. Doct. & Bonac. *d.* 10. *q.* 2. *p.* 3. Ratio eſt, quia quilibet tenetur ſcire ea, quæ pertinent ad proprium officium, & ſine quorum cognitione munus ſuum, & officium exercere non poteſt.

Unde reſolvuntur ſequentes caſus.

1. Petens, aut ſuſcipiens officium Judicis, *idem eſt de Medico, & Chirurgo*, ut v. ſupra *d* 7. quo indignus eſt, ut probabile ſit, inde notabile damnum proximi ſecuturum, peccat mortaliter. Nav. *c.* 25. S. Anton. C. de Lugo *d.* 37. *n.* 1.

2. *Judex carens neceſſaria ſcientia non debet abſolvi, niſi facta renunciatione officii, vel niſi firmum habeat* ANIMAD. I.
propoſitum renuntiandi. Ita S. Thom. 2. 2. *qu.* 66. *n.* 2. Caje. Clavis reg. *l.* 12. *c.* 13. *n.* 2. Regin. *d.* 25. *n.* 675. Nav. *c.* 25. Farin. 3. *p. q.* 3. *a.* 16. Ratio eſt, quia nullus poteſt officium, cujus munia obire non poteſt, retinere, præſertim cum damno, vel periculo proximi.

3. *Si Judex ex magna imperitia male judicet, tenetur ad intereſſe parti læſæ, & ad expenſas litis*; ANIMAD. II.
uti etiam, quotieſcunque notabile damnum, ſive in ſubſtantia litis, ſive in ſuperfluis expenſis, propter ejus culpabilem ignorantiam, partibus litigantibus accidit. Bonac. Card. Lugo *ll. cc.*

4. *Si*

Digitized by Google

ANIMAD. III. 4. *Si Judex agnoſcat, errorem a ſe (etſi ſine gravi culpa) commiſſum in præjudicium litigantis, tenetur*, ſi poteſt citra infamiam, impedire errorem, v. g. monendo occulte partem læſam, ut ſibi appellatione, vel aliter conſulat. Quia id pertinet ad debitam muneris executionem. Card. de Lugo *l. c. n.* 3.

Reſp. 2. Judex tenetur cauſas judicare, & celeriter expedire, quia ex officio tenetur cuique tribuere ſuum. Quod non facit, ſi ſententiam ſine juſta cauſa differt.

Unde reſolvuntur ſequentes caſus.

ANIMAD. IV. 1. *Judex mortaliter peccat contra officium ſuum differendo valde notabiliter cauſarum expeditionem, ſine juſta cauſa*. Sylv. v. *Judex*, *q.* 12. Clavis Reg. *c.* 12. *n.* 8. Nav. *c.* 25. *n.* 14. &c. cum Bon. *d.* 10. *q.* 2. *p.* 3.

2. In caſu dicto, idem Judex tenetur parti læſæ damna, & expenſas, quæ ex iniqua dilatione ſecutæ ſunt, reſtituere; quia eſt earum injuſta cauſa. *ibid.* Auct. *ll. cc.*

3. Si Judex in exequenda cauſa, & proferenda ſententia negligens, aut iniquus ſit, non tantum parti læſæ, ſed interdum etiam fiſco tenetur; v. g. ſi mulctam pecuniariam, quam ex conſuetudine, vel lege communi debebat imponere reo, ſine cauſa remiſit. S. Th. 2. 2. *q.* 67. *a.* 4. *ad* 3. Sylv. v. *pœna q.* 18. Sal. Laym. *l.* 3. *t.* 2. *c.* 5. *n.* 7. contra Azor.

ARTICULUS II.

Quid Judici ſervandum circa inquiſitionem?

Tribus modis procedi poteſt contra criminoſos. 1. Via accuſationis, cum eſt aliquis actor, qui ſpondet, ſe objecta probaturum. 2. Via denunciationis, cum deferens crimen non vult ſuſcipere onus probandi. 3. Via inquiſitionis, quæ eſt triplex 1. Generalis, quando in genere quæritur, an leges ſerventur. 2. Specialis, quando de certa perſona, & certo crimine quæritur. 3. Mixta, quando vel ſola perſona, vel crimen ſolum eſt ſpeciale, ut ſi quæratur, quis Cajum occiderit.

Reſp. 1. Judex ſine ulla data occaſione, ex ſolo officio ſuo, poteſt inſtituere inquiſitionem generalem: in qua tamen ejus poteſtas non extendit ſe ad occulta elicienda, de quibus nulla eſt fama. Ratio prioris eſt, quia id neceſſarium eſt Reip. nec cuiquam fit injuria. Ac, licet quorundam ſcelera detegantur, id fit per accidens, præter intentionem; ANIMAD. V. cui incommodo bonum commune prævalet. *Ratio poſterioris eſt, quia inde maxima ſequerentur incommoda*. (*a*) Farinac. Leſſ. *l.* 2. *c.* 28. *d.* 13.

Unde reſolves.

ANIMAD. VI. 1. *In hac inquiſitione ſubditus etiam rogatus ſub juramento, non tenetur, imo nec poteſt prodere criminoſum occultum*. Laym. *l.* 3. *t.* 6. *c.* 4. Leſſ. *l. c.*

ANIMAD. VII. 2. *Si talem revelet, peccat contra juſtitiam* (*niſi forte cederet non tam in pœnam*, quam certam ejus, qui deliquit, emendationem, *vel ad grave malum ab aliis avertendum*) cum enim crimen, ut ponitur, probari non poſſit, ac proinde ex ejus revelatione non poſſit aliud ſequi, quam infamia, nullum habet jus revelandi. Laym *ibid.* & *t.* 3. *p.* 2. *c.* 4.

3. Si in hac inquiſitione ex revelatione duorum, vel trium deprehendatur alicujus criminis auctor, *poteſt per tales teſtes contra illum procedi*, (*b*) ut habet praxis communis. Lay *l.* 3. *t.* 3. *p.* 2. *c.* 4. *n.* 12.

Reſp. 2. Quando crimen eſt manifeſtum, & ignoratur auctor, licet Judici quærere in genere, quis fecerit, non tamen in particulari, verbi gratia, an Petrus fecerit, niſi infamia aliqua, aut indicia præceſſerint. Pars prior patet tum ex praxi Judicum, tum ex incommodis contrarii. Ratio poſterioris patebit ex ſequentibus. Vid. Bonac. *d.* 10. *n.* 8. *præcept. q.* 3. *p.* 5.

Reſp. 3. Ut Judex faciat inquiſitionem ſpecialem, debet ſaltem regulariter præcedere infamia, vel quid æquipollens, quod juſtam det cauſam. Ratio eſt, tum quia alioqui diffamaret ſine cauſa, tum quia Judex procedere debet ex ſcientia publica, quam non habet, niſi per accuſationem, vel confeſſionem rei, vel evidentiam facti, vel per infamiam; ad quam non ſufficiunt duo teſtes, qui jurent ſe vidiſſe crimen admitti, quia adhuc eſt occultum: ſed requiritur, ut rumor ſit ſparſus per majorem partem communitatis, id eſt, civitatis, viciniæ, vel monaſterii, neque a maledicis ſit exortus; etſi hac in re totum ſit ſequi praxim communem bonorum virorum, & Rerumpub. ut habet Lay. *l. c.* & Leſſ. *d.* 15. *n.* 19. ex aliis. Bon. *l. c.*

Unde reſolves caſus.

1. Antequam Judex procedat ad inquiſitionem ſpecialem vi infamiæ, (*c*) *ipſa infamia prius examinari debet*, & probari per teſtes, ſaltem per duos; qui nominent perſonas, a quibus id publice audiverint. Navar. Rub. *de jud.* Trull. *l.* 8. *c.* 5. *d.* 17.

2. Judex infamatum de uno crimine, verbi gratia adulterio, non poteſt interrogare de alio, de quo non eſt infamatus, ver. gr. furto; quia eſſet inquiſitio ſpecialis ſine prævia infamia. Salon. Cajet. Trull. *l.* 8. *c.* 1. *d.* 18. niſi tamen crimina ſint connexa, vel unum ſit circumſtantia alterius. *ibid.* & Sanch. 2. *p. conſ. l.* 6. *c.* 3. *d.* 21.

Dixi in reſp. *Regulariter*; quia ad ſpecialem inquiſitionem non requiritur infamia prævia in caſibus certis, quos v. apud Leſſ. *l.* 2. *c.* 29. *d.* 15. Bon. *t.* 2. *d.* 10. *p.* 5. Sanc. 2. *p. conſ. l.* 6. *d.* 19. Trull. *l. c.*

ARTICULUS III.

Quid liceat Judici circa quæſtiones, ſive torturam?

Reſp. 1. Ad torquendum reum (ſi tamen torqueri poteſt) requiruntur alicujus gravis criminis ea ſaltem indicia, quæ faciant ſemiplenam probationem, id eſt, reddant rem plus quam probabilem; qualia habentur, v. gr. teſtis unus omni exceptione major, rei confeſſio extra judicium, item probabiliter etiam aſſertio duorum, vel trium criminis ſociorum in criminibus exceptis; præterquam veneficii (in quo, an ex ſola denuntiatione complicum, & quo modo procedere liceat, v. Tann. *t.* 3. *d.* 4. *de juſt. d.* 2. & 3. Laym. *l.* 3. *t.* 6. *c.* 5.) item fama publica a viris honeſtis orta, ac per teſtes probata, cum alterius indicii adminiculo (nam fama ſola non probat, ſed habet ſe inſtar accuſatoris) Laym. *l.* 3. *t.* 6. *c.* 1. *n.* 9. ex variis. Ratio reſponſi eſt, quia tortura inſtituta eſt ad ſubſidium probationis, quando argumenta, & indicia ſunt valde efficacia, ut ſic plena probatio eliciatur: nam confeſſio rei (ſi eam ratificet extra torturam, maneatque in ea uſque ad ſequentem diem) ex ſemiplena probatione facit plenam. Leſſ. *l.* 2. *c.* 20. *d.* 18. Delr. *l.* 5. *ſ.* 3. Lay. *l. c.*

Dixi in reſponſione, *ſi tamen torqueri poteſt*; quia quædam perſonæ prohibentur torqueri, niſi in criminibus exceptis: tales ſunt viri in magna dignitate conſtituti, officiales Principum, urbium Gubernatores, Nobiles equeſtris Ordinis, Milites, Doctores, eorumque liberi, item impuberes, ſenes, memoria vacillantes, prægnantes, & nondum confirmatæ e partu. Delr. *ſ.* 9. Boniſ. *c.* 6. C. de Lug. *d.* 37. *ſ.* 14. (*d*)

Unde reſolves.

1. Peccat Judex graviter, ſi non prius omnia alia media mitiora detegendæ veritatis tentet, quam ad torturam deſcendat.

2. Tortura ſimpliciter abſtinendum eſt, quando adeſt plena probatio criminis, quia ad hanc ordinatur tortura. Nav. Leſſ. *l. c.*

3. Inſufficientia ad torturam indicia ſunt, ſi cadaver occiſi ſanguinet ad præſentiam alicujus, ſi ſagæ non poſſint lacrymari. Item illicita eſt probatio per aquas, &c. de quibus vide Delr. *l.* 5. Leſſ. *n.* 176. Trull. *l.* 8. *c.* 1. *d.* 21.

4. Peccant Judices, qui in cauſis criminalibus, aut notabilis infamiæ, reum comprehenſum, antequam habeant probationem contra ipſum, juramento adſtringunt ad dicendam veritatem de omnibus pertinentibus ad caſum, ob quem comprehenſus eſt. Nav. *c.* 18. *n.* 41. & *c.* 25. *n.* 36. Additque idem eſſe, ſi (etſi ſine juramento) minis, terroribus, tormentorum oſtentione hominem turbent, & implicent,

ut

Digitized by Google

ut ſibi contradicens, circumſtantiam aliquam revelet, quo convincatur, & puniatur. V. Card. de Lugo *d. 40. n. 1.*

ANIMAD. VIII. 5. *Si Judex extorſerit confeſſionem per injuriam, verbi gratia, ſi extorſerit exemptos, ſi ſine ſufficientibus indiciis, ſi dolo malo, mendaciis, ficta impunitatis promiſſione induxerit ad fatendum, vel aliter* (ſiva quoad ſubſtantiam, ſive quoad modum) notabilitar axceſſerit in tortura, *confeſſio nulla eſt, nec poteſt ex ea procedi*: imo ranatur Judex ad compenſationem damnorum, ut docet C. da Lugo *d. 37. ſ. 14.* 157. Vide Leſſ. *c. 19. d.* 18. Laymao *lib. 3. t. 6. cap.* 5. ubi etiam dolos bonos, quos Delr. ſuggerit Judici, plane rejicit. Vida Tan. *t. 3. d.* 2.

ANIMAD. IX. 6. *Licet reus confeſſionem injuſte extortam poſtridie ratificet, nihilominus Judex non poteſt procedere ad punitionem rei, vel complicis occulti*: quia cam confeſſio fuerit irrita, conſequenter etiam ratificatio ax ea orta, ax *l. penult. ff. de quaſt.* atque adeo etiam cognitio per illud medium perta aſt injuſta. Nav. Salon. Leſſ. Sayr. Trull. *l. c. d.* 10.

Reſp. 2. Gravius torqueri poteſt, contra quem graviora ſunt indicia, non tamen ita, ut moraliter ſit impoſſibile tormenta ſuſtinare, habita ratione perſonarum. Unde ſi hic axcedator, confeſſio extorta arit involuntaria, & habenda pro oulla, etiamſi axtra tormeota coram judice ratificet, metu oovæ torturæ. Lay. *c. 5. n.* 11.

Reſp. 3. Semel tortus, ſi nihil aſt ſaſſus, iterum torqueri non debet, oiſi unva criminis indicia ſuperveniant: quia per torturam priora eliſit. Si vero crimao in tortura ſaſſus, axtra aam revocet coram judice, repeti tortura poteſt: tum quia indicia manant in ſuo vigore, tum ob inconſtantiam. Si vero tertio tortus, ac confeſſus tertio retractet, abſolvendus aſt: quia præſumendum eſt, vi tormentorum coactam fuiſſe confeſſionem, ideoque nullam. Leſſ. *c. 29. d.* 7. Excipiunt quidam, ſi indicia ſint graviſſima, quæ violentam præſumptionem pariaot, crimen malitioſe a reo negari. Lay. *l. c.* V. C. da Lug. *d. 37. n.* 156. Dia. *to. 3. t. 6. R.* 16. & 23. Trul. *l. c.* Vid. infra hic *d.* 6. & 7. An, quando, & quomodo Judex poſſit intarrogare reum de complicibus, vide Trul. *l. 18. c. 1. d.* 22.

ARTICULUS IV.

Quid ſervandum Judici circa ſententiam, & pœnam?

Reſp. 1. Judex dabet judicare ſecundum leges. Unde inſarior Judax ordinarie non poteſt pœnam relaxere, val minoere, etiamſi actor conſaotiat; ANIMAD. X. *niſi aliquando ad bonum reipubl. aliud neceſſarium eſſe dictaret epikia, vel niſi de privata tantum injuria actoris ageretur.* S Tho. 2. 2. *q. 65. a. 6.* Reg. *l. 25. n.* 634. Bonac. &c. Trul. *l. 8. c. 1. d.* 12.

ANIMAD. XI. *Dixi*, inferior; *quia ſupremus ob juſtam cauſam id poteſt*; ſine tamen cauſa graviter peccarat, ſecundum Cajet. verbo *Judex*; quia animaret delinqueotes, & concurreret ad peccatum. *An autem liceat intercedere apud Judicem pro liberatione rei, vide Bonacinam l. cit. Trull. l. c.*

ANIMAD. XII. Raſp. 2. *Si in aliqua cauſa fuit Advocatus, in eadem Judex eſſe, & ſententiam ferre non poteſt, l. eos in princ. C. de appell.* & *l. Præter de juriſd.* quia judicium ejus habetur ſuſpectum, propter affectum ad unam partam, ut ex communi DD. docet Sanch. *lib. 3. Conſil. c. un. d.* 26. (additque *nu.* 2. ſentantiam non fore validam, quod tamen alii oegant, ſi ſit Judex ordinarius) C. da Lugo *de juſt. d. 41. l. 1. num.* 4. Vide etiam Dian. *p. 3. t. 5. m. R. 56. ubi ex Corduba ſenſit, talem Judicem in conſcientia non peccare, ſi ſine affectu, ſecundum leges, altera parte inſcia, judicat.*

Raſp. 3. Quam Judex privata ſenteoria ſcit eſſe nocentem, ſi juridica ſit probatus innocens, non poteſt condemnare; quia judicat, ut perſona publica, ideoque ſequi dabet ſcientiam publicam, ac procedere ſecundum allagata, præſertim in favorem rei. D. Th. 2. 2. *q.* 67. Nav. *c.* 25. Cajet. Fill. Leſſ. Bon. *d.* 10. *q. 2. p.* 2.

Reſpond. 4. Quem Judex privatim ſcit eſſa innocentem, ſi juridice probatus ſit nocens, tenetur omni medio liberare, ſi poteſt, verbi gratia impediendo accuſationem, extrahendo judicium, aperiendo carceram, (ſi ſine majori malo poteſt) remittendo cauſam ad ſuperiorem; & ſi ſic nihil efficiat, probabiliter quidem plurimi Doctores tenent, cum S. Thom. *l.* c. ob rationem paulo ante datam, quod poſſit condemnare: verius tamen videtur contrarium, quod cum aliis docent Leſſ. *d.* 2. c. 19. *a.* 10. Sa, verb. *Judex*. Petr. Nav. Fill. Bon. *d. 10. q. 2. p.* 2. *n.* 2. Tol. &c. Vide Car. de Lug. *d. 37. ſ.* 14. quia directa occidere innocentem, eſt intrinſece malum; ergo quomodocunque ſciatur eſſa innocans, erit peccatum. Leſſ. *l. c.* In cauſis tamen civilibus, & criminalibus minoribus, ubi tantum agitur de pœnis pecuniariis, poteſt atiam Judex, ſecundum hos auctores, ſimpliciter procedere ſecundum allagata, & probata: tum quia innocens per appellationem poteſt reſtitui in integrum: tum quia raſpub. habet poteſtatem in bona ſuorum civium, quando bonum publicum id requirit; ut in hoc caſu, ne forma publicorum judiciorum cum populi ſcandalo avartatur. Vida Laym. *c. 2. n.* 8. Leſſ. *d.* 10. Bonac. *l. 5. n.* 4.

Quæres 1. Quid faciendum Judici, cum utrinque ſunt ſentantiæ probabiles in quæſtione juris; v. g. an ex taſtamento minus ſolemni dabeatur hereditas.

Raſpond. Debet farre ſentaotiam ſecundum opinionem de jure probabiliorem, ſaltem ſi ſit Judex ſupremus. Neque tunc videtur teocodum, quod quidam docent, eum ſatisfacera conſcientiæ, ſi cauſam adjudicet dafeudenti ſe probabiliter, licet altera probabilius. Ratio eſt, quia Judax eſt conſtitutus, ut ſecundum merita cauſæ, & ſententiam, quæ ei maxime videtur rationi conſona, cauſam decidat, quia alioquin eſſet acceptor perſonarum.

Dixi, ſi ſupremus ſit; *quia, ſi ſententia aliqua communiter ſit accepta in tribunali ſuperiore, Judex inferior videtur ſecundum eam poſſe judicare, licet minus probabilem: quia videt probabiliorem cum honoris ſui præjudicio revocandam in ſuperiore tribunali.* Laym. *l. 1. t. 2. c. 5. §. 3. n.* 16. ex Sylv. Vaſq. &c. V. tamen C. de Lug. *d. 37. ſ.* 10. ANIMAD. XIII.

Reſp. 2. Si opiniones oppoſitæ æque probabiles videantur, non licebit uni eorum adjudicare totum pro ſuo arbitrio, cum uterque æquala jus habeat, ſed ſuadebit compoſitionem; imo etiam imperabit, in caſu nimis intricato (alias enim non licet) vel uni dimidium, & altari alterum dimidium juris, aut rei, de qua lis eſt, adjudicebit, memor interim axiomatis: quod, ſi partium jura ſint obſcura, potius favendum ſit reo, quam actori, *ibid.* Bonac. de peccatis, *d. 2. q. 4. p.* 9.

Quæres 2. Ad quid teneatur Judex, qui ſeotentiam injuſtam tulit?

Reſp. 1. *Si dolo, vel (ut dixi d. 1. a. 1.) magna imperitia id fecit, litem fecit ſuam, ideſt, damnum partis læſæ in ſe tranſtulit, cui tenetur reſtituere.* Bon. *d. 10. q. 2. p.* 4. ax S. Th. &c. Vide ſupra *d. 10. a.* 1. ANIMAD. XIV.

Reſp. 2. *Si alioqui dignus ſuo munere (tametſi id petens impetraverit, aliis dignoribus neglectis) per oblivionem, ex humana fragilitate erraverit, non obligatur in conſcientia ad reſtitutionem ex propriis, cum injuriam formalem non intulerit, neque aliquid commodi ex tali ſententia acceperit, vel potius (ſecundum alios) cum culpam theologicam non commiſerit; debet tamen revocare ſententiam, ſi poteſt ſine gravi incommodo.* Lay. *l. 3. t. 6. c. 2. n.* 11. ANIMAD. XV.

Quæres 3. An ſententia Judicis injuſta obliget in foro conſcientiæ?

Raſp. *Sententia injuſta ex natura ſui*, aut ax omiſſione ordinis juris ſimpliciter neceſſarii, ſive feratur per falſo allegata, & probata, ſiva ex Judicis iniquitate, nullum habet robur in foro conſcientiæ, *maneique parti læſæ, tametſi non appellet, jus ſuum: licebitque, ſi abſque ſcandalo poſſit, recuperare bona.* S. Th. Sayr. Bonac. *d. 10. q. 2. p.* 4. Trull. *l. 8. c. 1. d.* 7. Ratio eſt, quia ſententia eatenus obligat in conſcientia, quatenus habet rationem judicii, hoc aſt, ut aſt determinatio juris, & dafinitio juſti. ANIMAD. XVI.

Dixi, *in foro conſcientiæ*: quia in foro axterno, ubi non tam veritas facti, quam probatio juridica ſpactatur, ſententia prolata ſervanda aſt, ad evitanda ſcandala, & incommoda; neque elapſo termino (intra quem appallare licebat) actio ei conceditur, lege ſic ſtatuente, tum in pœnam pigritiæ, tum

ob

Google

ob bonum publicum, ut litium ſit finis. Trull. *l.* 8. *c.* 4. *d.* 7. ex Sayr. &c.

Unde reſolves.

ANIMAD. XVII. 1. *Is, cujus bona per ſententiam manifeſte injuſtam adjudicata ſunt alteri, poteſt (niſi alter juſte præſcripſerit) per occultam compenſationem ea recipere*, quia recuperat jus ſuum. *ibid.*

2. Qui ſciens per injuſtam ſententiam mala fide accepit bona, tenetur ea ſemper reſtituere, nec unquam præſcribere poteſt: quia ſunt aliena, & poſſeſſor malæ fidei nunquam præſcribit: imo tenetur expenſas reſtituere, & compenſare damna, etiamſi pars læſa non appellaverit, cum non renunciet ideo juri ſuo.

3. Qui bona fide rem poſtulavit a judice, & bona fide accepit, intelligitque ante tempus præſcriptionis finitum, fuiſſe ſententiam injuſtam, tenetur eam, non tamen expenſas, reſtituere. Si vero poſſedit rem bona fide, tempore ad præſcribendum neceſſario, non tenetur reſtituere, quia legitime præſcripſit. Salon. Sayr. Trull. *l. c.*

Quæres 4. Quid liceat Judici circa munera?

Reſp. 1. *Etſi a partibus munera liberalia accipiens* ANIMAD. XVIII. *aliquando peccet, vel ob ſcandalum, vel ob periculum pervertendi juſtitiam, acceptorum tamen dominium comparat, ſpectato jure naturæ.*

Reſp. 2. *Etſi lex poſitiva munerum acceptionem pro-* ANIMAD. XIX. *hibeat, accipiens tamen non tenetur ad reſtitutionem ante ſententiam Judicis, niſi lex exprimat, quod non illicita tantum, ſed etiam invalida ſit acceptio.* V. Bon. *in* 8. *præc. q.* 2. *p.* 8. Lay. *l.* 3. *t.* 4. *c.* 4. *n.* 9. & 10.

Reſp. 3. *Si Judex injuſte extorqueat munera, nolens* ANIMAD. XX. *facere, quod juſtum eſt, & debet, niſi ea dentur, tenetur reſtituere:* ut etiam, ſi quid datum ſit ad redimendam vexationem, v. g. ne injuſte faveat parti adverſæ, ne cauſam nimis differat. *Quamquam hoc caſu interdum præſumi poſſit, datorem remittere obligationem reſtituendi.* Laym. *l. c.* ex Gob. & Reb. &c.

DUBIUM III.

Quod ſit officium Advocati?

Suppono ſecundum omnes, in advocato quatuor requiri, ſcilicet ſcientiam convenientem, juſtitiam cauſæ, fidelitatem, & pretium juſtum: quod ſi taxatum eſt, non licet ultra hoc accipere: ubi non eſt taxatum, ſufficit juſtum naturale, ut vide apud Bon.

Reſp. 1. Non poteſt ſub gravi peccato ſuſcipere ANIMAD. XXI. cauſam, quam ſcit eſſe injuſtam: *in cauſis autem civilibus, in utramque partem probabilibus, & dubiis poteſt utramvis, etiam minus probabilem tueri: dummodo cliens de minore probabilitate moneatur.* Vaſq. Salas, C. de Lugo, Dian. *t.* 4. *p.* 2. *R.* 4. Quia utraque pars habet jus proferendi ſuas rationes in judicio; ergo etiam advocatus patrocinandi; neque ſemper eſt verius, quod videtur probabilius; & forte aliud erit judicium Judicis. Bon. *de pecc. de* 2. *q.* 4. *p.* 9. & ſupra *l.* 1. *c.* 2. *d.* 2. & in præcepta *d.* 10. *q.* 2. *p.* 4.

Dixi, *civilibus*: quia in cauſa criminali dubia, non licet tueri partes actoris, qui in tali caſu graviter peccat contra reum; ergo etiam advocatus. Fill. *lib.* 40. *c.* 1. Neque, quando actor contra poſſeſſorem agens ſcit, ſe nihil poſſe evincere, ſed rem manſuram ſemper dubiam; quia tunc injuſte vexatur poſſeſſor; pro quo tandem judex debebit judicare, ut vide Card. de Lug. *de juſt. d.* 41. *n.* 8. Sal. *in t.* 2. *d.* 1. *ſ. ult. n.* 108.

ANIMAD. XXII. Reſp. 2. *In cauſa criminali poteſt reum etiam ſontem defendere; ut mortem, aliamve pœnam evadat, quia reus non tenetur ad pœnam, niſi convictus; ergo poteſt per ſe, vel alium, eam avertere, donec convincatur.* Bonac. *d.* 10. *q.* 3. *p.* 4. *n.* 7.

ANIMAD. XXIII. Reſp. 3. *Advocatus tenetur pauperibus in extrema, vel gravi neceſſitate gratis patrocinari, ſine notabili tamen ſuo incommodo.* Ratio eſt lex caritatis. Nav. Cajet. Leſſ. Fill. Bonac. *l. c.*

Unde reſolves.

1. Advocatus, qui ſciens patrocinatur cauſæ injuſtæ, tenetur ad compenſationem omnium damnorum inde conſequentium. Unde parti contrariæ reſtituere debet ex peccato commiſſionis; quia fuit illi cauſa poſitiva damni (ſimiliterque ſi cauſam dubiam tueatur, eamque obtineat fraude; quia intercedit injuſtitia ratione partis adverſæ) clienti vero ſuo tenetur reſtituere ex peccato omiſſionis: quia ex officio tenebatur monere ignorantem cauſæ injuſtitiam. Quod addo, quia, ſi clienti conſtabat cauſæ injuſtitia, non tenetur illi reſtituere. Bonac. *d.* 10. *q.* 3. *p.* 4. Leſſ. *l.* 2. *t.* 3. *d.* 5. Fill. Laym. Tann. *q.* 4. *d.* 6. *n.* 127.

2. Similiter peccare, & ad reſtitutionem teneri, quando defendit articulum juſtum cauſæ injuſtæ, ut ſic adverſarium vexet, impediat, differat, aut pervertat, docet Trull. *l.* 9. *c.* 5. *d.* 3. ex Cajet. Sayr. &c. Quia cenſetur defendere cauſam injuſtam.

3. *Quando cauſa nihil fere habet probabilitatis, ita* ANIMAD. XXIV. *ut vix moraliter ſit ſpes obtinendi, eo quod apud Judices ſemper rejiciatur, regulariter non licet ſuſcipere;* tum quia facit, ut cliens ſine fructu tempus, & pecuniam perdat; tum quia talis communiter non habetur probabilis. Card. Lug. *de juſt. d.* 41. *Quando autem cliens habeat bonum jus in cauſa poſſeſſionis, non tamen in proprietate, an liceat advocato eum defendere in cauſa poſſeſſoria, (dum de proprietate non agitur) quidam affirmant, negant alii.* Vide Fagnnd. in *p.* 8. *cap.* 47. *nu.* 13. Mol. *tom.* 1. *t.* 2. *d.* 81. Card. de Lugo *l. c. num.* 10.

4. Advocatus, antequam patrocinium cauſæ ſuſcipiat, tenetur examinare ejus æquitatem, & probabilitatem, eamque clienti indicare ſincere: ſi enim falſa promiſſione, vel inani ſpe victoriæ, ſumptibus involvat, tenetur ad reſtitutionem, Bonac. *de* ANIMAD. XXV. *pecc. d.* 2. *q.* 4. *p.* 9. *uti & ſi qualitatem, ac ſtatum cauſæ, ſeu periculum ejus perdendæ indicare neglexerit, & cliens eo cognito litigaturus non fuiſſet. Quod ſi dubium ſit, an eo caſu litem proſecuturus fuiſſet, neque id ulla diligentia cognoſci poſſit, non teneri advocatum ad damna reſarcienda, docet Barb. d.* 4. *t.* 29. *quod melior ſit conditio poſſidentis, dum de damno illato non conſtat.*

ANIMAD. XXVI. 5. *Si clientis cauſam minus probabilem dicat eſſe omnino juſtam, tenetur de damno, ſi cliens, cognito cauſæ dubio, non fuiſſet litigaturus.* Bon. *l. c.*

ANIMAD. XXVII. 6. *Si in progreſſu cauſæ iniquitatem videat, tenetur mox monere clientem, & ſuadere, ut deſiſtat; alias ad reſtitutionem damnorum obligabitur;* quia, cum ſtipendio ſit conductus, tenetur ex juſtitia monere. Tann. *l. c.* Neque poteſt vel ipſe, vel Judex ſuadere compoſitionem, cum damno partis: quia compoſitio non habet locum, niſi quando res eſt dubia. *Si vero inducat ad tranſactionem, ſine damno, deceptione, vi, & metu, non tenetur: quia nulli facit injuriam.* Val. Azor. Leſſ. Laym. Bon. *l. c.*

7. Non poteſt abſolvi, qui paratus eſt quaſvis cauſas defendendas ſuſcipere. Sayr. *l.* 22. *c.* 23. *n.* 8.

8. Non licet cum cliente convenire de pretio, poſt inchoatam litem, ſed vel ante cœptam, vel poſt finitam, ex *cap. Infames*, 3. *q.* 7. quia, poſtquam ſua inſtrumenta oſtendit, cogetur quolibet pretio ſtare, ne prodatur. Nec licet paciſci de parte aliquota, v. gr. dimidia, tertia, vel quarta litis pro pretio, ſi victoria obtigerit, quia id graviter prohibetur *L. Sumptus, ff. de pactis, L. Item, c. de Procur. c. Arcentur* 3. *q.* 7. *L. Si qui, Cod. de poſt.* Ratio eſt, ne præbeatur occaſio per fas, & nefas procurandi victoriam. Hoc tamen caſu non obligatur ad reſtitutionem, ſi juſtum pretium non excedat, & dolus, ac fraus abſit. V. Sylv. v. *Advocatus*. Nav. *c.* 25. Fill. Laym. Bon. Sanch. *l.* 5. *conſil. c.* 7. *d.* 9. & *l.* 37. C. de Lug. *l. c.*

9. Peccat Advocatus 1. Si, cum non ſit idoneus, officium Advocati exerceat, & patrocinetur. *L. Nemini, ff. de Advoc.* S. Thom. 2. 2. *q.* 71. atque peccatum ex genere ſuo mortale. 2. Si defendat cauſam injuſtam ſecundum dicta *c.* 1. 3. *Si ob ni-* ANIMAD. XXVIII. *mias dilationes, illicitas ſubornationes teſtium, &c. notabiliter officiat parti adverſæ, habenti alias juſtam cauſam*, &c. Vide Nav. *c.* 25. Fill. *q.* 3. 4. Si utrique parti patrocinetur, quia repugnat, ut utramque partem æque defendat. Sylv. Sanch. *conſ. p.* 2. *l.* 6. *c.* 7. *d.* 7. In diverſis tamen cauſis, ſecluſo ſcanda-

jo, non aepugnat. 5. Si in aadem cauſa, in qua aſt Judex, vel aſſeſſor, agat advocatum; quia dua officia contraria in aadem cauſa exercere non licet. Silv. v. *Advocatus*, *q.* 2. 6. Si tametſi defendat cauſam juſtam, producat ſcripturas, vel teſtes ſalſos, aut inſtrumenta; *non tamen peccet, ſi in cauſe manifeſto juſte adverſariam decipiat, dummodo nulla atatur falſitate*, v. gr. allegando falſa, &c. S. Thom. 2. 2. *q.* 71. *a.* 7. Sylv. Sanchea *conſ. p.* 2. *l.* 6. *c.* 7. *d.* 7. Trull. *l. c.* 7. *Si addacet leges falſes, vel abrogetes*, vel doctrinam reprobatam, vel leges bonas in falſos ſenſus *ſciens pradens detorqueat*. (*e*) 8. Si in gravamen alterius partis quærat dilationes ad ram non facientes. V. Fill. Trull. *l. c.* 9. Si accipiat mercedem injuſtam. Quando autem a lege pretium nullum taaarum eſt, cenſetur illod juſtum, quod babetur tale judicio prudentum, attenta qualitata negotii, dignitate, ſcientia, & peritia advocati, & labore, quem impendit, ac demum conſuerudina approbata. V. Trul. *l. c. d.* 5. 10. Si contractum uſurarium, vel aliter iniquum ſuadeat, aut probet. 11. Si leges, ſtatuta, & conſuetudines patriæ ignoret, (unde, ſi grava damnum clienti obveniat, tenetur compenſare) vel intelligere non ſtudeat.

10. Peccet Advocatus contra juſtitiam, ſi rationes, & fundamenta clientis, quem juſte dafendit, vel ſecreta cauſæ detegat adverſario, ut ax aliis probar Fag. *in p.* 8. *c.* 47. *n.* 15. V. etiam C. da Lug. *l. c. n.* 6. tenetuſque ad reſtitutionem, ſi aam ob cauſam cliens cauſam perdidit, victurus alias: quia fecit contra officium, nec adhibuit diligentiam ad cauſam obtinendam in favurem clientis. Azor.
Animad. Fill. &c. *ll. cc. Limitant tamen aliqui, niſi periculum*
XXIX. *ſit, ne paos adverſe grave damnum inique patiatao; quia, ajunt, quilibet poteſt ſine ſao damno grave damnum alterias prohibere*. V. Leſſ. *p.* 2. *c.* 31. Azor. Reg. Fill. Lay. *l. c. c. c. a.* 5. *n.* 18 *Verum banc limitationem cam S. Th. alii non admittunt, niſi forte reus capite plectendus eſſet, & accuſator injuſte procederet:* tunc enim, ajunt, advocatus accuſatoris deberet falſitetem prodera, ſi tamen ſpes eſſet proſututum, accuſatore prius monito, ut deſiſtat, V. C. de Lug. *l. c.*

11. Advocatus, ſi cauſarum axpeditiones cum præjudicio clientum differat, poſtponat, vel plures ecceperit, quam axpedire poſſit, peccat, ac tenetur ad reſtitutionem, uti & omnium damnorom, quæ per ejus imperitiam, malitiam, vel negligentiam cliens, aut actor incurrit; non tamen tenetur in omnibus cauſis adhibere eandem diligentiam, ſed majorem, vel minorem pro cauſæ qualitate. V. Bon. *in prac.* 8. *d.* 11. *q.* 3. Leſſ. *l.* 2. *c.* 39. *d.* 9. Laym. *ſ.* 1. *c.* 5.

D U B I U M IV.

Qua ſit obligatia Referentis, Secretarii, Notarii, & Procuratoris?

Reſp. Tenentur ii omnes juſte, fideliterqua exercare ſuum officium, ſive ex debito muneris tantum, ſive etiam ex juramento. Item tenentur ſcire ea, quæ ad ſuum officium ſpectant, debitamqua diligentiam adhibere, præſtando omnia neceſſaria, terminos juſtos petendo, & appellando, cum fuerit neceſſarium. Bonac. Eſcob. & commun.

Unde reſolves ſequentes caſus.

1. Peccant, ſi odio, vel amore, ſpe, vel timora, abutentur officiis ſuis; ſi ſecreta ſervanda non ſervent, ſi partibus, vel eerum ſollicitatoribus, aliiſve tradant proceſſus, vel ſcripturas originales, quas non debent; ſi accipiant ſtipendium majus juſto, vel ultra pretium taaatum; ſi lites iniquas ſuadeant, &c.

2. Raferens peccat 1. Si defectu ſtudii, vel per incuriam male referat, vel aliquid ſubſtantiale prætermittat. 2. Si ſit partialis, coneturqoe unius partis juſtitiam, quam alterius, explicare. 3. Si ſententiam alterutri parti manifeſtet, priuſquam evulgetur, onde poſſint gravia incommoda ſequi, v. grat. Judex recuſari, &c. V. Eſcob.

3. Secretarius peccat 1. Si juramentum violet, 2. Si arcanum prodat. 3. Si ſententiam nondum publicatam manifeſtet. 4 Si proceſſus, aut ſententias non cuſtodiat, vel partibus, ſine præſcripto Judicis, oſtendat. 5. Si teſtimonia non fideliter transcribat, ſive aaaggerando, vel imminuendo, ſive immutando, aut invertendo. Eſcob.

4. Tabellio, ſive Notarius publicus peccat 1. Si ſine ſufficienti peritia (v. g. clauſulas communes, &c. ignorans) ſuſcipiat officium. 2. Si juramentum violat. 3. Si in depoſitione teſtium aliquid addat, vel detrahat non levis momenti. 4. Si miniſtro transcriptori (erroris periculo) examen committat. 5. Si protocolla, & acta negligenter cuſtodiat cum damno partium. 6. Si differat cauſarum expeditionem, ut pecuniam extorqueat. 7. Si teſtamentum ſcribat hominis rationis uſu daſtituti. 8. Si teſtes falſos admittat. 9. *Si ſolemnitates neceſſaries ex igno-* Animad.
rantia culpabili, vel malitia prætermittet. 10. Si te- XXX.
ſtimonium aliquod neceſſarium, unius rogatu, & alterius damno, non exhibeat; ſi conficiat inſtrumentum uſurarium, vel falſum, præſertim in damnum tertii; ſi faciat, ut proceſſus, & cauſæ vaniant ad alios Judices, vel Referentes, &c. quam ordo illius tribunalis poſtulat; quia multum intereſt habera hunc, vel illum Judicem. Eſcob V. Laym. *l.* 3. *t.* 6. *c.* 2. Bon. *in prac. diſp. ult. p. ult.* 11. Si ſecretum violet, v. gr. aperiendo parti adverſæ dicta teſtium ante eorum publicationem: quod eſſe mortale contra juſtitiam docet Trul. *d.* 8. *c.* 7 *n.* 3. ex Nav. *c.* 25. *n.* 52. 12 Si parti petenti inſtrumenta occultet, præſertim quæ continent legata. Nav. *l. c. n.* 35. Sylv. v. *Tabellio*. Trull. *l c.* 13. Si acta occultat, vel parti petenti tranſumptum proceſſus neget. 14. Peccat graviter, ſi amiſſo inſtrumento antiquo publico, vel teſtamento, a ſud ſimile confingat.

5. Procurator peccat, ſi litem procuret injuſtam. 2. Si plures cauſes ſuſcipiat, quam poſſit expedire. 3. Si plus mercedis accipiat, quam juſtum. 4. *Si* Animad.
ſuadeat reo, vel parti, ut injuſte veritatem neget. 5. XXXI.
Si ſua incuria, negligentia, aliave culpa, cauſa ſit ut lis perdatur 6. Si nomine partis juret, ſine particulari ejus informatione, cum periculo pejerandi. 7. Si culpabiliter tribunali non adſit, futuri incommodi metu, &c. Vide Eſcob. Laym. *l. c.* Bonac. *q.* 3. *p.* 4. 8. Si partes adducat ad concordiam iniquam. 9. Si differet cauſam, vel pervertat Judicem, vel petat terminos impertinentes, aut dilationes ſuperfluas. 10. Si falſos teſtes inducat Vide Says. *l.* 12. *c.* 14. Fill. *t.* 40. *c.* 10. *n.* 294. Trull. *l.* 8. *c.* 7. *dub.* 1

D U B I U M V.

Quod ſit officium Accuſatoris?

Reſp. Ut in accuſationa ſervetur juſtitia, cavenda ſunt tria. *Primum eſt calumnia*, id eſt impoſitio falſi criminis, vel ejus, quod ſufficienter probari nequit. *Et hac inducit obligationem reſtituendi*, & ſubeundi vel pœnam talionis, vel aliam arbitrio Judicis. (*f*) Secundum eſt prævaricatio, id eſt, colluſio cum reo, & ſimulata tantum accuſatio. Quæ in criminalibus, ſi Reip. damnum ſequatur, obligationem reſtitutionis inducit. Tertium eſt tergiverſatio accuſationis inchoatæ, abſque juſta cauſa. Quod addo, quia cum cauſa, vet. gr. ob imperium Principis, vel Judicis, quod intereſt Reipubl. talem perſonam non puniri, vel infamari, vel quod in accuſatione defectus ſubſtantialis ſit commiſſus, poteſt deſiſtere, imo tenetur, ſi in progreſſu cauſæ cognoſcat ſe erraſſe, ſi incipiat dubitare de crimine. ſi videat, ſe non poſſe probare. Filliuc. *t.* 40. *c.* 7. *n.* 705.

Quæres, An, & quis teneatur alterum accuſare?

Reſp. 1. Privatum raro ad id teneri: tum ex praxi timoratorum: tum quia alias tribunalia eſſent plena accuſationibus, cum perturbatione Reipub.

Dixi 1. *Privatum*: quia ſi quis a Republica ſtipendium ob hoc accipiat, v. g. fiſcalis, &c. tenetur ex juſtitia, & conſequenter ad damna omiſſione accuſationis ſecuta. Fill. Bon. *in* 8. *prac. c.* 10. *q.* 3. *p.* 1.

Dixi 2. *Raro*: quia, ſi ita exigat bonum publicum,

Digitized by Google

cùm, v. gr. ſi proditio imminens, vel grave damnum vitæ innocentis aliter averti non poſſint, & crimen facile probari poſſit, tenetur etiam privatus accuſare, vel ſaltem denunciare; id tamen ex caritate tantum, quæ reſtitutionem non importat. Fill. Bon. *l. c.*

Animad. XXXII. Reſp. 2. Accuſare prohibentur 1. Excommunicati, proditores, infames; idque in pœnam criminis. 2. Filii, ſervi ſuos parentes, vel dominos, ob reverentiam. 3. Clerici in cauſa ſanguinis, ob indecentiam. Leſſ. *l.* 2. *c.* 3. *d.* 5.

Animad. XXXIII. Reſp. 3. *Non teneris, imo nec debes, etiam poſito ſuperioris præcepto, denuntiare crimen.* 1. Si delinquens emendatus eſt, ſine periculo recidendi, & parti læſæ ſatisfactum; nec periculum imminet aliis: nec crimen eſt notorium, quia ſine cauſa proximi infamia ſequetur. V. ſupra *l.* 2. *t.* 3. *s.* 2. *d.* 4. 2. Si crimen noſti ſub ſecreto naturali, tanquam conſultor, advocatus, &c. Niſi tamen is, qui ſecretum commiſit, innocentem, vel Rempub. injuſte vexaret, nec vellet deſiſtere. Card. de Lugo *de juſt. d.* 14. *n.* 142. 3. *Si inde immineat grave periculum honoris, vitæ, & rerum ſuarum.* 4. *Si etiam probare cogereris, nec poſſes.* V. Card. de Lugo *d.* 38. *ſ.* 2.

DUBIUM VI.

De Teſtibus.

Suppono, ad legitimam, & plenam in judicio probationem requiri duos teſtes, eoſque debere 1. Externo ſenſu percepiſſe id, de quo teſtantur. 2. De eodem facto, & crimine, cum iiſdem circumſtantiis, deponere; alioqui erunt teſtes tantum ſingulares, ut vocant, qui non faciunt plenam probationem. 3. Eſſe omni exceptione majores, in quibus ſcilicet nulla deſideretur conditio, quominus teſtari poſſint, juxta verſum vulgatum:

Conditio, ſexus, ætas, diſcretio, fama,
Et fortuna, fides, in teſtibus iſta requires.

Hinc a teſtando rejiciuntur 1. Servi, 2. Mulieres, 3. Minores 20. annis in criminalibus: in civilibus autem impuberes, 4. Inimici, 5. Sanguine juncti, & domeſtici; exceptis quibuſdam caſibus apud Leſſ. *l.* 24. *c.* 3. *n.* 38. 6. Infames, 7. Perjuri, 8. Socii criminis, 9. Perſonæ inopes, & viles, 10. Deliri, & ſemifatui, ex quibus tamen ii, qui ſolo jure poſitivo ad teſtandum ſunt inhabiles, poſſunt admitti in criminibus exceptis. Quo ſuppoſito

Quæritur 1. An, & quando teneatur quis teſtari? 2. Ad quid teneatur qui non vult teſtari, aut qui falſa eſt teſtatus?

Reſp 1. Non tenetur quis teſtari, niſi vel ex caritate, cum ita neceſſarium eſt ad avertendum grande malum proximi, aut Reip. vel ex præcepto, cum Judex, ſeu Superior habens poteſtatem, ita legitime præcipit.

Animad. XXXIV. *In quo ultimo caſu, ſi fugias, aut occultes te, antequam ad teſtandum citeris, non peccabis contra juſtitiam; ideoque nec teneberis reſtituere, ut contra multos docent Valent. & Leſſ.* Ratio eſt, quia tibi necdum eſt præceptum; ſi quod autem jus naſcatur parti ex tuo teſtimonio, id ex præcepto oritur. Imo, *etſi ſit communis ſententia, ad reſtitutionem teneri eum, qui a judice citatus fugit, vel teſtimonium fraude declinavit, cum ſit efficax, & moralis cauſa ut Judex ſententiam ferat in alterius damnum; non tamen eſt improbabile, quod docent Mol. & Leſſ. non teneri.* Ratio eſt, quia citatio intimata non inducit obligationem juſtitiæ, ſed tantum obedientiæ: proindeque non comparens, contumax tantum eſt, & inobediens, non autem injuſtus. Leſſ. *l.* 2. *s.* 17. & 30. Vide Bon. Laym. *ll. cc.*

Reſp. 2. Etiam legitime, & juridice interrogatus non teneris teſtari ſequentibus caſibus. 1. Si ſcias rem ex confeſſione. 2. Si accepiſti ſub ſecreto naturali, ut Conſiliarius, Advocatus, Medicus, &c. modo tamen non ſit neceſſarium ad magnum Reipublicæ, vel proximi malum avertendum: tunc enim licet tale ſecretum detegere, etiamſi juraſſes te nulli dicturum, quia tale juramentum non obligat, cum jura naturæ teneatis ad contrarium. Vide Laym. *s.* 4. *n.* 9. 3. Si ex teſtimonio tibi, vel tuis immineat notabile damnum: niſi tamen damnum publicum, vel privatum alicuius prævaleat, ut notat Card. de Lugo *de juſtit. diſp.* 30. *n.* 10. Unde communiter non teneris teſtari contra conſanguineum. — Animad. XXXV. 4. *Si a viris non ſat fide dignis accepiſti: tunc enim potes te habere, ac ſi nihil ſcires.* 5. Si factum intellexiſti per injuriam, v. gr. aperiendo literas, cogendo alium ad revelationem, &c. Laym. *l.* 3. *t.* 6. *c.* 4. *n.* 5. Mol. *d.* 5. *n.* 5. 6. *Si alter probabiliter in facto non peccaverit, vel propter ignorantiam, vel quia rem aliquam accepit in occultam compenſationem debiti, et quo, tanquam de fure, inquiratur.* Ratio eſt, quia mens Judicis eſt inquirere de delicto. Vide Azor. 3. *p. tit. ult. c.* 27. Fill. Bon. *d.* 10. *q.* 3. *p.* 3. Laym. *l. c.*

Reſp. 3. Qui ſciens falſum teſtatus eſt, per quod alteri fuit efficax cauſa damni, tenetur ad impeditionem, vel reparationem omnium damnorum, quæ cauſantur. Item tenetur revocare cum pari ſuo damno, & periculo etiam vitæ, ſi reus de ea periclitetur, & putetur revocando aliquid effecturus. Ita communiter. Ratio eſt, quia in damno æquali potius habenda eſt ratio innocentis. Vid. *dub. ſeq. art.* 1. — Animad. XXXVI.

Dixi 1. *Sciens:* quia, *ſi ex ignorantia, inadvertentia, aut oblivione inculpabili falſum eſt teſtatus, etſi teneatur impedire, ſi poſſit; non tamen ad reſtitutionem, etiamſi reus damnetur.* Ratio eſt, quia neque tenetur ex re accepta, neque ex delicto.

Dixi 2. *Cauſa efficax:* quia, ſi a parte rei falſum illud teſtimonium nihil effeciſſet, v. gr. quia per falſa teſtimonia aliorum jam tota cauſa damni erat data, ita ut judex ex hoc teſtimonio nihil fuerit motus, ad nihil tenebitur. Leſſ. *l.* 2. *c.* 30. & Laym. *l.* 3. *t.* 5. *c.* 8. & alii.

Teſtis peccat 1. Si affirmet, quod ignorat. 2. Si veritatem, quam debebat celare, aperiat. 3. Si ſe occultet, ne rogetur, caſu quo tenetur teſtari. 4. Si Judici juſte interroganti non obediat. 5. Si pretium pro dicenda veritate accipiat.

DUBIUM VII.

De reo.

ARTICULUS I.

An & quomodo reus teneatur fateri veritatem?

Reſp. 1. Si non interrogetur legitime, non tenetur fateri ſuum crimen, ſed poteſt Judicem eludere vel *ambiguis verbis, vel etiam negando, cum aliqua reſtrictione,* & in bono ſenſu, ut mendacium abſit. — Animad. XXXVII. Ratio eſt, quia tunc Judex non habet jus interrogandi, aut obligationem imponendi reo. Ita Leſſ. & Laym. *t.* 6. *l.* 3. *c.* 5. Bon *d.* 10. *q.* 3. *p.* 2.

Unde reſolves.

1. Reus non tenetur fateri crimen ſuum 1. Si Judex non ſit legitimus. 2. Si a ſeipſo litis proceſſum inchoet, ſine prævia accuſatione, ſaltem virtuali. 3. Si non præceſſit ſemiplena probatio, nec infamia, nec manifeſta criminis indicia extant. Ratio eſt, quia in his Judex non interrogat legitime. Azor. Leſſ. Fill. Laym. Bon. *ll. cc.* Card. de Lugo *d.* 40. *n.* 1. — Animad. XXXVIII.

2. Nec tenetur, *ſi dubitet, an Judex legitime interroget:* quia non tenetur patere cum gravi ſuo damno, niſi conſtet, Superiorem poſſe præcipere. Ita Leſſ. Fill. Laym. *l. c.* Sanch. *l.* 6. *ſumſ. c.* 3. *d.* 31. Salas, Card. de Lugo, &c. contra Sylv. Bonac. & alios.

3. Judex tenetur reo manifeſtare ſtatum cauſæ, & quæ ſint indicia, quomodo probetur delictum, &c. ut reo conſtet, an legitime interrogetur: quia non tenebitur reſpondere alioqui, & ſeipſum honore, aliiſve bonis, quæ bona fide poſſidet, ſpoliare. — Animad. XXXIX. Cajet. Nav. *c.* 25. *n.* 43. Card. de Lugo *d.* 40. *n.* 1.

4. *Si reum juridice quidem interroget Judex, ſed nonniſi ex falſa præſumptione delicti, v. gr. an exierit ex tali domo, ſtricta enſe, poteſt reus (idem eſt de teſte) licet ſciat ſemiplene probatum eſſe, id negare, ſi exiit quidem, non tamen facto delicto, ſed ob aliam cauſam: quia, ſi Judex veritatem ſciret, non poſſet interrogare.* Ita cum S. Thom. *q.* 69. *ar.* 1. Sot. Fag. *p.* 8. *c.* 34. Dian. *p.* 3. *t.* 5. *miſ. R.* 66. Card. de Lugo *dub.* 40. *num.* 4.

Digitized by Google

ANIMAD. XL. Reſp. 2. *Etſi communior, & verior ſententia ſit S. Th. 2. 2. q. 69. ſi reus legitime interrogetur a Iudice, teneri in conſcientia aperte veritatem dicere: probabile tamen eſt etiam, quod ex Sylv. docent Sa, & Leſſ. non teneri, ſaltem ſub mortali, in cauſis capitalibus, & gravioribus, ſi ſit ſpes evadendi, & nullum grave damnum Reip. timeatur.* Tann. *q. 4. d. 5.* Card. de Lugo *d. 40. n. 15. ubi dicit eſſe ſententiam valde probabilem, & in praxi tutam.* Ratio eſt, quia lex humana communiter non obligat eum tanto periculo, ver. gr. mortis; tum quia inhumanum videtur, ut qui convinci non poteſt, teneatur præbere arma contra ſe, quibus occidatur, aut gravem pœnam, v. gr. perpetui carceris, ſubeat: tum quia non videtur tam heroicus actus præcipi poſſe. Bon. *in 8. præc. d. 10. q. 3. p. 2. n. 17.*

Diri 1. *in capitalibus*: quia aliud eſt de cauſis, in quibus agitur de pœna eccleſiaſtica, quæ eſt medicinalis.

Diri 2. *ſi ſit ſpes evadendi*: quia, abſque ea, ceſſat ratio celandi veritatem.

Unde reſolves.

1. *Non ſemper opus eſt, juxta dicta Reſp. 2. ut* ANIMAD. XLI. *Confeſſarius reum urgeat ad crimen fatendum.* Card. de Lugo *d. 40. n. 20.*

2. Poſt ſententiam latam reus non tenetur confiteri crimen, quod ante injuſte negavit, quia, finito judicio, finitur obligatio rei. Laym. *l. c. Imo pro-* ANIMAD. XLII. *babile eſt, nec ante ſententiam ad id teneri, etiamſi adhuc ſit in poteſtate Iudicis, donec iterum interrogetur.* Card. de Lugo *d. 40. n. 17.*

ANIMAD. XLIII. Reſp. 3. *Si quis ad evitanda tormenta gravia minitatus, falſum ſibi crimen impoſuit, per quod ſit morte plectendus, non videtur mortale.* Ita contra Navar. & alios docet Angel. Syl. Leſſ. *l. 2. c. 11. d. 7.* Tan. *de juſt. d. 4. q. 4. dub. 5.* Ratio eſt, quia non eſt mentitus perniciose, cum non teneatur tantis tormentis vitam conſervare. Vid. Card. de Lugo *l. c.*

Unde reſolves.

AN. LXIV. 1. *Talis non tenetur poſtea crimen revocare, quamvis antea perjurio confirmaſſet, ſi prudenter metuit, ne ad tormenta revocetur: quia etſi pejeratione graviter peccavit, hoc jam tranſiit, & non retractando, nemini facit injuriam:* ideoque ſufficit coram Deo pœnitere. V. Leſſ. Tann. *l. c. & q. 5. d. 4.*

2. Si ex illa falſi criminis confeſſione grave damnum aliis ſequeretur, v. gr. bonum Reip. aut fama Religionis, vel familiæ notabiliter læderetur, aut aliqui ideo in hæreſim lapſuri eſſent, quævis potius tormenta perferenda eſſent. Tann. *l. c. & q. 5. d. 4.*

3. Si reus tormentis coactus denuntiavit alium innocentem, tenetur ſub mortali ante ſuam condemnationem, & ſi tum non facit, etiam poſt ſententiam damnationis revocare, ad quod etiam a Confeſſario eſt obligandus. Ita ex communi Tol. *lib. 5. cap. 6. n. 7.* Leſſ. *c. ult. d. 15.* Tann. *d. 4. q. 5. dub. 4. n.* ANIMAD. XLV. 103. Ubi ſubjungit: *Si quis tamen ſequatur, ipſaque praxi ſervari advertat eam ſententiam, quæ negat per revocationem in extremo vitæ factam tolli, vel infirmari denunciationem ante factam, ut docent* Delrio *l. 5. ſect. 5.* Valent. *d. 6. q. 13. p. 4. is conſequenter exiſtimare poterit, denunciantem in eo mortis articulo, ſaltem cum ſuo incommodo, & ſub peccato mortali, obligatum non eſſe ad revocationem, quia inutilis.* Ita Tann. *l. c.* licet ipſe recte cenſeat, fundamentum iſtius ſententiæ minus eſſe probabile.

ANIMAD. XLVI. 4. *Monet idem* Tann. n. 105. *cavendum eſſe Confeſſario, ne vel importune ſæpius reo damnato inculcet retractationem denunciationis iniquæ factæ,* vel retractationem factam imprudenter, & cum ſcandalo divulget.

Quæres, An reus teneatur revelare complices?

ANIMAD. XLVII. Reſp. 1. *Si omnino occulti ſint, nec aliis indiciis, aut teſtimoniis convinci poſſint,* non poteſt, nec tenetur: *ſi tamen vi tormentorum coactus prodat, ordinarie non peccabit.* Leſſ. *l. c.* & Laym. *l. 3. t. 5. c. 5.*

Reſp. 2. Si crimen ſit exceptum, tenetur etiam non rogatus; ideoque, ſi nolit, ſecundum Navar. non erit abſolvendus.

ARTICULUS II.

Quid liceat reo circa fugam pœnæ?

Reſp. Quando ſententia eſt materialiter injuſta, lata tamen ſecundum allegata, & probata, etſi in conſcientia non obliget, non poteſt reus Iudici poſitive reſiſtere, tum ob ſcandalum, tum quia tali caſu Iudex habet jus ſententiam exequendi, & ad id tenetur. Ita communiter Leſſ. Sanch. contra Vict. Bon. Card. de Lugo *d. 4. n. 38.* (g)

Diri, *poſitive*: quia reo, etiamſi vere reus ſit, licet ante, & poſt ſententiam (quoad mortem, vel pœnam morti æquivalentem, v. gr. perpetuum carcerem) fugere. Ratio eſt, quia quilibet tam magnum jus habet ad vitæ ſuæ conſervationem, ut nulla poteſtas humana obligare poſſit ad eam non conſervandam, ſi ſpes commoda oſtendatur: niſi tamen bonum publicum aliud poſtulet. Leſſ. *l. 2. c. 31. d. 5.*

Unde reſolves.

1. Regulariter reo licet fugere; * etiamſi cuſtos carceris grave damnum inde paſſurus ſit, (ſaltem niſi juraverit ſe manſurum) quia utitur ſuo jure, & nulli facit injuriam. Fill. *t. 40. c. 4.* 274. Azor. Leſſ. *d. 5. n. 31.* Niſi tamen caritas aliud ſuadeat, ob damnum cuſtodis præponderans. V. Bon. *d. 10. q. 3. p. 2. n. 13.*

2. Multo magis licet fugere, ne capiatur, vel etiam a miniſtro apprehendente ſe excutere; non tamen illi vim inferre, vulnerando, percutiendo, &c. *ibid.* & Regin. *l. 24 n. 4.*

3. *Licet etiam, ſaltem in foro conſcientiæ, cuſtodes* ANIMAD. XLVIII. (præciſa vi, & injuria) *decipere, tradendo v. gr. cibum, & potum, ut ſopiantur, vel procurando, ut abſint; item vincula, & carceres effringere, quia, cum finis eſt licitus, etiam media ſunt licita.* Et licet alii captivi per effractum parietem ſimul elabantur, non tenebitur de damno; quia tantum eſt ejus cauſa per accidens, cum jure ſuo utatur. Nec refert, quod leges, & magiſtratus quidam tales effractores graviter puniant; *id enim fit, quod vel contrariam ſententiam ſequantur, vel ex præſumptione, quod vim intulerint cuſtodibus; vel quod propter bonum Reip. ea pœna ſtatuta ſit.* Fill. *l. c.* Tann. *d. 4. q. 4. dub. 5.* ex aliis multis. V. C. de Lugo *d. 40. ſ. 4.*

4. *Illis, qui non ſunt miniſtri juſtitiæ, licet non* ANIMAD. XLIX. *ſolum conſilio juvare reum, ut fugiat, ſed etiam ſuppeditatis inſtrumentis, ver. gr. funibus, lima,* &c. quia finem alteri licitum illi ſuadere, & ad eumdem media proponere licet. Leſſ. *l. c. t. 6. n. 40.* Tann. *l. c.* Sylv. Turr. Vaſq.

5. Non tamen licet juvare in effractione carceris, ut habet communis; tum quia executio ipſa effractionis ſoli reo licita eſt, propter jus vitæ conſervandæ; tum ne alioqui omnis ſecuritas carceris pereat. Leſſ. *l. c.* Bonac. *d. 10. q. 3. p. 1.*

Quæres, An reo liceat appellare?

Reſp. Si ſciat ſententiam eſſe juſtam, & juſte proceſſum eſſe, non licet, (licet tamen ſupplicare) ** quia id eſſet Iudici calumniam imponere. Imo injuſte appellans tenetur de damno. Si vero putet ſententiam iniquam eſſe, aut injuſte proceſſum eſſe, aut ſi diverſæ ſint opiniones, poteſt appellare. V. Trull. *l. 1. n. 100.*

DUBIUM VIII.

Quomodo Confeſſario agendum cum reo?

Reſp. Obſervanda ſequentia. 1. Inſtruat eum, quod quæ ſecum in foro conſcientiæ agit, cum Iudicibus non communicentur: ideoque, ſive ſit nocens, ſive innocens, id ei nec prodeſſe, nec obeſſe poſſit. Ratio eſt, quia alias multi conantur ſe falſo

* Conſule animadverſionem XLIX.   ** Lege animadv. II.

ſe probare innocentes, ut a Confeſſario juventur: alii contra falſo ſe innocentes dicunt, quod timeant, ne Confeſſarius conferet cum Iudicibus, ipſique revocentur ad torturam. *Unde expedit* 1. Ut non temere evulget Confeſſarius accepta extra confeſſionem. 2. *Ut ad Confeſſionem ſacramentalem reum non admittat, niſi poſtquam in foro profano res ſunt liquidæ; vix enim adigi poterit, ut omnia fateatur ob timorem, ne vel deferatur, vel cogatur eadem fateri Judici:* ante tamen de contritione agendum eſt. Delrio *l. 6. c. 1. ſ. 3.* Tann. *d. 4. q. 5. dub. 4.*

ANIMAD. L.

2. Ne cogat importunis modis reos, ut ſe tales fateantur: tum quia vere quidem rei non ſunt, & victi illa importunitate, ne moriantur incommunicati, vel a Confeſſario in extremis deferantur, confitentur ſacrilege: tum quia fruſtra eſt confeſſio, niſi fiat ex contritione, & vera ad Deum converſione. De hac ergo laboret, & ſequetur bona confeſſio, non autem contra. Tann. *l. c.*

3. Caveat, ne coram reo cenſeat modum procedendi judicialem; proindeque communiter non admittat querelas de injuria facta, cum non ſit Confeſſarii ea judicare, ſed ad pœnitentiam diſponere.

ANIMAD. LI. 4. *Etſi quidam Auctores permittant Judici uti dolis bonis ad crimen eliciendum, non tamen id licet Confeſſario, ne miniſterium ejus infametur.*

5. *Non licet ſecundum Concilium Antiochenum, (h) cap. 33. & 35. Non licet*, palam intereſſe tormentis, aut ſuggerere modum torquendi, niſi mitiorem. V. Tann. *d. 4. q. ult. d. 5. n. 128.*

6. Expedit habere cognita indicia, & probationes deprehenſes in judicio, ipſumque modum proceſſus, ut & prudentius poſſit in ſuo foro agere, & judicem, ſicubi opus, prudenter admonere. (*i*)

7. In confeſſione examinet, 1. An conſortes criminis prodiderit (ſi ſecundum ſupradicta tenebatur) & quidem ſi falſo alios infamarit, inducat ad revocationem, etiam cum periculo torturæ. V. Tann. *d. 4. q. 5. d. 4. n. 104.* & dicta dubio ſuperiore. 2. Si ſaga ſit, quo tempore, qua occaſione in magiam ſit lapſa; ut, ſi poſtea neget, convinci poſſit in eodem foro. 3. In qualitatem ſuperſtitionis, an ex animo chriſtianæ fidei renuntiaverit, dæmonem adoraverit, falſa de Deo, & æternitate ſenſerit, rebus ſacris abuſa ſit, hominibus nocuerit, præſertim conjunctis, ut marito, liberis, & an alios ſeduxerit. Item de peccatis carnalibus. Denique confeſſæ aperiet fraudes dæmonis, inſtruatque, quomodo iis deinceps occurrendum, atque inter cetera ſuadeat fidei profeſſionem, & frequentem Symboli repetitionem.

8. Sæpe non expedit (*K*) poſt ſupplicium Iudici ſignificare, reum in extremis denunciationes revocaſſe, tum quia Iudices id parvi faciunt (quam recte, v. apud Laym. & Tann. *l. c.*) tum quia frengit ſigillum ſacramentale, ſi non petita licentia, innocentiam denuntiati evulget, cum eo ipſo revelat peccatum denunciantis. Quare ſi aliquando Iudicem monere expediat, rogandus eſt reus, ut id extra confeſſionem, & coram teſtibus dicat, eo fine, ut Iudex moneatur.

9. Si alicuius innocentiam ex confeſſione colligeret (quod etſi difficile, non tamen impoſſibile eſſe docet Tanner. *diſt. 4. q. 5. dub. 4. n. 85.*) id Iudici aperire, ac pro reo intercedere, periculoſum eſt; (*l*) tum quia poſt publicatam rei confeſſionem, ei non credetur; tum quia, ſi plures audiat, hoc ipſo aliorum nocentiam de illis tacendo videtur confirmare, cum fractione ſigilli: tum quia, ſi rei cognoſcant eum pro innocentibus intercedere, occaſionem arripient eum callide ſua facinora celandi. Vid. Laym. *l. 3. t. 6. c. 5.* Tann. *d. 4. q. 5. p. 4. n. 95.*

ANIMAD. LII. 10. *Etſi pro reis, etiam juſte damnatis, intercedere aliquando poſſit, maxime apud Magiſtratum ſupremum*, juxta Scripturam, Prov. 24. *Erue eos, &c.* valde tamen prudenter, & moderate id faciendum, quia relaxatio poteſt eſſe illicita, judexque (non tamen Confeſſarius, niſi ea præviderit) fieri reus malorum omnium, quæ ex liberatione ſequuntur; imo & ipſi imputabuntur, cum ex officio debuerit impedire. Vide Bon. *in 8. præc. d. 10. q. 2. & 3.* Tann. *de juſt. d. 4. q. 5. d. 4.*

DUBIUM IX.

Quæ obligatio Medicorum, & Pharmacopœorum & Chirurgorum?

Reſpond. Tenentur ii in primis, quando tale officium petunt, vel ſuſcipiunt, ſub gravi obligatione, ſufficientem habere ſcientiam, ſive peritiam. Nav. *c. 25.* Anton. Card. de Lugo *d. 27. n. 1.* Deinde in curandis infirmis ſervare ſequentes regulas. 1. *Ordinarie (m) debent ſequi opiniones* medicorum ſecuras, & tutas. Ratio eſt, periculum, & damnum proximi. Ita Bonac. Laym. Sanch. 1. *mor. c. 9.* 2. Quando certum aliquod eſt pharmacum, quod nimirum certo infirmis profuturum eſt, tenentur illud adhibere, omiſſo, de quo dubitatur, quia alias imprudenter proximum in periculo relinquerent. 3. Si non ſint certa pharmaca, debent habere probabiliora: tum quia alioqui ſalutem proximi in diſcrimen adducerent: tum quia tenentur fungi officio, quantum poſſunt, cum minimo proximi periculo, & damno. 4. Quando nulla eſt ſpes de ſalute infirmi, nec adeſt remedium, niſi dubium, de quo ſcilicet dubitatur, num profuturum, an nociturum ſit, poſſunt, imo debent illud adhibere. Ratio eſt, quia ſic infirmi negotium utiliter geritur, & ſi mors ſequatur, ipſis non imputabitur, cum alias ſpem vitæ non habeant. Laym. *l. 1. tr. 1. c. 5.* Fill. *n. 152.* Bon. *de pec. d. 2. q. 4. p. 9.*

Unde reſolves.

1. Medicus peccat 1. Si abſque ſufficienti peritia gravem morbum curare tentet. 2. Si occurrente gravi, & inſolito morbo, ſpeciali ſtudio operam non impendat. 3. Si det pharmacum infirmo, quod probabilius creditur nociturum, quam profuturum. 4. *Si medicamenta inexplorata explorandi gratia adhibeat, præſertim quando de iis non eſt opinio probabilis, & habeat medicamenta probabiliter utilia.* ANIMAD. LIII. 5. *Si non bene perſpecta morbi natura*, (*n*) temere adhibeat remedia obvia, vel periculoſa, præſertim cum diſcrimine vitæ, vel gravis læſionis. 6. Si agnito ægroti periculo, opportune non adſit, aut neceſſariam curationem negligat, aut medicos alios adhiberi non permittat. 7. Si aliquid ſuadeat Dei honori, vel præcepto contrarium, v. gr. incantationem, pollutionem, ſuperſtitionem, &c. 8. Si facile, & ſine neceſſitate e jejunio abſolvat, carnium eſum permittet. 9. Si ægrotantem pauperem in periculo conſtitutum contemnat. V. Bon. *l. c.* Navar. *c. 15.* Azor. *1. p. l. 2. c. 17.* Eſc. *l. 2. E. 3. c. 9.*

2. Pharmacopola peccat 1. Si rudis, & ignarus munus exerceat. 2. Si ſine arte, vel diligentia medicamenta conficiat. 3. Si melle in potionibus pro ſaccharo utatur. 4. *Si unum medicamentum pro alio (niſi tamen eſſet æque bonum, & non majoris pretii) contra medici præſcriptum, cum gravi damni periculo porrigat.* ANIMAD. LIV. V. Salas *d. 34.* 5. Si medicamenta ad non patiendum, vel ad fetum expellendum vendat. 6. Si pharmaca vendat inutilia, &c. V. Eſc. *l. c.*

3. Peccat Chirurgus 1. Si ſine ſcientia, & peritia ſufficienti vulnere curare tentet, cum periculo erroris. 2. Si medicum, quando gravitas vulneris exigit, non conſulat. 3. Si lucri amore curationem protrahat. 4. Si mercedem juſto majorem exigat. 5. Si abortus cauſa venam aperiat, aliudve remedium adhibeat. V. Eſc. *l. c.*

DUBIUM X.

Quæ obligationes Mercatorum, Opificum, & ceterorum ſæcularium?

Reſp. Eæ patent ex dictis de ſeptimo præcepto:

Ex quibus reſolves.

1. Mercator peccat, 1. *Si venenum*, (*a*) *vel alia prohibita vendat*, cum ſuſpicione pravi uſus. 2. Si paratus ſit quodcunque pretium, etiam injuſtum, ab emptore accipere. 3. Si rem carius, quam ſupremo pretio, vendat, ob dilatam ſolutionem. 4. Si mercium defectum gravem occultum non ape-

 riat,

riat, pondus, & menſuram imminuat. 5. Si in emptorum injuriam monopolium injuſtum inſtituat, merces omnes unius generis ſibi comparet, Animad. LV. immoderato quæſtu pro libito vendendas. 6. *Si merces ab eo, qui non novit, emat pretio minore, vel cariore vendat ignoranti*. 7. Si merces veteres, & inutiles novis admiſceat, & vendat eodem pretio utraſ- Animad. LVI. que. 8. Si juſta tributa defraudet. 9. *Si tempore debito, cum poſſit, non ſolvat creditoribus, cum gravi eorum damno*. 10 Si mercibus ſolvat, quod pecunia debet, contra creditoris voluntatem. 11. Si diebus feſtis publice emat, vendat contra conſuetudinem permiſſam. 12. Si juret falſo, ſe tanto pretio merces comparaſſe. 13. Si contractum ineat quamcumque, dubitans de ejus juſtitia. 14. Si emat res furtivas, &c. V. Elc. *t.* 3. *E.* 2. *c.* 12.

2. Bibliopola peccat, 1. Si vendat libros prohibitos, vel laſcivos. 2. Si librum defectu laborantem vendat pro integro, &c. V. Elc. *c.* 13.

3. Argentarius, ſive aurifaber peccat, 1. *Si* æs pro auro, vel argento vendat. 2. *Si* auro, vel argento plus æris miſceat, quam ars requirit, & emptoribus mixtionem non ſignificet, neque minuat pretium. 3. Si ex rebus furtivis aliquid emat mala fide. 4. Si communem lapillum pro pretioſo vendat, vel pretioſum pro vili emat, &c.

4. Sartor, ſutor, & cæteri opifices peccant, 1. Si jurent ſe tali die opus perfacturos, quod ſciunt, vel dubitant non futurum. 2. Si plus materiæ exigant, quam ad opus ſit neceſſarium; aut partes alicujus momenti, quæ ſuperſunt, retineant, ſine voluntate domini. 3. Si diem feſtum ſine gravi cauſa violent, per ſe, vel per ſuos famulos. Vid. Elc. *l.* 1. *c.* 13.

N o t æ.

(a) *Ratio poſterioris eſt* &c.

Præter ea, quæ ex D. Th. animad. 5. hic habentur, juvat referre verba Innoc. III., qui c. 21. t. 2. l. 5. dec. § 1. ait. *Ad hæc reſpondemus, nullum eſſe pro crimine, ſuper quo aliquis non laborat infamia, ſeu clamoſa inſinuatio non præceſſerit, propter dicta hujuſmodi* (quia, ut præmiſerat, *vel plures juxta affirmant, aliquem crimen aliquod eiſdem videntibus commiſiſſe*) *puniendum; quin imo ſuper hoc depoſitiones contra eum recipi non debere; cum inquiſitio fieri debeat ſolummodo ſuper illis, de quibus clamores aliqui præceſſerunt*.

(b) *Si in hac inquiſitione* (generali) *ex revelatione duorum* &c. *poteſt per tales teſtes* &c., *ut habet* &c.

Hoc vero aperte contrarium eſt verbis mox relatis Innoc. III., qui hoc idem confirmat in Concilio generali cap. 24. *Qualiter* cit. mox citati.

(c) *Antequam Judex* &c., *ipſa infamia prius examinari* &c. Id confirmat cap. *Qualiter* mox cit.

(d) La-Croixius t. 2. p. 134. poſtquam hac de re n. 1455. diſputavit, ſubdit. „ Sequitur, per torturas ſæ„ pe everti juſtitiam; quia innocentes, qui ſæpe ſunt „ impatientes dolorum, coguntur ſæ fateri nocentes, & „ contra nocentes, qui plerumque ſunt ferociores, to„ lerata tortura ſe probant innocentes. “

Hæc mihi ſapienter dicta eſſe videntur. Ergo, inquis, tortura tollenda eſt. Reſp. Nolim, Judices criminum inquiſitioni præpoſitos, ſuam cauſam agere, dum torturam fovent. Leges civiles, ais, non ſolum adhiberi, ſed reperi poſſe torturam definiunt; idque La-Croixius n. 1457. concedit. Reſp. de contradictione La-Croixii nihil. Praxis, quam quoque mihi objicis, ſi naturæ juri minus conſentanea ſit, nihil virium habet. Idem dicas de civilibus legibus. Cæterum hac de re maximus Doct. S Aug. audiendus ab omnibus attente, ac animo ſubmiſſo eſt, qui lib. 19. de Civ. Dei cap. 6. ita loquitur. *Quid ipſa judicia hominum de hominibus.. qualia putamus eſſe, quam miſera, quam dolenda? Quid cum in ſua cauſa quiſque torquetur; & cum quæritur, utrum ſit nocens, cruciatur, & innocens luit pro incerto ſcelere certiſſimas pœnas, non quia illud commiſiſſe detegitur, ſed quia non commiſiſſe neſcitur. Ac per hoc ignorantia Judicis plerumque eſt calamitas innocentis. Et quod eſt intolerabilius, magiſque plangendum, rigandumque, ſi fieri poſſet, fontibus lacrymarum, cum propterea Judex torqueat accuſatum, ne occidat neſciens innocentem, fit per ignorantiæ miſeriam ut & tortum, & innocentem occidat, quem, ne innocentem occideret, torſerat. Si enim ſecundum iſtorum ſapientiam delegerit ex hac vita fugere, quam diutius illa ſuſtinere tormenta; quod non commiſit, commiſiſſe ſe dicit; quo damnato, & occiſo, utrum nocentem, an innocentem Judex occiderit, adhuc neſcit. Hoc enim nefas eſſe non ducit ...... quod hi, qui arguuntur, ut doloris plerumque ſuperati, & de ſe falſa confeſſi, etiam puniuntur innocentes, cum jam torti fuerint innocentes; quod, etſi non morte puniantur, in ipſis, vel ex ipſis tormentis plerumque moriuntur.... hæc tot, & tanta mala non deputat eſſe peccata: non enim hæc facit ſapiens Judex nocendi voluntate, ſed neceſſitate neſciendi... quanto conſideratius, & homine dignius agnoſcit in iſta neceſſitate miſeriam, eamque in ſe odit; & ſi pie ſapit, clamat ad Deum*, “ de neceſſitatibus meis Pſ.24 17.
„ erue me! “

Hæc non ſolum propter graviſſimam tanti Eccleſiæ Doctoris auctoritatem, ſed etiam intima vi ſua unumquemque movere debent.

An reos pro incerto ſcelere certiſſimas luere pœnas, juri naturæ diſſentaneum non eſt? At id fit, dum rei torquentur, ut criminis confeſſio extorqueatur.

An jus naturæ permittit, ut *ignorantia Judicis ſit calamitas*, & ſupplicium *innocentis*? At id accidit in tortura.

An jure naturæ licere poteſt, ut innocens non ſolum torqueatur, ſed etiam occidatur? At hoc facit tortura. Si enim mortem tormentorum acerbitati, quod facile fit, præferat, falſum crimen morte puniendum ſibi reus affingit; aut etiam in ipſis, vel ex ipſis tormentis moritur. Hæc ex D. Aug.

Nam ſi interrogationes, ut ajunt, ſuggeſtivæ non licent, qui licere poſſunt cogentes & extorquentes criminis incerti confeſſionem?

Nonne ipſum periculum perdendi innocentem, juri naturæ aperte contrarium eſt? Nonne eodem naturæ jure certum eſt, nocentes potius impune abire neceſſe eſſe, quam innocentes acerbis, & extremis ſuppliciis affici? An hæc nullius momenti ſunt? Sed qui contra ſentiunt, aut ſentire volunt, ut his rationibus reſpondeant, velim.

(e) *Peccat advocatus .... 7. Si adducat leges falſas, vel* &c., *vel* &c. *ſciens prudens detorqueat*. Recte quidem; at cur Bus. illud addit *ſciens prudens*? Quaſi vero aperte non peccet, ſi ex incuria, vel ignorantia, quæ in officio ſuo culpæ ei vertitur, hæc eadem præſtet.

(f) *Cavenda ſunt tria. Primum eſt calumnia ideſt* &c. *& hæc inducit* &c.

Hoc ex Angelico Doctore, ſi placet, tantiſper digeramus; ex quo 2. 2. q. 68. a. 3. *Cum aliquis injuſte agit contra eum, qui accuſatur, crimina falſa ei imponendo... eſt calumniari*. An quicumque falſa crimina imponit, veri nominis calumniator eſt, & calumniatorum pœnis obnoxius?

Reſp. S. Th. ad 1. cit. ait, *quod homo non debet ad accuſationem procedere, niſi de re omnino certa, in qua ignorantia facti locum non habeat*. Ergo qui ſine certa criminis notitia accuſat, ex D. Thoma, & ex rei veritate peccat. Ita ſane. At pergit Angelicus. *Nec tamen qui falſum crimen alicui imponit, calumniatur, ſed ſolum qui ex malitia in falſam accuſationem prorumpit*. Quid eſt *ex malitia*? Nocendi animo, ſciens & volens falſum crimen affingendo. *Contingit enim quandoque ex animi levitate ad accuſationem procedere; quia ſcilicet aliquis nimis faciliter credit quod audivit; & hoc temeritatis eſt. Aliquando autem ex juſto errore movetur aliquis ad accuſandum; quæ omnia ſecundum prudentiam Judicis debent diſcerni, ut non pronuntiet, eum calumniatum fuiſſe, qui ex levitate animi, vel ex juſto errore in falſam accuſationem prorupit*.

Quæ Bus. ſubdit de prævaricatione, & tergiverſatione, ſeu inordinato receſſu ab accuſatione, in dubium vocanda non ſunt; eademque quoad tergiverſationem in D.Th. 2. 2. q. 68. a. 3. ad 3. invenies.

(g) *Quando ſententia eſt materialiter injuſta, etſi in conſcientia non obliget, non poteſt Reus Judici poſitive* &c. *ita* &c. *contra* &c.

Ex Bonacina t. 2. p. 31. d. 1. q. 1. p. 7. § 3. ſententia *dicitur injuſta materialiter, quando fundatur in falſa præſumptione contra rei veritatem notam illi, contra quem fertur. Unde ſi Cajus in Judicio per falſos teſtes convincatur eſſe debitor Titii, & ob id compellatur ad ſolutionem per ſententiam, ſententia.....non obligat Cajum ad ſolvendum, ſi reipſa Cajus Titii debitor non extiſtat. Ratio eſt, tam quia deſtructo fundamento, quod in eo fundabatur, corruat neceſſe eſt; tam quia in foro conſcientiæ non habetur ratio præſumptionis falſæ, ſed veritatis*. Et citat Sylv., Ang., Nav., Azor. Clavem Reg., Vaſq., Valent., Salam, Emm. Sa. Falſa ſcilicet præſumptio veritati cedere debet, non contra: Nec falſa ſententia, quæ non eſt rationis ordo, ſed perturbatio, obligare poteſt.

Addo, inquit, *Cajum facta ſolutione vi prædictæ ſententiæ, poſſe rem ſuam clam recuperare, aut compenſare,*

quia

quia non amiſit jus ad rem ſuam per injuſtam ſententiam, nec ille, cui res applicata eſt, acquiſivit jus; conſequenter non poteſt rem ſibi applicatam retinere. Ita Clavis Reg., Az., Vaſq., Nav., Suar., Regin., Sanch., & alii communiter.

Hæc mihi rationabilia videntur, dum tamen nullus relinquatur locus appellationi ab injuſta ſententia, vel alia legitima ratio aut non ſolvendi, aut ſuum recuperandi. Qua de re vide hic animad. 16. 17.

Dum ſententia certo, & aperte (de hac enim ſermo eſt) injuſta eſt, reo permitterem fugam effracto quoque carcere. Nam quod contra Buſ. animad. 48. dico, intelligo de reo, qui criminis vere reus ſit.

At Buſ. ait *dixi, poſitive*. At quæſo, quid ſibi vult illud *poſitive*? Ex Logica didici adoleſcens, & docui, *poſitive* tale eſſe, quod in ſe habet formam denominantem, e. g. poſitive bonus eſt, qui in ſe habet bonitatem, ſeu virtutem; negative autem tale eſſe, quod nec formam denominantem, nec contrariam habet; ex. gr. negative bonus eſt, qui nec bonitatem, nec vitium habet. At quomodo explicatio horum terminorum præſenti Buſ. doctrinæ accommodetur, nec Buſ. docet, nec lector facile intelligit. Buſ. forte illo termino ſcholaſtico *poſitive* omnia, quæ vis, dicit, & nihil reipſa dicit. Cæterum Reo innocenti, de quo hic ſermo eſt, vim contra vim miniſtrorum ſententiam exequi juſſorum, aut contra injuſtum bonorum poſſeſſorem adhibere minime permiſſum eſſe, quod forte Buſ. voluit, puto.

(h) *Non licet ſecundum Conc. Antioch.* cap. &c. Equidem in jure can. jus a Buſ. cit. non invenio. Doctrina tamen probanda eſt; cujus ratio ex Wig. p. 354. tract. 9. ex. a. n. 20. eſt, „ quia agunt contra decentiam ſui „ ſtatus, & prohibitionem Eccleſiæ; " Si videl. Clerici interſint.

Aut ſuggerere &c. *niſi mitiorem*. Ego ſuggerendum putarem, ut Judex tormentis confeſſionem æque falſam, ac veram extorquentibus parceret ex animad. hic 3.

(i) *Expedit habere* &c. *ut* &c.

Ego putem expedire, ut quiſque ſuo muneri vacet, nec alter vanis prætextibus in alterius meſſem falcem mittat. Alioquin Sacerdos periculo utendi ſcientia confeſſionis extra confeſſionem ſeſe objiciet; & malam, ac periculoſam ſuſpicionem incurret, dum judiciorum, & Principatus arcana ad ſe minime pertinentia exſpiſcatur.

(k) *Sæpe non expedit* &c.

Rei officium eſt ad ſalutem neceſſarium ex animad. hic 45. calumniam revocare, & revocationem notam Judici legitime facere. Confeſſarius hoc ſuadere debet, & ad id inducere reum, alioquin non abſolvendum. De aliis viderint alii.

(l) *Si alicujus innocentiam* &c. Recte; illudque Confeſſionis miniſter præter rationes a Buſ. allatas in mente habere ſemper debet, notitia ex arcano Tribunali hauſta nunquam eſſe utendum; ut ſuo loco dicetur.

(m) *Ordinarie debent ſequi* &c. Loco *ordinarie* dicito ſemper; quod evincit ratio a Buſ. allata. Vide etiam animad. hic 53.

(n) *Medicus peccat. 5. Si non bene perſpecta* &c. Hoc eſt non bene examinata. Nam morbi naturam compertam habere in Medici etiam docti, & periti poteſtate ſæpe poſitum non eſt. Cum enim medicina conjectura nitatur, ex apparentibus ſignis facile falli poteſt, etiamſi diligentia accurata adhibeatur.

(o) *Mercator peccat. 2. Si venenum vel* &c.

Si abſolute prohibita ſint, ſeu cum ſuſpicione pravi uſus, ſeu non, vendendo peccat; quia juſſæ, ut ponendum eſt legi adverſatur. Si autem venditio ſit prohibita non abſolute, ſed cum additione, non peccat, niſi contra ipſam additionem, aut naturæ jus vendat.

4. *Si mercium defectum gravem occultum non aperiat*. Ut id recte intelligatur, legenda eſt animad. 27. in cap. 3. tract. 5. lib. 3.

5. *Si emptorum injuriam monopolium* &c. Lege animad. 26. in cap. mox cit.

13. *Si contractum ineat quemcumque, dubitans de ejus juſtitia*. Recte. Neque tamen a peccato liber erit, ſi ex oſcitantia, aviditate, ignorantia, quæ eorum eſt, quæ mercator ſcire debet, non dubitet, cum dubitandum eſt.

Animadversio I.

Judex carens neceſſaria ſcientia non debet abſolvi &c. *vel niſi firmum* &c.

D. Th. nec loco a Buſ. citato, nec qu. 67., ubi de Judice agit, quoad rem præſentem quidquam habet. Judex ergo carens neceſſaria, ſeu ſufficienti ſcientia, ut abſolutione dignus ſit, primo quidem reparare tenetur damna, quæ ex ſua inſcitia in proximum derivata ſunt, ex cap. *Si culpa tua* de injuriis, & damno dato; quia ex culpa ſua (ipſa enim inſcitia eorum, quæ ad proprium officium pertinent, culpæ vertitur) illa intulit.

Præterea Judex, ut fatetur ipſe La-Croix p. 129. nu. 1421. non habens „ ſufficientem ſcientiam, peccat officium petendo, admittendo, retinendo, & quoties cum „ tali ignorantia operatus; quia tenentur omnes ſcire „ caſus ordinarios in officio ſuo occurrentes, " ergo firmum propoſitum renuntiandi in poſterum officio non ſufficit, ſed neceſſe eſt, ut illud ſine mora deſerat, ut abſolutione dignus ſit. Nonne ipſe Buſ. ait, quod „ nullus poteſt officium, cujus munia obire non poteſt, re- „ tinere, præſertim cum damno, vel periculo proxi- „ mi? " Ergo juxta Buſemb. Judex carens neceſſaria ſcientia tamdiu in peccato verſatur, quamdiu officium retinet: ergo abſolvi non poteſt, niſi illud reipſa deſeruerit, aut ſaltem habeat firmum propoſitum illud deſerendi ſtatim a confeſſione; ſed tutius eſt, ut illud primum deſerat, ac poſtea abſolvatur.

Animadversio II.

Si Judex ex magna imperitia male judicet, tenetur ad intereſſe &c.

In Judice eminens ſcientia, qua de extraordinariis quoque, & implicatis caſibus judicare noverit, laudabilis eſt, non tamen neceſſaria; at ſufficiens peritia, qua obviat, & ordinarias lites juxta leges dirimere, ac de extraordinariis, & arduis dubitare noverit, ut peritiores, vel ſanos libros conſulat, neceſſaria eſt. Itaque non ſolum magna, ut Buſemb. ait, imperitia, ſed ſufficienti peritiæ deficientia, quæ ipſi culpæ vertitur, Judicem obnoxium facit reſtitutioni omnium damnorum, quæ in partes læſas inde derivantur.

Animadversio III.

Si Judex agnoſcat, errorem a ſe (etſi &c.) commiſſum &c. tenetur, ſi poteſt, impedire &c.

Cum grave damnum ex culpa illatum eſt, reparandum omnino eſt; nec ejus reparatio eludi eo prætextu poteſt, quod ex levi culpa illatum fuerit, ſicut ex ſacris canonibus oſtenſum fuit lib. 3. t. 5. cap. 2. dub. 1. ca. 3. Itaque Judex, qui culpabili ſuo errore detrimentum attulit litiganti, non ſolum eum monere debet, ut ſibi conſulat, ſed, ſi monitio ad totum damnum reparandum ſatis non ſit, illud reipſa reparare tenetur, illud ſupplendo, quod monitioni ad totam reparationem deeſt.

Animadversio IV.

Judex mortaliter peccat &c. *differendo valde notabiliter* &c.

Gravitas peccati in Judice cauſarum expeditionem ſine rationabili, & neceſſaria cauſa prorogante, ex gravitate damni, quod litigantibus affert, deſumenda eſt. Itaque ſi culpabilis judicii dilatio grave damnum litigantibus vel eorum uni inferat, mortalis eſt, ſeu dilatio ſit valde notabilis, ut Buſemb. ait, ſeu valde notabilis non ſit.

Animadversio V.

Ratio poſterioris eſt, quia inde maxima &c.

Ratio etiam eſt, quia Judex de crimine inquirit, ut reum coerceat, & condemnet; condemnare autem non poteſt ſine accuſatore, vel publica infamia, quæ accuſatoris locum habet, ut docet S. Th. 2. 2. qu. 67. a. 3. in corp. & ad 4. Accuſator autem ex D. Thoma complectitur etiam denuntiatorem eo ſenſu acceptum, ut crimen deferat puniendum ſine onere probandi. Nam Div. Thom. nomine denuntiatoris eum intelligit, qui crimiuoſum defert, non ut puniatur, ſed ut a crimine emendetur.

Animadversio VI.

In hac inquiſitione &c. *non tenetur, imo non poteſt* &c.

Idem docet D. Th. 2. 2. qu. 70. art. 1. ſibi tamen a mendacio cavere debet; qua de re lib. 3. t. 2. ca. 2. dub. 4. Reſp. Hinc interrogatus, utrum ſciat, eſſe aliquem furem, adulterum &c. reſpondere non poteſt, ſe neſcire, cum ſciat, ſed reſpondere debet, hac de re loqui non poſſe.

Animadversio VII.

Si talem revelet, peccat &c. *niſi forte cederet non tam* &c. *quam* &c. *vel ad grave malum ab aliis avertendum*.

Crimina occulta, quæ in grave aliorum damnum cedunt, non ſolum quis poteſt, ſed tenetur quoque etiam non interrogatus revelare, etiamſi ejus fidei ſub ſecreto commiſſa fuiſſent, ut docet D. Th. 2. 2. qu. 70. a. 1. ad 2. inquiens: *Circa ea vero, quæ aliter, ac per ſacramentalem confeſſionem homini ſub ſecreto committuntur, di-*

ſtin-

ſtinguendum eſt. Quandoque enim ſunt talia, quæ ſtatim cum ad notitiam hominis venerint, homo ea manifeſtare tenetur, puta ſi pertineat ad corruptionem multitudinis ſpiritualem, vel corporalem, vel in grave damnum alicujus perſonæ, vel ſi quid eſt hujuſmodi, quod quis propalare tenetur vel teſtificando, vel denuntiando, & contra hoc debitum obligari non poteſt per ſecreti commiſſum, quia in hoc frangeret fidem, quam alteri debet.

Animadversio VIII.

Si Judex extorſerit confeſſionem per injuriam, v. g. ... ſi dolo malo, mendaciis &c. confeſſio nulla eſt, nec &c.

Ita ſane; ſi tamen reus intellecta fraude, ſciensque ſibi jus eſſe confeſſionem revocandi, eam non revocet, ſed in ea ſponte perſiſtat, condemnari poteſt a Judice competente, ut habet Laym. loco a Buſemb. citato nu. 32. qu. 4. citatis Cov. Claro, Menochio, Binsfelt, Delrio, & communi; idque non ex vi confeſſionis, quæ nulla eſſe ponitur, ſed ex vi ſpontaneæ ratificationis.

Animadversio IX.

Licet reus confeſſionem &c. poſtridie ratificet, nihilominus Judex non poteſt &c.

Id intelligendum eſt juxta mox dicta, hoc eſt ſi reus confeſſionem ratam habeat manente vi, aut fraude, ac neſciens ſibi jus competere confeſſionem revocandi. At ſi reus perſpecta fraude, & jus revocandi confeſſionem ſibi adeſſe cognoſcens, eam nihilominus ſponte ratificet, ex mox dictis condemnari poteſt; quia ratificatio non oritur ex injuria, ſed eſt nova, & legitima confeſſio, ex qua Judex condemnandi jus acquirit.

Animadversio X.

Judex debet ordinarie &c. niſi aliquando ad bonum Reipub. aliud neceſſarium eſſe dictaret eſtubta.

Intellige, evidenter *dictaret*. Nam ſi probabiliter in utramque partem dictet, ſine Principis determinatione nihil faciendum eſt. Hinc Imperator in cod. de leg. & conſtit. Principum l. 1. ait: *Inter æquitatem, juſque, interpoſitam interpretationem nobis ſolis & oportet, & licet inſpicere*; in quem textum D. Th. 2. 2. qu. 120. a. 1. ad 3. ait, *quod interpretatio locum habet in dubiis, in quibus non licet abſque determinatione Principis a verbis legis recedere; ſed in manifeſtis non eſt opus interpretatione, ſed executione.*

Vel niſi de privata tantum injuria actoris ageretur.

Dum privatæ perſonæ injuria irrogatur, numquam ea ſola læditur, ſed etiam Princeps; tum quia ejus leges violantur, tum quia, cum ſit caput, & pater ſubditorum, horum injuriæ in eum quoque redundant. Actor injuriam quidem ſibi illatam remittere poteſt; at injuriam, quam reus actorem lædendo, Reipublicæ, ſeu Principi irrogavit, nec actor, nec Judex ſubordinatus relaxare poteſt; quia Principis ſupremi legibus ipſe quoque ſubeſt, nec ullam in eas poteſtatem habet. Hinc D. Th. 2. 2. qu. 67. a. 4. ait, *quod Judex inferior non habet poteſtatem abſolvendi reum a pœna contra leges a Superiore ſibi impoſitas*; idque confirmat auctoritate Div. Auguſtini dicentis: *Talem Deus dederat Pilato poteſtatem, ut eſſet ſub Cæſaris poteſtate, ne ei omnino liberum eſſet, accuſatum abſolvere.*

Animadversio XI.

Dixi, inferior: *quia ſupremus ob juſtam cauſam id poteſt.*

Id intellige, dummodo læſus injuriam ſibi factam relaxet. Si enim eam non relaxet, ne ſupremus quidem Judex pœnam remittere poteſt, niſi forte Reipublicæ bonum, quod juri privato præferendum eſt, id poſtulet.

Hinc Div. Thom. 2. 2. quæſt. 67. art. 4. ait: *Dupliſ ratione impeditur Judex, ne reum a pœna abſolvere poſſit. Primo quidem ex parte accuſatoris, ad cujus jus quandoque pertinet, ut reus puniatur, puta propter aliquam injuriam in ipſum commiſſam, cujus relaxatio non eſt in arbitrio alicujus Judicis, quia quilibet Judex tenetur jus ſuum reddere unicuique. Alio modo &c.*

An autem liceat intercedere apud Judicem pro liberatione rei, vide &c.

Cum Judex inferior ex dictis reum abſolvere nequeat, ne apud ipſum quidem intercedere licet pro liberatione rei; quia intercedere nihil aliud eſt, niſi illum extimulare, ut poteſtatem ſibi non competentem arroget, hoc eſt, ut peccet.

Princeps, inquit D. Thom. art. 4. cit., *qui habet plenariam poteſtatem in Republica, ſi ille, qui paſſus eſt injuriam, velit eam remittere, poterit reum licite abſolvere, ſi hoc publicæ utilitati viderit non eſſe nocivum.* Ergo pro rei abſolutione apud ſupremum Principem intercedere licet, in hac ipſa hypotheſi, qua illi licet reum abſolvere, non in alia.

Ceterum, cum, ut ait D. Th. ad 3. a. 4. cit. *communitati expediat, ut maleficia puniantur, ad hoc quod peccata vitentur: unde Deut. 13. poſt pœnam ſeductoris ſubditur*: „ Ut omnis Iſrael audiens timeat, & nequaquam „ ultra faciat quippiam hujus rei ſimile: “ frequens abſolutio reorum, Reipublicæ noxia eſt, ideoque ne ſupremo quidem Principi licet.

Animadversio XII.

Si in aliqua cauſa fuit advocatus, in eadem Judex eſſe, & ſententiam ferre non poteſt &c.

Hactenus recte: at more ſuo contrariam opinationem Dianæ refert, nec refellit, qui ſentit, talem Judicem in conſcientia non peccare, ſi *ſine affectu judicet*.

Hæc poſitio, quod ſine affectu ſecundum leges judicet, ſuſpecta ſemper eſt, & magis fictitia, quam vera. Hoc enim ipſo, quod cauſæ advocatus fuerit, erga ipſam afficitur, ac ſaltem ſeſe objicit periculo judicandi ex affectu, quamvis eum depoſuiſſe ſibi videatur. Præterea contra regulas honeſtatis, & leges, quæ ipſum a judicando repellunt, operatur; ſcandalum, ſeu malum exemplum præbet; dolum adhibet, quia perinde ſe gerit, ac ſi cauſæ advocatus non fuerit; parti inſciæ injuriam infert, quia contra jus judicium ſibi arrogat; lites quantum in ipſo eſt, auget, & prorogat; quia pars inſcia, ſi veritatem reſciverit, ejus judicium pro nihilo habitura eſt: ergo peccat: nec audiendus eſt Dian. aut alii contra opinantes.

Animadversio XIII.

Dixi, ſi ſupremus ſit; *quia ſi ſententia aliqua communiter ſit accepta in tribunali &c Judex inferior videtur ſecundum eam poſſe judicare, licet minus probabilem.*

Ipſe La-Croixius p. 136. n. 1481. hanc Buſemb. opinionem refutat; quæ ab Innoc. XI. prop. 2. ipſa proſcripta eſt. Propoſitio enim ſecunda proſcripta ita habet: *Probabiliter exiſtimo, Judicem poſſe judicare juxta opinionem minus probabilem.* Si damnatum eſt, Judicem poſſe judicare juxta opinionem minus probabilem, damnatum quoque eſt, quod ait Buſ. Judicem inferiorem poſſe judicare juxta opinionem minus probabilem; quia Judex inferior, veri nominis Judex eſt. Neque Buſ. a damnatione eximitur, quia loquitur in hypotheſi, quod Judex inferior ſequatur praxim tribunalis ſuperioris; imo eo ipſo judicium Judicis inferioris damnatur, quia ſeſe conformat praxi damnatæ tribunalis ſuperioris.

At, inquit Buſ. Judex inferior *videt probabiliorem cum honoris ſui præjudicio revocandam in ſuperiore tribunali.*

Reſp. Eccli. 7. v. 6. dicitur: *Noli quærere fieri Judex, niſi valeas virtute irrumpere iniquitates, ne forte extimeſcas faciem potentis, & ponas ſcandalum in æquitate tua.* An licet perverſe judicare, quia ex juſto judicio honor judicantis per injuriam, & inſcitiam minuendus eſt? Hæc ne eſt virtus, & fortitudo Judicis, quam citatum oraculum poſtulat, ut perverſa ſibi contraria judicia pertimeſcat? Sicuti inanis honor, ita vanum dececus ex perverſitate, & errore profectum pro nihilo habendum eſt.

Judex inferior ſecundum probabiliora ſententiam ferre ſemper tenetur, ut ſuo muneri ſatisfaciat; at vero tunc maxime, cum in ſuperiori Tribunali aliter judicatur, ut quantum in ipſo eſt, improbet, & corrigat perverſam judicandi rationem, quam ſuperius Tribunal ſequitur, ne forte extimeſcat faciem potentis, & ponat ſcandalum in æquitate ſua, ſua ſententia fovendo iniquitatem ſuperioris Tribunalis.

Animadversio XIV.

Si dolo, vel ... magna imperitia &c. litem &c.

Quoad hoc conſule dicta a. 1. cap. 3. hoc dub.

Animadversio XV.

Si alioqui dignus ſuo munere, tametſi &c. ex humana fragilitate erraverit, non obligatur in conſcientia ad reſtitutionem &c.

Ego hic diſtinctione uterer. Si enim Judex licet ex oblivione, & fragilitate in iis erravit, in quibus probabiliter loquendo alii digniores, quos ille ſuo ambitu, & injuſtitia e Judicum gradu repulit, non erraſſent, eum reſtitutioni obnoxium putarem; quia in hac hypotheſi ipſe eſt voluntaria ſui erroris cauſa. Dum enim ſe Judicem aliis dignioribus neglectis voluit, in cauſa voluit omnes errores, in quos ſua minori peritia incidit, & alii non incidiſſent: ergo damnum ex ſua culpa ortum eſt: ergo eſt reſtituendum.

Si autem error non ex minori ſua peritia, ſed ex humana fragilitate aliis communi ortus putari merito poſſit,

ſic, ita ut alii quoque digniores erraturi fuiſſe judicarentur, a reſtitutione excuſari videtur; quia non ipſe, non ejus ambitio, ſed hominum natura, rerumque conditio erroris cauſa fuit. Ceterum ambitioſi homines, qui contra oraculum Eccl. 7. v. 4. *Noli quærere a Domino ducatum, neque a Rege cathedram honoris*, Judicum gradum per commendationes & preces etiam cum aliorum digniorum injuria aucupantur, & impetrant, in magno animæ periculo verſantur.

Animadversio XVI.

Sententia injuſta ex natura rei, aut &c. nullum habet robur &c. manetque parti læſæ, tametſ. &c. jus ſuum; licebitque &c. S. Th. &c.

S. Thom. 2. 2. qu. 63. a. 4. ita loquitur. *Alio modo condemnatur aliquis injuſte: & tale judicium ſimile eſt violentiæ latronum, ſecundum illud Ezech.* 22. „Principes ejus in medio illius, quaſi lupi rapientes prædam „ad effundendum ſanguinem.“ *Et ideo ſicut licet reſiſtere latronibus, ita licet reſiſtere in tali caſu malis Principibus; niſi forte propter ſcandalum vitandum, cum ex hoc aliqua gravis turbatio timeretur.* S. Doct. hic loquitur de condemnato ad mortem, ut patet ex quæſtione in articulo propoſita, cui per ordinem juris, & legum nullus ſe defendendi locus relinquitur. Quare ejus angelica doctrina ei, qui ab injuſta ſententia non appellat, quia per ſocordiam appellare recuſat, accommodari nequit; imo hic jus ſuum amittit etiam quoad conſcientiæ forum, ſi, & quatenus leges jus elidant non appellanti. Et ratio eſt, quia juſtæ Principum leges etiam in foro conſcientiæ vim habent, ut non ſemel dictum, & repetendum eſt. Quare illud Buſemb. *Manetque parti læſæ, tametſi non appellet, jus ſuum*, emendatione indiget; multo vero minus ei licebit, etiamſi abſque ſcandalo poſſit, recuperare bona: quia recuperatio bonorum propria auctoritate repugnantibus legibus quoad forum conſcientiæ non licet. Buſemb. perinde loquitur, ac ſi juſtæ Principum leges nullo loco quoad conſcientiæ forum eſſent, & in ſuæ ſententiæ patrocinium advocat S. Thomam, cujus angelica doctrina ab eo, & a probabilibus opinatoribus non minus remota eſt, quam cælum a terra.

Animadversio XVII.

Is, cujus bona per ſententiam manifeſte injuſtam &c., poteſt (niſi &c.) per occultam compenſationem ea recipere; quia recuperat jus ſuum.

Recuperare jus ſuum ſervato ordine juris, licet; at recuperare jus ſuum contra juris ordinem, hoc non licet, quidquid Buſ. aut alii contra ſentiant, aut ponant; quia juſtæ Principum leges, ut contra Buſ. repetendum neceſſario eſt, quoad conſcientiam obligant.

Itaque is, cujus bona per ſententiam manifeſte injuſtam adjudicata ſunt alteri, ab hac ſententia appellare debet, ut jus ſuum jure recuperare poſſit. Compenſatio occulta non frequenter, ut probabiles volunt, ſed raro admodum locum habet; qua de re vide dicta lib. 3. c. 3. cap. 2. dub. 4. reſp. 2. cap. 2. & 3. & t. 5. cap. 1. diſt. 1. cap. 3.

Animadversio XVIII.

Etſi a partibus munera liberalia accipiens aliquando peccet &c. acceptorum tamen dominium comparat ſpectato jure naturæ.

Buſemb. duo hic affirmat: primum eſt, quod Judex munera, ut ipſe appellat, liberalia accipiens, aliquando peccet: alterum, quod jure naturæ acceptorum dominium comparet.

Ego contra primum ajo, Judicem munera a partibus accipientem non ſolum aliquando, ut Buſemb. ait, nec ſolum ſæpe, ſed ſemper ordinarie loquendo peccare, excepto raro aliquo caſu alicujus munuſculi, de quo c. 11. *Statutum* in 6. §. 4. l. 1. tit. 1. ex occaſione alicujus neceſſitatis accepti, quod loco muneris accipiendum ſit, nec pretio comparari deceat. Deus enim Deut. 16. inquit: *Non accipies perſonam, nec munera, quia munera excæcant oculos ſapientum, & mutant verba juſtorum.* Sicuti perſonarum acceptio ex natura ſua mala eſt, ita munerum reſpectu Judicis accipientis propter annexum, & intimum periculum corrumpendi judicium. Non ſolum ergo Judex ſordidæ avaritiæ reus eſt, dum accipit munera a partibus litigantibus, a quibus accipere non oportet, ſed etiam juſtitiam lædit; quia juſtitiæ corrumpendæ periculo ſeſe evidenter objicit; quod confirmat illud Eccli. 20. *Xenia, & dona excæcant oculos Judicum.* Si aliqui Judices ab hoc periculo ſeſe remotos judicant, ipſi ſe decipiunt; quia contra divina oracula judicant. Oraculum Eccl. abſolute, & ſine ulla exceptione enuntiatum eſt: ergo ſine exceptione accipiendum eſt. Si juxta Deut. 16. *munera excæcant oculos ſapientum, & mutant verba juſtorum*, an non excæcabunt oculos non ſapientum, & non mutabunt verba non juſtorum? Ergo nemo Judicum accipiens munera, ab evidenti periculo corrumpendæ juſtitiæ liber eſt. Ex quo fit, ut Judices munera accipientes, non ſolum contra poſitivam humanam legem, ſed contra legem naturalem, & divinam ſemper peccent, quidquid contra dicat Buſ. & La-Croix, qui p. 138. n. 1500. rem ita involvit: „*Si munera dentur, ut Judex majorem diligentiam adhibeat, quam tenetur,*“ (hæc eſt aperta injuſtitia, ut majorem diligentiam, in favorem dantis munera adhibeat, quo munera ſpectant,) „*vel ut afficiatur* magis „ad celerius expediendum intra juſtitiæ limites negotium in favorem dantis,“ (dum ait, *in favorem dantis*, apertam Judicis injuſtitiam indicat, qui in neutram partem inclinari, ſed utrique æqualis eſſe debet) „*vel ſi dentur ob alium extraordinarium laborem,*“ (ſi huic labori extraordinario ex officio obnoxius eſt, cur munera accipere poteſt?) „*ſpectato jure naturæ poſſent acceptari, uti recte Lugo &c.*“

Hæ non ſunt rationes, ſed inanes prætextus, quibus Judicum avaritia, & injuſtitia contra citata Scripturæ oracula perperam excuſantur. Dum litigantes Judici dant munera, illi dant ut Judici, hoc eſt ut eum alliciant, & flectant in ſui gratiam; quod numquam fieri poteſt ſine juſtitiæ detrimento, quocumque ſubtiles opinatores ſe vertant. Hæc munera eo ſpectant, vel ut Judicis æquitatem, & juſtitiam corrumpant, vel ut eum moveant ad jus faciendum, quod ſponte, ut ex officio debet, facere renuit. Licet ne unquam per ſubtractionem juſtitiæ ex officio, & gratis exercendæ munera extorquere? Hoc non ſolum eſſe peccatum, ſed peccatum injuſtitiæ, reſtitutioni obnoxium, ipſe Buſ. hic reſp. 3. fatetur. Licet ne unquam ab iis munera accipere, qui juſtitiam corrumpere conantur? Non ſolum Judex ea accipiens peccat, quia turpi, & iniquæ dationi conſentit, ſed etiam propter ſcandalum, & evidens periculum violandæ juſtitiæ; imo in hac altera hypotheſi juſtitiam ſceleratius violat, quam in priori. *Cum autem*, inquit D. Aug. ep. 54. ad Macedon., *judicia, & teſtimonia, quæ nec juſta, nec vera vendenda ſunt, iniqua, & falſa venduntur, multo ſceleratius utique pecunia ſumitur; quia ſcelerate quamvis a volentibus datur.* At Leſſius, cujus verba refert Concina Th. t. 7. p. 160. n. 4. D. Auguſtino audacter repugnat, & ait: cum pecunia a Judice accipitur pro ſententia juſta, injuria fit danti, quia cenſetur data coacte, metu ſententiæ injuſtæ; at cum accipitur pro ferenda ſententia injuſta, licet ſceleratius accipiatur, nulla tamen infertur injuria danti; quia ſponte eam dat. Nam volenti, & conſentienti nulla fit injuria.

Reſp. In hac altera flagitioſa pecuniæ acceptione juſtitia ſceleratius violatur, quam in priori, non quod danti pecuniam fiat injuria, ſed quia maxima injuria fit parti adverſæ, cujus jus per molimen injuſtæ ſententiæ peſſime violatur. Quod autem per injuriam accipitur, jure naturæ in dominium accipientis tranſire non poteſt, ſed neceſſario reſtituendum eſt. Ergo, quod ſecundo loco contra Buſemb. & La-Croix n. 1502. dicendum eſt, Judex munera accipiens, non ſolum ſemper peccat, ſed ſemper contra juſtitiam peccat, nec eorum dominium jure naturæ acquirit, ſed ea reſtituere ſemper cogitur.

Si hujuſcemodi munera liberalia eſſent, ut ea Buſemb. liberaliter appellat, non ſolum Judex eorum dominium acquireret, ſed ea ſine culpa acciperet. Quia liberale munus, virtutis opus eſt in eo, qui dat, nec vitioſum eſſe poteſt in accipiente, quia datur, cui dari oportet. Hujuſcemodi munera, ſpecie, & nomine munera ſunt, reipſa ſunt pretia anticipata, ſeu emptiones injuſtæ ſententiæ. Pactum verbis expreſſum non adeſt, ſed facto ipſo ex perſonarum, & negotiorum circumſtantiis pactum initur, & declaratur. Hæc ſunt illa munera, quibus nefarii Judices quæſtui habent rempublicam, quibus, ut D. Aug. mox cit. ait, iniqua, & falſa judicia ſceleratiſſime venduntur, de quibus loquitur Iſajas cap. 1. v. 23. *Principes tui infideles, ſocii furum: omnes diligunt munera, ſequuntur retributiones.*

At quibus, inquis, reſtituenda ſunt? Reſp. Munera, quæ Judex extorquet, ut ad jus faciendum moveatur, illis reſtituenda ſunt, a quibus extorſit, quibuſve extorquendo injuriam facit: munera vero, quæ a ſponte dantibus, ut inique judicet, accipit, dantibus certe reſtituenda non ſunt, ſed aut iis, in quorum injuriam ea recepit, aut in pios uſus convertenda. Hinc S. Thom. 2. 2. qu. 62. art. 5. ad 2. ait, *quod aliquis dupliciter aliquid dat illicite: uno modo, quia ipſa datio eſt illicita, & contra legem, ſicut patet in eo, qui ſimoniace aliquid dedit;* (idem dic de eo, qui Judici dat, ut juſtitiam pervertat) *& talis meretur amittere, quod dedit. Unde non debet ei reſtitutio fieri de his; & quia etiam ille, qui accepit*, (ut Judex in noſtra ſpecie) *contra legem*

acce-

accepit, non debet ſibi retinere, ſed debet in pios uſus convertere. In pauperes, & pios uſus accepta, eſſe in noſtra ſpecie convertenda, docet quoque P. Concina Theol. t. 7. p. 101. n. 7. hoc ipſum concedit S. Raym. apud Nat. Alex. Theol. t. 2. p. 645. reg. 14. qui poſtquam docuit, pecuniam a Judice acceptam eſſe reſtituendam ei, in cujus injuriam accepit, ſubdit: *Si dedit, ut animum Judicis ſibi ſub ſpecie recti inclinaret, & ita indirecte, & tacite intendebat ipſum corrumpere, non illi, ſed pauperibus, & illi, in cujus injuriam data fuit, juxta arbitrium Eccleſiæ reſtituenda eſt pecunia:* quæ verba etiam aperte indicant injuſtitiam Judicis munera ſponte data in juſtitiæ corruptionem accipientis.

Animadversio XIX.

Etſi lex poſitiva &c. accipiens tamen non tenetur ad reſtitutionem ante ſententiam Judicis, niſi lex &c.

Idem docet La-Croix n. 1502. cit. quæ ſane ſententia rapacibus, ac præſertim potentibus Judicibus mire commoda eſt; at falſa ſuppoſitione, ut modo oſtenſum eſt, laborat. Ponit enim munera, quæ ad corrumpendos Judices dantur, jure naturæ non eſſe reſtituenda; quæ poſitio ex dictis commentitia, & falſa eſt.

Verum etiamſi poneremus, munerum acceptionem, de qua loquimur, jure naturæ non eſſe irritam, ipſa tamen lex poſitiva eam prohibens, licet non irritans, eam irritare videretur. Quamquam enim multa facta teneant, quæ fieri prohibentur, lucrum tamen lege prohibitum, videtur eſſe nullum, quia eo ipſo, quod lege prohibetur, injuſtum eſt: lucrum vero injuſtum, eſt invalidum, ſeu nullum. Nonne lex prohibens lucrum, jus adimit, ne fiat? Quod autem ſine jure fit, jure validum eſſe nequit. Hinc lucrum aleatorium, quod jure naturæ validum eſt, ubi lege poſitiva vim legis retinente prohibetur, nullum eſt, & reſtituendum teſte D. Thoma 2. 2. qu. 32. art. 7. ad 2. dicente, quod *qui ſunt hujuſmodi legibus* (lucrum alearum prohibentibus) *obſtricti, tenentur univerſaliter ad reſtitutionem, qui lucrantur.*

Quamquam ipſi Buſemb. & La-Croix hoc idem tacite fatentur, dum explicate illud inficiantur. Dum enim ajunt, Judicem non teneri ad reſtitutionem ante ſententiam Judicis, concedunt, Judicem reſtitutione teneri, ſi Judicis ſententia ad reſtitutionem condemnetur, illumque condemnari a Judice poſſe. At quæro, quid eſt Judex? Ille ſcilicet, qui legitima auctoritate jus dicit. Quid eſt jus dicere, niſi ſententiam ferre juxta legem?

Si ergo ſententia juxta leges ferri poteſt, ut Judex munera accipiens, ea reſtituere teneatur, etiamſi lex munerum acceptionem ſolum prohibeat, non irritet, lex prohibens, Buſemb. & La-Croix fatentibus, illorum acceptionem irritare cenſetur.

Animadversio XX.

Si Judex injuſte extorqueat munera &c. quamquam hoc caſu interdum præſumi poſſit, datorem remittere obligationem reſtitutionis.

Buſemb. illud ſaltem hic addere debuerat, quandonam remiſſio reſtitutionis præſumi in hac ſpecie poſſit, ut nimiæ præſumendi licentiæ aditum præcluderet. Nam Judex, qui ad extorquenda munera pronus fuit, ad præſumptionem quoque remiſſionis ea reſtituendi proclivis, eam facile ſibi accommodabit. Quamquam prædicta præſumptio hic nec locum, nec vim habet. Non habet locum: quia illud merito præſumitur, neminem, niſi ſponte, & aperte contrarium exprimat, remittere, quod ſibi vi extortum fuit. Homines magis ad accipiendum, quam ad donandum proclives ſunt; ab eo vero maxime alieni ſunt, ut iis dona dent, a quibus injurias accepere: ſed litigantes in noſtra ſpecie inſignem ab iniquo Judice injuriam accepere: ergo eſt prorſus improbabile, litigantes ei donare debitum reſtituendi. Nec eſt cur dicas, litigantes eſſe liberales. Si enim litigant, ut acquirant quod non habent, non eſt putandum, eos eſſe pronos ad cedendum jus, quod habent, homini præſertim aperte iniquo, non donis, ſed pœna digno. Si recte D. Auguſtino citata ep. 54. ad Macedonium, *qui pro iniquo judicio dedit*, etiamſi ſponte ſua dederit, *vellet repetere, niſi timeret, vel puderet emiſſe*; multo magis putandum eſt, eum, qui coacte dedit, extortam pecuniam velle repetere. In hac ſpecie ipſa remiſſio ore expreſſa, ſuſpicione non caret; quia ſicut litigans Judici coacte dedit, ut vexationem redimeret, ita coacte remittere, etiamſi ore id exprimat, non immerito cenſetur, ut a futuris vexationibus liber ſit. Quod ſi ea nimia præſumendi licentia præſumptio locum habere dicatur, vim tamen non habet. Debitum enim certum incerta remiſſione non tollitur: at præſumptio remiſſionis ex incertis indiciis deſumpta, incerta ſemper eſt maxime in noſtra ſpecie, ubi validis argumentis retunditur; debitum autem Judicis eſt certum: ergo ea præſumptione remiſſionis non tollitur. Itaque Judex non eſt ex inani præſumptæ remiſſionis prætextu a reſtitutione liberandus, ſed cogendus, ut reſtituat, ſi abſolutione donandus ſit.

Animadversio XXI.

Ex cauſis autem civilibus &c. poteſt utramvis etiam minus probabilem tueri; dummodo &c.

Hoc idem aſſerit La-Croix p. 239. n. 1507. pro qua præter citatos a Buſ. alios citat, repugnantibus Silv. Val. Ar. Eliz. Burg. Buſ. ſententiam refutatam legere potes lib. 1. t. 1. cap. 2. dub. 2. cap. 6. At Buſ. eam hic temperat, dum addit: „ Dummodo cliens de minori „ probabilitate moneatur." Hoc ſane ſatis eſt, ne clienti injuria inferatur, non tamen ſufficit, ut partis adverſæ, ipſiuſque Judicis injuria caveatur.

At inquit Buſ., & cum eo La-Croix: *Utraque pars habet jus proferendi ſuas rationes in judicio &c.*

Reſp. Rationes pro cauſa evidenter minus probabili, de qua ego loquor, non ſunt rationes ſolidæ, ſed fucatæ, aut tenues, quas in judicio proferre, nihil aliud eſt, niſi Judicem quoad fieri poteſt inducere ad ferendam ſententiam juxta opinionem minus probabilem. Ergo ſicut Judici hujuſmodi ſententiam ferre non licet, (contrarium damnatum eſt ab Innoc. XI. prop. 2.) ita advocato non licet eum impellere ad eam ferendam. Res mihi perſpicua videtur. Nam ſi adverſarii cauſa probabilior dubitanter videatur, non autem conſtet de minori ejus probabilitate, non diffiteor, licere advocato pro ſuo cliente rationes probabiles afferre.

Animadversio XXII.

In cauſa criminali poteſt reum etiam ſontem defendere, ut &c.

Paralip. 2. 19. dicitur: *Impio præbes auxilium, & ideo iram Domini merebaris*: ſed advocatus reum ſontem defendens, impio præbet auxilium: ergo iram Domini merebitur.

Verum ut id in meliori lumine collocetur, animadvertendum eſt, in advocato requiri juſtitiam cauſæ, ut Buſ. hic dixit, *ſuppono &c.*, & docet S. Th. 2. 2. q. 71. art. 3. & nemo inficiari poteſt. Rei porro etiam nocentis cauſa poteſt eſſe vel juſta, vel injuſta. Juſta quidem eſt, ſi nec convictus ſit, nec ſervato ordine juris convinci poſſit. In hac enim ſpecie licet quoad Deum, & conſcientiam nocens ſit, quoad forum tamen externum innocens eſt. Sicuti ergo ipſi reo in hac hypotheſi *licet ſe defendere, veritatem occultando, quam confiteri non tenetur, per aliquos convenientes modos, puta quod non reſpondeat, ad quæ reſpondere non tenetur*, ut ait D. Th. 2. 2. qu. 69. art. 2., ita etiam ab advocato defendi poteſt, dummodo dolos, fraudes, & mendacia non adhibeat.

Injuſta autem eſt rei nocentis cauſa, ſi, licet convictus non ſit, ſervato tamen ordine juris convinci queat. In hac ſpecie reus de crimine interrogatus, illud ſine peccato mortali inficiari non poteſt, ut explicate docet, & oſtendit D. Th. qu. 69. cit. a. 1.; a quo recedendum minime eſt, quidquid contra nonnulli ſentiant; qua de re dub. 7. h. cap. reſp. 2. & Concina Theol. t. 4. p. 28. cap. 5. Ergo & advocatus quidem in hac ſpecie illum defendere poteſt; quia cauſam injuſtam defenderet, & contra cit. Paralip. oraculum impio auxilium præberet.

Fruſtra vero Buſ. objicit: „ Reus non tenetur ad pœ„nam, niſi convictus: ergo poteſt &c." Nam reus quidem non tenetur ad pœnam, niſi convictus; impedire tamen non poteſt, quidquid contra Buſ. cavillari videatur, quominus legitime convincatur; quia legum, quibus quoad conſcientiam obnoxius eſt, ordinem pervertere, & publicum bonum, quod in legum obſervantia ſitum eſt, impedire, ut pœnam evadat, tuta conſcientia omnino non poteſt.

Animadversio XXIII.

Advocatus tenetur &c. ſine notabili tamen ſuo incommodo.

Buſemb. ita benignus eſt, ut legem naturæ, & divinam vi obligandi exuat, ſi abſque notabili incommodo obſervari non poſſit.

Inſtrumenta, & rationes pauperum examinare, adverſariorum cavillis, & fraudibus obviam ire, juxta fori ordinem multa peragere, ac demum cauſam dicere advocatus abſque notabili incommodo nunquam poteſt. Ergo advocatus pauperibus quantalibet neceſſitate laborantibus patrocinari nunquam tenetur, ſi non teneatur, niſi eum id poteſt *abſque notabili ſuo incommodo*. Buſemb. eodem tempore legem aſtruit, & deſtruit: relicto ergo Buſemb. audiendus eſt Div. Th. qui 2. 2. qu. 71. art. 1. ita loquitur. *Reſpondeo dicendum, quod cum præſtare*

patro-

patrocinium cauſæ pauperum ad opus miſericordiæ pertineat, idem eſt hic dicendum, quod & ſupra de aliis operibus miſericordiæ dictum eſt. Nullus autem ſufficit omnibus indigentibus miſericordiæ opus impendere. Et ideo, ſicut Auguſtin. dicit in 1. de Doct. Chriſt. „ cum „ omnibus prodeſſe non poſſis, his potiſſime conſulen„ dum eſt, qui pro locorum, & temporum, vel qua„ rumlibet rerum opportunitatibus conſtrictius tibi quaſi „ quadam ſorte junguntur. *Dicit pro locorum opportunitatibus,* " *quia non tenetur homo per Mundum quærere indigentes, quibus ſubveniat; ſed ſufficit, ſi eis, qui ſibi occurrunt, miſericordiæ opus impendat. Unde dicitur Ex.* 23. „ Si occurreris bovi inimici tui, aut aſino er„ ranti, reduc eum. " *Addit autem*, & temporum, *quia non tenetur homo futuræ neceſſitati alterius providere; ſed ſufficit, ſi præſenti neceſſitati ſuccurrat. Unde dicitur* 1. *Joan.* 3. „ Qui viderit fratrem ſuum neceſſitatem ha„ bentem, & clauſerit viſcera ſua ab eo &c. " *Subdit autem* vel quarumlibet rerum, *quia homo ſibi conjunctis quacumque neceſſitudine maxime debet curam impendere, ſecundum illud* 1. *ad Tim.* 5. „ Si quis ſuorum, & ma„ xime domeſticorum curam non habet, fidem negavit. "

Quibus tamen concurrentibus, conſiderandum reſtat, utrum aliquis tantam neceſſitatem patiatur, quod non in promptu appareat, quomodo ei poſſit aliter ſubveniri: & in tali caſu tenetur ei opus miſericordiæ impendere: ſi autem in promptu appareat, quomodo aliter ei ſubveniri poſſit, vel per ſeipſum, vel per aliam perſonam magis conjunctam, aut majorem facultatem habentem, non tenetur ei neceſſitate indigenti ſubvenire, ita quod non faciendo peccat; quamvis ſi ſubvenerit abſque tali neceſſitate, laudabiliter faciat. Unde advocatus non tenetur ſemper cauſæ pauperum patrocinium præſtare, ſed ſolum concurrentibus conditionibus prædictis: alioquin oporteret eum omnia alia negotia prætermittere, & ſolis cauſis pauperum, juvandis intendere. Et idem dicendum eſt de medico. quantum ad curationem pauperum.

ANIMADVERSIO XXIV.

Quando cauſa nihil fere habet probabilitatis, itant &c. regulariter non licet ſuſcipere.

Cur ait, *regulariter?* an aliquando eam ſuſcipere licet? Cauſa, quæ nihil fere habet probabilitatis, ſemperque a Judicibus rejicitur, non ſolum evidenter minus probabilis eſt, ideoque ex dictis neceſſario rejicienda, non ſolum tenuiter probabilis eſt, ideoque damnandus, qui eam defendit; quia qui tenui probabilitate confiſus operatur, imprudenter operatur, ut patet ex propoſit. 3. ab Innoc. XI. proſcripta, ſed reipſa improbabilis eſt, & injuſta: ergo non ſolum *regulariter*, ut Buſ. male ait, ſed nunquam ſuſcipienda eſt. An aliquando adverſarium cavillis vexare, & clientem impenſis inutilibus, & noxiis onerare advocato licet?

Quando autem cliens habet bonum jus &c. an liceat advocato &c. quidam affirmant, alii negant.

Quid tu, Buſembau mi? Si hac de re nihil dicere volebas, eam ſilentio premere conſultius erat. Sed verſatilis opinatoris indolem agnoſce: dum contrarias ſententias profert, nihilque ipſe dicit, lectoris arbitrio relinquit, ut eam ſeligat, quæ ſibi commodior viſa fuerit.

Nos vero, ſi contrariæ ſententiæ hinc inde æquales ſint, aut merito videantur, rem dubiam facimus, & pro certo habemus ab eo eſſe abſtinendum, de quo dubitatur, utrum liceat.

Quamquam defenſio advocati in quæſtione a Buſembau propoſita, non advocatorum, qui jure ſe tueri debent, ſed latronum, qui vi ſe defendunt, propria eſt. Eo enim ſpectat, ut cliens litigando retineat, quod ſuum non eſt.

Licet ne cupiam retinere quod ſuum non eſt? licet ne advocato auxilium præbere clienti, ut retineat quod ſuum non eſt? At cum clientem defendit in cauſa poſſeſſorii, in qua bonum jus habet, quo caret in cauſa proprietatis, illi auxilium præbet, ut retineat quod ſuum non eſt: ergo advocato hujuſmodi defenſio nullo modo licet. Defendo, inquit ſubtilis advocatus, ſuæ magis utilitatis, quam æquitatis ſtudioſus, jus mei clientis, & jure defendo: quia jus poſſeſſionis, quod meus cliens habet, unice tueor. An ne jus quidem mei clientis tueri mihi licet?

Reſp. Jus quidem tueri tibi licet, ſi inde nulla in proximum injuria, & damnum derivetur; non item, ſi ex juris tuitione injuria, & damnum in proximum redundet, quia injuriam facere nunquam licet. At cum defendis cauſam poſſeſſionis, jure nixus, quo in cauſa proprietatis deſtitueris, apertam injuriam adverſario tui clientis irrogas, quem a rei ſuæ poſſeſſione removes: malitioſe, & fraudulenter jus poſſeſſionis a jure proprietatis ſeparas, adverſarium fatigas, & vexas, nec ſolum moleſtiarum, ſed pecuniæ damnis afficis per tuos cavillos, & fraudes. Hoc ne tibi licet?

Ipſe Buſembao hic ex. 2. merito aſſeruit, advocatum peccare, & ad reſtitutionem teneri, quando defendit articulum juſtum cauſæ injuſtæ, ut ſic adverſarium vexet, impediat, differat, aut pervertat. Nunc vero rectæ doctrinæ a ſe traditæ tam cito oblitus, hoc idem permittit. Dum enim advocatus poſſeſſionem bono jure nixam ſine jure proprietatis defendit, articulum juſtum cauſæ injuſtæ defendit, ut adverſarium vexet, impediat &c. cauſa principalis eſt cauſa proprietatis: ergo advocatus in hac ſpecie non ſolum peccat, ſed reſtitutionis lege tenetur.

ANIMADVERSIO XXV.

Uti etſi qualitatem, & ſtatum cauſæ, ſeu periculum ejus perdendæ indicare neglexerit, & cliens eo cognito litigaturus non fuiſſet. Hactenus recte. At ſubdit Buſembau: *Quod ſi dubium ſit, an eo caſu litem proſecutus fuiſſet, &c. non teneri advocatum &c. docet Bard.*

Ego hic ita diſcurro. Certum eſt, dubiam damni illationem eſſe peccatum, & peccatum juſtitiæ contrarium; quia juſtitia non ſolum vetat, ne certum, ſed ne dubium quoque damnum proximo inferatur: at peccatum juſtitiæ contrarium, reſtitutionis debitum infert: ergo cum dubium damnum illatum eſt, ut accidit in ſpecie a Buſ. hic propoſita, reſtitutio facienda eſt: ergo advocatus in dubio propoſito damnum ſuo clienti reſarcire tenetur; non tamen ex toto, ſed pro ratione dubii, ita ut in dubio hinc inde æquali dimidium damni clienti reſtituendum ſit. Juſtitia enim commutativa, quæ ſola hic locum habet, in arithmetica æqualitate conſiſtit: arithmetica æqualitas in æquali dubio damni illati, periculi æqualitatem in eo, qui dubium damnum intulit, & qui perpeſſus eſt, exigit. Porro dum advocatus in noſtra ſpecie dimidium dubii damni reſtituit, periculi æqualitas hinc inde exiſtit; quia hinc inde eſt periculum dimidii amittendi. Ergo advocatus in propoſita ſpecie dimidium damni ſarcire tenetur. Illud axioma, *in dubiis melior eſt conditio poſſidentis* ex reg. 65. in 6. deſumptum, quod Buſemb. pro ſe affert, ad rem præſentem non facit. Habet enim locum, cum dubium oritur circa rem, quam quis poſſidet; at dubium præſens non eſt circa rem poſſeſſam, ſed circa damnum illatum; ideoque illud axioma abs re abludit.

ANIMADVERSIO XXVI.

Si clientis cauſam minus probabilem dicat eſſe &c. tenetur de damno, ſi cliens &c.

Recte quidem Buſemb. at diminute. Itaque cauſa evidenter minus probabilis idem eſt, ac cauſa injuſta; quia juxta propoſitionem 2. ab Innoc. XI. proſcriptam, a Judice rejicienda eſt: ergo advocatus ſuſcipiens defenſionem cauſæ evidenter minus probabilis, ſuſcipit defenſionem cauſæ injuſtæ: ex quo fit, ut advocatus omnia damna, quæ inde ſeu in adverſarium, ſeu etiam in ſuum clientem iis non conſentientem derivantur, reſarcire teneatur. Damnis, quæ in adverſarium redundant, reſarciendis obnoxius ſemper eſt. A damnis, quæ in ſuum clientem proficiſcuntur, reſtituendis eo ſolo nomine excuſari poteſt, ſi ſuus cliens ſciens, & volens ea ſubeat, hoc eſt ſi velit cauſam defendi, etiamſi advocatus profiteatur, eam eſſe injuſtam. In qua tamen hypotheſi cum advocatus injuſtitiæ ſui clientis conſentiat, & cooperetur, graviter nihilominus peccat, & ſimul cum ipſo damna ſui adverſarii reparare tenetur.

ANIMADVERSIO XXVII.

Si in progreſſu cauſæ iniquitatem &c. alias ad reſtitutionem damnorum obligabitur;

Intellige, ſeu corrige ex mox dictis *damnorum* quoque adverſariæ partis; quia culpa ſua adverſariæ parti ea infert; quod verum eſt, ſeu clientem de cauſæ iniquitate non monuerit, ſeu etiam monuerit, & nihilominus cauſæ defenſionem perſecutus ſit.

Si vero inducat ad tranſactionem ſine damno, deceptione &c. non tenetur.

Contradictorium eſt, quod advocatus inducat ad tranſactionem in cauſa, cujus iniquitatem novit, ſine damno & deceptione. Eo enim ipſo, quod in hujuſmodi cauſa ad tranſactionem inducit, ſuum adverſarium decipit, eique damnum facit; quia cum eo ita ſe gerit, & loquitur, ac ſi cauſa eſſet dubia, cum dubia non ſit, idque ipſe noverit, ac cum eum ſui juris detrimento ad componendum exſtimulet, ubi compoſitio Buſembao ipſo fatente locum non habet.

ANIMADVERSIO XXVIII.

Si ob nimias dilationes, illicitas ſubornationes teſtium &c. notabiliter officiat parti adverſæ, habenti alias juſtam cauſam &c.

Dum

Dum hæc verba perpendo, Buſemb. ita loqui mihi videtur, ac ſi nimiæ dilationes, ac illicitæ ſubornationes teſtium adhiberi poſſint, ſi eum adverſario injuſtam cauſam habente res ſit. Cur enim addit, *habenti aliàs injuſtam cauſam*? An forte licet, injuſtum inimicum lædete, & injuria rependere?

Ita loqui mihi Buſ. videtur, ac ſi advocatus non peccet, ſi per nimias dilationes, & illicitas ſubornationes teſtium, &c. notabiliter non officiat parti adverſæ. Cur enim addit, *notabiliter*? an advocatus ſuos limites habet, infra quos parti adverſæ officere poſſit? Hæc leviter adnotavi, non ut Buſembaum vexem, ſed ne quis ex ejus verbis errandi occaſionem habeat.

Non tamen peccat; ſi in cauſa &c. adverſarium decipiat, dummodo nulla utatur falſitate, v. g. &c.

Hæc ſunt contradictoria. Nec enim quemquam decipimus, niſi falſitate utamur.

Quod ſi adverſarius decipiatur ſine ulla advocati falſitate, ipſe ſe decipit, non autem decipitur. D. Thom. quem Buſemb. pro ſe perperam citat, 2. 2. q. 71. art. 3. ad 3. ita loquitur. *Unde & advocato defendenti juſtam cauſam licet prudenter occultare* (ait, *occultare*, quod longe aliud eſt, ac decipere) *ea, quibus impediri poſſet proceſſus ejus; non autem licet ei aliqua falſitate uti.*

Animadverſio XXIX.

Limitant tamen aliqui, niſi periculum ſit, ne pars adverſa &c. verum hanc limitationem cum S. Th. alii non admittunt, niſi &c.

Buſemb. contrarias de more ſententias proferens, neutram probat, aut improbat; ſed quia verſatilis opinator eſt, utramque tacite probare intelligitur.

Nos veritatem inquirentes, ita ratiocinamur. Non ſolum caritati, ſed etiam juſtitiæ repugnat, damnum uni inferre, ut alterius damnum vitetur. Nec enim periculum, ne proximus damnum inique patiatur, jus mihi tribuit, ut alteri damnum faciam: Sed advocatus, qui rationes, & fundamenta clientis, quem juſte defendit, vel ſecreta cauſæ detegit adverſario, ne hic periculum ſubeat gravis iniqui damni, damnum uni, hoc eſt ſuo clienti infert, ut alterius, hoc eſt ſui adverſarii damnum vitetur; ergo non ſolum caritati, ſed etiam juſtitiæ repugnat.

Præterea cum advocatus clientis cauſam in ſuam fidem receperit, fidem datam fœde, & proditorie violat, ſi ejuſdem rationes, & ſecreta adverſario detegat. Licet ne unquam fidem datam fœde, & proditorie violare, ut alterius damnum vitetur? *Et non (ſicut blaſphemamur, & ſicut ajunt quidam, nos dicere) faciamus mala, ut veniant bona; quarum damnatio juſta eſt*: inquit Ap. Rom. cap. 3. v. 8.

Itaque periculum, ne pars adverſa damnum injuſte patiatur, alia ratione, ſi fieri poteſt, cavendum eſt, non proprii clientis damno, & proditione.

D. Th. 2. 2. qu. 71. art. 3. ad 2. ait: *Quod advocatus, ſi in principio credidit, cauſam juſtam eſſe, & poſtea in proceſſu appareat, eam eſſe injuſtam, non debet eam prodere, ut ſcilicet alteram partem juvet, vel ſecreta ſuæ cauſæ alteri parti revelet: poteſt tamen, & debet cauſam deſerere, vel eum, cujus cauſam agit, ad cedendum inducere, ſive ad componendum ſine adverſarii damno.* Cum D. Th. ait: *Sive ad componendum ſine adverſarii damno*, intelligitur quoad articulos cauſæ controverſos, non quoad evidentes injuſtos, in quibus compoſitio ſine damno adverſarii fieri nequit, ut mox contra Buſemb. animadverſum eſt. Ceterum, cum advocatus ſecreta ſuæ cauſæ parti adverſæ juxta S. Thomam revelare non poſſit, etiamſi eam injuſtam progreſſu temporis deprehenderit, multo minus ea revelare poteſt, cum cauſam juſtam eſſe conſtanter putat.

Illa porro ratio: *Quia, ajunt, quilibet poteſt ſine ſuo damno grave damnum alterius prohibere*: hæc, inquam, ratio falſa eſt. An id poteſt etiam mentiendo, pejerando? an id poteſt cum gravi damno parentum, fratrum, Reipublicæ? Contrarium potius hujus rationis eſt verum. Nam cum quilibet rerum ſuarum dominus ſit, grave earum damnum ſine cujuſquam injuria pati poteſt, ut grave proximi damnum prohibeat; at cum gravi damno rei alienæ, in quam nullum jus habet, ſine juſtitiæ violatione non poteſt alterius periculo, aut damno occurrere.

Animadverſio XXX.

Si ſolemnitates neceſſarias ex ignorantia culpabili ... prætermittat.

Dum Buſ. ita loquitur, ponit ignorantiam ſolemnitatum neceſſarium eſſe in tabellione aliquando inculpabilem. At hic animadvertendum eſt, ignorantiam eorum, quæ ad proprium officium pertinent, culpa vacare non poſſe; quia unuſquiſque ea ſcire tenetur: at ignorantia ſolemnitatum neceſſariarum, eſt ignorantia eorum, quæ ad proprium tabellionis officium pertinens: ergo talis ignorantia in tabellione, culpa vacare non poteſt.

Animadverſio XXXI.

Si ſuadeat reo, vel parti, ut injuſte veritatem neget.

Cur addit *injuſte*? an ſi veritas ſine injuſtitia negetur, ſine culpa negatur? Si ita res eſt, vel negatio veritatis non eſt mendacium, vel non omne mendacium eſt peccatum. Veritatem quidem ſine mendacio occultare poſſumus; at veritatem negare, apertum mendacium eſt: certum porro eſt, omne mendacium eſſe peccatum: ergo certum eſt, veritatem negare, eſſe ſemper peccatum; ideoque etiam ſuadere alteri ut veritatem neget, etiamſi eam negando juſtitiam non violet.

Animadverſio XXXII.

Si ſcire cupias, quinam alii præter enumeratos a Buſembaum accuſare prohibeantur, conſule Anacletum t. 5. juris can. p. 3. n. 16. & ſeq.

Animadverſio XXXIII.

Non teneris, imo non debes, etiam poſito &c. denuntiare crimen. 3. Si inde immineat grave periculum honoris, vitæ &c.

Hoc falſum eſt, ſi crimen in publicam perniciem redundet, quæ aliter averti nequeat; quia publica pernicies proprio, ac propriæ vitæ malo præferenda eſt. Hæc eſt communis ſententia teſte Anacleto t. 5. juris can. p. 4. n. 33. q. 5. hoc exigit vinculum politicæ ſocietatis, & caritatis, ut quilibet ſuum honorem, qui tamen recte agendo nunquam amittitur, res ſuas, ac ipſam vitam, ſi opus ſit ad publicam perniciem avertendam, periculo objiciat, & perdat.

Dum Buſembaum proprium damnum, veluti rationabilem præcepti naturalis excuſationem non raro obtrudit, noſtræ quidem corruptæ indoli obſequitur; at homines ignavos, abjectos, ſui amatores, rei publicæ parum ſollicitos, uno verbo malos Chriſtianos efficit.

Si etiam probare cogeris, nec poſſis.

Fingendum non eſt, leges impoſſibilia præcipere, ut earum jugum excutiatur. Si crimen Reipublicæ, ut Religioni perniciosum, ut patriæ proditio, hæreſis, &c. probari nequeat, denuntiandum eſt, ut omnes leges non ſolum permittunt, ſed exigunt. Contraria opinio proſcripta eſt ab Alex. VII. prop. 5. ita ſonante: *Quamvis evidenter tibi conſtet, Petrum eſſe hæreticum, non teneris denuntiare, ſi probare non poſſis.* Quod autem de hæreſi, idem de aliis criminibus bono publico infeſtis dicendum eſt.

Animadverſio XXXIV.

In quo ultimo caſu ſi fugias, aut occultes te &c. non peccabis contra juſtitiam, ideoque nec teneberis reſtituere, ut contra multos docent Valent. & Leſſ.

Multi teſte Buſ. affirmant in propoſita ſpecie obligationem reſtitutionis, duo tantum negant: ergo ſpectata auctoritate affirmans ſententia præferenda eſt.

Nunc conſulamus rationem. D. Th. 2. 2. qu. 69. art. 1. ait: *Pertinet autem ad debitum juſtitiæ, quod aliquis obediat ſuo Superiori in his, ad quæ jus prælationis ſe extendit*: at qui fugit, aut ſe occultat, antequam ad teſtandum citetur, ſuo Superiori non obedit in his, ad quæ jus prælationis ſe extendit: ergo peccat contra juſtitiam: perinde enim eſt, ſeu citationi ad te delatæ non auſcultes, ſeu per fugam, & latebras impedias, ne citatio ad te deferatur. Ad obedientiam enim pertinet non ſolum ut Superioris præceptum tibi intimatum impleas, ſed etiam ne præcepti intimationem ſubterfugias. Apertam enim injuriam tuo Superiori irrogas, cum omnem lapidem moves, ne ejus præceptum ad te perveniat, & perinde eſt ac ſi aures occluderes, ne ejus vocem audires. Ergo qui citationem Judicis fugiendo, aut ſe occultando eludit, contra juſtitiam peccat, ideoque reſtituere damna tenetur, quæ inde in proximum derivantur.

Adde, quod qui contrarium docent, dolis & fraudibus patrocinantur; doloſe enim & fraudulenter ſe gerit, qui ſe occultat, aut fugit, ne ad teſtandum citetur: at fraus & dolus nemini patrocinantur; ergo qui ſe occultat, aut fugit, ne ad teſtandum citetur, a reſtitutione non eximitur.

Ex his corruit illa Buſ. cavillatio; „ Ratio eſt, quia „ tibi necdum eſt præceptum; ſi quod autem jus naſcatur parti ex tuo teſtimonio, id ex præcepto oritur: " hæc, inquam, cavillatio ex dictis corruit. An præceptum a Judice emanatum, a miniſtro, quantum in ipſo fuit, tibi denuntiatum, a te ex culpa, & frau-

de

de tua eluſum, præcepti vim non habet? Quid contendas cum hominibus tam aperte cavillantibus?

Imo, etſi ſit communis ſententia, ad reſtitutionem teneri eum, qui a Judice citatus fugit &c. *non tamen eſt improbabile, quod docent* &c. *non teneri.*

In ſuperiori ſpecie ſermo fuit de eo, qui citationem eludit, ne ad ſe deferatur; in hac vero de eo, qui citationi ad ſe delatæ non paret.

Quod ſi ex dictis qui fuga, vel latebris citationem eluſit, ne teſtimonium ferre cogeretur, reparare tenetur damna inde profecta, multo magis tenetur, qui citationi ad ſe delatæ non paret; quia hic contumacior eſt. Hæc eſt communis ſententia teſte ipſo Buſembaum; eamque aperte confirmat ratio ab ipſo Buſ. allata. Cur ergo contrariam, pro qua duos tantum citat, non improbabilem appellat? ut ſcilicet qui in caſu propoſito reſtituere non vult, & non reſtituit, conſcientiæ morſibus ne terreatur. At dum Buſemb. hanc ſententiam probabilem abſolute appellare non audet, ſed diminuto vocabulo non improbabilem appellat, fateri videtur, eam quidem intra fines probabilitatis contineri, at ejus probabilitatem eſſe valde exiguam & tenuem, & nihilominus eſſe prudentem morum regulam; quæ eſt prop. 3. ab Innoc. XI. proſcripta, quam lector conſulat. Repetendus hic eſt D. Thom. mox cit. a cujus inconcuſſis doctrinis qui recedere audent, per abrupta gradiuntur, & in præceps ruunt. *Pertinet ad debitum juſtitiæ, quod aliquis obediat ſuo Superiori in his, ad quæ jus prælationis ſe extendit.* Superior enim jus habet imperandi: ergo qui ſuo Superiori non obediunt, jus ſeu juſtitiam violant. Mutuum quippe jus inter magiſtratum, & ſubditos intercedit, ut ſcilicet magiſtratus quantum in ipſo eſt, ſubditos ab injuriis defendat, & ſubditi magiſtratui obtemperent. Hoc jus ex politicæ ſocietatis vinculo oritur, unde Principes ut obligantur omnia facere in communem ſubditorum utilitatem, & legum, ac juſtitiæ cuſtodiam, ita poteſtatem habent imperandi ſubditis. Hinc Ap. Rom. 13. v. 7. ait: *Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal; cui timorem, timorem; cui honorem, honorem.* Porro qui juſtitiam violant, reſarcire tenentur damna, quæ ex hac violatione oriuntur: ergo teſtis citatus, nec citationi obtemperans, reſarcire tenetur damna, quæ ex ſua inobedientia derivantur.

At inquit Buſemb. „ Citatio intimata non inducit ob-„ ligationem juſtitiæ, ſed tantum obedientiæ; proinde-„ que non comparens, contumax tantum eſt, &c. non „ autem injuſtus. „

Reſp. Hæc ratio ex mox dictis ſolvitur. In eo enim fallitur Buſemb. quod obligationem obedientiæ magiſtratibus exhibendæ, nolit eſſe obligationem juſtitiæ. D. Th. citatus, rationes allatæ, & ipſe textus Apoſt. contrarium evincunt. Sicuti enim debitum ſolvendi tributa, & vectigalia, eſt debitum juſtitiæ; ita debitum timoris, & honoris in obedientia Principibus præſtanda, de quo Apoſtolus eodem modo loquitur. Debitum quippe obediendi Principibus non eſt ſolum mortale, ex honeſtate virtutis ſolum præſtandum, ſed legale. *Ad quod reddendum*, inquit D. Thom. 2. 2. qu. 80. art. unico, *aliquis lege diſtringitur: & tale debitum proprie attendit juſtitia, quæ eſt principalis virtus.*

Animadversio XXXV.

Si a viris non ſat fide dignis accepiſti: tunc enim potes te habere, ac ſi nihil ſcires.

Judex te interrogat, utrum de crimine, quod a viris non ſat fide dignis accepiſti, aliquid noveris; juxta Buſembaum reſpondere potes, nihil novi; at ſi ſincere reſpondere vis, reſpondendum eſt, nihil certo novi. An ſinceritas a teſtibus legitime interrogatis exulare ſine culpa poteſt? Præterea, dum ais, nihil novi, falſum dicere videris, quia reipſa aliquid noſti.

Judex interrogat, utrum de crimine quidquam audiveris. Si Buſembaum audis, negare potes; quia potes te habere, ac ſi nihil ſcires. At dum negas, te quidquam audiviſſe, cum reipſa audiveris, aperte mendax es, additoque juramento de veritate dicenda perjurus. Huc te agit Buſembau, ſi ejus doctrinæ auſcultes.

Si alter probabiliter in facto non peccavit, vel propter ignorantiam, vel quia &c.

Teſtis officium eſt, non de rei, de quo interrogatur, innocentia, aut reatu judicare, ſed Judici interroganti vere, & ſine fallacia reſpondere: ergo ex duplici capite peccat teſtis, qui in propoſita ſpecie Judici legitime, & juridice interroganti non reſpondet. Primo, quia ſibi arrogat judicium de reo, quod ad Judicem pertinet, non ad ipſum. Secundo, quia legibus, & legitimo præcepto non obedit.

At inquit Buſ. *mens Judicis eſt, inquirere de delicto.* Reſp. ita ſane: at quid inde? Ergo ne Judex teſti permittit, ut ſibi interroganti non reſpondeat, quia ex privato ſuo judicio putat, reum probabiliter non peccaſſe? Id & falſum, & ridiculum eſt. Dum interrogat, ſibi reſponderi vult, ut rei innocentiam, vel crimen legitime norit; nec privatum teſtis judicium, legitimam interrogantis Judicis auctoritatem eludit.

Animadversio XXXVI.

Si ex ignorantia &c. *inculpabili falſum eſt teſtatus, etſi teneatur impedire, ſi poſſit, non tamen ad reſtitutionem tenetur, etiamſi reus damnetur.*

Non tenetur ad reſtitutionem, dum, quantum in ipſo fuit, damnum rei impedire conatus ſit. Si enim ejus damnum, cum poſſit, non impediat, indirecta damni cauſa eſt, ideoque ejus reſtitutioni obnoxius.

Animadversio XXXVII.

Si non interrogetur legitime, non tenetur fateri crimen ſuum. Hactenus recte. *Sed poteſt Judicem eludere vel ambiguis verbis, vel etiam negando cum aliqua reſtrictione*, &c.

Quoad ambiguitatem, & æquivocationem vide dicta lib. 3. t. 2. cap. 2. dub. 4. ubi etiam oſtenſum eſt, reſtrictiones mentales eſſe vera mendacia, additoque juramento de veritate dicenda perjuria ab Innoc. XI. proſcripta.

Animadversio XXXVIII.

Nec tenetur, ſi dubitet, an Judex legitime interroget: quia &c. *Ita Leſſ.* &c. *contra Sylv.* &c.

In hac quæſtione, hæc poſterior ſententia Buſembaum contraria, verior mihi videtur. Cum enim Judicis interrogatio, ſine dubio legitima eſt, certa culpa eſt rei, ſi ſuum crimen non fateatur: ergo cum dubium eſt, utrum Judex legitime interroget, dubia culpa eſt rei, ſi crimen ſuum non fateatur: dubia porro culpa, eſt certa culpa; quia ipſum culpæ periculum, culpa eſt. Ergo &c.

At inquit Buſemb. *Nemo tenetur parere cum gravi ſuo damno, niſi conſtet, ſuperiorem poſſe præcipere.*

Reſp. Grave damnum legi poſitivæ extrinſecum, & accidentarium, tollit quidem obligationem legis. At ſi damnum etiam grave legi, ſeu præcepto intrinſecum ſit, nec ab eo ſeparabile, ejus obligationem non tollit, ut patet in præcepto ducis militiæ, cui obediendum eſt etiam cum certo vitæ periculo.

At grave damnum eſt intrinſecum præcepto Judicis reum ſontem interrogantis de crimine: ergo grave damnum non tollit obligationem rei ſontis parendi præcepto Judicis interrogantis de crimine. Porro ſi tale damnum non tollit obligationem parendi præcepto legitimo, ne obligationem quidem tollit parendi præcepto, de quo dubitatur, utrum ſit legitimum. Quia præceptum tale, vim præcepti non amittit. Sicut enim lex dubia, quidquid contra probabiles dictitent, lex eſt; ita præceptum dubium, non deſinit eſſe præceptum.

Si grave damnum reo obedienti imminens, rationem ſuppeditaret deponendi dubium, & putandi, interrogationem eſſe illegitimam, obedire non teneretur: at grave damnum non ſuppeditat rationem deponendi dubium: ergo non liberat ab obedientia.

Judex pollet auctoritate interrogandi reum cum gravi ejus damno: in dubio autem, utrum legitime interroget, ejus auctoritas prævalet: quia in dubio, legitimi ſuperioris auctoritas ſemper prævalet.

Audiamus D. Auguſtinum lib. 22. contra Fauſtum, (Habetur can. 23. q. 1. c. 4. *Quid culpatur?*) *Ergo vir juſtus*, inquit, *ſi forte ſub Rege, homine etiam ſacrilego militet, recte poteſt illo jubente bellare, ſi civicæ pacis ordinem ſervans, quod ſibi jubetur, vel non eſſe contra Dei præceptum, certum eſt, vel utrum ſit, certum non eſt; ita ut fortaſſe reum faciat Regem iniquitas imperandi, innocentem autem militem oſtendat ordo ſerviendi.* Quid hic adverſarii? „ Reſpondere ſolent (inquit Anacletus t. 2. „ juris can. p. 192. n. 162.) rationem hanc, & allega-„ tum canonem procedere ſolum, quando conceſſa au-„ ctoritate legitimi ſuperioris, ſeu Judicis, dubium eſt, „ an res præcepta ſit licita, nec ne: ſecus autem, ubi „ dubitatur, an is habeat poteſtatem præcipiendi. “ Hæc reſponſio confirmat quod diximus. Judex enim legitima interrogandi poteſtate pollet? id in hac quæſtione ponitur, tamquam certum; illudque unum dubitatur, utrum legitime, hoc eſt licite interroget. Non de Judicis poteſtate, ſed de poteſtatis uſu dubitatur, utrum ſit licitus, ſeu legitimus, nec ne. Hoc porro dubium ab obedientia multo minus excuſat, quam dubitatio, utrum res præcepta liceat, nec ne. In hac enim altera dubitatione prior includitur. Certum enim eſt, ſuperiorem præcipientem res malas, ſua poteſtate abuti: at in priore dubitatione poſterior non includitur; quia fieri poteſt, ut ſuperior legitime non præcipiat, limites ſuæ poteſtatis prætergrediendo, & nihilominus res bonas præcipiat: ergo ſi ſuperiori obediendum eſt, ut ipſi adverſarii fatentur, cum dubitatur, utrum res præcepta liceat, nec ne; multo magis illi obediendum eſt, cum

Digitized by Google

illud tantum dubitatur, utrum ſua poteſtate legitime utatur.

At, inquiunt adverſarii apud eumdem Anacletum n. 160. in dubio favendum eſt reo. Reſp. Cum rei criterem dubium eſt, illi favendum eſt, ut non puniatur, non actori, ut puniatur. Hinc reg. juris 11. n. 6. *Cum ſunt partium jura obſcura, reo favendum eſt potius, quam actori*. At cum dubium eſt, utrum Judex legitime interroget, non reo, ut non reſpondeat, ſed Judici, ut reſpondeat, favendum eſt, uti oſtenſum fuit; neque allata juris regula, quæ de dubio inter actorem, & reum perſpicue loquitur, hic facit.

Animadversio XXXIX.

Si reum juridice quidem interroget Judex, ſed nonniſi ex falſa præſumptione delicti, v. gr. &c. poteſt reus (idem eſt de teſte), licet ſciat &c. id negare, ſi exiit quidem, non tamen facto delicto &c. Ita cum S. Thom. q. 69. ar. 1. Sot. &c.

Buſemb. in ſuæ opinionis patrocinium falſo appellat S. Thomam, qui loco cit. inquit, *quod ex debito tenetur accuſatus Judici veritatem exponere, quam ab eo ſecundum formam juris exigit*. Sed Judex ex falſa licet præſumptione delicti, nihilominus juridice interrogare ponitur: ergo reus veritatem Judici exponere tenetur. Hæc eſt legitima concluſio ex D. Thomæ doctrina profecta, & Buſembaum directe contraria.

At inquit Buſ. *Si Judex veritatem ſciret, non poſſet interrogare*.

Reſp. Ergo, quia Judex veritatem neſcit, interrogare poteſt. Sicut enim interrogatio in re nota locum non habet, ita contra in re ignota locum habet. Omnis quippe interrogatio eo natura ſua ſpectat, ut veritas ignota eliciatur.

Multo vero evidentius reus peccat, ſi veritatem, quod ipſi Buſemb. permittit, inficietur. Perinde quippe eſt falſum aſſerere, ac verum negare: utrobique mendacium manifeſtum admittitur; niſi quis velit ſolum affirmantem mentiri, non item negantem. Mendacium autem nunquam licet, etiamſi Judex contra juris ordinem interroget, ut docet D. Thom. loco mox cit. & nemo inficiari poteſt: ergo multo minus licet, cum Judex juridice interrogat. Maneamus in exemplo a Buſ. allato. Petrus præſumptus homicidii reus, qui tamen reipſa innocens eſt, ex certa domo ſtricto enſe exiit; interrogatus autem a Judice, utrum ex illa domo ſtricto enſe exierit, negat. Nonne Petrus aperte mendaciſſimus eſt, additoque juramento perjurus? Cur ergo Buſemb. Petrum liberat ab omni crimine? Undenam tam abſurdum commentum? *Quia*, inquit, *ſi Judex veritatem ſciret, non poſſet interrogare*. Reſp. Huic ſophiſmati mox reſponſum eſt. Sed hic non quærimus, utrum Judex poſſit, nec ne interrogare; ſed illud quærimus, utrum Petrus ſit mendax, & perjurus, nec ne? Buſemb. hic nihil ait; quia fortaſſe ponit, reſtrictiones mentales a novis opinatoribus confictas, & ab Innoc. XI. proſcriptas, de quibus lib. 3. c. 2. dub. 4. non eſſe mendacia, ſed prudens inventum. At Anacletus t. 2. juris can. p. 193. n. 171. & ſeq., licet poſt Innoc. XI. ſcripſerit, deſcriptam Petri negationem a mendacio immunem animoſe affirmat, quia talis negatio accepta juxta mentem Judicis, eſt, inquit, vera. Judex enim interrogando eo ſpectat, ut ſciat, utrum Petrus homicidii reus ſit; a quo reatu eum ſit immunis, vere negat, ſe ſtricto gladio ex domo exiiſſe; quia non exiit cum reatu homicidii. Reſp. Doctrina ſane mira, aperte ſophiſtica, & falſa. In eo ſophiſtice ratiocinatur Anacletus, ut finem, cujus gratia Judex interrogat, cum ſignificatione interrogationis juxta ejuſdem mentem acceptæ confundat; quæ tamen ſunt res longe diverſæ. Finis quidem Judicis interrogantis eſt, ut homicidii reum detegat; at ſignificatio interrogationis juxta ipſius mentem accepta, non alia eſt, quam quæ verba ex communi ſenſu habent. An Judices verba aliter accipiunt, ac communiter ſonant? Si Judex, dum ſimpliciter interrogat, utrum Petrus ex certa domo ſtricto enſe exierit, intelligat, utrum exierit cum reatu homicidii, apertam reſtrictionem mentalem admittit; quia ſuis verbis aliquid mente adjicit, quod in iis non continetur. Quid ineptius fingi poteſt, quam ut Judex ſuis verbis certum quid ſignificet, & aliud ſubintelligat? Hæc a tribunalium ſinceritate aliéniſſima ſunt; nec niſi falſo, & cum eorum injuria finguntur. Judex, ut in facti cognitionem veniat, de multis interrogat, gradatim progreditur, & cum interrogare vult, utrum Petrus homicidium fecerit, id ſuis verbis exprimit. Quod de allato exemplo dictum eſt, idem de aliis ſimilibus dicendum. Sempronius e. gr. centum florenos, quos mutuos mihi dedit, & poſt reſtitutos recepit, inique a me repetit; meque in judicium vocatum Judex interrogat, utrum mutuos a Sempronio centum florenos acceperim. Ego vero, ne inique reſtitutioni obnoxius ſim, id inficior. Quidquid Anacletus, aliique contra ſentiant, mendaciſſimus ſum, quia certam veritatem inficior. Sed hac de re conſule lib. 3. cap. 2. dub. 4.

Animadversio XL.

Etſi communior, & verior ſit ſententia S. Th. &c. probabile tamen eſt etiam quod &c. non teneri, ſaltem ſub mortali, in cauſis capitalibus &c. ſi ſit ſpes evadendi, & nullum &c. Tann. &c. ubi dicit, eſſe ſententiam valde probabilem, & in praxi tutam.

Quomodo in praxi tuta eſſe poteſt illa ſententia, cujus contraria communior, & verior eſt? An tutum, & periculoſum idem ſonant? An tutum eſt illud agere, quod eſſe peccatum, non ſolum probabile, ſed probabilius eſt? Hæc ſcilicet ſunt putida verſatilis probabilitatis commenta.

Exploſa igitur hac ſententia, prior, quæ fatente ipſo Buſemb. communior, & verior eſt, amplectenda eſt; quam docet D. Thom. loco a Buſemb. cit. ar. 1. & ſequuntur Gen. Theol. t. 7. p. 351. q. 4. Nat. Alexand. Theol. t. 2. p. 663. reg. 3. Catech. Concil. Trident. p. 3. de 8. dec. præc. Concina Theol. t. 4. p. 28. cap. 5. qui pro eadem plurimos nominatim citat, eamque unanimi fere conſenſu ab antiquioribus Theologis propugnatam fuiſſe, ait; illud quoque animadvertens, Sylveſtrum, & Leſſium a Buſ. pro contraria citatos, hanc eamdem defendere, licet Leſſ. contrariam non improbabilem appellet. Hujus ratio evidens ea eſt, quia juxta D. Paulum Rom. 13. v. 2. *qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit: qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt*; propoſitio fide tenenda eſt: at reus, qui Judici in cauſa capitali, & graviſſima legitime interroganti veritatem non aperit, poteſtati reſiſtit; aſſumptio eſt ex ſe evidens: ergo Dei ordinationi reſiſtit, & damnationem ſibi acquirit; concluſio legitima & perſpicua eſt. Ergo eſt certa, & perſpicua veritas, reum in cauſa capitali juridice interrogatum mortaliter peccare, ſi veritatem non confiteatur.

Adde, quod in cauſis civilibus, & alicubi etiam in criminalibus, ut obſervat Anacletus t. 2. juris can. p. 192. n. 164. reo, priuſquam interrogetur, juramentum de veritate dicenda imponatur; in qua hypotheſi reus veritatem non revelans, mortaliter peccat, non ſolum quia legitimæ poteſtati reſiſtit, ſed etiam quia perjurus eſt; ideoque duplicis mortiferi peccati reus eſt. Contrariæ Buſemb. rationes nihil ponderis habent. Nam lex humana, quæ mortis periculum vel præceptæ ex ſe annexum non habet, ut lex jejunii, Miſſæ die feſto audiendæ &c. eo aliunde imminente non obligat: id ſponte fateor, & affirmo. At lex humana, quæ ſuo præcepto periculum mortis ex ſe adjunctum habet, ut quæ militibus excubias, & pugnam præcipit, non eſt dubium, quin cum tali periculo obliget; quia ipſum periculum præcipit, dum rem periculoſam præcipit. Qui aſſerere audent, has leges cum tali periculo non obligare, neceſſe eſt, ut dicant, vel leges humanas in conſcientia non obligare, quod eſt erroneum, vel leges de quibus loquimur, non eſſe leges, ſed violentias, quod eſt temerarium.* Hoc alterum Buſembaum muſſitat, dum ait, inhumanum videri, ut qui convinci non poteſt, teneatur præbere arma contra ſe, quibus occidatur &c. nec tam heroicum actum præcipi poſſe. At hoc quid aliud eſt, quam antiquiſſimas, & ubique gentium vigentes leges carpere, & iniquitatis arguere? Quid aliud eſt, quam ſceleſtiſſimos homines a culpa immunes facere, quia ſceleribus aſtutias, fraudes, mendacia, perjuria adjiciunt? Quid aliud eſt, quam velle, homines graviſſimis injuriis patere, ut ſceleratiſſimis parcatur? Inhumanum quidem id videri poteſt animo muliebri, qui ſolo ſenſu tangatur, ut ſceleſtus homo fateri cogatur ſuum facinus morte dignum, non viro, qui ratione ducitur.

Hæc confeſſio, quia naturæ corruptæ difficilis eſt, præcipi non poſſe dicitur. Noſtri opinatores, leges omnium gentium legibus imponunt, quas, ſi non ſolum poſſibiles, ſed etiam faciles ſint, ex albo legum expungunt.

Si ita res eſt, ut ipſi ajunt, Principes ſubditis præcipere non poſſunt, ut contra hoſtes pugnent; quia res eſt valde difficilis, & heroica, ut homo ſuam vitam profundat. Quod ſi Principes ſubditis innocentibus militiam, & pugnam, unde plurimi pereunt, jure præcipiunt; multo juſtius ſceleſtis hominibus morte digniſſimis confeſſionem criminis, unde eorum mors oritur, imponunt. Deus (Joſue cap. 6.) ira in Iſraeliticum populum accenſus propter furtum ex anathemate Jerico factum, tum Joſue precibus placatus, hoc tulit præceptum cap. 7. verſ. 15. *Quicumque in hoc facinore fuerit deprehenſus, comburetur igni cum omni ſubſtantia ſua; quoniam prævaricatus eſt pactum Domini, & fecit nefas in Iſrael*. Miſſa juxta Dei vocem ſorte, primum tribus,

in qua

* Hoc eſt valde inconſideratum, & audax, quia omnium gentium leges damnat.

in qua ſcelus patratum fuerat, tum familia, ac demum Achan ſceleris auctor inventus fuit. His peractis *ait Joſue* (v. 19.) *ad Achan: Fili mi, da gloriam Domino Deo Iſrael, & confitere, atque indica mihi, quod feceris, ne abſcondas*. Quæro ego nunc, utrum Joſue præceptum, quo capitalis criminis confeſſio imponebatur, fuerit inhumanum; utrum confeſſio tam difficilis, & heroica præcipi non potuerit? An præcepta ad Dei gloriam, ad ſcelerum punitionem, ad publici boni tuitionem neceſſaria, inhumana ſunt, nec imponenda, quia difficilia? At inquis: præceptum confeſſionis criminis capitalis non obligat ſaltem ſub mortali, dummodo ex ejus tranſgreſſione nullum grave damnum, ut Buſemb. ait. Reipublicæ timeatur. Reſp. Hoc ſane perinde eſt, ac ſi Buſemb. diceret, hoc præceptum quandoque eſſe imponendum, quandoque non eſſe imponendum; confeſſionem criminis capitalis aliquando ad Dei gloriam, & publicum bonum eſſe neceſſariam, aliquando non eſſe; hujus neceſſitatis judicium contra Principum judicium, qui tale præceptum, & confeſſionem neceſſariam judicant, ideoque eam imponunt, homini ſceleſto, & reo in cauſa propria eſſe permittendum. Hæ ſunt adverſariorum rationes. „ Nemo unus (in hanc rem ait Concina Theol. t. 4. p. „ 42. n. 3. contra probabiles opinatores), ex inſtituto „ hanc quæſtionem ad mentem ſacræ Scripturæ, Patrum, „ & Catechiſmi Tridentini expendit. Ratio potiſſima, „ quam omnes afferunt, eſt evidenter falſa, nempe quod „ lex, & præcepta Principum legitime imperantium ea, „ quæ conferunt in conſervationem boni communis, „ non obligant cum periculo vitæ. Hoc ſiquidem manifeſte falſum eſt, ne quid plus dicam. Nulla itaque „ probabilitate fruitur contraria opinio; quia, ut communiter docent Probabiliſtæ, nequit probabile eſſe illud, quod conſtat certo eſſe falſum. "

Animadversio XLI.

Non ſemper opus eſt, juxta dicta reſp. 2. ut Confeſſarius reum urgeat ad crimen fatendum.

Imo juxta mox dicta contra Buſemb. ſemper neceſſarium eſt, ut Confeſſarius reum urgeat ad crimen, de quo juridice interrogatur, fatendum, etiamſi capitale ſit; alioqoin non eſt abſolvendus, quia a mortali peccato abſtinere non vult. Chriſtus Luc. 14. inquit: *Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum, & matrem, & filios, & fratres, & ſorores, adhuc autem & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus*: ergo reus criminis capitalis, ſi non oderit *animam ſuam*, hoc eſt vitam ſuam morte dignam, ſubmittendo ſuam voluntatem ordini a legibus præſcripto, non poteſt eſſe diſcipulus Chriſti, nec abſolutione dignus.

Animadversio XLII.

Imo probabile eſt, nec ante ſententiam ad id teneri, etiamſi &c.

Contrariam ſententiam eſſe communem, aſſerit Sanch. licet ipſe cum Buſ. ſentiat, poſt Sotum, Navarrum, & alios, ut ait Anacletus t. 2. juris can. p. 193. num. 170. Ratio eſt, quia Judicis præceptum ſi nondum impletum fuit, implendum eſt; multoque magis, ſi fuit violatum, ut injuria publicæ majeſtati illata reparetur. Reus, qui crimen occultatum, aut negatum ſponte non confitetur, in falſa, & injuſta occultatione, aut negatione, hoc eſt in peccato perſeverat. An licet perſeverare in peccato? An confeſſio criminis negati impoſſibilis eſt? An præceptum Judicis, vim obligandi amiſit, quia violatum fuit? Buſemb. nullam ſuæ opinionis rationem affert; quo tacite fatetur, ſuam opinionem aut nulla, aut futili ratione eſſe nixam, ſeu non niti niſi rationibus in 2. reſp. jam confutatis.

Animadversio XLIII.

Si quis ad evitanda tormenta gravia mentitus, falſum ſibi crimen impoſuit, non videtur mortale.

La-Croix p. 141. n. 1523. pro hac ſententia veluti probabili alios citat; „ ſententia tamen oppoſita, inquit, „ videtur probabilior, quam tenent etiam Con. Mol. & „ alii, ac probabiliorem fatetur Dicaſt. "eamque rationibus confirmat. Recte quidem, ſi, dum La-Croix hanc ſequitur, contrariam exploderet; at, dum contrariam non explodit, ſed eam ut probabilem habet, perinde eſt, ac ſi dicat: mihi quidem hæc ſententia videtur probabilior; quilibet tamen contrariam ſine culpa ſequi poteſt.

Hæc eſt illa verſatilis probabilitas, quam nos execramur, nec execrari unquam ceſſabimus. Nos ergo cum Nat. Alex. Theol. t. 2. p. 668. reg. 14. Buſemb. opinionem rejicimus. Et primo quidem certum eſt, reum in propoſita ſpecie eſſe perjurum, ideoque letiſere ſontem, ſi de veritate dicenda juramentum præſtitit; quia contra juramentum mentitur. Hac de re, quam tamen ſilentio premunt, ne probabiles quidem controverſari poſſunt.

Præterea falſum teſtimonium, etiamſi perjurium abſit, ex genere ſuo mortale eſt, ſi juſtitiæ contrarium ſit, ut docet Div. Th. 2. 2. qu. 70. art. 4. nec a mortali excuſari poteſt, niſi leviter noxium ſit: ſed qui ad vitanda gravia tormenta mentitus, falſum crimen morte plectendum ſibi imponit, pernicioſe, contra ac falſo ait Buſ. ſeu, contra juſtitiam in re graviſſima mentitur; ergo mortaliter peccat. Probatur aſſumptio contra Buſembaum. Nam licet hic reus ipſe ſibi injuriam non faciat, quia nemo ſibi injuriam facere poteſt, ut docet Ariſt. Eth. 5. cap. 11. & D. Th. 2. 2. q. 59. art. 3. ad 2., injuriam tamen inſignem irrogat Deo, cujus ſupremum dominium in hominum vitas enormiter lædit; & Principi, cujus judicium in re graviſſima pervertit, quemque contra ejus voluntatem, & legem homine privat.

Adde, quod tale mendacium caritatem graviſſime lædat. Si enim caritatem graviſſime læderet, qui ad vitanda gravia tormenta falſum capitale crimen alteri imponeret, multo magis eam graviſſime lædit, qui illud ſibi imponit; quia quilibet ex ordine caritatis magis ſeipſum, quam proximum diligere tenetur. Illa ergo Buſemb. ratio, „ quia non eſt mentitus pernicioſe, cum „ non teneatur tantis tormentis vitam conſervare: " hæc, inquam, ratio ex duplici capite ſophiſtica eſt; primo quia ex dictis tale mendacium revera pernicioſum, ſeu injuſtum eſt; ſecundo, quia etſi pernicioſum non eſſet, nihilominus eſſet mortale, quia eſt caritati graviſſime contrarium. At „ non tenetur tantis tormentis vitam conſervare. " Reſp. aliud eſt, quod quis gravibus tormentis vitam conſervet, qua de re contra Buſemb. & La-Croixium dictum eſt lib. 3. tract. 4. cap. 1. dub. 1. ca. 6., aliud, quod quis poſitive mortem ſibi moraliter loquendo inferat, ut gravia tormenta vitet. Nam etſi primum liceret, quod tamen ex dictis loco citato non licet, alterum tamen non eſſet permiſſum; quia poſitive mortem ſibi inferre, res eſt ea natura ſua mala, non item mortem aliunde obvenientem pati; at qui capitale falſum crimen ſibi imponit, ille ſibi moraliter loquendo mortem infert: ergo id licere non poteſt ad gravia tormenta vitanda. Quia ex Ap. Rom. 3. v. 8. mortale peccatum eſt, facere mala, ut veniant bona. Hinc D. Th. 2. 2. q. 125. a. 3. ait: *Si enim aliquis propter timorem, quo refugit periculum mortis, vel quodcumque aliud temporale malum* (gravia tormenta) *ſic diſpoſitus eſt, ut faciat aliquid prohibitum, vel prætermittat aliquid, quod eſt præceptum in lege divina, talis timor eſt peccatum mortale*: falſum teſtimonium eſt prohibitum in lege divina: ergo qui propter timorem gravium tormentorum, falſum teſtimonium dicit, mortaliter peccat; multoque magis, ſi falſum teſtimonium mortem ſit vel dicenti, vel aliis allaturum.

Animadversio XLIV.

Talis non tenetur poſtea crimen revocare, quamvis antea &c. ſi prudenter metuit &c.

Hæc reſolutio eſt conſectarium doctrinæ, quam tradidit in reſp. 3. Sicut ergo doctrina in reſp. 3. a Buſemb. tradita, ex mox dictis contra ipſum falſa eſt, & rejicienda, ita quoque præſens reſolutio. Videlicet tenetur reus revocare cauſam, quam ipſe præbuit, iniquæ mortis Deo, & Principi injurioſam, atque caritati graviter contrariam; in qua quamdiu permanet, permanet in voluntate iniquæ mortis, hoc eſt in mortali peccato.

Animadversio XLV.

Si quis tamen ſequatur .... ſententiam, quæ negat &c. is conſequenter exiſtimare poterit, denuntiantem ... obligatum non eſſe ad revocationem, quia inutilis.

Sponte fateor, lege non præcipi rem vanam, & inutilem; ideoque ſi conſtet, revocationem calumniæ eſſe inutilem, ea ſub legem non cadit. At undenam conſtat calumniæ revocationem in ſpecie a Buſemb. propoſita eſſe inutilem? Docente Tanneto, ipſoque Buſembaum (*licet ipſe recte cenſeat* &c.) conſentiente, minus probabile eſt, revocationem eſſe inutilem: ergo juxta ipſos probabilius eſt, eam eſſe utilem. Et ſane ſi teſtis, alterius crimen in ejus damnum, ſuique ipſius commodum denuntians, fidem invenit; multo magis fide dignus eſt, dum crimen in alterius gratiam, & defenſionem contra ſeipſum revocat: præſertim cum tormentorum vi denuntiaverit, nunc autem ſponte revocet. An, teſtimonium dum revocat, fide dignus non eſt, quia ſibi contrarius? Ergo ne denuntiatio quidem fide digna eſt, quia revocationi contraria, imo denuntiatio multo minus, tum quia coacta, tum quia denuntianti commoda, revocatio vero ſpontanea, & revocanti incommoda. Quocumque te vertas, certum videtur, nedum probabilius, denuntiatio-

nem criminis, revocatione elidi. Ergo non ſolum probabilius, ſed certum eſt, revocationem eſſe neceſſariam, uti habet communis ſententia.

Reſtitutio damni illati, lege naturali, & divina præcipitur, a qua reſtitutione non eximit niſi impotentia. Hinc illud S. Auguſt. ep. 54. ad Maced. (habetur cap. 14. qu. 6. c. 1.) *Non remittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum, ſi (ut dixi) reſtitui poteſt.* Porro damnum falſa criminis denuntiatione illatum, revocatione reſtituitur, ſicut damnum pecuniæ, ejuſdem pecuniæ redditione: ergo a revocatione non excuſat, niſi revocandi impotentia, ſicut a pecuniæ ablatæ redditione non excuſat, niſi reddendi impotentia. Qui fingunt, revocationem eſſe inutilem, rerum ordinem, & naturam pervertunt, ut legem reſtitutionis eludant, non ſecus ac qui pecuniæ ablatæ redditionem inutilem comminiſcerentur, quia redditur diviti prodigo, aut avaro. Contraria igitur opinio a Buſ. relata, nec improbata, repudianda omnino eſt.

A N I M A D V E R S I O XLVI.

Monet idem Tann. n. 105. cavendum eſſe Confeſſario, ne vel importune ſæpius reo damnato inculcet retractationem denunciationis iniquæ factæ.

Hoc eſt corollarium opinionis communi ſententiæ adverſantis, & falſæ, quam ca. 3. proxime antecedenti Buſ. retulit, nec improbavit. Hæc eſt verſatilis illa probabilitas, quam nos nunquam ſatis execrari poſſe putamus. Paucis dicimus: falſum antecedens, ergo falſum conſequens: antecedens præſentis opinionis eſt falſum, ut mox oſtenſum eſt: ergo præſens opinio falſa eſt.

Buſemb. vult, iniquum denuntiatorem damnatum, eſſe monendum de retractatione, veluti de opere ſupererogatorio, non præcepto; ideoque ſæpius, & importune non eſſe illi inculcandam, quaſi ſine ipſa ſalvus eſſe poſſit; quod ex dictis eſt falſum. At fingamus probabile eſſe, iniquum denuntiatorem retractatione non teneri, contrarium vero eſſe tantum probabilius, quid tum poſtea? Buſemb., quia morte damnatus eſt, ne onus oneri addat, illum monet quidem retractationis, at ſi alienum deprehendat, ab ea illum liberat. Ego vero contra contendo, iniquum denuntiatorem eo ipſo, quia morte damnatus eſt, eſſe non ſolum monendum, ſed cogendum ad retractationem; quia juxta ipſos verſatiles opinatores in dubiis tempore mortis tutiora neceſſario ſequenda ſunt.

Multa ſunt in hac Buſemb. opinione abſurda. Primo, quod non ſolum vitæ, ſed etiam mortis tempore minus probabilia, & tuta ſequatur; ſecundo, quia Confeſſarius contra ſuam probabiliorem ſententiam opinioni minus probabili pœnitentis ſeſe accommodet. Tertio quia Confeſſarius hunc pœnitentem ſine retractatione abſolvens, opinionem ſequitur minus probabilem quoad valorem ipſius ſacramenti: contritio enim, & propoſitum non peccandi ad ſacramenti pœnitentiæ valorem pertinent: minus autem probabile eſt, iniquum denuntiatorem, qui denuntiationem revocare renuit, habere contritionem, & propoſitum non peccandi, ſi probabilius eſt, ut Buſemb. ipſe fatetur, revocationem eſſe neceſſariam, & revocationis omiſſionem eſſe peccatum; ideoque certum eſt, Confeſſarium, qui hunc pœnitentem ſine retractatione abſolvit, ſequi opinionem minus probabilem, quoad valorem ipſius ſacramenti, quæ eſt propoſ. 1. ab Innoc. XI. proſcripta. Itaque Confeſſarius, qui Buſembaum ſequitur, & æternæ ut minimum dubiæ damnationis pœnitentis, & ſacrilegæ abſolutionis reus eſt. Hæc eſt verſatilium opinionum utilitas. Ergo Confeſſarius neglectis probabilibus audiat D. Paulum 2. ad Tim. 4. *Prædica verbum, inſta opportune, importune* (quidquid Buſemb. contradicat) *argue, obſecra, increpa in omni patientia, & doctrina.* Quod ſi hujuſmodi rei calumniatores, aliique mali pœnitentes *ſanam doctrinam non ſuſtineant, ſed ad ſua deſideria coacervent ſibi magiſtros prurientes auribus*, qui noſtro miſero ſæculo plurimi ſunt, ſine abſolutione dimittendi ſunt; *ne ſi cæcus cæcum ducat, ambo in foveam cadant*, Matth. 15. v. 14.

A N I M A D V E R S I O XLVII.

Si omnino occulti ſint, nec &c. non poteſt, nec tenetur.

Hactenus recte: quia revelatio complicum, qui ſunt omnino occulti, eſt aperta detractio. At Buſemb. addit:

Si tamen vi tormentorum coactus prodat, ordinarie non peccabit.

Hujus porro ſui dicti nullam rationem affert, ſed ſolum citat Leſſ. & Laym., qui (Laym.) loco a Buſemb. citato nihil habet, imo hac de re non loquitur; & ne tract. quidem 6. cap. 5., ubi de reo agit, hanc doctrinam, niſi mei me oculi fefellerunt, tradit. Leſſium, quem conſulam, in promptu non habeo. An probandus Buſemb. qui ſine ratione loquitur, unde verſatilis opinatoris incerta fide nixus? Dum Buſemb. ait, reum vi tormentorum prodentem complices omnino occultus, ordinarie non peccare, perinde eſt, ac ſi dicat, hominem vi tormentorum violantem legem Dei, & naturæ, ordinarie non peccare; quia revelatio complicum omnino occultorum eſt aperta detractio, Dei, & naturæ lege vetita, non ſecus ac adulterium, perjurium &c. An qui tormentorum vi legem Dei, & naturæ violat, ordinarie non peccat? An Dei, & naturæ lex deſinit eſſe lex, cum vis tormentorum contra ipſam urget? An Chriſtus voluit, ſuam, & naturæ legem non obligare, cum tormenta vim nobis injiciunt? Imo Joan. 20. v. 25. contrarium aperte docet, cum ait: *Qui amat animam ſuam, perdet eam;* & Luc. 14. ubi inquit: *Si quis venit ad me, & non odit patrem*, &c. *adhuc autem & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Hinc D. Th. ſupr. cit. 2. 2. q. 125. a. 3. ita loquitur: *Si enim aliquis propter timorem, quo refugit periculum mortis, vel quodcumque aliud temporale malum, ſic diſpoſitus eſt, ut faciat aliquid prohibitum, vel prætermittat aliquid, quod eſt præceptum in lege divina, talis timor eſt peccatum mortale.* Quid his rationibus objici, qua ratione Buſemb. defendi poſſit, ego ſane non video.

A N I M A D V E R S I O XLVIII.

Licet etiam ſaltem in foro conſcientiæ cuſtodes &c. decipere, tradendo v. g. &c.

Cum Buſem. ait, *ſaltem in foro conſcientiæ*, videtur ponere, id poſitivis Principum legibus eſſe vetitum, & nihilominus quoad conſcientiam licere. Hinc porro fit, ut juxta Buſembaum, vel juſtæ Principum leges in conſcientia non obligent, quod apertiſſimis Scripturæ oraculis ſæpe citatis repugnat; vel ut leges Principum vetantes decipi cuſtodes carcerum, non ſint juſtæ, quaſi leges, quæ publicum bonum ſpectant, quia ſontibus, ac ſceleſtis hominibus duræ ſunt, non ſint juſtæ. Hæc eſt Buſemb. doctrina.

Præterea cuſtodes carcerum, ut quoſcumque alios decipere, res eſt lege naturæ vetita: decipere enim nihil aliud eſt, niſi mendacibus verbis, aut factis fallere: at mendacibus verbis, aut factis fallere, res eſt lege naturæ vetita: hinc D. Th. 2. 2. q. 111. art. 1. ait: *Sicut veritati opponitur, quod aliquis per verba exteriora aliud ſignificet, quam quod habet apud ſe, quod ad mendacium pertinet; ita etiam opponitur veritati, quod aliquis per aliqua ſigna factorum, vel rerum aliquid ſignificet contrarium ejus, quod in eo eſt, quod proprie ſimulatio dicitur. Unde ſimulatio proprie eſt mendacium quoddam in exteriorum ſignis factorum conſiſtens. Non refert autem, utrum aliquis mentiatur verbo, vel quocumque alio facto, ut ſupra habitum eſt. Unde cum omne mendacium ſit peccatum, ut ſupra dictum eſt, conſequens eſt etiam, quod omnis ſimulatio ſit peccatum.*

Ergo decipere, res eſt lege naturæ vetita. Reus carcere detentus, cibum, potumque ſub ſpecie ſimplicis cibi, & potus cuſtodi tradit, cum tamen non ſimplicem, ſed ſoporiferum cibum, & potum præbeat, ut ille deceptus ſopiatur: quis dubitet, quin ſimulet, & mendax ſit, ideoque peccet? Buſemb. qui reſtrictiones mentales ab Innoc. XI. proſcriptas defenſavit, factorum quoque deceptiones, ſeu mendacia, ut ſibi conſtet, defendit. At proſcriptis reſtrictionibus mentalibus factorum quoque deceptiones proſcriptæ intelliguntur. Nec enim reſtrictiones mentales proſcriptæ ſunt, quia in verbis conſiſtunt, ſed quia mendacia ſunt: ergo cum deceptiones factorum mendacia ſint, proſcriptis reſtrictionibus mentalibus hæ quoque proſcriptæ intelliguntur.

Item vincula, & carceres effringere.

Idem docet, & ponit La-Croix p. 142. n. 1528. Fugere quidem reo ad mortem condemnato licet, ut docet D. Th. 2. 2. qu. 69. art. 4. ad 2. „ At, ut fuga licita „ ſit, debet fieri abſque ulla fractione portarum, aut „ murorum, aut cancellorum carceris; quia tales effra„ ctiones, injuriæ aliquam ſpeciem inferant Reipubli„ cæ, & a legiſlatoribus civilibus prohibentur, & ſe„ vere etiam puniuntur. *De his*, inquit lex, *qui carcere* „ *effracto evaſerunt, ſumendum ſupplicium, divi fratres* „ *reſcripſerunt.*" Ita Genettus Th. t. 7. p. 355. q. 7. At Buſemb. tales prohibitiones, & pœnas quoad conſcientiam pro nihilo habet. „ Id enim fit, inquit, quod le„ ges, & Magiſtratus quidam contraria ſententiam ſe„ quantur, vel ex præſumptione, quod vim intulerint „ cuſtodibus, vel quod propter bonum Reipublicæ ea „ pœna ſtatuta ſit." Nihil ſane abſurdius dici poteſt.

An Principes ſuis legibus in conſcientia non obligant, ſi aliter ſtatuant, ac multi opinatores ſentiunt? At id ſonant illa Buſemb. verba: *Id enim fit, quod leges, & Magiſtratus quidam contrariam ſententiam ſequantur.* An leges, & Magiſtratus ex præſumptione, non ex certa delicti ſcientia reos puniunt? Id nihil aliud eſt, niſi leges, & Magiſtratus injuſtos pronuntiare; at id aſſerit Bu-

Buſem. dum ait: *Vel ex præſumptione, quod vim intulerint cuſtodibus*. Leges ergo carcerum effractionem prohibent, & pœnas effractoribus imponunt propter bonum Reipublicæ; ex quo fit, ut hæ leges juſtiſſimæ ſint, ideoque obligent in conſcientia.

Carceres ſunt Principum domus, non ubi habitant, ſed ubi reos detinent, principatui non minus neceſſariæ, quam aliæ publicæ domus: ergo ſicuti effractio aliarum publicarum domorum Principi injurioſa eſt, damnoſa, & mala, ita carcerum effractio; eoque magis, quod poſitivis quoque legibus prohibeatur, & puniatur. An ſi effractio carcerum quoad alios mala eſt, quoad ſontes iis detentos eſt permiſſa? An ſontes, ſceleſtique homines legibus quoad conſcientiam ſoluti ſunt? An dum carceres effringunt, injuriam Principi non irrogant, ejus leges non violant, jure non puniuntur? Jure enim punire non poſſunt, niſi propter culpam. At Buſemb. contra ita ratiocinatur: cui finis eſt licitus, etiam media ſunt licita: finis effractionis, hoc eſt fuga, reo licitus eſt: ergo etiam effractio eſt licita. Reſp. Propoſitio abſolute accepta eſt evidenter falſa: evidens enim eſt, ad finem licitum perveniri non poſſe per malas, turpeſque vias: propoſitio Buſemb. includit impium illud politicum effatum, quo honeſtum, & juſtum eſſe dicitur, quidquid ad dominationis conſervationem, aut etiam amplificationem confert. Ex propoſitione tam abſurda, & evidenter falſa colligito, utrum vera eſſe poſſit concluſio ex ea ducta.

P. Zach. Hic primum mihi objicit Dominicum Sotum, qui de juſt. & jure lib. 5. q. 6. a. 4. ita loquitur. „ Cum legum conditores civiles non ſint ſpiritualium „ Judices, ut perpendere valeant culpas in foro con„ ſcientiæ; nihil mirum, ſi putent eſſe culpam, ubi „ culpa non eſt. “ Reſp. concedo; at quid inde? „ Igi„ tur, Sotus concludit, vel illam ſunt opinionem ſe„ cuti, quod per ſe effringere carceres letalis culpa „ ſit, vel ſuas leges in præſumptione fundavere. ”

Ipſe Sotus hoc eodem loco contra opinionem ſuam fatetur, validiſſimum moveri argumentum ex jure civili, quo pœna capitis effractoribus carcerum decernitur, ut patet, inquit, ſſ. de effract. lege de his &c.

Reſp. Nego conſequentiam. Nam civiles legum conditores non ſolum jure puniunt crimina, quæ ex ſua ipſorum natura talia ſunt, ſed etiam ea, quæ meram ſuarum legum violationem continent. An hæc veri nominis crimina non ſunt? An eorum leges conſcientiam non ligant, niſi res præcepta, aut vetita, naturæ, aut divino jure præcipiatur, aut prohibeatur? Hoc aſſerere idem eſt, ac apertiſſimis Scripturarum oraculis ſæpe a me citatis, & civilis Societatis juri obluctari.

Quod ſi leges ex mera criminis præſumptione pœnas irrogare affirmes, iis injuriam facis. Pœna enim non præſumpto, ſed ſolum certo crimini jure infligitur. Quare illud quoque negatur, quod Sotus ſubdit. „ Præ„ ſumitur enim vis ſemper illata Cuſtodibus, & reſi„ ſtentia, ubi vere ineſt culpa. “ Reſp. qua ratione id præſumitur? En Soti ratio. „ Et ideo additur in „ dictis legibus. Si quis conſpiratione facta cum cæte„ ris, carceres effregerit: ubi vis, & reſiſtentia Cuſto„ dibus illata inſinuatur. “ Reſp. Conſpiratio cum cæteris carcere detentis fit, ut fractio ſine impedimento effici queat, nec ullam vim Cuſtodibus illatam aut includit, aut infert, aut neceſſario inſinuat. Perge, mi Zach., referre reliqua. „ Subditur autem ibidem, ait „ Sotus: qui per negligentiam Cuſtodum evaſerint, „ levius puniantur. “

(Reſp. Ergo leges ipſam fugam, nedum fractionem, culpabilem ponunt; quia eam puniunt.) „ Et intel„ ligendum eſt, ſi vincula, aut carceres rumpe„ rent, “

Reſp. Quomodo id intelligendum eſt, ſi leges id nec exprimunt, nec inſinuant? „ Nam alias profecto nul„ la eſſet æquitas, cum citra controverſiam nulla ſit „ illic culpa. “ Reſp. Nulla eſt culpa, ſi de reis capitali ſententia damnatis ſermo ſit, de quibus leges non ſunt intelligendæ, (quid enim *levius* eos puniant, quos morte mulctatos volunt?) Sed de aliis.

„ Tametſi qui fugit, eo ipſo criminis fit jure ſuſpe„ ctus. “ Reſp. Eſto: at ex criminis ſuſpicione nemo jure punitur, ſed ſolum ex certo crimine. Ergo ipſa fuga crimen ponitur, & reipſa crimen eſt, quia vetita.

„ Subdit autem eadem lex in eos, quod ſi effractores „ invenirentur poſtea innocentes ex eo crimine, pro„ pter quod impacti ſunt in carcerem, tamen punien„ di ſunt. Ergo, ut mox concluſi, ipſa fractio, cri„ men eſt.

Nam ſi Principatus terebrationem carceris nec prohibeat, nec puniat, ſed toleret, Confeſſarius, ut mihi videtur, ſcrupulum movere non poteſt.

Minime, inquit Sotus, qui ſubdit. „ At vero leges, „ ut dictum eſt, ſemper præſumunt reſiſtentiam. Alias „ revera innocentibus nulla eſt culpa, vincula lacera„ re, nec terebrare parietes. “ Reſp. Illud *nec terebrare parietes* non concedo, ut oſtendi hic in animadverſione. Cæterum etſi culpa eſſe non dicatur ſpectato jure naturæ, culpa tamen eſt ſpectato jure poſitivo, cui ſi leges loci eam prohibeant, aut puniant, terebratio repugnat.

Habes ne, mi Zach., aliud, quo me petas? „ Hic „ ſermo eſt, inquis, non de re præcepta, aut ve„ tita, ſed de pœna. Leges, quæ aliquid aut præ„ cipiunt, aut vetant, obligant in conſcientia: quæ „ ſolum pœnam in aliquod factum conſtituunt ex præ„ concepta opinione, quod in eo culpa ſit, efficere „ nunquam poſſunt, ut quod ſine culpa fieri poſſe DD. „ communiter cenſent, ſine culpa non fiat. “

Reſp. An ſi leges, quæ aliquid vetant, in conſcientia te fatente obligant, leges, quæ puniunt, non obligant? An dum puniunt, non vetant? Imo ipſa pœna Principis prohibitionem apertius, & fortius declarat, quam ſi lex diceret, *prohibemus*, *vetamus*.

Dum vero addis *ex præconcepta opinione*, *quod* &c., leges lædis, eaſque injuſtas eſſe, tacite innuis. Pœna enim, quæ ex præconcepta culpæ opinione, non ex vera, & certa culpa infligitur, injuſta eſt. Leges lædis, quia earum vim, tuorum opinionibus obnoxiam quoad conſcientiam facis. Leges demum lædis, quia, ſi te audiamus, dum vetant aliquid, quod natura ſua malum non ſit, conſcientiam non ligant. Leges naturali quidem, divinoque juri conformes eſſe debent; at non deſinunt eſſe leges, quia aliquid præcipiunt, aut vetant, quod naturæ, Deique jure nec præcipitur, nec vetatur. An hæc ignoras?

„ Hiſpanicæ leges, ſubdis, publica flagellatione fu„ gientes e carcere puniunt, etſi carceres non effrege„ re, quemadmodum Suarez, Arriaga, aliique teſtifi„ cantur. Tu tamen negas, fugam ſine ulla fractione „ illicitam eſſe. “

Reſp. Imo id affirmo, & explicate affirmo animad. XLIX. ſubſequente; idque ſolum hic nego quoad reos capitali ſententia damnatos. En verba mea: *Fugere quidem reo ad mortem condemnato licet, ut docet D. Th.* a. 2. &c. Cur me impugnas, ſi meam apertam mentem aſſecutus non ſis, aut ne mea quidem dicta legeris?

Nunc meam illam rationem, *Carceres ſunt Principum domus* &c.: *ergo ſicuti effractio* &c., *ita carcerum effractio*, impetis, conſequentiam, & paritatem negando. „ Injurioſa eſt, inquis, Principi prior illa effractio, quia „ nullum jus eſt ad eam effractori: injurioſa Principi „ poſterior non eſt, quia qui jus habet ad fugam, ha„ bet etiam ad carceris effractionem. “

Reſp. Hæc tua argumentatio, illa Buſembau doctrina a me refutata, *cum finis eſt licitus, etiam media ſunt licita*, veluti fundamento nititur: ergo tua argumentatio ipſa corruit; quia fundamentum, quo innititur, labefactatum eſt. Minime vero, inquis. Buſembau doctrina, ais, & ratio firma ſubſiſtit. Rationem quæſo omiſſa garrulitate affer. „ Nempe Buſemb., ais, „ ceterique loquuntur de mediis ad finem omnino ne„ ceſſariis, nec aliunde illicitis. “ Reſp. Undenam id colligis? Hic vero, mi Zach., obmuteſcis. Sed tua ipſius, & Buſ. defenſio præclara ſane eſt, cum ratiocinando efficere velis, ut carcerum effractio liceat, quia licet. Hæc non eſt ratiocinatio, ſed aperta petitio principii. Nimirum cum ais, *qui jus habet ad fugam, habet etiam ad carceris effractionem*, aut ratam habes Buſembau doctrinam, prout ſonat, & prout a me accepta eſt, aut male, & ſophiſtice argumentaris, cum jus ad fugam habenti, jus quoque tribuis ad carceris effractionem.

Sed ad id demum, cujus tua garrulitas oblivionem mihi pene ingeſſerat, veniendum eſt. Scripſi: *Leges ergo carcerum effractionem prohibent, & pœnas effractoribus imponunt propter bonum Reipublicæ, ex quo fit, ut hæ leges juſtiſſimæ ſint, ideoque obligent in conſcientia.*

An, mi Zach., hic quoque aliquid mihi objiciendum putas? Maxime, inquis. Hoc, ais, „ minus adcuratum „ eſt. Bonum Reipublicæ poſtulat, ut qui rei ſunt, „ cuſtodiantur; nec tamen reis nondum damnatis (de „ his enim heic loquimur) e carcere fugere illicitum „ eſt. “

Reſp. Eximie more tuo. Sermo eſt de effractione, *leges ergo* &c. *carcerum effractionem* &c.; tu vero de fuga loquens, *e carcere fugere* &c.

Buſembaum, & ego, qui ejus opus ad trutinam voco, de reis abſolute agimus, (qua de re conſule Buſ. art. 2. dub. 7., in quo immoramur) tu vero ad eos ſermonem coarctas, qui nondum damnati ſunt: *de his enim*, inquis, *heic loquimur*.

At quæſo, ſi Reipublicæ bonum poſtulat, ut rei cuſtodiantur, & Reſpublica præcipit pœna impoſita, ne fugiant; qui fugere licet? Vel hujuſmodi lex boni publici cauſa lata, injuſta eſt; vel juſtæ legis violatio innoxia eſt. Mi Zach., vix dici poteſt, quam involute, & male loquaris. Sed perge.

„ Hinc quum in Hiſpaniis fuga publica flagellatio„ ne caſtigatur, ut modo ajebam, hæc non tam pro„ prie punitio eſt, & in admiſſum etiam pœna, quam „ coercitio quædam, ut rei a fuga deterreantur.

Reſp. Quo fundamento id aſſeris? Nullo. Ergo ex arbitrio loqueris.

Coercitio eſt, non pœna, ſi furioſus carcere includatur, ſi ira ardens vi retineatur, ne noceat; at flagellatio rei e carcere fugientis, quæ præter graviſſimum dolorem, & corporis detrimentum, infamiam quoque infert, ex communi, & vero hominum ſenſu non ſolum pœna eſt, ſed graviſſima pœna; quæ ſi abſque admiſſo crimine infligatur, injuſta eſt. Si autem juſta ſit, neceſſe eſt, ut crimen præceſſerit, hoc eſt, ut ipſa fuga crimen ſit. Quo jure rei fugientes a fuga publica flagellatione deterrendi ſunt, ſi fuga eſt innoxia? Si fuga innoxia eſt, ne verbis quidem ab ea deterrendi ſunt, nedum publica flagellatione. Itaque inaniter addis: „ id ergo probandum tibi eſſet, ejuſmodi le„ gibus bono Reipublicæ latis non fieri, niſi pœna in „ carcerem effractores conſtituta, proprie pœna ſit, „ non autem ratio quædam ad reos in cuſtodia deti„ nendos adcommodata. Niſi enim id effeceris, leges „ illæ juſtiſſimæ eſſe poſſunt, quin tamen in conſcien„ tia obligent. “ Hæc inquam inania ſunt, & ſophiſtica verba; quia pœnam proprie loquendo nullam eſſe ponunt, niſi crimen præceſſerit. Hæc tua notio, mi Zach., eſt juſtæ pœnæ, non pœnæ abſolute. Hinc D. Auguſt. lib. 3. de libero arb. cap. 18., quod commemorat quoque Retract. l. 1. c. 9. inquit. *Omnis autem pœna, ſi juſta eſt, peccati pœna eſt, & ſupplicium nominatur. Si autem injuſta pœna eſt, quoniam pœnam eſſe nemo ambigit, injuſto aliquo dominante, homini impoſita eſt.*

Animadverſio XLIX.

Illis, qui non ſunt miniſtri juſtitiæ, licet non ſolum conſilio juvare reum, ut fugiat, ſed etiam ſuppeditatis inſtrumentis &c.

La Croix p. 142. n. 1527. Buſemb. ſententiam ita reſtringit. „ Dicaſt. l. 2. t. 1. d. 6. n. 88. putat, proximis „ conſanguineis, nempe patri, conjugi, fratri rei licitum eſſe juvare eum in effringendo carcere; quia „ cenſentur una cum ipſo perſona. Addit n. 89. idem „ licere alteri, qui certiſſime timet, ne a reo prodatur, „ & ſimiliter incarceretur, quia liberando reum, cen„ ſetur liberare ſeipſum.

Dum Buſ. & La-Croix ita loquuntur, ponunt tanquam certum, cuicumque reo e carcere elabi, ſi poſſit, licere. Undenam hæc poſitio orta ſit, aut quo fundamento nixa, latere me fateor; ipſi enim nullam rationem afferunt.

Audiendus ergo eſt angelicus Præceptor, & quod ejus doctrinæ, a qua recedere periculoſum eſt, conſentaneum videbitur, illud in præſenti quoque ſpecie ſentire rationabile erit. Ille autem 2. 2. qu. 69. art. 4. ad 2. de reo non quocumque, ſed morti condemnato ita loquitur. *Ad ſecundum dicendum, quod nullus ita condemnatur, quod ipſe ſibi inferat mortem, ſed quod ipſe mortem patiatur. Et ideo non tenetur facere id, unde mors ſequatur, quod eſt manere in loco, unde ducatur ad mortem: tenetur tamen non reſiſtere agenti, quin patiatur quod juſtum eſt eum pati: ſicuti etiam ſi aliquis ſit condemnatur, ut fame moriatur, non peccat, ſi cibum ſibi occulte miniſtratum ſumat; quia non ſumere eſſet ſeipſum occidere.* S. Doct. reo tantum morti addicto fugam e carcere permittit: ergo juxta ejus mentem aliis reis talis fuga non eſt permiſſa. Ratio S. Doctoris, cur reo morti addicto e carcere fugere liceat, ea eſt, *quod nullus ita condemnatur, quod ipſe ſibi inferat mortem, ſed quod ipſe mortem patiatur*; ideoque e carcere fugere ei licet, quia fugiendo, condemnationi non reſiſtit: at qui ad carceres damnantur, fugiendo condemnationi reſiſtunt: ergo ex mente S. Doctoris eis non licet fugere. Præterea ex S. Thoma reus morti juſte adjudicatus mortem pati tenetur, ut patiatur quod juſtum eſt eum pati: ergo carceri quoque mancipatus, carcerem pati tenetur, ut quod juſtum eſt patiatur: at fugiendo, carcerem non patitur, nec patitur quod juſtum eſt, eum pati: ergo fugiendo, ex D. Thomæ mente peccat. Hoc confirmatur ex Ap. Rom. 13. dicente: *Qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit, & ipſe ſibi damnationem acquirit*: at qui e carcere, cui juſte mancipatus eſt, elabitur, poteſtati reſiſtit, quatenus divinitus inſtituta eſt *ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum*: ergo fugiendo peccat. Mea tamen ratiocinia ſolido aliorum examini ſubjicio.

Quod ſi reis carceri tantum, non morti damnatis fuga licere non videtur, nemini quoque eos juvare licet, ut fugiant etiam ſine carceris effractione. Nam cum carceris effractio nulli reo ex dictis ea. 3. liceat, nemo ſuppeditare poteſt inſtrumenta, quibus carcer effringatur; quia nemo alterius culpæ cooperari poteſt.

Animadverſio L.

Ut ad confeſſionem ... reum non admittant, niſi poſtquam in foro profano res ſunt liquidæ: vix enim &c.

Cum Confeſſarius reum ſollicitare debeat, ut ſua peccata confiteatur, non intelligo cur ad confeſſionem admittendus non ſit, niſi poſtquam in foro externo res ſunt liquidæ; imo confeſſio prævertenda eſt, ut ſacramenti gratia animatus rite præſtet quæ ad forum externum pertinent. Peccatori Eccli. 5. v. 8. dicitur: *Ne tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem.*

Ex quo Confeſſarius intelligere debet, peccatorem confiteri ſua peccata, hoc eſt converti ad Dominum volentem prompto, hilarique animo eſſe admittendum. Dei gratia, ſine qua nemo rite confitetur, omnia impedimenta amoliri poteſt. Timor Confeſſarii, ne reus, priuſquam abſolverit quæ ad forum externum ſpectant, ſit imparatus, major merito erit, ſi reus in fori externi negotio peccata peccatis addat. Hic timor Confeſſarium cautum, ſollicitumque efficere debet, non procraſtinatorem, unde majora impedimenta peccatoris converſioni oriri facile poſſunt.

Animadverſio LI.

Etſi quidam Auctores permittant Judici uti dolis bonis ad crimen eliciendum &c.

Doli boni ſunt res contradictoriæ. Si enim doli ſunt, boni non ſunt; ſi autem boni, non ſunt doli. Dolus enim (niſi per catachreſim accipiatur, ſicuti ab Ap. 2. ad Cor. 12. acceptus fuit, cum dixit, *cum eſſem aſtutus, dolo vos cepi*) ad aſtutiam pertinet, & in verbis, aut factis mendacibus, & ſimulatis ad decipiendum ordinatis ex D. Thom. 2. 2. qu. 55. art. 4. in c. & ad 2. conſiſtit; ideoque ex natura ſua malus eſt, nec bonus unquam eſſe poteſt.

Quinam ſunt hi doli, quos bonos male appellant? Exempla ſunt hæc: Judex promittit reo, ſi crimen aperte fateatur, ſe præbiturum alimenta quoad vixerit, ac inſuper novam domum extrui curaturum, intelligens lignorum ſtruem, qua v. g. ſaga comburenda ſit; vel promittit, confeſſionem profuturam ad vitam, intelligendo futuram. Hos dolos reprehendit ipſe Laym. lib. 3. de juſt. t. 6. cap. 5. n. 13. & merito reprehendit.

Sunt enim doli non per catachreſim, ſed proprie dicti, ſunt tecta illa mendacia, quæ alio vocabulo reſtrictiones mentales dicuntur, quaſque proſcripſit Innoc. XI. prop. 26. 27. Hos dolos damnat Dei verbum: *Qui enim vult vitam diligere*, ait S. Petrus Ep. 1. cap. 3. v. 10. *& dies videre bonos, coerceat linguam ſuam a malo, & labia ejus ne loquantur dolum*; & cap. 2. v. 1. *Deponentes igitur omnem malitiam, & omnem dolum, & ſimulationes* &c. & Pſ. 14. *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? ... qui loquitur veritatem in corde ſuo, qui non egit dolum in lingua ſua.* Quare ſi doloſæ deſcriptæ promiſſiones, illiſque ſimiles ab omni hominum commercio alienæ eſſe debent, multo magis a judiciorum ſinceritate, & gravitate.

Non tamen id licet Confeſſario, ne miniſterium ejus infametur.

Dum Buſ. ita loquitur, videtur ipſi Confeſſario permittere deſcriptos dolos, ſi inde nullam infamiam ſui miniſterii metuat; quaſi doli etiam in pœnitentiæ ſacramento ex natura ſua liceant. Hoc ſane horridum eſt.

Apoſtoli verba 2. Cor. 12. hic a me citata, per præoccupationem ab ejus adverſariis dicta inducuntur, ut ſeries ſermonis evincit, & S. Joannes Chryſ. hom. 28. in hanc Apoſtoli epiſtolam interpretatur. Nihilominus per catachreſim quoque enuntiata accipi poſſunt, ſicuti accipiuntur a S. Th. 2. 2. q. 55. a. 4. ad 2.

Animadverſio LII.

Etſi pro reis etiam juſte damnatis intercedere aliquando poſſit, maxime &c.

Pro reis juſte damnatis nec Confeſſario, nec aliis apud inferiorem Judicem intercedere licet ex dictis hoc cap. dub. 2. art. 4. reſp. 1. quidquid contra Buſ. ſentiat, qui textu Prov. 25. *Erue eos, qui ducuntur ad mortem* &c. abutitur.

Nam ex D. Thoma 2. 2. qu. 69. art. 4. ad 3. *per illud dictum* (Prov. 24. cit.) *Sapientis non inducitur aliquis ad liberandum alium a morte contra ordinem juſtitiæ.*

Apud ſupremum Judicem tum aliis, tum Confeſſario intercedere licet, duplici adjecta conditione. Primo ſi injuriam paſſus, eam remiſerit; ſecundo ſi interceſſio publico bono noxia non ſit; alioquin non licet ex dictis loco cit.

At, inquit Buſ., licet Judex poſſit eſſe reus malorum omnium, quæ ex liberatione ſequuntur, non tamen Confeſſarius, niſi ea præviderit. Reſp. Cur ſi Judex reus eſt malorum, quæ ex liberatione ſequuntur, reus non eſt Confeſſarius interceſſor, & extimulator ad liberationem? Judex ea mala ex officio impedire debet, Confeſſarius quantum in ipſo eſt ex caritate: Judex ex officio facinoroſum;

Digitized by Google

roſum, onde mala merito timentur, condemnere tenetur: Confeſſarius ex officio abſtinere debet ab intercesſione, unde mala imminent.

Neque Confeſſarius interceſsor a culpa immunis eſt, quod ee male non præviderit, ſi ea qualitate rei, & circumſtantiis prævidere potuerit.

Animadversio LIII.

Medicus peccat. 4. Si medicamenta inexplorata explorandi gratia adhibeat, præſertim quando &c. & habet &c.

Majorit perſpienitetis gratia addo, medicum inexplorata medicamenta explorandi gratia adhibentem, etiamſi de iis ſit opinio probabilis, nihilominus peccare, ſi aliar medicinas exploratar, & tutiores omittet.

Quia „ Medicum, & Chirurgum debere ſequi probabiliora, & tutiora, tenent omnes teſte Sanch. Bardi, „ & alii. " ita ipſe La-Croix p. 243. n. 1534.

Animadversio LIV.

Pharmacopola peccat.... ſi unum medicamentum pro alio (niſi tamen &c.) contra Medici præſcriptum cum gravis damni periculo porrigat.

Buſembaum quatuor defectus poſtulet, ut pharmacopole peccet. 1. Uc unum remedium pro alio ſubſtituat; alterum, ut hoc non ſit æque bonum, nec majoris pretii; 3. ue ſit contra Medici præſcriptum; 4. ut cum gravis damni periculo porrigatur. At juxta illud theologicum axioma, *Bonum ex integra cauſa, malum ex quocunque defectu*, unus defectus ad peccandum ſufficit: porro in pharmacopola ſubſtitutio unius remedii pro alio defectus eſt. Minima, inquit Buſemb. ſi ſit æque bonum. Reſp. In eo Buſemb. fallitur, quod judicium de medicamenti bonitate pharmacopolæ permittat, quod judicium ad Medicum tantum pertinet. Secundo diminutus eſt in eo, quod ait, *contra Medici præſcriptam*. Non enim pharmacopola ſolum peccat, ſi contra, ſed etiem ſi præter Medici præſcriptum, eoque inconſulto ſubſtituat. Tertio an pharmacopola a culpa immunis eſt, ſi cum levioris damni periculo ſubſtituat? Ipſa ergo ſubſtitutio Medico inconſulto culpa non vacet; niſi excuſetur, quia remedium præſcriptum nec apud ipſum, nec apud alios pharmacopolas inveniatur, nec morbus moram patiatur, & pharmacopola pro ſua peritia exploratum habeat, ſubſtitutionem, aut mutationem non eſſe periculoſam, nec Medicus conſuli poſſit.

Animadversio LV.

Mercator peccat. 6. Si merces ab eo, qui non novit, emat pretio minore, vel cariore vendat ignoranti.

Cur Buſemb. addit illud *ab eo, qui non novit*, & illud *ignoranti*? An mercator non peccat, ſi ab eo, qui novit, emar pretio minore, vel cariora vendat ſcienti?

Juſtitia commutativa in æqualitate arithmetica ſita eſt, ut docet Ariſt. Eth. 5. cap. 4., D. Thom. 2. 2. q. 58. art. 10. & omnes. Ergo qui ab æqualitate arithmetica recedit, juſtitiam commutativam violat: ar mercator ab arithmetica æqualitate recedit, dum minore pretio emit, vel cariore vendit, ſeu cum ignorante, ſeu cum ſciente contrahat; nec enim ſcientia ejus, quocum mercator contrahit emendo, aut vendendo, rerum pretium auget, aut minuit: certum ergo eſt, mercatorem vilius ementem, aut carius vendentem ab injuſtitia non excuſari, quia cum ſcientibus rerum pretia contractus init.

D. Thom. 2. 2. q. 78. art. 1. 7. loco ita ſibi objicit. *Quilibet poteſt licite accipere rem, quam ei dominus rei voluntarie tradidit: ſed ille qui accipit mutuum, voluntarie tradit uſuram:* (idem dicas de eo, qui ſciens rerum pretia, vilius vendit, aut carius emit a mercatore) *ergo ille, qui mutuat, licite poteſt accipere*. Itemque mercator in noſtra ſpecie.

D. Thom. reſpondet, *quod ille, qui dat uſuram, non ſimpliciter voluntarie dat, ſed cum quadam neceſſitate, inquantum indiget accipere pecuniam mutuo, quam ille, qui habet, non vult ſine uſura mutuare.*

Animadversio LVI.

Si tempore debito, cum poſſit, non ſolvat creditoribus, cum gravi eorum damno.

Hic quoque neceſſe eſt, ut Buſambaum vel oſcitantiem, vel inſcitiam, aut laxitatem carpam. Cur enim addit, *cum gravi eorum damno*?

An ſi tempore debito, cum poſſit, non ſolvet creditoribus, ſine gravi quidem, at cum aliquo tamen eorum damno, non peccat?

Præterea etiamſi ſolutionis dilatio damnum creditoribus non afferet, culpa tamen non vacat, ſi creditores non conſentiant; tum quia procraſtinator datam odem violat, tum quia alienum contra domini voluntatem retinet; qua de re vide dicta lib. 3. c. 5. c. 2. d. 7. eit. 1. ca. 5.

LIBER V.

De ratione cognoſcendi, & diſcernendi peccata.

CAPUT I.

De peccato in genere.

DUBIUM I.

Quid ſit peccatum?

REſp. Eſt tranſgreſſio legis: ſive, ut ait Tol. eſt voluntarius receſſus a regula divina: per quam regulam intelligitur præceptum tam naturale, & humanum, quam divinum: *per receſſum intelligitur* ANIMAD.
actus, vel ejus omiſſio; qui ſit non tantum volun- I.
tarius, ſed etiam liber, *cum aliqua actuali advertentia malitiæ*; quod addo, quia, ut notat Sanch. *t. mor. c.* 16. cum Vaſq. *d.* 2. *q.* 2. *p.* 3. *n.* 3. & 12. &c. *non ſufficit ad actum peccaminoſum libertas, & advertentia quævis virtualis, vel interpretativa, qua ſcilicet quis advertere poterat, & debebat, nec quæcumque actualis, qua ſcilicet intellectus rationes commodi, & incommodi in objecta attendat: ſed requiritur, ut advertat moralem malitiam objecti, ut ſaltem de ea dubium, vel ſcrupulum concipiat. Ratio eſt, cum quia ſine iſta advertentia non eſt voluntarium, cum non ſit cognitum, quia quamdiu talis cogitatio intellectui non occurrit, non eſt ſufficiens principium deliberandi de malitia, ideoque nec libertas, ac proinde nec culpa*; & cenſetur illa inadvertentia naturalis, & invincibilis oblivio. Addit tamen Tanner. *d.* 4. *de pec. d.* 5. *qu.* 5. *dub.* 5. *num.* 106. non eſſe neceſſe ut conſideratio illa maneat actu, dum peccatum durat; ſed ſatis eſſe, ut vel actu, vel virtute maneat, ita ut cum ea vel actus peccati fuerit inchoatus, vel ſaltem cauſa data, ut ſit in ebrio, qui peccat, non vi præſentis, ſed præteritæ deliberationis. Vide Bald. *l.* 1. *d.* 36. Verum recentiores communiter docent, talem, verbi gratia ebrium, non peccare formeliter, quando uſu rationis caret; ſed malitiam eorum, quæ tunc fiunt, contraxiſſe ante, dum prævidens malum, quod commiſſurus erat, ejus cauſam dedit: ajuntque, dum quis actu peccat, ſemper eſſe, ac manere advertentiam aliquam malitiæ tenuem, vel confuſam: ut v. apud Scol. nem in ordine ad praxim, parum refert, utrolibet modo loquaris.

Reſp. 2. Ad peccatum requiruntur tres conditiones, ut patet ea prima reſponſione. 1. *Ut ſit volun-* ANIMAD.
tarium, ideſt, ut fiat a voluntate conſentiente. 2. Ut II.
ſit liberum, ideſt, ut ſit in poteſtate voluntatis facere, vel non. 3. *Ut advertatur malitia*.

Ex quibus reſolves.

1. *Defectu primæ conditionis, nullus actus, qui ne-* ANIMAD.
que eſt in, neque a voluntate, eſt peccatum, niſi vo- III.
luntas eum acceptet; ideoque nec impedit communionem, ſive is ſit internus, ut cogitationes contra fidem, blaſphemæ, obſcœnæ, motus carnis, etiam uſque ad effuſionem ſeminis; ſive externus, ac violentus, v. g. ſtuprum virgini per vim illatum.

2. *Defectu ſecundæ conditionis, ſubinde a peccato* ANIMAD.
excuſantur vehementiſſimi motus iræ, aut concupiſcen- IV.
tiæ, quibus uſus rationis perturbatur, & libertas tollitur.

3. *Defectu tertiæ non peccat, qui die jejunii, de* ANIMAD.
præcepto nihil cogitans, cœnat, vel carnes comedit, etſi V.
advertat eas ſibi delectabiles. Item qui lapidem projicit per feneſtram, non advertens periculum læſionis: vel qui contractum uſurarium celebrat, non advertens eſſe talem. Sanch. *l.* 1. *c.* 16. *n.* 21. Reg. *l.* 15. *n.* 75.

4. *Damna, & eventus (licet alioqui frequentes)* ANIMAD.
ex ebrietate ſecuti, & nullo modo præviſi, inculpabi- VI.
les ſunt: quia nec in ſe, nec in cauſis ſunt liberi.

Sunt

Digitized by Google

Sunt vero culpabiles, ſi ſint præviſi, nec diligentia ſufficiens ex præſcripto prudentiæ ſit adhibita, ne ſequerentur: ea vero adhibita, etſi poſtea eveniant, culpa vacant: uti etiam, quando juxta loci & temporis circumſtantias non apparet periculum mali, ideoque nulla cautela eſt adhibita. Ita Vaſq. 1. 2. d. 124. c. 3. *Quibus conformiter* Leſſ. *l.* 4. *c.* 3. *docet, ſi negligentia ebrietatem, aut eventus ex ea ſequi ſolitos prævidendi fuerit tantum venialis, etiam mala, quæ prævideri poterant, tantum venialia fore*; quia cum non in ſe, ſed tantum in cauſa ſint libera, non poſſunt habere majorem culpam, quam ipſa cauſa.

DUBIUM II.

An, & quando deſideria, & delectationes ſint peccata?

Animad. VII. *Per deſiderium intelligitur voluntas, intentio, vel propoſitum efficax rei malæ*: per delectationem vero, ſimplex amor, & complacentia objecti cogitati, fruendo ejus dulcedine, abſque deſiderio executionis: (*a*) *ſoletque dici moroſa*, non a mora temporis, cum momento poſſit perfici, ſed quod voluntas, poſt plenam advertentiam rationis, ei immoretur.

ARTICULUS I.

Quale peccatum ſit deſiderium malum?

Reſp. 1. Deſiderium abſolutum, ſive cogitatio cum voluntate conſentiente abſolute in peccatum aliquando perpetrandum, aut in perpetrato complacente, habet eamdem ſpeciem, ac malitiam peccati mortalem, vel venialem, quam habet actus exterior, in quem fertur. Eſt communis, & conſtat ex Matth. 5. *Qui viderit*, &c. Ratio eſt, quia actus interior habet ſuam bonitatem, & malitiam ab actu externo, tamquam objecto. Ita commun.

Reſp. 2. Deſiderium cum conſenſu conditionali, quo quis aliquid concupiſcit ſub tali conditione, quæ omnem malitiam objecti auferat, non eſt peccatum, ſaltem mortale, verbi gratia, vellem prædari, ſi a Deo mihi permitteretur; ſi Judex eſſem, malefactorem iſtum occiderem. Valent. *t.* 2. *d.* 6. *q.* 4. *p.* 4. Sayr. Sel. *in* 1. 2. *t.* 13. *d.* 10. *ſ.* 27. Vaſquez *d.* 116. *c.* 2. *Si vero conditio malitiam non auferat, eſt peccatum: ut verbi gratia, ſi cogites: ſi non eſſet infernus, mœcharer:* ſi non eſſem religioſus, fornicarer; ſi non haberem rationem mei ſtatus, ulciſcerer, occiderem te: item, ſi id mihi feciſſes in adoleſcentia, vel antequam religionem ingrederer, vindicaſſem: intellige, ſi dum hæc dicit, habeat effectum vindictæ ſumendæ, ſi eſſet in tali ſtatu: ſecus enim eſt, ſi tantum oſtendat, quid facturus fuiſſet in alio ſtatu. Bonac. *de matr. q.* 4. *p.* 8. *n.* 9. Ratio reſponſionis eſt; quia etſi conſenſus conditionatus nihil ponat in rerum natura ex parte objecti voliti; in voluntate tamen ponit effectum committendi illud peccatum, præciſa conditione non auferente malitiam; ac proinde talis erit culpa, qualis eſſet illud amare abſque conditione. Cajet. Sanch. *l. c. mor. c.* 2. Vaſq. Laym. *l.* 1. *t.* 3. *c.* 6. *n.* 10.

Ex quibus reſolvuntur hi caſus.

1. In omnibus ſolo jure poſitivo prohibitis licitum eſt deſiderium cum conditione hac (ſi prohibitum non eſſet) v. g. ederem carnes die Veneris, ſi Eccleſia non vetuiſſet. Ratio eſt, quia conditio omnem malitiam, quæ a ſola prohibitione eſt, aufert. Azor. *l.* 4. *c.* 6. *q.* 10. Sanch. *l.* 1. *c.* 2. Vaſq. *d.* 16. *c.* 2.

2. Idem valet in prohibitis quidem jure naturali, licitis tamen in aliquo caſu, aut ſtatu, ſi is pro conditione apponatur; verbi gratia, occiderem Petrum, ſi Deus mandaret: ſuſpenderem furem, ſi eſſem Judex: ducerem uxorem, ſi liceret, ſi non eſſem Sacerdos, ſi eſſem liber a voto. Ratio eſt, quia hæc ſub illo ſtatu ſunt licita. Recte tamen monet Sa, v. *Peccatum*, hujuſmodi deſideria eſſe periculoſa, & vitanda: atque, ut ait Cajet *ibid.* eſſe fatuas, & diabolicas tentationes, *ibid.* & Laym. *l.* 1. *t.* 3. *c.* 6. *n.* 10.

3. *Etſi idem quidam, ut Cajet. Sal. & Vaſq. univerſim affirment de omnibus jure naturæ, & ſimpliciter prohibitis, ſi conditio impoſſibilis appoſita tollat rationem peccati ab objecto, ut ſi dicas: ſi non eſſet peccatum, fornicarer, eo quod tunc conſenſus non videatur ferri in malum: probabilius tamen videtur, quod docent Azor. Sanchez, & Lay. eſſe peccatum*; eo quod ſit intrinſece malum, nec malitia ſua (quæ in conſenſum circa tale objectum traheret, niſi Dei lex arceret) auferri poſſit; ideoque voluntas feratur in malum. Animad. VIII. Quod tamen intellige, ſi efficaciter feratur; quia, ſi tantum ſit ſignificatio propenſionis naturalis in illud objectum, non eſt peccatum. Sanch. *l.* 1. *c.* 2. *n.* 25. Lay. *l.* 1. *t.* 3. *c.* 6. *n.* 11. V. C. de Lugo *d.* 16. *n.* 377.

4. *Gaudere, & delectari de opere malo ſub conditione* (*ſi liceret*) verbi gratia, in prædictis deſideriis efficacibus illicitis, quando conditio eſt poſſibilis, etſi poſſit excuſari a peccato ſecundum quoſdam Doctores, ſi fiat tantum ſecundum appetitum rationalem, ſive voluntatem (ſecluſo omni alio periculo conſenſus illiciti, & turpis motus; qui tamen quia communiter, & connaturaliter ſequitur, vix totum videtur in praxi) non poteſt tamen excuſari, ſi ſit delectatio voluntaria appetitus ſenſitivi, quæ proprie delectatio dicitur, ſitque communiter cum aliqua alteratione corporis. Animad. IX. Ratio diſcriminis eſt; quia voluntas poteſt ferri in objectum abſtractum a malitia, cum ſequatur intellectum, cujus eſt abſtrahere; appetitus vero, quia ſequitur imaginationem, non fertur in objectum ſub aliqua certa conditione ſtatus, vel temporis apprehenſum, ſed ut eſt in ſe, ideoque talis delectatio eſt de objecto abſolute malo. Vid. Laym. & Bon. *de matr. q.* 4. *part.* 8.

ARTICULUS II.

An delectatio moroſa ſit ſemper peccatum?

Reſp. Si terminetur ad cogitandum opus malum ſecundum ſe, eſt peccatum mortale, vel veniale, prout ipſum opus mortale, vel veniale eſt. Ita commun. ex D. Th. 1. 2. *q.* 27 *a.* 8.

Dixi, *ſecundum ſe*; quia ſi delectatio ſit tantum de ipſa cogitatione, non autem de opere, non eſt peccatum, quia ſicut cogitatio verbi gratia de rebus obſcœnis, in ordine ad docendum, vel concionandum, &c. bona eſt, cogitatio autem de iiſdem rebus ex curioſitate eſt mala venialiter: ita conſequenter delectatio de tali cogitatione tanquam objecto, non eſt mala, ſed quandoque bona, quandoque venialiter mala. *Similiter nec peccatum erit*, (*b*) ſi delectatio verſetur circa modum mali operandi, non circa ipſum opus malum: quo modo ſine peccato ſæpe nos delectant fabulæ, comœdiæ, bella, homicidia, fraudes, furta, lapſus hominis, verbi gratia ex equo, &c. non ſecundum ſe, ſed modus furandi, rapiendi, artificioſus, & induſtrius, modus cadendi inopinatus. Laym. *l.* 1. *t.* 3. *c.* 5. *n.* 2.

Ex quibus reſolves.

1. Licitum eſt gaudere, & delectari moroſe de effectu bono, ſecuto ex opere malo; quia tunc delectatio non eſt de objecto malo.

2. *Si talis effectus ſit ſecutus ex opera ſecundum ſe quidem mala, hic tamen & nunc culpa vacante, ut* Animad. X. *verbi gratia, quia factum eſt in ſomno, amentia, ebrietate, inculpabili ignorantia, tunc etiam de ipſo actu licere aliquando delectari, non quidem ſecundum ſe, ſed ut eſt cauſa talis boni effectus*, docet Leſſ. *l.* 4. *c.* 4. *n.* 105. & 106. ex Vaſquez 1. 2. *d.* 105. *c.* 2. verbi gratia de ſolutione naturæ facta in ſomno. Ratio eſt, quia objectum delectationis iſtius non eſt malum. V. Bon. *de matr. d.* 4. *p.* 8. *n.* 8. Sanch. *l. c. mor. c.* 2. *n.* 18. Card. de Lug. *de pæn. d.* 16. *n.* 389. *Imo addunt, licere aliquando deſiderare* (affectu ſimplici, & inefficaci deſiderio) *ut tale quid fiat ſine culpa, v. gr. ut in ſomno eveniat naturæ ſolutio, ob finem bonum*: dummodo deſiderium non ſit tam intenſum, ut tale quid probabiliter cauſet: neque ſit periculum conſentiendi in talem voluptatem. Ratio eſt, ajunt, quia objectum hujus deſiderii,

derii, aut gaudii non eſt malum. Vid. Leſſ. & Bonac. *l. c.*

3. Non eſt peccatum, ſaltem mortale, ſi conjuges delectentur appetitu tantum rationali de actu conjugii præterito, futoro, vel poſſibili, reſpectu compartis præſentis, vel abſentis. Item ſi ſponſus deſideret copulam futuram, aut de eu delectetur; vel vidua de præterita. Ratio eſt, quia hi actua habent objectum licitum.

Dixi, *appetitu rationali*, quia ſi ſponſos, aut vidua voluntarie conſentiat in delectationem ſenſitivam, & carnalem (quæ ex recordatione copulæ futuræ, aut præteritæ naturaliter oritur) mortaliter peccat, ut docet Leſſ. *l. c. t. 2. c. 6.* Bon. Tunn. Palaus. Vid. Dian. *t. 1. m. R. 2.* contra Medin. &c. Quia vero ad ſupradictam voluntatis oblectationem ſenſitiva, & carnalis ut plurimum, imo etiam periculum conſenſus in fornicationem conſequitur, oblectationem illam voluntaris in praxi vix locum habere, ſaltem in vidua, & ſponſis: *inter conjuges tamen, modo periculum pollutionis abſit, etiam ſenſitivam, & veneream delectationem non eſſe mortale*, docent Fill. Bon. *de matr. q. 4.* Sanchex, Leſſius *l. c. d. 1.* & Dian. *t. 3. m. R. 56.* Tum quia ſtatus matrimonii hæc excuſat, *uti etiam tactus impudices, ſolius voluptatis cauſa inſtitutos*: tum quia hæc tendunt per ſe ad opus conjugale, licet per accidens opus non exerceatur.

ANIMAD. XI.

ANIMAD. XII. 4. *Delectatio moroſa de rebus ſolo jure poſitivo prohibitis, non eſt illicita, modo non fiat ſub ratione prohibitionis: v. gr. ſi Charthuſianus*, vel alius die jejunii ſe oblectet de cogitato eſu carnium, quia non eſt de opere malo, cum lex tantum vetet comeſtionem externam. (*e*) Laym. *l. 1. t. 3. c. 6. n. 9.* Leſſ. *l. 4. c. 3. d. 14. u. 111.* & 113.

ANIMAD. XIII. 5. *Qui delectationem moroſam mortalem confitetur, addere debet circumſtantias operis, de quo fuit delectatio*: verbi gratia, in materia iræ, an fuerit de occidendo fratre, an alio; uno, an pluribus; in materia carnis, *an de conjugata, moniali, conſanguinea. Quod tamen limitat Azorius, Sa*, verbo *Luxuria*, Salas *t. 7. tr. 13. d. 16. ſ. 9. u. 59.* &c. *ſi delectatio feratur in objectum apprehenſum ſecundum totam ſuam malitiam, non autem ſi tantum ſecundum partem, verbi gratia, in feminam apprehenſam ut non ſuam, non tamen ut alteri nuptam, vel ut monialem: tunc enim probabile eſſe ait, delectationes tales reduci ad ſpeciem ſimplicis fornicationis.* Ita etiam Fill. Leſſ. Bonac. Dian. Pal. Vide Lug. *d. 16. u. 336.* Aliud eſt de ipſo opere externo, quod ſemper fertur in objectum, ſecundum totam ſuam malitium; aut etiam deſiderio efficaci, (*d*) quod fertur in opus externum ſecundum ſe, & ut eſt a parte rei; ac proinde eſt ejuſdem cum illo ſpeciei; ideoque ejus circumſtantiæ ſemper fatendæ ſunt. V. Auctores cit.

Reſp. 2. *Si quis ſine cauſa, & neceſſitate actionem*

ANIMAD XIV. *exerceat, ex qua intelligit, delectationem carnis naturaliter orituram (verbi gratia, ex curioſitate legit, vel audit turpia) tamen ſine directa intentione, & ſine periculo conſenſus, peccat venialiter*: ſi vero juſtam cauſam habeat, nihil peccat. Vide ſup. *in 6. præc. l. 3. t. 4. c. 2. d. 4.*

Quæres, An voluntas delectationem carnalem poſitive reprimere teneatur?

Reſp. 1. *Si voluntas plene eam advertens negati-*

ANIMAD. XV. *ve, & permiſſive ſe habeat, ita ut nec approbet, nec repellat, dummodo id non permittat ex ipſius delectationis complacentia, nec periculum ſit ulterioris conſenſus, probabile eſt*, quod docent Cajet. & Sanch. *t. mor. c. 12.* non peccare mortaliter: tum quia non conſenſit in delectationem: tum quia moraliter eſt impoſſibile, omnes illos motus evitare: tum quia ex juſta cauſa illos licet permittere, etiam ſecundum adverſarios.

Reſp. 2. *In praxi tamen verius videtur, quod docent Vaſquez, Azorius, Leſſius, Becan. 1. 2. t. 2. q. 5. c. 5. ſine juſta cauſa eis non reſiſtere, eſſe mortale*: quia fere ſemper voluntas eſt expoſita periculo conſenſus, & contrarium credere, eſt nimia ſui confidentia, & præſumptio. *Moderate Laym. utramque ſententiam probabilem fatetur*, & ait delectationem videri mortalem, niſi ſaltem actum ſimplicis diſplicentiæ circa illam elicias: etſi efficaciter animum ad alia divertere negligas, cum facile poſſis, & ſperes, te tali modo poſſe depellere. Vide Layman *l. 1. t. 3. c. 6. d. 3.*

D U B I U M III.

De diſtinctione peccatorum.

A R T I C U L U S I.

Quæ peccata diſtinguantur ſpecie?

Reſpondeo. *Peccata, quoad materiale, ſive entitatem poſitivam, ſpecie diſtinguuntur ex objectis formalibus, & circumſtantiis ſpeciem variantibus, quatenus ea objecti formalis rationem habent. Quoad formale autem, proxime diſtinguuntur ab oppoſitis formis, ſive rectitudine virtutis, qua privant: remote autem, & fundamentaliter, ex objectis.* Ita Trull. *d. 5. de pecc. d. 1. q. 2.* Ratio primæ partis eſt, quia omnes actus ſpecie diſtinguuntur ex objectis, peccata autem quoad materiale, dicunt ipſos actus. Ratio ſecundæ partis, quia privationes proxime diſtinguuntur ſpecie a formis, quibus privant, ſed peccata formalites ſunt privationes rectitudinum oppoſitarum. Ratio tertiæ partis, quia rectitudo virtutis ſpecificatur proxime ex objecto: ergo privatio rectitudinis ex eodem remote. ANIMAD. XVI.

Ex quibus reſolves.

Peccata ſpecie differunt, non tantum quæ diverſis virtutibus, ſed etiam quæ eidem opponuntur extreme, ut prodigalitas, & avaritia: vel ratione diverſæ difformitatis, (*e*) id eſt, quæ adeo diverſa ratione, & malitia ejuſdem virtutis materiam attingunt, ut quantum eſt ex natura ejuſdem peccati, non ſit eadem facilitas moraliter loquendo, neque propenſio utrumque peccatum committendi; qualia ſunt homicidium, furtum, adulterium, detractio.

A R T I C U L U S II.

Quæ peccata diſtinguantur numero?

Reſp. Numero diſtinguuntur duobus modis. 1. Ex diverſis objectis numero totalibus, non materialiter, & phyſice tantum, ſed etiam formaliter, & moraliter, diſtinctis. (*f*) 2. Per interruptionem actuum moralem. Filliuc. *tr. 21. cap.* 8.

Dico, *moralem*; quia, etſi ad diſtinctionem numericam phyſice ſufficiat quævis interruptio: in ordine tamen ad confeſſionem non multiplicatur, niſi moraliter multi ſint; quia, ſicut in confeſſione actus moralis, ita etiam multiplicatio, & diſtinctio moralis attendi debet.

Porro actus moraliter interrumpuntur, ita ut nec virtualiter, nec interpretative manere cenſeantur. 1. Per contrariam voluntatem, & propoſitum. 2. Per ceſſationem ab actu voluntariam, & liberam. 3. Per ceſſationem involuntariam, & naturalem, ſive ea fiat per ſomnum, ſive per diſtractionem ad alia. Per ſomnum quidem, quia cum in illo ceſſet uſus rationis, non continuatur actio libera, & moralis; per diſtractionem vero, quia per illam prior cogitatio fit involuntaria, ideoque ſi ad eam redeatur, fit voluntaria, & moraliter multiplicatur. Ita Vaſq. &c. *Quæ ſententia, etſi in peccatis exter-* ANIMAD.
nis tenenda ſit, in internis tamen non habet locum, XVII.
ſecundum Fill. *t. 21. c. 8. n. 317.* Ratio eſt, quia etſi per hanc interruptionem phyſice actus multiplicetur, non tamen moraliter: quia hoc ipſo, quod animus involuntarie diſtrahitur, remanet interpretative prior voluntas, cum non ſit retractata, aut aliter interrupta. Vide etiam Bald. *d. 21. n. 3.*

Ex dictis reſolves.

1. *Unum numero peccatum committit*, (*g*) qui uno actu odii, vel detractionis fertur in decem homines, qui uno ictu duos occidit, qui uno actu vult omittere officium Horarum per menſem, jejunium per Quadrageſimam. Quia etſi hæc objecta phyſice ſint plura, ſunt tamen unum moraliter, & formaliter,

Digitized by Google

liter, quatenus in uno actu hic & nunc conjunguntur. Ita Navar. Fill. Bon. *d. 2. q. 4. p. 1.* contra Azor. Vaſq. & cæt. qui ſatis probabiliter dicunt, eſſe peccata diſtincta. Verum ſive decem peccata dicas, odiſſe v. g. decem homines, ſive unum, parum refert, cum unum hoc illa decem æquivaleat; proindeque objecti gravitas in confeſſione exprimenda ſit, quippe quæ actum in ſuo eſſe individuali conſtituit, ut notat Fill. Bon. Suar. *de pœn. d. 22. ſ. 5.*

ANIMAD. XVIII. 2. *Actus voluntatis internus ſæpius interruptus, & repetitus, licet phyſice ſit multiplex, moraliter tamen eſt unum numero peccatum in ordine ad confeſſionem, ſi conſummetur in opere aliquo externo, per eum intento, & cauſato, aut etiam in pluribus actibus externis ſibi invicem ſubordinatis ad eumdem finem. Hinc v. gr. qui furatur bibliothecam per totam noctem, etſi ſæpius voluntatem furandi renovet, unum furtum: & qui ad occidendum alium pergens, ſæpe voluntatem renovat, unum homicidium committit.* Ratio eſt, quia eſt una actio externa, ab internis intenta, & cauſata, qua internæ omnes complentur, & moraliter uniuntur. V. Baldell. *d. 21. n. 4.*

3. Actiones externæ, licet numero diſtinctæ, ad eumdem tamen finem, & actum principalem relatæ, modo non habeant diſtinctam ab illo malitiam, non diſtinguuntur ab ipſo fine, & actu principali, moraliter loquendo, & in ordine ad confeſ-

ANIMAD. XIX. ſionem. *Hinc oſcula,* tactus, verba impudica, &c. copulam carnalem præcedentia, *imo etiam comitantia, & ſubſequentia, tamquam complementa, & appendices operis,* unum numero peccatum ſunt, ut docent Nav. *c. 6. n. 17.* Azor. *l. 4. c. 4. q. 6.* Fill. &c. Ratio eſt, quia ſunt vel initia, vel partes, vel complementa, & appendices operis, ejuſdem actus humani, & objecti, in quo omnia prædicta moraliter uniuntur:

Dixi *Complementa:* quia ſi ſimiles actus non ſunt initia, vel partes copulæ ſubſecuturæ, aut ex actu præterito ex natura rei non conſequantur, diſtinguuntur numero: ut v. gr. ſi quis de fornicatione glorietur: proindeque illi in confeſſione explicandi ſunt ſeparatim, non autem priores, ut docet Suar. *t. 4. de pœn. d. 22. ſ. 5.* (*b*)

N O T Æ.

(a) *Soletque dici moroſa non* &c. *ſed quod voluntas poſt plenam advertentiam* &c. Adde, aut poſtquam advertì malitia potuit, ut liquet ex animadv. 1. & 4., ubi conſidera illa D. Thomæ verba. *Indirecte autem illud,* (eſt voluntarium) *quod voluntas potuit* (nota hoc *potuit*) *prohibere, ſed non prohibet,* item illa a. 8.

Hoc igitur ſolummodo poteſt contingere, quod inclinatio animæ in aliquid, quod contrariatur ultimo fini, non ſit peccatum mortale, quia ratio deliberans non poteſt occurrere; quod contingit in ſubitis motibus.

(b) *Similiter nec peccatum erit, ſi delectatio verſetur circa modum mali operandi, non circa* &c.

Hanc doctrinam La Croix communem eſſe ait, & probat t. 2. p. 255. n. 78.; cujus ratio eſt, " quia hæ delectationes tendunt in circumſtantiam, vel modum ab objecto malo diſtinctum, & de ſe non malum. "

Reſp. Modus agendi mente quidem ab actione ſecernitur, at illi inſeparabilis reipſa eſt: at de inſeparabilibus quoad mores, ſeu quoad bonitatem, & malitiam idem judicium ferendum eſt; quia dum unum vis, alterum quoque neceſſe eſt, ut velis. Dum vis ex. g. modum induſtrium homicidii, adulterii, furti, &c., ipſum quoque homicidium &c. conſequenter vis; dum de modo patrati ſceleris gaudes, de ipſo ſcelere ex conſequenti gaudes. Ergo delectari de modo male operandi, peccato vacare non poteſt.

Præterea La-Croix falſo affirmat, modum malæ actionis de ſe non eſſe malum. Ars, induſtria, dexteritas &c. generatim loquendo mala non ſunt, ſed bona; ſicuti libertas, licet ad vitium flexilis, bona eſt, ut evincit D. Aug. lib. 2. de lib. arb. t. 1.; at malus uſus artis, induſtriæ &c. ſine dubio malus eſt. An uſus induſtriæ &c. in excogitandis, & admittendis ſceleribus de ſe malus non eſt? Ergo delectatio de artificioſo & induſtrio modo, quo ſcelera fiunt, non poteſt non eſſe mala.

Si de arte, & modo patrandi peccati gaudere licet, hunc quoque modum, & artem adhibere permiſſum eſt. Nam illud fieri non eſt vetitum, de quo gaudere ſine culpa potes. An licet aſtutis uti artificiis in legibus, & præceptis eludendis, in tollendis de medio inimicis, in litibus iniquis obtinendis, in corruptis doctrinis diſſeminandis, & vindicandis? Cum ergo certum ſit, hæc artificia eſſe diabolica, de iis quoque gaudere diabolicum eſt.

Nam fabulæ, & comœdiæ ad rem non faciunt. Hæ non ſunt modus artificioſus peccandi, ſed deſcriptio, & repræſentatio peccati. Lapſus hominis ex equo, non eſt modus delinquendi. Quod ſi hominis ex equo lapſi læſio tibi diſpliceat; at de modo lapſus, riſus tibi forte obrepat, ſcrupulos non moveo. Lege animad. 3. in cap. 3. hujus lib. 5. in fine.

Nihilominus quod Buſ. affirmat n. 1. *Licitum eſt gaudere* &c. *quia tunc delectatio* &c. non improbo. Nec enim effectus bonus, quia malum opus conſequitur, malus fit.

Sic filii ex fornicatione orti, non ſunt mali; & de iis, quatenus Dei dona ſunt, gaudere cur non liceat? D. Auguſt. ſuam fornicationem amare deflens, Deo datum tamen inde natum valde dilexit, eoque gaviſus eſt lib. 9. Conf. cap. 6.

Gaudium boni, licet ex malo profecti, licet: gaudium mali, etſi alicujus boni cauſa ſit, non licet. Vide hic animad. 10.

(c) Ex iis Buſ. verbis, *cum lex tantum vetet comeſtionem externam,* collige culpæ verti, ſi quis de vetita comeſtione non cogitata, ſed peracta delectetur, ut res ex ſe loquitur. Nam rem vetitam deſiderare, & de ea delectari, peccatum certe eſt. Lex humana actus interiores nec præcipit, nec vetat; at actus interiores legibus humanis exteriora ordinantibus contrarii culpa vacare non poſſunt. Hinc Ap. Rom. 13 v. 1. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit.* Nec enim illa anima ſubdita eſt, quæ voluntate iis adverſatur.

(d) *Aliud eſt de ipſo opere* &c. *aut etiam de deſiderio efficaci* &c. Adde aut etiam inefficaci ex animad. hic 7.

(e) *Peccata ſpecie differunt, non tantum quæ* &c. *ſed etiam quæ* &c. *vel ratione diverſæ difformitatis* &c.

Omnia recte; ſed illud: *ut quantum eſt ex natura ejuſdem peccati, non ſit eadem facilitas* &c. *neque propenſio* &c. ſatis involutum eſt. Si ex natura peccati, non ex facilitate, neque ex propenſione illud admittendi: ſi ex hac, non ex illa. Sunt enim diverſa. Hac Buſ. doctrina neglecta, quia nec ſatis intelligitur, nec ſatis ſibi conſtat, in doctrina D. Thomæ animad. hic 16. exſcripta, ſi ſapis, conquieſce.

(f) Reſp. *Numero diſtinguuntur* &c. a. *ex diverſis objectis numero totalibus,* non *materialiter* &c. *ſed etiam formaliter* &c.

Hic Buſ. ex uſu Scholaſtico ad metaphyſicas notiones, & voces confugit, quas homines vulgo non intelligunt, & ne ipſe quidem perſpectas ex omni parte ſorte habuit. Quid ergo? Miſſis inanibus quæſtionibus, quæ peccata numero diſtinguantur, in hominum mentibus inſculptum eſt. Sacri miniſtri ſuo officio univerſe loquendo ſatisfaciunt, ſi peccatorum numero a pœnitentibus non explicato quærant illud *quoties,* & reſponſum habeant. Singulares ſpecies (qua de re Conc. Th. t. 10. p. 529. q. 7.) ſuis difficultatibus involutæ ſunt, quæ tamen ex Buſ. verbis non explicantur, ſed magis involvuntur. Vide hic animad. 17.

(g) *Unum numero peccatum committit, qui uno actu odii, vel detractionis fertur in decem homines, qui uno ictu* &c. Ut in Buſ., unum quidem phyſice actum elicit; at hic actus quoad malitiam multiplex eſt, ſeu in hoc plures malitiæ inſunt, hoc eſt tot, quot odio habentur, occiduntur &c. falſumque eſt, illa objecta *moraliter, & formaliter eſſe unum.* Eſt enim evidens, eſſe plura non ſolum *phyſice,* ſeu quoad naturam, ſeu, ſi vis, entitatem, ſed etiam *moraliter* &c. hoc eſt quoad malitiam, ſeu culpam.

Cæterum Buſ. recte ſubdit. *Verum ſive decem peccata dicas, v. g.* &c. *parum refert, cum unum hoc* &c., *proindeque* &c.

(h) Hic exſcribere operæ pretium puto, quod habet La Croix in a. t. d. 2 Buſ., hoc eſt n. 68. p. 153., ubi inquit. „ Suppono, hominem potuiſſe a Deo creari „ in pura natura, ideſt ſine ullo dono gratuito cum ſo„ lis perfectionibus naturalibus. Natura enim de ſe bo„ na eſt: ergo ſecundum ſe creabilis a Deo; & cum „ dona gratuita, ſint gratia, non ſunt debita: ergo ſi„ ne eis creari potuit natura. " Hactenus recte. Idem docet D. Thom. t. 2. q. 113. a. 2. ad 1., ubi ait. *Et ideo licet homo, antequam peccet, potuerit eſſe ſine gratia, & ſine culpa, tamen* &c. Pergit La-Croix. „ Homo au„ tem ſic in puris naturalibus conſtitutus, haberet „ animam cum ſuis facultatibus, item corpus cum fa„ cultatibus ſenſitivis, & naturalibus etiam inclinatio„ nibus, uti ſuſe oſtendit Suarez &c. Cum enim in ea

ſuppo-

„ ſuppoſitione fuiſſet futura eadem natura, quæ nunc „ eſt, habuiſſet eaſdem potentias, & facultates natu- „ rales “ (non tamen ægras, & læſas ex originalis culpæ infectione, ut nunc ſunt.) „ Hinc pura natura „ includeret pugnam. Appetitus contra rationem. “ Hoc vero corollarium, licet ab ipſo Goneto Man. t. 2 p. 425. admiſſum, ego prorſus rejicio.

Pugna enim appetitus contra rationem, non eſt naturæ potentia, ſeu inclinatio, ſed læſio, & corruptio. Natura, ejuſque potentiæ, & inclinationes, Dei opera, & dona ſunt: at pugna, de qua ſermo eſt, alio nomine dicta concupiſcentia, non eſt Dei opus, & donum, ſed *pæna peccati*, ut non ſemel ait D. Aug. lib. 5. contra Julianum Pelagianum cap. 3 n. 8. (tom. 10. p. 630. 631.) Ergo pugna appetitus contra rationem, ſeu concupiſcentia, nec natura eſt, nec ejus potentia, aut inclinatio, ſed læſio, & corruptio.

Si Deus naturam conderet cum inſita propenſione appetitus contra rationem, naturam ſibi rebellem conderet. Quod enim contra rationem pugnat, contra Deum pugnat, quia ratio nihil aliud eſt, niſi æterna Dei lex ſignata in cordibus noſtris. An Deus auctor eſſe poteſt naturæ ſibi repugnantis & rebellis?

Gen. 1. v. 31. dicitur. *Viditque Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona*, & Ap. 1. ad Tim. 4. *Omnis creatura Dei, bona eſt*. Quæro nunc, utrum concupiſcentia ſit bona. Si bona eſt, Dei creatura eſt; ſi non eſt bona, Dei creatura ex divinis oraculis mox recitatis eſſe non poteſt. At Ap. Rom. 7. de concupiſcentia ait: *ſcio, quod non habitat in me, hoc eſt in carne mea bonum*. Ergo concupiſcentia non eſt Dei creatura.

Enim vero ſi concupiſcentia a Deo proficiſceretur, Deus nos tentaret, hoc eſt ad peccatum impelleret; quia concupiſcentia nos tentat ex Ap. Rom. 7. cit. v. 23. dicente: *video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis*; quod unuſquiſque in ſemetipſo infeliciter experitur. At horribile dictu eſt, Deum per dona ſua nos tentare. Hinc Jacobi 1. v. 13. *Nemo, cum tentatur, dicat, quoniam a Deo tentatur; Deus enim intentator malorum eſt: ipſe autem neminem tentat. Unuſquiſque vero tentatur a concupiſcentia ſua abſtractus, & illectus*. Ergo concupiſcentia a Deo naturæ auctore non eſt, nec eſſe poteſt.

Caro, natura inferior, ex ſuaviſſimo divinæ Sapientiæ, quæ *diſponit* (Sap. 8.) *omnia ſuaviter*, ordine, ſubeſt rationi ad imperandum natæ; nec Deus ordinis, & pacis auctor, perturbationis, inteſtinorum bellorum, rebellionis in ſeipſum opifex eſſe ulla ratione poteſt. Unde ergo concupiſcentia eſt, inquis?

Reſp. A peccato originali, ut omnes Catholici norunt; a peccato inquam originali, quod non ſolum gratuitis donis hominem ſpoliat, ſed ejus quoque naturam inficit, & rebelliones inteſtinas concitat. Hinc D. Aug. lib. 1. de nuptiis, & concupiſcentia cap. 6. dixit, *carnis inobedientiam inobedienti homini digniſſime retributam; quia injuſtum erat, ut obtemperaretur a ſervo ſuo, ideſt a corpore ſuo ei, qui non obtemperaverat Domino ſuo*, quam ſententiam repetit lib. 5. contra Julianum cap. 3.

At objicit La-Croix n. 68. cit. „ Nam cum delectabi- „ lia naturaliter plus trahant, & e contra omnis ope- „ ratio virtutis ſit difficilis, naturale eſt, ut appetitus „ ſenſitivus, qui tendit in ſolum objectum delectabile, „ pugnet cum ratione, quæ abducit a delectabilibus „ ſenſuum ad honeſtatem virtutis. “

Reſp. At *Delectabilia* ex qua natura *naturaliter plus trahunt*? An ex mala Manichæorum natura? An ex inſita ſibi a Deo natura? At natura quæcumque a Deo profecta, ad ſui auctoris laudem, & virtutem ex ſe allicit.

Si contra ad illicita traheret Deus per delectabilia a ſe condita, hominem ad peccatum traheret; quod eſt maxime abſurdum, & jam mox refutatum.

Operatio porro virtutis difficilis eſt ex imbecillitate, aut infirmitate operantis, vel ex impedimentis virtuti objectis: at neutrum ex natura, ſeu naturæ auctore optimo, & omnipotente, ſed utrumque e peccato ortum eſt. Nam ſi appetitus ſenſitivus, ſeu ipſe animus res ſenſibiles ex corporeis motionibus appetere natus, ex ipſa naturæ inclinatione contra rationem eas appeteret; hujuſmodi appetitio Deo naturæ auctori adſcribenda foret, qui proinde hominem ad peccatum, & rebellionem contra ſuum auctorem impelleret; quod horrendum eſt, & jam exploſum.

At hic mihi objicitur D. Th., qui p. 1. q. 95. a. 1. ait: *Manifeſtum eſt autem, quod illa ſubjectio corporis ad animam, & inferiorum virium ad rationem, non erat naturalis; alioquin poſt peccatum manſiſſet*.

Reſp. D. Th. loquitur de perfecta ſubjectione ex originali juſtitia derivata, non de naturali, minuſque perfecta ſubjectione, quam naturæ ordo poſtulat. Hinc idem D. Th. 1. 2. q. 85. art. 3. inquit, *quod per juſtitiam originalem perfecte ratio continebat inferiores animæ vires, & ipſa ratio a Deo perficiebatur ei ſubjecta*. Sicut ipſa ratio ex natura ſua Deo ſubjecta, per originalem juſtitiam perfecte illi ſubdebatur; ita appetitus ex naturæ inclinatione rationi ſubditus, in hac ſubjectione ab eadem originali juſtitia perficiebatur. *Hæc autem originalis juſtitia*, ſubdit Angelicus, *ſubtracta eſt per peccatum primi Parentis; & ideo omnes vires animæ remanent quodammodo deſtitutæ proprio ordine, quo naturaliter ordinantur ad virtutem*. Si omnes vires animæ *naturaliter ordinantur ad virtutem*, natura pura non includit pugnam appetitus contra rationem; quia hæc pugna virtuti contraria eſt. Vide etiam q. 183 ar. 1. 2. 2. mox citandam. Item 1. 2. q. 81. hic cit. ait, quod *homo a natura habet inclinationem ad virtutem, quæ eſt quoddam bonum naturæ*; & quod *homo* per peccatum *exſpoliatur gratuitis, & vulneratur in naturalibus*.

Si La-Croixio contra D. Thomam, & mox diſputata auſcultemus, cur appetitui ad rixas, homicidia, libidines, & alia ſcelera moventi reſiſtendum eſt? Nec enim naturæ propenſioni repugnandum; quia illi repugnantes, Deo ejus auctori repugnaremus.

Quinque propoſitiones a Bened. XIV. proſcriptæ, ac præſertim IV. & V. quas habes in fine hujus operis; doctrina Buſ. animad. hic XV. refutata; damnata Michaelis de Molinos propoſitio ibidem deſcripta; aliæque innumeræ corruptæ opiniones in tuto ſunt, ſi appetitus ex naturæ propenſione, non ex originali culpa in bona delectabilia contra rationem ſe dicatur.

A n i m a d v e r s i o I.

P*Er receſſum intelligitur actus, vel &c. cum aliqua actuali advertentia malitiæ. Non ſufficit ad actum peccaminoſum libertas, & advertentia quævis virtualis, vel &c. ſed requiritur, ut advertat moralem malitiam objecti, ut ſaltem de ea dubium, vel ſcrupulum concipiat*.

Idem repetit reſp. 2. ubi ad peccatum requirit 3. *Ut advertatur malitia*.

Idem docet La-Croix p. 146. n. 86. ubi ait: Cer- „ tum eſt, ad peccatum prærequiri aliquam adverten- „ tiam ad legem Dei, & ad malitiam objecti. Ita do- „ cent omnes communiſſime. “

Ex hac Buſembaum, La-Croix, & communi probabilium doctrina illud evidenter conſequitur, homines per ignorantiam nunquam peccare, qui eſt ipſiſſimus Pelagianorum error, ut videri poteſt apud Natalem Alex. hiſt. Eccl. t. 5. p 36. §. ult. de mor. Pelag. & Conc. Theol. app. t. 2. p. 85. c. 2. Qui enim, dum peccant, peccati malitiam advertunt, ex ignorantia non peccant: ſed juxta Buſ. La-Croix, & communem probabilium doctrinam qui peccant, peccati malitiam advertunt: ſi enim peccati malitiam non advertant, juxta eos non peccant: ergo juxta Buſ. La Croix &c. qui peccant, ex ignorantia non peccant. Hanc hæreſim Scripturarum oraculis, Sanctorum Patr. dictis, ac rationum vi labefactant Nat. Alexander Theol. t. 2. p. 202. reg. 75. & Concina app. t. 2. p. 119. cap. 4. & p. 85. cap. 2. ad quos ego, ne actum agam, lectores mitto, ac præſertim ad P. Concinam, qui probabilium, & La-Croixii cavillationes, quas etiam ex S. S. Auguſtini, & Thomæ auctoritate petere audent, diſſolvit, & conterit. Illud animadvertere operæ pretium eſt, ipſum P. Zachariam in defenſionem ſuorum Buſemb. La-Croixii, & probabilium nihil hic dicere auſum contra P. Concinam, ex cujus ſilentio perſpicue intelligitur, nihil ipſum invenire potuiſſe, quo eos defenderet, eorumque cauſam eſſe prorſus deploratam.

„ Ratio eſt, inquit Buſ. tum quia ſine iſta adverten- „ tia non eſt voluntarium, cum non ſit cognitum, quia „ quamdiu talis cogitatio intellectui non occurrit, non „ eſt ſufficiens principium deliberandi de malitia, ideo- „ que nec libertas, ac proinde nec culpa; & cenſetur „ &c. “

Reſp. Ita ſcilicet diſcurrebat etiam Pelagius, qui teſte S. Hieronymo lib. 1. dial. adverſus Pelagium cap. 10. inquiebat: (apud Conc. cap. 4. cit. §. 2. p. 123.) *Quæ eſt iſta juſtitia, ut in peccato tenear erroris, cujus reatum non habet conſcientia? neſcio me peccaſſe, & ejus rei, quam neſcio, pænas luo? & quid plus factum, ſi ſponte peccavero?*

Putabat Pelagius, ut putant Buſ. La-Croix &c. actum ex errore, ſeu inadvertentia malitiæ, ſeu, quod idem eſt, neſcientia peccati, *neſcio me peccaſſe*, eſſe involuntarium, ideoque dicebat: *Et quid plus factum, ſi ſponte peccavero?*

Pelagio, & Buſembaum unum Evangelii textum objicio, ubi Chriſtus Luc. 23. v. 34. ait: *Pater dimitte illis: non enim ſciunt, quid faciunt*. Qui Chriſtum crucifixerunt, teſte eodem Chriſto neſciebant, ſeu non advertebant malitiam ſui ſceleris, attamen peccabant, quia venia illius ejuſdem ſceleris opus habebant, *Pa-*

ter

Digitized by Google

ter dimitte illis. Ergo eſt indubitanter falſum, eos malos actus non eſſe voluntarios, ſeu liberos, quorum malitia non eſt cognita.

Voluntarium ex D. Thoma 1. 2. qu. 6. art. 3. duplici modo dicitur, hoc eſt directe, quod accidit, cum voluntas operatur, vel indirecte, quod contingit, cum voluntas non operatur. Nam ipſe defectus, ſeu omiſſio actionis imputatur voluntati non agenti, *cum poteſt, & debet agere*. Porro *eo modo*, inquit Angelicus, *requiritur ad voluntarium actus cognitionis, ſicut & actus voluntatis, ut ſcilicet ſit in poteſtate alicujus conſiderare, & velle, & agere, & tunc ſicut non velle, & non agere, cum tempus fuerit, eſt voluntarium, ita etiam non conſiderare*. Ergo ad voluntarium non eſt neceſſaria actualis advertentia, ut Bul. & probabiles cum Pelagio volunt; ſed ſufficit virtualis, qua poſſit cognoſci malitia peccati: hoc enim ipſo, quod malitia peccati cognoſci poteſt, adeſt principium ſufficiens deliberandi, & voluntarium, & peccandi libertas.

Hinc idem S. Doct. art. 7. qu. cit. ad 3. inquit: *Sed quandoque in his, quæ per concupiſcentiam aguntur, non totaliter tollitur cognitio; quia non tollitur poteſtas cognoſcendi, ſed ſolum conſideratio actualis in particulari agibili; & tamen hoc ipſum eſt voluntarium, ſecundum quod voluntarium dicitur, quod eſt in poteſtate voluntatis, ut non agere, & non velle; ſimiliter autem & non conſiderare*. Idem repetit art. 8.

Doctrina D. Thomæ perſpicua eſt, atque inſtar Solis diſſipans Pelagii, & probabilium tenebras.

Sed hic prætereundum non eſt, probabilium doctrinam, malitiæ advertentiam ad peccatum poſtulantium, peccatum quoque philoſophicum ab Alex. VIII. proſcriptum neceſſario invehere. Malitia enim peccati nihil eſt, niſi offenſa Dei: ergo qui in peccato Dei offenſam non norunt, peccati malitiam non norunt: qui peccati malitiam non norunt, juxta probabiles non peccant: ergo qui in peccato Dei offenſam non norunt, juxta probabiles non peccant. Hanc concluſionem explicatius admiſit La-Croix verbis mox relatis: „ Certum eſt, ad peccatum prærequiri aliquam advertentiam ad legem „ Dei. "

Hinc porro neceſſario fit, ut qui Deum vel ignorat, vel de eo actu non cogitat, non peccet, nec peccare poſſit; quia Dei offenſam, & Dei legem, in cujus tranſgreſſione Dei offenſa conſiſtit, non advertit: & hoc eſt peccatum philoſophicum proſcriptum. En propoſitio 2. ab Alex. VIII. 24. Aug 1690. proſcripta, ut ſcandaloſa, temeraria &c. (apud Conc. app. t. 1. p. 41. & in calce hujus operis) *Peccatum philoſophicum, ſeu morale eſt actus humanus diſconveniens naturæ rationali, & rectæ rationi. Theologicum vero, & morale eſt tranſgreſſio libera divinæ legis. Philoſophicum quantumvis grave, in illo, qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, eſt grave peccatum, ſed non eſt offenſa Dei, neque peccatum mortale diſſolvens amicitiam Dei, neque æterna pœna dignum*. Hæc proſcripta theſis eſt neceſſarium corollarium ejus doctrinæ, quæ ad peccatum, peccati malitiæ advertentiam requirit, ut jam oſtendi, & nunc clarius explico. Certum quippe eſt, peccatum rectæ rationi repugnare; at eo ipſo, quod rectæ rationi repugnat, divinæ quoque legi adverſatur; quia recta ratio nihil aliud eſt, niſi lex divina ſcripta in cordibus noſtris. Hanc doctrinam proſcriptæ theſis auctores & noverant, & non inficiabantur. Cur ergo aſſerebant, actum repugnantem rectæ rationi, quæ eſt philoſophica peccati notio, non eſſe offenſam Dei, nec Dei amicitiam diſſolvere in eo, qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat? quia qui Deum ignorat, vel de Deo actu non cogitat, divinæ legis tranſgreſſionem, & Dei offenſam non advertit. Videlicet proſcripta theſis cum probabilium doctrina, de qua hic ſermo eſt, apprime congruit, & ex ea neceſſario oritur. Si ſolide, & recte ratiocinamur, aut proſcripta theſis admittenda eſt, aut explodenda doctrina, quæ ad peccatum ejus malitiæ advertentiam poſtulat. Nemo Catholicorum proſcriptam theſim admittere poteſt: ergo omnes Catholici doctrinam, quæ ad peccatum, malitiæ peccati advertentiam poſtulat, explodere omnino debent.

ANIMADVERSIO II.

Ad peccatum requiruntur conditiones .... ut ſit voluntarium, id eſt ut fiat a voluntate conſentiente.

Ego ſane nodum in ſcirpo non quæro; at cum Buſemb. ait *a voluntate conſentiente*, intelligere oportet, *vel non conſentiente*, ubi conſentire oportet; quod confirmant verba D. Th. mox relata.

Ut advertatur malitia.

Hoc ex mox dictis eſt error Pelagianus.

ANIMADVERSIO III.

Defectu primæ conditionis nullus actus, qui neque eſt in, neque a voluntate, eſt peccatum, niſi voluntas eum acceptet.

Intellige acceptet in ſe, vel in cauſa, ut ex D. Th. animadvertimus. Item voluntas peccat non ſolum acceptando, ſeu conſentiendo, ſed etiam non diſſentiendo, ſeu non reſiſtendo, ut ex dicendis dub. ſeq. art. 2. intelligetur.

Tandem voluntas peccat etiam non agendo, & non volendo; ut ſi omittat actus fidei, ſpei, & caritatis &c.

ANIMADVERSIO IV.

Defectu ſecundæ ... ſubinde a peccato excuſantur &c.

Ne ex Bus. verbis errandi occaſio ſit, animadvertendum eſt, omnem motum inferioris appetitus, rationis uſum perturbare, ſeu obſcurare, eoque magis, quo eſt vehementior, nec tamen libertatem tollere; quæ non tollitur, niſi extincto rationis uſu. Quod ſi paſſio, rationis uſum non ſolum valde perturbet, ſed etiam extinguat, a peccato quidem ex ea profecto excuſat, ſi ipſa paſſio ſit involuntaria, non item ſi ipſa voluntaria ſit. Sed hic audiendus eſt D. Thom. qui 1. 2. qu. 77. art. 7. ita loquitur.

Reſpondeo dicendum, quod ſecundum hoc ſolum actus aliquis, qui de genere ſuo eſt malus, totaliter a peccato excuſatur, quod totaliter involuntarius redditur. Unde ſi ſit talis paſſio, quæ totaliter involuntarium reddat actum ſequentem, totaliter a peccato excuſat; alioquin non totaliter.

Circa quod duo conſideranda videntur. Primo quidem, quod aliquid poteſt eſſe voluntarium vel ſecundum ſe, ſicut quando voluntas directe in ipſum fertur; vel ſecundum ſuam cauſam, quando voluntas fertur in cauſam, & non in effectum, ut patet in eo, qui voluntarie inebriatur: ex hoc enim quaſi voluntarium ei imputatur, quod per ebrietatem committit. Secundo conſiderandum eſt, quod aliquid dicitur voluntarium directe, vel indirecte: directe quidem id, in quod voluntas fertur: indirecte autem illud, quod voluntas potuit prohibere, ſed non prohibet.

Secundum hoc igitur diſtinguendum eſt: quia paſſio quandoque quidem eſt tanta, quod totaliter aufert uſum rationis: ſicut patet in his, qui propter amorem, vel iram inſaniunt: & tunc ſi talis paſſio a principio fuerit voluntaria, imputatur actus ad peccatum, quia eſt voluntarius in ſua cauſa, ſicut etiam de ebrietate dictum eſt. Si vero cauſa non fuerit voluntaria, ſed naturalis, puta cum aliquis ex ægritudine, vel aliqua hujuſmodi cauſa incidit in talem paſſionem, quæ totaliter aufert uſum rationis, actus omnino redditur involuntarius, & per conſequens totaliter a peccato excuſatur. Quandoque vero paſſio non eſt tanta, quod totaliter intercipiat uſum rationis, & tunc ratio poteſt paſſionem excludere divertendo ad alias cogitationes, vel impedire, ne ſuum effectum conſequatur: quia membra non applicantur operi, niſi per conſenſum rationis, ut ſupra dictum eſt. Unde talis paſſio non totaliter excuſat a peccato.

Imo vero vehementiſſimi paſſionis motus ne a mortali quidem, quod ex genere ſuo tale eſt, peccato excuſant, niſi ſubiti ſint, ut docet idem D. Thom. art. 8. q. cit. ubi ait: *Quod peccatum mortale conſiſtit in averſione ab ultimo fine, qui eſt Deus. Quæ quidem averſio pertinet ad rationem deliberantem, cujus etiam eſt ordinare in finem. Hoc igitur ſolummodo poteſt contingere, quod inclinatio animæ in aliquid, quod contrariatur ultimo fini, non ſit peccatum mortale, quia ratio deliberans non poteſt occurrere; quod contingit in ſubitis motibus. Cum autem ex paſſione aliquis procedit ad actum peccati, vel ad conſenſum deliberatum, hoc non fit ſubito. Unde ratio deliberans poteſt hic occurrere. Poteſt enim excludere, vel ſaltem impedire paſſionem, ut dictum eſt. Unde ſi non occurrat, eſt peccatum mortale: ſicut videmus, quod multa homicidia, & multa adulteria per paſſionem committuntur*. Hinc Ap. Rom. 7. v. 5. ait: *Cum enim eſſemus in carne, paſſiones peccatorum, quæ per legem erant, operabantur in membris noſtris, ut fructificarent morti*. Non enim regnum cælorum acquiritur ſine vi vehementibus, & vehementiſſimis paſſionibus adhibenda. *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*.

ANIMADVERSIO V.

Defectu tertiæ non peccat, qui die jejunii ... cœnat, vel carnes comedit, etſi advertat &c.

Id verum eſt, ſi præcepti inadvertentia ſit involontaria; non item ſi ſit voluntaria, puta orta ex ignorantia vincibili præcepti eccleſiaſtici, vel ex incuria ſciendi ſtatos jejunii dies.

Item qui lapidem projicit per feneſtram, non advertens periculum læſionis.

Hic

Hic quoque inadvertentia periculi non abſolute excuſat a peccato, ſed ſi fuerit involuntaria, hoc eſt, ſi debita diligentia adhibita fuerit ad cavendum læſionis periculum. Hinc cap. *Si culpa tua* dec. lib. 5. tit. 36. dicitur: *Si culpa tua datum eſt damnum, vel injuria irrogata, ſeu aliis irrogantibus opem forte tuliſti, aut hæc imperitia tua, ſive negligentia evenerunt, jure ſuper his ſatisfacere te oportet.* Canon culpam agnoſcit, & ſatisfactionem imperat, ſi damnum datum fuerit ex imperitia eorum, quæ ſcienda, & animadvertenda erant, vel ex negligentia cavendi periculum.

Hæc animadverti in gratiam veritatis. Nam ſi Buſembaum, principium illud a ſe, ſuiſque probabilibus jactum, ut nemo peccet, niſi peccati malitiam advertat, aſſequitur, eatumque habet; quid opus eſt, ut certa quædam, ac minuta conſectaria inde colligat, eucuſetque ſolum a culpa mox deſcriptos, *vel qui contractum uſurarium celebrat, non advertens eſſe talem?* Sanch. &c.

Ex eo principio illud evidentiſſime oritur, ut, quodcumque, & qualecumque peccatum uſuræ, furti, rapinæ, contumeliæ, detractionis, adulterii, homicidii, perjurii, blaſphemiæ, idololatriæ &c. quis admittat, non advertens peccati malitiam, a culpa immunis ſit. Hoc eſt legitimum, & neceſſarium conſectarium illius probabilium axiomatis: *Nemo peccat, niſi peccati malitiam advertat.* Quid ſani Theologi? Sani Theologi axioma probabilium recitatum veluti peſtem, & hæreſim pelagianam execrantur: pauciſque dicunt, inadvertentiam malitiæ a peccato excuſare, ſi ſit involuntaria; non item, ſi ſit voluntaria, quacumque demum ratione voluntaria ſit, ſeu in ſe, ſeu in cauſa, ſeu directe, ſeu indirecte juxta mox dicta ex angelico Doctore. Porro ex eodem 2. 2. qu. 76. art. 3. ignorantia involuntaria (idemque dic de inadvertentia) talis eſt, *ſive quia eſt invincibilis, ſive quia eſt ejus, quod quis ſcire non tenetur.*

Contra vero ignorantia voluntaria *eorum eſt, quæ quis ſcire tenetur, & poteſt.*

Hinc ſi loquamur de contractibus uſuræ, & injuſtitiæ labe infectis, quos negotiatores eorum malitiam non advertentes celebrant, vix, aut ne vix quidem a peccato excuſari poſſunt. Quia ex D. Thom. qu. 76. cit. art. 2. *unuſquiſque ſcire tenetur illa, ſine quorum ſcientia non poteſt debitum actum recte exercere. Unde omnes tenentur ſcire communiter ea, quæ ſunt fidei, & univerſalia juris præcepta, ſinguli autem ea, quæ ad eorum ſtatum, & officium pertinent.* At celebratio contractuum, qui ſunt proprii negotiatorum cujuslibet generis, ad eorum ſtatum, & officium pertinet: ergo negotiatores horum contractuum notitiam quoad juſtitiam, & injuſtitiam habere tenentur; ideoque a peccato non excuſantur, dum injuſtos contractus celebrant, eorum injuſtitiam ignorantes, aut non advertentes.

Animadverſio VI.

Damna, & eventus (licet alioqui frequentes) ex ebrietate ſecuti, & nullo modo prævisi, inculpabiles ſunt.

Id ſane conſequitur ex pelagiano exploſo errore, quod non peccetur, niſi peccatum fuerit cognitum. At cum certum ſit peccari, etiamſi peccatum cognitum, ſeu præcognitum non fuerit, dummodo cognoſci potuerit; cum rurſus damna, & eventus frequentes ex ebrietate orti, cognoſci, ſeu prævideri potuerint, certum quoque eſt, eos a culpa non excuſari, quia prævisi non ſunt. Hinc D. Thom. 1. 2. q. 20. art. 5. ait: *Si autem eventus ſequens non ſit præcogitatus, tunc diſtinguendum eſt: quia ſi per ſe ſequitur ex tali actu, & ut in pluribus, ſecundum hoc eventus ſequens addit ad bonitatem, vel malitiam actus. Manifeſtum eſt enim, meliorem actum eſſe ex ſuo genere, ex quo poſſunt plura bona ſequi; & pejorem, ex quo nata ſunt plura mala ſequi.* Hactenus contra Buſembaum. *Si vero,* pergit Angelicus, *per accidens, & ut in paucioribus, tunc eventus ſequens non addit ad bonitatem, vel malitiam actus. Non enim datur judicium de re aliqua ſecundum illud, quod eſt per accidens, ſed ſolum ſecundum illud, quod eſt per ſe.* Hinc D. Aug. lib. 22. contra Fauſtum cap. 44. ait, quod *Loth culpandus eſt, non quantum ille inceſtus, ſed quantum ebrietas meruit;* quia ille inceſtus nec fuit prævisus, nec prævideri potuit.

Quibus conformiter Leſſ. &c. docet, ſi negligentia &c. fuerit tantum venialis, etiam mala, quæ &c. tantum venialia fore.

At eo ipſo, quia Leſſ. doctrina conformis eſt falſis, & abſurdis doctrinis jam refutatis, conſequitur, eam eſſe abſurdam & falſam. Certum quippe eſt, negligentiam præcavendi culpas mortales, eſſe mortalem, ut D. Th. 2. 2. qu. 54. art. 3. docet, & res ipſa loquitur: at eventus ex ebrietate ſequi ſoliti, ſunt, ut ponimus, culpæ ex natura ſua mortales, ut perjuria, blaſphemiæ, rixæ, laſciviæ, &c. ergo negligentia præcavendi hos effectus, eſt ſine dubio mortalis culpa. Dum vero Buſemb. ait: *Quia, cum non in ſe, ſed tantum in cauſa ſint libera, non poſſunt habere majorem culpam, quam ipſa cauſa:* dum, inquam, Buſemb. ita loquitur, primo quidem iis, quæ mox falſo dixit ad ea verba, *Damna & eventus, licet &c. nec in ſe, nec in cauſis ſunt libera,* aperte contradicit, ſuamque falſitatem emendat; at nihilominus, ſi rationis ſeu cavillationis vim ſpectes, pelagianum errorem mox a ſe traditum ponit, & inculcat. Argumentatio enim Buſembaum ita ſe habet: Mala, quæ in ſe libera, ſeu voluntaria non ſunt, ſed ſolum in cauſa, non poſſunt habere majorem culpam, quam ipſa cauſa: at mala ex ebrietate ſequi ſolita, quæ prævideri poterant, ut rixæ, laſciviæ &c. in ſe non ſunt libera, ſed ſolum in cauſa: ergo majorem culpam habere non poſſunt, quam ipſa cauſa. Ergo ſi eorum cauſa, ut negligentia, fuit tantum venialis, ipſa quoque mala inde orta venialia tantum ſunt. Propoſitio hujus argumentationis, ſola poſitione pelagiani erroris nititur; quo ſublato & negato corruit, & evidenter falſa eſt: eſt enim evidenter falſum, eventus malos, in cauſa tantum liberos, nullam aliam culpam habere, niſi quæ in ipſa cauſa ineſt; cum contra certum ſit, cauſam malorum eventuum, quæ prævideri potuerunt, ideoque debuerunt, ab iis ſuam malitiam, & gravitatem deſumere. Sic ex. gr. qui ex ebrietate prævidere potuit, ac debuit homicidium, homicidii reus eſt, qui adulterium, adulter, &c. Hæc in controverſiam vocari, non poſſunt, niſi ab iis, qui errore pelagiano imbuti ſunt, niſi forte caſu loquantur, aut ſcribant, hoc eſt neſcientes quo fundamento nixi; quo ex genere innumeri ſunt.

Animadverſio VII.

Per deſiderium intelligitur voluntas &c. vel propoſitum efficax rei malæ.

Adde, *aut etiam inefficax;* ut, cum quis vellet malefacere, puta adulterari, furari &c. ſi poſſet. Hinc D. Aug. lib. 1. de lib. arb. cap. 3. ait: *Ut intelligas, libidinem in adulterio malum eſſe, ſi cui etiam non contingat facultas concumbendi cum conjuge aliena, planum tamen aliquo modo ſit, eum cupere, &, ſi poteſtas detur, facturum eſſe, non minus reus eſt, quam ſi in ipſo facto deprehenderetur.*

Animadverſio VIII.

Probabilius tamen videtur, quod &c. eſſe peccatum.

Hujuſmodi conditionata deſideria de iis, quæ naturali, imo etiam ſolo poſitivo jure vetita ſunt, mala eſſe, certum eſt; quia ſunt deſideria vana, & otioſa, ideoque vitioſa: ſunt etiam certæ mortales culpæ, ſi aliquis abſolutus mortalis affectus conditionato deſiderio permiſceatur; denique ſunt periculoſa, quia in abſoluta deſideria haud ægre tranſire poſſunt. Quæſtio ergo eſt, utrum non ratione periculi, ſed ex natura ſua hujuſmodi deſideria conditionata mortalia ſint, quod intellige, cum habent objectum mortifere malum.

Ut hanc ſubtilem, & involutam quæſtionem paucia ego quoque attingam, illud primum adverto, intellectum quidem abſtrahere, ſeu cogitatione ſua ſeparare malitiam ab actu peccati, cui inſeparabili nexu conjuncta eſt, ſicut ſeparat, ſeu diſtinctis perceptionibus intelligit alia multa reipſa inſeparabilia, ut genus, & differentiam, memoriam, & voluntatem, Dei juſtitiam, & miſericordiam; at licet intellectus abſtrahat malitiam peccati ab actu phyſico, utilitate, voluptate; & voluntas ſequens apprehenſionem intellectus velit peccatum, non ut malum, ſed ut utile, vel jucundum; nihilominus volendo actum in ſeipſo malum, ſine dubio peccat. Nemo enim vult, aut velle poteſt malum ſub ratione mali, ut præclare docet Ariſt. Eth. 1. D. Dion. cap. 4. de div. nom. D. Aug. lib. 2. Conf. n. 10. D. Thom. 1. 2. qu. 8. art. 1. at hoc ipſo quod vult malum, peccat; quia lex ipſam concupiſcentiam mali prohibet.

At hic ſermo eſt non de abſolutis, ſed de conditionatis deſideriis rei malæ, v. g. vellem fornicari, adulterari, furari, &c. niſi eſſet peccatum, ſeu, quod idem eſt, niſi Dei lex id prohiberet.

Abſtractio, ſeu præciſio malitiæ ab actu phyſico peccati ex mox dictis poſſibilis eſt, non tamen ab actu peccati, uti eſt fornicatio, adulterium, furtum &c.

Quia actus peccati in ſui natura, & notione actum ſimul, & malitiam includit; ideoque recte, & vere loquuntur, qui ajunt, malitiam ab actu malo, puta adulterio, homicidio &c. præſcindi non poſſe. Quia intellectus inſeparabilia quidem ſua cogitatione ſeparat, at contradictoria copulare non poteſt: contradictoria autem copularet, ſi actum peccati ſine peccato perciperet; quia peccatum perciperet, & non perciperet.

Ex his efficitur, ut qui volunt actum peccati, ut fornicationem, adulterium &c. mortaliter peccent, tum quia volunt id, cujus concupiſcentiam lex prohibet, tum quia præciſio malitiæ ab actu malo eſt impoſſibilis.

Digitized by Google

Verum qui ſub conditione impoſſibili volunt actum malum, eum reipſa non volunt, ſed voluntatem ſuſpendunt, quia malus eſt, eum concupituri, ſi malus non eſſet: ergo non peccant. Sicuti enim homines non peccant propter ea, quæ facerent, (quæ ſunt innumera) ſed reipſa non faciunt, ita non peccant propter ea, quæ cuperent, ſed reipſa non cupiunt. Lex enim vetat concupiſcentiam, (*non concupiſces*) non concupiſcentiam conditionatam, quæ concupiſcentia non eſt, ſed concupiſcentiæ ſuſpenſio. Adulterarer, occiderem, furarer, inquit aliquis in corde ſuo, ſi peccatum non eſſet, ſi nulla lex id vetaret. Hujuſmodi affectiones animi quidem ſunt nondum purgati, at a peccato nihilominus abhorrentis, & Deum timentis, non mortaliter peccantis. Omnes juſti fugiunt peccata, quia ſunt peccata; quæ ſi peccata non eſſent, ea & vellent, & facerent.

Lex Dei, & naturæ, peccatum, & peccandi voluntatem prohibet: at qui ſub conditione peccatum volunt, ſi non eſſet peccatum, peccandi voluntatem non habent, imo habent voluntatem non peccandi, quia a voluntate peccandi ſe removent, quia peccatum eſt peccatum.

Mali homines in hæc conditionata deſideria prolabuntur: adulterarer, occiderem, &c. ſi poſſem, ſi pœnam non timerem: & hæc ſunt evidentia mortalia peccata. Homines non mali aliter in ſuis deſideriis conditionatis ſe habent, & in corde ſuo quandoque ajunt: fornicarer, occiderem, &c. ſi non eſſet peccatum: peccatum ergo oderunt; & quia illud oderunt, ab ipſa voluntate illud admittendi abſtinent: an mortaliter peccant, qui peccatum oderunt, & ab ipſa voluntate illud admittendi abſtinent, quia peccatum eſt?

Videlicet, dum animo ajunt: fornicarer, occiderem &c. ſi peccatum non eſſet, naturæ corruptæ propenſionem, & paſſiones nondum domitas oſtendunt, non tamen animum a Deo averſum, in quo mortalis culpæ ratio ſita eſt.

At adverſarii ita objiciunt: actus peccati, ut fornicatio &c. intrinſece malus eſt, nec ſua malitia exui poteſt: ergo voluntas, dum in eum tendit, malum vult; ideoque, ſi malum ſit grave, mortaliter peccat. Reſp. Conſeq. eſt vera, & legitima: at ad rem præſentem non facit; quia conditionata explicata voluntas, de qua ſermo hic eſt, in actum peccati non tendit, ſed ab illo ſe removet, quia malus eſt, ipſum concupitura, ſi malus non eſſet.

Objicies ſecundo: impoſſibile eſt actum peccati (uti adulterium &c.) non eſſe malum: ergo illa conditio, ſi malus non eſſet, eſt impoſſibilis. Reſp. Conſequentia conceditur: eſt enim legitima, ac indubitata.

At hinc ita ratiocinaris: conditio impoſſibilis actui malo adjecta, exuere malitia non poteſt deſiderium conditionatum ejuſdem actus mali: ſed ex conceſſis illa conditio, ſi actus malus non eſſet, actui malo adjecta, eſt impoſſibilis: ergo non poteſt exuere malitia deſiderium conditionatum actus mali.

Reſp. negatur propoſitio. Obviæ enim ſunt propoſitiones ſub impoſſibili conditione, quæ in ſenſu contrariis, ſeu contradictoriis abſolutis propoſitionibus veris oppoſito veræ ſunt, & ſanæ. E. g. Si homo non eſſet rationalis, legi non ſubderetur: ſi culpa mortalis Deum non offenderet, æterna pœna digna non eſſet &c. Item ſi fornicatio nulli legi eſſet contraria, cuilibet eſſet permiſſa. Quod ſi fornicatio ſub hac impoſſibili conditione, *ſi nulli legi eſſet contraria*, ipſo facto permiſſa eſſet, cur ejus deſiderium ſub hac ipſa impoſſibili conditione non eſt permiſſum? Deſiderium porro conditionatum, de quo ſermo eſt, nihil eſt, niſi deſiderium fornicationis, quod reipſa non eſt, ſed eſſet ſub hac conditione, ſi fornicatio nulli legi eſſet contraria. Hæc ſane ſubtilia valde ſunt, nec omnibus obvia; at quæſtionis natura, & objectiones, quæ fieri poſſunt, huc me impulerunt. Quod ſi ſubtiliter ratiocinando, ſolide, & recte ratiocinatus non ſum, meam, quæ multorum eſt, ſententiam revoco.

Animadversio IX.

Gaudere, & delectari de opere malo ſub conditione (ſi liceret:) v. g. &c.

Quod de deſiderio dicitur, idem de gaudio, ſeu delectatione conditionata, quæ reipſa talis ſit, dicendum eſt. *Conditio enim*, ut ſcholæ loquuntur, *nihil ponit in eſſe*. Qui de opere malo gaudet ſub conditione, ſi malum non eſſet, de eo reipſa non gaudet, gauderet autem, ſi malum non eſſet. Ex. g. Si Carolus V. animo dixiſſet: *Concubitus, unde natus eſt Joannes Auſtriacus, mihi placeret, ſi peccatum non fuiſſet*, nec malum concubitum, nec ipſum concubitum, unde celeberrimus Princeps prodiit, probaſſet, ſed probaturus fuiſſet, ſi malus non eſſet.

Aliud eſt, aliquid malum deſiderare, aut de eo gaudere ſub conditione, ſi malum non eſſet; aliud, illud deſiderare, aut de eo gaudere per abſtractionem, ſeu præciſionem, hoc eſt non quatenus malum eſt, ſed quatenus eſt bonum, vel utile, vel jucundum. Deſideria, & gaudia per abſtractionem ſunt ex ſe mortalia peccata, ſi ſint de re graviter mala, ut mox dictum, & oſtenſum eſt: hinc ſi eidem Carolo V. placuiſſet concubitus, unde genitus eſt prædictus Joannes Auſtriacus, non quia malus, ſed quia origo ſtrenuiſſimi Principis, illud gaudium fuiſſet mortale. Quia licet mens ſeparet culpam ab actu phyſico, culpa tamen actui phyſico inſeparabiliter innexa eſt: ideoque, dum voluntas in actum phyſicum ſeu deſiderando, ſeu gaudendo tendit, in ejus quoque malitiam implicite, ſeu conſequenter neceſſario tendit; quod omnino ſatis eſt ad letalem culpam. Si enim voluntas a culpa mortali immunis eſſet, quia grave malum vult, non quatenus malum, ſed quatenus utile, aut jucundum, nulla voluntas eſſet mortiſere mala: quia nulla voluntas vult malum, ſed prout boni ſpeciem habet. Itaque indubitatum eſt, deſideria, & gaudia de re graviter mala, ex præciſione, ſeu abſtractione a mortali culpa non liberari; qua de re apud Catholicos nulla quæſtio eſſe debet: quia contrarium aſſerere, aperte repugnat Scripturæ oraculis Matth. 5. v. 28. & 15. v. 19. & 20. aliiſque. At voluntas conditionata, prout explicata eſt, in rem malam nulla ratione tendit, ſed ſolum in eam ferretur, ſi non eſſet mala.

Animadversio X.

Si talis effectus ſit ſecutus ex opere ſecundum ſe quidem malo, hic tamen, & nunc culpa vacante .... tunc etiam de ipſo actu licere aliquando delectari, non quidem ſecundum ſe, ſed ut eſt cauſa &c. *docet* &c.

Hæc doctrina, ut ego quidem ſentio, eſt aperte falſa, & ex mox dictis confutata. Si enim delectatio ſine præciſione mentis mala eſt, ex mentis præciſione a ſua malitia ex mox dictis ſeparari non poteſt: at delectatio de opere ſecundum ſe malo, licet inculpabiliter admiſſo, eſt ſine dubio mala: ergo talis delectatio ex præciſione mentis a malitia ſeparari non poteſt; ideoque non deſinit eſſe mala, quia eſt de objecto *non ſecundum ſe, ſed ut eſt cauſa talis boni effectus*, ut loquitur Buſ.

Ex univerſali Buſemb. doctrina orta eſt propoſ. 15. ab Innoc. XI. proſcripta, quæ ita habet: *Licitum eſt filio gaudere de parricidio parentis a ſe in ebrietate perpetrato propter ingentes divitias inde ex hereditate conſecutas.* Parricidium eſt opus ſecundum ſe quidem malum, hic tamen & nunc culpa vacat, quia factum eſt in ebrietate: filius de ipſo actu delectatur, non quidem ſecundum ſe, ſed ut eſt cauſa talis boni effectus, hoc eſt ingentium divitiarum: quare propoſitio proſcripta nihil aliud eſt, niſi exemplum, ſeu ſpecies doctrinæ univerſalis Buſembaum; quæ propterea Buſemb. doctrina aperte proſcripta intelligitur.

V. g. de ſolutione naturæ facta in ſomno.

Hoc exemplum non videtur ad rem, quia ſolutio ſpermatis in ſomno non eſt opus hominis, ſed naturæ; de quo tamen vide dicta lib. 3. t. 4. c. 2. d. 4. ca. 4.

At inquit Buſemb. *Objectum delectationis iſtius non eſt malum.*

Reſp. Non eſt malum per accidens, hoc eſt ratione involuntarii, concedo: non eſt malum ſecundum ſe, nego: & quia eſt malum ſecundum ſe, idcirco illius delectatio eſt mala. Tota enim ratio, cur opus ſecundum ſe malum, dum fieret, non eſſet culpabile, ea erat, quia erat involuntarium: at cum voluntas eo delectatur, non eſt involuntarium, ſed voluntarium, quia voluntati acceptum: ergo efficitur culpabile.

Præterea Buſemb. ratio evoluta, & in ſyllogiſmum redacta, eſt hujuſmodi. Delectatio de objecto non malo, non eſt mala: at delectatio de opere ſecundum ſe malo, at hic & nunc non malo, eſt de objecto non malo: ergo non eſt mala. Hæc porro ratio, ſeu cavillatio duplici vitio laborat. Primum eſt, quia aſſumptio abſoluta falſa eſt: opus enim ſecundum ſe malum, abſolute malum eſt, & ſolum per accidens non malum. Secundum vitium eſt, quod nimia probet. Probat enim, delectationem de opere ſecundum ſe malo, at hic & nunc non malo, abſolute non eſſe malam, hoc eſt non eſſe malam, etiamſi ſit de opere prout tale eſt, nec ullius boni cauſa; quæ concluſio deterior, & damnabilior eſt propoſ. 15. ab Innoc. XI. proſcripta; quæ propoſitio loquitur de delectatione operis ex ſe mali, ſed hic & nunc non mali, non abſolute conſiderati, ſed quatenus cauſa alicujus boni, hoc eſt ingentium divitiarum. Audiamus Ap. qui Rom. 3. v. 8. ait: *Et non faciamus mala, ut veniant bona, quorum damnatio juſta eſt.* Porro ſicut non licet facere malum, ut veniat bonum, ita non licet cupere malum, aut de eo delectari, quia inde bonum oritur. Hinc explodenda eſt hæc La-Croixii p. 157. nu. 91. doctrina: „ Si tamen effective præſcindatur malitia objectiva, ideſt ſi malitia objectiva non moveat

„ affe-

„ affectum, & delectatio cadat præciſe ſuper prædicatum, prout eſt cauſativum boni, delectatio non erit „ mala; dummodo tale prædicatum poſſit, & reipſa præſcindatur ab omni malitia.“ Hæc ſcilicet doctrina eadem eſt, ac Buſemb. opinio mox refutata, & proſcripta, ut oſtendimus, ab Innoc. XI. Hinc etiam intelligitur, quid ſentiendum ſit de Tamb. lib. 10. in Decal. c. 5. §. 2. n. 2. dicente: „ Gaudebat quidam Sacerdos, ſe per „ inculpabilem oblivionem matutinum diei heſterni non „ recitaſſe, & reprehendebatur ab alio nimis religioſo „ Sacerdote. Huic dixi, potuiſſe illum gaudere de carentia illius laboris, quæ tunc nullo modo peccaminoſa fuit; atque adeo tale gaudii objectum erat ab „ omni malitia ſeparatum, nedum ſeparabile.“

Erat ſeparatum ab omni malitia ex mentis præciſione, non reipſa; ideoque non deſiit eſſe malum. Hæc Tamburini ratio, eadem eſt ac Buſembaum ratio mox refutata, ex qua oritur concluſio damnabilior propoſ. 15. ab Innoc. XI. proſcripta, ut oſtendi. Hæc ergo Tamburini opinio ſine dubitatione rejicienda utpote affinis damnatæ propoſitioni, & profecta ex peſſima cavillatione; quam rejicit quoque P. Concina Theol. t. 4. p. 697. num. 4.

Imo addunt licere aliquando deſiderari effecta (ſimplici &c.) ut tale quid fiat ſine culpa &c.

Quod de gaudio, idem, aut etiam multo magis quoad moralitatem de deſiderio dicendum eſt: at ex dictis gaudium de re ſecundum ſe mala nunquam licet: ergo ne deſiderium quidem unquam licet, aut etiam multo minus. Scelera, ut a nobis, vel ab aliis fiant, appetere, quacumque ratione fieri appetantur, ſemper, & indubitanter ſcelus eſt. *Ego autem dico vobis*, inquit Chriſtus Matth. 5. v. 28. *quia omnis, qui viderit mulierem ad concupiſcendam eam, jam mœchatus eſt eam in corde ſuo*. An mulierem non concupiſcit, qui appetit in ebrietate, aut in ſomno cum ea concumbere? Et Matth. 15. v. 19. *De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falſa teſtimonia, blaſphemiæ. Hæc ſunt, quæ coinquinant hominem*. Et Oſ. 9. verſ. 10. *Facti ſunt abominabiles, ſicut ea quæ dilexerant*. Ergo ſcelerum deſideria ſemper ſceleſta, & mortalia ſunt, quæ excuſari non poſſunt, niſi per captioſiſſima ſophiſmata a patre mendacii incautorum mentibus inſufflata.

Animadversio XI.

Inter conjuges tamen, modo periculum pollutionis abſit, etiam ſenſitivam, & veneream delectationem non eſſe mortale, docent &c.

Dum Buſemb. ſenſitivam veneream delectationem a periculo pollutionis ſeparat, res natura ſua inſeparabiles ſeparat. Venerea enim ſenſitiva delectatio, nihil aliud eſt, niſi interna pollutionis inchoatio; quia aliunde proficiſci non poteſt, niſi ex ſeminis commotione, & fluxu. Itaque ſicut in aliis, ita quoque in conjugibus, niſi ad conjugalem copulam ordinem habeat, mortifera culpa eſt; & hoc idem dicam de impudicis tactibus: qua de re vide dicta lib. 3. t. 3. c. 2. d. 5. cap. 1. & t. 4. c. 2. d. 1. *Quæres*, reſp. & dicenda lib. 6. t. 6. c. 2. d. 2. *Quæres* &c. Lege etiam, ſi lubet, P. Concinam Theol. t. 10. p. 408. Nam ſi conjux ſine ulla venerea commotione, & delectatione de conjugali concubitu ex æqua ratione gaudeat, nihil eſt quod jure reprehendas. E. gr. Si Lud. XIII. Galliarum Rex de fortuito concubitu cum Anna Auſtriaca uxore ſua gaviſus eſſet, quod inde heres Regni ortus, omni culpa vacaret.

Animadversio XII.

Delectatio moroſa de rebus &c. non eſt illicita .... v. g. ſi Carthuſianus, vel alius &c.

Hæc delectatio eo nomine jure reprehenditur, quia otioſa eſt, periculoſa, gulæque effectus, & affectio.

Animadversio XIII.

Qui delectationem &c. confitetur, addere debet &c. v. g. in materia &c. Hactenus recte. *Quod tamen limitat Azor. &c. ſi delectatio feratur in objectum apprehenſam &c. non autem ſi tantum ſecundum partem .... tunc enim probabile eſſe ait, delectationes tales reduci ad ſpeciem ſimplicis fornicationis: ita etiam &c.*

Hæc limitatio commentitia mihi, & evidenter falſa eſt ex dictis. Quia præciſiones mentis, criminum ſpecies mutare non poſſunt. Gravitas, & ſpecies malitiæ in moroſa delectatione, ſicut in omnibus pravis affectibus, ex malitia objecti lege vetiti deſumenda eſt, non ex peccantis apprehenſione; quia peccantis apprehenſio rerum naturam immutare, & legis prohibentis vim debilitare non poteſt.

At moroſa delectatio de adulterio, aut ſacrilegio, ex objecto non eſt ſimplex fornicatio, ſed adulterium, aut ſacrilegium: ergo ad ſimplicem fornicationem revocari non poteſt, quia delectatio, ut Buſemb. ait, fertur in feminam apprehenſam, ut non ſuam, non tamen ut alteri nuptam, vel ut monialem. Lex naturalis, & divina moroſam delectationem de adulterio damnat ut adulteram, de ſacrilegio ut ſacrilegam: ergo ut talis damnanda eſt, quocumque apprehenſio ſe vertat. Eſt enim monſtrum incredibile, & evidenter falſum, apprehenſionem peccantis eſſe ſupra naturalem, & divinam legem, eamque inflectere pro ſui ratione, & natura. Præterquamquod Buſemb. ſpecies, ſeu caſus eſt de ſubjecto, ut ſcholæ ajunt, non ſupponente. Joannes e. gr. moroſe delectatur de adulterio cogitato cum Franciſca: hanc novit, ſcit eſſe alienam uxorem; & nihilominus, ſi Buſemb. audimus, illam non apprehendit, ut alienam, ſed ſolum ut non ſuam. Hæc poſitio eſt aperte contradictoria; quia Joannes, ut ponimus, apprehendit Franciſcam, ut alienam uxorem, ſicuti reipſa eſt, & eam non apprehendit ut alienam uxorem, quia eam ſolum apprehendit ut non ſuam, quæ eſt aperta contradictio.

Animadversio XIV.

Si quis ſine cauſa, & neceſſitate actionem exerceat, ex qua &c. peccat venialiter.

Non eſt hic ſermo de obſcænis tantum ſpectris, quæ ex curioſa lectione, aut auditione turpium excitantur, quæ luxuriæ tentamenta ſunt; nec de moroſis delectationibus, aut pravis luxuriæ deſideriis, quæ ſunt certa mortalia peccata; ſed de carnis delectatione, quæ quoad corpus in commotione ſpirituum, & ſeminis generationi deſervientis ſita eſt, quoad animum vero voluptas eſt (nec enim corpori voluptates, aut dolores adſcribendi ſunt) inde ex naturæ ordine, & neceſſitate orta. Hic porro voluptatis ſenſus in animo paſſio eſt, ſicuti ſunt paſſiones, aliæ ſenſationes, ut auditus, odoratus &c. Quia vero paſſio animi eſt, non actio, idcirco poteſt eſſe involuntaria, & voluntaria. Si involuntaria ſit, culpa caret, ut omnes fatentur; ſi voluntaria ſit, culpæ vertitur, ut nemo inficiatur. Rurſusqui directa intentione eam vult, puta ſi turpia legat, ut eam excitet, & qui ei etiam ſine culpa excitatæ conſentit, mortaliter peccat, ut ipſe Buſemb. hic inſinuat.

Et ratio eſt, quia carnis, ſeu, quod idem eſt, venerea delectatio ad luxuriam ſine dubio pertinet, in qua materiæ parvitas a letali culpa non excuſat. Hinc ipſa oſcula, & tactus ex libidine, hoc eſt ex voluptate captandi veneream delectationem peracti, ex D. Th. 2. 2. qu. 154. n. 4. mortales culpæ ſunt: quod eſt indubitatum ex prop. 40. ab Alex. VII. proſcripta. Quæſtio ergo præſens in eo eſt, utrum qui vult non ipſam quidem carnis delectationem, ſed ejus cauſam ſine ulla neceſſitate, & ratione, e. g. curioſam lectionem, vel auditionem rerum turpium, mortaliter ex genere ſuo peccet, hoc eſt mortaliter peccet, etiamſi abſit periculum conſenſus. Buſemb. negat. At quæſtio in illud recidit, utrum qui mortale peccatum in cauſa vult, licet illud directe non velit, mortaliter peccet.

Hæc porro mihi quidem non videtur quæſtio, ſed res extra quæſtionem. Eſt enim, aut eſſe debet extra quæſtionem, eum, qui in cauſa vult homicidium, fornicationem, blaſphemiam, perjurium &c. mortaliter peccare. Ergo is quoque mortaliter peccat, qui in cauſa vult veneream delectationem; quia venerea delectatio ex ſe mortalis eſt.

Buſemb. fatetur, eum, qui venereæ jam excitatæ delectationi conſentit, mortaliter delinquere: at qui eam in cauſa vult, illi antecedenter conſentit: quid porro diſcriminis quoad culpam eſt inter ſubſequentem, & antecedentem conſenſum? Ego ſane nullum agnoſco. Ergo ſi ſubſequens conſenſus mortalis eſt, antecedens quoque eſt mortalis.

Buſemb. lectorem mittit ad locum, quem hic citat: at ex ibi dictis contra Buſemb. qui in cauſa vult pollutionem, e. g. crapulam, aut ebrietatem, ex qua pollutio prævidetur, & oritur, mortaliter peccat: ergo mortaliter quoque peccat, qui in cauſa vult veneream delectationem; quia etiam hæc, non ſecus ac pollutio, mortalis culpa eſt.

Animadversio XV.

Si voluntas plene eam advertens negative, & permiſſive ſe habeat..... dummodo &c. probabile eſt, non peccare mortaliter.

La-Croix p. 158. n. 181. inquit: „ Alii multi cum „ Caſtrop. &c. dicunt, eſſe veniale tantum non reſiſtere „ poſitive; quia alias, inquit, multo magis eſſet „ mortale ponere actionem venialiter malam in materia luxuriæ, quæ eſſet cauſa talium motuum; hanc „ enim actionem ponere plus eſt, quam non præciſe

„ reſiſtere poſitive; & tamen pleriique ex adverſariis dicunt, hoc eſſe veniale tantum, ut relatum eſt &c."

At opinio, quæ ait, eſſe tantum veniale ponere actionem venialiter malam, quæ ſit cauſa venereæ delectationis, mox refutata eſt; ideoque ratio a La-Croix hic allata corruit. At addit: „ Et quamvis materia hic ſit de ſe gravia, tamen non reſiſtere poſitive, habet ſe, uti levis negligentia circa illam: ergo erit veniale tantum." Reſp. Antecedens, quod erat probandum, negatur; & ratio eſt, quia non reſiſtere poſitive, eſt repugnare præcepto poſitive reſiſtendi, ut mox oſtendetur. Tres vero Buſemb. rationes, *tum quia non conſentit* &c. *tum quia moraliter* &c. *tum quia ex juſta cauſa* &c. hoc modo diluuntur. Prima quidem, quia non eſt ratio, ſed petitio principii. Nam permiſſive ſe habere, ita ut voluntas nec approbet, nec repellat, includit non approbare, ſeu non conſentire in delectationem: at de hoc ipſo quæritur, utrum ſit letalis culpa. Altera vero ratio ad rem non facit; non enim quæritur, utrum ſit mortale peccatum non evitare omnes venereos motus, ſed utrum ſit mortale, illis jam excitatis non reſiſtere; quibus ſi quis diceret non eſſe in noſtra poteſtate reluctari, hæretice loqueretur. Tertia ratio refellitur; quia aliud eſt permittere, ſeu non impedire venereos motus ex juſtis, & neceſſariis cauſis legendi, audiendi confeſſiones &c. aliud iis excitatis non reſiſtere. Primum eo ipſo a culpa excuſatur, quia eſt juſta cauſa eos permittendi; at alterum eo ipſo e culpa non excuſatur, quia nulla eſt juſta cauſa iis non reſiſtendi. Hinc exploditur, quod ait La-Croix n. cit. „ Denique Cajet. Joan. Sanch. Tamb. aliique multi &c. dicunt, per ſe loquendo, nullam eſſe obligationem poſitive reſiſtendi; quia ſecundum ſententiam communem, ſi tales motus oriantur ex cauſa de ſe honeſta, non eſt opus abſtinere a poſitione hujus cauſæ: ergo multo minus eſt opus illis naturaliter ortis poſitive reſiſtere, ſed in utroque caſu permitti poterunt". Hæc ratio eſt eadem, ac tertia Buſemb. ratio mox refutata. At ſubdit La-Croix: „ Unde, inquiunt, gratis fingitur præceptum affirmativum eis poſitive reſiſtendi, cum ſatis ſit, appetitum ita gubernari a voluntate, ut ipſa in ejus actus inordinatos non conſentiat, quem ſolum conſenſum vetat præceptum, *Non concupiſces.*"

Hic latet anguis in herba: hæc doctrina Molinismum olet. Prop. 17. Michaelis de Molinos ab Innoc. XI. proſcripta ita habet: * *Tradito Deo libero arbitrio, & eidem relicta cura, & cogitatione animæ noſtræ, non eſt amplius habenda ratio tentationum; nec eis alia reſiſtentia fieri debet, niſi negativa, nulla adhibita induſtria, & ſi natura commoveatur, oportet ſinere, ut commoveatur, quia eſt natura.* Quid aliud hic negat Michael de Molinos, niſi affirmativum præceptum poſitive reſiſtendi tentationibus? Quid aliud hic docet, niſi ſatis eſſe, ut voluntas in actus inordinatos appetitus non conſentiat?

Verum quia noſtra natura non eſt innocentis Adami, ſed Adami infecti natura, idcirco ſatis non eſt, ut voluntas in ejus motus inordinatos non conſentiat, ſeu, ut ait de Molinos, negativa ſolum reſiſtentia eis fiat, nulla adhibita induſtria, ſed neceſſe eſt, ut iis poſitive reſiſtamus. Hoc præceptum nobis imponit illa lex divina, *Non concupiſces*: hoc enim ipſo, quod lex prohibet, ne pravis motibus conſentiamus, jubet, ut iis poſitive reſiſtamus. Quam maxime a veritate aberrant tum La-Croix, tum quos ipſe citat, qui ſpeculative, hoc eſt conſulta recta ratione loquendo probabilius putat, præceptum illud *Non concupiſces* eſſe ſolum negativum, nec nobis imponere obligationem reſiſtendi pravis concupiſcentiæ motibus. Catechiſmus Concilii Trident. p. 3. cap. 11. de 9. & 10. Dec. præc. n. 6. contrarium explicate docet his verbis: *Habent autem hæc ſingula præcepta* (nonum, & decimum) *illud cum ceteris commune, ut partim aliquid vetent, partim jubeant*: & n. 12. inquit: *Nam tum peccatum natura exiſtit, cum poſt cupiditatum malarum impulſum animus rebus pravis delectatur, atque his vel aſſentitur, vel non repugnat.* Idem tradit Angelicus Doct. 1. 2. q. 79. a. 6. ubi ait: *Deficit autem* (ratio) *in directione paſſionum interiorum dupliciter. Uno modo, quando imperat illicitas paſſiones; ſicut quando homo ex deliberatione provocat ſibi motum iræ, vel concupiſcentiæ. Alio modo, quando non reprimit illicitum paſſionis motum; ſicut cum aliquis, poſtquam deliberavit, quod motus paſſionis inſurgens eſt inordinatus, nihilominus circa ipſum immoratur, & ipſum non expellit. Et ſecundum hoc dicitur peccatum delectationis moroſæ eſſe in ratione.* Hoc præceptum poſitive reſiſtendi pravis animi motibus a dæmone, & a carne dæmonis miniſtra excitatis inculcat S. Petrus 1. Petri 5. *Fratres ſobrii eſtote, & vigilate; quia adverſarius veſter diabolus, tanquam leo rugiens, circuit quærens, quem devoret: cui reſiſtite fortes in fide:* & S. Paulus ad Coloſ. 3. v. 5. *Mortificate ergo membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiſcentiam malam, & avaritiam, quæ eſt ſimulacrorum ſervitus; propter quæ venit ira Dei ſuper filios incredulitatis.* An mortificant libidinem, & concupiſcentiam malam, qui illi non reſiſtunt, ſed in ea permiſſive, ſeu negative ſe habent, perinde ac ſi mala non eſſet? Ergo ſuper eos veniet ira Dei, quaſi ſuper filios incredulitatis, qui præcepta divina agnoſcere nolunt. Itaque ſolide & recte more ſuo P. Concina Theol. t. 4. p. 442. num. 37. ait: „ Dico itaque, peccare mortaliter abſolute loquendo eum, qui poſt ſufficientem advertentiam negative ſe habet in motibus venereis; quæ ipſo telle *eſt communis Theologorum ſententia.*"

Cui ſententiæ demum aliquo modo conſentit tum Buſemb. Reſp. *In praxi tamen verius videtur* &c. ubi notanda eſt ratio illa veriſſima, *quia fore ſemper* &c. *& contrarium credere* &c. tum La-Croix, qui ait: „ Hæc ultima ſententia ſpeculative loquendo videtur eſſe probabilior, in praxi tamen tenenda non eſt:" hoc eſt ſententia ab eo expreſſa illis verbis mox deſcriptis: *Denique Cajet. Joan. Sanch.* &c.

Sed hic animadverte indolem verſatilium opinatorum res theologicas involvere, & turbare proclivium. Cur opiniones ſententiæ, quam in praxi veriorem, & tenendam affirmant, contrarias referunt, nec tamen improbant? Cur harum rationes afferunt, nec tamen diluunt? Cur eas ſpeculative loquendo probabiliores appellant? An ſpeculatio probabilior, hoc eſt, ut ego intelligo, firmior, ſolidior, verior, in praxi repudianda eſt, perinde ac ſi aperta eſſet aberratio? An id apud verſatiles quoque opinatores locum habet, qui opiniones quoque minus probabiles, minus firmas, minus veras tanquam rectas, ac tutas morum regulas obtrudunt? Hæc animadverſio eo ſpectat, ut hominum inconſtantiam, fluxumque, ac flexile ingenium intelligas, neve unquam tuam, aliorumque æternam ſalutem eorum fidei committas. Meam animadverſionem confirmat Buſemb., qui pro coronide ſuæ doctrinæ addit: *Moderate Laym. utramque ſententiam probabilem fatetur, & ait, delectationem videri mortalem, niſi ſaltem actum ſimplicis diſplicentiæ circa illam elicias: etſi efficaciter animum ad alia divertere negligas, cum facile poſſis, & ſperes, te tali modo poſſe depellere.*

Sed contradictorium merito videri poteſt, ut carnis delectatio voluntati diſpliceat, & nihilominus permittatur. Quod enim ex animo diſplicet, ab animo quoad fieri poteſt repellitur. Quod ſi quoad fieri poteſt non repellitur, ex animo non diſplicet; ſed diſplicentia fictitia eſt, & illuſoria, in quam illud Pſ. 26. v. 12. cadit: *Mentita eſt iniquitas ſibi.* Hinc ipſe La-Croix n. cit. recte ait: „ Quando quis facile poteſt reſiſtere poſitive (v. g. convertendo cogitationes ad aliud objectum, aut magis attendendo ad id, quod agit, qui modus reſiſtendi eſt poſitivus, & ſufficit) qui hoc omittit, convincitur non illubenter habere tales motus: & eſſet præſumptio, inquit Sanch., credere, tum non adeſſe formale periculum conſentiendi in delectationem; imo talis permiſſio ſæpe (loco *ſæpe* dic *ſemper*) eſſet virtualis complacentia." Hactenus La-Croix.

At hic forte aliquis objiciet D. Thomam, qui p. 3. q. 80. a. 7. ait: *Quandoque vero præcedentes cogitationes* (nocturnam pollutionem, de qua ibi loquitur) *ſunt ex concupiſcentia, & delectatione; & ſi adſit conſenſus, erit peccatum mortale, ſi autem deſit, erit veniale.* Reſp. S. Doct. loquitur de concupiſcentia, & delectatione, non quæ plene animadvertitur, ſed quæ deliberationem prævertit, quam eſſe peccatum veniale docet, etiamſi nullus adſit conſenſus.

Hinc 1. 2. q. 74. a. 3. ad. 3. ait, *quod motus ſenſualitatis rationem præveniens eſt peccatum veniale*; quod intelligi debet, quia motum ſenſualitatis impedire homo poteſt; ideoque, ſi non impediat, peccat, ut patet ex iis, quæ Angelicus dicit in reſp. ad 1. & ea 2. 2. q. 154. a. 5. quæ loca brevitatis cauſa prætereo.

ANIMADVERSIO XVI.

Peccata quoad materiale &c. *ſpecie diſtinguuntur ex objectis* &c. *quoad formale autem, proxime* &c. *remote autem* &c.

Juxta D. Thomam 1. 2. q. 72. a. 1. *peccata proprie diſtinguuntur ſpecie ſecundum objecta*: quia, cum peccata ſint actus voluntarii a lege recedentes, ſpeciem ſumunt ex eo capite, quod ſint voluntarii, non ex eo, quod a lege recedant; quia receſſus a lege eſt præter volunta-

* Conſtit. Innoc. XI. habetur apud Concinam app. t. 2. p. 30.

tatem peccantis, hoc eſt per accidens ſe habet ad peccantem, ideoque peccanti ut tali, ſeu peccato ſpeciem tribuere non poteſt: ſed actus voluntarii ſpeciem ſumunt ab objectis: ergo etiam peccata. Ita S. Th. qui in reſp. ad 2. ait, *quod peccatum non eſt pura privatio, ſed actus debito ordine privatus. Et ideo peccata magis diſtinguuntur ſpecie ſecundum objecta actuum, quam ſecundum oppoſita. Quamvis, etiamſi diſtinguantur ſecundum oppoſitas virtutes, in idem rediret; virtutes, enim diſtinguuntur ſpecie ſecundum objecta, ut ſupra dictum eſt.* Huc accedit, quod ſi peccata ab oppoſitis formis, ſeu virtutibus ſpeciem deſumerent, ſpecie differre non poſſent, niſi virtutes, quibus opponuntur, ſpecie differrent. At conſequens eſt aperte falſum: nam avaritia, & prodigalitas eidem virtuti, hoc aſt liberalitati opponuntur, audacia, & timidas fortitudini, &c.

Item homicidium, furtum, adulterium, detractio eidem juſtitiæ repugnant; at quia contrario, ſeu diverſo modo repugnant, hoc eſt, quia contraria, ſeu diverſa objecta habent, idcirco ſpecie differunt: ergo *peccata*, ut ait Angelicus, *magis diſtinguuntur ſpecie ſecundum objecta actuum, quam ſecundum oppoſita.*

Animadverſio XVII.

Poſtquam recte docuit, actus moraliter interrumpi 3. per ceſſationem involuntariam, & naturalem, ſive ea fiat per ſomnum, ſive per diſtractionem ad alia &c. ſubdit: *Quæ ſententia etſi in peccatis externis tenenda ſit, in internis tamen non habet locum, ſecundum Fill.* &c.

Cur in internis non habet locum? „ Ratio eſt, in-
„ quit, quia etſi per hanc interruptionem phyſice actus
„ multiplicentur, non tamen moraliter: quia hoc ipſo
„ quod animus &c.

Reſp. Buſembao fatente per involuntariam interruptionem phyſicus actus multiplicatur: ergo etiam moralis quoad ſuam malitiam. Et ratio evidens eſt, quia malitia ab actu malo nec ſeparatur, nec ſeparari poteſt: ergo quotieſcumque actus malus phyſice repetitur, actus quoque moralis quoad ſuam malitiam repetitur: e. g. cum repetitur deſiderium mœchandi, non ſolum deſiderium, quod eſt actus phyſicus, ſed cum addito mœchandi, in quo ejus malitia ſita eſt, repetitur: ergo eſt certum, & evidens, quidquid Buſemb. aut alii contra ſomnient, non poſſe multiplicari actum malum phyſice, niſi etiam moraliter, ſeu quoad malitiam multiplicetur.

At; inquit Buſemb. „ hoc ipſo, quod animus invo-
„ luntarie diſtrahitur, remanet interpretative prior
„ voluntas, cum non ſit retractata, aut aliter interru-
„ pta. “

Reſp. Hæc non eſt ratio, ſed petitio principii. Quæritur enim, utrum peccata interna multiplicentur per ceſſationem involuntariam, & naturalem, etiamſi nec retractata, nec aliter interrupta fuerint. Prior quidem voluntas interpretative remanet; at hinc efficitur ut, cum voluntas prius peccatum, puta deſiderium mœchandi, repetit, peccatum multiplicet. *Prior voluntas interpretative remanet*, idem ſonat, ac ſi dicas, prior voluntas reipſa deſiit, quæ tamen non deſiiſſet, niſi ſomnus, aut involuntaria diſtractio ſuperveniſſet: at quia deſiit, ex quacumque cauſa deſierit, nec permanet, nec permanere poteſt: ergo ſi priorem actum repetat, hic poſterior eſt evidenter alius, & numero diſtinctus a priore. Habet quis e. gr. veſpere deſiderium mœchandi, & in eo perſeverans ſomno corripitur; tum mane, aut media nocte e ſomno excitatus, hoc deſiderium repetit; an hoc poſterius idem numero eſt, ac prius? Quis non dicam Theologus, aut Philoſophus, ſed homo ſanæ mentis hoc animo informare poteſt? Hinc ipſe Reiffenſtuel Th. mor. t. 3. q. 5. n. 55. pag. 91. ait: „ Peccata in-
„ terna, quæ ſolo animo perficiuntur, ut hæreſis &c.
„ toties multiplicantur numero, quoties actus ipſe in-
„ ternus peccati renovatur. Ita communis. “ Res ſcilicet ex ſe evidens eſt, quæ in controverſiam vocari non poteſt, niſi ab iis, qui ſubtilibus cavillationibus aſſueti, de omnibus, aut fere omnibus controverſantur.

Animadverſio XVIII.

Actus voluntatis internus ſæpius interruptus, & repetitus, licet phyſice ſit multiplex, moraliter tamen eſt unum numero peccatum.... ſi conſummetur &c. hinc v. g. qui furatur &c.

Idem habet non ſolum Anacletus Th. mor. p. 92. n. 59. ſed etiam Nat. Alex. Th. t. 2. p. 188. reſ. 45. & Antoine p. 2. p. 56. n. 2. Neque tamen hæc doctrina proxime priori contra Buſemb. traditæ adverſatur; quia quod ponit Buſemb. actum internum ſæpius interrumpi, & repeti, ac phyſice eſſe multiplicem in ſpecie, & exemplis poſitis, non eſt verum. Interior enim voluntas, quæ conſummatur in opere externo, numquam cum hoc ſiſtitur, quamdiu externum opus durat; quia interruptio voluntarium ſit, ab ipſa voluntate oritur, quæ voluntas ſi interrumperetur, & ceſſaret, neceſſe eſſet, ut ipſum quoque externum opus deſineret. Cur enim aliquis perſeverat in opere malo? Non ex vi præcedentis voluntatis, ſed ex vi voluntatis perſeverantis in volendo opere malo. Itaque actus interni, qui dicuntur interrupti, & repetiti, ſunt prior malus actus perſeverans, & perdurans, ſed modo magis, modo minus intenſus, & explicatus, inſtar ignis, qui ſemel accenſus, nec extinctus non eodem ſemper, ſed nunc minori, nunc majori ardore incaleſcit, & ardet.

Animadverſio XIX.

Hinc oſcula, tactus &c. copulam carnalem... ſubſequentia &c. unum numero peccatum ſunt, ut docent &c.

Si oſcula, tactus, &c. carnalem copulam ex rei natura ſubſequerentur, ejus complementum recte appellarentur, ideoque unum cum ea peccatum conſtituerent;
„ at cum illa (ut recte ait Nat. Alex. reg. 45. mox cit.)
„ ad peccatum jam conſummatum per ſe non ſequan-
„ tur, ſintque magis novæ fornicationis incohationes
„ quædam, quam præcedentis appendices, plura ſunt
„ numero peccata, neceſſario in confeſſione exprimen-
„ da. “ Qua de re non eſt dubitandum, etiamſi quis dubitare vellet, utrum prædicti actus impudici forent appendices præteritæ, an initia novæ fornicationis; quia mortalia peccata etiam dubia in confeſſione neceſſario explicanda ſunt.

CAPUT II.

De peccatis in ſpecie, mortali, & veniali.

DUBIUM I.

Quid ſit peccatum mortale, & veniale?

Reſp. 1. Mortale eſt, quod ob ſui gravitatem, gratiam, & amicitiam cum Deo ſolvit, pœnamque æternam meretur. Dicitur mortale, quia ſpiritualis vitæ principium, gratiam ſcilicet habitualem tollit, & mortem animæ affert.

Veniale eſt, quod ob ſuam levitatem gratiam, & amicitiam non tollit, etſi fervorem caritatis minuat, & temporalem pœnam mereatur. Dicitur veniale, quia ſalvo vitæ ſpiritualis principio, ſcilicet gratia, languorem animæ facile curabilem infert, veniamque facile conſequitur.

Reſp. 2. Mortale peccatum duplex eſt: aliud eſt mortale ex genere ſuo; aliud ex accidente. Mortale ex genere ſuo eſt, quod per ſe lædit caritatem Dei, vel proximi, quoad perſonam, res, aut jura, vel nos ipſos corrumpit graviter. Ita Azor. *l. 4. c. 9.* Sanch. *l. 1. mor. c. 3.*

Unde reſolves.

1. Peccata contra bonum proprium commiſſa, ut plurimum ſunt venialia ex genere: ut verb. gr. inutilis, & vana concupiſcentia, vana oblectatio, prodigalitas, curioſitas, ſuperfluitas cultus, & veſtitus, nugæ, otium, exceſſus in cibo, potu, ſomno, riſu, uſu conjugii, timore, triſtitia, appetitu pecuniæ, laudis, &c.

2. Peccata contra virtutes theologicas ſunt mortalia ex genere ſuo; quia nocent bono alicui interno Dei, verbi gratia, veracitati, miſericordiæ, caritati. Item fere omnia, quæ fiunt contra Decalogum; quia quæ committuntur contra tria prima præcepta, nocent ſimiliter Deitati, ſcientiæ, omnipotentiæ divinæ, ejuſque honori externo, vel interno; quæ vero contra reliqua præcepta fiunt, nocent perſonæ, bono, aut juri proximi.

3. Peccata illa ſeptem, quæ dicuntur capitalia, non omnia ſunt mortalia ex genere ſuo: quia non omnia graviter Deum, aut proximum lædunt, vel nos ipſos corrumpunt.

Reſp. 3. Mortale ex accidente dicitur, cum actus aliquis venialis, aut indifferens ſit per accidens mortalis, de quo infra.

D U B I U M II.

Quibus ex cauſis peccatum ex genere ſuo mortale fiat per accidens veniale?

ANIMAD. I. Reſp. 1. *Tria requiruntur ad peccatum mortale, quorum ſi unum deſit, fit veniale, quod alias ex ſe eſt mortale. 1. Ex parte intellectus, plena advertentia, & deliberatio. 2. Ex parte voluntatis perfectus conſenſus.* 3. Gravitas materiæ, ſaltem ut plurimum, Ratio primæ, & ſecundæ partis eſt, quia ſpectata fragilitate humana, non videtur decere divinam bonitatem, æternis ſuppliciis punire hominem, abſque plena conſideratione, & conſenſu. Ratio tertiæ partis, quia ubi materia parvi eſt momenti, ibi moraliter modica offenſio eſſe reputatur ut plurimum.

ANIMAD. II. Reſpond. 2. *Peccatum ex genere ſuo mortale, tribus ex cauſis fieri poteſt veniale, ut patet ex dictis. Prima eſt, ſi ex parte intellectus non ſit perfecta advertentia malitiæ, ſeu deliberatio.* Signa autem imperfectæ deliberationis ſunt. 1. *Si tenuiter, & quaſi ſemidormiens apprehendiſti eſſe malum.* 2. *Si poſt, ubi melius conſideras, judicas te non fuiſſe facturum, ſi ita apprehendiſſes.* 3. *Si vehementiſſima paſſione, apprehenſione, vel diſtractione laboraſti, vel turbatus fuiſti, ita ut fere neſciveris quid ageres.*

Secunda cauſa eſt ex parte voluntatis, ſi non ſit perfectus conſenſus. Signa autem imperfecti conſenſus ſunt. 1. Si ita diſpoſitus fueris ut licet facile potueris exequi peccatum, non tamen ſis executus. 2. Si quis dubitet, num conſenſerit, præſertim ſi ſit vir timoratus. 3. Si quis ſoleat eſſe ita affectus, ut malit mori, quam expreſſe mortaliter peccare: quia talis non facile conſentit. 4. Si quis valde timide, & ſuſpenſe proceſſiſſe ſe meminit. 5. Si ſemiſomnis fuit non plene ſui compos, &c. judicetque ſe id non fuiſſe facturum, ſi plene vigilaſſet. V. Sanch. 1. *mor.* *c.* 10. Baldell. *l.* 10. *d.* 8.

Tertia cauſa ex parte materiæ, ſi hæc ſit parvi momenti. Quando autem talis ſit, diſcernendum eſt morali judicio prudentis, cui ſequentes regulæ ſervient. 1. Ut de materia judicetur, non tantum ipſa ſecundum ſe abſolute eſt conſideranda, ſed etiam reſpective ad finem intentum: ad quem ſi parum facit, levis eſt; gravis autem, ſi multum, ut docet Vaſq. 1. 2. *d.* 158. 2. Attendendæ ſunt circumſtantiæ; quia ſæpe fit, ut res ex ſe levis, attentis circumſtantiis boni communis, vitandi ſcandali, &c. fiat gravis. 3. *An pars aliqua ex præcepto ſit gravis,* (*a*) ea ſpectanda eſt tum abſolute, & ſecundum ſe, tum etiam in ordine ad totum. 4. *In tranſgreſſionibus repetitis,* (*b*) ſi plures materiæ parvæ, vel ſecundum ſe, vel ſecundum effectus a ſe productos, moraliter conjungantur, fit materia gravis; quia tunc omnes moraliter reputantur pro una. Contra vero non cenſetur materia gravis, ſi parvæ materiæ, nec ſecundum ſe, nec ſecundum effectus relictos, inter ſe uniantur.

Ex dictis reſolves.

1. Peccas mortaliter, ita ut fiat materia gravis, ſi ſæpe modicum furatis, & non reſtituis, juxta dicta *l.* 5. *t.* 5. *cap.* 1. *d.* 3. *reſ.* 1. item, ſi interruptim pſalmos aliquot ex eodem officio omittas: ſi eodem die jejunii ſæpius parum comedas, eodem feſto ſæpius parum labores.

2. Non peccas graviter, ſi diverſis feſtis modicum labores; ſi quotidie in Quadrageſima parum comedas; quod verum eſt, etiamſi ſimul haberes propoſitum ita faciendi, quia cum iſta moraliter inter ſe non uniantur, ſingula ſunt parva. V. Sanch. *l. c.*

ANIMAD. III. 3. *Non peccat mortaliter, qui diverſis diebus violat votum quotidie, aut ſingulis diebus modicum quid mandi, vel parvam eleemoſynam dandi,* ſi ſit onus affixum diei; quia, cum quotidie cujuſque diei obligatio extinguatur, materiæ illæ non continuantur. *Quod verum eſt, etſi proponat ſemper omittere, quia illud propoſitum non fertur in rem gravem. Imo, contra Sanch. id quidam verum putant, etſi quis 100. vota diverſæ ſpeciei, in materiis valde levibus, uno die implenda haberet:* quia materiæ illæ, cum ſint independentes a ſe, non uniuntur. Si tamen ſimilia vota non ſint onus affixum diei, ſed tantum dies præfigatur, ut terminus, ultra quem executio non differatur, erit peccatum mortale, poſtquam ad materiam notabilem perventum fuerit.

4. *Probabile eſt, eum, qui ter, vel quater* 5000. *aureos in cauſas pias voviſſet, non peccaturum mortaliter, ſi tres non ſolveret,* quia, etſi talis pars, abſolute in ſe ſpectata, ſit notabilis, comparatione tamen totius, morali judicio non valde videtur æſtimanda. Vide Laym. *l.* 1. *t.* 3. *c.* 5. ANIMAD. IV.

D U B I U M III.

Quibus modis peccatum ex genere ſuo veniale, aut actus indifferens, tranſeat per accidens in mortale?

Quinque modis id fieri communiter, docet Sanch. &c. 1. Ratione finis adjuncti. 2. Ratione finis ultimi. 3. Ratione contemptus. 4. Ratione ſcandali. 5. Ratione periculi. De ſingulis dicam breviter. ANIMAD. V.

Reſp. 1. Peccatum veniale tranſit in mortale ratione finis adjuncti; ut ſi quis leviter mentiatur ad copulam carnalem extorquendam: quia cum finis mortalis ametur, mortale eſt. *Non tamen neceſſarium eſt in confeſſione exprimere illud mendacium, ſed ſolum deſiderium fornicationis*; quia, ſecluſa malitia mortali finis, manet veniale. ANIMAD. VI.

Reſp. 2. Tranſit item in mortale, ratione nimii affectus in rem aliquam: ut ſi verb. gr. ultimum finem in ea conſtituas. *Ad quod non ſufficit valde intenſe, & vehementer ferri in objectum, ſed requiritur, ut appretiative illud ita æſtimes ſaltem virtualiter, ut paratus ſis ejus cauſa tranſgredi præceptum obligans ſub mortali:* (*c*) ut ſi quis ita inordinate afficiatur ad fabulas, luſum, perſonam, *ut malit* feſto omittere ſacrum, &c. quam illis privari. Notat autem Bon. hunc affectum non tantum habitualem, ſed *actualem* eſſe debere, ut peccatum contrahatur, quia non imputatur ad culpam id, ad quod committendum habitu tantum es paratus.

Reſp. 3. Peccatum veniale fit mortale, ratione contemptus abſoluti, & formalis.

Dico autem *contemptum abſolutum, & formalem,* quando nimirum ideo formaliter, & abſolute præceptum violatur, quia ipſi, aut ſuperiori ſubjici renuis, quod eſt peccatum ſuperbiæ conſummatæ: vel quando ideo non vis obedire præcepto, quia præceptum eſt, & eſt peccatum inobedientiæ formalis, quorum utrumque graviter pugnat cum *caritate* * debita ſuperiori.

Ex quibus reſolves.

ANIMAD. VII. 1. *Non eſt mortale, ſi velis quidem obedire, & ſubjici abſolute, nolis tamen hic & nunc in re modica; aut ſi auctoritatem legis, vel præcipientis admittas, executionem tamen hic & nunc contemnas,* **. Ratio eſt, quia non eſt contemptus abſolutus, & ſimpliciter, ſed tantum ſecundum quid.

2. Si præciſe ex indignatione, *malitia, prava conſuetudine,* *** aliave cauſa præceptum violetur, & non ex contemptu poteſtatis ſuperioris, non eſt mortale; quia non eſt contemptus formalis, ſed tantum interpretativus. (*d*)

3. Eſt mortale, facere, vel omittere aliquid, ex contemptu juſtæ legis humanæ. Item ex contemptu Dei præcipientis, vel etiam conſulentis (quod propterea tacitam blaſphemiam continet, quaſi Deus inutilia præciperet, aut conſuleret) & denique *facere aliquid ex contemptu Prælati, ut ſic, & ut a Deo auctoritatem habentis, non tamen ut talis hominis, indocti, imprudentis, imperfecti:* quia hoc poſtatius non eſt contemnere abſolute, & ſimpliciter, ſed tan- ANIMAD. VIII.

* An cum ſola caritate?
** Sunt verba erabica, de quibus conſule animadv. VII.
*** Conſule animadverſionem VII.

tantum ſecundum quid. Vid. Sanch. 1. *moral. cap.* 5. Bon. *de peccat. dub.* 2. *q.* 3. *p.* 5.

Reſp. 4. Peccatum, vel opus indifferens habens mali ſpeciem tranſit per accidens in mortale, ſi ruina per illud proximo cauſanda ſit mortalis. Ratio eſt, quia tali operi ſuperadditur aliquid gravitat repugnans caritati. Vide dicta de ſcandalo, & Fill. *t.* 21. *c.* 6. *q.* 10. *n.* 212.

Reſp. 5. Veniale, vel opus indifferens tranſit in mortale, ratione periculi incidendi in mortale: *quando quis ſine ſufficienti cautela, aut neceſſitate aliquid*
Animad. IX. *facit, per quod veniat in mortale, ut proximum periculum peccandi mortaliter:* quia talis ſalutem animæ contemnit, cum tam probabili ejus periculo temere ſe exponat. Unde in confeſſione explicanda eſt ſpecies peccati, cujus periculo ſe objecit, quia eodem genere peccati peccavit. Proximum autem periculum cenſetur, quod frequenter homines ſimilis conditionis in peccatum mortale inducit.

Animadversio I.

Tria requiruntur ad peccatum mortale &c. 1. *ex parte intellectus plena advertentia* &c. 2. *ex parte voluntatis perfectus conſenſus*. 3. &c. "

Hæc quidem doctrina eſt communis apud omnes probabiles, ut ait Anaclatus Th. p. 94. & La-Croix p. 171. n. 216. Neque ulla quæſtio eſt de tertia conditione. Sed quod attinet ad primam, & alteram conditionem, ſi accipiantur, ut ſonant, & prout a probabilibus accipiuntur, pro plena actuali advertentia malitiæ peccati, & præterea perfecto voluntatis conſenſu, eſt aperte falſa, nec ab errore pelagiano, & a peccato philoſophico proſcripto ſeparari poteſt, ut oſtenſum eſt lib. 1. t. 2. a. 4. dub. 1. & hoc lib. 5. cap. 1. Reſp. 1. Itaque ad peccatum mortale requiritur, & ſufficit advertentia vel actualis, vel virtualis, quæ ſcilicet, ſi actu non adſit, adeſſe tamen poſſit, & debeat. Qui non advertunt grava peccatum, tunc ſolum a gravitate mortalis culpæ excuſantur, ſi plene advertere non poſſint, aut non teneantur, ut accidit in ſemidormientibus, in iis, qui ſui plene compotes non ſunt, & in ſubitis motibus. Quare D. Th. 1. 2. q. 88. a. 6. ait: *Poteſt tamen id, quod eſt ex genere mortale, eſſe veniale propter imperfectionem actus; quia non perfecte pertingit ad rationem actus moralis, cum non ſit deliberatus, ſed ſubitus*; quod etiam docuerat a. 2. Hinc Antoine tract. de peccat. cap. 2. q. 3. R. 1. ait: „ Conſenſus ſufficiens ad mortale eſt ille, „ qui ab homine perfecte vigilante, & plene ſui compo- „ te datur actioni, vel omiſſioni graviter malæ, cujus „ malitiam actu cognoſcit, vel cognoſcere potuit, ac „ debuit. "

At La-Croix præter alios plurimos, quos nominatim citat, alioſque innumeros, quos pro ſua, & Buſemb. opinione ſtare ait, S. Thomam primo loco appellare audet, ſed falliſſime, nec ſine grandi tanti Doctoris injuria. Affert hæc S. Doct. verba ex 1. 2. q. 88. a. 2. *Ex parte agentis contingit, quod aliquod peccatum, quod ex ſuo genere eſt mortale, ſit veniale propter hoc ſcilicet, quod actus eſt imperfectus, ideſt non deliberatus ratione*. „ Cer- „ tum autem eſt, ſubdit La-Croix, S. Thomam per de- „ liberationem rationis intelligere plenam advertentiam, „ uti patebit legenti q. 74. a. 3. ad 3. item a. 6. & „ a. 10. "

Reſp. Ut La-Croixii erratum evidenter deprehendas, ſatis eſt, ſi integrum textum Angelici Doct. quem ille detruncatum attulit, legas, ubi verbis a La Croixio recitatis addit, *quæ eſt principium proprium mali actus, ſicut ſupra dictum eſt de ſubitis motibus infidelitatis*. S. Th. excuſat a mortali peccatum ex genere ſuo mortale propter actum imperfectum, ideſt non deliberatum ratione, non quod abſit plena advertentia, ſed quia adeſſe non poteſt, *ſicut ſupra*, inquit, *dictum eſt de ſubitis motibus infidelitatis*, in quibus advertentia peccati, ſeu malitiæ nec adeſt, nec adeſſe poteſt, ſicut ipſe ait q. 74. a. 10. a La-Croix cit. ubi ita loquitur: *Et quamvis infidelitas ſecundum ſuum genus ſit peccatum mortale; tamen ſubitus motus infidelitatis eſt peccatum veniale; quia peccatum mortale non eſt, niſi contra legem Dei. Poteſt autem aliquid horum, quæ pertinent ad fidem, ſubito rationi occurrere ſub quadam alia ratione, antequam ſuper hoc conſulatur, vel conſuli poſſit ratio æterna; ideſt lex Dei: puta cum quis reſurrectionem mortuorum ſubito apprehendit ut impoſſibilem ſecundum naturam, & ſimul apprehendendo renititur*, (nititur animo contra ipſam reſurrectionem) *antequam tempus habeat deliberandi, quod hoc eſt nobis traditum, ut credendum ſecundum legem divinam. Si vero poſt hanc deliberationem motus infidelitatis maneat, eſt peccatum mortale*. Dum S. Thomas loquitur, Angelum audire mihi videor; dum probabiliores Theologi, viros mente ſanos; dum probabiles opinatores, homines mente infirmos, & ægros. Sed id obiter. La-Croix duplici ex capite hic errat. Primo quia vult, D. Thomam in culpa mortali, ut mortalis ſit, requirere actualem advertentiam ad legem Dei, & malitiam objectivam, quod eſt aperte falſum. Quia D. Th. a culpa mortali actum ex ſe mortalem tunc ſolum excuſat, ſi malitia nec advertatur, nec adverti poſſit. Ait enim S. Doct. *Antequam conſulatur, vel conſuli poſſit ratio æterna .... Antequam tempus habeat deliberandi*, &c. Secundo, quia La-Croix vult, D. Thomam loqui de plena, & perfecta advertentia ad gravem malitiam, cum tamen S. Doct. non ita loquatur, ſed ſolum malitiæ advertentiam poſtulat, & nominet.

Si vero, inquit, *poſt hanc deliberationem* &c. ait *deliberationem* ſimpliciter, non plenam, & perfectam; quod La-Croix de ſuo addit. Eodem modo loquitur D. Thom. art. 6. cujus verba habes hic cap. 1. dub. 2 art. 2. reſp. 2. in fine art.; itemque art. 3. ad 3. ubi ait: *Quod illud quod homo facit ſine deliberatione rationis, non perfecte ipſe facit; quia nihil operatur ibi id quod eſt principale in homine. Unde non eſt perfecte actus humanus; & per conſequens non poteſt eſſe perfectus actus virtutis, vel peccati, ſed aliquid imperfectum in genere horum. Unde tales motus ſenſualitatis rationem prævenientes eſt peccatum veniale, quod eſt quiddam imperfectum in genere peccati*. Actum humanum imperfectum appellat non qui fit ſine perfecta, & plena deliberatione, ſed qui fit ſine deliberatione, & hunc non poſſe eſſe perfectum actum peccati, hoc eſt mortale peccatum infert; ac demum concludit, motum ſenſualitatis, qui rationem prævenit, eſſe tantum peccatum veniale. Quid nunc neceſſe eſt, ut examinem alios textus S. Doctoris, quos La Croix innuit? præſertim cum hac de re ſuam quoque mentem ſatis declaret 1. 2. qu. 77. art. 7. verbis relatis hoc lib. 5. cap. 1. reſp. 2. ca. 2. Fateor tamen cum Antoine mox cit. plenam advertentiam ad peccatum mortale eo ſenſu neceſſariam eſſe, ut homo ſit perfecte vigilans, ſuique compos; itemque eo ſenſu, ut homo aut advertat, aut poſſit advertere non ſolum id quod agit, ſed etiam malitiam actionis.

Nam inadvertentia malitiæ quocumque modo voluntaria, a mortali culpa non excuſat. Quod ſi „ aliqui „ Theologi (ſanos Theologos intellige, non probabiles „ opinatores) dicunt (ait Antoine tract. de pec. cap. „ 2. q. 4. reſp. 2. nota 3.) ad peccatum mortale requi- „ ri advertentiam malitiæ, vel ſuſpicionem, aut dubi- „ tationem de illa; ut id cum veritate, & certiſſimis, „ ipſorum, ac omnium principiis conſentiat, debet in- „ telligi in ſenſu accommodo, nempe vel de peccato „ directe volito, & de peccato malitiæ ex certa ſcientia „ commiſſo; vel de advertentia malitiæ ſive formali „ præſente, aut præcedente, ſive virtuali & interpre- „ tativa in ſpecie, vel in genere, in ſe, vel in cauſa. "

Hæc adjeci, quia La-Croix pro ſua opinione non ſolum citat D. Thomam, ſed alios quoque graviſſimos Auct. S. Bonav. Alenſem, Silv. Scotum, Sotum, Bellarminum &c. præter probabiles, quos non moror.

At objicit La-Croix: „ Sicuti ſi gravitas malitiæ ob- „ jectivæ nullo modo ſit cognita, etiam nullo modo eſt „ volita, quia nihil eſt volitum, niſi cognitum; ita ſi „ non ſit plene cognita, etiam non eſt plene volita, „ cum volitio ſequatur modum cognitionis: ergo nec „ poterit in actum refundere malitiam formalem gra- „ vem. „

Reſp. Hæc omnia vera ſunt, ſi ſermo ſit de cognitione vel actuali, vel virtuali ſenſu ſupra explicato. Sunt autem aperte falſa, ut patet ex antedictis, ſi ſermo ſit de cognitione actuali, de qua loquitur La-Croix.

Objicit 2. „ In negotiis, & contractibus magni mo- „ menti inter homines, requiritur plena advertentia ad „ obligationes, & onera ex eis ſequentia; alioquin ſi „ homo non præcognoverit, non cenſetur his ſubjacere: „ ergo multo magis in negotio ſalutis, ubi agitur de „ perdenda, vel retinenda Dei amicitia, de incurrendis, „ vel declinandis pœnis æternis, requiretur plena ad- „ vertentia.

Reſpondeo, falſum eſſe, eam cognitionem in negotio ſalutis, ubi agitur de peccato, eſſe neceſſariam, quæ neceſſaria eſt in humanis negotiis magni momenti; quia grave peccatum admitti poteſt, etiamſi homo ignoret quid agat; cum ſcilicet ipſa ignorantia eſt voluntaria. At graves obligationes quoad homines homo ſuis contractibus non contrahit, cum ignorat, quid agat, etiamſi ignorantia ſit voluntaria.

Objicit 3. „ Deus non poteſt facere, ut notabilis de- „ fectus advertentiæ non minuat notabiliter libertatem, „ ideoque & malitiam: ergo nec poteſt facere, & con- „ ſequenter non poteſt velle, ut mortale defectu plenæ „ advertentiæ non fiat veniale. "

Reſp.

Reſp. Speculatio de Dei potentia hic locum non habet. Ad rem reſpondeo, defectum advertentiæ, ſi voluntarius ſit, non minuere notabiliter libertatem, nec malitiam actus, ita ut culpam ex ſe mortalem in venialem transferat, quod etiam ſupra cap. 1. dub. 1. ca. 2. oſtendimus ex D. Thoma; a quo cum probabiles facile diſcedant, in magnas, & multas prolapſiones incidunt.

ANIMADVERSIO II.

Peccatum ex genere ſuo mortale, tribus ex cauſis fieri poteſt veniale. Prima eſt, ſi ex parte intellectus non ſit perfecta advertentia malitiæ, ſeu deliberatio. Signa autem &c.

Hæc doctrina ex antedictis eſt aperte falſa; quæ, ſi vera eſſet, impiæ ſuperſtitiones hæreticorum, Turcarum, Hebræorum, omniumque infidelium non eſſent mortales culpæ, quia earum malitiam nullo modo, nedum perfecte apprehendunt. Hæc Buſembaum doctrina a mortali gravitate illas omnes innumeras mortales culpas excuſat, quas homines quoque catholici admittunt ex prava opinione ſeu propria, ſeu aliunde, puta ex corruptis mortalium libris, aut ea deceptorum Theologorum, etiamſi vulgi opinione magni habeantur, ſenſu depromta: qui tamen nullo modo excuſandi ſunt, quia ex ſuo vitio, & culpa, ex oſcitantia, ex nulla, aut exigua ſervandæ legis ſollicitudine, ex ſuis malis cupiditatibus, quibus non reſiſtunt, veritatem, quam ſcire poſſunt, & debent, ignorant. Hæc Buſemb. doctrina a mortali culpa excuſat graviſſima, & aperta ſcelera hominum vitiis obrutorum: quia iſti aut tenuiter ſuorum ſcelerum malitiam apprehendunt, aut etiam nullo modo apprehendunt, & ne in mente quidem eam habent, dum ea admittunt. Hæc eſt Buſemb. doctrina.

Omnes, dum peccant, tenuiter, & quaſi ſemidormientes malum apprehendunt, ſi forte eos excipias, qui ex malitia peccant; quia ſuis cupiditatibus abrepti & obcæcati illud ſolum cogitant, ut eas expleant. Nemo, dum peccat, ita malum apprehendit, ut poſtea, ubi melius conſiderat.

Paſſiones etiam vehementiſſimæ, niſi ſubitæ ſint, a mortali culpa non excuſant, licet eam minuant, quia iis reſiſtere poſſumus, & debemus. An vehementiſſimæ paſſiones libidinis, iræ, avaritiæ &c. a mortali culpa excuſant fornicationes, adulteria, homicidia, uſuras, furta &c.? Vehementiſſimæ paſſiones animum quidem valde turbant, diſtrahunt, & in apprehenſione ſui objecti defigunt; at, niſi ſubitæ ſint, libertatem relinquunt, nec in peccatum pertrahunt, niſi quia iis non reſiſtitur. *Fratres*, inquit S. Petrus 1. Petri 5. *ſobrii eſtote, & vigilate; quia adverſarius veſter diabolus, tanquam leo rugiens, circuit, quærens quem devoret*; nos ſcilicet furioſe impugnat, excitatis vehementiſſimis cupiditatibus, apprehenſionibus, diſtractionibus. At quid tum poſtea? an ſi nos illi viriliter non reſiſtemus, ab eo non devorabimur, hoc eſt mortaliter non peccabimus? Quare ſubdit S. Petrus: *Cui reſiſtite fortes in fide*. Si vehementiſſimæ paſſiones, apprehenſiones, diſtractiones a mortali culpa excuſarent, victoria de infirmis paſſionibus reportata ſufficeret, ut in cælum conſcenderemus: via ergo ad cælum eſſet facilis, & lata, quod Evangelio aperte repugnat, ubi dicitur Matth. 7. *Quam anguſta porta, & arcta via eſt, quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt qui inveniunt eam!* & Luc. 13 *Contendite intrare per anguſtam portam*. Quidquid probabiles contra effutiant, *ad magna præmia*, ut ait S. Gregorius hom. 37. in Evang. *perveniri non poteſt, niſi per magnos labores*, reſiſtendo ſcilicet magnis paſſionibus.

Secunda cauſa eſt ex parte voluntatis, ſi non ſit perfectus conſenſus.

Dum Buſemb. ad mortale peccatum non ſolum plenam advertentiam malitiæ, nec ſolum conſenſum poſtulat, ſed perfectum conſenſum ſimul cum plena advertentia, doctrinam quidem tradit ex dictis jam ſatis exploſam, ſed tamen hujuſmodi, ut vel ne ab ipſo quidem, & probabilibus intelligatur, vel novam falſitatem includat. Nam quæ ex metu fiunt, ex Ariſt. Eth. 2. & D. Thoma 1. 2. q. 6. art. 6. mixta ſunt ex voluntario, & involuntario, nec perfecte voluntaria ſunt, ideoque ex perfecto conſenſu non fiunt: ergo peccata ex genere mortalia, ſi ex metu fiant, erunt venialia; quod eſt aperte falſum, ut docet D.Th. 2.2. q. 125. art. 3. & Evangelio aperte contrarium dicenti Luc. 14 *Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum &c. adhuc autem & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus*. Nullus ergo timor vel graviſſimus etiam mortis a mortali culpa excuſat conſenſum præſtitum objectis divina lege vetitis. Itaque ad peccatum mortale ſufficit conſenſus ſine addito, nec requiritur conſenſus * plenus, ſeu perfectus. Hæc quoque eſt D. Thomæ doctrina p. 3. q. 80. art. 7. ubi ait: *Quandoque cogitationes ſunt ex concupiſcentia, & delectatione; & ſi adſit conſenſus, erit peccatum mortale, ſi autem deſit, erit veniale*: quæ doctrina ex Jacobi ep. c. 1. v. 15. orta eſt, ubi dicitur: *Deinde concupiſcentia cum conceperit, parit peccatum: peccatum vero cum conſummatum fuerit, generat mortem*. Hinc D. Aug. hom. 14. inter 50. c. 8. ait: *Noli conſentire concupiſcentiæ tuæ. Non eſt unde concipiat, niſi de te. Conſenſiſti? quaſi concubuiſti in corde tuo. Inſurgit concupiſcentia? nega te illi, noli eam ſequi: illicita eſt, alienat te a Deo. Noli dare conſenſionis amplexum, ne plangas partum*. Ait *conſentire*, *conſenſiſti* ſimpliciter, & hoc ad mortale peccatum ſufficit ex D. Auguſtino, ut patet ejus verba conſideranti, & Scripturæ oraculum, quod interpretatur. Et lib. 12. de Trin. cap. 12. ait: *Huic autem illecebræ conſentire, de ligno prohibito manducare eſt*, hoc eſt mortaliter peccare. Et lib. 1. de ſerm. Domini in monte cap. 12. *Si autem conſenſio facta fuerit, plenum peccatum erit ... verum tamen delectatio ante conſuetudinem vel nulla eſt, vel tam tenuis, ut prope nulla ſit; cui conſentire magnum peccatum eſt, cum illicita eſt*. Cum D. Aug. & D. Thom. maxima Eccleſiæ lumina loquuntur, non ſunt audiendi probabiles opinatores aliter loquentes.

ANIMADVERSIO III.

Nec peccat mortaliter, qui diverſis diebus violat &c. ſi ſit onus affixum diei.

Si quis hoc votum diverſis diebus violando, mortaliter non peccat, ne mortaliter quidem peccat, qui illud ſemper violat ex eadem ratione, quam affert Buſemb. & ut ipſe aſſerit lib. 3. t. 2. cap. 3. dub. 4. ca. 1. ubi ejus, & La-Croix opinio fuit confutata, ita ut hic quidquam addere neceſſe non ſit. Vide etiam, ſi lubet, Concinam Theol. t. 3. p. 194. n. 32. qui hanc Buſemb. & aliorum opinionem nimis laxam putat; eamque refellit. Hoc porro idem dicendum eſt de eo, qui parvas eleemoſynas ex voto ſingulis diebus erogandas, ſemper, aut ſæpius omittit, ita ut tota collectio omiſſionum ſit notabilis.

Quod verum eſt, etſi proponat ſemper omittere: quia &c.

Si omiſſiones plures, mortalem culpam ex dictis efficiunt, dubitandum non eſt, quin earum propoſitum ſit mortale.

Imo contra Sanch. id quidam verum putant, etſi quis 200. vota ... haberet.

Hæc ſpecies quidem a ſuperiore diverſa eſt; in qua nihilominus a Buſembaum diſcedendum videtur, ſicut ab eo diſcedit P. Concina cum aliis, quos citat Theol. t. 3. p. 192. qu. 7. Ratio eſt, quia omnia vota ſimul ſumpta gravem materiam efficiunt: ergo omnium violatio gravem culpam infert.

At inquit Buſ. „Materiæ illæ, cum ſint independen„tes a ſe, non uniuntur."

Reſp. Is, qui poſt editum de re levi votum, alterum quoque leve, ac diverſum edit, prius tacite confirmare videtur, & ſic deinceps; ex quo fit, ut materiæ leves plurium votorum diverſæ ſpeciei uniantur non ex natura ſua, ſed ex mente voventis: ergo qui plura vota violat, cum ad notabilem materiam pervenit, mortaliter peccat, non ſecus ac qui plura minuta furta admittit, cum ad notabilem materiam pervenerit; quia ſicut hic notabile quid ſubtrahit hominibus, ita ille Deo, cui ſingula levibus votis promiſſa debentur, & ad quem jure pertinent. Nam ex æquo ſenſu perinde eſt, ſeu notabile quid alicui debeas ex una promiſſione, ſeu ex multis: at qui aliquid notabile ex una promiſſione debitum non præſtat, mortaliter ſine controverſia peccat: ergo iſte quoque mortaliter peccat, qui aliquid notabile ex multis levibus promiſſionibus debitum non præſtat. Quod ſi hoc verum eſt in promiſſionibus homini factis, multo magis eſt verum in promiſſionibus Deo nuncupatis.

ANIMADVERSIO IV.

Probabile eſt, eum, qui ter, vel quater 1000. aureos ... voviſſet, non peccaturum mortaliter, ſi tres non ſolveret.

Cur id probabile eſt? „Quia, inquit Buſ. etſi talis „abſolute &c. comparatione tamen totius &c. non val„de videtur æſtimanda."

Reſp. Hæc ratio eſt evidenter ſophiſtica; quia poſitione evidenter falſa nititur. Ponit enim, notabilem quantitatem, quæ abſolute ſit ſufficiens materia mortalis peccati, non eſſe talem, ſi comparatione totius non ſit notabi-

* Pote intenſus, & vehemens, vel ut voluntas non ſolum rem prohibitam velit, ſed etiam ejus malitiam; ſed ſatis eſt conſenſus etiam remiſſus, & quaſi repugnans, & ut voluntas rem vetitam velit.

Digitized by Google

tabilis; quod eſt evidenter falſum, & abſurdum. Hinc enim conſequeretur, eum mortaliter non peccaturum, qui, cum ter mille aureos voviſſet, triginta non ſolveret; quia triginta reſpectu ter millium, ſunt pars centeſima, hoc eſt comparatione ad totum minima. Quod ſi probabilitas valde tenuis ab Innoc. XI. prop. 3. proſcripta eſt, multo magis proſcripta intelligitur probabilitas fucata; cujuſmodi eſt præſens Buſemb. opinio, quæ ratione evidenter ſophiſtica nititur.

Votum totius, ſingulas ejus partes, quales, & quantæ in ſeipſis ſunt, complectitur: ergo qui partem abſolute notabilem omittit, mortaliter peccat; quia hanc vovit. An quia comparate ad totum non eſt notabilis, in voto non continetur?

Qui ter mille aureos cum voverit, reliquos ſolvit, tres non ſolvit, ille eſt, de quo Jac. 2. v. 10. dicitur: *Quicumque autem totam legem ſervaverit, offendat autem in uno, factus eſt omnium reus.*

An objicies, voventem in noſtra ſpecie offendere in uno, quod comparatione minimum eſt? At unum quoque præceptum comparatione totius legis minimum quid eſt; & nihilominus unius præcepti tranſgreſſio, violatorem facit reum totius legis: ergo offenſio quoque in parte voti notabili, quæ ex ſe vim legis habet, licet ſit minima reſpectu voti totius, violatorem reum facit totius voti, hoc eſt mortalis peccati.

Si quid voviſti Deo, ne moreris reddere: diſplicet enim ei infidelis, & ſtulta promiſſio; ſed quodcumque voveris, redde: (Eccl. 5. v. 3.) At qui totum promiſſum non præſtat, infidelis eſt, nec reddit quodcumque vovit, ſed ſolum ejus partem: ergo legis violator eſt: ergo mortalis culpæ reus; quia materia notabilis ponitur, uti reipſa ſunt tres aurei.

Qui ter mille aureos furatus, reliquos reſtituit, tres ſibi retinet, mortaliter peccat: ergo in noſtra quoque ſpecie mortalis culpa admittitur. Laym. loco a Buſ. cit. negat conſequentiam. „ Diſcrimen enim eſt, inquit, „ quod iſte rem alienam aufert, hic vero ſuam non „ dat, cum dare deberet, & quidem promiſſario non „ admodum invito, ſi tota ferme gratuita promiſſio „ expleta fuit. “ Reſp. Qui rem promiſſam, & acceptatam non dat, non ſuum, ſed alienum retinet; quia res promiſſa, & acceptata, alieni juris eſt, uti eſt res voto promiſſa. Illud quoque falſum eſt, promiſſarium, hoc eſt Deum, non eſſe invitum, ſi totum promiſſum ei non ſolvatur; quia ea cit. oraculo *diſplicet ei infidelis ... promiſſio;* & quia Deus illud nobis præcipit, *quodcumque voveris, redde.*

Præterea vota Deo nuncupata, eo quidem ſenſu gratuita ſunt, quod ſub legem non cadant, non quod res promiſſæ infinito benefactori, cujus dona, & jura ſunt, quidquid habemus, & ſumus, non debeantur. Hinc ipſe Laym. ſubdit: „ Quia in rigore contrarium dici poteſt „ eſt; eo quod vovens, ſeu promittens poſt factam, & „ acceptatam promiſſionem, totius rei promiſſæ ex juſtitia „ debitor factus ſit. “ Hoc ergo contrarium exploſa priori ſententia, quam Laym. ea indole verſatilis doctrinæ benignam, & probabilem appellat, tenendum eſt, tum ea antedicta, tum ex ipſa ratione a Laymanno allata, quæ cum in omni promiſſione, tum maxime in promiſſione Deo facta vim habet; cui, cum aliquid promittimus, de ſuo, non de noſtro promittimus, cujuſve infinita beneficia rependere nunquam poſſumus.

Animadversio V.

Quinque modis id fieri communiter, docet Sanchez.

His adde, peccatum veniale fieri mortale ex conſcientia erronea, cum quis facit peccatum veniale, quod putet eſſe mortale.

Animadversio VI.

Non tamen neceſſarium eſt in confeſſione exprimere illud mendacium &c.

Cum quis leviter mentitur ad copulam carnalem extorquendam, mulierem ſollicitat ad peccandum grave peccatum: ergo leve mendacium fit grave peccatum ratione ſcandali, quod in confeſſione neceſſario exprimendum eſt. Non tenetur quidem pœnitens in confeſſione exprimere illud mendacium, nec tamen ſatis eſt, ſi ſolum exprimat deſiderium fornicationis, ſed neceſſe eſt, ut addat, quod mulierem ad fornicationem ſollicitaverit.

Animadversio VII.

Non eſt mortale, ſi velis quidem obedire, & ſubjici abſolute, nolis tamen hic in re modica.

Contemptus vel eſt in re notabili, vel in parva; tranſgreſſio legis, ſeu præcepti in re notabili ex ſui natura mortalis eſt, ſecluſo contemptu: ergo ſi tranſgreſſio legis, ſeu præcepti in re parva ex contemptu, mortalis non eſt, peccatum veniale non efficitur mortale ex contemptu, at hoc eſt tum contra ipſum Buſembaum, tum contra unanimem Theologorum ſententiam: ergo tranſgreſſio legis, ſeu præcepti in re parva ex contemptu eſt mortalis.

Buſemb. reſpondet, concluſionem veram eſſe, ſi ſermo ſit de contemptu abſolute, non autem ſi ſermo ſit de contemptu hic & nunc in re modica. Contemptus abſolute, eſt contemptus quoad omnia, contemptus ſecundum quid, eſt contemptus quoad pauca, & minima.

Qui quoad omnia legem, ſeu ſuperiorem contemnit, hic mortaliter peccat, violando legem etiam in minimis; at qui quoad reliqua legi, & ſuperiori ſubjici vult, non tamen hic & nunc in re modica, hic mortaliter non peccat. Hæc videtur eſſe Buſemb. mens.

Reſp. At contemptus ſeu quoad omnia, ſeu quoad aliqua, & minima, idem peccatum eſt quoad ipſum contemptum; quia auctoritas legis, & ſuperioris eſt eadem ſeu in omnibus, ſeu in paucis, & parvis, non major, & minor pro diverſitate eorum, quæ præcipiuntur: ergo auctoritatis contemptus idem ſemper peccatum eſt, non aliud, & aliud pro diverſitate eorum, quæ præcipiuntur.

Qui hic & nunc in re modica Superiori ſubjici non vult, ſemetipſum Superiori ut tali, ſuamque voluntatem Superioris legitimæ auctoritati hic & nunc præfert, & ſuperiorem facit; quæ ſane æquo judicio non exigua, ſed magna perverſitas eſt, ideoque non levis, ſed mortalis culpa.

Qui hic & nunc Superiorem contemnit, hic & nunc Chriſtum, & Patrem contemnit. *Qui vos ſpernit*, inquit Chriſtus Luc. 10. v. 16. *me ſpernit: qui autem me ſpernit, ſpernit eum, qui miſit me.* An venialiter peccat, qui hic, & nunc Chriſtum, & Patrem contemnit?

D. Bernardus (apud Nat. Alex. Theol. t. 2. p. 417. reg. 2.) ait: *Ubique enim & culpabilis neglectus, & contemptus damnabilis eſt. Differunt autem, quod neglectus, quidam languor inertiæ eſt, contemptus vero ſuperbiæ tumor. Porro contemptus in omni ſpecie mandatorum pari pondere gravis eſt, & communiter damnabilis.* Nota illud *ubique*, & illud *in omni ſpecie mandatorum pari pondere* &c. & alibi: *Elatio quippe contemnentis, atque impœnitentis obſtinatio in minimis quoque mandatis culpam facit non minimam, & convertit in crimen gravis rebellionis nævum ſatis levem ſimplicis tranſgreſſionis.* In eumdem ſenſum loquitur D. Thom. 2. 2. q. 147. art. 3. ad 2. ubi ait: *Quod, ſi aliquis Superioris auctoritatem, tranſgrediendo ſtatutum, contemnat, vel hoc modo tranſgrediatur, quod impeditur finis, quem intendit, peccat mortaliter talis tranſgreſſor:* & qu. 186. art. 9. ait: *Quod monaſtica regula quantum ad ea, quæ excedunt communiter neceſſitatem præcepti, non obligat ad mortale, niſi propter contemptum.* Quid ad hæc? an Buſembaum, vel ejus fautores reſpondere audebunt, SS. Bernardum, & Thomam, ipſumque Evangelium eſſe intelligendos de contemptu abſoluto, & ſimpliciter, non autem de contemptu tantum ſecundum quid? At interpretationes arbitrariæ, & commentitiæ jure contemnuntur. Hujuſmodi autem ſunt interpretationes, Sanctorum dictis adhibitæ, quæ ex eorum contextu, aut ex aliis eorum textibus non deſumuntur, & fundamentis carent.

Præterquamquod Buſembaum diſtinctiuncula non ſolum fundamento caret, ſed contra ipſam rationem pugnat, ut mox oſtenſum eſt. Quare ejus opinio veluti arbitraria rejicienda eſt.

Aut ſi auctoritatem legis, vel præcipientis admittas; executionem tamen hic & nunc contemnas.

Qui auctoritatem legis, vel præcipientis non admittunt, non ſolum ſunt contemptores, ſed deterrimi inter ipſos hæreticos, utpote qui aperta Scripturarum oracula non admittunt, uti ea ſunt: *Omnis poteſtas a Deo eſt, & qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit: per me reges regnant, & legum conditores juſta decernunt: obedite præpoſitis veſtris, & ſubjacete eis.* Iſti omnem politiam non ſolum ſæcularem, ſed ſacram de medio tollunt, omnes principatus tum corporales, tum ſpirituales e ſuo gradu dejiciunt, ac univerſum Orbem permiſcent, & confundunt.

Recta ne, & legitima eſt hæc ratiocinatio? qui admittunt auctoritatem legis, & præcipientis, non ſunt deterrimi hæretici: ergo mortaliter non peccant. At hæc, ſi recte animadvertas, eſt argumentatio Buſembau; vel, ſi velis, Buſembaum ita ratiocinatur: qui non ſunt deterrimi hæretici, quia legis, & præcipientis auctoritatem admittunt, non ſunt abſolute, & ſimpliciter contemptores, ſed ſolum ſecundum quid: ergo mortaliter non peccant: quod in idem recidit.

Itaque cum D. Thoma 2. 2. qu. 186. a. 9. ad 3. *dicendum, quod tunc committit aliquis, vel tranſgreditur ex contemptu, quando voluntas ejus renuit ſubjici ordinationi legis, vel regulæ; & ex hoc procedit ad faciendum*

contra legem, vel regulam. Tranſgredi legem ex contemptu, & mortaliter peccare ex D. Thoma, Bernardo, & Evangelio ſunt ſynonima: ergo ille peccat mortaliter, qui legis auctoritatem admittens, ejus ordinationi renuit ſubjici (idem dicas de eo, qui præcipientis auctoritatem admittit, ejus tamen præcepto ſubjici non vult:) porro executionem legis, aut præcepti hic & nunc contemnere, penes me, ſi Buſembaum intelligo, idem eſt, atque illud: legem, & præceptum hic & nunc nullo in pretio habeo, illis ſubjici recuſo, ideoque ea exequi nolo; quæ eſt conſummata ſuperbia, apertiſſimus contemptus, & certum mortale peccatum.

Quando autem e converſo, ait D. Th., *propter aliquam particularem cauſam, puta concupiſcentiam, vel iram, inducitur ad aliquid faciendum contra ſtatuta legis, vel regulæ, non peccat ex contemptu, ſed ex aliqua alia cauſa; etiamſi frequenter ex eadem cauſa, vel alia, ſimile peccatum iteret: ſicut & Auguſtinus dicit in lib. de natura, & gratia, quod non omnia peccata committuntur ex contemptu ſuperbiæ. Frequentia tamen peccati diſpoſitive inducit ad contemptum, ſecundum illud Prov. 18.* „Impius, cum in profundum venerit peccatorum, „contemnit.“

ANIMADVERSIO VIII.

Eſt mortale ..... facere aliquid ex contemptu Prælati, ut ſic &c. non tamen ut talis hominis indocti &c.

Quænam eſt hujus doctrinæ ratio? „Quia hoc poſterius, inquit Buſemb., non eſt contemnere abſolute, „& ſimpliciter, ſed tantum ſecundum quid.“

Quidnam ſibi vult hæc diſtinctiuncula? hoc ſcilicet: facere aliquid ex contemptu Prælati, quatenus Prælatus eſt, a Deo auctoritatem habens, eſt peccatum mortale; at facere aliquid ex contemptu Prælati, non quatenus Prælatus eſt, ſed quatenus eſt talis homo, indoctus, imprudens, imperfectus, non eſt peccatum mortale. Hæc porro non eſt ratio, ſed apertiſſima petitio principii, quo ſophiſmate Buſemb. non raro laborat.

An probanda eſt doctrina, cujus fundamentum eſt ſophiſma? Buſemb. nos mittit ad Sanch. & Bonac.; ſed horum auctoritas, ſi cavillationibus rem agant, pro nihilo habenda eſt.

Quinam ſunt hi Prælati docti, prudentes, perfecti? Omnino nulli; quia aut docti non ſunt, aut non ſunt prudentes, aut non ſunt perfecti. Si docti ſunt in aliqua re, non tamen in omni; ſi ſunt prudentes in aliqua re, non tamen ſaltem juxta ſubditos in lege aut præcepto, quod ipſis diſplicet; perfecti vero nulli prorſus ſunt, quia ipſi ſanctiſſimi viri aliquibus nævis laborant: *Omnis homo mendax*. Itaque una Buſembaum diſtinctiuncula, quæ prima fronte nihil, aut parum mali habere videtur, omnium Prælatorum, etiam ipſius Summi Pontificis auctoritatem infringit.

Illæ voces, Prælatum contemno, illi ſubjici nolo, non quia Prælatus eſt, ſed quia indoctus, imprudens, imperfectus, ſunt voces multorum, ſuperborum, ac cæcorum ſubditorum declinantium cor ſuum in verba malitiæ ad excuſandas excuſationes in peccatis.

An Prælatus, quia indoctus, imprudens, imperfectus eſt, deſinit eſſe prælatus? Ergo non deſinis contemnere Prælatum aliquid ſua lege, aut præcepto imponentem, quia illum contemnis non ut Prælatum, ſed ut indoctum &c. quia ſcilicet doctrinæ, prudentiæ, perfectionis deficientia auctoritatem Prælato non adimit. Contraria doctrina eſt Joannis Hus in Concilio Conſtantienſi damnati, cujus ſunt illæ propoſitiones n. 20. & 22. *Si Papa eſt malus, & præſertim ſi eſt præſcitus, tunc, ut Judas Apoſtolus, & diabolus, eſt fur, & filius perditionis, & non eſt caput S. militantis Eccleſiæ, cum nec ſit membrum ejus.*

Papa, vel Prælatus malus, & præſcitus eſt æquivoce Paſtor & vere fur, & latro. * Hinc Deut. 17. dicitur: *Qui ſuperbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo, ex decreto Judicis morietur homo ille*. Itaque allata Buſ. doctrina ſacræ Scripturæ contraria, & erroribus Joannis Hus favens, eſt omnino repudianda. In eo enim ſolum differt Buſemb. a Joanne Hus, quod hic auctoritatem in malis Prælatis non agnoſcat, ideoque contemnat; Buſemb. vero illam contemnat, ſeu contemni ſine gravi culpa poſſe doceat, licet agnoſcat. In eo vero Buſemb. eſt pejor quoad rem hanc Joanne Hus, quod hic in malis tantum Prælatis auctoritatem non agnoſcat, & contemnat; Buſemb. vero eam contemnat, ſeu ejus contemptum a gravi culpa excuſet, etiamſi mali non ſint, ſed ſolum indocti, imprudentes, imperfecti.

ANIMADVERSIO IX.

Veniale, vel opus indifferens tranſit in mortale &c. quando quis ſine ſufficienti cautela, aut neceſſitate aliquid facit per quod veniat in mortale, ac proximum periculum peccandi mortaliter.

Dum Buſemb. disjunctive loquitur *ſine ſufficienti cautela, aut neceſſitate*, a mortali culpa eum excuſare videtur, qui ex neceſſitate aliquid facit, per quod veniat in mortale, ac proximum periculum peccandi mortaliter.

Et hanc opinionem multi quidem tuentur, ut habet La-Croix p. 176. n. 261. alii vero eam rejiciunt, ac validis rationibus refutant, quæ legi poſſunt apud eumdem; qui poſt ſubdit: „Hæc ſecunda ſententia admo„dum rigida eſt, attamen videtur vera, cujus proba„bilitatem agnoſcit Boſco n. 279. & quamvia prooppo„ſita ſtent A. A. plurimi, plerique ſcripſerunt ante da„mnationem variatum propoſitionum, quæ huic materiæ „magnam lucem attulerunt.“ Itaque ſecundam ſententiam confirmat ratione ducta ex propoſ. 41. ab Alex. VII. proſcripta; at citatum numerum 261. his verbis concludit: „Qui primam benigniorem ſententiam volet defen„dere, legat Vind. Gobat. ſupra.“

Hæc poſtrema verba quid ſibi volunt, niſi eſſe in cujuslibet arbitrio, ut defendat ſententiam libertati faventem, cujus oppoſita teſte ipſo La-Croixio videtur vera, & conformis pontificiæ doctrinæ damnanti propoſitionem 41. ſub Alex. VII.? Quid facias cum iis opinatoribus, qui licere putant opiniones defendere, quæ rationabiliter diſcurrendo cum Pontificum damnationibus conciliari ipſis fatentibus nequeunt?

Illud ego hic addo, eos, qui ajunt licere ex neceſſitate tuendi famam, fortunas &c. ſeſe conjicere in proximum peccati mortalis periculum, vel in eo permanere, Evangelio aperte adverſari Matth. 5. dicenti: *Si oculus tuus dexter ſcandalizat te, erue eum, & projice abs te: expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum mittatur in gehennam. Et ſi dextera manus tua ſcandalizat te, abſcide eam, & projice abs te: expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum eat in gehennam.*

Sicuti nulla neceſſitas a peccato excuſat, ita ne excuſat quidem a proximo peccandi periculo; quia ipſum proximum peccandi periculum, eſt peccatum. Ceterum neceſſitas, adhibita cautione, imploratoque auxilio Dei, qui eſt *adjutor in opportunitatibus, in tribulatione*, efficere poteſt, ut quod aliis eſt periculum proximum peccandi, tale non ſit ei, qui neceſſitate ita operandi premitur, ex. gr. Medico, aut Chirurgo, qui ex vera, non ficta neceſſitate vident, & tangunt eas in feminis partes, quarum aſpectus, & tactus in aliis eſſet proximum peccandi periculum.

S. Carolus Borr. in admonitionibus ad Confeſſ. nu. 40. hac de re ita loquitur. „E perchè può accadere tal ca„ſo, che il penitente con tutti i ricordi, e modi, che „gli vengono propoſti dal prudente, e zelante Confeſ„ſore, veramente non poſſa laſciare l'occaſione ſenza „pericolo, o ſcandalo, deve il Confeſſore ſervirſi di „queſti rimedj.

„Primieramente differiſca l'aſſoluzione finotantochè „veda certa prova di vera emendazione: e ſe non po„teſſe differire l'aſſoluzione, ſenza pericolo di qualche „infamia del penitente, e veda in lui tali ſegni di con„trizione, e tal diſpoſizione, e prontezza a ricever i „rimedj, che il Confeſſore giudicherà neceſſarj, perchè „ſi emendi, deve proporgli quei, che gli parranno „più opportuni, e neceſſarj. Come per eſempio ordi„nargli, che non ſi trovi ſolo con tal perſona, aſſe„gnargli orazioni, qualche macerazione di carne, e „ſoprattutto le frequenti confeſſioni, ed altri ſimi„li, quali ſe eſſo accetterà, il Confeſſore potrà aſ„ſolverlo.“

„E ſe dopo queſta diligenza fatta da lui, o da al„tro Confeſſore precedente, non ſi ſarà emendato, „non gli dia l'aſſoluzione, finchè attualmente non „abbia levata l'occaſione, o non parrà altrimenti a „Noi, dal quale faccia ricorſo in tale occaſione, con„ferendo con Noi il caſo, ſenza ſcuoprire le perſo„ne.“

CA-

* Apud Concinam app. 5. 2. p. 4. & Nat. Alex. Hiſt. Eccl. t. 9. p. 39. c. 2. §. 2. &c.

CAPUT III.

De peccatis capitalibus in ſpecie.

DUBIUM I.

Quid ſit ſuperbia, & quale peccatum?

Reſp. 1. Superbia aſt appeiitus inordinatus propriæ excellentiæ: mortalis in genere ſuo, ſi ſit conſummata, & parfecta, id aſt, ſi quis ita excellere appetat, ut Deo, ſuperioribus, eorumque la-
Animad. I. gibus ſubjici nolit. *Imperfecta tamen, qua quis ſubjici non renuens iis, quibus debet, in ſuo tantum affectu ſeſe magnificat, eſt tantum veniale, ut docet Cajet. &c. v. Superbia:* quia ſine Dei, & aliorum deſpectu, plus juſto ſe efferre, non aſt gravis inordinatio: aſſet tamen gravis, ſi fieret cum notabili aliorum contemptu, complacendo in aliorum abjectione.

Reſp. 2. Filiæ ſuperbiæ ſunt tres. 1. Eſt præſumptio, quæ eſt appetitus aggrediendi aliquid ſupra vires. Eſt communiter veniale tantum; fit tamen mortale, ſi damnum Deo, aut proximo afferat, verbi gratia, ſi præſumas juriſdictionem eccleſiaſticam, poteſtatem Ordinis ſacri: item officium Medici, Advocati, Confeſſarii, &c. ſine debita peritia. Leſſ. *lib.* 3. *cap.* 2. *d.* 3. & ſupra *l.* 4. *t.* 3. *dub.* 9.

2. *Eſt ambitio*, quæ eſt inordinatus appetitus di-
Animad. II. gnitatis, & honoris non debiti, vel debito majoris: *ut ſi ambias beneficium, vel officium, quo es indignus; vel illicito modo, & medio, verbi grat. per ſimoniam. Eſt per ſe peccatum veniale*: fit autam mortale vel ratione materiæ, ex qua, vel ratione medii, per quod honor quæritur, vel ratione damni, quod proximo infertur. Denique, ſi moderate honor appetatur ob honeſtum finem, erit actus magnanimitatis, ut docet Laym.

3. Eſt vana gloria, ſcilicet cupiditas inanis gloriæ; cujus finis aſt manifeſtatio inordinata propriæ excellentiæ, ſive veræ, ſiva fictæ. Dicitur vana, quando quæritur ax re mala, falſa, aut ficta, aut quæ non aſt digna gloria, vel non tanta, ut ex notabili damno proximi fiat. 5. *Si de re mortaliter mala*; opibus, nugis, &c. ant apud eos, qui non bena da re judicant, ant ſine debito fina. Eſt peccatum per ſe veniale, mortala ſæpe per accidens, ut dictum eſt de ambitiona. *Imo, ut contra Angelum recte do-*
Animad. III. *cent* Sylv. Navar. *c.* 17. &c. *eſt tantum veniale, res etiam ſacras principaliter facere ob gloriam vanam: verbi gratia, concionari.* Poreo per vanam gloriam dupliciter peccatur, juxta D. Thom. 2. 2. *q.* 132. *d.* 51. I. Directe: idque vel per verba, eſtque jactantia, quæ eſt venialis per ſe, ſi ſit da rebus bonis, ver. gratia, jejunio, oratione, &c. etſi per accidens ſæpe ratione damni, ſi ſit falſa, fiat mortalis, uti etiam 1. ſi quid dicat contra gloriam Dei, ut Ezech. 28 *Deus ego ſum*. 2. Si prorumpat in contumelias, verbi gratia, *Non ſum, ſicut ceteri hominum, adulteri*, &c. *ut hic*: 3. Ex ſine malo. 4. Si cum quia approbatio operis eandem cum illo ſpeciam habet (quæ proinde in confeſſione debet exprimi, *ſaltem quando cum jactantia de peccato conjuncta fuit complacentia ejuſdem. Quod addo, quia ſi abſque ea fuit, Navarr. Palaus, & Diana* t. 2. tr. 4. *R.* 116. *docent contra Sanchez, Lopez, Rodriq.* &c. *non neceſſaria explicari.* Vid. Card. Lugo *d.* 16. *num.* 267.) Vel per facta, quæ ſi vara ſunt, & aliquid admirationis habent, dicitur inventio noviratum: hæc enim ſolet vulgus admirari, ut peregrinas veſtes, opiniones, &c. mortale, ſi notabiliter corrumpat juventutem, vel mores; ſi vero facta falſa ſint, eſt hypocriſis; var. grat. ſi quis boni aliquid faciat, ut videatur bonus, etſi non ſit: quæ ax ſe venialis eſt, niſi ſit cum injuria, vel contemptu Dei, & proximi. II. Indirecte, in quantum quis altero non vult eſſe minor. Quod fit quadrupliciter. 1. Par intellectum, & eſt pertinacia, qua quis nimis tenacitar adhæret ſuæ ſententiæ: quæ eſt mortalis, ſi oppugnetur veritas magni momenti: vel ſi ſit conjuncta cum periculo tertii: ver. gr. ſi medicus cum periculo ægroti maneat in ſententia. 2. Per voluntatem, & eſt diſcordia, qua peccatur mortaliter, quando eſt circa bonum Dei, vel proximi, in quo deberent eſſe concordes. 3. Per verba, & eſt contentio, quæ eſt mortalis, quando animo contradicendi altercaris circa veritatem pertinentem ad fidem, vel ſalutem animæ, aut corporis. 4. Par facta, dum quis non vult exequi, quod debet; & eſt inobedientia. V. Bald.

Reſp. 3. His tribus ſuperbiæ filiabus reſpondet *puſillanimitas*, (*a*) qua quis nimium ſibi diffidens detrectat honores, gloriam, vel officium, *quo dignus eſt*. Veniale eſt ex genere ſuo; & fit mortale, ſi detrectes, ad quod teneris ſub mortali. V. Leſſ. *l.* 3. *c.* 2. Laym. *l.* 3. *ſ.* 5.

Ex dictis reſolvuntur ſequentes caſus.

1. Audiens laudem alterius, vel ſuam, de re mortaliter mala, peccat mortaliter, ſi approbet, ſuſpiciat, admiretur ut lauda dignam. Sanch. Bald. *d.* 29. *n.* 3.

2. Vituperans alium ob vindictam non ſumptam, aliudve grave malum, vel peccatum omiſſum, ver. grat. fornicationem, peccat mortaliter; quia eſt ſpecies jactantiæ, & eſt cum approbatione peccati, & occaſio committendi. *ibid.*

3. *Inducens in civitatem novos habitus, & praevidens, quod ſua exemplo moralem neceſſitatem imponat* Animad. IV.
aliis, ut ſumptus faciant ſupra vires, & poſtea non poſſint alere quos debent, vel creditoribus non ſatisfacere, peccat graviter. Baldel. *l. c.*

4. Exornare ſe nimium ex animi levitate, vel vanitate, per ſe tantum eſt veniale. *ibid.*

5. *Simulare ſanctitatem cum voluntate non habendi,* Animad. V.
mortale eſſe dicit Bald. l. c.

6. Simulare improbitatem eſt peccatum (quia eſt mendacium, & quidem ſcandaloſum, poteſtque eſſe mortala.) Neque id fecerunt ſancti, niſi faciendo id, quod ex ſe eſt indifferens, & permittendo ab aliis accipi, ut ſignum improbitatis, cum tamen nec ex natura ſua, nec eorum intentione eſſet tale.

DUBIUM II.

Quid ſit Avaritia?

Reſp. 1. Eſt inordinatus appetitus temporalium. (*b*)

Unde ex hoc, & regula ſupra tradita de peccato mortali, reſolves ſequentes caſus.

1. *Eſt ipſa ex genere ſuo venialis.* Animad. VI.
2. Cum vero eo excreſcit, ut ejus cauſa divinas leges prevaricari non dubites, fit mortalis.

3. Prodigalitas, quæ opponitur avaritiæ, & conſiſtit in defectu conſervandi, & exceſſu erogandi, aſt ex genere ſuo venialis: levior, quam avaritia, quia minus abit a virtuta liberalitatis. Interim mortalis fit, ſi liberis, & uxori pauperiem crees: ſi impotentem te reddas ad ſolvenda debita: ſi profundas bona eccleſiaſtica, piis cauſis obnoxia. Vid. Leſſ. *l.* 2. *c.* 47. *l.* 8.

Reſp. 2. Filiæ Avaritiæ ſunt ſequentes.

1. Obduratio cordis (contra miſericordiam) egenis, & pauperibus non compatiendo, eos objurgando, debita dure nimis exigendo, quando creditor non eſt ſolvendo, &c. Hac aliquando peccari potaſt mortaliter, (*c*) *quando praeceptum* eleemoſynæ, vel caritatis *urget*, & tamen ex tali duritia non ſubvenitur. Navar. *c.* 27. Tol. *l.* 8. *c.* 26. Vide dicta de caritate proximi.

2. Inquietudo cordis, hoc eſt vehemens, & inordinata applicatio mentis ad acquirendas, vel conſervandas divitias, cum inani, & vano timore, ne non acquirantur, val perdantur. Eſt mortalis, quando retrahit a ſpiritualibus, vel aliis, ad quæ ex præcepto gravi obligamur (v. gr. auditione Miſſæ) vel inducit ſuperfluum timorem, & ex hoc diffidentiam erga Deum. Venialis eſt, ſi ſit de re bona, ſed tempore, val loco indebito, v. gr. de familia, meſſe, vindemia, quando quis eſt in templo, vel vacandum eſt Deo. S. Thom. 2. 2. *q.* 55. *ar.* 6. *l.* 23. *c.* 2. *q.* 3. Eſcob.

3. Violentia mortalis eſt, (*d*) *quando eſt injuſta*, & circa materiam gravem.

4. Fal-

4. Fallacia, ſive dolus in verbis *poteſt eſſe mortalis* (e) ratione finis, vel mediorum.

5. Fraus, ſive dolus in facto, eſt mortalis ex genere ſuo, contingitque multipliciter in contractibus, tam ratione materiæ (ver. gr. ſi res vitium habeat, vel non ſit, qualis exiſtimatur) quam ratione pretii. Navar. *c.* 23. Tol. *l.* 8. *c.* 47. Eſcob.

6. Proditio, quæ eſt deceptio contra fidem datam, aut debitam, in damnum alicujus, mortalis eſt ex genere ſuo. Contingit fere tripliciter. 1. Circa perſonas, quo modo Judas Chriſtum, Dalila Sampſonem prodidit. 2. Circa res, vel immobiles (ut ſi miles manifeſtet hoſti modum capiendi arcem) vel mobiles, ut ſi pecuniam, veſtem &c. cujuſpiam abſconditam prædoni oſtendas. 3. Circa ſecretum: vel ſibi commiſſum revelando (quod eſt contra fidelitatem, & juſtitiam, ſiquidem promiſſum fuit: quia eſt pactum oneroſum, ut docet Card. de Lugo *d.* 14. *n.* 139. & quidem mortale, ſi prævidere poſſis, inde ſecuturum notabile aliorum damnum, vel diſcordiam; alias veniale) vel alienas literas aperiendo, & legendo. Quod poſtremum ſi fiat ideo, ut ſcias ſecreta alterius, eſt curioſitas: & ſi ſit in re gravi, per ſe eſt mortale: quod quia communiter ante apertionem naſcitur, communiter eſſe mortale, docent Tol. *l.* 7. *c.* 45. Bald. *l.* 3. *d.* 11. Nav. *c. pen. d.* 6. *de pœn.* Mol. Lay. *l.* 3. *t.* 3. *p.* 1. *c.* 4. qui addit eum, qui doloſe alienas literas aperit, & legit cum alterius injuria, vel damno, crimen falſitatis committere. Dixi, *per ſe eſſe mortale*, quia per accidens poteſt eſſe veniale, vel nullum, ſi legitima auctoritate, juſta ex cauſa fiat.

Unde reſolvuntur hi caſus ſeq.

1. Literas alienas aperire, & legere, ſæpe non eſt peccatum, ſi probabiliter ſcias, ſcriptas eſſe in tuum injuſtum damnum, vel in injuriam tuam cedere, quam intendas avertere: quia potes tibi conſulere. Sic Princeps poteſt aperire literas non tantum hoſtium, ſed etiam aliorum, quæ tempore belli ex locis finitimis hoſtium veniunt. Item miniſtri publici, quoties bono publico neceſſarium eſſe judicant. Nav. *c.* 18. Regin. *l.* 24. *n.* 60. Eſcob. Card. de Lug. *d.* 14. *n.* 148.

2. Communiter etiam peccatum non eſt, ſi conſenſus expreſſus habeatur ejus, a quo, vel ad quem mittuntur (neque lex ſpecialis vetet, Card. de Lugo *l. c.*) vel tacitus ſaltem: ut ſi facias ſub ratihabitione, confidens rationabiliter, habitum iri ratum. Ita Eſcob. ex Nav. Regin. &c. *l. c.*

3. Superior Religioſus literas ſuorum ſubditorum (dummodo non mittantur ad ſuperiorem majorem, vel talem, quem ſtatuta eximant, nec ab eo veniant) licite aperit, & legit; ſive ex Religionis ſtatuto, aut conſuetudine: ſive ex ſuſpicione probabili, quod mali aliquid contineant. Vide Peyrin. *de Relig. t.* 1. *q.* 2. *c.* 1. Dian. *p.* 3. *t.* 6. *R.* 55.

4. Nec eſt peccatum, ſi neceſſe ſit, vel expediat ad injuriam alteri imminentem avertendam: dummodo non plus legatur, quam ad eum finem neceſſe eſt. Card. de Lugo *l. c.*

ANIMAD. VII. 5. *Qui aperit, & legit, exiſtimans non contineri res magni momenti, venialiter tantum peccat.* Card. de Lugo *l. c.*

6. Si literas ab alio dilaceratas, & in publicum a domino abjectas recolligas, & junctis partibus legas, ex ſola curioſitate, peccatum veniale eſt: nullum autem (per ſe) ſi, ut ex illa notitia tibi provideas; quia quod pro derelicto habetur, in uſum ſuum convertere licet. Bald. ex S. Anton. & Roſ. Sylv. v. *Emptio*, *q.* 17. Laym. *l.* 3. *ſ.* 5. *t.* 3. *p.* 1. *c.* 4. *n.* 4. Dian. *t.* 2. *tr.* 6. *m. R.* 5. Recte tamen notat Laym. *l. c.* talem ex caritate teneri non manifeſtare ſecretum iis contentum, ſi damnum inde cujuſpiam provenire poſſit, imo (addit) revelans ejuſmodi ſecretum (cujus notitiam etiam juſte acquiſivit) contra juſtitiam peccabit, ſi intelligat, audientes ea notitia uſuros ad damnum injuſte inferendum. Vide Laym. *l. c.*

Dixi 1. *a domino projectas*: quia ſi vel ab alio projectæ, (domino inſcio) vel ab ipſomet caſu perditæ fuerint, non licet legere.

Dixi 2. *in locum publicum*: quia ſi in ignem, vel fornacem v. gr. projectæ ſint, ut comburantur, peccas, ſi extrahas, & legas. Vid. Card. de Lugo *d.* 15. *num.* 130.

Dixi 3. *per ſe*: quia fieri poteſt, ut eſ contineantur, quorum lectio ſit pernicioſa.

7. Qui furtive, ſcripta alterius ſecreta, ipſo invito, legit, peccat. Et 1. quidem peccato curioſitatis; etſi faciat animo diſcendi, & ſine ſuſpicione damni. 2. Injuſtitiæ; quia quiſque habet jus ſecreti in ſuis ſcriptis; quæ aliis non vult eſſe communia, Nav. *c.* 15. Mol. *t.* 5. *d.* 36. *n.* 2. Reg. *l.* 24. *c.* 6. *n.* 119. poteſtque aliquando eſſe mortale, ſi nimirum fiat cum notabili damno, vel alter valde cupiat eſſe ſecreta, graviſſimeque ſit laturus. Bald. *d.* 11. Vide etiam Card. de Lug. *l. c.*

8. Quicumque ſecretum violet abſque juſta cauſa cum alterius damno, vel qui literas alterius injuſte aperit, ex quo damnum alteri ſequitur, tenetur ad reſtitutionem. Bon. *d.* 2. *de reſt. q.* 1. *p.* 1. Trull. *l.* 7. *c.* 10. *d.* 32.

DUBIUM III.

Quid ſit Luxuria?

Reſp. Eſt appetitus inordinatus venereorum, quorum uſus cum ex natura ſua inſtitutus ſit ad conſervationem generis humani, quod eſt magnum bonum hominum, & æternum Dei, proinde qui abutitur, lædit Deum, & homines. Eſt mortalis ex genere ſuo. V. ſupr. *l.* 3. *t.* 4. *t.* 2. & *l.* 5. *c.* 1. *d.* 2.

Reſp. 2. Filiæ Luxuriæ, quæ eam plerumque ſequuntur, ſunt octo: quatuor ex parte intellectus, & quatuor ex parte voluntatis.

1. Cæcitas mentis: cum quis adeo eſt addictus turpitudini, ut de cæleſtibus non cogitet.

2. Præcipitatio, qua quis ex eadem cauſa ſine conſilio operatur.

3. Inconſideratio; quando in modo delinquit, inconſiderate agens, quæ ſtatum, vel perſonam dedecent.

4. Inconſtantia; quando quis ex eodem affectu voluptatum a piis propoſitis mox deficit.

5. Amor ſui; talis enim homo ob voluptates ſe ipſum finem ſuarum actionum facit, non Deum.

6. Odium Dei; laſcivus enim ſolet a rebus divinis abhorrere, imo ab ipſo Deo, tanquam peccatorum vindice.

7. Affectus præſentis ſæculi; amor enim voluptatum carnalium ita animum afficit, ut ſubinde etiam beatitudini æternæ paratus eſſet renuntiare, ſi præſentibus frui ſemper permitteretur.

8. Horror futuri ſæculi; quando voluptatibus immerſus mortem inordinate timet, & de ea nolens cogitare, vitam illicitis mediis propagare ſtudet, &c.

Priores quatuor ſunt mortales, quando finis ultimus in creatura ponitur, vel præceptum aliquod Dei, graviter obligans, prætermittitur. *Poſteriores quatuor, ſi plenus ſit voluntatis conſenſus, per ſe ſunt mortales, ex indeliberatione, vel alia actuum imperfectione, ſæpe veniales.* V. Eſc. & Bald. *ll. cc.* ANIMAD. VIII.

DUBIUM IV.

Quid ſit Invidia?

Reſp. Eſt triſtitia de alterius bono, prout illud eſt diminutivum propriæ excellentiæ; ita ut hæc directe ſit contra caritatem: hæc enim gaudet de bono proximi, quod invidia deſtructum optat, vel non deſtructum dolet.

Unde reſolves.

1. Eſt ex genere ſuo mortale, & graviſſima quidem, atque in Spiritum ſanctum, ſi ſit de ipſa gratia, vel auxilio Dei.

2. Filiæ ſimiliter ex genere ſuo mortales ſunt, ac numerantur hæ. 1. Odium, de quo ſupra. 2. Detractio, de qua *in præc.* 8. 3. Gaudium in malis proximi. 4. Suſurratio, quæ eſt oblocutio mala de proximo, ad tollendam amicitiam ipſius cum aliis: quam proinde ſuſurro reſtituere tenetur, & iterum reconciliare, non ſecus ac detractor famam. Vid. *in præc.* 8.

3. Si

Animad. IX. 3. Si triſtitia ſit de bono alterius, in quantum ex eo tibi, vel aliis times nocumentum, v. gr. inimicus tuus eſt evectus ad officium, ut tibi facilius poſſit nocere, non eſt invidia, ſed timor, qui per ſe non eſt peccatum, niſi ſit inordinatus. Laym. *l.* 3. *t.* 3. *c.* 10.

4. Si triſtitia ſit ex eo, quod nobis deſit bonum, quod alter habet, ita tamen, ut illud alteri non diſcupiamus, non eſt invidia, ſed æmulatio, ſeu zelus, ſi eſt circa bonum honeſtum, & laudabilis; ſi autem circa temporalia, interdum eſt venialis, ut ſi bonum dolenti ſit improportionatum, quale eſſet, ſi ruſticus doleret, ſe non eſſe regem, Laym. *l.* 3. *t.* 3. *c.* 10. *n.* 2.

Animad. X. 5. *Si triſtitia eſt ex bono alterius*, in quantum illa eſt indignus, non eſt invidia, ſed indignatio; *quæ non eſt peccatum*: erit tamen, & quidem mortale, ſi vel Dei providentiam arguat (eſtque blaſphemia) vel ſi ita afficiat, ut ducat homines ad malum imitandum. Cajetan. Laym. *l. c.*

6. Si doleas, quod alter tibi æqualia, vel non multum inæqualis in excellentia creſcat, ita ut te fiat ſuperior, & ipſum incrementum excellentiæ apprehendas, ut tibi malum, eſt proprie dicta invidia: invidus enim dicitur, quod non ſit videns, quia bona alterius ſine triſtitia videre non poteſt. Bald. *d.* 29 *l.* 3. & ſic peccare ſolent 1. Ambitioſi, & qui ea re aliqua quærunt gloriam, quam cum in eo ponant, ut in illa re ſint ſoli, ac ſingulares, dolent, & triſtantur, ſi alii accedant. 2. Puſillanimes, quibus cum omnia videantur magna, quovis bono alterius putant minui ſuum: ſic mulieres verbi gratia, facile apprehendunt, ac dolent, ſe ſuperari bono alterius, verbi gratia formoſitate. 3. Senes aſpectu juvenum, & quicumque aliquid difficulter obtinuerunt, quod alii facile conſequuntur. Bald. *l. c.*

Animad. XI. 7. *Qui in adverſis ſuis, vel ob alterum proſperitatem, optet ſe non fuiſſe natum, vel ſe brutum animal factum fuiſſe, vel diem eſſe maledictum, quo natus eſt, vel alterum primo vidit, aut conjugem accepit*, ſi tantum intendat maledicere irrationali creaturæ, verbi gratia diei (ſive ſit nativitatis, ſive conjugii) qui tot mala culpæ, vel pœnæ protulit, *videtur eſſe tantum veniale* (aliquando etiam nullum, ut Jobi) ſi autem deliberate intendat optare malum homini, ſive ſibi, ſive alteri illo die natis, vel conjugatis, mortale eſt. Eſcob. & Marchant. *man. t.* 3.

DUBIUM V.

De Gula.

ARTICULUS I.

Quid ſit Gula?

Reſp. Ea eſt inordinatus appetitus cibi, & potus, opponiturque abſtinentiæ, & committitur quinque modis. 1. Si edas ante tempus. 2. Si nimis exquiſita. 3. Si plus juſto. 4. Si voraciter. 5. Si nimis exquiſite præparata. Laym. *l.* 3. *ſ.* 4. *n.* 5.

Unde reſolves.

1. Gula ex genere ſuo eſt *peccatum tantum veniale*, (*f*) quia nullus horum modorum repugnat præcise caritati Dei, vel proximi.

2. *Hinc probabile eſt*, quod docent Nav. Tol. &c.
Animad. XII. & non repugnat Laym. *ſecluſo ſcandalo, & aliis, veniale tantum eſſe, uſque ad vomitum ſe cibo, & potu implere: idque etiam, ſi quis vomat, uti iterato poſſit bibere*; quod tamen v. *Comedere*, Sa, aliique multi putant mortale. Vid. Bald. Eſcob. *t.* 2. *E.* 2. *c.* 5.

3. Vix dubium eſt, licere eſu, aut potu, aliterve creare vomitum, ſi is ſalubris eſſe judicetur.

4. Mortalis interim cenſetur crapula ex accidente, & nimia inordinatione, in his caſibus. 1. Si quia gulæ cauſa violet jejunia Eccleſiæ. 2. Si quia ex gula notabiliter ineptus fiat ad functiones, ad
Animad. XIII. quas ſub mortali tenetur. 3. *Si quis valde graviter valetudini noceat, id advertens*; ſecus ſi leviter tantum; ut v. gr. ſi febricitans hauſtu aquæ morbum augeat. 4. Si continuæ fiant comeſſationes, & compotationes, ita ut venter pro Deo habeatur. 5. Si quis bibat ad perfectam ebrietatem, de qua infra. 6. Si quis ex mera gula veſcatur carnibus, aut ſanguine humano: tum quia id repugnat pietati defunctis debitæ: tum quia eſt contra inſtinctum naturæ abhorrentis. Excuſandum autem erit, ſi fiat cauſa medicinæ, aliave juſta cauſa, verbi gratia extremæ famis in obſidione; in qua tamen ſic vitam conſervare non teneberis. Sanch. 1. *mor. c.* 8. Leſſ. Laym. *l.* 3. *ſ.* 4. Sa, Bonac. Bald. *l.* 3. *c.* 29. *Sic etiam excuſent quidam lictores illos, qui, ut officium ſuum melius adminiſtrent, hauſtu ſanguinis humani ſe animare dicuntur*, præſertim cum ſanguis, ſecundum multos, animatus non fuerit. Vid. Auctor. citat.

5. Ex genere quoque ſuo venialia ſunt, quæ filiæ Gulæ dicuntur; nimirum *ex* parte animæ 1. Hebetudo mentis, ſeu ſtupiditas nata ex crapula, v. gr. ut non poſſit orare, &c. quæ fit mortalis, quando quis inordinate bibendo, vel comedendo voluntarie, fit ineptus ad intelligenda, vel præſtanda ea, quæ ad ſalutem illi ſunt neceſſaria, vel ad quæ *ex* officio, aut alias ſub gravi peccato tenetur. Bald. *d.* 29. *l.* 3. *n.* 15.

2. *Inepta lætitia*, (*g*) per quam intelligitur non quævis inordinata, quæ omne peccatum ſequitur; ſed *quæ movet ad cantiones obſcœnas*, actus turpes, ſaltus, vel choreas inhoneſtas, &c. ſitque mortalis, quando eſt inductiva alterius ad conſenſum, vel delectationem mortalem, vel ad eam ordinatur. *ibid.*

3. Multiloquium.

4. Scurrilitas, quæ ab inepta lætitia, & multiloquio differt, quod illa ſit in appetitu, iſta in verbis, hæc in verbis, & geſtibus: dicitque ſemper aliquam inhoneſtatem, licet per ſe, & ſecluſo ſcandalo, venialem, v. gr. ſcurrilia dicere, vel canere, ventum emittere, &c. ea levitate ad riſum excitandum; mortale tamen eſſet, ſi fieret cauſa delectationis venereæ. Bald. *l. c.* Eſc. *t.* 2. *E.* 2. *c.* 4.

Ex parte corporis, Immunditia, Vomitus, & ſeminis effuſio. *Quæ ultima*, ſi voluntaria ſit, *mortale eſt*. (*h*) Vid. Laym. *l.* 3. *ſ.* 4. Leſſ. *l.* 3. *s.* 3. Bald. *lib.* 3. *cap.* 29.

ARTICULUS II.

Quid ſit Ebrietas?

Reſp. *Malitia ebrietatis plena, & perfectæ in eo* Animad. XIV.
conſiſtit, quod quis ſine juſta, & gravi cauſa, tantum ob voluptatem, aut ingluviem ſciens volens privet ſe uſu rationis; non ſimpliciter, id quod fit in ſomno, modo naturali inſtituto ab auctore naturæ ad virium & imaginis Dei conſervationem; ſed violenter, & modo innaturali, rationem perturbando, & Dei imaginem deturbando, in modum amentis bruti, ac ſimul inſuper privando ſe proxima poteſtate utendi ratione, ad omnem ſubitam neceſſitatem. Ita docent commun. DD.

Unde reſolves.

1. *Perfecta ebrietas*, qua prædicto modo ratio plane ſopitur, eſt ex genere ſuo mortale: quia cenſetur Deo injurium, ejus imaginem ſic deturpare. Eſt commun. DD.

2. *Non eſt peccatum inebriare ſe ex præſcripto me-* Animad. XV.
dicorum, ſi aliter ſanitas recuperari non poſſit. Silv. Cajet. Laym.

3. *Nec item eſt peccatum ſi quis cogatur intento* Animad. XVI.
enſe. V. Leſſ *l.* 3. *c.* 5. *d.* 4. *n.* 37. Azor. Reg. Bald.

4. Mortale eſt alium inebriare, vel provocare ad æquales hauſtus, cum intentione inebriandi, aut advertentia ſecuturæ ebrietatis in ſe aliove. Leſſ. *l. c.*

5. *Si juſta cauſa eſt, ut v. gr. ſi grande malum* Animad. XVII.
non poſſit aliter impediri, niſi auctor inebrietur, licet eum inducere ad ebrietatem, quæ ſaltem ipſi non ſit voluntaria; ut ſcilicet præter intentionem, ideoque inculpabiliter inebrietur; v. gr. vinum fortiſſimum aut medicatum propinando, cujus vi ignorata decipiatur. Unde ſic poſſes inebriare eos, qui alioqui eſſent proditturi urbem, vel te abducturi. Leſſ. *l. c.* & Sanchez *l.* 2. *de matr. d.* 11. *An vero hoc caſu li-*

eunt inducere ad ebrietatem ipſi voluntariam, dubium eſt. Leſſ. *l.* 4. *c.* 3. *d.* 4. *n.* 32. *affirmat; quia*, inquit, *licet ſuadere, & inducere ad minus malum, ut impediatur majus*. Laym. *l.* 3. *ſ.* 4. *n.* 6. rectius negat: quia nullo caſu licet inducere ad peccatum.

6. Si quis non prævidet periculum ebrietatis, & ſic vino captus eſt, aut in auram exiens vento turbatus eſt, nec hoc prævidit, vacat culpa. Unde multi excuſantur, qui prudenter ſæpe judicant, adhuc ſe haustulum facere poſſe ſine noxa; deſinent tamen prudenter id judicare, ſi contrariam de ſe experientiam habeant.

Animad. XVIII. 7. *Si quis poſt potum diſcernere adhuc poſſit inter bonum, & malum, licet nonnihil phantaſia turbata ſit, aut ſequatur vomitus, lingua titubet, pedes vacillent, oculi cernant duplicia, vel domus gyrari videatur, nondum plena eſt ebrietas: ideoque tantum peccatum veniale*, quamvis ex gravioribus, ſi deliberate ſit commiſſum. V. Laym. *l. c.*

Animad. XIX. 8. *Plena ebrietas notatur ex his ſignis, quæ dat* Leſſ. *d.* 2. *n.* 30. & Reg. 1. Si quis non meminerit dictorum, factorum, quomodo, vel quando domum deductus. 2. Si commiſit ea, quæ nunquam alias ſana mente ſolet: v. gr. ſi præter morem turpia ſit locutus, turbarit domum, uxorem verberarit, &c.

Animad. XX. 9. *Mala in ebrietate commiſſa, ſi præviſa non ſunt, aut ſi adhibita cautio, culpa vacant.*

DUBIUM VI.

Quid ſit Ira?

Reſp. Eſt inordinatus appetitus vindictæ. Quæ inordinatio, ſecundum D. Thom. dupliciter fieri poteſt. 1. Ex parte modi iraſcendi, ut v. gr. ſi nimium interius exardeſcas, vel exterius per ſigna nimis pateſacias. 2. Ex parte objecti, ut ſi vindictam appetas plane injuſtam ob cauſam, vel ſi juſto majorem, v. grat. optando inimico mortem, quam non eſt meritus, vel exequendam propria auctoritate, vel denique, licet vindicta juſta ſit, non tamen eam appetas ut juſtam, ſed ut ſatiativam animi tui malevoli.

Unde reſolves.

1. Si ordinata appetatur vindicta, non eſt peccatum iræ: ut cum ſuperiores iraſcuntur culpis ſubditorum, eoſque puniunt, ſeu vindicant.

2. Ira inordinata primo modo ante dicto eſt ex genere ſuo peccatum veniale, poteſt tamen fieri mortale ex accidente, ut ſi addatur blaſphemia, maledictio, ſcandalum.

3. Ira inordinata ſecundo modo eſt ex genere ſuo mortale: quia eſt directa contra caritatem. Bal. *l.* 3. *d.* 25.

4. De filiabus iræ, quæ partim ſunt ex corde, ut indignatio, & Tumor mentis; partim in ore, ut Clamor, Blaſphemia, Contumelia, Maledictio; partim in opere, ut Rixæ, Pugnæ, Seditiones, Vulnera, diverſimode loquendum eſt, ſecundum regulam ſupra datam. Nam 1. Indignatio, quæ eſt inordinatus affectus ex eo, quod quis reputet ſe indigne a tali tractari, communiter eſt veniale; imo ſi ex juſto rationis judicio procedat, nullum eſt. Poſſet tamen eſſe mortale, ſi creſceret uſque ad deliberatum odium, & contemptum perſonæ gravem. 2. Tumor mentis, quo quis moroſe excogitat diverſas vias vindictæ, iiſque cogitationibus animum tumefacit, quale peccatum ſit, judicandum eſt ex qualitate vindictæ, quæ excogitatur. V. Tol. *l.* 8. *c.* 58. 3. Clamor, cum iratus extollit vocem, multa inordinate, & confuſa effundens, eſt veniale communiter, niſi aliud addatur. 4. Blaſphemia eſt mortale, de qua ſupra *l.* 3. *t.* 2. *c.* 1. 5. Contumelia, qua quis proximo malum aliquod objicit, cum intentione illum inhonorandi, eſt ex genere ſuo mortale.

Dixi, *animo inhonorandi*: quia animo corrigendi, humiliandi, aliave ratione, poteſt ſuperior verbum aliquod alias contumelioſum objicere; quomodo Chriſtus vocavit Apoſtolos ſtultos; & Apoſtolus Galatas inſenſatos. In quo tamen peccari poteſt, ſi modus debitæ correctionis excedatur, vel ſubditus gravius dehonoretur, quam per delictum meruit. V. Bald. *d.* 35. *n.* 10. Item, ut docet Cajet. poteſt contumelia eſſe venialis tantum, ſi ſit parva tantum: vel ſi ſit tantum materialis, ſine intentione dehonorandi: modo non ſequatur læſio notabilis honoris proximi. *Et ſic excuſantur, ſaltem a mortali, multi parentes*, dum filios vocant aſinos &c. Animad. XXI.
item mulieres, pueri, & infimæ ſortis homines conviciis ſe onerantes; quia cum fides iis non habeatur, non læditur graviter honor. Vid. Bon. *s.* 3. *q.* 2. *p.* 5. Denique, ſi joci cauſa, per convenientem recreationem, leves defectus objiciantur, urbanitas eſt, ſecundum D. Th. 2. 2. *q.* 72. *ar.* 2. dummodo alter non contriſtetur, nec ad iram moveatur.

5. Contumelia etiam fit facto, tum indirecte, ut ſi imaginem, vel litteras alterius conculces, comburas; tum directe, ut ſi virum honeſtum fuſte cædas, ad januam ejus cornua, &c. apponas, vel repræſentes aliquid, quod honorem alterius lædat. Huc ſpectat ſubſannatio, illuſio, & deriſio, quando fit ſignis, ut naſo rugato, labiis extenſis, &c. intendendo proximi confuſionem, quæ ſi ſit gravis, vel ſaltem proximus ea graviter contriſtetur, mortalia ſunt. Bonac. Molin. Bald. *l.* 3. *d.* 3. &c. ex S. Thom. Circa quæ nota, quod qui per contumeliam læſit alterius honorem, tenetur hunc reſtituere, etiamſi fama non ſit læſa. Hoc autem fieri poteſt, vel per honorificam, & amicam ſalutationem, vel invitationem ad menſam, vel petitionem veniæ (etiam ſubinde flexis genibus, & coram teſtibus) prout læſio fuit gravis. Vid. Card. de Lugo *d.* 15. *n.* Animad. XXII.
53. *Adde, quod contumeliæ mortalis qualitatem in confeſſione explicare, non ſit neceſſarium, ut contra Fill. &c. docet Azor. Sa, Mol. C. de Lugo d.* 56. *de pœn. n.* 269.

6. Maledictio, qua quis optat, vel imprecatur alteri malum, ſub ratione mali, eſt ex genere ſuo mortale.

7. *Rixæ, ſi modum non excedant, uti & levicu-* Animad. XXIII.
læ pugnæ, veniales ſunt; ſecus, ſi progediantur ad ſeditiones, vulnera, cædes. Suntque hæc communiter peccata ex parte incipientis rixam; alter enim poteſt ſe defendere cum moderamine inculpatæ tutelæ.

DUBIUM VII.

Quid ſit Acedia?

Reſp. Acedia, ſive animi tædium, poteſt ex D. Th. 2. 2. *q.* 35. *ar.* 1. dupliciter uſurpari. *Generaliter, pro omni animi remiſſione in exercitio virtutum*, eo quod labor aliquis ſit adjunctus. 2. *Particulariter, pro triſtitia*, & tædio de divina amicitia, eo quod per virtutum exercitia laborioſa ſervari debeat, & ſic amicitiam illam non curet.

Unde reſolvantur.

1. Acedia accepta primo modo tum demum eſt peccatum mortale, cum ideo committitur opus vetitum ſub mortali. (*i*)

2. Acedia accepta ſecundo modo ex ſe eſt mortale, quia repugnat caritati Dei.

Ex quo de filiabus Acediæ quoque facile judicari poteſt, quæ ſunt ſequentes.

1. Malitia, qua quis odio habet bona ſpiritualia, & vellet ea non eſſe; aut qua ipſum pœnitet bene feciſſe, vel impleviſſe id, ad quod tenebatur; aut qua contemnit Dei beneficium, v. gr. deſiderando non fuiſſe natum, aut non agnoviſſe Chriſtum, &c. eſt autem ex genere ſuo mortale.

2. Puſillanimitas, & deſperatio de ſalute, quæ mortale quoque eſt.

3. Rancor, quo ii ſunt faſtidio, qui ad ſpiritualia inducunt. (*k*)

4. Torpor, cum bona fiunt, non cum debito fervore. (*l*)

5. Evagatio mentis, qua quis in exercitio ſpiritualium evagatur circa illicita: (*m*) ſive per cogitationem, & dicitur curioſitas: ſive per locutionem, & dicitur verboſitas: ſive per inquietudinem, & dicitur inquietudo: quæ communiter ſunt venialia. V. D. Th. *q.* 35. Laym. *l.* 2. *t.* 3. *c.* 9. Tol. *l.* 8.

Culpabilis autem evagatio mortalis erit, quando nota-

notabilis eſt, & attentio requiritur ad implendum præceptum obligans ſub mortali: v. g. in recitandis horis canonicis, celebranda, vel audienda Miſſa. Reg. Pal. *de car. c. 6. d. 1. p. 3.* Trull. *l. 1. c. 6. d. 5.* contra Tamb. *de exped. ſacrific. l. 2. c. 3.* ubi docet, diſtractum eſſe voluntarie, & per notabile tempus inter ſacrificandum extra Canonem, eſſe tantum veniale, licet concedat, ſub Canone, præſertim circa conſecrationem, eſſe mortale, propter gravem irreverentiam, & periculum erroris.

Dixi, *ad implendum præceptum:* nam in oratione vel non præcepta, vel ſub obligatione tantum veniali, eſt peccatum veniale tantum, S. Thom. Nav. Suar. Less. *l. 2. c. 37. d. 21.* imo nullum, ſi non tam intendat orare, quam verba precum recitando pio exercitio ſe occupare; quia non formaliter, ſed materialiter tantum orat: v. gr. cum quis manibus laborans, pſalmos, aliaſve preces recitat, aut cantat, non animo orandi, ſed cavendi cogitationes vanas, vel recreandi ſe. Sanchez *conſ. p. 2. l. 7. c. 2. d. 13.* Trull. *l. 1. c. 7. d. 10.* V. ſupra *l. 4. c. 2. d. 2.* (n)

Notæ.

(a) R. 3. *His tribus &c. puſillanimitas, qua quis &c. detrectat honores, gloriam &c. quo dignus eſt.*

Bus. Hic innumeros fere Sanctos Viros lædere mihi videtur, qui gloriam, & honores, quibus digniſſimi erant, fugientes & detrectantes, nonniſi coacti receperunt.

An vituperandus eſt S. Vincentius a Paulo, de quo Brev. Rom. die 19. Julii dicitur, quod *humilis ab honoribus, divitiis, ac deliciis ſemper abhorruit?* Videlicet D. Th. a. 2. q. 133. a. 1. ad 4. ait, *quod Moyſes, & Hieremias digni erant officio, ad quod divinitus eligebantur ex divina gratia; ſed ipſi conſiderantes propriæ infirmitatis inſufficientiam recuſabant; non tamen pertinaciter, ne in ſuperbiam laberentur.* Quod de his S. Doct. ait, de cæteris omnibus Sanctis intellige, qui quantum in ipſis eſt, non labores, ſed honores, & gradus excellentiæ averſantur, parati tamen accipere, ſi neceſſitas, aut obedientia id poſtulaet.

Quare puſillanimitas præſumptioni ex ſe contraria, vitium eſt, quatenus ex animi vilitate, aut pigritia ea opera bona facere renuit, quæ ſuam facultatem non ſuperant. Audiatur D. Th. a. 1. mox cit., ubi ita loquitur. *Omne illud, quod contrariatur naturali inclinationi, eſt peccatum; quia contrariatur legi naturæ.* (Hinc intelligis, quam abſurda ſit ea La-Croixii, & aliorum opinio, quæ pugnam appetitus contra rationem ex naturæ inclinatione, non ex peccati pœna profectam vult.) *Ineſt autem unicuique rei, naturalis inclinatio ad exequendum actionem commenſuratam ſuæ potentiæ, ut patet in omnibus rebus naturalibus tam animatis, quam inanimatis. Sicut autem per præſumptionem aliquis excedit proportionem ſuæ potentiæ, dum nititur ad majora, quam poſſit; ita puſillanimus etiam deficit a proportione ſuæ potentiæ, dum recuſat in id tendere, quod eſt ſuæ potentiæ commenſuratum. Et ideo ſicut præſumptio eſt peccatum, ita & puſillanimitas. Et inde eſt, quod ſervus, qui acceptam pecuniam Domini ſui fodit in terram, nec eſt operatus ex ea propter quemdam puſillanimitatis timorem, punitur a domino, ut habetur Matth. 25.*, & *Luc. 19.*

(b) Reſp. 1. *Eſt inordinatus appetitus temporalium.*

Bus. Satis oſcitanter loquitur. Avaritia non eſt inordinatus appetitus gloriæ & honoris, nec voluptatum temporalium, ſed determinate divitiarum, ut ex D. Auguſt., & D. Thom. eam definit Natal. Alex. Th. t. 2. p. 24. cap. 6., & omnes norunt.

(c) *Hæc aliquando peccari poteſt mortaliter, quando &c.* Quando præceptum urget, & pauperibus non ſubvenitur, mortale peccatum admittitur. Cur ergo Bus. ait, aliquando? Cur addit, *peccari poteſt mortaliter?* Vide dicta de eleemoſyna.

(d) 3. *Violentia mortalis eſt, quando eſt injuſta, & circa &c.*

Ex D. Th. 2. 2. q. 66. a. 8. *In ſocietate hominum nullus habet coactionem, niſi per publicam poteſtatem. Et ideo quicumque per violentiam aliquid alteri aufert, ſi ſit privata perſona, non utens publica poteſtate, illicite agit &c. Principibus vero poteſtas publica committitur ad hoc, quod ſint juſtitiæ cuſtodes. Et ideo non licet eis violentia, & coactione uti, niſi ſecundum juſtitiæ tenorem, & hoc vel contra hoſtes, pugnando, vel contra Cives, malefactores puniendo.* „ Remota juſtitia, ait D. Aug. lib. 4. de „ Civ. Dei cap. 4., quid ſunt Regna, niſi magna latro„ cinia? Quia & latrocinia quid ſunt, niſi parva re„ gna? “

Cæterum violentia, prout avaritiæ filia, ſemper injuſta eſt.

(e) 4. *Fallacia, ſive dolus in verbis poteſt eſſe mortalis &c.*

Sicut *fraus*, ut recte ait Bus. n. 5., *eſt mortalis ex genere ſuo*, ita dolus in verbis. Nam quoad culpam perinde eſt, ſeu factis, ſeu verbis dolus adhibeatur. Utrumque ad injuſtitiam pertinet; injuſtitia autem ex genere ſuo mortalis eſt. *Manifeſtum eſt*, ait D. Th. 2. 2. q. 59. a. 4., *quod facere injuſtum ex genere ſuo eſt peccatum mortale.* Itaque verborum dolus eſt ex ſe letalis, non autem *ratione* tantum *finis, vel mediorum*, ex ſola levitate materiæ, ſeu nocumenti a mortali culpa excuſandus. *Perdes omnes, qui loquuntur mendacium*, Pſ. 5. Item *Virum ſanguinum, & doloſum abominabitur Dominus.* Eodem Pſ. 5. Item *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? ... qui non egit dolum in lingua ſua.* Pſ. 14.

(f) *Gula ex genere ſuo eſt peccatum tantum veniale.*

Ap. ad Gal. 5. *ebrietates, comeſſationes* inter opera carnis enumerat, & qui *talia agunt*, ipſe ait, *Regnum Dei non conſequentur.* At, inquit Bus., „ nullus horum mo„ dorum repugnat præciſe caritati Dei, vel proximi.“ Reſp. Illud 3. *plus juſto*, ſi enorme ſit, caritati Dei repugnat, præſertim vero ſi cum aliis modis conjungatur. Vide animad. 12.

(g) 2. *Inepta lætitia .... quæ movet ad cantiones obſcænas &c., ſitque mortalis, quando eſt inductiva &c.*, *vel ad eam &c.*

Et quia cantiones obſcœnæ, actus turpes, ſaltus, & choreæ inhoneſtæ &c. cum amore, & oblectamento libidinis conjunctæ eſſe ſolent, & ex natura ſua ad laſciviam ordinantur, & inducunt, idcirco ex ſe mortales ſunt, & a mortali culpa raro excuſari poſſunt. Hinc D. Th. 2. 2. q. 168. a. 3. ait, exceſſum in ludo eſſe *uno modo ex ipſa ſpecie actionum, quæ aſſumuntur in ludum; quod quidem jocandi genus ſecundum Tullium* (lib. 1. off.) *dicitur eſſe* „ illiberale, petulans, flagi„ tioſum, obſcœnum;“ *quando ſcilicet utitur aliquis cauſa ludi turpibus verbis, vel factis, vel etiam his, quæ vergunt in proximi nocumentum, quæ de ſe ſunt peccata mortalia; & ſic patet, quod exceſſus in ludo eſt peccatum mortale.*

(h) *Ex parte corporis ... & ſeminis effuſio; quæ ultima, ſi voluntaria ſit, mortale eſt.* Nunne in cauſa voluntaria eſt, cum ex nimia, & voluntaria cibi, aut potus, aut utriuſque ingurgitatione oritur? De pollutione tamen in ſomnis ſuo loco.

(i) *Acedia &c. cum ideo committitur opus vetitum ſub mortali.* Quilibet vel me tacente intelligit, idem eſſe, ſi omittatur opus ſub mortali præceptum, ut auditio miſſæ die feſto, annua ſacra confeſſio &c.

(k) 3. *Rancor, quo ſi faſtidia ſunt, qui &c.* Si hi ad ſpiritualia non neceſſaria exſtimulent, erit venialis; mortalis autem, ſi ad neceſſaria movere conentur. Hinc Prov. 29. *Viro, qui corripientem dura cervice contemnit, repentinus ei ſuperveniet interitus.* Nat. Alex. Theol. t. 2. p. 388. reg. 12.

(l) 4. *Torpor &c.* mortalis culpa eſt, ſi præcepta negligat; ut res ex ſe loquitur.

(m) 5. *Evagatio mentis .... circa illicita*; quæ ſi mortalia ſint, evagationem eſſe mortalem, evidens eſt.

(n) Si quis accuratiorem Capitalium vitiorum explanationem cupiat, Natalem Alex. adeat Th. t. 2. lib. 3. cap. 5. uſque ad 12.

Animadversio I.

Imperfecta tamen, qua quis .... in ſuo tantum affectu ſeſe magnificat, eſt tantum veniale, ut docet Cajet. &c.

S. Gregorius a S. Thoma 2. 2. q. 162. a. 4. laudatus ita habet: *Quatuor quippe ſunt ſpecies, quibus omnis tumor arrogantium demonſtratur; cum bonum aut a ſemetipſis habere ſe æſtimant; aut ſi ſibi datum deſuper credunt, pro ſuis accepiſſe ſe meritis putant; aut certe cum jactant, ſe habere quod non habent, aut deſpectis ceteris ſingulariter videri appetunt habere, quod habent.*

Ut duas primas ſuperbiæ ſpecies intelligas, audiendus eſt D. Th. ad 2. a. 4. cit., ubi inquit: *Dicere in univerſali aliquod bonum eſſe, quod non eſt a Deo, vel gratiam hominibus pro meritis dari, pertinet ad infidelitatem; ſed quod aliquis ex inordinato appetitu propriæ excellentiæ ita de bonis ſuis glorietur, ac ſi ea ex ſe haberet, vel ex meritis propriis, pertinet ad ſuperbiam, & non ad infidelitatem proprie loquendo.*

„ Duæ primæ ſpecies (inquit Concina Theol. t. 10. p. „ 544. n. 8.) ſunt peccata mortalia, cum ex deliberata „ voluntate procedunt: tertia, & quarta ob materiæ le„ vitatem excuſari a gravi culpa poſſunt.“

Idem docet Nat. Alex. Theol. t. 2. p. 251. a. 7. „ Si „ tamen, ſubdit Concina (idemque habet Nat.) gra-

„ vem Dei irreverentiam, aut proximi grave damnum, „ vel gravem contemptum conjuncta habeant, gravia „ eſſe peccata, certum eſt. “ V. g. inquit Nat. ſi quis de dotibus ad Eccleſiæ regimen, vel ad gerendos Magiſtratus neceſſariis, quibus tamen deſtitutus eſt, glorietur, ut ſibi viam ad dignitates muniat; ſi quis ſe locupletiſſimum ſimulet, cum ſit inops, ut in ampliſſima familia nubat; ſi, ne a familiæ ſuæ claritate degenerare videatur, ingentia debita contrahat, quibus ſolvendis ſe imparem futurum prævidet; ſi demum ad ſuam excellentiam, vel æſtimationem omnia veluti ad finem referat.

ANIMADVERSIO II.

Ambitio ... eſt per ſe peccatum veniale &c.

An beneficium eccleſiaſticum, quo quis eſt indignus, ambire eſt culpa ex ſe venialis? An, etiamſi beneficium curam animarum habeat? Hoc certe falſum eſt. Sed hac in re, quæ graviſſima eſt, & in qua multi multa, & gravia peccata peccant, Buſemb. nimis exilis eſt, ideoque accuratiori tractatione indiget.

Quæritur ergo primo, utrum, ſi indignus, hoc eſt vel doctrina, vel virtute, & prudentia neceſſaria deſtitutus, beneficium curam animarum habens ambiat, mortaliter peccet?

Reſp. affirmative. Primo quia Dei voluntati, & præcepto repugnat teſte Ap. ad Heb. cap. 5. ubi ait: *Nec quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur a Deo tanquam Aaron*. Certum enim eſt, indignos ad eccleſiaſticum honorem a Deo non vocari, ſed repelli.

Secundo quia contra apertam Eccleſiæ, & fundatorum mentem, qui ſua bona Deo, non ambitioni conſecrarunt, per fraudes, & diabolica artificia gradum honoris, & emolumenta carpit, & emungit.

Tertio quia ſuam, multorumque animas evidenti æternæ damnationis diſcrimini objicit: ergo ſine dubio mortaliſſime peccat. Sed hac in re neminem mihi adverſari puto; quæ tamen ex mox dicendis evidentior fiet.

Quæritur ſecundo, utrum beneficium curam animarum habens appetere, ſeu illud vel per ſeipſum, vel per alios petere licite quis poſſit, excluſo digniore?

Reſp. Id non ſolum non licet, ſed eſt mortalis culpa. Et primo quidem cum in cauſa propria nemo judex eſſe poſſit, eo ipſo peccat, quod hoc judicium ad alios pertinens ſibi arroget, in re præſertim tanti momenti, & judicatu difficillima.

Qui ſe animarum cura, quæ eſt onus angelicis humeris formidandum, dignum judicat, ſuperbia ſane intoleranda tumet; & hac ipſa de cauſa juxta doctrinam D. Thomæ, & D. Bernardi infra citandam beneficio indignus eſt: ergo hic appetit, & petit curam animarum pro indigno; quæ ex mox dictis eſt mortalis culpa.

Præterea quoad culpam idem de ambiente, ac conferente beneficium judicandum eſt; ſunt enim hæc reciproca, ſibique ſua peccata invicem communicant, eorumdemque majorum uterque cauſa eſt: ſed qui beneficium curam animarum habens confert digno, prætermiſſo digniori, mortaliter peccat: ergo etiam illud ambiens.

Aſſumptio evidens eſt: quia, cum beneficii collator ex officio Dei gloriam, & animarum ſalutem in collatione præcipue ſpectare, & curare teneatur, id non præſtat, qui minus digno beneficium confert; cum enim majora peccatis remedia, & impedimenta apponere, atque efficaciora ad virtutem, & Dei gloriam præſidia comparare, digniorem eligendo, poſſet, id negligit; quod non leve, ſed grande peccatum eſt.

Id aperte docet Sacra Syn. Trid. ſeſſ. 24. cap. 1. de reform. quæ de habentibus jus promovendi ad cathedrales Eccleſias loquens, monet, *eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, niſi quos digniores, & Eccleſiæ magis utiles ipſi judicaverint, non quidem precibus, vel humano affectu, aut ambientium ſuggeſtionibus, ſed eorum exigentibus meritis, præfici diligenter curaverint*. Quod autem dicitur de promotione ad Eccleſias cathedrales, intelligi etiam debet de promotione ad parœcias; quia ſicut Epiſcopus pro ſalute animarum totius diœceſis, ita Parochus pro ſalute animarum parœciæ inſtituitur. Quare eadem ſacra Syn. cap. 18. ſeſſ. cit. ubi de Parochorum electione agit, jubet, ut *Epiſcopus eum eligat, quem ceteris magis idoneum judicaverit*. Tamburinus, cujus verba refert Concina Theol. t. 10. p. 15. num. 7. ita inquit. „ Cum immediate antea Concilium (cap. 1. cit.) videatur eſſe contentum de „ dignis; vel primo videtur per hoc *digniores* non aliud „ ſignificare velle, niſi dignitatem eligendorum, ſumpto „ comparativo pro poſitivo; vel ſecundo locutione minus propria ponit *digniores*, ut excludat indignos . . „ (hoc alterum re idem eſt, ac primum) ... vel tandem tertio loquitur, quando fit concurſus. “ At commentitia, & cavillatoria Tamburini interpretatio eſt ipſa propoſitio 47. ab Innocent. XI. proſcripta. Hinc S. Pius V. conſtituit. *In conferendis* ait: *Ut non ſolum dignis, ſed etiam magis idoneis repertis juxta Concilii Tridentini decretum parochiales Eccleſiæ conferantur, volumus, & eadem auctoritate decernimus*. His poſitis argumentatio noſtra in compendium redacta, eſt hujuſmodi. Idem peccatum peccant beneficium ambientes, ac conferentes: conferentes beneficium cum cura perſonæ dignæ, excluſa digniori mortaliter peccant: ergo perſonæ dignæ ambientes beneficium cum cura, excluſis dignioribus mortaliter peccant; quæ concluſio eo verior eſt, quod perſonæ dignæ ambientes beneficium cum cura, dignæ eſſe deſinunt, & propter tumidum de ſe judicium, ac intolerandam præſumptionem indignæ evadunt.

Sed animadvertenda inſuper ſunt illa ſacræ Syn. Trid. verba, *eos alienis peccatis* (hoc eſt tum ambitum foventium, tum ambientium) *communicantes mortaliter peccare*. Si enim promoventes minus dignos ad beneficia cum cura animarum, eo nomine mortaliter peccant ex Trid. Synodo, quia minus dignorum peccatis communicant, multo magis mortaliter peccant ipſi minus digni, eadem beneficia ambientes.

Quæritur tertio, quid hac de re dicendum ſit, ſi qui beneficium appetit, non ſolum dignus ſit, ſed etiam dignior?

Reſp. Laym. tom. 2. lib. 4. t. 2. c. 15. nu. 10. ita loquitur. „ Epiſcopatum, aliamque prælaturam appetere, principaliter propter Dei honorem, & ſalutem „ animarum promovendam, ſecundario vero propter bona temporalia ei annexa, non eſt illicitum, ſi aliquæ „ conditiones adſint. Prima, ut qui prælaturam appetit, „ ea dignus ſit. Secunda, ut alius non adſit ad regendum magis idoneus, ex cujus promotione Eccleſia majus commodum acceptura ſit. “ Hactenus Laym. qui pro hac opinione citat Nav. Petrum Nav. Sa contra Joan. Major. Sylv. Valent.

At ipſæ conditiones, quas Laym. exigit, contradictionem involvunt; quia appetentem, prælatura minus dignum, imo indignum efficiunt. Eo enim ipſo, quod aliquis de ſe ita ſuperbe ſentit, ut ſe Epiſcopatu, aliave prælatura dignum exiſtimet, ea minus dignus, imo indignus efficitur; idque multo magis, ſi alium magis idoneum ad regendum non adeſſe putet. Quid hoc aliud eſt, quam ſe aliis omnibus præferre? Hæc tam tumida, & grandis ſuperbia, quæ Luciferum imitatur, quæ in re graviſſima alios omnes præ ſe deſpicit, ex dictis de ſuperbia non leve, ſed graviſſimum crimen eſt; quod ſuperbum Epiſcopatus, alteriuſve prælaturæ appetitorem infra alios omnes deprimit, ac omni eccleſiaſtico honore indignum reddit. *Omnis, qui ſe exaltat, humiliabitur* Luc. 18.

Hinc D. Thom. 2. 2. q. 100. art. 5. ad 3. ait: *Si vero aliquis pro ſe rogat, ut obtineat curam animarum, ex ipſa præſumptione redditur indignus, & ſic preces ſunt pro indigno*: & Div. Bernardus lib. 6. de conſid. cap. 4. inquit: *Alius pro alio, alius forte & pro ſe rogat. Pro quo rogaris, ſit ſuſpectus: qui ipſe rogat pro ſe, jam judicatus eſt; nec intereſt per ſe, an per alium quis roget*. Et Antoninus apud Nat. Th. t. 2. epiſt. 52. *Nam ſecundum Thomam, Raymundum, Hoſtienſem petere pro ſe, aliquid eorum*, (hoc eſt beneficiorum cum cura) *etiamſi alias ſit dignus, inducit ſimoniam; quia ſunt preces pro indigno ratione præſumptionis; ergo & appetere erit mortale, cum ſimonia ſit mortale*. Et S. Gregorius Magnus (can. *Sicut* cau. 1. q. 6.) *Sicut is, qui invitatus renuit, quæſitus refugit, ſacris eſt altaribus admovendus; ſic qui ultro ambit, vel importune ſe ingerit, eſt procul dubio repellendus. Nam qui ſic nititur ad altiora conſcendere, quid agit, niſi ut creſcendo decreſcat, & aſcendendo exterius, interius ad profunda deſcendat?* Hic eſt communis Patrum ſenſus, quos legere potes apud Nat. Alex. Theol. t. 2. p. 238. & ſeq. & ep. cit. 52.

Ergo certum eſt, quidquid Laym. nonnullique alii contra aſſerere audeant, eum, qui appetit Epiſcopatum, aliamve prælaturam, quocumque demum ſe vertat, non ſolum peccare, ſed mortaliter peccare. Repugnat enim in re graviſſima divino illi præcepto, quod Ap. promulgavit ad Heb. 5. v. 4. *Nec quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur a Deo tanquam Aaron. Sic & Chriſtus non ſemetipſum clarificavit, ut Pontifex fieret, ſed qui locutus eſt ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te*. „ Vocari autem a Deo dicuntur (inquit Catech. Concil. „ Trid. p. 2. de ſacram. Ord. c. 7. n. 3.) qui a legitimis „ Eccleſiæ miniſtris vocantur. Nam qui in hoc miniſterium ſeipſos arroganter inferunt, atque intrudunt, de „ his Dominum intellexiſſe, docendum eſt, cum inquit: „ *Non mittebam Prophetas, & ipſi currebant?* quo quidem hominum genere nihil infelicius, ac miſerius, „ nihil Eccleſiæ Dei calamitoſius eſſe poteſt. “

Ex his illud etiam intelligitur, falſum eſſe, quod Laym.

loco

Digitized by Google

loco cit. ſubdit, " non eſſe præſumptionis peccatum, ſi „ quis divino auxilio confiſus, opus tam arduum aggre„ diatur, ſtudens etiam cooperari, ut ſit prudens, ſo„ brius, caſtus, ſicut requirit Ap. 1. ad Tim. 3. " Hoc, inquam, falſum eſt, loquendo de iis, qui Epiſcopatum, aliamque prælaturam appetunt, in eamque ſponte ſe inferunt; hoc enim eſt aperte contrarium ſenſui S. S. Th. Bernardi, Antonini, Gregorii, Catech., & ipſius Apoſtoli cit.

Nam, ut dicitur Jac. 4. v. 6. *Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam*: at qui Epiſcopatum appetunt, ſuperbi ea dictis ſunt: ergo Deus iis reſiſtit, ideoque gratiam non dat. Dei auxilium, quo eccleſiaſtica præfectura rite adminiſtretur, illi quidem merito ſperant, qui ad id munus divinitus vocantur; quia, ut ait D. Th. p. 3. q. 27. a. 4. *illos, quos Deus ad aliquid eligit, ita præparat, & diſponit, ut ad id, ad quod eliguntur, inveniantur idonei, juxta illud ad Cor. 2. 3.* „ Idoneos „ nos fecit miniſtros novi teſtamenti: " at qui a Deo minime vocati, in eccleſiaſtica miniſteria arroganter ſe inferunt, non ſine multa præſumptione a Deo auxilia expectant rite fungendi munere ſuo; cum contra timendum jure ſit, ne ab eo deſerantur; cujus voluntati in eccleſiaſtici muneris ſusceptione adverſantur. Hinc enim, hoc eſt ex ſpecialium divinorum auxiliorum ſubtractione, permittente Deo ſit, ut reſte Cat. cit. *hoc hominum genere nihil infelicius, ac miſerius, nihil Eccleſiæ Dei calamitoſius eſſe poſſit*; in quem ſenſum loquitur quoque S. Leo Magnus cap. *Principatus* cau. 1. q. 1. dum ait: *Principatus, quem aut ſeditio extorſit, aut ambitus occupavit, etiamſi moribus, atque actibus non offendit, ipſius tamen initii ſui eſt pernicioſus exemplo; & difficile eſt, ut bono peragantur exitu, quæ mala ſunt inchoata principio.*

At Laym. illud Ap. 1. ad Tim. 3. objicit: *Qui Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat*: ergo, concludit Laym. „ recte, & ordinare appeti poteſt, videlicet, „ ut aliis proſis, Deique honorem promoveas. "

Reſp. D. Thom. 2. 2. qu. 185. a. 1. ad 1. reſpondet: *Quod ſicut Gregorius dixit in paſtorali, illo tempore dixit Ap, quo ille, qui plebibus præerat, primus ad martyrii tormenta ducebatur, & ſic nihil aliud erat, quod in Epiſcopatu appeti poſſet, niſi bonum opus.* Nam, ut ait idem S. Doct. in corp. a. cit. *appetere proximis prodeſſe, eſt ſecundum ſe laudabile, & virtuoſum. Verum quia, prout eſt epiſcopalis actus, habet annexam gradus celſitudinem, præſumptuoſum videtur, quod aliquis præeſſe appetat ad hoc, quod ſubditis proſit, niſi manifeſta neceſſitate imminente.*

Auctoritas quidem S. Gregorii, & S. Thomæ ſatis eſſe debet, ut chriſtianus, & æquus lector traditæ interpretationi acquieſcat. Sed quia non pauci, alii quidem, ne Laym. doctrinam peſſum ire ſinant, alii vero, ne ſuis blandis, tectiſque cupiditatibus reſiſtant, difficultates, ac nodos fortaſſe quærent; ab his ego quæro, utrum Laymannum plus ſapere, ac rectius intelligere Apoſtolum putent, quam Patres, & Viros ſummos. Nam communis Patrum ſenſus eſt, ut ſupra diximus, Epiſcopatum, & animarum regimen appeti non poſſe. Quod verbo, idem opera docuere Viri ſummi, *Marcus Evangeliſta. Ammonius monachus, Nilamon fuga ſibi conſulunt; Cyprianus, Athanaſius, Martinus, Gregorius Nazianzen. Chryſoſtomus, Fulgent. coguntur; Nicolaus Myrenſis, Alexander, Anatolius, Euſtachius, Dioſcor. Jacobus Niſibenſis, Helladius. Ipſe Ambroſius*, lib. 3. ep. 25. Hinc S. Cyp.. hom. de feſto Paſch. ait: *Reperio omnes ſanctos divini miniſterii ingentem veluti molem formidantes*; quæ eſt doctrina ipſius Synodi Tridenti. ſeſſ. 6. cap. 1. de reformat. quæ *Eccleſiarum regimen appellat onus angelicis humeris formidandum*. At onus maxime formidandum, appetendum certe non eſt, ſed quammaxime fieri poteſt fugiendum: ergo Epiſcopatus recte, & ordinate, ut blande, & male ait Laym. appeti nequit. Videlicet Epiſcopi opus, bonum quidem opus eſt: ideoque qui Epiſcopatum deſiderat, bonum opus, ut ait Ap. deſiderat: non tamen bene deſiderat, etiamſi illud deſideret, ſeu deſiderare ſe dicat, ut aliis proſit, Deique honorem promoveat, ut Laym. loquitur; quia eſt opus nimis arduum, ac periculoſum. Quare, ut ait idem Ap. qui ſibi contradicere non poteſt, *nec quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur a Deo, tamquam Aaron*. Hinc S. Thereſiæ illud divinitus revelatum fuit, (cap. 27. vitæ S. Ther.) *Chi ha da prender carichi di prelature, ha da eſſer molto lontano da deſiderarle, e da volerle, o almeno da procurarle.*

Quæritur quarto, utrum ambitus quoad beneficia ſine cura, ſit mortalis culpa.

Reſp. Ut dictum eſt reſponſione ſecunda, quoad culpam idem judicium ferendum eſt de ambiente, ac de conferente beneficium. Porro de male conferentibus beneficia ſine animarum cura, „ non eſſe peccatum mor„ tale, eadem conferre dignis, omiſſis dignioribus, cen„ ſent multi Auth. ut Lugo, Leſſ. Garc. Navar. Dian. „ &c. quamvis contrarium tenere videatur D. Thomas „ 2. 2. q. 63. a. 2. eumque non pauci alii ſequantur. " Ita Anacl. tom. 1 juris can. p. 209. n. 247.

Una certe Div. Thomæ auctoritas pluris eſſe debet, quam exercitus recentium contra opinantium. Ille autem a. 1. q. ab Anacl. cit. pro certo habet, acceptionem perſonarum, utpote quæ diſtributivæ juſtitiæ adverſatur, jure naturæ eſſe peccatum; quod evincunt illa oracula a S. Doct. cit. *Non accipietis cujuſquam perſonam*, Deut. 1. *Perſonarum acceptio non eſt apud Deum*, ad Epheſ. 6. quæ oracula, dum jus naturæ declarant, jus divinum continent. Porro quod juri naturæ, & divino contrarium eſt, mortalis culpa eſt, niſi materiæ parvitas excuſet: at beneficia, quæcumque ea ſint, ſunt ſemper res gravis, non ſolum quia ſacra, ſed etiam quia, licet in genere beneficii tenuia ſint, abſolute tamen conſideratis circumſtantiis tum redituum, & honoris, tum durationis uſque ad vitæ finem, ſunt quid notabile, & momenti non levis: ergo acceptio perſonarum in beneficiorum etiam ſimplicium diſtributione, ſeu, quod idem ſonat, eorum collatio minus dignis facta, prætermiſſis dignioribus, mortali culpa non vacat.

Hinc D. Thom. a. a. q. cit. ait: *Quod acceptio perſonarum eſt peccatum, inquantum juſtitiæ contrariatur. Quanta autem in majoribus aliquis juſtitiam tranſgreditur, tanto gravius peccat: unde cum ſpiritualia ſint temporalibus potiora, gravius peccatum eſt perſonas accipere in diſpenſatione ſpiritualium, quam in diſpenſatione temporalium.*

Hæc Div. Thomæ ratio pro fundamento habet, quod jam oſtenſum eſt, acceptionem ſcilicet perſonarum eſſe culpam gravem, & mortalem in re notabili, & gravi; quia gradus ſuſcipit pro materiæ levitate, & gravitate. Ergo, cum beneficia etiam ſine cura animarum ſint quid non ſolum grave, ſed valde grave, maximique momenti, ut dubitari non poteſt, niſi ab iis, qui craſſo ingenio ſunt, malaque indole ſpiritualium rerum dignitatem metiri inepta: ergo &c. Huc ſpectat D. Auguſt. ep. 29. ad S. Hier. a S. Thom. loco ut ſupra citatus, qui ait: *Quis ferat, ſi quis divitem eligat ad ſedem honoris Eccleſiæ, contempto paupere inſtructiore, & ſanctiore?* Nec enim levia peccata, quæ quotidiana ſunt, & venia in tanta noſtra miſeria digna tantam increpationem merentur.

Prælatus eccleſiaſticus, inquit idem S. Thom. ad 1. a. 2. cit. *beneficiorum non eſt dominus, ut poſſit ea dare pro libito, ſed diſpenſator, ſecundum illud* 1. *ad Cor.* 4. „ Sic „ nos exiſtimet homo ut miniſtros Chriſti, & diſpen„ ſatores myſteriorum Dei. " At certum eſt, diſpenſatorem, ſeu œconomum mortaliter delinquere, dum res gravis momenti contra domini voluntatem diſpenſat: ergo Prælatus eccleſiaſticus mortaliter peccat, cum contra voluntatem Domini beneficia cujuſcumque generis, quæ nunquam ſunt quid leve, diſpenſat: quod ſemper fit, dum ea minus dignis confert.

Adde, quod injuſtus collator beneficiorum ſine cura non ſolum eo nomine mortaliter peccat, quod inſignem injuriam dignioribus a ſe neglectis, quorum jus fæde violat, & peſſumdat, irroget, ſed etiam quia Eccleſiam magnis commodis privat, ac inſignibus afficit detrimentis. Vix enim dici poteſt quantopere Dei cultum promoveat, quanto ad bonos mores, & pietatem, ac ſcientiam incitamento ſit eximia virtus, & doctrina in luce Eccleſiæ, hoc eſt in gradu honoris collocata.

Contra minus probi, & docti ad eccleſiaſticos honores evecti, in Dei cultu minus diligentes ſunt, de eccleſiaſtica diſciplina minus ſoliciti, exemplo, & doctrina parum poſſunt, & quandoque etiam nocent.

Tandem dum virtus, & ſcientia laudatur, & alget, vulgo negligitur, ambitio fovetur, ad patrocinia, commendationes, munera, aliaſque malas dæmonis artes confugitur, quorum graviſſimorum malorum cum iniqui beneficiorum diſpenſatores cauſæ ſint, eos mortaliter peccare, res certa, & liquida mihi videtur.

At inquit Anacletus: „ Neque Concilium Tridenti„ num ſeſſ. 24. c. 1. & 18. neque propoſitio 47. ab In„ noc. XI. damnata agit de beneficiis ſimplicibus, ſed „ ſolum de curatis; ſimulque periculum tanti mali in„ de non imminet, neque ex iis adeo pendet bonum Ec„ cleſiæ, ſicuti ſit in curatis; ac proinde facilius poteſt „ excuſari electus, qui ſemel, aut iterum digniorem o„ mittit, dummodo alter ſit vere dignus, & hoc com„ muniter non fiat, prout limitat Lugo, & Leſſ. ne „ aliquin ſucceſſive graviter lædatur Eccleſia, ſi ſem„ per digniores omittantur, & nemo curet promovere „ digniores in ejus miniſtros. " Hactenus ille.

Reſp. Anacletus multa ſimul congerit, quæ tamen nullius ſunt momenti. Ratio negativa ex Synodo Trid. & prop. 47. ab Innoc. XI. proſcripta omni vi caret; quia nec Syn. Trid. nec ſummi Pontifices, qui multas propoſitiones damnarunt, omnia definivere; nec tamen ſuo ſilentio ea probant, aut damnant, de quibus non

Digitized by Google

loquuntur. Si Anacleti ratio valeret, illa omnia licerent, quæ Syn. Trid. & ſummi Pontifices damnationis corruptarum prop. au ores non condemnarunt; quo nihil abſurdius cogitari poteſt. Ceterum quod ab aliis præſtitum non fuit, præſtitit Bened. XIII. in Concilio Rom. tit. 6. cap. 5. his verbis. *In conferendis tandem canonicatibus, aliiſve etiam beneficiis ſimplicibus Epiſcopi non carnem reſpiciant, aut ſanguinem, ſed ſervitium attendant, & qualitates providendorum. Advigilent inſuper, ut in faciendis collationibus ne alii eſuriant, & alii ebrii ſint, juſtitia ſemper diſtributiva ſervetur, prudenti collatorum arbitrio regulata.* Eccleſiæ bonum longe magis quidem pendet ea juſta collatione beneficiorum cum cura, quam aliorum; longe majora mala ea eorum, quam horum iniqua collatione in Eccleſiam derivantur. At quid inde? Hoc ſcilicet illud unum efficitur, ut longe gravior culpa ſit, iniqua collatio beneficiorum cum cura, quam aliorum, non ut iniqua collatio beneficiorum ſine cura ſit ſolum venialis noxa. Nam hæc quoque gravia Eccleſiæ Dei, ut mox dictum eſt, detrimenta affert. At, ait Anacletus, graviter Eccleſia non læditur, ſi ſemel aut iterum digniori omiſſo dignus eligatur: ergo in hac ſpecie, & cum hac limitatione a mortali culpa excuſari poteſt elector.

Reſp. Hæc quidem limitatio, doctrinæ laxitatem reſtringit, non tamen tollit. Nam una, aut altera electio minus dignorum, minus quidem gravia Eccleſiæ nocumenta infert, quam continuata; at nihilominus gravia, ut ea mox dictis colligitur, præſertim cum a gravi ſcandalo immunis eſſe non poſſit.

Præterea, dum Anacletus culpæ gravitatem in electione minus dignorum ex ſolo gravi nocumento, quod inde Eccleſia patitur, deſumit, ejus ratiocinatio eo vitio laborat, quod in partium enumeratione ſit manca & diminuta. Elector minus digni non ſolum graviter peccat, quia Eccleſiæ graviter nocet, ſed etiam quia juſtitiam diſtributivam in re graviſſima violando, gravem injuriam irrogat digniori, cui jus ad beneficium competit. Magnopere enim falleris, ſi putes digniori nullum jus eſſe ad beneficium. Nullum quidem jus ille habet in re, ne ullum quidem jus habet proprietatis ad rem; at jus habet dignitatis, & meriti ad rem, ſeu beneficium. Beneficia enim ſunt bona Eccleſiæ communia, ex ejuſdem Eccleſiæ, & fundatorum mente dignioribus diſtribuenda: ergo non eſt dubitandum, quin dignior jus habeat ad beneficium.

Adde, quod, cum beneficiorum dominium ad Deum pertineat, hoc dominium graviſſime læditur, & a Prælato inique uſurpatur, dum contra Dei voluntatem beneficium minus digno diſpenſat. Ex his, ni magnopere fallor, aperte colligitur, ne unam quidem electionem minus digni a mortali culpa excuſari poſſe; quæ toties iteratur, quoties iniqua electio repetitur.

At Wigand. n. 349. q. 4. Dixi 4. objicit *praxim omnium Prælatorum, etiam ipſius Papæ, qui parum cogitantes de dignioribus, beneficia ſimplicia conferunt dignis.*

Reſp. Si Wig. D. Thomam, ut debuerat, conſuluiſſet, non ita ſcripſiſſet. Qui cauſam deploratam, ubi rationes deſunt, defendunt, ad praxim confugiunt, quaſi praxis doctrinæ regula eſſe debeat, non contra. An corrupta praxis legi divinæ, & naturali derogare poteſt? Si praxis, quam Wig. obtrudit, vera eſſet, nec juri divino, & naturali contraria, ab omni culpa excuſaret. Quod ſi Wig. fatente a culpa veniali non excuſat, cur a mortali excuſare poteſt? Sed praxis a Wig. jactata, falſa eſt. Non enim generalis eſt omnium, non ſemper adhibita, ſed forte aliquorum falſis opinionibus imbutorum; inſignemque injuriam probis, ſolidæque doctrinæ amatoribus Prælatis a Wigand per inſcitiam fieri puto, dum ita loquitur; cujus laxitatem ipſe Anacletus ex Lug. & Leſſ. coercet.

At inquit: „ Merita, quæ ad ea (ſimplicia beneficia) requiruntur, notabiliter ſe non excedunt, imo „ in omnibus æqualia ſunt, v. g. poſſe recitare horas, „ officium legere, vel cantare Miſſam. “

Reſp. In paucis his verbis triplex erratum ego deprehendo. Primo enim ſi merita Clericorum quoad ſimplicia beneficia ſunt in omnibus æqualia, ut Wig. ait, nunquam promoventur digni relictis dignioribus; quod & aperte falſum eſt, & ipſi contrarium, qui ait: „ in „ beneficiis pure ſimplicibus non videtur eſſe mortale „ relicto digniore promovere dignum. “

Secundo quia falſum eſt, poſſe recitare boras, officium legere, vel cantare Miſſam, eſſe merita. Hæc non ſunt merita, ſed mera capacitas obeundi functiones ſimplicibus beneficiis annexas. Merita, propter quæ Clerici, & Sacerdotes ſimplicibus beneficiis digni ſunt, ex eorum probitate, doctrina, obſequiis Eccleſiæ præſtitis deſumenda ſunt; & quia hæc ſunt inæqualia, ideirco dignioribus ſunt conferenda. In horum tamen collatione habenda eſt etiam ratio indigentiæ, ut monuit Bened. XIII. in Concil. Rom. mox cit. Hinc D. Th. 2. 2. q. 100. a. 5. ad 3. ait: *Licite tamen poteſt aliquis, ſi ſit indigens, pro ſe eccleſiaſticum beneficium petere ſine cura animarum.*

Tertio quia illud quoque falſum eſt, capacitatem recitandi horas, officium legendi, & cantandi Miſſam eſſe in omnibus æqualem. Hinc Bened. XIII. in Conc. Rom. loco mox cit. ita præcipit. *In canonicatibus vero ut ſupra conferendis, ceteris paribus, ſemper eos præferant, qui cantum callent Gregorianum.*

Ex haſtenus dictis intelligitur, minus dignos, qui dignioribus in ſimplicium beneficiorum collatione præferri ambiunt, mortaliter peccare. Primo quia ipſa tumida elatio, qua ſe dignioribus anteferunt, eos beneficiis indignos reddit. *Qui ſe exaltat, humiliabitur.*

Secundo quia inſignem injuriam dignioribus, quibus ea jure debentur, & extorquentur, irrogant. Tertio quia Eccleſiæ graviter nocent, ſuoque malo exemplo aliis ſcandalo ſunt. Quarto quia Prælatos ad injuſtam collationem, multorum, graviumque malorum fontem, & fomitem inducunt; ut hic omittam peccata, quæ admitti ſolent in malis artibus, quæ dæmone, ambitione, cupiditate ſuggerente adhiberi conſuevere in hujuſmodi beneficiorum conſecutione.

Illi quoque graviter peccant, qui beneficia pro modeſto, & parco Eccleſiaſticorum victu ſufficientia conſecuti, iis contenti non ſunt, ſed auri, aut inanis honoris cupiditate impulſi nova ſemper aucupantur, & quærunt, ut beneficiorum onere ad infera detrudantur. Qua de re lege Synodum Tridentinam ſeſſ. 24. cap. 17. de reform.

Quæritur 5. utrum ambitio graduum ſæcularium, qua indigni, aut minus digni eos comparant, ſit mortalis culpa?

Reſp. Ambitio quidem ſpiritualium beneficiorum gravior culpa eſt, quam graduum ſæcularium, at hæc quoque gravis eſt, ſeu mortalis; quia hæc quoque juſtitiæ diſtributivæ in re gravi contraria eſt, honoreſque iis ſubtrahit, quibus jure debentur, & electores ad violandam juſtitiam inducit, ac demum publico bono, cui digni, aut digniores melius conſulerent, valde nocet.

Adde, quod ſi contra juramentum, quo gradus per ambitionem, ſeu importunas preces, promiſſiones, munera, aliaſve malas artes ſe non quæſituros juraverint, veniant, perjurium quoque admittant.

His demum aliud mortale peccatum adjiciunt, ſi electores ad violandum juſjurandum, quo ex Principis, aut municipalis ſtatuti lege jurarunt, ſe juſtitiam in electionibus ſervaturos, ſuo ambitu inducant; de quibus juramentis, & perjuriis legendus eſt P. Concina Th. t. 4. p. 43. & ſeq.

Quæ hactenus dicta ſunt, confirmat can. *Multi* diſt. 40. ubi dicitur: *Quicumque deſideraverit primatum in terra, inveniet confuſionem in cælo; nec inter ſervos Chriſti computabitur, qui de primatu tractaverit.*

A N I M A D V E R S I O III.

Eſt vana gloria &c. imo ut contra Angelum recte docent Sylv. &c. eſt tantum veniale, res etiam ſacras principaliter facere ob gloriam vanam. v. g. concionari.

Hæc doctrina mihi ſane recta non videtur. Eſt enim ingens ordinis perverſio, religioni graviter contraria, ſacra profanis poſtponere: ſed qui res ſacras, puta conciones, obit principaliter ob inanem gloriam, ſacra profanis poſtponit: ergo ordinem valde pervertit, & religionem graviter lædit, quæ culpa non levis, ſed gravis, & mortalis merito habetur.

D. Th. 2. 2. q. 132. a. 3. ait, quod inanis gloria eſt contraria caritati Dei *ex parte ipſius gloriantis, qui intentionem ſuam refert ad gloriam, tanquam ad ultimum finem; ad quem ſcilicet ordinat etiam virtutis opera, & pro quo conſequendo non prætermittit facere etiam ea, quæ ſunt contra Deum; & ſic eſt peccatum mortale.* Si Angelici Doct. mentem aſſequor, gloria eſt ultimus gloriantis finis, ideoque mortale peccatum duplici modo: primo, ſi quis ad eam referat etiam virtutis opera; ſecundo ſi, ut eam conſequatur, non prætermittat facere etiam ea, quæ ſunt contra Deum. Ergo qui ad inanem gloriam ſacras functiones, ut conciones, miſſas &c. principaliter refert, mortaliter peccat. Hinc D. Aug. a S. Th. ibidem citatus dicit, quod *hoc vitium* (ſcilicet amor humanæ laudis) *tam inimicum eſt piæ fidei, ſi major in corde ſit cupiditas gloriæ, quam Dei timor, vel amor, ut diceret Dominus* (Joann. 5.) „ Quomodo poteſtis crede„ re, gloriam ab invicem expectantes, & gloriam, quæ „ a ſolo Deo eſt, non quærentes? “ At major eſt in corde cupiditas gloriæ, quam Dei amor in eo, qui ipſas ſacras functiones ex natura ſua ad Dei cultum ordinatas principaliter facit ob inanem gloriam: hic ſcilicet magis amat gloriam inanem, quam Dei cultum: ergo mortaliter peccat. Sane non minus peccatum eſt ſacras functiones ob inanem gloriam principaliter obire, quam

ob

Digitized by Google

ob lucrum: at Catech. Concilii Trid. p. 2. de Sacram. Ord. n. 4. ait: *Quamvis enim ex Apoſtoli ſententia, natura, & divina lex jubeat, ut qui altari ſervit, ex altari vivat, tamen quæſtus & lucri cauſa ad altare accedere, maximum ſacrilegium eſt*: ergo maximum quoque ſacrilegium eſt ad altare accedere inanis gloriæ cauſa.

Qui dant aliquid ſpirituale, ſeu ſacrum, ut aliquid temporale conſequantur, etiamſi illud dent ſolum ut motivum, non ut pretium rei temporalis, ſimoniam admittunt, ut patet ex prop. 45. ab Innoc. XI. proſcripta; ideoque graviſſime peccant. At minus graviter non peccant, qui ſacris funguntur, ut aliquid temporale, puta inanem gloriam adipiſcantur; quia non minus hi, quam illi res ſacras vilipendunt.

Itaque recte mihi ſentire videtur Nat. Alex. qui Th. t. 2. p. 227. reg. 5. letale peccatum ab iis committi ait, qui omnia ſua, ac præſertim pietatis opera ad hominum gratiam, laudemque captandam, & ad inanem gloriam referunt; & p. 239 reg. 9. Concionatores, qui nobiliora pulpita quærunt, ut nominis claritatem conſequantur, & ad Epiſcopatum, aliave beneficia eccleſiaſtica promoveantur, mortalis ambitionis reos facit.

Si de re mortaliter mala, quia &c. ſaltem quando cum jactantia &c. . . . quod addo, quia ſi abſque ea fuit, Navarr. &c. docent contra Sanch. &c. non neceſſario explicari. Vide &c.

Animadverſio præſens cadit in illud, *quod addo, quia &c.* Nam etiamſi opinio citata Nav. Palai, & Dianæ probabilis, & poſſibilis eſſet, nihilominus propter contrariam rationabilem ſententiam Sanc. Lopez, Rodriquez, & aliorum res ut minimum dubia foret: at peccata, & circumſtantiæ mortaliter dubiæ in confeſſione neceſſario explicandæ ſunt juxta veriſſimam ſententiam, de qua ſaltem poſt propoſitionem 1. ab Innoc. XI proſcriptam dubitari non poteſt: ergo etiamſi opinio citata Nav. &c. eſſet probabilis, & poſſibilis, nihilominus in confeſſione eſſet explicanda jactantia de re mortaliter mala. Nec ſufficit ut in genere explicetur, ſed in ſpecie explicanda eſt, hoc eſt explicanda eſt ſpecies mortalis peccati, ut adulterii, homicidii &c. de quo quis ſe jactavit; quia ſicuti peccata mortaliter dubia, ita quoque ſpecies dubiæ eorumdem mortalium peccatorum neceſſario confitendæ ſunt. Ceterum opinio citata Nav. Palai, & Dianæ non ſolum eſt improbabilis, ſed impoſſibilis, ſeu, ut ſcholæ loquuntur, de ſubjecto non ſupponente; hoc eſt, impoſſibile eſt ut jactantia de re mortaliter mala ſeparetur ab ejuſdem rei mortaliter malæ complacentia.

Quid eſt, ſe jactare, niſi gloriari, hoc eſt laudem quærere per oſtentationem? Qui autem de aliqua re laudem quærit, eam in corde ſuo probat: rem probare, & ſibi rem placere, ſunt ſynonima: ergo complacentia peccati mortalis ſeparari non poteſt ab ejus jactantia. Poſſunt quidem ſubtiles probabiles argutis commentis rem hanc, ut alias, involvere; at nunquam dilucide oſtendent, complacentiam a jactantia, quæ ſimulata non ſit, dividi poſſe. Jactatores ſcilicet ſcelerum ipſiſſimi illi ſunt, de quibus Prov. 2. v. 14. dicitur: *Qui lætantur, cum male fecerint, & exultant in rebus peſſimis*. Quare ſolidi Theologi, ut Nat. Alex. Th. t. 2 p. 224 reg. 3. & Concina Th. t. 11. p. 555. n. 3. ipſeque probabilia Anacletus Th. mor. p. 101. n. 7. abſolute ſine illa additione involuta, & contradictoria *ſaltem quando cum jactantia de peccato conjuncta fuit complacentia ejuſdem*, abſolute, inquam, dicunt, jactantiam de peccato mortali eſſe peccatum mortale. „ Quare, inquit Concina, in confeſſio„ ne exprimenda eſt peccati ſpecies, de quo quis ſe ja„ ctavit, & ſcandalum audientibus illatum. “ Hæc ſane eſt Theologia Chriſtiana.

La Croix p. 178. n. 289. ita inquit: „ Ut jactantia „ de peccato mortali ſit mortalis, debet eſſe de opere, „ quatenus fundat malitiam: nam qui ſe jactat tantum, „ non de opere ipſo, ſed de ſua fortitudine, ingenio, „ artificio, dexteritate in opere ipſo demonſtratis, non „ peccat mortaliter, ut recte Sanch. & Spor. „

Hæc La-Croixii doctrina eſt germana ſoror doctrinæ ejuſdem La-Croix, quam ſupra cap. 1. hujus lib. 5. dub. 2. 2. 1. ca. 2. recitavi, & expoli. Contendit La-Croix gaudium de phyſico bono inſeparabiliter conjuncto cum mortali culpa non eſſe culpandum; quod perinde eſt, ac ſi dicat, ſicuti dixit loco a me cit. gaudium de mortali peccato, non quatenus peccatum eſt, ſed quatenus habet adjunctum aliquod bonum, vel eſt ejus cauſa, non eſſe culpæ vertendum; quæ opinio eſt fons prop. 15. ab Innoc. XI. proſcriptæ, ideoque evidenter falſa: ergo falſa quoque eſt præſens La-Croixii doctrina. Jactantia de propria fortitudine, ingenio &c. non eſt mortalis culpa: at jactantia de propria fortitudine, ingenio &c. demonſtratis in opere mortaliter malo, eſt jactantia de abuſione propriæ fortitudinis, ingenii &c. in eodem opere mortaliter malo. Sicuti ergo evidens mortalis culpa eſt jactantia de opere mortaliter malo, quatenus fortiter, ingenioſe &c. admiſſum eſt; ita mortalis culpa eſt jactantia de fortitudine, ingenio &c. emicantibus in eodem. Hujuſmodi præciſiones otiæ, ut ego ſentio, ex dæmonis aſtu ſubtiliſſimo, a mortalibus culpis non liberant, ſed eas ſub prætextu levitatis fovent. Jactat ſe quis de libero arbitrio, aut de ingenii ſubtilitate; mortaliter non peccat. At ſi jactet ſe de libero arbitrio oſtenſo in perjurio, adulterio &c. vel de ingenii ſubtilitate in propugnandis falſis doctrinis, & morum corruptelis demonſtrata, an mortaliter non peccat?

Animadversio IV.

Inducens in civitatem novos habitus, & prævidens &c. peccat graviter.

Adde, ſeu prævidere debens, quia, ſi ex circumſtantiis prævideri debeant mala a Buſembaum deſcripta aut ſimilia, nec tamen ex incuria, malove affectu prævideantur; ignorantia, ſeu inadvertentia eſt voluntaria in cauſa; quæ proinde a gravi culpa non excuſat.

Animadversio V.

Simulare ſanctitatem cum voluntate non habendi, mortale eſſe dicit &c.

Hæc res non eſt dubia, uti loqui videtur Buſemb ſed certa. Qui enim ſanctitatem non vult, Dei gratiam, & amicitiam renuit, quæ eſt evidens mortalis culpa.

Hinc S. Thom. 2. 2. qu. 111. art. 4. ait: *Si ergo hypocrita dicatur ille, cujus intentio fertur ad utrumque, ut ſcilicet aliquis non curet ſanctitatem habere, ſed ſolum ſanctus apparere, ſicut conſuevit accipi in ſacra Scriptura, ſic manifeſtum eſt, quod eſt peccatum mortale. Nullus enim privatur ſanctitate, niſi per peccatum mortale.*

Animadversio VI.

Eſt ipſa ex genere ſuo venialis.

Peccatum, quod a Regno Dei excludit, ex genere ſuo non eſt veniale, ſed mortale: avaritia a Regno Dei excludit, teſte Ap. 1. Cor. 6. v. 10. ubi ait: *Neque avari Regnum Dei poſſidebunt*: ergo avaritia ex genere ſuo eſt mortalis.

Sed hic diſtinctio ex D. Thoma 2. 2. q. 118. art. 4. adhibenda eſt. Si enim avaritia opponatur juſtitiæ, ex genere ſuo eſt peccatum mortale: ſi opponatur liberalitati, item peccatum eſt mortale, *ſi in tantum amor divitiarum creſcat, quod præferatur caritati, ut ſcilicet propter amorem divitiarum aliquis non vereatur facere contra amorem Dei, & proximi*; qua de re vide dicta de eleemoſyna. Secus erit venialis.

Animadversio VII.

Qui aperit, & legit, exiſtimans &c. venialiter tantum peccat.

Cautius loquitur Nat. Alex. Theol. t. 2. p. 259. reg. 10. ubi ait: „ Si enim alienis litteris res levis dumta„ xat momenti contineri, certus ſit, venialis tantum „ peccati reus eſt. “ Ait *certus ſit*, non exiſtimans. Qui enim levibus conjecturis ductus, aut temere exiſtimat, res leves litteris alienis contineri, & nihilominus eas aperit, & legit, periculo ſe exponit gravem injuriam proximo inferendi, non ſine gravi culpa.

Animadversio VIII.

Poſteriores quatuor . . . . . ex indeliberatione, vel alia actuum imperfectione, ſæpe veniales.

De indeliberatione, & actuum imperfectione vide dicta cap. 2. hujus lib. dub. 2. reſp. 1. & 2. Ceterum peccata ex genere ſuo mortalia fieri ſæpe venialia ex imperfectione actus, falſum eſt. Quod enim ex ſe tale eſt, ut plurimum eſt hujuſmodi: nam quæ per accidens, hoc eſt præter conſuetum ordinem, & expectationem contingunt, raro accidunt. Actus imperfectus, & ſubitus, qui a mortali excuſet, rarus eſt teſte ipſa experientia. Nam ſi frequenter accidat, prævideri, & præcaveri poterit, ideoque non erit ſubitus.

Quatuor poſteriores actus ex luxuria oriundi, & a Buſemb. explicati, ac præſertim odium Dei, quod eſt maximum omnium peccatorum, ex indeliberatione a mortali culpa excuſari nequeunt; quia ipſa indeliberatio, in cauſa, hoc eſt in ipſa luxuria, unde oritur, voluntaria eſt.

Animadversio IX.

Conſule, ſi vis, D. Thomam, qui 2. 2. q. 36. art. 2. doctrinam a Buſemb. ca. 3. & 4. traditam confirmat.

Ani-

Animadversio X.

Si triſtitia eſt ex bono alterius, inquantum ille eſt indignus, non eſt invidia, ſed indignatio; quæ non eſt peccatum.

Ita quidam docet Ariſt. tum Eth. 2. cap. 7. tum Rhet. 2. cap. 9. *Sed hoc* (Ariſtoteles) *ideo dicit*, ait S. Th. 2. 2. qu. 36. art. 2. *quia conſiderabat ipſa bona temporalia ſecundum ſe, prout magna poſſunt videri non reſpicientibus ad æterna. Sed ſecundum doctrinam fidei temporalia bona, quæ indignis proveniunt, ex juſta Dei ordinatione diſponuntur vel ad eorum correctionem, vel ad eorum damnationem; & hujuſmodi bona quaſi nihil ſunt in comparatione ad bona futura, quæ ſervantur bonis; & ideo hujuſmodi triſtitia prohibetur in Scriptura ſacra, ſecundum illud Pſ.* 39. „ Noli æmulari in malignantibus, „ neque zelaveris facientes iniquitatem: " *& alibi Pſ.* 72. „ Pene effuſi ſunt greſſus mei, quia zelavi ſuper „ iniquos, pacem peccatorum videns. " Ergo indignatio, ſeu triſtitia de bono alterius, inquantum ille eſt indignus, peccatum eſt.

At fortaſſe inquies: Natalis Alex. Theol. t. 2. p. 344. reg. 4. ait: „ Quod abſque culpa ſtomachatur aliquis, „ quod opibus abundent, qui male illis utuntur. " Uti ſunt avari, & prodigi. „ Sic, inquit, juſte dolent viri „ pii, & Eccleſiæ, atque Reipublicæ amantes, quod „ beneficia, & dignitates ſæculares, aut eccleſiaſticæ „ illis conferantur, qui revera ſunt indigni. " Reſp. Divitiarum abuſio non eſt bonum temporale divitis, ſed ejus malum ſpirituale; ideoque recte triſtamur, quod divites per avaritiam, aut prodigentiam divitiis abutantur, non tamen ſine culpa triſtamur, quod mali, ſeu indigni divitiis affluant. Juſte quoque dolent viri pii, quod beneficia &c. indignis conferantur; quia indigni, beneficiis abuſuri ſunt in malum tum ſui ipſorum, tum aliorum. Itaque hujuſmodi triſtitiæ laudabiles ſunt, quia ſunt de malo proximi, non de ejus temporali bono.

Animadversio XI.

Qui in adverſis ſuis, vel &c. optat ſe non fuiſſe natum, ſi tantum intendat &c. videtur eſſe tantum veniale (aliquando etiam nullum, ut Jobi.)

Buſemb. hic valde involute loquitur, & contradictorie. Qui enim optat, ſe non fuiſſe natum, vel ſe brutum animal factum, ipſe ſibi malum optat; & contradictorium eſt, ut hoc deſiderio tantum intendat maledicere irrationali creaturæ.

Itaque qui in adverſis ſuis optat, ſe non fuiſſe natum, vel ſe brutum animal factum, impatientiſſimo animo eſt, ac impatientiæ impetu abreptus, graviſſimum ſibi malum optat; qui graviſſimum ſibi malum optat, graviſſime lædit caritatem, qua præcipimur noſmetipſos amare, ac nobis bene velle: qui graviſſime lædit caritatem, graviſſime, & mortaliter peccat: ergo qui in ſuis adverſis optat, ſe non fuiſſe natum, vel brutum animal factum, mortaliter peccat.

Qui vero id ſibi optat ob aliorum proſperitatem, ſuo mortali deſiderio adjicit mortalem invidiæ culpam. Hæc ſunt peccata, quæ Buſembaum videntur eſſe tantum peccatum veniale, aliquando etiam nullum, ut Jobi.

Utinam enimvero homines ſanctum, & patientiſſimum Jobum in ſuis adverſitatibus imitarentur: at dum in deſcripta deſideria præcipites ex impatientia ruunt, tam alieni ſunt ab illo ſancto viro, quam cælum ab inferis. Ita ſcilicet fit, ordinarie loquendo.

Contingere tamen poteſt, ut homines illuminatæ mentis, & ſpectatæ probitatis optent, ſe non fuiſſe natos, & tamen non peccent. Nam optare quidem vel aliis, vel ſibi malum ſub ratione mali, ſemper peccatum eſt; at vel aliis, vel ſibi malum optare non ut malum, ſed ut bonum, puta utile ad impediendum majus malum, non eſt peccatum: *puta cum aliquis optat aliquem peccatorem pati aliquam ægritudinem, aut aliquod impedimentum, vel ut ipſe melior efficiatur, vel ut ſaltem ab aliorum nocumento ceſſet*. Ita D. Thom. 2. 2. q. 76. art. 1.

Porro licet naſci, ſit maximum naturæ bonum, & ad cæleſtem noſtram beatitudinem ex infinita Dei bonitate ordinatum; attamen quatenus ex vitiata Adami propagine proficiſcitur, originali culpa infectum eſt, innumeris, & graviſſimis malis, &, quod omnium malorum graviſſimum eſt, peccatorum, & æternæ damnationis periculo obnoxium; & ſub hac ratione ipſum naſci malum eſt, non bonum: ergo ſi quis optaret, ſe non fuiſſe natum propter dictam rationem, hoc eſt quatenus non naſci eſt impedimentum originalis culpæ, & ſubſequentium malorum, & periculorum, ejus deſiderium non eſſet culpæ vertendum. *Et ſic*, inquit D. Thom. art. 2. qu. cit. *maledixit Job diei nativitatis ſuæ* (hoc eſt optavit, ſe non fuiſſe natum) *propter culpam originalem, quam naſcendo contraxit, & propter ſequentes pœnalitates*.

Quod autem attinet ad maledictionem ipſius diei, habenda eſt in mente doctrina D. Thomæ art. 2. cit. ubi ait: *Maledicere autem rebus irrationalibus, inquantum ſunt creaturæ Dei, eſt peccatum blaſphemiæ; maledicere autem eis ſecundum ſe conſideratis, eſt otioſum, & vanum, & per conſequens illicitum*.

Nam deſiderare ſe non vidiſſe alium, aut non accepiſſe conjugem, unde multa incommoda orta ſint, nihil mali ex ſe habet. Verum cum homo, hujuſmodi deſideria maledictionibus proſequitur, præter peccatum impatientiæ, & verborum maledictionis, peccare etiam poteſt, aut ſolet peccatum odii, & mali deſiderii in proximum, aut etiam in ſeipſum.

Animadversio XII.

Hinc probabile eſt, &c. veniale tantum eſſe, uſque ad vomitum ſe cibo, & potu implere; idque etiam, ſi quis vomat, ut iterato poſſit bibere.

Hanc ingurgitationem mortalem eſſe, affirmat Natal. Alex. Theol. t. 2. p 367. reg. 7. & contrariam opinionem a celeberrimis Academiis confixam fuiſſe, teſtatur; quam Concina quoque Theol. t. 10. p. 364. n. 7. valde deteſtatur, eamque tum Scripturæ oraculis, tum SS. Cæſarii, & Baſilii auctoritate refutat.

Enim vero ingurgitatio uſque ad vomitum eſt turpitudo valde inſignis, & deteſtabilis ex ipſo æquo ſobriorum hominum judicio, eoque magis, ſi quis vomat, ut iterato poſſit bibere, vel comedere: ergo non levis, ſed gravis, & mortalis culpa putanda eſt.

Præterea Ap. ad Gal. 5. inter opera carnis, quæ *qui agunt, Regnum Dei non conſequentur*, comeſſationes enumerat: porro ſi comeſſatio, qua quis uſque ad vomitum ſeſe ingurgitat, a Regno Dei non excludit, nulla comeſſatio ab eo excludit: ergo Ap. comeſſationes inter opera carnis, quæ a Regno Dei excludunt, fruſtra enumerat. Huc ſcilicet trudit opinio, quam Buſembau probabilem dicit. Huc accedit illud Luc. 7. *Væ, qui ſaturati eſtis, quia eſurietis*: & Is. 5. *Væ qui potentes eſtis ad bibendum vinum*. Væ autem in Scripturis eſt æternæ damnationis comminatio, ut docent Beda, & S. Hieron. apud Concinam loco mox cit. Ergo exploſa opinione, quam Buſ. probabilem putat, contraria Nat. & Concinæ tenenda eſt, quam, Buſembau teſte, Sa, aliique multi tuentur.

Animadversio XIII.

Mortalis cenſetur crapula ..... 3. Si quis valde graviter valetudini noceat, id advertens.

Illud *valde* vacat. Inferre enim grave nocumentum propriæ ſaluti, mortalis culpa eſt tum contra caritatem, qua noſmetipſos diligere tenemur, tum contra juſtitiam, quia noſtræ ſalutis domini non ſumus.

Item illud *advertens* perperam additur; quia falſum eſt, ad mortale peccatum requiri actualem advertentiam, ad quod ſufficit virtualis.

Sic etiam excuſant quidam lictores illos, qui .... hauſtu ſanguinis humani ſe animare dicuntur.

Ethnicus Ariſtoteles Eth. 7. c. 1. ait: *Eorum, quæ in moribus fugienda ſunt, tria eſſe genera, vitioſitatem, incontinentiam, feritatem*; cui feritati juxta ipſum opponitur heroica, ac divina virtus; ideoque, ait, *eos homines, qui vitio ceteris antecellunt, turpi atque infami nomine feros, & immanes appellamus*.

Porro c. 5. inter immanes, & ferinos habitus refert, quod efferati quidam circa Pontum populi delectari feruntur alii crudis, alii humanis carnibus.

Hauſtus ergo humani ſanguinis non ſolum vitioſus, ſed ferinus eſt, humanitati, inſitoque naturæ inſtinctui repugnans, & barbarorum hominum proprius; ideoque nullo modo excuſandus, ſed valde reprehendendus; præſertim cum aliæ rationes non deſint, quibus lictores ſibi animos faciant ſine immani humani ſanguinis hauſtu. Ita ſentit etiam Wig. in Trib. p. 226. n. 58. qui illud quoque recte addit, Scythas humanis carnibus veſci ſolitos, & baptiſmum petentes ſe non baptizaturum, niſi ab illo barbaro eſu perpetuo abſtinendi propoſitum haberent. Nam cibus, & potus hominis debet eſſe res homini ſubdita: at humanus ſanguis non eſt homini ſubditus: ergo non poteſt eſſe hominis potus.

Animadversio XIV.

Malitia ebrietatis .... in eo conſiſtit, quod quis ..... tantum ob voluptatem, aut ingluviem .... privet ſe uſu rationis.

Hanc definitionem propter illam particulam *tantum ob voluptatem, vel ingluviem* reprehendit P. Concina Theol. t. 10. p. 567. n. 6. quia nonnulli inebriantur non

pro-

propter voluptatem, aut ingluviem tantum, ſed vel ut alios conſilient, vel ut placeant, vel ne a corruptis aliorum moribus alieni ſint; qui juxta Buſemb. definitionem rei non eſſent plenæ, & perfectæ ebrietatis; quod certe eſt omnino falſum.

La Croix p. 181. n. 309. eodem modo, ac Buſemb. ebrietatem definit, & AA. communiſſime in deſcriptione ebrietatis meminiſſe concupiſcentiæ, delectationis, voluptatis e potu, ait. Sed quoniam addit, ebrietatem quoque illam, quæ fit non ex cauſa voluptatis, ſed ex alia cauſa non juſta, v. g. ad alios recreandos, ad vincendum per æquales hauſtus &c. eſſe mortalem; idcirco inutile eſt in eo immorari, ut La Croixium contradictionis arguamus.

Dum autem Buſemb. ait *ſciens*, *&* *volens*, id corrige juxta dicta animad. I. in cap. I., animad. item I. in cap. 12. hujus lib. v.

Animadversio XV.

Non eſt peccatum inebriare ſe . . . . ſi aliter ſanitas recuperari non poſſit. Sylv. Cajet. &c

Pro hac ſententia multi nominatim præter citatos a Buſemb. appellantur p. 181. n. 311. a La-Croix, aliique plurimi non nominati. Nat. quoque Alex. Theol. t. 2. ep. 90. Marianum, Socinum, Toletum, & Fagnanum pro ea citat; quam tamen ipſa, & Concina Theol. t. 10. p. 568. n. 7. & Wig. p. 129 n. 71. acriter impugnant.

Illud quidem certum eſt, peccatum lege divina, & naturali vetitum non licere, ut corporis incolumitas conſervetur, aut recuperetur. Sed quæritur, utrum ebrietas ex medicorum præſcripto ad corporis ſalutem recuperandam neceſſaria, Dei, aut naturæ lege prohibeatur.

Juxta D. Thomam 2. 2. qu. 150. art. 1. *ebrietas dupliciter accipi poteſt. Uno modo, prout ſignificat ipſum defectum hominis, qui accidit ex multo vino potato, ex quo fit ut non ſit compos rationis; & ſecundum hoc ebrietas non nominat culpam, ſed defectum pœnalem conſequentem ex culpa. Alio modo ebrietas poteſt nominare actum, quo quis in hunc defectum incidit, qui poteſt cauſare ebrietatem dupliciter. Uno modo ex nimia vini fortitudine præter opinionem bibentis; & ſic etiam ebrietas poteſt accidere ſine peccato, præcipue ſi non ex negligentia hominis contingat: & ſic creditur Noe inebriatus fuiſſe, ut legitur Gen. 9. alio modo ex inordinata concupiſcentia, & uſu vini. Et ſic ebrietas ponitur eſſe peccatum, & continetur ſub gula, ſicut ſpecies ſub genere. Dividitur enim gula in comeſſationem, & ebrietatem, quæ prohibet Ap. in auctoritate inducta.* (ad Rom. 13.)

Ex hac angelica doctrina ebrietas tunc ſolum peccatum eſt, cum oritur ex inordinata concupiſcentia, & uſu vini: at uſus vini ebrietatem inducentis non eſt inordinatus, cum ex medicorum præſcripto neceſſarius eſt ad ſanitatem recuperandam: ergo non eſt peccatum. Aſſumpti ratio eſt, quia ordo rationis poſtulat, ut iis, quæ ad finem aliquem ſunt inſtituta, utamur, prout finis ipſe exigit: cibus, & potus ex Dei, & naturæ ordine ad vitæ conſervationem ſunt inſtituti: ergo ordo rationis poſtulat, ut cibo, & potu utamur, prout vitæ conſervatio exigit: ergo ſi vitæ conſervatio exigat potum inebriantem, potus inebrians ordini rationis eſt conſentaneus; ideoque non poteſt eſſe peccatum.

Hinc idem D. Thom. 2. 2. qu. 141. art. 6. ait: *Quod temperantia accipit neceſſitatem hujus vitæ, ſicut regulam delectabilium, quibus utitur, ut ſcilicet tantum eis utatur, quantum neceſſitas hujus vitæ requirit.* Ut cibus, ita potus ſunt temperantiæ materia: ergo in cibo, & potu nemo peccat, niſi temperantiæ regulam excedat: temperantiæ regula ex D. Thoma eſt hujus vitæ neceſſitas: ergo in cibo, & potu nemo peccat, niſi eorum uſu vitæ neceſſitatem excedat: at evidens eſt, potum inebriantem ad tuendam vitam neceſſarium, non excedere vitæ neceſſitatem: ergo ex vi rationis evidens eſt, potum inebriantem ad tuendam vitam neceſſarium, non eſſe peccatum.

Ingurgitatio cibi, & potus uſque ad vomitum etiam ſine ebrietate, letalis culpa ex mox dicta eſt: at ſi hujuſmodi ingurgitatio ponatur neceſſaria ad gravem aliquem morbum depellendum, eſſet ne letalis culpa? minime vero gentium; imo omni culpa vacaret. Idcirco enim dicta ingurgitatio, letalis eſt culpa, quia inſigniter turpis eſt, hoc eſt temperantiam inſigniter lædit: at ſi ponatur neceſſaria ad gravem morbum depellendum, nec inſigniter, nec leviter temperantiam lædit, ſed eſt inſtar vomitorii medicaminis. Idem dicas de potu inebriante. Nec enim potus inebrians, mortalis culpa eſt, quia rationis uſum adimit; ſed quia illum adimit contra naturæ ordinem, & legem: non eſt autem contra naturæ ordinem, & legem, ſi ſit neceſſarius ad vitæ conſervationem, ſed naturæ ordini, & legi conſentaneus. Cur ſomnus, qui rationis uſum adimit, innocens eſt? quia neceſſarius eſt ad vitam tuendam. Cur lethargica medicamina, unde ſopor, & alienatio mentis oritur, ſine culpa ſumuntur? quia neceſſaria putantur ad morbos depellendos. Qua ergo ratione mortalis culpæ damnas potum, unde alienatio mentis derivatur, neceſſarium ad vitam conſervandam? Si diſcrimen eſt inter vini potum, & alias medicinas mentem alienantes, potus vini damnandus erit, non quod mentem alienet, ſed quod ſit potus vini; quod eſt aperte falſum.

D. Thom. qu. 150. cit. art. 2. 3. loco ita ſibi objicit. *Nullum peccatum mortale faciendum propter medicinam: ſed aliqui ſuperflue bibunt ſecundum conſilium medicinæ, ut poſtea per vomitum purgentur; & ex hoc ſuperfluo potu ſequitur ebrietas: ergo ebrietas non eſt peccatum mortale.*

Quid ad hæc S. Doctor? *Ad tertium dicendum*, inquit, *quod, ſicut dictum eſt, cibus, & potus eſt moderandus, ſecundum quod competit corporis valetudini; & ideo ſicut quandoque contingit, ut cibus, vel potus, qui eſt moderatus ſano, ſit ſuperfluus infirmo; ita etiam poteſt e converſo contingere, ut ille, qui eſt ſuperfluus ſano, ſit moderatus infirmo: & hoc modo cum aliquis multum comedit, vel bibit ſecundum conſilium medicinæ ad vomitum provocandum, non eſt reputandus ſuperfluus cibus, vel potus.* Qui dictorum ſeriem, & argumentationis vim, & objectionem, cui S. Thom. reſpondet, attente conſiderat, intelligit, potum, quamvis multus ſit, etiamſi inebriet, ſi ex medicinæ conſilio ab infirmo ſumatur, non eſſe ſuperfluum; ideoque non eſſe peccatum. Addit quidem Div. Thom. *Nec tamen ad vomitum provocandum requiritur, quod ſit potus inebrians; quia etiam potus aquæ tepidæ vomitum cauſat, & ideo propter hanc cauſam non excuſaretur aliquis ab ebrietate.* At quid inde? an D. Thom. ſibi contradicit in eodem contextu? Hæc additio illud unum ſibi vult, potum inebriantem non eſſe neceſſarium ad vomitum, & ſumptum ſine neceſſitate non excuſare a peccato ebrietatis. Hoc ſibi volunt illa verba, *& ideo propter hanc cauſam*. hoc eſt ſi infirmus potum inebriantem ſumat ad vomitum, qui alia cautione, puta potu aquæ tepidæ provocari poteſt, *non excuſaretur aliquis ab ebrietate*.

At inquit P. Concina; „ An in Hypocrate, vel Ga-
„ leno occurrit hæc ebrietatis medicina? Supremus Me-
„ dicus divinus, in cujus manu ſalus, & vita hominis
„ eſt, ebrietatem damnat, & execratur, & præſcribe-
„ re illam medici audebunt? "

Reſp. Theologo huic doctiſſimo, & ſanioris doctrinæ ſtrenuiſſimo propugnatori ægre repugno. Sed Deus, dum ait *non occides*, membrorum quoque abſciſſionem prohibet; quam nihilominus Medici innocenter præſcribunt, ſi ad vitæ conſervationem neceſſaria judicetur; quia in hac hypotheſi divinitus non prohibetur. Idem dicas de ebrietate, quæ a Deo prohibita non intelligitur, ſi ſit neceſſaria ad vitæ incolumitatem. Utrum vero potus inebrians, ſit, nec ne neceſſarius ad graves morbos aliquando ſanandos, Medicorum eſto judicium.

Si neceſſarius non eſt, & morbus alia ratione ſanari poteſt, non excuſat a mortali culpa ebrietatis: ſi neceſſarius eſt, ab omni culpa excuſat.

Teſte Natali Alex ep. cit. Marianus Socinus refert, Hugonem Bentium inſignem Medicum Florentinum frequenti ebrietate Filium Bernardi de Uzano a periculoſo morbo liberaſſe. Sed de his hactenus.

Huic animadverſioni a nuperrimo Scriptore P. Flaviano a Cimbria Theol. Reiffenſtuel inſtaurata, contrariæ opinionis aſſertore, hæc, ut me eruditus Vir, amicus meus D. T. F. admonuit, objiciuntur tom. 2. p. 200.
„ Ex quo " (quod ſcilicet ebrietas ſit letale crimen, qua de re nemo dubitat) „ infertur, licitum non eſſe,
„ ſe inebriare ex conſilio Medicorum ad recuperandam
„ ſanitatem; immo neque ad vitandam mortem ab alio
„ intentatam; " quod alterum confirmat auctoritate S. Aug., ſeu S. Cæſarii, cujus verba hic habes animad. xvi.

Reſp. Hic ita loquitur, perinde ac ſi alterum ſi non liceat, multo minus primum licitum ſit. At hæc diſcurrendi ratio captioſa eſt. Alterum enim non licere, ego quoque non ſolum concedo, ſed contra Buſ. affirmo: at hinc primum quoque illicitum eſſe, non efficitur; ſicuti evinco animadverſione hic xvi.

At inquis: peccatum mortale nunquam, ne ad ſanitatem quidem recuperandam licet: ſed ebrietas eſt peccatum mortale: ergo ne ad ſanitatem quidem recuperandam licet.

Reſp. Peccatum mortale, quamdiu ſuam malitiam retinet, nunquam licet; at ſi peccatum, quod univerſe loquendo mortale eſt, in aliqua peculiari hypotheſi ſua malitia exuatur, deſinit eſſe peccatum, & licitum fit. Potio vini inebrians, univerſe loquendo, eſt mortale peccatum, quia univerſe loquendo eſt inordinata; at ſi ad ſanitatem recuperandam neceſſaria ſit, deſinit eſſe peccatum quia deſinit eſſe inordinata.

Hæc adverſarii ratio illis verbis initio animadverſio-

nis

Digitized by Google

nis fuit præoccupata. *Illud quidem certum eſt, peccatum lege divina, & naturali vetitum non licere, at corporis incolumitas conſervetur, aut recuperetur. Sed quæritur, utrum ebrietas ex medicorum præſcripto ad corporis ſalutem recuperandam neceſſaria, Dei, aut naturæ lege prohibeatur.*

S. Antoninus p. 2. tit. 6. cap. 3. ait: *Non excuſaretur per hoc quis ab ebrietate ſecundum Thomam, quamvis faceret cauſa medicinæ; & per conſequens peccaret mortaliter & ſumeas, niſi crederet, & alia pota non poſſe ſanari; & Medicus, vel alias, qui hoc ſibi ſcienter conſuleret, & propinaret, hoc exiſtimans.*

Reſp. S. Antoninus ait *ſecundum Thomam*; ex quo ebrietas medicinæ cauſa non excuſatur, ſi non ſit neceſſaria, at excuſatur, ſi ſit neceſſaria, ut ex ejus verbis oſtendi in animadverſione, ubi hanc quoque rationem anteverti.

Subdit: „ Neque enim ebrietas, ſicut & fornicatio, medium eſt ex ſe ordinatum vel ad procurandam ſanitatem, vel ad mortem vitandam. “ Reſp. Id univerſe loquendo verum eſt; at non facit ad rem; quia nos de caſu extra ordinem loquimur; imo quoad rem phyſicam, ſeu medicam nihil dicimus, hoc judicium peritis Medicis relinquentes. En verba mea in fine animadverſionis. *Utrum vero potus inebrians, ſit, nec ne neceſſarius ad graves morbos aliquando ſanandos, medicorum eſto judicium.* Quoad moralia, de quibus meum eſt loqui, ſubdidi. *Si neceſſarius non eſt, & morbus alia ratione ſanari poteſt, non excuſat a mortali culpa ebrietatis; ſi neceſſarius eſt, ab omni culpa excuſat.* Videlicet adverſarius falcem in alienam meſſem extra propoſitum mittit.

Addit. „ Imo ipſa ebrietas eſt intrinſece mala; quia ſemper graviter diſconvenit naturæ rationali, ut rationalis eſt, ut patet ex dictis. “

Reſp. Illud *eſt intrinſece mala*, ſi terminos adverſarius intelligit, falſum eſt. Eſt intrinſece mala, ſi ſit inordinata, ſicuti intrinſece mala eſt fornicatio, quia in ſui natura inordinationem includit; at ebrietas poteſt eſſe ordinata. Lege quod ſcripſi circa medium animadverſionis. *Nec enim*, dixi, *potus inebrians, mortalis culpa eſt, quia rationis uſum adimit, ſed quia* &c. uſque ad illud *quod aperte falſum eſt*; ubi refutata quoque invenies hæc ſubſequentia adverſarii verba. „ Neque dicas, quod etiam qui ſe ſomno committit, voluntarie ſe privet uſu rationis. Nam ex hoc ſequeretur, quod ſicut licite poteſt quis dormire, ſic licite poſſet ſe inebriare; quod nullus dicet. Deinde quamvis dormiens privatus eaſſe uſu rationis, hoc tamen ſit naturali modo, & neceſſario ad virium naturalium conſervationem; “ Hæc inquam ibi luculenter confutata ſunt, ita ut nihil addere neceſſe ſit. Illud, ſi vis, addere potes, adverſarium miſere diſcurrere. Nam quia dormiens uſu rationis ſe privat, licite dormire non poteſt, niſi neceſſitas, aut ſaltem utilitas tuendæ naturæ id poſtulet. Nos vero ebrietatem non permittimus, niſi neceſſitate eam poſtulante; quæ neceſſitas ſi adſit, uſus rationis ſuſpenditur naturali, & neceſſario modo ad virium naturalium, & ſalutis reparationem.

At quid quæſo dicendum de eo, quod ſequitur, „ imo dormiens non eſt ſimpliciter privatus uſu rationis; quia ſtatim ac excitatur a ſomno, proximam habet poteſtatem utendi ratione; quod non evenit in perfecte ebrio, ut patet? “ Reſp. Confuſe ſcilicet, & ridicule loquitur. Quid eſt illud *ſimpliciter*? Quodnam diſcrimen eſt quoad privationem uſus rationis inter dormientem, & ebrium? Sicuti ebrietas, ita ſomnus, quamdiu durant, omni rationis uſu privant; & ſicut ceſſante ſomno, ita ceſſante ebrietate, uſus rationis redit. Hæc patent. Nam imperfecta ebrietas ex parte, non ex toto uſum rationis adimit.

At nobis demum objicit SS. Patres. „ SS. Patres, inquit, ſine ulla exceptione graviter ebrietatem ſemper damnant. “

Reſp. Non ſolum SS. Patres, ſed Theologi omnes, imo D. Paulus 1. Cor. 6. Ebrietatem ſine ulla exceptione graviter damnat. At quid inde? Lege illa verba poſt initium Anim. xvi. *Ebrietas enim ex inordinato vini uſu* &c., *Et hoc ſenſu ab Apoſtolo* &c. Lege reſponſionem P. Concinæ rationi adhibitam verſus finem hujus ani-
Concina Th. t. 10. p. 566 cap. 7. a. 3. mad. xv. Recole quod dixi initio hujus animad. xv *illud quidem certum eſt* &c. *Sed quæſitum, utrum ebrietas* &c. quid neceſſe eſt, in regulis genericis exceptiones ponere, cum vulgo notum ſit, omnes regulas, ſuas pati exceptiones? Sed audiatur D. Aug. Conf. lib. x. cap. 31. n. 44. col. 185. tom. 1., ubi ait. *Hoc me docuiſti, ut quemadmodum medicamenta, ſic alimenta ſumpturus accedam.* Ex quo intelligitur, alimenta, ſicut medicamenta, etiamſi mentem alienent, ſi neceſſaria ad corporis incolumitatem ſint eſſe licita, imo eſſe neceſſario ſumenda, nec ſine animæ periculo recuſari poſſe; qua de re conſule etiam Anim. 3. 5. cap. 2. tract. 3. lib. 3.

Enimvero, ſi adverſarius meas animadverſiones xv. xvi. legiſſet, & attente perpendiſſet, magis ſibi ſilendum eſſe, quam ea, quæ a me præoccupata jam fuere, inaniter promenda colligere facile potuiſſet.

Verum hic adde etiam, ſi lubet, SS. PP. non ebrietatem, ſeu potionem inebriantem, ſed ebrietatis culpam, quæ juxta D. Thomam citatum in animadverſione ex immoderato uſu, & concupiſcentia vini exiſtit, quæ nota noſtræ ſpeciei ex dictis inferri non poteſt, graviter damnaſſe. Legatur quoque 2. 2. q. 150. cit., unde intelligitur, quo ſenſu juxta D. Thomam Canonum, & SS. Patrum interpretem SS. Patres accipiendi ſint.

A n i m a d v e r s i o XVI.

Nec item eſt peccatum, ſi quis cogatur inebriari &c.

La-Croix p. 881. n. 318. in hac ſpecie, ſicut & in priori, contrarias ſententias more ſuo refert, nihilque dicit, hoc eſt utramque contradictionis partem, ut verſatilis ejus probabilitas exigit, probat.

Ego a Buſemb. hic longe diſcedo. Ratio eſt; quia ut potus inebrians non ſit inordinatus, neceſſe eſt ut ex ordine naturæ ſit neceſſarius ad vitæ conſervationem, non ex vi ſceleratorum hominum. Nec enim, ſi ex infirmitatis curandæ, mortiſque inde imminentis avertendæ neceſſitate brachium, aut crus ſibi amputare licet, id etiam permiſſum eſt ad mortem vi intentatam declinandam. Idem dicito de ebrietate.

Ebrietas enim ex inordinato uſu vini, (eſt autem inordinatus uſus vini inebriantis, cum natura illum non poſtulat) ex natura ſua mala eſt, non ſecus ac fornicatio, pollutio &c. & hoc ſenſu ab Ap. inter carnis vitia numeratur 1. Cor. 6. ergo ad violentam mortem vitandam licere non poteſt. Quod enim ex natura ſua malum eſt, ſemper eſt malum, nec ex metu, aut ſpe quacumque permiſſum eſſe poteſt; quia ex Ap. non ſunt facienda mala, ut veniant bona. Hinc S. Aug. ſeu S. Cæſarius ſerm. 295. in app. S. Aug. ait: *Solent ebrioſi ita ſe excuſare, ut dicant: perſona potens me coegit, ut amplius bibam; & in convivio Regis non potui aliud facere. Ad excuſandas excuſationes in peccatis iſta prætendimus, &, quod implere nolumus, non potuiſſe nos dicimus... etiamſi ad hoc veniretur, ut tibi diceretur: aut bibes, aut morieris; melius erat, ut caro tua ſobria occideretur, quam per ebrietatem anima moreretur.* In hunc textum recte La Croixio „ dicunt Leſſ. Dicaſt. & Illſ. illum (D. Auguſtinum) loqui de caſu, quo in contemptum Religionis, vel virtutis bibendum eſſet. “ At merito hic ait P. Concina Theol. t. 10. p. 569. n. 10. „ Hæc P. Leſſii interpretatio vana, arbitraria, & prorſus falſa eſt. Qua ratione, vel probabili conjectura huc intrudit P. Leſſ. Religionis contemptum? Ubi in S. Auguſtini, vel Cæſarii teſtimonio leve aliquod veſtigium? Si conſiſteret cavillatorium hoc interpretamentum, quiſque dicere poſſet, non eſſe mentiendum, non fornicandum, quando mors a barbaro intentatur in contemptum Religionis; ceterum licitum eſſe mentiri, fornicari, adulterare ad evadendam mortem, quæ in contemptum Religionis non intentatur. Quæ abſurda quam ſint horrenda, & quam neceſſario conſequantur doctrinam P. Leſſii, nemo non videt. “ Hæc ſane evidentia ſunt, ita ut ne La-Croix quidem commentitium interpretamentum probare audeat. Hinc ſubdit: „ Verum S. Auguſt. id non inſinuat; hinc Gob. n. 22. ſuſpicatur, S. Auguſt. ob probabilitatem contrariæ ſententiæ ſuadere, potius mortem eſſe oppetendam, quam cauſandam privationem rationis. “

Sed hic quoque quæritur, quo fundamento Gob. id ſuſpicetur. Nam ſuſpiciones ſine fundamento utpote temerariæ ab animo expellendæ ſunt, non fovendæ. Propter probabilitatem, inquit, contrariæ ſententiæ. At unde nam colligit Gob. aut La-Croix, S. Auguſtinum, vel S. Cæſarium probabilem habuiſſe contrariam ſententiam? an S. Auguſtinus, priuſquam verſatilem probabilitatem poſt multa ſæcula inventam noſſet, factus eſt verſatilis opinator, ne ei adverſaretur? At forte Gob. ſuſpicatur, D. Auguſtinum ſuadere, non præceptum denuntiare, quia ait: *Melius erat*: at qui dixit, *melius erat* &c. dixit etiam, *quam per ebrietatem anima moreretur*; quæ verba mortalem culpam apertiſſime ſignificant. Itaque Gobati ſuſpicio non ſolum fundamento caret, ſed quod longe pejus eſt, aperto verborum ſenſui contraria eſt. Hinc ſerm. 292. iterum dicitur: *Qui alterum cogit, ut ſe pluſquam opus eſt bibendo, inebriet, minus malum ei erat, ſi carnem ejus vulneraret gladio, quam animam ejus per ebrietatem occideret.* An hic quoque ſuſpicandum eſt, ſuadere?

Ani-

ANIMADVERSIO XVII.

Si juſta cauſa eſt, v. g. ſi grande &c. *licet eum inducere ad ebrietatem, quæ ſaltem ipſi non ſit voluntaria, ut ſcilicet præter intentionem* &c.

Idem docet La-Croix lib. 2. n. 224. & hic lib. 5. p. 283. n. 332.

Sed hæc opinatio rejicienda eſt, uti rejicitur a P. Concina Theol. t. 10. p. 569. n. 12. & p. 570. n. 15. pro certo enim habendum eſt, nunquam licere inducere alium ad peccandum, etiamſi hic involuntarie peccaturus ſit. Hoc expreſſe prohibet Chriſtus Matth. 18. ubi ait: *Væ mundo a ſcandalis . . . væ homini illi, per quem ſcandalum venit*. Eſt enim apertum ſcandalum alium inducere ad involuntarie peccandum; quia hic quoque contra legem facit, etſi per accidens, hoc eſt ratione involuntarii, a peccato excuſetur. At ſi hic, quia involuntarius eſt, excuſatur; excuſari tamen non poteſt inducens, quia voluntarie inducit.

Licet ne unquam inducere aliquem ad involuntarium perjurium, adulterium, homicidium? Ergo certum eſt, nunquam, ſeu nulla unquam ex cauſa licere inducere alium ad peccandum, etiamſi hic involuntarie peccaturus ſit: ſed certum quoque eſt, ebrietatem ex inordinato vini potu eſſe peccatum, & peccatum mortiferum; quia ex Ap. 1. Cor. 6. *neque ebrioſi Regnum Dei poſſidebunt*: ergo certum eſt, nunquam licere inducere aliquem ad involuntariam ebrietatem; imo certum eſt, hoc eſſe peccatum mortale; quia inducere alium ad mortale peccatum, non veniale, ſed mortale certum peccatum eſt, ut ratio adducta evidenter evincit.

Sicuti Buſemb. in eo aperte erravit, ut putaret, malitiam plenæ, & perfectæ ebrietatis in eo conſiſtere, ut quis ſine juſta, & gravi cauſa ob ſolam voluptatem, & ingluviem, rationis uſu ſe ſponte privet; ita quoque in eo aperte errat, ut alium ad involuntariam ebrietatem ex juſta cauſa induci poſſe exiſtimet. Sicuti enim nulla unquam juſta cauſa peccandi eſſe poteſt, ita nulla unquam juſta cauſa inducendi alium ad peccandum eſſe valet. Perinde enim eſt, ſeu ipſe pecces, ſeu alium vel ſcientem, vel ignorantem ad peccandum inducas. In utraque enim ſpecie tu ipſe es voluntaria peccati cauſa. In priore in teipſo; in poſteriore in alio.

Adde, quod, dum alium ignorantem potus vim ad ebrietatem per fraudem inducis, peccatum peccato cumulas; quia illi gravem injuriam irrogas, dum in re graviſſima illum decipis. Hæc eſt Buſemb. La-Croix, & aliorum probabiliſtarum doctrina, quæ una propoſitione duo mortalia peccata docet.

An vero hoc caſu liceat inducere &c. *dubium eſt. Leſſ.* &c. *affirmat* &c. *Laym. rectius negat.*

La-Croix p. cit. 183. n. 133. ait: „ Licere inebriare eum, qui decrevit malum ingens patrare, ſi nequeat alia via impediri, docent etiam plures, ut relatum eſt l. 2. n. 224. oppoſitum tamen velut probabilius tenent iidem; item Ardek. in qq. ſing. q. 11. & Burgh. cent. 3. c. 68. “

Hæc poſterior ſententia probabilior, eſt prior probabilis: ergo juxta principia La-Croixii, & probabiliſtarum, priorem ſequi ſine ullo culpæ timore permiſſum eſt. Ita ne vero? Eo ſcilicet miſeriarum ventum eſt, ut apertum mortale peccatum ſcandali, non ſolum ſine mortali, ſed ſine omni culpa admitti poſſe dicatur? Quid hoc aliud eſt, niſi Chriſti verba, *væ Mundo a ſcandalis . . . . væ homini illi, per ſcandalum venit*, aut negligere, aut nolle intelligere? An ſcandalum deſinit eſſe ſcandalum, quia ad peccatum inducitur, qui majus peccatum erat patraturus? Ita ſane eſſet, ſi qui majus peccatum facturus erat, non peccaret, dum minus peccat. At ſi hic ſine dubio peccat, eſt quoque indubitatum ſcandalum, illum inducere ad peccandum.

Illa ergo Leſſ. ratio a Buſemb. allata, „ licet ſuadere, & inducere ad minus malum, ut impediatur majus, “ hæc inquam ratio, quæ prima fronte tolerabilis videri poteſt, attente conſiderata, evidenter falſa eſt, & evidenter contraria Ap. 3. Rom. v. 8. dicenti: *Et non (ſicut blaſphematur, & ſicut ajunt quidam, nos dicere) faciamus mala, ut veniant bona, quorum damnatio eſt.* Suadere enim, & inducere ad minus malum idem eſt, ac illud facere. Hinc D. Thom. 2. 2. qu. 78. art. 4. ait, *quod inducere hominem ad peccandum, nullo modo licet.* Audiatur iterum S. Auguſt., aut S. Cæſarius ſerm. 292. mox cit. *Qui alterum cogit, ut ſe, pluſquam opus eſt bibendo, inebriet, minus malum ei erat, ſi carnem ejus vulneraret gladio, quam animam ejus per ebrietatem occideret.*

Adde, * quod evidentior culpa eſt, inducere aliquem ad formalem ſeu voluntariam ebrietatem, quam ad materialem, ſeu involuntariam: ita fatentur ipſi adverſarii, qui priorem inductionem malam eſſe, probabilius dicunt, etiamſi fiat ex juſta, & gravi cauſa, non item poſteriorem: & ratio eſt, quia licet poſterior inductio injuriam proximo irroget, prior tamen illi longe magis nocet, & caritati magis adverſatur; imo vero prior quoque injurioſa eſt, ſi minæ, aut importunæ, vel fallaces ſuaſiones adhibeantur: at ex mox dictis contra Buſ. & La-Croix certum eſt, inductionem ad ebrietatem involuntariam, etiamſi fiat, ut impediatur grave, aut ingens aliquod malum, non ſolum eſſe malam, ſed mortaliter malam: ergo certo certius eſt, inductionem ad voluntariam ebrietatem, ut grave, ſeu ingens malum impediatur, eſſe mortaliter malam.

ANIMADVERSIO XVIII.

Si quis poſt potum diſcernere poſſit inter bonum, & malum, licet &c. *nondum plena eſt ebrietas; ideoque tantum peccatum veniale.*

Hæc doctrina P. Concinæ Theol. t. 10. p. 572. nu. 23. laxitatis portentum videtur. Ebrietas quidem perfecta, ſeu plena non eſt, quamdiu potator rationis compos eſt, ut docet D. Thom. 2. 2. q. 150. a. 1. verbis relatis ad ca. 2. & art. 2. Nihilominus exceſſus potationis a Buſ. deſcriptus, mortalis dicendus eſt. Qui enim temperantiæ limites excedit, peccat: qui parum excedit, venialiter, qui multum, ſeu notabiliter, mortaliter peccat; quo ſpectant mox dicta contra Buſemb. hoc dub. 2. 1. ca. 2. ſed exceſſus potationis a Buſembaum deſcriptus, eſt evidenter valde notabilis, & turpis: ergo nullo modo a culpa mortali excuſari poteſt.

Præterea ille exceſſus in potu mortalis eſt, qui eſt proxima occaſio, ſeu probabile periculum mortalium peccatorum: ſed exceſſus in potu a Buſemb. deſcriptus eſt proxima occaſio, ſeu probabile periculum mortalium peccatorum: inde enim ordinarie loquendo turpiſſima turpiloquia, libidines, contumeliæ graviſſimæ, detractiones, rixæ &c. derivantur: imo ex imperfecta ebrietate magis, quam ex perfecta; quia, cum homo perfecte ebrius eſt, non ſolum brutum animal fit, ſed inſtar ſtipitis, ſenſus, & motus expertis, ſopitus jacet ad omnia etiam materialia ſcelera mentus: at, cum imperfecte ebrius eſt, veluti ſemibellua, libidinis, feritatis, audaciæ pleniſſimus, ad omnia facinora & aptus, & paratiſſimus eſt. Adde, quod temulentus eſt proximus perfectæ ebrietati; quia vino arefactus, & ad magis, ac magis potandum ardenter exſtimulatus, vix continere ſe poteſt: ergo non eſt dubitandum, quin mortalis culpa ſit potationis exceſſus a Buſ. deſcriptus. Hinc Iſa. cap. 5. *Væ qui conſurgitis mane ad ebrietatem ſectandam, & potandum uſque ad veſperum, ut vino æſtuetis*: & Prov. 23. *Cui væ? cujus patri væ? cui rixæ? cui foveæ? cui ſine cauſa vulnera: cui ſuffuſio oculorum? nonne his, qui commorantur in vino, & ſtudent calicibus epotandis?*

Ex his, quæ hactenus dicta ſunt, multo magis deflenda, & explodenda eſt illa La-Croixii doctrina p. 182. n. 317. ubi ait, „ Ang. Tann. Fagund. Gob. c. 6. nu. 37. „ univerſaliter docent, ebrietatem nullam eſſe mortalem, niſi diu privet uſu, & potentia rationis: “ quia hæc doctrina eſt evidenter deterior, quam mox exploſa Buſ. opinio. Audiendus hic eſt D. Th. qui 2. 2. q. 150. ar. 2. ita loquitur: *Tertio modo poteſt eſſe, quod aliquis bene advertat, potum eſſe immoderatum, & inebriantem, & tamen magis vult ebrietatem incurrere, quam a potu abſtinere: & talis proprie dicitur ebrius; quia moralia recipiunt ſpeciem non ab his, quæ per accidens eveniunt præter intentionem, ſed ab eo, quod eſt per ſe intentum. Et ſic ebrietas eſt peccatum mortale: quia ſecundum hoc homo volens, & ſciens privat ſe uſu rationis, quo ſecundum virtutem operatur, & peccata declinat: & ſic peccat mortaliter, periculo peccandi ſe committens. Dicit enim Ambroſ. in lib. de Patriarchis:* „ Vitandam diſcimus ebrietatem, per quam vitia cavere non poſſumus. Nam „ quæ ſobrii cavemus, per ebrietatem ignorantes com- „ mittimus. “ *Unde ebrietas per ſe loquendo eſt peccatum mortale.* Si ebrietas diu privet uſu rationis, gravior eſt, ſi per breve tempus, minus gravis, at ſemper mortalis culpa; *quia ebrietas per ſe loquendo eſt peccatum mortale*; quæ doctrina eſt certiſſima ex D. Paulo 1. Cor. 6. ubi ait, quod *neque ebrioſi Regnum Dei poſſidebunt.*

ANIMADVERSIO XIX.

Plena ebrietas notatur ex his ſignis &c.

Hæc ſigna indicare quidem plenam ebrietatem poſſunt, non tamen veluti regulæ ſunt, unde a mortali culpa excuſen-

* Illud *adde* &c. in ea Buſ. verba cadit, *an vero hoc caſu liceat inducere ad ebrietatem ipſi voluntariam, dubium eſt* &c.

euſentor illi, in quibus illa non apparent, ut ex jam dictis liquet.

Animadverſio XX.

Mala in ebrietate commiſſa, ſi præviſa non ſunt ...... culpa vacant.

Adde, aot ſi prævideri non potuerint, ut fuit Lothi inceſtus cum filiabus. Nam ſi prævideri potuerunt, ſunt voluntaria indirecte; quia ex negligentia circumſpiciendi præviſa non ſunt.

Aut ſi adhibita cautio. Hæc non fuit ſufficiens, ſi nihilominus malum accidit; ideoque hoc culpæ merito adſcribitur; quia ex culpa, & negligentia ſufficientis cautionis ortum.

Animadverſio XXI.

Et ſic exeuſantur ſaltem a mortali ... mulieres &c. conviciis ſe onerantes.

Quaſi vero etiam a veniali excuſari queant. Hæc ſane Buſemb. doctrina mihi monſtri inſtar eſt. Si mulieres, pueri, & infimæ ſortis homines conviciis ſe onerantes, mortaliter non peccant, illi quoad convicia inter ſe mutua mortaliter nunquam peccant, imo ne mortaliter quidem peccare poſſunt. Quid enim in hoc genere amplius facere poſſunt, quam conviciis ſe onerare? An monſtroſa non eſt doctrina, quæ non ſolum a mortali culpa excuſat graviſſima convicia, ſed etiam quibuſdam perſonis adimit facultatem mortaliter conviciandi? An illud Chriſti Matth. 5. *Qui dixerit fratri ſuo, Fatue, reus erit gehennæ ignis*, in mulieres, pueros, infimos homines ſibi mutuo conviciantes non cadit? Iſti ergo a Chriſti lege immunes ſunt, aut lex Chriſti pro omnibus lata non eſt. Iſti illud Eccl. 22. v. 33. uſurpare neceſſe non habent: *Quis dabit ori meo cuſtodiam, & ſuper labia mea ſignaculum certum, ut non cadam ab ipſis, & lingua perdat me?* Leviter ſcilicet peccant, etiamſi ſeſe mutuo appellent fures, latrones, adulteros, ſodomitas, maleficos, dæmones &c. „quia inquit „Buſ. cum fides iis non habeatur, non læditur graviter „honor.“ At ſi honor graviter non læditur, quia iis fides non habetur; multo minus graviter ab iis fama læditur, quia iis fides non habetur; ideoque non ſolum contumeliæ, ſed detractiones quoque eorum a mortali culpa immunes ſemper erunt. Sed pudet me in tam abſurda, & aperte falſa doctrina confutanda immorari. Audiamus. Div. Thomam, qui 2. 2. q. 72. a. 2. ad 3. ait: *Quod, cum peccatum convicii, vel contumeliæ ex animo dicentis dependeat, poteſt contingere, quod ſit peccatum veniale, ſi ſit leve convicium non multum hominem dehoneſtans, & proferatur ex aliqua animi levitate, vel ex levi ira, abſque firmo propoſito aliquem dehoneſtandi; puta cum aliquis intendit aliquem per hujuſmodi verbum leviter contriſtare.* Ut contumelia ſit venialis, duæ conditiones ex angelico Doctore neceſſariæ ſunt: prima eſt, ut contumelia ex ſe levis ſit, non multum hominem dehoneſtans: altera, ut proferatur ex aliqua animi levitate, vel ex levi ira, ſine firmo propoſito aliquem dehoneſtandi. Hæ conditiones conſiderandæ ſunt, ut de contumeliæ gravitate, & levitate recte judicetur. At cum mulieres, pueri, infimi homines conviciis ſe onerant, & graviſſimas omnis generis contumelias in ſeſe mutuo effundunt, & ex gravi ira, atque firmo propoſito ſeſe dehoneſtandi eas evomunt; ideoque mortalia culpæ ſine dubitatione rei ſunt.

Animadverſio XXII.

Quod contumeliæ mortalis qualitatem in confeſſione explicare non ſit neceſſarium, ut contra Filliuc. &c. docent &c.

In confeſſione neceſſario explicandæ ſunt circumſtantiæ non ſolum ſpeciem mutantes, ſed etiam intra eamdem ſpeciem peccatum notabiliter aggravantes; ut contra Buſemb. ſuo loco oſtendetur. Itaque ſi contumeliæ qualitas peccatum notabiliter aggravet, ut ſæpe accidit, ea in confeſſione erit neceſſario explicanda.

Animadverſio XXIII.

Rixæ, ſi modum non excedant, veniales ſunt; ſecus ſi progrediantur &c.

Ne quis ex Buſembaum verbis errandi occaſionem habeat, pro certo habendum eſt, rixas ex genere ſuo eſſe mortalia peccata, ut docet D. Thom. 2. 2. q. 41. a. 1. & patet ex D. Paulo ad Gal. 5. v. 20. ubi rixas inter opera carnis a regno Dei excludentia recenſet. Ex quo fit, ut rixæ veniales eſſe nequeant, niſi ex parvitate materiæ, quæ in iis, ſi pueriles rixas excipias, vix, aut ne vix quidem locum habet. Itaque etiamſi, ut Buſemb. ait, ad ſeditiones, vulnera, cædes non progrediantur; mortales nihilominus culpæ ſunt, ſi rixantes ſeſe graviter lædant, aut lædere conentur, e. g. pugnis, aut baculis etiam ſine vulneribus, aut cæde. Hinc D. Thom. 2. 2. q. 41. a. 1. ait: *Rixa videtur eſſe quoddam privatum bellum, quod inter privatas perſonas agitur non ex aliqua publica auctoritate, ſed magis ex inordinata voluntate. Et ideo rixa ſemper importat peccatum. Et in eo quidem, qui alterum invadit injuſte, eſt peccatum mortale.* Ait peccatum mortale abſolute, & ſine reſtrictione. *Inferre enim nocumentum proximo etiam opere manuali, non eſt abſque mortali peccato.* Quare, cum Buſ. ait: *Suntque hæc communiter peccata ex parte incipientis rixam*, intellige, aut adde *mortalia*.

Alter enim poteſt ſe defendere.

Recte quidem; ſed ne putes, innocenti defenſioni locum eſſe, ſi damnum fuga declinare poſſis.

Chriſtiana virtus, & honor in eo eſt, ut Chriſti præceptum implentes, ſicut perſecutores, ita rixantes pro noſtra virili fugiamus. *Cum autem perſequentur vos in civitate iſta, fugite in aliam*: Matth. 10. v. 23. Fuga dedecori eſt apud ſtultos, quorum numerus eſt infinitus, Eccl. 1. v. 15. non apud vere chriſtianos, quorum decus eſt imitari Chriſtum, & Sanctos. Quod ſi rixantis impetus fuga eludi nequeat, defenſio habet locum; qua tamen in re D. Thomam audire operæ pretium eſt, qui loco mox cit. ſubdit: *In eo autem, qui ſe defendit, poteſt eſſe ſine peccato, & quandoque cum peccato veniali, & quandoque cum peccato mortali, ſecundum diverſum motum animi ejus, & diverſum modum ſe defendendi. Nam ſi ſolo animo repellendi injuriam illatam, & cum debita moderatione ſe defendat, non eſt peccatum, nec proprie poteſt dici rixa ex parte ejus. Si vero cum animo vindictæ, vel odii, vel cum exceſſu debitæ moderationis ſe defendat, ſemper eſt peccatum, ſed veniale quidem, quando aliquis levis motus odii, vel vindictæ ſe immiſcet, vel cum non multum excedit moderatam defenſionem; mortale autem, quando obfirmato animo in impugnantem inſurgit ad eum occidendum, vel cum graviter lædendum.*

LIBER VI.

De Sacramentis.

HAbebit hic Liber Tractatus ſex. 1. Agetur de Sacramentis in genere. 2. de Baptiſmo, & Confirmatione. 3. de Euchariſtia. 4. de Pœnitentia. 5. de Extrema Unctione, & Ordine. 6. de Matrimonio.

TRACTATUS I.

De Sacramentis in genere.

CAPUT I.

De natura Sacramenti novæ Legis.

DUBIUM I.

Quid ſit Sacramentum?

REſp. Eſt res ſenſibilis, quæ ex ſtabili inſtitutione Chriſti vim habet ſanctitatis, ſive gratiæ juſtificantis efficiendæ, & per conſequens ſignificandæ.

Unde reſolves.

1. Ad eſſentiam Sacramenti requiri tria. 1. Ut ſit ſignum ſtabile. 2. Ut ſignificet veram ſanctitatem. 3. Ut eandem efficiat ex opere operato, id eſt uſu ſuo, & applicatione, per propriam efficaciam, & non ex opere operantis, ſive per actum, aut diſpoſitionem miniſtrantis, vel ſuſcipientis: quæ etſi ad effectum Sacramenti requiratur, non tamen ut cauſa, ſed ut conditio, ſine qua non.

2. A definitione talia Sacramenti excludi 1. Sacrificia tam novæ, quam veteris Legis: quia hæc non ſunt inſtituta ad gratiam ex opere operato conferendam, etſi nihilominus ſacrificium novæ legis ſic eam impetret ei, pro quo offertur (non ut Sacramentum, uſu ſuo, & applicatione, ſed per modum impetrationis) ſed ad cultum Deo præſtandum. Con. *d.* 60. *ar.* 22. 2. Figuras, & ſacramenta veteris legis,

Digitized by Google

legis, verbi gratia, circumciſionem, tranſitum maris rubri, agnum paſchalem, varias item purificationes, & conſecrationes ſacerdotum; tum quia a Chriſto non ſunt inſtituta; tum quia veram ſanctitatem non efficiebant. Ac, licet circumciſio aliquando ſuſtulerit peccatum originale per veram gratiam, id fecit vel ex opere operantis in adultis, vel non ex opere operato ſimpliciter, & rigoroſe: tum quia non continuit gratiam, ut cauſa phyſica, vel ut cauſa moralis, quia nondum erat exhibita paſſio Chriſti, & meritum, ex quo gratia pendebat, ſed tantum ex ſpeciali privilegio: tum quia non contulit gratiam formaliter, qua circumciſio, & ex ſua inſtitutione, ſed quatenus erat profeſſio fidei; neque vi applicationis, & uſus ſui; alioquin enim omni non ponenti obicem, & quidem præter omne meritum contuliſſet, quod eſt falſum. Vide Fil. t. 1. c. 1 & 5. q. 8. & c. 8. 3. Ea, quæ dicuntur ſacramentalia, ver. gr. benedictio Abbatis, conſecratio virginis: quia præciſe ex uſu ſuo, & opere operato gratiam non conferunt, uti nec actus virtutum, præterquam quod hi ſenſibiles non ſint. 4. Lotionem pedum Apoſtolorum, inſufflationem Chriſti in Apoſtolos, per quam Spiritum ſanctum illis dedit. Item verba Chriſti ad Magdalenam, & Paralyticum, *Remittuntur tibi peccata*: quia non fuerunt ſigna inſtituta ſtabiliter ad gratiam conferendam. 5. Martyrium, ob eandem cauſam: eſto enim ex opere operato gratiam conferat, non tamen eſt ſpecialiter ad hoc inſtitutum. Vid. Schol. (*a*)

DUBIUM II.

Quid circa materiam, & formam Sacramentorum ſervandum?

Suppono, Sacramentum dupliciter ſumi, (*b*) 1. Per modum *compoſiti phyſici*, in quo res ſenſibilis, & actio, (v. gr. in Baptiſmo aqua, & ablutio; in Unctione oleum, & unctio) dicitur materia. Et quidem oleum, & aqua materia remota; actio vero illa, materia *proxima*: verba autem, aut quod eorum loco ponitur, ut in Matrimonio ſignum conſenſus, dicuntur forma. 2. Per modum *compoſiti artificialis*; & tunc dicta materia, & forma, id eſt res, & verba ſimul habent ſe inſtar materiæ, ſignificatio vero eorum inſtar formæ. Hic quæritur de materia, & forma, priore ſenſu.

Reſp. 1. Ut Sacramentum ſit validum, debet inter materiam, & formam, ver. gr. inter effuſionem aquæ, pronuntiationem verborum, tanta eſſe conjunctio, ut ſecundum moralem hominum æſtimationem, ſpectata natura cujuſcumque Sacramenti, una alteram afficiat; hoc eſt, ut verba cenſeantur cadere in talem rem, & cum ea unum totale ſignum conſtituere. V. Bon. d. 1. q. 2. Suar. Con. &c.

Unde reſolves.

ANIMAD. I. 1. *In Baptiſmo, Confirmatione, Unctione, & Ordine, requiritur talis conjunctio, at dum miniſter verba pronuntiat, moraliter cenſeatur etiam lavare* &c.

ANIMAD. II. 2. *In Pœnitentia abſolutio ſatis diu poteſt differri*, ſicut in judiciis ſententia poſt examen cauſæ.

3 In matrimonio, unius conſenſus poteſt alterius conſenſum tandiu ſequi, quandiu hic moraliter permanere cenſetur: ſicut in aliis contractibus. Vide Con. *hic. art. 6.*

Reſp. 2. Ut valeat Sacramentum, non debet fieri ſubſtantialis, ſeu eſſentialis mutatio materiæ, vel formæ; accidentalis vero mutatio, etſi ſæpe illicita ſit, non tamen invalidum facit Sacramentum. Porro ſubſtantialis mutatio materiæ dicitur, quando ſecundum communem uſum, & æſtimationem hominum, differt omnino, & re ab ea, quam Chriſtus præcepit. Accidentalis dicitur, quando cum ea eundem retinet uſum, & nomen. Formæ mutatio eſſentialis eſt, quando non manet idem ſenſus: accidentalis, quando manet. Laym. *l. 5. t. 1. c. 4.* ex communi.

Unde reſolves.

1. Nullum eſt Sacramentum, ſi materia cruda conſecretur, ſive hæc differat ſpecie ſubſtantiali a pane ſive non: quia communiter non cenſetur, aut dicitur panis. Item ſi aquæ artificiales adhibeantur in Baptiſmo, quia non habent communem uſum, & nomen aquæ elementaris; etſi phyſice ſpecie non diſcrepent. Vide infra de Baptiſmo.

2. Valet Sacramentum, etſi aqua Baptiſmi ſit calida, &c. ſi panis euchariſticus ſit ater, fermentatus, &c.

3. Defectu formæ Sacramentum eſt nullum 1. Si literæ aliquæ mutentur, variantes ſenſum; quod facile fit in initialibus, v. gr. in nomine matris, filii, &c. 2. Si magna fiat interruptio verborum, ita ut moraliter non videantur cohærere. 3. Si forma diviſim pronuntietur, v. gr. unus dicat, *Ego te baptizo*, alter, *In nomine Patris*, &c. quia erunt duæ formæ imperfectæ, & ſenſus falſus. Fil. *l. 1. c. 4. q. 5.* V. Bonac. *q. 2. p. 1.*

4. Forma valet, etſi non liceat, 1. Si omittas voces non eſſentiales, v. gr. *Ego*, & *Amen* in Baptiſmo, *Enim* in forma Euchariſtiæ. Bonac. *d. 4. q. 3. p. 1. n. 9. & 10.* ex Suarez, &c. 2. Si quid addas, v. g. In nomine Patris, *qui te creavit*, &c. 3. Si ſubſtituas Synonyma, v. g. *abluo*, pro baptizo. 4. Si raotum tranſponas, ut, *Hoc meum eſt corpus. Te ego baptizo.* 5. Si verba corrumpas ob præcipitantiam, & balbutiem: v. g. *Hoc eſt corpus meus*, vel *hic eſt enim calis meus*. 6. Si interruptio fiat parva, v. g. *Ego te baptizo*, & interponat, *iſta aqua eſt nimis frigida*, vel, *Cuſtos verte folium. In nomine Patris*, &c. Fil. *l. c.* Vide Bon. *l. c.*

Notæ.

(a) Nonnulla ad illuſtrationem, aut etiam emendationem eorum, quæ in hoc dubio Buſ. habet, addere operæ pretium puto, ne lector ad Scholaſticos, ad quos Buſ. nos mittit, confugere neceſſe habeat.

Sacramenta veteris legis, veri nominis ſacramenta fuiſſe, ſacra Syn. Trid. pro certo ponit, dum ſeſſ. 7. can. 2. ita definit. *Si quis dixerit, ea ipſa novæ legis ſacramenta a ſacramentis antiquæ legis, non differre, niſi quia &c. anathema ſit.*

Quo nomine ſacramenta ſunt?

Reſp. Quia ex divina inſtitutione ſigna ſunt rei ſacræ. Hinc Ap. ad Rom. 4. v. 11. *Et ſignum accepit* (a Deo Abraham) *circumciſionis, ſignaculum juſtitiæ fidei, quæ eſt in præputio*, hoc eſt in nobis Chriſtianis incircumciſis.

Erant ergo ſigna juſtitiæ, ſeu gratiæ, quam nos ope fidei in Chriſtum conſequimur. Quare D. Aug. lib. 19. contra Fauſtum cap. 13. (t. 8. p. 320.) inquit: *Proinde prima Sacramenta, quæ obſervabantur, & celebrabantur ex lege, prænuntiativa erant Chriſti venturi.*

Erant porro pura & puta ſigna, nihil virium ad gratiam efficiendam habentia; ideoque a D. Aug. dicuntur *prænuntiativa Chriſti venturi*, & nihil aliud. Hoc vero confirmat Ap. 1 Cor. 10. ubi ait: *Hæc autem omnia in figura contingebant illis*; & clarius ad Gal. 4. v. 9. *Quomodo convertimini iterum ad infirma, & egena elementa, quibus denuo ſervire vultis?*

Quare D. Th. p. 3. q. 62. a. 6. ita loquitur. *Per fidem paſſionis Chriſti juſtificabantur antiqui Patres, ſicut & nos. Sacramenta autem veteris legis erant quædam proteſtationes illius fidei, inquantum ſignificabant paſſionem Chriſti, & effectus ejus. Sic ergo patet, quod ſacramenta veteris legis non habebant in ſe aliquam virtutem, qua operarentur ad conferendam gratiam juſtificantem, ſed ſolum ſignificabant fidem, per quam juſtificabantur.* His vero quæ hactenus dixi, S. Doct. perſpicue docet. Qu. vero 70. a. 4. ait. *In circumciſione autem conferebatur gratia, non ex virtute circumciſionis, ſed ex virtute fidei paſſionis Chriſti, cujus ſignum erat circumciſio, ita ſcilicet, quod homo, qui accipiebat circumciſionem, profitebatur, ſe ſuſcipere talem fidem vel adultus pro ſe, vel alius pro parvulis.* Circumciſio ergo conferebat gratiam abſolute ſine illa Buſ. reſtrictione *aliquando*; ideoque peccatum non ſolum originale in parvulis delebat, ſed etiam actuale in adultis, quod S. Doct. explicate docet ad 5. a. cit., idque præſtabat non *ex ſpeciali privilegio*, ut habet Buſ., *ſed ex virtute fidei paſſionis Chriſti, cujus ſignum erat circumciſio*, ut loquitur S. Th.

Hoc ſpeciale privilegium, ſeu donum ſacramentis novæ legis divinitus ex Chriſti paſſione jam completa collatum fuit ex Synodo Trident. ſeſſ. 7. can. 8. de Sacramentis ita definiente. *Si quis dixerit per ipſa novæ legis ſacramenta ex opere operato non conferri gratiam, ſed ſolam fidem divinæ promiſſionis ad gratiam conſequendam ſufficere, anathema ſit.*

Google

Ex Syn. Florentina apud Gonetum t. 6. Man. p. 27. & Natalem Alex. Th. t. 2. p. 147. prop. 4. in eo diſcrepare definit veteris legis ſacramenta a ſacramentis novæ legis, quod illa *non cauſabant gratiam, ſed eam ſolum per paſſionem Chriſti dandam figurabant; hæc vero noſtra & continent gratiam, & ipſam digne ſuſcipientibus conferunt.*

Itaque D. Th. a. 6. q. 62. p. 3. ita concludit. *Sic ergo manifeſtum eſt, quod a paſſione Chriſti, quæ eſt cauſa humanæ juſtificationis, convenienter derivatur virtus juſtificativa ad ſacramenta novæ legis, non autem ad ſacramenta veteris legis.*

Ergo *ſacramentum, ſecundum quod nunc de ſacramentis loquimur, eſt ſignum rei ſacræ, inquantum eſt ſanctificans homines*, ut illud definit S. Th. p. 3. q. 60. a. 2., vel, ut habet Catech. Rom. p. 2. cap. 1. n. 11., *ſacramentum res eſt ſenſibus ſubjecta, quæ ex Dei inſtitutione, ſanctitatis & juſtitiæ cum ſignificandæ, tum efficiendæ vim habet.* Quæ definitiones ſacramentis novæ legis conveniunt, & in idem recidunt. Nam eo ipſo, quod ſacramentum ſanctificat homines, ut habet D. Thom., neceſſe eſt, ut divinitus ſit inſtitutum, ſicuti addit Catechiſmus. Rurſus quia hominum ſanctificatio ſtabilis eſt, & duratura, quamdiu homines erunt, ſacramentum quoque eſt ſignum ſtabile, & uſque ad ſæculi finem duraturum; ut innuit Buſ., & habet quoque Gonetus t. 6. tract. 2. cap. 1. p. 5.

Buſ. 5. *Martyrium ob eamdem cauſam*, hoc eſt, quia non eſt ſignum. Recte, & ex D. Thomæ ſententia, qui p. 3. q. 66. a. 11. ad 2. ait, *quod Sacramentum habet rationem ſigni; alia vero duo* (baptiſmata, ideſt ſanguinis, & flaminis, ſeu Spiritus ſancti) *conveniunt cum baptiſmo aquæ non quidem quantum ad rationem ſigni, ſed quantum ad effectum baptiſmatis, & ideo non ſunt ſacramenta.*

Porro licet martyrium, ſacramentum non ſit, gratiam tamen confert ex opere operato, ut Buſ. dixit, hoc eſt ex vi effuſionis ſanguinis pro Chriſto. Hinc D. Th. p. 3. q. 66. a. 11. cit. ait: *præter baptiſmum aquæ, poteſt aliquis conſequi ſacramenti effectum ex paſſione Chriſti, inquantum quis ei conformatur, pro Chriſto patiendo.* Eamdem vim S. Doct. paſſioni pro Chriſto ex ejuſdem Chriſti paſſione tribuit, ac baptiſmo aquæ; & clarius 2. 2. q 124. a. 2. ad 2. inquit, *quod effuſio ſanguinis propter Chriſtum, vicem gerit baptiſmi*; idemque conceptis verbis habet in 4 q. 13. a. 3. q. 3. ad 1. apud Concinam Th. t. 8. p. 151. n. 10.; ex quo hæc ſententia communis eſt, & vera; quia ſi tota baptiſmi ſanguinis vis ex charitate manaret, ſupervacanea eſſet celeberrima baptiſmi partitio in baptiſmum flaminis, & ſanguinis, ut ipſe recte argumentatur.

Verum ſicut baptiſmus fluminis adultis gratiam ſine pœnitentia non confert ex Syn. Trid. ſeſſ. 6. cap. 6., ita *effuſio ſanguinis non habet rationem baptiſmi, ſi ſit ſine caritate*, ait S. Th. p. 3. q. 66. a. 12. ad 2.; quam doctrinam S. Doctor ex D. Paulo hauſit 1. Cor. 13. dicente: „ ſi tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt. " Ex quo illud etiam aperte colligitur, quod ſuo loco fuſius evincam, ſine charitate ſacramentum pœnitentiæ nihil efficere.

Addit autem Buſ., quod martyrium *non eſt ſpecialiter ad hoc inſtitutum*; quia ad gratiam regenerationis conferendam ſpecialiter inſtitutus eſt baptiſmus fluminis; cujus vices, eo deficiente, martyrium gerit ex D. Th. mox cit. Sed ad dub. 2. tranſeamus.

(b) *Suppono, ſacramentum dupliciter ſumi. 1. per modum compoſiti phyſici, in quo &c. per modum compoſiti artificialis &c.*

Hæc diſtinctiuncula inter arabicas commentationes recenſeri merito poteſt. Nam *ſi ex vocabulis vim ſignificandi detraxeris, ſublata videtur eſſe cauſa, quamobrem inſtituerentur*, inquit Catech. Conc. Trid. p. 2. cap. 1. num. 5. & Eugenius IV. in Armenorum inſtructione apud Concina Theol. t. 8. p. 72. num. 9. ita definit. *Omnia ſacramenta tribus perficiuntur videlicet rebus, tanquam materia, verbis tanquam forma, & perſona miniſtri &c.* Hic res, & materia a verbis diſtinguuntur, quæ ſine ulla præciſione, formæ loco ſunt. Quare ipſe Buſ. ſuam diſtinctiunculam pro nihilo habens, ſubdit. *Hic quæritur de materia, & forma priore ſenſu.* Nam poſterior ſenſus, inanis eſt, & nullius uſus.

Animadversio I.

In baptiſmo &c. requiritur talis conjunctio, ut, dum miniſter verba pronuntiat, moraliter cenſeatur etiam lavare &c.

Moralem conjunctionem inter materiam, & formam dictorum ſacramentorum ita accipiunt nonnulli, ut, etiamſi phyſica diviſio ex toto inter eas partes intercedat, nihilominus ſacramenta valida ſunt. Huic opinioni illud ego objicio, quod, ſi Sacerdos, poſtquam ablutionem ex toto peregit, verba proferat *Ego te baptizo* &c., falſo ea enuntiet. Non enim reipſa nunc baptizat, ut ſignificant verba *Ego te baptizo*, cum jam baptizaverit: at falſitas verborum in ſacramentis conficiendis ſacrilega eſt, & invalidum efficit ſacramentum: ergo moralis conjunctio ita intelligenda eſt, ut materiæ applicatio, & formæ pronuntiatio ſaltem ex parte phyſice uniantur, ita ut priuſquam e. g. ablutio ex toto completa ſit, verborum prolatio incipiat, vel contra.

Hinc Rituale Rom. de forma baptiſmi loquens ait: *Sed eadem verba uno & eodem tempore, quo ſit ablutio, pronuntianda ſunt*,

Hæc porro ſententia, etſi contraria cuipiam non improbabilis videretur, quoad praxim neceſſario tenenda eſt, tum ne a Ritualis præſcripto recedatur, tum maxime quia illa propoſitio, *non eſt illicitum in ſacramentis conferendis ſequi ſententiam probabilem de valore ſacramenti, relicta tutiore, niſi* &c. hæc inquam propoſitio n. 1. ab Innoc. XI. proſcripta eſt.

Animadversio II.

In pœnitentia abſolutio ſatis diu poteſt differri, ſicut in judiciis &c.

Ergo ſicut in judiciis fori externi poſt examen cauſæ ſententia differri poteſt ad duos, tres pluresve dies, ita etiam fieri poterit in tribunali pœnitentiæ; hoc vero valde abſurdum eſt, & Eccleſiæ conſuetudini contrarium; quam conſuetudinem mox abſolvendi a confeſſione peccatorum ſi quis improbare audeat, incidit in propoſitiones 16. 17. 18. ab Alex. VIII. proſcriptas: ergo ab hac conſuetudine recedere nullo modo licet: ergo abſolutio ſatis diu, quidquid contra Buſemb. dicat, differri non poteſt, ſed audita confeſſione, impoſitaque ſatisfactione, & neceſſariis, vel opportunis admonitionibus, & correptionibus adhibitis ſtatim impertienda eſt; ſicuti etiam docet P. Concina Theol. t. 9. p. 617. o. 6.

Ratio Buſembaum a paritate fori externi petita, nullius prorſus roboris eſt, quia ſacramentalis abſolutio non ſolum ſententia eſt, ſed etiam ſacramenti forma; quæ proinde ab ejus materia, hoc eſt a confeſſione, dolore, & propoſito pœnitentis ſeparanda non eſt.

P. Zach. amice more ſuo ita me hic compellat. pag. cxxii. ſpec. v.
„ Quis crederet, te, qui rigorem ubique ſpiras, "(illud *ubique* penes te quoque, mi Zach., falſum eſt; quia mitiores nonnullas tuorum opiniones propugno; at quia plurima eorum laxamenta refuto, rigorem ſpirare tibi videor.) „ hanc potuiſſe P. Buſ. propoſitionem „ reprehendere? *In pœnitentia abſolutio ſatis diu poteſt differri*. Reprehendis tamen. " Meiſque verbis deſcriptis *Ergo ſicut* &c. ſubdit.

„ Utinam, mi Franz., non Concinam, quem tui hujuſce deliramenti vadem appellas, ſed Rituale Romanum legiſſes! hanc in eo ad tit. de Sacram. Pœnit. „ legem Confeſſario præſcriptam comperiſſes: " *Videat autem diligenter Sacerdos, quando, & quibus conferenda, vel neganda, vel differenda ſit abſolutio.* „ Confer quæſo etiam Benedictum XIV. de Syn. Diæc. p. 385. poſtremæ Rom. editionis. *Omneſque*, inquit ſapientiſſimus Pontifex, *graviores Theologi* (quam ergo levia „ tu, qui non ſolum diſſentis, ſed etiam abſurdam, & „ ab Eccleſiæ conſuetudine alienam eorum ſententiam „ pronuntias) *in eo conſentiunt, ut non cuilibet pœnitenti concedenda ſit abſolutio; ſed iis deneganda, qui vel pœnitentiam minime profitentur, vel fictæ pœnitentiæ indicia præſeferunt; iis autem differenda ſit, quorum pœnitentia incerta, & ſuſpecta merito habetur*: &c.

Reſp. Si a Rom. Ritualis lege, & his ſapientiſſimis Bened. XIV. ſeoſim diſſenſiſſem, me non ſolum levem, ſed deliſum tecum faterer; meaque ſenſa veluti quaſi impia ſtatim revocarem, & execrarer.

Conſule, quæ ſcripſi in hunc lib. 6. Buſ. tract. 4. cap. 1. Animad. xv. xvi. Ibidem a me dicta Ritualis regulæ, & Bened. XIV. conſentanea prorſus ſunt. An hic contraria profero? Hic ſermo eſt de conjunctione inter materiam, & formam ſacramentorum, ut ex Buſemb. dictorum hic dub. 2. reſp. 1. contextu liquet. Huc ſpectat tum mea prima, tum hæc altera in Buſembaum animadverſio. Hic non quæritur, ut calumnioſe, vel per intolerandam inſcitiam ponis, utrum abſolutio negari, aut differri abſolute loquendo poſſit. Hoc extra omnem controverſiam eſt, & eſſe ponitur. Quæſtio hic eſt, utrum abſolutio diu differri poſſit, non abſolute loquendo, ſed facta hypotheſi, quod confeſſionis materia, hoc eſt neceſſarii pœnitentis actus, ſeu diſpoſitiones præſto ſint. Hæc, mi Zach., præſens quæſtio eſt, non illa tua commentitia, & calumnioſa. In hac hypotheſi, non abſolute, abſolutionem diu differri poſſe infitiatus contra Buſembau ſum, & inficior. Buſembaum, meamque integram

gram animadverſionem apertis, & ſinceris oculis relegas, tuumque erratum aut calumnioſum, aut craſſe inſcitum recognoſcens, illâ tua odio æſtuantia, & incauta verba „ & qui hæc neſciens, Confeſſarii tamen munus exercuiſti? . . . . Nec Buſ. heic corrigendus fuerat, „ ſed tu graviſſime reprehendendus, atque a confeſſionum audiendarum munere removendus, “ pœnitenti calamo delendo ſile fatere.

Non ego hic par pari (quæ tua ſententia ethnica, & judaica utinam a te ex animo revocetur) referre volo; neque meam cauſam, qui Confeſſarii munus olim neceſſitati coactus obiter obivi, & jamdiu obire recuſo, ago.

Sed quæſo, mi Zach., Sacerdotes ne ſanioris doctrinæ aſſertores & ſtudioſi a ſacris confeſſionibus audiendis repellendi ſunt, an verſatiles opinatores, laxarum opinionum, unde ingens in mores corruptio teſte Alex. VII. in proœmio prop. a ſe proſcriptarum erupit, defenſores & aſſeclæ?

Hæc, mi Zach., non eſt quæſtio, ſed certa, ac tutiſſima doctrina, ut morum corruptores a miniſtrando ſanctiſſimo Pœnitentiæ ſacramento longiſſime arcendi ſint. Sed cur prop. 16. 17. 18. ab Alex. VIII. proſcriptas, quas indicavi, & habes in calce hujus operis, non conſuluiſti? Eas attente legito, ut pudore ingenti ſuffuſus, tandem Deo dante reſipiſcas. Sed, ut tuam inſcitiam, aut imprudentiam recognoſcas, illud etiam te moneo, illam Buſ. propoſitionem, *in pœnitentia abſolutio diu differri poteſt*, quam ego abſolute acceptam ſaniſſimam, & veriſſimam habeo, a tuis opinatoribus abſolute intellectam repudiari, ut ego evincere poſſem. Sed odioſa non moveo; mihique ſatis eſt, ſi ſana aliorum documenta ſequar, & propugnem.

CAPUT II.

De Miniſtro Sacramentorum.

DUBIUM I.

Quid requiratur, ut miniſter det valide Sacramentum?

RESpond. Ad valorem Sacramenti in Miniſtro, non fides, vel probitas, ſed præter poteſtatem (& juriſdictionem in quibuſdam) requiritur *intentio*, (*a*) *ſeu voluntas* ſaltem virtualis, & abſoluta, vel huic æquivalens, faciendi non tantum externum illum actum, ſed Sacramentum, vel ſaltem id, quod facit Eccleſia, vel quod Chriſtus inſtituit. Eſt communis ex Trid. *ſ. 7. can.* 11. Ratio prioris partis eſt, quia Sacramenta operantur, non ex diſpoſitione Miniſtri, ſed virtute divina, ſecundum inſtitutionem, & meritum Chriſti. Ratio poſterioris, quia ad confectionem ſacramenti requiritur talis intentio, quæ actionem determinet ad eſſe ſacramentale, tollatque indifferentiam verborum & actionum: talis autem non eſt intentio ſolius actionis externæ, quæ ad alios fines, v. g. ad ludum poteſt referri.

Dixi 1. *ſaltem virtualis*: tum quia non ſufficit interpretativa, vel habitualis (qualis etiam poteſt eſſe in ebrio, & dormiente) cum actus ab ea procedens non ſit humanus, & deliberatus, ſeu liber in ſe: tum quia actualis, qua ſcilicet actu intendis, & vis hoc facere, etſi melior ſit, & conſulta, non tamen requiritur; cum enim ea non ſit in noſtra poteſtate, & homo facile diſtrahatur, nimis durum, & plenum ſcrupulis fuiſſet, ſi hanc Chriſtus requiſiviſſet. Virtualis autem dicitur, quæ ex actuali præcedente relicta durat in aliqua actione vi illius incepta, & continuata: ut ſi ex intentione baptizandi, vel celebrandi vadas ad Eccleſiam, ſacras veſtes induas, ad altare, vel baptiſterium accedas, etſi interim omnia alia cogites. Ratio eſt, quia hoc ſufficit, ut actio illa ſit humana, & moralis. Laym. *l.* 5. *t.* 1. *c.* 5.

Unde reſolves.

1. Si Sacerdos habens forte ante ſe panem, recitet factum, & verba Chriſti, non ideo conſecrat.

2. Impotens rationis, ebrius, vel ſomnians, non conficit Sacramentum, etiamſi ante ebrietatem, vel ſomnum id intenderit: quia non agit humano modo. Laym. *l. c.*

3. S. Athanaſius in luſu puerili vere baptizavit; (*b*) *quia intendit facere*, quod viderat in templo fieri ab Epiſcopo.

4. Hæreticus valide baptizat, & contrahit matrimonium, etſi non credat hoc eſſe Sacramentum, rideat, & contemnat; imo etſi nolit facere, quod facit Eccleſia Romana, ſed quod ſua, falſo putans non Romanam, ſed ſuam eſſe veram; etſi etiam per hoc nolit conferri gratiam. Ratio eſt, quia intentio generalis, qua vult, quod Chriſtus inſtituit, prævalet intentioni provenienti ex errore privato. Bon. *q.* 3. *p.* 1. *n.* 9. Suar. Fill. &c.

5. Non debet repetere ſub conditione conſecrationem, qui in ipſa fuit diſtractus: vel qui minores hoſtias ad altare detulit, de quibus majorem conſecrans, non explicite cogitavit, nec detexit.

Dixi 2. *Abſoluta*; quia conditionata ſuſpendit effectum, quod, prætterquam in matrimonio, fieri non poteſt.

Unde reſolves.

1. Validum eſt Sacramentum collatum ſub conditione præterita, aut præſenti neceſſaria, vel contingente, ſi conditio vere ſit impleta: v. g. abſolvo te, ſi vis dimittere concubinam, ſi capax es; baptizo te, ſi non es baptizatus. Bon. *l. c. n.* 18.

2. Nullum eſt Sacramentum datum ſub conditione futura, ſive ſit hæc contingens, ut, abſolvo te, ſi reſtitues, ſi dimittes concubinam &c. *ſive neceſſaria*, aut adjectu animo ſuſpendendi Sacramentum, ut, *abſolvo te, ſi cras Sol orietur*. Bonac. *ibid.* Suar. Con. &c. ANIMAD. I.

3. *Dubium eſt Sacramentum collatum ſub conditione occulta, humano modo incognoſcibili: v. gr. baptizo, ſi es prædeſtinatus, ſi Deus videt te hoc anno moriturum.*

4. *Graviter peccat, qui adminiſtrat Sacramentum* (*excepto Matrimonio*) *ſub conditione*, non ſolum futura (quod ſemper eſt mortale) ſed etiam præſenti, aut præterita; ſive in ſe ſit prorſus occulta, quod ſtatim eſt mortale; *ſive humano modo cognoſcibilis, quod tamen nullum eſt, ſi fiat ex cauſa rationabili*: raro veniale, ſæpius mortale, ſi abſque ulla cauſa. Ratio eſt, quia aut nullum facit Sacramentum, aut dubium, aut validum quidem, ſed non ſine nugatione in re gravi. Vide Bon. *l. c.* Suar. Con. &c. Schol.

DUBIUM II.

Quid requiratur in miniſtro, ut licite miniſtret?

Reſp. 1. Præter ea, quæ ad valorem requiruntur, requiritur probitas, ſive ut ſit in gratia: tum quia Chriſto, cujus eſt Miniſter, debet ſe conformare: tum quia ſancta ſancte ſunt tractanda: tum quia ad hoc quidem ſingulariter ordinatur, & gratia peculiari donatur, ac proinde hoc curare præ aliis eſt obligatus. Ita Lay. *l. c.* & commun.

Unde reſolves.

1. Peccat graviter, qui conficit Sacramenta, non habens ſufficientem juriſdictionem, vel de ea rationabiliter dubitans, vel qui cenſura eſt prohibitus.

2. Non licet Sacerdoti adminiſtrare Sacramenta cum attritione cognita (*c*): *quia adhuc eſt extra ſtatum gratiæ*. Bonacin. *quaſt.* 3 *punct.* 1. §. 1.

3. *Non tamen neceſſario præmittit Confeſſionem* (*niſi velit celebrare*) *etſi ſit conſultius: quia de hoc nullum eſt præceptum, & ad delendum mortale ſufficit contritio.* Vaſq. *d.* 136. *c.* 1. Card. de Lugo *d.* 8. *ſ.* 9. ANIMAD. II.

4. Miniſter Sacramenti ad id ordinatus, ſi conficiat, & miniſtret ſolemniter in mortali, v. gr. ſi baptizet, vel celebret, peccat mortaliter toties, quoties (quod etiam verum eſſe volunt Sayr. Ledeſ. & Bon. Gren. *cont.* 5. *t.* 5. de Diacono (*d*) ex ſpeciali commiſſione baptizante), niſi forte periculum ſit in mora, nec poſſit tam cito confiteri, aut conteri; ſic enim caſu baptizare, vel etiam abſolvere moribundum, in ſtatu peccati, non eſſe irreverentiam, docet C. de Lugo *d.* 8. *ſect.* 9. *n.* 151.

Dixi 1. *ad id ordinatus*; etſi enim laicus in neceſſi-

ceſſitate baptizet cum conſcentia peccati moralis, non peccare mortaliter docent Con. *l. c.* Fill. *t. c. c.* 5. *q.* 10. ex Suarea, &c.

ANIMAD. III. 2. Solemniter: *non ſi ſine ſolemnitate baptizat, excuſant a mortali Suarez*, Con. Fill. *l. c.*

ANIMAD. IV. 5. *Alii, qui conficiant, & miniſtrant, non peccant mortaliter, verb. grat. tam laici in neceſſitate baptizant, vel miniſtrant ſibi invicem matrimonium in mortali*. Ita contra Sylv. Valq. & alios, docet Suarea, cum aliis; qui tamen vult eos peccare mortaliter, quatenus hoc in mortali ſuſcipiunt. Ita etiam Fill. Fern. Sanchez, Con. *q.* 6. *c.* 6. *d.* 1.

6. *Qui miniſtrat, etſi non conficiat, Euchariſtiam*
ANIMAD. V. *in mortali, peccat mortaliter, ut habet communis Suar. Fill. Lay. Bon. & aliorum contra Vaſq. cujus ſententiam Dian. recte notat eſſe probabilem, ſive ſit Sacerdos, ſive Diaconus*, ut vid. *p.* 3. *t.* 4. *R.* 195. Idem docet Card. de Lugo *d.* 8. *n.* 155. *Et quidem aliqui putant, tot mortalia committi, quot communicantur; quod minus videtur probabile, cum moraliter non ſit niſi una diſtributio, & una indigna adminiſtratio*: ita Tann. 2. 2. Henriq. Fill. *n.* 87. &c. contra Con. & Bonac.

ANIMAD. VI. 7. *Etſi probabile ſit*, quod docent Sylv. Caj. Fill. *t.* 1. *tr.* 1. *c.* 6. *n.* 87. Nav. & Sa v. Ordo, *Diaconum, & Subdiaconum, ſi cum mortali in ordine ſuo miniſtrent*, item Sacerdotem, & Epiſcopum, ſi Sacramentalia exerceat, nuptias, aquam benedicat, altaria, templa, vaſa conſecret, concionetur, Euchariſtiam de loco in locum transferat, peccare mortaliter; *contrarium tamen videtur verius, ut docent Suarez, Vaſq. Laym. Con. q. 64. ar. 6. dub.* 1. *C. de Lugo l. c.* Ratio eſt, quia hæ actiones non tendunt proxime ad ſanctificationem animæ ex opera operato, ſicut actiones ſacramentales.

8. *Non videtur vera eſſe ſententia, quæ docet eſſe*
ANIMAD. VII. *mortale tangere in mortali corporalia, calices, reliquias, &c.* Sayr. Bonac. *d.* 1. *q.* 3. *p.* 2. Quod ſi quis in mortali (etiam laicus in neceſſitate) elevet de terra Euchariſtiam, non videtur aliud agere, quam ſi Chriſtum in hac vita laplum elevaſſet: ſecus tamen, ſi quis id extra neceſſitatem temere præſumat, exemplo Ozæ. Bon. *d.* 1. *q.* 3. *p.* 2. *n.* 12.

Reſp. 2. Requiritur præterea, ut exhibeat, ac curet non tantùm quæ ad ſubſtantiam Sacramenti ſunt neceſſaria, ſed etiam quæ ad decorem, ſive ex natura rei, ſiva ex præcepto Eccleſiæ, ſpectant. Ratio prioris eſt, quia alioqui Sacramenta dehoneſtat, & tractat indigne. Ratio poſterioris eſt, quia Sacramenta ſancte ſunt tractanda; & præcepta Eccleſiæ obligant in conſcientia.

Unde reſolves.

1. Peccat miniſtrans mortaliter, 1. Si utatur materia, vel forma falſa, vel (*extra neceſſitatem*) dubia. Bon. *d.* 1. *q.* 2. *p.* 1. *n.* 32 2. Si omittat inten-
ANIMAD. VIII. tionem requiſitam. *Quod ſi vero dubium oriatur, & non tantum inanis ſcrupulus*, (is enim rejici debet) *an forma fuerit legitima, vel an legitime, & integre prolata, tunc etſi ſpeculative probabile ſit, formam eſſe legitimam*, in praxi tamen iteranda erit ſub conditione, quia tutius hic eligendum eſt.

ANIMAD. IX. 2. *Peccat quoque* (graviter, vel leviter pro gravitate materiæ) 1. *qui verba formæ corrupte, inarticulate, indevote pronuntiat*. 2. qui materiam, vel formam, (*e*) vel cæremonias, contra Eccleſiæ morem, quamvis accidentaliter, ſine cauſa mutat, vel omittit. Quod ſi fiat ex contemptu, eſt mortale: ſi ex negligentia, ſæpe eſt mortale, quando ea magna eſt, & in re gravi. V. infra *t.* 4. *d.* 5.

3. Peccat graviter, qui miniſtrat Sacramentum publico peccatori, vel aliter indigno, niſi indignitas ſciatur ex confeſſione, vel ſit occulta indignitas, & ex negatione ſequeretur infamia, ut patet ex praxi Eccleſiæ, & Chriſti, qui Judæ Euchariſtiam dedit. Gravius peccaret, qui ne daret indigno, porrigeret ei hoſtiam non conſecratam, etſi ſic cum eo conveniſſet: aut qui non audens indigne celebrare, ſimularet Miſſam, elevans hoſtiam non conſecratam; quia, quantum eſt ex ſe, dat occaſionem idololatriæ. V. Bon. *d.* 1. *q.* 6. *p.* 4. Suar. Con. &c. Schol.

NOTÆ.

(a) Reſp. *Ad valorem ſacramenti &c. requiritur intentio &c. faciendi non tantum externum illum actum, ſed ſacramentum, vel ſaltem id, quod facit Eccleſia, vel quod &c.*

De hac doctrina, quidquid contra nonnulli aut obſcure, aut male dixerint, non eſt dubitandum; quia a Syn. Trid. ſeſſ. 7. can. 11. de Sacramento traditur ita definiente. *Si quis dixerit, in miniſtris, dum ſacramenta conficiunt, & conferunt, non requiri intentionem ſaltem faciendi, quod facit Eccleſia, anathema ſit.* Satis eſt, ajunt aliqui, de quibus Concina Th. t. 8. p. 59. cap. 11., ſi materia, & forma juxta Eccleſiæ ritum non joco, ſed ſerio adhibeatur. Reſp. Ergo intentio præter externum Eccleſiæ ritum ſerio adhibitum non eſt neceſſaria; quod eſt contra citata Tridentinæ Synodi verba. Nec enim ritus Eccleſiæ ſerio adhibitus, intentionem faciendi, quod facit Eccleſia, includit. Ritus enim ille ſerio adhiberi poteſt, ut e. g. ſordes abluas, ut ſanitatem corpori afferas, ut malas ſuſpiciones evites &c., non autem ut ſacramentum conferas, vel facias, quod eo ritu facit Eccleſia. In qua ſpecie, quia deeſt intentio ad ſacramentum neceſſaria, ſacramentum ex Tridentina Synodo nullum omnino eſt. Hæc mihi perſpicua ſunt.

Dum Buſ. addit *abſoluta, quia*, ut habet in fine o. 5., *conditionata ſuſpendit effectum*, intelligendus eſt de conditione futura, non præſenti, aut præterita, ſub qua, (præſenti, aut præterita) ſi vera ſit, ſacramentum valere docent omnes teſte Concina Th. t. 8. p. 87. q. 5., & ipſe Buſ. hic ca. 1. Subdit Buſ., *vel huic æquivalens*. Intentionem virtualem intelligo actum intentionis præcedentis non revocatum, ex cujus vi ſacramentum fiat. Intentio huic æquivalens eſſe videtur, ſi quis ex. g. baptizans velit facere, quod facit Epiſcopus, vel Parochus baptizantes.

(b) *S. Athanaſius in luſu &c. vere &c., quia &c.*

S. Athanaſii factum dubium habet Nat. Alex. Theol. t. 1. p. 170. prop. 1., Concina falſum Th. t. 8. p. 74. §. 4. . . . Cæterum uterque, ſi factum verum ſit, in eo conſentiunt, ut S. Athanaſius non ludens, nec per jocum, ſed ſerio, & juxta ritum, ac intentionem Eccleſiæ pueros ludentes, ac baptiſmum ſponte ſuſcipientes baptizaverit.

(c) *Non licet Sacerdoti adminiſtrare &c., quia &c.*

Recte. At licet ne, ſi attritio ignota ſit, & dubitetur, ſit ne attritio ſine ullo Dei amore, ut Buſ. intelligit, an contritio cum Dei amore conjuncta? Reſp. Minime; quia periculum ſacrilege adminiſtrandi ſacramenta imminet. Licet ne, ſi attritioni cognitæ addatur confeſſio? Reſp. Minime; quia ſola attritio ad ſacramentum rite ſuſcipiendum non ſufficit, ut ſuo loco evincam.

Licet ne, ſi Sacerdos contritionem eliciat, eamque cognitam habeat? Reſp. Minime; qua de re conſule animad. hic 2. in ca. 3.

(d) *Quod etiam verum eſſe &c. de Diacono*. Id certe verum eſt; quia illud quoque verum eſt, Diaconum ex ſpeciali commiſſione baptizare jure non poſſe, ut contra Buſ. oſtendo Animad. 10. in cap. 1. tract. 2. hujus lib. 6.

Buſ. *Niſi forte periculum ſit in mora, & &c.*

Idem docet de baptiſmo D. Th. citatus hic animad. 3.; ubi ait, *in articulo tamen neceſſitatis &c.* ut ibi. Quod idem de ſacramento pœnitentiæ intelligendum eſt, quod *lapſis poſt baptiſmum ad ſalutem neceſſarium eſt, ut nondum regeneratis ipſe baptiſmus*, ut ait ſacra Syn. Trid. ſeſſ. 14. cap. 2.

Buſ. *Dixi 1. etſi enim laicus in neceſſitate &c.*

Laicus in hac ſpecie nec mortaliter, nec venialiter peccat ex dictis animad. hic 4.; quod addo, ne laicus peccandi timore, a neceſſario miſericordiæ opere abſtineat, & baptizandi animam in deplorabili ſtatu verſantem deſerat.

(e) 2. *Qui materiam, vel formam &c.* Hic conſule animad. 6. in cap. 1. tract. 2. hujus lib. 6.

Buſ. *Quod ſi fiat ex contemptu, eſt mortale*. Recte. *Si ex negligentia, ſæpe eſt mortale, quando ea magna eſt, & in re gravi.*

Horum verborum loco dicito: ſi ea negligentia, item mortale eſt, ſi ſit in re gravi; quæ doctrina ex Angelico fonte hauſta eſt 2. 2. q. 54. a. 3., quæ verba alibi recitata invenies.

ANIMADVERSIO I.

Hic animadvertendum eſt, conditionem appoſitam ex natura ſua eſſe contingentem, illudque ſuſpendere, cui apponitur. Idcirco enim apponitur, ut ea poſita rem

rem eſſe, eaque ſublata rem non eſſe volumus. Itaque conditio neceſſaria, ut abſolvo te, ſi cras Sol orietur, ut habet Buſ. in ca. 2. eſt quid nugatorium, & contradictorium, quod in ſani hominis mentem venire non poteſt. Hinc porro fit, ut quæſtiones de his neceſſariis conditionibus otioſæ merito videantur, & inutiles. Si tamen non ſolum impie, ſed etiam ſtulte adjiciantur ſacramenti formæ, illæ quidem, ut ego ſentio, pro non adjectis haberi debent, &, quod hinc conſequitur, ſacramentum irritum, quantum in ipſis eſt, non efficient.

At quia adjiciuntur, interrogandus eſſet ſacramenti miniſter, qua intentione illas adjecerit; qui, ſi intenderit ſacramentum ſuſpendere, ſacramentum nullum eſt; ſi id non intenderit, ſed ſeipſa ſacramentum conficere voluerit, ſacramentum validum eſt.

Illæ porro conditiones, *baptizo te, ſi es prædeſtinatus, ſi Deus videt, te hoc anno moriturum*, ut Buſemb. habet in ca. 3. illiſque ſimiles, ſunt quidem conditiones ex natura ſua neceſſariæ, at quia nobis incertæ, & quoad nos contingentes, ſine contradictione apponuntur. Hinc autem fit, ut ſacramentum valeat, ſi conditio vera ſit, ſecus non valeat: & quoniam nobis ignotum eſt, utrum conditio ſit, necne vera, ſacramentum quoad nos eſt anceps, & dubium.

Graviter ſane, ſeu mortaliter peccat, qui, ut habet Buſ. ca. 4. adminiſtrat ſacramentum ſub conditione non ſolum futura, ſed etiam præſenti, aut præterita ſine gravi cauſa; quæ fatente La-Croixio p. 194. n. 82. eſt communis ſententia. At La-Croix hic addit: „ Sed Dicaſt. nu. 260 putat, ſi apponatur conditio, quæ certo „ exiſtat, v. g. *abſolvo te, ſi Chriſtus mortuus eſt pro no- „ bis*, fore tantum veniale, quod eſt probabile. “

Cur id probabile eſt? Conditio a La-Croixio e. g. allata, impia eſt, & hæretica; imo hæreſi pejor, utpoteque chriſtianæ religionis prima fundamenta in dubium revocet, & hebraicæ impietati proxima ſit. La-Croix quidem de chriſtiana veritate non dubitat, cum contrarium proteſtetur; at ipſa conditionalis particula, *ſi Chriſtus* &c. rem contingentem, ac dubiam ex ſua natura facit. Itaque illa conditio, *ſi Chriſtus* &c. in ore La-Croixii nugatoria eſt, & contradictoria, reipſa tamen impia. An propoſitiones nugatoriæ de Chriſto, ſacramentorum formis adjectæ, & reipſa impiæ non ſunt maxime impiæ, & ſacrilegæ, & maxime mortales culpæ?

Quod attinet ad Buſembaum parentheſim, (*excepto matrimonio*) de ea ſuo loco ſermo erit.

ANIMADVERSIO II.

Non tamen neceſſario præmittit confeſſionem &c.

Hoc idem habet P. Viva, cujus doctrinam laxam, & falſam judicat, & refellit P. Concina Theol. t. 8. p. 94. q. 13. eamdemque refutat Genettus Theol. t. 3. p. 35. q. 4. ac merito. Nam ſi Sacerdos celebrare velit, neceſſario eſt præmittenda ſacramentalis confeſſio peccati mortalis, ut fatetur Buſemb. & explicate declarat Syn. Trident. ſeſſ. 13. cap. 7. & can. 11. Idque verum eſt, *quantumcumque*, ut ait ſacra Syn., *ſe contritum exiſtimet*. Cur confeſſio Sacerdoti Miſſam celebraturo neceſſario præmittenda eſt? Quia ſcilicet incertum ſemper eſt, utrum contritio tam perfecta ſit, ut peccatorem ſine ſacramento pœnitentiæ Deo reconciliet. Ergo ſi Sacerdos peccati mortalis conſcius, ſine confeſſione ſacramenta adminiſtret, in peccati mortalis dubio ſtatu ea adminiſtrat: at adminiſtrare ſacramenta in dubio peccati mortalis ſtatu, eſt peccatum mortale; quia qui ita ſe gerit, ſe objicit periculo probabili indigne, & ſacrilege, adminiſtrandi ſacramenta, hoc eſt mortaliter peccandi. Ergo &c.

Præterea contritio peccatum non delet ſine pœnitentiæ ſacramenti voto ex Syn. Trident. ſeſſ. 14. cap. 4.: at qui Confeſſarium in promptu habet, aut illum habere commode poteſt, nec tamen confiteri vult, hic certe non habet votum, ſeu propoſitum confitendi peccata.

„ An, inquit P. Concina qu. citata nu. 28. reponent „ Probabiliſtæ, ejuſmodi miniſtrum habere votum confi- „ tendi in paſchate? Per totum ergo annum abſolvet, „ unget, diſpenſabit corpus Chriſti. Hæc ne paradoxa „ deglutient? “ Ergo.

Adde, quod qui vere, & perfecte contritus eſt, abſolutionem vehementer deſideret, nec eam differat; ergo qui abſolutionem, quam poteſt habere, recuſat, & protrahit, perfecte contritus non eſt. Itaque Sacerdos, qui neglecta ſacramentali confeſſione ſacramenta adminiſtrat, quia ſibi perfecte contritus videtur, ipſe ſe ſponte decipit, in peccati mortalis ſtatu ea adminiſtrat; ideoque mortaliter peccat. Hinc Catech. Conc. Trident. p. 2. cap. 5. numer. 45. ait: *Verum ſi quid ſalutis noſtræ ratio poſtulat, conſideremus, profecto quoties vel mortis periculum imminet, vel aliquam rem tractare aggredimur, cujus tractatio homini peccatis contaminato non conveniat, veluti cum ſacramenta adminiſtramus, aut percipimus, toties confeſſio prætermittenda non eſt.* Eſt ne neceſſario faciendum, quod ſalutis noſtræ ratio poſtulat, At ex Cath. doctrina, quæ non eſt Buſembaum, La-Croixii, aut ſimilium doctrina, ſalutis noſtræ ratio poſtulat, ut, cum ſacramenta adminiſtramus, confeſſio non ſit prætermittenda: ergo &c. concluſio eſt legitima, & evidens.

Demum quæro, utrum a peccato magis immunis eſſe debeat, qui ſacramenta ſuſcipit, an qui miniſtrat? Nonne qui miniſtrat, utpote Chriſto conjunctior, cui committitur ſacratiſſimarum rerum tractatio, & diſpenſatio? Miniſter eſt Chriſti animatum inſtrumentum, ac veluti manus, qua Deus ſua majora in homines beneficia diffundit: ergo major puritas animi, majorque præparatio neceſſaria eſt in miniſtrante, quam in ſuſcipiente ſacramenta: ſed ex Synodo Tridentina cit. certum eſt, in eo, qui Euchariſtiam ſuſcepturus eſt, præparationis loco neceſſariam eſſe ſacramentalem confeſſionem, ſi mortalis culpæ ſibi conſcius ſit: ergo id neceſſarium quoque eſt in miniſtrante: idem porro dicendum, ſi alia ſacramenta adminiſtret. Ex his intelligitur, futilem eſſe, & nullam illam Buſem. rationem, „ quia de hoc nullum „ eſt præceptum, & ad delendum mortale ſufficit con- „ tritio. “ Nam præceptum confeſſionis includitur in eo naturali, & divino præcepto, ut ſancta ſancte tractentur, & ut periculum indigne ea tractandi vitetur; quod ii non præſtant, qui contritione, ut putant, præmiſſa, ſacramenta miniſtrant ſine confeſſione, uti oſtenſum fuit.

ANIMADVERSIO III.

Solemniter. Nam ſi ſine ſolemnitate baptizet, excuſant a mortali &c.

Ordinarius ſacramenti miniſter peccati mortalis ſibi conſcius, ex neceſſitate baptizans non peccat, ut docet Div. Thom. p. 3. q. 64. a. 6. ad 3. ubi ait: *In articulo tamen neceſſitatis non peccaret* (qui eſt in peccato mortali) *baptizando in caſu, in quo etiam laicus poſſet baptizare. Sic enim patet, quod non exhiberet ſe miniſtrum Eccleſiæ, ſed ſubveniret neceſſitatem patienti. Secus eſt autem in aliis ſacramentis, quæ non ſunt tantæ neceſſitatis, ſicut baptiſmus*, quæ ſententia communis eſt teſte P. Concina Theol. t. 8. p. 90. n. 15..

At extra neceſſitatem baptizans, mortaliter peccat, ut habet D. Th. a. 6. cit. & Catech. Conc. Trid. p. 2. de ſacram. in gen. n. 26.

Neque vero a mortali excuſatur, quia ſine ſolemnitate baptizat; quia peccatum mortale admittitur in ipſa ſacramenti adminiſtratione; imo vero baptizans ſine ſolemnitate, peccatum peccato addit; quia ritus ex Eccleſiæ uſu, & præſcripto adhibendos negligit, & ſeparat a baptiſmo.

Hinc ipſe La-Croix p. 165. n. 93. ait: „ Ex dictis colliges, mortaliter peccare baptizantem in mortali, „ quamvis laicus ſit. “ Multo ergo magis, ſi ſit Sacerdos.

ANIMADVERSIO IV.

Alii, qui conficiunt, & miniſtrant, non peccant &c. v. g. cum laici in neceſſitate baptizant.

Laici in mortali ex neceſſitate baptizantes, nec mortaliter, nec venialiter peccant. Si enim id ex mox dictis verum eſt in Sacerdotibus, multo magis in laicis.

Vel miniſtrant ſibi invicem matrimonium in mortali.

Si ipſi ponantur Miniſtri matrimonii, quæ res certa non eſt, cur mortaliter non peccant? Ex mox dictis ad c. 3. major præparatio neceſſaria videtur in adminiſtrante, quam in ſuſcipiente ſacramenta; quia ille agentis loco eſt, & excellentiori modo ſacramenta attingit: ergo ſi qui ſuſcipiunt matrimonium in mortali, mortaliter peccant, multo magis mortaliter peccant illud adminiſtrantes. Hinc Catech. n. 26. mox cit. ait: *Meminiſſe autem debent, ſacramenta divinam quidem virtutem, quæ illis ineſt, nunquam amittere; at vero impure ea miniſtrantibus æternam perniciem, & mortem afferre.*

ANIMADVERSIO V.

Qui miniſtrat, etſi non conficiat Euchariſtiam in mortali, peccat mortaliter, ut habet communis, &c.

Hanc ſententiam tradit D. Thom. p. 3. qu. 64. art. 6. ubi ait: *Non eſt dubium, quin mali exhibentes ſe Miniſtros Dei, & Eccleſiæ in diſpenſatione* (nota hoc verbum) *ſacramentorum, peccent; & quia hoc peccatum pertinet ad irreverentiam Dei, & contaminationem ſacramentorum, quantum eſt ex parte ipſius peccatoris, (licet ſacramenta ſecundum ſeipſa incontaminabilia ſint;) conſequens eſt, quod tale peccatum ex genere ſuo ſit mortale.* Idem docet Catech. verbis mox recitatis ad c. 5. Idem

Digitized by Google

Rit. Rom. (de iis, quæ in ſacram. adminiſt. generaliter ſervanda ſunt) inquiens: *Nam, etſi ſacramenta ab impuris coinquinari non poſſunt, neque a pravis Miniſtris eorum effectus impediri; impure tamen, & indigne ea miniſtrantes, æternæ mortis reatum incurrunt.*

Itaque Buſemb hic, & La-Croix p. 196. n. 94. contrariam opinationem probabilem perperam appellant. Nec enim, ſi quidam recentes opinatores a S. Thoma, Catech. Concilii Tridentini, & Rituali Romano recedere audent, ſuis poſſunt opinationibus probabilitatem conciliare. Quo enim fundamento? An ſua ipſorum auctoritate, quæ ex ſe tenuis, cum a tam verendis auctoritatibus diſcedit, contemnenda eſt, & pro nihilo habenda? An rationibus, quæ reipſa futiles ſunt?

„ Ratio noſtra eſt, inquit La-Croix, quia diſtribuens „ non conficit ſacramentum. " (Reſp. Hæc non eſt ratio, ſed principii petitio; quæritur enim, utrum diſtribuens, & non conficiens ſacramentum, mortaliter peccet) „ nec aliquid agit nomine, aut in perſona Chriſti. " (Reſp. Hoc eſt aperte falſum, quia Chriſti nomine, ejus loco, ut ejus miniſter ab Eccleſia inſtitutus, ipſum Chriſtum ſub ſacratiſſimis ſymbolis populo miniſtrat) „ nec immediate cooperatur Deo in cauſanda gra„ tia? " (An parum eſt, quod cooperetur Deo in cauſanda gratia ſanctiſſimi ſacramenti ope?) „ Sed tantum „ quodammodo applicat activa paſſivis, & operatur a„ liquid, remote ſe habens ad productionem gratiæ: er„ go non apparet, unde refundatur gravis irreveren„ tia. "

Reſp. Hæc ratio, ut adnotavi, partim ſophiſtica, & falſa eſt, partim vero contra ipſum La-Croixium pugnat. Qui enim ſacratiſſimum Chriſti corpus ſub euchariſticis ſymbolis contentum, quod eſt fons, & principium omnis gratiæ, populo recipienti, ſcelere inquinatus miniſtrat, ejuſque ope populum ſanctificat, graviſſime contra reverentiam tam auguſto ſacramento debitam peccat: at hoc innuunt illa ſcholaſtica La-Croixii verba, „ ſed tan„ tum applicat activa paſſivis, & operatur aliquid, re„ mote ſe habens ad productionem gratiæ. " Ergo La-Croixii ratio contra ipſum pugnat. „ Confirm. inquit „ La-Croix: nam Chriſtus non requiſivit, ut diſtribuens „ ſit perſona ſacra. " Reſp. An Chriſtus non requiſivit, ut diſtribuens a mortali ſcelere eſſet immunis? Quod ſi laici ſibi, & aliis primis Eccleſiæ ſæculis Euchariſtiam miniſtrantes, ab omni letali culpa alieni eſſe debuerant, ne ſacrilege eam miniſtrarent, multo magis Sacerdotes, ſancti in tam auguſto miniſterio neceſſario eſſe debent.

„ Et quamvis requiratur, ut ordinarius Miniſter ſit „ perſona ſacra, hoc non eſt ratione diſtributionis. " (Reſp. Hoc eſt aperte falſum. Nam eo ipſo, quod Eccleſia Euchariſtiæ diſtributionem laicis, & aliis vetuit, voluit, ut ordinarius miniſter diſtributionis Euchariſtiæ eſſet ſacerdos ratione ipſius diſtributionis.) " Sed quia „ ordinarius miniſter diſtributionis eſt ille idem, qui „ conficit, nempe ſacerdos. " Reſp. hæc quidem eſt una ratio, cur ſolus ſacerdos ſit ordinarius diſtribuendæ Euchariſtiæ, non tamen hæc ſola; ſed, ut ait D. Thom. 3. p. q. 82. a. 3. *Secundo, quia Sacerdos conſtituitur medius inter Deum, & populum: unde ſicut ad eum pertinet dona populi Deo offerre; ita ad eum pertinet dona ſanctificata divinitus, populo tradere. Tertio, quia in reverentiam hujus ſacramenti, a nulla re contingitur, niſi conſecrata. Unde & corporale, & calix conſecrantur, & ſimiliter manus ſacerdotis, ad tangendum hoc ſacramentum. Unde nulli alii tangere licet; niſi in neceſſitate, puta ſi caderet in terram, vel in alio neceſſitatis caſu.*

„ Deinde (ſubdit La-Croix) ſicuti qui in mortali „ Euchariſtiam loco movet, vel geſtat, vel cum ea „ benedicit populo, ſecundum pleroſque adverſarios non „ ideo peccat mortaliter, ita nec ſi admoveat ori com„ municantis. "

Reſp. Ant. negandum eſt, ut mox dicetur ad c. 7. Sed præterea diſcrimen in eo eſt, quod qui movet, aut geſtat Euchariſtiam, ſacramentum Euchariſtiæ non adminiſtrat; at qui ori communicantis illam admovet, ſacramentum Euchariſtiæ miniſtrat.

Verum contra Buſemb. La-Croixium, & alios probabiles audiendus hic iterum eſt Catech. Concilii Trident. loco citato, ubi ita loquitur. *Quod ſi homini peccatis contaminato minus licet de rebus divinis agere; quantum ab eo ſcelus concipi exiſtimandum erit, qui ſibi multorum ſcelerum conſcius eſt, nec tamen ſacra myſteria polluto ore conficere, vel* (nota hanc partem disjunctivam) *in ſordidas manus ſumere, contrectare, atque aliis porrigere, & miniſtrare veretur?* D. vero Dion. in ep. ad Demophilum (apud D. Thomam p. 3. q. 64. art. 6.) inquit: *Talis* (peccator) *audax videtur, ſacerdotalibus manum apponens, & non timet, neque verecundatur, divina præter divinitatem exequens, & Deum putans ignorare, quæ ipſe in ſemetipſo cognovit; & decipere exiſtimat falſo nomine patrem ab ipſo appellatum, & audet immundas infamias, non dicam orationes, ſuper divina ſigna Chriſti ſormiter enuntiare.* Itaque P. Concina Theol. t. 8. p. 90. nu. 17. opinionem La-Croixii, & aliorum, de qua loquimur, falſam, & laxitatis plenam merito appellat, & rejicit.

Et quidem aliqui putant, tot mortalia committi, quot communicantur: quod minus videtur probabile, cum &c.

Illud certum hic eſt, quod monet etiam Concina loc. cit. eo gravius ſcelus eſſe, quo pluribus ſacra communio diſtribuitur. Sed, ſi rem examinare velimus, quæro, cur moraliter non ſit, niſi una diſtributio, cum plures communicantur, ut Buſemb. affirmat? Quid eſt illud *moraliter*? Quoad malitiam. Buſembaum ergo ratio non eſt ratio, ſed petitio principii. Malitia actionis ab actione mala nec ſeparatur, nec ſeparari poteſt: cum plures communicantur, malæ diſtributiones ſunt numero plures; quia unaquæque mala eſt, & unaquæque ab alia diſtinguitur: ergo malitiæ quoque ſunt plures numero, ſeu, quod idem eſt, plures quoad malitiam, & moraliter. Qui pluribus S. Euchariſtiam indigne miniſtrat, perinde ſe habet quoad numerum peccatorum, ac qui ſtricto pugione multos invadens, multos occidit. Nonne hic tot homicidiorum reus eſt, quot homines peremit? Idem dicito de eo, qui pluribus indigne S. Euchariſtiam diſtribuit. Ceterum, eſto unum ſit peccatum: illud negari non poteſt, hoc peccatum multis æquivalere, quod perinde eſt, ac ſi eſſet multiplex.

ANIMADVERSIO VI.

Etſi probabile ſit, quod docent &c. contrarium tamen videtur verius, ut docent &c.

Hoc contrarium ſequitur quoque La-Croix p. 196. n. 96. 97. 98.

P. Concina Theol. t. 8. p. 92. num. 21. ita loquitur. „ Hanc opinionem (La-Croixii quoad Diaconum) falſam cum gravioribus Theologis reputo. Patet ex Act. „ cap. VI. ubi Diaconatus ordine initiandos non alios „ voluerunt, quam viros Spiritu ſancto plenos. S. Au„ guſt. epiſt. 21. alias 148. docet: *Nihil eſſe in hac vi„ ta difficilius, laborioſius, periculoſius Epiſcopi, aut Pres„ byteri, aut Diaconi officio; ſed apud Deum nihil beatius* „ (ſi rite peragatur.) *Si vero perfunctorie, atque adu„ latorie, nihil miſerius, & triſtius, & damnabilius.* „ Perſpicue hanc veritatem docet S. Thom. in 4. d. 24. „ q. 1. art. 3. qu. 5. ubi hæc ſcribit: *Lex præcipit, ut „ homo juſte ea quæ juſta ſunt, exequatur. Et ideo qui„ cumque homo, quod ſibi competit ex ordine, facit indi„ gne, quod juſtum eſt, injuſte exequitur, & contra præ„ ceptum legis facit; ac per hoc peccat mortaliter. Qui„ cumque autem cum peccato mortali aliquod ſacrum of„ ficium pertractat, non eſt dubium, quin illud indigne „ faciat. Unde patet, quod peccat mortaliter.* "

Hactenus P. Concina, qui quoad Subdiaconum ſuo munere ſolemniter fungentem, probabilius putat, eum mortaliter peccare p. 94. n. 22.

Genettus Theol. t. 5. p. 91 qu. 15. ait: „ S. Thomas, S. Raymundus, & S. Antoninus aſſerunt expreſſe, „ eum mortaliter peccare, qui in ſtatu peccati mortalis „ ſuum exercet ordinem: " & verba tum S. Antonini, tum D. Thomæ affert, quæ id explicate docent; uti ſunt mox exſcripta quoad D. Th.

His addit illud Gregorii IX. cap. *Quæſitum*, (lib. 1. dec. tit. 11. c. ult.) ubi ait: *Quæſitum eſt de Sacerdotibus, vel aliis Clericis, qui per reatum adulterii, perjurii, homicidii, vel falſi teſtimonii bonum conſcientiæ receptæ perdiderunt. Reſpondemus, quod ſi propoſita crimina ordine judiciario, vel alias notoria non fuerint, non debent hi (præter reos homicidii) poſt pœnitentiam in jam ſuſceptis, vel ſuſcipiendis ordinibus impediri: qui ſi non pœnituerint, monendi ſunt, & ſub interminatione divini judicii obteſtandi, ut in teſtimonium ſuæ damnationis, in ſuſceptis etiam ordinibus non miniſtrent.*

„ Hæ auctoritates, inquit La-Croix n. 104. (Greg. „ IX. & S. Thomæ) reddunt ſententiam oppoſitam „ valde probabilem; " hoc eſt ſententiam, quam Buſ. probabilem eſſe hic fatetur.

Hæc La-Croixii confeſſio homini æquo ſatis omnino eſſe debet, ut hanc oppoſitam ſententiam ſequatur, & teneat. Quid enim in moralibus doctrinis amplius quæras, quam ut valde probabiles ſint? Si enim poſtules, ut ſint omnino certæ, & evidentes, rem impoſſibilem poſtulas; quia morum doctrina certa, & evidens eſſe non poteſt.

Sed La-Croix pro ſua verſatili indole ſuam opinionem deſerere nolens, rem implicare conatur, & ſubdit: „ Quia tamen videntur nimium probare, dici poteſt, „ Gregorium loqui de univerſo genere actionum clericalium, & ſenſum eſſe, peccari poſſe mortaliter, ſi „ obeantur indigne, non ſi ſingulæ; alioquin oſtiarius „ in mortali aperiens januam templi peccaret mortaliter; „ ſed ſi aliquæ, nempe ſi conficiantur Sacramenta. "

At

At hæc interpretatio nec vera, nec probabilis eſt, ſed aperte falſa. Nam conficere Sacramenta ad ſolos Sacerdotes ex officio pertinet. Nec enim (ſi quis baptiſmum objiciat) collatio baptiſmi eſt functio propria Clericorum, ſed communis omnibus, ſi neceſſitas poſtulet. At Greg. IX. non de ſolis Sacerdotibus fuit interrogatus, ſed etiam de aliis Clericis, & reſpondet, eos eſſe monendos &c. *ut in ſuſceptis etiam ordinibus non miniſtrent*, hoc eſt, ut non ſolum ad ſuperiores ordines non aſcendant, ſed ne ſuſceptorum quidem functiones, puta Diaconi, Subdiaconi, &c. exerceant.

„ Alii putant, Gregorium loqui de miniſtris altaris, „ qui olim communicabant in Miſſa ſolemni, ut probant „ Suar. d. 69. ſect. 3. & Lugo n. 46. & forte ideo ſignificavit, Clericos peccare mortaliter, ſi nempe officia „ ſua complere obeant, ideſt ſi ſimul communicent in „ mortali.“

At hæc quoque interpretatio eſt arbitraria, & falſa. Quia neque neceſſe erat quærere, utrum Clerici S. Eucharistiam ſuſcipientes mortaliter peccarent, quod ex Apoſt. perſpicuum eſt; neque communio Clericorum propria eſt; at hic aperte ſermo eſt de miniſterio Sacerdotum, & Clericorum proprio.

„ Alii cum Dicaſt. n. 242. & 249. dicunt, Gregorium „ tantum velle, quod talis peccet, ſed non determinate, quomodo peccet.“

Hoc vero commentum aperte pugnat cum Gregorii verbis, qui ait: *Et ſub interminatione divini judicii obteſtandi* &c. An verba hæc peccatum indefinite ſignificant? an graviſſimum, & mortale peccatum definite non ſignificant?

„ Bernal. n. 100. dicit, Gregorium in hoc eſſe locutum, velut privatum Doctorem, & non ut Pontificem, eo quod de illo puncto non eſſet interrogatus.“ An Pontifices Summi ut tales non loquuntur, niſi de iis, de quibus interrogantur? Præterea Greg. non ſolum de Sacerdotibus, ſed etiam de aliis Clericis fuerat interrogatus, ut patet ex ejus deſcriptis verbis.

La-Croix quid aliud his variis commentis præſtat, niſi ut ſuos lectores omni vento doctrinæ contra præſcriptum Ap. 4. Eph. v. 14. circumferat, ne ſuam, ſuorumque probabilium doctrinam deſerant, & ne Summi Doctoris doctrinæ adhæreant?

At quid de D. Thoma? „ Quod S. Thom. attinet, „ inquit, ſi hic ſimilem explicationem non patiatur, „ conſequenter dicendum eſſet, etiam peccare mortaliter Sacerdotem, ſi in mortali tangeret ciborium; item „ Subdiaconum, ſi ſolemniter miniſtrans explicet corporale in altari; item Acolytum, ſi deferat ampullas, „ vel lumen ad altare &c. hæc enim competunt ipſis „ ex ſuo ordine, & velut miniſteria. Hæc autem negantur etiam ab adverſariis, ut videri poteſt apud Dicaſt. num. 217. ubi ejuſmodi rigidam aliquorum ſententiam vocat ſatis falſam, & ſcrupuloſam. Itaque „ dici poteſt cum Illſ. num. 44., S. Thomam velle, quod „ actus illi ſint mortales, quando ſimul includunt actum principalem, qui eſt confectio, vel ſuſceptio „ Sacramenti.“

Dum La-Croix ita loquitur, aut S. Thomam ſe non legiſſe oſtendit, aut imperitis fucum facit, præſeferens aliquod in S. Doctorem obſequium, a quo apertiſſime diſcedit. D. Thom. præter verba recitata, quibus ſuam mentem ſatis aperit, Suppl. 3. p. qu. 36. art. 5. ait: *Sanctitas vitæ requiritur in ſuſcipiente ordinem, ut ſit idoneus ad exequendum: ſed peccat mortaliter, qui cum peccato mortali ad ordines accedit: ergo multo fortius peccat mortaliter in qualibet exequutione ſui ordinis*: & ad 4. ait: *Quod quandocumque homo exhibet ſe in aliquo actu ut miniſtrum Eccleſiæ in mortali peccato exiſtens, mortaliter peccat, & toties, quoties hujuſmodi actum facit: quia, ut Dion. dicit 1. cap. Eccl. Hierar.* immundis nec ſymbola, *ideſt ſacramentalia ſigna*, tangere fas eſt. *Unde quando tangunt res ſacras quaſi ſuo officio utentes, peccant mortaliter. Secus autem eſſet, ſi in aliqua neceſſitate aliquod ſacrum contingerent, vel exequerentur in illo caſu, in quo etiam laicis liceret; ſicut ſi baptizarent in aliquo articulo neceſſitatis; vel ſi corpus Chriſti in terram projectum colligerent*. Hinc D. Antoninus a Generto citatus ait: *Et, ut dicit Thomas, in quolibet actu cujuſcumque ordinis, quandocumque ſe exhibet ut miniſter Eccleſiæ, peccat mortaliter, & toties, quoties hoc agit*. Hæc eſt ſententia D. Thomæ, & D. Antonini, conformis doctrinæ Gregorii IX. cit. a qua, etiamſi quoad functiones minorum ordinum durior meo quoque miſero ſenſui videatur, diſcedere tamen non audeo; imo temerarius ipſe mihi viderer, ſi diſcedere auderem. Nam auctoritates recentium probabilium, qui Summos Pontifices, & Sanctos Doctores aut non conſulunt, aut deſerunt, ut ſuis ſenſibus obſequantur, me minime movent.

Sed inter alia, duo maxime abſurda paradoxa obtrudit La-Croix excuſans a mortali culpa Sacerdotem, qui in peccato mortali legit *Miſſam etiam per canonem, dummodo ante conſecrationem conteratur* n. 97. & qui audit confeſſiones, etiamſi in mortali *formam Sacramenti incohet, dummodo ante expreſſionem ultimæ partis eſſentialis ſit in ſtatu gratiæ* n. 103. Hæ doctrinæ non tam refutandæ, quam lacrymis deplorandæ ſunt; quæ tamen ex antedictis affatim refutatæ ſunt.

Sed quid dicendum de ſacra concione in mortali peccato habita?

Id eſſe peccatum mortale, affirmant Cajet., Merbeſius, Farvacqueſius, Juvenin, Turnely, Bonchat, Andreas de Sauſſans, Navarrus, Jacobus Bosdartius, Henricus a S. Ignatio, ut refert P. Concina Theol. t. 8. p. 93. q. 23. quam ſententiam docere videtur S. Thom. in 4. d. 19. q. 11. art. 2. ad 2. ut ait idem Conc., qui S. Doctoris verba refert. Sed ipſum, ſi vis, conſule.

Animadversio VII.

Non videtur vera eſſe ſententia, quæ docet, eſſe mortale tangere in mortali corporalia, calices &c.

Hæc ſacra inſtrumenta tangere ſunt officia, & functiones Diaconi, & Subdiaconi; quæ functiones ex dictis ſine peccato mortali exerceri non poſſunt ab iis, qui in mortali peccato verſantur.

Animadversio VIII.

Quod ſi vero dubium oriatur &c. an forma fuerit legitima, vel &c. tunc, etſi ſpeculative probabile ſit, formam eſſe legitimam, in praxi tamen iteranda erit ſub conditione.

Illud, *etſi ſpeculative probabile ſit, formam eſſe legitimam*, ſophiſticum eſt, ex reflexa veriatili probabilitate miſere proditum. Sicut temere dubitat, qui rationabiliter judicat, ita contra temere judicat, qui rationabiliter dubitat. Unde enim rationabile dubium oritur, inde nonniſi temerarium judicium, quod rationabilem dubitationem tollit, exſiſtere poteſt; ergo qui rationabiliter dubitat, utrum forma fuerit legitima, vel legitime, & integre prolata, nonniſi ex ſophiſtica ſpeculatione, & temere judicat, eam eſſe legitimam. Sed Buſemb. huic ſophiſticæ ſpeculationi medetur, dum addit, *in praxi tamen iteranda erit ſub conditione, quia* &c. quæ ratio certiſſima eſt ex prop. 1. ab Innoc. XI. proſcripta.

Animadversio IX.

Peccat quoque graviter, vel leviter &c. 1. qui verba formæ corrupte, inarticulate, indevote pronuntiat.

Qui irreverentiam Deo irrogat, & ſacramenta, quantum in ipſo eſt, contaminat, ex D. Th. cit. ad c. 6. h. dub. mortaliter peccat: ſed qui verba formæ corrupte, inarticulate, indevote pronuntiat, irreverentiam Deo irrogat, & Sacramenta, quantum in ipſo eſt, contaminat; ergo mortaliter peccat.

In hanc rem ita loquitur Nat. Alex. Th. t. 1. p. 152. reg. 9. „ Peccaret etiam letaliter, qui ex induſtria corrupte proferret, aut mutaret verba formæ ſacramentalis (quamvis ſenſus idem maneret; adeoque accidentaria tantum mutatio fieret) ratione gravis negligentiæ, contemptus, vel ſcandali; quod maxime „ locum haberet, ſi corruptio illa, vel mutatio eſſet „ notabilis, ut ſi quis ſciens volens baptizaret *in nomine patria, & filia, & ſpiritua ſancta*, vel in conſecratione calicis omitteret hæc verba, *novi, & æterni teſtamenti, myſterium fidei*. Si autem mutatio „ levis ſit, neque cum plena conſideratione facta, miniſter venialiter tantum peccabit.“

Caput III.

De ſuſcipiente Sacramentum.

Dubium I.

Quæ diſpoſitio requiratur ad valorem Sacramenti in ſuſcipiente?

Reſp. Ad valorem Sacramenti in adultis ratione utentibus, intentio percipiendi ſacramentum interpretativa ſaltem requiritur, (*a*) & ſufficit (excipe Pœnitentiam, de qua infra.) Ita commun. Theologi omnes cum D. Thom. contra Cajet. qui putat, in ſuſcipiente nullam intentionem requiri, modo contrariam non habeat. Ratio reſponſionis eſt, quia, ſicut adultus non juſtificatur ſine proprio conſenſu,

ita

ita nec per Sacramentum initiatur, & conſecratur Deo, ſine eodem conſenſu, ſi ejus ſit capax. Bon. *d.* 1. *q.* 6. *p.* 2.

Dixi, *adultis*, &c. qoia cum tantum requirantur conditiones, juxta ſubjecti capacitatem; parvuli autem, & perpetuo amentes non ſint capaces propriæ intentionis, ſufficit illis intentio Chriſti, & Eccleſiæ. Fill. *t.* 1. *c.* 8.

Unde reſolves.

1. Pervuli, uti & perpetuo amentes, valide beptizentur, confirmantur, communicantur, ordinentur: quod ultimum neſas eſſet, priora autem olim permittebantur. Bon. *l. c.*

2. Ægris ratione jam privetis recte datur Unctio, non tantum ſi ante petierint, ſed etiam ſi fuerint Catholici, neque conſtet eſſe in mortali: nam hoc ipſo cenſentur interpretative voluiſſe, & petiiſſe, quod eſt Chriſtiani, etiamſi de ea nunquam audierint. C. de Lugo de Sacramentis in genere, *d.* 9. *n.* 122. &c. commun.

3. Invalidum eſt Sacramentum, 1. quod quis ſuſcipit cum intentione neutrali, habens ſe negative. 2. quod ſuſcipit ficte, ideſt ſimulete; non tamen quod ficte, ideſt indiſpoſite. 3. quod per meram vim animo omnino repugante ſuſcipitur. Bon. *l. c.*

4. Validum eſt Sacramentum, 1. Quod qui accipit, vult quod Chriſtiani accipiunt; etſi non credat, aut non velit Sacramentum. 2. Quod quis per metum coactus ſuſcipit, cum metus non tollat voluntarium. Matrimonium tamen gravi metu, v. gr. injuſtæ mortis initum, cenſetur irritum, ut docet Sanch. *l.* 4. *de matr. d.* 12. & 14. Card. de Lugo *d.* 9. *n.* 133. Et qui ordines gravi metu coactus ſuſcepit, etſi characterem habeat, non temen tenetur ad continentiam, poteſtque, ſecluſo ſcandalo, nubere, ut ſuo loco dicam. *

DUBIUM II.

Quid requiratur, ut licite, & cum fructu ſuſcipiatur?

Reſp. Ad effectum Baptiſmi, & Pœnitentiæ requiritur, & ſufficit præter voluntatem ſumendi Sacramentum, diſpoſitio fidei, ſpei, & attritionis, non autem requiritur caritas; ſive ut gratiam habeat; quia hæc Secramenta dicuntur mortuorum, quod ipſa primam gratiem, ſeu vitam donent. Ad reliqua vera Sacrementa, quæ dicuntur vivorum, requiritur, ut ſit in gratia; quia illa non primam, ſed ſecundam tantum gratiam, ideſt augmentum tantum gratiæ conferunt. Etſi ſubinde per accidens dent primam, cum quis potet bona fide ſe carere mortali. Laym. *d.* 6. Bon. *d.* 1. *q.* 6. *p.* 2.

Unde reſolves.

1. Etſi æqualiter diſpoſiti æqualem, magis tamen diſpoſiti majorem Sacramenti fructum præter characterem conſequuntur: tum quia congruum eſt Sacramenta ita inſtituta eſſe, ut uberior gratia datur pro diſpoſitione ſubjecti: tum quia non videtur is, qoi vehementem attritionem ad Baptiſmum, vel Pœnitentiam affert, omni fructu carere.

2. Qui ſumit hoſtiam, quem neſcit eſſe conſecratam, cum inſtar alterius animalis, ſine intentione ſumendi Sacrementum, ſumat, accipit quidem materialiter rem, quæ eſt Secramentum, non tamen ſecramsntaliter, & cum fructu. Idem docet Bonac. de eo, qui ſumit Sacramentum ex cauſa ſamis: quod videtur intelligendum, ſi ex ea ſola: neque enim videtur Sacerdos fructu Sacramenti privari, etſi ſumpturus calicem, ſimul etiam levare ſitim intenderet. Vida Bonac. *l. c. n.* 30.

CAPUT IV.

Quid ſint Sacramentalia, & quid efficiant?

RESP. 1. Cæremoniæ eccleſiaſticæ, quæ vulgo dicuntur Sacramentalia, ſunt actus externi religionis, ad colendum Deum accommodati. Tales autem communiter vocantur, oratio dominica, aqua benedicte, eſus eulogiarum olim in uſu, confeſſio generalis, eleemoſyna, benedictio ab Epiſcopo, vel Abbate conſecrato data, quæ ex antiqua traditione dicuntur remittere venialia, & continentur hoc verſu:

Orans, tinctus, edens, confeſſus, dans, benedictus.

Ad quæ etiam revocantur tunſio pectoris, unctio in Regem, & ſimiles: item multæ aliæ cæremoniæ, & res etiam ipſæ ſacræ, quæ in Eccleſia partim ab Apoſtolis traditæ, partim poſtea inſtitutæ ſunt, ut exorciſmi, inſufflationes, prima tonſura, benedictiones, & conſecrationes variarum rerum, & perſonarum, ut Eccleſiæ, calicum, &c. *ipſa etiam herbæ*, (*b*) lumina, vinum S. Joannis, cerei agni, ſignum S. Crucis. Quæritur ergo, quam vim habeant; non ex opere operantis, cum certum ſit, ſicuti per alia pia opera, ſic etiam iis nos mereri; ſed ex opere operato.

Reſp. 2. Non habent vim ex opere operato conferendi gratiam, aut remittendi peccata vi ſua, & per ſe, ſed tantum qoatenus in nobis pium motum excitant. Ratio prioris eſt, tum quia nuſquem promiſſio gratiæ, aut remiſſionis peccatorum iis facta reperitur; *tum quia peccatum etiam veniale non remittitur ſine infuſione gratiæ, quam conferendi ea nullam* ANIMAD. unic.
per ſe habent vim. Ratio poſterioris eſt, quia id accommodatum eſt Sacramentalium inſtitutioni, & conſecrationi, quæ fit per preces Eccleſiæ, qoibus ipſa nobis tales motus precatur. Con. *q.* 71. *a.* 3.

Unde reſolves.

1. Gratiæ prævenientes, & pii motus conferuntur per Secramentalia, per modum impetrationis, quæ non omnino infallibilem effectum habent.

2. Peccat graviter, qui Sacramentalibus falſam materiam ſupponit, ut pro aqua luſtrali facienda urinam.

3. Sacramentalia quandoqua operantur beneficia corporalia, v. g. ſanitatem, per modum impetrationis; *ratione precum Eccleſiæ*. (*c*) Imo quædam etiam vim habere (v. gr. fugandi dæmonem) *per modum operis operati*, ex ſingulari privilegio, docent Henr. *l.* 1. *c.* 2. Sotus, & alii. Quia, inquiunt, etiam Ethnici, in quibus nec interceſſerunt preces Eccleſiæ, nec meritum operantium, quandoque ſigno Crucis, quod quidam etiam putant de nomine JESU, a dæmone liberati fuiſſe dicuntur: quod tamen alii eorum virtuti objectivæ, quaſi naturali, adſcribunt: de quo plura apud Schol. Vid. Mærat. *d.* 10. *ſ.* 1.

NOTÆ.

(a) Reſp. *Ad valorem ſacramenti in adultis* &c. *intentio* &c. *requiritur* &c. *contra Cajetanum*; cujus opinionem refutat Concina Th. *t.* 8. p. 103. Sed de ſingulis, quæ hic habet Buſ., ſuo loco, prout res tulerit.

(b) *Ipſæ etiam herbæ, lumina, vinum S. Joannis*. An Buſemb. herbas die S. Joannis collectas, lumina accenſa, vinum e dolio depromptum inter ſacramentalia recenſet? Hæc ſcilicet ex animad. 6. in cap. 1. tract. 1. lib. 3. ſuperſtitioſa ſunt.

(c) *Sacramentalia quandoque operantur* &c. *ratione precum Eccleſiæ*. Recte, & pie. *Imo quædam etiam vim habere v. g.* &c. *per modum* &c.

Cur quædam ſacramentalia ex opere operato vim habent fugandi v. g. dæmonem, morbos pellendi &c., non item alia? Ex ſingulari privilegio, ut aliqui docent. Unde nam hoc ſingulare privilegium ſumptum eſt? Quibus monumentis oſtenditur?

Si quædam ſacramentalia ex opere operato, hoc eſt ex vi ipſius operis propter ſingulare privilegium dæmones fugant, morbos pellunt &c.; cur id ſemper non præſtant? Nam idem opus ſemper ponitur.

At, *inquiunt, etiam Ethnici, in quibus nec interceſſerunt preces Eccleſiæ, nec meritum operantium, quandoque ſigno Crucis, quod quidam etiam putant de nomine Jeſu, a Dæmone liberati fuiſſe dicuntur*. Reſp. At hæc inter miracula, ſeu facta extra ordinem recenſenda ſunt, ut veneratio ſigno ſanctæ Crucis, & ſanctiſſimo Jeſu

Digitized by Google

Jeſu nomini conciliaretur, & Ethnici ad fidem converterentur; ex quibus proinde regula ſumenda non eſt; nec ad *virtutem objectivam, quaſi naturalem*, quæ ſunt arabica commenta, confugiendum.

Animadversio Unica.

Tum quia peccatum etiam veniale non remittitur ſine infuſione gratiæ &c.

Hæc ratio falſa eſt; quæ ſi vera eſſet, juſti in gratia perſeverantes, quibus gratia jam fuit infuſa, nec de novo infunditur, venialium peccatorum remiſſionem conſequi non poſſent; quod eſt falſum, & abſurdum. Hinc D. Th. p. 3. q. 87. a. 2. ait: *quod unumquodque tollitur per ſuum oppoſitum. Peccatum autem veniale non contrariatur habituali gratiæ, vel caritati, ſed retardat actum ejus, inquantum nimis inhæret homo bono creato, licet non contra Deum, ut in 2. p. habitum eſt. Et ideo ad hoc, quod peccatum veniale tollatur, non requiritur, quod infundatur aliqua habitualis gratia; ſed ſufficit aliquis motus gratiæ, vel caritatis ad ejus remiſſionem. Quia tamen in habentibus uſum liberi arbitrii, in quibus ſolis poſſunt eſſe venialia peccata, non contingit eſſe infuſionem gratiæ ſine actuali motu liberi arbitrii in Deum, & in peccatum, ideo quandocumque de novo infunditur gratia, peccata venialia remittuntur.*

TRACTATUS II.

De Baptiſmo, & Confirmatione.

CAPUT I.

De Baptiſmo.

Non agitur hic de Baptiſmo ſanguinis, id eſt martyrio; nec de flaminis, ſeu ſpiritus, id eſt contritione, cum voto Baptiſmi, vel deſiderio, quia non ſunt Sacramenta; ſed de Baptiſmo fluminis, (*a*) qui definitur, *Ablutio corporis exterior*, facta ſub præſcripta forma verborum.

DUBIUM I.

Quid ſit materia Baptiſmi?

Reſp. Materia remota licita eſt aqua conſecrata, ſi haberi poteſt; valida eſt omnis, & ſola aqua elementaria, quæ morali hominum æſtimatione ſit naturalis, & uſualis, qualis eſt putei, maris, paludis, pluviæ, &c. item reſoluta ex nive, grandine, glacie, licet accidentaliter quoad calorem, ſaporem, & odorem, alterata ſit, ut aqua ſulphurea, lixivium, juſculum ita tenuiter carne decoctum, aut aqua alteri corpori ita modice admixta, ut uſum communem, & æſtimationem aquæ retineat. Ratio reſponſionis eſt, ex Joan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua*. Quam S. Thom. confirmat triplici congruentia. 1. Eſt maxima commoditas aquæ. 2. Ejus facillimus uſus. 3. Aptitudo ad ſignificandum effectum, qui eſt emundatio a peccato.

Unde reſolves.

1. Inepta materia Baptiſmi eſt ſaliva, lotium, lacrymæ, ſudor, cereviſia, item aqua ſic permixta, ut non amplius ſit apta ablutioni, nec vocetur aqua, ver. gr. lutum, brodium, vinum lymphatum, item aquæ artificiales ex roſis, herbis, ſuccisque expreſſæ, denique nix, grando, glacies non reſoluta. Ratio eſt, quia morali hominum æſtimatione non cenſentur aqua naturalis, & uſualis. Laym. *l.* 5. t. 2. *c.* 3. Bon. *d.* 2. *q.* 2. *p.* 1.

Animad. I. 2. *Quia de quibuſdam tum ex dictis, tum aliis dubium eſt, v. gr. de juſculo, & cereviſia valde tenui, lixivio* (& ſecundum Gran. in 3. *p. c.* 4. *t.* 1. *d.* 3. *dub.* 2. *aqua roſacea*) *hinc in neceſſitate licet illis uti, etſi poſtea Baptiſmus ſub conditione ſit repetendus.* V. Eſcob. Laym. Bonac. *ll. cc.*

3. Uti aqua impura, vel non conſecrata, cum alia haberi poteſt, eſt grave peccatum, ob Sacramenti irreverentiam. Bonac. *l.* 1. *c.* 1. *n.* 7. Dian. *p.* 9. *t.* 6. *R.* 3. & alii quinque, licet Gran. & Quintan. putent non eſſe mortale uti non benedicta.

Reſp. 2. Proxima materia baptiſmi eſt ablutio. Quæ valide *fit tribus modis*, (*b*) ſcilicet immerſione, aſperſione, infuſione, juxta praxim diverſarum Eccleſiarum, quæ ſervanda eſt, ita ut morali hominum judicio cenſeatur eſſe lotus. Ex præcepto tamen caput abluendum eſt, quod praxis Eccleſiæ habet. Ratio eſt, quia quolibet horum modorum fieri poteſt ablutio. Et quidem trinam merſionem non eſſe neceſſariam, conſtat ex Concilio Toletano. Ubi tamen trina vel immerſio, vel infuſio uſitata eſt, ſine gravi peccato extra neceſſitatem non poteſt prætermitti, uti docet D. Thom etſi alii, ſecluſo ſcandalo, & contemptu, dicant eſſe tantum veniale. Laym. *l. c. n.* 4. Bon. *l. c.*

Unde reſolves.

1. Non vere baptizatur, cujus nulla pars immediate tangitur, v. gr. infans in utero, vel ciſta; vel adultus, cujus veſtes tantum ſint aſperſæ. Laym. Bon. *ll. cc.*

2. *Non requiritur ad valorem, ut qui baptizatur, emergat ex aqua: quod tamen grave peccatum eſt, eſto nihilominus moriturus eſſet baptizandus.* Laym. *c.* 3. Animad. II.
num. 5. *uti etiam matrem nihilominus morituram, vel mortis ream aperire, ut infans baptizetur.* Laym. *l.* 5. *t.* 2. *c.* 3. *n.* 2. *ubi unicum caſum excipit, ſi nimirum mater ſit morte digna, & ſi ſupplicium differatur, infans certo ſit moriturus ante nativitatem. Verum recte addit ex Suarez caſum hunc vix moralem, & practicum eſſe.* Vide *l. c.*

3. Invalidus eſt Baptiſmus, 1. Si quis labatur in aquam, vel ab alio protrudatur, *& tamen formam pronuntiet.* (*c*) 2. Si formam pronuntians teneat puerum, & alter abluat, aut aquam effundat. 3. Si aqua e fonte proſiliente, aut ſtillicidio decidente, baptizandus ei ſe ſubmittat. Ratio eſt, quia in his non tu, ſed alter abluit. Bon. *p.* 3.

4. Ob probabilem utrimque ſententiam, dubius eſt Baptiſmus, ideoque ſi in neceſſitate ſit datus, repetendus ſub conditione. 1. Si tantum una, vel altera gutta ſit adhibita, v. gr. ſi more aquæ luſtralis multitudo ſit aſperſa. Quod ſine neceſſitate non licet, cum ad ablutionem non videatur ſufficere quicumque aquæ contactus, ſed requiri ſucceſſivus, cum aliquo motu. Bon. *l. c. num.* 13. ex Suar. Con. &c. In caſu tamen neceſſitatis ſic baptizare concedit Mærat. *t.* 3. *d.* 2. *ſ.* 4. Graned. *in* 3. *p. c.* 4. *t.* 1. *d.* 4. *n.* 12. 2. Si tantum ſit abluta pars minus principalis, v. gr. digitus, manus, vel pes. *Nam ſi* Animad. III.
pars principalis, v. gr. ſcapula, vel pectus, nemo dubitat. 3. *Si tantum crines ſint tincti*, licet Card. de Lug. *reſp. mor. l.* 1. *d.* 1. *hunc validum eſſe contendat.* 4. Si infans tinctus ſit involutus adhuc ſecundina ſua, id eſt pellicula corpori annata; *in neceſſitate tamen in prædictis caſibus Baptiſmus debet conferri ſub conditione.* Hurt. *de Bapt. d.* 1. *diff.* 12. V. Laym. *l. c.*

5. Cum terna uſurpatur effuſio, aut immerſio, ad nomen Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, juxta praxim Eccleſiæ, cavendum, ne ter, ſed ſemel tantum pronuntietur forma. *Quæ rectius ita profertur,* Animad. IV.
ut ante tertiam ablutionem non finiatur; quia forma cum quacunque prima ablutione Baptiſmum conſtituit. Reg. *l.* 27. *c.* 3. Laym. *l.* 5. *t.* 1. *c.* 3.

DUBIUM II.

Quæ ſit forma Baptiſmi?

Reſp. Forma neceſſaria Baptiſmi eſt hæc; *Ego te* Animad. V.
baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, Amen. A qua non differt illa Græcorum ſubſtantialiter: *Baptizetur* (vel, ut Arcudius vult, *Baptizatur*) *ſervus Chriſti, in nomine Patris, &c.* Porro quinque ſunt, quæ ſignificantur in prolatione formæ, juxta quæ valor ejus debet expendi. 1. Perſona baptizantis, ſaltem implicite: quod in forma Græcorum non negligitur, cum Τὸ baptizetur, idem valeat, ac baptizetur a me. 2. Actus baptizandi, quia alioqui forma non haberet connexionem cum materia, eamque non determinaret, cum ablutio ad varios fines poſſit referri. 3. Perſona baptizandi, quia uti ablutio, ita & forma circa certam per-

perſonam verſari debet. 4. Unitas divinæ naturæ: quod fit per voces, *In nomine*. 5. Trinitas perſonarum: idque explicite, & diſtincte vulgaribus vocabulis. Fill. *c.* 3. Laym. *c.* 4. Bon. *p.* 4.

Unde reſolves.

ANIMAD. VI. 1. *Valide baptizat, etſi venialiter peccat, qui pro Baptizo, dicit, abluo, mergo, &c. vel pro Te, utitur communi nomine Græcorum more*, vel proprio; vel baptizo Petrum, vel qui honoris cauſa dicit, baptizo dominationem veſtram. Laym. *c.* 4. *n.* 9. Bon. *p.* 4. *n.* 9. & ſeq.

ANIMAD. VII. 2. *Valet forma, etſi omittat* Ego, *&* Amen, *quia omnia ſignificata per formam ſalvantur, ſecus ſi omittat* Te: quia non ſignificatur perſona baptizandi. *ibid.*

ANIMAD. VIII. 3. *Non valent hæ formæ*, Baptizo te in nominibus Patris, & Filii, &c. quia multiplicatur natura, ſeu eſſentia divina. 2. Baptizo te in Patre, & Filio, &c. vel cum Patre, &c. vel per Patrem: vel in nomine Patris, per Filium, in Spiritu ſancto; vel in fide, virtute, majeſtate Patris, &c. (quam tamen alii dubiam eſſe volunt.) Ratio eſt, quia ſignificatur diverſitas eſſentiæ, aut certe unitas non ſatis exprimitur. 3. Baptizo te in nomine Dei, vel Sanctiſſimæ Trinitatis: vel in nomine Dei unius, & trini: vel in nomine trium Perſonarum: vel Patris, & Filii, omiſſa perſona Spiritus ſancti. Ratio eſt, quia non exprimuntur diſtincte tres Perſonæ. 4. *In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti*; qua tamen forma olim Apoſtolos uſos, ſed ex ſpeciali privilegio, multi docent, alii negant, dicuntque eos baptizaſſe in nomine Chriſti, addendo illud nomini ſecundæ perſonæ, non omiſſis nominibus aliarum Perſonarum. Cum ergo Nicolaus Papa dixit, eam formam valere, vel intellexit, ſi pro nomine Filii ponatur nomen Chriſti, vel in nomine Chriſti, pro vice Chriſti, intellexit; vel locutus eſt ut Doctor privatus. V. Auct. cit.

ANIMAD. IX. 4. *Dubiæ ſunt formæ, ob ſententiam utrimque probabilem Auctorum.* 1. *Baptizo te in nomine Patris, in nomine Filii, in nomine Spiritus ſancti: vel Baptizo te in nomine Patris, baptizo te in nomine Filii, &c.* Ratio eſt; quia non exprimitur unitas eſſentiæ. 2. *Baptizo te in nomine Genitoris, Geniti, & Spirati*; vel *in nomine Omnipotentis, Sapientis, & Boni*: vel *in nomine Ingeniti, Geniti, & Boni*. Ratio eſt, quia Trinitas Perſonarum non explicatur vocibus, quibus a fidelibus omnibus debet, & poteſt apprehendi. 3. *Baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, & Mariæ virginis*: quia dubium eſt de intentione Miniſtri: qui ſi eo ſenſu voluit dicere, Mariæ, quo Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, non valet, cum ſit contra ſenſum eſſentialem a Chriſto intentum: ſi vero tantum voluit illam invocare, ut coadjutricem gratiæ impetrandæ, vel aliter, valet, cum tantum ſit mutatio accidentalis. Fill. *t.* 2. *c.* 3. *n.* 50. Vide etiam Laym. & Bonac. *ll. cc.*

DUBIUM III.

De Miniſtro Baptiſmi.

ARTICULUS I.

Quis ſit Miniſter Baptiſmi?

Reſp. Valide miniſtrat omnis homo ratione utens cujuſcunque fidei, vel infidelitatis, ſtatus, aut ſexus: licite, tanquam miniſter ordinarius, & ex officio Sacerdos habens juriſdictionem, aut commiſ-
ANIMAD. X. ſionem; *vel ex ejus commiſſione Diaconus*. In caſu tamen extremæ neceſſitatis, omnis, qui poteſt valide, etiam facit licite, teneturque, ut proximo ſuccurrat. Laym. *l.* 5. *t.* 2. *c.* 7.

Unde reſolves.

1. Non tantum Diaconus, ſed nec Parochus, aut Epiſcopus, abſque commiſſione, extra ſuam Diœceſim, vel Parochiam, vel intra eam alienos licite baptizat: ideoque etiam peccant parentes, qui ſine licentia ſui Prælati alieno deferunt prolem baptizandam, cum violent jus Parochi. Laym. *l. c.*

2. *Diaconus non tantum in extrema neceſſitate, ſed etiam in alia notabili baptizare poteſt.* Et quidem cum ſolemnitate, ex commiſſione Epiſcopi, vel Parochi, ut ſi v. gr. ob multitudinem baptizandorum, aliudve grave impedimentum, id ipſi facere non poſſint. Laym. *l. c.* ANIMAD. XI.

3. Cum in neceſſitate confertur Baptiſmus, ſervandus eſt ordo ita, ut ſi adſit, & non detrectet Sacerdos, vel Diaconus, is reliquos præcedat. Sic etiam Clericus laicum, vir mulierem, fidelis infidelem, niſi forte inferior melius noverit modum, ut ſolent obſtetrices (quæ proinde examinari, & approbari debent a Paſtoribus) vel alia juſta cauſa ſit, ut quia virum ad parientem ingredi non decet. *Quod ſi laicus baptizat præſente Sacerdote, & ſecundum quoſdam, etiam præſente Diacono, cenſent* ANIMAD. XII. *eſſe mortale*: quia id laico tantum competit ob defectum Sacerdotis, qui ſine injuria Ordinis, & Sacramenti, talem licentiam dare non poteſt. In reliquis perverſio illius ordinis eſt tantum veniale, præterquam ſi coram fideli hæreticus adhiberetur, quod voluit eſſe mortale Laym. *c.* 7. *n.* 4. Con.

ARTICULUS II.

An duo poſſint ſimul unum baptizare?

Reſp. 1. Si alter applicet materiam, alter formam, nullus erit baptiſmus: quia dicens ſe abluere, cum non abluat, formam habet falſam, etiamſi uſurpet Græcorum, *Baptizetur ſervus Chriſti*, vel quæ putatur illi æquivalere, *Baptizat te Chriſtus*: ſubintelligitur enim *per me*; alioqui ſi excludatur perſona Miniſtri, ut ſenſus ſit, baptizet te Chriſtus, & non ego, ſive non per me, forma nulla eſt. *In caſu tamen neceſſitatis, poſſe ſub conditione ita* ANIMAD. XIII. *baptiſmum conferri, ut v. gr. mutus formam neſciens ablueret, cæcus autem formam pronunciaret*, docet Hurt. *d.* 2. *diff.* 6. additque debere talem, elapſo periculo, iterum ſub conditione baptizari. Fill. *c.* 4. Dian. *q.* 3. *t.* 5. *R.* 26. ex Chapeavil. Marſil. &c. Bon. *d.* 2. *q.* 2. *p.* 4. *n.* 23. Laym. *c.* 7.

Reſp. 2. Si plures miniſtri ſinguli abluant, & formam pronuncient, graviter peccant contra ritum Eccleſiæ. De valore ſic ſolet diſtingui. 1. Si quilibet intendit baptizare, dependenter ab alio, ut cauſa particularis, invalide baptizant, ſive ſinguli dicant, ego te baptizo, ſive, Nos te baptizamus: quia forma, cujus ſenſus cenſetur eſſe abſolute, & independenter baptizare, non cobaptizare, eſt falſa. 2. *Si quiſque per ſe intendat Baptizare, independenter ab alio: valide baptizat, quia omnia requiſita* ANIMAD. XIV. *ponit*: ut patet a ſimili in Miſſa ordinationis, qua Sacerdotes noviter ordinati ſimul conſecrant cum Epiſcopo, dummodo ſimul eodem inſtanti formam abſolvant: ſi autem non ſimul abſolvant, is tantum conſecrat, vel baptizat, qui prius abſolvit. V. Fill. *t.* 2. *c.* 4. *n.* 72. & Bon. *l. c. n.* 25. Laym. *c.* 7.

DUBIUM IV.

Quid ſit ſubjectum baptiſmi?

Reſp. 1. Subjectum capax baptiſmi eſt ſolus homo vivus, ab Adamo deſcendens, nondum baptizatus.

Reſp. 2. Valide baptizantur infantes, item perpetuo amentes, qui nunquam uſi ſunt ratione: quia cenſentur ejuſdem conditionis cum infantibus. Si autem aliquando ſint uſi ratione, non valet baptiſmus, niſi ante amentiam petiverint. V. Bon. *d.* 2. *q.* 2. *p.* 6. *c.* 6. Laym. *c.* 6.

Unde reſolves.

1. Si puer inter baptizandum nondum finita forma moriatur, baptiſmus eſt nullus.

2. Non valet baptiſmus iteratus, ideoque uterque tum rebaptizans, tum rebaptizatus peccant mortaliter, fiuntque irregulares, & in jure civili ſubjacent pœnæ mortis. *Quas tamen pœnas non videtur* ANIMAD. XV. *incurrere is, qui etſi ſine juſta cauſa, rebaptizat ſub conditione: quia intelliguntur de baptiſmo abſolute dato, quando moraliter conſtat, priorem baptiſmum fuiſſe validum.* V. Laym. *c.* 5. Bon. *p.* 5.

3. Non-

3. Nondum perfecte natus eſt baptizandus, ſi ſit periculum, dummodo pars eliqua poſſit ablui: quia eſt homo vivus, nec certo conſtat eſſe incapacem.

4. Si dubium ſit, an infans vivat, baptizandus eſt ſub conditione.

5. Valide baptizatur, quem miniſter putat eſſe alium, aut licet ſit puella, quam putat eſſe puerum: quia intendit baptizare præſentem. Aliud eſt in Matrimonio, quie intendit contrahere cum illa, quam putat. Bon. *p.* 4. *n.* 26.

6. Valide, etſi extra neceſſitatem illicite, plures ſimul baptizautur, hac forma, *Ego vos baptizo*, &c. Bon. *p.* 4.

7. Monſtrum, quod capita, & pectore formam hominis refert, eſt baptizandum; ſecus ſi beſtielem Animad. XVI. refert. *Quod ſi vero caput tantum ſit ferinum, putat eſſe baptizandum Comitolus.* Nav. tamen, & alii volunt differendum, donec certius cognoſcetur, *niſi periculum mortis immineret: tum ſub conditione baptizandum eſſe.* Quod ſi habeet membra hominis geminata, & dubitetur, num ſit unus homo, an duo, duplex baptiſmus conferendus eſt, unus abſolute, alter ſub conditione, in ee parte, qua membra apparent imperfectiora. V. Laym. *l.* 5. *t.* 2. *c.* 3. Bon. *p.* 6. & Rit. Rom. *tit. de bapt.*

Reſp. 3. Extra mortis periculum valide, non tamen licite, baptizantur Ethnicorum infantes, invitis parentibus. Ratio eſt, quia vel auferontur parentibus, & fit illis iojuria; vel relioquuntur, & fit injuria Sacramento, quod exponitur irreverentiæ. Quod ſi tamen poſſit chriſtiane educari (ad quod tunc obligaberis) licebit in his caſibus. 1. Si parentes ſint tua mancipia; tunc enim tui potius ſunt, quam illorum. 2. Si párentes aliquando fuerunt baptizati, vel uterque, vel ſaltem alteruter; quia tunc Eccleſia jus in eo habet. 3. Si alter parentum petat; tunc enim juſta ejus voluntas injuſtæ alterius præferenda eſt, in favorem prolis, & fidei. 4. Si infans ſit in periculo mortis. 5. Si rationis jam compos puer petat: quie in negotio religionis eſt ſui juris. In dubio eutem de uſu rationis, ſufficit aſſe ſeptem annorum. V. Laym. *l. c.* Fill. *t.* 2. *c.* 6. Bon. *p.* 6. *n.* 12.

Quæres, an baptiſmus aliquando repeti poſſit, & qua forma?

Reſp. Cum temere rebaptizare ſit mortale ex objecto, quia eſt in genere ſecrilegii, dum conaris miniſtrare Sacramentum incapaci: hinc ad hoc, ut non liceat rebaptizare, non requiritur certitudo de baptiſmo; ſed ſufficit, ſi pro eo ſint conjecturæ; ut v. g. quod quis natus, & educatus ſit inter fideles, nec pro contraria parte rationea alicujus momenti occurrant; leve enim, vel metaphyſicum dubium non ſufficit, ſed requiritur grave, & morale, vel ſaltem rationabile. In quo inclinendum eſſe in favorem beptizandi recte monet Laym. *c.* 3. ex Suar. & aliis.

Unde reſolves.

1. Sub conditione baptizandi ſunt 1. qui cum materia, & forma, aut intentione dubia (ſecun- Animad. XVII. dum ſupradicta) ſint baptizati. 2. *Infantes expoſiti, & reperti ſine ſcheda teſtante de baptiſmo: ſecus ſi cum ea.* Ita commun. *Quint. tamen t.* 1. *ſ.* 13. & 14. *contendit etiam hos eſſe rebaptizandos.* 3. Baptizati ab obſtetricibus veneficis; præſertim ſi faſſæ, vel convictæ fuerint, aliquando non recte baptizaſſe. Laym. *c.* 5. *n.* 3.

2. *Infantes ab obſtetricibus, vel parentibus, vel* Animad. XVIII. *cognatis, &c. ob neceſſitatem baptizatos, promiſcue omnes ſub conditione rebaptizare (quando obſtetrices bona, & bene inſtructa cenſentur) non licet; quia de valore baptiſmi prudenter, & rationabiliter dubitari non poteſt. Suar. Laym. lib.* 5. *t.* 2. *c.* 5. *qui tamen contrariam conſuetudinem quorundam Parochorum damnare non audet, eo quod experientia didicerint, obſtetrices non raro fuiſſe deceptas a diabolo, ideoque revera periculum aliquod ſit animæ, ob quod irreverentia ceſſet: additque eam conſuetudinem approbatam fuiſſe a Paſtorali Romano edito Antverpiæ* 1607. *eamque ſententiam tenet Sylv. apud Dian. p.* 5. *t.* 13. *R.* 86. & *ipſe Dian. p.* 9. *t.* 6. *R.* 35. *cum aliis duobus cenſet eam probabilem, habereque locum in omnibus baptizatis ab hæreticis, licet ſint adulti; quod Card. de Lugo R. mor. l.* 1. *d.* 2. *recte limitat ad illas circumſtantias, in quibus prudenter dubitari poſſit de defectu materiæ, formæ, vel intentionis. Denique etiam Quint. t.* 1. *ſ.* 6. *docet, infantes ſupradictos fere omnes rebaptizari poſſe ſub conditione.*

3. Peccat graviter Miniſter, 1. qui non rebaptizat eum, de quo rationabile dubium juris, vel facti manet, num valide ſit baptizatus; quia tenetur proximum liberere probabili periculo grevis mali, cum fecile poteſt. Laym. *l. c.* Quintan. *l. c.* 2. Si non diligenter inquirat in talis baptiſmi valorem, niſi de hoc aliunde conſtet. Quint. *t.* 1. *ſ.* 6. & 7.

4. Non eſt rebaptizandus, de cujus baptiſmo habetur teſtimonium unius oculati teſtis, licet feminæ: dummodo non ſit ſuſpecta, nec aliud obſtet. Laym. *l. c.*

5. Qui vere, & rationabiliter dubitat de ſuo Baptiſmo, tenetur petere Baptiſmum, & Parochus ei conferre, Quinten. *l. c. ſ.* 13. & 19. & interea abſtinere ab uſu aliorum Sacramentorum.

Reſp. 2. Baptiſmus ſub conditione hac forma conferendus eſt. Si baptizetus es, non te baptizo; ſi nondum es baptizatus, ego te baptizo, In nomine, &c. Ac licet ſufficiat ſola mente conditionem apponere, ſi ex omiſſione non timeatur ſcandalum; tutius temen eſt exprimere verba ſaltem iſta: Si non es baptizatus, &c. V. Tol. *l.* 2. *c.* 19. Laym. *l. c.* Suar. *d.* 31. Fill. *t.* 2. *c.* 4. *q.* 9. Patrinus autem in hoc baptiſmo neceſſarius non eſt, nec adhibendus. Quint. *l. c. ſ.* 18.

DUBIUM V.

De cæremoniis Baptiſmi.

ARTICULUS I.

Quæ ſervanda circa cæremonias baptizandi?

Reſp. *Cæremoniæ Baptiſmi petendæ ſunt ex Agenda cujuſque Eccleſiæ.* Animad. XIX. Univerſim tamen circa eas ſervanda ſequentia. 1. Baptiſmum extra neceſſitatem abſque peccato non poſſe conferri, niſi in aqua conſecrate. (*d*) Quæ cum deeſt, *habetur formula brevis in quibuſdam Agendis* ex tempore aliam conſecrandi pro caſu neceſſitatis. Quod ſi etiam hac formula careas, adhiberi poteſt aqua communia benedicta. 2. Baptiſmum ſolemnem non conferendum, niſi in templo, & loco ad id deputato, niſi filius Regum, & Principum: quibus adde filios Catholicorum in locis hæreticis; (*e*) *interim quoad hoc in magnatibus, & nobilibus connivetur in multis locis.* Laym. *c.* 8. *n.* 8. 3. *Infantes ex conſuetudine deferendos ad baptiſmum circa diem octavum: niſi prius ſit neceſſe, vel niſi ſit gravis cauſa dilationis, v. g. quia patrini ſunt expectandi:* in qua tamen non licet communiter extra neceſſitatem privatim baptizare, & poſtea adhibere ſolemnitetes, ſed præſtat expectare aliquandiu. Laym. *c.* 6. *n.* 8.

4. Baptizanti non licet adhibere cæremonias aliquas, omiſſis aliis. Quia vel fiet in baptiſmo ſolemni, quod prohibet Trid. *ſ.* 6. *c.* 3. vel privato: *ſed in hoc prohibet Clementina unica, illas adhibere,* Animad. XX. *niſi ſit filius Regis, aut Principis. De patrino tamen uſus habet, ut & tunc adhiberi poſſit, etſi non ſit neceſſe.* Et multi putant, adhibitum non contrahere cognationem ſpiritualem, nec vere patrinum effici, ut Sanch. Rodr. contra Laym. & Suar. quorum tamen ſententia videtur probabilior.

5. Cum in neceſſitete, vel aliam ob cauſam, (nam ob gravem cauſam, v. gr. juſtum timorem infamiæ, aliquando licite fit) baptiſmus ſine cæremoniis eſt collatus, ea ceſſante, illæ ſolemniter in templis ſunt ſupplendæ. Quod tamen non eſt moris in hæreticis converſis: (*f*) ne plebs putet, nos eorum baptiſmum improbare. Laym. *c.* 8. *n.* 10. Imo in aliis omittere, ſecluſo contemptu, eſſe tantum veniale, docet Poſſev. *de Off. Cur. c.* 6. *n.* 23. Qui eutem tenet more Patrini infentem, dum cæremoniæ ſupplentur, non contrahere cum eo cognationem ſpiritualem, Dian. *p.* 3. *t.* 4. *R.* 260. ex Pontio, dicit eſſe probabile.

6. Si

6. Si baptiſmus collatus deprehendatur fuiſſe invalidus, non ideo repetendæ ſunt cæremoniæ. (g)

ARTICULUS II.

Qui Patrini, & quod eorum officium?

Reſp. 1. Patrini ſunt quaſi patres ſpiritales, qui baptizatum de fonte ſuſcipiunt in ſuam curam. Unde eorum officium eſt, (h) *baptizatum de rebus fidei inſtituere*, Orationem Dominicam, & Symbolum docere; ad quod obligantur, ſi id ab aliis non fiat. Laym. *l.* 5. *t.* 2. *c.* 9.

Reſp. 2. Ut quis valide ſit Patrinus, non certa ætas, ſed requiritur 1. *Uſus rationis*. (i) 2. Ut ipſe ſit baptizatus; quia non poteſt eſſe pater, qui ipſe nondum ſit natus. Et quidem, ut ejus baptiſmus fuerit validus, quia acceſſorium ſequitur principale. 3. Ut a parentibus, vel Parocho *ad hoc deſignatus ſit*: (k) ad quod videtur ſufficere, ſi etiam ultro ſe ingerens ſit admiſſus; deſignatos autem rite a parentibus Parochus non valde mutat. Dian. *p.* 6. *t.* 7. *R.* 50. 4. Ut in ipſo baptiſmo (quia non ſufficit, ut in ſolis cæremoniis) per ſe, vel procuratorem tangat, teneat, aut de manu baptizantis ſuſcipiat. 5. Ut id non materialiter tantum, ſed animo ſuſceptoris, ſive cum intentione id munus gerendi faciat. Laym. *c.* 9. *n.* 2.

ANIMAD. XXI. Reſp. 3. *Valide quidem, ſed illicite ſunt Patrini*. 1. *Abbas, & Monachus. Quo nomine veniunt Mendicantes: etſi Laym. omnes clauſtrales comprehenſos velit: & quoad Abbates, in multis locis conſuetudo ſit contraria*. 2. Conjuges reſpectu conjugum, & parentes reſpectu filiorum, niſi ſit neceſſitas. 3. Moribus infames. 4. Apoſtatæ, & hæretici, qui nullo caſu videntur advocandi, quia ea advocatio eſſet proteſtatio quaſi illius religionis, cum nonniſi de falſa fide ſint ſponſuri: *etſi Laym. hic* c. 9. n. 7. *probabiliter dicat, poſſe ſubinde ob gravem cauſam admitti. Catholici vero ob rationabilem cauſam infantem hæretici, baptizante Prædicante, ſuſcipere poſſunt, ſaltem in Germania*. Laym. *c.* 9. *n.* 6. 5. Plures, quam duo; quia Trid. non niſi unum, aut ad ſummum unum, & unam permittit, propter cognationem ſpiritualem inde oriri ſolitam. Ideoque mandat Parochis, ſub pœna arbitrio Ordinarii infligenda, ut ſi plures ſe offerant, petant ab his, ad quos ſpectat, patrinos deſignare, ut unum, vel duos nominent, eoſque tantum admittant, qui ſoli cognationem contrahant, eorumque nomina in librum referant, eoſque de contracta ſpirituali cognatione inſtruant: ſcilicet, quod ea impediat dirimatque matrimonium, non quidem inter ſe, ſed inter ipſos, & baptizatum, ejuſque patrem, & matrem; ſicut etiam inter baptizantem, & baptizatum, baptizatique patrem, & matrem. Excipiuntur tamen parentes, quando propriam prolem ſuſcipiunt in neceſſitate. V. Laym. locis infra citandis.

Unde reſolves.

ANIMAD. XXII. 1. *In privato baptiſmo, ob neceſſitatem dato, pater non debet ſuſcipere, aut tenere, tanquam patrinus infantem: cum in hoc caſu nulla ſit patrini neceſſitas, ideoque ſi id vel tunc, vel etiam in baptiſmo publico temere faciat (idem eſt, ſi prolem ſuam ipſe baptizet) graviter peccat, & inſuper contrahit in poſteriore caſu cognationem cum conjuge, atque, ut docet Sanch. de matr. d.* 36. *& alii communiter, privatur jure petendi debitum: quod tamen negant Con. & Dian. d.* 4. *de Sacr. R.* 5. V. Bon. *de matr. q.* 3. *p.* 5. *ſ.* 2. Elc. *t.* 7. *E.* 2. ubi citat Suar. negantem.

2. Si inter multos patrinos nulli certi a parentibus, aut in eorum defectu, a Parocho deſignentur, qui aliis excluſis cognationem contrahant, & ſic multi ex ignorantia, vel Parochi negligentia levent, probabile eſt, omnes contrahere cognationem (niſi tamen aſſiſtant tantum, & non tangant.) V. Laym. *l.* 5. *t.* 10. *p.* 4. *c.* 8. & *tr.* 2. *c.* 9. *n.* 4. Dian. tamen *p.* 9. *t.* 7. *R.* 5. ex Suar. Mærat. & Perez, dicit, eo caſu nollent contrahere cognationem.

3. Parochus graviter peccat. 1. Si ex negligentia frequenter omittat nomina baptizatorum referre in librum; tum ob legem Trid. in re gravi, & ſub pœna gravi; tum ob incommoda, & damna inde ſequentia. Quint. *t.* 2. *ſ.* 11. 2. Si ejus culpa Patrini plures adhibeantur. Quint. *l. c.* At licet Per. & Sera apud Dian. *p.* 9. *t.* 7. *R.* 5. dicant eſſe probabile, quod tantum peccet venialiter; *alii tamen mortalis eum damnant*. (l)

Notæ.

(a) *Agitur hic.... de baptiſmo fluminis, qui definitur ablutio corporis exterior* &c.

Hæc definitio, ut habet D. Th. p. 3. q. 66. a. 1., ſumta eſt ex Magiſtro ſent. lib. 3. diſt. 4. Catechiſmo Rom. p. 2. cap. 2. n. 5. Hæc inter alias aptior, *& commodior eſſe videtur*, qua definitur, *baptiſmum eſſe ſacramentum regenerationis per aquam in verbo*. Hic ſcilicet explicatur genus eo verbo *Sacramentum*, quod ſubintelligitur in definitione Magiſtri ſent.; reliqua autem verba, ſoli baptiſmo accommodata, differentiæ locum tenent.

Ca. 3. *Uti aqua impura, vel non conſecrata, cum alia haberi poteſt, eſt grave peccatum*, & Bon.... Dian...., *& alii quinque*, licet Gran. &c. *uti non benedicta*.

At hæc opinio Gran. & Quint. rejicienda eſt; quia ex certa, & communi ſententia, aqua baptiſmi certo ritu benedicta ex Eccleſiæ præcepto eſſe debet, ut habet Anacl. Th. tract. 14. diſt. 3. q. 2. conc. 2. n. 12.... Hoc porro Eccleſiaſticum præceptum ex antiquiſſima, & Apoſtolica traditione (qua de re Rit. Rom. de ſacram. Baptiſmi, & Nat. Alex. Th. t. 1. p. 180. reg. 2.) derivatum cum ſit, ſine gravi culpa violari non poteſt.

Imo Wigand tract. 11. ex. 5. q. 2. R. 3. p. 480. ita advertit. *Nota tamen. quod extra neceſſitatem ſub peccato mortali adhibenda eſt aqua de fonte ſacro, & benedicto*; quæ, ut monet Anacl. loco mox cit., eſt Toleti ſententia, ex Clementina unica t. 15. lib. 3. Clem., cujus verba hic habes anim. 20., forte hauſta, & Eccleſiæ conſuetudine roborata.

(b) *Proxima* &c. *eſt ablutio, quæ valide ſit tribus modis, ſcilicet* &c. *infuſione*. Hactenus recte. *Juxta praxim*, &c. *quæ ſervanda eſt*.

Rit. Rom. de forma Baptiſmi inquit: *Baptiſmus licet fieri poſſit aut per infuſionem aquæ, aut per immerſionem, aut per aſperſionem, primus tamen, vel ſecundus modus, qui magis ſunt in uſu, pro Eccleſiarum conſuetudine retineatur*. Hos retineri vult, tertium non probat, dum alios probat, hoc eſt eum eſſe abolendum innuit.

Bul. *Ex præcepto tamen caput abluendum eſt*. Non ſolum ex præcepto caput abluendum eſt; ſed ſi alia pars quæcumque etiam neceſſitate imminente abluatur, baptiſmus dubius habendus eſt ex animad. hic 2.

Bul. *Et quidem trinam merſionem non eſſe neceſſariam, conſtat ex Concilio Toletano*, (hujus verba refert D. Th. p. 3. q. 66. a. 8.) item id conſtat ex Catech. Rom. p. 2. cap. 2. n. 18.; *quod affirmant Catholici omnes*, ait Concina Th. t. 8. p. 130. n. 6.

Bul. *ubi tamen trina* &c. *ſine gravi peccato* &c. *non poteſt prætermitti, ut docet D. Th*. Ita ſane docet D. Th. p. 3. q. 66. a. 8., qui ait, *graviter peccaret, aliter* (hoc eſt ſine trina immerſione) *baptizans, quaſi ritum Eccleſiæ non obſervans*. Bul. *Etſi alii* &c. *dicant eſſe tantum veniale*. An veniale tantum peccatum eſt, ritum Eccleſiæ in re gravi, uti præſens eſt, non obſervare? An D. Thomæ auctoritas graviſſima cum paucis recentioribus comparanda eſt? D. Hieronymus apud Natalem Alex. Th. t. 1. p. 182. prop. 3. col. 2. ait. *Unuſquiſque conſuetudinem Eccleſiæ ſuæ legem apoſtolicam arbitretur*. D. Thomæ ſententiam ſequitur, ut par eſt, Concina Th. t. 8. p. 132. cap. 5. q. 1.

(c) *Invalidus eſt baptiſmus*, 1. *Si quis labatur in aquam, vel ab alio protrudatur, & tamen formam pronuntiet*, ſubintellige ſuper lapſum, vel protrutum in aquam, qui eatum intuetur. 2. *Si formam* &c. 3. &c. De his dubitandum non puto ex ratione a Bul. allata. Conſule animad. hic 13.

(d) *Baptiſmum* &c. *niſi in aqua conſecrata*. Recte, ut ſupra oſtenſum eſt.

Quæ cum deſit, habetur formula &c. Hac in re Rit. Rom., aliis formulis ab ejus præſcriptione diverſis neglectis, audiendum eſt; quod de ſacram. Bapt. hac de re ita loquitur. *Si aqua benedicta* (in Sabbatho Sancto, vel Pentecoſtes) *tam imminuta ſit, ut minus ſufficere videatur, alia non benedicta admiſceri poteſt, in minori tamen quantitate*.

Si vero corrupta fuerit, aut effluxerit, aut quovis modo defecerit, Parochus in fontem bene mundatum ac nitidum, recentem aquam infundat, eamque benedicat ex formula, quæ infra præſcribitur. Quid neceſſe eſt ad formulas in quibuſdam Agendis confugere, cum præſto ſit forma a Rituali Rom. præſcripta, quæ proinde in maxima veneratione habenda eſt, & obſervanda?

(e) *Qui-*

(e) *Quibus adde filios Catholicorum in locis hæreticis.*
Hæc additio abſolute non eſt admittenda, ſed cum ea limitatione, *ſi infantes ſine damno, vel incommodo* (intellige gravi) *ad Eccleſiam deferri non poſſent, quo abſente præceptum grave obligat, ut fiat in Eccleſia.* Ita ipſe La-Croix p. 216. n. 334. t. 2. Vide animad. hic 19.

(f) *Quod tamen non eſt moris in hæreticis converſis, ne plebs putet* &c. Ubi hic mos viget Epiſcopo non improbante, recte. Hinc Rit. Rom ita habet. *Ubi vero debita forma, & materia* (in hæreticis converſis) *ſervata eſt, omiſſa tantum ſuppleantur, niſi rationabili de cauſa* (cujuſmodi ea eſt, quam Bul. affert) *aliter Epiſcopo videatur.*

Addit Bul. *Imo in aliis omittere* &c. *eſſe tantum veniale, docet* &c.

Cæremoniæ baptiſmi ex Rit. Rom. præcepto, ſi omiſſæ fuerint, ſupplendæ ſunt. *Omiſſa omnia ſuppleantur,* inquit. Nunc ſcire velim, cur hujus præcepti violatio ſit tantum venialis? An res hæc leviuſcula eſt, ac non potius ex æquo, & pio judicio graviſſima? Quare teſte La-Croixio t. 2. p. 216. n. 340 hanc omiſſionem mortalem facit Averſa; quod, ſubdit La-Croix, „ videtur „ tenendum, quamdiu infans eſt parvus. “

At cur id teneri non debet, ſi baptizatus adultus ſit? Rit. Rom. hoc diſcrimen non habet, ſed contrarium explicate tradit; dum ait. *Cum urgente mortis periculo, vel alia cogente neceſſitate ſive parvulus, ſive adultus* &c. Parochi illud legant, & miſſis vanis litibus obſervent.

(g) *Si baptiſmus* &c. *non ideo repetendæ ſunt cæremoniæ.*

Cur repetendæ non ſunt? quia, inquis, jam peractæ fuerunt.

Reſp. At ſi baptiſmus jam peractus, fruſtratorius fuit, cur fruſtratoriæ non fuerunt cæremoniæ? In hac re, quæ ipſo La Croixio teſte n. 341. controverſa eſt, ſemper auctor eſſem, ut acceſſorium ſequeretur principale; quod ſine dubitatione recte fit; at ſi cæremonias omittas, periculum eſt, ne pecces, & graviter pecces.

(h) *Unde eorum officium eſt, baptizatum de rebus fidei* &c. *docere,* adde, ſeuſque doctrinam tradere, quæ non minus ad ſalutem neceſſaria eſt, quam fidei inſtructio. Hinc Catech. Conc. Trid. p. 2. cap. 2. n. 26. inquit. *Neceſſe eſt, ut qui ex baptiſmi fonte vitam ſpiritualem vivere incipiunt, alicujus fidei, & prudentiæ committantur, a quo chriſtianæ Religionis præcepta haurire, ad omnemque pietatis rationem inſtitui poſſint* &c.

(i) *Ut quis* &c. *requiritur 2. uſus rationis.* Recte quidem quoad valorem, ut ſpiritualem cognationem contrahat, ſicut habet etiam Laym. lib. 5. tract. 3. cap. 9. n. 2., & La-Croix p. 217. n. 356.; at ſublata neceſſitate, illi tantum *ad hoc munus vocandi ſunt, qui vices pædagogi, & Magiſtri docentis in rebus fidei, & morum implere valeant;* ut recte ait P. Concina Th. t. 8. p. 189. q. 3. n. 11.

(k) 3. *Ut a Parentibus, vel Parocho deſignatus ſit; ad quod* &c.

La-Croix p. 217. n. 359. ita loquitur. „ Probabilius „ eſt, eum non contrahere cognationem, qui a parenti- „ bus, vel in horum defectu a Parocho non eſt deſi- „ gnatus patrinus. “ Cur probabilius eſt? „ quia, in- „ quit, Trid. poſtulat eſſe deſignatum: ergo &c. Sanch., „ Averſ., Gob. contra Nav., Henriq., Caſtr., & alios. “

Syn. Trid. ſeſſ. 24. cap. 2. de ref. matr. inquit. *Quod ſi alii ultra deſignatos* (hoc eſt, ultra unum tantum, ſive ſit vir, ſive mulier, vel ad ſummum unum, & unam, ut ſupra ſtatuerat) *baptizatum tetigerint, cognationem ſpiritualem nullo pacto contrahant, conſtitutionibus in contrarium facientibus* (ut contra eſt cap. *Quamvis* ſub. tit. 3. lib. 4. in 6.) *non obſtantibus.* Sacra Syn. non ait, non deſignati, ſed *alii ultra deſignatos.* Ergo nulla ratione loquitur de uno tantum tangente non deſignato, vel de uno, & una non deſignatis in ea ſpecie, in qua nulli deſignati ſint. Ergo ſi hic, ſeu hi ad ſuſcipiendum acceſſerint, cognationem ſpiritualem inde contrahunt, hoc eſt impedimentum impediens, & dirimens matrimonium, ut aperte colligitur ex cap. *Quamvis* cit., cui in hac hypotheſi Syn. Trid. non derogavit. Et ita ſentit Laym. lib. 5. tract. 2. cap. 9. citans Nav., Henriq., Sa, Vivald., Suar., Rodrig.

At quid, ſi plures, quam duo deſignati, neque a Parocho rejecti fuerint propter negligentiam, vel ignorantiam?

Laym. loco mox cit., in hac ſpecie idem affirmat, ac in priore, citatis iiſdem, ac ſupra. *Tunc probabilius eſt,* inquit, *omnes veros Patrinos fore* &c.; quod mihi verum videtur, ſi omnes ſimul, ut fieri ſolet, infantem ſuſcipiant, & tangant; quia nulla ratio eſt, cur quidam ad cognationem admittantur, alii ab ea repellantur. Ergo vel nemo, vel omnes cognationem contrahunt. At abſurdum eſt, neminem contrahere: ergo omnes eam contrahunt. De hac ſpecie Sacra Syn. nihil definivit.

Quod ſi contingat, non omnes ſimul, ſed ſucceſſive infantem tangere, cum La-Croixio n. 360. citante Suarezium, & Sanchez, puto eos tantum contrahere, qui primi tangunt; quia hi totum officium expleverunt, ut ait La-Croix.

Adde, quod licet ſacra Syn. Trid. a cognatione alios *ultra deſignatos,* hoc eſt ultra unum tantum, vel ad ſummum unum, & unam explicare ſolum excludat; ex ejus tamen mente alios ultra unum, vel unum, & unam, etiamſi omnes deſignati ſint, eſſe excludendos intelligimus: Ejus enim decretum eo ſpectat, ut ſpirituales cognationes, & matrimonii impedimenta minuat. Ait *ultra deſignatos;* quia ponit, ad ſummum duos, unum, & unam juxta anterius ſuum decretum ad Patrini munus electos.

An ſi plures, quam duo contra ſuam legem deſignentur, hi a cognatione non repelluntur, cum non deſignati repellantur?

Decreti Sacræ Cong., quod hac de re citatur, verba non referuntur, nec in authentica forma exhibetur; proinde nihil cauſſæ eſt, cur de eo quid quam dicatur.

(l) *Alii tamen mortalis cum damnant;* & verius; quia ſcilicet quæro, utrum Parochus in hac ſpecie ſacrorum canonum legibus obviam, necne eat? An quis negare id audeat? Boniſ. VIII. cap. cit. *Quamvis* in 6. ait. *Quamvis non plures, quam unus vir, vel una mulier accedere debeant ad ſuſcipiendum de baptiſmo infantem juxta ſacrorum Canonum inſtituta.* Sacra Syn. Trid. hoc jus temperavit, & *ſtatuit, ut unus tantum ſive vir, ſive mulier juxta ſacrorum Canonum inſtituta, vel ad ſummum* (en benigna ſacrorum canonum ampliatio) *unus, & una baptizatum de baptiſmo ſuſcipiant* &c. At hic ſermo eſt de pluribus, quam *unus, & una,* qui Parochi culpa in Patrinos adhibeantur.

Ergo Parochus contra ſacram Canonum, & Synodi Tridentinæ legem aperte peccat.

Quæro nunc, utrum hæc materia leviuſcula ſit, an gravis ſeu graviſſima? An Pontificum, & generalium Conciliorum leges de rebus levioris momenti feruntur? An cognatio impediens, & dirimens matrimonium leve quid putari poteſt? Hac de re æqui, & pii lectores judicent.

Animadversio I.

Quia de quibuſdam tum ex dictis, tum aliis dubium eſt, v. g. de juſculo &c.

Fide certum eſt, aquam veram, & naturalem eſſe de neceſſitate baptiſmi, ut definitum eſt tum in Concilio Florentino, tum in Trid. ſeſſ. 7. can. 2. de Bapt. at certum eſt, ſalivam, lotium, lacrymas, ſudores, lutum non eſſe veram & naturalem aquam: ergo in his ne in neceſſitate quidem baptiſmus adminiſtrari poteſt; quia inaniter forma baptiſmi adhiberetur; quod eſt ſacrilegum. Concluſionem admittit quoque La Croix p. 210. n. 260. quoad ſalivam, & ſudorem, de quibus tantum loquitur. Et ſane nullum eſſe baptiſmum ſalivæ conſperſione collatum, definit Innoc. IV. cap. 5. *Non ut* tit. 42. l. 3. Dec. ergo idem ſine dubitatione de aliis nominatis liquoribus, qui non minus ab aqua naturali alieni ſunt, quam ſaliva, dicendum eſt; quidquid contra ſine ratione, imo contra rationem, & doctrinam Innoc. cap. cit. docuerint quoad ſalivam, ſudorem, vel ſputum Baunius, & Caſtrop. quorum opinionem merito improbat Leander, ut monet Concina Th. t. 8. p. 188. n. 12.

Item aqua roſacea, & aliæ ſimiles ex herbis, floribus, aliiſque hujuſmodi corporibus expreſſæ, non ſunt veræ aquæ naturales, ſed artificiales; ideoque non ſunt apta baptiſmi materia: ergo ne in neceſſitate quidem iis uti licet, ut baptiſmus conferatur, quidquid contra Buſemb. hic, & La-Croix n. 260. cit. ſentiant. La-Croix putat, baptiſmum ſub conditione, extrema neceſſitate urgente, conferri in aquis diſtillatis poſſe; quia, inquit, „ recentiores dicunt per diſtillationem ex- „ trahi in ſubſtantia aquam naturalem, licet qualitates „ alias ſecum trahat. “ Reſp. De aqua vera, & naturali ex fide neceſſaria ad baptiſmum judicium ferendum eſt juxta communem hominum ſenſum, qui aquas diſtillatas pro aquis non naturalibus, ſed artificialibus habent. „ Contra recentiores iſtos (inquit P. Concina Th. „ t. 8. p. 188. n. 13.) clamant omnes antiqui, & mo- „ derni graviores Theologi: ideo eorum opinio rejicien- „ da eſt. “ Hinc D. Thom. p. 3. qu. 66. art. 4. ad 5. ait: *Quod aqua roſacea eſt liquor roſæ reſolutus. Unde in ea non poteſt fieri baptiſmus; & eadem ratione nec in aquis alchimicis, ſicut nec in vino;* & D. Carolus Borr. Act. p. 4 de bapt. adminiſtratione, inquit: *Aliis autem liquoribus, aut aquis, quæ ex floribus, herbis, aliiſque id generis exprimuntur, eliciunturque, baptiſmum conferri non poſſe, Parochus oſtendet:* & Rituale Rom. juſſu Gre-

gorii XIII. editum (apud P. Concinam Th. t. 8. p. 125. n. 2.) docet, *materiam hujus Sacramenti (baptiſmi) non eſſe aquam artificialem, ut ex roſis, floribus, herbis) ſeu ſimilibus rebus expreſſam, aut diſtillatam, neque quemvis alium liquorem*: & Catech. Conc. Trid. p. 2. de bapt. n. 7. ait: *Materia igitur, ſive elementum hujus Sacramenti, eſt omne naturalis aquæ genus, ſive ea maris ſit, ſive fluvii, ſive paludis, ſive putei, aut fontis, quæ ſine ulla adjunctione aqua dici ſolet*. Aquæ ex roſis, herbis &c. expreſſæ, nec ſunt, nec dicuntur aquæ ſine adjunctione, ſed ſunt, & dicuntur aquæ cum illa adjunctione, *artificiales*, *roſaceæ* &c. Ex his efficitur, ut æquo judicio pro nihilo habenda ſit opinio contraria recitata Buſemb. La-Croix, & aliorum paucorum, quos La-Croix citat.

At quid dicendum de juſculo? Reſp. Syn. Trid. ſeſſ. 7. can. 2. de bapt. ait: *Si quis dixerit, aquam veram & naturalem non eſſe de neceſſitate baptiſmi &c. anathema ſit*. At juſculum non eſt aqua vera, & naturalis; ſed mixtum ex aqua, & particulis adipis, & carnis per totam aquæ molem diffuſis. Nemo unus putat, aut appellat juſculum aquam veram, & naturalem, ſed ſicuti nomine, ita re juſculum ab aqua diſtinguit. Ergo juſculum non eſt apta baptiſmi materia.

Dum Chriſtus materiam, & formam Sacramentorum inſtituit, res communi ſenſui obvias, non reconditas, ideoque communi ſenſu dignoſcendas inſtituit: at juſculum ex communi ſenſu non eſt aqua, ſed aliquid ab aqua diſtinctum: ergo &c.

Rituale Rom. mox cit. docet, materiam baptiſmi eſſe *aquam veram & naturalem, ut fontium, puteorum &c. & ſic quamcumque ſimplicem, & puram, quæ propriam aquæ ſpeciem retineat*: & Catech. Rom. itemmox cit. ait, materiam hujus Sacramenti eſſe *omne naturalis aquæ genus... quæ ſine ulla adjunctione aqua dici ſolet*: at juſculum non eſt aqua ſimplex, & pura, quæ propriam aquæ ſpeciem retineat, nec eſt aqua, quæ ſine ulla adjunctione aqua dici ſolet: imo vero ne aqua quidem cum adjunctione dici ſolet, ſed nomen ab aqua diſtinctum habet.

Adde, quod aqua a Chriſto Domino pro baptiſmi materia inſtituta eſt, quia per ablutionem corporis, & ſordium abſterſionem, apte ſignificat quod baptiſmus efficit in anima, cujus maculas eluit, & abſtergit, ut docet Catech. Conc. Trid. p. 2. de bapt. n. 10. at juſculum, quo corpus non eluitur, ſed inquinatur, hanc ſignificationem non habet: ergo.

Tandem diſcrimen aſſignari non poteſt inter juſculum, & aquas artificiales. Aquæ enim artificiales, ſi vere loquimur, nihil aliud ſunt, niſi aquæ naturales mixtæ cum particulis, ſeu corpuſculis minutiſſimis alterius naturæ. Quid porro aliud juſculum eſt, niſi aqua naturalis cum particulis, ſeu corpuſculis alterius generis permixta? ergo ſicuti pro certo habendum eſt, aquas artificiales non eſſe aptam baptiſmi materiam, quod mox oſtenſum fuit, ita idem de juſculo videtur dicendum.

Quod de juſculo dicitur, idem ex iiſdem rationibus de lixivio dici debet.

At inquies: non ſolum Nat. Alex. Theol. t. 1. p. 160. reg. 1. & Concina Theol. t. 8. p. 127. q. 8. juſculum, & lixivium aptam baptiſmi materiam cenſent; ſed, quod maximum eſt, ipſe S. Thomas p. 3. qu. 66. art. 4. ad 2. & 4.

Reſp. Agitur quidem in præſenti de materia baptiſmi, ſed tamen quæritur, utrum juſculum, & lixivium ſint, & dici poſſint aqua vera, & naturalis. In hac magis phyſica, quam theologica quæſtione a D. Thomæ doctrina diſcedere, nefas non duxi; idque eo conſilio certe non reprehendendo præſtiti, ut collatione baptiſmi in tuto ponerem.

Illud enim certum eſt, in Sacramentis conferendis non licere ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, ut liquet ex prop. 1. ab Innoc. XI. proſcripta. Juſculum, & lixivium eſſe aptam baptiſmi materiam, eſto, probabile ſit propter venerandam S. Thomæ auctoritatem, at id certum quidem non eſt; & contraria ſententia nec improbabilis dici poteſt, & tutior eſt: ergo quoad praxim attinet, nefas certe eſt, in juſculo, & lixivio baptiſmum conferre. Hanc concluſionem, quam Eccleſiæ conſuetudo confirmat, nemo jure reprehendet.

De ptiſana, & cereviſia, quæ eſt ſuccus, ſeu potus ex hordeo, aut alia fruge expreſſus, idem prorſus dicendum eſt, ac de aquis artificialibus.

Si tamen cereviſia ſit valde tenuis, ut Buſemb. ait, in qua ſcilicet plurimum aquæ naturalis permixtum ſit, ſicut etiam aquæ artificiales, quas pharmacolæ longas vocant, inter dubias baptiſmi materias recenſeri poſſe videntur, in eo nunquam adhibendæ, niſi forte extrema urgente neceſſitate; in qua ſpecie ſi baptizatus vixerit, baptiſmus ſub conditione iterandus foret.

Animadversio II.

Non requiritur ad valorem, ut qui baptizatur, emergat ex aqua.

Hanc eamdem ſententiam tradit La-Croix n. 264. & Concina Theol. t. 8. p. 135. q. 8. multis pro ſe citatis, ut apud ipſum legi poteſt.

Quod tamen grave peccatum eſt, eſto nihilominus &c.

Nonnulli quidem citati a La-Croix n. 264. contrarium ſenſere, quos tamen ipſe merito refellit, ut mox oſtendetur.

Uti etiam matrem nihilominus morituram aperire, ut infans baptizetur.

Hæc eſſe gravia, & mortalia peccata, certum eſſe debet.

Laym. unicum caſum excipit, ſi nimirum mater ſit morte digna, & ſi ſupplicium differatur, infans certo ſit moriturus.

Hoc merito inficiatur P. Concina Theol. t. 8. p. 137. n. 14. occidere enim privata auctoritate matrem, licet morte dignam, manifeſtus homicidii reatus eſt, qui nullo fine, nullaque intentione a mortali peccato excuſari poteſt; quia certum eſt, non eſſe facienda mala, ut eveniant bona. Hinc D. Th. p. 3. q. 68. art. 11. ita ſibi objicit 3. loco. *Mors æterna pejor eſt, quam mors corporalis; ſed de duobus malis minus malum eſt eligendum. Si ergo puer in utero matris exiſtens baptizari non poteſt, melius eſſet, quod mater aperiretur, & puer vi eductus baptizaretur, quam quod puer æternaliter damnaretur, abſque baptiſmo decedens*. Quid porro S. Doct. reſpondet? *Ad tertium*, inquit, *dicendum, quod* non ſunt facienda mala, ut veniant bona, *ut dicitur Rom. 3. & ideo non debet homo occidere matrem, ut baptizet puerum: ſi tamen mater mortua fuerit vivente prole in utero, debet aperiri, ut puer baptizetur*.

Hæc decretoria ſunt. Si enim de duobus malis minus eligi poſſit ſine peccato, eligendum ſane eſt: at ſi minus malum eligi non poſſit abſque peccato, non eſt minus, ſed ratione peccati ſit majus; quia peccatum eſt omnium malorum maximum.

Quare quod ſine peccato fieri non poteſt, eligi nunquam poteſt. Ex his fit, ut mater innocens ne publica quidem auctoritate, mater vero morti damnata privata poteſtate aperiri non poſſit, ut infans alioquin ſine baptiſmo moriturus baptizetur; quia in utraque ſpecie homicidii reatus incurritur.

Animadversio III.

Nam ſi pars principalis, v. g. ſcapula, vel pectus, nemo dubitat.

Dubitant quidem aliqui, ut fatetur La-Croix n. 667. qui tamen baptiſmum eſſe certo validum, ſi pars principalis, puta ſcapulæ, vel pectus abluatur, putat; & hanc ſententiam communiſſimam eſſe, ait.

D. Th. p. 3. q. 68. art. 11. ad 4. inquit: *Quod expectanda eſt totalis egreſſio pueri ex utero ad baptiſmum, niſi mors immineat: ſi tamen primo caput egrediatur, in quo fundantur omnes ſenſus, debet baptizari periculo imminente, & non eſt poſtea rebaptizandus, ſi cum perfecte naſci contigerit. Et videtur idem faciendum, quæcumque alia pars egrediatur periculo imminente. Quia tamen in nulla exteriorum partium, integritas vitæ ita conſiſtit, ſicut in capite, videtur quibuſdam, quod propter dubium, quacumque alia parte corporis abluta, puer poſt perfectam nativitatem ſit baptizandus ſub hac forma*: Si non es baptizatus, ego te baptizo.

Ait quidem D. Thom. *videtur quibuſdam*, nec ſuam ſententiam explicate promit; ſed cum aliorum opinionem referat, nec improbet, eam tacite confirmare videtur. Sed audiamus Rituale Rom. cap. de baptizandis parvulis, ubi inquit: *Nemo in utero matris clauſus baptizari debet. Sed ſi infans caput emiſerit, & periculum mortis immineat, baptizetur in capite, nec poſtea, ſi vivus evaſerit, erit iterum baptizandus. At ſi aliud membrum emiſerit, quod vitalem indicet motum, in illo, ſi periculum impendeat, baptizetur; & tunc, ſi natus vixerit, erit ſub conditione baptizandus eo modo* &c.

Ait, *Si aliud membrum* indefinite ſine ulla exceptione. Idem docet S. Carolus Borr. Act. p. 4. de bapt. adminiſt. ubi ait: „Si fetus ex utero matris, quæ in partu periculoſe laborat, vel manu, vel pede, vel alia „aliqua parte extans, ob neceſſitatem in ea ipſa parte ab obſtetrice baptizatus eſt; cum ſuperſtes erit, „ſub conditione baptizetur, adhibitis ceteris baptiſmi „cæremoniis. Si vero in capite, quod primum ex utero prodit, baptizatus eſt forma rite ſervata, quando „ſupervixerit, ad Eccleſiam deferatur, cui tantum reliquæ cæremoniæ adhibeantur, quæ ad ſolemnitatem „baptiſmi attinent."

His tantis auctoritatibus, quidquid alii contra ſenſerint,

rint, baptiſmus dubius habendus eſt, & ſub conditione iterandus, quæcumqua alia pars a capita, etiamſi pectus, aut ſcapulæ, abluantur. Et ita quoque ſentiunt Nat. Alaand. Theol. t. 1. p. 181. reg. praxim ſpect. & Concina Theol. t. 8. p. 135. n. 9.

At inquit La-Croix: „ Verum eſt, talem hominem „ (in quo abluta ſaltem ſit pars aliqua principalis) eſ„ ſe ablutum, uti verum aſt alia læſum, ſi lædatur in „ pectore " Reſp. Hæc ratiuncula eo vitio laborat, quod nimis probet. Nam vere ablutus quoque dicitur, qui in manibus, aut pedibus, aut etiam in digitis abluitur, ſicuti vere læſus, qui in iis partibus vulneratur: nec tamen baptiſmum aſſe certo validum, ſi quis ibi abluatur, ipſi adverſarii, ut puto, aſſerere audebunt. Chriſtus quidem, cum ait Matth. 28. v. 19. *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos* &c. ablutionem intelligit; at quænam ablutio in baptiſmi collatione neceſſaria adhibenda ſit, Eccleſiæ conſuetudo, quæ baptizandos in capite abluit, declarat. Hinc Catech. Concilii Trid. p. 2. de bapt. n. 19. ait: *Atque illud præcipue monere aportet, non quamlibet corporis partem, ſed potiſſimum caput, in quo omnes tum interiores, tum externi ſenſus vigent, abluendum*: & Rituale Rom. de forma bapt. inquit: *Baptiſmus licet fieri poſſit aut per infuſionem aquæ, aut per immerſionem, aut per aſperſionem; primus tamen, vel ſecundus modus, qui magis ſunt in uſu, pro Eccleſiarum conſuetudine retineantur, ita ut trina ablutione caput baptizandi perfundatur, vel immergatur* &c. Ablutio porro ax perpetuo Eccleſiæ uſu in capite nunquam omiſſa, cum baptiſmus confertur, ſatis declarat, ablutiones in aliis corporis partibus adhibitas in baptiſmi collatione, non efficere baptiſmum certum, & indubitatum.

Si tantum crines ſint tincti, licet Card. de Lug. hunc validum eſſe contendat.

Hanc opinionem Card. da Lug. defendit quoque Leander q. 24. & pro eadem laodat Sotum, Valentiam, Suarea, Tolatum, Granadum, & alios; at aam ut fallam explodunt graviores Theologi, ait Concina Theol. t. 8. p. 134. n. 7. Si certo falſa aſſat, baptiſmus ſine conditione eſſet iterandus; at quia res omnino liquida non eſt, ac dubium etiam in propoſita ſpecia merito eſt, utrum aqua caput tetigarit, baptiſmus ſub conditione videtur iterandus, ut periculum iterandi baptiſmi vitatur.

In neceſſitate tamen &c. baptiſmus debet conferri ſub conditione.

Si puer ſecundina involutus ex utero emerſerit, ae periculum mortis immineat, aa fracta baptizandus eſt, ut monet P. Concina Theol. t. 8. p. 134. n. 6. non anim eſt baptiſmo puari tagumentum, uti aſt ſecundina, ſed ipſa puer abluendus aſt, ut ipſa a peccati originalis ſorda eluatur.

Verum, cum baptiſmus dubius in neceſſitata confertur, quia caput ablui non poteſt, ſed ſolum aliæ, aut alia pars a capite, cur ſub conditione conferandus eſt? quænam conditio in hac ſpecia adhibenda aſt? ex quo Rituali deſumpta? an in Sacramentorum quoque adminiſtratione, arbitraria commenta locum habent? an in ipſa eorum forma mutatio fiari poteſt adjecta conditione ſine ulla Eccleſiæ auctoritata? Baptiſmus dubie collatus, ſub conditione quidem itarandus aſt, ut tum animæ ſaluti, tum baptiſmi dignitati conſulatur; quod eccleſiaſtica documenta, ut Catach. Rom. p. 2. de bapt. n. 56. & Rituala Rom. ſupra relatum, nobis tradunt. At cum baptiſmus dubia confertur, quia ablui non poteſt, niſi pars alia a capita, mortiſque periculum imminet, non ſub conditione, ſed abſoluta miniſtrandus eſt, ut ex D. Thoma, & Rituali Rom. diſcimus; ex quibus, cum nulla conditionis mentio fiat, conditionem non eſſa adhibendam intalligimus. Nam ubi conditio adjicienda eſt, illud exprimunt.

Animadverſio IV.

Quæ rectius ita profertur, ut ante tertiam ablutionem non finiatur, quia &c.

Cum trina effuſio adhibetur, ea ita adhibenda eſt, ut cum miniſter dicit, *ego te baptizo in nomine Patris* ✠, fundat primo, *& Filii* ✠, fundat ſecundo, *& Spiritus* ✠ *ſancti*, fundat tertio. Ita Ritual. Rom. de Sacram. bapt.

Animadverſio V.

Quæritur hic, utrum in forma baptiſmi adhibenda ſit particula *amen*, uti habet Buſ. & alii, an ſit omittenda. Eam ſane habet Alex. III. cap. *Si quis* 1. tit. 42. lib. 3. Dec. At nec D. Thom. p. 3. qu. 66. art. 5. nec Catech. Rom. p. 2. cap. 2. n. 13. de Sacr. bapt. nec Rit. Rom. nec Syn. Trid. ſeſſ. 7. de bapt. can. 4. aam ponunt; ideoque rectius omittitur: præſertim cum illud *amen* idem ſit, ac fiat, firmum ſit; quod baptiſmo adjectum, ejus indubitatæ efficaciæ repugnare videtur.

Animadverſio VI.

Valide baptizat, etſi venialiter peccet, qui pro baptizo, *dicit*, abluo &c. *vel* pro te, *utitur communi nomine* &c. *vel proprio.*

Non eſt fidenter pronuntiandum, has mutationes, licet accidentariæ ſint, nec invalidum baptiſmum efficiant, alia venialia peccata.

Mutationes in materia, aut forma Sacramentorum ax genere ſuo ſunt lethales culpæ, ut oſtendit Genett. Th. t. 3. p. 31. qu. 9. Hinc D. Baſilius ab eo citatus inquit: *Ille a gratia excidit, qui addit, aut detrahit ad verba præcepta in Sacramento baptiſmi.* At qui loco illius verbi *baptizo* dicit *abluo*, aut aliquid ſimile, detrahit verbum præſcriptum, & aliud addit: ergo. Idem dicas de eo, qui loco *te* diceret, *hominem*, vel *ſervum Chriſti*, *vel Petrum* &c. Quamvis anim hæc extra Sacramenta, minuta videantur; in ſacramentis tamen ſunt res maximi momanti. Quilibet pius Sacerdos non laviter, ſed graviſſima increparet Sacerdotem, qui conferens baptiſmum non *baptizo*, ſed *abluo* diceret, vel loco *te* diceret *Petrum*, vel aliud quid. Non eſt hic obtrudenda materiæ levitas, quia mutatio non aſt eſſentialis, ſed ſolum accidentaria; ſed in ſumma veneratione habenda quæcumque vox, quæ ex Eccleſiæ conſuetudine, & præcepto in forma ſacramentorum adhiberi debat. Qui mutant aliquid in ſacramentorum forma, Eccleſiæ certe legem violant, eamque violat in ſe graviſſima, & maxime veneranda: ergo miſſis diſputationibus recentium probabilium, qui de omni ferme ra altercantur, gravis, & mortalis culpa valda timenda aſt in eo, qui aliquid deliberate addit, variat, diminuit in forma ſacramentorum. Ita quoque ſenſit ſolidiſſimus Theologus, & maxime pius P. Concina Theol. t. 8. p. 143. n. 5.

Animadverſio VII.

Valet forma, etſi omittat ego.

Ita omnes cum S. Thoma, ait P. Concina p. 142. n. 1. t. 8. cit.

Et amen.

Imo *amen* ex dictis recte omittitur.

Secus, ſi omittat te.

Sunt qui negant; ſed communis, & vera ſententia affirmat, invalidum eſſa baptiſmum, ſi omittatur *te*. Ratio aſt, quia in nullo Euchologio, in nullo Rituali, ubi forma baptiſmi reperitur, deſideratur expreſſio perſonæ baptizandæ. Præterea cum Chriſtus dixit *baptizantes eos*, deſignavit, perſonam baptizandam eſſe exprimendam.

Tandem Eccleſiæ univerſalis conſuetudo in baptiſmo exprimit perſonam, quæ baptizatur. Ergo expreſſio perſonæ baptizandæ eſt neceſſaria, & eſſentialis in baptiſmi collatione. Ita idem Concina p. 143. n. 4.

Animadverſio VIII.

Non valent hæ formæ &c.

Ita ſane; attamen, quod ad rem præſentem facit, illud inquirendum aſt, utrum formæ a Buſembaum deſcriptæ ſint certo, & indubitate invalidæ, an ſolum probabiliter, & dubie. Si anim certo invalidæ ſint, baptiſmus abſolute iterandus eſt, ſi ſolum probabiliter, & dubia, eſt iterandus ſub conditione.

Prima forma, *baptizo te in nominibus* &c. eſt indubitanter invalida ex ratione a Buſemb. allata.

At illa, *baptizo te in Patre, & Filio* &c. *vel cum Patre* &c. non eſt certo invalida, quia hinc inde non ſine ratione diſputatur; & P. Comitolus, qui hac da re fuſe diſputat, aam validam putat, ut notat P. Concina p. 144. n. 9. idemque dicendum, ſi quis dicat: *Ego te baptizo per Patrem, Filium* &c. vel *in nomine Patris per Filium in Spiritu ſancto*, vel *in fide, virtute, majeſtate Patris* &c. vel *in nomine Sanctiſſimæ Trinitatis*, *in nomine Dei unius, & trini*, vel *in nomine trium perſonarum*, de quibus agit etiam Concina n. 10. & ratio eſt quia in his omnibus formis ſubſtantia, ſeu ſenſus verborum non variatur. Ergo indubitanter invalidæ dici non poſſunt. Quare ſi has mutationes non ſine graviſſima culpa fieri contingeret, baptiſmus non abſoluta, ſed ſub conditione iterandus mihi videretur; quod tamen ſapientiorum judicio ſubmitto.

In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti.

Baptiſmus ſub hac forma collatus, aſt ſine dubio invalidus, & iterandus abſolute ſine ulla conditione. Ita docet Pelagius Papa cap. *Si revera* de conſecr. diſt. 4. ubi ait: *Si hi, qui in locis dilectioni tuæ vicinis commorari dicuntur, ſe ſolummodo in nomine Domini baptizatos fuiſſe confitentur, ſine cujuſcumque dubitationis ambiguo, eos ad catholicam fidem venientes in ſanctæ Trinitatis nomine baptizabis.* S. Th. p. 3. q. 66. art. 6. idem confirmat auctoritate Didymi lib. 2. de Spir. ſancto.

Præterea ita diſſentit. *Sacramenta habent efficaciam ab inſtitutione Chriſti. Et ideo ſi prætermittatur aliquid eorum, quæ Chriſtus inſtituit circa aliquod ſacramentum, efficacia caret, niſi ex ſpeciali diſpenſatione ejus, qui virtutem ſuam ſacramentis non alligavit. Chriſtus autem inſtituit, ſacramentum baptiſmi dari cum invocatione Trinitatis, & ideo quidquid deſit ad plenam invocationem Trinitatis, tollit integritatem baptiſmi. Nec obſtat, quod in nomine unius perſonæ intelligitur alia (ſicut in nomine Patris intelligitur Filius) aut quod ille, qui nominat unam ſolam perſonam, poteſt habere rectam fidem de tribus, quia ſicut ad ſacramenta requiritur materia ſenſibilis, ita & forma ſenſibilis. Unde non ſufficit intellectus, vel fides Trinitatis ad perfectionem ſacramenti, niſi ſenſibilibus verbis Trinitas exprimatur. Unde & in baptiſmo Chriſti, ubi fuit origo ſanctificationis noſtri baptiſmi, affuit Trinitas in ſenſibilibus ſignis, ſc. Pater in voce, Filius in humana natura, Spir. ſanctus in columba.*

Animadverſio IX.

Dubiæ ſunt formæ &c. 1. baptizo te in nomine Patris, in nomine Filii &c. vel baptizo te in nomine Patris, baptizo te &c.

Primam formam validam eſſe, negat Bonac. diſp. 11. qu. 11. punct. 4. cui adhærent nonnulli alii. „ Sed hæc „ opinio falſa eſt, cum repetitio illius *nominis* nullo mo„ do ſenſum formæ a Chriſto inſtitutæ immutet. Et „ hæc forma cum *nominis* repetitione uſurpata reperi„ tur in Rituali Eccleſiæ Alexandrinæ tom. 4. Biblioth. „ PP. pag. 58. item in Sacramentario Gelaſii, & in Sa„ cramentario Gallicano edito a Mabillonio tom. 1. „ Muſ. Ital. ubi aliquando tribus, aliquando duabus vi„ cibus *nomen* repetitum legitur. Quis improbabit „ hanc formam, *baptizo te in nomine Dei Patris, Dei Fi*„ *lii, Dei Spiritus ſancti?* Porro ſi repetitio hujus voca„ buli *Deus* non multiplicat divinam ſubſtantiam, mul„ to minus eam multiplicat repetitio in nomine &c." Hactenus P. Concina Theol. t. 8. p. 144. n. 8. Baptiſmus ergo ſub hac forma collatus non videtur repetendus, licet mortaliter peccaret qui eam adhiberet.

Alteram formam, ubi repetitur non ſolum illud *in nomine*, ſed etiam *baptizo* validam eſſe, negat Paulus Comitolus lib. 1. qu. 7. „ Quia, inquit, hic fiunt tres „ ablutiones cum tribus formis imperfectis. Sed proba„ bilior videtur ſententia affirmans, quam communiter „ defendunt Theologi, Sotus in 4. d. 4. qu. 1. art. 3. Eſti„ us in 4. d. 3. §. 6. Toletus lib. 2. cap. 19. & multi „ alii, quos citat, & ſequitur Leander qu. 16. Neque „ verum eſt, quod aſſerit Comitolus, tres eſſe formas „ imperfectas, ſed una eſt forma perfecta moraliter „ continuata cum trina immerſione." Ita idem Concina p. 145. n. 12.

Quia tamen res non omnino liquida hic eſt, baptiſmus in caſu videretur ſub conditione iterandus.

Baptizo te in nomine Genitoris, Geniti & Spirati.

Hanc formam valere affirmat Cajet. 3. p. qu. 66. art. 5. „ Sed negantem ſententiam defendunt communiter „ & Thomiſtæ, & Scotiſtæ, Suarez, Vaſquez, Eſtius „ & communiter ceteri. Hanc eamdem ſententiam doce„ re videtur S. Th. 3. p. qu. 66. art. 5. ad 7. ubi in„ quit: *Sicut aqua ſumitur ad baptiſmum, quia ejus u*„ *ſus eſt communior ad abluendum; ita ad ſignificandum* „ *tres perſonas in forma baptiſmi aſſumuntur illa nomi*„ *na, quibus communius conſueverunt nominari perſonæ* „ *in illa lingua; nec in aliis nominibus perficitur ſacra*„ *mentum*. Argumenta tamen Cajetani fateor non eſſe „ levioris momenti. Nam miſſis metaphyſicis ſpecula„ tionibus, in communi Theologorum ſermone pro eo„ dem accipi ſolent nomina *Genitoris, Geniti, & Spi*„ *rati*." Ita Concina p. 145. num. 11.

Hinc fit, ut baptiſmus ſub tali forma collatus non ſolum mortalem culpam induceret, ſicut de aliis mox commemoratis dicendum eſt, quia conſuetudini & præſcripto Eccleſiæ contrarius; ſed etiam repetendus foret, ſub conditione tamen, quia res non eſt omnino certa.

At ſi quis dicat, *Ego te baptizo in nomine omnipotentis, ſapientis, & boni*, hic baptiſmum certo nullum, ut mihi videtur, efficit: quia Trinitatem non exprimit, cum illa nomina non perſonarum propria, ſed Trinitati communia ſint. Idem ſentio, ſi dicatur, *in nomine ingeniti, geniti, & boni*. Quia licet *ingenitus* ſit character Patris, & *genitus* Filii, bonus tamen eſt attributum commune toti Trinitati.

3. *Baptizo te in nomine Patris &c. & Mariæ Virginis.*

Hæc Buſembaum doctrina confirmatur a D. Thoma p. 3. qu. 60. art. 8.

Animadverſio X.

Vel ex ejus commiſſione Diaconus.

Idem ponit La-Croix, qui p. 311. n. 286. ait: „ Ut „ autem Diacono committi poſſit baptiſmus etiam ſo„ lemnis, non requiritur niſi rationabilis cauſa:" & conſentire videtur Catech. Rom. p. 2. de bapt. n. 23. ubi inquit: *Secundum miniſtrorum locum obtinent Diaconi, quibus ſine Epiſcopi, aut Sacerdotis conceſſu non licere hoc ſacramentum adminiſtrare, plurima Sanctorum Patrum decreta teſtantur*. Ex quo fieri videtur, ut ex Epiſcopi aut Parochi conceſſu baptizare Diaconi poſſint. At idem Catech. in margine hæc habet. *Diaconi ſine neceſſitate baptizare non poſſunt*, & citat diſt. 93. cap. *Diaconos*, D. Thomam 3. p. q. 67. a. 1. & de conſecr. diſt. 4. c. *Cunctas*. Hinc Genettus Th. t. 3. p. 74. q. 1. ait, ſolum Sacerdotem eſſe miniſtrum legitimum baptiſmi; & Concina Th. t. 8. p. 124. n. 5. aſſerit, ſolum Sacerdotem eſſe hujus Sacramenti ex officio miniſtrum. D. Th. p. 3. q. 67. a. 1. ait: *Dicuntur autem Diaconi, quaſi miniſtri; quia videlicet ad Diaconos non pertinet aliquod Sacramentum principaliter, & quaſi ex proprio officio præbere, ſed adhibere miniſterium aliis majoribus in ſacramentorum exhibitione. Et ſic ad Diaconum non pertinet quaſi ex proprio officio tradere Sacramentum baptiſmi, ſed in collatione hujus ſacramenti, & aliorum aſſiſtere, & miniſtrare majoribus. Unde Iſidorus dicit*: „ Ad Dia„ conum pertinet aſſiſtere, & miniſtrare Sacerdotibus „ in omnibus, quæ aguntur in Sacramentis Chriſti, in „ baptiſmo ſcilicet, in chriſmate, in patena, & calice."

His, inquis, Buſ. & La-Croix, aliique ab hoc citati non repugnant; quia concedunt, Diaconum ex officio non poſſe baptizare; ſed ſolum ex commiſſione.

Reſp. Vox illa *ex officio* æquivoca hic eſt. Nam vel ſignificat actum ex juriſdictione exercitum; quo ſenſu nec Diaconus, nec ſimplex Sacerdos ex officio baptizare poteſt; vel innuit actum ex ordinis poteſtate obeundum; quo ſenſu Sacerdos ex officio baptizare poteſt, non Diaconus. Quia juxta D. Thomam, & D. Iſidorum mox citatos, ad Diaconum ex officio, & poteſtate ordinis pertinet non baptizare, ſed baptizanti miniſtrare. Porro quod ad Diaconum ex officio poteſtate ordinis non pertinet, ex alterius commiſſione, ſeu delegatione ei licere non poteſt; quia poteſtas ex commiſſione, ordinis poteſtatem pro fundamento habere debet. Hinc Gelaſius I. Papa (cap. 13. diſt. 93.) ait: *Diaconos propriam conſtituimus obſervare menſuram* . .. *abſque Epiſcopo, vel Presbytero baptizare non audeant, niſi prædictis ordinibus fortaſſe longius conſtitutis neceſſitas extrema compellat; quod & laicis chriſtianis facere plerumque conceditur*. Et S. Iſidorus inquit: (habetur cap. *Conſtat* de conſec. diſt. 4.) *Conſtat baptiſma ſolis Sacerdotibus eſſe tractandum; ejuſque myſterium nec ipſis Diaconis explere eſt licitum abſque Epiſcopo, vel Presbytero, niſi his procul abſentibus ultima languoris neceſſitas cogat*.

Laym. lib. 5. tract. 2. cap. 7. Gelaſii Papæ auctoritate ſuam opinionem, quæ eadem eſt, ac Buſemb. La-Croixii, & aliorum, confirmari exiſtimat: ideoque illud *abſque Epiſcopo, vel Presbytero* accipit, perinde ac ſi diceret, abſque Epiſcopi, vel Presbyteri commiſſione.

At hæc interpretatio, utpote quæ Diaconum quoad baptiſmi adminiſtrationem ſimplici Sacerdoti parem facit, merito extorta dicitur. Ergo illud *abſque Epiſcopo, vel Presbytero baptizare non audeant* Diaconis inhibet, ne ſe in baptiſmi miniſterium ſoli intrudant, ſed ſolum miniſtrent Epiſcopo, vel Presbytero tamquam principalibus miniſtris baptizantibus, ſicuti explicate docet D. Thom. citatus, & ſatis intelligitur ex verbis S. Iſidori. Hinc idem D. Thom. ad 3. art. cit. ait; *quod quia baptiſmus eſt Sacramentum neceſſitatis, permittitur Diaconis, neceſſitate urgente, in abſentia majorum baptizare; ſicut patet ex auctoritate Gelaſii ſupra inducta. Et hoc modo Beatus Laurentius Diaconus exiſtens baptizavit*. Quare Rit. Rom. de bapt. ait: *Legitimus quidem baptiſmi miniſter eſt Parochus, vel alius Sacerdos* (ait Sacerdos, non Diaconus) *a Parocho, vel ab Ordinario loci delegatus*. Ergo Diaconi ex commiſſione baptizare non poſſunt, ſed ſolum ex neceſſitate, quia ſcilicet Sacerdotes deſunt, & baptiſmi miniſtrandi neceſſitas urget. Hanc concluſionem Eccleſiæ conſuetudo confirmat, ex qua Diaconis nec ordinarie, nec extra ordinem baptizandi miniſterium delegatur.

Animadverſio XI.

Diaconus non tantum in extrema neceſſitate, ſed etiam in alia notabili baptizare poteſt.

Hæc ſcilicet opinio eſt contraria ſacris Canonibus mox recitatis, ubi dicitur a Gelaſio Papa: *Niſi prædictis ordinibus fortaſſe longius conſtitutis, neceſſitas extrema compellat*: & a D. Iſidoro: *Niſi his procul abſentibus ultima languoris neceſſitas cogat*. Hæ ſunt regulæ, a quibus ſana Theologia non diſcedit.

Ani-

Digitized by Google

Animadverſio XII.

Quod ſi laicus baptizet præſente Sacerdote, & ſecundum quoſdam etiam præſente diacono, cenſent eſſe mortale.

Quoad primum, ſententia communis eſt, ait P. Concina Th. t. 8. p. 124. n. 6. pro altera propoſitionis parte præter alios idem Conc. citat Vaſquez, Henricum a S. Ignatio, Farvacquelium, Laurentium Berti.

Ratio prioris eſt, quia cum adeſt Sacerdos, nullum jus baptizandi competit laico, cum non ſit neceſſitas, quæ ſola hoc jus tribuit, ut ipſe baptizet. Porro uſurpare ſibi jus rei graviſſimæ, uti eſt Sacramenti adminiſtratio, non poteſt eſſe niſi mortalis culpa. Ergo laicus baptizans præſente Sacerdote mortaliter peccat; idemque dicas ex eadem ratione, ſi baptizet præſente diacono; quia extrema urgente neceſſitate jus baptizandi ad diaconum devolvitur, cum abeſt Sacerdos. Ita ſcilicet hierarchiæ ordo poſtulat.

Animadverſio XIII.

In caſu tamen neceſſitatis, poſſe ſub conditione ita &c. ut v.g. mutus &c. docet &c.

Hanc opinionem tuentur quoque Cajet. Leander variis citans, Paludanus, ut refert Concina Th. t. 8. p. 156. n. 50. ſed conditionis mentio non fit, quæ hic locum nullum habere videtur. Huic opinioni adverſatur Concina, qui talem baptiſmum nullum eſſe pronuntiat, & ſaltem ſub conditione repetendum, ait: nec enim neceſſitas valorem conferre poteſt baptiſmo, qui reipſa nullus eſt: at baptiſmus, in quo alter materiam applicat, alter formam pronuntiat, teſte Bulembao nullus eſt: ergo nullus quoque eſt, etiamſi ex neceſſitate ita conferatur: ex quo fit, ut baptiſmus hoc modo nunquam ſit conferendus. Hinc D. Th. p. 3. q. 67. a. 6. ita ſibi tertio loco objicit: *Baptiſmus eſt ſacramentum maximæ neceſſitatis, ſed in aliqua caſu videtur eſſe neceſſarium, quod plures ſimul baptizent; puta ſi aliquis parvulus eſſet in articulo mortis, & adeſſent duo, quorum alter eſſet mutus, & alter manibus, & brachiis careret; tunc enim oporteret, quod mutilatus verba proferret, & mutus actum baptiſmi exerceret: ergo videtur, quod plures ſimul poſſint unum baptizare.* Quid ad hæc S. Doctor? an parvulum eſſe ſaltem ſub conditione baptizandum, reſpondet? minime vero, ſed ait, *quod, ſicut ſupra dictum eſt, integritas baptiſmi conſiſtit in forma verborum, & in uſu materiæ. Et ideo neque ille, qui tantum verba profert, baptizat, neque ille, qui immergit. Et ideo ſi unus verba proferat, & alius immergat, nulla forma verborum poterit eſſe conveniens. Neque enim poterit dici*, ego te baptizo, *cum ipſe non immergat, & per conſequens non baptizet. Neque enim poterit dici*, nos te baptizamus, *cum neuter baptizet.* Ubi porro nulla forma baptiſmo conveniens reperiri poteſt, baptiſmus non eſt conferendus, & collatus nullus eſt: ergo ſi alter, ut mutus, applicare non poſſit, niſi materiam, alter vero, ut brachiis carens, non poſſit, niſi formam proferre, baptiſmus conferendus non eſt, & collatus, eſt nullus. Hoc expreſſe ait q. 66. a. 5. ad 4. in hæc verba. *Si convenirent duo, quorum unus eſſet mutus, qui non poſſet proferre verba, & alius carens manibus, qui non poſſet exercere actum, non poſſent ambo ſimul baptizare, uno dicente verba, & alio exercente actum.*

Quod ſi qui verba profert, ſub conditione baptizet; e. g. *Si poſſum baptizare, ego te baptizo* &c. conditio ridicula, inania, & contradictoria eſt. Qui enim verba profert, non poteſt, ut ponimus, baptizare, quia non poteſt abluere. An in baptiſmo licet adhibere conditionem ridiculam, & contradictoriam? hoc nihil aliud eſt, niſi res ſacratiſſimas ſacrilege tractare. Ergo in ſpecie, de qua ſermo eſt, baptiſmus nec abſolute, nec ſub conditione conferendus eſt, ſed omittendus, quia quacumque ratione conferatur, fruſtra, & ſacrilege confertur.

Animadverſio XIV.

Si quiſque per ſe intendat &c. valide baptizat.

Hæc ſententia communis, & vera eſt, ut ait Concina Theol. t. 8. p. 142. n. 3. eamque tradit D. Thomas p. 3. q. 67. a. 6. loquendo de iis, qui ſimul baptizant, hoc eſt ſimul verba proferunt, & abluunt.

Nam ſi quis prius verba proferret, *daret baptiſmi ſacramentum: alius vero, quantumcumque jus baptizandi haberet, nihil faceret;* ut ait idem S. Doct. & fatetur Bulemb.

Animadverſio XV.

Quas tamen pœnas non videtur incurrere, qui, etſi ſine juſta cauſa, rebaptizat ſub conditione: quia &c.

P. Concina contra Leandrum affirmat, irregularitatem in hac ſpecie incurri Th. t. 8. p. 186. n. 13. & merito. Nam Catech. Concilii Tridentini p. 2. de bapt. n. 57. inquit: *Qua in re diligenter a Paſtoribus aliqua providenda ſunt, in quibus fere quotidie non ſine maxima ſacramenti injuria peccatur. Neque enim deſunt, qui nullum ſcelus admitti poſſe arbitrentur, ſi quemvis ſine delectu cum adjunctione illa* (hoc eſt ſub conditione) *baptizent. Quare ſi infans ad eos deferatur, nihil prorſus quærendum putant, an is prius ablutus fuerit, ſed ſtatim ei baptiſmum tribuunt; quin etiam quamvis exploratum habeant, domi ſacramentum adminiſtratum eſſe, tamen ſacram ablutionem in Eccleſia, adhibita ſolemni cæremonia, cum adjunctione repetere non dubitant; quod quidem ſine ſacrilegio facere non poſſunt, & eam maculam ſuſcipiunt, quam divinarum rerum ſcriptores irregularitatem vocant. Nam ea baptiſmi forma ex Alexandri Papæ auctoritate in illis tantum permittitur, de quibus, re diligenter perquiſita, dubium relinquitur, an baptiſmum rite ſuſceperint; aliter vero nunquam fas eſt etiam cum adjunctione baptiſmum alicui iterum adminiſtrare.* Et S. Carolus Borr. Act. p. 4. de bapt. adm. ait: *Quod ſi re accurate inveſtigata exploratum habuerit, illum formis ſervata baptizatum eſſe, caveat omnino, ne hanc ſub conditione baptizandi formam adhibeat, cum ſacrilegium committat, ſi contra fecerit, & illud impedimentum contrahat, quod ſacri Canones irregularitatem vocant.*

Animadverſio XVI.

Quod ſi vero caput tantum ſit ferinum, putat eſſe baptizandum Comitolus.

Ego vero contrarium ſentio. Cum enim tum ſenſus omnes, tum anima rationalis in capite, veluti in ſua ſede juxta doctiſſimorum Philoſophorum ſententiam reſideat, nec in capite ferino rationalis anima eſſe poſſit; monſtrum, cujus caput ferinum eſt, etiamſi reliqua membra humana videantur, neceſſe eſt, ut anima rationali ſit deſtitutum; ideoque baptiſmi incapax. Rituale Rom. de baptiz. parvul. ait: *Monſtrum, quod humanam ſpeciem non præſefert, baptizari non debet; de quo ſi dubium fuerit, baptizetur ſub conditione: Si tu es homo, ego te baptizo &c.* Humani porro corporis ſpecies ex capite præſertim deſumenda eſt; ideoque monſtrum, quod habet caput ferinum, non hominis, ſed belluæ ſpeciem præſefert: ergo baptizari non debet.

Animadverſio XVII.

Sub conditione baptizandi ſunt. 2. Infantes expoſiti, & reperti ſine ſcheda teſtante de baptiſmo.

Bulemb. Intelligendus eſt de Chriſtianorum expoſitis infantibus. Nam ſi infantes expoſiti, eſſent Judæorum, Turcarum, Ethnicorum, baptizandi eſſent abſolute, ſine conditione; quia pro certo habendum eſt, hujuſmodi infantes non fuiſſe baptizatos.

Secus, ſi cum &c. Ita commun. Quint. tamen &c.

Alex. 3. cap. 2. tit. 42. lib. 3. Decret. ait: *De quibus dubium eſt, an baptizati fuerint, baptizentur his verbis præmiſſis: Si baptizatus es, non te baptizo: ſed ſi nondum baptizatus es, ego te baptizo, &c.*

Rituale Rom. de bapt. parvulis inquit: *Infantes expoſiti, & inventi, ſi, re diligenter inveſtigata, de eorum baptiſmo non conſtat, ſub conditione baptizentur.* Cap. *Placuit* de conſecrat. diſt. 4. ex Concil. Carthaginenſi deſumpto dicitur: *Placuit de infantibus, quoties non inveniuntur certiſſimi teſtes, qui eos baptizatos eſſe ſine dubitatione teſtentur, neque ipſi ſunt per ætatem idonei de traditis ſibi ſacramentis reſpondere, abſque ullo ſcrupulo eos eſſe baptizandos, ne iſta trepidatio eos faciat ſacramentorum purgatione privari:* At ſchedæ appoſitæ infantibus expoſitis certiſſimam fidem ordinarie loquendo non faciunt de baptiſmo, nec omnem dubitationem rationabilem de oppoſito adimunt. Primo enim neſcitur, quis ſchedam appoſuerit, & quo animo, utrum pio, an impio: ergo illa ſcheda eſt teſtis incertus collati baptiſmi. Secundo neſcitur, a quo baptiſmus fuerit collatus, ideoque rationabiliter dubitatur, utrum rite fuerit adminiſtratus, an contra; ergo infantes reperti cum ſcheda teſtante de baptiſmo, ordinarie loquendo ſunt baptizandi ſub conditione. Quod ſi ſcheda indubitatam fidem faceret baptiſmi collati, ne ſub conditione quidem infans expoſitus eſſet baptizandus. Hanc ſententiam ſequitur quoque La-Croix p. 214. n. 318. alios pro ſe citans, eamque confirmat deciſio Sacræ Congr. 25. Jan. 1724., quam in hunc La-Croix locum affert P. Zacharia, & in qua ita habetur. *Dubitatum fuerat, quomodo ſe gerere deberet Parochus S. Spiritus in Saxia* (Romæ) *in collatione baptiſmi infantibus, qui ad Archi-hoſpitale deferuntur, ſive iidem habeant ſchedulam de baptiſmo teſtantem, ſive non habeant, & etiamſi ex colo-*

re, & ceteris corporis qualitatibus deprehendatur, eoſdem eſſe conſtitutos in ætate ſex, aut decem menſium, vel unius anni cum dimidio. Reſpondit S. Congr. eſſe baptizandos ſub conditione in omnibus caſibus expoſitis juxta inſtructionem: & inſtructa eſt, quod excipiatur a baptiſmo ſub conditione ſchedula, quæ haberet certitudinem.

Animadversio XVIII.

Infantes ob obſtetricibus, vel &c. baptizatos .... baptizare non licet, quia de valore .... dubitari non poteſt. Suar. Laym. &c.

Hactenus recte; ideoque contraria conſuetudo quorumdam Parochorum jure improbatur, ſi videlicet omnes domi baptizatos ſub conditione promiſcue rebaptizent, ut liquet ex auctoritate Catech. Rom., & S. Caroli Borrom. rel. ad reſp. 2. cap. 2. h. dub. 4. & ut docent Nat. Alex. Theol. t. 1. p. 218. reg. 4. Genettus Theol. t. 3. p. 70. q. 5. & Concina Theol. t. 8. p. 184. q. 6. Hinc Rituale Rom. (Ord. ſuppl. omiſſa ſuper baptiz.) ait: *Cum urgente mortis periculo, vel alia cogente neceſſitate ſive parvulus, ſive adultus, ſacris precibus, ac cæremoniis prætermiſſis, fuerit baptizatus, ubi convaluerit, vel ceſſaverit periculum, & ad Eccleſiam delatus fuerit, omiſſa omnia ſuppleantur* &c. *excepto quod interrogatio, an velit baptizari, formaque baptiſmi, & ablutio prætermittuntur.* Baptiſmus ergo ſub conditione iterari non poteſt, niſi ubi prudens dubium eſt de baptiſmo rite collato. Itaque cum baptiſmus domi fuit adminiſtratus, vel ab obſtetrice perita, & integræ famæ, vel ab alia perſona, de qua nulla rationabilis dubitandi cauſa ſit, vel, ſi fuerit aliqua ſuſpicio, examinata perſona baptizante de materia, forma, & intentione, ſuſpicio omnis evanuerit, baptiſmus ne ſub conditione quidem repetendus eſt.

Idem porro dicendum eſt de baptizatis ab hæreticis; quorum baptiſmus dubium non eſt quin validus ſit, dummodo ſervata fuerit debita forma, materia, & intentio. Hinc cap. *Si qui* (48. diſt. 4. de conſecr.) ex Div. Auguſt. deſumpto dicitur: *Si qui apud illos hæreticos baptizati ſunt, qui in Sanctiſſimæ Trinitatis confeſſione baptizant, & veniunt ad nos, recipiantur quidem ut baptizati, ne ſanctæ Trinitatis invocatio, vel confeſſio annulletur: ſed doceantur* &c. & cap. *Si revera* 30. de Conſecr. diſt. 4. Pelagius Papa inquit: *Si revera hi de hæreticis, qui in locis tuæ dilectioni vicinis commorari dicuntur, ſolummodo ſe in nomine Domini baptizatos fuiſſe forſan confitentur, ſine cujuſquam dubitationis ambiguo eos ad catholicam fidem venientes in ſanctæ Trinitatis nomine baptizabis. Sin vero apud dilectionem tuam eorum, qui converti volunt, manifeſta confeſſione claruit, quod in nomine Trinitatis fuerint baptizati, ſola reconciliationis impenſa gratia, catholicæ ſociare fidei maturabis.* Sed de his legi etiam poſſunt Genett. Theol. tom. 3. Nat. Alex. to. 1. p. 218. reg. 4. Concina Theol. t. 8. p. 184. q. 5.

Animadversio XIX.

Cæremoniæ baptiſmi petendæ ſunt ex agenda cujuſque Eccleſiæ.

Cæremonia baptiſmi ex Rituali Romano petendæ ſunt, ubi, ut ait Paulus V., *Catholica Eccleſia, & ab ea probatus uſus antiquitatis, ritus ſtatuit*, cui omnes peculiares Eccleſiæ ſeſe conformare debent, ne ab univerſali Eccleſia diſcordent, ſicuti idem Pontifex eas hortatur.

Interim quoad hoc in magnatibus &c. *connivetur* &c.

Hæc connivenția eſt aperta inobedientia legis cap. *Præſenti* mox referendæ. Hinc Rituale Rom. ait: *Itaque neceſſitate excepta, in privatis locis nemo baptizari debet, niſi forte ſint Regum, aut magnorum Principum filii, id ipſis ita depoſcentibus, dummodo id fiat in eorum Capellis, ſeu Oratoriis, & in aqua baptiſmali de more benedicta.* Qui contra faciunt, hos mortaliter peccare affirmat Wigandt in Trib. p. 485. n. 65.

Infantes ex conſuetudine deferendos &c. *niſi ſit* &c.

Ex Genetto Theol. t. 3. p. 78. q. 9 in Galliæ diœceſibus communiter prohibetur baptiſmum ultra tres dies differri; idemque in nonnullis Italiæ Synodis ab eodem citatis ſtatuitur. Syn. Patavina anni 1624. ita inquit: *Moneant Parochi patresfamilias, ne filiorum regenerationem differant, ſed longius intervallum, quam octo dierum a natali die, labi ne ſinant.* Ratio eſt manifeſta: *prima quidem, quia non expectatur in eis major inſtructio, aut etiam plenior converſio: ſecundo propter periculum mortis, quia non poteſt eis alio remedio ſubveniri, niſi per ſacramentum baptiſmi.* Ita D. Thom. p. 3. q. 68. a. 3.

Porro Patrinorum expectatio gravis quidem cauſa eſſe poteſt ad ſæculi ſenſum, non ad ſenſum pietatis. Quid aliud eſt baptiſmum differre, ut Patrini expectentur, niſi ſacratiſſimarum rerum rationem, & animæ neceſſitatem accommodare, & ſubdere inani pompæ, & ſæculi rationibus? Hujuſmodi dilationem reprehendunt Synodi Lingonienſis, & Bituricenſis, quas refert Genettus Theol. t. 3. p. 77. 78. q. 9.

Contra Buſem. ſcripſi: *Cæremoniæ baptiſmi ex Rituali Romano petendæ ſunt* &c.

P. Zach. in Buſ. defenſionem miſſis aliis ineptiis ejus verbis ita loquitur. „ Quemadmodum antea a Rituali „ Romano inconſulto diſceſſeras, ita nunc imprudenter „ poſtulas, ut Eccleſiæ omnes Rituali Romano ſeſe „ conforment. Nonne Ambroſiana Eccleſia, nonne Ec- p. cxxxiv. in fine col. 2. „ cleſiæ Gallicanæ, nonne Mozarabum Eccleſiæ in Hi„ ſpaniis, Romana permittente Eccleſia, peculiares „ ſuos ritus ſervant? Cur ergo eas de ſua poſſeſſione „ deturbas? &c.

Reſp. Mi Zach., quid ais? His tuis verbis non tam me, quam Paulum V. Pontificem maximum vituperas, qui in præfatione Rituali Romano præfixa inquit. *His ita conſtitutis reſtabat, ut uno etiam volumine comprehenſi Sacri & ſinceri Eccleſiæ catholicæ ritus, qui in Sacramentorum adminiſtratione, aliiſque eccleſiaſticis functionibus ſervari debent ab iis, qui curam animarum gerunt, apoſtolicæ Sedis auctoritate prodirent, ad cujus voluminis præſcriptum in tanta Ritualium multitudine, ſua illi miniſteria tanquam ad publicam, & obſignatam normam peragerent, unoque, ac fideli ductu inoffenſo pede ambularent cum conſenſu.*

Cæremoniæ Romani Ritualis *ſunt ſacri, & ſinceri Eccleſiæ catholicæ ritus* ex Paulo V. Licet ne a ſacris, & ſinceris Eccleſiæ catholicæ ritibus recedere? Synod. Trid. ſeſſ. 7. can. 13. ita decernit: *Si quis dixerit, receptos, & approbatos Eccleſiæ catholicæ ritus, in ſolemni Sacramentorum adminiſtratione adhiberi conſuetos aut contemni, aut ſine peccato a miniſtris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque Eccleſiarum paſtorem mutari poſſe, anathema ſit.* Ergo a cæremoniis Ritualis Romani recedere non licet.

Hinc Paulus V. *in tanta Ritualium multitudine*, non permittit, ut unaquæque Eccleſia ſuum ritum ſervet, ſicut perperam Buſ. voluit, ſed ex eodem *ſervari debent* ritus præſcripti a Rituali Romano.

At Eccleſiæ, quas nominaſti, *Romana permittente Eccleſia, peculiares ſuos ritus ſervant.*

Reſp. Duo hic, mi Zach., quæ non probas, tibi probanda ſunt: primum, in Sacramentorum adminiſtratione, aliiſque eccleſiaſticis functionibus (de Breviario & Miſſali non loquimur) ſuos peculiares ritus diverſos a ritibus Ritualis Romani ſervare Eccleſias, quas nominaſti. Alterum, id præſtare ex Eccleſiæ Romanæ, ſeu Romani Pontificis permiſſu. Si hæc duo probaveris, bene habet quoad Eccleſias a te nominatas, non autem quoad eas, ſi quæ ſunt, quæ propria auctoritate a Rituali Romano recedunt. At generalis Buſemb. regula neceſſario repudianda eſt, quia Rituale Romanum tanti facit, quanti aliarum Eccleſiarum Ritualia, non pluris, neque vult, illud eſſe univerſalem rituum regulam; quod eſt contra ejus auctoritatem, & dignitatem, contra ſenſum Pauli V., & contra Synodum Tridentinam. Hujuſmodi ſunt noſtri opinatores, qui in Dei quoque legem tribunal erigunt! Quamquam ipſum officium Mozarabicum, ſeu gothicum, quod in Hiſpanica Eccleſia diu viguit, Gregorii VII. auctoritate in Romanum mutatum fuit, ut teſtatur Nat. Alexander Hiſt. Eccl. t. 5. Sæc. VII. cap. IV. art. VIII. p. 640.

Animadversio XX.

Sed in hoc prohibet Clem &c. *niſi ſit* &c.

Clementina unica (tit. 15. lib. 3. Clem.) non ſolum cæremonias adhiberi, ſed ipſum baptiſmum adminiſtrari in privatis domibus vetat, niſi neceſſitas aliud expoſcat, exceptis Regum &c. filiis. En ejus verba: *Præſenti prohibemus edicto, ne quis de cetero in aulis, vel cameris, aut aliis privatis domibus, ſed dumtaxat in Eccleſiis, in quibus ſunt fontes ſpecialiter deputati, aliquos (niſi Regum, vel principum, quibus valeat in hoc caſu deferri, liberi extiterint, aut talis neceſſitas emerſerit, propter quam nequeat ad Eccleſiam abſque periculo propter hoc acceſſus haberi) audeat baptizare. Qui autem ſecus præſumpſerit, aut ſuam in hoc præſentiam adhibuerit, taliter per Epiſcopum ſuum caſtigetur, quod alii attentare ſimilia non audeant.*

De patrino tamen uſus habet, ut & tunc adhiberi poſſit, etſi non ſit neceſſe.

Uſus Patrini in Eccleſia antiquiſſimus eſt, & ab Apoſtolis derivatus, ut docet D. Dion. cap. ult. Eccl. Hier. his verbis: *Divinis noſtris ducibus* (hoc eſt interprete Angelico Apoſtolis) *ad mentem venit, & viſum eſt ſuſcipere infantes ſecundum iſtum ſanctum modum, quod naturales pueri parentes traderent puerum cuidam docto in divinis pædagogo, & reliquum ſub ipſo puer ageret, ſicut ſub divino patre, & ſalvationis ſanctæ ſuſceptore.* Hæc anti-

antiquiſſima diſciplina, & Eccleſiæ conſuetudo legis vim habet. Hinc Parochi ſolemniter baptizantes ſine Patrinis, ex communi ſententia mortaliter peccant, ut habet P. Concina Theol. t. 8. p. 189. n. 12. quam ſententiam probat quoque La-Croix p. 216. n. 348. Addit quidem Concina, in privato baptiſmo non videri attingere præceptum illud, præſertim neceſſitate urgente; nec dubium eſt, quin unus ſolus poſſit baptizare neceſſitate imminente; ut docet D. Th. 3. p. q. 67. a. 7. ad 2. At ſi Patrinus haberi poteſt, cur non eſt adhibendus? Patrinus enim ex lege adhibetur, ut ſit inſtructor, & tutor baptizati quoad ſpiritualem vitam: hæc porro ratio locum habet, ſeu baptiſmus in privata domo, & ſine ſolemnitate, ſeu in Eccleſia ſolemniter adminiſtretur: ergo Patrinus neceſſario adhibendus eſt etiam in privato baptiſmo.

Si patrinus adhiberetur in gratiam ſolemnitatum baptiſmi, his non adhibitis patrinus recta omitteretur: at patrinus adhibetur non in gratiam ſolemnitatum baptiſmi, ſed in gratiam baptizati: ergo adhiberi debet, etiamſi ſolemnitates omittantur.

Animadversio XXI.

Valide quidem, ſed illicite ſunt patrini &c.

Buſemb. hic rem involvit. Abbates, & Monachos non poſſe ſuſcipere infantes in baptiſmo, lex clara eſt ex cap. *Non licet* de conſecr. diſt. 4 ubi dicitur: *Non licet Abbati, vel Monacho de baptiſmo ſuſcipere filios, nec commatres habere*. Monachorum vero nomine omnes Regulares cujuſcumque ordinis venire, intelligitur ex Rituali Romano, ubi loquendo de patrinis ait: *Præterea ad hoc etiam admitti non debent Monachi, vel Sanctimoniales, neque alii cujuſvis ordinis Regulares a ſæculo ſegregati*.

Ratio hujus legis eſt, ut Regularibus præcidatur occaſio exeundi a monaſterio, & familiaritatem ineundi cum ſæcularibus, ac præſertim cum feminis: quæ ratio cum noſtro quoque tempore vigeat, oſtendis irrationabilem eſſe conſuetudinem contrariam, ut Abbates in multis locis, ſicut ait Buſemb. ſint ſuſceptores; ideoque talis conſuetudo legi non derogat, nec ab ejus præcepto liberat, nec Abbates a peccato excuſat. Cur enim hi ab ea lege ſoluti ſint, ſi Monachi, aliique Regulares ea tenentur?

Apoſtatæ, & hæretici, qui nulla caſu &c. *quia ea advocatio eſſet proteſtatio quaſi falſæ religionis, cum nonniſi de falſa fide ſint ſponſuri*.

Hactenus rectiſſime. Hinc Rituale Rom. ita habet: *Sciant præterea Parochi ad hoc munus non eſſe admittendos infideles, aut hæreticos*: & Catechiſmus Synod. Trid. p. 2. de bapt. num. 29 ait: *Hæretici in primis, Judæi, Infideles ab hoc munere omnino prohibendi ſunt, ut qui in ea cogitatione, & cura ſemper verſentur, ut fidei veritatem mendaciis ſemper obſcurent, atque omnem chriſtianam pietatem evertant*.

Et hæc eſt communiſſima ſententia, ut fatetur La-Croix p. 218. n. 373.

Itaque rejiciendus eſt Laym. qui dicit, poſſe ſubinde ob gravem cauſam admitti. Hoc enim fatente ipſo La-Croixio juxta communiorem ſententiam eſt intrinſece malum, ut ſcilicet hæreticus ad officium patrini admittatur, ideoque ex nulla cauſa admitti poteſt.

Id liquet ex Ap. 2. ad Cor. 6. ubi ait: *Nolite jugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio juſtitiæ cum iniquitate? Aut quæ ſocietas lucis ad tenebras? Quæ autem conventio Chriſti ad Belial? Aut quæ pars fideli cum infideli?* &c. *Propter quod exite de medio eorum, & ſeparamini*.

Graviter peccant, qui patrinos hæreticos non repellunt; primo quia eos admittunt ad communionem ipſarum rerum ſacrarum, hoc eſt in adminiſtratione baptiſmi, & ſolemnibus ejus cæremoniis. Secundo quia patrinus ex D. Dionyſio ſupra cit. debet eſſe pueri pædagogus, divinus Pater, ſalvationis ſanctæ ſuſceptor At hæreticus non eſt, niſi perverſæ doctrinæ inſtructor, diabolicus animæ homicida, ſalutis peremptor: ergo non poteſt admitti ad officium patrini.

Neque vero, ut falſo ait Laym. *obligatio, & officium inſtruendi nunc ferme ablatum eſt a Patrino*. Sed, ut ait S. Thom. p. 3 q. 67. a. 8. *ubi* (pueri) *nutriantur inter catholicos chriſtianos, ſatis poſſunt* (patrini) *ab hac cura excuſari, præſumendo, quod a ſuis parentibus diligenter inſtruantur*. *Ceterum ille, qui ſuſcipit aliquem de ſacro fonte, aſſumit ſibi officium pædagogi; & ideo obligatur ad habendam curam de ipſo, ſi neceſſitas immineret, ſicut eo tempore, & loco, in quo baptizati inter infideles nutriantur*. Ita idem S. Th. art. cit. Itaque hæretici ab officio ſuſceptorum ſemper quidem, & ubique repellendi ſunt, utpote qui contraria omnia facturi merito credantur, ac facere pollicentur, & debent; ſed maxime cum baptizandi inter hæreticos nutriantur, ubi neceſſarium eſt, ut a periculis defectionis a fide imminentibus defendantur, & ut in doctrinis fidei, & legis noſtræ erudiantur. Hinc Concilium Remenſe anni 1583. apud Natal. Alex. Theol. t. 1. p. 202. reg. 6. *Sacerdoti præcipit, ut roget clara voce omnes, qui puerum baptizandum ad Eccleſiam comitati ſunt, vel ſaltem patrinum, & matrinam, numquid velint vivere, ac mori in Eccleſia catholica, apoſtolica, Romana; abnuentesque ab officio ſuſcipiendi repellat*. Nam parentes jus quidem habent deſignandi patrinos; at hoc jus ſuis limitibus circumſcriptum eſt, ut ſcilicet eos poſſint eligere, quos lex, cui ſubditi ſunt, non repellit.

Catholici vero ob rationabilem cauſam infantem hæretici &c. ſuſcipere poſſunt, ſaltem in Germania

Ratio hujus opinionis eſt; quia, dum Catholicus id præſtat, profitetur tantum, ſe ſuſcipere puerum in vera fide inſtruendum, qua in re nihil mali eſt: ergo &c.

Reſp. Hæc quidem profeſſio inanis, & ficta eſt, cum ſciat, ſe fore impediendum, quominus præſtet, quod profitetur, & promittit. At ficta promiſſio, & profeſſio cum ſemper, tum maxime in rebus ſacris mala eſt, nec licere poteſt.

Præterea miniſtri hæretici, baptiſmum adminiſtrantes multa exigunt a patrinis diſſona a catholica fide, quæ præſtare impium eſt. Hinc teſte La-Croix p. 218. n. 370. Nav. Azor. Leſſ. Verjuys id nunquam licere ajunt; præſertim cum qui patrini officio funguntur apud miniſtros hæreticos, eorum impios ritus approbent. La-Croix inquit: „ Si revera hæc ita exigantur, aut prudentum judicio cenſeatur approbari ritus acatholicus, „ patet non licere, cum hæc ſint intrinſece mala; ſi „ autem iſta abſint, uti ordinarie videntur abeſſe in „ Germania, dicendum eſt, licere. “

Sed cur hæc in Germania abſunt, alibi non abſunt? An hæretici Germaniæ, non ſunt hæretici? Sicuti Sacerdotes catholici, baptiſmum conferentes, exigunt, ut patrinus pro baptizando reſpondeat interrogationibus de fide, & catholicam fidem profiteatur; ita credibile omnino eſt, omnes miniſtros hæreticos in baptiſmatis collatione aliquid exigere a Romana, & catholica Religione alienum, & impiæ ſuæ ipſorum ſectæ proteſtationem.

Præterea, cum patrinus non ſolum præſens ſit hæretico baptiſma miniſtranti, ſed illi puerum offerat, interroganti reſpondeat, &c. cooperatur impiæ baptiſmi adminiſtrationi; quod licere non poteſt. Itaque hic quoque locum habet lex illa Apoſtoli mox citata: *Nolite jugum ducere cum infidelibus .... exite de medio eorum, & ſeparamini* &c. Si enim catholicis licet cum hæreticis in ipſis ſacris communionem habere, qua in re catholici ab hæreticis ſeparandi erunt? Irrita ſcilicet eſſet Apoſtoli prohibitio, ſi in ſacris quoque cum ipſis communicare poſſe dicantur.

Animadversio XXII.

In privato baptiſmo ob neceſſitatem dato pater non debet ſuſcipere &c.

Verſatilis opinator multa paucis facile definit; quia ſatis habet, ſi ea dicat, quæ probabili aliqua ratione, vel auctoritate tueri poſſit, ſeu vera, ſeu falſa ſint. At qui veritatem quærunt, theologicas quæſtiones non ſine multo labore tractant, ac ſæpe titubanter loqui coguntur.

Quæritur hic primo, utrum patrinus in privato baptiſmo ſit neceſſarius? Reſp. Buſemb. a. t. b. dub. & hic negat. Ego affirmandum putavi propter rationes ibi contra Buſ. allatas. Et ratio præterea eſt, quia patrinus ex antiquiſſima apoſtolica lege eſt acceſſorium baptiſmi: ergo a baptiſmo ſeparandus nunquam eſt. Neque enim eſt acceſſorium baptiſmi ſolemnis, ſed baptiſmi ſimpliciter ſine adjunctione: ergo quotieſcumque baptiſmus confertur, patrinus, ſi haberi poſſit, neceſſario adhibendus eſt.

Quæritur ſecundo, utrum neceſſitate urgente, cum nempe alius haberi non poteſt, pater poſſit adhiberi patrinus ſui filii.

Reſp. Buſemb. negat. At D. Thom. p. 3. q. 67. art. 8. ad 2. contrarium docet, dum inquit: *Et ideo alius debet eſſe pater ſpiritualis a patre carnali, niſi neceſſitas contrarium exigat*: in qua hypotheſi pater non privatur jure petendi. Huic doctrinæ ſubſcribunt Suar. Sanch. Salmant., & pluſes alii, ut monet Concina Theol. t. 10. p. 370 n. 4.

Quæritur tertio, utrum pater filium baptizans, jure petendi debitum privetur?

Reſp. D. Th. ſuppl. 3. p. q. 56. a. 2. ita loquitur: *Aut ſpiritualis cognatio inducitur cauſa neceſſitatis, ſicut cum pater baptizat filium in articulo mortis; & tunc non impedit actum matrimonii ex neutra parte: aut inducitur extra caſum neceſſitatis ex ignorantia: & tunc ſi ille, ex cujus actu inducitur, diligentiam adhibuit, eſt*

ea-

eadem ratio, ſicut & de primo: aut ex induſtria extra caſum neceſſitatis; & tunc ille, ex cujus actu inducitur, amittit jus petendi debitum, ſed tamen debet reddere, ſi petatur; quia ex culpa ejus non debet aliquod incommodum alius reportare.

Quæritur quarto, utrum pater filium ſine neceſſitate in privato baptiſmo ſuſcipiens, cognationem cum conjuge contrahat, & jure petendi debitum privetur?

Reſp. Cognationem contrahi, ut docet Nat. Alexan. Theol. *ſ. 1. p.* 201. reg. 2. & fatetur Anacletus t. 4. juris can. p. 91. n. 22. Eadem enim ratio eſt quoad cognationem de ſuſcipiente, ac de baptizante: atqui baptizans ſpiritualem ſemper cognationem contrahit cum baptizato, ſeu baptiſmus ſit ſolemnis, ſeu privatus, ut intelligitur ex doctrina Div. Thomæ mox allata: ergo &c. Cognatio enim inter ſuſcipientem, & ſuſceptum non ex baptiſmi ſolemnitate, ſed ex ipſo baptiſmi ſacramento oritur. Hinc D. Th. ſuppl. 3. p. q. 56. *a.* 2. ait: *Unde non videtur conveniens, quod ſpiritualis cognatio contrahatur, niſi per aliquod ſacramentum*: & Synod. Trident. ſeſſ. 24. cap. 2. de reform. ad contrahendam ſpiritualem cognationem nihil aliud requirit, niſi ut quis baptizatum de baptiſmo ſuſcipiat, nullumque diſcrimen ponit, aut innuit inter privatum, & ſolemnem baptiſmum. Quoad privationem vero juris petendi debiti tum Buſemb. hic, tum La-Croix p. 217. n. 358. ſententiam tum affirmantem, tum negantem probabilem faciunt; at affirmantem communem eſſe fatentur. Animadvertendum eſt, quia Deus dedit Papa cap. 1. q. 5. cau. 30. ait: *Pervenit ad nos Diaconus veſter, ſanctitatis veſtræ epiſtolam deferens, quod quidam viri, & mulieres præterito ſabbato paſchali die præ magno populorum concurſu neſcientes proprios filios ſuſcepiſſent ex lavacro ſancto* &c. *Invenimus autem in archivis hujus apoſtolicæ Sedis jam talia contigiſſe in Eccleſiis Iſauriæ, Epheſiorum, ſimulque Hieroſolymæ, aliarumque Civitatum. Epiſcopis etiam earum Civitatum ab hac apoſtolica Sede volentibus ſcire, utrum viri, ac mulieres redirent ad proprium thorum, beatæ memoriæ Sanctiſſimi Patres Julius, Innocentius, & Cæleſtinus cum Epiſcoporum plurimorum conſenſu in Eccleſia Apoſtolorum Principis prohibentes talia, præſcripſerunt, & confirmaverunt, ut nullo modo ſe in conjugio reciperent mulieres, ac viri, quicumque aliqua ratione ſuſceperint natos proprios, ſed ſepararent ſe, ne ſuadente diabolo tale vitium inoleſcat.* Et cap. *Si quis ejuſdem* q. dicitur: *Si qui filiaſtrum, vel filiaſtram ſuam ante Epiſcopum tenuerit ad confirmationem, ſeparetur ab uxore ſua, & nunquam aliam accipiat.* Nicolaus vero Papa ca. 3. ejuſdem q. ait: *Noſſe deſideras, utrum mulier, quæ viri filium ex alia femina genitum de ſacro fonte levaverit, poſtmodum poſſit cum eodem viro copulari. Quos idco jungi poſſe decernimus, quia ſecundum ſacros Canones, niſi ambarum conſenſu, nullius Religionis obtentu debet conjux dimittere conjugem.* Separationem conjugum vetat, ne innocenti viro præjudicium inferatur, at cognationem non negat, nec privationem juris petendi debitum in muliere.

Anacletus t. 4. juris can. n. 92. n. 30. jure antiquo ita fuiſſe conſtitutum ſponte fatetur, at jure antiquo jure novo derogatum fuiſſe, contendit ex cap. *Si vir a.* tit. 10. lib. 4. Decr. * ub Alex. III. inquit: *Si vir, vel mulier ſcienter, vel ignoranter filium ſuum de ſacro fonte ſuſceperit an propter hoc ſeparari debeant? Conſultationi tal. reſpondemus, quod quamvis generaliter ſit inſtitutum, ut debeant ſeparari, quidam tamen humanius ſentientes aliter ſtatuerunt; ideoque nobis videtur, quod ſive ex ignorantia, ſive malitia id fecerint, non ſunt ab invicem ſeparandi, nec alter alteri debitum debet ſubtrahere, niſi ad continentiam ſervandam poſſint induci. Quia ſi ex ignorantia id factum eſt, eos ignorantia excuſare videtur, ſi ex malitia, eis ſua fraus non debet patrocinari, vel dolus.*

Hæc Alex. III. reſponſio idem ſonat, ac reſponſio Nicolai III. nunc cit. quia Alex. quoque ſeparationem in caſu propoſito fieri non poſſe, fatetur.

Neque quidquam pro adverſariorum ſententia efficiunt illa verba, *nec alter alteri debitum debet ſubtrahere* Nam aliud eſt debitum ab utroque eſſe reddendum, ut ſonant verba, *nec alter alteri debitum debet ſubtrahere*. Aliud alterum eſſe privatum jure petendi. Nam non ſolum qui privatur, ſed etiam qui potitur jure petendi, reddere debitum tenetur; quia ignorat, utrum eo jure alter privatus ſit. *Quia ſi ex ignorantia*, ait Summus Pontifex, *id factum eſt, eos ignorantia excuſare videtur*, intellige a culpa, & conſequenter a pœna privationis, ſeu juris.

Itaque Alex. III. nihil novi docet, ſed illud ipſum, quod alii, hoc eſt conjuges non eſſe ſeparandos, quia eorum alter ſuum filium de ſacro fonte ſuſcepit. De hoc enim tantum fuerat interrogatus. Huc ſpectat ſuæ doctrinæ, ſeu ſententiæ ratio, quam affert; *quia ſi ex ignorantia* &c. *ſi ex malitia* &c. at quoad privationem juris petendi debiti, quod incurrit qui ſciens volens ſine neceſſitate ſuum filium ſuſcipit in baptiſmo ſeu ſolemni, ſeu privato, quod quoad rem præſentem idem eſt, nihil omnino habet Summus Pontifex.

CAPUT II.

De Confirmatione.

DUBIUM I.

Quid ſit, & quæ ejus materia, & forma?

RESP. 1. Confirmatio eſt unctio Chriſmatis, ſub præſcripta forma verborum, in fronte baptizati, ab Epiſcopo, qua is ex Chriſti inſtitutione gratiæ augmentum, & robur accipit.

Reſp. 2. Materia ejus remota eſſentialis eſt Chriſma confectum ex balſamo, & oleo olivarum, benedictum ab Epiſc. Ita commun. Doct. (*a*)

Unde reſolves.

1. Non ſufficit ſolum balſamum, ut voluit Canus; nec ſolum oleum, ut voluerunt Cajet. Sot. Nav.

2. Etiam benedictio epiſcopalis eſt de eſſentia, ut habet communis contra Caj. ideoque nulla delegatione ſive Epiſcopi, ſive Papæ, ſimplex Sacerdos poteſt conficere Chriſma. Con. *d.* 72. *ar.* 3. *d.* 1.

3. Perinde eſt ad ſubſtantiam Sacramenti, ſive Chriſma ſit novum, ſive vetus, licet graviter peccet, qui utitur alio, quam novo, id eſt, illo anno conſecrato. In quem finem quotannis in die Cœnæ conſecratur, veteri combuſto.

Reſp. 3. *Materia proxima eſt unctio in fronte, per manum Epiſcopi (unde etiam hoc Sacramentum manus impoſitio dicitur a S. Luca Act. 8.) in formam crucis facta*. Quæ omnia ſunt de neceſſitate Sacramenti, ut habet communis. ANIMAD. I.

Unde reſolves.

1. Etſi ex neceſſitate præcepti unctio fieri debeat pollice manus dextræ; valida tamen eſſet, ſi fieret digito etiam ſiniſtræ manus; quia vere fieret per impoſitionem manus epiſcopalis. Ita Præp. & alii contra Suar. (*b*) Peccabit tamen Epiſcopus graviter contra univerſalis Eccleſiæ morem. V. Laym. *hic c.* 2. & Elc. *1.* 7. *E.* 3. ubi docet, probabile eſſe, non peccare mortaliter.

2. Probabile eſt, requiri ad valorem Sacramenti, ut unctio fiat ab Epiſcopo immediate, nullo inſtrumento mediante. Ita Fill. & Laym. (*c*) contra quoſdam: quia debat fieri per impoſitionem manus: Elc. *1.* 7. *E.* 3.

Reſp. 4. *Forma vera, & neceſſaria, in Eccleſia Latina eſt: Signo* (ut habet Trid.) vel *Conſigno* (ut habet S. Thom.) *te ſigno Crucis, & confirmo te Chriſmate ſalutis, in nomine Patris*, &c. In qua utrum de eſſentia ſit, ut utraque actio ſignandi, & ungendi expreſſe ſignificetur, diſputant Scholaſtici, (*d*) Laym. & Fill. *t.* 3. *d.* 10. Con. *l. c. ar.* 3. Dian. *R.* 27. ANIMAD. II.

DUBIUM II.

Quis ſit Miniſter, & quod ſubjectum?

Reſp. 1. Miniſter ordinarius validæ Confirmationis eſt *ſolus, & omnis Epiſcopus*, (*e*) etiam excommunicatus, vel hæreticus: ex commiſſione autem, vel delegatione Pontificis, etiam ſimplex Sacerdos. Eſt communis. Vide Farn. Laym. *l.* 5. *t.* 3. *c.* 6. Bonac. *d.* 3. *p.* 2.

Unde

* Idem innuit La Croix num. cit.

Unde erſolves.

1. Etſi Epiſcopus greviter peccet, ſi val in aliana Diœceſi, vel ſibi non ſubditos confirmet, ſioe proprii Epiſeopi aonſenſu, ſaltem tecito, propter defectum jurisdictionis; valide tamen eſt Confirmatio, quia iſta non requiritur neceſſitete Sacramenti, ſed præcepti tantum.

2. Eacuſatur a peccato Epiſcopus, ſi ae alie dimceſi eccurrentes confirmat: quia præſumitur tacitus conſenſus alterius Epiſcopi, cui id gretum aſſe cenſetur: prælertim ſi conſuatudine ita receptum ſit, vel a proprio ægre confirmari poſſint. Ita contre Bon. *d. 3. de ſacr.* docent Tann. *in 3. p. d. 4. q. 4. d. 3.* Sa v. *Confirm.* & alii.

3. Peccet gravitar Epiſcopus, ſi longo tempore non confirmet: quia ſubditus ingenti bono privat.

Reſp. 2. Valide confirmantur *omnes & ſoli baptizati (f)* nondum confirmati. Ratio eſt, tum ee illo Act. 2. *Replevit totam domum:* tum ex uſu & treditione Eccleſiæ: tum quia omnes indigent ejus effectu, & ſunt capaces. Licite vero confirmantue iidem, qui valide, dummodo conſtat non ponera obicem ſive Sacramento, ſive ajus effectui. Retio patet ae dictis.

Unde reſolves.

1. Etiam infantes, & rationis impotes valide hoc Sacramentum ſuſcipiunt.

2. Etſi quoad infantes conſultius ſit differre uſque ad retionis uſum, tum ob irrevezentiam Sacramenti, tum ob periculum iterationis, tum ob Eccleſiæ uſum: nihilominus ob retionebilem cauſam atiam ente iis licite datur, verbi gret. ſi timeatur diuturna abſentie Epiſcopi, vel hic ed iſta loce rero veniat: item ſi infens ſit in periculo mortis (in quo quidam dicunt debete dati) denique ſi ſit filius Principis. Laym. *hic t. 3. c. 6.* Fill. *t. 1. tr 3. c. 2.*

3. *Etiam perpetuo amentes (præſertim ſi aliquan-*
ANIMAD. III. *de eſum rationis habuerint) licite confirmentur; etſi per accidens nunquam ſint ſpiritualiter pugnaturi.* Ita Suar. Fill. Laym. *l. 5.* Con. *q. 72. er. 8. n. 83.*

D U B I U M III.

Quæ confirmationis neceſſitas, & cæremoniæ?

ANIMAD. IV. Reſp. 1. Nec eſt neceſſaria ed ſelutem neceſſitate medii, *neque per ſe præcepti. Eſt communis S. Th. & eliorum, contra Scot. & Sylv. Ratio eſt, tum quia Eccleſia non urget ejus ſuſceptionem ullis pœnis: tum quia nec ex Scriptura, nec treditione, neque fine, aut inſtitutione Sacramenti, tale præceptum colligitur. Et Canones, qui in contrarium afferuntur, ſatis explicentur de neceſſitete ed melius eſſe.*

Dixi, *per ſe*: quia per accidens aliquando poteſt eſſe neceſſaria ad ſalutem ae præcepto carītetis ſoi, val proximi, vel alio, v. gr. ad cavendum ſcandalum: vel ratione conſcientiæ, qua quis valde metuit, ne in tormentis deficiat ſine hoc Sacramento.

Unde erſolves.

ANIMAD. V. 1. *Negligere hoc Sacramentum, ſeluſo ſcandelo, & contemptu, non eſt mortale.* Suar. Laym. *l. 5. t. 3. c. 5.* Bon. *d. 1. q. 1. p. 2. ubi ex eliis multis docet, nullum eſſe præceptum illud ſuſcipiendi.*

ANIMAD. VI. 2. *Etſi omiſſio ex contemptu, v. gr. ſi quis id nihili faciat, eei puerile, eut vile habeat, ſit mortalis; talis tamen non cenſetur eſſe, cum quis ejus oblatam occaſionem, quam poſtea non fecile habiturus eſt, negligit.* Ita commun. contra Sylv. *v. Confirm.* & Tol. *l. 2. c. 4.*

ANIMAD. VII. 3. *Præceptum, quod habetur in Trid. ſeſſ. 23. c. 4. de reform. non ligat omnes, cum ſit hypotheticum: ſed tantum ordinandos, vel initiandos prima tonſura. Cujus omiſſionem non eſſe mortale contra Taen. docent Henr. Valent. Suar. d. 38. p. 1. & Nev. c. 22. qui eddit, ne quidem Epiſcoporum peccare mortaliter, ordinando non confirmatum: eui ſi ipſe non confirmatus ordinet.* Vide Reg. *l. 28. c. 2.*

Reſp. 2. Circa cæremonias Confirmationis, ſcienda ſuot ſequentia. 1. Etſi ſervandi ſint ritus in Pontificali præſcripti, peccetque graviter Epiſcopus, ſi confirmet ſina pluviali, mitra, vel pedo, uti & ſi ordines ſacros conferat cum ſolis indumentis Miſſæ, Dian. *p. 7. t. 10. R. 31.* non tamen ſemper erit mortelis alicujus omiſſio, v. gr. alapæ, eur cerei. *Poteſt autem conferri loco quovis decenti, etiam extra Eccleſiam; & a prandio non jejunis,* omni anni tempore. 2. Sub gravi culpa, ut docet Nav. *c. 22.* ee communi, requiritur Patrinus; iſque unus tantum (*licet Tolet. duos admittat*) *qui ſi confirmatus non ſit, peccat graviter ſecundum communem. Eſcob. tamen ex Con. docet, non eſſe mortale:* quod probabila eſſe docet Quint. *t. 2. ſ. 7.* imo nullum, ſi fiat in neceſſitata, *& non contrahit cognationem,* ut docent Sanch. Suar. contra Sylv. Sa, & alios. *Debetque eſſe diverſus a patrino Bapiiſmi, ſaltem extra neceſſitatem, licet cum Bonac. & Hurt. id neget Quint. t. 2. ſect. 7.* & 14. & ſecus facientem non peccare mortaliter, dicat Dian. *p. 3. t. 4. R. 21.* Et non Monachus (niſi factus Epiſcopus.) *Admitti tamen & illos, & moniales poſſe ſine culpa, docet idem* Quint. *l. c. ſ. 18. niſi in eorum Religione ſit prohibitum.* Eo autem nomine non excludi *Mendicantes notet* Con. *& elii quinque cum Dian. p. 9. t. 6. R. 32. Nec refert, ſecluſa conſuetudine, num vir ſit, aut femina. Neque etiam contrahit obligationem inſtruendi confirmatum,* ſed tantum cognationem ſpiritualem cum eo, & ajus parentibus: dummodo tamen eum tangat. 3. Frons confirmati obligenda eſt faſcia linea cruce notata, geſtanda uno, tribus, vel ſeptem diebus, pro conſuetudine, illota interim fronte: poteſt atiam, ſi ratio ſubſit, ſtetim auferri, & frons ablui; ipſe eutem comburi, vel honeſte aſſervari debet, nec ed profanos uſus edhiberi, propter contactum chriſmatis; neque ſolvens illam contrahit cognationem. Vid. Præp. *in 3. p. q. 2. ert. 12. 4.* Parochos teneri in librum referre nomina confirmatorum, & patrinorum ſuæ Parochiæ (eamque curam ad Epiſcopos etiam pertinere) tum propter ſciendam cognationem ſpirituelem, tum propter ordines ſuſcipiendos, docat Quinten. *t. 2. ſect. 11.* ex Berb. &c. ac denique licere mutare nomen in Confirmatione, *Ibid. ſ. 10.*

N O T Æ.

(e) Hic primo quæritur, utrum balſamum ſit de aſſentia hujus Sacramenti? Reſp. Eaploſe hic enimadverſione 1. eorum opinione, qui Sacramentum confirmationis ſola manuum Epiſcopi impoſitione eddita verbis conſtare dicunt; ideoque nec balſamum, nec oleum, nec eorum conſecrationem ed hujus Sacramenti eſſentiam requirunt; Cajetanus, Dominicus Soto, Valentia, Eſtius, Juvenin, Turnely, Druin, Vitaſſe, balſamum præcepti quidem, at non ſacramenti neceſſitate neceſſarium eſſe aſſerunt; Bellarminus, Merbeſius, Natalis eb Aleeandro, Ludovicus Habert rem dubiem faciunt, ut teſtatur Concina Th. t. 8. p 204. n. 12.

At dubitare mihi non videtur S. Th. qui p. 3. q. 72. a. 2. pro certo ponit, chriſma eſſe materiem hujus Sacramenti, & ſolum quærit, utrum ſit materia conveniens. Porro cum pro certo habet, chriſma eſſe materiam hujus Sacramenti, idem eſt, ec ſi oleum, & balſamum ad eſſentiam hujus Sacramenti pertinere pro certo habeat. Scholaſtico enim more loquens materiam pro parte eſſentiæ Sacramenti, ſeu pro eo, ex quo Sacramentum conſtat, aut fit, uſurpat, eo modo, quo q. 66. *a. 3.* a quam eſſe propriam materiam baptiſmi affirmat, & q. 74. a. 1. panem, & vinum materiam Eochariſtiæ. Hinc a. 3. q. 72. cit. aſſerit, Chriſmatis conſecrationem eſſe de neceſſitete hujus Secramenti: ergo multo magis ipſum chriſma, hoc eſt oleum cum balſamo permixtum. De Sancti Doctoris mente ego non dubito: Huius ſententiæ adhærent Gonet, Sylvius, Durenr, Holtius, Maſtrius Farvacqueſius, Pontius, Bonacina, Salmanticenſes, qui citant Suaree, Tannerum, Coninch, Laym. & permultos alios, ut habet Concina n. 22. cit. & *Thomiſtæ communiter*, ut ait n. 24. quem ipſe quoque contrariæ opinioni præfert. Noſtræ ſententiæ perſpicue favet Syn. Trid. quæ ſeſſ. 7. de Conf. can. 2. ait. *Si quis dixerit, iniuricos eſſe Spiritui Sancto eos, qui ſacro confirmationis chriſmati virtute aliquam tribuunt, anathema ſit.* Ait *chriſmati*. Adde, quod illa eſt materia eſſentialis Sacramenti, cui uni forma accommodari poteſt. At uni Chriſmati, non ſimplici oleo accommodari poteſt forma confirmationis, *confirmo te Chriſmate ſalutis*: ergo Chriſma eſt materia eſſentialis Confirmationis. Adde an-

auctoritatem Catechiſmi Romani, quam legis hic animad. 1. iis graviſſimis momentis roboraram, ut ibi legitur.

Quæritur ſecundo, utrum benedictio, ſeu conſecratio Chriſmatis ſit de neceſſitate Sacramenti? Reſp. negant Juvenin, Card. Gotti, Druio, Turnely. Affirmans ſententia communior eſt inter Theologos. Ita Concina Th. t. 8. p. 205. q. 3. n. 16 qui hanc ſententiam probabiliorem eſſe putat. Ea certe eſt D. Th. p. 3. q. 72. a. 3 mox cit. & Catech. Rom. p. 2. cap. 3. de Sacram. Conf. n. 7. ubi quærens, quæ *ſit hujus myſterii* (Sacramenti confirmationis) *materia?* reſpondet. *Hæc autem Chriſma appellatur; quo nomine .... qui res divinas tradunt, communi loquendi conſuetudine ad illud tantummodo unguentum accommodarunt, quod ex oleo, & balſamo ſolemni Epiſcopi conſecratione conficitur* .... poſt ſubdit: *quod autem ea ſit hujus Sacramenti materia, cum ſancta Eccleſia*, & cætera, quæ habes hic animad. 1.

Quæritur tertio, utrum benedictio, ſeu conſecratio Chriſmatis, quæ Epiſcopo jure ordinario competit, ſimplici Sacerdoti ab apoſtolica Sede committi poſſit? Reſp. Buſ. cap. 2. ex Con. negat; quam opinionem graves Theologi Suarez, Salmeron, Sylvius, Toletus, Gonet, & alii tuentur. Contra Sirmondus, Soto, Cajetanus, Turnely, Vitaſſius, Card. Gotti affirmant; & hanc ſententiam probabiliorem putat Concina Th. t. 8. p. 205. n. 17. Ratio eſt; quia Summus Pontifex conferendæ confirmationis poteſtatem ſimplici Sacerdoti facere poteſt: ergo multo magis conſecrandi Chriſmatis. Antecedens licet olim diſceptatum fuerit, ut obſervat Bened. XIV. de Syn. diœc. lib. 8. c. 7. n. 4. „ attamen non videtur poſſe amplius in controverſiam, & dubitationem revocari " ait idem Sapientiſſimus Pontifex. Etenim præterquam quod S. Gregorius Magnus hanc facultatem Presbyteris Calaritanis conceſſit, ut habetur diſt. 95. cap. 1. *Pervenit*; ex quo D. Th. p. 3. q. 72. a. 11. ad 1. ait, *quod Papa in Eccleſia habet plenitudinem poteſtatis, ex qua poteſt quædam, quæ ſunt ſuperiorum ordinum, committere quibuſdam inferioribus; ſicut quibuſdam Presbyteris concedit conferre minores ordines, quod pertinet ad poteſtatem epiſcopalem. Et ex hac plenitudine poteſtatis conceſſit B. Gregor. Papa, quod ſimplices Sacerdotes hoc ſacramentum* (Confirmationis) *conferrent, quamdiu ſcandalum tolleretur*; Præterquam quod, inquam, S. Greg. Magnus hanc facultatem conceſſit, idem præſtitum fuiſſe a Nicolao IV., Joanne XXII., Urbano V., Eugenio IV., Leone X., Hadriano VI., Sixto V., Benedicto XIII. in ſua conſt. 8. poſt Conc. Rom., Clemente XI, ipſoque Benedicto XIV., idem Bened. XIV refert cap. 7. cit. n. 6., atque ita concludit. „ Quare non videtur hodie fas eſſe, „ poteſtatem, de qua olim diſceptabatur, Summo Pontifici abjudicare. " Conſequentia evidens eſt. Qui enim poteſt facere quod plus eſt, multo magis facere poteſt minus. Longe plus eſt conferre ſacramentum, quam ejus idoneam materiam præparare: ergo ſi Pontifex Summus poteſtatem facere poteſt ſimplicibus Sacerdotibus conferendi Confirmationis ſacramentum, multo magis iiſdem committere valet, ut ejus idoneam materiam, chriſmatis conſecratione præparent. Hujus poteſtatis a ſummis Pontificibus factæ exempla ex Wadingo, & Mabillonio refert mox cit. Bened. XIV. cap. 8. n. 1. lib. 8. cit.; quæ exempla ſi pauca ſint, id accidit, quia, ut idem Bened. XIV. advertit n. 2., „ nulla adeſt neceſſitas, hanc poteſtatem faciendi ſimplici Presbytero: is quippe, quocumque ſe conferat, poteſt „ ſecum deferre chriſma ab Epiſcopo acceptum; & ſiquidem a ſacris Canonibus præcipue &c. vetitus eſt „ uſus chriſmatis ante annum benedicti, ſatis erit, ut „ ab hoc poſitivo Eccleſiæ præcepto, ſummi Pontificis „ auctoritate eximatur; ſicuti nos in cit. noſtra conſtit. 10. ab eodem abſolvimus prædictum Cuſtodem „ Sancti ſepulchri, ſi in loco degat, ubi novi chriſmatis ei non ſuppetat copia. "

(b) *Etſi ex neceſſitate &c., valida tamen eſſet &c.* ita *Præp. & alii contra Suar.*

At Suarez, ſi Laym. cap. 2. tr. 3. lib. 5. n. 5. credimus, cum aliis ſentit.

Peccabit tamen Epiſcopus graviter contra univerſalis Eccleſiæ morem. Recte.

At vide indolem verſatilis opinatoris, qui ſtatim ſubdit. *V. Laym. &c. ubi docet probabile eſſe, non peccare mortaliter. Illud probabile eſſe* ex ſano ſenſu idem eſt, ac eſſe periculoſum, & criminoſum ita docere. An tam gravis deformitas univerſæ Eccleſiæ ſenſui, & uſui contraria, levis culpa jure putari poteſt?

(c) *Probabile eſt, requiri ad valorem &c., ut unctio fiat immediate &c.*

Ita Fill., & Laym. Ita quoque Suarez, de Marinis, Reginaldus, Clericatus, La-Croix, Diana, ut teſtatur Bened. XIV. de Syn. lib. 13. cap. 19. n. 15.

(d) *In qua, utrum de eſſentia ſit, ut utraque actio &c., diſputant &c.*

Hic illud unum advertere placet, Græcorum formam eſſe hujuſmodi, *ſignaculum Spiritus Sancti*; hanc formam validam eſſe, quia Eccleſia Latina ratum ſemper habuit ſacramentum Confirmationis a Græcis adminiſtratum, ut monet Concina Th. t. 8. p. 209. cap. 3. n. 6. Porro in hac forma, actio ſignandi explicate quidem ſignificari videtur, at non actio ungendi.

(e) *Miniſter &c. eſt ſolus, & omnis Epiſcopus*. Hoc fide certum eſt; quia Syn. Trid. ſeſſ. 7. can. 3. ita definit. *Si quis dixerit, Sanctæ Confirmationis ordinarium miniſtrum non eſſe ſolum Epiſcopum, ſed quemvis ſimplicem Sacerdotem, anathema ſit.*

Addit Buſemb. *Etiam excommunicatus, & hæreticus*; quia ſcilicet excommunicatio, & hæreſis characterem, ſeu poteſtatem confirmandi Epiſcopo non adimit.

Hæc ſententia teſte Concina Th. t. 8. p. 216. cap. 4. n. 17. *communis, & vera eſt. Sicut enim*, inquit, *validum eſt baptiſma ab hæreticis adminiſtratum, ita quoque valida eſt confirmatio.*

Buſemb. *Ex commiſſione autem &c. etiam ſimplex Sacerdos*; ſicuti mox in dub. 1. Reſp. 2. oſtenſum fuit.

Ait autem Bul. ex *delegatione Pontificis*. Nam Epiſcopus facultatem confirmandi ſimplici Sacerdoti delegare non poteſt. Hæc eſt ſententia D. Th. p. 3. q. 72. a. 11., quam præcipue evincit auctoritate Euſebii Papæ ajentis (diſt. 5. de conſecr. cap. 4.) *manus quoque impoſitionis ſacramentum magna veneratione tenendum eſt, quod ab aliis perfici non poteſt, niſi a ſummis Sacerdotibus; nec tempore Apoſtolorum ab aliis, quam ab ipſis Apoſtolis legitur, aut ſcitur peractum eſſe; nec ab aliis, quam ab illis, qui eorum tenent locum, unquam perfici, aut fieri debet. Nam ſi aliter præſumptum fuerit, irritum habeatur, & vacuum, & inter eccleſiaſtica nunquam reputabitur ſacramenta.* Sunt verba perſpicua, & decretoria. Hinc, cum S. Doct. ſibi objeciſſet facultatem a S. Gregorio Magno factam Presbyteris Calaritanis ad vitandum ſcandalum, ut confirmationem conferre poſſent, *& quod pertinet ad neceſſitatem ſacramentorum, non eſſe propter vitandum ſcandalum immutandum*; ad 1. reſpondet, ut ſupra mox retuli, id a Papa factum fuiſſe *de plenitudine poteſtatis*, quam *Papa*, non alius, *in Eccleſia habet*.

Quod Euſebius, idem Inn. I. ex actis Apoſtolorum colligi aſſeruit, „ hoc eſt, ſolius Epiſcopi eſſe, baptizatorum frontem inungere, eaque unctione Paracletum tradere; " ut habet Bened. XIV. de Syn. D. lib. 7. cap. 8. n. 4. Nonnulli quidem eruditi, & docti Theologi, ut Card. Pallavicinus, Chriſtianus Lupus, Thomaſſinus, Farvacquevius, Van-Eſpen, Juvenio, & alii recentiores, ut refert idem Bened. XIV. n. 3. contra opinati ſunt, auctoritate Conciliorum Toletani I., Arauſicani I., & Epaonenſis ducti; quorum tamen Conciliorum dicta ad ſupremorum Pontificum doctrinam, & mentem conformanda omnino ſunt. Sed quidquid ſit de hac quæſtione, quæ ipſorum adverſariorum confeſſione locum tantum habet, *ſola ſuſpecta inſtitutione divina, & ſecluſa Eccleſiæ prohibitione*. „ omnibus in confeſſo „ eſt, " ſubdit idem Bened. XIV. n. 7. „ irritam nunc „ fore Confirmationem a ſimplici Presbytero latino ex „ ſola Epiſcopi delegatione collatam; quia Sedes apoſtolica id juris ſibi unice reſervavit. " &c. Ait a *Presbytero latino*; quia, ut ait cap. 8. n. 3., *in locis, in quibus chriſmatio data a Sacerdotibus græcis, non eſt a Sede Apoſtolica expreſſe improbata, ea pro valida eſt habenda, ob tacitum ſaltem privilegium a Sede Apoſtolica illis conceſſum.*

(f) *Valide confirmantur omnes, & ſoli &c.* Hoc *extra omnem controverſiam eſt*, ut monet Bened. XIV. lib. 7. de Syn. D. cap. 10. n. 3.

Buſ. *Licite vero confirmantur iidem, dummodo conſtet non ponere &c.*

Hic Bul. ponit, pueros etiam rationis expertes, qui nec Sacramento, nec ejus effectui obicem ponunt, licite confirmari poſſe. Et ſane *certum eſt*, ait Bened. XIV. n. 3. cit. *tam adultos, quam pueros ſtatim poſt baptiſmum olim fuiſſe confirmatos*; quod Tertulliani, Cypriani, Cyrilli Hieroſolymitani, Gennadii auctoritate, aliiſque monumentis confirmat. *Hæc diſciplina*, ſubdit, *Sæculo XIII. licet in Eccleſia latina nonnihil remitti cœpiſſet, nondum tamen penitus obſoleverat*; hinc S. Th. p. 3. q. 72. a. 8. qui natus verſus finem anni 1226. aut initio anni 1227. ut habet P. Antonius Tournon in ejus vita t. 1. p. 6. cap. 2. eo ſæculo floruit, Sacramentum confirmationis omnibus ſine ulla ætatis exceptione exhibendum eſſe cenſuit, articulum his verbis concludens. *& ideo hoc Sacramentum debet omnibus exhiberi*. Addit Bened. XIV. *Sed ſubſequenti ætate congruentius viſum eſt, expectare, ut confirmandus rationis uſum adeptus fuerit*; quod Conciliis provinciali Mediolanenſi 1. a S. Carolo Borr. 1563. celebrato, Turonen-

ſe

Digitized by Google

ſi anni 1583. Cametacenſi anni 1586. Toloſano anni 1590., quibus ſeptennio minores hoc Sacramento initiari vetaotur, aut ut ad illud non facile admittantur, ſtatuitur, confirmat. Hinc Catechiſmus Romanus p. 2. de confirm. cap. 3. n. 18. ita loquitur, *In quo illud obſervandum eſt, omnibus quidem poſt baptiſmum confirmationis Sacramentum poſſe adminiſtrari, ſed minus tamen expedire hoc fieri, antequam pueri rationis uſum habuerint. Quare ſi duodecimus annus expectandus non videatur, uſque ad ſeptimum certe hoc Sacramentum differre maxime conveniet. Neque enim confirmatio ad ſalutis neceſſitatem inſtituta eſt, ſed ut ejus virtute optime inſtructi, & parati inveniremur, cum nobis pro Chriſti fide pugnandum eſſet; ad quod ſane pugnæ genus pueros, qui adhuc uſu rationis carent, nemo aptos judicarit.*

Quare, ut advertit idem Bened. XIV. n. 5. cap. cit. Suarez, Sylvius, Layman, Diana, Coronius, Juvenin, Sylveſter Mauſus, Roncaglia, Card. Gottus, *aliique plurimi affirmant, ſancte, ac licite etiam juxta præſentem diſciplinam Sacro Chriſmate inungi pueros ante ſeptennium, cum aut prævidetur futura diuturna abſentia Epiſcopi, aut iidem verſantur in diſcrimine vitæ, aut alia urget neceſſitas, ſeu juxta cauſa*; & hoc idem permittit S. Carolus Borr. Conc. 5. Mediol. & Buſ. habet hic ca. 2. *Etſi quoad infantes* &c. ubi tamen, quod in fine ait, *denique ſi ſit Filius Principis*, Laym. cap. 6. t. 3. quem citat, niſi mei me oculi fallunt, non habet, & a Bened. XIV. emendari videtur, qui n. 9. cap. 10. cit. ait. *Tertia tandem*. (advertere debet Epiſcopus) *ne, poſtquam paratum ſe dixit ad confirmationem conferendam omnibus pueris poſitis in diſcrimine vitæ, libenter accurrat ad nobiliores, ſibique bene viſos, & ire detrectet ad pauperes, alioſve de infima plebe. Hoc ſiquidem fieret cum acceptione perſonarum, & multorum ſcandalo, a qua quidem acceptione perſonarum quantum ſit abhorrendum præcipue in Sacramentorum adminiſtratione, ex iis colligitur, quæ habentur in noſtra conſt. 107. p. 410. & pag. 417. Bull t. 1.*

Animadverſio I.

Materia proxima eſt unctio in fronte &c.

Hæc eſt communis ſententia, ut Buſemb. monuit reſp 2. Idem docet D. Th. p. 3. qu. 72. art. 2. ubi ait: *Quod chriſma eſt conveniens materia hujus ſacramenti*: idque confirmat auctoritate D. Gregorii dicentis: *Presbyteri baptizatos infantes ſignare in frontibus ſacro chriſmate non præſumant*. Idem habet Catech. Concilii Tridentini p. 2. de confirmat. n. 7. & rationem afferens inquit: *Quod autem ea* (loquitur de chriſmate) *ſit hujus ſacramenti materia, cum ſancta Eccleſia, & Concilia perpetuo docuerunt, tum a S. Dionyſio, & compluribus aliis graviſſimis Patribus traditum eſt, in primiſque a Fabiano Pontifice, qui Apoſtolos chriſmatis confectionem a Domino accepiſſe, nobiſque reliquiſſe teſtatus eſt*. Patrum hac de re auctoritates tum apud alios, cum apud eruditiſſimum Natalem Alexandr. Theol. t. 1. p. 233. art. 2. prop. 1. legere potes. Hinc chriſmatia unctionem eſſe eſſentialem confirmationis materiam, fidei dogma eſſe, affirmant Suarez, Valent. Fill. Tannerus, Sylvius, & alii apud Concinam Theol. t. 8. p. 203. n. 9. Quare rejicienda omnino eſt opinio eorum, qui ut refert idem Concina p. 201. cap. 2. num. 1. pro confirmationis materia ſolam manuum impoſitionem aſſignant.

At ſaltem, inquies, manuum Epiſcopi impoſitio eſt pars materiæ confirmationis, ut Nat. Alex., aliique eruditi Theologi ſentiunt.

Reſp. Si manuum impoſitio idem ſit, ac ſacri chriſmatis unctio, qua Epiſcopus confirmandi frontem pollice tangit, & ungit, manumque ejus capiti imponit, non eſt dubitandum, quin manus impoſitio ſit confirmationis materia. Hæc enim eſt illa manus impoſitio, de qua ſermo eſt Act. 8. v. 17. ubi dicitur: *Tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum Sanctum*: & 19. v. 7. ubi habetur: *Et cum impoſuiſſet illis manus Paulus, venit Spiritus Sanctus ſuper eos, & loquebantur linguis, & prophetabant*; quam manuum impoſitionem plerique Patres tam Græci, quam Latini de confirmationis ſacramento, ut ait Nat., interpretantur. Porro de hac eadem manuum Epiſcopi impoſitione intelligendi ſunt Tertullianus, S. Cyprianus, S. Joan. Chryſoſtomus, S. Hieron., S. Auguſt. ab eodem Natali citati, cum ajunt per epiſcopalem manus impoſitionem Spiritum Sanctum dari in confirmatione, ut monet Cl. Laurentius Berti lib. 32. cap. 6. aupd Concinam p. 207. n. 3.

Hinc D. Th. cum ſibi objeciſſet, & Apoſtolos confirmationis ſacramentum contuliſſe per ſolam manus impoſitionem abſque chriſmate ex textu jam cit. Act. 8. ita reſpondet p. 3. q. 72. ar. 2. ad 1. *Similiter etiam ad impoſitionem manus Apoſtolorum, & etiam ad eorum prædicationem deſcendebat plenitudo Spiritus Sancti ſuper fideles ſub viſibilibus ſignis, ſicut & a principio deſcenderat ſuper Apoſtolos. Unde Petrus dicit* Act. 11. „Cum cœpiſſem loqui, cecidit Spiritus Sanctus ſuper eos, ſicut & in nos ab initio." *Et ideo non erat neceſſaria ſenſibilis materia ſacramentalis, ubi ſenſibilia ſigna miraculoſe exhibebantur divinitus. Utebantur tamen Apoſtoli communiter chriſmate in exhibitione ſacramenti, quando hujuſmodi viſibilia ſigna non exhibebantur. Dicit enim Dion. 4. cap. Eccl. Hierar.* „Eſt quædam perfectiva operatio, quam Duces noſtri (*ideſt Apoſtoli*) chriſmatis hoſtiam nominant." D. Th. meminit impoſitionis manus Apoſtolorum, in qua Spiritus Sancti plenitudo ſine ſacramento ſuper fideles per admiranda ſigna deſcendebat. At cum Apoſtoli ſacramentum confirmationis conferebant, chriſmate utebantur, non manus impoſitione, niſi illa, quæ in chriſmatis unctione adhibetur.

Quare ſi manus impoſitione intelligatur extenſio, & elevatio manuum Epiſcopi verſus confirmandos; cum illam orationem recitat, *Omnipotens ſempiterne Deus, qui regenerare dignatus es hos famulos tuos* &c. *emitte in eos ſeptiformem Spiritum tuum paracletum de cœlis* &c. hæc manus extenſio, ſeu, improprie loquendo, impoſitio ne ex parte quidem eſt confirmationis materia. In hac enim manuum extenſione Epiſcopus ſupra omnes confirmandos orat, non autem ſacramentum confert; quod ſi conferret, eſſet repetenda, dum ſinguli confirmantur; quod eſt contra Eccleſiæ conſuetudinem, & Pontificalium præſcriptionem.

Animadverſio II.

Forma vera, & neceſſaria ... eſt: Signo te ſigno Crucis &c.

Hæc forma non ſolum vera eſt, ſed integra, & adæquata, non partialis, & inadæquata, ut putat Nat. Alex. Theol. t. 1. p. 336. a. 3. prop. un. cum aliis. Hanc enim, & nihil aliud pro hujus ſacramenti forma agnoſcit, & recitat D. Th. p. 3. q. 72. a. 4. Catech. Concilii Tridentini p. 2. de confirm. n. 11. qui in ea contineri omnia, quæ hujus ſacramenti naturam, & ſubſtantiam explicant, n. 12. oſtendit, & Eug. IV in Concilio Florent. in Decreto Armenorum. Ergo hæc eſt forma integra confirmationis.

Præterea ſi oratio, *Omnipotens ſempiterne Deus* &c. eſſet forma partialis confirmationis, ut contendit Natalis cum aliis, ad ſingulos confirmandos eſſet repetenda, ſicuti repetitur vera forma, *Signo te ſigno Crucis* &c. alioquin ſacramentum non conferretur; nec enim ſacramentum conferri poteſt, niſi tota, & integra ejus forma proferatur, quoties confertur: at oratio *Omnipotens* &c. ſemel tantum ab Epiſcopo recitatur, nec repetitur, dum ſingulæ perſonæ confirmantur: ergo &c.

Adde, quod in ſacramentorum adminiſtratione forma prætermitti non poteſt, cum ad eorum eſſentiam pertineat: at oratio unctionem præcedens fuit aliquando prætermiſſa, ut conſtat, inquit P. Concina Theol. t. 8. p. 207. n. 3. ex libro ſacramentario Monaſterii Moyſacenſis annorum 800. a Mattenio edito cap. 11. ar. 4. ord. 7. in quo nulla habetur oratio, niſi quæ poſt peractam confirmationem recitari ſolet, *Deus, qui Apoſtolis tuis* &c. ergo oratio unctionem præcedens, ad formam confirmationis non pertinet, ſed eſt quædam precatio formam præcedens; ſicuti abſolutionem ſacramentalem antecedit oratio, *Dominus noſter Jeſu Chriſtus* &c., & formam Euchariſtiæ, *Ut nobis fiat corpus* &c. Hanc ſententiam, de qua ego dubitare non poſſum, tuetur quoque P. Concina Theol. t. 8. p. 208. n. 5.

At Nat. Alex. & qui cum eo ſentiunt, objiciunt illud Act. 8. *Oraverunt pro ipſis, ut acciperent Spiritum Sanctum; tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum Sanctum*. Reſp. Interpretatio hujus textus non allata eſt ex D. Th. p. 3. &c.

Objiciunt præterea SS. Patres tribuentes Spiritum Sanctum manuum impoſitioni, & orationi. Reſp. At illi, ut recte ait P. Concina p. 208. nu. 4. ritum confirmationis deſcribunt, formam non deſignant: *Sicuti*, inquit, *quando dicunt, corpus Chriſti confici per orationem, & Crucis ſignum, ritum indicant, non formam Euchariſtiæ perhibent.*

Animadverſio III.

Etiam perpetuo amentes .... licite confirmantur.

Hæc doctrina confirmari poteſt auctoritate D. Thomæ p. 3. qu. 72. ar. 8. ubi docet, & oſtendit confirmationem omnibus, qui ſunt in Eccleſia, eſſe conferendam. Ab ea tamen illi amentes excludendi ſunt, qui gravi ſcelere inquinati in amentiam inciderunt, ut recte advertit P. Concina Theol. t. 8. p. 218. qu. 3. quia hoc ſacramentum, cum ſit vivorum, gratiæ ſtatum in accipiente poſtulat.

Ani-

Digitized by Google

ANIMADVERSIO IV.

La-Croix p. 229. n. 395. ait: „ Fuiſſe olim præceptum eccleſiaſticum, ut ſuſciperetur confirmatio, colligit Die. hic n. 105. ex variis Conciliis, & dictis SS. „ Patrum. Recte autem docet dub. 10. cum communi, „ per deſuetudinem nunc deſiiſſe illud præceptum. "

Hæc Buſembaum, & La-Croixii opinio eadem eſt, ac iſta propoſitio, aut etiam ea deterior. *Omnes Theologi dicunt, confirmationem non præcipi, niſi cum commode haberi poteſt, vel (ut alii dicunt) commodiſſime, quando ſine ullo vel prorſus minimo incommodo.* De hac porro propoſitione Theologi Pariſienſes, ut refert Nat. Alex. Theol. t. 1. p. 252. reg. 4. ita cenſuerunt: *Iſta propoſitio eſt ſcandaloſa, in maximum ſacramenti confirmationis contemptum, maligno animo propoſita, & in errorem poteſt inducere.*

Dixi, *aut ea deterior*: quia propoſitio a Pariſienſibus Theologis notata, præceptum confirmationis abſolute non tollit, ſed ſolum, cum ſine ullo incommodo poteſt impleri. La-Croix ex duplici capite fallitur. Primo quia ponit, nullum eſſe divinum de ſuſcipiendo confirmationis ſacramento præceptum: ſecundo, quia præceptum quoque eccleſiaſticum deſiiſſe affirmat.

Divinum de confirmatione ſuſcipienda præceptum inde colligitur, quia, ut ait D. Th. p. 3. q. 72. a. 8 *cum ſit de intentione naturæ, ut omnis, qui corporaliter naſcitur, ad perfectam ætatem perveniant .... multo magis de intentione Dei eſt omnia ad perfectionem perducere, ex cujus imitatione hoc natura participat. Unde & Deut. 32. dicitur:* „ Dei perfecta ſunt opera. " Sed confirmatio hominem ad ſpiritualis vitæ perfectionem perducit. Ergo intentio, ſeu voluntas Dei eſt, ut omnes confirmationem ſuſcipiant. En divinum de confirmatione præceptum.

Præterea D. Th. ita diſcurrit a. 8. cit. *Sed contra eſt, quod dicitur Act. 2. quod* „ Spiritus Sanctus adveniens „ replevit totam domum ", *per quam ſignificatur Eccleſia; & poſtea ſubditur, quod* „ repleti ſunt omnes Spiritu Sancto. " *Sed ad aliam plenitudinem conſequendam hoc ſacramentum datur: ergo eſt omnibus, qui ſunt in Eccleſia, exhibendum.* At ſacramentum omnibus exhibendum non eſſet, niſi juris eſſet divini, ut patet in ordine, & matrimonio: ergo &c.

Adde, quod D. Th. a. 1. ad 3. q. 72. cit. ait: *Omnia ſacramenta ſunt aliqualiter neceſſaria ad ſalutem: ſed quædam ſunt, ſine quibus non eſt ſalus; quædam vero ſunt, quæ cooperantur ad perfectionem ſalutis. Et hoc modo confirmatio eſt de neceſſitate ſalutis, quamvis ſine ea poſſit eſſe ſalus, dum tamen non prætermittitur ex contemptu ſacramenti.* His verbis innuit, quædam ſacramenta eſſe neceſſaria neceſſitate medii, ut baptiſmus omnibus, pœnitentia lapſis poſt baptiſmum; alia vero non item, at neceſſaria tamen eſſe neceſſitate præcepti, ut Euchariſtia, extrema-unctio, & confirmatio: *& hoc modo confirmatio eſt de neceſſitate ſalutis, quamvis ſine ea poſſit eſſe ſalus. dum tamen non prætermittatur ex contemptu ſacramenti;* ſicuti poteſt eſſe ſalus ſine Euchariſtia, & extrema unctione, dum tamen non prætermittantur ex contemptu, ſed propter legitima impedimenta.

Ex his intelligitur, a Buſembaum perperam & falſo citari D. Thomam pro contraria ſententia; item falſo ab eodem dici, neque ex Scriptura, neque ex fine, aut inſtitutione hujus ſacramenti, præceptum illud ſuſcipiendi colligi.

Accedit, quod Act. 1. dicitur: *Præcepit eis ab Hieroſolymis ne diſcederent, ſed expectarent promiſſionem Patris.* Hæc promiſſio Patris eſt infuſio Spiritus Sancti, quo Pentecoſtes die repleti ſunt Apoſtoli, & Diſcipuli, quæ fuit figura ſacramenti confirmationis, unde idem effectus prodit: ergo ſicuti Apoſtolis, ita nobis omnibus præcipitur, ut ſeptiformis Spiritus gratiam in ſacramento confirmationis accipiamus. Hinc Act. 8. maxima Apoſtolorum ſollicitudo deſcribitur, ut baptizatis omnibus manus imponerent, hoc eſt ſacramentum confirmationis conferrent; quæ ſane ſollicitudo divinum de ea ſuſcipienda præceptum indicat. Hinc Patres omnes unanimi conſenſu hujus ſacramenti neceſſitatem inculcant, ut SS. Cyprianus, Hilarius, Gregorius Magnus, B. Petrus Damiani, Hugo a S. Victore, quorum textus legi poſſunt apud Nat. Alex. Theol. t. 1. p. 251. propoſitione 12. Item Tertullianus, Cyrillus Hieroſolymitanus, Chryſoſtomus, Auguſtinus, quorum meminit Concina Theol. t. 8. p. 224. n. 7. Ex quibus patet, illud quoque a Buſemb. falſo aſſeri, hujus ſacramenti præceptum ex traditione non colligi. His accedit Urbani Papæ auctoritas, qui ait: (de conſecrat. diſt. 5. c. 1. an. 222.) *Omnes fideles per manus impoſitionem Epiſcoporum, Spiritum Sanctum poſt baptiſmum accipere debent, ut pleni Chriſtiani inveniantur.* Et Melchiades Papa, inquit: (c. 2. an. 314.) *Et quamvis continuo tranſituris ſufficiant regenerationis beneficia, victuris tamen neceſſaria ſunt confirmationis auxilia:* item (cap. 3.) dicit: *Sed ita conjuncta ſunt hæc duo ſacramenta,* (baptiſmus & confirmatio) *ut ab invicem, niſi morte præveniente nullatenus poſſint ſegregari; & unum ſine altero rite perfici non poteſt.* Hæc antiquiſſima Summorum Pontificum monumenta traditionem luculenter confirmant divinæ legis de confirmatione ſuſcipienda, & eccleſiaſticum ſimul de ea præceptum includunt; quod præceptum innumeræ poſtmodum Synodi confirmarunt, quarum plurimas referunt Nat. Alex. loc. cit, & Concina p. 226. n. 11. qui ita ſubdit. „ Adjicere lubet „ auctoritatem ſcientiſſimi Pont. feliciter regnantis Bened. XIV. qui & in prælaud. not. & in conſt. de rit. „ Græc. §. 3. ait, admonendum ab Epiſcopis, *eos gravis* „ *peccati reatu teneri, ſi, cum poſſunt ad confirmationem* „ *accedere, illam renuunt, ac negligunt.* Revolvantur „ omnes Synodi, & Catechiſmi poſtremæ ætatis noſtræ; & cuique compertum erit, quo zelo, qua „ ſollicitudine cujuſcumque ſæculi Patres, Epiſcopi, & „ celebriores Theologi nobis propinquiores intonent „ iſtius ſacramenti adminiſtrationem, & ſuſceptionem. „ Ergo commentum, quod opponit La-Croix, nempe hoc „ præceptum *per deſuetudinem deſiiſſe*, non modo falſum eſt, ſed Epiſcopis, & Patribus ultimæ ætatis „ noſtræ quam maxime injurioſum. "

Hactenus P. Concina, cujus rationes, & dicta adeo luculenta ſunt, ut ne P. quidem Zacharia iis repugnare audeat, imo ea probare cogatur ſua adnotatione in n. 395. La Croix jam citatum.

Quod antea P. Zach. probare coactus fuit, nunc improbare in mentem ipſi venit; hoc eſt confirmationem eſſe præceptam, inficiatur. Cur id? Quia a ſuo
P. Nocetio t. 1. verit. vind. cap. 69. viginti Scriptores Dominicanæ Familiæ, additis Suarez, & Valentia referuntur, quos omnes huic ſententiæ favere contendit. p.CXXII.

At hæc ſententia a Theologis Pariſienſibus inuſta eſt ſuprabus notis, ut initio Animadverſionis adnotavi.

Contrariam „ non modo Patres omnes, & antiqua „ Concilia, ait P. Concina Theol. t. 8. diſſ. 11. de confirm. cap. VI. n. XIII. p. 227., verum etiam Catechiſmi, Synodi, Epiſcoporum conſuetudo ætatis noſtræ defendunt. Indicare juvat graviores Theologos, „ qui a nobis ſtant; " & numero viginti ſex citatis eorum locis enumerat, ſubditque hac noſtra ætate vix aliquem eruditorum Theologorum reperiri, qui illi non adhæreat.

Ex Thomiſtis a P. Nocetio exſcriptis Grandi, Contenſonium, & alios antiquos ſe adverſarios habere fatetur, Gonettus, Scotum, Bellarminum, Tunianum, Martinonum, & alios, Ludovicus Bancel addit abſolute Scotiſtas, hoc eſt integram frequentiſſimæ Religionis Scholam.

Sed P. Zach. me ita urget. „ Vides jam perperam a „ te contra P. Buſemb. adlegari D. Thomam, quem „ viginti Thomiſtæ pro Buſemb. ſententia indubitanter „ appellant.

Reſp. Illud *indubitanter* omitti poterat; illud *viginti* falſum eſt; quia nec Cajetanus, nec Bartholomæus Fumus, nec Bartholomæus ab Angelo, nec Philippus Maria Groſſi, nec Ledeſma, nec Nugnus, nec Vincentius Candidus, qui ex numero viginti ſunt, D. Thomæ auctoritatem appellare auſi ſunt.

Quoad alios, quæro, quo fundamento Angelicum Magiſtrum appellent. Non enim numerus, ſed facti veritas, quam quiſque ſuis oculis cernere poteſt, nos vincere debet.. Textum ſcilicet S. Doctoris, ut ex Nocetio colligo, ex p. 3. q. 72. a. 8. ad 4. afferunt, ubi illud Hugonis a S. Victore *Omnino periculoſum eſſet, ſi ab hac vita ſine confirmatione migrare contingeret* explicans, ait, *non quia damnaretur, niſi forte propter contemptum, ſed quia detrimentum perfectionis pateretur.*

Nonnulli etiam innuunt a. 1. ad 3. ejuſdem q. 72., at ex his ipſis articulis, ut in Animadverſione evici, contrarium, ac illi volunt, efficitur. Hinc S. Doctor articuli 8. corpus ita concludit. *Et ideo hoc ſacramentum debet omnibus exhiberi*: ait *debet*, ſi dee, ei è debito; quod præceptum, non conſilium ſignificat.

Præterea in 4. objectione ejuſdem a. 8. Melchiadis Papæ auctoritatem in Animadverſione a me relatam S. Doct. ſibi opponit, cui reſpondet. *Auctoritas autem illa intelligitur quantum ad hoc, quod morituris non eſt neceſſarium hoc ſacramentum propter periculum pugnæ præſentis.* Ex quo intelligitur, hoc ſacramentum ex mente S. Doctoris victuris neceſſarium eſſe propter pugnæ præſentis periculum.

Itaque confirmatio non eſt quidem neceſſaria neceſſitate medii, eſt tamen neceſſaria neceſſitate præcepti. Hæc eſt S. Doctoris mens ſatis perſpicua ex ejus dictorum ſerie; & hoc ſenſu intelligendum eſt illud, quod

adver-

adverſarii objiciunt, *non quia damnaretur, niſi forte* &c. Contemptores, ut alibi innuimus, ea Angelico illi ſunt, qui Superiori, aut legi ſubjici renuunt. Nemo in crimen vocatur, ſi ordinis, aut matrimonii ſacramentum ſuſcipere recuſet; quia hæc ſacramenta ſub legem non cadunt. Ergo ex S. Thoma ne ille quidem criminoſus eſſet, nec damnaretur, qui ſacramentum confirmationis accipere recuſaret, ſi hac de re nulla lex eſſet. Quare illud *niſi propter contemptum* legem ſuſcipiendæ confirmationis non excludit, ſed includit; quia lex, quæ nulla ſit, contemni non poteſt.

Zach. „ Vides, nihil efficere Urbani, aliorumque, „ quos poſt Concinam profers, veterum Pontificum (ſi „ tamen genuina ſunt, qua de re Criticos conſule) „ teſtimonia. "

Reſp. Grandi ita loquitur: *Traditiones vero, ac Patrum auctoritates affirmantes neceſſitatem hujus ſacramenti legitime interpretantur Duce Angelico præceptore de neceſſitate ſecundum quid, ſeu ad melius eſſe.*

Gonet ait: Quando in canone *Omnes* dicitur, *quod omnes fideles per impoſitionem manus Epiſcoporum Spiritum Sanctum accipere debent*, verbum illud *debent* non ſignificat præceptum, ſed conſilium.

Labat, & Bancel ſimili modo loquuntur.

Reſp. Neceſſitas *ſecundum quid, ſeu ad melius eſſe*, non eſt neceſſitas, ſed utilitas. Pontifices, & Patres neceſſitatem pro utilitate poſuiſſe qui dicunt, non ſe illis, ſed illos ſibi accommodant. Aliud eſt, ſcholaſtica diſtinctiuncula in Pontificum, & Patrum intelligentia uti, aliud, quæ fuerit eorum mens contra ipſorum verba, evincere. Affirmare ſatis non eſt, ſed probare oportet.

Quod verbum *debent* conſilium ſignificet, idem eſt ac debitum propria auctoritate delere, & debitoris arbitrio relinquere, ut nihil ſolvat.

At hæ interpretationes Angelico Doctore nituntur. Angelico ſcilicet Doctore, in quo nullum harum diſtinctiuncularum locis citatis, ubi hac de re agitur, veſtigium apparet. Angelico Doctore, cujus mentem obvio ſenſui Summorum Pontificum, & Patrum conformem eſſe, ejus verba demonſtrant, ut mox vidimus.

Zacch. „ Non diſſimulabo ego argumenta alia, quæ „ Buſ., & La-Croixio objicis, ut quam inania ſint, ſi „ quando ſapere poſſis, intelligas. Citas cum Concina „ Bened. XIV., qui conſtit. de ritu Græcorum §. 3. „ ait admonendum ab Epiſcopis, *eos gravis peccati reatu teneri, ſi cum poſſunt ad confirmationem accedere, illam renuunt, ac negligunt.*

„ *Videtur etiam Zach. Bened. XIV. auctoritate ad „ deſerendum La-Croixium ſuum permotus. Verum „ (ut mittam, Concinam Benedicti XIV. verbia uti „ non poſſe, quum Concina poſt Natalem Alex. non „ omne grave peccatum, lethale eſſe velit) grave, „ aut letale peccatum eſſe poteſt neglectus ille, quem „ verba illa Pontificia indicant, *renuunt, ac negligunt*, „ quum quamdam contemptionem ſignificent &c. "

Reſp. Peccatum leve, & veniale idem ſunt: ergo peccatum grave, & mortale idem ſignificant. Contingere tamen poteſt, ut quis gravis peccati nomine intelligat grave peccatum non abſolute, ſed comparata ad alia leviora venialia; quod ea verborum contextu eruendum erit. Hæc quoad Natalem Alex., & Concinam. Summus Pontifex ea loquendi ratione uſus eſt, quia fideles ad confirmationem accedere non ſemper poſſunt, ſed ſolum cum Epiſcopus ad eam adminiſtrandam præſto eſt; cum autem accedere nequeunt, gravis, ſeu, quod idem eſt, mortalis peccati damnari non poſſunt; at cum eam ſuſcipere poſſunt, & nihilominus ex negligentia, aut mala voluntate recuſant, tunc ex Bened. XIV. mortalis peccati reatum incurrunt. Quæro, utrum graviter peccent, qui, cum matrimonium inire, aut Eccleſiaſticis ordinibus initiari poſſunt, id tamen renuunt, ac negligunt? minime. Cur? Quia de illis Sacramentis ſuſcipiendis nullum extat præceptum. Ergo ſi nullum de Confirmatione ſuſcipienda præceptum extaret, qui illam, cum poſſunt, ſuſcipere renuerent, ac negligerent, grave peccatum non admitterent. Renuere, & negligere facere id, quod præceptum non eſt, nec grave, nec leve peccatum eſt; quia omne peccatum, legis tranſgreſſio eſt. An peccat, qui venialia peccata in Confeſſione aperire, aut ſingulis hebdomadibus, aut menſibus ad pœnitentiæ ſacramentum accedere renuit, ac negligit? Ergo cum ex Bened. XIV. graviter peccent, qui, cum poſſunt, ad confirmationem accedere renuunt, & negligunt, evidens eſt, ex mente Summi Pontificis extare præceptum confirmationis ſuſcipiendæ, quod ego ex Act. 2. etiam ante viceram.

At P. Zach. huic argumentationi ita occurrit. „ Hæc „ ad ſummum ex eo antecedente " (hoc eſt verbia „ Act. 2.) conſequentia ducenda eſſet: ergo ſicut A- „ poſtolis, ita omnibus, qui ad ordines, ac præſertim „ ad Epiſcopatum promovendi ſunt, præcipitur, ut ſe- „ ptiformis Spiritus gratiam in Sacramento confirmatio- „ nis accipiant.

„ Quamquam quæ ab Apoſtolis ad Chriſtianos cæ- „ teros inſtitui paritas poteſt? Virtute Sp. ſancti indi- „ gebant Apoſtoli, quæ eos interritos, & ad omne „ perſecutionum, quas ſubituri erant, genus perferen- „ dum diſpoſitos efficeret. Unde & Spiritu ſancto ube- „ rius eos impleri oportuit. "

Reſp. An cæteri Chriſtiani, Spiritus ſancti virtute non indigent ad pugnandum contra acerrimos animæ hoſtes, & ad perſecutiones tolerandas? *Omnes*, ut Ap. 2. Tim. 3. v. 12., *qui pie volunt vivere in Chriſto Jeſu, perſecutionem patientur.*

Uberiori confirmationis gratia Apoſtoli indigebant; at ea omnes indigere, vide, mi Zach., ne inficiari audeas.

Chriſti verba ad Apoſtolos directa, non eos ſolum, ſed alios quoque afficiunt; ea tamen ratione, ut quæ certi generis hominibus accommodari ſolum poſſunt, ad eos tantum pertineant; ut illud Luc. 22. 19. *Hoc facite in meam commemorationem*, quod ad Sacerdotes ſolum refertur; ea vero, quæ omnibus communia ſunt, ut Confirmationis ſuſcipiendæ præceptum, ad omnes referantur. Hinc Marci 13. *Quod vobis dico, omnibus dico: vigilate.*

At Zach. inſtat. „ Sed nec verum eſt, Chriſti præ- „ ceptum de promiſſione Sp. ſancti fuiſſe. Præceptum, „ ſolum locum adficit, ubi Apoſtoli expectare debebant „ Sp. ſancti promiſſionem. *Præcepit eis, ab Hieroſoly-* „ *mis ne diſcederent, ſed expectarent*, ibi ſcilicet, *promiſ-* „ *ſionem Spiritus ſancti*. Neque id mirum &c. "

Reſp. Mirum ſane eſt, quod duplex apertum præceptum, unum efficere coneris contra evidentem Scripturæ ſenſum. *Præcepit eis ab Hieroſolymis ne diſcederent*; En primum ordine præceptum, quod locum afficit; *ſed expectarent promiſſionem Patris*: En alterum præceptum ibi expectandi infuſionem Spiritus ſancti. An illa verba *promiſſionem Patris* vacant? Nam tu, mi Zach., perinde ſcribis, ac ſi hæc verba *promiſſionem Patris* nihil dicerent; cum tamen evidens, & præcipuum præceptum contineant. Quæ adjicis, ad loci præceptum referuntur; alterum præceptum non infirmant; ideoque ea omiſi, veluti extra rem.

Addere hic lubet S. Hieronymi in Dialogo adverſus Luciferianos teſtimonium, quod refertur tum a Genetto Theol. t. 3. p. 212. q. 7., tum a Concina Theol. t. 8. p. 299. n. 8., ubi S. Doctor inquit. *An neſcis, Eccleſiarum hunc eſſe morem ut baptizatis poſtea manus imponantur, & ita invocetur Spiritus ſanctus? Exigis, ubi ſcriptum ſit? In actibus Apoſtolorum. Etiamſi Scripturæ auctoritas non ſubeſſet, totius Orbis in hanc partem conſenſus, inſtar præcepti obtineret.* Ex his verbis intelligis, in Actibus Ap. non ſolum de loco, ut tu, mi Zach., falſiſſime aſſeruiſti, ſed etiam de Confirmatione præceptum haberi. Præterea Eccleſiæ totius conſuetudinem eſſe *inſtar præcepti*, affirmat S. Hieronymus. An illud *inſtar præcepti* conſilium indicat? Hæc una S. Hieronymi auctoritas totum tuum labens ædificium funditus evertit; ac ea præſertim, quæ ex tuo alioquin inſigni Theologo Suarezio attuliſti; quamquam hæc ex iis quoque, quæ tum in Animadverſione, tum hic ſcripſi, omnino corruunt; ita ut ea reſponſione non indigeant, ideoque omittenda duxerim.

Demum Catechiſmus Rom., quem Dominicus de Martinis nobis objicit, & P. Concina pro noſtra ſententia appellat, n. 16. de Confirmatione ita habet. *Atque illud in primis docendum eſt, hoc ſacramentum ejuſmodi neceſſitatem non habere, ut ſine eo ſalvus quis eſſe non poſſit.*

Hic explicate ſermo eſt de neceſſitate medii. Sed cum ait: *Ejuſmodi neceſſitatem*, negat quidem neceſſitatem medii, ſed implicite indicat aliam neceſſitatem, hoc eſt præcepti. Hinc ſubdit. *Quamquam vero neceſſarium non eſt, a nemine tamen prætermitti debet*; (quod a nemine prætermitti debet, ſub præceptum cadit) *ſed potius maxime cavendum eſt, ne in re ſanctitatis plena, per quam &c. aliqua negligentia committatur. Quod enim omnibus communiter ad ſanctificationem Deus propoſuit, ab omnibus etiam ſummo ſtudio expetendum eſt.* Hæc ſcilicet de mero conſilio dici nequeunt, ſed ſolum de præcepto.

Animadversio V.

Negligere hoc ſacramentum.... non eſt mortale. Suar. &c. Bon. ubi.... docet, nullum eſſe præceptum &c.

Utrumque ex mox dictis falſum eſt, & rejiciendum.

Animadversio VI.

Etſi omiſſio ex contemptu....ſit mortalis; talis tamen non cenſetur eſſe, cum quis &c.

Qui confirmationem, aut ejus præceptionem nihil facit, aut quid puerile, & vile habet, hic eam otioſam cæremoniam, non verum ſacramentum eſſe putat; hoc eſt, non ſolum mortaliter peccat, ſed hæreticus eſt, a Synodo Tridentina ſeſſ. 7. de conſ. cap. 1. anathemate confixus. Et licet talis non ſit, qui ejus oblatam occaſionem, quam poſtea non facile habiturus eſt, negligit, hic tamen mortaliter peccat; quia præceptum ſuſcipiendæ confirmationis violat, aut evidenti ejus violandi periculo ſeſe objicit. Qui contrarium ſentiunt, ea falſa poſitione nituntur, quod nullum ſit præceptum ſuſcipiendi confirmationem. Hinc Concilium Senonenſe apud Concinam p. 228. n. 14. inquit: *Omnes Chriſtiani tam viri, quam mulieres, uſum rationis habentes obligantur ſuſcipere, aut ſaltem non contemnere confirmationem. Contemni autem dicitur, quando Epiſcopus eſt præſens paratus dare, & perſona hoc ſciens negligit, aut deſpicit ſuſcipere*; quæ doctrina, ut monet idem Concina, communis eſt penes omnes graviores Theologos.

ANIMADVERSIO VII.

Præceptum ... non ligat omnes.

Hoc veriſſimum eſt, ſed quod addit, ejus omiſſionem non eſſe mortalem, pro fundamento habet, non extare generale præceptum confirmationem imponens, quod ex dictis contra Buſembaum falſum eſt. Itaque tonſura initiandus confirmationem ſuſcipere negligens, mortaliter peccat, tum quia generale, tum quia ſpeciale præceptum ſuſcipiendæ confirmationis violat. Nec enim præceptum tonſura initiando impoſitum, eſt de re levi, ſed graviſſima; quia ipſa confirmationis ſuſceptio res eſt graviſſima.

Hinc porro fit, ut Epiſcopus quoque, contra ac ait Buſemb., mortaliter peccet, ordinando non confirmatum; præſertim cum præceptum conferendæ confirmationis ordinandis, Epiſcopo directe imponatur. Syn. enim Trid. ſeſſ. 23. cap. 4. ita ait: *Prima tonſura non initientur, qui ſacramentum confirmationis non ſuſceperint &c.*

Aut ſi ipſe non confirmatus ordinet.

Buſembaum, opinandi licentia, quæ probabilium propria eſt, abreptus primo quidem præceptum ſuſcipiendæ confirmationis de medio ſuſtulit, tum a gravi culpa ordinandos liberat, ſi confirmationem non ſuſcipiant, tum Epiſcopum negligentem confirmationem conferre ordinandis; ac demum eumdem Epiſcopum, ſi non confirmatus ordinet.

Hic eſt poſtremus gradus, quo paulatim Buſemb. progreſſus eſt; qui ſane aliis prioribus deterior eſt, nec nova indiget confutatione, poſtquam priores confutavimus. Evidens enim eſt, rerum ſacrarum ordinem longe turpius, ac deteſtabilius perverti, ſi Epiſcopus non confirmatus ordinet, quam ſi quis non confirmatus ſuſcipiat ordines.

ANIMADVERSIO VIII.

Poteſt autem conferri loco quovis decenti, etiam extra Eccleſiam.

Quoad loci decentiam non minor, aut etiam major confirmationis, quam baptiſmi cura ſuſcipienda eſt; quia confirmatio baptiſmo dignitate antecellit, ut docet D. Th. p. 3. q. 65. a. 3. & Melchiades Papa cap. *De his*, de conſecrat. diſt. 5. atqui baptiſmus, ut præſcribit Rituale Rom., in Eccleſia tantum adminiſtrandum eſt, niſi neceſſitas aliud expoſcat: nam ipſi filii Regum, ſi patres velint, eos domi baptizari, non in cubiculis, ſed in eorum oratoriis baptizandi ſunt: ergo confirmatio quoque in Eccleſia, non alibi conferenda eſt, niſi forte neceſſitas aliud expoſcat, & hæc eſt Eccleſiæ conſuetudo, a qua propter quorumdam recentium opinationes recedendum non eſt.

Et a prandio non jejunis.

Id quidem in Conciliis Aurelianenſi, & Meldenſi (habentur cap. 6. & 7. de conſec. diſt. 5.) a D. Thoma p. 3. q. 72. art. 12. ad 2. citatis vetitum fuit. Sed reſpondet S. Doct. *Quod ab illa prohibitione excipiuntur infirmi, & morte periclitantes, ſicut in ſtatuto Meldenſis Concilii legitur. Et ideo propter multitudinem fidelium, & propter pericula imminentia ſuſtinetur, ut hoc ſacramentum, quod nonniſi ab Epiſcopis dari poteſt, etiam a non jejunis detur, & accipiatur; quia unus Epiſcopus, præcipue in magna diœceſi, non ſufficeret ad tot homines confirmandos, ſi eis tempus arctaretur. Ubi tamen*, ſubdit Angelicus, *congrue obſervari poteſt, convenientius eſt, ut a jejunis detur, & accipiatur.*

2. *Requiritur patrinus; iſque unus tantum (licet Toletus duos admittat.)*

Wig. in Trib. p. 498. n. 82. duos patrinos excludit: & D. Carol. Borr. a Nat. Alex. Th. t. 2. p. 253. cap. 6. citatus ait: *Patrinum autem unum dumtaxat ad hoc ſacramentum quis eliget; matrinam itidem unam.*

Qui ſi confirmatus non ſit, peccat graviter ſecundum communem.

Hinc D. Thom. p. 3. qu. 72. art. 10. ad 2. ait: *Nec enim debet alium ad confirmationem tenere, qui nondum eſt confirmatus.* Hoc peccatum grave eſſe, docet quoque Concina Theol. t. 8. p. 230. n. 3. niſi, inquit, ignorantia excuſet.

Et non contrahit cognationem, ut docent &c. contra &c.

Oppoſitum valde probabile eſſe, ait La-Croix p. 220. n. 400. quod Concina loco mox cit. pro certo habet, hoc eſt in caſu contrahi cognationem.

Contra vero Buſembaum opinionem, quam communem eſſe dicit, Anacletus t. 4. juris can. p. 91. n. 27. tuetus, eamque confirmat cap. 102. diſt. 4. de conſecr. ubi dicitur: *In baptiſmate, vel in Chriſmate non poteſt alium ſuſcipere in filiolum, qui non eſt ipſe baptizatus, vel confirmatus.*

Reſpondet La-Croix illud *non poteſt* idem eſſe, ac non debet, ſeu prohibetur; quod enim illicitum eſt, dicitur moraliter fieri non poſſe. Et ſane negari non poteſt, cum quæritur, utrum aliquid liceat, perinde eſſe dicere, *non licet, non poteſt, non debet*; at cum quæſtio eſt, utrum aliquid non ſolum liceat, ſed etiam valeat, τὸ *non poteſt* aut æquivocum eſt, aut utrumque complecti videtur, quia utrique accommodari poteſt. Præterea citatus canon ex Concilio Moguntino ſumptus eodem modo loquitur de eo, qui non confirmatus alium in chriſmate ſuſcipit, ac de eo, qui non baptizatus alium in baptiſmate tenet: at non baptizatus alium tenens in baptiſmate, ſpiritualem cognationem non contrahit ex communi, ut ait idem Anacletus n. 28. Theologorum, & Canoniſtarum conſenſu. Ergo &c.

Adde, quod Pontificale Rom. p. 1. tit. 2. de Conf. ait: *Nullus, qui non eſt confirmatus, poteſt eſſe in confirmatione patrinus.*

Demum, ut refert idem Anacl. Cong. Card. in una Licien. 23. Iunii 1654. declaravit, *non confirmatum non contrahere cognationem ſpiritualem.* Hæc quidem opinio merito probabilior haberi poteſt, & debet, ſi allata Cardinalium declaratio liquido comperta ſit. Nihilominus ſi de matrimonio inter hujuſmodi perſonas, de quibus præſens quæſtio eſt, utrum cognationem ſpiritualem contrahant, ageretur, ego quidem nihil tentandum putarem, niſi res certior haberetur, ne periculo perpetui concubinatus, & inceſtus objicerentur.

Debetque eſſe diverſus a patrino baptiſmi.

Idem affirmant Wig. p. 491. reſp. 8. & Concina p. 230. n. 3. idem præſcribit S. Carolus Borr. apud Nat. Theol. 2. t. p. 253. cap. 6. idem demum docet Clemens XI. in admonitionibus ejus juſſu Romæ editis a ſuo Vicario Gen. anno 1703. 22. Maji his verbis (habetur apud Gen. in fine t. 3.) *Nè quelli* (poſſono eſſer patrini nella confermazione) *che ſono ſtati Compari, o Comari dei medeſimi confermandi nel ſacramento del batteſimo, ſecondo l'antichiſſima conſuetudine di queſta S. R. Chieſa*, cui aliæ ſeſe conformare debent, nec audire paucos probabiles contraria permittentes.

Admitti tamen & illos (Monachos) *& moniales poſſe ſine culpa, docet &c.*

Quod dictum eſt de ſuſceptoribus in baptiſmo, idem dici debet de ſuſceptoribus in confirmatione; quia eædem rationes utrobique eamdem vim habent: at Monachi, & moniales ſuſcipere nequeunt baptizandos. Ergo

Præterea cap. *Monachi* 104. diſt. 4. de conſecr. abſolute dicitur: *Monachi ſibi compatres, commatreſque non faciant.* Ergo Monachi a ſuſceptorum officio non ſolum in baptiſmo, ſed etiam in confirmatione excluduntur; quod expreſſe docet Clemens XI. in admonitionibus ſupra citatis, ubi ait; *Come anco li Padrini* (in ſacramento confirmationis, de quo loquitur) *non poſſono eſſer Monaci, a Religioſi, ne &c.*

Nec refert .... num vir ſit, aut femina.

Idem ſane docet quoque S. Thom. p. 3. q. 72. art. 10. ad 3. & Synod. Patav. anni 1624. p. 2. c. 13. quæ tamen addit: *Quamvis feminas a feminis, viros a viris ſuſcipi ſit decentius.* Hinc D. Carolus Borr. apud Nat. Alex. loco mox cit. ait: *Id denique ſervabitur, (quoniam ita honeſtatis ratio poſtulat) ut neque feminis mares, neque rurſus feminæ maribus patrini, vel matrinæ adhibeantur.* Idem monet Clemens XI. in admon. mox cit. ubi poſtquam dixit, in confirmatione adhibendos eſſe patrinos, addit, *con queſto però, che i maſchi non ſiano tenuti a Creſima dalle femmine, nè queſte dai maſchi.*

Neque etiam contrahit obligationem inſtruendi confirmatum.

Hoc falſum eſt, & refellitur a D. Thoma p. 3. q. 72. art. 10. in quo ita concludit. *Et propter hoc etiam ille, qui accipit hoc ſacramentum, ab alio tenetur, quaſi per alium in pugna ſpirituali erudiendus.*

Idem habet Catech. Concilio Trid. p. 2. de confirm. n. 15. ubi ait: *Nam ſi qui gladiatoriam dimicationem ſubeunt,*

eunt, alicujus indigent, cujus arte, & conſilio doceantur, quibus ictibus, & petitionibus, ſalvis ipſis conficere adverſarios poſſint; quanto magis fideles, cum ſacramento, quaſi firmiſſimis armis tecti, ac muniti in ſpirituale certamen, cui æterna ſalus propoſita eſt, deſcendunt, duci ac monitoris indigebunt? Et S. Carolus B rr. apud Natalem loco mox cit. inquit: *Qui confirmandi ſunt, ſinguli Patrinum ſibi adhibent; cujus munus eſt, filiolum, quem in confirmatione tenuit, monere, atque tanquam ducem ſe præbere, ut in quotidiano ſpirituali certamine adverſarium vincat; Sed & ſi rudem illum viderit, non ſolum fidei chriſtianæ documentis inſtruere, verum etiam ad viam ſalutis, virtutumque chriſtianarum diſciplinam erudire cohortationibus, atque exemplis, ut in ſacramento bapt ſmi traditum eſt.*

Cur ſpiritualis cognatio inter ſuſceptorem, & ſuſceptom contrahitur, niſi ut ille hujus curam ſpiritualem ſuſcipiat? Hinc Clem. XI. in admon. cit. ait: *Chi piglierà queſto ſanto Sacramento, deve avere un Compare, e una Commare, acciò abbia di lui cura ſpirituale.*

TRACTATUS III.

De Euchariſtia.

CAPUT I.

De eſſentia Eucheriſtiæ.

DUBIUM I.

Quid ſit Euchariſtia?

RESp. Eſt Sacramentum Corporis, & Senguinis Chriſti ſub ſpeciebus panis, & vini, ad ſpiritualem animæ refectionem divinitus inſtitutum. Ita communiter Schnlaſt.

Unde reſolves ſequentia.

1. Tam ſpecies conſecratæ, quam Corpus, & Sanguis Chriſti, intrinſece, & eſſentialiter conſtituunt hoc Sacramentum: adeoque falſum eſt, quod docuit Waldenſis, Corpus, & Sanguinem Chriſti eſſe totum Sacramentum. Ratio eſt, tum quia Trident. docet, Corpus, & Sanguinem contineri hoc Sacramento: tum quia quatenus continetur, non eſt ſenſibile. Item falſum eſt, quod docent Marſilius, & Sotus, ſolas ſpecies conſtituere hoc Sacramentum; tum quia Euchariſtia eſt cibus cæleſtis; tum quia adorari debet latria, ut docet Trid. (*a*)

2. Uſus, ſive ſumptio Euchariſtiæ non eſt propria ipſum Sacramentum, neque aliud Sacramentum ab eo diſtinctum, ut vult Gabriel, nec pars illius, ſive eſſentialis, ſive integralis, ut Aureolus; ſed tantum applicatio, ſive conditio, ut Sacramentum operetur.

3. Etſi quælibet ſpecies, imo quævis pars ſpeciei ſit integrum, & eſſentialiter perfectum Sacramentum, ideoque Secramentum Euchariſtiæ, ſub ſpeciebus panis, & vini, phyſice, & materialiter ſpecie differat; moraliter temen, & in ratione Sacramenti eſt unum ſpecie infima Sacramentum: tum quia eſt unum ſignum rei ſacræ; tum quia ordinatur ad unum ſpecie infima finem. Vid. S. Thom. *q. 72. art. 2.*

4. Etſi phyſice loquendo, tot ſint numero Sacramenta, quot numero ſpecies, vel etiam partes ſpecierum; moraliter tamen unum numero Sacramentum eſt, quod per modum unius proponitur, & ſumitur; quia id ad unum finem, ſcilicet ad unam refectionem ſpiritualem refertur.

5. Hoſtiæ in diverſis altaribus recte concipiuntur ut diſtincta Sacramenta; contra vero, ſi Sacerdos unam hoſtiam in plures partes dividat, vel plures hoſtias ſimul ſumat (eadem eſt ratio plurium ſpecierum diverſæ rationis) non ideo dicitur accepiſſe plura numero Sacramenta.

DUBIUM II.

Quæ materia Euchariſtiæ?

Nota, ſicut in aliis Sacramentis eſt duplex materia, proxima, & remota, ita etiam hic, ſed ordine inverſo: nam in aliis materia remota eſt res permanens; proxima vero ejus uſus, qui tranſit: hic vero remota tranſit, & proxima manet, ſcilicet ſpecies panis, & vini. Quæritur ergo tantum de remota; illa ſcilicet, quæ facta conſecratione tranſit in Corpus, & Sanguinem Chriſti.

Reſp. Materia Euchariſtiæ eſt tantum panis, & vinum. Eſt de fide, & probatur ex inſtitutione Chriſti, *Matth.* 26. & *Luc.* 22. Et quidem utraque materie, panis, & vinum, eſt ita neceſſaria ad hoc Sacramentum conficiendum, ut per ſe nunquam licite poſſit una conſecrari abſque alia: quod patet tum ex facto Chriſti 22. Luc. tum ex Trid. *ſeſſ.* 22.

Unde reſolves.

1. Conſecratio utriuſque ſpeciei eſt juris divini; (*b*) quia ratio ſacrificii, ſine quo non fit, exigit utramque.

2. Non licet alteram tantum ſpeciem conſecrare, in neceſſitate etiam gravi, (*c*) v. g. ut moribundo detur Viaticum. Suar. &c. commun.

3. Nec Pontifex in eo poteſt diſpenſare ullo caſu. Ita commun. (*d*) Suar. 3. *p. d.* 55. *ſ.* 4. &c. contra quoſdam.

Dixi 1. Per ſe; *quia per accidens, & præter intentionem, aliquando unam poſſe ſolam conſecrari, abſque peccato, docet Tonn. d. 5. q. 2. dub. 5. n. 27. dicitque eſſe communem*, v. gr. in his caſibus. Animad. I.

1. *Si quis aquam, vel alium liquorem pro vino conſecraſſet, neque defectum intelligeret, niſi diu poſt*; aut poſtquam advertiſſet, neque poſſet haberi aliud vinum: vel quamvis haberet, non poſſet tamen illo uti ſine gravi ſcandalo, vel vitæ periculo. *Si poſt conſecratam Hoſtiam ſubitum mortis periculum ab hoſtibus, vel incendium immineat*, ſeclusa tamen ſcandalo, & contemptu fidei. Reg. *l. 29. c. 4.* 3. Si Sacerdos, Hoſtia conſecrata, moriatur, vel animo deficiens loquelam perdat, vel in amentiam incidat; nec ſit alius, qui poſſit Sacrificium perficere. Suar. Vaſq. &c. Si autem alius ſupplete, & Sacerdos infirmus communionem ſuſcipere poteſt, debet Hoſtia dividi, atque pars dari. Tamb. *de exped. Sacrif. l. 2. c.* 8.

Dixi 2. *Licite*: quia valide alterutram tantum conſecrari, eſt certum: ut patet tum ex facto Chriſti, qui panem ante conſecravit, tum ex praxi Eccleſiæ, quæ Corpus ante Sanguinem proponit adorandum.

DUBIUM III.

Qualis debeat eſſe panis in materia Euchariſtiæ?

Reſp. 1. Solus panis triticeus, in conviviis communiter uſitatus, qualis morali hominum judicio tantum cenſetur ille, qui ex farina triticea, & aqua naturali mixtus, & igne toſtus, ſive aſſus, atque in ſua ſpecie incorruptus eſt: quia hic ſolus ſimpliciter dicitur panis, (*e*) alius vero nonniſi cum addito; ver. gr. hordeaceus.

Unde reſolves.

1. Falſum eſt, *quod docuit Cajet.* (*f.*) Euchariſtiam poſſe conſecrari ex quovis pane cujuſvis ſpeciei, dummodo ſit aptus ad veſcendum.

2. Non eſt apta materia ad validam conſecrationem 1. Panis ex oryza, avena, milio, piſis, fabis, amygdalis, aliiſque leguminibus, & arborum fructibus, vel etiam ex hordeo confectus; (*g*) quia hæc omnia, communi uſu, & opinione, cenſentur ſpecie diſtingui a tritico. Laym. Bon. Card. de Lugo *d. 4. ſ.* 1. 2. Maſſa triticea cruda, vel non cocta per modum panis, ſed frixa, vel elixa, ut ſunt placenta, libum, ſive differant ſpecie, ſive non. 3. Panis ſubactus aquis artificialibus, vel oleo, butyro, lacte, & ovis, ſaccharo, aliove liquore, qui aqua naturali non ſit mixtus, quia non eſt panis uſualis. Ita Laym. *l. 5. tr. 4. c. 9.* Cajet. tamen, & quidam recentiores contrarium docent: quare eſt ſaltem materia dubia, idque confirmat Miſſale Rom. *tr. de defect.* & Card. de Lugo *d. 4. ſect.* 1. *n.* 4. unde qui hoſtias emunt, certi ſint, quod aqua naturali, & non ro-

ſacea confectæ ſint. 4. Similiter hoſtiæ rubræ, quibus ſigillantur literæ, non ſunt materia valida, vel minimum dubia: quia per admiſtionem cinnabaris notabiliter alterantur. Card. de Lugo *d.* 4. *ſ.* 1. quod Ant. Perez apud Dian. *p.* 7. *t.* 12. *R.* 1. limitat, ſi multum cinnabaris ſit mixtum; ſi autem ſit valde parum, cenſet probabile, quod ſit materia valida, illicita tamen. 5. Panis ſubſtantialiter corruptus. 6. Panis ſubactus aqua marina. Fag. apud Dian. *p.* 9. *c.* 9. *R.* 58. ubi ipſe contrarium docet, eo quod illa ſit naturalis aqua.

3. Panis ex farre, ſive ſpelta, item ex ſiligine, *eſt materia dubia:* (*h*) quia alii dicunt, ſolis accidentibus propter loci ſterilitatem, alii ſpecie diſtingui a tritico: ideoque non licet, ſaltem uti pro Sacramento, quia hoc exponeretur periculo. V. Auct. cit.

4. Valida, ſed illicita eſt materia. 1. Si aliquot grana, vel guttæ alterius ſpeciei cum tritico, & aqua miſceantur, ita ut triticum tamen, & aqua plurimum prædominetur, quia ſi major pars non ſit triticum, & aqua, non erit materia valida, de quo monendi ſunt illi, qui hoſtias coquunt. Bon. *d.* 4. *q.* 2. *p.* 1. *n.* 6. Laym. *c.* 3. 2. Panis mucidus, qui ad corruptionem diſponitur. Bon. *l. c. n.* 5.

5. Perinde eſt ad valorem Sacramenti, ſive panis ſit azymus, ſive fermentatus, *ut definivit Trid.* (*i*) quia uterque eſt uſualis, & proprie dictus panis. Interim in ſuis Eccleſiis Latini in azymo, & Græci in fermentato conficere tenentur, ſub præcepto gravi, & culpa mortali, a qua non excuſat neceſſitas, v. gr. dandi viaticum. Vid. Bon. *d.* 4. *q.* 2. *p.* 1. Fill. *t.* 4. *c.* 3. *q.* 8. Card. de Lugo *l. c.*

Reſp. 2. Ex præcepto Eccleſiæ panis conſecrandus debet eſſe figuræ orbicularis (in Eccleſia Latina) & integra. Dixi *Latina*, quia Græci quadratam adhibent, & in particulis triangularem, ut habet Ae-

Animad. II. cad. *Licere etiam in hoſtia minore, qualis datur Laicis, quando alia haberi non poteſt, & ſcandalum abeſt, celebrare privatim*, imo ſi cauſa urgeat, etiam publice die feſto, *docet Marchant. in Candel.* 1. 4. *c.* 5. *q.* 3. Dian. *p.* 5. *t.* 13. *R.* 80. & *p.* 6. *t.* 7. *R.* 17. & Tamb. *exped. ſacrif. l.* 2. *c.* 8. & Averſ. *q.* 1. *ſ.* 11. eo quod nullum ſit præceptum, neque conſtat de conſuetudine obligante ſub præcepto: *quo caſu elevare adorandam majorem ab alio præconſecratam, licere vult idem Tamb. l. c.* contra March. & Dian. *ll. cc. Non licet autem parvam ſumere, & majorem relinquere* (*v. gr. ad exponendam in hierotheca*) *niſi ipſe eadem Miſſa etiam iſtam conſecraverit, quia debet communicare de ſuo ſacrificio.* Tamb. *l. c.* Quare male facit Parochus, qui renovaturus Euchariſtiam, hoſtiam ab alio conſecratam ipſe ſumit, & a ſe conſecratam reponit in ſacrario, vel hierotheca. Tamb. *l. c.* Card. de Lugo *d.* 19. *ſ.* 4.

DUBIUM IV.

Quale vinum ſit materia Euchariſtiæ?

Reſp. 1. Solum vinum vitis, ut docet fides, (*k*) & definitum eſt in Florentino.

Unde reſolves.

1. Non eſt materia apta ad validam conſecrationem. 1. Sicera, & quicumque liquor ex moris, malogranatis, &c. ſive dicatur vinum, ſive non. 2. Agreſta, ſive omphacium, ideſt, ſuccus ex uvis immaturis expreſſus; quia non eſt vinum, ſed in via ad vinum, cujus naturam nondum induit, habetque ſe ſicut maſſa cruda reſpectu panis, Laym. *t.* 4. *c.* 5. *n.* 5. & 6. ſuccum tamen ex uvis paſſis expreſſum conſecrabilem eſſe putat Franc. Amic. apud Dian. *p.* 7. *c.* 12. *R.* 8. eo quod verum ſit vinum. 3. Acetum, quod eſt vinum ſubſtantialiter corruptum.

Animad. III. *ibid. Quod ſi poſt ſumptionem* (*imo etiam ante eam, poſt conſecrationem calicis*) *dubium incidat, fuerit ne acetum, an vinum, eſſe præſumendum, quod fuerit vinum, docet Tamb. lib.* 2. *exped. ſacrif. c.* 8. 4. Uvæ, ſeu vinum intra uvas contentum, vel imbibitum in offa panis, tum quia non tam eſt potus, quam cibus; tum quia ſuccus ille non dicitur proprie vinum, donec ſit expreſſus; tum quia in eo ſtatu non ſatis ad ſenſum demonſtratur per formam. Card. de Lugo *d.* 4. *num.* 11. & 12. Laym. &c. 5. Sapa, ſeu deſrutum, ideſt muſtum ad dimidiam, ſeu tertiam partem decoctum, quia non eſt amplius vinum, nec potus, ſed cibus. Bonac. *l. c.* 6. Lora, ideſt aqua expreſſis acinis ſuperfuſa. Fill. *t.* 4. *c.* 3. Card. de Lugo *d.* 4. *ſ.* 1. *n.* 9.

2. *Valida quidem conſecratio, ſed illicita eſt.* 1. In *muſto*, quia non eſt vinum ſimpliciter, ſed impurum, habens admixtas fæces, non conſectabiles: ideoque obſtat præceptum Eccleſiæ, obligans ſecundum Suarez, ſub mortali, ſaltem extra neceſſitatem, qualis eſſet defectus vini veteris; *& ſecundum quoſdam, etiam devotio populi; quo modo multi excuſant contra Suarez, quod in quibuſdam locis primitiæ uvarum in calice exprimantur.* V. Bonac. *l. c.* 2. In vino liquoribus aliis, vel aromatibus ita modice permixto, ut naturam vini retineat. Si vero permixtio ſit immodica, erit materia dubia. 3. In vino aceſcente: quia adhuc eſt vinum, ſicut panis mucidus eſt panis. 4. *Probabilius etiam in vino congelato*, (etſi a quibuſdam propter negantium auctoritatem, dicatur eſſe materia dubia) *tum quia adhuc retinet ſubſtantiam, & denominationem vini, eſtque natura ſua potabile*; tum quia Chriſtus ſub eo apte conſecrato manet. Card. de Lugo *l. c.* Nec refert 1. quod aqua congelata non ſit materia Baptiſmi; quia hic eſſentialiter conſiſtit in ablutione, Euchariſtia vero non in ſumptione. Nec refert 2. quod non ſit proxime potabile: quia eſt per accidens, & facile tolli poteſt, eſtque par ratio in pane indurato. Non eſt autem idem in liquore nondum ex uvis expreſſo, cum non ſit vinum ſimpliciter, & per ſe, ac natura ſua non ſit potabilis, ſed comeſtibilis, quod vino congelato non convenit: alioqui enim jejunium frangeret. Bon. *l. c. n.* 10. Animad. IV.

Peccat tamen, qui in congelato conſecrat, ideoque ſi hyeme congelavit calix, calore manuum, aut halitus, aliove modo ſolvendus eſt. Fill. *t.* 4. *c.* 3. *l.* 5. *t.* 4. *c.* 2.

3. Valida, & licita eſt conſecratio in vino, ſive albo, ſive rubro: etſi etiam ſpecie phyſica differant, cum utrumque habeatur, & ſit ſimpliciter vinum de vite. Bon. *p.* 2. *n.* 2. Card. de Lugo *l.* 4.

Reſp. 2. Vino conſecrando debet, non ex neceſſitate Sacramenti, ſed gravis præcepti ſub mortali obligantis, ſecundum Card. de Lugo *de Euch. p.* 15. *ſ.* 2. *n.* 22. miſceri aqua. Idque cæremonialiter, & in ordine ad ſacrificium. Eſt certum, ut conſtat ex Trid. *ſeſſ.* 22. *c.* 7. & 9. An autem aqua iſta immediate convertatur in ſanguinem, necne, diſputant Schol. Vid. Con. vel Præp. *hic.* Card. de Lugo *d.* 4. *ſ.* 3.

Unde reſolves.

1. Si mixtio hæc omittatur, valida tamen eſt conſecratio, etſi illicita mortaliter. Ita omnes commun.

2. Miſcenda eſt aqua naturalis, eaque modiciſſima, ut habet Florentinum, una ſcilicet, vel altera gutta; ita tamen, ut ſit ſenſibilis, & ſaltem non excedat tertiam partem vini: alioqui redderet materiam dubiam. Bonac. *p.* 4. *n.* 4. ex S. Thoma, Con. & cet. Qui autem miſceret roſaceam, vel aliam artificialem, etſi in neceſſitate, etſi valide conſecraret, peccaret tamen mortaliter. D. Thom. Mol. Diana *p.* 6. *t.* 7. *R.* 18. quia ageret contra præceptum, & conſuetudinem Eccleſiæ in re gravi. Quam ob cauſam etiam mortale cenſet Fagun. *p.* 2. *l.* 2. *c.* 4. *perſ.* &c. miſcere calidam: quod tamen aliis quibuſdam nimis durum videtur apud Dian. *l. c.* ubi addit ipſe, ſi in frigidiſſima regione conſuetudo id habeat, ne forte vinum congeleſcat, poſſe ſine ullo peccato fieri.

3. Mixtio illa facienda eſt non in dolio, vel ampulla, aliove vaſe, ſed in ipſo calice, neque domi, ſed in ipſo ſacro, ut fit communiter, vel ante offertorium, vel certe immediate ante Sacrum, ut fit apud quoſdam. Idque vel ab ipſo Sacerdote, ut in Miſſa privata; vel a Subdiacono, ut in ſolemni, neque enim ſufficit, ſi caupo illud diluerit. Bonac. *l. c.*

4. Si mixtio hæc ſit omiſſa, idque notetur ante conſecrationem calicis, adhuc facienda eſt, ſecus ſi poſt. Bon. *l. c. n.* 5.

5. Præceptum hoc mixtionis non extenditur ad illam,

illam, quæ ſit poſt communionem, ad ablutionem oris, & digitorum. Vide de his Miſſala Romanum, item Bon. *d.* 4. *q.* 2. *p.* 4. Laym. *l.* 5. *t.* 4. *c.* 4.

D U B I U M V.

Qua conditiones ad materiam conſecrationis requiruntur?

Reſp. 1. ad validam conſecrationem requiruntur duæ conditiones. 1. eſt, ut materia Sacerdoti conſecranti moraliter, & ſenſibiliter ſit præſens. Ita communiter; & eſt certum. Ratin pritur tum ex inſtitutione Chriſti, & verbis formæ, *Hoc*, & *Hic*, quæ non verificarentur, cum ſint demonſtrativa: tum ax perpetua Eccleſiæ praxi, nunquam conſecrantis, vel etiam benedicentis res abſentes: tum etiam ratione ſacrificii, quod requirit hoſtiam præſentem. V. Bon. *d.* 4. *q.* 2. *p.* 6. *c.* 2.

Unde reſolves.

1. Valide conſecretur vinum in calice coopertu, vaſe, vel cantharo clauſo; panis in caniſtro; hoſtiæ in ciborio, vel in cumulo ſub aliis latentes, *aut aliter tectæ, v. gr. ſub corporali, vel mappa, vel* [ANIMAD. V.] *etiam in Miſſali*, ut ex Suar. Henriq. Con. docet Bonac. cootra Laym. *l.* 5. *t.* 4. *c.* 2. (*unde hoc poſtremum dubium videri poteſt: & ſaltem peccaret graviter, qui ſic tectas, aut latentes conſecraret*. Item valide conſecrantur Hoſtiæ præſentes a cæco, vel alio Sacerdote in tenebris. Ratio horom omninm eſt, quia ad præſentiam, & ſenſibilitatem nnn requiritur, ut materia videatur, vel tangatur, vel ſentiatur ſono verborum (unde communiter non probatur praxis eorum, qui os proxime admovent, ut halitum in calicem, & panem inſpirent) dummodo videri poſſit, ſiva in ſe, ſive in alio, v. g. in ſuo toto, vel continente, val vaſe ad illam continendam deſtinato. V. Bon. *d.* 4. *q.* 2. *p.* 5.

2. Invalide coonſecrantur 1. materia poſt parietem, aut poſt tergum poſita, vel clauſa tabernaculo, ut docet Fill. Bon. *q.* 2. *p.* 6. & alii. Ratio eſt, quia moraliter cenſentur abeſſe; cum non poſſit demonſtrari per *to Hoc*, & *Hic*; neque paries habeat ſe, ut continens, aut tangens. 2. materia valde procul, v. gr. centum paſſibus diſtans, etſi videri poſſit. [ANIMAD. VI.] Ratio eſt eadem. *Quanta autem propinquitas ſufficiat, dubium eſt, & ex morali prudentum judicia pendet. Henriq. l. 8. c. 34. docet*, 20. *aut* 30. *paſſuum: quod Bonac. l. c. & alii putant non eſſe certum*. Vide Scol. 3. Materia tam modica, ut ſenſu percipi non poſſit: tum quia non poteſt demonſtrari: tum qoia Sacramentum debet eſſe ſignum ſenſibile. Ita Suar. Vaſq. & alii contra Solum, Henr. Quod intellige, ſi non ſit in toto, ſed extra illud; quia in toto etiam minimæ ejus particulæ conſecrantur, ut conſtat ex Trid. *ſeſſ.* 23. *c.* 3. & 4. Bon. *l. c.*

Secunda conditio, ut materia ſit certa, & a conſecrantis intentione, & in individuo determinata. Eſt communis apud Bonar. & alios: tum quia hoc requirunt pronomina *Hoc*, & *Hic*: tum quia actiones ſunt circa ſingularia, quæ debent eſſa certa, & determinata. Vide Bonac. *l. s p.* 5.

Unde reſolves.

1. Invalide conſecraret, qui vellet, tantum conſecrare tertiam, vel mediam hoſtiæ partem, eam non determinando, val ex multis, v. gr. viginti præſentibus, tantum quatuor, aut quinque, nullas deſignando; quia non eſt ratio, cur una ma- [ANIMAD. VII.] gis, quam altera conſecraretor. *Item, qui ex multis hoſtiis intenderet illas conſecrare, vel illas partes hoſtiarum, aut vini, quas Deus elegerit, aut Titius deſignarit, aut partes illas, quæ fractis ſpeciebus ſunt manſuræ in continuo, non quæ excident*: quia non aſt materia definita. Bon. *l. c. p.* 5.

2. Non coonſecretur hoſtia inſcio Sacerdote poſita ſiva in corporali (ſejuncta tamen a cumulo) ſive infra illud. Con. 3. *p. q.* 74. *ar.* 2. *d.* 3. & alii Ratio eſt, quia non eſt determinara in menta Sa- [ANIMAD. VIII.] cerdotis, cujus voluntas non fertur in incognitum. *Similiter non conſecrantur guttæ, quæ exterius calici adhærent*, quia non intenduntur; *imo, ut probabilius docent Suar. Reg. t.* 2. *l.* 29. & *c.* 2. *Laym. l.* 5. *t.* 4. *c.* 2, *Con. q.* 74. *d.* 2. *contra Tann. & Bon. nec eæ guttæ, quæ interius adhærent*; quia intentio Eccleſiæ eſſe vidatur, ideoque & Sacerdotis eſſa debet, conſecrare id, quod per modum unius continui eſt in calice. Unde, ne opus ſit de detergendis guttis ſolicitum eſſe, bene faciet Sacerdos, ſi ſemel pro ſemper intendant eas non conſecrara; uti nec micas hoſtiæ adhærentes. Vide Dian. *p.* 2. *t.* 3. *m. R.* 16. & *p.* 3. *t.* 4. *R.* 32. Excnb. *l.* 7. *E.* 6. ubi docet, Sacerdotem vi particulæ, *Hic*, tantum intendere id conſecrare, quod per modum unius continui potabilis eſt in calice, ideoque guttulas illas non conſecrari. Quæ ſententia probabilis eſt ex Reg. Suar. & Laym. *l.* 5. *t.* 4. *s.* 2. *n.* 15.

3. Valida eſt conſecretio, 1. Si Sacerdos intendat conſecrara ex pluribus hoſtiis præſentibus tantum quinque, eas determinando, vel omnes, præter infimam, & ſupremam cumuli, vel omnes pares, v. gr. ſecundam, quartam, ſextam, ſi ſint ordine collocatæ, & determinetur, unde numerandi initium ſumendum ſit: quod tamen grave peccatum erit. *Quod ſi autem hoc, vel alio caſu, non conſecratæ miſceantur conſecratis, totus cumulus ad altare eſt deferendus, ut Sacerdos intendat conſecrare non conſecratas, vel potius totum cumulum conſecrat ſub conditione, ſi non ſint conſecratæ*. [ANIMAD. IX.] Card. de Lugo *d.* 4. *de Euch. n.* 36. Etſi putet, unam, vel duas, vel ſex hoſtias conſecrandas adeſſe, cum ſint plures, ſive a ſe, ſive ab alio poſitæ; quia error ſpeculativus, & privatus non obſtat intentioni practicæ, & abſolutæ conſecrandi omnes præſentes: *quam tamquam Eccleſiæ conſuetudini conformem quiſque cenſetur habere implicite, ut docent Sylv. Henr. & Suar. Unde, ſi Sacerdos advertat poſt conſecrationem eſſe duas ſimul junctas, utramque, ut conſecratam, ſumet, ut habet Miſſale*. Si vero ante conſecrationem, poſtquam obtulit, advertat, alteram ſeponet, & poſt Miſſam ipſe, vel alius ſumat, tanquam panem benedictum. 3. *Si quis plures hoſtias ad altare tulerit, aut rationabili modo adverterit ab alio adferri a ſe conſecrandas, vel anta ſacrificium monitus fuerit de conſecrandis in altari jam poſitis*. Ratio: omnes enim conſecrantur, etſi, dum conſecrat, earum nnn ita expreſſa meminerit, aut etiam ad oblationem non detegat, modo ſint præſentes in corporali, vel ſaltem in altari. Ita Regin. *l.* 27. *num.* 19. Laym. *l.* 5. *t.* 2. *c.* 2. Booac. *t.* 1. *d.* 4. *q.* 2. *p.* 2. & alii ab ipſo citati; eſtque ſententia in praxi tuta. Quia intentio præcedens reſpectu illarum virtualiter perſeverat. 4. Si parvæ hoſtiæ pro communicando populo afferantur Sacerdoti paulo poſt factam oblationem (addit Averſa *q.* 11. *ſ.* 12. ante cœptam præfationem) licite eas conſecrari, ſuppleta oblatione mentaliter ex Gavant. & Poſſev. docent Dian. *p.* 2. *t.* 14. *R.* 71. & Tann. *de exped. ſacrific. l.* 2. *c.* 3.

Reſp. Ad licitam materiæ conſecrationem requiritur, 1. ut non ſit major quantitas, quam tempore opportuno poſſit abſumi, quia periculum eſſet ne ſpecies computreſceret. Bon. *l. c.* 2. Ut ab uſu Eccleſiæ, præſertim in Miſſali præſcripto, non recedat.

Ex dictis reſolves.

Peccat 1. Qoi vas, in quo hoſtiæ conſecrandæ ſunt, non aperit. 2. Qui conſecret materiam poſitam extra corporale. 3. Qui intendit conſecrare guttas calici adhærentes exterius, quod eſſet grave; de interius adhærentibus eſt dubium, quia non conſtat ſatis de mente Eccleſiæ, ad quod evitandum Gavant. *p.* 2. *t.* 7. jubet eas abſtergi, quod conſuetudo probat. Qoi tamen id omittit, eum nnn peccare, docet Tann. *l.* 3. *c.* 1. §. 3. imo nec expedire, ſi eas advertas, quando diſcooperto calice jamjam es conſecraturus, & elevationem populus expectat. Poſt conſecrationem autem nullo modo ſunt abſtergendæ. 4. Qui ante conſecrationem ita ſtatueret: Nolo conſecrare hoſtias appoſitas, niſi tempore conſecrationis, vel ſaltem oblationis fuero memor. Ita Præpoſ. hic *ar.* 3. *d.* 3. Laym. *l. c.* etſi Tamb. *de exped. ſacrific. c.* 1. §. 3. eo caſu nullum peccatum agnoſcat.

DUBIUM VI.

Quæ ſit forma conſecrationis Euchariſtiæ?

Reſp. Eſt duplex. Una panis, & eſt hæc: *Hoc eſt enim corpus meum.* Ubi omnia ſunt de eſſentia,
ANIMAD. X. præter τὸ *enim; cujus omiſſio eſſet venialis.* Altera vini, & eſt hæc: *Hic eſt enim calix ſanguinis mei, novi & æterni teſtamenti, myſterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum: ubi etſi verior*, & communior ſit ſententia S. Bonavent. Suar. Bellarm. & aliorum, *contra S. Thom. & Thomiſtas, quod eſſentialia ſint tantum hæc, Hic eſt calix ſanguinis mei*, vel, *Hic eſt ſanguis meus*, aut eis æquivalentia; graviter tamen peccaret, qui aliqua ex reliquis omitteret, vel mutaret. Debent autem formæ proferri in perſona Chriſti formaliter, & ſignificative, ſive aſſertive, & non tantum recitative, ſive hiſtorice, licet ea, quæ in Canone præcedunt, dicantur tantum recitative, ſeu hiſtorice. V. Laym. *c.* 3. Bon. *q.* 3. *p.* 2. Card. de Lugo *d.* 11. *ſ.* 5.

Unde reſolves.

ANIMAD. XI. 1. Valida, ſed illicita eſt conſecratio, 1. Si conſecrans dicat: Hic cibus, hic potus, hic calix; vel hæc res, vel contentum ſub his ſpeciebus, eſt corpus meum, vel ſanguis meus. Bon. *l. c. p* 2. 2. Si dicat: *Hic calix eſt novum teſtamentum in ſanguine meo*, ut habet S. Lucas *cap.* 22. 3. Hoc eſt corpus meum, quod de Virgine ſumpſi; hic eſt ſanguis meus infiniti valoris. 4. Hoc eſt meum corpus, hic meus eſt ſanguis, vel, hoc eſt ſanguis meus. Ratio horum eſt, quia manet idem ſenſus, nec fit mutatio ſubſtantialis. Bon. *l. c.*

2. Invalida erit conſecratio, ſi dicas: 1. Hic (adverbialiter) eſt corpus meum. Si autem τὸ *Hic* ponatur maſculine pro neutro, valet, etſi non ſecundum Grammaticam. Eſcob. Gran. 2. Hoc corpus eſt meum: Hic ſanguis eſt meus. Fag. *p.* 3. *q.* 78. *c.* 2. 3. Ecce corpus meus, Ecce ſanguis meus. 4. Hoc fit, vel hoc ſit corpus meum: vel hic panis convertitur in corpus meum; vel hic ponitur corpus meum. 5. *Illud eſt corpus meum: ille eſt ſanguis meus.* 6. Hoc eſt ſubſtantia mea; vel, hoc corpus Chriſti. Bon. *l. c. p.* 3.

3. Dubia erit conſecratio. 1. *Illud eſt Corpus*
ANIMAD. XII. *meum: ille eſt Sanguis meus.* 2. *Hæc eſt caro mea:* quam tamen Laym. contra Con. putat valere. 3. Secundum quoſdam forma ex S. Luca primo caſu allata. V. Bon. *q.* 3. *p.* 1. & 2. Reg. *l.* 29. *n.* 33.

DUBIUM VII.

Quamdiu Chriſtus maneat in Euchariſtia?

Reſp. 1. Manet ſub ſpeciebus etiam diviſis, & ſub quavis earum minima parte, donec tanta earum fiat mutatio, ut conſueta ſubſtantia panis, & vini corrumpatur. Ita commun. cum S. Thoma. Et eſt certum.

Unde reſolves.

1. Gratia datur in prima manducatione etiam primæ partis; cum ſit totum Sacramentum. Manducatio autem dicitur trajectio ex ore verſus ſtomachum, etſi alii dicant gratiam tum primum dari, cum pars aliqua eſt in ſtomachum recepta. Dian. *p.* 3. *t.* 7. *m. R.* 96. ex Henriq. Sylv. & Fag. Item Card. de Lugo *d.* 12. *ſ.* 2.

2. Species non ſunt retinendæ in ore tamdiu, donec penitus pereant: quia tunc non manducaretur Chriſtus, nec gratia Sacramenti conferretur; uti neque, ſi morieris, dum hoſtia adhuc eſt in ore: Dian. *l. c.* contra Bec. *c.* 22. Vid. Bonac. *d.* 4. *q.* 5. *p.* 2. *n.* 2.

ANIMAD. XIII. 3. *Si quis partem vini, vel hoſtiæ ſumpſiſſet indiſpoſitus, & deinde ſe diſponeret, acciperet adhuc gratiam in ſumptione alterius partis. Quod etiam aliqui, ut Gabr. Cajet. & alii probabiliter dicunt futuram, ſi ſe diſponat antequam ſpecies conſumantur in ſtomacho.* Dian. *l. c. R.* 96. ex Nug. Vid. Card. de Lugo *d.* 12. *ſ.* 2. *n.* 46. 53. & 64. ubi illud poſterius negat. V. Bonac. *l. c.*

4. *Non videtur reprehendendus laicus, qui deſiderat* ANIMAD. XIV.
eſſe Sacerdos, ut poſſit communicare ſub utraque ſpecie, quod putet plus gratiæ dari ſub utraque, quam ſub una; quia id fieri, non eſt improbabile, ut docent Vaſquez, Mærat. Card. de Lugo *d.* 12. *ſ.* 3. & alii: *uti nec carpenda devotio illius, qui multum materiæ ſumit ad conſecrationem, ea mente, ne tam cito in ſtomacho ſpecies conſumantur, & ſic diutius ſecum Chriſtus maneat, & ſuperius gratiam augeat: quod fieri non eſt improbabile, ſi diſpoſitio ſubjecti fiat melior:* ut docent Suarez, Conin. Item Fagund. & Becan. apud Dian. *p.* 3. *t.* 7. *m. R.* 97.

5. Species per vomitum rejectæ, ſi tales ſint, ut ſub illis panis, vel vinum poſſit exiſtere, vere ſunt adorandæ; & ſi iterum ſumantur, iterum conferre gratiam, docet Card. de Lugo *l. c. n.* 53.

6. *Etſi, ſi modicum vini conſecrati miſceatur perfe-* ANIMAD. XV.
cte cum alio liquore, ita ut non maneret ſubſtantia vini, deſinat ibi eſſe Chriſtus, non tamen deſinit, ſi miſceatur cum vino alio, ſaltem ejuſdem ſpeciei. Card. de Lugo *d.* 10 *ſ.* 3. *Unde, ſi gutta conſecrata lapſa ſit in dolium vini ejuſdem ſpeciei, totum illud vinum adhibendum tantum eſt pro ſacrificio: licet quidam dicant, bibi poſſe a laicis.*

7. *Si ſpecies conſecrata, liquorem ſpecie diverſum ſibi* ANIMAD. XVI.
permixtum convertat in vinum ſimilis ſubſtantiæ ei, in quo facta eſt conſecratio, ſpecies priores manent conſecratæ: non item poſteriores adjunctæ.

NOTÆ.

(a) Omnia recte, & ex Sacræ Syn. Trid. doctrina ſeſſ. 13. cap. 1. & can. 1., item cap. 5., & can. 6.

Lege etiam, ſi lubet, Laym. lib. 5. tract. 4. cap. 1., ubi adverſariorum rationes refellit.

(b) *Conſecratio utriuſque ſpeciei eſt juris divini.* Id liquet ex Syn. Trid. ſeſſ. 22. cap. 1., ubi dicitur. *Is igitur Deus, & Dominus noſter .... Sacerdotem ſecundum ordinem Melchiſedech ſe in æternum conſtitutum declarans, corpus, & ſanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis, & vini Deo Patri obtulit; ac ſub earumdem rerum ſymbolis, Apoſtolis, quos tunc novi teſtamenti Sacerdotes conſtituebat, ut ſumerent, tradidit; & eiſdem, eorumque in ſacerdotio ſucceſſoribus, ut offerrent, præcepit per hæc verba; hoc facite in meam commemorationem, uti ſemper Catholica Eccleſia intellexit, & docuit.*

Quia, inquit Bul., *ratio ſacrificii, ſine quo non fit* (hoc eſt fieri non poteſt conſecratio, cum Euchariſtia ſit ſimul ſacramentum, & ſacrificium, nec unum ab altero ſeparari poſſit) *exigit utramque*; quia eſt commemoratio cruenti ſacrificii crucis, in quo Chriſti ſanguis a corpore ſeparatus fuit; quam ſeparationem ſola repræſentat ſeparata conſecratio ſanguinis a corpore Chriſti.

(c) *Non licet alteram tantum* &c. *in neceſſitate* &c. v. g. &c.

Hanc ſententiam eſſe communem inter graviores Theologos, monet etiam Concina Th. t. 8. p. 256. n. 25., eamque probat. Hinc D. Th. p. 3. q. 74. a. 1. ad 2. ait, *quod licet non in omnibus terris naſcatur triticum, vel vinum, tamen de facili ad omnes terras deferri poteſt, quantum ſufficit ad communem uſum hujus ſacramenti; nec propter defectum alterius*, (in qua ſpecie graviſſima urgeret neceſſitas conſecrandi unum ſine altero) *unum tantum ſine altero eſt conſecrandum; quia non eſſet perfectum ſacramentum.* Perfectio hujus ſacramenti lex eſt gravior, quam lex percipiendi, aut faciendi ſacramentum.

(d) *Nec Pontifex in eo poteſt diſpenſare ullo caſu.* Ita comm. &c.

Quia ſcilicet ex dictis animad. 53. in eſp. 4. tract. 2. lib. 5. Summus Pontifex divinæ legis cuſtos eſt, & interpres, non diſpenſator; quod confirmat Bened. XIV. lib. 7. de Syn. cap. 1. n. 7., ubi ait: *Romanum Pontificem, dum ſciens, & prudens id fieri patitur*, (ut ſcilicet Card. Epiſcopi Suburbicarii non in ſuis diœceſibus, ſed Romæ reſideant) *& tacitam ipſis diſpenſationem a reſidentia materiali concedit, non eos quidem a legis divinæ vinculo abſolvere, ſed interpretando definire, divinam legem illos in caſu, de quo agitur, ob adjunctas rerum circumſtantias nequaquam adſtringere.*

Ergo, inquis, etiam in noſtra ſpecie Rom. Pontifex interpretari poterit, divinam utriuſque materiæ Euchariſtiæ ſimul conſecrandæ legem non habere. Reſp. Hujuſmodi interpretatio in noſtra ſpecie locum non habet; quia ſi locum haberet, id accideret, ut Sacerdotes ſacramentum conficerent, & ut fideles illud ſuſciperent. At lex conficiendi, & ſuſcipiendi hoc ſacra-

men-

mentum inferior eſt lege perficiendi ſacramentum integrum, & perfectum.

Hinc Syn. Trid. ſeſſ. 21. cap. 2. de hoc venerabili Sacramento agens *declarat, hanc poteſtatem perpetuo in Eccleſia fuiſſe, ut in ſacramentorum diſpenſatione* (ait *diſpenſatione*, non confectione, aut conſecratione) *ſalva illorum ſubſtantia* (ad ſubſtantiam Euchariſtiæ pertinet, ut utraque materia conſerretur, ſine qua conſecratione ſacramentum ex D. Thoma non habet perfectam naturam Sacramenti) *ea ſtatueret, vel mutaret, quæ ſuſcipientium utilitati, ſeu ipſorum ſacramentorum venerationi pro rerum, temporum, & locorum varietate magis expedire judicaret*.

Quare inter fabulas a Suarezio, & aliis Theologis communiter numeratur Volaterrani narratio ſcribentis, Innoc. VIII. diſpenſaſſe cum Norvegis, ut ſolum panem conſecrarent ob vini illuc aſportandi difficultatem, ut habet Conc. loco mox cit.

(e) *Solus panis triticeus &c., quia hic ſolus &c.*

„ Hæc ſententia certa eſt; quam teſte Concina Theol. t. 8. p. 338. q. 1. n. 2. „ affirmant omnes; quia hæc „ eſt materia a Chriſto deſignata, & adhibita in hu„ jus Sacramenti inſtitutione, ut habetur Matth. 27. *ac„ cepit Jeſus panem* &c. “ Accedit perpetua, & univerſalis Eccleſiæ traditio, quæ „ nonniſi panem triticeum... „ pro Euchariſtiæ materia uſurpavit. “

Ita Conc... Hinc Eugenius IV., ut habes hic Animad. 4., ait, *Tertium eſt Euchariſtiæ ſacramentum, cujus materia eſt panis triticeus* &c.

(f) *Falſum eſt, quod docuit Cajetanus* &c.

Id certe ex mox dictis falſum eſt. At Cajetanum id docuiſſe, Buſ. quidem affirmat, at quo loco non monuit.

(g) *Non eſt apta materia*, & cætera, quæ Buſ. hic habet, ex certo fundamento, quod ſolus panis triticeus ſit apta hujus ſacramenti materia, ſponte ſua oriuntur.

Panis tamen ſubactus aqua marina, contra ac habet n. 6. hujus ca., non deſinit eſſe panis triticeus. An aqua, qua panis ſubjicitur, panem triticeum in aliam naturam, ſeu ſpeciem tranſmutat, aut tranſmutare poteſt? Quid demum eſt aqua marina, niſi aqua naturalis ab aqua dulci diſtincta, quia ſalinis particulis permixta? Panis ergo triticeæ farinæ aqua marina ſubactus indecens quidem eſſe poteſt, at non invalida Euchariſtiæ materia.

(h) *Panis ex farre, ſive ſpelta.... eſt materia dubia.*

At hic panis ſine dubio non eſt triticeus ex communi ſenſu, & ex rei veritate, quidquid ſcholaſtica Philoſophia diſputet; ideoque inepta Euchariſtiæ materia.

Item, ſubdit Buſ., *ex ſiligine*. Siligo ſumitur pro ſelecto tritico, ideoque aptiſſima eſt Euchariſtiæ materia. Quod ſi accipiatur pro ea ſegete, quæ vulgo *ſegala* dicitur, non eſt triticum, ideoque inepta hujus ſacramenti materia.

(i) *Ut definivit Trid.* Dicito Florentinum in decreto unionis, ubi inquit: *definimus in azymo, ſive in fermentato pane triticeo Chriſti corpus veraciter confici*. Apud Concinam Th. t. 8. p. 247. n. 9. q. 1.

Buſ. *Interim in ſuis Eccleſiis latini &c. Græci &c. ſub culpa mortali*. Hactenus recte. *A qua non excuſat neceſſitas v. g. dandi viaticum. Vide Bon.* &c.

Bonac. loco a Buſ. cit. ita ſane docet, cujus „ ratio „ eſt, tum quia ſicut in tali eventu non licet celebra„ re ſine veſtibus, aut vaſis ſacris, aut in altera tan„ tum ſpecie, aut fracto jejunio, ita neque licet in fer„ mentato.

Reſp. Illud *aut fracto jejunio* negandum ego puto, qua de re lege Animad. 29. in cap. præſens. Doctrinam vero ibi traditam ſuper hac quæſtione confirmat uſurpata olim conſuetudo exhibendi Euchariſtiam infantibus, quos matres paulo ante lactaverant, ut gravibus monumentis evincit Bened. XIV. lib. 6. de Syn. D. cap. 8. n. 4., & cap. 49 diſt. 1. de conſect. ex Conc. Africano cap. 8. ſumptum, ubi dicitur. *Sacramenta altaris non niſi a jejunis hominibus celebrentur, excepto uno die anniverſario, quo cœna Domini celebratur*. „ Qua de re in„ terrogatus S. Auguſtinus, in ep. 54. ad Januarium „ reſpondit, ſervandam eſſe locorum conſuetudinem. “ Ita idem Bened. XIV. ibidem. Quod ſi jejunio fracto celebrari poteſt, ut viaticum præbeatur, cur, ut hoc idem detur, in fermentato Euchariſtiam confici non liceo it? Non enim præceptum celebrandi in azymo majus eſt, quam præceptum jejunii.

„ Tum quia, ſubdit Bonac., ſi Sacerdos tenetur in „ tali evento conficere, maxime ratione præcepti di„ vini, quo infirmus tenetur communicare: “ (Reſp. concedo; quamquam quæſtio eſt, utrum licite poſſit, non utrum teneatur) „ ſed præceptum divinum non „ obligat, quando per ipſius adimpletionem violaren„ tur leges ordinatæ ad reverentiam tanti ſacramen„ ti &c “

Reſp. Si leges hæ divinæ ſint, tranſeat, aut etiam concedo; ſi ſint mere Eccleſiaſticæ, ut eſt lex celebrandi Miſſam a jejunis, nego; quia leges Eccleſiaſticæ divinis locum ſemper concedunt; ſicuti eſt lex viatici ſuſcipiendi. Ex quo intelligitur, Bonacinæ rationem non ſolum vi carere, ſed contra ipſum pugnare.

At La-Croix p. 273. n. 431. pro Buſ. ſententia Sotum, Suarez, & alios citans, quos legere non vacat, ita argumentatur.

Præceptum viatici, licet ſit divinum, eſt tamen affirmativum, quod non obligat, *niſi quando commode fieri poteſt, & in debitis circumſtantiis; neque Euchariſtia eſt ita neceſſaria, ut ideo præceptum tam convenientis ritus negligi debeat*. Ergo &c.

Reſp. Illud *niſi quando commode* &c. ſexum eſt: illud *in debitis circumſtantiis* jure divino præſcriptis, eſto; jure humano præceptis, nego. Argumentatio La-Croix, voce alia eſt a ratione Bonacinæ, re, & ſenſu eadem. Sed illud nota, præceptum viatici, negationem involvere; quia dum illud præcipit, ſimul prohibet, ne mortis tempore ſacræ Euchariſtiæ ſumptio omittatur. Ex quo intelligis, longe gravius eſſe, quam non celebrandi in fermentato.

Enim vero ſi, ut oſtendo Animad. 15., & Buſ. fatetur cap. 2. ſeq. a. 2. ca. 5., non præmiſſa mortalis culpæ confeſſione, dum Confeſſarius deſit, hoſtiam conſecrare licet pro viatico, multo magis licet in gratiam ejuſdem viatici uti pane fermentato. Quia prius præceptum divinum eſt, & animæ munditiem ſpectat; alterum eſt eccleſiaſticum, & ritum tantum reſpicit; ideoque illud longe majus, & venerabilius.

Tandem hæc ſententia Caritatis, quæ finis eſt, & regula omnium legum, præcepto conformior eſt; ideoque ſpectata ratione præferenda contrariæ.

(k) *Reſp. 1. Solum vinum vitis, ut* &c. Ita ſane definivit Eug. IV., ut legi poteſt hic Animad. 4.

Animadversio I.

D*Ixi 1. per ſe: quia per accidens &c. ſi quis aquam, vel alium liquorem pro vino conſecraſſet, neque* &c.

In hac ſpecie Rubricæ Miſſalis de defectu vini c. 4. n. 4. ita præſcribunt. *Si poſt verba conſecrationis advertat, vinum non fuiſſe poſitum, ſed aquam, depoſita aqua in aliquod vas, iterum vinum cum aqua ponat in calice, & conſecret, reſumendo a verbis prædictis. Simili modo*. Et n. 5. *Si hoc advertat poſt ſumptionem corporis, vel hujuſmodi aquæ, apponat aliam hoſtiam iterum conſecrandam, & vinum cum aqua in calice, offerat utrumque, & conſecret, & ſumat, quamvis non ſit jejunus*.

Hoc idem docet S. Th. p. 3. qu. 83. art. 6. ad 4. *Vel ſi Miſſa*, inquit Rub., *celebretur in loco publico, ubi plures adſint, ad evitandum ſcandalum, poterit apponere vinum cum aqua, & facta oblatione ut ſupra, conſecrare, ac ſtatim ſumere, & proſequi cetera*.

Si poſt conſecratam hoſtiam, ſubitum &c. *immineat, ſecluſa* &c.

Quoad hoc ita Rubricæ c. 10. n. 2. *Si timeatur incurſus hoſtium, vel alluvionis, vel ruina loci ubi celebratur, ante conſecrationem dimittatur Miſſa; poſt conſecrationem vero Sacerdos accelerare poterit ſumptionem Sacramenti, omiſſis omnibus aliis*. Sicuti in his repentinis caſibus ſumptio utriuſque ſpeciei omittenda non eſt poſt conſecrationem utriuſque materiæ, ita multo minus omittenda eſt conſecratio calicis poſt conſecrationem panis; quia integra conſecratio ad ſacrificium magis neceſſaria eſt, quam ſumptio. Neque vero hic amplificanda ſunt pericula, & terrores, quia conſecratio calicis, & utriuſque ſpeciei ſumptio, breviſſimo tempore peraguntur. Præterquamquod Sacerdos in his periculis, non ignavi, ſed fortis animi eſſe debet in Deo confidere, ſeſeque ejus voluntati conformare, & ſubjicere.

Animadversio II.

Licere etiam in hoſtia minore, qualis &c. quando &c. celebrare privatim &c. docet March.

Neceſſitate urgente e. gr. ne populus die feſto Miſſa careat, id licere non dubitem. At ſine neceſſitate id ego licere non putem. Conſuetudo enim univerſalis Eccleſiæ celebrandi Miſſam in hoſtia majore pro lege, quidquid Buſ. de hoc non conſtare alleget, ſine dubitatione habenda eſt: alioquin hoſtia minore, & majore promiſcue uti permiſſum eſſet, quod nemo pius ſibi licere exiſtimabit. Ergo celebrare Miſſam in hoſtia minore ſine neceſſitate peccatum cenſeri debet.

Quo caſu, elevare adorandam majorem &c. licere vult &c.

Hic ſcilicet malum malo additur. Integritas enim, & unitas ſacrificii poſtulat, ut eadem hoſtia a Sacerdote conſecrata ſemper adhibeatur, quotieſcumque ritus aliquis circa hoſtiam peragendus eſt.

Hinc

Hinc Rubricæ Miſſalis c. 8. de can. n. 5. præcipiunt, ut Sacerdos hoſtiam a ſe conſecratam & ipſe genuflexus adoret, & populo adorandam reverenter oſtendat.

Non licet autem parvam ſumere &c. niſi ipſe eadem Miſſa etiam iſtam conſecraverit.

Ritum pervertere mihi videtur Sacerdos, qui parvam hoſtiam licet a ſe in eadem Miſſa cum majore conſecratam ſumit, ut majorem relinquat ad exponendum. Hoc ſiquidem & conſuetudini ſumendi eamdem hoſtiam, quæ in aliis ſacrificii ritibus adhibita eſt, & ejuſdem ſacrificii unitati quoad eoſdem ritus adverſatur; ideoque hujuſcemodi licentiam ſibi arrogare Sacerdos nunquam debet.

ANIMADVERSIO III.

Quod ſi poſt ſumptionem (imo etiam ante eam, poſt &c.) dubium inciderit, fuerit ne acetum &c. eſſe præſumendum, quod fuerit vinum, docet &c.

Hæc præſumptio, ut ego quidem ſentio, nequiſſima, fetus eſt veritatis probabilitatis. Eo ipſo quod dubium rationi conſentaneum, & rite conceptum eſt, (de tali autem dubio hic ſermo eſt, non de ſcrupulo) contra rationem, & temere deponitur. Hæc præſumptio eo natura ſua ſpectat, ut populum idololatriæ, & ſacrificium inanitatis, ſeu nullitatis diſcrimini objiciat. Hic certe agitur de ſacramenti valore; & nihilominus Buſemb. cum ſuo Tamb. incertam probabilitatem ſequitur; quæ eſt prop. 1. ab Innoc. XI. proſcripta. Hæc ergo Buſemb. & Tamburini præſumptio, ablegenda, & abjicienda omnino eſt. Quid ergo, inquis, in propoſita ſpecie faciendum? Reſp. Sacrificii integritas, valor in tuto ſine dubio ponendus eſt; quod alia ratione fieri poſſe non video, niſi accipiendo vinum certum, illudque ſub conditione ſaltem tacita conſecrando, ac poſtea utrumque ſumendo, ſi prius dubium antea ſumptum non fuerit. Hoc confirmatur ex paritate a Rubricis deſumpta, quæ cap. 5. de def. formæ n. 3. ajunt: *Si vero valde probabiliter dubitat, ſe aliquid eſſentiale (in forma) omiſiſſe, iteret formam, ſaltem ſub tacita conditione*; quæ doctrina, ut ibi notat Gavantus, communis eſt, & ex cit. 1. proſcripta prop. certiſſima eſſe debet. Ergo a pari, ſi dubium probabile oriatur de valore conſecrationis ex parte materiæ, materia certa ſubſtituenda eſt, & forma ſub tacita ſaltem conditione iteranda.

ANIMADVERSIO IV.

Valida quidem eſt conſecratio, ſed illicita. 1. In muſto, quia &c.

Ita quoque docet S. Thom. p. 3. qu. 74. art. 5. ad 3. ideoque in neceſſitate adhiberi poteſt, ut docet Julius Papa d. II. 2. de conſecr. cap. 7. *Cum omne*, ubi ait: *Nam quod de expreſſo botro, idest de uvarum granis populus communicatur, valde eſt omnino confuſum; ſed ſi neceſſe ſit botrus in calice comprimatur*; quibus verbis refutatur opinio La-Croix p. 223. n. 436. ubi ait: „ ſi uva „ matura pungeret, ita ut erumperet ſuccus quaſi in „ bullas, probabilius eſt cum Suar. & Hann. fore mate„ riam conſecrabilem;" quæ opinatio poſt propoſitionem 1. ab Innoc. XI. proſcriptam veluti damnata rejicienda eſt. *Sed ſi neceſſe ſit*, inquit Julius Papa mox cit. *botrus in calice comprimatur, & aqua miſceatur*; quod in Concilio Lateranenſi III. probatum eſt, ut monet P. Concina Theol. t. 8. p. 251. n. 6.

Et ſecundum quoſdam etiam devotio populi; quo modo multi excuſant contra Suar. quod in quibuſdam locis primitiæ uvarum in calice exprimantur.

Quæ a Buſembao populi devotio appellatur, non eſt devotio, ſed irreligioſa temeritas, tanti ſacrificii venerationi, & eccleſiaſticæ legi contraria, a Sacerdotibus acriter reprehendenda, & explodenda; cui ſi ex animo ignavo obſecundent, a gravi culpa excuſari non poſſunt, niſi ab iis, qui excuſant excuſationes in peccatis. Hinc Rubricæ Miſſalis de def. vini c. 4. n. 2. ajunt: *Si vinum cœperit aceſcere &c. vel muſtum de uvis tunc expreſſum &c. conficitur ſacramentum, ſed conficiens graviter peccat.*

Probabilius etiam in vino congelato (etſi a quibuſdam &c. dicatur eſſe materia dubia) tum quia &c.

Nat. Alex. Theol. t. 2. p. 268. reg. 16. ita inquit: „ Si diu ſit congelatum, ita ut vi frigoris virtus ſi„ mul, & ſpecies vini perierint, fatentur omnes, non „ eſſe materiam idoneam. At ſi ſit recens congelatio, „ utpote facta in calice paulo ante conſecrationem, „ aptum conſecrationi judicant Sylveſter Prieras in ſum„ ma, & Dominicus Soto, quod vini virtutem, ac ſpe„ ciem retineat. Negant alii, quod vinum congelatum „ non ſit potabile, ideoque tam ineptum cenſent con„ ſecrationi, quam aquam congelatam in baptiſmo. (Hanc ſententiam ſequitur P. Concina Theol. t. 8. p. 251. n. 7.) „ Alii materiam dubiam eſſe cenſent, ut „ Bartholomæus Fumus in ſumma, Eſtius in 4. ſent. „ diſt. 8. §. 9. Sylvius in 3. p. qu. 74. art. 5. & alii, „ quorum ſententia probabilior eſt, & omnino ſequen„ da." Hactenus Nat. Alex.

Illud certum eſt, vinum in calice congelatum non eſſe conſecrandum, niſi prius caloris vi ſolvatur eo modo, quo Rubricæ Miſſalis cap. 10. de def. n. 12. præſcribunt, & ut docent tum Nat. Alex., tum Concina locis mox citatis; idque fieri debet tum propter decentiam, tum ut ſacramenti valori tutiſſima ratione conſulatur.

At in hanc rem hæc ſpecies proponi poſſet. Sacerdos ad calicis conſecrationem proximus, præter opinionem vinum congelatum deprehendit, ac Rubricarum Miſſalis oblitus, valdeque turbatus, conſecrationis verba de more profert, tum in maxima animi trepidatione Parochum, aut ædituum accerſit, & re patefacta quid facto opus ſit, interrogat. Vinum congelatum eſſe caloris vi diſſolvendum Sacerdos accerſitus Rubricarum memor, fidenter, ac recte reſpondet. At repetenda ne eſt conſecrationis forma, poſtquam gelu ſolutum eſt? Hic ſcilicet labor, hoc opus eſt. Si prima ſententia a Natali relata, rata, & certa habeatur, nihil repetendum eſt: ſi altera, conſecrationis forma abſolute repetenda eſt: ſi demum tertia, conſecrationis forma ſub conditione iteranda eſt, ſicuti dictum mox eſt de eo, qui dubitat, utrum aliquid eſſentiale in forma omiſerit, vel utrum materia ſit idonea conſecrationi. Quid ergo? ego quidem pro certo habeo, formam conſecrationis abſolute non eſſe repetendam; quia ut minimum vinum in calice recens congelatum, eſt dubia conſecrationis materia, ut ponit tertia ſententia, quam ſequitur Nat. Alexander. Ceterum hac in re illud eſt principium certum, conſecrationis formam ne ſub conditione quidem repetendam eſſe, niſi res rationabiliter dubia ſit. Porro ſi auctoritas Theologorum contraria ſentientium, & eorum, qui rem dubiam faciunt, ſolum penſetur, res dubia eſt, nec ulla reprehenſione digni viderentur, qui his penſatis conſecrationis formam ſub conditione iterarent, aut iterandam eſſe in propoſito repentino caſu dicerent. Aſt ego hanc mihi veniam peto, ut in graviſſimorum Theologorum conſeſſu meam ſententiam de re graviſſima proferam, quam revocare, ſi ratio ſuaſerit, paratiſſimus ſum.

Eugenius IV. in decreto pro Armenis apud Nat. Th. t. 2. p. 261. prop. 2. inquit: *Tertium eſt Euchariſtiæ ſacramentum, cujus materia eſt panis triticeus, & vinum de vite.* Vinum ergo de vite eſt ſine ulla dubitatione materia apta conſecrationi; quod docet etiam Catech. Rom. p. 2. de Euch. n. 15. & 17. At vinum recens congelatum ſine ulla pariter dubitatione eſt vinum de vite: id enim tanquam certum, & indubitatum ponitur, vinum eo ipſo, quod recens in calice congelatum fuit, vini ſpeciem, & naturam retinere; idque communis hominum ſenſus habet, nec de hac re dubitat: ergo vinum congelatum eſt ſine dubitatione apta materia conſecrationis; ideoque conſecratio vini congelati fuit indubitanter valida, & conſequenter nulla ratione repetenda.

Præterea illa eſt ſine dubio apta conſecrationis materia, cujus ſpecies poſt peractam conſecrationem ſub ſe Chriſtum indubitanter continet; quia certum eſt, Chriſtum ſub ſpeciebus corruptis, & in aliam formam tranſmutatis non ſubſiſtere: atqui certum eſt Chriſtum ſub ſpecie vini poſt conſecrationem congelati manere: hinc juxta Rubricas Miſſalis loco mox cit. vinum poſt conſecrationem congelatum pannis calefactis calici involutis, at, ſi id ſatis non ſit, calix in aquam ferventem prope altare propoſito, ita ut aqua in calicem non intret, liquefaciendum eſt, nihilque aliud quoad hoc præſtandum: ergo &c. Enim vero ſi peracta vini recens congelati conſecratio iteranda vel abſolute, vel ſub conditione foret poſt vini diſſolutionem, eſſet quoque repetenda conſecratio vel abſolute, vel ſub conditione, ſi vinum poſt ipſam conſecrationem gelu concreſceret. Eadem enim utrobique ratio eſt, nec a quoquam aſſignari poteſt diſcrimen, cur in priori ſpecie iteranda ſit conſecratio, non in poſteriori: at in poſteriori ſpecie conſecratio omnino iteranda non eſt; cujus iterationem ſacrilegam eſſe, nemo dubitat: ergo idem de priori dicendum.

Videlicet vinum gelu recens concretum, non eſt corruptum, ſed ſolum diſponitur ad corruptionem, ſicuti vinum aceſcens nondum corruptum eſt, quia non eſt acetum, ſed ſolum in via eſt ad corruptionem. Ergo ſicuti vinum aceſcens valide, ſed non licite conſecratur, ut docet D. Thom. art. 5. cit. ad 2. ita quoque vinum recens congelatum valide, ſed non licite conſecratur. Ex quo evidenter fit, ut vini recens congelati conſecratio iteranda non ſit.

Neque nos movere debent contrariæ opiniones, quæ docent, vinum congelatum non eſſe aptam conſecratio-

nis

nis materiam, aut eſſe materiam dubiam; quia ſola auctoritate nituntur, certis rationibus contra pugnantibus. Hiſce quidem contrariis opinionibus deferendum putarem, ſi conſecratio ſine neceſſitate iterata, non eſſet inanis, & ſacrilega. At quoniam iterantes ſine neceſſitate conſecrationem, inaniter, & ſacrilege ſacratiſſima verba adhibemus, idcirco in ſpecie propoſita ab iteranda conſecratione abſtinendum puto.

At objicies cum P. Concina: „ Sicut panis conſecrandus aptus comeſturæ eſſe debet, ita vinum conſecrandum potui idoneum ſit oportet: vinum autem congelatum non eſt potui idoneum; & ideo non eſt materia apta huic ſacramento. "

Reſp. P. Concina illud fortaſſe voluit, vinum congelatum non eſſe *aptam*, hoc eſt decentem conſecrationis materiam, quod veriſſimum eſt. Hinc enim illud tantum colligit, vinum, ſeu ante, ſeu poſt conſecrationem congeletur in calice, eſſe liquefaciendum, ut rubricæ præſcribunt. At ſi quis ea ratione efici velit, ut vinum congelatum non ſit *apta*, hoc eſt valida conſecrationis materia, inaniter, ut ego quidem ſentio, laborat. Eſt enim neganda rationis propoſitio, quæ contraria eſt Eugenio IV. mox cit. Ille enim definit, materiam Euchariſtiæ eſſe panem triticeum, & vinum de vite ſine ulla additione: ergo qui ait, materiam conſecrationis non eſſe vinum abſolute, ſed vinum cum additione, hoc eſt vinum potui idoneum, Eugenii IV. definitioni aperte repugnat.

Vinum quidem ex natura ſua potui idoneum eſt, niſi alterationem patiatur; quæ ſi tanta ſit, ut vinum corrumpat, & in aliam ſpeciem tranſmutet, vinum non eſt amplius vinum, ideoque non eſt materia conſecrationis: at ſi alteratio modica ſit, ut, licet vinum fluidum non ſit, nec potui aptum, vinum tamen eſſe non deſinat, non eſt dubitandum quin ſit conſecrationis materia. Hanc rationem optime quoque ſolvit Buſembaum, uti etiam aliam, quam petunt ex paritate aquæ congelatæ, quæ non eſt apta baptiſmi materia.

Animadversio V.

Valide conſecrantur hoſtiæ .... tectæ v. g. ſub corporali, vel mappa, vel etiam in Miſſali.

Non ſolum Laym. loco a Buſ. cit. negat, hoſtias ſub mappa, vel corporali valide conſecrari, ſed etiam Concina Theol. t. 8. p. 240. n. 7. qui addit, hanc ſententiam eſſe communem. Ratio eſt, quia illud *hoc*, quod in conſecratione adhibetur, indicat materiam humano modo ad ſenſum demonſtrabilem: at hoſtiæ ſub corporali, vel mappa, vel in Miſſali tectæ, non ſunt humano modo ad ſenſum demonſtrabiles: ergo illud *hoc* in eas non cadit, ideoque eas non conſecrat.

Itaque Buſ. recte illud addit: „ Unde hoc poſtremum „ dubium &c. & ſaltem peccaret graviter, qui &c. " Quia vero conſecratio ſaltem dubia eſſet, illæ hoſtiæ in communionem nullo modo diſtribuendæ forent, ſed vel a Sacerdote poſt ſumptionem calicis ſumendæ, vel in alia Miſſa ſub conditione iterum conſecrandæ eſſent.

Animadversio VI.

Quanta autem propinquitas ſufficiat, dubium eſt .... Henriq. &c.

Id certe dubium eſt; ideoque inanibus quæſtionibus miſſis, Eccleſiæ conſuetudini inhærendum, nec ab ea unquam diſcedendum, quidquid nonnulli comminiſci ſine ratione, & auctoritate audeant.

Animadversio VII.

Invalide conſecraret ... qui ex multis hoſtiis intenderet illas conſecrare .... quas &c.

Idem quoad hoſtias ab alio deſignatas cenſet tanquam probabilius La-Croix p. 225. n. 446. Concina n. 8. hanc quæſtionem, ut plures alias, inter quiſquilias merito amandat.

Animadversio VIII.

Similiter non conſecrantur .... nec eæ guttæ, quæ interius adhærent.

Guttæ vini, calici interius adhærentes, ſunt apta conſecrationis materia: ergo ab intentione conſecrantis pendet, ut conſecrentur, vel non. Igitur ſi Sacerdos conſecrationis verba proferens, eas conſecrare velit, non eſt dubium, quin conſecrentur. Si autem nolit eas conſecrare; vel omittat intentionem eas conſecrandi, quia vult conſecrare tantum vinum, quod oculis cernit, non item guttas, quas non advertit, illæ non conſecrantur. Quod ſi de ſua intentione Sacerdos dubitet, dubium quoque erit, utrum dictæ guttæ ſint, nec ne conſecratæ.

Quare Gavantus in cap. 7. Rub. Miſs. p. 1. n. 4. recte ait: *Si guttæ vini, aut aquæ diſperſæ appareant intra calicem, tunc vel circumacto vino calicis uniantur, vel purificatorio abſtergantur, ne in conſecratione oriatur dubium, an ſint eæ conſecratæ.*

Animadversio IX.

Quod ſi autem &c. non conſecratæ miſceantur conſecratis, totus cumulus ad altare eſt deferendus, ut Sacerdos intendat conſecrare non conſecratas, vel potius &c.

In hac ſpecie illud mihi probatur, ut Sacerdos intendat conſecrare hoſtias non conſecratas, non autem totum cumulum ſub conditione.

Ratio eſt, quia conſecratio ſub conditione non habet locum, niſi cum rationabile dubium oritur, utrum aliquid ſit, nec ne conſecratum: at de toto hoſtiarum cumulo hoc dubium in præſenti ſpecie non adeſt; quia certum eſt, totius cumuli hoſtias partim eſſe conſecratas, partim non eſſe; illudque ſolum incertum, ſeu ignotum eſt, quænam hoſtiæ ſint conſecratæ, quænam non: ergo totus cumulus ſub conditione non eſt conſecrandus, ſed Sacerdos verba conſecrationis ſine adjecta conditione ea intentione proferre debet, ut hoſtias non conſecratas conſecrare velit.

Quam (Intentionem conſecrandi omnes hoſtias præſentes) *tanquam Eccleſiæ conſuetudini conformem quiſque cenſetur habere implicite, ut docent Sylv.* &c.

Quia hæc intentio Eccleſiæ conſuetudini conformis eſt, idcirco Sacerdos eam habere debet, ut monent Rubricæ Miſſalis cap. 7. de def. intent. n. 1. non autem inde ſequitur, ut quilibet Sacerdos eam implicite habeat. Neque enim in voluntate, ſeu intentione conſecrandi hoſtiam, qua Sacerdos in ſacrificio utitur, includitur ullo modo intentio conſecrandi alias in altari poſitas; quia certum eſt & evidens, intentionem expreſſam conſecrandi unam hoſtiam implicite non continere intentionem conſecrandi plures, ubicumque illæ ſint, etiamſi præſentes fuerint; imo intentio expreſſa conſecrandi unam hoſtiam, excludit intentionem implicitam conſecrandi plures, ideoque Rubricæ Miſſalis neceſſario præſcribendum judicarunt, ut Sacerdos habeat intentionem conſecrandi omnes hoſtias præſentes, ut reipſa conſecrentur, & conſecratæ cenſeantur; quam intentionem ſi Sacerdos reipſa non habuerit, fruſtra, & cavillatorie confugimus ad intentionem implicitam, præſumptam, interpretativam, ut illæ conſecratæ cenſeantur.

Unde ſi Sacerdos advertat &c. utramque ut conſecratam ſumet, ut habet Miſſale.

Miſſale illud *ut conſecratam* non habet, ſed cap. 7. de def. intent. n. 2. ita loquitur: *Si Sacerdos putans ſe tenere unam hoſtiam, poſt conſecrationem invenerit, fuiſſe duas ſimul junctas, in ſumptione ſumat ſimul utramque.*

Ceterum in caſu poſito „ ambas conſecrari, affirmant „ Nav. Suar. Vaſq. Sylveſter, Hurt. Granad. Bon. Lugo, quos refert, & ſequitur Leander: quia, inquiunt, „ Sacerdotes omnes intendunt conſecrare omne id quod „ præ manibus habent, dum abſolute ſuper materiam „ verba proferunt. Res videtur incerta. Si ego deprehendiſſem ante conſecrationem, duas adeſſe hoſtias, „ certe unam tantum conſecraſſem. " Hactenus Concina Theol. t. 8. p. 241. n. 8.

Miniſtri quidem ſuper materiam conſecrandam abſolute verba proferunt, quia talis eſt Chriſti inſtitutio; at præter verba conſecratoria, ad ſacramentum conficiendum neceſſaria eſt intentio eorumdem miniſtrorum, ut definit Syn. Trid. ſeſſ. 7. can. xi. his verbis: *Si quis dixerit, in miniſtris, dum ſacramenta conficiunt, & conferunt, non requiri intentionem ſaltem faciendi, quod facit Eccleſia, anathema ſit.* Ergo ex verbis abſolute ſuper materiam conſecrandam pronunciatis nihil colligi poteſt quoad intentionem miniſtri; quia miniſtri intentio eſt aliquid diſtinctum a verbis, & præter verba eſſentialiter neceſſaria ad conſecrationem. Miniſtri pronuntiantis verba conſecrationis ſuper hoſtiam in ſacroſancto Miſſæ ſacrificio ea eſſe debet, & ſolet, & ponitur intentio, ut conſecrare velit, ſeu, quod idem eſt, conficere corpus Chriſti; at quia voluntas non fertur in incognitum, & hoſtia, cum duæ inſcienter junctæ ſunt, inferior, ſeu ſuppoſita, Sacerdoti incognita eſt, non videtur habere intentionem, illam conſecrandi. Sed quia res certo comperta non videtur, idcirco Rubricæ Miſſalis præſcripſere, ut utraque ſimul ſumatur; quod faciendum eſt, donec aliud non præſcribatur.

Si quis plures hoſtias ad altare tulerit, aut rationabili modo adverterit &c. vel ante ſacrificium monitus fuerit &c.

Illud eſt indubitatum ex Synodo Trid. mox cit. intentionem miniſtri eſſe neceſſariam, ut conſecratio vi polleat conficiendi ſacramentum: porro advertentia,

quod

quod hoſtiæ, ſeu particulæ ad altare delatæ fuerint, ut Sacerdos eas conſecret, aut admonitio de conſecrandis particulis in altari jam poſitis, non eſt intentio conſecrandi. Nam advertentia, ſeu admonitio, unde advertentia exiſtere ſolet, ad intellectum pertinet, intentio eſt actus voluntatis, quo Sacerdos non ſolum advertit particulas, ſed vult, ſeu intendit eas conſecrare; quem actum voluntatis ſi Sacerdos omittat, quantumlibet advertat, conſecratio indubitanter nulla eſt, quidquid Buſemb. aliter aut non ſatis explicate loqui videatur. Itaque operæ pretium eſt, ut Æditui, vel Parochi, Sacerdotes novos, minus accuratos, non aſſueros conſecrare particulas in aliorum communionem, tum de ritibus huc ſpectantibus, tum maxime de intentione admoneant.

Hac doctrina poſita, P. Concina n. 8. cit. ita quærit: „ Quid, ſi Sacerdos deferat pyxidem ad altare plenam „ hoſtiis cum intentione conſecrandi eas, & tempore „ conſecrationis obliviſcatur? “ Reſpondet: „ ſi eas „ ſuper aram ſeu petram conſecratam ponat cum in„ tentione conſecrandi, quamvis tempore conſecrationis „ non recordetur, communis ſententia docet, illum eas „ conſecrare. “ Hinc Rub. Miſſ. cap. 7. de def. intent. „ n. 4. inquiunt: *Si intentio non ſit actualis in ipſa conſecratione propter evagationem mentis; ſed virtualis, cum accedens ad altare intendat facere, quod facit Eccleſia, conficitur ſacramentum, etſi curare debet Sacerdos, ut etiam actualem intentionem adhibeat.* Intentio enim, quæ ſufficit ad conſecrandam hoſtiam principalem, ſufficit etiam ad conſecrandas alias particulas.

„ Si vero, pergit Concina, ſuper altare a cornu epi„ ſtolæ pyxidem poneret, & obliviſceretur ſuper aram „ illam conſtituere, tunc nullam fieri conſecrationem, „ docent Suar. Gavant. Palaus, & alii; quam opinio„ nem veram exiſtimo, & falſam oppoſitam, quam pro„ babiliorem reputat Leander. “

La-Croix p. 225. n. 448. priorem opinionem probabiliorem, alteram probabilem appellat. Ego pro certo habeo, totum hoc graviſſimum negotium ab intentione Sacerdotis conſecrantis pendere. Si enim Sacerdos celebrans, dum ipſe ponit, aut ab alio poſitam advertit pyxidem extra corporale, habet intentionem conſecrandi particulas in ea poſitas, etiamſi poſtea ex oblivione, aut etiam, ſi vis, ex ignorantia eam ſuper corporale, ſeu ſuper conſecratum lapidem non conſtituat, particulas pyxidis reipſa conſecrat, dum hoſtiam pro ſacrificio conſecrat. Nec enim vis conſecrandi a loco, ubi particulæ collocantur, dummodo conſecranti præſentes ſint, ſed ab intentione, & forma legitima conſecrationis pendet. Hinc Rubricæ Miſſalis p. 3. de defect. cap. 1. inquiunt: *Quidquid enim horum deficit, ſcilicet materia debita, forma cum intentione, & ordo ſacerdotalis in conficiente, non conficitur ſacramentum. Et his exiſtentibus, quibuſcumque aliis deficientibus, veritas adeſt ſacramenti.* In noſtra ſpecie adeſt materia debita, ordo ſacerdotalis, & forma: ergo ſi intentio quoque conſecrandi exiſtat, non eſt dubitandum, quin particulæ conſecrentur: at ponimus Sacerdotem habuiſſe intentionem conſecrandi particulas: ergo ad valorem conſecrationis nihil omnino deeſt. Cur particulæ conſecrantur, ſi pyxis fuit poſita ſuper corporale, non autem conſecrantur, ſi pyxis extra corporale poſita fuit, nec ante conſecrationem in corporale tranſlata? Alia ratio aſſignari non poteſt, niſi quod particulæ extra corporale poſitæ valide conſecrari non poſſint; quæ ratio eſt evidenter falſa.

Ipſi Theologi, qui ſuper hac re controverſantur, reipſa fatentur, nec inficiari poſſunt, conſecrationem a conſecrantis intentione pendere. Qui enim negant, conſecrationem in caſu noſtro fieri, idcirco negant, quia Sacerdos noluit, inquiunt, conſecrare extra corporale: hoc enim velle, fuiſſet peccatum mortale: ergo videtur tantum habuiſſe intentionem conſecrandi, ſi aſſumeret pyxidem in corporali. Ita diſcurrunt apud La-Croix loco citato.

Reſp. Theologi eſt de jure diſputare, & ſententiam dicere; non de facto, ſeu de intentione Sacerdotis. Quænam fuerit, vel non fuerit Sacerdotis intentio, non ex eo, quod liceat, vel non liceat, conjiciendum, ſed ab ipſo, qui ſuæ intentionis ſibi conſcius, eamque notam habet, quærendum. Si Sacerdos habuit reipſa intentionem abſolutam conſecrandi particulas pyxidis, quam extra corporale poſitam animadvertit, non autem intentionem conditionatam, hoc eſt addita conditione, ſi pyxidem intra corporale aſſumeret, conſecratio ſine dubitatione peracta fuit, nec eſt repetenda: ſi vero habuit intentionem conditionatam, conſecratio particularum nulla reipſa fuit, ideoque conſecratio ſine conditione repetenda eſt. Quid hic plura quæris? Videtur enim, vix fieri poſſe, ut ipſe Sacerdos; niſi bardus ſit, aut valde diſtractus, ſuam ipſius intentionem ignoret, aut ejus poſt ſacrificium non meminerit. Ceterum ſi hac de re dubium oriatur, particulæ ab alio Sacerdote cum conditionata intentione erunt conſecrandæ.

Quod vero attinet ad culpam Sacerdotis, qui habuit abſolutam intentionem conſecrandi particulas pyxidis extra corporale poſitæ, fieri poteſt, ut ab ea immunis ſit, ſi videlicet cum intentione abſoluta conſecrandi habuit ſimul, ut fieri ſolet, propoſitum transferendi pyxidem intra corporale, & peragendi ritus quoad rem hanc præſcriptos; quod propoſitum ex oblivione, aut mentis involuntaria evagatione, aut ex multa attentione ad id quod agit, & agere conſuevit, poſtea implere omiſerit. Hæc, ut ego puto, facile contingere poſſunt in Sacerdotibus, qui uſum non habent conſecrandi, niſi hoſtiam in ſacrificium; quos proinde diligenter monere, optima ſemper, aut etiam neceſſaria res eſt.

ANIMADVERSIO X.

Cujus omiſſio eſſet veniale.

Omiſſionem particulæ *enim* eſſe venialem, multi quidem ſentiunt; at celebriores Theologi mortalem faciunt; quia licet illa particula in ſe ſit quid leve, in forma tamen ſacramentali eſt quid grave, & magni momenti. Ita P. Concina Theol. t. 8. p. 261. n. 16. Res ut minimum dubia eſt.

Altera vini, & eſt hæc: Hic eſt enim &c. *Ubi etſi verior, & communior ſit ſententia S. Bonav. &c. contra S. Thom., & Thomiſt. quod eſſentialia &c.*

D. Thomæ menti eam inſeditiſſe ſententiam, quam illi Buſemb. adſcribit, aut dubium, aut falſum eſt. P. Concina Theol. t. 8. p. 260. n. 13. putat, D. Thomam hac in re cum aliis ſenſiſſe, & verba illa *novi & æterni* &c. ab eſſentia hujus formæ excluſiſſe, ut apud ipſum Concinam legi poteſt.

At, inquies, D. Thomas p. 3. q. 78. art. 3. ait: *Sunt alii, qui melius dicunt, quod omnia ſequentia* (novi, & æterni &c.) *ſunt de ſubſtantia formæ uſque ad hoc, quod poſtea ſequitur,* „ Hæc quotieſcumque feceritis &c. “ *Et inde eſt, quod Sacerdos eodem ritu, & modo, ſcilicet tenendo calicem in manibus omnia hæc verba profert.* Reſp. illud *de ſubſtantia* non videri ex D. Thoma eſſe idem, ac de eſſentia, ſed idem ac de integritate. Nam proxime ante inquit, *quod ea, quæ ſequuntur* (novi &c.) *ſunt quædam determinationes prædicati, ideſt ſanguinis Chriſti unde pertinet ad integritatem ejuſdem locutionis.* Si pertinent ad integritatem ejuſdem locutionis, ad ejus eſſentiam non pertinent. Hinc eodem loco ſubdit: *Dicendum eſt ergo, quod omnia prædicta verba ſunt de ſubſtantia formæ; ſed per prima verba, cum dicitur,* Hic eſt calix ſanguinis mei, *ſignificatur ipſa converſio vini in ſanguinem eo modo, quo dictum eſt in forma conſecrationis panis:* at conſecrationis verba efficiunt, quod ſignificant, ut docet idem S. Doct. art. 1. & 2. qu. cit. ergo ex mente S. Doctoris verba illa, *Hic eſt calix ſanguinis mei*, efficiunt converſionem vini in ſanguinem, ideoque reliqua verba *novi, & æterni* &c. non ſunt eſſentialia conſecrationi. *Per verba autem ſequentia*, ait Angelicus, *deſignatur virtus ſanguinis effuſi in paſſione, quæ operatur in hoc ſacramento.* Ergo verba ſequentia juxta D. Thomam non ſunt conſecratoria; quia non efficiunt virtutem ſanguinis a Chriſto in paſſione effuſi.

Quod ad D. Thomæ aſſeclas attinet, hi teſte P. Concina p. 259. n. 10. diſputant in utramque partem; ſed celebriores Thomiſtæ, præſertim recentiores, formam eſſentialem conſecrationis calicis in illis verbis, *Hic eſt calix ſanguinis mei*, conſtituunt; quos ille ſequitur p. 260. n. 11. & 12. & quibus ego ſine hæſitatione ſubſcribo ex ratione mox allata; & quia in Græcorum liturgiis ab Eccleſia Latina probatis omnia præfata verba, ut *æterni*, & *myſterium fidei*, non reperiuntur, ut monet idem Concina.

ANIMADVERSIO XI.

Innumeræ quæſtiunculæ a recentibus opinatoribus de ſacramentorum formis excitatæ, bona ex parte inutiles eſſe videntur; quia nemini venit in mentem verba a Chriſto pro conficiendis ſacramentis inſtituta, & ab Eccleſia uſurpata immutare. Quod ſi ex diabolica impietate id in rariſſimo aliquo caſu fieri ſuſpicemur, nullum remedium, ut ſacramentorum dignitati, & valori conſulatur, relinquitur. Omnia tamen dubia, quæ hac de re exoriri poſſunt, ad hanc regulam a Rubricis Miſſalis p. 3. c. 5. de def. formæ traditam examinanda ſunt. *Si quis autem aliquid diminueret, vel immutaret de forma conſecrationis corporis, & ſanguinis, & in ipſa verborum immutatione verba idem non ſignificarent, non conficeret ſacramentum. Si vero aliquid adderet, quod ſignificationem non mutaret, conficeret quidem, ſed peccaret graviſſime.*

Itaque quoad alia, quæ Buſemb. habet in caſu 1. 2. illi

illi aſſentio ex regula mox tradita. At illa forma in ca. 2. *Hic calix eſt novum teſtamentum in ſanguine meo*, quam Buſemb. validamjudicat, mihi aut dubia, aut etiam invalida videtur; quia ſenſus verborum variari mihi videtur, nec ſignificari converſio calicis, hoc eſt vini in eo contenti, in ſanguinem Chriſti. At, inquit Buſemb. ita habet S. Lucas c. 22. 2. Reſp. *Evangeliſtæ non intendebant tradere formas ſacramentorum, quas in primitiva Eccleſia oportebat eſſe occultas, ut dicit Dion. in fine Eccl. Hierarch., ſed intenderunt hiſtoriam de Chriſto texere*. Ita D. Thom. p. 3. qu. 78. a. 4. ad 9. Illa vero forma, *Hic eſt enim calix ſanguinis mei* &c. Eccleſia ab Apoſtolis inſtructa utitur in conſecratione vini, ut habet idem S. Doct. in arg. *Sed contra*.

Animadversio XII.

Dubia erit conſecratio: Illud aſt corpus meum: ille eſt ſanguis meus.

Has duas formas ipſe Buſ. c. 2. invalidas fecit, ut reipſa ſunt; quia verborum ſenſus mutatur. Aliud enim eſt *hoc*, & *hic*, aliud *illud*, & *ille*. Et ita ſentiunt Nat. Alex. Theol. t. 2. pag. 272. reg. 5. & Concina Th. to. 8. p. 262. n. 21.

Item illa, *Hæc eſt caro mea*, invalida cenſenda eſt, ut ait idem Concina loco cit. quia aliud eſt caro, aliud corpus, quod ex carne, oſſibus, ſanguine, aliiſque partibus conſtat. Hinc D. Th. p. 3. qu. 78. a. 1. ait: *Terminus autem ad quem* (converſionis panis) *exprimitur per nomen ſignificans naturam ejus, in quod fit converſio; quod quidem eſt totum corpus Chriſti, & non ſola caro ejus*.

Animadversio XIII.

Si quis partem &c. ſumpſiſſet indiſpoſitus, & deinde ſe diſponeret, acciperet &c. quod etiam aliqui &c.

Hæ hypotheſes non ſolum exoticæ, ſed prorſus commentitiæ ſunt. Quid enim pœnitentiam eo ipſo tempore fingas, quo immane ſacrilegium admittitur? Hæc miracula ſunt, non ſpecies morales.

Animadversio XIV.

Non videtur reprehendendus laicus, qui deſiderat &c. ut poſſit &c. quod putet &c. quia id fieri non eſt improbabile, ut docent Vaſq. &c.

Hoc deſiderium laici vanum, & otioſum mihi videtur; quia nemo, niſi inaniter deſiderat ſtatum, ad quem idoneus non eſt; & unuſquiſque ſuo ſtatu contentus eſſe debet. *Unuſquiſque*, ait Apoſt. 1. Cor. 7. v. 20. *in qua vocatione vocatus eſt, in ea permaneat*. Si laicus plus gratiæ, ut par eſt, deſiderat, non ſtatus mutationem deſiderare, ſed piis operibus intenſius incumbere debet.

Præterea plus gratiæ dari ſub utraque ſpecie, quam ſub una, non probabile, ut Buſembaum citans Vaſquez &c. putat, ſed fictitium merito habetur, ut colligitur ex D. Thoma p. 3. qu. 79. art. 7. ad 3. ubi ait: *Nihil enim plus eſt virtutis in multis hoſtiis conſecratis, quam in una, cum ſub omnibus, & ſub una non ſit, niſi totus Chriſtus. Unde nec ſi aliquis ſimul in una Miſſa multas hoſtias conſecratas ſumat, participabit majorem effectum ſacramenti*. Ergo ex eadem prorſus ratione a S. Doctore allata ne majorem quidem ſacramenti effectum participat, qui utramque ſpeciem ſumit. Majoris ergo gratiæ in Euchariſtia perceptio non ex utriuſque ſpeciei ſumptione, ſed ex majori animi puritate, pietate, devotione, qua fideles ad communionem accedunt, pendet.

Uti nec carpenda devotio illius, qui multum materiæ ſumit ad conſecrationem, quod fieri non eſt improbabile, ſi diſpoſitio &c.

Hæc devotio præpoſtera, ac magis ſuperſtitioſa, quam pia, & multa reprehenſione digna eſt. Si enim ex doctrina, & ratione ſolidiſſima D. Thomæ mox allata Sacerdos, qui in una Miſſa plures hoſtias conſecratas ſimul ſumeret, majorem effectum ſacramenti non participaret, ita ne ille quidem, qui ſub majori ſpecie ſeu panis, ſeu vini Chriſtum acciperet. Hinc D. Hilarius (refertur cap. *Ubi* 78. de conſecr. diſt. 2.) inquit: *Ubi pars eſt corporis, eſt & totum. Eadem ratio eſt in corpore Domini, quæ in manna, quod in ejus figura præceſſit, de quo dicitur:* „Qui plus collegerat, non habeat amplius, neque qui „minus paraverat, invenit minus." *Non eſt omnino quantitas viſibilis in hoc æſtimanda myſterio, ſed virtus ſacramenti ſpiritualis*. Notent hæc poſtrema verba, ſi qui forte vanis recentibus commentis ducti contra ſenſere, ſeque fuiſſe deceptos fateantur; neque contra legitimam Eccleſiæ conſuetudinem in materiæ conſecrandæ quantitate ire unquam audeant; quod prohibet Decretum S. Congregat. Concilii Tridentini interpretis ab Innoc. XI. confirmatum die 2. Feb. 1679., quod refert Nat. Alex. Theol. t. 2. p. 301. reg. 2. & ita habet: *Epiſcopi, Parochi, ſeu Confeſſarii inſuper admoneant, nulli tradendas plures Euchariſtiæ formas, ſeu particulas, neque grandiores, ſed conſuetas*. Ratio, quam pro ſua opinatione Buſemb. affert, ſophiſtica eſt, & falſa. Diuturnior enim Chriſti mora in ſtomacho ex majori ſpeciei conſecratæ quantitate orta, Chriſto diſplicet, quia Eccleſiæ ſuæ ſponſæ legi contraria. Ergo Chriſtus ex hac mora gratiam non auget, ſed contra valde timendum eſt, ne gratiam ſubtrahat; qua ſubtracta diſpoſitio ſubjecti, ſeu recipientis ſacramentum non fit melior, ſed minuitur. An uberiores gratiæ a Chriſto expectandæ ſunt, quia ritus ab Eccleſia præſcripti temere violantur? An legis tranſgreſſio, & peccatum magis diſponit ad Dei gratiam? Hæc ſunt abſurda paradoxa, quæ ex Buſembaum opinatione ſponte oriuntur; quæque proinde audienda non eſt.

Animadversio XV.

Deſinat ibi eſſe Chriſtus.

Caſus propoſiti, inquit Concina Theol. t. 8. p. 297. n. 11. vix unquam contingunt, ideoque eos ut inutiles relinquit. Ceterum juxta veriora Philoſophiæ placita experimentis confirmata, nec aqua vino admixta in vinum, nec vinum alteri liquori permixtum in eum convertitur; ſed ex utroque fit mixtum, quod utriuſque naturam, & vim participat.

Verum, cum ſacramentum ſit ſignum ſenſibile; nec modicum vini conſecrati cum multa e. g. aqua, aut alio vino permixtum ſuam ſenſibilem ſpeciem retineat; idcirco non eſt putandum, Chriſtum in hac hypotheſi manere ſub ſpeciebus vini conſecrati, quia ipſæ ſpecies non manent.

Animadversio XVI.

Hic caſus falſa poſitione, ut mox advertimus, nititur; imo quia ſpecies conſecratæ in minutiſſimas, & inſenſibiles particulas diviſæ ſuam ſenſibilem ſpeciem non retinent, idcirco conſecrationem retinere non videntur; attamen reverenter tractandæ ſunt, ut omne irreverentiæ erga ſacramentum periculum vitetur.

CAPUT II.

De cauſis, & ſubjecto Euchariſtiæ.

DUBIUM I.

De cauſis.

Ago hic tantum de efficiente, id eſt, de Miniſtro: in quo quid requiratur ad confectionem validam, conſtat tum ex dictis de Sacramentis in genere, tum ex ſuperioris capitis *dub.* 5. Quid ad licitam requiratur, patebit ex ſequenti Dubio, de ſubjecto ſuſcipiente Euchariſtiam: quia omnes diſpoſitiones, quæ ad digne ſuſcipiendam ſunt neceſſariæ, requiruntur etiam ad licitam confectionem, cum conficiens neceſſario ſuſcipere debeat. Hic ergo tantum quæritur; 1. Cujus ſit diſpenſare Euchariſtiam. 2. Quid ex parte Miniſtri requiratur ad licitam diſpenſationem.

ARTICULUS I.

Ad quem ſpectat diſpenſatio Euchariſtiæ?

Reſp. Euchariſtiam diſpenſare ex officio poteſt ſolus Sacerdos habens juriſdictionem ordinariam, delegatam, aut ſaltem rationabiliter præſumptam, vel privilegium. Ratio eſt, quia Paſtorum proprium eſt paſcere, quod præcipue fit per Sacramentum. V. Bon. *d.* 4. *q.* 5. *p.* 1. Card. de Lugo *q.* 18. *ſ.* 3.

Unde reſolves.

1. Peccat mortaliter, qui ſine omni juriſdictione Euchariſtiam diſpenſat, Bonac. *l. c. p.* 2. quia violat alterius juriſdictionem in re gravi. Inferior autem Sacerdote incurret inſuper irregularitatem, ut docet Con. *Hinc Religioſi etiam ipſo facto incurrunt excommunicationem Papæ reſervatam*, ſi ſcilicet ſine licentia Parochi, & quidem ſpeciali, præſumant clericis, vel laicis dare extremam Unctionem, vel Euchari-

ſtiam,

Digitized by Google

ſtium, vel Matrimonia ſolemnizare, niſi habeant privilegium, *vel Parochus abſit,* * aut injuſte nolit in articulo mortis. *A dicta tamen excommunicatione excuſare ignorantiam, etiam craſſam,* ex Præpoſ. & cet. notat Dian. *p.* 3. *t.* 2. *R.* 51. idque propter verbum *præſumant.*

ANIMAD. I.

2. Licite miniſtret Euchariſtiam, qui præſumit rationabiliter, Paſtorem factum ſuum approbaturum eſſe. Reg. *l.* 2. *n.* 91. Bonac. *l. c. n.* 8.

3. Si infirmus ſacro Viatico muniendus ſit, & proprius Paſtor abſit, vel præſens non poſſit deferre Euchariſtiam, quivis alius Sacerdos, vel regularis, vel ſæcularis, & hoc deficiente, *etiam Diaconus*, ei conferre poteſt, (*a*) quia tunc præſumitur voluntas Epiſcopi, aut Papæ. Ita Laym. *l.* 5. *t.* 4. *c.* 8. Bon. *l. c. n.* 10. ex Suar.

Dixi in Reſp. *ex officio*, quia extraordinarie, in ſtatu neceſſitatis, *id poteſt Diaconus* (*b*) ex commiſſione Parochi, & ſecundum Quint. ſi abſit, ſine ea, ver. grat. in magno feſto, quo Sacerdos confeſſionibus, concionibus, &c. eſt occupatus. Dian. *d.* 9. *t.* 6. *R.* 39. ex Præp. *In extrema vero neceſſitate, v. g. articulo mortis, ſi non eſſet alius, etiam Diacono, imo laico licere, ſecluſo ſcandalo, & alios, & ſeipſum communicare, probabile eſt*, ut contra Henriq. Vaſqu. & Sa docent Suar. Con. Laym. Præpoſ. hic *p.* 2. *c.* 31. confirmatque Dian. *p.* 8. *t.* 1. *R.* 48. ex Averſ. & Franc. Lugo. Sed Amic.* limitat ad caſum, quo moriturus peccati mortalis conſcius aliud Sacramentum ſuſcipere non poſſet. Dian. *p.* 9. *t.* 6. *R.* 39. In praxi tamen id non facile faciendum, ob contrariam conſuetudinem. Card. de Lug. *d.* 18. *ſ.* 2. Bon. *d.* 4. *q.* 5. *p.* 1.

ANIMAD. II.

Unde reſolves.

Probabile eſt etiam extra mortis articulum ex gravi cauſa licere Sacerdoti, *præciſo ſcandalo*, (*c*) ſacram hoſtiam ſumere ex ſacrario, vel a Diacono allatam ſibi ipſi dare, v. gr. ſi in longo morbo diu non communicaſſet, ut contra Suar. Con. docent Fag. *p.* 3. *l.* 3. *c.* 2. Præp. Eſcob. *t.* 7. *E.* 6. *l. c.*

Dixi 2. *vel privilegium*, quale habent Religioſi Mendicantes, & nominatim Societatis Jeſu, ex Pauli III. Bulla, & aliorum, ut ſcilicet in ſuis templis, per ſe, vel per alios Sacerdotes illic celebrantes communicare poſſint quoſcunque Chriſti fideles, præterquam in mortis articulo (in quo tamen, ſi urgeat neceſſitas, præſumitur ratihabitio Papæ, etiam inviſo Parocho, ut habet Bon. hic) & feſto Paſchali. Vide Card. de Lugo *l. c. ſ.* 2. *n.* 38. & 49. Porro per feſtum Paſchatis Pontifices hic videntur intelligere, & prohibere communionem illam, qua ſatisfit præcepto annuæ communionis, ut docent Sa, Filliuc. & commun. ** Per mortis articulum intelligitur tempus, quo vel mors proxime inſtat, & moraliter certa, & inevitabilis eſt, vel quo eſt mortis periculum, id eſt, probabile dubium de vitæ conſervatione, tali caſu, quo valde frequenter mors ſolet accidere. Suar. *t.* 4. *de rel. l.* 2. *c.* 3. & 3. *d.* 26. *ſ.* 4. & alii.

Ex dictis reſolves, quod regulares licite dent Euchariſtiam in articulo mortis, uti & in Paſchate ſequentibus caſibus.

1. Si extrema ſit neceſſitas, ut ſi periclitetur de ſalute æterna.

2. Si ſit gravis neceſſitas, id eſt, probabile mortis periculum, & Parochus nolit, vel non poſſit dare. Card. de Lugo *d.* 18. *ſ.* 2. *n.* 53.

3. Si a Pontifice, vel Epiſcopo habeant privilegium: quale hoc tempore habent religioſi aliqui in quibuſdam locis ab Epiſcopis dandi communionem paſchalem.

4. Si qui in Paſchate non poſſit in ſua parochia communicare, *nec petere veniam a Parocho.* (*d*)

5. Si ratione communionis paſchalis Parochiæ ſuæ ante ſatisfecerint, aut poſtea ſatisfacturi putentur, quia tunc Parochis nihil decedit, cum ipſo die Paſchæ abſtinere a communione poſſint. Sic contra Henr. & Nav. docent Sa, Pill. & Laym. qui addit, niſi conſtaret Parochum eſſe invitum, ac rationabiliter id prohibere, v. gr. quod alias rationem communicantium habere in ſua Parochia non poſſit; tunc enim ad Parochiam eſſe rejiciendos. Card. de Lug. *d.* 8. *ſ.* 2. *n.* 50. Bon. *l. c.*

6. *Si ægrotus necdum pervenerit ad eum ſtatum, ut ex præcepto teneatur ad communionem, etſi tunc maneat obligatus ſuſcipere communionem a manu Parochi, in articulo mortis.* ANIMAD. III.

7. *Si ægrotus ſatisfecerit præcepto de viatico, cum intentione illud implendi: quia adminiſtratio Euchariſtiæ tantum eſt vetita Regularibus, quando præceptum communionis obliget.* Nunquam tamen, ſine licentia Epiſcopi, vel Parochi, licet Religioſis publice Euchariſtiam deferre per plateas, cum id juri Parochorum conſuetudine obtento deroget: proinde eo caſu in ægroti oratorio, aliove honeſto domus loco, de licentia Ordinarii, privatim facto ſacro, Euchariſtia eſt danda. Ita Suar. Vid. Dian. *t.* 4. *p.* 4. *R.* 14. & *p.* 9. *t.* 9. *R.* 63.

8. *Quibuſdam, qui frequenter communicant apud Religioſos, nec poſſunt adduci, ut communicent in Parochia: idque ex tacito, & præſumpto conſenſu, quem* Laym. *l.* 5. *t.* 4. *c.* 7. *n.* 4. *putat facilius poſſe præſumi in militibus præſidiariis; item in aulicis, ſtudioſis, aliiſque Academicis, &c. qui frequenter communicantes extra ſuſpicionem eſſe ſolent.* Vid. Laym. *l. c.* ANIMAD. IV.

9. *Si in Paſchate ſint vagi, peregrini, & advenæ, ſecundum ſententiam probabilem multorum*, ut Sanch. *de matr. l.* 3. *d.* 37. Fagund. *præc.* 1. *Eccl. l. c. c.* 8. Card. de Lugo *l. c.* Dian. *p.* 2. *t.* 2. *R.* 12. ANIMAD. V.

10. *Si ſint famuli, vel domeſtici, vel familiares eorum, qui circa tales habent privilegium.* V. *Comp. privil. Soc. v. Familiaris*, & *Dian. p.* 2. *t.* 1. *de dubiis Regularium R.* 12. ANIMAD. VI.

ARTICULUS II.

Quid requiratur in Miniſtro ad licitam adminiſtrationem Euchariſtiæ?

Reſp. 1. Ut miniſter circa Euchariſtiæ diſtributionem non peccet, præter gratiam, etiam reverentiam in eo, tum ratio, tum Canones requirunt, ita ut præſtet hoc Sacramentum omitti (cum ejus ſuſceptio ſæpe non ſit neceſſaria ad ſalutem) quam admitti poſitivam irreverentiam.

Unde reſolves.

1. Euchariſtia non eſt deferenda ad infirmum, niſi cum habitu decenti, ideſt, cum ſtola, & ſuperpelliceo, ac præcedente lumine: ſecus eſt de extrema Unctione, cujus materia, cum non ſit Sacramentum, non requirit tantam venerationem. *Putant tamen quidam, ſi habitus haberi non poſſit, aut ſit tempeſtas, aut iter faciendum, non fore irreverentiam, ſi Sacerdos Euchariſtiam in pyxide, vel corporali involutam in ſinu ſuo clam deferat.* Quod certius videtur licere in locis hæreticis, ubi etiam neceſſitate, & clam, præciſo ſcandalo, poterit porrigere ſine ſtola, & ſuperpelliceo: etſi nullo modo celebrandum ſit ſine veſtibus ſacris ob viaticum dandum. Bonac. *d.* 4. *q.* 5. *p.* 2. ANIMAD. VII.

2. Præſtat ægrum non communicatum mori, quam Sacerdotem in habitu cum Sacramento per publicum currere (etſi feſtinare valde debeat, ut dicit Quintan. *t.* 4. *ſ.* 8.) Secus eſt in Baptiſmo, & Pœnitentia, ſi probabiliter timeretur, ne ægrotus decederet in mortali; tunc enim currendum eſſet, ut habet Bon. *l. c.* ex S. Th. Poſſev. & aliis.

3. *Ad infirmum longe diſtantem licere Parocho Eucha-*

* Si Parochus abſit, id prius ſiet delegatus: Si uterque abſit, superſedeat; uno verbo niſi neceſſitas extrema urgeat, videat Regularis, ne quoad Deum ſibi arroget, quod ſibi non competit. Conſule hic animad. 122.

** Apud Pitonum in deciſionibus ad Parochos p. 127. n. 509. ita legitur. 1660 31 Jan. „ Laici non poſſunt in die Paſchatis, „ de manu Regularium ſanctiſſimam communionem accipere, etiamſi alio die ſatisfecerint præcepto. “ Congregatio Concil. in mo-tiva, & antea in una Indianum 1639 18. Mar. & in alia 1627. 24. Maij apud Monacel. in formul. leg. pract. p. 2. tit. 13. tom. 1. et quo intelligitur, quid ſentiendum ſit de his, vero Buſ. hic habet ca. 5. Si ratione communionis &c. præſertim cum ſimilia Decreta apud eumdem legantur pag. 153. n. 680. q. 214. n. 590. p. 206. n. 512. p. 90. n. 262. p. 37. n. 137.

chariſtiam deferre in equo manſucto, ita ut non ſit periculum lapſus, docet Quintan. *c.* 4. *ſ.* 8. Sed negent Poſſev. & Barboſa, niſi loci conſuetudo permittat, adduntque non licere pyxidem dare portandam laico, quantumvis Paſtor ſit fatigatus, ſed potius ex collo ſuſpendendam burſam.

ANIMAD. VIII. 4. *Euchariſtia non eſt deferenda ad ægrum, venerationis tantum cauſa, ut adoret, vel oſculetur, ſi ſumere non poſſit. Quod etiam prohibuit Congregatio Cardinalium: qua tamen non videtur prohibere, ut venerationis cauſa deferatur ad lectum, ſi in domo celebretur.*

5. Non licet dare Euchariſtiam aliis digitis, ſi *indice & pollice*, ob chiragram, *dari non poſſit*, (*e*) ut docent Bon. *d.* 5. *q.* 4. *p.* 2. & Poſſevinus, contra Tolet. cujus ſententia tuta videtur, ſi alias æger ſine viatico eſſet moriturus; præſertim ſi tunc detur duobus indicibus.

ANIMAD. IX. 6. *Non licet tempore peſtis porrigere Euchariſtiam medio aliquo inſtrumento* (multo minus deponere alicui in ſcatella, ut ab ipſomet ægro ſumatur) *ſed manu danda eſt, ut docet Bonac. d* 4. *q.* 5. *p.* 2. *ex Suarez, & aliis. Quamvis Poſſ. c.* 8. *non improbabiliter dicat, poſſe, præciſa ſcandalo, & periculo lapſus in terram inſtrumento ad id rite confecto dari*. V. Dian *p.* 4. *t.* 4. *R.* 114. Bon. *l. c. p.* 2. quod in praxi pro ægrotis, qui non poteſt trajicere hoſtiam, ut ſcilicet ei detur Euchariſtia, impoſita particula hoſtiæ cum vino in cochleari, admittit Præpoſ. *in* 2. *p. q.* 80. *ar.* 5. *dub.* 6. & Eſc. *t.* 7. *c.* 6. Dian. *p.* 4. *t.* 4. *R.* 104.

ANIMAD. X. 7. *Sacerdos podagra laborans poteſt deferri ad altare, ut ibi Euchariſtiam adminiſtret; ſecluſa tamen alia prohibitione*. Ita Poſſev. *c.* 5. *n.* 50. Bon. *l. c.*

Reſp. 2. Requiritur præterea ut eam diſpenſet ritu Eccleſiæ conſueto: deinde, ut eam neget (per ſe loquendo) indiſpoſitis anima, vel corpore; denique, ſi Paſtor ſit, ut miniſtret eam ovibus, quoties rationabiliter petunt. Bon. *d.* 4. *q.* 5. *p.* 1. *n.* 15.

Dixi 1. *Ritu Eccleſiæ*; quia legitimus Eccleſiæ ordo ſub peccato obligat.

Unde reſolves.

Peccat 1. qui Euchariſtiam dat ſub utraque ſpecie, locis, vel perſonis, quibus a Pontifice non eſt
ANIMAD. XI. conceſſum. *Item, ſi morituro, qui ob linguæ ariditatem non poteſt hoſtiam trajicere, det ſpecies vini, licet talem a mortali excuſare conetur Amic. apud Dian. p.* 8. *t.* 1. *R.* 24. *Bonac. l. c. Sanch. Poſſev. Barb. contra ipſum Dian. p.* 9. *t.* 9 *R.* 64. 2. Qui diſpenſat ſine veſte ſacra, vel lumine, aut prævia confeſſionis generalis formula. 3. Qui laico dat hoſtiam majorem: *in neceſſitate tamen, vel in caſu magnæ devotionis* (*f*) licet ex majore particulam defractam dare, vel etiam in defectu minorum, plures majores conſecrare; eaſque deinde in minores partes (non tamen adeo parvas, ut honeſte dari non poſſint) diviſas diſtribuere. Ita Sa *v. Euchariſtia d.* 4. *q.* 5. *p.* 1 *n.* 14.

Dixi 2. *Per ſe neget:* quia alias cooperabitur peccato. (*g*) *Per accidens tamen ſæpe dare poteſt, v. gr. ſi ſine ſcandalo, aut gravi damno ſuo, vel pœnitentis, negare non poſſit*. V. Bon. *l. c.* * Poſſev. *c.* 5. *n.* 8.

Unde reſolves.

1. Peccat 1. qui dat pueris, ante annum diſcretionis, niſi in articulo mortis, ut vid. *dub. ſeq. a.* 3. qui forte circa annum decimum incipit. 2. Qui dat amentibus, quando nunquam ſunt uſi ratione. Si vero uſi ſint, poteſt, & debet illis dari in articulo mortis, ſi poſſit ſine periculo irreverentiæ, & non conſtet, incidiſſe in amentiam in ſtatu peccati mortalis. Laym. *hic c.* 4. *n.* 4. 3. Qui dat peccatori publico, vet. gr. hiſtrioni, turpes comœdias eam mortali repræſentanti, uſurario, meretrici, concubinario: de quibus vid. Fill. *t.* 4. *n.* 166. *& ſeq.* (*h*)

Dixi, *Publico*: quia, ſi occulte tantum ſcias eſſe indiſpoſitum, occulte quidem, non tamen publice petenti eſt neganda: niſi indiſpoſitio ex confeſſione ſit nota; tunc enim extra eam ne licet quidem monere, ut docet Sanches, Bonac. Laym. *l.* 5. *t.* 4. *c.* 6. Card. de Lugo *d.* 8. *de Sacr. ſ.* 8.

2. *Peccat item, qui negat reis morte plectendis* (quibus etiam poteſt dari aliquot, imo una hora ante mortem, ut habet Sa: danda vero eſt, ſi fieri poteſt, non in carcere, vel alio loco inhoneſto) *etiam ob crimen ſagratum capti*, dummodo pœnitentiam præſeferant: *etiamſi crimen negent, & violenta duret ſuſpicio*. Tann. *t.* 3. *q.* 5. *d.* 4. ANIMAD. XII.

3. Recte facit 1. qui raro, vet. grat. in Paſchate, dat communionem ſemifatuis, & qui debilem habent rationis uſum, ſi ſaltem hunc cibum a profano diſtinguere norint, ut habent Henr. & Poſſev. Idem fere dicendum eſt de ſurdis, & mutis a nativitate. Vid. Laym. *hic*. 2. Qui dat obſeſſis a dæmone, dummodo ſine irreverentia poſſint ſumere. Ita Suar. Bonac. Regin.

Dixi 3. *Si Paſtor ſit.*

Unde reſolves.

1. Talis peccat graviter contra juſtitiam, & caritatem, ſi ſubditis in periculo mortis, licet peſte infectis, non det. Alias vero Sacerdos, qui in tali caſu, abſente, vel nolente Parocho, nollet dare, peccaret tantum contra caritatem, etſi ſecundum Chapeevil. mortaliter. *q.* 37. *n.* 2.

2. Paſtor, ut Euchariſtiam opportune petentibus poſſit miniſtrare, tenetur eam aſſervare cum lumine in Eccleſia (nec licet alibi, ne in ſacellis quidem nobilium, vel choro monialium, aut inter ſepta Monaſterii earum, ut habet Trid. *ſeſſ.* 15. *de reform. c.* 10. niſi cum facultate in ſolemni feſto) in pyxide; quæ non neceſſario eſt conſecrata, licet, ſi conſecrata non ſit, debeat interius veſtiri vitta linea ex tela conſecrata, *ut ex S. Th.* (*i*) docent Vaſq. Azor. Regin. *in praxi t.* 2. *l.* 29. *c.* 9.

3. *Si ob graviter culpabilem negligentiam Parochi vel ejus, cui iſta cura commiſſa eſt, integro die, vel aliquot integris noctibus, lumen non ardeat ante venerabile Sacramentum, peccare eum mortaliter* (ſecus ſi per horam tantum) docent Quint. *t.* 4. *ſ.* 1. *&* 7. item Dian. *p.* 9. *t.* 6. *R.* 34. *licet Marchant. in reſol. Paſtor. t.* 4. *c.* 5. *q.* 4. *obligationem, & conſuetudinem tam univerſalem neget; uti & de lumine præferendo, quando defertur Sacramentum foras, atque ex cauſa id poſſe omitti, ut cum defertur ad ægrum longe diſtantem, nec commode fieri poteſt cum lumine.* ANIMAD. XIII.

DUBIUM II.

De ſubjecto, ſeu ſuſcipiente Euchariſtiam.

ARTICULUS I.

Quæ requiratur in eo diſpoſitio animæ?

Reſp. Qui eſt in mortali, tenetur ſub mortali ante ſumptionem Euchariſtiæ confiteri, niſi ſit neceſſitas celebrandi, vel communicandi, & Confeſſarius deſit. Ita Trid. *ſeſſ.* 13. *c.* 7. *& can.* 11. ubi contrarium docentes excommunicantur de facto. Fundatur autem in illo 1. Corinth. 11. *Probet autem ſeipſum homo*, &c. & parum refert ad praxim, utrum tantum ſit præceptum eccleſiaſticum, an tantum divinum, quod eſt probabilius, ut docent Suar. Fill. & alii commun.

Dixi 1. *In peccato mortali: tum quia Euchariſtia delet venialia, ex opere operato: tum quia venialia (eſto committantur, imo reddant venialiter malam ipſam ſumptionem) non ponunt obicem gratiæ ſanctificanti.* ANIMAD. XIV.
Quod ſi tamen multa ſint, & intra genus ſuum gravia, de quibus nulla pœnitentia concipitur, actualem devotionem, & fructum majorem impediunt. Suarez, Laym. & alii.

Unde reſolves.

1. Qui dubitat, an peccatit mortaliter, vel an mor-

* Bonac. a Buſ. citatus tom. 2. diſp. 4. q. 5. puncto 2. prop. 2. n. 25. ita loquitur. „ Dixi per ſe loquendo; nam ex accidenti fieri poteſt, ut Parochus excuſetur, non adminiſtrando ſubditis Euchariſtiam &c. " de ea per accidens indiſpoſitis danda nihil habet. Quare Parochus hic conſulat Rituale Rom. de Sanct. Euch. Sacram. ubi ait: *Fideles omnes ad Sacram communionem* &c. *arceantur vero peccatores* &c. nec ab eo recedat.

mortale ſit rite confeſſus, tenetur ante communionem confiteri. Ita Bon. *d.* 4. *q.* 6. *p.* 1. ex Sanchez, Regin. Suarez, & aliis.

Dixi 2. *niſi ſit neceſſitas* (non quæcumque, verb. gr. feſti celebritas, vel magna devotio, ut quidam volunt) ſed gravis, ſive urgens, qualis eſſe cenſetur in ſequentibus caſibus, præmiſſa tamen ſemper contritione: ad quam tunc teneris, niſi de peccato, quod occurrit, fueris ante contritus. Præp. C. de Lugo *d.* 14. *ſ.* 6. *n.* 132.

ANIMAD. XV. 1. *Periculum mortis, vel ut conſecretur hoſtia pro morituro*. Suar. Con. Card. de Lugo *d.* 4. *ſ.* 5. *n.* 107.

ANIMAD. XVI. 2. *Si Sacrificium, vel communio non poſſint omitti abſque gravi infamia, vel ſcandalo*. Idem Auct.

3. *Si Parochus debet celebrare ex officio, ut populus ſacrum audiat. ibid. Ob quam cauſam etiam alteri, qui non eſt Parochus, id licere putat Dian. cum aliis undecim, p. 9. t. 3. R. 9.* contra Palaum, Averſam, &c.

ANIMAD. XVII. 4. *Si urgeat præceptum de annua communione*, ut docent Henr. & probabile putat Præpoſ. *vel ſi Sacerdos non poſſit audire Miſſam, niſi celebret*, ut habet Henriq. & Card. de Lugo *l. c. Probabilius tamen videntur*

ANIMAD. XVIII. *docere Con. Sa, Suarez, & alii, ceſſante ſcandalo, & infamia, præſtare tunc ſacrum, & communionem etiam paſchalem intermittere, eo quod hæc præcepta non obligent, quando non poſſunt impleri convenienter juri divino.*

5. *Si Sacerdos poſt conſecrationem committat mortale,*

ANIMAD. XIX. *vel ante commiſſi recordetur, tenetur elicita contritione ſacrificium proſequi. Si vero id fiat ante conſecrationem, & præſertim ante Canonem, debet confiteri, ſi abſque nota infamiæ poteſt, vel recedere, ut docent Sylv. Nav. Dian. & alii contra Sotum, & Henriq. qui negant teneri ob honorem ſacrificii; putantque practice eſſe probabile Laym. & Bon. eo quod vix ſine aliqua nota confeſſio decenter fieri poſſet: niſi forte in Miſſa ſolemni, ſub cantu, vel concione: quo caſu tenebitur confiteri, ut notat Sylv. Quod ſi vero nec contritionem poſſit elicere, ſecundum communem ſententiam, eſſet confitendum, vel deſiſtendum:* licet Vaſq. *in* 3. *p. q.* 3. *d.* 27. & Huet. de Euch. *d* 8. *putent probabile eſſe, ſaltem non peccaturum mortaliter, quando non poteſt ſine nota recedere: intellige, ſi conatus ſit elicere, vel fecit quod potuit.* V. Dian. *p.* 4. *t.* 4. *R.* 98. Card. de Lugo *d.* 9. *ſ.* 2. *n.* 8. ubi idem docet. *Notat autem Dian. ex Præpoſ. ſatis eſſe, ſi quis bona fide putet ſe eſſe contritum, licet ſubdubitet.*

ANIMAD. XX. 6. *Si in ſcamno communicantium recorderis peccati mortalis, quod oblitus es confiteri, nec ſine nota, aut ſcandalo gravi poſſis recedere, ut habet* Nav. Fill. Regin. Card. de Lugo *l. c. n.* 112. *& alii:* porrigenti autem Euchariſtiam confiteri non expedit, nec decet, *quo caſu, etiamſi ne poſſis quidem elicere contritionem, excuſat a peccato Huet. l. c. Imo quidam DD. apud Henriq. excuſant laicum ante confeſſum, etiam præciſa nota, & ſcandalo, non recedentem, eo quod is dicatur juſtificatus, & probatus per confeſſionem. Quam ſententiam probat Tambur. in exped. com. c.* 1. *§.* 3. *poteſtque ſervire pro ſcrupuloſis.* V. Regin. *l.* 29. *n.* 105. Bon. *d.* 4. *p.* 10. Eſcob. *t.* 7. *e.* 6.

Dixi 3. *Et deſit Confeſſarius*: deeſſe autem cenſetur, non ut quidam volunt, ſi abſit is, cui ſolet, & cuperet confiteri, vel cui devotius, aut utilius confiteretur: neque etſi Religioſus non poſſit niſi ſæculari confiteri peccata gravia, cum aliqua infamia Religionis. Amicus, Dian. *p.* 9. *t.* 3. *R.* 13. ſed in ſequentibus caſibus.

1. Si nullus ſit præſens, ad abſentem vero ſine magna difficultate (ſpectata tum debilitate, ætate, & negotiis perſonæ, tum aliis circumſtantiis, ut aeris, brevitatis temporis) adire non poſſis. Bon. *l. c. n.* 30. ex Suar. Con. &c.

2. Si non adſit, niſi ignarus idiomatis, vel carens juriſdictione, vel excommunicatus, vel non approbatus, vel cui non poſſis confiteri ſine gravi damno tuo, vel alieno, *vel ſi habeas peccatum tantum re-*

ANIMAD. XXI. *ſervatum, nec pateat aditus ad ſuperiorem; vel ſuperior ſemel iterumque per pium Confeſſarium rogatus negaverit poteſtatem abſolvendi.* Tambur. *in exped. com. c.* 1. *§.* 6. ex Fag. Limitat autem Dian. *p.* 9. *t.* 3. *R.* 15. ſi abſque gravi nota prætermittere non poſſis. Ita Sylv. & alii. Requiritur tamen in his etiam caſibus contritio, & propoſitum confitendi: imo ex præcepto Trid. Sacerdos, qui in tali caſu celebravit, tenetur prima occaſione confiteri. *Quod præceptum extendendum non videtur ad Laicos, vel Sacerdotes communicantes tantum, ut contra Nav. & Fagund. docet Sylv. Dian. & Bon. d.* 3. *q.* 6. *p.* 1.

ARTICULUS II.

Quæ requiratur diſpoſitio corporis?

Reſp. 1. *Nulla corporis macula per ſe impedit ſuſceptionem Euchariſtiæ*, cum parum faciat ad bonitatem, vel malitiam moralem, poteſt tamen aliquando per accidens impedire, propter effectus ſecutos. Ita commun.

Unde reſolves.

1. *Non impedit pollutio involuntaria, imo nec vo-* ANIMAD. XXII.
luntaria per pœnitentiam expiata, niſi effectum malignum, v. gr. turpem recordationem, ac delectationem, vel diſtractionem, & perturbationem animi relinquat: eo enim caſu, uti & ſemper poſt culpabilem, præſtat, ac ſecundum ſententiam communem ſub veniali debet differri, niſi aliud ſuadeat juſta aliqua cauſa, v. gr. magnus fructus feſtivitatis, regula ordinis: vel ſi a dæmone excitata putatur, ad communionis frequentiam impediendam. Sanch. *l.* 9. *de matr. d.* 13. Bon. *d.* 4. *q.* 6. *p.* 2. Card. de Lugo *d* 15. *ſ.* 1.

2. *Neque actus conjugalis impedit*, etſi decens, & ANIMAD. XXIII.
conſilii ſit, abſtinuiſſe ſaltem nocte proxime antecedente, ſi quis communicet. Ita Fill. & Sanch. *l. c.* Eſcob. *l.* 7. *E.* 6. *n.* 83. *Intellige, ſi debitum petitum ex neceſſitate reddit*, nec ullam inde animi perturbationem, aut affectum ad res venereas patitur: ſi vero voluptatis cauſa feciſſet, eo die abſtinendum eſſe (præſertim ſi malignus effectus ſubſecutus fuiſſet) docet Regin. *l.* 29. *t.* 117. Laym. *l.* 5. *t.* 4. *c.* 6. *n.* 10. & 16. Mart. Perez *d.* 49. *ſ.* 3. *n.* 8. addens eſſe tantum veniale; imo indecentiam juſta cauſa poſſe reſarciri.

3. *Similiter, etſi decens, & conſilii ſit, ſumpta* ANIMAD. XXIV.
communione, abſtinere eo die a copula; licita nihilominus eſt ex bono fine, v. gr. ex amore prolis, ad evitandum incontinentiæ periculum, vel ad debitum reddendum. Tamb. *c.* 3. *§.* 6. ex Sanch. *l.* 9. *d.* 13. & March.

Reſp. 2. Ex præcepto Eccleſiæ tenetur communicaturus, ſub mortali, regulariter eſſe jejunus jejunio naturali, id eſt, ut a media noctis nihil omnino per modum cibi, potus, aut medicinæ ſumpſerit. Ita commun. Et eſt certum ex Conciliis, quæ vide apud Fill. Laym. Card. de Lugo *l. c.*

Unde reſolves.

1. Etſi parvitas materiæ non excuſet hic, *non ob-* ANIMAD. XXV.
ſtat tamen communioni 1. *Reliquias ciborum inter dentes hærentes trajicere caſu (negant enim Præpoſ. Vaſquez, & alii*, ſi fiat de induſtria, *contra Tann. Conin. q.* 80. *art.* 8. *num.* 47. *& Dian. qui contrarium probabile affirmant) licet eas expuere omnino deceat.* Dian. *t.* 4. *de Sacr. reſ.* 37. *& p.* 4. *t.* 4. *reſ.* 104. V. Eſcob. *tr.* 7. *E.* 6. & Card. de Lugo *n.* 36. ubi notat ſententiam iſtam Tann. & Dian. ad hoc ſervire, ut ſtudioſe dentes ante expurgare, ne quid forte caſu decidat, non teneatis. 2. Sanguinem, vel alium humorem ex capite defluentem, & guttulam aquæ, aut vini, caſu per ablutionem oris, *vel guttulam juſculi, dum ſapor exploratur, per modum ſalivæ, cui mixta eſt, vel culicem inter reſpirandum trajicere.* Ratio eſt, quia hæc aut non ſumuntur, ſcilicet ab extrinſeco, aut non per modum cibi, aut potus. Vide Fagund. *præc.* 3. *cap.* 5. Card. de Lugo *loc. cit. num.* 23. 3. *Si aromata, vel folium tabaci ex cauſa ori imponas, maſtices, vel quid aliud guſtes*, modo nihil tranſmittas. Præpoſ. in 3. *part. quæſt.* 8. *ac* 80. *diſt.* 1. *n.* 39. Card. de Lugo *R. mor. l.* 1. *d.* 9. Idem de fumo tabaci docet Gran. *in* 3. *p. t.* 6. *t.* 10. *d.* 8. *num.* 4. (licet indecens valde id videatur, niſi juſta ex cauſa fiat) & Eſcob. *t.* 7. E. 6. ubi de ejuſdem pulvere per nares attracto idem colligit ex Suar. & Fag. Idem tenet Dian. *p.* 8. *c.* 7. *R.* 3. Card. de Lugo *R. mor. t.* 1. *d.* 9.

2. *Probabile eſt, non impedire communionem, ſi fru-* ANIMAD. XXVI.
ſtulum ligni, chartæ, unguium, vel lapillum deglutias,

Digitized by Google

tias: quia non habet rationem cibi, vel potus. Dian. *l. c. R.* 38. *& tr. de celeb.* R. 51. ex Ledeſm. & Sanch. contra Henriq. Regin. Layman. & alios, quorum ſententia tutior eſt. Vide Card. de Lugo, & Eſcob.

3. Non licet communicare his caſibus, 1. Si ſaccharum, liquorem glycyrrizæ ore ſolutum cum ſaliva trajicias. *Si vero dubium ſit, num quid deglutiveris, vel an factum ſit poſt duodecimam, probabiliter* ANIMAD. XXVII. *docet* Laym. *lib.* 5. *t.* 4. *cap.* 1. *contra Sanchez, Fagund. non impedire communionem, vel ſacrificium*. Vide Dian. *l. c. R.* 29. & ſupra *lib.* 1. *t.* 1. *cap.* 2. *d.* 3. 2. *Si veſperi decumbens, aliquid ori contra raucedinem impoſueris, niſi certus ſis, poſt medium noctis te nihil tranſmiſiſſe*. Ita Suar. Fill. Card. de Lugo *l. c. n.* 37 & alii. *Licitum autem eſt, inter horologia diſſonantia quodvis ſequi, etiam ultimum, modo non conſtet errare: quia habet ſe ut auctor bonus, faciens opinionem probabilem, ut habet Sanchez lib.* 2. *d.* 1. *de matrim. Fagund. Jo. Sancius, Card. de Lugo n.* 45. *Dian. l. c. R.* 36. 3. Si aliquid ſumpſeris, licet mox rejeceris. 4. Si tabaci fumum in ſtomachum trejeceris, ut docet Præpoſ. etſi alii merito dubitent. Tann. *t.* 4. *d.* 5. Gran. autem *in* 3. *p. c.* 6. *t.* 10. *d.* 8. negat. 5. Si Sacerdos nocte Nativitatis in prima Miſſa ablutionem, vel lambendo digitos modicum aquæ, aut vini ſumpſerit. Vide Bonac. *d.* 4. *q.* 6. *p.* 2.

ANIMAD. XXVIII. 4. Non eſt peccatum, per ſe loquendo, *cibum ſumere, vel expuere*, Tamb. *cap.* 1. §. 1. *ſtatim a communione, ut ex S. Thom.* docent Azor. Sanch. Bonac. *d.* 4. *q.* 6. *p.* 1. *n.* 25. (unde eum, qui paulo ante medium noctis cœnaſſet in Dominica pridie Nativitatis Domini, poſſe nihilominus ſtatim poſt mediam noctem celebrare, docent Diana, & alii tres *p.* 3. *t.* 4. *R.* 44.) *etſi ob Sacramenti reverentiam, conſilii ſit abſtinere, donec ſpecies ſint conſumptæ: quod ſaltem intra dimidium quadrantem in laico (in Sacerdote intra quadrantem) fieri certum videtur*. Card. de Lugo *d.* 12. *ſ.* 3. *n.* 54. ex judicio medicorum a ſe conſultorum. Tamb. autem *c.* 3. §. 3. ex Jo. Sanch. *d.* 38. notat citius a valido, quam debili ſtomacho, regulariter tamen ab omnibus intra horam conſumi; refertque, infirmum quemdam poſt mediam horam ſpecies integras rejeciſſe.

Dixi in Reſponſ. *regulariter*: quia non jejunus licite communicat in ſequentibus caſibus, ſi quidem jejunus non poſſit ſine notabili incommodo, ut monet Con. & Bon. apud Dian. *p.* 9. *c.* 6. *R.* 42.

1. In periculo mortis, ſive illud ſit ex morbo, ANIMAD. XXIX. vulnere, veneno, ſive ex ſententia judicis. *Et quidem in eodem morbo, etſi non tenearis, potes tamen poſt aliquot*, v. g. ſex, 7. vel etiam, *ut putat Layman. duos dies* (etſi quoad hoc potiſſimum attendendum eſſe ad conſuetudinem, moneat Card. de Lugo) *repetere viaticum non jejunus, dummodo nequeas jejunus ſumere, & periculum mortis recurrat, ut docetur commun. vel etſi maneat*, ut contra Vaſq. Præpoſ. & alios docent Navarr. Tolet. Regin. Suar. Card. de Lugo *ſ.* 3. *n.* 65. *Imo etſi non liceat ægro ex ſola devotione communicare, fracto jejunio, ſi tamen morbus eſſet diuturnus, nec poſſet dari communio, niſi poſt medicinam, probabile eſſe id licere, docent Acmilla, Tolet. Con. Reginald. Henriquez, Suarez, Eſcob* &c. quorum aliqui exigunt longum intervallum, verbi gratia 30. dierum, ut Navar. & Villalob. alii 8. vel 10. dies, ut Suar. Henriq. Fagund., alii 7. ut Sylv. alii 6. ut Arm. Zamb. Poſſev. & Filliuc. quos ſequitur Dian. *de celebr. R.* 77. alii permittunt toties, quoties ſano poſſet dari jejuno: ita Eſcob. *t.* 7. *E.* 6. ex Hort. alii denique poſſe ſequenti ſtatim die dari, ob juſtam cauſam, ut ſi propter conſuetudinem, & deſiderium, aut devotionem difficulter abſtineat, & moraliter videatur inſtare periculum mortis. Sic Layman. *lib.* 5. *t.* 4. *c.* 6. *n.* 20. Verum ex in re loci conſuetudo ſpectanda eſt, quæ nunc ſaltem videtur permittere, ut quando morbus, & periculum diu protrahitur, poſt 7. vel 8. dies iterum detur communio non jejuno. V. Card. de Lugo *d.* 15. *ſ.* 3. *de Euch.*

Denique, licet probabile videatur Fill. *t.* 1. *tract.* 4. *n.* 142. & Card. de Lugo id, quod docet Maj. *in* 4. *d.* 9. *t.* 3. Farn. de hered. &c. (Laym. vero *l.* 5. *t.* 4. *c.* 6. *n.* 21. limitat ad caſum neceſſitatis, quo moriturus aliud Sacramentum ſuſcipere non poſſet, & ſcandalum ceſſaret) poſſe non jejunum celebrare ad dandum alteri viaticum, eo quod hoc ſit juris divini, jejunium vero eccleſiaſtici tantum; ideoque non tantum poſſe, ſed etiam teneri, dicat Gran. *in* 3. *p. c.* 6. *t.* 19. *d.* 8. *n.* 12. *id tamen merito communiter rejicitur*: tum quia contrarium probat praxis; tum quia major eſt habenda ratio Sacramenti, quam aliqualis neceſſitatis proximi; tum quia præceptum viatici non obligat, quando non poteſt rite dari. Ita Bon. ex Con. Hurt. *de Euch. d.* 9. *diſ.* 17. Suar. Vaſq. &c. comm. docetque Card. de Lugo eſſe probabilius. Vide Dian. *tom.* 1. *tr.* 4. *R.* 33. Sacerdos autem morti (ſive naturali, ſive violentæ) vicinus celebrare ſine dubio poteſt non jejunus, ad dandum ſibi viaticum, ſi illud aliter haberi non poteſt; quia non plus eſt celebrare, quam communicare ſumpto cibo. Card. de Lugo *d.* 15. *ſect.* 4. Laym. Dian. *p.* 5. *t.* 3. *R.* 36.

2. Si periculum ſit, ne Euchariſtia pereat, vel male tractetur, poteſt ſumi a non jejuno, etiam laico, ſi alius deſit: imo probabiliter poteſt etiam a præſente Sacerdote laicus accipere, ut docent Card. de Lugo *n.* 87. Suar. & Vaſq. *d.* 22. *n.* 48.

3. Si grave ſcandalum ſit oriturum ex omiſſione ſacrificii, vel communionis. Quod tamen quidam putant vix fieri poſſe, eo quod occurri poſſit ſcandalo, dicendo Sacerdotem caſu aliquid ſumpſiſſe, ideoque impediri.

Dixi, *ſcandalum*: quia turbationem, vel incommodum aliquod ſecuturum; v. gr. ſi celebraturus primitias, aliquid ſumpſiſſet, non ſufficere, notat Præpoſ.

4. Si perfectio ſacrificii, vel communionis urgeat. ANIMAD. XXX. Quod fieri poteſt quinque modis. 1. *Si pro ſpeciebus vini ſumpſit aquam* (quam ſi advertat, dum habet in ore, non eſt expuenda ob periculum ejiciendi fragmentum hoſtiæ, & irreverentiam, ſed deglutienda. Tamb. *de exped. ſacrif. l.* 2. *c.* 8 Card. de Lugo *d.* 15. *ſect.* 4.) *tunc enim tenetur denuo conſecrare: quod fieri etiam poteſt, conſecrando, & offerendo ſtatim, ſine nova hoſtia*. Vide apud Suar. Quod ſi id poſt Miſſam concluſam advertas in Sacriſtia, omittas. *Si autem intra Miſſam poſt ſumptionem, vel etiam ante eam, poſt conſecrationem tamen, dubites, an fuerit vinum, pro vino præſumendum eſſe, & pergendum, ait*, *Tamb.* 2. Si celebrans poſt conſecrationem deficiat: tunc enim tenetur alius, etiam non jejunus, ſi jejunus haberi nequeat, perficere. 3. Si poſt conſecrationem etiam unius ſpeciei recordetur, ſe non eſſe jejunum: tenetur enim pergere; imo etiam poteſt pergere, ſi ante conſecrationem recordetur, & abſque ſcandalo, & nota non poſſit deſiſtere, v. gr. in ſolemni ſacro, ut docent Suar. Con. &c. Si tamen privatim celebret, & commode poſſit abrumpere, tenetur, niſi ex S. Thom. *qu.* 73. *art.* 6. docetur commun. 4. Si poſt ablutionem ſumptam, licet diu communionem diſtribuerit, ſumendæ ſunt reliquiæ etiam grandiores conſecratæ eodem ſacro; quod addo, quia non licet tunc ſumere particulas alterius ſacrificii, quæ ſunt in ciborio, ad illud expurgandum, ut docent Suar. Card. de Lugo *loc. c.* cum communi, *licet contrarium probabile dicat Tamb. de expedita com. cap.* 2. *n.* 8. *ex March. t.* 3. *p.* 3. *c.* 3. *uti nec ejuſdem ſacrificii, ſi illud plane ſit abſolutum, & ab altari receſſeris, ſed debent ſervari, donec ſumantur a jejuno*: Eſcob. *t.* 7. *E.* 5. Fagund. &c. quia convivium jam finitum eſt. *Niſi tamen aliud ſuadeat periculum indecentiæ, v. gr. ſi plures Miſſæ eodem die iſtic futuræ non eſſent, & Sacramentum aſſervari non ſoleret; tunc enim minore irreverentia ſumeret, quam aſſervaret*. Imo Card. de Lugo *d.* 14. *p.* 4. *n.* 82. *& Gran. non damnat Sacerdotem, qui prius, quam ſacras veſtes exuit, particulam inventam abſumit, eo quod non ſit communio nova, ſed complementum præcedentis*. Vid. Bon. Card. de Lugo, Eſcob. *ll. cc.* 5. Si pars hoſtiæ poſt ablutionem ſumptam, calici, aut palato adhæreat (quæ decentius nova ablutione, quam digito propellitur, ut docet Bonac. ex Fill. & aliis; quamvis Miſſale etiam permittat, ut digito attrahatur ad labium calicis, & ſumatur ante ablutionem) *quo modo etiam ii excuſantur, qui ex devotione hoſtiam in ore diu retinentes, caſu præmittunt aliquid ablutionis; ſponte tamen id non licet, niſi bona fides, & ſanctæ ſimplicitas excuſat*. Ratio horum omnium

Mm 2 eſt,

eſt, quia talis ſumptio moraliter cenſetur completio unius ſacrificii. Reg. *l.* .. *num.* 123. Bon. *l.* 1. *d.* 4. *qu.* 6. *p.* 2.

Unus caſus eſt, in metu mortis, ad quem evadendum, ſicut ſine altari, vel calice conſecrato, aut veſtibus ſacris, ita etiam non jejunum poſſe celebrare, docet Dian. cum Sylv. &c. *p.* 3. *t.* 6. *R.* 48. & *p.* 5. *t.* 3. *R.* 39. *dummodo celebratio non exigatur in contemptum Religionis, Eccleſiæ, vel ejus præceptorum.*

ARTICULUS III.

Quæ, & quanta ſit obligatio ſumendi Euchariſtiam?

Reſp. 1. Sumptio Euchariſtiæ fidelibus adultis eſt neceſſaria neceſſitate non medii, ſed præcepti divini obligantis tum in articolo mortis per modum Viatici, tum etiam ſæpius in vita, ut docent Suarez, Vaſquez, Layman. Fagund. & alii communiter; probantque tum ex Scriptura, tum ex Concilio Nicæno, & Tridentino *ſeſſ.* 13. *c.* 6. tum ex praxi Eccleſiæ; tum quia Euchariſtia eſt inſtituta per modum cibi, cujus uſus ſæpius eſt neceſſarius. Bonac. *d.* 4. *q.* 7. *p.* 1. *n.* 8.

Unde reſolves.

1. Quiſque fidelis in periculo vitæ, quod prævidet, vel merito timet, verbi gratia, in gravi morbo, ante conflictum, vel puerperium, præſertim primum, ante navigationem, &c. tenetur ſub mortali communicare. Suar. Vaſq. *d.* 214. *Niſi tamen* ANIMAD. XXXI. *paucis, verbi gr. octo diebus ante communicaſſet: talis enim communio cenſeretur habere rationem Viatici,* ut docent Suar. Regi. Fill. contra quoſdam, ut Gaſp. Hurt. *d.* 10. *diſ.* 2. &c. apud Eſcob. qui dicunt, eum, qui mane communicavit, ſi a prandio incurrat periculum vitæ, teneri iterum ſumere Communionem, tanquam Viaticum: *imo Sa, & Sylv.* v. *Euchar. Fumus,* &c. *& Cajet.* v. *Communio, putant non eſſe ſalrem mortale, communionem omittere, dummodo in Paſchate ſumpſerit.*

2. Si in ægro eſſet periculum vomitus, ducet Sanctius apud Dian. *d.* 5. *t.* 5. *R.* 55. poſſe ei parvam particulam dari, quæ ſtomachum alteratura non putetur; aut, ſi de hoc ipſo dubium ſit, ſecuritatis cauſa prius dari particolam non conſecratam, quam ſi rejiciat, nullo modo dandam conſecratam; ſecus, ſi retineat. Si vero independenter a cibo perpetuo evomat, nullo modo dandam, niſi forte per ſex ſaltem horas liber a vomitu fuiſſet.

ANIMAD. XXXII. 3. *Pueris doli capacibus, qui ſciunt diſtinguere Euchariſtiam ab alio cibo, probabilius eſt in periculo mortis eam eſſe dandam pro Viatico, ut contra Vaſq. inſinuat Laym. t. 4. de Euchar. c. 4. & expreſſe docet Suar. d. 40. ſ. 2. confirmatque C. de Lug. d. 13. ſ. 4. n. 28. & addit* (contra Sanch.) *ſi de capacitate pueri ſit dubium, poſſe nihilominus dari, etſi non ſit neceſſe.*

4. Qui poſt Viaticum ſumptum peccavit mortaliter, non tenetur denuo communicare. Ita Reg. Fill. C. de Lug. & alii.

5. Qui non communicavit in periculo mortis, non tenetur poſtea ſupplere. Ita Bon. *d.* 4. *q.* 7. *p.* 1. ex Henr. Reg. &c.

6. Judex tenetur, per ſe loquendo, reis concedere tempus communicandi, ut docent Suar. Bonac. *l. c.* & alii communiter, contra Nav. quod ſi reus noluerit, poteſt judex procedere. Fill. *t.* 4. *c.* 8. *qu.* 11. *n.* 238.

ANIMAD. XXXIII. Reſp. 2. *Etſi Chriſtus tempus communionis, extra periculum mortis, non præceperit; Eccleſia tamen pro ea determinavit tempus paſchale,* quod communiter numeratur a Dominica Palmarum uſque ad Dominicam in Albis incluſive; *alicubi tamen totam Quadrageſimam comprehendit; alibi extenditur ex conſuetudine, vel indulto; poteſtque Confeſſarius ex juſta cauſa extendere,* ut docent Sa, & alii. V. Bon. *d.* 4. *qu.* 7. *p.* 2.

Unde reſolves.

ANIMAD. XXXIV. 1. *Præceptum hoc impletur etiam per communionem ſacrilegam, ut habet communis,* contra Durand. & Sylveſt. Et patet, quia Eccleſia tantum præcipit actum externum; nec finis præcepti cadit ſub præceptum. *An vero, qui non ſatisfecit, teneatur poſtea implere, utrinque probabiliter defenditur, etſi affirmativa videatur probabilior.* Bon. Suar. *ll. cc.* Suar. C. de Lugo &c.

2. *Non tenetur prævenire, qui prævidet, tempore paſchali ſe impediendum, ut contra Vaſq. Sylv. & Fagund. probabiliter* docet Azor. *t.* 1. *l.* 7. *c.* 41. Suarez, &c. *Qui vero ſic prævenisset, & poſtea tolleretur impedimentum, teneretur rurſus communicare, ſecundum Laym. l.* 5. *t.* 4. *c.* 5. C. de Lugo *ſ.* 4. *n.* 78. quia non ſatisfecit præcepto obliganti ad communionem, & ad illud tempus. *Negat tamen Dian. citans Fernand. & Suarez.* ANIMAD. XXXV.

Reſp. 3. Tenetur quivis communionem paſchalem ſumere in Parochia a Paſtore ſuo, niſi hujus licentia, privilegio, aut conſuetudine eximatur. Nav. Suar. *d.* 72. *ſ.* 2. &c.

Unde reſolves.

1. Sacerdos, ubivis celebrando, ſatisfacit. Bon. *d.* 4. *q.* 7. *p.* 2.

2. *Eximuntur peregrini, & vagi, qui parochiam non habent, & ab ea abſunt.* Bonac. *l. c.* ANIMAD. XXXVI.

3. *Non eximuntur laici inſervientes religioſis,* ut habet Sa, v. *Euchar.* niſi, ut dicit Bonac. *degant in monaſteriis, aliiſque locis a cura Parochorum exemptis.* Vide Sanchez *de matrim. d.* 31. *n.* 12. ANIMAD. XXXVII.

4. Non ſatisfacit huic præcepto, qui in Paſchate extra Parochiam, ſine conſenſu Paſtoris, communicat, ut habent Nav. Azor. & alii commun. *niſi tamen communicet in Cathedrali Eccleſia: hunc enim ſatisfacere præcepto* cenſet Bonac. *l. c. ſed negat Card. de Lugo l. t. reſ. mor.* niſi Epiſcopus expreſſe, vel tacite conſentiat. Vide ſupra *c.* 2. *d.* 2. *art.* 1. & *c.* 2. 6. Bonac. *loc. c.* Vide ſup. *c.* 2. *d.* 1. *art.* 1. *caſ.* 7. 8. & 9. ANIMAD. XXXVIII.

Dixi, *ſine conſenſu Paſtoris:* quia cum conſenſu ſummi Pontificis, vel Epiſcopi, ſive Ordinarii, aut ejus Vicarii generalis, vel Parochi (hi enim omnes intelliguntur nomine Paſtoris) extra Parochiam communicando ſatisfieri præcepto Doctores concedunt. *Et quidem ſufficere conſenſum interpretativum, ſive præſumptum, notat Tambur. de exp. com.* 4. §. 4. *imo Bon. in Theol. mor. p.* 1. *t.* 5. *q.* 19. *Beja, & quidam alii apud Tamb. l. c.* & C. de Lug. *d.* 18. *ſ.* 2. *n.* 49. *item Dian. p.* 2. *t.* 14. *R.* 73. & *p.* 6. *t.* 7. *R.* 58. *putant poſſe ſatisfieri præcepto* Communionis *paſchalis* (*præſertim extra diem Paſchæ*) *apud Mendicantes ex privilegio Nicolai V. Pii V. & Pauli IV. certis conceſſo, quod ceteri participent. Verum hoc alii communiter negant.* V. Averſ. *q.* 10. *ſ.* 4. ANIMAD. XXXIX.

Notæ.

(a) *Si infirmus ſacro viatico muniendus ſit, & proprius Paſtor abſit, vel præſens non poſſit* (vel nolit, vel ex malitia Diacono id committere recuſet, quæ idem ſunt, ut res ſeipſa loquitur, & habent Concina Th. t. 8. p. 306. n. 6., & La-Croix p. 227. n. 470.) *deferre Euchariſtiam, quivis alius Sacerdos &c.* (de hoc non eſt dubium) *& hoc deficiente etiam Diaconus et conferre poteſt.* Pro hac ſententia Concina loc. cit. præter citatos a Buſemb. appellat Fagundez, Hurtado, Lugo; La-Croix iua vero ait. *In hoc* (hoc eſt in ſententiam, de qua loquimur) *fere omnes conveniunt, inquit Lugo.... ideoque in praxi tutum eſſe dicit Dicaſt.* Ego quoque pro meo exiguo ſenſu id tutum eſſe, exiſtimo.

Si enim Diaconi olim erant miniſtri extraordinarii Euchariſtiæ, ut ait Concina p. 305. n. 4., & Patrum teſtimoniis confirmat Nat. Alex. Th. t. 1. p. 303. prop. 2.; Si tempore D. Thomæ Chriſti ſanguinem diſpenſabant, *non vero corpus, niſi in neceſſitate jubente Epiſcopo, vel Presbytero,* ut ipſe ait p. 3. q. 82. a. 3. ad 2.; ex rei natura, & jure divino nihil incongrui eſt, quod Diaconi Euchariſtiam miniſtrent. Id ipſis ex Eccleſiæ conſuetudine, & lege ſolum vetitum eſt; quin Sacerdotes, a quibus Euchariſtia decentius adminiſtratur, non deſunt, qui ſine Diaconorum miniſterio id præſtare poſſunt, & ſolent. At Eccleſiæ conſuetudo & lex, graviſſimæ neceſſitati, & divinæ legi miniſtrandi viatici locum ſponte cedit: ergo Diaconus deficientibus, aut nolentibus Parochis, & Presbyteris, viaticum moribundo deferre poteſt, aut etiam debet.

(b) *Di-*

(b) *Dixi in Reſp. &c., quia extraordinarie id poteſt Diaconus ex commiſſione, &c.... ſi abſit, ſine ea, v. g. in magno feſto, quo &c.*

Hic de re alii æqui, doctique Viri judicent. Hodiernæ diſciplinæ contrarium mihi videtur, ut Parochus in ſpecie a Buſembau *v. g.* &c. propoſita, aliiſque ſimilibus, Euchariſtiæ diſpenſationem Diacono committat, multoque magis ut Diaconus ſine commiſſione illam diſpenſet. In hujuſmodi eventibus alia via incedendum putarem. Si prævideantur, ut ſolet, remedium ſine Diaconi miniſterio non erit difficile. Si improviſo accidant, nonne Euchariſtia, cujus diſtributio exiguo tempore etiam multis peragitur, adminiſtrari a Sacerdote nihilominus poterit? Si expedire judicaverit, nonne ſacra concio, aut aliæ functiones brevius perfici, aut etiam omitti poſſunt? Ego ſane auctor eſſem, ut Euchariſtiæ diſtributio ad aliam potius diem prorogaretur, quam ut Diacono committeretur?

(c) *Probabile eſt etiam &c. ex gravi cauſa licere Sacerdoti, præciſo ſcandalo* &c.

Hæc ſententia teſte Concina Th. t. 8. p. 307. n. 12. q. 5. communior eſt; quam *defendunt*, inquit, *Suarez, Vaſquez, Hurtado, Sylvius, Lugo, quos citat, & ſequitur Leander q. 14.*

(d) Si *quis in Paſchate non poſſit* &c. *nec petere veniam a Parocho.*

De vagis, & peregrinis a patria longe abſentibus, de quibus hic Animad. V., non loquor; at alii, ſi poſſunt alibi ſacram Communionem ſumere, ſcire velim, cur a Parocho, vel per ſe, vel per alios, vel per litteras veniam alibi eam percipiendi petere nequeant.

Quamquam ipſo die Paſcharis Regularibus Euchariſtiam miniſtrare non licet ſæcularibus, etiamſi præcepto paſchali ſatisfecerint, vel ſatisfacturi in parœcis putentur, contra ac habet Buſ. hic ca. 5. ut teſte ipſo La-Croixio t. 2. p. 239 n. 626. docent *Nav., Henriq. Azor., Sa, & alii; pro quo adducunt declarationem, quæ refertur ad ſeſſ. 13. Trid. poſt can. n. 3. & recenter emanavit alia hujus tenoris.*

„ Mechlinien. miniſt. SS. Euch. Sacramenti.

Conquerentibus nonnullis Parochis, & dubium infraſcriptum proponentibus in Sacra Cong. Conc. Trid.
„ An PP. Societatis Jeſu, aliique Regulares poſſint
„ miniſtrare Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum per-
„ ſonis ſæcularibus a Dominica Palmarum uſque, & per
„ totam Dominicam in albis; die 31. Jan. 1682. S. Cong.
„ reſpondit affirmative, excepto die Paſchatis; ita ta-
„ men, ut Sæculares ſumentes Euchariſtiam in Eccleſiis
„ Regularium in aliis diebus a Dominica Palmarum ad
„ Dominicam in albis incluſive non ſatisfaciant præ-
„ cepto Eccleſiaſtico. “

Subdit La-Croix. *Et quamvis Suar., Vaſq. Con. Bon* &c. *putarint per hujuſmodi declarationes hoc ſolam ſignificari, quod Communione apud Regulares in die Paſchatis facta, non ſatisfiat præcepto*; (præclare ſane, hoc eſt contra apertiſſima verba, & ſenſum Sacræ Congregationis, eo cogitandi modo, ut Sacra Congregatio, quidquid declaraverit, intelligendum ſit juxta ſenſum eorum, qui aliter ſentiunt) *tamen ſtandum eſt verbis, prout jacent.* Rectiſſime. *Et ideo in hac Provincia in noſtris templis feſto ipſo Paſchatis non ſternitur menſa communicantium.* Pie & obedienter. *Si tamen aliquis ad pedem Altaris communionem petat, non repellitur, ſed ei datur* &c. hoc eſt datur contra apertam Sacræ Congregationis declarationem, quæ non adminiſtrationis locum, ſed ipſam ſacræ Euchariſtiæ adminiſtrationem die Paſchatis Regularibus vetat apertiſſime ex mox dictis.

Hinc P. Zach. in hanc rem, & in numerum 626. La-Croixii citatum ſubdit. „ Recentior eſt, quæ ema-
„ navit 14. Jan. 1736. in Sueſſana jurium Parochia-
„ lium T. 7. Reſol. p. 166. nam hiſce dubiis “ 1. *an licuerit Patribus S. Auguſtini Civitatis Sueſſanæ in die Dominico Reſurrectionis Domini noſtri devotionis cauſa adminiſtrare Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum Clerico Antonio de Paulo? II. an ſuſtineatur comminatio interdicti eccleſiaſtici ſupradictorum Patrum facta ab Epiſcopo? reſpondit Sacra Congregatio ad primum negative; ad ſecundum ad mentem, & amplius.*

Addit Zach. „ Similia antiquiora duo ejuſdem S. C.
„ Decreta in Tunitana die 8. Junii 1619., & in Bur-
„ degal. 9. Jul. 1644., eodem T. 7. p. 148. referuntur.

(e) *Non licet dare Euchariſtiam &c. ſi indice &c. dari non poſſit, ut docent &c. contra Toletum.* Toleti ſententiam aliis repugnantibus probabilem facit La-Croix t. 2. p. 228. n. 480., quia licet, inquit, ſoli primi digiti inungantur, tota tamen manus videtur conſecrata. At cur ſoli primi digiti inunguntur, niſi ut iis ſolis Sacra Euchariſtia tractetur? Nonne hic eſt Eccleſiæ ritus & uſus? Cur hic ritus propter Sacerdotis impedimentum negligitur, cum Euchariſtia ab aliis non impeditis adminiſtrari poteſt? Quid de periculo, ut ſacra Euchariſtia aliis digitis adminiſtrata e manibus elabatur, dicam? Nam ſi gravis neceſſitas urgeat, & caveatur periculum, Toleti ſententia mihi quoque, & Concinæ Th. t. 8. p. 309. in fine n. 15. uti Buſemb., tuta videtur.

(f) *In neceſſitate tamen, vel in caſu magnæ devotionis* (intellige, ſi deſint particulæ minores conſecratæ) *licet ex majore particulam defractam dare.* Pro hac ſententia, cui non video, cur repugnandum ſit, ſi intelligatur, prout adnotavi, Bonac. diſp. 4. q. 5. p. 1. n. 14. eam probans, plures citat, & inter alios S. Antoninum. Dixi, *ſi deſint particulæ minores conſecratæ*: nam ſi magna devotio foret accipiendi particulam ex majore hoſtia deciſam, hæc utpote vana, & ſuperſtitioſa, repudianda, non fovenda eſt.

Buſ. *vel etiam in defectu minorum, plures &c. eaſque deinde &c.*

Si minores deſint, ex majoribus minores fieri debent, priuſquam conſecratio peragatur.

(g) *Dixi 2. per ſe neget, quia alias cooperabitur peccato.* Bene. *Per accidens tamen dare poteſt* (indiſpoſitis anima, vel corpore, ut dixit Reſp. 2. quo præſens doctrina refertur) *v. g. ſi ſine ſcandalo &c. vide Bon. l. c.* &c.

Bonacina diſp. 4. q. 5. p. 1. n. 14. hac de re nihil habet.

Hic de peccatore occulto ſermonem eſſe non puto; quia de eo mox agit Buſ. hic ca. 5. *Dixi, publico; quia ſi occulte tantum ſcias* &c. cujus tota eo loci doctrina merito probatur a P. Concina Theol. t. 8. p. 312. n. 8. q. 6., ubi etiam refellit Dominicum Sotum putantem, a proprio Parocho peccatori occulto Euchariſtiam negari non poſſe, ſed ſolum ab aliis Sacerdotibus, quia, inquit Conc., „ Parochus tenetur adminiſtrare ex officio
„ dignis, ſecus indignis. “

Sermo ergo hic eſſe videtur de publico peccatore, de quo idem ferme docet, teſte P. Concina p. 313. n. 10. q. 8. P. Viva, ex quo Sacerdos publico peccatori Euchariſtiam adminiſtrare ob metum mortis, aut notabilis ſuæ infamiæ poteſt; quia, inquit Viva, ſi poteſt adminiſtrare Euchariſtiam peccatori occulto ad vitandam ejus infamiam, *a fortiori poterit miniſtrare peccatori publico publice petenti ad vitandam infamiam propriam, aut mortem, permittendo peccatum illius.* Reſp. peccatori occulto poteſt; quia occultus peccator jus exterius Euchariſtiam publice petendi non amittit, quod publicus peccator jam perdidit: cui proinde dum Euchariſtiam præbet, ejus peccato cooperatur, Sanctum canibus, & margaritas ante porcos projiciendo. An hoc ad vitandam infamiam, aut mortem licet?

At Buſ. addit, *ſi ſine ſcandalo negare non poſſit.*

Reſp. ſcandalum apertum eſt, dum tali peccatori dat Euchariſtiam, non dum negat. Scandalum activum ſeparari non poteſt ab hujuſmodi indigna, & publica Euchariſtiæ adminiſtratione; uti poſſe falſo ponit Viva. Eamdem aliis verbis doctrinam hac de re habet Concina loco mox citato.

At hic objicis. Si peccator occultus jus exterius Euchariſtiam publice petendi non amittit; ergo dum publice petit, non peccat; quod eſt aperte falſum. Reſp. peccat, non quia publice petit, ſeu ex modo publico petendi, ſed quia petit, hoc eſt ex ipſa petitione contra propriam conſcientiam; quæ agendi regula eſt quoad ipſum, non quoad alios; ideoque alii, hoc eſt Sacerdotes miniſtrantes, non peccant, Chriſti exemplum ſecuti, qui Judæ, quem corde proditorem noverat, Euchariſtiam præbuit. Res aliter ſe habet de publico peccatore, qui eo ipſo, quia publicus eſt, quoad ipſum modum publice petendi, peccat graviſſime; ideoque etiam Sacerdos graviſſime peccat, dum ejus peccato conſentit, & cooperatur; qui conſenſus, & cooperatio cum ſit ex ſe mala, & ſacrilega, a culpa elui non poteſt ex gravi damno ſuo, aut pœnitentis; quia ex Ap. non ſunt facienda mala, ut eveniant bona.

(h) Quoad pueros vide Animadverſion. hic 32. De amentibus idem docet D. Th. qui p. 3. q. 80. a. 9. ad 3. ait, *quod eadem ratio eſt de pueris recenter natis, ac de amentibus, qui nunquam habuerunt uſum rationis. Unde talibus non ſunt ſacra myſteria danda.* At in corp. a. advertit, quod *aliqui dicuntur non habere uſum rationis dupliciter: uno modo, quia habent debilem uſum rationis; & quia tales poſſunt aliquam devotionem hujus Sacramenti concipere, non eſt eis hoc ſacramentum denegandum. Alio modo* &c. Idem habet, ac Buſ., *ſi prius, quando erant compotes ſuæ mentis, apparuit in eis devotio hujus ſacramenti*; quod Carthaginenſi Concilio confirmat; & ad 2. inquit, *quod de baptizatis, qui corporaliter ab immundis ſpiritibus vexantur, eſt eadem ratio, ac de aliis amentibus* (hoc eſt juxta diſtinctiones ſupra allatas) *unde Caſſianus dicit* (collat. 7. c. 30.) „ eis, qui ab im-
„ mundis ſpiritibus vexantur, Communionem ſacroſan-
„ ctam a Senioribus noſtris nunquam meminimus inter-
„ dictam. “

(1) *In pyxide, quæ non neceſſario eſt conſecrata, licet* &c. *ut ex S. Th.* &c. D. Thomæ locum Buſ. non innuit. At ſi calix, & patena neceſſario conſecrata eſſe debent, cùr non pyxis? ego non intelligo. Cur vitta linea ex tela conſecrata loco ipſius pyxidis conſecratæ? Sed hac de re viderint alii.

Animadversio I.

A *Dicta tamen excommunicatione excuſare ignorantiam etiam craſſam.... notat Dian.*

Buſembaum ſententiam communi Doctorum auctoritate niti, ait quoque Concina Theol. t. 10. p. 434. n. 6., quia cum in lege dicitur, *qui ſcienter hoc fecerit*, *qui facere præſumpſerit*, *qui temerarie id fecerit*, lex majorem notitiam requirit, quam ſi has clauſulas non adhibeat. Tum addit: „ Plures contendunt, vel ipſam ignorantiam affectatam excuſare a cenſura; quam opinionem „ defendunt Salmant. n. 199. ut probabiliorem; ſed graviores Theologi, inter quos Doct. eximius Suar. diſp. „ 4 ſect. 10. rejiciunt ut falſam, & merito, quia ignorantia affectata æquivalet ſcientiæ; & ideo homo eam „ eligit, ut liberius, & impudentius peccet. Falſa ergo, „ & laxa eſt opinio Salmant. & aliorum. " Ita ille.

Animadversio II.

In extrema vero neceſſitate, v. g. articulo mortis, ſi non eſſet alius.... laico licere:... & alios, & ſeipſum communicare, probabile eſt.

Quoad Diaconum id concedendum videtur, & concedit P. Concina Theol. t. 8. p. 306. n. 6. & 307. n. 9. Quoad laicum, poſtquam La-Croix p. 227 n. 478. citatis multis probabilem, more ſuo non probando, fecit Buſemb. opinionem, ſubdit: „ De cetero oppoſita ſententia, quod „ laicis non liceat ſibi vel aliis miniſtrare, hactenus „ fuit communior, quam ut veriorem defendunt Sot. „ Silv. Bonac. Henr. Valq. Nagn. Sa, Vict. Fagund. „ Lug. Bern. Pax Jord. Dicaſt., quia eſt contra conſuetudinem, & ſenſum communem fidelium, qui putant „ Euchariſtiæ non ita neceſſariæ ad ſalutem ſemper debere eſſe majorem reverentiam, quam ut a laicis poſſit adminiſtrari. "

Hanc ſententiam exploſa contraria tuetur quoque Concina Theol. t. 8. p. 307. n. 9. & 10. Videlicet res hæc ad diſciplinam pertinet; ideoque certa, & tuta regula eſt Eccleſiæ conſuetudo, quæ noſtris temporibus non permittit, ut laici, imo ne Clerici quidem ſacram Euchariſtiam ullo in caſu adminiſtrent.

Hinc ipſe Buſemb. recte concludit: „ In praxi tamen id non facile faciendum ob contrariam conſuetudinem: " a qua qui recederet, temeritatis notam vix effugere poſſet.

Animadversio III.

Si ægrotus necdum pervenerit ad eum ſtatum, ut ex præcepto teneatur ad communionem.

Si ægrotus ſatisfecerit præcepto de viatico cum intentione &c. quia adminiſtratio Euchariſtiæ tantum eſt vetita Regularibus, quando præceptum communionis obligat.

Parochis jus ordinarium competit adminiſtrandi ut alia ſacramenta, ita Euchariſtiam ſuis parœcianis: Regulares nullum, ſi Parochi non ſint, tale jus habent, ſicuti illud non habent ſimplices ſæculares Sacerdotes. In ſuis Eccleſiis Euchariſtiam adminiſtrant; at quo jure adminiſtrare poſſunt Euchariſtiam extra Eccleſiam ſuam, ſæcularibus ſeu ſanis, ſeu infirmis? Cavere ſcilicet debent, ne ex arbitrio, aut ex apocryphis monumentis privilegia ſibi arrogent, aut fingant, & ne Parochorum jura per injuriam invadant. „ Aliqui Caſuiſtæ, inquit „ P. Concina Theol. t. 5. p. 450. n. 9. ut Joannes de „ Cruce, & Porrel docent, Regulares poſſe in articulo mortis miniſtrare ſæcularibus Euchariſtiam per modum Viatici. Sed hæc opinio falſa eſt; & allegata „ privilegia Pauli IV. apocrypha ſunt. Tantummodo „ Parocho deficiente, Regulares, & quilibet Sacerdos „ poſſunt in mortis articulo proximo, viaticum fidelibus adminiſtrare; quoniam ſi poſſunt in tali extremo „ eventu ſacramentum pœnitentiæ impartiri, potiori „ jure valent etiam ſacrum Viaticum porrigere. "

Buſembaum in c. 6. & 7. pejori modo loquitur, ac Joannes de Cruce, & Portel. Illi enim ſuam doctrinam privilegiis nixam putabant; at Buſ. nulla hic privilegia memorat, quaſi vero Regulares habeant jus ordinarium adminiſtrandi Euchariſtiam ſæcularibus, quod eſt aperte falſum. In hac re non eſt quærendum, quid Regularibus vetitum ſit, ſed quid non ſit conceſſum. Eo enim ipſo, quod conceſſum non eſt, vetitum illis eſt.

Animadversio IV.

Quibuſdam, qui frequenter communicant apud Religioſos, non poſſunt adduci, ut communicent in Parochia; idque ex tacito & præſumpto conſenſu &c.

Concilium Œcum. Later. IV. ſub Innoc. IV. (refertur cap. 12. *Omnis* tit. 38. d. cr. lib. 5.) ita habet: *Omnis utriuſque ſexus fidelis, poſtquam ad annos diſcretionis pervenerit, omnia ſua ſolus peccata ſaltem ſemel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti, & injunctam ſibi pœnitentiam propriis viribus ſtudeat adimplere, ſuſcipiens reverenter ad minus in Paſcha Euchariſtiæ ſacramentum; niſi forte de proprii Sacerdotis conſilio ob aliquam rationabilem cauſam ad tempus ab hujuſmodi perceptione duxerit abſtinendum.* Sicuti Sacra Syn. expreſſe præcipit, confeſſionem eſſe faciendam proprio Sacerdoti, ita intelligitur præcipere, communionem quoque ab eodem, ſeu in propria parœcia eſſe ſuſcipiendam. Hinc eſſe mentem, & legem Sacræ Synodi, cum ex multis Conciliis, quæ Nat. Alex. Theol. t. 1. p. 276. reg. 3. recitat, tum ex fidelium conſuetudine, tum demum ex unanimi Theologorum conſenſu, penes quos nulla eſt hac de re, ut monet Concina Theol. t. 5. p. 449. n. 3. controverſia, certum & indubitatum eſt. Hoc ſcilicet, ponit etiam Buſemb. Quomodo ergo ab hoc præcepto excuſat eos, qui frequenter communicant apud Religioſos? An frequens communio apud Religioſos ab univerſali eccleſiaſtica lege præcipiente, ut quilibet fidelis Paſchatis tempore in propria parœcia Euchariſtiam percipiat, eximit? „ Adduci, inquit, non poſſunt, ut „ communicent in parochia. " Cur adduci ad id non poſſunt? An, ut in parochia communicent, fortunarum, aut vitæ periculum ſubeundum eſt? An magni labores, cruciatus, incommoda ingentia toleranda? Minime vero: ergo ſi nullum grave incommodum ſubeundum eſt, ut Eccleſiæ præceptum impleant, ab eo excuſari non poſſunt. Excuſantur, ait Buſembau, ex tacito, & præſumpto conſenſu.

Sed hic illud quæro, cur Regularis tacito, & præſumpto conſenſu contenti ſint, cum Epiſcopi, aut ſaltem Parochi voluntatem expreſſam interrogando, aut petendo ſcire facillime poſſint? Hoc enim nihil aliud eſſe mihi videtur, niſi recuſare debitam ſubmiſſionem Parocho, & pœnitentes exponere probabili periculo non ſatisfaciendi præcepto. Plura non addo, quia tacitus, & præſumptus conſenſus eſt res facti, quæ a multis circumſtantiis pendet; qui ut paſſim admitti non debet, ita quandoque locum habere fortaſſe poteſt. Nam cum Buſemb. ait: *Facilius poſſe præſumi in militibus præſidiariis; item in aulicis, ſtudioſis, aliiſque academicis* &c. *qui* &c. latam aperit viam violandi præceptum de communione in parœcia propria ſumenda.

Cur enim illi omnes conſenſum Parochi, aut Epiſcopi præſumunt, & non petunt, niſi ex arrogantia valde reprehendenda, non autem fovenda? Hæc ipſa arrogantia non petendi, & præſumendi conſenſum, eſt cauſa maxime rationabilis præſumendi, Epiſcoporum, & Parochum non conſentire; quia arrogantia eſt ratio negandi, non concedendi conſenſum, maxime cum nulla ſit neceſſitas talem conſenſum præſtandi.

Sunt quidem nonnulli, ut Rodriquez, Beja, Hieron. a Sorbo, Joan. de Cruce, Emmanuel Sa, Lugo, qui putant, Regulares poſſe paſchali tempore Euchariſtiam ſæcularibus adminiſtrare, ita ut hi præcepto ſatisfaciant; idque vi privilegii Nicolai V. & Julii II. „ At hæc privilegia, inquit P. Concina Theol. t. 5. p. 450. n. 7., „ ſuſpecta ſunt, in Bullariis non reperiuntur, nec Auctores indicant loca, ubi reperiri queant, præter compendium privilegiorum Patrum de Guadalupe. Ideo „ communiter Theologi oppoſitum docent. Et hæc ſecunda opinio vera eſt, & praxi conſentanea.

Animadversio V.

Si in Paſchate ſint vagi, peregrini, & advenæ ſecundum ſententiam probabilem multorum.

Quoad vagos, qui nullam certam parœciam habent, nulla eſt dubitatio. „ Advenæ & peregrini, qui ad „ proprias parochias redire nequeunt Paſchatis tempore, ſatisfaciunt præcepto, communionis paſchalis, in „ quacumque Eccleſia ſive Regularium, ſive aliorum „ Sacerdotum ſuſcipiant Euchariſtiam a Sacerdotibus facultatem habentibus illam miniſtrandi; Parochiani „ de licentia expreſſa ſuorum Parochorum poſſunt communicare in Eccleſiis mendicantium. Secus dicendum „ de ſacramento matrimonii, cujus adminiſtratio a poteſtate pendet juriſdictionis. Hæc omnia apud Auctores extra dubitationis aleam verſantur. " Hactenus Pater Concina Theol. t. 5. p. 450. n. 10. ubi ſolidi Theologi cautam loquendi rationem conſidera. De advenis & peregrinis non abſolute loquitur, ſed addita

con-

conditione, ſi ad propias parochias redire nequeant. Si enim redire poſſunt, cur redire non deberet, aut cur alibi communionem percipiendo, præcepto ſatisfaciunt, cum præceptum imponat, ut communio in propria parœcia percipiatur? * Item quoad Parochianos communicantes in Eccleſiis mendicantium ait: *De licentia expreſſa ſuorum Parochorum*. Licentia enim tacita, & præſumpta, qua Buſemb. contentus eſt, res eſt periculoſa, & nunquam adhibenda, cum licentia expreſſa peti poteſt.

Ansmadversio VI.

Si ſint famuli, vel domeſtici, vel familiares .... Vide &c.

Hac de re ego nec vidi, nec conſideravi privilegia Regularium. Illud unum dico, pios, & prudentes Regulares non facile credere, ſed ipſa privilegia authentica legere, & conſiderare, nec eorum tenorem, & conceſſionem prætergredi, aut prætergrediendi periculo ſeſe objicere.

Ansmadverraio VII.

Pius Sacerdos ſinat, probabiles opinatores altercari, prout illis libuerit; at ipſe faciat, prout Rituale Rom. præſcribit, in quo de communione infirmorum ita habetur: *Deferri autem debet hoc ſanctum ſacramentum ab Eccleſia ad privatas ægrotantium domos decenti habitu, ſuperpoſito mundo velamine* &c.: poſt ſubdit: *Sacerdos indutus ſuperpelliceo, & ſtola, &, ſi haberi poteſt, pluviali albi coloris* &c. *ipſe vero Sacerdos impoſito ſibi prius ab utroque humero oblongo velo decenti, utraque manu* &c.

Quod ſi longius, aut difficilius iter obeundum ſit, & fortaſſe etiam equitandum, (ipſa verba ſatis indicant, & reverentia erga auguſtiſſimum ſacramentum evincit, non eſſe equitandum, niſi neceſſitas id poſtulet) *neceſſe erit, vas, in quo ſacramentum defertur*: (ait vas abſolute, non disjunctive pyxis, aut corporale, ut habet Buſembaum) *burſa decenter ornata, & ad collum appenſa apte includere, & ita ad pectus alligare, atque obſtringere, ut neque decidere, neque e pyxide exire ſacramentum queat*. In caſu autem neceſſariæ equitationis non eſt omittendum ſuperpelliceum, & ſtola; quia neceſſitas equitationis non includit neceſſitatem omittendi ſuperpelliceí, & ſtolæ, nec a lege liberat arbitrium, ſed ſola neceſſitas; qua ſublata peccaret Sacerdos contra venerationem erga Auguſtiſſimum ſacramentum, ſi abſque ſuperpelliceo, & ſtola illud deferret.

Animadversio VIII.

Eucharistia non eſt deferenda .... venerationis tantum cauſa .... quod etiam prohibuit Congregatio Cardinalium.

Id etiam prohibet Rituale Rom. loc. cit. ubi ait: *Sed alicui ad adorandum ſolum, ſeu devotionis, ſeu cujuſvis rei prætextu ad oſtendendum non deferatur*. Neque huic rei obſtat; quod accidit tempore S. Julianæ de Falconeriis, (refertur in Breviario Rom. die 19 Junii) quæ cum cibum capere, & retinere nullo modo poſſet, ideoque ab Euchariſtia arceretur, Sacerdotem rogavit, ut allatum divinum panem, quem ore ſumere nequiret, pectori ſaltem exterius admoveret; qui cum ejus precibus morem geſſiſſet, accidit illud miraculum, quod ibidem legitur. Nam eo tempore id forte expreſſe prohibitum non inveniebatur, aut prohibitio e mente Sacerdotis Deo ita diſponente exciderat, ut deſiderio ſanctæ mulieris ſatisfieret. Sed hi ſunt caſus maxime exotici, unde regula ſumenda non eſt, Eccleſiæ lege repugnante.

Quæ tamen non videtur prohibere, ut venerationis cauſa deferatur ad lectum, ſi in domo celebretur.

Hæc vero eſt arbitraria legis emollitio. Cum enim lex ſit abſoluta, nec excipiat, exceptio non a lege, ſed ex arbitrio proficiſcitur. An Sacerdos in domo infirmi Miſſam celebrans, poſt conſecrationem ab altari recedere audebit, ut hoſtiam conſecratam ad infirmum deferat, vel eam per alium Sacerdotem deferendam curabit, aut permittet? Sacerdos vere pius id certe non faciet, ſed præpoſterum infirmi deſiderium monitione, aut, ſi opus erit, reprehenſione coercebit.

Animadversio IX.

Non licet tempore peſtis porrigere Euchariſtiam medio aliquo inſtrumento .... ſed manu &c.

Idem habent Acta Mediolanenſis Eccleſiæ de cura peſtil. cap. 15. n. 2. ut teſtatur Gavantus in Manuali Epiſcop. voce *Peſtis* p. 171.

Itaque quod addit Buſemb. „ Quamvis Poſſev. cap. 8. „ non improbabi iter dicat, poſſe &c. “ id verſatili ejus indoli tribuendum, & pro non dicto haberi poteſt. Nam, ut ego quidem ſentio, vitæ quoque præſervandæ major fiducia ponenda eſt in maiori erga auguſtiſſimum ſacramentum propriis ſacris manibus a Sacerdote miniſtrandum veneratione, quam in majori cautela abſtinendi a tactu eorum, qui peſte infecti ſunt.

Ansmadverssio X.

Cur Sacerdotem podagra laborantem deferas ad altare, ut ibi Euchariſtiam ſedens miniſtret, ſi alii Sacerdotes præſto ſunt, qui ſtando eam adminiſtrare poſſunt? Neceſſitas quidem non ſubditur legi: at non video, cur ſine neceſſitate id fieri poſſit, ſeu liceat.

Ansmadversso XI.

Item ſi morituro, qui ob linguæ ariditatem non poteſt hoſtiam trajicere, det ſpecies vini. Hactenus recte. *Licet talem a mortali excuſare conetur Amic.* &c.

Quo hic conatus ſpectat, niſi ut ſacræ leges facilius perfringantur? Sacerdos, qui id auderet, rem novam, & inuſitatam, Eccleſiæ conſuetudini, & legi in re graviſſima contrariam faceret. An hoc leve crimen putandum eſt?

Ansmadversto XII.

Peccat item, qui negat reis morte plectendis &c. *dummodo pœnitentiam præſeferant, etiamſi crimen negent, & violenta duret ſuſpicio*.

Qui abſolutione digni non ſunt, ne communione quidem digni ſunt. Porro ex iis, quæ reus in confeſſione patefacit, ex accurata ejus interrogatione, aliiſque circumſtantiis, Dei lumine inſtanter implorato, Confeſſarius cognoſcet, aut probabiliter conjiciet, utrum reus ſit, necne abſolvendus. Nam violenta apud Confeſſarium criminis, quod reus negat, ſuſpicio, idem eſt, ac violenta ſuſpicio, quod rei confeſſio non ſit integra; ideoque abſolutione donandus in hac hypotheſi non eſt, & ab Euchariſtia quoque removendus, niſi forte hanc publice petat. Si enim publice eam petat, ei negari non poteſt, niſi in peccato notorie perſiſtat; quod non poteſt dici de reo, qui Confeſſarium acceſſivit, & pœnitentiæ indicia prætulit. Qua de re conſulendum eſt Breve Benedicti XIV. anni 1756 16. Octobris ad cœtum Cleri Gallicani (habetur in hiſtoria anni 1756. p. 320.) autem ſaltem Genett. Theol. t. 3. p. 182. q. 8.

Animadversso XIII.

Si ob graviter culpabilem negligentiam Parochi, vel ejus &c. *integro die, vel* &c. *lumen non ardeat ante venerabile ſacramentum* &c.

Cur Buſemb. addit, *ob graviter culpabilem*? Nonne ſatis erat dicere *ob negligentiam*? Nam omiſſio ejus, quod graviter obligat, ex negligentia, eſt mortalis culpa. Nam, ut alibi ex D. Thoma obſervatum eſt, negligentia mortalis eſt, cum omittitur aliquid neceſſarium ad ſalutem, hoc eſt cum non obſervatur lex ſub mortali obligans.

Licet Marchant. obligationem, & conſuetudinem tam univerſalem neget.

Quid tum poſtea, ſi Marcant. id negat? An venerabile ſacramentum eadem ubique veneratione proſequendum non eſt? An illud Ritualis Rom. (de SS. Euchar. ſacram.) *Lampades coram eo plures, vel ſaltem una die noctuque perpetuo colluceat*, non eſt lex? An conſuetudo accendendi ſaltem unam lampadem, ut coram auguſtiſſimo ſacramento ſemper ardeat, non eſt univerſalis? Nam ſi alicubi id negligeretur, eo ipſo gravis culpæ eſſet, quia Eccleſiæ legi, & univerſali conſuetudini in re gravi contrarium eſſet.

Uti de lumine præferendo, quando defertur ſacramentum foras, atque ex cauſa id omitti poſſe &c.

Hic

* Rituale quidem Rom. de communione paſchali inquit: *alienis vero Parochia fideles* (Parochus) *ad proprium Parochum remittet præter peregrinos, & advenas, & qui certum domicilium non habent; quibus ipſe ſacram præbeat communionem*, [illegible] &c.; ad illud peregrinos accipere convenit, prout idem eſt, ac peregrinatores, qui ex inſtituto peregrinationis, hoc eſt qui iter peregre de longinquo facere in animo habent: ex g. ſi iturus ad loca Terræ ſanctæ, vel ad S. Jacobum de Compoſtella iter inſtituit; illud vero *advenas* idem eſt, ac a patria valde remotos; de quibus Concina, & ego non loquimur, ſed ſolum de iis, qui ad ſuas parœcias redire ſine impedimento poſſunt.

Digitized by Google

Hic quoque Buſemb. cum Marchantio contra Eccleſiæ conſuetudinem, & Ritualis Rom. legem loquitur. Nam de communione infirmi ait: *Deferri autem debet &c. manifeſte, atque honorifice ante pectus cum omni reverentia, & timore, ſemper lumine præcedente.* Id autem omitti poſſe, cum commode, ut Buſemb. ait, fieri non poteſt, perinde eſt, ac ſi Buſemb. dicat, auguſtiſſimum ſacramentum debita veneratione, cum commode exhiberi non poteſt, fraudari poſſe, legeſque obligandi vi privari, cum commode obſervari nequeunt. Hæc eſt recentium opinatorum Theologia.

Animadverſio XIV.

Dixi 1. in peccato mortali: *Tum quia Euchariſtia delet venialia ex opere operato.*

Catech. Rom. p. 2. de ſacram. Euch. n. 51. ita loquitur: *Remitti vero Euchariſtia, & condonari leviora peccata, quæ venialia dici ſolent, non eſt, quod dubitari debeat* &c. poſt ſubdit: *Verum hæc de iis peccatis intelligenda ſunt, quorum ſenſu, & delectatione animus non permovetur.*

Tum quia venialia (eſta comitentur, imo reddant &c.) non ponunt obicem gratiæ ſanctificantis.

P. Concina Theol. t. 8. p. 335. num. 7. inquit: „Non „deſunt Theologi, & quidem magni nominis, docen„tes, Euchariſtiam perceptam cum affectu ad peccata „venialia, omni prorſus fructu carere. Abſurdum enim „reputant, eodem actu, quo quis peccat, ipſum ſan„ctificari.“ Id quidem abſurdum nec Buſembao, nec La-Croix, qui p. 231. n. 512. ait, ex Rayn. nu. 6. per veniale actuale non impediri collationem gratiæ, videtur: attamen res ex ſe ſatis evidens. „Imo, inquit „Conc., contendunt, peccare mortaliter illos, qui obi„cem ponunt huic ſacramento ſive per peccata venia„lia, ſive per mortalia. „Ipſa enim peccata venialia in ipſa ſacramenti ſuſceptione deliberate admiſſa, ut actus inanis gloriæ, actualis complacentia in peccato veniali &c. gravem irreverentiam auguſtiſſimo ſacramento irrogare, divinæque gratiæ contemptum includere, ideoque ex hoc capite mortalia fieri videntur. Contrarium quidem ſentit Buſemb., & La-Croix, qui n. 512. cit. poſſe in ipſa Euchariſtiæ ſuſceptione peccari tantum venialiter cum Lug. d. 14. §. 1. contra Joannem Sanch. exiſtimat. Sed id ex æquo, & pio ſenſu minus probabile, minuſque verum videtur.

„Alii cenſent, pergit Concina, peccata venialia non „retractata (quibus tamen, ut intelligendum videtur, „in ipſa communione non delectentur) impedire qui„dem fervorem caritatis, & remiſſionem venialium, „non vero omnes ſacramenti hujus effectus, præſertim „gratiæ habitualis augmentum.“

Animadverſio XV.

Periculum mortis, vel ut conſecretur hoſtia pro morituro.

Utrumque admittit quoque P. Concina Theol. t. 8. p. 343. nu. 18. „Quamvis enim, inquit, non deſint, „qui negent, licitum eſſe ob adminiſtrationem Viatici „celebrare, non præmiſſa confeſſione, ſicuti non eſt „permiſſum ob hunc finem celebrare abſque veſtibus „ſacris, aut ſub una tantum ſpecie, nihilominus com„munior eſt opinio affirmans:“ Hæc porro communior opinio valde conſentanea eſt Synodo Tridentinæ, quæ, dum ſeſſ. 13. cap. 7. ait: *Quod ſi neceſſitate urgente Sacerdos abſque prævia confeſſione celebraverit* &c. ponit Sacerdotem poſſe ſine prævia confeſſione, urgente neceſſitatem celebrare: neceſſitas enim adminiſtrandi Viatici non ſolum urgens, ſed maxime urgens eſt; ideoque hæc ſententia, ſi tale quid contingat, ad praxim ſine ſcrupulis revocanda eſt; quod dictum ſit quoad eos meticuloſos, qui metuunt, ubi metuendum non eſt.

Animadverſio XVI.

Si ſacrificium, vel communio non poſſint omitti abſque gravi infamia, vel ſcandalo.

Id quoque admittit P. Concina n. 18. cit. at n. 19. hæc ſubdit.

„Caſuiſtæ non pauci valde exaggerant hoc ſcandali, „& infamiæ periculum. Mihi e contrario raro id con„tingere poſſe videtur. Nam multæ cauſæ ſunt, quæ „acceſſum ad communionem impediunt, ut alias di„ctum eſt. Quodnam ſcandalum, vel infamia, quod „hac, aut illa die chriſtianus ſive Sacerdos, ſive lai„cus indignum ſe reputet aut celebratione, aut com„munione? Chriſtus dicit: *Si offers munus tuum ad* „*altare, & recordatus ibi fueris, quod frater tuus ha*„*bet aliquid adverſum te, relinque ibi munus tuum an*„*te altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc* „*veniens offeres munus tuum*. An ignoramus, nos eſſe „peccatores? An tribunal pœnitentiæ non adimus o„mnes? Prætermittenda ne eſt confeſſio, ne vulgus „ſuſpicetur, nos gravatos eſſe criminibus? Quid? con„feſſio non ſolum de mortalibus eſt, ſed etiam de „venialibus. Verum habet. Sed utrum hæc confeſſio „ſit de mortali, an veniali, ignorant homines; nec „propterea quod homines ſuſpicari valeant, eſſe de „mortali, confeſſionem omittimus: ergo celebrare, „communicare non præmiſſa confeſſione peccati morta„lis ad evitandum ſcandalum, vel infamiam, perquam „raro accidit abſque ſacrilegio. Tot Sacerdotes, & „tot chriſtiani, & chriſtianæ frequentiſſime ſcanda„lum ingerunt, infamiamque ſubeunt propter quotidia„nas celebrationes, & communiones, ex quibus nul„lum percipiunt fructum, nullamque morum reforma„tionem, nullum profectum præferunt, ſed e contra„rio ſe mundi amatores, & carnalium apperitionum „ſectatores exhibent. Hoc eſt ſcandalum declinandum, „hæc infamia formidanda. Hactenus ille.

Animadverſio XVII.

Si Parochus debeat celebrare ex officio, ut populus ſacrum audiat.

Intellige die feſto, ut ait Nat. Alex. Theol. t. 2. p. 315. a. 2. §. 1, & Concina p. 18. cit., qui ait, hanc eſſe communem Auctorum ſententiam, *quando tamen Parochus*, ſubdit Concina, *invenire nequeat, qui vices ſuas ſuppleat*. Si enim invenire poſſit, qui vicem ſuam ſuppleat, neceſſitas celebrandi non urget.

„Vel ſi corpus alicujus Parochiani defuncti præſens „ſit in Eccleſia, vel nubentes ad Eccleſiam convene„rint matrimonium contracturi, propter quæ, ut ſcan„dalum evitetur, ipſum (Parochum) oporteat cele„brare.“ Ita Synodus Nemauſenſis a Natali citata loco non appellato. At hoc quoque intelligendum videtur, ſi Parochus invenire non poſſit, qui vices ſuas ſuppleat.

Ob quam cauſam etiam alteri, qui non eſt Parochus, id licere putat Dian. cum aliis undecim contra Palaum, Averſam &c.

„Negant quoque (ait Concina p. 345. n. 26.) Sua„rez, Bonacina, Lugo, Layman. quia, inquiunt hi, „præceptum præmittendi confeſſionem mortalium com„munioni prohibilius eſt, eſſe divinum, (quod ſatetur „eſt Buſemb. hic in reſp.) cui cedere debet præceptum „eccleſiaſticum. Mihi aqua hæret, dum inter duo „præcepta ferenda ſententia eſt. Secunda tamen (hoc „eſt Suarez &c.) videtur præferenda ſententia.“ Hactenus ille. At hic inquies: die feſto urget neceſſitas celebrandi Miſſam, ſi alius Sacerdos non adſit, ut populus eam audiat: at Synodus Tridentina ſupra citata ponit, Sacerdotem peccati mortalis conſcium poſſe Miſſam ſine prævia confeſſione, præmiſſa contritione, celebrare, ſi neceſſitas urgeat: ergo Sacerdos ſimplex poteſt in caſu Miſſam celebrare. Reſp. Sacra Syn. ex æquo ſenſu intelligenda eſt, itaut urgens neceſſitas ea ſit, quæ prævalet neceſſitati præmittendi confeſſionem communioni. At cum in noſtra ſpecie nec Sacerdos ſimplex ex officio celebrare teneatur, nec ullum periculum animarum immineat, ſi populus die feſto Miſſam, quam habere non poteſt, non audiat; neceſſitas, de qua loquimur, non prævalet neceſſitati præmittendi confeſſionem communioni, & Miſſæ celebrationi; ideoque ſatius videtur, ſi Sacerdos a Miſſa celebranda abſtineat, quam ſi eam ſine prævia confeſſione celebret.

Animadverſio XVIII.

Si urgeat præceptum de annua communione, ut docet &c. vel ſi Sacerdos non poſſit audire Miſſam, niſi celebret.... probabilius tamen videntur docere Con. Sa &c. ceſſante &c. præſtare tunc.,.. intermittere &c.

Hæc altera ſententia, quam ipſe Buſemb. probabiliorem appellat, merito ſequenda eſt ex mox dictis ad c. 3. & ex ratione a Buſembao hic allata.

Animadverſio XIX.

Si Sacerdos poſt conſecrationem committat &c. vel ante commiſſi recordetur, tenetur &c.

Id quoque docent D. Th. p. 3. qu. 83. art. 6. ad 2. & Rubricæ Miſſalis de defect. cap. 8. n. 4. Sed nec D. Th. nec Rubricæ meminerunt peccati mortalis a Sacerdote poſt ipſam conſecrationem admiſſi, quod nimis horrendum videtur; & quod ſi Sacerdos faciat, ne ſacrilegium quidem facere in proſequenda Miſſa ſine contritione dubitabit. Sed quoad hanc rem lege etiam quæ mox ſubdo.

Si vero id fiat ante conſecrationem, & præſertim ante canonem &c.

In

In iis, quæ ſequuntur, Buſemb. varias, ancipiteſque opiniones profert, quas more ſuo nec probat, nec improbat, unde lector nihil diſcere poteſt, niſi ut ſibi licere putet, quod libuerit.

Illud hic primum animadverto, quod ait: *Qui negant teneri* (recedere) *ob honorem ſacrificii.* An honor ſacrificii illud poſtulat, ut cœptum peragatur a Sacerdote ſcelere contaminato? Nonne honor ſacrificii contra requirit, ut Sacerdos cum conſcientia ſceleris conſcie illud proſequi non audeat?

Præterea illa Buſembau verba notanda ſunt: *Quod ſi vero nec contritionem poſſit elicere.... Intellige ſi conatus ſit elicere, vel fecit quod potuit.*

Eo loco hic ſumus, ut Sacerdos ſine nota, ut Buſemb. poſuit, ab altari recedere non poſſit: ergo ex divino præcepto imponente, ne ſacrificium ſine contritione mortalis criminis peragatur, Sacerdos in his anguſtiis contritionem elicere tenetur: attamen licet Sacerdos eam elicere conatus ſit, vel fecerit, quod potuit, reipſa tamen eam elicere ex Buſembaum non potuit: ergo juxta Buſembaum Deus impoſſibilia præcipit; qui eſt Lutheranicus error a Synodo Trid. ſeſſ. 6. cap. 11. proſcriptus, ubi ait: *Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adjuvat, ut poſſis.* Hinc Rubricæ Miſſ. cap. 8. de def. n. 2. ajunt: *Si quis autem in caſu neceſſitatis non habens copiam Confeſſoris in peccato mortali abſque contritione celebret, graviter peccat.* Ponunt enim, & pro certo habent, Sacerdotem urgente neceſſitate Miſſæ celebrandæ, ideoque præcepto contritionis, cum abeſt copia Confeſſoris, eliciendæ, Dei auxilio adjuvari, & poſſe contritionem elicere, ideoque graviter eum peccare ajunt, niſi eam eliciat.

Sed hic quæris, quid Sacerdoti, qui Miſſa inchoata ante conſecrationem, ac præſertim ante Canonem alicujus mortalis criminis meminit, in tanta opinionum, quas Buſembaum recitavit, ambage faciendum ſit?

Reſp. Syn. Trid. ſeſſ. 13. c. 7. ait: *Quare communicare volenti revocandum eſt in memoriam ejus præceptum:* „ Probet ſeipſum homo " (1. Cor. 11. v. 28.) *Eccleſiaſtica autem conſuetudo declarat, eam probationem neceſſariam eſſe, ut nullus ſibi conſcius mortalis peccati, quantumvis ſibi contritus videatur, abſque præmiſſa ſacramentali confeſſione ad ſacram Euchariſtiam accedere debeat; quod a Chriſtianis omnibus, etiam ab iis Sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc ſancta Synodus perpetuo ſervandum eſſe decrevit, modo non deſit illis copia Confeſſoris.* Sacerdos in noſtra ſpecie non ſolum celebrare vult, ſed celebrare cœpit; vult autem non ſolum communicare, ſed ſacram Euchariſtiam conficere: ergo ſi eſt conſcius peccati mortalis, quantumvis ſibi contritus videatur, ad ſacram Euchariſtiam accedere non debet, niſi præmiſſa ſacramentali confeſſione, modo ei non deſit copia Confeſſoris. Quid hic qui in contrariam opinionem pronus eſt, reſpondere poteſt, ut ejus reſponſio non in probabilium opinatorum, ſed in Chriſti tribunali probetur? An quia Sacerdos mortiferæ culpæ immemor, ſine confeſſione Miſſam inchoavit, immunis eſt e divino præcepto *ſe probandi*, bne eſt, ut eccleſiaſtica conſuetudo declarat, præmittendi confeſſionem communioni? Sacra quidem Synodus poſt relata verba ſtatim ſubiit: *Quod, ſi neceſſitate urgente, Sacerdos abſque prævia confeſſione celebraverit, quamprimum confiteatur.* At nulla profecto neceſſitas eſt celebrandi ſine prævia confeſſione, ſi poſt inchoatam Miſſam confeſſio fieri poſſit: fieri autem poteſt, quando adeſt copia Confeſſarii. Ergo facienda eſt. Neceſſitas, inquis, celebrandi in caſu ſine confeſſione ex eo capite ſumitur, quia ſine ſcandalo, vel infamiæ periculo confeſſio fieri non poteſt. Reſp. Si res ita ſit, hoc eſt ſi confeſſio reipſa fieri non poſſit ſine ſcandalo, vel infamiæ periculo, Sacerdos alicujus mortalis peccati memor poterit abſque confeſſione, elicito tamen actu contritionis Miſſam proſequi, & communionem ſumere. Id explicate concedit Nat. Alex. Th. t. 1. p. 315. c. 2. §. 1. *Sed ante conſecrationem in ſupradictis caſibus,* (quorum alter eſt, ſi in ipſa celebratione recordetur, ſe eſſe in peccato mortali) *ſi non timetur ſcandalum, debet Miſſam inceptam deſerere.* Ita Rubricæ Miſſalis de def. c. 8. num. 5. Quod autem de Miſſa incepta deſerenda, idem de confeſſione facienda dicendum eſt, ut ſcilicet neutrum fiat, ſi ſcandalum timeatur. At ſcandalum timeri debet, non ſola admiratio, ut Sacerdos in caſu nec Miſſam deſerere, nec confeſſionem facere teneatur. At quodnam ſcandalum, ſeu infamia timeri jure poteſt, ſi confeſſio fiat? Scandalum rationabilius timendum eſt Sacerdoti in receſſu ab Altari, quæ res ex ſe mala eſt, utpote quæ Miſſam imperfectam relinquit, quam ex confeſſione, quæ eo ex natura ſua ſpectat, ut Miſſa recte peragatur. Sicuti confeſſio ante celebrationem a Sacerdote peracta populum non offendit ſcandalo, ſed exemplo ædificat, ita idem ſentiendum, ſi fiat in ipſa celebratione. Hinc enim illud unum judicare populus poteſt, vel Sacerdotem bonæ conſcientiæ ex metu, & dubitatione, vel ex memoria alicujus peccati nolle ſine confeſſione ſacrificium peragere; qua in re nec ſcandalum, nec infamiæ notam ego agnoſco. Præterquamquod cum celebrans multis de cauſis Sacerdote opus habere poſſit, cautam, cur accitus ſit, præſentes ignorant, & celebrans uno ferme verbo confeſſionem caute facit, & caute abſolvitur, ut adverti vix poſſit, quid fiat.

Porro quod dictum eſt de confeſſione, ſi Sacerdos ante conſecrationem alicujus peccati mortalis recordetur, idem dicendum, ſi poſt conſecrationem ejuſdem meminerit. Cum enim in hac ſpecie Miſſa ſine maximo ſacrilegio imperfecta relinqui nequeat, vel confeſſio, ſi fieri poſſit, facienda eſt, vel ſine confeſſione, ſi fieri non poſſit, cum contritione peragenda, & complenda eſt.

At hic iterum objicies: nec D. Thomas, nec rubricæ Miſſalis mentionem faciunt in ſpecie noſtra confeſſionis, ſed ſolum contritionis: ergo hæc ſola ſufficit.

Reſp. D. Th. p. 3. q. 83. ar. 6. ad 2. ait: *Similiter ſi recordetur* (poſt conſecrationem) *ſe peccatum aliquod commiſiſſe, debet pœnitere cum propoſito confitendi, & ſatisfaciendi, & ſic non indigne, ſed fructuoſe ſumet ſacramentum.* Idem habent rubricæ Miſſalis loco citato num. 4.

Si vero, inquit D. Thom. *ante conſecrationem alicujus prædictorum* (hoc eſt cibi, vel potus ſumpti, peccati mortalis, excommunicationis) *ſit memor, tutius reputarem, maxime in caſu manducationis, & excommunicationis, quod miſſam inceptam deſereret, niſi grave ſcandalum timeretur.* Idem habent rubricæ n. 5. cit.

Sed tum D. Thom. tum rubricæ loquuntur in hypotheſi, quod deſit copia Confeſſarii. Nam rub. loc. cit. n. 2. inquiunt: *Si quis habens copiam Confeſſoris celebret in peccato mortali, graviter peccat.* Præterea propoſitum confitendi, quod tum D. Thom. tum rubricæ in caſu poſtulant, locum non habet, cum ipſa confeſſio fieri poteſt; quia hæc ipſa facienda eſt. Cur enim propoſitum confitendi requiritur? Ut ſcilicet mortale peccatum remittatur ex vi abſolutionis in voto habendæ: at cum abſolutio reipſa haberi poteſt, ejus votum non ſufficit. Ergo in caſu ipſa confeſſio juxta mentem D. Thomæ, & rubricarum facienda eſt, ut abſolutio habeatur.

La-Croix p. 231. n. 525. ait: „ Neceſſitas communi-
„ candi eſt in caſibus a Buſemb. n. 511. recenſitis; qui-
„ bus addit Gob. t. 7. n. 382. ſi diu abſtinendum eſſet
„ a communione, & confeſſione, non tamen ſi tantum
„ brevi tempore. "

Porro inter caſus e Buſembao recenſitos ille eſt, de quo loquitur c. 4. *Si urgeat præceptum de annua communione.* Quare ſi caſibus a Buſembaum de communicandi neceſſitate recenſitis hic addendus eſt, ſi diu abſtinendum eſſet e communione, & confeſſione, illud *diu* intelligendum eſt de menſibus intra annum, quando ſcilicet præceptum de annua confeſſione non urget. At laxitas minime ferenda merito videri poteſt, & debet, quod doceatur permiſſum accedere ad communionem non præceptam ſine ſacramentali confeſſione illi, qui mortalis criminis ſibi conſcius eſt. Dum Gobat, & La-Croix hæc typis evulgarent, in mente ne habuerunt divinum illud præceptum Ap. 1. Cor. 11. v. 28.? *Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat, & bibit indigne, judicium ſibi manducat, & bibit, non dijudicans corpus Domini.* In mente ne habuerunt oraculum Synodi Trid. ſeſſ. 13. cap. 7. mox citatum, ex quo probatio ex divino præcepto ad communionem neceſſaria juxta eccleſiaſticam conſuetudinem in eo conſiſtit, ut nemo mortalis criminis ſibi conſcius, quantumvis ſibi contritus videatur, ad eam accedat, niſi præmiſſa ſacramentali confeſſione? In mente ne habuerunt illa ſacræ Synodi verba? *Quod a Chriſtianis omnibus.... hæc ſancta Synodus perpetuo ſervandum eſſe decrevit....* Quænam hic communionis neceſſitas obtruditur, ſi communio nec divina, nec eccleſiaſtica lege præcepta ponitur? Quod ſi ex dictis ad c. 4. Buſemb. opinio, quæ ait, licere ad communionem accedere ſine confeſſione peccatori conſcio mortalis culpæ, ſi urgeat præceptum annuæ communionis, nec confeſſio fieri poſſit, teſte ipſo Buſembaum minus probabilis eſt, ac merito rejicitur; an tolerari poterit opinio La-Croixii, quæ hoc idem permittit, etiamſi præceptum communionis non urgeat?

Nec ſufficit, addit La-Croix eodem n. *paupertas egentis Sacerdotis, niſi eſſet valde gravis.*

Hic vero ita loquitur P. Concina Theol. t. 8. p. 346. n. 27. „ Quot Sacerdotes tum Capellani, tum non Ca-
„ pellani hac doctrina utuntur, celebrandi ſcilicet ob
„ lucrandam eleemoſynam non præmiſſa confeſſione mor-
„ talium; quia, inquiunt, niſi celebremus, unde viva-
„ mus, non habemus. Si Confeſſarius pius, & doctus
„ iis

Digitized by Google

„ reſervata, ſive non reſervata; quia tunc deeſt copia „ Confeſſarii, & onus grave eſt, eadem peccata bis „ confiteri. Hæc opinio falſa, & laxa eſt. Secunda „ docet, aperienda Confeſſario tantum peccata non „ reſervata. Tertia ſuſtinet, omnia peccata tum re„ ſervata, tum non reſervata, manifeſtanda Confeſſa„ rio eſſe, ut indirecte abſolvat etiam a reſervatis. „ Filliuc. inquit Viva, omnes tres iſtas opiniones re„ putat probabiles. Verum ſola tertia opinio, vera pro „ praxi fruitur probabilitate. “ Ratio eſt, quia ſecunda opinio confeſſionem detruncat ſine neceſſitate, cum integre fieri poſſit; ex quo evidens eſt falſitas primæ opinionis: ergo ſola tertia locum in praxi habere debet.

Quod ſi pœnitens, ut Buſembaum ponit, habeat tantum mortale reſervatum, vel illud cum venialibus, vel cum alio, aut aliis mortalibus alias in confeſſione acculatis confiteri debet, ut directe a non reſervatis, indirecte autem a reſervato abſolvatur. Et ratio eſt, quia cum abſolutio a reſervato aliqua ratione obtineri poſſit, mortale peccatum eſt ad Euchariſtiam ſine abſolutione accedere: at pœnitens poteſt indirectam abſolutionem a reſervato in neceſſitate obtinere, ſi vel peccata venialia poſt ultimam confeſſionem admiſſa, vel aliquod mortale præteritarum confeſſionum cum reſervato confiteatur: ergo id facere neceſſario debet.

Quod præceptum (Tridentini) *extendendum non videtur ad laicos, vel Sacerdotes communicantes tantum* &c.

Hanc opinionem adoptat La-Croix p. 232. n. 534. in qua præter citatos a Buſembaum citat March. Dicaſt. Averſ. Contrariam veluti probabiliorem ſequitur Concina Theol. t. 8. p. 341. n. 13. Ratio La-Croixii eſt, „ quia Tridentinum loquitur de Sacerdote cele„ brante, & cum materia ſit odioſa, non debet ex„ tendi. “

Ratio contrariæ ſententiæ eſt, quia ex regula juris in ſext. 88. *certum eſt, quod is committit in legem, qui legis verba complectens, contra legis nititur voluntatem*. Verba quidem legis Tridentinæ ſupra relata de Sacerdote tantum celebrante loquuntur: at legis voluntas laicum quoque, & Sacerdotem ſolum communicantes complectitur. Illa enim ipſa ratio, propter quam Syn. Trident. Sacerdotibus celebrantibus impoſuit, ut quam primum in caſu confiteantur, locum habet tum in Sacerdotibus tantum communicantibus, tum in laicis, niſi quod magis premit Sacerdotes, qui etiam conficiunt ſacramentum, quam laicos, qui illud ſolum ſumunt. At una ſumptionis ratio ad legem ſatis eſt. Sicuti enim pro ſola Euchariſtiæ ſumptione neceſſario præmittenda eſt confeſſio; ita, ſi hæc ex neceſſitate omittatur, quam primum poſt ſumptionem facienda eſt. Mens, & voluntas Tridentinæ legis ſatis aperta videtur: ergo tum laicus, tum Sacerdos ſolum communicans, puta die Veneris Sancti, aut quia complet ſacrificium alterius Sacerdotis deficientis, contra legem Tridentinam faciunt, ſi quam primum in caſu non confiteantur. Hæc ſane ratio ſuo momento conſtat: at ratio La-Croixii inanis eſt, quæ omnes leges intra verborum cortices, & fines coercet. An leges omnes ſunt odioſæ? An lex, ſumma maturitate ab œcumenico Concilio lata, quæ auguſtiſſimi Sacramenti venerationi, & animarum ſecuritati conſulit, odioſa dici poteſt? Nos ne hanc licentiam nobis ſumimus, ut talem legem odioſam dicere audeamus? Qui ita loquuntur, non graviter, moderate, & theologice loquuntur, ſed cum hominibus licentibus, & exlegibus loquuntur, quibus omnes leges etiam æquiſſimæ, ac maxime ſalubres, odioſæ ſunt. Si ita eſt, inquis, cur ſacra Synodus ſuis verbis laicos complexa non eſt? Reſp. quia res eſt rariſſima, & præter ordinem, ut laicus ſine confeſſione mortalis culpæ neceſſe habeat communionem ſumere; leges autem caſus extra ordinem non complectuntur verbis ſuis; ſed eos ad mentem, & rationem legis judicatos volunt.

Animadversio XXII.

Non impedit pollutio involuntaria, imo nec voluntaria &c.

Hic audiendus D. Th. p. 3. qu. 88. a. 7. ubi ait: *Ex neceſſitate quidem impedit hominem ab hujus ſacramenti perceptione ſolum peccatum mortale.*

Pollutio vero etiam involuntaria, & inculpabilis *ex quadam congruentia impedit quantum ad duo; quorum unum ſemper accidit, ſcilicet quædam fœditas corporalis, cum qua propter reverentiam ſacramenti non decet ad Altare accedere; unde & volentes tangere aliquod ſacrum, manus lavant; niſi forte talis immunditia ſit perpetua, vel diuturna, ſicut eſt lepra, vel fluxus ſanguinis, vel aliquid hujuſmodi. Aliud autem eſt evagatio mentis, quæ ſequitur pollutionem nocturnam, præcipue quando cum turpi imaginatione contingit. Hoc tamen impedimentum, quod ex congruitate provenit, poſtponi debet propter aliquam neceſſitatem, puta ut Greg. dicit*, cum fortaſſe aut feſtus dies exigit, aut exhibere miniſterium pro eo quod Sacerdos alius deeſt, ipſa neceſſitas compellit.

Idemque ex eodem S. Doct. ad 4. dicendum de nocturna pollutione, quæ forte mortalis fuerit, per confeſſionem expiata, quia, inquit, *licet per contritionem, & confeſſionem auferatur reatus culpæ, non tamen aufertur corporalis immunditia, & diſtractio mentis ex pollutione conſecuta.*

Animadversio XXIII.

Neque actus conjugalis impedit, etſi &c. *intellige ſi debitum petitum ex neceſſitate redditur* &c.

Ex neceſſitate quidem non impedit, ex congruitate vero impedit, *ſicut dictum eſt*, inquit S. Thom. art. 7. cit. ad 2. *de pollutione nocturna, quæ accidit ſine peccato, ſcilicet propter immunditiam corporalem, & mentis diſtractionem*. Hic D. Hieron. ab eodem S. Thoma cit. ait: „ Si panes propoſitionis ab his, qui uxores tetige„ rant, comedi non poterant, quanto magis ille panis, „ qui de cælo deſcendit, non poteſt ab his, qui conju„ galibus paulo ante hæſere amplexibus, violari, atque „ contingi? Non quod nuptias condemnemus, ſed quod „ eo tempore, quo carnes agni manducaturi ſumus, va„ care carnalibus operibus non debeamus, “ *Sed quia*, ſubdit Angelicus, *hoc ſecundum congruitatem, non ſecundum neceſſitatem eſt intelligendum, Greg. dicit, quod talis eſt ſuo judicio relinquendus*. Si vero non amor procreandæ ſobolis, ſed voluptas dominatur in opere, *ut ibidem Greg. ſubdit, tunc prohiberi debet, ne accedat ad hoc ſacramentum.*

Hac de re loquitur quoque Concina Theol. t. 8. pag. 367. num. 19.

Animadversio XXIV.

Incongrua, tantique ſacramenti venerationi contraria, mihi videtur conjugalis copula eo ipſo die, quo ſacra Euchariſtia ſumpta eſt, niſi fiat ex neceſſitate reddendi debitum. Periculum incontinentiæ alio modo vitari poteſt & debet, ut ex dicendis de matrimonio intelligetur. Amori vero, & deſiderio prolis ut ſatisfiat, neceſſaria non eſt conjugalis copula die communionis.

Animadversio XXV.

Non obſtat tamen communioni … reliquias ciborum inter dentes hærentes trajicere (negant enim Præp. &c. *ſi fiat de induſtria, contra Tann.* &c. *qui contrarium probabile affirmant) licet* &c.

La Croix p. 234 n. 557. ait: „ Si hoc, quod dentibus „ inhæret, etiam dedita opera deglutiatur, putant Suar. „ Caſtrop. Gob. Leand. non violari jejunium, quod et„ iam ut probabile defendunt Ochagav. Tann. Dian. Si „ tamen illæ reliquiæ eſſent ita magnæ, ut ſenſibiliter „ perciperentur in lingua, deberemus expuere, inquit „ Lugo: & ſi deglutirentur, frangerent jejunium, quia „ &c. licet caſu deglutiantur. “

Nos vero miſſis probabilibus opinatoribus, qui in omnes partes ſe verſant, audiamus S. Thomam, qui p. 3. qu. 80. art. 8. ad 4. ait: *Reliquiæ tamen cibi remanentes in ore, ſi caſualiter tranſglutiantur, non impediunt ſumptionem hujus ſacramenti, quia non trajiciuntur per modum cibi, ſed per modum ſalivæ: & eadem ratio eſt de reliquiis aquæ, vel vini, quibus os abluitur, dummodo non trajiciantur in magna quantitate, ſed permixtæ ſalivæ; quod vitari non poteſt*. D. Thomæ concinunt sub. Miſſ. cap. 9. de defect. o. 3. ubi ajunt: *Si reliquiæ cibi remanentes in ore tranſglutiantur, non impediunt communionem, cum non tranſglutiantur per modum cibi, ſed per modum ſalivæ. Idem dicendum, ſi lavando os, deglutiatur ſtilla aquæ præter intentionem*. Quare ut jejunium ad Euchariſtiam neceſſarium in propoſita ſpecie non frangatur, juxta D. Thomam, & rubricas, quibus auſcultandum eſt, duo ſunt neceſſaria. Primum, ut reliquiarum cibi, vel aquæ quantitas ſalivæ permixta ſit, ideoque ſit valde exigua, ut *ſtilla aquæ*, ſicuti rubricæ loquuntur; ex quibus probatur illud La-Croix: „ Si ta„ men illæ reliquiæ eſſent ita magnæ &c. “ Alterum eſt, ut caſu, non de induſtria trajiciantur; ex quo improbatur illud La-Croix, „ ſi hoc, quod dentibus inhæ„ ret, etiam dedita opera deglutiatur, putant Suar. „ &c.; “ quod improbat etiam Gavantus ex Paludano in cap. 9. rub. cit.

Guttulam juſculi, dum ſapor exploratur, per modum ſalivæ, cui mixta eſt, vel culicem &c.

Hic Buſemb. falſo, ut ego ſentio, ſuppoſito nititur.

Qua

Qua enim die Euchariſtia ſumenda eſt, juſculum non eſt explorandum propter periculum, ne aliqua gutta, quod facile accidit, transglutiatur. Quod ſi juſculi ſapor lingua exploretur, & aliquid trajiciatur, hoc eſt voluntarium in cauſa; ideoque ab Euchariſtia eo die abſtinendum exiſtimo.

Quoad culicem, & muſcam, ſi trajiciantur per reſpirationem, concedit quoque Concina Theol. t. 8. p. 362. n. 6. & ratio eſt, quia non trajiciuntur per modum cibi. At ſi muſca in fauces illapſa deglutiretur, jejunium violaret, ut docet ipſe La-Croix p. 234. n. 554. citatis Lug. Rhod. Tamb. Gob.

Si aromata, vel folium tabaci ex cauſa ori imponas, maſtices, vel quid aliud guſtes, modo nihil tranſmittas.

La-Croix nu. 559. ait: „ Lez. & alii apud Dian. putant, tabacum tam maſticatum, quam fumatum frangere jejunium, quamvis nihil ſenſibile dimittatur, alii apud eumdem negant, dummodo de folio nihil deglutiatur. "

Negantibus ego quoque aſſentior; quia nihil ſumitur per modum cibi, aut potus, cum nihil deglutitur. At pius Chriſtianus in honorem auguſtiſſimi ſacramenti a tabaci fumo abſtinebit, multoque magis a tabaci foliis, aromatibus, &c. ori imponendis, & maſticandis propter periculum, ne aliquid in ſtomachum trajiciatur; quod ſi fiat, aut etiam in dubio, a communione neceſſario erit abſtinendum.

Animadverſio XXVI.

Probabile eſt, non impedire &c. ſi fruſtulum ligni .... deglutias, quia non habet rationem cibi, vel potus.

Idem habet La-Croix n. 552. ex eadem ratione.

Hæc quidem videntur ſupervacanea, cum aut nunquam aut rariſſime accidant.

Ceterum D. Th. qu. 80. art. 8. ad 4. ait: *Et ideo neque poſt aſſumptionem aquæ, vel alterius cibi, aut potus, vel etiam medicinæ, in quantacumque parva quantitate, licet hoc ſacramentum accipere: nec refert, utrum aliquid hujuſmodi nutriat, vel non nutriat aut per ſe, aut cum aliis, dummodo ſumatur per modum cibi, vel potus.* Falſum ergo eſt, id quod non habet rationem cibi, vel potus, non impedire communionem: ut enim impediat, juxta S. Doct. ſatis eſt, ſi ſumatur per modum cibi, vel potus, hoc eſt eo modo, quo ſumitur cibus, vel potus; quod accidit, dum aliquid in os ſumitur, & in ſtomachum trajicitur. Quare contraria ſententia, quæ a Buſembao tutior dicitur, unice tuta eſt; ac Buſemb. & La-Croixii probabilitas, improbanda, & rejicienda ſaltem ut periculoſa eſt.

Animadverſio XXVII.

Buſemb. etia hic docet. Primum eſt, licere communionem ſumere, ſi, cum certum ſit, mediam noctem fuiſſe elapſam, dubites, utrum aliquid deglutiveris; & hoc idem tanquam probabilius habet La-Croix p. 235. n. 566. Alterum eſt, hoc idem licere, ſi certum ſit, te aliquid deglutiſſe, ſed dubites utrum ante, an poſt mediam noctem. Hoc quoque probabile habet La-Croix n. 567., ſed probabilius putat oppoſitum. Tertium eſt de horologiis, quam ſententiam practice tutam eſſe, ait La-Croix n. 571. loquendo de horologiis, quæ ordinarie bene diriguntur.

Ita magni noſtri opinatores juxta principia verſatilis probabilitatis; cui tamen ipſi verſatili probabilitati repugnat tertia de horologiis opinatio, ſi conſtet, horologium, quod ordinarie bene dirigitur, hodie fuiſſe male directum.

Sed hoc miſſo juxta certa, & reipſa indubitata ſanioris Theologiæ principia hæ omnes opinationes ſunt certo falſæ; & ſine ulla dubitatione rejiciendæ, ut conſtat ex dictis contra verſatilem probabilitatem initio hujus operis.

Animadverſio XXVIII.

Non eſt peccatum .... cibum ſumere ... ſtatim a communione ... etſi ob ſacramenti reverentiam conſulti ſit abſtinere.

S. Thom. p. 3. qu. 80. art. 8. ad 6. ita loquitur: *Maxima devotio requiritur in ipſa ſumptione hujus ſacramenti, quia tunc percipitur ſacramenti effectus; quæ quidem devotio magis impeditur per præcedentia, quam per ſequentia. Et ideo magis eſt inſtitutum, quod homines jejunent ante ſumptionem hujus ſacramenti, quam poſt. Debet tamen* (S. Doct. ait *debet*) *eſſe aliqua mora inter ſumptionem hujus ſacramenti, & reliquos cibos. Unde & in Miſſa oratio gratiarum actionis poſt communionem dicitur, & communicantes etiam ſuas privatas orationes dicunt. Secundum tamen antiquos Canones ſtatutum fuit a Papa Clem. I. ut habetur de conſecr. diſt. 2.*, ſi mane dominica portio editur, uſque ad ſextam jejunent miniſtri, qui eam ſumpſerunt: & ſi tertia, vel quarta hora acceperint, jejunent uſque ad veſperum. *Antiquitus enim rarius Miſſarum ſolemnia celebrabantur, & cum majori præparatione: nunc autem, quia oportet frequentius ſacra myſteria celebrare, non poſſet de facili obſervari; & ideo per contrarium conſuetudinem eſt abrogatum.* At ſi lex, quæ lex, & amplius horas a cibo abſtinere poſt ſacram Synaxim præcipiebat, contraria conſuetudine abrogata eſt; an contraria conſuetudo permittit, ut ſtatim a communione cibus ſumatur? Piorum hominum conſuetudini contra recentem opinandi licentiam ego ſtandum eſſe, ajo, & clamo. S. Carolus Borr. apud Nat. Alex. Theol. t. 1. p. 320. art. 3. inquit: *Monebit etiam* (Parochus) *ne ſtatim ſputent, ſed per quartam ſaltem horæ partem a ſputatione abſtineant. Si vero neceſſitas cogat prius ſpuere, id in loco ſaltem fiat a pedibus conculcantium remoto, ſeu potius in linteo mundo ... Ne præterea ſtatim cibum capiant, ſed dimidia poſt ſumptam ſacram communionem, aut ſaltem quarta horæ parte, Parochus admoneat.*

Animadverſio XXIX.

Et quidem in eodem morbo, etſi non tenearis, potes tamen poſt aliquot v. g. 6. 7. vel etiam ... duos dies .... repetere viaticum non jejunus &c.

Legibus locorum, & piorum Sacerdotum conſuetudini eſſe deferendum, cum Card. de Lugo non eſt dubitandum. Sed audiendus quoque eſt cautus, & ſolidus Theologus Natal. Alexand. qui Theol. tom. 1. pag. 318. num. 7. ita loquitur. „ Nec ſemel tantum, ſed „ multoties poteſt infirmo non jejuno ſacra communio „ adminiſtrari, perſeverante ad plures dies, vel ingraveſcente mortis periculo, modo inter utramque communionem octo, vel decem dies interfluxerint, etiamſi extrema unctione fuerit procuratus. Idem dicendum, ſi ex imminente mortis periculo emerſerit, & in illud denuo poſt dies etiam pauciores inciderit. Ita vulgo Theologi. Decem dies inter utramque communionem per modum viatici Rituale Pariſienſe præſcribit. "

Imo etſi non liceat ægro ex ſola devotione communicare fracto jejunio, ſi tamen &c. nec poſſet &c. probabile eſſe id licere &c.

De morbo, in quo mortis periculum perſeveret, aut ingraveſcat, mox dictum eſt. In morbis diuturnis, in quibus mortis periculum certum eſt, non tamen imminens, ſed remotum, Euchariſtia dari non debet, niſi jejunis; quia eccleſiaſticum præceptum jejune ſumendi Euchariſtiam non ceſſat, niſi mortis periculum immineat. Ceterum quid fingitur, in morbis diuturnis non poſſe dari Euchariſtiam, niſi poſt medicinam? An vis medicinæ a puncto temporis in morbis diuturnis pendet? An quoad horas, & momenta medicinæ, religioſiſſimi erimus, quoad Eccleſiæ legem nulla nos religio tanget? Si anguſtias, & neceſſitates fingere, aut amplificare nolumus, infirmus diuturno morbo laborans, & corpori quoad fieri poteſt conſulere, & communionis pio deſiderio ſatisfacere poteſt. Pium enim deſiderium quoad corpus minus religioſum eſt, quoad animam, & ſacras leges religioſius. Itaque medicinæ tempus tantiſper poſtponatur; Sacerdos vero communionis tempus, quoad fieri poteſt, anticipet; omneſque difficultates, & anguſtiæ in fumum abeunt, & infirmus ſine ullo conſcientiæ remorſu devote, fructuoſe, & tranquille ſacram Euchariſtiam ſuſcipit.

Denique licet probabile videatur Fill. &c. poſſe non jejunum celebrare ad dandum viaticum ... id tamen merito communiter rejicitur.

Ego vero non rejiciendam, ſed probandam exiſtimo ſententiam Fill. Card. de Lugo & aliorum, quam ſequitur quoque Concina Theol. t. 8. p. 362. nu. 7. licet vir doctiſſimus pro ſua modeſtia doctorum, ut ipſe ait, judicio ſuum ſenſum ſubjiciat. Eam enim evincit ratio a Buſembaum allata. Cum enim duo præcepta concurrunt, & ambo ſervari non poſſunt, majus ſervandum eſt: at præceptum ſumendi viatici divinum eſt, præceptum jejune celebrandi eſt eccleſiaſticum: ergo ſervandum eſt præceptum divinum.

Si ipſe infirmus non jejunus viaticum ſine ulla dubitatione ſumere poteſt, & debet, cur Sacerdos non jejunus celebrare non poteſt, ut proximus divinum præceptum impleat?

Sacerdos, ut optime ratiocinatur Concina, in caſu celebrare poteſt non præmiſſa confeſſione mortalis culpæ cum ſola contritione, ſi confeſſio fieri non poſſit: ergo poteſt quoque celebrare non jejunus, ſi jejunium fractum jam fuerit, imo multo magis: quia ad Euchariſtiam animi magis, quam corporis diſpoſitio neceſſaria eſt; at ſacramentalis confeſſio ad animi, jejunium ad corporis diſpoſitionem pertinet: ergo &c. Prætera lex præmittendæ con-

Digitized by Google

dæ confeſſionis probabilius loquendo divina eſt, jejunii ſolum eccleſiaſtica: ergo ſi lex confeſſionis prætermitti poteſt, ut Sacerdos pro infirmi viatico celebret, multo magis prætermitti poteſt lex jejunii.

Buſemb. objicit praxim contrariam; at immerito in caſu, qui aut nunquam, aut rariſſime accidit. *Major*, inquit, *eſt habenda ratio ſacramenti, quam aliqualis neceſſitatis proximi*.

Reſp. Hæc ratio nimis probat: probat enim, ſine confeſſione non eſſe conficiendam Euchariſtiam, ut viaticum præbeatur; quod falſum eſt, contra ipſum Buſemb. a. 3. c. 2. Præterea ea rei natura, Deique lege nulla irreverentia ſacræ Euchariſtiæ irrogatur, ſi Sacerdos non jejunus Miſſam celebret. Eccleſiæ autem lex, ſi per epichejam ejus mentem interpretemur, ut interpretari debemus, in caſu non *aliqualis*, ut male loquitur Buſemb. ſed maximæ proximi neceſſitatis ceſſat, ceditque juri divino ſumendi viaticum.

Objicit tertio loco. „ Præceptum viatici non obligat, „ quando non poteſt rite dari. "

Reſp. Cum præcepta concurrunt, & colliduntur, ſine dubitatione majus ſervandum eſt. Ergo certum eſt, præceptum viatici obligare, niſi majus præceptum illi obſtet. At ritus, ſeu lex jejune celebrandi Miſſam ex dictis eſt indubitanter minor: ergo præceptum viatici obligat, etiamſi ſervato ritu jejunii dari non poſſit.

Maximum præceptum eſt caritas, quo omnia alia referuntur. Ut corporeæ proximi neceſſitati ſuccurras, quæ eſt lex caritatis, Eccleſiæ leges, ut Miſſæ auditio die feſto, jejunium &c. impedimento non ſunt. Ut ſpirituali proximi neceſſitati ſubvenias, Eccleſiam ſua lege impedire exiſtimas?

Ubi difficultas occurrit, inquit S. Th. p. 3. qu. 83. art. 6. ad 2., *ſemper accipiendum eſt illud, quod habet minus de periculo*. In noſtra difficultate minus periculum eſt in Miſſa a non jejuno celebranda, quam in ſubtrahenda Euchariſtia infirmo, cui periculum mortis jam jam imminet. Si hanc illi ſubtrahis, periculum eſt, ne maximum caritatis præceptum violes: ſi non jejunus Miſſam dicas, nullum aliud periculum eſſe poteſt, niſi ut Eccleſiæ legi repugnes; quod certe longe minus eſt: ergo hoc eſt eligendum. Quamquam hoc alterum periculum ex dictis nullum eſt. Itaque ego non dubito, quin in caſu Miſſa a non jejuno celebranda ſit.

Sed quæſo hic animadverte indolem probabilium, ne eorum doctrinis fidem habeat. La-Croix p. 235. nu. 573. ita loquitur. „ Titius diu ſe probavit pro prima Miſſa, „ quam cogitat hodie hora octava canere, interim hoc „ mane iterum ſe probat, &, uti aliis diebus fecerat, „ incogitanter ſumit hoſtiam non conſecratam. Quæritur, an poſſit primitias legere non jejunus? Reſp. per „ ſe loquendo non poteſt. " Hactenus recte: at ſubdit: „ Poſſunt tamen adeſſe circumſtantiæ, ob quas liceat, „ v. g. ſi Titius ſit familiæ perhoneſtæ, ad cujus primitias conveniunt cognati multi, pro quibus etiam ſit „ convivium lautum apparatum. "

In hac ſpecie Sacerdos non jejunus Miſſam canere poteſt, ſi La-Croix credimus: Ut autem viaticum infirmo præbeatur, ſi Buſembaum audimus, non poteſt? An major neceſſitas eſt dicendi Miſſam in ſpecie La-Croixii, quam in ſpecie Buſembaum? Quænam lex cogit Sacerdotem in caſu La-Croixii, ut contra Eccleſiæ legem Miſſam canat? Pudet me ſane in his tam abſurdis commentis refellendis immorari. Quilibet vel me tacente intelligit, quam turpe ſit, Sacerdoti non jejuno permittere, ut Miſſam in La-Croixii caſu celebret, non item in caſu Buſembaum, quem La-Croixius in ſuis additamentis non improbat. At ſi Buſembaum opinio merito rejicitur, multo magis rejicienda eſt La-Croixii doctrina, qui propter inanes rationes, & humanos reſpectus violationem eccleſiaſticæ legis ſine ulla neceſſitate permittit; eoque magis, quod momentum in eo ponit, ut convivium lautum apparatum ſit, quod a cæleſti convivio valde alienum eſt, & prohibitum eſſe ſolet. An invitati lautum, & inſtructum prandium comedere nequeunt, niſi Sacerdos Eccleſiæ legem in ſuo primo ſacrificio violet?

Aliam huic ſimilem doctrinam ibidem addit his verbis. „ Item ſi publice notum eſt, vel proclamatum, eum hodie lecturum primitias, & e contra error illius in ſumpta hoſtia non conſecrata occultus, hoc caſu licitum „ ei erit celebrare tum per epikiam, (nam nullus Papa, „ ſi adeſſet, vel interrogaretur, vellet hunc caſum lege „ incluſum) tum propter publicum ſcandalum alias oriturum. Gob. t. 3. n. 411. "

Reſp. Ariſt. Eth. 5. cap. 10. ait: *Denique hæc equi boni, quod eſt epichejæ, ſeu æquitatis objectum, vis ac natura eſt, ut legis correctio ſit, quia aliquid ei deeſt, propterea quod generaliter loquitur*: at lex jejunium ante communionem, & Miſſam generaliter præcipiens, correctione in caſu La-Croixii non indiget; ergo æquitas in caſu locum non habet.

Nimirum ſola neceſſitate urgente a legis verbis per æquitatem recedendum eſt; quia legem *in aliquibus caſibus ſervare*, ut ait D. Th. 2. 2. qu. 120. art. 1. *eſt contra æqualitatem juſtitiæ, & contra commune bonum, quod lex intendit*. At in caſu La-Croixii nulla neceſſitas eſt recedendi a legis verbis, neque eſt contra æqualitatem juſtitiæ, & commune bonum eam ſervare abſtinendo a Miſſa: ergo &c. La-Croix ex arbitrio dicit, nullum Papam velle, caſum, de quo loquimur, lege incluſum: imo contra dicendum, omnes Summos Pontifices velle hunc caſum lege incluſum; quia in caſo nulla eſt neceſſitas recedendi a lege; & quia boni publici ratio poſtulat, ut ſubditi facultatem ſibi non arrogent delerendi legem, niſi manifeſta neceſſitate imminente.

Scandalum, quod La-Croix obtrudit, fictitium eſt. Scandala enim oriuntur a legum violatione, non ab earum obſervatione. Ipſa admiratio, ſi quæ in caſu contingat, facile tollitur manifeſtando id quod accidit; idque non ſolum ſine offenſione, ſed cum ædificatione populi, qui inde diſcit, leges eſſe in veneratione habendas, nec, ut recentes opinatores ſuis doctrinis inſinuant, facile negligendas.

Quoad iterationem viatici perſeverante eodem morbi periculo addere juvat Benedictum XIV. de Syn. Diœc. lib. 7. cap. 11. num. 4.; ubi ait. „ Similiter abſque „ formidine ſe aliqua involvendi controverſia, & poteſt & interdum debet Epiſcopus conſtituere, ne Parochi renuant Sanctiſſimam Euchariſtiam iterato deferre ad ægrotos, qui etiam perſeverante eodem morbi periculo illam ſæpius per modum viatici, cum naturale jejunium ſervare nequeant, percipere cupiunt. „ Quamvis enim Vaſquez in 3. p. diſp. 214. cap. 2. in fine doceat, divino præcepto ſatisfieri per unicam perceptionem ſanctiſſimi viatici in eadem ægritudine; „ nullum tamen invenimus alicujus nominis Theologum, qui neget, & licitum, & pium, & laudabile „ eſſe, illud ſæpius repetere. Ita quippe expreſſe tradunt Sylveſter, Tabiena, Sotus, Toletus, Henriquez, Suarez, Layman, Diana, Cardinalis de Lugo, " quorum loca citat; tum n. 5. ita pergit: „ aliqua duntaxat diſſenſio eſt in præfiniendo temporis „ ſpatio, quod debeat intercedere, ut intra eandem „ infirmitatem poſſit iterum non jejuno dari Euchariſtia. Aliqui enim cum Navar. multum temporis interfluere debere exiſtimant inter unam, & alteram communionem; quam indefinitam Navarri aſſertionem „ de ſpatio 30. dierum explicat Villalobos in ſum. 1. p. „ t. 7. d. 38. alii cum Suarez cit. loco (diſp. 68. ſect. 5.) „ decem aut octo dies expoſcunt, (quæ teſte Natali „ Alex. communis ſententia eſt) alii &c. " Alios omitto; quia Suarezii, & Natalis Alexandri eximiorum Theologorum ſententia, communi aliorum, ut teſtatur Nat. Alex., ſuffragio, & Pariſienſi Rituali confirmata, univerſe loquendo meo puſillo judicio æquiſſima videtur; quæ tamen, ſi Parochus doctus, & probus, & æquus ſit pro circumſtantiarum prudenter, & accurate penſatarum varietate in ſingularibus eventibus variari ſine ſcrupulo poterit.

Animadversio XXX.

Si pro ſpeciebus vini ſumpſit aquam ..... tenetur denuo conſecrare: hoc bene habet: *quod fieri etiam poteſt, conſecrando, & offerendo ſtatim ſine nova hoſtia*.

Id quidem fieri poterit, ſi Miſſa celebretur in loco publico, ubi plures adſint, ad evitandum ſcandalum; non item ſi Miſſa celebretur in Oratorio privato, aut ubi plures non adſunt, nec ſcandalum timetur.

Audiantur Miſſalis Rubricæ, a quibus non eſt diſcedendum, ubi cap. 4. de defect. n. 4. ita habetur: *Si poſt verba conſecrationis advertat, vinum non fuiſſe poſitum, ſed aquam; depoſita aqua in aliquod vas, iterum vinum cum aqua ponat in calice, & conſecret, reſumendo a verbis prædictis. Simili modo.* Tum num. 5. in rem noſtram ſubdunt: *Si hoc advertat poſt ſumptionem corporis, vel hujuſmodi aquæ, apponat aliam hoſtiam iterum conſecrandam, & vinum cum aqua in calice, offerat utrumque, & conſecret, & ſumat, quamvis non ſit jejunus*. Idem docet S. Th. p. 3. qu. 83. art. 6. ad 4. Addunt Rubricæ: *Vel ſi Miſſa celebretur in loco publico, ubi plures adſint, ad evitandum ſcandalum poterit apponere vinum cum aqua, & facta oblatione, ut ſupra, conſecrare, ac ſtatim ſumere, & proſequi cetera.*

Si autem intra Miſſam poſt ſumptionem, vel etiam ante eam poſt conſecrationem tamen, dubites, an fuerit vinum, pro vino præſumendum eſſe, & pergendum, ait *Tambur.*

Hæc doctrina arbitraria eſt. Cur enim poſt conſecrationem præſumendum eſt pro vino in dubio? An con-

ſecratio aquam in vinum, ac deinde in Chriſti ſanguinem converterit? Si dubium, ut ponitur, eſt rationabile, temere præſumitur ut pro aqua, ſic pro vino. Quod enim rationi contrarium eſt, temerarium eſt. At præſumptio ſeu pro aqua, ſeu pro vino, rationi contraria ponitur; quia dubitatio rationi conſentanea ponitur: ergo præſumptio pro vino eſt temeraria. Quare hæc nonnam præſumptio omnino relinquenda eſt. In hac ergo difficultate, juxta D. Thomæ doctrinam ad c. 1. relatam, *accipiendum eſt illud, quod habet minus de periculo*. Habet autem minus de periculo, ſi conſecratio iteretur, quod fieret, ſi liquor, de quo dubitatur eſſet, vinum, quam ſi ſacrificium imperfectum relinquatur, quod accideret, ſi liquor eſſet aqua; quia ſacrificii perfectio, quo conſecratio utriuſque ſpeciei ſpectat, majoris ponderis eſt, quam ſit una, & non iterata conſecratio: ergo in caſu non eſt pergendum, ſed novum, certumque vinum apponendum eſt, ac conſecrandum, ſub conditione tamen, ut videtur, ac utrumque ſumendum. Quia tamen ex meo ſenſu loquor, id ſubjicio examini & judicio ſolidiorum Theologorum, qui quantum momenti ſit in ratione allata perpendent, & utrum ſatius ſit, ut ego opinor, conſecrationem conditionatam adhibere, an abſolutam, judicabunt.

Si poſt ablutionem &c. ſumendæ ſint &c. quod addo, quia non licet tunc ſumere particulas alterius ſacrificii, quæ ſunt &c. ut docent cum communi. Hactenus recte; at Buſemb. ſuæ verſatilis indolis nunquam oblitus, addit: *Licet contrarium probabile dicat Tambur. ex March.* Cur hoc addit, nec improbat? Ut Sacerdos faciat, quod ſibi placuerit, & commodum erit. At hoc fieri non debet, tum quia communi ſententiæ contrarium, a qua propter unius, alteriuſve præſertim hæſitantem, & ratione deſtitutam opinationem recedendum non eſt, tum quia rationi adverſatur. Rubricæ enim Miſſ., quibus auſcultandum eſt, de def. cap. 7. n. 2. inquiunt: *Quod ſi deprehendat poſt ſumptionem corporis, & ſanguinis, aut etiam poſt ablutionem, reliquias relictas conſecratas, eas ſumat, ſive parvæ ſint, ſive magnæ, quia ad idem ſacrificium ſpectant.* Fractio jejunii in hoc caſu non impedit, quominus reliquiæ ſumantur ea ratione, quia ad idem ſacrificium pertinent: at reliquiæ in pyxide non ad idem, ſed ad aliud ſacrificium pertinent: ergo poſt jejunii per ſumptam ablutionem fractionem hæ ſumi nequeunt.

Uti nec ejuſdem ſacrificii, ſi &c. ſed debent ſervari, donec &c. niſi tamen aliud ſuadeat periculum indecentiæ.... Imo Card. de Lugo &c. non damnat Sacerdotem, qui prius, quam &c. particulam inventam abſumit &c.

Hic quoque audiendæ ſunt Rub. Miſſ., quæ cap. 7. cit. num. 3. ita loquuntur: *Si vero relicta ſit hoſtia integra conſecrata, eam in tabernaculo cum aliis reponat. Si hoc fieri nequit, ſequenti Sacerdoti ibi celebraturo, in altari ſupra corporale decenter opertam, ſumendam una cum altera, quam eſt conſecraturus, relinquat, vel ſi neutrum horum fieri poſſit, in ipſo calice, ſeu patena decenter conſervet, quouſque vel in tabernaculo reponatur, vel ab altero ſumatur. Quod ſi non habeat, quomodo honeſte conſervetur, poteſt eam ipſemet ſumere.*

Quomodo etiam ii excuſantur, qui ex devotione hoſtiam in ore diu retinentes caſu præmittunt aliquid ablutionis.

Hi Sacerdotes non ſunt cum Buſembao excuſandi, ſed reprehendendi, & graviter monendi, ne ſtulta devotione abripi ſe ſinant, duplici ex capite.

Primo, quia hoſtia in ore diu retinenda non eſt, ſed ſtatim trajicienda in ſtomachum, ut habet Eccleſiæ conſuetudo, & ſacramenti inſtitutio poſtulat, quia cum hoc ſacramentum per modum cibi fuerit a Chriſto inſtitutum, inſtar aliorum ciborum in os ſumitur, ut ſtatim deglutiatur ante potum.

Secundo, quia dum Sacerdos hoſtiam in ore retinet uſque ad ablutionem, manifeſto periculo ſeſe objicit præmittendi aliquid ipſius ablutionis; quæ proinde ſi præmittatur, eſt voluntaria in cauſa, & ideo culpabilis; imo ipſum periculum, quod ſponte incurritur, culpæ merito adſcribitur.

Sponte tamen id (hoc eſt præmittere aliquid ablutionis) *non licet, niſi bona fides, & ſancta ſimplicitas excuſet.*

Buſemb. excuſationes undecunque aucupatur. Sed longe melior eſt juſta reprehenſio, quam mala, aut periculoſa excuſatio. Chriſtus inquit: *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ.* Simplicitas ſine prudentia non eſt ſancta, ſed ſtulta; nec prudentia eſſe poteſt, ubi deeſt cognitio eorum, quæ ad proprium ſtatum & officium pertinent. Quare Sacerdotes, qui aliquid ablutionis ſponte præmittunt hoſtiæ trajectioni, ſtulte ſimplices ſunt, quia ignorant, quæ ſunt propria officii, & ſtatus; eorumque bona fides mala eſt, quia eſt ignorantia eorum, quæ ſcire tenentur.

Unus caſus eſt in metu mortis.... dummodo celebratio non exigatur in contemptum &c.

Facta hac hypotheſi, *dummodo celebratio* &c. bene habet: at hæc hypotheſis metaphyſica eſt, quia mors intentata in caſu includit religionis contemptum. P. Concina Theol. t. 8. p. 501. n. 15. ita habet. „Licitumne eſt ad evitandam mortem ſine veſtibus ſacris celebrare? Reſp. Affirmant aliqui Probabiliſtæ. Sed dicendum, nunquam id licere ob mortem evitandam; quia mors intentari nequit, quin religionis contemptus accedat; quo in caſu etiam laxiores Caſuiſtæ negant, licitum eſſe abſque ſacris veſtibus celebrare.“

Animadversio XXXI.

Quiſque fidelis in periculo vitæ..... tenetur ſub mortali communicare.... niſi tamen paucis, v. g. octo diebus ante communicaſſet.

Sententia contraria huic exceptioni, *niſi tamen* &c. probabilior, & communior eſt, ut ait P. Concina Theol. t. 8. p. 320. n. 14. quam ſequitur quoque Genettus Theol. t. 3. p. 189. q. 9. & Wig. p. 523. n. 49. Ratio eſt, quia qui paucis, e. g. octo diebus ante ſacram communionem ex pietatis ſenſu ſumpſit, divino viatici præcepto non ſatisfecit. Cum enim mortis periculum non immineret, nullum eſſe poterat viatici præceptum: at certum eſt, non poſſe ſatisfieri præcepto, quod nondum adeſt; nec enim jejunando die Jovis ſatisfit præcepto jejunii die Veneris, nec audiendo Miſſam Sabbato impletur lex Miſſæ Dominicæ: ergo qui communionem ſumpſit octo diebus, priuſquam mortis periculum immineret, viatici præcepto non ſatisfecit. Quare falſum eſt, quod ait Buſ. talem communionem habere rationem viatici. Quid enim eſt viaticum, niſi communio ſumpta inſtante mortis periculo? Ergo eſt evidenter falſum, quod communio nullo mortis periculo inſtante ſumpta, rationem viatici habeat. Ex quo fit, ut qui octo ante diebus communionem accepit, eam adveniente mortis periculo iterum ſumere teneatur.

At inquies: ſi hoc verum ſit, qui mane ſanus communicavit, & a prandio incurrat periculum vitæ, tenetur iterum ſumere communionem, ut dicunt Auct. hic apud Buſembaum; quod non videtur admittendum.

Reſp. Id multi affirmant; at communior opinio negat, ut monet Concina n. 25. „Ratio eſt, inquit, quia cum divinum præceptum obliget ex communi interpretatione Eccleſiæ, praxis Eccleſiæ non eſt, ut quis eodem die bis communicet. Neque caſus iſte inter exceptos numeratur. Qui tamen ferventi amore ſuccenſus hoc ſecundum viaticum peteret, ut ſecurius ſatisfaceret divino mandato, num ſit eidem denegandum, judicent prudentiores, & doctiores.“

Ego in hac re ita ratiocinor. Divinum præceptum eſt, ut infirmus in articulo mortis conſtitutus Euchariſtiam percipiat: infirmus in articulo mortis conſtitutus ponitur: ergo ex divino præcepto Euchariſtiam percipere tenetur.

Uſus quidem Eccleſiæ eſt, ne quis in die bis communicet ordinarie loquendo; at in caſu extraordinario, de quo loquimur, Eccleſiæ uſus opponi non poteſt, quæ hunc caſum nec excipit, nec illi contraria eſt. *Ubi difficultas occurrit*, inquit Angelicus ſupra cit., *ſemper accipiendum eſt illud, quod habet minus de periculo.* Si communio infirmo denegetur, periculum eſt, ne divinum præceptum violetur; ſi concedatur, periculum eſſe videtur, ne lex Eccleſiæ negligatur: at hoc alterum minus habet de periculo: ergo hoc eligendum eſt. Quamquam rectiſſime interpretamur, non eſſe Eccleſiæ piæ matris mentem, ut ſuos filios in anguſtias, & animæ pericula ſua lege conjiciat, quæ eo ſpectat ſuis legibus, ut animæ ſaluti conſulat, & pericula amoveat.

Imo Sa, &c. putant, non eſſe ſaltem mortale, communionem omittere, dummodo in paſchate ſumpſeris.

Si hoc crimen mortale non eſt, vel communio paſchalis ſatisfacit præcepto viatici etiam poſt plures hebdomadas, aut menſes ſumendi; quod eſt aperte falſum; vel præceptum viatici non obligat ſub mortali; quod pariter evidenter falſum eſt. Ego ſane non intelligo, qua ratione defendi poſſit recitata a Buſembao opinio, quæ mihi & ſophiſtica, & a vero manifeſte aliena videtur, perinde ac ſi diceretur, qui feria quarta quatuor temporum jejunat, ſatisfacere quoque jejunio feriæ ſextæ, & ſabbati. Quæ abſurda ejus ego ſtomachi non ſum, ut deglutire poſſim. Quare miſſis fallacibus opinationibus lex ipſa obſervetur, quæ in Nicæna Synodo ita præcipit: (habetur cau. 26. q. 6. c. 9.) *De his vero, qui recedunt ex corpore, antiquæ legis regula obſervabitur etiam nunc; ita ut ſi forte quis recedit ex corpore, neceſſario vitæ ſuo viatico non defraudetur*, quam legem renovat, & confirmat graviſſimis verbis Syn. Trid. ſeſſ. 13. cap. 6.

Animadverſio XXXII.

Pueris doli capacibus..... probabilius eſt, in periculo mortis eam eſſe dandam &c.

Hoc quoque teſte P. Concina Theol. t. 5. p. 439. n. 9. *affirmat P. Suarez cum ceteris Theologis.* „ Omnes er„go pueri, qui in articulo mortis ſunt capaces con„feſſionis, & extremæ unctionis, ſunt quoque capaces „ ſuſcipiendi viatici, eiſque adminiſtrari debet. “ Ita ille. Ratio eſt, quia divinum illud præceptum: *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem*, ad omnes Eucharistiæ capaces pertinet, ac præſertim in articulo mortis urget: ergo ſententia, quæ a Buſembau probabilior dicitur, ad praxim redigenda eſt, exploſa verſatili probabilitate, quæ contrariæ locum relinquat.

Et addit.... ſi de capacitate pueri ſit dubium, poſſe nihilominus dari, etſi non ſit neceſſe.

In dubio poſſe Euchariſtiam pueris dari, antiquæ eccleſiaſticæ diſciplinæ uſu, quo pueris cum baptiſmate ſacra communio adminiſtrabatur, confirmat Concina loco cit. n. 10.; tum ſubdit: „ Si itaque ſunt capaces, „ & ex alia parte prohibitio non obſtat; dicendum vi„ detur, eos reficiendos eſſe ſacro viatico. Nec enim „ ſine fundamento aſſerimus, præceptum Eccleſiæ ex„ cludere ſolum eos a communione, qui certe carent „ rationis lumine, ſecus eos, de quibus controverſia „ eſt, num illud poſſideant. “ Quod tamen ſubjicit aliorum judicio.

Adde, quod in dubio, utrum pueri in articulo mortis ſint Euchariſtiæ capaces, dubium quoque eſt, utrum divino præcepto teneantur; quia divinum præceptum omnes capaces in eo articulo obligat: at in dubio utrum divino præcepto teneantur, non ſunt communione fraudandi, ne violandi præcepti periculum incurratur: ergo &c. quod tamen intelligi debet, dum irreverentiæ periculum abſit.

Animadverſio XXXIII.

Etſi Chriſtus tempus communionis extra periculum mortis non præceperit; Eccleſia tamen pro eo determinavit tempus paſchale.

Hæc opinatio falſa eſt, cui repugnat ipſe La-Croix p. 237. n. 588. ubi ait, huic divino præcepto non ſatisfieri ſemel tantum communicando per vitam, uti habet communis cum Suar. d. 69. S. 3. De ea ita loquitur P. Concina Theol. t. 8. p. 319. n. 12. „ Sicuti da„ mnatæ ſunt opiniones illorum, qui dicebant, ſuffice„ re ſemel in vita amare, credere, ſperare in Deum; „ ita proſcribenda videtur opinio hæc, quæ obligare ſe„ mel tantum in vita præceptum divinum de Euchari„ ſtia ſumenda docet. “

Alicubi tamen totam Quadrageſimam comprehendit.

Hanc conſuetudinem Mediolani obtinere ferunt teſte P. Concina Theol. t. 5. p. 441. n. 3.

Alibi extenditur ex conſuetudine, vel indulto.

„ Azorius lib. 7. c. 30. q. 4. refert, Clem. VII. uni„ verſæ Hiſpaniæ privilegium impartiſſe ſatisfaciendi „ quolibet die Quadrageſimæ præcepto paſchalis com„ munionis.

„ Suarez diſp. 70. ſect. 5. nec de tali uſu, nec de ta„ li conceſſione ſibi conſtare, teſtatur. “ Ita idem Concina ibidem. Porro in dubio illud certum eſt, certa incertis eſſe præferenda.

Poteſtque Confeſſarius ex juſta cauſa extendere, ut docent Sa, & alii.

Id docet Concil. Later. ſub Innoc. III. ubi dicitur: *Niſi forte de proprii Sacerdotis conſilio ob aliquam rationabilem cauſam ad tempus ab hujuſmodi* (paſchalis communionis) *perceptione duxerit abſtinendum.*

Animadverſio XXXIV.

Præceptum hoc impletur etiam per communionem ſacrilegam, ut habet communis.

Hæc opinio Concilio Lateranenſi adverſatur ita præcipienti: *Suſcipiens reverenter ad minus in Paſcha Euchariſtiæ ſacramentum*, & expreſſe damnata eſt ab Innoc. XI. propoſ. 55. quæ ita habet: *Præcepto communionis annuæ ſatisfit per ſacrilegam Domini manducationem.* Falſum porro eſt, Eccleſiam præcipere tantum actum externum, ut patet ex verbis Conc. Lat. mox citatis, & alibi dictum eſt. Nec digna Euchariſtiæ perceptio eſt finis præcepti, ſed eſt ipſa res præcepta.

An vero qui non ſatisfecit, teneatur &c. etſi affirmativa videatur probabilior.

Hoc dictum penes Buſembaum perinde eſt, ac ſi dixerit, utrumque defendi, & fieri poſſe; at penes ſaniores Theologos ita accipitur, ut omiſſa communio quamprimum fieri poteſt ſuſcipienda ſit: quam ſententiam hodie communem pluribus tuetur P. Concina Theol. t. 5. pag. 442. n. 5. Ego, ne actum agam, illud certum præceptum inculco, certa incertis, cum de ſalutis negotio agitur, eſſe præferenda: at ut minimum incertum eſt, utrum qui non ſatisfecit, poſtea implere teneatur: ergo certum præceptum eſt, communionem Paſchate omiſſam poſtea, & quamprimum fieri poteſt, eſſe ſupplendam. Quamquam dum Concilium Lat. mox cit. ait: *Suſcipiens reverenter ad minus in Paſcha Euchariſtiæ ſacramentum*: apertiſſime quidem præcipit, temporis paſchalis limites quoad communionem non eſſe prætergrediendos; at illud ſimul ſatis aperte indicat, eum, qui quoad tempus paſchale præcepto non ſatisfecit, communioni tamen ſatisfacere teneri. An qui, & quia peccavit non communicando in Paſchate, a communione liber eſt? *Ex Statuto autem Eccleſiæ*, inquit S. Thom. p. 3. quæſt. 80. art. 11. *ſunt determinata tempora exequendi Chriſti præceptum* quoad communionem. At Chriſti præceptum non eſt tempore paſchali affixum: ergo ſi paſchali tempore impletum non fuit, alio tempore implendum eſt.

Animadverſio XXXV.

Non tenetur prævenire, qui &c. prævidet tempore paſchali ſe impediendum, ut.... probabiliter docet &c.

Eſto: ſit hoc hinc inde probabile: ergo tenetur prævenire. Concluſio eſt juxta certiſſima ſanioris Theologiæ principia. Quamquam verior eſt affirmans ſententia, quod prævenire teneatur, quam multorum auctoritate nixam defendit P. Concina Theol. t. 5. pag. 444. num. 8. & 9. Sicuti enim ex mox dictis, qui tempore paſchali non ſatisfecit, ſupplere poſtea tenetur, ita qui prævidet eodem paſchali tempore impedimentum, prævenire debet. Paſchalis communio, chriſtiani populi debitum eſt, quod qui eo tempore non ſolvit, poſt ſolvere debet, & qui impedimentum prævidet, anticipare tenetur. Quod enim præcipue lex præcipit, eſt ipſa communio in ſingulos annos facienda; paſchale autem tempus determinavit, quia communioni magis conſentaneum tum propter myſteria, quæ eo tempore celebrantur, tum propter Quadrageſimæ jejunium, quod vitia decoquens, animum ad pœnitentiam, & ad ſpirituale convivium præparat: at vero qui acceſſorium implere non poteſt, a principali, quod lex præcipit, certe non eximitur. Ergo qui paſchale tempus pro communione præſtare non poteſt, ab ipſa communione nulla ratione eximitur.

At forte inquiet aliquis: Paſchatis tempore communionem ſuſcipere non poſſum, poſtea poſſum, & poſtea ſumam.

Reſp. Ita homo piger, divini, & eccleſiaſtici præcepti, ſuæque ſalutis minime ſollicitus. Ante Paſcha potes, in Paſchate non potes; an certum eſt, te poſſe poſt Paſcha? An vita, & opportunitas communionis in tuo arbitrio poſita eſt? Ergo dum ita loqueris, & facis, periculo te exponis violandi præceptum. Præterquamquod lex Lateranenſis communionem poſt Paſcha prorogari non permittit, niſi ex rationabili cauſa, & de conſilio proprii Sacerdotis: ergo cum nulla ſit, nec eſſe ponatur rationabilis cauſa prorogandi communionem poſt Paſcha, ante ſuſcipienda neceſſario eſt. Sed adverſantes huic piæ, ac veriori ſententiæ rationes, vel, ut melius dicam, cavillationes a P. Concina loco citato dilutas legere potes.

Qui vero ſic prævenisset, & poſtea tolleretur impedimentum, teneretur rurſus communicare, ſecundum Laym. Card. de Lugo &c.

Hanc ſententiam ſequitur Concina Theol. to. 5. p. 446. num. 9. Ratio eſt, quia cum lex impleri non poteſt, niſi ex parte, hac præſtita ei quidem ſatisfit, non item ei ſatisfit, ſi ex toto impleri poſſit. Lex, de qua ſermo eſt, præcipit communionem paſchalem, *Suſcipiens reverenter* &c. hoc eſt duo præcipit, ipſam communionem, & tempus pro ipſa paſchale: qui communionem ante Paſcha ſuſcepit, partem legis præſtitit, ideoque legi ſatisfecit, ſi tempus paſchale præſtare non poſſit: at ſi hoc quoque ſublatis impedimentis præſtare poſſit, legi non ſatisfacit, niſi illud quoque præſtet. Nec enim qui communionem Paſchatis prævenit, legem implevit, quia a communione ſe impediendum Paſchate putavit, ſed quia reipſa impeditur. Non enim impotentiæ opinio, ſed ipſa ſolum realis impotentia a lege eximit. Ergo qui prævenit, ſublato impedimento, tenetur rurſus communicare; nec audiendus eſt Diana contrarium docens, nec Buſemb. qui Dianæ ſententiam recitat, nec improbat, Chriſtianos ſua verſatili, & contradictoria doctrina periculis objiciens.

Animadverſio XXXVI.

Eximuntur peregrini, & vagi, qui &c.

Vagi quidem eximuntur, non item peregrini, niſi ad ſuas paræcias redire non poſſint, ex dictis hoc cap. dub. 1. art. 2. ca. 9. quia a communione in paræcia non eacuſat abſentia, ſed impotentia communicandi in paræcia. Hoc ſcilicet commune eſt omnibus præceptis, ut non difficultas, ſed ſola impotentia ab iis excuſet. Peregrini, qui ante Paſcha iter ſuſcipiunt, & prævident, ſe Paſchatis tempore a paræcia abfuturos, licentiam petant, & impetrent a Parocho, vel Epiſcopo alibi communicandi in Paſchate, & res in tuto eſt. At ſi id non faciant, & recentes opiniones ſequantur, minime tuti ſunt. Conſule animadverſionem v. in hoc cap. 11.

Animadverſio XXXVII.

Non eximuntur laici &c. niſi &c.

Idem habet Concina, qui Theol. t. 5. p. 449. num. 6 ita loquitur. „ Regulares poſſunt & in mortis articulo, & tempore Paſchatis ſuis familiaribus, & ſervitoribus in ſuis Monaſteriis, & locis a Parochorum juriſdictione exemptis Euchariſtiam miniſtrare. Quinnam id conceſſit Clem. IV. Benedictinis, Innoc. VI. & Xiſtus IV. Auguſtinianis, Leo X. Minimis, & alii Pontifices aliis Religionibus. Idemque dicendum de famulis conjugatis noctu dormientibus extra cœnobium, quando & iſti ſint commenſales. Sententia communis praxi quotidiana munita. "

Animadverſio XXXVIII.

Niſi tamen communicet in cathedrali Eccleſia &c.

More ſuo contradictorias opiniones colligit, ut quiſque faciat, prout ſibi libuerit: ſed certum eſt ex dictis hoc cap. dub. 1. a. 1. ca. 8 communionem paſchalem in propria paræcia eſſe ſuſcipiendam: at cathedralis Eccleſia juxta communem, & certum fidelium ſenſum non eſt propria paræcia totius Diœceſis, ſed eorum tantum, qui intra limites paræcianos ejuſdem ſunt conſtituti: ergo qui ſunt extra eos limites conſtituti, in cathedrali communicantes præcepto paſchali non ſatisfaciunt. Hoc docet non ſolum Concina Theol. t. 5. p. 449. nu. 4., ſed ipſe La Croix p 239. n. 622. & P. Zacharia in hunc La-Croixii numerum ex decreto Innoc. XI. * quod ex Pignat. conſult. 80. n. 28. t. 7. citat Lamb. Edit. Bonon. p. 207. ideoque hac de re non eſt dubitandum.

Animadverſio XXXIX.

Et quidem ſufficere conſenſum interpretativum .... notat &.

De hoc conſenſu dictum eſt cap. 8. mox cit. Quid eſt conſenſus interpretativus, ſeu præſumptus? Hic ſcilicet: ſi a Parocho licentiam peterem alibi communicandi, eam impertiret; ſed quia nolo petere, illam mihi arrogo, & conſenſum præſumo. *O præſumptio nequiſſima* (Eccli. 37. v. 4) *unde creata es cooperire aridam malitia, & doloſitate illius?* Ita ne ſimplices, prudentes, pii Chriſtiani? De quibuſdam inſolitis eventibus non loquor; ſed ordinarie loquendo aut in propria paræcia communicandum, aut expreſſa licentia alibi communicandi impetranda eſt.

Imo Bon. &c. putant poſſe ſatisfieri ... quod mendicantes ex privilegio &.

Hæc privilegia ſuſpecta merito habentur. „ Ideo communiter Theologi (ait P. Concina Theol. t. 5. p. 450. n. 7.) oppoſitum docent, ut fatetur ipſe Buſembaum: & hæc ſecunda opinio, addit Concina, vera eſt, & praxi conſentanea. " Quod fatetur ipſe La-Croix p. 239. num. 624. apud quem etiam nu. 626. hoc decretum legitur. „ Conquerentibus nonnullis Parochis, & dubium infraſcriptum proponentibus in Sac. Congr. Concil. Trident. An PP. Societatis Jeſu, aliique Regulares poſſint miniſtrare ſanctiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum perſonis ſæcularibus a Dominica Palmarum uſque, & per totam Dominicam in albis. Die 31. Jan. 1682. Sacr. Congreg. reſpondit affirmative, excepto die Paſchatis: ita tamen, ut ſæculares ſumentes Euchariſtiam in Eccleſiis Regularium in aliis diebus a Dominica Palmarum ad Dominicam in albis incluſive non ſatisfaciant præcepto eccleſiaſtico.

„ Similia decreta leguntur apud Pittonium in deciſ. ad Parochos p. 20. n. 67. p. 37. n. 151. p. 63. n. 289. p. 17. n. 851. p. 329. n. 1545. "

Caput III.

De Euchariſtia, ut eſt Sacrificium.

Dubium I.

Quid ſit Miſſa, & quæ obligatio Sacerdotum circa illam?

Reſp. Miſſa eſt Sacrificium conſiſtens in conſecratione panis, & vini: eſtque actus latriæ, qui fit in recognitionem ſupremi dominii Dei, & ſignum noſtræ ſervitutis. Quod non obſtat, quin ſecundario poſſit etiam ad alium finem partialem offerri, ut ad agendas gratias, vel impetrationem beneficii, ad remiſſionem peccatorum, ad Sanctos honorandos, &c. Principalis fructus Miſſæ, ex opere operato, eſt independens a probitate Sacerdotis, a quo pro omnibus, ſeu vivis, ſeu defunctis, etiam accepto ſtipendio, applicabilis eſt, eſtque actu tam intenſive, quam extenſive finitus: etſi enim hoſtia ipſa, & principalis offerens, id eſt Chriſtus, infinite ſit Deo gratus, atque ita Deus per hoc ſacrificium infinito honore afficiatur, videtur tamen Chriſti eſſe voluntas ut offeratur, & proſit tantum ad certum, & finitum effectum. Quod etiam patet ex uſu, & ſenſu Eccleſiæ, dum Miſſæ pro eadem re repetuntur: quod ſignum eſt, non habere infinitum effectum. V. Bun. d. 4 q. ult. p. 4.

Unde reſolves,

1. *Sacerdotes ordinarie peccant graviter, ſi non aliquoties in anno, ſaltem ter, vel quater, ſolemnioribus feſtis celebrent, niſi legitime ſint impediti.* Ita Sylv. Reg. Suar. Con. & alii commun. contra Ang. Bon. Dian. *p.* 2. *t.* 14. *R.* 19. *item Card. de Lug. & Tamb. l.* 1. *exped. com. c.* 6. *qui excuſant ſaltem a mortali, dummodo communicent in Paſchate, abſque contemptu, & ſcandalum: imo, ubi Tridentinum eſt receptum, teneantur ex mandato Epiſcopi ſub gravi culpa vel brevi ſaltem Dominicis, & Feſtis; excuſantur tamen, ſi Epiſcopi nullum mandatum extet.* ANIMAD. I.

2. *Etſi in Eccleſiis Cathedralibus, Collegiatis, & Conventualibus (ubi eſt competens Sacerdotum numerus) quotidie debeat una ſaltem Miſſa privata celebrari, & altera cantari, peccentque mortaliter dictarum Eccleſiarum Rectores, ſi in hoc deficiant, Suar. Con. Laym. March. &c. non eſſe tamen mortale (praſcindendo a peculiari obligatione talis Eccleſiæ) ſemel, vel bis in hebdomada omittere alterutram, docet Tamb. l.* 1. *c.* 6. *ubi neque ſi in Eccleſiis Collegiatis die feſto cadente in feriam privilegiatam, v. gr. vigiliæ, quatuor Temporum, Quadrageſimæ, vel Rogationum, Miſſa ſolemnis de feria poſt Nonam canenda ſemel omittatur. Ibid.* ex Abbat. March. &c. ANIMAD. II.

3. Peccat graviter, qui tenetur pro alio offerre Miſſam, fructum tamen principalem applicat alii: quia id alii eſt fraudi in re gravi.

4. Graviter peccat, & qui ad ſacrum ex juſtitia obligatus, illud diu differt: quia magno fructu alterum privat. Sylveſt. Regin. *l.* 23. *num.* 236. Fernand. &c. multoque magis, ſi plane omittit; teneturque hoc caſu ad ſtipendii reſtitutionem. Tambur. *de exped. ſacrific. l* 3. *c.* 1. *§.* 8. 2. Si quis accipiat plura ſtipendia, quibus nonniſi poſt longum tempus poſſit ſatisfacere. Ratio eadem eſt. Sylv. Regin. Fernand. *p.* 3. *c.* 5. 3. *Qui ſacrum animo ſe obli-* ANIMAD. III.

* Hoc decretum refertur et non a P[illegible] tona in deciſionibus ad Paroch. n. [illegible] n. 1500. in hæc verba: „ 1682. 4 Feb. Omnes utriuſque ſexus fideles [illegible] tenentur pro ſatisfaciendo præcepto annuæ communionis paſchalis, Sacram Communionem a ſuo proprio Parocho in ſua Eccleſia parochiali [illegible], in qua ſuum Parochum habitant, ſuſcipere, nulloque modo dicto præcepto ſatisfaciunt per communionem in Eccleſia Lateranenſi, vel Vaticana, vel nationali ejuſdem Nationis, vel in quacumque a[illegible] ſuſceptam, non obſtantibus privilegiis, & conſuetudinibus etiam immemorabilibus, [illegible] Innoc. XI apud Paſtum, p[illegible] *prac. poſtb* par. 460. Hoc decretum, ut quiſque [illegible] intelliger, [illegible] Romæ editum eſt. Nam [illegible], qui extra Romanam Urbem [illegible], aliud decretum apud [illegible] p. [illegible] habetur hujus tenoris: „ 1679 24 Maij Qui in Paſchate communicaverint Romæ, non [illegible] a Paſcha, nec debet Epiſcopus contra eos procedere. " *Congr. Epiſcoporum in Concilio, apud Nicol. in Floſculis, verbo Paſcha, num.* 4.

obligandi promiſit, & non præſtat. Bon. *d. ult. p.* 8. *etſi probabile ſit, hoc non eſſe mortale, ut habet* Sanch. *de matr. l.* 1. *d.* 5. *Vide* Dian. *t.* 3. *m. R.* 9. item *p.* 4. *t.* 4. *R.* 196. & *p.* 6. *t.* 6. *R.* 6. & *p.* 5. *t.* 14. *R.* 81. *ubi citat Cajet. Vaſq. Hurtad. &c. affirmantes, quod, qui pluribus Miſſam gratis promiſit, poſſit unica ſatisfacere: quod tamen alii communiter negant.*

5. Si quis det juſtum ſtipendium (id a conſuetudine vel lege taxatum eſſe debet, aut *ſi non eſt, ſecundum Sot. & Cajet. eſt frugalis victus unius diei; quod Suar. Laym. & alii reprobant*, putantque ſufficere mediam, vel tertiam partem ſuſtentationis diei) ut pro ſe dicatur Miſſa, non poteſt ſecundum accipi ab alio, & pro duobus una tantum Miſſa dici. Card. de Lug. *d.* 19. *n.* 259. *Secus, ſi ambo dimidium tantum juſti darent; uti contra Vaſq. Regin. & alios probabiliter docent Sot. Henriq. Fill. Con. Card. de Lug. l. c. quod tamen jam eſt prohibitum per Bullam Urbani VIII.* V. Bonac. Dian. *t.* 14. *R.* 7.

ANIMAD. IV.

ANIMAD. V. 6. *Qui pecuniam ab alio accepit, ut pro illo celebret, aut fieri curet, per ſe loquendo, poteſt curare Miſſam per alium bonum Sacerdotem dici, minus dando, quam accepit.*

Dixi 1. *Per ſe:* quia *Urban. VIII. ob ſpeciem turpis quæſtus id fieri vetuit.*

Dixi 2. *Bonum:* quia, ſi per malum curet, perditur fructus, qui eſt ex opere operantis. V. Card. de Lug. *l. c.*

ANIMAD. VI. 7. *Beneficiati, etiam Curati, ad Miſſas obligati, poſſunt pro iis accipere ſtipendium, & applicare, cui volunt, quia non ſemper habent obligationem applicandi ad certam intentionem*, niſi tamen contrarium conſtat, ut de Miſſa Conventuali docet Bonac. Ita Card. de Lug. *d.* 21. *ſ.* 1. *n.* 21. ex Suar. Vaſq. &c. *contra Gavant. Barboſ. & Dian. qui negant de Parocho;* refertque Dian. *p* 4. *t.* 4. *R.* 232. determinaſſe Congregationem Cardin. quod ei non licet pro Miſſa accipere eleemoſynam manualem, quando tenetur celebrare; *de Miſſa tamen Conventuali, contra Bon. &c. ipſe affirmat p.* 5. *t.* 13. *ex aliis tribus.*

8. Qui ſtipendium pro ſacro accepit, tenetur dicere Miſſam pro defunctis, vel votivam, vel in hoc, aut iſto altari, prout pecuniam offerens petivit (quantum tamen Rubricæ permittunt, quibus neglectis, Eccleſiæ ordinem invertere, ob alterius devotionem, non convenit) quia ob ejus devotionem, & ſpeciales orationes, major fructus provenire ſolet. Si tamen aliter faciat, non erit grave, imo nullum, ſi fiat juſta de cauſa. V. Dian. *de celebr. Miſſ.* 31. Card. de Lug *l. c. n.* 35.

9. Is, qui quoad locum, tempus, intentionem, qualitatem Miſſæ, non ſatisfacit, ſine juſta cauſa, voluntati fundatoris, peccat; & quidem graviter, ſi ſæpe faciat, etſi conſentiant heredes: cum *ii* in hoc voluntati teſtatoris non poſſint derogare, ut docent Sylv. Nav. Azor. &c. Epiſcopus tamen poteſt in hoc diſpenſare ex cauſa, ut habent Henriq. Sylv. & Tamb. Quod ſi quis quoad locum impediatur, tenetur in alio, ut habet Azor. *t.* 1. *l.* 10. *c.* 14. & Sa, v. *Miſſa.* Dian. *l. c. R.* 29. *ubi docet ex Navar. Rodr. Fag. & Azor. eſſe mortale celebrare in alio templo, vel altari, quam quis tenetur: quod negat Card. de Lug. ſi raro, & ex cauſa fiat.* V. *n.* 6. *Imo nec eſſe veniale, ſi obligatus quotidie celebrare, raro, & ex rationabili cauſa celebret alibi. Similiter* Tamb. *de exped. ſacr. l.* 3. *cap.* 2. *excuſat a mortali eum, qui uno, alterove die ſingulis menſibus alibi celebrat, niſi tamen teneatur celebrare in altari privilegiato; notatque poſſe Sacerdotem contra hoc onus Miſſarum, v. g. certum earum numerum, præſcribere annis* 30. *ſi adſit poſſeſſio, titulus, & bona fides.*

ANIMAD. VII.

10. Beneficiatus ex juſtitia obligatur ſub mortali, & pœna compenſationis, ad eum numerum Miſſarum, per ſe, vel (prout mens fundatoris ex verbis colligenda permittit) ſaltem per alium, quem numerum litteræ fundationis requirunt; *eum vero numerum ex juſta cauſa, v. g. ſi reditus jam non ſufficientes reſpondeant, poteſt minuere Epiſcopus in Synodo: quam poteſtatem Bon. reſtringit ad Miſſas Defunctorum, & quidem poſt Trident. impoſitas.* Vide Bon. *d.* 4. *q. ult. p.* 8.

ANIMAD. VIII.

11. Qui ratione Beneficii tenetur quotidie celebrare, tenetur etiam Miſſam pro fundatore (niſi de hujus intentione contraria conſtat) applicare. Bonac. & alii cum Dian. *p.* 6. *t.* 6. *R.* 13. *Qui tamen concedit poſſe eum pro ſe ipſo quater, aut ſexies in anno, & in die Commemorationis omnium Defunctorum pro particulari defuncto celebrare: item quavis hebdomada unam Miſſam omittere devotionis, & reverentiæ cauſa, idque ex præſumpta intentione fundatoris:* quod Tamb. *l.* 3. *exped. ſacr. c.* 3. *§.* 1. ex Gavant. *p.* 3. *t.* 12. limitat, niſi de contraria fundatoris voluntate conſtet, vel ſit onus Eccleſiæ, aut Monaſterii, curare Miſſam quotidianam. V. Tambur. *l. c.* Dian. *p.* 2. *t.* 14. *R.* 28. & *p.* 4. *t.* 4. *R.* 86. & *p.* 5. *t.* 5. *R.* 23. & *t.* 13. *R.* 15. idipſum limitat Card. de Lug. *R. mor. l.* 5. *d.* 9. ſi obligatio dirigatur ad ipſum Sacerdotem, v. g. ſi dicatur (qui debet quotidie celebrare) quo caſu concedit: ſi vero dirigatur ad celebrationem in tali loco v. gr. volo, ut in tali Eccleſia celebretur quotidie Miſſa, teneri eum pro ſe alium ſubſtituere eo die, quo ipſe non celebret.

ANIMAD. IX.

12. *Qui non poteſt fundationi ſatisfacere propter morbum, non tenetur, ſi brevis ſit* (v. gr. 15. *dierum, ut docet Bon. aut etiam unius, alteriuſve menſis, ut probabiliter docet* Card. de Lug. *n.* 36.) *ſubſtituere alium, aut compenſare, cum tam ſtricte ne domini quidem honeſti cum famulis agant: ſecus tamen, ſi ſit diuturnus morbus, niſi reditus ſint nimis tenues, aut in morbum abſumantur,* ut contra Sylv. & Azor. docet Bonac. Rodriq. Impeditus vero aliis negotiis, licet juſtis, (cum hæc non debeant obeſſe fundatori) debet ſatisfacere per alium, vel compenſare poſtea, præſertim ſi fiat ſæpius. Ita Bon. *d.* 4. *q. ult. p.* 7.

ANIMAD. X.

DUBIUM II.

Cujus ſit applicare fructum Sacrificii?

ANIMAD. XI. Reſp. *Solus Sacerdos offerens valide id facit* per ſuam intentionem: quia eſt actus poteſtatis ſacerdotalis. Ita commun. Suar. Card. de Lug. *d.* 14. *ſ.* 10. *n.* 211. &c.

Unde reſolves.

1. Is valide applicat, etſi peccet ſacrificando, vel applicet contra voluntatem ſuperiorum. Ita Suarez, Laym. Diana, Card. de Lug. *l. c.* contra Navar. Ledeſma, & alios, quorum ſententiam probabilem dicit Dian. *t.* 1. *R.* 72.

2. Sacrificium, quod neque formaliter, neque virtualiter ulli applicatum eſt, vel ante, vel ipſa conſecratione, ſaltem alterius ſpeciei, non poteſt poſtea ulli applicari, ſaltem adæquate: quia producit effectum, quando exiſtit, neque is ſuſpenditur; ideoque nec licet accipere ſtipendium pro Miſſa præterita. Vide Layman.

ANIMAD. XII. *Dixi, vel ante: quia non requiritur, ut applicatio fiat in ipſo Sacrificio: ſufficitque, ſi pridie facta ſit, etſi ipſo die de ea non cogitet.* Bonac. *q.* 3. *p.* 2. ex Suar. Dian. *l. c. R.* 47. contra Vaſq.

ANIMAD. XIII. 3. *Si nulli applicetur,* vel incapaci, fructus manat in theſauro Eccleſiæ, ut docet Suarez, vel cedit ipſi Sacerdoti, *vel illis, pro quibus tenetur ſpecialiter offerre, quod ita implicite cenſeatur intendiſſe.* Ita Laym. *t.* 5. *ſ.* 2. V. Card. de Lug. *n.* 215.

4. Applicatio ſub conditione jam impleta eſt valida, v. g. ad intentionem, quam habuit hodie ſuperior, non autem ſub conditione futura contingente, v. g. applico illi, cui Titius interrogatus voluerit; vel ei, qui prius morietur; vel qui primo ſtipendium offeret. Ita Suar. *in* 3. *p. tom.* 3. *d.* 79. *ſ.* 9. Laym. *l. c.* Dian. *l. c. R.* 15. Card. de Lug. *d.* 19. *n.* 209. contra Bon. *q. ult. p.* 7. *§.* 5. qui tamen ipſe in praxi diſſuadet.

5. Non ſatisfecit, qui te mortuum putans, Miſſas, quas pro defuncto teneretur, celebravit.

6. Sacerdotes Societatis non ſatisfaciunt, celebrando pro defunctis per anticipationem, niſi tamen jam mortui ſint, etſi poſtea promulgentur. Laym. *l. c.*

7. Non omnes Sacerdotes tenentur die animarum applicare Miſſam pro omnibus defunctis. Tamb. *l.* 3. *exp. ſacr. c.* 3. *§.* 2. contra praxim, & Gavant. *p.* 4. *t.* 15.

ANIMAD. XIV. 8. *Miſſa celebrata in altari privilegiato pro defunctis non ſuffragatur illis, nec ſatisfit indulto, niſi ſit*

deteqaiem. Dian. *p.* 4. *t.* 4. *R.* 233. ex declarat. Card. & *p.* 9. *t.* 2. *R.* 8.

DUBIUM III.

Quando, & quoties liceat celebrare?

ANIMAD. XV. Reſp. 1. *Ordinarie non licet celebrare poſt meridiem, ſed debet inchoari ante duodecimam, nec ante auroram; quam ante Solis ortum Reginald. quadrantem horæ, Henriq. & Conin. mediam horam, Azor. horam cum quadrante, Suar. & Fernand. & Poſſev. ſeſqui horam comprehendere dicunt, & conſequenter, cum ſecundum Henriq. Suar. & alios, Miſſa poſſit inchoari tanto ante auroram, ut ſub ejus initium finiatur, licere duabus horis ante Solis ortum incipere*. Ita Rodriq. & alii. Unde ulterius inferunt quidam cum Suar. Religioſis habentibus privilegium celebrandi hora ante diem, licere tribus horis ante ortum Solis incipere: quod Card. de Lugo *d.* 20. *ſ.* 1. num. 32. non improbat; etſi Laym. tantum permittat horis duabus cum dimidia; [c] Dian. vero duabus horis poſt mediam noctem, Card. de Lugo *l. c. Quacumque autem hora licita (ſive ex, ſive ſine privilegio) celebrent, eadem etiam (atque adeo in Miſſa, quæ nocte Nativitatis, ceteriſque, quæ poſt illam celebrantur) licere iis Euchariſtiam aliis miniſtrare, contra Bordon*. docet Diana *p.* 9. *t.* 7. *R.* 43.

Dixi, *ordinarie*; quia *antevertere licet* ſequentibus caſibus, (*a*) in quibus etiam paulo poſt meridiem, v. g. uno, vel altero quadrante, inchoari poteſt, uti etiam ſecundum Sot. & Palud. ex quamvis rationabili cauſa, v. g. ob ſupplicationem, vel concionem publicam protractam ultra meridiem, ob funus Principis, vel quia Sacerdos die feſto propter iter fuit impeditus, quo caſu etiam integra hora poſt licere inchoare dicunt. Vid. Laym. *l. c.* Fern. hic *c.* 3.

1. *In neceſſitate*, (*b*) v. g. ut moritura detur Viaticum, quo caſo licere media nocte celebrare, ait Dian. *p.* 1. *t.* 14. *R.* 33. ex Laym. &c.

2. *Ubi eſt mos rationabilis*, (*c*) ut opifices, & famuli ſummo mane poſſint audire ſacrum. Laym. *l.* 5. *t.* 5. *c.* 4. *n.* 3. ex Navarr. &c. (V. Dian. *p.* 2. *t.* 14. *R.* 33.) non tamen idcirco poſt meridiem licebit.

3. *Ex* privilegio, de quo ſupra.

ANIMAD. XVI. 4. *In nocte Nativitatis, in qua omnes tres Miſſas ante auroram dici poſſe, probabiliter docet Suarez, Conin. Laym. Dian. p.* 4. *t.* 4. *R.* 226. *contra Sylv. Fern. & alios*.

Unde reſolves.

1. *Graviter peccat*, qui ſine aliqua harum, aut ſaltem juſta cauſa citius mane, vel ſerius poſt prandium celebrat, (*d*) ubi Azor. tertiam horæ partem, Laym. mediam horam, Bonac. tres quadrantes, Sylvius horam requirit, ut differendo peccet mortaliter. Vide Dian. *t.* 14 *R.* 34. ubi notat, *Religioſos ex*

ANIMAD. XVII. *ſuis privilegiis poſſe celebrare uſque ad tres horas poſt meridiem, poſt tertiam vero nullo modo*. Vide Bonac. *l. c.*

ANIMAD. XVIII. 2. *Non eſt peccatum, celebrare ante dictam Primam, vel etſi ob infirmitatem non poſſis Horas dicere, vel etiam ante Matutinum, ſi cauſa ſubſit*, ſine qua erit veniale, ut docent Fill. Laym. & alii, videturque ſententia tuta, contra multos dicentes eſſe mortale.

Reſpond. 2. Per ſe loquendo, quotidie licet cele-

ANIMAD. XIX. brare. Dico, per ſe, quia præcepto obligante ſub mortali prohibemur die Veneris Sancti, *non tamen Euchariſtiam ſumere, vel aliis præbere*, ut habent Hurt. *de ſacrif. d.* 4. *diſ.* 3. *Quintan. ex Suar. Vaſq. Tann. &c. licet ſuppoſitis declarationibus Cardin. non licere miniſtrare, niſi ſolis infirmis, velit Dian. p.* 4. *t.* 4. *R* 237. & *p.* 6. *t.* 6. *R.* 19. & *p.* 9. *t.* 9. *R.* 24. *ex Barboſ. Gavant. &c. In Cœna Domini vero, etſi ex conſuetudine, uno celebrante, reliqui communicare debeant; plures tamen ex cauſa licite privatim celebrant, non tamen poſt finitam Miſſam ſolemnem, & ſacrarium reconditam, ut vult Palaus; licet alii id non admittant, apud Dian. p.* 9. *t.* 6. *R.* 24. *Sabbato ſancto alii negant licere, at Vaſq. &c. alii probabilius affirmant, ut Suarez, Fagund. Dian. Gaſp. Hurtad. d.* 4. *diſ.* 3. *Palaus* (qui non vult fieri ante inchoatam Miſſam ſolemnem) & Card. de Lug. *ſ.* 1. n. 13. qui addit, non eſſe tunc legendas prophetias, quia non ſunt pars Miſſæ; neque benedictionem Cerei, imo nec Litanias, quia eſt ratio eadem. Vid. *l. c. n.* 20. & Bon. *p.* 2. ubi notat, quod uſus id vix habeat. Vide etiam Dian. *p.* 4. *t.* 4. *R.* 237. ubi cum Mercero, contra alios permittit eo die ante Miſſam ſolemnem celebrare de Sancto incidente, vel votivam.

Reſp. 3. *Sæpius in die celebrare non licet ordinarie*; ANIMAD. XX.
quod addo, quia, ſi ſis jejunus, licitum eſt ſequentibus caſibus, bis, vel etiam ter, requiſito tamen, ſi facile haberi poſſit, Epiſcopi judicio, præterquam in primo.

1. Nocte Nativitatis: qua tamen non tenetur, ne Parochus quidem, celebrare tres Miſſas, ſed poteſt aliquam pro arbitrio omittere. Diana *p.* 4. *t.* 4. *R.* 236. *Neque ter communicare, vel ſemel communicare, & bis celebrare p.* 8. *t.* 1. *R.* 87.

2. Si *Paſtor habeat duas Parochias diſſitas*. Fill. Card. de Lugo *d.* 20. *n.* 45.

3. Si *concurſus populi ſit tantus, ut Eccleſia non capiat*, ut habet Laym. *l.* 5. *t.* 5. *c.* 4. *num.* 6. Vide Card. de Lugo *l. c. etſi tunc potius expediat celebrare extra*. [**]

4. Si *ante ablutionem moneatur de communicando infirmo*, & ſuam jam hoſtiam ſumpſerit, nec ſit alius Sacerdos. Sylv. Nav. Sed caſum eſſe metaphyſicum, dicit Card. de Lugo *d.* 20. *n.* 44.

5. Si *die feſto adveniant perſonæ, quas non deceat ſacrum omittere*, v. g. Rex, aut Princeps: quamvis hic ultimus dicatur non eſſe in uſu. Vide Bonac. *d.* 4. *qu. ult. p.* 7. *num.* 9. Card. de Lug. *l. c.* & Laym. *t.* 5. *c.* 4. Conin. Dian. *p.* 2. *t.* 14. *R.* 56. ubi recte monet, in his omnibus attendendum ad loci conſuetudinem, quæ fere omnes nunc ſuſtulerit.

Quæres, an aliquando liceat interrumpere Miſſam?

Reſp. Etſi abrumpere eſſentialiter, ſive unam tantum ſpeciem conſecrare, nullo caſu liceat, ut dictum eſt ſupra *c.* 1. *d.* 2. accidentaliter tamen abrumpere, vel etiam interrumpere, aliquid interponendo, licet his caſibus.

1. Ob concionem poſt Evangelium, vel proceſſionem excipiendam.

2. *In gratiam ſupervenientis Principis, vel turbæ* ANIMAD. XXI.
peregrinorum die feſto, quo alias Miſſam audire non poſſent, vel ſimili juſta cauſa; ex qua, ſi non ſit facta oblatio, poſſe incipere de novo, ut totum ſacrum audiant, etſi non teneantur, docent varii Auctores cum Sa, apud Bonac. *d.* 4. *q. ult. p.* 7. *n.* 9. *qui bene monet, conſuetudini locorum ſtandum. Henriq. autem docet, id tantum licere finita Epiſtola, vel Evangelio. Tamb. plane improbat*.

3. Si ante Canonem Sacerdos recordetur alicujus impedimenti, v. gr. ſe non eſſe jejunum, vel in gratia, vel irregularem, & excommunicatum; vel excommunicatus non toleratus præſumat intereſſe, nec poſſit expelli.

4. Si urgeat gravis neceſſitas, vel propria, v. g. morbus; vel proximi, ut ſi moriturus ſit baptizandus, vel abſolvendus. Trull. Diana *p.* 2. *t.* 3. *reſ.* 20. In aliis tamen Sacramentis non ita neceſſariis, non decet inter conſecrationem, & ſumptionem interrumpere, niſi moriturus eſſet in propinquo, nec opus eſſet veſtes exuere: vel niſi pœnitentiæ Sacramentum ob phreneſim ſuſcipere non poſſit. Laym. Tamb. *lib.* 2. *exped. ſacrif. c.* 7. Revertens autem ad ſacrificium Sacerdos, ſi fuerit ante facta conſecratio, incipiet, ubi deſierit; uti etſi facta non fuerit, & parva mora interceſſerit, v. g. minor, quam unius horæ, ſi autem longior, ordietur ab initio. Tambur. *l. c. exped. ſacrif. cap.* 8. §. 7.

DU-

[c] Etſi Laym. tantum permittat horis duabus cum dimidia; Dian. vero duabus horis poſt mediam noctem, Card. de Lugo *l. c.* hoc Dianæ inventum ſine ulla limitatione enuntiatum, inſolens valde eſt, & inſcitum, juxta computum Ordinarii Patavini ad gradus 45. m. 28. ubi ratione Poli exactum, duæ horæ poſt mediam noctem in hyemali ſolſtitio matutinam auroram horis ferme quatuor præveniunt; eoque magis, quo plus ad Septentrionem vergitur. Sed hac de re vide hic Animad. XV.

[**] Hac de re vide Animad. hic XXIII.

DUBIUM IV.

Quo loco celebrandum ſit?

ANIMAD. XXII. Reſp. Communiter non licet celebrare, niſi in Eccleſia, eaque conſecrata, vel ſaltem benedicta, & non violata, vel exſecrata, nec interdicta. Patet ex Trid. *ſeſſ.* 21.

Dixi, *communiter:* quia in decenti loco, & altari portatili (quod ſemper ſub mortali requiritur) cum licentia Epiſcopi, ſi adſit, vel ſine ea, ſi abſit, licet ſequentibus caſibus: extra quos ſi fiat, eſſe mortale, docent Fill. Laym. & alii commun. contra Sotum, & Sa.

ANIMAD. XXIII. Primo, ſi ſit neceſſitas, qualis eſſe cenſetur. 1. Si Eccleſiæ dirutæ ſint. 2. *Si populum in ſolemni feſto templum non capit.* 3. *In caſtris pro exercitu; ſed feſtis tantum diebus.* Fag. Card. de Lugo &c. *licet Paſqual. apud* Dianam *p.* 9. *t.* 1. *reſ.* 44. *etiam non feſtis cenſeat poſſe permitti Generalibus, & primariis Ducibus, in ſuis tentoriis.* 4. *In portu pro appulſu navis*, non tamen in flumine, vel mari, propter periculum effuſionis ſanguinis, ut commun. docetur apud Bon. Contrarium tamen dicitur jam habere praxis Luſitanorum, euntium in Indiam, ex permiſſione Clemen. VIII. & Pauli V. ex qua licite nunc fieri docet Fagund. Gran. nec improbat Card. de Lugo *l. c.* Limitat autem Dian. *p.* 5. *t.* 3. *reſ.* 40. cum Hurt. Mercer. Trull. &c. ſi magna ſit tranquillitas ſine ullo tempeſtatis indicio, adſitque præter celebrantem Sacerdos alius, qui poſt conſecrationem firmiter teneat calicem. Cum qua cautione etiam Epiſcopum poſſe ad hoc concedere facultatem in neceſſitate (v. gr. ne magna multitudo non audiat Sacrum, vel moribundus decedat ſine viatico) docet Gran. apud Diana *l. c.* contra Con. & Turr. qui ſoli Papæ eam reſervatam volunt, ut etiam Diana *p.* 9. *t.* 1. *reſ.* 45 ubi adducit declarationem Cardinalium, qua jubentur Epiſcopi id prohibere.

ANIMAD. XXIV. Secundo. *Ex diſpenſatione Epiſcoporum, ob rationabilem cauſam, etſi in Trid. ſeſſ.* 22. id permittere prohibeantur, niſi ex juſta cauſa, in oratoriis privatis divino cultui deſtinatis, licet non benedictis. Verum etiam hanc poteſtatem illis nunc eſſe ademptam, docet Gavant. *l. c.* & Dian. *p.* 9. *t.* 9. *reſ.* 42. *eo tamen non obſtante, poſſe eos in aliquo caſu particulari, ex juſta cauſa permittere*, ut celebretur extra Eccleſiam, in altari portatili, docet idem Diana *l. c. R.* 13. ex March. Garc. Hurt. Card. de Lugo, Averſa, Perſic. &c.

ANIMAD. XXV. Tertio. *Ex privilegio, quale dicuntur habere Minores, & qui cum iis participant: quod eſſe revocatum a Trid. ſeſſ.* 22. *c.* 8. licet multi velint, *negant tamen Dian. p.* 3. *t.* 2. *reſ.* 80. & *p.* 4. *t.* 4. *R.* 106. *Joan. Salas, Rodriq. &c. Idque ſecundum Card. de Lugo d.* 20. *ſ.* 2. *n.* 51. *probabiliter*, & *Tamb. de exped. celebr. l.* 1. *c.* 3. §. 1. *probabilius*. V. Barboſ. in Trid. *l. c. Item Religioſi Societatis, e Gregor. XIII.* ut poſſint tum in miſſionibus, cum facultate Superioris, in quovis loco decenti, *tum in domibus ſuis in loco honeſto, a Provinciali deſignato, Miſſas dicere; in quo idem licebit aliis.*

Dixi 2. *Non violata*, quia in Eccleſia interius violata, niſi prius reconcilietur, non licet ſub gravi peccato, ut Laym. *l.* 5. *t.* 5. *c.* 5. *n.* 7. ex Nav. Suar. Con. &c. niſi in neceſſitate cum venia Epiſcopi (ſi is adiri poſſit; alioqui ſine ea, ut habet Card. de Lugo *l. c. n.* 63.) celebrare, aut mortuos ſepelire. (*e*)

Addo 1. *Eccleſia*: quia Oratoria, etſi deputata ad cultum divinum, cum tamen benedicta non fuerint, niſi in ipſis eatet altare ad facienda divina, ut Bonac. *de miſſ. q.* 4. *reſ. alt. n.* 9. non ſunt capacia violationum. Quod etiam conſequenter de Hoſpitalibus docent Navarrus, Sotus &c. ſed probabilius contrarium docent alii, cum Card. de Lugo *l. c.*

Addo 2. *Interius*: quia quod fit in turri, ſacriſtia, ſupra tectum, vel fornicem, in crypta, ſub pavimento (niſi ſit ſepultura, aut ſingulariter benedicta) non violat Eccleſiam.

Addo 3. *Niſi reconcilietur*: (*f*) quod fieri debet ab Epiſcopo, vel Sacerdote ex privilegio Papæ, quale Superiores Regularium pro ſuis templis habere, ex Avila notat Dian. *p.* 4. *t.* 4. *R.* 91. ſi fuit conſecrata, quod præſumendum eſt, ſi celebretur feſtum Dedicationis: ſi vero tantum fuerit benedicta, poteſt fieri reconciliatio a ſimplici Sacerdote, aſperſione aquæ benedictæ, cum facultate Epiſcopi, vel ſine ea, ſecundum Dian. *p.* 4. *t.* 4. *Reſ.* 91. *Cenſeri etiam reconciliatam, ſi ſacrificium in ea peractum fuerit*, docet Tamb. *l. c.* § 4. ex Henr. Sa, & Dian. ANIMAD. XXVI. eſſe probabile: negat autem C. de Lugo *de Euch. d.* 20. *ſ.* 2.

Porro Eccleſia, uti & cœmeterium violantur, ſeu polluuntur ſequentibus caſibus, *non tamen, niſi poſtquam res evulgata fuerit.* (*g*) Laym. *l.* 5. *t.* 6. *c.* 5.

1. *Per factum in ea homicidium mortaliter malum*, ANIMAD. XXVII. ſeu injurioſum, ſaltem immunitati Eccleſiæ; quale etiam eſt, quod alias juſtum eſſet per ſententiam Judicis; *niſi tamen Reip. perturbator aliter capi non poſſet. Non eſt autem tale* 1. *quod fit caſu*, (*h*) vel ab amenti. 2. quod in ſui *defenſionem*. (*i*) 3. *cujus cauſa data eſt extra Eccleſiam: quia requiritur, ut vulnus, ſive cauſa phyſice fiat intra Eccleſiam.* V. Card. de Lugo *d.* 20. *ſ.* 2.

2. Per mortaliter malam effuſionem proprii, vel alterius ſanguinis, vel ſeminis, cauſatam, vel factam in templo, licet non in templum. Unde non violat 1. *Si paucula guttæ effluant*; (*k*) quia non eſt effuſio. 2. Si ex percuſſione, vel vulnere levi, ANIMAD. XXVIII. v. gr. narium in rixa puerorum, etiamſi copioſus ſanguis effluat. 3. Si fiat ex ſectione venæ. 4. *Actus conjugalis, quando excuſatur a ſacrilegio.* 5. Fornicatio facta ab amente. 6. Pollutio inculpata. V. Card. de Lugo *d.* 20. *n.* 54. & 55.

3. Per ſepulturam excommunicati non tolerati, ANIMAD. XXIX. vel *infidelis*, (quo nomine hic non comprehendi hæreticum, docet Card. de Lugo *l. c. nu.* 57.) *etiam infantis, ut exc. Eccleſiam, de Conſecr.* docet Præpoſ. *Quamvis, ſi pueri parentes ſint fideles, neget Sayr.* V. Bonac. *de Euch. & mat. d.* 4 *q.* 4. *p. ult.*

4. Per deſtructionem Eccleſiæ ex toto, vel majore parte, quamquam eo caſu dicatur potius exſecrari, quam pollui; non autem ſi ſolum tectum, vel ſi ſucceſſive per partes modicas deſtruatur, & reficiatur, neque etiam per deſolationem, exercitium hæreticum, ſpurcitias hominum, vel animalium iſtic ſtabulatorum, &c. etſi doceat, & praxis habeat, ut per Epiſcopum, vel ſaltem Sacerdotem, cum aliqua cæremonia reconcilientur, & abluantur: quod in ſimili caſu intellige de altari. Laym. *l.* 5. *t.* 5. *c.* 5.

Quæres, quid ſit, & quando fiat exſecratio, ſeu reſecratio?

Reſp. Exſecratio dicitur, cum res ſacra perdit ſuam conſecrationem, ita ut de novo conſecrari debeat, quod fit, quando ita deſtruitur, ut formam, & uſum ſuum perdat.

Unde reſolves.

1. Polluta Eccleſia, polluta etiam ſunt altaria ejus fixa; non tamen exſecrata Eccleſia exſecrantur altaria, nec contra.

2. *Eccleſia exſecratur*, ſi parietes ſecundum majorem partem deſtruantur, vel omnis eorum cruſta, aut major ſaltem pars ſimul auferatur. (*l*) Secus autem, ſi una poſt alteram. V. Lugo *d.* 20. *n.* 65. non autem ſi tectum corruat, quia conſecratio eſt in parietibus V. Laym. *l. c.*

3. *Altare exſecratur.* 1. Si, cum fixum eſt, lapis conſecratus removeatur ab inferiore ſtructura. 2. Si ita frangatur, ſive fixum, ſive portatile ſit, ut in nulla ejus integra parte calix cum patena poſſit conſiſtere. 3. *Si ſpolietur ſepulcrum: quod tamen quidam negant*, ut Lugo, Tamb. *l.* 1. *c.* 5.

4. Calix exſecratur, ſi notabiliter frangatur, vel ita, ut fiat inutilis ad uſum ſacrificii, v. g. ſi foramen ſit in fundo, licet minutiſſimum; vel ſi figura deſtruatur: *non tamen ſi in tornatili pes ſeparetur a cuppa* (*m*), quia in tornatili conſecratur ſola coppa, Bonac. *d.* 4. *c. ult. p.* 9 ex Suar. &c. Neque exſecratur, ſi pereat inauratio. Unde, licet communiter calix, & patena, poſt novam inaurationem, quoad eam partem, qua Chriſti Corpus, vel Sanguinem contingunt, denuo conſecrentur, id

tamen

tamen neceſſarium non eſſe docent Duran. Con. & alii, contra Suar. Bonac. & alios, etſi doceat, ut abluantur aqua benedicta. Ita Dian. *t. 1. miſc. reſ.* 3. & Laym. *hic.* Item Lugo *d.* 20. *l.* 4. *n.* 94.

5. Veſtes ſacræ exſecrantur, quando ita deſtruuntur, ut perdant ſuum uſum; ut ſi cinguli parte re non amplius cingere poſſis; vel ſi manica ab alba ſeparetur, etiamſi poſtea reparetur. Non perdunt autem, etſi attritis pars aliqua aſſuatur; vel cinguli parti aptæ adhuc ad cingendum altera annectatur; quia tunc acceſſorium ſequitur principale. Lugo, Tamb. *de exped. Sacrif. l.* 1. *c.* 3. §. 2. Similiter, ſi ſtola, vel caſula duplicata, facili ſeparatione fiant duæ, quarum utraque apta ſit ad Sacrificium, non perdunt benedictionem. Tamb. *l. c.*

6. Partes avulſæ a re conſecrata, deſtructa ejus forma, deſinunt eſſe ſacræ, verbi gratia ligna, & lapides Eccleſiæ dirutæ, vel altaria: ob reſpectum tamen ad rem ſacram, cujus ſunt reliquiæ, non poſſunt applicari ad uſus profanos, aut dividendi, ſine licentia Papæ. Statuæ autem ſacræ, & imagines templi deſtructi debent in alio collocari, & in loco Eccleſiæ Crux exigi. Lacera etiam paramenta, aut vetuſtate conſumpta debent igne abſumi, & non adhiberi ad uſus profanos, ut habetur in *c. Altaris de conſecr. diſt.* 1. Vide Suar. & Sa, *v. Miſſa*, & Layman. *l. c. cap.* 6. Tambur. tamen *l.* 1. *de exped. Sacrif. c.* 2. §. 3. ex Palao, item Dian. *p.* 5. *t.* 13. *reſ.* 76. *docet probabile eſſe, quod non ſit ſaltem mortal:*, (a) ſi mutata forma ad profanos uſus applicentur, v. g. calix confractus, alba diſſoluta, fruſtula corporalis, &c. V. ſupra *l.* 3. *tr.* 1. *c.* 2. *d.* 2.

DUBIUM V.

Quæ ſint requiſita ad Miſſam?

Animad. XXXI. Reſp. Hæc ſequentia. 1. Et quidem ſub gravi ſacrilegio, *altare conſecratum ab Epiſcopo, vel Abbate* (*hunc enim altaria, calices, & campanas poſſe conſecrare, etiam ad uſum alienarum Eccleſiarum*, docet Dian. *l.* 3. *tr.* 2. *reſ.* 15. cum Barboſ. & aliis 4. ex declaratione Cardin. & *privilegio Innocent.* III.) vel Sacerdote privilegiato, ſtabile, vel portatile: utrumque tamen ex integro lapide, quantum ad ſuperiorem menſam, quæ conſecratur: debetque eſſe tanta, ut poſſit capere calicem cum patena. Non ſufficit autem, Hoſtias eſſe in ara conſecrata, dum conſecrantur, verum etiam debent tam parvæ, quam magnæ in eadem relinqui tempore ſacrificii, & non alibi, licet ſupra aliud corporale, deponi, verb. gr. propter loci anguſtias: quia omnes ſunt unica victima, & per modum unius offeruntur. Quapropter Rubricæ Miſſalis *eas ſupra corporale*, (*o*) ante, vel poſt calicem *poni volunt*. Hinc etiam minus recte faciunt, qui conſecratione facta, mox hoſtias minores a ſe conſecratas dant alteri Sacerdoti diſtribuendas populo: quia, ſicut Sacerdos non debet de ſua hoſtia dare, priuſquam ipſe ſumpſerit; ſic nec de aliis, cum ſint una victima, & hoſtia, omneſque orationes, oblationes, & benedictiones ſequentes non minus ſpectent ad parvas hoſtias, quam ad magnam: neque ante ſumptionem Sacerdotis perfecta, & integre ſacrificata ſit victima. Card. de Lugo *q.* 20. *ſ.* 2. *num.* 69. Eum tamen, qui contrarium fecerit, a peccato ſaltem mortali, imo, ſi neceſſitas fuit expediendi communionem populi, ab omni excuſat Tamb. *l.* 5. *exped. ſacrif. c.* 5.

Animad. XXXII. 2. Mappa linea triplex: *etſi enim ſecundum quoſdam una duplicata, imo ſecundum Sa, Angel. Azor. c.* 28. *q.* 7. *& Laym. l.* 5. *t.* 5. *c.* 6. *nu.* 17. *una ſimplex ſufficiat in neceſſitate*; *Miſſale tamen Romanum*, auctoritate Clement. VIII. & *Pii* V. editum expreſſe tres requirit, *tit. de defect.* uti & Gavant. V. C. de Lugo. *Ut ea benedicta ſit, non eſt omnino neceſſarium, ut habet Sylv. Unde in neceſſitate vulgaris adhiberi poteſt, & aliis uſibus reddi. Laym. l. c.*

3. Sub gravi ſacrilegio, veſtes ſacræ, hoc eſt benedictæ ab Epiſcopo, vel Sacerdote *habente privilegium, ut habent Mendicantium ſaltem Superiores, ſive Prælati.* V. Tambur. *l.* 2. *c.* 3. §. 2. *exped. ſacr.* Animad. XXXIII. *quarum tamen colores non eſſe præcepti, ſed directionis notat* Homob. *apud Dian. p.* 2. *t.* 14. *R.* 57. *In gravi autem neceſſitate, etſi præſtet, ſi ſine ſcandalo fieri poſſit, Miſſam, cujus audiendi, vel faciendi obligatio tunc ceſſat, omittere, licere celebrare ſine ſtola, vel manipulo, vel etiam non cingulo non benedicto, vel ſi fractum ſit, rurſus connectere, vel ſtola pro cingulo, & manipulo pro ſtola, docet Layman. l.* 4. *t.* 5. *c.* 6. *Dian. p.* 1. *R.* 57. & 67. contra Fill. *t.* 1. *l.* 5. *c.* 5. qui tamen concedit in neceſſitate ſine una, vel altera ex minoribus, v. g. ſtola, vel cingulo celebrare, non eſſe mortale. Vide Dian. *p.* 5. *t.* 5. *R.* 62. *ubi contra Fill. ex Henr. & aliis ſex, docet eſſe probabile, quod ex parvitate materiæ excuſari poſſit a mortali, qui (ſecluſo ſcandalo, & contemptu) aliquam harum citra neceſſitatem omittit, v. g. qui celebrat cum cingulo non benedicto, vel ejus loco utitur alia re. Denique metu mortis, aut graviſſimi damni, licere aliquando celebrare ſine ſacris veſtibus, & altari, dummodo non fiat in contemptum Religionis*, ex Azor. 1. 1. *l.* 1. *c.* 11. *q.* 11. docet Eſcob. *E.* 2. *cap.* 2. Navar. Hurtad. &c. Limitat autem Tamb. *de exped. Sacrif. l.* 1. *c.* 5. §. 1. ita ut permittat ſine aliqua etiam ex gravioribus, non tamen ſine omnibus fieri, ob ſcandalum, & irreverentiam. V. Dian. *p.* 3. *t.* 6. *R.* 48. & *p.* 3. *t.* 3. *R.* 39. Porro hujuſmodi ſacras veſtes conficere ex profanis, v. g. planetam ex veſte ſerica muliebri, non eſt prohibitum. Suar. Palaus, Tamb. *exp. Sacr. l.* 1. *c.* 2. §. 4. qui monet *l. c.* §. 1. cavendum eſſe, ne ſint valde attritæ; ut & ne reliqua ſupellex ſacra ſit valde immunda, in quo graviter peccari poteſt. Suar. Laym. Tamb. *l. c.*

4. Sub mortali requiritur calix, & patena conſecrata: *ſi tamen in nondum conſecratis aliquis bona*, Animad. XXXIV. *imo, addunt Bordon. & Tambur. mala fide celebraſſet*, licet ſic celebrando peccaſſet mortaliter, *probabile eſſe, quod hoc ipſo cenſeantur conſecrata, liceatque in iis celebrare*, contra de Lugo, & Laym. docet Dian. *p.* 2. *t.* 14. *p.* 5. *t.* 13. *R.* 60. & *p.* 9. *t.* 6. *R.* 18. ex aliis octo. Idemque de ſacris veſtibus, item de corporali, pyxide, &c. quæ immediate tangunt ſpecies, cenſet Tambur. *de exp. ſacr. l.* 1. *c.* 3. §. 1. *Ac licet decens ſit, ut etiam pyxis, ſive ciborium & luna, ſeu ſphærula hierothecæ, & quodcumque vas continens, & immediate tangens Euchariſtiam, uti etiam ſecundum Laym. l.* 5. *t.* 5. *c.* 6. *vaſculum chriſma continens benedicatur* (benedicere autem præter ea, in quibus unctio adhibetur, poteſt idem, qui cetera ornamenta) cum in Rituali Romano propria ſit pyxidis benedictio; *id tamen neceſſe eſſe negant Suar. Hurt. Lugo, Tamb. lib.* 1. *exped. Sacrif. c.* 1. §. 6. nec eſſe neceſſe imponere pyxidi vas lineum benedictum benedictione corporalis. Porro calix, & patena confecta eſſe debent ex auro, argento, vel ſtanno, ſaltem quoad cuppam (*admittunt etiam aliqui ex plumbo*) ſed non ex ære, *cap. Ut calix, de conſecr. d.* 1. quamvis Tambur. *l.* 1. *exped. Sacrif. cap.* 1. cum Hurt. Fagund. & Gavant. admittat etiam ex gemma, quæ æque pretioſa ſit, ac aurum, vel argentum, modo ſpecies non imbibat, nec ſit periculum, ne effringatur: *ac, licet Rubrica præſcribat, ut ſaltem cuppa, & ſuperior pars patenæ ſit deaurata; eam tamen non obligare ſub mortali Gran. imo nec ſub veniali, propter uſum contrarium*, vult Tamb. *loc. cit.*

5. Corporale lineum, ſaltem quoad eam partem, qua hoſtiam, vel calicem tangit, *c. Conſulto de conſecr. d.* 1. (nam in extremitatibus poteſt eſſe ſericum, vel auro elaboratum) & benedictum ab Epiſcopo, vel privilegiato. V. Com. privil. Soc. JESU, *v. Bened.* non tamen iterum benedicendum poſt lotionem, nec niſi notabiliter ſumpatur. S. Thom. Sylv. Bon. *d.* 4. *qu. ult. p.* 9. Lugo *d.* 20. *ſect.* 2. *num.* 76. & Gavant. *p.* 2. *t.* 1. ubi addit ex Sa, (& dicet eſſe communem) peccare mortaliter, qui utitur notabiliter immundo.

6. *Palla item linea*, qua parte calicem tegit (ſu- Animad. XXXV. periore enim parte poteſt auro conſtare, vel ſerico) *qua cum habeat communem cum corporali benedictionem, utpote cujus pars antiquitus fuit, pro eodem*

ſervire

ſervire poſſe, *docet idem Lugo l. c. ſi ſit ſatis capax*.

7. Purificatorium item lineum, non tamen neceſſario benedictum, ut contra Layman. docent Suar. Gavant. & Lugo; neque ulla reperitur in Ritualibus ejus benedictio.

Animad. XXXVI. 8. Sub gravi peccato Miſsale, Canonem ſaltem continens, ut habet Bon. & alii commun. *etſi Ledeſm. & Laym. doceant in gravi neceſſitate licitum eſſe celebrare ſine libro ei, qui moraliter ſit certus ſe non erraturum: & ſic Lugo l. c. cum Dian. &c. probabiliter excuſat eum, qui propter viſus debilitatem legere non poteſt*.

Animad. XXXVII. 9. Miniſter ſecundum Nav. Fag. Zerol. ſub mortali, & quidem maſculus. *In neceſſitate tamen gravi, v. g. diei feſti, vel dandi viaticum, poſſet quis ſibi reſpondere*, inquit Sa, Bonac. & Dian. *tr.* 14. *reſol.* 43. ex aliis. In quo caſu etiam ſeminam adhiberi poſse docet Nug. *a.* 6. *d.* 1. & Sylv. *idque quibuſdam Belgii partibus conſuetudine inductum eſſe docet Marcb. R. poſl. c.* 4. contra communem, apud Laym. Fern. & Dian. *l. c.* Tamburin. *l. c.* & Marcb. *de ord. t.* 3. *c.* 15. ubi vult, id eſſe mortale. Miniſtrante tamen circa altare viro, qui neſciat reſpondere, Moniales ex choro reſpondere, non eſſe prohibitum notat Card. de Lugo, & Tambur. *l. c.* ubi etiam cum Henriq. & Hurtad. permittit celebranti, Miſſam cœptam proſequi ſine miniſtro, ſi hic forte abiit, & aliquantolum expectatus non revertatur.

Animad. XXXVIII. 10. *Crucifixus, niſi ſit expoſitum venerabile Sacramentum, non tamen ſub obligatione gravi*; idem eſt de velo. Lugo *d.* 20. *ſ.* 2. *nu.* 7 Gavant.

11. Candela accenſa duplex, ex cera, & quidem ſecundum Fag. Regin. Vaſq. & alios, ſub mortali, contra Nugn. March. In neceſſitate tamen, præciſo ſcandalo, ſufficit una, etiam ex ſebo, vel lucerna, aut lampas ex oleo. Vide Dian *l. c.* Laym.

Animad. XXXIX. *c.* 16. *num.* 17 Azor. *c.* 28. *qu.* 15. *Sine omni autem lumine celebrare nunquam licet*. *Lugo diſl.* 30. *ſ.* 2. *adeo ut ſi extingueretur ante conſecrationem, & aliud haberi non poſſet, Miſſam eſſe relinquendam, etiam in neceſſit. te conſecrandi pro moribundo viaticum*, dicat Fagund. *p.* 22. *c.* 22. & Quintenad. *s.* 4. *ſect.* 1.

12. Requiritur etiam antipedium, pulvillus, candelabra, bursa, velum, manutergium; ſed non benedicta: & ſi quid ex his deſit, ex profanis congruenter mundis mutuo accipi, & deinde priori uſui reddi poteſt. Tamb *l.* 5. *c.* 3. § 3.

Animad. XL. 13. *Operto capite celebrare non licet, etiam in infirmitate, ſine licentia, ut docet Fagund. Laym. Dian. R.* 58. *& quidem ſummi Pontificis, ut ex Declaratione Cardinalium notat Gav. & Tamb de exped. ſacrif. l.* 1. *licet Laym. & Sco. Epiſcopis, & cum Regularibus eorum Prælatis permittant. Quod Tamb. loc. cit recte limitat ad caſum neceſſitatis, in quo ad Papam difficilis ſit recurſus. Qui tamen ſine venia faceret, eum non peccare mortaliter, ſecluſo contemptu, & ſcandalo, vult Ledeſm. & Tamb. l. c. Quod Dian. p.* 2. *t.* 14. *R.* 58. *cenſet probabile, ſi tempus Canonis excipeatur*.

Plura de his omnibus vide apud Auctor. cit. Gavant. Dian. Laym. Bonac. Card. de Lugo *d.* 92. *ſ.* 4. Eſcob. *E.* 11. ubi notat, etſi gravis ſit obligatio ſervandi ritum celebrendi præſcriptum in Rubricis Miſſalis, ideoque grave ſit omittere, verb. gr. oblationem hoſtiæ, vel calicis, vel infuſionem modicæ aquæ (Tambur. *de exped. ſacrif. l.* 2. *cap.* 5.) nihilominus levitatem materiæ ſæpe excuſare a culpa mortali omiſſionem, etiam intra Canonem, monet Eſcob *l. c.* *Unde veniale tantum erit*.

Animad. XLI. 1. *Omittere orationes dici ſolitas, dum Sacerdos ſe induit, ut contra Nav. Sylv. & Azor. docent Layman. Fagn. Dian. R.* 21. &c. Lotionem autem manuum ante, vel poſt Miſſam, etſi facile omitti non debeat, non videri ſufficientem materiam rigoroſi præcepti, tenent Suar. & Tamb. §. 6.

2 Omittere *Gloria*, vel *Credo* vel in Canone nomen alicujus Sancti, vel ea, quæ tempore Paſchali interponuntur inter Communicantes, aut inſerta actionem. Dian. *p.* 2. *t.* 14 *R.* 49. & 89. ex Filliuc. Quintan. &c. *In Miſſa autem, quæ canitur, non legere Evangelium ſubmiſſa voce*, *Dian. loc. cit. reſol.* 4. *negat eſſe peccatum, ex Sanch. & aliis ro. quod Rubrica ſit tantum directiva*. Si quis autem in Miſſa advertat aliquid a ſe omiſſum, regulariter non eſſe repetendum, ait Suar. & Tambur. *de exped. ſacrif. l.* 2. *c.* 5. Dicit *regulariter*; quia 1. ſi ſit de ſubſtantia, v. gr. aliquid pertinens ad conſecrationem, certum eſt debere repeti. 2. Si dum ſecreto orat, poſt pauca verba certo advertat, ſe aliquid notabile omiſiſſe, verb. gr. die Paſchæ communicantes, paululum regrediendum eſſe, & repetendum cenſet Tambur. *l.* 1. ita Filliuc. Dian. *reſ.* 59. Eſcob.

3. Ex devotione leve aliquid in Miſſa, etiam dum ſecreto orat, addere, verb. grat. orationem Dominicam, vel Pſalmum aliquem; vel in Canone nominibus Sanctorum nomen Patroni loci. Tamb. l. 5. *exped. ſacrif. c.* 5. Dixi leve: quia notabiliter addere, eſſe mortale vult idem Tambur. *l. c.* ex Bonac. *art.* 4. *quæſt. ult.*

4. *Celebrare ante dictum Matutinum, ut contra Azor. & Regin. docent* Sylv. Valent. Suar. Vaſq. Leſſ. Feg. Laym. &c. *quorum plerique tamen cum Palao dicunt eſſe veniale, ſi fiat ſine cauſa: licet & hoc Tamb. l.* 1. *art.* 7. §. 1. *de exped. ſacr. in dubium vocet*.

5. *Quæ alta voce dicenda præſcribuntur, adeo ſubmiſſe dicere, ut adſtantes audire non poſſint*. Tamb. *de exped. ſacr. l.* 1. *c.* 9. quidquid dicat Nav. apud Sa *v. Miſſa*. *Imo notat idem Tamb. ex C. de Lugo d.* 22. *ſect.* 1. *a timoratis paſſim ſine ſcrupulo voce depreſſa legi*.

6. *Mutare Miſſam, & die Dominico, vel feſto duplici, vel iis diebus, quibus prohibetur fieri de feſto duplici*, verb. gr. infra octavam Epiphaniæ, Paſchatis, &c Feria IV. Cinerum, infra hebdomadam majorem, Vigilia Nativitatis Domini, ſine gravi cauſa *legere votivam, vel pro defunctis, vel de alio Sancto in numerum Sanctorum relato*, Suar. Dian. Card. de Lugo *l. c.* Eſc. contra Quint. qui *t.* 7. *ſ.* 40. putat in hebdomeda ſancta licere legere votivam: quod refutant Gavant. Dian. *p.* 9. *t.* 8 *R.* 33. ex decler. Card.

Dixi 1. *Sine gravi cauſa*: talis enim cenſetur, 1. quæ ſpectat ad bonum Reipublicæ, vel Principis, v. g. neceſſitas pluviæ, ingruentis belli, vel peſtis, vel ſimilis mali univerſalis: item ſolemnis gratiarum actio, ſolemnis expoſitio Euchariſtiæ, v. gr. diebus antecineralibus in Oratione 40 horarum. Tamb. *l.* 2. *c.* 6. 2. Quando cadaver præſens eſt in Eccleſia, ubi uſus obtinuit. Gavant. *p.* 1. *t.* 5. 3. Si quis celebret in Eccleſia, in qua agitur dies feſtus loci proprius: hunc enim non tantum poſſe, ſed debere ex congruitate conformare ſe loco, notat Gavant. V. Tamb. *l.* 2. *c.* 6. qui §. 2. & 4. addit, etiamſi Sacerdos, accepto ſtipendio, homini promiſerit votivam, vel pro defunctis, etiam in altari privilegiato, non ſolum poſſe, ſed debere celebrare Miſſam currentem diebus, quibus iſtæ prohibentur. Imo etſi Deo per votum tales Miſſas promiſerit, non tamen ad eas obligari iſtis diebus, eo quod votum non obliget, quando impedit bonum majus, quale eſſe dicit conformitatem officii cum Miſſa: ſecus diebus aliis.

Dixi 2. *In numerum Sanctorum relata; quia ſi ſit beatificatus tantum, de quo certis Sacerdotibus, v. g. quorum Ordinis fuit, conceſſum ſit Miſſam legere*, docet Gran. 2. *cont.* 2. *c.* 7. *d.* 4. *ſ.* 2 *n.* 2. & Eſc. contra Palaum, non licere aliis Sacerdotibus, etſi nullum aliud ſit feſtum, de eo legere: ex quod ſic expreſſe determinavit Sacra Rituum Congregatio apud Gavant. Vide Eſcob. *n.* 32. Tamb *l. c. c.* 6. ubi Palaum ſequens dicit contrarium eſſe probabilius, ac magis pium, imo de Sanctis Societatis certum eſſe, ſi celebrent in templis ejuſdem Societatis, ex conceſſione Pontificum. Idem tenet Quint. *t.* 7. *ſing. l.* 1. Animad. XLII.

7. Si quis violet rubricam ſpectantem ad eſſentiam, vel quaſi eſſentiam Miſſæ; vel ſi nullam plane ſervet, peccat mortaliter. Eſcob. ex Fagund. *p.* 2. *l.* 3. *c.* 11. *n.* 9.

Notæ,

Digitized by Google

Notæ.

(a) *Dici ordinarie; quia antevertere* &c.

Ex interpretatione Bened. XIII., cujus verba habea hic Animad. XV., Miſſæ inchoari poſſunt meridie, dum tertia horæ parte poſt meridiem completæ ſint, & item tertia parte horæ ante auroram. Cæterum ſupplicationes, conciones, funera, itinera, ſi diligentia adhibeatur, facile conciliari poſſunt cum tempore, quo miſſa ex Eccleſiæ præcepto celebranda eſt; ideoque ex his titulis vix a culpa excuſari poterit, qui a lege receſſerit.

(b) *In neceſſitate* v. g. &c. Neceſſitas viatici præbendi, quæ dilationem non patiatur, Eccleſiæ præcepto præferenda eſt; ideoque, ſi particulæ conſecratæ haberi non poſſint, licebit, ut Buſ. habet.

(c) *Ubi eſt mos rationabilis, ut opifices* &c. Hæc doctrina conformis videtur declarationi Sacræ Rituum Congregationis, quam legis hic Animad. XV. non ea ratione ut opificum commodo ſerviatur, qui etiam poſt cæptum opus, ſacro intereſſe haud ægre poſſunt, ſed quia, dum ex probata Regionum conſuetudine labor inchoatur, auroræ tempus pro Miſſæ licita celebratione politice adeſt.

(d) *Graviter peccat* &c. Qui a declaratione & lege cit. Bened. XIII. recedunt, ex gravibus pœnis carceris, & pecuniæ eos mortaliter peccare cuilibet colligere promum eſt. Cujus peccati gravitas ex notabili receſſu a lege ex æquo judicio penſatis circumſtantiis æſtimanda eſt, nulla rigida, laxa, aut ſubtili Scholaſtica penſitatione.

(e) De neceſſitate celebrandi Miſſam in loco non ſacro dictum eſt Animad. hic. 22. 23. & de diſpenſatione Epiſcopi Animad. 24. Quod enim ibi dictum eſt quoad Miſſæ celebrationem in loco non ſacro, idem hic dicendum eſt; quia Eccleſia violata idem eſt, ac Eccleſia nondum conſecrata, nec benedicta.

(f) *Adde* 3. *niſi reconcilietur* &c.

De privilegio Superiorum Regularium, de quo hic Buſ., ipſi Superiores viderint, qui Dianæ, aut ſimilium fide minime contenti, nonniſi certis, & authenticis documentis acquieſcent.

Quod addit Buſ., *vel ſine ea* (Epiſcopi facultate) *ſecundum Dian.*, idem habet Anacl. t. 3. juris can. p. 587. n. 28., nixus cap. 10. tit. 40. lib. 3. decr., ubi dicitur: *Si Eccleſia non conſecrata*, &c. *fuerit polluta*, *aqua protinus exorcizata lavetur*. Reſp. ait *protinus*; at non ait a ſimplici Sacerdote ſine mandato Epiſcopi: ait *protinus*; quia, cum Epiſcopi præſentia, & opera non ſit neceſſaria, ejus venia ſtatim petenda, & concedenda eſt.

Quare rectius ſentire mihi videntur Concina Theol. t. 8. p. 493. n. 28. qui in hac ſpecie ait, *benedicta Eccleſia poteſt a ſimplici Sacerdote ex commiſſione Epiſcopi*. & Nat. Alex. Th. t. 1 p. 360. n. 10. ubi inquit. *Si autem Eccleſia conſecrata non fuerit, a ſimplici Sacerdote de mandato Epiſcopi reconciliari poteſt* &c.

Hinc Rituale Rom. ponens, reconciliationem Eccleſiæ non conſecratæ fieri non poſſe a ſimplici Sacerdote ſine Epiſcopi delegatione, inquit: *Eccleſiæ violatæ reconciliatio per Sacerdotem ab Epiſcopo delegatum fiat hoc modo* &c.

Jus ſcilicet reconciliandi Eccleſias pollutas ad externam juriſdictionem pertinet; quod ſimplices Sacerdotes temere, & non ſine magna Epiſcoporum offenſione ſibi arrogabunt.

(g) Buſ. *Non tamen, niſi poſtquam res evulgata fuerit*. Idem habet Concina Th. t. 8. p. 494. n. 20., ubi ait. „ Si effuſio mortalis ſeminis, aut ſanguinis non „ ſit publica notorietate facti, vel juris, Eccleſia non „ polluitur. “ Ratio eſſe poteſt, quia ab occultis actionibus publicarum ſacrarum functionum norma ſumenda non eſt.

(h) *Quod ſit caſu*, intellige, quod nec in ſe, nec in cauſa ſit voluntarium, ex. g. ut loquitur Nat. Alex. Th. t. 1. p. 359. col. 2., „ cum aliquis lapide fortuito „ cadente occiditur “. Hinc ipſe Buſ. dixit *per factum in ea homicidium mortaliter malum*, & hoc ſenſu res caret controverſia ex communi ſententia, ut habet quoque Anacl. t. 3. jur. can. p. 586 n. 20. quod idem dicito de homicidio facto ab amente, ſeu alios, ſeu etiam ſeipſum occiderit.

Quod ſi homicidium in ſe quidem voluntarium non ſit, at voluntarium in cauſa, cum ſit mortaliter malum, & injurioſum, Eccleſiam violat. Hinc cap. 19. diſt. 1. de conſecr. Hyginus Papa ſine diſtinctione ait: *Si homicidio vel adulterio Eccleſia violata fuerit, diligentiſſime expurgetur, & denuo conſecretur*, & cap. ult. t. 40. lib. 3. decr. Gregorius IX. inquit: *Si Eccleſia non conſecrata cujuſcumque ſeminis fuerit, aut ſanguinis effuſione polluta, aqua* &c.

(i) Illud *in ſui defenſionem*, intellige juſſam cum moderamine inculpatæ tutelæ, ut loquitur Anacl. n. 20. cit. vel, ut habet Nat. Alex., ſi quis aggreſſorem ob neceſſitatem, & juſtam ſuæ vitæ defenſionem necet.

(k) *Si pauculæ guttæ effluant*. An verum eſt, etiamſi percuſſio ſit gravis, aut graviſſima? Reſp. affirmat Anacl. p. 586. cit. n. 18. appellatis Barb., Engel, Nav., Suar. „ Ratio eſt, inquit, quia jura requirunt *ſanguinis effu-* „ *ſionem* “. (Reſp. hoc verum eſt cap. *Eccleſiis* d. 1. de conſecr., cap. *ſi Eccleſia* mox cit.) at hic terminus copiam denotat, Abb. &c. Reſp. quid, ſi quis hoc negaret? *Effundere* latine, idem eſt ac italice *ſpargere*, *effuſio*, *ſpargimento*. At *ſpargere*, *ſpargimento* tum copiæ, tum paucitati convenit. Hinc Cic. pro Planc. copiam lacrymarum ſignificare volens, ait: *præter lacrymas, quas tu in meis acerbitatibus plurimas effudiſti*: non ait *effudiſti*, *ſed plurimas effudiſti*. An Sacri Canones ſeu multum, ſeu parum ſanguinis fuſi denotare volentes, effuſionis voce apte uſi non ſunt? Cap. *propoſuiſti* 4. t. 41. lib. 3. decr. de violatione Eccleſiæ loquens, loco effuſionis ſanguinis, ait, *aliquando vulnera inferuntur*. At vulnera gravia, & graviſſima acutiſſimis pugionibus ſine multa ſanguinis effuſione inferri dicuntur. Ergo. Quia tamen hac in re neminem in promptu habeo, quem ſequar, meæ imbecillitati diffidens, rem in medio relinquo, a doctioribus accuratius dijudicandam. Sacri Canones, dum Eccleſias ſanguinis effuſione violari decernunt, non ſanguinis copiam, ſed criminis atrocitatem in mente habuiſſe mihi videntur, quæ eadem eſt, ſeu multus, ſeu paucus ſanguis effundatur. An etiam ſeminis copia effundenda eſt, ut Eccleſia polluatur? Sed de his viderint alii.

Buſ. ait, *ſi ex percuſſione, & vulnere levi e. g. narium in rixa puerorum* &c. Hanc ſententiam ſequitur Anacl. t. 3. juris can. p. 585. n. 17. pro qua citat Barboſam, Suarez, & alios. Eamdem probat Nat. Alex. Th. t. 1. p. 359. col. 2. Aliter ſentiendum eſt, ſi percuſſio gravis ſit, & merito cenſeatur graviter injurioſa, & mala, ut contra Dianam, & Piching, habet Anacl. p. mox cit. n. 17. citatis Mar. Ant., Barboſa, & aliis, qua de re ego dubitare non poſſum. Cum enim Sacri Canones Eccleſiam ſanguinis effuſione pollui decernant, in noſtra vero ſpecie ſanguinis effuſio cum gravi culpa conjuncta ſit, qua ratione Eccleſiam non pollui dici poteſt? An quia e naribus, unde facile effluit, effunditur, non eſt graviter injurioſa ſacro loco, eumque turpiter non contaminat, dum per vim ſceleſte excutitur, perinde ac ſi ex alia corporis parte effunderetur?

(l) *Eccleſia* (intellige conſecrata, vel ſaltem benedicta, ut habet in Reſp.) *execratur, ſi parietes* &c. *vel omnis cruſta, aut major ſaltem pars ſimul auferatur*: recte. Idem habet Anacletus t. 3. Juris Can. p. 585. n. 13. citatis Gloſ., Abbate, Azorio, & aliis, & Natal. Alex. Th. t. 1. p. 359. n. 8. appellato S. Antonino. Id vero conſtare ajunt, & conſtat ex cap. *Eccleſiis* diſt. 1. de conſecr. ubi dicitur. *Eccleſiis ſemel Deo conſecratis non debet iterum conſecratio adhiberi, niſi aut ab igne exuſtæ* &c. Nam ſeu ab igne, ſeu ex alia cauſa parietes decruſtentur, perinde eſt. Futile vero eſt & ſophiſticum, quod olim dictum mihi fuit, Eccleſias conſecratas, non item benedictas execrari, ſi major parietum pars ſimul decruſtetur; quaſi vero quod citatus Canon de Eccleſiis conſecratis habet, de benedictis intelligendum non ſit. An conſecratio, quæ longe ſolemniori ritu perficitur, facilius amittitur, quam benedictio? An amiſſa benedictione Eccleſia iterum benedicenda non eſt?

(m) *Calix execratur, ſi* &c. *non tamen ſi in tornatili pes ſeparetur a cuppa*. Eadem habet non ſolum Anacl. t. 3. Juris Can. p. 589. n. 44. ſed etiam Nat. Alex. Th. t. 1. p. 361. n. 4. Ratio autem, cur calix tornatilis in noſtra ſpecie non execretur, ea mihi apta videtur, quia forma ex opera artefacti natura mutabilis, perire non cenſetur per mutationem nullius momenti, illico, & faciillime renatabilem.

Buſ. *Neque execratur, ſi pereat inauratio* &c. Res ſcilicet controverſa eſt; in qua mihi probatur Nat. Alex. loco mox cit. ubi ait. *Secundo nova conſecratione indiget calix argenteus, cum poſt conſecrationem deauratur, vel cum tota deauratio interior deteritur; quia conſecratio fit in ſuperficie illa interiori, quæ non manet eadem*. Hæc ſententia quoad praxim neceſſario tenenda eſt, tum quia communis eſt fatente Anacl. p. cit. n. 47., tum quia tutior, etiamſi oppoſita probabilis foret. Videlicet ſicut Eccleſia execratur, ſi parietes interius magna ex parte decruſtentur, ita calix, ſi tota interior deauratio pereat. Quod ſi Eccleſia non execratur, dum parietes paulatim interius decruſtantur, id fit, quia paulatim reparantur: at calicis interior attritio paulatim facta, non reparatur; ideoque calix execratur.

(n) *Tamb. tamen* &c. *docet probabile eſſe, quod non ſit ſaltem mortale, ſi mutata forma* &c. v. g. &c. Ait *quod non ſit ſaltem mortale*, quaſi vero dici poſſit, ne veniale quidem eſſe. Cap. *Altaris* 39. diſt. 1. de conſec. Clemens Papa ita loquitur: *Altaris palla, cathedra, candela-*

delabrum, & velum ſi fuerint vetuſtate conſumpta, incendia dentur; (Hoc præceptum eſt. An illud violare nulla culpa eſt? Imo quia præceptum, mortalis culpa.) *quia non licet ea, quæ in Sacraria fuerint, male tractari, ſed incendia univerſa tradantur. Cineres quoque eorum in baptiſterium inferantur, ubi nullus tranſitum habeat; aut in pariete, aut in foſſis pavimentorum jactentur, ne introeuntium pedibus inquinentur.* Quod ſi hæc de altaris partibus, aut ornamentis præcipiuntur, ſi cineres quoque eorum cum veneratione tractandi ſunt, quid dicendum de calice, alba, corporali, & aliis hujuſmodi? at Buſ. nos mittit ad lib. 3. tract. 2. cap. 2. dub. 2.; in quod cap. legatur Animad. IV.

(υ) *Quapropter Rubricæ Miſſalis eas ſuper corporale ante, vel poſt calicem poni volunt.* Super corporale quidem ponendæ ſunt; at quo ſitu ponendæ ſint, Rubricæ non præſcribunt. Eas ego collocarem, ubi minus impediunt.

A N I M A D V E R S I O I.

S*Acerdotes ordinarie peccant graviter, ſi nonnliquoties in anno ſaltem ter vel quater ſolemnioribus diebus celebrent &c.*

Hic primo conſideranda eſt opinio Ang., Bon., Dian. &c., qui excuſant Sacerdotes non celebrantes ſaltem a mortali, dummodo communicent in Paſchate, abſitque contemptus, & ſcandalum. „ Cajetanus ſuis in citatum art. (10. q. 82. p. 3.) commentariis docuit, „ venialiter dumtaxat peccare Sacerdotes, qui raro, „ aut nunquam ſacris operantur. Hanc opinionem ut nimium laxam, & falſam expungi S. Pius V. ex Cajetani commentariis mandavit. “ Ita P. Concina Theol. e. 8. p. 497. n. 3. Opinio ergo a Buſembao recitata, rejicienda omnino eſt.

Secondo animadvertenda eſt opinio a Buſemb. primo loco poſita. „ Sacerdotes ordinarie peccant graviter, ſi „ non aliquoties in anno, ſaltem ter, vel quater ſolemnioribus feſtis celebrent, niſi legitime ſint impediti. „ Ita Sylv. &c. “

Verum hæc Buſemb. opinio pro fundamento habet, Sacerdotes ter, aut quater ſolemnioribus feſtis celebrantes, ſuo officio, quoad Miſſam dicendam, ſatisfacere; quam rem ne in dubitationem quidem vocat. At hæc ipſa poſitio non ſolum dubia, ſed falſa eſt ex Concilio Lat. 4., ubi Innoc. III. (habetur cap. *Dolentes* 9. tit. 41. lib. 3. Decr.) ait: *Sunt & alii, qui Miſſarum ſolemnia vix celebrant quater in anno, & quod &c. Hæc igitur, & ſimilia ſub pœna ſuſpenſionis penitus inhibemus.*

Certum ergo eſt, Sacerdotes ter, aut quater ſolum in anno celebrantes peccare; quorum peccatum grave merito cenſetur, quia in re gravi præceptum violant; & quia gravi ſuſpenſionis pœna coercentur.

Illud ſolum dubitari poteſt, quoties in anno Sacerdotes celebrare teneantur. D. Th. p. 3. q. 80. a. 10. inquit: *Unde Sacerdos, etiamſi non habeat curam animarum, non licet omnino a celebratione ceſſare, ſed ſaltem videtur, quod celebrare teneatur in præcipuis feſtis, & maxime in illis diebus, in quibus fideles communicare conſueverunt.* Porro inter præcipua feſta numeranda quoque eſt Dominica dies, quæ in locum Sabbati Hebraici ex Apoſtolorum inſtitutione ſucceſſit, & myſteriis plena eſt. Hinc Syn. Trid. ſeſſ. 23. cap. 14. ita præcipit. *Curet Epiſcopus, ut ii* (Sacerdotes) *ſaltem diebus Dominicis, & feſtis ſolemnibus, ſi tamen curam habuerint animarum, tam frequenter, ut ſuo muneri ſatisfaciant, Miſſam celebrent.* Sacra Syn. de Sacerdotibus univerſe, eodem modo quoad Miſſam celebrandam diebus prædictis loquitur, ac de Parochis quoad talem Miſſæ frequentiam, ut muneri ſuo ſatisfaciant: ergo non minus Sacerdotes univerſe, ſaltem diebus Dominicis, & feſtis ſolemnibus Miſſas celebrare tenentur, quam Parochi ea frequentia, ut muneri ſuo ſatisfaciant. Utriſque ergo præceptum, & debitum quoad hoc imminet. Imo vero hoc præceptum S. Syn. non imponere, ſed jam impoſitum illo verbo *curet* ponere, & declarare videtur. Certum quippe eſt, Sacerdotibus divinitus impoſitum eſſe onus Miſſam celebrandi, ut evincit D. Th. a. 10. cit., & ut conſtat ex illo oraculo Lucæ 22. *Hoc facite in meam commemorationem:* & ex Ap. ad Heb. 5. *Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in iis, quæ ſunt ad Deum, ut offerat dona, & ſacrificia pro peccatis.* Porro S. Syn. Spiritu Sancto afflata, ne divinum hoc præceptum violetur, Epiſcopis imponit, ut curent, ne Sacerdotes quicumque ſaltem diebus Dominicis, & feſtis ſolemnibus Miſſas celebrare omittant. Huic Sacræ Synodi ſollicitudini qui ſeſe non accommodant, dubium nullum eſt, quin divinæ legis violandæ, & mortaliter peccandi periculo ſaltem ſeſe objiciant; etiamſi nullum hac de re Epiſcopi mandatum extet; quidquid contra Buſembaum minus caute, & perperam loquatur: *Imo ubi Tridentinum eſt receptum, tenetur ex mandato Epiſcopi ſub gravi culpa celebrare ſaltem Dominicis, & feſtis; excuſantur tamen, ſi Epiſcopi nullum mandatum extet.*

A N I M A D V E R S I O II.

Etſi in Eccleſiis Cathedralibus &c. quotidie debeat una ſaltem Miſſa privata celebrari &c.

Sicuti leges latæ eludendæ non ſunt, ita ne fingendæ quidem ſunt. Hic Buſembaum legem afferre debuerat, quæ unam ſaltem Miſſam privatam in Eccleſiis cathedralibus, colleg., & conventualibus quotidie celebrari præcipiat. Cap. *Cum creatura* de celebr. Miſſ. tit. 41. lib. 3. Decr. dicitur: *Mandamus, quatenus nullum in vos torporem negligentiæ obrepere permittatis, quominus & pro anniverſariis defunctorum, & pro feſto, vel feria ſecundum temporum congruentiam Miſſarum ſolemnia conventualiter celebretis.* Hic de quotidiana Miſſa privata nullum eſt verbum. Hinc Laym. lib. 5. tract. 5. cap. 3. nu. 5. inquit: „ Addunt vero Canoniſtæ in cit. „ cap. *Cum creatura*, ubi Abb. §. *item nota*, non unam „ tantum, ſed etiam alteram pro defunctis in his Eccleſiis Miſſam legendam eſſe; quod tamen neque in „ illo cap., neque alio jure expreſſum eſt; ideoque cujuſque Eccleſiæ tum conſuetudo, cum litteræ fundationis inſpiciendæ ſunt, ut intelligatur, quæ Miſſarum obligatio incumbat. “ Hactenus ille. Bened. vero XIV. ep. encycl. anni 1744 19. Aug. (habetur apud Concinam t. 1. app. p. 157.) ait: *Neminem veſtrum latere putamus ſacrorum canonum ſanctiones, quibus præcipitur, ut ſingulis diebus in Eccleſiis Patriarchalibus, Metropolitanis, Cathed., & Collegiatis tum horæ canonicæ debitis modo, & forma recitentur, tum etiam Miſſa conventualis celebretur.* De Miſſa privata nihil habet, de qua tamen ſi lex extaret, opportunitas exegiſſet, ut eam ſilentio non premeret.

Non eſſe tamen mortale (præſcindendo &c.) *ſemel, vel bis in hebdomada omittere alterutram, docet Tamb.*

De Miſſa privata nihil. At Miſſa Conventualis ex lege quotidie in dictis Eccleſiis celebranda eſt, ut patet ex allatis Bened. XIV. verbis, quæ ſanctiones *adeo claræ ſunt*, ſubdit Summus Pont., *ut nulla ſuper iis oriri poſſit dubitatio.* Porro lex ex natura ſua ſub mortali obligat, niſi materiæ parvitas excuſet: non eſt autem parva materia omiſſio Miſſæ conventualis ſemel, aut bis in hebdomada; ergo hæc omiſſio a mortali excuſari non poteſt, quidquid contra Buſemb., & Tamb. dicant.

Omiſſio Miſſæ conventualis ſemel, aut bis in hebdomada, mortalis eſt fatente Buſembao, ſi ſit obligatio peculiaris talis Eccleſiæ celebrandi quotidie Miſſam conventualem: at non eſt minor obligatio orta ex lege univerſali Eccleſiæ, quam ex lege peculiari: ergo ſi tranſgreſſio peculiaris obligationis mortalis eſt, mortalis quoque eſt tranſgreſſio obligationis univerſalis.

Uti neque ſi in Eccleſiis Collegiatis die feſto .... Miſſa ſolemnis de feria ... ſemel omittatur.

Rubricæ Miſſalis p. 1. tit. 3. n. 2. ita habent: *In feriis tamen Quadrageſimæ, quatuor Temporum, Rogationum, & Vigiliarum, etiamſi duplex, vel ſemid. feſtum, vel octava occurrat, in Eccleſiis Cathedralibus, & Collegiatis cantantur duæ Miſſæ, una de feſto poſt tertiam, alia de feria poſt nonam.* Hanc porro rubricam eſſe præceptivam, hoc eſt obligantem ſub mortali, oſtendit Gavantus p. 3. tit. 11. n. 7., & ſeq. ab iis legendus, qui monitione contra Buſembaum indigent. Hinc Bened. XIV. ep. encycl. mox cit. inquit: *Non modo Eccleſiis Patriarchalibus, Metropolitanis, Cathedralibus, & Collegiatis injunctum reperitur, ut quotidie Miſſa conventualis in illis canatur, ſed etiam in rubricis generalibus, quarum exactiſſimam Fraternitatibus veſtris cuſtodiam commendamus, præſcribitur, ut certis diebus non una, ſed binæ, atque etiam aliquando tres Miſſæ conventuales uno die celebrentur:* ergo de præcepto quoad rem hanc non eſt dubitandum. Quod ſi unam hujuſmodi omiſſionem a mortali culpa excuſandam ex parvitate materiæ velit, perinde eſt, ac ſi unam omiſſionem totius divini officii parum quid, & leve eſſe dixerit.

A N I M A D V E R S I O III.

Peccat graviter ... qui ſacrum animo ſe obligandi promiſit, & non præſtat ... etſi probabile ſit hoc non eſſe mortale &c.

Hoc perinde eſt, ac ſi dicat, hoc eſſe grave, & non grave, mortale, & non mortale peccatum. Hæc eſt indoles verſatilis probabilitatis, ut contradictoria contra naturæ ſenſum conciliet. Obligatio ſacri, res ſine dubio gravis eſt: ergo hujus obligationis violatio gravis,

ſeu

Digitized by Google

ſeu mortalis culpa eſt. Audienda ergo non eſt contraria opinio, quam Bulemb. ex arbitrio probabilem facit.

Vide Diun., ubi citat ... affirmantes, quod qui pluribus Miſſam gratis promiſit, poſſit unica ſatisfacere.

Quid hoc aliud eſt, quam eum ſuæ obligationi ſatisfacere, qui fidem datam turpiſſime, & in re graviſſima violat? Quis unquam hoc opinamentum tueri conetur, niſi ad cavillos comparatus ſit? Ergo communiter, & merito exploditur.

Animadversio IV.

Si non eſt (taxatum ſtipendium pro Miſſa conſuetudine, vel lege), *ſecundum Sotum, & Cajet. eſt ſrugalis victus unius diei; quod Suar., Laym., & alii reprobant.*

Adde, & recte reprobant. „ Nec enim actio ſacrificii integrum diem, aut majorem illius partem requirit, ſed media hora perficitur. Præterea Sacerdotes ſæculares non promoventur ad ſacros Ordines ſine beneficio, aut patrimonio; nec ex Regularibus ad Religionem acceptari quiſquam jure valet, niſi ex monaſterii reditibus, aut conſuetis eleemoſynis ali poſſit. Cur ergo ex ſola Miſſa repeti alimentum debet? Eleemoſyna taxata, aut taxanda non eſt, nec congrua eſſe debet ad integram Sacerdotis ſuſtentationem, ſed ad illius adminiculum, ut ſcite laudatus Pontifex (Bened. XIV.) citatis gravioribus Theologis docet." Hactenus P. Concina Theol. t. 8. p. 460. num. 2. Hoc vero confirmat idem Bened. XIV. conſt. *Quanta* anni 1745. 30. Junii, ubi ait: *Stipendia propter Miſſarum celebrationem juxta locorum conſuetudines, vel diœceſanarum ſynodorum ſanctiones in ſubſidium alimentorum unjuſcujuſque Sacerdotis dumtaxat pro regionum opportunitatibus præſcripta* &c. Habetur apud La-Croix tom. 2. p. 255.

Secus, ſi ambo dimidium tantum juſti darent; ut probabiliter docent; &c.; quod tamen jam eſt prohibitum per Bullam Urban. VIII.

Si id prohibitum eſt ab Urbano VIII. cur Buſ. doctrinam contrariam probabilem appellare audet? An opiniones a privatis doctoribus traditæ, ſuam probabilitatem retinent, etiam poſtquam a ſummis Pontificibus improbatæ, & prohibitæ fuerunt? Revera autem extat decretum Urbani VIII., ſeu Sacræ Cong. Card. Trid. interpret. auctoritate Urbani VIII. ſpecialiter munitæ, quod poſtea confirmavit Innoc. XII. anno 1698. die 3. Jan., hujus tenoris. (Habetur apud Concinam Theol. t. 8. p. 442.) *Deinde, ubi pro pluribus Miſſis etiam ejuſdem qualitatis celebrandis ſtipendia quantumcumque incongrua, & exigua ſive ab una, ſive a pluribus perſonis collata fuerunt, aut conferuntur in futurum Sacerdotibus, Eccleſiis, Capitulis, Collegiis, Hoſpit., Societ., Monaſteriis, Conventibus, Congreg., domibus, ac locis piis quibuſcumque tam ſæcularibus, quam regularibus, Sacra Cong. ſub obteſtatione divini judicii mandat, ac præcipit, ut abſolute tot Miſſæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemoſynæ præſcriptæ fuerint, ita ut alioquin ii, ad quos pertinent, ſuæ obligationi non ſatisfaciant, quinimo graviter peccent, & ad reſtitutionem teneantur.* Decretum perſpicuis ac luce clarioribus verbis conceptum eſt; nihilominus non defuere, qui de ejus ſenſu dubitationem excitaverint. Itaque quæſitum fuit a Sacra Congregatione, an illa verba *præſcriptæ fuerint* intelligenda ſint de præſcriptione facta ab offerente, vel ab ordinario? S. Congreg. reſpondit „ eſſe intelligenda de præſcriptione facta ab eo, qui eleemoſynam tribuit, non autem ab ordinario. Quod ſi tribuens eleemoſynam, numerum Miſſarum celebrandarum non præſcripſerit, tunc tot Miſſas celebrari debere, quot præſcripſerit ordinarius, ſecundum morem civitatis, vel provinciæ." (Habetur apud eumdem Concinam p. 448. 451.).

Animadversio V.

Qui pecuniam ab alio accepit, ut pro illo celebret, aut fieri curet ...... poteſt curare &c. *minus dando quam accepit.*

Hoc quoque aperte repugnat decreto cit. Urb. VIII., ubi ita habetur. *At ſimiliter omne damnabile lucrum ab Eccleſia removere volens, prohibet Sacerdoti, qui Miſſam ſuſcepit celebrandam cum certa eleemoſyna ne eamdem Miſſam alteri, parte ejuſdem eleemoſynæ ſibi retenta, celebrandam committat.*

Dixi per ſe; quia Urb. VIII. ob ſpeciem turpis quæſtus id fieri vetuit.

Ita ſane loquitur, qui Urb. decretum non legit. At quid ſibi vult Bulemb. his verbis? An illa particula *per ſe* permiſſum facit, & honeſtat quod damnat, & prohibet Urb. VIII.? Dixi *damnat*: revera enim damnat, dum ait *omne damnabile lucrum ab Eccleſia removere volens*. Tale ergo lucrum non ſolum habet ſpeciem turpis lucri, ut Buſemb. loquitur, ſed reipſa damnabile eſt, ideoque ex natura ſua malum, ac prohibitum, etiamſi lege poſitiva non eſſet vetitum. An mercimonia ſtipendii Miſſarum non ſunt ex ſe turpiſſima, & maxime damnabilia? Caveant ergo Sacerdotes, ne illa diſtinctiuncula *per ſe* decipiantur, quæ eo ex natura ſua ſpectat, ut per cuniculos Urbani VIII. decretum impetat, habeantque in mente prop. 9. ab Alex. VII. damnatam, quæ eſt hujuſmodi: *Poſt decretum Urbani poteſt Sacerdos, cui Miſſæ celebrandæ traduntur, per alium ſatisfacere, collata illi minore ſtipendio, alia parte ſtipendii ſibi retenta.* „ Quod ſane lucrum non *ſolum ab avaritiæ ſuſpicione, & vitio, verum etiam a furti crimine, unde reſtitutioni ſubjacet, haud immune eſt,*" ut loquitur Bened. XIV. conſt. *Quanta* cit. ad c. 5.

La-Croix p. 255. poſt relatam prop. 9. ab Alex. VII. proſcriptam, ita inquit, n. 131. „ Non tantum beneficiatus poteſt per alium legere Miſſam, dato ſolum ordinario ſtipendio ... ſed hoc poteſt etiam capellanos amovibilis. Item ille, cui commiſſa eſt celebratio Miſſarum perpetuarum."

De beneficiario, ſeu beneficii Rectore nulla dubitatio eſt; quia ita declaravit Sacra Congregatio, quæ reſpondens ad octavum dub. ait, *ſatis eſſe, ut Rector beneficii, qui poteſt per alium celebrare, tribuat Sacerdoti celebranti eleemoſynam congruam ſecundum morem civitatis, vel provinciæ, niſi in fundatione ipſius beneficii aliud cautum fuerit.* (Apud Concinam loco ſupra cit.) Sed cur La-Croix idem docet de capellano amovibili, itemque de illo, cui commiſſa eſt celebratio Miſſarum perpetuarum? Nullam hujus dicti rationem affert, ſed ſolum in ejus confirmationem citat Paſqualigum, & Gobatum. Ac quæro, utrum Paſqualigi, & Gobati auctoritas ſatis eſſe debeat pro definiendis raro gravibus quæſtionibus? Ex æquorum, cultorumque virorum judicio ego puto, Paſqualigi, & Gobati auctoritatem non eſſe gravem, ſed valde tenuem; qua qui confiſi aliquid aiunt, videant, ne incurrant in prop. 3. ab Innoc. XI. proſcriptam. Nec Capellani amovibiles, nec ii, quibus perpetuarum Miſſarum celebratio commiſſa eſt, ſunt rectores beneficiorum; ergo La-Croix illos cum iſtis perperam confundit. Ii quibus perpetuarum, ſeu legatarum in perpetuum Miſſarum celebratio commiſſa eſt, in quo differunt ab iis, quibus eſt commiſſa celebratio Miſſarum ad tempus aliquod definitum? Quoad rem, de qua agimus, nullo prorſus diſcrimine differunt: utriſque enim Miſſæ celebrandæ committuntur, utriſque pro numero Miſſarum ſtata, & definita ſtipendia aſſignantur; quæ ſtipendia ex voluntate, & mente Miſſas committentium, aut legantium in Sacerdotes celebrantes conferenda ſunt. Ergo nec illi, nec iſti quidquam illorum ſtipendiorum ſibi uſurpare poſſunt, niſi Miſſas celebrent. Quod ſi contra faciant, ſacrilegi ſunt Miſſarum nundinatores; quia Miſſarum onus ſuſcipiunt, ut lucri cauſa illud diſtrahant, & alia imponant; ſunt ſacrilegi fures, quia contra voluntatem legantium Miſſas, ſtipendiorum partem ſibi retinent. Utrique comprehenduntur in cit. Urb. VIII. decreto, & in prop. 9. ab Alex. VII. proſcripta, ſi vis, & ſpiritus legis, nec ſolus litterarum cortex conſideretur; quia eadem prorſus ratio contra utroſque pugnat. At verſatilis probabilitas, decreta, & damnationes ſummorum Pontificum veluti res odioſas conſiderat, ac elevare conatur; unde nihil, niſi mala & corrupta opinamenta exiſtere poſſunt. Porro quod dictum eſt de iis, quibus perpetuarum Miſſarum celebratio commiſſa eſt, idem ex iiſdem rationibus de Capellanis mobilibus eſt affirmandum.

Idem La-Crix n. 123. ait; „ Non eſt illicitum paciſci de ſtipendio pro Miſſa, & quando videtur hoc prohiberi, intelligi debet de pactione, per quam vendatur Miſſa pro pretio, Gob. n. 560."

Ego hic eam veniam peto, ut quæram, quænam La-Croixii opinio deterior ſit, utrum præſens, an proxime ſuperior refutata? Neutra ulla ratione munitur: pro ſuperiore Paſqualigum, & Gobatum La-Croix appellavit, pro præſente unum Gobatum. Hæc doctrina, *non eſt illicitum paciſci de ſtipendio pro Miſſa*, eſt ne pia, honeſta, tolerabilis? Judicent pii, & æqui rerum æſtimatores.

Bened. XIV. conſtit. cit. *Quanta* ita loquitur. *Quanta cura adhibenda ſit, ut .... a tanti ſacrificii dignitate cujuſvis generis mercedum conditiones, pacta &c. e medio tollantur, nemo eſt ex catholicæ fidei cultoribus, qui ignoret.*

Hoc tamen ignoravit non aliquis ex rudi malo populo, ſed La-Croix Religioſus, & Theologus, qui pacta mercedum pro Miſſa non e medio tollenda, ſed licita cum ſuo Gobato non ſolum putavit, ſed publicis typis evulgavit.

Paciſci de ſtipendio pro Miſſa, nihil aliud reipſa eſt, niſi Miſſam vendere, ſicuti venditur equus, bos &c. aut operarii labor, pro quo de ſtipendio pactum ſit: at ven-

vendere Miſſam non ſolum ſimonia eſt, ſed omnium ſimoniarum flagitioſiſſima: ergo. Neque enim ad ſimoniam neceſſaria eſt ſimoniæ, aut venditionis, ſeu emptionis rei ſpiritualis intentio, cum facto ipſo admittitur; ſicuti ad furtum, fornicationem &c. non eſt neceſſaria intentio furti, fornicationis &c., cum furtum, fornicatio &c. reipſa committuntur. Cum ſtipendium propter Miſſam, ſeu, ſi vis, pro Miſſa accipitur ſine pacto, accipitur non ut pretium Miſſæ, ſed ut ſtipendium ſuſtentationis; quod ſine dubio licet; at verumcum id ſtipendium ex pacto accipitur, quocumque te vertas, accipitur, ut Miſſæ pretium; quæ eſt ſimonia flagitioſiſſima.

P. Zacharias in eo quoque me carpere audet, quod La-Croixium refutarim dicentem, *non eſſe illicitum paciſci de ſtipendio pro Miſſa* &c. At quibus quæſo momentis? ita ſcilicet ſcribit. „ Pacta pro Miſſæ celebratione Trid. „ Synodus ſeſſ. 22. dec. de obſerv. & evit. in celebr. „ Miſſæ eliminavit. " Reſp. ergo La Croixii doctrinam eliminavit; „ non tamen Sacerdotibus prohibuit, ne taxatam ab Epiſcopis ſtipem exigant. " Reſp. hæc nihil ad rem. „ Finge jam, Sacerdotem quempiam a laico appellari, qui ex eo quærat, num mille Miſſas (Reſp. onus ſcilicet nimium, quod male imponitur, & male accipitur) „ minore, quam taxata fuerit, ſtipe celebrare velit. " (Reſp. hic malus laicus ſtatim repellendus eſt) „ Negat ille primum, deinde tandem laici „ petitionibus adquieſcit, ac ſcripto chirographo ſe ce„ lebraturum ſpondet. Peto, hoc ne paciſci non eſt? " Reſp. hoc pactum eſt, non tamen ad avaritiam pertinens, de quo Sacra Syn. Trid. ſeſſ. 22. cit., ſed pactum, quo Sacerdos juri ſuo cedit, ideoque, niſi aliud obſtet, licitum; ut animadvertit quoque Benedict. XIV. lib. 5. de Syn. cap. IX. n. 12. & colligitur etiam ex decreto Urbani VIII. citato in fine Animad. IV. præcedentis. Quare Sacerdoti non eſt vetitum, incongrua ſtipendia ex prævio reciproco conſenſu inter ipſum, & committentem Miſſas, pro Miſſis accipere. Sed vetitum eſt ipſi paciſci, ut congruum ſtipendium augeatur; quo pacta ſpectare ſolent.

Zach. „ Quid ſi vero nobilis Vir Sacerdotem ad ſe „ vocet, & quotidianum illi offerat ſacrum apud ſe ce„ lebrandum ſtata ſemper a meridiei ſigno hora? Sa„ cerdos ille incommodum horæ illius apud ſe penſi„ tans petit, ut ille ordinariæ Miſſarum taxæ quinque „ ſolidos ſuperaddat. Et hic paciſcitur pro Miſſæ ſti„ pendio. "

Reſp. Minime vero. Hic non paciſcitur pro Miſſæ, ſed pro incommodi, quod ex natura ſua Miſſæ annexum non eſt, ſtipendio. Ideoque hoc pactum ad rem, de qua agimus, non facit.

Quare cum P. Zach. ait, " quamobrem generatim ve„ rum eſt, non eſſe illicitum, pro Miſſæ ſtipendio pa„ ciſci, " videat lector, eum ſibi, & Trid. Synodo contradicere, quæ ex ejus teſtimonio pacta pro Miſſæ celebratione eliminavit. Hinc S. Th. in 4. diſt. 25. q. 3. a. 2. q. 2. ad 4. ait: *Facere pactionem de Miſſa celebranda, eſt ſimoniacum ſemper.*

Sacerdos, ſi Chriſtianus reipſa eſt, ſtipe ab Epiſcopo, vel conſuetudine definita contentus omnino eſſe debet, uberiorem a ſponte dantibus accipere non prohibetur, minori ſi acquieſcat, reprehendi non poteſt; quia Miſſam etiam ſine ullo ſtipendio pro rogantibus laudabiliter offerre, ſi non indigeat, poteſt. At illud turpiſſimum, & ſimoniacum eſt, ſi per expreſſa pacta, aut cuniculos ſibi comparet ſtipendia pro Miſſa juſto majora. Hic ad lucrum factus eſt, & lucrum quærit e ſacratiſſima re, non eleemoſynam, non victus ſubſidium; ideoque peſſimus. Mea Animadverſio hos ferit, & emendatos cupit.

Animadverſio VI.

Beneficiati etiam curati, ad Miſſas obligati, poſſunt accipere ſtipendium, quia non ſemper habent obligationem applicandi &c. ita Card. de Lugo &c. contra Gavant. &c. qui negant de Parocho, &c. de Miſſa tamen conventuali & ipſe affirmat.

Buſemb. de more contrarias opiniones colligit, ſecumque pugnat, ut lector inde nihil diſcere poſſit, niſi illud ut faciat prout ſibi commodum videbitur.

Ex Synod. Trid. ſeſſ. 23. cap. 1. de ref. indubitatum eſt, Parochis omnibus jure divino impoſitum eſſe, ut, Miſſam pro populo ſibi commiſſo applicent: nam inquit: *Cum præcepto divino mandatum ſit omnibus, quibus animarum cura commiſſa eſt, oves ſuas agnoſcere, pro his ſacrificium offerre &c.*

Quoties autem, & quando id præſtare debeat, ſacra Synod. non definivit. Hac de re plura emanarunt decreta a Congr. Card. Conc. Trid. interpretum; ſed omnem dubitationem tandem ſuſtulit Bened. XIV. Epiſt. Encycl., ſeu conſt. anni 1744 die 19. Auguſti cit. ad c. 2., ubi ait: *Opportunum cenſuimus Fraternitatibus veſtris declarare, nobis abunde ſatisfactum fore, vobiſque proinde ſatis eſſe poſſe, dum iis, qui animarum curam exercent, ſacrificium Miſſæ pro populo celebrent, atque applicent in dominicis, aliiſque per annum diebus feſtis de præcepto*; quod ſane intelligi debet ſine ulla reſtrictione, exploſis omnibus effugiis paupertatis, contrariæ conſuetudinis, aut aliis inventis, quæ Summus Pont. præoccupavit, ac rejecit. At quid dicendum, inquis, ubi numerus feſtorum de præcepto imminutus eſt? *Statuimus, & declaramus*, ait idem Summus Pont., *quod etiam iiſdem feſtis diebus, quibus populus Miſſæ intereſſe debet, & ſervilibus operibus vacare poteſt, omnes animarum curam gerentes Miſſam pro populo celebrare, & applicare teneantur.*

Quod pertinet ad Parochos egentes, unicuique veſtrum, inquit, *facultatem concedimus cum iis, quo revera tales eſſe noveritis, opportune diſpenſandi ad hoc, ut etiam diebus feſtis hujuſmodi eleemoſynam ab aliquo pro offerente recipere, & pro ipſo ſacrificium applicare, quatenus id ab eo requiratur, libere, & licite poſſint & valeant; dummodo ad neceſſariam populi commoditatem in ipſa Eccleſia parochiali Miſſas celebrent; ea tamen adjecta conditione, ut tot Miſſas infra hebdomadam pro populo applicent, quot in diebus feſtis infra eamdem hebdomadam occurrentibus juxta peculiarem intentionem alterius pii Benefactoris obtulerint.*

Quod attinet ad Miſſam conventualem, perſpicuas, repetitas, & uniformes hac de re reſolutiones Congregationis Card. Conc. Trid. interpretum idem ſapientiſſimus Pont. ſua auctoritate confirmat, & enixe inculcat, *ut ſcilicet Miſſa Conventualis, quæ ſingulis diebus canitur a clero prædictarum Eccleſiarum pro earumdem Benefactoribus in genere quotidie applicetur, eodem prorſus modo, quo Miſſam parochialem ab iis, qui curam animarum gerunt, pro populo ſibi commiſſo, ſingulis ſaltem diebus feſtis de præcepto applicari debere ſuperius declaravimus.* Sed hic integra conſtitutio ab iis, ad quos ſpectat, legenda eſt, ne effugiis legem eludant, & remedium, ubi opus eſt, inveniant.

Animadverſio VII.

6 Dian. docet ex Nav..... eſſe mortale celebrare in alio templo, vel altari, quam quis tenetur.

Concina Th. t. 8. p. 470. n. 28. moderate, & caute hac de re ita loquitur. „ Qui tenetur celebrare Miſ„ ſas in Eccleſia, aut altari a teſtatore, vel fundatore „ deſignato, peccat, & quidem graviter, ſi neceſſitate „ ſublata alibi celebret. Excuſant tamen Auct. a mor„ tali, ſi quinquies, aut ſexies per annum negligat lo„ cum, aut tempus, dummodo alibi celebret juxta in„ tentionem fundatoris. Aliquando Epiſcopus ex ratio„ nabili cauſa diſpenſare poteſt ab obligatione celebran„ di in loco deſignato a teſtatore. "

Notatque, poſſe Sacerdotem contra hoc onus Miſſarum præſcribere annis 30. ſi adſit poſſeſſio, titulus, & bona fides.

Tamb. opinio eſt ſine dubio falſa quoad Parochos, *qui quamvis antiqua, ſeu etiam immemorabili conſuetudine in ipſorum Diœceſibus, ſeu Parochiis obtinuerint, ut Miſſa pro populo non applicaretur, eadem nihilominus omnino in poſterum ab ipſis debeat applicari*. Ita Bened. XIV. in mox cit. conſtit. Quoad Miſſam quoque Conventualem, præſcriptio ab eo explicate improbatur, & exploditur ibidem.

Ergo idem quoad alia Miſſarum onera ſentiendum eſt, imo multo magis; quia Parochis pro ſuis redditibus, etiamſi valde tenues ſint, alia graviſſima onera impoſita ſunt; quibus aut ex toto, aut maxima ex parte alii exonerantur. Enim vero contra naturæ jus præſcribi non poteſt: at jus naturæ eſt, ut Miſſa pro iis, ſeu juxta eorum intentionem offeratur, qui ſtipendia in Sacerdotum ſuſtentationem legarunt ea conditione, ut Miſſas celebrarent, prout fuit præſcriptum. Ergo &c. Hæc ſententia adeo ſolida, & certa eſt, ut ipſe La-Croix cit. Paſqual. eam probet n. 122.

Animadverſio VIII.

Eum vero numerum...... poteſt minuere Epiſcopus in Syn., quam poteſtatem Bonac. reſtringit &c.

Sacra Syn. Trid. ſeſſ. 25. cap. 4. de reform. facultatem dat Epiſcopis, ut in Syn. Diœceſana, itemque Abbatibus, & Generalibus ordinum, ut in ſuis capitulis generalibus non ſolum minuere poſſint numerum Miſſarum ex variis relictis defunctorum impoſitum vel nimis magnum, vel eleemoſynæ nimis tenuis, ſed etiam ſtatuere, quid magis expedire viderint, dum legantium commemoratio ſemper fiat, ut ibidem legitur. Sed hanc facultatem tum Epiſcopis, tum Generalibus coarctavit Urbanus VIII. in cit. decreto his verbis: *Ac primo diſtricte prohibet, atque interdicit, ut Epiſcopi in Diœceſa-*

na Synodo, aut Generales in capitulis generalibus, vel alius quoquo modo reducant onera ulla Miſſarum celebrandarum aut poſt idem Concilium (Tridentinum) *impoſita, aut in limine fundationis; ſed pro his omnibus reducendis, aut moderandis, vel commutandis ad apoſtolicam ſedem recurratur, quæ* &c. *alioquin reductiones* &c. *omnino nullas, utque inanes decernit.*

Hæc ſunt prorſus contraria iis, quæ Buſemb. ex Bonacina ait, ut decreti verba conſideranti perſpicuum eſt.

Nihilominus ſuper hoc decreto quæſitum fuit, " quid „ ſi legatum ſit ita tenue, ut non ſit qui velit onus il„ li injunctum ſubire; & ſi recurrendum ſit ad Sedem „ Apoſtolicam pro moderatione oneris, totum, aut „ ferme totum inſumendum ſit pro expenſis ad id ne„ ceſſariis?

„ Et quid ſi permittatur Epiſcopo in fundatione, ut „ poſſit hujuſmodi onera moderari? "

Reſpondet Sacra Congreg. Apoſtolica auctoritate munita apud Concinam t. 8. p. 450. *Ad primum, etſi legatum ſit adeo tenue, nihilominus pro reductione oneris ut ſupra impoſiti ab iis, ad quos pertinet, Sedem Apoſtolicam eſſe adeundam, quæ abſque ulla impenſa id ſtatuet, quod magis in Domino e re eſſe judicaverit. Verum tamen, ſi in ipſa beneficii erectione expreſſe cautum fuerit, ut liceat Epiſcopo ſujunctum onus reducere, ac moderari, legem hanc fundatoris, quam decreta hac de re edita non ſuſtulerunt, eſſe validam, & obſervandam.*

At Bened. XIV. apud Concinam Theol. t. 8. p. 476. n. 43. inquit: *Attamen poſt Urbanum VIII. alii Romani Pontifices, videl. Alex. VII. Clem. X. Clem. XI. Innoc. XIII., & Bened. XIII. fere omnibus religioſis inſtitutis privilegium conceſſerunt, ut Superiores Generales adhibito maturo conſilio, ac nonnullis ſervatis regulis poſſent in ſua quiſque Religione onera Miſſarum antea relicta, & acceptata moderari; eademque facultas a S. Mem. Bened. XIII. facta fuit omnibus Epiſcopis, qui per ſe, vel ſuos procuratores interfuerunt Romano Concilio habito 1725., uti videre eſt in eodem Conc. tit. 15. cap. 8.*

ANIMADVERSIO IX.

Qui tamen concedit, poſſe eum pro ſeipſo .... & .... pro particulari defuncto celebrare: item quavis hebdomada unam Miſſam omittere &c.

Quoad omiſſionem, ſeu vacationem a Miſſa quotidiana diſtinguendum eſt: ſi enim obligantur ratione beneficii, capellaniæ, legati, aut ſtipendii celebrare quotidie Miſſam per ſeipſos, vacare poſſunt concurrente aliqua rationabili cauſa, ut reſpondit S. Cong. Concilii apud Concinam Theol. t. 8. p. 459. at devotionis, & reverentiæ cauſa, eſt rationabilis cauſa omittendi Miſſam: ergo &c. Hinc P. Conc. t. 8. p. 470. n. 29. ait, hanc Buſembaum ſententiam eſſe communem.

At ſi obligantur celebrare Miſſam quotidie, abſque tamen onere celebrandi per ſeipſos, a Miſſa vacare nunquam poſſunt, ut eadem Congr. apud eumdem Concinam p. cit. decrevit.

Qui autem per ſeipſos celebrare obligantur, nec pro ſeipſis, nec pro aliis, præterquam pro fundatoribus celebrare diebus licitæ vacationis poſſunt, ut eadem Congreg. loc. cit. reſpondit.

ANIMADVERSIO X.

Qui non poteſt fundationi ſatisfacere propter morbum, non tenetur, ſi brevis ſit, ſubſtituere alium, aut compenſare.

Hæc opinatio loquendo de iis, qui per alios celebrare poſſunt, improbata fuit a Cong. Concil., ut mox diximus; eamque improbat etiam Nat. Alexand. Theol. t. 5. p. 364. n. 2.

Si vero ſermo ſit de iis, qui per ſeipſos celebrare tenentur, hos non teneri ſubſtituere docet quoque Nat. Alex. loco mox cit. nixus auctoritate Angeli de Clavaſio, Silveſtri Prieratis, Tabienæ, Navarri, Silvii, & aliorum, loquendo de brevi ægritudine v. g. octo, aut quindecim dierum. Sed res dubia eſt. Nam Sacra Congregatio apud Concinam loco mox cit. de his quinto loco interrogata, „ an illis diebus, quibus licite vacant „ a celebratione, teneantur Miſſam ab aliis celebrari „ facere juxta intentionem fundatorum? " *Ad 5. diſtulit reſolutionem.*

Ratio dubitandi eſt, quia qui legem fundatoris exacte implere non poteſt, eam quo modo poteſt, hoc eſt ſi non per ſe, per alium implere tenetur. Contra vero rationabiliter præſumi poſſe videtur, eam in caſu eſſe mentem fundatoris, ut Sacerdos ſubſtituere non teneatur. Sed quia hæc præſumptio non eſt certa, ſed anceps, idcirco non videtur tutum, in caſu non ſubſtituere, præſertim ſi Sacerdos ſine gravi incommodo id facere poſſit.

Secus tamen, ſi ſit diuturnus morbus, niſi reditus ſint nimis tenues, aut in morbum abſumantur, ut contra Sylv., & Azor. docet &c.

Cur non tenetur ſubſtituere, ſi reditus ſint nimis tenues, aut non compenſare, ſi in morbum abſumpti fuerint? An quia reditus tenues ſunt, ſuos facit etiam eos, qui reſpondent Miſſis non celebratis? Quod ſi reditus non ſuos abſumpſit, compenſare eos tenetur. Uno verbo in rebus dubiis pars tutior ex neceſſitate præcepti tenenda eſt.

ANIMADVERSIO XI.

Solus Sacerdos offerens valide id facit.

Id intellige de fructu reſpondente actioni Sacerdotis offerentis. Nam etiam adſtantes ſacrificium offerunt, ut docent Innoc. III. in tract. de myſt. Miſſæ lib. 3. cap. 6., inquiens: *Non ſolum offerunt Sacerdotes, ſed univerſi fideles*; ideoque hi quoque fructum ſuæ cooperationi reſpondentem, cui voluerint, applicare queunt, ut recte monet Concina Th. t. 8. p. 473. n. 35. quod confirmant illa Canonis verba, *memento Domine* &c. *& omnium circumſtantium, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc Sacrificium laudis pro ſe* (en applicatio) *ſuiſque omnibus* &c., item illa, *orate Fratres, ut meum, ac veſtrum Sacrificium* &c.

ANIMADVERSIO XII.

Dixi vel ante; quia non requiritur &c.

Ita quoque habet Concina, qui Theol. t. 8. p. 474. n. 37. ita loquitur. „ Intentio virtualis hæc eſt: acce„ piſti viginti eleemoſynas pro totidem Miſſis. Hodie „ celebrationem incipis, deliberaſque ſingulis diebus pro „ offerente applicare uſque ad ultimum. Etiamſi cete„ ris ſingulis diebus alio diſtractus intentionem non re„ noves, puto ſufficere primam. Virtualiter enim per„ ſeverat. Similiter dum Religioſi ſubditi applicant ſa„ crificium juxta intentionem Sacriſtæ, vel Superioris, „ animumque deliberatum habent ſic applicandi, quam„ vis interdum diſtracti, renovandæ hujus applicationis „ obliviſcerentur, non propterea ambigere de applica„ tione debent. "

ANIMADVERSIO XIII.

Si nulli applicetur .... vel cedit ipſi Sacerdoti, vel illis, pro quibus tenetur ſpecialiter offerre.

Si Sacerdos orationem recitet, Miſſæ præmittendam, *ego volo celebrare* &c. *pro omnibus* &c. applicatio ſacrificii jam perfecta eſt, nec quoad hoc dubitandum. At ſi neque illa oratio Miſſæ præmiſſa fuerit, nec Sacrificium, cuiquam applicatum, non intelligo, qua ratione Sacrificii fructus iis cedat, pro quibus Sacerdos ſpecialiter offerre tenetur. Nec enim ſpecialis Sacrificii fructus in eos, pro quibus fuerat offerendum, ſed in illos, pro quibus reipſa offertur a Sacerdote, derivatur. Hoc enim totum, hoc eſt ſpecialis Sacrificii fructus derivatio, a voluntate Sacerdotis pendet.

At inquit Buſem. „ Ita implicite cenſetur intendiſ„ ſe. "

Reſp. Hæc ratio ſatis implicita eſt. Intentio enim implicita in aliqua expreſſa intentione includitur. Quare Sacerdos nullo modo pro iis Sacrificium offerre intendiſſe merito cenſetur, pro quibus nullam unquam habuit voluntatem, ſeu intentionem offerendi. Intentio quæcumque, ſeu explicita, ſeu implicita, eſt realis actua voluntatis. Si in Sacerdote nullus unquam fuit actus voluntatis applicandi Sacrificium, fruſtra confugis ad Scholæ terminos, fruſtraque ponis applicationem, quæ reipſa non fuit. Ex quo illud conſequitur contra cupiditatem, cui repugnantes, adverſarios multos, & contemptores nobis conciliamus, ut Sacerdos, qui nemini Miſſam applicavit, nec eleemoſynam pro ea accipere, nec acceptam retinere jure valeat.

ANIMADVERSIO XIV.

Miſſa celebrata in altari privilegiato pro defunctis non ſuffragatur illis ... niſi ſit de Requiem Dian. &c. *ex declarat. Card.*

Contrariam declarationem exaratam invenio Calendario Patavino anno 1755., & anterioribus hujus tenoris. *Miſſæ ſive ex obligatione, ſive ex ſola devotione ad altare eo die privilegiatum pro Defunctis celebratæ de feſto currente, in quo de Requiem celebrari non poſſunt, ſuffragantur cum omnibus indulgentiis, perinde ac Miſſæ defunctorum ad formam privilegiorum celebratæ. Ita Clem. Papa X. declarationem ab Alex. VII. circa altaria privilegio perpetuo decorata editam die 22 Jan 1667., ad altaria non in perpetuum, nec omnibus hebdomadæ diebus privilegiata extendens auctoritate apoſtolica conceſſit, & indul-*

Digitized by Google

induſit die 23. Septembris 1669. Hæc decreta habentur quoque apud La Croix p. 434. n. 78. & 80. ubi ad n. 80. P. Zach. hoc addit. „ 20. Jul. editum eſt decretum „ a S.C., confirmatum a Clem. IX. 20 Sept. in Bre- „ vi, *Cum felicis record.* “ p. 435. n. 83. ita legitur. „ Decreta ſuperius poſita nu. 78., & 80. licet compre- „ hendant tantum feſta duplicia, intelligenda tamen „ ſunt etiam de Dominicis, de diebus infra Octavas „ Epiphaniæ, Paſchatis, Pentecoſtes, & Corp. Chriſti, & „ de omnibus aliis diebus, quibus juxta rub. non poſſunt „ celebrari Miſſæ defunctorum. 2. Ap. 1688. “ Quod decretum confirmatum fuit ab Innocent. XI., ut ibi notat P. Zach.

Animadverſio XV.

Ordinarie non licet celebrare poſt meridiem, ſed &c., *nec ante auroram.*

Ita Rub. Miſſalis p. 1. cap. 15., ubi ajunt: *Miſſa privata ſaltem poſt matutinum, & laudes quacumque hora ab aurora uſque ad meridiem dici poteſt.* Bened. vero XIII. in append. Conc. Romani c. 10. editto &c. n. 9. ita præcipit. *Per rimediare ancora all' abuſo di celebrarſi le Meſſe in ore intempeſtive, comandiamo, che non poſſano queſte incominciarſi prima di un terzo d' ora avanti dell' aurora, e che un terza d' ora dopo mezza giorno debbano eſſer del tutto terminate ſotto le ſopraddette pene di carcere* &c., *non oſtante qualſiſia preteſa conſuetudine in contrario, o privilegio, che non ſia ſtato eſibito nella noſtra Segretaria, e riconoſciuto, ed approvato da noi.*

Quam ante Solis ortum &c.

Buſembaum varias de auroræ tempore opiniones a morum ſcriptoribus irrito labore colligit duplici ex capite. Primo quia auroræ determinatio non a moralibus doctoribus, qui quatenus tales, hujus rei notitiam non habent, ſed ab aſtronomis harum rerum obſervatoribus ſumenda eſt: ſecundo quia tempus auroræ non eſt idem ubique, & omni tempore, ſed varium pro latitudinis, ſeu elevationis poli, & temporis diverſitate.

Si auroræ tempus in Calendario notatum, ut fit in Patavino, reperiatur, Sacerdotes illam regulam ſui Epiſcopi auctoritate propoſitam ſequi tuto poſſunt. Ubi hæc regula deeſt, hanc habeto. *Ubi non eſt aurora phyſice, pro licita Miſſarum celebratione attendatur ea moraliter, & politice, quando ſcilicet ibi terminari ſolet quies, & inchoari labor juxta probatam regionum conſuetudinem.* Sacra Rituum Cong. 18. Septemb. 1634. apud La-Croix t. 2. p. 437. n. 214., in quam ſententiam teſte Gavanto p. 1. tit. 15. n. 1. in pleniore Congregatione omnes ivere.

Quacumque autem hora licite ... celebrent, eadem etiam, atque adeo &c. *licere iis Euchariſtiam aliis miniſtrare contra Bord. docet Dian.*

In Dianæ laxi Scriptoris auctoritate Buſemb. conquieſcit. At qui cauti eſſe volunt, ut omnes debent, non Dianam, nec Buſembaum, ſed Eccleſiæ conſuetudinem attendant, quæ non permittit, ut populus ante auroram Communionem ſumat; quod confirmat S. Cong. Rituum dec. mox citando.

Animadverſio XVI.

In nocte Nativitatis, in qua omnes tres Miſſæ ante auroram dici poſſe, probabiliter docet Suarez &c.

Contraria ſententia teſte Gavanto in Rub. Miſſ. p. 4. tit. 3. n. 6. communior eſt, quam ſequitur quoque P. Concina Theol. t. 8. p. 478. n. 4. contra P. Vivam. Buſemb., Vivæ, & aliorum opinio rubricis repugnat, quæ p. 1. t. 15. n. 4. ajunt: *Excipiuntur ad hoc ordine dicendi Miſſam Conventualem, Miſſæ in Nativitate Domini, quarum prima dicitur poſt mediam noctem finito Te Deum laudamus in matutino, ſecunda in aurora* &c.

Id confirmat Sacra Rituum Congr. hoc decreto apud La-Croix p. 437. n. 221. *Non licet in media nocte Nativitatis Dominicæ celebrare ſucceſſive alias duas Miſſas, & in eis ſacram Communionem exhibere fidelibus illam depoſcentibus, ſed utrumque omnino prohibitum. 7. Decembris* 1641. ubi P. Zach. hæc addit: anno vero 1686. 23. Martii declaravit S.C. hoc præceptum *ligare etiam omnes Regulares, etiam Patres S. J., neque poſſe excipi in Eccleſia confeſſiones, maxime mulierum, durante tempore nocturno, ſed expectandum eſſe, ut illuceſcat aurora tam pro confeſſionibus mulierum excipiendis, quam pro Euchariſtia miniſtranda fidelibus utriuſque ſexus.*

Quid nunc mihi objicis P. Vivam reſpondentem, hoc decretum quoad Miſſas non eſſe uſu ubique receptum? Leges feruntur, & declarantur contra malos aliquorum uſus. Malus porro uſus eſt, qui univerſali Eccleſiæ conſuetudini, & antiquiſſimis Eccleſiæ ritibus, & legi ſine ratione, imo contra rationem adverſatur.

Animadverſio XVII.

Vide Dian., ubi notat, Religioſos ex ſuis privilegiis poſſe &c. *vide Bonac.*

Pii, cautique religioſi nec Dianam, nec Bonacinam, nec alios hac in re conſulent, ſed audient vocem ſupremi Paſtoris hic ad reſp. 1. relati: *Non obſtante qualſiſia preteſa conſuetudine in contrario, o privilegio, che non ſia ſtato eſibito nella noſtra Segretaria, e riconoſciuto, ed approvato da noi.*

Animadverſio XVIII.

Nec eſt peccatum celebrare ... etſi ob infirmitatem non poſſit horas dicere.

Poſſe dicere Miſſam, & non poſſe dicere horas ob infirmitatem, penes me contraria ſunt; quia ſi infirmitas horarum canonicarum recitationem, quæ diviſim, & in cubiculo, & in lecto ipſo, quocumque corporis ſitu recitari corporis ægritudine ſic poſtulante poſſunt, impedit, multo magis impedit Miſſæ celebrationem, quæ dividi non poteſt, & ſtando, & cum multis ægri corporis incommodis dicenda eſt. Verſatilis probabilitas, quæ contradictoria conciliat, multo magis contraria conciliabit. At infirmus, qui canonicas horas recitare reipſa, non ex ſui mali cerebri illuſione nequit, multo minus Miſſam celebrare poteſt; & qui hanc celebrat, multo magis horas canonicas dicere valet; quas ſi omittat, ipſum ne excuſes, ſed malum Sacerdotem ſine dubitatione dicito, quidquid Buſemb., & alii aperta crimina male excuſantes, contra dicant.

Vel etiam ante matutinum &c. Hac de re infra dub. 5.

Animadverſio XIX.

Die Veneris ſancti ... Euchariſtiam ſumere, vel aliis præbere non prohibemur, ut habent &c.

Eo ipſo, quod Eccleſia Sacerdotibus interdicit, ne die Veneris ſancti Miſſam celebrent, illud quoque nobis interdictum eſt, ne communionem ſumamus, niſi infirmitas aliud expoſcat.

Rubr. Miſſ. fer. 5. in cœna Domini ita habent. *Hodie Sacerdos conſecrat duas hoſtias*, &c. *reſervat etiam aliquot particulas conſecratas, ſi opus fuerit, pro infirmis.* Ajunt *pro infirmis*, ut intelligamus die ſequenti, quo Sacramentum non conficitur, iis quidem, ſi opus fuerit, Euchariſtiam miniſtrari poſſe, & debere, non aliis, non laicis, non clericis, non Sacerdotibus: cum enim dicitur *pro infirmis*, omnes, qui infirmi non ſunt, excluduntur.

Quæſitum fuit, an occurrente feſto Annunciationis B. V. M. in paraſceve, ratione feſti miniſtrari poſſit Euchariſtia aliis, quam infirmis?

Sacra Rituum Cong. reſpondit die 9. Maji 1606., ſervandam eſſe univerſalis Eccleſiæ præſentem conſuetudinem non miniſtrandi niſi infirmis hac die Euchariſtiam. Ita refert Gavantus p. 4. tit. 9. n. 24. 25.

Quod ſi Sacra Euchariſtia ne ratione quidem feſti B. V. M. miniſtrari poteſt die paraſceves, niſi infirmis, multo minus miniſtrari poteſt aliis eo feſto non occurrente.

Eccleſiæ ſcilicet univerſalis conſuetudo præſens eſt, ut eo die nec laicis, nec clericis, nec Sacerdotibus Euchariſtia miniſtretur; quæ conſuetudo legis loco habenda eſt, nec audiendi ſunt, qui contra dicunt, aut ſcribunt.

In Cœna Domini vero, etſi ex conſuetudine &c. *plures tamen ex cauſa licite privatim celebrant.*

Id admittit quoque P. Concina Theol. t. 8. p. 487. n. 3. ſed repudiandum eſt. Primo quia univerſalis Eccleſiæ conſuetudo habet, ut Sacerdotes eo die non celebrent: ſecundo quia in Calendario Patavino fer. 5. in Cœna Domini tum anno 1757., quo hæc ſcribo, tum aliis anterioribus conſtanter ita habetur. *Hodie quocumque in loco prohib. Miſſ. priv. ex pluribus S. R. C. Decr.*: demum, ut omnis hac de re etiam quoad Sabbatum ſanctum dubitatio tollatur, & litem finitam eſſe, omnes noverint, Clemens XI. in edicto 15. Martii 1722. privatas Miſſas prohibet diebus Jovis, Veneris, & Sabbati ſancti. Ita teſtatur P. Zacharia in adnotatione ad nu. 2080. p. 441. La-Croixii, citans Lambert., nunc Bened. XIV., de cujus fide non dubito. Similia decreta habentur apud Pittonum de ritibus p. 336. n. 1030. p. 442. 443. n. 1325. 1326.

Animadverſio XX.

Sæpius in die celebrare non licet ordinarie, quod addo, quia &c. ... licitum eſt ... bis, vel etiam ter ... 1. nocte Nativitatis.

Nocte Nativitatis una tantum Miſſa ex dictis ad c. 4. reſp. 1. celebrari poteſt.

Neque ter communicare, vel ſemel communicare, & bis celebrare.

Triplex communio includitur in triplici Miſſa. At extra Miſſam una tantum communio una die permiſſa eſt, neque ab hac lege excipitur dies Nativitatis. Itaque Sacerdos non ſolum non tenetur die Nativitatis Domini ter communicare extra Miſſam, ſed hoc ne permiſſum quidem illi eſt; itemque ſi unam, alteramve Miſſam celebret, communionem loco tertiæ Miſſæ addere illi non licet; quod fatetur etiam La-Croix p. 262. n. 242. ex Gob.

Si Paſtor habeat duas Parochias diſſitas .... Si concurſus populi ſit tantus, ut Eccleſia non capiat .... Si ante ablutionem moneatur &c. .... Si die feſto adveniant &c.

La-Croix p. 262. num. 237. quoad Parochum habentem plures parochias idem habet, imo nu. 240. ſubdit, quod „ habens duas parochias, poſſet in Natali Domi-
„ ni legere ſex Miſſas. “

„ Sed opiniones iſtæ (inquit P. Concina Theol. t. 8.
„ p. 488. n. 6.) falſæ ſunt, præſertim ætate noſtra,
„ ob Sacerdotum multitudinem, & cum Sedes apoſtoli-
„ ca prohibuerit Miſſas eadem die iterari (Innoc. III.
„ cap. *conſuluiſti*, & Honorius III. cap. *Te referente* Decr.
„ lib. 3. tit. 41.) nemo abſque ejuſdem diſpenſatione
„ plures eadem die celebrare Miſſas valet. “ Ita ſcilicet poſtulat hodierna diſciplina, & conſuetudo, a qua non eſt recedendum.

Niſi neceſſitas, de qua Bened. XIV. lib. VI. de Syn. Diœc. cap. VIII. n. 21. meminit, aliud poſtulet. Ibi enim ita loquitur. „ Hodie unus dumtaxat ſupereſt ca-
„ ſus, quo Sacerdoti fas eſt uno, eodemque die gemi-
„ num offerre ſacrificium, ſi nempe idem Parochus dua-
„ rum Parochiarum curam gerat, quæ ad invicem lon-
„ go ſatis intervallo diſſocientur; ex quo fiat, ut via,
„ aut ne vix quidem utriuſque Parochiæ populus in
„ unam ſe conferre poſſit Eccleſiam ad ſacrum audien-
„ dum. In quo rerum ſtatu concors omnium opinio
„ eſt, Parochum nedum poſſe, ſed plane teneri bis eo-
„ dem die Miſſam celebrare; ac, poſtquam in una Pa-
„ rochia Miſſam expleverit, ad aliam accedere, ne al-
„ terutrius Eccleſiæ populus die feſto a ſacro audiendo
„ excludatur. “ Tum n. 22. ſubdit. „ Cum per Oſcen-
„ ſis Diœceſeos tractum non uno in loco duæ Parochiæ
„ longo intervallo diſſitæ ſub uno animarum Rectore
„ ſocientur, Parochis illis conſilium incidit, ut poſt
„ ſacrum in una Eccleſia peractum, aliud eodem die in
„ alterius Parochiæ Eccleſia celebrarent. Verum ſolers
„ Epiſcopus edita Synodali Conſtitutione id vetuit:
„ non enim deerant Sacerdotes, qui poſt Miſſam a Pa-
„ rocho in una Eccleſia parochiali celebratam, poſſent
„ illius vice in alia Parochia ſacrum obire. Excitatam
„ hac de re controverſiam nos definivimus favore Epi-
„ ſcopi..... tunc enim ſolummodo permitti poteſt die
„ feſto Miſſæ celebrationem iterari, ne alterutrius Pa-
„ rochiæ populus ſolemni ſacrificio careat, cum nemo
„ præter Parochum adeſt, qui in altera ex Parochiis
„ Miſſam celebrare valeat.... “ Hic vero lectores mittit ad conſt. 211. ſui Bullarii t. 2.

ANIMADVERSIO XXI.

In gratiam &c. ſupervenientis Principis &c.

Buſemb. varias more ſuo colligit opiniones, ut quilibet eam eligat, quæ ſibi magis placuerit. Sed hic animadvertendum eſt, illud certum eſſe, Sacerdotes ab introitu repetere non teneri: contra ut minimum dubium eſt propter diſcrepantes ſententias, utrum id liceat. Porro cum de peccato agitur, certa incertis neceſſario præferenda ſunt: ergo in ſpecie propoſita Miſſa ab introitu nunquam repetenda eſt.

Nat. Alex. Theol. t. 1. p. 365. a. 4. nu. 7. ita inquit:
„ An vero Miſſa poſſit interrumpi, ſi Epiſcopus, aut eo
„ major, vel Princeps aliquis adveniat, qui Miſſam die
„ feſto audire non poterunt, niſi Sacerdos, qui eam in-
„ cepit, & evangelium forte, ac ſymbolum recitavit,
„ illam ab introitu incipiat, caſuum arbitri diſſentiunt.
„ Quamvis non incelebre ſit aſſerentium nomen, ſen-
„ tentiæ tamen neganti libentius ſubſcribo; quia ordo
„ Sacrificii potior eſſe debet, quam hominum quavis di-
„ gnitate conſpicuorum commoda; tum quia via pate-
„ ret abuſui, & Sacerdotes lucri cupiditate, reveren-
„ tiæ, vel amicitiæ cauſa, ſive etiam metu alicujus
„ incommodi, pro nobilium, aut potentum quorumvis
„ hominum voluntate Miſſam interrumperent, & ab
„ introitu reſumerent; tum quia id via fieri poteſt abſ-
„ que chriſtianæ plebis offenſione; tum quia Epiſcopus,
„ aut Vir Princeps modo neceſſariam diligentiam adhi-
„ buerit, ut Miſſam integram audiat, Eccleſiæ præ-
„ cepto ſatisfaciet, audiendo quod reliquum eſt, præter-
„ tim ſi nondum facta ſit oblatio. Denique Conc. Med.
„ 1. vetat, ne Sacerdotes, cum ad altare acceſſerint, “ *ibi in mora ſint Sacrificii, cujuſvis expectandi gratia, neve ob eamdem cauſam Miſſa inchoata ſubſiſtant, aut ejus initium repetant.*

ANIMADVERSIO XXII.

Ne incaute quoad fieri poteſt loquamur, neve omni vento doctrinæ abripi nos ſinamus, ſacri canones primo loco conſulendi ſunt.

Cap. *Conſecrationem* diſt. 1. de conſecr. dicitur: *Conſecrationem Eccleſiarum, & Miſſarum celebrationes non alibi, quam in ſacratis Domino locis abſque magna neceſſitate fieri debere, liquet omnibus, quibus ſunt nota veteris, & novi teſtamenti præcepta:* & cap. *Sicut* eadem diſt. *Satius ergo eſt Miſſam non cantare, aut non audire, quam in illis locis, ubi fieri non oportet, niſi pro ſumma contingat neceſſitate; quoniam neceſſitas non habet legem.*

Si Eccleſiæ dirutæ ſint, neceſſitas magna celebrandi Miſſas extra ipſas evidens eſt; ideoque cap. *Concedimus* diſt. 1. cit. dicitur: *In Capellis cum tabula conſecrata Miſſas interim celebrari permittimus, donec Eccleſiæ ipſæ reſtaurari queant:* tum ſubditur: *In itinere vero poſitis, ſi Eccleſia defuerit, ſub die, ſeu in tentoriis, ſi tabula altaris conſecrata, cæteraque ſacra miniſteria ad id officium pertinentia affuerint, Miſſarum ſolemnia celebrari concedimus: aliter omnino interdicimus.*

ANIMADVERSIO XXIII.

Si populum in ſolemni feſto templum non capit.

La-Croix p. 264. n. 256. ita loquitur; „ Si non im-
„ proviſo, ſed certa die concurrere ſoleat tantus popu-
„ lus, ut Eccleſia non capiat omnes, debet Parochus
„ prævenire, & petere ab ordinario facultatem cele-
„ brandi extra Eccleſiam: talis enim facultas non cen-
„ ſetur data, niſi quando caſus eſt improviſus. Gob.
„ t. 3. in app. ad num. 265. “

La-Croix ponit, Epiſcopos poſſe facultatem impertiri celebrandi extra Eccleſias; quod ex mox dicendis non eſt verum; ideoque facultas ab Epiſcopo ſeu expreſſe conceſſa, ſeu tacite præſumpta, hac in re locum non habet. Quare Parochus in ſpecie propoſita, ſeu populi concurſus fuerit prævifus, ſeu inopinato accidat, extra Eccleſiam celebrare non poteſt. Nec enim magna neceſſitas id poſtulat, tum quia populus, aut ejus pars alias Miſſas audire poteſt, tum quia qui ex neceſſitate extra Eccleſiam manentes Miſſæ interſunt, præcepto ſatisfaciunt.

In caſtris pro exercitu, ſed feſtis tantum diebus.

Id intelligendum mihi videtur, ſi Eccleſiæ, ad quas exercitus accedere poſſit, deſint. Nam ſi hæ adſint, non eſt neceſſitas celebrandi extra Eccleſiam. cap. *Concedimus* animad. 22. hic.

Licet Paſq. apud Dian. etiam non feſtis cenſeat poſſe permitti Generalibus, & primariis ducibus in ſuis tentoriis.

Ego vero opinionem unius probabilis ſcriptoris auctoritate nixam probabilem haberi non poſſe, pro certo habeo ex prop. 27. ab Alex. VII. proſcripta. Quænam hic neceſſitas eſt, ut Miſſa dici poſſit extra Eccleſiam? Nulla ſcilicet, nedum magna, qualem canones requirunt, ut Miſſa celebretur extra Eccleſiam.

In portu pro appulſu navis.

Id forte permiſſum eſt, ſi feſtum urgeat, nec Eccleſiæ adſint, ubi Miſſa dici queat.

ANIMADVERSIO XXIV.

Ex diſpenſatione Epiſcoporum &c.

Facultas permittendi, ut Miſſa in locis non ſacris diceretur, Epiſcopis olim quidem competebat ex cap. *Miſſarum* de conſecr. diſt. 1., ubi dicitur: *Miſſarum ſolemnia non ubique, ſed in locis ab Epiſcopo conſecratis, vel ubi ipſe permiſerit, celebranda eſſe cenſemus.* At hæc facultas fuit illis adempta a Sacra Syn. Trid. ſeſſ. 22. in decr. de obſerv. & vit. in cel. Miſſæ, ubi ait: *Neve patiantur* (Epiſcopi) *privatis in domibus, atque omnino extra Eccleſiam, & ad divinum tantum cultum dedicata oratoria, ab eiſdem Ordinariis deſignanda, & viſitanda, ſanctum hoc Sacrificium a Sæcularibus, aut Regularibus quibuſcumque peragi.* Hanc inhibitionem Clem. XI. decr. *Nonnulli* 15. Decembris 1703. (habetur in app. Concilii Rom. ſub. Bened. XIII. p. 131.) his verbis confirmat. *Quamobrem .. Sanctiſſimus Dominus noſter ex unanimi voto S. R. E. Card. Conc. Trid. interpretum, inhærendo declarationibus alias hac de re editis expreſſe declarat, Epiſcopis, & his majoribus Prælatis etiam Cardinalatus dignitate fulgentibus, neque ſub prætextu privilegii clauſi in corpore juris, neque alio quoque titulo, nullo modo licere extra domum propriæ habitationis, in domi-*

domibus laicis, etiam in propria diœceſi, quod fortius intelligitur in aliena, etiamſi diœceſani conſenſus adhiberetur, erigere altare, ibique ſacroſanctum Miſſæ ſacrificium celebrare, ſeu celebrari facere. Quæ tamen prohibitio *intelligenda non eſt de domibus etiam laicis, in quibus ipſi Epiſcopi forte occaſione viſitationis, vel itineris hoſpitio excipiuntur; & nec etiam quando Epiſcopi in caſibus a jure permiſſis, vel de ſpeciali Sedis apoſtolicæ licentia abſentes a domo propriæ ordinariæ habitationis, moram idcirco faciant in aliena domo per modum ſimilis habitationis; his enim caſibus licita iis erit erectio altaris ad effectum prædictæ celebrationis, non ſecus ac in domo propriæ habitationis.* Ita declarat Innoc. XI. conſt. *Apoſtolici* die 13. Maji 1723. (Habetur in app. Conc. Rom p. 133.)

Extra hos caſus, & limites Epiſcopis quoque adempta eſt facultas permittendi, ut extra Eccleſias Miſſa celebretur.

Animadversio XXV.

Ex privilegia, quale &c.

Hæc privilegia Synod. Trid. verbis mox citatis ſatis aperte revocata ſunt, quidquid contra dicant tum alii, tum Anacletus t. 3. juris can. p. 394. n. 19., quia, inquit, monaſteria nec ſunt domus privatæ, nec omnino extra Eccleſiam, cum nomine Eccleſiæ veniant quoque religioſorum clauſtra. At hic Anacletus Synodi Trid. ſenſum, & mentem non aſſequitur. Recole citata Sacræ Syn. verba, & nota illa, *atque omnino extra Eccleſiam, & ad divinum tantum cultum dedicatu oratoria ab iiſdem* &c. Monaſteria, & cubicula Regularium ſunt ne oratoria ad divinum tantum cultum dedicata, ab Ordinariis deſignata, & viſitata? Res clara eſt. At, inquit Anacl., id ſaltem Regularibus permiſſum eſt vi privilegiorum, quæ poſt Syn. Trid. ipſis conceſſa fuere: & allegat privilegium Greg. XIII. conceſſum Societati Jeſu, cujus meminit quoque hic Buſemb., & Pii IV. Canonicis regularibus impertitum.

Reſpondeo. Audiamus Clementem XI., qui Pio IV. & Gregorio XIII. longe poſterior fuit, cuique ſuorum deceſſorum mens nota fuit, conſt. mox cit. *Nonnulli* anni 1703., ubi ait: *Nonnulli Epiſcopi, & complures Regulares ſub prætextu privilegiorum ea ſibi licere putant, quæ prohibita ſunt.* Tum ſubdit: *Quo vero ad altare portatile, iterum inhærendo declarationibus ſupradictis, cenſuit licentias, ſeu privilegia conceſſa nonnullis Regularibus in cap.* In his de priv. *per aliquos ſummos Pontifices aliis Regularibus communicata, utendi dicto altari portatili, in eoque celebrandi abſque ordinariorum licentia in quibus degunt, omnino revocata eſſe per idem Concilium Tridentinum.* (Dubitari ne amplius poteſt de ſenſu, & mente Concilii Trid.?) *Atque idcirco eoſdem Regulares prohibendos, ne illis utantur, ac mandandum, prout præſentis tenore mandat Epiſcopis, aliiſque Ordinariis locorum, ut contra quoſcumque contravenientes, quamvis Regulares, procedant etiam tanquam Sedis Apoſtolicæ delegati ad pœnas &c.* Poſt tam perſpicuam inhibitionem obtrudi ne hic poſſunt jactata privilegia Pii IV., & Gregorii XIII.? Adde Bened. XIII. qui in Conc. Rom. anni 1725. tit. 15. cap. 2. ita loquitur. *Quod a fel. record. Clemente XI. ſuo lato decreto ſub die 15. Decembris 1703. in allegata ipſa app. proferendo opportune mandatum fuit circa uſum altaris portatilis, & Miſſarum celebrationem in oratoriis domeſticis, volumus Eccleſiarum omnium Epiſcopi in ſuis diœceſibus publicent quam primum, & executioni demandent; cunctis inſuper in privatis, ubi dormiri ſolet, cubiculis celebrandi facultate ſublata. Hæc ut ab omnibus, Regularibus præſertim, ſerventur, invigilent; adverſuſque contravenientes ſpeciali adhuc privilegio exemptos Epiſcopi ipſi, tanquam Sedis apoſtolicæ delegati, cenſuris etiam eccleſiaſticis procedant, indultis, aut conſuetudinibus quibuſcumque non obſtantibus.* Eſt ergo certum, privilegia, ſi quæ ſint, Pii IV. & Gregorii XIII., aut alia quæcumque, nullum habere locum, *indultis &c. non obſtantibus.*

Animadversio XXVI.

Cenſeri etiam reconciliatam, ſi ſacrificium in ea peractum fuerit, docet Tamb. .... eſſe probabile, negat autem Card. de Lugo.

In hac quæſt. Tamburini probabilitate repudiata, ſequenda eſt ſententia Card. de Lugo, cui adhæret non ſolum Concina Theol. t. 8. p. 494. n. 20. & Wig. in Trib. p. 643. n. 61., ſed etiam La-Croix p. 266. n. 282. cit. Gob., Paſq., Verivys. Ratio eſt, quia Eccleſiam pollutam ſacrificio in ea peracto reconciliari, nullo jure, inquit Wig. conſtat. „ Nam cap. *De fabrica* de conſecr. diſt. „ 1. quod ſolet objici, in quo dicitur, aliquando totius „ conſecrationis ſanctificationem per Miſſarum ſolemni„ tatem impleri: illud, inquam, non loquitur de hoc „ caſu, ſed de illo, quando parietes per partes reficiun„ tur, & innovantur. " Hatenus ille. Hunc vero eſſe illius canonis ſenſum, qui eum legerit, non inficiabitur. Enim vero ſacrificium culpabiliter, & temerarie peractum vim habere non poteſt reconciliandi Eccleſiam pollutam: at *is, qui in Eccleſia ſanguinis, aut ſeminis effuſione polluta, vel qui præſentibus majori excommunicatione innodatis ſcienter celebrare præſumit, in hoc temerarie agit*, ut ait Bonif. VIII. *c.* 15., *Qui* 18. in lexr. lib. 5. tit. 11. ergo &c.

Conſecrationes, benedictiones, reconciliationes Eccleſiarum non hominum commentis, non ex malis, vetitiſque actionibus, ſed laudabilibus, ſacriſque ritibus ſummorum Pontificum auctoritate conſtitutis fiunt, nec aliter fieri poſſunt.

Animadversio XXVII.

Porro Eccleſia, uti & cœmeterium violantur ..... per factum in ea homicidium &c., niſi tamen Reipublicæ perturbator aliter capi non poſſet.

Hanc exceptionem habet quoque P. Concina Theol. t. 8. p. 494. n. 19. „ quia, inquit, hic non gaudet immu„ nitate. Alii tamen contradicunt, ut Diana, & Fa„ gundez. Sed hoc ad Epiſcopum deferatur. " Ita ille. Illos, qui immunitate Eccleſiarum non gaudent, ab iis quidem extrahi poſſe ſummi Pontifices permittunt, occidi vero in Eccleſiis non permittunt; quia autem occidi non permittunt, vetitum eſſe intelligitur, & quia vetitum eſſe intelligitur, Eccleſiam hujuſmodi occiſione violari, colligitur ex can. cit. a. 26., & 28. h. c. Conſule Bened. XIII. conſt. *Ex quo* anni 1725. ſeptimo Idus Junii, quæ habetur in app. Conc. Rom. pag. 176. Res hæc explicatu facilis non eſt. Si hoc accidat, tutius eſt Eccleſiam reconciliari, quam cum periculo in ea ſine reconciliatione ſacrificia peragi.

Non eſt autem tale ... cujus cauſa data eſt extra Eccleſiam, quin requiritur &c.

Hoc corrigendum eſt, aut intelligendum juxta legem Bened. XIII. conſt. mox cit., ubi ait: *Inſuper ab eccleſiaſticæ immunitatis beneficio excludimus, atque repellimus, & pro excluſis, atque repulſis haberi volumus nedum eos, qui homicidia, aut mutilationes membrorum in Eccleſiis, earumve cœmeteriis committere audent, quemadmodum in Gregoriana conſtitutione ſancitum eſt; verum etiam eos, qui ſtantes in Eccleſia, vel cœmeterio interficiunt ſtantes extra Eccleſiam, vel cœmeterium, aut ipſis membrum mutilant, ac non eos, qui ſtantes extra Eccleſiam, aut cœmeterium occidunt ſtantes intra Eccleſiam, vel cœmeterium, aut iis membrum mutilant; ac eos tandem qui confugientibus vim inferunt, atque ipſos ab Eccleſia, aliove loco immuni violenter extrahunt, & abducunt; declarantes in quatuor præmiſſis caſibus ejuſmodi reos non illius tantum Eccleſiæ, quam violarunt, ſed cujuſcumque etiam alterius Eccleſiæ immunitati gaudere nequaquam poſſe, aut debere.* Ubi notanda ſunt ea verba *non illius tantum Eccleſiæ, quam violarunt*; & quia Eccleſiam violarunt, eos immunitate privatos decernit.

Animadversio XXVIII.

Unde non violat... actus conjugalis, quando excuſatur a ſacrilegio.

At quandonam actus conjugalis in Eccleſia peractos a ſacrilegio excuſari poteſt? Illum quidem non pauci recentiores apud Anacletum t. 3. juris can. p. 586. excuſant, ſi conjuges tempore belli, aut obſidionis diu commorari in Eccleſia cogantur. Sed cur hæc ipſa neceſſitas diu, puta per menſem, aut amplius commorandi in Eccleſia fingitur, quæ nunquam accidit, ut ſacrilega copula a ſacrilegii labe eluatur? Ablegatis igitur commentitiis eventibus abſolute dicendum, conjugalem copulam in Eccleſia peractam eſſe ſemper ſacrilegam; quia ſemper gravem injuriam, & irreverentiam ex communi, ac pio hominum ſenſu ſacro loco irrogat. Hinc cap. *Eccleſiis* de conſecr. diſt. 7. dicitur: *Eccleſiis ſemel Deo conſecratis non debet iterum conſecratio adhiberi, niſi aut ab igne exuſtæ, aut ſanguinis effuſione, aut cujuſcumque ſemine pollutæ fuerint.* Ait *cujuſcumque*, ne maritalis ſeminis effuſio excipiatur. Hinc Nat. Alex. Theol. t. 2. p. 359. a. 1. num. 9. ſecundo ait: „ Conjugalis etiam „ debiti redditionem caſus iſte complectitur. Per „ hanc enim etſi nulla proximo, gravis loco ſacro fit „ injuria.

ANIMADVERSIO XXIX.

Per ſepulturam excommunicati non tolerati, vel infidelis ..... quamvis, ſi pueri parentes ſint fideles, neget Sayr. &c.

Cap. *Eccleſiam* 28 diſt. 1. de conſec. cit. a Buſemb. dicitur: *Sed ſi hæc* (Eccleſia) *conſecrata antea fuerit, Miſſas in ea celebrare licet, ſi tamen fideles fuerint, qui in ea ſepulti ſunt*. At infantes nondum baptizati, etiamſi eorum parentes fideles ſint, ſunt ſine dubio infideles: ergo per eorum ſepulturam in loco ſacro Eccleſia polluitur: quod intelligitur, ut teſte monet Nat. Alex. Theol. t. 1. p. 359. a. 2. n. 9. tertio, ſi extra matris uterum poſiti ſint, & ſeorſim ab ea ſepeliuntur, non item, ſi in utero matris mortui, ſimul cum ea ſepeliuntur. Et hoc idem docet D. Carolus Bort. Act. p. 2.

ANIMADVERSIO XXX.

Altare execratur .. 3. Si ſpolietur ſepulcrum, quod tamen quidam negant &c.

La-Croix p. 467. n. 306. in utramque partem diſputat; ſed p. 440. nu. 2065. Altare execrari ait, quando frangitur, vel loco movetur repoſitorium reliquiarum propter decretum S. Cong. Rit., quod ibi citat. At quamvis decretum a La-Croixio cit. merito ſuſpectum haberi poſſit, nihilominus ejus doctrina tenenda eſt. Alex. enim III. l. 3. decret. t. 40. ait: *Ad hæc ſi altare motum fuerit, aut lapis ille ſolummodo ſupra poſitus, qui ſigillum continet, confractus, aut etiam diminutus, debet denuo conſecrari. Lapis ille ſuprapoſitus, qui &c.* non eſt totus lapis latior, ut intelligit Laym., ſed lapillus, qui inſtar ſigilli ſepulcrum claudit.

Multo vero magis execratur altare, ſi ſepulcrum reliquiis ſpolietur; quia reliquiæ magis neceſſariæ ſunt, quam ſepulcrum, aut ſigillum in earum gratiam efformata. Ipſa antiquiſſima Eccleſiæ conſuetudo adhibendi ſacras reliquias in altarium conſecratione, de qua Nat. Alex. Theol. t. 1. p. 358. n. 5., earum neceſſitatem ſatis evincit, ita ut merito non audiantur Laym., & alii, qui reliquiarum neceſſitatem ad altaris conſecrationem inficiantur. At inquit Anacl. t. 3. juris can. p. 588. n. 40., in antiquis Rubricis Miſſalis haberi, quod ſi in aliquo altari reliquiæ non habeantur, omitti in Miſſa debeat illa oratio, *Oramus te, Domine, per merita ſanctorum tuorum, quorum reliquiæ hic ſunt*; quin ſatis innuitur, dari poſſe altaria ſine reliquiis. Ita ille; ſed reſpondet Gavantus p. 2. tit. 4. n. 1. ex Hier. Cantono, dari poſſe ex apoſtolica diſpenſatione, non ea ordinaria Epiſcoporum poteſtate.

ANIMADVERSIO XXXI.

Altare conſecratum ab Epiſcopo, vel Abbate &c.

Abbas de jure communi altaria conſecrare non poteſt, ut habet Nat. Alex. Theol. t. 1. p. 358. n. 3., & Concina Theol. t. 8. p. 495. n. 23., quæ ſententia ex Anacleto t. 3. juris can. p. 588. Reſp. 2. communis, & certa eſt. Hinc Rub. Miſſalis de præp. Altaris inquiunt: *Altare, in quo ſacroſanctum Miſſæ ſacrificium celebrandum eſt, debet eſſe lapideum, & ab Epiſcopo, ſive Abbate facultatem a Sede apoſtolica habente conſecratum*. Utrum autem hanc facultatem ab apoſtolica Sede habeant, videant ipſi Abbates; qui ſi dubitent, ea uti non debent, ne juris alieni uſurpandi, & nullam conſecrationem faciendi periculum incurrant.

ANIMADVERSIO XXXII.

Miſſalis Rubricæ p. 1. t. 20. ita habent. *Hoc altare operiatur tribus mappis, ſeu tobaleis mundis ab Epiſcopo, vel alio habente poteſtatem benedictis, ſuperiori ſaltem oblonga, quæ uſque ad terram pertingat, duabus aliis breviaribus, vel una duplicata*: & p. 3. tit. 10. inter defectus recenſetur, *ſi celebretur .... in altari non conſecrato, vel tribus mappis non cooperto ... Si mappæ non ſint ab Epiſcopo, vel ab alio hanc poteſtatem habente benedictæ*. Porro cum Miſſalis Rubricæ loquuntur, miſſis quæſtionibus, & neglectis aliter docentibus, faciendum eſt, quod illæ præſcribunt; quia Sacra Rit. Cong. approbante Urbano VIII. (habetur initio Miſſalis) *mandat in omnibus, & per omnia ſervari Rubricas Miſſalis Romani, non obſtante quocumque prætextu, & contraria conſuetudine, quam abuſum eſſe declarat*.

ANIMADVERSIO XXXIII.

Ut habent Mendicantium ſaltem Superiores, ſive Prælati. &c. Tamb. &c.

Quaſi vero veſtes pro uſu Sacrificii a Regularibus etiam non Prælatis benedici poſſint: quod eſt falſum, nullumque hac de facultate privilegium allegatur. A Regularium Prælatis ex privilegio pro uſu ſuarum Eccleſiarum benedici poſſunt; pro uſu aliarum Eccleſiarum benedici poſſe, negat Nat. Alex. Theol. t. 1. p. 362. a. 3. num. 2. ex Decreto S. Rit. Cong. 24. Aug. 1609. apud Gavantum, & Barboſam; & renovato, inquit Gav. p. „ 4. t. 19. nu. 22., in favorem Epiſcopi Spoletani die 30. „ Septembris 1628. Neque obſtat conſuetudo allegata a „ Tamb. de jure Abb. tom. 1. diſp. 42. q. 2. n. 2., quam „ abrogavit, & non obſtare declaravit eadem S. Congr. „ 18. Aug. 1629." Itaque ſuſpectum, imo commentitium merito habetur privilegium Inn. VIII., quod in favorem Reg. allegat Anacl. t. 3. juris can. p. 590. n. 52. Reſp. 3. Quia in nullo Bullario deſcriptum refertur, & quia decretis S. Rituum Congr. contrarium. Ceterum Regulares, omnes de ſuis privilegiis lites tollere poſſunt, ſi ea Sedis apoſtolicæ exhibeant, & approbationem impetrent. Nam quamdiu dubia, & ſuſpecta ſunt, quidquid contra probabiles perperam dicant, iis tuta conſcientia uti certe non poſſunt.

Quarum tamen colores non eſſe præcepti, ſed directionis, notat Homob. apud Dian. &c.

Rubricæ quidem, ut notat Gavantus p. 3. tit. 12. p. 173., a Theologis, & caſuum arbitris communiter dividuntur in præceptivas, & directivas; quæ tamen diſtinctio non eo ſpectat, ut hæ ſine peccato omitti poſſint, ſed eo, ut præceptivæ ſub mortali obligent, non item directivæ. Nam Synod. Trid. ſeſſ. 7. can. 13. ita ſtatuit. *Si quis dixerit, receptos, & approbatos Eccleſiæ Catholicæ ritus* (cujuſmodi ſunt ritus a Rubricis præſcripti) *in ſolemni Sacramentorum adminiſtratione adhiberi conſuetos aut contemni, aut ſine peccato a miniſtris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque Eccleſiæ Paſtorem mutari poſſe, anathema ſit.*

In gravi autem neceſſitate &c.

Intellige neceſſitatem Miſſæ audiendæ, vel viatici miniſtrandi, ut habet P. Concina Theol. t. 8. p. 501. n. 13. quæ gravis neceſſitas niſi urgeat, ſatius eſt a Miſſa abſtinere, quam indecenter celebrare, ſicuti quoad locum ſupra dictum eſt.

Vide Dian., ubi .... docet eſſe probabile, quod ex parvitate materiæ excuſari poſſit a mortali, qui &c.

Gavantus p. 3. tit. 12. inter rubricas præceptivas ſub mortali obligantes ex Doctorum, ut ipſe ait, concordia eam numerat, quæ eſt de numero, munditia, integritate, & benedictione veſtium ſacerdotalium, inter quas tamen cingulum non recenſet p. 2. tit. 1. n. 3. litt. g.

Denique metu mortis &c.

Hac de re ſupra dictum eſt cap. 2. dub. 2. in fine a. 2.

ANIMADVERSIO XXXIV.

Si tamen in nondum conſecratis aliquis &c., probabile eſſe quod hoc ipſo cenſeantur conſecrata, docet &c.

Sicuti ex ſupra dictis in dub. 4. Eccleſia polluta non cenſetur reconciliata, ſi ſacrificium in ea peractum ſit; ita calix, patena, ſacræ veſtes, corporale, pyxis &c. non cenſentur conſecratæ, quia Sacerdos iis uſus eſt. Habet ſcilicet Eccleſia ſuos ritus, ſacraſque formulas, quibus hæc omnia benedicantur, & ſine quibus ex ejuſdem Eccleſiæ ſenſu benedicta non cenſentur. Hinc Rubricæ Miſſalis, quæ neglectis aliter opinantibus, audiendæ, & obſervandæ ſemper ſunt, p. 3. tit. 10. inter defectus recenſent, *ſi celebrans omittat aliquid ex veſtibus ſacerdotalibus; ſi veſtes ſacerdotales, & mappæ non ſint ab Epiſcopo, vel alio habente hanc poteſtatem benedictæ; ſi corporalia non ſint munda .. & ab Epiſcopo, vel ab alio hanc habente poteſtatem benedicta.*

Ac licet deceat, ut etiam pyxis &c., & quodcumque vas continens &c. benedicantur, id tamen neceſſe eſſe negant Suarez &c.

Hanc opinionem ego quidem probare non poſſum. Primo quidem quia ratione, quam Buſemb. nullam affert, deſtituitur, ſolaque recenti paucorum auctoritate, quæ exigui momenti eſt, nititur. Secundo, quia rationi adverſatur. Si enim altaria, veſteſque ſacerdotales neceſſario benedictæ eſſe debent juxta mox dicta, multo magis pyxis, & vaſa continentia, & immediate tangentia Euchariſtiam, neceſſario benedicenda ſunt.

Admittunt etiam aliqui ex plumbo, intellige cuppam calicis.

At hi ex arbitrio loquuntur, non juxta Eccleſiæ ritum. Nam Rub. Miſſalis p. 2. t. 1. ajunt: *Qui calix debet eſſe vel aureus, vel argenteus, aut ſaltem habere cuppam argenteam intus inauratam, & ſimul cum patena itidem inaurata ab Epiſcopo conſecratus*. Quod ſi Eccleſia paupertate prematur, tolerari poteſt cuppa etiam ſtannea; quia eædem Rub. p. 3. t. 10. de def. inquiunt: *Cujus* calicis *cuppa debet eſſe aurea, vel argentea, vel ſtannea*. Hinc cap. *Ut calix* 46. diſt. 1. de conſecr. dicitur: *Ut calix Domini cum patena, ſi non ex auro, omnino ex*

no ex

no ex argento ſiat. Si quis autem tam pauper eſt, ſaltem vel ſtanneum calicem habeat.

At licet Rub. præſcribat, ut ſaltem cuppa &c., tamen non obligare propter uſum contrarium vult Tamb. ſub mortali, Gran. immo nec ſub veniali.

Qui ita ſcribunt, aut Pontificia decreta non legere, aut iis parum auſcultant. Lege hic iterum decretum S. Congr. relatum hic ad c. 2.

Animadversio XXXV.

Palla item linea &c., quæ &c., pro eodem ſervire poſſe, docet &c.

Rubricæ Miſſ. p. 2. t. 1. & parvam pallam lineam, & corporale requirunt; qui unum pro altero adhibent, ritus Eccleſiæ variant, quod ſine temeritate fieri non poteſt, & a S. Pio V. vetitum eſt. Conſule conſtit. S. Pii V. in Miſſali.

Animadversio XXXVI.

Etſi Ledeſ., & Laym. doceant in gravi neceſſitate licitum eſſe celebrare ſine libro ei, qui moraliter ſit certus, ſe non erraturum.

Cui nam id conſtare certo poteſt? Si quis pro certo habeat, ſe ſine Miſſali non erraturum in Miſſa, hunc præſumptuoſum merito appellabis, non cautum, nec prudentem; ideoque communis ſententia docet, ſine Miſſali Miſſam non eſſe celebrandam, etiamſi neceſſitas urgeat. „ Abſque libro Miſſali, inquit Nat. Alex. Theol. „ t. 1. p. 362. a. 2. nu. 6. non licet Miſſam celebrare: ſi „ deſit, a celebratione Miſſæ abſtinendum eſt, quæ„ cumque neceſſitas urgeat. Qui ſine Miſſali celebraret, „ graviter peccaret; tum quia ſe exponeret periculo „ errandi in verbis canonis, imo & conſecrationis, cum „ & optimæ memoriæ viros aliquando fallat memo„ ria; tum quia violaret generalem Eccleſiæ conſuetu„ dinem. Idem eſto judicium de illo, qui ſine calice, „ & patena conſecratis, ſine corporali, ſine pallis altare „ veſtientibus, ſine lumine, ſine aliqua denique ſa„ cratum veſtium celebraret. Hunc, inquam, mortalis „ peccati reum cenſent S. Antoninus, & alii poſt ipſum „ caſuum arbitri. " Haſtenus ille. Hinc cap. *Concedimus* cit. dub. 4. dicitur *In itinere vero poſitus, ſi Eccleſia defuerit, ſub dio, ſeu in tentoriis, ſi tabula altaris conſecrata, ceteraque ſacra miniſteria ad id officium pertinentia* (quo loco certe eſt Miſſale) *affuerint, Miſſarum ſolemnia celebrari concedimus: aliter omnino interdicimus.*

Et ſic Lugo cum Dian.... probabiliter excuſat eum, qui propter viſus debilitatem legere non poteſt &c.

Ego exiſtimem, hos probabiles non eſſe hic audiendos, ſed Sacerdotem, qui propter viſus debilitatem legere non poteſt, debere juxta mox dicta a Miſſa celebranda abſtinere, ne ſeſe errandi periculo objiciat, niſi ab Apoſtolica Sede diſpenſationem obtinuerit, unde cautio quoque contra pericula præſcribetur.

Animadversio XXXVII.

In neceſſitate tamen gravi .... poſſet quis ſibi reſpondere.

Si ſermo ſit de neceſſitate miniſtrandi viaticum, id ne Concina quidem rejicere abſolute audet Theol. t. 8. p. 498. n. 11. Ratio eſt, quia divinum præceptum adjuvandi infirmos, ut ſacro viatico reficiantur, prævalet præcepto eccleſiaſtico non celebrandi ſine miniſtro.

In neceſſitate autem diei feſti, ut plures audiant Miſſam, non deerit miniſter, qui aliquo modo Sacerdoti celebranti præſto ſit.

Idque quibuſdam Belgii partibus conſuetudine inductum eſſe, docet March &c.

Hæc vero conſuetudo eſt manifeſta corruptela a ſacris canonibus improbata. Laodicenum Conc. can. 44. ait: *Non oportet mulierem ad altare ingredi.* Gelaſius I. ep. 9. ad epiſcopos Lucaniæ cap. 26. inquit: *Impatienter audivimus tantum divinarum rerum ſubiiſſe deſpectum, ut feminæ ſacris altaribus miniſtrare ferantur; & cuncta, quæ non niſi virorum famulatui deputata ſunt, ſexum, cui non competit, exhibere.* Ita apud Nat. Alex. Theol. t. 1. p. 349. reg. 4. Conſule decretum S. Congr. ad c. 2. deſcriptum.

Animadversio XXXVIII.

Crucifixus, niſi ſit expoſitum venerabile Sacramentum.

Rubrica Miſs. p. 1. tit. 20. ait: *Super altare collocetur Crux in medio* &c. quod autem indefinite, & ſine ulla exceptione præſcribitur, ſine exceptione intelligendum; & obſervandum eſt. Nam ubi exceptio locum habet, Rubricæ illam non omittunt. Hinc S. Cong. 14. Maji 1707. hoc decretum tulit. *Quando ſuper altare expoſitum eſt Venerabile, debet etiam in eo collocari Crux cum imagine Crucifixi.* Hoc decretum tum La-Croix p. 271. n. 321., tum Concina dubitanter referunt; at P. Zacharia in hunc La-Croixii numerum ita inquit. „ De au„ thentica hujus decreti dubitari nequit. Contulit il„ lud cum autographis Meratius. Quamobrem illi ſtan„ dum. "

Hujus decreti meminit quoque Bened. XIV. conſt. *Accepimus* die 16. Julii 1746. (apud La-Croixium t. 2. p. 269.), qui teſtatur, *in illa ſententia ferenda varia fuiſſe, ac diſcrepantia ſuffragia, cautumque deinde fuiſſe, ne ipſa ſententia in lucem ederetur. Itaque res iterum deducta eſt in examen initio Pontificatus noſtri die 2. Septembris anno 1741. in eadem Congreg. Sacr. Rituum, quæ poſtquam omnia diligenter accurateque perpendit, decrevit, ut quælibet Eccleſia morem, & inſtitutum, quod antea ſervaverat, in poſterum quoque retineret;* quod decretum, ut prudenter, ſapienterque latum commendat idem Summus Pontifex in eadem conſt. a quo proinde nullo modo recedendum eſt.

Non tamen ſub obligatione gravi.

Cum de mortali peccato quæſtio eſt, aqua ut plurimum mihi hæret. Rubrica de Cruce in altari ponenda inter dubias collocat Gavantus p. 3. t. 11. n. 61., utrum ſint directivæ, an præceptivæ. In dubio autem ſapientis eſt periculum fugere. Benedictus XIV. conſtit. cit. ait: *Hæc omnia diligenter expoſuimus non &c. ſed ut ex eis cognitum eſſet, atque perſpectum, quam alienum ſit a ſacris ritibus id, quod plures temere & inconſulto peregerunt, nempe ut ſacrum facerent ad altaria, in quibus Crux haud promineat inter candelabra, ſed exiguus tantum Crucifixus præfigatur tabulæ alicujus Sancti, qui vel depictus, aut cælatus majori tabulæ altaris adjungi ſolet.*

Ex his porro verbis explodenda hæc La-Croixii opinio p. 271. n. 320. „ Melius eſt etiam ex ſola devotione ce„ lebrare ſine omni Cruce, quam ob defectum Crucis non „ celebrare. " Neque enim ex devotione temere, & inconſulto agere licet.

Animadversio XXXIX.

Sine omni autem lumine celebrare nunquam licet, Lugo &c.

P. Concina Theol. t. 8. p. 504. nu. 25. ait: „ Paſ„ qualigus defendit, in neceſſitate celebrari poſſe abſ„ que ullo lumine. Sed probabilior eſt oppoſita ſen„ tentia. "

La-Croix p. 275. n. 392. fatetur, oppoſitam ſententiam eſſe plurium, & probabiliorem, at ſententiam Paſqualigi vult eſſe probabilem.

Eodem ſcilicet modo loquuntur Concina, & La-Croix; at contrario proſus modo ſunt intelligendi; quia La-Croix ex ſua veriatili probabilitate permiſſam facit Paſqualigi ſententiam; Concina juxta ſolidioris Theologiæ principia eam vetitam eſſe ponit, dum minus probabilem dicit.

Adeo ut ſi extingueretur ante conſecrationem, &c., Miſſam eſſe relinquendam etiam in neceſſitate &c. dicat &c.

Si Miſſa perducta ſit uſque ad offertorium, probabilius putat La-Croix cum aliis, quos citat n. 393., Miſſam eſſe continuandam; idemque docent Concina loco mox cit. quia, inquit La-Croix, carentia luminis eſt minus incommodum, quam ſalis abruptio: quæ ratio mihi ſane æqua videtur. Fortius enim eſt præceptum Miſſæ poſt oblationem peragendæ, quam non celebrandi ſine lumine; quod multo magis urget, ſi adſit neceſſitas conſecrandi viaticum pro infirmo.

Animadversio XL.

Operto capite celebrare non licet, etiam &c. ſine licentia &c.

Hoc certum eſt. Nam Sacra Congr. apud La-Croix p. 436. n. 269. ita decrevit. *Facultas concedendi uſum pileoli in Miſſam ſpectat ad Papam.* 14. Ap. 1626. Eademque ſacra Congr. annuente Urb. VIII. (habetur initio Miſſalis) ita præcipit: *Nemo audeat uti pileolo in celebratione Miſſarum ſine expreſſa licentia Sedis Apoſtolicæ, non obſtante quacumque contraria conſuetudine.*

Quare quæ Buſemb. addit: " Licet Laym., & Scot. „ Epiſcopis &c. permittant; quod Tamb. recte limitat „ ad caſum neceſſitatis, in quo ad Papam difficilis ſit „ recurſus: " hæc, inquam, expungenda ſunt, utpote pontificiæ legi, & menti contraria. Item ſimilia, quæ refert La-Croix num. 400., ac præſertim illud, quod ex Vaſq. dicit, omnes Sacerdotes etiam religioſos in Polonia tegere caput uſque ad conſecrationem. Hoc enim eſt aperte contrarium decreto mox cit. *Non obſtante quacumque contraria conſuetudine.*

Hoc vero multo magis intelligi debet de coma fictitia,

tia, vulgo *parrucca*, quam ne extra Miſſam quidem clericis deferre licet, ſicuti expreſſe prohibet Bened. XIII. in Conc. Rom. tit. 16. cap. 3. his verbis: *Comamque fictitiam, vulgo*, perrucha aut cerchietti, *nunquam adhibeant*; quod idem prohibuerat edicto anni 1724. 20. Decembris. Hinc Innoc. XI., ut refert La-Croix n. 401. edixit, *non eſſe mentis Sanctitatis ſuæ, quod Nuntiis Apoſtolicis, aut Epiſcopis liceat licentiam Sacerdotibus concedere ejuſmodi comas in actu celebrationis geſtandi.*

Nihilominus La Croix ſubdit: „ Non obſtantibus illis videmus quotidie Sacerdotes celebrantes in capillitio ficto, qui putant ſe per hoc ſatisfacere conſcientiæ, ſi ita celebrent habito judicio unius, vel alterius prudentis medici, quod aliter non poſſint abſque periculo gravis incommodi. " Hoc vero quid aliud eſt, quam pontificiis decretis aperte adverſari?

Si Sacerdotes diſpenſatione opus habent, cur ad Apoſtolicam Sedem non confugiunt? Cur licentiam contra ſummorum Pontificum decreta ſibi arrogant? Nam epicheja in repentinis quidem caſibus, cum ad ſuperiores aditus non patet, locum habet, non in iis, quæ prævidentur, & ex uſu fiunt. Itaque uſum Sacerdotum a La-Croix deſcriptum, nec ab eo improbatum, magnam laxitatem, & corruptelam P. Concina Theol. t. 8. p. 505. n. 27. appellat.

Qui tamen ſine venia faceret, cum non peccare mortaliter.... vult &c., quod Diana..... cenſet probabile, ſi tempus canonis excipiatur.

Hanc Dianæ opinionem admittit quoque Gav. p. 3. t. 12. n. 6., at ipſe non meminit prohibitionis Urb. VIII. Res videtur dubia; præſertim ſi abſque neceſſitate aliqua id fiat; qua tamen de re æqui, ac pii Sacerdotes judicent.

Animadversio XLI.

Unde veniale tantum erit 1. omittere orationes dici ſolitas, dum Sacerdos ſe induit, &c.

Has preces de præcepto recitandas eſſe, quia in Miſſali expreſſe præcipiuntur, communis Theologorum ſententia eſt teſte Concina Theol. t. 8. p. 501. num. 14. Utrum vero earum omiſſio ſit mortalis culpa, res videtur dubia, abeuntibus in contraria Theologis. Hinc Gav. num. 6. cit. rubricam de orationibus ad veſtes, & poſt Miſſam inter dubias, utrum obligent ſub mortali, an veniali tantum, recenſet. Materiæ parvitas a gravi culpa excuſare valet, ut monet Conc. l. c.

Omittere Gloria, vel Credo.

Hæc eſt quidem communis opinio teſte P. Concina Th. t. 8. p. 510. n. 3., ubi addit: „ Qui tamen unum horum voluntarie omitteret in magna ſolemnitate, peccaret mortaliter. "

In Miſſa autem, quæ canitur, non legere evangelium ſubmiſſa voce, Dian. negat eſſe peccatum &c.

Hæc opinio, ejuſque ratio falſa eſt. Nam rubrica directiva a letali quidem, non tamen ab omni culpa, liberat. Non ſolum Sacerdos omittens legere evangelium in Miſſa ſolemni peccat, ſed mortaliter peccat.

„ Qui omittit, inquit Concina Theol. t. 8. p. 509. n. 2., partem ordinariam, puta epiſtolam, evangelium, partem notabilem Canonis, & ſimilia, peccat mortaliter, qua de re non eſt cur dubitemus. " Porro rubrica eodem modo præſcribit, evangelium a Sacerdote legendum, ſeu Miſſa ſolemniter canatur Diacono, & Subdiacono miniſtrantibus, ſeu ſine ſolemnitate dicatur: ergo idem mortale peccatum peccat Sacerdos, Evangelium omittens in Miſſa ſolemni, quod committit, dum illud præterit in Miſſa privata. Neque enim Diaconus Evangelium canens, Sacerdotis vicem ſupplet, ſed proprio ſuo munere fungitur, ideoque Sacerdotem non liberat ab obligatione legendi Evangelium. Quia vero hæc obligatio gravis eſt, ejus omiſſio gravis, ſeu mortalis culpa merito dicitur. Hinc idem Concina p. 510. n. 3. merito inquit: „ In Miſſa ſolemni ea omnia legi debent, quæ a choro cantantur, & omiſſio partis notabilis eorum, quæ ad talem Miſſam requiruntur, non excuſatur a gravi culpa. " Quia ſcilicet chorus, Sacerdotis vices non ſupplet: ergo ex eadem ratione idem dicendum eſt de omiſſione Evangelii; quod non ſolum notabilis Miſſæ pars eſt, ſed aliis partibus, ut caput corporis artubus, excellit, ut recte animadvertit Nat. Alex. Th. t. 1 p. 370. n. 10.

Celebrare ante dictum matutinum &c.

Buſemb. tria hic docet. Primum eſt, celebrare ante dictum matutinum, abſolute loquendo eſſe peccatum veniale. Alterum, juxta pleroſque hoc eſſe peccatum, ſi fiat ſine cauſa. „ Quando adeſt cauſa rationabilis, licet non omnino gravis, v. gr. major commoditas ſtudii, vel itineris, nequidem eſſe veniale, multi ajunt " apud La-Croix p. 261. num. 230. Tertium eſt, hanc omiſſionem a Tamb. in dubium vocari, utrum ſit venialis culpa, etiamſi nulla ſit omittendi cauſa. La-Croix loco cit. ait: „ Imo Sot., Suar., Tamb., & alii apud Gob. t. 3. n. 667. dicunt per ſe loquendo, nullum eſſe peccatum...... Hinc etiam March., & Quartus p. 2. t. 1. d. 1. dicunt eſſe conſilium, & quamdam congruentiam, ut fiat. Attamen probabilius eſt cum Averſa, & aliis, communiter eſſe veniale. "

Ait *probabilius*, ut aliis opinionibus ſuam probabilitatem non adimat, hoc eſt, ut quiſque faciat ſine conſcientiæ remorſu, prout libuerit. Hæc eſt Buſembau, & La-Croixii doctrina valde commoda, quæ proinde plauſus ſibi conciliat. Quid ergo dicendum? Dico primo, contingere poſſe, ut Sacerdos Miſſam matutino nondum recitato celebrans, nullum peccatum admittat; ut ſi aliis ſacri miniſterii partibus, e. g. Sacramentorum adminiſtrationis, infirmorum curæ &c. ita occupatus fuiſſet, ut ante horam, qua celebrandum eſt, matutinum dicere non potuiſſet. Ita Nat. Alex. Theol. t. 1. p. 365. num. 5., idemque docet Bened. XIV. mox citandus.

Dico ſecundo, omiſſionem matutini cum laudibus ante Miſſam ſine urgentibus, ſeu legitimis cauſis, quarum judicium penes pios, & æquos homines eſto, eſſe non dubium, ſed certum peccatum. Ratio eſt, quia Rubricæ Miſſalis p. 2. t. 1. id præcipiunt his verbis: *Sacerdos celebraturus Miſſam..... & ſaltem matutino cum laudibus abſoluto &c.*, & p. 3. t. 10. inter defectus numerant, *ſi celebrans ſaltem matutinum cum laudibus non dixerit*. Neque hic rationes ex rei natura locum habent; quia hæc omiſſio non naturali, aut divino juri, ſed juri eccleſiaſtico contraria eſt.

Illud unum merito dubitari poteſt, utrum hoc peccatum ſit mortale, an veniale; quod idem eſt, ac quærere, utrum omiſſio ſit gravis, an levis; quod judicare difficile eſt. Hinc Theologi in diverſa abeunt.

P. Concina Theol. t. 2. p. 490. num. 12. putat, hoc peccatum eſſe ex ſe veniale; quam ſententiam hodie communem eſſe ait.

Nihilominus n. 11. refert Gabrielem, D. Antoninum, Tab. Nav. Cenedum, Antoine, Zanardum 30. A. A. citantem, qui putant, eſſe peccatum mortale. His adde Natalem Alexandrum loco mox cit., & teſte Gavanto p. 2. tit. 1. litt. 6. S. Raymundum, & Innoc. IV. qui ep. 10. ad Othonem Card. Epiſcopum Tuſculanum ait: *Sacerdotes autem dicant horas canonicas more ſuo: ſed Miſſam celebrare, priuſquam officium matutinale compleverint, non præſumant*: quæ verba, rei gravitatem indicare æquo judicio videntur.

Sed hic demum coronidis loco audiendus eſt Benedict. XIV. de S. M. Sac. lib. 3. c. 13. n. 4. ubi teſte P. Zacharia ait: *Si ſermo ſit de Miſſa conventuali, videri peccatum eſſe mortale, eam ante Matutinum, & laudes celebrare; id enim eſt contra generalem Eccleſiæ conſuetudinem. In Miſſis vero privatis, ſi quæ ſit legitima cauſa, videri poſſe etiam a veniali immunem, qui non recitato matutino, & laudibus eam celebraret; ſecus autem, ſi nulla ad id cauſa moveatur. Quod ſi quis nulla cauſa urgente perpetuo id faceret, ut videretur quaſi animo ſtatuiſſe, nunquam celebrare dicto matutino, & laudibus, tum cum illis quinque, & quinquaginta Auctoribus, quos citat Clericatus deciſ. 30. de Sac. Miſſæ, & ex rationibus ab ipſo adductis concludi poſſet, hujuſmodi Sacerdotem peccare mortaliter.*

Quæ alta voce dicenda præſcribuntur, adeo ſubmiſſa dicere, ut adſtantes audire non poſſint.

Miſſa publicum officium eſt, in quo communicatio inter Sacerdotem, & populum intercedit, ideoque ita legenda, ut ab adſtantibus commode audiri poſſit. Ita præſcribunt Rubricæ, atque ita habet generalis conſuetudo. Qui ab hac lege, & conſuetudine recedunt, culpandi certe ſunt; utrum vero venialiter, an mortaliter peccent, res certa non videtur. Buſemb., & La-Croix p. 277. num. 439. peccatum tantum veniale hac in re agnoſcunt. At Buſ. id aſſerit ex ſola Tamburini auctoritate, La-Croix citat Quartum, & Paſqualigum. His ego momentis parum moveor, parumque moveri æquum lectorem putem, præſertim cum Buſ. Navarrum citet pro contraria ſententia. Hac de re, quæ magis ex æquo, & pio ſenſu metienda eſt, quam ratione definiri queat, ego nihil decere audeo. At inſignis mihi deformitas videretur, quæ populum valde offenderet, ſi Sacerdos Miſſam tam ſubmiſſe diceret, ac ſi canonem legeret, aut ſi Parochus die feſto, quo a populo Miſſa ex præcepto audienda eſt, voce adeo tacita recitaret, ut a miniſtro vix audiretur. Illud vero a Buſembao ex Tamburino perperam additur, a timoratis paſſim ſine ſcrupulo voce depreſſa legi, quos ab omni culpa excuſatos refert, nec improbat La-Croix loco citato, ſi non in ſummo altari, ſed laterali celebrent. Ego enim pios Sacerdotes illos appello, qui ſuas leges obſervant, non qui a Rubricis, & communi conſuetudine recedunt. Ridiculum vero eſt aſſerere, quod altaria lateralia a Rubricarum obſervatione excuſent.

Mu-

Mutare Miſſam, & die dominico, vel &c. ſine gravi cauſa legere votivam, vel pro defunctis &c.

Inter dubias rubricas, utrum ſub mortali, an ſub veniali obligent, Gavantus p. 3. *tit.* 11. n. 6. recenſet, quæ prohibet Miſſam votivam, vel de Requiem in feſto duplici, & diebus prohibitis propter diſcrepantes Doctorum ſententias; „ rubricis tamen, inquit, magis „ adhærendum eſſe cenſeo, ” ut ſcilicet Sacerdos a mortalis culpæ periculo alienus ſit.

Animadversio XLII.

Quia ſi ſit beatificatus tantum, de quo certis Sacerdotibus ... conceſſum ſit Miſſam legere, docet ... non licere aliis Sacerdotibus ... de eo legere &c.

Non licere Miſſam celebrare de Sanctis extra Eccleſias eorum, quibus officium, & Miſſa ex Apoſtolico indulto ſpecialiter conceſſa eſt, certum eſt. Apud La-Croixium p. 274. n. 376. hoc decretum a Sacr. Congreg. 19. Novemb. 1622., & iterum 9. Junii 1668. emanatum, quod refert quoque P. Concina Theol. *t.* 8. p. 504. n. 24. legitur: *Qui celebrat Miſſam in aliqua Eccleſia Regularium, aut etiam Monialium, in qua ſit de feſto dup. habente Miſſam propriam, quæ non ſit conceſſa omnibus, Miſſam quidem dicat de feſto, ſed cum Miſſali Romano:* quod decretum teſte P. Zacharia invenitur ſub die 20. Nov. 1717. apud Meratium in Indice T. *1.* num. 634. Hoc decretum, ut ſonat, accipiendum eſt; quia in hac hypotheſi Sacerdos ſæcularis Miſſam pro defunctis celebrare prohibetur, etiamſi officium Semiduplex, vel ſimplex, vel Feriale recitaſſet ex decreto authentica forma munito Sacræ Rit. Cong. anno 1668. 9. Jun. apud Pittonum de ritibus p. 267. n. 859., & hoc intelligendum eſt, etiamſi Sacerdos in Eccleſia Monialium miſſam celebret ex decreto 1702. 12. Feb. apud eumdem Pitt. p. 397. n. 1206. Additur in decreto *cum Miſſali Romano;* quia Miſſæ *certis Regularibus conceſſæ* (*quæ ſcilicet non habentur in Miſſali Rom.*) *non poſſunt ab aliis dici nec etiam in ipſorummet Regularium Eccleſiis* ex decreto Sacræ Rit. Cong. apud Pitt. p. 140. n. 479. At quid, ſi feſtum ſit non duplex, ſed ſem., aut ſimplex?

Reſp. *Sacra Cong. annuente Clem. XI.* die 1. Dec. anni 1717. *generali decreto declarat, licere in poſterum tum Confeſſario, tum capellanis tantum quarumcumque Monialium ſervitio addictis Miſſas Sanctorum, de quibus ipſæ recitant officium, celebrare, ſed cum Miſſali Romano, & de communis* &c. Ait *Capellanis tantum*. Non ergo aliis. Ita refert Pitt. p. 467. n. 1369., & ita habetur in Bollario Clem. XI. Alii ergo ſeu Monialium, ſeu in Regularium Eccleſiis celebrantes, Miſſam de Sancto, cujus officium duplex legere, recitabunt, vel pro defunctis, ſi eorum officium ſit ſem., aut ſim.

TRACTATUS IV.

De Sacramento Pœnitentiæ.

CAPUT I.

De eſſentia hujus Sacramenti.

DUBIUM I.

Quæ ſit ejus materia, & forma?

Reſp. Materia remota, & neceſſaria eſt omne peccatum mortale, poſt baptiſmum commiſſum, & non confeſſum. Materia ſufficiens, & non neceſſaria eſt omne veniale poſt baptiſmum commiſſum, vel etiam mortale, alias rite confeſſum. Materia proxima ſunt actus pœnitentis, Contritio, Confeſſio, & Satisfactio: quarum ultima eſt integralis tantum, ut patet in infirmo, qui ſi ratione deſtituatur, poteſt abſolvi abſque ſatisfactione: duæ priores ſunt eſſentiales, ut communiter docetur *contra Scot. qui totam eſſentiam ponit in abſolutione;* hoc eſt qui totam ſacramenti formam in abſolutione ponit; nam indubitatum eſt, abſolutionem ſine actibus pœnitentis eſſe irritam, aut etiam pernicioſam. Porro peccata ſunt tantum materia, circa quam: actus vero pœnitentis materia, ex qua. Laym. *d.* 5. *t.* 6. *c.* 4. ex comm.

Unde reſolves.

Animad. I. 1. *Etſi peccatum mortale remiſſum quomodocumque ſit, teneris tamen confiteri, ſi non feciſti.* Trid. *ſeſſ.* 14. *c.* 15.

Animad. II. 2. Omitti poſſunt venialia, vel omnia, vel aliqua; *item mortalia ſemel rite confeſſa, v. g. in Confeſſione generali, ut docent Dian. p.* 3. *t.* 4. *R.* 56. *C. de Lug. d.* 16. *n.* 46. *contra Victor. Ledeſ. & alios. In qua etiam non eſſe neceſſarium addere peccato mortali, quod poſt ultimam confeſſionem ſit commiſſum, docent Bon. d.* 5. *q.* 5. *ſ.* 2. *p.* 2. *Dia. to.* 2. *t.* 4. *R.* 62. & *t.* 6. *R.* 65. *Card. de Luga d.* 16. *ſ.* 2. *n.* 47. *ex Sanch & Con. quod eſt probabile:* niſi circumſtantia aliqua, v. gr. ſpeciem mutans, vel reſervatio caſus, vel proxima peccandi occaſio aliud requirat; & pœnitentia ſufficiens imponatur. Card. de Lug. Tamb. *de expcd. conf. l.* 2. *c.* 2. Tutius tamen eſt nova ab antiquis ſecernere.

3 Ponenda ſemper eſt materia certa; qualem eſſe negat Sancius *in ſel. d.* 7. apud Dian. *p.* 3. *t.* 4. *R.* 52. quod quis non reſponderit divinis inſpirationibus, non fecerit bonum, quod potuit, & ſimiles imperfectiones. In quibus tamen exponendis non tenetur Confeſſarius impedire pœnitentem, ut docet Card. de Lugo *l. c. n.* 103. contra Sancium. *Quod ſi habere certa non poſſit, pro ratione dubii danda eſt abſolutio; ut ſub dubio, ſi materia prorſus dubia ſit; vel abſoluta, ſi certa videatur.* Ita Suar. Laym. *l.* 5. *t.* 5. *c.* 3. & alii commun. Animad. III.

Reſp. 2. Forma *Sacramenti Pœnitentiæ ſunt verba abſolutionis:* Ego te abſolvo a peccatis tuis, *ubi licet de eſſentia tantum ſit,* Abſolvo te, *debent tamen addi reliqua, præſertim in articulo mortis, ſecundum quoſdam ſub mortali, ſecundum alios ſub veniali,* ut v. Gran. *voce prolata in præſentem;* abſentem enim Clem. VIII. abſolvi prohibuit ſub pœna excommunicationis. Animad. IV.

Unde reſolves.

1. Invalidum eſt abſolvere nutu, ſigno, aut ſcripto; item abſolvere abſentem, quod docuit Alenſis, Medin. & alii; ſed vetitum nunc, ut modo dictum.

2. *Valida eſt abſolutio, ſi reverentiæ cauſa dicas: Abſolvo dominationem, excellentiam, vel majeſtatem veſtram, &c.* quia non mutatur eſſentialiter, & ſunt verba æquivalentia. Averſa. V. ſup. *t.* 1. *c.* 1. *d.* 2. Non valet autem, ſi dicas: Abſolvat te Deus, vel Abſolvat te Chriſtus. Averſ. *q.* 12. *ſ.* 2. Animad. V.

3. Orationes præviæ, & ſubſequentes formam, ut *Miſereatur tui,* &c. & *Paſſio Domini,* &c. quæ ſecundum Trid. laudabiliter adduntur, non ſunt neceſſitatis, & ex cauſa rationabili omitti poſſunt, var. gr. *ſi breves ſint confeſſiones, vel multi confitentes, ut vid. Dian. p.* 3. *t.* 4. *R.* 97. *tunc enim ſufficit dicere:* Abſolvo te a peccatis tuis in nomine, &c. *vel ſi timeatur cenſura, Abſolvo te a vinculo excommunicationis, deinde a peccatis tuis.* V. Sa v. *Abſolutio.* Animad. VI.

4. *Elevatio manus, ejuſque impoſitio in caput, item formatio Crucis, eſt libera, etſi debeat ſervari conſuetudo.* Ita Layman. *c.* 5. ubi idem dicit de apertione capitis. Forma autem Clementis VIII. ut tradidit Sa, & Rituale Romanum, eſt hæc; qua, ut omnes utantur, ſuadet Paulus V. ideoque omnibus tenenda memoriter: *Miſereatur tui omnipotens Deus, & dimiſſis peccatis tuis, perducat te ad vitam æternam, Amen.* Deinde elevata manu pergit: *Indulgentiam, abſolutionem, & remiſſionem peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens, & miſericors Dominus, Amen. Dominus noſter Jeſus Chriſtus te abſolvat, & ego auctoritate ipſius te abſolvo ab omni vinculo excommunicationis, ſuſpenſionis,* (quæ vox circa laicos omittitur) *& interdicti, in quantum poſſum, & tu indiges: Deinde, ego te abſolvo a peccatis tuis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, Amen. Paſſio Domini noſtri Jeſu Chriſti, & merita Beatæ Virginis, & omnium Sanctorum, & quicquid boni feceris, & mali ſuſtinueris, ſit tibi in remiſſionem peccatorum, augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ, Amen.* Animad. VII.

DUBIUM II.

Qualis Contritio requiratur?

Suppono, quod Contritio in communi ſit dolor, ac deteſtatio peccati commiſſi, cum propoſito emendandi,

dandi, ut habet Trid. *ſeſſ.* 14. Ubi eam dividit in ANIMAD. VIII. Perfectam, quæ abſoluta ſic dicitur: & in Imperfectam, quæ Attritio dicitur. *Perfecta eſt, quæ elicitur ex motivo caritatis propter Deum ſumme dilectum: & hæc ex ſe ſola mox juſtificat, etſi cum voto*, & ordine ad Confeſſionem, quam deinde facere teneris. Imperfecta aſt, quæ ex inferiore motivo, ſupernaturali tamen, concipitur.

ANIMAD. IX. Reſp. *Ad Sacramentum hoc ſufficit, & requiritur ſaltem attritio formalis*, ſupernaturalis, efficax, & univerſalis, reſpectu mortalium, concepta in ordine ad confeſſionem, vel ſaltem abſolutionem. Eſt communis. Vid. Bonac. *d.* 5. *q.* 5. & Schol. ac colligitur ex Trid. *l. c.*

Unde reſolves.

1. Non requiritur contritio exiſtimata, ut voluit Gabriel. 2. Non ſufficit 1. Attritio exiſtimata tantum, licet inculpabiliter: quia vera Attritio eſt pars eſſentialis. 2. Nec deſiderium abſolutionis, ſine affectu ad peccata: idque etiamſi tantum confitearis venialia, ut habet ſententia communis contra Angles, & quoſdam alios, quos ſequitur Tamb. ANIMAD. X. *l.* 1. *exped. conſ. c.* 3. V. Dian. *p.* 9. *t.* 9. *R.* 31. *Unde peccat graviter, qui etiam ſola venialia, vel ſola mortalia alias confeſſa ſine omni formali dolore confitetur, quia non ponit materiam ſacramenti, & ſaltem periculo ſacrilegii ſe exponit*. Ita Card. de Lugo *d.* 14. *ſ.* 8. &c. commun. V. Dian. *p.* 3. *t.* 4. *R.* 116. Bon. *d.* 5. *q.* 3. *ſ.* 1. *p.* 3. Non tamen eſt neceſſe, ut dolor ſe extendat ad omnia venialia, quorum ſibi pœnitens eſt conſcius. Sa, Laym. Lug. Imo notat Tamb. *l. c.* ſatis eſſe de uno veniali dolere formaliter, etſi plurium ſis conſcius, de quibus nec propoſitum emendandi habeas, ſive ea confitearis, ſive non.

3. Non abſolvitur, qui dolet, licet intenſiſſime, tantum propter infamiam, damna, aliaſve pœnas temporales præciſe, etſi ex inculpabili ignorantia. Quia non eſt dolor ſupernaturalis, nec ignorantia, aut bona fides poteſt ſupplere defectum eſſentialem. ANIMAD. XI. Bonac. *l. c.* & cet. *Limitat tamen Regin. cum Tambur. de exped. conſ. l.* 1. *c.* 1. *niſi doleas propter iſtas, ut a Deo inflictas, vel infligendas.*

4. *Ad attritionem non requiritur ulla intenſio, vel* ANIMAD. XII. *duratio temporis, ut vult Durand.*

5. Etſi debeat eſſe de omnibus peccatis mortalibus, non requiruntur tamen ſinguli dolores de ſingulis, ut vult Angles; *ſed ſufficit unus actus de* ANIMAD. XIII. *omnibus ſimul ſumptis, etiam oblitis*: ideoque peccat graviter, qui ſciens prudens non atteritur univerſaliter de omnibus mortalibus nondum remiſſis. Bon. &c. *ll. cc.*

6. Non ſufficit dolere, quod non doleas, ut habent Navar. & Sa, nec velleitas non peccandi. Ratio utriuſque eſt, quia non eſt dolor de peccatis commiſſis, cum quo affectus ad ea ſtare poteſt. ANIMAD. XIV. Henriq. Vaſq. Bonac. *l. c. n.* 7. *Ubi recte notat, cum actu, quo quis dolet, ſe non dolere de peccatis, plerumque conjunctum eſſe dolorem de peccatis, etſi pœnitens eum non dignoſcat.*

7. Etſi hic dolor debeat eſſe ſummus appretiativa, ita ut nihil magis deteſteris, quam peccatum, maliſque omnia mala hujus mundi perpeti, quam mortaliter contra Deum peccare, non tamen opus eſt, imo nec expedit, particulares facere collationes: v. g. mallem hoc, vel illud malum ſubire, quam mortaliter peccare, quia periculoſæ ſunt.

8. Qui non vult occaſiones proximas peccandi a ſe amoliri, vel non remittere ex animo, vel non reſtituere, aut ſatisfacere, quibus debet, vel non ANIMAD. XV. habet formale (*licet probabiliter cum Lugo l. c. ſ.* 5. *Laym. Dian. aliique dicant, virtuale in contritione univerſali incluſum ſufficere, ſaltem quando non occurrit cogitatio de peccatis vitandis*) propoſitum, *peccata mortalia, quando talia confitetur, vitandi efficax, id eſt, cum quo non poſſit conſiſtere affectus actualis erga aliquod mortale, non eſt ſufficienter attritus*. Ratio eſt, quia non eſt dolor, & deteſtatio efficax, quippe cum quo poſſit ſtare voluntas peccandi, nec is ſe ex toto corde convertit ad Deum, deteſtans peccatum ſuper omne deteſtabile. Suar. Fernan. Laym. *l.* 5. *t.* 6. *c.* 4. Dian. *p.* 3. *t.* 4. *R.* 119. &c. commun. Et licet ſola venialia confitearis, teneris tamen, ſicut dolorem, ita etiam propoſitum, ſaltem virtuale circa illa habere. Card. de Lugo *d.* 14. *ſ.* 8. & 9. & alii.

9. *Redire ſæpe cum eodem mortali non eſt certum* ANIMAD. XVI. *indicium deeſſe attritionem, etſi ſit magna præſumptio, præſertim in iis*, qui coguntur confiteri a parentibus, magiſtris, &c. *item in iis, qui aliquoties moniti, concubinam non ſeparant, aut reſtitutionem non faciunt*, quibus proinde abſolutio differenda eſt, niſi id actu præſtent. *Quamquam poſſint eſſe alia ſigna veri doloris*, v. g. ſi media præſcripta ſint adhibita, occaſiones vitatæ, ſi numerus peccatorum imminutus, *ſi pœnitens omnino aſſeras, cui plerumque credi debet, cum ipſe ſit ſuî accuſator, defenſor, & teſtis*; qua in re opus eſt magna prudentia Confeſſarii, ne pœnitentem ſeveritate avertat, neque etiam lenitate ſeducat, & peccet, pereatque cum illo. Suar. *in* 3. *p. d.* 2. *ſ.* 2. Sanch. *l.* 2. *in dec. c.* 32. & *l.* 3. *c.* 5. C. de Lug. *l. c. n.* 166. & 169. *contra quorum, aliorumque communem ſententiam, docent apud Dian. Vivaldus, & Joannes Sancius d.* 10. *n.* 16. *poſſe toties, quoties confitetur, abſolvi, etiamſi nullus appareat profectus; eo quod ſine illo poſſit eſſe verum propoſitum, ſicut eſt in iis, qui venialia ſemper afferunt eadem. Verum id probare non auſim*, nec videtur eſſe par ratio. V. Conin. *d.* 2. *dub.* 14. Dian. *p.* 2. *t.* 7. *R.* 55. & *p.* 2. *t.* 2. *m. R.* 41. & *p.* 3. *t.* 4.

10. *Abſolvendi ſunt ii, qui ex officio, domo, vel* ANIMAD. XVII. *negotio, in quo propinquum peccati periculum imminet, diſcedere nolunt, eo quod ſine maxima difficultate non poſſint, parato interim media præſcribenda adhibere*. Ratio eſt, quia occaſio, etiam propinqua, non neceſſitat ad peccatum, ideoque ſtare poteſt cum propoſito peccata vitandi. Nec refert, quod quis putat, vel timeat ſe unum, vel plura peccata non vitaturum; quia propoſitum eſt actus voluntatis; exiſtimatio autem illa eſt actus intellectus, qui ex illo propoſito, ob humanæ voluntatis mutabilitatem, non neceſſario conſequitur. Interim qui certus eſt, impoſſibile ſibi eſſe in tali occaſione peccata vitare, debet eam deſerere, niſi velit perire. Ita Laym. *l. c.* Lugo *l. c. n.* 152.

11. Non requiritur dolor ſenſibilis; ſufficit enim intellectus; qui cum ſit internus, ac ſpiritualis, ſcrupuloſi non facile debent angi, quaſi ſine dolore accedant ad Sacramentum, eo quod nullum ſentiant.

12. *Is, qui nihil cogitans de confeſſione attritionem* ANIMAD. XVIII. *elicuit, non referens eam ad Sacramentum, non poteſt ſine novo dolore ad id accedere: quia pars debet referri ad compartem. Ita Suar. d.* 20. *ſ.* 4. *Bonac. d.* 5. *q.* 3. *p.* 2. *Contrarium tamen videtur docere Card. de Lug. d.* 14. *ſ.* 4. *num.* 37. *quod non eſt improbabile*. Tamb. *l.* 1. *c.* 2.

13. Non ſufficit ad Sacramentum dolor, qui ſequitur abſolutionem, *imo ſecundum ſententiam ſaltem* ANIMAD. XIX. *tutiorem, quam docet* Laym. *l.* 5. *t.* 4. & Conin. *debet antecedere etiam confeſſionem, etſi contrarium etiam probabiliter doceant* Vaſq. Fill. Fagund. Card. de Lugo *de pœn. d.* 14. *ſ.* 2. & Gaſp. Hurtad. *d.* 7. *dif.* 5. apud Dian. & Eſcob. *t.* 7. *E.* 6. Unde pœnitentes initio ad dolorem excitandi, aut ſi poſt peccatorum narrationem fiat, repetant verbo confeſſionem, dicendo ſe dolere de peccatis expoſitis. Vid. Laym. *l. c.*

14. *Probabile eſt, eum, qui paulo ante confeſſus* ANIMAD. XX. *iterum confitetur, vel eadem peccata, vel quæ exciderant, de quibus ante (explicite, & in particulari) non doluit, non teneri elicere novum dolorem*. Card. de Lugo *d.* 14. *ſ.* 3. Dian. *p.* 9. *t.* 3. *R.* 50. & 51. *& conſequenter poteſt moribundus propter periculum inſtantis mortis abſolvi, audito tantum uno, alterove peccato, & deinde ſi ſuperſtes maneat, auditis reliquis, iterato abſolvi in virtute doloris præcedentis*. Tamb.

DUBIUM III.

Qualis Confeſſio requiratur?

ARTICULUS I.

An debeat eſſe integra materialiter?

Reſp. Ad confeſſionem per ſe, & ordinarie re- ANIMAD. XXI. quiritur integritas materialis, *ſita in eo, ut poſtquam diligen-*

Digitized by Google

diligentius te excuſeris, & conſcientiæ tuæ ſinus, & latebras (ita loquitur Trident. *ſeſſ.* 14. *c.* 5.) *exploraveris, confiteare omnia mortalia memoriæ occurrentia, nondum confeſſa, eorumque numerum, & circumſtantias, quæ ſpeciem mutant:* patet ex Trid. *l. c.* & eſt certum. Ratio eſt, quia alias, nec judicium ſacramentale recte adminiſtrari, nec æquitas in pœnis ſtatuendis ſervari poteſt.

Dicitur 1. *per ſe, & ordinarie*: quia per accidens & extraordinaria ſofficit integritas formalis. Vid. *dub. ſeq.*

ANIMAD. XXII. *Dicitur* 2. numerum, *intellige certum, qui ſi non conſtet, dic probabilem, addendo plus, minus. Quod ſi deinde deprehendas te erraſſe, non teneris iterum confiteri, niſi notabiliter fuerit major.* Fagund. Sanch. Hurt. contra Regin. Fill. & Sa, qui dicunt, verba illa, *plus, minus*, tantum extendi ad unum, vel duo ſupra numerum indicatum. Sed quamvis hoc ſit verum in numero parvo, & denario v. gr., non tamen in aliis, v. gr. centenario, millenario, &c. quia verba illa non habent ſenſum abſolutum, ſed reſpectivum ad numerum, cui adduntur, qui quanto fuerit major, tanto etiam major verbis illis intelligetur, dummodo tamen ſit parvus reſpectu alterius, cui adjungitur; quod prudentis arbitrio æſtimandum eſt. Ita Dian. *p.* 3. *t.* 3. *R.* 194. ex Navar. &c. Item Card. de Lug *d.* 16. *d.* 94. quod ſi autem nec probabilis haberi poteſt, dicenda eſt conſuetudo peccandi, tempus, & frequentia in die, ſeptimana, menſe, vel anno. Vid. Filliuc *t.* 7. *c.* 4. Dian. *p.* 3. *t.* 4. *R.* 94. Gaſp. Hurt. *d.* 9. *diſ.* 5. Lugo *d.* 16. *n.* 79.

ANIMAD. XXIII. Dicitur 3. quæ ſpeciem mutant: *quia etſi probabile ſit, quod docent Suar. Con. & alii, etiam ea, quæ notabiliter in eadem ſpecie aggravant (hoc eſt, quæ juxta cujuſque conſcientiam excedunt ordinarium peccandi modum) eſſe explicandas, ob rationem allatam in reſponſione; contraria tamen ſententia, quam ex Div. Thom. Sylveſt. Navar. docent Vaſq. Regin. Bonac. Lugo d. 16. ſ. 3. etiam probabilis eſt, & tuta: ſaltem ſi excipias.* 1. Gradus conſanguinitatis in inceſtu. 2. Quantitatem furti, injuriæ, &c. quæ egent ſatisfactione. 3. Quando uno actu plures ſunt occiſi, vel infamati, vel apud plures. 4. Odium diuturnum; quia tunc ſolent plures actus fieri. V. Reg. *l. c.* 5. Peccatum inter Confeſſarium, & pœnitentem. V. Fill. *de imped. matr. c.* 5. *q.* 5. 6. Si circumſtantia invehat cenſuram, vel reſervationem, vel ad neceſſariam pœnitentis directionem, a Confeſſario prudenter interrogetur.

Unde reſolves.

1. Ad integritatem confeſſionis prærequiritur diligens examen, pro capacitate pœnitentis, temporis, mora, & ceteris circumſtantiis. *Ad id autem*
ANIMAD. XXIV. *ſufficit diligentia mediocris, qualem vir prudens in arduis negotiis adhibet, qualem moraliter loquendo, docti, & timorati adhibere ſolent, etiamſi quis putet, majore diligentia plura ſe reperturum.* Bonac. *t.* 1. *d.* 5. *q.* 5. Laym. *l.* 5. *t.* 6. *c.* 8. Poſt mediocrem autem iſtam diligentiam non tenetur de anteacta vita ulterius cogitare; *& ſi quid occurrat, quod videatur non eſſe in confeſſione explicatum, poteſt ſibi perſuadere, cum ceteris id memoratum fuiſſe.* Dian. *q.* 3. *t.* 4. R. 107. ex Sanch.

ANIMAD. XXV. 2. *Examen hoc a Confeſſario poteſt ſuppleri, quod tamen Suarez reprobat, in confeſſionibus longis diligentiorem, eo quod impoſſibile fere ſit, ut quis repente rogatus omnia recordetur, & tantum admittit in rudibus: quos etiam monet Su, v. Confeſſio, bona fide confeſſos, non nimis rogandos de confeſſionibus præteritis, niſi intelligatur aliquid neceſſarium defuiſſe.* Vid. Fagn. Dian. *p.* 3. *t.* 4. *R.* 89.

3. *Non eſt neceſſarium peccata ſcribere, ne memoria*
ANIMAD. XXVI. *excidant, ut contra Bon. docent Suar. Vaſq. & alii.* Imo Sot. dicit, id non conſulendum, ob periculum evulgationis. Melius tamen Lam. Con. & alii aſſerunt ſuadendum eſſe dummodo vitetur anxietas nimia, propter quam ſcrupuloſis prohiberi poteſt.

4. Invalida eſt confeſſio non integra, ex ignorantia, vel negligentia mortaliter culpabili, ut verius docent Suarez, & alii communiter contra Sot. quia Tridentinum requirit diligens examen.

5. *Non officit integritati, per ſe loquendo, ſi quis ſubinde gravius lapſus, id alteri prius confiteatur, &* ANIMAD.
deinde ordinario ſuo venialia tantum (qui imprudenter XXVII.
id ægre feret, prohibebit, aut reprehendet) niſi tamen ea occaſione maneat in mortali occaſione peccandi, aut ideo circumeat, ut liberius peccet: tunc enim graviter peccabit; & ob defectum attritionis confeſſio erit nulla. Ita Fill. Laym. *l.* 5. *t.* 6. Card. de Lugo *d.* 16. *n.* 57.

6. *Ex circumſtantiis minuentibus illæ tantum expli-* ANIMAD.
candæ ſunt, quæ vel omnino tollunt malitiam, vel XXVIII.
ex mortali faciunt veniale, ut parvitas materiæ, indeliberatio, &c. (v. gr. ſi die Veneris ignorans comediſſet carnes) *vel alioqui notabiliter mutant judicium Confeſſarii, ſaltem quoad ſpeciem.*

7. Ad ſervandam integritatem confeſſionis, peccata mortalia dubia, ut dubia, loquendo de dubio proprie dicto, ſunt aperienda, ut docet Suarez in 3. *p. t.* 4. *d.* 2. *ſect.* 9. n. 7. Sanchez, Dian. Card. de Lugo *d.* 16. *n.* 63. Bonac. *d.* 3. *q.* 5. *ſ.* 2. *p.* 2. *diſ.* 4. & alii communiter contra Conin. Ratio eſt, tum quia peccata, quæ ſunt in conſcientia, debent manifeſtari; at dubia ut dubia ſunt in conſcientia: tum quia in negotio ſalutis, & medio ad hanc neceſſario, non tam habet locum illud axioma: Melior eſt conditio poſſidentis: quam hoc: In dubio tutior pars eligenda eſt. (Excipiuntur tamen ſcrupuloſi, & ii, quibus diu poſt patratum peccatum ſuboritur aliquod dubium, ſi alias ſoliti ſint ſollicita confeſſionem inſtituere: quia non eſt dubium
prudens.) *Quod ſi poſtmodum accipiant notitiam cer-* ANIMAD.
tam, idem curſus eſſe confitendum, tanquam certam, XXIX.
docent Turr. & Sanchez 1. *mor. cap.* 16. *n.* 69. *Dubitat tamen Card. de Lugo d.* 16. *ſ.* 2. *nu.* 79. & 92. *ſuadetque id, ut ſecurius.* Vide Dia. *p.* 3. *t.* 4. *R.* 60. & 107. *Si vero peccatum confeſſus ſit ut certum, & poſtea de eo dubitet, an fecerit, non tenetur iterum confiteri, ut dubium.* Lug. Tamb. *exped. conf. d.* 1. *c.* 1. *qui idem cenſent, etſi poſtmodum certo comperiet, ſe non feciſſe.* Monent autem Suar. & Tamb *l. c.* ſi quis ſola peccata dubia confiteatur, monendum, ut addat aliquod certum ex alias confeſſis: *quod ſi id haberi non poſſit, abſolvendum ſub conditione.*

ARTICULUS II.

Quando ſufficiat confeſſio integra formaliter?

Reſpond. Etſi ad hoc Sacramentum requiratur ſemper aliqua confeſſio, non ſemper tamen opus eſt ut ea ſit integra materialiter, modo ſit talis formaliter, ſeu moraliter, id eſt, quantum, moraliter loquendo, hic & nunc poteſt fieri; *etſi poſtea*
debeas, ſi poſſis, ſupplere defectum, non ſtatim, ſed ANIMAD.
quando rurſum confiteri obligaberis, aut voles. Porro, XXX.
quando talis confeſſio ſufficiat, ſequentes regulæ docent.

Prima. Quandocumque quis ad materialiter integre confitendum phyſice eſt impotens, ſufficit integritas formalis, quia præceptum divinum non ob- ANIMAD.
ligat ad impoſſibile. *Unde poſſunt in ſequentibus ca-* XXXI.
ſibus abſolvi. 1. *Mutus, etſi unum tantum, vel alterum peccatum per nutus ſignificaverit; niſi tamen ſcripto poſſit Confeſſario exhibere, ad quod tunc eum teneri probabilius eſt, ut communiter docetur*, contra Cajet. Navar. & alios. 2. *Surdus, qui non poteſt omnia explicare.* Laym. *l.* 5. *t.* 6. *c.* 8. 3. *Ignarus idiomatis, tempore præcepti, vel alterius neceſſitatis, etſi non integre intelligatur, ſi neque Confeſſarius linguæ gnarus, neque interpres haberi poſſit; imo, etſi adſit interpres: non enim tenetur per eum confiteri, ut docent Suar. Vaſq. Dian. niſi forte in periculo mortis, in quo aliqua minora confiteri ſufficiet.* Vide Card. de Lugo *d.* 15. *n.* 61. 4. Moribundus uſu linguæ ſubito deſtitutus, ſi petat abſolvi, ac det ſigna doloris, vel ante dederit coram aliis; modo id fecerit in ordine ad Sacramentum, quod de quovis in eo ſtatu præſumendum videtur. *Quo caſu, ſi (ſaltem coram ipſo infirmo) ſive ab uno, ſive pluribus, mediatis, vel immediatis teſtibus detur teſtimonium, Sacerdotem non tantum poſſe, ſed probabiliter etiam teneri abſolvere (ſaltem ſub conditione) docent Dian. & Lugo d.* 18. *n.* 84. *&c. ex multis aliis: item Bonac. citans declarationem Cardinalium pro ſe; & Præp. q.* 4. *dub.* 5. *&c. eo quod*

ſic &

ſit & ægri neceſſitati, & reverentiæ Sacramenti conſulatur. (*Dixi ſaltem*) *quia* Tambur. *l.* 2. *exped. confeſſ. citans* Conin. *Præp. &* Lugo *docet, poſſe, & debere abſolvi abſolute, etſi ſit abſens, qui de ſigno coram ſe dato teſtatus fuit. Denique, ſi nullum ſignum dederit, nullo modo abſolvendus eſt, cum actus judicialis non exerceatur, niſi præceſſerit accuſatio. Licet enim recentiores quidem*, ut Tambur. *de exped. confeſſ. lib.* 2. *cap.* 10. *citant Plomobonum, & Molfeſ. item Phil. Servant in amico fideli, p.* 1. *c.* 1. *Anton. de litt. Barth. de S. Fauſto* &c. *cenſeant poſſe, imo debere abſolvi ſub conditione, dummodo alias probe, & chriſtiane vixerit, eo quod præſumi poſſit interius elicuiſſe contritionem, eaque* Dian. *p.* 4. *t.* 4. *R.* 92. & *p.* 9. *t.* 6. *R.* 20. *ex aliis duodecim judicet probabile: ab aliis tamen merito rejicitur, ut Suarez, Vaſquez,* Coninch. *Mercer.* Card. de *Lugo d.* 17. *ſ.* 3. *Malder.* &c. *ipſoque Dian. l.* 1. *& aliis* 12. *apud Averſam; quia deeſt omnis externa confeſſio, quam eſſe partem eſſentialem hujus Sacramenti, conſtat ex Trid. ſeſſ.* 14. *can.* 9. *& ex nullo ſigno rationabiliter præſumi poteſt, ut ſuppono.* Vide Card. de Lugo *l. c.* Averſam *q.* 10. *ſect.* 18. ubi notat, abſolutionem, quæ iis, qui inſcripti ſunt in Societatem Roſarii, ſolet in infirmitate impendi ſine omni confeſſione, non dari tamquam ſacramentalem, nec in ordine ad conficiendum Sacramentum, ſed ad indulgentiam, & remiſſionem pœnæ conſequendam.

Secunda. Quando vel pœnitenti, vel Confeſſario imminet periculum vitæ, quod nec illum integre confiteri, nec hunc audire patiatur, ſufficit integritas formalis. Ratio eſt, quia tunc materialis non eſt poſſibilis moraliter: *quod valet ſeq. caſ.*

1. Si pœnitens, v. gr. infirmus, uno, alterove peccato dicto, deficiat, vel ſit grave periculum, ne deficiat.

2. Si infirmus volens confiteri, dum ei fertur viaticum, deprehendatur multas confeſſiones feciſſe invalidas, & gravitas morbi non patiatur dilationem abſolutionis. Gran. Dian. *p* 5. *t.* 3. *R.* 75.

Animad. XXXII. 3. *Si ipſe Sacerdos in periculo conſtitutus videatur ante moriturus, quam pœnitens abſolvatur.*

4. *Si tempore peſtis*, (*a*) prudentum judicio, moraliter certum periculum ſit, ne Confeſſarius inficiatur, qui ſi tamen totam audire velit, tenebitur ad eam pœnitens.

5. *Si immineat conflictus*, (*b*) vel ſit multitudo moribundorum, verbi gratia, in naufragio, nec poſſint omnes audiri. In quo caſu poſſent etiam omnes ſimul, dicto uno peccato, quod minus infamat (vel etiam ſecundum quoſdam, ſi aliter fieri non poſſit, dicendo in genere ſe eſſe peccatores) abſolvi, dicendo: *Ego vos abſolvo*, &c. Vide Sa v. *Abſolutio*, & Comm. *de ſacr. d.* 7. *dub.* 9.

Tertia. Quando ex confeſſione certi peccati, vel circumſtantiæ timetur merito grave damnum proprium, vel alienum, ſive Confeſſarii, ſive alterius, corporale, vel ſpirituale, *poteſt id reticeri*. (*c*) Ratio eſt, quia præceptum divinum de integritate non obligat cum tanto incommodo, quod tantum eſſe poſſet, ut peccares confitendo, verbi gratia, 1. Si Sacerdos certum peccatum ſit revelaturus (intellige cum Con. Card. de Lugo *d.* 26. *n.* 527. quod pœnitens ipſe non teneatur revelare.) 2. Si ſciat, v. gr. mulier, ex certo peccato ſibi, vel Confeſſario fore periculum ruinæ. 3. Si pœnitenti inde immineat grave damnum, vel periculum vitæ, vel famæ. In his tamen caſibus videtur requiri neceſſitas confitendi, verbi gratia ob communionem externam, vel ſi longo tempore alioqui eſſet differenda. Vide Filliuc. *t.* 27. *c.* 6. Card. de Lugo *l. c.* ubi monet, talia damna, aut pericula non facile fingenda eſſe; & quidem in Religioſo vix poſſe locum habere.

Quarta. Si quis aliquod peccatum, vel circumſtantiam non poſſit confiteri ſine violatione ſigilli; (*d*) verb. grat. ſi invalide abſolviſſes ſimoniacum, nec poſſes confiteri, niſi illi, qui facile inde poſſet conjicere, quiſnam ille eſſet.

Ex omnibus ſupra dictis ſequitur excuſari etiam ſequentes ab integritate materiali. 1. *Qui habent caſum reſervatum, de quo* infra, & Layman *l.* 5. *t.* 6. *c.* 12. 2. *Scrupuloſum, qui perpetuo angitur de oblitis.* 3.

Animad. XXXIII. *Quem Sacerdos abſolvit ante finem, nolens omnia audire, ut habet Bon. hic* 4. *Quem fallit memoria, ita ut dicat, ſe ſcire in genere, quod peccaverit mortaliter, non occurrere autem ſpeciem peccati:* niſi tunc veniale aliquod addere ſit conſultum. Ita Conin. & Laym. *loc. cit.* contra Sor. & Medinam. 5. *Eum, qui extreme rudis, vel ſimplex dicit ſe dolere de peccatis, nullum tamen in ſpecie, ne veniale quidem, ſciat dicere: qui etſi, ſpeculative loquendo, poſſet abſolvi, practice tamen non expedit, ſed data benedictione permittatur communicare.* Ita Laym. *loc. cit.* 6. *Qui aliquod peccatum non poteſt confiteri ſine complicis infamatione, verb. gr. ſi peccaſſes cum matre, vel ſorore, quam Confeſſarius noſſet; tunc enim ſi alium Confeſſarium non poſſes habere, quem alias adire teneris, ſufficeret, imo deberet dici, quod anima cum ea, vel in genere cum aliqua fornicationem, vel inceſtum commiſiſſes*, reticendo gradum primum, vel ſecundum, quoad licebit ſine manifeſtatione complicis, cum propoſito confitendi integre Sacerdoti alteri proxima occaſione. Ita probabiliter Naver. *c.* 7. Bonac. Conin. Valent. Præp. *hic dub.* 6. Gamaz. &c. Ratio eſt, *quia quando duo præcepta divina concurrunt, naturale, & poſitivum, quæ ſimul ſervari non poſſunt, præferendum eſt naturale; quia ſtrictius obligat. Etſi probabilius contrarium docent Fill. Suarez, Vaſquez, Leſſ.* Card. de *Lugo art.* 16. *num.* 394. *Hurt. Con. & alii commun.* Unde talis ſaltem non tenebitur tacere id peccatum, ne complicem infamet, niſi commode poſſit (quod Cardin. de Lugo extendit etiam ad non complicem, ſine cujus manifeſtatione peccatum explicari non poteſt) ideoque Confeſſario curandum, ne nominentur perſonæ, niſi ad pœnitentis directionem opus eſſet; tunc enim infamia ille non tanti æſtimatur, eamque ſibi imputet, qui peccavit. Conferendum tamen eſt commodum directionis cum infamia. Ratio ſupradictorum omnium eſt, quia in his caſibus moraliter non poteſt fieri confeſſio materialiter integra. Laym. *cap.* 8. Fagund. *p.* 1. *cap* 3. Vide Dian. *p.* 3. *t.* 4. *R.* 64. & 131. & *p.* 1. *t.* 7. *Reſ.* 49. Leſſ. *l.* 2. *c.* 21. *d.* 11. Tamb. *de exped. conf. d.* 2. *cap.* 9. §. 2. *ubi docet, probabile eſſe, quod talis pœnitens propter ſolam conſolationem, quam ſentit ab amico, vel docto Confeſſario, poſſit ei confiteri, etſi alium habere poſſit.*

ARTICULUS III.

Quæ ſint reliquæ conditiones confeſſionis.

Reſp. Præter integritatem hæ ſunt tres.

Prima, *ut ſit vocalis*, ſcilicet ordinarie, idque propter uſum, & praxim Eccleſiæ graviter obligantem, niſi ſubſit juſta cauſa, ut impotentia, ſive phyſica, ſive moralis, quæ ſi adſit, poteſt fieri nutu, ſcripto, aliove ſigno, *verbi gratia ſi quis ob anxietatem loqui non poſſit, aut puella ſupra modum verecunda aliter ſe non poſſit explicare, quam ſcripto, quo a Confeſſario lecto, addat voce, de his me accuſo.* Animad. XXXIV. Suar. Vaſq. Card. de Lugo, Laym. *lib.* 5. *t.* 6. *cap.* 6. *n.* 3. *Imo, qui aliter non poteſt, tenetur juxta communem ſententiam confiteri per nutus, aut ſcriptum tempore præcepti: etſi id quoad ſcripturam non admittant Navar. Tol. Sot. Valent. Dian. extra articulum mortis.* Vide Cardin. de Lugo *d.* 15. *num.* 87. *Similiter ſuadendum eſſe ſurdis, ut confiteantur ſcripto (licet ad id non teneantur) ne ab aliis audiantur:* eandemque ob cauſam eos non interrogandos, niſi de plane neceſſariis: ex Poſſav. docet Dian. *p.* 3. *t.* 4. *R.* 127. & *p.* 5. *t.* 6. R. 5.

Unde reſolves hunc caſum.

Is, qui extra neceſſitatem totam confeſſionem facit nutu vel ſcripto, mortaliter peccat, ac conſequenter non abſolvitur. Dian. *par.* 3. *t.* 4. *R.* 127. ex Sylvio. V. Fill. *t.* 1. *c.* 7. *c.* 1. Con. *d.* 6. *dub.* 1. Suar. *d.* 21. *ſect.* 2. *n.* 5.

Secunda conditio, *ut ſit ſecreta*, id eſt ut fiat ſoli Sacerdoti, non quidem ex neceſſitate, ſed uſu Eccleſiæ. Animad. XXXV. *Publica autem, qualis in naufragio, prælio, hoſpitali, ubi alii adjacent, vel per interpretem fit, non obligat (ſaltem reſpectu peccatorum occultorum) niſi ex caritate ſui, eum, qui in articulo mortis dubitat de contritione; ac tum adhuc ſufficit ea confiteri, quæ minorem pariunt infamiam.* Ita Suar. Fagund. Dian. *p.* 7. *tr.* 4. *R.* 29. &c.

Unde

Unde reſolves.

ANIMAD. XXXVI. *Si quis peccata in prioribus confeſſionibus oblitus eſſet, non tenetur etiam in articulo mortis ea confiteri publice, vel per interpretem:* quia peccatorum oblitorum confeſſio tantum obligat ex præcepto poſitivo divino, quod hoc in caſu ceſſat. Vid. Laym. *c.* 6. Dian. *p.* 3. *t.* 4. R. 128. & 129.

Tertia conditio, *ut ſit vera*. Quod requiritur eſſentialiter in materia ſubſtantiali, & neceſſaria; quia alias in re gravi deciperetur judex, neque eſſet confeſſio integra, ideoque irrita. *Non tamen in materia libera*; (*e*) tum quia falſitas ſigni in accuſatione circa materiam acceſſoriam non facit ſententiam irritam: tum quia talis tantum peccat venialiter, cum non ſit graviter injurius Sacerdoti, nec ſacramento. Ita Navar. Suar. &c.

Unde reſolves.

ANIMAD. XXXVII. 1. *Non eſt mortale*, nec irritat ſacramentum, 1. *Si in confeſſione mentiaris leviter circa res non pertinentes, aut non neceſſarias ad ſacramentum: verb. grat.* ſi hiſtoriam falſam narres, *vel ſi neges veniale, vel mortale, quod non teneris confiteri*. 2. Si falſo te accuſes de veniali: quod tamen mortale grave erit, ſi id facias non dando aliam materiam, cum ſic formam reddas irritam, & ſacramentum; niſi tamen facias ex ſcrupulo, perturbatione. Ita Suarez, Fill. *tom.* 1. *tract.* 7. *cap.* 4. Lay. *lib.* 4. *t.* 6. *cap.* 8. Dian. *p.* 3. *t.* 4. *Reſ.* 96.

2. Sacrilegium eſt, & abſolutio nulla. 1. *Si mortale*, quod confiteri teneris, & putas eſſe, *neges, aut tegas*, (*f*) ne intelligatur. 2. Ut communiter docetur contra Sylv. ſi mortale tibi falſo imponas, niſi tamen fiat ex ſimplicitate, & ſcrupulo &c. 3. Si neges, vel mentiaris circa peccata alias rite abſoluta, quando Confeſſarius, ut Judex, vel medicus de iis aliquid, ut neceſſarium ad præſentem confeſſionem interrogat. Card. de Lugo *d.* 14. *ſ.* 10. Tamb. *l.* 2. *c.* 12. §. 2. ſecus ſi ad præſentem confeſſionem nun faciat. *Ibid.*

ARTICULUS IV.

Quando confeſſio ſit invalida, & quomodo iteranda?

Reſp. 1. Id contingit ex duplici capite. Primo ex parte Confeſſarii, ſi juriſdictionem non habuit, vel certe impeditam per cenſuram; vel ſi formam ſubſtantialiter vitiavit, vel non intendit abſolvere: vel peccatum nullum intellexit.

Dico *nullum*; quia ſi ob ſurditatem, ſomnum, vel diſtractionem, aliqua, licet mortalia, non intellexerit, *ſine culpa pœnitentis, probabilius eſt, valuiſſe abſolutionem*, (*g*) ac poſtea tantum repetenda eſſe non audita, ut contra Sylv. Anton. Navar. & alios docent Henriq. Laym. *l.* 5. *tr.* 6. *c.* 9. Dian. *p.* 4. *t.* 4. *R.* 198. Addo, ſine culpa: quia ſi ſemidormienti mala fide confitearis, peccas; & confeſſio eſt invalida, ideoque repetenda, *l. c. c.* 10. §. 3. Denique adducunt aliqui cum Tol. ſi Confeſſarius indoctus non potuit diſcernere mortale, & veniale, invalidam eſſe. Verum id Suarez, Laym. & alii paſſim rejiciunt, & quidem etiamſi Confeſſarius putaſſet eſſe veniale, quod fuit mortale; ideoque confeſſionem bona fide tali factam non eſſe opus repetere. Ita Henriq. Sanch. *t. mor. cap.* 10. *n.* 69. Dian. *par.* 3. *t.* 4. *R.* 121. contra Vaſq. Dixi, bona fide, quia ſi mala fide, verbi gratia, quia quæſiviſti talem Confeſſarium, qui tibi mederi non poſſit, debes repetere: cum enim actu peccaveris, dum confitereris, non fuiſti rite diſpoſitus, ideoque nec abſolutus. Tamb. *l.* 2. *c.* 10. §. 3. *Denique ſi finita confeſſione intelligas Confeſſarium aliqua non percepiſſe*, ſive propter ſomnum, ſive diſtractionem; neſcias autem, quæ ſint illa, *teneris repetere confeſſionem, ſi brevis fuerit, quia de ſingulis prudenter potes dubitare: ſi autem longa fuerit, ait Tamb. l. c. non teneri ob rationem contrariam; & ſatis eſſe confiteri, quod dubites, an aliquod ex tuis peccatis Confeſſor perceperit.* (*h*)

Secundo. Invalida eſt ex parte pœnitentis, ſi fuit excommunicatus, de quo infra: ſi mortale tacuit, vel de eo ſe falſo accuſavit: ſi mortaliter negligens fuit in examinanda conſcientia: item ſi non fuit attritus (quod patere ſolet inde, ſi ſponte quæſierit Confeſſarium ſurdum, indoctum, cæcum &c. Vide Sanchez *l. c.*) ſi nolit tollere occaſiones &c. Vide Dianam *p.* 4. *t.* 4. *R.* 201. quibus addi poteſt ut plurimum, ſi peccatum carnale confeſſus ſit ſuo complici.

Reſp. 2. *Si confeſſio apud eumdem Confeſſarium iteretur, ſufficit uno verbo in communi ſe accuſare de peccatis ante illi cognitis, dummodo is eorum recordetur, ſaltem in confuſo, aut ſtatus, ac vitæ hominis in communi, aut pœnitentiæ a ſe impoſitæ*, ut docent Vaſq. Tol. Laym. Sa, Dian. *p.* 3. *t.* 4. *R.* 123. *Imo ſi nihil horum, ſed tantum quod ſibi confeſſus fuerit, recordetur, valide, etſi illicite, abſoluturum putant Laym. & Dian. l. c. Idem abſolute docet Granad. & Mercerus in* 3. *p. q.* 9. *n.* 1. *cum quibus Dian. p.* 5. *t.* 14. R. 51. *ſe retractans, probabile cenſet, quod etiam licite poſſit abſolvere.* ANIMAD. XXXVIII.

Reſp. 3. Raro obeſt defectus ex parte Confeſſarii, ſi pœnitens eum inculpabiliter ignorat, quia in confeſſione ſequenti abſolvetur etiam ab iis, a quibus ſe bona fide abſolutum putabat.

Unde reſolves.

Is, qui a puero peccatum aliquod grave, verbi gratia mollitiem, inculpabiliter omiſit, vel quia putavit leve eſſe, vel nullum, non ideo tenetur repetere alia peccata (vel confeſſiones intermedias) ſed hoc tantum, ut docent Bonac. Sanch. t. 1. *l.* 1. *cap.* 16. *Vaſq. in* 1. *p. t.* 4. *q.* 92. *Sanctius, Laym. hic cap.* 9. *addens ſi ſimplex ruſticus, qui tota vita tantum fecit confeſſiones generales, nihil confitens in ſpecie, nec aliter inſtructus ſit, etſi valide is ſit abſolutus, cum onere, ut cum melius cognoverit, omnia ſubjiciat clavibus: ſi tamen veniat, quando ingens eſt copia pœnitentium, ut tunc diſponi non poſſit ad omnia repetenda, poſſe eum abſolvi, auditis tamen peccatis ab ultima confeſſione factis, cum obligatione, ut melius faciat.* Ita Laym. *l. c. c.* 9. *n.* 4. Vide Dian. *p.* 3. *t.* 4. *R.* 108. *ubi addit ex Navar. Sylv. Becan. Vaſq. Regin. c.* 1. *t.* 6. *c.* 5. *ſect.* 4. *n.* 153. *& Joan. Sancio, quod etſi ex errore culpabili mortaliter peccatum tale, v. g. mollitiei, vel numerum, aliamve circumſtantiam neceſſariam omiſeris, non ideo teneris repetere confeſſiones intermedias bona fide, & legitime factas (in quibus ex naturali oblivione defectum illum non fueris confeſſus) cum validæ fuerint, & maneant validæ.* ANIMAD. XXXIX.

DUBIUM IV.

De Satisfactione.

ARTICULUS I.

Quæ ejus neceſſitas, & quantitas?

Reſp. 1. *Satisfactio*, ſeu pœnitentia a Confeſſario data, *eſt neceſſaria neceſſitate* non Sacramenti, *ſed præcepti:* (*i*) ideoque a Confeſſario regulariter imponenda eſt, ſecundum Suar. & Regin. *t.* 1. *l.* 7. *n.* 17. ſub mortali; tamen Card. de Lugo concedit, ex parvitate materiæ poſſe venialiter peccari, ut vide *d.* 25. *n.* 47. v. g. ſi ob peccata venialia levis pœnitentia eſſet injungenda: ejus enim voluntariam omiſſionem venialem tantum eſſe. Ita etiam Dian. *par.* 6. *t.* 6. *R.* 44. Et quidem proportionata tum peccatis, tum facultati pœnitentis. Ratio prioris eſt, quia eſt pars Sacramenti non eſſentialis, ſed integralis tantum habens effectum ex opere operato, & majorem vi Sacramenti, quam ſine eo. Ratio poſterioris eſt tum ex Trident. *ſeſſ.* 14. *can.* 8. tum quia Sacerdos tenetur curare integritatem Sacramenti: & tam vindicare, quam mederi. Bonac. *t.* 1. *d.* 4. *q.* 5. §. 3. *p.* 2.

Unde reſolves.

ANIMAD. XL. 1. *Excuſatur aliquando Confeſſarius, ſi leviſſimam (vel etiam nullam) pœnitentiam injungat, verbi gratia.* 1. *Si pœnitentem vehementiſſime contritum, aut aliter ſatisfeciſſe advertat.* Cajet. Navar. Suar. Regin. Bonac. *de pœnit. d.* 3. *q.* 5. *ſect.* 3. *par.* 2. *n.* 1 &

2. Ebſcob. *c.* 6. *n.* 41. Cum vero raro, vel numquam conſtare ſatis poſſit, tutius eſt aliquam ſemper injungere, ut recte monet Cardin. de Lugo *d.* 23. *ſect.* 4. *num.* 48. 2. *Si pœnitens ſit mentis impos, aut aliter impotens, aut morti proximus, aut valde debilis*; cui tamen prudenter injungi levem ſaltem pœnitentiam, verbi gratia, percuſſionem pectoris, invocationem nominis JESU (ſaltem corde) alioſve pios motus, vel ut per hæredes ſacrificia, eleemoſynas, & ſimilia opera pia curet, monent Suarez, Laym. & Bonac. *l. c.* & Nav. qui addit, poſſe injungi, ut patienter ferat infirmitatem, quod tamen Bonac. *l. c.* non probat; cum fieri poſſit, ut id valde angat infirmum, timentem ſe non rite ſatisfacere. 3. *Quando ſcrupuloſus ſæpius intra eamdem horam redit cum novis culpis; quia ſupponitur ſatis impoſita in præcedentibus*. Tamb. *l.* 4. *c.* 1. ex Fagund.

Animad. XLI. 2. *Etſi Confeſſarius peccet ex communi, ſi pro magnis peccatis valde parvam pœnitentiam imponat, excuſari tamen eum poſſe putat Diana par.* 3. *t.* 4. *R.* 92. *ſi addat illud: Quidquid boni feceris &c. Verum hæc regula univerſaliter admitti non poteſt*, ut bene notat Card. de Lugo *d.* 25. *n.* 57. Conin. Tanner. Palaus &c. contra quos Diana pro ſe citat Baun. & Leand. *p.* 6. *t.* 7. *R.* 3. & *p.* 9. *t.* 9. *R.* 54. & ab aliis non immerito rejicitur, eo quod verba, utpote mere deprecatoria, non habeant vim elevandi omnia opera bona ad efficaciam ſacramentalem. Averſa *q.* 13. *ſect.* 7.

Animad. XLII. 3. *Minor juſta licite datur ex cauſa: qualis, v. g. eſt.* 1. Magna contritio. 2. Fragilitas animi, vel corporis, ob quam timetur majorem non impleturum. 3. *Tempus Jubilæi, vel Indulgentia Plenaria*. Ita Suar. Henriq. Laym.

Animad. XLIII. 4. *Non poteſt injungi*. 1. Ingreſſus religionis, ut docet, Sa, *v. Satisfactio*, quia id nimis durum videtur. 2. *Pœnitentia publica, ſi ſit periculum revelandæ confeſſionis: alias interdum pro publico peccato poteſt, & expedit*.

5. Etſi poſſit, & aliquando ob fragilitatem pœnitentis etiam expediat, injungi, opus alias debitum, ſeu præceptum, verbi gratia Miſſæ auditionem die feſto &c. ut docent Suarez, Vaſquez, Layman *l.* 5. *tr.* 6. *c.* 15. & alii. (Unde ſi ſcrupuloſus ſæpius redeat ad Confeſſarium, intra breve tempus ſemper nova confitendo, non ſemper neceſſe eſt imponere pœnitentiam novam, cum opus ante debitum poſſit injungi. Bonac. Henriq. Card. de Lugo, Dian. *p.* 6. *t. R.* 6. contra Suar. Regin. & Baun.) ſi tamen Confeſſarius non exprimat, cenſetur imperaſſe opus liberum, ut docent iidem, & Dian. *p.* 3. *tr.* 4. *R.* 84. Vide Con. *d.* 10. *dub.* 8. & Dian. *p.* 4. *t.* 4. *R.* 241.

6. Etſi etiam poſſit injungi opus internum, uti contra Merat. & alios docent Con. Hur. & Dian. *p.* 4. *t.* 4. *R.* 24. communiter tamen debet eſſe externum, & afflictivum, verbi gratia, oratio, jejunium, eleemoſyna. Nam avaris eleemoſyne, luxurioſis afflictio corporis convenit. Utrum vero licite imponantur preces recitandæ pro defunctis, dubitari poteſt. Vega *c.* 2. *c.* 64. & Joan. Sanc. *d.* 16. *n.* 1. negant. Affirmant probabilius Turr. *de pœn. d.* 37. *dub.* 4. Cardin. de Lugo *d.* 35. *ſect.* 5. Vide Dian. *t.* 4. *p.* 3. *R.* 54.

7. Poteſt etiam aliquando injungi ceſſatio ab aliquo bono opere (verbi gratia, nimia corporis afflictione) vel abſtinentia aliqua vice a communione, ad promovendum majus bonum pœnitentis, ſi prudens Confeſſarius ad eum finem expedire judicet. Sal. Card de Lugo Dian. &c. cum Averſa *q.* 13. *ſect.* 4. contra Joannem Sancium.

Animad. XLIV. 8. *Etſi poſſit immediate poſt abſolutionem adhuc injungi*, debet tamen fieri ante, ut ſervetur ordo judicii. V. Dian. *part.* 3. *t.* 4. *reſ.* 136. & *p.* 5. *t.* 13. *reſ.* 35. ubi ex cap. finali, & Och. docet, *etſi conſuetudo habeat, ut ita fiat, illam tamen non induxiſſe obligationem*.

Reſp. 2. Pœnitens communiter tenetur ſub gravi obligatione pœnitentiam, ſi rationabilis ſit, acceptare, & implere, ut habet communis contra Cajet. Sylv. Nav. *Quorum ſententia ad hoc ſaltem ſerviet, ut neminem non abſolutum dimittas, ſi vel leviſſimam ſubire velit*, ut notat Sotus, & Reg.

Animad. XLV. *l.* 7. *c.* 2. Dian. *p.* 3. *t.* 4. *R.* 51. & *p.* 2. *t.* 15. *R.* 52.

Animad. XLVI. Dixi 1. *communiter; quia probabile eſt, quod docent Lay. l.* 4. *t.* 6. *c.* 15. *Suar. & Dian. p.* 3. *t.* 4. *R.* 136. *contra Con. Henriq. & alios, pœnitentiam ſub veniali tantum obligare ſequentibus caſibus*. 1. *Si impoſita ſit pro ſolis venialibus*. Ita citati contra Henr. Fagund. 2. *Si pro mortalibus alias confeſſis*. 3. *Omiſſionem* partis non gravis, in confeſſione mortalium, *vel etiam omiſſionem totius, ſi levis ſit, v. gr. unum Miſerere*. Con. Fagund. cum Dian. *q.* 3. *c.* 4. *R.* 102. & *p.* 6. *t.* 8. *R.* 54. 4. *Si Confeſſarius noluit obligare ſub mortali; quia eum poſſit imponere pœnitentiam libere, & ſine omni obligatione, ut probat Suar.* hic *d.* 38. *ſ.* 7. Henriq. Fill. Fagund. Tan. Conin. *de ſacr. d.* 10. *dub.* 8. *nu.* 65. contra Turr. & Vaſq. *poteſt etiam ſub levi tantum imponere*. Vide Dian. *p.* 3. *t.* 4. *p.* 4. *t.* 4. *Reſ.* 83. 5. *Eum qui lucratur indulgentiam plenariam, liberari ab onere pœnitentiæ (niſi ſit medicinalis) docet Dian. par.* 5. *t.* 12. *R.* 3. & *p.* 9. *t.* 6. *R.* 36. *ex Tann Gran. C. de Lugo*, &c. *contra Val. March. & Averſ.*

Dixi 2. *Si rationabilis ſit*; quia ſi juſto ſit gravior, ac difficilior, nec Confeſſarius eam moderari velit, non peccabit graviter pœnitens, ſi ſine abſolutione diſcedens, alterius Sacerdotis judicio peccata ſubmittat, ut docent Suar. Conin. Laym. *Imo ad*

Animad. XLVII. *eam non obligabitur, ſi omnino injuſtam eſſe conſtet, aut ſi pœnitens eam non poſſit implere; vel illius ſit oblitus. Nec tunc ad aliud quicquam tenetur, etſi expediat, ut is, qui ſive culpabiliter, ſive ſine culpa oblitus eſt, in ſequenti confeſſione ſimilem ſibi injungi petat*. Ita Conin. Laym. Dian. *p.* 4. *t.* 4. *R.* 241. contra Richard. & Sylv. qui putant talem confeſſionem eſſe repetendam: quod præter citatos negat etiam C. de Lugo *n.* 78. ex Vaſq. *docens, talem ſatisfacere, ſi confiteatur illud peccatum oblivionis culpabilis*.

Unde reſolves.

Animad. XLVIII. 1. *Is, qui pœnitentiam implet in ſtatu peccati mortalis, probabiliter quidem ſatisfacit præcepto, cum impleat ejus ſubſtantiam. Peccat tamen, ſed venialiter, ut docet Suarez, Laym. Dian. l. c. quia Sacramenti partem ſuſcipit indigne, & obicem ponit effectui, ſcilicet remiſſioni pœnæ (quem tamen, obice remota, recuperari docent Nav. Tol. Caj. Dian. p.* 3. *t.* 4. *R.* 85. *Fagund. Suarez, &c.) unde quamprimum eſt implenda, poteſtque graviter etiam peccari nimium differendo, quod ex variis circumſtantiis judicandum*. V. Dian. *p.* 2. *t.* 15. *Reſ.* 53. & *par.* 5. *l.* 13. R. 39. Non eſſe autem grave, ſeu mortale, ſi non differat ultra octiduum, docet Hurt. apud Dian. *Imo poſſe differri per annum (hoc eſt quamdiu non tenetur ad novum ſacramentum pœnitentiæ) vult ipſe Dian. par.* 9. *t.* 7. *Reſ.* 57. *ex Amico* Leand. &c. *niſi tamen pœnitens dubitet, an poſtea poſſit implere*: eo enim caſu teneri, quamprimum commode poteſt. Similiter non eſſe mortale, ſi obligatus jejunare feria 6. differat in diem ſequentem; vel obligatus communicare ſingulis menſibus, differat ad 6. vel 8. dies, affirmat Dian. *l. c.* ex Palao; præſertim ex cauſa aliqua, tametſi levi.

Animad. XLIX. 2. *Pœnitentiam (etiam medicinalem) impoſitam ſub conditione hac, ſi iterum labatur, nec teneri acceptare, nec implere, eo quod Confeſſarius nec Judex ſit, nec Medicus peccatorum committendorum, docet Diana p.* 6. *t.* 7. R. 49. ex Palao, Trull. &c. *Sed contrarium probabilius cum Suarez tenet Averſa q.* 13. *ſ.* 4. *quia non imponit eam pro peccatis committendis, ſed commiſſis ſub conditione reincidentiæ*.

3. Qui non implevit intra tempus præſcriptum, non ideo deobligatur.

Animad. L. 4. *Poteſt ſatisfacere per alium, cui Confeſſor id concedit: vel qui per ſe non poteſt, ut docent Reg. Fag. Dian. p.* 4. *t.* 4. *R.* 131. Hic tamen non tenetur, niſi Confeſſor id voluerit. *An vero ſatisfaciens pro alio, ſimul pro ſe poſſit, alii ajunt, alii probabilius negant, ut habet Sa.*

5. Non neceſſario impletur ante communionem.

Quæres, qui pœnitentiam poſſit commutare, & quomodo?

Reſp. 1. Ex juſta cauſa quivis Sacerdos id poteſt, ſi

eſt, ſi de novo ei confiteatur, ut habet communis ANIMAD. LI. ſententia contra Sotum, & Vaſquez, ſaltem ſi peccata non ſint reſervata: *Imo etiam probabiliter, etiamſi talia fuerint, ut habet Fernand.*

ANIMAD. LII. Reſp. 2. *Sine nova Sacramenti adminiſtratione poteſt id ſolus Sacerdos, qui injunxit, ſi adhuc recordetur ſtatum pœnitentis, & hic ad eum recurrat tempore tam brevi, ut moraliter idem judicium cenſeri poſſit, v. g. intra hebdomadam.* Henr. & alii quatuor; *imo etſi poſt longum intervallum.* Card. de Lug. Averſ. & Dian. *p. 6. t. 6. R. 46. & p. 9. t. 6. R.* 57. contra Pal. &c. Ratio, quia judex incognita cauſa non poteſt ferre ſententiam. Ita Sylv. Suar. Conin. Laym. Fill. Regin. Fagund. & Card. de Lugo contra Navar. Henr. Tolet. Sa, Rodriq. Bejam, Valent. Dian. *p. 3. t. 4. R. 53. & p. a. t. 1. m. R. 53. qui dicunt, etiam aliam poſſe, non repetitis peccatis. Quæ ſententia, etſi non ea ratione, ex principio tamen extrinſeco videtur eſſe in praxi probabilis (Dian. enim l. c. pro ea adducit 14. Auctores, dicitque eſſe uſum, ſive praxim Confeſſariorum) & Confeſſariis poſſe ſervire, quando pœnitens difficulter adduci poteſt ad repetenda peccata, vel tempus id non fert; præſertim ſi ea confeſſione (nam in ea, & non extra, debet fieri) aliorum peccatorum, ex præſenti ſtatu pœnitentis, ipſiuſque teſtimonio, habeant aliquam confuſam notitiam peccatorum præterita confeſſionis.* Ita Fag. *p. 2. l. 9. cap. 4. n. 22.* Card. de Lugo *d. 25. ſ. 6. n. 107. & 109.*

ANIMAD. LIII. Reſp. 3. *Ipſe pœnitens non poteſt commutare pœnitentiam etiam in evidenter meliorem, ut docent Sanchez 5. mor.* Conin. *d. 10. a. 12 a. 1.* Regin. & alii: *etſi contrariam probabile dicat Dian. p. 3. t. 4. R. 53.* & *tom. 2. t. 4. R. 53.* ex Porc. & Villalob. *Sed hoc Turr. temerarium, Card. de Lugo communi Theologorum, & fidelium ſenſui repugnare dicit d. 23. ſ. 6. n. 75.*

DUBIUM II.

De ſatisfactione per Indulgentias.

§. I.

Quid ſit Indulgentia, & quid ad eam requiratur?

Reſp. 1. Indulgentia eſt gratia, qua certo aliquo opere, quod concedens præſcribit, præſtito, ANIMAD. LIV. debita Deo pœna temporalis (non autem culpa) *extra Sacramentum, ſacrificium, & martyrium,* per applicationem ſatisfactionum Chriſti, & Sanctorum, remittitur: idque vel per modum abſolutionis, erga ſubditos Eccleſiæ; *vel nudæ ſolutionis erga non ſubditos, ut defunctos, & catechumenos,* quibus proinde tantum dantur indulgentiæ per modum ſuffragii. Suar. Conin. Fill. Sanctarel. Bonac. *d. 6. q. 1. p. 1.*

Reſp. 2. Ad valorem Indulgentiæ requiritur cauſa pia, & rationabilis, eaque, ut habet ſententia communior Suar. & aliorum, proportionata effectui, & quantitati Indulgentiæ, ſaltem ſecundum concedentis prudentem æſtimationem, petendam non ex operis tantum difficultate, ſed fine intento, & operis ad ipſum utilitate. Ratio deſumitur ex natura diſpenſationis bonorum, quæ ſine cauſa ab inferiore facta non valet, & eſt diſſipatio. Ita Anth. cit.

Reſp. 3. Ad lucrandas Indulgentias requiruntur hæ conditiones. 1. Ut ſit baptizatus. 2. Ut ſit ſubditus concedentis. 3. Ut non ſit ligatus excommunicatione majore, ut habet communis: quia hæc ANIMAD. LV. privat communione bonorum ſpiritualium. 4. *Ut ſit in gratia ſaltem tunc quando opus præſcriptum completur; quia pœna non remittitur ante culpam.* 5. Ut opus injunctum moraliter totum, & integre impleatur. 6. *Ut opus præſcriptum ſit honeſtum, ſaltem ex objecto: nam ſufficit vitiatum ex fine inhoneſte veniali, vel ex alia circumſtantia prava (ut docent Suarez, & alii communiter contra Conin.) ſaltem ſi nihilominus conducat ad finem Pontifici propoſitum, ut limitat Laym.* Ratio prioris eſt, quia illud opus plerumque complet cauſam Indulgentiæ, quæ debet eſſe pia. Ratio poſterioris; quia ratio juncti operis eſt aſſecutio finis intenti a Pontifice. Vide Laym. Bonac. *d. 6. q. 1. p. 5.*

Unde reſolves.

1. Indulgentiis etiam frui poteſt, qui eas conceſſit.

2. Non expirant morte concedentis, cum ſint ANIMAD. LVI. gratiæ; *nec, ut habet Sa, ante notitiam revocationis.*

3. Etſi intelligendæ ſint, ut ſonant; *cum tamen* ANIMAD. LVII. *ſint gratiæ, large ſunt interpretandæ,* (niſi ſint de pœnitentiis injunctis, ut ex Henriq. &c. notat Amicus *d. 20. n. 77.*) *ſervata tamen verborum proprietate. Unde cenſendæ ſunt perpetuæ, ſi datæ ſunt ſine temporis reſtrictione.*

4. Etſi datæ pro articulo mortis, ſecundum Sa, ANIMAD. LVIII. expiret, quando ſemel eſt accepta: *contrariam tamen eſt probabile, ob rationem datam.* Illa autem non requirit applicationem Confeſſarii, aut alterius miniſterium. Quintan. *in append. t. 9. d. 4.* Expedit tamen moribundos ad invocationem nominis Jeſu, & Mariæ ſæpius excitare, ſimulque in memoriam revocare intentionem lucrandi iſtas indulgentias. *Ibid. d. 4. Probabile enim eſt, ſi habeat plures imagines, grana, roſaria &c. benedicta, poſſe, ſive intuitu ejuſdem conceſſionis,* ſive diverſarum, toties lucrari, quoties nomen Jeſu repetierit, vel præſtiterit opus requiſitum. *Ibid. d. 6.* ex Suarez, Gran. &c. Sufficit autem ad eas lucrandas quodvis tempus, in quo verificatur mortis articulus, etſi pluribus diebus ab ipſa morte abſit. *Ibid. d. 5.*

5. *Poſſunt moribundi plures indulgentias plenarias,* ANIMAD. LIX. *ob plures titulos conceſſas, ſimul lucrari, verbi gratia, quia habent plura roſaria, vel grana, cruces, imaginesve, quibus ſunt applicatæ;* vel titulo ſuæ Religionis, Confraternitatis &c. dummodo non requirant certa opera pro ſpeciali neceſſitate applicanda. Quintan. *in append. t. 9. d. 4.* idque etiamſi eas, vel earum aliquas ignorent, aut non recordentur. *Ibid.* ex Lug. Dian. & aliis ſex, contra Rodriq. Trull. &c.

6. *Requiritur autem, ut moribundus crucem, gra-* ANIMAD. LX. *num, imaginem &c. ſecum habeat in articulo mortis,* ut ratione illius lucretur, & quidem, ut tutius, ac certius obtineat, *ejus habeat dominium, ſeu poſſeſſionem, & apud ſe teneat.* Non tamen eſt neceſſe, ut collo appenſa, brachio obvoluta, manuve apprehenſa ſint (etſi aliquo horum modorum habere ſit tutius) ſed ſufficit eſſe in lecto, vel juxta moribundum; *licet ipſe nec videat, nec tangat, nec ſciat, nec recordetur ſe habere* (niſi aliud exprimatur.) Sufficiet etiam habere commodato, ſeu quoad uſum (præſertim ſi id in ipſo indulto exprimatur, ut in Caroli Borromæi, & quinque Sanctorum fit.) Neque neceſſe eſt retinere, donec expiret (etſi & hoc ſit tutius) ſed ſufficit in aliquo mortis articulo habere, in eoque nomen Jeſu (ſi hoc requiritur) invocare. *ib. d. 6.*

7. Conceſſæ vivis, non poſſunt applicari defunctis, niſi id exprimatur; quia pendet a voluntate concedentis.

8. *Probabile eſt conceſſam pro certo tempore poſſe ſæ-* ANIMAD. LXI. *pius obtineri, repetendo opera præſcripta, v. gr. eadem die, niſi addita ſit reſtrictio: quia favores ſunt ampliandi.* Ita Henriq. Rodriq. *Contrarium tamen videtur probabilius, ob voluntatem concedentis contrariam rationabiliter præſumptam.* Vide Card. de Lugo *d. 27. ſ. 6.*

9. Etſi conſultum ſit, ut opera omnia fiant in gratia; id tamen non videtur ſimpliciter neceſſarium. Laborandum tamen eſt Concionatoribus, & Confeſſariis, ut cum Indulgentiæ promulgantur, populum ad ſeriam confeſſionem excitent.

10. *Ut quis lucretur pro defunctis, probabiliter non* ANIMAD. LXII. *requiritur, ut ſit in gratia;* quia tantum ponit opus tamquam conditionem, quo poſito, Pontifex applicat defuncto Indulgentiam, ſive ſatisfactiones Chriſti, & Sanctorum. Ita Eſcob. *t. 7. E. 5. t. 7. nu. 45.* ex Suar. Præp. *in 3. p. q. 14. d. 10. n. 93. Contrariam tamen docet Card. Lugo d. 17. n. 75. requirens ſtatum gratiæ, ſaltem in fine operis: quæ ſententia tutior eſt.*

11. *Opus præſcriptum dum ſit, debet eſſe utile ad finem a concedente intentum, qualis eſt v. gr. eleemo-*

ſyna præſcripta pro redemptione captivorum, etſi fiet cam, aut in peccato; modo aliud opus ei injunctum, & præſcriptum in gratia fiat, (Vide Lugo *d.* 27. *n.* 48.) non autem oratio præſcripta ad placandum Deum; ſi ipſamet ſit peccatum ex mala circumſtantia, uti nec jejunium, ſi te inebries; item nec viſitatio Eccleſiarum ſine ulla devotione. Ita Laym. Bon. & alii.

ANIMAD. LXIII. 12. *Poſſunt uno & eodem opere plures Indulgentiæ, diverſis viis conceſſæ, lucrifieri, ſi opus ſit æque utile ad finem utriuſque Indulgentiæ, nec ſit iterabile intra idem tempus, v. gr. jejunium, vel communio.* Ita Præpoſ. & Laym.

ANIMAD. LXIV. 13. *Non lucrantur Indulgentias, 1. Qui ex impotentia, vel ignorantia, ſive totum opus præſcriptum, ſive notabilem ejus partem omittunt, verbi gratia ſi puer, vel ſenex non jejunet, etſi tamen ob gravem difficultatem hoc opus ei in aliud eſt commutatum.* Henr. Cajet. Bonac. *p.* 5. *n.* 16. 2. Qui opera injuncta alio loco, tempore, vel ordine perficit, quam præſcriptum eſt; vel per alium qui fuerit cauſa principalis, ut ſi per alium jejunarit, Eccleſias viſitarit, Nav. Reg. *l.* 7. Bon. *l. c.* 3. Qui famulo tradidit eleemoſynam erogandam, quam is retinuit, ut habet Bonac. ex multis, contra Sa. 4. Qui aliquid omittit, quod ſecundum ſententiam probabilem, vel etiam probabiliorem, non eſt neceſſarium, ſi tamen ſit neceſſarium re ipſa: quia communis error non ſupplet defectum. Ita Bonac. ex Suarez, Sanch. & aliis.

14. Non obſtat effectui Indulgentiæ, 1. Etſi ex opere requiſito modicum quid omittatur, v. g. cæremonia in ſacro, vel ſi parum comedas in jejunio; quia opus ponitur moraliter integrum. 2. Si opus requiſitum præſtes per alium habentem ſe ut inſtrumentum, v. gr. in eleemoſyna danda. Bon. *l.*

ANIMAD. LXV. *c.* 3. *Si eleemoſynam des exiguam: niſi tamen in Bulla exprimatur, dandam eſſe pro cujuſque facultate: tunc enim major danda eſt a divite, quam ab alio.* Ita Fill. Suar. Sa, & alii. 4. *Si Eccleſiam viſitandam non poſſis ingredi ob hominum multitudinem, dummodo oratio fiat ante fores, vel in cœmeteria.* Bon. 5. Etſi in opere præſtito non habueris intentionem conſequendi Indulgentias, ut docent Salas, Bonac. & alii contra Suar. Et videtur certum; ſaltem ſi habueris interpretativam, ut habet Laym. 6. *Etſi opera fuerint aliunde debita, v. gr. ex præcepto Eccleſiæ.* Ita Laym.

ANIMAD. LXVI. 15. *Quando datur poteſtas commutandi opera præſcripta in alia, id non neceſſario fit in confeſſione, & a Confeſſario, qui audit pœnitentem; ſed poteſt fieri extra, & ab alio idoneo. Ita enim declarat Greg. XIII.* (uti & in Bulla Indulgentiæ, nomine Confeſſarii intelligi quemvis approbatum) apud Henriq. *l.* 7. *c.* 10. *n.* 8. & Præpoſ. *q.* 14. *d.* 10. *n.* 88.

16. Probabilius eſt, eum, qui tantum partem operis præſcripti facit, non lucrari partem Indulgentiæ, niſi tam parum deſit, ut cenſeatur moraliter integrum. Ita Bon. *p.* 5 ex Nav. Suar. Con. &c.

17. Dum præſcribitur, ut viſitentur aliquot altaria, ſufficit ad illa ſe orando convertere ex eodem loco, ut habent Sa, Bonac. *p.* 1. Suar. Rodr. Dian. Limitat autem Lugo, ſi ſit tali loco, & ſitu, ut moraliter cenſeri poſſit orare ad illa altaria, *d.* 27. *n.* 98.

ANIMAD. LXVII. 18. *Cum confeſſio præſcribitur, niſi in Bulla exprimatur, veniaiium, probabilius eſt non requiri, ut conditionem ſine qua non, ſed ut diſpoſitionem ad ſtatum gratiæ.* Bon. *l. c.*

19. Nemo conſequitur plenariam Indulgentiam peccatorum omnium, niſi omni culpa, etiam veniali, liber ſit, quando ultimum opus explet. Unde conſultum eſt ut communio ſit ultimum. V. Layman.

§. II.

Quotuplex Indulgentia, & quomodo differat a Jubilæo.

ANIMAD. LXVIII. Reſp. 1. *Indulgentia alia eſt totalis*, ſive plena, plenior, plenaria, pleniſſima, *quæ non tantum pœnitentiam injunctam per Confeſſarium, vel Canones, aut ſecundum hos injungi debitam*, ſed etiam omnem Purgatorii pœnam tollit. Nec differt a Jubilæo, niſi accidentaliter, privilegiis quibuſdam, ut quod in Jubilæo licita ſit diſpenſatio in certis votis, abſolutio a reſervatis, & cenſuris, & quod Confeſſarius quivis approbatus poſſit eligi. V. Sa v. *Indulgent.* Bon. *d.* 5 *q.* 1. *p.* 2.

Indulgentia alia eſt partialis, qualis eſt unius, vel aliquot annorum; item ſeptenæ, quadragenæ, carenæ, &c. item tertiæ partis peccatorum, per quas non ſignificatur tolli tantam durationem Purgatorii, ſed tantam pœnam remitti, quanta delereturper jejunium unius, aut aliquot annorum, aut quadraginta dierum in pane, & aqua, ſecundum Canones olim imponi ſolitum. Porro quando Indulgentiis plenariis adduntur aliquot anni, vel remiſſio tertiæ partis peccatorum, id ſecundum diverſas ſententias, vel ad diverſos concedentes referendum eſt, vel fit ad cautelam, ut ſi forte cauſa Indulgentiæ non fuerit ſufficiens, ſaltem valeat ad illos annos lucrandos; vel ut adjuncta concedatur pro alio tempore, actione, & loco; vel denique, ut ea per modum ſuffragii poſſit aliis applicari. V. Fill. *c.* 9.

Reſp. 2. Circa Jubilæum notanda ſequentia.

1. Anno Jubilæi in Urbe durante, ſuſpendi ſolent tantiſper extra Urbem omnes Indulgentiæ plenariæ, quoad vivos, etiam in carceribus (*non tamen in periculo mortis conſtitutos, ut contra Laym. l.* ANIMAD. LXIX.
5. *t.* 7. *c.* 8. *n.* 2. *docet Bon. d.* 6 *q.* 1. *n.* 2. *ex declar. Urb. VIII. facta anno* 1625. *neque quoad defunctos*) *itemque aliæ facultates, v. g. abſolvendi a caſibus Bullæ Cœnæ, commutandi vota, diſpenſandi &c. conceſſæ in ordine ad lucrandas plenarias Indulgentias. Non ſuſpenduntur autem Indulgentiæ perſonis particularibus, aut ab alio, quam Papa conceſſæ, nec privilegia Religioſorum, ver. gr. abſolvendi a reſervatis, &c. quia tantum ſuſpenduntur facultates conceſſæ in ordine ad Indulgentias.* Ita Sanch. Henriq. &c. apud Dian. *t.* 1. *tr. de Bulla Cruc.* Fill. Bon. *l. c.* Benzon & denique Lug. *n.* 20. *ſ.* 8. *n.* 145. *ex declar. Urb. VIII. anno* 1625. *Similiter neque ſuſpenditur facultas conceſſa Epiſcopis per Triden. ſeſſ.* 24. *c.* 6. *abſolvendi, & diſpenſandi cum ſuis ſubditis, in omnibus caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis: item nec diſpenſandi in irregularitatibus, in impedimentis matrimonii, aut petendi debitum*, &c. quæ ex jure communi illis competunt. Zerol. v. *Annus Sanctus*, §. 4. Quin. *in append. t.* 8. *d.* 16.

2. Etſi probabile ſit, *quod docet Naver. ſæpius lu-* ANIMAD. LXX.
crifieri poſſe Indulgentias extra Jubilæum extenſum ad duas ſeptimanas: (*e*) contrarium tamen verius eſt, quod Congregat. Cardinal. declaravit, ut habet Bonac. ex Suar. Sanchez *l.* 6. *q.* 1. *p.* 5. *n.* 32. qui tamen affirmat, in Anno Sancto poſſe obtinari toties, quoties opera præſcripta præſtantur; idque ex declaratione Urbani VIII.

3. Satisfacere tunc, 1. qui Sabbato ante primam Dominicam confitetur, ut habet Laym. Bonac. & praxis fidelium. Item, qui confitetur, & communicat ultima Dominica claudente Jubilæum. *Cetera tamen opera debere fieri ante, & quidem intra unam hebdomadam, docet* Lugo *d.* 27. *num.* 105. contra Bonac. *p.* 1. *qu.* 5. 2. *Qui ordinem inter opera præſcripta non ſervavit.* 3. *Si quis intra illud tempus cœperit confeſſionem, quam materialiter imperfectam oporteat differri longius, poteſt tunc abſolvi a reſervatis, & commutari vota: poſtea vero extra tempus Jubilæi abſolvi ab omnibus, etiam quæ oblitus eſt, reſervatis, ac in oblitis etiam diſpenſari: imo poteſt poſtea omnia facere Confeſſor finita confeſſione, quæ ante: quia cœpta cauſa, manet poteſtas delegati, donec finiatur.* Ita Sa, Leſſ. *l.* 2. *c.* 40. *d.* 16. Bonac. Layman Sanch. *l.* 4. *c.* 54. Dian. *t.* 2. *m.* R. 11.

4. *Qui neglexit lucrari Jubilæum in patria, poteſt* ANIMAD. LXXI.
alibi, dum ibi durat, lucrari, Sanch. Ugol. Dian. *p.* 3. *t.* 4. *R.* 151. *Imo etiam in patria, ſi tempore publicationis ex invincibili ignorantia notitiam illius non habuit.* Bon. Dian. *l. c.*

5. *Quando duobus diebus immediatis occurrunt duo Ju-* ANIMAD. LXXII.
bilæa, quorum ſingula confeſſionem, & communionem requirant, non opus eſt bis confiteri, & communicare, dummodo perſeveres in gratia: alia tamen opera repetenda ſunt. Turr. *p.* 2. *c.* 31. *d.* 64. Vide Dian. *p.* 4. *t.* 4. R. 166.

No-

Digitized by Google

Notæ.

(a) 4. *Si tempore peſtis* &c. Idem habet Concina Th. t. 9. p. 340. n. 2., ex quo a materiali integritate confeſſionis liberet. 2. *Infirmus morbo contagioſo infectus, cujus confeſſio nec a longe audiri, nec prope abſque periculo poteſt. Tum enim audito uno, aut altero peccato abſolvi poteſt.*

(b) 5. Si *immineat conflictus, vel ſit* &c. Ex Concina p. 339. n. 8. liberi ſunt, v. *qui imminente naufragio, incendio, prælio, tempore deſtituuntur integre confitendi.* vi. *Quoties eſt periculum in mora. Tum enim explicari aliquod, vel plura peccata debent, aut pauciora, prout tempus, & circumſtantiæ permiſerint. Si plures ſint pœnitentes, ut milites periculoſo, & inopinato conflictu impetiti, debeat ſinguli aliquod ſignum præferre doloris, & confeſſarius omnes ſimul abſolvere poteſt, dicendo:* Ego abſolvo vos &c.

(c) *Tertia. Quando ex confeſſione* &c., *poteſt id reticeri.* In hac ſpecie non diminuta confeſſio facienda, ſed alii confeſſarii adeundi ſunt. At hoc, inquis, intelligendum, ſi alii Confeſſarii deſint. Nonne in hac ſpecie confeſſio differenda eſt? nec enim, ut pono, vitæ periculum imminet. Urget, inquis cum Buſembau præceptum annuæ communionis, vel, ſi diminute non fiat, longo tempore confeſſio differenda eſt. An in tanta Sacerdotum copia nec hic, nec alibi confeſſionis miniſtri præſto ſunt? Sed fac, ut vis. Unus adeſt confeſſarius; nec hic, nec alibi alii haberi poſſunt: aut certum peccatum cum gravi damno, proprio aut alieno pandendum, aut reticendum, aut paſchalis communio proroganda. Reſp. Auctor eſſem, ut paſchalis communio prorogaretur ex dicendis hic Animad. XXXI. in illud *Ignarus idiomatis* &c. Quid ſi diu confeſſio differenda ſit? Reſp. idem putarem, niſi probabile ſalutis periculum ex mora immineret.

(d) *Quarta. Si quis aliquod peccatum* &c. *v. g.* &c. Hoc intellige, ſi celebrandi neceſſitas urgeat, qua de re Animad. XVII. in cap. 2. tract. 3. hujus lib. 6.

(e) *Non tamen in materia libera.* Hac de re lege hic Animad. XXXVII. ubi dubitatur, utrum tale mendacium ſit mortiferum, & ideo utrum confeſſio ſit irrita.

Buſembau vero hic ajenti, *quia falſitas ſigni in accuſatione circa materiam acceſſoriam non facit ſententiam irritam*, reſpondeo, id verum eſſe quoad ſententiam fori externi, non autem interni; cujus ſententia *ego te abſolvo* &c. deficiente in reo neceſſaria diſpoſitione, undecumque id accidat, in irritum mittitur.

(f) 1. *Si mortale, quod confiteri teneris, & putas eſſe, neges, aut* &c. recte. At quid ſi non putes, eſſe mortale, ideoque illud reticeas? Reſp. lege hic Animad. XXXIX.

Buſ. 2. *Ut communiter docetur* &c. *Si mortale tibi falſo imponas*; vere. *Niſi tamen fiat ex ſimplicitate* (hæc ſimplicitas fatua eſt, & culpabilis ignorantia) *& ſcrupulo* &c. Si ex ſcrupulo, ſeu animi perturbatione putet quis, ſe admiſiſſe culpam mortalem, quam reipſa non admiſit, ideoque eam confiteatur, eſt ignorantia facti facile excuſanda.

(g) *Dico nullum; quia ſi ob ſurditatem* &c. *aliqua licet mortalia non intellexerit ſine culpa pœnitentis, probabilius eſt* &c.

Nota illud *ſine culpa pœnitentis*. Si enim pœnitens advertat, aut dubitet, Sacerdotem non audire, & nihilominus confeſſionem faciat, aut proſequatur, culpæ reus eſt, ac perinde ſe habet, ac ſi certa peccata audiri nolit. Si autem poſt peractum Sacramentum id advertat, ab omni crimine immunis eſt, niſi ipſa inadvertentia fuerit aliquo modo voluntaria. Si reipſa nulla ſit pœnitentis culpa, mihi quoque vera videtur Buſ. ſententia. In hac enim ſpecie perinde eſt, ac ſi pœnitens aliquod, aut aliqua mortalia crimina ex inculpabili oblivione omiſerit; quæ certe omiſſio abſolutionis virtuti non obeſt. Si hæc omiſſio invalidam non efficit abſolutionem, cur non auditio eam facit invalidam? Sicut integra confeſſio, cum fieri non poteſt, ad abſolutionis vim neceſſaria non eſt, ita ne integra quidem auditio, ſi haberi nequeat. Sumus ſcilicet in eadem navi. Quod adverſarii apud Laymanum loco a Buſ. cit. n. 5. objiciunt, quod *confeſſio ſeu accuſatio ſui ipſius apud Judicem nulla eſt, niſi is intelligat*, verum eſt, ſi nihil intelligat; falſum, ſi intelligat, quod ad abſolutionem impertiendam ſufficit: nec enim cum Sacerdos abſolutionis ſententiam profert, cum limitatione abſolvit, ſed ſine reſtrictione ait: *ego te abſolvo a peccatis tuis* &c.; quæ abſolutio in peccata etiam omiſſa, & non audita cadit, & vim ſuam habet; (quia Sacramentorum formæ efficaces ſunt) niſi obex ex parte ſuſcipientis Sacramentum objiciatur. Nam hoc eſto principium, abſolutionem validam ex Sacerdotis culpa invalidam fieri nequaquam poſſe. Ex quo etiam illud intelligis, ſicuti culpam, ita imperitiam miniſtri, dum rite Sacramentum miniſtret, Sacramento vim non adimere. Hinc Catech. Rom. p. 2. cap. 1. n. 26. inquit: *Meminiſſe autem ſemper debent, Sacramenta divinam quidem virtutem, quæ illis ineſt, nunquam amittere; at vero impure ea miniſtrantibus æternam perniciem, & mortem afferre.* Ex quo confirmatur quod ſubdit Buſ. de indocto Miniſtro, „ verum id Suarez, Layman, & „ alii paſſim rejiciunt ".

(h) *Denique, ſi finita confeſſione intelligas, Confeſſarium* &c. *teneris* &c. *quia de ſingulis prudenter potes dubitare.*

An ſi de ſingulis, hoc eſt de omnibus ſigillatim prudenter non dubites, aliqua tamen etiam non pauca a Confeſſario non fuiſſe percepta intelligas, confeſſio repetenda non eſt? Hoc ſcilicet monſtroſum commentum eſt.

Buſemb. Si *autem longa fuerit, ait Tamb. l. c. non teneri ob rationem contrariam.*

Hæc ratio contraria falſa eſt. Eo enim ipſo, quia noſcis, quæ Confeſſarius non perceperit, de ſingulis prudenter dubitas, ſeu confeſſio brevis fuerit, ſeu longa: ergo integra confeſſio repetenda eſt. Imo ſi confeſſio fuerit longa, multo magis dubitas prudenter, Confeſſarium ex diſtractione, aut ſomno tibi noto, ſingula aut etiam non pauca percepiſſe; ideoque confeſſio neceſſario iteranda eſt. Cave a Caſuiſtis, qui ea ſe loquuntur.

Et ſatis eſſe confiteri, quod dubites, an aliquod &c.

Dum ita confiteris, nihil determinate confiteris: ergo hæc confeſſio generica, & confuſa, quæ nec ſpeciem, nec numerum peccatorum explicat, pro nihilo eſt.

(i) 8. *Satisfactio, ſeu* &c. *eſt neceſſaria* &c. *Sed præcepti.* Recte. *Ideoque a Confeſſario regulariter imponenda eſt.* An præcepta *regulariter* tantum implenda ſunt? loco illius *regulariter* dicito ſemper, ſi tamen, & quæ a pœnitente impleri poſſit.

Buſ. *Secundum Suar. & Regin. ſub mortali.* Recte; quia impoſitio pœnitentiæ etiam levis, cum ad Sacramenti integritatem ſit neceſſaria, gravis momenti res eſt; ideoque non concedendum, quod Card. de Lugo concedit, *ex parvitate materiæ poſſe venialiter peccari* v. g. &c. Si enim omiſſio levis pœnitentiæ pro venialibus culpis a ſacro Miniſtro impoſitæ mortalis non immerito putatur contra Buſ. ex Anim. hic XLVI.; idem ex eadem ratione ibidem allata dicendum eſt, ſi ſacer Miniſter levem pœnitentiam imponere ſponte omittat.

(k) *Etſi probabile ſit, quod docet Nav. ſæpius* &c. *extra* (lege intra, ut habet La-Croix) *jubilæum* &c.

De Navarro Bened. XIV. ep. encyclica ad minores Pœnitentiæ miniſtros, & Confeſſarios &c. 3. Decembris 1749., cujus initium: *Fra le fatiche* &c. §. 9. n. 84. ita inquit: *Il Navarro conſiderando, non eſſervi nelle Bolle dell' anno Santo coſa contraria al nuovo acquiſto pel Giubbileo, ſi fa parziale dell' opinione favorevole a chi ripete le opere ingiunte.* Hic ſermo eſt de Jubilæo anni Sancti, non de Jubilæo extra annum Sanctum ad duas hebdomadas prorogato.

Pergit Bened. XIV. *Al Navarro aderiſce il Benzonio; e queſta può dirſi la ſentenza comune, come* &c., quam ſententiam ipſe probandam judicavit conſtit. *Convocatis* 1749. ſeptimo Kalendas Decembris n. 52., ubi ſuam mentem, & voluntatem ita declarat. *Qui hoc anno Sancto bis, aut pluries omnia, & ſingula opera vel primitus in hujus Jubilæi indictione præſcripta, vel ſupervenienti forſan aliquo indulto, ea, quæ in ipſius indulti conceſſione pro ejuſdem Jubilæi conceſſione* præſcribentur, plene iteraverit; .... *bis quoque, aut pluries poterit hoc anni Sancti Jubilæum lucrari.*

Subdit Summus Pontifex. *Nos enim habita ratione annui ſpatii, ad quod Jubilæum hujuſmodi protenditur, ita de Apoſtolicæ liberalitatis plenitudine concedimus, & indulgemus.*

Hæc ſane ratio in duarum hebdomadarum Jubilæum non cadit; ideoque tale Jubilæum ſæpius lucrifieri non poſſe, putandum eſt, niſi forte in Pontificio diplomate contrarium explicate habeatur.

Animadverſio I.

Etſi peccatum mortale remiſſum quomodocumque ſit, teneris tamen confiteri, ſi non feciſti.

Peccata a nobis non admiſſa, venia & remiſſione non indigent, nec certe confitenda ſunt, ſed ea ſolum pœnitentiæ clavibus ſubjicere debemus, quæ commiſimus. Itaque quid Buſemb. hic ſibi velit, non intelligo, niſi deleatur particula *non*, & legatur *ſi feciſti*; quæ lectio ſic emendata confirmatur ex can. 15. Syn. Tridentinæ ſeſſ. 14. a Buſ. cit.; vel intellige, ſi non feciſti confeſſionem.

Animadversio II.

Omitti poſſunt . . . item mortalia ſemel rite confeſſa v. g. in confeſſione generali, ut docent &c.

Cum quis generalem confeſſionem ſe facere velle profitetur, ſi aliquod mortale peccatum, aut plura, quæ rite ſe confeſſum fuiſſe putat, de induſtria omittit, ſimulator eſt, & hypocrita, & Confeſſarium decipit. Id ne permiſſum eſt? Adde quod incertum eſt, utrum mortales culpæ, quas quis confeſſus eſt, remiſſæ fuerint; quia incertum eſt, utrum diſpoſitiones ad pœnitentiam fuerint ſufficientes. Tandem fini generalis confeſſionis repugnat, qui aliquod mortale peccatum alias Sacerdoti rite manifeſtatum omittit; quia confeſſio generalis fit, ut conſcientia quoad fieri poteſt in tuto ſit: at conſcientiam in tuto quoad fieri poteſt non ponit, qui aliquod præteritum peccatum ſponte prætermittit. Ex his fit, ut male agat, multaque reprehenſione dignus ſit, qui arbitraria Buſembau permiſſione uſus, aliquod mortale peccatum, licet clavibus rite ſubjectum alias fuerit, in generali confeſſione ſponte reticet.

In qua etiam non eſſe neceſſarium addere peccato mortali, quod &c. debent &c. quod eſt probabile. Idem habet La-Croix p. 335. n. 1181.

Rectius dixeris, hoc eſſe malum, & periculoſum. Qui enim mortale peccatum poſt ultimam confeſſionem admiſſum cum ceteris ita permiſcet, ut Confeſſarius credat, eſſe peccatum præteritarum confeſſionum, per fallacias Confeſſarium decipit in ipſa confeſſione, ſtatum ſuæ conſcientiæ per hypocriſim occultat, vitæ præteritæ emendationem falſo oſtentat, ſeque ſuſpectum de neceſſaria diſpoſitione præbet. Quare non ſolum tutius eſt, ut Buſemb. loquitur, ſed unice tutum nova ab antiquis ſecernere. Id confeſſionis ſinceritas poſtulat, & veritas. Id neceſſarium eſt, ut Confeſſarius ſtatum pœnitentis cognitum habeat, & tum congruam pœnitentiam imponat, tum etiam opportuna peccatis remedia adhibeat.

Animadversio III.

Quod ſi habere certa non poſſit &c.

Hæc quidem poſitio falſa eſt, quia *in die cadit juſtus*. Nihilominus quæritur hic, utrum dubia, ſeu conditionata abſolutio liceat? Reſp. La-Croix p. 398. nu. 1770. ita loquitur. „ Sub conditione danda eſt abſolutio, „ quandocumque eſt neceſſitas, vel obligatio illius dan„ dæ, & periculum faciendi ſacramentum nullum, ſi „ detur abſolute. Tales autem caſus ſunt varii, ut no„ tant Dic. d. 6 n. 81. & Gorm. p. 2. n. 220. ubi 1. „ ſi dubites, an pœnitens jam confeſſus habeat uſum „ rationis ſufficientem ad peccandum. Secundo ſi dubi„ tes, an per confeſſionem data ſit materia ſufficiens „ abſolutionis; tunc tamen melius eſt petere certum „ peccatum ex priori vita. Tertio ſi pœnitens non po„ tuerit, vel noluerit fateri alia peccata præterquam „ dubia. Quarto ſi dubites de diſpoſitione ſufficiente „ pœnitentis jam confeſſi, v. g. an ſincerum dolorem, „ vel propoſitum efficax habeat, an integre ſit confeſ„ ſus, eo quod neget mortale, quod probabiliter putas „ eum commiſiſſe. Quinto ſi dubites, an antea formam „ bene expreſſeris. Sexto ſi dubites, an pœnitens, qui „ confeſſus eſt, adhuc vivat. Septimo ſi moribundus „ ſit abſolvendus, qui nunc nulla poſſit dare ſigna do„ loris. "

Genettus contra ſolidus Theologus ita inquit Th. t. 4. p. 431. qu. 6. „ Nullo prorſus caſu abſolutionem ſacramen„ talem ſub conditione dare poſſumus; " quod oſtendit rationibus apud ipſum legendis.

Nat. Alexander Theol. t. 1. p. 502. reg. 3. abſolutionem conditionatam permittit tantum in c. 5. & 6. La-Croixii, imo in hoc ſexto caſu conditionem non ſolum poſſe, ſed etiam debere apponi docet; quæ doctrina teſte P. Concina Theol. t. 9. p. 582. n. 11. a pluribus etiam gravioribus Theologis traditur.

Concinæ ſententia loco cit. hæc eſt. " Si aliquando „ licita eſt abſolutio conditionalis, certe caſus moribun„ di dubie viventis ille eſt, in quo licite expediat hu„ juſmodi abſolutio. Quando Sacerdos dubitat, protu„ lerit ne abſolutionis verba, tum facile induci pœ„ nitens valet, ut contritionem de confeſſis pecca„ tis innovet, & tum abſolutio abſoluta impertiri „ poteſt. "

Excepto ergo caſu moribundi dubie viventis, ſi tamen excipiendus eſt, abſolutio conditionalis nunquam adhibenda eſt.

Nam Chriſtus Dominus formam certam, & abſolutam, non ancipitem, & conditionatam inſtituit. Joann. 20. v. 23. inquit: *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt*: ergo juxta Chriſti inſtitutionem peccata vel per abſolutionem remittenda ſunt, vel per abſolutionis negationem ſunt retinenda. Nihil hic medium eſt. An quod Judices fori externi nunquam faciunt, nec ſibi permiſſum putant, id ſibi licere, imo neceſſario faciendum eſſe exiſtimabunt Judices fori interni, ut ſub conditione abſolvant?

„ Mos ille, inquit Genett. loco citato, dandi abſo„ lutionem ſub conditione in Eccleſia nunquam viguit „ per ſexdecim ſæcula; & aſſerere poſſumus non ſine „ magna temeritate rem tanti momenti in Eccleſiam „ introduci poſſe aliqua legitima auctoritate, & contra „ univerſalem Eccleſiarum omnium traditionem; quo„ niam nullum veſtigium ejus reperire licet in aliquo „ Concilio, in aliquo S. Patre, aut aliquo Rituali Ec„ cleſiæ Latinæ, vel Græcæ. " Hæc ſane argumentatio ſolidiſſima eſt, quam ſi adverſarii non diluant, nec diluere poſſint, neceſſe eſt ut fateantur, ſuam ipſorum opinionem ex arbitrio profectam.

Syn. Trident. ſeſſ. 7. de Sac. in genere can. 13. ita definit: *Si quis dixerit, receptos, & approbatos Eccleſiæ Catholicæ Ritus in ſolemni Sacramentorum adminiſtratione adhiberi conſuetos aut contemni, aut ſine peccato a Miniſtris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque Eccleſiarum Paſtorem mutari poſſe; anathema ſit*. Si ritus mutari non poſſunt, multo minus circa ipſam Sacramentorum formam mutatio fieri poteſt. Quænam porro eſt forma Sacramenti pœnitentiæ ex catholicæ Eccleſiæ ſenſu adhiberi conſueta? Illa ſcilicet, quam Eccleſia per ſexdecim ſæcula ſemper uſurpavit; illa, quam habet Rituale Romanum: *Ego te abſolvo* &c. illa, quam tradit Synodus Tridentina ſeſſ. 14. cap. 3. *Ego te abſolvo* &c. hæc autem abſoluta eſt, non conditionata; ergo abſolutio conditionata non ſolum neceſſario, ut perperam loquitur La-Croix, non eſt adhibenda, ſed adhiberi non poteſt. Qui vero eam adhibent, ſacramento injuriam faciunt, illud contra Chriſti inſtitutionem, & Eccleſiæ catholicæ ſenſum adminiſtrantes.

Ubi conditio in ſacramentorum forma adhibenda eſt, Eccleſia illam ſuggerit, & præſcribit, ut in baptiſmo; in quo *ſi dubitatur, an infans fuerit baptizatus, utatur* Sacerdos, inquit Rit. Rom. hac forma: *N. Si non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*: ergo ubi Eccleſia catholica conditionem in ſacramentorum forma non inſinuat, nec præcipit, inconſulto, & ex arbitrio uſurpatur.

Enimvero in quatuor primis caſibus a La-Croixio recenſitis Sacerdos dubitat de materia neceſſaria ad abſolutionem. Cum autem Sacerdos dubitat de materia neceſſaria ad abſolutionem, de ſacramenti valore dubitat: cum vero de ſacramenti valore dubitat, illud conferre non poteſt, ut patet ex propoſitione 1. ab Innocent. XI. proſcripta. Ergo in quatuor deſcriptis caſibus abſolutio impertienda non eſt, ſed differenda.

In primo caſu differenda eſt, ut docet S. Carolus Bor. in admon. ad Confeſſarios nu. 21. his verbis: „ Devo„ no nondimeno i Sacerdoti eſſere avvertiti di non da„ re l' aſſoluzione ſacramentale a quelli, ne' quali non „ ſi veda materia d' aſſoluzione, nè tanto uſo di ragio„ ne, che ſi poſſa giudicare, che ſiano capaci di que„ ſto Sacramento, e uſeranno particolar diligenza d' i„ ſtruire i putti, e putte, come ſono arrivati alli ſet„ te, o otto anni, ſecondo la capacità loro, della „ neceſſità, e virtù di queſto ſacramento, e modo di „ venire ad eſſo. " Hoc a Parochis præſtandum eſt, non abſolutio ſub conditione projicienda.

In ſecundo caſu ipſe La Croix ſuggerit, quid faciendum ſit, non tamen ex conſilio, ut ipſe perperam loquitur, *tunc tamen melius eſt* &c. ſed ex neceſſitate, ut abſolutio recte impertiatur.

In tertio caſu idem faciendum eſt: quod ſi pœnitens noluerit certa peccata confiteri, ſine abſolutione dimittendus eſt. In quarto item caſu pœnitens abſolutione donandus nullo modo eſt, donec ex certis ſignis ejus ſufficientem diſpoſitionem cognitam Sacerdos habeat. „ Abſolvantur (ut pie, & vere ait P. Concina Theol. „ t. 9. p. 583. nu. 14.) pœnitentes dubie diſpoſiti ab„ ſolutione conditionata, quot hinc ſacrilegia? quot „ hinc repetita ſcelera? Ejuſmodi pœnitentes hunc ab„ ſolutionis conditionalis ritum ignorantes, ſe revera „ abſolutos credunt. Quid hinc? Animos ad peccan„ dum reſumunt, horrorem peccandi deponunt, credunt „ ad veram pœnitentiam ſufficere narrationem crimi„ num, cum videant, tam facile ſe abſolvi. Magno in „ errore, & percundi diſcrimine verſantur, ut ego qui„ dem vereor, Confeſſarii, qui extra neceſſitatis, puta „ mortis, aut dubie frenetici, caſum abſolutionem „ conditionalem adhibent. "

Quid in quinto caſu faciendum ſit, jam ex Concina diximus. In ſexto abſolutionem conditionatam reprehendere non audemus, sed forte melius eſt abſolutam impertire. De ſeptimo ſuo loco dicetur.

An-

Animadverſio IV.

Forma ſacramenti &c. *ubi licet de eſſentia tantum ſit*, Abſolvo te, *debeat tamen addi reliqua, præſertim .... ſecundum quoſdam* &c.

Hæc ſententia a D. Thoma p. 3. q. 84. a. 3. & a Catech. Conc. Trid. p. 2. de pœnit. n. 24. traditur, quæ teſte Concina Theol. t. 9. p. 580. n. 5. eſt communior inter Theologos. Quare dubitandum non eſt, quin ſit probabilior, & verior, non tamen eſt certa & indubitata. Nam Synod. Trident. ſeſſ. 14. cap. 3. *docet, Sacramenti pœnitentiæ formam, in qua præcipue ipſius vis ſita eſt, in illis Miniſtri verbis poſitam eſſe: Ego te abſolvo* &c. Illud &c. habet quoque Concilium Florentinum, & Rituale Romanum, quod &c. fruſtra certe additum non eſt, ſed innuit, reliqua verba *a peccatis tuis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen*, eſſe neceſſario addenda, ut forma, & vis ſacramenti, in tuto ponatur. Hinc eadem Syn. Trid. poſt citata verba ſtatim ſubdit: *Quibus quidem de Eccleſiæ Sanctæ more preces quædam laudabiliter adjunguntur; ad ipſius tamen formæ eſſentiam nequaquam ſpectant, neque ad ipſius ſacramenti adminiſtrationem neceſſariæ ſunt*: at illa verba *a peccatis tuis in nomine Patris* &c. preces non ſunt: ergo ad eſſentiam formæ pertinere videri poſſunt. Uno verbo ſententia contrariæ D. Thomæ non eſt certa. Ex quo fit, ut, cum hic de ſacramenti valore agatur, ex propoſitione 1. ab Innoc. XI. proſcripta neceſſario adhibenda ſint etiam illa verba *a peccatis tuis in nomine Patris* &c. nec ſine peccato mortali, ſeu in articulo mortis, ſeu tempore vitæ omitti queant.

Voce prolata in præſentem; abſentem enim Clem. VIII. abſolvi prohibuit ſub pœna excom.

Hic illud addendum eſt, non ſolum abſolutionem voce in præſentem pœnitentem eſſe proferendam, ſed confeſſionem quoque ore a pœnitente eſſe faciendam Sacerdoti præſenti, ut docet S. Th. ſuppl. qu. 9. a. 3. ubi ita diſcurrit: *Homo ita tenetur ad confeſſionem peccatorum, ſicut ad confeſſionem fidei: ſed confeſſio fidei ore eſt facienda, ut patet Rom. 10. ergo & confeſſio peccatorum.*

Præterea. Qui per ſeipſum peccavit, per ſeipſum debet pœnitere: ſed confeſſio eſt pœnitentiæ pars: ergo pœnitens debet confiteri propria voce.

Reſpondeo dicendum, quod confeſſio non ſolum eſt actus virtutis, ſed etiam pars ſacramenti. Quamvis autem ad eam, ſecundum quod eſt actus virtutis, ſufficeret qualitercumque fieret, etſi non eſſet tanta difficultas in uno modo, ſicut in alio; tamen ſecundum quod eſt pars ſacramenti, habet determinatum actum, ſicut & alia ſacramenta habent determinatam materiam: & ſicut in baptiſmo ad ſignificandam interiorem ablutionem aſſumitur illud elementum, cujus eſt maximus uſus in abluendo; ita in actu ſacramenti ad manifeſtandum, ordinarie aſſumitur ille actus, quo maxime conſuevimus manifeſtare, ſcilicet proprium verbum. Alii enim modi ſunt inducti in ſupplementum iſtius.

Et in reſponſione ad primum ait: *Quod ſicut in baptiſmo non ſufficit qualitercumque abluere, ſed per elementum determinatum; ita nec in pœnitentia ſufficit qualitercumque peccata manifeſtare, ſed oportet quod per actum determinatum manifeſtentur.*

Et ad ſecundum ait: *Quod in eo, qui uſum linguæ non habet, ſufficit, quod per ſcriptum, aut per nutum, aut per interpretem confiteatur, quia non exigitur ab homine plus quam poſſit.* Conſule cap. 88. d. 1. qu. 3. cau. 33. Idem docet Catech. Rom. p. 2. de pœnit. n. 52. ubi ait: *Illud vero etiam tum confitenti, tum Sacerdoti maxime laborandum eſt, ut eorum ſermo in confeſſione ſecreto habeatur. Quare fit, ut nemini omnino neque per nuntium, neque per litteras, quoniam ea ratione nihil jam occulte agi poteſt, peccata confiteri liceat.* Et Bened. XI. c. *Inter cunctas* ext. comm. c. 5. t. 4. ait: *Niſi articulus neceſſitatis occurrat, Sacerdoti facienda oris confeſſio, prout ſcriptum eſt:* „Corde ad juſtitiam „ creditur, ore autem fit confeſſio ad ſalutem.“

Hinc Clemens VIII. die 20. Junii 1602. (habetur apud Concinam Theol. t. 9. p. 588. n. 7.) *hanc propoſitionem, ſcilicet licere per litteras, ſeu internuntium Confeſſario abſenti peccata ſacramentaliter confiteri, & ab eodem abſente abſolutionem obtinere, ad minus uti falſam, temerariam, & ſcandaloſam damnavit, ac prohibuit.*

Porro Summus Pontifex non ſolum utrumque ſimul, ſed utrumque ſeorſim damnavit, ut fatetur ipſe La-Croix p. 337. n. 1195. his verbis: *Hinc certum eſt, propoſitionem illam eſſe damnatam etiam diviſive, uti recte probat Gonet d. 12. a num. 50.*; & evidens fit ex decreto ejuſdem Clem. die ult. menſis Julii 1603. (apud Concinam pag. 607. num. 4.) tribuſque aliis decretis ſub Paulo V. apud eumdem Concinam p. 590. n. 2.

Hæc quoad doctrinam, quæ certiſſima eſt. Quoad hiſtoriam vero hujus controverſiæ, quæ damnationibus pontificiis occaſionem præbuit, La-Croix lectorem mittit ad Gormaz, Zacharia vero ad Gagnam, & ad ſuam hiſtoriam litterariam Italiæ. Sed legendus eſt P. Concina t. 9. cit. p. 584. cap. 2. ubi & Gormaz, & Gagnam confutat, ac rem in pleniſſimo lumine collocat, & Euſebium Eraniſtem ep. 22. t. 3. ubi hiſtoricum litterarium egregie refellit, & ep. 36. t. 5.

Animadverſio V.

Valida eſt abſolutio, ſi reverentiæ cauſa dicas: Abſolvo dominationem &c.

Hujuſcemodi abſolutio ineptiſſima certe eſt, Chriſti Miniſtri dignitati, & auguſtæ ſacramenti majeſtati infeſta, & ſacrilega. Eccleſiæ ritum, & conſuetudinem impie pervertit, hominum arrogantiæ in ipſa ſacramenti adminiſtratione per ſæculi adulationes incredibili vilitate indulget, & ſuperbiam quo maxime tempore humilitas, & demiſſio ex animo exercenda eſt, fovet. Quorſum hoc impium commentum, & ſacrilegum portentum?

Animadverſio VI.

Si breves ſint confeſſiones, vel multi &c.

Quid hic Diana, aut aliis opus eſt? Rituale Rom., ubi ſinceri catholicæ Eccleſiæ ritus, ut ait Paulus V., præſcribuntur, docet, in confeſſionibus frequentioribus, & brevioribus omitti poſſe *Miſereatur* &c., & ſatis eſſe dicere, *Dominus noſter Jeſus Chriſtus* &c. uſque ad illud *paſſio Domini Noſtri* &c. urgente vero aliqua gravi neceſſitate in periculo mortis breviter dicere poterit: *Ego te abſolvo ab omnibus cenſuris, & peccatis tuis in nomine Patris* &c.

Animadverſio VII.

Elevatio manus .... eſt libera, etſi &c.

Idem habet La-Croix p. 291. nu. 653. At liberum ne eſt, omniſque culpæ expers omittere ritum ab Eccleſia Rom. omnium Magiſtra & Matre præſcriptum? At Eccleſia Rom. in Rit. de ſacr. pœnit. ita præſcribit: *Deinde dextra verſus pœnitentem elevata dicit*, Indulgentiam &c.

Animadverſio VIII.

Contritio perfecta eſt quæ elicitur ex motivo caritatis propter Deum ſumme dilectum, & hæc ex ſe ſola mox juſtificat, etſi &c.

La-Croix quoque p. 303. n. 774. putat, omnem contritionem, quæ eſt actus caritatis theologicæ, juſtificare ſine ſacramento.

At cum certum id ſit de contritione vehementi, & intenſa, non tamen id concedendum, ſi contritio ſit remiſſa, & languida. Ita ſentit Generus Theol. t. 4. p. 39. q. 13. & Card. Denhoff ab eo citatus, qui ait, hanc eſſe communem antiquorum Theologorum ſententiam, Nat. Alexander Theol. t. 1. p. 412. prop. 7 *Quod autem objicitur* &c. Concina Theol. tom. 9. p. 113. cap. 5., qui hanc ſententiam erudite, & ſolide more ſuo propugnat; ex quo pauca delibo.

Et primo quidem ea nititur auctoritate Angelici Doct. in 2. Sent. diſt. 3. q. 4. ad 1. ubi ait: *Actus caritatis poteſt dici dupliciter; vel qui eſt ex caritate, & hoc non eſt niſi in habente caritatem, vel qui eſt ad caritatem non ſicut meritorius, vel generativus, ſed ſicut præparativus; & ſic actus caritatis ante caritatem habitam haberi poteſt, ſicut facere juſta eſt ante habitum juſtitiæ.* Ergo juxta Div. Thomam actus caritatis non ſolum natura, ſeu cauſa, ſed etiam tempore caritatis habitum præcedere, & ab eo ſeparari poteſt, ſicuti actus juſtitiæ tempore antecedit juſtitiæ habitum, & ab eo ſejungitur.

Actus caritatis, virtutem caritatis antecedens, nec eam in animo efficere, nec eam mereri poteſt, ſed ſolum animum ad eam diſponere aptus eſt; quia caritatis virtus divinitus, & gratuito infunditur ex D. Th. 2. 2. q. 24. a. 2. Cum vero Deus omnia ſuaviſſime per ſuam infinitam providentiam diſponat, caritatis virtutem & gratiam non infundit, niſi ſufficientem & proportionatam ad tam ſublime donum in animo præparationem invenerit. An quicumque vel maxime remiſſus, & lentus caritatis actus eſt ſufficiens, & proportionata præparatio ad divinum caritatis habitualis donum? Videlicet ita ſe habet caritatis actus, quoad præparationem ad caritatis virtutem, ſicuti ſe habent actus moralium virtutum, quoad earum efficientiam: at eſt indubitatum, actum remiſſum moralium virtutum non efficere in animo earum

rum habitum; ergo non videtur dubitandum, quin actus remiſſus, ſeu inchoatus, imperfectus, tepidus, minime fervens caritatis animum ſufficienter non diſponat, ut ei divinitus caritatis virtus infundatur.

An credibile eſt, animum multis, ac graviſſimis ſceleribus inquinatum miro remiſſo, lento, ac tepido amoris actu maculas omnes eluere, ac Dei amicum fieri? Hoc ſcilicet repugnat divino illi oraculo Luc. 7. v. 47. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.*

La-Croix n. cit. objicit textum S. Thomæ ex 3. a. q. 89. a. 6. quem ego in S. Doctore non inveni. Verum qui ſuper hac re mentem Angelici plenius aſſequi cupit, legat P. Concina p. 120. t. 9 cit. §. 3. Sed hic textum quoque S. Doct. ex 2. 2. q. 24. a. 6. c. conſiderare juvat, ubi ait. *Non quolibet actu charitatis charitas actu augetur; ſed quilibet actus charitatis diſponit ad charitatis augmentum.* Si quilibet actus caritatis caritatem non auget, multo minus caritatem efficit; quia minus eſt, caritatem augere, quam efficere. Loquot de efficienta diſponente, ſeu præparante, quæ tamen proxime, & ſufficienter diſponat.

Secundo. Confirmatur ex Catech. Rom. p. 2. de pœnit. n. 36. his luculentiſſimis verbis: *Ut enim hoc concedamus, contritione peccata deleri; quis ignorat, illam adeo vehementem, acrem, & intenſam eſſe oportere, ut doloris acerbitas cum ſcelerum magnitudine æquari, conferrique poſſit? At quoniam pauci admodum ad hunc gradum pervenirent, fiebat etiam, ut a pauciſſimis hac via peccatorum venia ſperanda eſſet &c.*

Tertio. Ex Syn. Trid. ſeſſ. 14. cap. 4. ubi ait: *Docet præterea, etſi contritionem hanc aliquando caritate perfectam eſſe contingat, hominemque Deo reconciliare, priuſquam hoc ſacramentum actu ſuſcipiatur, ipſam nihilominus reconciliationem &c.*

Illud *caritate perfectam* idem eſt, ac in caritate perfectam, ſeu caritatis perfectæ, non inchoatæ. Hoc ſenſu hunc textum intelligit Clerus Gallicanus anno 1700. apud Natalem Alexand. Theol. tom. 2. app. altera p. LX. qui ita loquitur: *Et quid in de dilectione Dei, ſicut ad ſacramentum baptiſmi in adultis, ita ad ſacramentum pœnitentiæ, quæ eſt laborioſus baptiſmus, requiſita, ne neceſſariam doctrinam omittamus, hæc duo in primis ex Sacroſancta Synodo Tridentina monenda, & docenda eſſe duximus. Primum ne quis putet in utroque ſacramento requiri, ut prævium contritionem eam, quæ ſit caritate perfecta, & quæ cum voto ſacramenti, antequam actu ſuſcipiatur, hominem Deo reconciliet. Alterum, ne quis putet in utroque ſacramento ſecurum ſe eſſe, ſi præter fidei, & ſpei actus non incipiat diligere Deum, tanquam omnis juſtitiæ fontem.* Dilectionem Dei ad ſacramentum pœnitentiæ neceſſariam eſſe ait: hanc ex Synodo Tridentina duplicem eſſe docet, alteram caritatis perfectæ, alteram caritatis inchoatæ, quæ incipiat *diligere Deum*: primi, non poſteriori vim tribuit reconciliandi Deo, priuſquam ſacramentum ſuſcipiatur.

Hinc eadem Sacra Syn. ſeſſ. 13. can. 11. ita loquitur: *Et ne tantum ſacramentum indigne, atque adeo in mortem, & condemnationem ſumatur, ſtatuit, atque declarat ipſa Sancta Synodus illis, quos ſcientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam ſe contritos exiſtiment, habita copia Confeſſoris, neceſſario præmittendam eſſe confeſſionem ſacramentalem.* Cur neceſſarium eſſe declarat confeſſionem ſacramentalem peccatori, quantumvis contritum ſe putet? Quia ſcilicet licet contritio vehemens peccatorum magnitudini æqualis peccata deleat, priuſquam abſolutio ſacramentalis ſuſcipiatur; nemo tamen, quantumvis contritus ſibi videatur, ſcire poteſt, ſe ad eum gradum contritionis perveniſſe, qui ad remiſſionem peccati ſatis ſit. Peccator ſibi conſcius eſt, ſe peccatum odiſſe, & Deum diligere, ſibi peccata diſplicere propter Deum offenſum; nihilominus, priuſquam ad Euchariſtiam accedat, ſua peccata confiteri neceſſario debet, quia ignorat gradum ſuæ contritionis, ideoque ignorat, peccata ſibi eſſe remiſſa, priuſquam abſolvatur.

La-Croix de Synodo Trident. nihil habet, ſed quoad Catechiſmum p. 302. n. 770. rem involvere conatur, aitque, *merito* quidem *dolendum eſſe vehementiſſime*; idque tantum velle Catechiſmum; non autem vehementiſſimum dolorem eſſe neceſſarium.

Hoc ſane nihil eſt, niſi aperte adverſari verbis citatis, & oculos luci ſplendiſſimæ ſponte claudere, & fucum lectoribus imperitis, & credulis velle facere.

Catechiſmus quidem num. 27. *ſummum, & maximum dolorem ex peccatis, quæ commiſſa ſunt, ſuſcipiendum eſſe, ita ut nullus major excogitari poſſit*, demonſtrat, & animadvertit, ut *quemadmodum Sancto Bernardo teſte nullus finis, & modus caritati præſcribitur, ita peccati deteſtationi nullus modus definiatur*; attamen n. 28. addit, inquit La-Croix: *Quamquam ſi id minus conſequi nobis liceat, ut perfecta ſit contritio, vera tamen & efficax contritio eſſe poteſt.* At quid inde? Vult ſcilicet Catechiſmus eo loco, dolorem ſenſibilem non eſſe ad contritionem veram, & efficacem neceſſarium, ſicuti lacrymæ neceſſariæ non ſunt, licet magnopere optandæ, & commendandæ ſint. Hunc eſſe ſenſum illius textus, lectio ejuſdem Catechiſmi evidenter oſtendit.

At La-Croix n. 774. Scripturam nobis objicit, „quæ „de dilectione (per quam intelligitur dilectio Dei ex „caritate, ſeu quæ eſt amor Dei propter ſe, & ſuper „omnia) abſolute dicit, quod cauſet reciprocam Dei „dilectionem, & gratiam, quod tollat peccatum, &c. „Sic dicitur Prov. 8. v. 17. *Ego diligentes me diligo.* „Joan. 14. v. 21. *Qui diligit me, diligetur a* „*Patre meo, & ego diligam eum.* v. 23. *Si quis dili-* „*git me, ſermonem meum ſervabit, & Pater meus di-* „*liget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud* „*eum faciemus.* 1. Pet. 4. v. 8. *Caritas operit multi-* „*tudinem peccatorum.* 1. Joan. 4. v. 7. *Omnis qui dili-* „*git, ex Deo natus eſt*, ideſt factus eſt filius Dei, uti „exponunt Interpretes cum Corn. a Lapide.“

Reſp. Ego quoque La-Croixio Scripturam objicio, quæ non odium ſimpliciter, ſed vehemens peccatorum odium poſtulat, ut peccata remittantur; ut illud Joel. 2. 12. *Convertimini ad me in toto corde veſtro, in jejunio, in fletu, & in planctu, & ſcindite corda veſtra.* Deut. 6. 5. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Deut. 4. 29. *Cum quæſieris Dominum Deum tuum, invenies eum, ſi tamen toto corde quæſieris, & in tota tribulatione animæ tuæ.* Hier. 29. 13. *Quæretis me, & invenietis, cum quæſieritis me in toto corde veſtro.* Hinc David pœnitens Pſ. 6. v. 7. *Laboravi in gemitu meo, lavabo per ſingulas noctes lectum meum, lacrymis meis ſtratum meum rigabo.* Iſ. v. 38. 15. *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Sacra Scriptura, Dei vox eſt, falli neſcia, quæ ſibi contradicere non poteſt. Nos in ejus ſenſu intelligendo falli poſſumus, &, niſi cauti ſimus, fallimur. Textus a me allati ſatis perſpicue indicant, vehementem Dei amorem, vehemens peccati odium eſſe neceſſarium ad peccatoris juſtificationem: ergo alii textus qui huc referri poſſunt, etiamſi vehementiam amoris, & odii non exprimant, eodem tamen ſenſu intelligendi ſunt. An cum D. Paulus ad Rom. 3. ait: *Arbitramur, hominem juſtificari per fidem*; cum Joan. 6. dicitur: *Qui credit in me, vitam æternam habebit*, intelligendi ſunt de quacumque fide aut de quocumque actu fidei, quia ſimpliciter, & abſolute dicunt, fidem juſtificare, actum fidei vitam æternam obtinere. Hæc ſcilicet interpretatio eſſet hæretica. Ergo ex eadem ratione dicere non poſſumus, quamcumque Dei dilectionem ſufficere ad juſtificationem peccatoris, quia aliquot Scripturæ textus abſolute dicunt, quod dilectio Dei reciprocam Dei dilectionem efficiat, & gratiam, quod tollat peccatum, &c. Nam alii Scripturæ textus vehementiam amoris, & odii in peccatum ad hujus remiſſionem poſtulant.

Verum hic La-Croixius objicit Syn. Atatheoſem, quæ teſte Gorm. ait: *Sat eſt ad veram contritionem deteſtatio ſuper omnia, licet dolor non ſit ita intenſus, ut alicujus mali temporalis.* Reſp. Illud *intenſus* intelligitur quoad ſenſum doloris, non quoad voluntatis actum. Nec enim dolor contritionis, ut docet Catech. Rom. n. 24. corporis ſenſu percipitur: *Contritio enim eſt voluntatis actio.* Hinc n. 28. ait: *Sæpe enim uſuvenit, ut quæ ſenſibus ſubjecta ſunt, magis, quam ſpiritualia nos afficiant. Quare nonnulli interdum majorem ex filiorum obitu, quam ex peccati turpitudine doloris ſenſum capiunt.* Nolo hic plura perſequi, ne crambem recoquam. Illud unum admoneo, ut ſi quis La-Croixium legerit locis citatis, ne legere omittat Natalem Alex. Theol. t. 1. p. 412. & Concinam Theol. t. 9. p. 113. cap. 5. & p. 188. n. 7. & ſeq., ubi diluta inveniet La-Croixii objecta.

Quod ſi illas La-Croixii ratiunculas, quod Eccleſia ſæpe fidelibus omnibus contritis concedit indulgentias, & quod contritio ex amore Dei ſit perfectiſſimus actus, cui congruum ſit remitti peccata: ſi, inquam, has ratiunculas in ſolidiſſimis Theologis explicate propoſitas, & diſſolutas non inveneris, illud animadverte, minuta, & exilia ab iis negligi merito potuiſſe. Eccleſia quidem non ſolet indulgentias concedere, niſi vere pœnitentibus, & confeſſis, hoc eſt iis, qui confeſſionis Sacramentum actu ſuſceperint, ut intelligit Bened. XIV. in epiſtola encyclica anni 1749 die 3. Decembr. Quod ſi confeſſionem non poſtulet, ſtatum gratiæ ponit, ad quem homo poſt mortiferam culpam non revocatur ſine confeſſione, aut ſine perfecta contritione. Quare ſi Eccleſia indulgentias vere contritis ſine additione impertiat, intellige *contritis* contritione perfecta, & vehementi. Nam contritio ex amore Dei, licet ex genere ſuo ſit perfectiſſimus actus omnium aliarum virtutum, hic tamen actu ſuos gradus habet; nec congruum eſt,

ut ejus

ut ejus gradui remiſſo, & languido gratia habitualis divinitus infundatur, ut jam oſtenſum eſt.

Animadversio IX.

Ad ſacramentum hoc ſufficit, & requiritur ſaltem attritio formalis &c.

Hanc ſuam opinionem Buſemb. colligi vult ex Synodo Trident. ſeſſ. 14. quod utrum colligatur breviter conſideremus. Sacra Syn. cap. 3. inquit: *Sunt autem quaſi materia hujus ſacramenti ipſius pœnitentis actus, nempe contritio, confeſſio, & ſatisfactio*. Sed attritio eſt imperfecta contritio, ut eadem ſacra Synod. docet cap. 4. ergo attritio eſt quaſi materia, ſeu pars ſacramenti pœnitentiæ. Ita diſcurrit La-Croix p. 308. n. 836. Reſp. Sicuti ſacra Syn. abſolute dicit, contritionem, ita abſolute dicit, confeſſionem eſſe quaſi materiam, & partem ſacramenti pœnitentiæ: at hinc perperam omnino colligeretur, quamcumque, & qualemcumque confeſſionem eſſe quaſi materiam, & partem confeſſionis. Certum enim eſt, confeſſionem peccatorum in genere, aut etiam in ſpecie, vel ipſam numericam non eſſe quaſi materiam, & partem ſacramenti, niſi ſit integra, & abſoluta. Ergo ex allato ſacræ Synodi textu perperam colligitur, quamcumque, & qualemcumque contritionem eſſe quaſi materiam, & partem ſacramenti pœnitentiæ.

Itaque ex eo textu illud certo intelligitur, contritionem eſſe partem pœnitentiæ; ſed qualis contritio ſit pœnitentiæ pars, ex eo cap. intelligi nequaquam poteſt. Vana ergo eſt, & futilis prima La-Croixii argumentatio, ex ſacra Synodo male concinnata.

Eadem ſacra Syn. cap. 4. de contritione imperfecta, *quæ attritio dicitur, quoniam* &c. ait: *Et quamvis ſine ſacramento pœnitentiæ per ſe ad juſtificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in ſacramento pœnitentiæ impetrandam diſponit*. Hæc eſt altera La-Croix ratio.

Reſp. Utique diſponit: omnes id fatentur, & fateri debent; quia ſacra Syn. ita loquitur. De hoc nulla quæſtio eſt; ſed illud quæritur, utrum imperfecta contritio, ſeu attritio ſine aliquo Dei amore ſufficiat, ſeu ſufficienter diſponat ad ſacramentum pœnitentiæ. hoc porro ſacra Syn. non dicit, neque id ex ea colligitur. Ergo hæc quoque ratio, qua recentes tantopere gloriantur, nullius prorſus ponderis eſt. Hinc, ut narrat Card. Pallavicinus in hiſtoria Concilii Tridentini, decretum his verbis fuerat antea conceptum: *Statuit hæc ſancta Syn. & declarat, non ſolum non facere hominem hypocritam, &c. verum etiam ſufficere ad ſacramenti hujus conſtitutionem*. Verum ex Archi-Epiſcopi Tudetani oppoſitione Spiritu Sancto ita diſponente, & afflante verbum *ſufficere* deletum eſt, ac decretum mutatum fuit, prout nunc habetur. Ex quo luce clarius conſtat, ſacram Synodum voluiſſe quidem errorem Lutheri, qui attritionem ex metu æternæ pœnæ conceptam vitioſam eſſe contendebat, damnare, & reipſa damnaviſſe, at noluiſſe definire, nec definiviſſe, attritionem, quæ vel ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu communiter concipitur, eſſe ſufficientem diſpoſitionem ad ſacramentum pœnitentiæ; quæ erat quæſtio inter Catholicos diſceptata. Itaque conatus La-Croixii, qui ex citato ſacræ Synodi capite per varias argutationes colligere contendit, attritionem eſſe proximam, ſeu ex ſe ſufficientem diſpoſitionem ad gratiam in ſacramento pœnitentiæ recipiendam, ſunt prorſus irriti, & inanes, in quibus ſigillatim refellendis immorari operæ pretium non eſt, & lectori nimis moleſtum foret. Hinc illa propoſitio: *Concilium Tridentinum* (ſeſſ. 14. can. 5. ab adverſariis perperam intellecto) *adeo expreſſe definivit, attritionem, quæ non vivificet animam, quæque ſupponitur ſine amore Dei eſſe, ſufficere ad abſolutionem, ut anathema pronunciet adverſus agentes*: hæc, inquam, propoſitio a Clero Gallicano (apud Natalem Alex. Theol. t. 2. app. altera p. 57. 58. propoſ. 87.) hac cenſura confixa fuit: *Hæc propoſitio falſa eſt, temeraria, Concilio Tridentino contraria, & in errorem inducit*. In hanc ſyrtim impingunt La-Croixii contentiones tum loco mox citato, tum maxime p. 312. nu. 873. En labefactati duo præcipui arietes Buſemb. & La-Croix, aliorumque probabiliorum, quibus neceſſitatem alicujus divini amoris in ſacramento pœnitentiæ evertere conantur; alter ex eo petitus, quod quicumque amor Dei etiam inchoatus, & remiſſus ex ſe ſatis ſit ad juſtificationem; alter ex Synodi Tridentinæ auctoritate.

Quid quod ex Concilio Tridentino contrarium colligitur, ac Buſemb. & La-Croix exiſtimant? Nam ex ſeſſ. 6. cap. 6. peccatores *diſponuntur ad ipſam juſtitiam* primo divinæ gratiæ adjutorio. Secundo fide. Tertio divinæ juſtitiæ timore, quo utiliter concutiuntur. Quarto ſpe. Quinto amore Dei, quatenus *illum tanquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipiunt, ac propterea moventur adverſus peccata per odium aliquod, & deteſtationem, hoc eſt per eam pœnitentiam, quam ante baptiſmum agi oportet*. Quod ſi ex his luculentiſſimis verbis aliquis inchoatus caritatis actus recenſetur inter diſpoſitiones neceſſarias ad baptiſmum, idem quoque neceſſario præmittendus ad ſacramentum confeſſionis; imo ad hoc multo magis; quia pœnitentia ex eadem ſacra Synodo eſt laborioſus baptiſmus. Hinc Catechiſmus Rom. fideliſſimus Concilii Tridentini interpres p. 2. de pœnit. n. 8. eaſdem diſpoſitiones, ſeu gradus ad pœnitentiam requirit, quas Concilium poſtulat ad baptiſmum; atque his verbis ultimum gradum explicat: *Poſtremo caritate corda noſtra accenduntur, ex qua liberalis ille timor probis, & ingenuis filiis dignus oritur; atque ita unum illud veriti, ne qua in re Dei majeſtatem lædamus, peccandi conſuetudinem omnino deſerimus. Hiſce igitur quaſi gradibus ad hanc præſtantiſſimam pœnitentiæ virtutem pervenitur*.

Idem docet n. 32. ubi ait: *Sed natura quoque ipſa, & ratio oſtendunt, duo illa ad contritionem in primis eſſe neceſſaria, dolorem ſcilicet peccati admiſſi, & propoſitum, cautionemque, ne quid hujuſmodi in poſterum committatur. Nam qui amico reconciliari velit, quem injuria aliqua affecerit, & doleat oportet, quod in eum injurioſus, & contumelioſus fuerit, & diligenter reliquo tempore provideat, ne qua in re amicitiam læſiſſe videatur*. Hic eſt dolor ad contritionem neceſſarius: at qui dolet, quod in Deum injurioſus, & contumelioſus fuerit, ille Deum amat: ergo &c.

La-Croix p. 309. n. 840. ita reſpondet: „ Synodus „ Trid. non requirit actum, quo perfecte diligamus, ſed „ quo incipiamus perfecte diligere: atqui incipimus per- „ fecte diligere per actum cujuſcumque virtutis, quo „ Deum, ut finem ultimum nobis concupiſcimus: unde „ ſicut *timor Domini* dicitur initium ſapientiæ, non quod „ ille timor ſit ſapientia, ſed quia ducit, & diſponit ad „ ſapientiam, ita actus omnis virtutis dicitur eſſe initium perfectæ dilectionis; quod de actu timoris ex- „ preſſe dicitur Eccl. 25. v. 16. *Timor Dei initium* „ *dilectionis ejus*. Et idem eſt de ſpe beatitudinis. “

Reſp. Non ſine maximo tædio tam ineptum reſponſum exſcripſi. Non enim ſacra Syn. loquitur de actu, qui diſponat ad amorem Dei, ſed de actu, quo peccatores incipiunt diligere Deum, ad quem actum diſponunt fides, divinæ juſtitiæ timor, & ſpes, quos proxime antea memoraverat. Reſponſio La-Croixii non eſt ſacræ Syn. interpretatio, ſed aperta pugna cum ſacra Synodo, ut omnes, qui ſacram Synodum ibidem legent, perſpicue intelligent. Amor, quo peccatores incipiunt diligere Deum tanquam omnis juſtitiæ fontem, non eſt amor aliarum virtutum, ſed amor caritatis, ad quam ſpectat amare Deum non ſolum propter ſeipſum, ſeu quia in ſe infinite bonus eſt, ſed etiam ut auctorem gratiæ, & ſupernaturalium donorum, quibus Deo arcto amicitiæ vinculo copulamur. Qui incipiunt amare Deum, tanquam omnis juſtitiæ, hoc eſt gratiæ, & ſupernaturalium charismatum fontem, nondum quidem ſunt amici Dei, ad ejus tamen amicitiam aſpirant, eamque amant, & cupiunt; qui amor non eſt amor concupiſcentiæ, ut falſo ponit La-Croix, ſed amor inchoatus amicitiæ. Ex hoc porro benevolo, ſeu amicitiæ amore fit, ut moveatur, inquit ſacra Syn. adverſus peccata per odium aliquod, & deteſtationem; quia peccata a Deo nos ſeparant, & ab ejus amicitia. Hæc eſt illa pœnitentia ex ſanctæ Synodi doctrina, quam agi oportet ante baptiſmum: ergo hæc eſt illa pœnitentia, quam ante ſacramentum confeſſionis agi oportet. Hac de re plura legi poſſunt apud P. Concinam Theol. t. 9. p. 146. §. 3. cap. 8.

At ſententia Buſembaum, ut ipſe ait, eſt communis. Hic vero p. 310. num 855. mirificum catalogum texit. „ Nam, inquit, §. 5. Pinthercam de att. ſuff. a p. 8. „ adductis locis, & verbis refert 100. Auctores graviſſimos, qui ab anno Chriſti 1200. ſententiam noſtram „ tenuerunt, inter quos ſunt &c., deinde a pag. 93. „ adducit Theologos 19. qui Tridentino interfuerunt, „ & nobiſcum tenent ... Sed quoad Auctores poſt Trid. „ ſtudioſiſſime eos examinavit Gormaz p. 1. n. 446., „ ubi ordine alphabetico adductis nominibus, locis, & „ verbis refert plures, quam 160. qui clariſſime nobiſcum tenent, inter quos &c. “

Reſp. Ingens hic numerus, ſi verus eſſet, nos forte deterreret. Sed non ſine ratione credi poteſt, hunc numerum eſſe inſtar exercitus, qui in publicis ephemeridibus, & forte etiam quoad ſtipendia multus eſt, at reipſa longe minor. Sicuti enim magnis noſtris opinatoribus, ut opinionem aliquam veluti rectam, & tutam agendi regulam proponant, ſatis eſt, ſi ſit, aut habeatur probabilis; ita etiam in citandis pro ſe Auctoribus ſatis habent, ſi textus aliquos, qui aut probabiliter, aut etiam ſpecie tenus ſibi faveant, recitare poſſint. Hac enim ratione adverſarios fatigant, rem involvunt, & quoad fieri poteſt impediunt, quominus veritas, quam

ipſi

ipſi negligunt, in lucem proferatur, ac probabilitas licet multis, & graviſſimis vulneribus ſauciata omnino profligari vix poſſit.

Morinus, ut ipſe La-Croix p. 311. n. 857. ſibi objicit, Lupus, Farvacq., Juvenin reſſentur;, neminem ante 15. ſæculum docuiſſe pro attritione, & Canum fuiſſe primum cum quodam Henrico Salmanticenſi. Quid ad hæc? Morinum falſitatis redarguit, cui ſuos opponit. Morini Catalagum ex Patribus Trivultianæ non multa fide dignum eſſe, contendit P. Zacharia in hunc La-Croixii numerum. Morino ſcilicet exigua fides babenda, quia ipſis contrarius; alii, qui favent, plena fide digni ſunt. De Lupo, Farvacqueſio, Juvenino ſilent. Quid quod ex ipſo Suarezio apud Concinam p. 103. n. 10. *illa opinio de attritione nec valde antiqua, nec multum communis eſt?* Sed audiamus Bened. XIV. de Syn. Diœc. lib. 7. c. 13. n. 6. qui ait: *Quamvis ante Tridentinum communiter Theologi docuerint, ad Dei gratiam in ſacramento pœnitentiæ obtinendam ſatis eſſe contritionem imperfectam, quam jam tum attritionem nuncupabant; attritionis tamen nomine nunquam dolorem intellexerunt de peccatis aliunde excitatum, quam ex motivo caritatis, ſeu omnino ſejunctum ab aliquo ſaltem remiſſo, tenui, debili, ſeu initiali amore benevolo Dei.* ,, Subdit autem Pontifex, eod. n. 11. ,, Franciſcum Victoriam, & Dominicum Soto ,, omnium primos docuiſſe, attritionem ſervilem ſufficere, ,, dummodo hæc a pœnitente reputetur contritio; deinde ,, Canum hanc opinionem extendiſſe ad attritionem ſervilem etiam ſic cognitam. n. 7. Hæc Cani ſententia ,, ſcholas omnes pervaſit, & magni nominis patronos invenit, præſertim Suarez, & Vaſquez. *Verum qui inter iſtos doctiores, & ſapientiores habentur, pavidi quodammodo & meticuloſi, ac magna cum cautela illi recenti opinioni ſubſcripſerunt, quam ipſemet Canus nonniſi dubitanter aſtruxerat*, inquit Pontifex Summus,"

An Benedicto quoque XIV. non nimis fidendum eſt, quia hac in re La Croixio, & ejus catalogo adverſatur, & Morino, Lupo, Farvacqueſio, Juvenino favet? Catalogus ergo Auctorum ante Tridentinum a La-Croixio contextus, fictitius merito habetur.

Idem P. Concina pag. 166. §. 7 ait: ,, Auctoritate ,, Theologorum, & celeberrimarum Univerſitatum neceſſitas dilectionis divinæ ad ſacramentum pœnitentiæ ,, rite ſuſcipiendum confirmatur."

,, 1. Auctorum, quos recenſurus hic ſum, plurimos in ,, fonte legi, alios apud præclaros Theologos laudatos ,, inveni. Nulla vel levis ſuſpicio mihi occurrit, minus ſincere laudatos eſſe, quos non legi."

Poſt n. 2. quinquaginta quatuor numerat ante Concilium Tridentinum, inter quos eminent Magiſter ſententiarum, B. Albertus Magnus, S. Bonaventura, S. Raymundus a Pennafort, S. Thomas Aquinas, S. Bernardinus Senenſis, S. Antoninus &c.

Deinde n. 3. ſubdit: ,, Ne quiſquam ſuſpicari de iſtorum Auctorum doctrina poſſit, legatur Carolus Vitalſe tom. V. de pœnit. ubi non modo libros, & loca, ,, ſed prolixa illorum Theologorum teſtimonia exſcribit, ,, quæ brevitatis ſtudio prætereo."

Num. 4. undeviginti numerat, tum ait: ,, Hi omnes ,, fuerunt Epiſcopi Concilii Tridentini: qui pro dilectione Dei neceſſaria in peccatoris converſione cum ſacramento pœnitentiæ ſteterunt, & ſcripſerunt. Illorum teſtimonia referunt Launojus, Carolus ab Aſſumptione, Farvacqueſius, Vitaſſe, Henricus a S. ,, Ignatio, & alii."

Num. 5. Theologos, quorum plurimi eidem Concilio interſuere, recenſet numero quadraginta quatuor, qui uſque ad annum circiter 1600. ſcripſere.

Num. 7. alios ſexdecim numerat, quorum teſtimonia reſcribunt Henricus a S. Ignatio, & Carolus Vitaſſe.

Num. 8. demum ex ultima ætate triginta novem. ,, Hi, inquit, majori ex parte integras diſſertationes omni argumentorum genere refertas adverſus formidoloſam attritionem edidere, & ex inſtituto controverſiam verſarunt.

Præter hos, celeberrimos Cardinales recenſet S. Carolum Borromæum, Sarnanum, Pallavicinum, Le Camus, Bona, Laurea, Aguirium, Denhoffium, Bellarminum, Drolera, Richerium; tum pag. 171. num. 22. inquit: ,, Innumeros Archiepiſcopos, & Epiſcopos recenſere poſſem, qui hanc eamdem doctrinam docent; ,, ſed ne prolixior ſim, eos prætereo.

N. 23. ,, Doctiſſimus Epiſcopus Boſſuetus, poſtquam ,, integro opuſculo de Doct. Conc. Trid. circa dilect. ,, demonſtravit ſententiam noſtram, ſic concludit: *Hæc nos, ſecuti doctiſſimos, ac maximos in Italia, in Gallia, aliiſque provinciis Epiſcopos, Fratribus, & Compresbyteris noſtris, Eccleſiarum rectoribus, aliiſque ibidem verbum, & ſacramenta adminiſtrantibus, epiſcopali reſponſi loco, in manus docenda, & tenenda tradimus. His ab univerſa fraternitate obediri oportere mandamus.* An unus Boſſuetus e Cathedra epiſcopali loquens non præſtat mille Dianis, Sporeriis, Wigandis, La-Croixiis, Tamborinis, Vivis, & his ſimilibus?"

24. ,, Referre quoque poſſem plurimas catecheſes ab ,, Eccleſiis, & Epiſcopis Italiæ, Galliæ, Hiſpaniæ, ,, Germaniæ, Poloniæ, Belgii, in quibus formidoloſæ ,, attritionis inſufficientia declaratur.,,

Hactenus P. Concina, Theologus ſine ulla dubitatione eruditiſſimus, laboris in pervolutandis, ac luſtrandis ſcriptoribus mirifice patiens, & accuratus, veritatis eximius amator, mentiri, & proximum in rebus maxime tanti momenti pro ſua ſolida pietate fallere, neſcius, quidquid contra per ſummam, intolerandamque calumniam, & contumeliam ejus adverſarii blaterare auſi ſint; ac proinde pleniſſime fide in præſenti re, quæ facti res eſt, digniſſimus.

Ex his catalogus La-Croixianus retunditur, & bona ex parte labefactatur.

Et primo quidem quoad Auctores ante Tridentinum fictitius ſaltem magna, aut maxima ex parte ex jam dictis merito habetur. Præterea La-Croix pro ſe nominat Guillelmum Pariſienſem, Gerſonium, S. S. Bernardinum, Antoninum, Bonaventuram, quos Concina pro contraria parte appellat.

Adde, quod ex La-Croix inter ſuos ſunt ,, duo Papæ, ,, ſeptem Cardinales, ſex Epiſcopi, ſpeciatim S. Carolus ,, Borromæus." At S. Carolus Borrom. La-Croixio aperte adverſatur, ut patet ex ejus verbis a P. Concina p. 168. n. 23. recitatis. Ex quo videat lector, quæ fides La-Croixiano Catalogo habenda ſit. Demum diligenter animadverte dictum Sapientiſſimi Pontificis Bened. XIV. non allatum: *Verum qui inter iſtos doctiores, & ſapientiores habentur, pavidi quodammodo, & meticuloſi, ac magna cum cautela illi recenti opinioni ſubſcripſerunt, quam ipſemet Canus nonniſi dubitanter adſtruxerat.* Hinc infer, eſſe aperte falſum, & tam magnis indicatis nominibus inſigniter injurioſum, quod opinio formidoloſæ attritionis ſit indubitata, abſolute certa, certa in praxi, certiſſima, inter fidei dogmata numeranda, uti eam appellare nonnulli recentes opinatores auſi ſunt teſte La-Croixio p. 312. nu. 873., cui *videtur eſſe practice certa*. Sed ipſe quoque longe fallitur: opinio eſt, nihilque amplius; & quia opinio, nihilque amplius, periculoſa eſt. Hinc Clerus Gallicanus anno 1700. verbis paulo ante deſcriptis ait: *Alterum, ne quis putet, in utroque Sacramento*, baptiſmi, & pœnitentiæ, *ſecurum ſe eſſe, ſi præter fidei, & ſpei actus non incipiat diligere Deum, tanquam, omnis juſtitiæ fontem.* Mox ſubdit: *Placet etiam caveri a Sacramenti pœnitentiæ adminiſtris, ne in hoc pœnitentiæ Sacramento, aliiſque Sacramentis conferendis ſequantur opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore; neve pœnitentes ipſorum fidei animam ſuam committentes admonere ceſſent, ut in pœnitendo, inchoatæ ſaltem dilectionis Dei ineant viam, quæ ſola ſecura ſit, graviter peccaturi in hoc ſalutis diſcrimine vel eo ſolo, quod certis incerta præponant.* Mirum eſt, quod tam verendis, ac maturis declarationibus recentes opinatores repugnare fidenter audeant. Res quidem adhuc indefinita eſt a ſupremo Eccleſiæ Tribunali: *il che rimane ancora indeciſo dalla S. Sede*, inquit Bened. XIII. in append. ad Conc. Romanum p. 195. §. 29. *adhuc ſub Judice lis eſt*, ait Bened. XIV. de Syn. diœc. lib. 7. cap. 13. n. 9. hac de re loquentes. Sed hoc ipſo, quod res non eſt certa, graviter peccatur in hoc ſalutis diſcrimine vel eo ſolo, quod certis incerta præponantur.

Revocemos hic in memoriam prop. 1. ab Innoc. XI. proſcriptam, quæ ita habet. *Non eſt illicitum in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, niſi &c.*

Bulemb., & La-Croixii opinio, eſt opinio probabilis de valore Sacramenti: ergo illicitum eſt eam ſequi, relicta oppoſita tutiore.

Hæc breviſſima ratio non ſolum validiſſima, ſed ineluctabilis eſt.

La-Croixius hujus rationis vim ſe eludere non poſſe fatetur, niſi dicat, & ponat, ſuam opinionem eſſe non ſolum probabiliorem, & probabiliſſimam, ſed practice certam n. 874. At hæc ejus aſſertio, & poſitio eſt certo, & evidenter falſa. An ea opinio poteſt eſſe practice certa, quam ejus patroni habiti ſapientiores, & doctiores pavide, meticuloſe, & cum magna cautela teſte Bened. XIV. amplexi ſunt, cujuſque oppoſita ante Synodum Trid. communiter propugnabatur? An practice certa eſſe poteſt opinio, quam qui a Synodo Tridentina definitam dicere auſi ſunt, graviſſima, & formidanda cenſura, veluti infami nota a Clero Gallicano inuſti ſunt? Cujus contrariam defenſarunt undeviginti Epiſcopi Concilii Tridentini; Theologique plurimi, qui eidem ſacro Concilio interfuerunt, aliique ferme innumeri,

quorum

quorum plures integris diſſertationibus ſolidiſſimis eam propugnarunt? Ea ne opinio practice certa eſſe poteſt, cui adverſati ſunt non pauci celeberrimi Cardinales, ac ipſe S. Carolus Borromæus, innumerique Archiepiſcopi, & Epiſcopi, cujuſque rationes præcipuas nullius ponderis eſſe, jam oſtendimus? Qua fronte La-Croixius aſſerere audet, ſuam opinionem eſſe practice certam contra expreſſam ſententiam mox adductam Cleri Gallicani? Quia, inquit, ſi non eſſet practice certa, contineretur in prop. 1. ab Innoc. XI. proſcripta: atqui hæc damnatione non continetur: cur non continetur? En La-Croixii ratio, „ Nam Martinus de Eſparza, unus ex Theologis Romanis, qui juſſu Innoc. XI. „ cum aliis Conſultoribus interfuit examini prop. damnatarum, Romæ 6. April. 1680. in Belgium ſcripſit „ in hæc verba: *Nulla quiſquam ſollicitudine concuti debet circa ſufficientiam attritionis in confeſſione propter prohibitionem 1. prop. ex 65. Ea propoſitio fuit reprobata propter ſuam illimitatam amplitudinem, & univerſalitatem, cum indiſtinctione ſpeculative tantum probabilis a probabili etiam practice, & rurſum probabilis utcumque a moraliter certa, aut etiam plus quam moraliter certa: ſententia autem de ſufficientia attritionis eſt practice probabilis, & moraliter certa, atque, ut ego puto, plus etiam quam moraliter certa. Accedit apud Cenſores prædictarum propoſitionum fuiſſe in terminis propriis de ſufficientia attritionis, atque ex conſenſu omnium, qui aderamus, ſententiam communem manſiſſe incolumem.*

Reſp. Præclara ſane La-Croixii argumentatio! Opinio attritionis eſt practice certa, quia non continetur in prop. 1. ab Innoc. XI. damnata. Non continetur in prop. 1. ab Innoc. XI. damnata, quia teſte Martino de Eſparza eſt moraliter certa. Hic eſt circulus La-Croixianus. Hic neceſſe eſt, ut multis experimentis edoctus fatear, tam nobis eſſe cum adverſariis naſcere omnia paratiſſimis, ut ſuas opiniones defendant; cujus tamen dicti litterarius orbis judex ſit. Verum hac de re hactenus. Qui enim pleníus informari cupit, tum alios, puta Genettum, Nat. Alex. &c., tum præſertim Concinam, qui eam eruditiſſime, accurate, & ſolide more ſuo tractat, & adverſariorum conatus retundit, locis citatis legat.

Sed cum prolixioris ſcriptionis, & adverſariorum ſophiſmatum tædio fatigatus calamum ponere cupiebam, P. Zacharia id prohibet, meque ſuo imperio in arenam ſevocat; cui parendum eſt.

P. Concina Theol. t. 9. p. 200. §. 2. allatum La-Croixii, & Martini Eſparza reſponſum refert, ac fuſe acriterque refellit. Hanc refutationem P. Zacharia ferre non potuit, nec tamen convellere aptus eſt, ideoque minutis, ac futilibus annotatiunculis vellicare conatur.

P. Concina ex enarrata P. Martini Eſparza epiſtola colligit, doctos Belgas animo fuiſſe concuſſos ex damnatione 1. theſis citatæ, ratumque habuiſſe in eadem concuſſam fuiſſe ſententiam attritionis ſervilis, eorumque afflictionem perpendit. Zachariæ, ut ejus in Concinam contumelias, quæ laudis loco habendæ ſunt, reticeam, hic ait, „ Neque evidens eſſe, Belgas fuiſſe concuſſos; „ potuit enim Eſparza ipſe timere, ne Belgæ ſui, damnatione illius propoſitionis concuterentur, quin re„ vera fuerint concuſſi, nec tam concuſſos ſolari, ut „ exiſtimat Concina, quam in anteceſſum monere, ne „ forte concuterentur. “ Quorſum hæc? Seu Belgæ concuſſi fuerint, ſeu Eſparza timuerit, ne concuterentur, quoad rem præſentem perinde eſt. Ceterum ſi Eſparza non crederet concuſſos, ſed monet, ne concutiantur, cur ſuam epiſtolam ad Belgas mittit poſt annum, & amplius a damnata theſi? Cur timet, ubi timendum non eſt? Cur ſolatur, qui nullo mærore afficiantur? Cur monet, qui monitione non indigent? An in tam minutis, ineptiſque criminatiunculis immorari operæ pretium eſt? „ Neque, pergit Zach., etſi concuſſi ſunt, „ quidquam peccaſſe Belgas in apoſtolicam Sedem: non „ enim concutiebantur illi dolore, quod aberrationes „ ſuæ patefactæ fuiſſent, “ (ipſa epiſtola Eſparza, & facta poſteriora cauſam mæroris Belgarum probabilium ſatis patefaciunt) „ ſed ſollicitudine, quid ſibi revera „ agendum eſſet poſt eam damnationem, ac dubio, num „ ſententia ſua de attritione, illius theſis damnatione „ eſſet fortaſſis comprehenſa. “ Poſt eam damnationem ſuam theſim revocare, & ab ejus uſu abſtinere debuerant; quia non dubium, ſed evidens eſt, eam in prop. 1. damnatione contineri. „ Id enim vero reverentis potius animi eſt in Apoſtolicam Sedem ſollicite exquirere, quid ab ea damnatum fuerit, ne ab ejus ſanctionibus vel latum unguem diſcedas. “ Ita ſcilicet facere ſolent probabiles, qui evidentes apoſtolicas ſanctiones in ſua ſenſa extorquent, ne ab iis diſcedere vel latum unguem videantur. Quod dictum profero non aſſerendo, ſed litterarii orbis judicio ſubmittendo.

P. Concina p. 201. n. 2. ita loquitur. „ Facti quoque „ falſitas manifeſta eſt, quod adjicit Eſparza, damnatam eſſe propoſitionem propter ſuam illimitatam amplitudinem, & univerſalitatem. Qua bona fide hoc „ dici poteſt, ſi propoſitio limitatiſſima eſt? Certo in „ prop. ſunt clauſulæ iſtæ reſtringentes, *niſi id vetet* „ *lex, conventio* &c.

„ Legatur Sanch. lib. 1. cap. 9. n. 33., & alii Auctores damnatæ theſis, in quibus limitata, & reſtricta eſt.“

At P. Zacharia auctores damnatæ theſis nec legere, nec reprehendere in animo habet; ſed res illi eſt cum P. Concina damnatarum theſium Auctores acerrime impugnante. Itaque contra illum ita exclamat: „ Diſperam, ſi magis ridicularia effutire poſſit, qui dialecticam a limine ſalutavit. Sunt in ea propoſitione clauſulæ aliquæ reſtringentes; ſed tamen poteſt propoſitio dici illimitata reſpectu alterius clauſulæ prætermiſſæ. Enimvero non de quacumque illimitatione, „ & univerſalitate loquitur Eſparza, ſed contracta ad „ indiſtinctionem ſpeculative tantum probabilis a probabili etiam practice &c.

Reſpond. Abſtine, quæſo P. Zach., a malis imprecationibus: vive, & vive non ad confirmandum, ſed deponendum animum in blaterandis tam exilibus annotatiunculis minime dignis, quæ a Theologo in Theologum præſertim graviſſimum ſcriptitentur. P. Eſparza dicit, propoſitionem fuiſſe damnatam duplici ex capite. Primo propter ſuam illimitatam amplitudinem, & univerſalitatem: ſecundo, quia eſt cum indiſtinctione ſpeculative tantum probabilis a probabili etiam practice &c.

P. Concina utrumque refellit, ſed ordine inverſo; quia enim hoc alterum majoris momenti eſt, primo loco refutatur, tum quod eſt minoris momenti.

P. Zacharia alterum reticet, alterum memorat, vel quia ex inſcitia utrumque confundit, vel ut imperitos doloſe decipiat.

P. Concina eodem n. 2. ait: „ Quid quod P. La-„ Croix, & P. Eſparza mutuis antilogiis ſemetipſos penitus jugulant? P. La Croix ait patenter: Sententia „ noſtra ſi eſſet *tantum probabilior, aut etiam probabiliſſima, contineretur damnatione 1. propoſ. per Innoc.* „ *XI.* Hæc La-Croixius. Contra P. Eſparza in teſtimonio producto ab ipſo La-Croixio aſſerit, propoſitionem eſſe damnatam, quia eſt *cum indiſtinctione ſpeculative tantum probabilis a probabili etiam practice ....* „ Non puto, in univerſo Probabiliſmo inveniri poſſe „ diſtinctionculam aptam ad conciliandas hujuſmodi contradictiones, & verborum prælia.“

Hanc diſtinctiunculam invenit, aut inveniſſe ſibi viſus eſt P. Zacharia, qui hac de re ita loquitur. „ Mi„ tor, eum, qui 12. Chriſt. Theologiæ tomos in vulgus emiſit, docendum eſſe, probabilitatem practicam „ non certam eſſe, ac determinatam, ſed vagam, & „ juxta diverſitatem materiarum diverſam. Itaque in „ ſubjecta materia probabilis practica ſententia non eſt „ tantum probabilior, aut probabiliſſima, ſed moraliter „ certa. Itaque nullæ Eſparzam inter, & Auctorem „ noſtrum antilogiæ.

Reſp. Permittamus non doctrinæ, ſed animo Zachariæ, ut cathedram erigat, & P. Concinam doceat.

Sed ab eo ſcire velim, ex quo dictionario didicerit, probabilitatem practicam diverſo ſenſu accipi pro materiarum diverſitate. An divini eſſe debent, qui probabiles opinatores legunt, ut vocum, quibus utuntur, ſenſum aſſequantur? Illud equidem ſcio, probabiles eſſe non ſolum vagos, ſed ſibi contrarios, & contradictoria loqui, & probare. Illud novi, eorum aſſeclas facile intelligere voces ſuorum, quocumque modo ea accipiant. At qui iis adverſantur, in eorum doctrina, & ſenſibus reconditis intelligendis peregrini ſunt. Cum ab adverſariis exagitati, non habent, quo ſe recipiant, novas vocabulorum ſignificationes demum comminiſcuntur, ut in novas latebras confugiant. Explicet nobis Zacharias diverſos illos ſenſus, quibus probabilitas practica pro materiarum diverſitate accipienda ſit. Quod ſi quid fidenter, & ex cathedra affirmet ſine ratione, ſine explicatione, nobis permittat, ut ne dienum quidem putemus, qui audiatur. Quis unquam audivit, aut legit, ſententiam practice probabilem in aliqua materia non eſſe tantum probabiliorem, aut probabiliſſimam, ſed moraliter certam? Legat Zacharia ipſum Eſparza loco ipſo hic citato, unde intelliget, ſententiam practice probabilem aliud ſonare, ac ſententiam moraliter certam; atque ab hujuſmodi inauditis paradoxis abſtineat, ſi dignum ſe velit oſtendere, qui refellatur.

Eſparza epiſtolam ita concludit: *Accedit apud cenſores* &c.

Hic Zacharia ita inquit: „ Ad hæc, in quibus vis „ ſita potiſſimum eſt Eſparziani teſtimonii, nihil addit „ Concina.“

Reſp.

Reſp. Mirificus ſane eſt P. Zacharia, qui aut P. Concinam, quem impugnat, non legerit, aut in ipſis publicis typis aperte mentiri audeat. P. Concina p. 203. nu. 5. ait: „ Si, ut narrat P. Eſparza, Conſultoribus „ perſuaſum erat, attritionem ſervilem non eſſe in theſi „ contentam; cur non curarunt, ut aliqua declaratio „ adjiceretur, cum theſis juxta obvium ſenſum ita cla- „ re includat attritionem ſervilem ex decreto Alexan- „ drino * ſola probabilitate fultam, ut concuſſerit do- „ ctores Belgas ejuſdem patronos? Quid? Romana Se- „ des univerſæ Eccleſiæ ſua proponit decreta, quæ per- „ petuo veritatem retinendam, & falſitatem cavendam „ declarant; & homines privati ſcribere ad provincias „ audent, non eſſe juxta obvium ſenſum intelligenda, „ ut concoſſos erigant, afflictoſque conſolentur? Sic „ ſcriptum fuit de conſtitutionibus Sixtinis, Pianis, Cle- „ mentinis, aliiſque plurimis, quas infra de confeſſione „ epiſtolari indicabo. Theſis damnata juxta obvium „ ſenſum, licitum uſum probabilitatis practicæ defende- „ bat; quia, ut dixi, omnes probabiliſtæ ad quamli- „ bet actionem honeſtam hic & nunc peragendam, ne- „ dum in Sacramentis perficiendis probabilitatem pra- „ cticam, dictamen practicum poſtularunt. Decretum „ autem pontificium, exterminatum a ſe ſacramenta- „ lia definivit probabiliſſimum ſive practicum, ſive ſpe- „ culativum, & tutiorem ſententiam adhibendam im- „ perat. Mera itaque commenta ſunt, quæ nititur „ P. Eſparza, ut aliquo linimento conſulat afflictioni „ Belgarum. “ Nihil ne addidit Concina ad hæc, *Accedit apud cenſores* &c. in quibus vis ſita potiſſimum eſt Eſparziani teſtimonii?

Apoſtolica Sedes immunem quidem reliquit ſententiam de ſufficientia attritionis, ſi ſermo ſit de ſpecifica, & peculiari ejus proſcriptione, non ſolum quo tempore ſcripſit Eſparza, ſed ad hæc uſque noſtra, ut ex teſtimoniis Bened. XIII., & Bened. XIV. ſupra allatis liquidum eſt; at cum illam prop. *Non eſt illicitum* &c. proſcripſit, omnes probabiles propoſitiones de valore Sacramenti, inter quas eſt opinio attritionis ſufficientiam defendens, generice, & univerſe proſcripſit. Hoc adjeci, ut quantum in me eſt, adverſariorum cavillos præoccuparem.

Sed hic iterum audiendus eſt P. Concina p. 204. n. 8., ubi hæc habet. „ Quamvis P. La-Croix nec verbum „ aliud addat, quod decretum pontificium felicius inter- „ pretetur; lubet tamen aliam ejus doctrinam referibe- „ re, quæ omnia a me dicta luculentius confirmat. Hæc „ ergo eodem n. 874. ſcribit. *Quamvis concederemus* „ *ſententiam adverſariorum* (n. 6.) *eſſe probabilem, ta-* „ *men non eſſet obligatio ſequendi eam ſententiam, per* „ *quam adminiſtratio, vel ſuſceptio ſacramenti ſit obno-* „ *xia nimis ſcrupulis, & difficultatibus: atqui per ſen-* „ *tentiam adverſariorum adminiſtratio, & ſuſceptio ſa-* „ *cramenti pœnitentiæ ſit obnoxia nimis ſcrupulis, & dif-* „ *ficultatibus*. Ecce. Licet Rom. Sedes præcipiat, ut in- „ ter opiniones probabiles non probabilior ſed tutior in „ adminiſtrandis Sacramentis adhibeatur, hoc intelligen- „ dum eſt, inquit P. La-Croix, quando adminiſtratio „ Sacramenti, vel ſuſceptio non eſt obnoxia ſcrupulis, „ & difficultatibus: atqui omnis doctrina tutior, quæ „ ab amore mundi, ab affectu illecebrarum ſejungit, „ obnoxia eſt ſcrupulis, & difficultatibus: ergo hac P. „ La-Croix doctrina ſane mirifica eludi poſſunt, ut mi- „ hi apparet, & Rom. Sedis decreta tametſi luculentiſ- „ ſima, & leges omnes, quæ humanas appetitiones co- „ ercent. Nam de omnibus decretis, maxime ſi adver- „ ſentur opinionibus domeſticis, dici poterit, quod ex „ eorum obſervantia oriantur ſcrupuli, & anguſtiæ. „ Verum enim vero ſententia, quæ poſtulat amorem „ Dei initialem, doloremque conceptum ob offenſam „ Deo ſummo bono irrogatam, ſcrupulorum laqueis „ jugulat, & difficultatum torſionibus lacerat fidelium „ conſcientias? Tam crudelis eſt Dei amor, ut hæc „ patiat tormenta?

Itaque Parochorum, & Confeſſariorum eſt, doctrinam de neceſſitate alicujus amoris divini ad rite ſuſcipiendum pœnitentiæ Sacramentum populo tradere, & ad praxim redigere; non quod hæc doctrina ſit omnino certa, ſed quod contraria ſit periculoſa, utpote quæ Sacramentum fruſtrationis, pœnitentes vero æternæ damnationis diſcrimini evidenter objiciat.

Ad pleniorem rei, de qua agimus, notitiam hæc addere neceſſarium duxi, Abelly p. 2. Medullæ theol. cap. 5. de pœnit. ſect. 10. poſtquam timorem naturalem, mundanum, filialem, quorum primus quoad mores adiaphorus eſt, alter malus, tertius optimus, deſcripſit, ſubdit: „ quartus denique eſt timor ſervilis, quo vide- „ licet peccator Deum comminantem, & punientem, “ (gehennæ pœnis) „ ita timet, ut propter pœnam evi- „ tandam, quam tunc præ oculis habet, peccata com- „ miſſa averſetur, & ab illis in futurum cavere propo- „ nat; “ quem timorem bonum & utilem eſſe rectiſſime affirmat, & Scripturarum oraculis, Concilio Trid., & Patribus confirmat; at attritionem ex hoc timore ortam, ſufficientem ad pœnitentiæ ſacramentum diſpoſitionem eſſe, perperam ex dictis pronuntiat; tum ſubjicit. „ Inſtabit aliquis, attritionem ex ſolo ge- „ hennæ metu ortam, nec honeſtam, nec bonam mo- „ raliter eſſe poſſe, cum ſit odium non peccati, ſed „ pœnæ, itaut, ſi nulla eſſet pœna peccato impoſita, „ nulla eſſet quoque peccati deteſtatio. “ Reſpondeo, negando propoſitionem, quæ ſine dubio falſa eſt, ut ex mox dicendis liquebit. Falſum eſt, hanc attritionem non eſſe odium peccati, ſed pœnæ. Eſt enim odium utriuſque: „ At ſi nulla eſſet pœna peccato impoſita, „ nulla eſſet quoque peccati deteſtatio. “ Reſp. id conceditur: Loquimur enim in ſenſu, ut ſchola ait, reduplicativo, hoc eſt ex vi deſcriptæ attritionis: at quid inde? Inde ſcilicet fit, ut, quia æterna pœna peccato impoſita eſt, hanc fugiendo, & deteſtando, peccatum quoque, quod ejus cauſa eſt, fugiat & deteſtetur. Hoc modo ſolvenda mihi videtur objectio, at quid Abelly? „ ad ſolutionem, inquit, hujus inſtantiæ obſervandum „ eſt, duplicem a Theologis diſtingui timorem, ſervi- „ lem unum, quem vocant ſerviliter ſervilem, in quo „ tota ratio tam finalis, quam impulſiva dolendi de „ peccato, aut ab illo abſtinendi, eſt fuga, & odium „ ipſius pœnæ, ita ut quis peccatum fugiat ſolummodo „ ob pœnam, quam evitare cupit, finemque ſuum qua- „ ſi ultimum in illius pœnæ fuga conſtituat. “ Attritionem vero ex hoc timore elicitam *nec honeſtam, nec bonam eſſe moraliter*, concedit. Hic tantiſper immoremur. Nam de altero timore poſt. In quo, quæſo, timor, ut ab eo appellatur, ſerviliter ſervilis, a timore abſolute, ſine ulla additione accepto, & ab eo definito illis verbis initio hujus additionis recitatis, *quartus denique* &c. diſcrepat? Diſcrimen ego nullum video. In iis verbis *quartus denique* &c. Nihil video, niſi timorem pœnæ, & odium peccati propter pœnam vitandam. Finis odii peccati, & cauſa impulſiva, ſeu movens hujus odii, nulla alia aſſignatur, niſi pœnæ odium & fuga. Quod ſi timorem abſolute, & ſine addito ſervilem, bonum, & utilem eſſe dixit, & evicit, uti ſeipſa eſt; cur timorem ſerviliter ſervilem, qui reipſa idem eſt, & ſolo nomine ab eo differt, & attritionem ex eo elicitam *nec honeſtam, nec bonam eſſe moraliter*, concedit? An nominum mutatio, rerum naturam mutat, ut quæ ſub certo nomine bona erat, eo mutato evadat non bona? Timor abſolute, & ſine addito ſervilis, ille ipſe eſt, quem Abelly definit: *quartus denique eſt timor ſervilis* &c., & quem mutato nomine in ſerviliter ſervilem deſcripſit illis vocibus: *in quo tota ratio tam finalis, quam impulſiva* &c. *Timor ſervilis*, ait D. Th. 2. 2. q. 7. a. 1. c., *eſt quo quis timet a Deo puniri*, nihilque aliud includit. Timor ſervilis ſolam pœnam timet. Timor ſerviliter ſervilis totam pœnam timet: Ergo idem ſunt. Audiatur D. Auguſtinus, qui hac de re ita loquitur in Pſ. 127. t. 4. col. 1439. n. 7. *Alius non in hac terra pati timet, ſed gehennas timet ..... timent, & continent ſe a peccato. Habent timorem, & per timorem continent ſe a peccato. Timent quidem, ſed non amant juſtitiam* &c., & n. 8. col. 1441. *Ille autem timor nondum caſtus præſentiam* (Judicis), *& pœnas timet. Timore facit quidquid boni facit, non timore amittendi bonum illud, ſed timore patiendi illud malum. Non timet, ne perdat amplexus pulcherrimi ſponſi, ſed timet, ne mittatur in gehennam*. D. Aug. clariſſimis verbis loquitur, atque idem Scholaſticis, & ſubobſcuris verbis dicit, aut dicere mihi videtur Abelly, ubi timorem ſerviliter ſervilem explicare vult, & putat. Quid de hoc timore a D. Aug. deſcripto ſentiendum?

Reſp. abſit, ut dicamus hunc timorem eſſe malum. Sacra Syn. Trid. Seſſ. 6. can. 8. ita definit contra hæreticos. *Si quis dixerit, gehennæ metum per quem ad miſericordiam Dei, de peccatis dolendo, confugimus, vel a peccando abſtinemus, peccatum eſſe, aut peccatores pejores facere, anathema ſit*.

Huc ſpectant propoſitiones Queſnelli 61. 62. a Clemente XI. Bulla *Unigenitus* (habetur apud Concinam Theol. app. t. 1. pag. 46.) proſcriptæ, quæ ita ſonant. *Timor nonniſi manum cohibet, cor autem tamdiu peccato addicitur, quamdiu ab amore juſtitiæ non ducitur. Qui a malo non abſtinet, niſi timore pœnæ, illud committit in corde ſuo, & jam eſt reus in corde ſuo*. Has duas propoſitiones probare videtur Abelly ſuis dictis.

Adde, quid hic timor, & dolor peccati inde profectus, non

* Hoc decretum habetur apud Concinam t. 9. cit. pag. 83. diſſ. 1. lib. 1. §. 11.

non ſolum non eſt malus, ſed ne adiaphorus quidem eſt, uti eſt timor naturalis, quo homo malum naturæ contrarium, uti eſt dolor, ægritudo, mors, refugit, at bonus, & utilis eſt.

Hujus timoris *cauſa* ex D. Th. 2. 2. q. 7. a. 1. cit. *eſt fides informis*. Actus fidei informis, credo, eſſe Deum Patrem, credo, eſſe Trinitatem, gehennam &c., nonne ſine dubio actus boni ſunt, & utiles? Multo ergo magis boni ſunt, & utiles, ſi ex hujuſmodi actibus gehennæ timor, & peccati dolor oriantur. Hinc D. Auguſtinus verbis mox recitatis ſubjicit: *Bonus eſt iſte timor, utilis eſt*. Quis hac de re dubitare poteſt, cum Chriſtus Matth. 10. v. 28. contra malorum hujus vitæ timorem nos animans, ad timorem, de quo loquimur, nos hortetur & excitet? *Et nolite timere eos*, inquit, *qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere; ſed potius timete eum, qui poteſt & animam, & corpus perdere in gehennam*. De hoc timore, & dolore inde orto Syn. Trid. Seſſ. 14. cap. 4. ita loquitur. *Illam vero contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu communiter concipitur, ſi voluntatem peccandi excludat cum ſpe veniæ, declarat, non ſolum non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, verum etiam donum Dei eſſe, & Spiritus ſancti impulſum non adhuc quidem inhabitantis, ſed tantum moventis, quo pœnitens adjutus viam ſibi ad juſtitiam parat*. At inquit Abelly, timor ſerviliter ſervilis *nihil prorſus de Deo, illiuſque fruitione curat*. Ergo non eſt bonus. Reſp. non curat, ut Scholæ terminis utar, negative, hoc eſt non includit ullum prorſus amorem Dei, aut fruitionis illius, concedo. Hoc explicate docuit D. Aug., ubi ait: *non amant juſtitiam, non timore amittendi bonum illud, non timet, ne perdat amplexus pulcherrimi Sponſi*; & nihilominus *bonus eſt & utilis* ex eodem S. Doctore. Non eſt bonus, & utilis, quatenus non includit amorem Dei, & fruitionis illius deſiderium: ſub hoc aſpectu, ſeu, ſi vis, negatione non eſt bonus, & utilis; ſed bonus, & utilis eſt, quatenus gehennam, ſeu inferni pœnas timet, & odit, eaſque timendo, & odiendo peccatum deteſtatur, & fugit. Quod ſi quis forte inferni pœnas timendo, peccatum averſaretur, ita tamen ut poſitive *nihil prorſus de Deo, illiuſque fruitione curaret*, hoc eſt, animo, & voluntate foret paratus peccare, ſi infernus non eſſet, hic certe peccaret; nec de hujuſmodi hominis timore, & dolore in præſenti ſermo eſt; ſed de eo, qui, ut ait Syn. Trid., voluntatem peccandi excludit.

Veniamus nunc „ ad alterum (timorem), quem vocant „ timorem ſimpliciter ſervilem, in quo pœnæ odium, illi„ uſque fuga homini a peccati voluntatem ſuam avertenti „ non eſt ultimus finis, ſed tantum proximus, ita ut „ non ſiſtat ſe in ſimplici fuga pœnarum æternarum, „ ſed hunc illarum metum ſaltem virtualiter, & interpretative ad æternæ vitæ deſiderium, & amorem „ Dei imperfectum referat, quatenus ſcilicet ex tali me„ to movetur ad dolendum de peccato, vel ad bene „ operandum, tum ne pœnam æternam patiatur, tum „ etiam ne bono æterno privetur, Deumque ſibi ira„ tum & infenſum habeat, in quo præſertim differt a „ timore ſerviliter ſervili, qui nihil prorſus de Deo, „ illiuſque fruitione curat. “ Hoc poſito „ conceditur, „ inquit, attritionem ex timore ſerviliter ſervili elici„ tam nec honeſtam, nec bonam eſſe moraliter; nega„ tur vero, attritionem ex timore ſimpliciter ſervili eli„ citam vitioſam eſſe, aut inſufficientem (ad pœnitentiæ Sacramentum); „ cum habeat omnes conditiones a „ Concilio Tridentino requiſitas. “ Hactenus ille. At quid hic dicendum? Reſp. de timore ſerviliter ſervili dictum jam eſt. Quod attinet ad timorem ſimpliciter ſervilem, recte ait Abelly, eum, qui de peccato dolet, ne *pœnam æternam patiatur*, ex timore ſervili dolere, ut ex jam dictis liquet; at non recta illud addit, „ tum etiam ne bono æterno privetur, Deumque ſibi „ iratum, & infenſum habeat. “ Qui enim hoc altero modo de peccato dolet, non ex ſervili, ſed ex filiali timore, quem S. Aug. timorem caſtum appellat, dolet. Timor enim filialis ex D. Th. 2. 2. q. 7. a. 1. eſt, *quo quis timet ſeparari a Deo, vel quo quis refugit ſe Deo comparare, reverendo ipſum*. Separari a Deo, & bono æterno privari, idem ſonant, & ſunt: ergo qui dolet de peccato, ne bono æterno privetur, ex filiali timore dolet. Hinc D. Aug. poſt verba ſupra deſcripta n. 7. *timent quidem, ſed non amant juſtitiam*, ſubdit: *Cum autem per timorem continent ſe a peccato, fit conſuetudo juſtitiæ, & incipit quod durum erat amari, & dulceſcit Deus; & jam incipit homo propterea juſte vivere, non quia timet pœnas, ſed quia amat æternitatem. Excluſus eſt ergo timor*, (non caſtus) *ſed ſucceſſit timor caſtus*; & n. 9. ait. *Si Deus veniens, voce propria loqueretur nobis*, (*quamquam non taceat loqui per litteras ſuas*) *& diceret homini..... abundent tibi omnia iſta terrena, quæ concupiſti, & vive in illis non uſque ad tempus, ſed ſemper; faciem tantum meam nunquam videbis. Fratres mei unde ingemuiſtis, niſi quia jam natus eſt timor caſtus permanens in ſæculum ſæculi?.... fleret quidem, & gemeret timor caſtus, & diceret, imo tollantur omnia, & faciem tuam videam. Timor caſtus exclamaret de pſalmo, & diceret*, Pſalm. 79. 8. Deus virtutum converte nos, & oſtende faciem tuam, & ſalvi erimus. *Timor caſtus exclamaret de pſalmis, & diceret*, Pſ. 26. 4. Unam petii a Domino, *vide quomodo ardeat timor iſte caſtus, amor verus, amor ſincerus*, Unam petii a Domino, hanc requiram. *Quid?* ut inhabitem in domo Domini omnes dies vitæ meæ. Eodem ſenſu loquitur multis aliis in locis, ut ſerm. 173. de verbis Ap. cap. 10., enarr. in Pſ. 43. &c. Idem ſentit S. Bernardus ſerm. 8. de diverſis, ubi ait, apud Nat. Alex. Th. t. 1. p. 417. reg. 2. *Nunquid mercenarium eum quis æſtimet, qui paternæ inhiat hæreditati, eamque toto affectu expetit, & expectat, quam nimirum filii mercedem eſſe, non mercenarii, Propheta teſtatur?* „ Cum dederit, „ *inquit*, dilectis ſuis ſomnum, ecce hæreditas Domini, „ filii merces, fructus ventris. “ Hoc idem apud eumdem Natalem eodem loco habet Hugo a S. Victore, qui contra ſentientes ſtultos vocat, illiſque objicientibus, *quomodo mercenarii non ſumus, ſi Deum propter hoc diligimus, ut præmium ab ipſo accipiamus? non eſt gratis hoc amare, neque amor iſte filialis eſt, ſed mercenarii, & ſervi, qui pretium quæris pro ſervitute tua*, reſpondet. *Qui hoc dicunt, virtutem dilectionis non intelligunt. Quid eſt enim diligere, niſi ipſum velle habere? non aliud ab ipſo, ſed ipſum, hoc eſt gratis. Si aliud quæreres ab ipſo, gratis non amares. Nunc autem non aliud quæris pro eo, quod amas, & tamen aliquid quæris, & deſideras in eo ipſo, quod amas. Alioquin non amares, ſi non deſiderares. Sed aliud eſt pro ipſo*, (loco, & vice illius) *aliud in ipſo. Si pro ipſo aliquid amas, mercenarius; ſi in ipſo amas, & ipſum amas, filius es*. His concinunt quæ ſcripſi in cap. 1. tract. 3. lib. 2. Bul. Hinc porro efficitur, ut qui, de peccato dolet, ne æterno bono privetur, ſeu, quod idem eſt, ne a Deo æternum ſeparetur, ne beata viſione careat, ſufficientem diſpoſitionem ad pœnitentiæ Sacramentum afferat; quia talis dolor ex filiali timore, & caritatis amore proficiſcitur. Quod affirmat quoque Nat. Alex. reg. citata niſus auct. D. Aug. ſerm., & enarat. citatis, & S. Bernardi, & Hugonis a S. Victore relatis.

At quid, inquis, ſi quis de peccato doleat, ut dicit Abelly, tum ne pœnam æternam patiatur, tum etiam ne bono æterno privetur, Deumque ſibi iratum, & infenſum habeat? Reſp. ſi hic poſterior dolor ex ſe ſufficit, cur cum priore conjunctus non ſufficiat, maxime cum prior dolor, bonus, & utilis ſit, ut jam oſtendimus? Quare cum Abelly in eo conſentimus, ut dolor, quem ſimpliciter ſervilem nominat, ab eo deſcriptus, ad pœnitentiæ Sacramentum digne ſuſcipiendum ſatis ſit; in eo autem ab eo diſcrepamus, ut dolorem, quem ſimpliciter ſervilem nuncupat, partim ſervilem, partim filialem eſſe dicamus. Eſt ſervilis, quatenus ex odio, & fuga æternæ pœnæ oritur; eſt filialis, quatenus ex amore, & deſiderio æternæ felicitatis exiſtit. Si doctrina Abelly foret communis verſatilium opinatorum, & attritionis defenſorum, res non tam male haberet; quia dolor, quem deſcribunt, & poſtulant, ad pœnitentiam reipſa ſufficit, in eo ſolum reprehendendi, quod Dei amorem minime neceſſarium velint, quem tamen veritatis vi devicti, vel inviti, ſibique contradicentes neceſſarium poſtmodum faciunt.

At hic alicui ſcrupulus forte oboritur, & objicit, timorem filialem cum ſervili non poſſe conjungi; quia timor filialis, ſervilem excludit, dicente D. Aug. n. 7. cit., *alius ergo timor permanet, alius excluditur. Timor, qui excluditur, caſtus non eſt*, (ideſt ſervilis eſt); *qui autem permanet, caſtus eſt*, (ideſt filialis eſt). Tum ſubdit, *excluſus eſt ergo timor* (non caſtus) *a caritate, ſed ſucceſſit timor caſtus*.

Reſp. timor non caſtus, ſeu ſervilis a timore filiali, ſeu caſto ex imperfecta, ſeu inchoata caritate orto non excluditur; excluditur autem, ſi timor filialis a perfecta caritate oriatur. Ita loquitur oraculum Joann. Ep. 1. cap. 4. v. 18. *Timor non eſt in charitate: ſed perfecta charitas foras mittit timorem: quoniam timor pœnam habet; qui autem timet, non eſt perfectus in charitate*; atque ita intelligendus eſt D. Aug., qui hunc eumdem Joannis Ap. textum loco citato affert.

Animadversio X.

Unde peccat graviter, qui etiam ſola venialia... ſine omni formali dolore confitetur.

Nat. Alex. Theol. t. 1. p. 446. reg. 20. ait: „ Peccatum letale non contrahit homo juſtus, qui venia„ lia peccata confitetur, a quorum amore needum ex-

„ peditus eſt, nec de illis vere contritus: præſertim &c." In hac opinione fuiſſe Fabrum Patavinum, refert La-Croix p. 295. nu. 682., eamque rejicit: eamdem quoque refellit P. Concina Theol. t. 9. p. 734. n. 27., quia „ Sacramentum pœnitentiæ exigit verum dolorem, tanquam materiam neceſſariam, ſine qua Sacramentum non fit: ergo profanatur, dum abſolutio, neceſſaria materia deficiente, impertitur." At, inquit Nat., „ inter prodeſſe, & letaliter obeſſe medium intercedit, nec prodeſſe, nec obeſſe, vel etiam parum prodeſſe. Hæc regula non videtur huic quæſtioni quadrare. Nam aut fit Sacramentum, aut ſecus. Si primum, prodeſt. Si ſecundum, obeſt, & quidem letaliter, cum Sacramentum fruſtretur." Ita Concina: irreverentia enim, quæ contra Sacramenti valorem committitur, letale ſacrilegium eſt, contra ac ponere videtur Nat. loco cit., & ponebat Faber Patav. apud La-Croix; Sacramenti enim irritatio ſemper eſt res graviſſima, uti docent Lugo, Arr., & conſentit La-Croix, & ut res ſeipſa loquitur.

Genett. Theol. t. 4. p. 76. 77. q. 7. ait: „ Quod ſi ille, qui confitetur tantum peccata venialia, aliquam diligentiam adhibuit, ad hoc ut verum haberet dolorem illorum peccatorum, ſi conatus ſit illis renuntiare, & reſiſtere perverſæ ſuæ naturæ propenſioni, tunc etiamſi aliqua ſua negligentia de illis peccatis dolorem neceſſarium ad obtinendam abſolutionem non habuit, non tamen ſacrilegium eo ipſo committit." Quod oſtendit teſtimonio D. Bonaventuræ in 4. ſent. d. 17. q. 4. a. 2. ad 4. inquientis: *Ad illud quod objicitur de abſolutione, dicendum, quod nemo recipit effectum, niſi caritatem habeat ſaltem in principio confeſſionis, vel in medio, vel in fine. Multi autem habent in fine, qui tamen non habent in principio; & alii ſe credunt habere in principio, & in fine, qui fortaſſis non habent; & aliqui non habent, nec credunt ſe habere. Primi non incurrunt offenſam, ſe acquirunt gratiam: ſecundi evadunt offenſam, quamvis non acquirant gratiam: tertii vero non acquirunt gratiam, ſed iram.*

Utrum vero neceſſarius ſit dolor non ſolum verus, ſed etiam formalis, & explicitus, ut affirmat Buſemb., & cum eo La-Croix n. 6819., an ſufficiat virtualis, & implicitus in amore Dei incluſus, audiendus eſt D. Thom., qui p. 3. q. 87. a. 1. inquit: *Sicut peccatum mortale remitti non poteſt, quamdiu voluntas peccato adhæret, ita etiam nec peccatum veniale, quia manente cauſa manet effectus. Exigitur autem ad remiſſionem peccati mortalis perfectior pœnitentia, ut ſcilicet homo actualiter* (idem ſonat, ac formaliter) *peccatum mortale commiſſum deteſtetur quantum in ipſo eſt, ut ſcilicet diligentiam adhibeat ad rememorandum ſingula peccata mortalia, ut ſingula deteſtetur. Sed hoc non requiritur ad remiſſionem peccatorum venialium. Non tamen ſufficit habitualis diſplicentia, quæ habetur per habitum caritatis, vel pœnitentiæ virtutis, quia ſic caritas non compateretur peccatum veniale; quod patet eſſe falſum. Unde ſequitur, quod requiratur virtualis quædam diſplicentia, puta cum aliquis hoc modo fertur ſecundum affectum in Deum, & res divinas, ut quidquid ſibi occurreret, quod eum ab hoc motu retardaret, diſpliceret ei, & doleret, ſe commiſiſſe, etiamſi actu de illo non cogitaret.* Idem repetit a. 2. ad 2. his verbis: *Peccatum veniale nunquam remittitur ſine aliquali actu pœnitentiæ virtutis explicito ſcilicet, vel implicito*; idem habet a. 3. ad 1. Si dolor virtualis, ſeu implicitus in amore Dei incluſus, peccata venialia remittit etiam extra Sacramentum pœnitentiæ, multo magis ſufficiens diſpoſitio eſt ad eorumdem remiſſionem in Sacramento pœnitentiæ obtinendam. Hac de re ego quidem dubitare non poſſum; ideoque ne dubitare quidem poſſum de periculo ſacrilegii, quod Buſemb. objicit. Ceterum qui vere juſti ſunt, nec habent, niſi peccata venialia, ſicuti ex habitu, & uſu caritatis, actus divini amoris facile eliciunt, ita quoque de peccatis etiam venialibus facile dolent. Quod ſi de ſuo dolore dubitent, aliquod mortale, aut veniale gravius præteritum confiteantur, ut tutius dolorem concipiant. „ Si revera juſti ſunt, inquit Concina loco cit., non eſt communiter ambigendum, quin dolorem verum, propoſitumque neceſſarium habeant.

Animadversio XI.

Limitat tamen Regin. cum Tamb, niſi doleas propter iſtas, (pœnas temporales) *ut a Deo inflictas vel &c.*

Hanc limitationem probabiliſſimam appellat La-Croix p. 314. n. 884. Ego vero eam falſam puto. Dolor enim de peccatis, ut ſufficiat ad Sacramentum pœnitentiæ, ſupernaturalis ſine dubio eſſe debet, ut fatetur ipſe Buſemb., La-Croix, &c. & patet ex Syn. Trid. ſeſſ. 6. can. 3. Hinc ab Innoc. XI. hæc prop. num. 57. *Probabile eſt, ſufficere attritionem naturalem modo honeſtam*, proſcripta fuit. At dolor de peccatis propter pœnas temporales ut a Deo inflictas, vel infligendas non eſt ſupernaturalis: ergo non ſufficit ad Sacramentum pœnitentiæ.

Probatur aſſumptio. Dolor de peccatis propter pœnas temporales abſolute, & ſine ulla additione, eſt ſine dubio mere naturalis, hoc eſt a ſolis naturæ viribus ortus; ut ſi quis doleat de furto, quia in carcerem conjectus eſt, vel de fornicatione, quia in gallicum morbum incidit. An ſupernaturalis evadit, quia eſt de his pœnis, ut a Deo inflictis? Videlicet ſicuti naturæ lumine notum eſt, Deum exiſtere Sap. 13. v. 5., ita eodem naturæ lumine ſcimus, a Deo pœnas nobis infligi; quia ſcimus, ipſum eſſe cauſam cauſarum, cauſaſque ſecundas ab eo dirigi, & moveri. Unde ergo deſcriptus dolor habet, ut ſit ſupernaturalis? Poteſt eſſe, inquit La-Croix, ſupernaturalis. Sed dum La-Croix ita loquitur, perperam loquitur. Primo, quia ut dolor ad confeſſionem ſufficiat, non ſatis eſt, ut poſſit eſſe ſupernaturalis; ſed reipſa eſſe talis debet. Si poſſet eſſe, & reipſa non ſit ſupernaturalis, eſt damnata propoſitio, quod ſufficiat. Deinde quia id ſine ratione aſſerit. An res ita eſt, quia La-Croix ita loquitur?

Sed hic illud addendum eſt, quod temporales pœnæ a Deo omnes reipſa infliguntur. *Dominus mortificat, & vivificat.* 1. Reg. 2. *Si eſt malum in civitate, quod non fecerit Dominus.* Amos 3. Porro dum pœnæ temporales conſiderantur ut a Deo inflictæ, non doloris, ſed patientiæ cauſa eſſe debent. *Si bona ſuſcepimus de manu Dei, mala quare non ſuſcipiamus?* Job. 2. Quod ſi de pœna temporali a Deo inflicta jure dolere non poſſumus, ne de peccato quidem, quatenus tali pœna afficitur, jure dolemus, cum potius gaudendum ſit, quod peccatum in talem pœnam incurrat. Si dolendum eſſet de peccato, quatenus temporali pœna divinitus afficitur, multo magis de ipſa temporali pœna dolendum foret; quia *propter quod unumquodque tale, & illud magis*: at de ipſa temporali pœna a Deo inflicta dolendum non eſt: ergo de peccato propter temporalem pœnam a Deo inflictam dolendum non eſt. De peccato quidem dolendum, & maxime dolendum, non tamen propter pœnas temporales a Deo inflictas, ſed aliis de cauſis. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus .... ſed potius timete eum, qui poteſt & animam, & corpus perdere in gehennam* Matth. 10. Hanc ſententiam, quam P. Viva a decreti Innocentii XI. damnatione immunem voluit, P. Concina Theol. t. 9. p. 235. n. 9. non probabiliſſimam, ſed improbabilem potius, & falſam appellat, & n. 12. laxiſſimam, ac ita concludit. „ Ceterum ſi ad legitimum tribunal deferatur, nullus dubito, quin ſit ſevera cenſura plectenda. Quoniam & Scripturis divinis, & Patribus, & Tridentino, & gravioribus Theologis adverſatur."

La-Croix hac de re ita loquitur n. 885. „ His tamen non obſtantibus ſententia contraria, (quam probabiliſſimam appellavit, non certam) aliæque ſimiles opiniones ad hoc ſerviunt etiam in ordine ad praxim, non quidem, ut ſecundum illas conferatur, vel ſuſcipiatur Sacramentum (nam hoc damnat Innoc. XI. in 1. propoſ.) ſed ut ſi Sacramentum bona fide ſuſceptum ſit, non ſit opus peccata, vel confeſſiones repetere."

Dum Charibdim vitat, ſponte incidit in Scyllam. Rectiſſime contra Vivam ait, opinionem de dolore peccati propter pœnas a Deo inflictas quoad praxim eſſe in collatione, & ſuſceptione pœnitentiæ repudiandam; quia evidenter includitur in propoſ. 1. ab Innoc. XI. proſcripta; ſed male aſſerit, peccata, vel confeſſiones non eſſe neceſſario repetendas, ſi Sacramentum cum tali dolore bona fide ſuſceptum fuerit. Si cum tali dolore ad confeſſionem accedens, ſine dubitatione ulla peccas ex cit. 1. prop., hoc peccatum in ſubſequenti confeſſione neceſſario aperiendum eſt: ſi hoc neceſſario aperiendum eſt, cur reliqua præteriri poſſunt? An hoc manet in anima, reliqua deleta ſunt? An deleri poſſunt peccata in confeſſione ſacrilega? An confeſſio ſacrilega non eſt, dum abſolutio illicite confertur, & illicite ſuſcipitur? An ſubſequentes confeſſiones integræ ſunt, ſi certum peccatum in anteriori confeſſione admiſſum, & reliqua, quæ deleta non ſunt, prætermittantur? Hæc ſane La-Croixii doctrina valde abſurda, & evidenter falſa merito judicari poteſt.

Probabiliſſimum eſt, inquit, confeſſionem cum tali dolore bona fide peractam valuiſſe. Reſp. Si probabiliſſimum foret, talem confeſſionem valuiſſe, probabiliſſimum eſſet, talem confitentem in ea non peccaſſe: at hoc nec probabiliſſimum, nec probabile eſt, ſed evidenter falſum, ut ipſe La-Croix confeſſus eſt, & patet ex propoſ. 1. Ergo eſt evidenter falſum, talem confeſſionem valuiſſe. Certum eſt, eum ſacrilege abſolvi, qui cum attritione ex metu æternarum pœnarum concepta ſine ullo Dei amore ad Sacramentum accedit; quia contra prohibitionem Innoc. XI. Sacerdos in Sacra-

Google

cramenti adminiſtratione ſequitur opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore: ergo certo certius eſt, eum ſacrilege abſolvi, qui cum ſolo dolore peccati ob pœnas temporales a Deo inflictas, vel infligendas confeſſionem edit.

Animadverſio XII.

Ad attritionem &c. *non requiritur ulla intenſio* &c.

Buſemb. loquitur de attritione ſine ullo benevolo Dei amore; quæ ſententia exploſa jam fuit: multo ergo magis explodenda eſt, ſi attritio omni intenſione careat.

Dolor, qui nullam intenſionem habet, doloris magis privatio, quam dolor eſt; ſicuti calor, qui omni intenſionis gradu caret, non eſt calor, ſed aut frigus, aut tepor.

Buſembau facillimam efficit remiſſionem peccatorum per Sacramentum pœnitentiæ obtinendam; quia ſufficere putat dolorem ſine ullo Dei amore, dolorem conceptum ex pœnis temporalibus a Deo inflictis, dolorem demum omnis intenſionis, & durationis expertem: at Syn. Trid. ſeſſ. 14. c. 2. inquit: *Ad quam tamen novitatem, & integritatem per Sacramentum pœnitentiæ ſine magnis noſtris fletibus, & laboribus, divina id exigente juſtitia, pervenire nequaquam poſſumus; ut merito pœnitentia laborioſus quidam baptiſmus a SS. Patribus dictus fuerit.* Et Ap. ad Hebr. 6. opus recuperandi gratiam poſt baptiſmum amiſſam adeo difficile eſſe ponit, ut illud impoſſibile appellet. Ergo Buſembaum doctrina Trident. Synodo, & Evangelio contraria eſt. Quod ſine maximo labore, & difficultate non fit, animi conatum & vim multam ac intenſam poſtulat, nec momento temporis ordinarie loquendo fit. Pœnitentes remiſſi, & languidi, veri pœnitentes non ſunt, multoque minus, ſi in dolendo vix temporis punctum collocent. Itaque Buſemb. opinamenta eo natura ſua tendunt, ut laxent habenas, & falſas pœnitentias pariant, & foveant.

Animadverſio XIII.

Sed ſufficit unus actus de omnibus ſimul ſumptis, etiam oblitis.

Unus quidem actus ſufficit, ut habet Concina Theol. t. 9. p. 66. n. 7. & colligitur ex Catech. Concil. Trid. p. 2. de Sacram. pœn. n. 29 30 Non tamen ſufficit, ſi ſit ſolum de omnibus mortalibus ſimul ſumptis, non item de ſingulis. Qui omnes mortales culpas ſimul, ſeu collective ſumptas ſummo quidem odio, & dolore proſequitur, non tamen omnes diſtributive, ſeu ſingulas, non verus, ſed fictus pœnitens eſt. Hinc illud Ezech. 18. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, vita vivet*: illud *omnibus* non collective, ut Logici ajunt, ſed diſtributive ſine dubitatione accipiendum eſt. Hoc docet D. Thom. p. 3. q. 87. ar. 1. ubi ait: *Exigitur autem ad remiſſionem peccati mortalis perfectior pœnitentia, ut ſcilicet homo actualiter peccatum mortale commiſſum deteſtetur, quantum in ipſo eſt, ut ſcilicet diligentiam adhibeat ad rememorandum ſingula peccata mortalia, ut ſingula deteſtetur.*

La-Croixius p. 315. n. 898. ait: „ Probabilius videtur „ pro abſolutione a mortalibus requiri propoſitum uni„ verſale impoſterum cavendi omnia mortalia. “

Concina in hunc textum ita loquitur Theol. t. 9. p. 259. n. 10. „ Non probabilius, ſed certum eſt, requiri „ propoſitum univerſale abſtinendi ab omnibus, & ſin„ gulis culpis letalibus. Porro, cum P. La-Croix aſſe„ rat ſolum probabilius videri neceſſarium eſſe propoſi„ tum iſtud, juxta ejuſdem principia ſequitur, proba„ bilem, licet minus, eſſe opinionem contrariam, quæ „ aperte falſa, & laxa eſt, ut mitiſſime loquar. “ Poſt ſubdit: „ Quid juvat aſſerere eſſe probabiliorem illam „ ſententiam, quando juxta P. La-Croix licitum eſt ſe„ qui oppoſitam minus probabilem? “

Hæc P. Concina in La-Croixium opportune monuit, ne lectores ex ejus dictis, & principiis deciperentur; neque Concinæ doctrinam ejus adverſarii reprehendere audent, ſed P. Zach. in cit. La-Croix num. ex ſuo Nocetio evidentis impoſturæ illum falſo damnat. Nonne La-Croix ita loquitur, ut refert Concina? Nonne principia La-Croixii talia ſunt, ut ait Concina? Cur ergo Concina ut impoſtor male traducitur, cum morbo, ſeu veneno remedium opportunum adhibet?

At La-Croix eodem num. ita habet: „ Sententiam „ (docentem non requiri propoſitum illud univerſale) „ non eſſe practice probabilem, recte dicit Gormat „ n. 463. “

Reſp. Si La-Croix ſuam propoſitionem retractavit, bene eſt; nec quidquam aliud aut Concina, aut qui Concinæ honorem contra calumnias merito defendunt, poſtulant.

At principia La-Croixii, cum de valore Sacramenti agitur, non ſunt talia, ut ait Concina.

Reſp. Ergo La-Croix in præſenti materia, in qua de Saeramenti valore agitur; non debuit dicere „ probabi„ lius videtur; “ ſed certum eſt; aut ſaltem monere, oppoſitam ſententiam in præſenti materia locum non habere; quod eum non præſtiterit, locum relinquit judicandi, aut ſuſpicandi, eam quoad praxim ex ſuo ſenſu non eſſe improbandam; præſertim cum n. 874. ſcripſerit, non eſſe obligationem ſequendi ſententiam requirentem aliquem Dei amorem pro præparatione ad abſolutionem, etiamſi foret probabilis; uti mox retuli. Ex quo fit, ut La-Croix quoad praxim non ſemper tutiora, cum de Sacramenti valore agitur, eſſe ſequenda exiſtimet. Sed de his plus quam ſatis.

Animadverſio XIV.

Ubi recte notat, cum actu, quo quis dolet ſe non dolere de peccatis, plerumque conjunctum eſſe &c. *etſi pœnitens* &c.

Quorſum hæc? An eo ſpectant, ut vel pœnitens dolens ſe non dolere de peccatis, ad confeſſionem accedere tuto poſſit, vel ut de confeſſione cum tali dolore peracta nihil dubitet? Alio enim hæc Buſemb. doctrina ſpectare non videtur; neque ipſe ejus uſum indicat. Animadvertendum ergo eſt, eum, qui dolet, ſe non dolere de peccatis, de his poſſe dolere, & non dolere, incertumque propterea eſſe, utrum de illis doleat. In hoc porro dubio undenam ſcire poſſumus, utrum pœnitens de ſuis peccatis doleat, niſi ex ſua ipſius conſcientia? Hæc ſcilicet illi ſecreta ſui cordis prodit, & ut bonos, ita malos animi motus, ſeu actus revelat. Undenam peccator novit, ſe dolere, quod non doleat de peccatis, niſi ex conſcientia, ſeu ex ipſo ſuo animo ſibi eorum conſcio, quæ ipſe agit? * Si animus novit ſe dolere, quod non doleat de peccatis, cur non noſſet, ſe de peccatis dolere, ſi reipſa doleret? Ergo temere, & ex mero arbitrio contra rationem ponimus, peccatorem, qui dolet, ſe non dolere de peccatis, de his dolere, etſi hunc dolorem non dignoſcat. Ex quo fit, ut pœnitens hoc modo affectus ad confeſſionem accedere minime debeat, nec de confeſſione hoc modo peracta tutus eſſe ullo modo poſſit.

Animadverſio XV.

Licet probabiliter ... aliqui dicant, virtuale in contritione univerſali incluſum ſufficere, ſaltem &c.

La-Croix p. 315. n. 893. 94 ait, non ſolum probabile, ſed probabilius eſſe, ad Sacramentum pœnitentiæ ſufficere propoſitum virtuale. At hæc opinatio nec probabilior, nec probabilis eſt, ſed aperte falſa, ut recte monet P. Concina Theol. t. 9. p. 338 n. 15. cui repugnant eo teſte S. Thom., Scotus, Albertus Magnus, Durandus, Cajet., Soto, Cano, Card. Bellarminus, & permulti alii. Ratio eſt, quia illa opinio eſt aperte falſa, quæ cum Synodo Tridentina aperte pugnat: opinio recitata cum Synodo Tridentina aperte pugnat: ergo. Aſſumptin evidens eſt ex verbis Trident. ſeſſ. 14. c. 4. ubi ait: *Contritio eſt animi dolor, ac deteſtatio de peccato commiſſo cum propoſito non peccandi de cetero.* Sacra Syn. ad contritionis naturam duo diſtincta evidenter poſtulat, dolorem, & propoſitum, & ſicuti explicitum dolorem, ita explicitum propoſitum requirit; alioquin fruſtra adderet *cum propoſito* &c. quia propoſitum implicitum in dolore includitur. Idem inculcat, dum ait: *Declarat igitur S. Synodus, hanc contritionem non ſolum ceſſationem a peccato, & vitæ novæ propoſitum, & inchoationem, ſed veteris etiam odium continere, juxta illud* (Ezech. 18.) „ Projicite a vobis omnes iniqui„ tates veſtras, in quibus prævaricati eſtis, & facite „ vobis cor novum, & ſpiritum novum. “ Dum Buſemb., & La-Croix probabilem, & probabiliorem appellant opinionem tam perſpicuis verbia aperte contrariam, injuriam ſacræ Synodo mihi facere videntur, quaſi, dum luculentiſſime loquitur, in alienos nihilominus ſenſus detorqueri poſſit, aut etiam debeat, ne male habeatur opinio illi contraria.

In eo tamen tum Buſemb., tum La-Croix laudandi ſunt, quod ſuam probabilitatem hic deſerant, “ Quia, „ inquit La-Croix num. 895. cum ſententia noſtra non „ ſit certa, Sacramentum exponeretur periculo nullita„ tis. “

At ſaltem, inquies, omiſſio propoſiti expliciti, confeſſioni vim non abrogat, ſi pœnitenti propoſitum in

* 1. Cor. 2. v. 11. dicitur. *Quis enim hominum ſcit, quæ ſunt hominis, niſi Spiritus hominis, qui in ipſo eſt?*

mentem non veniat, quia ſolum cogitat de peccatis præteritis, non de futuris. *Reſp.* Nos de illis loquimur, quæ ordinarie accidunt. Sicuti pœnitens præteritas culpas in memoriam quoad fieri poteſt revocare, eaſque ſingulas deteſtari tenetur; ita de futuris cogitare debet, ut firmum eas vitandi propoſitum eliciat. Hoc ex jure divino a Sacra Syn. cit. neceſſarium eſt. Quod ſi aliquando forte contingat, ut peccator acerbiſſimo ſuarum culparum dolore vehementiſſime confliſtatus, ita totus ſit in earum deteſtatione occupatus, ut de futuris nihil cogitet, nec obligatio propoſiti ejus menti occurrat, nec Buſemb., nec La-Croix, nec ipſe Concina p. 239. n. 18. nec ego ullum ſcrupulum movemus. In hac enim ſpecie, ſi accidat, inadvertentia propoſiti eſt inculpabilis, ejuſque omiſſio contritionis vehementia compenſatur. Hinc Bened. XIII. in app. Conc. Rom. §. 29. ait: *Se non ha almeno il dolore &c, col fermo propoſito almeno implicito &c. certamente, ſe ſi confeſſa, la confeſſione non vale &c.* Propoſitum ergo implicitum aliquando ſufficit.

Buſemb. requirit, ut propoſitum ſit *efficax, ideſt cum quo non poſſit conſiſtere affectus actualis erga aliquod mortale.*

La-Croix p. 325. n. 893. ait, „ ideſt tale, „ut quamdiu exiſtit, cum eo non poſſit componi voluntas „ peccandi.

Dum Buſemb., & La-Croix ita loquuntur, nullam intenſionem, nullamque firmitudinem in propoſito poſtulant, ſicuti nullam intenſionem in contritione requirunt.

Hinc idem La-Croix p. 326. n. 901. ait, „ ſufficere „ deſiderium ſeu volitionem efficacem cavendi omne „ mortale, quam poteſt habere, quamvis ex parte in„ tellectus adſit alius actus, quo judicat, vel etiam „ ex parte voluntatis timor, ne volitio illa deſinat.“ Ubi adverte, propoſitum efficax hic mutari in deſiderium, ſeu volitionem efficacem. Quare juxta La-Croixium ſufficit, ſi pœnitens hunc actum eliciat, *nolo peccare*; quamdiu enim hic actus exiſtit, cum eo componi non poteſt voluntas peccandi. At quid ſi hic actus, *nolo peccare* ſit tepidus, languidus, remiſſus?

Si ſanam doctrinam cupimus, a recentibus opinatoribus recedendum eſt. Genettus Theol. t. 4. p. 55. qu. 19. ait: „ Tertia (contritionis conditio) eſt firmum con„ ſtanſque, ſeu non vacillans novæ vitæ propoſitum, „ hoc eſt non amplius peccandi.“

La-Croix p. 403. n. 1824. ait, „ audiendum non eſſe „ Genettum.“ Sed bona ipſius pace nec ipſe, nec Francolinus, unde hanc ſuam Genetti reprehenſionem, ut advertit Concina Theol. t. 9. p. 257. n. 7. deſumpſit, audiendus eſt.

Doctrina Genetti, quam ſuo calculo confirmat Concina, ac Francolinum, & La-Croix merito redarguit, ex Ap. 2. ad Cor. 7. v. 10. hauſta eſt, ubi ait: *Quæ enim ſecundum Deum triſtitia eſt, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur*, hoc eſt pœnitentiam ſtabilem in ſalutem. Quod ſi quis velit, illud *ſtabilem* cadere ſupra τὸ *ſalutem*, perinde eſt. Nec enim ſtabilis ſalus ab inſtabili pœnitentia oriri poteſt. Quod docuit Genettus, docet etiam Nat. Alex. Theol. t. 2. p. 384. a. 2. n. 3. *Cum firmo propoſito deinceps non peccandi*; & Richardus a S. Victore ab eodem citatus, (p. 300. ar. 3. reg. 1. *Octavo*) qui ait: *Hoc eſt enim vere pœnitere, de præterita prævaricatione dolere cum firmo propoſito confitendi, ſatisfaciendi, & cum omni cautela in poſterum cavendi. In hunc modum pœnitentes merito debent abſolvi; alioquin ſine abſolutione remitti.* Idem tradit S. Carolus Borrom. in admon. ad Confeſſ. num. 18. *Ricercheranno &c. con fermo, e riſoluto propoſito di ſoddisfare al paſſato, ed emendarſi per l'avvenire*; & admon. 38. inquit: *Avvertiſca ancora, che non ſolo non poſſono aſſolvere quelli, che veramente non anno ferma deliberazione di laſciare il peccato mortale, ma nè anco quelli &c.* Idem Bellarminus in Catecheſi, Clem. VIII. juſſu edita, ubi ait: *Seconda condizione, che il peccatore abbia un fermo propoſito di non peccar più.* Idem Catech. Conc. Trident. p. 2. de cont. num. 31. inquiens: *Tertium eſt, ut pœnitens vitæ emendandæ certam, & ſtabilem cogitationem ſuſcipiat*; quod confirmat Ezech. 18. & Joan. 5. & 8. Idem demum Bened. XIII. in app. Concil. Roman. §. 29. p. 196. ubi in formula actus contritionis ait: *Fermamente proponendo col voſtro ſanto ajuto di non offendervi mai più nell'avvenire.* Tum ſubdit: *Se non ha almeno il dolore &c. col fermo propoſito &c. la confeſſione non vale, non riceve il perdono de' peccati.* Idem demum Segnerius citatus hic Animad. XVII. Quare neglectis, & repudiatis Buſemb., La-Croix, Francolino, & ſi qui ſimilia evulgare audent in hac materia ad valorem Sacramenti, cujus rei La-Croix hic obliviſcitur, pertinente, Genetti doctrina laudanda, tradenda, inculcanda eſt, & a Confeſſariis præ oculis ut regula abſolutionem impertiendi, vel negandi ſemper habenda.

Animadversio XVI.

Redire ſæpe cum eodem mortali non eſt certum indicium, deeſſe attritionem.

Ita ſane. Si enim eſſet certum indicium, ſæpe relapſi numquam forent abſolvendi, quod eſt falſum, & a Synodo Tridentina ſeſſ. 14. can. 1. damnatum his verbis: *Si quis dixerit, in catholica Eccleſia pœnitentiam non eſſe vere, & proprie Sacramentum pro fidelibus, quoties poſt baptiſmum in peccata labuntur, ipſi Deo reconciliandis a Chriſto Domino inſtitutum, anathema ſit.* Hinc D. Auguſt. lib. de pœnit. cap. 5. ait: *Multos cæcos, & in diverſo tempore Dominus illuminavit, & multos debiles confirmavit, oſtendens in diverſis illis, eadem ſemper peccata dimitti, ut quem prius ſanavit leproſum, alio tempore illuminaverit cæcum. Ideo enim tot ſalvavit febricitantes, tot languidos, tot claudos, cæcos, & aridos, ne deſperet de ſe peccator. Ideo non ſcribitur, aliquem niſi ſemel ſanaſſe, ut quilibet timeat jungi peccato: medicum ſe vocat, & non ſanis, ſed male habentibus opportunum. Sed qualis hic medicus, qui malum iteratum neſciret curare? Medicorum enim eſt centies infirmum centies curare. Qui ceteris minor eſſet, ſi aliis poſſibilia ignoraret.*

Quare cum S. Greg. hom. 34. in Evang. ait, *Pœnitentia eſt, anteacta peccata deflere, & flenda iterum non committere*, & cum D. Iſidorus lib. 2. de ſummo bono cap. 16. inquit, *Irriſor eſt, & non pœnitens; qui adhuc agit quod pœnitet*; intelligendi ſunt, ut explicat S. Thom. p. 3. q. 84. a. 10. ad 4. ubi ait, *quod pœnitere eſt anteacta peccata deflere, & flenda non committere, ſc. ſimul dum flet, vel actu, vel propoſito. Ille enim eſt irriſor, & non pœnitens, qui ſimul dum pœnitet, agit quod pœnitet, vel proponit iterum ſe facturum, quod geſſit, vel etiam actualiter peccat eodem, vel alio genere peccati. Quod autem aliquis poſtea peccat vel actu, vel propoſito, non excludit, quin prima pœnitentia vera fuerit. Numquam enim veritas prioris actus excluditur per actum contrarium ſubſequentem. Sicut enim vere cucurrit, qui poſtea ſedet; ita vere pœnituit, qui poſtea peccat.*

Magna tamen, inquit Buſ. præſumptio eſt, attritionem (intellige veram) deeſſe, imo etiam defuiſſe; quia ex Ap. mox cit. *quæ ſecundum Deum triſtitia eſt, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur.* Propoſitum firmum & ſtabile ſuos habet effectus, nec ab eo facile receditur, ut in humanis rebus experientia demonſtrat. Præterea licet ſimus valde infirmi, fragiles, inconſtantes, Dei tamen gratia virtutibus ſtipata per Sacramentum rite ſuſceptum nobis infunditur, quæ nos roborat, & confirmat, & auxilia opportuna contra tentationes, & peccata ſubminiſtrat. Quare ſæpe redire ad confeſſionem cum iiſdem mortalibus peccatis ſine ulla emendatione, indicio vehementi eſt, præteritas confeſſiones male fuiſſe peractas ſine dolore, & propoſito, aut cum remiſſo dolore, & languenti propoſito, quod ſufficere perperam dicitur; ideoque in hac prudenti dubitatione præteritæ confeſſiones neceſſario erunt repetendæ, non autem nova abſolutio periculo objicienda.

Item iis sic, qui aliquoties moniti concubinam non ſeparant, aut reſtitutionem non faciunt.

Hic Buſemb. pro fundamento habet, aut habere videtur, prævia admonitione poſſe aliquoties abſolvi eos, qui concubinas habent, etiamſi eas prius non dimiſerint; idemque ponit quoad eos, qui non reſtituunt; in qua poſitione baſilice fallitur.

S. Bernardus ſerm. 1. de Paſc. ait: *Sit vere compunctionis indicium, opportunitatis fuga, ſubtractio occaſionis*: & S. Thom. de Villanova ſerm. in fer. 6. Domin. 4. Quadr. inquit: *Prius ergo vadat, & concubinam a domo pellat, pecuniam alienam reſtituat, contractus uſurarios rumpat, famam proximi læſam, prout poteſt, reſarciat, mercenariorum labores, & pauperum debita ſolvat, offenſo fratri reconcilietur, & veniam petat; & tunc ad Confeſſarium redeat, & abſolvatur. Hunc ordinem ne tranſgrediaris.* Et S. Carolus Borromæus in admonit. ad Confeſſ. n. 39. ita loquitur. *Eſſendo dunque involto il penitente in alcuna di queſte occaſioni, o altre a queſte ſimili*, quæ ex vi ſua homines ad peccandum inducunt, *ſe la detta occaſione è tale, che ſia in eſſere, come tener le concubine, o ſimile, non deve il Confeſſore aſſolverlo, ſe prima attualmente non laſcia l'occaſione. Nelle altre occaſioni*, quæ licet ex natura ſua ad peccatum non inducant, inducere tamen pœnitentem ſolent propter malam ejus conſuetudinem, aut infirmitatem, *come profeſſione di giuochi, ſguardi, converſazioni, geſti &c. ſe non promette di laſciarle; e quando anco prometta, ſe avendo promeſſo altre volte, nondimeno non ſi ſia emendato, differiſca l'aſſoluzione, ſintantochè veda l'emendazione.* Contraria doctrina eſt ipſa propoſ. 61. ab Innoc. XI. damnata, quæ ita habet:

Digitized by Google

bet : *Poteſt aliquando abſolvi, qui in proxima occaſione peccandi verſatur, quam poteſt, & non vult omittere, quin imo directe, & ex propoſito quærit, aut ei ſe ingerit.*

De iis autem, qui reſtituere aliqoid debent, D. Auguſtinus ita loquitur (habetur cauſ. 14. qu. 6. c. 1.) *Si res aliena, propter quam peccatum eſt, cum reddi poſſit, non redditur, non agitur pœnitentia, ſed fingitur. Si autem veraciter agitur, non remittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum.* Ex his poſtremis verbis, *ſi autem veraciter agitur*, intelligitur, veram pœnitentiam peragi poſſe, etiamſi reſtitutio facta non ſit, priuſquam pœnitens ad confeſſionem acceſſerit, ſi videlicet animum retinendi alienum abjecerit, & firmum reſtituendi (idem dic de debitis diſſolvendis) propoſitum ſuſceperit. Hinc Catech. Conc. Trident. p. 2. de conf. n. 78 inquit : *Nemo enim abſolvendus eſt, niſi prius, quæ cujuſcumque fuerint, reſtituere polliceatur ; at quoniam multi ſunt, quibus, etſi prolixe polliceantur, ſe officio ſatisfacturos, tamen certum eſt ac deliberatum numquam promiſſa exſolvere, omnino ii cogendi ſunt, ut reſtituant.* Hinc colligitur, eos eſſe cogendos, ut reſtituant, priuſquam abſolvantur, quorum promiſſio fallax, aut dubia eſt ; eos vero poſſe abſolvi ante reſtitutionem, quos certum ſit, eſſe reſtituturos. Quoniam vero aut raro, aut vix umquam hoc certum eſt, idcirco abſolutioni præmitti reſtitutionem vult S. Thomas de Villanova ſupra cit., & S. Franciſcus Xaverius apud Concinam Theol. t. 9 p. 636. §. 1. Idemque docet D. Carolus Borrom. in admon. n. 47. his verbis : *Non aſſolva innanzi la debita reſtituzione, e ſoddiſfazione quelli, che anno di ciò qualche obbligo, potendo farla, eccettuando quelli, che ſono in grave, e pericoloſa infermità, ai quali però comandi, ed incarichi, che quanto prima ſatiſfacciano*, & n. 45. inquit : *Si guarderà ancora il Confeſſore di aſſolvere quelli, ch' eſercitano contratti nominatamente proibiti, o che altrimenti ſono manifeſtamente illeciti, ſe prima non li reſcindono, e fanno la debita reſtituzione. E ſe i contratti ſono dubbioſi, ſe il penitente darà ſufficiente cauzione di ſtare a quello, che ſarà deciſo, lo potrà aſſolvere, ed ammettere alla comunione.*

Quamquam poſſint eſſe alia ſigna &c.

Hæc loquendi ratio ponit, quædam ſigna veri doloris a Buſembao fuiſſe prius aſſignata, cum tamen nullum aliud ſignum veri doloris aſſignaverit, niſi dimiſſionem concubinæ ; & realem reſtitutionem a pœnitente faciendam, qui aliquoties monitus id non præſtiterit. An forte pœnitens, qui concubinam licet aliquoties monitus nihilominus retinet, aut non reſtituit, abſolvendus eſt, ſi numerus peccatorum fuerit imminutus, aut ſi ipſe omnino aſſerat ſe dolere? Buſemb. hic aut involute, aut male loquitur, quod animadverto, ne quis ex ejus verbis decipiatur.

Pœnitenti aſſerenti, ſe reipſa dolere, ac firmum propoſitum ſe habere vitandi peccata, credendum eſt, ſi facta dictis concordent, hoc eſt ſi priuſquam abſolvatur, fecerit, quæ juxta mox dicta facienda ſunt ; ſecus nulla ei fides habenda eſt. *A fructibus eorum*, inquit Chriſtus, *cognoſcetis eos.*

Præterea celeberrima inſtructio Cardin. Denhoffii ad ſuum Clerum hic attente legenda eſt, in qua ita in rem noſtram habet. * „ Giudicarete, che i voſtri pe-
„ nitenti non anno vero dolore, non oſtante la loro
„ atteſtazione verbale. 1. Quando verranno a confeſ-
„ ſarſi con una certa alterigia, come ſe voleſſero bra-
„ vare il miniſtro di Gesù Criſto, moſtrando impa-
„ zienza, e ſdegno ad ogni domanda, che ſi loro,
„ per riconoſcere lo ſtato delle loro anime. 2. Quan-
„ do racconteranno i loro peccati, come ſe foſſero fat-
„ ti indifferenti, più per ſcarico della memoria, che
„ della coſcienza. 3. Quando confeſſando il peccato,
„ ne daranno la colpa ad altri, ed invece di accuſarſi,
„ ſi ſcuſeranno ad ogni paſſo. 4. Quando trovarete,
„ che a diſegno anno voluto celare qualche peccato
„ mortale, non avendolo ſcoperto, che per l' induſtria
„ del Confeſſore. 5. Quando ricuſeranno fare congrue
„ penitenze nella maniera ſpiegata di ſopra. 6. Quan-
„ do non vorranno abbracciare i mezzi proprj per evi-
„ tare i peccati ; perchè chi non vuole i mezzi, non
„ vuole il fine. 7. Quando ſaranno del numero di quei
„ penitenti, che cercano ſtudioſamente Confeſſori igno-
„ ranti, o indulgenti, voltano, e rivoltano i libri,
„ ſinchè abbiano trovato qualche Autore ſavorevole
„ alla loro cupidigia ; ſimili in ciò agli ammalati, i
„ quali cercaſſero medici o poco eſperti, o che preten-
„ deſſero guarire tutte le malattie colle ſole onzioni. “

Audiendus quoque eſt S. Carolus Borrom. in admonit. n. 38. ubi ita loquitur. „ Si differiſca l' aſſoluzio-
„ ne, ſinchè ſi vede qualche emendazione, a quelli,
„ che quantunque dicano, o promettano di laſciar il
„ peccato, nondimeno il Confeſſore giudica probabil-
„ mente, che non lo laſceranno, come ſono alcuni
„ uomini, ſpecialmente giovani, oziosi, che il più del
„ tempo ſtanno in profeſſione di giuochi, crapole,
„ amori, e peccati carnali, beſtemmie, parole diſone-
„ ſte, mormorazioni, odj, dettazioni, e vengono ſo-
„ lamente gli ultimi giorni di Quareſima a confeſſar-
„ ſi, e quelli, che molti anni hanno perſeverato, e
„ ſono ricaduti nei medeſimi peccati, nè hanno fatta
„ diligenza alcuna d' emendarſi. “

Juxta ſolidiſſimas regulas haſtenus deſcriptas Confeſſarii ſe gerere debent, quidquid aliter ſcriptum in aliis recentibus opinatoribus, ac præſertim in La-Croixio t. 2. p. 402. num. 1820. et. 22. invenerint. Quod ſi plura hanc de re cupiant, conſulere poſſunt P. Concinam Theol. t. 9. p. 619. cap. 4. 5. 6.

Contra quorum . . . , ſententiam docent . . . . . poſſe toties, quoties confitetur, abſolvi, etiamſi nullus appareat profectus.

Hoc ſane nihil aliud eſt, niſi peccatorem ſacrilegis abſolutionibus onerare, ut acerbioribus in damnatione pœnis addicatur. Cur tam abſonum paradoxum proferre auſi ſunt? Qua auctoritate nixi? Commentum hoc novum eſt, ex licentia opinandi profectum. Ejus ratio eſt, „ quod ſine illo profectu poſſit eſſe verum propoſi-
„ tum. “ Reſp. Poteſt ſane eſſe inopinato verus, vehemenſque dolor, verum, vehemenſque propoſitum, nec ſolum dolor remiſſus, & languidum propoſitum, quod Buſemb. cum La Croix falſo putant ſufficere ad legitimam confeſſionem. At quid inde ? An Confeſſarius prudenter judicare poteſt, legitimum dolorem, & propoſitum reipſa adeſſe, quia adeſſe poteſt ? Hæc ne judicia recta, ſana, probanda? Hæc ne judicia in ſacroſancto pœnitentiæ Tribunali, ubi Judex, Chriſti miniſter eſt, probantur? Divinæ miſericordiæ fines definiri non poſſunt ; Deus peccatorem centies, aut millies in eadem, aut etiam longe plura, & graviora ſcelera relapſum ad ſe per veram, non fucatam, qualis a probabilibus deſcribitur, pœnitentiam convertere momento poteſt. Hoc certum eſt. Ergo ne quia Deus hoc facere poteſt, idcirco id fit? Id aliquando fit, ſed raro, aut rariſſime. Recte ne, ac temere judicatur, id factum fuiſſe, quod rariſſime fit, & plerumque, aut fere ſemper non fit ? An Confeſſarius temerario, inconſultoque de pœnitentis diſpoſitione judicio ductus eum rite abſolvit ? Buſemb. id probare non audet ; ſed ſi ne improbare quidem id audet, quid improbare audebit ? An quidquid magni, & audentes opinatores probare non audent, illud improbare audendum non eſt? Hæc ſcilicet doctrina, quam Buſemb. probare non audet, nec tamen improbat, ab Innoc. XI. proſcripta eſt propoſ. 60. quæ ita habet : *Pœnitenti habenti conſuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, aut Eccleſiæ, etſi emendationis ſpes nulla appareat, nec eſt neganda, nec differenda abſolutio, dummodo ore proferat, ſe dolere, & proponere emendationem.*

La-Croix p. 402. n. 1822. inquit : „ Quando recidi-
„ væ in peccatis fiunt ex ſola fragilitate intrinſeca,
„ uti fit in blaſphemiis, odiis, delectationibus moro-
„ ſis, mollitie, recte docent Laym. Fill. Lug. aliique
„ communiter cum Sporer n. 330. ordinarie poſſe to-
„ ties abſolvi, quoties Confeſſarius prudenter judicat,
„ eum ſerio dolere, & proponere inpoſterum emenda-
„ re, quia eſt rite diſpoſitus. “

Ego hic quæro, in quo La-Croixii doctrina a propoſ. 60. damnata differat ? In deſcriptis toties relapſis ulla ne emendationis ſpes apparet ? Quoties abſoluti fuerunt, toties in eadem peccata ſine ulla emendatione lapſi ſunt. Undenam ſperari poteſt, hos inpoſterum ſuos malos mores emendaturos? An quia peccandi conſuetudo profundiores in animo radices egit ? Nam promiſſio non peccandi præteritas quoque abſolutiones præceſſit ſine ullo profectu : abſolutiones quoque ſine ulla emendatione impertitæ, aut projectæ ſæpius fuerunt. La-Croix nullam emendationis futuræ mentionem facit, nec ſpem futuræ emendationis nominat, quam proinde neceſſariam putare non videtur, ut intelligamus, aut ſuſpicemur, eum tacendo in propoſitionem 60. proſcriptam incidiſſe.

Quamquam La-Croixius p. 390. id ſatis aperit, dum n. 1733. ait : „ Ut pœnitens judicetur habere ſincerum
„ dolorem, & propoſitum, non eſt opus ut credatur
„ non relapſurus, quia propoſitum non conſiſtit in
„ hoc, quod pœnitens non ſit amplius peccaturus, ſed
„ in eo, quod habeat talem voluntatem non peccan-
„ di, ut cum ea, quamdiu permanebit, ſtare non poſ-
„ ſit voluntas peccandi : “ quod idem repetit in primo

* Habetur apud Genettum t. 4. p. 53.

ſenti n. 5822. Quare La-Croix ſerium dolorem, & propoſitum haberi poſſe putat ſine ulla emendationis ſpe; ideoque ſine hac ſpe peccatorem relapſum abſolvi poſſe putat contra Eccleſiæ proſcriptionem. Hæc falſa La-Croixii doctrina ex illo ſuo falſo principio orta eſt, quod legitimum, & ſufficientem dolorem putet, quantumvis remiſſus, & languidus ſit, itemque propoſitum ratum eſſe, etiamſi valde tepidum ſit, aut frigidum, dicatque, non eſſe audiendum Generium, qui firmum conſtanſque propoſitum poſtulat. Dum ſcilicet ſanum, ac ſolidum Theologum audire non vult, in propoſitionem 60. damnatam impingit. At Confeſſarii, qui de ſua, ſuorumque pœnitentium ſalute ſolliciti ſunt, tecentes opinatores non audient, ſed ſanos, ſolidoſque Theologos diurna, nocturnaque manu pervolutabunt, ut rectas adminiſtrandæ pœnitentiæ regulas percipiant.

Animadverſio XVII.

Abſolvendi ſunt ii, qui ex officio, domo . . . . . . in quo propinquum peccati periculum imminet, diſcedere nolunt, eo quod &c. parati interim &c.

Occaſiones remoræ peccandi, quamdiu vivimus, vitari non poſſunt. Occaſiones proximæ mortalis peccati ſunt, quæ vel ex vi ſua ad illud inducunt, vel conſitentem in iis perſeverantem, & peccare conſuetum propter malum ejus habitum inducturæ rationabiliter putantur. Priores dici poſſunt occaſiones proximæ abſolute, quia in omnes vim ſuam exerunt: poſteriores appellari poſſunt occaſiones proximæ reſpective, quas Buſemb. propinquas appellat; quia non reſpectu omnium, ſed ſolum aliquorum, vim habent inducendi ad peccatum. Exempla priorum ſunt profeſſio alearum, aut teſſerarum, habere domum paratam, ut alii his ludis vacent, domi retinere, vel quocumque modo habitare cum perſona, quacum peccatur, vel eam pro arbitrio paratam habere ad peccandum, perſeverantie in colloquiis, aſpectibus, familiaritatibus amoris laſcivi. Occaſiones ſecundi generis penes multos ſunt militia, mercatura, Magiſtratus, Advocatorum, Procuratorum officie, & ſimilia. Tota hæc doctrina ex D. Carolo Borr. in admon. ad Conſ. hauſta eſt. Quid ergo de illis dicendum, qui his occaſionibus ſecundi generis involuti ſunt? An probanda Buſembau doctrina? Minime vero, ſed rejicienda eſt, aut non ſine explicatione, & limitatione adhibenda. De his D. Carolus n. 41. ita loquitur. „ Però i tali devono, come dice S. Agoſtino, o laſciare l'eſercizio a loro pericoloſo, o almeno non eſercitarlo ſenza licenza, ed obbedienza d'un buono, ed intelligente Sacerdote, il quale non deve aſſolver l'uomo in tale ſtato, ſe ha opinione ragionevole, che ſia per ritornare ai medeſimi peccati, quando perſeveri nella medeſima occaſione: però deve far prova della ſua emendazione per alcun tempo. “

Illud principium Div. Caroli contra Buſemb. La-Croixium, & alios pro certo habendum eſt, abſolutionem non eſſe impertiendam, niſi Confeſſarius emendationem rationabiliter ſperet. Pœnitentes propinquis peccati occaſionibus involutos, paratos adhibere remedia a Confeſſario prudenter præſcribenda, abſolvi poſſe non inficior, ſi Confeſſarius penſatis omnibus, rationabiliter judicet, eos non eſſe in peccata relapſuros. Sine hac rationabili ſpe abſolvi nequeunt, ut patet etiam ex propoſ. 60. ab Innoc. XI. proſcripta. Quoniam vero hæc ſpes rationabilis aut nunquam habetur, aut nimis incerta eſt, niſi alicujus temporis experimento emendatio fuerit comprobata, idcirco S. Vir pro ſua venerabili prudentia addit: *Però deve far prova della ſua emendazione per alcun tempo*. Ab his regulis nonniſi periculoſe, & temere diſceditur.

At, inquit Buſemb. *diſcedere nolunt, eo quod ſine maxima difficultate non poſſint*, ideoque abſolvendi ſunt. Reſp. Ego ſane ferre non poſſum doctrinas Evangelio repugnantes. Chriſtus enim inquit: *Si oculus tuus dexter ſcandalizat te, erue eum, & projice abs te* &c. *& ſi dextera manus tua ſcandalizat te, abſcide eum, & projice abs te*. Si officium, & negotium non geritur, ſi domus non habitatur ſine peccatu, abrumpendæ ſunt omnes difficultates, & officium, negotium, domus deſerenda ſunt. Ita Chriſtus præcipit. Hinc S. Carolus loco citato ſubdit: „ Ed in queſto è da aprire gli occhi tanto più, quanto che il difetto in queſta parte de' Confeſſori (probabilium opinatorum ſententiis deceptorum) fa, che in quaſi tutte le arti, ed eſercizj regnino molti abuſi, e peccati graviſſimi, ſenza i quali pare queſto, che oggidì molti non ſappiano eſercitare anco le coſe in ſe ſteſſe giuſtiſſime &c. “

At ratio Buſemb. eſt, „ quia occaſio etiam propinqua non neceſſitat ad peccatum, ideoque ſtare poteſt cum propoſito peccata vitandi. “

Reſp. Hæc aſt cavillatio evidens, & valde abſurda. Voluntati, quamdiu homo vivit, neceſſitas inferri non poteſt. Si propoſitum peccata vitandi conciliari poteſt cum occaſione, quæ peccandi neceſſitatem non infert, cum quacumque occaſione conciliari poterit; quia nulla occaſio neceſſitatem peccandi infert.

Occaſio propinqua peccandi conciliari fortaſſe poteſt cum propoſito infirmo, inſtabili, fluctuante, quod Buſ. & La-Croix legitimum, & ſufficiens ad pœnitentiam falſo putant, non cum propoſito intenſo, & firmo non peccandi.

Repete hic verba Card. Denhoffii: „ Giudicherete, che i voſtri penitenti non hanno vero dolore, nonoſtante la loro atteſtazione verbale ... 6. quando non vorranno abbracciare i mezzi propri per evitare i peccati; perchè chi non vuole i mezzi, non vuole il fine. “ Legatur quoque Segnerius ſerm. mor. p. 3. ſerm. 14. ubi ait: „ Sicchè chiunque daddovero ſi pente, abborriſca riſolutamente le colpe sì paſſate, come future, e le abborriſca tutte ſenza eccezione, e le abborriſca non ſolo ſpecolativamente, ma ancora praticamente, impedendole con efficacia. “ Item ſerm. 25. „ Se non fate nel confeſſarvi un fermo proponimento (eit *fermo* contra la Croix &c.) di non ritornare all' occaſione cattive, non vi confeſſate mai bene; mentre ſenza un tal proponimento ſiete ſicuri o di ritornare a peccare, o più veramente di eſſervi già ritornati. “ Sed uterque ſermo integer legendus ab iis eſt, qui verſatilium opinatorum doctrinis hac in re male imbuti ſunt.

Illud alterum Buſemb. ſophiſma, „ Nec refert, quod quis putat, ſe &c. “ jam ſupra præoccupavimus, de quo S. Carolus Borrom. in adm. num. 38. ita loquitur: „ Avvertiſca ancora, che non ſolo non poſſono aſſolvere quelli, che veramente non hanno ferma deliberazione di laſciare il peccato mortale, ma nè anco quelli, che ſebbene dicono di deſiderare di laſciarlo, nondimeno affermano, che gli pare, che non lo laſcieranno; ſe quelli tali non vogliono pigliare quei rimedi, ſenza i quali il Confeſſore giudica, che torneranno al peccato. “

Demum animadverte, Buſemb. opinionem, quam impugnamus, in prop. 61. 62. 63. ab Innoc. XI. proſcriptis includi, ut quilibet vel me tacente intelligere poteſt.

Animadverſio XVIII.

Is, qui nihil cogitans de confeſſione, attritionem elicuit, non referens eam ad ſacramentum, non poteſt ſine novo dolore ad id accedere.

Hactenus recte, & ita ſentit quoque Concina Theol. t. 9. p. 232. qu. 2. At ſubdit Buſemb. *Contrarium tamen videtur docere Card. de Lugo . . . quod non eſt improbabile*.

Hæc vero contraria probabilitas quoad praxim in propoſ. 1. ab Innoc. XI. proſcripta includitur; quia hic agitur de dolore neceſſario ad confeſſionem, hoc eſt de valore ſacramenti. Videndum tamen, ne pœnitentes quoad rem hanc inutiliter torqueantur. Non enim neceſſe eſt ut dolorem actu explicito ad confeſſionem referant, ſed ſatis eſt, ſi doleant, quia confiteri volunt. „ Quoniam eo ipſo, ut recte ait P. Concina, quod quis confiteri velit, doleatque de peccatis, dolor illius reſpectum habet ad confeſſionem. “

Animadverſio XIX.

Imo ſecundum ſententiam ſaltem tutiorem &c. debet antecedere etiam confeſſionem; etſi contrarium &c.

Cum dolor ſit diſpoſitio neceſſaria ad ſacramentum pœnitentiæ, ac veluti ipſius materia; ſacramentum autem, ſeu ſacramenti, forma in abſolutione Confeſſarii ſita ſit, ex natura rei ſatis eſt, ſi abſolutionem antecedat, etſi confeſſionem non antevertat. Hinc Card. Carolus Barberinus in Syn. Sublac. anni 1674. apud Genettum Theol. t. 4. p. 52. Confeſſarium monet, ut, poſtquam pœnitens peccata enumeraverit, introſpecto conſcientiæ illius ſtatu, eum ad contritionem excitet, idemque habet S. Carolus Borr. mox citandus; quod præpoſtere fieret, ſi contritio confeſſionem antecedere neceſſario deberet, nec ſatis tutum eſſet abſolutionem impendere pœnitenti poſt confeſſionem contrito.

Quia tamen periculoſum eſt, dolorem de peccatis poſt confeſſionem differre, idcirco pœnitens, ne fruſtrandæ pœnitentiæ periculo ſeſe objiciat, dolorem confeſſioni præmittere debet. Confeſſarius tamen in tuto eſt, ſi ita ſe gerat, ut præſcribit S. Carolus Borrom. in adm. num. 197. ubi ait: „ Ha però da avvertire il Confeſſore, che quando vede, che i penitenti hanno fatto dal canto loro qualche diligenza per prepararſi e confeſſarſi debitamente, e nondimeno o per l'incapacità loro, o per altro non gli pare, che abbiano la neceſſaria diſpoſizione, deve ſupplire eſſo, procurando d' indurgli

„ alla

„ alla contrizione de' ſuoi peccati, eoo moſtrare la bruttezza della colpa, la gravità di eſſa per eſſer contro „ Dio, l'infinito danno dell'eterna dannazione, che „ per eſſa s' incorre, e con queſto veda d'indurgli, e „ diſporli di modo, che di tutti, e ciaſcun peccato mortale ſia almeno così attrito, che poſſa ſicuramente „ dargli l'aſſoluzione. “ Hic quoque nota illud *di tutti, e ciaſcun peccato mortale* contra Buſemb. mox c. 5. improbatum.

Animadversio XX.

Probabile eſt eum, qui &c. *non teneri elicere novum dolorem.*

Id probabile eſſe, fatetur quoque Concina Theol. t. 9. p. 234. n. 5. non tamen tutum; ideoque ad novam abſolutionem novus dolor a pœnitente afferendus eſt, & a Confeſſario exigendus; quia ubi de ſacramenti valore agitur, tutiora ex neceſſitate eſſe ſequenda, conſtat ex prop. 1. ab Innoc. XI. proſcripta.

Hinc fit, ut, contra ac aſſerit hic Buſ. ex Tambur., moribundus ob inſtans mortis periculum audito uno, alteroque peccato abſolutus, non poſſit, ſi ſuperſtes maneat, auditis reliquis ex vi præcedentis doloris iteratu abſolvi, ſed ad novam contritionem cogendus ſit. Hinc Catech. Rom., cujus una auctoritas ſexcentis fere dixerim probabilibus opinatoribus præferenda eſt, hac de re ita loquitur. *Is enim* (Deus) *cum noſtræ ſalutis cupidiſſimus ſit, nullam moram ad tribuendam nobis veniam interponit, ſed peccatorem paterna caritate complectitur, ſimul atque ille ſe collegerit, & univerſe pecata ſua deteſtatus, quæ deinde alio tempore, ſi facultas erit, ſingula in memoriam reducere, ac deteſtari, animo habeat, ad Dominum ſe converterit.*

Animadversio XXI.

Integritas materialis, ſita in eo, ut &c.

Hoc eodem modo explicatur integritas materialis confeſſionis a La-Croixio p. 317. n. 919. qui addit: „ Formalis tantum eſt, ſi confiteatur aliqua, non tamen „ omnia, quæ memoriæ occurrunt. “ P. Concina Theol. t. 9. p. 283. c. 4. n. 1. rem aliter explicat, ex quo integritas materialis confeſſionis *omnia prorſus peccata commiſſa manifeſtat, quia vel unius oblivio contingat*; formalis vero *omnia peccata, quæ hic & nunc memoriæ occurrunt poſt diligens examen, patefacit*; quæ explicatio ad rem magis accommodata eſt, & terminis explicatis conformior.

Addit La-Croix: „ Integritas ſaltem formalis eſt „ neceſſaria neceſſitate ſacramenti, e contra integritas materialis eſt neceſſaria neceſſitate tantum præ„ cepti. “

Si La-Croix intelligatur, prout hic ſe explicuit, & verba ſonant, baſilice fallitur, & in errorem lapſus eſt. Integritas enim materialis, prout ab ipſo explicatur, & quæ rectius formalis a Concina appellatur, non ſolum eſt neceſſaria neceſſitate præcepti, ſed etiam ſacramenti; immo quia eſt neceſſaria neceſſitate divini præcepti, ideirco neceſſaria quoque eſt neceſſitate ſacramenti, ſeu ad ſacramenti valorem. Id affirmant omnes; & eſt veritas de fide contra Lutherum, ait idem Concina p. cit. n. 2. definita a Synodo Tridentina ſeſſ. 14 cap. 5. his verbis: *Verum, cum univerſa mortalia peccata etiam cogitationis, homines iræ filios, & Dei inimicos reddant, neceſſum eſt omnium etiam veniam cum aperta, & verecunda confeſſione a Deo quærere. Itaque dum omnia, quæ memoriæ occurrunt, peccata Chriſtifideles confiteri ſtudeat, proculdubio omnia divinæ miſericordiæ agnoſcenda exponant. Qui vero ſecus faciunt, & ſcienter aliqua retinent, nihil divinæ bonitati per Sacerdotem remittendum proponunt. Si enim erubeſcat ægrotus vulnus medico detegere, quod ignorat, medicina non curat.*

Animadversio XXII.

Dicitur 2. numerum, *intellige certum, qui ſi non conſtet, dic probabilem, addendo plus minus.* Hactenus recte. *Quod ſi deinde deprehendas, te erraſſe,* (hoc eſt, ſi certum, ac definitum numerum certo deprehendas) *non teneris iterum confiteri, niſi notabiliter fuerit major.*

Idem habet La-Croix p. 318. n. 936. licet p. 317. nu. 922. contrarium ex Averſa docuerit. Ita ſcilicet probabiles opinatores, idque etiam ex inſtituto; quod animadverto, ut, qui veritatem amant, ab iis ſibi caveant, aut non ſine multo examine legant.

Quid ergo? Hanc Buſemb., & La-Croix opinionem a Leandro traditam, qui pro ea plures citat, refert Concina Theol. t. 9. p. 288. nu. 56., quam tamen ipſe non probat. Ratio eſt, quia certum eſt, definitum peccatorum numerum, ſi fieri poſſit, eſſe definite, ex. gr. decies, vigeſies &c. ſine additione, explicandum, non indefinite, ex. gr. decies circiter, vel, quod idem eſt, plus minus; quod ſine dubitatione docet idem La-Croix n. 922. Porro quod fieri debet, & factum non eſt, quia fieri non potuit, faciendum eſt, cum fieri poteſt: ergo qui definitum peccatorum numerum definite non retecravit, quia non potuit, illum definite retegere tenetur, cum poteſt, hoc eſt cum certo deprehendit definitum numerum.

Adde, quod peccata Confeſſario expoſita ut dubia, ut ſi quis ſub dubio dicat, ſe perjurium admiſiſſe, ſi poſtea fuiſſe certa deprehendantur, clavibus neceſſario ſubjicienda ſunt, ut fatetur ipſe La-Croix. Contraria ſententia, quam ſequebatur Pellizarius, ab ejus codice expuncta eſt a ſacra Indicis Congregat. quæ non vult illam tolerare teſte Viva, ut refert Concina p. 337. n. 59. at cum numerus peccatorum indefinite exponitur, numerus definitus ſub dubio exponitur: ergo cum certo innoteſcit, iterum confitendus eſt. La-Croix p. 288. nu. 616. diſcrimen inter duos propoſitos caſus, quod reipſa nullum eſt, aſſignare conatur, remque ſubtilibus, ut ego puto, cavillationibus involvit, in quibus refellendis immorari, & folia implere operæ pretium non exiſtimo.

Integritas confeſſionis, ut contra La-Croixii errorem monui, ad ſacramenti valorem neceſſaria eſt: hinc inde diſputatur, utrum definita explicatio numeri peccatorum indefinite explicatorum, cum numerus definitus menti certo occurrit, neceſſario facienda ſit, hoc eſt utrum ſit neceſſaria ad confeſſionis integritatem: at ex propoſ. 1. ab Innoc. XI. damnata, quæ hic in mente ſemper habenda eſt, cum de valore ſacramenti agitur, probabilia repudianda ſunt, tutiora ſequenda: ergo repudiata probabilitate La-Croix, Buſemb. & aliorum, quam impugnavimus, tuta ſententia P. Concinæ ad praxim regidenda eſt.

Animadversio XXIII.

Dixi 3. Quæ ſpeciem mutant: *Quia, etſi probabile ſit.... etiam eas, quæ notabiliter in eadem ſpecie aggravant ...... eſſe explicandas; contraria tamen ſententia etiam probabilis eſt, & tuta; ſaltem ſi excipias* &c.

Idem ſentit La-Croix, ſicuti colligitur ex iis, quæ hinc inde p. 321. a n. 975. uſque ad num. 979. fuſe diſputat, itaut eo loco nihil aliud præſtare videatur, niſi ut Buſembaum illuſtret. Sed eſto probabiliter utrimque diſputetur; male tamen inde Buſemb. colligit, ſententiam negantem obligationem confitendi circumſtantias notabiliter aggravantes, eſſe tutam; cum contra juxta inconcuſſa ſolidioris Theologiæ principia certum ſit, hujuſmodi ſententiam eſſe periculoſam, nec ſine culpa ad praxim redigi poſſe eo ipſo, quia utrimque probabiliter diſſeritur. In ſententiam affirmantem ipſe La-Croixius pronior eſt, quam præter plurimos Auctores ab eo citatos tuetur Genettus Theol. t. 4. p. 72. q. 3. Natalis Alex. Theol. t. 1. p. 433. a. 6. §. 1., & apud eumdem Dominicus Soto, qui hunc fuiſſe antiquorum Theologorum ſenſum affirmat, Concina Theol. t. 9. p. 302. c. 6., qui hanc rem fuſe tractat. Eamdem ſententiam apud Genettum tradunt, tum Synodi Farfenſis, & Sublacenſis, tum, quod maxime notandum eſt, Synodus provincialis Gneſnenſis annis 1628. a S. Sede expreſſe confirmata, & approbata. Idem docet S. Carolus Borr. in celeberrimis ſæpe citatis admonitionibus ad Confeſſarios, quas Eccleſia Gallicana teſte Natali Alex. Theol. t. 1. p. 500. a. 3. in Comitiis generalibus annorum 1655., 56. 57. probavit, & gallico Idiomate donatas omnibus Galliarum Sacerdotibus tradidit, ut juxta illas pœnitentiæ Sacramentum adminiſtrarent, & Innoc. XII. juſſu ſuo editas voluit: Sanctus inquam Carolus ibi n. 31. inquit: *Per queſta cauſa il Confeſſore dev' eſſere inſtrutto, quali ſianò le circoſtanze, che mutano la ſpecie del peccato, o che grandemente l' aggravano: perocchè queſte due ſorti di circoſtanze neceſſariamente ſi devono eſplicare nella confeſſione.* Idem tradit Catech. Conc. Trid., qui p. 2. de pœnit. num. 47. ait: *Neque vero ſolum peccata gravia narrando explicare oportet, verum etiam illa, quæ unumquodque peccatum circumſtant, & pravitatem valde augent, & minuunt*: tum ſubdit: *Quæ vero gravitatem vel magnopere non augent, ſine crimine omitti poſſunt.*

Videlicet Syn. Trid. ſeſs. 15. c. 5. explicate definivit, circumſtantias peccati ſpeciem mutantes in confeſſione neceſſario eſſe aperiendas; quia ſine earum explicatione peccata ipſa nec a pœnitentibus integre exponuntur, nec Judicibus innoteſcunt, & fieri nequit ut de gravitate criminum recte cenſere poſſint, & pœnam, quam oportet, pro illis, pœnitentibus imponere. Ita loquitur eadem ſacra Syn. At idem accidit, ſi circumſtantiæ notabiliter aggravantes non aperiantur; nec enim inte-

gre,

gre, ſed diminute, & detruncare illud peccatum exponitur, cujus circumſtantia notabiliter aggravans reticetur, ideoque integre Judici non innoteſcit, qui proinde de ejus gravitate recte judicare nequit, nec pœnam congruam imponere. Ego &c.

Enimvero neceſſitas explicandi circumſtantiae peccati ſpeciem mutantes, inde præcipue petitur, ut Confeſſarii, ſicut ſacra Syn. ait, *de gravitate criminum recte cenſere poſſint*: at evidens eſt, Confeſſarios de gravitate criminum recte cenſere non poſſe, ſi pars notabilis eorum gravitatis, hoc eſt circumſtantiæ valde aggravantes non explicentur: ergo hæ circumſtantiæ neceſſario explicandæ ſunt. Accedit, quod circumſtantiæ notabiliter aggravantes, cum ſint quid grave, mortali peccato æquivaleant; ideoque quoad confeſſionem idem de iis judicium ferendum ſit, ac de mortali peccato: ergo ſicuti quodcumque mortale peccatum confitendum neceſſario eſt, ita iſtæ.

Præterea conſuetudo peccati eſt circumſtantia ſolum notabilitar aggravans, non ſpeciem mutans, ut nemo inficiari poteſt: ergo quod de hac dicitur, de reliquis notabilibus circumſtantiis dicendum eſt: at peccati conſuetudo neceſſario confitenda eſt, ſi Confeſſarius de ea interroget. Hinc ab Innocent. XI. damnata eſt ea propoſ. numer. 58. *Non tenemur Confeſſario interroganti fateri peccati alicujus conſuetudinem*: ergo neceſſario aperienda quoque eſt Confeſſario, niſi forte aliunde illi comperta ſit, puta quia pœnitens apud illum confiteri conſuevit, vel ex peccatorum numero, etiamſi Confeſſarius non interroget. Et ratio eſt, quia Confeſſarii interrogatio præceptum non imponit, ſed declarat, & ſupponit. Nec enim Confeſſarius jus habet compellendi pœnitentem, ut ea aperiat, quæ neceſsario aperienda non ſunt.

Quare hac in re, ut in aliis plurimis, non eſt audiendus La-Croix, qui p. 321. num. 968. ait, conſuetudinem peccati per ſe loquendo non eſſe aperiendam: tum quia ejus opinio in propoſ. 58. damnata includitur, ut oſtendi: tum quia ratio, qua nititur, falſa eſt. Ejus ratio eſt, „ quia nemo per ſe loquendo tenetur bis confiteri idem peccatum: peccata autem præterita, per „ quæ eſt cauſata conſuetudo, ſunt antehac confeſſa, „ uti ſupponitur, & peccatum præſens non aggravatur, „ ſed potius minuitur ratione præcedentis conſuetudinis, quæ aliquo modo minuit libertatem: ergo non „ eſt neceſſarium facere mentionem peccatorum præteritorum, vel illius conſuetudinis. “

Reſp. Aſſumptio, ubi ait, *& peccatum præſens non aggravatur* &c. eſt falſa: quia peccatum ex conſuetudine, ſeu ex habitu, quod idem eſt, eſt peccatum ex certa malitia, ut explicate docet Div. Th. 1. 2. qu. 78. art. 2. quod certe gravius eſt, quam peccatum ex infirmitate, ſeu paſſione, ut docet idem S. Th. art. 4. Falſum quoque illud eſt, quod conſuetudo aliquo modo minuat libertatem; quia inclinatio ad malum ex conſuetudine orta, ab ipſa voluntate profecta eſt. Si vera eſſet La-Croixii doctrina, quod conſuetudo minuat peccatum, & voluntarium, male agerent Epiſcopi ſibi reſervantes peccata blaſphemiæ, aut alterius generis ex conſuetudine. Conſule, ſi lubet, epiſtolam a. theologico moralem P. Concinæ adverſus diſſert. in caſus reſervatos Venetæ Diœceſeos.

Tandem quæſtio præſens in eo eſt, utrum explicatio circumſtantiarum peccati malitiam notabilitar aggravantium ſit neceſſaria ad integritatem confeſſionis: at integritas confeſſionis ad ſacramenti valorem pertinet, ut ex definitione Synodi Tridentinæ manifeſtum eſt: ergo quæſtio præſens verſatur in materia ad ſacramenti valorem pertinente: porro eſt prop. 1. ab Innoc. XI. damnata, quod non ſit illicitum in ſacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore ſacramenti, relicta tutiore: ergo, etſi opinio negans in præſenti quæſtione eſſet probabilis, illam tamen licere ſequi, eſt doctrina damnata: quidquid contra male afferat La-Croix p. 322. n. 979. qui talem doctrinam non eſſe in damnatione prop. 1. incluſa aſſerit, ductus ſua erronea opinione Synodi Tridentinæ definitione reprobata, quam hic repetit his verbis: „ Certum enim eſt ad valorem „ non requiri confeſſionem materialiter integram, ſed „ ſufficere integram formaliter: “ quibus terminis *materialiter*, & *formaliter*, alio ſenſu, ac accipi debent, ac ſolent, a La-Croixio acceptis ne decipiatur lector, recolat, quæ initio h. Reſp. Buſ. animadverti.

Sed hic eruditi lectores a me forte quærunt, quid Buſembao, & La-Croixio D. Thomam mihi objicientibus reſpondeam. Reſp. Qui hactenus dicta ſerio perpendunt, quoad rei veritatem, & praxim opus non habent, ut quidquam adjiciam. P. Concina loco cit. Div. Thomæ mentem examinat, & ſententiam negantem obligationem confitendi circumſtantias notabiliter aggravantes ab eo abjudicat. Natalis Alex. loco item cit. hanc ſententiam Sancto Doctori adjudicat, ſed ex Dominico Soto addit, quod, licet D. Thom. cum eſſet junior, (ita enim docuiſſe videtur in lib. ſent.) ita ſenſerit, *fortaſſe in ſumma, quæ ſuum erat poſtremum teſtamentum, ſententiam mutaſſet*; qua de re, ſi ita reipſa ſenſit, dubitandum non eſt, ſi S. Doct. noſtro tempore in tanta veritatis luce viveret, & ſcriberet. Illud hic notatione dignum eſt, quod qui Angelicum Doctorem maxima, ut par eſt, veneratione proſequuntur, & ſectantur, ac defendunt, veritatis vi devicti illum hac in re aut interpretari conentur, aut deſerere cogantur; cum contra qui ab eo maximo veritatis, & ſanæ doctrinæ diſpendio facile diſcedunt, ab eodem hic, ubi neceſſe eſt, nec diſcedere, nec ejus verba aliqua interpretatione ad veritatem accommodata excipere velint. Hujus rei ratio eſt, quod D. Thomæ aſſeclæ veritatem ex animo quærant, eorum adverſarii veritatis ſpecie, ſeu, quod idem eſt, verſatili probabilitate contenti ſint, eique tenaciter non ſine graviſſimo animarum diſpendio adhæreant.

Ex doctrina hactenus confirmata primo efficitur, ut non ſolum conſanguinitatis, ſed etiam affinitatis gradus in inceſtu aperiendi ſint.

2. In odio diuturno non ſolum repetiti odii actus quoad fieri poteſt plus minus, ſed ipſa odii diuturnitas explicanda eſt.

3. Circumſtantia luxuriæ inter Confeſſarium, & pœnitentem admiſſæ confitenda eſt, etiamſi ſollicitationis culpa, & reſpectus ad ſacramentum abſit.

4 Si quis cum puella ſponſaliorum vinculo illigata fornicatus fuerit, ea circumſtantia omitti non poteſt.

5. Si Religioſus ſacris initiatus libidinis peccatum admittat, circumſtantia ordinis ſacri, niſi Confeſſario nota ſit, manifeſtanda eſt.

6. Item circumſtantia tyrocinii Religionis in peccato luxuriæ tum ab ipſo tyrone, tum ab alio, vel alia, quæ cum eo peccaverit, reticeri non poteſt.

7. Virgo, quæ fornicando virginitatis decus amiſit, id explicare in confeſſione tenetur.

8. Dignitas quoque perſonæ, e. g. Parochi, Epiſcopi &c. in libidinis flagitio prodenda eſt.

9. Gubernator, Judex &c. qui furta, & rapinas ex officio impedire tenentur, perſonæ circumſtantiam Confeſſario ignotam aperire debent, ſi rapacitatis, aut furti flagitia commiſerint.

Horum omnium, de quibus ſigillatim agit P. Concina Theol. t. 9. p. 291. cap. 5. generalis ratio eſt; quia enumeratæ circumſtantiæ ex æquo, & ſano judicio peccatum notabiliter aggravant.

Porro, ut de quantitate furti, in quo res clara eſt, nihil dicam, de ſimilibus circumſtantiis, quæ ex prudenti judicio culpam valde augent, idem eſt ſentiendum, & faciendum, ut conſcientia in tuto ſit.

Animadversio XXIV.

Ad id autem ſufficit diligentia mediocris, qualem vir prudens in arduis negotiis adhibet, qualem moraliter loquendo, docti & timorati adhibere ſolent, etiamſi quis putet majore diligentia plura ſe reperturum.

Buſembaum hic ſibi contradicit. Nec enim qui ſuam conſcientiam diligentius perſcrutando putat, ſe plura mortalia peccata ſeu quoad ſpeciem, ſeu etiam quoad ſolum numerum reperturum, nec tamen ſeipſum diligentius examinare vult, illam mediocrem diligentiam adhibet, quam vir prudens in arduis negotiis adhibet. Nec enim vir prudens in arduis negotiis eam diligentiam omittit, quam neceſſariam putat, ut aliquid grave, & magni momenti detegatur. Rurſus viri pii, & docti ea mediocri diligentia contenti eſſe nequeunt, qua ſola adhibita omiſſuros ſe putant aliquod grave peccatum, quod reperirent, ſi diligentius ſuam conſcientiam excuterent. Hæc, quæ a Buſembao mediocris diligentia appellatur, negligentia potius, & oſcitantia appellanda eſt; quia ex ipſius pœnitentis conſcientiæ teſtimonio ad integram ſuorum peccatorum confeſſionem non ſufficit. Catechiſmus Concil. Trid. p. 2. de conf. n. 49. ita loquitur. *At vero, ſi alia de cauſa confeſſioni* (quoad ejus integritatem) *aliquid defuiſſe videatur, vel quia pœnitens nonnulla crimina oblitus fuerit, vel quia conſcientiæ ſuæ latebras non ita accurate perquiſierit, cum tamen illud in animo haberet ut integre omnia peccata confiteretur, nihil opus et erit confeſſionem iterare.* Ergo qui in examine illud in animo non habet, ut integre omnia peccata confiteatur, confeſſionem nullam facit, & ſacrilegam, quam iterare tenetur.

At qui diligentiam a Buſembao mediocrem appellatam ſolum adhibet, ſe certe illud in animo non habet, ut integre omnia peccata confiteatur; quia adhibita ea ſola diligentia novit, ſe aliquod, aut aliqua mortalia peccata in confeſſione omiſſurum: ergo facit confeſſionem

Digitized by Google

nem voluntarie nullam, hoc eſt ſacrilegam, quam iterari neceſſe ſit. Hinc idem Catech. ſubdit: *In quo tamen animadvertendum eſt, ne nimis diſſolute, & remiſſe conſcientiam noſtram ſcrutati ſimus, adeoque negligenter peccata admiſſa memoriæ repetere ſtuduerimus, ut ea ne recordari quidem voluiſſe merito videri poſſimus.* Quæ a Buſembao mediocris diligentia nominatur, ne eo ſpecioſo nomine lector decipiatur, animadvertat, hanc a Catechiſmo diſſolutionem, animi remiſſionem, negligentiam appellari, qua ſi pœnitens contentus ſit, confeſſio omnino iteranda eſt. *Id enim*, concludit Catech, *ſi factum fuerit, confeſſionem iterare omnino oportebit.* Ex quo intelligitur, quantopere, & quam perículoſe habenas laxet Buſ. cum ait: „ Poſt mediocrem autem iſtam „ diligentiam non tenetur de anteacta vita ulterius co- „ gitare: “ &, quod longe pejus eſt, addit: „ & ſi quid „ occurrat, quod videatur, non eſſe in confeſſione ex- „ plicatum, poteſt ſibi perſuadere, cum ceteris id me- „ moratum fuiſſe. “

Quomodo ſibi perſuadere poteſt, peccatum, quod videatur non eſſe in confeſſione explicatum, cum ceteris memoratum fuiſſe, ſi, dum ſuam conſcientiam examinaret, putabat, ſe plura peccata repertúrum adhibito diligentiori examine?

Id quidem, ſi vim ſibi facere velit, perſuadere forte ſibi poterit, at inconſiderate, irrationabiliter, temere. An quia temere ſibi perſuadere vult, peccatum, quod in mentem venit, fuiſſe cum aliis memoratum, immunis eſt ab obligatione illud confitendi? Hæc prop. *Peccata in confeſſione omiſſa, ſeu oblita ob inſtans periculum vitæ, aut ob aliam cauſam, non tenemur in ſequenti confeſſione exprimere*, hæc inquam prop. eſt xi. ab Alex. VII. proſcripta. An peccatum non eſt in confeſſione omiſſum, quia pœnitens temere ſibi perſuadet, non fuiſſe omiſſum? Quod ſi prædicta propoſitio damnata eſt, etiamſi loqueretur de peccato ex legitima cauſa, puta *ob inſtans periculum vitæ, aut ob aliam cauſam* omiſſo, multo damnabilior eſt propoſitio Buſembaum, quæ loquitur de peccato culpabiliter omiſſo. Pœnitens ergo in Buſ. ſpecie non ſolum peccatum, quod ſibi videtur omiſſum, confiteri, ſed totam confeſſionem, ut oſtenſum jam eſt, repetere tenetur.

Miſſa ergo hac Buſembau mala opinatione, quæ ipſa prop. damnata damnabilior eſt, in medium prodeat La-Croix, qui p. 285. n. 602. ita inquit: „ Si ſciat, te „ peccaſſe mortaliter, & poſitive dubites, “ (poſitivum dubium eſt, cum utrimque ſunt graves rationes) „ an ſis confeſſus, Auctores citati, aliique &c. „ dicunt contra Meroll. &c. te non teneri confiteri, „ quam ſententiam Illſ. o. 110. & Platel. num. 792. „ teſtantur eſſe communem. ”

Hæc ſententia juxta inconcuſſa ſolidioris Theologiæ principia a nobis jacta initio hujus operis, eſt evidenter falſa; quia certiſſimum eſt, quidquid contra cavillentur, & quocumque probabiles opinatores ſe vertant, in dubiis, cum de ſalutis æternæ negotio agitur, tutiorem partem ex præcepto eſſe eligendam.

Sed illud quoque falſum eſt, hanc ſententiam eſſe communem. Salmanticenſes Scholaſtici apud Concinam Th. t. 9. p. 327. num. 4. communem appellant contrariam.

Sicuti La-Croix toto cælo aberrat, dum ait n. 600. & 601. eum, qui poſitive dubitat de mortali commiſſo, vel, cum certo ſciat, ſe peccaſſe, dubitat, utrum mortaliter, an venialiter peccaverit, non teneri hæc dubia confiteri; ita quoque in præſenti evidenter fallitur ex eadem allata ratione, & inconcuſſo principio. Præterea certum eſt, eum graviter peccare, qui ſacramentum pœnitentiæ, fruſtrationis periculo objicit: certum quoque eſt, eum objicere ſacramentum pœnitentiæ fruſtrationis periculo, qui in triplici explicata ſpecie ſuam dubitationem non confitetur.

Hanc evidentem veritatem ipſe La-Croix, Viva, & alii cernerent, niſi eorum mentes ſubtilibus cavillationibus aſſuetæ, ab ipſa veritate aſſequenda alienæ eſſent.

Cur in triplici explicato dubio pœnitens ſuam dubitationem juxta ipſum La-Croixium confiteri non tenetur? quia ſcilicet probabiliter judicare poteſt, ſe mortale peccatum non admiſiſſe, vel admiſſum in confeſſione aperuiſſe: at contrarium quòque probabile eſt, & tutum. Quæro nunc, qua de re hic agatur? Agitur ſcilicet de ſacramenti valore: quæritur enim, utrum confeſſio in triplici explicato dubio ſit neceſſaria ad abſolutionem rite, & valide ſuſcipiendam: at, cum de valore ſacramenti agitur, licere ſequi opinionem probabilem relicta tutiore, eſt prop. 1. ab Innoc. XI. damnata: ergo triplex La-Croixii, & aliorum probabilium recenſita opinio damnata eſt.

Mitto alias rationes, quas in promptu habeo, contra hujuſmodi opinationes ne dicam, an opinionum monſtra? quia eas afferre minime neceſſarium eſt. Has opinationes ſigillatim refellit P. Concina Theol. t. 9. p. 327. cap. 7. qu. 1. 2. & 3.

Animadversio XXV.

Examen hoc a Confeſſario poteſt ſuppleri, quod tamen Suarez reprobat &c.

Aliæ ſunt partes, & officia Confeſſariorum, aliæ pœnitentium. Horum partes ſunt, ut ſuam ipſi conſcientiam accurate diſcutiant, ut de ſuis peccatis doleant, ut ſacerdoti ea aperiant. Sicuti ergo Confeſſarii, partes pœnitentium quoad dolorem, & peccatorum accuſationem ſupplere nec poſſunt, nec debent, ſed ſolum juvare eos ad hæc valent; ita examen ſupplere nequeunt. Et ratio eſt, quia, ſicuti ipſi pœnitentes de ſuis peccatis dolere, eaque ſuo ore patefacere tenentur, ita quoque ſuam conſcientiam ipſi diligenter excutere ex officio debent. Confeſſarius quantumlibet diligens ſit in interrogando, omnia tum quoad ſpeciem, tum quoad numerum peccata in pœnitentis, quicumque ille ſit, memoriam revocare non poteſt, cum pœnitens inquirendi tempus non habeat, & ſtans pede in uno interroganti reſpondere debeat. Dum Buſemb. ait, a Confeſſario ſuppleri poſſe vicem pœnitentis quoad examen, ſacræ Trid. Synodo aperte repugnat, quæ ſeſſ. 14. cap. 5. de conf. inquit: *Conſtat enim, nihil aliud in Eccleſia a pœnitentibus exigi, quam ut, poſtquam quiſque diligentius ſe excuſſerit, & conſcientiæ ſuæ ſinus omnes, & latebras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus ſe Dominum, & Deum ſuum mortaliter offendiſſe meminerit.*

Ait *quiſque*. Nemo ergo excluditur, ſed omnes ſeu rudes, ſeu ingenioſi, ſeu quicumque illi ſint, id præſtare tenentur; imo vero ſi id facere debent homines ingenii experrecti, qui ad interrogationes Confeſſarii minus difficile, ac minori cum errore reſpondere poſſent, multo magis id fieri neceſſe eſt a rudibus, & hebetibus, qui longe difficilius, ac non ſine magnis erroribus reſponſuri eſſent ad interrogata. Examen a Confeſſario ſuppleri nihil aliud profecto eſt, niſi confeſſionem valde confuſam, diminutam, detruncatam fieri.

Quare, inquit Catech. Conc. Trid. p. 2. de pœn. n. 60. *ſi ſacerdos hujuſmodi homines prorſus imparatos cognoverit, humaniſſimis verbis a ſe dimittet, hortabiturque, ut ad cogitanda peccata aliquod ſpatium ſumant, ac deinde revertantur.*

Idem docet S. Carolus Borr. in adm. n. 16. ubi ait: *Siano avvertiti di non ammettere alla Confeſſione quelli, che non verranno con la debita interiore, ed eſteriore preparazione . . . . la qual preparazione interiore conſiſte in aver fatta buona, e diligente eſaminazione de' ſuoi peccati &c. Quelli dunque, ne' quali ſcorgeranno, che non vi ſia tal preparazione, cercheranno con ragioni farli capaci, che tornino, e s'apparecchino debitamente.* Catech. poſt mox deſcripta verba ſtatim ſubdit: *Quod ſi forte affirmaverint, ſe in eam rem* (conſcientiæ diſcuſſionem) *omne ſtudium, & diligentiam ſuam contuliſſe, quoniam Sacerdoti maxime verendum eſt, ne ſemel dimiſſi amplius non redeant, audiendi erunt, præſertim ſi emendandæ vitæ ſtudium aliquod præſeferant, adducique poſſint, ut negligentiam ſuam accuſent, quam ſe alio tempore diligenti & accurata meditatione compenſaturos promittunt. In quo tamen magna cautio adhibenda eſt. Si enim audita confeſſione judicaverit, neque in enumerandis peccatis diligentiam, nec in deteſtandis dolorem pœnitenti omnino defuiſſe, abſolvi poterit. Sin autem utrumque* (illud *utrumque*, ut ſenſus poſtulat, & res ipſa loquitur, accipe non ſolum collective, ſed etiam disjunctive; ſed Catech. dixit *utrumque*; quia qui alterutrum omittit, utrumque omittit) *in eo deſiderari animadverterit, auctor illi, & ſuaſor erit, ut majorem curam, quod antea dictum eſt, in excutienda conſcientia adhibeat, hominemque ut blandiſſime poterit tractatum dimittet.* Juxta has regulas Confeſſarius ſe gerere debet neglectis contraria docentibus.

Quos etiam monet Su . . . . . bona fide confeſſos non nimis rogandos de confeſſionibus præteritis, niſi intelligatur, aliquid neceſſarium defuiſſe. Adde vel de hoc merito dubitetur.

Animadversio XXVI.

Non eſt neceſſarium peccata ſcribere, ne memoria excidant, ut &c.

Imo id neceſſarium eſt, ſi peccatorum ſcriptio ſit neceſſaria, ne memoria excidant: alioquin pœnitens non facit quantum in ipſo eſt, ut omnia peccata integre confiteatur. Si autem ſcriptio ad integram confeſſionem non ſit neceſſaria, omitti poteſt.

Ani-

ANIMADVERSIO XXVII.

Non ſufficit &c. ſi quis ſubinde gravius lapſus id alteri prius confiteatur, & deinde ordinario ſuo venialia tantum &c.

„ Peccat tamen ille (merito inquit Nat. Alex. Th.
„ t. 2. p. 439. reg. 3.) contra ſinceritatem pœniten-
„ tiæ ſacramento debitam, & inanis gloriæ ſtudio in-
„ flammatus ſuæ potius famæ, & exiſtimationi, quam
„ animæ ſaluti, & gloriæ Dei conſulit; ac præterea
„ exponit ſe periculo frequentioris prolapſionis in pec-
„ cata mortalia, ſi Confeſſarium adeat vel imperitum,
„ vel cui ignotus eſt, qui proinde opportuna pœniten-
„ tiæ, & ſatisfactionis remedia non applicet. Nam qui
„ ita affectus eſt, ut Confeſſario ſuo ordinario mortale
„ peccatum non aperiret, ſi alterius Confeſſarii copiam
„ non haberet, procul dubio peccat letaliter. " Hactenus ille. Hinc cap. *Conſideret* cau. 33. qu. 3. diſt. 5. dicitur: *Cautus ſit, ne verecundia ductus dividat apud ſe confeſſionem, ut diverſa diverſis velit ſacerdotibus manifeſtare. Quidam enim uni celant, quæ alii manifeſtanda reſervant; quod eſt ſe laudare, & ad hypocriſim tendere, & ſemper venia carere, ad quam per fruſta putat totam pervenire.* Diviſio ergo a Buſembaum deſcripta, quidquid ipſe contra ſcripſerit, reprehendenda eſt, & quoad fieri poteſt prohibenda; nec audiendus La-Croix, qui p. 336. n. 1186. eam per ſe loquendo licere, ait; quia pœnitens, inquit, utitur jure ſuo. At non utitur, ſed abutitur jure ſuo.

ANIMADVERSIO XXVIII.

Ex circumſtantiis minuentibus illæ tantum explicandæ ſunt, quæ vel &c. vel alioqui notabiliter mutant judicium Confeſſarii, ſaltem quoad ſpeciem.

Buſemb. involute, & contradictorie loqui videtur. Perinde enim loquitur, ac ſi aliquæ circumſtantiæ notabiliter minuentes peccatum etiam intra eamdem ſpeciem, notabiliter non mutent Confeſſarii judicium; cum tamen perſpicuum ſit, circumſtantias, eo ipſo quod peccatum etiam intra eamdem ſpeciem notabiliter extenuent, Confeſſarii quoque judicium inſigniter variare. Itaque audiendus eſt Catech. Conc. Trid. qui p. 2. de conf. n. 47. hac de re ita loquitur: *Neque vero ſolum peccata gravia narrando explicare oportet, verum etiam illa, quæ unumquodque peccatum circumſtant, & gravitatem valde augent, vel minuunt.*

ANIMADVERSIO XXIX.

Quod ſi poſtmodum accipiant notitiam certam, idem rurſus eſſe confitendum, docent &c.

Hac de re mox dictum eſt in Reſp. 2. *Dictur* 2.

Si vero peccatum confeſſus ſit ut certum, & poſtea de eo dubitet an fecerit, non tenetur iterum confiteri ut dubium &c.

Hujus doctrinæ ratio ea eſſe videtur, quia iterata in præſenti utraque ſpecie confeſſio inutilis merito cenſetur, tum ut Confeſſarius pœnitentiam congruam imponat, tum ut opportuna remedia præſcribat.

Quod ſi id haberi non poſſit, abſolvendum ſub conditione.

Abſolutionem ſub conditione hic locum non habere oſtenſum eſt in dub. 2. Reſp. 2. c. 3.

ANIMADVERSIO XXX.

Etſi poſtea debeas &c. non ſtatim, ſed quando rurſus confiteri obligaberis, aut voles.

Laym. lib. 5. c. 6. c. 8. num. 23. citans Navar. Suar. Sylv. Henriq. & alios probabiliſſimum putat,
„ peccata, quæ ob naturalem oblivionem, vel aliud
„ impedimentum paſchali tempore omiſſa fuerunt, non
„ eſſe ſtatim confitenda, cum impedimentum ceſſavit,
„ ſed ad ſequens Paſcha licite differri poſſe; propterea
„ quod Eccleſiæ præcepto ſemel de peccatis omnibus
„ mortalibus, quatenus moraliter poſſibile eſt, confi-
„ tendis ſatisfactum fuerit. "

Hactenus Laym., cujus ratio non probabilis, ſed ſophiſtica eſt. Eccleſia in Concilio Lat. IV. ita præcipit: *Omnis utriuſque ſexus fidelis, poſtquam ad annos diſcretionis pervenerit, omnia ſua ſolus peccata confiteatur fideliter, ſaltem ſemel in anno, proprio ſacerdoti, & injunctam &c.*

Eccleſia duo hic præcipit, annuam confeſſionem, & integram confeſſionem. In noſtra ſpecie confeſſio annua peracta eſt, non item integra. Integritas ſine peccato fuit omiſſa, quia perfici non potuit. At ſi non peccaſti, integram confeſſionem non peragendo, quia integre confiteri non potuiſti, an ab integritate ſupplenda liber es, ſi poſtea ſupplere poſſis? qui debitum integre non ſolvit, quia non potuit, an a reſidua parte ſolvenda liber eſt, etiamſi poſtea poſſit? Non ſolum confeſſio, ſed integra confeſſio ſemel in anno ex præcepto facienda eſt. Ergo ſicuti qui confeſſionem paſchali tempore peragere non potuit, poſtea, cum primum poteſt, confiteri ſua peccata tenetur; ita qui integre confiteri non valuit, cum primum poteſt, integritatem ſupplere neceſſe habet. Hæc non probabilia, ſed certa ſunt.

Quod ſi peccata omittantur in confeſſione extra paſcha, quam primum confitenda videntur duplici ex capite: primo quia ſunt partes confeſſionis peractæ: ſecundo quia imminet periculum oblivionis maxime in iis, qui eorum confeſſionem diu differunt.

ANIMADVERSIO XXXI.

Unde poſſunt abſolvi 1. mutus .... etſi unum tantum, vel alterum peccatum per nutus ſignificaverit.

Id intellige, ſi plura peccata declarare per nutus non poſſit. Si enim poſſit, & non declaret, ex culpa ſua confeſſionem detruncat, ideoque abſolutione indignus eſt.

Niſi tamen ſcripto poſſit.... ad quod tunc eum teneri probabilius eſt, ut communiter docetur contra &c.

Integritas confeſſionis juris eſt divini: ergo dubitandum non eſt, quin per ſcriptum facienda ſit, ſi per nutus fieri non poſſit. Caveat ergo lector, ne dum Buſembaum ait *probabilius*, oppoſitum quoque probabile, & permiſſum putet. Si quis ita ſentiat, confeſſionem periculo fruſtrationis ut minimum objicit, & in propoſ. 1. ab Innoc. XI. proſcriptam incurrit.

Surdus, qui non poteſt omnia explicare.

Si non poſſit, certe excuſatur. Sed non intelligitur, cur ſurdus ut talis, qui loquela donatur, omnia ſua peccata explicare nequeat.

Ignarus idiomatis, tempore præcepti, vel &c.

Si neceſſitas hujuſmodi ſit, ut confeſſio differri nequeat, puta ſi periculum mortis immineat, res bene habet. At ſi ſermo ſit de neceſſitate præcepti, de ea ita loquitur P. Concina Theol. t. 9. p. 339. c. 9. n. 1.
„ An neceſſitas implendi præceptum annuæ confeſſionis
„ ſufficiat, aliqui adfirmant, & ego ignoro. Si ſublato
„ periculo, poſt aliquod tempus poſſet reperiri Confeſ-
„ ſarius gnarus linguæ pœnitentis, differenda confeſſio
„ mihi videtur, ut impleatur præceptum integritatis
„ materialis. "

Præceptum enim confitendi omnia peccata mortalia, divinum eſt, quod prætermitti non poteſt, ut præceptum eccleſiaſticum annuæ confeſſionis impleatur; præſertim cum ipſum præceptum eccleſiaſticum annuæ confeſſionis integram confeſſionem includat. Ergo ſi advena confeſſionem differendo, aut in patriam redeundo, nacturus ſit Confeſſarium ſuæ linguæ peritum, differenda confeſſio eſt.

Imo etſi adſit interpres: non enim tenetur per eum confiteri, ut docent &c.

Qui per ſeipſum confiteri poteſt, per interpretem confiteri nec tenetur, nec poteſt: at qui per ſeipſum confiteri non poteſt, poteſt autem per interpretem, per hunc confiteri tenetur. Hæc eſt doctrina D. Thomæ, qui Suppl. qu. 9. a. 3. ait: *Quod alii modi confitendi, quam proprio ore ſunt inducti in ſupplementum ipſius:* & ad 2. inquit, *quod in eo, qui uſum linguæ non habet, ſufficit quod per ſcriptum, aut per nutum, aut per interpretem confiteatur; quia non exigitur ab homine plus quam poſſit; quamvis homo non poſſit, vel debeat baptiſmum accipere, niſi in aqua, quæ eſt omnino ab exteriori, & nobis ab alio exhibetur: ſed actus confeſſionis eſt ab intra, & a nobis; & ideo, quando non poſſumus uno modo, debemus, ſecundum quod poſſumus, confiteri.*

Inconcuſſum eſt illud D. Thomæ principium, legem, cum ex toto impleri non poteſt, ex parte, & quo modo fieri poteſt, eſſe implendam: ergo certum eſt, confeſſionis præceptum, quod non poteſt, niſi per interpretem impleri, per interpretem eſſe implendum. Qui novas doctrinas ab inconcuſſis S. Doctoris principiis alienas comminiſcuntur, in lubrico verſantur, & in aberrationes prolabuntur. Quod ſi qui hac in re cavillari pergant, illis in memoriam revoco propoſ. 1. ab Innoc. XI. damnatam.

In præſenti enim re de Sacramenti valore ſermo eſt. Quæritur enim, utrum ignarus idiomatis Confeſſarii, qui male, & ex parte tantum intelligitur, valide abſolvatur, ſi interprete, cujus ope confeſſio integre fiat, uti nolit.

Niſi forte in periculo mortis, in quo aliqua minora confiteri ſufficiet.

Præclara ſane doctrina, quæ multiplex erratum paucis verbis complectitur. Primum eſt, quia ait *forte*, quaſi hac de re dubitandum ſit, ac moribundus tutus

in

Digitized by Google

in conſcientia ſit, etiamſi interpretem non adhibeat. Alterum, quod aliud faciendum doceat tempore vitæ, aliud tempore mortis; quaſi lex divina, diverſa præſcribat pro temporum vitæ, & mortis diverſitate; quo nihil abſurdius cogitari poteſt. Tertium eſt, quod contra certum divinum præceptum a Synodo Tridentina ſupra allata expreſſe declaratum integre confitendi peccata, detruncatam, & maxime diminutam confeſſionem moribundo permittat, ut illum ad infera certo detrudat.

Quo caſu, ſi (ſaltem &c.) ſive ab uno, ſive a pluribus mediatis, vel immediatis teſtibus detur teſtimonium, Sacerdotem non tantum poſſe, ſed probabiliter etiam teneri abſolvere (ſaltem ſub conditione) doceat &c.

Mihi magnopere probatur, Sacerdotem in deſcripta ſpecie non ſolum poſſe, ſed etiam teneri moribundum abſolvere, qui tamen non ſub conditione, ſed abſolute abſolvendus eſt. Si enim Sacerdos abſolvere poteſt, abſolvere etiam tenetur; quia caritatis præceptum Sacerdotem urget, ut moribundi neceſſitati, & periculo, quantum in ipſo eſt, conſulat; quod alio modo fieri non poteſt, niſi abſolute impertita, qua deleantur peccata, quibus delendis magnum periculum eſt, ne pœnitentis contritio ſine abſolutione ſufficiat. Hinc Rituale Rom. de Sacr. pœnit. ait: *Quod ſi inter confitendum, vel etiam, antequam incipiat confiteri, vox, & loquela ægrum deficiat, nutibus, & ſignis conetur quoad ejus fieri poterit peccata pœnitentis cognoſcere, quibus utcumque vel in genere, vel in ſpecie cognitis, vel etiam ſi confitendi deſiderium ſive per ſe, ſive per alios oſtenderit, abſolvendus eſt.* Non ait, abſolvi poteſt, ſed *abſolvendus eſt*, ut intelligatur, abſolutionem non poſſe omitti; ſed dari oportere. Rurſus ait, *abſolvendus eſt* abſolute: ergo abſolute, ſine conditione ulla eſt abſolvendus; nec Sacerdos novis opinionibus ductus, novos in Sacramentis adminiſtrandis ritus, ab Eccleſia minime probatos inducere poteſt, qua de re ſupra dictum fuit.

Nam ſive teſtis deſiderii confeſſionis ab infirmo ſignificati, infirmo præſens ſit, ſive ab eo abſens, perinde omnino eſt; atque abs re objiceretur, confeſſionem fieri non poſſe in abſentia. Prohibitio enim confeſſionis in abſentia faciendæ, nullum habet locum in extremo caſu, de quo ſermo eſt; imo pro certo habendum eſt, Eccleſiæ, & ſummorum Pontificum mentem eſſe, ut Chriſtiano in extrema neceſſitate abſolutionis poſito abſolutio impendatur, dum confeſſionis deſiderium quocumque modo potuerit, oſtenderit. Hinc Rituale citatum ait, *vel etiam ſi confitendi deſiderium ſive per ſe, ſive per alios oſtenderit*. At ſive *per alios* abſolute, hoc eſt ſeu præſentes, ſeu abſentes; & hoc eodem modo loquitur Concilium Carthag. IV. c. 7.

Denique, ſi nullum ſignum dederit, nullo modo abſolvendus eſt, cum &c.

Abſolvendus certe non eſt, ſi aliquod ſignum dare potuerit, nec tamen dederit.

Hinc Rituale Rom. cit. ait, eſſe abſolvendum ægrum, *ſi confitendi deſiderium* &c. *oſtenderit*: ergo ſublata hac conditione, abſolvendus non eſt.

Item abſolvendus non eſt, etiamſi ſignum dare non potuerit, quia ſenſibus repente fuit deſtitutus, ſi ſcelerate vixerit, aut in ipſo facinore, e. g. in adulterio, aut rixa graviſſime vulneratus, ſenſus ſubito amiſerit, quidquid contra ex Gormaz, & aliis male ſcripſerit La-Croix p. 333. n. 1163. In hanc opinionem merito invehitur P. Concina Theol. t. 9. p. 349. q. 3. quæ eſt expreſſe contraria decreto Societatis Jeſu, quod refert ex Gobato idem Concina p. 350. q. 4. & La-Croix p. 333. n. 1161. Enim vero abſolutionem dare homini ſceleſto, aut in ipſo facinore morienti, qui repente ſenſibus deſtituitur, nihil aliud eſt, niſi *ſanctum dare canibus, aut projicere margaritas ante porcos*; quod certe nefarium eſt, & a Chriſto Matth. 7. v. 6. explicate vetitum. Hoc pariter vetari intelligitur a Concilio Carthagin. IV., & Rituali Rom. ex quibus intelligitur, abſolutionem non eſſe impertiendam, niſi illis, qui confitendi deſiderium oſtenderint. Homines enim ſceleſti, aut in ipſo facinore repente morientes nullum ulla ratione deſiderium confitendi oſtendunt.

At vero ſi Chriſtianus ſenſibus repente deſtitutus recte, & chriſtiane vixerit, merito quæritur, utrum ſit abſolvendus. Negat Buſembaum, cujus ſententia etiam penes graviores Theologos teſte P. Concina Theol. t. 9. p. 346. n. 3. communior eſt. In hanc ipſe quoque pronus eſt p. 348. n. 14. licet contrariam p. 349. n. 15. probabilem eſſe fateatur, cui olim adhæſerat, ut ipſe teſtatur n. 14. & pro qua viginti novem A.A. n. 4. refert. Pro eadem momenta ſane gravia affert, quæ unumquemque movere poſſunt, me certe movent, & in eam proclivem faciunt. Hanc ſcilicet ſententiam explicite tradit Sacerdotale Romanum Venetiis editum anno 1560. apud Joannem Variſcum, & ſocios, cujus verba ex Joan. Morino referunt tum Concina, tum Genettus Theol. t. 4. p. 298. q. 5. Idem tradunt ſtatuta Eccleſiæ Lemovicenſis apud eumdem Genettum. Ratio eſt, quia juxta Rituale Romanum mox citatum ſi moribundus *confitendi deſiderium vel per ſe, vel per alium oſtenderit, abſolvendus eſt*; quæ regula ſumpta eſt ex Conc. Carthagin. IV., & ex Leone Papa ep. 91. ad Theodorum. (Habentur can. 36. q. 6. c. 8. & 10.) Sed moribundus ſenſibus repente deſtitutus, ſi pie, & chriſtiane vixerit, deſiderium confitendi oſtendit. Ipſa enim vita pie acta, eſt luculentum hujus deſiderii ſignum; imo longe ſecurius, quam ſignum pœnitentiæ, quod voce, vel nutibus mali homines præbent in articulo mortis; quod ſignum juxta unanimem S.S. Patrum conſenſum ſemper ſuſpectum eſt. Factis enim longe major fides habenda eſt, quam dictis, aut nutibus. Ergo Chriſtianus, qui pie vixit, ſenſibus repente deſtitutus abſolvendus eſt, imo multo magis, quam improbus, qui in articulo mortis confeſſionis deſiderium voce, aut nutu oſtenderit.

At Buſemb. objicit Synodum Triden. quæ can. 9. ſeſſ. 14. ait: *Si quis dixerit, non requiri confeſſionem pœnitentis, ut Sacerdos eum abſolvere poſſit anathema ſit.*

Reſp. Sacra Syn. ibi hæreticos damnat, qui confeſſionem peccatorum de medio ſuſtulerunt; at noſtram opinionem non attingit. Confeſſio jure divino neceſſaria eſt ad abſolutionem, ſi tamen fieri poſſit, & quomodo fieri poteſt. *Nam Deus impoſſibilia non jubet*, ut ait eadem ſacra Syn. ſeſſ. 6. c. 11. Si confeſſio integre fieri poſſit, integre facienda eſt; ſi ex parte tantum, aut ſolum in genere perfici valeat, ſufficit. Si nullo modo, ſatis eſt, ſi Chriſtianus confitendi deſiderium oſtendat; qua de re dubitandum non eſt, niſi in dubium vocare velimus doctrinam Ritualis Romani ex Concilio IV. Carthag., & Leone Papa depromptam. At Chriſtianus pie vivendo oſtendit deſiderium confitendi in articulo mortis, quo repente occupatus, & ſenſibus deſtitutus reperitur. Ergo.

Id confirmatur ex D. Auguſt. qui lib. 1. de adulter. conjug. c. 28. inquit: *Ego non ſolum alios catechumenos, verum etiam ipſos, qui viventium conjugiis copulati, retinent adulterina conſortia, cum ſalvo corpore non admittamus ad baptiſmum, tamen, ſi deſperati jacuerint, nec pro ſe reſpondere potuerint, baptizandos puto, ut etiam hoc peccatum cum ceteris lavacro regenerationis abluatur. Quis enim novit, ut, utrum fortaſſis adulterinæ carnis illecebris uſque ad baptiſmum ſtatuerant detineri?* Poſt ſubdit: *Quæ autem baptiſmatis eadem reconciliationis eſt cauſa, ſi forte pœnitentes finiendæ vitæ periculum præoccupaverit. Nec ipſos enim ex hac vita ſine arrha ſuæ pacis exire velle debet mater Eccleſia.* Enim vero vita pie acta, eſt ſignum fortius pœnitentiæ, & deſiderandæ abſolutionis, quam ſtatus catechumeni adulteri ſit ſignum adulterina conjugia dimittendi, & baptiſma rite ſuſcipiendi: ergo ſi D. Auguſt. exiſtimat, catechumenos adulteros, qui deſperati jacuerint, nec ulla ſigna pœnitentiæ exhibere potuerint, eſſe nihilominus baptizandos; multo magis ex D. Doctoris mente putandum eſt, eſſe abſolvendos Chriſtianos pie viventes, ſi ſenſibus repente deſtituti, & deſperatæ ſalutis jaceant.

S. quidem Auguſt. addit: *Non tamen propterea damnare debemus eos, qui timidius agunt, quam nobis videtur agere oportere*; nonulli enim quoad baptizandos catechumenos adulteros deſperata ſalute jacentes, nec ſigna ſuæ voluntatis dare valentes, ut idem D. Auguſt. animadvertit, illud obſervandum putabant, *nolite ſanctum dare canibus, neque projicere margaritas veſtras ante porcos*. Quod ſane Chriſtianis, qui recte vixerint, abſolvendis quomodo accommodari poſſit, non intelligo. Neque tamen graves Theologos veritatis amatores, eos non eſſe in caſu poſito abſolvendos putantes reprehendo; neque is ſum, qui reprehendere illos aut auſim, aut poſſim. Timidioribus, quantum in me eſt, animos adjicio, ne abſolutionem ſe projicere exiſtiment, dum bonis, & piis Chriſtianis eam impertiunt. Illud addo, abſolutionem bonis Chriſtianis, qui eam petere in articulo mortis non poſſunt, animoſius dandam eſſe, quam malis, qui illam petere poſſunt, & petunt. Hanc eſſe matris Eccleſiæ mentem putem, quæ cum omnium, tum maxime piorum ſaluti conſultum vult.

Demum illud D. Thomæ principium ſolidiſſimum ob oculos pono. *Ubi difficultas occurrit, ſemper eſt accipiendum illud, quod habet minus de periculo*. In præſenti arduo caſu, & difficultate ſi Sacerdos abſolvat, periculum eſt, ut abſolutio fruſtra detur. Si non abſolvat, periculum eſt, ut anima pereat. Quodnam majus periculum eſt? Hoc ſcilicet poſterius. Non enim animæ in ſacramentorum gratiam, ſed ſacramenta pro animarum ſalute a Chriſto inſtituta ſunt. Ergo abſolutio in caſu danda eſt. S. Auguſt. baptiſmum impertit catechumeno adultero, omnes abſolvunt chriſtianos ſceleſtos, ſi

abſolu-

abſolutionem in articulo mortis petant. Majus porro periculum eſt, ut baptiſmus, & abſolutio indignis, & inaniter conferantur in propoſitis caſibus, quam ſi abſolvatur pius moribundus, qui confeſſionem petere non potuit. Intelligi ergo non poteſt, cur hic non abſolvatur, niſi quia timetur, ubi timendum non eſt. Abſolutio porro danda eſt, non ſub conditione, ut ſæpius monuimus, ſed abſolute, ſicuti abſolute datur moribundo ſceleſto, qui eam petiit.

Animadversio XXXII.

Si ipſe Sacerdos in periculo conſtitutus videatur antea, moriturus quam pœnitens abſolvatur.

In hac ſpecie abſolvi quidem poterit pœnitens diminute confeſſus, ſi ipſe quoque in diſcrimine vitæ verſetur, nec alius Confeſſarius præſto ſit, a quo integra confeſſio audiri queat. At ſi pœnitens ſanus ſit, aut etiam infirmus, ſed periculum mortis ipſi non immineat, ſine abſolutione relinquendus eſt, ut alteri Sacerdoti integre confiteatur; & ratio eſt, quia integra confeſſio juris divini eſt, quæ idcirco numquam prætermittenda eſt, niſi cum integre fieri nequit. An Sacerdoti jus conceſſum eſt abſolvendi diminute confeſſum, quia ipſe Sacerdos integram confeſſionem audire non poteſt? Hoc ſcilicet jus ſi quis aſſerat, negandum eſt, nec probari poteſt, ideoque commentitium haberi debet.

Animadversio XXXIII.

Ex omnibus ſupra dictis ſequitur excuſari ab integritate materiali. 1. Qui habent caſum reſervatum, de quo infra. De hoc ſermo erit c. 2. dub. 4. c. 2.

2. *Scrupuloſum, qui perpetuo angitur de oblitis.*

Mira ſane opinandi licentia, quæ ſcrupulis vexatos a jure divino immunes faciat? Quis hanc immunitatem iis conceſſit, aut concedere poteſt? Undenam Buſembau hanc doctrinam hauſit? Quo Patre, aut Canone, aut qua ratione eam confirmat? Quodnam graviſſimum damnum paſſurus eſt ſcrupuloſus, qui perpetuo angitur de oblitis, ſi integre confiteatur? Si de iis peccatis angi ſolet, quæ ea oblivione inculpabili in confeſſione omiſit, multo magis neceſſe eſt ut non ſolum angatur, ſed merito angatur, ſi confeſſionem diminutam ſponte perficiat. Qui violationem legis, aut immunitatem a lege ſuggerunt, veluti opportunum ſcrupulis remedium, a ſcrupulis non liberant; ſed crimina augent.

3. *Quem Sacerdos abſolvit ante finem, nolens omnia audire, ut &c.*

Ab impio Sacerdote integram confeſſionem audire nolente longe diſcedendum eſt, non abſolutio accipienda. Quod ſi abſolutio a Sacerdote impie data, & a pœnitente incaute accepta fuerit, confeſſio integre iteranda eſt. Nec enim impia abſolutio ab onere juris divini, quo integra confeſſio præcipitur, liberat. Contraria Buſembau opinio ut valde abſurda, & aperte falſa, repudianda omnino eſt.

4. *Quem fallit memoria, itaut dicat, ſe ſcire in genere, quod peccaverit mortaliter, non occurrere autem &c. etſi &c.*

5. *Eum, qui extreme rudis . . . . dicit ſe dolere &c.*

Certum quidem eſt ex Syn. Trid. ſeſſ. 14. c. 5. mox cit. a. t. c. 2. pœnitentem non teneri, niſi ea peccata confiteri, quæ poſt diligentiorem ſuæ conſcientiæ diſcuſſionem memoriæ occurrunt; at certum illud quoque eſt, diligentiorem ſuæ conſcientiæ excuſſionem ab unoquoque, quantumvis memoria, & ingenio parum valeat, eſſe adhibendam. Poſitio Buſembau, qua aliquis ſciat in genere, quod peccaverit mortaliter, nec tamen occurrat ſpecies peccati ex memoriæ vitio, magis ficticia videtur, quam veriſimilis; multoque magis illa, qua quis ex ingenii hebetudine nullum in ſpecie, ne veniale quidem peccatum ſciat dicere.

Itaque ſi hujuſmodi homines ad confeſſionem accedant, interrogandi ſunt, utrum præcipua fidei myſteria, Decalogum, Eccleſiæ præcepta, diſpoſitiones neceſſarias ad pœnitentiæ Sacramentum noverint, utrum, & quomodo ſuam conſcientiam excuſſerint. Ex his interrogationibus Confeſſarius eorum negligentiam in iis, quæ ad animæ ſalutem pertinent, deprehendet, nec abſolvendos, ſed ea admonitione dimittendos intelliget, ut, ſi ſalvi eſſe velint, ſocordiam excutiant, & ad confeſſionem paratiores redeant.

6. *Qui aliquod peccatum non poteſt confiteri ſine complicis infamatione . . . ita probabiliter Nav. . . . . etſi probabilius contrariam doceat &c.*

Si hæc poſterior ſententia probabilior eſt, & communis Buſembao fatente, ſequenda eſt, & ad praxim revocanda. Eam ſequitur, & aſtruit Concina Theol. t. 9. p. 341. q. 3. ex perpetua Eccleſiæ praxi; quam praxim colligit ex ſacris canonibus pœnas certis criminibus infligentibus, quæ ſine complicis infamatione pateſieri Confeſſario non poſſunt, uti eſt inceſtus cum ſorore, & cum noverca.

Id confirmatur ex ſolutione rationis, qua contraria opinio nititur, & quam affert Buſemb. illis verbis, „ Quando duo præcepta divina concurrunt &c. “

Reſpondeo enim, jus naturale, & divinum non prodendi occulta proximi crimina, non habere locum, cum agitur de manifeſtatione complicis in confeſſione. Ratio eſt, quia ſocius criminis jus ad famam amittit quoad confeſſionem. Sicut enim ipſe ſuum crimen etiam cum jactura famæ ſuæ Confeſſario manifeſtare tenetur, ita non habet jus impediendi, quominus alter integre confiteatur propter famæ detrimentum, quod inde ipſe incurrit. Qui occulte peccant, quoad alios jus famæ retinent, quoad Confeſſarios, quatenus Confeſſarii ſunt, jus famæ amiſere, Deo ita præcipiente, qui juſſit, peccata Confeſſariis integre eſſe patefacienda.

Cave autem ab eo, quod Buſemb. ait: *Deberet dici, quod animo cum ea inceſtum commiſiſſes.* Si enim pœnitens ita loquatur, non ſolum diminute, ſed mendaciter confitetur. Qui enim animo ſe peccaſſe, apud Confeſſarium ait, factum negat: eo enim ſenſu accipi ſolent, & debent a Confeſſariis tales pœnitentium voces.

Ubi docet, probabile eſſe, quod talis pœnitens propter ſolam conſolationem . . . . . poſſit ei confiteri, etſi alium habere poſſit.

Propter ſolam conſolationem, complicem criminis revelare poteſt; propter confeſſionis integritatem eum revelare non poteſt? An propria conſolatio, confeſſionis integritati præferenda eſt? Quis conciliare hæc poſſit? At probabiles, omnes pugnas, etiam contradictorias conciliant. Nec juſtitia, nec caritas patitur, ut propter noſtram conſolationem, proximi famam lædamus. Quare Tamburini doctrina repudianda eſt, & quoad praxim omnino fugienda.

Animadversio XXXIV.

In hac reſponſione Buſemb. plura infarcit, corruptæ quidem noſtræ indoli conſentanea, non tamen animæ ſaluti, quam præſertim poſt gravia admiſſa peccata ſine difficultate, & vi nobis injecta aſſequi non poſſumus.

A vocali confeſſione excuſat, „ Si quis ob anxietatem loqui non poſſit, aut puella ſupra modum verecunda aliter ſe non poſſit explicare, quam ſcripto &c. “

La-Croix p. 337. num. 1196. fieri poſſe confeſſionem ſcripto ait ex rationabili cauſa. „ Cauſæ autem rationabiles ſecundum diverſos Scriptores, quos citat, „ ſunt, 1. rationabile pœnitentis commodum; 2. ſi ægrotus difficulter loquatur; 3. ſi Confeſſarius ſit ſurdaſter, aut pœnitens ipſe, quia ſurdaſter eſt, nimis alte legat; 4. ſi pœnitens ſic peccata ſua facilius, & apertius faciat intelligi a Confeſſario; 5. ſi pœnitens ſcrupuletur, quod peccata ſua aliter non recte explicet; 6. ſi puella &c. ut hic ait Buſemb. ſi poſtea dicat, accuſo me de his, quæ legiſti. “

Verum hæc Buſemb., & La Croix doctrina præceptum non implet, ſed arbitrariis commentis aludit. Juxta ipſum La Croixium p. 336. n. 1191. Concil. Florentinum in decreto Eug. IV. ad Armenos pro materia Sacramenti pœnitentiæ aſſignat confeſſionem oris; & Bened. XI. in cap. *Inter cunctas* de pœn. ſic habet: *Niſi articulus neceſſitatis occurrat, Sacerdoti facienda oris confeſſio* &c. & cap. *Quem pœnitet* 88. de pœnit. diſt. 1. ſic habetur: *Præcepit enim Dominus mandans, ut oſtenderent ora Sacerdotibus, docens, corporali præſentia confitenda peccata, non per nuntium, non per ſcriptum manifeſtanda . . . . Qui per vos peccatis, per vos erubeſcatis. Erubeſcentia enim ipſa partem habet remiſſionis.*

Hoc porro præceptum confitendi ore, Eccleſiæ conſuetudo graviter obligans, ut fatetur ipſe Buſemb. confirmat: at a præcepto non commodum, non difficultas, ſed ſola neceſſitas, ſeu impotentia excuſat. Omnes porro cauſæ a Buſemb., & La-Croix recenſitæ ad commodum, & facilitatem confitendi ſcripto, & ad difficultatem confitendi ore pertinent, nulla ad neceſſitatem, & impotentiam: ergo nulla ex cauſis a Buſemb., & La-Croix aſſignatis excuſat a confeſſione oris.

An quia lex facile, aut facillime impleri non poteſt, ab ea immunis es? An ab ea immunis etiam es, quia tibi commodius eſt, aliter, ac ipſa præcipit, agere? Mira ſane doctrina, quam ab iis, qui Theologorum nomine gloriantur, tradi, credibile non eſſet, niſi oculis legeretur. La-Croix ſolidiſſima ſuæ doctrinæ fundamenta jacit, quia ipſas leges ſuis verbis conceptas ponit; at ab iis, quod ſane mirum eſt, mox recedit, quia aliter ſentire nonnullos ex ſuis animadvertit.

An

An ſcriptores morum, quos ipſe conſulit, leges ſibi ſubditas habent? Ita ſcilicet, quia eas, prout libuerit, inflectunt. La-Croix autem legum aut immemor, aut minus accuratus lector, juxta non legum, ſed ſuorum ſenſa ſcribit, ſeque morum optimas regulas tradere putat. Nonne Bened. XI. a La-Croixio allatus explicate docet, oris confeſſionem eſſe faciendam, niſi articulus neceſſitatis occurrat? Cur ergo ſine articulo neceſſitatis ſcriptis fieri poſſe confeſſionem La-Croix ait? Cur propter nimiam erubeſcentiam ab oris confeſſione excuſat, ſi oris confeſſio juxta Canonem ab eo allatum propter erubeſcentiam exigitur, quia ipſa erubeſcentia partem habet remiſſionis? Si confeſſio oris ex Synodo Florentina ſub Eug. IV. eſt materia Sacramenti pœnitentiæ, cur La-Croix ejus loco ſubſtituit confeſſionem ſcripti? An illud quoque ſibi arrogat, ut ſacramentorum materias mutet? D. Th. ſupra cit. ſuppl. q. 9. a. 3. ad 2. ait: *Quod ſicut in baptiſmo non ſufficit qualitercumque abluere, ſed per elementum determinatum; ita nec in pœnitentia ſufficit qualitercumque peccata manifeſtare, ſed oportet quod per actum determinatum manifeſtentur*, hoc eſt, ut in corpore dixerat, per proprium verbum. *Alii enim modi* manifeſtandi per interpretem, nutus, ſcriptum, *ſunt inducti in ſupplementum iſtius*, ait Angelicus; hoc eſt, ut docet Bened. XI., *in articulo neceſſitatis*, ſeu, ut loquitur S. Th. ad 2. *in eo, qui uſum linguæ non habet*. Ergo hac in re, ut in aliis multis, nec Buſ. nec La-Croix audiendi ſunt; præſertim cum de ſacramenti materia, hoc eſt valore agatur, in quo ab Innoc. XI. propoſ. 1. damnatum eſt, licere ſequi opinionem probabilem relicta tutiore.

Imo qui aliter non poteſt, tenetur juxta communem ſententiam confiteri per nutus, aut ſcriptum tempore præcepti.

Hac de re dubitandum non eſt; quia alii modi manifeſtandi peccata per nutus, ſcriptum &c. ſunt inducti in ſupplementum vocalis manifeſtationis. Ergo ſicuti tempore præcepti neceſſaria eſt vocalis manifeſtatio, ſi fieri poſſit, ita, ſi hæc fieri non poſſit, neceſſaria eſt manifeſtatio per nutus, aut ſcriptum. Quare repudiandi ſunt Nav. & alii a Buſemb. relati, nec improbati, qui id quoad ſcripturam non admittunt extra articulum mortis. Nam juxta S. Thomam ſuppl. q. 9. art. 3. ad 2. *quando non poſſumus uno modo, debemus ſecundum quod poſſumus, confiteri*. Lex enim neceſſario implenda eſt eo modo, quo fieri poteſt: ergo ſi præceptum confeſſionis nec voce, nec nutu impleri poſſit, ſcripto ea neceſſitate perficiendum eſt. Nav. & alii, ut Buſ. ait, id ſolum admittunt in articolo mortis, cum ſcilicet ſcribendi facultas eſſe non ſolet.

Similiter ſuadendum eſſe ſurdis, ut confiteantur ſcripto, licet ad id non teneantur.

Si nutibus integre confiteri poſſint, ſcripto non tenentur; at ſi nutibus integre confiteri nequeant, eos ſcripto declarare ſua peccata teneri, ex modo dictis certum eſt.

A N I M A D V E R S I O   XXXV.

Publica autem ... non obligat.

Publica confeſſio non obligat; quia etſi a Chriſto non vetita, divino tamen mandato præcepta non eſt, ut docet Syn. Trid. ſeſſ. 14. c. 5. ideoque ſufficit confeſſio ſecreta, quam univerſalis Eccleſiæ conſuetudo uſurpat. Quod ſi confeſſio ne ſecreto quidem fieri poſſit, jam dictum eſt, Deum impoſſibilia non jubere, & pœnitentem in articulo mortis, qui aut oſtenderit deſiderium confitendi, aut, ſi oſtendere non potuerit, recte vixerit, abſolvi poſſe, & in tuto ſuam ſalutem hac ratione collocare, dummodo ſufficienter contritus fuerit; quod idem hic repetendum eſt, quoad repentinos caſus naufragii, aut prælii, in quibus neceſſitate ita poſtulante ſatis erit, ſi pœnitentes ſe peccaſſe in genere confiteantur, & aliquod doloris ſignum exhibeant, ut abſolvi poſſint; imo plures ſimul, cum ſinguli non poſſint, abſolvi queunt, uti monet P. Concina Theol. t. 9. p. 617. n. 4.

At ſi contingeret, quod tamen non eſt facile fingendum, confeſſionem non poſſe fieri, niſi aliquo, aut aliquibus audientibus, tutum putarem, ut confeſſio nihilominus fieret; periculoſum, ut omitteretur. Ratio eſt, quia confeſſio divino jure præcepta eſt, eademque neceſſaria ad ſalutem relapſis poſt baptiſmum: ergo, cum fieri poteſt, neceſſario facienda eſt: fieri autem poteſt, etiamſi aliter fieri nequeat, ac aliquo, aut aliquibus audientibus. Quod confeſſio fieri nequeat, niſi aliquo, aut aliquibus audientibus, confeſſionem quidem difficiliorem reddit, non tamen ne moraliter quidem impoſſibilem. Pœnitentia eſt laborioſus baptiſmus, cujus pars eſſentialis, qualis eſt confeſſio peccatorum, non poteſt propter difficultatem prætermitti. Major illa verecundia, quam pœnitens ſubit aliis ſuam confeſſionem audientibus, majorem habet partem remiſſionis ex can. mox cit. Equidem novi, me contraria loqui poſitionibus, & ſenſui recentium; ſed ea dico, quæ divino præcepto, & animarum ſaluti conſentanea mihi videntur. Ceterum deſcripta hypotheſis vix accidere poteſt, ſi, ut fieri debet, diligentia adhibeatur, ut & pœnitens ſubmiſſa voce loquatur, & vicini aut removeantur, aut aures occludant, aut alia ratione alio ſe avertant; quod fieri oportet, dum Confeſſarius in Xenodochio confeſſiones excipit, non autem, quod abſit, ægrotos ſine confeſſione abſolvere eo prætextu, quod publica confeſſio non obliget, nec ſecreta fieri valeat.

Vel per interpretem ſit, non obligat (ſaltem reſpectu &c.) niſi &c.

Quidquid Buſemb. contra ſentiat, pro cujus opinione La-Croix pag. 336 n. 1190. citat Valent. Arriag. Boſco, nec eam improbat; dicendum eſt, confeſſionem, quæ non poteſt fieri, niſi per interpretem, ſub obligationem cadere, quotieſcumque divinum præceptum ad confeſſionem obligat. Hæc eſt expreſſa D. Thomæ ſententia, qui Supp. q. 9. a. 3. ad 2. ait: *Quod in eo, qui uſum linguæ non habet, ſufficit quod per ſcriptum, aut per nutum, aut per interpretem confiteatur, quia* &c. tum ſubdit: *& ideo quando non poſſumus uno modo, debemus, ſecundum quod poſſumus, confiteri*. Ne per ſomnium quidem Angelico Doctori in mentem venit hac de re dubitare. Ab hujuſmodi obligatione illi ſolum eximere poſſunt, qui divina præcepta noſtræ corruptæ indoli accommodare conantur, cum tamen illa impoſita nobis ſint, ut ei reluctemur.

An confeſſio efficitur impoſſibilis, quia non poteſt fieri niſi per interpretem? An divina præcepta non habent vim obligandi, niſi facile impleri poſſint? Si ita eſſet, ut ponunt, qui confeſſionem per interpretem obligare nolunt, jam de divinis præceptis magna ex parte actum eſſet, quia noſtræ infirmitati, & corruptioni valde difficilia ſunt. Pœnitentia juxta Sanctos Patres laborioſus eſt baptiſmus: ergo, ut rite fiat, difficultas animoſe ſubeunda, & ſuperanda eſt; non difficultas, uti adverſarii faciunt, obtrudenda, ut ejus onus ex humeris dejiciatur. Verecundia, ſeu, quod idem eſt, infamiæ metus, confeſſionis comes eſt, quam Chriſtus ipſe ſubire nos voluit, dum confeſſionem inſtituit: adverſarii contra, ſacramenti naturæ, & inſtitutioni repugnantes, a confeſſione per interpretem liberant, quia verecundiam adjunctam habet. An Chriſtus definitos verecundiæ gradus in confeſſione ſubeundos tantum voluit? Undenam adverſarii hanc Chriſti doctrinam didicere? Hæc, crede mihi, & abſurda, & ridicula ſunt. La-Croix hoc objicit: „ Si ſcirem, Confeſſarium uni„ co homini revelaturum meam confeſſionem, non te„ nerer etiam in articulo mortis ei confiteri: ergo nec „ tenebor per interpretem. “ Reſp. Hypotheſis, quæ in antecedente ponitur, impoſſibilis eſt, ex qua proinde nulla quoad mores regula ſumi poteſt. Ceterum qua facilitate ait, eadem negari poteſt, quod ait. Ut minimum enim res eſt in incerto poſita. Quare allata ratio inutilis omnino eſt.

Jam confeſſio non ſolum divino jure præcepta eſt, ſed eodem divino jure eſt pars eſſentialis, ſeu materia ſacramenti pœnitentiæ. Quoad confeſſionem oris, cum fieri poteſt, res extra controverſiam eſt; idemque dicendum de confeſſione per nutus, aut ſcriptum, cum ore fieri nequit: ergo id affirmandum quoque eſt de confeſſione per interpretem, cum confeſſio alia ratione perfici non poteſt. Eadem enim omnium ratio eſt. Chriſtus enim voluit confeſſionem eſſe partem eſſentialem pœnitentiæ; quia ſententiam abſolutionis noluit a Sacerdote, niſi cauſa cognita, & patefactis pœnitentis reatibus, proferri. Qua ergo fronte Sacerdos contra Chriſti inſtitutionem, formam abſolutionis in eum proferre audebit, qui materiam afferre recuſat?

Illud ego nunquam concedam; ſed pono, ſententiam Buſembau, & aliorum eſſe probabilem, quod confeſſio per interpretem ex divino jure non ſit ad abſolutionem neceſſaria: at negare ne adverſarii illud audebunt, noſtram quoque ſententiam eſſe probabilem? Hic porro agitur de re ad ſacramenti valorem neceſſaria, in qua damnatum eſt, ſequi ſententiam probabilem relicta tutiore. Ergo Buſ. opinio quoad praxim damnata eſt.

Ex hac porro ratione illud evincitur, ut confeſſio per interpretem neceſſario facienda ſit, quotieſcumque pœnitens, qui alio modo confiteri non poteſt, abſolutionem petit; & nunquam ſit abſolvendus, niſi prius, cum poſſit, eo modo quo poteſt ſua peccata confiteatur.

Sicuti autem confeſſio, ita integra confeſſio jure divino præcepta eſt, & neceſſaria ad ſacramenti valorem ex Synodo Trid. ſeſſ. 14. can. 5. de confeſſ. ubi ait: *Itaque dum omnia, quæ memoriæ occurrunt, pecca-*

ta Chriſtifideles confiteri ſtudent, proculdubio omnia divinæ miſericordiæ agnoſcenda exponunt; qui vero ſecus faciunt, & ſcienter aliqua retinent, nihil divinæ bonitati per Sacerdotem remittendum proponunt. Ergo ablegandа eſt illa Buſembau doctrina, „ ac tunc adhuc ſufficit „ ea confiteri, quæ minorem pariunt infamiam, „ *Si enim*, ſubdit ſacra Syn., *erubeſcat ægrotus vulnus medico detegere, quod ignorat, medicina non curat.*

At ſaltem admitti debet, quod ait La-Croix nu. eit. 1190. „ Non eſt obligatio, ne quidem ſemel in anno con„ fitendi per interpretem, cum tantum præcipiatur con„ feſſio ſecrete, quæ fiat a ſolo pœnitente ſoli Sacerdo„ ti, uti conſtat ex relatis verbis Conciliorum, docent„ que Auctores plurimi cum Scot. Suar. Vaſq. Gran. „ Bonac. &c. "

Reſp. Pœnitens per interpretem juxta La-Croix confiteri ſua peccata ne ſemel quidem in anno tenetur; alio modo, ut ponitur, confiteri non poteſt; rurſus ex mox dictis ſine confeſſione abſolvi non poteſt: *ergo ſine culpa*, ſi La-Croixium audiamus, poterit hujuſmodi pœnitens unum, & alterum, & plures annos ſine pœnitentiæ ſacramento tranſigere, etiamſi peccatis forte onuſtus ſit. Ego ſane tam robuſto ſtomacho non ſum, ut hanc concluſionem deglutire, & digerere valeam. Si La-Croix, aut alii id poſſint, ipſi viderint. Sanius affirmari putem, hujuſmodi pœnitentem annuæ confeſſionis præcepto teneri. Nemo enim a præcepto eximitur, ſi illud implere poſſit: at pœnitens præceptum implere poteſt: ergo ab eo non eximitur. Major illa difficultas, & erubeſcentia, quæ ex confeſſione per interpretem ſubeunda eſt, non eſt hujuſmodi, ut a tam auguſto, ac neceſſario præcepto, quod eſt divinæ legis determinatio, exonerare poſſit. Modi confitendi per nutus, ſcriptum, interpretem ſunt inducti ex D. Thoma art. 3. cit. in ſupplementum confeſſionis vocalis: ergo ſi hæc fieri non poſſit, alio modo facienda eſt; quia *quando non poſſumus uno modo, debemus, ſecundum quod poſſumus, confiteri*, ait idem S. Doct.

Objectio La-Croixii ex Concilio Lat. ubi dicitur, quod *omnis* &c. *ſua ſolus peccata ſaltem ſemel in anno fideliter confiteatur* &c. nullius prorſus ponderis eſt, imo contra ipſum La-Croix pugnat. Sacra Syn. his verbis duo præcipit: primum eſt, ut quilibet, cum ad annos diſcretionis pervenerit, ſaltem ſemel in anno confiteatur: alterum, ut ſolus confiteatur: ſi ſolus confiteri non poſſit, an præceptum confeſſionis evaneſcit? Recens illud probabilium principium, quo aſſeritur, præceptum, quod ex præcipua, ſeu majori ſui parte ſervari non poteſt, nulla ex parte obligare, damnatum fuit ab Innoc. XI. propoſ. 54: ergo multo damnabilis eſt, quod præceptum nulla ratione obliget, ſi ex minus præcipua ſui parte fiat impoſſibile. Ergo certum eſt, annuam confeſſionem, quæ eſt præcipua pars præcepti Concilii Lateranenſis, obligare, ſi obſervari non poſſit ejus pars minus præcipua, hoc eſt, ut pœnitens ſolus Sacerdoti confiteatur. Præterea, dum pœnitens per interpretem ex neceſſitate ſua peccata confitetur, eo veluti inſtrumento utitur, ita ut ex æquo ſenſu *Solus*, hoc eſt aliis non præſentibus, nec audientibus confiteatur. Synodus vero Trid. ſeſſ. 14. cap. 5. de pœnit. a La-Croixio relata nihil aliud præſtat, niſi ut uſum perpetuum univerſalis Eccleſiæ ſecretæ confeſſionis commendet, & hunc ſanctum confitendi modum improbantes anathemate configat. At quid inde? Nihil ſcilicet, quod ad rem noſtram faciat.

Animadverſio XXXVI.

Si quis peccata in prioribus confeſſionibus oblitus eſſet, non tenetur etiam in articulo mortis ea confiteri publice, vel per interpretem.

Hoc quidem conſequitur ex iis, quæ Buſemb. dixit: at cum quæ dixerit, falſa eſſe oſtenderimus, hoc quoque dictum falſum eſſe, intelligitur.

Animadverſio XXXVII.

Non eſt mortale, &c. ſi in confeſſione mentiaris leviter &c. v. gr. ſi neges veniale, vel mortale, quod non teneris confiteri.

Idem docet La-Croix p. 335. & pro hac opinione citat Suar. Vaſq. Arr. Lug. Caſtrop. Dicaſt. Gorm. Illſ. Stoz, Tamb. At contra ſentire fatetur S. Bonav. Cajet. Palud. Ledeſm. Armillam, & alios, qui eo teſte putant fingere veniale in confeſſione, ſemper eſſe mortale. Nat. Alex. Theol. t. 1. p. 441. reg. 10. ait; tale mendacium eſſe periculoſiſſimum, quia pœnitens non hominibus, ſed Deo, hoc eſt miniſtro, Dei vicem gerenti mentitur, & injuriam ſacramento irrogat. P. Concina Theol. t. 9. p. 282. n. 6. rem quidem non definit, ſed dubitat, & veretur, ne ſit mortale ob peculiarem irreverentiam, adverſus ſacramentum, & inquit: „Hunc pœ„ nitentem obligarem ad pœnitendum de tali menda„ cio, ſaltem ut dubie mortali. " Hinc porro fit, ut il„ lud quoque dubitandum ſit, utrum talis confeſſio ſit irrita, nec enim peccatorum remiſſionem ex confeſſio conſequi poteſt, quæ mortali peccato inquinata gratiam obtinere non valet; ideoque hujuſmodi confeſſio propter dubium iteranda eſt.

Animadverſio XXXVIII.

Si confeſſio apud eumdem Confeſſarium iteretur; ſufficit &c.

Idem docet S. Antoninus p. 3. t. 14. cap. 19. §. 6. ubi ait: „ Poteſt ſuſtineri opinio Thomæ, " (qui ſuppl. qu. 9. art. 1. ait, *quod non tenetur iterare confeſſionem, qui fictus accedit, ſed tenetur poſtmodum fictionem ſuam confiteri*) „ loquendo de illo, qui confitetur ei, cui prius, „ & non oportet iterare confeſſionem ei prius factam, „ licet fictam, etiamſi Sacerdos non recoleret peccata „ ſibi prius dicta; quia nec quando confeſſio eſt integra, „ oportet, quod recolat actu de principio uſque ad fi„ nem; & maxime quia hic ſufficit abſolvere, & in„ jungere pœnitentiam pro fictione, & pro aliis quod „ faciat pœnitentiam ſibi injunctam. " Hanc ſententiam ſequitur quoque Nat. Alex. Theol. t. 1. p. 444. reg. 18. & Concina Theol. t. 9. p. 351. n. 4. præter Paludanum, Silv. & alios cum Suar. a La-Croix citatos p. 342. n. 1216.

Imo ſi nihil horum, ſeu tantum &c. recordetur, valide, etſi illicite abſolutarum putant Laym. &c.

Valida quidem in hac ſpecie abſolutio videtur, etſi ex parte Sacerdotis mala ſit, ſi pœnitens bona fide nitatus, putans, ſuum ſtatum Confeſſario notum eſſe; quia culpa Sacerdotis pœnitenti ſuo munere rite functo nocere non poteſt.

At ſi pœnitens advertat, ſuum ſtatum a Confeſſario ignorari, abſolutio mala eſſe videtur etiam ex parte pœnitentis, & invalida. Ratio eſt, quia pœnitens in hac hypotheſi ſuo deeſt officio. Cum enim confeſſionem fictam repetere teneatur, eam omittit, & diminute confitetur: confeſſio enim ficta, ſi nullam ſui memoriam in Confeſſario impreſſam relinquat, perinde eſt, ac ſi facta non fuerit: ergo pœnitens in hac hypotheſi diminute, ideoque invalide confiteri videtur.

Confeſſarius in hac ſpecie perinde ſe habet, ac alius Sacerdos, qui pœnitentis confeſſionem non excepit, nec de cauſa ſibi ignota ſententiam ferre poteſt.

Neque vero, quia olim ſententiam invalide tulit, jus ſibi acquiſivit, ut de eadem cauſa ſine cognitione ſententiam iterum ferat.

Animadverſio XXXIX.

Is qui a puero peccatum aliquod grave, v. g. mollitiem inculpabiliter omiſit, vel quia putavit leve &c. non ideo tenetur &c. ſed hoc tantum, ut &c.

In his Buſembaum, cui ſimilia habet La-Croix p. 342. n. 1213. verbis contradictio involvitur ex eo orta, quod indefinite ponat, peccatum grave a puero admiſſum; quia illud vel leve, vel nullum putavit, non eſſe mortale; quæ poſitio ex eo pelagiano errore derivatur, quod peccata non imputentur ad culpam, niſi eorum malitia advertatur. Nam ſi, quod certum eſſe debet, ponamus, peccatum mortale juri divino, & naturali, uti eſt mollities, aperte contrarium a gravis culpæ reatu non excuſari ex ignorantia, quia puer illud aut leve, aut nullum putavit, inde neceſſario fit, ut illud puer in confeſſione inculpabiliter non omiſerit. Si enim peccati admiſſio a gravi reatu immunis non eſt, ne ejus quidem omiſſio in confeſſione a gravi culpa excuſatur; quia ſub gravi culpa omnis mortalis culpa in confeſſione aperienda eſt. Oblivio quidem, quæ eſt ignorantia facti, excuſat a confeſſione, non item ignorantia juris. Puer porro peccatum mortale, e. g. mollitiem, aut ſimilia, ut perjuria, furta, contumelias, odium in proximum &c. in confeſſione non omiſit, ut ponitur, ex oblivione, ſed ex ignorantia juris: ergo ejus omiſſio non eſt inculpabilis, ut perperam ait, & ponit Buſembaum. Ergo non ſolum peccatum omiſſum, ſed etiam reliqua confiteri, & confeſſiones iterare tenetur; quod valde quoad praxim animadvertendum eſt, ne Confeſſarii non cogentes hujuſmodi pueros confeſſionem, ſeu confeſſiones iterare, & abſolutionem male impertientes, eorum peccatis ſocientur. Hanc doctrinam, quæ ſatis clara eſt, tradit Nat. Alex. qui Th. t. 1. p. 445. reg. 19. ita loquitur. " Qui peccatum aliquod mortale „ in confeſſione prætermiſit ex divini juris ignorantia, „ confeſſionem iterare tenetur: " quod confirmat ex D. Thoma in 4. ſent. diſt. 21. qu. 2. art. 1. ad 4. ubi ait: *Ignorantia juris non excuſat, quia ipſa peccatum eſt, ſed ignorantia facti excuſat. Unde aliquis de hoc, quod non confitetur peccata, quæ neſcit eſſe peccata* (uti puer in ca-

in caſu noſtro) *propter ignorantiam juris divini, non excuſatur a fictione*, hoc eſt a ficta, & invalida confeſſione.

Addens ſi ſimplex ruſticus, qui tota vita tantum fecit confeſſiones generales, &c. *nec aliter inſtructus ſit, etſi valide ſit abſolutus* &c.

Hypotheſis Buſemb. quoad factum vix poſſibilis eſt, ut ſcilicet ruſticus maxime rudis nihil unquam tota vita in ſpecie confeſſus ſit, ac repetitis confeſſionibus in Parochos, & Confeſſarios adeo imperitos, & malos ſemper inciderit, ut ſuæ ignorantiæ nunquam fuerit admonitus, & ſine ſpecifica, & numerica peccatorum confeſſione, quam neceſſariam eſſe, ubique vulgo traditur, & ſcitur, fuerit abſolutus.

Verum Buſemb. quoad jus quoque fallitur. Sicuti falſo poſuit puerum, qui mollitiem non confitetur, quia putat aut nullum, aut leve eſſe peccatum, valide confiteri; ita hic falſo ponit, ruſticum, qui in genere tantum ſua peccata confitetur, validam confeſſionem edere. Sicuti enim integra confeſſio jure divino neceſſaria eſt omnibus poſt baptiſmum lapſis ex Syn. Trid. ſeſſ. 14. cap. 5. ita omnes hanc neceſſitatem, ut integre confiteantur, ſcire tenentur.

Hæc cognitio non ad officium certæ conditionis, & ſtatus, ſed univerſe ad officium, & ſtatum Chriſtiani neceſſaria eſt. Hinc vulgo ubique id docetur, & notum eſt. Ignorantia porro eorum, quæ quilibet Chriſtianus ſcire tenetur, culpabilis eſt, non innoxia, ut male ponit Buſembaum, ex incuria, & oſcitantia profecta. Ruſticus, de quo Buſemb. loquitur, catecheſes ne, & conciones frequentavit? Interrogavit ne unquam pios aut Sacerdotes, aut laicos de iis, quæ ad animæ ſalutem, & ad legitimam confeſſionem pertinent? Hic ruſticus eſt ne ſtipes, an homo? Miror ſane, quod ignorantia integritatis confeſſionis culpa vacare ponatur, & quod Chriſtianus, qui in genere tantum confitetur, & illud tantum dicit, *peccavi*, validam confeſſionem facere dicatur.

Itaque ſi quis unquam tam malas confeſſiones fecerit, quidquid contra Buſ. dicat, omnes confeſſiones repetere, & rite facere cogendus eſt, ut abſolutione dignus judicetur, non autem abſolvendus, quantalibet ſit pœnitentium copia, ſi ſola peccata ab ultima confeſſione admiſſa recenſeat. Hoc enim nihil aliud eſſet, niſi diminute confeſſum abſolvere ratione affluentiæ pœnitentium; quæ eſt propoſitio 59. ab Innoc. XI. damnata.

Vide Dian. ubi addit ex Nav. &c. *quod etſi ex errore culpabili mortaliter, peccatum tale ... amiſeris, non ideo teneris repetere confeſſiones intermedias* &c.

Si prior confeſſio, in qua mortale peccatum ex errore mortaliter culpabili admiſſum, ut mollities &c. omittitur, diminuta eſt, & illegitima, cur aliæ ſubſequentes, ſeu intermediæ eodem vitio, ut ponitur, laborantes legitimæ, & validæ dicuntur?

Id ſane ego non intelligo, & ne alii quidem id forte intelligent.

La-Croix p. 342. n. 1223. hoc arcanum reſerare videtur, dum ait: „ Si pœnitens peccatum reticuit, peto, quale illud fuerit, & an tum temporis, quando fecit, putaverit eſſe mortale, item an putaverit eſſe mortale ſic illud reticere in confeſſione. Recte enim notat Averſ. qu. 10. ſ. 19. §. 2. quamvis ſæpe peccatum fiat ex ignorantia mortaliter culpabili, tamen ſæpe poſtea eſſe ignorantiam inculpabilem confitendi. "

Dum Confeſſarius ita interrogat, pœnitentis peccata ex ejus opinione metitur, & pelagiano errore infectus exiſtimat, non eſſe peccata mortalia, niſi qui ea admiſit, mortalia eſſe putaverit, nec eſſe obligationem ea confitendi, niſi pœnitens hanc obligationem agnoſcat, & putet eſſe mortale crimen, ea in confeſſione reticere; quæ ſi vera eſſent, uti ſunt aperte falſa, pœnitens non eſſet edocendus, ſed in tam felici ignorantia relinquendus. Caveant, quæſo, Confeſſarii a tam abſurdis præjudiciis, quæ non tam confutanda, quam deploranda ſunt.

Porro dum La-Croix addit: *Quamvis ſæpe peccatum fiat* &c. *tamen ſæpe poſtea eſſe ignorantiam inculpabilem confitendi*, arcanum Buſembau aperit, noſque docet, nec medias confeſſiones inter priorem proxime factam poſt mortale peccatum ex mortali ignorantia commiſſum, & in ea omiſſum, nec ipſam priorem, ſeu primam eſſe repetendam, neque Buſembaum a nobis fuiſſe intellectum.

Videlicet tum Buſembau, tum La-Croix ſatis quidem involute loquuntur; at uterque illud ponit, aut ponere videtur, non eſſe obligationem confitendi peccata, niſi pœnitens hanc obligationem adverterit; quod perinde eſt, ac ſi dixerint, pœnitentem non teneri ſcire peccata, quæ ſunt confitenda, & juris, quod ad confeſſionis integritatem pertinet, ignorantiam eſſe culpæ expertem; quæ aberratio ſatis ex ſe aperta eſt, & mox hic confutata. Peccator neſcit, peccatum a ſe admiſſum eſſe peccatum mortale, neſcit, obligationem eſſe illud confitendi; at utraque ignorantia ex culpa oritur, utraque deponi poteſt, utraque deponenda eſt; quod ſi non præſtet, nec oculos divinæ luci omnes illuminanti aperiat, nec rite confiteri, nec ſuarum culparum remiſſionem conſequi poteſt. Ergo ſi hoc in præteritis confeſſionibus factum non fuit, omnes repetendæ ſunt, ut animam in tuto ponat.

Oblivio peccati, cujus quis conſcientiam non habet, ideoque in confeſſione mentionem non facit, ex diſſoluta ſemetipſum diſcutiendi negligentia profecta, confeſſionem diminutam, & nullam facit, quæ neceſſario iteranda eſt.

Ergo diminuta quoque eſt, & nulla, ac neceſſario iteranda confeſſio, in qua quis peccatum omittit, cujus conſcientiam non habet ex culpa ſua, & quia habere non vult.

A n i m a d v e r s i o XL.

Excuſatur aliquando Confeſſarius, ſi leviſſimam, vel etiam nullam pœnitentiam injungat &c.

Eſt ne aliquando excuſandus Confeſſarius, qui pœnitentiæ ſacramentum mutilat? at qui nullam pœnitentiam injungit, ſacramentum mutilat: quia pœnitentia ejus pars eſt ex Syn. Trid. ſeſſ. 14. cap. 3.

Sed ut laxior Buſemb. doctrina intelligatur, & improbetur, eadem ſacra Syn. audienda eſt, quæ ſeſſ. 14. cap. 8. ita loquitur: *Debent ergo ſacerdotes Domini, quantum ſpiritus, & prudentia ſuggeſſerit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate ſalutares, & convenientes ſatisfactiones injungere; ne, ſi forte peccatis conniveant, & indulgentius cum pœnitentibus agant, leviſſima quædam opera pro graviſſimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur.*

Vehementiſſima contritio, quæ totius, aut fere totius pœnæ reatum deleat, rariſſima eſt, & ſemper incerta, ut ipſe Buſ. fatetur: porro certum luendæ pœnæ debitum, non incerta, ſed quoad fieri poteſt certa ſatisfactione ſolvendum eſt.

Adde, quod ſatisfactoriæ pœnæ quodam quaſi freno a peccato valde revocant, & coercent, peccatorum reliquiis medentur, & vitioſos habitus tollunt, ut eadem ſacra Syn. docet, & res ipſa loquitur. Quare cum pœnitentibus valde proſint, & Deo acceptæ valde ſint, ejuſque juſtitiæ conſentaneæ, Confeſſarii hac in re non laxi, ut Buſemb. inſinuat, ſed accurati, ut ſacra Synod. monet, & præcipit, eſſe debent.

Pœnitentiam tamen pro contritionis magnitudine prudenter temperandam eſſe, fateor, ut docet Innoc. III. lib. 5. decr. tit. 38. cap. 8. *Deus qui*, ubi ait: *Ceterum cum pœnitentia non tam ſecundum quantitatem exceſſus, quam pœnitentis contritionem per diſcreti Sacerdotis arbitrium ſit moderanda, penſata qualitate perſonæ ſuper fornicatione, adulterio, homicidio, perjurio, & aliis criminibus, conſideratis circumſtantiis omnibus, ac præſertim novitate Livon. Eccleſiæ, competentem pœnitentiam delinquentibus imponatis, prout ſaluti eorum videritis expedire*. Conſideranda hic ſunt illa verba, *moderanda*, *competentem pœnitentiam*, *prout ſaluti eorum videritis expedire*. Nec enim leviſſima pœnitentia, ut omittam illud Buſembau, *vel etiam nullam*, quod nimis abſurdum eſt, pro gravibus, præſertim ſi multæ quoque ſint, culpis impoſita, moderata eſt, competens, & pœnitentium ſaluti expediens.

At quid, ſi pœnitens, ut Buſemb. ait, aliter ſatisfeciſſe advertatur?

Reſp. Buſemb. hic falſa poſitione nititur. Neque enim pœnitens, quamdiu in mortalis peccati ſtatu verſatus eſt, in quo ſtatu fuit Dei inimicus, Deo ſatisfacere potuit; quia ejus ut Dei inimici opera, Deo accepta eſſe non potuerunt, ideoque ſatisfaciendi virtute caruere: quod affirmat D. Thom. ſuppl. qu. 14. art. 2. idque colligit ex Prov. 10. *Univerſa delicta operit caritas*: & ex 1. Cor. 13. *Si diſtribuero in cibos pauperum* &c.

Nihilominus etiam propter pia opera, quæ pœnitens in ſtatu peccati peregit, ſatisfactio prudenter temperanda eſt, non quod illa, ut male ponit, aut ponere videtur Buſemb. ſatisfactoria ſint, ſed quia, ut ait S. Thom. q. 14. cit. art. 3. ad 1. *quanto aliquis plura bona opera facit in peccato exiſtens, magis ſe ad gratiam contritionis diſponit; & ideo probabile eſt, quod minoris pœnæ ſit debitor. Et propter hoc debent a Sacerdote diſcrete computari, ut ei minorem pœnam injungat, inquantum invenit eum melius diſpoſitum.*

S. Carolus Borrom. in admon. ad Conf. n. 51. ita loquitur: „ Nell' ingiungere la ſoddisfazione e penitenza deve il Confeſſore eſſere circoſpetto, acciò non le imponga tanto leggiere, che la poteſtà delle chiavi ne venga in diſprezzo, e che eſſo non partecipi de' peccati d'altri; nè meno tanto gravi, o lunghe, che i penitenti ricuſino di eſeguirle, o accettandole, non

„ l'ele-

„ l'aſeguiſcano poi interamente : " Tum n. 52. ſubdit : Per tanto deve il Confeſſore ſapere i Canoni „ penitenziali. Perciocchè quantunque ſi poſſano , a ſi „ debbano moderare ad arbitrio di prudente e diſcreto „ Confeſſore ſecondo la contrizione del penitente , o la „ qualità , e diverſità delle perſone , ed altre circuſtanze ; nondimeno è bene ſempre guardare i ſuddetti „ canoni , ed a quelli , come a regole conformarſi , „ quanto giudicherà ſpediente , e quantunque &c. "

Si pœnitens ſit mentis impos &c.

Quoad infirmos S. Carol. Borr. in inſtruct. de viſit. & cura infirm. apud Nat. Alex. p. 488. reg. XI. ait ; „ Pœnitentiam ne ideo nimis levem imponat, quod juſta ab homine jacente non poſſit præſtari , ſi probabile ſit , quod convaleſcet , & tunc præſtare poterit , „ quod non poterat jacens . Quod ſi credibile ſit , eum „ non amplius ſurrecturum , rationes pœnitentiæ juſtæ „ eliget , quæ poſſint præſtari a jacente , veluti magnam eleemoſynam pro facultatum modo . Suadebit „ vero ſemper , ut morbi afflictiones penitentiæ loco libenter accipiat , Dominoque pro peccatis ſuis offerat . "

Quando ſcrupuloſus ſæpius intra eamdem horam redit cum novis culpis : quæ &c.

Cum ſcrupuloſus redit cum novis culpis , quarum fuit oblitus , falſo ponitur , pœnitentiam ſatis fuiſſe impoſitam in præcedentibus ; quia Confeſſarius pœnitentiam imponit pro ratione peccatorum , quæ audivit , non pro iis , quæ illi declarata non fuerunt .

ANIMADVERSIO XLI.

Etſi Confeſſarius peccet &c. excuſent tamen eum poſſe putat Dian. ſi addat &c. Verum hæc regula univerſaliter admitti non poteſt &c.

Hæc regula laxiſſima , ab aliis communi conſenſu, ut Buſ. ipſe fatetur , exploſa , nec univerſe , nec unquam admittenda eſt ; ſed pœnitentia imponenda eſt juxta regulas a Synodo Trid. Summo Pont. Innoc. III. Sanctiſque Thoma , & Carolo Borr. traditas , & mox explicatas.

ANIMADVERSIO XLII.

Minor juſto licite datur ex cauſa ; qualis eſt ... 3. tempus Jubilæi , vel &c.

Id quoque probat La-Croix p. 346. n. 1248.

At plenaria indulgentia non conceditur , niſi vere pœnitentibus : nec vere pœnitentes ſunt , qui congruas pœnitentias implere parati non ſunt : ergo pœnitentes tempore plenariæ indulgentiæ ad eas parati eſſe debent ; ideoque iis imponendæ ſunt.

Plenariæ indulgentiæ in Urbibus ſunt fere quotidianæ ; quarum ratio ſi ſatis eſſet ad minuendas pœnitentias , Confeſſarius nunquam deeſſet ratio eas minuendi ; quod non videtur congruum ſaluti pœnitentium.

Adde , quod pœnitentiæ imponuntur non ſolum in ſatisfactionem , ſed aliis de cauſis , ut ex Syn. Trid. mox explicatum eſt ; quæ cauſæ non ceſſant ratione Jubilæi , aut plenariæ indulgentiæ.

Demum reatus pœnæ certus eſt , indulgentiæ plenariæ conſecutio non eſt certa : porro reatus certus non incerta , ſed quoad fieri poteſt , certa expiatione delendus eſt . Ex quibus fit , ut Jubilæum non videatur juſta cauſa minuendi congruas pœnitentias . Hac de re legi poteſt Nat. Alex. Theol. t. 1. p. 543. reg. 22. ubi legitur can. 18. Concilii Salegnſtiadenſis in hæc verba : *Quia multi tanta mentis ſuæ falluntur ſtultitia , ut in aliquo capitali crimine inculpati , pœnitentiam a Sacerdotibus ſuis accipere nolint , in hoc maxime confiſi , ut Romam euntibus Apoſtolicus omnia ſibi peccata dimittat ; ſancto viſum eſt Concilio , ut talis indulgentia illis non proſit , ſed prius juxta modum delicti* (non juſto minorem , ut Buſ. ait) *pœnitentiam ſibi datam a ſuis Sacerdotibus adimpleant ; & tunc Romam ſi velint ire , ab Epiſcopo proprio licentiam , & litteras ad Apoſtolicum ex eiſdem rebus deferendas accipiant* .

Hinc Bened. XIV. in epiſt. encyclica ad Rom. Confeſſ. 3. Decembris 1749. n. 65. ait : *Reſtava unicamente il dire qualche coſa ſopra il tralaſciarſi dal Confeſſore d' imporre la penitenza , giacchè dicevaſi , non eſſere il penitente , che aveva preſo l' indulgenza , obbligato di adempirle ; ed eſſendoci ciò paruto un rilaſciamento , nella iſtruzione , della quale ſi tratta , al §. 26. ci ſiamo ſpiegati doverſi dal Confeſſore imporre al penitente la ſalutar penitenze , ancorchè eſſo ſia preparato a prendere il Giubileo ; dal che poi naſce l' obbligo del penitente di doverla adempire* . Ait , *la ſalutar penitenza* , non juſto minorem . Nec enim indulgentiæ eo ſpectant , ut ſegnitiem foveant , ſed ut imbecillitatem adjuvent .

ANIMADVERSIO XLIII.

Non poteſt injungi 2. pœnitentia publica , ſi ſit periculum revelandæ confeſſionis .

Cum peccatum publicum eſt , ex ſeipſo , & a pœnitente revelatum jam fuit ; ideoque nullum poteſt eſſe periculum revelationis , ſeu revelandæ confeſſionis in Confeſſario ſuo munere fungente , & publicam pœnitentiam imponente ; quæ non ſolum pro publico peccato interdum injungi poteſt , & expedit , ut Buſemb. loquitur ; ſed debet injungi , & neceſſario injungenda eſt , ut ait Synod. Trid. ſeſſ. 24. cap. 8. his verbis : *Apoſtolus monet , publice peccantes palam eſſe corripiendos . Quando igitur ab aliquo publice , & in multorum conſpectu crimen commiſſum fuerit , unde alios ſcandalo offenſos , commotoſque fuiſſe , non ſit dubitandum ; huic condignam pro modo culpæ pœnitentiam publice injungi oportet , ut quos exemplo ſuo ad malos mores provocavit , ſuæ emendationis teſtimonio ad rectam revocet vitam* .

Itaque pœnitenti , qui publico ſcandalo inimicitiæ , intemperantiæ , ſeu libidinis , avaritiæ , & injuſtitiæ , iracundiæ , & rixarum , impietatis , ac perjuriorum , blaſphemiæ &c. multos offendit , ut publica reconciliationis , temperantiæ , juſtitiæ , manſuetudinis , pietatis ſigna exhibeat , imponendum eſt , quæ prout prudentia , & pietas dictaverit , a Confeſſario determinanda erunt .

ANIMADVERSIO XLIV.

Etſi poſſit immediate poſt abſolutionem adhuc injungi &c.

Id quidem faciendum eſt , ſi Sacerdos forte oblitus ſit pœnitentiæ ante abſolutionem imponendæ : at non eſſe obligationem præmittendi pœnitentiæ impoſitionem abſolutioni , falſum puto. Ratio eſt , quia pœnitens abſolvendus non eſt , ſi congruam , & ſalutarem ſatisfactionem recuſet : ergo neceſſe eſt ut hæc ei a Sacerdote denuntietur , & ab eo acceptetur , priuſquam abſolvatur . Præterea cum ratio hunc neceſſarium ordinem ſine culpa prætermitti non poſſe evincat , tum ipſa univerſalis Eccleſiæ conſuetudo legis loco eſt in hujuſmodi re gravi , & neceſſaria , quidquid Buſ. Dian. aut alii contra ſentiant . Hinc Rituale Rom. de ſacram. pœnit. ait : *Cum igitur pœnitentem abſolvere voluerit , injuncta ei prius , & ab eo acceptata ſalutari pœnitentia , primo dicit : Miſereatur* &c.

ANIMADVERSIO XLV.

Quorum ſententia ad hoc ſaltem ſerviet , ut &c. ſi leviſſimam &c.

Hanc ſententiam probat quoque La-Croix p. 346. nu. 1260. quæ ſane cum proxima anteriore Buſembau opinatione conſentit , & cohæret . Si enim Sacerdos neminem , qui vel leviſſimam pœnitentiam ſubire velit , ſine abſolutione dimittere debet , pœnitentem prius abſolvere poteſt , quam ſatisfactionem injungat ; quia merito ponit , neminem leviſſimam pœnitentiam v. g. unum Pater , & Ave recuſaturum . At prior illa ſententia ex dictis falſa eſt : ergo etiam hæc præſens.

Utraque ſane abſurda , & falſa eſt ; quia utraque judicii ordinem pervertit . At hæc poſterior magis abſurda , & evidentius falſa , utpote quæ Judicem reo ſubdat , ejuſque arbitrio turpiſſime addicat , divinæ juſtitiæ jura violet , pœnitenti flagitioſe indulgeat , ejuſque ſalutem , ne illi diſpliceat , prodat , Confeſſarium alienorum criminum participem efficiat , & abſolutionem non mature impertiendam , ſed projiciendam doceat , ac demum Tridentinæ Synodo ſupra cit. apertiſſime contraria ſit . Hujuſmodi eſt præſens Buſembau , & La-Croix opinatio ; quam proinde merito inſectatur , & graviter carpit P. Concina Theol. t. 9. p. 439. qu. 3.

ANIMADVERSIO XLVI.

Dixi 1. communiter : *quia probabile eſt , pœnitentiam ſub veniali tantum obligare . 2. Si impoſita ſit pro ſolis venialibus . 2. Si pro mortalibus aliàs confeſſis* .

Quod La-Croix p. 347. n. 1279. probat , etiamſi pœnitentia injuncta gravis ſit.

Hanc ſententiam Concina Theol. t. 9. p. 432. n. 12. falſam putat , quam ipſo teſte Salmanticenſes rejiciunt , & pro contraria plures juniores allegant . Cujus ratio eſt , quia Sacramentum mutilare , non levis , ſed mortalis culpa eſt : ſed qui pœnitentiam ſeu levem , ſeu multo magis gravem pro venialibus , aut mortalibus alias accuſatis impoſitam omittit , Sacramentum mutilat , hoc eſt ſua integritate detruncat : ergo &c. La-Croix quidem n. 1278. propoſitionem negat , loquendo , ut reipſa loquimur , de mutilatione quoad ſolam Sacramenti integri-

tegritatem. Sed illud conſiderandum eſt, non quod ipſe neget, ſed quod jure negari poſſit. Licet enim materia levis, niſi aliud addatur, graviter non obliget; quatenus tamen pertinet ad Sacramenti integritatem, res gravis, & graviter obligans rectius aſſeritur, quam negatur, ſicuti e. g. digitus, aut etiam manus res minuta, & exigua abſolute eſt, at magni momenti, prout ad humani corporis integritatem neceſſaria. Ergo ſicuti mortaliter peccat, qui digito, aut manu corpus mutilat, ita, imo multo magis mortaliter peccare videtur, qui partem neceſſariam ad Sacramenti integritatem detruncat, illudque fœde deformat, & deturpat. Sublimis Sacramenti dignitas, ejuſque deformatio ex omiſſione pœnitentiæ conſideranda eſt: ex quo quilibet intelliget, Concinæ ſententiam longe rationabiliorem eſſe, quam La-Croixii, & Buſembau. Quod ſi hoc verum eſt, etiamſi pœnitentia impoſita ſit levis, multo magis id verum eſt, ſi ſit gravis. At, inquit La-Croix, „ hæc materia, inquantum eſt gravis, non eſt neceſſaria, cum „ Confeſſarius neque ſub gravi peccato, neque materiam gravem teneatur pro talibus peccatis imponere: „ ergo materia, quæ neceſſaria eſt reſpectu peccatorum „ pœnitentis, eſt tantum levis: ergo hanc omittere „ erit tantum veniale. “ Reſp. Hæc ſubtilis La-Croixii ratio nec ſolida, nec probabilis eſt, ſed ſophiſtica. Eſto enim non teneatur Confeſſarius materiam illam, ſeu pœnitentiam gravem imponere; quid inde? Inde ſcilicet fit ut abſolute ſine ulla additione loquendo pœnitenti neceſſaria non ſit; at illud adde, ut a Confeſſario ſit impoſita, & a pœnitente acceptata: eſt ne amplius quoad pœnitentem libera? Eſt ergo aperte falſum, quod gravis pœnitentia, quatenus gravis, a Confeſſario pro venialibus, aut mortalibus antea accuſatis impoſita, & a pœnitente acceptata, non ſit materia neceſſaria. Hinc agnoſce indolem probabilitatis ad cavillandum pronæ, ne ejus rationes ſine examine admittas. La-Croix num. 1279. ita concludit: „ Utra„ que ſententia eſt probabilis. “ At nec Theologia, nec Philoſophia ſana, contradictoria probat.

Quod ſi non ſolum gravis, ſed etiam levis pœnitentia pro venialibus impoſita, graviter obligare merito aſſeritur, multo magis id verum eſt, ſi pro mortalibus imponatur numquam rite accuſatis. Quare hic quoque rejiciendus eſt Buſemb, & La Croix, qui contrarium ſentit n. 1278. nixus eo principio, quod mox fuit labefactatum. Hæc enim culpa gravior eſt; quia, cum gravior pœnitentia agenda a pœnitente eſſet, ne levis quidem impletur; & cum deficiens ſatisfactio ſupplenda foret, ne injuncta quidem peragitur.

Si Confeſſarius noluit obligare ſub mortali: quia cum poſſit imponere pœnitentiam libere .... poteſt &c.

Sacerdotem poſſe imponere pœnitentiam libere, & ſine obligatione, ipſe La-Croix p. 345 n. 1249. minus probabile putat contra Buſembaum, ego autem falſum exiſtimo. Sacerdos enim Dei miniſter cum ſit, ejus voluntati, & legi ſeſe conformare tenetur: at, cum voluntas Dei ſit, & lex, ut peccatores dignam, ſeu congruam pœnitentiam faciant, ut declarat Luc. 3. v. 8. illis verbis, *Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ*, intelligitur, Deum velle, & præcipere, ut Sacerdotes congruam pœnitentiam determinando, illam ſub obligatione imponant, & imponere debeant: ergo non poſſunt eam libere, & ſine obligatione imponere. *Claves*, inquit Syn. Trid. ſeſſ. 14. cap. 8. *Sacerdotibus non ad ſolvendum dumtaxat, ſed & ad ligandum conceſſas, etiam antiqui Patres & credunt, & docent*. Ergo Sacerdotes clavibus manifeſte abuterentur, ſi pœnitentiam ſine obligatione imponerent; quia clavibus ſolum uterentur ad ſolvendum, non item ad ligandum. Hinc eadem ſacra Syn. eodem c. 8 ait: *Debent ergo Sacerdotes Domini, quantum ſpiritus, & prudentia ſuggeſſerit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate ſalutares, & convenientes ſatisfactiones injungere*.

Quid eſt illud *injungere*, niſi præcipere, ſeu imponere veluti onus neceſſario portandum? Sacræ Synodi mentem, & verba ſine dubio pervertunt, qui putant, pœnitentias inſtar conſilii a Sacerdotibus ſuggeri poſſe, nec neceſſario ſub præcepto eſſe imponendas; præſertim cum, ſi pœnitentiæ in pœnitentium arbitrio relinquantur, pœnitentes poſſint leviſſima opera pro graviſſimis delictis præſtare; quod ſacræ Synodi menti aperte repugnat, quæ ſubdit: *Ne, ſi forte peccatis conniveant, & indulgentius cum pœnitentibus agant, leviſſima quædam opera graviſſimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur*. Hinc Summus Pont. Bened. XIV. ad c. 3. cit. ait: *Ci ſiamo ſpiegati, doverſi dal Confeſſore imporre al penitente la ſalutar penitenza* &c. *dal che poi naſce l'obbligo del penitente di doverla adempire*,

Itaque cum La-Croix n. cit. ait, „ Probabilius vide„ tur pœnitentiam non debere injungi ſub conſilio tan„ tum, ſed ſub obligatione aliqua, “ eatenus refellendus eſt, quatenus his verbis juxta falſa ſua principia Buſembau opinionem reipſa non improbet, imo quoad praxim probet tamquam probabilem; præſertim cum addat illud, *ſub obligatione aliqua*; qua additione vult, Confeſſarium „ poſſe pœnitentiam de ſe gravem, & pro „ mortalibus debitam imponere ſub obligatione tantum „ levi; “ qua in re cum Buſembau concordat, & rejiciendus cum eodem eſt.

Si enim Confeſſarius ita ſe gerat, Dominum agit, cum ſit miniſter, ac miniſterii poteſtate abutitur; quia, cum graviter pro ratione criminum ligare ex commiſſa ſibi diſpenſatione teneatur, leviter tantum ligat. Adde, quod ex mox dictis omiſſio pœnitentiæ ea ratione ſit mortalis culpa, quod Sacramentum mutilet, & fœde deturpet. Ergo Sacerdos non ſolum peccat, ſi ſub levi tantum obligatione pœnitentiam gravem imponat, ſed ne id quidem ſua auctoritate facere poteſt; quia ſua auctoritate facere non poteſt, ut omiſſio pœnitentiæ non ſit mutilatio Sacramenti.

Poterit tamen pius, & prudens Confeſſarius impoſita congrua ſatisfactione juxta modum criminum, & pœnitentium facultatem, addere alia ſatisfactoria, & ad præſervandum a peccatis apta opera ex conſilio a pœnitente peragenda, prout ejus ſaluti expedire cognoverit.

Eum, qui lucratur indulgentiam &c. *liberari ab onere pœnitentiæ (niſi* &c. *) docet* &c.

An in hoc laxamento refellendo immorari operæ pretium eſt? Hactenus dicta illud labefactant, & monſtro ſimile eſſe, evincunt. Illud repudiat Bened. XIV. verbis ca. 3. relatis, ubi ita loqui pergit. „ Ed oltre la „ neceſſaria correlazione, che intercede fra l'autorità „ d'imporre la penitenza, e l'obbligo di adempirla, eſ„ ſendoci ſembrato incomprenſibile, che poſſa dirſi, o „ ſia *vere pœnitens*, come deve eſſere, chi vuol conſe„ guire la plenaria indulgenza, ſe col preteſto di eſſa „ vuol eſentarſi dall'adempire quella penitenza, che „ nella ſacramental confeſſione gli è ſtata impoſta dal „ Confeſſore.

Animadversio XLVII.

Imo ad eam non obligabitur, ſi omnino injuſtam eſſe conſtet.

Cuinam conſtare debet, pœnitentiam eſſe omnino injuſtam? An ipſi pœnitenti? At nemo judex in cauſa propria. Neque vero hic agitur de re cuilibet evidence. „ Quiſque, ait Concina Theol. t. 9. p. 435. num. „ 23. communiter in hac materia ſe doctum, probum„ que reputat. Quare cauſam iſtam ut ineptam, & „ periculi plenam rejicio.

Præterea ſi pœnitentia fuit evidenter injuſta, cur non fuit recuſata? Si autem fuit acceptata, cur non impletur? An pœnitens propria auctoritate poteſt ſibi acceptatam obligationem remittere? Hoc ſcilicet eſt abſurdum, & aperte falſum. Adde, quod pauciſſimi etiam ex juſtis ſatiſfactiones juſto majores, hoc eſt majores pœnis, quæ peccatis debentur, Deo exhibeant, etiamſi præter pœnitentias a Confeſſariis impoſitas alia pia, & ſatiſfactoria opera peragant. Qua ergo fronte peccatores criminibus onuſti de pœnitentiis ſibi impoſitis judicium ferre, eas evidenter injuſtas appellare, & omittere audent?

Cur ipſi Theologi tam perverſa judicia, & criminoſas omiſſiones iis permittunt?

Aut ſi pœnitens eam non poſſit implere.

„ Si tamen, inquit Concina, dividua pœnitentia ſit, „ eam implere partem debet, quam poteſt. “ Quæ doctrina certiſſima eſt, ſicuti certiſſimum eſt, eum, qui non poteſt matutinum, & laudes recitare, poteſt autem reliquas horas, has recitare teneri ex prop. 54. ab Innoc. XI. damnata.

Quamquam hac in re miſſis contentionibus Confeſſarius, ſi fieri poteſt, adeundus eſt, ut pœnitentiam commutet. Quod ſi qui pœnitentiam impoſuit, adiri non poſſit, ad alium confugiendum eſt, qui id præſtet: hoc autem in ipſa confeſſione præſtandum eſt; quia pœnitentia hujuſmodi ad Sacramentum pertinet; ideoque extra ipſum commutatio fieri nequit; qua de re infra ad reſp. 2. hujus ar.

Vel illius ſit oblitus; nec tunc ad aliud quidam tenetur. Idem habet La-Croix p. 347. n. 1275.

Ego non Theologos, ſed æquos, piosque homines hic conſulo. Recitata doctrina eſt ne ſana, & tuta? Præclarum ſane oblivionis privilegium, ut non ſolum ab impoſito pœnitentiæ onere, ſed ab alio quocumque exoneret.

An hæc fuit, aut eſſe potuit Chriſti miniſtri mens, ut, ſi pœnitens pœnitentiæ forte obliviſceretur, nihil omnino præſtare teneretur? Cuinam unquam tam abſurda cogitatio in mentem venire potuit? Venit tamen Buſembau, La-Croixio, & aliis. Titius grave debitum

cum Sempronio contraxit; qus de re nullum chirographum extat, imo nulla memoria, ita ut Titius nec quid, nec quantum debeat, amplius recordetur: quæro hic, utrum Titius ab omni onere ſolutus ſit, & Sempronio nihil omnino debeat. An etiam de his dubitandum eſt? Dubitari autem poteſt, utrum pœnitens nihil omnino debeat, quia debiti pro ſuis culpis a Chriſti miniſtro ſibi impoſiti oblitus eſt?

Quid ergo, inquis, faciendum eſt? „ Pœnitens, inquit Concina, adire Confeſſarium debet, ut, ſi recordetur, pœnitentiam patefaciat. Si etiam Confeſſarius oblitus peccata fuerit, tum denuo confiteri peccata debet, ut congruam pœnitentiam accipiat, & manifeſtare, an oblivio fuerit, necne culpabilis: " vel, ut dixit p. 434. num. 20. de commutatione pœnitentiæ ab eodem Confeſſario facienda (res enim præſens nihil aliud eſt, niſi pœnitentiæ commutatio neceſſario facienda) „ ſufficit, ut Confeſſarius notitiam peccatorum habeat, & ſtatus pœnitentis, licet notitia non ſit adeo exacta. "

Hoc ſane ea etiam ratione neceſſario præſtandum eſt, ne Sacramentum mutilum ſit, & ſua integritate deſtitutum; a qua integritate dum La-Croix pœnitentem excuſat, & liberat, ne eadem peccata bis confiteri cogatur, abſurda abſurdis addit, & refutatione dignus non eſt. An refutatione dignus eſt, qui pœnitentis commodum, Sacramenti integritati præfert?

ANIMADVERSIO XLVIII.

Is qui pœnitentiam implet in ſtatu peccati, probabiliter quidem ſatisfacit &c.

Id quoque affirmant communiter recentiores. Merbeſius, Juvenin, Turnely, Le Druin, & alii plurimi teſte Concina Theol. t. 9. p. 359. n. 2. Contrarium aſſerunt S. Thom., S. Bonav., S. Antoninus, Soto, Ledeſma, Suar., Lugo, Toletus, & alii, quos tamen Concina intelligendus putat de ſatisfactione meritoria, ſine qua impleri poſſe præceptum ſatisfaciendi, priores exiſtimant.

S. Thom. Suppl. qu. 14. ar. 2. ad 2. ait: *Quod ſicut homo neſcit pro certo, utrum caritatem habuerit in ſatisfaciendo, vel habeat; ita etiam neſcit pro certo, utrum plene ſatisfecerit; & ideo dicitur Eccl. 5.* „ De propitiato peccato noli eſſe ſine metu. " *Nec tamen exigitur, quod propter hunc metum homo ſatisfactionem expletum iteret, ſi conſcientiam peccati mortalis non habeat. Quamvis enim pœnam non expiet per hujuſmodi ſatisfactionem; tamen non incurrit reatum omiſſionis ex ſatisfactione neglecta, ſicut nec ille, qui accedit ad Euchariſtiam ſine conſcientia peccati mortalis, cui ſubjacet, reatum indignæ ſumptionis incurrit.* Sicuti S. Doct. in præcedentibus quæſtionibus de illis, quæ ad Sacramentum pœnitentiæ pertinent, diſputat; ita hic de ſatisfactione ſacramentali agit, idque ipſa ejus verba latis oſtendunt. Cum autem doceat, ſatisfactionem non eſſe iterandam, ſi pœnitens conſcientiam peccati mortalis non habeat, hinc liquido colligitur eſſe iterandam, ſi conſcientiam peccati mortalis habeat. Hic enim incurrit reatum omiſſæ ſatisfactionis, ſicuti incurrit reatum indignæ ſumptionis, qui cum conſcientia peccati mortalis ad Euchariſtiam accedit. Sed D. Thom. ſuam mentem diſtinctius aperit ar. 3. ad 3. ubi ait: *Quod aliquæ ſatisfactiones ſunt*, (a Confeſſario injunctæ, de quibus expreſſe loquitur, ut patet ex verbis objectionis, cui reſpondet) *ex quibus manet aliquis effectus in ſatisfacientibus, etiam poſtquam actus ſatisfactionis tranſit: ſicut ex jejunia manet corporis debilitatio, & ex eleemoſynarum largitione ſubſtantiæ diminutia, & ſic de ſimilibus. Et tales ſatisfactiones in peccatis factæ non oportet, quod iterentur; quia quantum ad hoc, quod de eis manet, per pœnitentiam Deo accepta ſunt: ſatisfactiones autem, quæ non relinquunt aliquem effectum in ſatisfaciente, poſtquam actus tranſit, oportet quod iterentur, ſicut eſt de oratione, & ſimilibus: actus autem interior, quia totaliter tranſit, nullo modo vivificatur, ſed oportet quod iteretur.* Hanc doctrinam ex ſe æquiſſimam, tantique Doctoris auctoritate fultam ſequitur Natalis Alex. Theol. t. 5. p. 462. reg. 23. ubi addit: „ Eamdem regulam confirmat S. Antoninus 3. p. tit. 14. c. 20. tutiuſque propterea eſſe docet, ut Confeſſarius etſi diuturnas imponat pœnitentias jejuniorum, peregrinationum, ſimiliumque operum, prout requirunt peccata, non tamen injungat diuturnas pœnitentias orationum, & præcipue his, de quorum relapſu celeri dubitat. "

Accedit, quod ſatisfactio a Sacerdote injuncta, ſit quaſi materia pœnitentiæ, ejuſque pars: at ſatisfactio, quæ reipſa ſatisfactio non eſt, quia Deo non eſt accepta, nec illi ſatisfacit, non eſt quaſi materia, nec pars pœnitentiæ: ergo non eſt ſatisfactio a Sacerdote injuncta, ideoque ſatisfaciendi præceptum non implet.

Præterea Syn. Trid. ſeſſ. 14. c. 3. ita loquitur: *Sunt autem quaſi materia hujus Sacramenti, ipſius pœnitentis actus, nempe contritio, confeſſio, & ſatisfactio; qui quatenus in pœnitente ad integritatem Sacramenti, ad plenamque, & perfectam remiſſionem peccatorum ex Dei inſtitutione requiruntur, hac ratione pœnitentiæ partes dicuntur.* At opera ſatisfactoria in ſtatu peccati peracta ad integritatem Sacramenti, & ad plenam peccatorum remiſſionem non requiruntur; quia ad id non conferunt: ergo non ſunt Sacramenti pars; ideoque, ut mox ratiocinabar, præcepto non ſatisfaciunt; quia præcepti ſubſtantia, ſi ita loqui libet, tota in eo eſt, ut Sacramentum pœnitentiæ integrum faciat. Nam licet modus caritatis ex D. Thoma ſub præceptum univerſe non cadat, hæc tamen regula ſuam patitur exceptionem in noſtra ſpecie, in qua opus præceptum ex natura ſua caritatis ſtatum poſtulat.

Prioris ſententiæ aſſertores eam colligunt ex antiqua Eccleſiæ diſciplina, cum ſatisfactio præcedebat abſolutionem; & quia ipſa confeſſio eſt pars eſſentialis Sacramenti, quamvis in ſtatu peccati mortalis facta.

Reſp. Antiqua diſciplina eo ſpectabat, ut pœnitentes ad veram vehementemque contritionem diſponerentur, a peccatis abſterrentur, eorumque contritio veluti aurum igne probaretur; quia, ut ait D. Thom. Suppl. q. 14. ar. 3. *quanto aliquis plura bona opera facit in peccato exiſtens, magis ſe ad gratiam contritionis diſponit; & ideo probabile eſt, quod minoris pœnæ ſit debitor. Et propter hoc deberent a Sacerdote diſcrete computari, ut ei minorem pœnam injungat, inquantum invenit eum melius diſpoſitum.* Itaque pœnitentiæ abſolutionem præcedentes, ſatisfactionis loco olim habebantur, non quod ſatisfactiones proprie eſſent, quandiu in ſtatu mortalis peccati fierent, ſed quia, cum diutinæ, & duræ eſſent, ad vehementem contritionem præparabant, & probabile erat, eas bona ex parte ex acri dolore, qui ſtatum gratiæ ante abſolutionem reſtitueret, fuiſſe profectas.

Diſcrimen inter confeſſionem, & ſatisfactionem evidens eſt; quia confeſſio eſt neceſſaria diſpoſitio ad abſolutionem, & culpæ remiſſionem, at ſatisfactio abſolutionem ſubſequitur, culpæque remiſſionem ſupponit.

Peccat tamen, ſed venialiter, ut docet &c.

Ego vero reum culpæ peccatorem numquam agam, dum bene agit, orat, jejunat, eleemoſynas largitur. „ Venialiter peccat, inquit Buſemb., quia Sacramenti partem ſuſcipit indigne, & obicem ponit effectui, ſcilicet remiſſioni pœnæ. " Reſp. Falſum eſt, quod pœnitens impoſitas ſatisfactiones peragens, Sacramenti partem ſuſcipiat; non ſuſcipit, ſed operatur, & operando Sacramenti partem complet, & perficit, non recipit, ſi in ſtatu gratiæ id præſtet.

Si vero opera a Sacerdote injuncta in ſtatu peccati fiant, Sacramenti pars ex mox dictis non ſunt. Neque vero ipſa bona opera obicem ponunt remiſſioni pœnæ, ſed peccati ſtatus, in quo proinde permanendum non eſt, tum aliis de cauſis, tum ut opera bona vi ſatisfaciendi prædita ſint. Quare peccator in noſtra ſpecie non peccat, ſed pœnitentiam juxta mox dicta, & moderationem D. Thomæ iterare tenetur.

Quem tamen, obice remoto, recuperari docent Navar., Tol. &c.

Hoc quoque falſum eſſe, docet, & evincit D. Thom. qui Suppl. qu. 14. ar. 3. ita ratiocinatur. *Opera extra caritatem facta idea non erant ſatisfactoria, quia fuerunt mortua: ſed per pœnitentiam non vivificantur. Ergo nec incipiunt eſſe ſatisfactoria.*

Præterea caritas non informat actum, niſi qui ab ipſa aliqualiter procedit: ſed opera non poſſunt eſſe Deo accepta, ac per hoc nec ſatisfactoria, niſi ſint caritate informata: ergo cum opera facta extra caritatem, nullo modo ex caritate proceſſerint, vel de cetero procedere poſſint, nullo modo poterunt in ſatisfactionem computari.

Reſpondeo dicendum, quod quidam dixerunt, quod opera in caritate facta, quæ viva dicuntur, ſunt meritoria vitæ æternæ, & ſatisfactoria reſpectu pœnæ dimittendæ; & quod per caritatem ſequentem opera extra caritatem facta vivificantur quantum ad hoc, quod ſunt ſatisfactoria, ſed non quantum ad hoc, quod ſunt meritoria vitæ æternæ.

Hanc eamdem opinionem exſuſcitarunt nonnulli, quos hic ſequitur Buſembaum. At quid S. Doctor? *Sed hoc*, inquit, *non poteſt eſſe: quia utrumque habent ex eadem ratione opera ex caritate facta, ſcilicet ex hoc quod ſunt Deo grata. Unde ſicut caritas adveniens non poteſt opera extra caritatem facta, grata facere quantum ad unum, ita nec quantum ad aliud.*

Si opinio Buſemb. vera eſſet, etiamſi opera a Confeſſario injuncta, & a pœnitente in ſtatu peccati facta non ſint ſatisfactoria, ea tamen non eſſent ex neceſſitate repetenda, quia per ſubſequentem confeſſionem vim ſatisfaciendi recuperarent, & Sacramenti pars fierent: at quoniam hæc quoque opinio falſa eſt, neceſſario repetenda ſunt.

Unde

Unde quam primum eſt implenda, poteſque graviter etiam peccari nimium differendo, quod ex variis circumſtantiis eſt judicandum. Hactenus rectiſſime

Imo poſſe differri per annum (*hoc eſt quamdiu* &c.) *vult ipſe Dian. ex Amica* &c. *niſi* &c.

Quomodo Butembaum hoc ſuum dictum conciliat cum proxime ſuperiore? Nonne confeſſus eſt, poſſe graviter peccari nimium differendo pœnitentiam impoſitam? An eam differre per annum eſt exigua, non multa, ſeu nimia dilatio? Hic non theologica ratiocinatione, ſed æquo, & communi ſenſu tantum opus eſt.

Pœnitentiæ ſacramentalis executio eſt juſtitiæ Deo debitæ redditio, & Sacramenti pars: ergo ejus dilatio ſine legitima cauſa, & neceſſitate culpabilis eſt, omnia vero dilatio graviter culpabilis: dilatio in annum ex communi, & æquo ſenſu eſt omnia: ergo eſt graviter culpabilis.

In hanc rem ita loquitur P. Concina Theol. t. 9. p. 432. n. 3. „ Leander, Diana, & alii Probabiliſtæ docent, poſſe per annum pænitentem ſatisfactionem differre, quando Confeſſarius tempus non definivit. Hæc opinio, ut ex ſe patet, & falſa, & magnopere laxa eſt. Quando Confeſſarius tempus definit, intra hoc tempus agenda ſatisfactio eſt. Quando tempus non præfinit, cum primum penitens poteſt, ſolvere debitum aſtringitur.

Hanc doctrinam probavit ipſe La-Croix p. 348. num. 1287. quam confirmat reg. 14. ff. de reg. juris, ubi dicitur: *In omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, præſenti die debetur*, hoc eſt primo quoque tempore, & n. 1288. addit. „ Diu differre penitentiam ſine cauſa, v. g. ad medium annum, communiter cenſetur mortale. “

Animadversio XLIX.

Pœnitentiam (etiam medicinalem) &c. *nec teneri acceptare, nec implere, eo quod* &c. *docet Diana ex Pal.* &c. *Sed contrarium probabilius cum Suar. tenet Averſa.*

Cur Bulemb. tantum ait, contrarium eſſe probabilius? Ut ſcilicet nemo religioni, & culpæ ſibi vertat, ſi Dianæ opinionem ſequi velit, & ſequatur. Hæc eſt illa probabilitas, quam ſolidi Theologi merito execrantur. Quænam eſt Dianæ ratio? „ Quia, inquit, Confeſſarius nec judex eſt, nec medicus peccatorum committendorum. “ Reſp. At hæc ratio eſt apertiſſime falſa; eſt enim indubitatum, Confeſſarium eſſe medicum penitentis quoad ejus ſpirituales morbos: ergo ſicut medicus corporis non ſolum præſentem infirmitatem curare conatur, ſed etiam ex ea, & infirmi conditione de iterato caſu prudentes conjicit, & judicat, ac medecinam præſcribit, ſi id accidat, puta ſi febris redeat; ita Confeſſarius ex malo penitentis habitu, & aliis circumſtantiis, ejus iteratum caſum metuens, hypotheticam medicinam prudentiſſime, & ex officio præſcribit. Quis inquam hæc reprehendat, aut de his dubitet? Syn. Trid. ſeſſ. 14. cap. 8. inquit: *Habeant autem præ oculis, ut ſatisfactio, quam imponunt, non ſit tantum ad novæ vitæ cuſtodiam, & infirmitatis medicamentum, ſed* &c. Hypothetica penitentia eſt infirmitatis medicamentum: ergo ad Confeſſarii officium pertinet. Quid aliud eſt eam repudiare, niſi pio, & prudenti Confeſſarii præcepto repugnare, ac nolle ab animæ morbo curari, ſeu velle in peccato permanere? Hic demum tendunt Dianæ, & aliorum commenta, quæ proinde ſine ulla dubitatione explodenda ſunt.

Animadversio L.

Poteſt ſatisfacere per alium, cui Confeſſarius id concedit, vel qui per ſe non poteſt, ut docet &c.

Buſembaum in lubrico verſatur. Qui per ſe non poteſt, per alium ſatisfacere poſſe, res æqua prima fronte videtur. Sed conſiderandum eſt, hac in re nihil fieri poſſe a penitente ſine Confeſſarii permiſſu, & auctoritate: tum quia hujus eſt, non penitentis de ſatisfaciendi impotentia judicare, tum quia ſatisfactio, quæ Sacramenti pars eſt, neceſſariam cum Confeſſario connexionem habet, nec niſi ab eo impoſita, ſacramentalis eſt. Hinc ab Alex. VII. ea theſis num. 15. proſcripta eſt: *Pœnitens propria auctoritate ſubſtituere ſibi alium poteſt, qui loco ipſius pœnitentiam adimpleat.* Quare Bulemb. ut recte loqueretur, non disjunctive, ſed copulative loqui debuerat, locoque illius *vel* ponere &, ita ut duas conditiones in penitente, ut per alium ſatisfacere poſſet, poſtularet, hoc eſt permiſſum Confeſſarii, & penitentis impotentiam.

Præterea dum Bulemb. disjunctive loquitur, & in prima disjunctionis parte ait: *Poteſt ſatisfacere per alium, cui Confeſſor id concedit*: nihilque addit, ponere videtur, Confeſſarium poſſe id concedere pro arbitrio. La-Croix quoque p. 348. num. 1284. abſolute inquit: „ Confeſſarius poteſt concedere, ut pænitentia per alium perſolvatur, “ citatque S. Thomam, S. Bonavent., & alios. Cur La-Croix non addit *ex cauſa, vel ex defectu pœnitentis?*

Animadvertendum ergo eſt, ſatisfactionem duplici modo ſpectari poſſe, hoc eſt vel prout eſt ordinata ad ſolutionem debiti, vel prout eſt medicina pro peccato vitando. Hoc ſecundo modo ſpectata ſatisfactio unius, alteri ex ſe non prodeſt; quia ex unius jejunio, alterius caro non affligitur, nec coercetur, nec ex hujus bonis actibus alter bene agendi uſum, ſeu habitum comparat. Ex quo illud neceſſario conſequitur, ut Confeſſarius permittere non poſſit, ut unus pro alio ſatisfaciat, quatenus ſatisfactio medicinalis eſt. *Sed quantum ad ſolutionem debiti*, inquit S. Thom. Suppl. quæſt. 13. art. 2. *unus poteſt pro alio ſatisfacere, dummodo ſit in caritate; ut opera ejus ſatisfactoria eſſe poſſint.* (Nota illud, *dummodo ſit in caritate, ut* &c. ne contrarium putes propter contrariam nonnullorum opinionem, quam profert La-Croix, nec improbat) Verum quoniam ſatisfactio ad utrumque ordinatur, hoc eſt ad ſolvendam pænam, & ad medendum peccatis, ut S. Doct. ex cujus ſenſu hactenus locutus ſum, jam dixerat, & res ipſa loquitur, idcirco ita concludit: *Unde non eſt permittendum, quod aliquis pro alio pœnitentiam agat, niſi defectus aliquis appareat in pœnitente, vel corporalis, per quem ſit impotens ad ſuſtinendum, vel ſpiritualis, per quem non ſit promptus ad portandum pœnam.* Ubi notanda eſt cautio S. Doctoris, qui loquitur de defectu pœnitentis quoad pœnam, uti ſunt cilicia, flagella, jejunia, incommodæ peregrinationes &c. non quoad ſatisfactiones, quæ pœnam corpori non afferunt, uti ſunt preces, & eleemoſynæ.

Quare Confeſſarius animadvertat, partes Sacramenti pœnitentiæ ex Synodo Trid. ſupra cit. eſſe *ipſius pœnitentis actus*, non alterius; idcoque, ſicuti pœnitens confeſſionem (ut de contritione, quæ ab alio ſuppleri numquam poteſt, taceam) per alium, hoc eſt per interpretem facere non poteſt, ſi per ſeipſum poſſit; ita ſatisfactionem, quam ipſe peragere valet, non eſſe permittendum, ut per alios peragat, & curandum, ut ſi pro corporis, & animi infirmitate jejunia, & alias corporis afflictiones ferre nequeat, id ſuppleat precibus, eleemoſynis, moderatæ abſtinentiæ, aliarumque virtutum, ac præſertim dilectionis Dei, & proximi actibus.

An vero ſatisfaciens pro alio, ſimul pro ſe poſſit, alii ajunt, alii probabilius negant.

Id vere negant. Inquit enim S. Thom. ar. 2. mox cit. ad 3. *In ſolutione debiti attenditur quantitas pœnæ, ſed in merito attenditur caritatis radix; & ideo ille, qui ex caritate pro alio meretur ſaltem merito congrui, etiam ſibi magis meretur; non autem qui pro alio ſatisfacit, etiam pro ſe ſatisfacit: quia illa quantitas pœnæ non ſufficit ad utrumque peccatum; tamen ſatisfaciendo pro alio, ſibi meretur aliquid majus, quam ſit dimiſſio pœnæ, ſcilicet vitam æternam*; quibus verbis non ſolum ſuam ſententiam confirmat, ſed etiam contrariæ rationem diſſolvit.

Quare ſi quis forte pro alio ſatisfaciendi onus ſuſceperit, caveat ne contraria opinatione, aut verſatili probabilitate abreptus putet, ſe iiſdem operibus pro ſe, & pro alio ſatisfacere poſſe, eodemque tempore ſuam, & alterius pœnitentiam implere.

Animadversio LI.

Reſp. 1. *Imo etiam probabiliter, etiamſi talia fecerint (reſervata) ut habet Fernand.*

Hanc opinionem rejiciunt graviores Theologi, Suarez, Valentia, Gonet, & alii plures teſte Concina Th. t. 9. p. 433. n. 16. Ratio eſt, quia ſatisfactio eſt actus juſtitiæ ex D. Thom. Suppl. qu. 12. at. 2. ergo ad eum tantum Judicem pertinet, ad quem ſpectat judicium de peccatis, pro quibus imponitur. Sicuti Superior reſervans eſt Judex peccati reſervati, non alius inferior, ita quoque pœnæ huic peccato debitæ; quia pœna eſt quoddam acceſſorium peccati: acceſſorium autem ſequitur naturam ſui principalis. Arrogantiæ vitium eſt, ut inferior Judex in ſuperioris judicio ſe ſe immiſceat, illudque reformare audeat. Cum peccatum reſervatum fuit abſolutum, ſublata quidem fuit reſervatio. At quid inde? Ergo, infert Dicaſt. apud La-Croix p. 349. in fine num. 1292. æqualis eſt in omnibus Confeſſariis poteſtas; & hinc fieri vult, ut quilibet Confeſſarius pœnitentiam pro eo impoſitam commutare queat; cujus illationem La-Croix non refellens, tacite probat; quæ tamen refellenda, & improbanda eſt. Nam ſublata reſervatione per abſolutionem a Superiore impertitam, omnes quidem Confeſſarii jus habent in peccatum, ut illud abſolvere iterum poſſint, ſi clavibus iterum ſubjiciatur, non tamen jus habent in ſententiam a ſuperiore Judice prolatam, ut eam refor-

ma-

mare poſſint. An Judex ſuperior abſolvendo, hanc illis fecit poteſtatem? An ipſa abſolutio? Abſurda ſcilicet hæc ſunt, & falſa. Ergo Dicaſtilli diſcurſus mera cavillatio eſt, non ratio mutandi ſententiam, & in contrariam eundi.

Animadversio LII.

Sine nova ſacramenti adminiſtratione poteſt id ſolus Sacerdos qui injunxit, ſi adhuc recordetur ſtatum pœnitentis..... verb. gr. intra hebdomadam; imo etſi poſt longum intervallum.

Sacerdotem, qui pœnitentiam injunxit, ſine nova ſacramenti adminiſtratione eam commutare poſſe, probabile quoque putat La-Croix p. 349. nu. 1298. hac ratione nixus, „ quia quamdiu pœna impoſita, non eſt impleta, Judex habet jus agendi circa ejus impletionem: ergo etiam circa immutationem, ſi reus petierit. "

Reſp. Confeſſarius Judex eſt, duplici præditus poteſtate abſolvendi, & ligandi, quam duplicem poteſtatem eodem judicio, eodemque tempore exercet, abſolvendi quidem a culpa, ligandi autem quoad pœnam, quam pœnitenti pro peccato imponit.

Porro hæc duo Confeſſarii officia conjuncta ſunt, & inſeparabilia; quia nec abſolvere poteſt, quin liget, nec ligare, quin abſolvat. Pœnitentiæ commutatio nihil aliud eſt, niſi impoſiti ligaminis ſolutio, novique ſubſtitutio; hoc eſt, dum Confeſſarius pœnitentiam commutat, idem, aut aliquid amplius præſtat, ac dum ligat: ergo id facere non poteſt, niſi ſimul abſolvat. Confeſſario jus commutandi pœnitentiam, quod evincit ratio La-Croixii, non abjudicamus: hoc jus ab eo extra Tribunal confeſſionis exerceri poſſe, La-Croixii ratio ne per ſomnium quidem oſtendit. An probabiliter loquitur, qui ſine ratione loquitur? Niſi forte probabilem appellare velis opinionem paucorum probabilium, qui, cum de ſuo, & ſine ratione ſcribunt, audiendi non ſunt. Plures pro contraria ſententia citat ipſe La Croix, eamque ſequitur Concina Theol. t. 9. p. 433. n. 17. quam confirmat ratio allata. Præterea, ut ratiocinatur idem Concina, *pœnitentia hæc ſacramentalis eſt*: ergo. Ratio brevis eſt, ſed ſolida: pœnitentia enim ſacramentalis, ſacramenti pars eſt, quæ proinde a ſacramento ſeparari non poteſt; a quo ſi ſeparetur, non eſt amplius ſacramentalis. Ergo in ipſa ſacramenti adminiſtratione, pœnitentiæ commutatio facienda eſt, nec extra fieri poteſt.

Subdit P. Concina: „ Continuo (non intra hebdoma„ dam, ut ex mero arbitrio ait Buſembaum) poſt im„ pertitam abſolutionem, antequam pœnitens diſcedat, „ poterit in aliquo caſu Confeſſarius proprio pœniten„ ti commutare, augere, minuere pœnitentiam, quia „ idem judicium reputatur. Abſolute tamen ante abſo„ lutionem hæc omnia præſtare Confeſſarius debet. " Ita loquitur cautus, & moderatus Theologus. At cum judicium ſuis omnibus partibus abſolutum eſt, & pœnitens a tribunali diſceſſit, ac poſt duos, tresve dies, aut quatuor redit, idem judicium moraliter cenſeri poſſe, Buſembaum de ſuo comminiſcitur, & abſurdiſſime loquitur contra omnium ſanæ mentis hominum judicium. Sed alia audiamus.

Qui dicunt, etiam alium poſſe, non repetitis peccatis: quæ ſententia, etſi non &c. ex principio tamen extrinſeco videtur eſſe in praxi probabilis.

La Croix p. 349. n. 1295. poſtquam retulit ſententiam negantem poſſe fieri in ipſa confeſſione pœnitentiæ commutationem ab alio Confeſſario, niſi audita peccatorum repetitione, & affirmantem id fieri poſſe ſine repetitione, ſubdit: „ Prima ſententia (negans) eſt longe „ probabilior; hinc ſecundam eſſe improbabilem dicunt „ J. Sanch. b. 14. & Art. n. 28. quamvis Lugo num. „ 109. fateatur, eſſe in praxi probabilem ſaltem per „ principia extrinſeca. " Quam probabilitatem cum non refellat, tacite probare videtur.

P. Concina Theol. t. 9. qu. 8. ait: „ Sententia, „ (negans) quam communiter Theologi defendunt, ſo„ la vera eſt, & prior (affirmans) penitus falſa, & „ improbabilis per principia ſive intrinſeca, ſive extrin„ ſeca. Ratio eſt manifeſta, quia alter Confeſſarius „ ideo commutare pœnitentiam poteſt, quia recogno„ ſcere cauſam valet: cauſam autem recognoſcere ne„ quit, peccatis incognitis. Præterea quomodo pru„ dens, & proportionata hæc commutatio eſſe poteſt, „ niſi conſtet, quæ vindicta peccatis debita ſit, & quæ „ medicina neceſſaria ſit pœnitenti? "

Opinio, ſola etiam plurium recentium auctoritate fulta, nec ſpeculative, multoque minus practice probabilis eſt; quia eorum auctoritas, cum ex arbitrio loquuntur, & evidenti rationi repugnant, ſola ſucti indulgendi prurigine, nullius eſt ponderis, contraria præſertim communi Theologorum auctoritate retuſa, & oppreſſa. An evidenter temerarium non eſt illud judicium, quod incognita cauſa fertur? Cauſa pœnitentis ſunt ipſius peccata: ergo his incognitis judicium eſt evidenter temerarium. Temeritas porro judicii in præſenti ſpecie eo nomine impudentior eſt, quod Confeſſarius non ſolum incognita cauſa judicare, ſed etiam judicium, quod alter Confeſſarius cognita cauſa tulit, reprehendere, & reformare audeat.

Non probabilis dicenda eſt opinio eorum, qui hujuſmodi judicia juri naturæ, communique omnium ſenſui, etiam ubi de minimis rebus agitur, adverſantia, probant; ſed mirandum, quod hæc, cum de maximo quoque ſalutis æternæ negotio res eſt, probare audeant. Quid ego nunc Buſembaum refellam ajentem, ſententiam hujuſmodi *Confeſſariis poſſe ſervire, quando pœnitens difficulter adduci poteſt ad repetenda peccata, vel tempus id non fert*? An Confeſſario permiſſum eſt, temere judicare, quia pœnitens difficultatem ſubire recuſat illum informandi? An in ſacro tribunali illud judicium licet, quod nuſquam gentium licet? Sed cur in tam abſurdo commento refellendo immoror? Si tempus id non fert, ut pœnitens peccata repetat, ne illud quidem fert, ut Confeſſarius judicium proferat, quod alio tempore ferendum eſt.

Præſertim ſi ex confeſſione &c. habeant aliquam confuſam notitiam peccatorum præteritæ confeſſionis.

Ex hac aliqua confuſa notitia nonniſi confuſum, & inconſultum judicium proficiſci poteſt. Ergo niſi Confeſſarius ſufficientem peccatorum notitiam habeat, unde de congrua, & ſalutari pœnitentia judicare prudenter poſſit, pœnitentiam commutare nequit; & pœnitens, qui hanc notitiam ex incommodi fuga præbere renuit, iners merito judicatur, & commutationis beneficio indignus.

Animadversio LIII.

Ipſi pœnitens non poteſt &c. etſi contrarium probabile dicat Diana &c. ſed hoc Turr. temerarium, Card. de Lugo communi Theologorum; & fidelium ſenſui repugnare dicit.

Buſembau hiſtoricum hic agit, remque in medio relinquit; quaſi Dianæ opinio, quam Dicaſt. teſte La-Croix p. 348. n. 1292. non audet appellare parum probabilem, non ſit aperte falſa. Cum de veritate agitur contra libertatem, probabiles lippire ſolent: cum contra res eſt pro libertate, nimis acute cernunt. Dum pœnitens pœnitentiam ex ſe commutat in aliam licet evidenter meliorem, eam omittit quæ a Confeſſario ſibi injuncta eſt, ideoque ejus præceptum violat: nec enim melior pœnitentia, ſi ſit diverſi generis, minus bonam continet: ergo pœnitens evidenter peccat. Adde, quod pœnitentia ſponte ſuſcepta non eſt ſacramenti pars: ergo pœnitens ſacramentum ſua integritate privat. An hæc non eſt evidens culpa? Hujuſmodi pœnitentium, qui mali non videntur, ſuperſtitioſa ignorantia non eſt per fucatam probabilitatem palpanda, ſed ſana doctrina corrigenda; monendique ſunt, pœnitentiam meliorem ſponte ſuſceptam minus Deo acceptam eſſe, quam minor pœnitentia ex obedientia Confeſſarii in ſacramenti complementum peracta; ideoque hanc neceſſario eſſe implendam; cui ſi pœnitens aliquid, aut etiam multa addere velit, rem optimam aget.

Animadversio LIV.

Extra ſacramentum, ſacrificium, & martyrium &c.

Anacletus Theol. Mor. p. 503. qu. 2. n. 11. omittit illa verba *extra ſacramentum* &c.

Concina Theol. t. 9. p. 437. n. 3. & Wig. in trib. p. 601. nu. 79. habent illud *extra ſacramentum*, non item reliqua. Additur *extra ſacramentum*, ut indulgentia diſtinguatur ab illius pœnæ remiſſione, quæ ex vi ſacramenti percipitur, & hoc ſenſu intellige illud *extra ſacrificium*. Addit autem Buſembau *extra martyrium*; quia martyrium vicem baptiſmi ſupplet, & omnium pœnarum, quæ culpis debentur, remiſſionem ſine indulgentiarum beneficio conſequitur ex D. Thoma p. 3. q. 66. art. 11. & 12.

Ceterum hæ additiones neceſſariæ non ſunt, & rem magis involvunt, quam illuſtrent; recteque indulgentia definitur beneficium, quo Eccleſiæ auctoritate ſub conditione operis ab ea præſcripti remittitur pœna reſidua poſt contritionem, confeſſionem, & abſolutionem, ut colligitur ex D. Thoma Suppl. qu. 25. a. 1.

Idque per modum .... vel nudæ ſolutionis erga non ſubditos, ut ... catechumenos.

Illud certum eſt, catechumenos, qui gratiam juſtificantem nondum aſſecuti ſunt, indulgentiarum capaces non eſſe; quia pœna non remittitur, niſi remiſſa culpa.

Utrum

Utrum vero catechumeni, qui vehementi caritatis, & contritionis actu gratiam juſtificantem ſunt conſecuti, indulgentiarum ſint capaces, dubitari poteſt. Buſ. hic affirmat, ſed mox reſp. 3. id inficiatur; quia ad lucrandas indulgentias ibi primo loco requirit, *ut ſit baptizatus*. Hanc conditionem Concina quoque Theol. t. 9. p. 450. qu. 3. & Wigand in trib. p. 606. n. 92. poſtulant, & hanc eſſe communem, & probabiliorem Theologorum ſententiam affirmat Anacletus Theol. mor. p. 507. qu. 4. n. 39. In hac quæſtione immorandum non puto, quia non videtur neceſſaria. Nec enim Eccleſiæ conſuetudo habet, ſicut Anacletus advertit, ut catechumenis indulgentias concedat. Ceterum catechumeni juſtificante gratia præditi, licet ratione characteris baptiſmi Eccleſiæ membra non ſint, nec illi ſubditi, ratione tamen gratiæ & caritatis, Eccleſiæ ſunt conjuncti, & illius membra; ideoque, ſicut illis in ſtatu gratiæ defunctis indulgentiæ proſunt, ita quoque viventibus prodeſſent, ſi Eccleſia hoc beneficium illis impertiendum judicaret. Hinc juxta D. Thom. Suppl. q. 25. art. 2. ad indulgentiam *requiritur unio ejus, cui diſpenſatur, ad eum qui merebatur (quod ſit per caritatem;)* & poſt ſubdit, *quod indulgentiæ valent &c. dummodo ex parte dantis ſit auctoritate, & ex parte recipientis caritas:* ait *caritas*, nullamque characteris mentionem habet.

Animadversio LV.

Ut ſit in gratia ſaltem tunc, quando opus præſcriptum completur.

Id certe neceſſarium eſt ex ratione a Buſembao alla; & ſufficere videtur, niſi indulgentiam concedens aliter præſcripſerit. Hinc Bened. XIV. littera encyclica anni 1749. 3. Decemb. n. 76. pro Jubilæo anni 1750. ita declarat. *Abbiamo creduto non doverſi da noi eſcludere dal frutto dell'indulgenza, chi incomincia, e proſiegue la viſita delle Chieſe ſenza avere premeſſa la confeſſione; purchè ſia in grazia, quando fa l'ultima opera, in cui conſiegue l'indulgenza.*

Nam ſufficit vitiatum ex fine inhoneſto veniali, vel alia circumſtantia prava. Ita quoque ſentit La-Croix p. 360. n. 1421.

Ex Concina Theol. t. 9. p. 450. n. 36. hæc opinio falſa, lapſa, & ſpiritui Eccleſiæ adverſa eſt.

Hinc Bened. XIV. loco mox cit. ita proſequitur: „ E purchè le viſite ſieno fatte con divozione; *devote viſitaverint* ſi legge nella bolla *Peregrinantes*, e „ nella ſtravagante *Unigenitus* ſi ritrova la parola *devotionis*, nell'altra *Quemadmodum* la parola *reverenter*, ed il Navarro ſpiegando le dette parole così „ dice: *Per quæ ſignificatur, viſitationes has Eccleſiarum „ fieri debere bene, & quidem recte. Nam licet per aſſerta cum communi non ſit neceſſarium, ut fiant in „ ſtatu gratiæ, neceſſarium tamen eſt, quod ſint actus „ boni moraliter*: E' neceſſario dunque, acciò ſi adempiſca l'opera ingiunta delle viſite, che la viſita ſi „ faccia con intenzione, o volontà d'onorare Dio, o „ i ſuoi Santi, che ſi vada, e ſi entri nelle Baſiliche „ con modeſtia " (quibus verbis corrigitur La-Croix, qui p. 361. n. 1432. viſitationem devote fieri ait *ab immodeſtis, & peccante per viam, ſi modeſte ingrediatur, & oret*) „ e che vi ſi eſerciti qualche atto di „ religione. Dal che s'inferiſce, che ſe uno va alle „ Chieſe ſenza alcun fine buono, ma per mera curioſità, e ſe va per fare, come ſuol dirſi, una paſſeggiata, non guadagna il giubbileo. "

Neque vero tale opus vitiatum ſaltem ſufficit, ut male ait Buſemb., ſi nihilominus conducat ad finem Pontifici propoſitum. Nam licet tale opus vitiatum, e. g. eleemoſyna inanis gloriæ cauſa impertita, conferat ad finem peculiarem, cujus cauſa indulgentia fuit conceſſa, ut ad conſtructionem Eccleſiæ, bellum contra infideles &c. non tamen confert ad finem omnibus indulgentiis communem, qui ex Clem. VI. cap. 2. *Unigenitus* tit. 9. lib. 5. extrav. comm. in eo eſt, ut *cunctorum fidelium augeatur devotio, fides ſplendeat, ſpes vigeat, caritas vehementius incaleſcat*. Eccleſia eſt quidem pia, & munifica mater, non tamen prodiga. Indulgentia ab ea impertita pœnam quidem peccatis debitam relaxat ſupra operis virtutem, eo tamen uſque non progreditur, nec progredi poteſt, ut pro opere malo, Deo exoſo, & pœna digno eam condonet.

Animadversio LVI.

Non expirant .... ut habet Sa, ante notitiam revocationis.

Sicuti indulgentiarum duratio, ita earum expiratio a Pontificis voluntate pendet. Tamdiu durant, quamdiu ipſe voluerit: ſtatim ac eas expirare vult, expirant. Ne tamen fideles in errore verſentur, revocationem publicat, cum eas revocatas vult; qua publicata ſtatim expirant, niſi aliter voluerit, & declaraverit. An de his dubitandum eſt? An ignorantia ſupremam Romani Pontificis vim habet? An ſuperiorem Romani Pontificis auctoritate virtutem conſecuta eſt, ut contra ejus voluntatem indulgentiarum tempus proroget? Hac de re diſputare, ſi ſana mente ſumus, non poſſumus, niſi de Summi Pontificis indulgentias revocantis voluntate, quæ ex ejus verbis colligenda eſt, divinando, aut fingendo.

Animadversio LVII.

Cum tamen ſint gratiæ, large ſunt interpretandæ &c.

D. Th. Supp. qu. 25. art. 2. oſtendit, indulgentias tantum valere, quantum pronuntiantur. At cum Buſembau eas large intelligi vult, ultra terminos pronuntiationis illas extendit, & plus valere contendit, quam ſonent. Gratiæ quidem illæ ſunt ampliſſimæ, quæ tamen ab interprete nullam vim habent, ſed ſolum a concedentis voluntate, quam verba declarat. Quod ſi quid obſcurum, aut dubium eſt, non eſt audendum, ne fideles decipiantur, & ſacri Miniſtri contemptui objiciantur. Cum Summi Pontifices indulgentias perpetuas eſſe volunt, id exprimunt, ſicuti etiam tempus determinant, ultra quod eas vim habere nolunt. Quod ſi forte quoad durationem nihil definiant, non interpretatione, quæ nullam prorſus vim habet, utendum, ſed declaratio Pontificiæ mentis, aut nova gratia petenda eſt.

Animadversio LVIII.

Contrarium tamen eſt probabile.

Indulgentiæ non ex opinione Scriptorum, ſed ex mente diſpenſatoris theſauri Eccleſiæ vim habent. Sacerdotum officium eſt, neminem decipere, nemini blandiri, ſed juxta veritatem loqui; quæ ſi obſcura, aut incerta eſt, nihil jactabunde pollicendum, ſed fideles ad pios affectus excitandi ſunt, ut quam maximam poſſunt, peccatorum remiſſionem a divina miſericordia conſequantur.

Animadversio LIX.

Poſſunt moribundi plures indulgentias plenarias .... ſimul lucrari &c.

Quaſi vero una indulgentia plenaria rite obtenta non ſufficiat, aut aliquid quoad pœnæ remiſſionem reſiduum relinquat; vel Eccleſia indulgentias non munifice impertiat, ſed prodigat, & projiciat. Si uno die, ut mox dicemus, nonniſi una indulgentia plenaria obtineri poteſt, multo minus eadem hora, & tempore.

Animadversio LX.

Requiritur autem, ut moribundus crucem &c. ſecum habeat.

Quoad hoc verba conceſſionis conſideranda ſunt.

Animadversio LXI.

Probabile eſt, conceſſum pro certo tempore poſſe ſæpius obtineri, repetendo &c. v. g. eadem die, niſi &c. quia favores ſunt ampliandi.

Favores quidem ſunt ampliandi, non tamen ex arbitrio ſubditorum, ſed ex voluntate, & munificentia Superiorum, quæ ex interpretatione legem non accipit. Præſens opinio, quam Buſembau probabilem facit, & La-Croix p. 375. n. 1374. ſequitur, eſt certo falſa. Nam Bened. XIV. litt. encyclica ſupra cit. num. 84. inquit: „ Antica è ſtata la quiſtione, ſe nel tempo „ dell'Anno Santo avendo taluno divotamente viſitato le Baſiliche trenta volte, eſſendoſi anche confeſ- „ ſato, e communicato, e potendo però ſupporre d'aver „ conſeguito il frutto del giubbileo, poſſa di nuovo „ conſeguirlo, facendo un'altra volta la viſita nel numero preſcritto delle baſiliche, e di nuovo confeſ- „ ſandoſi, e cōmunicandoſi. " Tum recitatis contrariis opinionibus ſubdit: „ Abbiamo creduto bene di di- „ chiarare nel §. 52. la noſtra mente ſopra queſta altre „ volte propoſta controverſia; ed avendo conſiderato „ non trattarſi ora d'un giubbileo di due ſettimane, „ ma d'un giubbileo, che dura un anno intiero, non „ trattarſi di opere ingiunte, che poſſano adempirſi più „ volte in un giorno, come accade, quando ſi concede l'indulgenza plenaria a chi ne' tali giorni determinati viſita la tal Chieſa; nel qual ſtato di coſa, „ ancorchè più volte in un giorno ſi faccia la viſita „ della Chieſa, non ſi può che acquiſtare una ſola indulgenza per giorno, giuſta il decreto della Congregazione delle indulgenze eſpreſſamente approvato dal-

„ la

„ la ſanta memoria d'Innocenzo XI. e legalmente pro„ mulgato ai 7. di Marzo 1678., in cui così ſi legge : „ *Semel dumtaxat in die plenariam indulgentiam in cer„ tos dies Eccleſiam viſitantibus conceſſam , vel aliud „ pium opus peragentibus lucriferi*; " (en legitima definitio contra Buſemb. opinionem) „ ma trattarſi di „ numeroſe viſite di Baſiliche diſtanti l'una dall'altra, „ che non poſſono farſi, ſe non in molti giorni diſtin„ ti, non abbiamo avuta difficoltà di dichiarare , po„ terſi più volte nell' anno ſanto , ripetendoſi più vol„ te le opere ingiunte, conſeguire la ſanta indulgen„ za. "

Animadversio LXII.

Ut quis lucretur pro defunctis , probabiliter non requiritur ut ſit in gratia.

Id quoque probat La-Croix p. 355. n. 1351. Sed ad opinandum nimis faciles ſunt.

Cur Buſemb. ita opinatur? Quia qui lucratur indulgentiam pro defuncto , ponit opus tanquam conditionem, quo poſito Pontifex applicat defuncto indulgentiam. Quo fundamento id aſſerit? Nullo : ergo ex arbitrio loquitur. Eadem eſt ratiocinatio La-Croixii , dum ait, indulgentiam acquiri defuncto ex opere operato.

D. Th. Suppl. q. 25. art. 1. ait , quod indulgentiæ *valent & quantum ad forum Eccleſiæ , & quantum ad judicium Dei , ad remiſſionem pœnæ reſiduæ poſt contritionem , & confeſſionem , & abſolutionem*. S. Doct. ſine limitatione loquitur ; ideoque ex ejus mente indulgentiæ non valent ad remiſſionem pœnæ , niſi qui eas lucratur ſeu pro ſe , ſeu pro aliis , in gratiæ ſtatu verſetur. Status gratiæ non ſolum requiritur pro acquirendis indulgentiis , ut earum quis capax ſit, ſed etiam ut opus, cujus intuitu conceduntur, ſit ſatisfactorium. Summi Pontifices theſauri Eccleſiæ ex infinitis Chriſti, ac præterea B. V. M. , & Beatorum ſatisfactionibus ac meritis conſtantis diſpenſatores , opus quidem ſatisfactorium adjuvant , ut defunctos plus proſit , quam ex vi ſua prodeſſe poteſt ; at opus omni ſatisfaciendi vi vacuum, quod quoad ſatisfactionem nihil eſt, & ex ſe prodeſſe non poteſt, quomodo adjuvare poſſunt? tale autem eſt opus carentis gratia , hoc eſt omni ſatisfaciendi vi vacuum. Ergo &c. An opus inutile ad lucrandas indulgentias agenti , aliis utile eſſe poteſt? Juxta D. Thomam Suppl. q. 71. a. 10. c. *ad hoc ut indulgentiæ valeant , requiritur cauſa conveniens indulgentias faciendi* : at actio ejus , qui gratia caret, eo ipſo , quia eſt Dei , & Sanctorum inimicus, non eſt cauſa conveniens indulgentias faciendi , hoc eſt Chriſti , & Sanctorum ſatisfactiones , & merita defunctis communicandi . Tandem ſi præſens Buſemb. & La-Croixii ſententia admittatur, admittenda quoque foret ſententia docens, ad indulgentiam ſufficere opus ex fine , vel circumſtantia venialiter vitiatum ; quia tale opus faciens ponitur capax indulgentiæ : at hæc ſententia merito fuit exploſa reſp. 5. ergo præſens quoque merito exploditur.

Animadversio LXIII.

Poſſunt uno & eodem opere plures indulgentiæ ... lucrifieri. Idem habet La-Croix p. 375. n. 1371.

Sed hoc a mente Pontificum indulgentias concedentium pendet : at dum plures indulgentias concedunt, eorum mens eſſe videtur , ut plura bona opera fiant ; quia indulgentiarum conceſſio ex Clem. VI. ſupra cit. eo ſpectat, ut fidelium devotio , & caritas augeatur. Quare non eſt veriſimile , uno eodemque opere plures indulgentias acquiri , niſi id fuerit expreſſum . Præſertim cum , ſi id verum foret, indulgentiæ facile vileſcerent ; quod nec Dei honori , nec fidelium ſaluti congruit.

Animadversio LXIV.

Non lucrantur indulgentias , qui ex impotentia , vel ignorantia ſive totum opus præſcriptum , ſive notabilem ejus partem omittunt.

Recte quidem ; ne tamen putes, indulgentiam ab eo acquiri, qui partem non notabilem operis præſcripti omittit , ut ponere videtur Buſ. & docet La-Croix p. 360. n. 1408. D. Th. Suppl. qu. 27. ar. 3. ita diſcurrit ; *Remota cauſa removetur effectus : ſi ergo aliquis non facit hoc , pro quo indulgentia datur , quod eſt indulgentiæ cauſa , indulgentiam non conſequitur* . Hoc autem pro quo indulgentia datur , eſt totum opus præſcriptum, non major, aut maxima ejus pars : ergo. Præterea *non exiſtente conditione , non conſequitur illud , quod ſub conditione datur. Unde cum indulgentia detur ſub hac conditione , quod aliquis aliquid faciat , vel det , ſi illud non exerceat , indulgentiam non conſequitur* . Fruſtra vero quis ad mentem Pontificis hic confugiat, qui , cum ſuam mentem declaraverit, & indulgentiam conceſſerit facienti tale opus , vel danti talem eleemoſynam , intelligitur indulgentiam non concedere non facienti , vel non danti , uti eſt qui totum non facit , vel non dat. Quod tamen intellectum volo de tota indulgentia juxta mox dicenda ex D. Thoma.

Niſi tamen ob gravem difficultatem hoc opus ei in aliud eſt commutatum.

Si quis indulgentiam conſequatur aliud faciendo , in quod opus præſcriptum , fuit ei commutatum , effectum conſequitur ſine cauſa; & non poſita conditione id obtinet, quod ſub conditione datum fuit; quæ ſunt falſa & abſurda.

Buſembau falſa poſitione nititur , dum ponit, opus pro indulgentia præſcriptum ob gravem difficultatem poſſe commutari. Hoc , inquam , abſolute loquendo falſum eſt; quia commutatio operis fieri non poteſt, niſi Summus Pontifex indulgentiam concedens , hanc facultatem conceſſerit . Opus commutare pro indulgentia nihil aliud eſt , niſi indulgentiam concedere pro alio opere ; quod certe facere non poteſt , niſi indulgentiæ diſpenſator , & auctor.

Hinc Bened. XIV. ep. encycl. cit. num. 52. ut plures poſſent jubilæum anni 1750. conſequi , minoribus Romæ pœnitentiæ præfectis auctoritatem impertiit permutandi præſcriptas Baſilicarum viſitationes tum Romanis , tum exteris , qui eas peragere non poſſent , in alia pia opera , vel numerum viſitationum minuendi.

Animadversio LXV.

Non obſtat effectui indulgentiæ .... 3. ſi eleemoſynam des exiguam , niſi tamen &c. ita Fill. &c.

Hanc opinionem P. Concina Theol. t. 9. p. 451. n. 37. falſam, & laxam appellat.

Hinc Div. Th. Suppl. qu. 25. art. 2. ad 3. ait : *Quod quando datur indulgentia determinate ei , qui dat auxilium ad fabricam Eccleſiæ , intelligitur* (etiamſi in Bulla , contra ac Buſemb. male ait , non exprimatur) *tale auxilium , quod ſit conveniens ei , qui auxilium dat ; & ſecundum quod accedit ad hoc , ſecundum hoc plus , vel minus de indulgentia conſequitur . Unde etiam aliquis pauper dans unum denarium , conſequitur totam indulgentiam , non autem dives , quem non decet ad opus tam pium , & fructuoſum ita parum dare : ſicut non diceretur Rex alicui homini auxilium facere , ſi ei obolum daret .* Doctrina D. Thomæ ex ſe æquiſſima , ejuſque auctoritate fulta, contrariam Buſembaum , & aliorum irrationabilem, & ſaltam eſſe evincit.

Si Eccleſiam ... non poſſit ingredi ob hominum multitudinem , dummodo &c. Idem habet La-Croix p. 361. num. 1433.

Ita quidem mentem Pontificum non ſine ratione , & æquitate interpretari poſſumus ; attamen ut res in tuto ſit , concurſu deferveſcente ad Eccleſiam redeundum eſt.

Etſi opera fuerint aliunde debita , verb. gr. ex præcepto Eccleſiæ.

Hoc falſum, mentique Eccleſiæ contrarium merito habetur, niſi id in conceſſione indulgentiæ exprimatur, aut aperte includatur. Nam dum opus pro indulgentia acquirenda imponitur, onus ex Eccleſiæ mente imponitur , ut qui maximum Indulgentiæ beneficium & commodum conſequi vult , aliquod incommodum ſubeat : at ſi opere aliunde debito, opus pro indulgentia impoſitum impleretur, nullum onus pro indulgentia imponeretur : ergo &c. Hinc Bened. XIV. litt. encycl. cit. num. 53. ait : *Ma la più equa opinione ſembra eſſer quella , non poterſi conſeguire l'indulgenza con un'opera , che uno per altro titolo è obbligato di fare , ſe chi concede l'indulgenza eſpreſſamente non dice , che poſſa acquiſtarſi coll'opera predetta ; il che ſovente accade , quando fra l'opere ingiunte ſi preſcrive il digiuno di tre giorni , ed individuandoſi i giorni , diceſi per eſempio , che ſiano i tre giorni delle quattro tempora di Settembre . Così diſtingue con molti altri il Paſſerino , e concorda il Padre Teodoro.*

Animadversio LXVI.

Quando datur poteſtas commutandi &c. *id non neceſſario ſit in confeſſione , & a Confeſſario , qui* &c. *ſed* &c. *ita enim declarat. Greg. XIII.* Ita quoque ſentit La-Croix p. 362. num. 1439.

Si Gregorius XIII ita reipſa declaravit , dubium non eſt, quin eo tempore ita fieri potuerit . Sed videndum , utrum ita declaraverit . Nam Buſemb. Bullam non innuit, quæ conſuli poſſit . Bened. XIV. pro Jubilæo anni 1750. conſtit. *Convocatis* anni 1749. die 6. Decembris n. 15. contrarium declaravit his verbis : *Advertant inſuper , ſupradictas abſolutiones , commutationes , diſpenſa-*

tiones

Digitized by Google

tiones non poſſe a ſe excerceri extra actum ſacramentalis confeſſionis, neque extra ſuam cujuſque Baſilicam, vel Eccleſiam, niſi in caſibus alias ſibi a majori pœnitentiario permiſſis, vel permittendis, vel in caſu adminiſtrandi pœnitentiæ ſacramentum alicui infirmo, qui, cum corporalis ægritudinis cauſa ad Baſilicas ipſi reſpective deſignatas accedere perſonaliter nequeat, eorum aliquem arceſſendum duxerit, ut confeſſionem ſacramentalem pro Jubilæi conſecutione, ut præfertur, apud ipſum expleat.

Animadversio LXVII.

Cum confeſſio præſcribitur, niſi in Bulla exprimatur venialium, probabilius eſt non requiri, ut conditionem ſine qua non, ſed &c. Id La-Croixio quoque p. 360. n. 1414. probabile eſt. Sed ſubdit, contrarium, quia tutius, merito tenendum.

P. Concina Theol. t. 9. p. 450. nu. 35. teſte hæc opinio communi ſententiæ contraria eſt, & fidelium praxi; quæ ſanæ praxis fidelior eſt pontificiæ mentis interpres, quam paucorum aliter ſentientium.

Bened. XIV. in extenſione univerſalis Jubilæi 1750. 8. Kal. Jan. ſimpliciter habet *vere pœnitentibus, & confeſſis, & ſacra communione refectis*, nihilominus conſtitut. *Convocatis* 1749. 8. Kal. Decemb. inquit: *Cum confeſſio ſacramentalis in hoc Jubilæo ſit opus injunctum, peragenda erit etiam ab eo, qui ſolis peccatis venialibus teneatur, ſi hoc lucrari Jubilæum velit.* Ergo cum Pontifices iiſdem verbis utuntur, eodem ſenſu accipiendi ſunt. Nam ſi confeſſionem requirant non ut opus præſcriptum pro indulgentia, ſed ut diſpoſitionem ad gratiam, ſuam mentem aperiunt.

Poſtquam hæc ſcripſeram, decretum Sacræ Congregationis mea dicta confirmans, & indulgentiam a Summo Pontifice Clem. XIII. conceſſam continens, in meam notitiam venit; quod hic referre operæ pretium duxi.

„ Quum Sacra Congregatio Indulgentiis, & Sacris
„ Reliquiis præpoſita die 31. Menſis Martii anno
„ 1759. fuerit in voto, Confeſſionem Sacramentalem,
„ quando in Brevibus apponitur pro Indulgentiæ con-
„ ſecutione, peragi omnino debere etiam ab iis, qui
„ ſibi peccati lethalis conſcii non ſunt; nec non præ-
„ fatam confeſſionem ſuffragari etiam poſſe, ſi in Vi-
„ gilia Feſtivitatis expleatur; Votumque Congregatio-
„ nis SS. D. Noſter Clemens PP. XIII. benigne appro-
„ baverit, illudque typis publicari ſub datum 19. Maij
„ prædicti anni mandaverit; quamplures ſupplices li-
„ belli tum Regularium Communitatum, & præſertim
„ Monialium, tum etiam Parochorum, & nonnullo-
„ rum Epiſcoporum pro ſuis Diœceſibus porrecti ſunt,
„ quibus maxima exponebatur difficultas, quæ inter-
„ dum, immo perſæpe incidit pro Sacramentali Con-
„ feſſione, ſive in Feſto, vel ad minus in Vigilia per-
„ agenda. Quamobrem, ut adeo proficuus Indulgen-
„ tiarum theſaurus reddatur fidelibus accommode com-
„ parandus, enixis precibus ſupplicabant Sanctitati ſuæ,
„ ut opportuno aliquo remedio de Apoſtolica benigni-
„ tate providere dignaretur; quibus precibus ad præ-
„ miſſam Sacram Congregationem remiſſis, propoſitum
„ in ea fuit dubium: An, & quomodo ſit conſulendum
„ Sanctiſſimo ſuper præfati Decreti executione, vel de-
„ claratione in caſu? & reſponſum fuit; Conſulendum
„ Sanctiſſimo Domino Noſtro, ut concedere dignetur
„ Indultum omnibus Chriſtifidelibus, qui frequenti pec-
„ catorum confeſſione animam ſtudentes expiare, ſe-
„ mel ſaltem in hebdomada ad Sacramentum Pœni-
„ tentiæ accedere, niſi legitime impediantur, conſue-
„ verunt, & nullius lethalis culpæ a ſe poſt peractam
„ ultimam confeſſionem commiſſæ ſibi conſcii ſunt, ut
„ omnes & quaſcumque Indulgentias conſequi poſſint,
„ etiam ſine actuali confeſſione, quæ cæteroquin,
„ juxta præfati Decreti definitionem, ad eas lucrandas
„ neceſſaria eſſet. Nihil tamen innovando circa Indul-
„ gentias Jubilæi, tam ordinarii, quam extraordinarii,
„ aliaſque ad inſtar Jubilæi conceſſas, pro quibus aſſe-
„ quendis, ſicut & alia opera injuncta, ita & Sacra-
„ mentalis Confeſſio, tempore in earum conceſſione
„ præſcripto, peragantur. Et facta per me infraſcri-
„ ptum ejuſdem Sacræ Congregationis Secretarium de
„ præmiſſis omnibus SS. D. Noſtro relatione, Sancti-
„ tas Sua piis bonorum deſideriis, ac votis ſatisface-
„ re, & Indulgentiarum gratias, iis potiſſimum, qui
„ pie, ſancteque vivendo, donis Divinæ Miſericordiæ
„ digniores efficiuntur, elargiri quam maxime cupiens,
„ benigne annuit, & præfatum Indultum in forma ſu-
„ praſcripta expediri, & publicari mandavit, quibuſ-
„ cumque in contrarium non obſtantibus.
„ Datum ex Secretaria Sacr. Congreg. Indulgentia-
„ rum die 9. Decembris Ann. 1763.
„ Nicolaus Card. Antonellus Præfectus.
„ Jo: de Comitibus Sac. Cong. Indulg. Secretarius.

Animadversio LXVIII.

Indulgentia alia eſt totalis &c. *quæ non tantum pœnitentiam injunctam per Confeſſarium* &c.

Caveant hic Confeſſarii, ne putent, ſe propter indulgentiam plenariam liberos eſſe a pœnitentia injungenda, aut pœnitentes a pœnitentia injuncta peragenda; quod eſt falſum, & contra mentem Bened. XIV. ex dictis art. 5. h. dub. c. 3.

Animadversio LXIX.

Anno Jubilæi in urbe durante ſuſpendi ſolent .... omnes indulgentiæ plenariæ (non tamen in periculo mortis conſtitutos, ut &c. *neque quoad defunctos.)*

De his rebus, quæ a voluntate, & mente Summorum Pontificum, quæ pro temporum, & circumſtantiarum varietate mutari poteſt, omnino pendent, vane contenditur; niſi forte aliquid obſcuri, & ambigui in eorum verbis contineatur.

Bened. XIV. conſt. *Cum nos nuper* anni 1749. 16. Kal. Junii, exceptionem a Buſembao expoſitam habet, imo quaſcumque indulgentias pro vivis conceſſas ſalvas, & firmas remanere vult *ad effectum duntaxat*, ut pro animabus purgatorii applicari valeant. Qua de re pro anno Jubilæi 1750. non eſt dubitandum, quidquid La-Croix p. 359. n. 1401. contra dicat ex declaratione Clem. X. apud Viva.

Itemque aliæ facultates v. gr. abſolvendi a caſibus Bullæ cœnæ, commutandi vota, diſpenſandi &c. *conceſſæ in ordine ad lucrandas plenarias indulgentias.*

Cur Buſembau addit *in ordine ad lucrandas plenarias indulgentias*? Quia, inquit La-Croix p. 360. n. 1403.
„ facultates abſolvendi &c. conceſſæ ad alium finem,
„ quam lucrandi indulgentias, non ſuſpenduntur, uti
„ declararunt Pontifices, & tradunt Auctores cum Bel-
„ leg. qu. 4. & Viva art. ult. Quamvis enim verba
„ videantur derogare facultatibus ex quacumque cau-
„ ſa conceſſis, tamen præſumi debet, eamdem ſemper
„ eſſe mentem ſequentium Pontificum, niſi conſtet de
„ oppoſito. “

Quandonam apud probabiles conſtabit de oppoſito, qui de oppoſito conſtare nolunt, & quibus diſtinctiunculæ, quibus oppoſitum eludant, numquam deſunt?

Ceterum cum Pontificum verba alia ſunt, & diverſa ab aliorum Pontificum verbis, & videntur derogare facultatibus ex quacumque cauſa conceſſis, cur præſumitur, eorum mentem ab eorum verbis diſcordare? Hæc præſumptio temeraria merito habetur. Si enim præſumimus in Pontificum conſtitutionibus ſenſum contrarium eorum ſermoni, & verbis, qua ratione ſuam illi mentem declarare nobis poſſunt? Dum La-Croix ita loquitur, Pontifices ſummos in ſuam, & ſuorum ſententiam invitos ire vult, niſi forte illis formulis verborum utantur, quæ ſibi, & ſuis perſpicuæ, & evidentes ſint. An ſummi Pontifices ſuarum conſtitutionum formulas a probabilibus opinatoribus, ſi vim habere eas velint, deſumere neceſſe habent? Sed mirum non eſt, quod probabiles, ſummos Pontifices ſibi ſubditos velint, cum Deum ipſum, quod incredibile videtur, & nihilominus verum eſt, ſibi ſubdant, cujus legem valere nolunt, niſi eo ſenſu, quem ipſi eidem adſcribunt.

Sed in rem, de qua ſermo eſt, legendus eſt Bened. XIV. ep. encycl. citata, qui de diverſo loquendi modo, & ſenſu, quo uſi ſunt Pontifices quoad ſuſpenſionem facultatum abſolvendi a caſibus ſibi reſervatis Jubilæi tempore, eruditiſſime diſſerit. Num. 49. ita loquitur: „ In queſta controverſia, ſe il Breve di ſoſpen-
„ ſione generale di tutte le indulgenze, e facoltà d'aſ-
„ ſolvere da' caſi riſervati alla ſanta Sede, comprenda
„ nell' anno ſanto ſolo quelle facoltà conceſſe ad intui-
„ to delle indulgenze, o pure ſi eſtenda a quelle anco-
„ ra conceſſe ſenza veron ordine alle indulgenze; noi
„ ſempre abbiamo creduto, e crediamo, eſſer nata, e
„ naſcere la diverſità de' ſentimenti dalla diverſità del-
„ le parole, e clauſole, con cui ſono conceputi i Bre-
„ vi di ſoſpenſione, e dal non aver chi ha ſcritto fat-
„ ta la rifleſſione, che le ſoſpenſioni non ſono unifor-
„ mi, e che ſotto una ſoſpenſione poſſono eſſer com-
„ preſe tutte le facoltà d' aſſolvere da' caſi riſervati,
„ e ſotto l' altra alcune ſolo poſſono eſſer compreſe,
„ e non le altre. “ Ne ſim prolixior, ad hanc encyclicam lectorem remitto.

Non ſuſpenduntur autem indulgentiæ perſonis particularibus, aut ab alio, quam Papa conceſſæ.

La-Croix p. 359. n. 1401. putat quoque non ſuſpendi indulgentias Laureti, B. V. Einſidlenſis, Compoſtellæ, Portiunculæ Aſſiſii, Bullæ cruciatæ, nec niſi plenarias conceſſas a Papis, adeoque manere non plenarias;

narias; additque: „ Eſque certum manere conceſſas „ ab aliis, quam a Papis; quia tantum dicunt revo- „ cari ſuas. “

Hoc quidem non theologicæ diſputationis, ſed divinationis genus eſt. Quomodo enim ſcire poſſumus, quæ, & quales indulgentiæ durante anno ſancto ſuſpendantur, niſi prius verba, quibus in ſuſpenſionibus utuntur Pontifices, legerimus? Quod autem addit La Croix, „ quia tantum dicunt revocari ſuas, “ feſtivum eſt: An ſummi Pontifices ita dicere coguntur? Itaque miſſis præjudiciis tenor ipſe apoſtolicarum conſtitutionum attente conſiderandus eſt, ut innoteſcant ſuſpenſiones tum facultatum, tum indulgentiarum.

Bened. XIV. n. 22. ep. cit. inquit: „ Chi ha qualche benchè mediocre pratica degli Autori morali, „ ſarà ſenza dubbio informato delle molte queſtioni, „ che da eſſi ſi promovono in ordine all' indulgenze, „ che ſi ſoſpendono nell' anno ſanto. Noi per levarle, „ nella noſtra coſtituzione abbiamo fatta una ſoſpenſio- „ ne generale; ma prima, come può leggerſi in eſſa, „ abbiamo ſottratte dalla revoca generale alcune indul- „ genze, che abbiamo ancora eſpreſſe, e nominate; il „ che porta ſeco la conſeguenza, che quelle, che non „ ſono nominatamente preſervate, debbonſi intendere „ ſoſpeſe. “ An, quia Buſemb., & La-Croix nolunt ſuſpendi indulgentias ab iis nominatas, reipſa ſuſpenſæ a Bened. XIV. ejuſque apoſtolica auctoritate non fuerunt, niſi in ejus exceptione includantur, ſicuti reipſa non includuntur indulgentiæ, B. V. Einſidlenſis, & aliæ, quas La-Croix numerat? An forte opinio, voluntas, ignorantia vim tribuit facultatibus, & indulgentiis a ſummo Pontifice ſuſpenſis? Nam ſicut La-Croix p. 362. n. 1445. aſſerere audet eſſe probabile, quod affirmant Amicus, Viva, Diana, hoc eſt indulgentiam, ſeu Jubilæum acquiri, ſi quis ponat hoc, quod opinio probabilis dicit ſufficere, etſi Papa forte plus requirat; ita poſſunt dicere, opinionem probabilem vim tribuere indulgentiis, & facultatibus a Pontifice evidentiſſime non ſuſpenſis. Hoc effugium ſane abſurdum, & commentitium expreſſe præoccupavit Bened XIV. conſt. *Cum nos nuper* anni 1741. 16. Kal. Junii, ubi ait: *Irritum quoque, & inane decernimus, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.*

Animadversio LXX.

Cetera tamen opera debere fieri, & quidem intra unam hebdomadam, docet Lugo &c. contra Bonac.

Buſemb. ſcilicet divinat: nam fieri debent opera injuncta, non ut ait Buſemb., ſed prout a ſummo Pontifice præſcribitur. Pro Jubilæo anni 1750. opera præſcripta intra unam hebdomadam fieri nec poterant, nec debebant, quia Bened. XIV. Romanis, vel Urbis incolis viſitationem trium Baſilicarum ſemel ſaltem in die per triginta continuos, aut interpolatos dies injunxit, peregrinis vero, & exteris per quindecim ſaltem dies. Ita habetur conſt. *Peregrinantes* anni 1749. 15. Maji.

Qui ordinem inter opera præſcripta non ſervavit.

Ita ſane, ſi ordo non præſcribatur, aut ſaltem non præſcribatur ut neceſſarius ad indulgentiam obtinendam; ſecus dicendum eſt, ſi forte ordo operum requireretur ut neceſſarius; quod intelligi non poteſt, niſi ex verborum, quibus apoſtolica conceſſio concipitur, tenore.

Si quis intra illud tempus cœperit confeſſionem, quam materialiter imperfectam oporteat differri longius, poteſt tunc abſolvi a reſervatis, & commutari vota.

Hic quæro a Buſembao, utrum abſolutio Jubilæi tempore poſſit impertiri contra jus divinum? At ex doctrina Syn. Trid. ſeſſ. 14. cap. 5. *ex inſtitutione Sacramenti pœnitentiæ jam explicata, univerſa Eccleſia ſemper intellexit, inſtitutam etiam eſſe a Domino integram peccatorum confeſſionem, & omnibus poſt baptiſmum lapſis jure divino neceſſariam exiſtere:* ergo certum eſt Jubilæi tempore eſſe neceſſariam integram confeſſionem, ut abſolutio impertiri poſſit. An a peccatis reſervatis Confeſſarius abſolvere poteſt non auditis aliis, quia peccata ſunt reſervata? Peccata igitur, quia ſunt reſervata, hoc eſt quia graviora, privilegio contra jus divinum fruuntur. Pudet me ſane contra tam abſurda commenta diſputare.

At confeſſio integre audiri non poteſt, ſed imperfecta relinquenda eſt, ut poſt Jubilæum integre fiat. Reſp. Hoc ſomnium eſt a Buſembao ex arbitrio confictum. Cur enim confeſſio integra audiri non poteſt? Nonne Confeſſarius multorum pœnitentium confeſſiones audit? Cur ergo pœnitentis, qui in reſervata crimina lapſus eſt, confeſſionem forte prolixam audire nequit? Non ſolum eam audire, ſed commode audire poteſt, dummodo velit ſuo munere recte fungi, hoc eſt eos paucos pœnitentes excipere, & abſolvere, quos rite, & integre confeſſos audire poteſt. Sed Buſembau forte putat, quid enim aliud exiſtimare poteſt? pœnitentem in reſervata lapſum, & diminute confeſſum abſolvi poſſe a reſervatis propter magnum pœnitentium concurſum; quæ eſt ipſiſſima propoſ. 59. ab Innoc. XI. proſcripta. *Licet ſacramentaliter abſolvere dimidiate tantum confeſſos ratione magni concurſus pœnitentium, qualis v. g. poteſt contingere in die magnæ alicujus feſtivitatis, aut indulgentiæ.*

Cum porro hujuſmodi abſolutio mala ſit, & ſacrilega, nullum jus Confeſſario tribuere poteſt faciendi poſt Jubilæum, quæ Jubilæi tempore poterat.

Animadversio LXXI.

Qui neglexit lucrari Jubilæum in patria, poteſt alibi... lucrari.

Poteſt lucrari, dum ad incolas loci ex verbis conceſſionis coarctatum non fuerit.

Imo etiam in patria, ſi ... ex invincibili ignorantia notitiam illius non habuit.

An ignorantia invincibilis vim habet prorogandi indulgentiarum tempus? Hoc ſane portentum refutatione dignum non eſt.

Animadversio LXXII.

Quando duobus diebus immediatis occurrunt &c. non opus eſt bis confiteri &c. dummodo &c.

Si ſingula Jubilæa confeſſionem, & communionem requirunt, cur confeſſio, & communio repetenda non eſt? An una confeſſio, & communio duabus æquivalet? An ipſa perſeverantia in gratia eſt confeſſio, & communio? Status gratiæ ex natura ſua ad indulgentiam neceſſarius eſt: ergo cum Pontifices confeſſionem præcipiunt pro indulgentia, ipſam confeſſionem præcipiunt, non gratiæ ſtatum. An unam rem præcipiunt, & aliam intelligunt? Si confeſſionem injungerent ut conditionem ad gratiam, non ad indulgentiam, non abſolute confeſſionem injungerent, ſed cum additione e. g. *In mortale peccatum lapſis, vel illis, quos mortalis peccati conſcientia gravat*, vel alia ſimilibus verbis; at cum Pontifices confeſſionem injungunt abſolute, cur nonnulli eam accipiunt cum addito, niſi ex licentia opinandi ab Alex. VII. damnata, qua non ſolum pontificium, ſed divinum regnum perturbant? Quod ſi Buſembaum quoad confeſſionem audiendus non eſt, multo minus audiri debet quoad communionem, quæ ſtatum gratiæ ſupponit. Huc ſpectant mox dicta in c. 18.

CAPUT II.

De Miniſtro Sacramenti Pœnitentiæ.

DUBIUM I.

Quis ſit Miniſter?

Reſpondeo. Eſt Sacerdos approbatus ab Epiſcopo, ſaltem reſpectu ſæcularium, & habens juriſdictionem. Eſt certum. Ratio primæ partis ſumitur ex Joann. 1. *Accipite Spiritum ſanctum: quorum remiſeritis*, &c. Ratio ſecundæ ſumitur ex Trid. *ſeſſ. 23. cap. 15. de reform.* ubi decernit, nullum poſſe audire confeſſiones ſæcularium, niſi habeat Beneficium parochiale, vel approbationem ab Epiſcopo. *Addidi reſpectu ſæcularium, quia circa confeſſiones Regularium Concilium nihil videtur notaſſe;* (*n*) unde ii cuivis, etiam non approbato, quem Prælatus præfecerit, poſſunt confiteri, intellige, quantum eſt ex vi Concilii: quia Gregor. XV. ſtatuit, ut Monialium Confeſſarius ab Ordinario approbetur. Ratio tertiæ partis ex Florentino, & Trident. *l. c.* quia abſolutio eſt actus judicialis, qui requirit ſubditos.

Unde reſolves.

1. Nullo caſu, vel diſpenſatione hoc Sacramentum valide adminiſtratur a non Sacerdote.

2. *Ubi Trid. eſt receptum, ſecus alibi*, nullus Sacerdos, etiam Regularis, valide abſolvit, niſi ſit approbatus, vel Parochus, *cui non ſolum intra, ſed* ANIMAD. I.

etiam

Google

etiam extra diœceſim ſuam, * valida delegatur juriſdictio, (*b*) poteſtque eligi in Confeſſarium ab omni habente poteſtatem eligendi, quamdiu tamen retinet Parochiam. Ita Fill. *t.* 1. *c.* 7. Fag. Suar Dian. *t.* 3. *t.* 4. *R.* 146.

DUBIUM II.

Quid ſit approbatio, & a quo petenda?

Reſp. 1. Approbatio non eſt collatio juriſdictionis, *ſed tantum publicum judicium de aptitudine perſonæ*, (*c*) ad audiendas confeſſiones eſſentialiter prærequiſitum, ſuppoſito jure Trid. ad juriſdictionem recipiendam. Ita Sanch. *l.* 6. *de matrim. d.* 28. & alii.

Unde reſolves.

ANIMAD. II. 1. *Etſi Doctores, & Licentiati, hoc ipſo quod promoventur, cenſeantur, ſecundum quoſdam, approbati a Papa*, ut notat Sa, ver. *Confeſſor*, probabilius tamen eſt, quod ipſi etiam egeant approbatione, licet non deceat, ut ipſi, vel Lectores in Theologia examinentur.

2. Etiam Parochus, qui reliquit beneficium parochiale, debet approbari, ſi velit audire confeſſiones.

ANIMAD. III. 3. *Non requiri hanc approbationem ad audiendum venialium, docet Dian. p.* 2. *t.* 2. *m. R.* 44. ex Valer. Et ratio eſſe videtur, quod approbatio tantum requiratur in ordine ad juriſdictionem; *hanc autem quivis Sacerdos pro venialibus, uti & mortalibus, a quibus rite quis eſt abſolutus, habeat collatam ab Eccleſia in ipſa ordinatione, ideoque ab iis abſolvere poſſit, ut habet Bon. d.* 5. *q.* 7. *p.* 2. *n.* 8. *Vaſq. Suar. Card. de Lug. d.* 18. *ſ.* 3. *d.* 21. *n.* 1. *ubi docet ab Eccleſia in Trident. non approbatum reddi incapacem juriſdictionis tantum in ordine ad mortalia non prius confeſſa.*

ANIMAD. IV. 4. *Parochi non poſſunt aſciſcere cooperatores, niſi Parochos, vel approbatos*, ut habet Fag. *p.* 2. *l.* 7. *n.* 42. Sanch. &c. ex declaratione Card. *contra Led. & alios. Vid. Dian. p.* 3. *t.* 4. *R.* 346. & *Bon. d.* 5. *q.* 7. *p.* 4. §. 1.

5. Qui habet poteſtatem eligendi Confeſſarium, non poteſt eligere, niſi approbatum, vel Parochum.

6. *Ad approbationem non neceſſario requiritur examen*, (*d*) modo adſit judicium prudens de ſufficientia. Con. Laym.

ANIMAD. V. 7. Non ſufficit approbatio petita, & negata, ut docetur communiter contra Nav. Henriq. & Dian. *p.* 1. *t.* 2. *R.* 24. *Etſi probabiliter cum prædictis docuerint Coninck. & Layman. Regulares mendicantes, ſi ab Epiſcopo repellantur, cum manifeſte idonei ſint, & a Prælatis ſuis præſententur, poſſe nihilominus pro confeſſionibus ſæcularium exponi*, ut habetur Clementina *Dudum*, §. *Statuimus. Iſtis tamen privilegiis Trident. & Urbanum VIII. anno* 1628. *derogaſſe, notat Lugo de pœn. d.* 21. *n.* 39. & 51.

ANIMAD. VI. Reſp. 2. *Approbatio petenda eſt ab Epiſcopo, & quidem proprio, ſcilicet Sacerdotis, ut intelligunt Suarez, Conin. Reginal. Filliuc. & alii, vel, ut probabiliter vult Vaſq. pœnitentis.* Ratio eſt, quia eſt actus juriſdictionis, vel ſaltem auctoritativa declaratio: ergo debet fieri a ſuperiore. Porro nomine Epiſcopi etiam intelliguntur Prælati habentes juriſdictionem epiſcopalem, ut quidam Abbates, & Capitulum Sede vacante, non autem Provinciales, aut Generales Ordinum.

Unde reſolves.

1. Religioſi, etiam exempti, debent approbari ab Epiſcopo loci, in quo degunt: quia illius, quoad hunc actum, ſunt ſubditi.

2. *Epiſcopus in ſua Diœceſi non poteſt approbare Sacerdotem alienum*, (*e*) niſi ſubdatur illi, ſaltem ad tempus.

3. Epiſcopus poteſt approbare per ſe, vel Vicarium generalem, vel alios quoſcumque deputatos; quia non eſt actus ordinis, ſed juriſdictionis.

4. Approbatio poteſt fieri cum reſtrictione ad certum genus perſonarum, locum, tempus, &c. Nav. Suar. Vaſq. contra Vegam. (*f*)

5. Epiſcopus peccat, ſi Sacerdoti, *præſertim Regulari*, ** idoneo, ſine cauſa ſufficienti neget approbationem. (*g*) Bon. Vaſq. *a.* 3. *d.* 3. Card. de Lug. *d.* 21. *ſ.* 3. *n.* 54. Sanch. &c.

6. Approbatio ſemel abſolute conceſſa non tantum non extinguitur morte concedentis, ſed nec revocari poteſt ſine juſta cauſa: ex cauſa tamen, v. gr. mutatione morum, judicii, &c. poteſt, ut docent Suarez, Fill. & alii. *Quod ſi fiat abſque cauſa rationabili, Con. Suarez, & quidam alii cenſent revocationem eſſe nullam; alii illicitam tantum.* Fill. *t.* 7. *c.* 9. *q.* 12. In dubio autem, an ex juſta cauſa revocatio ſit facta, præſumendum eſſe pro Prælato, docet Card. de Lugo *n.* 67. ANIMAD. VII.

7. *Ex juſta cauſa poſſunt, præſertim a ſucceſſore Epiſcopo, ad examen revocari non tantum ſæculares, ſed etiam regulares. Docent tamen quidam, Mendicantes habere privilegium, ut non poſſint revocari ab eodem, a quo ante ſunt approbati; ſed contrarium docent* Suarez, & Lugo *d.* 21. *n.* 61. & 62. ANIMAD. VIII.

8. An approbatus ab uno Epiſcopo poſſit in alia diœceſi, ſine nova approbatione, recipere juriſdictionem, controvertunt DD. ac licet utraque ſententia olim videri potuerit probabilis; poſt decretum tamen Urbani VIII. 1628. apud Lug. *d.* 21. *ſ.* 2. *n.* 9. negativa omnino tenenda eſt. V. Aveiſ. *q.* 16. *ſ.* 8.

DUBIUM III.

Quid, & quotuplex juriſdictio Confeſſarii, & unde eam habeat?

Reſp. Eſt auctoritas aliqua in alium, ut ſubditum, in quem, in foro interno, accipit poteſtatem diſtinctam a poteſtate Ordinis: hæc enim datur per Sacramentum Ordinis, & omni Sacerdoti, nec tolli poteſt; illa per externam conceſſionem Eccleſiæ, nec omnibus Sacerdotibus, poteſtque ab iis tolli, ac niſi adſit, invalida eſt abſolutio, ex Trident. *ſ.* 14. *can.* 7. Eſt autem duplex: Ordinaria, & Delegata. Ordinaria eſt, quam habent ii, qui ex vi proprii officii curam animarum habent, ut Papa, Epiſcopus, Parochus (huc revocantur Archiepiſcopi erga ſubditos ſuorum Epiſcoporum, tunc tantum, quando actu viſitant) Archipresbyteri, Archidiaconi, Prælati religionum, Vicarius perpetuus Epiſcopi, vel etiam Parochi. *Delegata dicitur, quæ legitime datur ab habente ordinariam*, idque vel tacite, vel expreſſe; ut a Papa pro tota Eccleſia, ab Epiſcopo pro diœceſi, *a Parocho pro parochia*: hoc diſcrimine, quod Papa poſſit dare invitis Epiſcopis, & parochis, non contra. *Ac, licet exterior juriſdictio expiret morte delegantis, non tamen hæc interior, niſi ſucceſſor revocet*, ut docet Sanchez, Suarez, Navar. Coninc contra Sylveſt. & Vaſquez. Vide Layman. *cap.* 10. *num.* 22. *Porro hujuſmodi poteſtatem delegatam abſolvendi quemcumque a quibuſcumque peccatis* in articulo, ſeu periculo mortis (hæc enim pro eodem ſumuntur in jure, ut vid. Dian. *p.* 3. *tract.* 4. *reſ.* 57. 71. & 72.) habet ex jure communi quivis Sacerdos, *etiam excommunicatus, & degradatus, ſi alius deſit: quod adde, quia præſente Parocho, vel proprio Sacerdote, id non poſſe, docent Vaſquez*, Bonac. Conin. Regin. &c. commun. *licet contrarium probabile putet Dian. par.* 1. *t.* 5. *reſ.* 5. & *par.* 4. *reſ.* 167. Aug. Henriq. Comit. & Sa, *confirmatque Tamb. de exped. conf. lib.* 3. *cap.* 7. *Ex conſuetudine quivis toleratus abſolvere poteſt a venialibus, & mortalibus alias confeſſis. Ex privilegio, Religioſi Mendicantes quoſvis fideles abſolvere poſſunt juxta tenorem ſuorum privilegiorum.* Ex conceſſione Ordinarii directa, quicumque Sacerdos approbatus, cui id ille committit. *Denique ex indirecta is, qui audit* ANIMAD. IX.

* Illud *extra diœceſim ſuam* intellige, aut corrige poſitionem ſuam. Nam Epiſcopus nemini extra ſuam diœceſim, ubi nullum jus habet, juriſdictionem delegare poteſt. Vide hic Animad. XI.

** Illud *præſertim Regulari* additum eſt mero arbitrio.

eum, qui habet poteſtatem eligendi Confeſſarium, quales ſunt, 1. *Ex jure, Epiſcopi omnes, etſi ſint tantum titulares*; item ſuperiores Epiſcopis, ut Archiepiſcopi &c. *Item Prælati iis inferiores exempti, ut Abbas exemptus*(non tamen Abbatiſſa)*Generalis, Provincialis, Prior*, ſalvis tamen privilegiis Ordinum. Vide Dian. *par.* 4. *tr.* 4. *Reſ.* 1. & 2. 2. *Ex conſuetudine, Cardinales, qui etiam domeſticis de Confeſſore providere poſſunt: item Paſtores, imo multis locis etiam ceteri Sacerdotes ſæculares, ut docent Valentia, Sa, Suarez diſp.* 27. *ſect.* 3. Religioſi tamen tenentur eligere tales, quales illis permittunt ſtatuta. *Item Reges, & Principes*, quorum tamen privilegium ad familiam non extenditur; *denique domeſtici Pontificis.* 3. *Ab homine eam habent, quibus ſive Pontifex, ſive Epiſcopus, ſive Parochus conceſſit.*

Unde reſolves.

1. Qui habet poteſtatem delegatam, non poteſt eam ſubdelegare alteri, cum diverſa ſit poteſtas utendi juriſdictione, & eam delegandi. Excipitur 1.
ANIMAD. X. niſi hoc ipſum conceſſum ſit. 2. *niſi ſit delegatus ad univerſitatem cauſarum, ut verbi gratia, ſi cui committeretur officium Parochi abſentis, vel nondum ſacerdotis: talis enim aliqua exercitia juriſdictionis, alteri ex præſumpta voluntate Ordinarii ſubdelegare poſſet, non tamen integrum officium.* Vide Laym. *hic l.* 1. *t.* 6.

ANIMAD. XI. 2. *Cum juriſdictio reſpiciat ſubditos, exerceri in eos poteſt, tam a delegato, quam ordinario, quocumque loco fuerit, ut docent Sanc. Henriq. Suar. in* 3. *p. t.* 4. *d.* 28. *ſect.* 1. & 7 *& alii.*

ANIMAD. XII. 3. *Probabile eſt, quod abſolutus in articulo mortis non teneatur ſe poſtea ſiſtere ſuperiori, vel alteri pro reſervatis, niſi hæc habeant annexam cenſuram*, ut docent Nav. Suar. Marc. Fill. *t.* 7. *c.* 10. *q.* 6. n. 288. Bon. *d.* 5. *q.* 7. *p.* 1. *n.* 13. quia directe abſolutus fuit, contra Hurt. V. Dian. *p.* 4 *t.* 4. *R.* 199.

4. Improbitas, aut inſcitia proprii Sacerdotis non dat juriſdictionem alteri: ideoque in tali caſu ex-
ANIMAD. XIII. pectandum eſt, aut ad ſuperiorem recurrendum. *Si tamen ignorantia eſſet tanta, ut confeſſio illi facta foret invalida, aut illicita, neque eſſet alius privilegiatus, aut habens juriſdictionem, licere alteri confiteri, docent Navar. Vaſq. in* 3. *par. t.* 4. *q.* 92. *art.* 2. *dub.* 4. Hurt. *d.* 10. *diſ.* 15. Vide Dian. *par.* 4. *tr.* 4. *reſ.* 201. & *par* 8. *t.* 1. *Reſ.* 76. *cap. Placuit, de pœnit. diſt.* 6. *Idem licere, quando quis proprio non poteſt confiteri ſine gravi periculo, docent Tolet. Sylv. & Medin. qui idem concedit, quando proprius non vult, aut non poteſt audire, vel injuſte negat facultatem confitendi alteri, v. g. Parochus concubinæ.* Dian. *p.* 3. *t.* 4. *R.* 79. ex Henriq. & aliis quatuor. *Verum iſta communiter refutantur ab aliis.*

5. Etſi graviter peccare poſſit proprius, ſi neget ſuis facultatem adeundi alterum, modo præſumere
ANIMAD. XIV. poſſit eos juſte petere; *ſi tamen injuſte neget, probabilius videtur*, eos invalide ab alieno abſolvi, ut docent Sotus, Suarez, Laym. *etſi non improbabiliter* Sylv. Henriq. Majo. Palud. Richard. Tolet. & Dian. *p.* 3. *t.* 4. *R.* 70. *putant, quod valide, præſertim ſi ſine periculo ſalutis, famæ, vel ſimili, non liceat ſuo proprio.*

6. Cum juriſdictio acquiratur ratione domicilii, vel quaſi domicilii, vel etiam actualis habitationis, hinc ii, qui duobus locis habent domicilium, vel quaſi, poſſunt utrobique abſolvi, ut ſcholares, milites, mercatores: item vagi, & peregrini poſſunt abſolvi a Parocho loci, in quo verſantur. V. Laym. hic, Vaſq. &c.

ANIMAD. XV. 7. *Valide abſolvit is, qui audit confeſſiones, præſente, vel ſciente, & non contradicente Ordinario, v. gr. Epiſcopo, vel Parocho, cui conſtet eum aliunde non habere juriſdictionem: quia tunc præſumitur tacite eam dare:* ſufficit enim, ut recte docet Fill. & Fagund. *præc.* 2. *l.* 7. *c.* 2. facultas interpretativa, & præſumpta, modo præſumptio fundetur in ſignis, quæ indicent conſenſum præſentem, ut fit in caſu poſito, (ubi etiam verbi gratia, ſi Parochus, qui jam abſens eſt, alias ſignificaverit id ſibi gratum eſſe;) nam exiſtimatio de futuro conſenſu, vel ratihabitione, quod ſcilicet quando reſciverit futurus ſit contentus, non ſufficit; quia conſenſus futurus non dat juriſdictionem pro tempore præſente, quo datur abſolutio. V. Dian. *p.* 3. *t.* 4. *R.* 68. Sanchez *de matrim. l.* 3. *d.* 35. Bec. Con. qui addit peccare, ſi de conſenſu dubitans incipiat audire.

8. *Peccat, qui abſolvit cum juriſdictione dubia, ni-* ANIMAD. XVI.
ſi neceſſitas urgeat: qualis eſt v. g. quia pœnitens diu non eſt confeſſus, vel debet communicare, nec alius adeſt: tunc enim licite abſolvit cum conditione hac, ſi poſſum, & cum onere (etſi Salas *in* 2. *tr.* 8. *art.* 1. hoc onus non agnoſcat) *alias iterum confitendi habenti juriſdictionem certam. Expedit autem tunc veniale aliquod adjicere, a quo directe, & a ceteris indirecte ſaltem abſolvetur. Ita Regin.* Suar. Conin. *d.* 8. *dub.* 5. *n.* 43. *Quod ſi tamen ex probabili ratione dubium reſolvat, nimirum habere ſe juriſdictionem, etſi cum formidine oppoſiti, abſolute abſolvit*; ut docet Suarez, & Præpoſ. Lugo *d.* 19. *n.* 49. *tum quia tunc practice, & moraliter eſt certus, tum quia Papa eo caſu dat facultatem, uti & in ſequentibus caſibus.* 1. *Quando communi errore, v. g. ob titulum coloratum, putatur aliquis eſſe Paſtor, ſeu habere juriſdictionem, qui non eſt, ob cenſuram, vel alium defectum.* Bon. *d.* 5. *q.* 5. *ſect.* 2. *p.* 3. *n.* 11. Dian. *p.* 3. *tr.* 4. *reſ.* 22. *Quod etiam, ſi deſit titulus coloratus, probabile eſſe docet* Dian. *par.* 3 *tr.* 3. *reſ.* 122. ex Pontio, Molfeſ. & Sanch. *Item par.* 2. *t.* 2. *miſc. reſ.* 43. *ſi quis bona fide tali confiteatur: verum id communiter ab aliis negatur.* 2. *Cum quis ex conſuetudine, præſcriptione, aut bona fide abſolvit, aut neſcit poteſtatem ſuam revocatam*, ut habent Sylv. Navar. Henriq. Mald. *in* 2. *p. q.* 10. *art.* 5. Sanchez *mor. l.* 1. *c.* 9. *n.* 35. Sal. Vaſq. Vide Dian. *p.* 2. *t.* 13. *reſ.* 1. 3. *Quando ſecundum probabilem ſententiam judicatur quis habere juriſdictionem, & Sacerdos ſequitur favorabilem.* Bonac. *l. c.* quia quando communis eſt error, Eccleſia dat juriſdictionem propter publicam utilitatem. Vid. Suar. Dian. *ll. cc.* Card. de Lugo *d.* 10. *n.* 28.

9. *Nemo tenetur unquam Parocho confiteri, ne qui-* ANIMAD. XVII.
dem in Paſchate. Lug. *d.* 19. *ſect.* 2. *n.* 28. &c. cum Dian. *p.* 8. *t.* 2. *reſ.* 88. *Quare Parochi fruſtra nolunt, ut Parochiani confiteantur Mendicantibus, etiam in Paſchate, cum habeant privilegium pro omnibus Chriſti fidelibus.* Suarez, Conin. Henriq. Regin. Zarola *c.* 15. *q.* 3. & commun. apud Bonac. *d.* 4. *q.* 1. *ſect.* 2. *pet. ult. adeo ut qui docent, confeſſos Regularibus, etiam in Paſchate, teneri iterum eadem confiteri ſuo Parocho, ſint ſuſpecti de hæreſi.* Dian. *p.* 4 *t.* 8. *reſ.* 101. & alii. Vi tamen hujus Privilegii non poſſunt abſolvere eos Religioſos, aut Religioſas, quæ non habent facultatem extra ſuum Ordinem confitendi, ut ex communi notat Rodr. & Comp. priv. Societ. *v. Abſolutio*, §. 1. & ex his Laym. hic. Quia privilegio generali non cenſetur derogari conſuetudini, vel ſtatuto particulari, niſi id exprimatur. Uſus tamen fert, ut Regulares peregrinantes, ex præſumpta voluntate ſuperiorum, ſi Ordinis ſocium non habeant, a quovis alio, etiam ſæculari, abſolvantur, exceptis reſervatis: in quæ ſi Religioſi Societatis extra domicilium incidant, videant Ordinationes Præp. Gener. *t.* 6. & Laym. *hic.*

10. *Quod ſi ſuperiores Regularium monialibus ſibi* ANIMAD. XVIII.
ſubjectis (idem eſt de monialibus ſubjectis Epiſcopo) *non concedant aliquoties in anno alium Confeſſarium*, poteſt, & tenetur illis eum dare Epiſcopus, *quod ſi nec is faciat, ipſæ eligere poſſunt.* Quintan. *t.* 3. *ſect.* 26. ex Declaratione Card. apud Barboſ.

DUBIUM IV.

Quid ſit reſervatio caſuum, & qui habeat poteſtatem reſervandi, & abſolvendi ab iis?

Reſp. 1. Reſervatio hæc eſt negatio juriſdictionis circa aliquod peccatum. Ac certum eſt in Eccleſia poteſtatem eſſe quædam peccata reſervandi, a quibus inferiores Confeſſarii non poſſint abſolvere, ut ſic ſubditi melius dirigantur, & abſterreantur a peccatis, quorum difficilem remiſſionem vident: quamquam niſi graves cauſæ ſint, non debeat quivis, neque qui poteſt, quidvis facile reſervare, neque difficulter veniam dare abſolvendi a reſervatis, ne alioqui cedat in deſtructionem, quod debebat in ædifi-

ædificationem. Porro etſi quivis Ordinarius poteſtatem habeat reſervandi, in Parochis tamen conſuetudo eam abrogavit. Vide Suar. *d.* 30. *ſect.* 6. C. de Lugo *d.* 5. *ſect.* 6. §. 3.

Unde reſolves.

1. Cum non ſit obligatio confitendi venialia, ea fruſtra reſervantur, etſi fortaſſe poſſint, ſaltem a Papa; ideoque ſola mortalia, eaque nonniſi externa, graviora, opere conſummata, prudenter reſervantur. Unde Clemens VIII. ſtatuit, ut Prælati religionum, ſi quidem velint, undecim tantum caſus reſervare poſſint, nec plures ſine conſenſu Capituli generalis pro tota religione, vel Capituli provincialis pro provincia. Quod tamen de culpa tantum, & non cenſuris intelligendum eſt; poteſt enim Prælatus aliquid præcipere ſub excommunicatione ſibi reſervata. Caſus autem Clementis ſunt ſequentes.

1. Apoſtaſia a religione, etiam retento habitu. 2. Nocturna, ac furtiva e monaſterio egreſſio. 3. Veneficia, incantationes, & ſortilegia. 4. Proprietas contra votum paupertatis, quæ ſit peccatum mortale. 5. Furtum mortale de rebus monaſterii. 6. Lapſus carnis voluntarius opere conſummatus. 7. Juramentum falſum in judicio legitimo. 8. Procuratio, conſilium, vel auxilium, ad abortum fetus animati, etiam effectu non ſecuto. 9. Occiſio, vel vulneratio, ſeu gravis percuſſio cujuſcunque perſonæ. 10. Falſificatio manus, vel ſigilli officialium monaſterii. 11. Malitioſum impedimentum, retardatio, aut apertio litterarum a ſuperioribus ad inferiores, vel contra.

2. Is, qui confitetur reſervatum, mittendus eſt ad ſuperiorem (ſuadebit tamen caritas; imo aliquando coget, ut ipſe Confeſſarius tacita perſona, & caſu, a ſuperiore veniam petat abſolvendi.) Quod ſi ſuperior adiri non poſſit, & ſit cauſa urgens, verbi gratia, timor infamiæ, vel ſcandali, ex omiſſione confeſſionis, vel communionis, tunc poteſt inferior abſolvere a reſervatis, cum onere, ut pœnitens ſe poſtea ſuperiori ſiſtat. Quod etiam verum eſt, quamvis caſus cenſuram reſervatam an-
Animad. XIX. nexam habeat. *Porro eo caſu peccata non reſervata tantum confiteri ſufficere putant probabiliter Sotus, Corduba,* & Gabr. Anton. Pelaus, Dian. *to.* 2. *tract.* 4. *reſ.* 104. & Lugo *d.* 4. *de Euch. n.* 86. non improbat. *D. Thom. tamen, Suar & alii commun. docent omnia eſſe confitenda; quod tutius eſt.*

Animad. XX. 3. *Si Superior injuſte neget facultatem abſolvendi a reſervatis, poſſe ab alio Confeſſario etiam directe abſolvi, affirmant Henriq. & Dian. p.* 2. *t.* 4. *R.* 29. *eſſe probabile. Sed ſecius negat Lom. l.* 3. *tr.* 6. *c.* 13. *Card. de Lugo d.* 29. *n.* 188.

4. Peccant Superiores, 1. ſi ſine juſta cauſa difficiles ſe præbeant in concedendis licentiis pro abſolutione reſervatorum. Quintan. *t.* 3. *n.* 13. ex Fag. Con. & aliis m. Et ſi ex negatione timeatur grave ſubditi detrimentum, peccant contra caritatem, & juſtitiam. Lugo, Dian. *p.* 6. *t.* 6. *R.* 66.

5. *Si Superior Confeſſario Regularium ad hoc depu-*
Animad. XXI. *tato neget facultatem abſolvendi, Confeſſarius autem judicet debere concedi, poteſt ie pro iſta vice abſolvere.* Averſ *qu.* 17. *ſect.* 5. Lugo *d.* 20. *ſect.* 4. referens ſic declaraſſe Clementem VIII. haberique in quarto tomo Bullarii Bulla 26. Urbani VIII. & Quintan. *t.* 3. *ſect.* 11. dicens non eſſe dubium de re: *additque ex aliis ſeptem probabile eſſe, idem poſſe, ſi viro Religioſo, pio, docto, & prudenti, licet non ex deſignatis de facto, neget.* Dian. *p.* 3. *t.* 3. *Reſ.* 106. *p.* 6. *t.* 6. *Reſ.* 56. *& p.* 6. *t.* 3. *R.* 15. *ex Pellizario.* (*qui vult idem eſſe, ſi pœnitens ipſe petat*) & aliis. *Imo Quintan. l. c. cenſet probabile, quod idem fieri poſſit, ſi Superior adiri nequeat, & urgeat tempus celebrationis, vel communionis, v. g. quia ſine nota non poteſt abſtinere, cum alii omnes communicent. ibid.* ex Trull. & alios ſex. Denique Dian. *par.* 2. *tr.* 2. *reſ.* 126. notat ex Suar. *de Relig. t.* 4. *l.* 2. *c.* 15. *Regulares ſemel ſine licentia ſuorum ſuperiorum poſſe abſolvi a reſervatis, puta eos, qui adhuc, & quatenus hoc privilegium commune habent cum FF. Minoribus,* quorum id eſſe teſtatur Emmanuel Rodr. *tom.* 1. *qq. Reg. q.* 62. *art.* 6.

6. Nihilominus certum eſt, poſse aliquando Superiorem juſtis de cauſis negare facultatem, & cogere ſubditum, ut ad ſe veniat. Card. de Lugo *l. c.* Nam ſi ex caſu reſervato grave ſcandalum, vel damnum communitatis timeatur, poteſt Superior negare abſolutionem, donec pœnitens per ſe, vel Confeſsarium Superiori det ſufficienter notitiam ad illud avertendum: alias non eſt ſatis tutus, nec diſpoſitus ad abſolutionem. Quare ſi Confeſsarius eo caſo urgeat abſolutionem, debet ia attendere, ut pœnitens obligationi ſuæ ſatisfaciat in adhibendo remedio communi malo, vel damno, ſi ſit ejus periculum, quia, niſi hoc faciat, non poteſt abſolvi, non ex defectu juriſdictionis, ſed quia non eſt diſpoſitus. Ad hoc tamen requiritur, ut & obligatio pœnitentis certa ſit, & alia remedia adhiberi non poſſint. Suarez *tom.* 4. *de Relig. l.* 8. *cap.* 5. *n.* 10.

7. Peregrinus quoad reſervationem judicandus eſt juxta diœceſim, in qua verſatur: in qua quæ reſervata ſint, diſcant Paſtores ex Synodis, aut conſuetudine.

8. *Superior, auditis ſolis reſervatis, poteſt ab iis* Animad.
abſolvere, & reliqua inferiori committere, ex cauſa ur- XXII.
gente: qualis tamen non eſt multitudo negotiorum, ut docent Suar. Fernand. & Fill. ſed alia gravior; tum quia etiam occupatiſſimus poteſt dare facultatem adeundi alterum, cum onere poſtea comparendi: tum quia integritas confeſſionis eſt de jure divino.

9. Qui a ſuperiore abſolutus eſt a reſervatis, poteſt ab iiſdem poſtea abſolvi a quovis: quia non ſunt amplius materia neceſſaria confeſſionis.

10. *Qui bona fide confitetur, neſciens ſuum caſum* Animad.
eſſe reſervatum, vel Sacerdotem carere poteſtate circa XXIII.
illum, valide quidem abſolvitur, cum onere tamen comparendi. Prop. Similiter ſi Confeſſarius probabiliter credit non eſſe reſervatum, quia revera ſit, valet abſolutio. Leſs. Dian. *p.* 9. *t.* 9. *reſ.* 29.

11. *Qui confitens habenti poteſtatem ordinariam, de-* Animad.
legatamve in reſervata, oblitus eſt inculpabiliter reſer- XXIV.
vatum, poteſt illud poſtea confiteri etiam inferiori, & abſolvi. Quod etiam valet, ſaltem ſi prior habuerit poteſtatem ordinariam, etiamſi prior abſolutio ob indiſpoſitionem, vel alium defectum pœnitentis, invalida fuiſſet. Ratio eſt, quia is intendit abſolvere, quantum potuit; ergo ſaltem ſuſtulit reſervationem, quod fieri potuit abſque Sacramento. V. Præpoſit. *in* 3. *p. q.* 9. *d.* 4. *n.* 24. Mærat. *t.* 3. *d.* 30. *ſ.* 3. Dian. *p.* 4. *tr.* 4. *reſ.* 124.

Reſp. 2. A reſervatis abſolvere poteſt 1. Ipſe reſervans. 2. Ejus in ſpirituali juriſdictione ſuperior. 3. Cui ipſe delegavit. 4. *Sacerdos inferior, quando* Animad.
ſuperior adiri non poteſt, v. g. a reſervatis Papæ abſol- XXV.
vere poteſt Epiſcopus eos, qui Romam ire non poſſunt.

Reſp. 3. Extra periculum mortis, de quo *v. dicta dubio ſuperiore*, nullus inferior per ſe, & directe abſolvere poteſt, niſi ex jure, vel privilegio concedatur. Dicitur 1. *Per ſe*: quia de indirecte, & per accidens colligitur ex dictis.

Dicitur 2. *Niſi, &c. quia a caſibus papalibus abſolvere poteſt Epiſcopus per ſe, vel Vicarius, quando ſunt occulti, ut docet Nav. c.* 27. Animad. XXVI.

Unde reſolves.

Mendicantes ex vi juris communis non poſsunt abſolvere a reſervatis Epiſcopo; quia ut ſic non habent poteſtatem majorem Parochis, & privilegium, quod circa hoc habuerunt, ſublatum eſt decreto Urbani VIII. anno 1628. *Excipit tamen Aver-*
ſa cum Diana p. 8. *t.* 7. *reſ.* 71. *eos caſus, qui Epiſ-* Animad.
copis a jure tantum reſervantur. Imo Quintan. t. 1. *tr.* XXVII.
3. *ſ.* 14. *affirmat Regulares adhuc poſſe abſolvere, ſicut ante decretum, eo quod hoc in Provinciis non ſit promulgatum*: quod Dian. *p.* 9. *t.* 6. *reſ.* 51. non audet probare, niſi ad Epiſcopum non pateat recurſus: tunc enim ab ipſis reſervatis poſse abſolvere, ſicut poſsunt a Papæ reſervatis. Granat. Dian. *p.* 5. *t.* 14. *reſ.* 58. V. etiam Præpoſ. *q.* 10. *d.* 1.

Reſp. 4. *Si Confeſſarius dubitet, an pœnitens la-* Animad.
pſus ſit in mortale reſervatum, ſi quidem dubium ſit XXVIII
poſitivum, poteſt (ſequendo opinionem probabilem, & judicando probabiliter non eſſe reſervatum) abſolvere.

Si vero dubium ſit negativum, poſſe abſolvere negant aliqui, ut Armil. Cord. &c. *Probabilius affirmant Suar. Fillius, Henriq. Hurt. Bonac. Lugo d. 20. ſ. 2.*

DUBIUM V.

Quod ſit officium, & obligatio Confeſſarii?

Reſp. 1. Munus Confeſſarii eſt abſolvere diſpoſitum, & non alium; item curare rectitudinem iſtius judicii, præſertim quando cœptum eſt; & reos juvare, ac monere, cum prudentia tamen. Ratio primi eſt, ne ſit injurius pœnitenti. Ratio ſecundi, ne fiat ſacrilegus. Ratio tertii eſt eadem, & quia debet curare, ut abſolutio ſit efficax.

Unde reſolves.

1. Etſi interdum utiliter differetur abſolutio etiam ejus, qui poteſt licite abſolvi; id tamen raro, nec ſerè niſi de pœnitentis conſenſu faciendum; quia poteſt vergere in grave ejus periculum, vel damnum. Vid. Dian. p. 1. t. 4. reſp. reſ. 35.

Animad. XXIX. 2. *Abſolvendus eſt, qui adhæret ſententiæ probabili; quia eſt diſpoſitus.*

3. Moraliter ei conſtare debet de bona diſpoſitione pœnitentis, alias abſolvendo peccabit mortaliter.

4. Non licet abſolvere. 1. Qui nullam præbet materiam; qualis tamen non eſt, qui poſt abſolutionem mox confitetur, cujus erat oblitus. 2. Qui cum poſſit, non eſt paratus reſtituere, proximas peccandi occaſiones fugere. V. Navar. c. 15. Suar. d. 32. ſ. 2. 3. Ignorantem ea, quæ omnes ſcire tenentur, v. gr. decem præcepta, & quæ ad fructuoſam confeſſionem, & communionem ſpectant: unde talis communiter prius eſt inſtruendus, vel alio mittendus ad inſtructionem.

Animad. XXX. 5. *Rudiores ordinarie juvandi ſunt, niſi ſint incapaces inſtructionis, vel ob pœnitentium multitudinem fieri non poſſit; nec videatur expedire, ut dimittantur, vel ſint peregrini, qui mox communicare, & abire debeant: tunc enim, ſi aliqui bona fide agant, & temporis anguſtiæ, vel pœnitentium multitudo longam examen, vel inſtructionem non permittat, ſufficere aliquando integritatem formalem*, docet Lam. c. 13. n. 10. *qua ſcilicet auditis aliquibus peccatis, abſolvantur, cum onere redeundi ad confeſſionem pleniorem.*

6. Si Confeſſarius notat pœnitentem ignorare aliqua neceſſaria ad hoc ſacramentum, tenetur eum inſtruere, & admonere officii, quantum fieri poteſt, v. gr. ſi neſciat illa, quæ neceſſitate medii ſunt ad ſalutem neceſſaria, debet ea docere; item obligatos ad ponendum odium, ad reſtitutionem honoris, famæ, aut bonorum, aut ad occaſionem peccatorum tollendam, aut amovenda, vel reparanda ſcandala, aliave damna illata, aut ad corripiendos delinquentes, juvandos indigentes, ad denuntianda delicta, vel delinquentes in præjudicium communitatis, vel innocentium, & denique, ſi quam cenſuram incurrerint, &c. tenetur ae de re monere, & hortari ad ſatisfactionem, quam ſi recuſent, neganda abſolutionem: quia alioqui ſe ipſorum criminum participem, & ſacrilegii eorum faciet. Avers. quaſt. 16. ſ. 12.

7. Tenetur monere eum, qui ex ignorantia vincibili, & moraliter culpabili eſt in malo ſtatu, quia alias nec ipſi, nec Sacramento conſulet, cum pœ-

Animad. XXXI. nitens ſit indiſpoſitus. *Si vero ignorantia ſit invincibilis, v. g. ſi bona fide teneat rem alienam, aut ſit in matrimonio irrito, tenetur quidem monere, & inſtruere, quando ſperatur fructus, nec timentur incommoda graviora: quæ ſi prudenter metuantur, aut fructus non ſperetur, non tenetur, imo non poteſt* Card. de Lugo *de pœn. d. 32. num. 24.* niſi ſilentium officiat bono communi, quia debet bonum pœnitentis procurare: *ex conſequenter licite etiam ſuadet, ut ſecundum ſuam ignorantiam operetur, v. gr. Caja, ut reddat debitum Titio, quem invincibiliter credit ſuum eſſe maritum, cum non ſit.* Vide Sanchez *l. 2. de matr. d. 38. Nec obſtare, etiam ſi ſit in præjudicum tertii particularis, ait Lugo, & Tamb. de exp. conf. l. 1. 4. Hinc ſi Confeſſor prævideat pœnitentem reſtituturum, ſi ipſi detegatur nullitas tituli, quem pro ſe eſſe putet, non eſſe illi talem nullitatem a Confeſſario non interrogato detegendam.* Quod ſi tamen pœnitens ipſe dubitet, ac roget, *tenetur dicere veritatem*, (*b*) *quia tacere eſſet errorem approbare, prudenter tamen non plus dicendo, quam rogatur.* v. g. ſi roget Titius, an poſt votum ſimplex caſtitatis matrimonium contractum valeat, poſſitque, ac teneatur reddere debitum, reſpondeas, quod ſic, *tacendo obligationem non petendi debiti.* * Vid. Laym. hic, & Lugo *l. c.*

8. *Quando Confeſſarii Principum, Prælatorum, aliorumque Magnatum ſciunt ipſos non ſatisfacere officia, v. gr. circa collationem Beneficiorum, electionem miniſtrorum, ſubditorum gubernationem, circa eleemoſynas ex bonis eccleſiaſticis faciendas*, &c. *regulariter tenetur Confeſſarius monere pœnitentem de ſua obligatione:* alias ſi abſolvit, ſuis humeris peccata illa imponit, & cæcus cæcum ducens, ambo in foveam inferni cadunt. Ratio eſt, quia in talibus raro eſt ignorantia invincibilis; raro item contingit, ut illa ſecum non afferant ſcandalum in ſubditis, exiſtimantibus illa licere: vel certe non afferant damnum commune. *Si tamen videat, ignorantiam eſſe invincibilem, neque ex illa ſequi ſcandalum, aut damnum commune: contra vero admonitionem fore in majus damnum pœnitentis, aut allaturam ſcandala, vel incommoda, poteſt ſecundum paulo ante dicta diſſimulare, niſi interrogetur.* Ita Lug. d. 22. n. 37.

9. *Si etiam pœnitens teneretur, licet ſub peccato mor-* Animad.
tali, ad aliquid adeo difficile, ut non crederetur tunc XXXII.
æquo animo acceptarus, & alia vice melius ſuſcepturus, poſſet prudens Confeſſor tunc illum relinquere in bona fide excuſante a peccato, & monitionem differre in tempus opportunius, ne territus a confeſſione abſtineat, graviuſque detrimentum incurrat. Tamb. c. 14. Lug. d. 22. ſ. 2. n. 27.

10. Minus recte diſpoſitus excitandus eſt ad dolorem, & propoſitum emendationis, propoſita peccati fœditate, bonitate Dei, & periculo damnationis, &c. Item remedia opportuna præſcribenda contra peccata futura.

Reſp. 2. Ut Confeſſarius licite hoc Sacramentum adminiſtret, debet eſſe in gratia, alioqui peccabit mortaliter: item debet eſſe talis, ut per hoc non exponatur proximo periculo peccandi mortaliter. Pars prior conſtat ex dictis de Sacramentis in genere. *An vero audiens plures una quaſi vice mor-* Animad.
tali, tot numero peccata committat, alii negant, XXXIII
ut Rodr., alii affirmant, ut Bon. hic. Pars poſterior patet.

Unde reſolvitur hic caſus.

Confeſſor conſcius ſibi peccati mortalis tenetur antequam audiat, vel ſaltem abſolvat pœnitentem, ipſe Animad.
confiteri, vel conteri de ſua peccata. Si tamen vocatus XXXIV.
improviſe ad moribundum, recolligere ſe tam ſubito non poſſit ad contritionem eliciendam, vel bona fide putet ſe elicuiſſe, non peccat abſolvendo. Præpoſ. Lugo, Tamb. *l. 3. c. 2. §. 3.*

Reſp. 3. *Si male abſolvit, committendo defectum eſ-* Animad.
ſentialem, v. gr. ſi non protulit formam, vel abſol- XXXV.
vit a reſervatis non ſubditum, tenetur inducere ad repetendam confeſſionem, ſi ſine ſcandalo, infamia, fractione ſigilli, & nocumento ſuo poſſit: ſin minus, non tenetur. Si non abſolvit a cenſura, poteſt ab eadem (*ſi, vel quando habuerit poteſtatem*) *abſolvere abſentem.* Bonac. *de cenſ. in comm. d. 1. quaſt. 3. p. 6.* ex Suar. Fill. *t. 11. c. 10. q. 6.* Reg. Nav. Rodr.

Si non interrogavit ſufficienter numerum, ſpeciem, Animad.
vel alias circumſtantias regulariter ad nihil tenetur, XXXVI.
niſi ad pœnitentiam agendam; monere enim extra confeſſionem non debet, cum judicium ſit finitum. Si tamen redeat ad confeſſionem idem pœnitens, debet moneri de defectu commiſſo, quia alioqui hæc confeſſio non erit integra, cum quædam non ſit debite confeſſus.

Dixi, ſi non interrogavit: quia ſi poſitive dixit, non teneri confiteri numerum, ſpeciem, &c. *debet monere,*

* Hoc eſt (corrige) exponenda quoque obligationem reddendi debitam; ut perſpicue oſtenduntur dicenda hic Animad. XXXI. XXXII.

uere, ſi ſine gravi ſcandalo, & detrimento poteſt; quia eſt cauſa, quod aliter præceptum grave, ſcilicet confitendi illa peccata, violet. Lug. *d.* 22. *ſ.* 3.

ANIMAD. XXXVII. *Si neglexit monere de reſtitutione, moneat, ſi quidem commode poteſt (vel in confeſſione, vel extra, obtenta prius ab ipſo venia, ea vero negata, ad nihil ultra teneri docet* Tamb. *l.* 3. *c.* 7. Sanch. contra Suar.) *quia tenetur ex caritate; ſi non commode poteſt, Deo commendet*. Laym. *l.* 6. *t.* 6. *c.* 9. Henriq. Suar. Syl. Mercer. *in* 3. *p. q.* 9. *art.* 1. Dian *p.* 4. *R.* 198. & *p.* 1. *t.* 4. *R.* 109. *Quod ſi tamen (ex gravi, ſeu mortali culpa contra jus alterius) dixiſſet, eum non teneri ad reſtitutionem, vel aliter (verb. gr. opinionem falſam perſuadendo) eſſet cauſa efficax, cur non reſtituat, vel aliunde detrimentum accipiat ipſe, vel alius, tenetur ipſemet reſtituere, niſi moneat tempeſtive, priuſquam pœnitens fiat impotens, quia actione ſua fuit injuſta cauſa damni*. Si vero ſine gravi culpa id fecit, tenetur nihilominus monere pœnitentem, ſi commode poteſt: alioqui ipſe obligatur, ſicut caſu priore. Si non commode poteſt, excuſabitur. *V.*° Suar. Con. *d.* 8. *d.* 77. Bon. Dian. 1. t. *m. R.* 1. Lugo *d.* 21. *ſ.* 3. *n.* 61. & ſupra *l.* 3. *t.* 5. *c.* 2. *d.* 1. *art.* 2. *caſ.* 12.

Quæres, Quæ, & quanta ſit obligatio Confeſſarii audiendi pœnitentes?

Reſp. 1. Quivis Sacerdos, etiam ſimplex, quando non eſt alius paratus, tenetur in extrema neceſſitate, verbi gratia in periculo mortis, audire, & abſolvere volentem confiteri. Ratio eſt lex caritatis.

ANIMAD. XXXVIII. Reſp. 2. *Parochus, & quivis Sacerdos curatus tenetur audire confeſſionem ſui ſubditi, non tantum in caſu neceſſitatis, aut præcepto confeſſionis urgente, ſed etiam, ſaltem per ſe, vel alium, quoties pœnitens id rationabiliter petit*: v. g. ſi ſit in gravi aliqua difficultate ſpirituali, vel velit promereri Jubilæum, &c. quia tenetur ejus bonum ſpiritnale promovere. Suarez, Vaſq. Lugo, &c. *Si tamen nimis frequenter, vel intempeſtive peteret, excuſaretur*. Averſ. *qu.* 16. *ſ.* 11. *Quod ſi autem ſemel tantum, vel bis negaret, aut differret, non peccaturum graviter, ob levitatem materiæ, docet Suar. contra Bon. admittitque* Aver. *l. c. ſi non petat ex urgenti occaſione, v. gr. ſolemnis feſti*, &c.

ANIMAD. XXXIX. Reſp. 3. *Quotieſcumque pœnitens ex mera devotione vult confiteri, Parochum teneri illum audire*, contra Sylv. Reg. &c. docent Azor. Suar. Conin. Bonac. Molſ. Lug. &c. *Sed recte limitat* Averſ. *l. c. ſi non adſint alii Confeſſarii delegati, & Parochus non legitime impediatur*.

ANIMAD. XL. Reſp. 4. *Reliqui Sacerdotes, per ſe loquendo, non tenentur audire confeſſiones*; ſi tamen audire cœperint, tenentur abſolvere, niſi quid obſtet, neque poſſunt remittere ad alium: quia pœnitens ex ipſo habet jus ad abſolutionem, nec poteſt fructu, & gratia Sacramenti privari. Averſ. *l. c.*

D U B I U M VI.

* *Quæ ſcientia, & prudentia requiratur in Confeſſario?* (†)

Reſpond. 1. Ut Sacerdos rite abſolvat, debet, quantum moraliter fieri poteſt, omnia peccata pœnitentis intelligere, quia alioqui is fruſtra teneretur recenſere.

Unde reſolves.

1. Peccat, qui abſolvit eum, cujus peccata per negligentiam non ſatis intellexit, quia fert ſententiam incognita cauſa. Validam nihilominus eſſe abſolutionem, ſive propter ſomnum, &c. ut dictum ſupra *c.* 1. *d.* 3. *a.* 4. ſive propter cantum, vel linguam impeditam pœnitentis (ſine hujus tamen culpa) aliqua non intellexerit, docet Dian. 3. *p.* 1. 4. *R.* 109. & *p.* 4. *t.* 4. *R.* 198. Item Laym. *l.* 5. *t.* 6. *c.* 9. ex Henr. Suar. Sylv. Merc. *in* 3. *p.* eo quod eſſentia, & effectus Sacramenti conſiſtere poſſit abſque integra, & ſpecifica peccatorum explicatione, ſi ſine culpa pœnitentis omittantur. V. Dian. *l. c.*

2. Si tamen pœnitens poſt confeſſionem intelligat, unum: vel plura mortalia non fuiſſe intellecta, debet ea repetere in ſequenti confeſſione ſive apud eundem, ſive alium Confeſſarium. Layman. Dian. *ll. cc.*

3. Confeſſarius abſolvens ex ignorantia, quem abſolvere non poterat, dupliciter peccat; nimirum ignorantia eorum, quæ ad officium ſuum ſpectant, & indebite abſolvendo. Tann. *in* 1. 2. *d.* 4. *q.* 9. *d.* 1. *n.* 12. Lug. *d.* 16. *ſ.* 4 *n.* 185.

Reſp. 2. Ut Confeſſarius valide abſolvat, requiritur, & ſufficit cognoſcere peccata, ſaltem ſub confuſa ratione peccati. Ut vero licite, requiritur ea ſcientia, ut poſſit ferre prudens judicium in hoc foro; ideoque debet ſcire 1. Quæ ſint mortalia, quæ venialia, ſaltem ex genere ſuo. 2. Species, & circumſtantias neceſſario explicandas. 3. Spectantia ad reſtitutionem bonorum, & famæ. 4. Caſus reſervatos, & excommunicationes ſaltem communiores. 5. Cenſuras, & irregularitates communiores, pro Sacerdotibus. 6. Requiſita in pœnitente ad bonam diſpoſitionem. 7. Remedia peccatis opportuna. Circa quæ omnia notantur hæc tria.

Primo ſufficere, ſi ea ſciat mediocriter, ita ut ſaltem norit prudenter de omnibus dubitare, & doctores ſe, vel libros conſulere.

Secundo, majorem, minoremque requiri, ac ſufficere ſcientiam, pro diverſitate locorum, & pœnitentium. Bon. *d.* 5. *q* 7. *p.* 2. *§.* 2.

Tertio, graviter peccare tum eum, qui ſine ſufficienti ſcientia huic muneri ſe ingerit, tum eum, qui talem ſine neceſſitate conſtituit, aut, cum poſſit corrigere, tolerat. Laym. *l.* 5. *c.* 13. Bon. *l. c.* Lug.

Unde reſolves.

1. Si pœnitens advertat, Sacerdotem non percipere peccati gravitatem, tenetur illum monere, ſe peccaſſe mortaliter.

2. Qui ſciens prudens confitetur ei, quem ſcit ſuam conſcientiam dijudicare non poſſe, tenetur confeſſionem repetere apud peritiorem: quia graviter peccaret ſic confitendo.

Reſp. 3. Prudentia requiritur tum in inſtructione, monitione, curatione pœnitentis: tum in interrogatione. Et quidem ſi prudenter judicet integre eſſe confeſſum, v. gr. quia bene inſtructus poteſt, & ſolet adhibere diligentiam debitam, non tenetur quidquam interrogare, alias tenetur, ut habet communis: (*Dian. tamen p.* 2. *t.* 15. *R.* 7. *ex Nav. & Valer. negat eſſe mortale, non examinare aliquam circumſtantiam ex oblivione*: vide etiam Card. de Lugo *d.* 22.) quia tanquam judex debet curare integritatem judicii, & tanquam medicus, ut morbi, & vulnera perfecte detegantur; cavendo interim 1. Ne examen ſit curioſum, de non neceſſariis, unde Confeſſarii exiſtimatio, Sacramenti dignitas, & pœnitentis profectus minuatur. 2. Ne ſit indiſcretum, v. g. de iis, quæ moraliter certum eſt a tali non ſolere committi: vel ex quibos diſcat peccare pœnitens, vel de inverecundis inverecunde, vel de numero nimis anxie, ſi ex dictis probabiliter æſtimari poſſit. 3. Ne ſit intempeſtivum, & ſinatus prius ſe explicare, quantum poteſt, ne importunitate terreatur. Quod vero quidam monent, expedire, ut pœnitens inter confitendum non interrumpatur, id Card. de Lug. *d.* 22. n. 15. univerſim non probat; præſertim ſi confeſſio non ſit brevis, quia facile aliqua excidunt a memoria. ANIMAD. XLI.

Unde reſolves.

1. *Si Sacerdos advertat pœnitentem, etiam poſt ſufficientem diligentiam, peccatum aliquod, aut circumſtantiam neceſſariam omittere, probabilius, ac verius eſt*, per ſe loquendo, teneri interrogare, *etſi neget* Sa, v. *Confeſſor; & Mediu. docens, ſi diligenter examinata conſcientia, unius ſit oblitus, non teneri Confeſſarium illud revocare in memoriam*, niſi cedat in damnum proximi; quod Vaſq. *q.* 93. *d.* 7. *n.* 3. videtur dicere eſſe probabile: *verum alii reiiciunt*. V. Card. de Lug. *d.* 22.

-. Etſi Confeſſarius, cui evidenter conſtat peccatum pœnitentis, quod tamen ipſe neget, non debeat illum abſolvere: quando vero ex aliorum relatione, vel ſuſpicione id habet, ſtandum eſt pœni-

 tentis

tentis confeſſioni, cui in hoc foro, tam pro, quam contra ſe fides habetur (Suar. to. 4. d. 32. ſ. 5. Fag. p. 2. l. 6. c. 4. n. 38. citati a Dian. p. 3. t. 4. R. 105.) In utroque tamen caſu prudentis Confeſſarii eſt, 1. Caute, & a longe, tum propius interrogare. 2.
ANIMAD. XLII. *Si nihilominus neget, prudenter judicare, an non potuerit obliviſci, vel confeſſus eſſe alteri, vel putare non eſſe peccatum, vel ſimili de cauſa excuſari, ita ut debeat abſolvi.* Dian. l. c. ex Sylv. Nav. Tol. &c. 3. *Si peccatum illud novit ex confeſſione complicis, non uti illa ſcientia, niſi in genere quærendo*, an non aliud conſcientiam gravat, & excitando ad majorem contritionem, ob periculum indirectæ revelationis, aut etſi complex dederit veniam, ob periculum ſcandali. V. Laym. c. 24.

3. Interrogationes in materia caſtitatis debent eſſe paucæ, & cautæ, ne vel occaſionem det inveſtigandi, aut traducendi confeſſionem, aut ignorantem doceat, aut offendat, aut ſe, vel illum periculo exponat.
ANIMAD. XLIII. *Ac ſi hæc timeat, potius debet aliquid deeſſe integritati materiali.* Et quidem ſi in hac materia negantur cogitationes, non opus eſt progredi ad opera: rudiores tamen cogitationes negant, verba, & opera rogati fatentur; quod illas non æque agnoſcant, aut advertant. Vide Laym. *hic c.* 13. Conin. *d.* 7. *dub.* 7. Fagun. *præc.* 4. *l.* 4. c. 2. Dian. *p.* 3. *c.* 4. *R.* 99.

Notæ.

(a) *Addidi reſpectu ſæcularium, quia &c. circa confeſſiones Regularium Concilium nihil videtur notaſſe.*

Sacra Syn. ſeſſ. 23. cap. 15. hac de re loquitur, prout habes hic Animad. 2. *Decernit S. Synodus* &c.

Ait ſæcularium; quia Regulares quoad audiendas ſuorum Religioſorum Confeſſiones Epiſcopis ſubditos non vult. At permittit ne, ut Prælati Regulares, *quem Prælatus præfecerit*, Epiſcoporum jus invadant, & Sacerdotibus ſæcularibus facultatem tribuant audiendi confeſſiones ſuorum Regularium? Si nullus etiam Regularis poteſt confeſſiones Sæcularium etiam Sacerdotum audire, niſi Parochus ſit, aut ab Epiſcopo approbatus; an Sacerdos ſæcularis nec Parochus, nec ab Epiſcopo approbatus Regularium confeſſiones excipere poterit? Si Prælati Regulares ſuis facultatem impertire non poſſunt, ut audiant Sæcularium confeſſiones, multo minus jus tribuere poſſunt Sacerdotibus ſæcularibus, excipiendi confeſſiones Regularium. An delegare non ſubditos poſſunt? Sacerdotes ſæculares Epiſcopo quoad jus audiendi confeſſiones in propria Diœceſi ſine limitatione ſubditi ſunt.

Cæterum a Greg. XV. cujus verba habes hic Animad. 18., Sacerdotes ſæculares, etiamſi Confeſſarii ſint, ad audiendas confeſſiones Monialium etiam Regularibus ſubjectarum ſine Diœceſani Epiſcopi approbatione deputari nequeunt. Ergo multo minus, ſi Confeſſarii non ſint, delegari poſſunt ad excipiendas Religioſorum confeſſiones ſine ejuſdem Diœceſani Epiſcopi facultate iis conceſſa. Imo vero ne venialium quidem culparum abſolutio permiſſa eſt Sacerdoti ſimplici, etiamſi Regulares eas tantum confiteantur, ut ex Animad. hic 3. liquidum eſt. Ergo multo minus mortalium.

(b) *Cui non ſolum intra, ſed etiam extra Diœceſim ſuam valide delegatur juriſdictio.*

Illud *extra* falſum eſt, ut conſtat ex Conſtitutione *Superna* Clem. X. Animad. hic 21. & ex ibi dictis; ubi etiam quid de Parochis ſentiendum ſit, invenies.

Concina Th. t. 9. p. 540. n. 3. recte ait: „ unus „ Parochus alteri Parocho poteſt delegare juriſdictionem in proprias oves; quia eo ipſo, quod ſit Parochus, eſt ab Epiſcopo approbatus.“ & pag. 544. n. 21. „ Parochi, aut Sacellani approbati valent audire alienorum Parochianorum ad ſe confluentium „ confeſſiones.“

Buſ. *Poteſtque eligi in Confeſſarium ab omni &c. quamdiu tamen* &c. Quoad hoc videndum, a quo eligendi poteſtas data ſit, & quibus verbis, ac legenda Animad. hic 11.

(c) *Approbatio non eſt collatio juriſdictionis, ſed tantum &c.*

Ita quidem vox ſonare videtur. At ex Syn. Trid. ſeſſ. 23. cap. 15. qui ab Epiſcopis *approbationem* obtinet, juriſdictionem obtinet; ideoque approbatio activa in Epiſcopo, idem eſt ac juriſdictionis collatio.

(d) *Ad approbationem*, etiam prout eſt juriſdictionis collatio, *non neceſſario requiritur examen, modo* &c. Id certum eſt ex Syn. Trid. loco mox citato, ubi hac de ſe ait: *aut ab Epiſcopis per examen, ſi illis videbitur neceſſarium, aut alias* (alterimenti) *idoneus judicetur.*

(e) *Epiſcopus in ſua Diœceſi non poteſt approbare Sacerdotem alienum*: hoc falſum eſt ex Animad. hic 6. Quod Buſ. addit, *niſi ſubdatur illi ſaltem ad tempus*, involutum eſt, & contradictionem implicat. Nam hoc ipſo, quod alienus Sacerdos ab Epiſcopo approbatur, illi quoad jus excipiendi confeſſiones ſubditur. Sacra Syn. Trid. cap. 15. ſeſſ. 23. cit. ait. *Aut ab Epiſcopis* &c. *idoneus judicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat.* Ait *ab Epiſcopis* ſine additione, qui tamen approbare non poſſunt, niſi in ſua Diœceſi.

(f) *Approbatio poteſt fieri cum reſtrictione* &c. *Nav.* &c. *contra Vegam*, qui, ſi huic certæ doctrinæ repugnaverit, audiendus omnino non eſt.

(g) *Epiſcopus peccat*, ſi Sacerdoti (nam illud odioſum verbum *præſertim Regulari* expungendum eſt) *idoneo* &c. *neget* &c. Recte.

(h) *Quod ſi tamen pœnitens ipſe dubitet, & roget, tenetur* &c. *quia tacere eſſet errorem approbare*, (hactenus recte) *prudenter tamen non plus dicendo, quam rogatur*. (hæc prudentia chriſtiana non eſt) v. g. *Si roget Titius, an poſt votum ſimplex caſtitatis* &c. uſque ad finem. Reſpondere hic debet, matrimonium quidem contractum validum eſſe, licite tamen contrahi non poſſe, nec ullo modo eſſe contrahendum, niſi forte voti diſpenſatio impetretur; ſine qua diſpenſatione qui jam matrimonium contraxit, debitum quidem reddere deberet, at petere non poſſet. Hæc eſt chriſtiana, & neceſſaria reſponſio, ut intelligitur ex Animad. hic 30.

(i) *Quæ ſcientia, & prudentia requiratur in Confeſſario?*

De neceſſariis Miniſtrorum pœnitentiæ dotibus fuſe diſſerit P. Concina Th. t. 9. lib. 2. diſſ. 1. Illud ego notandum puto, quod habet cap. 12. §. 4. n. 1. „ Qui a Deo „ ad tam excelſum munus vocantur, gratiis quoque „ inſtruuntur ſupremis, quibus digne, & ſancte exercere illud valeant. Contra qui ſponte illud aſſumunt, „ ſicut divina vocatione carent, ita Dei gratiis, quæ „ vocatis conceduntur, deſtituuntur; & ecce patefactam originem & cauſam, cur ex tanta Confeſſariorum multitudine pauci inveniantur pares ad hoc „ onus ſuſtinendum. Non ſunt a Deo vocati, ſed ab „ amore proprio plures intruſi: ergo donis carent, „ quibus onus digne ſuſtineant. N. 6. ſubdit. „ Unde noſcam ſigna vocationis, inquies? Si a Superiore te initio delectus fueris: ſi divinarum Scripturarum ſtudio operam dederis, & ea præſtiteris, & aſſecutus fueris, quæ Sancti Doctores neceſſaria exiſtimant. An illos vocatos a Deo dixeris, quos vides „ aliquam ſummulam, aliquod compendium caſuiſticum revolventes, ut aliquorum caſuum deciſiones „ memoriæ commendent? qui hoc miniſterium percipiunt, ne otio, inquiunt, diffluant, ut aliquid operentur, ut Confeſſarii nominentur? qui munuſculis „ alliciunt examinatores, aut alios, qui ſuffragia dare poſſunt, illoſque promovere ad regimen animarum obtinendum? Væ, væ, & ambientibus, & conſentientibus.“

Sed quæ neceſſaria ad tantum munus obeundum ſint, ex S. Carolo Bor. compendio diſcere poſſumus, qui Concilio Med. 5. ait (apud Nat. Alex. Th. t. 2. p. 454. a. 9.) *In iis* (Confeſſariis) *probandis hanc rationem habeant Epiſcopi, ut pii* (hoc eſt in Dei cultu ferventes, & erga pœnitentes miſericordes, ut Nat. ex D. Thom. interpretatur) *bene morati, patientes, de animarum ſalute ſolliciti, & fideles cuſtodes ſint eorum, quæ in confeſſione dicuntur; provecta etiam ætate, præſertim illi, quibus confeſſiones mulierum erunt audiendæ*: hac de re in inſtructionibus apud eumdem Nat. n. 8. ita loquitur: *qui triginta annos nondum attigerit, nec Paſtor fuerit, mulieres non audiat, niſi probitatis, & pietatis tot argumenta dederit, ut ad eas audiendas capacem Superiores eum arbitrentur.*

Animadverſio I.

Ubi Tridentinum eſt receptum, ſecus alibi, nullus Sacerdos &c.

Illud *ſecus alibi* male habet. Nec enim Generalium Conciliorum auctoritas, quæ a Chriſto eſt, a populi, ſeu ſubditorum acceptatione pendet.

Præterquamquod, dum Buſemb. ait *ſecus alibi*, ponit, ad confeſſionem excipiendam ex rei natura ſatis eſſe ordinis poteſtatem, nec juriſdictionem eſſe neceſſariam; quod pariter eſt aperte falſum, Eccleſiæque conſuetudini, & Hierarchiæ palam adverſum.

Quare Alex. VII. anno 1659. apud Natalem Alex. Theol. t. 2. p. 457. reg. 2. hanc propoſitionem: *Conci-*

lium

lium Tridentinum non obligat Regulares in Gallia ad obtinendas approbationes ab Epiſcopis, at confeſſiones ſæcularium audire poſſint; neque ex illius Concilii auctoritate privilegia Regularium reſtringi poſſunt, cum in Gallis receptum non ſit, præterquam in deciſionibus fidei, neque etiam Bulla Pii IV. pro confirmatione illius Concilii promulgata: hanc, inquam, propoſ. Alex. VII. his verbis damnat: *Eſt falſa, temeraria, ſcandaloſa, in hæreſim, & ſchiſma inducens, ſacro Concilio Tridentino, & Sedi Apoſtolicæ injurioſa*. Eadem eſt propoſ. Buſembaum illis verbis incluſa, *ſecus alibi*; niſi quod propoſitio damnata de Gallis loquitur, Buſembaum univerſe. Hinc ab eodem Alex. VII. proſcripta eſt illa propoſ. num. 13. *Satisfacit præcepto annuæ confeſſionis, qui confitetur Regulari Epiſcopo præſentato, ſed ab eo injuſte reprobato*. An etiam ipſa pontificia damnatio vacaret, ubi recepta non eſt? Vah putida, & intoleranda portenta!

Animadversio II.

Etſi Doctores, & Licentiati &c. cenſeantur ſecundum quoſdam approbati a Papa &c. probabilius tamen eſt &c.

Dum Buſembau tantum ait, „ Probabilius tamen eſt, „ quod ipſi etiam egeant approbatione, “ contrariam ſententiam non improbat, ideoque permittere videtur, ut Doctores, & Licentiati ſine approbatione confeſſiones audiant.

Verum etiamſi hæc opinatio eſſet probabilis, ejus tamen uſus apertiſſime proſcriptus eſt in propoſ. 1. ab Innoc. XI. damnata; quia hic agitur de juriſdictione, quæ ad Sacramenti valorem pertinet.

Præterquamquod recitata opinio ex mero arbitrio profecta eſt. Quo enim fundamento aſſeritur, Doctores & Licentiatos a Papa cenſeri approbatos quoad audiendas confeſſiones? Quo documento id confirmatur? Nullo. Ergo hæc opinio eſt arbitraria, & commentitia, & pro nihilo habenda.

Adde, quod Syn. Trid. ſeſſ. 23. de reform. c. 15. ita loquatur: *Decernit S. Synodus, nullum etiam Regularem poſſe confeſſiones ſæcularium etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, niſi aut parochiale beneficium, aut ab Epiſcopis per examen, ſi illis videbitur eſſe neceſſarium, aut alias idoneus judicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat; privilegiis, & conſuetudine quacunque etiam immemorabili non obſtantibus*. Sacra Syn. ait *nullum*. Qui autem dicunt, Doctores, & Licentiatos cenſeri approbatos a Papa ad confeſſiones audiendas, aliquos poſſe audire confeſſiones ſine Epiſcopi approbatione ajunt, hoc eſt Tridentinæ Synodo apertiſſime adverſantur. Hæc eſt horum Theologia.

Animadversio III.

Non requiri hanc approbationem ad auditionem venialium docent Dian. &c.

Qua ratione Buſembaum id docet? Quia, inquit, „ approbatio tantum requiritur in ordine ad juriſdi„ ctionem; hanc autem quivis Sacerdos pro veniali„ bus, uti & mortalibus, a quibus rite quis eſt abſo„ lutus, habeat collatam ab Eccleſia in ipſa ordinatio„ ne; ideoque ab iis abſolvere poſſit, ut habet Bonac. „ &c. “

Reſp. Propoſ. certa eſt: at aſſumptio, quam La-Croix p. 365. n. 1489. fere ab omnibus tamquam certam antehac habitam fuiſſe ait, falſa, & ore rotundo neganda. Nec enim probabiles opinatores, etiamſi numero plures ſint, auctoritatis momento conſtant, dum de ſuo loquuntur, & ſacræ Tridentinæ Synodo adverſantur, uti hic accidit, ut mox evincam.

La-Croix num. cit. fatetur, talem abſolutionem eſſe ſaltem illicitam; quia Innoc. XI. decreto anni 1679. 12. Feb. * Ordinariis ita præcipit: *Non permittant, ut venialium confeſſio fiat ſimplici Sacerdoti non approbato ab Epiſcopo, aut Ordinario*. Tum ſubdit: „ An autem ſit „ valida, eſt incertum. Negant aliqui cum Platelio, „ ſed probabilius affirmant Card. d. a. cap. 6. ar. 9. & „ 10. num. 667. quia ex hoc, quod Pontifex tantum vo„ luit prohiberi, & non permitti, non ſequitur tolli ju„ riſdictionem, vel irritari abſolutionem. “

La Croixii ratio ex vitio laborat, quod petitio principii dicitur. Ponit enim tamquam verum, aut certum, juriſdictionem quoad venialia competere Sacerdoti ex vi ordinationis, quod eſt controverſum, & quod ipſe nullo documento oſtendit, niſi ſuorum probabilium auctoritate, quæ ex ſe nullius, aut certe valde exigui ponderis eſt.

Syn. Trid. ſeſſ. 14. cap. 7. ait: *Perſuaſum ſemper in Eccleſia Dei fuit, & veriſſimum eſſe Synodus hæc confirmat, nullius momenti abſolutionem eam eſſe debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut ſubdelegatam non habet juriſdictionem*. Sacerdos in ſua ordinatione nec ordinariam, nec ſubdelegatam habet juriſdictionem: ergo ejus abſolutio nullius momenti eſt. Ergo invalida tum quoad mortalia, tum etiam quoad venialia.

Cavillatorie reſpondent, Sacerdotem in ſua ordinatione habere ordinariam juriſdictionem quoad venialia, & quoad mortalia clavibus antea rite ſubjecta. Hæc, inquam, reſponſio cavillatoria eſt; quia nullo fundamento nixa, & ex ſolo arbitrio profecta. Præterea hæc reſponſio ſacræ Synodi verbis, & menti repugnat. Cum enim ſacra Synodus declarat, nullius momenti eſſe abſolutionem Sacerdotis ordinaria, & ſubdelegata juriſdictione carentis, ponit, & pro fundamento habet, Sacerdotem ut talem, ſeu ex vi ſuæ ordinationis omni juriſdictione carere; quia ad validam abſolutionem præter Sacerdotium juriſdictionem requirit. An requirit in Sacerdote juriſdictionem, quam habet? Quid eſt juriſdictio ordinaria, niſi illa, quam habent qui ex vi proprii officii curam animarum habent, ut Papa, Epiſcopus, Parochus? Quid eſt juriſdictio delegata, niſi quæ legitima auctoritate committitur ab habente ordinariam? Ita loquitur ipſe Buſemb. infra dub. 3. Reſp. & cum illo omnes.

At Sacerdos ex vi ſuæ ordinationis nullam habet animarum curam, nec ab ullo habente ordinariam juriſdictionem, puta ab Epiſcopo, vel Papa, ei committitur, ſeu confertur facultas audiendi confeſſiones: ergo Sacerdos ex vi ſuæ ordinationis omni prorſus juriſdictione caret; ideoque ejus abſolutio omnis prorſus roboris expers eſt, & conſequenter etiam venialia invalide abſolvit.

Si vera eſſet La Croixii opinio, falſa eſſet doctrina Concilii Tridentini ſeſſ. 23. c. 15. de reform. quia non ſolum nullus Sacerdos, ut ſacra Synodus decernit, ſed omnes Sacerdotes poſſent ſine Epiſcoporum approbatione audire confeſſiones ſæcularium, eoſque a venialibus abſolvere. Intelligendum eſt, inquis, Concilium de audiendis confeſſionibus quoad mortalia. Ego autem a te quæro, undenam hanc tuam interpretationem hauſeris? An ex contextu verborum ſacræ Synodi? An ex aliis ejus textibus? An ex pontificiis decretis? An ex Congregatione ejuſdem ſacræ Synodi interprete? Nam ſi ſacram Synodum hoc ſenſu accipis, ut eam tuorum probabilium opinationibus accommodes, es certe, ne quid amplius dicam, malus interpres. An cum ſacra Synodus abſolute, & ſine ulla limitatione loquatur, cum limitatione intelligenda eſt ea ſola ratione, ne falſam, & abſurdam fateri cogaris probabilium tuorum opinationem?

Sed quorſum hic La-Croixii conatus, cui obſecundat Viva? An ut decretum Innocentii XI. valide infringatur? At quomodo abſolvitur a venialibus eo ipſo tempore, quo quis pontificia decreta proculcat? An venialium abſolutionem conſequitur, qui inducit ſimplicem Sacerdotem ad violandum pontificium mandatum in re graviſſima, hoc eſt in abſolutione? Mira ſane eſt hæc doctrina, quæ non ſolum eſt falſa, ſed contradictoria, inutilis, ſolumque apta inducere ad repugnandum pontificio præcepto, & ad multiplicanda peccata.

Huc ſane ſpectat ex natura ſua illud La-Croixii p. 375. n. 553. „ Quoad venialia quilibet Sacerdos habet „ juriſdictionem in Religioſos Societatis Jeſu. “ Nam Religioſi Societatis expreſſe comprehenduntur in decreto Innoc. ubi verbis mox relatis ſtatim addit: *Si Parochi, & Confeſſarii etiam Regulares, aut quicumque alii Sacerdotes ſecus egerint, ſciant, Deo Opt. Max. ſe rationem eſſe reddituros, neque defuturam Epiſcoporum, & Ordinariorum juſtam, ac rigoroſam animadverſionem in contrafacientes etiam Regulares, etiam Societatis Jeſu, facultate ipſis Epiſcopis, & Ordinariis per hoc decretum per Sedem Apoſtolicam ſpecialiter tributa.*

Animadversio IV.

Parochi non poſſunt adſciſcere cooperatores niſi Parochos, vel approbatos &c.

Hæc ſententia certa eſt ex Syn. Trid. ſeſſ. 23. c. 15. ſupra deſcripta, ex qua nemo poteſt ſæcularium confeſſiones audire, niſi Parochus ſit, aut ab Epiſcopo approbatus. Quare contraria opinatio ne audienda quidem eſt.

Animadversio V.

Non ſufficit approbatio petita, & negata, ut docetur communiter.

Hæc ſententia eſt indubitata ex verbis ſupra deſcriptis Syn. Trid. ſeſſ. 23. c. 15.

Etſi

* Illud referunt La Croix, Concina, Nat. Alex.

Etſi probabiliter cum prædictis docuerint Coninch &c. Regulares &c. iſtis tamen privilegiis Trid., & Urbanum VIII. anno 1628. derogare, notat Lugo &c.

Si ſacra Syn. Trid., & Urb. VIII. privilegiis Regularium quoad audiendas confeſſiones ſæcularium ſine Epiſcopi approbatione derogarunt, ut ipſe Buſemb. fatetur, cur audet probabilem appellare opinionem exiſtimantium, Regulares mendicantes, ſi ab Epiſcopo repellantur, cum manifeſte idonei ſint, & a ſuis Prælatis præſententur, poſſe nihilominus pro confeſſionibus ſæcularium exponi?

Quid aliud hoc eſt, niſi in dubium vocare, utrum Syn. Trid., & Urb. VIII. poteſtatem habeant revocandi privilegia a prioribus Pontificibus conceſſa Regularibus?

Buſembaum hic certe valde lapſus eſt; & opinio, quæ ab ipſo male appellatur probabilis, eſt evidenter falſa, nulloque vel exiliſſimo probabilitatis gradu frui poteſt, eo ipſo quia a ſacra Synodo Tridentina apertiſſime improbatur verbis ſupra relatis ex ſeſſ. 23. c. 15. *Decernit ſacra Synodus, nullum etiam Regularem poſſe &c. privilegiis, & conſuetudine quacumque etiam immemorabili non obſtantibus*; quæ verba Sole clariora ſunt. Idem præſtitit Urb. VIII. in Bulla, *Cum ſicut accepimus* anni 1628 ubi ait: *Omnia, & ſingula indulta hujuſmodi, audiendi ſæcularium confeſſiones abſque Ordinarii examine, & approbatione, quibuſvis Collegiis, Capitulis apoſtolica auctoritate conceſſa, tenore præſentium caſſamus, revocamus, tollimus, abrogamus, & annullamus.* Hinc ab Alex. VII. proſcripta eſt ea propoſ. n. 13. *Satisfacit præcepto annuæ confeſſionis, qui confitetur Regulari Epiſcopo præſentato, & ab eo injuſte reprobato*, quæ eadem eſt, ac opinio, quam Buſemb. probabilem appellat, aut cum ea neceſſario vinculo colligata.

Aliter vero ſentiendum eſſet, ſi pœnitens reſervatis criminibus irretitus ad aliam Diœceſim eo animo migraret, ut a ſimplici Confeſſario abſolvi poſſet; quia ibi reſervata non ſunt: hinc Bened. XIV. de Syn. Diœc. lib. 5. cap. 5. n. 8. inquit.

„ Præterea hæc olim opinio multorum mentes invaſerat, liberum cuique eſſe, ex propria Diœceſi, ubi
„ in caſum reſervatum inciderat, ad aliam, in qua
„ reſervatus non eſſet, ad hunc finem commeare, ut
„ inibi a ſimplici Confeſſario abſolveretur. Sed Sacra
„ Congregatio probe noſcens, per hanc opinionem factas ab Epiſcopo reſervationes penitus eludi, atque
„ inutiles reddi, in cauſa Compiana die 16. Septem-
„ bris 1649. lib. 18. Decret. p. 677. declaravit, *abſolutionem pœnitentibus indultam, qui fraudulenter, & ſub eo fine in aliam Diœceſim ſe tranſtulerunt, non ſuſtineri.* „ Quam declarationem poſtmodum confirma-
„ vit, & roboravit Clemens X. in laudata Conſtitutio-
„ ne *Superna magni Paterfamilias* 1670. decernens, *Poſſe regularem Confeſſorem in ea Diœceſi, in qua eſt approbatus, confluentes ex alia Diœceſi a peccatis in ipſa reſervatis*, (hoc confirmat, quod mox animadvertir) *non autem in illa, ubi idem Confeſſor eſt approbatus abſolvere, niſi eoſdem pœnitentes noverit in fraudem reſervationis ad alienam Diœceſim pro abſolutione obtinenda migraſſe.*

Animadverſio VI.

Approbatio petenda eſt ab Epiſcopo &c.

Dum quæritur, a quo Epiſcopo petenda ſit approbatio ad audiendas confeſſiones, involutam, & difficultatibus obnoxiam reſponſionem dant, qui dicunt, eam eſſe petendam ab Epiſcopo Sacerdotis, vel ab Epiſcopo pœnitentis, ut reſpondit Buſembau. Recte, & plane reſpondetur, approbationem eſſe obtinendam ab Epiſcopo Diœceſis, ſeu loci, in quo confeſſiones audiendæ ſunt, ſicuti teſte La-Croix p. 367. num. 15. 16. dicunt Nav., Barb., Lugo, Carden. Hæc ſcilicet eſt Eccleſiæ conſuetudo; & ratio eſt, quia approbatio ab Epiſcopo petenda eſt, qui juriſdictionem delegare poteſt: ſed ſine controverſia Epiſcopus poteſt delegare juriſdictionem audiendi confeſſiones in ſua Diœceſi: ergo juriſdictio eſt petenda ab Epiſcopo Diœceſis, ubi confeſſiones excipiendæ ſunt. Hac de re dubitari non poteſt. Hinc Clem. X. conſtit. *Superna*, dum §. 4. ait: *Ad hæc Religioſos ab Epiſcopo ad confeſſiones ſæcularium in ſua Diœceſi audiendas approbatos, non poſſe &c.* pro fundamento habet, a Religioſis eſſe obtinendam facultatem audiendi confeſſiones ab Epiſcopo Diœceſis, in qua audiuntur; quod idem fieri debet, & fit a Sacerdotibus ſæcularibus. Hac, inquam, de re non eſt dubitandum; ſed ſolum quæri, & dubitari poteſt, quibus limitibus hujuſmodi facultas circumſcribatur.

Porro Sacerdotes in una Diœceſi approbati, dum ibi confeſſiones audiunt, non ſolum ſubditos illius Diœceſis, ſed etiam vagos, peregrinos, & iter agentes audire, & abſolvere poſſunt ex conſuetudine, & tacito paſtorum conſenſu. „ Dummodo tamen, ait Concina
„ Th. t. 9. p. 544. n. 10. in fraudem, & ex induſtria
„ non diſceſſerint a proprio domicilio, ut alibi confi-
„ terentur." Hoc idem conſtituit S. Carolus Borrom. Concil. Mediol. III. tit. de Sacr. pœn. apud Natalem Th. t. 2. p. 458. reg. 3. his verbis: *Qui ad Confeſſarium etiam Regularem in aliena Diœceſim commorantem dedita opera ſe conferens, peccata ſua ſit confeſſus, niſi Confeſſarius ille & ab Epiſcopo loci, & a confitentis Ordinario ad confeſſiones audiendas probatus erit, et tamquam confeſſo Parochus Eucharistiæ Sacramentum ne præbeat: illius præterea Ordinarius, cujus confeſſionem ille Sacerdos Confeſſarius non probatus audierit, ne eum patiatur in ſua Diœceſi confeſſiones per biennium audire, neque ibidem concionari.* Qua tanta auctoritate nixus Nat. idem affirmat.

Illud hic animadverto, ſermonem hic eſſe de re ad diſciplinam ſpectante, quæ non eſt neceſſe ut ubique, & ſemper eadem ſit. Totum hoc negotium, ut ego quidem puto, a conſuetudine, & tacito Epiſcoporum conſenſu pendet; ex quo, ſicuti ratæ, & legitimæ ſine controverſia habentur abſolutiones exterorum, qui per alienas Diœceſes tranſeunt, aut ad eas ſe conferunt non confeſſionis, ſed aliarum rerum cauſa; ita quoque ratæ erunt, etiamſi pœnitentes de induſtria ad eas ſe transferant, ut ſua peccata confiteantur, uti ſæpe accidit in conterminis Diœceſibus, & indulgentiarum ſolemnium, & devotionis erga Sanctos e. g. S. Antonium Patavii, B. V. Laureti &c. cauſa.

Animadverſio VII.

Quod ſi fiat abſque cauſa &c. Con. &c. cenſent, revocationem eſſe nullam, alii illicitam tantum.

Hæc opinatio, ut revocatio irrationabilis ſit nulla, ut ego pro certo habeo, eſt aperte falſa.

Certum enim eſt, poteſtatem delegatam a delegantis poteſtate, & voluntate pendere: ergo ſtatim ac revocatur ſeu jure, ſeu per injuriam, neceſſe eſt ut ex natura ſua ceſſet, & nulla ſit. Nonne delegans revocandi, quod conceſſit, poteſtatem habet? Quis hoc inficietur, niſi deſipiat? Ergo etiamſi injuſte revocet, revocatio nihilominus valida eſt. Ex Syn. Trid. ſæpe cit. nemo ſæcularium confeſſiones audire poteſt, niſi aut Parochus ſit, aut ab Epiſcopo approbatus: at cum approbatio, licet injuſte, revocatur, Sacerdos non eſt amplius approbatus, ſed reprobatus. Ergo. Opinio eorum, qui putant, irrationabilem revocationem audiendi confeſſiones eſſe nullam, eſt maxime affinis propoſ. 13. ab Alex. VII. damnatæ, quæ aſſerebat, Regulares ab Epiſcopis injuſte reprobatos valide nihilominus confeſſiones audire, & abſolvere, ut quilibet vel me tacente intelligit: ergo hæc opinio, quam Buſembau refert, nec improbat, ſeu tacite, & verſaliter probat, ſine ulla dubitatione improbanda, & explodenda eſt; maxime cum agatur de juriſdictione ad Sacramenti valorem pertinente.

Animadverſio VIII.

Ex juſta cauſa poſſunt . . . . ad examen revocari non tantum ſæculares, ſed etiam Regulares &c.

Hic Buſemb. contraria profert, & nihil dicit; hoc eſt vel ignorat, quid ſibi vult, & tacendum erat: vel contradictoria probat, ut verſatilium opinatorum mos eſt, quem natura, & communis ſenſus deteſtatur.

Quæſtionem definit Clemens X. conſtit. *Superna*, ubi ita ait: *Regulares vero ad ejuſmodi confeſſiones audiendas prævia examinae ſimpliciter, & abſque ulla temporis præfinitione ab ipſomet Epiſcopo, ſecus autem ab ejus Vicario, aut anteceſſoribus Epiſcopis approbatos, non poſſe ab eodem, qui ſic approbavit, iterum examinari, aut ab eiſdem confeſſionibus audiendis ſuſpendi, ſeu licentias illis conceſſas revocari, niſi nova ſuperveniente cauſa, quæ ipſas confeſſiones concernat; de qua tamen haud neceſſarium eſſe, ut in actis conſtet, nec eam teneri Epiſcopum ipſis Regularibus ſignificare, ſed Sedi Apoſtolicæ dumtaxat, ubi eam ſibi aperiri poſtulaverit.*

Habetur in fine t. 4. Theol. Gen. item apud La-Croix t. 2. p. 366.

Animadverſio IX.

Delegata dicitur, quæ legitime datur ab habente ordinariam . . . . ut . . . . a Parocho pro parochia.

Eſt aperte falſum, Parochum poſſe tribuere juriſdictionem delegatam pro parochia: quia ex Syn. Trid. ſæpe cit. ſeſſ. 23. c. 15. de refor. nemo, niſi Parochus ſit, aut ab Epiſcopo, non a Parocho, approbatus, ſæcularium confeſſiones audire poteſt.

At licet exterior juriſdictio expiret morte delegantis, non tamen hæc interior, niſi &c.

Nata-

Natalis Alex. Theol. t. 1. p. 464. reg. 34. ait, eum, qui facultatem ab Epiſcopo obtinuit abſolvendi a caſibus illi reſervatis, mortuo Epiſcopo ab illis abſolvere non poſſe; quia delegatio morte delegantis extinguitur, ut ex jure civili habetur; quæ ratio ſi valeret, facultas quoque delegata ſimpliciter abſolvendi, expiraret morte delegantis. Sed jus illud a Nat. citatum intelligendum eſt de iis, quæ ad forum externum, & contentioſum pertinent, non de iis, quæ ad forum conſcientiæ ſpectant, de quibus jus civile non loquitur, nec ejus eſt loqui. Communior ergo ſententia, quam ſequitur quoque Concina Theol. t. 9. p. 541. num. 26. affirmat, delegatam Confeſſariorum juriſdictionem morte delegantis, ſeu is Papa ſit, ſeu Epiſcopus, non expirare. Ratio deſumitur ex c. 9. *Si ſuper* tit. 14. lib. 1. in ſext. ubi Bonif. VIII. ait: *Sicut ipſa gratia (licet nondum ſit in ejus executione proceſſum) morte non perimitur concedentis, ſic* &c.

Hinc orta eſt illa regula, quod gratia facta non expiret morte concedentis, aut amotione ejus ab officio, communi Doctorum calculo confirmata. Atqui juriſdictio delegata audiendi confeſſiones, eſt gratia jam facta ipſi Confeſſario: ergo non expirat morte delegantis. Accedit generalis conſuetudo, qua Confeſſarii delegati poſt mortem Epiſcopi, aut ceſſionem Epiſcopatus ſine nova conceſſione utantur facultate ſibi jam conceſſa audiendi confeſſiones nemine repugnante, & omnibus approbantibus. Et ſana hoc ipſum poſtulat ipſa neceſſitas, ac tutum animarum regimen. Si enim juriſdictio delegata, delegantis morte expiraret, neceſſe eſſet, quoniam vita, & mors hominis incerta ſemper eſt, Confeſſarios delegatos anxios ſemper eſſe, & ſollicitos, ne abſolutiones invalidas conferrent; quia ipſis de vita delegantis non conſtaret; omneſque confeſſiones poſt mortem Epiſcopi ſine nova facultate peractas iterari oporteret; quæ cum abſurda ſint, & Eccleſiæ conſuetudini contraria, non eſt dubitandum, quin juriſdictio delegata audiendi confeſſiones duret poſt mortem delegantis.

Porro hujuſmodi poteſtatem delegatam .... habet ... quivis Sacerdos etiam excommunicatus, & degradatus, ſi alius deſit.

Ex La-Croixio p. 375. n. 1560. etiamſi Sacerdos ſit excommunicatus vitandus, hæreticus, apoſtata; quam ſententiam communiſſimam eſſe ait.

P. Concina Theol. t. 9. p. 576. n. 20. hac poteſtate privatos eſſe putat excommunicatos vitandos, hæreticos, ſchiſmaticos; quæ ſententia, inquit, hodie communior eſt, quamvis oppoſita non ſit improbabilis.

Ego ita diſcurro. Mater Eccleſia clementiſſima eſt, habetque viſcera miſericordiæ ampliſſima præſertim erga moribundos in periculo damnationis æternæ verſantes; cui periculo, quacumque ratione fieri poteſt, ipſam conſulere, ac occurrere velle, pro certo habendum eſt: at moribundus, quem mortalium peccatorum conſcientia gravat, in periculo æternæ damnationis verſatur: huic periculo conſuli, & occurri poteſt, ſi Sacerdos ſchiſmaticus, hæreticus, excommunicatus vitandus, cum alius non adeſt, Eccleſia facultatem abſolvendi ipſi impertiente, moribundum ſigna contritionis dantem, abſolvique petentem abſolvat; alia ratione ſatis non occurritur; quia ſemper incertum eſt, utrum contritio talis, & tanta ſit, ut ex ſe ad gratiam juſtificantem ſufficiat. Si non abſolvitur, maximum periculum eſt, ut æternum pereat; ſi abſolvitur, de ejus ſalute rationabilius ſperatur. Ergo merito judicamus, Eccleſiæ mentem eſſe, ut hæreticus &c. juriſdictionem in hujuſmodi extremo caſu habeat; eaque uti poſſit, ac debeat.

Eccleſia excommunicatos non toleratos, hæreticos &c. ſuos rebelles maxime punitos vult, ideo omni beneficio, ac poteſtate eccleſiaſtica eos privat in eorum pœnam: at quod abſolvere non poſſint moribundum, non eorum pœna, ſed moribundi maximum detrimentum eſt; quem Eccleſia non punire, non ſuis beneficiis privare, ſed omni ope adjuvare, quantum in ipſa eſt, vult: ergo Eccleſia non vult Sacerdotes hæreticos &c. privatos jure abſolvendi moribundum.

Syn. Trid. ſeſſ. 14. cap. 7. inquit: *Veruntamen pie admodum, ne hac ipſa occaſione* (caſuum reſervationis) *aliquis pereat, in eadem Eccleſia Dei cuſtoditum ſemper fuit, ut nulla ſit reſervatio in articulo mortis: atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes a quibuſvis peccatis, & cenſuris abſolvere poſſunt.* Sacra Syn. ait *omnes* ſine ulla exceptione: ſicuti nullum peccatum, nullaque cenſura excipitur, a qua in articulo mortis abſolvi nequeat, ita nullus Sacerdos, qui abſolvere non poſſit.

Cur ergo nos excipimus Sacerdotes hæreticos &c. cum ſacra Syn. nullum indicium præbeat hujus exceptionis? Imo vero non ſolum ex ejus verbis *omnes Sacerdotes* &c. intelligitur, ſacram Synodum, nullum Sacerdotem exceptum velle, ſed etiam ex fine ſuæ declarationis. Cur enim declarat omnes Sacerdotes in articulo mortis poſſe abſolvere? Ne aliquis, ſi aliquibus Sacerdotibus abſolvendi facultas ſubtrahatur, hac occaſione pereat. Hic eſt finis ſacræ Synodi, & Eccleſiæ, quem ipſa ſacra Synodus concepit verbis exprimit: porro ſi aliquibus Sacerdotibus, puta hæreticis &c. ſubtrahatur facultas abſolvendi in articulo mortis, hinc aliquis perire poteſt. Ergo ſacræ Synodi, & Eccleſiæ mens eſt, ut nullus Sacerdos, quicumque demum ſit, abſolvendi facultate in articulo mortis careat. At Fagnanus teſte Concina loco cit. ait, ſacram Congregationem Concilii Tridentini interpretem declaraſſe, decretum ejuſdem Concilii intelligendum eſſe de Sacerdotibus in unitate Eccleſiæ viventibus. Reſp. Si ita res eſt, ut Sacerdotes quidem excommunicati, licet tolerati, in articulo mortis poſſent abſolvere; quia ne hi quidem in Eccleſiæ, a cujus communione per excommunicationem ſeparati ſunt, unitate vivunt. Ipſi cum fidelibus communionem habere nequeunt; a qua tamen ſi ipſi, ut debent, ſponte non abſtineant, fidelibus, ut animarum pericula vitentur, permittitur eos ad communicationem admittere. At Sacerdotes excommunicati, ſi tolerati ſint, fatentibus adverſariis in articulo mortis non obſtare allato decreto abſolvere poſſunt; ergo decretum recitatum non obſtat, quin Sacerdotes excommunicati non tolerati abſolvere in articulo mortis valeant. Hujuſmodi decretum tum ex hac ratione, tum ex recitatis ſacræ Synodi verbis, & allatis rationibus mihi eſt ſuſpectum: præſertim cum ejus verba non recitentur. Aut hujuſmodi decretum a ſacra Congregatione non prodiit, ac legitime promulgatum non fuit, aut alio ſenſu, vel in aliam rem fuit editum, ut mihi videtur.

Quod addo, quia præſente Parocho .... id non poſſe docent Vaſquez &c.

Hanc ſententiam longe communiorem, & probabiliorem appellat quoque La-Croix p. 376. n. 1562. Si ita loquerentur Theologi probabiliores, res in tuto eſſet; quia contrariam opinionem repudiare intelligerentur: at cum probabiles opinatores, uti ſunt Buſemb. & La-Croix, loquantur, adverſantem opinionem refutare non intelliguntur, maxime cum Buſ. addat: *Licet contrarium probabile putet Dian. Ang. Henriq. Comit. & Sa, confirmatque Tamb.*

At hæc contraria probabilitas improbanda, & improbabilis habenda eſt, uti improbatur a Concina Theol. t. 9. p. 543. n. 27. „ quia, inquit, tum nulla eſt ne„ ceſſitas, cui tantum conſulere intendit Eccleſia:" quæ ratio certa eſt ex Syn. Trid. ſupra recitata, ex qua omnibus Sacerdotibus competit abſolvere in articulo mortis, ne ſubtracta hac facultate aliquis pereat; cujus mentem perſpicuis verbis aperit Catech. ejuſdem Syn. p. 2. de cont. n. 55. ubi ait: *Quamquam ſi mortis periculum imminet, & proprii Sacerdotis facultas non datur, ne hac occaſione aliquis pereat, in Eccleſia Dei cuſtoditum fuiſſe Concilium Tridentinum docet, ut unicuique Sacerdoti liceret non ſolum omnis peccatorum generis, cujuſcumque poteſtatis ſit, peccata condonare, ſed etiam ab excommunicationis vinculo ſolvere. Ait & proprii Sacerdotis facultas non datur.* Ergo ſi proprius Sacerdos haberi poſſit, Sacerdoti non approbato ex mente Tridentinæ Synodi abſolvere non licet. Idem quoque docet Nat. Alex. Theol. t. 1. p. 463. reg. 32.

„ Omnes tamen, ſubdit Concina, excipiunt caſus,
„ in quibus ſimplex Sacerdos incepiſſet confeſſionem,
„ quando legitimam habebat juriſdictionem, quæ non
„ expirat, nec interrumpitur per adventum Sacerdo„ tis approbati. Similiter quando is, qui approbatus
„ eſt, nollet audire confeſſionem, poſſet ſimplex Sa„ cerdos abſolvere. Quamvis Sacerdos approbatus ſit
„ alterius diœceſis, præferri debet ſimplici Sacerdoti."

Ex conſuetudine quivis toleratus abſolvere poteſt a venialibus, & mortalibus alias confeſſis.

Buſemb. ſupra dub. 2. c. 3. docuit, quemlibet Sacerdotem habere juriſdictionem quoad venialia, & mortalia alias clavibus rite ſubjecta, ab Eccleſia ſibi collatam in ipſa ordinatione. Si hoc verum eſt, quid conſuetudine opus eſt, ut Sacerdos toleratus (hoc eſt, ſi tamen Buſ. intelligo, quamdiu Epiſcopus non contradicit) a venialibus, & mortalibus alias rite accuſatis abſolvere poſſit? At prior illa doctrina falſa eſt ex ibidem dictis: conſuetudo vero juriſdictionem tribuere non poteſt. Hinc Bonif. VIII. cap. 2. tit. 10. lib. 5. in ſext. inquit: *Nulla quoque conſuetudine introduci poteſt, quod aliquis præter ſui Superioris licentiam Confeſſorem ſibi eligere valeat, qui eum poſſit ſolvere, vel ligare.* Præterea Syn. Trid. ſæpe cit. ſeſſ. 23. cap. 15. de ref. decernit, nullum Sacerdotem, niſi ſit Parochus, aut ab Epiſcopo approbatur, poſſe confeſſiones ſæcularium etiam Sacerdotum audire, *privilegiis, & conſuetudine quacumque etiam immemorabili non obſtantibus.* Ergo

Bu-

Buſemb. ne per ſomnium quidem hic audiendus eſt.

Ex privilegio Religioſi mendicantes, quoſvis fideles abſolvere poſſunt juxta tenorem &c.

Quid quæſo de Buſembau dicendum eſt, qui perinde ſcribit, ac ſi ſacram Synod. Trid. aut non legerit, aut negligat? Cur ait *quoſvis fideles*? Neceſſe eſt, ut hic quoque contra Buſembaum repetam cap. 15. ſeſſ. 24. ſæpe citat. *Decernit tamen ſancta Synodus, nullum, etiam regularem poſſe confeſſiones ſæcularium etiam Sacerdotum audire; nec ad id idoneum reputari, niſi aut parochiale beneficium, aut ab Epiſcopis per examen, ſi illis videbitur neceſſarium, aut alias idoneus judicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat; privilegiis, & conſuetudine quacumque etiam immemorabili, non obſtantibus.* An regulares uti poſſunt privilegiis a Synodo Trid. expreſſe revocatis? Ita quidem nonnulli opinari auſi ſunt, ac ita opinari videtur Buſembau; at a S. Sede damnati ſunt, quæ per Alex. VII. proſcripſit hanc propoſ. n. 36. *Regulares poſſunt in foro conſcientiæ uti privilegiis ſuis, quæ ſunt expreſſe revocata per Concilium Tridentinum.*

Denique ex indirecta is, qui audit eum, qui habet poteſtatem eligendi Confeſſarium; quales ſunt, 1. ex jure Epiſcopi omnes &c.

De Epiſcopis juriſdictione utentibus, Archiepiſcopis &c. nulla eſt dubitatio reſpectu Sacerdotum ſibi ſubditorum. At aliud eſt, ſi de Epiſcopis titularibus ſermo ſit.

Nam eligere ſimplicem Sacerdotem in Confeſſarium, idem eſt, ac tribuere eidem poteſtatem audiendi confeſſionem: at Epiſcopi titulares ex jure non poſſunt ſimplici Sacerdoti tribuere poteſtatem audiendi confeſſionem; quia juriſdictione carent: ergo Epiſcopi titulares non poſſunt ſibi eligere in Confeſſarium ſimplicem Sacerdotem. Hic mihi objicis Gregorium IX. qui c. 16. tit. 38. lib. 5. decret. ait: *Ne pro dilatione pœnitentiæ periculum immineat animarum, permittimus Epiſcopis, & aliis Superioribus, nec non minoribus Prælatis exemptis, ut etiam præter ſui Superioris licentiam, providum, & diſcretum ſibi poſſint eligere Confeſſarium.* Reſp. Summus Pontifex permittit, *ut ſibi eligere poſſint Confeſſarium*; quæ verba ſonant, ut ex Confeſſariis ſeligere poſſint quem maluerint, non autem ſignificant, eos ſibi creare poſſe Confeſſarios; & hoc ſenſu hic canon merito accipitur a Wig. in Trib. p. 549. n. 79. hoc enim tum verborum ſenſui, tum menti Summi Pontificis conſentaneum eſt. Hanc enim facultatem Summus Pontifex tribuit perſonis hic nominatis, *ne pro dilatione pœnitentiæ periculum immineat animarum*; quod ſane periculum affatim avertitur, ſi ex Confeſſariis eligere poſſint, cui ſua peccata confiteantur, etiamſi ſimplices Sacerdotes Confeſſarios ſibi non creent. Præterea ſi ex citato canone Epiſcopis titularibus, aliiſque ibi nominatis collata olim fuiſſet facultas eligendi ſibi in Confeſſarium ſimplicem Sacerdotem, quod ex dictis non videtur concedendum, hæc facultas a Trid. Synodo mox allata fuit revocata illis verbis *privilegiis* &c. *non obſtantibus*. Quod ſi hæc facultas Epiſcopis titularibus non competit, eadem, aut etiam potiori ratione aliis inferioribus Prælatis exemptis, ut Abbati &c. abjudicanda eſt.

Ex conſuetudine Cardinales, qui etiam domeſticis de Confeſſore providere poſſunt.

Hanc ſententiam a Lugo, & aliis doceri ait P. Concina Theol. t. 9. p. 543. tum ſubdit: „ Quod an verum „ ſit, me latet. “

Illud vere dicere poſſumus, Cardinales ex vi conſuetudinis, quidquid Buſ. contra dicat, non poſſe ſibi eligere in Confeſſarium ſimplicem Sacerdotem. Hoc enim aperte colligitur ex verbis mox recitatis Bonifacii VIII. dicentis: *Nulla quoque conſuetudine introduci poteſt, quod aliquis præter ſui Superioris licentiam Confeſſorem ſibi eligere valeat, qui eum poſſit ſolvere, vel ligare.* Præterea nemo poteſt audire confeſſiones ſæcularium, etiam Sacerdotum, niſi Parochus ſit, aut ab Epiſcopis approbatus conſuetudine quacumque etiam immemorabili non obſtante, ut definit ſacra Syn. ſæpius cit.; ex quo fit, ut nullus Sacerdos a Cardinalibus ex vi conſuetudinis abſolvendi facultatem accipere poſſit, ideoque ne ipſos quoque Cardinales abſolvere valeat. Ergo Cardinales multo minus ex vi conſuetudinis ſuis domeſticis de Confeſſario, qui ſit ſimplex Sacerdos, providere poſſunt. Laym. lib. 1. de leg. t. 4. c. 7 §. 7. citatis Cajet. & Henriq. ait, domeſticos Cardinalis ex ejus licentia *cuicumque Confeſſario expoſito confiteri poſſe*. Non autem ait, Cardinalem poſſe facultatem impertiri ſimplici Sacerdoti, ut ſuorum domeſticorum confeſſiones audire valeat.

Buſembau hoc falſo principio ductus, quod ex conſuetudine poſſit quis eligere ſibi in Confeſſarium Sacerdotem juriſdictione ordinaria, & delegata carentem, addit: „ Item Paſtores; imo multis locis etiam ceteri „ Sacerdotes ſæculares, ut docent Valentia, Sa, Suarez. “ Hinc porro orta eſt illa propoſitio: *Qui beneficium curatum habent, poſſunt ſibi eligere in Confeſſarium ſimplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario*; quæ eſt propoſ. 16. ab Alex. VII. proſcripta.

Item Reges, & Principes, quorum tamen &c. *denique domeſtici Pontificis.*

Si Reges, & Principes ex vi conſuetudinis poſſent ſibi in Confeſſarium eligere ſimplicem Sacerdotem, cur pro familia quoque illum eligere non poſſent, ſi conſuetudo ita haberet? Quare cum Bonifacio VIII. mox cit. & ex Syn. Trid. dicendum eſt, ex vi conſuetudinis neminem poſſe ſibi ſimplicem Sacerdotem in Confeſſarium eligere. Neque hic confugiendum eſt ad tacitum conſenſum Papæ. Neque enim præſumi rationabiliter poteſt, Papam ſuo tacito conſenſu vim tribuere illi conſuetudini, quam ipſe Papa (Bonifac. VIII.) improbat, & vi carere declarat. La-Croix quidem contrarium aſſerit p. 375. nu. 1555. idque colligi putat ex cap. *Cum contingat* 13. de foro competenti, cap. *Romana* de ſent. excom. in VI. cap. *Duo ſimul* de off. Ord. & ex Trid. Syn. ſeſſ. 22. c. 3. de ref.; quibus in locis ne per ſomnium quidem ſermo eſt de conſuetudine eligendi ſimplicem Sacerdotem in Confeſſarium, nec de tacito conſenſu Papæ.

Illud hic denique animadvertendum eſt, rem, de qua agimus, non ſolum maximi momenti, ſed maxime lubricam eſſe. Agitur enim de juriſdictione, quæ ad ſacramenti valorem pertinet; quæque, quamdiu dubia eſt, ſacramentum fruſtrationis periculo, & animam tum eligentis, tum abſolventis damnationis diſcrimini objicit. Ex propoſ. 1. ab Innoc. XI. proſcripta certum eſt, cum de ſacramentis valore agitur, illicitum eſſe ſequi opiniones probabiles relictis tutioribus. Quare hac in re cavere omnes debent, ne conjecturis, multoque minus laſſis principiis, & rationibus nonnullorum opinatorum duci ſe ſinant, nec unquam eligant ſibi, aut aliis ſimplicem Sacerdotem in Confeſſarium, niſi hoc jus ſibi competere certum ſit, & extra controverſiam.

Animadversio X.

Delegatus ad univerſitatem cauſarum, ut v. g. &c. *aliqua exercitia juriſdictionis alteri ... ſubdelegare poſſet, v. g. audiendi confeſſiones, ut ait Laym. l. 5. t. 6. c. 10. nu. 13.* ad quem Buſemb. lectorem mittit. At cum ex dictis certum ſit, ipſum Parochum nemini poſſe committere, ut confeſſiones audiat, niſi Parocho, aut Sacerdoti ab Epiſcopo approbato, multo minus id poteſt delegatus etiam ad univerſa Parochi officia, & jura.

Animadversio XI.

Cum juriſdictio reſpiciat ſubditos, exerceri in eos poteſt tam a delegato, quam ordinario, quocumque locofuerit, ut docent &c. Idem habet La-Croix p. 367. n. 15. 16. qui tamen loquitur de delegatis ſæcularibus.

Id quoad delegatum, falſum eſſe evincit Natal. Alex. Theol. t. 1. p. 458. reg. 8. primo ex Clementina *Dudum* tit. de ſepulturis, ubi de perſonis regularibus ab Epiſcopis ad confeſſiones audiendas electis dicitur, *extra Civitates, & Diœceſes, in quibus fuerint deputatæ, confeſſiones nullatenus audituræ*. Præterea Congregatio Concilii die 6. Junii an. 1608. apud Bab. p. 11. de off. & poteſt. Epiſcoporum alleg. 25. §. 32. declaravit, *tam ſæcularem, quam regularem in una Diœceſi approbatos ad audiendas perſonarum ſæcularium confeſſiones, non poſſe in alia eaſdem confeſſiones audire abſque Epiſcopi diœceſis approbatione*. Diſtinctiuncula, quæ apud ſcholaſticos opinatores in promptu eſt, & ait, Clementinum decretum, & declarationem Congr. Conc. eſſe intelligenda de confeſſione, quoad perſonas alterius Diœceſis non illius, in qua quis approbatus eſt, arbitraria eſt, ſacraſque leges, & documenta eludit, non explicat. Ita enim diſtinguunt, quia ita opinari volunt, non quod hujuſmodi diſtinctionem, & interpretationem ſuis momentis confirment, aut confirmare poſſint; imo cum Clementina, & declaratio Congr. Concilii abſolute, & ſine reſtrictione loquantur, abſolute & ſine reſtrictione intelligi debent.

Demum conceptis verbis id definit Clemens X. conſt. *Superna*, inquiens: *Hac generali perpetuo valitura conſtitutione decernimus, & declaramus ... ad hæc religioſos ab Epiſcopis ad confeſſiones audiendas approbatos, non poſſe in alia Diœceſi eas abſque Epiſcopi Diœceſani approbatione audire, quamvis pœnitentes ſubditi ſint ejus Epiſcopi, a quo ipſi religioſi fuerant approbati.* Lis ergo finita eſt; quia ſententia a ſupremo Tribunali lata. Minime vero gentium, inquiunt adverſarii, qui teſte Concina Theol. t. 9. p. 544. n. 19. ad Bullam citatam reſpondent, ibidem pro-

prohiberi, ne regulares approbati in hac Diœceſi queant in altera Diœceſi abſolvere illius Diœceſis ſubditos, minime vero ſubditos propriæ Diœceſis. „ Ita, inquit „ P. Concina, docet P. Viva cum pluribus aliis. “ Ita ne vero? An P. Viva, & alii, qui ita docent, conſtit. & verba deſcripta, & in ipſo Bullario a me lecta * legerunt? An interpretari audent pontificiam conſtitutionem, quam ne oculis quidem luſtrarint? Ex hac interpretatione, quæ eſt apertiſſima pugna cum verbis, & mente clariſſima Clem. X. colligat lector indolem adverſariorum, quibuſcum nobis res eſt. Hic mihi venit in mentem ea Chriſti parabola Matth. 13. *Simile factum eſt regnum Cælorum homini* (Clementi X.) *qui ſeminavit bonum ſemen in agro ſuo. Cum autem dormirent homines*, (non examinantes, non legentes Bullam Clem. X.) *venit inimicus homo, & ſuperſeminavit zizania in medio tritici, & abiit.*

La-Croix n. 1516. ait Bullam loqui tantum de Confeſſariis regularibus; quod ſane veriſſimum eſt. At quod Clem. X. expreſſe decernit, & declarat de Regularibus delegatis, idem omnino intelligendum eſt de ſæcularibus. Non enim Summus Pontifex novam legem fert, ſed legem jam latam ſui auctoritate renovat, & declarat, dum ait, *decernimus, & declaramus* &c. *non poſſe* &c.

Porro eadem prorſus ratio eſt decernendi, & declarandi quoad ſæculares, ac quoad regulares, aut etiam quoad illos potiot. Quia regulares ne ſuis quidem privilegiis, & immunitatibus, quibus ſæculares carent, tueri ſe jure potuere, aut poſſunt, ut extra Diœceſim audiant confeſſiones ſubditorum Epiſcopi, a quo fuerunt approbati; imo conſtitutio Clem. X. de regularibus expreſſe loquitur, quia de his difficultas erat, non de ſæcularibus. Adde declarationem Congr. Concilii, quæ ſæculares quoque expreſſe complectitur. Quare ſi ab inanibus commentis, & cavillationibus abhorremus, non eſt dubitandum, quin Confeſſarii tam regulares, quam ſæculares delegati, extra Diœceſim delegantis omni juriſdictione quoad omnes careant. **

Quoad ordinarios vero pœnitentiæ miniſtros, major difficultas eſt. Ipſe Nat. Alex. p. 459. reg. 9. putat, hos poſſe ubique locorum ſuos ſubditos abſolvere. Et ſane allata documenta de Confeſſariis delegatis tantum loquuntur; quod indicio eſſe videtur, aliud eſſe ſentiendum de ordinatis. Delegata enim facultas reſpicit locum, at ordinaria ipſas perſonas, quæ curæ Parochorum commiſſæ ſunt: ergo Parochi ubicumque ſint, ſacramento pœnitentiæ ſuos ſubditos paſcere poſſe videntur.

Præterea, ut Nat. ratiocinatur, Concil. Later. can. 21. ſtatuit, ut fideles ſemel in anno confiteantur *proprio Sacerdoti*, nulla facta mentione loci, in quo confeſſiones excipiendæ ſunt: ergo ubique excipi poſſunt. Adde, quod ſi Parochi extra Diœceſim ſuos ſubditos abſolvere non poſſent, ne extra paræciam quidem poſſent; quia eorum jus quoad locum intra paræciæ fines concluditur; quod cum videatur abſurdum, locorum limites quoad confeſſionem ſubditorum Parochis non videntur præfiniendi. Denique, quod magni momenti eſt, & rem conficere videtur, teſte P. Zacharia ad cit. n. La-Croixii 1526. S. C. in Poſnanienſi dubio, an Curati unius Diœceſis vocati a Parochis alienæ Diœceſis, poſſint in illa audire confeſſiones tam ſuorum ſubditorum, quam alienorum abſque licentia Epiſcopi, reſpondit 3. Decemb. 1707. apud Lamb. t. 4. edict. p. 230. & t. 9. reſol. S. Congr. p. 48. in ſelectis ab anno 1700. ad 1718. *affirmative quoad ſubditos, negative quoad alienos.*

Si ſacra Congreg. ita reſpondit poſt propoſ. 1. ab Innoc. XI. proſcriptam, extra periculi aleam res eſſe videtur.

Animadversio XII.

Probabile eſt, quod abſolutus in articulo mortis non teneatur ſe poſtea ſiſtere Superiori &c.

Cur hoc probabile eſt? Quia directe abſolutus fuit, ait Bus. & vere; at directe quoque a reſervatis fuit abſolutus, etiamſi hæc habeant annexam cenſuram; quia ex Syn. Trid. ſeſſ. 14. c. 7. *in articulo mortis omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes a quibuſvis peccatis, & cenſuris abſolvere poſſint.* Ergo ſi directa abſolutio pœnitentem ſolvit ab obligatione ſe ſiſtendi Superiori pro reſervatis, eumdem quoque liberat ab eadem obligatione pro cenſuris. Hoc alterum ne Buſemb. quidem deglutire poteſt: ergo ne primum quidem admittere poteſt. Qui a cenſuris in articulo mortis abſolutus fuit, ſi ceſſante impedimento quam cito commode poteſt, Superiori ſe præſentare contemnat, ut ejus mandata recipiat, & ſatisfaciat, ipſo jure in eamdem ſententiam recidit ex Boniſ. VIII. cap. *Eos qui* de ſent. excomm. in VI.

Hinc D. Th. Suppl. q. 8. art. 6. ad 2. ait: *Quod non oportet, eum recurrere ad proprium Sacerdotem, ut iterum a peccatis ſolvatur, a quibus in articulo mortis abſolutus eſt, ſed ut innoteſcat ei, quod ſit abſolutus. Nec ſimiliter oportet, quod abſolutus ab excommunicatione ad Judicem vadat, qui alias abſolvere potuiſſet, abſolutionem petens, ſed ſatisfactionem offerens.*

Rituale Rom. de ſacram. pœnit. ita loquitur: *Si vero quis confiteatur in periculo mortis conſtitutus, abſolvendus eſt ab omnibus peccatis, & cenſuris, quantumvis reſervatis; (ceſſat enim tunc omnis reſervatio) ſed prius, ſi poteſt, cui debet, ſatisfaciat: ac ſi periculum evaſerit, & aliqua ratione Superiori, a quo alias eſſet abſolvendus, ſe ſiſtere teneatur, cum primum poterit, coram eo ſe ſiſtat, quidquid debet, praſtiturus.* Ex quo intelligitur, obligationem ſe ſiſtendi Superiori ceſſare, ſi nulla ſit ratio, propter quam ſiſtere ſe Superiori teneatur. Hinc Boniſ. VIII. cit. ſub pœna reincidentiæ præcipit, ut abſolutus Superiori ſe præſentet, ut ejus mandata recipiat, & ſatisfaciat, prout juſtitia ſuadebit. Si ergo juſtitiæ jam plene ſatisfecit, nec Superioris mandato opus ſit, quia nulla dubitatio occurrit, præſentia Superioris videtur inutilis, ratio præcepti ceſſat, ideoque ipſum præceptum ceſſare videtur.

Animadversio XIII.

Si *tamen ignorantia eſſet tanta, ut* &c. *licere alteri confiteri docent* &c. *idem licere, quando quis proprio non poteſt confiteri ſine gravi periculo, docent Toletus, Sylv. & Medin. qui idem concedit, quando proprius non vult* &c. *Verum iſta*, ſubdit Buſemb., *communiter refutantur ab aliis*: adde, & jure ab aliis communiter refutantur; ne forte aliquis Sacerdos ordinaria, & delegata juriſdictione carens, jus abſolvendi temere ſibi arroget ex recenſitis capitibus, ſed pœnitentem ad Superiorem proprii Parochi, vel ad eos, qui ſine Parochi licentia abſolvere poſſunt, mittat.

Animadversio XIV.

Si tamen injuſte neget, probabilius videtur, eos invalide ab alieno abſolvi ..., etſi non improbabiliter &c.

Illud certum eſt, improbitatem Parochi injuſte negantis ſuo ſubdito facultatem adeundi alterum, huic non impertire juriſdictionem abſolvendi, ſi ea careat. At ſupra Parochos ſunt Epiſcopi, qui his incommodis remedia facile præbere poſſunt, & præbent; cum pœnitentes ad eos confugere poſſint, a quibus ſine Parochi licentia abſolvi queunt. Quid hic opus eſt nodum in ſcirpo quærere, & rem involvere, ubi explicata res eſt?

Animadversio XV.

Valide abſolvit is, qui audit confeſſiones, præſente, vel ſciente, & non contradicente Ordinario.

Probabiles opinatores, ut ſuæ probabilitatis alioquin ampliſſimum regnum dilatent, fingunt quæ nunquam accidunt, & more ſuo ſine ſolidis fundamentis pronuntiant ſententiam. Quis enim Sacerdos juriſdictione carens, adeo audax & temerarius inventus unquam eſt, ut præſente Epiſcopo ſine ejus proprio nutu, aut voce auſus ſit confeſſiones audire?

Cur id nemo unquam audet? Quia facinus arrogantiæ, & temeritatis pleniſſimum eſt. Cur facinus arrogantiæ, & temeritatis pleniſſimum eſt? Quia ſine expreſſa Epiſcopi licentia a præſente confeſſiones excipere audet. Ergo expreſſa Epiſcopi licentia neceſſaria eſt ad audiendas confeſſiones eo præſente.

Fingamus, reperiri aliquem tam ſtolide audacem, ſuique Epiſcopi adeo contemptorem, ut juriſdictionis expers audeat eo præſente confeſſiones excipere: an illud quoque fingendum nunc eſt, Epiſcopum, cui incredibilis Sacerdotis temeritas nota eſt, illum non reprehendere, non revocare, ſed tacere, ac ſilentium ſuper hac re perpetuum ſibi indicere? Hæc hujuſmodi ſunt, ut proba-

* Conſt. refertur etiam a Genetto in fine t. 4. Theol. & a La-Croix t. 5. p. 166.

** Apud Pitonum de Confeſſariis p. 159. n. 519. legitur hoc decretum anni 1629. 26. Ap. „ Epiſcopus extra ſuam diœceſim „ exiſtens, non poteſt Confeſſorem ab Ordinario non approbatum ſibi eligere, nec Confeſſionem alienorum ſubditorum audire. “ P. 179. n. 586. dec. 1710. 8. Maii. „ Confeſſarii ab Epiſcopo approbati ſive ſint Regulares, ſive Sæculares, nullo pacto poſſunt „ confeſſiones audire extra diœceſim Epiſcopi approbantis, quamvis confitentes ſint eidem Epiſcopo ſubjecti. “ Lege etiam, ſi vis, dec. p. 349. n. 1237. & p. 353. n. 1254.

habilem indolem ſatis prodant, nec digna, quæ refutentur. Lector, ſi non inutile putet, recolere hic poteſt Synodi Trid. ſeſſ. 23. cap. 15. verba ſæpius recitata; unde intelliget, probabilium commenta non eſſe audienda. Nec enim Sacerdos in ficta Buſembaum hypotheſi ab Epiſcopo per examen, aut alias idoneus judicatus eſt, nec approbationem obtinuit, ſed ſibi eam per incredibilem temeritatem arrogavit. Nihilominus ſi huic incredibili temeritati fingatur additum malum Epiſcopi ſilentium, approbatio fingitur obtenta.

Vel Parocho.

Hic Buſ. ponit, Parochum poſſe tribuere juriſdictionem Sacerdoti ea carenti; quod eſt manifeſtiſſime falſum, & Trident. Syn. apertiſſime contrarium. Mirum eſt, quod Buſemb. auſus ſit addere etiam illud *vel Parocho*; ſed *abyſſus abyſſum invocat.*

ANIMADVERSIO XVI.

Peccat, qui abſolvit cum juriſdictione dubia, niſi neceſſitas urgeat; qualis eſt v. g. quia pœnitens diu non eſt confeſſus, vel &c. tunc enim licite abſolvit cum conditione hac, Si poſſum &c.

Idem habet La-Croix p. 376. n. 1571. 1572.

Hæc opinio, ut ego ſentio, eſt aperte falſa. Certum enim eſt, non licere uti opinione probabili, cum de ſacramenti valore agitur, ut manifeſtum eſt ex propoſ. 1. ab Innoc. XI. proſcripta: at cum agitur de juriſdictione, agitur de valore ſacramenti, quia fide certum eſt ex Syn. Trid. ſeſſ. 14. c. 7. juriſdictionem eſſe neceſſariam ad valorem ſacramenti pœnitentiæ: ergo certum eſt, non licere uti opinione probabili, cum de juriſdictione agitur. Porro ſi non licet uti opinione probabili circa juriſdictionem, ſeu, quod idem eſt, juriſdictione probabili, multo minus uti licet juriſdictione dubia.

La-Croix n. 1571. cit. reſpondet, propoſitionem, & concluſionem rationis allatæ eſſe veram, niſi neceſſitas proximi excuſet, non item ſi neceſſitas urgeat, uti aſſerunt Buſemb.

Mirum eſt, quanta ingenii dexteritate recentes opinatores polleant, ut Pontificum decreta, & damnationes eludant, ſuorumque opiniones tueantur.

Si La-Croixii reſponſio admittatur, damnatio propoſ. ab Innoc. XI. proſcriptæ non eſt abſolute accipienda, ſed cum hac reſtrictione, niſi neceſſitas urgeat. Quæro autem a La-Croixio, unde ſuam interpretationem deſumpſerit? Non aliunde certe, niſi ex ſuo cerebro, ne opinionem Buſembaum, & ſuorum probabilium implicite damnatam, ſicuti reipſa eſt, fateri cogatur. Si neceſſitas proximi, juriſdictionem dubiam in certam converteret, ſicut accideret in articulo mortis, res bene haberet: at hic ſermo eſt de neceſſitate, qualis a Buſembao deſcripta eſt, quæ juriſdictionem dubiam in ſuo dubio relinquat, uti ponimus; quæque proinde ejus uſum excuſare, & a damnatione pontificia liberare non poteſt. Idcirco enim uſus juriſdictionis probabilis, multoque magis dubiæ in ſacramento pœnitentiæ in damnatione propoſitionis primæ includitur, quia exponit ſacramentum fruſtrationis periculo: at neceſſitas proximi, qualis deſcripta eſt, non tollit in ſacramento periculum fruſtrationis: ergo non eximit uſum juriſdictionis dubiæ a pontificis damnatione. Adde, quod abſolutio cum dubia juriſdictione, pœnitentis ſaluti non conſulit; quia etiamſi ſufficienter diſpoſitus ſit, nihilominus verſatur in diſcrimine ſtatus peccati mortalis, & æternæ damnationis, quia dubium eſt, utrum fuerit jure abſolutus. Præterea hujuſmodi abſolutio graviſſimam injuriam infert pœnitenti; quia dubie abſolvitur, dum ipſe putat, ſe indubitanter, & legitime abſolvi, ac in re tanti momenti a Chriſti miniſtro fraudulenter decipitur.

At, inquit Buſemb. cum La-Croix, tunc Sacerdos licite abſolvit non abſolute, ſed cum conditione, *ſi poſſum*. Reſp. Conditio adjecta non tollit, ſed oſtendit mala modo deſcripta; non liberat abſolutionem a damnatione, non a periculo fruſtrationis, pœnitentem relinquit in eodem peccati, & ſalutis diſcrimine, illum nihilominus in re graviſſima decipit, imo vero conditio adjecta, mala malis addit, & abſurda abſurdis; quia ipſa mala eſt, & culpanda, ut oſtenſum fuit cap. 1. dub. 1. c. 3. h. tract. An danda eſt abſolutio, quæ neceſſario iteranda ſit, ut pœnitentis ſalus in tuto ponatur? An, ut peccata peccatis addantur, poſt hujuſmodi malam abſolutionem pœnitens mittendus eſt ad ſacram communionem, imo abſolvendus, ut ad eam accedat?

Una hæc Buſembaum, & La-Croix opinatio, non unum, & exiguum, ſed multa, & graviſſima mala continet, ut jam oſtendi; quam proinde a ſacro auguſtiſſimo pœnitentiæ tribunali longe exulare neceſſe eſt. Sed aliquis, recentium probabilium lectioni aſſuetus hic fortaſſe objiciet, defectum juriſdictionis dubiæ, qua quis in neceſſitate utitur, ab Eccleſia ſuppleri, ſicuti, ut La-Croix ait n. 1572. ſuppletur *in caſu practicæ probabilitatis æquivalentis errori communi*. Reſp. ſi hæc doctrina vera eſſet, abſolutio in caſu noſtro eſſet impertienda abſolute, non ſub conditione, quod eſt contra ipſos Buſembaum, & La-Croixium. Sed hoc miſſo, reſpondeo, non ſolum ſine fundamento aſſeri defectum in caſu ab Eccleſia ſuppleri, ſed contra Eccleſiæ mentem; quæ, cum prohibeat uſum dubiæ, & probabilis juriſdictionis, ut oſtenſum eſt, aperte oſtendit, defectum hujus mali uſus, quem ab Eccleſia ablegatum vult, a ſe non ſuppleri.

La-Croix n. cit. 1572. ita loquitur. „ Quando juriſ„ dictio eſt vere probabilis, plures poſſunt accedere „ cauſæ, quæ reddant illam practice (in praxi, quo„ ad uſum) certam; & inter eas cauſas ſunt, 1. ne„ ceſſitas proximi, uti jam inſinuatum eſt. "

Hæc prima cauſa nihil momenti habet; & jam fuit explosa.

„ 2. Supplerio Eccleſiæ in errore communi, vel etiam „ in caſu practicæ probabilitatis æquivalentis errori „ communi. " At falſum eſt, practicam probabilitatem ſuppleri; cum practicam probabilitatem, quæ hic & nunc penſatis omnibus, probabilitatis germanæ momento conſtet, Eccleſia in uſu juriſdictionis pœnitentiæ ex dictis prohibeat, & damnet; gratis vero, & ex arbitrio La-Croix aſſerit, practicam probabilitatem æquivalere errori communi. Practica quidem probabilitas error eſt, non tamen communis omnium, ſed ſolum aliquorum.

„ 4. Si alias adminiſtratio, vel ſuſceptio ſacramen„ ti pœnitentiæ fieret nimis difficilis, vel odioſa fide„ libus. "

An adminiſtratio, & ſuſceptio ſacramenti pœnitentiæ, quæ ex Synodo Tridentina eſt laborioſus baptiſmus, facilis eſſe debet, & accommodata indoli corruptæ peccatorum vere non pœnitentium, aut opinationibus probabilium? An leges circa hoc ſacramentum ab Eccleſia præſcriptæ deſerendæ ſunt, vel ad arbitrium flectendæ eo vaniſſimo, & odioſo prætextu, ne nimis difficile, & odioſum fidelibus fiat? Hæc ſcilicet ſunt commenta valde mala, quæ per cuniculos, ſanctiſſimas Eccleſiæ, & SS. Patrum regulas aggrediuntur, & labefactare conantur. Valde quidem ſuis Miniſtris cavendum eſt, ne ſacramentum pœnitentiæ ex eorum vitio odioſum fiat; at ſi ea recta, & legitima ejuſdem adminiſtratione nonnullis odioſum ſit, id horum culpæ merito vertitur, atque evidenti argumento eſt, eos non eſſe veros pœnitentes, nec tam ſalubri remedio, in quo Deus ſua infinitæ miſericordiæ dona effundit, dignos.

Expedit autem tunc veniale aliquod adjicere, a quo directe, & a ceteris indirecte ſaltem abſolvatur.

Hæc doctrina eo fundamento nititur, ut quilibet Sacerdos habeat juriſdictionem in venialia; quod fundamentum inane eſſe, & falſum, oſtenſum eſt dub. 2. h. cap. c. 3.

Quemlibet vero Sacerdotem habere directam juriſdictionem in venialia, ac indirectam in mortalia, novum eſt paradoxum, ac priori deterius. Quid hoc aliud eſt, niſi Epiſcoporum juriſdictionem a fundamentis ſubvertere, & hierarchiæ ordinem de medio tollere? Quid hoc aliud eſt, niſi fidei articulum labefactare? Synod. Trid. ſeſſ. 14. c. 7. ait: *Perſuaſum ſemper in Eccleſia Dei fuit, & veriſſimum eſſe Synodus hæc confirmat, nullius momenti abſolutionem eam eſſe debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut ſubdelegatam non habet juriſdictionem.* Hic eſt fidei articulus, quia eſt Eccleſiæ perſuaſio, & quia id veriſſimum eſſe ſacra Synod. Trid. confirmat. Sacerdos ponitur carere juriſdictione ordinaria ex officio, & ſubdelegata ex approbatione, ſeu commiſſione Epiſcopi: qui docent, hunc Sacerdotem a venialibus directe abſolvere, & indirecte a mortalibus, hujus abſolutionem non nullius, ſed maximi momenti eſſe docent: ergo docent doctrinam articulo fidei apertiſſime contrariam. In hos ſcopulos impingunt probabilium commenta, & diſtinctiunculæ, quibus tantopere delectantur.

Quod ſi tamen ex probabili ratione dubium reſolvat.... abſolute abſolvit licite, tum quia tunc practice, & moraliter eſt certus, tum quia Papa eo caſu dat facultatem.

Ita quoque ſaltem quoad doctrinæ ſubſtantiam, & ſenſum opinatur La-Croix mox relatus, & refutatus; quæ proinde opinatio nova refutatione non indiget.

Illud ſolum animadvertendum eſt, Buſembaum pro ratione ſuæ opinionis afferre propoſitionem contradictoriam ejuſdem opinionis. Nam ea probabili ratione dubium reſolvere cum formidine oppoſiti, ut ponit in opinione, quam ratam eſſe vult, & eſſe practice, & moraliter certum, ſunt contradictoria; quia practica, &

mora-

Digitized by Google

moralis certitudo formidinem excludit. Hæc contradictio certa eſt, & obvia; quam tamen probabiles per arcana reflexæ probabilitatis, paucis nota, hoc eſt per incredibilia commenta eludere parati ſunt.

Papa, inquit Buſembau, eo caſu dat facultatem. At ex quibus pontificiis documentis Buſembau colligit, Papam eo caſu dare facultatem? an Papa neceſſe habet, facultatem eo caſu dare, ut probabilium ſenſui ſeſe accommodet? Ponamus, ſicut ponimus, Sacerdotem de ſua juriſdictione dubitantem ex probabili ratione dubium reſolvere, & opinari ſe juriſdictione præditum, quæ reipſa careat. Papa, inquit Buſembau, juriſdictionem eo caſu dat. Hæc ſane juriſdictio nec ordinaria eſt, nec ſubdelegata ex approbatione, & commiſſione, ſed extraordinaria. Ergo contra ac in Eccleſia Dei perſuaſum ſemper fuit, & quod veriſſimum eſſe ſacra Syn. Trid. confirmat, ea abſolutio momentum habet, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut ſubdelegatam non habet juriſdictionem. Ejuſdem furfuris eſt La-Croixii doctrina, qui in caſu Buſemb. Eccleſiam ſupplere defectum juriſdictionis contra Eccleſiæ perſuaſionem, & Tridentinam definitionem ait, & quem mox ex alio capite refutavimus.

Quando communi errore &c.

Communem errorem cum titulo colorato conjunctum ſatis eſſe ad juriſdictionem, qua talis habitus Parochus valide abſolvat ex præſumpta Eccleſiæ, ſeu Papæ conceſſione, communis eſt Theologorum, & Canoniſtarum ſententia teſte Concina Theol. t. 9. p. 546. n. 39. Juriſdictionem autem Eccleſiam, ſeu Papam concedere in hypotheſi præſenti cenſetur; quia publica utilitas, & neceſſitas id poſtulat.

Ratio ſane valida eſt, cui deſiderium ſalutis animarum, & perditionis horror, & auctoritas communis magnum robur addit. At Sacerdos, de quo loquimur, nec ordinariam, nec ſubdelegatam juriſdictionem habet. Quid ergo?

An Syn. Trid. mox citata, quæ generaliter, & ſine ulla exceptione loquitur, eſt accipienda cum exceptione deſcriptæ hypotheſis propter allatam rationem, & communem Theologorum, & juris canonici Interpretum auctoritatem?

Hic ſane mihi aqua hæret. Bene ſperare juvat de peccatoribus, quos vere ſuarum culparum pœnitet. Sed quædam arcana ſunt in ſecretis divinæ providentiæ receſſibus recondita, quæ hominibus reſerare datum non eſt.

Communi ſententiæ repugnare non audeo; ſed quominus illi fidenter aſſentiar, ſacra verba Syn. Trid. me impediunt, ac deterrent. Ego auctor ſemper eſſem, ut deprehenſa deſcriptæ hypotheſis veritate, confeſſiones peractæ repeterentur, qua de re vide etiam dicenda ad c. 19. dub. 4. ſequentis.

Quod etiam, ſi deſit titulus coloratus, probabile eſſe docet Dian. &c. Item, ſi quis (quod perinde eſt) bona fide tali confiteatur.

Verum id, ſubdit Buſem. *communiter ab aliis negatur*, ut intelligas, etiamſi forte id nolit Buſemb. Dianæ opinionem, quam etiam adoptavit Viva qu. 9. art. 1. n. 16. eſſe omnino refutandam. Hanc Concina Theol. t. 9. p. 547. n. 31. falſam, & laxam merito putat, ea præſertim ratione, quod ea admiſſa aperiretur janua omnibus ſceleratis Sacerdotibus fingendi ſe Confeſſarios, diſſeminandi errores, & hæreſes, & ſeducendi populum chriſtianum. Ego autem prætera hic repeto, & inculco verba Syn. Trid. ſeſſ. 14. c. 7. mox recitata; cujus definitio ſi nova hac limitatione excipiatur, ſacra Syn. per arbitraria commenta eluditur, & irreverenter, ac injurioſe, ut mihi videtur, tractatur.

Quorſum hæc commentitia doctrina, quam ipſe P. Viva exſuſcitare auſus eſt? eo ſcilicet, ut pœnitentes a ſceleſtis Sacerdotibus titulo colorato deſtitutis, ſoloque communi errore Confeſſariis habitis abſoluti, ſi error poſtea deprehendatur, de præteritis confeſſionibus nihil ſolliciti ſint, ſed periculoſiſſimis opinionibus palpati in tuto ſe poſitos credant, dum in maximo animæ periculo verſantur. Hæc Dianæ, Pontii, Molfeſii, Sanchez, & Vivæ opinatio, communiter Buſembao ipſo teſte refutata, falſa quidem merito dicitur; at ab ipſis defenſoribus ut ſummum probabilis dici poteſt; atque hoc modo loquitur Viva apud Conc. n. 30. ergo juxta ipſos adverſarios miſeri pœnitentes, de quibus loquimur, probabiliter fuerunt abſoluti, & probabiliter non abſoluti: ergo confeſſiones præteritas repetere probabiliter non tenentur, & probabiliter tenentur, ut novam abſolutionem valide accipiant. Quæro ego nunc a P. Viva, qui poſt damnatas propoſitiones ſcripſit, & in eas ſcripſit, utrum ſequi liceat opinionem probabilem, cum de abſolutionis valore agitur. An hic quoque novis commentis ſuam opinationem tueri audebit? an id audebit non ſolum cum maxima injuria ſacramenti, ſed etiam cum evidenti, & graviſſimo animarum, quas Chriſtus fuſo ſanguine redemit, detrimento, & ſalutis diſcrimine? Eſto: defendant, ſi velint, commentitias metaphyſicas ſpeculationes ope infinitarum diſtinctiuncularum, quas ſani homines derident; at ſaltem lubricas opiniones ad mores ſpectantes cum ingenti animarum periculo defenſare tandem deſinant.

Cum quis ex conſuetudine, præſcriptione, aut bona fide abſolvit, aut neſcit &c.

Hic Buſemb. ponit, ex conſuetudine, ſeu præſcriptione jus acquiri audiendi confeſſiones; quæ poſitio falſa eſt. Sicut enim juxta Bonif. VIII. c. *Si Epiſcopus* t. 10. l. 5. in 6. *nulla poteſt conſuetudine introduci, quod aliquis præter ſui ſuperioris licentiam Confeſſorem ſibi eligere valeat, qui eum poſſit ſolvere & ligare*; ita nulla conſuetudine, aut præſcriptione introduci poteſt, ut aliquis ſine ſui ſuperioris licentia abſolvere poſſit.

Præterea ex Syn. Trid. ſeſſ. 23. c. 15. ſæpe cit. nemo confeſſiones ſæcularium audire poteſt, niſi parochus ſit, aut ab Epiſcopo approbatus, *privilegiis, & conſuetudine quacumque etiam immemorabili non obſtantibus*.

Nunc ex Buſembao ponimus, aliquem Sacerdotem ex conſuetudine abſolvere, licet nec Parochus ſit, nec ab Epiſcopo approbatus; & quæritur, utrum ejus abſolutio valeat? Buſemb. affirmat: at ſacra Syn. negat. Buſemb. ait, Papam in hac hypotheſi juriſdictionem concedere; at ſacra Syn. id inficiatur eo ipſo, quod ait, hunc Sacerdotem non poſſe abſolvere. An Buſembau cum iis, quos citat, audiendus eſt ſacra Trid. Synodo repugnante, & contraria docente?

Hæc eadem ratio contra Buſemb. repetenda eſt, cum ait, Papam juriſdictionem concedere, ſi quis bona fide abſolvat, aut neſciat ſuam poteſtatem revocatam. An etiam bona fides, & ignorantia juriſdictionem conferunt? unde nam recentes has doctrinas hauſerunt? Sacra Syn. Trid. ſeſſ. 14. cap. 7. mox relata definit, *nullius momenti abſolutionem eam eſſe debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut ſubdelegatam non habet juriſdictionem*; recentes vero opinatores affirmare audent, totius momenti abſolutionem eam eſſe debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut ſubdelegatam non habet juriſdictionem. Nam certe bona fides, & ignorantia nec ordinariam, nec ſubdelegatam juriſdictionem confert ipſis fatentibus, ſed, ut ipſi fingunt, juriſdictionem diſtinctam ab ordinaria, & delegata; quam ſacra Syn. non agnoſcit, & nullius momenti eſſe definit.

Ceterum, ut a probis Sacerdotibus ſcrupuli removeantur, revocatio delegatæ juriſdictionis, niſi forte per fraudem ab ipſo delegato ejus notitia eludatur, ex rationabili mente ipſius revocantis vim non habet, niſi cum primum Confeſſario innotuerit, non antea.

Quando ſecundum probabilem ſententiam judicatur quis habere juriſdictionem, & Sacerdos ſequitur favorabilem.

At hæc opinatio ex mox dictis in hunc c. 8. radicitus evulſa eſt. Legere tamen, qui velit, poteſt P. Concinam Theol. t. 9. p. 548. cap. 5. ubi hanc eamdem opinionem in prop. 1. ab Innoc. XI. proſcripta includi evidenter oſtendit, & contraria ſophiſmata P. Vivæ, & La-Croix refellit.

Animadverſio XVII.

Nemo tenetur unquam Parocho confiteri ... quare Parochi fruſtra nolunt, ut parochiani confiteantur mendicantibus etiam in paſchate, cum habeant &c. adeo ut qui docent &c. fiant ſuſpecti de hæreſi.

Joannes de Poliaco tria docebat. Primo, *quod confeſſi Fratribus, habentibus licentiam generalem audiendi confeſſiones, tenentur eadem peccata, quæ confeſſi fuerant, iterum confiteri proprio Sacerdoti. Secundo, quod ſtante Omnis utriuſque ſexus edicto in Concilio generali, Rom. Pontifex non poteſt facere, quod parochiani non teneantur omnia peccata ſua ſemel in anno proprio Sacerdoti confiteri, quem dicit eſſe parochialem curatum; imo nec Deus poſſet hoc facere; quia (ut dicebat) implicat contradictionem. Tertio, quod Papa non poteſt dare poteſtatem generalem audiendi confeſſionem, imo nec Deus, quin confeſſus habenti licentiam, teneatur eadem confiteri proprio Sacerdoti; quem dicit eſſe (ut præmittitur) proprium curatum*. Porro de his ita pronuntiat Joann. XXII. cap. 2. *Vas electionis* tit. 3. de hæret. lib. 5. extrav. comm. *Omnes articulos, & quemlibet eorum tanquam falſos, & erroneos, & a doctrina ſacra devios auctoritate apoſtolica condemnamus, & reprobamus de fratrum noſtrorum conſilio prædictorum, doctrinam contrariam veram, & contrarium eſſe catholicum aſſerentes, ſcilicet, quod illi, qui prædictis Fratribus confitentur, non magis teneantur eadem peccata confiteri iterum, quam ſi ea alias confeſſi fuiſſent eorum proprio Sacerdoti juxta Concilium generale.* Lis finita eſt quoad eos Regulares, qui ha-

bent licentiam generalem audiendi confeſſiones, ſeu hanc licentiam habeant ab Epiſcopo, ſeu, ſi id contingat, a Summo Pontifice. At ne quis ex iis Buſembaum verbis, „ cum habeant privilegium pro omnibus Chriſti „ fidelibus " putet, Epiſcoporum poteſtatem quoad Regulares eſſe vinculis obſtrictam, itaut non poſſint, prout rationabile iis videtur, facultatem audiendi confeſſiones quibuſdam limitibus temporum, locorum, perſonarum coercere, audiendus eſt Clem. X. conſtit. *Superna*, qui ita loquitur: *Illos autem Religioſos, qui ad confeſſiones audiendas idonei generaliter reperti fuerint, ab Epiſcopis quoque generaliter, & indiſtincte abſque aliqua limitatione temporum, certorumque locorum, aut generis perſonarum in diœceſi propria admittendos; quoad ceteros vero, qui non adeo idonei reperiantur, ſi petierint ſe admitti, arbitrio ordinariorum relinqui, ipſos cum limitata facultate, prout iiſdem Ordinariis magis expedire videbitur, probare, & admittere*: & Alex. VII. in cauſa Andegavenſis Epiſcopi, & Regularium, hanc propoſitionem, ut *falſam, temerariam, ſcandaloſam, & erroneam* damnavit anno 1659. *Non poſſunt Epiſcopi limitare, ſeu reſtringere approbationes, quas Regularibus concedunt ad confeſſiones audiendas, neque ulla ex parte revocare*. Ita refert Nat. Alex. Theol. t. 1. p. 459. reg. 10.

Animadversio XVIII.

Quod ſi ſuperiores Regularium monialibus ſibi ſubjectis non concedant aliquoties in anno alium Confeſſarium &c.

An ſuperiores Regularium monialibus ſibi ſubjectis Confeſſarios pro ſua auctoritate concedere poſſunt? Buſemb. enim id ponere videtur; quod ſane falſum eſt. Nam Greg. XV. conſt. *Inſcrutabili* §. 5 apud Nat. Alex. Th. t. 1. p. 458. reg. 7. ita ſtatuit: *Confeſſores vero ſive ſæculares, ſive regulares, quomodocumque exempti tam ordinarii, quam extraordinarii, ad confeſſiones monialium etiam Regularibus ſubjectarum audiendas nullatenus deputari valeant, niſi prius ab Epiſcopo diœceſano idonei judicentur, & approbationem, quæ gratis concedatur, obtineant. Liceatque Epiſcopo ex rationabili cauſa ſuperiores regulares admonere, ut hujuſmodi Confeſſores amoveant, iiſque ſuperioribus id facere detrectantibus, aut negligentibus, habeat Epiſcopus facultatem prædictos Confeſſores amovendi, quoties, & quando opus eſſe judicaverit*. Superiores ergo Regularium monialibus ſibi ſubjectis debent quidem bis, aut ter in anno extraordinarium Confeſſarium offerre ex Syn. Trid. ſeſſ. 25. cap. 10. de reg. & monial. at non quoſcumque voluerint, offerre poſſunt, ſed eos ſolum, qui ad illud munus ab Epiſcopo fuerunt approbati.

Quod ſi nec is (Epiſcopus) *faciat, ipſæ eligere poſſunt*.

Præclare ſane. Hæc opinioncula ſubmiſſionem, & obſequium erga Epiſcopum monialibus egregie inſinuat. Undenam moniales auctoritatem habent ſupplendi defectus Epiſcopi? quis illis facultatem conceſſit eligendi ſibi Confeſſarium extraordinarium, ſi Epiſcopus, ut ex officio, & lege Trid. cit. debet, illum non offerat? Si ſuperiores regulares pro arbitrio ſuo eligere non poſſunt Confeſſarios ſeu ordinarios, ſeu extraordinarios monialibus ſibi ſubjectis, ſine Epiſcopi auctoritate, ut ex Greg. XV. mox dictum eſt, an id poterunt ipſæ moniales? Cum Buſembau ait, „ ipſæ eligere poſſunt, " duo dicit, & moniales habere facultatem eligendi, & eſſe Confeſſarios, qui moniales audire, & abſolvere poſſint ſine Epiſcopi approbatione, & conſenſu. At non ſolum primum falſum eſt, ſed etiam alterum, ut patet ex conſt. *Superna* Clementis X. ubi ait: *Et generaliter ab Epiſcopo ad perſonarum ſæcularium confeſſiones audiendas nequaquam cenſeri approbatos ad audiendas confeſſiones monialium ſibi ſubjectarum, ſed egere quoad hoc ſpeciali Epiſcopi approbatione; atque approbatos pro audiendis confeſſionibus monialium unius Monaſterii, minime poſſe audire confeſſiones monialium alterius Monaſterii*.

Itidem Confeſſores extraordinarios ſemel deputatos atque approbatos ab Epiſcopo ad monialium confeſſiones pro una vice audiendas, haud poſſe expleta deputatione in vim approbationis hujuſmodi, illarum confeſſiones audire, ſed toties ab Epiſcopo eſſe approbandos, quoties caſus deputationis contigerit. Itaque ſi moniales Buſembaum blandimenta audiant, non ſolum jus, quo carent, ſibi arroganter uſurpant, ſed etiam confeſſiones nullas, & ſacrilegas peragunt. At Buſembau objicit Quintan. ex declaratione Card. apud Barboſam. Reſp. Hæc declaratio aut per errorem citatur, aut apocrypha eſt, certe nullius momenti propter contrariam conſtitutionem Clem. X. mox allatam.

Animadversio XIX.

Porro eo caſu peccata non reſervata tantum confiteri ſufficere putant probabiliter &c. & Lugo non improbat.

Heu quam faciles ſunt probabiles ad opinandum de rebus graviſſimis, & indulgendum cum ingenti animarum periculo! Cum Buſemb. ait *probabiliter*, idem eſt, ac ſi dixerit, hanc opinionem eſſe rectam regulam, quam quilibet ſequi poſſit. Addit ille quidem, contrariam ſententiam eſſe tutiorem, quod omnibus notum eſt; at hoc non impedit, quominus juxta probabilia Buſembaum principia opinio probabilis ſit tuta. Hoc eſt illud malorum caput, quod nos tantopere improbamus, &, quantum in nobis eſt, amputamus.

D. Thom. ſuppl. qu. 9. art. 2. contrariam ſententiam docet, ut Buſemb. fatetur, tum in c. tum in reſp. ad 4. ubi ait: *Quod etiamſi Sacerdos non de omnibus poſſit abſolvere; tamen tenetur pœnitens ei omnia confiteri, ut quantitatem totius culpæ cognoſcat, & de illis, de quibus non poteſt abſolvere, ad ſuperiorem remittat*. Sententia S. Doctoris fatente ipſo Buſemb. communis eſt: ergo non tutum, ſed periculoſiſſimum eſt, eam deſerere propter contrarium paucorum ſenſum. Nonne confeſſionis integritas jure divino ad Sacramenti valorem neceſſaria eſt? ita ſcilicet definit Syn. Trid. contra La-Croix ſeſſ. 14. c. 5. cit. cap. 1. dub. 3. art. 1. Reſp. h. tract. An ipſe pœnitens, vel Confeſſarius poteſtatem habet diſpenſandi a jure divino? Ergo certum eſt, confeſſionem diminutam, ſeu peccatorum non reſervatorum non ſufficere, ſed integram eſſe oportere omnium.

Præterea illa prop. *Licet ſacramentaliter abſolvere dimidiate tantum confeſſos ratione magni concurſus, qualis v. g. poteſt* &c. ab Innoc. XI. damnata eſt n. 59. At æque damnabilis, aut damnabilior eſt opinio, quæ permittit abſolvere dimidiate confeſſos ratione reſervatorum criminum. Prop. enim damnata permittebat diminutam confeſſionem ob difficultatem, & impotentiam audiendi integras confluentium confeſſiones: hæc Buſ. opinio id permittit ſine ulla neceſſitate, & ſine ulla difficultate faciendi integram confeſſionem. Illa ex difficultate petebat diſpenſationem integræ confeſſionis, hæc ex ipſa culpa pœnitentis, quem diminute confeſſum abſolvit, quia in graviora crimina lapſus eſt. An prolapſio in graviora crimina eſt æque urgens ratio diſpenſandi a confeſſionis integritate, ac magnus populi concurſus? Ergo ſi damnata propoſitio eſt, quod magnus populi concurſus ſit ratio ſufficiens diſpenſandi a confeſſionis integritate, damnabilior eſt propoſitio, quod reatus reſervatorum criminum ſit legitima ratio diſpenſandi ab eadem confeſſionis integritate.

Tandem hic quoque inculcanda, & ob oculos ponenda eſt prop. 1. ab Innoc. XI. proſcripta. Eſto enim, probabilis ſit Buſembaum opinio, quam aperte falſam eſſe oſtendimus; Quæſtio præſens hæc eſt, utrum confeſſio peccatorum non reſervatorum omiſſis reſervatis ſufficiat ad valorem abſolutionis: at cum de valore Sacramenti agitur, damnatum eſt, quod liceat ſequi opinionem probabilem relicta tutiore: ergo opinio Buſembaum, etiamſi eſſet probabilis, quoad uſum tamen, & praxim damnata eſt.

Animadversio XX.

Si ſuperior injuſte neget facultatem &c. poſſe ab alio Confeſſario etiam directe abſolvi, affirmant &c. eſſe probabile. Sed rectius negat &c.

Hoc ne in quæſtionem quidem, ſi ſapimus, vocandum eſt; niſi quis dicere velit, negationem facultatis abſolvendi a reſervato, quia injuſta eſt, eſſe facultatis conceſſionem, aut Confeſſarium ea ſe habere jus abſolvendi a reſervatis, ſi injuſte negetur. At hæc non ſolum mira, & abſurda, ſed aperte falſa ſunt.

Doctrina, quam Buſ. teſte, Henriq. & Diana probabilem eſſe affirmant, ejuſdem furfuris eſt, ac prop. 13. ab Alex. VII. damnata, quæ ita habet: *Satisfacit præcepto annuæ confeſſionis, qui confitetur Regulari Epiſcopo præſentato, ſed ab eo injuſte reprobato*. In eo ſolum differunt prop. proſcripta, & doctrina Henriq. & Dianæ, quod prop. proſcripta facultatem impertit abſolvendi a peccatis, ut pono, non reſervatis, quia Epiſcopus eam injuſte recuſat; præſens autem doctrina a peccatis reſervatis. Quænam ſit deterior, lector judicet.

Hanc tamen doctrinam evidenter falſam Buſembau ne attingere quidem videtur, ſed ſolum addit, adverſarios rectius ſentire, ut, ſi quis eam ſequi velit uti probabilem, Buſembaum repugnantem non habeat.

Ani-

Animadverſio XXI.

Si ſuperior Confeſſario Regularium ad hoc deputato neget facultatem, poteſt is pro iſta vice abſolvere.

Hac de re idem habet Concina Theol. t. 9. p. 577. n. 25. inquiens: „ Hi Confeſſarii deputati poſſunt una „ vice abſolvere a reſervatis, etiam petita, & non „ obtenta a ſuperioribus facultate, ut clare in citatis decretis (Clementis VIII. & Urbani VIII.) habetur. “

Additque ex aliis ſeptem probabile eſſe, idem poſſe, ſi viro Religioſo pio, docto, & prudenti ... neget.

Quoad hoc P. Concina loco cit. alios affirmare, alios negare ait, & cujuſcumque Religionis diſciplinam, & conſuetudinem eſſe conſulendam.

Conſideranda quoque diligenter ſunt citatorum Pontificum verba, & cavendum, ne ſacramentum fruſtrationis periculo objiciatur, & violetur decretum Innoc. XI. prop. 1. damnantis.

Qui (Pellizarius) *vult idem eſſe, ſi pœnitens ipſe petat.*

Docti autem, & pii Regulares, non quid Pellizarius, ſed quid Pontifices citati, quorum attenta lectio ad eos pertinet, velint, accurate conſiderabunt.

Imo Quintan. cenſet probabile, quod idem fieri poſſit, ſi ſuperior &c. *& urgeat* &c.

In hac ſpecie cum pœnitens a reſervatis indirecte abſolvi queat, non eſt neceſſaria in Confeſſario facultas ab iis directe abſolvendi, ideoque hæc facultas irrationabiliter ab Eccleſia concedi præſumitur. Cum autem Confeſſarius propter neceſſitatem a reſervatis indirecte abſolvit, onus imponit pœnitendi adeundi ſuperiorem tempore opportuno aut per ſe, aut per alium. Hac de re loquitur Nat. Alex. Theol. t. 1. p. 441. reg. 8. cujus ſententiam Concina Theol. t. 9. p. 572. moderatur, & facultatem indirecte abſolvendi a reſervatis ad neceſſitatis tempus reſtringit; quæ ſententia videtur rationabilior, & neceſſario ſequenda eſt, ne abſolutio fruſtrationis periculo objiciatur, & violetur decretum Innoc. XI. ſupra citatum.

Animadverſio XXII.

Superior, auditis ſolis reſervatis, poteſt ab iis abſolvere, & reliqua inferiori committere ex cauſa urgente; qualis tamen non eſſet &c.

Integritas confeſſionis ex Syn. Trid. & ut fatetur Buſ. jure divino præcipitur, eodemque jure ex dictis neceſſaria ad valorem ſacramenti eſt; ex quo fit, ut urgens cauſa, ſicut loquitur Buſ. ab ea non diſpenſet, ſed, ut recte loquitur Concina Theol. t. 9. p. 572. n. 9. ſola extrema neceſſitas, cum ſcilicet aliter fieri non poteſt; quia Deus impoſſibilia non jubet. Ergo ſi ſuperior aut omnino non poſſit, aut difficillime poſſit integram pœnitentis confeſſionem audire, diminute confeſſum non debet abſolvere, ſed inferiori Sacerdoti facultatem dare, ut abſolvat. Hac in re non urgentes cauſæ, non difficultates obtrudendæ ſunt, ne divinum mandatum ad confeſſionis valorem neceſſarium fiat, ſed excogitandæ rationes, & ſuperandæ viriliter difficultates, ut fiat.

Animadverſio XXIII.

Qui bona fide confitetur, neſciens ſuum caſum eſſe reſervatum ... valide quidem abſolvitur, cum onere tamen &c.

Buſemb. ſi ejus mentem aſſequor, vult, pœnitentem, qui bona fide putat, ſuum caſum non eſſe reſervatum, poſſe abſolvi a Sacerdote non habente facultatem in reſervata, hoc eſt bonam fidem, ſeu, quod idem eſt, ignorantiam tollere reſervationem; quæ quidem eſt nonnullorum opinio, ut refert La-Croix p. 379. num. 1607. 1608. at contraria ſententia eodem La-Croixio fatente communiſſima eſt, quam ipſe quoque ſequitur, & tuetur P. Concina Theol. t. 9. p. 565. n. 7. Buſemb. quidem opinio falſa, & improbabilis merito habetur; at, etiamſi tenui aliqua probabilitate niteretur, damnata nihilominus eſt in propoſ. 3. & quoad uſum, & praxim multo magis in propoſ. 1. ab Innoc. XI. proſcriptis. Quare Confeſſariis non habentibus juriſdictionem in reſervata diligentiſſime cavendum eſt, ne ab iis pœnitentes abſolvant, qui bi bona fide reſervationem ignorant.

Vel Sacerdotem carere poteſtate circa illum.

Ignorantia quidem pœnitentis, ut dictum eſt, reſervationem non tollit, nec Confeſſario dat facultatem abſolvendi, quam a ſuperiore non habet; nihilominus cum pœnitens divinitus adjutus facit quantum in ipſo eſt, & rite diſpoſitus ſua peccata bona fide confitetur, etiamſi a Confeſſario per ignorantiam, aut malitiam ſine legitima facultate abſolvatur, defectum ab Eccleſia ſuppleri docet quoque P. Concina Theol. t. 9. p. 573. n. 12. quod credere par eſſe videtur. At juxta dicta in cap. 8. dub. 3. auctor ſemper eſſem, ut veritate deprehenſa pœnitens confeſſionem repeteret; quia veritate deprehenſa ipſe poteſt defectui mederi. Quod ſi id negligat, ejus culpæ id merito vertitur; ideoque integram confeſſionem omittens, a ſuis culpis abſolvi non videtur. Contra accidit, ſi in bona fide, ſeu inculpabili ignorantia perſeveret. In hac enim hypotheſi cum ſubſequentes confeſſiones integre, quantum in ipſo eſt, faciat, ab omnibus peccatis abſolvitur ſeu directe, ſeu indirecte, & in gratiæ ſtatu verſatur.

Similiter ſi Confeſſarius probabiliter credit &c. *valet abſolutio.*

Hoc perinde eſt, ac ſi dixerit, probabilitatem conferre juriſdictionem in peccata. At hæc opinatio eſt aperte falſa, & abſurda. Non enim abſolvendi poteſtas ab opinione, ſed a ſuperioris voluntate, & approbatione pendet, ut ſacra Syn. Trid. ſæpe cit. perſpicuis verbis definit. Vide dicta in c. 8. dub. 3. Quod enim dicitur de abſolutione peccatorum univerſe, ſeu peccatorum etiam non reſervatorum, idem eadem, aut potiori ratione dici debet de abſolutione peccatorum reſervatorum. Sed loco cit. oſtenſum eſt, ea probabilitate ſumi non poſſe jus abſolvendi a peccatis univerſe, hoc eſt etiam non reſervatis: ergo.

Animadverſio XXIV.

Qui confitens habenti poteſtatem ordinariam delegatamve in reſervata, oblitus eſt inculpabiliter reſervatum, poteſt illud poſtea confiteri etiam &c. *& abſolvi.*

Idem docet P. Concina Theol. t. 9. p. 573. num. 15. ex communi ſententia, & ex eadem ratione, quam affert Buſemb. Sed monet, ad confeſſarium habentem poteſtatem in reſervata, ſi fieri poſſit, pro majori ſecuritate eſſe confugiendum.

Quod etiam valet, ſaltem &c *etiamſi prior abſolutio .... invalida fuiſſet.*

Ita ſane plures docent. „ Sed iſtorum opinio, inquit „ Concina Theol. t. 9. p. 574. num. 16. nullo, ut mihi „ videtur, ſolido fundamento nititur. Et primum de „ abſolutione tempore Jubilæi data patet; quia indulgentia Jubilæi conceditur tantum vere pœnitentibus: „ quando autem confeſſio irrita eſt, nulla adeſt vera „ pœnitentia: ergo neque abſolutio. Superior quoque „ ordinarius non tollit reſervationem, niſi aut ſacramentaliter abſolvendo, aut remittendo ad inferiorem „ Sacerdotem, cui delegat juriſdictionem: porro ſuperior ſacramentaliter non abſolvit, quando Sacramentum eſt irritum. Delegatus quoque nihil poteſt in reſervata extra Sacramentum: ergo quoties Sacramentum eſt nullum, peccata reſervata manent. Aliqui „ diſtinguunt inter confeſſionem invalidam, & ſacrilegam; ſed hæc diſtinctio, præſertim in caſu noſtro mihi commentitia eſt. “

Ita ille, cui merito ſubſcribendum puto, præſertim cum hic agatur de re ad Sacramenti valorem pertinente, in qua probabilitas contrariæ opinionis, ſi quæ ſit, ex ſæpe dictis proſcripta eſt.

Animadverſio XXV.

A reſervatis abſolvere poteſt ... 4. Sacerdos inferior, quando ſuperior adiri non poteſt, v. g. a reſervatis Papæ &c.

Si ſuperior adiri non poteſt, expectandum eſt, ut redeat, vel ad ipſum confugiendum per litteras, niſi forte ipſe aliter diſpoſuerit. Reſervatio ex ipſa reſervantis mente, abſolutionis difficultatem adjunctam habet, ut fideles a culpis reſervatis abſterreantur, & cautiſſime abſtineant; quam difficultatem moderari, & emollire, prout prudentia dictaverit, ſuperiorum reſervantium eſt, non in inferiorum arbitrio poſitum; qui proinde diligentiſſime cavere debent, ne ex licentia interpretandi, eam ſibi facultatem arrogent, qua ſunt deſtituti, in re præſertim tanti momenti ad Sacramenti valorem pertinente, ubi opinio nihil vitium habet, nec rem in tuto ponit.

Animadverſio XXVI.

Dicitur 2. niſi &c. *quia a caſibus papalibus abſolvere poteſt Epiſcopus, vel Vicarius, quando ſunt occulti, ut docet Nav.*

Syn. Trid. ſeſſ. 24. c. 6. ita loquitur. *Liceat Epiſcopis in quibuſcumque caſibus occultis etiam Sedi Apoſtolicæ reſervatis delinquentes quoſcumque ſibi ſubditos in Diœceſi ſua per ſeipſos, aut Vicarium ad id ſpecialiter deputandum, in foro conſcientiæ gratis abſolvere, impoſita pœnitentia ſalutari. Idem & in hæreſis crimine in eodem*

foro conſcientiæ eis tantum, non eorum Vicariis ſit permiſſum. Tridentina conceſſio Epiſcopis quoad ſuos ſubditos in ſua Diœceſi facta, perſpicua eſt. Sed quæritur, utrum hæc conceſſio per Bullam Cœnæ quoad caſus in ea contentos fuerit revocata.

Multi, & graves Theologi teſte P. Concina Theol. t. 9. p. 571. num. 8. negant: alii graviſſimi Auct. ut ait La-Croix p. 380. num. 1617. cum Suar., Sanch., Averſa referunt, Romæ deciſum eſſe, quod facultas illa revocetur per ſingulas Bullas Cœnæ, & contendit Viva ad propoſ. 3. Alex. VII. num. 4. quam ſententiam ipſe La-Croix probat. Conſulamus verba ipſius Bullæ, quæ ita habet anno 1699. *Ceterum prædictis ſententiis nullus per alium, quam per Romanum Pontificem, niſi in mortis articulo conſtitutis, nec etiam tunc, niſi de ſtando Eccleſiæ mandatis, & ſatisfaciendo cautione præſtita, abſolvi poſſit, etiam prætextu quarumvis facultatum, & indultorum quibuſcumque perſonis eccleſiaſticis, ſæcularibus, & quorumvis ordinum etiam mendicantium, ac militarium regularibus etiam epiſcopali, vel alia majori dignitate præditis, ipſiſque ordinibus ... per nos, & dictam Sedem, ac cujuſvis Concilii decreta verbo, litteris, aut alia quacumque ſcriptura in genere, vel in ſpecie conceſſorum, & innovatorum, aut concedendorum, & innovandorum*. Sicuti Tridentina conceſſio clara eſt, ita ejus revocatio quoad Bullæ caſus, eſt perſpicua attente legentibus recitata verba. *Ceterum a prædictis ſententiis nullus per alium, quam per Romanum Pontificem* &c. *abſolvi poſſit*. Hic Epiſcopi aperte excluduntur. Præterea illa verba, *prætextu quarumvis facultatum, & indultorum quibuſcumque perſonis eccleſiaſticis* &c. *etiam epiſcopali, vel alia majori dignitate præditis*, &c. *per cujuſvis Concilii decreta* &c. *conceſſorum* &c. Epiſcopos expreſſe nominant. & Tridentinam conceſſionem, *cujuſvis Concilii*, perſpicue revocant, & excludunt. An illud *cujuſvis Concilii* Synodum Tridentinam evidenter non includit? Quid ad hæc reſponderi rationabiliter poteſt? Nonnulli illud *a prædictis ſententiis* interpretantur quoad caſus publicos. Sed quærimus, unde hanc interpretationem deſumpſerint? Si enim ex arbitrio loquantur, audiendi non ſunt. Cum Bulla abſolute, & ſine limitatione dicat *a prædictis ſententiis*, contra mentem Romanæ Sedis ire merito dicuntur, qui hæc verba ad caſus occultos reſtringunt. Præterea cum Syn. Trid. facultatem abſolvendi a quibuſcumque caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis tribuens, de occultis tantum explicate loquatur, Bulla fruſtra adderet *prætextu quarumvis facultatum, & indultorum* &c. *per cujuſvis Concilii decreta conceſſorum*, ſi caſus occultos comprehendere nollet. Illud *cujuſvis Concilii* Synodum certe Tridentinam complectitur: Syn. Trid. de occultis tantum loquitur: ergo Bulla caſus occultos complectitur. Hæc mihi perſpicua videntur; hujuſque ſententiæ auctorem, & approbatorem habeo Sapientiſſimum Pontificem Bened. XIV. de Synod. Diœc. t. 3. c. 34. & 35. Lib. 4. c. 1. n. 5. & lib. 9. cap. 4. & 5. ab iis, quos adverſariorum rationes movent, legendum.

Adde, quod ab Alex. VII. damnata eſt hæc propoſ. n. 3. *Sententia aſſerens, Bullam Cœnæ ſolum prohibere abſolutionem hæreſis, & aliorum criminum, quando publica ſunt, & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus ſermo eſt, anno 1629 18. Julii in Conſiſtorio Sacr. Congr. Emin. Card. viſa, & tolerata eſt*. Hæc proſcriptio non ſolum factum in propoſitione deſcriptum damnat, ſed etiam, imo multo magis ſententiam, quæ aſſerit, Bullam Cœnæ de publicis tantum criminibus loqui, nec derogare facultati a Syn. Trid. Epiſcopis conceſſæ. Damnatio enim facti inutilis eſſet, niſi ſimul doctrina in propoſ. incluſa damnaretur.

Sicut propoſitio ex tolerantia doctrinæ a Sac. Congr. ut ipſa ait, examinatæ, doctrinam ipſam ab omni nota immunem volebat; ita Alex. XII. damnans factum tolerantiæ, multo magis damnatam vult doctrinam. Nulla ratio eſſet, cur Alex. VII. factum damnaret, etiamſi falſum eſſet, ſi doctrina in propoſ. incluſa, ſana eſſet.

Cur factum tolerantiæ damnat? Non præciſe quia falſum; ſed quia, cum reipſa falſum ſit, ſimul injurioſum eſt ſacræ Cardinalium Congregationi. Cur injurioſum eſt ſacræ Card. Congr.? quia ipſi affingit tolerantiam doctrinæ damnabilis.

Damnatio propoſitionum eo non unice, aut ſaltem præcipue ſpectat, ut perniciosas morum doctrinas improbet, & proſcribat, ne fidelibus noceant. Hinc ipſe Alex. VII. in fine decreti die 24. Septemb. 1665. *re mature conſiderata ſtatuit, & decrevit, prædictas propoſitiones*, (in quarum numero eſt 3. de qua ſermo eſt) *& unamquamque ipſarum, ut minimum tamquam ſcandaloſas eſſe damnandas, & prohibendas, ſicut eas damnat, ac prohibet* &c. Porro 3. propoſ. nulla ratione ſcandaloſa eſſe poteſt, niſi ipſa doctrina, non ſola facti narratio, ſit falſa, & noxia. Nullum enim ſcandalum in fideles derivaretur, etiamſi factum in propoſ. narratum verum crederent, niſi ſimul doctrinam moralem in ea contentam veram, & innoxiam putarent: ergo dum ſummus Pontifex propoſitionem damnat ut ſcandaloſam, ipſam doctrinam ut talem damnat. Ergo rationabiliter dubitandum non eſt, quin ab Alex. VII. proſcripta ſit doctrina aſſerens, Bullam Cœnæ ſolum prohibere abſolutionem hæreſis, & aliorum criminum, quando publica ſunt, nec eam Bullam derogare facultati Tridentini: ergo damnata eſt ſententia eorum Theologorum, qui aſſerunt, facultatem a Synodo Trid. Epiſcopis conceſſam per Bullam Cœnæ non eſſe quoad caſus in ea contentos revocatam, & abolitam. Quid eſt ſcandalum? Dictum, aut factum præbens alteri occaſionem ruinæ ſpiritualis. At illud dictum, *ſententia aſſerens* &c., hoc eſt prop. 3. ab Alex. 7. damnata, ſcandalum continet; quia ex Alex. decreto *ut minimum ſcandaloſa eſt*. Ergo præbet alteri, hoc eſt lectori occaſionem ruinæ ſpiritualis. Cur *Sententia aſſerens* &c. occaſionem ruinæ ſpiritualis lectori præbet, niſi, quia ex S. Congregationis examine, & tolerantia lector capit anſam exiſtimandi, eam ſententiam firmam eſſe, & ſolidam, & ſine periculo ad praxim redigi poſſe? ergo ipſum exiſtimare, *ſententiam aſſerentem* &c. eſſe firmam, & tuto ad praxim redigi poſſe, eſt eam ſententiam legentis ſpiritualis ruina: ergo quia ea ſententia utitur, in præceps ruit.

Sed illud quoque addendum eſt, quod, cum hic agatur de juriſdictione ad Sacramenti valorem neceſſaria, etiamſi ſententia, quam damnatam oſtendi, eſſet probabilis, ejus tamen uſus proſcriptus eſſet in propoſ. 2. ab Innoc. XI. damnata.

Animadversio XXVII.

Excipit tamen Averſa &c. eos caſus, qui Epiſcopis a jure tantum reſervantur.

La-Croix p. 381. n. 1628. eos etiam caſus excipit, quos Papa, aut conſuetudo Epiſcopo reſervat; ſed uterque rejiciendus eſt. Nam ab Alex. VII. damnata eſt hæc propoſitio num. 12. *Mendicantes poſſunt abſolvere a caſibus Epiſcopis reſervatis, non obtenta ad id Epiſcoporum facultate*. At, inquit La-Croix, „ videtur eſſe ſermo „ (in propoſ. damnata) de caſibus, quos ipſimet E„ piſcopi ſibi reſervant. " Reſp. Si arbitrariis interpretationibus locum relinquimus, pontificiæ damnationes, & doctrinæ inutiles evadunt, & quoad morum regulam non ſummi Pontifices, ſed probabiles opinatores conſulendi erunt. Quo fundamento La-Croix ait, in propoſitione damnata ſermonem eſſe de caſibus, quos ipſimet Epiſcopi ſibi reſervant? Nullo ſcilicet, quia nullam ſuæ interpretationis rationem affert. Ergo ejus interpretatio arbitraria eſt, & pro nihilo habenda. Nonne propoſitio abſolute loquitur, & abſolute damnatur? Cur ergo damnatio reſtringitur? Damnatio, inquis, odioſa, eſt, ideoque reſtringenda. Reſp. Falſum eſt, damnationem eſſe odioſam, niſi odioſam dixeris lucem, qua verum a falſo, & noxium a ſalubri diſtinguimus, niſi odioſum appellaveris remedium contra venena. Adde, quod proſcripta propoſitio ait, *a caſibus Epiſcopis reſervatis*, non a caſibus, quos ipſi Epiſcopi ſibi reſervant. Ergo La-Croixii interpretatio non ſolum arbitraria eſt, ſed aperte falſa, utpote quæ verba, & ſenſum propoſitionis damnatæ invertat, & labefactet; præſertim cum Clemens X. conſtit. *Superna* §. 7. ita loquatur: *Et habentes facultatem* (loquitur de Regularibus) *abſolvendi ab omnibus caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis, non ideo a caſibus Epiſcopo reſervatis poſſe abſolvere*. An caſus, quos jus commune, aut conſuetudo, aut Pontifex ſupremus Epiſcopo reſervat, non ſunt caſus Epiſcopo reſervati? P. Concina Theol. t. 9. p. 571. num. 8. lectorem monet, „ ne fidem ha„ beat non paucis Caſuiſtis, quorum meminit P. Viva „ in explicatione propoſ. 12. damnatæ ab Alex. VII. „ quoniam iſti plus æquo amplificant Regularium „ poteſtatem. " At quid dicendum de La-Croix, cui contradicit ipſe Viva, qui damnatam propoſitionem de caſibus, quos Papa, vel jus commune, aut conſuetudo reſervat Epiſcopo intelligit?

Imo Quint. affirmat, Regulares adhuc poſſe abſolvere, ſicut ante decretum, eo quod hoc in provinciis non ſit promulgatum.

Hæc vero eſt ipſiſſima propoſ. 12. ab Alex. VII. damnata, & mox relata. Qui pontificia decreta, qua par eſt, veneratione maxima excipiunt, promptoque animo iis obedire volunt, cum a commentitiis interpretamentis, tum ab ea maxime ſibi cavent, ne ea non ſufficienter publicata, non acceptata, aut his ſimilia effutiant, ſed ea ſimplici ſubmiſſione obſervant, & ponunt, ſummos Pontifices, qui ſuas leges ab omnibus obſervari volunt,

Digitized by Google

volunt, nihil prætermiſſis eorum, quæ ad vim legis neceſſaria ſunt.

Animadversio XXVIII.

Si confeſſarius dubitet, an &c. ſi quidem dubium ſit poſitivum, poteſt (ſequendo opinionem probabilem &c.) abſolvere.

Hæc opinatio fuit jam exploſa c. 8. dub 3. & includitur in propoſ. 1. ab Innoc. XI. damnata. Quia juxta Buſembaum licet ſequi opinionem probabilem de juriſdictione, hoc eſt de valore Sacramenti, relicta tutiore; quæ eſt ipſa propoſ. 1. proſcripta.

Si vero dubium ſit negativum, poſſe abſolvere negant aliqui, ut &c. probabilius affirmant Suar. &c.

Quoad dubium poſitivum Buſemb. abſolute affirmat, Confeſſarium in ſpecie deſcripta poſſe abſolvere, quoad negativum non abſolute, ſed ut quid probabilius id aſſerit. In priori caſu rem ſine controverſia definit, in poſteriore rem controverſiam facit; ergo juxta Buſembaum firmior eſt prior opinio, quam poſterior: at prior damnata eſt: ergo poſterior eſt damnabilior. Ita ſane, ſi ad hominem, & juxta ejus probabilia principia loquamur; at reipſa utraque opinio æque damnabilis eſt; quia perinde eſt, ſeu dubium ſit poſitivum ex æqualibus contrariis rationibus, quæ ſeſe mutuo retundunt, profectum, ſeu ſit negativum, quod nullas hinc inde, aut leves rationes habeat. In utraque enim ſpecie dubium ponitur rationabile.

At inquies: aliud eſt dubium juris, in quo peccatum eſt certum, ſed dubitatur, utrum ſit reſervatum; aliud eſt dubium facti, in quo reſervatio eſt certa, ſed dubitatur, utrum peccatum fuerit, nec ne admiſſum.

Porro teſte P. Concina Theol. t. 9. p. 568. num. 55. Auctores communiter docent, ſimplicem Confeſſarium in dubio facti poſſe abſolvere; de quo dubio Buſembau intelligendus videtur.

Reſp. Hæc diſtinctio inutilis eſt, nec impedit, quin abſolutio in dubio facti ſit damnata in propoſ. 1. nam etiam in dubio facti Sacerdos abſolvens ſequitur opinionem probabilem de valore Sacramenti relicta tutiore. Si enim peccatum reipſa admiſſum ſit, abſolutio eſt nulla: ergo Sacerdos abſolvens in dubio, utrum peccatum, de cujus reſervatione non dubitatur, factum fuerit, ſequitur probabilitatem, in qua agitur de Sacramenti valore, relicta oppoſita tutiore probabilitate, quæ eſt propoſ. 1. damnata ab Innoc. XI.

Nihil enim refert, ſeu dubites, utrum peccatum admiſſum, ſit reſervatum, ſeu contra, utrum peccatum reſervatum fuerit admiſſum. In utraque ſpecie Sacerdos carens juriſdictione in reſervata crimina, merito dubitat, utrum abſolvendi auctoritate præditus ſit; in utroque dubio abſolutionem fruſtrationis periculo æque objicit; in utroque in diſcrimen juris, quo caret, ſibi arroganter uſurpandi ſponte ſe conjicit; in utroque, Sacramento, cujus valor curæ ſibi non eſt, injuriam irrogat; in utroque proximi ſalutem in periculum vocat; quia periculum eſt, ne, dum pronuntiat abſolutionem, reipſa non abſolvat, & qui abſolutum ſe putat, in eodem peccati reatu verſetur. His rationibus, quæ mihi perſpicuæ videntur, ab ea ſententia, quæ ſimplici Sacerdoti carenti facultate in reſervata, abſolutionem permittit in explicato dubio facti, etiamſi communis foret, ego diſcedendum puto, & diſcedo. Venit enim mihi in mentem, doctrinas quoque communes a ſummis Pontificibus fuiſſe damnatas, ideoque ne has quoque oculis clauſis eſſe probandas. Præſeos communis doctrina, quam in examen vocavi, ex paucis, quæ dixi, & damnata, & falſa mihi videtur; utrum vero recte, necne, aliorum eſto judicium.

La-Croix p. 370. n. 1604. inquit; „ Reſervatio, cum „ ſit odioſa, ſtricte eſt interpretanda, nec extendenda „ ad caſum dubium: " citatque Suar., Hurt., Lugo, Dicaſtil., Averſam. Reſp. Cur reſervatio eſt odioſa? „ Quia, inquit p. 385. n. 1684. videtur habere adjun- „ ctam rationem pœnæ. " At reſervatio nihil aliud eſt, niſi limitatio juriſdictionis ex ordinata ſuperiorum reſervantium diſtributione profecta; quæ certe quoad Confeſſarium pœna dici non poteſt; quoad pœnitentes vero eo ſenſu pœna eſt, quo medicina palato amara. Quædam enim atrociora crimina reſervantur, ut fideles ab iis abſterreantur, & cautius abſtineant. Porro etiamſi pœnæ quoad fieri poteſt reſtringendæ ſint, pœnæ tamen medicinales, ſeu medicinæ pro ratione morbi, neceſſitatis, & utilitatis adhibendæ ſunt. Ex his evaneſcit ratio La-Croixii, quæ æquivoco laborat. Pœna enim, quæ ſine addito pœna eſt, non extendenda, ſed potius reſtringenda: at pœna medicinalis, uti eſt reſervatio, non eſt quidem ultra neceſſitatem extendenda, nec tamen infra neceſſitatem coarctanda.

Sed hæc animadverſio ad ipſos ſuperiores reſervantes pertinet; nos autem hic loquimur non de reſervantibus, ſed de Confeſſariis ſubditis, quorum juriſdictio reſervatione limitata eſt. An hi in dubiis licentiam univerſe, exceptiſque caſibus extremis arrogare ſibi poſſunt interpretandi mentem ſuperiorum reſervantium? Cur, ſi dubitant, ad eos non confugiunt? Si ſuperiores reſervantes dixerint, ſe caſus dubios nolle comprehendere, res in tuto eſt, & abſolutio ſine ulla difficultate in caſibus dubiis reſervationis impertiri poteſt. At quamdiu ſuperiores ſuam mentem non aperuere, res manet dubia, & in hujuſmodi dubitatione, qui probabilibus conjecturis duci ſe ſinunt, relicta parte tutiore, diſcrimen, ut dixi, ſubeunt uſurpandi juriſdictionem, qua carent, irritam reddendi abſolutionem, perdendi animas pœnitentium, & in propoſitionem 1. ab Innoc. XI. proſcriptam miſere impingunt.

Animadversio XXIX.

Abſolvendus eſt, qui adhæret ſententiæ probabili; quia eſt &c.

Si adhæreat ſententiæ probabili, & tutæ, non eſt dubium, quin ſit abſolvendus: at ſi adhæreat ſententiæ probabili periculoſæ, hoc eſt contra ſententiam æque, aut magis probabilem, & tutam, abſolvi non debet, ut patet ex dictis de probabilitate contra Buſembaum initio hujus operis.

Ipſe Buſemb. hic c. 3. rectiſſime ait, quod Confeſſario *moraliter conſtare debet de bona diſpoſitione pœnitentis, alias abſolvendo peccabit mortaliter*: at moraliter non conſtat Confeſſario de bona diſpoſitione pœnitentis, qui adhæret ſententiæ probabili minus tutæ; imo contrarium ei conſtat. Conſtat enim, eum pœnitentem non eſſe diſpoſitum, qui in peccandi periculo permanere vult: at talis pœnitens in peccandi periculo, cui illum exponit minus tuta, ſeu periculoſa probabilitas, permanere vult: ergo conſtat, hunc pœnitentem non eſſe diſpoſitum. Ita ſane; licet hanc evidentem veritatem innumeris cavillis adverſarii involvere conentur, & certam diſpoſitionem appellare audeant, quæ certa indiſpoſitio eſt.

Animadversio XXX.

Rudiores ordinarie juvandi ſunt, niſi … vel ob pœnitentium multitudinem fieri non poſſit, nec videatur &c. vel ſint peregrini … tunc enim, ſi alioqui &c. ſufficere aliquando integritatem formalem, docet Laym. qua ſcilicet auditis aliquibus peccatis abſolvantur, cum onere &c.

Hæc Buſemb. doctrina eſt ipſa propoſ. 59. ab Innoc. XI. proſcripta.

Quares rudes, & peregrini a Buſembau deſcripti non ſunt ſacrilege abſolvendi, ſed docendi, & monendi abſolutionem tunc demum iis profuturam, ſi, ut jus divinum præcipit, integre ſua peccata quoad fieri poteſt confiteantur, & rite ad ſacramentum accedant.

Animadversio XXXI.

Si vero ignorantia ſit invincibilis, v. g. ſi bona fide teneat &c. aut &c. tenetur quidem monere &c. quando ſperatur &c. nec &c. quæ ſi prudenter metuantur, aut &c. non tenetur, imo non poteſt.

Idem docet La-Croix p. 396. n. 1758. at tum Buſembau, tum La-Croix, qui cum iis ſentiunt, in eo falluntur, & ſibi contradicunt, quod ignorantiam invincibilem ponant, & dicant in eo, qui legem edoctus, ſuique erroris admonitus, a peccato abſtinere paratus non ſit.

Audiatur D. Thom. qui 1. 2. qu. 76. art. 3. ait: *Quod ignorantia de ſe habet, quod faciat actum, quem cauſat, involuntarium eſſe. Jam autem dictum eſt, quod ignorantia dicitur cauſare actum, quem ſcientia oppoſita prohibebat; & ita talis actus, ſi ſcientia adeſſet, eſſet contrarius voluntati, quod importat nomen involuntarii. Si vero ſcientia, quæ per ignorantiam privatur, non prohiberet actum propter inclinationem voluntatis in ipſum, ignorantia hujus ſcientiæ non facit hominem involuntarium, ſed non volentem, ut dicitur in 3. Ethicorum. Et talis ignorantia, quæ non eſt cauſa actus peccati, ut dictum eſt, quia non cauſat involuntarium, non excuſat a peccato. Et eadem ratio eſt de quacumque ignorantia non cauſante, ſed conſequente, vel concomitante actum peccati. Sed ignorantia, quæ eſt cauſa actus, quia cauſat involuntarium, de ſe habet quod excuſet a peccato, eo quod voluntarium eſt de ratione peccati.* Hæc ſunt ſolidiſſima moralis ſcientiæ fundamenta a D. Thoma, ipſoque ethnico Ariſtotele ab eo citato jacta.

Hinc qui ignorans peccat, peccaturus, etiamſi ſciret, actum ſuum eſſe malum, non antecedente, quæ idem

ſonat, ac invincibilis, ſed conſequente, aut concomitanta ignorantia peccat, quæ conſequens, aut concomitans ignorantia, involuntarium non facit, nec excuſat a peccato. Ignorantia antecedens, ſeu invincibilis in eo eſt, qui non ſolum eam odit, ſed omnem diligentiam, quantum in ipſo fuit, adhibuit, ut eam depelleret. An invincibili ignorantia laborant, quibus peccati, quod admittunt, notitia ingrata eſt? An invincibili ignorantia laborant, qui, etiamſi peccatum ſcirent, nihilominus peccarent? At hæc ponunt Buſembau, & La-Croix, aliique, prima moralis ſcientiæ principia funditus evertentes. Ad Confeſſarium accedit, qui rem alienam, vel concubinam loco uxoris ignorans tenet, vel mollitiei peccatum per ignorantiam admittit, vel per ſacramenta, aut res ſacras ſæpe jurat: qui, ſi de ſuo peccato, & errore moneatur, nullam emendationis ſpem præbet, ſed contra in deterius lapſurus creditur: (hæc eſt hypotheſis Buſemb. & La-Croixii) quid Confeſſario agendum eſt? Hic pœnitens, inquiunt, in ſua ignorantia relinquendus eſt, & abſolvendus. Ita ne vero? Ita ne ſacra abſolutio projicienda? Quid aliud eſt, hunc falſum pœnitentem abſolvere, niſi ſanctum dare canibus, & projicere margaritas ante porcos, quod Dei oraculo prohibemur? Si Sacerdos pœnitentem abſolvat, ductus opinione probabili circa neceſſariam pœnitentis præparationem, abſolutionem projicit, ut ex prop. 2. ab Innoc. XI. proſcripta evidens eſt: ergo multo evidentius abſolutionem projicit, ſi pœnitentem abſolvat, dum conſtat hunc neceſſaria ad ſacramentum diſpoſitione carere. Conſtat autem, pœnitentem neceſſaria ad ſacramentum diſpoſitione carere, ſi non habeat propoſitum vitandi ſingula peccata mortalia, ſeu, quod idem eſt, totam Dei legem implendi: at pœnitens, de quo loquimur, non habet propoſitum implendi totam Dei legem; quia aliquod ejus præceptum peragere minime paratus eſt: ergo conſtat, hunc pœnitentem neceſſaria ad ſacramentum diſpoſitione carere: ergo ſi abſolvatur, abſolutio evidentiſſime projicitur. Quid ad hæc adverſarii? La-Croix loco cit. ait, hunc pœnitentem eſſe pro nunc rite diſpoſitum, quia *paratus implere omnem Dei legem, quam cognoſcit*; hoc eſt, pœnitentem non peccare, dum peccat, quia, ut Buſembau ait, bona fide nititur, ideſt ignorat, ſuum peccatum eſſe peccatum. Reſp. At hæc eſt doctrina evidenter falſa, ac mox refutata; hæc eſt ipſiſſima Pelagianorum hæreſis, qui per ignorantiam nunquam peccari volebant.

La-Croix objicit Div. Auguſtinum relatum cap. *Si quis autem* de pœnit. diſt. 7. *Si ſcirem tibi prodeſſe, non te admonerem, te non terrerem.*

Reſp. S. Auguſtinus a ſententia, quam La-Croix inſcite illi adſcribit, tam alienus eſt, quam a Pelagii erroribus. P. Zach. in hunc textum a La-Croixio citatum hæc animadvertit. *Neque Auguſtini eſt homilia 41. inter 50. ex qua locus iſte ſumptus eſt: quare a Mauriais Patribus in appendicem quinti tomi eſt amandata ſerm. 394. neque ad rem eſt. Nam ibi ſermo eſt de pœnitentia in fine vitæ ſuſcepta, ac ſenſus eſt*, ſi ſcirem (*hanc pœnitentiam*) tibi prodeſſe, non te admonerem; *ut mirum ſit a Theologis hoc non fuiſſe animadverſum ante P. Hieronymum del Portico Cong. Mat. Dei in lib. inſcrip.* Gli amori tra le perſone di ſeſſo diverſo *c. ult. §. 1. nu. 2. p. 635. & ſeq. Monet idem del Portico, eſſe multos Theologos, qui ſic locum illum reddunt*, ſi ſcirem tibi non prodeſſe; *verum particula* non, *quæ olim in decretum quoque Gratiani irrepſerat contra MSS. Codicum fidem, ſub Gregor. XIII. a correctoribus ejus decreti merito, atque optimo jure expuncta fuit*. Qui verborum contextum legunt, de extrema pœnitentia ſermonem ibi eſſe dubitare non poſſunt. Nam tum præcedentia verba de hac aperte loquuntur, tum illud proximum: *Nam ideo tibi do pœnitentiam, quia neſcio. Nam ſi ſcirem tibi nihil prodeſſe, non tibi darem* (pœnitentiam) Tum ſequitur. *Item ſi ſcirem tibi prodeſſe*, (*eamdem extremam pœnitentiam*) *non te admonerem, non te terrerem*. Valde laudo eruditam P. Zach. animadverſionem, quæ veritatem illuſtrat, magis laudaturus, ſi La-Croixii quoque ſententiam aperte emendaſſet.

Quid ergo Confeſſario in propoſita ſpecie faciendum? Si certo conſtaret, monitionem, & manifeſtationem peccati, quod pœnitens ignorans admittit, nunquam eſſe profuturam, ſed magis obfuturam, generali admonitione præmiſſa ſine abſolutione dimittendus eſſet; at hoc conſtare non poteſt, tum quia merito ſperamus, lucem veritatis, ſine qua nulla eſt emendationis ſpes, aut nunc, aut aliquando profuturam, tum quia, cum pœnitens ad ſacrum tribunal accedit, aliquod indicium animi ad emendationem parati præbet. Ergo ſine dubitatione a generali monitione ad peculiarem peccati manifeſtationem veniendum eſt, præſertim cum definita divinæ miſericordiæ pro pœnitentis emendatione tempora Confeſſario ignota ſint, nullumque opportunius monendi tempus reperiri poſſit, quam cum peccator reſipiſcendi ſignum ad confeſſionem accedens exhibet. Si admonitionem æquo animo accipit, & firmum emendationis propoſitum habet, abſolvendus eſt; ſin minus, arguendus, increpandus, obſecrandus, & ſine abſolutione dimittendus. Verus pœnitens lucem veritatis vehementer deſiderat, & cum regio Pſalte Pſ. 118. v. 20. vere dicere poteſt: *Concupivit anima mea deſiderare juſtificationes tuas in omni tempore*: illudque ex animo uſurpat v. 34. *Da mihi intellectum, & ſcrutabor legem tuam, & cuſtodiam illam in toto corde meo*. Qui a veritatis deſiderio, & divinæ legis luce alieni ſunt, (uti ſunt etiam probabiles opinatores, qui loco veritatis, & divinæ legis, ſpeciem, & umbram veritatis, ac divinæ legis quærunt) in tenebris ambulant, in peccati ſtatu verſantur, nec abſolutione digni eſſe poſſunt, quidquid contra Buſemb. La-Croix, & alii falſo dicant. Audiendi ne ſunt probabiles opinatores, qui, cum nimis proni ſint ad ſperandam fucatorum quoque pœnitentium emendationem, & ad abſolvendum, deſperare nunc nos volunt, ut ad projiciendam abſolutionem inducant? Audiamus illud divinum oraculum Ezech. 33. *Et tu fili hominis* (Confeſſari) *ſpeculatorem dedi domui Iſrael. Audiens ergo ex ore meo ſermonem, veritatem annuntiabis eis ex me. Si me dicente ad impium, Impie morte morieris, non fueris locutus, ut ſe cuſtodiat impius a via ſua, ipſe impius in iniquitate ſua morietur, ſanguinem autem ejus de manu tua requiram. Si autem annuntiante te ad impium, ut a viis ſuis convertatur, non fuerit converſus a via ſua, ipſe in iniquitate ſua morietur, porro tu animam tuam liberaſti.*

Hæc ſacra verba, Buſembaum, La-Croix, & aliorum falſis opinamentis prorſus contraria, pie, & attente meditanda ſunt, & facienda.

Ex mox dictis, Buſembaoque repudiato, ignorata matrimonii nullitas detegenda eſt, inculcandum Cajæ, quæ in eo hactenus ignoranter perſeveravit, ut concubinatum abrumpat, non illi ſuadendum, ut peſſime ait Buſembau, ut debitum reddat, cui nihil debet; aperienda nullitas tituli, quo quis alienum detinet, & cogendus, ut reſtituat; Principes, Prælati, aliique Magnates officio ſuo non ſatisfacientes circa collationem beneficiorum, electionem miniſtrorum, ſubditorum gubernationem, circa eleemoſynas &c. non ſolum *regulariter*, ut male ait Buſemb. c. 8. ſed ſemper a Confeſſario monendi ſunt, nec abſolvendi, niſi moniti firmum habeant propoſitum ſatisfaciendi muneri ſuo. Hic vero c. 8. Buſembau erratum addit, dum ponit ignorantiam eorum, quæ ad officium proprium pertinent, invincibilem, ſeu inculpabilem eſſe poſſe. Unuſquiſque enim ſcire tenetur ea, quæ ad munus ſuum rite obeundum ſpectant, & eſt *ignorantia malæ electionis*, ut ait D. Th. 1. 2. qu. 6. art. 8. *cum aliquis notitiam, quam debet habere, non curat acquirere*. Quomodo vero ſcandala ab enumeratis Principum, & Prælatorum vitiis abeſſe unquam poſſunt, ut Buſemb. comminiſcitur, ſi occulta eſſe nequeunt, maloque exemplo, quod voce efficacius eſt, præſertim in Principibus, & Prælatis, ad ſui imitationem invitant? Quomodo commune damnum ex mala beneficiorum, & officiorum collatione poteſt, ut Buſ. fingit, non oriri, cum ab ea inſeparabile ſit? Neque hic neceſſe eſt, ut quidquam addam contra illa Buſembaum commenta, „ ſi videat contra admonitionem fore in „ majus damnum pœnitentis, & allaturam ſcandala, „ incommoda. " Sunt enim ex mox dictis affatim confutata. Nihilominus, ut quam falſæ, & a divinis litteris alienæ ſint verſatiles hujuſmodi opinationes, Confeſſarii intelligant, legant cap. 6. Sap. ubi dicitur: *Ad vos ergo, Reges, ſunt hi ſermones mei, ut diſcatis ſapientiam, & non excidatis. Qui enim cuſtodierint juſta juſte, juſtificabuntur, & qui didicerint iſta, invenient, quid reſpondeant. Concupiſcite ergo ſermones meos, diligite illos, & habebitis diſciplinam* &c. Caveantque diligenter, ne in ſe illud Iſa. 6. v. 5. cadat, *Væ mihi, quia tacui.*

Qui plura hac de re cupiunt, conſulant P. Concinam Theol. t. 9. p. 695. §. 2.

Quod ſi veritas pœnitenti ſponte aperienda eſt, multo magis id præſtandum, ſi interroget, ut Buſembau abſolute fatetur, licet La-Croix p. 396. n. 1759. hoc quoque contra Buſembaum limitet, ut ſe illo laxiorem oſtendat.

Animadversio XXXII.

Si etiam pœnitens teneretur &c. poſſet prudens Confeſſarius tunc illum relinquere in bona fide excuſante a peccato, & monitionem differre &c.

Hoc ex mox dictis aperte falſum, & a chriſtiana Confeſſarii prudentia maxime alienum eſt. Si pœnitens admonitionem æquo animo nunc accepturus non creditur, & alia vice melius ſuſcepturus, ut Buſemb. loquitur,

Digitized by Google

tus, nunc malus, fictuſque pœnitens creditus, alia vice verus pœnitens ſperatur. Ergo nunc abſolvendus non eſt, ſed abſolutio differenda. Quamquam, ut dixi, Confeſſarius ſuſpicionibus ſuo officio contrariis ſeduci non ſinet, ſed monebit, atque inde animum pœnitentis deprehendet, eumque ad officium paratum abſolvet, imparatum ſine abſolutione dimittet. At vero ſi Confeſſarius, quia fructum non ſperat, monitionem omittat, & pœnitentem nihilominus abſolvat, contra ſuammet ipſius conſcientiam, & ſacrilege abſolvit, quo ſane nihil pejus vel ſibi, vel pœnitenti accidere poteſt.

Animadverſio XXXIII.

An vero audiens plures una quaſi vice, tot numero peccata committat, alii negant, alii affirmant.

Ego quidem exiſtimo, Confeſſarium peccato mortali inquinatum tot numero peccata committere, quot ſunt pœnitentes; quia ſacramentum ſæpius reperit, & quantum in ipſo eſt, ſæpius profanat. Neque enim quia confeſſiones pœnitentium continuatæ ſunt, unam confeſſionem efficiunt, ſed plures nihilominus ſunt, non ſecus ac ſi forent interruptæ. Quamquam ſi quis putet, peccatum Confeſſarii eſſe unum, ſed pluribus æquivalens, fallitur quidem, ut ego ſentio, ſed quoad rem perinde ferme eſſe videtur.

Animadverſio XXXIV.

Confeſſor conſcius ſibi &c.

Buſembau hic involute, & periculoſe loquitus, dum ait, *vel ſaltem abſolvat* &c.

An Confeſſarius mortalis peccati ſibi conſcius poteſt, confeſſionem audire, ut ea audita a tribunali diſcedat, Confeſſarium adeat, ac poſt rediens pœnitentem abſolvat? Sed cum Buſembau utatur particula disjunctiva *vel*, & dicat, tenetur *ipſe confiteri*, *vel conteri*, in arbitrio Confeſſarii relinquit, ut alterutrum faciat, hoc eſt vel confiteatur, vel conteratur, priuſquam abſolvat.

Accedit, quod, cum pœnitentis confeſſio ſit ſacramenti pars, confeſſionis auditio eſt ſacramenti inchoatio. Licet ne Sacerdoti peccati mortalis ſibi conſcio ſacramentum inchoare? Satis ne eſt, ſi in Dei gratiam redeat, cum ſacramentum perficit, hoc eſt cum abſolvit?

Præterea, cum Sacerdos contritionem ſuam poſt auditam confeſſionem pœnitentis protrahit, in periculum ſe conjicit abſolvendi ſine contritione. Contritio ſine Dei gratia, ſeu auxilio elici non poteſt; quoad auxilium in neceſſitatibus, & periculis aliunde profectis merito ſperatur; at arroganter in iis periculis, quibus nolmet ſponte objicimus, præſumitur. An Dei auxilium in noſtra poteſtate eſt?

Sed illa quoque Buſembaum poſitio falſa eſt, quod Sacerdoti peccati mortalis ſibi conſcio ſatis ſit, ſi contritionem eliciat, priuſquam confeſſiones audiat.

Quod enim dicitur de diſpoſitione ad ſacram Euchariſtiam ſuſcipiendam, idem dicendum eſt de diſpoſitione ad pœnitentiam adminiſtrandam: ſed nemo mortalis peccati ſibi conſcius, quantumvis contritus ſibi videatur, ſacram Euchariſtiam ſine ſacramentali confeſſione ſuſcipere poteſt, ut definit Syn. Trid. ſeſſ. 13. c. 7.: ergo Confeſſarius, licet contritus ſibi videatur, non poteſt pœnitentiam adminiſtrare, niſi prius mortale crimen, cujus ipſe ſibi conſcius eſt, confiteatur. Quæ hic objici poſſunt, ex alibi dictis evaneſcunt.

Ne in eo quoque ſibi conſtat Buſemb. quod juxta ipſum expedita, & in promptu ſit Confeſſario contritio, cum in aliena confeſſione totus eſt, atque ipſa ſponte in eas ſe conjecerit anguſtias, ut conteri debeat, dum de alterius confeſſione, & contritione ſollicitus eſſe tenetus; non autem cum ad moribundum inopinato vocatur; quaſi Dei auxilium magis ſperandum ſit in periculo ſponte ſuſcepto, quam in neceſſitate.

Animadverſio XXXIV.

Si male abſolvit &c. tenetur inducere ad repetendam confeſſionem, ſi ſine ſcandalo &c. ſin minus non tenetur.

S. Antoninus a P. Concina Theol. t. 9. p. 577. num. 23. laudatus ait: *Nota, quod quicumque abſolvit aliquem ab aliquo peccato in caſu, in quo non poteſt, ſive quia reſervatus eſt Epiſcopo, ſive quia nullam habet poteſtatem, aut auctoritatem, quamvis graviter peccet, præcipue quando abſolvit ſcienter, vel ex ignorantia juris craſſa, non tamen cenſuram aliquam, ſeu excommunicationem ex hoc incurrit, ſive ſit clericus ſæcularis, ſive religioſus, dictum abſolvens; ſed tenetur illum, quem ſic abſolvit, adviſare de errore ſuo, ſi cognoſcit, vel poteſt invenire. Ille tamen quoad Deum excuſatur, dum hoc ignorat.* Idem docet, inquis, Buſembau. At illa coacervatio impedimentorum, „ ſi ſine ſcandalo, infamia, fractione ſi„ gilli, & nocumento poſſit, “ Confeſſarium eo adducit, ut, etiamſi pœnitentem cognoſcat, & invenire poſſit, a neceſſaria admonitione ſe facile liberum putet, nec de ea, ut par eſt, ſollicitus ſit. An Confeſſarius ab admonitione liber eſt, ne ſuam inſcitiam, & ignorantiam prodat, vel quia timet, ſi admoneat, ne ſua imperitia ſuperioribus nota fiat, & confeſſiones audire prohibeatur? Nam ſcandalum, & fractio ſigilli ex admonitione ſui erroris, quæ occulte, & caute facienda eſt, nulla ratio occurrit, cur timenda ſint.

Si non abſolvit a cenſura, poteſt ab eadem (ſi, vel quando &c.) abſolvere abſentem.

Hæc ſententia ne P. quidem Concinæ diſplicet Theol. t. 9. p. 617. n. 5. ſed difficultate non caret. Nam Bened. XIV. ep. encyclica anni 1749. die 3. Decemb. num. 63. de Jubilæo loquens, ait: *Parlando dell' aſſoluzione dai caſi riſervati, coſa certa ſi è, ch' eſſa non può darſi fuor della ſacramental confeſſione.*

In ordine all' aſſoluzione dalle cenſure vi è ſtata la queſtione, ſe poteſſe darſi fuori della ſacramental confeſſione. Il Sanchez ha creduto ciò poterſi fare, quando nel concedimento della facoltà non ſi pone la clauſula, Eorum confeſſionibus diligenter auditis, o altra equivalente, come può vederſi nelle ſue opere. Altri però più ſicuramente opinarono, non poterſi dare l'aſſoluzione dalle cenſure fuori della ſacramental confeſſione, dandoſi la facoltà d'aſſolvere dalle cenſure, come una previa diſpoſizione all' aſſoluzione da' peccati. E queſto è il ſentimento del Suarez, del Vaſquez, del Filliuccio, del Navarra ſeguitato dal Viva. Ubi nota, Suarez, Fill. Navarrum, quos Buſemb. ex Bonac. pro ſe citat, a Bened. XIV. pro contraria ſententia citari. Si abſolutio a cenſuris extra ſacramentalem confeſſionem impendi non poteſt, multo minus abſenti poſt ſacramentalem confeſſionem dari valet.

Facultas abſolvendi a cenſuris, ut ponimus, Confeſſario datur, quatenus Confeſſarius eſt: ergo ea uti non poteſt, niſi quando Confeſſarii munere fungitur: at, cum pœnitens abeſt, Confeſſarii munere quoad ipſum non fungitur: ergo ipſi abſolutionem a cenſuris impendere nequit. Facultas abſolvendi a cenſuris Confeſſario conceſſa, eſt acceſſorium facultatis abſolvendi a peccatis; ergo ad idem confeſſionis Tribunal pertinet: ergo extra ipſum exerceri non poteſt.

Animadverſio XXXVI.

Si non interrogavit ſufficienter numerum, ſpeciem, vel alias circumſtantias, regulariter ad nihil tenetur, niſi &c.

Cur regulariter ad nihil tenetur? Quia, inquit Buſ„ monere extra confeſſionem non debet, cum judicium „ ſit finitum. “ Hæc ſane ratio inanis eſt. Si judicium recte finitum ſit, nihil præſtandum eſt: at ſi judicium male finitum ſit, ut in ſpecie propoſita accidit, cur ſupplendum non eſt, quod defuit? Si redeat ad confeſſionem idem pœnitens, debet Buſembao fatente moneri de defectu commiſſo. Cur moneri debet? Quia, inquit, alioqui hæc confeſſio non erit integra, cum quædam non ſit debite confeſſus. Recte quidem; at ſi pœnitens alios Confeſſarios poſt adeat, ejus confeſſio erit ne integra? Ponimus ſcilicet, pœnitentem vel ex culpabili ignorantia, vel ex diſſoluta diſcutiendæ conſcientiæ negligentia integre confeſſum ſuas culpas non fuiſſe, ideoque teneri confeſſionem repetere; ponimus quoque, hujus diminutæ confeſſionis culpam non ſolum pœnitenti, ſed etiam Confeſſario, qui neceſſarias interrogationes numeri, ſpeciei, circumſtantiarum peccatorum omiſit, eſſe adſcribendam; qui proinde non ſolum eo nomine culpandus eſt, quia interrogare omiſit, ſed etiam quia diminute confeſſum male abſolvit. Confeſſarius in hac ſpecie reus eſt damni ſpiritualis, quod in pœnitenta non impedivit, cum tamen ex officio impedire debuerit: ergo hoc damnum quantum in ſe eſt, reparare, hoc eſt pœnitentem monere, ut confeſſionem integre repetat, & in poſterum integre confiteatur, tenetur. Si Confeſſarius, qui ſine auctoritate abſolvit, pœnitentem juxta S. Antoninum ſupra relatum admonere de errore tenetus, ut legitimam abſolutionem obtineat, multo magis de errore malæ confeſſionis, & malæ abſolutionis, in quo tum ipſe Confeſſarius, tum pœnitens peccavit, admonere cogitur. Quid mihi nunc obtrudis, ne de confeſſionis quidem defectibus extra confeſſionem cum pœnitente eſſe loquendum? Id quidem verum eſt, ſi neceſſitas non urgeat; at ſi neceſſitas ſaluti pœnitentis conſulendi id poſtulet, cur id fieri non debet, ſi in confeſſione fieri non poſſit? Nullum hic ne per ſomnium quidem periculum fractionis ſigilli; neque hinc odioſa redditur confeſſio, ſed accepta; quia monitio inde orta ad ſalutem pœnitentis neceſſaria eſt, nedum maxime utilis. Quod ſi inanes, ut ego ſentio, ſcrupuli hac de re Confeſſarium angant, a pœnitente loquendi facultatem petat, ut omnis difficultas evaneſcat.

Hinc porro intelligis, quid reſpondendum ſit illi quæſtioni,

Digitized by Google

ſtioni, quam proponit La-Croix p. 398. num. 1778. „ Si „ poſt abſolutionem recorderis, te non ſatis interrogaſ„ ſe ſpeciem, vel numerum peccatorum, dum pœni„ tens adhuc ſtetit, quid tibi faciendum ſit? “ Eſt ſcilicet ſupplendus defectus.

La-Croix ait, id pendere *ab illa quæſtione, an liceat de rebus in confeſſione auditis loqui cum pœnitente, quamdiu adhuc ſtetit*. Quid de hac quæſtione ipſe ſentiat, ignoro; quia numerum, ad quem lectorem remittit, ex typographi errore male citatum invenire non potui. Sed hæc quæſtio ſoluta jam fuit ex mox dictis.

Dixi, ſi non &c. *quia ſi poſitive dixit, non teneri* &c. *debet monere, ſi ſine gravi ſcandalo .... poſſit*.

Intellige detrimento proprio, vel alieno, ut explicat La-Croix p. 399. num. 1785. qui univerſe loquitur de admonitione pro corrigendo quocumque errore culpabiliter a Confeſſario admiſſo, quem ab admonitione etiam excuſat, *ſi ſequeretur gravis offenſio pœnitentis, imo ob illam confuſionem, & infamiam apud pœnitentem ſubeundam, dummodo probabiliter putet, pœnitentem adhuc ſemel rite confeſſum*.

Videlicet La-Croix omnem lapidem movet, ut Confeſſarium ab admonitione, hoc eſt a neceſſario caritatis, & juſtitiæ officio liberet, & revocet.

Quid impedimenta objiciuntur, ne Confeſſarius damna pœnitenti illata reparet? Cur ſcandala timentur, & finguntur detrimenta, ubi nihil tale timeri merito poteſt? Scandalum, & detrimentum maximum eſt ipſa admonitionis omiſſio, qua ſcandalum, & detrimentum pœnitenti datum non tollitur, non compenſatur. Cautionem ſuggero, prudentiam inculco, ut admonitio utilis ſit, non damnoſa; at ejus omiſſionem non permitto, quam juſtitia, & caritas poſtulant; qua in re Confeſſarius ſui peccati vere pœnitens, non inani timore ſe concuti patietur, ut officium omittat, ſed ſpe, & divini auxilii confidentia animabitur, ut illud præſtet. Hic non Buſembaum, non La-Croixium audiet, ſed divinum illud oraculum Ezech. 23. mox relatum ad c. 7. h. dub. recolet: *Si me dicente ad impium, Impie morte morieris, non fueris locutus, ut ſe cuſtodiat impius a via ſua, ipſe impius in iniquitate ſua morietur, ſanguinem autem ejus de manu tua requiram*. Quanto magis, ſi ipſe Confeſſarius, iniquitatis, hoc eſt iniquæ confeſſionis cauſa fuerit? *Si autem annuntiante te ad impium, ut a viis ſuis convertatur, non fuerit converſus a via ſua, ipſe in iniquitate ſua morietur, porro tu animam tuam liberaſti*. Admonitio liberat animam Confeſſarii, etiamſi malus pœnitens ex ſua malitia inde occaſionem arripiat ſuſcitandi ſcandala, & inferendi damna. At ejus omiſſio propter inanes timores ſcandali, & damni, offenſionis, confuſionis, infamiæ, animam Confeſſarii perdit, *ſanguinem autem ejus de manu tua requiram*. At La-Croix ſubjicit, „ dummodo probabiliter putet, pœ„ nitentem adhuc ſemel rite confeſſum. “ An opinio probabilis, quod pœnitens ex ſe reparet damna animæ ſuæ liberat Confeſſarium a certo admonitionis debito? Quid, ſi pœnitens ſponte non reparet? An opinio probabilis Confeſſarium in tuto ſuæ ſalutis nihilominus ponit? Quænam probabilitas eſt, ut pœnitens ab ipſo Confeſſario ſuæ colpæ conſcio, & participe non admonitus reſipiſcat? Nonne longe probabilius eſt, ut putet ſuam ſacrilegam confeſſionem rite fuiſſe peractam, quia Confeſſarius eum non monuit, nec monet & tacendo eam probat? Quid inanem futuræ bonæ confeſſionis ſpem obtrudis, ſi præteritam malam emendare non conaris? Sunt ſcilicet hæc ſubtilia commenta, quæ dæmon inſpirat, & ſuggerit, ut Confeſſarium, & pœnitentem perdat.

Sed pejor eſt La-Croixii doctrina p. 398. num. 1779., ubi ait: „ Si bona fide poſitive deobligaſti pœnitentem „ a confeſſione integra ſpecierum, vel numeri, aut „ ſi pœnitens putavit, ſe non obligari aliud dicere, „ quia tu bona fide ſiluiſti, regulariter ad nihil te ob„ ligat Filliuc. raro Lug. & Averſ. tunc ſcilicet, quan„ do non eſſet grave incommodum, quod communiter „ fore putat Tamb. c. 8. n. 3. eum ſaltem adſit in te„ ſtando, vel monendo. “

Hæc, inquam, doctrina proxima ſuperiore pejor eſt; quia non ſolum eadem, aut majori facilitate Confeſſarium a monitione excuſat, ſed etiam a culpa, quæ tamen culpa certa eſt, & evidens. Nec enim ignorantia eorum, quæ ad proprium officium ſpectant, innoxia eſſe, multoque minus excuſare poteſt errata inde profecta. Ignorantia porro Confeſſarii bona fide docentis, pœnitentem non obligari ad integram confeſſionem ſpecierum, vel numeri peccatorum, eſt eorum, quæ ad proprium officium ſpectant; eſt ignorantia valde craſſa, & culpabilis in ipſo pœnitente: ergo multo magis in Confeſſario: ergo &c.

Hæc La-Croixii doctrina Pelagiano errore nititur, quod peccatum non admittatur, niſi cognitum fuerit; ideoque non ſolum explodenda, ſed valde abominanda eſt.

ANIMADVERSIO XXXVII.

Si neglexerit monere &c. *moneat, ſi quidem commode poteſt*.

Cur addit illud *commode*? An divina, & naturalia præcepta obligandi vi carent, niſi commode impleri queant? Ita ſcilicet ponit Buſemb. contra divina oracula alibi recitata, quibus docemur, regnum cælorum vim pati, arctam eſſe viam, quæ ducit cœlum &c.

At inquit Buſemb. ſi non commode poteſt, Deo commendet. Reſp. Deus primo enixe orandus eſt, ut ſua nobis auxilia impertiat, quibus legem ſuam impleamus; qua neglecta preces profuſæ ad ſalutem nobis prodeſſe nequeunt.

Dum Buſembau addit „ (vel in confeſſione, vel ex„ tra &c.) “ rem implicare mihi videtur, ut Confeſſarium ab obligatione monendi liberet. Si Confeſſarius in confeſſione monere non poſſit, pœnitentem accerſat, dicatque ſe habere rem maxime neceſſariam, de qua illum admoneat, cujuſque monitionem in confeſſione ex oblivione, aut errore omiſit, tumque rem aperiat, & moneat. Quid hic difficultates, & nodos in neceſſario non caritatis tantum, ut Buſemb. ait, ſed etiam juſtitiæ officio quæris? Venia, inquis, a pœnitente petenda eſt. Reſp. Id quidem neceſſarium eſſe, nunquam oſtendes; at, ſi vis, veniam pete, inculca monendi neceſſitatem, dicito, pœnitentem ſalvum eſſe non poſſe, niſi fecerit, quæ illum monere neceſſe habes. Jam ſi audire recuſet, perinde eſt, ac ſi reſtituere recuſet; tu vero jam ſatis monere viſus es: quid enim moneas monitionem audire recuſantem, & damnari volentem?

Quod ſi tamen &c.

. Ne crambem recoquam, conſule dicta lib. 3. tr. 5. cap. 2. d. 1. e. 2. dub. 2. c. 2. & 12.

ANIMADVERSIO XXXVIII.

Parochus .... tenetur audire confeſſionem ſui ſubditi ſaltem per ſe, vel alium, quoties &c.

Cum parœcia Parochi perſonæ, ejuſque induſtriæ, non aliis commiſſa ſit, ſicuti per ſeipſum concionari, & populum docere, ut contra Buſemb. alibi oſtenſum eſt, tenetur, ita quoque ſubditorum confeſſiones per ſeipſum, ſi poſſit, excipere cogitur. Nec enim coadjutoribus ad laboris fugam, ſed ad populi neceſſitatem, & utilitatem uti debet. Quare cum ſubditus Parochum petit, & apud eum confiteri vult, ad coadjutores perperam mittitur. Quod ſi Parochus aliquo legitimo impedimento detineatur, vel etiam nimio labore defatigatus ad audiendam confeſſionem ſe minus aptum ſentiat, blande, prudenterque moneat pœnitentem, ut tantiſper expectet, vel redeat.

Qui curam ſuſcipiunt animarum, inquit S. Joan. Damaſc. ep. 5. *ipſi peragunt, ipſi proprios manipulos Domino repræſentant. Nam ipſe ovem perditam diligenter quæſivit, ipſe invenit, ipſe propriis humeris reportavit. Quid nos miſeri, & deſides dicturi ſumus, qui etiam pro ovibus nobis commiſſis curam impendere negligimus, & aliis eas educandas tradimus?*

Legatur hic non Buſembau, aut alii ſimiles, ſed Syn. Trid. ſeſſ. 23. cap. 1. de reform. unde intelligitur, omnibus ſacris Paſtoribus divino præcepto impoſitum eſſe, ut ſacramentorum adminiſtratione ſuas ipſi oves paſcant.

Perſonalis reſidentia ab iis exigitur, non ut corpore in parœcia ſegniter reſideant, ſed ut Paſtorum munia, inter quæ maxime certe neceſſaria eſt pœnitentiæ ſacramenti adminiſtratio, per ſeipſos obeant.

Si tamen nimis frequenter, vel intempeſtive peteret, excuſaretur.

Parochi officium eſt, populum ad ſacramentorum frequentiam, quæ animarum ſaluti maxime utilis eſt, hortari. Ergo Parochus ſuo officio aperte adverſatur, & ſcandalum populo præbet, ſi ſubditos ad pœnitentiam frequenter accedere volentes repellat. Otium, & laboris fugam ſe per inanes prætextus quærere, animas ſuorum ſibi exiguæ curæ eſſe, ac ſolum ſua commoda ſe amare oſtendit. Quid nunc mihi obtrudis illud *nimis frequenter*? Cum frequentiſſime peccemus, quandonam nimis frequens dici poterit pœnitentia? Sancti Viri aut quotidie, aut ferme quotidie ad ſacrum pœnitentiæ remedium, quo leviores culpas eluerent, & caverent, accedere conſuevere. An illi, quia nimis frequenter peterent, repellendi erant, aut repelli poterant?

Nam ſi qui intempeſtivis horis, e. g. ſomni, aut cibi pœnitentiam petant, non ſunt aſpere repellendi, ſed humaniſſime monendi, ut vel expectent, vel opportune redeant, niſi neceſſitas poſtulet, ut ſtatim audiantur; qua urgente & ſomnus excutiendus, & cibus relinquendus eſt, ut neceſſarium remedium animæ præbeatur.

Quod

Digitized by Google

Quod ſi etiam ſemel tantum, vel bis negaret ... non peccaturum graviter ... docet Suar. contra Bon. &c. ſi non petat &c.

Limites quidem peccati venialis, & mortalis ignoti nobis ſæpe ſunt. Sed hic animadvertendum eſt, Parochi officium eſſe, ut oves errantes, & perditas ſtudioſe quærat, quarum curam ſi abjiceret, graviſſime peccaret: at gravius peccat, qui eaſdem ad caulam revertentes repellit; repellit autem, dum petentibus pœnitentiam vel ſemel negat: ergo hoc peccatum leve judicari non poteſt. Hoc peccatum caritati valde repugnat. Agitur enim de animæ ſalute: periculum eſt, ne pœnitens a Parocho repulſus aut cogitationem confeſſionis relinquat, & in peccata præceps ruat, aut animum demittat, nec peccata integre patefacere poſtmodum audeat. Præterea Parochus, qui populi ſtipendiis alitur, ex officio, & juſtitia ſacramenta ſuis miniſtrare tenetur; quam proinde graviter lædit, dum pœnitentiam vel ſemel petenti negat. Nec enim res hæc levis putari poteſt. Nonne Sacerdos graviter peccat, ſi pœnitentem abſolutione dignum abſolvere recuſet? Cur hoc peccatum grave eſt? Quia Sacerdos caritatem, & jus pœnitentis in re gravi lædit. At Parochus quoque caritatem, & jus pœnitentis ſuæ curæ commiſſi in eadem re gravi violat, ſi ejus confeſſionem excipere nolit. Ergo Parochus ſaltem ordinarie loquendo mortaliter peccare merito cenſetur, ſi pœnitentem ſibi ſubditum audire recuſet.

ANIMADVERSIO XXXIX.

Quotieſcumque pœnitens ex mera devotione vult confiteri, Parochum teneri &c. docent &c.

Illud *ex mera devotione* involutum eſt. An ex mera devotione ille confiteri dicendus eſt, qui eccleſiaſtico annuæ confeſſionis præcepto confiteri non tenetur? Ego ex devotione, niſi poſitivæ leges aliud præcipiant, illum confiteri puto, qui nullius ne dubii quidem mortiferi criminis ſibi conſcius eſt: qui autem in mortales culpas poſt ultimam confeſſionem lapſus eſt, eas neceſſario confiteri debet, nec confeſſionem diu prorogare poteſt. At Parocho notum eſſe non poteſt, quas culpas pœnitens admiſerit, nec ex ejus ſtatu ſibi noto divinandum eſt. Sumus enim homines fragiles, infirmi, lutea vaſa portantes. Itaque diſtinctio confeſſionis ex devotione, & neceſſitate quoad Confeſſarium vix locum habet, & ab eo, ſi animæ ſuæ, & alienæ pericula vitare amat, repudianda eſt. Quare, cum Parochus ex dictis ſuorum confeſſiones per ſeipſum audire teneatur, illos ad alios Confeſſarios delegatos perperam, & contra officium eo prætextu mittit, quod ex mera devotione confitentur, dum eos audire ipſe poteſt.

ANIMADVERSIO XL.

Reliqui Sacerdotes &c.

Intellige Sacerdotes, quibus ſtipendia pro audiendis confeſſionibus non ſubminiſtrantur. Item illud *per ſe* accipiendum eſt ex neceſſitate juſtitiæ. Nam ex caritate, quotieſcumque neceſſitas urget, nec alii præſto ſunt, pœnitentes audire tenentur.

ANIMADVERSIO XLI.

Dian. tamen ex Nav. &c. negat eſſe mortale non examinare ... ex oblivione.

Sermo hic eſſe ponitur de circumſtantia neceſſario aperienda, quam ſi pœnitens non patefaciat, ejus omiſſionem Confeſſarius ſupplere interrogando debet. Hoc ſi non præſtet, mortaliter peccat, quia detruncatæ confeſſionis ex omiſſione culpabili cauſa eſt. Hinc in lib. de vera, & falſa pœnitentia inter op. S. Auguſtini (habetur cap. 1. d. 6. qu. 3. cau. 33.) de Confeſſario dicitur: *Diligens igitur inquiſitor, & ſubtilis inveſtigator ſapienter, & quaſi aſtute interroget a peccatore quod forſitan ignorat, vel verecundia velit occultare.* Hoc eſſe Confeſſarii officium, ſeu debitum, non eſt dubitandum, quidquid Buſemb. hic, & in c. 1. *Si Sacerdos* &c. verſatiliter dicat, qui audiendus non eſt, ſed ſtandum ſententiæ, quam probabiliorem, & veriorem ipſe quoque appellat, quæque unice vera eſt, & contraria falſa.

ANIMADVERSIO XLII.

Si nihilominus neget, prudenter judicare, an non potuerit oblivisci ... ita ut debeat abſolvi.

Buſemb. poſtquam recte docuit, pœnitentem negantem peccatum, quod Confeſſario evidenter conſtat ab eo fuiſſe admiſſum, non eſſe abſolvendum, ſubdit, eſſe nihilominus abſolvendum; quæ ſunt aperte contradictoria. Quid ergo? Ergo Confeſſarius priorem ſententiam ſequi, quia pœnitens merito imparatus ad confeſſionem cenſetur, debet, & poſteriorem deſerere. At quid ſubtilibus commentis, quæ pro poſteriore ſententia affert, reſpondendum eſt? Reſp. Etiamſi pœnitens ſui peccati innocenter fuiſſet oblitus, interrogatus tamen in memoriam illud revocaret, aut ſaltem dubitaret; quia interrogatio animum excutit, reminiſcentiam criminis præſertim gravis, & opere conſummati excitare ſolet. Quod ſi Confeſſarius putet, pœnitentem negare, quod crimen alteri confeſſus ſit, pœnitens in ipſa confeſſione mendax dignoſcitur, ideoque a vera pœnitentia alienus, utpote qui eo ipſo tempore, quo ſuas culpas amare deflere tenetur, peccat. Præterquamquod Confeſſarius interrogando hujus rei veritatem ejicere, & cauſam mendacii intelligere poteſt.

Stultum vero eſt velle ut Confeſſarius putet non eſſe peccatum, quod peccatum eſſe novit, aut pœnitentem, quem diminute confiteri ſuis oculis perſpicit, a confeſſionis integritate excuſari ex cauſis ſibi ignotis. Quid hoc aliud eſt, niſi velle ut Confeſſarius oculos claudat, & pœnitentem, quem imparatum merito judicare debet, recte diſpoſitum judicet, & præcipitanter abſolvat? Huc ex natura ſua ſpectant Buſembaum commenta.

Si peccatum illud norit ex confeſſione complicis, non uti illa ſcientia &c.

Adhibeatur ſane cautio, ut generatim prius quæratur; at ſi generalis interrogatio non proſit, Confeſſarius ſpeciatim interrogare in ſpecie propoſita non prohibetur, ſi peccatum tale ſit, de quo ejuſdem conditionis perſonæ interrogari ſolent, ut recte monet Laym. l. 5. t. 6. cap. 14. num. 24. ad quem Buſemb. lectorem mittit. Quod ſi Confeſſarius prudenti, & ſubtili inquiſitione adhibita veritatem elicere nequeat, an pœnitentem neceſſaria diſpoſitione deſtitutum abſolvere debet? Quid hoc aliud eſt, niſi ſanctum dare canibus, & mittere margaritas ante porcos? Cur potius pœnitentem non dimittit diligenter admonitum, ut ſollicitam ſuæ ſalutis curam gerat, ut conſcientiam diligentius excutiat, & paratior redeat? An hoc reprehendi debet, & laudari abſolutio ficto pœnitenti projecta? Quo nomine, quæſo, dimiſſionem pœnitentis inculas? Confeſſarius notitia confeſſionis non ad exterius regimen, quod vetitum eſt, ſed ad utilitatem pœnitentis in ipſo Tribunali confeſſionis utitur; quod & Confeſſarii, & morum tractatores, dum caute id faciant, laudabiliter præſtant. Uſus, de quo hic ſermo eſt, nullum pœnitenti prius confeſſo gravamen infert; quia pœnitens dimiſſus illud ut ſummum ſuſpicari poteſt, ſocium peccati ſua peccata fuiſſe confeſſum eidem Sacerdoti. Hoc ne malum eſt, aut odioſum? Nonne pœnitentes ad Tribunal confeſſionis publice accedunt? Nonne Confeſſarius, ſi neceſſe, aut utile ſit, dicere poteſt, Petrum v. g. confeſſionem apud ſe edidiſſe? Hoc neceſſitate compulſus non ore quidem, ſed facto, hoc eſt interrogatione, & abſolutionis negatione pœnitenti dimiſſo ſubobſcure dicit. Nihil ergo hic mali eſt; ſed maximum malum foret, ſi fictum pœnitentem abſolveret.

ANIMADVERSIO XLIII.

At ſi hæc timeat, potius debet aliquid deeſſe integritati materiali.

Confeſſarium cautum volo, in anguſtias redactum nolo. S. Thom. in 4. d. 19. illum monet, ut *de peccatis præcipue carnalibus non deſcendat nimis ad particulares circumſtantias.* Ait *nimis*, & *ad particulares*. Ceterum ex interrogationibus cautis, & neceſſariis ad cognoſcendam ſpeciem, & gravitatem peccati, quæ paucis verbis faciendæ ſunt, nihil mali timendum puto. Quia, dum Sacerdos ſuo munere caute, & rite fungitur, Dei, qui eſt adjutor in opportunitatibus, auxilium enixe ſemper implorandum, & ſibi, & pœnitenti ſperandum eſt.

Quare propter timorem periculi, non eſt permittendum ut aliquid deſit integritati confeſſionis.

La-Croix p. 399. num. 1788. ait: „Putant Llamas, „& Stoz l. 2. n. 16. ad hoc munus ſatis doctos eſſe illos, qui integram ſummam caſuum diligenter legerint, „vel attente audierint explicari:“ tum numer. 1792. ſubdit: „Recte notat Gob. t. 7. num. 325. Confeſſarium „debere ſcire ſententias plures, quæ vere probabiles „ſunt, circa materias morales; eo quod ſæpe, ubi non „agitur de valore ſacramenti, non poſſit, nec expediat „pœnitentes dirigere ſecundum unicam doctrinam, tam „parum quam medicus poſſit omnes unica medicina ſanare, ſed pro diverſitate ſubjecti debet has, „aut illas applicare.“

La-Croix ſummam probabilium doctrinarum non ſolum ſatis eſſe ad Confeſſarii munus, ſed ipſas probabiles doctrinas

ctrinas

ſtioni, quam proponit La-Croix p. 398. num. 1778. „ Si „ poſt abſolutionem recorderis, te non ſatis interrogaſ„ſe ſpeciem, vel numerum peccatorum, dum pœni„tens adhuc ſiſtit, quid tibi faciendum ſit? “ Eſt ſcilicet ſupplendus defectus.

La-Croix ait, id pendere *ab illa quæſtione, an liceat de rebus in confeſſione auditis loqui cum pœnitente, quamdiu adhuc ſiſtit*. Quid de hac quæſtione ipſe ſentiat, ignoro; quia numerum, ad quem lectorem remittit, ex typographi errore male citatum invenire non potui. Sed hæc quæſtio ſoluta jam fuit ex mox dictis.

Dixi, ſi non &c. quia ſi poſitive dixit, non teneri &c. debet monere, ſi ſine gravi ſcandalo.... poſſit.

Intellige detrimento proprio, vel alieno, ut explicat La-Croix p. 399. num. 1785. qui univerſe loquitur de admonitione pro corrigendo quocumque errore culpabiliter a Confeſſario admiſſo, quem ab admonitione etiam excuſat, *ſi ſequeretur gravis offenſio pœnitentis, imo ob illam confuſionem, & infamiam apud pœnitentem ſubeundam, dummodo probabiliter putet, pœnitentem adhuc ſemel rite confeſſum.*

Videlicet La-Croix omnem lapidem movet, ut Confeſſarium ab admonitione, hoc eſt a neceſſario caritatis, & juſtitiæ officio liberet, & revocet.

Quia impedimenta objiciuntur, ne Confeſſarius damna pœnitenti illata reparet? Cur ſcandala timentur, & finguntur detrimenta, ubi nihil tale timeri merito poteſt? Scandalum, & detrimentum maximum eſt ipſa admonitionis omiſſio, qua ſcandalum, & detrimentum pœnitenti datum non tollitur, non compenſatur. Cautionem ſuggero, prudentiam inculco, ut admonitio utilis ſit, non damnoſa; at ejus omiſſionem non permitto, quam juſtitia, & caritas poſtulant; qua in re Confeſſarius ſui peccati vere pœnitens, non ſinet timore ſe concuti patietur, ut officium omittat, ſed ſpe, & divini auxilii confidentia animabitur, ut illud præſtet. Hic non Buſembaum, non La-Croixium audiet, ſed divinum illud oraculum Ezech. 33. mox relatum ad c. 7. h. dub. ſeceleſt: *Si me dicente ad impium, Impie morte morieris, non fueris locutus, ut ſe cuſtodiat impius a via ſua, ipſe impius in iniquitate ſua morietur, ſanguinem autem ejus de manu tua requiram.* Quanto magis, ſi ipſe Confeſſarius, iniquitatis, hoc eſt iniquæ confeſſionis cauſa fuerit? *Si autem annunciante te ad impium, ut a viis ſuis convertatur, non fuerit converſus a via ſua, ipſe in iniquitate ſua morietur, porro tu animam tuam liberaſti.* Admonitio liberat animam Confeſſarii, etiamſi malus pœnitens ex ſua malitia inde occaſionem arripiat ſuſcitandi ſcandala, & inferendi damna. At ejus omiſſio propter inanes timores ſcandali, & damni, offenſionis, confuſionis, infamiæ, animam Confeſſarii perdit, *ſanguinem autem ejus de manu tua requiram.* At La-Croix ſubjicit, „ dummodo probabiliter putet, pœ„nitentem adhuc ſemel rite confeſſum. “ An opinio probabilis, quod pœnitens ex ſe reparet damna animæ ſuæ liberat Confeſſarium a certo admonitionis debito? Quid, ſi pœnitens ſponte non reparet? An opinio probabilis Confeſſarium in tuto ſuæ ſalutis nihilominus ponit? Quænam probabilitas eſt, ut pœnitens ab ipſo Confeſſario ſuæ culpæ conſcio, & participe non admonitus reſipiſcat? Nonne longe probabilius eſt, ut putet ſuam ſacrilegam confeſſionem rite fuiſſe peractam, quia Confeſſarius eum non monuit, nec monet & tacendo eam probat? Quid inanem futuræ bonæ confeſſionis ſpem obtrudis, ſi præteritam malam emendare non conaris? Sunt ſcilicet hæc ſubtilia commenta, quæ dæmon inſpirat, & ſuggerit, ut Confeſſarium, & pœnitentem perdat.

Sed pejor eſt La-Croixii doctrina p. 398. num. 1779., ubi ait: „ Si bona fide poſitive deobligaſti pœnitentem „ a confeſſione integra ſpecierum, vel numeri, aut „ ſi pœnitens putavit, ſe non obligari aliud dicere, „ quia tu bona fide ſiluiſti, regulariter ad nihil te ob„ligat Filiuc. raro Lug. & Averſ. tunc ſcilicet, quan„do non eſſet grave incommodum, quod communiter „ fore putat Tamb. c. 8. n. 3. cum ſaltem adſit in re„ tractando, vel monendo. “

Hæc, inquam, doctrina proxima ſuperiore pejor eſt; quia non ſolum eadem, aut majori facilitate Confeſſarium a monitione excuſat, ſed etiam a culpa, quæ tamen culpa certa eſt, & evidens. Nec enim ignorantia eorum, quæ ad proprium officium ſpectant, innoxia eſſe multoque minus excuſare poteſt errata inde profecta. Ignorantia porro Confeſſarii bona fide docentis, pœnitentem non obligari ad integram confeſſionem ſpecierum, vel numeri peccatorum, eſt eorum, quæ ad proprium officium ſpectant; eſt ignorantia valde craſſa, & culpabilis in ipſo pœnitente: ergo multo magis in Confeſſario: ergo &c.

Hæc La-Croixii doctrina Pelagiano errore nititur, quod peccatum non admittatur, niſi cognitum fuerit; adeoque non ſolum explodenda, ſed valde abominanda eſt.

Animadverſio XXXVII.

Si neglexerit monere &c. moneat, ſi quidem commode poteſt.

Cur addit illud *commode*? An divina, & naturalia præcepta obligandi vi carent, niſi commode impleri queant? Ita liberer ponit Buſemb. contra divina oracula alibi recitata, quibus docemur, regnum cælorum vim pati, arctam eſſe viam, quæ ducit cœlum &c.

At inquit Buſemb. ſi non commode poteſt, Deo commendet. Reſp. Deus primo enixe orandus eſt, ut ſua nobis auxilia impertiat, quibus legem noſmet impleamus; qua neglecta preces profuſæ ad ſalutem nobis prodeſſe nequeunt.

Dum Buſembau addit „ (vel in confeſſione, vel ex„ tra &c.) “ rem implicare mihi videtur, ut Confeſſarium ab obligatione monendi liberet. Si Confeſſarius in confeſſione monere non poſſit, pœnitentem accerſat, dicatque ſe habere rem maxime neceſſariam, de qua illum admoneat, cujuſque monitionem in confeſſione ex oblivione, aut errore omiſit, tumque rem aperiat, & moneat. Quid hic difficultates, & nodos in neceſſario non caritatis tantum, ut Buſemb. ait, ſed etiam juſtitiæ officio quæris? Venia, inquis, a pœnitente petenda eſt. Reſp. Id quidem neceſſarium eſſe, nunquam oſtendes; at, ſi vis, veniam pete, inculca monendi neceſſitatem, dicito, pœnitentem ſalvum eſſe non poſſe, niſi fecerit, quæ illum monere neceſſe habes. Jam ſi audire recuſet, perinde eſt, ac ſi reſtituere recuſet; tu vero jam ſatis monere viſus es: quid enim moneas monitionem audire recuſantem, & damnari volentem?

Quod ſi tamen &c.

Ne crambem recoquam, conſule dicta lib. 3. tr. 5. cap. 2. d. 1. c. 2. dub. 2. c. 2. & 12.

Animadverſio XXXVIII.

Parochus .... tenetur audire confeſſionem ſui ſubditi ſaltem per ſe, vel alium, quoties &c.

Cum paræcia Parochi perſonæ, ejuſque induſtriæ, non aliis commiſſa ſit, ſicuti per ſeipſum concionari, & populum docere, ut contra Buſemb. alibi oſtenſum eſt, tenetur, ita quoque ſubditorum confeſſiones per ſeipſum, ſi poſſit, excipere cogitur. Nec enim coadjutoribus ad laboris fugam, ſed ad populi neceſſitatem, & utilitatem uti debet. Quare cum ſubditus Parochum petit, & apud eum confiteri vult, ad coadjutores perperam mittitur. Quod ſi Parochus aliquo legitimo impedimento detineatur, vel etiam nimio labore defatigatus ad audiendam confeſſionem ſe minus aptum ſentiat, blande, prudenterque moneat pœnitentem, ut tantiſper expectet, vel redeat.

Qui curam ſuſcipiunt animarum, inquit S. Joan. Damaſc. ep. 5. *ipſi peragunt, ipſi proprios manipulos Domino repræſentant. Nam ipſe ovem perditam diligenter quæſivit, ipſe invenit, ipſe propriis humeris reportavit. Quid nos miſeri, & deſides dicturi ſumus, qui etiam pro ovibus nobis commiſſis curam impendere negligimus, & aliis eas educandas tradimus?*

Legatur hic non Buſembau, aut alii ſimiles, ſed Syn. Trid. ſeſſ. 23. cap. 1. de reform. unde intelligitur, omnibus ſacris Paſtoribus divino præcepto impoſitum eſſe, ut ſacramentorum adminiſtratione ſuas ipſi oves paſcant.

Perſonalis reſidentia ab iis exigitur, non ut corpore in paræcia ſegniter reſideant, ſed ut Paſtorum munia, inter quæ maxime certe neceſſaria eſt pœnitentiæ ſacramenti adminiſtratio, per ſeipſos obeant.

Si tamen nimis frequenter, vel intempeſtive peteret, excuſaretur.

Parochi officium eſt, populum ad ſacramentorum frequentiam, quæ animarum ſaluti maxime utilis eſt, hortari. Ergo Parochus ſuo officio aperte adverſatur, & ſcandalum populo præbet, ſi ſubditos ad pœnitentiam frequenter accedere volentes repellat. Otium, & laboris fugam ſe per inanes prætextus quærere, animas ſuorum ſibi exiguæ curæ eſſe, ac ſolum ſua commoda ſe amare oſtendit. Quid nunc mihi obtrudis illud *nimis frequenter*? Cum frequentiſſime peccemus, quandonam nimis frequens dici poterit pœnitentia? Sancti Viri aut quotidie, aut ferme quotidie ad ſacrum pœnitentiæ remedium, quo leviores culpas eluerent, & caverent, accedere conſuevere. An illi, quia nimis frequenter peterent, repellendi erant, aut repelli poterant?

Nam ſi qui intempeſtivis horis, e. g. ſomni, aut cibi pœnitentiam petant, non ſunt aſpere repellendi, ſed humaniſſime monendi, ut vel expectent, vel opportune redeant, niſi neceſſitas poſtulet, ut ſtatim audiantur; qua urgente & ſomnus excutiendus, & cibus relinquendus eſt, ut neceſſarium remedium animæ præbeatur.

Quod

Quod ſi etiam ſemel tantum, vel bis negaret ... non peccatarum graviter ... docet Suar. contra Bon. &c. *ſi non petat* &c.

Limites quidem peccati venialis, & mortalis ignoti nobis ſæpe ſunt. Sed hic animadvertendum eſt, Parochi officium eſſe, ut oves errantes, & perditas ſtudioſe quærat, quarum curam ſi abjiceret, graviſſime peccaret: at gravius peccat, qui eaſdem ad caulam revertentes repellit; repellit autem, dum petentibus pœnitentiam vel ſemel negat: ergo hoc peccatum leve judicari non poteſt. Hoc peccatum caritati valde repugnat. Agitur enim de animæ ſalute: periculum eſt, ne pœnitens a Parocho repulſus aut cogitationem confeſſionis relinquat, & in peccata præceps ruat, aut animum demittat, nec peccata integre patefacere poſtmodum audeat. Præterea Parochus, qui populi ſtipendiis alitur, ex officio, & juſtitia ſacramenta ſuis miniſtrare tenetur; quam proinde graviter lædit, dum pœnitentiam vel ſemel petenti negat. Nec enim res hæc levis putari poteſt. Nonne Sacerdos graviter peccat, ſi pœnitentem abſolutione dignum abſolvere recuſet? Cur hoc peccatum grave eſt? Quia Sacerdos caritatem, & jus pœnitentis in re gravi lædit. At Parochus quoque caritatem, & jus pœnitentis ſuæ curæ commiſſi in eadem re gravi violat, ſi ejus confeſſionem excipere nolit. Ergo Parochus ſaltem ordinarie loquendo mortaliter peccare merito cenſetur, ſi pœnitentem ſibi ſubditum audire recuſet.

Animadversio XXXIX.

Quotieſcumque pœnitens ex mera devotione vult confiteri, Parochum teneri &c. *docent* &c.

Illud *ex mera devotione* involutum eſt. An ex mera devotione ille confiteri dicendus eſt, qui eccleſiaſtico annuæ confeſſionis præcepto confiteri non tenetur? Ego ex devotione, niſi poſitivæ leges aliud præcipiant, illum confiteri puto, qui nullius ne dubii quidem mortiferi criminis ſibi conſcius eſt: qui autem in mortales culpas poſt ultimam confeſſionem lapſus eſt, eas neceſſario confiteri debet, nec confeſſionem diu prorogare poteſt. At Parocho notum eſſe non poteſt, quas culpas pœnitens admiſerit, nec ex ejus ſtatu ſibi noto divinandum eſt. Sumus enim homines fragiles, infirmi, lutea vaſa portantes. Itaque diſtinctio confeſſionis ex devotione, & neceſſitate quoad Confeſſarium vix locum habet, & ab eo, ſi animæ ſuæ, & alienæ pericula vitare amat, repudianda eſt. Quare, cum Parochus ex dictis ſuorum confeſſiones per ſeipſum audire teneatur, illos ad alios Confeſſarios delegatos perperam, & contra officium eo prætextu mittit, quod ex mera devotione confitentur, dum eos audire ipſe poteſt.

Animadversio XL.

Reliqui Sacerdotes &c.

Intellige Sacerdotes, quibus ſtipendia pro audiendis confeſſionibus non ſubminiſtrantur. Item illud *per ſe* accipiendum eſt ex neceſſitate juſtitiæ. Nam ex caritate, quotieſcumque neceſſitas urget, nec alii præſto ſunt, pœnitentes audire tenentur.

Animadversio XLI.

Dian. tamen ex Nav. &c. *negat eſſe mortale non examinare ... ex oblivione.*

Sermo hic eſſe ponitur de circumſtantia neceſſario aperienda, quam ſi pœnitens non patefaciat, ejus omiſſionem Confeſſarius ſupplere interrogando debet. Hoc ſi non præſtet, mortaliter peccat, quia deſtructæ confeſſionis ex omiſſione culpabili cauſa eſt. Hinc in lib. de vera, & falſa pœnitentia inter op. S. Auguſtini (habetur cap. 1. d. 6. qu. 3. cau. 33.) de Confeſſario dicitur: *Diligens igitur inquiſitor, & ſubtilis inveſtigator ſapienter, & quaſi aſtute interroget a peccatore quod forſitan ignorat, vel verecundia velit occultare.* Hoc eſſe Confeſſarii officium, ſeu debitum, non eſt dubitandum, quidquid Buſemb. hic, & in c. 1. *Si Sacerdos* &c. verſatiliter dicat, qui audiendus non eſt, ſed ſtandum ſententiæ, quam probabiliorem, & veriorem ipſe quoque appellat, quæque unice vera eſt, & contraria falſa.

Animadversio XLII.

Si nihilominus neget, prudenter judicare, an non potuerit oblivisci ... ita ut debeat abſolvi.

Buſemb. poſtquam recte docuit, pœnitentem negantem peccatum, quod Confeſſario evidenter conſtat ab eo fuiſſe admiſſum, non eſſe abſolvendum, ſubdit, eſſe nihilominus abſolvendum; quæ ſunt aperte contradictoria. Quid ergo? Ergo Confeſſarius priorem ſententiam ſequi, quia pœnitens merito imparatus ad confeſſionem cenſetur, debet, & poſteriorem deſerere. Ac quid ſubtilibus commentis, quæ pro poſteriore ſententia affert, reſpondendum eſt? Reſp. Etiamſi pœnitens ſui peccati innocenter fuiſſet oblitus, interrogatus tamen in memoriam illud revocaret, aut ſaltem dubitaret; quia interrogatio animum excutit, reminiſcentiam criminis præſertim gravis, & opere conſummati excitare ſolet. Quod ſi Confeſſarius putet, pœnitentem negare, quod crimen alteri confeſſus ſit, pœnitens in ipſa confeſſione mendax dignoſcitur, ideoque a vera pœnitentia alienus, utpote qui eo ipſo tempore, quo ſuas culpas ſinare deflere tenetur, peccat. Præterquamquod Confeſſarius interrogando hujus rei veritatem ejicere, & cauſam mendacii intelligere poteſt.

Stultum vero eſt velle ut Confeſſarius putet non eſſe peccatum, quod peccatum eſſe novit, aut pœnitentem, quem diminute confiteri ſuis oculis perſpicit, a confeſſionis integritate excuſari ex cauſis ſibi ignotis. Quid hoc aliud eſt, niſi velle ut Confeſſarius oculos claudat, & pœnitentem, quem imparatum merito judicare debet, recte diſpoſitum judicet, & præcipitanter abſolvat? Huc ex natura ſua ſpectant Buſembaum commenta.

Si peccatum illud norit ex confeſſione complicis, non uti illa ſcientia &c.

Adhibeatur ſane cautio, ut generatim prius quæratur; at ſi generalis interrogatio non proſit, Confeſſarius ſpeciatim interrogare in ſpecie propoſita non prohibetur, ſi peccatum tale ſit, de quo ejuſdem conditionis perſonæ interrogari ſolent, ut recte monet Laym. l. 5. t. 6. cap. 14. num. 24. ad quem Buſemb. lectorem mittit. Quod ſi Confeſſarius prudenti, & ſubtili inquiſitione adhibita veritatem elicere nequeat, an pœnitentem neceſſaria diſpoſitione deſtitutum abſolvere debet? Quid hoc aliud eſt, niſi ſanctum dare canibus, & mittere margaritas ante porcos? Cur potius pœnitentem non dimittit diligenter admonitum, ut ſollicitam ſuæ ſalutis curam gerat, ut conſcientiam diligentius excutiat, & paratior redeat? An hoc reprehendi debet, & laudari abſolutio ficto pœnitenti projecta? Quo nomine, quæſo, dimiſſionem pœnitentis incuſas? Confeſſarius notitia confeſſionis non ad externum regimen, quod vetitum eſt, ſed ad utilitatem pœnitentis in ipſo Tribunali confeſſionis utitur; quod & Confeſſarii, & morum tractatores, dum caute id faciant, laudabiliter præſtant. Uſus, de quo hic ſermo eſt, nullum pœnitenti prius confeſſo gravamen infert; quia pœnitens dimiſſus illud ut ſummum ſuſpicari poteſt, ſocium peccati ſua peccata fuiſſe confeſſum eidem Sacerdoti. Hoc ne malum eſt, aut odioſum? Nonne pœnitentes ad Tribunal confeſſionis publice accedunt? Nonne Confeſſarius, ſi neceſſe, aut utile ſit, dicere poteſt, Petrum v. g. confeſſionem apud ſe edidiſſe? Hoc neceſſitate compulſus non ore quidem, ſed facto, hoc eſt interrogatione, & abſolutionis negatione pœnitenti dimiſſo ſubobſcure dicit. Nihil ergo hic mali eſt; ſed maximum malum foret, ſi fictum pœnitentem abſolveret.

Animadversio XLIII.

At ſi hæc timeat, potius debet aliquid deeſſe integritati materiali.

Confeſſarium cautum volo, in anguſtias redactum nolo. S. Thom. in 4. d. 19. illum monet, ut *de peccatis præcipue carnalibus non deſcendat nimis ad particulares circumſtantias.* Ait *nimis*, & *ad particulares*. Ceterum ex interrogationibus cautis, & neceſſariis ad cognoſcendam ſpeciem, & gravitatem peccati, quæ paucis verbis faciendæ ſunt, nihil mali timendum puto. Quia, dum Sacerdos ſuo munere caute, & rite fungitur, Dei, qui eſt adjutor in opportunitatibus, auxilium enixe ſemper implorandum, & ſibi, & pœnitenti ſperandum eſt.

Quare propter timorem periculi, non eſt permittendum ut aliquid deſit integritati confeſſionis.

La-Croix p. 399. num. 1788. ait: „ Putant Llamas, „ & Stoz l. 2. n. 16. ad hoc munus ſatis doctos eſſe illos, qui integram ſummam caſuum diligenter legerint, „ vel attente audierint explicari: “ cum numer. 1791. ſubdit: „ Recte notat Gob. t. 7. num. 321. Confeſſarium „ debere ſcire ſententias plures, quæ vere probabiles „ ſunt, circa materias morales; eo quod ſæpe, ubi non „ agitur de valore ſacramenti, non poſſit, nec expediat „ pœnitentes dirigere ſecundum unicam doctrinam, tam „ parum quam medicus poſſit omnes unica medicina ſanare, ſed pro diverſitate ſubjecti debet has, „ aut illas applicare. “

La-Croix ſummam probabilium doctrinarum non ſolum ſatis eſſe ad Confeſſarii munus, ſed ipſas probabiles doctrinas

ſtrinas Confeſſario neceſſarias eſſe contendis. Videlicet venena ab eo remedia appellantur. Qui verſatilem probabilitatem pro recta morum regula habent, eaque in ſacro Tribunali utuntur, ingentem corruptelam in pœnitentes, quorum morbis mederi deberent, inducunt, eoſque a recta via, ad quam reducendi erant, longiſſime abducunt. Ita loquitur Alex. VII. in proœm. prop. a ſe proſcriptarum; idque ex iis, quæ in Buſemb. & La-Croixium dicta, & dicenda ſunt, evidens eſt. Quare Confeſſarii ab hac La-Croixii doctrina valde ſibi caveant: a ſacro Tribunali exulet verſatilis probabilitas, & veritas regnet, quæ ſola ad regnum Cælorum ducit.

CAPUT III.

De adjunctis Pœnitentiæ.

DUBIUM I.

Quid ſit ſigillum confeſſionis, & qui ad illud teneantur?

RESp. 1. Sigillum hoc, eſt obligatio juris divini ſtrictiſſima in omni caſu, etiam quo integri regni ſalus periclitaretur, ad tacendum, etiam poſt mortem pœnitentis, dicta in confeſſione (id eſt in ordine ad abſolutionem ſacramentalem) omnia (*a*), *quorum revelatio Sacramentum redderet onerosum, vel odioſum* *.

Unde reſolves.

1. Violatio hujus ſigilli duplicem habet malitiam, ſacrilegii, contra reverentiam Sacramento debitam, & injuſtitiæ, ex pacto virtuali inter pœnitentem, & Confeſſarium de ſecreto iſto ſervando omni caſu. Dian. *p.* 5. *t.* 11. *R.* 2. ex Fagund. Kelliſon. &c. Neque hic datur parvitas materiæ. Dian. *p.* 5. *t.* 5. *R.* 8. ex Malder. Baldell. &c.

2. Non inducitur hæc obligatio 1. *Per confeſſionem factam ficte*, (*b*) v. g. ad furandum, illudendum, vel Sacerdotem pervertendum, etſi hoc caſu adhuc prudenter tacendum ſit. Vid. Dian. *p.* 5. *t.* 11. *R.* 26. 2. Si quis extra confeſſionem accipiat aliquid ſub ſigillo confeſſionis; quia tantum eſt obligatio ſecreti naturalis gravior, aut levior, pro rei exigentia.

3. Non frangitur ſigillum, 1. *Si in genere dicas, Titium tibi confeſſum eſſe venialia* (*c*), aut eſſe probum, innocentem: modo non dicas in iis circumſtantiis, ex quibus colligi poſſit, alios eſſe nocentes, vel confeſſos mortalia. 2. Si dicas, N. tibi eſſe confeſſum, etſi in certis circumſtantiis hoc quoque periculoſum ſit. Laym. *c.* 14. *n.* 21. Imo ſi pœnitens verbo, vel facto (v. gr. clam accedendo) ſignificaverit ſe nolle ſciri, quod ſit confeſſus, Confeſſarium revelare ſigillum volunt Reg. Navar. & Mercer. apud Dian. *t.* 5. *t.* 11. *R.* 47. Quia pœnitens confitendo Confeſſario extraordinario veniret in ſuſpicionem gravioris criminis, quod Tambur. *in append. c.* 3. dubie confirmat, aſſerens, ſe vereri, ne talis accadat ad fractionem ſigilli. 3. Si peccata ita referas, ut, moraliter loquendo, perſona innoteſcere non poſſit; neque communitas aliqua, etiam parva, infametur, ut quod ibi talia vitia regnent. V. Dian. *l.* 2. *t.* 15. *R.* 13. id enim eſſet contra ſigillum. *Unde Turrian. apud Dian. p.* 5. *t.* 11. *R.* 45. &
ANIMAD. I. *Tamb. in append. c.* 3. *reprehendunt Superiorem localem, qui Provinciali forte dicat, in ſua domo ſæpe poſtulari licentiam abſolvendi a reſervatis: quia poteſt redundare in ignominiam, & damnum domus: etſi idem Tamb. c.* 4. *n.* 2. *dicat probabile eſſe, quod non ſit contra ſigillum, ſi dicta licentia petita fuerint extra confeſſionem.* 4. Si utaris notitia extra confeſſionem acquiſita, imo ipſum peccatum, quod aliunde tibi innotuit, aperias, modo nullam circumſtantiam ex ſola confeſſione notam, nec certius referas, quam extra confeſſionem noſti: quo in caſu opus eſt magna cautela, & tutiſſimum eſt ſilere. Laym. *c.* 14. *num.* 16.

4. *Quando plures v. g. ſtudioſi, vel aulici, &c. tenentur ferre teſtimonium confeſſionis, Confeſſarium teneri id dare, etiam iis, quos non abſolvit, docet Con. diſp.* 6. *d.* 1. *Fagund. & Dian. p.* 3. *t.* 15. *R.* 22. tum ne id negando prodat aliquo modo ſigillum, & pœnitentem: tum quia dando non mentitur, cum tantum teſtetur, eſſe confeſſum. *Verum Bonac. d.* 5. *qu.* 6. *ſ.* 5. *p.* 4. *& Card. de Lugo d.* 21. *ſ.* 3. *docens, tali ſchedam negare non eſſe contra ſigillum* (idemque concedit Averſ. *p.* 18. *ſ.* 2. ſi non conſtat pœnitentem acceſſiſſe ad hunc Confeſſarium) tum quia nihil dicit, ſed tantum non approbat teſtimonio poſitivo confeſſionem, ad quod non tenetur; nec quidquam facit, ex quo poſſint cognoſci delicta pœnitentis; tum quia alias via aperiretur fraudibus, & multi improbi Parochos in paſchate deciperent: tum quia poteſt eſſe conſuetudo, ut ſcribatur abſolutum eſſe, quod falſum erit, ſi ſcribat, & ſi omittat, ſigillum franget: tum quia ſcandaloſum erit, & iniquum, publicæ meretrici perſeveranti (uti & occulto peccatori, ſic pallianti ſuam iniquitatem) teſtimonium dare confeſſionis: neque Confeſſario imputandum erit, quod eum poſitiva non defendat. ANIMAD. II.

5. *Sub ſigillum cadunt* 1. *Omnia peccata pœnitentis, tam futura, quam præterita:* (ſiquidem hæc animo ſe accuſandi ſint manifeſtata, ſecus ſi per modum ſimplicis narrationis, vel ut Confeſſarium ad ſimile peccatum induceret. Dian. *p.* 5. *t.* 11. *R.* 25. ex Suar. & aliis octo) ideoque peccat mortaliter, qui ſive directe, ſive indirecte aperit aliquod veniale in particulari, etiam leve Titii; quia materia ſigilli parvitatem non habet, ut eſt omnium fere ſententia apud Dian. *p.* 5. *t.* 5. *R.* 8. & Tamb. *in append. c.* 8. vel qui in genere dicit, eum ſibi confeſſum eſſe aliquod mortale, vel caſum reſervatum, vel excommunicationem, vel non eſſe abſolutum ob indiſpoſitionem. *Imo Confeſſorem, qui dicat abſolute, Ego Petrum non abſolvi, frangere ſigillum dicit Dian. par.* 5. *t.* 11. *R.* 42. *ex Suarez, & aliis novem.* 2. Etiam peccata complicis, ſive prudenter, ſive imprudenter detecti. Suar. Vaſquez, & communiter apud Dian. *p.* 3. *t.* 4. *R.* 111. *An vero liceat interrogare de complice ad ejus correctionem faciendam, illamque ex licentia pœnitentis facere, affirmant Suar. & Fag. contra Bon. Lorcam, Nugnum, & alios Thomiſtas.* Vide Dian. *p.* 3. *t.* 4. *R.* 113. Card. de Lugo *d.* 16. *n.* 426. ubi docet poſſe aliquando pœnitentem a Confeſſario obligari, & cogi ad manifeſtandum complicem extra confeſſionem. 3. Pœnitentia impoſita, ſi gravis ſit, hoc eſt, quæ conſuevit injungi pro mortali (qualis nunc eſſet, ait Dian. *p.* 5. *t.* 11. *R.* 31. Corona B. V. non vero Miſerere) Averſ. *q.* 18. *ſ.* 6. 4. Peccatorum circumſtantiæ, quas taceri pœnitentis intereſt, etſi dictæ ſint poſt abſolutionem, verbi gratia, ſi ſpurius ſacros Ordines ſuſceperit, ſi nobilitatem jactaverit, &c. *Bona vero pœnitentis, & cetera impertinentia, quæ per accidens interponuntur, nec odium Sacramento pariunt, verbi gratia propoſitum religionis, vel matrimonii, ſæpe quidem* (ſi nimirum pœnitens ea recta valit) *ſub obligationem ſecreti naturalis, non tamen ſacramentalis, cadunt. Excipiunt Tann. & Conin. niſi pœnitens talia dixerit in ordine ad explicanda peccata: tunc enim ſigillo ſacramentali claudi tenent cum Diana par.* 5. *t.* 11. *R.* 5. *idem de virtutibus, & vitiis affirmant Gran. contra Reginal.* & Mald. apud Dian. *l. c. R.* 30. *de defectibus naturalibus* (verbi gr. illegitime natum eſſe) *& de vitiis occultis corporis*, Con. Hurt. A Kalliſon. contra Hran. Mald. & cet. quia ea ſub *ſigillum cadere abſolute ajunt apud Dian l. c. R.* 29. *Item de iis, quæ alios concernunt, & tamen peccata non ſunt*, Mald. & Dian. *l. c. R.* 38. *Denique de ſcrupulis* (*contra Conin. & Gean. qui eos ſigillo claudi abſolute affirmat, & contra Marchant. qui abſolute negat*) *idem tenet Card de Lugo*, nimi-

* Cur addit *quorum revelatio* &c.? an ſupponendum eſt, revelationem confeſſionis aliquando non eſſe onerosam & odioſam? An ſi id ſiegatur, aut eſſe dicatur, revelatio permiſſa erit, nec peccata ſub ſigillum cadent? Ex D. Th. cit. hic a. IV. *Sigillum confeſſionis nihil aliud eſt, quam debitum confeſſionem celandi*, ſine ulla additione.... Et Innoc. III. Cap. *Omnis utriuſque* Decr. lib. 5. tit. 38 ait de Confeſſ. *Caveat autem omnino, ne verbo, aut ſigno, aut alio quovis modo aliquatenus prodat peccatorem. Sed ſi prudentiori &c. quoniam qui peccatum in pœnitentiali judicio ſibi detectum præſumpſerit revelare, non ſolum a Sacerdotali officio deponendum decernimus* &c. An aliqua hic exceptio locum habet? Sed conſule etiam Animad.

nimirum ſi pœnitens ſcrupuloſitatem confiteatur, aut ad declaranda peccata, vel conſcientiam aſſerat, ait cadere ſub ſigillum; quia eſt in obliquo ſaltem materia confeſſionis. Secus, ſi non cognoſcatur ex pœnitentis relatione, ſed videatur, & percipiatur verbi gratia ex modo confitendi. Idem dicit de aliis defectibus naturalibus, v. gr. quod ſit blæſus, rudis, hebetis ingenii &c. Et ſic excuſat Confeſſarium, qui de pœnitente dixit, quod impertinentiis, & næniis caput ſibi frangat. V. *d.* 23. *ſ.* 3. *n.* 60. Gran. tamen id improbat, & Con. apud Dian. *p.* 5. *t.* 11. *R.* 50. ait eſſe periculoſum, & poſſe facile frangi ſigillum indirecte. *Denique Tamb. in append. c.* 3. *doctrinæ iſti ne ut probabili quidem acquieſcit, atque eam a Dian. l. c. immerito vocari communem, cum Gran. Hurt. Palans, Bonny* &c. *refragentur: aliterque limitans ipſe ait: ſi iſti*
ANIMAD. IV. *defectus, v. gr. eſſe blæſum, rudem, ſcrupuloſum,* &c. *ſint paſſim noti, non cadere ſub ſigillum, ſecus, ſi ſint ignoti: quia confeſſio immunis eſſe debet ab omni odio.*

Reſpondeo 2. Ad ſigillum tenentur omnes, ad quos quomodocumque notitia ſacramentalis confeſſionis pervenit: qualis eſt 1. *Confeſſarius, qui, ſi de auditis in confeſſione rogetur, poteſt negare, etiam ſi opus eſt, cum juramento, ſubintelligendo, quod poſſit dicere, vel potius (ut dicit* Card. de Lugo *d.* 23.) *quod ſciat ſcientia utili ad reſpondendum interroganti extra confeſſionem*: excipit Henriq. & Granad. cum Dian. *p.* 5. *t.* 11. *R.* 43. niſi ex illa negatione ſequeretur, confeſſionem non fuiſſe integram, verbi gratia, ſi de publica meretrice rogaretur, an non eſſet confeſſa fornicationem: tunc enim declinando directam reſponſionem dicendum eſſe, illam confeſſam eſſe peccata ſua, & ſe ſunctum officio ſuo. Imo, ſi peccatum ſuum ſalvo ſigillo non poſſit confiteri, debet omittere, quia ſigillum, ſtrictius obligat, quam integritas confeſſionis. 2. *Superior, cui ſe ſiſtit abſolutus a reſervato, vel a quo petitur licentia abſolvendi a reſervato. Suarez,* Card. de Lugo, *& cet. contra Henriq. Vaſq. Conin. & Palaum, qui ſecreto tantum naturali teneri volunt.* 3. Interpres. 4. Qui furtive, vel caſu aliquid audit, licet inculpate. 5. Omnes, quibus aliquid ſacrilege revelatum eſt: unde de hoc nec inter ſe colloqui poſſunt. 6. Laicus, qui pro Sacerdote eſt habitus. 7. *Doctor, vel alius, qui cum venia pœnitentis conſulitur, ut habet communior ſententia, contra Vaſquez.* Vide Dianam *p.* 2. *t.* 15. *R.* 15. 8 Qui alterius rudis confeſſionem ſcripſit. 9. *Qui ſcriptam invenit, ac legit, ut docet Rodriq. Fagund. Mald.* &c. apud Dian. *p.* 3. *t.* 4. *R.* 112. & *p.* 5. *t.* 11. *R.* 27. *contra Suarez, Bonac. & Laym. quorum ſententia probabilis eſt. Juxta quam, etſi talis teneatur ſecreto naturali, peccetque mortaliter, ſi gravia, ac diffamantia vulget: ſecus tamen, ſi ſciens levia tantum eſſe, ea legat ex curioſitate. Unde conſequenter in caſu graviſſimæ neceſſitatis, talem confeſſionem ſcriptam liceret revelare (excipit Lugo, niſi tamen per ſcripturam voluerit confiteri, ut mutus, vel petere facultatem abſolvendi a caſu reſervato.* V. *d.* 23. *n.* 48.) 10. Etiam ſecundum aliquos, ipſe pœnitens. Verum probabilius eſt, eum tantum teneri ſecreto naturali, ratione materiæ, ſi id ea requirat, tacere audita a Confeſſario. V. Layman, Dian. *p.* 5. *t.* 11. *R.* 8.

Unde reſolves.

1. Extra confeſſionem, cum licentia pœnitentis, poteſt agi de auditis in confeſſione ſive cum ipſomet, ſive cum quocumque alio, etſi periculoſum ſit. D. Thom. Suarez, Præpoſ. Tann. &c. Circa quam licentiam requiritur, 1. Ut ſit formalis, & expreſſa; nam præſumpta, tacite, interpretativa, virtualis (etiam in bonum ipſiuſmet pœnitentis) non ſufficit. Fagund. *p. c. l.* 6. Tann. Mald. & ceteri Doct. communiter. 2. Ut ſi libera, ac ſpontanea, non vi, injuria, dolo, vel per preces importunas extorta, vel etiam per metum reverentialem ipſius Confeſſarii obtenta. Henriq. Fagund. *l. c.* Dian. *p.* 5. *t.* 11. *R.* 10. & 24. 3. Non revocata; nam pœnitentem pro libito, etiam ſine cauſa, eam revocare ſemper poſſe, docent Fagund. & Dian. *ll. cc.* 4. Non opus eſſe, ut habeatur in ſcripto. Suar. Fagund. *ll. cc.* Imo, ſi dubium ſit, an Confeſſor cum licentia locutus fuerit, Sacerdoti potius, quam pœnitenti credendum, ea Graff. & Henriq. affirmat Dian. *l. c. R.* 4. vel etiam quam heredibus; verbi gratia ſi ex licentia defuncti revelet reſtitutionem ab iis faciendam, Tann. & Mald. qui tamen monet, eo caſu non eſſe dicendum, eam deberi ex delicto, ſed ſolum quod talibus tantum dari voluerit, ſatiuſque fuerit moribundo, ut talia ſecreto codicillo heredibus injungat. Vide Dian. *l. c. R.* 32 5. Perinde eſſe, ſive ea licentia detur verbo, ſive facto, quod quidem æquivaleat expreſſæ conceſſioni; verbi gratia ſi pœnitens extra confeſſionem incipiat loqui cum Confeſſario de dictis in confeſſione: tunc enim poſſe hunc proſequi, docent Averſ. *q.* 18. *ſ.* 7. Tann. *in append. c.* 2. ex Bonac.

2. *Frangitur ſigillum, ſi cum pœnitente extra confeſſionem, ſine ejus venia, agas de auditis in confeſ-* ANIMAD. V.
ſione, aut ea te ſcire oſtendas. Quod verum putat Sanchez contra Suarez, & Laym. etiamſi cum eo tractare velles de eſſentiali errore in ea commiſſo, quem illi ſignificare ſine ejus venia non licere, docent Regin. Fagund. Bonac. & alii contra Filliuc. Turrian. &c. apud Dian. *p.* 3. *t.* 4. *R.* 87. Dixi, *Extra, quia intra confeſſionem poteſt fieri mentio præcedentium, ut patet ex praxi Confeſſariorum, qui ob recidivam arguunt, & abſolutionem aliquando negant. Ita Henriq. Præpoſ. Gran. Mald.* &c. *apud Dian. par.* 5. *tract.* 11. *reſ.* 20. *ubi ipſe cum Fagund. negat id licere ſine expreſſa licentia pœnitentis, niſi de iis, quæ is iterum confitetur, vel ſaltem tangit.* Vide Dian. *l. c. & p.* 2. *tr.* 2. *miſc. Reſ.* 12. *& p.* 9. *tr.* 11. *reſ.* 18.

3. Frangit ſigillum, qui dicit, ſe in tali monaſterio audiviſſe grave peccatum, tametſi non nominet perſonam. Dian. *par.* 5. *t.* 1. *reſ.* 35. & alii 3. cum Mald. Additque graviter peccare eum, qui dicit, in hoc, vel illo Ordine Religioſo hoc, vel iſtud peccatum fuiſſe admiſſum, quod ex ſola confeſſione novit, imo nec de civitate, vel certo loco, quo quis confeſſiones audivit, licere dicere, quod gravia fiant, vel talia, & talia peccata committi ſoleant (niſi id aliunde conſtet) docent Hurt. Kelliſ. & Mald. apud Dian. *loc. cit. reſ.* 35. quia poteſt redundare in gravamen, & infamiam ipſius communitatis, & forte etiam civium in particulari, quando civitas non eſt ampla, & pœnitentes ſuſpecti, atque adeo confeſſio fieri illis odioſa. Vide Dian. *l. c. & reſp.* 36. ubi cum Mald. docet, Confeſſarium, qui paucos habet pœnitentes ſibi ſubditos (v. gr. Moniales unius Monaſterii) ſcandalum dare, ſi coram illis concionetur de vitiis auditis in confeſſione, quia confeſſæ facile ſuffunduntur pudore.

4. Notitia in ſola confeſſione accepta nullo caſu ANIMAD. VI.
uti licet, ſi periculum ſit revelationis, ſaltem indirectæ. *Verum ſi nullum ſit periculum ut vel pœnitens, vel uſus ſcientiæ innoteſcat, etſi probabile ſit, licere uti ad alterius gubernationem, v. g. negando ſuffragium ei, quem ex ſola confeſſione ſcit indignum eſſe, vel claudendo oſtium, per quod quis noctu ingreditur ad peccandum: item, cognita proditione futura, monendo de diligenti cuſtodia, impediendo etiam matrimonium, quando ſcitur impedimentum, ut docent Vaſq. Henriq. Nav.* &c. *contrarium tamen verius videtur, quod docent Fumus, Sanch. Con. Layman. Dian. par.* 3. *tr.* 4. *R.* 76. *& p.* 5. *t.* 11. *R.* 7. & alii; quia hæc doctrina poſſet pœnitentem abſterrere a confeſſione. Et quidem ſuperioribus religionum talis gubernandi modus prohibitus eſt anno 1594. cum in Societ. JESU jam ante idem ſtatutum eſſet, prohibitumque contrarium docere. Vid. Dian. *p.* 4. *tr.* 4. *R.* 202. *Contra vero ad ſui ipſius gubernationem licere tali caſu ea ſcientia uti, videri probabilius, v. gratia abſtinendo a calice, in quo ſcitur eſſe venenum, deflectendo a ſylva, in qua paratam ſibi mortem ſciat ex unius latronis confeſſione, docet Sylv.* Henriq. Conin. Laym. *hic c.* 15. contra Suar. Dian. *p.* 5. *d.* 11. *R.* 46. *Excipit Cardin. de Lugo, niſi actio, vel omiſſio Confeſſarii inducat notitiam peccati, vel damnum afferat confitenti, contra Con. diſp.* 9. *dub.* 4. *&c. qui putat licere, etſi inde mors pœnitenti immineret a ſociis inferenda.* Vide *l. c. n.* 108.

5. *Denique facere aliquid, ex quo ſoli pœnitenti in-*
noteſſa-

Animad. VII. *noteſcere poſſet id fieri ex notitia confeſſionis, eſſe contra ſigillum, negant D. Thom. Bon. Sot. Vaſq. &c. affirmant Sylv. Val. Con. Dian. p. 3. t. 4. R. 46. Idque confirmant Fag. Gran. Cerd. de Lugo, & Averſ. q. 18. ſ. 8. ſi tale ſit, quod pœnitenti ruborem, vel moleſtiam afferat, v. gr. ſi vultum ei auſteriorem oſtenderet, vel eum declinaret; ſecus ſi ei ſit gratum*, vel ſaltem confeſſionem odioſam, aut difficilioram non reddat, verbi gratia, ſi audiſset eum ad indignationam, aut odium provocatum, vel io tentationem incidiſse ax certo facto, val dicto ipſius Confeſsarit, indequa ipſe a talibus factis, vel dictia abſtineat, &c.

DUBIUM II.

Quale ſit præceptum, & quæ obligatio confeſſionis?

Animad. VIII. Reſp. *Præceptum confitendi, tam divinum, tum eccleſiaſticum, ſub mortali obligat omnes, ac ſolos baptizatos, qui habent mortale: illud in articulo mortis;* hoc vero poſtquam ad annos diſcretionis pervenerint: & ſimul ut confiteaotur proprio Sacerdoti, vel alteri cum ajus venia, ſemel tn anno; computando ab una confeſſiona ad aliam, ut quidam docent, val ab initio Januarii ad finam Decembris, ut habet communior; vel denique a Paſchate ad Paſcha; ut conſuetudo fere obtinuit, propter communionem. Suar. *d.* 35. *ſ.* 2. Vaſq. *q.* 90. *art.* 2. Card. da Lugo *d.* 15. *ſ.* 3. 4. 6. & 7. Con. *d.* 5. *dub.* 6.

Unde reſolves.

Animad. IX. 1. *Tenentur hoc præcepto* 1. Hæretici, & Apoſtatæ, *pueri doli capaces, ſaltem poſt ſeptennium*. Vid. Dian. *p.* 4. *t.* 3. *R.* 52. Lugo *l. c. ſ.* 7. *n.* 144. & 149. 2. Ingrediaos periculoſam navigationsm, vel conflictum. 3. Muliar tenera primum paritura, vel quæ ſolat habere partus difficilas. 4. Reos morti adjudicatus. 5. Qui ſigna habent mortis naturalis.

Animad. X. 2. *Improbabile eſt, quod docet Sa, verb. Confeſſio, Eccleſiam non obligare ante pubertatem*; cum anni diſcrationis citius attingantur, & conſtet mortaliaa peccari poſse ſub annum nonum, vel decimum, imo anta. Unda ſi talis puer craſso ſaltem modo videatur cognoſcere, Deum per hoc, vel illud offendi, oſtendatque dolorem, & propoſitum, ac præcipua fidei myſteria cognuſcat, debet abſolvi: ſecus tamen, ſi non notetur ſufficiens uſus rationis; *ſi vero dubium ſit, poteſt (imo in articulo mortis debet) abſolvi ſub conditione*. Vid. Laym. *lib.* 5. *t.* 6. *c.* 5. Dian. *p.* 4. *t.* 4. *R.* 53. & Card. de Lugo *l. c.* & *d.* 17. n. 22. *ubi docet etiam extra articulum mortis, & obligationem præcepti, talem eſſe ſub conditione abſolvendum, ne gratia ſacramentali privetur*.

Animad. XI. 3. *Non obligatur, qui tantum habet venialia*, atſi conſuetudo habeat, & cogi etiam quiſque poſſit, *ut in Paſchate ſaltem ſe ſiſtat Paſtori, ut cum reliquis eum ad communionem admittat, ad quod Paſtor tenetur, ſi ulter dicat, ſe mortalis culpæ non eſſe conſcium*. Suar. *d.* 36. *l.* 2. &c. communiter.

Animad. XII. 4. *Probabile eſt, eum, qui uno anno, ſive cum, ſive ſine culpa ſua, non ſatisfecit præcepto, teneri adhuc*, quam primum poteſt, anno ſequente: quia terminus non apponitur ad finiendam, ſad ad non differendam obligationem. *Ac proinde talem toties peccare mortaliter, quoties oblatam occaſionem neglexit, ut docent Bon. d.* 5. *q.* 5. *ſ.* 2. Suar. Vaſq. Card. de Lugo *l. c. n.* 177. contra Sylv. Valent. Laym. Dian. &c. *qui dicunt perſeverare in uno eodemque peccato*.

5. *Satisfaciunt ii, qui confitentur Mendicantibus, etiam in Paſchate*; (d) quia hi habent facultatem a Sacerdota propriiſſimo omnium fidalium, & Paſtore Paſtorum. Ita commmuniter omnes contra Gloſsatorem, Auctorem Parochiani obedientis. Contra quos vid. in Reſponſis Franciſci Fontaoi, Viennæ Auſtriæ Anno 1634. allegatam auctoritatem duorum Conciliorum Generalium, Viennenſis, & Tridantini, 20. Pontificum, 50. Doctorum, & præter totius orbis conſenſum, multorum quoqua Parochorum teſtantium, eos eſſe optimos Parochianos, qui regularea adeunt, & ab iis inſtituuntur, ut ſupra *l.* 3. *t.* 3. *t.* 1. *dub.* 3. Item Navar. Azor. Fagund. Trull. *l.* 3. *c.* 3. *d.* 2. *n.* 6. Dian. *p.* 8. *t.* 1. *R.* 88.

6. *Non obligatur ante finem anni, qui habens mortale, timet ne illud obliviſcatur*. Conin. Henr. Card. de Lugo *d.* 14. *n.* 41. & alii, contra Med. &c. Si tamen prævideret, ſe non habiturum occaſionem confitendi deinceps toto hoc anno, deberet prævenire etiam in medio anni. Card. de Lugo *diſp.* 15. *ſ.* 6. *num.* 182. Animad. XIII.

7. *Probabilius eſt, non ſatisfieri præcepto Eccleſiæ per confeſſionem invalidam*, ut doceot Soarez *d.* 36. *ſ.* 7. Filliuc. Laym. *d.* 15. *ſ.* 6. §. 5. atſi probabila contrarium putet alſe Fagund. Vide Dian. *p.* 3. *t.* 4. *R.* 120. *Item nec per confeſſionem venialium, ut docet Dian. p.* 4. *t.* 4. *R.* 206. ex Hurtad. & Mercero. Animad. XIV.

8. Excuſantur ab hoc præcepto 1 qui phyſica non poſſunt, v. g. quibus deeſt Confeſſarius, 2. qui moraliter non poſſunt, v. g. qui prudentar timent revalationam ſigilli, vel qui non poſſunt ſine notabili incommodo vitæ, fortunarum, &c. Coninch. Tamb. *c.* 4. §. 3.

Notæ.

(a) Reſp. 1. *Sigillum, hoc eſt obligatio &c. ad tacendum &c. omnia, quorum revelatio Sacramentum redderet oneroſum, vel odioſum.*

Ex Animad. hic 3. nota, non omnem revelationem eorum, quibus ſacra confeſſio oneroſa ſit & odioſa, ſigilli fractionem eſſe, aut dici poſſe.

(b) *Non inducitur hæc obligatio 1 per confeſſionem factam ficte, v. g. &c. vel Sacerdotem pervertendum*, recte, *etſi hoc caſu adhuc prudenter tacendum ſit*, aliquando etiam prudenter loquendum.

„ Cardinalis quidam “ (ait Dominicus Soto in 4. Sent. apud Natalem Alex. Th. t. 1. p. 472. reg. 58.) „ qui conſpirationem in Pontificem moliebatur, confeſſus eſt altari ajuſdem Ordinis Domino, & quidem „ ſacramentaliter, ſed tamen ea intentione, ut eumdem in ſuam conjurationem traheret. Poſtea vero per aliam viam re comperta, Cardinalis, qui „ Confeſſionem audierat, de hoc accuſatus fuit, quod „ rem non protinus detexiſſet; imo ob id fuit pecunia „ mulctatus, & niſi ignorantiam ſibi obtendiſſet, acrius „ fuiſſet punitus. “ Scilicet illa confeſſio *Sacramentalis* fuit quoad ſpeciem, reipſa ficta, quia non ad abſolutionem ordinata, ſad ad ſacrilegum ſcelus, ideoque ibi a tanti momenti revelanda.

Cæſarius lib. 3. hiſt. mem. cap. 31. 32. apud eumdem Nat. ita refert. „ In domo quadam Ciſtercienſis „ Ordinis Monachus quidam ſine ordine celebravit. Hoc „ eum die quadam Abbati ſuo retuliſſet in confeſſione, „ nec tamen ceſſare vallet a tanta præſumptione, Abbas dolens & lacrymans, ut a blaſphemia tam magna deſiſteret, miſerum rogavit, monuit, præcepit: „ ille vero timens notari, ſi ceſſaret, celebravit ut „ prius. In ſequenti Capitulo generali Abbas idem propoſuit caſum eumdem, interrogans, quid faciendum „ eſſet Confeſſori, ſi forte tale quid in aliqua domo emergeret; cumque Dominus Ciſtercienſis, & cæteri „ Abbates ſuper hoc nihil auderent definire, caſum „ ſcripſeront Innocentio Papæ, qui convocans Cardinales, viroſque litteratos, caſum eis propoſuit, & quid „ de hoc ſentirent, a ſingulis requiſivit. Omnibus pene in hoc ſentientibus, quod confeſſio non eſſet prodenda, reſpondit: ego dico, in tali articulo eſſe prodeodam; quia talis confeſſio non eſt confeſſio, ſed „ blaſphemia; nec debet Confeſſor blaſphemiam talem, „ ac inſaniam celara, per quam periculum incumbere „ poterit toti Eccleſiæ; & placuit ſententia omnibus, „ ſcripſitque ſequenti anno Capitulo, quod a ſe fuerat determinatum, & a Cardinalibus approbatum. “

Confeſſio ſacramentalis, unde ſigillum exiſtit, ea eſt, quæ fit confeſſario, quatanus talis eſt: Confeſſarius autem talis eſt, quia abſolvendi poteſtate præditus: ergo confeſſio ſacramentalis, unde ſigillum axiſtit, ea eſt, quæ habet ordinem ad abſolutionem. Hinc D. Th. ſuppl. q. 11. a. 3. ait, *quod ſigillum confeſſionis competit Sacerdoti, in quantum eſt Miniſter hujus Sacramenti*; eſt autem miniſter hujus Sacramenti, qoatanus abſolvere poteſt: ergo hac ſolum ratione ſigillum ei competit, qoateous confeſſio ordinem habet ad abſolutionem.

Confeſſio Sacramentalis eſt pars materiæ pœnitentiæ: porro ſicuti materia non eſt, quæ ad formam ordinem non habet, ita ne materiæ quidem pars eſſe poteſt,

quæ

quæ hujuſmodi ordinem non includit: at forma Sacramenti pœnitentiæ in abſolutione ſita eſt, ut ex D. Th. p. 3. q. 84. a. 3. omnes fatentur: ergo peccatorum confeſſio, quæ nullum includit ordinem ad abſolutionem, non eſt Sacramentalis.

Quare Concina Th. t. 9. p. 737. cap. 12. q. 2. ſigillum oriri affirmat *ex ſola, & omni confeſſione Sacramentali, qua pœnitens bona fide ſua peccata Sacerdoti manifeſtat ad obtinendam abſolutionem, tametſi ob defectum vel diſpoſitionis in pœnitente, vel jurisdictionis in Sacerdote abſolutio non concedatur.*

Confeſſio tamen, idem ſubdit q. 3., ex communi ſententia, etiamſi deſit propoſitum abſolutionis recipiendæ, *ſerio facta, neque ob malum finem ſuapte natura ordinata eſt ad abſolutionem.* Idem habet La-Croix t. 2. n. 1940. ubi ait. *Confeſſio etiam tum eſt ſacramentalis, ſi fiat Sacerdoti ad habendum conſilium pro pacanda conſcientia, volendo confiteri, ſi opus fuerit, quamvis nunc reipſa abſit dolor, vel propoſitum emendationis .... communis, & certa cum Mendo* &c.

Cum de criminibus proximo, ac præſertim Principatui, fidei, moribus noxiis, & graviſſimis agitur, diligentiſſime conſiderandum eſt, utrum confeſſio ſit reipſa ſacramentalis, hoc eſt ſigillo obnoxia juxta mox dicta; &, licet ſigillum ſit inviolabile, videndum tamen, utrum ſigillum locum habeat, nec ne, hoc eſt utrum ſit tacendum, an quibus neceſſe eſt, revelandum.

(c) *Non frangitur ſigillum* 1. *ſi in genere dicas, Titium tibi confeſſum eſſe venialia, aut eſſe probum* &c. Hæc ſententia teſte Concina Th. t. 9. p. 738. n. 7. q. 5. communis eſt, abſtinendum tamen eſt ab hujuſmodi dictis odioſis, & periculoſis. Lege Animad. hic 3.

(d) *Satisfaciunt ii, qui confitentur Mendicantibus etiam in Paſchate, quia hi habent facultatem a Sacerdote* &c.

Hoc eſt aperte falſum, ſi Mendicantes ſine Epiſcoporum approbatione confeſſiones hominum ſæculi audiant. Recole Animad. 1. 2. 5. 9. in cap. 2. hujus tract. 4. Eſt autem verum, ſi Mendicantes ab Epiſcopis ſine temporis limitatione approbati ſint. Lege Anim. 17. in cap. 2. hujus tract. 4.

Animadversio I.

Unde Turr. &c. *reprehendunt* &c. *quia poteſt redundare in ignominiam, & damnum domus.* Hactenus recte. *Etſi idem Tamb.* &c. *dicat probabile eſſe, quod non ſit contra ſigillum, ſi dictæ licentiæ petitæ fuerint extra confeſſionem.*

Etiamſi hæ licentiæ extra confeſſionem petantur, ad eam tamen referuntur, & in eam influunt; ideoque ſuperior eas concedens, ſigillo confeſſionis tenetur, ut docet P. Concina Theol. t. 9 p. 747. num 3. & fatetur ipſe Buſembau ex communi ſententia hic reſp. a Ergo ſuperior loci, qui Provinciali dicit, in ſua domo ſæpe poſtulari licentiam abſolvendi a reſervatis, ſigillum violat, non ſecus ac Confeſſarius, qui idem Provinciali diceret.

Animadversio II.

Quando plures v. g. ſtudioſi, vel aulici tenentur ferre teſtimonium confeſſionis, Confeſſarium teneri id dare etiam iis, quos non abſolvit, docet &c. *Verum Bonac.* &c. *docent, tali ſchedam negare, non eſſe contra ſigillum* &c.

Hac in re, quæ Confeſſarium in anguſtias redigere poteſt, illud mihi certum videtur, teſtimonium, quo Confeſſarius teſtetur, ſe pœnitentem abſolviſſe, ſeu pœnitentiæ Sacramentum illi miniſtraſſe, ſcribi non poſſe. Mentiri enim numquam licet: at Confeſſarius, qui ſcripto, aut voce teſtatur, ſe abſolviſſe, quem non abſolvit, aperte mentitur; idem dicas, ſi teſtetur, ſe pœnitentiæ Sacramentum miniſtraſſe; quia illud non miniſtrat, cum non abſolvit, ſed ſubtrahit, & negat: ergo &c. Hanc ſententiam tradit quoque Nat. Alex. Theol. t. 1. p. 470. reg. 72. qui hoc ſenſu intelligendus eſt, cum teſtimonium confeſſionis a Confeſſario ferri poſſe inficiatur illi, quem non abſolvit. Loquitur enim de teſtimonio juxta formam S. Caroli Borromæi, juxta quam Confeſſarius teſtabatur, ſe Sacramentum pœnitentiæ miniſtraſſe; & hanc ſententiam confirmant rationes a Buſembao allatæ.

Quod ſi ſuſpiciones, aut alia incommoda hinc metuantur, alia, ſi fieri poteſt, ratione præcavenda ſunt, non mendacio, quod numquam permiſſum eſt.

At, inquis, ſi conſtet, pœnitentem ad Confeſſarium acceſſiſſe, dum hic negat impertitæ abſolutionis teſtimonium, facto ipſo declarat, ſe illum non abſolviſſe; quæ declaratio eſt ſigilli fractio numquam permiſſa: ergo teſtimonium abſolutionis negare nequit.

Reſp. Indicium negatæ abſolutionis non ex Sacerdotis taciturnitate, aut culpa in præſenti ſpecie oritur, ſed aliunde, ac præſertim ex culpa pœnitentis, qui imparatus ad confeſſionem accedere auſus eſt. Ipſe pœnitens abſolutione indignus, iis, qui ſchedam abſolutionis poſtulant, ultro fateri debet, ſe ad confeſſionem paratum non eſſe, non ad confeſſionem accedere, & abſolutionis teſtimonium poſtulare, ut per Confeſſarii mendacium, ſuamque hypocriſim probus videatur, cum malus ſit.

At ſi pœnitens, teſtimonium non abſolutionis, non Sacramenti ſibi miniſtrati, ſed confeſſionis tantum auditæ petat, illud concedendum videtur; & hoc ſenſu accipiendus eſt Concina, qui ſpecie tenus Natali Alex. mox relato contrarius videtur, dum t. 9. p. 739. n. 11. affirmat, teſtimonium confeſſionis pœnitenti non abſoluto eſſe impertiendum. Nam pœnitens Sacerdoti ſua peccata reipſa confeſſus eſt: ergo teſtimonium, quo Sacerdos illud tantum teſtatur, ſe pœnitentis confeſſionem audiviſſe, verum eſt: ergo illud pœnitenti petenti concedi poteſt.

At, inquis, cum Confeſſarius illud tantum teſtatur, ſe e. g. Titii confeſſionem audiviſſe, hominibus emunctæ naris negatæ abſolutionis indicium præbet.

Reſp. Ita ſane; at hoc idem indicium multo magis præbet, ſi atteſtationem petenti neget; quia aut ſcitur, aut ponitur ab iis, qui atteſtationem a Titio allatam poſtulant, ipſum fuiſſe confeſſum: ergo ſatius eſt, atteſtationem ferre, quam negare; præſertim cum atteſtatio fiat ex conſenſu Titii eam petentis, negatio ſit contra ejus voluntatem; ideoque qualecumque indicium ex atteſtatione ſumi poſſit, ex pœnitentis voluntate oriatur, non item indicium ex negatione deſumptum.

Quod ſi ex hujuſmodi atteſtatione ſcandala prævideantur, eam negari poſſe, non inficior; præſertim ſi, qui eam petit, ficte confeſſus ſit, hoc eſt peccata aperuerit non ſincero animo, ut ſacramentaliter confiteretur, & abſolutionem, ſi ea dignus judicaretur, acciperet, ſed ut Confeſſarium deciperet, & atteſtationem extorqueret hypocriſis tantum, & ſui commodi cauſa. Imo in hac ſpecie atteſtatio confeſſionis neganda eſt; quia peccatorum expoſitio non fuit ſacramentalis confeſſio, ſed confeſſionis ſimulatio.

Animadversio III.

Sub ſigillum cadunt omnia peccata pœnitentis tam futura, quam præterita.

Hic ex D. Thom. Suppl. q. 11. art. 2. animadvertendum eſt, *quod ſigillum confeſſionis directe non ſe extendit, niſi ad illa, de quibus eſt ſacramentalis confeſſio: ſed indirecte id, quod non cadit ſub ſacramentali confeſſione, etiam ad ſigillum confeſſionis pertinet; ſicut illa, per quæ poſſet peccator, vel peccatum deprehendi. Nihilominus etiam illa ſummo ſtudio ſunt celanda tum propter ſcandalum, tum propter pronitatem, quæ ex conſuetudine accidere poſſet.*

Peccata autem futura ad ſacramentalem confeſſionem non pertinent, ſed ſolum præterita, ex quibus tamen futura timeri poſſunt. Quare ſi confeſſarius aliquo modo aut ore, aut opere, timendi, ne pœnitens in peccata luxuriæ, injuſtitiæ &c. labatur, indicium præbeat, non directe quidem, ſed indirecte ſigillum frangit; quia ex eo indicio peccator, vel peccatum deprehenditur.

Imo Confeſſorem, qui dicat abſolute, Ego Petrum non abſolvi, *frangere ſigillum dicat Dian. p. 5. t. 11. reſp. 42. ex Suar., & aliis novem.*

Hanc ſententiam communem eſſe, ait La-Croix p. 422. num. 1965. eamque probat Antoine parte altera p. 678. num. 6. Ratio eſt, quia cum Confeſſarius ita loquitur, perinde eſt, ac ſi diceret, Petrum gravium, aut reſervatorum peccatorum reum eſſe, aut imparatum ad confeſſionem acceſſiſſe, quæ eſt aperta ſigilli fractio, odioſiſſimam reddens confeſſionem, & pœnitentem infamia aſpergens.

An vero liceat interrogare de complice ad ejus correctionem faciendam &c. *affirmant* &c. *contra* &c.

Opinio affirmans damnatur a ſummo Pontifice Bened. XIV. conſtit. *Suprema* anni 1745. 7. Julii (habetur apud P. Concinam t. 1. App. p. 177.) his verbis. *Pervenit enim haud ita pridem ad aures noſtras, nonnullos iſtarum partium* (Luſitaniæ Regnorum) *Confeſſarios falſo zeli imagine ſeduci ſe paſſos, ſed a zelo ſecundum ſcientiam longe aberrantes, perverſam quamdam, & perniicioſam praxim in audiendis Chriſti fidelium confeſſionibus, & in ſaluberrimo pœnitentiæ Sacramento adminiſtrando invehere, atque introducere cœpiſſe, ut videlicet, ſi forte in pœnitentes incidiſſent ſocium criminis habentes, ab iiſdem pœnitentibus, ſocii hujuſmodi, ſeu complicis nomen exquirerent, atque ad illud ſibi revelan-*

dum non inducere modo ſuadendo conarentur, ſed, quod deteſtabilius eſt, denunciata quoque, etſi revelaverat, abſolutionis ſacramentalis negatione prorſus adigerent atque compellerent; imo etiam complicis ejuſdem actum nomen, ſed habitationis inſuper locum deſignari. Quam illi quidam intolerandam imprudentiam tam procurandæ complicis correctionis, (hic eſt Buſembaum prætextus) *aliorumque bonorum colligendorum ſpecioſo prætextu colorare, tum emendicatis quibuſdam Doctorum opinionibus defendere non dubitarent; cum revera opiniones hujuſmodi vel falſas, & erroneas ſequendo, vel veras, & ſanas male applicando, perniciem tam ſuis, quam pœnitentium animabus conſciſcerent, ac ſeſe præterea plurium gravium damnorum, quæ inde conſecutura fore prævidere debuerant, reos coram Deo æterno Judice conſtituerent .... Nos autem ne in tam gravi animarum diſcrimine ulla ex parte apoſtolico noſtro miniſterio deeſſe videamur, ac ne mentem hac ſuper re noſtram apud vos obſcuram, aut ambiguam eſſe ſinamus, notum vobis eſſe volumus, memoratam ſuperius praxim penitus reprobandam eſſe, eandemque a nobis per præſentes noſtras in forma Brevis litteras reprobari, atque damnari tamquam ſcandaloſam, & pernicioſam, ac tam famæ proximi, quam etiam ipſi Sacramento injurioſam, tendentemque ad ſacroſancti ſigilli ſacramentalis violationem, atque ab ejuſdem pœnitentiæ Sacramenti tantopere proficuo, & neceſſario uſu abalienantem.*

Anno vero 1746. 4 Kal. Octob. idem Pontifex decernit, & declarat, *memoratam praxim in ſeipſa, & ubique locorum, ac temporum apoſtolica auctoritate reprobatam, atque damnatam eſſe, & cenſeri debere.*

Bona vero pœnitentis e. g. ingenium, ſcientia, robur corporis, divitiæ, & cetera impertinentia, quæ &c. v. g. propoſitum religionis &c. ſæpe quidem .... ſub obligationem ſecreti naturalis, non tamen ſacramentalis cadunt.

Si hujuſmodi pœnitentis bona ab eo in confeſſione ſine ulla neceſſitate ex imperitia expoſita (idemque die de aliis ad confeſſionem non pertinentibus) Confeſſarius eo loco, iiſque circumſtantiis enarret, ut inde aliquod ejus peccatum deprehendatur, ſigillum violat confeſſionis; quia perinde eſt, ſeu Confeſſarius pœnitentis peccatum explicate prodat, ſeu id dicat, unde in peccati notitiam devenitur. Hinc Conc. Later. IV. (habetur cap. *Omnis utriuſque ſexus* de pœn. & remiſſ.) ait: *Caveat omnino, ne verbo, vel ſigno, vel alio quovis modo prodat aliquatenus peccatorem.*

Verum quamvis pœnitentis bona, & alia ad confeſſionem non pertinentia ſine ſigilli fractione a Confeſſario dici poſſint, attamen religioſo ſilentio ſemper tegenda ſunt, niſi pœnitens evidenter conſentiat, ut alicujus boni gratia revelentur, vel neceſſitas id poſtulet.

Pro certo enim habendum eſt ea, quæ in ſacro illo tribunali aperiuntur, ex tacita lege, & fiducia aperiri, ut occulta maneant.

Præterea horum manifeſtatio Confeſſarium, & confeſſionem odioſam facit, pœnitentes offendit, eoſque a fidenti, & ſincera culparum revelatione avertit.

Adde, quod Confeſſarius hæc aperiens, uſum comparat loquendi de auditis in confeſſione; quod ſane maxime odioſum eſt, & periculum creat frangendi ſigillum.

Excipiunt Tamb., & Cov., niſi pœnitens &c. tunc enim ſigillo ſacramentali claudi tenent cum Diana.

Hoc verum eſſe putat Antoine Theol. p. alt. p. 677. qu. 2. ſive reipſa, ſive ex falſa pœnitentis opinione ad pleniorem conſcientiæ manifeſtationem pertineant. Ego exiſtimo, non a pœnitentis voluntate, & opinione pendere, ut aliquid ad ſigillum confeſſionis pertineat, ſed id ex rerum natura eſſe petendum. Peccata, & peccatorum circumſtantiæ ad confeſſionem ex rei natura pertinent, & conſequenter ad ſigillum confeſſionis. Quidquid Confeſſarius dicat, aut faciat, unde pœnitentium peccata, aut eorum circumſtantiæ detegantur, ſigillum frangit. Hinc Concilium Later. mox cit. inquit, *Caveat omnino* &c. Reliqua vero ad ſigillum non pertinent, niſi eorum revelatio peccatorem prodat; ſunt tamen, ut dixi, cautiſſime occultanda, multoque magis, ſi pœnitens ea ad pleniorem ſuæ conſcientiæ manifeſtationem aperuerit. Quod eo magis verum eſt, ſi hujuſmodi ſint, ut prodita dedecus pariant, uti ſunt occultæ corporis vitia, illegitima nativitas &c.

„ Virtutes (inquit La Croix p. 421. n. 1947.) alia-
„ que dona poſſunt eſſe materia ſigilli, v. g. ſi pœni-
„ tens confiteatur, ſe fuiſſe Deo pro iis ingratum, Lu-
„ go n. 48. Stoz n. 191. 233."

Non virtutes, quas Buſembau cum vitiis perperam permiſcet, ſed peccatum, quod occaſione a virtutibus male accepta pœnitens admiſit, ſigilli materia eſt. Si Confeſſarius dicat, Titium e. g. eſſe ingratum donis, & virtutibus a Deo acceptis, ſicuti ex confeſſione novit, ſigillum frangit, quia peccatorem prodit; at ſi diceret, Titium donis, & virtutibus a Deo fuiſſe ornatum, male quidem loquitur, quia confeſſionis notitia uti non debet, non tamen ſigilli fractor eſt. In eo Buſembau, La-Croix, & alii, ut ego quidem ſentio, falluntur, quod ſigilli materiam faciant id quod pœnitens ſigilli materiam eſſe vult. At non ita eſt. Sigilli materia non a pœnitentis voluntate, ſed a Sacramenti natura, & Dei lege huc ſpectante petenda eſt. Sigilli materia alia non eſt, niſi Sacramenti ipſius materia, hoc eſt peccata, & eorum circumſtantiæ. Alia, quæ pœnitens in confeſſione aperit, ſigilli materia ſunt, quatenus revelata peccatum ipſius revelant, ut dixi ex Conc. Later., & repetere poſſe mihi videor. Non enim laxare, aut reſtringere ex arbitrio, ſed pro veritate loqui ſemper debemus, & in ejus, non in hominum gratiam corrigi parati ſumus.

Aliud eſt de vitiis, quæ ſi ex confeſſione nota Sacerdos prodat, dicatque e. g. Sempronium eſſe ſuperbum, avarum, laſcivum &c. non eſt dubitandum, quin peccatorem prodat, & ſigilli fractor ſit; imo vero qui pœnitentis vitium evulgat, pejus facit, quam qui unum ejus peccatum manifeſtat; quia qui vitium evulgat, multa peccata, ſine quibus vitium exiſtere nequit, indicat.

Denique de ſcrupulis idem dicendum, quod de inculpatis corporis, animique defectibus dicitur, & dictum fuit. Nec enim ſcrupuli ſunt peccata, nec cum peccatis neceſſariam habent connexionem. Si Sacerdos iis verborum formulis, & circumſtantiis ſuum pœnitentem ſcrupuloſum dixerit, quibus aliquod ejus vitium puta obſtinatio, ſuperbia, laxitas conſcientiæ in rebus gravioribus indicetur, ſigillum frangit; non item, ſi ita locutus fuerit, ut inde nihil aliud intelligatur, niſi hominis afflictio, & anxietas.

Porro quoad rem præſentem perinde eſt, ſeu ipſe pœnitens ſcrupulos patefecerit, ſeu Sacerdos ex modo confitendi eos perceperit. Utroque enim modo ex confeſſione innoteſcunt.

At, inquit Buſembau ex Card. de Lugo, ſi pœnitens ipſe ſcrupulos aperuerit, ſaltem in obliquo ſunt materia confeſſionis: ergo ſunt materia ſigilli.

Reſp. Hoc idem dican, ſi Sacerdos eos ex confeſſionis modo deprehenderit. Sunt ergo materia ſigilli ea ratione, qua ſunt materia confeſſionis, hoc eſt quatenus ad peccati notitiam conferunt, non autem ex natura ſua, aut quia pœnitens eos declarare voluerit. Ex quo fit, ut Sacerdos ſigilli fractor ſit, ſi ſcrupulos pœnitentis eo modo declaret, ut auditor in ejus peccati notitiam veniat, non item ſi ea ratione eos aperiat, ut nullum peccati indicium præbeat. Non tamen excuſandus eſt Confeſſarius, qui ſcrupulos pœnitentis patefecerit, aut caput ſibi ab eo obtundi dixerit: ſed imprudentiæ arguendus, utpote qui notitia confeſſionis abutatur, ut pœnitentem in contemptum adducat, & odioſam, ac difficilem ſuis malis, & imprudentibus verbis confeſſionem reddat.

Denique Tamb. in app. c. 3. doctrinæ iſti ne ut probabili quidem acquieſcit, atque &c. alterque limitans ipſe ait: ſi iſti defectus ..... ſint paſſim noti, non cadere &c. ſecus, ſi ſint ignoti &c.

Buſemb. hiſtoriam more ſuo texuit aliarum opinionum abſque ullo ferme delectu. Hæc Tamburini doctrina in eo deficit, quia ad ſigillum confeſſionis pertinere ponit, quidquid, ſi reveletur, eam odioſam facit; quod verum non eſt; quia, ut non ſemel dixi, ſigilli materia eſt ipſa confeſſionis materia, hoc eſt, peccata, & eorum circumſtantiæ.

Præterea in eo fallitur Tamb., quod ignotos tantum defectus, non item notos ad ſigillum referat. Ad ſigillum enim pertinet, quidquid ad confeſſionem pertinet, ſeu ignotum, ſeu notum ſit. Itaque Confeſſarius ſigillum apertiſſime frangit, ſi notitia confeſſionis uſus aperiat pœnitentis peccatum, etiamſi forte illud in vulgus ſparſum fuerit. Dixi, *ſi confeſſionis notitia uſus*. Nam ſi aliunde compertum ſibi ſit, & notitia aliunde accepta illud narret, nihil addendo, quod a confeſſione deſumptum ſit, non circumſtantias, non certitudinem &c. ex alio capite peccare poteſt, non eo nomine, quod ſigilli fractor ſit. Sed ſemper periculoſum eſt, ea dicere, quæ Sacerdos in confeſſione accepit, etiamſi aliunde ſibi innotuerint. Eorum ſilentium ſemper prudens; de iis dicere vix unquam culpa vacabit.

La-Croix num. 1948. ita inquit, „ Peccata aliena, ſi
„ narrentur ut connexa peccatis propriis, eo quod ob
„ explicationem propriorum ſit facta mentio alieni, ut
„ ſi mater dicat ſe impreeatam filio, quia erat furatus, ſunt materia ſigilli; ſi vero tantum hiſtorice
„ narrentur ſine connexione cum peccato proprio, pro-
„ babilius eſt contra Harts in diſs. Theol. de ſig. num.
„ 222. non eſſe materiam ſigilli, non ſecus ac alia fa-
„ cta, quæ pœnitens de ſe narrat: cavendum tamen
„ ſcandalum, & offenſio pœnitentis."

Cavenda quoque eſt detractio, & ne Sacramentum odioſum reddatur.

Ce-

Ceterum quoad confeſſionem, & ſigilli materiam perinde eſt, ſeu pœnitens aliena peccata declaret in ordine ad ſua, ſeu hiſtorice ea narret ſine hoc ordine. Nec enim quia ipſe male ea exponat in ordine ad ſua peccata, ad confeſſionem idcirco pertinent; quia, ut dictum eſt, non eſt poſitum in arbitrio pœnitentis, ut materiam pœnitentiæ, & ſigilli efficiat, quæ ex ſe hujuſmodi non eſt; ſicuti non ſunt aliena peccata, quæ pœnitens ſilentio premere tenetur. An quia pœnitens aliena peccata in ordine ad ſua exponendo peccat, & detrahit, efficiuntur materia ſigilli? Itaque Confeſſarius aliena peccata in confeſſione a pœnitente audita narrando, imprudentiæ, detractionis, aliiſque nominibus reus eſſe poteſt, non fractionis ſigilli, niſi forte hujuſmodi narratione indicium præbeat peccati pœnitentis. Idem dicendum de peccato complicis, quod quis ſine ulla neceſſitate in confeſſione manifeſtat; quia ad confeſſionem non pertinet; licet La-Croix n. 1949. contrarium probabilius putet ea ratione, „ quia dictum eſt „ ex intrinſeca occaſione confeſſionis, & veluti aliquid „ ad eam aliqualiter ſpectans. “

Sed hæc ratio futilis eſt. Quid ſonant ea verba *ex intrinſeca occaſione confeſſionis*? Nihil aliud ſcilicet, niſi quod pœnitens ex ſui peccati ſacramentali confeſſione anſam male ſumpſerit exponendi peccatum complicis. Quod vero pœnitens ex confeſſionis ſanctitate anſam detrahendi proximo deſumpſerit, & ex culpabili ſua ignorantia putaverit, peccatum complicis ad confeſſionem pertinere, illudque in ordine ad ipſam expoſuerit, hoc non efficit, ut peccatum complicis evadat materia confeſſionis, & ſigilli; niſi dicere falſo velimus, errores, & detractiones pœnitentis ea vi pollere, ut ſigilli materiam faciant quod ab ea maxime alienum eſt.

Animadversio IV.

Confeſſarius, qui, ſi de auditis in confeſſione rogatur, poteſt negare, etiam ſi opus eſt, cum juramento, ſubintelligendo &c.

Confeſſarius duplici modo de auditis in confeſſione interrogari poteſt. 1. ſimpliciter, ſeu ſpecificative, eo videlicet modo, quo interrogantur alii homines, e. g. utrum Titius adulterium commiſerit, furtum &c. 2. reduplicative, non ut alii interrogari ſolent, ſed ut Confeſſarius, e. g. utrum ex confeſſione audiverit, Titium commiſiſſe adulterium, furtum &c. Porro ſive priori, ſive poſteriori modo interrogetur, negare non poteſt crimen ex confeſſione ſibi notum, quidquid Buſemb., & La-Croix p. 424. nu. 294. contra dicant, & ſentiant. Ratio eſt, quia negando mentitur, additoque juramento pejerat.

At, inquit Buſemb., poteſt negare etiam, ſi opus „ eſt, cum juramento, ſubintelligendo, quod poſſit di„ cere, vel potius (ut dicit Card. de Lugo d. 23.) „ quod ſciat ſcientia utili ad reſpondendum interrogan„ ti extra confeſſionem. “

Reſp. Eo ipſo, quod Confeſſarius ſuis verbis aliquid mente addit, ſeu ſubintelligit, mendax eſt; quia aliud verbis dicit, aliud in mente habet, & incidit in reſtrictionem mentalem ab Innoc. XI. propoſ. 26. damnatam; qua de re ſuo loco dictum eſt. Quare Buſembaum doctrina valde cavenda eſt, ne Sacerdos non ſolum mentiatur, ſed etiam, quod eſt ſemper letale crimen, pejeret.

Quid ergo? Reſp. Si Sacerdos interrogetur, ut alii homines, reſpondere poteſt, ſe neſcire, neque ita reſpondendo mentitur. Quia, cum Sacerdos, ſeu Confeſſarius duplici perſona fungatur, hoc eſt hominis ſimpliciter, & Dei vicem in confeſſione gerentis, ſi ſimpliciter interrogetur eo modo, quo alii homines, palam eſt, eum interrogari ſimpliciter ut hominem; at ipſe ſimpliciter ut homo reipſa nihil ſcit: ergo vere reſpondet, ſe neſcire, & ſine ullo perjurii metu jurare, ſi opus ſit, etiam poteſt, ſe neſcire; quod verum eſt ſeu extra judicium, ſeu etiam in judicio interrogetur. Hæc eſt doctrina S. Thomæ, qui Suppl. qu. 11. ar. 1. ad 3. inquit: *Quod homo non adducitur in teſtimonium, niſi ut homo; & ideo ſine læſione conſcientiæ poteſt jurare, ſe neſcire, quod ſcit tantum ut Deus, hoc eſt quod ſcit in confeſſione, ubi Dei perſonam, ſeu vicem gerit.*

At vero ſi Confeſſarius loco reſpondendi *ignoro*, *neſcio*, reſpondeat, crimen non fuiſſe admiſſum, a mendacio, & perjurio excuſari nequit; quia, cum reſpondeat ſimpliciter ut homo, negat id quod ignorat: at dum negat id quod ignorat, mentitur; loquitur enim contra mentem; perinde loquitur, ac ſi rem noviſſet: cum ait, crimen non fuiſſe admiſſum, idem eſt, ac ſi dicat: ſcio, crimen non fuiſſe admiſſum; quod eſt aperte falſum, additoque juramento perjurium.

Multo vero apertius mentitur, & pejerat, ſi neget, cum ſacrilege interrogatur, ut Confeſſarius. Quia multo apertius animus a dicto diſcordat. Qui enim ſcit, rem ita eſſe, & negat, apertiſſime mentitur: ſed Confeſſarius, ut talis ſcit, rem ita eſſe, hoc eſt crimen fuiſſe commiſſum: ergo cum Confeſſarius, ut talis illud negat, apertiſſime mentitur. Negat autem ut talis, cum interrogatus ut talis, ſine ulla additione reſpondet.

Hæc quidem aperta ſunt, nec in controverſiam vocanda: at probabiles opinatores ipſas apertas veritates ſuis commentis, & cavillis ſæpe obſcurant.

La-Croix p. 424. n. 1985. ita loquitur: „ Si Confeſ„ ſarius urgeatur, an non ſciat (crimen pœnitentis) „ modo ſacramentali, incommunicabili, ut Deus, aut „ quocumque alio tandem, adhuc negare debet, (ſe „ ſcire), & ſi opus eſt, addere juramentum. “

Hic La-Croix, dum ait *debet*, Confeſſarium non ſolum hortatur, ſed quantum in ipſo eſt cogit, ut ſit mendax, & perjurus. Nonne apertiſſime mendax eſt, additoque juramento perjurus, qui ait, ſe neſcire, cum ſciat? At Confeſſarius ut Confeſſarius in noſtra ſpecie ait, ſe neſcire, cum ſciat: ergo eſt apertiſſime mendax, additoque juramento perjurus.

Hanc apertiſſimam veritatem La-Croix involvere conatur, aitque Confeſſarium poſſe negare, ſe ſcire, *non reſtringendo pure mentaliter*, hoc eſt ſubintelligendo aliquid, ſicuti cavillatur Buſemb. mox refutatus, & ab Innoc. XI. propoſ. 26. damnatus: *hoc enim eſſe illicitum* La-Croix fatetur. *Sed quia*, inquit, *circumſtantiæ conſignificant cum his vocibus Confeſſarii negantis, & faciunt hunc ſenſum*, ut liceat mihi dicere.

Ante propoſitionem 26. ab Innoc. XI. proſcriptam Confeſſarius interrogatus ut Confeſſarius de crimine pœnitentis, poterat illud negare, vel dicere ſe neſcire ſine mendacio, *ſubintelligendo, quod poſſit dicere, vel potius (ut dicit Card. de Lugo d. 23.) quod ſciat ſcientia utili ad reſpondendum interroganti extra confeſſionem*. Ita Buſembau. At Buſembaum cavillatio ab Innoc. XI. proſcripta eſt. Nihilominus Buſembaum doctrina defenditur mutata ſolum cavillatione. Nunc, ait La-Croix, nihil ſubintelligitur, ſed ipſæ circumſtantiæ illud idem ſignificant, quod olim ſubintelligebatur. Ego vero exiſtimo, La-Croixii cavillationem damnata Buſembaum cavillatione eſſe deteriorem. Fateor, verba pro diverſa circumſtantiarum varietate diverſo ſenſu accipi poſſe, cum ſcilicet ipſæ circumſtantiæ hunc diverſum ſenſum aperiunt: at eſt aperta cavillatorium, & contradictorium, quod verba habeant ſenſum non ſolum plane diverſum, ſed contrarium ſenſui, quem in ipſis circumſtantiis, in quibus proferuntur, præſeferunt.

Cum Confeſſarius a nefario puta Judice, vel Tyranno interrogatur, utrum ex confeſſione ſacramentali noverit, Titium admiſiſſe homicidium, Cajam adulterii ream eſſe, ipſa interrogatio apertiſſime eſt de re ad ſigillum pertinente, quam Confeſſario non licet dicere, & nihilominus interrogatio fit. Circumſtantiæ ſenſum interrogationis non mutant, ſed confirmant, & evincunt, interrogationem eſſe impiam, & ſacrilegam. Ergo Confeſſarius apertiſſime mentitur, dum negat, ſe quidquam noſſe aut ſcire; negat enim, ſe ex confeſſione ſcire crimen, quod ex ea reipſa ſcit. Ut Confeſſarius a mendacio liber eſſet, neceſſe foret, ut interrogatio haberet hunc ſenſum; *noſti ne ex confeſſione, ut liceat tibi dicere?* At interrogatio in circumſtantiis, in quibus fit, ſenſum habet ſine illa adjunctione, *ut liceat tibi dicere*; imo illa adjunctio eſt aperte contraria ipſi interrogationi, quæ aperte eſt de re, quam dicere non licet. Mira ſane eſt cavillatio La-Croixii, incredibilis, contradictoria, apertiſſime falſa, nec digna, quæ prolixius refutetur.

Quid ergo Confeſſario agendum, ſi ſacrilegis hujuſmodi interrogationibus urgeatur? Reſp. Aperte reſpondere debet, interrogationem eſſe diabolicam, ſe vero eſſe miniſtrum Chriſti, qui diabolicis interrogationibus reſpondere nec velit, nec poſſit. Si propter hujuſmodi, aut ſimilem neceſſariam reſponſionem cruciatus, aut mors illi ſubeunda ſit, Martyr, ut alter Joannes Nepomucenus, poſt brevem tolerantiam ad æternam gloriam evolabit. Hæc eſt doctrina chriſtiana, omnibus oculos veritatis luci aperire volentibus evidentiſſima.

Nam qui per cavillationes putant, ſe poſſe in cælum conſcendere, præcipites ruunt in tartara.

2. *Superior*, &c. *vel a quo* &c.

Hac de re ſupra dictum eſt Reſp. 2. c. 3. præterea ſi interpres, confeſſionis ſigillo ſine controverſia tenetur, multo magis ſuperior, de quo ſermo eſt, qui ſua auctoritate ex legum ordine in eam influit, & in communione materiæ ejuſdem confeſſionis non ex parte pœnitentis, ſed ex parte Confeſſarii ſe tenet. Itaque qui contra ſentiunt, audiendi non ſunt.

8. *Doctor*, *vel alius*, *qui* &c.

Hic quoque communior, ſeu communis ſententia, quam ſequitur tum Antoine Theol. p. alt. p. 682. qu. 8.

tum Concina Theol. t. 9. p. 747. n. 30. tenenda omnino eſt.

9. *Qui ſcriptam invenit, & legit, ut docet &c. quorum ſententia probabilis eſt.*

Hic deſcribenda eſt doctrina D. Thomæ, quæ fundamenti loco eſſe debet. Inquit ergo ille ſuppl. q. 11. art. 3. *Solus Sacerdos miniſter eſt hujus Sacramenti: ſed ſigillum confeſſionis eſt annexum huic Sacramento: ergo ſolus Sacerdos habet ſigillum confeſſionis.*

Præterea ideo aliquis tenetur ea, quæ in confeſſione audit, celare, quia non ſcit ea ut homo, ſed ut Deus: ſed ſolus Sacerdos eſt miniſter Dei: ergo ipſe ſolus tenetur occultare.

Reſpondeo dicendum, quod ſigillum confeſſionis competit Sacerdoti, inquantum eſt miniſter hujus ſacramenti; quod nihil aliud eſt, quam debitum confeſſionem celandi, ſicut clavis eſt poteſtas abſolvendi: tamen ſicut aliquis, qui non eſt Sacerdos, in aliquo caſu participat aliquid de actu clavis, dum confeſſionem audit propter neceſſitatem; ita etiam participat aliquid de actu ſigilli confeſſionis, & tenetur celare, quamvis proprie loquendo ſigillum confeſſionis non habeat.

Quare ſoli Confeſſarii ſigillo confeſſionis proprie tenentur, alii confeſſionem celare tenentur, quia confeſſionis aliquomodo ſunt participes.

Hinc Confeſſarii confeſſionem revelantis ſacrilegium longe gravius eſt, quam aliorum, qui ejus participes fuere, & pœnæ canonicæ in ſolum Confeſſarium ſigilli fractorem decretæ ſunt, ut animadvertit Nat. Alex. Theol. t. 1. p. 472. reg. 61. & colligitur ex cap. *Omnis utriſque ſexus* de pœnit. & remiſſ.

Quoad rem præſentem, qui ſchedam, in qua peccata in ordine ad confeſſionem ſcripta ſunt, invenit, eam comburere debet, & peccat legendo; quilibet enim jus habet in ſua arcana; hæc alteri expiſcari non licet, nec detegere: qui contra ſe gerunt, jus gentium, & naturæ violant. Deus vocem hominibus dedit, qua ſua aliis occulta revelent quibus voluerint, & quæ voluerint; hunc ordinem a Deo inſtitutum pervertunt, qui aliorum ſecreta contra eorum voluntatem ſcire volunt. Tales porro ſunt, qui ſchedam, in qua confeſſionem exaratam deprehendunt, invenientes, eam legere audent: nec enim arcana hominis facta, & cogitata ibi ſcripta ſunt, ut aliis nota fierent, ſed ſoli Confeſſario. Quare talem ſchedam invenientes & legentes contra ſcriptoris voluntatem, ejus detegunt arcana, nec dubium eſt, quin peccent; præſertim cum arcana maximi momenti detegant, & cum infamia ſcriptoris. Peccatum vero peccato cumulant, ſi non ſolum ſchedam legant, ſed etiam revelent; qua in re non ſolum arcani jus fædius violant, ſed etiam detractionis crimen incurrunt, aliena occulta crimina prodentes.

De his non eſt dubitandum. Sed ſolum dubitatur, utrum qui ſcriptam confeſſionem invenit, & legit non ſolum jure naturalis ſecreti, ſed etiam jure ſacramenti eam ſilentio premere, & occultam habere teneatur, ita ut revelans ſacramento injurius ſit, & ſacrilegus.

Ex Buſembao, qui negantem ſententiam probabilem facit, nec affirmantem improbat, illud colligitur, revelationem confeſſionis inventæ, & lectæ judicari poſſe ſacrilegam, & non ſacrilegam, ut libuerit.

La-Croix quoque n. 1453. ſententias contrarias colligit, ſed in affirmantem pronus videtur; pro qua præter citatos a Buſemb. appellat Nav. Graff. Vega, Dian. Gorm. *ad quos*, inquit, *inclinat Tamb. quia talis ſcriptia fit propter confeſſionem, & reipſa videtur eſſe inchoata confeſſio* Hanc ſententiam probat Nat. Alex. loco mox cit. Ratio eſt, quia illud arcanum non ſolum eſt naturale, ſed ſacramentale, cum ad ſacramentalem confeſſionem referatur, & retectum fuit, quatenus huc refertur; quia peccata, ut ponitur, ſcripta fuerunt non alicujus humani negotii cauſa, ſed ut Confeſſarii clavibus ſubjicerentur: porro revelare arcanum ſacramentale, ſacrilegum eſt, ſeu ſacramento injurioſum: ergo &c.

Qui legit ſcriptam confeſſionem, ejuſdem particeps fit: qui eſt particeps confeſſionis, illam celare tenetur ratione ipſius confeſſionis, ſeu ſacramenti: ergo qui illam revelat, contra ipſum ſacramentum peccat.

Adverſarii apud La-Croixium n. cit. ita ratiocinantur. „ Obligatio ſigilli naſcitur ex actuali confeſſione: „ ſcriptio autem illa non eſt actualis confeſſio, nec ſi„ gnum, quo pœnitens peccata manifeſtet Confeſſario, „ ſed tantum fit, ut pœnitens ſibi ea manifeſtet, & me„ moria retineat. "

Reſp. Huic rationi La-Croix non reſpondet, ne forte adverſantem probabilitatem lædat. Sed ea non unam patitur difficultatem, & exceptionem; & primo quidem illa excluſiva propoſitio, *obligatio ſigilli* late, & etiam improprie, ut juxta ſolidam D. Thomæ doctrinam loquamur, accepti *naſcitur ex actuali confeſſione*, eſt ne vera? Ponamus, pœnitentem ſua peccata interpreti narraſſe, ut ejus ope ea Confeſſario aperiret; at, priuſquam confeſſio fieret, inopinato caſu e vivis deceſſiſſe; interpres tenetur ne celare arcanum non ſolum ut naturale, ſed etiam ut ſacramentale?

Non ſolum dubitandum, ſed affirmandum videtur; quia arcanum illud habet ordinem ad confeſſionem. Ergo dicta propoſitio non ſolum dubia, ſed falſa videtur. Dixi, *propoſitia excluſiva*; ſi enim ſenſu talis non ſit, ratio apertiſſime manis eſſet. Sed eſto, propoſitio permittatur vera; jam ponimus, confeſſionem ab eo, qui ſchedam amiſit, fuiſſe peractam, aut actu peragendam eſſe: ergo ſcriptio illa continet actualem confeſſionem, eamque legenti aperit, non ſecus ac vox pœnitentis: ergo qui ſcriptam confeſſionem legit, eodem jure arcani tenetur, ac qui vocem pœnitentis audiret: hic porro tenetur jure arcani non ſolum naturalis, ſed etiam ſacramentalis: ergo. Illa ſcriptio Confeſſario quidem peccata non indicat, ſed indicat legenti; quod ſatis eſt, ut legens ea celare debeat, ut ſacramentale arcanum.

Seu vocem pœnitentis ſua peccata confitentis, ſeu ſcripturam, illius vocis indicem & intepretem percipias, ex æquo hominum ſenſu idem eſt.

Illa ſcriptio a confeſſione actu facienda pendet, ex ea oritur, ad eam refertur, & ipſam confeſſionem continet: ergo eſt arcanum non ſolum naturale, ſed etiam ſacramentale.

Hinc porro fit, ut non ſolum qui ſcriptionem illam aliis operit, ſit ſacrilegus, ſed etiam qui illam tantum legit; quia hic quoque ſacramentale arcanum aperit, non ſecus, ac qui ex induſtria audit pœnitentem ſua peccata Sacerdoti manifeſtantem, uti recte docet Nat. Alex. loco cit. quæ ſententia licet certa non ſit, ſolida tamen probabilitate nititur; &, cum ſacramenti reverentiæ faveat, & a peccato abducat, merito tenenda eſt.

Animadverſio V.

Frangitur ſigillum, ſi cum pœnitente ... ſine ejus venia, agas &c.

Talis Sacerdos imprudentiſſime quidem agit, & ex omnium ſententia, ut monet P. Concina Theol. t. 9. p. 740. n. 14. peccat, quia pœnitentem pudore ſuffundit, & pœnitentiæ jugum durum, & odioſum efficit; ſigilli tamen fracti reus eſſe mihi non videtur. Ratio eſt, quia, cum ſigillum ſit debitum Confeſſarii celandi confeſſionem, Confeſſarius tunc ſolum ſigillum frangit, cum confeſſionem revelat: at Confeſſarius de auditis in confeſſione cum pœnitente ſine ejus venia loquens, confeſſionem non revelat; quia confeſſio pœnitenti notiſſima eſt: ergo non eſt ſigilli fractor, nec obnoxius pœnis ſigilli fractoribus impoſitis. Enim vero ex cap. *Omnis utriſque ſexus* ſupra cit. Confeſſarius ſigillum frangit, qui quocumque modo *prodit aliquatenus peccatorem*: at Confeſſarius in noſtra ſpecie nullo modo, nullaque ex parte peccatorem prodit; quia ejus peccata nemini, nullaque ratione referat. Ergo.

Dixi extra, quia intra confeſſionem poteſt ... ita Henriq. &c. Hactenus recte. At Buſemb. addit, *ubi ipſe cum Fagundez negat* &c.

Neque hanc contrariam opinationem improbat; quæ tamen improbanda eſt, dum Confeſſarios præteritorum peccatorum pœnitentis faciat mentionem neceſſitate, aut utilitate pœnitentis ita poſtulante; ſine qua imprudenter ea pœnitenti objiceret, & confeſſionem gravem redderet.

Animadverſio VI.

Verum ſi nullum ſit periculum, ut vel pœnitens, vel n... ſus ſcientiæ innoteſcat, etſi probabile ſit, licere uti ad alterius gubernationem .... contrarium tamen verius videtur.

Hoc contrarium pro vero habendum eſt, & explodenda prior opinio tanquam falſa. Et primo quidem quoad ſuperiores Religionum non eſt dubitandum; quia ſatente ipſo Buſembao uſus ſcientiæ confeſſionis in regimine vetitus illis eſt; nec probabile eſſe poteſt, id licere, quod fuit prohibitum.

Sed ipſa prohibitio conſulenda hic eſt, quæ a Clemente VIII. anno 1594. ut Buſemb. innuit, emanavit, ac deinde ab Urbano VIII. conſt. 26. (apud Concinam Theol. t. 9. p. 741. n. 17.) fuit confirmata, ubi hæc habentur. *Tam ſuperiores pro tempore exiſtentes, quam Confeſſarii, qui poſtea ad ſuperioris gradum fuerint promoti, caveant diligentiſſime, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis habuerunt, ad exteriorem gubernationem utantur.* Cum ait, *caveant diligentiſſime*, non poſitivam legem ferre, ſed divinam, & naturalem declarare merito dicitur. Illud enim *caveant* ponit, rem eſſe ex natura ſua malam, & pernicioſam. Et ſane peccatorum confeſſio eo unice ſpectat, ut peccata Confeſſario ...

tali

tali innoteſcant. Ergo Confeſſarius non poteſt uti notitia confeſſionis, niſi quatenus Confeſſarius eſt, hoc eſt in ſolo pœnitentiæ tribunali, non extra illud.

Animarum regimen in ſacra confeſſione, arcanum eſt uni Deo notum, & ab humanarum rerum negotiis omnino alienum: ergo nullum omnino commercium inter ea, quæ ibi, & exterius aguntur, intercedere debet.

Notitia, quam Confeſſarius ut talis habet, extra confeſſionem eſt omnimoda ignorantia, ita ut Confeſſarius, ut aliam quamcumque perſonam gerens vere juret, ſe ignorare, quod novit ut Confeſſarius: at omnimoda ignorantia nullius omnino actionis regula eſſe poteſt; ergo notitia confeſſionis nullius omnino actionis regula eſſe poteſt.

Qui utitur notitia confeſſionis extra confeſſionem, habet notitiam confeſſionis pro notitia extra confeſſionem: at hoc ipſum perverſum eſt: ergo perverſum eſt uti notitia confeſſionis extra confeſſionem,

Hinc porro fit, ut non ſolum ſuperiores regularium, ſed ne alii quidam quicumque, ut Parochi, Epiſcopi, uno verbo nullus Confeſſarius uti poſſit confeſſionis notitia extra confeſſionem.

Contrarium quidem docuerunt S. Thom. tum quod. 5. qu. 7. art. 13. tum ſuppl. q. 11 art. 1, ad 3. & 4. S. Bonavent. S. Antoninus citati a P. Concina Theol. t. 9. p. 743. n. 20. & Theologi graves, inter quos ipſe Genettus Theol. t. 5. p. 121. qu. 16. ſed eorum doctrina ſuſtineri non poteſt.

Hæc nomina tam verenda in eo hic deferenda ſunt, quod ſolam revelationem confeſſionis reprehendendam putaverint. At nos ex ſummis Pontificibus Clem. VIII. & Urbano VIII. etiam uſum notitiæ confeſſionis malum eſſe didicimus, quamvis nulla ſit revelationis ſuſpicio; quod etiam allatæ rationes oſtendunt.

Enim vero uſus ſcientiæ confeſſionis extra confeſſionem, ſacramento injurioſus eſt; quia ſcientia illa divinitus inſtituta eſt pro ſolo ſacramento; eſt contrarius officio Confeſſarii, qui eam ſcientiam eo ſolo nomine aſſequitur, ut ſuo munere fungi poſſit; eſt injurioſus pœnitenti, qui ſua crimina vel occultiſſima Sacerdoti ea lege, & conditione pandit, ut Sacerdos ea notitia in ſola confeſſione utatur. Demum hic uſus confeſſionem oneroſam & gravem facit contra divinam inſtitutionem.

Hæc illa prop. *Scientia ex confeſſione acquiſita uti licet, modo fiat ſine directa, aut indirecta revelatione, & gravamine pœnitentis, niſi aliud multo gravius ex non uſu ſequatur, in cujus comparatione prius merito contemnatur;* ſi enim aliud multo gravius ex non uſu ſequatur, juxta hanc propoſ. prohibitam ex ſcientia uti licet etiam cum gravamine pœnitentis: hæc, inquam, propoſitio ex decreto Sacr. Congregation. S. Officii, ſeu generalis Inquiſitionis, auctoritate Innocent. XI. anno 1682. (apud P. Conc. aunt. 1. app. p. 34.) Romæ fuit prohibita. *Addita deinde explicatione, ſive limitatione, quod ſit intelligenda de uſu ſcientiæ ex confeſſione acquiſitæ cum gravamine pœnitentis, ſecluſa quacumque revelatione, atque in caſu, quo multo majus gravamen ejuſdem pœnitentis ex non uſu ſequeretur; ſtatuerunt, dictam propoſitionem, quatenus admittit uſum dictæ ſcientiæ cum gravamine pœnitentis omnino prohibendam eſſe etiam cum dicta explicatione, ſive limitatione, & præſenti decreto prohibet, ne quis ultra audeat talem doctrinam publice, aut privatim defendere ſub pœnis arbitrio S. Cong. infligendis; mandantes etiam univerſis ſacramenti pœnitentiæ miniſtris, ut ab ea in praxim deducenda abſtineant.*

La-Croix n. 1977. poſtquam retulit ſupraſcriptum decretum ſubdit: „ Itaque nunc eſt certum, illicitum eſſe uti ſcientia confeſſionis cum aliquo gravamine pœnitentis, quamvis abſit omnis ſigilli revelatio, & quamvis multo majus gravamen ejuſdem pœnitentis ex non uſu ſequeretur. “

Ita ſcilicet explicate habet citatum decretum. At hinc ſequitur, uſum ſcientiæ confeſſionis multo magis vetitum, & malum eſſe, ſi nec ex uſu, nec ex non uſu ullum gravamen in pœnitentem derivetur. Si enim ex uſu gravamen, ex non uſu majus gravamen oritur, uſus ſcientiæ utilis eſt pœnitenti, cujus majus malum impeditur malo minore.

Quod ſi uſus etiam utilis pœnitenti, vetitus eſt, multo magis vetitus intelligitur uſus, qui nec utilis ſit, nec damnoſus. Quare P. Concina Theol. t. 9. p. 744. n. 22. recte concludit: „ Omnis itaque uſus ſcientiæ habitæ ex confeſſione nunc vetitus eſt. “

Hinc rejicienda eſt doctrina Buſembaum, ubi ait: „ Contra vero ad ſui ipſius gubernationem licere tali caſu ea ſcientia uti, videri probabilius, v. g. &c. docet &c. “ multoque magis, ſi inde mors pœnitenti immineret, quidquid contra Buſemb. ea Con. afferat.

Quare Sacerdotes malis, damniſque, quæ ex confeſſione ſibi, vel aliis impendere perſpiciunt, in ipſa confeſſione remedium afferre quantum in Domino poſſunt, ſtudeant; extra ipſam uſum ſcientiæ ejuſdem confeſſionis ad ſua, vel aliena mala præcavenda ſibi vetitum eſſe noverint.

A n i m a d v e r s i o VII.

Denique facere aliquid, ex quo &c.

Quod dictum eſt ad c. 2. idem hic dicendum eſt.

A n i m a d v e r s i o VIII.

Præceptum confitendi tum divinum, tum eccleſiaſticum ſub mortali obligat omnes &c.

Buſembau ait, divinum confeſſionis præceptum in articulo mortis eos tantum obligare, qui habent mortale; Concina omnes obligari putat, *tum ratione ſcandali, quod manare inde poſſet, tum ob vitandæ præſumptionis periculum. Quis enim ſibi ita blandiri valet, ut certus ſit, peccata, quæ judicat venialia, non eſſe mortalia? quis peccatis, & quidem mortiferis ignorantiæ immunem certo ſe reputare valet? quis ſecurus eſt, præteritas confeſſiones fuiſſe validas?* Ita ille Theol. t. 9. p. 277. n. 26. cujus doctrina magis pia eſt, & ſolida.

Buſembau nullum aliud pro divino confeſſionis præcepto tempus aſſignat, niſi mortis articulum; La-Croix p. 429. n. 2020. *probabilius* eſſe ait, quod præceptum illud per ſe etiam obliget ſæpius in vita, citatque Amic. Rhod. Ilſ. Platel. Gorm. & alios contra Dicaſt. Caſtr. Boſco, & alios.

At cum ait *probabilius*, juxta verſatilem probabilitatem perinde eſt, ac ſi dixerit, contrariam opinionem eſſe rectam, & tutam; quod eſt omnino rejiciendum, ac dicendum illud *probabilius* eſſe neceſſario ſequendum; quæ eſt communis ſententia, ut teſtatur non ſolum Concina Theol. t. 9. p. 277 n. 27. ſed etiam Anacletus Th. p. 436. n. 12. Cum enim Chriſtus hoc ſacramentum inſtituerit, ut remedium lapſis poſt baptiſmum in culpas mortales, divinum ſuſcipiendi pœnitentiæ ſacramentum præceptum pro neceſſitate hujus remedii obligare intelligitur: at evidens eſt, hujus remedii neceſſitatem ſæpius in vita occurrere: ergo. Præterea præcepti vis ex ejuſdem fine colligitur: finis præcepti confeſſionis eſt, ut qui in peccata mortifera lapſi ſunt, Deo reconcilientur: at dilatio reconciliationis cum Deo uſque ad finem vitæ Deo exoſa eſt; a qua dilatione ſacræ litteræ nos ſæpe deterrent; ergo præceptum confeſſionis a Deo latum, non in ſolo mortis articulo obligat. Adde, quod ſicuti medicinæ corporis pro ratione morbi ex neceſſitate ſæpe repetendæ ſunt, ita ſacra confeſſio ex neceſſitate repetenda eſt, prout animæ morbi poſtulaverint.

Neque ſolum ex hoc capite divina lex obligat ad confeſſionem repetendam, ſed etiam ex eo, ne cum mortiferi peccati conſcientia, ſine confeſſione ſacramenta adminiſtremus, vel ſuſcipiamus, quidquid contra clamet La-Croix n. 2022. aut etiam cum veremur, ne alicujus culpæ, quam admiſerimus, nos oblivio capiat, ſicuti docet Catech. Conc. Trid. p. 2. de confeſſ. n. 45.

Chriſtus quidem non determinavit, quoties, aut quando divinum ſuum de confeſſione præceptum obligaret; quia hæc obligatio ex neceſſitate peccatoris, quæ in omnibus eadem non eſt, ſed varia, deſumenda eſt; at Eccleſia ſtatuit, ut tale *præceptum ſaltem ſemel in anno ab omnibus, & ſingulis, cum ad annos diſcretionis perveniſſent, impleretur*, ſicuti definit Syn. Trid. ſeſſ. 14. c. 5. Porro cum Eccleſia hoc conſtituerit, ponit, & judicat, divinum confeſſionis præceptum ſæpius in vita obligare. Non enim neceſſaria, ſed ſupervacanea eſſet annua confeſſio ad implendum divinum præceptum, ſi divinum præceptum in mortis tantum articulo obligaret.

Buſembau demum ait, præceptum eccleſiaſticum non obligare, niſi reos peccati mortalis; qua de re infra.

A n i m a d v e r s i o IX.

Tenentur hoc præcepto... pueri doli capaces ſaltem poſt ſeptennium.

Cum addit *ſaltem poſt ſeptennium?* An pueri doli capaces ante ſeptennium, hoc præcepto non tenentur? ita quidem nonnulli apud La-Croix p. 429. n. 2026. male putarunt. Dum Buſembau addit *ſaltem poſt ſeptennium*, dubitare ſaltem videtur, utrum pueri doli ante ſeptennium capaces, hoc præcepto obligentur. At de hoc dubitandum non eſt. Nam Lat. Conc. cap. *Omnis* ſæpe cit. ita præcipit.

Omnis utriuſque ſexus fidelis, poſtquam ad annos diſcretionis pervenerit, omnia ſua ſolus peccata ſaltem ſemel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti &c. Idem ait Conc. Trid. mox cit. Sacræ Synodi verba perſpicua

ſunt, quæ annuæ confeſſionis præceptum non definito annorum, puta ſeptem, octo &c. numero, ſed annis diſcretionis alligavit. Quare non eſt dubitandum, quin puer confeſſionis annuæ præcepto teneatur, cum rationis uſu, quo bonum a malo dignoſcens, doli, ſeu peccati capax eſt, potitur, etiamſi id ante ſeptennium contingat.

Quoad praxim audiendus eſt S. Carolus Borr. in admon. Conf. n. 22. ubi ait: *E' ſanta uſanza di far venire li putti, e putte, quantunque non paſſino cinque, o ſei anni, ad uno, ad uno innanzi al Confeſſore, acciocchè comincino, e a poco a poco vadano iſtruendoſi, ed introducendoſi nella cognizione, e poi nell uſo di queſto ſacramento. Devono nondimeno i Sacerdoti eſſere avvertiti di non dare l' aſſoluzione ſagramentale a quelli, ne' quali non ſi veda materia d' aſſoluzione, nè tanto uſo di ragione, che ſi poſſa giudicare, che ſiano capaci di queſto ſacramento. Ed uſeranno particolar diligenza d' iſtruire li putti, e putte, come ſono arrivati alli ſette, a otto anni, ſecondo la capacità loro, della neceſſità, e virtù di queſto ſagramento, e modo di venire ad eſſo.*

ANIMADVERSIO X.

Improbabile eſt, quod docet Sa &c. Eccleſiam non obligare ante pubertatem.

Hæc doctrina non ſolum improbabilis eſt, ſed evidenter falſa; quia evidenter contraria perſpicuo Eccleſiæ præcepto mox relato, & univerſali ejuſdem Eccleſiæ conſuetudini.

Si vero dubium ſit, poteſt .... abſolvi ſub conditione, Vide &c. ubi docet etiam extra articulum mortis &c.

De abſolutione ſub conditione dictum eſt hoc lib. 6. t. 2. cap. 1. d. 1. Reſp. 1. c. 3. & d. 3. art. 2. ex quibus, & ex D. Carolo Borr. mox cit. puero, de quo dubitatur, utrum ſufficienti rationis uſu polleat, abſolutio ſuſpendenda eſt, non autem, ut male ait Buſemb., ſub conditione impertienda.

In mortis tamen articulo putarem, talem puerum eſſe non ſub conditione, ſed abſolute abſolvendum, ſi peccatum ex ſe grave confiteretur, adhibita tamen prius diligentia, ut ad dolorem, & propoſitum excitaretur. Et ratio eſt, quia periculum fruſtrationis ſacramenti cedit periculo damnationis animæ, in cujus gratiam Chriſtus pro ſua infinita miſericordia ſacramentum inſtituit.

ANIMADVERSIO XI.

Non obligatur, qui tantum habet venialia &c.

Hanc opinionem, quam communem cum Buſemb. eſſe dicit, ſequitur quoque Anacletus Theol. Mor. p. 437. qu. 2. n. 1. & La Croix p. 430. n. 2038. Contrariam defendit Nat. Alex. Theol. t. 1. p. 421. reg. 10. eamque teſte Antoine Th. p. alt. p. 461. q. 19 docent Richard, Alenſis, S. Bonav., Sylv., Fagnanus, & aliqui recentiores. Ratio Antoine eſt, „ quia alioquin minæ interdicti per canonem intentatæ inutiles forent. Nam „ fideles cauſarentur, ſe ſibi non eſſe conſcios mortalium. Unde ut præceptum divinum ab omnibus religioſe ſervaretur, Eccleſia præcepit, ut omnes, & ſinguli, licet ſibi ſuſorum venialium conſcii, ſemel in anno confiterentur. "

Hanc ſententiam explicate tradit D. Thom. Suppl. q. 6. ar. 3. ubi ait: *Quod ad confeſſionem dupliciter obligamur. Uno modo ex jure divino ex hoc ipſo, quod eſt medicina, & ſecundum hoc non omnes tenentur ad confeſſionem, ſed illi tantum, qui peccatum mortale incurrunt poſt baptiſmum. Alio modo ex præcepto juris poſitivi; & ſic tenentur omnes ex inſtitutione Eccleſiæ edita in Concilio generali ſub Innoc. III. tum ut quilibet peccatorem ſe recognoſceret:* „ quia omnes peccaverunt, & „ egent gratia Dei: " (Rom. 3.) *tum ut cum majori reverentia ad Euchariſtiam accedatur, tum etiam ut Eccleſiarum Rectoribus ſui ſubditi innoteſcant, ne lupus intra gregem lateat.* Conſulatur ipſa Eccleſiæ lex, in qua dicitur: *Omnis utriuſque ſexus fidelis, poſtquam &c. ſaltem ſemel in anno fideliter confiteatur &c.* Hæc lex non ſolum abſolute, & ſine exceptione lata eſt, ſed omnem exceptionem aperte excludit, dum ait, *Omnis*, &c. Hinc Syn. Trid. ſupra cit. ſeſſ. 14. cap. 5. docet, Eccleſiam per Concilium Lateranenſe ſtatuiſſe, ut divinum confitendi *præceptum ſaltem ſemel in anno ab omnibus, & ſingulis, cum ad annos diſcretionis perveniſſent, impleretur.* Ait *ab omnibus, & ſingulis.* Qui excipiunt aliquos, hoc eſt eos, qui in mortalia crimina lapſi non ſunt, nonne aperte repugnant Conciliis tum Lateranenſi, tum Tridentino?

Cum Anacletus Th. p. 437. qu. 2. num. 13. ait, Eccleſiam non præcipere confeſſionem peccatorum dumtaxat venialium, ad citata Conciliorum Lat. & Trid. verba non ſatis attendiſſe videtur. Nam cum Eccleſia omnibus, & ſingulis fidelibus annuam confeſſionem explicare præcipiat, evidenter ſequitur, Eccleſiam præcepiſſe confeſſionem etiam peccatorum dumtaxat venialium. Cum quærimus, quid, aut quibus Eccleſia præcipiat, unde nam id ſcire poſſumus? Non aliunde certe, quam ex verbis, quibus Eccleſiæ præceptum conceptum fuit. In præſenti quærimus, utrum Eccleſia præcipiat annuam confeſſionem habentibus ſola venialia. Quænam ſunt verba Eccleſiæ præcipientis? *Omnis utriuſque ſexus fidelis &c.* Qui habent ſola venialia, ſuntne ex numero fidelium? Ergo Eccleſia præcipit annuam confeſſionem habentibus ſola venialia. Cur excipis ab hoc præcepto ſola venialia habentes, ſi eos Eccleſia non excipit, imo eos aperte includit? An Eccleſiæ præcepta ex noſtris ratiunculis fingenda ſunt? An ad noſtras ratiunculas flectenda? An cum Eccleſia omnes, & ſingulos fideles ſuo præcepto perſpicue, & explicate complectatur, nos ab eo aliquos excludere audebimus? Cum præceptum aliquos tantum obligat, Eccleſia id explicat, ut cum Syn. Trid. eos, qui ad ſacram Euchariſtiam accedere volunt, præcepto confeſſionis teneri declarat, ſi alicujus mortiferi peccati conſcii ſint. Quare ſi Eccleſia annuæ confeſſionis præcepto eos tantum obſtrictos vellet, qui mortali culpa infecti ſunt, id declararet. At id non ſolum non declarat, non ſolum indefinite loquitur, ſed univerſaliter, idque perſpicue: *Omnis &c. ab omnibus & ſingulis &c.*

Fruſtra ergo objicit Anacletus, peccata venialia multis aliis remediis ex Syn. Trid. ſeſſ. 14. cap. 5 expiari poſſe. Nam etiamſi ratio, ſeu finis legis generalis quoad aliquam perſonam ceſſet, lex tamen quoad eam perſonam non ceſſat. Præterea tota & adæquata ratio præcepti Lateranenſis non eſt admiſſorum peccatorum expiatio, ſed, ut ait D. Th. mox relatus, ea eſt, ut quilibet ſe peccatorem agnoſcat, ut cum majori reverentia ad Euchariſtiam accedat, ut Eccleſiarum rectoribus ſui ſubditi innoteſcant, ne lupus intra gregem lateat.

At, inquit Anacletus, „ præceptum eccleſiaſticum eſt „ determinatio præcepti divini: atqui hoc eſt de peccatis dumtaxat mortalibus: ergo & illud. "

Reſp. diſtinguo maj. Eſt determinatio cum addito, conc. maj., eſt pura & puta determinatio præcepti divini, neg. maj. & conceſſa minori, nego conſequentiam. Eccleſia ergo in Lateranenſi Concilio eo præcipue ſpectavit, ut divinum confeſſionis præceptum impleretur; atque ut nemo ab eo implendo ſeſe ſubtraheret, præcipit, ut omnes, & ſinguli ſine ulla exceptione annuam confeſſionem ederent. Hoc eſt perſpicuum Eccleſiæ præceptum, conceptiſſimis verbis expreſſum; quod univerſalis conſuetudo, & omnium fidelium ſenſus confirmat. Nam ſi ſaltem ſemel in anno ad confeſſionem non accedant, ſe peccati mortalis reos ſine ulla exceptione agnoſcunt. Hinc porro fit, ut ſi quis in Paſchate ad ſui Paſtoris Tribunal accederet, & diceret, ſe nullius mortalis culpæ conſcium eſſe, omni rationum vi ad confeſſionem edendam eſſet extimulandus; quam ſi edere recuſaret, ad communionem Paſtor eum admittere, ſicuti ex contraria opinione hactenus refutata perperam affirmat Buſembau, non teneretur, ſed contra ab ea illum repellere deberet, utpote qui, cum eſſet eccleſiaſticæ legis violator, & mortalis peccati reus, ea indignus foret. Quamquam quoad praxim attinet, id nunquam contingit. Nam qui a culpis mortalibus immunes ſe præſtant, ſacramenta frequentant, imo hac præcipue ſaluberrima frequentia, veluti efficaciſſimo antidoto a letalibus criminibus ſe præſervant.

Sed demum mihi objicis D. Thomam, qui art. 3. mox cit. ad 3. inquit: *Vel poteſt dici ſecundum quoſdam, quod ex decretali prædicta* (Concilii Lat.) *non obligantur, niſi illi, qui habent peccata mortalia; quod patet ex hoc quod dicit, quod debent omnia peccata confiteri, quod de venialibus intelligi non poteſt; quia nullus omnia confiteri poteſt.*

Reſp. D. Th. ait, *ſecundum quoſdam*, hoc eſt aliorum ſententiam affert, non ex ſuo ſenſu loquitur, quem tum in corp. art. mox relato aperuit, tum in hac eadem reſponſione, ubi ait, *quod ex vi ſacramenti non tenetur aliquis venialia confiteri, ſed ex inſtitutione Eccleſiæ, quando non habet alia, quæ confiteatur.* Quia tamen hæc ſententia S. Doctori non videtur certa, contrariam refert, nec refutat, ut objectioni plenius ſatisfaciat. Ceterum cum Conc. Lat. ait, *Quod omnis omnia ſua peccata confiteri debet*, illud *omnia* intelligitur de peccatis neceſſario confitendis, ita ut non ſolum confeſſionem, ſed integram confeſſionem præcipiat; cujus integritati non officit, ſi quis habens ſolum venialia, eorum aliqua tantum aperiat.

ANIMADVERSIO XII.

Probabile eſt eum, qui uno anno ... non ſatisfecit præcepto, teneri adhuc, quam primum poteſt &c.

Ait

Ait *probabile*; quia non defuere contrarium ſentientes; quam ſententiam teſte La-Croix p. 430. num. 2046. Dian. Fill. Tamb. vocant probabilem, D caſt. probabiliſſimam. La-Croix, Buſembaum ſententiam a pluribus traditam probabiliorem vocat; quæ doctrinæ ratio illud dicit, eum, qui præcepto confeſſionis intra annum non ſatisfecit, jam peccaſſe, eſſe autem in ejus arbitrio, ut poſt non confitendo peccet, vel non peccet. Nonne longe rectius loquerentur, ſi dicerent, ſe neſcire, utrum, nec ne peccet? Quid ergo? Ego iiſdem verbis, ac La-Croix, utor; ſed, dum probabilius eſſe ajo, elapſo jam confeſſionis anno vigere nihilominus obligationem confitendi, contrariam opinionem improbo. Eamque eadem ratione a Buſembao allata, quæ inſtitutum evincit, rejiciendam puto.

Præterea idem de eo, qui annuæ confeſſionis præceptum non implevit, dicendum eſt, ac de illo, qui paſchali communioni non ſatisfecit; utrumque enim præceptum quoad tempus eſt prorſus ſimile: at qui paſchali communioni non ſatisfecit, ejuſdem communionis præcepto, cum primum poteſt, tenetur; quod P. Concina Th. t. 5. p. 442. num. 5. ſolidis rationibus, & communis nunc ſententiæ auctoritate evincit; ergo qui annuæ confeſſionis præceptum ſeu culpabiliter, ſeu ſine culpa non implevit, illud, quam primum poteſt, implere tenetur.

At adverſarii objiciunt, obligationem confitendi videri alligatam anno, ſicuti obligatio horarum canonicarum diei alligata eſt, quo elapſo obligatio deſinit.

Reſp. Hæc ratio nimis probat, quia idem probaret de paſchali communione. Præterea nego paritatem; quia aliud eſt præceptum pro ſingulis annis, aliud præceptum pro ſingulis diebus. Finis præcepti officii diurni eſt, ut homo Deo dicatus in divinis laudibus, & precibus quotidie occupetur, qui finis habetur, etiamſi elapſo die illius diei præceptum ceſſet, quia dies ſuccedens habet præceptum ejuſdem occupationis; finis præcepti confeſſionis annuæ eſt reconciliatio peccatoris cum Deo, qui finis non habetur, ſi elapſo anno præceptum confeſſionis ceſſaret. Nam præceptum ſubſequentis anni non ſtatim urget, ſed ad finem ejuſdem anni prorogari poteſt.

Hinc fit, ut merito dicamus, terminum anni pro confeſſione apponi non ad finiendam, ſed ad non protrahendam obligationem; etſi fateamur, obligationem horarum canonicarum diei alligari, eoque finito finiri.

Accedit, quod ſi diurni officii præceptum die elapſo non deſineret, graviſſimum fieret iis, qui morbo impediti per plures hebdomadas, aut menſes illud recitare non potuiſſent; quod de confeſſione dici non poteſt.

Adde, quod ipſa officii forma, & modus evincit, ejus præceptum diei alligari; quia ſinguli dies habent ſuum officium ab aliis diebus diverſum, quod aliis non convenit: at ſacramentali confeſſioni quodlibet tempus ſemper eſt accommodatiſſimum. Hinc ſenſus communis habet, ut præceptum officii divini diei ſit alligatum, non item ut præceptum confeſſionis annuæ anno adſtrictum ita ſit, ut eo elapſo deſinat.

Ac proinde talem toties peccare mortaliter, quoties oblatam occaſionem neglexit, ut docent &c. *contra Sylv.* &c. *qui dicunt* &c.

Eodem verſatili modo loquitur La-Croix p. 430 num. 2044. Ego exiſtimem quoad praxim, quæ in morum doctrina præcipue ſpectanda eſt, idem eſſe, ſeu dicas, talem toties peccare, quoties oblatam occaſionem neglexit, ſeu in eodem peccato perſeverare; quia perſeverantia in eodem peccato eo gravior eſt, quo diuturnior, & æquivalet numero aucto peccatorum. Dico ſecundo, propoſitam quæſtionem noſtris temporibus apud nos catholicos eſſe ſupervacaneam, ſeu, ut ſcholæ ajunt, de ſubjecto non ſupponente; quia occaſio confitendi nunquam deeſt, cum Confeſſarii præſto ſemper ſint. Quare quoad hoc & Confeſſarii, & pœnitentes ſatisfacient muneri ſuo, ſi illi interrogent, & hi explicent ſpatium temporis, quo a confeſſione abſtinuerunt.

Animadverſio XIII.

Non obligatur ante finem anni, qui habens mortale, timet ne illud obliviſcatur.

Idem ait La-Croix p. 429. n. 2032. quam opinionem P. Concina Theol. t. 9. p. 278 n. 32. falſam, & laxam exiſtimat: eamdem rejicit Nat. Alex. Theol. t. 1. p. 429. reg. 5. nixus auctoritate graviſſima Catech. Conc. Tri. qui p. 2. c. 5. num. 45. ait: *Atque idem omnino ſervare oportet*, ut confeſſio non prætermittatur, *cum veremur ne nos alicujus culpæ, quam admiſerimus, oblivio capiat. Neque enim peccata confiteri poſſumus, quæ non meminimus; neque peccatorum veniam a Domino impetramus, niſi ea pœnitentiæ ſacramentum per confeſſionem deleat*. Si adverſarii tanta auctoritate non vincuntur, ſaltem ratione a Catech. allata, quæ inſtitutum evincit, & quam ipſi nunquam ſolvent, vincantur. „An non peccaret Miniſter (inquit P. Concina „loco cit.) qui prævidens debitorum, aut creditorum „oblivionem, eadem ſcriptis conſignare negligeret? „an non peccaret ille, qui prævidens oblivionem cu„randi vulneris, quod illius vitæ inſidiatur, curatio„nem procraſtinaret?.... Nonne tenetur quis confi„teri, quando confeſſio reputatur medium ad ſuperan„dam gravem tentationem, ad evitandum peccatum, „ut docent vel ipſi benigniores Caſuiſtæ? Quo jure „ergo omitti poteſt, dum eſt medium certo neceſſarium „ad evitandam peccati, imo, ut Leander aſſerit cum „ſuis, multorum criminum oblivionem?“

Adde, quod Buſemb. & La-Croixio p. 430. n. 2045. fatentibus „qui prævidet ſe poſtea impediendum, quo„minus iſto anno confiteatur mortalia, vel reſervata „habenti poteſtatem abſolvendi, tenetur prævenire, „ſicuti qui ſero non poterit audire Miſſam, tenetur „audire mature, qui a prandio non poterit orare ho„ras, tenetur mane, quia tum adeſt præceptum & im„pleri poteſt: ergo debet.“

Ergo, qui prævidet oblivionem peccati, confeſſionem prævenire tenetur.

Non enim minor eſt obligatio integre quoad fieri poteſt confitendi, quam annuatim; imo major, quia confeſſio integra eſt expreſſi juris divini, cum confeſſio annua quoad temporis determinationem ſit juris eccleſiaſtici.

Sicut Buſemb. ita La-Croix pro ſua opinione nihil affert, niſi aliquot nomina probabilium opinatorum, qui, cum ſine ratione loquuntur, pro nihilo merito habendi ſunt. Illud addit La-Croix, quod „Diana me„rito non obligat etiam ad ſcribenda peccata, ne „memoria excidant. Id enim foret onus graviſſimum, „& ſecundum ſe expoſitum periculo manifeſtationis, „ſaltem ſi fiat diu ante confeſſionem.“ Hic rationem affert, ſed falſam, ut ſuæ doctrinæ falſitatem oſtendat. Scriptionem peccatorum eſſe onus graviſſimum, eſt res aperte falſa, quam nemo dicere audebit, niſi qui nobis in animæ negotio, & in noſtram perniciem blandiri parati ſunt, & quovis prætextu præcepta etiam divina de medio tollere. Nam periculum manifeſtationis ſcripti, quod diligenter cuſtoditur, remotum eſt, & rariſſimum, cui etiam, ſi timeatur, conſuli poteſt ſcriptionis genere ſoli ſcribenti noto.

At inquit La-Croix: “Si ex dilatione, vel omiſ„ſione talis ſcriptionis obliviſcatur aliquis, erit per ac„cidens, & tenebitur confiteri, quando redibunt in „memoriam.“

Hæc ſane ratio præclara eſt. Quid ſonat illud *per accidens*? Ego ſane jam adoleſcens ab Ariſtotele didici, per accidens, ſeu fortuito illa contingere, quæ præter expectationem contingunt; hoc ſenſu illud *per accidens* ab omnibus vulgo uſurpari animadverti. An præter expectationem accidit oblivio peccati, quam prævidimus? At La-Croix dixit *per accidens*, ut vocabuli ſignificatione ſibi ignota rem involveret, & locutionis arcano myſterio ſibi fidem conciliaret.

Animadverſio XIV.

Probabilius eſt, non ſatisfieri..... per confeſſionem invalidam &c. *Etſi probabile contrarium putet eſſe Fagund.* &c.

Hoc contrarium, quod Buſembau non improbat, ab Alex. VII. damnatum fuit propoſ. 14. quæ ita habet: *Qui facit confeſſionem voluntarie nullam, ſatisfacit præcepto Eccleſiæ*.

At quid, inquis, ſi confeſſio involuntarie nulla ſit? Reſp. Nihilominus præcepto non ſatisfit, ut fatetur ipſe La-Croix p. 429. n. 2033. confeſſio enim quomodocumque nulla, quoad confeſſionem nihil reipſa eſt: at quod reipſa nihil eſt, præcepto non ſatisfacit: ergo &c. ex. gr. ſi quis bona fide Sacerdoti expoſito juriſdictione carenti ſua peccata confiteretur, culpa quidem vacaret, nec violati præcepti, quandiu in tali ignorantia inculpata verſaretur, reus eſſet; at præceptum non fuiſſet impletum; ideoque confeſſio, ut etiam ipſi præcepto eccleſiaſtico ſatisfieret, eſſet iteranda, cum error detectus fuiſſet.

Quid vero, ſi confeſſio ſit valida, & informis? Reſp. La-Croix num. 2024. putat, præcepto ſatisfieri, citatque Suar. Valent. Bonac. Lugo, Caſtrop. Ar. Dicaſt. Illſ. Boſco. Ego puto, quæſtionem eſſe de ſubjecto, ut ſcholæ ajunt, non ſupponente. Perſpicue, ſi fieri poteſt, explicandum hic eſt, quid ſit confeſſio valida, & informis, & oſtendendum ab adverſariis prius eſt, hujuſmodi confeſſionem exiſtere poſſe; ac tum demum quærant, utrum confeſſio valida, & informis præcepto ſatisfaciat. Ego confeſſionem validam appello,

cujus

cujus vis, & effectus non impeditur: porro vis, & effectus confeſſionis eſt peccatoris in Dei gratiam reſtitutio: quare confeſſionem validam dico, quæ peccatorem in Dei gratiam reſtituit. Quid eſt confeſſio informis? Non illa, cui ſacramenti forma, hoc eſt abſolutio deeſt, ſed ea, quæ ſua vi, & effectu caret propter indiſpoſitionem pœnitentis: ergo confeſſio informis, & invalida idem ſonant. Si confeſſio, quæ peccatorem in Dei gratiam non remittit, aliquid nihilominus efficeret, ut baptiſmus, confeſſio dici poſſet ex parte valida, & ex parte invalida, ſeu, ſi vis, valida, & informis: at confeſſio, quæ peccatorem in Dei gratiam non remittit, nihil prorſus efficit. Ergo confeſſio ſimul valida, & informis ſunt ſolum voces involutæ, ac reipſa contradictoriæ.

Invalidam, inquis, appello, in qua abſolutio datur a non habente jurisdictionem; informem, quæ effectu caret propter pœnitentis indiſpoſitionem.

Ergo confeſſio valida, & informis ea eſt, quæ ſuo effectu impeditur non ex parte Sacerdotis, ſed ex parte pœnitentis indiſpoſiti; quæ præcepto non ſatisfacit, quia eſt voluntarie nulla. Recole prop. 14. ab Alex. VII. damnatam, & mox relatam.

Item nec per confeſſionem venialium.

Non eſt hic ſermo de eo, qui habens mortalia, & venialia, hæc tantum confitetur.

Hic enim, cum confeſſionem integram, quam Conc. Lat. citatum verbo illo *omnia* præcipiat, non edat, extra controverſiam præcepto non ſatisfacit; & prætarea, cum talis confeſſio ſit voluntarie nulla, & ſacrilega, ab Alex. VII. propoſ. 14. damnatum eſt, quod ſatisfaciat.

Buſembau ergo loquitur de iis, qui habent ſola venialia, quorum confeſſione præcepto Eccleſiæ non ſatisfieri putat. Ergo ne iſti confeſſionem rite facientes, violati nihilominus eccleſiaſtici præcepti rei ſunt? Minime vero, ipſe Buſembau reſponderet. Iſti nec violant, nec implent præceptum, quia præceptum juxta ipſum eos non attingit. Sed quorſum præſens doctrina, ex falſa, ut ego ſentio, & ut ſupra oſtenſum eſt, opinione orta?

Ex hac doctrina La-Croix p. 430. num. 2040. hoc corollarium colligit. „ Qui omni die anni confeſſus eſt „ venialia, ſi die anni ultima peccet mortaliter, vel „ recordetur mortalis non confeſſi, tenetur ultima illa die confiteri, " citatque Vaſq. Regin. Laym. Bonac. Lugo, Arriag. Averl. Caſtrop., qui hoc certum eſſe dicit, quamvis, inquit, contradicant aliqui cum „ Rhod. "

Ego quoque contradico; quia contra Buſemb. La-Croix, & alios oſtendi, Lateranenſe Concilium præcipere annuam confeſſionem etiam habentibus ſola venialia, ex quo fit, ut, ſi quis e. g. hebdomada majori ſua peccata, quæ ſunt ſolum venialia, confiteatur, ut die Jovis ſancto, vel Dominica reſurrectionis communionem ſumat, Eccleſiæ præcepto rite ſatisfecerit. Quod ſi hic, qui toto anno nihil, niſi venialia admiſit, & ſæpe etiam confeſſus eſt, in mortale ante octavam paſchatis forte incidat, confeſſionis annuæ, cui jam ſatisfecit, præcepto non tenetur, nec mortalis culpæ reus cenſendus eſſet, ſi confeſſionem ſui peccati ad Pentecoſten e. g. prorogaret. Si tamen recordaretur mortalis in confeſſione licet inculpate omiſſi, hunc confeſſionis præcepto teneri putarem, quia Concil. Later. non ſolum confeſſionem, ſed integram confeſſionem præcipit.

TRACTATUS V.

De extrema Unctione, & Ordine.

CAPUT I.

Quid ſit extrema Unctio, & quæ circa eam obſervanda?

RESpond. 1. eſt ſacramentum a Chriſto inſtitutum ad ægroto periclitanti de vita conferendam ſalutem animæ, vel etiam corporis, per unctionem olei benedicti, & orationem Sacerdotis. S. Thom. *in 4. diſ. 23. q. 1. art. 1.*

Unde reſolves.

Animad. I. 1. *Materia ejus remota eſt oleum benedictum, quod in pyxide chriſmali ſignatur littera I. (in cujus defectu non licet uti chriſmate: ſi tamen uſus ſis, nihil repetendum eſſe, docet Laym. lib. 5. tr. 8. c. 2. n. 3.)* idque renovandum eſt quotannis in cœna Domini, veteri exhauſto: ſi tamen novum haberi non poſſit, licet uti antiquo, Laym. *l. c.* & ſi hoc non ſufficiat, aliud conſecratum, vel in neceſſitate non conſecratum (in minore tamen quantitate, quam vetus eſt) addere, *Etſi Diana p. 6. t. 6. R. 44. ex Leſſ. & aliis 4. dicat contrarium habere praxim Eccleſiæ; ut ſcilicet paulatim, & per vices (ſi ita requirat neceſſitas propter copiam infirmorum) longe etiam major quantitas addatur, quam ab Epiſcopo fuerit conſecrata initio.* Bon. *d. 7. q. 1. n.* 8. ex Poſſevino.

2. Materia proxima eſt unctio certarum partium corporis, *ac ſaltem quinque ſenſuum*; (*a*) vel ſi mutilati ſint, vicinarum partium, facta a Sacerdote; non ſimpliciter neceſſario contactu immediato manus; nam peſte graſſante poteſt uti virga oblonga oleo tincta, quam poſtea comburat. Sylv. Chapeavill. Dian. V. Dian. *p. 2. t. 4. R.* 167. *Quidam etiam Doctores putant, unam tantum unctionem eſſe de eſſentia Sacramenti: ideoque in periculo peſtis, & ſimili neceſſitate, ſufficere unum tantum organum magis obvium*, vel potius caput, quod in eo ſenſus maxime vigeant, ungere dicendo: *Per iſtam*, &c. *quicquid deliquiſti per viſum, auditum, guſtum, odoratum, tactum*, &c. Et quidem pro hac ſententia citantur varia Paſtoralia, Agendæ, & Doctor. Lovan. Sylv. *in 3. par. q. 33. ar. 7.* Laym. *lib.* 5. *tr.* 8. *c.* 3. qui eam non omnino improbabilem; Tann. & Marchant. *in Horti Paſtorum*, qui omnino probabilem, & in praxi uſitatam; Dian. *reſ.* 168., qui in praxi tutam dicit, citanſque pro ea *p.* 8. *t.* 1. *R.* 21. Gran. Amic. Averſam affirmat, Pontificem id poſſe permittere: & denique Eſcob. citans Beccanum *cap.* 25. *q.* 7. *n.* 6. Barboſa in Trid. *ſeſſ.* 14. *cap.* 1. id permittit. *Verum cum alii Doctores communiter repugnent, tutius ſaltem erit* (quod ſuadent Laym. & Dian. *ll. cc.*) *in caſu unum oculum, aurem, manum, & os velociter ſine crucis forma ungere, dicendo unicam formam complectentem reliquas.* Illud vero certius eſt, pedes, aut renes inungere, non eſſe eſſentiale, *imo quoad renes, nec eſt decens, præſertim in feminis, & viris religioſis, ideoque omitti ſolet.* Henriquez, Sa, Tolet. Suar. Bellarmin. *c.* 10. *in fine.* Animad. II.

3. De eſſentia hujus Sacramenti eſt, 1. *ut organa 5. ſenſuum, quæ inunguntur, nominentur.* (*b*) Palaus *t. 4. t.* 26. Averſa *ſ.* 4. &c. communiter, licet Dian. *p.* 8. *t.* 7. *R.* 56. ex Regin. contrarium cenſeat probabile; imo ad valorem ſufficere ſi inter ungendum omnes ſenſus dicas: *Per iſtas ſanctas unctiones indulgeat tibi*, &c. 2. Verba illa: *Per hanc ſanctam unctionem*: etſi Palaus *loc. cit.* dicat valere, ſi tantum omittas *τὸ ſanctam*. 3. Verba deprecativa, *Indulgeat tibi Deus.* Hinc formam imperativam; v. gr. *Per hanc*, &c. *remittatur tibi quicquid*, &c. non valere, dicit Palaus *l. c.* Dian. *l. c.*

4. *Hoc Sacramentum tantum dandum eſt morti propinquis, ex morbo, vulnere, partu, vel ſenectute, quia hi ſoli ſunt infirmi.* Quod ſi morbo liberati rurſus periclitentur, iterandum eſt: & quidem in diuturnis morbis, quoties erit periculum novum; neque expectandum (ſub gravi culpa, Quintan. *t.* 4. *ſ.* 9.) donec ſenſibus careant, vel omnino ſint deſperati. In dubio vero de vita, detur ſub conditione. Lay. *l. c.* ex S. Thom. Silv. Suar. *d.* 40. Animad. III.

5. Si conferatur infirmo communi morbo, ſive non graviter, vel periculoſe laboranti, *non eſt validum. Suar. Palaus*, Gran. *Amic. &c. commun.* (*c*) Ac licet Leſſ. Wigeres & Quint. contrarium putent probabile; concedunt tamen ſic inunctum iterum inungendum eſſe (etiam in eodem morbo) quando periculoſe laborare cœperit, ob mutatum ſtatum infirmitatis, additque Quint. mortaliter peccatum fuiſſe. Quint. *t.* 5. *ſect.* 7. Dian. *p.* 9. *t.* 6. *R.* 64.

6. *Ad Sacramentum hoc cum fructu recipiendum, in eo, qui rationis eſt compos, & conſcius peccati mortalis (ſi non confiteatur) requiritur contritio ſaltem exiſtimata*: neque ſufficit attritio. Bonac. *d.* 7. *q. un. p.* 5. *n.* 2. ex Reg. *l.* 28. *c. ult. ar.* 73. Ordinaria autem, niſi obſtet cauſa rationabilis (verbi gratia ſi ob vomitum communicare non poſſit) præmittenda eſt confeſſio, & communio ob Eccleſiæ conſuetudinem, quæ unctionem, tanquam minus neceſſariam ad ſalutem, poſtponit. Vid. Bonac. *l. c. n.* 13.

Li-

Digitized by Google

ANIMAD. IV. *Licet autem per ſe loquendo confeſſio non neceſſario præmittatur, cum per contritionem ſe diſponere poſſit; per accidens tamen requiri poteſt*, verbi gratia ſi poſt viaticum peccaſſet mortaliter, & timeretur poſt unctionem defuturum tempus confeſſioni: tunc enim prius audiendus, & abſolvendus eſſet; quia ſacramenta magis neceſſaria tali caſu prius ſumenda ſunt. Fill. Barb. Dian. *p.* 5. *t.* 3. *R.* 92.

7. Pueris habentibus ſufficientem rationis uſum ad peccandum, tametſi ſacram Euchariſtiam non accipiant, non recte negatur extrema Unctio, cum inde nonnumquam ſalus ipſorum dependere poſſit. Suar. 2. *p. t.* 3. *d.* 70. *ſ.* 1. Graſ. Angl. Zamb. apud Laym. *l.* 5. *t.* 8. *cap.* 4. *n.* 2. *qui Parochos quorumdam*
ANIMAD. V. *locorum excuſat, per conſuetudinem toleratam ab Epiſcopis, ſi non dent pueris ante ann.* 14. *vel* 15. *excepto caſu neceſſitatis, quo puer, quem rationis uſum conſecutum eſſe conſtent, aliud Sacramentum ante mortem ſuſcipere non poſſit*. Vide Chapeavil. *t.* 5. *q.* 17. Ac licet Parochus in confeſſione cognovetit, puerum nunquam actualiter peccaſſe, debere tamen illum inungere, contra Nug. & Sanc. docent Suar. Reg. Fill. Con. &c. cum Dian. *p.* 3. *t.* 4. *R.* 181. Si vero dubium ſit, an puer uſum rationis habeat, ungendus eſt ſub conditione. Dian. *p.* 5. *t.* 3. *R.* 85. & Sanc. Zamb. & Card. de Lugo.

8. Miniſter eſt ſolus Sacerdos proprius, ſive Paſtor: ſine cujus venia ſi extra neceſſitatem alius det, validum quidem eſt, ſed graviter peccat. Sylv. Sot. Con. *d.* 9. *n.* 28. & Religioſus incurrit excommunicationem papalem, Suar. Regin. *l.* 18. *n.* 49. Poſſe tamen Regulares hoc Sacramentum, uti & Viaticum, in articulo mortis ſuis familiaribus miniſtrare, docet Dian. *p.* 5. *t.* 3. *reſ.* 52. ex Marck. &c. In neceſſitate vero, ut ſi Paſtor abſit, vel dare nolit, nec Superior poſſit adiri pro petenda licentia, licite miniſtrat quivis non excommunicatus, aut ſuſpenſus, etiam Regularis, ut contra Gavant. docent Præpoſ. Henriq. Fern. Gran. Dian. *p.* 4. *t.* 3. *R.* 82. cenſetur enim tunc Papa dare licentiam. Laym. Reg. Suar. &c. *l. c.* Dian. *R.* 176.

9. Sufficit Sacerdos ſine miniſtro in neceſſitate, nec in ea femina adhibenda eſt; quod ſi tamen fiat, veniale eſſe docet Quint. *t.* 5. *ſ.* 6. In ea poſſet etiam unus unam, alius aliam partem inungere, pronuntiando tamen formam illi unctioni reſpondentem. Bonac. *l. c.* &c. comm. Non tamen poteſt unus inungere aliquem ſenſum, & alius formam pronuntiare: neque unus unum oculum, & alter alterum. V. Dian. *p.* 9. *t.* 7. *R.* 56. *Quod ſi Sacer-*
ANIMAD. VI. *dos non poſſit progredi, ſupplenda erunt per alium, quæ reſtant*. Tann. Præp. Mezat. *qui apud Dian. p.* 5. *t.* 3. *R.* 87. *notat, licere etiam alteri unctiones ab initio repetere, perinde ac ſi prior nullam earum inchoaſſet*.

10. Etſi in adminiſtratione hujus Sacramenti ſervanda ſint omnia præſcripta in Rituali, Agenda, vel Manuali, mortale tamen non eſſe adminiſtrare in neceſſitate ſine ſuperpelliceo, vel ſtola, docent Quint. & Leand. conceditque Amic. & Dian. *p.* 8. *t.* 1. *R.* 79. id excuſat ab omni peccato, ſi infirmus non ſit capax alterius Sacramenti, & iſta haberi non poſſint, contra Suar. Regin. &c. Imo etiam extra neceſſitatem non eſſe mortale. 1. Omittere Pſalmos Pœnitentiales, Litanias, & ceteras preces, docent Palaus, & Gran. Dico *extra*, quia in neceſſitate gravi, v. g. tempore peſtis, vel morte imminente, ſtatim ungendus eſt ſine præmiſſis orationibus, quæ tamen poſtea ſupplendæ ſunt, ſi ſupervivat infirmus. Bonac. *d.* 7. *p.* 6. *n.* 8. 2. Deferre ad ægrum, vel adminiſtrare ſine lumine. Leand. citans Poſſev. Quintan. *t.* 5. *ſ.* 13. Barboſ. *de Offic. Paroch. c.* 22. 3. Si ſolus ſine miniſtro adminiſtret: imo hoc in neceſſitate permittunt Tolet. Sa, &c. V. Dian. *p.* 9. *tr.* 6. *Reſ.* 36. 4. Si ungat aliter, quam in formam crucis. Suar. Bec. Laym. V. Dian. *p.* 3. *tr.* 4. *reſ.* 148. (*d*)

11. Paſtor ratione officii tenetur ſub mortali dare iis, qui petunt, niſi juſta cauſa excuſet: etiam
ANIMAD. VII. tempore peſtis; *modo poſſit abſque periculo vitæ: cum eo enim non teneri, docent Tann. Dian. p.* 5. *tr.* 3. *reſ.* 93. *Si peſte infecti ſint confeſſi, poſſe ſine peccato omitti abſolute*, docet idem Dian. *p.* 3. *t.* 4. *R.* 174. & *p.* 5. *tr.* 3. *reſ.* 83. & 93. & *p.* 8. *tr.* 1. *reſ.* 21. ex Villal. Tanner. Amic. Franc. Lugo, &c. Suar. Fill. Bonac. Laym. *ll. cc.*

12. Sacerdos Curatus peccat mortaliter, ſi petentem negligat inungere, vel differat cum probabili periculo, ne ſine unctione moriatur æger, niſi juſta cauſa excuſet; quia in re gravi non præſtat id, ud quod tenetur ex juſtitia. Alius vero Sacerdos, ſi abſente Parocho, licite, & facile poſſit, tenetur ex caritate, ſed ſub veniali tantum; niſi tamen ægrotus valde indigeret, verbi gratia ſi alioqui ſine omnibus ſacramentis eſſet moriturus, quod aliud nullum ſuſcipere poſſit, tunc enim quidam graviorem obligationem agnoſcere videntur. V. Dian. *p.* 3. *tr.* 4. *R.* 170. Laym. *l.* 5. *t.* 3. *c.* 7. *n.* 3.

13. Parocho veſperi timenti, ne noctu vocetur ad ægrum, non licet retinere domi ſacrum oleum, ut vocatus poſſit venire expeditus, licet venialem culpam in eo tantum agnoſcat Barboſ. *de Par. c.* 22. ex Poſſev. item Quintan. *t.* 5. *l.* 10. ubi tamen a mortali non audet excuſare eum, qui ſemper domi retineret.

14. Decens eſt, ut ſtuppa comburatur; quia ad ſingulas unctiones nova adhibenda eſt, *niſi aliud habeatur in Agenda* (*e*). Laym. *l. c.* Sa.

Reſp. 2. *Effectus ejus principalis eſt, roborare animam* contra tentationes dæmonis in morte. Secundarius eſt, 1. delere reliquias peccatorum, 2. tollere pœnas reſtantes, 3. aliquando etiam ſanitatem corporis conferre, ſi expediat. S. Thom. Sylv. Suar. *d.* 41. *ſ.* 1. (*f*)

Unde reſolves.

Hujus Sacramenti non ſunt capaces, 1. Pueri, ante uſum rationis: etſi ſufficiat ea ætas, qua poſſunt peccare. Nav. Suarez *l. c.* 2. Perpetuo amentes; *aliis vero delirantibus*, ſi ante petiverint, aut petituri fuiſſent, ſi cogitaſſent, aut oſtenderint ſignum doloris, *dari poteſt, & debet* (*g*). Sylveſt. Henr. Laym. & ſi tales unctioni reſiſtent, ligandos eſſe, vel fortiter tenendos, ait Tamb. apud Dian. *p.* 3. *tr.* 3. *reſ.* 84. qui cum Barboſ. *de offic. Paroch. c.* 22. dicit eſſe neceſſarium, quando phreneticus non poteſt aliud Sacramentum ſuſcipere.

2. Muti, ſurdi, & cæci a nativitate ſunt capaces, *atque adeo debent inungi* (*h*) prope organa ſenſuum, quibus carent: nam etſi exterius per illa non peccarint, potuerunt tamen peccare per interiores potentias, quibus illa reſpondent. Poſſev. Nald. Præpoſ. Dian. *p.* 5. *t.* 6. *R.* 11.

3. *Non ſuſcipere hoc Sacramentum, per ſe loquendo, ſecluſo ſcandalo, & contemptu, non eſt peccatum* ANIMAD. VIII.
mortale. Ita Suar. Laym. Tann. Eſcob. &c. (multo minus peccant mortaliter domeſtici, ſi id non procurent.) Veniale tamen eſſe docent Con. *d.* 19. *dub.* 19. contra Nugnum. Vid. Dian. *p.* 3. *t.* 4. *R.* 107. & *p.* 8. *t.* 1. *R.* 58. & *p.* 5. *t.* 3. *R.* 97. ubi notat ex Tann. non cenſeri contemnere, qui ſciens prudens omittit tempore apto, & oblata commoditate. *Contrarium tamen vult Tolet. præſertim ſi probabiliter deinceps non ſit futura commoditas.*

Notæ.

(a) *Materia proxima eſt unctio...... ſaltem quinque ſenſuum*. Non tamen eſſentialis ex Animad. hic 2.

(b) *De eſſentia hujus Sacramenti eſt, 1. ut organa quinque ſenſuum, quæ &c.. nominentur*. Falſum eſt, organa quinque ſenſuum ex neceſſitate Sacramenti eſſe ungenda. Lege Animad. hic 2.

(c) *Si conferatur infirmo communi morbo &c. laboranti, non eſt validum, Suar. &c. comm.* rectiſſime. Bened. XIV. de Syn. lib. 8. cap. 1. n. 1. confirmat; quia *Eccleſiæ latinæ perpetua, & conſtans traditio fuit, extremam unctionem ſolis infirmis eſſe exhibendam, & quidem tali morbo laborantibus, unde peritorum judicio mors ſequutura prudenter timeatur; eamque traditionem ex ſæpius allegatis Ap. Jacobi verbis deductam, omniumque Theologorum conſenſione firmatam, cum D. Th. in 4. diſt.* 23. *q.* 2. *a.* 2. *q.* 2. *explicarunt, & inculcarunt Eugenius IV. in decreto t.* 9. *collect. Harduini col.* 440. *inquiens*, „ hoc Sacramentum, niſi infirmo, de cujus „ morte timetur, dari non debet, *Conc. Trid. Seſſ.* 14.
„ *c.* 3.

„ *c.* 3. Declaratur etiam, eſſe hanc unctionem infirmis „ adhibendam, illis vero præſertim, qui tam periculoſe decumbunt, ut in exitu vitæ conſtituti videantur; unde & Sacramentum exeuntium nuncupatur, „ *ac demum Catech. ejuſdem Concilii* §. 18. de extrema „ unctione. "

Buſ. *Ac licet Leſſius &c. contrarium putent probabile*; imo etiam ſanis conferri poſſe ſentiunt, teſte Bened. XIV. p. 4. cap. cit. Juvenin, & Saintebeuvee, quorum rationes *inſimulant*, & *damnant Theophilus Raynaudus*, *Gonzalez*, *Tournely*, *Benedictus de Gaetanis*, *aliique*; hinc concludit: *Quocirca Epiſcopi latini ..... diœceſibus præſidentes, quas fideles incolunt græci ritus, diligenter invigilent, ne ſidem in eo verſentur errore, ut credant per unctionem, de qua loquimur* (*qua etiam ſanos & bene valentes ſolent ſacro oleo inungere in remiſſionem peccatorum*, ut monuit n. 3) *Sacramentum conferri*; & *ſevere interdicant, ne ea unctio loco ſatisfactionis per Confeſſarios imponendæ pœnitentibus injungatur. Id illis vetitum eſt a nobis in noſtra Conſtit.* 57. § 5.

Buſ. *Concedunt tamen &c. quando periculoſe &c.* id ſine dubio faciendum, „ *additque Quint. mortaliter pec-* „ *catum fuiſſe* " Id certum eſt; quia in re graviſſima, Eccleſiæ præceptum violant, & contra perpetuam, & conſtantem latinæ Eccleſiæ conſuetudinem ire audent, ipſumque Sacramentum irritationis periculo objiciunt.

(*d*) Sicuti in aliis, ita in hoc Sacramento adminiſtrando ritus a Rituali Romano præſcripti adhibendi ſunt, aliis diverſis neglectis.

Quia tamen neceſſitas legi non ſubditur, ſi abſque ſuperpelliceo, vel ſtola, quæ præſto non ſint, nec haberi poſſint, neceſſitate urgente adminiſtretur, nullum ego hac in re peccatum agnoſcerem, quia præceptum ſuſcipiendi, & ideo adminiſtrandi hoc Sacramentum, de quo Animad. hic 8., mihi longe gravius videtur, quam lex utendi ſuperpelliceo, & ſtola, ideoque ſatius putem illud ſine ſuperpelliceo, aut ſtola adminiſtrare, quam omittere. Dixi *longe gravius*; quia hoc præceptum non ſolum eccleſiaſticum, ſed divinum merito habetur; at lex ſuperpellicei, & ſtolæ, Eccleſiaſtica. Adde, quod ſuperpellicei & ſtolæ uſus ad majorem Sacramenti adminiſtrandi decentiam præcipitur; quæ proinde lex cedit legi, quæ animæ ſaluti proſpicit; cum ipſa Sacramenta in animarum ſalutis gratiam a Chriſto Domino inſtituta ſint.

At vero ſuperpelliceum, & ſtolam extra neceſſitatem negligere, gravis in Sacramentum irreverentia mihi videtur, ideoque letalis culpa; quod fatetur ipſe La-Croix p. 444. n. 2136., ubi ait: „ Quamvis ſit gra- „ vis obligatio in adminiſtratione hujus Sacramenti u- „ tendi ſuperpelliceo, & ſtola &c. "

Pſalmos Pœnitentiales, Litanias, & ſubſequentes Preces non a Sacramenti miniſtro, ſed ab adſtantibus eſſe recitandas, ſalubre monitum eſt, non præceptum: hinc Rituale Rom. inquit. *Parochus moneat adſtantes, ut &c. & ubi commodum fuerit pro loco, & tempore, & adſtantium numero, vel qualitate recitent ſeptem Pſalmos Pœnitentiales cum Litaniis, vel alias Preces, dum ipſe unctionis Sacramentum adminiſtrat.*

Orationes vero, quæ huic Sacramento ex Rom. Rituali præmittendæ ſunt, *Introeat Domine Jeſu Chriſte &c. Exaudi nos &c.* ex eodem Rituali, *ſi tempus non patiatur, ex parte, vel in totum poterunt omitti.* At poſtea ne ſupplendæ ſunt, ſi ſupervivat infirmus, ut Buſ. citato Bonac. ait? Reſp. rectiſſime ſupplentur, quia ſunt ſanctiſſimæ, omnique loco, & tempori accommodatiſſimæ. At de iis ſupplendis legem nullam lego, & Rituale hac de re nihil dicit.

Buſ. addit, non eſſe crimen mortale, deferre oleum ſanctum extra neceſſitatem, vel hoc Sacramentum adminiſtrare ſine lumine, citatque Leandrum &c.

Rit. Rom. de lumine, dum ſacrum infirmorum oleum ad ægrum defertur, nihil habet; Sacerdoti præſcribit, *ut quatenus fieri poterit, parari curet apud infirmum .... ceream candelam, quæ deinde accenſa ipſi ungenti lumen præbeat.* Fiat, quod Rituale Rom. habet, & arbitria negligantur. Nam ſi lumen ungenti ſupervacaneum ſit, cur ſine ſcrupulo omitti non poteſt, cum ex Rit. candela in eum ſolum finem accendatur, ut lumen Miniſtro præbeat?

At peccat ne Sacerdos, ſi ſolus ſine miniſtro adminiſtret, ut Buſ. 3. loco ponit?

Reſp. Ex Rituali Rom. ſaltem unus Clericus adhibendus eſt, ut *crucem ſine haſtu, aquam benedictam cum aſperſorio, & librum Ritualem deferat*; qua in re, ſi Clericus deſit, nihil mali eſt, ſi ſæcularis hominis miniſterio utatur. Nam in ipſa Sacramenti adminiſtratione cujus ope indigeat, non video, nec Rituale innuit, quod ſi Sacerdos ex induſtria, ac præſertim ex uſu crucem omittat, de hac culpa pii Sacerdotes judicent.

(*e*) *Decens eſſe, ut ſtuppa comburatur; quia ad ſingulas unctiones nova &c., niſi aliud habeatur in Agendis,* quaſi vero aliter agendum ſit, ſi aliter in quibuſdam Agendis habeatur. Agendorum germana norma, aliis aliter præſcribentibus neglectis, eſt, ut ſæpe monui, ac iterum inculcandum eſt, Rituale Romanum, quod hac de re ita loquitur: *Miniſter vero, ſi eſt in ſacris, vel ipſemet Sacerdos poſt quamlibet unctionem tergat loca inuncta novo globulo bombacis, vel rei ſimilis*, (puta ſtuppæ, ut habet Buſ.) *eaque in vaſe mundo reponat, & ad Eccleſiam poſtea deferat, comburat, cineresque projiciat in ſacrarium.*

(*f*) S. Thomas ſuppl. q. 30. a. 1. inquit, *quod principalis effectus hujus Sacramenti eſt remiſſio peccatorum quoad reliquias peccati, & ex conſequenti etiam quoad culpam, ſi eam inveniat, dummodo* (ut ſe prius explicuit) *non ponatur obex ex parte recipientis.*

Quid ſunt, inquis, peccatorum reliquiæ? Reſp. ex eodem S. Doct. ſunt *defectus, quibus homo ſpiritualiter infirmatur, ut non habeat perfectum vigorem ad actus vitæ, gratiæ, vel gloriæ; & hic defectus nihil aliud eſt, quam quædam debilitas, quam quidam reliquias peccati dicunt, & ineptitudo, quæ in nobis relinquitur ex peccato actuali, vel originali.* Sed Sacra imprimis Syn. Trid. audienda eſt, quæ ſeſſ. 14. cap. 2. de Sacram. ext. unct. ait: *Res porro & effectus hujus Sacramenti illis verbis explicatur* (Jac. 5.) " & oratio fidei ſalvabit infirmum, „ & alleviabit eum Dominus; & ſi in peccatis ſit, di- „ mittentur ei. " *Res etenim hæc, gratia eſt Sp. Sancti, cujus unctio delicta, ſi quæ ſunt adhuc expianda, ac peccati reliquias abſtergit, & ægroti animam alleviat, & confirmat, magnam in eo divinæ miſericordiæ fiduciam excitando, qua infirmus ſublevatus & morbi incommoda, ac labores levius fert, & tentationibus Dæmonis calcaneo inſidiantis facilius reſiſtit, & ſanitatem corporis interdum, ubi ſaluti animæ expedierit, conſequitur.*

Hæc ſanctiſſima verba pio ſtudio meditanda ſunt, vanis ſcholæ contentioſæ quæſtionibus prorſus ablegatis.

(*g*) *Aliis vero delirantibus, ſi ante &c. dari poteſt, & debet.*

Ita quoque loquitur Rit. Rom. inquiens: *Infirmis autem, qui, dum ſana mente, & integris ſenſibus eſſent, illud petierunt, ſeu veriſimiliter petiiſſent, ſeu dederint ſigna contritionis, etiamſi deinde loquelam amiſerint, vel amentes effecti ſint, vel delirent, aut non ſentiant, nihilominus præbeatur.* Ait, *illud petierunt, ſeu veriſimiliter petiiſſent*; quia facinoroſi homines, qui, dum ſana mente, & integris ſenſibus ſunt, ſua peccata Sacerdoti non confitentur, ſactum miniſtrum non quærunt, aut contritionis ſigna non præbent, ſacram unctionem aut non petunt, aut impie petunt, ideoque illis utpote impœnitentibus deneganda eſt, ut mox ipſum Rituale præſcribit.

Qui vero, dum ſana mente eſſent, aut ſacram pœnitentiam ſuſceperunt, aut bene moratam vitam egerunt, hi, etiamſi hoc Sacramentum non petiere, illud tamen, ſi mortis periculum præſenſiſſent, veriſimiliter petiiſſent; & de his Rituale intelligendum eſt. Conſule hic Animad. 4., ac præſertim Synodum Cæſenatenſem ibi citatam, cui congruit doctrina a me tradita Animad. 31. in cap. 2. tract. 4. lib. 6. ibi: *at vero ſi Chriſtianus ſenſibus &c.*

(*h*) *Muti, ſurdi &c. ſunt capaces, atque adeo &c.* Ita ſane, dum letalis culpæ reatus gravis ſuſpicio non obſtet, aut abſolutione digni habeantur ex cit. Animad. hic 4., cujus doctrinam confirmat S. Th. ſuppl. q. 30. a. 1., ubi ait, quod *extrema unctio eſt quædam ſpiritualis ſanatio, vel medicatio, quæ proinde præſupponit vitam in medicato ſpiritualem.*

ANIMADVERSIO I.

M*Ateria ejus remota eſt &c.* (*in cujus defectu non licet uti chriſmate: ſi tamen uſus ſis, nihil repetendum eſſe, docet Laym. &c.*)

Hic Buſembau ſibi contradicit. Si enim materia hujus Sacramenti eſt oleum, Sacramentum in chriſmate collatum nullum eſt, ideoque repetendum.

Sed ut id melius intelligatur, & confirmetur, ita ratiocinor. Certum eſt, materiam Sacramenti extremæ unctionis eſſe oleum. Id non ſolum D. Thom. Suppl. qu. 29. artic. 4. & communis Theologorum ſententia, ſed Concilium Florentinum tradit in decreto unionis, ubi ait, *quod extremæ unctionis materia eſt oleum olivæ per Epiſcopum benedictum*; & Conc. Trid. ſeſſ. 14. de Sacr. ext. unct. inquiens: *Intellexit enim Eccleſia, materiam eſſe oleum ab Epiſcopo benedictum*: qui indubitatus Eccleſiæ ſenſus ex ep. Jacobi cap. 5. v. 14. derivatus eſt: *ungentes eum oleo in nomine Domini*: at chriſma non eſt oleum, ſed quid mixtum ex oleo, & balſamo: ergo chriſma non eſt materia extremæ unctionis. Et tane

Digitized by Google

ne licet balſamum cum oleo in modica quantitate miſceatur, ut chriſma fiat; quia tamen balſamum magnæ virtutis eſt, totum oleum ita penetrat, & mutat, ut illud mixtum nec reipſa ſit, nec communi ſenſu dicatur oleum, ſed chriſma, ab oleo ut nomine, ita natura diverſum, ſicuti mixta ab elementis, ex quibus conſtant, diverſa ſunt. Quare opinio eorum, qui cum Suarez dicunt, chriſma eſſe materiam validam hujus Sacramenti, rejicienda eſt non ſolum quoad uſum, ſeu praxim propter propoſ. 1. ab Innoc. XI. proſcriptam, ſed etiam ſpeculative, quia rationi contraria.

Hinc deficiente oleo non licet uti chriſmate, ut recte ait Buſemb. contradicente La-Croixio p. 442. num. 2090. nam non licet formam Sacramenti adhibere ſine ejus materia. Hoc enim nihil aliud eſſet, niſi Chriſti inſtitutioni aperte repugnare, Sacramentum fruſtratorium, & nullum conficere, hoc eſt ſacrilegium ingens committere. Chriſma, inquit La-Croix, eſt materia probabilis hujus Sacramenti: ergo deficiente oleo in caſu neceſſitatis chriſma adhiberi poteſt. Reſp. Antecedens falſum eſt. Nam chriſma conſulta ratione, & communi ſenſu nec reipſa, nec probabiliter eſt oleum, ſed mixtum ab oleo diſtinctum, ideoque ne probabiliter quidem dici poteſt materia hujus Sacramenti; ex quo fit, ut ne in caſu quidem neceſſitatis, deficiente oleo, adhiberi poſſit, præſertim cum extrema unctio non ſit Sacramentum tantæ neceſſitatis, ut ſine eo ſalus haberi nequeat. Ex his porro illud etiam efficitur, ut ſi ex inſcitia juris, aut errore facti chriſma pro oleo in extrema unctione adhibitum ſit, Sacramentum, quod fuit nullum, non ſub conditione, ut putat La-Croix num. cit., ſed abſolute repetendum ſit; qua in re valde reprehendendus eſt La-Croix citans pro ſua conditione S. Carolum Borromæum, qui Act. p. 4. de extr. unct. apud Genettum Theol. t. 4. p. 321. qu. 6. ita loquitur. *Si per errorem aliud oleum, quam quod infirmorum eſt, ad ægrotum ungendum unquam adhibuerit, etiamſi chriſmatis, aut catechumenorum ſit; ut erratum emendet, olei ſacri, quod proprium infirmorum eſt, unctionem eidem adhibeat, tumque Sacramenti formam iteret.* Hic ſanctus Vir nullam conditionis mentionem facit; quæ proinde non ſine injuria ei affingitur; imo ex ejus auctoritate graviſſima confirmatur, extremam unctionem eſſe ſine conditione repetendam.

Etſi Dian. &c. dicat contrarium habere praxim Eccleſiæ, ut ſcil. paulatim, & per vices . . . longe etiam major quantitas addatur, quam ab Epiſcopo fuerit conſecrata &c.

Rituale Rom. de Sacr. ext. unct. ita hac de re loquitur. *Id tamen*, hoc eſt oleum ab Epiſcopo benedictum, *ſi forte intra annum aliquo modo ita deficiat, ut ſufficere non poſſe videatur, neque aliud benedictum haberi queat, modico olei non benedicti in minori quantitate ſuperinfuſo reparari poteſt.* Id autem repeti poſſe, prout neceſſitas tulerit, declaratum fuiſſe a ſac. Congr. 23. Septembris 1682. refert Pittonus de ſacris ritibus p. 306. num. 965. ex Monacelli, & La-Croix p. 442. num. 2093. ex Card. Neque tamen hinc colligas, quod benedictio olei non ſit neceſſaria neceſſitate Sacramenti; quæ eſt opinio Natalis Alex., Ledruin, Juvenin, & communis teſte Habert in Academia Pariſienſi, ut refert P. Concina Theol. t. 10. p. 14. n. 5. nam contraria ſententia non ſolum a D. Thom. Suppl. q. 29. ar. 5., & p. 3. q. 72. ar. 3. explicate traditur, ſed etiam ejus tempore, ut teſtatur eruditiſſimus P. Concina, communis erat, quam ipſe quoque ſequitur, quamque La-Croix p. 442. num. 2091. communiſſimam appellat. Ab hac ſententia recedere nihil aliud eſſe videtur, niſi ab Eccleſiæ ſenſu recedere. Nam Conc. Florent., & Trident. mox cit. concentis verbis docent, materiam extremæ unctionis eſſe *oleum ab Epiſcopo benedictum*. Non dicunt *oleum* ſimpliciter, ſed *oleum ab Epiſcopo benedictum*. Hinc Catech. Conc. Trid. p. 2. c. 6. n. 5. ait: *Ejus igitur*, hoc eſt extremæ unctionis *elementum, ſive materia, quemadmodum Concilia, ac præcipue Tridentinum decrevere, eſt oleum ab Epiſcopo conſecratum*. Contraria ergo ſententia, ut ego quidem ſentio, repudianda omnino eſt; quam tamen, etiamſi foret probabilis, ſequi non liceret; quia ab Innoc. XI. propoſ. 1. damnatum eſt, quod liceat ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti relicta tutiore. Neque hic neceſſitas objici poteſt; quia hoc Sacramentum non eſt abſolute neceſſarium, ut baptiſmus, & poſt baptiſmum lapſis pœnitentia, & quia, niſi neceſſitas morbi periculoſi id poſtulet, adminiſtrandum non eſt. Ratio ergo, cur additio olei tenuitis vicibus neceſſitate ita poſtulante fieri poſſit, eſt, quia totum oleum eſt benedictum.

Animadversio II.

Quidam etiam Doctores putant, unam tantum unctionem eſſe de eſſentia Sacramenti, ideoque in periculo peſtis . . . ſufficere &c.

Hanc ſententiam ſequitur quoque Nat. Alex. Theol. t. 1. p. 553. reg. 6. Ratio ejus eſt, quia unica unctione ſatisfit illi divino præcepto, *ungentes eum oleo*, quia Græci, quorum extremam unctionem Romana Eccleſia probat, & ratam habet, organa quinque ſenſuum non inungunt, ſed frontem, mentum, ambas genas, pectus, manus ex utraque parte, & pedes; ac demum quia multa Ritualia, ut Cameracenſe, Atrebatenſe &c. ac præſertim Mechlinenſe anni 1589. a Doctoribus Lovanienſibus approbatum hanc ſententiam ſequuntur. Hujus poſtremi verba a Natali relata, ſunt. *In morbis contagioſis, & peſte graſſante, ut periculum vitetur, ſufficit inungi ſenſus organum magis ad unctionem expoſitum, ac detectum, dicendo: Per iſtam ſanctam unctionem, & piiſſimam ſuam miſericordiam indulgeat tibi Deus quidquid deliquiſti per viſum, auditum, odoratum, guſtum, & tactum.*

Accedit, quod idem eſſe faciendum ait Bened. XIV. lib. 8. cap. 3. de Syn. c. 3. num. 5. ſi urgente mortis periculo timeatur, ne ægrotus e vivis diſcedat, priuſquam quinque ſenſus inungantur. *Quin immo*, ſubdit, *in prædicta eventu conſultius eſt ut caput, a quo omnium ſenſuum nervi deſcendunt, ſub eadem forma univerſali inungatur*. Quare inunctio quinque ſenſuum, ſeu quinque corporis partium, hoc eſt oculorum, narium, oris, aurium, & manuum ſub præceptum quidem cadit, ut pro certo merito habet Concina loco cit. nam Rit. Rom. ait: *Quinque vero corporis partes præcipue ungi debent* &c. & Catech. Rom. p. 2. cap. 6. num. 10. idem docet, & ait: *Hunc ungendi ritum univerſalis Eccleſia retinet*; a quo recedere omnino non licet; ſed ad Sacramenti neceſſitatem una ſufficit inunctio; quæ, cum Eccleſiæ præceptum impleri non poteſt, non eſt omittenda, ſed adhibenda.

Imo quoad renes non eſt decens &c.

Quoad hoc Rit. Rom. ita inquit: *Renum unctio in mulieribus honeſtatis gratia ſemper omittitur, atque etiam in viris, quando infirmus commode moveri non poteſt*. Ergo in Viris Religioſis, ſi commode moveri poſſint, renum inunctio omittenda non eſt, præſertim cum Eug. IV. in dec. Arm. ſeptem unctiones fieri præcipiat, hoc eſt etiam *in renibus*.* In hac porro unctione nulla omnino indecentia emicat. Si enim medicinalis corporis inunctio in ea parte, ſi neceſſitas id poſtulet, Religioſo honeſte adhibetur, multo honeſtius ſacra, & ſpiritualis inunctio uſurpatur, præſertim cum religioſa, & ſacra manus eam adhibeat.

Animadversio III.

Hoc Sacramentum tantum dandum eſt morti propinquis &c.

Quoad mulieres ex partu laborantes, & in periculo conſtitutas ipſi ſaniores Theologi non eodem modo loquuntur. P. Concina Theol. t. 10. p. 19. num. 6 ait, hoc Sacramentum non adminiſtrari mulieribus parturientibus, quamvis dolorum vi ſint in periculo vitæ. Nat. Alex. Theol. t. 1. p. 555. reg. 17 inquit, mulieribus in partu laborantibus, niſi ſint in mortis periculo ex ægritudine conſtitutæ, extremam unctionem conferri non debere; quod confirmari ait Concil. Mediol. IV. Synodis Senonenſi, & Aquenſi, & a S. Carolo in inſtruct. de extr. unct.

Ego animadverterem, vim dolorum non eſſe ſufficientem cauſam miniſtrandi extremam unctionem mulieribus in partu laborantibus; quia non vis doloris, ſed infirmitas hoc Sacramentum poſtulat. *Infirmatur*, inquit S. Jacobus c. 5. v. 14. *quis in vobis? inducat* &c. quare ubi non eſt infirmitas, ibi non eſt locus extremæ unctioni. At acerbitas dolorum, quæ in mulieribus parturientibus evidens vitæ periculum infert, ab infirmitate non ſeparatur, nec ſeparari poteſt. Partus mulierum graviter laborantium vulnus grave eſt, ex quo ſicut vehemens dolor, ita gravis oritur ægritudo, quæ mortem minitatur. An mors ſine ægritudine, quæ eſt diſpoſitio ad mortem, accidere poteſt?

Quare ego quidem non dubitarem, quin extrema unctio parturientibus miniſtranda ſit, ſi periculum vitæ evidens ſit. Quia non quærerem, utrum vitæ periculum ex vi dolorum, an ex ægritudine oriretur, ſed ponerem, & pro certo haberem, ex vehementia doloris ægritudinem proficiſci, ex hac vero mortis periculum imminere.

Hæc

* Apud Bened. XIV. de Syn. lib. 8. cap. 3. & apud Concinam Theol. t. 10. pag 23.

Hæc eſt expreſſa ſententia Synodi Veliternæ apud Genettum Theol. t. 4. p. 317. qu. 4. in qua ſtatuitur, ut extrema unctio *denegetur .... mulieribus in partu laborantibus, non conſtito de vitæ periculo*. Ergo ſi conſtet de vitæ periculo, non eſt iis deneganda. Neque repugnat S. Carolus Borrom., qui Conc. Mediol. IV. apud eumdem Genet. prohibet Parocho, ne extremam unctionem miniſtret *mulieribus in partu laborantibus*: ait *laborantibus*, non de vita periclitantibus. Pro hac ſententia La-Croix p. 443. num. 2108. citat Sylv., Nav., & alios.

ANIMADVERSIO IV.

Licet autem per ſe loquendo confeſſio non neceſſaria præmittatur, cum per contritionem ſe diſponere poſſit &c.

Sacramentum extremæ unctionis inter ſacramenta vivorum ab omnibus vulgo cenſetur, quod proinde ſpiritualem vitam, ſeu gratiam in recipiente ſupponit, & poſtulat. Hinc D. Thom. Suppl. qu. 30. ar. 1. docet, illud adhiberi per modum medicinæ ad ſanandos ſpirituales morbos, non autem ad vitam ſpiritualem tribuendam, ut baptiſmus, & pœnitentia. Porro diſpoſitio neceſſaria ad ſtatum gratiæ eſt Sacramentum pœnitentiæ ex Chriſti inſtitutione: ergo Sacramentum pœnitentiæ in eo, qui eſt conſcius peccati mortalis, eſt neceſſaria diſpoſitio ad extremam unctionem. Contritio ex ſe peccatorum non reſtituit in ſtatum gratiæ, niſi valde intenſa, & vehemens ſit, ut contra Buſembaum oſtenſum eſt t. 4. c. 1. dub. 2. *Suppono*: porro contritio intenſa, & vehemens incerta eſt; cum autem de animæ, & ſalutis negotio agitur, certa incertis præferenda ſemper ſunt: ergo nemo contritione contentus eſſe poteſt, ubi neceſſarius eſt ſtatus gratiæ, cum confeſſionis Sacramentum, quo gratia certius recuperatur, ſuſcipi poteſt. Adde, quod contritio in gratiam non remittit, niſi vi voti pœnitentiæ Sacramenti, quod in ea includitur: at qui pœnitentiæ Sacramentum, cujus promptam opportunitatem habet, ſuſcipere recuſat, non habet ejus votum, ſeu propoſitum: ergo aut contritionem non habet, aut eam contritionem non habet, qua in Dei gratiam remittatur.

Nonne latentibus omnibus, ipſoque Buſembaum t. 4. c. 3. dub. 2. Reſp. præceptum divinum confeſſionis obligat in articulo, ſeu periculo mortis? Quid ergo litigamus? Si in eo articulo, ſeu periculo confeſſio neceſſario facienda eſt, cur non fit ante extremam unctionem? Sacerdotes, qui vere ſapiunt, a periculoſis opinionibus, & litibus alieni, non Buſembaum, aut ejus ſimiles audient, ſed Eccleſiæ vocem in Catech. Rom. p. 2. c. 6. num. 12. ubi ait: *Quoniam vero omni ſtudio curare oportet, ne quid Sacramenti gratiam impediat, ei vero nihil magis adverſatur, quam alicujus peccati mortiferi conſcientia, ſervanda eſt Catholicæ Eccleſiæ* (nota hæc verba) *perpetua conſuetudo, ut ante extremam unctionem pœnitentiæ, & Euchariſtiæ Sacramentum adminiſtretur*. Idem habet Rit. Rom. de Sacr. ext. unct., inquiens: *In quo illud imprimis ex generali Eccleſiæ conſuetudine obſervandum eſt, ut, ſi tempus, & infirmi conditio permittat, ante extremam unctionem, pœnitentiæ, & Euchariſtiæ ſacramenta præbeantur*. Idem S. Carolus Borrom. Act. p. 4. de ext. unct. ubi monet, & præcipit Sacerdoti, *ut, ſi fieri poſſit, infirmum non ante ungat, quam peccata confeſſus ſit, ac præterea Sacram Euchariſtiam ſumpſerit, aut ſaltem confeſſus ſit*. Ergo non eſt dubitandum, quin confeſſio per ſe ex neceſſitate ſit præmittenda extremæ unctioni, ſi ungendus peccati mortalis conſcius ſit. Hac de re agit etiam Bened. XIV. de Syn. l. 8. c. 8.

Illud ſolum dubitari poteſt, quid faciendum ſit, ſi Chriſtianus confiteri ſua peccata nequeat. La-Croix p. 443. n. 2107. ait: „Hoc ipſo, quod quis Chriſtianus „ſit, cenſetur velle ſibi dari hoc Sacramentum, quam„vis nec petierit, nec ullo ſenſu nunc utatur. Qui „enim eſt in Eccleſia, & in ea vult mori, vult ejus „Sacramentis juvari debito tempore."

Buſembau aliquam diſpoſitionem ad extremam unctionem ex dictis requirit, La-Croix nullam, ne voluntatem quidem, illam ſuſcipiendi, *quamvis nec petierit*: non requiritur actualis voluntas, aut virtualis, quam actualis præceſſit, ſed ſatis eſt, ſi aliquis *cenſeatur velle ſibi dari hoc Sacramentum*. „Hic, ait idem „La-Croix, ſufficit voluntas interpretativa." Hæc porro adeſt *hoc ipſo, quod quis Chriſtianus ſit*. Doctrina ſane mira, commentitia, & ab Eccleſiæ ſenſu aliena, quæ omnibus flagitioſis nullum pœnitentiæ ſignum præbentibus Sacramentum vivorum præbet non in medicinam, ſed in perniciem.

Innoc. cap. *Illud* diſt. 95. de extrema unctione hic ſcribit: *Nam non pœnitentibus iſtud infundi non poteſt, quia genus eſt Sacramenti. Nam quibus reliqua ſacramenta negantur, quomodo unum genus putatur poſſe concedi?*

Hinc Rituale Rom. ita præcipit. *Impœnitentibus vero, & qui in manifeſto peccato mortali moriuntur, & excommunicatis, & nondum baptizatis penitus denegetur.*

Hanc Innoc. Papæ, & Ritualis doctrinam complectitur, & explicate tradit Syn. Cœſenatenſis anni 1693. apud Genettum Theol. c. 4. p. 326. qu. 3. quæ ita loquitur. *Admonemus Parochos, ne Sacramentum hoc miniſtrare cunctentur ægris ſubita morbi vi adeo oppreſſis, ut nec peccata confiteri, nec communionem ſumere poſſint, ea tamen ratione, ut ſi illi aliquod contritionis ſignum dederint, prius eis abſolutionem impertiant. Quod ſi vero non conſtet de aliquo contritionis ſigno ſaltem teſtimonio aliorum, miniſtrent nihilominus extremam unctionem, ſi æger pie, & chriſtiane vixerit, neque gravis ſubſit ſuſpicio, eum eſſe in peccato mortali*. Parochi hac in re moroſi quidem eſſe non debent, ſed parati, & prompti ad hanc ſaluberrimam medicinam infirmis miniſtrandam; ſed illud, quidquid apud probabiles opinatores ſecus legerint, menti infixum habeant, hanc ſpiritualem medicinam non prodeſſe ſpiritualiter mortuis; extremam unctionem eſſe Sacramentum vivorum, non mortuorum; nec eſſe dandam, niſi iis, quos eſſe in ſtatu gratiæ merito putare poſſint. Flagitioſi homines, aut poſt ipſum flagitium libidinis, rixarum &c. mox decedentes, nullumque ſignum pœnitentiæ præbentes, uti abſolutione, ita extrema unctione ſine dubitatione indigni ſunt. Contra vero qui abſolvendi, aut in ſtatu gratiæ merito putantur, extrema unctione juvandi ſunt.

La-Croix n. 2110. ait: „Similiter eſt dandum ebriis „deficientibus, niſi conſtet eſſe in mortali."

Ebrietas certe mortale peccatum eſt. Conſtat ergo, ebrios deficientes eſſe in peccato mortali, niſi peccatum mortale per pœnitentiam eluatur. Cur La-Croix non dixit, ſicut dicere debuerat, non eſſe dandum ebriis deficientibus, niſi doloris ſigna dederint, & prius abſoluti fuerint?

„Item, inquit, vulneratis in duello, ſi poſt illud „ſuperfuit tempus pro contritione, quod in dubio eſt „præſumendum."

Non requirit contritionem, nec ſigna contritionis, ſed ſolum tempus pro contritione, quaſi vero tempus contritionis ſine contritione letalia crimina eluat; imo ne tempus quidem poſtulat, ſed dubium tempus ſatis eſt: quia in dubio, ait, præſumendum eſt. Hæ malæ opinationes ex allata doctrina Innoc. Papæ, Ritualis Rom., Synodi Cœſenatenſis, & rationibus allatis rejiciendæ omnino ſunt; nec ſine aperta Sacramenti injuria in uſum deduci queunt; præſertim cum agatur de valore Sacramenti (eſt enim invalidum, cum nullum effectum producit), in quo damnatum eſt ſequi opiniones probabiles, ne dum improbabiles.

ANIMADVERSIO V.

Qui Parochos quorumdam locorum excuſat per conſuetudinem &c. *ſi non dent pueris ante annos* 14. *vel* 15. *excepto* &c.

Hæc conſuetudo irrationabilis, Deique legi, ut mox reſp. 2. c. 3. contra Buſambaum oſtendetur, contraria, peccatum non excuſat, ſed gravius efficit. Eo enim graviora ſunt peccata, quo diutius animam detinent alligatam, nec per pœnitentiam delentur, ſed uſu confirmantur.

An tolerabilis eſt conſuetudo, quæ medicinam divinitus inſtitutam pueris graviter ægrotantibus, eaque indigentibus ſubtrahit, eoſque privat divinis auxiliis contra dæmonis incurſus, & fraudes, morte imminente maxime vigentes? Hic Parochi, non Buſembaum, aut alios hujus furfuris Scriptores, ſed Rituale Romanum ita præcipiens audient, & obſervabunt. *Debet autem hoc Sacramentum infirmis præberi, qui, cum ad uſum rationis pervenerint, tam graviter laborant, ut mortis periculum imminere videatur.*

ANIMADVERSIO VI.

Quod ſi Sacerdos non poſſit progredi, ſupplenda erunt per alium, quæ reſtant. Tann., Prep., Merat. Hactenus recte: *qui apud Dian. notat licere etiam alteri unctiones ab initio repetere, perinde ac ſi prior nullam earum inchoaſſet.*

Hujus doctrinæ nullam rationem affert Buſembau: ergo arbitraria eſt, nulloque loco habenda; præſertim cum unius Junioris hoc eſt Meratii auctoritate apud Dianam orta dicatur. Ubi quoque notanda eſt propoſ. 27. ab Alex. VII. damnata; ex qua certum eſt, unius Junioris auctoritatem pro nihilo eſſe habendam quoad morum doctrinam.

Hic ergo audiendus eſt D. Thom. Suppl. q. 29. a. 2. ad 3. ubi contrarium docet, inquiens: *Quod quamvis in Euchariſtia, ſi poſt conſecrationem panis moriatur*

Sacer-

Digitized by Google

Sacerdos, alius Sacerdos poſſit procedere ad conſecrationem vini, incipiens, ubi ille dimiſit, vel etiam incipere a capite ſupra aliam materiam; tamen in extrema unctione non poteſt a capite incipere, ſed debet ſemper procedere; quia unctio in eadem parte facta tantum valet, ac ſi conſecraretur bis eadem hoſtia; quod nullo modo faciendum eſt.

Hoc idem docet S. Carolus in inſtruct. de Sacr. ext. unct. apud Natalem Alex. Theol. t. 1. p. 554. reg. 12. Hos tantos Doctores, Eccleſiæ divinitus datos, ſequi omnino debemus, & ne auditione quidem dignos putare, qui contraria tradere audent. Ratio etiam eſt, quia extrema unctio nec ex toto, nec ex parte ſupra eumdem infirmum eodem tempore iteranda eſt. Nec enim anguſtiſſima ſymbola, hoc eſt ſacramenta, in quibus virtus paſſionis Chriſti continetur, fruſtra unquam contemnenda ſunt; quod ſine magno piaculo fieri non poteſt: at extrema unctio ſeu ex toto, ſeu ex parte ſupra eumdem infirmum fruſtra iteratur eodem tempore: ergo &c. Et ſane ſi manente periculo ejuſdem morbi iterari non poteſt ex Eccleſiæ inſtituto, multo minus iterari poteſt eodem tempore: at perinde eſt, ſeu ab eodem, ſeu ab alio, & alio Sacerdote iteretur; quia miniſtrorum pluralitas iterationem non impedit, ſicuti contra unitas non tollitur, ſi plures diverſas partes inungant, ut docet D. Thom. loco mox cit. Ergo ſi Sacerdos extremam unctionem, quam inchoavit, perficere nequeat, non licet alteri unctiones ab initio repetere, ſed procedendum eſt, ubi ille deſiit.

Animadversio VII.

Modo poſſit abſque periculo vitæ &c.

Bulembau hic iterum ſeparat extremam unctionem a Sacramento pœnitentiæ, a quo tamen juxta dicta ad c. 6. ſeparanda non eſt; quod confirmat D. Thom. Supplem. q. 30. a. 1. ad 1. ubi ait: *Quia pœnitentia eſt principaliter inſtituta contra actualem culpam, quodcumque aliud Sacramentum actualem culpam deleat ex conſequenti, non excludit neceſſitatem pœnitentiæ.* Primo ergo loco de Sacramento pœnitentiæ cogitandum eſt, quo collato infirmus Euchariſtia, ac demum ſacra unctione donandus eſt ex Catech. & Rit. Rom. cit. hic Animad. 4. quam conſule. Utrum vero peſte infectis, qui abſolutione digni fuere, conferendum cum periculo vitæ ſit, nec omitti poſſit ſine peccato, ignorare me fateor. Nam ſola auctoritas eorum, quos Bulembau pro ſua ſententia citat, me ſatis non movet.

Ego Parochis animos facerem, nec meticuloſos eſſe vellem, illudque Chriſti uſurparem: *Bonus Paſtor dat animam ſuam pro ovibus ſuis.*

Animadversio VIII.

Non ſuſcipere hoc Sacramentum.... non eſt peccatum mortale...... contrariam tamen vult Toletus, præſertim &c.

Hanc Toleti ſententiam ſequitur Concina Theol. t. 10. p. 20. n. 7. &c. eoque teſte defendunt Merbeſius, Gennetus, Tournely, Antoine, Ludovicus Habert, & alii graviores Theologi. Ratio ſumitur ex Jacobi c. 5. ubi dicitur: *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Eccleſiæ &c.* Illud *inducat* imperativum eſt, non conſilii loco. Syn. Trid. ſeſſ. 14. cap. 3. ait: *Jam vero quod attinet ad præſcriptionem eorum, qui & ſuſcipere, & miniſtrare hoc Sacramentum debent &c.* ubi nota illud *præſcriptionem*, & *debent*, quæ præceptum indicant. Subdit ſacra Syn. *Quare nulla ratione audiendi ſunt, qui contra tam apertam, & dilucidam Apoſtoli Jacobi ſententiam docent, hanc unctionem vel figmentum eſſe humanum, vel ritum a Patribus acceptum, nec mandatum Dei, nec promiſſionem gratiæ habentem &c.* Ergo illud Ap. Jacobi *inducat* eſt Dei mandatum ex Syn. Trid. Ergo qui non inducunt Presbyteros, ut ſuſcipiant ſacram unctionem, Dei mandatum violant: ergo mortalis culpæ rei ſunt. Hinc Conc. Colonienſe anni 1536. apud Antoine Theol. part. alt. p. 709. q. 7. inquit: *Eſt autem unctio impendenda cum expoſitione mandati apoſtolici*; & Syn. Remenſis apud Natalem Alex. Th. t. 1. p. 555. reg. 10. ait, *Quod neceſſarium eſt ad ſalutem iſtud Sacramentum, ſi poſſit haberi.* Ait *neceſſarium* neceſſitate utique præcepti, non medii; & Syn. Andegavenſis apud eumdem Nat. inquit: *Quod ſine eo (ut dicant Sancti) periculoſum eſt ex hac vita migrare.* Quare idem Nat. p. 251. reg. 1. hanc ſententiam merito propugnat.

Ipſa ſane univerſalis, conſtans, & perpetua fidelium conſuetudo ſuſcipiendi hoc Sacramentum, ipſa Eccleſiæ, & piorum Sacerdotum ſollicitudo adminiſtrandi extremam unctionem, ipſe fidelium ſenſus, qui ſcandalum patiuntur, ſi quis hoc Sacramentum recuſet, ſatis oſtendunt, ejus ſuſceptionem eſſe Dei mandato præceptam.

Accedit, quod de extrema unctione idem dicendum ſit, ac de confirmatione: atqui confirmatio ſub præceptum cadit, ut contra Buſemb. oſtenſum eſt t. 2. cap. 2. dub. 3. reſp. 1. & cap. 1. Ergo etiam extrema unctio.

At hic aliquis fortaſſe objiciet Syn. Trident. ſeſſ. 14. can. 4. de ext. unct., quæ ait: *Si quis dixerit, Presbyteris Eccleſiæ, quos B. Jacobus adducendos eſſe ad infirmum inungendum hortatur &c.* Si *hortatur*, ut ait ſac. Syn. non præcipit: ergo ſacra unctio extrema ſub præceptum non cadit.

Reſp. Cum ſacra Syn. Trid. ex mox dictis divinum mandatum in ſacra extrema unctione ſuſcipienda agnoſcat, illud *hortatur*, quod hic uſurpat, nullam vim habet, ut contrarium oſtendat. Sacra enim Scriptura non ſolum hortatur ad ea, quæ ſunt conſilii, ſed etiam ad ea, quæ ſunt præcepti. Act. 11. v. 23. Barnabas *hortatur omnes in propoſito cordis permanere in Domino*: & Ap. ad Tit. 2. 6. inquit: *Juvenes ſimiliter hortare, ut ſobrii ſint.* Item *hæc loquere, & exhortare, & argue cum omni imperio.*

Pro ſententia, quam hic propugnavi, *ſentire videntur*, inquit Bened. XIV. de Syn. Diœc. lib. 8. cap. 7. n. 4. *Magiſter ſent., & S. Bonaventura, Petrus Sotus, & expreſſe defendunt Juvenin, ac Tournely, quibus non obſcure favet Conc. Col. s. anni &c.*, cujus verba hic jam recitavi. *Verum*, ſubdit, *etſi expediat, ut Epiſcopus hanc controverſiam declinet, indubitanter tamen aſſerere poterit, non poſſe ſine gravi culpa ejuſmodi Sacramentum aut contemni, aut cum aliorum offenſione, & ſcandalo negligi, & prætermitti. Id ſiquidem a nemine negari fatetur Suar. nec præterea incongruum eſſet addere, facile Sacramenti contemptum præſumi in infirmo, qui, cum vita periclitaretur, ſciens & volens petere negligit, multoque magis, ſi eam ſibi a Parocho exhibitam recipere renuat.* Hæc ſcilicet ſibi volunt Theologi extremæ unctionis præcepti propugnatores, ut letaliter peccent fideles, qui ſe vita periclitari ſentientes, hoc Sacramentum non petunt, aut a Parocho exhibitum recuſant; quod ſine gravi aliorum offenſione, & ſcandalo accidere nunquam poteſt; imo „ Syn. Colonienſis a. „ ann. 1549. cap. 38., ut addit idem Benedict. XIV., „ rem eſt rata, Sacramentum reſpuere, ac contemnere: “ *Relatum nobis in Concilio eſt, impios quoſdam homines infirmitatis ſuæ tempore unctionem ſacram reſpuiſſe, ac contempſiſſe:* „ hujuſcemodi homines Eccleſiaſtica ſepul- „ tura privandos decrevit; quod recte ponderant Nat. „ Alex., ac modo laudati Juvenin, & Tournely. “

Caput II.

De Sacramento Ordinis.

Dubium I.

Quid ſit Ordo, quotuplex, & quæ ejus materia?

Reſp. 1. * Ordo eſt Sacramentum, *quo traditur poteſtas circa Euchariſtiam rite adminiſtrandam* (a). Ordines univerſim ſunt ſeptem, Oſtiariatus, Lectoratus, Exorciſtatus, Acolythatus, Subdiaconatus, Diaconatus, & Sacerdotium. Quod ſurſus eſt duplex, Minus, & Majus, ſive Epiſcopatus. Unde quidam octo numerant. *Prima vero tonſura non eſt Ordo*, niſi late, ſed tantum diſpoſitio ad Ordines, per quam quis fit Clericus, & capax Beneficii Eccleſiaſtici, ac privilegiorum Clericalium. Ex iis *tres poſteriores dicuntur Majores*, ſive ſacri, ob annexum votum ſolemne caſtitatis (*etſi ordinatus per gravem metum, vel nimiis blanditiis, & importunitate parentum probabiliter eo non teneatur, niſi ſponte ratificaverit.* Sanchez *diſp.* 29. Azor. Filliuc. *l.* 10. *c.* 4. *q.* 3. Coninc. *n.* 150. Bonac. *de matr. q.* 3. *p.* 9.) *reliqui minores*, quos cum Vaſquez alii Sacramentum Animad. I.

Xx eſſe

* Juxta Mag. Sent. l. 4. d. 24. *Ordo eſt ſignaculum quoddam Eccleſiæ, quo ſpiritualis poteſtas traditur ordinato.* Quæ definitio ex D. Th. Suppl. q. 34. a. 2. ordini convenit, prout Sacramentum eſt. Porro illud *ſignaculum* ex eodem S. Th. c. idem eſt, ac *ſignum externum, nec ponitur hic pro charactere interiori*, ut habet ad 2. Hæc definitio omnibus ordinibus communis eſt: quæ autem poteſtas ſpiritualis in ſingulis conferatur, ex ſingulorum definitione intelligendum eſt. Hæc attigi non litigandi, ſed tantum illuſtrandi cauſa.

eſſe negant, alii cum Bell. Conine. Filliuc. &c. communius, & probabilius affirmant. Et quidem unum, vel perfectione ac fine, vel unitate attributionis. Vide Filliuc. *tr. 9. c. 1.* Bonac. *d. 8. quæſt. 1.*

Reſp. 2. Materia remota Ordinum eſt aliquod inſtrumentum traditum ordinandis in ſignum poteſtatis ſpiritualis. Proxima eſt ejuſdem traditio, & acceptio, cujus contactum phyſicum, & immediatum etſi non eſſe eſſentialem aliqui probabiliter doceant cum Sa, Henr. Reg. Laym. Dian. *t. 4. de Sacr. n. 185.* & aliis, quos citat: contrarium tamen communius eſt, ac tutius, ut altera ſaltem manu tangatur; imo ex præcepto ad ſcrupulum vitandum, utraque manu; & quidem omnia, v. g. calix cum patena, hæc cum hoſtia, ut docet Filliuc. idque ſimul cum prolatione verborum Epiſcopi. V. Laym. *l. 5. t. 9. c. 5.* Bon. *d. 8. p. 1. pun. 3.* V. Dian. *p. 8. t. 1. R. 40. & 42.*

Reſp. 3. Oſtiarius ordinatur traditione clavium Eccleſiæ, Lector libri lectionum. Exorciſta libri Exorciſmorum, Acolythus ampullarum vacuarum, vel ſaltem unius, & candelabri cum cereo extincto, quia ejus eſt præparare lumen, vinum, & aquam ad Miſſam: Subdiaconus traditione calicis vacui cum vacua patena ſuperpoſita, quia illius eſt hæc ad Miſſam præparare: Diaconus impoſitione manus, & traditione libri Evangeliorum, quia ejus eſt catechizare, cantare Evangelium, & cum facultate Parochi prædicare, baptizare, Euchariſtiam dare, vide ſup. * Sacerdos traditione calicis cum vino, & patenæ cum pane, addita forma, qua datur poteſtas ſacrificandi, deinde impoſitione manus, addita alia forma, qua datur poteſtas remittendi aliis peccata. V. Fill. *t. 9. c. 2.* Reg. Bon. Dian. *p. 3. t. 4. R. 186. 187. & 188. & p. 8. l. c.* (*b*)

Ex dictis reſolves.

ANIMAD. II. 1. *Poteſt Epiſcopus extra diœceſim ſuis ſubditis conferre primam tonſuram: quia non eſt Ordo. Bon. & alii 4. cum Dian. p. 4. t. 4. R. 143. contra Sanch. Barboſ.* &c.

2. Quando dubium occurrit, an Ordo ſit vere collatus, v. g. quia materia fuit dubia, iterari poteſt, & debet ſub conditione. *Quando vero ſunt ra-*

ANIMAD. III. *tiones utrimque probabiles pro nullitate, & validitate, ait Dian. q. 5. t. 3. R. 47. ex Gran. poſſe iterari ſub conditione, imo debere, ſi ſit Epiſcopalis, vel Sacerdotalis, v. g. ſi Sacerdos, vel Epiſcopus non tetigiſſet vaſa ſacra, aut illud inſtrumentum, in cujus porrectione imprimitur character.* Excipit tamen Sacerdotem, qui immediate tetigit patenam, ſed non hoſtiam. Eum vero, qui non tetigit calicem, & patenam, dum forma proferebatur, ſed paulo poſt, poſſe quidem ad majorem animi ſui quietem ſub conditione iterum ordinari, non tamen eſſe neceſſarium, docet Lug. *reſ. mor. l. 1. d. 33.* Recte autem notat Dian. *l. c.* etiamſi quis timeat, ne invalide ordinatus ſit, aut non recordetur, ſe tetigiſſe ſacra vaſa, aut non tetigiſſe imaginetur, non illico iterandum eſſe Ordinem, cum ſola oblivio, vel timor non ſufficeat ad prudens, ac rationabile dubium, vel probabilitatem.

ANIMAD. IV. Reſp. 4. *Epiſcopus non poteſt ordinare, niſi ſubditos vel ratione originis (ſi ſcilicet in ejus diœceſi ſint nati) vel ratione domicilii, ex voluntate iſthic perpetuo habitandi: vel ratione beneficii in ſua diœceſi exiſtentis.* Dian. *p. 8. t. 2. R. 8.* Laym. Præpoſ. & ceteri communiter. *Quocumque autem horum modorum ſint ſubditi, licite eos ordinat, ut habetur in c.* Cum nullus, *de tempore ordin. in 6.* & ex communi, Henr. Leſſ. *l. 2. c. 34. d. 19.*

Unde reſolves.

ANIMAD. V. 1. *Qui in una diœceſi eſt natus, in altera habet domicilium, in tertia beneficium, a quovis trium illorum Epiſcoporum poteſt Ordines, vel dimiſſorias accipere.* Præpoſ. *q. 1. d. 14.* Laym. *l. 5. t. 9. c. 9.* Dian. *p. 8. t. 2. R. 8. & 9. ubi cum Averſa, & aliis tribus contra Barboſ. dicit, etſi ab uno eorum acceperit Ordinem unum, poſſe alterum ab alio accipere.*

ANIMAD. VI. 2. *Poteſt quis ordinari, ut originarius, ubi ipſe, vel pater ejus eſt natus.* Barboſ. Zerol. Averſa, & alii novem cum Dian. *p. 8. t. 2. R. 12.* Non tamen poteſt ordinari ab Epiſcopo, in cujus diœceſi natus eſt fortuito; v. g. *quia mater ibi itineris, vel negotiorum cauſa degebat* (*c*), quia non contrahit ibi jus originis, ſed ubi parentes domicilium habent; ibi enim natus eſſe cenſetur. Sanch. & alii octo, cum Dian. *p. 8. t. 2. R. 11.* contra Hurt.

3. Qui in diverſis Epiſcopatibus habet duo domicilia, in quibus æqualiter, etſi non mathematice, habitat, *poteſt ab utriuslibet loci Epiſcopo ordinari*; (*d*) quia utrique eſt ſubditus ratione domicilii, Præpoſ. *l. c.* Sanch. Averſ. &c. cum Dian. *p. 8. t. 2. R. 10.* ejus tamen filius ab illo tantum, in cujus diœceſi eſt natus. Quod ſi fortuito extra utriuſque diœceſim ſit natus, ab utrovis poteſt ordinari, quia uterque cenſetur ejus Epiſcopus originis, cum non ſit potior ratio de uno, quam de alio. Præpoſ. Dian. *l. c.* Natus autem ex fornicatione, matris potius, quam patris domicilium ſequitur. Præpoſ. Dian. *l. c. R. 18.*

4. *Qui plura habet in diverſis diœceſibus beneficia, poteſt a quolibet illorum Epiſcoporum ordinari.* Garc. Præpoſ. *l. c.* &c. Dian. *p. 8. t. 2. R. 25.* ANIMAD. VII.

Studioſi, qui in Univerſitate habitant, etiam ultra decennium, animo redeundi in patriam, non contrahunt ibi domicilium, atque adeo *ab ejus loci Epiſcopo ordinari non poſſunt.* (*e*) Imo ſi iſthic ducant uxorem, nec filii eorum: ſicut enim is non dicitur Epiſcopus domicilii reſpectu patris; ita nec Epiſcopus originis reſpectu prolis, quæ nata fingitur in domicilio patris. Dian. *p. 8. t. 2. R. 15. & 17.*

DUBIUM II.

Quæ requirantur in Ordinando?

Reſp. 1. Ad validam ordinationem requiritur, & ſufficit, *ut mas ſit baptizatus.* (*f*) S. Thom. *3. p. q. 39. ar. 2.* Conin. *d. 20. d. 10.* Vaſq. Fill. *t. 9. c. 4. q. 2.*

Unde reſolves.

1. Incapax Ordinum eſt, & quidem jure divino, 1. *Femina.* (*g*) Vaſq. Reg. Fill. *l. c. Hermaphroditus*, in quo ſexus femineus prævalet. Fill. *l. c.* Quod ſi autem in eo incipiat prævalere poſt ordinationem validam, non poteſt valide conſecrare, vel abſolvere, licet characterem ſacramentalem retineat. Lugo *reſp. mor. l. 1. d. 31.* 2. Non baptizatus. *ibid.*

2. Valide ordinantur, 1. Perpetuo amentes; cæci, muti, privati manibus, etſi jure naturali ſint inhabiles. 2. Irregulares, etſi jure Eccleſiaſtico ſint inhabiles, maneantque ab eorum uſu ſuſpenſi. 3. Pueri in cunis, qui tamen ad caſtitatem non tenebuntur vi voti, niſi id ratificaverint. Tolet. Henriq. Azor. *l. 13. c. 14.* Bon. *l. c.*

Reſp. 2. Ut Ordo licite, & ſecundum jura Eccleſiæ rite ſumatur, aut non incurratur cenſura, requiritur in recipiente, præter ſtatum gratiæ, 1. Ut non ſit neophytus, vel infamis, *vel hermaphroditus, vel irregularis, ſuſpenſus, excommunicatus.*

2 *Animus clericandi*; Tridentinum *ſeſſ. 23. c. 4. ſine quo ſi primam tonſuram, vel Ordines minores accipiat, videtur peccare, ſaltem venialiter (niſi juſta cauſa excuſet) quia finis eſt levis.* Vide ſupra *lib. 4. c. 2. d. art. 3.* Similiter venialis inconſtantia videtur, ſine juſta cauſa ſtatum Clericalem deſerere. ANIMAD. VIII. 3. *Ut ſit confirmatus*, Tridentinum *ſeſſ. 23. c. 4. & quidem ſecundum Bonac. d. 8. part. 5. n. 10. ſub mortali; ſecundum Sotum, & Conin. ſub veniali.* 3. Litteræ dimiſſoriæ, etiam pro prima tonſura, Epiſcopi proprii, ſive originis, ſive beneficii, ſive domicilii. Vide Dian. *par. 3. tr. 4. Reſ. 194.* 4. *Examen coram Epiſcopo de ſcientia neceſſaria ad uſum cujuſque Ordinis*: nam Tridentinum *ſeſſ. 23. cap. 4.* pro prima tonſura requirit, ut ſciant Fidei rudimenta, item legere, & ſcribere: & de quibus probabilis ſit conjectura, quod Clericatum elegerint, non ſæcularis judicii fugiendi fraude, ſed ut Deo fidelem cultum præſtent. Pro minoribus, ut linguam latinam intelligant. Pro Subdiaconatu, & Diaconatu; cognitio-

* Vide etiam ſup. meas Animad.

tionem eorum, quæ ad iſtos Ordines ſpectant. Pro Sacerdotio tantam ſcientiam, ut populum docere poſſint neceſſaria ad ſalutem, & adminiſtrare ſacramenta. 5. Titulus ſuſtentationis, ut beneficii, vel patrimonii, vel paupertatis, ut in Regularibus. Trid. *ſeſſ.* 21. *c.* 2. Vide Bonacin. 6. Ordo inter receptionem unius, & alterius; cujus inverſio, verbi gratia, ſuſcipere Diaconatum ante Subdiaconatum, erit mortale: *Epiſcopatus ante Sacerdotium erit etiam invalidus.* (b) 7. *Tempus; ſic minores conferuntur quavis Dominica, vel feſta quidem tali, quod ex præcepto Eccleſiæ celebretur etiam in foro, ut Sylveſt. Azor. Barboſ. & ceteri communiter docent.* Ac, licet Præpoſ. Fagund. Tann. Gavant. & ceteri putent ſufficere quodvis feſtum duplex in Eccleſia, eamque ſententiam Dian. *p.* 5. *tr.* 13. *R.* 47. vocet tutam in praxi; eam tamen ex decreto Urbani octavi rejectam eſſe monet Card. de Lugo *lib.* 1. *reſp. mor. d.* 43. *Eoſdem autem poſſe ex recepta Epiſcoporum conſuetudinem, etiam feria ſexta veſpere ante Sabbatum quo omnes Ordines jure conferri poſſunt, notat Dian. p.* 2. *t.* 16. *R.* 28. *ex Henriq. Regin.* &c. Majores vero Sabbatis quatuor Temporum, & Dominicæ Paſſionis, ac hebdomadæ ſanctæ. 8. Interſtitia temporum. *Sic majores nonniſi poſt annum ab ulterius ſuſceptione conferri poſſunt, ex Tridentino ſeſſ.* 23. *c.* 11. 13. & 14. *in quo tamen Epiſcopus ob neceſſitatem, vel utilitatem Eccleſiæ poteſt diſpenſare.* Eodem tamen die, non niſi de licentia Papæ, duo Ordines majores poſſunt dari; *minores vero omnes, diſpenſante Epiſcopo, poſſunt dari eodem die, &, ſi conſuetudo ſit, ſimul cum Subdiaconatu.* Navar. *c.* 25. Henriq. *lib.* 10. *cap.* 11. Vaſqez, Suarez, Sa, v. *Ordo.* Layman. *lib.* 5. *tr.* 9. *c.* 8. 9. Locus, ſcilicet pro ſolemni collatione, Eccleſia; pro privata, Sacellum. 10. *Ætas, in qua ordinarie Epiſcopus non poteſt diſpenſare, & ſic pro prima tonſura, & minoribus requiritur ſaltem ſeptennium completum,* licet Quintan. *t.* 6. *ſ.* 21. *contra Sanchez, & cet. putet ſufficere inchoatum. Pro Acholytho annus duodecimus completus.* Filliuc. *t.* 9. *c.* 4. *n.* 28. Pro Subdiaconatu vigeſimus ſecundus, pro Diaconatu vigeſimus tertius, pro Sacerdotio vigeſimus quintus, omnes incepti, pro Epiſcopatu trigeſimus completus. Vide Bonac. *d.* 8. *q.* 1. Filliuc. *tr.* 9. *c.* 4. Layman. *lib.* 5. *tr.* 9. *c.* 6. & 7. Dian. *p.* 3. *t.* 4. *R.* 162. Si autem dubium ſit, an quis ætatem requiſitam habeat, v. gr. pro Sacerdotio annum vigeſimum quintum ingreſſus ſit, ordinari non poteſt. Sanchez, Layman. Bard. *d.* 6. *a.* 11. *p.* 6. §. 2. Vide ſupra *lib.* 1. *t.* 1. *c.* 1. *d.* 3. Peccat autem tam ordinans, quam ordinatus, ſi ordinetur, qui non habet qualitates requiſitas.

Quæres, Quæ ſint officia ordinatorum?

Reſp. 1. *Oſtiarii eſt claves templi ſervare*, aperi-
ANIMAD. re, & claudere ejus januas; arcere eos, quibus non
IX. licet intereſſe ſacris; campanas pulſare; quæ intra Eccleſiam ſunt, cuſtodire; ei, qui prædicat, aperire librum. 2. *Lectoris munus eſt*, legere in Eccleſia lectiones veteris, & novi Teſtamenti: *item docere catechumenos rudimenta fidei chriſtianæ.* 3. *Exorciſtæ munus*, manus imponere ſuper vexatos a ſpiritibus immundis, ad illos adjurandos, & ejiciendos, item ad exorcizandos catechumenos. 4. Acholythi munus eſt præparare ampullas vini, & aquæ ad ſacrificium Miſſæ, & porrigere Subdiacono, ferre cereos ad idem Sacrificium, & illi miniſtrare, unde & Ceroferarius dicitur. 5. *Subdiaconi munus eſt*, immediate ſubordinari Diacono ad Sacrificium Miſſæ, calicem, & patenam illi tradere, urceolum cum aqua præbere, aquam ad lavandas manus infundere, Epiſtolam ex officio, & ſolemniter in Miſſa legere. 6. Diaconi munus eſt, cantare ſolemniter Evangelium in Miſſa, miniſtrare immediate Sacerdoti in omnibus, quæ pertinent ad Miſſæ ſacrificium, veſtire altaria, crucem ferre, & denique ex commiſſione Sacerdotis prædicare, & *baptizare.* * 7. Presbyteri munus eſt offerre ſacrificium Miſſæ, *abſolvere a peccatis, baptizare,* benedictiones aquæ, & ſimiles facere, populum doctrina, & exemplo paſcere. Vide Eſcob. *E.* 8. *t.* 7. *c.* 1.

Notæ.

(a) *Ordo eſt Sacramentum, quo traditur poteſtas circa Euchariſtiam rite adminiſtrandam*; quaſi vero ordinibus initiati nullam circa alia Sacramenta poteſtatem acciperent. Itaque non eſt ab illa vulgari definitione recedendum, qua *Ordo* definitur *ſignaculum quoddam Eccleſiæ, quo ſpiritualis poteſtas traditur ordinato.* Hæc definitio ex Magiſtro ſent. in 4. diſt. 24. ſumpta eſt, & a D. Th. ſuppl. q. 34. a. 2. probata; ait enim, *quod definitio, quam Magiſter de ord. ponit, convenit ordini, ſecundum quod eſt Eccleſiæ Sacramentum; & ideo duo ponit, ſcilicet ſignum exterius ibi,* (ſignaculum quoddam, *idest ſignum*) & *effectum interiorem ibi* (quo ſpiritualis poteſtas &c.) In hac porro definitione non fit mentio gratiæ, quam hoc Sacramentum conferre, certum eſt ex Syn. Trid. ſeſſ. 23. cap. 3.; quia ut ait D. Th. ad 2. *Ordo principaliter poteſtatem importat; & ideo character, qui eſt ſpiritualis poteſtas, in definitione ordinis ponitur.*

Buſ. *prima vero tonſura non eſt ordo.* Recte. Lege Animad. hic 2.

Ex iis tres poſteriores dicuntur majores, ſive ſacri, ob annexum &c. Ex D. Th. ſuppl. q. 37. a. 3. omnes ordines ex natura ſua ſacri ſunt, quia quilibet ordo eſt Sacramentum; tres autem poſteriores, prout a prioribus diſtinguuntur, ſacri dicuntur, quia habent actum circa res conſecratas, hoc eſt circa corpus, & ſanguinem Chriſti, aut circa vaſa conſecrata; *& ideo eis etiam continentia indicitur, ut ſancti, & mundi ſint, qui ſancta tractant.* Ita D. Th.

Buſ. *Reliqui minores, quos cum Vaſquez alii Sacramentum eſſe negant, alii cum Bell. &c. communius, & probabilius affirmant.*

Hujus probabilioris, & communioris ſententiæ dux eſt D. Th. loco mox cit., ubi, ut monui, ait, *quod ordo, ſacer dicitur dupliciter: uno modo ſecundum ſe, & ſic quilibet ordo eſt ſacer, cum ſit Sacramentum quoddam.* De hac controverſia fuſe, & erudite diſputat Bened. XIV. lib. 8. de Syn. Diœc. cap. 9. ſed quoad praxim lege, ſi lubet, Animad. 6. in cap. 2. tract. 1. hujus lib. 6. Cui firmitatem addit Bened. idem, dum multas Synodos graviter increpantes, & ſacrilegii reos denuntiantes illos, qui cum lethalis peccati conſcientia ad ordines ſuſcipiendos accedere audent, valde commendat. *Ejuſmodi reprehenſionem*, inquit, *ſummopere commendamus.*

(b) Utrum traditio, & contactus inſtrumentorum ad ſacræ ordinationis eſſentiam pertineant, ex Animad. hic 3. intelligitur.

(c) *Non tamen poteſt ordinari ab Epiſcopo, in cujus diœceſi natus eſt fortuito v. g. quia* &c.

Id certum eſt ex verbis Innoc. XII. *Ceterum ſubditus ratione originis is tantum ſit* &c. quæ in ejus Conſtit. hic Animad. 4. exſcripta leges.

(d) *Qui in diverſis Epiſcopatibus habet* &c., *poteſt ab utriuslibet loci Epiſcopo ordinari.* Recte. *Quia utrique eſt ſubditus ratione domicilii*, neque major ratio eſt, cur ab uno, non item ab alio Epiſcopo ordines ſuſcipere poſſit: ergo ab utroque initiari valet; quia a nemine poſſe, abſurdum eſt.

Ejus tamen filius ab illo tantum, in cujus diœceſi eſt natus. Cur ab illo tantum? Nonne ratione domicilii eſt ſubditus quoad ordinum ſuſceptionem ejus Epiſcopi, cujus diœceſim incolit? ergo ab utroque ordinari poteſt.

Natus autem ex fornicatione matris &c. Hic ratione originis ſubditus eſt Epiſcopi, in cujus Diœceſi ortus eſt; ratione vero domicilii, ubi habitat.

(e) *Studioſi qui* &c. *ordinari non poſſunt. Imo ſi ibi ducant uxorem, nec filii eorum.* Hæc ſata ſunt ex Conſtit. Innoc. XII.; quæ hic Anim. 4. legenda attente eſt.

(f) *Ad validam ordinationem requiritur, & ſufficit, ut mas ſit baptizatus. S. Th.* 3. *p.* (adde ſuppl.) *q.* 39. *a.* 2. ubi tamen Epiſcopatum excipit, inquiens: *Sed ad epiſcopatum, ubi etiam in corpus myſticum accipitur poteſtas, requiritur actus ſuſcipientis curam animarum paſtoralem; & ideo eſt etiam de neceſſitate conſecrationis epiſcopalis, quod uſum rationis habeat. Quidam autem dicunt, quod ad omnes ordines requiritur uſus rationis de neceſſitate Sacramenti. Sed eorum dictum ratione, vel auctoritate non confirmatur.* Porro ſicut a. 2. cit. uſum rationis ad validam ordinum ſuſceptionem excepto Epiſcopatu non poſtulat, ita a. 3. 4. 5. 6. evincit, ſervos, homicidas, illegitime natos, & membrorum defectum patientes, ordines valide ſuſcipere.

(g) 1. *Incapax ordinum eſt, & quidem jure divino, 1. fœmina.* Recte. 2. *hermaphroditus, in quo ſexus femineus prævalet*; adde & in quo uterque ſexus æqualis eſt ex Animad. hic 8.

* Vide Animad. X. in lib. 1. cap. 6. tract. 2.

(h) 6. *Epiſcopatus ante Sacerdotium erit etiam invalidus*. Idem habet Concina Th. t. 10. p. 27. n. 4. „ quoniam, inquit, Epiſcopatus præciſe ſumptus non includit poteſtatem conficiendi Euchariſtiam; ideo juxta ſententiam S. Thomæ mihi probabiliorem, Epiſcopatus non eſt Sacramentum diſtinctum a presbyteratu. “

ANIMADVERSIO I.

Etſi ordinatus per gravem metum &c. eo non teneatur, niſi &c.

Huic opinioni præter Sanch. Dic. Spor. plures quam viginti adhærere ait La-Croix p. 448. num. 2163. eamque ſatis communem appellat, & ſequitur Anacletus t. 4. juris can. p. 82. n. 9. Contrariam tritſe Concina Theol. t. 10. p. 315. num. 3. docent S. Antoninus, Paludanus, S. Raym. Holtien. & alii multi, quam ſequitur quoque La-Croix loco cit. Ratio eſt, quia Synodus Tridentina ſeſſ. 24. can. 9. ita definit: *Si quis dixerit, clericos in ſacris ordinibus conſtitutos, vel Regulares ſolemniter profeſſos, poſſe matrimonium contrahere, contractumque validum eſſe, non obſtante lege eccleſiaſtica, vel voto &c. anathema ſit*: at clerici, licet ex metu gravi ſacro Ordine initientur, valide tamen ex omnium conſenſu initiantur, & in ſacro Ordine reipſa conſtituti ſunt: ergo matrimonium contrahere non poſſunt, & contractum eſſet irritum. Quare ſicuti profeſſio religioſa, ſi valida ſit, matrimonium impedit, & irritat, ita quoque Ordo ſacer; quia ſacra Syn. de utroque eodem modo, & abſolute ſine ulla limitatione loquitur.

Adde, quod matrimonii impedimentum jure eccleſiaſtico Ordini ſacro annexum tolli non poteſt, niſi aut Eccleſiæ, aut naturæ jure: atqui neutro jure ſublatum ſuit, ſi Ordo ſacer ex gravi metu ſuſceptus fuit; non jure Eccleſiæ, quia tale jus nuſquam invenitur, nec ab adverſariis profertur; non jure naturæ, quia qui ex gravi metu ſacrum Ordinem ſuſcipit, voluntarie nihilominus illum ſuſcipit, ut patet ex iis, quæ de voluntario, & involuntario tradit Ariſt. D. Th. & Theologi communiter: ergo impedimentum ſacro Ordini inſeparabiliter annexum eſt ambo ſcripit; quo ſpectant dicta l. 3. t. 2. c. 3. d. 2. ca. 5. Animad. III.

Præterea ſicuti ex gravi metu ſacris initiati, horum Ordinum poteſtate, commodis, privilegiis jure fruuntur, ita eorum legi, & oneribus merito obnoxii ſunt.

Quare hac in re nihil ſine pontificia diſpenſatione tentandum unquam eſt, quam hic locum habere exempla teſtantur, quorum meminit P. Zach. in citat. La-Croixii locum.

ANIMADVERSIO II.

Poteſt Epiſcopus extra diœceſim ſuis ſubditis conferre primam tonſuram.

Tonſuram non eſſe Ordinem, ſed præparationem ad Ordines, fateor cum Buſembau, quod ex Synod. Trid. ſeſſ. 23. cap. 2. aperte colligitur, ubi habetur, quod plures ſunt Ordines Sacerdotio deſervientes *ita diſtributi, ut qui jam clericali tonſura inſigniti eſſent, per minores ad majores aſcenderent*. Hic Tonſura ab Ordinum ſerie perſpicue ſecernitur, & excluditur: negari tamen non poteſt, ejus collationem eſſe pontificalis Ordinis functionem: at ex eadem ſacra Syn. ſeſſ. 7. cap. 5. ita ſtatuitur: *Nulli Epiſcopo liceat cujuſvis privilegii prætextu pontificalia in alterius diœceſi exercere, niſi de Ordinarii loci expreſſa licentia, & in perſonas eidem Ordinario ſubjectas tantum*. Ergo Epiſcopus primam tonſuram ſuis ſubditis extra diœceſim conferre non poteſt.

Subdit quidem ſacra Syn. *Si ſecus factum fuerit, Epiſcopus ab exercitio pontificalium, & ſic ordinati ab executione ordinum ſint ipſo jure ſuſpenſi*.

At hæc verba, quæ ſola tonſura initiatos a ſuſpenſione, cujus capaces non ſunt, eximunt, Epiſcopum a culpa, ſi ſolam tonſuram conferat, immunem non faciunt, quia etiam in hoc eventu pontificalia exercuit &c. & alienum jus ſibi uſurpavit, ea exercendo in aliena juriſdictione.

ANIMADVERSIO III.

Quando vero ſunt rationes utrimque probabiles...... poſſe iterari ſub conditione &c.

Cum rationes hinc inde probabiles pro nullitate, & validitate Ordinis occurrunt, dubium eſt, utrum ordinatio fuerit valida, & periculum, ne ſit invalida; ideoque quin ſit ſub conditione iteranda, non eſt dubitandum, ſi ſermo præcipue ſit de Sacerdotio, & Epiſcopatu.

At porrectio, & contactus ſacrorum valorum non eſt putanda neceſſarius ad ſacramenti valorem. Qui contrariam ſententiam tuentur, Eugenii IV. auctoritate ſe niti putant, qui in decreto Arm. ait: *Sextum ſacramentum eſt Ordinis, cujus materia eſt illud, per cujus traditionem confertur Ordo, ſicut Presbyteratus traditur per calicis cum vino, & patenæ cum pane porrectionem, Diaconatus vero per libri Evangeliorum dationem, Subdiaconatus per calicis vacui cum patena vacua ſuperpoſita traditionem &c.* Ex his verbis, qui in ſcholaſtica palæſtra verſati ſunt, ita ratiocinantur. Materia eſt cujuſque rei, cujus materia eſt, pars eſſentialis: at ſacrorum valorum traditio eſt materia Ordinis juxta Eug. IV.: ergo eſt pars eſſentialis ipſius Ordinis. Hanc vero rationem demonſtrationis loco eſſe cenſent; quæ tamen reipſa nullo, aut exiguo momento conſtat. Materia enim, æquivoca vox eſt, quæ aliquando ſignificat id unde aliquid conſtat, ut marmor eſt materia ſtatuæ, aliquando illud indicat, circa quod agens operatur, ſicut idem marmor eſt materia ſtatuarii. Porro conſtat, ordinum poteſtatem, & functiones verſari circa inſtrumenta, quæ in ordinatione traduntur: ergo hujuſmodi inſtrumenta hoc eodem nomine, Ordinum materia rectiſſime appellantur.

Quare inepte colligitur, traditionem inſtrumentorum eſſe eſſentialem ſacræ ordinationi, quia inſtrumenta tradita ordinato, Ordinis materia ab Eug. IV. appellantur; cum recte dicamus, ea inſtrumenta Ordinum materiam ab Eugenio IV. appellari, quia Ordines circa talia inſtrumenta ſuas obeunt functiones.

Sententia negans, porrectionem ſacrorum vaſorum eſſe ordinationi eſſentialem, quæ apud eruditos Theologos communis nunc eſt, a Nat. Alex. Theol. t. 1. p. 574. art. 6. & 7. & Concina Th. t. 10. p. 31. cap. 3. propugnata, ita ratiocinatur. Illud ſacræ ordinationi non eſt eſſentiale, quod ſacra Scriptura tanquam neceſſarium non memorat, quod Græca Eccleſia, cujus ordinationes Eccleſia Romana omnium magiſtra, & mater ratas ſemper habuit, nunquam adhibuit, quod ipſa Latina Eccleſia per decem priora ſæcula prætermiſit: atqui ſacra Scriptura, ſacrorum valorum porrectionem ut ordinationi neceſſariam non memorat, ſed unius impoſitionis manuum meminit Act. 6. v. 6 Act. 13. v. 3. item 1. ad Timoth. 4. v. 14 & cap 5. v. 22., Eccleſia Græca eam nunquam adhibuit, Eccleſia Latina eamdem ſacrorum valorum traditionem per decem circiter ſæcula omiſit, ut eruditi plurimi Theologi Conciliorum, & Patrum teſtimoniis evincunt, inter quos Nat. Alex. Theol. t. 1. p. 574. art. 6. & 7. cit. Ergo ſacrorum valorum traditio non eſt ſacræ ordinationi eſſentialis. Hæc ſane ratio ſolidiſſima eſt, & inſtitutum conficit. Hinc autem fieri videtur, ut ordinatio, non ſit iteranda, ſi inſtrumentorum porrectio, aut contactus omittatur. Hinc, ut refert P. Zach. ad num. 2149. p. 447. La-Croixii, S. C. die 10 Jun 1710 in Senogallienſi Ord. *Fr. Franciſco Ejuſ Ord. Cappucinorum, qui calicem quidem, & patenam in Subdiaconatus ſuſceptione tetigerat, non autem librum Epiſtolarum ex inadvertentia S. rogatine ſi A teſtitis, reſpondit tactum libri eſſe ſupplendum per Epiſcopum etiam privatum*.

Accedit, quod ſi impoſitio manuum ab Apoſtolis derivata, perpetuoque uſu in univerſali Eccleſia in ſacra ordinatione adhibita, forte omiſſa fuerit, ordinatio non eſt iteranda, ſed caute ſupplendum eſt, quod incaute fuit prætermiſſum, ut Summi Pontifices docent. Innoc. enim III. c. 1. t. 3. l. 1. decret. ita loquitur: *Præterea nos conſulere voluiſti, an permitti debeat miniſtrare, qui ſine impoſitione manuum fuerit ad Ordinem ſubdiaconatus aſſumptus; & ſi confirmationis ſacramentum in eo debeat iterari, qui per errorem fuit non chriſmate, ſed oleo delinitus. Ad quod breviter duximus reſpondendum, quod in talibus non eſt aliquid iterandum, ſed caute ſupplendum, quod incaute fuerit prætermiſſum*. Gregor. vero IX. c. 3. t. cit. inquit: *Presbyter, & Diaconus cum ordinantur, manus impoſitionem tactu corporali (ritu ab Apoſtolis introducto) recipiunt; quod ſi omiſſum fuerit, non eſt aliquatenus iterandum, ſed ſtatuto tempore ad hujuſmodi Ordines conferendos, caute ſupplendum, quod per errorem extitit prætermiſſum*. La-Croix p. 446. n. 2140. ait: „ Reſpondent Gonzal. ad c. cit. Pirh. aliique plurimi, ibi agi de ſecunda impoſitione, quæ ſemper, & ſola poteſt ſuppleri, quamvis ſit eſſentialis. “

At undenam hæc interpretatio ſumpta eſt? Gregor. ait *manus impoſitionem* indefinite: ergo ex meo arbitrio acceptum de ſecunda manus impoſitione, excluſa prima. Præterea Greg. loquitur de manus impoſitione, quæ eſt ritus ab Apoſtolis inductus: at non ſolum ſecunda, ſed etiam prima manus impoſitio, imo hæc potiori forte jure ritus eſt ab Apoſtolis inductus: ergo Greg. vel æquali, vel etiam potiori ratione loquitur de prima manus impoſitione. Adde contradictorium eſſe, quod ſecunda impoſitio manus ſuppleri poſſit, & ſit eſſentialis. Si enim eſſentialis eſt, ſine ea ſacramentum non confertur: cum autem ſacramentum nullum eſt, ne-

neceſſario iterandum eſt; quia ſola pars ſuppleta ſine ſacramenti forma ſacramentum non perficit.

Ergo Greg. IX. non ſolum de altera, ſed etiam de prima manus impoſitione intelligendus eſt; præſertim cum fatente ipſo La-Croixio n. 2141. ſenſus communis D. D. cum S. Th. in 4. habet, primam manus impoſitionem eſſe cæremoniam tantum accidentalem. Ergo multo minus ſacta Ordinatio iteranda videtur, ſi inſtrumentorum traditio, aut contactus omittatur; quæ minus neceſſaria merito dicitur, quam ritus impoſitionis manuum. Videlicet verba ab Epiſcopo prolata characterem, ſeu ordinis poteſtatem conferunt, inſtrumentorum traditio ritus eſt indicans id, circa quod initiatus ſuam poteſtatem exercet; qui ritus ab Eccleſia inductus, religioſe quidem ſervandus eſt; at ſi per errorem omittatur, verba nihilominus efficiunt, quod ſignificant. Hac de re vix ego quidem dubitare poſſum; quia tamen extra omnem dubitationis aleam id eſſe non videtur; & de re auguſtiſſima, & graviſſima agitur, hoc eſt de valore ſacramenti: &, ſi de Sacerdotio ſermo ſit, de valore conſecrationis; idcirco ſacra Congregatio Concilii Tridentini aliquando reſpondit, ſub conditione iterandam ordinationem Latini Presbyteri, in qua ordinandus, qui manuum impoſitionem receperat, non acceſſit ad porrectionem calicis cum vino, & patenæ cum hoſtia, ut notat Bened. XIV. de Syn. Diœc. lib. 8. cap. 10. Idem tamen Bened. XIV. n. 11. cap. cit. ait. „ Id utique faciendum erat, (in „ ſpecie, de qua ſermo eſt) quod præſcribit Greg. IX. „ in cap., (hic a me cit.) ubi in caſu haud abſimili „ decrevit, *nihil eſſe iterandum*, *ſed caute ſupplendum*, „ *quod per errorem extitit prætermiſſum*. Sed „ Sacra Congregatio, ſubdit n. 13.... ut etiam hujus opinionis, (quæ manuum impoſitionem ſimul cum porrectione inſtrumentorum in unam coaleſcere materiam dicebat) „ in re tanti momenti rationem aliquam habe- „ ret, totam ordinationem ſub conditione iterandam „ reſcripſit, “

Animadverſio IV.

Epiſcopus non poteſt ordinare, niſi ſubditos &c.

Hic attente legendus eſt Innoc. XII. conſt. *Speculatores* anni 1694. pridie Nonas Novemb. ubi ait: * *Ceterum ſubditus ratione originis is tantum ſit, ac eſſe intelligatur, qui naturaliter* (ait *naturaliter*, ut excludatur ſupernaturalis origo per baptiſmum, quam ſolum hac in re P. Concina Theol. t. 10. p. 34. n. 5. ex humano errore conſiderat) *natus eſt in ea diœceſi, in qua ad Ordines promoveri deſiderat, dummodo tamen ibi natus non fuerit ex accidenti, occaſione nimirum itineris, officii, legationis, mercaturæ, vel cujuſvis alterius temporalis moræ, ſeu permanentiæ ejus Patris in illo loco; quo caſu nullatenus ejuſmodi fortuita nativitas, ſed vera tantum, & naturalis Patris origo erit attendenda.*

Subditus autem ratione domicilii ad effectum ſuſcipiendi Ordines is dumtaxat cenſeatur, qui, licet alibi natus fuerit, illud tamen adeo ſtabiliter conſtituerit in aliquo loco, ut vel per decennium ſaltem in eo habitando, vel majorem rerum, ac bonorum ſuorum partem cum inſtructis ædibus in locum ejuſmodi transferendo, ibique inſuper per aliquod conſiderabile tempus commorando ſatis ſuperque ſuum perpetuo ibidem permanendi animum demonſtraverit; & nihilominus alterius utroque caſu ſe vere, & realiter animum hujuſmodi habere, jurejurando affirmet.

Subdit Summus Pontifex: *Si quis tamen a propriæ originis loco in ea ætate diſceſſerit, qua potuerit alicui canonico impedimento obnoxius effici, etiam Ordinarii ſuæ originis teſtimoniales litteras, ut ſupra, afferre debebit, ac de illis expreſſa ſimiliter mentio in ſuſceptorum Ordinum litteris facienda erit.*

Porro quoad beneficium ita loquitur: *Licet vero Clericus ratione cujuſvis beneficii in aliena diœceſi obtenti ſubjici dicatur juriſdictioni illius Epiſcopi, in cujus diœceſi beneficium hujuſmodi ſitum eſt; eam tamen de cetero hac in re inconcuſſe ſervari volumus regulam, ut nemo ejuſmodi ſubjectionem ad effectum ſuſcipiendi ordines acquirere cenſeatur, niſi beneficium prædictum ejus ſit reditus, ut ad congruam vitæ ſuſtentationem ſive juxta taxam ſynodalem, ſive ea deficiente juxta morem regionis pro promovendis ad ſacros Ordines, detractis oneribus, per ſe ſufficiat, illudque ab ordinando pacifice poſſideatur, ſublata quacumque facultate ſupplendi, quod deficeret fructibus ejuſdem beneficii cum adjectione patrimonii etiam pinguis, quod ipſe ordinandus in eadem, ſeu alia quavis diœceſi obtineret.*

Animadverſio V.

Qui in una diœceſi eſt natus, in altera habet domicilium, in tertia beneficium, a quovis trium illorum Epiſcoporum poteſt ordines, vel dimiſſorias accipere.

Ita ſane, dum hæc intelligis juxta mox relata ex Innoc. XII.

Ubi cum Averſa, & aliis tribus &c. *dicit, etſi ab uno eorum acceperit Ordinem unum, poſſe alterum ab alio accipere.*

Ratio eſt, quia ſuſcipiens Ordinem ab uno Epiſcopo, alterius ſubditus quoad Ordines eſſe non deſinit, cum legis ordinatione hæc ſubjectio non tollatur. Sola fraus, cujus ſuſpicione illa Epiſcoporum mutatio, niſi mutationis cauſa evidens ſit, non vacat, cavenda eſt. Ceterum decet eum, qui ab uno Epiſcopo ordinatur eſt, ab eodem aliis Ordinibus, niſi neceſſitas, aut rationabilis cauſa aliud ſuadeat, initiari.

Animadverſio VI.

Poteſt quis ordinari, ut originarius, ubi ipſe, vel pater ejus eſt natus.

Hæc opinio falſa eſt. Nam ratione originis debet quis ordinari, ubi ipſe natus eſt, nec poteſt ordinari, ubi ejus Pater eſt ortus. Ita Innoc. XII. in citata conſtitutione ubi ait; *At ſi Pater in aliena loco, ubi ejus filius natus eſt, tamdiu, ac ea animo permanſerit, ut ibi vere domicilium de jure contraxerit, tunc non origo Patris, ſed domicilium per Patrem legitime, ut præfertur, contractum, pro ordinatione filii attendi debeat*; quod certe multo magis dicendum eſt, ſi Pater ante filii nativitatem domicilium contraxerit.

Animadverſio VII.

Qui plura habet in diverſis diœceſibus beneficia, poteſt a quolibet .... ordinari.

Id verum eſt, dum quodlibet beneficium habeat conditiones ab Innoc. XII. requiſitas, & mox expoſitas.

Sed hic illud animadvertendum eſt, Clericum, qui uno beneficio ad ſuam congruam ſuſtentationem ſufficiente non contentus, alia plura in diverſis locis aucupatus eſt, in ambitionis, avaritiæ, & malarum artium ſuſpicionem venire, ac merito indagandum eſſe, utrum a quolibet Epiſcopo ordinari queat, an a nemine ordinandus ſit.

Animadverſio VIII.

Vel hermaphroditus.

Non ſolum hermaphroditus, in quo ſexus femineus prævalet, Ordinum eſt incapax, ut dixit Buſemb. c. 1., ſed etiam ille, in quo uterque ſexus eſt æqualis, ut ex Sanch. ait La-Croix p. 454. num. 2215. & Bonac. t. 3. p. 229. prop. 1. nu. 6. multis citatis. Talis enim hermaphroditus non eſt vir, ſed monſtrum quoddam ſexus, quod Ordinis poteſtas omnino non decet; ideoque incapax Ordinis merito judicatur; quæ ſententia quoad praxim tenenda omnino eſt, utpote quæ verſatur circa valorem ſacramenti; ideoque hermaphroditus & ab ordinatione repellendus ſine dubio eſt; &, ſi forte furtim fuerit ordinatus, ab Ordinum executione arcendus.

Animus clericandi &c.

Animum clericandi, ſeu permanendi in ſtatu clericali, neceſſarium eſſe, ut quis ſine culpa Ordines minores, aut etiam primam tonſuram ſuſcipiat, recte Bul. ait.

Sed illud primum in eo arguendum eſt, quod addit, *niſi juſta cauſa excuſet*. Quænam enim juſta cauſa aſſignari poteſt ſuſcipiendi tonſuram, vel Ordines minores ſine animo perſeverandi in clericatu? Nulla alia, niſi familiæ, & rerum temporalium ratio. At hæc non eſt juſta cauſa excuſans, ſed ratio accuſans. Qui enim per tonſuram, aut minores Ordines in ſacram Dei militiam adſcribitur, animum a terrenis negotiis, & curis avocare debet, juxta illud Ap. 2. ad Tim. 2. *Nemo militans Deo, implicat ſe negotiis ſæcularibus*: at qui tonſuram, aut Ordines ſuſcipit ſine animo perſeverandi in clericatu propter familiæ, rerumque temporalium rationem, animum negotiis, & curis ſæcularibus implicatum habet: ergo Apoſtoli præcepto repugnat, & hoc ipſo nomine peccat.

Hic dum tonſuram recipit, mendaciter pronuntiat illa verba, ſao Epiſcopus ejus nomine: *Dominus pars hereditatis meæ*. Non enim Dominus, non ejus cultus eſt pars *hereditatis ejus*, ſed res ſæculi, unde regulam ſumit

Xx 3

* Integra Conſtit. habetur apud Conct. in calce t. 5. Theol.

mit aut permanendi in clerici ſtatu, aut illum deſerendi. Ergo hic tum Deo, cui talia dicit, tum Eccleſiæ, quæ ea verba exigit, ac Dei nomine recipit, ſolamniter mentitur: ergo eo ipſo nomine peccat, quod tonſuram, aut minores Ordines ſuſcipit ſine animo perſeverandi in clericatu, & cum animo faciendi quod familiæ, & ſæcularium rerum ratio poſtulabit.

Hinc Syn. Trid. ſeſſ. 23. cap. 4. de ref. ait: *prima tonſura non initientur, … de quibus probabilis conjectura non ſit, eos … ut fidelem Deo cultum præſtent, hoc vitæ genus elegiſſe*. Quare Concilium Mexicanum apud Genettum Theol. t. 5. p. 59. qu. 5. ita ſtatuit: *Nullus, niſi prius juramento præſtito de intentione permanendi in habitu clericali, admittatur, nec ad primam tonſuram promoveatur*. Idem exigit Syn. Tarentina; & Statuta Eccleſiæ Rhemenſia ita habent: *Nulli tonſura detur, niſi idoneo, & poſtea ad ſacros Ordines probabiliter aſcenſuro: quid enim opus eſt mittere panem filiorum canibus, & ſpiritualia mundi amatoribus?*

Secundo. In eo merito reprehenditur Buſemb. quod peccatum, de quo loquimur, dubium faciat, *videtur peccare*, cum tamen peccatum ſit certum, & evidens, ut mox dicta evincunt.

Tertio. Quia hoc peccatum non plus, quam veniale conſtituat, *quia*, inquit, *fraus eſt levis*. Cum de veniali, & mortali peccato quæſtio eſt, ego quidem ægre ſententiam dico. Genettus loco cit. inquit: „ Quamvis abſoluta quis non teneatur perſeverare in ſtatu „ eccleſiaſtico poſt ſuſceptam tonſuram; certum tamen „ eſt, eos graviter peccare, qui eam ſine tali intentio„ ne recipiunt. “ Si talis intentio non eſſet res gravis, perperam juramentum de ea exigeretur: quia de re levi jurandum non eſt; ergo, cum Syn. Mexicana, & Tarentina juramentum de tali intentione exigant, ponunt, & judicant, eam eſſe rem gravem; omiſſio porro rei gravis, & debitæ, non levis, ſed gravis, & mortalis culpa merito cenſetur: ergo. Hujus culpæ gravitatem ſatis indicant illa quoque verba Statutorum Eccleſiæ Rhem. *Quid enim opus eſt mittere panem filiorum canibus* &c? Ex his intelligis, quid ſentiendum ſit de La-Croix, qui p. 454. num. 2229. ait: „ Hinc ad„ dit Averſ. peccare tantum venialiter, ſi faciat cum „ poſitivo animo non perſeverandi, & nullo modo pec„ care, ſi cum animo experiendi, ſive faciendi poſtea, „ quod ipſi magis expedire videbitur. “ Hæc ſcilicet probabilium commenta ſunt, non ſolida documenta.

Sed, ut in Clerum quis rite adſciſcatur, Dei vocatio, quam Buſembau ſilentio præterit, inprimis neceſſaria eſt ex D. Paulo ad Heb. 6. dicente: *Nec quiſquam ſumit*, hoc eſt ſumere debet, *ſibi honorem, ſed qui vocatur a Deo tanquam Aaron*: & ex Joan. 15. *Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos*. Nam qui ſine Dei vocatione, ſeu electione eccleſiaſticum ſtatum aſſumunt, fures ſunt, & latrones, juxta illud Joan. 10. *Amen, Amen dico vobis, qui non intrat per oſtium* (oſtium eſt ipſe Chriſtus vocans, *Ego ſum*, inquit ipſe cap. 10. cit. num. 9. *oſtium*) *in ovile ovium, ſed aſcendit aliunde, ille fur eſt & latro*. Hinc porro fit, ut divinis auxiliis deſtituti & ipſi male vivant, & ſuis pravis exemplis, aut etiam doctrinis alios in multa ſcelera pertrahant non ſine inſigni Eccleſiæ Dei nocumento.

At quinam, inquis, a Deo vocantur? Signa divinæ vocationis hæc communiter aſſignantur teſte P. Concina Theol. t. 10 p. 50. num. 5. Primo ſi adoleſcens a Mundi illecebris, & ſæculi amicis alienus ſit. Secundo ſi Dei honorem, animarumque ſalutem vehementer deſideret. Tertio ſi orationis, ſine qua nihil boni ſperandum eſt, ſtudio affectus ſit. Quarto ſi eccleſiaſticum ſtatum aſſumat, non honoris, commodi, eccleſiaſticorum graduum cupiditate, aut laboris, & incommodæ vitæ tædio ductus, ſed, ut ait Catech. Rom. p. 2. cap. 7. num. 4., *ejus unius rei cauſa, ut Dei honori inſerviat*.

His adde, quod, ut inquit idem Catech. num. 3. *vocari a Deo dicuntur, qui a legitimis Eccleſiæ miniſtris vocantur*, hoc eſt ſponte vocantur, *Nam*, ſubdit, *qui in hoc miniſterium ſeipſos arroganter inferunt, atque intrudunt*, puta commendationum, munerum, artificiorum ope, *de his Dominum intellexiſſe, docendum eſt, cum inquit*: „ Non mittebam Prophetas, & ipſi curre„ bant: “ *quo quidem hominum genere nihil infelicius, ac miſerius, nihil Eccleſiæ Dei calamitoſius eſſe poteſt*. Quid ergo? Nulla profecto cura, nulla cautio ſuperflua in Clericorum electione, aut admiſſione putanda eſt. *Hujus igitur*, inquit idem Cat. eodem num. 3., *tanti officii munus nemini temere imponendum eſt, ſed iis tantum, qui illud vitæ ſanctitate, doctrina, fide, prudentia ſuſtinere poſſint*.

Idem præſcribit Bened. XIV. in ep. encyclica anni 1741. ad totius Eccleſiæ Epiſcopos, ubi inter alia illud præclara, ac ſapienter monet, Eccleſiæ magis cordi eſſe eccleſiaſticorum Miniſtrorum meritum & virtutes; quam numerum; quod prius docuerat Conc. Later. IV. can. 27. his verbis: *Satius enim maxime in ordinatione Sacerdotum paucos bonos, quam multos malos habere Miniſtros; quia, ſi cæcus cæcum duxerit, ambo in foveam cadunt*.

3. *Ut ſit confirmatus, & quidem* &c.

La-Croix p. 454. num. 2223. poſtquam utramque ſententiam retulit, & hinc inde Auctores citavit, ſubdit: „ Et quia ubi agitur de mortali contrahendo, non eſt „ aſſerenda obligatio, niſi certius conſtet, prima ſen„ tentia videtur probabilior. “

Præclara ſane ratio e falſo verſatilis probabilitatis principio, quod lex non obliget, niſi fuerit nota, orienda. Hanc rationem a Segnerio allatam, & apud probabiles communem confutavi l. 1. t. 1. cap. 2. dub. 2. Aſſerenda quidem non eſt obligatio ſub mortali, niſi certius conſtet; at ne inficianda quidem eſt, niſi pariter certius conſtet, quia, ut ait D. Th. quodl. 9. *omnis quæſtio, in qua de peccato mortali agitur, periculoſe determinatur, niſi veritas expreſſe habeatur*. Quid ergo? Hic locum habet regula illa præcepti loco ſine dubitatione habenda: *In dubiis tutior pars eſt eligenda*. Præterquamquod ſi confirmatio juxta ſaniorem doctrinam, ab omnibus ex præcepto ſuſcipienda eſt, multo magis ab iis, qui Ordinibus initiandi ſunt, & adeſt opportunitas illam recipiendi; præſertim cum hi ſpeciali præcepto ad confirmationem urgeantur. An duplicis præcepti de re graviſſima violatio, culpa venialis ex ſano judicio haberi poteſt?

4. *Examen coram Epiſcopo de ſcientia* &c.

Non ſolum de ſcientia, ſed de aliis quoque examen habendum eſt juxta Synodum Tridentinam ſeſſ. 23. cap. 7. quæ ita præcipit: *Epiſcopus autem Sacerdotibus, & aliis prudentibus Viris peritis divinæ legis, ac in eccleſiaſticis ſanctionibus exercitatis ſibi aſcitis, ordinandorum genus, perſonam, ætatem, inſtitutionem, mores, doctrinam, & fidem diligenter inveſtiget & examinet*.

7. *Tempus: ſic minores conferuntur* &c.

Sententia, quæ ait, minores Ordines conferri non poſſe ab Epiſcopis, niſi feſtis diebus a populo ex præcepto colendis, tenenda omnino eſt.

Nam præter ea, quæ Buſembau in ejus confirmationem affert, Alex. III. cap. 3. *de eo tit.* 1. lib. 1. dec. inquit: *De eo autem, quod quæſiviſti, an liceat extra jejunia quatuor temporum aliquos in Oſtiarios, Lectores, Exorciſtas, vel Acolythos, aut etiam Subdiaconos promovere; taliter reſpondemus, quod licitum eſt Epiſcopis, dominicis, & aliis feſtivis diebus unum, vel duos ad minores Ordines promovere. Sed ad Subdiaconatum, niſi in quatuor temporibus, aut ſabbato ſancto, vel in ſabbato ante dominicam de paſſione nulli Epiſcoporum præterquam Romano Pontifici licet aliquos ordinare*. Quid aliud intelligas *feſtivis diebus*, niſi feſta ex præcepto a populo celebranda? In Rubricis quidem quoad recitationem officii, & Miſſæ celebrationem feſta idem ſunt, ac Sancti, de quibus officium, & Miſſa dicenda eſt; at in canone cit. non eſt ſermo de re ad Rubricas officii, aut Miſſæ pertinente, ſed de tempore ordinationum; ideoque ſignificatio feſti prout in Rubricis accipitur, non eſt huc transferenda; ſed feſtum hic accipitur juxta communem, & obvium ſenſum. Quanquam Alex. III. non ait *aliis feſtis*, ſed *aliis feſtivis diebus*; & cum dicat *dominicis, & aliis feſtivis diebus*, Sole clarius eſt, feſtivos dies eo ſenſu feſtivos appellari, quo dies dominici; præſertim cum dies dominici quoad Rubricas officii, & Miſſæ non ſint feſta. Quare vitilitigatorum eſt, de his controverſias excitare; ac pro certo habendum eſt, Alex. III. nomine feſtivorum dierum intellexiſſe dies feſtos a populo ex præcepto colendos, præſertim cum feſta, prout in Rubricis accipiuntur, paucis diebus exceptis quotidiana ſint: atque ita declaravit ſacra Congregatio Concilii Tridentini infra referenda.

Eoſdem autem poſſe ex recepta Epiſcoporum conſuetudine etiam feria ſexta …. notat Dian. &c.

Hoc certe citato juri canonico Alex. III. aperte contrarium eſt: at talis conſuetudo juri canonico contraria eſt improbanda: ergo conſuetudo, ſi alicubi vigeat, conferendi minores Ordines feria ſexta ante ſabbatum, quo omnes Ordines conferri poſſunt, improbanda eſt. Probatur aſſumptio. Cap. 2. *Sane ſuper eo* tit. 11. lib. 1. decr. dicitur: *Sane ſuper eo, quod moris eſſe dixiſti in Eccleſiis quibuſdam Scotiæ, & Valliæ in dedicationibus Eccleſiarum, vel Altarium, extra jejunia quatuor temporum clericos ad ſacros Ordines promovere, ſignificamus, quod conſuetudo illa (utpote inſtitutioni eccleſiaſticæ inimica) eſt penitus improbanda; & niſi* &c. Conſuetudo deſcripta improbatur, quia inſtitutioni eccleſiaſticæ, hoc eſt juri canonico contraria. Et ſane diſcrimen aſſignari non poteſt, cur non liceat hæc improbata conſuetudo, ſi prior licet. Aliud eſt univerſæ Eccleſiæ conſuetudo, quæ, utrum liceat, in quæſtionem non vocatur; aliud alicujus, aut aliquarum Eccleſiarum conſuetudi-

Digitized by Google

tudines univerſali conſuetudini, & legi contrariæ, quæ vim non habent, niſi ſint rationabiles: at nulla rationabilis cauſa aſſignari poteſt, cur alicubi minores Ordines die Veneris ante ſabbatum legitimæ ordinationis conſerantur. Ergo.

Hinc Fagnanus teſte Anaclero t. 2. juris can. p. 258. num. 55. declarationem ſacræ Congregat. Concil. Trid. his verbis refert.

„ Præſuppoſito, quod minores Ordines poſſunt conferri diebus dominicis, aut aliis feſtivis, dubitatur, „ an appellatione diei feſti comprehendatur feſtum, in „ quo ab Eccleſia fit officium, an vero debeat eſſe feſtum, quod a populo colatur.

„ Secundo. Idem eſt dubium, quoad promovendos vigore diſpenſationum de promovendo extra tempora „ diebus feſtivis.

„ Tertio. An ex conſuetudine poſſit Epiſcopus uno „ & eodem die ad minores Ordines aliquos promovere.

„ Quarto. An ubi conſuevit ordinatus ad quatuor „ minores Ordines die veneris, in die ſabbati ſequentis ad Ordinem ſubdiaconatus promoveri, id ſit licitum propter conſuetudinem.

„ Ad primum ſacra Congregatio Concilii cenſuit comprehendi dies feſtos, qui a populo ſervantur tot tit. „ de conſecr. d. 3. c. 1. cap. 12. ſeſſ. 23. de Reg.

„ Ad ſecundum idem reſpondit.

„ Ad tertium præſuppoſita conſuetudine poſſe.

„ Ad quartum licere Epiſcopo, ſi dies veneris ſit dies „ feſtus, & ſi neceſſitas, aut utilitas Eccleſiæ judicio „ Epiſcopi id expoſcat juxta decretum Conc. cap. 11. „ ſeſſ. 23. non tamen in publicis ordinationibus, ſed „ privatim, & aliquibus prædictos minores Ordines conferre. “

Ergo, ſi dies veneris non ſit feſtus, etiamſi ſabbatum legitimæ ordinationis proxime antecedat, eo die non licet minores Ordines ex conſuetudine conferre. Talis ergo conſuetudo a ſacra Congreg. improbari videtur.

8. *Interſtitia. Sic majores nonniſi poſt annum ab alterius ſuſceptione &c.*

Illud *alterius* accipito non ſolum majoris Ordinis, ſed etiam extremi minoris, a quo nonniſi poſt annum ad majores Ordines aſcenſus patet, *niſi neceſſitas, aut utilitas Eccleſiæ judicio Epiſcopi aliud expoſcat*, ut ſtatuit Synod. Trid. ſeſſ. 23. cap. 11., & declaravit mox allata Congr. Concil. ad 4.; qua in re ex eadem ſacra Congr. conſuetudo contraria legi Trid. vim non habet.

Minores vero omnes, diſpenſante Epiſcopo, poſſunt dari eodem die, &, ſi conſuetudo ſit, ſimul cum ſubdiaconatu.

Minores quidem eodem die dari poſſunt ex conſuetudine, ut patet ex declaratione ſacræ Congregationis mox allata ad tertium; non tamen ſimul cum ſubdiaconatu, etiamſi contraria vigeat conſuetudo; quia talis conſuetudo inſtitutioni eccleſiaſticæ inimica eſt; ideoque improbanda ex cap. *Sane ſuper eo* ſupra exſcripto.

Præterea ſi die veneris, qui feſtus non ſit, antecedente ſabbatum Ordinationis ex vi conſuetudinis, quia canonicæ legi contraria, non licet Epiſcopo quatuor minores Ordines conferre juxta reſponſionem ſacræ Congregationis ad quartum mox allatam, ex eadem ratione conſuetudo non habet vim, ut liceat eodem die minores Ordines ſimul cum ſubdiaconatu tribuere.

Eadem tamen ſacra Cong. an. 1720. 13. Ap. reſpondit, tolerari poſſe conſuetudinem immemorabilem conferendi minores ordines feria ſexta poſt prandium ante diem ſabbati quatuor temporum, ſed expedire, ut Epiſcopus ſe conformet Pontificali Romano tit. de minoribus ordinibus, ut refert P. Zach. ad n. 2290. p. 462. t. 3. La-Croix.

Hic vero quoad diſpenſationem interſtitiorum animadvertendum eſt, Epiſcopum non poſſe diſpenſare, ut Diaconus ante unius anni intervallum ad Sacerdotium promoveatur, niſi ob utilitatem ſimul, & neceſſitatem Eccleſiæ, uti explicate præſcribit Syn. Trid. ſeſſ. 23. c. 14 qua in re nec Buſembau, nec alii aliter ſcribentes audiendi ſunt. Secus dicendum eſt de Subdiacono ad Diaconatum provehendo, de quo Syn. cap. 13 ſeſſ. cit. ait: *Promoti ad ſacrum Subdiaconatus ordinem, ſi per annum ſaltem in eo non ſint verſati, ad altiorem gradum, niſi aliud Epiſcopo videatur, aſcendere non permittantur.*

10. *Ætas &c. & ſic pro prima tonſura .... requiritur ſaltem ſeptennium completum, licet &c.*

Sacra Syn. Trid. nullum quidem pro tonſura, & minoribus ordinibus tempus præfinit; ſed ipſa eccleſiaſtici ſtatus ratio, & celſitudo annos maturiores expectandos poſtulat, ut in Clerum quis adſciſcatur; ne ſcilicet quiſquam tonſura, aut minoribus ordinibus initietur, niſi divinæ vocationis ſigna juxta ea, quæ ſupra diximus, dederit; quæ ſigna in puerili ſeptem, aut octo annorum ætate ordinarie detegi vix poſſunt. Hinc Concilium Colonienſe anni 1563. apud Gen. Theol. t. 5. p. 56. qu. 6. inquit: *Quid indecorum magis, quam admoveri infantes, qui non intelligant, quid agatur, imo ne capiant quidem, quid Clerici nomen ſignificet?* „ Quare, inquit Genettus Epiſcopus doctiſſimus, in variis „ ſynodalibus cavetur, ne tonſura iis conferatur, qui „ decimum quartum ætatis annum non attigerint, quæ „ eſt vera diſcretionis ætas; & Eminent. Card. Grimaldi Archiepiſcopus Aquenſis in ſuis ſtatutis Synod. „ ait: *Circa primam tonſuram, e qua velut e radice totius eccleſiaſtici Ordinis integritas pendet, ſtatuimus, „ neminem illa fore initiandum, qui natus non ſit ad „ minus annorum quatuordecim.* “

Hæc decreta ſapienter lata docent, quid hac in re præſtandum ſit, neglectis Buſembaum, & aliorum arbitrariis opinamentis.

Animadversio IX.

Oſtiarii eſt, claves templi ſervare &c.

Adde ex D. Carolo Borr. Conc. Med. 1. (apud Gen. Theol. t. 5. p. 66. q. 22.) oſtiarii munus quoque eſſe, *ne populum propius ad Sacerdotem rem divinam facientem accedere patiatur. In Eccleſia dormientes, vendentes, ementes, deambulantes, colloquentes, aliave ratione officia divina perturbantes, & quovis modo indecore, atque irreverenter ſe habentes moneat; ſi pertinaces ſint, expellat, aut ad ſuperiorem deferat, mendicantes excludat, Eccleſiam verrendam curet, bruta denique, caneſque expellat, quidquidve in Eccleſia dedecet, amoveat.*

Lectoris munus eſt &c.

Cur Buſembau ait tantum, lectoris eſſe catechumenos rudimenta fidei chriſtianæ docere? an baptizatos docere, ad eum non pertinet?

Catech. Conc. Trid. p. 2. cap. 7. n. 16. ejus partes eſſe ait, *prima chriſtianæ Religionis rudimenta fidelibus tradere*; & S. Carolus Borr. in Conc. prov. 1. (apud Gen. Theol. t. 3. p. 67. qu. 12.) de lectore inquit: *Pueros, ſi ita Epiſcopo videatur prima fidei rudimenta doceat.*

Exorciſtæ munus eſt &c.

Item ejus munus eſt, ut ait Pontificale Rom. *dicere populo, ut qui non communicat, det locum: exorciſtæ eſt, aquam in miniſterio fundere.*

„ Obſervare quoque debet, ait Gen. t. 5. p. 67. q. 13. „ ne aqua benedicta deficiat, & Parocho ſervire in baptiſmi adminiſtratione, in exorciſmis, qui fiunt in „ hujus ſacramenti cæremoniis. “

„ Quod ſpectat hujus ordinis functionem, inquit Nat. „ Alex. Theol. t. 1. p. 572. §. 3. optimum interdum „ foret, illam non a Presbyteris, multo minus ab Epiſcopis, ſed ab exorciſtis junioribus, ab adoleſcentibus „ ad hoc nuper ordinatis, ac morum innocentia, & „ ſapientia huic miniſterio paribus exerceri ad majorem „ dæmonis contemptum, & confuſionem. “

S. autem Carolus Bor. Conc. Med. 1. & 4. ut notat idem Nat. præcipit, ne Sacerdoti, Clericove ſæculari, aut regulari exorciſmum energumenis adhibere liceat, niſi exorcizandi facultatem ſcripto exaratam ab Epiſcopo impetraverit.

Subdiaconi munus eſt &c.

Item horas canonicas quotidie recitare, & cælibatum cuſtodire. Præterea ex Rom. Pontificali pallas altaris, & corporalia abluere.

Presbyteri munus eſt &c.

Abſolvere, inquit Buſ. *a peccatis*; quod intellige, ſi præter ordinis poteſtatem juriſdictione præditus ſit ex Synodo Trid. ſeſſ. 23. cap 15. *Baptizare*; hac de re vide dicta de miniſtro baptiſmi Animad. 2. in lib. 6. t. 2. c. 1.

TRACTATUS VI.

De Matrimonio.

CAPUT I.

De ſponſalibus.

DUBIUM I.

Quid ſint ſponſalia?

REſp. Sunt promiſſio voluntaria, deliberata, & mutua, ſigno ſenſibili expreſſa, futuri matrimonii inter perſonas jure habiles.

Dicitur 1. *Promiſſio*, quia propoſitum non ſufficit,

cit, cum oon inducat obligationem. Unde qui diceret: *Vola te accipere*, habere, aut ducere *in uxorem, non contrahetet ſponſalia*, (*a*) ut Bon. *q.* 1. *p.* 1. docet, & alii: quia hæc verba non promiſſionem, ſed propoſitum promiſſioois tantum ſignificaot, oiſi tamen ex circumſtantiis aliud colligatur.

Animad. I. Dicitur 2. *Voluntaria, & deliberata, ſcilicet deliberatione ſufficiente ad peccatum mortale*, cum ſponſalia ſob mortali obligent. Diao. *p.* 3. *t.* 4. *R.* 273. ex Sanc. Pont. &c. *etſi Bon. q.* 1. *p.* 4. *n.* 4. *plus requirat. Unde regulariter non ſunt valida ante ſeptennium semplerum*, ut docet Con. *d.* 22. *ar.* 5. Sanch. *l.* 1. *d.* 16. *niſi malitia, & prudentia ſuppleant ætatem*. Dian. *t.* 4. *p.* 3. *R.* 274. Pontius, &c. (*quod tamen quidam negant ſufficere, cum jus determinarit ætatem*) *imo nec poſt ſeptennium, ſi de uſu rationis ſufficienti non conſtet*; uti oequa ſi vi, dolo, errore, vel ignorantia circa ſubſtantiam, aut notabilem conditiooem ſubſtaotialem fiant, ſecundum dicta de voto, & cootractibus.

Dicitur 3. Mutua. Unde ſi Titios promittat nuptias Cajæ, & hæc acceptet ſine repromiſſione, neuter obligatur, quia cum contractus ſponſalium ſit onerolus, & reciprocus, oon poteſt claudicare:

Animad. II. involvit enim cooditionem, ſi to eepromiteeis. *Quod ſi tamen Titii promiſſio fuiſſet abſoluta, ac gratuita, & acceptata a Caja, ſolus Titius obligaretur, non vi ſponſalium, ſed ſimplicis promiſſionis*. Ita Saoch. *l.* 3. *d.* 3. contra Pontium apud Diao. *p.* 3. *t.* 4. *R.* 244.

Dicitor 4. Signo expreſſa: quia contiactus inter homines non fit, niſi ſigoo externo. *Unde non ſufficit ad ſponſalia taciturnitas Cajæ*, (*b*) etiam cum conſenſu interno io promiſſionem matrimonii, quod Titius ei promittit. Si tamen pater, vel mater pro filio, aut filia, aot Curator pro eo, cujus curam habet, præſente, & non contradicente, dummodo metus abſit, contrahat, valida erunt; quia in hoc caſu jus accipit taciturnitatem pro expreſſione conſenſus. Sanch. *l.* 1. *d.* 22. Dian. *p.* 3. *t.* 4. *R.* 170. Imo etiamſi pro abſeote: ſaltem ſi is reſciens id expreſſe vel tacite ſigoo aliquo ſufficienti ratificet. Sanch. Pont. Diao. *p.* 3. *t.* 4. *R.* 271. contra quos Sot. & Heoriq. ne hoc quidem requirunt, ſed taotum, ut reſcieos non contradicat. Qood Conin. admittit, ſi per ipſos tutores, vel pateotes iis proponatur; tunc enim ſi taceant, cenſeri conſentire.

Dicitur 5. inter habiles: id eſt, quæ & ætatem a jure præſcriptam habent, & oullo impedimento prohibentur.

Unde reſolves.

1. *Quando verba, vel ſigna ſunt dubia, in foro conſcientiæ ſtandum eſt intentioni contrahentium, ſi de illa conſtet*; (*c*) in externo aotem, communi intelligentiæ, & ſenſui verborum, ita tamen, ut potius inclinetur in favorem matrimonii. V. Diao. *p.* 3. *t.* 4. *R.* 205. Bon. *q.* 1. *p.* 1.

Animad. III. 2. *Verba de præſenti, inter impuberes, apta ad matrimonium, cum hoc ex jure poſitivo ſit nullum, habent vim ſponſalium*. Ratio eſt ex interpretativa intentione contrahentium: quia actus, quando non valent ao pacto, quo fiunt, valent meliore modo, quo poſſunt: ſponſalia autem virtute contioentur io matrimooio. Laym. *l. c. n.* 7.

3. *Ad ſponſalia non ſufficit*, 1. Si dicas, oon docam aliam, quam te; quia ſunt verba mere negativa, & potes ducera nullam. Boo. *q.* 1. *p.* 7. *n.* 13. 2. Dicere, *contraham tecum, ſi Papa diſpenſaverit*.

Animad. IV. Barb. & alii decem com Dian. *qu.* 3. *t.* 4. *R.* 290. contra Saoch. Con. & Pont. *ac proinde licitum eſt utrique contrahenti, ante, & poſt impetratam a Pontifice diſpenſationem altero invito reſilire*. Si tamen impenſæ magnæ factæ ſint caoſa diſpenſationis, eas tenebitur refundere reſiliens. 3. Sobarrhatio anouli, & miſſio monerum jocalium, niſi conſuetudo patriæ aliud habeat. Ratio eſt, qoia poteſt fieri ex aliis cauſis. *Quod ſi tamen verba unius præceſſerint, tunc immiſſio annuli*, & verbum *recipio, operatur ſponſalia, vel etiam matrimonium*, (*d*) pro ratione promiſſionis, ut docet Filliuc. quia recipiendo ſic annulum, tacita conſentit: itemque ſi habito ioter amicos tractatu de matrimonio, ſponſus miſit arrhas, & monera jocalia, eaque ſponſa acceptavit. Laym. *l.* 5. *t.* 10. *c.* 2. 4. *Sponſalia metu gravi contracta, licet juramento firmata, ſunt invalida: quia juramentum metu extortum non firmat contractum, imo probabiliter nec obligat, adeoque relaxatione non indiget*. Sanch. Barb. Dian. *p.* 3. *t.* 4. *R.* 278. *ſup. l.* 3. *t.* 2. *c.* 2.

DUBIUM II.

Quæ, & quanta ſit obligatio Sponſalium?

Reſp. 1. Obligant ad inaundum matrimooium ſub peccato mortali; *ſi tamen terminus non ſit præfixus, ſufficiet, ſi promittens impleat, quando a promiſſario requiretur, vel pro more regionis*. Ratio prioris patet ex natura contractus onerosi in re gravi. Ratio poſterioris eſt, qoia id eſt commune omni debito. Sanchez *l.* 1. *d.* 28. Conin. *d.* 22. *dub.* 1. apud Dian. *p.* 3. *t.* 4. *R.* 245. *Pontius tamen ibid. vult obligari ſtatim poſt contractum*. Animad. V.

Unde reſolves.

1. Reſiliens cogi poteſt ad matrimonium, etiam a judice pee cenſuras, quod tamen raro expedit ob periculum infelicis exitus.

2. *Si judex ſecundum allegata, & probata cogat ad matrimonium, licet a parte rei revera coactio ſit injuſta, valet matrimonium*. Sanch. & M. Perez contra Texed. apud Dian. *p.* 9. *t.* 8. *R.* 26. Animad. VI.

3. Fornicatio ſponſæ eſt circumſtaotia in confeſſione experimenda; quia mutat ſpeciem, & conſtituit injuſtitiam, quæ in ſponſa gravis eſt, ideoque mortalis habetur, ut ſi quis rem alteri promiſſam ootabiliter corrumpat: *quod tamen ſponſus non cenſetur facere fornicando, cum in viro fornicatio non tanti æſtimetur, niſi aliud accedat*. Saochez *l.* 1. *d.* 1. Cooin. Fagund. Fill. &c. orobabilitar contra Layman, Azor. &c. Vid. Lugo *d.* 16. *n.* 176. Animad. VII.

4. *Qui ſimulato animo promiſit, per ſe loquendo non obligatur ad nuptias, tametſi damnum creatum debeat reſarcire*. Dixi, pee ſe: *quia ſi ficta promiſſione puellam induxit ad copulam, tenetur illam ducere*. Bonac. *l. c. p.* 2. Ubi excipit, ſi puella eſſet longe inferioris conditionis, (*e*) verbi gratia quoad oobilitatem, vel divitias: tunc enim non teneri ducere, verbi gratia, virum nobilem filiam agricolæ: præſertim ſi illa fuerit conſcia diſparis ſtatus, ſeu conditionis, eo quod tum decipi potius voluerit, quam decepta ſit, unde nec teneri eo caſu illam dotare: ſecus tamen ſi ipſe non ficte, ſed ex animo matrimonium promiſerit. Ita Bonac. *q.* 1. *p.* 3. *n.* 7. *& ſeq.* ex Vaſq. Mol. *d.* 106. Sanch. *l.* 1. *d.* 10. V. Leſſ. *l.* 2. *c.* 10. *d.* 3. Laym. *c.* 1. *n.* 10. & M. Per. *d.* 2 *ſ.* 3. Animad. VIII.

5. *Sponſalia poſteriora contra priorem fidem inita, tametſi jurata ſint, aut copula etiam acceſſerit, ſunt invalida*. Sanch. & Vill. Contrarium tamen tenent Con. & Poot. cum Dian. *p.* 3. *t.* 4. *R.* 210. Matrimoniom tamen poſt ſponſalia contractum cum altera eſt validum, licet injuſtum. Bon. *p.* 5. & 7. Laym. *c.* 1. *n.* 5. Animad. IX.

6. Liberi, qui parentibus inſciis contraxerunt ſponſalia, etiam cum iis, qui imparis ſuot conditionis, v. gr. nobilis cum ignobili, licet peccariot, tameo obligantor; nec a parentibus poſſunt impediri, quominus ſervent fidem datam. Laym. *l. c. n.* 12. ex S. Thom. (*f*) &c. oiſi ſcandalum magnum ex matrimonio timeretor. Dian *p.* 9. *t.* 7. *R.* 71. ex Mol. Sanch. &c.

7. Reſiliens culpabiliter a ſponſalibus perdit ſuas arrhas, & reoetur ad alterius partis reddendas, ac ad reſtitutionem, quanti ejus ioterat talem contractum impleri.

Reſp. 2. *Ubi Tridentinum non eſt receptum*, (*g*) ſponſalia jore antiquo traoſeuot in matrimonium per quævis ſigna externa, maritali affectu exhibita, v. gr. per copulam. Dico ubi Trid. &c. qoia ubi hoc receptum eſt, hæc ſigna oon tenent, ſi ſint clandeſtina: ideoque graviter in iis peccari poteſt.

Un-

Unde ſequens caſus reſolvitur.

ANIMAD. X. *Sponſis non licent tactus impudici, cum proxime diſponant ad copulam, & pollutionem: etſi liceant amplexus, & oſcula in ſignum amoris.* Sanch. *l. 9. d.* 47. V. Dian. *p.* 2. *t.* 17. *R.* 6. & *t.* 2. *m. R.* 31. & *p.* 4. *R.* 131.

DUBIUM III.

Quomodo diſſolvantur ſponſalia?

Reſpond. 1. Diſſolvuntur ſequentibus caſibus. 1. Per matrimonium validum cum alia initum. Bonac. *p.* 7.

2. Per mutuum conſenſum, ſicut quivis contractus. Laym. *c.* 2. *n.* 8.

3. Si ſuperveniat impedimentum dirimens matrimonium. Bon. *p.* 8. *n.* 5.

4. Per atrox crimen alterius ſponſi ſolvuntur ex parte innocentis: quale cenſetur fornicatio, ſive ſpiritualis, ut hæreſis, ſive corporalis, tam ſponſi, quam ſponſæ, poſt ſponſalia, & ſponſæ etiam ante illa, ſed a ſponſo ignorata, licet per vim facta. Bonac. *p.* 8. Imo ſi ſponſa permittat ſe tangi impudice ab alio per oſcula, & amplexus, poteſt ſponſus reſilire a ſponſalibus, ſed non vice verſa: quia etſi ſponſus id faciat, non eſt dedecus ſponſæ, nec mutatio alicujus momenti. Regin. Sanchez, Dian.
ANIMAD. XI. *p.* 3. *t.* 4. *R.* 283. *Limitant autem Conin. & Laym. niſi talia oſcula, & tactus ſint ita frequentes, ut indicent valde propenſum ſponſi animum in alteram, ut merito timeri poſſit, ne ſponſa non ſit fidem ſervaturus. Si autem uterque ſponſus fornicetur poſt ſponſalia, neutrum poſſe reſilire, docent Palaus, & Bonac. contra Conin. Regin. Sanch. Laym. & Pont. qui ſoli viro id eo caſu permittunt, eo quod delicta ſint imparia, & longe gravius damnum immineat ipſi propter incertitudinem prolis.* Dian. *loc. c. R.* 284. 2. Furtum grave, homicidium, &c. vel ſimile, quod grave damnum, vel infamiam pariat. Bonac. *p.* 8. *n.* 12.

5. Si notabilis mutatio accidat, vel detegatur, quæ ſi a principio cognita fuiſſet, a ſponſalibus deterruiſſet; qualis eſſet v. gr. 1. Inimicitia, vel odium grave inter ſponſos. Quo refertur morum aſperitas, vel ſævitia poſt ſponſalia primum cognita, item juſtus timor, ne ex matrimonio ſcandala, & gravia odia naſcantur inter parentes, vel conſanguineos. Laym. *c.* 1. *n.* 78. Bonac. *p.* 8. *n* 8. &c. 2. Si alterutet incidat in lepram, paralyſim, morbum Gallicum, &c. ſi graviter mutiletur, ut amiſſione oculi, naſi, vel aliter graviter deformetur, præſertim ſi ſponſa, vel ſponſus reddatur ineptus ad opificium exercendum, vel acquirendum officium ad ſuſtentationem familiæ neceſſarium. Dian. *p.* 5. *t.* 4. R. 85. Sanchez *l.* 1. *d.* 57. Con. *d.* 23. *dub.* 8. Laym.
ANIMAD. XII. & Bonac. *ll. cc. Non tamen tenetur ſponte aperire tales defectus, qui reddant nuptias minus quidem appetibiles, non tamen pernicioſas, præſertim ſi aliquam infamiam habeant adjunctam (verbi gratia, ſi ſponſa vi, vel ſponte fuiſſet corrupta) dummodo tamen contrarium poſitive verbo, factove non ſimulet; poteſtque interrogatus licite diſſimulare, & contrahere matrimonium.* Si vero defectus ſint pernicioſi, verbi gratia morbus contagioſus, gravis infamia, ſive perſonalis, ſive generis, aut familiæ, non licet, etiamſi poſt ſponſalia contracta in eos inciderit, contrahere cum eorum ignaro, niſi ſimiles defectus ipſe patiatur. Conin. Pont. Dian. *p.* 5. *t.* 4. *R.* 28. *ubi ex Conin. & Sanch. contra Pont. Navar. & cet. infert ſponſam poſt ſponſalia corruptam poſſe ſponſum defectus ipſius occulti ignarum cogere ad ſtandum ſponſalibus, & contrahendum matrimonium.* 3. Si magna alterius debita detegantur, vel grave ſit periculum fortunarum, famæ, morbi, paupertatis, &c. vel ſponſa dotem promiſſam afferre nequeat, vel denique ſi ſponſus incipiat vagari cum incommodo ſponſæ. Bon. *l. c.* Quod ſi autem defectu ſponſæ detecto dubitet ſponſus, an ſi eam ab initio cognoviſſet, contracturus fuiſſet, tum ſi defectus ille cenſeatur gravis, ac notabilis, præſumeretur pro ſponſo, cui liberum erit reſilire. Sanch. Bon. Tan. *t.* 1. *l.* 1. *d.* 65. ſecus ſi defectus ſit levis. Bard. *l.* 9. *c.* 11. *p.* 7.

6. *Si alter ſine alterius licentia proficiſcatur in terram longinquam*: quia cenſetur renunciaſſe ſuo juri. Laym. *l. c.* Bon. *p.* 6. ANIMAD. XIII.

7. Si ſint inita cum conditione certo tempore contrahendi matrimonium, liberatur obligatione is, per quem non ſtetit, quo minus ſit contractum. Laym. *n.* 16.

8. *Solvuntur, licet ſint jurata, per ſuſceptionem Ordinis ſacri, vel ingreſſum alterius in religionem, aut votum eam ingrediendi.* Laym. *l. c.* Bonac. *p.* 5. *Nec obſtat, ſi hic poſtea ad ſæculum redeat*, ut docet Sanch. *l.* 1. *d.* 24. *licet Pelp. Fill. & alii putent, talem ex parte ſua prioribus ſponſalibus teneri, uti etiam ad damna reſarcienda ſponſæ, ſi quæ paſſa eſſet.* Unde non poſſet ingredi religionem, ſi ſponſam defloraſſet, nec aliter, quam per matrimonium poſſet reſarcire damnum. V. Dian. *p.* 3. *t.* 4. *R.* 207. Bon. *l. c.* ANIMAD. XIV.

9. *Probabile eſt, ſolvi etiam per votum ſimplex caſtitatis, ut docent Suar. Azor. aliique, cum hoc ſit de meliore bono: etſi contrarium doceant Fill. Sanch. Con. & alii: eo quod Deus non acceptet promiſſionem rei alteri promiſſæ, & in alterius præjudicium. Unde etiam in foro externo talis ſolet compelli, ut vel fidem ſervet, vel intret religionem.* Interim poſt tale votum alteri parti datur jus ſponſalia ſolvendi, eo quod vovens reſilierit, & cenſeatur juri ſuo renuntiaſſe. V. Bon. *p.* 6. *n.* 13. ANIMAD. XV.

10. *Per matrimonium validum diſſolvitur, ſaltem quoad eum, qui non contraxit matrimonium; quoad eum vero, qui contraxit, non extingui obligationem, ſi alter expectet, ſed ſuſpendi, & matrimonio illo ſoluto, teneri ad implenda ſponſalia priora, docet Pont.* contra Sanch. *qui vult omnino diſſolvi.* Vide Dian. *p.* 3. *t.* 4. *R.* 209. ANIMAD. XVI.

11. Si ſponſo nova ſuperveniat hereditas, ita ut illi ſponſa jam ſit inæqualis, non habet ideo jus reſiliendi: quia non eſt deceptus in conditione ſponſæ, in qua nulla facta eſt mutatio. Idem eſt de ſponſa, ſi ipſi hereditas nova ſuperveniat. Sanch. Conin. Regin. Dian. *p.* 3. *t.* 4. *R.* 286.

Reſp. 2. In ſupradictis cauſis, quando manifeſtæ ſunt, non requiritur auctoritas Judicis ad diſſolvenda ſponſalia, alioqui requiritur. Quod ſi ſponſus, cognito ſuo jure reſiliendi, nihilominus carnaliter cognovit ſponſam, cenſetur tacite ſuo jure renuntiaſſe, & ſponſalia ratificaſſe. Laym. *c.* 1. *n.* 23.

NOTÆ.

(a) *Dicitur primo promiſſio, quia propoſitum non* &c. *Cum non* &c. Id certum eſt. *Unde ſi quis diceret, volo te accipere* &c. *in uxorem, non contraheret* &c.; *quia* &c. Qui ait: *volo ducere talem*, e. g. *Franciſcam in uxorem*, hic ſolum propoſitum declarat, quia verba ad mulierem non diriguntur; at qui cum ea ſermonem habens, ait, *volo te ducere, habere* &c. *in uxorem*, aliquid amplius, quam propoſitum innuere videri poteſt; nihilominus, ſi verborum vis penſetur, matrimonium non promittit, multo vero minus contrahit ſponſalia. Promiſſio ſuis verbis concipitur, *promitto, fidem do* &c.; vulgo, *prometto, impegno la mia parola* &c., quibus illud *volo* minime reſpondet. Nihilominus circumſtantiæ attendendæ ſunt. Quoad conſcientiam a promiſſione liberum dicerem, qui abſque dolo loquendo, dum ea verba pronuntiat, ſuum tantum propoſitum declarare vellet. At quoad forum externum, regionis uſus conſiderandus eſt, aliaque iis verbis adjuncta.

At ſi quis dicat, *volo te accipere in uxorem*, & mulier addat, *& ego volo te accipere in maritum*, hæc reciproca verba, mutuam promiſſionem includere haud immerito multis videbuntur. Nam declaratio mutui conſenſus in idem, contractum efficit. At verbis mox indicatis declaratur mutuus conſenſus in idem, hoc eſt in futurum matrimonium: Ergo

Dum mulier addit, *& ego volo te accipere in maritum*, viri dictum pro promiſſione habet, eam acceptat, & mutuo promittit. Si ergo vir nihil ſubdat, nihil contra proteſtetur, ſponſaliorum contractus initus videri merito poterit.

(b) Buſ. ait: *unde non ſufficit ad ſponſalia taciturnitas Cajæ etiam cum conſenſu interno in promiſſionem matrimonii, quod Titius ei promittit.*

Taciturnitas quidem abſolute loquendo non eſt ſignum conſenſus, ſed ſolum in iis, quæ in proprium favorem

vorem

vorem vergant; quo ſenſu accipitur reg. 43 juris in 6. *qui tacet, conſentire videtur*. In iis autem, quæ nec favorabilia ſunt, nec odioſa, locum habet reg. 44. *qui tacet, non fatetur, ſed nec utique negare videtur*.

Si matrimonium cum Titio, quia ex. g. eſt nobilis, dives &c., Cajæ ſit favorabile, ipſa ejus taciturnitas ſufficiens ſignum habetur conſenſus: ſi contra ipſi favorabile non ſit, nec tamen grave, taciturnitas eſt ſignum adiaphorum. At ſi Caja tacendo conſenſit, taciturnitas ſignum eſt certi conſenſus. At quia, inquis, illud ſignum non eſt determinatum, ſed indifferens, inde obligatio non oritur. Reſp. Cajam interrogemus. Conſenſiſti ne in matrimonium Titii? maxime ait, (quid amplius quærimus?) Cur tacuiſti? pudore, aut alia ſimili cauſa impedita. Ergo ejus promiſſio rata eſt. Nec enim reſpondere poteſt, ſe tacuiſſe, quia noluit obligationem contrahere; hoc enim idem eſſet, ac dicere, ſe non conſenſiſſe. Conſenſus interior nullo ſigno proditus certa non ſufficit, at ipſa taciturnitate in mulieribus prodi poteſt, & ad promiſſionis vim ſufficere.

De reliquis, quæ hic habet Buſ., non eſt dubitandum; quæ vera ſunt, etiamſi parentes pro filiis abſentibus contrahant, & hi poſt ſcientes contractum, non contradicant. Nam Boniſ. VIII. c. un. t. 2. lib. 4. in 6. § 2. ita definit. *Porro ex ſponſalibus, quæ parentes quo filiis puberibus, aut impuberibus plerumque contrahunt, ipſi filii, ſi expreſſe conſenſerint, vel tacite, ut ſi præſentes fuerint, nec contradixerint, obligantur .... & eſt idem, ſi filii tempore ſponſaliorum abſentes, & etiam ignorantes eadem ſponſalia, poſt ſcientiam ratificaverint tacite, vel expreſſe*. Illud *tacite* idem eſt, ut ſupra ſe explicuit, ac ſi non contradixerint. Sive autem ſponſaliorum notitia per ipſos parentes ad filios perveniat, ſeu per alios ex parentum voluntate, idem eſt; imo ſi taciturnitas pro conſenſu habetur, parentibus contractum per ſe notum facientibus, multo magis valet, aliis eum aperientibus, quibus filii facilius ſuum diſſenſum prodere queunt. Hinc Boniſ. VIII. ait abſolute *poſt ſcientiam ratificaverint* &c.; quia undecumque ſcientia venerit, perinde eſt.

(c) *Quando verba, vel ſigna ſunt dubia, in foro conſcientiæ ſtandum eſt* &c., *ſi de illa conſtet*. Rectiſſime; ſed taciturnitas puellæ, de qua mox dictum fuit, ut minimum ponitur ſignum dubium conſenſus: ergo, cum de hoc conſtet, ſponſalia rata judicanda ſunt.

Buſ. *In externo autem* &c. Cum de contrahentium intentione conſtat, dum dolus abfuerit, cur in foro quoque externo illi ſtandum non eſt? verba dubia ad examen vocantur, ut loquentium animus innoteſcat: ſi ergo hic jam innotuit, quid amplius quærimus?

Si autem contrahentium animus lateat, inclinandum eſt in favorem matrimonii, hoc eſt in libertatem contrahentium, ne matrimonium coactum, quod infelicem exitum habere ſolet, altera pars ineat. Adde, illud axioma, quod probabiles minime probandi opiniatores pervertere ſolent, *in dubio melior eſt conditio poſſidentis*, hic locum habere. Nam quilibet contrahentium eſt in poſſeſſione ſuæ libertatis; a qua per dubia documenta dejiciendus proinde non eſt. Adde illam 11 regulam juris in 6., *cum ſunt partium jura obſcura, reo favendum eſt potius, quam actori*. Ergo in dubio contractu ſponſalium, reo a negante potius favendum eſt, quam actori affirmanti.

(d) *Quod ſi tamen verba utrius præceſſerint, tunc* &c., *& verbum* &c. *operatur ſponſalia*. Eſto; *vel etiam matrimonium pro ratione promiſſionis, ut* &c.; *quia* &c. Id non ſatis intelligo. Matrimonium non eſt promiſſio, ſed mutua traditio juris ad copulam, nullumque eſt ſine præſentia Parochi, & ſaltem duorum teſtium ex Syn. Trident.

(e) Si puella conſcia fuit diſparis ſtatus, vir non tenetur eam ducere, ut habet Bonac. multis citatis, (de ſponſ. q. 2. p. 2. n. 7.) ubi neminem contra appellat. Hujus ſententiæ eſt quoque D. Antoninus citatus Animad. 39. in cap. 2. tract. 5. lib. 3. Ratio D. Antonini eſt, quia *mulier non præſumitur fraudem ignoraſſe*. At tenetur ne ſaltem eam dotare? Hac de re alii negant, affirmantibus aliis, ut habet Bonac. n. 7. cit., qui ſententiæ neganti adhæret; quia, inquit: „ Vir non cen„ ſetur illi feciſſe injuriam, cum fæmina videatur ſciens „ conſenſiſſe: ſcienti autem, & conſentienti non fit „ injuria. “ In hac ſcilicet ſpecie, fallacia promiſſionis, quia manifeſta, nullius momenti eſſe putatur; ideoque nullam obligationem inducere videtur. Dum vir ore promittit matrimonium, ex ipſa notabili ſtatus diſparitate illud non promittere intelligitur. Multo ergo minus dotem, de qua nullus ſermo fuit, promiſit. Si matrimonio ore promiſſo ſtare non cogitur, cur dotem, quam ne ore quidem promiſit, dare cogendus eſt? an ex damno, quod mulieri intulit? At damna, quæ quis ſponte patitur, reparanda ex juris vi non ſunt.

Secus tamen, ſubdit Buſ., *ſi ipſa inæqualitatem ſtatus ignoravit*, hoc eſt in hac ſpecie vir tenetur eam ducere. Negat quidem Bonac. n. 9. nonnullis citatis. At ipſo latente affirmant Leſſ., Vaſq., Mol., Petrus Nav., Azor., & alii. Ratio, cur vir longa altioris conditionis non teneatur ducere mulierem ficta matrimonii promiſſione violatam ex D. Antonino eſt, quia mulier non præſumitur fraudem ignoraſſe: at in præſenti ſpecie fraudem ignorat: ergo vir eam ducere tenetur. Ratio Bonacinæ, quia *ex promiſſione ficta non oritur obligatio*, falſa eſt ex Animad. hic 8., & contra ipſum retorquenda; quia ex ficta promiſſione oritur obligatio, niſi ipſa fictio ex circumſtantiis pateat.

Aut ſi ipſe non ficte, ait Buſ., *ſed ex animo matrimonium promiſerit*. Hac de re controverſiam eſſe non putem. Bon. n. 9. cit. ita loquitur: „ aut ſi fœminæ ſcienti „ inæqualitatem viri, vir adeo aſſeveranter promiſit, „ ut ipſa prudenter, & rationabiliter potuerit crede„ re, promiſſionem non ficte, ſed vera fieri. “ Et negat, virum teneri. Sed ex mox dictis affirmandum eſt; quia ficta promiſſio obligat; & quia vir ſuam fictionem occultam per fraudem, & malitiam eſſe voluit.

(f) *Liberi, qui parentibus inſciis*, (aut invitis, ut addit Laym. lib. 5. tract. 10. p. 2. cap. 2. n. 24.) *contraxerunt ſponſalia etiam cum iis, qui* &c. licet *peccarint*, (qua de re non eſt dubitandum, ut liquet ex Anim. 2. in cap. 2. tract. 3. lib. 3.) *tamen obligantur* &c. *Laym. ex S. Th.* &c.

S. Th. a Laym. hac de re non appellatur; & S. Doct. 2. 2. q. 104. a. 5. liberos a parentum poteſtate quoad electionem cælibatus, & matrimonii eximit; de valido uxoris, aut mariti electione per ſponſalia facta, explicate non loquitur.

Recte nihilominus ait Buſ., *tamen obligantur, nec a Parentibus poſſunt impediri, quo minus* &c. Ratio ex Laym. loco cit. eſt, „ quia in omni foro compelli ſo„ lent, ſicut teſtatur Eccleſiæ praxis, ut ex communi „ docet Mol., Vara-Crux, Sanch. Hinc autem ſequitur, „ Patrem mortaliter peccare, ſi filium impedire, vel ei „ diſſuadere conetur id, ad quod ipſe ſub mortali pec„ cato obligatur. Neque vero mirum videri debet, ſpon„ ſalia interdum illicita eſſe, & tamen rata & obliga„ toria; ſicuti & prodiga promiſſio, vel donatio obli„ gationem parit, quamvis male facta ſit, modo non „ verſetur circa rem malam, quæ ſine peccato præſta„ ri nequeat. “ Hactenus Laym., cujus ſententiam Anael. t. 4. juris can. p. 4. n. 23. non ſolum communem, ſed hodie certam appellat ex eadem Tribunalium Eccleſiaſticorum conſuetudine, hujuſmodi ſponſalia rata, & valida habentis.

Ratio quoque addi poteſt. Si enim filiorum matrimonia inſciis, aut invitis parentibus inita, valida ſunt, eorum quoque ſponſalia valida haberi debent. Si enim valide fit quod eſt majus, multo magis valide fit minus; ſicuti ex reg. 53. in 6. *Cui licet quod eſt plus, licet utique quod eſt minus*. At matrimonium eſt quid longe majus, quam ſponſalia: ergo ſponſalia ab iis valide contrahuntur, a quibus matrimonium valide fit. Et ſane quod valide dare poſſum, valide promittere poſſum: at indubitatum eſt, matrimonia a filiis ſine ſcientia, & conſenſu parentum inita, eſſe rata, & valida. *Sufficit*, ait Nicolaus Papa cap. 2. q. 2. cau. 27., *ſecundum leges ſolus eorum conſenſus, de quorum conjunctionibus agitur; qui conſenſus ſi in nuptiis ſolus forte defuerit, cætera omnia etiam cum ipſo coitu celebrata fruſtrantur*. Et Syn. Trid. ſeſſ. 24. cap. 1. de ref. mat. *anathemate damnat ..... qui falſo affirmant, matrimonia a filiis familias ſine conſenſu parentum contracta, irrita eſſe, & parentes ea rata, vel irrita facere poſſe*. Ergo etiam ſponſalia rata ſunt, & valida.

Ex quo illud conſequitur, quod habet Buſ., & infert Laym., *patrem mortaliter peccare, ſi filium impedire, vel ei diſſuadere conetur id, ad quod ipſe ſub mortali peccato obligatur*.

Recte autem addit Buſ., *niſi ſcandalum magnum ex matrimonio timeretur*; quod idem habet etiam Laym. loco cit., & D. Antoninus Animad. 39. in cap. 2. tract. 5. lib. 3. appellatus.

(g) *Ubi Tridentinum non eſt receptum* (rectius dices, ubi non eſt publicatum) *ſponſalia* &c. *v. g. per copulam*. Recte, ut etiam ex D. Th. citato hic Animad. 9. intelligitur; quia ubi Decretum Tridentinum non eſt publicatum, vim non habet ex eadem Sacra Syn., quæ poſtquam præcepit, ut cum primum fieri potuerit, publicetur, ſubdit. *Decernit inſuper, ut hujuſmodi decretum* (quod matrimonium ſine Parochi, aut alterius Sacerdotis de ejus, aut ordinarii licentia, & duorum ſaltem teſtium præſentia nullum decernit) *in unaquaque parochia ſuum robur poſt triginta dies habere incipiat a die primæ publicationis in eadem Parochia factæ numerandos*. Ergo ſi publicatum non fuit, non habet robur. Vide etiam, ſi lubet, Animadv. 24. in cap. 3. hujus tract. 6.

Editione jam vulgata, hæc quæ ſequuntur, adnotanda cenſuit Auctor in notis in fine lit. (f) *pag. 526. col. 2.*

Ita ſane ſcripſi, eo præſertim momento ductus, „quia in omni foro compelli ſolent &c.“ ut habet Laym., & quia hæc ſententia, non ſolum communis, ſed hodie certa ab Anacleto nominatur. At cum in hunc eumdem Anacleti locum, meamque animadverſionem in eam olim ſcriptam inciderim, re attentius diſcuſſa, contraria momenta mihi ſeſe obtulere, quæ ſilentio prætereunda eſſe non duxi.

Et primo quidem me valde movet, quod habet Bened. XIV. Ep. ad Patriarchas, Primates &c. *Satis vobis compertum eſſe*, 17. Novembris 1741. (habetur apud La-Croixium Tom. 3. p. 47.) ubi inquit: *Hunc porro in ſcopum vos hortamur, & impenſe monemus, ut perſonarum matrimonium ſecreta contrahere petentium diligens fiat a vobis inquiſitio...... an ſint ſui iuris, vel alieni: an filiifamilias, quorum nuptiæ Patri juſte diſſentienti ſint inviſæ; ab Epiſcopali etenim, quod geritis, munere nimium eſſet alienum, facilem præberi filio inobedientiæ occaſionem.* In hac ſcilicet ſpecie non vult Summus Pontifex, denuntiationes matrimonii remitti, contra ac docet Anacl. T. 4. Juris can. p. 39. n. 276. ubi ait, „ poſſe, imo debere Reverend. Ordinarios in „ denuntiationibus diſpenſare, quando contradicunt Pa„ rentes &c.“ At ſi ſponſalia contra juſtam Parentum voluntatem a filiis inita, licet culpabilia, valida tamen eſſent, denuntiationes forent remittendæ, ut filii fidem datam ſervarent, novamque culpam non admitterent, eam frangentes; quod eſt contrarium Summo Pontifici, ab hujuſmodi diſpenſationibus Ordinarios abſterrenti, ne facilem præbeant filiis inobedientiæ occaſionem. Ex quo intelligis, filios inobedientiæ culpam contrahere, matrimonium contrahendo, non contra peccare, non contrahendo.

„ Alexander II. apud Ivonem Carnutenſem P. III. „ Decreti cap. XVII. Juvenem quemdam, qui juramen„ to ſe obſtrinxerat ad concubinam ſuam, eamdemque „ conſanguineam ducendam in uxorem, reum eſſe ſcri„ bit adulterii, inceſtus, perjurii. “ Probat autem, reum eſſe perjurii, quia *quod obſervare legaliter non potuit ſine judicio Parentum, vel Judicum, temere jurare præſumpſit*. Ita refert Natalis Alex. Th. Tom. 2. p. 89. prop. 3. Si jurata promiſſio matrimonii ſine judicio Parentum, non eſt valida, multo minus non jurata. Et Concilium Colonienſe anni 1536. de adminiſt. Sacram. cap. 43. ab eodem Nat. ibidem citatum ait. *Quantum fieri poteſt, cavebit Parochus, ne liberos citra Parentum auctoritatem conjungat*. Hoc vero perperam præciperetur, ſi promiſſio matrimonii contra Parentum auctoritatem vim haberet; quia cum ea matrimonium præcedat„ præcipiendum erat, ut Parochus liberos conjungeret„ etiamſi citra Parentum auctoritatem ſponſalia contraxiſſent; ne fidem datam violando, novam culpam admitterent.

Sed audiamus Synodum Trid. Seſſ. 24. cap. 1. de ref. ubi ita inquit: *Matrimonia a Filiisfamilias ſine conſenſu Parentum facta....... S. Dei Eccleſia ex juſtiſſimis cauſis ſemper deteſtata eſt, atque prohibuit*. An hujuſmodi matrimonia licita evadunt, quia mala eorum promiſſio præceſſit? quaſi vero mala promiſſio licitum facere poſſit, quod *S. Dei Eccleſia ex juſtiſſimis cauſis ſemper deteſtata eſt, atque prohibuit*. Nam ſi talis mala promiſſio vim habet, neceſſe eſt, ut liceat quod promiſſum eſt. Contra potius dicendum, malam promiſſionem, ſicuti ſunt ſponſalia inſciis, aut jure invitis Parentibus inita, ut evinco a. 1. in cap. 2. tract. 3. lib. 3. ut adverſarii fatentur, ut liquet ex cap. *aliter* 1. q. 5. can. 30. & ex Syn. Trid. verbis mox recitatis, dicendum inquam, malam promiſſionem, eo ipſo, quia mala eſt, nullius roboris eſſe, quidquid ego ipſe cum adverſariis contra dixerim. *Nam* ex Greg. IX. cap. ult. t. 23. lib. 1. decr. *etiam juxta legitimas ſanctiones pactum turpe, vel rei turpis, aut impoſſibilis de jure, vel de facto, nullam obligationem inducit*; & reg. 69. in 6. *in malis promiſſis fidem non expedit obſervari*. Quid nunc mihi Laymanni verba a me relata objicis? “ Ne„ que vero mirum videri debet, ſponſalia interdum il„ licita eſſe, & tamen rata, & obligatoria; ſicuti & „ prodiga promiſſio, vel donatio obligationem parit, „ quamvis male facta ſit, modo non verſetur circa rem „ malam, quæ ſine peccato præſtari nequeat. “ Nam ſponſalia, de quibus ſermo eſt, verſantur circa rem malam, quæ ſine peccato præſtari nequit; quia promittunt quod eſt contra juſtam voluntatem, & honorificentiam Parentum, & quod *S. Dei Eccleſia ſemper deteſtata eſt, atque prohibuit*. At hic cum Anacl. T. 4. cit. p. 39. n. 271. illud mihi objectas, *multa fieri prohibentur, quæ ſi facta fuerint, obtinent roboris firmitatem?* Reſp. Aliud eſt factum, aliud promiſſum. Facta etiam prohibita quandoque valere poſſunt, ut patet in matrimoniis illicite contractis, in baptiſmo, & confirmatione male ſuſceptis, aut adminiſtratis &c. at promiſſa verſantia circa rem malam, quæ ſine peccato præſtari nequeat, nunquam valere poſſunt.

Quare Anacl. fruſtra pro ſe n. 23. cit. appellat cap. 2. *ſufficiat* q. 2. cau. 27. cap. 13. *veniens* t. 1. lib. 4. decr. ac ipſum Concilium Trid. Nam ſicut Syn. Trid. ſeſſ. 24. cap. 1. de ref. de valore matrimonii aperte loquitur, de ſponſalibus nihil; ita alii textus canonici eodem ore loquuntur, qui proinde contra ipſum Anacletum retorquendi ſunt, ſicuti Syn. Trid. contra ipſum ex mox dictis pugnat. Objicientibus Tribunalium conſuetudinem ſponſalia de quibus loquimur, rata & valida habentium, reſpondeo, me non exiſtimare, Tribunalia Eccleſiaſtica in uſu habere, ut omnia ſponſalia a filiis contra Parentum voluntatem contracta, valida habeant, ſed ſolum ea, quæ contra rationem Parentes improbant. Quod ſi forte nonnullæ ſententiæ, filiorum ſponſalibus contra juſtam voluntatem Parentum factis faverent, eas cum Bened. XIV. ſupra cit. improbare non dubitarem.

At dixi „ ſi filiorum matrimonia inſciis, aut invitis „ parentibus inita, valida ſunt, eorum quoque ſponſa„ lia valida habere debent. “ Reſp. nego. „ Si validum „ fit, quod eſt majus, multo magis valide fit minus; „ ſicuti ex reg. 53. in 6. “ *cui licet quod eſt plus, licet utique quod eſt minus*. Reſp. Quidquid ſit de factis, de quibus hic non diſputo, dico, promiſſionem malam, quæ ſine peccato præſtari nequit, etiamſi re ipſa promiſſa minor ſit, eſſe, ut jam oſtendi, virium expertem, licet res ipſa mala promiſſa valida ſit. Quod valide dare poſſum, valide promittere me poſſe, falſum eſt, ſi quod valide dare poſſum, illicitum ſit, ut accidit in noſtra ſpecie. Lege, ſi lubet, meam animadverſionem 51. in cap. 3. tract. 5. lib. 3. p. 338.

Digitized by Google

Buſ. *Dico &c. quia ubi hoc receptum eſt, hæc ſigna non tenent, ſi ſint clandeſtina.* An tenent, ſi ſint publica, hoc eſt ſi exhibeantur coram Parocho, & teſtibus? probroſa ſcilicet hæc ſunt. Nonne paucis verbis res tota efficitur? nam ſi fingas ſponſos frontis præfractæ, qui coram Parocho, & teſtibus ſeſe mutuo oſculentur, aut aliquid amplius tentare audeant, nihilque dicant; eos ne formam a Sacra Syn. præſcriptam, & ex eadem ad matrimonii valorem neceſſariam adhibuiſſe affirmabis?

Buſ. *Ideoque graviter in iis peccari poteſt.* Hoc eſt graviter, ſeu mortifere peccatur; quia venerei actus materiæ parvitatem non agnoſcunt. Cur Buſ. ait, *graviter in iis peccari poteſt?* an hic quoque ignorantiam excuſantem in mente habuit?

Animadversio I.

D*icitur 2. voluntaria &c. etſi Bonac. .... plus requirat.*

Bonacina loco a Buſemb. cit. majorem rationis uſum pro ſponſalibus requirens, quam pro mortali peccato, non ſolum alios, ſed etiam S. Thomam appellat Suppl. qu. 43. ar. 2. ubi ait: *Quod ad mortale peccatum ſufficit etiam conſenſus in præſens, ſed in ſponſalibus eſt conſenſus in futurum. Major autem diſcretio rationis requiritur ad providendum in futurum, quam ad conſentiendum in actum unum præſentem; & ideo ante poteſt homo peccare mortaliter, quam poſſit ſe obligare ad aliquid in futurum.*

Unde regulariter non ſunt valida ante ſeptennium completum, at &c. niſi malitia .... ſuppleat ætatem (quod tamen quidam negant ſufficere, cum jus determinarit ætatem.)

Si malitia ſuppleat ætatem, ſponſalia ante ſeptennium completum celebrata valida eſſe, communior ſententia eſt, teſte Anacleto t. 4. juris can. p. 52. n. 4. cui ipſe quoque adhæret. Hanc ſententiam tradit quoque D. Thom. Supplem. q. 43. ar. 2. ad 7. ubi ait: *Quod in ſponſalibus etiam ſimiliter* (ac in matrimonio) *ſi appropinquant contrahentes ad tempus ſeptennii, contractus ſponſalium habet robur; quia ſecundum Philoſophum in 2. phyſic.* quod parum deeſt, quaſi nihil deeſſe videtur. *Hæc autem propinquitas a quibuſdam determinatur tempus ſex menſium; ſed melius eſt, quod determinetur ſecundum conditionem contrahentium, quia in quibuſdam magis acceleratur uſus rationis, quam in aliis;* quis auctoritate nisi idem docent tum Natal. Alexand. Theol. t. 2. p. 91. cap. 3. n. 4. tum Concina Theol. t. 10. p. 265. n. 24.

Et ſane extra controverſiam eſſe debet, ſponſalia jure naturæ valida eſſe, etiamſi ante ſeptennium contrahantur, dum ſufficiens rationis lumen contrahentibus affulgeat. Sicut enim in aliis contractibus, ita in ſponſalibus non ætas jure naturæ, ſed uſus ſufficiens rationis requiritur, & ſatis eſt.

Illud ſolum quæri, ſeu dubitari poteſt, utrum jus eccleſiaſticum abſolute nulla eſſe voluerit ſponſalia ante ſeptennium contracta.

Alex. III. cap. 4. *Litteras* tit. 2. lib. 4. decr. hac de re ita loquitur. *Cum quidam eſſet perfectæ ætatis, quamdam puellam in cunabulis deſponſavit, procedente vero tempore matrem puellæ cognovit, & eam in uxorem accepit. Conſult. tuæ taliter reſp. quod ſi præfatus vir matrem puellæ, antequam ſeptimum annum compleſſet, in uxorem accepit, matrimonium non diſſolvas ... Verum ſi poſtquam puella ſeptimum annum complevit, prædictus vir matrem ejus accepit uxorem, cum ſponſalia ex tunc placere conſueverint, inter eos ſententiam divortii non differas promulgare, nec ipſum filiam, ſeu matrem habere permittas.* Et cap. 5. *Acceſſit* ejuſdem tit. ait: *Deſponſationes, & matrimonia ante ſeptem annos fieri non poſſunt:* & Innoc. III. cap. 13. *Ad diſſolvendum* tit. cit. inquit: *Interloquendo pronuntiamus, inter juvenem, & puellam nec matrimonium, nec ſponſalia fuiſſe contracta; cum conſtet, puellam nondum ad ſeptennium perveniſſe.*

Reſp. Summi Pontifices locis allatis leges non ferunt, ſed ſententias dicunt; quæ ſententiæ ipſi juri naturæ conformes ſunt. Cum enim ante ſeptennium ſufficiens ad ſponſalia rationis uſus præſto eſſe non ſoleat, merito pronuntiant, ſponſalia ante ſeptennium contracta eſſe invalida; quia ex reg. 45. in sext. *inſpicimus in obſcuris quod eſt veriſimilius, vel quod plerumque fieri conſuevit.* Hæc regula nititur ſententiæ mox relatæ; quia ut plurimum ante ſeptennium ſufficiens ratio ad ſponſalia contrahenda non adeſt. Quare allatæ ſummorum Pontificum ſententiæ jus poſitivum naturæ legem reſtringens, & limitans non conſtituunt; ſed eam intactam relinquunt, & potius confirmant. Dixi, *potius confirmant:* quia Alex. III. cap. *Litteras* cit. ſponſalia poſt ſeptennium contracta rata eſſe pronuntiat, *quia ex tunc placere conſueverint;* hoc eſt quia poſt completum ſeptennium, placitum, ſeu conſenſus ſponſalium, qui ſine prævio rationis lumine nullus eſt, adeſſe conſuevit. Ex quo ſatis intelligitur, ſummum Pontificem ad ſponſalium valorem nihil aliud requirere, niſi placitum, ſeu conſenſum, qui ad eorum valorem jure naturæ neceſſarius eſt.

Videlicet eodem modo de ſeptennio quoad ſponſalia loquendum, ac de annis pubertatis quoad matrimonium: at idem Alex. III. cap. 9. *De illis* tit. cit. inquit: *De illis, qui minori ætate deſponſantur, reſpondemus, quod ſi ita fuerint ætati proximi, quod potuerint copula carnali conjungi, minoris ætatis intuitu ſeparari non debent, ſi unus in alterum viſus fuerit conſenſiſſe, cum in eis ætatem ſuppleviſſe malitia videatur.* Ergo etiam ſponſalia ante ſeptennium inita valida ſunt, ſi malitia ætatem ſuppleat.

Hinc Eugenius Papa c. 3. *Juvenis* tit. 2. lib. 4. decr. ita loquitur. *Juvenis, qui puellam nondum ſeptennem duxit, quamvis ætas repugnaret, ex humana tamen fragilitate forſan tentavit, quod complere non potuit. Quia igitur in his, quæ dubia ſunt, quod certius exiſtimamus, tenere debemus, tum propter honeſtatem Eccleſiæ, quia ipſa conjux ipſius fuiſſe dicitur, tum propter prædictam dubitationem mandamus, quatenus conſobrinam ipſius puellæ, quam poſtmodum duxit, dividas ab eodem.* Matrimonium cum conſobrina puellæ dirimit non ſolum propter dubitationem tentatæ copulæ, ſed etiam propter honeſtatem Eccleſiæ, hoc eſt propter ſponſalia ante ſeptennium celebrata; quæ in re pro fundamento habet, ſponſalia ante ſeptennium valere potuiſſe.

Imo nec poſt ſeptennium, ſi de uſu rationis ſufficienti non conſtet.

Sponſalia poſt ſeptennium contracta, etiamſi non conſtet de ſufficienti uſu rationis, dum tamen ne de inſufficienti quidem rationis uſu conſtet, valida judicanda ſunt; quia ex mox cit. reg. 45. in sext. *inſpicimus in obſcuris quod eſt veriſimilius, vel quod plerumque fieri conſuevit.*

Hinc Alex. III. cap. *Litteras* cit. ſponſalia poſt completum ſeptennium contracta valida, & apta ad matrimonium diſſolvendum pronuntiavit, non quod de ſufficienti rationis uſu conſtaret, ſed quia *ſponſalia ex tunc placere conſueverint.*

Animadversio II.

Quod ſi tamen Titii promiſſio fuiſſet abſoluta, ac gratuita, & acceptata a Caja, Titius obligaretur &c.

Hæc ſententia non ſolum verior, ſed certa mihi videtur. Contractus enim duplex eſt, alter oneroſus, alter gratuitus; & uterque obligationem parit; primus quidem ex utraque contrahentium parte, alter vero ex altera tantum. At deſcripta promiſſio Titii eſt contractus evidenter gratuitus: ergo ex altera tantum parte, hoc eſt Titii, obligationem inducit.

P. Concina, inquis, Theol. t. 10. p. 259. n. 6. obligationem ex vi ſimplicis promiſſionis acceptatæ, meram verborum illuſionem in præſenti materia appellat. Reſp. Id verum eſt, ſi ſermo ſit de obligatione ſponſalium, de qua ipſe, ſi attente eum legas, loqui detegitur; non autem ſi loquamur de obligatione abſolute, ſeu quacumque. Titius enim ex deſcripta promiſſione reipſa obligatur; quia quæcumque promiſſio, dum honeſta ſit, uti eſt Titii promiſſio, obligationem ſine dubitatione parit. Quia tamen talis promiſſio vera, & germana, minimeque fictitia, ſponſalibus quidem affinis eſt, ſponſalium tamen vim, & naturam non habet, impedimentum publicæ honeſtatis non inducit, ut recte animadvertit Anacletus Theol. p. 730. n. 25.

Animadversio III.

Verba de præſenti inter impuberes apta ad matrimonium ... habent vim ſponſalium.

Hæc ſententia, inquit Anacl. t. 4. juris can. p. 53. qu. 3. n. 18. *eſt communiſſima DD. contra Engel, & nonnullos alios.* Eamdem docet D. Thom. ex quo Suppl. q. 43. ar. 2. ad 5. matrimonium ab impuberibus contractum, quod nullum eſſe ſtatuit, rata facit, & firmat ſponſalia ab iiſdem ante ſeptennium contracta, quæ firmare non poſſet, ſi vitium expers eſſet, & ſponſalium virtutem non haberet.

Accedit Innoc. III. cap. ult. *Tuæ nobis* tit. 4. lib. 4. decr. qui ita loquitur. *Reſpondemus, quod ſi puella, nubilis non erat ætatis, cum ſæpefactus vir deſponſavit eamdem, & ætatem in ea prudentia non ſupplebat, procul dubio inter eos non conjugium, ſed ſponſalia contracta fuerunt, quamvis ab ipſo viro eadem fuerit ſubarrhata:* & Bonif. VIII. inquit: *Idem quoque, ſi pubes, & impubes, vel duo impuberes non proximi pubertati, & in*

qui-

Google

quibus ætatem malitia non ſupplebat, per verba contraxerint de præſenti. Sponſalia enim illa, quæ juris interpretatione tantum fuerunt ſponſalia de futuro (licet verba, conſenſum exprimentia de præſenti haberent, & matrimonium contrahere intenderent contrahentes) &c. Demum ſubdit *Per dictum tamen contractum, qui valuit, ut potuit, non ſicut agebatur, publicæ honeſtatis juſtitia eſt inducta.* Sententia ſummorum Pontificum aperta eſt, quæ proinde quæſtionem profligat, & dubitationi locum non relinquit.

Contra vero cum matrimonium nullum eſt ob aliquem ſubſtantialem defectum, puta quia eſt clandeſtinum inter puberes contractum, ne ſponſalium quidem vim habet ex communi, &, ut ait Concina Theol. t. 10. p. 262. n. 14. vera ſententia; quam tradit quoque S. Carolus Borrom. Conc. Mediol. V. apud Nat. Alex. Theol. t. 2. p. 87. reg. 32. ubi S. Vir ait: *Qui teſtibus adhibitis, at ſine parocho, aliove Sacerdote, cui is, vel Ordinarius facultatem dederit, matrimonium de facto contraxerint; ne eos cogi liceat, ut denuo inter ſe contrahant, nec rurſus eo nomine impediri, quominus eorum unuſquiſque cum aliis libere contrahat, cum illud coram factum, ne ſponſalium quidem, nedum matrimonii vim habeat.* Atque ita teſte Nat. loco mox cit. judicavit ſacra Congr. Concilii. Ergo ab hac ſententia recedendum non eſt. At quomodo hæc cum ſuperiori, quæ non ſolum D. Thomæ eſt, & apud Theologos maxime communis, ſed perſpicua Rom. Pontificum auctoritate nititur, conciliari poteſt?

Nam ſeu matrimonium ab impuberibus, ſeu a puberibus clandeſtine contrahatur, ex eſſentiali defectu nullum eſt: ergo vel utrobique, vel neutro in caſu ſponſalium vim habet.

Reſp. Matrimonium ab impuberibus initum, ſponſalium vim habet ex eorum voluntate, &, ut ait Innoc. III. mox cit. ex juris interpretatione.

Dum enim contrahunt matrimonium, quod non poſſunt contrahere, intelliguntur velle ſponſalia, quæ contrahere poſſunt.

At puberes & ſponſalia, & matrimonium inire valent; & quia hæc duo ſimul iniri nequeunt, dum alterum, puta matrimonium eligunt, alterum puta ſponſalia ſponte ſua recuſant. Quare horum matrimonium ex jure nullum, ne ſponſaliorum quidem vim habet; quod non cadit in matrimonium impuberum. Hoc enim licet ex defectu eſſentiali nullam obligationem pariat in genere matrimonii, parit tamen obligationem in alio genere, hoc eſt in genere ſponſalium.

Animadverſio IV.

Ad ſponſalia non ſufficit ... dicere, Contraham tecum, ſi Papa diſpenſaverit. Barb. &c. contra Sanch. &c. ac proinde tacitum eſt &c.

Buſembaum opinionem, quam a Soto communem appellari ait, probat quoque Concina Theol. t. 10. p. 263. num. 16. Anacletus contra t. 4. juris can. p. 77. hæc ſponſalia valida eſſe putat, & hanc ſententiam communem facit, loquendo de diſpenſatione, cujus concedendæ juſta ſubſit cauſa. Ratio eſt, quia, cum honeſta conditio ſponſalibus apponitur, ſtante conditione ſtat promiſſio, ut docet D. Thom. Suppl. qu. 43. ar. 1. & communiter omnes. At qui ait, Contraham tecum, ſi Papa diſpenſaverit, honeſtam ſponſalibus conditionem apponit, loquendo de diſpenſatione, cujus concedendæ juſta ſubſit cauſa; quia in hac hypotheſi ipſa diſpenſatio legitima, & honeſta eſt: ergo &c. Ratio, cur matrimonium inter conſanguineos, & affines iniri, ideoque ne promitti quidem abſolute poſſit, eſt impedimentum cognationis; quo ſublato matrimonium inter eos legitime, & honeſte contrahitur: ergo legitime quoque, & honeſte promittitur ſub ea conditione, ſi impedimentum tollatur. Quod enim legitime fit, legitime etiam promittitur. Ego ſane nullam hic invenio difficultatem; at adverſarii, ut putant, maximam. Ita enim argumentantur. Promiſſio ſub conditione impoſſibili, eſt invalida: at promiſſio matrimonii inter cognatos, ſi Papa diſpenſaverit, eſt ſub conditione impoſſibili: ergo.

Reſp. Aſſumptio ex dictis loquendo de diſpenſatione, quæ nullam cauſam habet, falſa eſt.

At inquiunt: quæ de jure fieri nequeunt, cenſentur impoſſibilia, etiamſi ex diſpenſatione Papæ, aut Principis fieri queant. Matrimonium inter cognatos de jure fieri nequit: ergo.

Reſp. Propoſitio vera eſt, abſolute loquendo, falſa eſt, loquendo ſub conditione diſpenſationis. Sicuti inſtitutio ſpurii jure vetita, valet ſub ea conditione, ſi Princeps diſpenſaverit, & venditio feudi feudatario prohibita, valida eſt ſub conditione, ſi dominus directus conſenſerit; ita promiſſio matrimonii inter cognatos interdicta, vim habet ſub ea conditione, ſi Papa diſpenſaverit.

At hic Soto ita urget. Si ſponſalia inter cognatos ſine expreſſa conditione diſpenſationis contracta, ſunt invalida, invalida quoque ſunt, etiamſi conditio exprimatur; quia etiamſi conditio non exprimatur, re ipſa tamen intelligitur: eadem porro eſt vis implicitæ, & expreſſæ conditionis: ergo.

Reſp. Negando, tacitam conditionem diſpenſationis involvi in ſponſalibus abſolutis inter cognatos*, & hac de cauſa hujuſmodi ſponſalia ſunt nulla.

Verum hic alia ratione urgent, & conditionem diſpenſationis moraliter impoſſibilem eo nomine contendunt, quia diſpenſatio, ut jura omnia clamant, nonniſi ex urgentiſſima cauſa, ideoque raro admodum impertienda eſt: natura autem conditionis ex iis, quæ per ſe, ſeu ut plurimum inſunt, penſanda eſt: ergo dicta conditio moraliter impoſſibilis merito cenſenda eſt.

Reſp. Hæc argumentatio, quæ diſpenſationem a cognationis impedimento raro eſſe concedendam oſtendit, illud quoque evincit, ſponſalia inter cognatos raro eſſe ineunda; quod ego ultro concedo. At ſi in iis circumſtantiis ſub conditione diſpenſationis celebrentur, ut diſpenſatio legitime, & honeſte peti poſſit, conditio in ea ſpecie non ſolum poſſibilis, ſed etiam facilis putanda eſt; ideoque ſponſalia in tali ſpecie ſunt legitima, & valida. Quare hæc ſententiarum pugna conciliatur, ſi concedatur, ut concedendum eſt, ſponſalia ſub conditione, ſi Papa diſpenſaverit, eſſe ut plurimum invalida, quia ut plurimum deſunt rationes honeſtæ, & æquæ diſpenſationis; quæ tamen, cum adſunt, negari non poteſt, ea valida eſſe. Hinc porro fit, ut ſponſalia inter cognatos ſub ea conditione, ſi Papa diſpenſaverit, in Rotæ deciſionibus, quarum meminit Anacletus p. 76. 77. n. 23. & 33. aliquando valida, ſed ut plurimum invalida pronuntientur.

Sponſalia metu gravi contracta, licet juramento firmata, ſunt invalida &c.

Sponſalia gravi metu extorta, licet juramento firmata ſint, invalida eſſe, fateor; at nihilominus matrimonium in ea ſpecie contrahendum eſt, non ex vi ſponſaliorum, ſed ex vi juramenti, quod licet coactum ſit, obligandi virtute pollet, ut dictum fuit l. 3. t. 2. c. 2. d. 1. cu 4.

Neque enim juramentum, contractus, cui adjicitur, naturam, ut adverſarii volunt, ſequitur. Licet enim contractui addatur, & quoad modum, quo adhibetur, acceſſorium dici poſſit; ſpectata tamen ejus vi, & natura, eſt quid principale; cum ſit actus excellentior e religione derivatus, & magis obliget, quam contractus; cum juramentum Deo, contractus homini hominem obliget. Ex quo fit, ut juramentum contractui adjectum non ſit habendum ut acceſſorium, ſed ut principale, ideoque obliget; etiamſi contractus non obliget. Quare qui metu coactus ſponſalia juramento confirmavit, a matrimonio contrahendo reſilire non poteſt, niſi juramentum aut diſpenſatione, aut promiſſariæ partis remiſſione relaxetur.

Animadverſio V.

Si tamen terminus non ſit præfixus, ſufficiet &c.

Ex l. *In omnibus* §. de reg. juris dicitur: *In omnibus obligationibus, in quibus dies non apponitur, præſenti die debetur.* Idem aſſeritur l. *Eum, qui* §. de verb. oblig. Ergo non eſt dubitandum, quin ſponſalia ſine præfixo termino contracta, præſenti die debeantur. Illud tamen *præſenti die* rationabiliter accipiendum eſt pro congruo tempore juxta perſonarum, & circumſtantiarum exigentiam.

Juxta hanc regulam qui ſponſalia ſine præfixo termino inierunt, gerere ſe debent, non autem ab iis expectandum, donec urgeantur, ut faciunt mali, & moroſi debitores.

Animadverſio VI.

Si Judex ſecundum allegata, & probata cogat ad matrimonium, licet &c. matrimonium valet.

Genettus Theol. t. 5. p. 256. q. 13. matrimonium in hac ſpecie non eſſe validum exiſtimat; & jure. Nam, ut ait D. Thom. Suppl. qu. 47. ar. 3. *vinculum matrimonii eſt perpetuum. Unde illud, quod perpetuitati repugnat, matrimonium tollit. Metus autem, qui cadit in conſtantem virum, perpetuitatem contractus tollit, quia poteſt repeti reſtitutio in integrum. Et ideo hæc coactio* me-

---

* Tacita conditio in hujuſmodi ſponſalibus non includitur ex rei natura, ſed potius excluditur; quia abſolute velle, ſeu polliceri matrimonium, idem eſt, ac illud velle, ſeu polliceri ſine conditione; nec includitur ex poſitiva lege, quæ nulla hic profertur, aut proferri poteſt.

metus, quæ cadit in conſtantem virum, tollit matrimonium, & non alia.

Hinc Alex. III. c. *Cum locum* 14. tit. 1. lib. 4. decr. ait: *Cum locum non habeat conſenſus, ubi metus, vel coactio intervenit, neceſſe eſt ut ubi aſſenſus cujuſque requiritur, coactionis materia repellatur: matrimonium autem ſolo conſenſu contrahitur; & ubi de ipſa quæritur, plena debet ſecuritate ille gaudere, cujus animus eſt indagandus.* Ex his hæc ratio oritur. Injuſta, & gravis coactio cadens in virum conſtantem, matrimonium irritum facit: ut licet Judex ſecundum allegata, & probata cogat ad matrimonium, coactio tamen ponitur gravis, & injuſta: ergo matrimonium irritum facit. Nec enim quia Judex legitime judicat, injuſta, & gravis coactio tollitur, quæ quamdiu adeſt, matrimonium nullum eſt. Non enim conditio perſonæ cogentis, ſed ipſa coactio matrimonio adverſatur, & nullum facit.

Matrimonium, quatenus Judex legitime cogit, non eſt irritum; at irritum eſt, quatenus coactio eſt injuſta, a malis, & injuriis accuſatoribus, & teſtibus derivata. Quamdiu fraudes, & injuriæ latent, matrimonium quoad forum externum legitimum quidem putatur; at reipſa, & quoad conſcientiam, & Deum, quem nihil latet, nullum eſt.

Nec enim error, licet inculpatus, nec ſententia Judicis, licet juſta validum facit, quod ex natura ſua irritum eſt, ſicuti non facit metum, quod eſt alienum. Mulier libera, & ſui juris, uxor eſſe non poteſt, niſi per liberum ejus conſenſum a coactione immunem: hic conſenſus liber, & a coactione immunis non adeſt, licet Judex ſecundum allegata, & probata cogat: ergo mulier libera, uxor non fit. Quamvis ſententia Judicis juxta juris ordinem urgentis ad matrimonium, formaliter ſit juſta, materialiter tamen injuſta eſt, quia injuſtam coactionem ex aliena culpa reipſa continet. Qui, ſeu quæ tali ſententia coacta, matrimonium init, reipſa injuſte cogitur; & hoc ſatis eſt, ut matrimonium ſit irritum. Non enim ſententia, licet juſta Judicis, injuſtam coactionem tollit, cum contra ſit innocens miniſtra injuſtitiæ, & injuſtæ coactionis.

Animadversio VII.

Quod tamen ſponſus non cenſetur facere fornicando &c.

Quoad ſponſæ fornicantis peccatum recte loquitur Buſembau; quod peccatum ſponſi item fornicantis ex verſatilis probabilitatis regula, hoc eſt male loquitur. Cur ſponſus fornicando, ſpeciem peccati non mutat, & gravem injuſtitiam non admittit? In viro quidem fornicatio non eſt tam gravis, quam in femina; quia hæc fornicando prolem dubiam facit, quod in viro non accidit; at nihilominus etiam in viro gravem injuriam ſponſæ infert; quia etiam vir rem promiſſam alteri, notabiliter corrumpit; ipſa enim fornicatio eſt notabilis corruptio corporis ſponſæ promiſſi. Hinc talis fornicatio ex communi ſententia, ut monet Concina Theol. t. 10. p. 276. num. 24. & fatetur Buſemb. hic dub. 3. cap. 4. juſtam cauſam ſponſæ præbet reſcindendi ſponſalia; quod evidenti argumento eſt, injuriam fornicationis eſſe gravem etiam in viro. Et ſane dempta prolis incertitudine, eadem eſt injuria, ſeu vir, ſeu femina poſt ſponſalia fornicetur; imo, ſi rem rite penſemus, gravior in viro, qui, ut natura rationabilior, & conſtantior, ita in eodem peccati genere gravius peccat, quam femina. Ita ſane recta ratio, quam Theologus conſulit, neglecto imperiti vulgi ſenſu aliter judicantis.

Animadversio VIII.

Qui ſimulato animo promiſit, per ſe loquendo non obligatur ad nuptias.

Hanc opinionem communem, & certam appellat, & ſequitur Anacl. t. 4. juris can. p. 2. n. 5. Eidem adhæret La-Croix tom. 3. p. 6. n. 64.

Contrariam tuentur teſte Bonac. t. 3. p. 239. num. 2. Petrus Ledeſ., Mol., Vaſq., & alii.

Ego ita ratiocinor. Ex Nicolao Papa cap. 3. *Noſtrates* qu. 5. cauſ. 30. *Sponſalia, futurarum ſunt nuptiarum promiſſa*: at ſimulata promiſſa, ſunt promiſſa: ergo.

Videlicet de ſponſalibus eodem prorſus modo ſentiendum eſt, ac de reliquis promiſſis, quæ ſi obligent, licet ficta ſint, etiam ſponſalia ficta obligare, pro certo habendum eſt. At reliqua promiſſa etiam ficta obligant. Non enim quoad vim obligandi jure naturæ, & gentium animus, qui homines latet, attenditur, aut attendi poteſt, ſed exterior fides, ſeu promiſſio, quæ extrinſecus ſeria ſit. Hæc omnes homines ubique terrarum obligat, quicumque demum fuerit fallacis hominis animus. Hinc apud omnia tribunalia verba, ſcripta, atque extrinſeca examinantur, quæ ſi promiſſionem indicent, obligare ſine dubitatione pronuntiantur; quam obligationem ſi quis ſubterfugere ſe putet ex ſua mali animi ſimulatione, non ab obligatione liberatur, aut liberandus eſt, ſed & præſtare, quæ extrinſecus promiſit, cogendus, & propter fallaciam puniendus eſt.

Qui fictos promiſſores obligari nolunt, totam hominum ſocietatem perturbant; quia verbis, & ſcriptis, quæcumque ea ſint, obligandi vim adimunt; qua ſublata nullum eſt inter homines obligationis vinculum; cum omnes obligationes verbis, & ſcriptis contineantur.

Hinc porro fieret, ut homines honeſti, & ſinceri promiſſis tenerentur, a quibus liberi eſſent turpes, & fallaces; quo ſane nihil hominum generi perniciofius cogitari poteſt.

Buſembau fatetur, ficte promittentem nuptias, promiſſione teneri, ſi ea promiſſione puellam ad copulam induxit; quod docet etiam D. Thom. Supplem. qu. 46. ar. 2. at puellam ducere tenetur ex vi ipſius promiſſionis, non deflorationis, cujus damnum aliis modis reparari poteſt: ergo ipſa ficta nuptiarum promiſſio obligat.

Qui promittit, ſincere promittere tenetur, præſertim in contractu oneroſo: qui ſincere promittere tenetur, tenetur ſe obligare; quia ſincere promittere, & ſe obligare etiam ſecundum adverſarios idem ſunt.

At qui tenetur ſe obligare, obligationem jam contraxit: ergo qui promittit, obligationem jam contraxit. Ergo per ſimulationem ab obligatione liberari non poteſt.

Adde, quod ſi qui exterius promittit ſine animo promittendi, non obligatur, ne jurans quidem ſine animo jurandi obligaretur; quod cum priori reipſa connexum admiſit Buſemb. at qui jurat ſine animo jurandi, nihilominus obligatur, ut contra Buſemb. lib. 3. t. 2. cap. 2. d. 4. ca. 5. oſtenſum fuit: ergo qui exterius promittit ſine animo promittendi, dum promiſſio extrinſecus ſeria ſit, obligatur. Atque hunc ego eſſe puto ſenſum omnium honeſtorum hominum, qui naturam optimam ducem, & magiſtram ſequuntur; a cujus magiſterio, & ducatu ſubtiles diſputationes non ſemel abducunt.

At Anacletus multa objicit, & primo quidem Bonif. VIII. qui cap. unico t. 1. lib. 4. in 6. de ſponſalibus ait: *Dummodo non ſint nulla ex defectu conſenſus*: at ubi conſenſus fictus eſt, ibi deeſt conſenſus: ergo ſponſalia ex ficto conſenſu ſunt nulla.

Reſp. Bonif. VIII. ita loquitur, quia ſponſalia ex defectu conſenſus nulla eſſe poſſunt, non quod eo deficiente ſint ſemper nulla. Nam defectus conſenſus in eo, qui conſentire poteſt, & debet, ſponſalia in irritum non mittit, ſicut contra in irritum ea mittit in eo, qui conſentire non poteſt, ut ebrius, infans, idiomatis ignarus &c.

Objicit 2. cap. 26. *Tua nos* t. 1. l. 4. decret. ubi de quodam, qui mulierem his verbis deſponſavit: *Te Joannes deſponſat, cum ipſe Joannes non vocaretur, ſed finxit, ſe vocari Joannem, non credens eſſe conjugium, eo quod ipſe non vocaretur Joannes, nec haberet propoſitum contrahendi, ſed copulam tantum exequendi carnalem*: de hoc inquam Innoc. III. dicit, *quod non debet conjugium judicari . . . quoniam ex altera parte dolus ſolummodo affuit, & defuit omnino conſenſus, ſine quo cetera nequeunt fœdus perficere conjugale.*

Reſp. In hoc canone ſermo eſt de matrimonio, non de ſponſalibus, ideoque ab Anacleto extra rem profertur. Neque enim, ſi matrimonium ſine interiori conſenſu non perficitur, idem de ſponſalibus dici poteſt. Nam, cum matrimonium ſit indiſſolubile, plus requirit ut ratum ſit, quam ſponſalia. Præterea in matrimonio traditur jus in corpora; traditio autem, niſi ſit realis, nulla eſt: ergo jus ficte traditum in corpus, nullius roboris eſt. Aliud eſt de ſponſalibus, quæ ſunt mera promiſſio, non traditio.

Objicit 3. illud Gregorii 26. Mor. cap. 7. (habetur can. 22. qu. 5. cap. 21.) *Humanæ aures verba noſtra talia judicant, qualia foris ſonant. Divina vero judicia, talia ea audiunt, qualia ex intimis proferuntur.*

Reſp. D. Greg. Anacleti ſententiæ non favet, ſed adverſatur. Eſt enim intelligendus de eo, qui ſimplici animo abſque dolo verba profert, ſicuti intelligitur x S. Thoma 2. 2. qu. 89. ar. 7. ad 4. At verba ſimulata, & doloſa intelligenda ſunt, & ſervanda juxta ſanum ſenſum illius, cui proferuntur. *Quando non eſt eadem jurantis intentio, & ejus, cui jurat, ſi hoc proveniat ex dolo jurantis, debet juramentum ſervari ſecundum ſanum intellectum ejus, cui juramentum præſtatur*: ita S. Thom. loco cit. qui id confirmat S. Iſidori auctoritate. Quod ſi hoc verum eſt in promiſſione jurata, verum quoque eſt in promiſſione ſimplici, quæ a jurata non differt, niſi quod minus obliget.

Tandem ex Sanchez ita argumentatur. „ Obligatio

„ pro-

„ promiſſionis conſurgit ex privata lege, quam ſibi im-
„ ponit promittens: atqui nulla lex obligat, niſi legi-
„ ſlator obligare intendat, ut eſt communis Doctor. er-
„ go nec lex privata, quam promittendo quis ſibi im-
„ ponit, niſi per eam ſe obligare intendat.“

Reſp. Hæc argumentatio in eo captioſa eſt, quod ad legis vim in legiſlatore poſtulet voluntatem obligandi diſtinctam a voluntate ferendi legem: hoc falſum eſt; quia hoc ipſo quod legiſlator vult legem ferre, vult obligare; cum ipſa lex ex natura ſua vi obligandi polleat, quam vim ſi tollas, legem evertis. Idem dicas de promiſſione, quæ in ſua natura obligationem includit; ideoque eo ipſo quod quis promittit, ſe obligat; neque ad ſe obligandum alia voluntas requiritur, niſi promittendi. Quod ſi quis, dum promittit, nolit ſe obligare, ſimulator eſt, & perfidus, qui non immunitatem ab obligatione ex ſuo ſcelere reportare debet, ſed perfidiæ punitionem.

La-Croix t. 2. p. 342. n. 608. contra Vaſq., Turr., Baſill., Pontium, Pallav., & alios, quos teſte eodem ſequitur Dicaſt., objicit l. 1. § *Conventiones* ff. de pactis, ubi ſic habetur: *Dixit Pedius, nullum eſſe pactum, nullam obligationem, quæ non habeat in ſe conſenſionem; nam & ſtipulatio, quæ verbis fit, ſi non habeat conſenſum, nulla eſt.*

Reſp. Hæc lex intelligenda eſt de eo, qui ſincere, & ſine fictione verba profert, ſicuti verba S. Gregorii mox relata accipiuntur a S. Thoma.

Aliæ argumentationes, quas ibi affert La-Croix, partim leviculæ ſunt, partim ex dictis evaneſcunt, ideoque ab iis refutandis abſtineo.

Animadversio IX.

Sponſalia poſteriora .... ſunt invalida.

Hæc eſt unanimis Theologorum ſententia teſte Sanchez apud Anacletum t. 4. juris can. p. 72. num. 5. & La-Croixio num. 73. t. 3., ſi ſermo ſit de poſterioribus juratis. Ratio evidens eſt, quia juramentum non eſt vinculum iniquitatis: poſteriora ſponſalia ſunt iniqua; quia priorum fidei, & obligationi adverſantur: ergo juramentum non eſt vinculum poſteriorum ſponſalium.

Si autem poſterioribus ſponſalibus acceſſerit copula, dubitari poteſt, utrum ſint invalida.

S. Antoninus apud Genettum Theol. t. 5. p. 200. q. 5. ait: *In novem caſibus ſolvuntur ſponſalia de jure, & ſine peccato ſecundum Raymundum.* Tum ſubdit: *Septimus, quando ſponſus, vel ſponſa contrahit cum altero per verba de præſenti, vel etiam per verba de futuro, & ſequitur carnalis copula; peccavit talis tamen mortaliter, qui fidem fregit.* Sed animadvertendum eſt, S. Antoninum ante Synodum Trident. ſcripſiſſe, & juxta jus antiquum, quo ſponſalia, addita copula interiorem conſenſum de præſenti ſignificante, in matrimonium tranſibant; quia, ut ait D. Th. Suppl. qu. 46. art. 2. *nihil poteſt expreſſius ſignificare conſenſum, quam carnalis copula, & ideo ſecundum judicium Eccleſiæ carnalis copula conſequens ſponſalia, matrimonium facere judicatur, niſi aliqua ſigna expreſſa doli, vel fraudis appareant.* At Synodus Tridentina ſeſſ. 24. cap. 1 de ref. matrim. matrimonia clandeſtina in irritum miſit; ideoque S. Antonini, & veterum hac de re ſententia hoc tempore locum non habet.

Non deſunt tamen etiam noſtro tempore, qui putent, poſteriora ſponſalia valere; ſed contraria ſententia, quæ eſt Sot. Nav. Ledeſm. Hurt. Henriq. Sanch. aliorumque multorum, a La-Croix p. 7. num. 74. probabilior dicitur, & merito tenenda eſt, quam ſequitur Lambert. nunc Bened. XIV. t. 3. edict. p. 53. Ratio clara eſt, quia, ut mox dicebamus, poſteriora ſponſalia ſunt iniqua, nec horum iniquitatem copula tollit, ſed auget: at ſponſalia iniqua, hoc eſt juri, & juſtitiæ adverſantia, ex natura ſua nulla ſunt: ergo poſteriora ſponſalia etiam accedente copula ſunt nulla. Hanc ſententiam Anacl. t. 4. juris can. p. 72. n. 6. communem, & certam merito appellat, ſi utraque pars poſterius contrahens, ſit priorum ſponſalium conſcia.

At ſi pars altera, puta mulier priorum ſponſalium ſit inſcia, P. Concina Theol. t. 10. p. 273. num. 14. veroſimilius putat, poſteriora ſponſalia valere, dum prioribus quoque carnalis copula non acceſſerit. Anacletus loc. cit. contrarium ſentit. Ratio eſt, quia prior in tempore, potior in jure: ergo priora ſponſalia ſunt præferenda. Neque vero additio copulæ eſt ratio reſcindendi priora ſponſalia: nec enim flagitium promiſſioni additum, eam validam facere poteſt, & priorem irritam. At inquies, flagitioſam copulam efficere valida poſteriora ſponſalia, non quia flagitioſa, ſed quia eſt quædam realis, & anticipata corporis traditio, ea ratione qua equus prius promiſſus Titio pro certo pretio, ac poſtea venditus, & traditus Sempronio, Sempronii fit. Reſp. Diſcrimen inter utramque ſpeciem in eo eſt, quod licet traditio equi ſit contra jus promiſſionis Titio factæ, nititur tamen jure venditionis: at traditio corporis ex jure ſponſalium non oritur. Sempronius jure poſtulat, ut equus a ſe emptus ſibi tradatur: at qui ſponſalia inivit, injuria exigit, ut corporis ſponſæ ſibi fiat traditio. Quare licet traditio equi venditi, quia juridica, jus in ſe pariat, hoc tamen jus non parit illegitima corporis traditio poſt ſponſalia.

Jure antiquo promiſſio matrimonii cum copula animo maritali peracta ſat erat ad matrimonium: ergo jure novo ſat eſt ad dirimenda ſponſalia. Ita objicit P. Concina.

Reſp. Nec promiſſio matrimonii, nec copula ſubſequens, nec hæc duo ſimul, ſed ſolus animus maritalis, ſeu reciprocus interior coeuntium conſenſus in matrimonium, jure antiquo matrimonium efficiebat, ita ut copula eſſet tantum matrimonii ſignum, ejuſdemque conſummatio, ut docet D. Thomas Suppl. q. 46. art. 2. his verbis: *In rei veritate carnalis copula non habet, quod perficiat matrimonium, cujus ſponſalia præceſſerunt per verba de futuro, ſi conſenſus interior deſit, quia verba etiam de præſenti conſenſum exprimentia, ſi conſenſus mentalis deeſſet, non facerent matrimonium.* At hæc eadem copula jure novo nihil eſſe poteſt, niſi purum putumque flagitium, & injuria illata priori ſponſæ, unde nullum omnino jus derivari poteſt.

Idem hoc tempore dicendum eſt de copula ſponſalibus poſterioribus addita quoad vim dirimendi priora ſponſalia ſine copula, quod olim dicebatur de eadem copula adjuncta conſenſui de præſenti quoad diſſolvendum anteriorem conſenſum de præſenti ſine copula; quem diſſolvi Mutinenſes ex ſua ipſorum conſuetudine exiſtimabant.

At Innoc. III. hanc conſuetudinem improbat, & cap. *Tuas dudum* tit. 4. lib. 4. decr. ait: *In matrimoniis de cetero contrahendis illud te volumus obſervare, ut poſtquam inter legitimas perſonas conſenſus legitimus intervenerit de præſenti, qui ſufficit in talibus juxta canonicas ſanctiones, & ſi ſolus defuerit, cetera etiam cum ipſo coitu celebrata fruſtrantur, ſi perſonæ junctæ legitime, cum aliis poſtea de facto contrahant, quod prius de jure factum fuerat, non poterit irritari.* Ergo copula ſponſalibus hoc tempore addita, priora ſponſalia ſine copula celebrata non dirimit; quia, ut ait Innoc., *quod prius de jure factum fuerat, non poterit irritari.*

Promiſſio quidem, addita puellæ defloratione, abſolute loquendo majus jus in matrimonium tribuit, quam ſimplex promiſſio; at poſito legitimo jure ex prioribus ſponſalibus acquiſito, copula poſterioribus adjuncta nullum tribuit jus in matrimonium. Puella decepta, & ſub matrimonii ſpe deflorata jus acquirit, ut a deceptore ſibi ſatisfiat, non ut in uxorem ducatur; quod fieri non poteſt ſine læſione juris a priore ſponſa acquiſiti.

His adde, quod ſi poſteriora ſponſalia juramento firmata, non habent vim reſcindendi priora ſine juramento inita, multo minus hanc vim habere poſſunt ex copula, quæ minori vi pollet, quam juramentum.

Juramentum non reſcindit priora ſponſalia, quia non eſt vinculum iniquitatis: at ne copula quidem eſt vinculum iniquitatis: ergo ne hæc quidem priora dirimit ſponſalia.

His attente penſatis præferenda eſt ſententia, quæ priora ſimplicia ſponſalia a poſterioribus, quibus acceſſit copula, minime dirimi ait, etiamſi ſponſa poſterior deflorata, ſit inſcia priorum, præſertim cum, ut recte advertit Anacletus loco cit. contraria opinio fraudibus, & flagitiis viam aperiat, dum quivis a propria ſponſa liberari, & cum alia matrimonium inire cupiens, anſam inde acciperet ſpondendi alteri conjugium, & cum ea coeundi.

Animadversio X.

Etſi liceant amplexus &c.

Cum hujuſmodi amplexus, & oſcula ſint vehementia libidinis incitamenta, licere non poſſunt, nec honeſtari valent ex fine conteſtandi honeſtum amorem. Sententia, quæ affirmat, ſponſis non licere, niſi quæ perſonis ſolutis permiſſa ſunt, probabilior a La-Croix p. 32. nu. 151. appellatur, & traditur a Suar. Leſſ. Henriq. Comitol. Hurt. & aliis, ideoque neceſſario tenenda: ſed de his conſule dicta lib. 3. tract. 4. cap. 2, dub. 1.

Animadversio XI.

Limitant tamen Contin. &c.

Hæc limitatio, de qua Bul. nihil dicit, velut rationabilis admittenda eſt. Nec enim ſponſa conjugem accipere illum cogi poteſt, quem ſibi infidum futurum merito credit. Hinc D. Th. Suppl. qu. 43. art. 3. ad 6. ſponſalia propter fornicationem dirimi poſſe ea ratio-

tione ait: *Quia ex hoc efficiuntur ſibi invicem ſuſpecti de non ſervanda fide in futurum. Et ideo poteſt ſibi præcavere unus contra alium, ſponſalia dirimendo.*

Si autem uterque ſponſus fornicetur poſt ſponſalia &c. Hic quoque contrarias affert opiniones, ut quilibet eam eligat, quæ ſibi commodior viſa fuerit. At inter opiniones contrarias non quæ commodior alicui videtur, ſed quæ probabilior, & verior merito exiſtimatur, neceſſario amplectenda eſt, uti hic eſt opinio Conin. Regin. Sanch. Laym. & Pontii, qui ſoli viro facultatem reſiliendi in propoſita ſpecie permittunt propter rationes, quas Buſemb. affert. Hinc ipſe quoque P. Concina Th. t. 10. p. 276. n. 26. hanc ſententiam probat.

Animadverſio XII.

Non tamen tenetur ſponte aperire tales defectus &c.

Primo certum eſt, mendacia ſub ſpecioſis reſtrictionum, materialium ſignificationum &c. nominibus a recentibus opinatoribus recta, de quibus ſuo loco dictum eſt, nunquam licere; a quibus tamen ſponſi de occultis defectibus interrogati vix ſibi cavere queunt, ſi eos tegere, & matrimonium contrahere velint.

Sed quæritur, utrum eos occultare, ſi abſque mendacio id fieri poſſit, liceat, ut matrimonium ineatur. Reſp. Buſemb. affirmat, ſi defectus non ſint pernicioſi. Concina negat Theol. t. 10. p. 278. num. 31. „ Id, „ inquit, in venditione equi, & vaccæ ſervatur; & „ ſervandum negant in contractu omnium graviſſimo, „ cujus vinculum perpetuum eſt? Femina honeſta, & „ chriſtiana aut candide fateri ſuam ignobilitatem, „ paupertatem, corruptionem debet, aut a matrimonio abſtinere, ſuamque deperditam lugere virginitatem.“

Ego hic mediam quamdam viam inirem, & cum P. Concina dicerem, defectus, quorum manifeſtatio infamiam non infert, ut paupertas, ignobilitas generis, corporis infirmitas, &c. neceſſario eſſe aperiendos, priuſquam matrimonium ineatur. Occultatio enim parti contrahenti ignaræ injuriam infert; quia occultans tales defectus, offert, traditque rem notabiliter vitioſam, quæ bona fide vitio carere putatur; ſicuti venditor injuriam facit emptori, dum rem occulto vitio laborantem ſilens, & diſſimulans eodem modo, ac pretio vendit, ac ſi vitii expers eſſet.

Ignotorum tamen defectuum occultatio non videtur culpæ vertenda, ſi eo ſpectat, ut matrimonium æquale contrahatur; ſed tunc ſolum culpabilis eſt, ſi ejus cauſa matrimonium ſupra conditionem notabiliter ineatur; ſicuti non culpatur venditor, vitium occultum, ſed non pernicioſum rei tegens, ne eam minoris juſto pretio vendere cogatur.

At ſi defectus proditus infamiam pariat, uti eſt fornicatio ſponſæ, illum aperire ſponſa non cogitur; quia damnum infamiæ, quod illum manifeſtando ſubiret, gravius eſt, quam detrimentum ſponſi nuptias cum ſponſa corrupta celebrantis; ſicuti uxor adultera prolem ex adulterio ſuſceptam prodere non tenetur, ne infamiam incurrat, quæ majus malum eſt, quam ſuſtentatio prolis alienæ, marito ex ſuo ſilentio impoſita.

Diana ... *infert, ſponſam poſt ſponſalia corruptam poſſe ſponſum defectus iſtius occulti ignarum cogere ad ſtandum ſponſalibus* &c.

Hoc ego quoque cum Pont. Nav. & cæteris falſum puto. Nemo enim jure cogi poteſt ad implendam promiſſionem, quam reipſa præſtare non tenetur: ſed ſponſus in ſpecie propoſita promiſſionem ſponſæ fornicariæ reipſa præſtare non tenetur, ſed ſolum ex errore conſcientiæ: ergo ad eam implendam cogi non poteſt.

Sponſa, quæ ſponſum in ſpecie noſtra cogit ad matrimonium, facto ipſo ſe incorruptam profitetur, quod eſt apertum mendacium nunquam permiſſum. Præterea hujuſmodi mendacium eſt graviter noxium ſponſo, qui cogitur ſui corporis jus tradere mulieri in deterius notabiliter mutatæ, non ſecus ac qui cogeretur ad emptionem promiſſam rei poſt promiſſionem inſigniter deterioris factæ.

Videlicet ſponſa corrupta cum ſponſo ſuæ culpæ ignaro ea ſolum ratione matrimonium inire poteſt, ne ſuam famam prodigere cogatur: at cum ſponſus a matrimonio abſtinere ſponte ſua paratus eſt, ſponſa ſine ulla famæ jactura ab eo recedit: ergo ab eo recedere tenetur.

Illud hic eſt etiam animadvertendum, inter defectus non pernicioſos perperam a Buſembao numerari lepram, paralyſim, morbum gallicum; qui reipſa pernicioſi ſunt, quia vel generationem impediunt, vel prolem morboſam, & infirmam efficiunt, & præterea averſionem, & diſcordias pariunt. Quare hi defectus ex omnium ſententia, ut ait Concina Theol. t. 10. p. 278. nu. 34. manifeſtandi ſunt; quod fatetur etiam Anacletus t. 4. juris can. p. 42. num. 301 adjecta quoad morbum gallicum ea limitatione, niſi curetur. Hinc Innoc. III. cap. *Quemadmodum* 25. tit. 24. lib. 2. decr. inquit, *quod ſi poſt hujuſmodi juramentum, quo vir ſponſalia firmavit, mulier fieret non ſolum leproſa, ſed etiam paralytica, vel oculos, vel naſum amitteret, vel quicquam ei turpius eveniret, numquid vir teneretur eam ducere in uxorem? Profecto ductam non poſſet dimittere. Sed nunquid non ductam admittere teneretur? Quamvis interdum contractum non dirimat, quod impedit contrahendum.*

Animadverſio XIII.

Si alter ſine alterius licentia proficiſcatur in regionem longinquam.

Id intellige, ſi non ſit ſpes opportuno tempore redeundi. Hinc Alex. III. c. 5. *de illis* tit. 1. lib. 4. decr. ait: *De illis autem, qui præſtito juramenta promittunt, ſe aliquas mulieres ducturos, & poſtea eis incognitis dimittunt terram, ſe ad partes alias transferentes, hoc tibi volumus innoteſcere, quod liberum erit mulieribus ipſis (ſi non amplius in facto eſt proceſſum) ad alia ſe vota transferre* &c.

Si autem dubium ſit, utrum qui, vel quæ ad longinquam regionem ſe tranſtulit, ſit rediturus, *dubium illud*, inquit S. Th. Suppl. qu. 43 art. 3. ad 2. *determinatur ex hoc, quod alter non comparet tempore ſtatuto ad matrimonium perficiendum.* Quod ſi tempus definitum matrimonio perficiendo non fuerit, congruo tempore ex prudentum judicio expectandum erit, quo elapſo ſponſalia dirempta intelliguntur, ſi qui diſceſſit, in patriam regreſſus non fuerit.

Animadverſio XIV.

Solvuntur ... *per ſuſceptionem Ordinis ſacri* &c.

Ita ſane: ſed merito hic quæritur, utrum poſt ſponſalia ſacrum Ordinem ſuſcipere liceat; qua de re Theologi in contrarias abeunt ſententias, ut videri poteſt apud La Croix p. 17. num. 200. Anacletum t. 4. juris can. p. 33. num. 231. & Concinam Theol. t. 10. p. 270. num 6. qui exiſtimat id licere, ea nixus ratione, quia in ſponſalibus ea conditio tacite includitur: *Niſi ad meliorem ſtatum tranſiero.* Nec enim rationi conſentaneum eſt, ut ſtatus inſerviendi creaturæ, ſicuti eſt ſtatus conjugalis, impediat ſtatum inſerviendi Deo.

Hæc ſane eſt præcipua hujus ſententiæ ratio, quæ tamen mihi ſatis firma non videtur. Status enim inſerviendi creaturæ impedire non debet ſtatum inſerviendi Deo, quamdiu in libera hominis poteſtate eſt aſſumere ſtatum inſerviendi Deo: at poſtquam homo ſponſalia contraxit, poteſtate aſſumendi ſtatum inſerviendi Deo per Ordines ſacros ſe ſponte privavit.

Deus liberam fecit homini poteſtatem, vel ſuſcipiendi ſacros Ordines, ſi divinitus vocatus fuerit, vel matrimonium ineundi: hoc porro promittere poteſt vel abſolute, vel conditione adjecta. Si abſolute promiſſum fuerit, nulla conditio in promiſſione tacite includitur, niſi jus illam apponat: at nullum jus proferri poteſt, quod matrimonii promiſſioni eam conditionem appoſuerit, *niſi ad meliorem ſtatum tranſiero* per ſacri Ordinis ſuſceptionem. Eccleſia privilegium quidem conceſſit, ut qui matrimonium pollicitus eſt, aut etiam contraxit, ad Religionem tranſire poſſit; at nuſquam legitur, Eccleſiam conceſſiſſe, ut qui ſponſalia inivit, ſacros Ordines ſuſcipere queat; imo Eccleſia contra ſentire videtur, ut ſcilicet qui ſponſalibus obſtrictus eſt, ſacros Ordines ſuſcipere nequeat: quia, ut recte advertit Anacletus loco citato, Epiſcoporum conſuetudo habet, ut inquirant, utrum ſacris initiandi ſponſalia inierint, quos, ſi eo vinculo obſtrictos reperiant, a ſacris Ordinibus repellunt.

Adde, quod in Concilio Carth. (habetur lib. 1. decr. tit. 19. cap. un.) ſtatutum eſt, ne procuratores, actores, executores, ſeu curatores pupillorum ante depoſita onera, & reddita ratiocinia ordinentur. *Si enim*, inquit, *ante libertatem negotiorum, vel officiorum fuerint ordinati, Eccleſia infamatur*: at Eccleſia multo magis infamari videtur, ſi ſponſus ante libertatem oneris, & pacti ſponſaliorum ordinetur: ergo non eſt ordinandus.

Præterea ſi non licet pecuniam amico promiſſam, in Dei cultum erogare, multo minus licet corpus tuum mulieri promiſſum Dei cultui per cœlibatum conſecrare. Si in priori promiſſione non includitur ea conditio, *niſi meam pecuniam in Dei cultum impendam*, an in poſteriori illa conditio involvitur, *niſi meum corpus divino cultui dedicavero*?

Promiſſi fides, & executio, naturæ juris eſt; ſuſceptio ſacri Ordinis, conſilii ad ſummum res eſt: dixi *ad*

ſuorum, quia ſacros Ordines ſuſcipere non eſt omnium, ſed eorum tantum, qui divinitus ad eos vocantur: at non licet conſilia perficere, ut præcepta præſertim naturalia omittas: ergo non licet promiſſum matrimonium omittere, ut ſacros Ordines ſuſcipias. Hanc ſententiam multis citatis ſequitur tum Anacletus, tum La-Croix, quam oppoſita longe probabiliorem hic appellat. Ego vero eam neceſſario amplectendam exiſtimo, quia ſine dubio tuta eſt, contraria vero periculoſa. Quod ſi ſponſalia jurata ſint, duplicis mortalis peccati periculum continet, hoc eſt tum injuſtitiæ in re gravi, tum perjurii.

Vel ingreſſum alterius in religionem.

Sponſalia diſſolvi ingreſſu religionis ex parte remanentis in ſæculo, eſt communis ſententia paucis repugnantibus, ut ait Anacl. t. 4. juris can. p. 33. num. 226. quam ſequuntur Nat. Alex. Theol. t. 2. p. 93. reg. 5. Concina Theol. t. 10. p. 269. num. 5. Genettus Theol. t. 5. pag. 100. qu. 5. eam confirmant auctoritate S. Antonini dicentis: *In novem caſibus ſolvuntur ſponſalia de jure, & ſine peccata ſecundum Raymundum Primus, ſi alter ſponſorum tranſit ad religionem; quod etiam facere poteſt contracto matrimonio de præſenti, & nondum conſummato, etiam altero invito; & ſic ille, qui remanet in ſæculo, ſolvitur a ſponſalibus, & etiam a matrimonio.* Ratio eſt, quia qui religionem ingreditur, jure cenſetur abjeciſſe voluntatem matrimonii: at qui facto teſtatur, ſe abjeciſſe voluntatem matrimonii, juri ſponſalium renuntiat: ergo. Præterea ingreſſus in religionem notabilis mutatio eſt, quæ juſtam cauſam præbet diſſolvendi ſponſalia. Nimis enim grave onus parti in ſæculo remanenti imponeretur, ſi cum tyrone religioſo, qui cucullos abjecit, vel religioſa, quæ velum depoſuit, nubere cogeretur. Tandem nulla pars in ſponſalibus ſe obligare præſumitur ad expectandum, donec religioſum tyrocinium compleatur, ut matrimonium cum homine vel inconſtanti, & levi, vel qui ad nuptias convolare velit, ſi ad religionem ineptus fuerit judicatus, contrahat.

At ſponſalia ſolvi ex parte ingredientis religionem, ſententia item communis negat teſte eodem Anacleto, quam idem probat num. 227. eamque ſequitur Concina loco mox cit. cujus ratio eſt, „ quia ingrediens religionem, non remanet inhabilis ad contrahendum matrimonium, donec emiſerit profeſſionem: ergo uſque ad profeſſionem obſtrictus manet contractui, itaut, ſi altera pars expectare velit, & is a religione exeat, implere ſponſalia teneatur. Hæc opinio, inquit Conc. eo eſt probabilior, quo aditum fraudibus præcludit. Quiſque enim poſt contracta ſponſalia ingredi religionem poſſet, ut deinde egreſſus nuberet cui vellet, ſi ſolo ingreſſu ſponſalia reſcinderentur reſpectu ingredientis." Hactenus ille. Hinc S. Antoninus mox cit. ait: *Illum, qui remanet in ſæculo ſolvi a ſponſalibus, & etiam a matrimonio*; non qui religionem ingreditur. Religionis ingreſſus juſtam quidem cauſam dat remanenti in ſæculo, ut a ſponſalibus reſiliat, non tamen religionem ingredienti, niſi eam profiteatur. Jus naturæ ex parte ingredientis religionem, ſponſalia non diſſolvit; nec ullum jus poſitivum afferri poteſt, quod hujuſmodi diſſolutionem conſtituat.

Religionis profeſſio ſponſalia, & matrimonium ratum dirimit, *quia religio*, ut loquitur D. Th. Suppl. qu. 61. art. 2. *eſt quædam mors ſpiritualis, qua aliquis ſæculo moriens, vivit Deo*: at religionis ingreſſus non eſt mors ſpiritualis, ſed præparatio ad hujuſmodi mortem: ergo non ſolvit ſponſalia, ſed ſolum diſponit ad eorum ſolutionem.

Aut votum eam ingrediendi.

Si ipſe ingreſſus in religionem, ſponſalia, quoad ingredientem, ex dictis non dirimit, multo minus ea dirimit votum ingrediendi religionem.

Jura ſolemni tantum Religionis profeſſioni vim tribuunt ſolvendi ſponſalia ex utraque promittentium parte: ergo hæc vis perperam tribuitur voto ingrediendi religionem. Hanc vim hujuſmodi votum nec ex jure poſitivo, nec ex jure naturæ habet; ergo eam omnino non habet. Hinc S. Antoninus apud Genettum Theol. t. 5. p. 101. qu. 6. inquit: *Aut ſponſalia præcedunt votum ſimplex, & tunc votum non impedit, nec dirimit ſponſalia; ſed eo caſu cogi debet vel votum ſolemnizare, ſcilicet profitendo in religione, & ſic eſſent ſoluta ſponſalia, vel ſponſalia profiteri, & contrahere matrimonium.* Hæc ſententia teſte Anacleto t. 4. juris can. p. 34. num. 236. communis eſt tum apud juris canonici interpretes, tum apud Theologos *contra D. Thomam*, addit Anacl. *& plures alios apud Sanchez*. D. Thom. Suppl. qu. 53. art. 1. ad 1. ait: *Sed quantum ad hoc*, hoc eſt quantum ad modum obligandi, *ſimili modo obligat votum ſimplex, ſicut ſponſalia*. At D. Th. ſi intelligi non poſſit de ſponſalibus votum ſimplex ſubſequentibus, intelligi debet de iiſdem ſponſalibus non ex parte voventis, ſed ex altera parte, quæ ſponſalium vinculo ſolvitur.

At objicies Div. Antoninum, qui 3. p. t. 1. c. 18. de ſponſ. §. 1. ait: *Secunda regula eſt, ſi duo vincula diſparis potentiæ incompoſſibilia contrahuntur, fortius repellit minus forte*: ſed voti vinculum eſt fortius, quam vinculum ſponſalium: ergo hoc ab illo repellitur.

Reſp. Propoſitio vera eſt, ſi vincula reipſa contrahantur, non item ſi quod ex natura ſua fortius eſt, reipſa non obliget. Ac votum ſimplex poſt ſponſalia emiſſum, ſi ad votum ſolemne non referatur, non obligat, quatenus nocet juri partis, cum qua ſponſalia inita ſunt. Nec enim quod homini promiſſum eſt, eique ex vi promiſſionis debetur, promitti poteſt Deo, cui propria, non aliena, nec aliis debita danda, aut promittenda ſunt. Hæ victimæ Deo non ſunt acceptæ.

Quod ſi votum ingrediendi religionem emiſſum ſit, implendum quidem eſt; at hoc vinculum non eſt incompoſſibile cum vinculo ſponſalium, niſi qui religionem ingreſſus fuerit, eam profiteatur. Si enim ex ea egrediatur, ſponſalia præſtare poteſt, ideoque debet.

Animadversio XV.

Probabile eſt, ſolvi etiam per votum ſimplex caſtitatis .... etſi contrarium doceant &c.

Hoc contrarium rejecta priori ſententia tenendum ex jam dictis, & ex ratione pro hac contraria ſententia a Buſembao allata. Hinc Chriſtus Matth. 15. Phariſæos ſevere increpat, quod alimenta parentibus debita in templi victimas ſalſo religionis prætextu converti ſuadebant. *Quare & vos*, inquit, *tranſgredimini mandatum Dei propter traditionem veſtram? Nam Deus dixit: Honora Patrem, & Matrem: & qui maledixerit Patri, vel Matri, morte moriatur. Vos autem dicitis: Quicumque dixerit Patri, vel Matri, munus quodcumque eſt ex me, tibi proderit, & non honorificabit patrem ſuum, aut matrem ſuam: & irritum feciſtis mandatum Dei propter traditionem veſtram.* At Deus naturæ lege in noſtris cordibus inſculpta dicit, & præcipit, ut fides ſponſaliorum ſervetur, & promiſſum corporis dominium tradatur: ergo corporis alteri promiſſi, & debiti victimam recuſat, & exoſam habet. Vota ſcilicet facienda ſunt de re proprii, non alieni juris. Hinc Alex. III. cap. *Veniens* 5. tit. 6. lib. 4. decr. ait: *Quod 1. mulier cuidam viro abſenti fide data ſe nupturam promiſit; ſed poſtmodum audiens plura de ſeveritate ipſius, et noluit copulari. Cum itaque timeret, ne illi nubere cogeretur, in manibus ſuis*, hoc eſt cujuſdam Eremitæ, *continentiæ votum promittit, non tamen locum, aut veſtem mutavit; quo audito vir aliam ibi copulavit. Nos itaque attendentes tutius eſſe, ut præfata mulier poſt fidem, & votum ſimpliciter oblatam, matrimonium contrahat, quam fornicationis reatum incurrat; mandamus, quatenus ſi plus non proceſſit, ſibi de fide mentita, & vota violata congruam ſatisfactionem indicas, & ei, cui vult, nubendi in Domino licentiam tribuere non poſtponas.* Hic ſermo eſt de ſimplici voto continentiæ poſt ſponſalia emiſſo, quod ſi vim haberet diſſolvendi eadem ſponſalia, ſine culpa emitti poſſet, ſicuti ſine culpa emittitur votum ſolemne: at tale votum ab Alex. III. reprehenditur, qui jubet, ut mulieri de fide mentita congrua ſatisfactio indicatur: ergo votum ſimplex ſponſalia præcedentia non dirimit. Et ſane fidem non mentitur, qui fidem jam abrogatam, & in irritum miſſam non ſervat: at mulier prædicta, etiamſi votum continentiæ emiſerat, nihilominus fidem ſponſaliorum teſte Alex. III. mentita eſt: ergo votum continentiæ, fidem datam ſponſaliorum non abrogaverat.

Ex hoc cap. illud etiam colligitur, ſimplici continentiæ voto ſponſalia dirimi ex parte ejus, qui votum non emiſit; quia Summus Pontifex non improbat matrimonium a viro cum alia initum, cui mulier vovens, ſponſaliorum fidem dederat.

Animadversio XVI.

Per matrimonium validum diſſolvitur ſaltem quoad eum qui non contraxit matrimonium; quoad eum vero qui contraxit .... teneri docet &c.

Prior pars aſſertionis Buſembaum certa eſt apud omnes ex cap. 31. *Si inter virum* tit. 1. lib. 4. decr.

Poſterior pars valde controverſa eſt, ut legi poteſt tum apud Concinam Theol. t. 10. p. 272. num. 12. tum apud Anacl. t. 4. juris can. p. 36. num. 243. & La-Croix p. 17. num. 201. ita ut ex auctoritate hinc inde pugnante nihil colligi poſſit.

Anacletus exiſtimans, priora ſponſalia extingui, non autem tantum ſuſpendi quoad eum, qui matrimonium contraxit, ſi alter expectet, fidemque ſibi datam ſoluto matrimonio ſervari velit, hac ratione nititur, quia obligatio ſemel extincta, non amplius reviviſcit: at hæc

Digitized by Google

hæc ratio eſt mera principii petitio. Quæſtio enim præſens eſt, utrum obligatio in ſpecie propoſita extinguatur, an tantum ſuſpendatur quoad eum, qui matrimonium contraxit. Nec eſt, cur dicas, unum contrarium cum altero pugnare, & fortius deſtruere debilius; matrimonium autem pugnare cum præcedentibus ſponſalibus, & quia fortius eſt, illa deſtruere; non eſt, inquam, cur ita diſcurras. Neque enim in his rebus moralibus loquendum eſt eo modo, quo in contrariis phyſicis, qui ſunt e. g. aqua, & ignis. Matrimonium enim opponitur prioribus ſponſalibus, non ut ignis aquæ, ſed ut vinum implens dolium cum alio vino, vel aqua. Quamdiu enim vinum in dolio quod implet, manet, alium quemcumque liquorem excludit: at ſi vinum e dolio extrudatur, alius liquor in dolium mitti poteſt. Idem accidit in matrimonio, quod quamdiu ſubſiſtit, ſponſaliorum fidem ſervari non patitur: at eo extincto per mortem conjugis, ſponſalia ſervari poſſunt: ergo ſervari debent; quia fides data, cum fieri poteſt, ſervanda ſemper eſt.

Neque enim, quia fides data præſtita non fuit, ejus obligatio extincta eſt; neque rurſus fuit extincta hæc obligatio, quia qui fidem violavit, in eas anguſtias contracto matrimonio ſe ſponte conjecit, ut eam matrimonio vigente præſtare nequiverit. Titius e. g. centum nummos aureos mutuos accepit, reſtitutionem intra annum promittens; at poſt pecuniam acceptam, & quidquid habet prodigit: quæro, utrum a ſolutione liber ſit. Liber videlicet eſt, quamdiu nihil habet; at ſi vel induſtria, vel hereditate, vel alia ratione pecuniam acquirat, & reſtituere poſſit, reſtituere omnino tenetur. Idem accidit in eo, qui matrimonii fide accepta, matrimonii fidem dedit, ac poſtmodum matrimonio cum alia inito fidem datam præſtare non potuit. Quamdiu enim matrimonium initum durat, liber eſt a fide data, quia eam præſtare non poteſt, at ſtatim ac a matrimonii vinculo ſolutus eſt, fidem datam præſtare tenetur, quia poteſt.

CAPUT II.

De Matrimonio ſecundum ſe.

DUBIUM I.

Quid ſit, quæ ejus materia, forma, & miniſter?

RESponden. Eſt ſacramentum inter baptizatos, quo vir, & mulier ſibi mutuo legitime corpora ſua tradunt ad perpetuam vitæ ſocietatem, uſum prolis ſuſcipiendæ, & remedium concupiſcentiæ. Materia ex qua, & proxima, eſt mutuus conſenſus externis ſignis expreſſus, quatenus habet rationem traditionis. Forma autem eſt idem conſenſus, quatenus habet rationem acceptationis. Suar. *tr. 3. d. 2 ſ. 1. art. 1.* Sanchez, Vaſquez. Miniſter non eſt Sacerdos, ſed ipſi contrahentes, quia hi ponunt materiam, & formam. Porro matrimonium dicitur ratum, quando contractus eſt factus, etſi non ſit ſecuta copula carnalis: conſummatum vero dicitur, quando ea ſecuta eſt.

Unde reſolves.

1. *Valide, & licite contrahi poteſt cum pacto con-*
ANIMAD. I. *tinentiæ, ſine intentione prolis, & remedii concupiſcentiæ. Ratio eſt, quia non pugnat cum eſſentia Matrimonii. Et patet exemplo Beatæ Virginis, & Sancti Joſephi.*

2. *Non videtur licitum, contrahere tantum propter*
ANIMAD. II. *voluptatem carnis, vel vanitatem:* quia finis debet eſſe ſaltem honeſtus. Navar. *c.* 22. *n.* 79. Sanch. *l.* 2. *d.* 29. *q.* 3.

3. Licite contrahitur in remedium concupiſcentiæ, nihil aliud intendendo, modo proles poſitive non impediatur; hoc enim ſub mortali non licet. Con. *d.* 25. *d.* 2. *n.* 16. Pontius *l.* 1. *c.* 21. Hurt. Perez *d.* 18. *ſ.* 7. *n.* 6. ex 1. Cor. 7. Hinc etiam conjuges poſſunt abſtinere ab uſu conjugii, & optare, ne plures accipiant liberos, quam poſſint alere, dummodo, ut dixi, poſitive non impediant, nec abortum procurent. Perez *l. c.* Bon. *q.* 4. *p.* 1. *n.* 12. Nav. *c.* 16. &c.

ANIMAD. III. 4. *Licite etiam contrahitur ob fines honeſtos extrinſecos fini intrinſeco Sacramenti,* (qui eſt mutua animorum conjunctio, & conjugum ſanctificatio,) *non contrarios, v. gr. ad pacem inter regna, vel illuſtres familias componendam, vel ſplendorem familiæ conſervandum. Ita contra Sanch. & Sylv. docent Præp. Pont. Geſp. Hurt. Dian. p. 3. t. 4. R. 219. V. Per. diſt. 18. ſ. 7. n. 7. ubi cum Dian. ſ. 6. etiam permittit ob divitias, & nobilitatem.*

5. Valide, ſed illicite contrahitur cum intentione negandi debitum, vitandi prolem, vel etiam non educandi, mœchandi, &c. niſi tamen talis intentio in pactum deducatur, ideſt niſi adjiciatur tanquam conditio obligans ad aliquid contrarium eſſentiæ matrimonii. Unde invalide contrahit, qui vinculum matrimonii vult tantum durare per annum, vel reſervat ſibi poteſtatem adulterandi, vel non reddendi debitum debite exigenti. (*a*) V. Per. *ſ.* 6 & *ſ. ll. ss.*

6. Contrahentes ut non peccent, debent eſſe in gratia, etiam tunc, quando per procuratorem contrahunt: quia verum Sacramentum ſuſcipiunt, licet dormiant. Secus eſt de procuratore, per quem contrahunt, *uti & de Sacerdote copulante; qui nec* ANIMAD. IV.
ſuſcipit, nec adminiſtrat Sacramentum, ſed tantum ut teſtis aſſiſtit. Cardin. de Lugo *de Sacram. d.* 8. *ſ.* 9. *n.* 155.

7. Conjux habet poteſtatem in alterius corpus, ſed non ad exercendam libidinem generationi adverſantem.

8. *Requiritur conſenſus de præſenti, verbo, ſcripto,* ANIMAD. V.
aut nutibus expreſſus: ſufficit tamen exprimere per alium, ut ſi parentes pro filiis contrahant, his tacentibus. V. Dian. *p.* 3. *t.* 4. *R* 272. Sufficit etiam 2. ſi alterius conſenſui præcedenti, & non revocato, alterius accedat. Unde ſi quis coram Parocho non vere conſenſerit, ſatisfacit conſentiendo poſtea. V. Dian. *l. c. R.* 292.

Quæres, An ſufficiat conſenſus conditionatus?

Reſp. 1. *Sufficit conditionatus, ſub conditione de* ANIMAD. VI.
præterito, vel præſenti, ſtante conditione: quia tunc contractus non ſuſpenditur.

Reſp. 2. *Sufficit ſub conditione neceſſaria de futuro,* ANIMAD. VII.
dummodo contrahentes non intendant ſuſpendere tantiſper conſenſum, v. g. duco te, ſi cras Sol oriatur. Item ſub conditione de futuro impoſſibili, v. gr. Si cœlum tetigeris; vel de futuro turpi, modo non repugnet ſubſtantiæ matrimonii, & conſenſus ſit abſolutus, v. gr. ſi patrem occideris. Ratio eſt, quia tales conditiones habentur pro non adjectis. Sanch. *l.* 5. *d.* 15. Mol. Fill. Leſſ. *l.* 2. *c.* 18. *d.* 15. Laym. Bon.

Reſp 3. *Non ſufficit ſub conditione de futuro, quæ* ANIMAD. VIII.
ſit contra ſubſtantiam obligationis matrimonialis, v. g. ſi prolis generationem impedire velis maleficio, vel victum comparare adulterio. Patet ex *c. fin. de cond.* V. Sanch. *l.* 5. *d.* 11. Con. *d.* 26. *d.* 3. Fill. &c.

Reſp. 4. *Conſenſus ſub conditione honeſta de futuro* ANIMAD. IX.
eſt contractus ſponſalium tantum, & non Matrimonii, quia hic debet eſſe de præſenti. Ob quam rationem non incipiet validari matrimonium ſine novo conſenſu, poſtquam conditio impleta fuerit, ut docet D. Thom. cum aliis apud Sanch. *etſi Fill. Laym. & alii quidam putent contrarium eſſe probabile, eo quod contractus celebratus ſub conditione honeſta futura, hac impleta, purificetur. Quod concedit Bonac. q. 2. p. 10. n. 20. ſi contrahentes in eodem conſenſu manſerint, ſaltem virtualiter.*

DUBIUM II.

De uſu Matrimonii.

ARTICULUS I.

An uſus Matrimonii, ſive actus conjugalis ſit licitus?

Reſp. Per ſe eſt licitus, & honeſtus. Quod eſt de fide, & patet ex 1. Corinth. 7. *Uxori vir debitum reddat.* Per accidens eſt illicitus in ſequentibus caſibus.

1. Si matrimonium a parte rei ſit nullum: (*b*) quod tamen ſi uterque ignorat, non peccat, niſi materialiter. Si uterque, vel alter id certo ſciat, non poteſt, quocumque etiam periculo propoſito, uti matrimonio. Unde ſi non poteſt ſine periculo vi-

 tæ,

tæ, aut famæ detegere impedimentum, nec ſperare diſpenſationem, debet vel ingredi religionem, ſi necdum conſummavit, vel fugere, vel petere divortium, ob conjugis ſævitiam, v. gr. vel adulterium, ſi tale ſit, vel certe omnia incommoda patienter ſuſtinere. Bonac. *q.* 8. *p.* 8. *n.* 10.

2. Si matrimonium ſit dubium. Et quidem ſi alter tantum dubitet, is non poteſt petere debitum: reddere tamen tenetur, cum alter habeat jus petendi. *Si uterque dubia fide contraxit, vel dubitat de ejus valore, neutri petere, aut reddere licet ante veritatis indagationem.* Vaſq. Sanch. Dian. Baſſ. *d.* 6. *tr.* 11. *p.* 7. §. 3. *Secus poſt eam.* Bon. *q.* 4. *p.* 4. v. ſupra *l.* 1. *t.* 1. *c.* 2. *d.* 3.

ANIMAD. X.

3. Si fiat cum gravi periculo vitæ, aut ſanitatis: *niſi tamen ſit cauſa gravis, cui damnum corporale videatur poſtponendum, v. gr. periculum incontinentiæ in ſe, vel comparte.* Bon. *p.* 6. *n.* 8. M. Perez. *d.* 50. *ſ.* 4. *n.* 5.

ANIMAD. XI.

4. Si fiat pravo fine, v. gr. tantum voluptatis cauſa. Quod tamen Doct. communiter, ut Sanch. *l.* 9. *d.* 11. Bonac. *q.* 4. *p.* 6. cenſent eſſe tantum veniale, *contra Pontium, qui vult eſſe nullum: nullum autem erit, ſi delectatio non quæſita ſentiatur; vel ad eam ſe excitent, quando copula debita redditur.* Sanchez *l.* 9. *d.* 11. *&c.* Vide etiam Dian. *p.* 3. *t.* 4. *R.* 216. Bonac. *p.* 6. M. Perez *d.* 49. *ſ.* 2. *n.* 6.

ANIMAD. XII.

5. Si exerceatur mente adultera, ut ſi, dum accedit ad ſuam, imaginetur aliam, ut animum paſcat, quod eſt mortale. Sanch. Bonac. *p.* 6. *n.* 7.

6. Si fiat modo indebito, v. gr. 1. Si non ſervetur vas naturale: quod multi docent eſſe veram Sodomiam, (*c*) alii eſſe grave peccatum contra naturam; v. 6. præcep. 2. *Si ſine juſta cauſa ſitus ſit innaturalis, præpoſterus, &c. quod aliqui dicunt eſſe mortale, alii, ſecluſo periculo effuſionis ſeminis, veniale tantum, etſi grave, & graviter increpandum.* Dian *p.* 3. *t.* 4. *Reſ.* 204. *Si alter conjugum ex moroſitate, vel alia ratione ſeminationem cohibet: quod quidam generatim dicunt eſſe mortale; quia finis actus conjugalis, ſcilicet generatio, impeditur: quidam tamen, ut Prepoſ. & Sanchez, dicunt, in femina nullam eſſe.* V. Bon. *p.* 6. *n.* 14. & *p.* 1.

ANIMAD. XIII.

7. Si in loco indebito, v. gr. ſacro, *qui inde violatur,* (*d*) vel in loco publico.

8. *Si abſque urgente cauſa fiat tempore indebito. In magna ſolemnitate, ut Paſcha, vel pridie communionis.* V. Perez. *d.* 49 *ſ.* 3. 2. *Quando uxor eſt gravida, ſaltem ſi ſit periculum abortus.* *Nav. Syl. Sanchez,* Con. *Fill. n.* 337. *Hoc enim ſi non ſit, non erit ſaltem mortale; quod enim tunc fine ſuo fruſtretur ſemen, non ſequitur per ſe ex actu. Unde Dian. p.* 3. *tr.* 4. *R.* 204. & Con. *d.* 34. *dub.* 9. *nullum peccatum agnoſcunt.* 3. *Quando uxor laborat fluxu menſtruo.* Quod tamen non eſſe mortale, contra Auor. docet Sanch. *l.* 9. *d.* 21. *n.* 2. *Imo aliqui apud Dian. l. c. ut Pontius l.* 10. *c.* 11. & *c.* 14. *n.* 5. & 6. *docent, nec veniale eſſe, ſi periculum urgeat,* quod Sanchez *l. c. docet eſſe probabile, additque M Perez, ſi ob finem honeſtum fiat, nullum eſſe, & teneri reddere debitum uxorem, ſi maritus exigat.* Vid. *d.* 49. *ſ.* 3.

ANIMAD. XIV.

4. Ex dictis caſibus conſequenter reſolvitur, licitum eſſe uti matrimonio, 1. *Prolis cauſa, etſi hæc non neceſſario debeat intendi, dum exercetur, dummodo poſitive non impediatur; imo etiam aliquando ſimplici affectu licite excludatur, v. gr. a paupere, ne nimium prolibus gravetur.* 2. *Ad vitandum periculum incontinentiæ in ſe, vel comparte.* Martin. Perez *d.* 40. *ſect.* 2. ex Con. Pont. Hurtad. &c. contra Sanchez, *qui vult eſſe veniale, niſi tamen ſtimuli carnis aliter ſedari non poſſint.* 3. *Valetudinis cauſa, vel propter alios fines extrinſecos:* quia honeſtum ex natura ſua, & relatum ad unum finem, licite refertur ad alium iſti non repugnantem, ut docent Sa, Conin. Leym. *l.* 5. *t.* 10. *c.* 4. Mart. Perez *d.* 49. *ſect.* 2. *n.* 4. Vid. Dian. *p.* 2. *t.* 4. *R.* 218. *Solius tamen ſanitatis cauſa tibi, probabile eſt eſſe veniale,* ut docent S. Thomas, Henriq. Laym. *l. c.* cont. Mart. Perez &c. *ll. cc.*

ANIMAD. XV.

Quæres, an & quando liceant tactus, aſpectus, & verba turpia inter conjuges?

Reſp. *Tales actus per ſe iis licent;* quia cui licitus eſt finis, etiam licent media, & cui licet conſummatio, etiam licet inchoatio. Unde licita talibus naturam excitant ad copulam. *Quod ſi vero ſeparatim, & ſine ordine ad copulam, v. gr. voluptatis cauſa tantum fiant, ſunt venialia peccata, eo quod ratione ſtatus, qui illos actus cohoneſtat, habeant jus ad illos.* Niſi tamen, ut ſæpe contingit, ſint conjuncti cum periculo pollutionis, aut conjuges habeant votum caſtitatis: tunc enim ſunt mortalia, ut dictum ſupra *l.* 3. *t.* 4. *c.* 2. *d.* 4. Dian. *p.* 3. *t.* 4. *R.* 204. & 216.

ANIMAD. XVI.

Unde reſolves.

1. *Conjux venialiter tantum peccat* 1. *Tangendo ſeipſum ex voluptate, & tactum non ita expreſſe referendo ad copulam,* ut contra Vaſq. & alios *probabiliter docet Sanchez lib.* 9. *d.* 44. 2. *Oblectando ſe veneree, ſine periculo pollutionis, de actu conjugali cogitato, dum abeſt comparte, vel actus exerceri non poteſt.* Fill. Laym. Tann. Malder. cum Dian. *p.* 3. *t.* 4. *R.* 224. contra Navar. Auor. &c. ANIMAD. XVII.

2. Peccat graviter, 1. Vidua, quæ ſe veneree oblectat de copula olim habita: quia eſt illi illicita per ſtatum. 2. Bigamus, qui in actu conjugali, cum ſecunda exercito, repræſentat ſibi priorem, & de ea carnaliter delectatur, quia eſt permixtio cum aliena. Laym. *l.* 1. *t.* 9. *c.* 6. vide ſupra *l.* 3. *t.* 4. *c.* 2. & *l.* 5. *c.* 1. 1. *dub.* 2. *art.* 1.

ARTICULUS II.

An actus conjugalis ſit præceptus, & debitus?

Reſp. 1. Etſi conjuges nulla lege obligentur ad uſum matrimonii, tenentur tamen per ſe ex juſtitia ſibi reddere debitum, ſi alter ab altero expreſſe, vel tacite, verecundia ſcilicet obſtante, petat. Ratio prioris eſt, quia non tenentur uti ſuo jure. Ratio poſterioris ſequitur ex natura contractus mutui. S. Thom. *in* 4. *d.* 32. *q.* 1. *ar.* 2. &c. communiter ex 1. Cor. 7.

Unde reſolves.

1. Neuter tenetur, per ſe loquendo, ad petendum debitum, etſi per accidens aliquando teneatur *vel ex caritate, v. gr. ad avertendum periculum incontinentiæ imminens conjugi:* V. Per. *d.* 50. *ſ.* 2. *n.* 4. & 5. vel ex juſtitia legali, eo quod ſalus publica periclitetur, niſi proles naſcatur. ANIMAD. XVIII.

2. Conjuges tenentur ad cohabitationem, nec poteſt alter ab altero invito diutius abeſſe ſine neceſſitate; quia hæc obligatio ſequitur ex obligatione reddendi debitum. Sanchez *l.* 9. *d.* 3. Conin. *d.* 34. *d.* 2. *n.* 19. Perez. *d.* 50. *ſ.* 3.

3. Peccat mortaliter, qui conjugi ſerio, & inſtanter petenti debitum negat, quia eſt res gravis, & debetur ex juſtitia: intellige, niſi petens precibus, aut alia ratione honeſta averti poſſit, & petitio non ſit immoderata (*nam, ſi ſæpe petenti ſemel verbis negetur, citra periculum incontinentiæ, videtur eſſe tantum veniale, ob levitatem materiæ: & aliquando, ſi nimis immoderate, & juſto ſæpius petat, nullum, ſecundum Perez d.* 50. *ſ.* 4.) nec ſit alia juſta cauſa negandi. Bonac. *q.* 4. *p.* 1. ex Sanchez, Filiuc. &c. *Juſtam autem, ſecluſo periculo incontinentiæ utriuſque, eſſe cenſet M. Perez l. c. n.* 6. *ſi plures naſcantur filii, quam poſſint alere.* ANIMAD. XIX.

4. Peccat graviter vir, vel mulier, ſi ſe impotentem reddat, etiam mediis aliis licitis, ver. gr. jejuniis, &c. invita comparte: *imo ſi aliter non poſſit reddere debitum, licite non obſervat jejunia Eccleſiæ; ſicut & uxor, ſi notabiliter iis fiat deformior.* Bon. *l. c.* Sanch. *l.* 9. *d.* 3. *n.* 22. Regin. Conin. Fill. *n.* 306. &c. Perez *d.* 50. *ſ.* 2. ANIMAD. XX.

5. *Conjux tenetur reddere debitum,* quamvis illicite petenti, ſi redditio hic & nunc non ſit illicita, v. gr. *petenti voluptatis cauſa, vel ligato caſtitatis voto, vel die feſto,* (*e*) &c. V. Sanch. *l.* 9. *d.* 6. Pont. *l.* 9. *c.* 2. Conin. *d.* 34. *d.* 6. Perez *d.* 50. *ſ.* 5. Quia malitia alterius non dat illi jus negandi, quod ſuum eſt. *Non tamen tenetur reddere petenti, ſine gravi cauſa, modo innaturali, vel in loco publico, vel ſacro,* &c. ANIMAD. XXI.

6. Non tenetur reddere. Si alter alteri debitum remi-

remiſerit, v. gr. ſi conſenſu mutuo voverint caſtitatem, vel auctoritate publice celebrarint divortium. 2. Si petens ſit amens; quia talis non eſt capax ſui dominii, nec petit cum ratione, & humano modo. Quod etiam valet in ebrio. Simpliciter tamen uti petere, ita reddere licet tam ebrio, quam amenti; niſi eſſet periculum fœtus enecandi. Nav. c. 10. Sylv. Laym. c. 1. n. 9. 3. Si alter mœchatus ſit; quia *frangenti fidem fides frangatur eidem*: niſi tamen ipſe quoque ſit adulter, vel cauſa adulterii.

7. Etſi is, qui matrimonio contracto ſciens prudens voluntarie cognovit conſanguineam uxoris, in primo, vel ſecundo gradu, non poſſit petere debitum, *tenetur tamen reddere*. (*f*) Idem eſt de eo, qui, inſcia comparte, vovit caſtitatem, poſt matrimonium conſummatum. Si tamen ante voviſſet, videtur obligari ad ingreſſum religionis, ſaltem primo bimeſtri (niſi tamen matrimonium conſummaverit) imo etiam poſt, ſi uxor conſentiat, de quo plura vide apud Laym. c. 11. *n.* 10.

Reſp. 2. Conjux non tenetur reddere debitum, ſi inde grave damnum, vel periculum ſibi, vel proli merito timeat. Perez *diſt.* 50. *ſeſſ.* 4. Unde non tenetur ſequentibus caſibus.

ANIMAD. XXII. 1. *Si illud petat maritus morbo contagioſo laborans, v. gr. gallico, peſte, lepra,* &c. (niſi tamen hæc ante matrimonium fuerit cognita, & non ſit nimis gravis) Bo. *q.* 4. *p.* 1. *n.* 8. Perez *d.* 50. Sanch. *l.* 6. *d.* 14. Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 3. *c.* 1.

2. Si petat ab uxore laborante febri, vel alio morbo, cui copula noceret. Bonac. *q.* 4. *p.* 1. *n.* 4.

ANIMAD. XXIII. ex Sanch. &c. item Per. *loc. cit. aut, ut quidam volunt, tempore menſtrui*. Bonec. *q.* 4. *p.* 3. *a.* 11. *&* *p.* 6. *n.* 10. contra Sanch. Hurt. Per. *d.* 49. *ſ.* 3. *aut cum uxor eſt gravida, & ex redditione periculum mortis (vel etiam abortus) probabile timetur prolis jam conceptæ. Imo tunc nec petere, nec reddere licitum eſt, ut per ſe patet*, ait Laym. *c.* 1. *n.* 7. *& eſſe mortale dicit Perez. diſt.* 49. *ſ.* 3. (*addens ex Sanch. Conin. & Hurtad. ceſſante periculo prolis uſum matrimonii licitum eſſe*) *aut ſi non poſſit uxor edere fœtum, niſi mortuum*: Bonac. *q.* 4. *p.* 1. *&* 2. *n.* 14. (*Laym. tamen c.* 7. *n.* 7. *dicit eo caſu licere reddere, imo & petere; quod Bon. l. c. concedit, ſi fiat ob periculum incontinentiæ*) *aut non poſſit edere, niſi cum præſenti periculo vitæ*. Bonec. *l. c. n.* 7. Laym. *l. c. n.* 6. *Quod tamen ad vitandam incontinentiam, aut alia gravi ex cauſa, eam poſſe permittere, & debitum reddere, inſinuat Laym. l. c. ex Sanch. l.* 7. *d.* 102. *n.* 21. *Denique propter grave periculum morbi* (non tamen propter ordinarios dolores partus) *poteſt conjux negare debitum, etiamſi in altero eſſet periculum incontinentiæ*. Sanch. Præpoſ. Palaus, Dian. *p.* 6. *t.* 7. *R.* 64. *p.* 9. *t.*

ANIMAD. 7. *R.* 4.

XXIV. 3. *Si alter debitum exigat innaturali modo, niſi tamen ex negatione timeantur graviora mala: v. g. rixa, odium, incontinentia.*

Quæres, An aliquando liceat impedire prolis generationem?

ANIMAD. XXV. Reſp. *Poſſunt quidem conjuges ex gravi cauſa aliquid facere, ex quo per accidens ſequatur effuſio ſeminis*: peccant tamen, ſi in uſu matrimonii, vel poſt uſum faciant aliquid, quo impediatur conceptio, aut ſemen conceptum rejiciatur. Ratio prioris eſt, quia non impeditur generatio, ne indirecte quidem, ſed tantum permittitur, ut non fiat, quod licet ex cauſa rationabili. Ratio poſterioris eſt, quia agunt contra finem, & finem principalem matrimonii. Unde tales non excuſat paupertas imminens, aut periculum ex partu.

Unde reſolves.

ANIMAD. XXVI. 1. *Licite interrumpitur actus conjugalis, etſi ex natura concitatione ſecuta ſit pollutio, dummodo ſit juſta cauſa interrumpendi, v. g. ſi ex continuatione immineat periculum morbi*, vel mortis ab hoſte, vel aliquis alius interveniat. V. Per. *d.* 49. *ſ.* 9.

ANIMAD. XXVII. 2. *Peccat probabiliter fœmina, quæ in uſu matrimonii animum alio diſtrahit, ne natura excitetur, venialiter tamen*, ut ex Per. *l. c. n.* 7. docet Sanch.

DUBIUM III.

An, & quibus ex cauſis poſſit fieri divortium?

Reſp. 1. Etſi matrimonium conſummatum inter Chriſtianos nullo caſu ſolvi poſſit, quoad vinculum, vivente utroque conjuge (V. Sanch. & Per. *d.* 25. *ſ.* 9. *d.* 55. *ſ.* 4.) divortium tamen, ſeu potius ſeparatio quoad torum fit ſequentibus caſibus.

1. Si alter conjux moriatur. * De quo ſi eſt certum, rurſus nubere poteſt: *quod ſi interim alter mortuus non ſit, fama tamen, & indicia ſufficientia habeantur, excuſatur nubens, atque ex dubio ſupervenien-* ANIMAD. XXVIII. *te, an prior vivat, debent ſeparari, cum forte non vivat, ideoque matrimonium ſit validum.*

2. *Si ex conjugibus infidelibus, altero ad fidem* ANIMAD. *converſo, alter maneat infidelis* (*ſaltem niſi pacifice* XXIX. *cohabitare velit, ſine contumelia Creatoris*) *idque ex diſpenſatione divina*, in favorem fidei, ut patet ex 1. Cor. 7. 15. Perez *d.* 26. *ſ.* 4. &c. commun.

3. Si ante Matrimonii conſummationem (ad quam intra primum bimeſtre, quod ad deliberationem datur, non tenetur, nec cogi poſſunt ſine injuria) alter intret religionem, in eaque profiteatur. Perez *l. c.* &c. communiter.

4. *Si Papa ex alia juſta cauſa diſpenſet ante con-* ANIMAD. *ſummationem, ſicuti eam poſſe probabilior ſententia aſ-* XXX. *firmat*. Nav. Bell. Per. *d.* 20 *ſ.* 7.

Reſp. 2. Manente vinculo matrimonii, licite fit divortium, & ſeparatio quoad torum, & cohabitationem, ad tempus, vel in perpetuum, ob gravem, & juſtam cauſam, qualis eſt.

1. Alterius conjugis culpabile adulterium (per quod hic etiam intelligitur omnis ſpecies luxuriæ, in qua caro cum alia dividitur, qualis eſt beſtialitas, ſodomia, etiam intra eundem ſexum. Bonac. *q.* 4. *p.* 5. *n.* 2. contra Fill. Sanch. Perez d. 56. *ſ.* 1. & c. ex Matth. 5. & ex *c. Gaudemus*, *c. Ex literis*, *non tamen mollities, vel pollutio*, oſcula, tactus, vel amplexus impudici. Bon. Sanch. Per. *ll. cc.* licet ANIMAD. propter ſimilia ad tempus poſſit aliquando fieri ſe- XXXI. paratio, ut nocens emendetur) *tunc enim innocens religionem ingredi, aut ſacros etiam Ordines ſuſcipere poteſt*, nocens vero non, niſi cum innocentis conſenſu. Excipitur tamen ab hoc caſu, 1. Si uterque conjux particeps ſit ejuſdem criminis, vel æqualis. Sanch. *l.* 9. *d.* 6. Bon. *l. c.* Niſi innocens alteri condonarit. Quod aliqui eum feciſſe cenſent, ſi eam poſt adulterium intellectum rurſus cognoverit. Bon. ex Conin. Henr. Fill. Per. *ſ.* 3. ubi vide plures caſus exceptos.

2. Sævitia mariti, vel uxoris. Ex qua ſi grave periculum comparti immineat, poteſt ſeparatio peti a judice, imo, ſi mortem minetur, vel venenum paret, poteſt divertere ante judicis conſenſum. Vide Bon. *l. c.* Laym. Per. *ſ.* 3.

3. Si conjux compartem trahat in peccatum, v. g. ſolicitet ad hæreſim, veneficium, &c. tunc enim innocens poteſt ſe ſeparare, imo tenetur, ſi periculum ſit grave. Laym. *l.* 5. *t.* 10. *p.* 3. *c.* 7. *n.* 16.

4. Morbus contagioſus, v. gr. lepra. Quod ſi tamen ſine gravi detrimento poſſit cohabitare, ad id tenetur, aut ſaltem adhabitare, & miniſtrare, niſi alter remittat.

5. Hæreſis, vel apoſtaſia ſuperveniens matrimonio. Quo caſu ſi ſeparatio facta ſit judicio Eccleſiæ, non tenetur conjugem converſum recipere, ſaltem ex juſtitia: nam ex caritate aliquando tenetur, ut ſi ſit periculum incontinentiæ. Bon. Laym. *l. c.* Perez *d.* 67. *ſ.* 1.

6. Mutuus conſenſus. Ex quo licite ſe ſeparant vel toro, ſive ad tempus, ſive in perpetuum, ob finem ſpiritualem, vel etiam habitatione. Quod tamen non ſolet permitti niſi uterque ingrediatur religionem, vel uxore ad religionem tranſeunte (aut ſi vetula ſit, id eſt ſexagenaria, Azor. &c. vel ſaltem quinquagenaria, Sanc. Bon. Barb. Dian. *p.* 3. *t.* 4. *R.* 73. manente in ſæculo, in voto continen-

* Cum alter Conjux moritur, non fit divortium, ſed ipſum matrimonium ſolvitur teſte D. Paulo Cor. 1. c. VII.; ubi ait: *Mulier alligata eſt legi, quanto tempore vir ejus vivit. Quod ſi dormierit vir ejus, liberata eſt: cui vult, nubat; tantum in Domino.*

bentiæ) maritus ſuſcipiat ſacros Ordines. Porro, apud quem, & cujus expenſis, facto divortio, liberi ſint educandi, vid. Laym. *hic l. c.* & Sanch. Vide Per. *d.* 58. *&* 59. Bon. *q.* 3. *p.* 5. *n.* 11.

Quæres, An uxor tenaatur ſequi virum ad cohabitationem?

Reſp. Teneri, quia vir eſt caput familiæ, & uxoria.

Animad. XXXII.

Excipiuntur tamen ſequentes caſus.

1. Si ex ſequela timeatur grave onus, val periculum, v. gr. vitæ, pudicitiæ, vel ſalutis; vel uxor a viro peregre non alatur.

2. Si vir poſt matrimonium factus ſit vagus, nec facile ſit ſequi; ſecus tamen, ſi ante fuit vagus, idque ipſa ſcivit.

3. Si in contractu matrimonii additum fuit pactum de non mutando domicilio, & nulla gravis neceſſitas urgeat.

Notæ.

(a) Hæc confirmantur animad. hic 7. & 8.

(b) Matrimonii uſus eſt illicitus, s. *Si Matrimonium a parte rei ſit nullum*. Id certum eſt: *quod tamen ſi uterque ignorat* (intellige invincibili ignorantia) *non peccat*. Nam ſi ignorantia ſit vincibilis ex negligentia, aut quocumque malo affectu profecta, non eſt dubium, quin peccetur.

(c) *Quod multi docent, eſſe veram Sodomiam, alii &c.* Talis concumbendi modus non eſt ſodomia, dum intelligatur, quid ſit ſodomia, ſed culpa ſodomitica vitio minor. Sodomiticum vitium ex D.Th. 2.2. qu. 154. a. 11. *eſt concubitus ad non debitum ſexum, puta maſculi ad maſculum, vel fœminæ ad fœminam, ut Ap. dicit Rom.* 1. At in noſtra ſpecie non eſt concubitus ad non debitum ſexum, ſed eſt vitioſus concumbendi modus: ergo non eſt ſodomia; ſed peccatum ea minus. Diro minas ex eodem angelico, qui a. 12. ad 4. gravitatem libidinum contra naturam librans ait. *Graviſſimum eſt autem peccatum beſtialitatis; quia non ſervatur debita ſpecies. Poſt hoc autem eſt vitium ſodomiticum, cum ibi non ſervetur debitus ſexus. Poſt hoc autem eſt peccatum ex eo, quod non ſervatur debitas modus concumbendi; magis autem, ſi non ſit debitum vas, quam ſi ſit inordinatio ſecundum aliqua alia pertinentia ad modum concubitus.*

(d) *Si in loco &c. v. g. Sacro, qui inde violetur &c.* *Illud qui inde violetur* omittendum eſt; quia uſus matrimonii in loco ſacro, abſolute malus eſt, utpote loci ſanctitati contrarius, & valde abſonus. Aut ejus loco dicito, *qui inde violatur*, ut ca animad. 14. in cap. 2. tract. 4. lib. 3. intelligitur.

(e) *Conjux tenetur reddere debitum* &c. *illud petenti voluptatis cauſa, vel die Feſto*. Confirmatur hic Anim. 14. & extra controverſiam eſſe videtur. At illud *vel caſtitatis voto* valde controverſum eſt. Ego in Buſ. opinionem pronus ſui animad. 54. in cap. 3. tract. 2. lib. 3. ex ibi dictis, addito etiam Genetto. Hanc eamdem probat Concina Th. t. 10 p. 369. n. 2. ex eadem ratione a me ibi allata; pro qua La-Croix t. 3. n. 353. citat And., S. Antoninum, Henriq., Caſtropalaum, Vivam præter eos, quos Buſ. hic appellat. Addi poteſt ratio ex eodem La-Croixio ſumpta. „ Quia „ malitia petentis non tollit jus, quod habet ad rem „ aliunde ſuam; „ ita etiam conjux in ſpecie noſtra debitum reddere tenetur petenti contra ſuum votum. Hæc ratio mihi ſane valida videtur. Nihilominus contraria opinio La-Croixio probabilior videtur, pro qua citat Rich., Sylv., Comit., Pontium Krim, & alios, putantes, debitum in noſtra ſpecie licite reddi non poſſe, *quia petens hic, & nunc non poteſt talem actum licite facere, & per votum amiſit uſum ſui juris, cum non poſſit habere jus ad peccandum. Ergo non eſt licitum illi cooperari*. Hæc ratio nimis probat; quia petens quoque die feſto, aut voluptatis cauſa, hic & nunc licite coire non poteſt, & ratione temporis, aut finis amiſit uſum ſui juris, cum non poſſit habere jus ad peccandum; & nihilominus debitum illi reddere licet, ut evinco animad. 14

Præterea amiſit quidem petens licitum uſum ſui juris, non tamen ſuum jus, quod proinde, ſicuti in depoſito mox dictum eſt, reddi debet. Nec enim quia petens jure ſuo male utitur, dat alteri jus negandi, quod ſuum eſt, ut recte dicere mihi videtur hic Buſ. Et Concina loco citato inquit. „ Neque hinc ſequitur, red- „ dentem peccati alterius participem fieri. Siquidem „ licet fœnerator peccet exigendo uſuras; qui tamen „ inopia preſſus ſolvit, non peccat. Conjux enim red- „ dens dat operam actui licito, non alterius peccato. „

(f) *Etſi is, qui matrimonio contracto ſciens &c. non poſſit petere debitum, tenetur tamen reddere*. Recte quidem; at quæritur, utrum, ſi ex ignorantia conſanguineam cognoverit, debitum petere ei liceat. Reſp. Teſte P. Concina Th. t. 10. p. 382. n. 7. communiter affirmatur, etiamſi ignorantia vincibilis ſit, ſeu ea facti ſit, ſeu juris, hoc eſt Eccleſiaſticæ prohibitionis. Id porro affirmant; quia id decerni putant cap. *Super eo*, & cap. *Si Vir* de cognat. ſpirit.

Ego exiſtimem, Conjugem in propoſita ſpecie jure petendi debitum privari, niſi ignorantia ſit invincibilis. Legatur Animad. 25. in cap. 5. tract. 2. lib. 6. ubi verba cap. *Si Vir* recitantur; item Animad. 13. in cap. 3. hujus tract. 6. Nam caput *Super eo* de filiis duorum compatrum matrimonium contrahere volentibus loquitur, at de ignorantia nihil prorſus habet.

Idem eſt de eo, qui inſcia comparte vovit caſtitatem poſt matrimonium conſummatum. Rectiſſime. Hinc Alex. III. cap. *quidam* 3. t. 32. lib. 3. decr. ait: *Promiſit enim*, (qui *intravit monaſterium*, idem eſt, qui vovit caſtitatem) *ſe non exigere debitum, quod in ejus poteſtate erat; & ideo quoad hoc votum tenuit: non reddere autem non erat in ejus, ſed mulieris poteſtate. Unde Ap.* „ Vir non habet poteſtatem ſui corporis, ſed mulier. „ Idem prorſus ex eadem ratione dicendum de Uxore, ſi inſcio, aut invito viro caſtitatem voveat poſt matrimonium conſummatum.

Buſ. *Si tamen ante voviſſet, videtur &c. ſaltem &c.* (*niſi tamen &c.*) *imo etiam poſt, ſi &c. de quo &c. apud Laym.*

Laym. lib. 5. tract. 10. p. 2. cap. 2. n. 9. ait, „ quod „ neque is, qui poſt ſponſalia ſimplex continentiæ vo- „ tum edidit, neque qui ante ſponſalia edito continen- „ tiæ voto matrimonium poſtea contraxit, & non- „ dum conſummavit, obligatus eſt ad Religionis pro- „ feſſionem; quia hanc non vovit; continentiam au- „ tem, quam vovit, meum adeo difficili implere co- „ gendus non videtur. „

Pro hac ſententia citat Sotum, Sanch., Leſs., Coninch, repugnantibus Syl., & Nav.; quæ ſententia teſte Concina Th. t. 10. p. 370. n. 3. communis eſt; eamque ipſe probat ex ratione a Laym. allata. *Si tamen*, ſubdit, *vovens ſciret, dum votum emitteret, ſe aliter illud ſervare non poſſe, quam ingrediendo religionem, tunc teneretur ingredi ante conſummationem; quia tunc ſemetipſum obſtrinxiſſet*. Quod recidit in Buſembau ſententiam. Talis enim ſcientia obvia, & facilis eſt, & nonniſi per affectatam ignorantiam abjici poſſe videtur. Qui poſt continentiæ votum, matrimonium contrahit, in eas anguſtias ſe ſponte conjecit, ut Religionem ingredi debeat; quia alia ratione ſuum votum præſtare non poteſt; majorque difficultas illud implendi ipſi imputanda eſt, non obtendenda, ut a voto liberetur. Ergo ut vovens in tuto ſit, aut religio ingredienda eſt, aut voti diſpenſatio, quæ facile concedenda videtur, impetranda.

Animadversio I.

V*Alide, & licite contrahi poteſt cum pacto continentiæ* &c.

Aſſertio Buſemb. falſa eſt, ſicuti falſa eſt ratio ab eo allata. Pactum enim continentiæ cum matrimonii eſſentia pugnat. Matrimonium enim ex communi Theologorum ſententia ita definitur: *Matrimonium eſt viri, & mulieris maritalis conjunctio inter legitimas perſonas, individuam vitæ conſuetudinem retinens*. „ Cujus defi- „ nitionis partes ut planius intelligantur, docendum „ eſt, quamvis hæc omnia in perfecto matrimonio in- „ ſint, conſenſus videlicet interior, pactio externa ver- „ bis expreſſa, obligatio, & vinculum, quod ex ea „ pactione efficitur, & conjugum copulatio, qua ma- „ trimonium conſummatur, nihil horum tamen matri- „ monii vim, & rationem proprie habere, niſi obli- „ gationem illam, & nexum, qui conjunctionis voca- „ bulo ſignificatus eſt. “ Ita Catech. Conc. Trid. p. 2. cap. 8. n. 3. Porro obligatio, & nexus ex maritali pactione profectus nihil aliud eſt, niſi mutua conjugum obligatio reddendi debitum, ſeu conſentiendi in carnalem copulam. Hinc D. Thom. ſuppl. q. 48. art. 1. ait: *Unde patet, quod bene dixerunt illi, qui dixerunt, quod conſentire in matrimonium, eſt conſentire in carnalem copulam implicite, non explicite. Non enim debet intelligi, niſi ſicut implicite continetur effectus in ſua cauſa; quia poteſtas carnalis copulæ, in quam conſentitur, eſt cauſa carnalis copulæ, ſicut poteſtas utendi re ſua eſt cauſa uſus*. At qui pactum continentiæ ineunt, poteſtatem

ſtatem carnalis copulæ, ſeu obligationem reddendi debitum ſibi adimunt: ergo pactum continentiæ cum matrimonii eſſentia pugnat. Quare idem S. Doct. ad 3. art. 5. cit. ait: *Ad tertiam dicendum, quod illa conditio explicita* (hoc eſt *conſentio in te, dum tamen non cognoſcas me*, quæ conditio eſt pactum continentiæ) *non ſolum actui, ſed etiam poteſtati contrariatur copulæ carnalis; & ideo eſt contraria matrimonio.*

Exemplum B. Virginis, & S. Joſeph nihil efficit; quia B. Virgo, & S. Joſeph matrimonium cum pacto continentiæ non contraxerunt: quia *uterque*, ut ait S. Thom. p. 3. qu. 29. art. 2. *conſenſit in copulam conjugalem, non autem expreſſe in copulam carnalem, niſi ſub conditione, ſi Deo placeret*. At copula conjugalis nihil aliud eſt, niſi mutua poteſtas in copulam carnalem; quæ mutua poteſtas in copulam carnalem excludit pactum continentiæ. Præterea expreſſe conſentire in copulam carnalem ſub conditione, ſi Deo placeat, conciliari non poteſt cum eodem pacto continentiæ, quod abſolute, & expreſſe excludit conſenſum in copulam carnalem, quia includit expreſſum & abſolutum diſſenſum copulæ carnalis. Ergo B. Virgo nec ante matrimonium, nec in ipſo matrimonio votum virginitatis emiſit, ſed poſt matrimonium ſimul cum S. Joſeph. *Poſtmodum vero*, inquit idem S. Doct. p. 3. qu. 28. art. 4. *accepta ſponſo, ſecundum quod mores illius temporis exigebant, ſimul cum eo virginitatis votum emiſit.*

Porro votum virginitatis ab utroque conjuge ex reciproco conſenſu emiſſum poſt matrimonium rite celebratum, illud non deſtruit, ſicut deſtruit, ſi antea emittatur.

Animadversio II.

Non videtur licitum contrahere tantum propter voluptatem carnis, vel vanitatem.

Animadverte indolem probabilis opinatoris ajentis *non videtur*, quaſi hac de re dubitari poſſit, & contrarium quoque videri queat. At loco illius *videtur* ſubſtituendum eſt, *certum eſt*.

Qui enim contrahunt tantum ob voluptatem carnis, ex epicuræorum grege ſunt, quos peccare, res eſt indubitata. Tob. 6. 17. dicitur: *Qui conjugium ita ſuſcipiunt, ut Deum a ſe, & a ſua mente excludant, & ſuæ libidini vacent, ſicut equus, & mulus, quibus non eſt intellectus, habet poteſtatem dæmonium ſuper eos.* Hinc ab Innoc. XI. proſcripta eſt illa prop. n. 9. *Opus conjugii ob ſolam voluptatem exercitum, omni penitus caret culpa, ac defectu veniali*: ergo implicite damnatum quoque eſt dicere, quod liceat conjugium inire ob ſolam voluptatem carnis. Hinc porro efficitur, ut certum quoque peccatum ſit, matrimonium contrahere propter ſolam vanitatem. Prior culpa luxuriæ eſt, altera inanis gloriæ, & utraque eo major, quo ſacramenti ſanctitas eo ipſo tempore polluitur, quo ſuſcipitur.

Animadversio III.

Licite etiam contrahitur ob fines honeſtos, extrinſecos ſive intrinſeco ſacramenti.

Hic præ oculis habenda eſt ſolidiſſima doctrina Catech. Rom. p. 2. cap. 8. n. 13. 14. ubi ait. „ Sed quibus de cauſis vir, & mulier conjungi debeant, explicandum eſt. Prima igitur ratio eſt, hæc ipſa diverſi ſexus, naturæ inſtinctu expetita ſocietas, mutui auxilii ſpe conciliata, ut alter alterius ope adjutus, vitæ incommoda facilius ferre, & ſenectutis imbecillitatem ſuſtentare queat.

„ Altera eſt procreationis appetitus non tam quidem ob eam rem, ut bonorum, & divitiarum heredes relinquantur, quam ut veræ fidei, & religionis cultores educentur .... atque una hæc etiam cauſa fuit, cur Deus ab initio matrimonium inſtituerit ....

„ Tertia eſt, quæ poſt primi parentis lapſum ad alias cauſas acceſſit, ... ut ſcilicet, qui ſibi ſuæ imbecillitatis conſcius eſt, nec carnis pugnam vult ferre, matrimonii remedio ad vitanda libidinis peccata utatur. “ De quo ita Ap. ſcribit: *Propter fornicationem unuſquiſque ſuam uxorem habeat, & unaquæque ſuum virum habeat.*

„ Hæ igitur ſunt cauſæ, quarum aliquam ſibi proponere quiſque debet, qui pie & religioſe, ut ſanctorum filios decet, nuptias velit contrahere. Quod ſi ad eas cauſas aliæ etiam accedant, quibus homines inducti matrimonium ineant, atque in habendo uxoris delectu hanc illis præponant, ut heredis relinquendi deſiderium, divitiæ, forma, generis ſplendor, morum ſimilitudo; hujuſmodi ſane rationes damnandæ non ſunt, cum matrimonii ſanctitati non repugnent. “

Idem docet S. Carolus Bor. in inſtruct. de ſacram. matrim. quæ documenta ex D. Aug. lib. de bono conjugali cap. 3. deſumpta ſunt, ut legi poteſt apud Nat. Alexandrum Theol. t. 2. p. 61. reg. 5.

Ex his intelligitur, matrimonium iniri quidem ſine culpa poſſe ob finem aliquem honeſtum ſecundarium matrimonii, dum tamen finis ſecundarius principali alicui fini ejuſdem matrimonii accedat, nec principalis finis loco habeatur. Nam ſi fines ſecundarii principalium loco habeantur, ex allata Catechiſmi doctrina, & S. Caroli Bor. ac D. Auguſtini auctoritate perperam agitur; quia ordo pervertitur. Hinc Concilium Colonienſe ab eodem Nat. Alex. cit. ait: *Nam ſi neque ob prolem ſuſcitandam, neque ob fornicationem vitandam, ſed potius divitiarum, aut opum nanciſcendarum, aut alterius rei gratia matrimonium contrahatur, perperam agitur, ac graviter in ſacramentum peccatur.*

Quod ſi fines matrimonio extrinſeci non ſolum honeſti ſint, ſed etiam altioris ordinis, uti eſt Religionis conſervatio, & dilatatio, pax inter diſcordes principatus componenda, non ſolum ſine culpa, ſed cum virtute tamquam fines primarii matrimonii proponi a conjugibus ſibi poſſunt. Nam ipſe finis primarius matrimonii, hoc eſt proles, ad eos fines laudabiliter refertur: ergo multo magis matrimonium eo referri poteſt.

Animadversio IV.

Secus eſt de Sacerdote .... quia nec ſuſcipit, nec adminiſtrat Sacramentum,

Nonnulli quidem inſignes Theologi, ut Canus, Eſtius, Sylvius, & alii Sacramenti matrimonii miniſtrum Sacerdotem eſſe volunt, quorum ſententiam veluti probabiliorem ſequitur Concina Theol. t. 10. p. 591. c. 5. & Nat. Alex. Theol. t. 2. p. 65. num. 5. §. 2. At contraria quoque teſte eodem Concina num. 4. graviſſimos patronos habet, & apud Scholaſticos Theologos communis eſt; quam docet D. Thom Suppl. qu. 42. ar. 1. ad 1. ubi ait: *Quod verba, quibus conſenſus exprimitur matrimonialis, ſunt forma hujus Sacramenti, non autem benedictio Sacerdotis, quæ eſt quoddam ſacramentale.*

Hæc ſententia erui videtur ex Conc. Florent. in decr. Eug. IV. ad Arm. ubi dicitur: *Cauſa efficiens matrimonii regulariter eſt mutuus conſenſus per verba de præſenti*: at qui matrimonium efficit, ejus miniſter eſt: ergo contrahentes ſunt miniſtri matrimonii. Reſpondent adverſarii, contrahentes eſſe miniſtros matrimonii, non ut Sacramentum eſt, ſed ut eſt civilis contractus.

At hæc reſponſio ſeparat rationem Sacramenti a natura contractus in matrimonio inter fideles inito; quæ ſeparatio non videtur admittenda. Contrahentes non ſunt miniſtri, ſed auctores matrimonii, ut eſt civilis contractus; ideoque non poſſunt eſſe ejus miniſtri, niſi ut Sacramentum eſt.

Præterea cum Eugenius IV. abſolute, & ſine limitatione dicat, cauſam efficientem matrimonii eſſe mutuum conſenſum per verba de præſenti, abſolute, & ſine limitatione intelligendus eſt de matrimonio ſeu quatenus civilis contractus eſt, ſeu quatenus Sacramentum.

Adde, quod Syn. Trid. ſeſſ. 24. cap. 1. de refor. matrim. hæc habet: *Tametſi dubitandum non eſt, clandeſtina matrimonia libero contrahentium conſenſu facta, rata, & vera eſſe matrimonia, quamdiu Eccleſia ea irrita non fecit* &c.

Hic quoque adverſarii dicunt, eſſe ſermonem de matrimonio, ut civilis contractus eſt, non ut eſt Sacramentum. Sed præter hactenus dicta, huic reſponſioni illud quoque repugnat, quod ſacra Syn. initio hujus ſeſſ. & canonum ſuam doctrinam inſcribit *de Sacramento matrimonii*. Præterea initio ejuſdem ſeſſionis inter matrimonia veteris legis, & evangelicæ illud unum diſcrimen affert, quod hæc illis per Chriſtum gratia præſtent, & inter novæ legis ſacramenta annumeranda ſint. Ergo matrimonia novæ legis eodem contrahentium conſenſu conſtantia ſine ulla additione ſunt ſacramenta. Accedit, quod matrimonia clandeſtina, quamdiu Eccleſia ea irrita non fecit, non ſolum vera, ſed etiam rata matrimonia a ſacra Synodo appellentur: at matrimonia rata idem ſonant, ac Sacramentum matrimonii. Eſt enim apud omnes vulgo celeberrima illa diſtinctio matrimonii in legitimum, ſeu legale, ratum, & conſummatum: at nomine matrimonii rati omnes intelligunt matrimonium, ut Sacramentum eſt, ſeu matrimonii Sacramentum; eademque ſacra Synodus can. 6. hujus 24. ſeſſ. nomine matrimonii rati intelligit Sacramentum matrimonii, dum ita definit: *Si quis dixerit, matrimonium ratum, non conſummatum, per ſolemnem Religionis profeſſionem alterius conjugum non dirimi, anathema ſit*. Enim vero abſurdum eſt putare, ſacras Synodos Florentinam ſub. Eug. IV., & Tridentinam de matrimonio loquentes ſeparare naturam Sacramenti a ratione contractus, cum id nullis verbis ſigni-

gnificent, & cum matrimonii inter fideles initi nomine omnes vulgo Sacramentum matrimonii intelligant, non ſecus ac baptiſmi, confirmationis &c. vocabulo accipiant Sacramentum baptiſmi, confirmationis &c. An, cum ſacra Syn. Trid. eodem c. 1. cit. inhabiles ad contrahendum matrimonium reddit, qui ſine præſentia Parochi, vel alterius Sacerdotis de ipſius Parochi, ſeu Ordinarii licentia, & teſtium illud contrahere attentant, ponit matrimonium præſente Parocho nihil dicente, & teſtibus celebratum non eſſe Sacramentum? Si hujuſmodi matrimonium non eſſet Sacramentum, non hortaretur tantum, ſed præciperet, ut conjuges, antequam a Sacerdote Sacramentum ſuſciperent, ſimul non cohabitarent, ne ſine divina gratia, matrimonium Sacramenti vi, & natura deſtitutum conſummarent: at ſacra Synodus ad id hortatur tantum, hoc non præcipit, & verba Sacerdotis *benedictionem ſacerdotalem*, non Sacramenti formam appellat. Huc quoque ſpectat declaratio ſacræ Congreg. afferenda c. 3. dub. 2. a. 19. item cap. 3. hujus tract. 6. a. 1. Syn. Trid. hic cit. ſummique Pontifices Siricius, & Hormiſda, & Concilium Carthaginenſe IV. Sacerdotis verba in matrimonii celebratione prolata, non ſacramenti adminiſtrationem, ſeu formam, ſed *benedictionem* tantum *Sacerdotalem*, ut dixi, appellant. At ſi Sacerdos matrimonii, ut ſacramentum eſt, eſſet miniſter, ejus verba ſine controverſia eſſent Sacramenti adminiſtratio, ſeu forma, non mera contrahentium benedictio; quod argumento ſatis evidenti eſt, Sacerdotem non eſſe Sacramenti matrimonii miniſtrum, ſed ipſos contrahentes.

Matrimonium, Sacramenti vim habet, quatenus eſt ſignum vinculi, quo Chriſtus cum Eccleſia conjungitur. Hinc Ap. Epheſ. 5. ait: *Sacramentum hoc magnum eſt: ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia*. At vinculum Chriſti cum Eccleſia conjugali vinculo ſignificatur: vinculum autem conjugale non Sacerdos benedicens, ſed contrahentes efficiunt: ergo contrahentes ſunt miniſtri Sacramenti matrimonii. Nec mirum eſt, homines laicos eſſe miniſtros ordinarios Sacramenti matrimonii, cum Chriſtus matrimonii contractum ad Sacramenti dignitatem evexerit. Sed de his hactenus.

Hanc enim rem attigi, ut quæ mihi probabilior ſententia videtur, innuerem.

Animadverſio V.

Requiritur conſenſus de præſenti .... expreſſus; ſufficit tamen exprimere per alium .... his tacentibus.

Ad valorem matrimonii requiritur, & ſufficit conſenſus verbo, ſcripto, aut nutibus expreſſus, ſicuti requiritur, & ſufficit in aliis contractibus. Hinc Concilium Florentinum mox citatum ait, conſenſum mutuum *regulariter* per verba exprimi; & Innoc. III. cap. *Tuæ* 25. tit. 1. lib. 4. decr. ait: *Quod matrimonium in veritate contrahitur per legitimum viri, & mulieris conſenſum; ſed neceſſaria ſunt, quantum ad Eccleſiam, verba conſenſum exprimentia de præſenti. Nam ſurdi, & muti poſſunt contrahere matrimonium per conſenſum mutuum ſine verbis*. Ergo conſenſus legitimus quocumque modo ſufficienter expreſſus ſufficit ad valorem matrimonii; quæ eſt communis ſententia, ut habet La-Croix p. 20. n. 231. Quam Catech. Rom. p. 2. c. 8. num. 7. tradit his verbis: *Sed verborum loco tum nutus, & ſigna, quæ intimum conſenſum aperte indicent, ſatis ad matrimonium eſſe poſſunt, tum ipſa etiam taciturnitas, cum puella propter verecundiam non reſpondet, ſed pro ea parentes loquuntur*. Idem docet D. Thom. Suppl. qu. 45. art. 2. ad 2. & 3. Et Bonifacius VIII. cap. unic. *Si infantes* tit. 2. lib. 4. in ſext. idem expreſſe tradit de ſponſalibus, quæ parentes pro filiis contrahunt, ſi filii præſentes fuerint, nec contradixerint; quod de matrimonio quoque intelligi debet.

Quia tamen verba ſunt ordinaria ſigna mentis, & voluntatis, idcirco ii, qui loqui poſſunt, ſuum conſenſum verbis exprimere debent, ut docet S. Thom. ar. 2. & Catech. n. 5. & Innoc. 3. mox appellati; quæ eſt Eccleſiæ conſuetudo, a qua recedendum non eſt. Hinc Rituale Rom. ita præſcribit: *Debet curare Parochus, ut conſenſus partium per verba exprimatur, niſi forte aliquis ex contrahentibus ſit mutus, in quo ſigna ſufficiunt*.

Animadverſio VI.

Sufficit conditionatus... ſtante conditione &c.

Recte quidem, ſed addendum matrimonium nullum eſſe, ſi conditio non ſtet, ut ex ſe patet. Hinc S. Th. Suppl. q. 47. ar. 5. ait: *Si conditio appoſita eſt de præſenti*, (idem dicas, ſi eſt de præterito) *& non eſt contraria matrimonio, ſive ſit honeſta, ſive non honeſta, ſtat matrimonium ſtante conditione, & ea non ſtante non ſtat*.

Animadverſio VII.

Sufficit ſub conditione &c. *Ratio eſt* &c.

Hæc Buſembau doctrina nititur cap. ult. tit. 5. lib. 4. decr. ubi Gregorius IX. inquit: *Licet aliæ conditiones* (quæ non ſunt contra ſubſtantiam conjugii) *appoſitæ in matrimonio, ſi turpes, aut impoſſibiles fuerint, debeant propter ejus favorem pro non adjectis haberi*. Hoc tamen intelligi debet quoad forum externum. Nam quoad forum conſcientiæ *matrimonium in veritate contrahitur per legitimum viri, & mulieris conſenſum*, ut ait Innoc. III. ſupra cit. ergo ſi conſenſus deſit, matrimonium in veritate non contrahitur. Hinc D. Thom. Suppl. q. 45. ar. 4. ait: *Expreſſio verborum ſine interiori conſenſu matrimonium non facit*: & Innoc. III. cap. 5. *Tuas dudum* tit. 4. lib. 4. decr. inquit: *Et ſi ſolus* (conſenſus legitimus de præſenti) *defuerit, cetera etiam cum ipſo coitu celebrata fruſtrantur*.

Ceterum cum conditiones de futuro neceſſario, vel impoſſibili, nugatoriæ ſint, & inanes, conjugalis contractus gravitati, & Sacramenti reverentiæ adverſantur, ideoque valde vituperabiles ſunt, & ab eo alienæ eſſe debent.

Animadverſio VIII.

Non ſufficit ſub conditione de futuro, quæ ſit contra ſubſtantiam obligationis matrimonialis &c.

Ita ſane cap. ult. a Buſemb. & mox cit. Et ratio eſt, quia qui ſub tali conditione contrahit, nexum diſſolubilem a conditione pendentem contrahit: ergo matrimonium non contrahit: præterea contractum efficit divino, naturalique jure vetitum, ideoque nullum.

At inquies, idem eſſe dicendum de eo, qui ſub conditione turpi matrimonio non repugnante contrahit. Reſp. In hac quoque ſpecie quoad forum conſcientiæ matrimonium nullum eſſet, ſi nexum diſſolubilem a conditione pendentem ſeipſa inire vellet, qui ita contraheret.

Sed quia conjugalis contractus ſub turpi conditione matrimonio non contraria ita accipi poteſt, ac ſi duplex ſit contractus, alter, quo matrimonium contrahitur, alter illi adjectus, quo partes in rem turpem, ut in furtum, ſacrilegium &c. conſentiunt, Eccleſia in favorem matrimonii judicans, conditiones turpes habet pro non adjectis, & matrimonium quoad forum externum ratum habet.

Animadverſio IX.

Conſenſus ſub conditione honeſta de futuro eſt contractus ſponſalium tantum, & non matrimonii, quia hic debet eſſe de præſenti.

Hactenus recte; quod intelligi debet, etiamſi conſenſus exprimatur per verba de præſenti, e. g. accipio te in uxorem, ſi pater meus conſenſerit. Quæ ſententia non ſolum eſt D. Thomæ, ſed, ut ait P. Concina Th. t. 10. p. 208. n. 28. communis apud omnes, eamque tradit Urbanus III. cap. 5. *Super eo* tit. 5. lib. 4. decr. Quare illud confectarium Buſemb. matrimonium non validari ſine novo conſenſu, poſtquam conditio impleta fuerit, legitimum eſt. Sponſalia enim in matrimonium tranſire nequeunt, niſi accedente novo conſenſu de præſenti, ſine quo matrimonium nullum eſt: ſed conſenſus ſub conditione honeſta de futuro non habet, niſi vim ſponſaliorum. Ergo &c. Hinc rejicienda eſt opinio Filliuc., Laym., & aliorum, qui contrarium eſſe probabile putant teſte Buſemb. nec repugnante. Anacletus t. 4. juris can. p. 76. n. 17. hanc eamdem contrariam opinionem probat, ſi conſenſus coram Parocho, & teſtibus expreſſus fuerit, eamque apud juris canonici Interpretes nonnullis tamen repugnantibus communem facit.

Hanc enim deſumi putat ex cap. *Super eo* mox cit. ubi Urbanus III. inquit: *Super eo vero, quod poſtulaſti, utrum ille, qui in quamdam mulierem conſenſit, ſi pater ejus ſuum præſtaret aſſenſum, ſit ad conſummandum matrimonium compellendus; reſpondemus, quod cum conſenſus liber dici non poſſit, qui in alieno arbitrio reſervatur, ac conditionem ipſam canonica non improbent inſtituta, niſi voluntas patris poſtmodum intercedat, nequaquam cogendus eſt ad matrimonium contrahendum*. Ergo inquit Anacletus, accedente patris conſenſu ad matrimonium conſummandum cogendus eſt; ideoque accedente patris conſenſu matrimonium ſine novo conſenſu validum, & ratum eſt.

Reſp. Summus Pontifex ait *contrahendum*, non conſummandum. Cur Anacletus illud *contrahendum* accipit perinde ac ſi conſummandum diceret? Quia, inquit, Pontifex de matrimonii conſummatione interrogatus fuerat: ut ergo reſponſio interrogationi reſpondeat, illud

Digitized by Google

illud *contrahendum* accipi debet, prout idem eſt, ac conſummandum. Mirum ſane eſt, quod ſummus Pontifex contractum matrimonii cum ejuſdem conſummatione confundat, & pro eodem accipiat res tantopere inter ſe diſcrepantes!

Animadvertendum ergo eſt, Pontificem non fuiſſe interrogatum, utrum qui contraxit per verba de præſenti ſub conditione futura, matrimonium conſummare teneatur accedente conditione, hoc eſt patris conſenſu, ſed utrum matrimonium conſummare teneatur conditione non impleta, hoc eſt conſenſu a patre non præſtito. Dubitabatur enim, utrum talis contractus eſſet matrimonium de præſenti, an promiſſio de futuro ſub conditione, ideoque quærebatur, utrum contrahens ad conſummandum matrimonium eſſet cogendus.

At Pontifex pro certo habebat, contractum non fuiſſe conjugalem; ſed ſolum conjugii promiſſionem, ut ſe explicat in fine capitis, ubi ait: *Cum hujuſmodi conſenſus non ſit de præſenti habendus, licet per verba de præſenti evidentius exprimatur, qui in alieno arbitrio non habito, ſed habendo conſiſtit.* Quare reſpondet, contrahentem, hoc eſt promiſſorem ſub conditione non ſolum non eſſe cogendum ad matrimonium conſummandum, ſed ne ad contrahendum quidem, *niſi voluntas patris poſtmodum intercedat.* Hic eſt genuinus ſenſus citati canonis, ut intelliget quicumque dictorum ſeriem attente, & ſine præjudiciis conſiderabit.

Anacletus cum Buſembao 2. objicit: omnis contractus ſub conditione honeſta futura celebratus, hac impleta, purificatur, ſeu abſolutus, & perfectus evadit: ergo, inquit Anacletus, etiam contractus matrimonii.

Reſp. Antecedens verum eſt, loquendo de contractu in genere ſuo; at contractus ſub conditione honeſta de futuro non eſt matrimonium conditionatum, etiamſi exprimatur per verba de præſenti, e. g. *Accipio te in meam conjugem, ſi pater meus conſenſerit*, ut ſallo ponit Anacler. & La-Croix p. 22. n. 247. ſed contractus ſponſalium, ut docet D. Thom. Suppl. qu. 47. art. 5. & communis ſententia teſte Concina, & Urban. III. mox citatus. Et ratio eſt, quia per matrimonium fit reciproca corporum traditio, quæ vel eſt, vel non eſt, nec poteſt eſſe ſuſpenſa: at conditio futura traditionem corporum ſuſpendit: ergo matrimonio adverſatur, & ſponſaliorum tantum contractum efficit. *Illa verba accipio te in uxorem, ſi pater meus conſenſerit*, reipſa nugatoria, & contradictoria ſunt: nam qui ita loquitur, accipit mulierem in uxorem, ut ipſe ait, nec tamen accipit, quia acceptionem ſuſpendit addita conditione, ſi pater meus conſenſerit, non ſecus ac qui dixerit, *do tibi decem aureos, ſi pater meus conſenſerit*, quos reipſa non dat. Sicuti ergo hæc non eſt datio pecuniæ, nec datio fit, etiamſi pater poſt conſentiat, niſi pecunia reipſa tradatur; ita qui ait, *accipio te in uxorem, ſi pater meus conſenſerit*, reipſa non tradit ſeipſum in maritum, nec traditio fit, etiamſi pater poſtea conſentiat, niſi ſeipſum reipſa tradat in maritum per novum conſenſum.

Quare cum talis contractus ſit ſponſaliorum, & illud *accipio* perinde ſonet, ac *accipiam*, niſi velimus, contractum eſſe nugatorium, & nullum; idcirco impleta conditione efficitur contractus abſolutus, & perfectus ſponſaliorum, non matrimonii, quidquid contra ſentiat Anacl., La-Croix, & alii.

At ſubdit Anacletus: „ Confirmatur (ſententia quam „ tradidit) ex repetitis declarationibus Cardinalium „ per Romanos Pontifices approbatis, de quibus vide „ apud Fagnanum in cit. cap. *Super ea*, ut quarum „ habetur, quod matrimonium per verba de præſenti „ ſub honeſta conditione de futuro contractum, etiam „ poſt Concilium Tridentinum valeat, nec opus amplius ſit, ut in præſentia Parochi, & teſtium fiat, „ ad evitandas lites, & difficultates, quæ ex diverſitate opinionum inter Doctores facile oriri poſſent. “

Reſp. Anacletus perſeverat in ſuo falſo ſuppoſito, quod ſcilicet contractus expreſſus per verba de præſenti ſub honeſta conditione de futuro ſit matrimonium, quod non probat, nec probare unquam poterit, & quod falſum eſſe, ex mox dictis conſtat; quod intellige ſpectata vi verborum. Nam quoad veritatem, & conſcientiam ſpectandus eſt animus, & conſenſus contrahentium; qui forte appoſitam conditionem pro nihilo habere poſſunt.

P. Concina Theol. t. 10. p. 208. num. 28. hanc deciſionem Congregationis Conc. Trident. coram Clem. VIII. affert: *Titius cum Berta coram Parocho, & teſtibus contraxit matrimonium per verba de præſenti, ſed hac tamen conditione, ſi id ſalvo meo honore fieri poteſt, & ſi fratribus meis placuerit. Deinde non expectato conditionis eventu copulam habuit cum Berta affectu maritali, & copula ſecuta eſt multis. Quæritur, an per hoc ſit jam formatum matrimonium de præſenti, nec oporteat expectare conditionis eventum. Et ratio dubitandi eſt, quoniam contractus ille coram Parocho, & teſtibus, cum fuerit per appoſitam conditionem ſuſpenſus, non potuit habere vim matrimonii de præſenti, ſed ſponſalium de futuro; & copula cum affectu maritali ſubſecuta, quamvis oſtendat receſſum fuiſſe a conditione, tamen non ſufficit ad matrimonii veritatem, niſi de præſenti contrahatur coram Parocho, & teſtibus. Sacra Congregatio Concilii cenſuit, in caſu propoſito valere matrimonium, nec requiri, ut de novo coram Parocho, & teſtibus contrahatur.*

Reſp. Sacra Congreg. ita cenſuit, quia poſuit contrahentes non jam receſſiſſe a conditione, ſed conditionem appoſitam pro nihilo habuiſſe. Quia enim Titius *non expectato conditionis eventu copulam habuit cum Berta affectu maritali*, ſe ejus maritum eſſe poſuit, & facto comprobavit, ideoque ſuum conſenſum non conditionatum, ſed abſolutum fuiſſe, declaravit. Hac præſumptione nititur ſententia Sacræ Congregationis, quæ ſecundum ea judicat, quæ foris apparent.

Animadversio X.

Si uterque dubia fide contraxit, vel dubitat de ejus valore, neutri petere, aut reddere licet ante veritatis indagationem.

Hactenus recte & vere. At Buſemb. ſubdit: *Secus poſt eam. Bon.*

Hæc ſententia loquendo de matrimonio bona fide contracto, cui ſuperveniat dubium de valore, & poſt inquiſitionem nil reſciri, nec dubium deponi poſſit, videtur, inquit La-Croix p. 29. num. 302. ſaltem ſpectata ratione eſſe probabilior.

Ratio ejus eſt „ 1. quia præmiſſa ſufficienti diligen„ tia conjuges habent invincibilem ignorantiam de in„ validitate: ergo manet poſſeſſio pro validitate: ergo „ pergere poſſunt ſupponentes valere. “

Reſp. Hæc ratio nullius momenti eſt. Aliud enim eſt ignorantia invincibilis, qua quis aliquid ſibi licere invincibiliter putat, aliud dubitatio invincibilis, qua quis dubitat, utrum aliquid ſibi liceat. Prior a peccato excuſat, non item poſterior, imo hæc culpam involvit, quia periculum violandæ legis involvit, & quia qui cum dubio agit, non agit ex fide, hoc eſt ex perſuaſione conſcientiæ, ideoque peccat ex Apoſtolo dicente: *Omne, quod non eſt ex fide, peccatum eſt.*

Porro conjuges, qui præmiſſa ſufficienti diligentia, & inquiſitione de valore matrimonii, de eo nihilominus dubitant, illud quoque invincibiliter dubitant, utrum eis liceat petere debitum, quia licita debiti petitio, matrimonii valorem ponit: ergo cum hoc dubio petentes debitum, peccant.

At inquis, ut quis licite debitum petat, non eſt neceſſarius valor matrimonii, ſed ſufficit in dubio de valore certa matrimonii poſſeſſio, in qua poſſeſſione eſſe ponuntur conjuges de valore dubitantes; quia in *dubio melior eſt conditio poſſidentis*; & hæc eſt La-Croixii ratio altera.

Reſp. Aliud eſt, matrimonium in dubio non eſſe diſſolvendum, quod concedimus, aliud eſt debitum licite peti poſſe, quod omnino negamus. Poſſeſſio matrimonii, ejuſque indiſſolubilis ratio poſtulat, ne diſſolvatur, niſi ex certa ratione: at poſſeſſio eadem matrimonii non efficit, nec efficere poteſt, ut matrimonium reipſa ſit validum, ſi invalidum fuit ab initio. Quare ex poſſeſſione ratio ſumi non poteſt, ut matrimonium ponatur validum, cum de ejus valore dubitatur. Ex quo fit, ut qui dubitat, debitum petere non poſſit, etiamſi poſſideat. Matrimonium, inquis, non ponitur validum: ſed in ipſo valoris dubio, poſſeſſio ex allato axiomate *melior eſt* &c. petendi jus præbet. Reſp. recole axioma, quod comparationem importat: *In dubio melior utique eſt conditio poſſidentis* matrimonium, quam non poſſidentis. At quid inde? inde non fit, ut ſi qui non poſſidet, eo uti nequit, qui poſſidet, uti poſſit.

Ratio La-Croixii eſt: „ Duriſſimum eſt compellere „ homines culpæ immunes, ut vitam cœlibem ducant; „ ad hoc autem compellerentur, ſi uti non poſſent ma„ trimonio. “

Reſp. Hæc ratio noſtræ corruptæ indoli accommoda, animum vellicat, & facile ſuadet: at indignum Theologo eſt, & bono Chriſtiano, ut lex valere nolit, niſi mollis, & facilis ſit. Si La-Croixii ratio vim haberet, matrimonii uſus Religioſis, & Clericis ſacris initiatis cum Luthero permittendus eſſet. Cur enim homines culpæ immunes compellendi ſunt, ut vitam cœlibem ducant? Hoc jugum duriſſimum eſt. Hic eſt diſcurſus La-Croixii, qui diſcurſus Luthero relinquendus erat, nec a catholico, & religioſo homine adhibendus. Nos, homines non compellimus, ut vitam cœlibem ducant, ſed cum Apoſtolo dicimus: *De virginibus præceptum Domini non habeo conſilium autem do*: eos autem cum eodem Apoſtolo compellimus, ut a fornica-

nicatione, quæ a regno Dei excludit, abſtineant, & conſequenter a copula, de qua merito dubitatur, utrum ſit fornicaria.

4. Ratio eſt hæc: „ Id videtur ſufficienter deciſum „ a Lucio III. cap. *Dominus*. Ibi enim ſupponit, ſi ſe- „ cundo matrimonio bona fide contracto ſupervaniat „ dubium de morte prioris conjugis, poſſe eum, qui „ bona fide contraxit, petere debitum, & alterum, „ etiamſi mala fide contraxerit, poſſe reddere. Simili- „ ter cap. *Laudabilem* de frigid. & maleſ. dicitur ſu- „ perveniente dubio de impotentia, utrumque poſſe ad „ triennium reddere, & petere debitum. “

Reſp. Hæc ſunt verba Lucii III. cap. cit. *Si aliquis, vel aliqua de morte prioris conjugis adhuc ſibi exiſtimat dubitandum, ei, qui ſibi nupſit, debitum non deneget poſtulanti, quod a ſe tamen noverit nullatenus exigendum.*

Hæc verba perſpicua ſunt, & decretoria contra La-Croixium, qui dicit conjugem in hoc dubio poſſe etiam petere, ita ut mirum ſit, quod LaCroix citare auſus ſit Lucium III. cap. *Dominus* pro ſua ſententia, quam Summus Pontifex apertiſſime, & ſine dubitatione deſtruit. Accedit Innoc. III. cap. *Inquiſitionibus* de ſent. excomm. ubi ait: *Credimus diſtinguendum, utrum alter conjugum pro certo ſciat impedimentum conjugii, propter quod ſine mortali peccato non valet carnale commercium exercere, quamvis illud apud Eccleſiam probare non poſſit, an non ſciat certo, ſed credat. In primo caſu debet potius excommunicationis ſententiam humiliter ſuſtinere, quam per carnale commercium peccatum operari mortale. In ſecundo diſtinguimus, utrum habeat conſcientiam hujuſmodi ex credulitate levi, & temeraria, an ex probabili, & diſcreta; & quidem ad ſui Paſtoris conſilium (conſcientia levis, & temerariæ credulitatis exploſa) licite poteſt non ſolum reddere, ſed exigere debitum conjugale. Verum cum conſcientia pulſat animum ex credulitate probabili, & diſcreta, quamvis non evidenti, & manifeſta, debitum quidem reddere poteſt, ſed poſtulare non debet, ne in alterutro, vel contra legem conjugii, vel contra judicium conſcientiæ committat offenſam.*

„ Reſpondent aliqui, ait La Croix, ibi tantum di- „ ci, quod non liceat petere ante majorem inquiſitio- „ nem. “ At hæc interpretatio eſt penitus arbitraria, imo textui contraria, quia credulitas probabilis, & diſcreta inquiſitionem ſufficientem ſupponit, ſine qua credulitas eſſet indiſcreta.

„ Lugo, ſubdit La-Croix, de juſt. d. 27. num. 88. di- „ cit, ex contextu conſtare, quod Pontifex ibi loqua- „ tur de caſu, in quo conjux habet judicium probabi- „ le de ſola nullitate matrimonii, & nullum habet „ probabile motivum pro valore, ac tum non poſſe pe- „ tere, ſed tantum reddere, niſi aliunde ſibi formet „ conſcientiam ſecundum dicta num. 300.

Reſp. Negamus id conſtare ex contextu, quia Pontifex id non dicit; imo ex contextu colligitur, Pontificem loqui tam de caſu, quo conjux habet ſolum rationem pro nullitate, ſeu de caſu, quo rationem etiam contrariam habeat, quæ tamen priori non prævaleat. Credulitas enim diſcreta, & probabilis includit timorem, ſeu dubitationem de oppoſito; quæ dubitatio de oppoſito vel oriri poteſt ex oppoſitis rationibus, vel ex rationibus infirmioribus, licet nullæ in contrarium adſint rationes.

Hæc ſcilicet Buſemb. & La-Croixii opinio, verſatilis probabilitatis miſera ſoboles eſt, contra quam ſatis dictum fuit lib. 1. tract. 1. dub. 2. & dub. 4. quo lectorem remitto, unde præſens La-Croixii opinatio affatim exploditur. Pro ea affert ille quidem multos recentes opinatores; ſed pro contraria ſtare fatetur S. Thom. S. Bonavent., (quorum textus legi poſſunt apud Genetrum Th. t. 5. p. 286. qu. 27.) S. Ant. P. Sotum, Ledeſm. Val. Vaſq. Azor. Rebell. Pont. Hurt. Turt. Arr. Averſa q. 21 ſ. 2. & alios 27. cum Schild; quorum, ac præcipue Sanctorum Th. Bonav. Antonini auctoritas ſine comparatione prævalet contrariæ.

Idem La-Croix p. 28 nu. 299 ait: „ Qui probabi- „ liter putat, matrimonium eſſe validum, licite petit „ debitum... etiamſi opinio pro invaliditate eſſet pro- „ babilior. “ Quæ opinatio pariter ex verſatili probabilitate orta, tum ex dictis de probabilitate, tum ex mox diſputatis explodenda omnino eſt. De his conſule etiam, ſi lubet, tum Genettum qu. cit. tum Concinam Theol. t. 10. p. 381 cap. 6. § 3.

Nam quod dicitur cap. 5. *Laudabilem* c. 25. de frig. & mal. lib. 4. decr. quibus cohabitatio per triennium conceditur, ſi frigiditas ante probari non poſſit, experiendi cauſa, id ad alia dubia de valore matrimonii non eſt transferendum, quia ſacri canones de aliis dubiis circa valorem matrimonii aliter loquuntur. Dubium in frigidis, & mal. ſola experientia ſolvi poteſt; ideoque hæc permittitur, ut valor, vel nullitas matrimonii deprehendatur, ne matrimonium, quod eſt inſolubile, ſine certa ratione ſolvatur. At alia dubia matrimonii uſu dilui non poſſunt, qui proinde in iis non eſt permiſſus.

Hic forte quæris, ~~verum dum~~ uterque conjugum de valore matrimonii dubitat, uterque petenti debitum reddere teneatur? Reſp. Dum conjux debitum petit, ponendum eſt, ipſum bona fide niti, ideoque illi reddendum eſt juxta mox dicta, etiamſi reddens dubitet de valore matrimonii. At ſi qui petit, de valore matrimonii dubitet, hic jure petendi ex mox dictis privatur: at non eſt reddendum debitum ei, qui jure petendi privatus eſt, ne reddens illius peccato ſocietur: ergo petenti debitum cum dubio de valore matrimonii, debitum non eſt reddendum; quod intellige, cum petentis dubitatio reddenti comperta eſt.

Animadversio XI.

Si fiat cum gravi periculo vitæ, aut ſanitatis. Hactenus recte: addit Buſemb. *Niſi tamen ſit cauſa gravis, cui damnum corporale videatur poſtponendum* &c.

P. Concina Theol. t. 10. p. 366. num. 4. contra ita loquitur. „ Quando grave detrimentum propriæ ſalu- „ ti imminet, tametſi periculum incontinentiæ adſit „ in petente, reddendi obligatio non urget; quia tunc „ aliis remediis coercenda incontinentia eſt. “

Buſembaum ita ratiocinatur: ex duobus malis minus eligendum eſt: at grave periculum vitæ, aut ſanitatis minus malum eſt, quam periculum incontinentiæ in ſe, aut in conjuge: ergo illud eligendum eſt, non iſtud.

Reſp. Propoſitio vera eſt, cum alterutrum neceſſario eligendum eſt; falſa eſt, cum utrumque vitari poteſt: at in noſtra ſpecie utrumque malum vitari poteſt; grave quidem periculum vitæ, aut ſanitatis abſtinendo a debiti redditione, periculum incontinentiæ aliis remediis, puta jejuniis, precibus, abſtinentia ab eodem lecto &c. ergo utrumque vitandum eſt. Enimvero caritati graviter, & aperte repugnaret, qui, cum incontinentiæ periculum alio modo avertere queat, gravi detrimento ſuæ, vel conjugis ſalutis illud removere vellet. „ Notandum tamen, quod feminæ non „ excuſantur a reddendo debito ob incommoda, & „ moleſtias, quas gravidæ experiuntur, neque etiam „ ob periculum, quod eis imminet ex partu, niſi ob „ aliquam infirmitatem, aut diſpoſitionem corporis aſ- „ ſererent Medici, ex partu futuro extraordinarium „ vitæ, aut ſanitatis periculum mulierem ſubituram; „ quia alias nubendo, pœnis a Deo Evæ, & aliis mu- „ lieribus impoſitis ſe ſponte ſubjecerunt. “ Ita Gen. Th. t. 5. p. 289. qu. 28.

Animadversio XII.

Contra Pontium, qui vult eſſe nullum.

Hæc epicurea Pontii opinatio ab Innoc. XI. propoſ. 9. expreſſe damnata eſt.

Nullum autem erit, ſi delectatio non quæſita ſentiatur &c.

Cur Buſembau conditione appoſita, *ſi delectatio non quæſita ſentiatur*, loquitur?

An delectatio in uſu conjugii non quæſita, poteſt non ſentiri? Id ſcilicet falſum, & ridiculum eſt.

Ceterum culpa vacat non ſolum ſentire, ſed etiam quærere delectationem in uſu conjugii, ſi quæratur non ut finis, ſed ut ordinata ad prolem, ſicuti expers eſt culpæ quæſita voluptas cibi, & potus, ſi ad vitam tuendam ordinetur. Delectationes enim ſunt bonæ, vel malæ pro natura actus, unde derivantur.

Hinc Ariſt. Eth. lib. 10. c. 5. ait: *Jam cum functiones muneris bonitate, & vitiis inter ſe differant, aliæque ſint expetendæ, aliæ fugiendæ atque aſpernandæ, aliæ neutræ; ſimilis eſt ratio etiam voluptatum. Sua enim cujuſque functionis muneris voluptas eſt. Atque ea quidem, quæ bonæ propria, bona eſt: quæ malæ, vitioſa.* Hoc idem docet S. Th. 2. 2. qu. 34. art. 1.

At vero excitare ſe ad voluptatem, quando copula debita redditur, ut Buſembau loquitur, niſi id neceſſarium forte ſit ad debiti redditionem, non eſt quærere voluptatem a natura datam, ſed majorem, quam natura ſuppeditat; quod voluptuoſi, & laſcivi hominis eſt, nec culpa vacare poteſt.

Animadversio XIII.

Si ſine juſta cauſa ſitus &c. quod aliqui dicunt eſſe mortale, alii.... veniale tantum, etſi grave &c.

Modos coeundi præpoſteros, ſeu, ut ait La-Croix p. 32. num. 332. cum vir cognoſcit mulierem a tergo & cum mulier incuba eſt, & vir ſuccubus: hos, inquam, duos modos a graviſſimis Auctoribus peccati mortalis damnari ait idem La-Croix, ac præſertim præ-

poſte-

poſterum, ut notat Concina Theol. t. 10. p. 404. n. 4. Ratio horum eſt, tum quia videntur graviter repugnare honeſtati naturali, tum quia communiter eſt periculum diſpergendi ſeminis.

Contra recentes communiter negant, hos concumbendi modos eſſe ex ſe mortales, dum ſervetur debitum vas, nec ſit periculum effuſionis ſeminis, etiamſi ſola voluptas ſit cauſa hujus perverſionis. Ratio eſt, quia quando finis principalis copulæ habetur, qui eſt prolis generatio, tranſgreſſio ordinis ſecundarii eſt ſolum culpa venialis: ſed quocumque modo, ſeu ſitu congreſſus fiat, habetur finis principalis ejuſdem, dum vas debitum ſervetur, & abſit periculum effundendi ſemen; qua de re mox: ergo &c.

S. Antoninus p. 3. tit. 1. c. 20. §. 3. apud Genettum Theol. t. 5. p. 271. qu. 14. poſtquam contrariam ſententiam damnantem peccati mortalis, ſi vir ſit ſuccubus, & mulier incuba, retulit, ſubdit: *Sed Albertus Magnus in quartum dicit, quod nihil horum, quæ facit vir cum uxore in actu conjugali, ſervato debito vaſe, eſt de ſe mortale, ſed poteſt eſſe ſignum mortalis concupiſcentiæ, quando ei non ſufficit modus determinatus a natura, ſed alium invenit cauſa ſe delectandi, cum non ſubeſt cauſa infirmitatis, vel alia rationabilis. Ex quibus dictis videtur ſentire Albertus, quod non impeditur generatio prolis per tales modos indebitos, ſervato debito vaſe, qui fuit maximus Philoſophus.* Viſcoſa enim ſeminis natura facile adhæret, nec facile effunditur, cum natura mulieris ad retinendum diſpoſita ſit.

Ejuſdem ſententiæ, ſubdit Genett. videtur eſſe D. Th. in 4. diſtinct. 31. in fine, ubi ait: *Uſus contra naturam conjugis eſt, quando debitum vas prætermittit, vel debitum modum a natura inſtitutum quantum ad ſitum: & in primo ſemper eſt peccatum mortale, quia proles ſequi non poteſt; unde totaliter intentio naturæ fruſtratur. Sed in ſecundo modo non ſemper eſt peccatum mortale, ut quidam dicunt, ſed poteſt eſſe ſignum mortalis concupiſcentiæ: quandoque etiam ſine peccata eſſe poteſt, quando diſpoſitio corporis alium modum non patitur. Alias tanto eſt gravius, quanto magis a naturali modo receditur.* Modus concumbendi, qui ſine peccato eſſe poteſt, ex ſe mortalis non eſt; quod enim ex ſe mortale peccatum eſt, nunquam licet: at modus non naturalis concumbendi, ſervato debito vaſe, poteſt eſſe juxta D. Thomam ſine peccato, cum ſcilicet diſpoſitio corporis alium modum non patitur: ergo non eſt ex ſe mortalis. Modus quidem concumbendi, ut mulier ſit incuba, ac præſertim præpoſterus eſt valde turpis; ſed hæc gravior turpitudo quoad modum, graviorem efficit culpam in genere culpæ venialis, non culpam mortalem. In hanc quidem ſententiam propter mox dicta pronus ſum, quæ tamen certa non eſt.

Quoad Confeſſariorum praxim audiendus eſt S. Antoninus, qui loco ſupra cit. inquit: *Dure ergo in tali exceſſu reprehendendi ſunt conjuges, & quod abſtineant, cum non ſubeſt cauſa: inducendæ ſunt adhuc uxores, quod viris, a quibus communiter iſta procedunt, non conſentiant in hujuſmodi: ſi tamen timore verberum, vel incontinentiæ virorum eis aſſentiunt, non poſſunt ex hoc argui de mortali, ex quo ſecundum Albertum de ſe illud non eſt mortale. Nam de intentione viri exigentis, qualitercumque non habet ipſa judicare, ut per hoc poſſit ei debitum denegare: nec de facili eſt præcipitanda ſententia de tali modo, quod ſit mortale in ſe.*

Si alter conjugum . . . ſeminationem cohibeat; quod quidam . . . dicunt, in femina nullum eſſe.

La Croix p. 31. n. 333. ait, quod „ Sylv. & alii putant conjuges peccare, ſed Sanch. Dian. & alii cum „ Gob. tr. 10. n. 595. Averſ. qu. 21. ſ. 5. dicunt, ſi „ ab utroque abſit periculum effundendi ſeminis, hoc „ ſe habere tanquam merum tactum, de quo poſtea „ dicetur. “

Ita Bus. & La-Croix, qui hæc dicentes aut nihil dicunt, aut omnia probant.

Semen a viro poſſe in copula extra vas mulieris effundi, res certa eſt, & teſtatur factum Onan, quod Gen. 38. v. 9. graviſſime reprehenditur. At ſeminis effuſionem in eodem coitu a viro cohiberi poſſe, res fictitia videtur; de qua tamen alii judicent.

Si id fieri poſſit, & fiat, naturæ ordo pervertitur; quia coitus ad ſeminis effuſionem ex ordine naturæ refertur; ideoque hoc eſſe peccatum, non eſt dubitandum: imo vero cum talis ordinis perverſio graviſſima ſit, & matrimonii bono contraria, quia generationem impedit, qua ratione a mortali culpa excuſari poſſit, non intelligo.

Contra vero copula in muliere non ad effundendum, ſed ad recipiendum ſemen ex naturæ inſtituto videtur ordinata; & quia ſemen ab ea effuſum, hoc ipſo quia effunditur, generationi non deſervit, cujus primordia in femina doctiſſimi Philoſophi aliunde deſumunt, idcirco ſi comprimatur, generationem impedire non videtur; ideoque hujuſmodi compreſſio in muliere mortalis culpæ damnanda non videtur.

Animadversio XIV.

Si abſque urgente cauſa fiat tempore indebito: in magna ſolemnitate . . . vel pridie communionis.

Sancti Patres, & Summi Pontifices, ut legere licet apud Genettum Theol. t. 5. p. 259. qu. 6. Natalem Alex. Theol. t. 2. p. 136. reg. 6. Concinam Theol. t. 10. p. 395. qu. 4. non ſolum magnis feſtivitatibus, ſed diebus feſtis, & jejuniorum, nec ſolum pridie, ſed plures dies ante communionem ab uxoribus abſtinendum eſſe, docent.

Horum graviſſimam, & venerandam auctoritatem La-Croix p. 30. n. 321. eludit: quia, inquit: „ Scot. „ Nav. Henriq. Sanch. Kon. aliique plurimi cum Averſ. „ qu. 21, ſ. 6. dicunt eſſe conſilii, & talia, quæ ſub „ ſumma prohibitionis diſſuadeantur; vel dicendum eſt „ per accidens ideo peccari, ſi pietas debita per hoc „ impediatur. “ Ita La Croix, qui aperte fallitur, ut textus legentibus manifeſtum eſt. Hinc ſacra Cong. Concilii Trid. die 31. Maji 1597. „ cenſuit, ab adventu „ Domini noſtri Jeſu Chriſti uſque ad diem Epiphaniæ, „ & a feria 4. Cinerum uſque ad octavam Paſchatis „ convivia, nuptiarum ſolemnitates, traductiones ad „ domum, & carnalem copulam decreto Concilii decimo cap. ſeſſ. 24. de reſ. matr. prohiberi; ſed matri„ monium coram Parocho, & teſtibus etiam eo tem„ pore contrahi poſſe. “ Refertur a Gen. Theol. t. 5. p. 160. qu. 3. Porro ſi ſacra Synod. Trid. ex allata declaratione prohibet, ne tempore adventus, & quadrageſimæ nubentes, cum uxoribus commiſceantur, an iis, qui antea nupſerunt, carnalis copula iiſdem temporibus permiſſa eſt? Quod autem dicitur de adventu, & quadrageſima, idem dicendum de aliis jejuniis, & feſtis, itemque de diebus, quibus ſacra communio ſumitur, & qui eam proxime præcedunt: nec audiendus eſt La-Croix, qui n. 322. cit. ait, per ſe loquendo licitum eſſe „ die communionis habere uſum matrimo„ nii; “ ſed Catech. Concilii Trid. cujus auctoritas infinito prope dixerim intervallo Caſuiſtarum ſenſui anteſtat. Hic porro p. 2. cap 8. n. 34. ait. *Quod fideles docere oportet, ut Deum orandi, & obſecrandi cauſa a matrimonii officio interdum abſtineant; in primiſque id ſibi obſervandum ſciant tribus ſaltem diebus, antequam ſacram Euchariſtiam percipiant, ſæpius vero cum ſolemnia quadrageſimæ jejunia celebrantur, quemadmodum Patres noſtri recte, & ſancte præceperunt*, non ut male interpretatur La-Croix, *ſuaſerunt*.

Itaque neglecto La-Croix, & aliis caſuum arbitris, ex SS Thoma, Bonav. & Antonino, quorum textus refert Gen. loco cit. hæc regula tenenda eſt: reddere diebus deſcriptis debitum conjugale, culpa vacat; illud petere, non eſt mortalis culpa, venialis tamen, & gravior, ſi voluptatis cauſa, non incontinentiæ timore petatur.

2. *Quando uxor eſt gravida, ſaltem &c. unde Dian. & Con. nullum peccatum agnoſcunt.*

La-Croix p. 30. num. 324. hac de re ita loquitur. „ Quamvis abſit periculum abortus, quod communiter „ abeſt, tamen copulam eſſe illicitam, quando mulier „ eſt gravida, videntur docere SS. Amb. Aug. Iſid. „ apud Sanch. l. 9. d. 22. n. 2. & apud Rayn. in Heter. „ t. 16. ſ. 1. p. 14. n. 40. ſpeciatim S. Hier. relatus „ cap. Orig. 5. cau. 32. qu. 4. attamen non eſſe mor„ tale, docent S. Th. Alb. M. & Doctores omnes te„ ſte Sanch. n. 3. eſſe autem veniale tenent plerique. „ Sed Sanch. n. 6. & Averſ. q. 2. ſ. 6. concludunt cum „ aliis, per ſe loquendo nequidem veniale eſſe; quia „ matrimonium etiam eſt in remedium concupiſcentiæ; „ cum autem uxores magna temporis parte gravidæ „ ſint, nimis periculoſum eſſet, ſub peccato obligari „ tanto tempore abſtinere. “

Quod Sanch. Averſ. aliique non ſolum a pleriſque recentibus Theologis, ſed a ſanctis Patribus Ambroſio, Aug. Iſid. Hieron. &, ut ait Concina Theol. t. 10. p. 399. n. 21. unanimi eorum ſenſu recedere audeant, quodque hanc ſententiam La-Croix referat, nec improbet, ſed tacite probare videatur, res ſane indigna eſt, & venerandæ SS. Patrum auctoritati injurioſa; quæ non refutanda, ſed lacryma deploranda eſt. Itaque dicendum, coitum cum uxore gravida, ſi ſit periculum abortus, eſſe evidens peccatum mortale; ſi tale periculum abſit, eſſe peccatum certum veniale, non autem mortale.

De periculo incontinentiæ, quod alia ratione averti poteſt, infra ſermo erit.

3. *Quando uxor laborat fluxu menſtruo &c.*

Tum Buſembau hic ad ea verba, „ imo aliqui apud „ Dian. &c. “ tum La-Croix p. 30. n. 322. ponunt, accedere ad conjugem menſtruatam, nullum per ſe loquen-

do eſſe peccatum, occurrente juſta cauſa, v. g. ob periculum incontinentiæ; quod periculum mox ad ca. 4. dicemus, non excuſare uſum conjugii ab omni culpa.

Quare dicimus, acceſſum ad menſtruatam, ſine dubitatione eſſe peccatum; quæ ſententia, ut advertit Concina Theol. t. 10. p. 398. n. 19. communis eſt apud Theologos. Hanc doctrinam Nat. Alex. Theol. s. 2. p. 138. reg. 9. confirmat D. Auguſtini, D. Hieron. Jonæ Aurelianenſis, Haymonis Halberſtatenſis auctoritate, & S. Thomæ, qui d. 32. q. 1. art. 3. qu. 2. ait: *Unde prohibitum eſt ad talem accedere, & ſimiliter prohibitum eſt mulieri in tali fluxu debitum petere.* Eamdem Gen. Theol. t. 3. p. 261. qu. 7. aſſerit quoque auctoritate Scot. in 4. ſent. d. 32. ubi ait: *Nec eſt probabile, quod in lege evangelica, quæ eſt lex caſtitatis, ſit minus prohibitum ad menſtruatam accedere.*

Utrum vero talis acceſſus ſit mortalis, an venialis, dubitari poteſt.

Hac de re ita loquitur Natalis Alex. loco cit. „Redditionem non minus, quam exactionem debiti tempore infirmitatis menſtruæ, peccatum eſſe mortale nihilominus ſentiunt Scotus, Richardus a Mediavilla, Lyranus in c. 15. Lev. Gloſſa cap. *ad ejus* d. 4. Petrus Soto lect. 16. de matrim. Eſtius in 4. ſent. d. 32. § 9. Heſſelius 2. p. Catech. cap. 135. at veniale dumtaxat peccatum in reddente debitum agnoſcunt S. Bonav. & Sylveſter Prieras. Alii denique tam exigentem, quam reddentem venialis tantum peccati reos eſſe, cenſent. Scil. Petrus a Palude d. 32. q. 2. Cajet. in ſumma verbo matrim. Franciſcus a Victoria, Dom. Soto, Nav. Ench. c. 16. Alfonſus a Caſtro lib. 1. de pot. legis pœn. c. ult. in eamque opinionem inclinare videtur S. Th. loco mox laudato, & eam propugnat S. Anton. 3. p. t. 1. c. 20." Genett. loco cit. putat, " petentem debitum ſive virum, ſive mulierem graviter delinquere, nec conjugem ullo modo teneri ad reddendum, quin imo talem concubitum adeo proli periculoſum, & matrimonii bonis oppoſitum pati non debere."

Hujuſmodi concubitum tam in petente, quam in reddente, ut habet prior ſententia a Nat. relata, eſſe mortalem, ſuadet ratio a Gen. inſinuata. Ille enim concubitus tam in petente, quam in reddente mortalis eſt, unde grave damnum proli naſcituræ merito timetur: atqui ex coitu cum menſtruata uxore, grave damnum proli naſcituræ merito timetur. Hinc S. Hieron. in c. 18. Ezech. ait: *Per ſingulos menſes gravia, atque torpentia mulierum corpora, immundi ſanguinis effuſione relevantur; quo tempore ſi vir coierit cum muliere, dicuntur concepti fetus vitium ſeminis trahere, ita ut leproſi, & elephantiaci ex hac conceptione naſcantur, & fœda in utroque ſexu corpora parvitate, vel enormitate membrorum, ſanies corrupta degeneret.* Idem habet Nicolaus de Lyra in Lev. apud eumdem Genettum. Idem docet Theodorus Craanem p. 2. p. 519. Nam licet doctiores noſtrorum temporum Medici velint, menſtrua eſſe ſanguinem minime veneficum, & impurum, e ſola ſanguinis copia, & valorum muliebrium anguſtia effluentem; hic tamen ſanguis virili ſemini contra naturæ ordinem immixtus, primordia generationis inficit, & fetum monſtroſum teſte experientia efficit. Ergo concubitus cum muliere menſtruata tam in petente, quam in reddente mortalis eſt. „Periculum infectionis, vel monſtruoſitatis rarum eſt," inquit La-Croix loco cit. At hoc de ſuo aſſerit, nulla nixus ratione, auctoritate, vel experientia; ideoque merito negligitur. Fieri quidem poteſt, ut ex menſtruo concubitu nulla proles concipiatur, at contrarium quoque fieri poteſt: porro ad mortalem culpam ſufficit periculum, cui coeuntes menſtruo tempore ſe exponunt. Hinc Greg. Papa cap. 4. *Ad ejus* diſt. 5. ait: *Quippe cum & ſine partus cauſa, cum in conſuetis menſtruis detinentur, viris ſuis miſceri prohibeantur, ita ut morte lex ſacra feriat, ſi quis vir ad menſtruatam mulierem accedat.* La-Croix ita reſpondet huic canoni, quem ipſe quoque refert. „Nam ſupra cap. fin. tantum refertur prohibitio antiquæ legis, quæ nunc non obligat:" quibus verbis duo errata includuntur: primum eſt, quod ibi tantum referatur prohibitio antiquæ legis. Greg. enim, ut ex ejus verbis perſpicuum eſt, docet, mulieres, cum in menſtruis detinentur, viris ſuis miſceri prohiberi; id vero confirmat auctoritate antiquæ legis per ea verba *ita ut morte lex ſacra feriat, ſi quis* &c. ex quibus liquet, Gregorium putare, antiquam legem, quam affert, nunc quoque obligare; obligare, inquam, non ad pœnam, quo ſenſu judicialis lex eſt, & abrogata, ſed ad culpam, quo ſenſu eſt lex moralis, ſeu naturalis, quæ omni tempore, & omnes obligat.

Hinc S. Thom. in 4. d. 32. qu. 1. art. 2. qu. 2. cit. ait: *Accedere ad menſtruatam, in lege prohibitum erat duplici ratione, tum propter immunditiam, tum propter nocumentum, quod in prole ex hujuſmodi commiſtione frequenter* (ait *frequenter* contra La-Croix, qui inquit, periculum monſtruoſitatis eſſe rarum) *ſequebatur. Et quoad primum, præceptum erat cæremoniale, ſed quantum ad ſecundum, erat morale; quia, cum matrimonium ſit ad bonum prolis principaliter ordinatum, ordinatus eſt omnis matrimonii uſus, quo bonum prolis intenditur: & ideo hoc præceptum obligat etiam in nova lege propter ſecundam rationem, etſi non propter primum.* Et D. Auguſt. de illa Lev. lege cap. 20. *Qui coierit cum muliere in fluxu menſtruo, interficientur ambo de medio populi ſui:* ait lib. 3. qu. in Lev. cap. 64. *Hic poſitum eſt, ubi talia prohibita ſunt, quæ etiam tempore novi teſtamenti, remota umbrarum veterum obſervatione, ſine dubio cuſtodienda ſunt* *. Poſt ſubdit: *Quæ in re non natura damnatur, ſed concipiendæ proli noxium prohibetur.* Itaque neglecto, & exploſo La-Croixio, hinc oritur hæc ratio: culpa naturæ jure prohibita, Deique judicio, & lege morte punita, non venialis, ſed mortalis eſt: ſed coitus cum menſtruata eſt culpa jure naturæ prohibita, Deique judicio, & lege morte punita quoad utrumque coeuntem: ergo hic coitus eſt mortalis quoad utrumque, hoc eſt tum quoad petentem, tum quoad reddentem, ſeu conſentientem. Et ſane agentes, & conſentientes pari pœna puniuntur, ejuſdemque culpæ rei ſunt: ergo ſi vir petens mortaliter peccat, uxor conſentiens a mortali reatu excuſari non poteſt.

Quid huic rationi reſponderi poteſt? Credibile enim non eſt, Deum graviſſimo mortis ſupplicio voluiſſe punitum acceſſum ad menſtruatam propter immunditiam legalem. Rurſus ſi hujuſmodi acceſſus, naturæ lege venialis eſſet, additio venialis reatus legalis immunditiæ, tam gravi pœna digna non eſſet: ergo graviſſima mortis pœna, qua coitus cum menſtruata punitur, gravitatem mortalis culpæ indicat, & evincit.

A N I M A D V E R S I O XV.

Ex dictis . . . . reſolvitur, licitum eſſe uti matrimonio, 1. prolis cauſa, etſi hæc non neceſſario debeat intendi &c.

Hactenus recte: at Buſemb. addit: *Imo etiam aliquando ſimplici affectu licite excludatur, v. g.* &c.

Hoc vero recte dictum non eſt: qui enim Dei, & naturæ inſtituto ſua voluntate repugnat, culpa vacare non poteſt: at qui ſimplici affectu prolem a matrimonii uſu excludit, Dei, & naturæ inſtituto ſua voluntate repugnat; quia matrimonii uſus ex Dei, & naturæ inſtituto ad prolis generationem refertur: ergo &c.

Adde, quod matrimonii bona tria ſunt, hoc eſt fides, proles, ſacramentum: at qui fidei, & ſacramento voluntate adverſatur, peccat, imo graviſſime peccat: ergo a culpa immunis eſſe non poteſt, qui ſimplici voluntate proli repugnat. Hinc D. Thom. ſuppl. q. 49. art. 2. ait, quod matrimonium *inquantum eſt in officium naturæ, duobus ordinatur, ſicut & quilibet virtutis actus: quorum unum exigitur ex parte ipſius agentis, & hoc eſt intentio finis debiti; & ſic ponitur bonum matrimonii, proles.* Neque vero excuſatur, qui ab uſu conjugii prolem ſua voluntate excludit, ne prolibus nimis gravetur; ſed potius peccatum peccato addit: quia in Dei providentia, quæ volucribus cæli, & beſtiis terræ neceſſaria ſubminiſtrat, nedum homini, ſpem ſuam non collocat.

Itaque in hanc rem cautius loquitur Genettus Theol. t. 5. p. 259. q. 5. his verbis. „Ut quis utens matrimonio, cenſeatur intendere procreationem filiorum, non eſt neceſſe, ut actualiter in ipſa copula de filiis cogitet, ſed ſufficit, ſi virtualiter, vel etiam habitualiter intendat, ideſt ut aliquando generationem intenderit, nec eum finem poſtea expreſſe excluſerit, & ita ſit diſpoſitus, ut ſi de generatione tunc cogitaret, eam vellet."

2. *Ad vitandum periculum incontinentiæ* &c.

Ad vitandum periculum incontinentiæ in comparte, bene habet; quia hoc perinde eſt, ac reddere debitum, quod non ſolum licet, ſed neceſſarium eſt.

Ad vitandum periculum incontinentiæ in ſe, hoc male habet. Nam D. Auguſt. de bono conjugali cap. 7. ait:

* D. Aug. verba hæc ſunt. *Hic* (ideſt acceſſum ad menſtruatam) *cum ſuperius* (Lev. 18. 19.) *ſatis ſufficienter prohibuiſſet, quid ſibi vult, quod etiam hic hoc idem præceptum voluit adjungere? an forte in ſuperioribus quod jam dictum eſt, ut figurate accipiendum putaretur, etiam hic poſitum eſt, ubi talia prohibita ſunt, quæ etiam tempore novi teſtamenti, remota umbrarum veterum obſervatione, ſine dubio cuſtodienda ſunt? quod videtur etiam per Ezechielem Prophetam* (18. 6. 22. 10.) *ſignificaſſe, qui inter illa peccata, quæ non figurata, ſed manifeſta iniquitatis ſunt, etiam hoc commemorat, ad mulierem menſtruatam ſi quis accedat, & inter juſtitiæ merita, ſi non accedat; quæ in re non natura damnatur, ſed concipiendæ proli noxium prohibetur.*

ait: *Reddere debitum conjugale, nullius eſt criminis, exigere autem ultra neceſſitatem generandi, culpæ venialis.* S. Gregorius cap. 2. *Nervi* diſt. 13. ait: *Et quia tunc ſolum conjuges in admiſtione ſine culpa ſunt, cum non pro explenda libidine, ſed pro ſuſcipienda prole miſcentur*, &c. S. Bonavent. in 4. d. 31. art. 2. qu. 2. ad 1. *Qui vero coit cauſa fornicationis vitandæ in ſe, in hoc ſemper peccat venialiter.* S. Thom. ſuppl. qu. 49. art. 5. *Et ideo duobus ſolis modis conjuges abſque omni peccato conveniunt, ſcilicet cauſa procreandæ prolis, & debiti reddendi; alias autem ſemper eſt ibi peccatum ad minus veniale.* Hos, ut neceſſe eſt, ſequuntur Genett. (Theol. t. 5. p. 329. qu. 24.) Nat. Alex. (Theol. t. 2. p. 136. reg. 3.) Concina (Th. t. 10. p. 393. q. 3.)

La-Croix p. 28. n. 292. ita loquitur. „ Si fiat præciſe ad vitandam incontinentiam propriam, S. Aug. „ Anſelm. Bonav. Thom. in ſuppl. q. 49. art. 5. & „ ſpeciatim S. Gregorius relatos cap. *Nervi* 2. d. 13. „ videntur dicere eſſe veniale, & conſentit Card. 10 a. „ criſi d. 7. o. 52 quia talis actus aberrat a fine ſuo „ primario, ad quem a Deo eſt ordinatus. “ Poſt ſubdit: „ Denique alii plurimi Theologi, & Juriſtæ cum „ Duar. Caj. Medin. Nav. Almain. Calpenſ. Laym. Ron. „ Rebell. Hurt. Hentinx, Pont. Maſtr. Averſ. probabiliſſime dicunt, nullum fore peccatum præciſe intendere vitationem concupiſcentiæ, & remedium ſui „ peccati &c. “ Ita ne vero? non ſolum citari Patres, & Eccleſiæ doctores, ſed, ut teſtantur Genettus Theol. t. 5. p. 329. qu. 13. & Concina Theol. t. 10 p. 394. n. 5. unanimia S. Patrum ſententia culpabilem facit uſum conjugii ad propriam incontinentiam vitandam: & La-Croix recentiorum opinatorum contra ſententiam opinionem probabiliſſimam appellare audet? Hoc ſane dici ſine inſigni SS. PP. injuria non poteſt. Hoc perinde eſt, ac ſi La-Croix dixerit: „ Puto omnia eſſe hodie melior examinata, & hanc ob rem in omni materia, ac præcipue in morali libentius juniores, quam „ antiquiores lego, & ſequor .... doctrina fidei a veteribus, doctrina morum magis a junioribus petenda: ‘ quæ propoſitio a generali conventu Cleri Gallicani anno 1700. apud Natalem Alex. Theol. t. 2. app. altera p. 59. prop. 30. hac cenſura notata fuit. *Hæc propoſitio temeraria eſt, pernicioſa, erronea, SS. Patribus, & antiquis doctoribus contumelioſa: ſpretu in moribus chriſtianorum componendis neceſſaria Scripturarum, ac traditionis auctoritate, & interpretatione moralem Theologium arbitrariam facit, viamque parat ad humanas traditiones, & doctrinas Chriſto prohibente ſtabiliendas.*

La-Croix objicit Ap. 1. Cor. 7. ubi ait: *Propter fornicationem unuſquiſque ſuam uxorem habeat*: item, *revertimini in idipſum, ne tentet vos ſatanas propter incontinentiam veſtram, hoc autem dico ſecundum indulgentiam, non ſecundum imperium.* Reſp. D. Aug. hunc textum exponens in Ench. cap. 78. fatetur, putari poſſe, non eſſe peccatum, miſceri conjugi non prolis, ſed incontinentiæ vitandæ cauſa, tum addit: *Poſſet ergo, ut dixi, hoc putari non eſſe peccatum, niſi addidiſſet:* Hoc autem dico ſecundum veniam, non ſecundum imperium. *Quis autem jam eſſe peccatum neget, cum dari veniam facientibus apoſtolica auctoritas fateatur?* Alias ratiunculas, quibus idem La-Croix contra Sanctos Patres, & Eccleſiæ Doctores erocitare audet, dignas non puto, in quibus refutandis immorer.

3. *Valetudinis cauſa, vel propter alios fines* &c. Poſt ſubdit: *Solius tamen valetudinis cauſa uti, probabile eſt, eſſe veniale, ut docent S. Thom. Henriq. Laym. l. c. contra Mart. Per.* &c. ll. cc.

Quid ergo? Utrumque probabile: ſi vis non eſſe peccatum, non eſt; ſi vis eſſe peccatum, peccatum eſt: ab hominis voluntate, & mente pendet, ut ſit, vel non ſit peccatum. Hæc eſt indoles verſatilis probabilitatis.

La-Croix p. 28. n. 293. eamdem more ſuo viam inſiſtit, ac Buſemb. videtur tamen proclivior in opinionem S. Thomæ contrariam „ dummodo, inquit, non „ excludatur finis primarius: “ qua additione rejicit opinionem Buſemb. a nobis mox exploſam, qua ait, finem primarium matrimonii, hoc eſt prolem ab ejus uſu aliquando ſimplici affectu licite excludi. Sed in eo merito reprehenduntur tum Buſemb., tum La Croix, quod a S. Thoma tam facile recedant, ac ſi eſſet cum probabilibus opinatoribus permiſcendus. An ejus unius auctoritas pluris non eſt, quam centum probabilium, qui omni vento doctrinæ contra præceptum Ap. Epheſ. 4. v. 14. circumferuntur? Doctrina S. Thomæ mox allata, & a S. Patribus derivata, hic contra verſatilem Buſemb., La-Croix, & aliorum opinionem iterum deſcribenda, & inculcanda eſt. *Duobus ſolis modis conjuges abſque omni peccato conveniunt, ſcilicet cauſa procreandæ prolis, & debiti reddendi; alias autem ſemper eſt ibi peccatum ad minus veniale.* Hæc doctrina tenenda eſt, non in contrarias partes animus inſtar calami vento agitati flexiliter verſandus: ergo nec valetudinis cauſa, nec propter alios fines extrinſecos, matrimonii uſus licet.

At La Croix ita objicit: „ Non tenemur ſemper poſitive agere ex fine intento a Deo, vel legiſlatore, „ ſed ſatis eſt, ſi actus noſter referatur ad finem honeſtum, & non excludatur relatio ad finem a lege „ intentum, maxime in hoc caſu, in quo ſanitas juvabit ad gignendam prolem: ergo quod refertur ad „ ſanitatem, virtualiter refertur ad gignendam prolem. “ Eadem eſt ratio a Buſembao diverſis vocibus allata.

Reſp. Huic ſophiſmati, quod ſibi quoque objicit S. Thom., ita S. Doct. reſpondet Supplem. qu. 49. ar. 5. ad 4. *Ad 4. dicendum, quod quamvis intendere ſanitatis conſervationem non ſit per ſe malum; tamen hæc intentio efficitur mala, ſi ex aliquo ſanitas intendatur, quod non eſt ad hoc de ſe ordinatum; ſicut qui ex Sacramento baptiſmi tantum ſalutem corporalem quæreret; & ſimiliter etiam eſt in propoſito in actu matrimonii.* In eo ſophiſtica eſt ratio La-Croix, & Buſemb. quod ponant uſum matrimonii ex ſe eſſe honeſtum, & bonum, cum tamen talis non ſit, niſi matrimonii bonis honeſtatur; ut docet, & oſtendit S. Thom. qu. 49. cit. art. 1. Porro cum bonum Sacramenti, hoc eſt matrimonii inſeparabilitas ad ejuſdem eſſentiam pertineat, bona vero fidei, & prolis in ſeipſis conſiderata ad uſum matrimonii ſpectent, ut idem Angelicus docet ar. 3. hinc liquido efficitur, ut matrimonii uſus non honeſtetur, niſi ex bono fidei, cum debitum redditur, aut ex bono prolis, cum quis matrimonio utitur prolis ſuſcipiendæ cauſa.

Bonum fidei ſufficit ad honeſtandum matrimonii uſum, etiamſi non includatur, dum non excludatur matrimonii finis, hoc eſt proles; quia matrimonii uſus præcipitur ad fidem ſervandam. Hoc eſt illud, quod conficit La-Croixii ratio. At matrimonii uſus, ſi fidei bonum non adſit, hoc eſt ſi debitum non petatur, non præcipitur; &, cum in ſeipſo bonus non ſit, honeſtari non poteſt, niſi altero matrimonii bono, hoc eſt prole. Quare prolis bonum eſt quidem finis matrimonii, non tamen finis præcepti, ſed circumſtantia neceſſaria, & præcepta in uſu ejuſdem matrimonii; qua circumſtantia, quæ in debiti petitione eſt intima, & naturalis matrimonii, matrimonium exutum, veluti ſua naturali honeſtate privatum, aliunde, ſeu ex aliis finibus honeſtari non poteſt. Enim vero ſi ſublimior finis vitandæ in ſe incontinentiæ juxta communem ſanctorum Patrum ſenſum non ſufficit ad honeſtandum conjugii uſum, multo minus ſufficere poteſt finis inferior propriæ incolumitatis; præſertim cum hic ſit finis matrimonio extrinſecus, ille vero poſt primi hominis lapſum ſit finis matrimonii intrinſecus. Sed quoniam hic eſt ſecundarius finis, & remedium infirmis non ex imperio, ſed ex indulgentia conceſſum, idcirco uſus matrimonii ex hoc eodem fine culpa non vacat; *ſed quæ tanto citius relaxetur*, inquit S. Greg. in paſtor. p. 3, c. 28. relatus a Gen. p. 131 t. 5. *quanto non per hanc illicitum quid agitur, ſed hoc, quod eſt licitum, ſub moderamine non tenetur.* Hoc eſt ſuo modo, ſeu circumſtantia privatur, ut mox diximus.

Animadverſio XVI.

Tales actus (hoc eſt tactus, aſpectus, & verba turpia) *per ſe iis licent.*

Id Buſemb. aſſerit ſine ulla limitatione, ut ſcilicet matrimonium ſit officina cujuſcumque turpitudinis, & obſcænitatis etiam belluis ignotæ, non naturæ officium, & Sacramentum caſtitatem, & ſanctimoniam inſpirans, & efficiens.

Quod ſi vero ſeparatim, & ſine ordine ad copulam... ſunt venialia peccata &c.

Buſemb. obſcænos inter conjuges tactus, aſpectus &c. conſiderat duplici modo vel cum relatione ad copulam, vel ſine hac relatione.

Si primo modo fiant, juxta ipſum licent; quæ opinatio ſupra fuit exploſa lib. 3. tract. 4. cap. 2. in fine dub. 1. & tract. 3. cap. 2. dub. 5. cap. 1.

Ratio pro hac falſa opinatione a Buſembao allata, captioſa eſt. Licent enim media, ut licet finis, ſi ut finis, ita media honeſta ſint, non item ſi media ſint turpia, & mala. Impudici tactus non ex ordine naturæ ad conjugalem copulam referuntur, ſed ex effrani libidine, qua conjugii uſus fœde deturpatur.

Si autem ſine ordine ad copulam fiant, juxta Buſembaum ſunt tantum venialia peccata. Hanc opinationem refutavi lib. 3. tract. 3. dub. 5. cap. 1. Hinc Apoſt. ad Gal. 5. 18. inquit: *Manifeſta ſunt opera carnis, quæ ſunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria &c. quæ prædico vobis, ſicut prædixi, quoniam qui talia agunt,*

gunt, regnum Dei non conſequentur: at tactus &c. a conjugibus peracti, ponuntur impudici: ergo a regno Dei excludunt. An audiendus eſt Buſembau, dum ita cavillatur, „ ratione ſtatus, qui illos actus cohoneſtat, „ habens jus ad illos? " Reſp. Si ita eſt, non ergo ſunt impudici: at reipſa ſunt, & ponuntur impudici: ergo ratio captioſa eſt.

His paucis verbis Buſemb. duplex erratum, & contradictio involvitur. Contradictio quidem, quia ſi conjugii ſtatus eos actus cohoneſtat, & jus ad illos tribuit, nullam involvunt culpam, cum tamen Buſemb. eos malos eſſe dixerit. Falſum eſt, & evidenter falſum, conjugium ad actus, qui ad copulam non referuntur, præſertim turpes & impudicos jus præbere, cum jus non præbeat niſi ad actus pudicos, & caſtos, unde proles, quæ eſt matrimonii finis, oriri poſſit. Falſum eſt, & evidenter falſum, conjugium honeſtare actus impudicos, & turpes, quibus turpiter fædatur.

Ipſa Buſembaum exceptio „ niſi tamen, ut ſæpe contingit, ſint conjuncti cum periculo pollutionis, " evincit, actus impudicos inter conjuges eſſe mortales; quia periculum pollutionis non ſæpe, ut male ait Buſemb. ſed ſemper, ut recte advertit Concina Theol. t. 10. p. 408. num. 29. conjunctum eſt cum venerea delectatione; imo venerea delectatio, quæ aliunde oriri non poteſt, niſi ex commotione ſpirituum generationi deſervientium, nihil aliud eſt, niſi interior pollutionis inchoatio.

La-Croix n. 341. ait: „ Huc pertinet, quod Taberna p. 2. tr. 2. c. 5. §. 1. q. 5. ccl. 1. docuit, nempe „ ſi actus conjugalis ſit illicitus conjugibus ob aliquam „ circumſtantiam extrinſecam, v. g. ob morbum, periculum abortus, quamvis alii actus venerei tum exerciti ſint veniales, dum illis deeſt debitus finis, tamen non ideo præciſe eſſe illos mortaliter illicitos. „ Et idem dicendum putavit in caſu impotentiæ ſupervenientis matrimonio.

At ex mox dictis actus venerei ad copulam maritalem non ordinati, ſunt mortales culpæ. Sed actus venerei, de quibus hic loquitur, ut ponit, ad copulam maritalem non ordinantur: ergo ſunt mortales culpæ. An mortales luxuriæ culpæ deſinunt eſſe mortales in conjugibus, cum ipſa copula ex ſe permiſſa, propter aliquam circumſtantiam ita non licet? Mira ſane doctrina, & evidenter falſa, & ab Epiſcopo Atrebatenſi 5. Maji 1703 ut fatetur hic La Croix, damnata.

Hanc doctrinam, inquit La-Croix, tradunt plurimi, quorum longum catalogum texit. At plurima nomina recentium ornatorum cum Apolliolo, cum matrimonii ſanctitate, cum evidenti ratione, & cum Epiſcopo pugnantia pro nihilo merito habentur. Quod ſi, ut refert idem La-Croix, multi ex Scriptoribus ab eo citatis dicunt, ſi actus tales ſint in conjugibus ſemper peccata mortalia, matrimonium fore proximam ac perpetuam occaſionem damnationis æternæ, ideoque conjuges non poſſe abſolvi; reſpondeo matrimonium a Deo inſtitutum, ex ſe bonum eſſe, & ſanctum, probiſque, & caſtis Chriſtianis eſſe concupiſcentiæ remedium, malis vero, ac libidinoſis hominibus, qui eo ad explendam libidinem abutuntur, nihil mirum eſſe, ſi laſciviæ fomentum ſit, & æternæ damnationis occaſio.

Animadversio XVII.

Conjux venialiter tantum peccat tangendo ſeipſum ut... docet Sanchez. 2. Oblectando ſe venereе &c.

Hæc Sanchezii probabilitas fucata eſt, & falſa ex mox dictis. Si enim conjugibus non licent tactus inter ſe, multo minus conjugi licet ſeipſum veneree tangere. Quod ſi venerei tactus inter conjuges, licet alter in alterius corpus jus habeat, ſunt mortales culpæ, multo magis mortalis culpa eſt, ſi conjux ſeipſum impudice tangat, cum in ſuum corpus nullum jus habeat, aut habere poſſit. Dum conjux ſeipſum impudice tangit, non ſolum mortaliter peccat, ſed gravius quam perſona ſoluta; quia conjugi injuriam facit, dum ſibi poteſtatem ſui corporis, cujus dominium in conjugem tranſtulit, ſibi uſurpat. Enim vero recitata opinatio Buſemb. non ſolum falſa eſt, ſed monſtroſimilis, omnique vel ſpecie probabilitatis deſtituta. Hinc La-Croix p. 21. num. 339. hanc Buſemb. opinionem a S. Anton., Sylv., Nav., Vaſq., Salas, Sanctio, Armilla, Dian., Averſ. improbari fatetur, eamque ipſe quoque improbat.

Idem porro dicendum de venerea delectatione, hoc eſt ipſam quoque eſſe letalem culpam; quam ſententiam recte tradunt Sylveſter, Baſilius Pontius, Vega, D.caſt., Rodriquez teſte Concina Theol. t. 10. p. 408. n. 29 eamque ipſe Concina propugnat. Hæc enim delectatio ipſo Buſembao fatente culpa eſt, nec alterius a luxuria generis eſſe poteſt: at omnis voluntaria luxuria, utpote quæ ex parvitate materiæ venialis non fit, eſt culpa mortalis; nec rurſus delectatio, de qua loquimur, a matrimonio honeſtatur, ſed illud deturpat: ergo talis delectatio eſt mortalis; præſertim cum ab ea abeſſe poſſe periculum pollutionis, ut Buſemb. ponit, ſit ex dictis commentitium, & falſum. Delectatio de copula conjugali, dum fit, ſi hæc matrimonii bonis honeſtatur, bona eſt, & honeſta, ſicut ipſa copula: at delectatio de eadem conjugali copula extra ipſam, mala evadit; quia ſola realis, non imaginaria copula conjugalis, eſt honeſtum objectum, & cauſa delectationis; quia ſola realis copula ad prolem, cujus cauſa matrimonium inſtitutum eſt, referri poteſt: ergo voluptatem de copula cogitata, matrimonii ſanctitas, & naturæ lex reſpuit. Quoniam autem verſamur in materia gravi, atque hujuſmodi, ut parvitatem culpæ non admittat, idcirco talis voluptas non poteſt eſſe, niſi mortalis.

Animadversio XVIII.

Vel ex caritate, v. g. ad avertendum periculum incontinentiæ imminens conjugi.

Hoc idem aſſerit P. Concina Theol. t. 10. p. 366. n. 3. ex D. Thom. Suppl. q. 64. a. 2. ad 2.

Animadversio XIX.

Nam ſi ſæpe petenti ſemel verbis negetur citra periculum incontinentiæ, videtur eſſe tantum veniale .... & aliquando .... nullum, ſecundum Perez &c.

Si debitum ſæpe petenti ſemel verbis negetur, at reipſa reddatur, bene habet; at ſi verbis, & reipſa negetur, cur venialis culpa eſt? Ob levitatem materiæ, inquit Buſemb. At hic in hoc eodem caſu dixit, debitum eſſe rem gravem, & ex juſtitia debitam, ſicuti reipſa eſt. Hinc D. Paulus 1. ad Cor. 7. ait: *Uxori vir debitum reddat; ſimiliter autem & uxor viro.* Mox ſubdit: *Nolite fraudare invicem, niſi forte ex conſenſu ad tempus, ut vacetis orationi.* Ergo ob levitatem materiæ negatio debiti a culpa mortali excuſari nequit.

Adde, quod qui debitum ſæpe petit, concupiſcentiæ ſtimulis ſæpe exagitatur; ex quo fit, ut incontinentiæ periculo objiciatur ex debiti negatione. Si ex D. Paulo incontinentiæ periculum iis imminet, qui ex conſenſu ab officio conjugali abſtinent ad tempus, ut orationi vacent, ideoque S. Apoſt. hos alloquens, ait: *Et iterum revertimini in idipſum, ne tentet vos ſatanas propter incontinentiam veſtram*; multo magis hoc periculum iis impendere putandum eſt, qui non ex conſenſu abſtinent, ſed jure ſuo uti volentes repelluntur, & ab uſu conjugii inviti arcentur.

Ergo illa poſitio Buſembaum, *circa periculum incontinentiæ*, veluti commentitia merito rejicitur.

Præterea non nimia petendi frequentia a debiti redditione eximit, quidquid Buſemb. & La Croix n. 398. contra dicant, ſed illa frequentia, unde reddendi impotentia exiſtit. Hinc D. Th. qu. 64. art. 1. ad 2. ait: *Quod uxor non habet poteſtatem in corpus viri, niſi ſalva conſiſtentia perſonæ ipſius, ut dictum eſt. Unde ſi ultra exigat, non eſt petitio debiti, ſed injuſta exactio; & propter hoc vir non tenetur ei ſatisfacere.* Et ad 3. inquit, *quod ſi aliquis reddatur impotens ad debitum ſolvendum ex cauſa ex matrimonio ſecuta, puta cum prius debitum reddidit, & eſt impotens ad debitum ſolvendum, ulterius mulier non habet jus petendi; & in petendo ulterius, ſe magis meretricem, quam conjugem exhibet.*

Itaque hanc rem cautius tractat Genettus Theol. t. 5. p. 258. qu. 3. ubi ait: „ Videtur tamen, quod poteſt „ etiam in hoc eſſe parvitas materiæ, quæ a mortali „ excuſet; ut ſi conjux expetitus parum differat reddere, vel non reddat videns alium non adeo anxie „ petere, neque ex negatione triſtari; dummodo tamen in his caſibus nullum adſit periculum incontinentiæ, aut gravis iræ, aut odii. " Ait, *parum differat reddere*, non neget reddere, vel ſi neget, idcirco neget, quia ex modo petendi intelligit, debitum non exigi, ſed ſuaderi, addita conditione, *dummodo tamen &c.*

Juſtam autem .... eſſe cenſet M. Perez, ſi plures naſcantur filii, quam poſſint alere.

S. Th. Suppl. qu. 54. art. 1. ait: *Vir tenetur uxori debitum reddere in his, quæ ad generationem prolis ſpectant, ſalva tamen prius perſonæ incolumitate*; quam doctrinam repetit ad 2. & 3. ergo quamdiu debitum reddi poteſt, ſalva incolumitate perſonæ, reddi debet: ergo excuſatio non reddendi debitum, quia plures naſcuntur filii, non eſt legitima, ſed injurioſa conjugi jus habenti petendi debitum.

Ratio legitima utendi matrimonio eſt prolis ſuſceptio: ergo valde abſurdum eſt, hanc rationem contra matrimonii uſum, & debiti redditionem retorquere,

Ne-

Neque vero ſuſceptio prolis quoad certum numerum filiorum, ſed prolis abſolute eſt ratio legitima uſus matrimonii. Quod ſi debitum eſt reddendum, etiamſi hujus finis, hoc eſt prolis ſpes non ſit, multo magis reddi debet, ſi ſpes hujuſmodi adſit.

Unde nam quæſo quidam recentes opinatores tam abſurdam exceptionem contra matrimonii fidem, & pactum invenere, niſi ex ſuo ipſorum cerebro? Juxta hoc eorum commentum, matrimonii pactum quoad reddendum debitum eſſet non abſolutum, ſed limitatum, & conditionatum, hoc eſt niſi plures naſcantur filii, quam ali poſſint; quo nihil abſurdius cogitari poteſt. „ Multiplicatio prolis, inquit La-Croix p. 36. num. „ 392. ordinarie non excuſat, niſi abeſſet omne peri„ culum incontinentiæ, & immineret magna incom„ moditas in alendis tot prolibus. “

At hæc magna incommoditas eſt matrimonii onus, ſicuti matrimonii onus eſt magna incommoditas uxoris in vehementiſſimis doloribus, & periculo vitæ, quod in partu incurrit. Sicut ergo hæc magna incommoditas uxorem a debiti redditione non excuſat, ita magna incommoditas alendi multos filios nec virum, nec uxorem a reddendo eodem debito eximit.

Dum recentes quidam opinatores hanc vanam excuſationem non reddendi debitum commenti ſunt, oculis in terram defixis, mentem ad divinam providentiam non erexerunt, nec illud Matth. 6. in animo habuerunt: *Reſpicite volatilia cæli, quoniam non ſerunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & Pater veſter cæleſtis paſcit illa. Nonne vos magis pluris eſtis illis?* Ergo tam vanum commentum, quod matrimonii uſum voluptate, & commodo metitur, e fidelium conjugatorum mentibus explodendum omnino eſt.

Animadversio XX.

Imo ſi aliter non poſſit reddere debitum, licite non obſervat jejunia Eccleſiæ &c.

De his dictum eſt lib. 3. tract. 6. cap. 3. dub. 2.

Animadversio XXI.

Non tamen tenetur .... modo innaturali.

Nulla alia gravis cauſa petendi debitum modo innaturali aſſignari poteſt, niſi quod corporis diſpoſitio modum naturalem non patitur, in qua hypotheſi reddendum eſt debitum petenti modo innaturali, dum quoad minime fieri poteſt, a modo naturali recedat.

Vel in loco publico, vel ſacro &c.

Hac de re dictum fuit lib. 3. tract. 4. cap. 2. dub. 2. ea. 6.

Animadversio XXII.

Si illud petat maritus morbo contagioſo laborans &c.

Theologi eſt, ſententiam de jure dicere, non de facto. Jus quoad rem hanc eſt, debitum eſſe reddendum, ſi reddi poſſit ſalva corporis incolumitate, in quam nec petens, nec reddens jus habet. Exigua incommoda pro nihilo habenda ſunt: utrum vero grave incommodum ſalutis pati conjux poſſit ex debiti redditione, id conſideratis circumſtantiis Medici magis, quam Theologi officium eſt judicare.

Quod attinet ad lepram, hæc ſaltem ordinarie loquendo non excuſat ſanum a debito reddendo leproſo, ut docet D. Th. Suppl. qu. 64. art. 1. ad 4. ubi ait: *Unde etiam uxor viro leproſo tenetur reddere debitum; non tamen tenetur et cohabitare; quia non ita cito inficitur ex coitu, ſicut ex frequenti cohabitatione*: & Alex. III. c. *Quoniam* 2. tit. 8. lib. 4. decr. inquit: *Quod ſi virum, ſive uxorem leproſum fieri contigerit, & infirmus a ſano carnale debitum exigat, generali præcepto Apoſtoli quod exigitur, eſt ſolvendum; cui præcepto nulla in hoc caſu exceptio invenitur.*

Quod ſi lepra ante matrimonium fuerit contracta, & cognita, multo minus excuſat a debiti redditione; quia, ut ait D. Th. ad 4. citat. *lepra ſolvit ſponſalia, ſed non matrimonium.*

Dixi *ordinarie*: nam ſi grave periculum contagionis ex medicorum judicio immineret, ſanus non teneretur debitum leproſo reddere ex allato principio D. Thomæ, quod Genettus Theol. t. 5. p. 265. qu. 10. confirmat auctoritate S. Bonav. & S. Antonini.

At ſubdit idem Gen. „ Sed excipiendus eſt unus ca„ ſus, in quo quamvis probabile ſit infectionis pericu„ lum, tenetur tamen ſanus leproſo debitum reddere, „ vel etiam cohabitare ſaltem in eadem domo; quando „ ſcilicet lepra, aut alius ſimilis morbus contagioſus „ matrimonium præceſſit, & eo non obſtante a con„ juge ſano, & talem morbum non ignorante contra„ ctum fuit; quia tunc videtur renuntiaſſe juri ſuo, „ dum ſciens ſponte ad id per matrimonium ſe obli„ gavit. “

At hic animadvertendum puto, neminem habere jus, ſeu dominium in corpus ſuum, ejuſque incolumitatem; cujus rei dominium uni Deo vitæ, & necis Domino competit. Quare huic juri, quo quiſque caret, renuntiare nemo poteſt, nec ſe quiſquam ad id obligare, quod ſui corporis incolumitati notabiliter noxium eſt.

Animadversio XXIII.

Si petat ab uxori ...... ut quidam volunt, tempore menſtrui.

Recte id quidem, ut ſupra oſtenſum fuit art. 1. c. 8. contra Buſembaum, qui hic ſibi, ut moris eſt probabilium, contradicit.

Aut cum uxor eſt gravida &c. ut per ſe patet, ait Laym. c. 1. num 7.

Id ſane per ſe patet, quia uſus matrimonii nec in petente, nec in reddente licere contra bonum matrimonii, unde honeſtatur, poteſt.

Et eſſe mortale dicit Perez: addens ex Sanch. &c. licitum eſſe.

Ne hac quidem de re dubitandum eſt. Nam ſubire, ſeu creare periculum abortus, aut mortis prolis jam conceptæ eſt res graviſſime mala, caritati, & juſtitiæ contraria; quæ proinde a mortali culpa excuſari nulla ratione poteſt; neque enim cum tanto periculo jus eſt petendi, nec debitum reddendi. Quare ſeu quis petat, ſeu reddat cum tanto periculo, letaliter peccat.

Nam petere debitum, cum uxor eſt gravida, etiamſi nullum ſit abortus periculum, juxta communem SS. Patrum ſententiam venialis culpa eſt ex mox dictis, reddere autem nullum peccatum. Hæc confirmat S. Antoninus apud Genettum Theol. t. 5. p. 267. quæſt. 21. inquiens: *Tempore prægnationis reddere debitum, non eſt peccatum, & reddere debet, ſi non eſt periculum abortus; poteſt etiam exigere in dicto caſu abſque mortali. Sed ubi eſſet periculum probabile abortus, nec debet exigi, nec reddi; alias eſſet mortale ſecundum Petrum de Palude, qui etiam dicit, quod petere debitum tali tempore, eſt ſemper veniale, ſi tamen non ſit periculum abortus.*

Aut ſi non poſſit uxor edere fetum niſi mortuum.... Laym. tamen dicit eo caſu licere.... quod Bonac. concedit.

Quod dictum eſt de eo, qui petit, aut reddit debitum cum periculo abortus, aut mortis prolis jam conceptæ, idem dicendum, ſi uxor non poſſit edere fetum, niſi mortuum; eſt enim eadem quoad mores ſpecies. Quia uſus matrimonii in hac ſpecie proli pernicioſus, & mortalis eſt, atque perinde eſt ac ſi prolem procreent, et occidant; quod eſſe mortale peccatum graviſſimum, ac parricidium, res evidens eſt; imo vero parricidio additur mors animæ fetui illata, qui nondum baptizatus occiditur. An id licere poteſt ad vitandam incontinentiam? At non ſunt ex Apoſtolo facienda mala, ut eveniant bona. Præterea periculum incontinentiæ alia ratione vitari poteſt. Nulla ergo ratione hujuſmodi crudele facinus a mortali culpa, nedum ab omni culpa excuſari valet.

Aut non poſſit edere, niſi cum præſenti periculo vitæ &c.

De periculis ordinariis vitæ, quæ uxores parientes ſubeunt, nulla diſputatio eſt; quia hæc ſunt pœnæ, labem originis ex divinæ juſtitiæ lege conſequentes, quibus omnes nuptæ obnoxiæ ſunt.

At ſi ſermo ſit de extraordinario præſenti certo vitæ periculo, quod uxor ſubitura ſit, ſi debitum reddat, illud reddere non tenetur, quia ex ſolidiſſima S. Thomæ doctrina ſupra allata, conjux non habet poteſtatem in corpus alterius, *niſi ſalva conſiſtentia perſonæ ipſius*: ergo uxor non tenetur debitum reddere, ſi fetum edere non poſſit, niſi cum extraordinario, & certo periculo vitæ. Nec enim conjugium jus tribuit, ut prolis gratia uxorem coeundo occidas.

In hac ſpecie non ſolum uxor non tenetur reddere, ſed tenetur non reddere.

Vir petens crudelis eſt, & uxoricida; uxor reddens, viri crudelitati ſuæque nefariæ neci conſentit. An utrumque grande peccatum non eſt? An excuſandum prætextu jam exploſo vitandæ incontinentiæ.

Denique propter grave periculum morbi &c.

Recte quidem; imo in hac quoque ſpecie tenetur non reddere; quia ut vitæ propriæ, ita ne incolumitatis quidem conjux non eſt dominus.

Animadversio XXIV.

Si alter debitum exigat innaturali modo, niſi tamen &c.

Si illud *innaturali modo* a Buſembao abſolute enuntiatum comprehendat vas innaturale, baſilice, & craſſe fallitur. Nam ſicuti nemo a mortali culpa excuſatur, nedum a culpa, ſi adulterio fornicationi, &c. conſentiat malorum timore, ita uxor multo minus a letali peccato excuſari poteſt, nedum ab omni peccato,

 ſi ti-

ſi timore rixarum, odii, &c. conſentiat viro vaſe indebito uti volenti; quia hoc facinus fornicatione, & adulterio deteſtabilius eſt teſte D. Auguſtino, qui, ut refertur c. 11. *Adulterii* qu. 7. cau. 32, ait: *Omnium horum eſt peſſimum, quod contra naturam fit, ut ſi vir membro mulieris non ad hoc conceſſo voluerit uti. Uſus enim naturalis, ſi ultra modum prolabitur, in uxore quidem veniale eſt, in meretrice damnabile. Sed iſte, qui eſt contra naturam, execrabiliter fit in meretrice, ſed execrabilius in uxore.* Hinc D. Antoninus apud Genetum Theol. t. 5. p. 270. qu. 14. ait: *Unde nullo modo uxor debet viro in hujuſmodi* (uſu corporis contra naturam quoad vas) *aſſentiri. Non enim excuſaretur a mortali peccato, quantumcumque cum animi diſplicentia hoc faceret. Nec timor, vel ſufferentia verberum, vel futura incontinentia viri eam excuſaret, niſi ei violentia abſoluta inferretur, a qua ſe non poſſet defendere; ſed ex hoc in futurum licite ei poſſet debitum denegare.*

At etiamſi Bulembau intelligatur de innaturali modo ſolum quoad modum concumbendi, non tamen licet uxori conſentire viro timore rixarum, odii, incontinentiæ. Peccare enim nunquam licet, ne maximorum quidem peccatorum vitandorum cauſa. Peccatorum compenſationem ſana Theologia, & Apoſt. reſpuit, qui Rom. 3. 8. ait: *Et non (ſicut blaſphemamur, & ſicut ajunt quidam, nos dicere) faciamus mala, ut veniant bona; quorum damnatio juſta eſt*: at concubitus uxoris cum viro innaturalis, quoad ſolum concumbendi modum, eo ipſo, quia innaturalis eſt, malus eſt, & culpabilis: ergo. Neque enim naturalis evadit, quia malus vir illum exigit, incuſſoque timore extorquere conatur; neque rurſus, ſi naturæ neceſſitas illum honeſtat, hominis malitia, aut incontinentia honeſtari poteſt. Denique mulier reſiſtens, debitum in hac ſpecie non negat, ſed indebitum, & meretricium ſui corporis uſum negat, ſeque uxorem eſſe, non meretricem oſtendit. Hinc S. Antoninus ſupra relatus: *Inducendæ ſunt uxores, quod viris, a quibus communiter iſta procedunt, non conſentiant in hujuſmodi. Si tamen timore verberum, vel incontinentiæ virorum eis aſſentiant, non poſſunt ex hoc argui de mortali, ex quo ſecundum Albertum de ſe illud mortale non eſt.* D. Antoninus uxores in hac ſpecie a culpa mortali, non ab omni culpa excuſat.

Animadversio XXV.

Poſſunt quidem conjuges ex gravi cauſa aliquid facere, ex quo per accidens ſequatur ſeminis effuſio.

Ipſa quidem vel flagitioſiſſima ſcelera, ſi ſunt involuntaria, culpæ non vertuntur: quare ſi ſeminis effuſio in conjugibus tum in ſe, tum in cauſa involuntaria ſit, culpa vacabit. At cum conjuges dicuntur facere aliquid ex gravi cauſa, ex quo per accidens ſequatur ſeminis effuſio, ſeminis effuſionem aut in ſe, aut in cauſa velle videntur, & intelliguntur; ex quo fit, ut non ſolum peccent, ſed graviter peccent; quia voluntaria ſeminis effuſio in conjugibus grave ſcelus eſt. Illud *per accidens* additum mihi videtur ad horrorem ſceleris tegendum. Ratio a Bulembau allata, tectum & aſtutum ſophiſma eſt. Qui enim faciunt aliquid, unde ſeminis effuſio oritur, non ſolum permittunt, ſicut Bulemb. ait, ut generatio non fiat, ſed generationem ſeipſa, & facto impediunt; quod grande ſcelus eſſe, res eſt manifeſta.

Animadversio XXVI.

Licite interrumpitur actus conjugalis, etſi ex natura concitatione ſecuta ſit pollutio, dummodo ſit juſta cauſa interrumpendi &c.

Dum Bulemb. ita loquitur, ponere videtur actum conjugalem poſſe inchoari, etiamſi ante conſummationem interrumpendus prævideatur: at hæc poſitio flagitioſa eſt. Naturæ enim lex, & matrimonii ſanctitas poſtulat, ut actus conjugalis non inchoetur, niſi conſummandus ſit; quia niſi conſummetur, prolis generatio impeditur. Qui copulam inchoat, ac poſt interrumpit, ſemen, quod ex natura ſua in uterum uxoris, veluti in agrum fundendum erat, cohibet; porro ſemen cohibere, & impedire, ne in uterum mulieris illabatur, perinde eſt, ac ſemen effundere: hoc poſterius eſt grande ſcelus, quod ex quacumque gravi cauſa excuſari non poteſt: ergo etiam prius.

Hujuſmodi flagitia, utpote contraria naturæ, non ſolum ſunt deteſtabilia, ſed aliis peccatis naturæ non repugnantibus deteſtabiliora, non ſecus ac concubitus cum uxore extra vas naturale. Contra hujuſmodi portenta merito declamat P. Concina Theol. t. 10. pag. 405. num. 7. 8. 9. 10.

Animadversio XXVII.

Peccat probabiliter femina, quæ in uſu matrimonii alio animum diſtrahit &c.

Hac de re dictum eſt a. 1. h. dub. c. 6.

Animadversio XXVIII.

Quod ſi interim alter mortuus non ſit..... excuſatur nubens; neque ex dubia &c.

Miſſo Bulembao audiendus eſt Clemens III. qui cap. 19. *In præſentia* tit. 1. lib. 4. decr. ait: *Reſpondemus, quod quantocumque annorum numero ita remaneant, viventibus viris ſuis, non poſſunt ad aliorum conſortium convolare; nec auctoritate Eccleſiæ permittas contrahere, donec certum nuntium recipiant de morte virorum.* Bulembau excuſat nubentem conjugem, ſi alter mortuus non ſit, dum fama, & ſufficientia indicia de ejus morte habeantur; at Clemens III. non excuſat, quia conjugem ad ſecundas nuptias tranſire non permittit, niſi de morte prioris conjugis res certa ſit. Idem habet Lucius III. cap. 2. *Dominus* tit. 21 lib. 4. decr. ubi inquit: *Sane ſuper matrimoniis, quæ quidam ex vobis (nondum habita obeuntis conjugis certitudine) contraxerunt, id vobis reſpondemus, ut nullus amodo ad ſecundas nuptias migrare præſumat, donec ei conſtet, quod ab hac vita migravit conjux ejus.* Hinc porro fit, ut matrimonia ſine certa notitia mortis prioris conjugis inita, utpote illegitima, & juri pontificio, ac naturali contraria, ſint ſeparanda, quidquid Bulembau ſuis falſis principiis nixus contra effutiat, qui audiendus non eſt

Animadversio XXIX.

Si ex conjugibus infidelibus, altero ad fidem converſo alter maneat infidelis &c.

Hic ex D. Th. Suppl. qu. 59. art 3. animadvertendum eſt, quod *quantum ad conjugum cohabitationem, & debiti ſolutionem pari paſſu currunt infidelitas, & adulterium; quia utrumque eſt contra bonum prolis. Unde ſicut ſe habet in poteſtate dimittendi adulteram, vel commanendi cum ea, ita ſe habet in poteſtate dimittendi infidelem, vel commanendi cum ea. Poteſt enim vir innocens libere manere cum adultera ſpe correctionis, non autem ſi in adulterii peccato fuerit obſtinata, ne videatur patronus turpitudinis: quamvis etiam cum ſpe correctionis poſſit eam libere dimittere. Similiter fidelis converſus poteſt cum infideli commanere cum ſpe converſionis, ſi eam in infidelitate obſtinatam non viderit, & bene facit commanendo; tamen non tenetur, & de hoc eſt conſilium Apoſtoli* 1. Cor. 7. *ubi ait: Ceteris ego dico, non Dominus, ſi quis frater uxorem habet infidelem, & hæc conſentit habitare cum illo, non dimittat illam &c.*

La-Croix p. 38. num. 409. ait: „ Si infidelis nolens „ converti, vellet pacifice ſine contumelia Creatoris, „ & periculo peccati remanere cum converſa, S. Th. „ &c. aliique multi dicunt, converſum non poſſe recedere, aut diſſolvere vinculum, quia Ap. 1. ad Cor. 7. „ v. 12. dicit: *Si quis frater &c.*" Si La Croix legiſſet S. Doctorem, hanc illi ſententiam non affinxiſſet; quia S. Doct. contrarium aperte docet, ut ex ejus verbis mox recitatis liquet. At cum La-Croix S. Thomam non legerit, cur tanto Doctori imponit ſententiam, cui contrarius eſt?

An hæc levis injuria eſt, mentem Angelici temere pervertere? Sed miſſo La-Croixio, S. Th. ait, *cum ſpe converſionis, ſi eam in infidelitate obſtinatam non viderit &c.* Hinc ad 2. dicit, *quod in primitiva Eccleſia tempore Apoſtolorum paſſim convertebantur ad fidem & Judæi, & Gentiles. Et ideo tunc fidelis vir poterat habere probabilem ſpem de uxoris converſione, etiamſi converſionem non promitteret. Poſtmodum autem tempore procedente Judæi ſunt magis obſtinati, quam Gentiles; quia Gentiles adhuc intrabant ad fidem, ſicut tempore martyrum, & temporibus Conſtantini Imperatoris, & circa tempora illa. Et ideo tunc non erat tutum fideli cum uxore infideli Judæa cohabitare, nec erat ſpes de converſione ejus, ſicut erat de converſione uxoris gentilis. Et ideo tunc fidelis converſus poterat cohabitare cum gentili, ſed non cum Judæa, niſi converſionem promitteret. Et ſecundum hoc loquitur decretum illud* (Concilii Toletani cap. 10. qu. 1. cau. 28.) „ Judæi, qui chriſtianas mulieres in conjugio habent, admoneantur a civitatis Epiſcopo, ut ſi cum eis permanere cupiunt, chriſtiani „ efficiantur. Quod ſi admoniti noluerint, ſeparentur; „ quia non poteſt infidelis in ejus permanere conjun„ ctione, quæ jam in chriſtianam tranſlata eſt fidem." *Sed nunc pari paſſu ambulant utrique; ſcilicet Gentiles, & Judæi, quia utrique obſtinati ſunt. Et ideo niſi uxor converti velit, non permittitur ei cohabitare ſive ſit Gentilis, ſive Judæa.*

Sed

Sed hic D. quoque Aug. lib 1. de conjug. adul. ad Pollentium a cap. XVII. uſque ad finem legendus eſſet. Nonnullos ejus textus ego proferam. Et primo quidem veluti fundamenti loco notanda ſunt ea verba Cap. XVII. *Ea mihi videntur licere, & non expedire, quæ per juſtitiam quidem, quæ coram Deo eſt, permittuntur, ſed propter offenſionem hominum, ne ob hoc impediantur a ſalute, vitanda ſunt.*

Cap. XVIII. *Sed quia ita licitum eſt*, (dimittere conjuges infideles) *ut non expediat; ne propter conjugum ſeparationes offenſi homines, ipſam doctrinam ſalutis, quæ illicita prohibentur, exhorreant, ac ſic pejores, atque perituri in eadem infidelitate remaneant, intercedit Apoſtolus, & monendo fieri vetat, quod ita licitum eſt, ut non expediat ...... Tunc autem non expedit id quod licitum eſt, quando permittitur quidem, ſed uſus ipſius poteſtatis, aliis affert impedimentum ſalutis. Sicuti eſt, unde jamdiu loquimur, diſceſſio fidelis conjugis ab infideli, quam non prohibet Dominus præcepto legis, quia coram illo injuſta non eſt, ſed prohibet Apoſtolus conſilio caritatis, quia infidelibus affert impedimentum ſalutis: non ſolum quia perniocioſiſſime ſcandalizantur offenſi, verum etiam quia in alia conjugia cum ceciderint viventibus eis, a quibus dimittuntur, adulterinis nexibus colligati difficillime reſolvuntur.*

Cap. XIX. *Ideo hic, ubi id quod licet, non expedit, non poteſt dici, ſi dimiſerit infidelem, bene facit, ſi non dimiſerit melius facit, ſicut dictum eſt*, „ qui dat nu„ ptum, (1. Cor. 7. v 38.) bene facit, & qui non dat „ nuptum, melius facit. " *Quoniam illud non ſolum utrumque pariter licet, ... ſed etiam utrumque expedit, aliud minus, aliud amplius. Hoc autem, ubi de dimittendo, vel non dimittendo infideli conjugio quæritur, utrumque quidem pariter licitum eſt per juſtitiam, quæ coram domino eſt, ... ſed non utrumque expedit, ... & ideo id quod non expedit, Apoſtolus prohibet ...*

At vero de conjuge infideli dimittendo, vel non dimittendo quoniam unum horum non expedit, aliud expedit, dici non oportet, qui dimittit, bene facit, & qui non dimittit, melius facit, ſed dici oportet, non dimittat; quia etſi licet, non expedit.

Cap. XX. *Quod utique ideo monendum* (ne infidelis conjux dimittatur) *non jubendum fuit; quia non tanto pondere prohibendi ſunt homines facere licita, quamvis non expediant, quanto pondere prohibentur illicita.*

Demum cap. XXV. ita concludit. *Audiatur & hic Apoſtolus dicens*, (1. Cor. 7. 12. & 13.) „ ſi quis frater „ habet uxorem infidelem, & hæc conſentit habitare „ cum illo, non dimittat illam; & ſi qua mulier habet „ virum infidelem, & hic conſentit habitare cum illa, „ non dimittat virum. "

In eadem ferme ſenſa loquitur S. Joann. Chryſoſt. hunc eumdem Apoſtoli textum evolvens, atque ita inquit. *Quare* (Ap.) *infidelis conſuetudinem ſuadet? in fornicaria autem muliere non accuſatur vir, ſi eam dimittit? Quoniam illic quidem ſpes relinquitur, ut pars perdita ſalvetur. hic autem nuptiæ jam diſſolutæ ſunt, & hic ambo corrumpuntur, illic vero alterius duntaxat peccatum eſt.*

Tum in verſiculum 16. ejuſdem Ap. „ unde enim „ ſcis mulier, ſi virum ſalvum facies? " ait: *Hoc iterum ad id reſpicit, ne enim dimittas. Nam ſi in rixam non venerit, permaneas, inquit. Lucraberis etenim. Permane admone, conſule, ſuade. Nemo magiſter ita perſuadere poterit, quemadmodum uxor .... qui habet uxorem infidelem, vocatus es: maneat cum ea, neque fidei gratia uxorem ejicias.*

At hic ad temporum diverſitatem, de qua S. Th., confugis; de qua quid dicam? Rationes, & dicta SS. Auguſtini, & Joannis Chryſ. certo tempore ut alligentur, in animum ægre induco, multoque minus Apoſtoli allatum monitum.

Præterea Innoc. III. cap. *Gaudemus* 8. t. 19. l. 4. decr. ait. *Fideles hujuſmodi* (ab infidelitate converſi) *matrimonialiter copulati* (cum infidelibus) *libere poſſunt, & licite permanere conjuncti, cum per Sacramentum Baptiſmi non ſolvantur conjugia, ſed crimina dimittantur.* Porro hæc decretalis longe poſterior eſt Concilio Toletano cit., cum hoc coactum fuerit, ut habetur in Syn. Trid., anno Chriſti 636., Innoc. vero III. anno 1212. ſuam decretalem ediderit.

Verum cum hæc quæſtio magis facti, quam juris ſit; & periculum perverſionis conjugis fidelis, ſi cum infideli maneat, cum ſcandalis infidelis, ſi relinquatur, comparandum ſit; Bened. XIV. de Syn. Dœc. l. 13. cap. 21. n. 5. rem ita concludit. *At ſatis recte ſentire videtur Cabaſſutius, qui in Theor., & prax juris can. lib. 3. cap 23. n. 10. & 11. hujus dubii reſolutionem pendere affirmat a caſuum circumſtantiis, & moribus Regionum.*

Att ego ex Apoſtolo, SS. Aug. & Joanne Chryſ., & cap. *Gaudemus* ad ſperandum, cum infidelis ſine contumelia Divini Numinis, ejuſque fidei perverſione ſe paratum ad convivendum polliceretur, valde pronus eſſem.

At hic quæris, utrum infidelis converſus ad fidem, poſſit ad alias nuptias tranſire.

Reſp. Matrimonium quidem ex converſione ad fidem, & baptiſmi ſuſceptione non diſſolvitur. Si enim diſſolveretur, nunquam licuiſſet converſo, & baptizato cohabitare cum infideli, quod eſt aperte ex dictis falſum, & contra Apoſtoli conſilium a S. Thoma explicatum. Hinc P. Zacharia in numer. 407. La-Croix p. 38. ita refert. „ Ceterum tum in Florentina 27. Julii 1726. „ tom. 3. reſol. 3. p. 350. tum in antiquiore Florentina 1. Julii 1679., quæ ibidem citatur p. 355. ſtatuit „ S. C. infidelem converſum ad fidem, cum alia muliere matrimonium contrahere non poſſe, ſi ejus uxor „ antea converſa ad ſecunda vota non tranſierit. "

Quæſtioni autem propoſitæ reſpondet Innoc. III. c. 7. *Quanto* t. 19. lib. 4. decr. in hæc verba. *Si alter infidelium conjugum ad fidem catholicam convertatur, altero vel nullo modo, vel non ſine blaſphemia divini nominis, vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum, cohabitare volente; qui relinquitur, ad ſecunda, ſi voluerit, vota tranſibit; & in hoc caſu intelligimus quod ait Apoſtolus*: „ Si infidelis diſcedat. Frater enim, vel ſoror non „ eſt ſervituti ſubjectus in hujuſmodi, " *& canonem etiam, in quo dicitur*: „ Contumelia creatoris ſolvit jus „ matrimonii circa eum, qui relinquitur. " Rationem etiam affert. *Nam*, inquit, *etſi matrimonium verum inter infideles exiſtat, non tamen eſt ratum: inter fideles autem verum, & ratum exiſtit. Huc ſpectat Decretum S. Congr. apud Ben. XIV. de Syn. l. 13. c. 21. n. 1.*

Hanc eamdem ſententiam tradit S. Th. Suppl. q. 59 art. 5. quæ certa eſt apud omnes, ait Anacl. t. 3. juris can. p. 538. num. 4. ex Sanch. teſtimonio.

Quod *ſi infidelis*, inquit idem S. Th., *vult cohabitare ſine contumelia Creatoris, & ſine hoc quod ad infidelitatem inducat, poteſt fidelis libere diſcedere, ſed diſcedens non poteſt alteri nubere*; cujus ſententia ex cap. *Quanto* cit. confirmatur, evidentius vero ex cap. ſequenti *Gaudemus*, in quo Innoc. idem III. ait: *Qui autem ſecundum ritum ſuum, legitimam repudiavit uxorem, cum tale repudium veritas in Evangelio reprobaverit, nunquam ea vivente licite poterit aliam, etiam ad fidem Chriſti converſus habere, niſi poſt converſionem ipſius illa renuat habitare cum ipſo, aut etiamſi conſentiat, non tamen abſque contumelia Creatoris, vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum.* Hujus cap. ſententiam ſecuti ſunt fatente La-Croix num. cit. S. Bonav. Dur. Nav. Tol. Rebell. Pontius, aliique multi.

At ſubdit: „ Contradicunt probabiliter Sanch. Kon. „ Dian. & alii cum Averſ. qu. 2. §. 55. "

An probabilis eſſe poteſt opinio, quam non ſolum Sancti Eccleſiæ Doctores, & graviſſimi Scriptores, ſed ipſa Sedes Apoſtolica improbat? Improbandi potius valde ſunt nonnulli probabiles, qui contra ſcribere auſi ſunt, & La Croix, qui eorum opinionem probabilem appellat, at quo fundamento? „ Apoſt. inquit, præ„ mittit, *ceteris ego dico, non Dominus &c.* Itaque pro „ eo tempore apoſtolicum conſilium erat, ut permane„ rent propter ſpem converſionis; nunc autem videtur „ conſuetudine, quæ vim legis habet, eſſe inductum, „ ut ob periculum perverſionis, quod communiter re„ manet, non liceat ſimul manere, ſed poſſit conver„ ſus recedens aliud matrimonium inire. " Reſp. De aliis jam dictum eſt. Sed poſtrema illa verba, *ſed poſſit converſus recedens aliud matrimonium inire*, abſolute loquendo falſa ſunt, & ſolum vera poſita conditione aliqua deſcripta ab Innoc. III & S. Thoma. Quod confirmat Sacra Congreg. apud Bened. XIV. de Syn. l. 13. c. 21. num. 1.

Animadversio XXX.

Si Papa .... diſpenſet ante conſummationem, ſicuti eum poſſe probabilior ſententia affirmat.

In ſententiam negantem pronus eſt P. Concina Theol. t. 10. p. 243. §. 7. quam tuetur quoque Anacletus t. 4. juris can. p. 116. tit. 19. reſp. 2. nixus graviſſimorum, ut ipſe ait, & communi Theologorum auctoritate contra communem ſenſum canonici juris interpretum.

Contra pro affirmante ſententia 60. graviſſimos Auctores ſtare ait La-Croix p. 38. num. 414.

Hæc ſane graviſſima quæſtio, quæ ex privatorum Doctorum hinc inde pugnantium auctoritate ſolvi nequit, ex intelligentia divini illius oraculi Matth. 19. v. 6., *Quod ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet &c.* pendet. Hæc verba de matrimonio etiam rato, & nondum conſummato negantis ſententiæ patroni, ac præſertim Dominicus Soto intelligi volunt. At Alex. III. cap. 7. *Ex publico* t. 32. lib. 3. decr. inquit: *Sane quod Dominus in Evangelio dixit, non licere viro, niſi ob cauſam fornicationis uxorem ſuam dimittere, intelligendum eſt ſecundum interpretationem ſacri eloquii de his, quorum matrimonium carnali copula eſt conſummatum, ſine qua*

con-

conſummari non poteſt. Primus ergo, & præcipuus negantis ſententiæ cardo corruit.

Objicit 2. Anacl. cap. 14. *Ex parte* tit. cit. ubi Innoc. III. ait, *quod etſi poſſit non inconſulte videri, quod ex quo matrimonium inter legitimas perſonas per verba de præſenti contrahitur, illis viventibus in nullo caſu poſſit diſſolvi, ut vivente reliquo alter ad ſecunda vota tranſmigret*, &c.

Reſp. Tempore Innoc. III. ea opinio invaluerat, ut matrimonium ratum nullo in caſu, ne Religionis quidem profeſſione ſolvi poſſet; quam opinionem re nondum definita Summus Pontifex aperte non damnat, dum ait, *etſi poſſit non inconſulte videri* &c. ab ea tamen recedit, dum inquit: *Nos tamen volentes a prædeceſſorum noſtrorum veſtigiis declinare, qui reſpondere conſulti, antequam matrimonium ſit per carnalem copulam conſummatum, licere alteri conjugum, reliquo inconſulto, ad religionem tranſire, ita quod reliquus ex tunc legitime poterit alteri copulari; Hoc ipſum ſibi conſulimus obſervandum in articulo prænotato* &c.

Nunc quoad hoc res definita eſt a Syn. Tridentina can. 6. ſeſſ. 24. hoc eſt matrimonium ratum ſolemni Religionis profeſſione dirimi; at per ſolam Religionis profeſſionem matrimonium ratum diſſolvi poſſe, nec Canones dicunt, nec quiſquam id evincere poteſt; imo vero, cum matrimonium ratum reipſa diſſolvatur Religionis profeſſione, inſolubile dici abſolute non poteſt. Quod ſi inſolubile non eſt, neceſſe eſt ut ſit aliqua poteſtas, qua ſolvi queat: ergo ſuprema Eccleſiæ poteſtas in Romano Pontifice reſidens illud ſolvere poteſt. Huc ſpectat illud Matth. 16. 19.: *Quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis*. Cur Religionis ſolemne votum, non aliud quodcumque, matrimonium ſolvit? Nulla alia ratio aſſignari poteſt, niſi quia votum ſolemne Religionis ab Apoſtolica Sede approbatum fuit: ergo tale votum, vim ſolvendi rati matrimonii aliunde non habet, quam ex apoſtolicæ Sedis auctoritate. Quod ſi hoc negari nequit, ne illud quidem negari poteſt, in apoſtolica Sede multo magis ineſſe auctoritatem dirimendi matrimonium ratum; quia, ut fert ſcholæ axioma, *propter quod unumquodque tale, & illud magis*.

Nihil quidem apoſtolica Sedes haſtenus hac de re expreſſe definivit; at ſummi Pontifices matrimonium ratum reipſa diſſolverunt, ut Martinus V., Eugenius IV., Paulus III., Pius IV., & Greg. XIII.; neque id negat Anacletus reſp. 2. cit. num. 8. ſed ait, opponi poſſe alios Pontifices contra ſentientes, & operantes. Sed neminem determinate citat, aut citare poteſt. Nam Innoc. III. mox appellatus nobis non adverſatur, ſed favet; quia, cum a ſuorum prædeceſſorum veſtigiis ſe declinare nolle fateatur, inſinuat, non eſſe recedendum ab apoſtolicæ Sedis uſu: porro dici poteſt, eſſe Sedis apoſtolicæ uſum diſpenſandi in matrimonio rato. Non enim ſolum citati, ſed decem ſapientiſſimi Pontifices leguntur ſic diſpenſaſſe teſte Pign. t. 1. con. 248. ubi etiam refert, ſic declaraſſe ſacras Congregationes. Ita habet La Croix n. 414. cit. Fateor, ſucceſſores Pontifices aliter aliquando judicaſſe, ac aliqui prædeceſſores, ut Alex. III., qui matrimonium ratum, per ſubſequens conſummatum non ſolvi judicavit c. 3. *Licet* t. 1. lib. 4. decr. *Quamvis aliter*, inquit, *a quibuſdam prædeceſſoribus noſtris ſit aliquando judicatum*.

At hoc raro accidit, neque in noſtra ſpecie, ubi ſucceſſores cum deceſſoribus conveniunt, locum habet. Adde, quod non de uno, aut altero Rom. Pontifice ſermo eſt, ſed de plurimis conſentientibus, quorum judicium, & uſum ex privatis opinionibus deferere magis audacis, & inconſulti hominis eſt, quam ſani Theologi.

Sed illud quoque animadvertendum eſt, Sedem apoſtolicam pro certo habere, quod ſibi competat poteſtas diſpenſandi in matrimoniis ratis. Nam Bened. XIV. conſtit. *Dei miſeratione* anni 1741. tertio nonas Novembris (habetur t. 1. app. Concinæ p. 248.) *ſæpe apud Sedem apoſtolicam preces porrigi ſolere pro diſpenſatione matrimonii rati, & non conſummati* teſtatur; neque ullum dubium de diſpenſandi poteſtate movet, ſed hanc ut certam ponens, regulas præſcribit ad ordinem judicii pertinentes, ut Rom. Pontifex quoad factum, & cauſas diſpenſandi plene informetur, ne diſpenſatio ſine matura, & exacta diſcuſſione concedatur. Quare ego quidem meum judicium practico judicio Sedis apoſtolicæ, ut neceſſe eſt, ſubmittens, contrariam ſententiam rejiciendam puto; ac pro certo habeo, Rom. Pontificem habere poteſtatem diſpenſandi in matrimoniis ratis, ac diſpenſatos, ſi nulla fraude, ac vi, ſed veritate, & ſinceritate uſi fuerint, in conſcientia tutos eſſe, nec ullos iis ſcrupulos a Confeſſariis, vel aliis eſſe movendos.

Animadversio XXXI.

Non tamen mollities, vel pollutio.

Pollutionem non eſſe juſtam divortii cauſam putat Buſemb, quam opinionem ſequitur quoque Concina Theol. t. 10. p. 225. n. 8. quia, inquit, non eſt carnis diviſio. Idem ſentit Anacl. t. 4. juris can. p. 585. num. 60.

Genettus contra Theol. t. 5. p. 219. qu. 8. contrarium ſentit, ſuamque ſententiam D. Auguſtini auctoritate confirmat, qui, ut habetur cap. *Idololatria* 5. qu. 1. cauſ. 28. inquit: *Ex quo intelligitur, quod propter illicitas concupiſcentias non tantum quæ in ſtupris cum alienis viris, aut feminis committuntur, ſed omnino quaslibet, quæ animam corpore male utentem a lege Dei aberrare faciunt, & perniciose, turpiterque corrumpunt, poſſit ſine crimine & vir uxorem dimittere, & uxor virum, quia exceptam facit Dominus cauſam fornicationis, quam fornicationem (ſicut ſupra commemoratum eſt) generalem, & univerſalem intelligere cogimur*. His verbis ſatis perſpicue includitur & etiam pollutio, quam divortii cauſam legitimam eſſe docet quoque S. Thom. Suppl. qu. 62. art. 1. ad 4. ubi ait: *Quod etiam propter vitium contra naturam poteſt procedi ad divortium. Sed tamen non fit ita mentio de ipſo, tum quia eſt paſſio innominabilis, tum quia rarius accidit, tum quia non ita cauſat incertitudinem prolis*. S. Bonav. in 4. diſt. 35. qu. 1. n. 12. non ſolum idem aſſerit, ſed efficaci ratione confirmat, dum ait: *Ad illud, quod quæritur, quare fornicatio ſeparet; dicendum, quod eſt culpa non tantum contra Deum, & contra corpus ſuum, ſed etiam contra matrimonii bonum, & contra conjugii actum, & contra conjugis corpus: eſt enim contra fidem, & contra actum matrimonialem: abutitur etiam corpore, quod non eſt ſuum, ſed alterius; & ideo talis amittit jus petendi debitum. Et quia hoc totum eſt in peccato contra naturam, ideo ſub fornicatione comprehenditur*. Pro hac eadem ſententia affert Gen. quoque Toſtatum, & Panormitanum. Hæc proinde tam gravibus auctoritatibus, & ratione nixa, merito tenenda eſt, & contraria Buſemb., Anacleti, & aliorum deſerenda; præſertim cum contraria, ratione ſolida careat. Dum enim dicunt pollutionem ſeu in ſeipſo, ſeu cum alio non eſſe diviſionem carnis in carnem, idem eſt, ac ſi dixerint, non eſſe coitum, quod verum eſt; at non oſtendunt, ſolum coitum eſſe legitimam divortii cauſam.

Ex luxuria ſine coitu, ait Anacletus, matrimonii fides integre, & conſummate non violatur. Reſp. Hoc ille quidem aſſerit, ſed non probat, ac merito negatur. Pactum enim, & fides matrimonii, corporis poteſtatem quoad uſum membrorum generationi inſervientium transfert in conjugem: at hanc fidem integre violat, qui vel in ſeipſo, vel cum alio polluitur, imo fœdius, ac flagitioſius, quam ſi adulterium admitteret; ſicuti fidem perinde violat qui pecuniam ex oneroſo contractu debitam ſeu alteri det, ſeu in mare projiciat, imo in hac altera ſpecie turpius, quam in prima.

Porro conjux innocens, cum fornicatio alterius ſibi comperta, & certa eſt, propria auctoritate quoad torum a nocente ſeparare ſe poteſt, ut recte affirmat Genettus Theol. t. 5. p. 239. q. 34. nixus auctoritate SS. Thomæ, Bonav., Antonini, quorum verba recitat.

Ad publicam tamen cohabitationis ſeparationem Judicis eccleſiaſtici ſententia neceſſaria eſt, ut idem Genettus p. 240. qu. 35. evincit S. Thomæ, & ſacrorum canonum auctoritate; quæ ſententia teſte Concina Theol. t. 10. p. 256. n. 14. communis eſt, & graviorum Theologorum placitis confirmata.

Quare, dum Buſemb. ait, „ tunc innocens religio„nem ingredi, aut ſacros etiam ordines ſuſcipere pot„eſt, “ aut explodendus eſt, aut intelligendus, dum Eccleſiæ judicium accedat.

Quoad alias divortii cauſas, quas Buſemb. enumerat, idem habet Concina Theol. t. 10. p. 253. num. 4. niſi quod de morbo contagioſo ſilet; quem tamen eſſe cauſam legitimam quoad ſeparationem tori, ex D. Thomæ principio ſupra recitato, quo debitum conjux non tenetur reddere, niſi ſalva corporis incolumitate, manifeſtum eſt; idemque de cohabitatione dicendum, ſi neceſſitas id poſtulaverit.

Animadversio XXXII.

Excipiantur tamen ſequentes caſus.

Hos caſus excipit etiam Concina Theol. t. 4. p. 249. p. 245. c. 10. p. 248. c. 11. ab iis conſulendus, qui mutua viri, & uxoris officia diſcere cupiunt, quæ a Natali quoque Alex. Theol. t. 2. p. 132. cap. 5. explicantur.

CA-

CAPUT III.

De impedimentis Matrimonii.

DUplicis generis ſunt impedimenta: quædam illicitum tantum, alia inſuper irritum matrimonium reddunt. Priora dicuntur impedientia, poſteriora dirimentia.

DUBIUM I.

Quæ ſint impedimenta impedientia tantum?

Reſp. Præter peccatum mortale, & excommunicationem, ſex potiſſimum reddunt matrimonium mortaliter illicitum, ſcilicet

Eccleſiæ vetitum, nec non tempus feriarum,
Atque catechiſmus, crimen, ſponſalia, votum,
Impediunt fieri, permittunt facta teneri.

Dicitur 1. *Vetitum*, id eſt, prohibitio Eccleſiæ, quæ fit ab Epiſcopo, vel Parocho, ob dubium impedimenti alicujus, vel inhabilitatis inter copulandos. Vide Bonac. *qu. 1. par. 14. n. 1.*

Dicitur 2. *Tempus feriarum*, quod ſecundum Trid. *ſeſſ. 14. c. 10. de reform.* incipit nunc ab Adventu Domini uſque ad Epiphaniam incluſive: & a die
ANIMAD. I. Cinerum uſque ad octavam Paſchæ incluſive. *Quo tempore non prohibetur ipſe contractus, aut ejus conſummatio*, ſed tantum nuptiarum ſolemnitas, ut eſt benedictio nuptiarum, ſolemnis ſponſæ in domum ſponſi traductio, ſolemniora convivia, & tripudia, &c. *Neque Trid. ſeſſ. 24. c. 1. prohibet matrimonium conſummari ante benedictionem, ſed tantum hortatur, ne fiat.* V. Bonac. *l. c.* Sanchez *l. 6. d. 7.* Conin. *d. 30.* Filliuc. *t. 10. p. 2. c. 9.* M. Per. *d. 43. ſ. 10. n. 7.*

ANIMAD. II. Dicitur 3. *Catechiſmus*. Quod impedimentum contrahitur ab eo, qui reſpondet pro infante, quando ſupplentur cæremoniæ poſt baptiſmum collatum in neceſſitate: *ſed videtur ſublatum per Trid. ſecundum Sanch. Fag. Conin. Fill.* &c. qui ideo monent Parochos, ut in libro diſtinguant patrinos Catechiſmi a patrinis Baptiſmi. V. Bon. *l. c.*

Dicitur 4. *Crimen*, ut 1. Inceſtus cum conſanguinea conjugis in primo, vel ſecundo gradu, ſcienter admiſſus (qui impedit matrimonium cum quacumque alia perſona. Vide Perez *d. 23. ſ. 5.*) vel cum propria matre, vel filia. 2. Raptus alienæ ſponſæ. 3. Uxoricidium. 4. Presbytericidium. 5. Suſceptio propriæ prolis ex Baptiſmo, ad impediendam redditionem debiti. 6. Publica pœnitentia, quamdiu durat. 7. Matrimonium cum moniali. *Verum hæc per non uſum ſunt ſublata.* V. Laym. *hic c. 55.* ex Nav. Sanch. *l. 7. d. 17.* Con. *d. 30. dub. 3.*

Dicitur 4. *Sponſalia*, ſc. cum una contracta, & non diſſoluta. Con. *d. 30. dub. 3.* Sanch. Fill. Bonac. *l. c. n. 5.*

Dicitur 5. *Votum*, ſcilicet ſimplex, ſive caſtitatis, ſive religionis, ſive non nubendi. Vide Sanch. *l. 7. d. 13.* Reg. *l. 31. c. 24. n. 284.* Bon. *l. c. n. 7.*

Dixi in Reſponſione, *potiſſimum*: quia præter ſupra dicta, alia tria impedimenta numerantur.

Primum eſt clandeſtinitas; etſi enim valeat matrimonium clandeſtine contractum, *ubi Trid. non eſt receptum*, non licet tamen ſub mortali. *Ubi autem Trid. eſt receptum*, ſaltem quoad punctum matrimonii, eſt irritum, de quo ſequenti dubio. (*a*)

Secundum, omiſſio benedictionis; quia ſine hac, etſi valide, illicite tamen contrahitur matrimonium, ſaltem primum, (*b*) ut ex *c. Noſtras*, & *c. Sponſus*, *qu. 5.* docent Bonac. *q. 4. p. 6. n. 2.* Sanchez *l. 7. d. 82.* Sa, Henriq. Filliuc. &c. qui tamen concedunt non eſſe mortale, intellige, per ſe loquendo: nam per accidens ratione præcepti particularis, ſcandali, vel contemptus (ut ſi omittant nihili faciendo, ac ſi eſſet res vana, vel vilis, ac puerile haberent ei ſe ſubjicere) docet Perez *d. 43. ſ. 10. n. 4.* poſſe eſſe mortale. Dixi *primum*: nam ſecundæ nuptiæ non benedicuntur, niſi primæ non fuiſſent benedictæ. *Quod*
ANIMAD. III. *ſi autem alter conjugum ſit viduus, alter vero primas nuptias celebret, aut ſaltem nunquam fuerit benedictus, etſi jure antiquo non licuerit, nunc tamen quibuſdam locis conſuetudo habet, ut benedicantur*; ut v. Bonac. *l. c.* & patet ex Agenda. Debet autem fieri in templo a proprio Parocho, ſine cujus licentia ſi quis faciat, manet ipſo facto ſuſpenſus, donec abſolvatur ab Ordinario Parochi, a quo benedictio erat accipienda.

Tertium, ſi contrahatur matrimonium ſine præviis proclamationibus; ſine quibus etſi valeat, non licet tamen ſub mortali, ut habet communis (*quamquam Sanchez l. 3. d. 5. n. 7. Gaſp. Hurt. d. 5. n. 59.* ANIMAD. IV.
putent, non eſſe mortale unam omittere, quando certum eſt moraliter, nullum ſubeſſe impedimentum. Sed contrarium docet Per. d. 42. ſ. 5. n. 7. ex Conin. & Pontio) niſi Epiſcopus, vel ejus Vicarius diſpenſet, ut patet ex Tridentino *ſeſſ. 24. c. 3.* quod circa eas præcipit ſequentia. 1. Ut fiant in Eccleſia inter Miſſarum ſolemnia. *Poſſunt tamen etiam fieri in Oratorio, vel juxta Eccleſiam, aliove loco, confluente magno populo.* 2. Ut fiant a proprio Parocho, vel alio Sacerdote de ejus licentia. 3. Ut fiant in Parochia propria, & quidem utriuſque contrahentis, ut declaravit Congregatio. (*c*) 4. *Ut fiant tribus diebus feſtivis, non immediatis, continuis tamen, id eſt, qui feriatis quidem diebus, nulla tamen feſta interpolentur.* Vide Bonac. *q. 2. p. 6.*

Unde reſolves.

1. *Licet ſtatim poſt ultimam proclamationem contrahere, etiam eadem die*: non licet autem differre ultra quatuor menſes, intra quos ſi non contrahant, repetendas eſſe denunciationes, declaravit Congregatio *in ſeſſ. 24. c. 1. de reform. Imo Rituale Romanum duos tantum menſes permittit, intra quos ſi non contrahatur, jubet repetere denunciationes, niſi videatur aliud Epiſcopo.* ANIMAD. V.

2. *Poſt proclamationes tenetur ſub mortali, qui novit impedimentum, illico denunciare, quantumvis ſecretum eſſet, ad impedienda gravia mala, verbi gratia, inceſtum, ſacrilegium*, &c. Si tamen inde alteri periculum infamiæ naſceretur, is ex caritate prius eſſet monendus, ut a matrimonio deſiſteret. Sanchez *l. 3. d. 13.* Fagund. *p. 2. l. 6. c. 5.* Henr. Laym. *l. 5. t. 3. p. 2. c. 4. n. 8.* & cet. communiter *contra Pontium d. 5. q. 6. qui negat teneri denuntiare, ſi ſit occultum.* Idemque tenet Mart. Perez. *d. 43. ſ. 6. n. 1. & ſeq. ſed cum hac limitatione, ſi tantum audiverit, & neſciat a quo, vel ſi pro foro interno ſit diſpenſatum, vel ſi metuat magnum ſcandalum, aut periculum, vel ſi ſciat contrahentes eſſe in bona fide.* ANIMAD. VI.

3. Contrahens ipſe, legitime interrogatus de impedimento occulto, tenetur illud fateri, vel matrimonio abſtinere, niſi diſpenſationem pro foro conſcientiæ acceperit: tunc enim fateri non tenetur, niſi Judex aliunde habeat ſufficientem probationem. Sanch. Sylv. Laym *l. c. n. 10.* V. Bon. *l. c.* Perez *d. 43. ſ. 7. n. 2.*

4. Parochus, cognito impedimento, tenetur prohibere matrimonium, & remittere ad Epiſcopum, vel ejus officialem, neque poteſt aſſiſtere. Sanchez *l. 3. d. 15.* M. Perez *d. 43. ſ. 7. num. 9.* &c. contra Pont. *Niſi tamen ex ſola confeſſione noſſet; tunc enim* ANIMAD. VII.
nullo modo poſſet negare matrimonium, ſive publice, ſive privatim petenti, neque illum admonere officii extra confeſſionem: licet in confeſſione poſſet, ac deberet. Et tunc, ſi quidem ſine magno ſcandalo a matrimonio non poſſent deſiſtere, nec vellent, ſuadere, ut contrahant communi conſenſu, ſub conditione, ſi Papa diſpenſet animo tantiſper cohabitandi, ut fratres (non autem quoad torum) donec accedat diſpenſatio, & iterum contrahant. Ita ex Bejn, & Pont. *l. 5. c. 35.* Perez *l. c.* qui addit, ſi id omnino nolint, perſiſtantque petere, debere Parochum aſſiſtere.

5. *Poteſt Epiſcopus, vel ejus Vicarius*, non autem Decanus ruralis diſpenſare, *vel ut una tantum fiat* ANIMAD. VIII.
proclamatio, vel ut fiant poſt contractum ſubito factum coram Parocho, & teſtibus, ante conſummationem, vel etiam ut plane omittantur, ſi juſta cauſa ſubſit, v. g. timor, ne alioqui malitioſe impediatur matrimonium, pudor contrahentium, ſenium, inconſtantia, ſtatus diſparitas, metus ſcandali, infamiæ, incontinentiæ, &c. Bon. *l. c.*

6. *Etſi quando per diſpenſationem contractum eſt ma-* ANIMAD. IX.
trimonium ante proclamationes poſtea faciendas, conjux non

non tenectur, nec debeat alteri reddere debitum, priuſquam factæ fuerint; *quando tamen certi ſunt nullum ſubeſſe impedimentum, non peccare mortaliter conſummando*, tenet *Sot. Led. Texed. contra Sanch.* apud Dian. *p. 9. t. 8. R. 19.*

7. Etſi Parochus diſpenſare non poſſit, poteſt tamen in caſu neceſſitatis per epikejam declarare, præceptum hoc hic & nunc non obligare, v. g. ſi moriturus concubinam velit ducere, ob prolis legitimationem. Bon. *l. c.* ex Sylv. Sanchez, &c.

DUBIUM II.

Quæ ſint impedimenta dirimentia matrimonium?

Reſp. Præter defectum conſenſus, de quo ſupra *c. 2. d. 1.* ſunt, quæ ſequentibus verſibus comprehenduntur.

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus diſparitas, vis, ordo, ligamen, honeſtas,
Ætas, affines, ſi clandeſtinus, & impos,
Raptave ſit mulier, nec parti reddita tutæ.
Hæc ſocianda vetant connubia, facta retractant.

Dicitur 1. *Error*, ſcilicet perſonæ, qui dirimit jure naturæ, v. gr. ſi Cajo volenti ducere Annam, offerat ſe Maria, cum qua, putens eſſe Annam, contrahat: quia error aufert libertatem, & conſenſum requiſitum jure naturæ ad contractum.

Dixi, *Perſonæ*, quia error qualitatis, ſeu conditionis perſonæ (excipio ſervitutem) non irritat matrimonium, (*d*) ut v. g. ſi putetur eſſe nobilis, virgo, dives, &c. quam quis vult ducere, nec ſit talis, quia hic error non tollit conſenſum in perſonam, & materiam contractus. Aliud tamen eſſet, ſi abſolute nollet conſentire in perſonam, niſi tali conditione affectam, aut ſi ipſa conditio, juxta intentionem contrahentis, tranſiret in conditionem perſonæ; ut ſi quis vellet ducere primogenitam Regis, nec aliam, & tamen alia ſubſtitueretur, non ſubſiſteret contractus. Bon. *q. 3. p* 2. Sanchez *l. 7. d. 12.* Con. *d. 31.* Fill. &c.

ANIMAD. X. Dicitur 2. *Conditio*, ſcilicet ſervilis, ut ſi homo liber ignoranter contrahet cum ſerva, *vel ſervus cum ſerva*, nullum eſt matrimonium. Idque ſecundum ſententiam communiorem, jure tantum eccleſiaſtico, fundato tamen in jure naturali, cui eſt valde conforme. Ratio eſt, quia talis contractus adverſatur 1. Bono ſacramenti, cum ſervus invito domino nequeat cohabitare conjugi. 2. Bono fidei conjugalis, cum non poſſit ſolvere debitum ad libitum alterius. 3. Bono prolis, cum ſervus omnia acquirat domino. Ubi tamen notandum, non eſſe proprie ſervos, qui ſunt coloni originarii, vel aſcititii, vulgo dicti *Leibeigene*. V. Laym. *l. 5. t. 10. p. 4. c. 2.*

Dicitur 3. *Votum*, ſcilicet ſolemne caſtitatis per ſusceptionem Ordinis ſacri, vel per ſolemnem profeſſionem in religione approbata ſponte emiſſam.

Dico 1. *Sponte*; quia metus gravis irritat profeſſionem, ut vide ſupra *l. 5. c. 1. d. 2.*

Dico 2. *Solemne*, quia votum ſimplex tantum impedit, non dirimit (excipe tamen vota ſimplicia Societatis.) V. Laym. *l. c. c. 3.*

Dicitur 4. *Cognatio*, quæ triplex eſt.

ANIMAD. XI. *Prima dicitur Legalis, quæ eſt propinquitas perſonarum, proveniens ex adoptione perfecta (qua ſcilicet perſona extranea aſſumitur in filium, vel nepotem, ita ut tranſeat in poteſtatem adoptantis, eique ſuccedat, vel tanquam heres neceſſarius ex teſtamento, in quarta parte, vel tanquam filius ab inteſtato, in totum:)* ea enim dirimit matrimonium uſque ad quartum gradum inter adoptantem, & adoptatum, ejuſque deſcendentes, *cap. Per adoptionem, 3. q. 3. c. Diligere 39. q. 3.* V. Bon. *q. 3. p. 5. ſ. 3. n. 4.* & 5. V. tamen Layman, *c. 7. & Dian. p. 9. t. 6. R. 54. ubi contra communem ſententiam notat ex Henr. Leſſ. &c. probabile eſſe, quod poſt Trid. tantum dirimat uſque ad gradum ſecundum incluſive, ſecus cognatio ſpiritualis.*

Secunda eſt cognatio ſpiritualis, quæ jure eccleſiaſtico oritur inter perſonas aliquas, ratione Baptiſmi, & Confirmationis, dirimitque matrimonium (ut habetur *t. de cognatione ſpirituali in 6. c. Veniens*; & conſtat ex Trid. *ſeſſ. 24. c. 2.* Vide Bonac. *qu. 3. p. 5.* Sanchez *l. 7. d. 54.* Suarez *3. p. q. 67.*) inter baptizantem, & baptizatum, & hujus patrem, & matrem: item inter ſuſceptorem, & ſuſceptum, & hujus patrem, & matrem.

Tertia eſt cognatio conſanguinitatis carnalis, quæ eſt vinculum perſonarum ab eodem ſtipite proximo deſcendentium, dirimitque matrimonium uſque ad quartum gradum lineæ tranſverſæ incluſive. Et quidem quoad primum fortaſſis jure naturæ, quoad reliquos tres ſolo jure eccleſiaſtico. Unde etiam Pontifex in his, ex juſta cauſa, diſpenſare poteſt. Gradus vero lineæ rectæ, probabile eſt, omnes jure naturæ eſſe prohibitos. Porro pro gradibus conſanguinitatis dignoſcendis ſtatuuntur ſequentes regulæ.

Prima. In linea recta tam aſcendentium, quam deſcendentium, quot ſunt perſonæ, tot ſunt gradus, una dempta, ſcilicet ſtipite: v. g. pater, & filius ſunt conſanguinei in primo gradu, nepos, & avus in ſecundo, &c.

Secunda. In linea tranſverſa æquali (quæ eſt inter perſonas a communi ſtipite æqualiter diſtantes) quot gradibus perſonæ ſingulæ a communi ſtipite diſtant, totidem diſtant inter ſe. Unde frater, & ſoror ſunt in primo gradu lineæ tranſverſæ, patrueles, & conſobrini in ſecundo, filii eorumdem in tertio.

Tertia. In linea tranſverſa inæquali, inter perſonas inæqualiter diſtantes a communi ſtipite, quot gradibus remotior perſona diſtet a ſtipite, tot gradibus diſtent inter ſe. Unde patruus, & nepos, filius, & ſoror patris, ſunt conſanguinei in ſecundo gradu, quæ omnia patent in adjuncto ſchemate.

Dicitur 5. *Crimen*, idque triplex. Primum eſt homicidium conjugis, ab altero conjuge, & alio tertio, ſive phyſice, verbi gratia gladio, vel veneno; ſive moraliter, ut imperio, perfectum eo conſilio, ut poſtea inter ſe matrimonium contrahant. *Quod ſi cædes tentata ſit, ſed non perfecta, vel perfecta, ſed abſque intentione matrimonii ineundi, vel* ANIMAD. XII. *cum intentione quidem ea, ſed non ſignificata externus, vel non communi conſilio, ſed ab altero tantum, non dirimit matrimonium, niſi etiam adulterium præceſſerit: tunc enim, etſi unus tantum cædem perfecerit altero ignaro, dummodo id fecerit intentione matrimonii, vere dirimit.* Ita Con. Ledeſ. Sa, Sanch. *l. 7. d. 78. n. 13. & d. 79.*

Secundum eſt adulterium, quando nimirum duo carnaliter ſe cognoſcunt, vivente alterius conjuge, & vel matrimonium ineunt de præſenti, vel ſaltem dant fidem de ineundo poſt mortem conjugis. Sed in hoc caſu requiritur, ut promiſſio ſit acceptata, & uterque ſciat alterum eſſe conjugatum: ſi enim vel alteruter ignoret, non irritatur matrimonium, ſi quod poſtea ineatur conjuge mortuo. Perez, Conin. *d. 31. n. 57.* & *61.* Sanchez *l. 7. d. 7. 9. n. 12.* Fill. n. 256. Vide etiam Bon. *q. 3. p. 6. n. 8.* Dian. *p. 3. t. 4. R. 108. Excuſatque ignorantia quævis, etiam* ANIMAD. XIII. *facti*. Sanch. M. Leo *in praxi p. 2. ſ. x84.* Sufficit autem, ſi adulter dubitet, utrum tempore adulterii, & promiſſionis de matrimonio cum adultera vixerit alter conjux: quia præſumitur vixiſſe, niſi mors probetur. Nav. Sanch. *l. 7. de matr. d. 79.* Bard. *d. 6. c. 11. §. 8.*

Tertium eſt *raptus*, per quem perſona cum violentia abducitur, libidinis exercendæ, vel matrimonii ineundi cauſa. S. Thom. Mol. *t. 3. d. 105.* Durat autem hoc impedimentum, ſecundum Trident. quamdiu rapta eſt in poteſtate raptoris, etiamſi libere conſentiat. Unde libertati reſtitutam ducere poteſt. *Probabile tamen eſt, Tridentini decreto tan-* ANIMAD. XIV. *tum comprehendi raptum, qui fit cauſa matrimonii*. Sanch. *d. 13.* V. Laym.

Dicitur 6. *Diſparitas cultus*, ſive religionis: quæ dirimit matrimonium inter baptizatum, & non baptizatum, etiam catechumenum. *Idque jure tantum eccleſiaſtico*, (*e*) non ſcripto. Bonac. *q. 5. p. 7.* ex Conin. &c. Inter baptizatos vero non dirimit, etſi impediat: matrimonia vero cum hæreticis, etſi illicita, ſunt tamen valida. V. *ſupr. l. 2. t. 1. c. 4. d. 3.*

Dicitur 7. *Vis*, ſive violentia, & gravis metus inju-

SCHEMA CONSANGUINITATIS.

	IV. Abavus. Abavia.	
IV. M. Propatruus. M. Proamita.	III. Proavus. Proavia.	IV. M. Proavunculus. M. Promatertera.
III. M. Patruus. M. Amita.	II. Avus. Avia.	III. M. Avunculus. M. Matertera.
II. Patruus. Amita.	I. PATER. MATER.	II. Avunculus. Matertera.
I. Frater.	O Hypothe.	I. Soror.
II. Filii, & Filiæ Fratris.	I. Filius. Filia.	II. Filii, & Filiæ. Sororis.
III. Nepotes, & Neptes ex Fratre.	II. Nepos. Neptis.	III. Nepotes, & Neptes ex Sorore.
IV. Pronepotes, & Proneptes ex Fratre.	III. Pronepos. Proneptis.	IV. Pronepotes, & Proneptes exSorore.
	IV. Abnepos. Abneptis.	

injuſte incuſſus ad matrimonium extorquendum: *irritatque in utroque foro*. (*f*) Et quidem jure naturæ, ſi a contrahente; poſitivo autem, ſi a tertio ſit incuſſus.

Addo *gravis*, qualis ſcilicet cadit in virum conſtantem, verbi gr. mortis, perpetui carceris, amiſſionis bonorum, injuſtæ excommunicationis, enormis indignationis patris valde auſteri. Quando vero metus eſt levis, contractus cenſetur ſpontaneus; idque ad cavendas lites, etiam in matrimonialibus, ut Sacramento conſulatur. Reb. Sanch. Pont. & cet. communiter cum Dian. *p.* 3. *t.* 4. *R.* 230. & *t.* 5. *R.* 117. quamvis Navar. Gabr. & Covar. id negent, ſi metus ita extorſerit conſenſum, ut abſque eo non fuiſſet. Addidi 2. *injuſte*: quia, ſi juſte ſit incuſſus, valet matrimonium: talis enim non tam infertur ab alio, quam ab ipſomet, qui cauſam dedit; ut ſi v. gr. deprehenſo in crimine cum filia minetur accuſationem, niſi illam ducat. Addidi 3. *ad extorquendum*; quia matrimonium ex metu etiam graviſſimo, undecunque, & quandocunque incuſſo, dummodo non ad matrimonium extorquendum, valet: tunc enim non jam contrahitur metu, quam eligitur medium evadendi periculum, & matrimonium eſt ſimpliciter voluntarium. Unde reſolvitur valere matrimonium in ſequentibus caſibus. V. Bon. *q.* 3. *p.* 8.

1. Si concubinarius metu gehennæ, vel mortis in morbo, vel naufragio contrahat cum concubina. Bon. *l. c.*

2. Si quis a medico perſuaſus, non diu ſe victurum, niſi ducta uxore, eam ducat. Bonac. *loc. cit. num.* 10.

3. Si in carcerem conjectus, ſpe evadendi, contrahat cum filia lictoris. Sanch. *l.* 4. *d.* 12. *n.* 10. Con. *d.* 28. *dub.* 1. *c.* 3.

4. Si ad mortem damnatus, ut evadat, ducat meretricem, aut aliam. Con. *n.* 11. Fill. *c.* 4. *q.* 1.

5. Si Princeps obſeſſus offerat filiam in matrimonium obſidenti, ut liberetur obſidione. *ibid.*

6. Si raptor, vel defloratot virginis metu mortis offerat ſe judici ad eam ducendam. Bon. *n.* 22. ex Reg. Henr. &c.

ANIMAD. XV. 7. *Si ad mortem decumbens contrahat cum filia medici, alias illi mederi nolentis*. Rebell. Sanch. *d.* 12. Conin. Fill. *n.* 103. *etſi alii quidam negent*.

8. Etſi metus gravis incuſſus fuerit tantum ad contrahendum matrimonium in genere, contractum tamen nullum eſſe, docent Sanch. Salas, Palaus, Pont. & ceteri cum Dian. *p.* 4. *t.* 4. *R.* 33. (*g*)

ANIMAD. XVI. 9. *Quando matrimonium ex gravi metu contractum fuit, non teneri* (*in foro conſcientiæ*) *per ſe loquendo, illud perficere, poſſeque altero invito reſilire, etiam eum, qui liber a metu fuit, etiamſi ab ipſo, ſeu ejus culpa illatus fuerit, docent Sanch. Villal. Hurt.* & Ochag. cum Dian. *p* 3 *t.* 4. *R.* 229. & *p.* 9. *t.* 8. *R.* 27. *contra Con. & Pont.*

ANIMAD. XVII. Dicitur 8. *Ordo, ſcil. ſacer, ſive major, quem qui non coactus ſuſceperit, invalide matrimonium contrahit*, ut vide ſupra *de Sacram. Ordinis*, & hic *impedimento tertio*.

Dicitur 9. *Ligamen*, propter quod, quamdiu quis ligatus eſt conjugi adhuc viventi, invalide contrahit cum alio; *quamquam licite*, & ſine peccato, *ſi moraliter ſit certus de morte conjugis* (*h*); qui ſi poſtea compareat, tenetur ad eundem redire, dimiſſo poſteriore. Vide Bonac. *p.* 10.

Dicitur 10. *Honeſtas*, hoc eſt, juſtitia publicæ honeſtatis, ob quam nemo poteſt contrahere cum conſanguineis illius, cum qua contraxit ſponſalia, vel matrimonium ratum. Et quidem ante Tridentinum, & jure antiquo, hoc impedimentum dirimit matrimonium inter ſponſum, & conſanguineos ſponſæ uſque ad quartum gradum, oriturque ex ſponſalibus quibuſcunque, etiam invalidis; (præterquam ex defectu conſenſus) jure vero Tridentini non oritur, ſi ſponſalia ſint invalida; & irritat tantum uſque ad primum gradum, ſi ex ſponſalibus: ad quartum vero, ſi ex matrimonio rato ſequatur. (*i*) Vide Bonacin. *p.* 11. Sanchez *l.* 7. *d.* 67. Filliuc.

ANIMAD. XVIII. *q.* 10. *p.* 2. *c.* 6. *Notat etiam Diana non oriri ex ſponſalibus mutuo conſenſu diſſolutis*, *p.* 3. *t.* 4. *R.* 22. *cum Pont. & aliis tribus contra Sanchez, ubi negat ex conditionatis, donec conditio ſit impleta*, *p.* 9. *t.* 6. *R.* 25. ex Optat. Oriri tamen ex matrimonio invalido, niſi ſit tale ob defectum conſenſus, *p.* 9. *t.* 6. *R.* 50. ex declaratione Pii V. neque adeo etiam ex clandeſtino, *ibid. R.* 53. ex Pont. Paleo, Hurt. Perez, &c. contra Sanch. & Præp.

Dicitur 11. *Ætas*; quia ad valorem matrimonii jure eccleſiaſtico requiritur annus 14. viri, & 12. feminæ completus; niſi tamen malitia ætatem ſuppleat, hoc eſt, adſit & doli capacitas, & potentia ad copulam, de quibus judicare prudentum eſt. Laym. *c.* 12. *n.* 1. *c. De illis*, & *c. ult. eod. tit.*

Dicitur 12. *Affines*. Eſt autem affinitas, propinquitas perſonarum nata ex copula carnali, ſive licita, ſive illicita. Utraque, *jure ſaltem eccleſiaſtico*, dirimit matrimonium: (*k*) illa uſque ad 4. gradum incluſive, hæc vero jure novo, uſque ad ſecundum tantum. Et quidem, ſi antecedat matrimonium; nam ſi ſuperveniat, v. g. ſi Titius cognoſcat uxoris ſuæ cognatam in ſecundo gradu, non dirimit; licet is, qui peccavit, non poſſit petere debitum, ſed tantum reddere. Porro gradus, & lineæ affinitatis accipiuntur, ſicut in conſanguinitate, ita ut qui eſt uxoris conſanguineus in primo gradu, ſive rectæ, ſive tranſverſæ lineæ, is ſit affinis marito in eodem gradu lineæ rectæ, vel tranſverſæ. Denique omnis affinitas, quæ oritur ex affinitate, ſublata eſt per Conc. Lateranenſe. Vide Laym. & Bonac. *p.* 12.

Unde reſolves.

1. Is, qui fornicatus eſt cum ſorore ſponſæ ſuæ, cum neutra poteſt valide contrahere, citra diſpenſationem, imo nec cum earum conſobrina, vel matertera.

2. Poteſt quis ducere affinem fratris ſui etiam in primo gradu, v. gr. duo fratres poſſunt ducere duas ſorores, imo pater, & filius poſſunt ducere matrem, & filiam. Laym. Bonac. *l. c.*

3. Titius poteſt ſucceſſive ducere Titiam, & Bertam, quæ fuerunt uxores Caji, & Sempronii fratrum.

4. Titius, qui duxerat ſororem Caji, poteſt poſt mortem Caji, ejuſque ſororis, ducere Bertam uxorem Caji.

Dicitur 13. *Si clandeſtinus*: quia Trident. irritat matrimonia eorum, qui contrahunt aliter quam coram Parocho, vel alio Sacerdote de ipſius, vel Ordinarii licentia, & duobus minimum teſtibus: vultque graviter puniri eos, qui contra hoc contraxerint, vel etiam interfuerint.

Ex dictis reſolves.

1. Per Parochum intelligitur is, qui habet ordinariam juriſdictionem in contrahentes, utpote qui domicilium, & habitationem habeant in ejus Parochia: *item Epiſcopus* (*l*), vel ejus Vicarius in ſua diœceſi; uti & Papa: item Capitulum Sede vacante, Cardinales in Eccleſiis ſui tituli, Legati in ſua provincia. *Sufficit etiam excommunicatus, aut non Sacerdos*. Nec requiritur, ut a parte rei vere ſit Parochus, ſed ſufficit, ſi habeat titulum, ſaltem coloratum, ita ut communi errore habeatur Parochus, neque ſit intruſus abſque omni titulo. V. Bonac. *q.* 2. *p.* 8. ANIMAD. XIX.

2. Parochus, vel quivis habens juriſdictionem ordinariam poteſt alium ſibi ſubſtituere; non tamen niſi Sacerdotem. (*m*)

3. Cum ad teſtes requiſitos non addatur, debere eſſe omni exceptione majores, *ſufficiunt etiam infames*, (*n*) feminæ, pueri habentes uſum ſufficientem rationis, parentes, domeſtici, ac ſervi.

4. *Si duo ſint Parochi ejuſdem Parochiæ*, poteſt utervis aſſumi. (*o*) Similiter qui habet duo domicilia, quæ æqualiter inhabitat; vel domum, quæ partim pertinet ad unam Parochiam, partim ad alteram, poteſt alterutrum accerſere; quia uterque eſt proprius Parochus. Laym. Bonac. *l. c.*

5. Etſi ex præcepto adhibendus ſit Parochus contrahentis illius, in cujus Parochia matrimonium celebratur; (*p*) ſufficit tamen ad valorem, ſi alterutrius Paſtor aſſiſtat, ut declaravit Congregatio Cardinalium apud Rebell. & Bonac. *q.* 1. *p.* 8. etiam ex-

tra

tra ſuam Parochiam, vel diœceſim; quia hic actus non eſt juriſdictionis contentioſæ. Non tamen licebit nunc nuptias benedicere, ſine alterius licentia. Sanch. *l.* 3. *d.* 19.

ANIMAD. XX. 6. *Is, qui ſubſtituitur, debet habere expreſſam, vel ſaltem tacitam licentiam aut ratihabitione de præſenti*, quia non ſufficit ratihabitio de futuro, qua quis putet alterum poſtea ratum habiturum. Sanch. *d.* 35. Regin. Conin. apud Bon. *l. c. n.* 11. licet ipſe neget tacitam ſufficere.

7. *Vagabundi poſſunt contrahere* (*q*) *coram quolibet Parocho* (idque, ut Lay. *c.* 4. *n.* 3. docet ex Sanch. etſi alteruter tantum ſit vagus.) Hic autem tenetur de illorum conditione diligenter inquirere, ut monet Trid. an ſcilicet alibi ſint conjuncti; &c. & deinde petere licentiam ab Epiſcopo aſſiſtandi, ſine qua, licet valide aſſiſtat, graviter tamen peccat. Ita Laym. *c.* 4. *l.* 3. ex Sanc. *diſt.* 19. & *a* 35. *n.* 24.

8. Peregrini, qui ex cauſa exiguo tempore domo abſunt, non poſſunt contrahere peregre coram Parocho loci: (*r*) quia non eſt illorum verus. Aliud eſt de iis, qui alicubi habitationem figunt pro majore parte anni, aut eo venerunt animo manendi, ſaltem majore anni parte, licet poſtea contingat caſu ſubito recedere, v. gr. famuli, ancillæ, ſtudioſi. Bon. *q.* 11. *p.* 8. n. 2. Sanch. *l.* 3. *d.* 23. Ratio eſt, quia contrahunt ibi domicilium parochiale: & Paſtor illius loci eſt proprius illorum.

9. Parochus, & teſtes ſic debent eſſe præſentes, ut advertere poſſint, quid agatur, & de eo teſtari. *Et quidem non eſt neceſſe, ut ipſi videant contrahentes, dummodo audiant verba contrahentium, ſi voces contrahentium noverint. Sanch. Fill. Pont. & alii 5. rum Dian. p.* 8. *t.* 7. *R.* 68. *contra Barb. Nec refert, etiamſi per metum, vim, dolum, aut injuriam nolentes detineantur, vel etiam contradicant, ac reſiſtant; aut, licet prohibiti ſint ab Ordinario, ne interſint.* Bon. *loc. cit.* ex declarat. Cardin. Con. Fill. Sanch. *ll. cc.* &c.

10. Parochus tenetur utrumque contrahentem interrogare, non quidem de impedimento, Gutier. Sanch. Diana *p.* 3. *t.* 4. *reſ.* 204. ſed de mutuo conANIMAD. XXII. ſenſu. Trid. *ſeſſ.* 24. *c.* 1. *Ejus tamen omiſſio, quando de utriuſque libero conſenſu conſtat, venialis tantum eſt.* Sanch. Coninc. Dian. *loc. cit. Similiter mortale non eſſe, etſi, intellecto conſenſu, non dicat,* Ego vos conjungo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, *docet Sanch. Con. Vill. Gut. Diana p.* 3. *t.* 4. *R.* 256. *contra Rebell.* &c.

Dicitur 14. *Et impos*, quod impedimentum vocatur *frigiditas, vel impotentia*. (*ſ*) Quæ ſi perpetua ſit, & matrimonium antecedat, irritat illud jure naturæ; vel omne, reſpectu cujuſcumque, ſi ſit abſoluta; vel certum tantum, ſi ſit reſtricta, ſeu reſpectiva. Idque, ſive orta ſit ab intrinſeco, & vitio naturæ, ſive ab extrinſeco, opera hominis, vel diaboli: ſive cognita alteri fuit, ſive non; ſive ſit ex parte utriuſque contrahentis, ſive alterius tantum. Ratio eſt, quia matrimonium conſiſtit in mutua traditione corporum phyſice aptorum ad generationem, ſive in traditione poteſtatis corporis ad copulam conjugalem: hanc autem poteſtatem impotens non poteſt tradere, cum eam non habeat.

Porro impotentia in viro eſſe cenſetur, quando ANIMAD. XXIII. eſt eunuchus, vel ſaltem non poteſt ſeminare intra naturale vas feminæ: *in femina vero quando vel ſeminare non poteſt* (ſi verum eſt, ſemen feminarum requiri ad generationem) *vel propter arctitudinem non poteſt virum pati, aut ejus ſemen recipere.*

Dixi 1. *Si ſit perpetua*: qualis eſt, quæ nulla arte poteſt tolli. In dubio autem perpetuitatis, conceditur a jure triennium ad experiendum bona fide.

Dixi 2. *Si antecedat*: nam ſi ſubſequatur matrimonium, non irritat illud, (*t*) etſi uſum ita impediat, ut ſoli contactus, & oſcula liceant citra periculum pollutionis; idque quando impotentia eſt certa: nam ſi dubia ſit, tandiu licet conari ad copulam, quandiu probabilis eſt ſpes ſeminandi intra vas. Laym. *l.* 5. *t.* 10. *p.* 4. *c.* 12. ex Sanch. Nav. Henr.

Unde reſolves.

1. *Invalide contrahunt evirati*, ſeu eunuchi, quando carent utroque teſte: (*u*) quia non emittunt verum ſemen aptum generationi. Nec refert, quod inſtar ſenum ſterilium ſatisfaciant concupiſcentiæ feminæ: quia id non faciunt per copulam natura ſua aptam generationi ob defectum ſeminis, quod ſenes tamen emittunt, etſi ſemen ſenum per accidens non ſit prolificum, Laym. *l. c.* Bonac. *q.* 3. *p.* 13. &c.

2. Valide contrahunt. 1. *Steriles*, quia, etſi ſint impotentes ad generationem, non tamen ad copulam; (*x*) atque adeo ſunt capaces omnis juris, & obligationis matrimonii; & ſuſceptio prolis, licet ſit præcipuus, non tamen eſt unicus, nec immediatus finis matrimonii. Bonac. *q.* 3. *p.* 13. ex Henriq. Coninc. Filliuc. &c. Eadem eſt ratio de iis, quæ non edunt fetum, niſi mortuum, vel non niſi cum periculo vitæ. Bonac. &c. *ll. cc.* 2. *Hermaphroditi*; quia vere ſunt potentes ad uſum matrimonii. (*y*) Et quidem, ſi alter ſexus emineat, ſecundum illum tantum valebit: ſi uterque ſit par, optio illis detur, ut utrolibet utantur, ita tamen, ut quem ſemel elegerint, ſemper retineant. Sanch. *l.* 19. *d.* 109. Bonac. *l. c.* ex Henriquez, Coninc. &c. 3. *Is, qui paulo poſt eſt moriturus*, (*z*) quia in eo manet potentia ad coitum, etſi per accidens vi morbi impediatur. Patet ex praxi Eccleſiæ, quæ illis interdum ſuadet, ut concubinas ducant. Laym. *l. c.* ex Sanch. *d.* 105. *n.* 3. Covar. &c.

3. *Impuberes*, (*aa*) ſi utantur ratione, non jure naturæ, ſed eccleſiaſtico tantum, invalide contrahunt; quia impotentia illorum eſt tantum temporalis. V. ſup. *hoc dub. imp.* 3.

Quæres, *Quid cenſendum de matrimoniis, quæ contrahuntur in partibus hæreticis?* ANIMAD. XXIV.

Reſp. *Circa ea Congregatio Cardinalium reſolvit ſequentia.* 1. Ubi hoc decretum Concilii nondum publicatum eſt in Parochia, verbi gratia in Saxonia, & Anglia, valere matrimonium contractum abſque forma præſcripta. Publicatio autem decreti facta præſumitur, ſi id aliquo tempore in Parochia tanquam decretum Concilii ſuit obſervatum. 2. *Hæreticos, in quorum Parochia dictum decretum fuit publicatum, verbi gratia, in Hollandia, Friſia, &c. teneri formam præſcriptam ſervare. Unde conſequenter ipſorum matrimonia abſque forma Concilii, quamvis coram miniſtro hæretico, vel magiſtro contracta, videntur eſſe nulla; Laym. tamen l.* 5. *t.* 10. *p.* 2. *c.* 4. *putat eam non eſſe mentem ſummorum Pontificum, propter graviſſima incommoda inde ſubſecutura*, 3. *Si Parochia, in qua aliquando decretum fuit obſervatum, propria Parocho, & Epiſcopo careat, nulluſque iſtic ſit, qui vices Epiſcopi, vel Parochi ſuppleat, matrimonium valere abſque præſentia Parochi; ſervata tamen in quibus poteſt, forma Concilii, nempe adhibitis ſaltem duobus teſtibus. Idem eſt, ſi Parochus, & Epiſcopus metu hæreticorum lateat, ita ut vere ignoretur, ubi ſit, vel eorum metu abſit a diœceſi, & ad neutrum ſit tutus acceſſus.*

Dicitur *Raptave ſit*, de quo vid. ſupra *in impedimento criminis.*

DUBIUM III.

Quomodo matrimonium invalidum ſit revalidandum?

Reſp. 1. Si fuit invalidum propter conſenſum fictum, vel metu extortum, ſive ex una, ſive ex utraque parte, poteſt revalidari per quodcumque ſignum veri, & novi conſenſus; quia ſi altera tantum pars ficte contraxit, conſenſus unius partis habitualiter permanſit: ergo accedente alterius conſenſu revalidatur. (*bb*) Sanchez *l.* 2. *d.* 23. *n.* 9. Conin. *d.* 24. *d.* 10. *n.* 89. Navar. Fill. Bon. &c.

Unde reſolves.

1. *Si metus, vel defectus conſenſus fuerit alterius* ANIMAD. XXV. *tantum partis, curandum eſt, ut ea ſaltem novum, & liberum conſenſum eliciat, & externis ſignis prodat; alteri autem parti non opus eſt declarari, præ-*

ſtari

Digitized by Google

ſtari novum conſenſum ad valorem matrimonii. Sanch. l. c. n. 10. Con. Bon. p. 9. Mæſat. d. 7. ſect. 15. n. 4.

2. Si uterque ficta, vel coacte conſenſerit, neceſſe eſt ut uterque conſenſum renovet, & verbis exprimat. Quia cum utriuſque conſenſus plane nullus fuerit, æque neceſſe eſt renovare, & declarare, ac ſi factum nunquam fuiſſet. Mæſat. l. c. n. 3.

Reſp. 2. Si invalidum fuit propter impedimentum conſanguinitatis, verbi gratia, vel aliud ſimile occultum dirimens, tunc eo per diſpenſationem, vel vel aliter ſublato, atque ita perſonis ad contrahendum habilitatis, requiritur novus utriuſque conſenſus, ſigno externo expreſſus: & quidem, ut probabilius docet Sanchez l. 3. d. 26. abſolutus, & independens ab antiquo. Ratio eſt, quia naturius conſenſus antiquus fuit legitimus, cum non cadat in legitimam materiam.

Unde reſolves.

Animad. XXVI. 1. *Si in tali caſu altera pars ſit ignara impedimenti*, vel dubitetur, an ſciat, illa ſuaviter inducenda eſt ad novum conſenſum abſolute præſtandum, dicendo verbi gratia: *Si mihi non nupſiſſes, nonne modo nuberes?* Vel: Angor ſcrupulis de matrimonii noſtri valore, ideoque renovemus conſenſum. Quod ſi fiat, *ſufficere* (*præſertim ſi ſequatur affectu maritali copula*) *docet Quint. in append. t. 7. d. ult. Si autem periculum ſit, ne pars illa impedimentum ignorans detrectet, & ſcandala, graveſque moleſtiæ timeantur, licebit uti ſententia contraria, quæ docet, ſufficere, ut ſola pars impedimenti conſcia conſenſum renovet, & alteri declaret.* Sanchez l. 2. d. 26. & l. 8. d. 34. n. 61. Leſſ. l. 2. c. 17. Con. d. 24. d. 10. & Fill. n. 9. &c. Dian. p. 4. t. 4. R. 49.

Animad. XXVII. Reſp. 3. *Ut matrimonium invalidum**, *quod coram teſtibus, & Parocho eſt celebratum, revalidetur, non opus eſt denuo coram Parocho, & teſtibus iniri, ſi impedimentum ſit occultum*, ſecus ſi ſit notum: quia prius matrimonium præſumptione Eccleſiæ cenſetur validum, non autem poſterius. Navar. Sanch. l. 3. d. 37. Conin. d. 24. d. 4. Regin. l. 31. n. 183. Fill. n. 93.

D U B I U M IV.

A quo, & ob quam cauſam poſſit diſpenſari in impedimentis matrimonii.

Reſp. 1. Papa non poteſt diſpenſare in impedimentis jure naturæ, vel divino dirimentibus, niſi ex ſpeciali conceſſione: in iis vero, quæ jure eccleſiaſtico dirimunt, poteſt. Ratio prioris eſt, quia inferior non diſpenſat in lege ſuperioris: nec homo in lege naturæ. *Addidi, niſi ex ſpeciali, quia ſic*

Animad. XXVIII. *Pontifex, non tamen Epiſcopus, poteſt matrimonium ratum diſſolvere ex juſta cauſa*. Sanch. Leſſ. Præp. q. 5. c. 8. Dian. p. 8. t. 1. R. 52. & 93. Ratio poſterioris eſt; quia Pontifex talia impedimenta inducit: ergo etiam poteſt tollere, & quidem ſolus.

Ex dictis reſolves.

Animad. XXIX. 1. *Epiſcopus in impedimentis dirimentibus matrimonium jam contractum non poteſt ordinario jure diſpenſare, niſi ex tacita conceſſione in caſu neceſſitatis, quando ſequentia concurrunt. 1. Ut defectus ſit diſpenſabilis. 2. Ut ſit occultus, ideſt, non ſit notorius, ſeu divulgatus. 3. Ut ex altera parte ſaltem matrimonium bona fide ſit contractum. 4. Ut non ſit facilis acceſſus ad Papam; ita commun.* Sanch. Conin. *M. Per. d. 4. ſ. 7. Quando autem contractum eſt ex diſpenſatione ſubreptitia, non poteſt Epiſcopus ſua diſpenſatione priorem confirmare. Dian. p. 9. t. 7. R. 40 ex Præp. Per. &c. In impedimentis vero dirimentibus matrimonii nondum contracti videtur nunquam poſſe*, imo nec Legatus a latere, niſi ſpeciali facultate. Laym. l. 5. tr. 10. par. 4. c. 6. & l. 1. t. 4. c 22. Bon. q. 3. p. 15. &c. *contra quos Dian. c. 8. t. 3. reſ. 280.* cum Præpoſ. Villal. & Eſc. *de leg. E. 14. c. 3. putat, Epiſcopum id poſſe aliquando in caſu raro, ex cauſa maxima urgente, ſi omnibus tentatis judicetur neceſſariam eſſe ad vitandam gravem infamiam, vel grave ſcandalum, cui aliter occurri non poſſet, idque ex tacita Papæ licentia.*

Reſp. 2. *In impedimentis non dirimentibus poſſunt Epiſcopi diſpenſare univerſaliter. Quod addo, quia excipiuntur illa, quæ in jure naturali, & divino impediunt, ut votum caſtitatis abſolutum, & perfectum,* (Bonac. q. 3. p. 15. ex Navar. Sanch. &c.) & ſponſalia priora, ut habet Tannar. *tr. 8. q. 4. d. 2. n. 30.* ex Sanch. *l. 17. n. 8.* Idem habet Fill. *t. 10. part. 2. c. 10. n. 306.* Laym. *l. 5. c. 10. par. 4. c. 15. n. 2.* ſub finem. *Similiter Epiſcopus poteſt diſpenſare in impedimentis, quæ matrimonio ſuperveniunt, & impediunt petitionem debiti, v. gr. cognationis ſpiritualis, vel affinitatis*, Bonac. *l. c.* Sanchez *l. 8. d. 11. n. 16.* Fill. *l. c. ubi incipit inceſtum commiſſum, matrimonio conſummato, cum conſanguineis uxoris, in iis, non qui ſunt juvenes.* Animad. XXX.

Reſp. 3. *Poſſunt etiam Confeſſarii regulares approbati, de licentia tamen ſuorum Provincialium, diſpenſare ad petendum debitum conjugale, propter cognitionem conſanguinei conjugis in ſecundo gradu*, ut Rodeiq. *q. regul. t. 1. q. 63. art. 1.* nullo modo tamen in impedimento ipſo. V. Mar. Perez *d. 44. ſ. 7. n. 13.* Dixi, Provincialium, quia quod Molfeſ. Leon. &c. volunt, Confeſſarios Societatis JESU habere omnes hanc facultatem immediate a P. Generali, id refutat Diana *n. 3. c. 2. reſ. 14.* Animad. XXXI.

Reſp. 4. Ut licite diſpenſetur in impedimentis dirimentibus, requiritur juſta cauſa: qualis ſecundum Fillinc. *c. 8.* eſt, v. gr. 1. Extinctio magnæ litis, vel odii inter agnatos. 2. Ablatio ſcandali. 3. Inæqualitas matrimonii, niſi conſanguineis, vel affinibus nubatur. 4. Defectus dotis competentis. 5. Conſervatio facultatum in eadem cognatione. 6. Marita petentis diſpenſationem. *Plures vide apud Sanchez d. 19. Conin. d. 33. Hurtad. d. 20. Mart. Perez. d. 44. ſect. 5.* ubi notat 1. Quanto gradus conſanguinitatis, vel affinitatis eſt propinquior, tanto requirit cauſam graviorem. 2. Sæpe plures aggregatas cauſas ſufficere, quarum ſingulæ non ſufficerent. Vide etiam Dian. *p. 3. t. 3. R. 9.* Animad. XXXII.

Reſp. 5. *Si quis dubitet, an habeat impedimentum diriment, v. gr. contrahendi matrimonium cum certa perſona, & adhibita diligentia ſufficienti, non poſſit intelligere veritatem, probabile eſt poſſe cum ea contrahere ſine diſpenſatione, niſi tamen præſumptio aliqua ſtet pro impedimento; quia poſſeſſio ſtat pro libertate contrahendi.* Sanchez, Sancius, Franc. Lugo, Bard. *d. 6. cap. 11. part. 7. §. 11.* contra Laym. & Palaum. Animad. XXXIII.

N o t æ.

(a) *Primum eſt clandeſtinitas. Etſi enim valeat &c. ubi Tridentinum non eſt receptum, non licet tamen &c. Ubi autem &c.* Omnia recte; niſi quod loco illius ubi Tridentinum *non eſt receptum*, & *eſt receptum*, recte dicendum eſt, ubi Tridentinum non eſt publicatum, ubi publicatum eſt, ut ſupra mox animadverti.

(b) *Secundum, omiſſio benedictionis; quia &c.* Hec de re vide hic animad. 1.

(c) 3. *Ut fiant in Parochiis propriis, & quidem utriuſque contrahentis, ut declaravit Congregatio,* „ a Greg. XIII. „ confirmata, quam ex Nav. refert Gallemart ad Trid. „ ſeſſ. 24. &c., ideoque in Syn. Colon. anno 1662. de „ mat. c. 2. § 5. ſic ſtatuitur. *Si matrimonium contra-* „ *henti diverſarum ſint Parochiarum, in utraque fiant* „ *proclamationes &c.* Ita La-Croix *t. 3. n. 476.* contra Laym. Gob., Lohn. Hoc explicate quoque præcipit Rit. Rom. de Sacram. mat., ubi ait. *Si vero vir, & mulier Parochiæ ſint diverſæ, in utraque Parochia fiant denuntiationes*; quod Decretum in mente habens Syn. Petavina anni 1624. p. 2. cap. 18. inquit. „ Si ſponſus, & ſponſa in diverſis ſint Parochiis, ut in ambabus integræ promulgationes obſerventur, Parochus mulieris ſponſi Parochum admoneat, ut & ipſe denunciationes edicat. „

(d) *Dixi Perſonæ; quia error qualitatis &c. non irritat matrimonium, v. g. &c.* Recte. Hinc D. Th. ſuppl. q. 51. a. 2. ait. *Oportet, quod error, qui matrimonium impedit, ſit alterius eorum, quæ ſunt de eſſentia matrimonii. Duo autem includit ipſum matrimonium, ſcilicet perſonas duas, quæ conjunguntur, & mutuam poteſtatem ad invicem, in qua matrimonium conſiſtit. Primum autem tollitur per errorem perſonæ: ſecundum per erro-*

rem conditionis; quia ſervus non poteſt poteſtatem ſui corporis libere alteri tradere ſine conſenſu ſui Domini; Et propter hoc hi duo errores matrimonium impediunt, & non alii. Ait *& non alii*. Quare error qualitatis, puta pulchritudinis, ſanitatis, ingenii &c. aut fortunarum, nobilitatis &c. etiamſi antecedens ſit, qui ſcilicet contractui cauſam det, matrimonium non vitiat; quia cum conſenſus in perſonam liberam, eſſentiam contractus matrimonii contineat, quamdiu hic ſubſiſtit, matrimonium quoque neceſſe eſt, ut ſubſiſtat. Hoc ſponte ſua oritur ex doctrina mox allata D. Thomæ; cui, licet nonnulli apud La-Croix t. 3. p. 54. n. 552. repugnent, nihilominus adhærendum eſt; præſertim cum ipſe La-Croix cum Sanch., Caſtr., Averſa eam probabiliorem, quamvis libertati minus favorabilis ſit, exiſtimet.

Repugnat, inquis, etiam Concina, qui Th. t. 10. p. 320. n. 4. ait. „ Si tamen error ita eſſet antece„ dens, ut daret cauſam contractui, tum dubio procul „ matrimonium dirimeret. Reſp. perge; " quia tunc, „ ſubdit, error iſte refunderetur in perſonam; quando „ contrahens extrinſecus declarat, ita ſe velle contra„ here cum divite, nobili, virgine &c., ut ſi iſtæ „ conditiones deſint, nolit matrimonium. " Idem habet Buſ. *Aliud tamen eſſet, ſi abſolute nollet &c. niſi &c.* Idem D. Th. ad 5. a. cit. ubi ita loquitur. *Error nobilitatis inquantum hujuſmodi non evacuat matrimonium eadem ratione, qua nec error qualitatis. Sed ſi error nobilitatis, vel dignitatis redundat in errorem perſonæ, tunc impedit matrimonium. Unde ſi conſenſus mulieris fertur in iſtam perſonam directe, error nobilitatis ipſius non impedit matrimonium: ſi autem directe intendit conſentire in Filium Regis, quicumque ille ſit, tunc ſi alius præſentetur ei, quam filius Regis, eſt error perſonæ, & impeditur matrimonium.*

Sed Concinam nobiſcum ſentire, aperte declarat, ubi addit. „ Niſi tamen contrahens exprimat ſe huic con„ ditioni divitiarum, nobilitatis, virginitatis &c. velle „ conſenſum ſuum illigare, ſed abſolute contrahat, li„ cet cum errore antecedenti circa præfatas qualitates, „ matrimonium validum erit. "

Videlicet contrahens in hac ſpecie, contrahere quidem noluiſſet, ſi non erraſſet; at quia erravit, cum hac perſona contrahere voluit; quod ad germanum conjugium ſufficit. Nec enim hoc ab eo, quod quis voluiſſet, aut noluiſſet, ſed ab eo, quod hic, & nunc vult,, pendet. Hic, & nunc vult hanc perſonam conjugem: ergo conjugium peractum eſt.

(e) Dicitur 6. *Diſparitas cultus &c. quæ dirimit &c. Idque jure tantum eccleſiaſtico*. Ait *eccleſiaſtico*; quia non dirimi jure naturali, aut divino, communis ſententia eſt teſte Concina Th. t. 10. p. 324. num. 2. ex Bened. XIV. de Syn. lib. 5. c. 3. S. Monica cum Patritio Ethnico, S. Anaſtaſia cum Publio idololatra, S. Cecilia cum Valeriano nondum Chriſtiano nupſit. Addit *non ſcripto*; quia jure eccleſiaſtico dirimi teſte eodem Concina p. 226. n. 5. affirmant omnes; at id *evincunt ex uſu & conſuetudine immemorabili Eccleſiæ a ſummis Pontificibus approbata*.

(f) *Dicitur 7. Vis &c. & gravis metus &c., irritatque in utroque foro*. Hoc certum eſt, & omnes teſte Concina Theol. t. 10. p. 205. n. 20. fatentur.

Buſ. *Et quidem jure naturæ, ſi a contrahente; poſitivo autem, ſi a tertio ſit incuſſus*. Res hæc valde controverſa eſt. Concina Th. t. 10. p. 206. n. 21. ex communiori, ut ipſa ait, & probabiliori ſententia, hujuſmodi matrimonia nulla eſſe ait *Jure dumtaxat eccleſiaſtico, juri tamen naturali, quammaxime conſentaneo*. Sed audiendus eſt D. Th., qui ſuppl. q. 47. a. 3. ait, *quod vinculum matrimonii eſt perpetuum. Unde illud, quod perpetuitati repugnat, matrimonium tollit. Metus autem, qui cadit in conſtantem virum, perpetuitatem contractus tollit, quia poteſt repeti reſtitutio in integram. Et ideo hæc coactio metus, quæ cadit in conſtantem virum, tollit matrimonium, & non alia*. Præmiſſæ ſunt omnes juris naturæ. Juris naturæ eſt, quod matrimonium ſit perpetuum, & inſeparabile, ut docet, & evincit S. Doct. ſuppl. q. 67. a. 1. Illa conſecutio *unde illud, quod perpetuitati repugnat, matrimonium tollit*, naturæ lumine evidens eſt. *Metus autem, qui cadit &c. perpetuitatem contractus tollit*, hoc inquam evincit S. Doct. propoſitione naturali dictamine nota, *quia poteſt repeti &c.* Ergo concluſio quoque *& ideo hæc coactio &c.* juris naturæ eſt; quæ ſane locum habet, ſeu metus a contrahente, ſeu ab alio fuerit incuſſus. Sed hac de re obiter, de qua quoad praxim prolixe diſputare neceſſarium mihi non videtur.

La-Croix t. 3. p. 63. q. 91. n. 669. pro ſententia, quæ ex D. Thoma oriri mihi videtur, citat Scotum, S. Bonav., S. Anton., Ledeſm., Mol., Barb., Sperel., Pont., Morat., Tamb., Krim., alioſque moltos apud Sanch., ſed addit, *ſaltem ſi metus ab altera contrahente ſit incuſſus*. D. Thomæ ratio hanc diſtinctionem ignorat, imo explodit.

Buſ. *Addo gravis, qualis ſcilicet cadit in virum conſtantem, v. g. mortis &c.*

Rectiſſime, & ex D. Th. mox citati mente, qui a. 3. cit. ſubdit. *Conſtans autem vir judicatur virtuoſus, qui eſt menſura in omnibus operibus humanis, ut Phil. dicit in 3. Ethic.* At quomodo, inquis, conſtans vir ſe gerit? Reſp. *Conſtans*, ait idem Angelicus a. 2. q. 47. cit., *ſequitur rationem rectam, per quam ſcit, quid pro quo dimittendum ſit, vel faciendum: ſemper autem minus malum, vel majus bonum eligendum eſt; & ideo conſtans ad minus malum ſuſtinendum cogitur metu majoris mali, non autem cogitur ad majus malum, ut vitet minus malum . . . præterea conſtans non niſi ex forti æſtimatione, & probabili cogitur, ſed inconſtans ex levi. Prov.* 28. „ fugit impius nemine perſequente. " Ad 2. inquit; *quod peccata ſunt maxima malorum; & ideo ad hæc nullo modo poteſt homo conſtans cogi: immo magis debet homo mori, quam talia ſuſtinere, ut etiam Phil. in 3. Eth. dicit. Sed quædam damna corporalia ſunt minora quibuſdam aliis; inter quæ ſunt præcipua, quæ ad perſonam pertinent, ſicut mors, verbera, dehoneſtatio per ſtuprum, & ſervitus. Et ideo ex iſtis conſtans cogitur ad alia damna corporalia ſuſtinenda. Et hæc continentur in hoc verſu.* „ Stupri, ſive ſtatus, verberis, „ atque necis. " *nec differt, utrum hæc pertineant ad perſonam propriam, vel uxoris, vel filiorum, vel aliarum hujuſmodi.* Ad 3. ſubdit, *quod quamvis infamia ſit majus damnum, tamen ei de facili occurri poteſt; & ideo non reputatur cadere in conſtantem virum metus infamiæ ſecundum jura.*

Ex hactenus dictis refutanda eſt opinio a Buſ. hic relata, nec refutata, quæ levi quoque metu, ſine quo conſenſus non fuiſſet, matrimonium in irritum mittit, & communi contrariæ ſententiæ S. Thomæ auctoritate, & ratione confirmatæ inhærendum.

Buſ. *Addidi 2. injuſte; quia &c. Addidi 3. ad extorquendum; quia &c.* Hæc probanda ſunt; idemque habet Concina Th. t. 10. p. 206. n. 22. p. 207. n. 24. Hinc valere matrimonia, quæ Buſ. refert nu. 1. 2. 3. 4. 5. 6., recte concludit, eaſdemque, & ſimiles ſpecies proponit, & probat Concina n. 24. mox cit.

(g) *Etſi metus gravis &c.* Huic ſententiæ nonnulli quidem apud La-Croixium t. 3. n. 659. repugnant, putantes matrimonium valere, „ Si metu gravi cogaris „ ad unam e tribus filiabus Caij, relicta plena liberta„ te eligendi quam voles ex illis. " Sed qua ratione? „ quia, inquiunt, manet plena libertas quoad per„ ſonam. " Reſp. Id falſum eſt; quia ex tribus unam ducere cogor, nec alias permittor. Præterea etiam libertate quoad omnes mulieres mihi permiſſa, ſi gravi metu ad matrimonium cogerer, nullum tamen eſſet, ut ex communi ſententia Buſ. recte ait. Id non ſolum affirmat, & evincit D. Th. q. 47. a. 3. verbis mox ſecitatis, ſed docet quoque, & definit Alex. III. c. 14. t. 1. lib. 4. decr., ubi ait. *Cum locum non habeat conſenſus, ubi metus, vel coactio intervenit, neceſſe eſt, ut ubi aſſenſus cujuſque requiritur, coactionis materia repellatur. Matrimonium autem ſolo conſenſu contrahitur; & ubi de ipſo quæritur, plena debet ſecuritate ille gaudere, cujus eſt animus indagandus, ne per timorem dicat ſibi placere, quod odit, & ſequatur exitus, qui de invitis ſolet nuptiis provenire.* In noſtra ſpecie metus, vel coactio intervenit, nec plena ſecuritate gaudet, qui ad matrimonium univerſe contrahendum cogitur; ergo &c. Perinde ſane eſt, ſeu qui matrimonium inire vult, ad certam perſonam ducendam cogatur, ſeu qui matrimonium recuſat, ad aliquam ſine perſonæ definitione. In prima ſpecie omnes matrimonium nullum eſſe concedunt. Ergo idem de ſecunda affirmandum.

(h) *Quamquam licite, & ſine peccato, ſi moraliter ſit certus de morte conjugis.* Illud *ſi moraliter ſit certus*, nolim idem eſſe, ac ſi fama, & ſufficientia indicia de morte habeantur, ut Buſ. locutus eſt cap. 2. dub. 3. hujus tract. 6. ca. 1. ibidem refutatus animad. 28. Hinc Laym. lib. 5. tract. 10. p. 3. cap. 3. n. 2. dico 2. ait. „ Judex eccleſiaſticus in tali caſu indiciorum, „ & probabilis præſumptionis, non autem indubicatæ „ certitudinis de morte conjugis, licentiam & poteſta„ tem dare non poteſt ad ſecundas nuptias tranſeundi. „ Primo quia hæc eſt ſententia Doctorum communiſſi„ ma, & pæne omnium, uti videre eſt apud Sanch. „ l. 2. de mat. d. 46. q. 1. Conſequenter hæc eſt Con„ ſiſtoriorum praxis; cum a ſententia receptiſſima præ„ ſertim in cauſa tam ardua, qualis matrimonialis eſt, „ in judicando recedendum non ſit. "

„ Secundo, quia Sacri Canones hanc partem negan„ tem ſufficienter tradiderunt, videlicet cap. *Dominus* „ &c. & cap. *In præſentia* &c. „ quorum verba habes cit. animad. 28. At ſi in foro externo ab iis recedere non licet, an in foro conſcientiæ licebit? an Summo-

rum

rum Pontificum ſenſa ad forum tantum externum pertinent? imo vero multos magis ad forum internum; cum iis magis cordi ſit animarum ſalus, quam quidlibet aliud. Neque vero forum internum ab externo juſtiſſimo ſuo diſcordare ullo modo debet, aut poteſt.

Recole verba Clem. XIII. *Reſpondemus, &c. Nec auctoritate Eccleſiæ permittas contrahere, donec certum nuntium recipiant de morte virorum.* Cur ait, & præcipit, *non permittas?* quia ſcilicet non licet. An quod licet, permittendum non eſt? Lucii vero 3 s. verba ad ipſos contrahentes diriguntur, dum reſpondet, ut *nullus amodo ad ſecundas nuptias migrare præſumat, donec ei conſtet, quod ab hac vita migravit conjux ejus.*

At Layman., qui contrariam ſententiam quoad forum internum probat, nobis objicit cap. 2. *Cum per bellicam* cau. 34., ubi Leo Papa §. 2. inquit. *Nec tamen culpabilis judicetur, & tanquam alieni juris pervaſor, qui perſonam ejus mariti, qui jam non eſſe exiſtimabatur, aſſumpſit.* Reſp. Sermo erat de fœminis, *quæ abductos in captivitatem viros*, interemptos putaverant, & aliis nupſerant. Horum alteros maritos excuſat, quia pro certo habebant priores maritos eſſe defunctos. Et ſane quoad pœnas mitior ſemper pars amplectenda eſt. Cæterum poſteriores Pontifices Clemens III., & Lucius III., qui ſcripſere, ille quidem anno 1188., hic vero 1181. rem explicatius tradidere, a quorum ſenſis recedere nefas eſſe pro certo haben.

Buſ. *Qui ſi poſtea compareat, tenetur ad eumdem redire &c.* Id certum eſt ex ipſo cap. *Cum per bellicam* mox cit.; Ideoque per certam notitiam mortis prioris conjugis accurate cavendum eſt, ne id accidat.

(i) *Jure vero Tridentini non &c. ſi &c. Et irritat tantum uſque &c. ſi &c. ad quartum vero, ſi &c.*

Hæc omnia extra controverſiam ſunt. Nam Synod. Trid. ſeſſ. 24 cap. 3. de ref. mat. de ſponſalium impedimento ita loquitur. *Juſtitiæ publicæ honeſtatis impedimentum, ubi ſponſalia quacumque ratione valida non erunt, S. Synodus prorſus tollit; ubi autem valida fuerint, primum gradum non excedant.* De matrimonio vero rato nihil definivit, ut eam legenti liquet, & ut teſte Concina Th. t. 10. p. 329. n. 2. „ Theologi, & „ Canoniſtæ docent." Hinc S. Pius V. conſt. *ad Romanum* 1568. Kal. Julii (habetur apud Concinam. & in calce Syn. Trid.) declarat, & definit, *Decretum Concilii hujuſmodi omnino intelligendum eſſe, & procedere in Sponſalibus de futuro dumtaxat, non autem in matrimonio per verba de præſenti contracto, ſed in eo durare adhuc impedimentum in omnibus illis caſibus, & gradibus, quibus de jure veteri ante prædictum decretum Concilii introductum erat &c.* At ex veteri jure impedimentum ex matrimonio rato uſque ad quartum gradum protrahitur, non ultra. Nam licet ante Lateranenſe Concilium ſub Innoc. III. anno 1216. habitum, uſque ad ſeptimum gradum produceretur, ut Nat. Alexander Th. t. 2. p. 150. reg. 4. ex S. Gregorio, multiſque Canonibus erudite evincit; attamen citatum Concilium (habetur cap. *Non debet* 8. t. 14. lib. 4. decr.) tale impedimentum quarto gradu limitatum voluit his verbis: *prohibitio quoque copulæ conjugalis quartum conſanguinitatis, & affinitatis gradum de cætero non excedat.*

Buſ. *Oriri tamen ex matrimonio invalido niſi ſit tale ob defectum conſenſus, ex declaratione Pii V. atque adeo etiam ex clandeſtino.*

Declaratio S. Pii V. verbis illis mox recitatis continetur: *ſed in eo durare adhuc impedimentum in omnibus illis caſibus, & gradibus, quibus &c.* Atqui ex matrimonio licet invalido, multoque magis clandeſtino, quod ante Sacram Synodum validum erat, impedimentum oriebatur: ergo &c.

Probatur aſſumptio ex cap. un. t. 2. lib. 4. in 6. ubi Bonif. oct. ita definit. *Ex ſponſalibus puris, & certis, etiam, conſanguinitatis, affinitatis, frigiditatis ſi Religionis, aut alia quavis ratione ſint nulla, dummodo non ſint nulla ex defectu conſenſus, oritur efficax ad impediendum, & dirimendum ſequentia ſponſalia, vel matrimonia, non autem ad præcedentia diſſolvendum, impedimentum juſtitiæ publicæ honeſtatis.* Si ea ſponſalibus, ergo multo magis ex matrimonio rato. Hinc Gen. Th. t. 5. p. 184. q. 24. *Certum eſt*, inquit, *ante Concilium Tridentinum jus illud* (mox exſcriptum) *ſervatum fuiſſe reſpectu etiam matrimoniorum nullorum.* Hinc ſententiam quoad utramque ejus partem ratam habet etiam Concina Th. t. 10. p. 329. 330. num. 3 & 4., eamque probat ipſe La-Croix t. 3. p. 65. n. 685.

(k) *Utraque jure ſaltem eccleſiaſtico dirimit matrimonium.* Ait *ſaltem Eccleſiaſtico*. Nam quoad lineam tranſverſam affinitas jure naturæ impedimentum dirimens non parit; quæ ſententia teſte Concina Th. t. 10. p. 332. n. 2. communis eſt, & certa, Jacobi exemplo confirmata, qui Gen. 29. duas ſorores Liam, & Rachelem ſine ulla reprehenſione duxit; & Deut. 18. ubi præcipitur, uxorem Fratris ſine liberis defuncti a ſuperſtite Fratre matrimonio ſibi copulari. Hinc ſummi Pontifices in primo gradu lineæ tranſverſæ diſpenſarunt, ut eruditis notum eſt, & legi poteſt apud Concinam loco mox cit.

At quoad primum gradum lineæ rectæ res eſt controverſa; in qua La-Croix t. 3. p. 66. n. 701. pro affirmante ſententia plurimos, & graves auctores citat; pro negante inter cæteros S. Thomam, ſed locum non innuit. S. Doct. ſuppl. q. 55. a. 6. *Sed contra*, affert illud Lev. 18. 8. *turpitudinem uxoris Patris tui non revelabis*; hoc eſt cum ea rem non habebis; & v. 14. ſubditur: *turpitudinem Patris tui non revelabis, nec accedes ad uxorem ejus, quæ tibi affinitate conjungitur*; qui textus non neganti, ſed affirmanti ſententiæ favent; quæ Concinæ quoque n. 4. loci cit. probabilior videtur. Hinc teſte La-Croixio non legitur, *Papam in eo gradu unquam diſpenſaſſe*. Ex quo fit, ut diſpenſatio in hac ſpecie petenda non ſit, præſertim cum de Sacramenti valore agatur, in quo probabilia ſequi proſcriptum eſt repugnante tutiore probabilitate.

Buſ. *Illa uſque ad 4. gradum incluſive*, ut ex mox dictis ad n. 10. Buſ. liquet. *Hæc vero jure novo* (hoc eſt Tridentina lege cap. 4. ſeſſ. 24.) *uſque ad ſecundum tantum.*

Buſ. *denique omnis affinitas, quæ oritur ex affinitate ſublata eſt per Concilium Lateranenſe*; uti legitur cap. *Non debet* de conſanguinitate 8. t. 14. lib. 4. decr. mox cit.

(l) *Per Parochum intelligitur is, qui &c. item Epiſcopus &c.* P. Concina Th. t. 10. p. 293. n. 35. addit *Archiepiſcopos in diœceſibus Suffraganeorum, quando eas viſitant*, quam additionem habet quoque La-Croix n. 708., *& Abbates Eccleſiæ nulli Epiſcopo ſubjectæ.* Ratio eſt, quia hi ſunt Ordinarii, qui ſi ex Syn. Trid. delegare poſſunt, multo magis per ſeipſos matrimoniis adeſſe valent; idque verum eſt, etiamſi ſuſpenſi, aut non Sacerdotes eſſent, ut habet La Croix n. 708. cit. quia hæc in Parocho non obſtant, quominus aſſiſtere poſſit ex animad. hic 19. Vide etiam animad. 21. ex qua ſi Vicarius generalis Epiſcopi valide Matrimonio aſſiſtit, etiamſi id ei ab Epiſcopo interdictum fuerit, cur aliis, de quibus minus dubitare licet, hoc conceſſum non eſt?

Buſ. *Nec requiritur, ut a parte rei &c. Sed ſufficit, ſi &c.* Hæc eſt communis Theologorum ſententia teſte Concina Th. t. 10. p. 293. n. 32. 33.; dum tamen error communis non ſit craſſus, & ſupinus, ſed probabilis. Solus tamen error communis ſine titulo colorato, de quo in calce animad. hic 20., non ſufficit, ut habet Concina n. 34. contrariam opinionem arbitrariam, falſam, & laxam appellans, quam ipſe La-Croix p. 68. n. 727. improbat.

(m) Ita Syn. Trid. ſeſſ. 24. cap. 1. de ref. matrim. ubi ait. *Qui aliter, quam præſente Parocho, vel alio Sacerdote* (inquit alio Sacerdote) *de ipſius Parochi, vel Ordinarii licentia &c. Matrimonium contrahere attentabunt, eos S. Synodus ad ſic contrahendum omnino inhabiles reddit &c.*

(n) *Cum ad teſtes &c. ſufficiunt etiam infames &c.* Hæc eſt communis ſententia, ut ait Concina Th. t. 10. p. 294. n. 38. qui addit etiam *excommunicatos, & infideles* ex eadem communi ſententia; quia nulla exceptio, quæ teſtibus in judicio opponi poteſt, in matrimonio exigitur; & ſane ſi ſufficit Parochus excommunicatus, ut evinco a. hic 19. multo magis teſtis ſeu excommunicatus, ſeu etiam infidelis.

(o) *Si duo ſint Parochi ejuſdem Parochiæ, poteſt uter vis aſſumi. Similiter qui habet duo domicilia, quæ æqualiter inhabitat.* Quoad hoc de duplici domicilio idem habet Concina p. 290. n. 23. *Vel domum quæ &c.* Omnia teſte, & Buſ. ratio, ſingula evincit: at prima illa ſpecies *ſi duo ſint Parochi &c.* forte commentitia eſt. Nam apud Pittonium conſt. pro Parochis p. 242. n. 1269. ex decr. Rotæ 1668. 23. Jun. „ Epiſcopus non poteſt in „ ſolidum duos Parochos conſtituere, neque duas Ec- „ cleſias in una & eadem terminatione."

(p) *Etſi ex præcepto adhibendus ſit &c. in cujus parochia &c.* Rectiſſime hinc Rit. rom. ait. *Eſt autem proprius Parochus, qui adeſſe debet, is, in cujus Parochia Matrimonium celebratur, ſive viri, ſive mulieris.*

Buſ. *Sufficit tamen ad valorem, ſi alterutrius Paſtor aſſiſtat, ut &c. etiam &c. quin &c.* Hæc ſententia La-Croixio t. 3. p. 67. n. 716. certa videtur, & pro ea inter alios citat Pignat, qui refert *plures declarationes, quæ etiam dicunt valere, licet in Parochia Sponſæ contrahant coram Parocho Sponſi.* Eamdem, quam communem eſſe dicit, ſequitur Anacletus t. 4. juris can. p. 61. n. 63. quam ex teſte Fagnanus Sacræ Congregatione confirmat.

Idem ſentit Genettus Th. t. 5. tract. 9 cap. 4. q. 10. p. 144. nixus decreto S. Cong. Conc. Trid. interpretis 16. Feb. 1595. quod ita ſonat.

„ An validum cenſeri debeat matrimonium celebra„ tum in Parochia mulieris coram Sacerdote habente „ licentiam a Parocho Viri, & præſertim eum Parochiæ Viri, & mulieris ſint in diverſis diœceſibus con„ ſtitutæ." *Omnes fuerunt ejus ſententiæ, ut matrimonium celebratum coram Sacerdote de licentia Parochi Viri in Parochia mulieris, etiamſi in diverſis diœceſibus ipſæ Parochiæ conſtitutæ ſint, valeat.* Hanc eamdem declarationem lego apud Pittonum de Parochia p. 57. n. 259. Hujus ſententiæ ratio præter eam, quam affert Bul. ex verbis ſacræ Syn. trid. ſeſſ. 24. cap. 1. de ref. mat. quæ hic repeto, ſumitur. *Qui aliter, quam præſente Parocho*, (intelligo, ut adverſarii, & omnes neceſſario volunt, *proprio*, ſicuti ſacra Syn. ſupra ſe explicuit) *vel alio Sacerdote de ipſius Parochi, vel Ordinarii licentia &c. matrimonium contrahere attentabunt eos* (ait *eos*, non alios) *ad ſic contrahendum omnino inhabiles reddit* &c. at ſeu Viri, ſeu mulieris Parochus præſens ſit, proprius Parochus præſens eſt. Ergo &c. De loco, ſeu Paræcia ſacra Synodus nihil præcipit. Cur ergo nos ejus præcepto, & decreto aliquid addere volumus? hoc ſcilicet arbitrarium eſt.

Matrimonia clandeſtina, hoc eſt ſine Parochi præſentia inita, ante Tridentinam Synodum valida ſine ulla controverſia ex ipſius decreto erant. Nunc ex ejus lege ſunt nulla; at qua de cauſa? ex gravibus criminibus, *quæ ex eiſdem clandeſtinis conjugiis ortum habent, præſertim vero eorum, qui in ſtatu damnationis permanent, dum priore uxore relicta, cum qua clam contraxerant, cum alia palam contrahunt, & in perpetuo cum ea adulterio vivunt.* Sunt hæc ſacræ Syn. verba. At huic malo ut conſulatur, perinde eſt, ſeu Viri, ſeu mulieris Parochus, ubicumque matrimonium ineatur, præſens ſit; quia conjux ſuæ paræciæ perinde illi notus, ſeu nota eſt, ſeu hic, ſeu alibi matrimonium celebretur.

At P. Zacharia ſuo Claudio n. mox cit. hic repugnans, ait: „ ſi jus, ut meritu habet La-Croix, non deter„ minat, cur potius fieri debeat coram uno, quam co„ ram altero, determinavit tamen, ait Zach. ſacra „ Cong. juris interpres anno 1573. quod non vidit La„ Croix, & a Lambert. exſcribitur t. 2. p. 173. in quo „ ſtatuitur, " *ſufficere præſentiam ſolius Parochi proprii Sponſæ, quando matrimonium in Parochia Sponſæ contrahitur; ſimiliter ſufficere præſentiam ſolius Parochi Sponſi, ſi modo matrimonium contrahatur in Parochia ipſius Sponſi*; „ quæ exceptio *ſi modo*, ſubdit Zach. ſa„ tis indicat non ſufficere in Parochia Sponſæ." Reſp. indicat, ſi vis mi Zach. non tamen evincit. Indicat *ſufficere, ſi modo matrimonium* &c. Quoad accidentarias ſolemnitates, ut Anacletus, qui hujuſmodi decreta a Pontio ſibi objecta vidit, hoc eſt quoad legem, non quoad valorem. n. 64. reſpondet.

Adde, quod, ſi quæ ſacræ Congregationis declarationes contrariæ videantur, *eas correctas eſſe ab alia ſubſequenti declaratione*, *teſtatur Fagnanus in cap. Hoc nobis &c. addens, Sanctiſſimum voluiſſe, quod ita inpoſterum reſpondeatur.* Ita Anacl. in calce n. 64. cui ego ſubſcribo.

(q) *Vagabundi* (Syn. Trid. cap. 7. ſeſſ. 24. ait. *qui vagantur, & incertas habent ſedes*) *poſſunt contrahere coram quolibet Parocho.* Hæc ſententia communis eſt teſte Concina Th. t. 10 p. 290 n. 25. quam ſine controverſia ſequitur La-Croix n. 747 & Anacletus t. 4. juris Can. n. 88. quæque ex Syn. trid. aperte colligitur. Nam ſeſſ. 24. cap. 7. cit. ait, *Parochis autem præcipit, ne illorum* (vagorum, de quibus loquitur) *matrimoniis interſint*, (eos ergo intereſſe poſſe ponit. Quinam autem, niſi illi Parochi, ubi vagi reperiuntur?) *niſi prius diligentem inquiſitionem fecerint, & re ad Ordinarium delata, ab eo licentiam id faciendi obtinuerint.*

At poteſt ne Parochus extra fines ſuæ paræciæ vagorum matrimonio valide adeſſe? Reſp. La-Croix loco cit. opinio affirmans communis eſt; at ipſe multis citatis negantem probabilem facit. Quia dum vagi extra paræciam migrant, aliud hoſpitium, quod illis domicilii loco eſt, & ideo alium Parochum naneiſcuntur; quæ ſententia, cum de Sacramenti valorore agatur, quoad praxim tenenda eſt. Quamquam ſi Parochus ex licentia Epiſcopi, ſine qua nihil tentare debet, vagorum matrimonio aſſiſtat, id ubicumque intra diœceſim præſtare poteris.

Buſ. *Idque, ut &c. & ſi alteruter tantum ſit vagus.* Hæc ſententia teſte La-Croixio n. 750 communis eſt, quam ſequitur Anacletus t. 4. cit. n. 89 & veram ponit Concina n. 25. cit. ubi ait. " Si conjugum alter „ vagus ſit, alter incola, convenientius eſt, (ait *con„ venientius*) ut incolæ Parochus aſſiſtat."

Quid de militibus in præſidiis, hybernis ſtationibus, aut exercitu degentibus quoad matrimonii, aliorumque Sacramentorum adminiſtrationem ſentiendum?

Reſp. Miſſo Natali Alex. qui Th. t. 1. app. 2. ep. 7. hac de re neceſſario lumine deſtitutus diſputat; hanc declarationem Friſingenſem authentica forma munitam, quæ tum apud La-Croixium t. 3. p. 71. tum apud Anacletum t. 4. juris can. p. 65. n. 97. legitur, reſponſionis loco habeto.

Cum occaſione tranſitus, aut ſtationis hybernæ in Diœceſi Friſingenſi prætendant Capellani exercituum, eorum militibus Sacramenta adminiſtrare in locis, ubi permanent, abſque licentia Parochi, ac illorum matrimoniis aſſiſtere abſque prævii denuntiationibus, & contra diſpoſitionem S. Concilii Tridentini jam recepti in dicta diœceſi; Epiſcopus ad occurrendum malis inde provenientibus, & polygamiis jam detectis, ſupplicat ſibi ſuhminiſtrari remedium, ac declarari, an prædicti Capellani id peragere poſſint.

Die 29. Jan. 1707. Sacra Cong. Eminentiſſimorum S. R. Eccleſiæ Card. Concilii Trid. interpretum cenſuit, dandum eſſe decretum alias hac de re editum, & ſignanter ſub die 6. Martii 1694 in dubiis Capellanorum exercitus tenoris ſequentis, videlicet.

„ I. An Capellani cujuſcumque exercitus ſive Regu„ lares, ſive ſæculares Catholici poſſint adminiſtrare „ militibus in præſidiis degentibus Sacramenta Pœniten„ tiæ, Euchariſtiæ, & extremæ unctionis ſine ſpeciali „ facultate ſedis Apoſtolicæ, vel licentia & approba„ tione Ordinarii, in cujus diœceſi extare contigerit: "

„ II. An aſſiſtere matrimoniis militum cujuſcumque „ nationis degentium in præſidiis cum militaribus fœ„ minis ſine dicta facultate Apoſtolica, & præcedenti „ approbatione liberi ſtatus, ejuſque recognitione co„ ram Ordinario loci, & licentia Parochi, ſub cujus „ Parochia manent."

„ III. An idem cum militibus degentibus in Caſtris, „ & ſtationibus hybernis, vel æſtivis: "

„ IV. An idem cum militibus in actuali expeditione „ poſitis: "

„ V. An idem cum militibus nubere volentibus cum „ fœminis non militaribus, ſed Italis originariis loci, „ ſeu Diœceſis, in qua reperiuntur: " (omittuntur alia dubia ad rem noſtram non facientia.)

Die 6. Martii 1694. Sacra Congregatio reſcripſit ad I. II. III. IV. V. negative.

(r) *Peregrini*, (qui ambo tales ſint; nam ſi alter ſit incola, de valore matrimonii nullum eſt dubium) *qui &c. non poſſunt &c. quia &c.* Hæc ſententia a Concina Th. t. 10. p. 290. n. 22. communior, & merito vera dicitur, quam ſequitur Anacl. t. 4. juris can. p. 62. n. 61. & ratio a Buſembau allata inſtitutum evincit.

Aliud eſt de iis, qui alicubi &c. ratio eſt &c. Hæc ſententia teſte Concina n. 23. communior eſt; eamque probat Anacl. n. 61. cit. quod enim militibus in præſidiis, aut Caſtris, aut ſtationibus hybernis, vel æſtivis degentibus dicitur, hoc idem de famulis, ancillis, ſtudioſis a pari dicendum eſt. Sed dicti milites coram Parocho loci, ubi manent, aut alio Sacerdote de ejus licentia matrimonium inire poſſunt, ut colligitur ex reſponſione ad dub. 2. & 3. Declarationis Friſingenſis mox allata: ergo etiam famuli &c. ut habet Buſembau.

(ſ) 14. *Et impos, quod impedimentum vocatur frigiditas*; quia ex D. Th. Suppl. q. 58. a. 1. caliditas *ſuperflua vix poteſt eſſe impedimentum perpetuum. Si tamen inveniretur, quod per triennium impediret carnalem copulam, judicaretur perpetuum.*

Buſ. *Quæ ſi perpetua ſit*, hoc eſt, inquit Concina Th. t. 10. p. 333. n. 3. „ quæ nullo remedio, nullaque ar„ te licita auferri poteſt." Hinc Innoc. 3. cap. 6. *Fraternitatis* t. 15. lib. 4. decr. ait, *quod impedimentum illud non erat perpetuum, quod præter divinum miraculum per opus humanum abſque corporali periculo, potuit removeri.*

Buſ. *Et matrimonium antecedat, irritat illud jure naturæ, vel omne, & reſpectu cujuſcumque, ſi ſit abſoluta*, hoc eſt quoad omnes mulieres, ſi in viro ſit, & quoad omnes viros, ſi ſit in fœmina. Buſ. Doctrina certa ne eſt, etiamſi contrahentes impotentiæ conſcii ſint? Reſp. Concina Th. t. 10. p. 334. n. 5. ita loquitur. „ Affirmant plures, poſſe præfatas perſonas (impoten„ tiæ conſcias) cedere juri ſuo, & validum contrahe„ re matrimonium." Huic opinioni robur addere videtur D. Th. Suppl. q. 58. a. 1. ad 4. ubi ait, *quod ſi ſcit ille, cum quo contrahit, hanc impotentiam, & nihilominus contrahit, oſtenditur, quod alium finem ex contractu quærit, & ideo contractus ſtat* (nota hoc, & *ideo contractus ſtat*) *Si autem neſcit, tunc contractus nullus eſt.* „ Verum, ſubdit Concina, opinio negans „ non modo probabilior, ſed vera eſt. Impotentes e„ nim a jure declarantur inepti ad matrimonium, nul„ lo diſcrimine facto inter ſcientes, & ignorantes ta„ lem impotentiam." Hanc ſententiam communiſſimam, & certam habet La Croix t. 3. p. 76. n. 785., *quia*, inquit, *de eſſentia matrimonii eſt traditio corporum*

Digitized by Google

rum aptorum ad copulam; quæ ſane ratio validiſſima, & vera eſt. Idem ſentit Anacl. t. 4. juris can. p. 103. n. 9. *ex communi, & certa ſententia; quia impoſſibilium nulla eſt obligatio*. Hinc Alex. III. cap. 2. t. 15. lib. 4. decr. ait. *Qui impotentes ſunt, minime apti ad contrahenda matrimonia reputantur.*

At quid, inquis, D. Thomæ reſpondendum? Reſp. D. Th. nobiſcum ſentit, ut ex ejus verbis animad. 1. in cap. 2. hujus tract. 6. recitatis liquet, ex qua animadverſione evincitur, quod hic Doct. communi ſenſu docent.

Quare *contractus fiat*, ut ait D. Th. non in genere matrimonii, ſed in eo genere, quo contractus ſpectas, ut ipſe loquitur. Hinc Lucius III. cap. 4. t. 15. lib. 4. decr. ait: *Romana Eccleſia conſuevit in conſimilibus* (qui ſcilicet ſcienter cum impotentibus contrahunt) *judicare, ut quas tanquam uxores habere non poſſunt, habeant ut ſorores*. Quod intellige, dummodo periculum incontinentiæ abſit, ut recte advertit Concina loco mox cit.

Bul. *Vel certum tantum, ſi ſit reſtricta, ſeu reſpectiva*; hoc eſt non quoad omnes, ſed quoad certas perſonas. Ita quoque ſentit Concina Th. t. 10. p. 335. n. 9. & Anacl. t. 4. juris can. p. 103. n. 10. quæ ſententia quoad jus certa eſt ex iiſdem rationibus, quibus abſoluta impotentia matrimonium nullum abſolute, ſeu quoad omnes efficit.

Sed quoad factum quæſtio eſſe poteſt, hoc eſt utrum, qui ſeu quæ quoad aliquos, ſeu aliquas potens eſt, quoad alios, ſeu alias impotens dici queat. Hoc affirmat Anacl. n. cit. & hanc ſententiam paucis repugnantibus ait eſſe communem, quam Abb. eo teſte colligit ex cap. *Fraternitatis* 6. t. 15. lib. 4. decr.; ex quo contrarium ego colligo. Ibi ſermo eſt de nupta muliere, *quæ per multos annos cum viro morata, non potuit carnaliter ab eo cognoſci. Facta per providas & honeſtas matronas inſpectione, aſſeruere conſtanter, quod eadem nunquam poterat eſſe mater, aut conjux, tanquam cui naturale deerat inſtrumentum.* (*Illud nunquam poterat eſſe* &c. abſolutam impotentiam indicat) *unde inter ipſam, & Virum divortium* eccleſiaſtico judicio celebratum eſt. At quid tum poſtea? *Contigit autem poſtea, quod mulier invenit, qui ſeras hujuſmodi reſeravit, & G. latori præſentium ſupernupſit*. Ex hoc facto, inquiu, intelligitur, mulierem quoad primum virum fuiſſe impotentem, quoad alterum potentem, &c. Perge, & audi Summi Pontificis judicium. *Sententiam divortii*, inquit Innoc. III *per errorem* (hic aperte ſermo eſt de errore facti) *licet probabilem novimus eſſe prolatam, cum pateat ex poſt facto, quod ipſa cognoſcibilis erat illi*, (priori viro) *cujus ſimili commiſcetur; & ideo*, ſubdit, *inter ipſam, & primum virum dicimus matrimonium extitiſſe*. Pontificis mens aperta eſt; quia mulier a poſteriore Viro cognita reipſa fuit, a priori cognoſci potuiſſe affirmat, & pro Tribunali judicat. *Quare*, concludit, *inter eam, & præfatum Gutl. matrimonium non eſſe, cenſemus, eoſque præcipimus abinvicem ſeparari*. Hæc perſpicua ſuos. Idem habet D. Th. Suppl. q. 58. a. 1. ad 5. ubi dicit, *quod non poteſt eſſe perpetuum impedimentum naturale Viro reſpectu unius perſonæ, & non reſpectu alterius.*

At Anacleti ratio eſt. „ quia plane contingere poteſt, quod alicujus Viri genitalia ita ſint craſſa, ut „ reſpectu alicujus parva, & anguſta muliebria habentis adſit impotentia perpetua coeundi, quæ abſque „ vitæ periculo tolli nequit." Reſp. hic, mi lector, in luto verſamur; ſed loqui neceſſe eſt. Maritali commiſtioni illud unum ſatis eſt, ſi Vir in mulieris uterum ſemen infundere poſſit. Si mulier hujus Viri ſemen recipere poteſt, cur non alterius? hic craſſities, & anguſtia objici non poteſt.

Nam ſemen, quod ex anguſtiſſimo virili meatu faciliſſime fluit, cur mulieris orificium, quod quantumvis anguſtum ponatur, eo longe amplius putandum eſt, ſubire non poteſt? Ut hoc fiat, ſatis eſt, ſi glans muliebre orificium aut ſubeat, aut etiam contingat. Quid repagula fingis? Ego equidem putem, naturam in muliere ad recipiendum virile ſemen viam non ſolum poſſibilem, ſed facilem feciſſe; quia illa membra generationis cauſa a natura inſtituta ſunt, hoc eſt ut virile ſemen recipiant. Sed quid? *Horrendus eſt vir, & incultus*, ait mulier teſte S. Ambroſio, (Cap. 17. q. 6. cau. 32.) hinc coitus impoſſibilitas fingitur. At reſpondet S. Vir, *ſemel placuit*. *Numquid Vir frequenter eligendus*? Hæc attigi, ne ſalacibus muliereulis, aut in Viris, vel familiam male affectis fides facile habeatur, & via ſolvendis matrimoniis, quæ Deus inſolubilia eſſe voluit, paretur.

(t) *Dixi 2. Si antecedat: nam ſi ſubſequatur matrimonium, non irritat illud*. Hoc intellige, etiamſi matrimonium ratum ſolum ſit, & non conſummatum; quod, licet nonnulli repugnent, La-Croixio t. 3. p. 77. n. 805. merito *certum eſt*. Hanc ſententiam, quæ communis Anacl. teſte t. 4. p. 103. n. 12. eſt, Barboſa, & Sanchez ibidem veriſſimam dicunt; & jure. Nam Nicolaus Papa cap. 25. q. 7. cau. 32. ait. *Hi, qui matrimonium ſani contraxerint*, (ais *contraxerint*, de conſummatione ne verbum quidem) *& unis ex duobus amentia, aut furor, aut aliqua infirmitas acceſſerit, ob hanc infirmitatem conjugia talium ſolvi non poſſunt. Similiter ſentiendum de his, qui ab adverſariis excæcantur, aut membris truncantur, aut a barbaris exſecti fuerint.* Nota hoc *exſecti fuerint*. Nam ſi objiciatur caput *Quod propoſuiſti* 58. q. 7. cit., illud de antecedente impedimento intelligendum eſt, ut recte ait Anacl. ibidem. Hinc cap. 28. ejuſdem q. 7. ex D. Aug. ſumpto dicitur: *Uſque adeo manent inter viventes ſemel inita jura nuptiarum, ut potius ſint inter conjuges, qui ab alterutro ſeparati ſunt, quam cum his quibus aliis adhæſerunt*. Ait *ſemel inita jura nuptiarum*, quod ad matrimonium ratum pertinet.

Buſ. *Etſi uſum ita impediat, ut ſoli contactus, & oſcula liceant citra periculum pollutionis*. Buſ. hic iis repugnat, quæ habet cap. 2. hujus tract. dub. 2. *Reſp. tales actus* &c. ubi dixit tales actus ſine ordine ad copulam eſſe venialia peccata. Nam ubi impotentia eſt, ibi ordo ad copulam nec eſt, nec eſſe poteſt. Sed lege animad. 16. in illum Buſ. textum, & alias ibi citatas, ex quibus intelliges, hos actus adeo non licere, ut mortiferæ culpæ ſint.

Buſ. *Nam ſi dubiu ſit, tamdiu licet conari, quamdiu probabilis eſt ſpes* &c. Hoc intellige intra triennium, aut etiam poſt, niſi diſſoluti matrimonii judicium ab Eccleſia fuerit pronunciatum; contra quod, licet hac in re quæ facti eſt, errare poſſit, ire non licet.

Cæleſtinus III. cap. *Laudabilem* 5. t. 15. l. 4. decr. ita loquitur. *Requiſiſti, quantum temporis indulgendum ſit naturaliter frigidis ad experientiam copulæ nuptialis. Nos vero præſenti conſultatione ſentimus, ut a tempore celebrati conjugii, ſi frigiditas prius probari non poſſet, cohabitent per triennium. Quo elapſo, ſi nec tunc cohabitare voluerint, & juxta decretum Gregorii mulier perjuſtum judicium de Viro probare potuerit, quod cum ea coire non poſſit, accipiat alium*. Ex illis verbis *quo elapſo, ſi nec tunc cohabitare voluerint*, colligitur ipſis permiſſa cohabitatio, & copulæ experientia etiam poſt triennium, ſi cohabitare voluerint, & ſit probabilis ſpes copulæ. Ratio eſt, quia, ut ait Angelicus Suppl. q. 58. a. 1. *in hoc* (ideſt in judicio ſeparationis poſt triennale commercium) *quandoque Eccleſia errat; quia per triennium quandoque non ſufficienter experiri poteſt perpetuitas impotentiæ. Unde Eccleſia, ſi ſe deceptam inveniat per hoc, quod ille, in quo erat impedimentum, invenitur carnalem copulam cum alia, vel cum eadem perfeciſſe, reintegrat matrimonium præcedens, & dirimit ſecundum, quamvis de ejus licentia ſit factum.*

Ex ea voce *cum alia* illud etiam intelligitur, impotentiam reſpectivam a S. Thoma, eoque teſte ab ipſa Eccleſia repudiari. Hinc Cæleſtinus poſt mox recitata ejus verba ſubdit: *Si autem ille aliam acceperit, ſeparentur.*

La Croixio t. 3. p. 77. n. 800. *propoſita fuit hæc quæſtio, an nimia latitudo vaſis muliebris faciat talem impotentiam, ut ab initio invalidet matrimonium: Sed*, inquit, *remiſimus ad Medicos, & Chirurgos. Id ſolum dicere potuimus, ſi latitudo anteceſſerit, nec depelli poſſit, & ſit conſtans cauſa, cur ſemen viri non poſſit recipi, vel retineri a fœmina, facit impotentiam, adeoque ab initio invalidat matrimonium, quia ab initio non fuit apta generationi.*

At mulieres, quæ generationi aptæ non ſunt, ſteriles quidem ſunt, non impotentes; ideoque eorum matrimonium ex hoc capite nulla ratione invalidum dici poteſt, ut rectiſſime ait hic Buſ. ca. 2. Si quæ forte viri ſemen recipere nequeant, illæ impotentes erunt, non item, ſi retinere illud non poſſint. Primum ad germanam copulam neceſſarium eſt, ut ex communi docet Anacl. t. 4. juris can. p. 103. n. 14.; non item alterum, unde ſolum ſterilitas oritur.

Cæterum latitudo vaſis muliebris non poteſt eſſe cauſa, cur virile ſemen recipi non poſſit; cum contra majorem illud recipiendi facilitatem præbeat. Sed ne prohibet quidem, ut ſemen retineatur; quia, cum ſit viſcoſum, facile inhæret muliebri vaſculo ad illud retinendum ex naturæ inſtituto comparato. Itaque quæſtio a La-Croixio propoſita, explodenda eſt, utpote diſcordias, & lites injuſtas parere, & fovere ſolum apta.

(u) *Invalide contrahunt evirati, ſeu* &c. *quando carent utroque teſte.*

Id certum eſt ex Xiſto V. qui Hiſpaniarum Legato ita ſcribit, ut refert Anacl. t. 4. juris can. p. 104. n. 21. *Fraternitati tuæ per præſentes committimus, & mandamus, ut conjugia per Eunuchos & Spadones utroque teſticulo carentes cum quibuſvis mulieribus ſive etiam*

ſeſentibus contrahi prohibeas, eoſque ad matrimonium quomodocumque contrahendum inhabiles auctoritate noſtra declares.

Buſembau enim, *quia non emittunt verum ſemen, aptum generationi*, partim vera eſt, & efficax, ubi ſcilicet ait *verum ſemen*; quia ſcilicet naturalibus organis ad verum ſemen elaborandum deſtinatis proriſus carent; partim inepta, ubi videlicet addit, *aptum generationi*. Quia etiamſi ſemen generationi aptum non ſit, ut in ſterilibus accidit, nihilominus matrimonium valet ex ipſo Buſ. hic ea. 2. Semen aliunde, ſeu ut Buſ. ait, *per accidens* ſterile, veri nihilominus nominis ſemen eſt.

At ſubdit Anacl. n. 23. cit. „ Secus eſt, ſi uno tantum teſticulo careant; hos enim matrimonium valide, „ & licite contrahere poſſe, extra controverſiam eſt, „ docetque cum communi aliorum Abbas &c. "

(x) *Valide contrahunt* 1. *ſteriles; quia etſi &c. non tamen* &c. De hoc non eſt dubitandum: tum quia hæc ſententia teſte Anacl. t. 4 juris can. p. 103. n. 17. communis eſt, quam Sanch. certiſſimam appellat; tum ex ratione a Buſ. allata; tum quia, ſi fæcunditas ad matrimonii valorem eſſet neceſſaria, cum hæc non niſi experientia nota eſſe queat, priuſquam matrimonium contraheretur, experiendum eſſet; quod eſt abſonum, & ſceleſtum. Denique id invicte evincit univerſæ Eccleſiæ conſuetudo, quæ „ etſi ſciat, ſemen in ſenibus, „ & decrepitis ordinarie eſſe ſterile, eos nihilominus „ ad matrimonium admittit; nec etiam juvenes conjuges, nec ſenes ob ſterilitatem etſi patentem diſ„ ſolvit, ſed eos in libero matrimonii uſu permittit. " Ita vere Anacl. n. cit.

Buſ. *Eadem eſt ratio de iis, quæ non edunt fetum, niſi mortuum, vel nonniſi cum periculo vitæ*. Horum matrimonium fuit quidem, & eſt validum; ab ejus tamen uſu abſtinendum eſt, ut oſtendi animad. 23. in cap. 2. hujus tract. 6.

(y) 2. *Hermaphroditi, quia vere ſunt potentes* &c.

Hæc ſexus monſtra ego quidem, ſi jus permitteret, a matrimonio repellerem. At ſi revera ad matrimonii uſum apti ſunt, repelli non poſſunt. Hæc ſententia ex ſe latis clara, teſte Anacleto t. 4. juris can. p. 104. n. 32. communis eſt; qui quoad optionem cum Buſ. ſentit. Illum, ſi vis, conſule.

(z) *Is, qui paulo poſt eſt moriturus*. An hic coire poteſt? minime. An unquam poterit? minime eo ipſo, quia paulo poſt moriturus eſt. Ergo impotentia coeundi perpetua eſt: ergo matrimonium nullum.

An contractus valere poteſt, ſi jus in id tradas, quod præſtare nec potes, nec unquam poteris? *In eo*, inquit Buſ. *manet potentia ad coitum*. Reſp. Id ex mox dictis aperte falſum eſt. Illud *accidens* morbi idem eſt, ac *accidens* eorum quorum genitalia exciduntur.

At id *patet*, ait Buſ. *ex praxi Eccleſiæ, quæ illis interdum ſuadet, ut Concubinas ducant*. Reſp. an Eccleſiæ praxis eſt, quæ a nonnullis ſine legitimis documentis aliquando uſurpatur? Hæc quoad hypotheſim Buſembau. Nam ſi qui morbo ad coitum impotentes, ſpes ſit probabilis, ut convaleſcant, de his ego non loquor.

(aa) *Impuberes, ſi &c. invalide contrahunt, quia &c.*

Illud hic primum habeto, impuberibus matrimonium ab Eccleſia eſſe interdictum ex Nicolao Papa cap. 3. t. 2. lib. 4. decr. ita præcipiente. *Diſtrictius inhibemus, ne aliqui, quorum uterque, vel alter ad ætatem legibus, vel canonibus determinatam non pervenerit, conjungantur; niſi forte aliqua urgentiſſima neceſſitate interveniente, utpote pro bono pacis talis conjunctio toleretur.*

Quia ſcilicet lex eſt ſolum Eccleſiaſtica; ex neceſſitate, Eccleſiæ ſupremus Paſtor diſpenſare poteſt.

2. Contractus matrimonii inter impuberes ex eadem Eccleſiæ lege nullus eſt, ſi copula non acceſſerit; at ſi hæc acceſſerit, validus. Utrumque conſtat ex cap. 10. t. 2. lib. 4 decr. cit. ubi Urbanus III. ita loquitur. *A nobis tua diſcretio requiſivit, utrum iis, qui intra* (dicit) *annos nubiles, matrimonii nomine conjunguntur, vel eorum alteri, antequam ad annos aptos matrimonio perveniant, liceat a matrimonio diſcedere. Ad quod reſpondemus, quod pro eo, quod ante annos nubiles conjugalem conſenſum non habeant, uſque ad legitimam ætatem expectare tenentur*, (interrogationi negativam reſponſionem dat, at ſubdit) *& tunc aut confirmetur matrimonium, aut ſi ſimul eſſe noluerint, ſeparentur, niſi carnalis commixtio ante intervenerit; cum interdum illa tempus anticipare ſoleat pubertatis*. Verba ſunt perſpicua. Et Alex. III. cap. 6. tit. cit. de matrimonio a Juvene cum impubere contracto loquens, ait. *Si autem* (puella) *fuerit ætati proxima, ut in* XI. *vel circa* XII. *annum, & cum ſuo aſſenſu deſponſata, & cognita ab eodem viro, ſeparari non debet, præſertim cum* &c.

(bb) *Si fuit invalidum propter &c. ſive ex una &c. quia ſi altera tantum pars &c. conſenſus partis habitualiter permanſit* · ergo &c. Quoad hoc vide animad. hic 25.

Animadverſio I.

QUO tempore non prohibetur ipſe contractus, aut ejus conſummatio. Idem habet La-Croix p. 45 n. 470.

Sed matrimonii conſummationem eo tempore prohiberi, oſtenſum eſt ſupra c. 2. dub. 2 ar. 1. c. 8.

Neque Trid. ſeſſ. 24. c. 1. prohibet .... ſed tantum hortatur, ne fiat.

Sacra Syn. Trid. loco cit. ait: *Præterea eadem ſacra Syn. hortatur, ut conjuges ante benedictionem ſacerdotalem in templo ſuſcipiendam in eadem domo non cohabitent, ſtatuitque, benedictionem a proprio Parocho fieri* &c.

Aliud eſt non cohabitare in eadem domo, aliud matrimonium non conſummare. Sacra Syn. ait, *in eadem domo non cohabitent*, non autem ait, *non conſumment*. Ne primum fiat, monet, & hortatur, ut periculum conſummandi matrimonii vitetur. Ceterum loquendo de ſacerdotali benedictione omnibus matrimoniis communi qua Sacerdos ait, *Ego conjungo vos in matrimonium in nomine Patris, ✠ & Filii, & Spiritus ſancti*, duplex eſt quæſtio: prima eſt, utrum ejus omiſſio ſit mortalis culpa. Buſemb. dub. 2. *c.* 10. negat. La-Croix p. 48. n. 505. ita loquitur: „ Docent Nav., & Gob. „ tr. 10. n. 562. per ſe loquendo nequidem veniale eſſe „ omittere benedictionem; ſed eſſe veniale, tenendum „ eſt cum communi apud Buſemb.; imo Averſ., qui „ q. 6. §. 7. dixerat fore veniale, ſi omittatur ſine cauſa, q. 20. §. 4. docet peccari mortaliter, ſi abſolute „ omittatur.

Omiſſionem illius benedictionis eſſe mortalem culpam docet quoque P. Concina Theol. t. 10. p. 297. n. 45. ubi opinionem contrariam Sanch. falſam, & laxam appellat. „ Nuptiarum benedictio, ait, & verba relata, „ ſeu alia ſimilia, quibus Parochi conjungunt contrahentes, eſt unum ex potiſſimis ſacræ traditionis monumentum, quo adverſus heterodoxos Catholici evincunt, matrimonium eſſe Sacramentum. Hanc benedictionem nuptiarum ſemper allegarunt Patres poſt „ divinas Scripturas, ut Sacramentum eſſe matrimonium evincerent. De hac benedictione (ſubdit p 302. „ n. 23.) Siricius in ep. ad Himerium c. 4. hæc habet; " *Illa benedictio, quam nupturæ Sacerdos imponit, apud fideles cujuſdam ſacrilegii inſtar eſt, ſi ulla tranſgreſſione violetur.*

Et Hormiſda Papa cauſ. 30 qu. 5. cap. 2. hæc præſcribit: *Nullus fidelis, cujuſcumque conditionis ſit, occulte nuptias faciat, ſed benedictione accepta a Sacerdote, publice nubat in Domino*. Audi Concilium Carthaginenſe IV. relatum loco cit. c. 5. *Sponſus, & ſponſa, cum benedicendi ſunt a Sacerdote, a parentibus, vel a paranymphis offerantur, qui, cum benedictionem acceperint, eadem nocte pro reverentia ipſius benedictionis in virginitate permaneant*. Hactenus P. Concina.

Hæc eadem, & alia legi poſſunt apud Genettum Th. t. 5. p. 135. q. 4.

Altera quæſtio eſt, utrum conſummatio matrimonii ante hujuſmodi benedictionem ſit culpa mortalis. La-Croix num. 505. cit. ait: „ Si autem benedictio fiat „ poſt conſummationem matrimonii, Palud., Tab., & „ alii adhuc dicunt peccari mortaliter, & quidem toties ſecundum S. Anton. quoties illud conſummabitur; ſed probabilius dicunt Navar., Sanch., Pont., „ Laym., Kum num 1867. in hoc nullum eſſe peccatum, dummodo poſtea fiat, quia nullibi invenitur „ præceptum, & Trident. ſupra tantum hortatur, ut „ conjuges ante benedictionem in eadem domo non cohabitent. "

Præceptum perſpicue invenitur in citatis verbis Pontificum Roman., & Concilii IV. Carthagin. itemque can. *Aliter* q. 5. cauſ. 30. ubi dicitur: *Aliter legitimum non fit conjugium, niſi ſacerdotaliter, ut mos eſt, cum precibus & oblationibus a Sacerdote benedicatur*. Adde perpetuam, & univerſalem Eccleſiæ conſuetudinem, quæ legis loco eſt. Præterea ipſa ſacra Syn. Trident. ſeſſ. 24. cap. 1. cit. ſatis aperte hanc non ſolum legem, ſed graviſſimam legem eſſe innuit, dum ſtatuit, *benedictionem a proprio Parocho fieri, neque a quoquam, niſi ab ipſo Parocho, vel ab Ordinario licentiam ad prædictam benedictionem faciendam alii Sacerdoti concedi poſſe, quacumque conſuetudine etiam immemorabili, quæ potius corruptela dicenda eſt, vel privilegio non obſtante.* Neque vero ſolum præceptum eſt, ut benedictio fiat, ſed ut ante matrimonii conſummationem fiat; hanc enim eſſe ſacrorum canonum benedictionem præcipientium mentem, & ipſa benedictionis ratio, quæ ad matrimonii felicitatem refertur, & Eccleſiæ conſuetudo, & ſacra Syn. Trident. cit. quæ hortatur conjuges, ut ante ſacerdotalem benedictionem in eadem domo non cohabitent, ut periculum conſummationis abſit, aperte declarant. Quare Concina cum Palud., Tabiena, S. Antonino, aliiſque a La-Croix citatis p. 302. num. 16.

me-

merito concludit. „ Peccant igitur, & quidem mortaliter, qui ante hanc benedictionem matrimonium conſummant, quidquid in oppoſitum aſſerant recentiores „ nonnulli contra univerſam Eccleſiæ antiquitatem. "

Animadverſio II.

Impedimenta Catechiſmi, & criminis ſublata eſſe, fatentur quoque ſolidiores Theologi Genet. Theol. t. 5. p. 159. qu. 2. Natal. Alex. Theol. t. 2. p. 200. art. 2. Concina Theol. t. 10. p. 340. n. 5. & p. 342. n. 15.

Animadverſio III.

Nunc tamen quibuſdam locis conſuetudo habet ut benedicantur.

Hac de re Rituale Rom. quod obſervandum omnino eſt, ita habet: *Caveat etiam Parochus, ne quando conjuges in primis nuptiis benedictionem acceperint, eos in ſecundis benedicat, ſive mulier, ſive etiam vir ad ſecundas nuptias tranſeat. Sed ubi ea viget conſuetudo, ut ſi mulier nemini unquam nupſerit, etiamſi vir aliam uxorem habuerit, nuptiæ benedicantur, ea ſervanda eſt. Sed viduæ nuptias non benedicat, etiamſi ejus vir nunquam uxorem duxerit.*

Animadverſio IV.

Quamquam Sanch. &c. putant non eſſe mortale unam omittere, ſed contrarium docet &c.

Tu autem, pie lector, tene certum, & incertum dimitte neglectis probabilibus, qui chriſtianas animas ſexcentis periculis objiciunt. Quamquam opinio a culpa mortali excuſans omiſſionem unius, aut alterius proclamationis matrimonii „ arbitraria eſt, inquit Concina Theol. t. 20. p. 299. n. 4. nullo ſolido fundamento nixa .... Si una, vel altera omitti poteſt, cur „ non & tertia? Quiſque moralem certitudinem de impedimentis non extantibus ſibi perſuadere pro arbitrio poſſet, & ſic Eccleſiæ præceptum deludere. Mirifica eſt quorumdam Auctorum libertas in legibus „ pro genio flectendis. " Hactenus ille. Sacerdos ergo mortaliter peccat, vel unam denuntiationem omittens; tum quia poteſtatem ſibi arrogat judicandi, impedimenta non ſubeſſe; tum quia jus ſibi uſurpat remittendi denuntiationes a ſacra Synodo Epiſcopis reſervatum, quæ uſurpatio juris in re graviſſima venialis eſſe non poteſt.

Poſſunt tamen etiam fieri in oratorio, vel juxta Eccleſiam, aliove loco, confluente magno populo.

Cum Syn. Trid. loco mox cit. præcipiat, ut matrimonium in *Eccleſia inter Miſſarum ſolemnia denuntietur*, non docti, cautique Theologi eſt, alia loca deſignare, ſed arrogantis, licentiſque ſophiſtæ. Proclamationes quidem præcipiuntur, ut, ſi quæ ſint, matrimonii impedimenta detegantur; at cum ſacra Synodus, ut hic finis melius, facilius, & Sacramenti dignitati convenientius habeatur, in Eccleſia eas fieri determinate præcipiat, non ſine temeritate, niſi forte neceſſitas id poſtulet, alibi fieri poſſe dicuntur, aut fiunt. Si proclamationes extra Eccleſiam fieri poſſent, diebus quoque non feſtivis fieri non prohiberentur, quod nonnulli ex probabilibus apud Anacletum t. 4. juris can. p. 55. n. 7. concedunt. Quod ſi hoc concedatur, cur diebus quoque feſtivis non continuis? Cur non a Sacerdote, qui non ſit Parochus, vel etiam a laico fieri queunt? Sed nos ſophiſtica, & licentioſa commenta mittamus, & dicamus, ſacram Trid. Synodi legem non eſſe arbitrariis interpretamentis eludendam, ſed animo ſimplici exacte obſervandam.

At Anacletus, qui hujuſmodi arbitraria commenta ſecutus eſt, loco citato ait, quod finis legis, qui eſt, ut impedimenta certius, & facilius revelentur, æqualiter obtinetur, ſi die non feſtivo, & extra Eccleſiam matrimonium frequenti populo confluente publicetur. Reſp. Ut lex impleatur, non ſatis eſt, ut finis cujus gratia lata eſt, obtineatur; alioquin ſatiaeſſet, ut lex finem, quem aſſequi vult, deſignaret; quod nihil aliud eſſet, niſi ſubditorum arbitrio præcepta permittere, & ordinem pervertere.

Quare cum lex, ut certum finem conſequatur, aliquid certum præcipiat, hoc ipſum quod præcipit, faciendum omnino eſt, non quid ſimile, aut æquivalens, ut mala comminiſcuntur quidam probabiles, quos Anacletus incaute ſecutus eſt.

Ut fiant tribus diebus feſtivis ... qui ... nullo tamen feſto interpolentur.

Recte quidem. Hinc, ſi diebus Pentecoſtes faciendæ ſint proclamationes, æquum erit, ut non omnes illo triduo fiant, ſed una tantum die tertio, ut congruum aliquod tempus inter unam, & alteram proclamationem interfluat.

Animadverſio V.

Licet ſtatim poſt ultimam proclamationem contrahere etiam eadem die.

Ita quidem Buſemb. „ Sed Synodus Colon., inquit „ La-Croix p. 45. n. 480. vult intercedere ſaltem unius „ diei intervallum, ut deferri poſſit impedimentum, ſi „ quod ſubſit. " Et Syn. Patavina anni 1624. p. 2. c. 18. ita præcipit. *Nolumus autem, ut eo die, quo poſtrema denuntiatio fiet, matrimonium nobis inconſultis celebretur:* & S. Carolus Borrom. Conc. prov. 3. tit. 3. ait: *Quo die de matrimonio contrahendo denuntiatio ultima facta eſt, ne eo ipſo die, niſi impetrata ab Epiſcopo facultate, illud celebretur. Id autem, præterquam ſi poſtrema ea denuntiatio facta ſit pridie illius diei, quo initium eſt quadrageſimæ, vel adventus; ac niſi item Parochus populo antecedente denuntiatione ſignificarit, eo die, quo poſtrema denuntiatio fiet, matrimonium eſſe contrahendum.*

Videlicet ex reg. 88. in ſext. *Certum eſt, quod is committit in legem, qui legis verba complectens, contra legis nititur voluntatem:* at qui matrimonium contrahunt eodem die, quo ultima proclamatio facta eſt, legis quidem Tridentinæ verba complectuntur, at contra legis voluntatem nituntur; quia poſt ultimam proclamationem congruum tempus non relinquunt denuntiandi, ſi quæ ſunt impedimenta. Ergo contra legem committunt.

Imo Rituale Romanum duos tantum menſes permittit; & hoc ſervandum omnino eſt.

Animadverſio VI.

Poſt proclamationes tenetur ſub mortali, qui novit impedimentum, illico denuntiare, quantumvis ſecretum eſſet &c.

Hæc eſt communis ſententia, ut monet Buſemb., quam ſequitus tum La-Croix num. 481., tum Genettus Theol. t. 5. p. 220. q. 15., & Concina Theol. t. 20. p. 300. num. 8. Ratio eſt, quia ex D. Thom. 2. 2. q. 70. ar. 1. ad 2. & ex Ap. quilibet tenetur obedire Superiori legitime præcipienti: atqui Superiores matrimonium proclamando, legitime præcipiunt, ut impedimenta abſolute, hoc eſt ſeu publica, ſeu occulta manifeſtentur: ergo etiam occulta impedimenta ſunt neceſſario manifeſtanda.

Accedit, quod unuſquiſque ex caritatis officio quantum in ſe eſt impedire teneatur concubinatus, inceſtus, & alia graviſſima mala, quæ ex matrimoniis flagitioſis, aut nullis derivantur: at hæc impedit, occulta impedimenta manifeſtando: ergo explodenda eſt opinio Pontii, qui, ut Buſemb. refert, negat, impedimenta occulta ex neceſſitate eſſe manifeſtanda.

At quid, ſi aliquis occultum impedimentum audiverit, & neſciat a quo? Reſp. „ Debet auditor, inquit „ Concina, Parochum monere, ut diligentiam in deprehendenda veritate adhibeat. " Agitur enim de Sacramenti valore in tuto ponendo, & flagitiorum periculis amovendis, non de pœna reo infligenda: ergo admonitio neceſſaria eſt, quidquid contra dicat Mart. Perez a Buſemb. citatus.

Quid vero, ſi ex impedimenti denuntiatione magnum ſcandalum, aut periculum metuatur? Metus iſte cautionem ſuggerit, ut denuntiatio fiat, & periculum, ac ſcandalum vitetur.

Quod ſi aliqui matrimonia nulla ex malitia contrahere velint, & parati ſint ſcandala ſuſcitare, & graviter nocere occulta impedimenta manifeſtantibus, videtur excuſandus qui non manifeſtat, ut ſuum grave nocumentum vitet; quæ ſententia teſte Anacleto t. 4. juris ſcan. p. 59. n. 49. communis eſt, & illo Matth. 15. v. 14. oraculo nititur: *Sinite illos, cæci ſunt.*

Vel ſi ſciat, contrahentes eſſe in bona fide.

Hæc opinatio adeo abſurda eſt, ut eam La-Croix quoque p. 46. n. 482. rejiciat; quæ ſi admitteretur, proclamationes magna ex parte inutiles fierent; quia ponere debemus, matrimonium contrahere volentes bona fide niti, niſi forte certum ſit, eos mala fide niti. Nam ex rec. 47. juris in 6. *Præſumitur ignorantia, ubi ſcientia non probatur.* Ex quo fieret, ut cum raro compertum ſit, matrimonii impedimentum ſciri a ſponſis, raro quoque adeſſet obligatio illud manifeſtandi; præſertim cum, ſi compertum ſit, impedimentum ſciri a ſponſis, qui nihilominus permaneant in propoſito contrahendi matrimonii, merito timeri ſcandala, & pericula ex manifeſtatione poſſint; qui timor a manifeſtationis debito eximit.

Præterea certum eſt, matrimonium ex natura ſua nullum, bona fide contrahentium non fieri validum: at obligatio denuntiandi impedimentum ex eo derivatur, ut matrimonia nulla, & illegitima impediantur: ergo

ergo hujuſmodi obligatio non ceſſat, quia contrahentes bona fide nituntur.

Accedit, quod quilibet ex caritate teneatur quoad fieri poteſt impedire fornicationes, & inceſtus etiam materiales: ergo tenetur manifeſtare impedimentum matrimonii a contrahentibus ignorati.

Præterea non omnis ignorantia a peccato excuſat, ſed ſola antecedens, non item conſequens, aut concomitans. Ut autem ignorantia ſit antecedens, debet eſſe conjuncta cum ſincero deſiderio ſciendi veritatem, ut alibi dictum eſt, & evincunt illa oracula: *Revela oculos meos: Non abſcondas a me mandata tua: Greſſus meos dirige ſecundum eloquium tuum*: Pſal. 118. item illud Sap. 6. v. 12. *Concupiſcite ſermones meos*: & Eccli. 1. v. 33. *Fili concupiſcens ſapientiam, conſerva juſtitiam, & Deus præbebit illam tibi*. Porro ſi qui bona fide, ſeu ignorantia impedimenti detinentur, verum ſcire ea animo deſiderant, manifeſtatio illis gratiſſima eſt: ergo neceſſario facienda; ſi autem contra ſuam ament ignorantiam, & lucem veritatis oderint, manifeſtatio impedimenti neceſſario facienda eſt, ut peccata impediantur. Ergo ex bona contrahentium fide abſurde petitur excuſatio non manifeſtandi impedimenta matrimonii.

Animadversio VII.

Niſi tamen ex ſola confeſſione poſſet: tunc enim nullo modo poſſet negare matrimonium .... extra confeſſionem.

Ita eſſe faciendum, ut Buſemb. ait, oſtenſum eſt ſupra tr. 4. c. 3. dub. 1. reſp. 2. ca. 4. a. 6.

Licet in confeſſione poſſet, ac deberet.

Imo in confeſſione debet admonere impedimenti, & illum inducere ad abſtinendum a matrimonio; quod ſi nolit, abſolutione donandus non eſt, utpote qui paratus non ſit ad totam legem implendam; qua de re dictum eſt tr. 4. cap. 2. dub. 5. caſ. 7. contra Buſemb., La-Croix, & alios.

At La-Croix p. 53. n. 540. in ſua opinione perſeverans, ut pœnitens non ſit admonendus, ſed ſine admonitione abſolvendus, ſi non ſit ſpes, ut ab uſu contracti bona fide matrimonii cum impedimento, abſtineat, objicit c. 6. *Quia circa* t. 14. lib. 4. decr. ubi Innoc. III. ait: *Diſſimulare poteris, ut remaneant in copula ſic contracta, cum ex ſeparatione (ſicut aſſeris) grave videas ſcandalum imminere.*

Reſp. Diſſimulare quidem licet in caſu, non tamen Confeſſarium licet abſolvere.

At petit La-Croix: „ Nec obſtat, quod qui ita animo comparatus eſt, ut non deſiſteret ab uſu matri„ monii, ſi reſciret matrimonium ſuum eſſe nullum, „ non videatur diſpoſitus ad obſervanda omnia Dei „ præcepta, ideoque nec diſpoſitus ſit ad abſolutio„ nem. Nam hoc verum eſt, ſi ita comparatus ſit ex „ actu voluntatis præſente, vel præterito habitualiter „ perſeverante, non autem, ſi ita comparatus ſit ra„ tione actus tantum conditionate futuri; quia non „ ideo nunc eſt, ſed tantum eſſet male diſpoſitus, ſi „ reſciret. "

Reſp. Hæc cauta cavillatio in eo fallax eſt, quod ponat pœnitentem diſpoſitum ad omnem Dei legem implendam, quia nullum actum internum præſentem, vel præteritum virtualiter perſeverantem contrarium habet. Hoc, inquam, falſum eſt: quocumque enim modo impediatur diſpoſitio, & propoſitum implendi totam Dei legem, perinde eſt: at talis diſpoſitio, ac propoſitum non ſolum interno actu, ſed prava animi diſpoſitione, & habitu impeditur. Habitus, & diſpoſitio animi parati ad perſeverandum in uſu matrimonii nulli, etiamſi ſciretur ejus nullitas, utique impedit propoſitum implendi totam Dei legem, nec cum eo conciliari ulla ratione poteſt; imo vero qui ita affectus eſt, a peccato non excuſatur; quia ejus ignorantia facit quidem actum non voluntarium, non tamen involuntarium, hoc eſt voluntati contrarium: at ut ignorantia a peccato excuſet, neceſſe eſt, ut actus ab ea profectus, ſit involuntarius, hoc eſt voluntati contrarius: ergo qui matrimonium nullum per ignorantiam contraxit, a cujus tamen uſu non abſtineret, etiamſi ſciret ejus nullitatem, nec propoſitum habet abſtinendi ab omni peccato, nec a peccato, quod ignorans admittit, excuſatur; ideoque nulla ratione abſolvendus eſt, quidquid La-Croix contra effutiat, ſed faciendum, ut dixi loco mox cit.

Et tunc, ſi quidem ſine magno ſcandalo non poſſent deſiſtere, nec vellent, ſuadere ut contrahant &c.

Hoc fieri poſſe, aſſerit quoque La-Croix p. 51. num. 539. At in hac ſpecie matrimonium non contrahunt, ſed ſimulant; quæ ſimulatio verum mendacium eſt, nec licere poteſt: neque vero mendacium effugiunt, ut falſo putat La-Croix, ſi reipſa conſentiant, quantum poſſunt. Nam, etſi reipſa, quantum in ipſis eſt, conſentiant, non tamen matrimonium ineunt, niſi mendaciter, & ſimulate: at fingere matrimonii contractum, & Sacramenti ſuſceptionem, non ſolum mendacium eſt, ſed etiam mendacium ſacrilegum; quod a La-Croix non excuſatur l. 6. p. 1. n. 162. niſi per reſtrictionem mentalem ab Innoc. XI. prop. 26. 27. damnatam.

Adde, quod, dum ſponſi ita contrahunt, & ſimul cohabitant, evidenti, & proximo periculo ſeſe objiciunt a communi domo ad communem torum tranſeundi, præſertim cum ſimul habitent familiariter, ac veluti conjuges: hoc periculum, inquit Viva apud Concinam Theol. t. 10. p. 303. n. 17. excuſatur ob cauſam vitandi ſcandali; „ quæ opinio, ſubdit Concina, rejiſ„ cienda omnino eſt. " Hinc Chriſtus Matth. 5. v. 29. ait: *Si oculus tuus dexter ſcandalizat te, erue eum, & projice abs te*. Ex quo intelligitur, nullius boni obtinendi, aut mali vitandi cauſa excuſari occaſionem proximam peccandi a peccato. Non enim ſunt facienda mala, ut Ap. præcipit, ut eveniant bona. At ipſa proxima peccandi occaſio peccatum eſt: ergo nulla ratione a culpa excuſari poteſt.

Quid ergo in ſpecie propoſita faciendum? „ Scanda„ lum hoc, quod obtruditur, inquit Concina loco mox „ cit. frequentiſſime commentitium eſt, & vix unquam „ occurrit, quin poſſit vero remedio tolli. Quamobrem „ ſuggerunt alii, quibus accedit ipſe P. Viva, ut vir „ votum caſtitatis ad tempus edat, donec diſpenſatio „ ſuper impedimento obtenta fuerit; quæ, ſi matrimo„ nium differri nullo modo poſſit, etiam ab Epiſcopo „ in tam urgenti neceſſitate impertiri poteſt, " ut ait idem Concina p. 376. n. 14.

Animadversio VIII.

Poteſt Epiſcopus .... diſpenſare vel ut una tantum fiat proclamatio, vel ut fiant poſt contractum &c.

Hic attente legenda eſt ſacra Syn. Trid. quæ ſeſſ. 24. cap. 1. de refor. matrim. poſtquam denuntiationes matrimonii a Parocho eſſe faciendas præcepit, hæc ſubdit: *Quod ſi aliquando probabilis fuerit ſuſpicio, matrimonium malitioſe impediri poſſe, ſi tot præceſſerint denuntiationes, tunc vel una tantum denuntiatio fiat, vel ſaltem Parocho, & duobus, vel tribus teſtibus præſentibus matrimonium celebretur, deinde ante illius conſummationem denuntiationes in Eccleſia fiant, ut, ſi aliqua ſubſint impedimenta, facilius detegantur; niſi Ordinarius ipſe expedire judicaverit, ut prædictæ denuntiationes remittantur, quod illius prudentiæ, & judicio ſacra Synodus relinquit.*

Relaxatio, ſeu diſpenſatio denuntiationum, Ordinarii quidem prudentiæ, & judicio relicta ſolum eſt; *quod idem eſt*, ait Bened. XIV. conſtit. *Satis vobis* 17. Novembris 1741. * *ac legitimam cauſam diſpenſationis requirere*; attamen Parochus præmiſſa una denuntiatione, vel etiam ſine ea poteſt ex eadem ſacra Synodo matrimonium celebrare, ſi probabilis ſuſpicio ſit, illud ex præmiſſis denuntiationibus malitioſe fore impediendum; quæ tamen denuntiationes poſt celebrationem matrimonii, & ante illius conſummationem faciendæ ſunt, niſi ab Ordinario remittantur.

Animadversio IX.

Etſi quando per diſpenſationem contractum eſt matrimonium ante proclamationes poſtea faciendas conjux non teneatur &c. quando tamen certi ſunt nullum ſubeſſe impedimentum, non peccare &c. tenet &c.

Legem Tridentinam in re gravi violare, non levis, ſed gravis, & letalis culpa eſt: ſed qui matrimonium jam contractum conſummant ante denuntiationes faciendas, legem Tridentinam in re gravi violant: ergo mortaliter peccant.

Neque vero illa conditio, *quando certi ſunt, nullum ſubeſſe impedimentum*, a legis violatione conſummantes eximit, ſeu excuſat; primo quia judicium, quod nullum ſubſit impedimentum, ad eos non pertinet, ſed ad Eccleſiam, præſertim vero in cauſa propria, in qua nemo Judex eſſe poteſt. 2. Quia certa illa notitia a conjugibus vix haberi poteſt, cum impedimenta tam multa, & varia ſint, & quandoque occultiſſima. 3. Quia ſi conjuges in propoſita ſpecie matrimonium conſummare ſine mortali culpa poſſent ante denuntiationes, quod certo putent, nullum ſubeſſe impedimentum, illud quoque ſine mortali culpa contrahere prætermiſſis denuntiationibus eo pretextu valerent, quod certum ipſis ſit,

* Hæc conſtitutio integra legi poteſt apud La-Croix t. 3. p. 46.

ſit, nullum adeſſe impedimentum: hoc poſterius eſt abſurdum, & falſum: ergo & prius. Quare omiſſis inanibus prætextibus conjuges legi obedire, & a conſummatione matrimonii, priuſquam denunciationes fiant, abſtinere omnino tenetur.

Animadversio X.

Vel ſervus cum ſerva.

Hæc Bulemb. doctrina falſa eſt, cujus contrarium docet ipſe La-Croix p. 54 num. 365. citans S. Thom., Henr., Victor., Sanch., Averſ. Et ſane S. Thom. Supplem. qu. 52. ar. 1. ad 1. inquit: *Similiter etiam quia in matrimonio eſt æqualis obligatio ex utraque parte ad debitum reddendum, non poteſt aliquis requirere majorem obligationem ex parte alterius, quam ipſe poſſit facere. Et propter hoc etiamſi ſervus contrahit cum ancilla, quam credit liberam, non propter hoc impeditur matrimonium;* quæ ſententia cum ſacris canonibus apprime concordat, qui tunc ſolum matrimonium irritum eſſe definiunt quoad ſervilem conditionem, cum homo liber cum ſerva ignoranter contrahit, vel contra mulier libera cum ſervo, ut patet ex c. 2, & 4. t. 9. lib. 4. decr. & ex c. 4. q. 2. cauſ. 29.

Animadversio XI.

Prima dicitur legalis, quæ eſt &c.

Adoptio ex D. Thom. Suppl. qu. 57. ar. 1. *eſt extraneæ perſonæ in filium, vel nepotem, vel deinceps legitima aſſumptio*; & duplex eſt. *Una, quæ perfecte naturalem filiationem imitatur; & hæc vocatur arrogatio, per quam traducitur adoptatus in poteſtatem adoptantis: & ſic adoptatus ſuccedit patri adoptanti ex inteſtato, nec poteſt eum pater ſine culpa privare quarta parte hæreditatis: ſic autem adoptari non poteſt, niſi ille, qui eſt ſui juris, qui ſcil. non habet patrem, aut, ſi habet, eſt emancipatus. Et hæc adoptio non fit, niſi auctoritate Principis. Alia adoptio eſt, quæ imitatur naturalem filiationem imperfecte, quæ vocatur ſimplex adoptio, per quam adoptatus non tranſit in poteſtatem adoptantis. Unde magis eſt diſpoſitio quædam ad perfectam adoptionem, quam adoptio perfecta: & ſecundum hanc poteſt adoptari etiam ille, qui non eſt ſui juris, & ſine auctoritate Principis, ex auctoritate Magiſtratus: & ſic adoptatus non ſuccedit in bonis adoptantis, nec tenetur ei adoptans aliquid de bonis ſuis in teſtamento dimittere, niſi velit.*

Buſembau ponit, cognationem legalem ex perfecta ſolum adoptione derivari, & ex hac ſola impedimentum dirimens matrimonii oriri; quam ſententiam probabiliorem putat quoque La-Croix p. 57. n. 588. & ſequitur Concina Theol. t. 10. p. 320. n. 13. Anacletus contra t. 4. juris can. p. 93. n. 10. probabile omnino putat, etiam ex ſimplici adoptione legalem cognationem oriri, quæ matrimonii impedimentum dirimens inducat. Porro hinc, atque inde multi citantur, ita ut ex auctoritate nihil poſſit concludi.

Ratio contra Buſemb., & La-Croix eſt, quia ubi lex non diſtinguit, ſine diſtinctione accipienda eſt: at lex ſine diſtinctione cognationem legalem, atque inde impedimentum dirimens ex adoptione oriri ait. Nam Nicolaus cap. un. t. 12. lib. 4. decr. ad conſulta Bulgarorum inquit: *Si qua per adoptionem mihi ſoror eſſe cœperit, quandiu durat adoptio, inter me, & ipſam nuptiæ conſiſtere non poſſunt:* idemque c. 1. *Ita diligere* qu. 3. cauſ. 30. ait: *Quandoquidem nec inter eos, qui natura, & eos, qui adoptione filii ſunt, venerandæ Romanæ leges matrimonia contrahi permittunt.* Ergo ſine diſtinctione dicendum eſt, cognationem legalem, & impedimentum dirimens matrimonii ex adoptione oriri.

Nonne etiam in ſimplici adoptione perſona extranea in filium, ut nepotem publica auctoritate aſſumitur? Si inde nulla cognatio legalis oriretur, talis aſſumptio eſſet inutilis, imo falſa; quia falſo appellaretur quis *pater*, *filius* &c. ergo non videtur dubitandum, quin ex ſimplici adoptione legalis cognatio oriatur, ideoque impedimentum dirimens matrimonii.

Accedit, quod, licet adoptatus per ſimplicem adoptionem, non ſit neceſſarius heres adoptantis, illi tamen ſuccedit ab inteſtato, ut animadvertit Anacl. p. 92. tit. 12. n. 2. ex §. 1. & 2. inſtit. de nupt. at qui alteri ab inteſtato ſuccedit, aliquo vinculo cognationis ei neceſſe eſt ut copuletur: ergo &c.

Adoptio quidem ſimplex eſt *magis diſpoſitio quædam ad perfectam adoptionem*, ut loquitur D. Thom. mox cit. *quam adoptio perfecta*; non tamen vere, & proprie adoptio eſſe deſinit; ſicuti beſtia, licet homine inferior, & longe imperfectior, non deſinit eſſe animal proprie dictum. Non enim adoptio ſimplex eſt diſpoſitio ad adoptionem abſolute, cujus ex eodem D. Thoma eſt ſpecies, ſed ad perfectam adoptionem.

At objicitur D. Thom. art. 2. qu. cit. ubi ait: *Et quia filius adoptatus converſatur in domo patris adoptantis, ſicut filius naturalis, ideo legibus humanis prohibitum eſt, inter tales matrimonium contrahi: & talis prohibitio eſt per Eccleſiam approbata. Et inde eſt, quod legalis cognatio matrimonium impediat.* At per ſolam adoptionem perfectam adoptatus tranſit in familiam, & poteſtatem adoptantis: ergo hæc ſola inducit impedimentum dirimens.

Reſp. D. Thom. præcipuam rationem aſſignat, non unicam, & univerſalem, cur leges prohibuerint matrimonium inter perſonas legali cognatione conjunctas. Ratio univerſalis prohibitionis eſt ipſa legalis cognatio. Hinc ipſe S. Doct. ſubdit: *& inde eſt, quod legalis cognatio matrimonium impediat*: at legalis cognatio conciliatur non ſolum ex perfecta, ſed etiam ex ſimplici adoptione, ut ſacri allati canones, & rationes oſtendunt: ergo etiam ex ſimplici adoptione oritur impedimentum dirimens matrimonii.

Impedimenta matrimonii fingenda quidem non ſunt, nec ſine evidenti ratione aſſerenda, nec tamen contra ſine evidenti ratione neganda.

Sicut in aliis rebus ad mores pertinentibus, ita hic quoque in dubiis tutior via eſt ea neceſſitate præcepti eligenda: quare, etiamſi res, de qua agimus, hinc inde æqualiter anceps & dubia eſſet, nihilominus a matrimonio contrahendo eſſet ſimplici legali cognatione conjunctis neceſſario abſtinendum; præſertim cum hic agatur de Sacramento valide ſuſcipiendo, & vitando periculo perpetui concubinatus, & inceſtus; quæ ſane ratio evidenter evincit, quoad praxim neceſſario deſerendam eſſe Buſemb., & La Croix opinionem, etiamſi eſſet, ut a La-Croixio appellatur, probabilior.

Dian., ubi contra communem ſententiam notat &c.

P. Concina n. 15. probabilius putat, legalem cognationem non extendi ultra primum gradum. Sed non eſt diſcedendum a communi ſententia, quam Anacletus t. 4. juris can. p. 92. tit. 12. n. 5. civilium legum auctoritate confirmat, & D. Thom. docet Suplem. qu. 57. ar. 3. ubi ait: *Quod triplex eſt legalis cognatio. Prima quaſi deſcendentium, quæ contrahitur inter patrem adoptantem, & filium adoptatum, & filium filii adoptivi, & nepotem, & ſic deinceps.* Neque hic objici poteſt Syn. Trid. quæ ſeſſ. 24. in decr. de reform. matrim. de adoptione non loquitur.

Præter adoptionem deſcendentium aliæ duæ ſunt. *Secunda*, inquit S. Doct., *quæ eſt inter filium adoptivum, & filium naturalem. Tertia per modum cujuſdam affinitatis, quæ eſt inter patrem adoptantem, & uxorem filii adoptivi, vel e contrario inter filium adoptatum, & uxorem patris adoptantis. Prima ergo cognatio, & tertia perpetuo matrimonium impediunt: ſecunda autem non, niſi quamdiu manet in poteſtate patris adoptantis. Unde mortuo patre, vel filio emancipato poteſt contrahi inter eos matrimonium.*

Hæc doctrina confirmatur c. 6. *Per adoptionem* qu. 3. cauſ. 30. ubi dicitur: *Per adoptionem quæſita fraternitas eo uſque impedit nuptias, donec manet adoptio; ideoque eam, quam pater meus adoptavit, & emancipavit, poteſto uxorem ducere: æque & ſi me emancipato illam in poteſtate retinuerit, poterimus jungi matrimonio.*

Animadversio XII.

Quod ſi cædes tentata ſit &c. non dirimit matrimonium.

Etiamſi intentio matrimonii exterius ſignificata non fuerit, nihilominus ex cæde conjugis communi conſilio perfecta cum matrimonii intentione, oriri impedimentum dirimens, putat Anacletus t. 4. juris can. p. 85. n. 24. in quam opinionem pronus videtur La-Croix p. 59. n. 616. cit. Caſtrop.

Sed hoc miſſo major difficultas eſt, utrum ipſa intentio matrimonii ſeu manifeſtata, ſeu occulta ſit neceſſaria ad impedimentum inducendum, ut affirmat Buſemb., La-Croix n. 614. Concina Theol. t. 10. p. 322. n. 4. Ana l. n. 23. 25. qui hanc opinionem communem eſſe ait, paucis repugnantibus; an ſine prædicta intentione impedimentum oriatur.

Genetrus Theol. t. 5. p. 172. qu. 12. impedimentum oriri putat ſine intentione matrimonii ex ipſo crimine communi conſilio peracto; & nititur c. *Laudabilem* tit. 33. de converſ. infid. l. 3. decr. ubi Cæleſtinus III. ita loquitur. *Interrogaſti de Sarracenis, qui dum in captivitate eſſent, quarumdam Chriſtianarum viros earum inſidiis, & machinatione occiderunt, utrum, quia poſtea per ipſas ad fidem chriſtianam converſi ſunt, eas de jure poſſint accipere in uxores; vel, ſi duxerint, conjugium teneat earumdem.* In hac interrogatione nulla ſit mentio intentionis matrimonii. Quid porro reſpondet Pontifex? *Hic*, inquit, *Triburienſis Concilii regula contenti ſumus aſſerentis, quod ſi in mortem ipſorum malitioſe fuerint machinatæ, licet earum ſtudia ad fidem acceſſe-*

ceſſerint, nec tamen eis adhærere debent, nec ſunt, ſi adhæſerint, etiam tolerandi, cum tale damnum tali lucro Eccleſia compenſare non velit.

Si rem conſideres, tam interrogatio, quam ſummi Pontificis reſponſio pro fundamento habet ex cæde mariti ab uxoris machinatione, ſeu inſidiis facta derivari impedimentum dirimens matrimonii inter uxorem machinantem, & virum occidentem, nulla habita mentione intentionis matrimonii. Hinc Gloſſa hujus cap. e Genetto cit. ait: *Nota, quod mulier non poteſt contrahere cum illo, qui virum ſuum interfecit, ſi mortem ejus fuerit machinata:* & in ſumma capitis dicitur: *Non poteſt quis illam habere in uxorem, cujus maritum occidit machinatione ipſius mulieris; ſecus ſine machinatione.*

Adverſarii nihil aliud reponere poſſunt contra citatam gloſſam, & capitis ſummam, niſi illud *malitioſe* perinde eſſe, ac ex intentione matrimonii cum occiſore contrahendi. At hoc non eſt interpretari canones, ſed eos ſibi accommodare. Illa vox *malitioſe* idem eſt, ac animo malo, quicumque ſit, ſeu odium, & vindicta, ſeu libido, ſeu avaritia, ſeu alius quicumque malus affectus. Vox generalis *malitioſe* ad determinatam ſignificationem aliis ſignificationibus excluſis, nec ex dictorum ſerie, nec ex circumſtantiis facti trahi hic poteſt. Eccleſia hoc impedimentum in pœnam criminis conſtituit: porro crimen idem eſt, ſeu uxor mortem mariti machinetur ex odio, ſeu ut cum occiſore libidinoſe veluti concubina vivat, ſeu ut ipſum in maritum accipiat; imo hic poſtremus affectus minus malus eſt, quam alii: ergo ſi hic fatentibus adverſariis inducit impedimentum, multo magis alii.

Præterea eodem cap. ſubditur: *Ad hoc, Sarraceni quidam in bello ſunt Chriſtianos interfeciſſe notati, & Chriſtiani ſimiliter Sarracenos: poſtea vero Sarraceni ad fidem converſi uxores eorum, quos in belli certamine occiderunt, ſibi matrimonialiter copularunt; & idipſum Chriſtiani de Sarracenis mulieribus converſis ad fidem feciſſe noſcuntur; quæ poſtquam de priorum virorum morte compererint veritatem, divortium inſtanter expoſcunt. In his igitur reſpondemus, quod, cum tales non procuraverint virorum interitum defunctorum, matrimonium inter hujuſmodi perſonas licite poteſt contrahi, & taliter copulati divortium nequeunt poſtulare.* Ubi nota illud *cum tales non procuraverint virorum interitum defunctorum*: ipſa enim procuratio, quocumque animo fiat, ſatis eſt ad impedimentum inducendum; ſi hæc abſit, matrimonium ſubſiſtit. Ita verba ſonant, nec alia eſt Pontificis mens.

Adverſarii nihil habent, quod ſolide objiciant. Anacletus exiſtimat, matrimonii intentionem hic requiri, ut impedimentum inducatur, ſicuti eam requiri, putat, cum mortis machinatio cum adulterio conjungitur; iiſdemque momentis utrumque confici putat. „ Ratio (inquit) deſumitur ex fine hujus impedimenti, qui fuit, „ ne unus conjux amore, & cupiditate contrahendi cum „ alio, proprium conjugem occidat."

At non oſtendit, hunc eſſe unicum finem hujus impedimenti: imo perinde eſt, aut etiam pejus, ſi quis conſpiret in mortem ſui conjugis, ut libidinoſam vitam ſine matrimonio cum occiſore ducat. Cap. *Si quis* 5. cauſ. 31. qu. 1. ab Anacl. objectum, de intentione matrimonii nullam prorſus mentionem habet. En Canonis verba. *Si quis vivente marito conjugem illius adulteraſſe accuſatur, & eo in proximo defuncto eamdem ſumpſiſſe dignoſcitur, omnimodis publicæ pœnitentiæ ſubjiciatur, de quo etiam poſt pœnitentiam præfatam, ſi expedierit, ſervabitur regula,* (hoc eſt ſi expediens, nubere invicem permittentur, ſi non expedierit, non permittentur, uti habetur cauſ. 36. q. 2. cap. *Si autem* 10.) *Niſi forte vir, aut mulier virum, qui mortuus fuerat, occidiſſe notetur, aut propinquitas, vel alia quælibet actio criminalis impediat. Quod ſi probatum fuerit, ſine ulla ſpe conjugii maneant perpetuo cum pœnitentia.*

Impedimentum hujuſmodi ex eccleſiaſtica lege inductum fuit; quo conſulto ego ſane intentionem matrimonii in præfato crimine nullam requiri deprehendo, ut inducatur; ideoque ab iis, qui contra ſentiunt, tum Genetto, & aliis diſſentio.

Niſi etiam adulterium præceſſerit: tunc enim, etſi unus tantum cædem perfecerit, altero ignaro, dummodo id fecerit intentione matrimonii, vere dirimit.

Hic quoque intentionem matrimonii Buſemb. requirit, ut impedimentum exiſtat. Et ſane, cum poſt adulterium procuratur, & perficitur cædes proprii conjugis, hujuſmodi ſcelus eo ſpectare videtur, ut matrimonium ineatur cum adultero. Attamen canones hanc intentionem veluti neceſſariam ad impedimentum inducendum poſtulare mihi non videntur; ſed, ut inducatur, ſatis eſt, ſi adulterio addatur cædes proprii conjugis, ut aperte declarare mihi videntur verba mox cit. cap. *Si quis vivente*; cui conſonat c. 3. *Super hoc* t. 7. lib. 4. decr. ubi Alex. III. inquit: *Super hoc, quod quæſiviſti, an liceat alicui cum ea contrahere matrimonium, quam uxore ſua vivente ſibi de facto matrimonio copulavit: taliter reſpondemus, quod ſi adultera eſt in mortem uxoris aliquid machinata, ſive fidem dedit, ſive non, quod ea defuncta hanc eſſet ducturus, ſecundum canones ab ejus conſortio prohibetur, & hæc prohibitio perpetuo eſt ſervanda.* Hic ego nullam prorſus mentionem fieri video intentionis matrimonii, ut impedimentum inducatur, ſed ſolum machinationis adulteræ in mortem uxoris adulteri; imo hanc intentionem ad impedimentum inducendum neceſſariam non eſſe, illa verba declarant, *ſive fidem dedit, ſive non, quod ea defuncta hanc eſſet ducturus.* Idem omnino habet Innoc. III. c. 6. *Significaſti* ejuſdem cit. tit.

Hic eſt conſtans tenor ſacrorum canonum, cui ego relictis contra ſentientibus adhæreo.

Præterea ſi adulterium addito pacto futuri matrimonii, matrimonium inter adulteros dirimit, ut habet Innoc. III. cap. *Significaſti* cit., & fatetur Buſ., & adverſarii; cur non adulterium addita cæde conjugis ſine alia additione aut promiſſione, aut intentionis matrimonii? An hoc alterum minus crimen eſt, quam prius? An matrimonio minus infeſtum? Sacri canones impedimentum dirimens inter adulteros addita fide matrimonii idcirco conſtituere, ne viventis conjugis cædes tentaretur: ergo multo potiori jure impedimentum dirimens inter eoſdem adulteros locum habet, ſi ab eorum altero, uxoris, aut mariti cædes peracta foret.

Tandem hic quoque in mente habenda eſt propoſ. a. ab Innoc. XI. proſcripta, ne in re dubia, ſacramentum matrimonii, periculo fruſtrationis, & conjuges perpetui concubinatus diſcrimini objiciantur.

ANIMADVERSIO XIII.

Excuſatque ignorantia quævis, etiam facti.

Dum Buſ. ita loquitur, ponit, ignorantiam facti difficilius excuſare, quam ignorantia juris; quæ poſitio ſane craſſa eſt; cum contra ex reg. 13. juris in 6. *ignorantia facti, non juris excuſet.*

La-Croix p. 60. num. 622. hac de re ait: „ Putantque Sanch. & Averſ. excuſare hic ignorantiam etiam „ vincibilem, quia quando lex requirit ſcientiam, vel „ dolum, videtur talis ignorantia excuſare."

Verum cum hic agatur de impedimento criminis, quod ſcilicet crimine inducitur, ratio dictat, illam ignorantiam ab impedimento incurrendo excuſare, ſeu liberare quæ a crimine excuſet, non item quæ a crimine non excuſat, hoc eſt ſolam ignorantiam invincibilem; quidquid contra Buſ. & La-Croix ſentiant, & dicant. Impedimentum enim crimini annexum, & affixum ex jure eſt; ideoque ſubſiſtente crimine ſubſiſtit impedimentum, quod tollitur crimine ſublato. Hinc ignorantia facti, quia ponitur invincibilis, impedimentum tollit, quia crimen tollit, ut docet Alex. III. qui cap. 1. *Propoſitum* tit. 7. lib. 4. decr. ait: *Propoſitum eſt nobis, quod vir quidam uxorem habens, ſibi aliam hujuſmodi rei inſciam copulavit; ſed prima mortua nititur diſcedere a ſecunda: licet autem in canonibus habeatur, ut nullus copulet matrimonio, quam prius polluerat adulterio, & illam maxime, cui fidem dederat uxore ſua vivente, vel quæ machinata eſt in mortem uxoris: quia tamen præfata mulier erat inſcia, quod ille aliam haberet uxorem viventem, nec dignum eſt, ut prædictus vir, qui ſcienter contra Canones venerat, lucrum de ſuo dolo reportet, conſultationi tuæ taliter reſpondemus, quod niſi mulier divortium petat, ad petitionem viri non ſunt aliquatenus ſeparandi.* Et cap. 7. *Veniens* ejuſdem tituli ab Innoc. III, dicitur, quod qui vivente prima uxore ſecundam hujus rei inſciam duxerit, *uxore defuncta, utpote a lege ipſius ſolutus, in eamdem de novo poteſt matrimonialiter conſentire, dummodo non præſtiterit fidem adulteræ, vel machinatus fuerit in mortem uxoris:* ideoque hæc ſecunda olim adultera, judice Innoc. III. legitima evadit uxor. At vero ignorantia vincibilis, ſeu juris, puta ſi quis, aut quæ adulterium non eſſe peccatum, vel polygamiam licere crederet, ab impedimento incurrendo nulla ratione eximit. Item ſi adulterantes, & machinantes ſciant quidem, ſe peccare, at ignorent, inde oriri inter eos impedimentum, nihilominus impedimentum incurrunt, ut recte affirmat Angelus t. 4. juris can. pag. 85. num. 26. cit. Gobat, Diana &c. „ Ratio eſt, inquit, tum quia canones ſtatuentes impedimenta, nullibi requirunt notitiam hujus impedimenti; tum quia alia impedimenta contrahuntur abſque notitia juxta dicta: ergo etiam hoc, „ cum non ſit major ratio de hoc, quam de aliis. Accedit praxis, & conſuetudo optima legum interpres „ cap. *Cum dilectus* de conſuet. Curiæ tam Romanæ, „ quam aliarum Eccleſiarum, qua conſtat, etiam illos, „ qui ignorantes impedimentum criminis annexum contraxerunt, indigere diſpenſatione ad valide contrahendum, de quibus vide etiam Corradum prax. diſp. „ apoſt. l. 8. c. 9. num. 7."

ANI-

Animadversio XIV.

Probabile tamen eſt, Tridentini decreto tantum comprehendi raptum, qui ſit cauſa matrimonii.

Hanc ſententiam ſequitur non ſolum Anacletus Th. mor. p. 754., ſed etiam Nat. Alex. Theol. t. 2. p. 197. n. 12. & Concina Theol. t. 10. p. 339. num. 3. Wigandt contra in Trib. p. 730. num. 97. exiſtimat, raptum, qui libidinis quoque, non matrimonii cauſa ſit, eſſe impedimentum dirimens matrimonii; in quam ſententiam concedit quoque Genetrus Theol. t. 5. p. 192. qu. 38. & hæc mihi verior videtur. Nam ſeſſ. 24. de ref. matr. cap. 6. *Decernit ſancta Synodus inter raptorem, & raptam, quamdiu ipſa in poteſtate raptoris manſerit, nullum poſſe conſiſtere matrimonium.* Sed certum eſt, raptorem, & raptam vere eſſe tales, etiamſi mulier non matrimonii, ſed libidinis cauſa rapiatur. Raptus enim recte definitur violenta feminæ abductio, ſeu traductio de loco in locum, in quo in raptoris poteſtatem redigatur, matrimonii contrahendi, vel libidinis explendæ cauſa, ut habent Gen. loco cit. Laym. lib. 5. tract. 10. p. 4. cap. 13. & alii communi conſenſu: ergo matrimonium conſiſtere non poteſt, etiamſi mulier non matrimonii, ſed libidinis cauſa fuerit rapta.

Et ſane ſacra Syn. Trid. impedimentum dirimens inter raptorem, & raptam ea ratione conſtituit, ut matrimonii libertati conſuleret: hinc hoc impedimentum valere ſolum voluit, quamdiu rapta in poteſtate raptoris manſerit: at ſeu mulier matrimonii, ſeu libidinis cauſa rapiatur, matrimonium a vi liberum non eſt, ſi celebretur, quamdiu rapta eſt in raptoris poteſtate; ergo non eſt validum.

Qui ſeu virginem, ſeu corruptam a vinculo matrimonii ſolutam rapuit libidinis cauſa, eam quidem uxorem, ſi ipſe quoque ſolutus ſit, ducere debet, non tamen recuſantem, & invitam; ideoque quamdiu in ejus poteſtate reperitur, impedimentum a ſacra Synodo ſtatutum fuit.

Hanc ſententiam teſte La-Croix p. 60. nu. 631. tradunt Sa, Bonac. & alii cum Platel. Contrariam probabiliorem putat idem La-Croix, quæ etiamſi talis eſſet, quoad praxim tamen eſſet repudianda; quia hic agitur de ſacramenti valore; qua in re ex prop. 1. ab Innoc. XI. damnata non licet ſequi opinionem probabilem relicta tutiore. Ergo tutior opinio ſequenda eſt, qualis non eſt opinio etiam probabilior; in qua ſacramentum nihilominus exponitur periculo fruſtrationis; quod evidenter fieret in re præſenti, quæ ut minimum dubia eſt.

Animadversio XV.

Si ad mortem decumbens contrahat cum filia Medici alias illi mederi nolentis.

Hic ſermo eſt, cum alius Medicus haberi non poteſt. Hanc opinionem tuetur quoque Genetrus Theol. t. 5. p. 154. qu. 51. „ quia, inquit, tunc Medicus non eſt „ auctor metus, qui cogit ægrotum ad matrimonium „ ineundum, ſed potius ægritudo. Reſp. Evidens eſt, non ſolam ægritudinem, ſed etiam Medicum curæ denegatione, graviſſimi metus cauſam eſſe. Non ægritudo cogit ægrotum ad matrimonium, ſed timor, quem Medicus incutit, dum minatur ſe illum relicturum, niſi filiam ducat.

Objicit præterea hoc modo. „ Cum Medicus eum curam non teneatur, ei matrimonium proponit ut laboris, & curæ ſuæ mercedem, mediumque, quo mortem poſſit evitare. “

Reſp. Si ſermo ſit de Medico conducto, ex juſtitia infirmum curare tenetur. Quare hujuſmodi Medicus apertam injuriam facit infirmo, ſi ei mederi nolit, niſi ſuam filiam in uxorem ducat; at etiamſi conductus non ſit, injuſtitia in eo evidens eſt, quod pro ſua cura mercedem ſibi minime debitam exigat, incuſſoque metu extorqueat. An Medicus pro mercede ſui laboris, & curæ quidquid ſibi in mentem venerit, exigere poteſt? An etiam totam facultatem hominis decumbentis etiam ditiſſimi? Merces congrua juxta regionum conſuetudinem, & circumſtantias Medico certe danda eſt: at illum ſine evidenti injuria, & turpitudine poſſe ab infirmo ad mortem decumbente poſtulare, ut ſuam filiam in uxorem ducat, & niſi id faciat, illum deſerat, ego ſane intelligere non poſſum.

Hic ergo metus, quidquid adverſarii contradicant, injuſtus eſt: injuſtus, inquam, injuſtitia legali; quia honeſtis, boniſque moribus aperte repugnat: injuſtus quoque eſt injuſtitia commutativa; quia Medicus legitima ſuarum operarum mercede minime contentus, præmium ab iis maxime alienum, minimeque debitum incuſſo timore extorquet: ergo matrimonium eo timore extortum nullum eſt. Quia hic timor non ſolum injuſtus eſt, ſed gravis, imo graviſſimus, & ad matrimonium extorquendum incuſſus; ideoque omnes habet conditiones neceſſarias, ut matrimonium nullum reddat.

Et hanc ſententiam probat quoque La-Croix p. 62. n. 652. cit. Averſ. „ & ſimilis, inquit, caſus eſſet, ſi „ puellæ extremæ indigenti negares eleemoſynam, niſi „ ſi te duceret. “ Ita La-Croix, quem licet ſæpe impugnem, ſequi tamen, & tueri paratus ſum, quoties recta tradere mihi rem ſine ullo partium ſtudio examinanti videbitur.

Animadversio XVI.

Quando matrimonium ex gravi metu contractum fuit, non teneri (in foro conſcientiæ) per ſe loquendo illud perficere . . . . etiam eum qui liber a metu fuit . . . . docet Sanch. &c.

In hac ſpecie matrimonium nullum quidem eſt ex utraque parte, hoc eſt etiam ex parte metum inferentis; quia, ut ait S. Th. Suppl. qu. 47. art. 4., *cum matrimonium ſit quædam relatio, & non poſſit innaſci relatio in uno extremorum ſine hoc quod ſit in alio, ideo quicquid impedit matrimonium in uno, impedit ipſum in altero: quia non poteſt eſſe, quod aliquis ſit vir non uxoris, vel quod aliqua ſit uxor non habens virum, ſicut nec mater non habens filium. Et ideo dicitur communiter, quod matrimonium non claudicat.* Attamen licet cogens a matrimonii vinculo cum coacta ſolutus ſit, illud tamen contrahere, ſeu perficere tenetur, ſi coacta velit. Nec enim honeſte revocare conſenſum poteſt, quia ex ſua iniquitate vi caret: hoc autem ipſo, quod non diſſentit, in conſenſu præſtito perſeverat; ideoque accedente libero conſenſu illius, qui primo coactus fuit, matrimonium fit. * Accedit, quod in ſuo conſenſu perſeverare tenetur, ne commodum ex ſua culpa reportet, & ut injuriam illatam reparet. Præterea ſicuti qui matrimonio junctus, aliam mulierem inſciam in uxorem fraudulenter duxit, defuncta prima uxore, a ſecunda non eſt ſeparandus, niſi mulier divortium petat, ut definit Alex. III. cap. 1. *Propoſitum* t. 2. l. 4. decr. ſupra cit., ita in noſtra ſpecie vir non poteſt de jure ſeparari a muliere, quam per vim in uxorem duxit, niſi hæc ſeparationem petat. Ergo ſi mulier coacta, poſtmodum matrimonium inire velit, matrimonium a viro cogente ineundum eſt.

Animadversio XVII.

Utrum valide matrimonium contrahant, qui gravi metu coacti ſacris Ordinibus initiati ſunt, dictum eſt tr. 5. cap. 2. reſp. 1.

Animadversio XVIII.

Notat etiam Dian. non oriri ex ſponſalibus mutuo conſenſu diſſolutis &c.

Quoad Sponſalia conditionata, doctrina Buſ. non ſolum recta, ſed certa eſt.

Bonifacius enim VIII. cap. un. t. 1. l. 4. in 6. de ſponſ. & matr. ait: *Ille vero, qui ſponſalia cum aliqua muliere ſub conditione contraxit, ſi poſtmodum ante conditionis eventum cum alia prioris conſanguinea per verba contraxerit de præſenti, cum ſecunda remanere debebit: cum ex ſponſalibus conditionalibus ante conditionem extantem, ſicuti conſenſum non habentibus, & incertis nulla publicæ honeſtatis juſtitia oriatur.*

At vero quoad ſponſalia mutuo conſenſu diſſoluta, Buſ. opinio falſa eſt, & explodenda, ſicuti exploditur non ſolum a Concina Theol. t. 10. p. 331. num. 5. & a Nat. Alex. Theol. t. 2. p. 222. reg. 3., ſed etiam a La-Croix p. 65. n. 683. „ ob Authenticam, inquit La- „ Croix, declarationem S. Congreg. datam 6. Julii „ 1658. & 20. ejuſdem menſis approbatam ab Alexand. „ VII. quam referunt Fagn. in 4. decr. cap. *Quod audientiam* de ſponſ. & matr. n. 29. Sperell. dec. 95. „ Pignat. in 5. conſult. 50. p. 5. n. 1173. Gob. n. 358. „ in qua ſtatuitur, nunc, & deinceps certum eſſe de- „ bere, quod maneat hoc impedimentum, etiamſi ſponſalia priora mutuo conſenſu ſint diſſoluta. Et ita „ nunc certum eſſe, docet etiam Wex in Ariad. p. 5. „ tr. 2. §. 6. a n. 26. “ quia, ut ait Nat. Alex. loco mox cit. Alexand. VII. non ſolum declarationem prædictam approbavit, ſed eam deinceps in dubium revocari prohibuit. „ Ratio eſt, inquit La-Croix, quia ex „ ſponſalibus validis, oritur illud impedimentum, & „ illo ſemel orto non pendet a voluntate ſponſorum,

„ ut

* Quoad hæc vide etiam hic animad. XXV. ubi autoritas D. Thomæ affertur.

„ ut maneat, vel deſinat. Hinc etiam manet, etiamſi unus ſponſorum ſit mortuus, vel ingreſſus Religionem, uti fatentur omnes. Item manet ex ſponſalibus ab impubere contractis, etiamſi poſt pubertatem reſcindat, uti conſtat ex cap. *Acceſſit* §. *Sane de ſponſ. impub.* „ Hactenus rectiſſime La-Croix. Porro verba cap. cit. ſunt hæc. *Sane ſi præfata puella ante deſponſationem ſeptimum annum compleverat, licet prædictus vir a deſponſatione ipſius puellæ ipſo jure fuerit abſolutus, cum ea in eum conſentire noluerit; inhoneſtum tamen videtur, ut matrem ejus habeat, cujus filia fuit ſibi deſponſata.*

ANIMADVERSIO XIX.

Sufficit etiam excommunicatus, aut non Sacerdos.

Recte quoad utramque partem. Primam ita evincit Nat. Alex. Theol. t. 2. p. 84. reg. 15. „ In hoc enim ſacramento Parochum nullam exercere juriſdictionem, ſed meram exhibere præſentiam, & miniſterium facti, cenſuit ſacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum: porro ſuſpenſio, & excommunicatio irritum non faciunt ſacramentum, niſi in his, quæ ſunt juriſdictionis, ſicut eſt abſolutio a peccatis. Ratum igitur eſt matrimonium contractum coram Parocho ſuſpenſo, & excommunicato etiam denuntiato, ut reſpondit ſacra Congregatio Concilii tempore Cardinalis Matthæi, re diligenter examinata, teſte Fagnano in cap. *Litteræ quas* ext. de matrimonio contracto contra edict. Eccleſiæ. Graviter tamen peccant, qui coram Parocho excommunicato ſcientes volentes contrahunt, & in excommunicationem incurrunt, ſi ſit denuntiatus, quia ipſius vitare communionem tenentur. “

Hanc ſententiam tuentur quoque La-Croix p. 69. num. 729. citatis Nav. Suar. Henriq. Sanch. Kon. Pont. Laym. Averſ. Caſtrop. Dicaſt. Pignat. & aliis. Et quamvis nonnulli repugnent, non tamen idcirco dubitandum eſt; nec, licet de ſacramenti valore agatur, ſcrupuli movendi propter contrariam aliquorum improbandam opinionem.

Idem dicas, ſi Parochus non ſit Sacerdos; nam Syn. Trid. ſeſſ. 24. cap. 1. de reform. matrim. inquit: *Qui aliter, quam præſente Parocho, vel alio Sacerdote de ipſius Parochi, ſeu ordinarii licentia, & duobus, vel tribus teſtibus matrimonium contrahere attentabunt, eos Sacra Synodus ad ſic contrahendum omnino inhabiles reddit, & hujuſmodi contractus irritos, & nullos eſſe decernit, prout eos præſenti decreto irritos facit, & annullat.* Ait, *præſente Parocho*, non Parocho Sacerdote: ergo ut matrimonium valeat, ſatis eſt, ſi Parochus præſens ſit, ſeu ille ſit Sacerdos, ſeu non ſit Sacerdos, ſeu nulla cenſura innodatus, ſeu ſuſpenſus, excommunicatus &c. Sacra enim Syn. requirit præſentiam Parochi, nihilque amplius: ergo hoc ſatis omnino eſt ad matrimonii valorem. Neque eſt cur dicas, ſacram Synodum innuere, quod Parochus Sacerdos eſſe debeat, quia ait, *vel alio Sacerdote*. Nam hoc, licet nonnulli affirment, merito negatur. Hoc enim addit, quia vult, aſſiſtentem matrimonio ex commiſſione Parochi, vel Ordinarii eſſe Sacerdotem, non autem quod requirat Sacerdotium in Parocho; quod ſi requireret, ſuam mentem declaraſſet apertius. Quare cum hoc non fecerit, habet hic locum reg. 57. juris in 6. *Contra eum, qui legem dicere potuit apertius, eſt interpretatio facienda*. An, cum Luc. 23. v. 32. dicitur: *Ducebantur autem & alii duo nequam cum eo, ut interficerentur*, indicatur, Chriſtum fuiſſe nequam? Abſit a nobis hæc diabolica blaſphemia. Illud ergo, *vel alio Sacerdote* idem eſt, ac *vel alio*, qui ſit Sacerdos. Adde, quod finis Tridentinæ legis irritantis matrimonia ſine Parochi præſentia contracta ille fuit, ut matrimonia nota eſſent, & polygamia impediretur, ſicut ipſa ſacra Syn. teſtatur: at matrimonia æque nota ſunt, & polygamia æque impeditur, ſeu Parochus ſit Sacerdos, ſeu non ſit: ergo tum ex legis verbis, & tenore, tum ex ejuſdem fine conſtat, matrimonium initum coram Parocho non Sacerdote, eſſe validum; atque ita declaraſſe Congregationem Concilii Tridentini interpretem, imo ſatis eſſe ad hoc, ut ratum habeatur, ut contractum ſit coram Parocho minoribus tantum initiato apud Fagnanum in cap. *Quoniam* ext. de conſtit. teſtatur Nat. Alex. p. cit. reg. 24., quæ ſententia teſte La-Croix p. 68. n. 728. communis eſt, ideoque non ſolum, ut ipſe ait, probabilior, ſed moraliter certa, & tuta etiam in re hac delicatiſſima, ubi de ſacramenti valore agitur, agendi regula videtur. Contradicit quidem ipſe P. Concina Th. t. 10 p. 291. nu. 27. quem ego, ut par eſt, maximi facio, ea ratione maxime ductus, quod Parochus ſit miniſter hujus ſacramenti, ideoque Sacerdos eſſe debeat: „ at propoſito dubio, an matrimonium cum ſola præſentia Parochi abſque ejus conſenſu, aut miniſterio, coram duobus, vel tribus teſtibus celebratum irritum ſit ex decreto Concilii? Sacra Congregatio die 11. Martii, anni MDCXVII. reſpondit, illa verba cap. 1. *Ubi Parochus viro, & muliere interrogatis, & eorum mutuo conſenſu intellecto, vel dicat, Ego vos in matrimonium conjungo &c. non pertinere ad ſubſtantiam matrimonii, ideoque matrimonium valere, etiamſi verba prolata ſint tantum a contrahentibus, & non a Parocho, dummodo adſit præſentia Parochi*. Ita teſtert Fagnanus in cap. *Quod nobis* ext. de clandeſtina deſponſat. “ Ita Nat. Alex. Theol. t. 2. p. 84. reg. 10. Si matrimonium valet, non pronuntiatis a Parocho illis verbis, *Ego vos in matrimonium conjungo* &c. multo magis certe valet, ſi a Parocho non Sacerdote pronuncientur. *

ANIMADVERSIO XX.

Is, qui ſubſtituitur, debet habere expreſſam, vel ſaltem tacitam licentiam ex ratihabitione de præſenti.

La-Croix p. 69. num. 739. ita loquitur. „ Si Parochus videat alium Sacerdotem aſſiſtere matrimonio, quem, cum facile poſſet, non impediat, eo ipſo dat licentiam aſſiſtendi, quia etiam in iis contractibus, in quibus requiritur poſitivus conſenſus, ſufficit tacitus, quando aliquis videns, & potens facile impedire, non impedit, uti docent plurimi cum Suar. &c. contra Fagn., & Bonac. “

Si hac in re conjecturæ ſufficerent, recte quidem: at hic agitur de ſacramenti valore, in quo non ſufficit probabilitas conjecturalis, ſed neceſſaria eſt certa licentia a Parocho conceſſa, ne ſacramentum fruſtrationi exponatur, & conjuges concubinatui perpetuo. Porro tacita licentia, de qua loquitur Buſembau, & quam explicuit La-Croix, incerta eſt, & dubia, non certa, & tuta. Cur Sacerdos expreſſam licentiam, cum poſſit, non petit a Parocho? Cur Parochus, cum verbo, aut nutu licentiam dare queat, illam tamen dare recuſat? *Qui tacet, conſentire quidem videtur*, ait reg. 43. in 6. at ait, *videtur*, non certum eſt; & rurſus reg. 44. ſubditur: *Is, qui tacet, non fatetur, ſed nec utique negare videtur*. Licentia ergo tacita eſt ambigua, ideoque non ſufficit, ut ſacramentum in tuto ponatur. Quare opinio Buſ. & La-Croix, licet pro ea plurimi ſtare dicantur, deſerenda eſt, & tenenda contraria Fagnani, & Bonac., quam tuetur quoque Concina Theol. t. 10. p. 294. n. 36.

La-Croix addit: „ Quod ſi reipſa interne non conſentiret Parochus, Ledeſm. docet, non valiturum matrimonium, quamvis contradicant Sanch. l. 3. d. 22. qu. 7. & Averſ. qui cum Sper. dec. 30. n. 22. idem dicunt, ſi Parochus externe tantum, & ficte diceret, ſe conſentire, reipſa autem interne non conſentiret. “

Hic vero in re ad ſacramenti valorem pertinente, vetſariis La-Croix utitur probabilitate, & in propoſitionem 1. ab Innoc. XI. damnatam aperte incurrit; dum minus tutam opinionem amplectitur, & tutiorem relinquit.

Quamquam improbabilis, & falſa eſt opinio, quæ valiturum matrimonium ait ex tacita Parochi licentia ab alio Sacerdote adminiſtratum, etiamſi Parochus interne non conſentiret. Cum enim interne non conſentit, licentia Parochi reipſa nulla eſt: at ex Syn. Trid. mox cit. certum eſt, ſacramentum ab alio Sacerdote ſine licentia Parochi, aut ordinarii adminiſtratum nullum eſſe: ergo certum eſt, Parocho præſente, tacente, & interne non conſentiente, dum alius Sacerdos matrimonio aſſiſtit, matrimonium eſſe nullum.

Hinc apud Pittonum de Parochia p. 227. num. 625. refertur hoc decretum S Congregationis Concilii: *Non valet matrimonium coram Sacerdote dicente, ſe habere licentiam a proprio Parocho, ſi revera licentia non eſt vera*. At tacita licentia Parochi interne non conſentientis, revera non eſt licentia vera; idemque dicito, ſi Parochus ficte conſentiret: ergo matrimonium non valet.

At inquit La-Croix: „ Ratio horum eſt, tum quia valent geſta per miniſtrum, qui communi errore computatur legitimus concurrente titulo præſumpto, & colorato ſecundum dicta l. 6. p. 1. num. 112. iſta autem videntur hic intervenire; tum maxime quia in ejuſmodi rebus, quæ dependent ab auctoritate juris, vel Superioris, cenſetur jus ipſum, vel Superior ſupplere defectum in remedium communis erroris pro communi bono. Ergo. “

Reſp.

* Apud Pittonum de Parochia p. 52. num. 213. Hoc decretum S. Cong. Conc. anni 1593. 22. Mart. ex Gavanto, & Paſqueo, ſumptum legitur. *Valet matrimonium coram Parocho non promoto infra annum*,

Reſp. Titulus coloratus eſt, cum quis a legitimo Superiore titulum obtinet ex ſe verum, ſed vel occulto impedimento inhabilis, illum reipſa non eſt conſecutus, vel poſt aſſecutionem eo occulte privatus eſt. Hic titulus cum errore communi, qui error craſſus non ſit, & ſupinus, ſed probabilis, ex communi Theologorum ſententia ſufficit ad validam ſacramentorum adminiſtrationem; qua de re licet dubitaverim quoad abſolutionem l. 6. tr. 4. cap. 2. dub. 3. ca. 8. non tamen dubito quoad matrimonium, in quo non requiritur ex dictis hic ad c. 1. juriſdictio, ſed* ſufficit mera præſentia, & miniſterium facti. Quare ſine dubitatione ſequor hic communem ſententiam, quam probant quoque Concina Theol. t. 10. p. 293. num. 33. & Nat. Alex. Theol. t. 2. pag. 84. reg. 26. Hinc apud Pittonum de Parochis p. 242. n. 686. ex Gav. & Barb. hoc decretum Cong. Conc. 1627. 31. Julii refert. *Valet matrimonium coram Parocho, licet collatio ejus beneficii ſit nulla ob defectum examinatorum ſynodalium*. At in præſenti ſpecie non adeſt titulus coloratus, quia non adeſt titulus ex natura ſua verus a legitimo Superiore obtentus, ſed ſolum titulus ex ſe nullus, & fictus. Falſum porro eſt, ſine titulo colorato ſuppleri defectum in remedium erroris communis. „ Hæc interpre„ tatio, quam habet etiam Viva, arbitraria, falſa, & „ laxa eſt, “ inquit merito P. Concina loco cit. num. 34. Bonum commune poſtulat, ut ſacramenta valeant non ex hominum arbitrio, ſed ex Chriſti, & Eccleſiæ inſtitutione, & lege. Lex porro Eccleſiæ in Synodo Tridentina lata conſtituit, ut matrimonium non valeat ſine præſentia Parochi, aut alterius Sacerdotis de ipſius Parochi, aut Ordinarii licentia. Commenta huic ſanctiſſimæ & inconcuſſæ legi repugnantia, ne audienda quidem ſunt. Præterquamquod in ſpecie, de qua agimus, ne error quidem communis adeſt, ſed ſolum adeſſe poteſt error eorum, qui matrimonio præſentes ſunt, forte putantium, Sacerdotem ex legitima, & vera licentia Parochi matrimonio adeſſe.

ANIMADVERSIO XXI.

Et quidem non eſt neceſſe ut ipſi videant contrahentes, dummodo audiant verba contractus, & voces contrahentium noverint. Sanch. &c.

Syn. Tridentina mox cit. ad matrimonii valorem Parochi, & teſtium præſentiam poſtulat: at ſi Parochus, & teſtes, contrahentes non videant, quia ex. gr. in alio cubiculo, vel in Eccleſia ſunt, dum Parochus in cœmeterio moratur, etiamſi hic eorum verba audiat, & contrahentium voces noverit, ipſe tamen (idem dicito de teſtibus) præſens non eſt contrahentibus; quia aliud eſt auditio, aliud præſentia. Præſens alicui, ſi proprie loquimur, illud eſſe dicitur, quod eſt in ejus conſpectu; quod autem in conſpectu non eſt, etiamſi audiatur, non eſt præſens: porro ſacræ Syn. verba proprie accipienda ſunt; quæ, ſi auditionem ad ſacramenti valorem ſufficere voluiſſet, hoc ſuis verbis explicaſſet: ergo, cum id non explicuerit, auditio ad ſacramenti valorem non ſufficit. Finis quidem ſacræ Syn. irritantis matrimonium ſine præſentia Parochi, & teſtium ille fuit, ut matrimonium notum eſſet, & polygamia impediretur, ſicuti mox animadverti: verum ut hujus finis compos fierat, præſentiam Parochi, & teſtium poſtulavit, auditione contenta non fuit; quia voluit notitiam matrimonii certiſſimam, nullique difficultati, & dubio obnoxiam: ergo verbis, & menti ſacræ Synodi Buſemb. cum iis, quos citat, repugnat, dum auditionem ad matrimonii valorem ſufficere, ait. Præterquamquod, cum hic, ut ſæpe monui, ac iterum monendum eſt, de ſacramenti valore agatur, non ſunt audiendæ opiniones probabiles relictis tutioribus. Quare etiamſi opinio Buſemb. eſſet probabilis, contraria tamen tutior hic neceſſario ſequenda eſſet; quæ multo magis ſequenda eſt, cum opinio Buſ. falſa ex mox dictis merito dicatur.

Nec refert, etiamſi per metum, vim, dolum, aut injuriam nolentes retineantur, vel etiam contradicant, ac reſiſtant; aut licet prohibiti ſint ab Ordinario ne interſint.

Hanc doctrinam quoad utramque partem probant Genettus Th. t. 5. p. 143. q. 9. p. 142. q. 7., & Nat. Alex. Theol. tom. 2. pag. 83. reg. 9. & p. 84. reg. 10. Ratio evidens eſt, quia ad matrimonii valorem ex Synodo Tridentina ſatis eſt, ſi Parochus cum teſtibus illi præſens ſit: at ſeu Parochus invitus ſit, ſeu ab Epiſcopo prohibitus, non deſinit eſſe Parochus, nec præſens, ſi reipſa interſit: ergo matrimonium valet, etiamſi Parochus invitus, aut ab Epiſcopo prohibitus matrimonio adſit. Hanc doctrinam quoad priorem partem, ſi Parochus invitus matrimonio præſens ſit, confirmat declaratio Sacræ Congreg. hic allata c. 2. a. 19, item allata a Genetto allata diei 29. Aug. 1592. in hæc verba. *Sacra Congregatio Concilii cenſuit, matrimonium coram Parocho, & teſtibus contractum, niſi aliud obſtet, validum eſſe, quamvis Parochus invitus interfuerit, & alia de cauſa, quam ut matrimonio intereſſet, a contrahentibus accerſitus fuerit: dum tamen ad actum matrimonii vere, & formaliter fuerit adhibitus.*

Quoad alteram partem tum Nat. tum Genettus proferunt decretum ſacræ Congregationis apud Fagnanum, in quo, ut refert Gen. ita habetur: *Epiſcopus Viennenſis dubitavit, an validum ſit matrimonium adhibito Parocho, cui ab Epiſcopo fuerat interdictum, ne illi matrimonio intereſſet? Sacra Congregatio cenſuit, eſſe validum.*

P. Zacharia in num. 725. pag. 68. La-Croix ait, hanc doctrinam eſſe „ juxta reſolutionem ſacræ Congregatio„ nis in Saccon. 11. Martii 1595. & Piſtorienſi 22. Ap. „ 1719. t. 1. p. 172. “ Idem conſtat, inquit, ex Se„ gnenſi matr. 17. Nov. 1736., in qua deciſum fuit, „ conſtare de validitate matrimonii contracti coram Vi„ cario generali, cui Epiſcopus interdixerat, ne matri„ monio aſſiſteret. T. 7. Reſol. p. 304.

Hæc ſententia, pro qua P. Concina citat Salmant. Bonac. Coninchum, & alios, ipſi non probatur Theol. t. 10. p. 292. num. 30. „ Cum enim, inquit, Epiſcopus „ prohibet Parocho, ne ſacramenta adminiſtret, & ſi„ gillatim ne matrimonio aſſiſtat, ſubtrahit eidem o„ mnem juriſdictionem in ſacramentorum adminiſtra„ tione: in noſtra autem ſententia Parochus eſt mini„ ſter hujuſce ſacramenti, & juriſdictionem exercet; „ ergo ſublata hac ab Epiſcopo, celebrari matrimo„ nium nequit.

Reſp. P. Concina Theologus ſolidiſſimus, & eximius veritatis amator, homo eſt, falli non neſcius: decreta ſacræ Congregationis ob oculos non habuit; ex quorum conſtanti tenore conſtat, Parochum, dum matrimonio aſſiſtit, juriſdictionem non exercere, ſed meram præſentiam facti; quod idem colligitur juxta dicta ex ſacra Synodo Tridentina: quæ mera facti præſentia ex eadem ſacra Synodo, & Congregatione ejus legitima interprete ad matrimonii valorem ſatis eſt. Hæc addere volui, ut omnes intelligant, me non aliquem Theologum, quicumque ille ſit, ſequi; ſed quantum quidem in me eſt, verum quærere, & ſectari.

ANIMADVERSIO XXII.

Ejus tamen omiſſio... venialis tantum eſt. Sanch. &c. quando, ait Buſemb. *de utriuſque libero conſenſu conſtat*. At quæro, unde nam, aut quando de utriuſque libero conſenſu conſtare poſſit, niſi interrogentur?

An Parochus, eorum mentem pervadere poteſt? An ſi antea dixerint, vel oſtenderint, ſe velle conſentire, mutari non poſſunt? Ipſe eorum in Eccleſiam conventus non eſt indubitatum ſignum utriuſque ſponſorum conſenſus; quia forte ex metu, vi, aliiſque de cauſis eo convenere; & contingere poteſt, ut, licet eo convenerint, uterque, aut eorum alter in matrimonium non conſentiat. Uno verbo ſatis nobis eſſe debet, ſacram Synodum præcipere, ut Parochus virum, & mulierem interroget de reciproco eorum conſenſu, ſicuti reipſa præcipit ſeſſ. 24. c. 1. de reform. matrimonii: ſatis, inquam, hoc eſſe debet, ut parendum ejus præcepto eſſe ſciamus, non vanis interpretamentis eſſe eludendum; & quoniam præceptum eſt de re graviſſima ad valorem matrimonii ſpectante, noſtrum non eſt judicare, ejus omiſſionem eſſe culpam levem, ſed exacte obedire.

Similiter mortale non eſſe &c. docet Sanch. &c.

Hac de re vide dicta hoc cap. 3. dub. 1. *Dicitur 2.*

ANIMADVERSIO XXIII.

In femina vero, quando vel ſeminare non poteſt.... vel propter arctitudinem non poteſt virum pati, aut ſemen ejus recipere.

Semen, ſeu humorem femineum, qui in congreſſu effunditur, ad generationem non eſſe neceſſarium, ex doctiſſimorum phyſicorum ſententia ſupra obſervatum eſt. At etiamſi neceſſarium putaretur, ejus effuſio non eſſet neceſſaria ad coitum, qui ſine illa fieri poſſet. Nec enim mulier impotens dici poteſt, quia concipere fetum non poteſt, (alioquin vetulæ, & ſteriles matrimonii incapaces eſſent) ſed quia commiſceri cum viro nequit. Quare impotentia mulieris ex alio capite deſumi non poteſt, niſi ex clauſtris pudoris ita clauſis, vel arctis, ut virum pati, ejuſve ſemen recipere nequeat. Hinc cap. 6. *Fraternitatis* tit. 15. lib. 4. decr. Innoc. III. mulierem impotentem non agnoſcit, niſi ex prædicta arctitudine. Nam matronæ deſtinatæ ad inſpiciendam

* Hanc refert etiam Pittonus de Parochis p. 57. n. 460.

mulierem, quæ a viro per multos annos carnaliter cognoſci non poruerat, *aſſeruere conſtanter, quod eadem nunquam poterat eſſe mater, aut conjux, tanquam cui naturale deerat inſtrumentum.* Poſt ſubditur: *Contigit autem poſtea, quod mulier inveniens, qui ſeras hujuſmodi reſeravit, & abjiciens continentiam, quam promiſit, G. latori præſentium ſupernupſit.*

ANIMADVERSIO XXIV.

Synodum Tridentinam in Hollandia, Friſia aliiſque Belgii fœderati provinciis fuiſſe promulgatam, anno 1565. opera Margaritæ Parmenſis eas tum Provincias adminiſtrantis, multis documentis plures Scriptores, ut Pierre, Huygens, Zypæus, & alii evincunt reſte Concina Theol. tom. 10. pag. 286. num. 12. Idem pro certo habet La-Croix p. 73. num. 767. Natalis Alex. Hiſt. Eccl. tom. 9. pag. 309. art. 5. de Philippo II. Hiſpaniarum Rege ait. „ quod per Ferdinandum Alvarez a Toleto Albæ Ducem, Religionem in Provincia (Belgii) procuravit, Tridentinum Concilium, & librorum prohibitorum indicem promulgari juſſit anno 1568. “ Hinc factum eſt, ut multi inſignes Theologi matrimonia invalida eſſe pronuntiaverint, quæ ſine Parochi præſentia, & forma a ſacra Syn. præſcripta coram magiſtratu, aut miniſtro hæretico in iis regionibus celebrantur, aliis tamen reclamantibus, quorum rationes ſane graves afferuntur a La-Croix num. 768. At noſtro tempore lis finita eſt, certumque eſt, ea matrimonia valere. Bened. XIV. die 4. Novembris 1741. hac de re ita declaravit. „ Primo ſcilicet, quod attinet ad matrimonia ab hæreticis inter ſe in locis fœderatorum Ordinum dominio ſubjectis celebrata, non ſervata forma per Tridentinum præſcripta, licet Sanctitas ſua non ignoret, alias in caſibus quibuſdam particularibus, & attentis tunc expoſitis circumſtantiis, ſacram Congregationem Concilii pro eorum invaliditate reſpondiſſe; æque tamen compertum habens, nihil adhuc generatim, & univerſe ſuper ejuſmodi matrimoniis fuiſſe ab Apoſtolica Sede definitum, & alioquin oportere omnino ad conſulendum univerſis fidelibus in iis locis degentibus, & plura avertenda graviſſima incommoda, quid generaliter de hiſce matrimoniis ſentiendum ſit, declarare, negotio mature perpenſo, omnibuſque rationum momentis hinc inde ſedulo libratis, declaravit, ſtatuitque, matrimonia in dictis fœderatis Belgii Provinciis inter hæreticos uſque modo contracta, quæque in poſterum contrahentur, etiamſi forma a Tridentino præſcripta, non fuerit in iis celebrandis ſervata, dummodo aliud non obſtiterit canonicum impedimentum, pro validis habenda eſſe; adeoque, ſi contingat, utrumque conjugem ad catholicæ Eccleſiæ ſinum ſe recipere, eodem, quo antea, conjugali vinculo ipſos omnino teneri, etiamſi mutuus conſenſus coram Parocho catholico ab eis non renovetur. Sin autem unus tantum ex conjugibus ſive maſculus, ſive femina convertatur, neutrum poſſe, quamdiu alter ſuperſtes erit, ad alias nuptias tranſire.

„ Quod vero ſpectat ad ea conjugia, quæ pariter in iiſdem fœderatis Belgii provinciis, abſque forma a Tridentino ſtatuta contrahuntur a Catholicis cum hæreticis, ſive catholicus vir hæreticam feminam in matrimonium ducat, ſive catholica femina hæretico viro nubat, dolens imprimis quam maxime Sanctitas ſua, eos eſſe inter Catholicos, qui inſano amore turpiter dementati, ab hiſce deteſtabilibus connubiis, quæ S. Mater Eccleſia perpetuo damnavit, atque interdicit, ex animo non abhorrent, & prorſus ſibi abſtinendum non ducunt, laudanſque magnopere zelum illorum Antiſtitum, qui ſeverioribus propoſitis ſpiritualibus pœnis Catholicos coercere ſtudent, ne ſacrilego hoc vinculo ſe ſe hæreticis conjungant, Epiſcopos omnes, Vicarios apoſtolicos, Parochos, Miſſionarios, & alios quoſcumque Dei, & Eccleſiæ fideles miniſtros in iis partibus degentes ſerio, graviterque hortatur, & monet, ut Catholicos utriuſque ſexus ab hujuſmodi nuptiis in propriarum animarum perniciem ineundis, quantum poſſint, abſterreant, eaſdemque nuptias omni meliori modo intervertere, atque efficaciter impedire ſatagant. At, ſi forte aliquod hujus generis matrimonium, Tridentini forma non ſervata, ibidem contractum jam ſit, aut in poſterum (quod Deus avertat) contrahi contingat, declarat Sanctitas ſua, matrimonium hujuſmodi, alio non concurrente canonico impedimento, validum habendum eſſe, & neutrum ex conjugibus, donec alter eorum ſupervixerit, ullatenus poſſe ſub obtentu dictæ formæ non ſervatæ novum matrimonium inire. Id vero debere ſibi potiſſime in animum inducere conjugem catholicum ſive virum, ſive feminam, ut pro graviſſimo ſcelere, quod admiſit, pœnitentiam agat, ac veniam a Deo precetur, coneturque pro viribus alterum conjugem a vera fide deerrantem ad gremium Catholicæ Eccleſiæ pertrahere, ejuſque animam lucrari; quod porro ad veniam de patrato crimine impetrandam opportuniſſimum foret, ſciens de cetero, ut mox dictum eſt, ſe iſtius matrimonii vinculo perpetuo ligatum iri.

His graviſſimis verbis non ſolum litem quoad matrimonii valorem Sanctiſſimus diremit, ſed etiam ora iis obſtruxit, qui matrimonia Catholicorum cum hæreticis in Germania licere, vel mortalia crimina non eſſe, dicere auſi ſunt; de quibus dictum fuit lib. 2. tr. 1. cap. 4. dub. 3. caſ. 7.

„ Ad hæc declarat Sanctitas ſua, ut quidquid hactenus ſancitum, dictumque eſt de matrimoniis ſive ab hæreticis inter ſe, ſive inter Catholicos, & hæreticos initis in locis fœderatorum Ordinum dominio in Belgio ſubjectis, ſancitum, dictumque intelligatur etiam de ſimilibus matrimoniis extra fines dominii eorumdem fœderatorum Ordinum contractis ab iis, qui addicti ſunt legionibus, ſeu militaribus copiis, quæ ab iiſdem fœderatis Ordinibus tranſmitti ſolent ad cuſtodiendas, muniendaſque arces confinitimas, vulgo dictas *di Barriera*, ita quidem, ut matrimonia ibi præter Tridentini formam ſive inter hæreticos utrimque, ſive inter Catholicos, & hæreticos inita valorem ſuum obtineant, dummodo uterque conjux ad eaſdem copias, ſive legiones pertineant. Et hanc declarationem vult Sanctitas ſua complecti etiam civitatem Moſæ Trajectenſis a Republica fœderatorum Ordinum quamvis non jure dominii, ſed tantum oppignorationis, ut ajunt, nomine poſſeſſam.

„ Tandem circa conjugia, quæ contrahuntur vel in regionibus Principum catholicorum ab iis, qui in provinciis fœderatis domicilium habent, vel in fœderatis provinciis ab habentibus domicilium in regionibus catholicorum Principum, nihil Sanctitas ſua de novo decernendum, aut declarandum eſſe duxit, volens, ut de iis juxta canonica juris communis principia, probataſque in ſimilibus caſibus alias editas a ſacra Congreg. Concilii reſolutiones, ubi diſputatio contingat, decidatur; & ita declaravit, ſtatuitque, ac ab omnibus in poſterum ſervari præcepit. die 4. Novembris 1741. [a]

Hic autem animadvertendum eſt, ſummum Pontificem nihil definire de matrimoniis, quæ in ſupradictis Belgii fœderati locis Catholici inter ſe ineunt; ideoque hujuſmodi matrimonia non ſunt confundenda, uti facit La-Croix n. cit. 767. 768. cum matrimoniis hæreticorum inter ſe, vel cum Catholicis.

Hinc autem fieri videtur, matrimonia Catholicorum inter ſe ibi invalida eſſe, ſi abſque præſentia Parochi, aut alterius, qui ejus vicem ſuppleat, ineantur.

Si *Parochia, in qua &c. nempe adhibitis duobus teſtibus.*

Ita quoque ſentit La-Croix contra Leſſium citatis pro ſe n. 778. p. 76. Bellarm. Dian. Tambur. Chapeaville, Layman. Staleno, & aliis; pro qua plures declarationes Cardinalium referri teſtatur a Zypæo, & Gallem. inter quas, inquit P. Zach. in cit. num. 778. „ præcipuæ duæ ſunt, altera 26. Sept. 1602. altera in una Belgii 27. Martii 1632. quæ memorantur t. 5. th. reſol. p. 149. & t. 8. p. 157. “

Idem eſt, ſi Parochus, & Epiſcopus ... lateat ... & ad neutrum ſit tutus acceſſus.

Idem habet La-Croix n. cit. 778. „ Et ita, inquit, reſolvuntur Theol. Romani cum Patre Buſæo l. 4. Archivi Provinciæ Soc. Jeſu ad Rhenum inferiorem p. 16. atque ita etiam ſæpius reſponſum eſt a Congreg. Card. apud Ardekin, & Gob. “

Horum ratio ea aſſignari poſſe videtur, quia in legibus non tam verba, quam legiſlatorum mens, unde ſpiritus, & vis legum ſumenda eſt, conſideranda eſt; mens porro Patrum Tridentinorum irritantium matrimonia ſine Parochi præſentia contracta, ea fuit, non ut matrimonia, ſed ut polygamiæ peccata impedirent; at ſi matrimonia ſine Parochi præſentia contracta, nulla forent, ubi Parochi omnino deſunt, ipſa matrimonia, non polygamiæ peccata impedirentur; quæ peccata deficientibus Parochis, quoad fieri poteſt, impediuntur adhibitis ſaltem duobus teſtibus: ergo lex Tridentina quoad ſpiritum, & vim legis impletur, cum matrimonia celebrantur coram duobus teſtibus ſine Parocho, ubi Parochus omnino deeſt, nec haberi poteſt alius, qui ejus loco ſit.

Quæ de matrimoniis Catholicorum inter ſe in fœderatis

a Hæc ſanctio Bened. XIV habetur integra apud La-Croixium t. 3. p. 73.

ratis Belgii provinciis dixi, confirmat Bened. XIV. de Syn. Diœc. lib. VI. n. XIII., ubi ait: *Poſtquam vero ſupramemoratum decretum noſtrum anno 1741. in fœderatis Belgii provinciis promulgatum eſt, quæſitum a nobis fuit, utrum ea matrimonia comprehenderet, quæ in iiſdem regionibus ineuntur a contrahentibus utrimque Catholicis non coram Parocho Catholico, & duobus teſtibus; quin etiam petitum fuit, ut, ſi forte illud hæc minime comprehenderet, ad ea ſaltem per viam indulti extenderetur, quo conſcientiæ Catholicorum, qui in fœderatis Belgii provinciis habitant, in tranquillo ponerentur.*

Reſponſum facile eſt, & dicta matrimonia in decreto nequaquam comprehendi, & extenſionem, quæ petebatur, abſurdam, & mali exempli futuram. Et quidem matrimonia Catholicorum in decreto non comprehenſa, facile intelliget, quicumque adverterit, illud nominatim reſtrictum eſſe ad ea matrimonia, quæ in præfatis regionibus vel inter duos contrahentes hæreticos, vel inter unam partem Catholicam, & alteram hæreticam contrahantur. Extenſio autem decreti ad Catholicorum matrimonia, idcirco abſurda, & mali exempli extitiſſet, quod, cum in iis locis Miſſionarii Catholici adſint, coram quibus anteacta tempore a contrahentibus Catholicis celebrata ſunt matrimonia, cumque Concilii Tridentini decretum inter Catholicas illarum partium, & in peculiaribus eorum Parochiis, ſaltem poſtquam provinciæ fœderati Belgii a Catholici Principis dominatione in hæreticorum poteſtatem tranſierunt, rite publicatum fuiſſe, conſtet; unuſquiſque videt, quanta cum offenſione univerſæ Eccleſiæ auditum fuiſſet, matrimonia Catholicorum, quæ in regionibus illis juxta Tridentini formam celebrari poſſunt, a tam providæ legis obſervantia eximi per viam gratiæ, & diſpenſationis. Videantur Juvenin de Sacr. diſſ. 10. q. 5. c. 4., & Pietté qq. Theol. p. 6. p. 441. edit. anni 1745., qui docent, a contrahentibus Catholicis ſervandum eſſe Concilii decretum etiam in iis regionibus, in quibus ab hæreticis non obſervatur.

Animadversio XXV.

Si metus, vel defectus conſenſus fuerit alterius tantum partis, curandum eſt &c.

La Croix p. 78. n. 811. hanc Buſemb. opinionem valde probabilem appellat, & pro ea inter alios citat S. Thom. & S. Bonaventuram. Oppoſitum, inquit, etiam probabiliter tenent Scot. Felin. Ledeſ. Comit. Engel, Pont. Maſtrius, Krim, Caſtrop. Gob. dicentes, utrumque debere renovare conſenſum; quæ ſententia (quam de D. Thom. & D. Bonav. mox dicetur) mihi maxime probatur. Ratio eſt, quia matrimonium reipſa irritum & nullum, ex conſenſu unius tantum partis convaleſcere non poteſt; cum enim contractus ſit, utriuſque partis conſenſum neceſſario poſtulat: atqui matrimonium ex metu, vel defectu conſenſus alterius tantum partis initum, eſt ſine dubio irritum, & nullum: ergo ex conſenſu unius tantum partis convaleſcere non poteſt.

Reſpondes, propoſitionem eſſe veram, ſi conſenſus partis, quæ libere, & vere conſenſit, nullo loco habendus ſit: at, cum conſenſus iſtius partis habitu, ſeu virtute perſeverat, perinde ſe habet, ac ſi actu præbeatur; quare, cum conſenſus partis, puta viri, quæ libere, & vere conſenſit, habitu, ſeu virtute perſeveret, perinde ſe habet, ac ſi actu nunc præbeatur; ideoque accedente conſenſu alterius partis e. g. uxoris, matrimonium convaleſcit.

Hic ita repono: Conſenſus ſemel præſtitus, quamdiu non revocatur, habitu, & virtute perſeverat, at talis, qualis fuit ab initio, non alius: porro conſenſus partis, puta viri, qui libere, & vere conſenſit, ab initio fuit irritus, & nullus; ideoque habitu quoque & virtute nullus, & irritus perſeverat. Nam ex reg. 18. in 6. *Non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non ſubſiſtit.*

Vir, qui libere conſenſit, licet matrimonii vinculo ſe illigatum putet, ab eo tamen reipſa ſolutus eſt: an ex ſola mulieris voluntate, & conſenſu ſibi prorſus ignoto, cum ipſe nihil de novo velit, indiſſolubili nexu conjugii conſtringi poteſt? Vir ab initio conſenſum præſtitit, in eoque nunquam revocato permanet: at quia conſenſus ab initio præſtitus, reipſa nullus fuit, in conſenſu nullo perſeverat: perſeverantia porro in conſenſu nullo, contractum matrimonii efficere nequit accedente conſenſu alterius partis; quia ad matrimonium, ſicuti ad quemlibet alium contractum, neceſſarius eſt conſenſus ex utraque contrahentium parte validus. Neque vero ignorantia nullitatis proprii conſenſus, vim illi unquam tribuit, aut tribuere poteſt.

Neque rurſus dici poteſt, conſenſum eo ſolo nomine nullum, quia alterius partis conſenſus deeſt, hoc accedente fieri validum. Nam hoc verum quidem eſt, ſi conſenſus alterius partis opportune accedat, hoc eſt priuſquam prior conſenſus in irritum miſſus fuerit. Nam cum ſemel in irritum miſſus hic fuit, firmari numquam poteſt, niſi denovo præſtetur; imo ne conſenſus quidem de novo præſtitus, priorem conſenſum nullum firmat, ſed ex ſe accedente alterius partis conſenſu contractum efficit.

Vir ab initio voluit mulierem in uxorem; ſi tunc mulieris conſenſus acceſſiſſet, matrimonium vere, & legitime extitiſſet. At vero cum mulier ab initio non conſenſerit, fruſtra nunc non renovato viri conſenſu conſentit. Vir & præterito, & præſenti tempore a muliere in re graviſſima decipitur; quia hæc olim ficte conſenſit, & nunc occulte conſentit in rem, in quam inſcio viro conſentire nequit. An per fictiones, & dolos matrimonium perfici poteſt? Nonne præſenti tempore in viri arbitrio eſt velle, & nolle matrimonium cum muliere, quæ reipſa ejus uxor non eſt? ergo certum eſt, matrimonium perfici non poſſe ex ſolo conſenſu mulieris, viro ignoto, ſed neceſſarium eſſe utriuſque partis novum conſenſum, ut matrimonium perficiatur. Hinc in litteris diſpenſationis, ut matrimonium irritum convaleſcat, requiritur ut conjux impedimenti inſcius, nullitatis ſui conſenſus certior fiat, *dicto conjuge certiorata de nullitate prioris conſenſus*. Hoc vero requiritur, ut de novo conſenſum præſtet; quia conſenſus, qui fuit nullus, æterno tempore nullus manet.

Natura, & ratio matrimonii, & cujuſcumque contractus illud neceſſario poſtulat, ut non ſolum partium conſenſus, ejuſdem rei ſit, ſed ut ſit mutuus, & reciprocus, hoc eſt, ut utraque pars contrahens alterius partis conſenſum acceptet, & ratum habeat: at vir in præſenti ſpecie non acceptat, nec ratum habet conſenſum mulieris; quia conſenſum ſibi ignotum ratum habere non poteſt; ideoque conſenſus viri, & mulieris, ſicut ab initio, ita in præſenti non eſt mutuus: ergo certum videtur, matrimonium non fieri.

Genettus Theol. t. 5. p. 202. q. 10. ſanæ doctrinæ aſſertor, Buſembaum opinionem probavit, non quod ab eo, aut ab aliis probabilibus tradita fuerit, ſed quia hanc fuiſſe mentem cenſuit D. Thom. & D. Bonav. a La-Croixio quoque pro hac opinione citatis.

D. Thom. Suppl. qu. 47. art. 2. ad 2. ait: *Quod ex conſenſu libero illius, qui primo coactus eſt, non fit matrimonium, niſi inquantum conſenſus præcedens in altero adhuc manet in ſuo vigore.*

Reſp. D. Thom. loquitur de conſenſu primo coacto, ſponte conſentienti noto, & ab eo extorto, ut patet ex ratione ſibi objecta, cui reſpondet. Quare in hac ſpecie ex conſenſu libero illius, qui primo coactus fuit, fit matrimonium, ſi tamen præcedens conſenſus in altero adhuc maneat in ſuo vigore, hoc eſt, ſi præcedens conſenſus in altero non revocetur, ſed perſeveret in ſuo vigore, acceptando novum liberum conſenſum partis coactæ. *Unde*, inquit D. Thom. *ſi diſſentiret, non fieret matrimonium*. At noſtra ſpecies longe alia eſt.

Nos enim loquimur de conſenſu ficto, & coacto, cujus fictio, & coactio ignota ſit parti conſentienti. In priori ſpecie nulla difficultas eſt; quia pars coacta, dum poſtmodum libere conſentit, ſuum liberum conſenſum non occultat, ſed manifeſtat alteri parti; ideoque hoc ipſo, quod hæc non diſſentit, ejus conſenſus in ſuo vigore permanet, & fit matrimonium. At in noſtra ſpecie cum coactio, ſeu fictio conſenſus, tum libera, & vera ejuſdem conſenſus renovatio in occulto latet; ideoque nullus hinc contractus matrimonii exiſtere poteſt.

S. Bonav. in 4. diſt. 29. qu. 2. n. 13. ita loquitur. *Si illa* (mulier) *conſentiat, dicendum, quod tunc alius incipit obligari,* (matrimonio) *& non ratione conſenſus alieni tantum, ſed ratione ſui, qui præceſſerat in actu, & erat in habitu; qui etſi non illigaret, quia non erat, qui acciperet; ideo alieno conſenſu adveniente, ille conſenſus habet vim obligandi, quamvis prius non haberet.*

Reſpondeo, hanc rationem non eſſe validam. Nam ſi conſenſus viri antea non obligabat, quia a muliere non acceptabatur; nunc contra eadem ratione conſenſus mulieris non obligat, quia a viro, cui ignotus eſt, non acceptatur, nec acceptari poteſt. Hinc ipſe S. Doct. huic rationi non fidens, ſtatim ſubdit: *Poſſet tamen dici, quod in tali caſu conſenſus viri renovari debet vel verbo, vel ſigno*. Quare nec ex D. Thom. nec ex D. Bonav. auctoritate quidquam contra ſententiam, quam ſequor, confici poteſt; quæ ſententia neceſſario ſequenda eſt, etiamſi contraria Buſ. & aliorum foret probabilis; quia hic agitur de valore ſacramenti, ut omittam generale, ac certum principium, in dubiis tutiorem viam neceſſario, & ſemper eſſe ſequendam.

Animadversio XXVI.

Si in tali caſu altera pars &c.

In tali caſu pars ignara impedimenti inducenda quidem eſt ad novum abſolutum conſenſum; at non ſufficit dicere, *ſi mihi non nupſiſſes, nonne modo nuberes?* hoc, inquam, non ſufficit; quia hic non eſt novus abſolutus conſenſus, ſed diſpoſitio ad conſenſum, ſeu conſenſus conditionatus, ut aperte notat particola *ſi*, quæ rem incertam facit. Hinc ipſe La-Croix p. 79. n. 814. ait: „ Unde in rigore non eſt ſatis, ſi adducantur ad hoc, „ ut dicant: *ſi non eſſes mea, vel meus, jam vellem te* „ *habere*. Sic enim reipſa tantum dicerent, ſe eſſe habi„ turos novum conſenſum, ſi ſcirent, priorem non va„ lere. “

Item ſufficere non videtur, ſi pars impedimenti conſcia dicat: *Angor ſcrupulis de matrimonii noſtri valore, ideoque renovemus conſenſum*, & conſenſus reipſa renovetur. In hac enim ſpecie pars impedimenti ignara, novum conſenſum ſe dare non præſtat, nec novum matrimonium inire intendit, ſed priorem tantum conſenſum reipſa invalidum renovat, & prius matrimonium reipſa nullum confirmare intendit; unde non fit novum inde matrimonium, ſed anterius irritum confirmatur, hoc eſt, nihil fit.

La-Croix n. cit. ait: „ Putarunt quidem Nav. & alii „ ſatis eſſe, ſi alter conjux conſcius impedimenti dicat: „ *Suſpicor ex aliqua cauſa, te non eſſe uxorem meam, ideo* „ *ob pacem conſcientiæ meæ rogo, ut ſi, & quantum opus* „ *eſt, denuo nos habeamus pro conjugibus*: ſed contra eſt; „ quia ſuſpicio affert dubietatem tantum, & non tollit „ ignorantiam, neque facit certiorem. “

Videlicet hic ſermo eſt de impedimento dirimente uni tantum parti noto, e. g. ſi uxor cum viri fratre copulam habuiſſet, vel vir cum conjugis ſorore.

In hac ſpecie pars impedimenti conſcia diſpenſationem occulte obtinere debet: at in litteris diſpenſationis habetur hæc clauſula, *altero impedimenti ignorante prius de nullitate conſenſus prioris certiorato*, vel alia verba idem ſignificantia. Hæc verba adduntur, ut habeatur novus utriuſque partis conſenſus a priori, qui fuit nullus, independens. Quare conjugi impedimenti ignaro, initi matrimonii nullitas diſtincte, & expreſſe aperienda eſt, ne matrimonium de novo celebrandum iterum nullum ſit ex defectu neceſſarii conſenſus, aut nullitatis periculo objiciatur; neque hic præ cæteris, ubi de valore ſacramenti agitur, probabiles, hoc eſt periculoſæ, & ancipites opiniones audiendæ ſunt, ſed res in tuto ponenda. Quod certe nunquam fiet, niſi miſſis ambagibus, & mendaciis illis, *ſi mihi non nupſiſſes* &c. *angor ſcrupulis* &c. *ſuſpicor* &c. Parochus, aut Confeſſarius, ad quem illæ litteræ diriguntur, occultato crimine, aperte dicat matrimonium fuiſſe, & eſſe nullum ob defectum conſenſus, qui idcirco de novo neceſſario præſtandus eſt, ſi veri conjuges eſſe velint. Atque ita præclare docet Genetus Th. t. 5. p. 201. q. 8.

Si autem periculum ſit, ne pars illa detrectet &c. licebit uti ſententia contraria &c.

Hoc perinde eſt, ac ſi diceret, matrimonium fieri ex unius tantum partis conſenſu; quod non eſt probabile opinamentum, ſed portentum evidentiſſime falſum. An gravium moleſtiarum, & malorum timor efficere unquam poteſt, ut matrimonium, unius tantum partis conſenſu perficiatur? Apertiſſima contradictio eſt, ut contractus, cujus natura mutuum duorum, aut plurium conſenſum poſtulat, unius conſenſu conſtet. Neque timor vel graviſſimus, aut quidlibet aliud contradictoria conciliare poteſt; cum ne omnipotentiæ quidem conceſſum ſit, ut contradictoria efficiat. Nihilominus nonnulli probabiles opinatores ſua opinandi licentia eo devenere, ut contradictoria efficere velint in re quoque ad ſacramenti valorem pertinente; quorum opinatio magis deteſtanda, & deflenda, quam ratione impugnanda eſt. In magnis difficultatibus, & periculis non ad contradictoria commenta cum animarum excidio confugiendum eſt, ſed Epiſcopi, ac pii, doctique viri conſulendi, divinumque auxilium enixe, ac aemiſſe implorandum, ut chriſtiana, & honeſta remedia adhibeantur. Id in præſenti re pie, & vere ſuggerit Genetus p. 202. q. 9.

Animadverſio XXVII.

Ut matrimonium invalidum ... revalidetur, non opus eſt denuo coram Parocho, & teſtibus iniri, ſi impedimentum ſit occultum &c.

Hæc ſententia non ſolum communior eſt teſte Anacleto t. 4 juris canonici p. 218. n. 612. pluriumque pro ea citantur a La-Croix p. 79. n. 815. non ſolum ipſe Anacl. & La Croix eam ſequuntur, ſed ipſe Gen. Theol. t. 5. p. 199. q. 7. Ratio eſt, inquit La-Croix, „ quia Pontifi„ ces, & Cardinales declarant ſic eſſe faciendum, uti „ teſtatur Card. in a. crit d. a. num. 667. ſicque etiam „ practicat S. Pœnitentiaria, quando diſpenſat. Deinde „ certum eſt, Trid. ideo requirere Parochum, & teſtes, „ ut vitentur gravia peccata ſcandali, aliaque mala ne„ ſcientia ex clandeſtinis matrimoniis, quæ certum eſt, „ non naſci, quando matrimonium ſemel fuit contractum: „ ergo certum videtur, rationem, & finem Trid. non „ extendi ad hunc caſum, uti pluribus evincit Vuex „ p. 5. tr. 2. contr. 6. “ Hæc ratio ſane valida eſt, & Genetum quoque perſuaſit.

Quod ſi accedant Pontificum, & Cardinalium declarationes, & S. Pœnitentiariæ praxis, de hac ſententia non eſſet dubitandum.

Et ſane Navar. in Ench. cap. 22. num. 70. ait, quod *Pius V. declaravit, non eſſe illos* (teſtes & Parochum) *neceſſarios in contrahendo denuo matrimonio ab iis, qui illud publice cum denuntiatione ſufficiente contraxerunt, ſed propter aliquod impedimentum occultum eſt nullum, quo ſublato oportet, ut denuo contrahatur ... qua declaratione ſacram Pœnitentiariæ prætorium frequenter utitur.*

At P. Concina Theol. t. 10. p. 390. qu. 4. qui Baſilii Pontii, & Pauli Comitoli contrariam ſententiam probare videtur, ita ratiocinatur n. 16. p. 391. „ Tunc appli„ canda eſt forma a Trid. præſcripta, quando contra„ ctus validus celebratur. Solemnitas obſervata, quan„ do contractus initus fuit, nihil profuit. Ergo, ut con„ tractus valide celebretur, quemadmodum renovatur „ conſenſus, ita iterari ſolemnitas debet. “

Reſp. Prop. vera eſt, ſi forma a Trid. præſcripta ante adhibita non fuerit, cum contractus propter impedimentum, aut conſenſum non præſtitum fuit nullus: at ſi tunc fuit adhibita, non eſt neceſſe, ut repetatur. Solemnitas obſervata, quando contractus irritus fuit, non nihil, ſed valde prodeſt; quia omnia peccata, & ſcandala impedit, quæ impedire ſacra Syn. per eam voluit. Hinc porro fit, ut ſupervacaneum ſit, eam iterare; ideoque non eſſe mentem ſacræ Synodi, ut iteretur; quia ſacræ leges ſupervacaneas, & inutiles ſolemnitates numquam præcipiunt.

At idem Concina n. 14. ex Comitolo, cujus verba refert, ait, quod Clemens VIII. hac de re a P. Stephano Tuccio Rom. Pœnitentiariæ Rectore conſultus *reſpondit, eſſe neceſſarium novum conſenſum utriuſque coram teſtibus, & Parocho, admonito prius marito de matrimonii nullitate; ſed ad evitandum ſcandalum diſpenſat, ut ſecreto inter ſe contrahant, renovato conſenſu cum legitimatione prolis.*

Reſp. Ego vero nec Navarro, nec Comitolo Religioſis viris fide digniſſimis, & Theologis celeberrimis fidem denego, multoque minus putem, ſummos Pontifices in re tanti momenti inter ſe diſcrepare, ſed potius crediderim, de rebus diverſis diverſimode ſenſiſſe, ac S. Pium V. eſſe intelligendum, cum nulla eſt ſuſpicio, occultum impedimentum fore publicandum; quo ſenſu hanc ſententiam tum La-Croix, tum Genetus defendunt; Clementem vero VIII. eſſe accipiendum, cum adeſt periculum publicandi occulti impedimenti; in qua ſpecie neceſſariam eſſe renovationem conſenſus coram Parocho, & teſtibus iidem La-Croix, & Genetus ultro fatentur.

Quare cum in reſcripto diſpenſationis expreſſe ponitur, ut inter ſe publice, & ſervata forma Trid. contrahant, non eſt dubitandum, quin matrimonium coram Parocho, & teſtibus neceſſario renovandum ſit, ut multi teſte La-Croix n. 816. judicant, explodendique ſint Sanch. Pont. Pyrrh. Corr. Krim, quos contra ſentire refert, nec rejicit idem La-Croix, qui hac in re, ut probabilium moris eſt, ſibi non conſtat.

An dubitari poteſt, utrum ſummo Pontifici præcipienti parendum neceſſario ſit?

Præterquamquod cum id in reſcripto diſpenſationis expreſſe ponitur, eſt conditio, ſub qua diſpenſatio conceditur, & ſine qua non valet, niſi ſurta verba aliter ſonent.

Adde, quod in hac ſpecie ponitur, adeſſe periculum, ut occultum impedimentum publicum fiat; qua in hypotheſi non ſolum Genetus, ſed ipſe La-Croix, ut mox dictum eſt, neceſſariam eſſe præſentiam Parochi, & teſtium in matrimonii renovatione ultro affirmat.

Quod ſi diſpenſationis litteræ nullam hujus ſolemnitatis mentionem faciant, eam non eſſe neceſſariam merito judicare poſſumus, dummodo informatio recta fuerit, & exacta. Nec enim ulla ratio eſt ſuſpicandi, in litteris diſpenſationis omiſſam fuiſſe conditionem neceſſariam ad eſſentiam ſacramenti; imo pro certo haberi poteſt, rem tanti momenti fuiſſe adjiciendam, ſi neceſſaria eſſet, ut ſacramentum extra periculum poneretur.

Animadverſio XXVIII.

Addidi niſi ex ſpeciali: quia ſic Pontifex ... poteſt matrimonium ratum diſſolvere ex juſta cauſa.

Id oſtenſum eſt ſupra hoc tr. 6. cap. 2. dub. 3. ca 4.

Ani-

Animadverſio XXIX.

Epiſcopus &c. non poteſt diſpenſare, niſi &c. in caſu neceſſitatis &c.

P. Concina Theol. t. 10. p. 342. n. 2. qu. 1. quærit, „ quis facultatem habeat diſpenſandi ab impedimentis dirimentibus? Reſpondet: Animadvertunt Theologi, agitatam in Tridentino præſentem controverſiam, nec fuiſſe deciſam. Nullo quippe canone, aut lege ajunt, reſervatam eſſe ſoli Pontifici ſummo poteſtatem diſpenſandi in impedimentis dirimentibus, excluſis Epiſcopis. Conſuetudo ſola, & communis Eccleſiarum uſus hanc facultatem ſummis Pontificibus aſſeruit. Galliarum Epiſcopos ab aliquibus impedimentis reipſa diſpenſare, narrant Theologi Galli, Turnelius, Habert, & ceteri ex prædeceſſorum conſuetudine. Verum, ut ut res hæc ſe habeat, communis eſt Theologorum ſententia, uſu & conſuetudine accedente, ſolum Pontificem ſummum jure ordinario diſpenſare a præfatis impedimentis, excluſis Epiſcopis, & Legatis a latere. “ Hanc ſententiam communiorem, & probabiliorem appellat La-Croix p. 80 n. 833. Ratio eſt, quia impedimenta matrimonium dirimentia, vel a Conciliis univerſalibus, vel a ſummis Pontificibus ſunt inſtituta: at Epiſcoporum auctoritas Conciliorum univerſalium, & ſummorum Pontificum legibus, & inſtitutis inferior eſt, & ſubdita; ideoque in iis diſpenſare non poteſt; quia diſpenſatio auctoritatem includit in id, in quo diſpenſatur. Ergo certum merito habetur, Epiſcopos jure ordinario non poſſe in impedimentis dirimentibus matrimonii diſpenſare, accedente præſertim conſuetudine non diſpenſandi. Hinc Greg. IX. cap. *Cum inferior* 16. t. 33. lib. 1. decr. ait, quod *inferior ſuperiorem ſolvere nequeat, vel ligare ... & ſatis abſonum videatur, ut filius poteſtatem habeat in parentem.*

Nihilominus urgente gravi neceſſitate, cui alia ratione ſuccurri nequeat, Epiſcopos diſpenſare poſſe in occultis impedimentis poſt contractum matrimonium, communis ſententia, ſeu, ut ait Nat. Alex. Theol. t. 2. p. 230. reg. 10. omnis Theologorum, & canonici juris interpretum natio cenſet. „ Incredibile enim eſt, ait merito idem Nat. ſummum Pontificem velle ſibi reſervare diſpenſationes ſuper impedimentis dirimentibus in ſummis anguſtiis, & cum animarum, graviumque damnorum periculo: ſiquidem reſervatio diſpenſationis eſt propter caritatem, bonamque Chriſtianæ Reipublicæ gubernationem: repugnaret autem caritati, & optimo Eccleſiæ regimini, fideles, qui matrimonium cum aliquo impedimento dirimente bona fide ex juris, aut facti ignorantia in facie Eccleſiæ contraxerunt, in anguſtiis conſtitutos relinquere opportuno deſtitutos remedio, cum occultum præſertim impedimentum eſt, nec prima Sedes adiri poteſt ob conjugum paupertatem, aut locorum diſtantiam, aliaſve ſimiles cauſas, neque poſſunt citra ſcandalum conjuges ſeparari, aut etiam imminet peccati periculum. Deinde præſcripta conſuetudo, ſummorumque Pontificum conſenſus Epiſcopis auctoritatem vindicant certis in caſibus diſpenſandi.

Has rationes urget quoque Concina Theol. t. 10. p. 343. n. 4. Quare in certis caſibus, ſeu neceſſitate gravi urgente poſſe Epiſcopos in impedimentis dirimentibus poſt contractum matrimonium diſpenſare, non videtur dubitandum.

Conditiones vero neceſſarias, ut diſpenſatio impertiri poſſit, Buſemb. 4. numerat, ut apud ipſum. La-Croix addit p. 82. n. 835. ut matrimonium ſit publicum, ut in ſeparatione conjugum ſit ſcandalum, ut non ſit facilis, ut ait Buſemb. acceſſus ad Papam ob paupertatem, vel aliam cauſam, vel certe ob periculum peccatorum in tanta dilatione, quia interea non abſtinebunt ab uſu matrimonii.

Nat. Alex. reg. cit. quoad hoc ita loquitur: „ Zerola Minorenſis Epiſcopus in praxi epiſcopali verbo *Diſpenſatio* teſtatur ſibi ex Curia Romana fuiſſe reſponſum, diſpenſationum illarum poteſtatem eſſe penes Epiſcopos concurrentibus ſex circumſtantiis ſequentibus. 1. Ut matrimonium jam ſit contractum. 2. Ut ſit contractum ignoranter quoad impedimentum. 3. Ut ſit conſummatum. 4. Ut impedimentum ſit occultum. Cenſetur autem occultum, ſi publica fama vulgatum non eſt; vel ad forum contentioſum non perlatum; aut, ſi perlatum quidem fuerit, ſed non potuerit probari, ideoque lis dirempta, & pars rea ſine nota dimiſſa fuerit. 5. Ut partes ſint adeo pauperes, ut mittere non poſſint ad ſummum Pontificem, vel ad legatum. 6. Ut, ſi fieret ſeparatio, veriſimiliter ſcandalum oriretur.

„ Si vero aliqua ex his circumſtantiis non adſit, & perſonæ ſint revera pauperes, rudes, ruſticæ, epiſcopalis caritatis erit proſequi hanc diſpenſationem in forma pauperum apud Sedem apoſtolicam, ut plane gratis, & ſine compoſitione obtineatur. “ Hactenus Natalis.

Quando autem contractum eſt ex diſpenſatione ſubreptitia, non poteſt Epiſcopus &c.

Jure ordinario certe non poteſt; quia diſpenſatio ſubreptitia reipſa de jure nihil eſt; ideoque nullum jus Epiſcopo concedit. Præterquamquod diſpenſatio ſine juſta cauſa ne a ſummo quidem Pontifice concedenda eſt; ab inferiore autem concaſſa, non ſolum culpa non vacat, ſed irrita prorſus eſt.

Quare, niſi nova, aut antea ignota diſpenſandi neceſſitas gravis urgeat juxta mox dicta, Epiſcopus diſpenſare nullo modo poteſt.

In impedimentis vero ... videtur numquam poſſe, imo &c. contra quos Dian. cum Præp. .... putat Epiſcopum id poſſe .... idque ex tacita Papæ licentia.

Pro hac poſteriori ſententia Concina citat Sanchez, Salam, Pontium, Caſtrop., Candidum, Dicaſt., Corneo, Salmant., Vivam, ipſumque Bonac. a Buſemb. pro priori contraria citatum; multoſque plures appellat La-Croix p. 82. n. 838. additque: „ & ita declaraſſe Sixtum V. teſtatur Pyrrhus Corr. “ eam vero evincunt rationes mox allatæ, quibus oſtenſum eſt, Epiſcopos ex gravi urgenti neceſſitate poſſe diſpenſare matrimonio jam contracto. Quare hanc ſententiam probant quoque Nat. Alex. reg. 10. cit. & Concina p. 343. n. 5. quam his exemplis illuſtrat. „ Si mors immineret, & matrimonium neceſſarium foret ad prolem legitimam conſtituendam, ad evitandam feminæ infamiam, aut alia gravia mala, ſcandala, abſurda, & difficilis eſſet ad Pontificem ſummum recurſus, poterit Epiſcopus diſpenſationem impertiri ad matrimonium contrahendum. Idem dicendum, ſi femina nobilis, inquiunt Salmanticenſes (ego adderem, etiamſi non nobilis, ſed honeſta) parata ad nuptias, confiteretur ſe habuiſſe copulam cum conſanguineo conjugis in primo, aut ſecundo gradu, & dilatio matrimonii inferret illi infamiam, aliudve grave malum, quin effugium evadendi pateret. “ Hactenus ille.

Animadverſio XXX.

In impedimentis non dirimentibus poſſunt Epiſcopi diſpenſare univerſaliter; quod addo &c.

Idem docet Concina cum eadem exceptione Theol. t. 10. p. 342. n. 15. & Nat. Alex. Theol. t. 2. p. 531. reg. 14. quia, inquit, ſic Eccleſiæ diſciplina, uſuſque ferunt. Obſervat autem, vota de non nubendo, de non petendo conjugali debito, de ſuſceptione ſacrorum ordinum, de caſtitate ad tempus ſervanda, ſub voto caſtitatis perpetuæ, vel religionis non comprehendi; quia non ſunt abſoluta vota caſtitatis, ideoque in illis diſpenſare poteſt Epiſcopus. Ita Nat.

Excipe etiam crimen hæreſis, quod ex alibi dictis matrimonium impedit; a quo impedimento non diſpenſat, niſi Summus Pontifex; ut docet Bened. XIV. lib. 12. de Syn. diœc. cap. 3. n. 2. 3.

Similiter Epiſcopus poteſt diſpenſare in impedimentis quæ matrimonio ſuperveniunt &c.

La-Croix p. 83. n. 835. idem docet ſine exceptione a Buſemb. allata; idemque habet Nat. Alex. reg. 14. mox cit. inquiens: „ Poteſt etiam diſpenſare (Epiſcopus) circa impedimenta, quæ prius contracto matrimonio ſuperveniunt, & debiti conjugalis petitionem prohibent, qualis eſt affinitas ex inceſta copula: “ & Concina Theol. t. 10. p. 344. num. 8. ita inquiens: „ Bonac., Henriq., Sanch., Caſtrop., & Salmant. n. 53. docent, Epiſcopos diſpenſare poſſe in impedimento ſuperveniente matrimonio ob affinitatem, cognationem ſpiritualem, votum ſimplex caſtitatis, ut conjuges ſibi invicem debitum petant, licet nulla ſit neceſſitas urgens; idque conſtare ajunt ex legitima conſuetudine; & hoc etiam poſſe Vicarium Epiſcopi ex vi conceſſionis generalis ad omnes caſus epiſcopales. “

Sed hic illud forte non immerito animadvertendum videtur, dictam facultatem diſpenſandi ex jure Epiſcopis quoad affinitatem, & cognationem ſpiritualem non competere. Cum enim hæc impedimenta ex jure univerſali, in quod Epiſcopi poteſtatem non habent, debiti petitionem impediant, ab iis ex jure ſolvi non poſſunt, ſed ſolum, ut ajunt, ex vi conſuetudinis. Quare ſi hæc conſuetudo alicubi non vigeret, ea facultate Epiſcopi non gaudere viderentur.

Animadverſio XXXI.

Poſſunt etiam Confeſſarii regulares ... diſpenſare ... in ſecundo gradu.

De hoc privilegio, & aliis loquitur quoque La-Croix p. 88.

Digitized by Google

p. 88. n. 891. & Anaclet. t. 4. juris can. p. 212. reſp. 2. & 3.

P. Concina Theol. t. 10. p. 345. n. 10 ait: „ Hæc, quæ de Regularibus circumferuntur privilegia in hac materia, mihi prorſus commentitia ſunt, & arbitraria. Mirum eſt, quod nemo unus in tam gravi negotio referat ejuſmodi privilegia; ſed aſſertiones dumtaxat auctorum infarciunt, qui mutuo ſe citant, quin unus documenta citata reſcribat. Quare hæc omnia ceu mera figmenta ego rejicio, donec authenticia documentis novi Doctores, qui illa comminiſcuntur, legitima evocant. Neque ſuſpiceris, me gratis, & pro arbitrio talia privilegia rejicere. Illa enim ſæpius inquiſivi, Bullarium Pontificum, a quibus conceſſa aſſeruntur, revolvi etiam ab aliis curavi. Nihil penitus inventum eſt. Adhibenda ne fides quibuſdam Caſuiſtis, qui in more habent mutuo ſeſe teſcribere; & ſimul atque unus aliquod commentum evolgat, plurimi in fida anteceſſorum illud citant; & poſtea ex multitudine Doctorum infertur: tot ne Doctores talium narrabunt, illudent, decipient, & quidem in re graviſſima? Hac ineptiſſima argutatione plures reipſa decipiuntur. Si ſcire cupis, vera ne, an falſa ſint ejuſmodi privilegia, conſule Bullarium. Et ne actum agam, lege quæ ſcripſi t. 3. in dec. diſſ. 3. cap. 11. ubi mera figmenta oſtendi eſſe privilegia, quæ citari Auct. (Sanch., Dian., Pont., Caſte., Averſ., Rod., Candidus, Salm.) allegare ſolent in Regularium favorem ad diſpenſandum in votis. " Hactenus Concina.

Enim vero quod ait La-Croix p. 88. n. 891. „ privilegium, quod habent Mendicantes ad diſpenſandum cum licentia Provincialium in petitione debiti pro conjugibus inceſtuoſis, vel adulteris, vel ligatis voto caſtitatis, docent Quin., & Gob. tr. 9. n. 732. contra Baſſæum, eſſe bullatum: " hoc, inquam, ridiculum eſt. Ridicula eſt pugna contendentium, utrum hoc, aut aliud quodlibet privilegium ſit bullatum bullis non allatis. Ridiculum eſt referre talem diſſenſionem, nihilque addere; cum pugna hujuſmodi ex Bullarii lectione, & verborum citatione pendeat. Nam ſi qui affirmant, nec Pontificem, nec bullam proferant, audiendi non ſunt, & pugna finita eſt.

La-Croix quidem lectorem mittit ad t. 2. p. 377. n. 1588. ubi affirmat, poſſe *Provinciales per ſe, vel alios dare facultatem noſtris diſpenſandi ad petendum debitum cum iis, qui conſanguineum, vel conſanguineam ſui conjugis poſt matrimonium carnaliter cognoverant*. At quomodo id oſtendit? His verbis: *Comp. v. Diſpenſatio* §. 7. Cur loco compendii non refert Pontificum bullas? An compendium falli non potuit?

Eodem num. 891. inquit: „ Notant præterea aliqui, privilegium datum a Julio II. diſpenſandi ſaltem cum inceſtuoſis, per mendicantes a Provincialibus deputatos exiſtentes in domibus, & Eccleſiis ſuis, eſſe quidem vivæ vocis, attamen ſubſcriptum a maximo Pœnitentiario officiali Papæ, Urbanum VIII. autem per bullam *Alias felicis recordationis*, datam 2. Aprilis 1635. declaraſſe, quod revocando vivæ vocis oracula etiam manu Cardinalis ſignata, non intellexiſſet ſignata ab illis officialibus, quibus ratione muneris fides haberi deberet de fide talis oraculi, & tale eſſe præſens privilegium. "

At, dum Urb. VIII. fatente La-Croix declaravit, ſe revocaſſe vivæ vocis oracula etiam manu Cardinalis ſignata, omnia ſine limitatione revocavit. Illa enim particula *Etiam manu* &c. abſolutam, & illimitatam revocationem firmat contra quamcumque limitationem, & exceptionem, ſi verba intelligere volumus, ut ſonant, & ut intelligenda ſunt. Neque, cum Urb. VIII. vivæ vocis oracula revocat, ſidem iis abrogat, ſed ſeu falſa, & ficta, ſeu vera, & legitima fuerint, ea abrogat, & in irritum mittit.

Animadversio XXXII.

Plures vide apud Sanchez &c.

De his cautis loquitur quoque La-Croix p. 89. num. 898. Concina quoque Theol. t. 10. p. 347. n. 8. plures deſcribit a recentibus aſſignatas. At harum judicium ad eos quorum intereſt, defert. Sunt enim mature penſandæ conſideratis omnibus circumſtantiis, ut lex Trid. ſeſſ. 25. c. 18. obſervatur.

Animadversio XXXIII.

Si quis dubitet, an habeat impedimentum dirimens &c.

Hic ſcilicet quæſtio eſt inter ipſos probabiles inter ſe diſſentientes. Ponitur autem poſt adhibitam ſufficientem diligentiam, & inquiſitionem manere dubium prudens, & rationabile. Nam ſi dubium ſit leve, & frivolum, merito deponi poteſt ex prudentum judicio. Porro hic agitur de valore Sacramenti, quem impedit, & tollit impedimentum, ſi reipſa exiſtat; rurſus opinio Buſemb. ut ſummum eſt probabilis, & quia probabilis ab ipſo creditur, idcirco eam ſequitur, *probabile eſt* &c.

At hoc ipſo quia opinio probabilis eſt, ab Innoc. XI. propoſ. 1. damnatum eſt, quod liceat eam ſequi, cum de Sacramenti valore agitur, relicta tutiore; ergo præſens Buſemb. opinio damnata eſt. Nolo hic plura dicere: ceterum Buſemb. opinio ſimilis eſt ejuſdem opinioni hujus tr. 6. cap. 2. dub. 3. c. 1. ſummorum Pontificum auctoritatibus ibi allatis perſpicue contrariæ. Nam illud Buſemb. commentum, *quia poſſeſſio ſtat pro libertate contrahendi*, falſum eſt, & nullum, & alibi fuit refutatum.

LIBER VII.

De Cenſuris eccleſiaſticis, & Irregularitatibus.

CAPUT I.

De Cenſuris in genere.

DUBIUM I.

Quid ſit Cenſura eccleſiaſtica.

RESP. Eſt pœna ſpiritualis, & medicinalis, (*a*) per quam homini baptizato delinquenti, ac contumaci, per potentiam eccleſiaſticam aufertur uſus quorundam ſpiritualium bonorum. Laym. *l.* 2. *t.* 5. *p.* 1. *c.* 1.

Unde reſolves.

1. Per cenſuram non privatur homo bonis mere internis, v. gr. charactere, poteſtate ordinis, nec bonis propriis, ac privatis: v. gr. fide, caritate, gratia, &c. ſed quibuſdam externis, & publicis, ſive actionibus quæ habent ſpiritualem aliquam affectum, vel commodum, ut ſunt ſacrificium, officium divinum, beneficium, adminiſtratio, & ſuſceptio ſacramentorum, indulgentia, publica Eccleſiæ ſuffragia: quia hæc, & non illa, ſubſunt diſpoſitioni Eccleſiæ. Unde, ſi interdum privetur bono aliquo temporali, v. gr. convictu humano per excommunicationem, id tantum fit ſecundario.

2. Exilium, carcer, ſervitus, privatio beneficii, niſi adjunctam habeant ſuſpenſionem aliquam ſpiritualium actionum, non ſunt cenſuræ, quia ſunt pœnæ temporales.

3. Nec degradatio, (*b*) vel depoſitio eſt cenſura, quia etſi ſit pœna ſpiritualis, non tamen medicinalis, ſed perpetua, & ob peccatum præteritum, etiam emendatum, poteſt infligi.

4. Nec ceſſatio a divinis, quia non imponitur per modum medicinæ ad tollendam contumaciam, ſed ad propulſandam injuriam Eccleſiæ factam.

5. Nec irregularitas, ſive ſit ex defectu, quia hæc non eſt pœnalis, ſed tantum impedimentum canonicum; ſive ſit ex delicto, quia hæc non irrogatur per modum pœnæ medicinalis, ſed punitivæ, & ex ſe perpetuæ. Unde nec tollitur per abſolutionem, ſicut cenſura, ſed per diſpenſationem. Bonac. *d.* 1. *q.* 1. *p.* 1.

6. Quando in Jubilæis, vel privilegiis datur poteſtas abſolvendi a cenſuris, non comprehenditur irregularitas, niſi expreſſe addatur. (*c*)

DUBIUM II.

Quotuplex ſit Cenſura?

Reſp. Dividitur 1. (*d*) Eſſentialiter in Excommunicationem, Suſpenſionem, & Interdictum. 2. Accidentaliter in eam, quæ eſt a jure, & fertur per canones, conſtitutiones, vel ſtatuta eccleſiaſtica, ſtabili, ac permanente lege; & eam, quæ eſt ab homine, quæ ſcilicet fertur a judice, vel Prælato, per modum mandati, vel ſententiæ judiciariæ. Eſtque vel particularis, circa factum aliquod particulare, aut certas perſonas; vel generalis, quæ nul-

nulla ſingularis facti, aut perſonæ determinatione fertur. 3. In eam, quæ eſt ſententiæ latæ, quam ſcilicet jus, aut judex ſtatuit ipſo facto, quo quis v. gr. contra legem facit, ſine alia ſententia incurrendam: & in eam, quæ eſt ferendæ, quam jus, aut Judex non vult ipſo facto incurri, ſed per ſententiam infligi. Pro quibus dignoſcendis conſideranda ſunt verba, quibus cenſura fertur, quæ ſi includant alterius actionem, ſeu miniſterium, ſignificant cenſuram eſſe ſententiæ ferendæ: latæ vero, ſi non includant. Si vero ambigua ſint, teneri poteſt regula 49. juris in 6. quod in dubio circa pœnas benignior interpretatio ſit facienda.

Unde reſolves.

1. Eſt cenſura latæ ſententiæ, 1. Si verba ſint præteriti, aut præſentis temporis, (*c*) v. gr. excommunicavimus, excommunicatus eſt, fuit, excommunico, ſuſpenduntur, interdicuntur, volumus, aut jubemus eſſe excommunicatum, ſuſpenſum, &c. 2. Si addatur particula, ipſo jure, ipſo facto, vel, ſine alia ſententia. 3. Si verba ſint imperativi modi, v. gr. Incidat in excommunicationem, maneat interdictus, &c. Ratio, quia hæc omnia nullius actionem interponunt.

2. Sententiæ ferendæ eſt, ſaltem ut plurimum, 1. Si verba ſint futuri temporis, v. gr. excommunicabitur, ſuſpendetur. 2. Si dicatur, excommunicetur, ſuſpendatur, volumus excommunicari. 3. Si verba ſint minatoria, v. gr. ſub pœna excommunicationis, ſub interminatione anathematis, &c. niſi tamen ex adjunctis aliud colligatur. (*f*)

DUBIUM III.

Qui poſſint ferre Cenſuram, & in quos?

Reſp. 1. Cenſuram ferre poteſt omnis, ac ſolus ſuperior eccleſiaſticus, habens in foro externo, ſeu contentioſo juriſdictionem, ſive ordinariam, ſive delegatam. (*g*)

Porro ordinariam, quæ eſt ratione officii, vel alterius juris, poteſtque delegari Clerico Clericatus privilegio gaudenti, ut Bonac. *d.* 1. *p.* 2. Laym. *l.* 1. *t.* 5. *par.* 1. *c.* 3. *n.* 1. ex *c. Cum Eccleſiarum*, S. Thom. &c. docent, habet 1. Papa reſpectu totius Eccleſiæ. 2. Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, eorumque Vicarii generales. 3. Generales, Provinciales, & Superiores locales religionum, reſpectu ſuorum ſubditorum. 4. Congregationes religionum, Concilia provincialia Epiſcoporum, Capitula provincialia quorundam Religioſorum, & denique. 5. Quidam alii ea conceſſione, ut multi Archidiaconi, Archipresbyteri, & Decani.

Delegatam habent, quibus ea committitur ab ordinariam habente, cujus morte expirat: nec delegatus poteſt alteri delegare, niſi habeat ſpecialem hujus commiſſionem, ut ſi ſit delegatus Papæ.

Unde reſolves.

1. Non poſſunt poteſtate ordinaria ferre cenſuram, 1. Parochi. 2. Laici: quia non ſunt capaces juriſdictionis eccleſiaſticæ; uti & religioſi profeſſi non habentes primam tonſuram. 3. Feminæ, licet ſint Prioriſſæ, vel Abbatiſſæ: quia non ſunt capaces juriſdictionis, ſeu poteſtatis clavium: quando vero in jure dicuntur poſſe ſubjectos ſibi Clericos ſuſpendere ab officio, vel beneficio, ſuſpenſio non accipitur proprie pro cenſura, cujus violator irregularitatem incurrit, ſed late, & impropria pro præcepto, quo Abbatiſſa Clerico ſibi quodammodo ſubjecto prohibet celebrationem, donec ſatisfecerit, ſubtrahens ei reditus interea. Vide Bon. *l. c.* Laym. *l.* 1. *t.* 5. *p.* 1. *c.* 3. *n.* 3.

Reſp. 2. In omnes, & ſolos ſubditos alicui Superiori eccleſiaſtico poteſt ferri cenſura, quia ſubjectio, & juriſdictio ſunt correlativa. Laym. *l.* 1. *t.* 3.

Unde reſolves.

1. Non baptizati non incurrunt cenſuras, licet ſint catechomeni: nec mortui, quia non ſubſunt juriſdictioni Eccleſiæ. Nec refert, quod quandoque mortui dicantur excommunicari: non enim de novo ligantur, ſed excommunicatio prior tantum declaratur, ac vivis prohibetur, ne cum iis agant, orando pro illis, ſepeliendo, &c. Similiter dicuntur abſolvi ab excommunicatione, quando ſepultura, & orationes publicæ pro illis permittuntur. Laym. *loc. cit.*

2. *Advenæ, & peregrini brevi tempore alicubi commorantes non ligantur cenſuris locorum, generali ſententia, aut ſtatuto decretis: quia non ſunt ſubditi.* ANIMAD. I.
Laym. *l. c. n.* 5.

3. Etſi ſubditi extra ſuam diœceſim, vel in loco diœceſis exempto delinquentes contra legem ſui Epiſcopi non incurrant cenſuram; (*h*) Superior tamen, ſaltem regularis, poteſt ſuos ſubditos, ubicumque exiſtant, per particularem ſententiam cenſuris innodare. V. Laym. *l. c.*

4. Hæretici, Apoſtatæ, & Schiſmatici poſſunt affici cenſuris, quia per baptiſmum ſunt ſubjecti Eccleſiæ. V. Laym. *l. c.*

5. Solus Papa non poteſt incurrere cenſuram, (*i*) quia nulli eſt ſubjectus. Bon. *l. c.*

DUBIUM IV.

Ob quam cauſam poſſit ferri cenſura.

Reſp. Ob ſolum peccatum externum, cenſuræ proportionatum, & conjunctum cum contumacia. Et quidem in interdicto locali poteſt eſſe alienum, v. gr. Prælati, vel communitatis, non tamen hominis privati, alias requiritur proprium. Bon. *par.* 3.

Unde reſolves.

1. Non poſſunt cenſurari infantes, vel amentes, quia non peccant. Bon. *d.* 1. *q.* 1. *p.* 4. Laym. *c.* 4. *n.* 3. ex S. Thom. Suar.

2. Etſi ob peccatum veniale interdum ferri poſſit levis ſuſpenſio, vel leve interdictum; (*k*) excommunicatio tamen major, ſuſpenſio gravis, & interdictum perſonale ſpeciale, quicquid ſit de generali, non poteſt ferri, niſi ob culpam mortalem: quia alioqui pœna non eſſet proportionata culpæ. Imo, cum ſint pœnæ medicinales, non debent infligi pro quovis mortali, ſed quibuſdam tantum, ne cenſuræ contemnantur, ut monet Trid.

3. Actus peccati, ob quem cenſura fertur, debet eſſe mortalis, non tantum quoad actum internum, ſed etiam quoad ſubſtantiam operis externi. Hinc non excommunicatur leviter percutiens Clericum, etſi intentionem mortalem habuiſſet: uti nec qui interius tantum eſt lapſus in hæreſim, quam exterius non ſignificavit: quia Eccleſia tantum judicat de externis. Bon. *l. c.*

4. Actus peccati in ſuo genere debet eſſe perfectus, & conſummatus; niſi expreſſe aliud ſonent verba legis; quia pœnæ, & odia ſunt reſtringenda. Hinc excommunicationem homicidæ non incurrit favens, mandans, conſulens, juvans, nec vulnerans letaliter, niſi mors ſequatur. (*l*) Item, quando excommunicatur mandans, conſulens, &c. vel ferens ſuffragium pro indigno, ſubintellige, efficaciter, ſeu effectu ſecuto, quia ſine eo mandatum, conſilium, & ſuffragium non eſt completum, & perfectum in genere homicidii, furti, &c. Alii tamen attendendum eſſe putant, utrum in mandantes, conſulentes, &c. principaliter, & per ſe feratur excommunicatio, an vero acceſſorie tantum: & dicunt, in priore caſu eſſe excommunicatos, etſi non ſequatur effectus; non item in poſteriore. Quæ ſententia in praxi eſt tutior. Bon. *l. c.*

5. Quidquid excuſat a peccato mortali, excuſat etiam a gravi cenſura, verbi gratia materiæ parvitas, impotentia legem implendi, *defectus advertentiæ, & deliberationis, ignorantia invincibilis*; (*m*) ANIMAD. II.
ſive ea ſit facti, ut verbi gratia, ſi neſcias, quem percutis, eſſe Clericum; ſive juris, ut ſi ſcias eſſe Clericum, teque mortaliter peccare percutiendo, neſcias tamen percuſſionem illam ſub excommunicatione prohibitam eſſe. Ratio eſt, quia talis non eſt contumax.

Dixi, invincibilis, quia ignorantia culpabilis, & craſſa non excuſat, niſi addatur in lege certus modus,

dus, v. gr. qui hoc fecerit ſcienter, conſulto, qui præſumpſerit auſu temerario violare, quæ verba, utpote in re odioſa, accipienda ſunt ſtricta; talis autem non poteſt dici temerarie præſumere, niſi ignorantia eſſat affectata, formalem dolum includens. Eſcob. t. 4. c. 6. n. 37. Sanch. *de matr. l.* 3. *l.* 9. *d.* 32. *n.* 1.

6. Non incurritur cenſura ob peccatum ſoli naturali, vel divino juri repugnans, ſed requiritur præceptum Eccleſiæ, quod contumaciter violetur. Item nec ob peccatum mere præteritum poteſt cenſura infligi ab homine, niſi aliquo modo pendeat in futurum, ratione ſcandali, vel reſtitutionis non factæ, vel perſeverantiæ in peccato poſt monitionem; quia abeſt contumacia. (a) Nec refert, quod quia ob peccatum præteritum, vel etiam ſine peccato (modo juſta cauſa ſubſit) poſſit ad tempus arceri ab aliorum conſortio, altari, communione, &c. ut ſubinde fit in religionibus; & in jure etiam vocatur excommunicatio, vel ſuſpenſio, ſed late, quia non eſt cenſura proprie dicta, cujus violatio inducat irregularitatem, ſed ſimplex tantum pœna. Fill. *t.* 11. *c.* 6. *n.* 186.

7. Non incurrit cenſuram, qui legem tranſgreditur ex gravi metu, licet quandoque non excuſetur a gravi culpa; quia non cenſetur contumax. (c) Laym. *l.* 1. *t.* 5. *p.* 1. *c.* 5. *n.* 9. Bon. *d.* 1. *q.* 2. *p.* 3. n. 2. ex Suar. Con. &c.

8. Cenſura invalida eſt ex triplici capite.

Primo ob defectum ſerentis, ſi ſcilicet careat juriſdictione, vel eam habeat impeditam per cenſuram, vel ſuſpenſam per legitimam appellationem, (*p*) de quo v. Laym.

Secundo, ſi ſubſtantialis ordo judicii prætereatur, ut ſi reus non citetur, nec moneatur ſub comminatione cenſuræ. Ratio, quia non eſt contumax, qui ante non fuit monitus de præcepto, & pœna annexa. Quod tamen intellige de cenſura ab homine lata per ſententiam particularem: quia quæ fertur a jure, vel per ſententiam generalem, vel etiam ſpecialem, reſpectu tamen actus futuri, non eget alia monitione: cum lex, aut ſententia ſeipſa ſatis moneat. Idem eſt de ſententia non illativa cenſuræ, ſed declaratoria tantum: quia abſque alia monitione declarari poteſt cenſura incurſa, quando crimen, cui eſt annexa, commiſſum eſſe evidenter conſtat. Porro, ut cenſura ſit licita, requiritur primo, ut dicta monitio ſit canonica, id eſt, trina, juxta Canones; etſi aliquando ex juſta cauſa ſufficiat una tribus æquivalens, v. gr. moneo te ſemel pro tribus vicibus. 2. ut ea ſcripto recitetur. 3. ut cauſa cenſuræ exprimatur. 4. ut reo petenti exemplum ſcripturæ intra menſem tradatur: alioqui judex ipſe ſuſpenditur a divinis officiis. Fill. *t.* 11. *c.* 4. (*q*)

Tertio, ob defectum juſtæ cauſæ. Hæc autem deficere poteſt tripliciter. 1. Si nec a parte rei, nec ſecundum allegationem fori externi ſubſiſtat. 2. Si a parte rei crimen ſubſiſtat quidem, non tamen in ordine ad judicium, quia reus de eo non conAnimad. III. fitetur, nec legitime de eo convincitur. 3. *Si a parte rei non ſubſiſtat crimen, etſi juridice probatum*, ideoque titulum, ſeu cauſam præſumptam habeat judex. *In quo caſu, etſi ſententia a parte rei ſit injuſta, ideoque probabilius cenſura non liget in foro conſcientiæ, in foro tamen externo ſervari debet propter ſcandalum*. V. Laym. *p.* 1. *c.* 6.

D U B I U M V.

Qui poſſint abſolvere a cenſuris?

Reſp. 1. A cenſura lata per ſententiam particularem ordinarie is tantum poteſt abſolvere, qui eam tulit, vel ejus ſuperior, vel ſucceſſor, (*r*) vel delegatus. Ab ea, quæ lata eſt a jure communi, vel ab homine per ſententiam generalem, ſi non ſit reſervata, poteſt abſolvere quivis, qui cenſuratum poteſt abſolvere a mortalibus: ſi vero ſit reſervata, ordinarie, & per ſe poteſt tantum vel relaxari ab auctore legis, vel ejus ſucceſſore, vel delegato.

Dixi 1. ordinarie; quia in articulo mortis quivis Sacerdos abſolvere poteſt a quavis cenſura.

Dixi 2. Per ſe: quia per accidens, & ex privilegio poſſunt etiam alii. Laym. *l.* 1. *t.* 5. *p.* 1. *c.* 7.

Reſp. 2. *Epiſcopi ſecundum Trid. ſeſſ.* 24. *c.* 6. Animad. IV.
poſſunt 1. *abſolvere in foro conſcientiæ per ſe, vel Vicarium ab omnibus cenſuris occultis, etiam in Bulla Cœnæ Papæ reſervatis, excepta hæreſi, a qua per ſeipſos tantum abſolvere poſſunt, quantum eſt ex vi hujus decreti*. Dicitur autem cenſura occulta, quæ contracta eſt ob delictum non publicum, nec ad forum contentioſum deductum, aut ſi deductum fuit, a quo reus ob defectum probationis fuit abſolutus. Bon. *d.* 1. *q.* 3. *p.* 1. *n.* 15. & *p.* 2. *n.* 1. ex declaratione Cardinalium, &c. 2. Poſſunt etiam ſæpe abſolvere a cenſura Papæ reſervata, *propter impedimentum ejus, qui incurrit*, (*s*) vel quando propter ſenium, morbum, reatum, paupertatem Pontifex non poteſt adiri. Bonac. *l. c.* ex Navar. Sanch. Avila, Conin. &c.

Reſpon. 3. *Multi Religioſi, præſertim Mendican-* Animad. V.
tes, poſſunt ex privilegiis, in foro tamen interno tantum, a variis cenſuris abſolvere. V. Dian. *p.* 9. *t.* 4. *R.* 63. *Quare a ſuperioribus ſuis illa privilegia petant, cum ad confeſſiones audiendas exponuntur*, & circa ea ſequentes regulas ſequantur.

Prima. Qui habet poteſtatem abſolvendi a cenſuris reſervatis Epiſcopo, non poteſt vi illius abſolvere a reſervatis Papæ.

Secunda. Qui habet poteſtatem abſolvendi a reſervatis Papæ, non cenſetur poſſe abſolvere a cenſuris Bullæ Cœnæ, eo quod hæ cenſeantur majores, nec comprehendi in conceſſione generali. (*t*) Dian. *p.* 5 *t.* 12. *R.* 34. ex Suar. & cat. contra Bollium.

Tertia. Qui habet poteſtatem abſolvendi a cenſuris Animad. VI.
Bullæ Cœnæ, habet etiam a quibuſvis papalibus, & epiſcopalibus a jure latis, etſi aliqui negent de excommunicatione contracta propter hæreſim, de qua alii probabilius affirmant, præſertim pro regionibus ſeptentrionalibus, pro quibus alioqui conceſſio per magnam partem eſſet inutilis.

Quarta. Poſſunt Regulares per ſua privilegia, ſic- Animad. VII.
ut ab aliis cenſuris Papæ reſervatis, ita etiam abſolvere duello certantes. Idem dic de ſimilibus caſibus, poſt conſtitutionem Clementis VIII. ſicuti poterant ante eam: præterquam in Italia extra Urbem; idque ex declaratione ipſiuſmet Clementis apud Comitolum *l.* 6. *mor.* Reg. *l.* 21. *d.* 83. Fill. *t.* 1. *tr.* 15. *c.* 5. Laym. *l.* 3. *t.* 3. *p.* 3. *c.* 5.

Reſpond. 4. Ampla etiam ſolet dari poteſtas a cenſuris abſolvendi in Jubilæis: in quibus diligenter conſiderandum, quid, quantum, & quomodo concedatur. Si enim detur poteſtas abſolvendi a caſibus reſervatis Papæ, etiam conceditur poteſtas abſolvendi a cenſuris Papæ reſervatis: quia ille non ſolet reſervare caſus, niſi ratione cenſuræ adjunctæ. Animad. VIII.
Porro abſolutio data confitenti bona fide in Jubilæo, cum intentione lucrandi illud, etſi poſtea vel ſua negligentia, vel propter aliud impedimentum non lucretur, eſt valida, tollitque cenſuram; ſecus ſi ab initio indulgentias lucrari noluerit, eo enim caſu probabilius eſt abſolutionem non valere, & tam peccata reſervata, quam cenſuram de novo debere tolli ab eo, qui poteſt extra Jubilæum.

D U B I U M VI.

Quomodo danda ſit abſolutio a cenſura?

Reſp. Id ſtatuendum eſſe ex natura tum cenſuræ, tum cujuſvis abſolutionis.

Ex qua circa abſolvendi modum reſolves.

1. Ex natura rei non requiruntur certa verba, ſed ſufficiunt ea ſigna, quibus aperte ſignificetur abſolutio impendi. In foro tamen externo communiter ſervanda eſt forma cujuſque Epiſcopatus. In foro autem conſcientiæ hæc fere eſt in uſu: *Ego te abſolvo, v. gr. a vinculo excommunicationis, ſuſpenſionis*, &c *quam incurriſti propter* N. N. (talem cauſam) & (ſi ſit excommunicatus) *reſtituo te Sacramentis Eccleſiæ, & communioni fidelium, aut* (ſi

ſit

ſit ſuſpenſus) *executioni suorum ordinum*, *vel officiorum*, *vel beneficiorum*. *In nomine Patris*, &c. In publica autem, ac ſolemni abſolutione præmittitur Pſalmus *Miſerere*, & ad ſingulos verſus pœnitentis humeri denudati leviter percutiuntur (niſi ex juſta cauſa talis cæremonia videatur omittenda, præſertim in feminis) tum adjectis precibus abſolvitur, & in Eccleſiam introducitur. Idem modus fere ſervatur in abſolutione mortuorum, niſi quod ſepulcrum virga percutiatur. V. Rituale Romanum.

2. Abſolvi a cenſura poteſt abſens, imo & invitus; (*u*) etſi hoc communiter non liceat, ne cenſura contemnatur. Ratio, quia ſicut pœna in abſentem, & invitum poteſt ſtatui, ſic & auferri. Turr. Dian. *p.* 5. *t.* 9. *R.* 10.

3. Is, qui pluribus cenſuris eſt aſtrictus, poteſt abſolvi ab una, relictis aliis; (*x*) quia inter eas non eſt neceſſaria connexio. Unde ſi dicatur, *Abſolvo te ab omni vinculo*, &c. valet pro omnibus: ideoque ſi ſic abſolutus in Jubilæo forte omiſiſſet invincibiliter peccatum habens annexam cenſuram, idest excommunicationem, poſſet is poſtea ab eo peccato per quemvis approbatum abſolvi, cum non ſit amplius reſervatum, eo quod cenſura, ratione cujus tantum erat reſervatum, ſit ſublata.

4. Abſolutio vi, aut metu gravi injuſte incuſſo extorta non valet; imo novam excommunicationem incurrit, qui metum incutit. (*y*)

5. Abſolutio data ab Ordinario, non præſtita ſatisfactione, etſi ſit illicita, valida tamen eſt: (*z*) imo etiam data a delegato, modo non delegetur cum conditione ſatisfactionis; quæ ſi impoſſibilis ſit, ſufficit præſtare cautionem, aut juramentum de ſatisfaciendo cum poterit.

6. Dari poteſt abſolutio ſub conditione de futuro contingenti; cum ſit actus juriſdictionis externæ, qui conditionatus eſſe poteſt. Communiter tamen non expedit ſic abſolvi, ſi enim reus abſolutionem meretur, non debet apponi conditio; ſi non meretur, non debet abſolvi. (*aa*)

7. Poteſt etiam dari abſolutio ad reincidentiam, id eſt, pro certo actu, & tempore, quo tranſacto reincidat; item ſub certo onere, quo non impleto, cenſura reviviſcat.

8. *Probabilius eſt*, *eum*, *qui habet poteſtatem ab-*
ANIMAD. IX. *ſolvendi in foro conſcientiæ a cenſura*, *poſſe id facere etiam extra confeſſionem*, *ut contra Nav. Suar & alios docet Sanchez l.* 8. *de matr. d.* 16. Con. Dian. &c.

Notæ.

(a) Reſp. *Eſt pœna ſpiritualis*, *& medicinalis*, *per quam* &c. Eodem quoad ſenſum modo cenſura definitur a Nat. Alexandro t. 5. p. 506. cap. 5. a. 1. a Concina, & communiter, ut monet Anacletus t. 5. juris can. p. 320 q. 1. Dicitur *ſpiritualis*, quia corporis pœnas nonniſi ſecundario infligit, ut cum excommunicatio communione politica, & civili, beneficii fructibus, &c. privat, ut Buſ. ſe explicat hic ca. 1. & 2.

Dicitur *medicinalis*; quia licet pœna ſit, eo tamen ex legum mente magis ſpectat, ut delictis medeatur, quam ut ea puniat. Hinc Innoc. IV. cap. 1. tit. 11. lib. 5. in 6. ait. *Cum medicinalis ſit excommunicatio*, *non mortalis*, *diſciplinans*, *non eradicans*, *dum tamen is*, *in quem lata fuerit*, *non contemnat*; *caute provideat Judex eccleſiaſticus*, *ut in ea ferenda oſtendat ſe proſequi*, *quod corrigentis fuerit*, *& medentis* &c.

Per quam homini baptizato. Nam homo per baptiſmum, quo in Eccleſiam ingreditur, ejuſque membrum fit, eccleſiaſticæ poteſtati ſubditur; cui non baptizati non ſubduntur juxta illud Ap. 1. Cor. 5. v. 12. *Quid enim mihi de iis*, *qui foris ſunt*, *judicare? Nam eos*, *qui foris ſunt*, *Deus judicabit*.

Additur *delinquenti*, *& contumaci*; quia cenſura non cuilibet delinquenti, ſed ſolum contumaci infligitur, hoc eſt Eccleſiæ poteſtati ſuperbe reſiſtenti, ſeu ejus legibus, aut præceptis non obedienti.

Per poteſtatem eccleſiaſticam; quia, ut ait Nat. loco mox cit., „ Laicæ poteſtati res dumtaxat terrenæ, & „ corpora ſubjiciuntur, non animæ. Claves Regni cœ- „ lorum, ligandique, & ſolvendi animas poteſtatem „ acceperunt Apoſtoli, eorumque ſucceſſores, quibus „ dictum a Chriſto Domino eſt: *quodcumque ligaveritis* „ *ſuper terram*, *erit ligatum & in Cœlis*. Matth. 18. Ad „ bonum autem Eccleſiæ regimen poteſtas ferendi cen- „ ſuras, quibus peccatores coerceantur, eorumque pleſtatur contumacia, omnino neceſſaria eſt. Nam *ju-* „ *riſdictio nullius videretur eſſe momenti*, *ſi coercitionem* „ *aliquam non haberet*, ut dicitur cap. *Paſtoralis* extra „ de officio delegati. " Hactenus ille.

(b) *Nec degradatio*, *vel depoſitio eſt cenſura*, *quia* &c. *Nec ceſſatio a divinis*, *quia* &c.

Nec irregularitas, *ſive ſit ex defectu*, *quia hæc* &c., *ſive ſit ex delicto*, *quia hæc* &c.

Omnia recte. Hinc Innoc. III. cap. *Quærenti* 20. t. 40. l. 5. decr. ait. *Quærenti*, *quid per cenſuram eccleſiaſticam debeat intelligi*, *cum hujuſmodi clauſulam in noſtris litteris apponimus*; *Reſpondemus*, *quod per eam non ſolum interdicti*, *ſed ſuſpenſionis*, *& excommunicationis ſententia valet intelligi*. Ergo non alia eccleſiaſtica pœna; quia alius, aut aliarum mentionem Summus Pontifex non facit, ubi tamen neceſſario facienda erat, ſi aliæ, aut alia pœna eccleſiaſtica inter cenſuras numeranda foret.

(c) *Quando in Jubilæis*, *vel* &c., *datur poteſtas* &c., *non comprehenditur irregularitas*, *niſi id expreſſe addatur*.

Hoc eſt corollarium ex dictis ſponte ſua, & neceſſario profectum.

(d) *Dividitur* 1. *eſſentialiter in* &c. Hoc ex mox dictis patet.

2. *Accidentaliter in eam* &c. Hæc quoque diviſio communis, & trita eſt.

Eaque vel particularis circa &c. *vel generalis* &c.

Wigand. tract. 14. ex. 1. Reſp. 6. cenſuram ab homine, & cenſuram particularem pro eodem ſumit; *quæ extinguitur*, inquit, *cum morte eam ferentis*. At hoc intellige, ſi ante mortem ferentis contracta non fuerit. Nam ſi contracta fuerit, etiam poſt ejus mortem durat, ut notant Concina Th. t. 10. p. 415. n. 4., & Anacl. t. 5. juris can. p. 322. n. 45 ex Laym., & Pal.

3. *In eam*, *quæ eſt ſententiæ latæ*, *quam* &c., *& in eam*, *quæ eſt ferendæ*, *quam* &c. *pro quibus dignoſcendis conſideranda ſunt* &c. Omnia recta. Illud ſolum animadverto, quod Buſ. ſubdit: *Si vero ambigua ſint*, *teneri poteſt regula* 49. *juris in* 6., *quod in dubio* &c.

Eodem modo loquitur quoque Concina Th. t. 10. p. 415. n. 5. Sed hac de re legenda eſt animad. 3., & 15. in cap. 5. hujus 7. tract.

(e) *Eſt cenſura latæ ſententiæ*. 1. *Si verba ſint* &c. *v. g. excommunicavimus* &c. Hac eadem ratione loquitur Anacl. t. 5. p. 325. n. 79., quod intellige ſi verba ad ipſos reos referantur, ut in exemplis a Buſ. allatis.

2. *Si addatur particula ipſo jure* &c. Id evidens eſt.

2. *Si verba ſint imperativi modi*, v. g. &c. Hoc quoque intellige, ſi verba ipſos reos afficiant, ut exempla Buſ. habent, & ejus ratio ſignificat.

Hinc Anacl. t. 5. juris can. p. 326. n. 81. inquit. „ Si lex utatur verbis imperativi modi, quæ non afficiunt immediate ipſam perſonam, ſed vel reatum pœ- „ næ, v. g. reatum talis pœnæ incurrat, fiat reus ex- „ communicationis, vel ipſam actionem Judicis, dicen- „ do v. g. excommunicetur; hujuſmodi locutiones con- „ tinent excommunicationem ferendæ ſententiæ. " Dum enim ſolum pœnæ reatum, aut ſolum imperium declarant, ipſam pœnam reipſa non infligunt; at cum ipſam pœnam includunt, v. g. excommunicationem incurrat, eam ipſo facto inferunt, ut ex Tiraquello, & Fagnano habet idem Anacl. n. cit.

(f) Omnia recte. Nam illud ipſum *ſub pœna excommunicationis*, niſi addatur *ipſo facto*, *ipſo jure*, aut quid ſimile, comminatorium eſt, ut fatetur etiam Concina Th. t. 10. p. 415. n. 5., multoque magis illud *ſub interminatione*; quia interminor idem eſt, ac vehementer minor.

Illa vero formula ſit *excommunicatus*, *anathema ſit*, ex Concina loco cit. cenſuram latæ ſententiæ continet; quæ paucorum ſententia eſt, ut notat Anacl. n. 83., Navarro, & aliis repugnantibus.

In Synodo Trid. illud *anathema ſit*, pœnam ipſo facto incurrendam mihi declarare videtur. In aliis locis adjuncta verba ſenſum forte prodent; quod ſi rationabile dubium ſit, faciendum, ut oſtendo animad. 3. in cap. 5. hujus lib. 7.

(g) Ait *omnis*. Nam ex cap. *Paſtoralis* ſupra cit. *juriſdictio nullius videretur eſſe momenti*, *ſi coercitionem aliquam non haberet*. Ait *ſolus*; quia poteſtas ferendi cenſuras laicæ poteſtati ex ſupradictis nullo modo competit. Addit *habens in foro externo* &c. quia fori interni Judices, ſeu pœnitentiæ Sacramenti miniſtri, ut tales, hujuſmodi poteſtate carent, ut Eccleſiæ conſuetudo evincit.

Porro ordinariam, *quæ eſt* &c., *poteſque delegari* &c. *habet* 1. *Papa reſpectu totius Eccleſiæ*: adde & Concilia generalia. 2. *Patriarchæ* &c. *eorumque Vicarii generales*.

les. Hos hac poteſtate donari negant Ugolinus, & alii apud La-Croix p. 501. n. 24. Ipſe autem cum Suarezio, Sanch., Garz., Gutt., Gbrd. &c. affirmat; quod ex cap. *Romana* 5., *& Venerabilibus* 7. tit. XI. lib. 5. in 6 ſatis aperte colligitur.

His adde Concilia nationalia, provincialia, & diœceſana: item Capitulum Sede vacante, ejuſque Vicarium. Legati quoque Apoſtolici in ſuæ legationis finibus, & Cardinales in Eccleſiis ſui tituli hoc jure fruuntur. Nat. Alex. Th. t. 5. p. 508. in calce art. 3., Concina Th. t. 10 p. 416. n. 4. Anacl. t. 5. p. 320. n. 7.,

Porro cum Buſ. ait *Patriarchæ* &c., evidens eſt, eum eſſe intelligendum de illis, qui Clerum, & Populum ſibi ſubditum habent, non de iis, qui ſolo titulo tales ſunt.

Delegatam habent &c., ut ſi ſit delegatus Papæ.

Hanc poteſtatem ex Apoſtolicæ Sedis privilegio delegatis Papæ competere, affirmat quoque Concina Th. t. 10. p. 417. n. 6., & aperte colligitur ex cap. 3. 6. 7. t. 14. lib. 1. in 6.

(h) *Etſi ſubditi extra ſuam diœceſim, vel in loco &c. delinquentes &c. non incurrunt cenſuram*. Ratio eſt, quia extra diœceſim dum morantur, ſui Epiſcopi legi non ſubſunt, ut oſtenſum eſt animad. 4. in cap. 2. tract. 2. lib. 5. ergo contra eam agentes, contra legem non peccant: ergo cenſuram non incurrunt. Idem videtur dicendum, ſi in loco exempto ſint, ex. g. Si Sacerdotes contra ſuſpenſionem ſui Epiſcopi ipſo facto incurrendam, ſine talari veſte Miſſam celebrent in Eccleſia Regularium, quia locus exemptus, Epiſcopi juriſdictioni non ſubeſt, & perinde ſe habere videtur, ac locus extra diœceſim; idemque in eum illud Bonif. 8. cap. 2. t. 2. lib. 1. in 6. cadit. *Statuta Epiſcopi, quo in omnes, qui furtum commiſerint, excommunicationis ſententia promulgatur, ſubditi ejus, furtum extra ipſius diœceſim committentes minime ligari noſcuntur; cum extra territorium jus dicenti non pareatur impune*. Locus exemptus quoad jus eſt extra diœceſim, & territorium Epiſcopi. Pro hac ſententia La-Croix p. 102. n. 45. multos appellat, nec in controverſiam eam vocat.

Superior tamen &c. cenſuris innodare. Id intellige etiam de Superiore non regulari, puta Epiſcopo. Ratio eſt, quia ſententia particularis loco non adhæret, ut generale ſtatutum, ſed perſonam ipſam afficit. Hinc ſententiæ carceris, exilii, capitis contra reos, ubicumque ſint, feruntur. Hanc ſententiam probat ipſe La-Croix d. 102. n. 31. 43., eamque communiorem, & probabiliorem dicit Concina Th. t. 10. p. 421. n. 9. Ita quoque ſentit Natalis Th. t. 5. p. 510. a. 6. n. 3. *Alioquin*, ait Concina, *delicta impunita manerent .... cum ipſe reus non poſſet ab Epiſcopo alieno, in cujus territorio non peccavit, puniri*. Neque vero particularis ſententia alienam perturbat juriſdictionem, cum ſine ulla exteriori coactione feratur, & ex ſe vim habeat.

(i) *Solus Papa non poteſt incurrere cenſuram, quia &c.* Hoc intellige, dum a fide non deficiat; qua de re conſule Melchiorem Canum de locis lib. 6. cap. 8. ad undecimum p. 209. 210.

Marcellini hiſtoriam de ejus lapſu in Idololatriam, & criminis confeſſione in Sinueſſana Synodo, hujuſque dicto *Tuo te ore, non noſtro judicio judica*, quæ in Rom. quoque Breviario die 26 Aprilis habetur, fictitiam, & ſuppoſititiam eſſe vincit, & vindicat Natalis Alex. Hiſt. eccl. t. 3. diſſ. 20. in ſæc. III. p. 795., & Romanæ adnotatio in hunc locum confitetur. Conſulatur quoque Concina Th. t. 10. p. 430. n. 19.

(k) *Etſi ob peccatum veniale interdum ferri poſſit levis ſuſpenſio, vel leve interdictum*. Intellige interdictum particulare perſonæ; ut merito habet Concina Th. t. 10. p. 423. n. 3.

Excommunicatio tamen major (nam minor infligitur ob civilem communicationem cum excommunicato vitando, quæ, ſi abſit contemptus, venialis ſolum culpa eſt,) *ſuſpenſio &c. & interdictum &c. non poteſt &c., quia alioquin &c.* Recte; eodemque modo loquitur Concina loco mox cit., qui ſubdit: " quæ ergo excuſant
„ a commiſſione letalis culpæ, excuſant quoque ab incurrenda cenſura."

Illud, *quicquid ſit de generali*, indicat, ut opinor, illud reos etiam culpæ venialis, ipſoſque innocentes (quod durum videri non immerito poteſt) complecti, non autem ſine mortali culpa infligi poſſe. Vide animad. 6. in cap. 3. lib. 7. *Imo, cum ſint pœnæ medicinales &c. ut cenſuræ contemnantur*. Sanum monitum. *Ut monet Trid.* ſeſſ. 25. cap. 3. de ref. ubi ait. *Quamvis excommunicationis gladius, nervus ſit eccleſiaſticæ diſciplinæ, & ad continendos in officio populos valde ſalutaris; ſobrie tamen magnaque circumſpectione exercendus eſt; cum experientia doceat, ſi temere, aut levibus ex rebus incutiatur, magis contemni, quam formidari, & perniciem potius parere, quam ſalutem*.

(l) *Hinc excommunicationem homicidæ non incurris favens &c. nec vulnerans &c. niſi mors ſequatur*. Hæc ſententia, inquit Concina Th. t. 10. p. 425. n. 8. communis eſt, & ea ratione a Buſ. allata, *quia pœnæ &c.* ſponte ſua oritur. At inquis, *agentes, & conſentientes pari pœna puniuntur*. Reſp. Si Eccleſia id velit, concedo; ſecus nego. In noſtra autem ſpecie id non vult; quia pœnas in conſentientes ſeipſa non infert. Agentes, & conſentientes pari pœna puniri poſſunt, non tamen neceſſe eſt, ut puniantur.

Item quando excommunicatur mandans &c. aliis tutius &c. quæ ſententia in praxi eſt tutior. Hoc eſt utique tuta; ideoque abſolutio ſaltem ad cautelam neceſſario impetranda eſt.

(m) *Ignorantia invincibilis*. Recte, ut v. g. ſi neſcias &c. *eſſe Clericum*. De hoc exemplo vide animad. 16. in cap. 2. lib. 7.

Sive juris, ut ſi ſcias eſſe Clericum &c. neſcias tamen percuſſionem ſub excommunicatione prohibitam eſſe. Sed hic animadverte, hinc juris, quod vulgo notiſſimum eſt, ignorantiam ægre invincibilem dici poſſe. Si tamen ignorantia Eccleſiæ prohibitionis ſeipſa ſit invincibilis, a pœna excuſat ex ratione a Buſ. allata. Ac quid ſi prohibitio Eccleſiæ nota ſit, cenſura tamen ſit invincibiliter ignota? Reſp. Natalis Alex. Th. t. 7. p. 521. a. 7. ait: „ qui ſcit, aliquod delictum prohibitum
„ eſſe jure naturæ, vel divino, ſed ab Eccleſia prohibitum eſſe neſcit, (de ignorantia invincibili loquitur) aut certe ſub cenſura prohibitum ignorat, non
„ incurrit in cenſuras ab Eccleſia latas contra patrantes hujuſmodi delictum. " Id plurimi docent, ait Concina Th. t. 10. p. 433. n. 4 Ratio eorum eſt, quia ad cenſuram contrahendam, neceſſaria eſt contumacia, quam præcedere admonitio debet, pæne enim cenſura differt ab aliis pœnis latis ſive a foro civili, ſive a foro Eccleſiaſtico, quæ contrahuntur, etiamſi ignorentur, quando nota lex eſt. Ita Concina. Hanc ſententiam Nat. confirmat ex cap. *animarum* de cenſ. in 6. ubi dicitur. *Ut animarum periculis obvietur, ſententiis per ſtatuta quorumcumque ordinariorum prolatis ligari nolumus ignorantes, dum tamen eorum ignorantia craſſa non fuerit, aut affectata*. Sed ex hoc eodem cap. ut monet Concina p. 434. n. 5. plures, & graves Theologi contrarium colligunt, ſi de univerſali Eccleſiæ lege ſermo ſit; (adeo varia ſunt hominum capita!) quia gloſſa v. *ſtatuta* ſubdit: *De generalibus ergo ſtatutis canonum, vel legum non loquitur, quæ ab omnibus ſciri, & cuſtodiri debeat*. At quæſo, nonne etiam peculiaria ſtatuta a ſubditis cuſtodienda, ideoque ſcienda ſunt? An omnibus cenſuræ generalium ſtatutorum, quæ ſunt prope innumeræ, & legum peritis omnes vix notæ, neceſſario omnes innoteſcere debent? An animaa in pericula ſalutis non conjiciunt, ſi ignoratæ abſque culpa, nihilominus ligent conſcientias? At Pontifex ignoratas ſine crimine cenſuras ligare non vult, ut animarum periculis obviam eatur. Ergo intelligendum eſt etiam de generalium ſtatutorum cenſuris. Demum generalia ſtatuta ab Ordinariis (nam ipſe Summus Pontifex ordinarius eſt) proficiſcuntur. At cit. caput ait *quorumcumque Ordinariorum*, nec excipit Ordinariorum caput. Ergo de eo quoque accipiendum eſt. Si tamen dubitetur, utrum ignorantia cenſuræ ſit, necne invincibilis, abſolutio petenda eſt. Quanquam ſi cenſura non ſit reſervata, a quocumque pœnitentiæ legitimo miniſtro impertiri poteſt, ut ex animad. 21. in cap. 3. lib. 7. intelligitur.

(n) *Non incurritur cenſura &c. quia abeſt contumacia*. Omnia recte. Legat, qui velit, Concinam Th. t. 10. p. 422 423. n. 5. Nat. Alexandrum Th. t. 5. p. 509. a. 4. n. 4. Anacletum t. 5. juris can. p. 320. n. 11. 12. *Nec refert &c. Sed ſimplex tantum pœna*. De Religionibus viderint Religioſi.

(o) Recte. Legi poteſt Concina Th. t. 10. p. 434. n. 7. & Nat. Alex. Th. t. 1. p. 511. a. 7. n. 7.

(p) *Cenſura invalida eſt &c. vel ſuſpenſam per legitimam appellationem*. Hoc intellige, ſi cenſura lata ſit ſub conditione. Nam ſi ſit abſoluta, appellatione non ſuſpenditur, ut habet Anacl. t. 5. juris can. p. 332. n. 36. & Nat. Alex. Th. t. 1. p. 510. a. 6. n. 5. ubi etiam docet, nullam eſſe cenſuram latam a Judice, quem reus ſervato juris ordine ex legitima cauſa recuſavit: item ſi a Judice in cauſa propria feratur, niſi defenſionis neceſſitas id poſtulet.

(q) Legi etiam poteſt Nat. Alex. a 5. cit. Anacl. t. 5. juris can. p. 352. n. 37. & ſeq. & cap. *Cum medicinalis* I. t. 11. l. 5. in 6. ubi explicate habetur, quod Buſ. ait. 2. 3. 4. Monitio ad cenſuræ valorem neceſſaria eſt ex dictis ad ca. 5. & ex communi ſententia, ut ait Concina p. 419. n. 6. aliæ ſolemnitates ſunt ſolum præceptæ.

(r) *A cenſura &c. vel ſucceſſor*. „ Quamobrem, inquit Nat. Alex. Th. t. 1. p. 512. a. 7. n. 1. & Capitulum Sede vacante abſolvere poteſt a cenſuris ab
„ Epiſcopo latis; quia Epiſcopali juriſdictioni ſuccedit,
„ ut

„ ut conſtat ex cap. *Si Epiſcopus* tit. *de ſupplenda negligentia Prælatorum*; quæ regula non ſolum in ordinariis Paſtoribus locum habet, ſed etiam in delegatis, quando uno delegato mortuo, alter loco illius „ in eadem cauſa, & cum eadem poteſtate mittitur; „ vel delegatio non eſt facta Perſonæ, ſed dignitati; v. „ g. officiali Pariſienſi, ut colligitur ex cap. *Paſtoralis* „ extra de offi. Jud. ord. §. *præterea*.

(ſ) a. *Poſſunt etiam abſolvere* &c. *propter impedimentum* &c. Hac de re vide animad. 17. in cap. a. h. lib. 7.

(t) Legatur animad. 25. in cap. 2. tract. 4. lib. 6. Ratio doctrinæ a Buſ. traditæ peti poteſt ex verbis ipſius Bullæ, ubi dicitur: *quod a prædictis ſententiis nullus per alium, quam per Rom. Pontificem ... abſolvi poſſit etiam prætextu quarumvis facultatum & indultorum quibuſcumque Perſonis* &c. *per nos, & dictam Sedem* &c. *in genere, vel in ſpecie conceſſorum, innovatorum, aut concedendorum, & innovandorum*. Ait non *ſolum conceſſorum* &c. *ſed etiam concedendorum*: hinc Bened. XIV. conſt. *Benedictus Deus* anno 1751. a. Jan. facultatem abſolvendi ab Excommunicationibus dictæ Bullæ pro Jubilæi conſecutione concedere volens, eas explicate nominat *etiam in Bulla die cœnæ Domini legi ſolita*; idemque præſtat Conſt. *Convocatis* 1749. 7. Kal. Decembris, *in Bulla cœnæ reſervatis*.

(u) *Abſolvi a cenſura poteſt abſens, & invitus*. Hac in re omnes conveniunt, ut ait Nat. Th. t. 1. p. 582. a. 8. n. 3. & Concina Th. t. 10. p. 439. n. 6. Hinc D. Th. ſuppl. q. 24. a. 2. *Sicut peccata non committuntur, niſi voluntate, ita non remittuntur alicui invito. Sed excommunicatio ſicut in aliquem invitum ferri poteſt, ita etiam invitus ab ea abſolvi poterit*. Et ad 2. loquens de eo, *qui non vult abſolvi, excommunicationem contemnens* ait, *quod etiam manente contumacia poteſt aliquis diſcrete excommunicationem juſte latam remittere, ſi videat ſaluti illius expedire, in cujus medicinam excommunicatio lata eſt*.

(x) *Is qui pluribus* &c. *poteſt abſolvi ab una, relictis aliis; quia* &c. Eſt doctrina D. Th. a. 3. q. 24. ubi tamen addit. *Sed circa hoc ſciendum eſt, quod aliquis quandoque eſt excommunicatus pluribus excommunicationibus ab uno Judice; & tunc quando abſolvitur ab una, intelligitur ab omnibus abſolvi, niſi contrarium exprimatur, vel niſi, cum quis abſolutionem impetrat de una tantum cauſa excommunicationis, cum tamen pluribus excommunicatus ſit*.

Quandoque autem eſt excommunicatus a diverſis Judicibus; & tunc abſolutus ab una excommunicatione, non propter hoc eſt abſolutus ab altera niſi omnes alii ad petitionem ejus, abſolutionem ipſius confirmaverint, vel niſi omnes demandent ant abſolutionem.

Cum dicitur *abſolvo te ab omni vinculo* &c. abſolutio valet pro omnibus, ſi abſolvens facultatem habeat abſolvendi ab omnibus; quo ſenſu accipiendum quoque eſt illud corollarium, *ideoque ſi ſic abſolutus in Jubilæo* &c. quæ doctrina communis eſt, de qua Animad. 23. in cap. 2. tract. 4. lib. 6.

(y) Hinc Greg. X. cap. un. t. 20. lib. a. in 6. ait. *Abſolutionis beneficium ab excommunicationis ſententia, vel quamcumque revocationem ipſius, aut ſuſpenſionis, ſeu etiam interdicti per vim, vel metum extorta, præſentis conſtitutionis auctoritate omnino viribus vacuamus. Ne autem ſine vindicta violentiæ creſcat audacia, eos, qui abſolutionem, ſeu revocationem hujuſmodi, vi, vel metu extorſerint, excommunicationis ſententiæ decernimus ſubjacere*.

Inter Buſembau, & Gregorium X. illud diſcrimen eſt, quod Gregorius X. dicat *metum*, *metu* ſine addito, Bul. vero dicat *metu gravi*.

(z) *Abſolutio data ab ordinario* &c. *imo etiam a delegato, modo* &c. „ Affirmant multi, ait Concina Th. „ t. 10. p. 439. n. 5., ſed peccare mortaliter abſolventem ajunt, & reſtitutioni obnoxium eſſe. “

(aa) Eſt multorum opinio teſte Concina p. 438. n. 2.

Animadverſio I.

Advenæ & peregrini .... non ligantur cenſuris locorum .... quia non ſunt ſubditi.

Idem habet Concina Theol. t. 10. p. 422. n. 12. inquiens: „ Qui vero brevi ibidem degunt, non ſubjacent juriſdictioni talis ſuperioris. “ At t. 6. p. 380. q. 6. n. 12. & ſequentibus explicare docuit, peregrinos, & advenas obſtringi legum locorum, per quæ tranſeunt, obſervationi; quod nos auctoritate SS. Ambroſii, & Auguſtini contra Buſemb. evicimus l. a. t. 2. c. 2. dub. 3. Reſp. Hoc etiam oſtendunt rationes a P. Concina loco mox cit. allatæ. Primo quia vitæ tranquillitas, & ordo, ac regiminis recta ratio poſtulat, ut peregrini eorum inſtitutis ſe conforment, in quorum locis morantur. 2. Quia, cum peregrini patriæ legibus, quamdiu ab ea abſunt, non ſubjiciantur, æquum eſt, ut locorum, per quæ tranſeunt, conſtitutionibus ſubdantur. Nam ſi commodum immunitatis a propriis legibus ſentiunt, æquitas poſtulat, ut exterſium legum onus portent: alioquin quoad poſitivas ſpeciales leges eſſent exleges; quod ſane abſonum eſt. 3. Quia peregrini vel ipſis adverſariis fatentibus vectigalia propria locorum, per quæ tranſeunt, aut in quibus exiſtunt, ſolvere tenentur: ergo eorum locorum Principibus, quamdiu in eorum ditione ſunt, ſubduntur. Vectigalium enim impoſitio dominii, eorum vero ſolutio ſubjectionis evidens argumentum eſt, & eff. Apoſt. Ap. Rom. 16. v. 5. ait: *Ideo neceſſitate ſubditi eſtote non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam: ideo enim & tributa præſtatis*. His adde, quod ex Greg. IX. cap. *Licet* ult. § a. l. a. decr. *ratione delicti, ſeu contractus, aut domicilii, ſive rei, de qua contra poſſeſſorem cauſa moveatur, forum regulariter quis ſortitur*: at ſortiri forum, hoc eſt fieri ſubditum, & puniri poſſe a ſuperiore loci, in quo delictum committitur, idem eſt, ac fieri ſubditum alicui ratione loci, in quo delictum committitur: ergo ipſe locus, ubi aliquis etiam obiter exiſtit, illum ſubdit ſuperiori ejuſdem loci. At certum eſt, eos pœnis, & cenſuris legum ligari, qui legibus ſubjiciuntur: ergo advenæ, & peregrini etiam brevi tempore alicubi commorantes ligantur cenſuris locorum generali lege, aut ſententia eorumdem locorum decretis; niſi forte ignorantia eos excuſet.

Præterea Buſembao fatente iis verbis *generali ſententia, aut ſtatuto* &c. & La-Croix p. 501. n. 32. explicate conſentiente, ab Epiſcopo ferri poſſunt leges, quibus peregrini ſpeciatim obligentur, v. g. de non geſtandis armis: ergo certum eſt, peregrinos ratione loci, in quo exiſtunt, fieri ſubditos Epiſcopo ejuſdem loci. Leges enim ferri certe nequeunt, niſi in ſubditos.

Adde, quod ex La-Croixio *illis legibus poterit addi cenſura, & talis peregrinus ratione delicti fiet ſubditus Epiſcopo ſecundum cap. ult. de foro compet*.

At ſi peregrinus delictum admittit, & cenſura merito punitur, dum violat leges pro ſe ſpecifice latas, nemo unquam, qui rem rite expendat, intelliget, eumdem peregrinum non peccare, nec cenſuram incurrere, dum leges loci ſpeciales ſub cenſura aliquid præcipientes, aut vetantes negligit. Quare La-Croix ſibi aperte contradicit, dum cum Buſemb. ſubdit: „ Specialibus præceptis Epiſcopi non tenentur peregrini, „ ut notant Laym., & Kim. n. 1654 & dictum eſt „ l. a. a n. 685. “

At Laym. illud c. ut. t. 39. decr. lib. 5. objicit: *A nobis fuit ex parte tua quæſitum, utrum, ſi quis ita pronuntiaverit*: Quiſquis furtum fecerit, excommunicatus ſit: *hæc generalis clauſula ad ipſius excommunicatoris ſubditos referatur, an generaliter extendatur ad omnes, qui non ſunt de juriſdictione illius? Ad quod dicitur, quod hac ſententia nonniſi ſubditi obligantur, niſi forte plus contulerit major, & largior auctoritas delegantis*.

Hinc Laym. aperte confici putat, peregrinos brevi tempore alicubi commorantes loci cenſuris non eſſe obnoxios.

Reſp. Hic primum animadverte, La-Croix loco cit. fateri, peregrinos eſſe cenſuris obnoxios, ſi ferantur propter delictum communi Eccleſiæ legi contrarium: ergo multo magis, ſi delictum ſic contra Decalogum, uti eſt furtum: at Laym. cenſuræ in furtum latæ, de quo allatum cap. loquitur, peregrinos non ſubjici contendit. Hoc animadverti, ut intelligas, probabiles mutuis ſe telis conficere.

Sed ut Layman occurram, dico ejus concluſionem non eſſe legitimam. Utique cenſura non ligat, niſi ſubditos: hoc dicit textus allatus Clem. III. at ubinam Clem. III. ait, peregrinos, dum in alieni Epiſcopi ditione morantur, non eſſe ejus ſubditos? Imo, cum nos oſtenderimus, advenas, & peregrinos, quamdiu in aliena juriſdictione verſantur, eſſe ſubditos Superioris loci, ex allato cap. jure colligimus, eos ligari cenſuris ejuſdem loci.

Animadverſio II.

Excuſat defectus advertentiæ, & deliberationis, ignorantia invincibilis.

Defectum advertentiæ, & deliberationis, abſolute loquendo, & prout diſtinguitur ab ignorantia invincibili, a mortali peccato excuſare error Pelagianus eſt, alibi in Buſembao exploſus.

Animadverſio III.

Cenſura invalida eſt .... 3. Si a parte rei non ſubſiſtat crimen, etſi juridice probetur.

Hanc

Digitized by Google

Hanc ſententiam probabiliorem habet quoque La-Croix p. 104. n. 84. at contra ſtare S. Thom., Gloſſ., Dur., Cord., & pleroſque Scholaſticos, omnes effectus cenſuræ illi adſcribentes, fatetur. Item ex Bonac., licet eum Buſemb. ſentiat t. 3. p. 352. Juriſperiti communiter affirmant, eſſe validam; quibus accedit P. Concina Theol. t. 10. p. 436. n. 11.

S. Thom. Suppl. qu. 21. art. 4 hanc ſententiam veram ponit, dum inquit: *Contingit autem quandoque, quod ſit debita cauſa ex parte excommunicantis, quæ non eſt debita ex parte excommunicati; ſicut cum aliquis pro falſo crimine in judicio probato excommunicatur; & tunc ſi humiliter ſuſtinet, humilitatis meritum recompenſat excommunicationis damnum.* Si talis excommunicatio eſſet invalida, damnum non afferret: ſed ex D. Thoma damnum affert: ergo ex D. Thoma eſt valida. Id vero S. Doct. confirmat auctoritate S. Gregorii, (hom. 26. in Evang.) *Sententia Paſtoris ſive juſta, ſive injuſta timenda eſt.* Hoc dictum La Croix Gratiani eſſe ait, & a S. Doct. fuiſſe S. Gregorio attributum. At S. Doct. non falſo, ſed vere illud attribuit S. Gregorio, qui cit. hom. 26. ait: *Sed utrum juſte, an injuſte obliget Paſtor, Paſtoris tamen ſententia gregi timenda eſt, ne is, qui ſubeſt, & cum injuſte forſitan ligatur, ipſam obligationis ſuæ ſententiam ex alia culpa mereatur.*

Acredit S. Raym l. 3. § 33. apud Natal Theol. t. 1. p. 525. reg. 37. qui ait: *Teneas ergo circa ſententiam excommunicationis indubitanter,* (nota hic *indubitanter*) *quod ſive ſit injuſta ex animo, ſive ex cauſa, ſive ex ordine, ſive ex animo, cauſa, & ordine ſimul, tenet, & ligat quantum ad Eccleſiam militantem, dum tamen ſit lata ab illo Judice, qui habebat ſuper hoc canonicam juriſdictionem; quod probatur aperte cauſ. 11. q. 3 can. Si Epiſcopus. Fallit in duobus caſibus: unus eſt, quando eſt lata poſt appellationem legitimam, alius quando continet errorem intolerabilem.* Poſt ſubdit: *Excommunicato autem injuſte eſt conſulendum, ut ſuſtineat excommunicationem patienter, humiliter, ac devote, & præſentet ſe excommunicatori, offerens canonicam ſatisfactionem, ſi in aliquo offendit, & ſic inſtanter poſtulet abſolvi. Si ita fecerit, erit ei ad meritum; alias, ſi contemneret, peccaret mortaliter.* Excommunicatio injuſta ex cauſa, hoc eſt ex criminis deficientia juxta S. Raym ligat, & tenet, patienter ſuſtinenda eſt, ejus abſolutio petenda eſt: ergo valida eſt: cenſura enim invalida nec ligat, nec damnum, quod patienter ſuſtinendum ſit, affert, nec abſolutione indiget, ſed ſolum nullitatis declaratione. Tandem excommunicatio reipſa nulla, pro nihilo merito habetur, & ſine ulla culpa contemnitur: at juxta S. Raym. mortaliter peccat, qui excommunicationem ex cauſa, hoc eſt quia crimen, propter quod lata eſt, non fuit admiſſum, injuſtam contemnit: ergo eſt valida. Sanctorum Thomæ, & Raym. ſacrorum canonum peritiſſimi auctoritas penes cordatos viros maximi certe momenti eſt, a qua ſine graviſſimis rationibus recedere ſani conſilii non eſt.

Adde canonem a S. Raym. citatum, qui loquens de Presbytero, aut Diacono, quem Epiſcopus *aut juſte, aut injuſte* per ſententiam excommunicationis ab Eccleſia *abjecit*, cauſa ad finitimos Epiſcopos per appellationem delata, ſubdit: *Tamen, priuſquam omnia diligenter, & fideliter examinentur, eum, qui fuerit a communione ſeparatus, ante cognitionem nullus alius debet præſumere, ut communioni ſociet.* His verbis pro certo fundamento canon habet, Presbyterum, ſeu Diaconum, contra quem ſententia ſeu juſte, ſeu injuſte lata eſt, a communione fuiſſe revera ſeparatum, & abſolutione indigere, ut communioni ſocietur. In eumdem ſenſum loquitur Innoc. III. cap. *A nobis* 28. t. 39. l. 5. decr. ubi ait: *Reſpondemus, quod judicium Dei, veritati, quæ non fallit, nec fallitur, ſemper innititur: judicium autem Eccleſiæ, nonnumquam opinionem ſequitur, quam & fallere ſæpe contingit, & falli: propter quod contingit interdum, ut qui ligatus eſt apud Deum, apud Eccleſiam ſit ſolutus, & qui liber eſt apud Deum, eccleſiaſtica ſit innodatus ſententia. Vinculum ergo, quo peccator ligatus eſt apud Deum, in culpæ remiſſione diſſolvitur: illud autem, quo ligatus eſt apud Eccleſiam, cum ſententia remittitur, relaxatur.* Quare qui liber eſt apud Deum, hic eſt innocens, eccleſiaſtica aliquando ſententia innodatur, cujus vinculo ut ſolvatur, remiſſione ſententiæ opus eſt. Ex his ſacrorum canonum textibus, ſanctorum Ambroſii, Thomæ Aquinatis, Raymundi auctoritate, majoris partis Scholaſticorum, & Juriſperitorum ſententia efficaciter oſtenditur, cenſuram eccleſiaſticam ſervato juris ordine inflictam, validam eſſe, etiamſi crimen, cujus cauſa infligitur, reipſa admiſſum non fuerit.

Et ſane ſententia juſta neceſſe eſt ut ſit valida: at ſententia, quæ ſervato juris ordine fertur ſecundum allegata, & probata, juſta eſt: ergo eſt valida.

La-Croixius ita contra ratiocinatur: „ Voluntas tacita ferentis cenſuram debet eſſe, ut tum tantum „ vim habeat, quando cauſa revera juſta eſt, cum lex „ ſit actus juſtitiæ: ergo ſi non ſit reipſa juſta, non „ ligat in conſcientia; ſed uti cauſa eſt tantum apparens, ita & cenſura erit tantum apparens. “

Reſp. Valde abſurdum eſt, & ridiculum putare, voluntatem ferentis cenſuram aliam eſſe ab ipſa ſententia perſpicuis verbis concepta. An etiam Judices, & ſacri Judices, dum pro tribunali ſententiam ferunt, aliud verbis proferunt, aliud animo habent? An ne ab ipſis quidem ſacris judiciis reſtrictiones mentales, & fallaciæ abſunt? Hoc certe commento nihil abſurdius cogitari potuit; quod tamen La-Croixio in mentem venit, qui putat, ſententiam Judicis cenſuram ferentis verbis abſolute conceptam, animo, & voluntate eſſe conditionatam. Omnes, multoque magis ſacri Judices nihil aliud velle debent, niſi quod reipſa juſtum eſt, ideoque omnem diligentiam adhibere tenentur, ut quod reipſa tale eſt, judicent: an idcirco velle debent, ut ſua ipſorum judicia non valeant, ſi forte opinione ducti fallantur? An eorum judicia ſub conditione tantum valent, cum ſint abſoluta? Cenſuræ inſontibus juxta allegata, & probata inflictæ, licet materialiter, ſeu quoad rem ipſam juſtæ non ſint, ſunt tamen juſtæ quoad formam judicii, & legum vim; ideoque validæ. Hinc falſum eſt, quod ait Bonac. loco cit. ſententiam Judicis ſæcularis materialiter injuſtam non obligare. Eo enim ipſo, quod juxta legum, & juris ordinem lata eſt, obligat. Item quod ait, neminem majori cenſura ligari, niſi propter peccatum mortale, verum eſt, ſi ſermo ſit de cenſura lata a lege, quia ita lex præcipit; at falſum eſt, ſi ſermo ſit de cenſura lata ab homine.

Hinc porro efficitur, ut Clericus tali cenſura innodatus celebrans, contra ac aſſerit La-Croix, irregularis fiat: quia ſcilicet cenſuram validam celebrando violat.

„ Saltem, inquies cum eodem La-Croixio, recte docent Nav., Valer., & Pignat. t. 10. con. 122. n. 2. „ ſic excommunicatum apud Deum non privari ſuffragiis Eccleſiæ. “

At ſi excommunicatio, de qua ſermo eſt, valida eſt quoad alios effectus, cur invalida dici poteſt quoad privationem ſuffragiorum Eccleſiæ? La-Croix hujus aſſertionis nullam affert rationem: ego vero recentibus probabiliſtis ſine ratione affirmantibus fidem non habeo, nec habendam exiſtimo. Si excommunicatus ab omni civili, & ſacra communione excluditur, ſatis intelligitur, eum non eſſe participem effectus ejuſdem ſacræ communionis, hoc eſt ſuffragiorum Eccleſiæ. An noſtra excommunicatio partim valida eſt, partim invalida? Damnum quidem magnum eſt, & grave Eccleſiæ ſuffragiis privari; at majus, & gravius, omni Sacramentorum uſu arceri. Quod ſi huic damno injuſte excommunicatus ſubjicitur, non intelligitur, cur a minori immunis ſit.

Animadverſio IV.

Epiſcopi ſecundum Tridentinum . . . . . poſſunt abſolvere &c.

Hac de re ſatis dictum eſt l. 6. tr. 4. c. 2. dub. 4. reſp. 3. *Dicitur* 2. Ex iis autem, quæ ibi dicta ſunt, verum puto, quod teſte P. Concina Theol. t. 1. p. 444. n. 9. P. Viva refert ex Toleto, Ugolino, Guttierez, & aliis apud Sanchez, S. Pium V., Gregorium XIII., Clementem VIII. declaraſſe, non poſſe amplius Epiſcopos uti ea facultate a Tridentino conceſſa; & contrariam La-Croix p. 108. num. 138. opinionem rejicio. Hac de re conſuli etiam poteſt Benedictus XIV. lib. IX. de Syn. Diœc. cap. IV. n. IX. X., ubi idem confirmat.

Animadverſio V.

Multi Religioſi . . . . poſſunt ex privilegiis . . . . a variis cenſuris abſolvere &c.

Pii, deſtique Regulares, ne abſolutionem fruſtrationis periculo cum magno ſui, ſuorumque pœnitentium damno objiciant, privilegiis non utentur, niſi ſint certo conceſſa, & in bullis Pontificum extantia, nec revocata.

Animadverſio VI.

Qui habet poteſtatem abſolvendi a cenſuris bullæ Cœnæ, habet etiam a quibuſvis papalibus &c.

Bened. XIV. epiſt. encyclica ad minores Pœnitentiarios, & Confeſſarios Romæ pro anno Iub. 1750. ita n. 85. loquitur. „ Ma perchè nelle facoltà date ai Confeſſori deputati dal Card. Vicario ſpecialmente per l' „ anno ſanto al §. 36. ſi è data un'ampla facoltà di „ aſſolvere dalle cenſure riſervate *in Bulla Cœnæ*, e „ da queſta ampla facoltà taluno ha preteſo poterſi de„ durre anche la facoltà d' aſſolvere dall'ereſia eſtrinſecata,

„ ſecata, di cui ſi fa menzione nella detta Bolle *in* „ *Cœna Domini*; abbiamo creduto oppottuno il dichia„ rare, come dichiariamo nel § 53. non eſſere ciò ſuſ„ ſiſtente; dovendo tal ſacoltà eſſer eſpreſſamente no„ minata, nè mai potendo pretenderſi conceduta in „ vigore di qualunque ampiezza di parole, come fu „ ſtabilito dal noſtro Prædeceſſore Aleſſ. VII. in un „ decreto, che fece in una Congreg. del ſant' Officio „ tenuta avanti di lor. " *Sanctiſſimus Dominus noſter Alex. Papa VII. ſub die 23. Martii 1656. inhærendo declarationibus alias a prædeceſſoribus ſuis factis, ad removendam omnem dubitandi occaſionem, & ne circa id in poſterum ullo tempore hæſitari contingat, cum crimen hæreſis præ ceteris graviſſimum ſpeciali nota dignum ſit, decrevit, facultatem abſolvendi ab hæreſi in Jubilæis, vel aliis ſimilibus conceſſionibus non cenſeri comprehenſam, niſi expreſſis verbis concedatur facultas abſolvendi ab hæreſi.*

Prætercs animadvertendum eſt, in poteſtate conceſſa abſolvendi a cenſuris, & reſervatis non habere locum argumentationem a majori ad minus; quia, licet ſummus Pontifex concedens facultatem abſolvendi a majoribus cenſuris, uti ſunt quæ in Bulla Cœnæ continentur, ſoleat eam extendere etiam ad minores, & ad caſus Epiſcopis reſervatos, contrarium tamen fieri poteſt; vel quia neceſſitas extenſionem non poſtulet, vel quia eorum pontificiam poteſtatem delegare, æquum non putat, vel demum quia Epiſcoporum juriſdictionem intactam relinquere, congruum judicat. Quare in hujuſmodi conceſſionibus verborum tenor tenendus eſt, non per argomentationem amplificandus, ne error facile obrepat. Hinc ab Alex. VII. proſcripta eſt hæc propoſitio n. 12. *Mendicantes poſſunt abſolvere a caſibus Epiſcopis reſervatis, non obtenta ad id Epiſcoporum facultate*: item n. 4. *Prælati regulares poſſunt in foro conſcientiæ abſolvere quoſcumque ſæculares ab hæreſi occulta, & ab excommunicatione propter eam incurſa.*

Animadversio VII.

Poſſunt Regulares .... etiam abſolvere duello certantes &c.

Excipe tamen caſus Bullæ Cœnæ, ut patet ex verbis ipſius Bullæ relatis l. 6. t. 4. c. 2. dub. 4. reſp. 3. quæ ſunt perſpicua, & omnem tollunt dubitationem.

Animadversio VIII.

Porro abſolutio data bona fide confitenti in Jubilæo cum intentione lucrandi illud, etſi poſtea vel ſua negligentia, vel propter aliud impedimentum non lucretur, eſt valida, tollitque cenſuram; ſecus ſi ab initio &c.

Hanc eſſe ſummorum Pontificum mentem, declarat Bened. XIV. conſtit. *Convocatis* anni 1749. 7. Kaland. Decemb. n. 38. & 54.

Animadversio IX.

Probabilius eſt, eum qui habet poteſtatem abſolvendi in foro conſcientiæ a cenſura, poſſe id facere etiam extra confeſſionem.

„ Imo, inquit La-Croix p. 110. num. 161. abſolutio„ nem a cenſura fieri poſſe pro foro interno extraconfeſſionem, etiamſi Bulla habeat, *auditis confeſſionibus* „ docent Scoch. de metrim. l. 8. d. 34. &c. Sed probabilius contredicunt Nav., Suar., Velq., Vill., Viva „ de Jub. qu. 10. ar. 3. quia quando hoc additur, per „ abſolutionem a cenſuris intenditur eodem tempore „ abſolutio a peccatis. "

At etiamſi Bulla non habeat illam clauſulam *auditis confeſſionibus*, abſolutio a cenſuris extra confeſſionem impendi non poteſt. Nam Bened. XIV. conſtit. cit. *Convocatis* n. 25. ait: *Advertant inſuper, ſupradictas abſolutiones, commutationes, diſpenſationes non poſſe a ſe exerceri extra actum ſacramentalis confeſſionis.*

Hoc vero ſummus Pontifex præcepit, & decrevit *eſſendoci*, ut ipſe ait in cit. epiſt. encycl. in fi. n. 63. *ſembrato ciò doveroſo, e proporzionato alla gravità della materia, ed alla qualità del miniſtero, e che tronca ogni litigio, ed a. . . conforme alla pratica della noſtra Penitenziaria. . . . può vederſi nel Teſauro*, de pœnis eccl. p. 1. cap. 24.

Caput II.

De Excommunicatione.

Dubium I.

Quid ſit, & quotuplex.

Reſp. Excommunicatio eſt cenſura, per quam quis privatur communione Eccleſiæ. Eſtque duplex; (*a*) minor, quæ tantum privat uſu paſſivo, ſeu receptione ſacramentorum; & major, quæ etiam dicitur anathema, ac in jure fere ſemper nomine excommunicationis intelligitur, privatque omni communione eccleſiaſtica, ſecundum dicenda. Per hanc majorem excommunicatus rurſus eſt duplex; toleratus, quem fideles non tenentur vitare: non toleratus, quem tenentur vitare. *Et quidem* Animad. I.
poſt Concilium Conſtantienſe, non tolerati ſunt hi tantum, 1. Notorius Clerici percuſſor, de quo infra, 2. Quivis nominatim excommunicatus, & ſpecialiter, publice denunciatus.

Unde reſolves.

1. *In Germania Catholici ſecure communicant cum* Animad. II.
iis, qui notorie ſunt hæretici, & conſequenter excommunicati, ac publice denunciati.

2. Non teneris vitare eum, quem ſcis peccaſſe contra legem, per quem illi, etiam in particulari, ſub pœna excommunicationis aliquid eſt vetitum, vel præceptum; quia requiritur, ut per ſententiam expreſſam, & ſpecialem, contra perſonam in particulari, poſt peccatum commiſſum, cenſura ſic publicata, v. gr. ut Joannes ſit denunciatus excommunicatus, vel ſaltem ita exprimatur perſona, ut non liceat de ea dubitare, v. gr. excommunicamus talis loci Decanum, Pectorem.

3. Licet dicatur, *Excommunicamus Petrum*, verbi gratia, *incendiarium, & ejus complices*, ſolus Petrus vitandus eſt, non vero alii, etſi ſunt notorii: quia ſententia quoad illos eſt tantum generalis, & non ſpecialis contra certam perſonam.

4. Non teneris vitare eum, qui privatim in conclavi eſt denunciatus, quia id non eſt factum publice; ad hoc enim requiritur, ut ſententia legatur, vel affigatur aliquo loco celebri, v. gr. in templo tempore concionis, vel aliter, pro more regionis. (*b*)

Dubium II.

Ob quam cauſam incurratur, & quem effectum habeat excommunicatio minor?

Reſp. Incurritur ob unicam tantum cauſam, ſi quis nimirum cum excommunicato majore excommunicatione communicet iis caſibus, quibus non li- Animad. III.
cet. *Effectus ejus eſt privatio ſacramentorum perceptionis*. V. Laym. *l.* c. t. 5. *p.* 2. *c.* 3.

Unde reſolves.

1. Cum jura dicunt, communicantem cum excommunicato incurrere ſimilem excommunicationem, ſenſus eſt, quod ſimiliter, ideſt, vere excommunicetur, licet minore. (*c*)

2. Propter communicationem cum excommunicato minore excommunicatione, etiam nominatim denunciato, nulla incurritur cenſura.

3. *Etſi excommunicatus minore excommunicatione,* Animad. IV.
recipiendo aliquod ſacramentum, non incurrit irregularitatem, graviter tamen peccet; *adminiſtrando vero, probabile eſt nec venialiter peccare.*

4. Incurritur hæc cenſura, etſi quis propter levitatem materiæ tantum venialiter peccet, verb. gratia confabulando nominatim excommunicato, quando non licet: *ſecus, ſi ſit veniale propter imperfe-* Animad. V.
ctum uſum rationis, quia pœna infligitur propter actum, qui, quantum eſt ex ſe, ſufficit ad mortale.

5. Etſi peccatum veniale poſſit omitti in confeſſione, non tamen illud, cui hæc cenſura eſt annexa; ne Sacramentum in ea recipiatur. Unde etiam Confeſſarii ordinarie prius abſolvunt fideles ab omni vinculo excommunicationis, etiam minoris, deinde a peccatis.

6. Ab hac excommunicatione lata a jure abſolvare poteſt Parochus, & quiſquis poteſt a mortali-
Animad. VI. bus: cum non ſit reſervata. *An vero qui poteſt abſolvere a veniali habente annexam hanc excommunicationem, poſſit etiam ab ipſa, quidam affirmant, ut Navar. & Tolet. & alii probabilius negant, ut Suar. & Con.* quia, ſicut hæc abſolutio eſt diſtincta a ſacramentali, ita etiam ad eam requiritur diſtincta juriſdictio, quæ nuſquam conceditur omnibus Sacerdotibus. V. Laym. *l.* 1. *t.* 2. *p.* 2. *r.* 3.

DUBIUM III.

Quos effectus habeat excommunicatio major?

Reſp. Habet duplices, mediatos, & immediatos, Mediati, ſive remoti ſunt hi.

1. Irregularitas, quam excommunicatus incurrit, exercendo actum alicujus Ordinis.

2. Si excommunicatus toto anno in excommunicatione contumaciter perſiſtat; &, ut jura loquuntur, inſordeſcat, fit ſuſpectus de hæreſi, & contra eum, ut talem, procedi poteſt, ex Trid. *ſeſſ.* 25. *c.* 3. ideoque, ſi crimen grave, & beneficii privatione dignum commiſit, privandus eſt beneficio; imo, etſi crimen non ſit adeo grave, ſi tamen ad hæreſis ſuſpicionem purgandam citetur, tamquam hæreticus privari debet, Bon. *d.* 2. *q.* 2. *p. ult.* ex Reb. Dian. Nav. & cet. (*d*)

Immediati effectus ſunt ſequentes.

1. Privat ſuſceptione, & uſu paſſivo ſacramentorum; unde nullus excommunicatus, ſive toleratus, ſive non, poteſt ea licita recipere ſub mortali, niſi excuſet ignorantia invincibilis, metus mortis, infamiæ, jacturæ bonorum, &c. quia cenſura non obligat cum tanto rigore. Laym. *l.* 1. *t.* 5. *p.* 2. *c.* 2.

Dixi, licite; quia valide ſuſcipit omnia, ſaltem quoad ſubſtantiam, præter pœnitentiam (*e*); imo etiam hoc, ſi adſit ignorantia inculpabilis, dummodo cetera ad eſſentiam Sacramenti requiſita non deſint, quia per cenſuram non fit incapax abſolutionis, etſi prohibeatur eam recipere, priuſquam abſolvatus a cenſura. Bon. *d.* 2. *q.* 2. *p.* 2. ex Filliuc. Suar. Con. &c. Nec obſtare, etiamſi excommunicatio ſit reſervata, vel Confeſſarius ſciens peccata habere annexam excommunicationem, tamen ex inadvertentia abſolvat, docet Dian. *p.* 3. *t.* 4. *R.* 78. ex Con. Suarez, &c. & *p* 5. *t.* 9. *R.* 53.

Animad. VII. 2. *Privat, ſaltem non toleratos, communibus Eccleſiæ ſuffragiis, orationibus, & fructu Indulgentiæ, non tamen privatis.* Unde non tantum quivis privatus, ſed etiam Sacerdos poteſt, tamquam perſona privata, pro excommunicatis orare, etiam in publicis precibus, & Sacro: imo actionem ſacrificandi, prout pendet a merito privato operantis, offerre, vel ejus in Memento in particulari meminiſſe.

Dixi, tanquam privata: quia ut miniſter Eccleſiæ non poteſt. Hinc irritæ ſunt, & nullæ omnes preces, quas pro excommunicato in perſona Eccleſiæ intercedentis pro ipſo, Deo offert; adeoque privatur omnibus bonis, quæ in gratiam Eccleſiæ Deus conceſſurus fuiſſet.

3. Privat uſu activo Sacramentorum, & adminiſtratione. Quæ tamen excommunicato tolerato, & ad id requiſito, & ſe non ingerenti, quandoque eſt licita; verbi gratia, ſi ſit Paſtor, cujus ſubditi teneantur audire ſacrum, nec ſit alius, qui celebret; imo, ſi etiam non Parochus forte rogetur, & invi-
Animad. VIII. tetur ad celebrandum. *Ac, licet communis doctrina ſit apud Laym. hic c.* 4. *peccare fideles, ſi ſine cauſa neceſſitatis, vel magnæ utilitatis, talem inducant ad Sacramentorum adminiſtrationem, quando alius miniſter haberi poteſt; contrarium tamen eſt probabile ob facultatem conceſſam a Concilio Conſtant. cum talibus communicandi: & hinc nec illum, qui petit a tali Sacramentum, nec ipſummet excommunicatum, ſi conferat, præter ſe ob cenſuram peccare.* Laym. *l. c. n.* 5. ex Soto, & Sanch. *l.* 7. *de matr. d.* 9. *n.* 8. Idem docet Bonac. *d.* 2. *q.* 2. *p.* 2. §. 2. ex Vaſquez, Suar. &c. Non tolerato autem illicita eſt Sacramenti adminiſtratio, præterquam in caſu extremæ neceſſitatis, extra quam valide illud adminiſtrat; præterquam pœnitentiam, quia hæc requirit juriſdictionem, qua ipſe caret. V. Laym. hic *c.* 2. Bonac. *loc. cit.*

4. Privat uſu divinorum officiorum, ita ut excommunicatus non tantum careat eorum fructu, ſed etiam ſub mortali iis nequeat intereſſe, parte notabili, ita ut moraliter cenſeatur cum aliis communicare: niſi excuſet ignorantia, vel neceſſitas vitandi ſcandali, aliave juſta cauſa. Bon. *l. c. p.* 3. §. 1. ex Suar. Fill. &c. Similiter peccant etiam alii, qui cum excommunicato vitando eidem Miſſæ interſunt, ut ex communi docet Bonac. *l. c. n.* 9 contra Durand. quia participant cum illo in divinis. Aliud tamen eſſet, ſi tranſiens per Eccleſiam aliud tractaret, vel breviter privatim, aut omnino ſeparatim oraret, aut ſi aliis unum ſacrum audientibus, ipſe aliud audiret; quia ſic moraliter non cenſeretur communicare cum aliis, nec conjungi ad unam orationem fundendam. Bonac. *l. c. n.* 16. ex Suarez, Henriq. Filliuc. Conin. &c. Ac, licet peccatum hoc ex genere ſuo ſit mortale, ex parvitate tamen materiæ ſubinde tantum eſt veniale, ut ſi exigua pars Miſſæ, v. gr. uſque ad Evangelium tantum cum illo audiatur. Avila, Dian. *p.* 3. *c.* 5. *R.* 21. vel ſi Horæ privatim cum eo recitentur. Dian. *p* 5. *t.* 9. *R.* 89. ex Suar. & aliis novem. Porro per divina officia intelliguntur Sacrificium Miſſæ, publica oratio, proceſſio, cantus horarum, benedictio olei, aquæ, candelarum, & cetera annexa ordini clericali, quæ ſolemniter fiunt, excepta concione; in quibus, licet alii fideles non teneant vitare toleratum, tenentur tamen non toleratum ſub mortali vitare, niſi vel levitas materiæ, vel ignorantia, aut ſimile quid excuſet. Unde, ſi talis præſens ſit, moneri debet, ut recedat: ſi nolit, debet extrudi, vel expurtari, licet ſit Sacerdos: niſi tamen gravius inde timeatur incommodum, ob quod ſi expelli non poſſit, omittendum eſt officium, etiam die feſto: & celebrans, nondum inchoato canone, debet abrumpere Miſſam; *ſi inchoavit, poteſt, ceteris abeuntibus, ſacrum proſequi, vel abrumpere, ob*
Animad. IX. *ſententiæ utriuſque probabilitatem*; ſi conſecravit, debet, ſolo miniſtro manente, pergere uſque ad communionem incluſive, & reliqua perficere in Sacriſtia, vel alio decenti loco. *Quod ſi excommunicatus negligat procurare abſolutionem eo fine, ut non audiat ſacrum die feſto, peccat mortaliter omiſſione ſacri: ſecus ſi alia de cauſa negligat.* Quod ſi etiam obligatus eſt ad horas, non excuſatur ab illis: etſi non debeat dicere; *Dominus vobiſcum*, ſed *Domine exaudi*, &c. quas ſi cum alio privatim legat, venialiter tantum videtur peccare.

5. Collatio beneficii facta excommunicato nulla eſt, uti & præſentatio, vel electio, inſtitutio, & confirmatio. (*f*) Ratio, quia excommunicatus, etiam toleratus, non poteſt communicare in officio, proindeque incapax eſt beneficii, quod datur propter officium. Idque, licet ignoretur excommunicatio: quia ignorantia invincibilis, etſi excuſet a culpa, non tamen ſupplet defectum conditionis requiſitæ ad valorem actus: Vide Leſſium *lib.* 2. *cap.* 14. *d.* 22. *Imo probabile eſt, excommunicatum, quamvis be-*
Animad. X. *neficio ante abſente non privetur, fructus tamen, & diſtributiones non facere ſuas, ideoque eas teneri reſtituere, etiam ante ſententiam judicis: quia eſt privatur officio: fructus autem dantur propter officium, velut merces propter opus. Ita Suarez, & alii contra Sanchez, & Conin. qui probabiliter putant, ex conſuetudine non teneri ante ſententiam, modo per ſe, vel alium inſerviat beneficio.*

6. Privat communicatione forenſi, Unde excommunicatus nequit eſſe Judex, Advocatus, Procurator (*licet pro ſemetipſo reſpondere poſſit ipſe.* Conin.
Animad. XI. Præpoſit. Diana *p.* 5. *t.* 9. *R.* 111.) Actor, Tabellio, Teſtis, & cet. ita ut contra excommunicatum, etiam toleratum, ſemper poſſit reus excipere. *Quod ſi non faciat, nec Judex eum repellat, valida ejus acta erunt, ſi ſit toleratus*: ſecus eſt de Judice non tolerato, cum ſit privatus juriſdictione. Vide Laym. *c.* 2. Dian. *p.* 5. *t.* 9. R. 112. & 113. Non poteſt etiam eſſe Tutor, aut Curator. Dian. *p.* 5. *t.* 9. *R.* 115. ex Sylv. Neque teſtamenti executor. Dian. *p.* 8. *t.* 9. *R.* 2. ex Carp. &c. contra Sanch. Lug. &c. Si tamen

Google

men non fiat oppoſitio, valide exequitur, *ibid.* Nec poteſt ipſe teſtari licite, etſi faciant valide, etiam cum excommunicatum inſtituit heredem. Suar. Villar. Mere. &c. cum Dian. *l. c. R.* 129. Denique contractus omnes ab eo facti, (etſi ſint illiciti) & ratione eorum non detur actio in foro externo durante executione, valent, niſi fiant ab eo, ut perſona publica, vel miniſtro ratione muneris, & beneficii; quia tunc ſpectant ad juriſdictionem, quæ ſuſpenſa eſt. Dian. *p.* 5. *t.* 9. *R.* 128. ex Con. Fill. Mere. &c.

7. Excommunicatus non toleratus privatur uſu juriſdictionis. Unde non poteſt valide eligere, conferre, præſentare, ferre leges, vel ſententiam; & qui ſic beneficium a non tolerato accepit, dicendus eſt intruſus, ac proinde tenetur, ſine alia juris declaratione, beneficium una cum fructibus relinquere.

Animad. XII. Dixi, *non toleratus*; quia *acta tolerati probabile eſt eſſe valida ob bonum commune:* graviter tamen peccat, ſi abſque neceſſitate talia exerceat.

8. Non toleratus privatur eccleſiaſtica ſepultura, ita ut non poſſit in loco ſacro, ſeu benedicto ſepeliri; &, ſi contrarium fiat, ac corpora diſcerni poſſint, debet exhumari, nec in eo loco divina peragi ante reconciliationem.

Dixi, non toleratus: quia Eccleſia non polluitur, etſi hæreticus, non ſpeciatim denuntiatus, in ea ſepeliatur, ut docent Suar. Laym. & alii: jure nihilominus id prohibent Epiſcopi in Germania, eo quod inter ceteras pœnas non communicantium in Paſchate, etiam ſtatuetur privatio ſepulturæ eccleſiaſticæ.

9. Excommunicatus privatur omni alia civili communicatione fidelium, ita ut ipſe non poſſit cum aliis, &, ſi non ſit toleratus, etiam alii cum ipſo non poſſint communicare: idque in caſibus hoc verſu comprehenſis.

Os, orare, vale, communio, menſa negatur.

Dicitur 1. *Os*, per quod intelligitur oſculum, & omne colloquium, etiam privatum, item per nutus, litteras, internuncium, & quodvis ſignum benevolentiæ.

Dicitur 2. *Orare*, id eſt omnis communicatio in divinis, de qua ſupra.

Animad. XIII. Dicitur 3. *Vale*, *quod comprehendit omnem ſalutationem (ſaltem honorificam) verbo, vel ſigno, vel amplexu, & ſecundum quoſdam, etiam reſalutationem, eo quod ſit actus obſervantiæ. Sed contrarium videtur verius, quia eſt ſolutio debiti. Imo Sayr. &c. cum Dian. q. 5. t. 9 Reſ. 16. putant probabile quod ſola verbalis ſalutatio ſit prohibita, non autem alia ſigna, v. gr. aperiendo caput, &c. quæ urbanitatis cauſa fieri ſolent.*

Dicitur 4. *Communio*, quæ comprehendit omnem contractum (qui tamen validus eſt, ſi fiat) item cohabitationem, cooperationem, ſocietatem, v. gr. in contractibus, ita ut moraliter cenſeatur communicare; quod prudens æſtimabit; unde nec iter cum eo, tanquam cum ſocio, facere licet.

Dicitur 5. *Menſa*, per quam intelligitur omnis convictus, & convivia, per modum ſocietatis, &

Animad. XIV. commercii; *qualis non eſt, ſi caſu incidas in idem hoſpitium, iter, menſam, imo lectum.* V. Bon. *d.* 2. *q.* 2. *p.* 6. §. 1. & 2.

Quæres 1. Quale peccatum ſit communicare cum excommunicato non tolerato.

Reſp. Communicatio in divinis cenſetur mortale propter gravitatem materiæ; in civilibus autem (etſi inducat minorem excommunicationem) ſecluſo tamen contemptu, tantum eſt veniale regulariter. Suar. Bon. &c. Dian. *p.* 7. t. 11. *R.* 47. Quod addo, quia aliquando eſt mortale, ut ſi quis cum excommunicato communicet in eodem crimine, v. gr. ſi quis concubinam excommunicatam cognoſcat. (*g*)

Quæres 2. An aliquando liceat cum non tolerato communicare?

Reſp. Quod ſic, extra divina, in his quinque caſibus. 1. In caſu utilitatis, ſive ſpiritualis ipſius excommunicati, v. gr. ut convertatur, ſive alterius, ut ab excommunicato conſilium petat, quod ab alio habere non poteſt; ſive etiam utilitatis temporalis, v. g. ut ab eo reſtitutio, vel debitum ex contractu petatur. Contractus tamen novos cum ipſo inire non licet, etſi, ſi ineantur, ſint validi, cum nulla ſit lex irritans. 2. *In caſu legis matrimonialis*: quo modo uxori licet communicare cum marito, & contra, niſi factum ſit divortium: (*h*) Dian. *p.* 5. *t.* 9. *R.* 122. non tamen ſponſo de futuro cum ſponſa *l. c. R.* 126. ex Sayr. Sanch. & Fill. 3. *In caſu ſubjectionis: quo modo poſſunt filii etiam emancipati (addit Dian. p.* 5. *t.* 9. *R.* 118. 119. *ex Con. Fill Hurt. &c.* etiam adoptivi, vel illegitimi: imo etiam nepotes, pronepotes, & in eodem genere affines) *communicare parenti*; ſervi, & ancillæ domino, ſi ante excommunicationem fuerint in ſervitio. Similiter religioſi Prælato: non tamen, niſi quoad eam communicationem, quæ ab habitantibus in eadem familia evitari non poteſt. Dian. *l. c. R.* 117. contra Sotum. Vid. Fill. *c.* 12. *t.* 8. *n.* 209 Laym. & Bonc. *l. c.* 4. *In caſu ignorantiæ juris, vel facti.* 5. In caſu neceſſitatis ſive animæ, ſive corporis, ſive bonorum temporalium, qui caſus hoc verſu comprehenduntur; Animad. XV.

Utile, lex, humile, res ignorata, neceſſe.

DUBIUM IV.

Ob quas cauſas incurratur excommunicatio major?

Cum hæ multæ ſint, variæ ſunt etiam excommunicationes, quæ in 4 potiſſimum claſſes dividuntur; nam aliæ nulli, aliæ Epiſcopo, aliæ Pontifici per Bullam Cœnæ, aliæ eidem extra illam reſervantur.

ARTICULUS I.

Quæ ſint excommunicationes non reſervatæ?

Reſp. 1. Ex jure antiquo uſitatiores ſunt ſequentes. Contra omnes. 1. In vexantes eccleſiaſticos, quod non elegerint eum, pro quo rogati fuerant. 2. In directores monialium, ſi foveant diſcordias in electione. 3. In extorquentes abſolutionem a cenſura per vim, aut metum. 4. In compellentes eccleſiaſticos, ut laicis ſubmittant jura Eccleſiæ. 5. In docentes leges, vel medicinam Religioſos, qui dimiſerunt habitum, vel eos retinentes in ſuis ſcholis. 6. In ſepelientes tempore interdicti vel interdictos, vel excommunicatos non toleratos, vel manifeſtos uſurarios. 7. In impedientes viſitatores monialium. 8. In contrahentes matrimonium in gradibus prohibitis, vel cum monialibus. 9. In edentes Gloſſas in Tridentinum. 10. In imprimentes libros ſine ſuperiorum licentia. 11. In præcipientes ſuis ſubditis, ne officia communia Reipub. exhibeant eccleſiaſticis, verbi gratia, ne iis vendant, coquant panes, &c. 12. In Doctores, & Profeſſores non facientes profeſſionem fidei, ubi recepta eſt Bulla Pii IV. 13. In negligentes adminiſtrare juſtitiam eccleſiaſticis. 14. In poteſtates foventes uſuras. (*i*)

Contra Clericos. 1. In Clericos in dignitate conſtitutos, aut Sacerdotes audientes publice jus, aut medicinam. 2. In Sacerdotes recipientes præfecturas ſæculares. 3. In Clericos minores Epiſcopis, locantes domos uſurariis. 4. In alienantes bona Eccleſiæ, vel locantes ultra triennium. 5. In impugnantes in concionibus montes pietatis. 6. In contrahentes matrimonium, ſi ſint in ſacris. 7. In ficta reſignantes, vel permutantes beneficia. 8. In præſumentes abſolvere a caſibus Bullæ Cœnæ. (*k*)

Contra Religioſos. 1. In audientes Leges, vel medicinam extra clauſtra. 2. In habitum temere dimittentes, vel matrimonium contrahentes. 3. In inſtituentes novum ordinem. 4. Adeuntes curias Principum, ad nocendum ſuis monaſteriis, vel Prælatis. 5. Tenentes arma ſine licentia intra clauſtra. 6. Non ſervantes interdictum, quando ſervatur a Cathedrali. Vid. Fill. *t.* 1. *c.* 14. 15. *t.* 84. Bon. *d.* 3. *p.* 5. *§.* 1. *n.* 36. (*l*)

Reſp. 2. Supradictis adjectæ ſunt a Tridentino ſequentes, quæ valent, ubi illud eſt receptum. 1. In imprimentes, imprimi mandantes, vendentes, apud ſe retinentes, vulgantes libros de rebus ſacris, ſine nomine auctoris, & approbatione ab Ordina-

rio obtenta. 2. In docentes non eſſe neceſſariam confeſſionem ante ſumptionem Euchariſtiæ. 3. In raptores mulierum, juvantes, faventes. 4. In cogentes contrahere matrimonia cum præſcriptis. 5. In magiſtratus, qui requiſiti non juvant Epiſcopos ad reſtituendam, vel conſervandam clauſuram Monialium. 6. In ingredientes (cujuſcumque conditionis, vel ſexus fuerint) monaſteria monialium, ſine licentia in ſcripto obtenta. 7. In cogentes mulierem ingredi Monaſterium, & profiteri. 8. In impedientes, ſine juſta cauſa, ſanctam voluntatem mulierum emittendi votum. 9. In dominos temporales, concedentes in terris ſuis locum pro duello. (m)

ARTICULUS II.

Quæ ſint excommunicationes reſervatæ Epiſcopis?

Reſp. Sunt hæ. 1. Quæ contrahitur ex levi percuſſione Clerici, vel gravi, ſi ſit mulier. 2. In eos, qui abſoluti in articulo mortis (a cenſura, vel peccato habente cenſuram annexam) ab eo, qui alias non poterat, non præſentant ſuperiori ſe, poſtquam convaluerunt. V. Fill. t. 1. c. 10. n. 241. 242 3. In fratres Minores, ſi admittant in ſuis Eccleſiis, ad officia divina, Fratres tertii Ordinis. 4. In procurantes abortum fetus animati, effectu ſecuto. 5. In eos, qui communicant in eodem crimine cum excommunicatis ab Epiſcopo. 6. Ex omnes, quas ferunt Epiſcopi per propria ſtatuta, & ſibi reſervant, quas Confeſſarii videant in agendis. (n)

ARTICULUS III.

Quæ ſint Papæ reſervata extra Bullam Cœnæ?

Reſp. 1. contra omnes, magis obviæ ſunt ſequentes. 1. In incendiarios. 2. In habentes litteras apoſtolicas falſas, & non deſtruentes: item in falſarios litterarum apoſtolicarum. 3. In effringentes, & ſpoliantes Eccleſias. 4. In communicantes eodem crimine cum excommunicatis a Papa. 5. In vexantes eos, qui cenſuram in alios tulerunt. 6. In abſolutos excommunicatione, ſub conditione, & non implentes. 7. In violantes interdictum papale. 8. In dantes, & recipientes aliquid ex pacto, ob admiſſionem ad religionem. 9. In ſimoniacos reales, circa ordinem, vel beneficium. 10. In committentes ſimoniam confidentialem. 11. In impedientes executionem litterarum ſacræ Pœnitentiariæ. 12. In dantes, & recipientes aliquid pro gratia, aut juſtitia, apud Sedem Apoſtolicam. 13. In committentes duellum, & ad id cooperantes, ſuadendo, &c. 14. In mulieres ingredientes Monaſteria Regularium. 15. In impugnantes Inſtitutum Societatis JESU. 16. In facientes jurara illicita, & contraria libertati eccleſiaſticæ. 17. In rapientes bona eccleſiaſtica, item in exigentes tributa ab eccleſiaſticis. 18. In violantes libertatem eccleſiaſticam, quoad fugientes ad Eccleſiam. 19. In docentes poſſe fieri confeſſionem in abſentia. 20. In eos, qui alterutram opinionem de Conceptione B. Virginis damnant peccati mortalis, vel hæreſeos, item in eos, qui in concionibus, aliiſque publicis actionibus, ut lectionibus, concluſionibus, aſſerunt B. Virginem conceptam in originali. 21. In percuſſores Clericorum: quæ cum celebris ſit, & multa ſcitu neceſſaria habeat, agetur de ea peculiariter infra. (o)

Reſp. 2. Contra Clericos, & Religioſos, ſunt hæ. 1. In participantes in ſacris cum excommunicatis a Papa. 2. In procurantes alienationes Eccleſiarum. 3. In Concionatores, qui Scripturæ ſenſum x Doctorum interpretatione alienum circa tempus Antichriſti, & extremi judicii, aliaque ſimilia revelata prædicant. 4. In Parochos non implentes juramentum de reſidentia factum. 5. In Mendicantes tranſeuntes ad alium Ordinem, præter Carthuſianum. 6. In Moniales exeuntes clauſtris ſine licentia. 7. In Religioſos, qui ſine privilegio, vel ſpeciali licentia Parochi, Clericis, aut laicis Sacramentum Euchariſtiæ, vel Unctionis miniſtrare, vel matrimonia ſolemnizare præſumunt. (p)

ARTICULUS IV.

Quomodo intelligenda excommunicatio percuſſoris Clericorum?

Reſp. Ea ſic habet. *Si quis ſuadente diabolo in Clericum, vel Monachum violentas manus injecerit, anathematis vinculo ſubjaceat, & nullus Epiſcoporum præſumat illum abſolvere.* (q)

Dicitur 1. *Si quis:* intellige cujuſcunque ſexus, aut ſtatus, etiam impubes; dummodo rationis compos, & doli capax. Extenditur autem ad efficaciter mandantes, conſulentes, conſentientes, ſuo nomine factam ratihabentes, non impedientes, ſaltem ſi ex officio, aut juſtitia teneantur, ut Reges, Judices, & ceteri ſuperiores. Item patres, tutores, heri, pædagogi, Parochi, &c. quibus aliorum cura demandata eſt. Ita Laym. *l.* 1. t. 5. *p.* 2. *c.* 5. *n.* 6. Bon. *d.* 2. *qu.* 4. *p.* 1. *art.* 8. ex Molin. &c. commun. (r)

Dixi, *ſaltem &c.* quia, ſi ex caritate tantum teneantur, etiam excommunicari, docent Suarez, Caj. Fill. Molin. Sayr. &c. Verum id probabilius negat Bonac. *l. c.* ex Navar. Conin. Reg. Henriq. Mol. &c.

Dicitur 2. *Clericum:* quo nomine intelligitur omnis prima ſaltem tonſura initiatus (etiamſi conjugatus, dummodo cum unica virgine) & deferat habitum, ſerviatque alicui Eccleſiæ: item etiam excommunicatus, ſuſpenſus, interdictus, degradatus verbaliter tantum.

Dicitur 3. *Monachum:* intellige quemvis religioſum, etiam laicum, converſum, novitium, utriuſque ſexus; item Tertiarios S. Dominici, S. Franciſci, ſi geſtent habitum, & vivant in communitate. Item Eremitas ſubjectos alicui regulæ, vel ſuperiori.

Dicitur 4. *Manus injecerit;* per quod intelligitur quævis contumelioſa actio exterior mortalis, circa Clerici perſonam, vel res ei adhærentes, ſive fiat manu, ſive baculo, gladio, &c. Bon. *d.* 2. *q.* 4. *p.* 1.

Ex dictis reſolvuntur ſequentes caſus.

1. Hanc excommunicationem incurrit. 1. Qui talem conſpuit, conſpergit aqua, pulvere, conſpurcat luto, avellit crinem, lacerat veſtem, eripit aliquid per vim, & injuriam de ejus corpore, verbi gratia, pileum, pallium, &c. ita ut actio ſit graviter injurioſa. Bon. *l. c.* Laym. *c.* 5. *n.* 5. 2. Qui concludit, aut violenter detinet carcere, vel loco, unde ſine dedecore non poteſt exire, *ibid.* 3. Qui perſequitur, ut in flumen, vel foſſam incidat, e quo decidat, &c. *ibid.* 4. Qui manus violentas injicit in equum, cui ſe inſidet, occidendo, vulnerando, cædendo, ſiſtendo per frenum, quæ actio, licet ſit levis reſpectu corporis, non tamen reſpectu honoris, *ibid.* 5. Qui aliquid ſupradictorum facit, etiam Clerico conſentiente, dummodo ſit injurioſum ordini clericali. Laym. *l. c.* 6. Clericus, ſi ſeipſum ex malitia, vel paſſione (ſecus ſi ex devotione) percutiat injurioſe. Laym. *l. c.* ex Nav. 7. Qui percutit Clericum etiam meritum, ſi fiat vel per quem non debet, ut ſi morte dignus puniatur a judice ſæculari, vel modo illicito, ut ſi a Prælato puniatur per laicum. Bon. *l. c.* ex Navar. Sayr. Suar. Fill. Con. &c. V. Laym. *c.* 5.

2. Non incurrit 1. Fur, qui clam abſcindit crumenam, vel veſtem tollit Clerico: quia non eſt actio violenta, ſed fraudulenta. Bon. *l. c.* 2. *Si percuſſio ſit jocoſe*, (*ſ*) vel caſualis, v. gr. ſi janitor, vel apparitor turbam arcens percutiat Clericum; *item ſi pueri habentes primam tonſuram ſe pugnis percutient:* Bonac *loc. cit.* ex Mol. Fill. Con. &c. item ſi percuſſio ſit ad defendendum ſe, vel vitam ſuam, vel uxoris, parentum, filiorum, vel res ſuas, cum moderamine tamen inculpatæ tutelæ. Laym. *ibid.* Animad. XVI.
3. *Et denique, quandocunque percuſſio ob levitatem, vel imperfectionem actus non eſſet mortalis, illeſe laico*, ut docent Cajet. Avila, & Sa, quod tamen Suar. univerſaliter non admittit. Vide Bon. *l. c.* 4.

Si fiat

Si fiat in tenebris, vel Clericum non agnoſcas, quod habitum non geſtet; quia ignorantia excuſat. 5. Si Prælatus, præceptor, pater ſubditum in minoribus conſtitutum correctionis cauſa (licet ira accedat) percutiat moderate, habita ratione culpæ: imo Prælatus, & præceptor eccleſiaſticus poteſt etiam in majoribus conſtitutum caſtigare. *An idem poſſit pater, controvertitur in utramque partem probabiliter.* V. Laym. *loc. mox citando.* Si percutiatur realiter degradatus, vel bigamus, vel exerceat publice officium cauponis, vel macellarii, vel ſcurrem, & ter monitus non ceſſet, vel inventus turpiter agens cum uxore, matre, ſorore, vel filia, *vel denique mulierem ipſo facto ſollicitans ad turpitudinem:* quia perdit privilegium. V. Laym. *l.* 1. t. 5. *p.* 2. *c.* 5. Fill. *l.* 15. *c.* 1.

Reſp. 2. Etſi hæc excommunicatio ſit reſervata Papæ, poteſt tamen Epiſcopus ab ea abſolvere his caſibus. 1. Quando percuſſio, etſi ſit mortalis, eſt tamen prudentum judicio levis, comparata cum enormi, (*t*) v. g. ſi fiat palma, pugno, aut lapide, non relinquente veſtigium, & ſecundum Anton. & Dian. *p.* 9. *t.* 4. *Reſ.* 19. niſi notabilem injuriam, & magnum ſcandalum pariat; qualem negat eſſe, ſi quis Sacerdotem pugno percutiat in faciem, licet guttæ ſanguinis affluant. Enormis vero erit, ſi membrum præſcindatur, copioſus ſanguis fundatur; vel etiam ratione dignitatis perſonæ, ut ſi percutiatur Epiſcopus, vel Abbas etiam alapa. 2.
Animad. XVII. *Si percuſſor ſit impubes, pauper, æger, ſenex, mulier, cæcus, claudus, ſervus, filiusfamilias, vel non ſui juris, uti & regulares, ac moniales invicem verberantes: item ſi ſint homines delicati, & quotquot habent legitimum impedimentum, ut non poſſint ire ad Papam, aut ejus legatum: vel ſi dubium ſit de excommunicatione,* Fill. *l.* 15. *c.* 6. *n.* 35. *& ſeq. Denique, ſi ſit occulta.* V. ſupra *hic c.* 1 *d.* 5. & Dian. *p.* 9. *t.* 4. *R.* 63. In quibus omnibus caſibus pro foro conſcientiæ poteſt etiam facultas abſolvendi impetrari (gratis quidem) ex Pœnitentiaria a majore Pœnitentiario, ut ſupra *hic l.* 1. *t.* 1. *c.* 4. *in append.*

ARTICULUS V.

Quæ ſint excommunicationes Papæ reſervatæ per Bullam Cœnæ.

Reſp. Præcipua eſt in hæreticos, (*u*) quæ extenditur non tantum ad fautores, receptores, & defenſores hæreticorum ut ſic, ſed etiam in ſcienter retinentes, legentes, imprimentes, & defendentes libros hæreticorum de religione tractantes, vel hæreſim continentes. Ad quam excommunicationem incurrendam requiruntur 4. conditiones. 1. Ut auctor libri ſit hæreticus. 2. Ut liber hæreſim expreſſe contineat, vel de religione agat. 3. Ut legatur materia notabilis, & ſufficiens ad mortale. 4. Ut ſcienter legatur, imprimatur, vel retineatur. Layman *l.* 2. *t.* 1. *c.* 15. *n.* 1.

Unde reſolves.

1. *Non excommunicaris* 1. Si legas libros Catholicorum referentes verba hæreticorum, etiamſi animo hæreſim diſcendi legas. (*x*) Laym. *l. c.* ex Navar. Sanch. &c. 2. *Si in Catholici ſcriptoris libro,*
Animad. XVIII. *vel alio, hac Bulla non contento, legas adjecta ſcholia, vel notas auctoris heretici:* quod tamen Suar. *t.* 5. *d.* 21. *ſ.* 1. limitat, niſi ſcholia eſſent tam copioſa, ut ex iis potius, quam ex textu, liber conſtare videretur. Laym. *l. c.* ex Nav. Sanch. &c.

2. Non prohibentur hæreticorum libri philoſophici, & alii hæreſim non continentes. Laym *l. c. n.* 3. *Imo probabiliter nec ii, qui incidenter tantum con-*
Animad. XIX. *tinent hæreſim, non agentes ex profeſſo de fide.* Sa, Graff. apud Laym. *l. c.* contra Suar. & Sanch. *qui id confirmat pro Germania, ubi Bulla cum tanto rigore non eſt recepta.* Vide Bec. *c.* 2. *c.* 15. *q.* 8. Legens tamen tales incurrit excommunicationem non reſervatam Indicis librorum prohibitorum, ubi is receptus eſt; quod non videtur eſſe factum in Germania, ſaltem cum iſto rigore, ut habet Laym. *l. c. n.* 8.

3. Excommunicantur 1. Qui in ſufficiente quantitate ſolum procemium, vel epiſtolam ad lectorem, vel indicem libri, vel partem libri, in qua nulla eſt hæreſis, legit, ut habet Laym. *l. c.* & Bon. 2. Probabiliter etiam is, qui alterum juſſu ſuo legentem audit: quia legit per alium. Laym. *l. c.* Azor. &c. contra Sanch.

4. *Probabiliter non excommunicatur, qui hæreticam* Animad. XX.
concionem, aut epiſtolam ſeorſim editam legit, quia non eſt liber. Laym. *l. c. n.* 3. ex Sanch.

5. Non ſufficit una, alterave linea; *imo ſecun-* Animad. XXI.
dum Sanch. Rodr. & Sa, nec integra pagina, etiam magni voluminis; quod tamen Bonac. & Laym. l. c. non concedunt, licet hic fateatur, Confeſſario id poſſe ad hoc ſervire, ut non continuo damnet peccati mortalis, & excommunicationis eum, qui bono fine, vel etiam ex curioſitate unam paginam legit.

6. *Non incurritur, ſi retineantur libri parvo tem-* Animad. XXII.
pore, v. gr. uno, alterove die; quia ſicut materiæ, ita & temporis parvitas excuſat. Laym. *n.* 7. ex Graff. Sayr. Sanch. &c.

7. Excuſat ignorantia, etiam craſſa, (*y*) ſi vel neſcias eſſe hæreticum, vel tractare de religione. Lay. *n.* 3. vide Sanch. *l.* 2. *mor. c.* 10. *& l.* 9. *de matr. d.* 32.

8. Non excuſatur is, qui librum vel in aliena domo, vel alieno nomine, vel animo non legendi habet; item nec is, qui affirmat non eſſe pravum, non eſſe exurendum. Item, qui impedit, ne comburatur, qui diſputationis cauſa defendit. Ita Bonac. qui tamen excuſat eum, qui laudat ſtylum, vel ingenium auctoris, vel bonam doctrinam, quæ in eo eſt, ſed non quatenus in eo eſt; v. g. ſi dicat: hic liber eſſet bonus, ſi non haberet hæreſim; quia talis non defendit. Vid. Laym. *l. c.* Bon. *d.* 2. *q.* 5. *p.* 4.

Notæ.

(a) *Eſtque duplex: minor, quæ tantum privat uſu paſſivo* &c. Quoad hoc vide hic animad. 3. & 4.

Major, quæ etiam dicitur anathema. Hæc quoad ſolemnitatem ab excommunicatione differt; qua de re Anacl. t. 5. juris can. p. 323. n. 49.

(b) Omnia recte, quæ animad. hic 1. & 2. confirmantur.

(c) Hæ tres ſpecies cum Concina Th. t. 10. p. 463. n. 34. excipiendæ ſunt.

Primo enim Clericus ſcienter, & ſponte in divinis communicans cum nominatim per ſententiam a Papa excommunicato, & vitando, majorem excommunicationem Papæ reſervatam incurrit; quod affirmat etiam Anacl. t. 5. p. 334. citatis Sylv. Barboſa, & Gonzalez; & aperte intelligitur ex cap. 18. *Significavit* t. 39. lib. 5. decr. ubi Clemens III. ita pronuntiat. *Verum Clericos, qui ſcienter, & ſponte participaverunt excommunicatis a nobis, & ipſos in officiis receperunt, eadem excommunicationis ſententia cum ipſis non dubitamus involvi;* ne vero ad Bul. ſenſum hic contingas; addit; *quos etiam pro beneficio abſolutionis habendo ad nos volumus cum litterarum tuarum inſinuatione remitti.*

Secundo eadem major excommunicatio incurritur a ſcienter communicantibus cum excommunicato nominatim, ſi excommunicatio lata ſit in participantes; ut docet quoque Nat. Alex. Th. t. 1. p. 519. reg. 19. in eo diſcrepans a Concina, quod hic monitionem poſtulet, ut incurratur, non item Natalis, cui ego adhæreo. Nam cap. 30. *Quod in dubiis* t. 39. l. 5. decr. Innoc. III. ait: *Illi autem, qui nominatim excommunicatis præſumptuoſe participant præter perſonas dicto canone annotatas, niſi ab eorum participatione commoniti forte deſtiterint, excommunicationis vinculo ſunt innodandi.* Hi admonitione præmiſſa ſunt excommunicandi; At ſequitur: *Secus autem ſi ſcienter ei communicant, qui cum participibus ſuis eſt vinculo excommunicationis ſententialiter innodatus. Tunc enim & ipſi ſententiam excommunicationis incurrunt.* Hi ſine ulla admonitione excommunicati ſunt. Can. *Quoniam mul.* &c.

Et ſane res eſt perſpicua, excommunicationem ipſo facto incurri in hac ſpecie, cum ea ipſo facto in participantes lata ſit.

Tertio ab iis, qui ſcienter participant in crimine criminoſo, hoc eſt in eo crimine, cujus cauſa quis nominatim excommunicatus eſt; quæ ſententia ex Anacl. t. 5. p. 334. n. 149. communis eſt, & traditur a Nat. Alex. Th. t. 1. p. 517. reg. 16. nixo cap. *nuper* 29. t. 39. l. 5. decr. in quo Innoc. III. inquit. *In ſecunda vero quæſtione* (de qua in præſenti.) *credimus diſtinguen-*

dum, an is, qui nominatim excommunicato communicat, ſcienter in crimine criminoſo communicet, et conſilium impendendo, auxilium, vel favorem, aut alias in oratione, vel oſculo, aut orando ſecum, aut etiam comedendo. In primo quidem articulo, cum talis communicet crimini, & participet criminoſo, ac per hoc ratione damnati criminis videatur in eum delinquere, qui damnavit, ab eo, vel ejus Superiore merito delicti tunc erit abſolutio requirenda; cum facientem, & conſentientem par pœna conſtringat. Verba perſpicua ſunt. *In ſecundo vero caſu a ſuo Epiſcopo, vel a proprio Sacerdote poterit abſolutionis beneficium obtinere.*

(d) Syn. Trid. ſeſs. 25. cap. 3. de ref. a Buſ. citato reipſa id habet his verbis: *Excommunicatus vero quicumque, ſi poſt legitimas monitiones non reſipuerit, non ſolum ad Sacramenta ac familiaritatem non recipiatur; ſed ſi obdurato animo cenſuris annexus, in illis per annum inſorduerit, etiam contra eum, tanquam de hæreſi ſuſpectum procedi poſſit.* Quoad reliqua, quæ hic ait Buſ. vide animad. hic 10.

(e) *Dixi licite; quia valide ſuſcipit omnia ſaltem quoad ſubſtantiam præter pœnitentiam;* hoc eſt confirmationis, & ordinis characterem recipit, matrimonium valide contrahit; dum vero Chriſtum in Euchariſtia immundo ore ſuſcipit, ſacrilegium admittit, & extremam unctionem profanando, graviſſime peccat, nihil recepit, niſi corpoream unctionem.

Imo etiam hoc, ſi adſit ignorantia inculpabilis, dummodo &c. nec obſtare &c.

Quoad hæc vide animad. 22. in cap. 2. tract. 4. lib. 6... Falſum eſt, quod ait Buſ. *per cenſuram non fit incapax abſolutionis.* Hinc D. Th. ſuppl. q. 24. a. 1. ad 2. ait, *quod cum excommunicatus non ſit particeps Sacramentarum Eccleſiæ, Sacerdos non poteſt abſolvere excommunicatum a culpa, niſi ſit prius abſolutus ab excommunicatione.*

(f) *Collatio beneficii &c. nulla eſt, uti &c.* Rectr. Rotto; *quia excommunicatus etiam &c. non poteſt communicare in officio, proinde &c.* Id quidem verum eſt; at non efficit, niſi ut ea beneficia excommunicato conferri nequeant, quibus publicum officium impoſitum eſt, non item ea, quibus privata recitatio ſatis eſt. Ratio generalis eſt, quia ipſa beneficii receptio eſt communicatio excommunicato interdicta. Hinc Innoc. III. cap. 7. *poſtulaſtis* t. 27. lib. 5. decr. inquit. *Conſult. veſtræ reſpondemus, quod, cum excommunicatis communicare non debeat, Clericis excommunicationis vinculo innodatis eccleſiaſtica beneficia conferri non poſſunt, nec illi valent ea retinere licite, niſi forſitan cum eis miſericorditer fuerit diſpenſatum, cum ea canonice non fuerint conſecuti.*

Buſ. *Itaque, licet ignoretur excommunicatio; quia &c.* Idem habet Nat. Th. t. 1. p. 515. a. 4.

(g) Si quis cum excommunicato communicet in eodem crimine, cujus cauſa excommunicatus eſt, non ſolum mortaliter peccat, ſed etiam majorem excommunicationem incurrit ex dictis hic in dub. 2. ca. 1.

Item frequens communicatio etiam in civilibus juxta probabiliorem ſententiam mortalis eſt, ſi ſit moraliter continuata, ut ait Concina Th. t. 10 p. 463. n. 33.

(h) *In caſu legis matrimonialis uxori licet communicare cum marito, & contra, niſi &c.* Id intellige in iis, quæ ad matrimonii uſum, & domeſticam ſocietatem pertinent, ut habent Conc. p. 464. n. 36. & Nat. Th. t. 1. p. 518. reg. 17.; ideoque commercium in divinis, ſeu ſacris excipiendum eſt, ſicuti excipitur a Concina loco cit. Hoc ſane locum habet, ſi excommunicatio matrimonium ſubſequatur, at quid ſi illud antecedat?

Reſp. Communicationem iis interdictam eſſe, ait Concina, permiſſam affirmat Nat. locis cit. „Quamvis „enim, inquit Nat., peccaverit, ac minorem excom„municationem contraxerit, quæ nupſit excommuni„cato, aut qui duxit excommunicatam; ex quo ta„men matrimonium celebratum eſt, ac ratum, jus na„turæ poſtulat, ut mutua ſibi exhibeant officia, quæ „ad conjugalis vitæ ſocietatem pertinent." Natalis quidem loquitur in ea ſpecie, ſi alter tantum excommunicatus ſit, Concina vero, ſi ambo ſint excommunicati. Sed hoc diſcrimen quoad rem præſentem nihil eſſe videtur.

„At ſi excommunicatio, ait Nat. & idem habet „Conc. lata ſit in cauſa matrimonii; utpote quia ra„tione impedimenti prohibitum eſt partibus, ne con„traherent, aut ne cohabitarent; tunc cohabitare li„cite non poſſunt, & in excommunicationem incur„runt non minorem duntaxat, ſed majorem. Ut e„nim mutuus contractus, ita & mutuum crimen eſt, „adeoque pari pœna plectendum."

(i) Cum Cenſuræ innumeræ ferme ſint, ut vix doctis Viris, ac ne vix quidem omnes perſpectæ, ingens animarum periculum crearent, ſi ab iis incurrendis ignorantia non eximeret. Hoc animo reputans Bonif. VIII. cap. 2. t. 2. l. 1. in 6. ita conſtituit. *Ut animarum periculis obvietur, ſententiis per ſtatuta quorumcumque Ordinariorum prolatis ligari nolumus ignorantes, dum tamen eorum ignorantia craſſa non fuerit, aut ſupina;* qua de re alibi. Quare, ut plerique alii morales Theologi, ita Buſenbau ſatis habuit, ſi cenſuras communiores, aut uſitatiores innueret; quas tamen e ſuis fontibus hauſtas explicatius, & tutius, proponere utile, & neceſſarium duxi.

1. Buſ. non reſervata excommunicatio *in vexantes* &c. ſumpta eſt ex cap. 12 t. 6. l. 1. in 6. ubi Greg. X. in gen. Conc. Lugd. ita loquitur.

Sciant cuncti, qui Clericos, vel quaslibet alias perſonas Eccleſiaſticas (ad quos in aliquibus Eccleſiis, monaſteriis, aut aliis piis locis ſpectat electio) pro eo, quod rogati, ſeu alias inducti, eum, pro quo rogabantur, ſive inducebantur, eligere noluerint, vel conſanguineos eorum, aut ipſas Eccleſias, monaſteria ſeu loca cætera beneficiis, ſive aliis bonis ſuis per ſe, vel per alios ſpoliando, ſeu alias injuſte perſequendo, gravare præſumpſerint, ſe ipſo facto excommunicationis ſententia innodatos. Legi hic poteſt Bonac. t. 3. diſp. 2. q. 2. p. 19. p. 164.

2. *In directores &c.* infligitur a Bonif. VIII. cap. 43. *indemnitatibus* t. 6. l. 1. in 6. §. 4. his verbis. *Poſtremo hi, quos ad dirigendas in hujuſmodi electionibus moniales eaſdem deinceps contigerit evocari, ab his prorſus abſtineant, per quæ inter eas ſuper faciendis ipſis electionibus oriri poſſit diſcordia, vel exorta nutriri: alias eo ipſo excommunicationis ſententiæ ſe noverint ſubjacere;* quam cenſuram ibidem §. 5. extendit quoad mulieres, *quæ nec propriis renuntiant, nec profeſſionem faciunt regularem, ſed vivunt ut in ſecularibus Eccleſiis Canonici ſeculares.* Bonac. q. 2. cit. p. 5. p. 152.

3. *In extorquentes &c.* Greg. X. in Conc. gen. Lugd. Cap. un. t. 20. l. 1. in 6. ita decernit. *Abſolutionis beneficium ab excommunicationis ſententia, vel quamcumque revocationem ipſius, aut ſuſpenſionis, ſeu etiam interdicti per vim, vel metum extorta præſentis conſtitutionis auctoritate omnino viribus vacuamus. Ne autem ſine vindicta violentiæ creſcat audacia, eos, qui abſolutionem, ſeu revocationem hujuſmodi vi, vel metu extorſerint, excommunicationis ſententiæ decernimus ſubjacere.* Bonac. q. 2. cit. p. 15. p. 160.

4. *In compellentes &c.* habetur cap. 2. t. 9. l. 3. in 6. ubi Greg. X. in Conc. gen. Lugd. ait. *Hoc conſultiſſimo prohibemus edicto, univerſos, & ſingulos Prælatos Eccleſias ſibi commiſſas, bona immobilia, ſeu jura ipſarum laicis ſubmittere, ſubjicere, ſeu ſupponere abſque Capituli ſui conſenſu, & Apoſtolicæ Sedis licentia ſpeciali.... Laici vero, qui Prælatos, vel Capitula Eccleſiarum, ſeu alias perſonas Eccleſiaſticas ad ſubmiſſiones hujuſmodi... de cætero compulerint (cujuſcumque ſint conditionis aut ſtatus) excommunicationis ſint ſententia innodati.* Bonac. q. cit. p. 10. p. 164.

5. *In docentes &c.* Bonif. VIII. cap. 2. *ut periculoſa* t. 24. l. 3. in 6. ita loquitur.

Doctores quoque, ſive Magiſtri, qui Religioſos habitu ſuo dimiſſo leges, vel phyſicam audientes ſcienter docere, aut in ſcholis ſuis præſumpſerint retinere, ſimili eo ipſo ſint ſententia (excommunicationis) innodati. Bonac. p. 32. p. 172.

6. *In ſepelientes &c.* hæc excommunicatio his verbis a Clemente V. cap. 1. t. 7. lib. 3. Clement. concepta eſt. *Eos, qui propriæ temeritatis audacia defunctorum corpora non ſine contemptu clavium Eccleſiæ in cœmeteriis, interdicti tempore, in caſibus non conceſſis a jure* (vide dicenda in dub. 2. cap. 4. hujus lib. 7) *vel excommunicatos publice, aut nominatim interdictos, vel uſurarios manifeſtos ſcienter ſepelire præſumunt, decernimus ipſo facto excommunicationis ſententiæ ſubjacere: a qua nullatenus abſolvantur, niſi prius ad arbitrium Diœceſani Epiſcopi eis, quibus per præmiſſa fuerit injuria irrogata, ſatisfactionem exhibuerint competentem; nullo eis circa præmiſſa exemptionis, vel quovis alio privilegio ſub quacumque forma verborum conceſſo aliqualiter ſuffragante.* Summus Pontifex abſolvendi facultatem non adimit; ſed ſatisfactionem injuriæ, ſi quæ illata per tumulationem veritam fuit, abſolutioni præmitti præcipit; quod in aliis abſolutionibus, ut ſcilicet ſatisfactio, ſeu reſtitutio eas antecedat, præſtandum eſt. Bonac. p. 31. p. 171.

7. *In impedientes &c.* Hic legendum eſt cap. 2. *attendentes* t. 10. lib. 3. Clement. ubi a Clem. V. in Conc. Vienn. ſtatuitur, a quibus, & a qua auctoritate ſingula monialium monaſteria viſitanda ſint, & quæ a viſitatoribus præſtanda. *Si qui vero viſitatores ipſos in præmiſſis impedire præſumpſerint, ſeu aliquo præmiſſorum, (niſi moniti reſipiſcant), ipſo facto excommunicationis ſententiam ſe noverint incurſuros, privilegiis, ſtatutis, & conſuetudinibus quibuslibet in contrarium minime valituris.* Hæc excommunicatio non incurritur ſtatim ac

impe-

Digitized by Google

impedimentum opponitur, ſed ſolum ſi poſt monitionem viſitatoris, aut ejus Superioris illud jam ante poſitum non ceſſet, aut revocetur ex ita verbis, *niſi moniti reſipiſcant*. Bonac. p. 5. p. 152.

8. *In contrahentes* &c. hæc excommunicatio amplior eſt, quam ut a Buſ. ponitur. En verba Clem. V. cap. un. lib. 4. Clement. *Eas, qui . . . ſcienter in gradibus conſanguinitatis, & affinitatis conſtitutione canonica interdictis, aut cum monialibus contrahere matrimonialiter non verentur, nec non Religioſos, & moniales, ac Clericos in ſacris ordinibus conſtitutos matrimonia contrahentes . . . excommunicationis ſententiæ ipſo facto decernimus ſubjacere, præcipientes* &c. Bon. p. 7. p. 154.

9. *In edentes* &c. apud Bonacinam diſp. 2. q. 2. p. 17. p. 263. Pius V. in Bulla *Benedictus Deus* 17. ita loquitur. *Apoſtolica auctoritate inhibemus omnibus tam Eccleſiaſticis Perſonis cujuſcumque ſint ordinis, conditionis, & gradus, quam laicis quocumque honore ac poteſtate præditis, Prælatis quidem ſub interdicti ingreſſus Eccleſiæ, aliis vero, quicumque fuerint, ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœnis, ne quis ſine auctoritate noſtra audeat ullos commentarios, gloſſas, annotationes, ſcholia, ullumque omnino interpretationis genus ſuper ipſius Concilii decretis quocumque modo edere, aut quidquam quocumque nomine, etiam ſub prætextu majoris decretorum corroborationis, aut executionis, aliove quæſito colore ſtatuere.*

Hoc tamen decreto qui res theologicas tractant, ſacri Concilii verba conari intelligere, & interpretari non vetantur; alioquin nullus ferme theologicus liber imprimi poſſet, ut communiter Theologi advertunt apud Bonacinam loco cit. prop. 2.

10. *In imprimentes* &c. Hac de re Sacra Syn. Trid. ſeſſ. 4. verſus finem ita decernit. *Nullique liceat imprimere, vel imprimi facere quoſvis libros de rebus ſacris ſine nomine auctoris, neque illos in futurum vendere, aut etiam apud ſe retinere, niſi primum examinati, probatique fuerint ab ordinario ſub pœna anathematis, & pecuniæ in Canone Concilii noviſſimi Lateranenſis appoſita; & ſi Regulares* &c. *qui autem ſcripta eos communicant, vel evulgant, niſi antea examinati, probatique fuerint, eiſdem pœnis ſubjiciantur, quibus impreſſores.* Quinque ergo hominum genera anathemati ſubjacent, hoc eſt imprimentes, imprimi curantes, vendentes, retinentes, ſine licentia & nomine auctoris; & ſui ſcripto libros communicant ſine approbatione.

An ei tantum ſubjacent, ſi libri ſint de rebus ſacris, non item, ſi de rebus non ſacris? Reſp. Syn. Trid. de his tantum loquitur. At Concilium Lateranenſe ab ea citatum ſtatuit, *quod nullus librum aliquem, ſeu aliam quamcumque Scripturam . . . imprimere, ſeu imprimi facere præſumat ſine approbatione . . . qui autem ſecus præſumpſerint, ultra librorum impreſſorum amiſſionem, & illorum publicam combuſtionem, & pœnam pecuniariam, & anno continuo, exercitio impreſſionis ſuſpenſionem, excommunicationis ſententia innodati exiſtant*; quæ eſt excommunicatio latæ ſententiæ. Ubi, ſi placet, animadverte, Lateranenſe Concilium excommunicatos non pronuntiare vendentes, retinentes, evulgantes libros ſine licentia; quos ſacra Syn. Trid. excommunicationi ſubjicit, ſi libri ſint de rebus ſacris. Conſuli etiam poteſt reg. X. in indice librorum prohibitorum, & in eam obſervationes. Bonac. p. 16. p. 160

11. *In præcipientes* &c. Bonif. VIII. cap. 7. t. 23. l. 3. in 6. ita loquitur. *Eos qui temporale dominium obtinentes, ſuis ſubditis, ne Prælatis, aut Clericis, ſeu perſonis eccleſiaſticis quicquam vendant, aut emant aliquid ab eiſdem, neque ipſis bladum molant, coquant panem, aut alia obſequia exhibere præſumant, aliquando interdicunt (cum talia in derogationem libertatis eccleſiaſticæ præſumantur) eo ipſo excommunicationis ſententiæ decernimus ſubjacere.* Quod ſi id interdicant per ſtatutum, aut ex vi ſtatuti jam facti, excommunicationem incurrunt 15. in Bulla cœnæ. Bon. t. 3. diſp. 16. ſect. 2. p. 4. p. 102.

12. *In Doctores, & Profeſſores* &c. Ita ſane ſentiunt teſte Bonacina diſp. 2. q. 10. p. 24. p. 307. Rodriquez, & Fill. . . At motus proprius Pii IV. prout a Bonacina refertur, quoad hoc nihil habet; ſed præcipit *omnibus & ſingulis univerſitatum, & gymnaſiorum Rectoribus, doctoribus, & aliis ſuperioribus, ac aliis facultatem doctorandi habentibus cujuſcumque ſtatus, gradus* &c. *ne quem in Univerſitatibus, Civitatibus* &c. *ſibi ſubjectis aliter cathedras, aut alias lectiones retinere, conſequi, vel ad gradus promoveri reſpective patiantur in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub interdicto ab ingreſſu Eccleſiæ quoad Antiſtites, quo vero ad inferiores ſub excommunicatione latæ ſententiæ, nec non privationis omnium, & ſingularum dignitatum* &c. *pœnis . . . abſque proceſſu, certaque de Religione, & fide catholica notitia, ac dicta fidei profeſſione (ut præfertur) præcedente.*

Itaque hæc excommunicatio cadit in promoventes, & promoveri permittentes ad cathedras &c. & gradus, non autem in promotos, ut ſentit Bonac. loco cit. appellatis Sorbo, Sanch., & aliis. Et ſane nihil cauſæ eſt, cur ad Cathedras, & gradus doctorum &c. promovendi, fidei profeſſionem edere cogantur, cum qui, præſident eam nec poſtulant, nec recipiunt; iſtique puniuntur, dum eorum promotiones, ut fit in motu proprio Pii IV. in nihilum mittuntur, ſi abſque fidei profeſſione promoveantur.

13. *In negligentes* &c. quoad hoc Joann. VIII. c. 26. q. 5. cau. 23. ita habet. *Adminiſtratores plane ſecularium dignitatum, qui ad Eccleſiarum tuitionem, pupillorum, ac viduarum protectionem, rapacitumque refrenationem conſtituti eſſe procul dubio debent, quoties ab Epiſcopis, & Eccleſiaſticis Viris conventi fuerint, eorum querimonias attentius audiant, & ſecundum quod neceſſitas expetierit, abſque negligentia examinent, & diligenti ſtudio corrigant. Quod ſi Dei timorem præ oculis non habentes, negligere poſt ſecundam, & tertiam admonitionem inventi fuerint, omni ſe noverint communione uſque ad condignam ſatisfactionem privatos*; qui proinde condigna ſatisfactione exhibita, huic præcepto parendo, & damna ex ejus violatione orta reſarciendo, ab excommunicatione non ſoluti ſunt, ſed abſolvendi ex Bon. p. 301. diſp. 2. q. 10. p. 6. Sed contraria ſententia, quæ teſte Bonac. diſp. 2. q. 1. p. 9. n. 10. eſt Covar. Vaſq. Alliati, & aliorum mihi verior videtur, nam excommunicatio quidem abſoluta lapſu temporis, aut pœnitentis actione non tollitur, ſed ſola ſuperioris abſolutione; & de hac loquuntur cap. *cum deſideres* 15. & *quod in dubiis* 30. t. 39. lib. 5. decr. qui canones huc perperam trahuntur a Bon. n. 10. cit. at præſens excommunicatio non eſt abſoluta, ſed certæ conditioni, & modo alligata, hoc eſt *uſque ad condignam ſatisfactionem*. Ergo hac præſtita, excommunicatio ſeipſa corruit; quia ex mente excommunicantis non durat, niſi *uſque ad condignam ſatisfactionem*. Fruſtra vero Bonac. q. 10. p. 6. ait „ particulam *uſque* „ eſſe taxativam non extinctionis excommunicationis, „ ſed denegandæ abſolutionis. " Fruſtra inquam ita ait; quia canon inquit, *omni ſe noverint communione uſque* &c. *privatos*. Palam ergo eſt illud *uſque* ipſam excommunicationem afficere, ejuſque extinctionem definire, ſeu taxare. Si ſummus Pontifex denegandam abſolutionem uſque ad condignam ſatisfactionem indicare voluiſſet, an verba id ſignificantia deerant? hæc autem non adhibuit, ſed iis verbis uſus eſt, quæ excommunicationis extinctionem aperte innuunt: quid ergo litigamus?

14. *In poteſtates* &c. Clemens V. in Conc. Viennenſi cap. un. t. 5. lib. 5. Clement. ait. *Nos igitur . . . ſtatuimus, ut quicumque communitatum ipſarum* (uſurariam pravitatem approbantium) *Poteſtates, Capitanei* &c. *ſtatuta hujuſmodi de cætero facere, ſcribere, vel dictare, aut quod ſolvantur uſuræ, vel quod ſolutæ, cum repetuntur, non reſtituantur plene, ac libere, ſcienter judicare præſumpſerint, ſententiam excommunicationis incurrant; eamdem etiam ſententiam incurſuri, niſi ſtatuta hujuſmodi hactenus edita, de libris communitatum ipſarum (ſi ſuper hoc poteſtatem habuerint) intra tres menſes deleverint, aut ſi ipſa ſtatuta, ſive conſuetudines effectum eorum habentes quoquo modo præſumpſerint obſervare.* Bonac. q. cit. p. 15. p. 308.

(k) 1. *In Clericos in dignitate* &c. Honorius III. cap. 10. t. 50. l. 3. decr. ita loquitur. *Contra religioſas Perſonas de clauſtris exeuntes ad audiendum leges, vel phyſicam Alexander prædeceſſor noſter olim ſtatuit in Concilio Turon. ut niſi intra duorum menſium ſpatium ad clauſtrum redierint, ſicut excommunicati ab omnibus evitentur, & in nulla cauſa (ſi patrocinium præſtare voluerint) audiantur . . .* tum ſubdit. *Quia vero Theologiæ ſtudium cupimus ampliari, ut dilatato ſui tentorii loco funiculos ſuos faciat longiores, ut ſit fides catholica circumcincta muro inexpugnabili bellatorum, quibus reſiſtere valeat aſcendentibus ex adverſo, ad Archidiaconos, Decanos, Plebanos, Præpoſitos, Cantores, & alios Clericos perſonatus habentes, nec non Presbyteros, niſi ab his (audiendis) intra ſpatium præſcriptum deſtiterint, hoc extendi volumus* &c. *Phyſica* idem eſt, ac medicina, ut habet Bul. *leges*, jus civile, & ſtatuta propria, eorumque interpretatio. Bonac. diſp. 2. q. 4. p. 6. p. 258. Bul. ait *publice*; quia illas in privata domo audire non eſſe vetitum nonnulli docent, aliis tamen repugnantibus; quorum ratio ea eſſe mihi videtur; quia legis fini non minus repugnant, qui privatim, quam qui publice jura, aut medicinam audiunt. Cur publica harum diſciplinarum auditio Sacerdotibus, & aliis, ut in cit. Canone, vetita eſt, non item privata? Si privata licet, cur non publica? an publica Theologiæ, Sacræ Scripturæ, Canonum auditio Sacerdotibus interdicta eſt? Alex. 3. Religioſis ſub excommunicatione latæ ſententiæ

Digitized by Google

tiæ vetuit, ne ad audiendas leges, vel medicinam e clauſtris exirent; quia eas doctrinas in clauſtris minime tradi poſuit; ideoque illis non exitum e clauſtris, ſed legum, & medicinæ auditionem interdixit. An ſi extra clauſtra in privatis domibus leges, & medicinam audiſſent, legem non violaſſent?

Quicumque audiendis civilibus legibus in gratiam ſacrorum canonum, & Theologiæ vacant, cum hi legis fini non repugnent, & contra legislatoris mentem non nitantur, ſed ei potius obſecundent, hos legis violatores minime putem. Mens legislatoris eſt; ne Religioſi, & Clerici advocatos, & medicos agere præſumant, neve a ſacris ſtudiis avocentur.

2. *In Sacerdotes &c.* Alex. III. cap. 5. *Clericis* t. 50. l. 3. cit. *Jubemus etiam*, inquit, *ſub interminatione anathematis, ne quis Sacerdos officium habeat Vicecomitis, aut Præpoſiti ſecularis. Si quis autem contra hoc venire præſumpſerit, & commonitus emendare noluerit, excommunicationi ſubjaceat. Aut Præpoſiti ſecularis*, quod nomen genericum, omnem, ut ait Buſ., Secularem præfecturam complectitur. At, inquis, in Hiſpania Epiſcopi fieri conſueverunt Proreges, & Præſides Senatus Regii. Reſp. Sacerdotes, & Epiſcopos Principum conſiliarios ob publicum bonum eſſe poſſe, unanimis eſt Theol. ſententia, ut advertit Bonac. p. 5. q. cit. qua de re alibi. At Proreges Provinciarum, aut urbium præſides &c. eſſe iis non licet, niſi forte publici boni neceſſitas, quæ legi non ſubditur, aut ſummi Pontificis licentia id permiſſum faciat. Alex. III. lex clara eſt; & ita habent Cajet. Svar. Sayr. & alii apud Bonac. p. 5. Excommunicationem tamen non incurrunt, niſi commoniti fuerint, & emendare noluerint, ut habet cit. canon.

3. *In Clericos minores &c. locantes domos uſurariis.* Limita alienigenis, & aliis non oriundis de terris domini, ubi tales clerici habitant.

Nam Greg. X. in gen. Concil. Lugdun. *Sancimus*, ait, *ut nec collegium, nec alia univerſitas, vel ſingularis Perſona cujuſcumque ſit dignitatis &c. alienigenas, & alios non oriundos de terris ipſorum publice fœnebrem pecuniam exercentes, aut exercere volentes, ad hoc domos in terris ſuis conducere, vel conductas habere, aut alias habitare permittant, ſed &c. Nemo illis* (ait illis, hoc eſt alienigenis *&c.*) *ad fœnus exercendum domos locet, vel ſub alio titulo quocumque concedat.* (quod notandum, ne ſoli locatores excommunicati puentur) *qui vero contra fecerint ſi perſonæ fuerint Eccleſiaſticæ, Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, ſuſpenſionis; minores vero perſonæ* (Eccleſiaſticæ, quod cadit etiam in regulares) *ſingulares, excommunicationis, ſi autem collegium ſit, ſeu alia univerſitas, interdicti ſententiam ipſo facto ſe noverint incurſuros.*

4. In *alienantes &c.* Hæc excommunicatio habetur cap. un. *ambitioſæ* t. 4. lib. 3. ext. ubi Paulus II. ait: *omnium rerum, & bonorum eccleſiaſticorum alienationem, omneque pactum, per quod ipſorum dominium transfertur, conceſſionem, hypotecam, locationem, & conductionem ultra triennium, nec non infeudationem, vel contractum emphyteuticum, præterquam in caſibus a jure permiſſis, ac de rebus & bonis in emphyteuſim ab antiquo concedi ſolitis, & cum evidenti Eccleſiarum utilitate, ac de fructibus, & bonis, quæ ſervando ſervari non poſſunt, pro inſtantis temporis exigentia, hac perpetuo valitura conſtitutione præſenti fieri prohibemus &c.* Alienationem vero huic conſtitutioni contrariam in irritum mittit, tum ad rem noſtram ſubdit: *& tam qui alienat, quam is, qui alienatas res, & bona prædicta receperit, ſententiam excommunicationis incurrat.* Cetera, quæ hoc capite continentur, ab iis, quorum intereſt, legantur.

5. *In impugnantes &c. in concionibus.* Adde, & diſputationibus verbo vel ſcripto, ut habetur in Bulla Leonis X. *Inter multiplices* apud Bonac. diſp. 2. q. 4. p. 2. quam excommunicationem incurrunt *omnes religioſi, & eccleſiaſticæ, ac ſeculares perſonæ*, ut idem Leo explicare decrevit, non autem ſoli clerici.

6. *In contrahentes &c.* Hoc declaratum fuit in 8. excomm. Bul. ſupra contra omnes.

7. *In ficte reſignantes &c.* Hac de re nihil dico; quia Innoc. VIII. conſtitutionem ut citatus, *Sicut bonus*, in qua hæc excommunicatio contineri dicitur, Bonacina p. 8. eum in Bullario ſe non inveniſſe, nec legiſſe fateatur, eam ego, ne operam perderem, inquirere omiſi. Ipſum Bonacinam qui velis, conſulat aut Bullam quæras.

8. *In præſumentes &c.* Hæc excommunicatio explicate habetur verſus finem Bullæ cœnæ.

(l) 1. *In audientes &c.* Vide dicta in primam excomm. contra Clericos.

2. In *habitum temere dimittentes*, Hæc excommunicatio habetur cap. 2. tit. 24. lib. 3. in 6., ubi Bonif. VIII. ait. *Ut periculoſa Religioſis evagandi materia ſubtrahatur, diſtrictius inhibemus, ne de cætero aliquis quamcumque Religionem tacite, vel expreſſe profeſſus, in ſcholis, vel alibi temere habitum Religionis ſuæ dimittat; nec accedat ad quævis ſtudia litterarum, niſi a ſuo Prælato &c. licentia primitus ſit conceſſa. Si quis autem horum temerarius violator extiterit, excommunicationis incurrat ſententiam ipſo facto.* Hac de re fuſe diſputat Bonac. q. 8. p. 5. p. 279. Sed, ut alibi, ita hic non tam ſubtiliter, quam ex æquo judicio, penſato legis fine, & circumſtantiis diſcurrendum eſt. Religioſi, qui habitum interius retinentes, perſonati incedunt, ex mente legislatoris habitum temere dimittere mihi videntur. Contra ſi in cubiculo, aut etiam in monaſterio illum exuerent, ut vel facilius ludum permiſſum luderent, vel aliquid non neceſſarium, nec tamen vetitum facerent, hujus legis reos, & excommunicationi obnoxios non facile putarem. Non enim literæ corticem, ſed legis ſpiritum attendendum exiſtimo. Sed hæc obiter.

Buſ. *Vel Matrimonium contrahentes*. Vide canonem recitatum in 8. excomm. contra omnes.

3. *In inſtituentes &c.* Attente hic legendum eſt cap. un. t. 17. l. 3. in 6. ubi Greg. X. Religionum nimiam diverſitatem a Concilio Lateranenſi ſub Innoc. III. vetitam, & nihilominus præſumptuoſa aliquorum temeritate effrenate auctam tollere volens, diſtrictius inhibet, *ne aliquis de cætero novum Ordinem, aut Religionem adinveniat, vel habitum novæ Religionis aſſumat.*

Cunctos Ordines mendicantes poſt dictum Concilium adinventos, nec a Sede apoſtolica confirmatos perpetuo prohibet, & revocat; confirmatos autem eo modo ſubſiſtere decernit, ut profeſſi quidem in iis, ſi velint, remanere poſſint, ita tamen, *ut nullum deinceps ad eorum profeſſionem admittant, nec de novo domum, vel aliquem locum acquirant, nec domus ſeu loca, quæ habent, alienare valeant ſine ſedis ejuſdem licentia ſpeciali*; quia hæc diſpoſitioni ſedis Apoſtolicæ in pios uſus convertenda reſervat; hoc eſt novos Ordines mendicantes etiam ab Apoſtolica Sede confirmatos progreſſu temporis abolitos vult, exceptis tamen nonnullis, quos poſt nominat. *Si vero ſecus*, inquit, *præſumptum fuerit, nec perſonarum receptio, nec domorum, vel locorum acquiſitio, aut ipſorum, cæterorumque bonorum alienatio valeat, & nihilominus contrarium facientes, ſententiam excommunicationis incurrunt.* Hæc excommunicatio cadit in recipientes perſonas, ad Ordines a Papa confirmatos, quos diu durare non vult, & in domos &c. acquirentes, vel alienantes, ut ex contextu patet. Ceterum ſubſequentibus temporibus mutatis rerum circumſtantiis novi Ordines inſtituti, & a ſummis Pontificibus probati fuere. An S. Ignatius novi Ordinis inſtitutor, aut qui ejus inſtitutum ſuſcepere, excommunicati ſunt?

4. *Adeuntes &c.* Hæc excommunicatio non in omnes Regulares, quia neceſſe non fuit, ſed in Monachos, & Canonicos regulares lata fuit a Clemente V. in Concilio Vienn., ut videre eſt cap. 7. tit. 10. lib. 3. Clem. §. 5. ſicuti etiam 5. *Tenentes &c.* iiſdem inflicta fuit eodem §. 5.

6. *Non ſervantes interdictum &c.* Intellige, prout dicam cap. 4. dub. 2. in illud, 4. *Clerici &c. ſicut etiam Religioſi &c.*

(m) 1. *In imprimentes &c.* Vide hic dicta in decimam excommunicationem contra omnes.

2. *In docentes &c.* Intellige *in illis, quos ſcientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam ſe contritos exiſtiment, habita copia Confeſſoris*, ut loquitur Sacra Syn. ſeſſ. 13. can. 11. ubi ſubdit. *Si quis autem contrarium docere, prædicare, vel pertinaciter aſſerere, ſeu etiam publice diſputando defendere præſumpſerit, eo ipſo excommunicatus exiſtat.*

3. *In raptores &c.* Extat ſeſſ. 24. cap. 6. de ref. mat.; ubi dicitur *raptor ipſe, ac omnes illi conſilium, auxilium, & favorem præbentes, ſint ipſo jure excommunicati, ac perpetuo infames, omniumque dignitatum incapaces; &, ſi Clerici fuerint, de proprio gradu decidant.*

Raptor porro hic eſt, qui fœminam, ipſa, aut iis, ſub quorum cura eſt, invitis, vel ad libidinem explendam, vel ad matrimonium contrahendum abducit, ut recte advertit Bonac. diſp. 2. q. 2. p. 9., licet aliqui diſſentiant, & tunc ſolum raptorem in hanc excommunicationem incidere putent, cum mulier matrimonii cauſa rapitur. At ſi talis raptus, in quo minor noxa eſt, excommunicationi ſubeſt, cur non raptus libidinis cauſa, qui longe majus crimen eſt?

Sacra Syn. de matrimonio quidem loquitur; at cum ad excommunicationem venit, indefinite, & ſine limitatione loquitur, *raptor ipſe &c.*; nec credibile eſt, ejus mentem fuiſſe, ut excommunicationem ad ſolum raptorem cauſa matrimonii coarctaret, cum id non exprimat.

4. *In cogentes &c.* Hæc excomm. a Sacra Syn. cap. 9. ſeſſ. 24. cit. his verbis concepta eſt: *Præcipit S. Synodus omnibus cujuſcumque gradus, dignitatis, & conditionis exiſtant, ſub anathematis pœna, quam ipſo facto incurrant.*

Google

rant, ne quovis modo directe, vel indirecte ſubditos ſuos, vel quoſcumque alios cogant, quominus libere matrimonia contrahant. Quia vero Sacra Syn. ait *omnibus*, nihil eſt cauſæ, cur ad ſolos temporalium dominium habentes hæc excommunicatio, ut Bonac. p. 6. & alii ab eo citati ſentiunt, limitetur. Initio capitis hanc violentiam a temporalibus dominis inferri, memorat, eamque deteſtatur; at cum præceptum ſub anathemate imponit, ait *omnibus*; addit autem *cujuſcumque gradus, dignitatis*, ne ſublimes perſonas exceptas quis putet, non ut inferiores excipiat. Nam illud *& conditionis* in quoſcumque cadit. Quod ſi inquit *ſubditos ſuos*, ait etiam *vel quoſcumque alios*. Itaque hac in controverſia Suarezio, Fill., & ſi qui alii ſint, adhæreo hanc excommunicationem univerſalem eſſe putantibus.

Quod vero Buſ. addit *cum præſcriptis*, delendum eſt; quia aut nihil dicit, aut male dicit. Excommunicatio cadit non ſolum in cogentes contrahere matrimonium cum raptoribus mulierum, ſed etiam cum aliis, quicumque ſint.

5. *In magiſtratus, qui* &c. Sacra Trid. Syn. ſeſſ. 25. cap. 5. de regul., & Monial. univerſis Epiſcopis graviſſime præcipit, ut *clauſuram ſanctimonialium, ubi violata fuerit, diligenter reſtituî, & ubi inviolata eſt, conſervari maxime procurent...... invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis. Quod auxilium ut præbeatur, omnes Chriſtianos Principes hortatur Sancta Synodus*, (hos hortatur, at ſubdit) *& ſub excommunicationis pœna ipſo facto incurrenda omnibus magiſtratibus ſæcularibus injungit*. Res clara eſt. Nam Magiſtratus ſunt, qui ab alio ad juriſdictionem exercendam conſtituti ſunt. Qui vero ſua auctoritate jus dicunt, nec in temporalibus ſuperiorem habent, hi non ſunt Magiſtratus, ſed Reges, vel Principes, ut advertit Bonac. q. cit. p. 7. citatis Navarro, & Sanchezio.

6. *In ingredientes* &c. Ita ſane Syn. Trid. cap. 5. hic mox cit., ubi ait. *Ingredi autem intra ſepta Monaſterii nemini liceat, cujuſcumque generis, aut conditionis, ſexus, vel ætatis fuerint, ſine Epiſcopi, vel Superioris licentia in ſcriptis obtenta, ſub excommunicationis pœna ipſo facto incurrenda*.

Illud *cujuſcumque ætatis* Buſ. omiſit: quia de pueris, qui rationis participes nondum ſunt, controverſia excitatur, ut videre eſt apud Anacletum t. 3. juris can. p. 549. n. 39., ſed inaniter, cum enim hi præcepti capaces non ſint, peccare non poſſunt, multoque minus in excommunicationem incidere.

Eam vero exceptionem, quam habet idem Anacletus n. 42. quoad Reges, eorumque filios, periculoſam exiſtimo, nec Sacræ Synodo ſatis conformem, quæ ait *cujuſcumque generis, aut conditionis*. Cum Principes exceptos vult, id declarat, ut hic n. 5. legitur.

7. *In cogentes mulieres* &c. Seſſ. 25. cap. 18. de regul., & Monial. *anathemati S. Synodus ſubjicit omnes, & ſingulas perſonas cujuſcumque qualitatis, vel conditionis fuerint, tam Clericos, quam laicos ſæculares, vel regulares, atque etiam qualibet dignitate fulgentes, ſi quomodocumque coegerint aliquam virginem, vel viduam, aut aliam quamcumque mulierem invitam, præterquam in caſibus a jure expreſſis ad ingrediendum Monaſterium, vel ad ſuſcipiendum habitum cujuſcumque Religionis, vel ad emittendam profeſſionem; quique*, addit Sacra Syn., *conſilium, auxilium, vel favorem dederint; quique ſcientes, eam non ſponte ingredi Monaſterium, aut habitum ſuſcipere, aut profeſſionem emittere, quoquo modo eidem actui vel præſentiam, vel conſenſum, vel auctoritatem interpoſuerint*. Cum Sacra Syn. per disjunctionem loquatur, *ad ingrediendum* &c., *vel ad ſuſcipiendum* &c. *vel* &c., ut excommunicatio incurratur, ſatis eſt, ſi mulieri ad unum ex tribus vis adhibeatur. At quid, inquis, de illis dicendum, qui puellas ad Monaſterii ingreſſum cogunt educationis gratia? Reſp. Teſte Bonac. diſp. 2. q. 2. p. 2. Suarez, & Filliucius, eos excommunicationem incurrere ſentiunt. Ratio eſt: quia iſti puellas cogunt invitas ad ingrediendum Monaſterium: ſed qui id agunt, anathemati a Sacra Synodo ſubjiciuntur: ergo &c. Bonacina citatis Rodriq., & Sanch. in contrariam ſententiam proclivis, ſub anathemate prohiberi putat coactionem ad ingrediendum Monaſterium in ordine ad Religionem, ut ſcilicet Religionis libertati conſulatur: ergo, inquit, ſi puella ingredi Monaſterium cogatur, non ut Religionem profiteatur, ſed alio fine, puta ut educetur, cogens excommunicationem non incurrit. Reſp. Antecedens verum eſt; & quia Tridentinis Patribus coactio ingreſſus, Religionis libertati contraria viſa eſt, idcirco ſub anathemate vetita fuit; a quo finis, ſeu intentio cogentium non liberat. Humanæ enim leges non internos actus reſpiciunt, ſed externos moderantur. Quicumque ſit operantis finis, cenſuram non evadit, dum facit, quod ſub cenſura prohibitum fuit. Hinc excommunicatio a Tridentino Conc. lata contra cogentes ad ingreſſum Monaſterii, illam ſolam exceptionem habet *præterquam in caſibus in jure expreſſis*, cujuſmodi eſt, ſi adultera ad bonam frugem converſa, a marito nihilominus repellatur. Hæc enim ex cap. *gaudemus* 19. t. 33. lib. 3. decr. in religioſis clauſtris claudenda eſt, *ut perpetuam pœnitentiam ibi agat*. Si in jure expreſſum foret, puellas, aut mulieres cogendas eſſe, aut cogi poſſe, ut educationis cauſa Monaſterium ingrediantur, ſalva res eſſet. At hoc ubinam invenitur?

Humanæ quidem leges omnes caſus præſentire, & complecti nequeunt. At coactio ingreſſus in Monaſterium, non eſt ſpecies exotica, ſed obvia, ac nimis forte uſitata; quam tamen Sacra Syn. non excepit, quocumque prætextu, aut intentione fieri dicatur, aut fiat. Uſus, inquis, invaluit, ut puellæ nobiles, divites &c. in Monaſteriis diſciplinæ, & cuſtodiæ cauſa educentur. Reſp. Uſus bonus eſt, ſi tamen puellæ non cogantur invitæ: at ſi invitæ cogantur, qui probari poteſt, cum a Sacra Trid. Syn. improbetur, & ſub anathemate lege cautiſſima, & ſanctiſſima, prohibeatur? Res prima fronte dura mihi quoque viſa, at attente conſiderata in Suarezii, & Fill. ſententiam me impulit.

Sed prius lector alteram quoque hujus Canonis partem a Buſ. omiſſam *quique conſilium* &c., *quique ſcientes* &c. accurate perpendat. Multis enim modis in hanc legem peccare, & excommunicatione innodari fideles poſſunt.

8. *In impedientes* &c. Syn. Trid. cap. 18. mox cit. ſubjicit. *Simili quoque anathemati ſubjicit eos, qui Sanctam Virginum, vel aliarum mulierum voluntatem, vel accipiendi veli, vel voti emittendi quoquo modo ſine juſta cauſa impedierint*. Ait *vel accipiendi veli*; quia religioſum velum accipere, idem eſt, ac religionem tacite profiteri, ut aliis verbis animadvertit Bonac. p. 3. Hinc cap. 2. *puella* q. 2. cau. 20. cum ait, *puella, ſi ante 12. annos ætatis ſponte ſua ſacrum ſibi velamen aſſumpſerit*, idem eſt ac ſi dicat, religionem tacite profeſſa fuerit, ut ex capitis contextu aperte colligitur. Ait *ſine juſta cauſa*; quia ſi mulier conſummato v. g. matrimonio, Religionem ſuſcipere velit, impediri non ſolum poteſt, ſed debet, niſi vir conſentiat.

9. *In dominos temporales* &c. habetur cap. 19. ſeſſ. 25. de ref., ubi dicitur. *Imperator, Reges, Duces, Principes* &c., *qui locum ad monomachiam in terris ſuis inter Chriſtianos conceſſerint, eo ipſo ſint excommunicati; ac juriſdictione* &c. Vide excomm. 13. relatam.

Si lubet, nota illa verba in *terris ſuis*; nam in alienis, ubi de jure concedere locum non poſſunt, ſi concedant, excommunicationem non incurrunt; & *inter Chriſtianos*; nam ſi inter non Chriſtianos, puta Ethnicos, Turcas &c. monomachiam alicubi in ſuis terris permitterent, hanc conceſſionem Sacra Syn. licet ex ſe graviter malam, anathemate tamen feriendam non duxit. Quod ſi quis prædicta verba ſonare velit in terris ſuis inter Chriſtianos ſitis, non valde repugnem; ſed ego ea accipio, ut adverti.

(n) 1. *Quæ contrahitur ex levi percuſſione Clerici*. Hoc habetur ex cap. *pervenit* 17. t. 39. lib. 5. decr., ubi Clemens III. ait: *de his abſolvendis, qui Clericis non enormem, ſed modicam & levem injuriam irrogarunt, tuæ Fraternitatis arbitrio duximus committendum*; ubi ſummarium ita loquitur. „ Excommunicati pro levi manuum injectione in Clericum, poſſunt per Epiſcopum „ abſolvi. Hoc dicit ſecundum communem lecturam."

Vel gravi, ſi &c. Quos alios ab hac excommunicatione Epiſcopi abſolvere queant, vide hic Animad. 17.

2. *In eos qui abſoluti in articulo mortis* &c. Hac de re vide Animad. 12. in cap. 2. tract. 4. lib. 6. Porro Boniſ. VIII. cap. ibidem cit. 22. t. XI. l. 5. in 6. ita loquitur. *Eos, qui a ſententia Canonis, vel hominis (cum ad illum, a quo alias de jure fuerant abſolvendi, nequeunt propter imminentis mortis articulum, aut aliud impedimentum legitimum, pro abſolutionis beneficio habere recurſum) ab alio abſolvuntur; ſi ceſſante poſtea periculo, vel impedimento hujuſmodi, ſe illi, a quo his ceſſantibus abſolvi debebant, quam cito commode poterunt, contempſerint præſentare, mandatum ipſius ſuper illis, pro quibus excommunicati fuerant, humiliter recepturi, & ſatisfacturi, prout juſtitia ſuadebit, decernimus (ne ſic cenſuræ illudant eccleſiaſticæ) in eamdem ſententiam recidere ipſo jure*. Ergo ſi excommunicatio, a qua quis in articulo mortis fuit abſolutus ab eo, qui alias abſolvere non poterat, Papæ fuit reſervata; reincidentia quoque, ut eam nominant, eſt eidem reſervata; quia Boniſ. VIII. ait *in eamdem* &c..... Et hæc eſt communis Theologorum interpretatio; ut habet Bonac. t. 1. diſp. 2. q. 3. p. 3. n. 16. p. 368.

3. *In Fratres Minores, ſi admittant* &c. Falſum eſt, Fratres Minores excommunicationem incurrere, ſi Tertii Ordinis Fratres ad divina officia in ſuis Eccleſiis admittant, cum hæc communicatio omni noxa vacet.

Eam

Digitized by Google

Eam ergo incurrunt, ſi tempore interdicti eos admittant. Hæc porro excommunicatio Papæ reſervata eſt; a qua nihilominus Epiſcopi tanquam Sedis Apoſtolicæ hac in re delegati, ſatisfactione præmiſſa, abſolvere poſſunt. En verba Clementis V. in Concilio Viennenſi cap. 3. t. 10. lib. 5. Clem. *Eiſdem Fratribus Minoribus diſtrictius inhibemus, ne de cætero aliquem vel aliquos prædictorum* (hoc eſt Fratrum, & Sororum de Ordine tertio, quem B. Franciſcus inſtituit) (*etiamſi ſuper hoc hi, vel illi privilegiis quibuſcumque muniti extiterint, quæ ipſis in nullo prorſus quoad hoc volumus ſuffragari*) *ad divina in ſuis Eccleſiis tempore interdicti quoquomodo admittant. Quod ſi fecerint, eo ipſo excommunicationis ſententiæ ſe noverint ſubjacere, a qua per alium, quam per Rom. Pontificem, vel ſatisfactione præmiſſa per locorum Epiſcopos* (*quos auctoritate Apoſtolica fungi volumus in hac parte*) *abſolutionis beneficium nequeant obtinere.*

4. *In procurantes abortum* &c. De culpa eorum, qui abortum faciunt, dictum eſt animad. 59. in cap. 1. tract. 4. lib. 3. Quoad pœnas, & excommunicationem, de qua hic, Sixtus V. conſtit. 87. *Effrænatam* (habetur apud Anacletum t. 5. juris can. lib. 5. decr. t. 10. n. 56. p. 189) §. 1. ita decernit. *Omnes, & quoſcumque tam Viros, quam mulieres cujuſcumque ſtatus, gradus, ordinis, etiam Clericos ſæculares, vel cujuſcumque ordinis Regulares quavis dignitate, & præeminentia eccleſiaſtica, aut mundana fulgentes, qui de cætero per ſe, aut interpoſitas perſonas, abortum, ſeu fœtus immaturi tam animati, quam inanimati, formati, vel informis ejectionem procuraverint percuſſionibus, venenis, medicamentis, potionibus, oneribus, laboribuſque mulieri prægnanti impoſitis, ac aliis etiam incognitis, vel maxime exquiſitis rationibus, ita ut reipſa abortus inde ſecutus fuerit, ac etiam ipſas prægnantes mulieres, quæ ſcienter præmiſſa fecerint, pœnas tam divino, quam humano jure, ac tam per canonicas ſanctiones, & apoſtolicas conſtitutiones, quam civilia jura adverſus veros homicidas, qui homicidium voluntarium actu, & reipſa patraverint, propoſitas, & inflictas* (*quorum omnium tenores hic noſtris litteris pro expreſſis, & ad verbum inſertis habemus*) *eo ipſo incurrere hac noſtra perpetuo valitura conſtitutione ſtatuimus & ordinamus, ipſaſque pœnas, leges, & conſtitutiones ad caſus præfatos extendimus.*

§. 2. *Eos vero, qui Clerici fuerint, omni privilegio Clericali, officiis, dignitatibus, & beneficiis eccleſiaſticis, quæ ſic vacatura noſtræ, & Sedis Apoſtolicæ diſpoſitioni perpetuo reſervamus, ipſo facto privamus, & in futurum inhabiles ad ea ſuſcipienda decernimus; adeo ut illi, qui hoc delictum commiſerint, non ſecus, atque ii, qui ſua voluntate homicidium perpetraverint, juxta Conc. Trid. decreta, etiamſi crimen id nec ordine judiciario probatum, nec alia ratione publicum, ſed occultum fuerit, ad ſacros ordines promoveri, aut in ſuſceptis ordinibus miniſtrare nullo modo poſſint, nec illis aliqua eccleſiaſtica beneficia, etiamſi curam non habeant animorum, conferri liceat, ſed omni ordine, ac beneficio, & officio perpetuo careant.*

§. 3. *Nec non & illos, qui Clerici non fuerint, & talia perpetraverint, non ſolum pœnas incurrere ſupra narratas, ſed etiam inhabiles ad ordines, & alia prædicta decernimus & declaramus.*

§ 4. Clericos degradari, & ſæculari curiæ veluti homicidas puniendos tradi vult.

§. 5. Iiſdem pœnis ſubjicit propinantes venena ſterilitatis, ea facientes, & conſilium dantes, ac mulieres ſponte, & ſcienter ea ſuſcipientes.

§. 7. Omnes nemine excepto, ait, *qui, vel quæ, vel uti principales, vel ut ſociæ, conſciæve ad tale facinus committendum opem, conſilium, favorem, potionem, vel alia cujuſcumque generis medicamenta ſcienter dederint, ac etiam ſcribendo litteras privatas, vel apochas, vel alias verbis, aut ſignis juverint, aut conſuluerint, ultra ſuprædictas pœnas, ipſo facto nunc, prout ex tunc, excommunicamus, & pro excommunicatis declaramus.*

§. 8. Tum diſpenſandi ſuper irregularitate, tum abſolvendi ab excommunicatione quoad forum externum, facultatem ſibi, & ſucceſſoribus reſervat, ac demum addit. *Ac tam abſolvendi, quam diſpenſandi facultatem hujuſmodi etiam quoad forum conſcientiæ in caſibus ſuperius expreſſis nobis, & ſucceſſoribus noſtris dumtaxat reſervamus.*

Ea vi ergo hujus conſtitutionis in excommunicationem Summo Pontifici reſervatam præter alias pœnas ipſo facto incidunt, qui abortus fœtus tam animati, quam etiam inanimati, & ſterilitatis mulieribus illatæ, ſeu venenorum huc tendentium rei quocumque modo ſunt.

At Gregorius XIV. conſt. 8. *Sedes Apoſtolica* (apud eumdem Anacl. loco cit. p. 190) Sixti legem *quoad pœnas procurantium abortum fœtus inanimis, aut exhibentium mulieribus, vel ſumentium venena ſterilitatis, aut quocumque modo auxilium, vel conſilium eis dantium* ſuſtulit, eam revocans ad jus commune, *perinde ac ſi eadem conſtitutio in hujuſmodi parte nunquam emanaſſet.*

Rei vero abortus fœtus animati in omnes pœnas a Sixto V. inflictas incurrunt, ut omnes teſte Sporer apud Anacl. n. 17. loco cit. aſſerunt; quia Greg. XIV. eas nulla ex parte attigit, ſed ſolum excommunicationis reſervationem delevit, ita ut *quilibet Presbyter tam ſæcularis, quam cujuſvis Ordinis regularis ad Chriſti fidelium confeſſiones audiendas, & ad hos caſus ſpecialiter per loci ordinarium deputatus, plenam & liberam in foro conſcientiæ tantum abſolvendi habeat facultatem, eamdem prorſus, quam idem Sixtus V. Prædeceſſor noſter ſibi ac ſuis ſucceſſoribus reſervavit.* Porro *ad hos caſus ſpecialiter per loci Ordinarium deputatus* cenſetur, qui ab eo ab his abſolvendi facultatem, quam dare poteſt, obtinuit, etiamſi non ab his tantum, ſed etiam ab aliis reſervatis caſibus abſolvere poſſit, ut advertit Bonac. diſp. 2. q. 2. p. 10. prop. 3. n. 16. p. 258. Illud *ſpecialiter* referri debet ad illud *deputatus*. Quare ſi inter caſus Epiſcopo reſervatos recenſeatur abortus fœtus animati, qui licentiam a reſervatis abſolvendi habent, ab eo quoque abſolvere poſſunt.

5. *In eos, qui communicant* &c. Ita Innoc. 3. cap. *nuper* 29. t. 39. l. 5. decr., ubi ait, quod *qui nominatim excommunicato .... ſcienter in crimine communicat criminoſo, ei conſilium impendendo, auxilium, vel favorem, ... cum ratione damnati criminis videatur in eum delinquere, qui damnavit, ab eo, vel ejus Superiore merito delicti tunc erit abſolutio requirenda; cum facientem, & conſentientem par pœna conſtringat.* Vide excom. 4. a. 3.

(o) 1. *In incendiarios*. Hac de re controverſia eſt, in qua mihi probatur ſententia Cajet., Nav., Toleti, Sayri, Suar., Filliuc. aſſerentium apud Bonacinam diſp. 2. q. 3. p. 43. n. 1. Incendiarios ipſo jure non eſſe excommunicatos; ſed eorum excommunicationem, poſtquam ab Epiſcopo fuerint excommunicati, Summo Pontifici reſervatam eſſe. Prior propoſitionis pars eo ipſo evincitur, quia nullo textu canonico contrarium oſtenditur; imo cap. *peſſimam* 32. q. 8. cau. 24. poſtquam Innoc. II. Incendiariorum malitiam prohibuit, & execratus eſt, ſubdit. *Si quis ergo poſt hujus noſtræ prohibitionis promulgationem malo ſtudio, ſive pro odio, ſive pro vindicta ignem appoſuerit, vel apponi fecerit, aut appoſitoribus conſilium, vel auxilium ſcienter tribuerit, excommunicetur* &c. Hæc excommunicatio ferendæ, non latæ ſententiæ evidenter eſt.

Altera propoſitionis pars ex cap. 19. t. 39. l. 5. decr. *Tua nos* perſpicua eſt, ubi Clemens III. reſpondet, *quod non ſolum qui in Clericos temerarias manus injiciunt, ſed etiam incendiarii, ex quo ſunt per Eccleſiæ ſententiam publicati, pro abſolutionis beneficio ad Apoſtolicam Sedem ſunt mittendi.* Hunc textum male intelligit, & ſupplet Bonac. loco cit., dum illi voci *ſed etiam incendiarii* addit „ qui juribus antiquioribus excommuni„ cati ſunt, vel hic a me excommunicantur. " Arbitraria ſcilicet hæc ſunt. Animadverte ergo, Innoc. II. non ſolum cit. canonis *peſſimam*, ſed etiam anathematis in Clericorum percuſſores auctorem fuiſſe in Conc. Lat. II. Quare Clemens III. ejus poſt 40. circiter, ſeu, Barius p. 169 197 p. 380. 335.
ſi vis, 44. annos ſucceſſor, interrogatus, utrum ſoli Clericorum percuſſores, in canonem latæ ſententiæ incidentes, ad Apoſtolicam Sedem pro abſolutione neceſſario mittendi ſint; dum reſpondet, ut ſupra, ponit, ſolos Clericorum percuſſores in excommunicationem latæ ſententiæ incurrere, et ſimul decernit, incendiariorum quoque excommunicationem Papæ eſſe reſervatam, poſtquam ab Eccleſia, ſeu ordinariis, ut Innoc. II. præceperat, fuerint excommunicati.

2. *In habentes* &c. *& non deſtruentes*, adde aut non reſignantes, hoc eſt non tradentes, puta miniſtris Papæ, Epiſcopo loci, aut Confeſſario, ut habet Bonac. diſp. 2. q. 3. p. 4. Hæc excommunicatio habetur cap. *dura* 4. t. 20. l. 5. decr., ubi Innoc. III. *Statuimus*, inquit, *ut generalem excommunicationis ſententiam promulgetis; quam per ſingulas Parochias faciatis frequentius innovari, quod ſi quis falſas litteras ſe habere cognoſcit,* (de litteris Apoſtolicis ſermo eſt) *intra viginti dies illas aut deſtruat, aut reſignet, ſi pœnam excommunicationis voluerit evadere; quam* (*niſi forſan in articulo mortis*) *ſine ſpeciali mandato noſtro nequaquam volumus relaxari.* Hæc excommunicatio Pontifici Summo reſervata, non eſt latæ ſententiæ; quia ait, *ſententiam promulgetis:* Ergo ſententia a Summo Pontifice promulgata non eſt. Ergo excommunicatio eſt ferendæ ſententiæ; ſicuti dictum eſt de incendiariis; & hic nobiſcum ſentit Bonac. loco cit. At quoad praxim attinet, Confeſſarios in anguſtias redigere licet, cum Epiſcopis hujuſmodi promulgatio excommunicationis ex deſuetudine ne in mentem quidem veniat?

Item

Item in falſarios &c. Hæc excommunicatio non ſolum extra Bullam cœnæ, ſed in ipſa quoque infligitur, excomm. 6. his verbis concepta. „ Item excom- „ municamus & anathematizamus falſarios litterarum „ Apoſtolicarum etiam in forma Brevis, ac ſupplica- „ tionum, gratiam, vel juſtitiam concernentium, per „ Rom. Pontificem, vel S. R. E. Vicecancellarios, ſeu „ gerentes vices eorum, aut de mandato ejuſdem Rom. „ Pontificis ſignatarum; “ tum addit, „ nec non fal- „ ſo publicantes litteras Apoſtolicas etiam in forma „ Brevis, & etiam falſo ſignantes ſupplicationes hujuſ- „ modi ſub nomine Rom. Pontificis, ſeu Vicecancella- „ rii, aut gerentium vices eorum.

3. *In effringentes* &c. Clemens III. cap. *conqueſt.* 22. t. 39. l. 5. decr. de nonnullis loquens, qui *quaſdam Eccleſias Regin. Epiſcopatus violenter confregerunt, eaſque ſpoliare minime dubitarant, mandamus*, inquit, *quatenus ſi eſt ita, memoratos ſacrilegos excommunicatos nuntietis, & faciatis ſicut excommunicatos arctius evitari, donec paſſis injuriam congrue ſatisfaciant, & damna pro eis data reſarciant, & cum litteris veſtris rei veritatem continentibus Apoſtolico ſe conſpectui repræſentent.* Eſt ne, inquis, excommunicatio latæ ſententiæ? Reſp. Bonac. d. 2. q. 2. p. 12. affirmat. Neque enim Pontifex ſupradictos excommunicat, ſed excommunicatos ponens, eos veluti tales palam declarari vult, ut evitentur. Ubi nam, ais, hæc excommunicatio reperitur? Reſp. etiamſi nuſquam reperiretur, ſatis eſt, ſi ſummus Pontifex hujuſmodi homines excommunicatos ponat, ut excommunicati habeantur. Ceterum ſatis perſpicue habetur cap. *Omnes* 5. q. 4. can. 17. ubi Lucius Papa ait. *Omnes Eccleſiæ raptores, atque ſuarum facultatum alienatores a liminibus ſanctæ matris Eccleſiæ anathematizamus, Apoſtolica auctoritate pellimus, & damnamus, atque ſacrilegos eſſe judicamus*; imo addit, *& non ſolum eos, ſed omnes conſentientes eis, quia non ſolum qui faciunt, rei judicantur, ſed etiam qui conſentiunt facientibus. Par enim pœna & agentes, & conſentientes comprehendit.*

Hic certe excommunicatio aperte lata eſt, quidquid contra dicat Bon. p. cit. n. 9. non ſolum contra Eccleſiæ raptores, etiamſi effractores non ſint, ſed etiam contra conſentientes. At conſentientes ait Bonac., non eſſe excommunicatos, communis eſt Doctorum opinio. Reſp. cum lex clara eſt, contraria opinio rejicienda eſt. Cæterum quid conſuetudo quoad conſentientium excommunicationem habeat, ignoro; & de lege tantum hic loquor.

4. *In communicantes in eodem* &c. Hæc excommunicatio liquido colligitur ex cap. *Nuper* mox relato in quintam excom. a. 2.

Hic tamen Bonac. p. 21. p. 219. recte advertit, abſolutionem hujus criminis Papæ eſſe reſervatam, ſi nominatim excommunicati excommunicatio eidem Pontifici reſervata ſit; ſecus non eſſe reſervatam; quod idem dicendum de participantibus cum nominatim excommunicatis ab Epiſcopo. Eſt ſententia reſſe Bon., Nav., Suar., Fill., & communis, ex ſe æqua, & clara. Nec enim participans, majori pœna afficiendus eſt, quam principalis reus; & hunc eſſe ſenſum can. cit. *Nuper*, liquet ex ratione ibi allata, *cum facientem & conſentientem par* (*par*, non major) *pœna conſtringat.*

5. *In vexantes eos, qui* &c. Hic attente conſiderandum eſt integrum cap. 11. t. 11. l. 5. in 6., ubi Greg. X. in Conc. Gen. Lugd. ita loquitur. *Quicumque pro eo, quod in Reges, Principes, Barones, Nobiles, Ballivos, vel quoslibet Miniſtros eorum, aut quoſcumque alios excommunicationis, ſuſpenſionis, ſeu interdicti ſententia fuerit promulgata, licentiam alicui dederint occidendi, capiendi, ſeu alias in perſonis, aut bonis ſuis, vel ſuorum gravandi eos, qui tales ſententias protulerunt, ſive quorum ſit occaſione prolatæ, vel eaſdem ſententias obſervantes, ſeu taliter excommunicatis communicare nolentes (niſi licentiam ipſam re integra revocaverint, vel ſi ad bonorum captionem occaſione ipſius licentiæ ſit proceſſum, niſi bona ipſa fuerint intra octo dierum ſpatium reſtituta, aut ſatisfactio pro ipſis impenſa) eo ipſo ſententiam excommunicationis incurrant.*

Eadem quoque ſententia ſint innodati omnes, qui auſi fuerint prædicta licentia data uti, vel aliquod præmiſſorum, ad quæ committenda dari licentiam prohibuimus, alias committere.

Qui autem in eadem ſententia permanſerint duorum menſium ſpatio, extunc ab ea non poſſint, niſi per Sedem Apoſtolicam, abſolutionis beneficium obtinere.

Prohibitio, & excommunicatio perſpicuis verbis conceptæ attentione indigent, non explicatione.

Excommunicantur licentiam dantes faciendi hic prohibita, licentia utentes, ſine licentia eadem committentes.

Hæc excommunicatio non ſolum lata eſt in vexantes cenſuræ latores ſeu in perſonis, ſeu in eorum bonis, vel ſuorum, ſed etiam in vexantes eos, quorum occaſione lata fuit &c., ut in Gregorii verbis jam deſcriptis.

Licentiam tamen dantes excommunicationem non incurrunt, ſi perſonis non læſis eam revocaverint, vel ſi bona ablata reſtituerint, aut pro ipſis infra octo dies ſatisfecerint, ut in parentheſi Gregorii.

Et hoc idem quoad reſtitutionem, & ſatisfactionem de utentibus licentia, vel ſine ea, prohibita facientibus intelligendum videtur. *Eadem quoque ſententia* &c. ait *eadem*, hoc eſt iiſdem limitationibus circumſcripta.

Quod ſi dantes licentiam, excommunicationem incurrunt, multo magis mandantes, ſeu præcipientes; quia mandatum includit licentiam, & aliquid grave addit. At, inquis, ſi mandans auctoritate publica non fungatur, Bonac. p. 15. n. 5. pag. 196. negat. „ Nam „ conceſſio licentiæ, inquit, pertinet ad eum, qui au- „ ctoritatem publicam exercet. “ Reſp. Greg. X ait, *quicumque licentiam dederint*. Cur limitas, quod Summus Pontifex non limitat? An ſi Pater Filio, dominus ſervo, Vir potens ſuis clientibus talem licentiam, aut mandatum dederint, in excommunicationem eos incurrere, jure dubitare potes? Sylveſter, & Sayrus ab ipſo Bonac. citati affirmant, & merito affirmant. Excommunicatio tamen, de qua ſermo eſt, non eſt Papæ reſervata, niſi excommunicatus per duos menſes in ea permanſerit, ut poſtrema capitis verba declarant.

6. *In abſolutos* &c. *ſub conditione* &c. Recole dicta in exc. 2. a. 2. poſt verba Boniſ. VIII. ibi recitata cap. *cum* ibidem cit. Sequitur. *Idem ſtatuimus de his, quibus (cum a Sede apoſtolica, vel a legatis ipſius abſolutionis beneficium a quibuſvis ſententiis conſequuntur) injungitur, ut ordinariorum ſuorum, vel aliorum quorumlibet ſuſcepturi pœnitentiam ab eiſdem, ſe conſpectui repræſentent, & paſſis injuriam, ſeu his, quibus propter hoc obligati exiſtunt, ſatisfactionem exhibeant competentem; ſi hæc, cum primum commode poterunt, non curaverint adimplere.* Hic porro ſermo eſt de abſolutione a ſententiis Papæ reſervatis, ut patet ex parentheſi; ideoque reincidentia quoque, ut ajunt, Papæ reſervata eſt.

7. *In violantes interdictum* &c.

Hac de re Clemens V. in Conc. Vienn. (habetur cap. 2. t. 10. l. 5. Clement.) ita decernit. *Præſumptores præfatos*, (quos ibi deſcripſerat) *qui in locis Interdicto ſuppoſitis quemquam de cætero divina celebrare officia quomodolibet cogere; aut qui modo prædicto ad officia eadem audienda aliquos, excommunicationis præſertim, vel interdicti ligatos ſententia evocare*; (ait *modo prædicto*, hoc eſt, ut ſe explicuerat, privata voce propria, vel aliena nunc hos, nunc illos vocando, vel publica præconis voce, aut campanarum pulſatione populum) *ſeu qui, ne excommunicati publice, aut interdicti de eccleſiis dum in ipſis miſſarum aguntur ſolemnia, a celebrantibus moniti, ut exeant, prohibere; nec non excommunicatos publice & interdictos, qui in ipſis eccleſiis nominatim a celebrantibus, ut exeant, moniti, remanere præſumpſerint, excommunicationis ſententia (a qua per Sedem duntaxat Apoſtolicam poſſint abſolvi) Sacro approbante Concilio innodamus.*

Clemens ait abſolute *in locis interdicto ſuppoſitis*, ideoque non ſolum de papali, ut Buſ. habet, ſed de quocumque legitimo locali interdicto intelligendus eſt; præſertim cum ex antecedentibus ipſius verbis nullum hujus limitationis veſtigium appareat. Loquitur ſcilicet de quibuſdam nobilibus, & dominis temporalibus, *terris eorum eccleſiaſtico ſuppoſitis interdicto* ſine ulla reſtrictione. Porro illa verba *ad officia eadem audienda*, de officiis in locis interdictis celebratis ſunt accipienda, quia referuntur ad verba proxime præcedentia, in quibus ſermo eſt de divinorum officiorum celebratione *in locis interdicto ſuppoſitis*; quæ limitatio in ſubſequentibus locum habere non videtur; ideoque duæ ſubſequentes ſpecies locum habent, etiamſi miſſæ in locis non interdictis dicantur. Conſule, ſi vis, Bonacinam diſp. 2. q. 3. p. 20. n. 11. 13.

8. *In dantes* &c. Urbanus IV. (cap. 1. t. 1. lib. 5. ext.) magnopere dolet, quod alicubi *deteſtabilis, & a canonibus reprobata ſervatur abuſio, quod cum perſonæ aliquæ recipiuntur ad obſervantiam regularem .... paſtus, ſeu prandia... aut pecunias, aut jocalia, ſeu res alias... ex ſtatuto, ſeu conſuetudine, quæ corruptela eſt potius dicenda, tribuere compelluntur.* Diſtrictius *auctoritate ergo apoſtolica* inhibet, *ne talia etiam ad uſum eccleſiaſticum, ſeu quemvis pium uſum alium deputata, vel deputanda directe, vel indirecte petere, vel exigere quoquo modo præſumant.... qui ſecus egerint, ſi ſint ſingulares perſonæ, tam dantes, quam accipientes hujuſmodi, excommunicationis, ſi capitulum, vel conventus fuerit, ſuſpenſionis ſententiis eo ipſo decernimus ſubjacere; a quibus, præterquam in articulo mortis, abſolvi nequeant abſque Sedis Apoſtolicæ licentia ſpeciali.*

Hæc

Hæc ergo excommunicatio (idem dicas de ſuſpenſione) inflicta eſt non ſolum dantibus, & accipientibus ex pacto, ſed quotieſcumque aliquid petitur, vel exigitur *quoquo modo*, illudque unum Urbanus permittit, ut eum gratiarum actione illa recipiantur, *quæ perſonæ ipſæ ingredientes pure, & ſponte, & plena liberalitate, omnique pactione ceſſante dare, vel offerre Eccleſiis, monaſteriis, prioratibus, domibus, & locis hujuſmodi voluerint*. Qui ſecus egerint, excommunicationem, aut ſuſpenſionem ipſo facto incurrunt, ut ſupra retuli.

Ergo, inquis, etiam dantes, & accipientes dotes in tenuibus quoque monaſteriis, hujuſmodi cenſuras incurrunt; quia dotes exiguntur.

Reſp. Id ego quidem negare non poſſum, ſi hujus legis vis ſpectetur; ſed quia talis datio, & acceptio ſimoniam jure naturæ, aut divino vetitam non includunt, idcirco ex conſuetudine, & ſacræ Congregationis decretis a Summis Pontificibus approbatis, improbari non poſſunt. Conſule animad. 8. in cap. 2. tract. 2. lib. 3. Mutatis videlicet temporibus poſitivæ leges mutantur.

9. *In ſimoniacos &c.*

Paulus Venetus Papa II. cap. 2. *Cum deteſtabile* t. 1. lib. 5. ext. ita loquitur. *Apoſtolica autoritate declaramus, quod omnes illi, qui ſimoniace ordinati fuerint, a ſuorum ſint ordinum executione ſuſpenſi, per electiones vero, poſtulationes, confirmationes, proviſiones, quas ſimoniaca contigerit labe fieri, & quæ viribus omnino careant, in eccleſiis, monaſteriis, dignitatibus, perſonatibus, officiis eccleſiaſticis, & quibuſvis beneficiis, aut aliquo eorum cuiquam jus nullatenus acquiratur, nec inde faciat aliquis fructus ſuos, ſed ad illorum omnium, quæ percepit, reſtitutionem ſub animæ ſuæ periculo ſit adſtrictus.* Hæc pro rei, de qua agimus, intelligentia neceſſario præmittenda fuere, cum ſubdit. *Statuentes præterea, quod univerſi, & ſinguli, etiam præmiſſis* (quibuſvis mundanis, ſeu eccleſiaſticis) *dignitatibus præditi, qui quomodolibet dando, vel recipiendo ſimoniam commiſerint, aut quod illa fiat, mediatores extiterint, ſeu procuraverint, ſententiam excommunicationis incurrant, a qua niſi a Rom. Pontifice pro tempore exiſtente non poſſint abſolvi, præterquam in mortis articulo conſtituti.*

At hic quæris, utrum committens ſimoniam in prima tonſura, excommunicationem incurrat? Reſp. Leſſius, & alii apud Bonac. p. 24. q. 3. cit. negant; quia Summus Pontifex loquitur de ſimonia committenda in ordine. Reſp. ſimoniace ordinatos ſuſpendit ab ordinum executione, ut liquet ex verbis initio allatis. At cum de excommunicatione agit, ait *qui quomodolibet, dando, vel recipiendo ſimoniam commiſerint*; quibus verbis ſimoniacos in tonſura conferenda, aut ſuſcipienda perſpicue complectitur; & hæc teſte Bonac. eſt communior ſententia, & probabilior, hoc eſt unice probanda.

Si, inquis quomodolibet dando, vel recipiendo ſimoniam committentes, excommunicationem incurrunt, illi obnoxii ſunt etiam ſimoniaci mentales; quia etiam ipſi ſimoniace aliquid dant, puta obſequium, munus &c. Reſp. dationes ſimoniacorum mentalium extrinſecus non ſunt ſimoniacæ, ſed liberales, & ſolum ex mente dantium, ſimoniæ labe inquinantur. Porro ſicuti interior voluntatis actus Eccleſiæ ignotus eſt, ita ejus pœnis non ſubjicitur.

Itaque Paulus II. de reali ſimonia loquitur, dum ait, *qui quomodolibet dando, vel recipiendo ſimoniam commiſerint*. Vide animad. 22. in cap. 2. tract. 1. lib. 3. Eſt unanimis ſententia ex Anacl. t. 5. juris can. lib. 5. t. 3. § 9. n. 235.

Quæris ſecundo, utrum qui ſimoniam realem committunt, dum ad officia, ſeu præfecturas regulares, puta Priorum, Abbatum &c. aſſumuntur, in hanc excommunicationem incidant? Reſp. Bonac. p. cit. negat; quia, inquit, officia regularia proprie non ſunt beneficia. At hæc ratio inanis eſt. Nam Summus Pontifex non ſolum beneficia, ſed etiam officia eccleſiaſtica nominat, cujuſmodi eſſe ſunt officia Regularium. Præterea notandæ ſunt illa verba *electiones ... proviſiones ... in Monaſteriis*. Quare ego quidem dubitare non poſſum, quin Regulares, de quibus ſermo eſt, in excommunicationem incidant; quæ teſte Bonac. eſt ſententia Cajet., Nav., Suar., Filliuc., & aliorum, eritque omnium, qui Pauli II. Legem attente legentes, eam aſſequi voluerint.

10. *In committentes ſimoniam &c.*

Omiſſis aliis pœnis, in quas incurrunt recipientes beneficia eccleſiaſtica in confidentiam, Cardinalibus, & aliis Prælatis, (Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis) ne beneficia eccleſiaſtica quæcumque, *aut fructus, vel penſiones, aut regreſſus, ſeu acceſſus in confidentiam, aut ad eſſe ſuum reſervationum hujuſmodi ſibi poſtmodum cedentibus procurandarum, recipere præſumant, ſub interdicti ingreſſus Eccleſiæ, reliquis vero ſub majoris excommunicationis latæ ſententiæ pœna* Summo Pontifici reſervata Pius IV. diſtrictius inhibet bulla *Romanum Pontificem*, quæ habetur in calce Concilii Tridentini.

At Pius V. ſine diſcrimine *omnes, & ſingulos*, qui quæcumque beneficia, fructus, penſiones, aliaſve res per confidentiæ vitium receperint, excommunicationis ſententia Romano Pontifici reſervata *in juris ſubſidium* innodat conſt. *Intolerabilis* anno 1569 Kal. Junii, quam refert Anacletus t. 5. juris can. p. 78. t. 3. §. 2. n. 42. lib. 5. decr...., Verba illa *omnes, & ſingulos, & in juris ſubſidium* valde urgent, & loquendi modus a Pio IV. diverſus, ſatis indicant, Pii V. mentem fuiſſe, ut ipſi Cardinales, & Prælati excommunicationi ſubeſſent; quæ eſt ſententia Pariſii, & aliorum, quam probabiliorem putat Bonac. p. 25. prop. 2. n. 12. a. 225. Sed cur ait ſolum probabiliorem, cum certa ſit? Nam idem Pius V. ait: *hodie in Conſiſtorio declaravimus omnes S. R. E. Cardinales in Conſtit., & litteris præfatis, ac ſingulis earum partibus etiam quoad privationes, omneſque, & ſingulas cenſuras, & pœnas in ipſis litteris contentas comprehendi, ac contrafacientes, privationes, cenſuras, & pœnas incurrere, prout Nos, illos omnes includi, & incurrere volumus eo ipſo.*

Quoniam vero tum Pius IV. tum S. Pius V. de recipientibus loquuntur, hanc excommunicationem non incurrunt dantes, ſeu reſignantes beneficia cum ſimonia confidentiæ, uti affirmant Suar., Filliuc., & alii apud Bonac. loco cit.; qui tamen excommunicationem in ſimoniacos reales latam, de qua ſupra, non effugiunt, ſi ex prævio pacto dent, aut reſignent, ut ex allatis Pauli II. verbis, *qui quomodolibet dando, vel recipiendo ſimoniam commiſerint*, liquet; & hoc idem dicas de mediatoribus, quos Pius quidem IV. & S. Pius V. prætermiſere, at Paulus II. explicite complexus eſt.

Porro quoad ſimoniam confidentiæ, ejuſque pœnas, perinde eſt ſeu beneficium recipiatur per reſignationem, ſeu per collationem, aut electionem, aut præſentationem Patroni etiam laici.

Qui aliquod beneficium recipit animo illud cedendi ſeu reſignandi, ut ſibi reſervet penſionem, incurrit ne excommunicationem?

Reſp. Maxime; quia Pius IV. ait, *aut ad effectum reſervationum hujuſmodi ſibi poſtmodum cedentibus procurandarum*. At qui beneficium recipit animo non retinendi, ſed cedendi ut penſionem ſibi reſervet, illud recipit ad effectum reſervationum hujuſmodi ſibi poſtmodum cedenti procurandarum: ergo.

At, inquis, hic nullum pactum ne tacitum quidem intercedit: at ubi nullum ne tacitum quidem pactum intercedit, ſimoniam confidentiæ nemo committit ex hujus ſimoniæ definitione apud Anacletum t. 5 juris Can. t. 3 lib. 5 § 2. n. 32., & Concina Th. t. 10 pag. 80. n. 4., idcoque ejus pœnas non incurrit.

Reſp. Sicuti ſimonia univerſe pactum neceſſario non includit ex dictis animad. 6. in cap. 2. tract. 1. lib. 3. ita ne ſimonia quidem confidentiæ, quæ circa beneficia verſatur. Recte quidem dicitur ſimonia in beneficiis admitti ex pacto expreſſo, vel tacito; non tamen hac ſola ratione, ſed etiam ſine pacto etiam tacito committi poteſt.

Saltem, inquis, hæc ſimonia, mentalis eſt, quæ proinde juris pœnas non infert, ut mox dictum fuit excomm. 9. & animad. 2. in cap. 2. tract. 1. l. 3.

Reſp. Simonia mentalis, quamdiu in mente manet, Eccleſiæ pœnis non ſubeſt; at ſi foras erumpat, iis puniri poteſt, & punitur. Hinc S. Pius V. cit. conſt. *Intolerabilis* ſtatuit, pro ſimonia confidentiæ, quam tum aliis, tum excommunicationis reſervatæ pœna, ipſo facto punit, habendam eſſe, ſi quis *beneficium eccleſiaſticum qualecumque ex reſignatione.... etiam ſola dimittentis intentione receperit, ut illud etiam in eventum regreſſus, vel acceſſus eidem dimittatur, vel alteri poſtea conferatur, aut illius fructus, vel eorum pars alii, vel aliis concedantur, vel penſiones ſolvantur.*

Ex his verbis liquido intelligitur, ex ſola reſignantis intentione oriri in accipiente ſimoniam confidentiæ pœnis obnoxiam: eſſe autem intelligendam intentionem foras prodeuntem, ut Simoniacus pœnis Eccleſiæ ſubſit, tum ex a me dictis ſuperius mox citatis, tum ex contextu hujus conſtitutionis attente, & ſæpe conſiderato, docto lectori manifeſtum erit.

Porro qui beneficium accipit, animo reſignandi penſionis cauſa, ſuum ſimoniacum animum ipſa reſignatione, & reſervata ſibi penſione ſatis prodit, ſi aliunde illum non prodiderit; ideoque in ſimoniacorum confidentiæ pœnas incurrit. Idem dicas, ſi illud acceptet, ut poſtea reſignet cum reſervatione regreſſus, ſeu acceſſus. Longior eſſe nolo. Qui ſimoniacæ confidentiæ malignitatem, & pœnas introſpicere cupiunt, conſtitutiones a me citatas Pii IV. & V. attento & præjudiciis libero animo ſæpius legant.

11. *In impedientes &c.* Lucius III. Conſt. *Rationi congruit* §. 3. refert Bullam Pauli III. qua Apoſtolicæ Se-

dis

dis majoris Pœnitentiarii auctoritatem in dubium revocantes, ſeu litterarum ejuſdem *executionem qualitercumque impedientes, aut, quominus dictæ litteræ juxta illarum formam, & tenorem debitæ executioni demandentur, impedimentum, conſilium, auxilium, vel favorem quomodolibet præſtantes*, prædictas. (quas ſupra excripſerat) *ac omnes, & ſingulas alias contra impedientes litterarum Apoſtolicarum executionem in bulla, quæ quotannis in cœna Domini legi conſuevit, contentas, & latas ſententias, cenſuras, & pœnas eo ipſo abſque aliqua alia declaratione... incurriſſe, & incurrere debere decrevit, & declaravit*; quæ omnia ipſe confirmat, & rata eſſe vult.

12. *In dantes, & recipientes* &c. Non ſolum dantes, & recipientes, ſed alii quoque hic excommunicantur. Bonif. VIII. cap. 1. t. 10. lib. 5. ext. ita loquitur. *Excommunicamus, & anathematizamus ex parte Dei omnipotentis* &c. *omnes clericos, Religioſos, & laicos utriuſque ſexus, ſive ſint familiares curiæ, ſive alii undecumque, qui* (1) *aliquod pactum fecerint*, (2) *ſeu aliquid parvum, vel magnum promiſerint*, (3) *vel promiſſionem receperint*, (4) *aut pacto, ſive promiſſione occulta, vel manifeſta, facta ſub generalibus, & plenarie non expreſſis* (e. g. promitto, tibi futurum gratum, te operam non perditurum) *ſive ſub ſpecialibus & expreſſis apertis verbis* (e. g. polliceor, me tibi daturum centum aureos) *quicquam dederint*, (5) *vel receperint magnum, vel parvum*, (6) *vel promiſſionem de quacumque re, aut utilitate propter hoc conſequenda fecerint*, (7) *vel receperint pro aliqua juſtitia, ſive gratia pro ſe, aut pro alio in cauſis, vel judiciis, ſeu aliis per litteras apoſtolicas, & quibuſcumque modis apud Sedem Apoſtolicam obtinendam. Et hanc ſententiam ad permittentes, & acceptantes, dantes, & recipientes duximus extendendam.* Hæc verba, *& hanc ſententiam* &c. cum aliquid a ſuperioribus diverſum indicent, & ſuperiora verba ad eos referantur, qui aliquid a Summo Pontifice obtinere volunt, illos innuere mihi videntur, qui promittunt, acceptant, dant, recipiunt gratia jam obtenta abſque ullis prævijs pactis, aut promiſſionibus. Hos ſcilicet excommunicatione perculſos Summus Pontifex vult, ut a Romana curia avaritiæ, & ſimoniæ ſordes prorſus exulent, nihilque fiat, niſi juſtitiæ, & caritatis cauſa.

Ait 1. pactum, tum 2. promiſſionem fecerint. At nonne, inquis, promiſſio acceptata pactum eſt? Reſp. maxime. Cur ergo, ais, addit promiſſionem? Reſp. ut intelligas, ni fallor, promiſſionem quoque non acceptatam, quoad promittentem in excommunicationem incurrere.

At quomodo accipiendum eſt illud 6. *vel promiſſionem* &c. Nam hoc idem ſonare videtur ac illud 2. *ſeu aliquid parvum, vel magnum promiſerint*. Reſp. illud 2. accipi debet de eo, qui promittit impetranti gratiam, vel juſtitiam; illud ergo 6. *vel promiſſionem* &c intelligendum eſt de promiſſione cuicumque fiat, etiamſi impetranti, ſeu impetrare conanti non fiat; vel etiam additum illud 6. eſt majoris explicationis gratia quoad rem promiſſam, quæ qualiſcumque ſit, etiamſi ſub certum pretium, aut ſub pretium non cadat, nihilominus cum promittens, tum acceptans excommunicationem non effugiat.

Subdit Pontifex, *illos quoque, qui aliquem ſciverint culpabilem in prædictis, & nobis intra dierum trium ſpatium non retulerint, vel alicui per quem ad nos verbum fideliter perferatur, ſimili decernimus ſententiæ ſubjacere*; cujus abſolutionem ſibi explicite reſervat, excepto mortis articulo; *nec etiam ad abſolutionis gratiam admittatur*, ait, *niſi prius quantum dedit, vel recepit, integraliter Pauperibus largiatur*. Huic pœnæ, & reſervatæ excommunicationi ſubeſſe decernit etiam ſcienter utentes gratia, aut juſtitia ſic obtenta, quam nullam, & irritam eſſe vult.

Hanc conſtitutionem confirmavit Gregorius XIII. cujus verba refert Bonac. p. 3. cit. p. 31. n. 1. ejuſque cenſuras, & pœnas ad eos extendit, *qui cupiditate improbi quæſtus, potentiorum ſuffragationibus adnixi, hujuſmodi negotiorum* (gratiæ, & juſtitiæ) *expeditiones, hac illac conquirentes, turpiſſime nundinantur*; 2. ad illos, qui *quos gratia præſtare arbitrantur, donis, pollicitationibuſque ambiunt*; 3. demum ad eos, qui *ſe ſuum* (gratia præſtantium) *operam, atque induſtriam pretio, & muneribus quæſiſſe affingunt... danteſque illis, & aliis ſupradictis* (in conſtitut. Bonif. VIII. expreſſis) *auxilium, conſilium, vel favorem*; hoſque omnes omni officio, & beneficio privat, infames declarat, *& inhabiles ad illa, & alia eſſe vult*.

Denique quicumque contra prædictas Bonifacii VIII. & Greg. XIII. conſtitutiones *non ſolum apud Sedem Apoſtolicam, ſed in quibuſvis Tribunalibus, & eorum quibuſcumque Judicibus etiam Laicis Almæ Urbis, ac tam in Romana Curia, quam extra eam in quibuslibet temporali ditioni pontificiæ mediate, vel immediate ſubjectis Provinciis, civitatibus, oppidis, terris, & locis delinquerint*, eidem excommunicationi, & pœnis ſubjicit Clemens VIII. *pro commiſſa nobis*, ut [illegible] apud Bonacinam p. 32. n. 3. cit.

13. *In committentes duellum* &c. De due[illegible], ſi privata auctoritate ineatur, multa ex can[illegible] actum eſt animad. 20. 21. 22. in cap. 1. tract. 4 [illegible] 3. Excommunicatio a Synodo Tridentina ſ[eſſ]. 2[illegible] 19. de ref. in quoſcumque, temporales Dom[inos qui lo]cum *ad monomachiam in terris ſuis inter Chriſtianos con[ceſſe]rint*, in pugnantes, eorumque, ut vocantur, Patrinos, in conſilium *tam in jure, quam facto dantes, aut alia quacumque ratione ad id ſuadentes, nec non ſpectatores* lata fuit, quæ tamen ibi reſervata non legitur; ſed reſervata Romano Pontifici fuerat a Pio IV. ac poſtmodum a Clemente VIII. conſt. *Illius vices*, quam integram refert Anacletus t. 5. juris can. t. 14. lib. 5. decr. p. 285. Hac porro reſervata excommunicatione punitos Clemens cit. vult non *ſolum locorum dominos, ſed etiam magiſtratus, Præſides, Locumtenentes, aut etiam militum duces, & Capitaneos in caſtris, vel extra ea, in alieno, vel hoſtili ſolo, vel cum Militibus exercitus adverſariorum monomachiam in quocumque caſu per præſentem, vel alias inſtitutiones hujuſmodi promitto permittentes, vel quantum in ipſis eſt non prohibentes, aut poſt commiſſum crimen, veniam, & impunitatem concedentes. Item omnes, & quoſcumque publice, vel privatim, palam vel occulte, in quibuſcumque locis, modis, & formis, ac caſibus ſub præſenti noſtra, & aliis prædictis conſtitutionibus, ac decreto comprehenſis ſingulare certamen*, (quo nomine intelligitur, etiamſi convenerint, ut §. 5. ſeſe explicuit, *ut non ſinguli, ſed bini, terni, aut plures hinc inde pugnent*) *quod vulgo duellum dicitur, ex compoſito ineuntes, nec non id ſcelus ſuadentes, aut provocantes, opem, conſilium, vel favorem præſtantes, equos, arma, & commeatus præbentes, aut comitantes, vel circa cartulas, ſeu libellos, litteras, nuntios, aut quæcumque alia ſcripta hujuſmodi* (etiamſi nullus effectus ſubſecutus fuerit, ut ante dixit) *quomodolibet peccantes, hujuſque delicti ſocios, de induſtria ſpectatores, patrinos, fautores, defenſores, quacumque... eccleſiaſtica, vel mundana præfulgeant dignitate*.

Hæc ex citata conſtitutione, quæ præcipua mihi viſa ſunt, depromenda duxi. Verum qui hac de re accuratius, & plenius informari cupiunt, integra conſtitutio ſæpe, & attente legenda iis eſt.

14. *In mulieres ingredientes* &c. S. Pius V. conſt. *Regularium Perſonarum* 20. inter alia ait... *diſtricte prohibentes mulieribus quidem prædictas facultates, & licentias* (ingrediendi regularium virorum monaſteria) *prætendentibus ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, poſtquam harum litterarum notitiam habuerint, a qua non poſſint abſolvi, niſi a nobis, aut Rom. Pontifice, qui pro tempore fuerit, præterquam in mortis articulo, ne dictas domos, & monaſteria ingredi audeant*. De aliis mulieribus, quæ id non audebant, nihil ait; eas tamen hac prohibitione, & pœna teneri, ex legis natura, & legiſlatoris mente colligere pronum eſt.

15. *In impugnantes inſtitutum* &c. Hæc excommunicatio continetur in Bulla Greg. XIII. *Aſcendente Domino*; quæ tamen in verbis a Bonacina relatis p. 35. q. 3. cit. reſervationem non includit. Qui hac de re certam notitiam habere cupit, ipſam conſtitutionem conſulat.

Societatis Jeſu inſtitutum a Summis Pontificibus, & a Synodo Trid. probatum impugnare, arrogantiæ ſtultitiæ eſt. Huic ſtultitiæ ſubſunt etiam, illi, qui in controverſiam illud revocant, aut improbant, quia cum civilis ſocietatis bono non concordare contendunt. Neque enim publicæ felicitati contrarium eſſe poteſt, quod animarum ſaluti utile eſt. Dixi *inſtitutum*, de quo Syn. trid. & Pontifices loquuntur; de aliis ſermonem habere, meum non eſt.

16. *In facientes jurare* &c. Greg. XIII. *Inter apoſtolicos* ait. *Illos enim, qui juramenta illicita, impoſſibilia, damnoſa, vel eccleſiaſticæ libertati, aut decretis dicti Concilii* (Tridentini) *obviantia*, quæ ſupra præſtari, reddi, & exigi vetuerat, *exigere contenderint, Epiſcopos videlicet, & alios quoſcumque pontificali dignitate præditos ſuſpendimus a divinis, Capitula vero & conventus, eorumque Eccleſias, & loca omnia interdicto eccleſiaſtico ſupponimus, ac ſingulares perſonas excommunicationis ſententia innodamus, inhabileſque facimus ad obtenta, & alia obtinenda eo ipſa, nobiſque, & Rom. Pontifici pro tempore exiſtenti relaxationem ſuſpenſionis, & interdicti, nec non abſolutionem ab excommunicationis ſententia hujuſmodi perpetuo reſervamus*. Hæc verba refert Bonac. q. 3. cit. p. 17.

18. *In rapientes* &c. Hic, ut alia jura omittam, legendum eſt cap. 42. ſeſſ. 22. de ref. Syn. Trid. ubi dicitur. *Si quem Clericorum, vel Laicorum, quacumque is dignitate etiam Imperiali, aut Regali præfulgeat, in*

tantum maiorum omnium radix cupiditas occupaverit, ut alicujus Eccleſiæ, ſeu cujuſvis ſæcularis, vel regularis beneficii, montium pietatis, aliorumque piorum locorum juriſdictiones, bona, cenſus, ac jura etiam feudalia, & emphyteutica, fructus, emolumenta, ſeu quaſcumque obventiones, quæ in miniſtrorum, & pauperum neceſſitates converti debent, per ſe, vel per alios, vi, vel timore incuſſo, ſeu etiam per ſuppoſitas perſonas Clericorum, aut Laicorum, ſeu quacumque arte, aut quocumque quæſito colore in proprios uſus convertere, illoſque uſurpare præſumpſerit, ſeu impedire, ne ab iis, ad quos jure pertinent, percipiantur; is anathemati tamdiu ſubjaceat, quamdiu juriſdictiones, bona, res, jura, fructus, & reditus, quos occupaverit, vel qui ad eum quomodocumque, etiam ex donatione ſuppoſitæ Perſonæ pervenerint, Eccleſiæ, ejuſque adminiſtratori, ſive beneficiato integre reſtituerit, ac deinde a Romano Pontifice abſolutionem obtinuerit. Uſurpare idem eſt, ac contra jus occupare, invadere; quo ſenſu illa vox accipienda mihi videtur etiam in excommunicatione 17. Bullæ cœnæ, *quive juriſdictiones &c. uſurpant*; licet alii apud Bonacinam diſp. 1. q. 18. p. t. n. 3. aliter accipiant, perinde ac ſi idem ſonet, ac occupare rem alienam, tanquam propriam, & ad ſe pertinentem. Hoc ſane innuit, at non hoc ſolum; verum etiam ſi quis occupet rem alienam, ut alienam, uti ſunt fures, raptores, quos in dictam Bullæ cœnæ excommunicationem incidere puto, an horum culpa, & violentia minor eſt, ac eorum, qui per calliditatem ſuo ſe jure uti videri volunt, dum eccleſiæ bona invadunt? Bulla cœnæ verbo *uſurpant* utitur, non ut latrones excludat, ſed ne callidi uſurpatores ab excommunicatione ſe eximant.

Item in exigentes tributa &c. Hæc excommunicatio aperte extat etiam in Bulla cœnæ, ubi loco 18. excommunicantur *quive collectas, decimas, Tallias, præſtantias, & alia onera Clericis, Prælatis, & aliis Perſonis Eccleſiaſticis, ac eorum, & Eccleſiarum, monaſteriorum, & aliorum Beneficiorum Eccleſiaſticorum bonis, illorumque fructibus, redditibus, & proventibus hujuſmodi abſque ſimili Rom. Pontificis ſpeciali, & expreſſa licentia imponunt, & diverſis etiam exquiſitis modis exigunt, aut ſic impoſita etiam a ſponte dantibus, & concedentibus recipiunt; nec non qui per ſe, vel alios directe, vel indirecte prædicta facere, exequi, vel procurare, aut in eiſdem auxilium, conſilium, vel favorem præſtare non verentur, cujuſcumque ſint præeminentiæ &c. innovantes decreta ſuper his per ſacros Canones tam in Lateranenſi noviſſime celebrato, quam aliis Conciliis Generalibus edita etiam cum cenſuris & pœnis in eis contentis.*

18. *In violantes libertatem* &c. Hac de re tum Bonacina t. 3. diſp. 2. q. 3. p. 16. tum Anacl. t. 3. juris can. tit. 49 lib. 3. decr. prolixam texunt diſputationem. Nos more noſtro, & lumine, quod ipſis non affulſit, hoc eſt conſt. *Ex quo divina* Bened. XIII. (habetur in appendice Conc. Rom. n. 25. p. 176.) nixi, eam paucis expediemus.

Ut quinam hujus criminis rei ſint, & huic excommunicationi obnoxii, percipiatur, ſcire oportet, quinam criminoſi immunitate Eccleſiæ non gaudeant; de quibus Greg. XIV. conſt. *Cum alias* anni 1591. (extat apud Anacletum loco cit. p. 616. §. 4 tit. cit.) §. 3. ita decernit: *Ut laicis ad Eccleſias, locaque ſacra, & religioſa prædicto (monaſteria, ſacella, domus regulares) confugientibus, ſi fuerint publici latrones, viarumque graſſatores, qui itinera frequentata, publicaſque ſtratas obſident, ac viatores ex inſidiis aggrediuntur, aut depopulatores agrorum, quive homicidia, & mutilationes membrorum in ipſis Eccleſiis, earumque cæmeteriis committere non verentur; aut qui proditorie proximum ſuum occiderit, aut aſſaſinii, vel hæreſis, aut læſæ majeſtatis in perſonam ipſiuſmet Principis rei, immunitas eccleſiaſtica non ſuffragetur.* Ait *laicis*; quia Clerici ex ipſa perſonæ conditione, immunitate fruuntur, juſque aſyli in ſeipſis habent.

Licet autem Anacl. loco cit. p. 628. n. 90. publicum latronem a viarum graſſatore ſecernat, reipſa tamen ſecernendus non eſt; quia illud *viarumque graſſatores, qui* &c. cum antecedente *publici latrones* copulatur veluti ſynonimum, ejuſque explicatio eſt. Hæc Gregorii verba hoc ſenſu accepta fuere a Benedicto XIII. conſt. cit., a quo etiam alterius quæſtionis ſolutionem diſcimus, dum ait. „Cum itaque prædicta Gregoriana conſtitutione cautum ſit, ut publicis latronibus, viarumque graſſatoribus, qui itinera frequentata, vel publicas ſtratas obſident, aut viatores ex inſidiis aggrediuntur, immunitas Eccleſiaſtica minime ſuffragaretur; non levis autem inter doctores emerſerit controverſia, an quis ex unico actu publicus latro, & graſſator dici poſſit, vel plures ad id actus requirantur; nos hujuſmodi controverſiam dirimere intendentes, unicam tantum graſſationem in via publica, aut vicinali admiſſam ſufficere ad hoc, ut quis publicus latro, & graſſator dici valeat, dummodo tamen graſſati mors, aut membrorum mutilatio ſequuta fuerit, tenore præſentium definimus, & declaramus.“

Greg. XIII. ait: *Aut qui proditorie &c. occiderit, aut aſſaſinii rei*. Quomodo hæc diſtinguantur, & intelligenda ſint, idem Bened. XIII. ibidem diſerte explicat, inquiens. *In crimine aſſaſinii non modo mandatarios, qui in ipſamet Gregoriana conſtitutione aperte excipiuntur, ſed etiam mandantes, qui certum præmium, aut mercedem ſive in pecunia, ſive in aliis rebus tradiderint, aut promiſerint, quamvis promiſſio nullum habuerit effectum, dummodo aſſaſinium reipſa patratum fuerit, ab eccleſiaſticæ immunitatis beneficio excludimus, ac pro excluſis perpetuo haberi volumus, & mandamus.*

Porro occidentibus, & mutilantibus in eccleſiis, earumque cæmeteriis tanquam a ſe privatos cujuſcumque eccleſiæ immunitate, addit eos, *qui ſtantes in Eccleſia, aut cæmeterio interficiunt ſtantes extra Eccleſiam, vel cæmeterium, aut ipſis membrum mutilant; nec non eos, qui ſtantes extra Eccleſiam, aut cæmeterium occidunt ſtantes intra Eccleſiam, vel cæmeterium, aut iis membrum mutilant; ac eos tandem, qui confugientibus vim iaſerunt, atque ipſos ab Eccleſia, aliove loco immuni violenter extrahunt, & abducunt.*

Excludimus pariter, inquit, *repellimus, atque privamus ejuſdem immunitatis privilegio interficientes proximum ſuum animo præmeditato, ac deliberato; falſificantes literas apoſtolicas; miniſtros montis Pietatis, vel alterius publici Telonei, aut Banci pro depoſitis Principis, privatarumque Perſonarum deſtinati, furtum, aut falſitatem in prædictis locis committentes, cujus ratione urna pecuniaria ita minuatur, ut pœnæ ordinariæ locus ſit; conflantes, adulterantes, vel tondentes quaſcumque monetas aureas, vel argenteas etiam Principum exterorum, quoteſcumque in loco, aut provincia, ubi crimen admittitur, liberum habeant uſum, & commercium, vel ipſas monetas conflatas, adulteratas, aut detonſas ſcientes ita expendere, & erogare præſumentes, ut fraudis conſcii, atque participes cenſeri poſſint; illos demum, qui ſub nomine curiæ ſeſe introducunt in alienas domos, animo ibidem perpetrandi rapinas, eaſque reipſa committunt cum homicidio, aut mutilatione membrorum alicujus ex domeſticis earumdem ædium, vel etiam extranei, quem ibi forte reperiri contigerit, dummodo homicidium, vel membrorum mutilatio ſequatur.*

His conſtitutis, nullam rationem quoad modum declarandi crimina excepta haberi decernit variarum opinionum, conſuetudinum, ac etiam declarationum S. R. E. Cardinalium immunitati eccleſiaſticæ præpoſitorum; ſed cum Epiſcopis, quibus ſolis hanc cognitionem cum Gregorio XIII. reſervatam vult, ea *ſuper delicti excepti qualitate, ac perſonæ reitate ſuppetant indicia, quæ ad capturam decernendam ſufficere videantur, tunc Curia Eccleſiaſtica ad ejuſdem delinquentis extractionem ab Eccleſia, aliiſve locis immunibus &c. procedere teneatur, extractumque ad ſuos carceres aſportari* &c. quod ſi poſt conſtet, crimen eſſe exceptum, & a reo patratum, Curiæ ſæculari reus ipſe tradendus eſt ſub forma ibi præſcripta.

Diſtricte vero interdicit *quibuſcumque magiſtratibus* &c. *& quibuſcumque perſonis*, &c. *etiamſi Imperiali* &c. *dignitate præfulgeant, ne hujuſmodi cauſis*, (ad loci immunitatem pertinentibus) *vel conficiendo proceſſus, vel inquiſitos extrahendo a locis immunibus, vel declarando crimina ab iis admiſſa, eſſe de exceptis in Gregoriana, aut in præſenti noſtra Conſtitutione, ullo pacto ſeſe ingerant, aut immiſceant.*

Quod ſi ſecus quidam attentare præſumpſeriat, omnia in irritum mittit, *ipſoſque attentantes* (quod ad rem noſtram præſentem facit) *in cenſuras, & pœnas a ſacris Canonibus, & conſtitutionibus apoſtolicis adverſus eos, qui juriſdictionem Eccleſiaſticam quoquo modo lædunt, ac violant, inflictas incurrere*, ait, *decernimus, & declaramus*. Inter has pœnas eſt excommunicatio Rom. Pontifici reſervata; ut patet evidenter, ut alia jura omittam, ex Bulla cœnæ excomm. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. Sed integra conſtitutio attentiſſime, & ſæpe legenda eſt ab iis, qui ſummi Pontificis mentem aſſequi plene volunt.

19. *In docentes poſſe fieri &c.* Apud Concinam Th. t. 9. p. 588. n. 7. Clemens VII. *Hanc propoſitionem, ſcilicet licere per litteras, ſeu internuntium Confeſſario abſenti peccata Sacramentaliter confiteri, & ab eodem abſente abſolutionem obtinere, ad minus uti falſam, temerariam, & ſcandaloſam damnavit, ac prohibuit, præcepitque &c.*

Quod ſi quis illam docuerit, defenderit, imprimi fecerit, aut etiam de ea diſputatione tractaverit, niſi forſan impugnando, vel ad praxim directe, ſeu indirecte deduxerit, præter excommunicationem latæ ſententiæ,

quam

quam ipſa facto incurrat, & a qua non poſſit, præterquam in articulo mortis, ab alio quacumque etiam dignitate fulgente, etiam S. R. E. majori Pœnitentiario, niſi a pro tempore exiſtente Rom. Pontifice abſolvi, aliis etiam pœnis arbitrio infligendis ſubjaceat. Vide, quæ indicavi animad. 4. in cap. 1. tract. 4. lib. 6.

20 *In eos, qui alterutram* &c.

Sixtus IV. cap. 2. *grave nimis* t. 12. l. 3. extr. ita loquitur. *Motu proprio* &c. *aſſertiones prædicatorum, & aliorum quorumlibet, qui affirmare præſumerent, eos, qui crederent, aut tenerent, eandem Dei Genitricem, ab originalis peccati macula in ſua conceptione præſervatam fuiſſe, propterea alicujus hæreſis labe pollutos fore, vel mortaliter peccare, aut hujuſmodi officium Conceptionis celebrantes, ſeu hujuſmodi ſermones audientes alicujus peccati reatum incurrere, utpote falſas, & erroneas, & a veritate penitus alienas, editoſque deſuper libros prædictos id continentes, quoad hoc auctoritate apoſtolica tenore præſentium reprobamus, & damnamus.*

Qui de cætero auſu temerario præſumpſerint in eorum ſermonibus ad Populum, ſeu alias quomodolibet affirmare, hujuſmodi ſic per nos improbatas, & damnatas aſſertiones veras eſſe, aut dictos libros pro veris legere, tenere, vel habere, poſtquam de præſentibus ſcientiam habuerint, excommunicationis ſententiam eo ipſo incurrant; a qua ab alio, quam a Rom. Pontifice, niſi in mortis articulo, nequeant abſolutionis beneficium obtinere.

Item motu, ſcientia, & auctoritate ſimilibus, ſimili pœnæ ac cenſuræ ſubjicientes eos, qui auſi fuerint aſſerere, contrariam opinionem tenentes, videlicet glorioſam Virginem Mariam cum originali peccato fuiſſe conceptam, hæreſis crimen, vel peccatum incurrere mortale, cum nondum ſit a Rom. *Eccleſia, & Apoſtolica Sede deciſum.* Has pœnas innovat Syn. Trid. ſeſſ. 5. in decreto de peccato originali, itemque confirmarunt poſteriores Pontifices S. Pius V. Paulus V. Gregorius XV. Alexander VII., ut videre eſt apud Natalem Alex. Th. t. 2. lib. 3. tract. 1. cap. 1. a. 1.

Item in eos, qui in concionibus &c. Hæc excommunicatio inflicta fuit a Paulo V. qui *mandat*, & *præcipit omnibus, & ſingulis cujuſvis ordinis* &c. *ut in poſterum, donec articulus hujuſmodi a S. Sede Apoſtolica fuerit definitus, vel per Sanctitatem ſuam*, & *Sedem Apoſtolicam fuerit aliter ordinatum, non audeant in publicis concionibus, lectionibus, concluſionibus, & aliis quibuſcumque actibus publicis aſſerere, quod eadem Beatiſſima Virgo fuerit concepta cum peccato originali; contrafacientes autem eadem Sanctitas ſua voluit, & declaravit ſubjacere debere, & ſubjecit cenſuris, & pœnis contentis in ſupradictis conſtitutionibus* (Sixti IV., & S. Pii V.) *ſuorum Prædeceſſorum*, & ſua (*Regis pacifici* 1616., quam innuit Nat. Alex loco mox cit.) *ipſo facto incurrendis... ulterius ſub eiſdem cenſuris & pœnis mandans, quod negativam opinionem, videlicet, quod non fuerit concepta cum peccato originali, in prædictis publicis actibus aſſerentes, aliam opinionem non impugnent, nec de ea aliquo modo agant, ſeu tractent*

Hoc Pauli V. decretum a ſe relatum (habetur apud Bonacinam diſp. 3. de ſuſp. p. 4.) Greg. XV. *ex iiſdem cauſis evitandi ſcandala* &c., *quæ oriri poſſent ex ſermonibus privatis occaſione aſſertionis affirmativæ, extendit & ampliavit etiam ad privata colloquia, & ſcripta, mandans, & præcipiens omnibus* &c. *ne de cætero... neque etiam in ſermonibus, & ſcripturis privatis audeant aſſerere, quod eadem Beatiſſima Virgo fuerit concepta cum peccato originali, nec de hac opinione affirmativa aliquo modo agere, ſeu tractare, exceptis tamen, quibus a ſancta Sede Apoſtolica fuerit ſuper hoc ſpecialiter indultum.*

Hinc intelligitur vehementiſſima Sedis Apoſtolicæ erga immaculatam Virginis Deiparæ Conceptionem propenſio, quæ ei adverſantibus intimum ſenſum quidem non adimit, at os ferme obſtruit; eoque magis quia, ut alibi adverti, Alex. VII. arma quoque e contrariæ ſententiæ manibus extorquet, & pro nihilo habenda eſſe, ſignificat. Diſſidia tamen caritati contraria prohibet, & Angelici Doctoris auctoritatem, & venerationem, ut neceſſe eſt, imminutam minime vult. Lege anim. 8. in c. 3. hujus lib. 7. Sed præſertim lege, quæ ſcripſi de immaculata B.V.M. Conceptione in cap. 1. tract. 1. lib. 3. p. 90. col. 2., ubi litem hac de re apoſtolico judicio finitam animadvertes, neque tamen Angelici Doctoris auctoritas minuitur. Videlicet ejus tempore ea quæſtio in utramque partem ſine ulla nota, & pie agitari poterat; quia momenta non ſuppetebant in hanc potius, quam in aliam partem neceſſario determinantia. At poſtquam fidelium cultus, & pietas erga Deiparam crevit, *poſt erecta* &c. (recole hic verba Alex. VII. pag. 90. recitata), opinio negans immaculatam Deiparæ conceptionem, a Summis Pontificibus Michaelis Baii propoſitiones damnantibus proſcripta fuit. Habes aliquid ſimile in D. Auguſtino. Nam ejus tempore, ut ipſe habet lib. de natura & gratia cap. 60. col. 157. tom. 10. „ utrum in „ hoc ſæculo fuerit, vel ſit, vel poſſit eſſe aliquis ita „ recte vivens, ut nullum habeat omnino peccatum, „ poteſt eſſe aliqua quæſtio inter veros pioſque Chri„ ſtianos. " Id, ut ipſe fatetur cap. 63., S. Ambroſius affirmabat. Idem dicere videtur ipſe D. Aug. lib. de perfect. juſt. cap. 6. col. 171. tom. 10., dum ait, *adjuvante gratia Dei negandum non eſſe*, hominem ſine peccato eſſe poſſe. Contra vero tract. 84. in Joann. n. 2. col. 710 tom. 3. p. 2. id negare videtur, dum inquit: *unus eſt ſolus, qui & carnem hominis habere, & peccatum potuit non habere*. Verum ſuam mentem ſuper hac re ſatis explicuit lib. de nat., & grat. cap. 36. col. 144. tom. 10., ubi ait, quod *excepta S. V. Maria, de qua propter honorem Domini, nullam prorſus, cum de peccatis agitur, haberi volo quæſtionem* &c. omnes alii Sancti, ſi fieri poſſet, interrogati, *una voce clamaſſent* „ ſi dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipſos Joann. 1. „ decipimus, & veritas in nobis non eſt. " Hæc olim quæſtio a Synodo Tridentina juxta mentem D. Auguſtini his verbis definita eſt ſeſſ. 6. Can. 23 *Si quis hominem ſemel juſtificatum dixerit ... poſſe in tota vita peccata omnia etiam venialia vitare, niſi ex ſpeciali Dei privilegio, quemadmodum de B. Virgine tenet Eccleſia, anathema ſit.*

Idem dicas de immaculata B. Virginis conceptione, de qua olim, ut D. Auguſtini verbis utar, inter veros, pioſque Chriſtianos lis eſſe poterat; quæ nunc ex apoſtolicæ Sedis definitione inter veros pioſque Chriſtianos finita eſt.

At forte quæret aliquis, quid hac de re ſentire viſus ſit S. Aug. Reſp. tom. 4. enarr. in Pſ. 34. ſerm. 2. col. 240. n. 3. Litt. B. inquit. *Maria ex Adam mortua propter peccatum, Adam mortuus propter peccatum, & caro Domini ex Maria mortua eſt propter delenda peccata.* Hinc forte Michael Baius Lovanienſis ex Lovanienſi lectione ſuam damnatam propoſitionem ſumpſit. Sed in eo D. Auguſtini textu varias lectiones notant PP. Maurini. Eraſmus habet „ Maria ex Adam, mortua propter peccatum Adæ. " M.M.SS. Vaticanus, & Colbertinus „ Maria ex Adam, A„ dam mortuus propter peccatum. " Floriacenſis denique „ Maria ex Adam primo, Adam ſecundus ortus ex „ Maria propter delenda peccata. " Itaque ex eo textu nihil colligi poteſt nobis contrarium; primaque lectio ita recte intelligitur, Maria ex Adam, mortua propter peccatum Adæ, ut habet lectio Eraſmi, non ſuum ex Adam contractum. D. Aug. cum dixit, *excepta Sancta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini, nullam prorſus, cum de peccatis agitur, haberi volo quæſtionem*, peccatum quoque originis ab ea excluſit. Ait enim ſine ulla exceptione *cum de peccatis agitur, nullam prorſus* &c. Præterea eodem tom. 10. lib. 5. contra Julianum Pelagianum cap. 15. n. 57. col. 656. veriſſime ab eo de Chriſto dictum fuiſſe affirmat „ quia qui non fecit pec„ catum, habere non potuit. Profecto enim, ſubdit, „ peccatum etiam majus feciſſet, ſi parvum habuiſſet. " At B. Virgo ex eodem D. Aug. *excepta* &c. peccatum majus non fecit: Ergo B. Virgo ex D. Aug. parvum peccatum non habuit. Ergo ex mente S. Doctoris originis peccatum non habuit. Hæc videtur fuiſſe mens S. Auguſtini.

(o) 1. *In participantes* &c. Ita Clem. III. cap. 18. *ſignificavit* t. 39. l. 5. decr., ubi ait. *Verum Clericos, qui ſcienter, & ſponte participaverant excommunicatis a nobis, & ipſos in officiis receperant, eadem excommunicationis ſententia cum ipſis non dubitamus involvi; quos etiam pro beneficio abſolutionis habendo ad nos volumus cum litterarum tuarum inſinuatione remitti.* Hoc tamen intellige, ſi excommunicati non ſint tolerati juxta primam animad. in hoc caput.

2. *In procurantes* &c. Hac de re vide dicta excomm. 4. contra Clericos art. 7., quæ tamen excomm. ex documento ibi allato reſervata non eſt.

3. *In concionatores* &c. His Leo X. conſt. *Supernæ majeſtatis* in Conc. Lat. mandat, *ut evangelicam veritatem, & S. Scripturam juxta declarationem, interpretationem, & ampliationem Doctorum, quos Eccleſia, vel uſus diuturnus approbavit, legendoſque hactenus recepit, & in poſterum recipiet, prædicent, & explanent; nec quicquam ejus proprio ſenſui contrarium, aut diſſonum adjiciant, ſed illis ſemper inſiſtant, quæ ab ipſius ſacræ Scripturæ verbis, & præfatorum Doctorum interpretationibus rite, & ſane intellectis non diſcordant.* Hac de re loquitur quoque Syn. Trid. ſeſſ. 4. decr. de edit., & uſo ſacr. lib.

2. *Tempus quoque præfixum futurorum malorum, vel Antichriſti adventum, aut certum diem judicii prædicare, vel aſſerere nequaquam præſumant; cum veritas dicat*: Non eſt veſtrum noſſe tempora, vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate.

3 Inhibet, *ne de cætero in ſermonibus ſuis publicis alia quoque futura ex litteris ſacris conſtanter prædicare, nec illa Sp. Sancto, vel divina revelatione ſe habuiſſe af-*

Digitized by Google

firmare, & alienas inanes divinationes aſſeverando, *aut alia quocumque modo tractando aſſumant*. Et hæc præcipit, & vetat ſub excommunicatione Summo Pontifici reſervata, ut teſtatur Bonac. diſp. 2. q. 5. p. 2.

4. *In Parochos* &c. Iſta excomm. lata fuit in Bulla 87. S. Pii V. teſte Sayro, Fill, & aliis. „ Verum in „ Bullario eam non inveni, & ibi forte prætermiſſa „ fuit, aut quia &c., aut quia hujuſmodi juramentum „ non ſolet nunc Parochis, aliiſque obtinentibus bene„ ficium cum animarum cura deferri. “ Ita Bonac. q. 5. cit. p. 1. p. 263.

5. *In Mendicantes* &c. Martinus IV. cap. 2. *Viam ambitioſæ* t. 8. lib. 3. ext. *ſtatuit*, *quod de cætero nullus religioſus ordinum mendicantium quorumcumque* &c. *poſſit*, *& debeat virtute cujuſcumque licentiæ etiam indulti Apoſtolici* &c. (hactenus obtentæ) *admitti*, *aut recipi per aliquos etiam Superioris Ordinis* .... *in Monachum*, *vel Fratrem alicujus ex Ordinibus Monaſticis ſupradictis*, *vel aliis expreſſis*, (S. Benedicti, Ciſtercienſis, Camaldulenſis, Vallis umbroſæ, Canonicorum Regularium S. Auguſtini, vel aliorum Monaſticorum Ordinum) *ordine Carthuſienſium dumtaxat excepto*, *ſub pœna excommunicationis*, *quam tam recipientes*, *quam recepti ipſo facto incurrant*; *& a nemine*, *niſi dumtaxat a Rom. Pontifice*, *præterquam in mortis articulo excommunicati hujuſmodi poſſint abſolutionis beneficium quomodolibet obtinere*.

Hæc quoad præterita. At quid de futuris? *In futuris autem nullus ex profeſſoribus alicujus ex ordinibus mendicantium hujuſmodi in aliquem Monaſticum ordinem* (*Carthuſienſium dumtaxat excepto*) *poſſit*, *aut debeat per quemcumque recipi*, *vel admitti virtute alicujus licentiæ vel indulti*, *abſque Sedis hujuſmodi licentia ſpeciali ſub dictis pœnis*, *& nihilominus ſecus facta non teneant ipſo jure*. Ergo, inquis, ſoli recipientes reſervatam excommunicationem incurrunt. Reſp. Summus Pontifex etiam ſupra dixit, *nullus poſſit*, *& debeat admitti*, *vel recipi*; & nihilominus *tam recipientes*, *quam recepti* excommunicationem ex ejus lege reſervatam ipſo facto incurrunt. Aperta ergo eſt ejus mens, ut etiam quoad futura indulta recepti ſint excommunicati; quia addit *ſub dictis pœnis*: quæ dictæ pœnæ etiam receptos afficiebant.

Habetur apud Anacletum t. 3. in 4. can. tit. 11. §. 2. l. 3. de cr. n. 18 p. 298.

6. *In moniales exeuntes* &c. S. Pius V. conſt. *Circa paſtoralis* ſtatuit, *aliter*, *quam ut præfertur* (morbi contagioſi, uti eſt lepra, epidemia, peſtis, curandi, vel magni incendii vitandi cauſa) *egredientes*, (moniales e clauſura) *ſeu licentiam exeundi quomodocumque concedentes*, *nec non comitantes*, *ac earum receptrices perſonas ſive laicas*, *aut ſæculares*, *vel eccleſiaſticas conſanguineas*, *vel non*, *excommunicationis majoris latæ ſententiæ vinculo ſtatim eo ipſo abſque alia declaratione ſubjacere*, *a quo præterquam a Rom. Pontifice*, *niſi in mortis articulo*, *abſolvi nequeat*. Quid tu hic, mi Lector? Cum nulla alia ex cauſa S. Pius V. velit, facultatem monialibus exeundi dari, niſi ex prædictis, cur non nulli alias cauſas allegare volunt? Videlicet Summi Pontifices, qui ſupra leges poſitivas ſunt, hujuſmodi licentiam ex aliis cauſis, prout ipſis rationi congruum videbitur, impertire poſſunt, alii non poſſunt. Nam inopinata neceſſitas, quæ locum ad ſupremum Hierarcham confugiendi non permittat, legi non ſubditur.

7. *In Religioſos*, *qui* &c. Clemens V. in Conc. Vienn. cap. 1. t. 7. lib. 5. Clem. ait, *Religioſi*, *qui Clericis*, *aut laicis Sacramentum unctionis extremæ*, *vel Euchariſtiæ miniſtrare*, *matrimoniave ſolemnizare*, *non habita ſuper his parochialis Presbyteri licentia ſpeciali*, *aut qui excommunicatos a canone*, *præterquam in caſibus a jure expreſſis*, *vel per privilegia Sedis Apoſt. conceſſis eiſdem*, *vel a ſententiis per ſtatuta provincialia*, *aut ſynodalia promulgatis*, *ſeu* (*ut verbis eorum utamur*) *a pœna*, *& culpa abſolvere quemquam præſumſerint*, *excommunicationis incurrant ſententiam ipſo facto*, *per Sedem Apoſtolicam dumtaxat abſolvendi* &c.

Illud *ſolemnizare*, idem eſt ac ſponſos matrimonio conjungere, aut benedicere, ut colligitur ex cap. 1. de ref. ſeſſ. 24. Syn. Trid., ubi ita habetur. *Si quis Parochus*, *vel alius Sacerdos*, *ſive regularis*, *ſive ſæcularis ſit*, *etiamſi id ſibi ex privilegio*, *vel immemorabili conſuetudine licere contendat*, *alterius Parochiæ Sponſos*, *ſine illorum Parochi licentia matrimonio conjungere*, *aut benedicere auſus fuerit*; *ipſo jure tamdiu ſuſpenſus maneat*, *quamdiu ab Ordinario ejus Parochi*, *qui matrimonio intereſſe debebat*, *ſeu a quo benedictio ſuſcipienda erat*, *abſolvatur*.

Illud *parochialis Presbyteri* idem eſt ac Parochi, ſeu Sacerdos ſit, ſeu non, ut ex verbis Syn. Trid. intelligitur. Quod ſi alius Sacerdos ex Parochi licentia matrimonio intereſſe poteſt, multo magis id poteſt ex Epiſcopi, aut Generalis Vicarii permiſſu.

Ait *licentia ſpeciali*; qua in re non tam verba, quam mens Summi Pontificis ſpectanda eſt, quæ ea voce *ſpeciali* eo ſpectare mihi videtur, ut fraudes, & dubia vitentur. Hinc Syn. Trid. ait ſimpliciter *ſine licentia*.

Sed illud etiam quæritur, utrum regularis ſine licentia ſpeciali, matrimonio aſſiſtens, tum excommunicationem Clementis V., tum ſuſpenſionem Syn. Trid. incurrat. Reſp. Sacerdos ſæcularis ſolam ſuſpenſionem incurrit; at regularis, ut mihi videtur, utramque; quia Syn. Trid. nulla ratione innuit, Clementis excommunicationem ſe tollere, aut in ſuſpenſionem commutare. De his rebus agit Bonac. diſp. 2. q. 9. p. 5.

(q) Hæc prohibitio, & excommunicatio lata eſt ab Innoc. II. in Conc. Lateran., & refertur cap. *Si quis ſuadente* 29. q. 4. cau. 17.

(s) Omnes quidem doli capaces, violentas manus Clericis, vel Monachis injicientes, excommunicationem incurrunt, non tamen omnes Rom. Pontifici reſervatam; qua de re lege animad. 16., & 17. in hoc cap. 2. & Reſp. 2. Buſ.

Extenditur autem ad efficaciter mandantes, *conſulentes* &c.

Efficaciter mandantes; quia cap. 6. *Mulieres* t. 39. l. 5. decr. dicitur. *Illi vero*, *qui non per ſeipſos*, *ſed eorum auctoritate*, *vel mandato alii violenter injiciunt manus in Clericos*, *ad Sedem Apoſtolicam ſunt mittendi*; *cum is committat vere*, *cujus auctoritate*, *vel mandato delictum commiſſi probatur*.

Conſulentes; quia qui conſilium dant, auctores ſunt ſceleris, eorumque auctoritate illud admittitur. At ex cap. *Mulieres* mox cit. Bonif. VIII. hujus excommunicationis reos facit eos, quorum auctoritate manus violentæ in Clericos injiciuntur. Ergo. Eſt communis ſententia teſte Bonac. diſp. 2. q. 2. p. 6. ſect. 1. §. 2. p. 184. quæ tamen non ſatis confirmatur ex cap. *Si quis* 1. de pœnis t. 8. lib. 5. Clem., ubi Clemens V. loquitur de iis, qui Pontifices injurioſe tractant.

Conſentientes. Innoc. III. cap. *Quantæ* 47. t. 39. lib. 5. dec. cit. ait. *Ne autem ſolos violentiæ hujuſmodi auctores aliquorum præſumptio exiſtimet puniendos*, *facientes*, *& conſentientes pari pœna plectendos*, *catholica condemnat auctoritas*.

Buſ. *Suo nomine factam ratihabentes*. Buſ. ait *ſuo nomine*; quia Bonif. VIII. cap. 23 *Cum quis* t. 11. lib. 5. in 6. ait. *Cum quis abſque tuo mandato manus injicit in Clericum tuo nomine violentas*, *ſi hoc ratum habueris*, *excommunicationem latam a canone incunctanter incurris*; *cum ratihabitio retrotrahatur*, *& mandato debeat comparari*.

Si vero injectio eadem tuo nomine non ſit facta, *tunc*, *licet pecces*, *ratam habendo eamdem*, *non tamen propter hoc excommunicationis ullius vincula innodaris*; *cum quis ratum habere nequeat*, *quod ejus nomine non eſt geſtum*.

Buſ. *Non impedientes*, *ſaltem ſi ex officio* &c.

Id docet Innoc. III. cap. *Quantæ* mox cit., ubi verbis relatis ſtatim ſubjicit: *Eos delinquentibus favere interpretamur*, *qui*, *cum poſſint*, *manifeſto facinori deſinunt obviare*. Buſ. addit *ſaltem*, *quia ſi ex caritate tantum* &c.

Hujus quæſtionis ſolutio ex intelligentia cit. cap. *Quantæ* pendet; cujus verba *eos delinquentibus* &c. *qui*, *cum poſſint* &c., cum ſint abſoluta, eos quoque excommunicationi ſubjicere videntur, qui ex ſola caritate obſtare obſtricti, non obſtant; & ita ſentiunt Cajet., Suar., Medina, Sayrus, Filliuc., & alii teſte Bonac. loco mox cit. prop. 2.; Ipſe vero citatis Philiarcho, Nav., Coninch, Regin., Henriq., Mol., Avila, & aliis contrarium ſentit, textumque citatum, ut alias ejus minus firmas interpretationes omittam, de iis interpretatur, qui non obſtant, cum ex juſtitia obſtare debent; quia, inquit, „ illi, qui non obſtat, cum te„ neatur ex ſola caritate obſtare, non imputantur cæ„ tera damna, nec injunguntur aliæ pœnæ; ergo ne„ que debet injungi, & imputari pœna excommunica„ tionis, tum quia, addit, non eſt in jure expreſſum. “ Innoc. enim III. novum jus non edit, ſed jus jam editum ſuis verbis declarat. Porro illa lex ab Innoc. III. citata, agentes & conſentientes pari pœna eſſe plectendos, intelligenda eſt de iis, ſine quorum conſenſu ſcelus admitti non poteſt, aut non admittitur; ſicuti conſenſus in rapinam, reſtitutionis debitum inducit non in quolibet conſentiente, ſed, ut habet D. Th. 2. 2. q. 62. a. 7. *in eo*, *ſine quo rapina fieri non poteſt*. Itaque delinquentibus quoad pœnas favent, qui *non obſtant*, *cum obſtare teneantur*, *ſicut Principes*, *qui tenentur cuſtodire juſtitiam in terra*, ut habet D. Th. loco cit., qui ad 3. ſubdit, *non ſemper ille* .... *tenetur ad reſtitutionem*, *qui non obſtat*, *ſed ſolum quando incumbit alicui ex officio*, *ſicut Principibus terræ*. Ea pari ergo ratione excommunicationis ſententia non ſemper innodatur, qui non obſtat, ſed ſolum quando incumbit alicui ex officio, ut ſunt illi, quos Buſembau nominat. Cæterum conſentientes, etiamſi jus prælationis non habeant, in excommunicationem incidere concedam, ſi

abſ-

Digitized by Google

abſque eorum conſenſu manus in Clericum non injicerentur. E. g. Titius ulturus injuriat a Clerico ſibi illatas, a Cajo amico, aut conſenguineo, aut Patrono conſenſum petit, ut ſine ejus offenſione id faciat, alioquin non facturus; Cajus autem conſentit, unde violentae manus Clerico injiciuntur a Titio; Cajum in excommunicationem incidere non dubitem. Sed aliud eſt conſentire, aliud non impedire, etiam ſi poſſis, & ex caritate debeas. Hoc alterum, quod eſt mera omiſſio, juſtitiae haud contraria, excommunicationem ex dictis inferre non puto, ſicuti infert conſenſus poſitivus, qui juſtitiae adverſatur.

Buſ. *Dicitur* 2. *Clericum; quo nomine* &c.

Eos, qui prima tantum tonſura initiati ſunt, Clericos veri nominis eſſe, nemo dubitat. Dum enim eam recipiunt, a ſaeculo ſeparentur, & in ſortem Domini vocari ejus cultui praecipuo quodam modo ſeſe devovent.

Hinc D. Hier. (habetur cap. 7. *Duo ſunt* q. 7. can. 12.) ait. *Duo ſunt genera Chriſtianorum. Eſt autem unum genus, quod mancipatum divino officio, & deditum contemplationi, & orationi, ab omni ſtrepitu temporalium ceſſare convenit, ut ſunt Clerici* &c. *Aliud vero genus eſt Chriſtianorum, ut ſunt laici* &c. At prima tonſura initiatos quis laicos dicere audeat? Sunt ergo Clerici. Quod *Clerici nomen et primum tunc imponitur*, ut ait Catech. Conc. Trid. p. 2. cap. 7. n. 23., qui prima tonſura initiatur. Quare dubitandum non eſt, quin prima tonſura initiati, ut fori, ſic Canonis privilegio gaudeant.

Clerici conjugati Canonis ne beneficio fruuntur?

Reſp. Boniſ. VIII. cap. un. *Clerici* t. 2. l. 3. in 6. ita reſpondet. *Clerici, qui cum unicis, & Virginibus contraxerunt*, ſi tonſuram, & veſtes deferant clericales, privilegium *retineant Canonis ab Innoc. Papa II. praedeceſſore noſtro editi in favorem totius ordinis clericalis*. Eos etiam ſaltem quoad criminalia judicia a foro ſeculari exemptos vult. *In caeteris autem, vel niſi (ut praemittitur) tonſuram, vel veſtes ferant clericales, etiam in praemiſſis eos gaudere nolumus privilegio clericali*.

Ut hoc privilegio gaudeant, eſt ne praeterea neceſſe, ut alicui Eccleſiae inſerviant?

Reſp. Syn. Trid. cap. 6. de ref. ſeſſ. 23. ait. *In Clericis vero conjugatis ſervetur conſtitutio Boniſacii VIII.* mox allata, *modo*, addit, hi *Clerici alicujus Eccleſiae ſervitio, vel miniſterio ab Epiſcopo deputati, eidem Eccleſiae ſerviant, vel miniſtrent*.

Idem ne dicendum de Clericis, qui caelibem vitam agunt?

Reſp. Cum Buſ. affirmant Lay:n., Suar., Bannes, Coninch, & alii teſte Anacleto t. 8. juris can. lib. 3. t. 1. § 3. n. 80. p. 12.

Reſp. De his Syn. Trid. cap. 6. mox cit. ita loquitur. *Is etiam fori privilegio non gaudeat, niſi beneficium eccleſiaſticum habeat, aut clericalem habitum, & tonſuram deferens, alicui Eccleſiae ex mandato Epiſcopi inſerviat, vel in Seminario Clericorum, aut in aliqua Schola, vel Univerſitate de licentia Epiſcopi, quaſi in via ad majores ordines ſuſcipiendos verſetur*. Cum ergo Sacra Syn. dictas conditiones in minoribus clericis poſtulet, ut fori privilegium non amittant, de Canonis privilegio ſileat, eas, ut hoc retineatur, neceſſarias eſſe, nec indicat, nec vult. Dixi *non vult*; quia ſi voluiſſet, id explicuiſſet, ſicuti quoad privilegium fori id declaravit. Hinc S. Cong. ejuſdem Sacrae Syn. ita definivit ex Paſcuccio apud Pitton. de Paroch. n. 132. & ex teſtimonio Aloyſii Ricci1, Gonz.lez, Dianae apud Anacletum loco cit. *Clerici, qui in hoc decreto Concilii*, (cap. 6. cit.) *privilegio fori privantur, privilegio tamen Canonis non intelliguntur privati*; & P. Zachario in addendis La-Croixii in hunc art. 4. Buſ. n. 313. ait. „Si „clericus caelebs ſit, neque incedat in habitu, & ton„ſura clericali, amittere illum quidem privilegium fo„ri, ſed non privilegium Canonis, reſolutum fuit a „S. Cong. 16. Oct. 1582.“

Pro hac ſententia praeter ſupradictos Anacl. citat Fagnanum, Garciam, Bellettum. Barboſam plures alios allegantem; quam appellatis Graffio, & Reginaldo ſequitur quoque Bonacina diſp. 2. q. 3. p. 6. ſeſſ. 4. n. 9. *Hinc colligi poteſt* &c.

Bonac. tamen loco cit. id limitat, ſi Clericus ab Epiſcopo ter admonitus, tonſura, & clericali veſte uti renuat; in qua ſpecie percuſſor excommunicationis fulmine non percellitur; quod confirmari putat cap. *Contingit* 45. de ſent. excomm. t. 39. lib. 5. decr. at ibi aperte ſermo eſt de privilegio clericalis fori, de privilegio canonis nihil habetur.

Verum cap. *In audientia* 25. ejuſdem t. 39. Clemens III. loquens de Clericis, *qui arma militaria* (*relicto habitu clericali*) *geſtare non erubeſcunt*, ait, quod, *cum fruſtra Eccleſiae implorat auxilium, qui committit in ipſam, & lex ſecularium Principum huic reſponſo ſatis efficax afferat argumentum, qua manifeſte cautum habetur, matronam, cujus pudicitia attentata fuerit, non poſſe injuriarum agere, ſi in veſte meretricali fuerit deprehenſa; hujuſmodi Clerici, ſi a Praelatis ſuis tertio commoniti noluerint militaria arma deponere, de privilegio Clericorum (quo pro temeraria manuum injectione facta in clericum, excommunicatus quis ipſo jure notatur, ut ſupra dixerat) ſubſidium aliquod habere non debent*; & cap. 23. *Perpendimus* idem Clemens III inquit. *Perpendimus ex litteris tuis, quod quidam Sacerdos pro eo, quod ſe Filium Regis falſo nominare praeſumpſit, & armis acceptis ſeditionem fecit, & guerram, a B. Comite juſſus eſt fuſtigari, qui poſtea ejus mandato traditus patibulo expiravit: Fr. tuae duximus reſpondendum, quod ſi memoratus Sacerdos tali modo exceſſit, & non propulſando, ſed inferendo injuriam fuit occiſus, non videtur nobis, quod interfectores ejus propter hoc ad obtinendam abſolutionem Apoſt. Sedem adire cogantur. Tu vero, qui merita perſonarum bene noſti, poenitentiam eis competentem injungas*.

Bul. *Item etiam excommunicatus, ſuſpenſus, interdictus*. Eſt ſententia communis teſte Bonacina p. 6. ſect. 3. n. 5. ratio eſt, quia clericus cenſuris irretitus, non deſinit eſſe Clericus; nec cenſurae, eum Canonis privilegio privant.

Buſ. *Degradatus verbaliter tantum*. Ratio eſt, quia ſola actualis, ſeu ſolemnis degradatio Clericum Canonis privilegio exuit; in qua Epiſcopus, (ut habetur cap. 2. *degradatio* t. 9. l. 5. in 6.) haec pronuntiat. *Auctoritate Dei Omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ac noſtra tibi auferimus habitum clericalem, & deponimus, degradamus, ſpoliamus, & exuimus te omni ordine, beneficio, & privilegio clericali*.

Dicitur 3. *Monachum, intellige* &c. Nec enim hic Monachus ſtricte ſumitur, prout innuit religioſum vitam ſolitariam agentem, & contemplationi deditam, ſed late, prout idem eſt, ac religioſus. Hinc Boniſ. VIII. cap. 21. t. 11. l. 5. in 6. pro certo ponit, violentam manuum injectionem in religioſum, excommunicationi Canonis eſſe obnoxiam. Quare non eſt dubitandum, quin religioſi, etiamſi converſi, ſeu laici ſint, Canonis privilegio gaudeant; quae eſt communis Doctorum ſententia, ut monet Bonac. diſp. 2. q. 3. p. 6. ſect. 3. n. 7.

Ita ſane, inquis: et cur percuſſor religionem ingreſſi, ſed nondum profeſſi, vulgo *Novitii*, excommunicatus eſſe dicitur, cum religioſus non ſit?

Reſp. Boniſ. VIII. cap. 8. *Religioſo* cit. ita loquitur *Quamvis autem is, qui Religionem ingreditur, religioſus cenſeri cum effectu non poſſit, donec ſit tacite, vel expreſſe profeſſus; ſi quis tamen violentas manus in eum injiciat, excommunicationis latae a Canone vinculum non evadit*.

Cur etiam moniales hoc privilegio gaudent? Reſp. Quia vere religioſae ſunt. Hinc Innoc. III. cap. 33. *de monialibus* t. 39. lib. 5. decr. ait. *De monialibus tua a nobis Fraternitas requiſivit, per quem eis ſit beneficium abſolutionis impendendum, ſi vel in ſe invicem, vel converſos, vel converſas ſuas, aut clericos etiam manus injecerunt violentas. Super hoc igitur tuae conſult. taliter reſpondemus, ut per Epiſcopum, in cujus dioeceſi monaſteria fuerint, abſolvantur*. Ubi nota, converſos quoque, & converſas inter privilegiarios numerari.

At quid ſentiendum, ais, de illa Bulembau additione, *item tertiarios* &c. *ſi* &c., *& vivant in communitate*?

Reſp. Cajetanus, & multi alii teſte Bonac. loco cit. n. 11. hoc privilegium hiſce hominibus abjudicant, ea puta ratione, quia religioſi veri nominis non ſunt. At ne religionum quoque tyrones, ſi ſtricte loquimur, religioſi ſunt; & nihilominus ex Boniſ. VIII. mox appellata qui in eos manus violentas injiciunt, excommunicationem non evadunt. At Religionum tyrones, vulgo *novitii*, inquis, viam iniere, & proximi ſunt ad Religionis ſtatum.

Reſp. Ergo proximi ſunt privilegio, de quo ſermo eſt; non tamen eo, quamdiu tales ſunt, gaudere; quod eſt Boniſacii VIII. definitioni contrarium. Quid ergo? Ergo certam hac de re judicandi regulam non habemus.

Nav., Fill., Suar., Alt., & communis ex Bonacina ſententia, hos vulgo *tertiarios*, Religionis veſte aſſumpta, ejuſque obſequiis & Superiorum obedientiae mancipatos, ac in ipſa Religione viventes, quia Religioſi vulgo habentur, & Religionis onera portant, ejus quoque privilegiis, hoc eſt canonis privilegio frui exiſtimat. Hanc opinionem valde mihi confirmare videtur Innoc. III. verba mox allatis, quibus moniales canonis excommunicationi obnoxias ponit, ſi in ſuos *Converſos* violentas manus injecerint. Qui enim ſunt illi *Converſi*, niſi homines, qui aſſumpto religionis habitu ad monialium obſequia, & ad petendam pro ipſis eleemoſynam adhibeatur, quorum meminit Bonac. loco mox cit.?

„ Similiter, Hoc eodem privilegio gaudent, “ ait Concina Th. t. 10. lib. 4. cap. 2, §. 1. n. 3. p. 466., „ Equites S. Jacobi, S. Joannis, Calatravæ, Alcantaræ, S. Lazari in Sabaudia, S. Stephani Florentiæ, „ Ordinis Chriſti in Luſitania, ut plures auctores docent. “ Quorum opinioni ego repugnare non audeo; quia, ut ait D. Th. 2. 2. q. 188. a. 3., *convenienter poteſt inſtitui aliqua Religio ad militandum, non quidem propter aliquid mundanum, ſed propter defenſionem divini cultus, & publicæ ſalutis, vel etiam pauperum, & oppreſſorum ſecundum illud Pſ. 81.* Eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris liberate. Qui tamen in hos equites manus violentas injiciunt, ab excommunicatione propter ignorantiam facile excuſari exiſtimem.

Buſ. *Item eremitas* &c. Hac de re lege, ſi lubet, Bonacinam p. 6. lect. 3. prop. 2. n. 12. *Ex quo ulterius patet* &c. & Anacletum t. 3. juris can. lib. 3. t. 1. §. 1. n. 20. & ſeq.

Si qui nomine Eremitæ, tria eſſentialia Religionis ab Eccleſia probatæ vota emittunt, hi ſunt veri nominis religioſi, & canonis privilegio ſine dubitatione fruuntur, ſicuti illi, qui ex pontificio diplomate eo donantur, aut etiam religioſi vocantur; quia eo ipſo, quod tali nomine inſigniuntur, ne nomen inane ſit, ejuſdem omnino privilegii participes fieri intelliguntur. Hoc privilegium ad eos quoque tum Bonac. tum Anacl. locis mox cit. extendunt, qui eremitico habitu ab Epiſcopo, vel regulari Prælato auctoritatem illum concedendi habente aſſumpto, Eccleſiaſticis obſequiis ſub obedientia addicti ſunt. Nec enim hi minori loco eſſe videntur, ac vulgo dicti *tertiarii*. Quod ſi monialium converſi ex Innoc. III. mox citato eo privilegio fruuntur, non video, cur hi Eremitæ eo privari jure poſſint. Nam qui ſine ulla Superiorum auctoritate hujuſmodi religioſum habitum aſſumunt, eos omni religioſo privilegio privatos eſſe, quis dubitet?

Dicitur 4. *Violentas manus injecerit*. Ergo, inquis, percutiens clericum volentem, & conſentientem in excommunicationem non incidit; quia, dum percuſſus conſentit, manus injectio violenta dici omnino non poteſt; & ex reg. 27. juris in 6. *Scienti, & conſentienti non fit injuria, neque dolus*.

Reſp. Innoc. III. cap. *Contingit* 36. t. 39. l. 5. decr. de Clericis, *qui corpora ſua ſponte ſupponunt xxx. ſeu pluribus, aut paucioribus percutientibus ſuſtum loquens, reſpondet, quod hujuſmodi manus injectio, etſi non violenta, tamen injurioſa videtur, cum ille canon non tam in favorem Clerici ordinati, quam in favorem ordinis Clericalis fuerit promulgatus.*

Hujuſmodi ergo percuſſio licet quoad percuſſum non ſit violenta, nec injurioſa, injurioſa tamen & violenta eſt quoad ordinem clericalem, ſicuti occiſio volentis occidi vim quidem & injuriam occiſo non infert, at Principi, & Reipublicæ. Quare præfata percuſſio excommunicationem canonis non effugit; quæ eſt ſententia non ſolum Buſ. & Laym. ab eo hic ca. 1. n. 5. citati, ſed teſte Bonacina ſect. 2. p. 6. n. 5. prop. 2. communis. Clericus vero conſentiens, non eſt ipſo facto excommunicatus, ſed eſt excommunicandus. Nam Innoc. poſtquam id Clericis prohibuit, ſubdit: *Si quis autem clericus poſt prohibitionem hujuſmodi ſponte ſe ſubjecerit, excommunicetur.*

At quid dicendum de Clerico ſeipſum percutiente? Reſp. hic ſermo non eſt de eo, qui pœnitentiæ, & virtutis cauſa flagellis, aut alio modo ſe cædit; ſed de illis, qui malo animo ſeipſos percutiunt, quos nonnulli ab excommunicatione immunes faciunt, quia putant canonem, de quo loquimur, diſtinctionem inter agentem, & patientem innuere. Sed cum Buſ. & Laym. ab eo n. 6. hic ca. 1. appellato affirmandum, hunc Clericum in excommunicationem incidere; quod affirmant teſte Bonac. a. 7. prop. 3. ſect. 2. cit. Nav., Sayr., Avil., Suar. Coninch, & alii.

Nam *ille canon ex* Innoc. III. *non tam in favorem clerici ordinati, quam in favorem ordinis clericalis fuit promulgatus*. At percutiens ſeipſum ex indignatione, aut alio malo affectu, injuriam facit ordini clericali: ergo excommunicationem incurrit. Sicuti ſeipſum percutiens, aut occidens a peccato excuſari non poteſt, ita ne a cenſura quidem propter peccatum inflicta immunis eſſe valet. Canon ſæpe appellatus non perſonarum diſtinctionem, quæ ad rem non pertinet, ſed injuriam Clericali ordini illatam attendit, & ſub excommunicatione prohibet.

Porro violenta manus in clericum ſuadente Diabolo injicitur, non ſolum cum pugnis, calcibus, baculo, enſe &c. læditur, ſed quotieſcumque gravis injuria, ſeu violentia circa ipſum, ſeu ejus perſonam admittitur. Hinc Innoc. III. cap. *nuper* 29. t. 39 l. 5. decr. loquens *de illis laicis, qui Clericos* (*ſine læſione tamen*) *in cuſtodia detinent publica, vel privata, vel etiam detrudunt in vincula* ait, *non credimus laicos pœnam excommunicationis evadere, quamvis per eorum factum corporalis læſio non fuerit ſubſecuta, citra quam violentia ſæpius circa clericos nequiter perpetratur*. Ex quo intelliguntur actiones, quas Buſ. ca. 1. annumerat, excommunicationi canonis eſſe obnoxias.

(l) *Non incurrit*... 2. *Si percuſſio ſit jocoſa*. Ratio ex Alex. III. cap. 1. t. 39. l. 5. decr. *quia non poteſt injecta manum violenta notari*. Buſ. *vel caſualis, v. g. ſi* &c. Idem Alex. cap. 3. t. cit. hoc quoque excipit, dum ait, *niſi forte turbam arcendo irruentem, non ex deliberatione, ſed fortuito caſu Clericum lædat*. Buſ. *item ſi percuſſio ſit ad defendendum ſe* &c. Id intellige juxta animadverſiones in dub. 3. cap. 2. tract. 4. lib. 3.

Buſ. *Si percutiatur realiter degradatus*, de quo lege mox dicta. *Vel bigamus*. *Bigamos*, ait Greg. X. in Conc. Gen. Lugdun. cap. un. t. 12. l. 1. in 6. *omni privilegio clericali declaramus eſſe nudatos* &c.

Buſ. *Vel exerceat publice* &c. *Et ter monitus* &c. Hic Buſ. corrigendus eſt ex Clemente V. qui in Conc. Vienn. cap. 1. t. 1. lib. 3. Clem. ita loquitur. *Diœceſanis locorum diſtricte præcipimus, ut Clericos carnificum ſeu macellariorum, aut tabernariorum officium publice, & perſonaliter exercentes, nominatim, & tertio moneant, ut ſic ab hujuſmodi officiis intra convenientem terminum monentium, ipſorum arbitrio moderandum deſiſtant, & quod ipſa nullo unquam tempore reaſſumant. Quod ſi taliter moniti ab his non deſtiterint, aut ipſa (ut præmiſſum eſt) exercendo reſumpſerint quandocumque, conjugati omnino, non conjugati vero in rebus, & ſi omnino incedant ut laici, in perſonis privilegium clericale, quamdiu præmiſſis inſtiterint, eo ipſo amittant.* Canon inter Clericos conjugatos, & non conjugatos diſtinguit, & perſpicuus eſt, attentione, non gloſſa indigens. De Clerico nimirum haſtenus nihil, at ſubdit.

Adverſus vero alios Clericos negotiationibus, vel commerciis ſecularibus, vel officiis non convenientibus Clericali propoſito (uti eſt ars, ſeu exercitatio mimica) *publice inſiſtentes, vel arma portantes*, (de quibus vide dicta ex Clemente III. in illud hic Buſ. *Dicitur* 2. *Clericum*) *ſic canonica ſerviore ſtudeant inſtituta, quod & illi ab exceſſibus compeſcantur hujuſmodi, & ipſi de damnabili circa hæc negligentia nequeant reprehendi*. Boniſ. vero VIII. cap. un. t. 1. lib. 3. in 6. ait. *Clerici, qui Clericalis ordinis dignitati non modicum detrahentes, ſe joculatores, ſeu goliardos faciunt, aut buſones, ſi per annum artem illam ignominioſam exercuerint, ipſo jure; ſi autem tempore breviori, & tertio moniti non reſipuerint, careant omni privilegio clericali.*

Buſ. *Vel inventus turpiter agere* &c. ita Alex. III. cap. *Si vero* 3. t. 39. l. 5. decr. inquiens. *Nec ille compellendus eſt ad Sedem Apoſtol. venire, qui in Clericum cum uxore, matre, ſorore, vel filia propria turpiter inventum manus injecerit violentas*. Secus dicendum, ſi Clericus in ſtupro, aut adulterio cum aliis non ita conjunctis deprehenſus fuerit, ut idem Alex. ſubdit.

(t) *Etſi* &c. *poteſt tamen Epiſcopus ab ea abſolvere* &c. 2. *quando percuſſio* &c. Ita Clemens III. cap. *Perveniit* 17. t. 39. l. 5. decr. dicens. *De his abſolvendis, qui Clericis non enormem, ſed modicam & levem injuriam irrogarunt, tuæ Fraternitatis arbitrio duximus committendum*. Hac de re lege, ſi opus ſit, Bonac. ſect. 5. q. 3. & p. 6. cit. n. 3. &c. uſque ad 8.

(u) Reſp. *Præcipua eſt in hæreticos* &c. quæ eſt etiam ordine prima, & ita habet. *Excommunicamus* &c. *quoſcumque Huſſitas* &c. *ac omnes, & ſingulos alios hæreticos quocumque nomine cenſeantur, & cujuſcumque ſectæ exiſtant, ac eis credentes, eorumque receptatores, fautores, & generaliter quoslibet illorum defenſores; ac eorum libros hæreſim continentes, vel de Religione tractantes ſine auctoritate noſtra, & Sedis Apoſtolicæ ſcienter legentes, aut retinentes, imprimentes, ſeu quomodolibet defendentes ex quavis cauſa publice, vel occulte, quovis ingenio, vel colore, nec non ſchiſmaticos* &c.

Ex his verbia 1. 2. & 4. conditio, quas Buſ. poſtulat, ut hæc excommunicatio incurratur, ſponte ſua exiſtunt; niſi quod illa vocula *expreſſe* a Buſ. in 2. conditione addita, ex Bullæ verbis minime eruta, delenda potius videtur, quam probanda. Nec enim hæreſis, quia non eſt aperta & explicata, (idem eſt *expreſſa*) ſed involuta, & obſcura, ſicuti ab hæreticis, ut incautos decipiant, fieri ſolet, hæreſis eſſe deſinit. Vide etiam dicta hic animad. 19.

Tertia vero Buſ. conditio, ex rei natura eſt. Nam materiæ parvitas, quæ a mortali culpa excuſat, ab excommunicatione quoque, quæ cum graviſſima pœna ſit, nonniſi ob letalem noxam inferri poteſt, liberat. Eſt communis, & vera ſententia teſte Concina Th. t. 1. p. 217. n. 5.

(x) *Non excommunicaris*. 1. *Si legas libros* &c. Ita teſte Bonac. diſp. 2. q. 2. p. 4. n. 22. ſentiunt Suar.

Azor.,

Azor., Reginal. Duardus, Filliuc., Antonius de Sooſa, Alterius, & alii præter citatos a Buſ... Ratio clara eſt, quia hæc excommunicatio in eos cadit, qui *eorum*, ſeu *eorumdem* (hæreticorum) *libros hæreſim continentes* &c. legunt. Non ergo in eos, qui catholicorum libros referentes verba hæreticorum etiam malo animo percurrunt. Id docet quoque Concina Th. t. 2. p. 256. num. 3.

(y) *Excuſat ignorantia etiam craſſa, ſi* &c. Licet ignorantia craſſa ex negligentia orta, culpæ vertenda ſit; quia tamen canon habet *ſcienter*, ab excommunicatione liberat. Ita docet quoque Bonac. p. cit. n. 8. citatis Duardo, Ugolino, Antonio de Souſa, Alterio. Idem habet Concina Th. t. 2. p. 258. n. 7.

Animadverſio I.

Et quidem poſt Concilium Conſtantienſe non tolerati ſunt hi tantum. t. *Notorius* &c. 2. *Quos nominatim* &c.

Hanc ſententiam communem, & certam appellat Anacletus t. 5. juris can. p. 333. quam ſequuntur etiam Nat. Al. Th. t. 2. p. 525. reg. 27. & Concina Theol. t. 10. p. 452. num. 5. Sed eruditiſſimus Natalis Alex. hic animadvertit conſtitutionem *Ad vitanda ſcandala* in actis Concilii Conſtantienſis non extare, ſed in Concilio Baſileenſi ſeſſ. 20. quod declarat, omnes notorie excommunicatos eſſe vitandos.

Hoc porro decretum, licet editum fuerit poſt ſchiſma, ut teſte Concina loco mox cit. refert Card. Torrecremata, qui huic Concilio interfuit, nihilominus in Concilio Lat. V. ſub Leone X. fuit approbatum, & confirmatum, ut monet idem Natalis, ideoque ratum eſt. Hinc nonnulli ab Anacleto citati putant, omnes notorie excommunicatos eſſe vitandos. Sed quia Fidelium conſuetudo habet, ut ſoli nominatim excommunicati, & notorii Clericorum percuſſores vitentur, in hac conſuetudine acquieſcendum eſſe, nec a communi Theologorum, inter quos eſt ipſe S. Antoninus, & Navarrus in Ench. cap. 27. nu. 35. nota 3. ab Anacl. pro contraria appellatus, ſententia recedendum, monent idem Nat. & Concina. Bened. XIV. de ſyn. diœc. lib. 6. cap. 5. n. 2. ait " quamvis autem per Canonem Concilii Conſtantienſis a Martino V. approbatum, qui incipit *ad evitanda*, quique in ſuo ſemper vigore permanſit, „ non obſtantibus contrariis ſubſequentibus conſtitutio- „ nibus Conciliorum Baſileenſis, & Lateranenſis &c. „ conſtitutio *Ad vitanda*, de qua agimus, " in ſuo ſemper vigore permanſit „ non obſtantibus &c., ait „ Bened. XIV. " hoc eſt probat conſuetudinem, ut ſoli nominatim excommunicati, & notorii Clericorum percuſſores vitentur.

Animadverſio II.

In Germania Catholici ſecure communicant cum iis qui notorie ſunt hæretici &c.

Non ſunt fingenda privilegia, aut exceptiones pro Germania. Ceterum P. Concina Theol. t. 10. p. 452. nu. 6. ita inquit. „ Duo requiruntur, ut quis dicatur nominatim excommunicatus vitandus. Primum, quod in ex- „ communicatione nomen exprimatur perſonæ excommu- „ nicatæ, & talibus indiciis deſignetur, ut diſtingui „ poſſit a qualibet alia perſona eodem nomine inſignita. „ Alterum, quod publice declaretur, talem eſſe excom- „ municatum, quæ declaratio, ſeu denuntiatio in pu- „ blico loco fieri debet, aut inter Miſſarum ſolemnia, „ aut affigendo chartam loco publico juxta locorum „ diverſitatem. "

Qui notorie hæretici ſunt, ut Lutherani, Calviniani &c. notorie quidem ſunt excommunicati, &, ſi vis, generice denuntiati, non tamen nominatim, ideoque neceſſario vitandi non ſunt.

Sed illud dubium eſt, utrum qui de crimine, cui excommunicatio annexa eſt, per ſententiam damnatus, & publice denuntiatus eſſet, vitandus foret. Quidam affirmant, alii negant, & utrique, ſi La Croixio fidem habere velis p. 2. art. num. 183. probabiliter. Concina n. 6. cit. probabilius putat, non eſſe vitandum, ſed neceſſarium eſſe, eum denuntiari expreſſe excommunicatum, ut ſit vitandus.

Hic in re nullum adeſt ſolidum fundamentum, quo nitamur; ideoque puto, tutiorem opinionem, ut periculum vitemus, eſſe neceſſario ſequendam.

Animadverſio III.

Effectus ejus eſt privatio ſacramentorum perceptionis.

Alter effectus minoris excommunicationis eſt privatio electionis paſſivæ ad beneficia eccleſiaſtica, ut animadvertit Concina Theol. tom. 10. pag. 465. num. 39. & Bonac. t. 3. p. 403. num. 6.

Tertius eſt privatio adminiſtrationis ſacramentorum, ita ut qui tali excommunicatione irretitus ſacramenta adminiſtrat, a peccato immunis non ſit, ut monet idem Concina num. 38. Hæc conſtant ex cap. 10. *Si celebret* t. 27 l. 5. decr., ubi Greg. IX. inquit: *Si celebret minore excommunicatione ligatus, licet graviter peccet, nullius tamen notam irregularitatis incurrit, nec eligere prohibetur, vel ea, quæ ratione juriſdictionis ſibi competunt, exercere. Si tamen ſcienter talis fuerit electus, ejus electio eſt irritanda, pro eo quod ad ſuſceptionem eorum eligitur, a quorum perceptione a ſanctis Patribus eſt privatus. Peccat autem, conferendo eccleſiaſtica ſacramenta, ſed ab eo collata virtutis non carent effectu, cum non videatur a collatione, ſed participatione ſacramentorum (quæ in ſola conſiſtit perceptione) remotus; dummodo non in contemptum eccleſiaſticæ diſciplinæ, videlicet contra prohibitionem Superioris communioni excommunicatorum pertinaciter ſe ingeſſerit; in quo caſu eſt anathemate feriendus.*

Ex his illud quoque aperte intelligitur, hujus excommunicati electionem non eſſe irritam, ut quidam falſo putarunt, ſed eſſe irritandam, ut recte docet Bonac. loco mox cit. quam ſententiam probat etiam La-Croix p. 2. tra nu. 194. multis pro ea citatis. Sed ſatis eſt textus clarus citatus.

Animadverſio IV.

Etſi excommunicatus minore excommunicatione, recipiendo aliquod ſacramentum non incurrat irregularitatem, graviter tamen peccat; adminiſtrando vero probabile eſt nec venialiter peccare.

Idem habet La-Croix p. 112. num. 190. Capiti autem cit. *Si celebret* reſpondet, quod „ dicitur talis peccare, non quia præciſe confert ſacramenta, ſed quia „ celebrat, ut ſibi ipſi conferat. Dum enim celebrat, „ conficit, & ſuſcipit, hinc mortaliter peccat. "

Reſp. Reſponſio ſane abſona, ab iis tantum admittenda, qui vel citata verba non legerint, vel quælibet tueri parati ſint. Greg. IX. verbis citatis aperte diſtinguit celebrantem a conferente eccleſiaſtica ſacramenta; & primo quidem de celebrante ait, quod *graviter peccet*. Tum non paucis interjectis ſubdit: *peccat autem* &c. An hic de celebrante loquitur, de quo ſupra locutus fuerat? Nonne expreſſe ait, & ſine limitatione, *peccat autem conferendo eccleſiaſtica ſacramenta*? Quid abſurdius, & a vero magis alienum, quam dicere, quod talis peccare dicatur, non quia præciſe confert ſacramenta, cum Greg. IX. hunc præciſe peccare dicat, conferendo ſacramenta?

Animadverſio V.

Secus ſi ſit veniale propter defectum uſus rationis &c.

Ut id melius intelligatur, notanda eſt doctrina Divi Thomæ Suppl. qu. 23. art. 3. ubi ait, *Quod quidam dicunt, quod quandocumque aliquis participat excommunicato vel verbo, vel quocumque dictorum modorum*, (Os, orare, vale, communio, menſa negatur) *ſecundum quos et communicare non licet, peccat mortaliter, niſi in caſibus a jure conceſſis.* (Hi autem ſunt: *utile, lex, humile res ignorata, neceſſe. Ut utile referatur ad verba ſalutis, lex ad matrimonium, humile ad ſubjectionem. Cætera patent*. Ita D. Th. art. 1.) *Sed quia hoc videtur valde grave, quod homo pro uno verbo levi, quo excommunicatum alloquitur, mortaliter peccet, & multis excommunicantes laqueum damnationis injicerent, quod in eos retorqueretur; ideo aliis probabilius videtur, quod non ſemper peccet mortaliter, ſed ſolum quando in crimine illi participat, vel in divinis, vel in contemptum Eccleſiæ.* Hæc ſententia communis eſt, ut advertit Anacletus t. 5. juris can. p. 334. num. 148. 149.

„ Frequens tamen communicatio, ait Concina Theol. „ t. 10. p. 463. num. 33. cum excommunicato vitando „ etiam in civilibus juxta probabiliorem ſententiam mor- „ talis eſt, ſi ſit moraliter continuata. " In hac enim ſpecie ineſſe videtur Eccleſiæ prohibentis contemptus. Hinc idem Div. Thom. ad 4. ait: *Quod quamvis participare excommunicato ſit peccatum veniale; tamen participare ei pertinaciter, eſt peccatum mortale. Et propter hoc poteſt aliquis excommunicari ſecundum jura.*

Quod autem Buſemb. addit, „ Secus ſi ſit veniale &c. „ quia pœna infligitur &c. " videtur ex arbitrio dictum, ejuſque ratio commentitia. Contra vero non intelligitur, cur minor excommunicatio incurratur propter communionem cum excommunicato, quæ ſit venialis ex materiæ levitate, non autem incurratur, ſi communio ſit venialis ex imperfecto uſu rationis.

ANIMADVERSIO VI.

An vero, qui poteſt abſolvere a veniali.... poſſit etiam ab ipſa (excommunicatione) *quidam affirmant ... & alii probabilius negant.*

Hæc quæſtio eſt de ſubjecto, ut ſcholæ ajunt, non ſupponente, Nam pro fundamento habet, ſimplices Sacerdotes non approbatos a venialibus poſſe abſolvere; quod falſum eſſe, oſtendo l. 6. tr. 4. cap. 2. dub. 2. c. 3.

ANIMADVERSIO VII.

Privat ſaltem non toleratos communibus Eccleſiæ ſuffragiis &c.

Dum Beſemb. ait, *Communibus Eccleſiæ ſuffragiis* &c. intellige iis, quæ ab Eccleſiæ Miniſtris Eccleſiæ nomine offeruntur.

At cum Buſ. dicat, *Saltem non toleratos*, quæritur, utrum tolerati ſint participes communium Eccleſiæ ſuffragiorum. La-Croix p. 14. num. 204. affirmat, & tom. 2. p. 248. n. 34. pro hac opinione multos citat aliis plurimis repugnantibus. Ejus ratio eſt, „ quia extrav. Mart. V. in Conc. Conſt. *Ad evitanda* conceditur communicatio cum excommunicatis toleratis etiam in ſacris, & divinis: ergo ſicuti licitum eſt ſepelire in loco ſacro, uti fatentur Suar. & alii, ita licite admittuntur ad Miſſam publicam, cenſeturque Eccleſia iterum admittere ad hoc, ut poſſint participare fructum. “

Reſp. Conceditur quidem communicatio cum excommunicatis toleratis etiam in ſacris, & divinis, non tamen in gratiam excommunicatorum, ſed in gratiam aliorum fidelium, ne in multis peccandi periculis verſentur, & ut ſcandala vitentur, ſicuti expreſſe ait cit. conſtitut. non Conſt., ſed Baſileenſis a Leone X. in Later. Conc. confirmata. Quare illa La-Croix concluſio, „ Cenſeturque Eccleſia admittare ad hoc, ut poſſint participare fructum, “ falſa eſt, & Eccleſiæ menti aperte contraria, quæ in dicta conſtit. ſubdit: *Per hoc tamen hujuſmodi excommunicatos, ſuſpenſos, interdictos, ſeu prohibitos non intendimus in aliquo relevare, neque eis quomodolibet ſuffragari.*

ANIMADVERSIO VIII.

At licet communis doctrina ſit .... peccare fideles &c. *contrarium tamen eſt probabile* &c.

Hoc contrarium non probabile, ſed improbabile, & falſum merito dicitur.

Certum enim eſt, eos peccare, qui alios ad peccandum inducunt: at fideles ſine cauſa neceſſitatis inducentes excommunicatos toleratos ad miniſtranda ſacramenta, eos ad peccandum inducunt; cum hi ſacramenta ſine neceſſitate adminiſtrantes, ſine dubio peccent; ergo opinio communi doctrinæ contraria, quam Buſemb. probabilem eſſe vult, eſt improbabilis, & falſa.

Facultas conceſſa a Conc. Baſileenſi communicandi cum talibus, non eſt facultas eos inducendi ad ſacramentorum adminiſtrationem. An fidelibus eſt conceſſa facultas ſupra leges Eccleſiæ, quæ excommunicatis ſacramentorum adminiſtrationem prohibent? En verba conceſſionis: *Nemo deinceps a communicatione alicujus in ſacramentorum adminiſtratione, vel receptione, aut aliis quibuſcumque divinis, vel extra, prætextu cujuſcumque ſententiæ, aut cenſuræ eccleſiaſticæ, ſeu ſuſpenſionis, aut prohibitionis ab homine, vel a jure generaliter promulgatæ teneatur abſtinere, vel aliquem vitare, niſi* &c. Hujus conceſſionis vigore quilibet poteſt quidem ab excommunicato tolerato ſacramenta ſuſcipere; at illum inducere ad ſacramentorum adminiſtrationem non poteſt. Id conſtitutio non permittit; imo id prohibet, dum ſubdit: *Per hoc tamen hujuſmodi excommunicatos* &c. *non intendimus in aliquo revelare, neque eis quomodolibet ſuffragari:* nam in aliquo relevarentur, ſi ad fidelium preces & petitionem poſſent ſacramenta adminiſtrare. Ratio ergo Buſembaum a conceſſione conſtitutionis citatæ petita, nullius prorſus momenti eſt, imo contra ipſum conſtitutio merito retorquetur.

ANIMADVERSIO IX.

Si inchoaverit, poteſt, ceteris abeuntibus, ſacrum proſequi vel abrumpere &c.

Miſſa verſatili probabilitate, „ ſi Sacerdos, inquit Concina Theol. tom. 10. pag. 456. num. 14, canonem inceperit, debet cum miniſtro ſolo Miſſam perſequi uſque ad calicis aſſumptionem, & reliqua omittere, aut in ſacriſtia, ſi aptus locus adſit, eadem perficere. “ Idem habet Nat. Alex. Theol. t. 1. p. 365. art. 4. ubi num. 6. ait, Sacerdotem in quibuſdam caſibus Miſſam non abſolventem a peccato excuſari: tum ſubdit: „ Tertius eſt, ſi Sacerdote celebrante violetur Eccleſia ante inchoationem canonis: cœpto enim canone, Miſſa in eodem altari abſolvenda eſt. Idem eſto judicium, ſi Sacerdote celebrante interdictum, aut ceſſatio a divinis denuntietur, aut notorius clerici percuſſor, vel alius excommunicatus nominatim denunciatus Eccleſiam ingrediatur, nec jubente Sacerdote egredi velit. “ In caſu violationis ita eſſe faciendum, ut monet Natalis, Rubricæ Miſſalis cap. 10. de defect. num. 2. docent; ergo idem quoque ex pari ratione præſtandum eſt, ſi excommunicatus non toleratus Miſſæ interſit, & monitus ab Eccleſia diſcedere nolit.

Quod ſi excommunicatus negligat procurare abſolutionem eo fine, ut non audiat ſacrum die feſto, peccat mortaliter omiſſione ſacri; ſecus ſi alia de cauſa negligat.

Quoad primam partem recte. Secundæ partis hæc ratio a Salmant. affertur, quia Eccleſia ſolum obligat non impeditos, nec tenetur ex vi illius præcepti auferre impedimentum. Hoc idem defendit etiam P. Viva qu. 4. a. 3. num. 6. cum aliis. „ Opinionem hanc falſam reputo, inquit P. Concina Theol. tom. 10. p. 457. num. 17. quoniam Chriſtianus eodem præcepto, quo obſtringitur audire Miſſam, tenetur etiam removere, quoad poteſt, impedimenta, quæ retrahunt ab obſervantia ejuſdem. Imo lex univerſalis obſtringit quoſcumque, ut aptos ſe reddant ad præcepta Eccleſiæ ſervanda. “ Ita P. Concina, cujus dicta non ſolum vera, ſed certa ſunt; quoniam certum eſt, tranſgreſſionem præcepti non ſolum culpæ verti, cum in ſe, ſed etiam cum in cauſa voluntaria eſt.

ANIMADVERSIO X.

Imo probabile eſt, excommunicatum .... fructus & diſtributiones non facere ſuas &c.

Buſemb. more ſuo utramque contradictoriam opinionem probabilem facit. Unde quoad ſanam doctrinam nihil colligitur.

La-Croix p. 115. num. 232. ait: „ Fructus, quos percepit ille, qui juſte excommunicatur, reſtitui debent fabricæ Eccleſiæ, vel pauperibus; diſtributiones autem quotidianæ illis, qui interfuerunt choro, niſi alicubi alia eſſet conſuetudo. “ Ita cum aliis Dicaſt. nu. 818.

In hanc ſententiam concedit quoque Concina Theol. tom. 10. pag. 460. qu. 16. Excommunicatum quotidianis diſtributionibus privari, res certa videtur, ut concedit quoque Anacletus tom. 5. juris can. p. 324. num. 66. Ratio petitur ex Syn. Trid. ſeſſ. 24. de ref. c. 12. ubi ait: *diſtributiones vero qui ſtatis horis interfuerint, recipiant: reliqui, quavis colluſione, aut remiſſione excluſa, his careant.* At excommunicati horis non interſunt, idque ex culpa ſua: ergo diſtributionibus carent. Quod ſi tolerati ſint, & facto ipſo interſint, nihilominus illis carent; quia non ex pietate, & obedientia, ſed contra pietatem, & obedientiam ex culpa interſunt; at nemo ex culpa ſua commodum reportare debet: ergo excommunicati nulla ratione diſtributiones lucrari poſſunt.

Quoad fructus annuos, ſeu, ut ajunt, groſſas, loquendo de excommunicato, qui vel per ſe, vel per alium munere ſuo fungitur, hinc inde diſputatur. Eum his fructibus ipſo facto privari, hac ratione oſtendi putat P. Concina pag. 462. num. 30. Concedunt adverſarii, beneficiarium in excommunicationem incurrere ante Judicialem ſententiam: concedunt quoque, privationem fructuum beneficii eſſe effectum excommunicationis: ergo concedant neceſſe eſt, ante ſententiam Judicis beneficiarium beneficii fructibus eſſe privatum.

Reſp. Hæc ratio mihi quidem efficax non videtur. Nam adverſarii putant, privationem fructuum beneficii non eſſe effectum excommunicationis ipſo jure illatum, ſed per Judicis ſententiam inferendum. Pœnas excommunicationem conſequentes aliunde certe peti non poſſunt, quam ex ipſius juris diſpoſitione: at ex jure definiri non poteſt, excommunicatum in privationem fructuum ipſo facto incurrere. Hac enim de re ſolum citatur cap *Paſtoralis* de appell. 53. t. 28. l. 2. decr. ubi Innoc. III. inquit: *Reſpondemus, quod, cum executionem excommunicatio ſecum trahat, & excommunicatus per denuntiationem amplius non ligetur, ipſum excommunicatum denuntiare potes, ut ab aliis evitetur, & illi proventus eccleſiaſtici merito ſubtrahantur, cui Eccleſiæ communio denegatur.* Epiſcopus Helln., cui Innoc. reſpondet, duo quæſierat, utrum ab excommunicatione jam lata appellantem in caſu, in quo ante ſententiam appellatio vires obtinuiſſet, denunciare poſſit, & ad tempus eccleſiaſticis beneficiis clericum ſpoliare. Ergo interrogans ponit, excommunicatum ipſo facto non eſſe ad tempus eccleſiaſticis beneficiis ſpoliatum, ſed

ſolum

ſolum dubitat, utrum ſpoliari poſſit. Innoc. III. ait, excommunicato merito ſubtrahi proventus eccleſiaſticos; ideoque ponit, excommunicatum non eſſe iis ſpoliatum, ſed ſpoliari poſſe ait, ſicuti poterat nondum denuntiatus denuntiari. Hic eſt illius canonis ſenſus. Hinc ſumma ita habet: *Licet excommunicatus ab excommunicatione appellet, nihilominus denuntiari poteſt, & beneficii reditibus ſpoliari.*

Si canonis ſenſus dubius eſſet, in mitiorem partem ſine dubitatione eſſet interpretandus; quia ex reg. 15. juris in 6. *odia reſtringi, & favores conveniat ampliari*: at cum canon ex dictorum ſerie ſponte ſua innuat, excommunicatum non eſſe ſui beneficii fructibus ſpoliatum, ſed ſolum merito ſpoliari poſſe, multo minus hac de re dubitandum eſt.

Hanc ſententiam Anaclatus num. 67. communiorem, & veriorem appellat, eamque ſequuntur Turnely a Concina cit., & Nat. Alex. Theol. tom. 1. pag. 515. art. 4. quam ea ratione confirmat, quia Eccleſia cui beneficii poſſeſſionem indulget, eidem acceſſoria, hoc eſt fructus attribuere cenſetur, *nam acceſſorium naturam ſequi congruit principalis*, ut habet reg. juris in 6. Huc accedit conſuetudo non ſolum Galliæ, ut habet Nat. loco citato, ſed etiam Hiſpaniæ, ut refert ipſe Concina, ubi excommunicati ante Judicis ſententiam beneficiorum fructus percipiunt; quæ conſuetudo magni certe momenti eſt, quoad rectam juris præſertim poſitivi intelligentiam. Nam ex cap. 8. *Cum dilectus* t. 4. l. 1. decr. conſuetudo approbata *optima eſt legum interpres*. Quare prædictæ ſententiæ ſine ſcrupulis adhærere nos poſſe, exiſtimo.

Animadverſio XI.

Licet pro ſemetipſo reſpondere poſſit ipſe.

Hoc falſum eſt; quia Alex. III. cap. 7. *Intelleximus* t. 1 l. 2. decr. inquit. *Quia poſtulaſti a nobis, utrum excommunicatus in judicio ſtare poſſit; reſpondemus, quod conveniri poteſt, & debet per alium reſpondere in judicio, ne videatur de ſua malitia commodum reportare.* Hinc Concina Theol. tom. 10. pag. 463. num. 32. cautius inquit: „Debet tamen (excommunicatus) per procuratorem, ſi poſſit, hoc agere, (hoc eſt reſpondere) „ non per ſe ipſum, niſi pauper fuerit.“ Quia neceſſitas a lege eum eximit.

Quod ſi non faciat, nec Judex eum repellat, valida ejus acta erunt, ſi ſit toleratus.

Recte quidem; at quid ſi toleratus non ſit? P. Concina loco mox cit. inquit: „ Valida ſunt judicia fori, „ in quo actor, teſtis, vel tabellio eſt excommunicatus „ toleratus: ſi vero vitandus ſit, etiamſi Judex laicus „ fuerit, irrita ſunt acta omnia talis fori, ut communior ſententia docet:“ quod ab Anaclato tom. 5. juris can. p. 324. num. 72. ſine controverſia traditur.

Animadverſio XII.

Acta tolerati probabile eſt eſſe valida &c.

Hanc ſententiam ſequitur quoque Nat. Alex. Theol. tom. 1. pag. 515. art. 4. *Sexto*, & Concina Theol. t. 10. pag. 458. num. 19. ubi ait: „ Nam ſi hic a partibus „ exquiratur, & licite & valide poteſt exercere actus „ juriſdictionis, ut eligere, præſentare, conferre beneficia, ob facultatem, quam conſtitutio Martini V. præbet fidelibus communicandi cum excommunicato tolerato.“ Idem habet La-Croix p. 115. num. 226.

At hæc ſententia ſatis firma meæ tenuitati non videtur. Nam laudata conſtitutio a peccato quidem liberat fideles cum excommunicato tolerato communicantes, at illis facultatem non impertit, ut juriſdictionem, qua excommunicatus etiam toleratus privatur, in ſemetipſorum gratiam eidem reſtituant. An fideles, quia cum excommunicato tolerato communicare poſſunt, publica poteſtate potiri intelliguntur, ut eidem juriſdictionem tribuant? Id ego ſane aſſequi non poſſum, ut privatorum hominum arbitrio hæc poteſtas permittatur. Hanc laudata conſtitutio nec explicite, nec implicite illis permittit; & ratio ſuadet, non eſſe permittendam. Bonum enim publicum poſtulat, ut leges ſerventur, ut nemo auctoritate ſibi a legibus adempta utatur, aut uti poſſit, ut publicæ auctoritatis uſus, reſtitutio, vis, in privatorum hominum poteſtate non relinquatur; quæ tamen relinqueretur, ſi fideles excommunicato tolerato uſum juriſdictionis tribuere, aut reſtituere poſſent, cum vellent, & ipſis commodum eſſet. Quare ego putem, acta excommunicati a partibus requiſiti non valere; imo partes requirentes peccare, quia illum ad actus ſibi prohibitos inducunt; ſicuti dixi c. 3. peccare fideles inducentes excommunicatum toleratum ad ſacramenta adminiſtranda.

Quod ſi acta excommunicati tolerati etiam a partibus requiſiti valere ex dictis non videntur, multo minus valida dici poſſunt, ſi ſponte ſua ea exerceat. Contrarium quidem tradit non ſolum Buſemb., ſed etiam Nat. loco cit. „ niſi, inquit, ita notorie in excommu„ nicationis ſententiam conſtiterit incidiſſe, ut nulla „ poſſit tergiverſatione celari.“ At quo fundamento nititur? „ Id conſtat, ait, ea conſtitutione, quæ in„ cipit *Ad vitanda ſcandala*.“ At ex illa conſtitutione, ut vidimus, permittitur quidem fidelibus communicatio cum excommunicato hujuſmodi, non tamen ipſi excommunicato quidquam de pœna excommunicationis remittitur; imo in ea additur: *Per hoc tamen hujuſmodi excommunicatos, ſuſpenſos, interdictos, ſeu prohibitos non intendimus in aliquo relevare, neque eis quomodolibet ſuffragari.* At excommunicatio juriſdictionem adimit excommunicato: ergo quia toleratur, juriſdictio ei non reſtituitur: alioquin quia toleratur, in aliquo relevaretur, & dicta conſtitutio illi ſuffragaretur; quod eſt contra ejus mentem, & verba.

Excommunicatus toleratus, privatus non eſt juriſdictione, inquit La-Croix cit. num. 226., citatque Suar. Laym. Caſtr. Krim. At hoc ſacris canonibus aperte contrarium eſt: nam Innoc. IV. cap. 1. *Romana* t. 13. l. 1. in 6. ait: *Cum Rhemen. Archiepiſcopus in officialem alicujus ſuffraganei ſui excommunicationis ſententiam ex aliqua rationabili cauſa profert, illos, qui vices ipſius gerunt, propter hoc excommunicationis vinculo non adſtringit.... Ea tamen, quæ ipſi, gerendo hujuſmodi vices, agunt, eo taliter excommunicato manente (ſi juriſdictionem tantum recipiunt ab eodem) non poſſunt obtinere vigorem.* Ex quibus verbis Sole clarius intelligitur, excommunicatum juriſdictione privari: idem conſtat ex c. 4. *Audivimus* qu. 2. cau. 24. & ex aliis canonibus. Quam juriſdictionem cum conſtitut. *Ad vitanda ſcandala* non reſtituat excommunicato tolerato, ex arbitrio dicitur, quod excommunicatus toleratus non ſit privatus juriſdictione: at acta ſine juriſdictione ſunt invalida: ergo acta excommunicati tolerati invalida ſunt.

Illud pro ſententia Nat. Alex. dici poteſt, quod Alex. III. c. 24. *Ad probandum* t. 27. l. 2. decr. ait, ſententiam Judicis conſtare, eſſe infirmandam, *ſi excommunicationis vinculo eſſet publice innodatus, quando ſententia lata fuit*: ergo ſi Judex excommunicationis vinculo publice non fuit innodatus, ejus ſententia non eſt infirmanda: ergo valida eſt.

Reſp. Sermo ibi eſt de ſententia infirmanda a Judicibus fori externi, qui de occulta excommunicatione non judicant, ſed ſolum de publica. Ceterum excommunicatio vi non caret, quia occulta eſt, nec ſuis effectibus privatur, quia non eſt publica. Hinc Anacletus tom. 5. juris can. pag. 324. num. 70. concludit, acta excommunicatorum toleratorum, ſicut ante tempora conſtitut. *Ad vitanda*, ita nunc eſſe invalida, *facta ſaltem*, inquit, *exceptione, & oppoſitione*. At exceptio vim iis non adimit, ſed ademptam ponit: ipſa enim exceptio veluti nulla, eſſet repellenda, ſi acta ex natura ſua valerent: ergo videtur concludendum, acta excommunicati tolerati eſſe abſolute, & ſine limitatione loquendo invalida.

Animadverſio XIII.

Dicitur 3. Vale, quod comprehendit omnem ſalutationem &c.

Hic primum quæritur a Buſemb. cur addat illud *ſaltem honorificam*? An diſtinguit ſalutationem quæ obſequii cauſa majoribus exhibenda eſt, ab ea quæ æqualibus aut inferioribus in benevolentiæ argumentum impenditur, illamque, non hanc prohiberi putat? Unde quæſo hanc ſuam doctrinam hauſit, aut quo ſenſu intelligendus eſt? Videlicet hoc Buſembaum dictum pro nihilo habendum eſt, niſi explicetur, & ſuis rationibus nixum oſtendatur.

Reſalutationem vero non eſſe prohibitam, verius, inquit, videtur: cui opinationi aſſentitur La-Croix p. 218. num. 276. citatis Henr. Fill. Krim. Sed hæc opinatio ridicula eſt, & puerilis. Calliſtus Papa cap. 17. *Excommunicatos* qu. 3. cau. 11. inquit: *Nec cum eis (excommunicatis) in oratione, aut cibo, aut potu, aut oſculo communicet, nec Ave eis dicat.* An qui reſalutat excommunicatos, *Ave* eis non dicit? Qui id affirmet, ridiculus ſophiſta eſt. An opinatio ſacris canonibus aperte contraria, verior eſt?

Reſalutatio, inquit Buſ. cum La-Croix, eſt ſolutio debiti. Verum ab hac ſolutione ſacri canones nos abſolvunt, eamque fieri vetant. Quamquam quodnam eſt hoc debitum? An quia excommunicati, ſalutationis communionem contra ſacras leges ſibi arrogant, debitum reſalutandi imponunt? Sed contra has puériles cavillationes pugnare, me valde tædet; quibus merito adverſantur Bonac. tom. 3. pag. 395. num. 4. & Navarrus in Ench. cap. 27. num. 20.

Imo Sayr. &c. cum Dian. ... putant probabile &c.

La-

La-Croix quoque pag. 118. num, 296. ait: „ Poſſet „ tamen quis aſſurgere v. gr. Epiſcopo, aut alii ſuperiori excommunicato tum ob conſuetudinem, tum ad „ vitandum periculum offenſæ, & damni. "

Futilia ſcilicet hæc ſunt, quaſi magis honoranda ſit perſona in legem contumax, quam ipſa lex; aut quaſi perinde non ſit ſignis, ac verbis ſalutare. An aperta non eſt mens legis, ut omnia officia urbanitatis, & civilia commercii excommunicatis ſubtrahantur? Pudet me ſane contra hæc diſputare, aut illud addere pro ſententia Buſeb. contraria multos a Bonac. appellari, eamque a Navarro communem dici locis mox citatis.

ANIMADVERSIO XIV.

Qualis non eſt, ſi caſu incidas in idem hoſpitium &c.

Si quis caſu incidat in idem hoſpitium, iter, menſam, lectum, ubi excommunicatus vitandus reperitur, ex hoc fortuito caſu jus non acquirit, ut cum eo communicare poſſit, ſed monetur, ut quoad fieri poteſt, illum vitet. Bonac. loco a Buſemb. cit. ex Suar. Sayro, Avila, & aliis ait, „ eum, qui reperitur in aliqua „ caupona, ad quam etiam divertit excommunicatus „ vitandus, poſſe in eodem cubiculo, imo in eadem „ menſa comedere, modo quiſque ſuum habeat cibum, „ nec comedat per modum ſocietatis, ſed quiſque ſuæ „ intendat refectioni; " qua in re nihil video, quod reprehendi poſſit. Ceterum in eodem lecto cubare cum excommunicato, niſi neceſſitas excuſet, non intelligo, qui permiſſum eſſe queat.

ANIMADVERSIO XV.

In caſu ſubjectionis, quomodo poſſunt filii etiam emancipati .... communicare parenti.

Natalis Alex. Theol. tom. 1. pag. 518. reg. 17. & Concina Theol. tom. 10. pag. 465. num. 37. filios emancipatos a patris excommunicati communione exclutos putant; quæ ſententia, ut ait Bonac. tom. 3. pag. 396. num. 28. eſt Avilæ, Suar. Filliuc. Conin. & aliorum. „ Concedo quidem, ait Bonac. filium emancipatum poſ„ ſe cum patre excommunicato communicare in iis, „ quæ pertinent ad filium, ut filius eſt, ut ad obedien„ tiam, & reverentiam erga patrem; nego tamen, „ poſſe communicare quoad alias actiones. Quare filius „ emancipatus extra domum habitans, non poteſt de „ novo habitare, & alias familiaritatis actiones exer„ cere cum patre excommunicato vitando. In his enim „ non eſt illi ſubjectus. "

Hæc doctrina æqua mihi videtur; quia excommunicatio patris non liberat filium ab illo Decalogi præcepto, *Honora patrem tuum, & matrem tuam*; tamen in iis, in quibus filius cum patre communicare non tenetur, ab ejus communione propter excommunicationem abſtinere tenetur.

In *caſu ignorantiæ juris, vel facti.*

Id intelligi debet de ignorantia, ſeu inadvertentia invincibili juris, & facti, non de quacumque ignorantia etiam vincibili, quæ ut a culpa, ita a pœna, quæ veluti umbra corpus conſectatur, non liberat; & ita docent Nat. Alex. & Concina locis mox citatis, & Bonac. t. 3. p. 397. num. 42.

ANIMADVERSIO XVI.

Item ſi pueri habentes primam tonſuram ſe pugnis percutiant.

Id intellige, dum Injuria pendenti, & æquo judicio gravis non ſit, ut monet ipſe Bonac. tom. 3. pag. 405. num. 13. & Concina Theol. tom. 10. pag. 468. num. 8. Nam ſi graviter ſe percutiant, excommunicationem non evadunt. In dubio autem petenda eſt abſolutio ad cautelam.

Alex. III. cap. 1. *Super eo* tit. 39. lib. 5. decr. ait: *Reſpondemus, quod ſi clerici infra puberes annos ſe ad invicem; aut unus alterum percuſſerit, non ſunt ad apoſtolicam Sedem mittendi, quia eos ætas excuſat.*

Et denique quandocumque percuſſio ob levitatem, vel imperfectionem actus non eſſet mortalis, illata laico &c.

Bonacina, ad quem Buſemb. nos mittit, loco mox citat. cum Suarezio animadvertit, actionem violentam, quæ illata laico levis eſſet, gravem eſſe poſſe, ſi clerico inferatur; ideoque excommunicationem incurri, quotieſcumque vis clerico illata hic & nunc penſatis circumſtantiis gravis eſt, & culpa mortalis, etiamſi reſpectu laici mortalis non eſſet; quæ doctrina æqua, & ſana in controverſiam vocanda non eſt. Sed quoad facta ſingularia, ſæpe dubia merito occurrunt, in quibus petenda eſt abſolutio ad cautelam.

Si fiat in tenebris, vel clericum non agnoſcas &c.

Id, ut ſupra monui, intellige de ignorantia invincibili. Nam ſi in tenebris clericum percutias, quem clericum eſſe ex circumſtantiis colligere poteras, a ſacrilega percuſſione, ideoque ab excommunicatione non excuſaris.

An idem poſſit pater, controvertitur in utramque partem probabiliter.

Quod hanc rem P. Concina Theol. tom. 10. p. 468. num. 8. ita loquitur. „ Parentes poſſunt filios clericos „ etiam in ſacris conſtitutos punire, vinculis ligare, „ in carcerem detrudere, detinere, & ea omnia exer„ cere, quæ opportuna prudenter judicantur ad illorum „ correctionem. " Neque enim, quia filius ſit clericus, aut ſacris initiatur, a parentum poteſtate, & auctoritate eximitur. Quod ſi fatente Buſembao Prælatus, & præceptor eccleſiaſticus poteſt clericos etiam in majoribus conſtitutos caſtigare ſine metu excommunicationis, quod certum eſt ex cap. 7. *Super eo*, & 10. *Ex tenore* tit. 39. lib. 5. decr. ubi Alex. III. Canonicum, qui in quemdam Subdiaconum manus injecit violentas, excommunicatum declarat, & ſubdit, *ſibique in virtute juramenti præcipias, ne de cetero clericum, monachum, vel alicujus religionis converſum manus injiciat violentas, niſi ſe defendendo, aut de mandato ſuorum fecerit Prælatorum, vel niſi ſuper eum prælationis miniſterium, aut magiſterium habeat, aut cum ipſo in eadem Eccleſia ſocius eſſe notatur:* ſi, inquam, Prælatus, & præceptor eccleſiaſticus intuitu diſciplinæ poteſt punire clericos ſacris ordinibus initiatos, cur parentes non poſſunt? An parentes deſinunt eſſe parentes, dum clerici ſacris initiantur? An minorem in eos auctoritatem habent, quam præceptores, aut Prælati eccleſiaſtici? Greg. IX. c. 54. t. 39. l. 5. decr. §. 2. eamdem poteſtatem corrigendi, & caſtigandi filios clericos patri tribuit, ac Prælatis, & Magiſtris. Quare de poteſtate non eſt ambigendum; ſed videndum, ne prudentia, & moderatio deſideretur, ne modum excedant, ne verberibus utantur, cum verba ſatis eſſe poſſunt, ne ſacrum ordinem male habeant, dum filium ſe punire dicunt.

Vel denique mulierem ipſo facto ſollicitans &c.

Ipſa quidem mulier ſollicitata excommunicationem non incurrit, ſi Clericum ſollicitantem violenta percuſſione repellat, quando tamen ſolis verbis eum repellere non poſſet, ut merito addit P. Concina Theol. t. 10. p. 468. n. 8. *Nam vim vi repellere omnes leges, omniaque jura permittunt*, ut ait Alex. III. c. 3. *Si vero* t. 39. l. 5. decr.

ANIMADVERSIO XVII.

Si percuſſor ſit impubes &c.

Si percuſſor ſit impubes, æger, ſeu valetudinarius, ſenex, mulier, cæcus, claudus, ſeu membrorum deſtitutionibus impeditus, filiusfamilias, vel non ſui juris, ac moniales, quæ etiam in Clericos violentas manus injecerint, ab Epiſcopo abſolvi poſſunt; Regulares vero, qui quocumque modo ſe in clauſtro percuſſerint, ab Abbate, ut conſtat ex cap. 1. 2. 6. 13. 33. 50. 58. 60. t. 39. de ſent. excomm. l. 5. decr.

Alios autem, inquit Clem. III. c. 13. cit. *ſive pauperes, ſive divites Sedi Apoſtolicæ, vel Legato ejus, ut beneficium abſolutionis obtineant, neceſſe eſt præſentari.*

Si vero infirmitatis tempore timore mortis beneficium fuerit abſolutionis indultum, juramento præſtito injungatur eiſdem, ut, poſtquam ſanitati fuerint reſtituti, ad Romanam Eccleſiam, vel ejus Legatum accedant, mandatum apoſtolicum ſuper talibus accepturi. Et cap. 26. *Quod de his* ait, *quod is, qui aſſerit, ſe in canonem incidiſſe latæ ſententiæ, non aliter, quam per Sedem Apoſtolicam, vel ejus Legatum abſolutionis poteſt beneficium obtinere, niſi forte in mortis articulo, vel paupertate, aut infirmitate, vel ſenectute tanta gravaretur, quod ad Eccleſiam Romanam laborem ſubire non valeat veniendi, vel ab hoc alio impedimento canonico retrahatur. Ceterum ab his in forma Sacramenti exigi conſuevit, ut reſumptis viribus, & opportunitate conceſſa, Romanam Eccleſiam in propria perſona debeant viſitare.*

Quod ad ſervos attinet, Innoc. III c. 37. *Relatum* ait: *Mandamus, quatenus eos venire compellas ad Sedem Apoſtolicam abſolvendos, cum plus ſit Deo, quam homini deferendum; niſi fecerint hoc in fraudem, ut ſubtrahant ſe obſequio dominorum, aut ipſi domini propter hoc ſine culpa ſua grave damnum incurrant; tunc enim in utrolibet caſu poteris eos ex indulgentia noſtræ proviſionis abſolvere, cum nimis ſint ab Apoſtolica Sede remoti. Sed in compenſationem laboris, quem in itinere ſuſtinerent, aliis eis ſatisfactio injungatur; dummodo non ſit tam gravis, & enormis exceſſus, ut propter vitandum ſcandalum, & tollendum exemplum, hujuſmodi ſervi ad ſervum ſervorum Dei venire debeant abſolvendi.*

De delicatis Alex. III. cap. 6. *Mulieres* ita loquitur: *De his vero, qui magnæ ſunt potentiæ, & ita delicati, quod laborem veniendi ad Sedem Apoſtolicam nequeunt ſuſtinere, reſpondemus, quod ſtatus perſonæ prius, &*

veri-

Digitized by Google

veritas negotii eſt intimanda Romano Pontifici, & ſecundum conſilium ejus tales erunt de commiſſo ſcelere corrigendi.

In dubio vero, utrum percuſſio ſit levis, a qua Epiſcopus poſſit abſolvere, an gravis, „ communiter, „ inquit Concina Theol. t. 10. p. 469. n. 9. vel benigni „ Caſuiſtæ aſſerunt, reputandam eſſe gravem. “

Si occulta percuſſio ſit, Epiſcopus quidem poteſt abſolvere ex auctoritate a Syn. Trid. ſibi conceſſa ſeſſ. 24 c. 6. Excipe tamen, ſi violenta manuum injectione violati fuerint Cardinales, Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Sediſque Apoſtolicæ Legati. Nam horum percuſſores in excommunicationem Bullæ Cœnæ §. 11. incurrunt; a qua, etiamſi occulta ſit, Epiſcopi abſolvere non poſſunt, ut oſtendi l. 6. t. 4. c. 2. dub. 4. reſp. 3.

Animadversio XVIII.

Non excommunicaris.... 2. Si in Catholici Scriptoris libro.... legas adjecta ſcholia, vel notas auctoris hæretici.

Bulla Cœnæ, quoad hoc ita habet: *Excommunicamus.... ac omnes, & ſingulos alios hæreticos, ac eorumdem libros hæreſim continentes, vel de Religione tractantes ſine auctoritate noſtra, & Sedis Apoſtolicæ ſcienter legentes, ac retinentes, imprimentes* &c. An ſcholia, ſeu notæ auctoris hæretici hæreſim continentes, vel de Religione tractantes (nam de hujuſmodi ſcholiis loquimur, quæ ſi talia non ſint, in controverſiam non veniunt) non ſunt hæreticorum libri? Videlicet dum liber alicujus, ſcholiis alterius auctus vulgatur, duo ſunt libri in unum coaliti; nec ſcholia liber eſſe deſinunt, quia alteri libro adjecta ſunt. Si ſcholia hæretica a ſcriptoris catholici libro ſeparata eſſent, eorum lectio ſine ulla dubitatione excommunicationem bullæ induceret: cur ergo non inducit, quia ſunt adjecta libro catholico? An quia ſunt adjecta libro catholico, hæretica non ſunt, virus ſuum exuunt, periculum non continent lectores corrumpendi?

Animadversio XIX.

Imo probabiliter nec ii, qui incidenter tantum continent hæreſim, non agentes ex profeſſo de fide.

Hæc Buſembaum opinatio adeo aperte falſa eſt, ut ipſe La-Croix p. 123. n. 332. contrarium explicate affirmet his verbis: „ Quamvis liber hæretici non tractet „ de Religione, ſed ſit v. g. hiſtoricus, poeticus, juridicus, medicus, philoſophicus; ſi tamen vel unicam „ contineat hæreſim, prohibetus ſub excommunicatio„ ne. Sanch. in dec. l. 2. cap. 10. n. 34. Suar. t. 5. d. 21. „ n. 10. Laym. l. 2. t. 1. cap. 14. n. 4. Bon. de cenſ. „ d. 2. qu. 5. p. 4. n. 20. Caſtropal., Krim n. 720. “ Quid enim ſibi vult illud Buſemb. *incidenter*, niſi quod hæreticus alia ex inſtituto tractans, ut hiſtorica, philoſophica &c. his præter præcipuum libri ſcopum, & objectum hæreſim permiſceat, ut ipſe Buſemb. ſe explicat, cum ait, *non agendo ex profeſſo de fide*? Bulla Cœnæ, ut ex ejus verbis mox allatis conſtat, excommunicat legentes hæreticorum *libros hæreſim continentes, vel de Religione tractantes.*

An quia hæretici liber hiſtoricus, philoſophicus &c. hæreſim incidenter continet, hæreſim non continet? An hæreſis incidens non eſt hæreſis? Bulla in prædictis verbis duas excommunicationes expreſſe includit: alteram in legentes libros hæreticorum hæreſim continentes, altera in legentes eorumdem libros de Religione agentes. Buſembau bullæ aperte contradicens, has duas excommunicationes non diſtinguit, ſed ex duabus unam ex ſuo arbitrio coagmentat, eoſque tantum excommunicatos vult, qui hæreticorum libros legunt agentes ex profeſſo de fide, & hæreſim continentes. Hæc eſt doctrina a Buſemb. probabilis appellata, reipſa aperte falſa.

Anacletus t. 5. juris can. p. 141. n. 52. Buſemb. opinionem non ſolum quoad Germanos, ſed etiam quoad alios omnino probabilem (*ſalva*, inquit n. 52. *auctoritate, & judicio Eccleſiæ*) cenſet hac ratione. „ Ubi „ univerſaliter deeſt, vel non reperitur ratio, & finis „ legis, ibi etiam deeſt, vel non reperitur, nec datur „ lex, aut obligatio, etſi verba legis eam inſinuare vi„ deantur: ſed in hæreticorum libris, qui principaliter de re profana, medicina v. g. philoſophia, hiſto„ ria, ſtatu politico &c. tractantes, unam vel plures „ hæreſes ſimpliciter dumtaxat referunt, vel eas non„ niſi obiter, breviſſime, & aperte ſubtiliter defen„ dant, univerſaliter deeſt, ac non reperitur ratio, „ & finis legis: ergo reſpectu illorum non datur lex, „ nec obligatio ipſius. “ Propoſitio, & aſſumptio ab eo probantur n. 53. 54.

Reſp. Hic non agitur de lege dubia, & obſcura, ut ejus interpretatio a legis fine quærenda ſit, ſed de lege aperta, quæ perſpicuis verbis ſub excommunicatione prohibet lectionem librorum hæreticorum hæreſim continentium. An, dum hæreticorum libri de medicina, philoſophia &c. agentes, *unam vel plures hæreſes ſimpliciter dumtaxat referunt, vel eas nonniſi obiter, breviſſime, & aperte ſubtiliter defendunt*, hæreſim non continent? Hæc ſcilicet eſt apertiſſima contradictio. Ergo eſt aperte falſum, hos libros non ſolum Germanis, ſed ab omnibus abſque ulla læſione Bullæ Cœnæ tuta conſcientia legi poſſe, niſi alia prohibitio obſtet, ſicuti affirmat Anacl. n. 51.

Hæc aperta prohibitio facta eſt etiam in odium hæreſis, & auctorum hæreticorum, ut recte animadvertit La-Croix p. 122. num. 328. ideoque etiamſi periculum prolapſionis in hæreſim ab horum librorum lectione abeſſet, nihilominus vetita eſt, ſicuti vetita eſt etiam doctis Theologis, & firmis in fide lectio librorum hæreticorum hæreſes ex inſtituto tuentium, etiamſi inde nullum immineat ſubverſionis periculum. Videlicet cum lex aperta eſt, non ſunt quærendæ rationes contra ipſam, quia non arridet, ſed obſervanda, quia lex eſt.

Ceterum in eo quoque Anacletus fallitur, quod a lectione dictorum librorum ſubverſionis periculum univerſe abeſſe putet. Hæreſis enim virus facile ſerpit, ac in animos hominum curioſorum, infirmorum, ſemidoctorum, quorum numerus non eſt exiguus, latenter ſe ſe inſinuat. Aliud eſt, ſcire, audire, aut legere in catholico Theologo, hæreticos e. gr. (ut Anacleti exempli utar) purgatorium negare, matrimonium non eſſe Sacramentum aſſerere; aliud has ipſas hæreſes in hæreticorum libris oculis, & animo percurrere. Catholici Theologi hæreſes quidem referunt, at ſimul eas abominantur, & pro re nata confutant; at hæretici, dum aliud agentes, ſuas hæreſes obiter attingunt, non ſolum earum virus tegunt, ſed eas ſub venuſta facie legentium oculis objiciunt, probataſque ex antecedentibus, & conſequentibus, quibuſcum aliquo nexu colligantur, volunt. Quare, dum per hujuſmodi technas, & inſidias imparatos, incautos, infirmos animos legentium adoriuntur, magnum periculum creant; quod majus fit, ſi ſubtilibus cavillationibus eas munire per diabolicum artificium nitantur. Hujuſmodi cavillationes non ſunt, ut falſo ait, & ponit Anacletus, apertæ, ſed inſidioſæ, & occultæ, quæ ipſis doctiſſimis Theologis negotium quandoque faceſſunt. Quare ſummi Pontifices, ut fideles his periculis ſubducerent, & ne hæreſum monſtra propagarentur, impedirent, ſub excommunicationis ſibi reſervatæ pœna ſapientiſſime prohibuerunt, ne ſine Apoſtolicæ Sedis licentia hæreticorum libri, hæreſim continentes legerentur.

Quamquam La-Croix univerſe loquendo hac de re recte dicat, ut ſupra retulimus; addit tamen eodem num. 332. „ Sed pro his partibus ſeptentrionalibus pau„ lo mitius eſt loquendum; unde Laym. c. 15. num. 3. „ Dicaſt. n. 1277. Stoz t. 2. p. 3. n. 534. & alii recte „ notant pro praxi cum Buſemb. prohibitionem non eſſe „ hic in eo rigore receptam. Nam paſſim in bibliothe„ cis inveniuntur tales libri, & quamvis per accidens „ habeant aliquas hæreſes inſperſas, leguntur etiam a „ timoratis ſine ſcrupulo. “

Reſp. In partibus ſeptentrionalibus, ubi remedium contra hæreſes graſſantes magis neceſſarium eſt, quam alibi, mitius illud adhiberi vult La-Croix. In bibliothecis non ſolum inveniuntur hæreticorum libri de philoſophicis, medicis, hiſtoricis &c. rebus, ſed etiam de ipſa fide, & religione ex inſtituto agentes, eamque impugnantes, at ex licentia Sedis Apoſtolicæ, ſine qua retineri non poſſunt. Nam pii homines libros ab Apoſtolica Sede prohibitos ſine ejus facultate non legunt; quos ſi abſque hujuſmodi facultate legant, hac certe in re pii, & probi non ſunt, ſed laxæ, & malæ conſcientiæ. La-Croixii rationem ex Laym. totidem fere verbis deſumptam *aliquoties non abſque juſta indignatione*, inquit ipſe Anacletus t. 5. juris can. p. 143. num. 80. *& audivimus, & legimus in quibuſdam recentioribus Scriptoribus, nullum aliud fundamentum afferentibus, quam quod ita dicat Layman, quem pium ſolum allegant.*

At Laym. non eſt ſcriptor canonicus, ut ejus auctoritatem venerari debeamus. Doctus ille quidem eſt, & inter probabiles moderatus, at probabilis, hoc eſt probandus, & rejiciendus, prout ratio, & major auctoritas dictaverit. Ratio, quam hoc loco affert, fundamento aperte futili, & falſo nititur. Ponit enim, legum vim, & poteſtatem a ſubditorum acceptatione, hoc eſt voluntate pendere, quo nihil abſurdius cogitari a nonnullis probabilibus potuit, ut alibi oſtenſum eſt; præſertim vero ſi loquamur de legibus ſummorum Pontificum, quorum auctoritas a Chriſto proxime derivatur, juxta illud Matth. 16. v. 18. *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Et tibi dabo claves regni cælorum. Et quodcumque*

Digitized by Google

que ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cælis &c.

Quod ſi quis ab hujuſmodi evidenter vana, & falſa ratione abſtinens, contrariam partium ſeptentrionalium conſuetudinem objiciat, dicimus, conſuetudinem legi derogare non poſſe, niſi ſit rationabilis, & legitime præſcripta: at rationabilis eſſe nequit conſuetudo contraria prohibitioni ex natura ſua eo tendenti, ut catholica fides conſervetur, & ne hæreſis propagetur, uti eſt prohibitio, de qua loquimur. Præterquamquod hanc objectionem exſufflant ipſi ſummi Pontifices, qui Bullæ Cœnæ prohibitiones, & excommunicationes valere volunt *non obſtantibus .. conſuetudinibus etiam immemorabilibus, ac præſcriptionibus quantumcumque longiſſimis, & aliis quibuſcumque obſervantiis ſcriptis, vel non ſcriptis, per quæ contra hos noſtros proceſſus, ac ſententias, quominus includantur in eis, ſe juvare valeant, vel tueri.*

A N I M A D V E R S I O XX.

Probabilior non excommunicatur, qui hæreticam concionem, aut epiſtolam ſeorſim editam legit.

Quid ſi ſummi Pontifices velint, lectores hæreticæ concionis, aut epiſtolæ ſeorſim editæ eſſe excommunicatos? An jactata Buſemb. probabilitas eos ab apoſtolico fulmine immunes præſtabit? An plus valebit probabilitas, quam illud Chriſti Matth. 16. *Quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cælis?*

Ipſe La-Croix p. 123. num. 337. probabiliorem habet ſententiam Buſembao contrariam; & quamvis, dum ita loquitur, juxta ſuam verſatilem indolem Buſembaum non improbet, ſana tamen doctrina illum improbandum intelligit. Quæro enim, utrum qui legit hæreticam concionem, aut epiſtolam cum aliis hæretici hominis ſcriptis conjunctam, in excommunicationem incidat? Hoc ſcilicet omnes communiter affirmant fatente La-Croix num. cit., & res evidens eſt: at cur in excommunicationem non incidit, ſi eam ſeorſim editam legat? Quia, inquit Buſemb. non eſt liber. Præclare enim vero; at ne conjuncta quidem cum aliis ſcriptis liber eſt, ſed libri pars: ergo ne ſi legatur quidem conjuncta, excommunicationem infert. Ita ne vero Pontificum mens eluditur, eorumque legi illuditur? An Pontifices excommunicant lectores hæreticorum librorum propter voluminis molem, non propter pernicioſos errores, qui tam in magnis, quam in parvis eorum libris continentur? An concio, aut epiſtola hæretica ſeparata ſuum virus amittit? An periculum ſeducendi lectorem non continet? An hæretica eſſe deſinit? Si commentum, quod Buſemb. nobis veluti probabile obtrudit, nec abnuit La-Croix, probandum foret, jam catholici integra hæreticorum, & magna volumina ſine ullo excommunicationis metu legere poſſent, dummodo ſingulas hæreticas diſputationes ſeorſim edendas curarent. Sed mittamus quæſo tam abſurda inventa, quæ, ut ego quidem ſentio, nimis craſſa ſunt, nec confutatione digna.

A N I M A D V E R S I O XXI.

Imo ſecundum Sanch.... nec integra pagina etiam magni voluminis &c.

Buſemb. de more contrarias affert opiniones, ut quiſque eam, quæ ſibi commodior viſa fuerit, hoc eſt periculoſam eligat. An periculoſum non eſt, integram paginam magni voluminis ab hæretico de ſuis erroribus ſcribente exaratam legere? Quot, & quænam hæreſum monſtra, quæ, & quam ſubtilia artificia ad perdendas animas dæmone inſufflante excogitata in integra magni voluminis pagina inveniri poſſunt? Quonam ſolido fundamento dicere poſſumus, ſummos Pontifices excommunicantes eos, qui libros hæreticorum de religione agentes, aut hæreſim continentes legunt, ab hac pœna excuſatos velle, qui integram paginam hæreticam magni voluminis legunt? An qui integram hujuſmodi paginam legunt, vere, & ex æquo ſenſu librum hæretici non legunt?

Si La-Croixio fatente, & ut revera eſt, lectio libri hæretici, etiamſi de religione non agat, dum tamen vel unicam hæreſim contineat, ſub excommunicatione prohibetur, multo magis ſub excommunicatione prohiberi lectionem integræ paginæ magni voluminis, quæ nihil contineat, niſi hæreſes, putandum eſt.

Ego quidem, cum de peccato agitur, utrum ſit veniale, an mortale, ægre quidquam definire ſoleo, & debeo: at in re præſenti penſatis verbis, & mente ſummorum Pontificum hæreſes, & hæreticos ut tales quam maxime execrantium, penſato periculo legentium integram paginam magni voluminis, hæreſes, & diabolica hæreticorum artificia continentem, non intelligo, qui hujuſmodi lectio æquo judicio levis, & minuta judicari poſſit, & a pontificia excommunicatione immunis. Quare non ſine graviſſimo fundamento Confeſſarios me monere poſſe exiſtimo, ne hujuſmodi lectores ſine Apoſtolicæ Sedis licentia abſolvant.

Hinc ipſa La-Croix p. 123. num. 340. poſtquam alias hac de re opiniones retulit, ſubdit: Sed Marchant. in „ trib. t. 2. tr. 2. tit. 3. q. 2. & Sporer in mor. tr. 2. „ c. 5. n. 28. melius dicunt, in hac re attendendam eſſe „ materiam *non ſecundum ſe; ſed ſecundum finem* „ *prohibitionis, qui præcipue eſt periculum perverſionis*. „ (Rectius dixiſſent, non tam ſecundum ſe, quam ſe- „ cundum finem prohibitionis.) Hinc ſi aperias librum „ hæreticum, & incidas in rem, quæ directa eſt hæ- „ reſis, vel contra fidem, dicendum eſt cum Toleto, „ te peccare mortaliter, & excommunicari; licet legas „ paucas lineas, quia & periculo te exponis, & agis „ contra totum finem legis." Hæc Toleti doctrina, quam La-Croix probat, mihi veriſſima videtur. Subdit La-Croix: „ Si autem advertas, materiam eſſe indiffe- „ rentem, dicendum eſt cum Sanch., te non peccare „ mortaliter, licet legas paginam, & forte amplius." Hæc vero ſententia mihi ſuſpecta, & dubia eſt.

Et primo quidem in eo falli mihi videtur La-Croix, ut judicium doctrinæ pernicioſæ, & adiaphoræ in libro hæretico permittat lectori ſine diſcrimine, qui venenum facile ebibere poteſt, dum lac ſibi guſtare videtur.

Secundo lectio libri hæretici quatenus periculoſa, jure divino, & naturali vetita eſt. Ex periculo præſertim hujus lectionis orta quidem eſt eccleſiaſtica prohibitio; at eccleſiaſtica prohibitio non eſt conditionata, hoc eſt ſi liber cum periculo legatur, quod forte adeſt, etiam cum abeſſe creditur, ſed abſoluta. Quare a culpa mortali, & excommunicatione non excuſat, niſi materiæ parvitas, etiamſi qui ex bono fine, aut curioſitate legit, a periculo abeſſe ſibi videatur. Nunc quæritur, utrum lectio paginæ, & forte amplius ſit ex æquo judicio parva materia. An dubitari de hoc poteſt, etiamſi pagina ſit in folio? Ego nihil hic minute definio, ſed judicium æquis, ac prudentibus, piiſque viris relinquo. Periculum mortalis peccati, & excommunicationis videre mihi videor; ideoque ab hujuſmodi lectione valde abſterreo, & Confeſſarios moneo, ne abſolutionem diſcrimini objiciant.

A N I M A D V E R S I O XXII.

Non incurritur, ſi retineantur libri parvo tempore &c.

Idem docet La-Croix p. 124. n. 348. citatis Sanch., Duard., Regin, Caſtrop., Gord., Dian., Pignat., Sporer. Sed animadvertendum eſt, probabiles ad excuſandum eſſe faciles, & pronos. Libri hæretici retentio per unum alterumve diem; præterquamquod prohibita ſine dubio eſt, & forte æquo judicio non eſt exigua mora, periculum lectionis continet præſertim in homine otioſo, curioſo, rerum novarum, & ignotarum cupido; ideoque allata opinio Buſemb., La-Croix, & aliorum magis ſuſpecta, quam tuta merito haberi poteſt. Illud certum eſt, hujuſmodi peſtiferos libros inſtigatore, & adjutore dæmone conſcriptos maxime averſari, eoſque, ſi forte in manus inciderint, igni tradere, etiamſi multi pretii ſint, exemplo eorum, de quibus Act. 19. dicitur. *Multi autem ex eis, qui fuerant curioſa ſectati, contulerunt libros, & combuſſerunt coram omnibus, & computatis pretiis illorum, invenerunt pecuniam denariorum quinquaginta millium.*

La-Croix n. 351. ait: „ Qui petivit, & expectat li- „ centiam legendi tales libros, poteſt *tantiſper* retine- „ re, donec licentia data ſit, vel negata, dummodo „ reſponſum *quam primum* expectetur, Very ſupra. Si- „ militer qui paratus eſt tradere, poteſt expectare oc- „ caſionem, ut tradat, *dummodo non intercurrat longum* „ *tempus*, Very ſupra; imo Pignat., & Stoz num. 539. „ dicunt, ſi commoditas tradendi deeſſet, & illa abſ- „ que fraude, & negligentia diu expectaretur, non in- „ currendam cenſuram; *quia non dicitur vere retinere* „ *contra præceptum Eccleſiæ, qui expectat opportunum* „ *tempus tradendi.*"

Hæc ſane ratio, *quia non dicitur* &c. non ſolum aperte falſa eſt, ſed ridicula, & contradictoria. An vere librum hæreticum non retinet contra Eccleſiæ præceptum, qui illum domi vere habet? An Eccleſia permittit librum hæreticum retineri, cum id prohibeat? An expectatio temporis opportuni tradendi alteri librum hæreticum, jus tribuit illum retinendi? Ubinam Eccleſia, quæ abſolute prohibet retineri libros hæreticos, licentiam tribuit eos retinendi, donec opportunitas adſit eos tradendi aliis? Illa ratio *quia non dicitur* &c. ponit eſſe neceſſitatem a lege excuſantem retinendi librum hæreticum, quamdiu non adſit opportunitas illum tradendi alteri; quaſi Eccleſiæ mens ſit, ne hæretici libri pereant, neve igni tradantur. Ergo illa ratio, *quia non dicitur* &c. eſt aperte ſophiſtica, ideoque opi-

Google

opinio, quæ aa nititur, falſa, & commentitia. Quare rejicienda quoque eſt ea doctrina, *ſimiliter qui paratus eſt tradere, poteſt expectare occaſionem, ut tradat*: nam, dum Eccleſia vetat, ne liber hæreticus retineatur, aperte vetat, ne expectatur occaſio tradendi illum altari; quia dum expectatur hæc occaſio, liber retinetur. Ergo exploſis his vanis prætextibus liber hæreticus, niſi aliis honeſte, & ſine culpa dari poſſit, ſtatim ac in manus forte venerit, eſt lacerandus, projiciendus, comburendus. At La-Croix inquit, expectari poſſe occaſionem tradendi librum altari, *dummodo non intercurrat longum tempus*. Quid eſt illud longum tempus? An decem anni, ſex, quatuor? An ſexdecim menſes, tredecim, decem? Mittamos quæſo hujuſmodi arbitraria commenta, & faciamus, quod lex præcipit, niſi peccatum mortale, & excommunicationem a lege latam incurrere volumus.

Item prima illa La-Croixii ſententia, *qui petivit* &c. explodenda eſt. Quia non petitio licentiæ, ſed licentia impetrata jus dat retinendi libros hæreticos; quos qui retinere vult, neceſſe eſt, ut prius licentiam impetret, ac tum eos comparet. Nam qui eos comparat, ac retinet ſine licentia, qui a licentia petita eſt, & expectatur, legem apertiſſime violat, & excommunicationem incurrit. At ſaltem *tantiſper* retineri poteſt, quia *quam primum* reſponſum expectatur. An dum *tantiſper* retinetur, non retinetur? An non retinetur, quia *quam primum* reſponſum expectatur? Hæ ſcilicet ſunt apertiſſimæ cavillationes, legem ludificantes.

P. Zach. Hanc meam poſtremam *item prima illa*.... *quia non petitio*... La Croixii refutationem ita reprehendit. „ Verius dicam ego, cavillationes haſce tuas, legem plus æquo arctare. Primo ſumis, librum comparari, ac retineri, quaſi vero non poſſet quis librum hæreticum vel ex hæreditate adquirere, vel domi a multo tempore habere, primum autem in eum incidere, illumque hæreticum noſſe. "

Spec. v. p. cxxx.

Reſp. hæ omnes ſpecies quoad mores idem ſunt; & quod de prima, cujus ego memini, dicitur, de reliquis dicendum eſt

Zach. „ Sumis deinde, comparari librum poſt impetratam licentiam. At quid, ſi dum Roma facultas expectatur, occaſio bibliothecæ inſignis comparandæ ſe mihi offerat, nec venditor petitæ licentiæ adventum expectare aut velit aut poſſit? An *cum tanto detrimento* lex illa me obligat, in cujus fraudem nihil admitto, quum petita ſit facultas, eaque brevi adventura ſit?

Hoc eſt aſſirmo, librum poſt impetratam licentiam eſſe comparandum.

Reſp. Illud tuum *cum tanto detrimento* non eſt detrimentum, ſed lucri ceſſatio. An lucri quoque cauſa contra legem ire licet?

Si venditor ne brevi quidem tempore expectare velit, aut ab emptione abſtine, aut libros hæreticos excipe, vel apud eos depone quibus retinendi jus eſt. Hæc ne ſunt onera importabilia, quæ a lege exonerent?

Zach. „ Fac tamen, ut vis, librum comparari, ac „ ſine neceſſitate, antequam facultas ex Urbe mittatur. Dum reſponſum Roma quamprimum expectatur, „ retinetur quidem liber, *ſed non retinetur contra præceptum Eccleſiæ*; quod eos minime videtur adſtringere, qui facultatem retinendi, legendique quam primum expectant, modo librum non legant, paratique ſint, ſi Roma facultatem negarit, librum tradere, „ aut comburere.

Reſp. Illud tuum, *ſed non retinetur contra præceptum Eccleſiæ*, rotunde negatur; ſicuti negantur quæ addis, *quod eos minime* &c. *quam primum expectant* &c.

Hæc tibi probanda ſunt, mi Zach. nam tua affirmatio ſine probatione, nihili eſt. Licentia petita, & expectata, non eſt licentia data, quæ ſola a lege eximit; niſi forte velis, quod petere, & expectare idem ſonent, ac accipere. Princeps e. g. prohibet, ne ex ſua ditione ſegetes exportentur. Tu exportandi licentiam petiſti, eamque quam primum expectas; at interim ſegetes exportas, agis ne contra legem? Cauſarum patronos ſciſcitare; nam ſatellites hac de re non ſolum dicto, ſed facto exportantes docent. Tua opinatio affinis eſt prop. 45. ab Alex. VII. proſcriptæ; quam quæſo conſule, & perpende attente, priuſquam aliquod contra me quoad hoc effutias.

At vide etiam quæſo tuæ opiniunculæ conſectaria. Non ſolum lex prohibet, hæreticorum libros ſine Sedis Apoſtolicæ auctoritate retineri, ſed retinentes excommunicationis latæ ſententiæ fulmine percellit. Fac nunc, ut hæretici libri retentor juxta ſpeciem, de qua loquimur, ſuam hac de re conſcientiam ſimplici Sacerdoti aperiat, erit ne abſolvendus? An Confeſſarius tui La-Croixii, & Vary, quem ille citat, tenui, ſeu miſera auctoritate impulſus, adeo excotierit, ut invalidæ abſolutionis ut minimum evidenti periculo ſeſe objiciat?

Nunc demum te moneo, ut propoſitionem primam ab Innoc. XI. proſcriptam attente conſideres, tuamque La-Croixii periculoſam defenſionem revoces.

Jam tuis, mi Zacharias, in meas animadverſionibus, ego vero mearum, quas tu impetiſti, apologiæ finem tandem impoſuimus.

Mea ſcriptio tibi minime infenſa, teipſum nunquam petivit, ſed unico veritatis amore ducta, dicta tua. Hæc porro, quia non ſolum minus ſana, ſed audaciora quoque mihi viſa ſunt, non declamatorio quidem, ſed acriore tamen ſtylo alicubi refutanda eſſe duxi; ne ſcilicet ſanior doctrina animoſiſſime impugnata, & frigide ac ſegniter defenſa apud multos diſpendium pateretur. Moderatione uti hac in re equidem volui, nec ejus fines prætergredi mihi viſus ſum. Verum quoniam in propria cauſa facile fallimur, ſi ex æquo judicio contra mentem, & opinionem meam modum forte exceſſerim, a te, mi Zach. mihi veniam precor, tibique viciſſim quæcumque in me effudiſti, omnia ſponte condono, imo jam condonavi; illud obſecrans, ut quoniam ſententiis inter nos convenire nulla ratione poteſt, mutua ſaltem benevolentia concordemus.

CAPUT III.

De ſuſpenſione, & degradatione.

DUBIUM I.

Quid ſit ſuſpenſio, quotuplex, & unde dignoſcendum, qualis, & quanta ſit?

RESP. 1. Suſpenſio eſt cenſura, qua Clericus functiones aliquas eccleſiaſticas exercere prohibetur. Vide Bon. *d.* 3. *p.* 1. Laym. *l.* 1. *tr.* 5. *p.* 3. *c.* 1. (*a*)

Unde reſolves.

1. Solus Clericus poteſt ſuſpendi.

2. Suſpendere poſſunt, qui poſſunt ferre cenſuras.

3. Ex genere ſuo, & niſi parvitas materiæ excuſet, eſt peccatum grave, exercere actum per ſuſpenſione prohibitum: unde & irregularitatem inducit. *Si tamen ſuſpenſus toleratus ſe non ingerat in tales functiones, ſed ab aliis propter utilitatem requiratur, probabiliter non peccat, cum alii licite requirant.* Imo, etſi nominatim ſit denuntiatus, & non toleratus, alii tamen non tenentur ſub mortali eum vitare, niſi cenſeantur cooperari actui, a quo ſuſpenſus eſt: unde audire ejus Miſſam non erit peccatum (ſaltem mortale) ſi non inſervias. Ita probabiliter Avila, Henr. Suar. Sayr. apud Bonac. *d.* 3. *p.* 4. *n.* 4. etiam Laym. *l. c. c.* 1. *n.* 7. (*b*) Animad. I.

4. *Suſpenſus non toleratus invalide abſolvit, quia non habet juriſdictionem.* Animad. II.

Reſp. 2. Suſpenſio 1. Alia fertur ad certum tempus, quo elapſo, expirat: alia fertur abſolute, ſeu indefinite, manetque, donec per abſolutionem tollatur. 2. Alia eſt ab officio, ſive id ſit ordinis, ſive juriſdictionis; alia a beneficio; alia ab utroque. 3. Suſpenſio ab officio, vel eſt a toto, vel a parte tantum, ſcilicet a functione ordinis, vel juriſdictionis. Item ſuſpenſio beneficii, vel a beneficio abſolute, vel a quibuſdam tantum functionibus, ejus ratione competentibus. Laym. Bon. *ll. cc.* (*c*)

Reſp. 3. Quantitas, & qualitas ſuſpenſionis colligi debet ex verbis, quibus fertur. Quæ, utpote in re odioſa, non amplius ſunt extendenda, quam proprie accepta ſignificent.

Unde reſolves.

1. Suſpenſo abſoluta, & in toto prohibetur omne exercitium ratione officii proveniens, tam Ordinis, quam juriſdictionis, & conſequenter non poteſt celebrare, nec valide excommunicare, beneficia conferre, &c. Suſpenſus vero a parte beneficii determinata, v. gr. ab Ordine tantum, vel juriſdictione, privatur tantum illius officii functionibus. *Unde Epiſcopus, v. gr. a juriſdictione ſuſpenſus, etſi non poſſit excommunicare, abſolvere, delegare &c. poteſt tamen exercere actus Ordinis, ut conſecrare templa, ordinare,* &c. Bonac. *l. c.* Animad. III.

2. Suſpenſus a certa functione Ordinis, v. g. a

Secramentorum adminiſtretione, non eſt ſuſpenſus a ſacrificio. Similiter ſuſpenſus ab Ordine, poteſt nihilominus conferre primem tonſuram, quie non comprehenditur ſub Ordine. (*d*) Bon. *p.* 2. *n.* 6.

Animad. IV. 3. *Suſpenſus ab officio ſimpliciter non intelligitur ſuſpenſus a beneficio, ſeu fructibus ejus. Debet tamen per alium ſupplere, qui per ſe nequit, ut fructus percipiat.* Bon. *n.* 10. *ex* Nav. Suar. Henr. Fill. &c.

Animad. V. 4. *Suſpenſus ab Ordine non videtur ſuſpenſus a beneficio; quia beneficium non fundatur in Ordine. Bonacina tamen dicit, indirecta ſuſpendi a fructibus ejus: quia, dum non poteſt facere officium, non poteſt percipere fructus?* Vide *n.* 5.

5. Suſpenſus a beneficio, etſi hoc ipſo intelligatur ſuſpenſus a recipiendis fructibus ejus, non temen eb officio ſive juriſdictionis, ſive Ordinis, etiem quod illi ratione ipſius beneficii competit. Unde tenetur legere horas, & cetera onera beneficii præſtare, licet fructibus non fruatur; hoc enim debet ſibi imputare. (*e*) Non tamen privetur commodo, quod provenit ea anniverſarus ſtipendiis Miſſarum, nec eo, quod detur propter onus perſonale Clerici: quia non ſunt fructus beneficii. Secus eſt de diſtributionibus quotidianis: licet ea his, vel aliis beneficii fructibus poſſit ali, ſi aliunde ſuſtentari nequeat. Bon. *l. c. n.* 12. Seyr. Suar. Fill. &c.

6. Suſpenſus a beneficio poteſt nihilominus eligere, præſentare, conferre beneficium; quia etſi hæc jura competant illi retione beneficii, illi tamen actus non ſunt beneficii, præciſe ut ſic, ſed potius officii, & juriſdictionis. *ibid.* (*f*)

7. Suſpenſus a beneficio, vel Ordine abſolute, & ſine addito, intelligitur ſuſpenſus eb omni beneficio, vel Ordine, niſi aliunde eliud conſtet. *ibid. n.* 8.

8. Suſpenſus abſolute intelligitur ab officio, & beneficio. Laym. *c.* 1. *n.* 2.

Animad. VI. 9. *Suſpenſa Capitulo, vel Conventu, non cenſentur ſuſpenſi ſinguli, niſi ſint in culpa*, ait Sa, v. *Suſpenſio*, & Laym. *l. c. c.* 2. *n.* 3.

Animad. VII. 10. *Si Prælatus ſolo verba dicat Sacerdoti, Suſpende te, v. gr. a celebratione, videtur eſſe ſimplex tantum prohibitio, non cenſura: quia hæc licita non fertur, niſi ſcripta. Prælatus autem non debet præſumi velle peccare, niſi eliud conſtet de ejus intentione, aut niſi religio habeat privilegium abſque ſcripto ferendi cenſuras.* V. Bon. *de cenſ. in comm. d.* 1. *q.* 1. *p.* 3.

DUBIUM II.

Quæ ſint ſuſpenſiones in particulari, & quis ab eis poſſit abſolvere?

Reſp. 1. Suſpenſiones Juris communiores ſunt ſequentes.

1. Clerici ipſo jure ſuſpenſi ſunt. 1. Recipientes Ordines ſacros ab alieno, vel a proprio in eliena diœceſi, (*g*) vel ſine ætate legitima, aut dimiſſoriis, aut titulo, vel extra tempora, aut non ſervatis interſtitiis, vel per ſaltum, vel in cenſura,

Animad. VIII. vel denique poſt matrimonium ratum, *qui omnes ſuſpenſi ſunt ab executione Ordinum, niſi fecerint abſque dolo*; & ſi ordine utentur, fiunt irregulares. 2. *Excommunicans, ſuſpendens, aut interdicens ſine ſcriptura, & cauſa expreſſione, eſt ſuſpenſus per menſem ab ingreſſu Eccleſiæ, niſi ſit Prælatus regularis.* 3. *Clerici ſcienter eligentes Epiſcopum, vel Parochum indignum ſuſpenduntur a beneficiis biennio.* 4. *Ordinans, & ordinatus ſimoniace eſt ſuſpenſus ab Ordinibus.* 5. *Parochi jungentes ſponſas alterius Parochiæ ſine licentia.* 6. *Gravantes alienis debitis Eccleſias ſibi commiſſas.* 7. *Occupantes bona, vel cenſus Eccleſiæ, beneficii, vel alterius pii loci.* 8 *Sodomiam exercentes, ſimoniaci, provocantes ad duellum, vel acceptantes, raptores, vel præbentes auxilium.* 9. *Diſputentes in alterutram partem in cœtu virorum, ac mulierum de immaculata Conceptione B. Virginis.* 10. *Viſitantes, ſi accipiant pecuniam, vel munera, qui, ſi ſint Epiſcopi, ſuſpenſi ſunt ab ingreſſu Eccleſiæ, ſi inferiores Epiſcopo, ab officio, & beneficio, uſque dum reſtituant duplum.* 11. *Judex eccleſiaſticus* (*non Epiſcopus*) *qui facit injuriam contra juſtitiam, & conſcientiam parti litiganti.* V. Bon. *d.* 3. *p.* 5.

2. Religioſi. 1. Apoſtatæ recipientes Ordines in apoſtaſia. 2. (*h*) Admittentes ad profeſſionem ante annum probationis perectum. 3. Non utentes habitu, & veſtitu, modo ſibi præſcripto. 4. *Introducentes mulieres in monaſteria.* Animad. IX.

3. *Epiſcopus.* 1. *Ordinans non ſubditum, ſuſpenſus eſt a pontificalibus per annum; ordinans vero invitum, ſuſpenſus eſt per annum a celebratione.* 2. *Admittens reſignationes, contra formam præſcriptam.* 3. *Intrans monaſteria monialium ſine neceſſitate.* V. Fill. *t.* 17. *c.* 5. Animad. X.

Reſp. 2. Præter has ſuſpenſiones aliæ ſunt ab homine, quæ ſi ſint graves, requirunt culpam mortalem, v. gr. ut quis ſuſpenderetur eb omnibus actibus ſui officii, vel fructibus unius anni. Poteſt tamen aliquis ob peccatum veniale privari uno actu, v. g. eligendi.

Reſp. 3. *Habens epiſcopalem auctoritatem poteſt abſolvere a ſuſpenſione non reſervata*; & [illegible] Animad. XI. religioſi ex privilegiis poſſunt abſolvere ab omni ſuſpenſione in foro conſcientiæ; & Epiſcopus poteſt abſolvere ab omni ſuſpenſione juris, ſi Sedi Apoſtolicæ ſpecialiter reſervata non ſit. Laym *c.* 4. *n.* 2. *ex* Nav. Suar. &c. Imo etiem ab hac, ſi proveniat ex delicto occulto, & non deducto ad forum contentioſum. Bon. *d.* 3. *p. ult.* ea Trid. *ſeſſ.* 24. *c.* 3.

DUBIUM III.

Quid ſit depoſitio, & degradatio, a quo, & ob quam cauſam fieri poſſit?

Subjici ſolent ſuſpenſioni depoſitio, & degradatio (etſi cenſuræ non ſint, ut dictum eſt *c.* 1.) ob ſimilitudinem, quam habent cum ſuſpenſione, cum utraque ſit ab eccleſiaſtico Ordine, aut beneficio. Differunt autem a ſuſpenſione, quod illæ auferent ipſum jus radicale, & titulum beneficii, idque in perpetuum; ſuſpenſio non item. Porro depoſitio generice accepta, alia eſt verbalis, quæ abſolute depoſitio dicitur: alia realis, quæ dici ſolet degradatio.

Reſp. 1. Degradatio eſt privatio executionis officiorum, & beneficiorum ſimpliciter, & in toto, & abſque ſpe reſtitutionis, facta cum ſolemnitate, & privatione privilegii clericalis, tam canonis, quam fori, ita ut ſæculari curiæ ſubdatur.

Dixi, *Executionis*; quia Ordo ipſe non poteſt tolli. Interim degradatus tenetur ad votum caſtitatis, ſi fuit in ſacris, & ad horas, niſi has [illegible] pœna, ad quam damnetur, v. gr. triremes, vel eliud impediat.

Reſp. 2. Depoſitio verbalis eſt ſimilis privatio, ſed ſine ſolemnitate dicta, & relicto utroque privilegio canonis, & fori. (*i*)

Reſp. 3. Clerici poſſunt degradari a ſuo Epiſcopo, ſed non ab inferioribus illo: deponi tamen [illegible] ſunt eb eodem per Vicarium. (*k*)

Reſp. 4. Depoſitio fieri poteſt in caſibus [illegible] preſſis, & delictis: non tamen niſi gravibus [illegible] bitrio judicis. Ubi notat Laym. crimen [illegible] ſe enorme, ideſt unum ea maximis. [illegible] ſimiliter fieri poteſt in caſibus tantum [illegible], quales ſunt, v. g. crimen hæreſis man[illegible], falſificatio litterarum apoſtolicarum, [illegible] frequentata, gravis calumnia proprio Epiſcopo irrogata. V. Layman hic *c.* 5. V. Fill. *t.* 18. *c.* 8. (*l*)

N o t æ.

(*e*) Hæc Buſ. definitio, ſuſpenſionem quidem ab officio explicate declarat, non item a beneficio. Laym. lib 1. tract. 5. p. 3. cap. 2. n. 2. ait. „ Suſpenſio eſt „ cenſura, per quam perſona eccleſiaſtica impeditur ali„ qua poteſtate, eui jure eccleſiaſtico uti. “ In idem ferme recidit definitio Concinæ Th. t. 10. p. 474. cap. 3. n. 1., cui concinit Wig. p. 582. tract. 14. ex. 1. q. 7. Reſp. 1., ubi ſuſpenſio dicitur eſſe *cenſura eccleſiaſtica, per quam Clericus privatur uſu officii, aut beneficii*; adde, aut utriuſque; ne ſuſpenſio ab utroque, e ſuſpenſionum albo expungetur. Dicitur *cenſura eccleſiaſtica*, ut ab ea ſuſpenſione ſecernatur, quæ ſolum per modum pœnæ ob delictum præteritum infligitur, cujus in jure mentio ſæpe fit, ut monet Nat. Alex. Th. t. 2. p. 537.

p. 327. cap. 3. a. 1., cujuſque Anacl. quoque meminit t. 5. juris can. p. 336. n. 272. 273. nam ſuſpenſio, quæ cenſura eſt, non ſolum eſt pœna, ſed etiam medicina ad frangendam ſuſpenſi contumaciam ordinata; quæ proinde nonniſi prævia monitione infertur, cum illa prior etiam ſine monitione infligatur. *Additur per quam clericus*; quia, cum aliæ cenſuræ etiam in laicos cadant, hæc ad ſolos clericos pertinet, ut habet Buſ. ca. 1., & fatetur quoque Laym. loco mox cit. ex quo fit, ut Monialium præfectæ ab officii uſo interdictæ, propria ſuſpenſione non afficiantur, ut notat Anacl. t. 5. p. 330. n. 164.; licet Henriquez a Laym. cit. contrarium putet. *Privatur uſu &c.* quia non poteſtate, & jure privatur, ſed ſolum uſus ſuſpenditur.

(b) *Imo etſi nominatim &c. Ita probabiliter &c.*

Bonac. loco a Buſ. cit. hac de re nihil habet. Laym. docet, fideles non teneri vitare ſuſpenſum etiam denuntiatum, cum id nullo jure cautum ſit: videlicet inhibitio communionis cum aliis, eſt proprius excommunicationis effectus. Quare communicatio cum ſuſpenſo eo ſolum nomine peccatum eſt, ſi ejuſdem peccato cooperationem, aut fomentum præbeas. Qui ejus miſſæ inſerviunt, graviter peccant, quia ejus gravi crimini cooperantur. De iis, qui eam audiunt, ex circumſtantiis judicium ferendum eſt. Si e. g. ſæpe eam audiendo, ſuſpenſum in ſua contumacia foveant, eos mortifere delinquere, res mihi clara videtur.

(c) Reſp. *Item ſuſpenſio beneficii, vel &c., vel a quibuſdam tantum functionibus &c. Laym. &c.*

Ex Laym. lib. 1. tract. 5. p. 3. cap. 1. n. 5. coroll. 2. ſuſpenſus a beneficio, non a functionibus beneficii, quas imo obire omnino tenetur ex communi, ut ipſe ait, ſententia, ſed a fructuum perceptione, & temporali beneficii adminiſtratione ſuſpenſus tantum intelligitur, „ quare, ait, illi Æconomus conſtituendus eſt.“

Hoc eodem ſenſu loquitur Nat. Alex. Th. t. 1. p. 528. reg. 4., & Concina Th. t. 10. p. 477. n. 8. Ex qua doctrina corriges quod habet Buſ. cap. 1. Reſp. 3. Nam abſoluta, & ex toto ſuſpenſus, non ſolum ordinis, & juriſdictionis officio, ſed etiam fructuum beneficii perceptione, & adminiſtratione exuitur. Buſ. ſcilicet ſuſpenſionem a beneficio aſſecutus non eſt; & ſi conferas quæ hic Reſp. 2. & ca. 1. ait, cum iis, quæ ca. 5. *ſuſpenſus a beneficio &c.* loquitur, rem ſatis involvit, aut etiam ſibi contradicit.

(d) *Similiter ſuſpenſus ab ordine poteſt &c., quia &c.*

Epiſcopus ab ordine epiſcopali obeundo ſuſpenſus, a tonſura conferenda mihi ſuſpenſus videtur; quia ejus collatio ad epiſcopalem ordinem pertinet: ſi autem ſit ſuſpenſus ab ordine conferendo, primam tonſuram ex ratione a Buſ. allata conferre poterit.

(e) *Suſpenſus a beneficio &c., hoc enim debet ſibi imputare.*

Recte ex mox dictis in Reſp. 2., cum qua tamen ejus reſponſione quomodo Buſ. hic concordet, viderint alii; quia ejus errata, aut contradictiones ſine neceſſitate ego non noto.

Non tamen privatur commodo, quod &c.; quia non ſunt fructus beneficii. Si reipſa beneficii fructus non ſint, ſed ſtipendia, & eleemoſynæ beneficio non annexæ, quæ ob miſſæ celebrationem, aut aliud Eccleſiaſticum officium beneficio non annexum Sacerdotibus, aut Clericis viritim conferantur, res bene habet; & ita loquitur etiam Nat. Alex. Th. t. 1. p. 528. reg. 8. at ſi anniverſaria miſſarum ſtipendia, aut alia, beneficio annexa ſint, & dentur propter onus, ſeu officium beneficiarii, quatenus beneficiarius eſt, iis reipſa privatur; quia beneficii fructus ſunt; ſicuti ſunt quotidianæ diſtributiones, quibus percipiendis præſentia, & miniſterium ſufficientem rationem non præberet, niſi jus ex beneficii titulo derivaretur, ut ait Nat. Alex. reg. 8. cit.

Buſ. *Licet ex his &c. poſſit ali, ſi aliunde ſuſtentari nequeat.* Neceſſitas videlicet non ſubditur legi; & talis eſſe ponitur, & debet ſuſpendentis animus. Et ita docet Laym. lib. 1. tract. 5. p. 3. cap. 1. n. 4. citatis multis, & ex communi ſententia: *modo tamen*, addit, *per ipſum non ſtet, quominus a ſuſpenſione liberetur.*

(f) *Suſpenſus a beneficio, poteſt nihilominus &c. quia &c.* Recte. Licet enim nonnulli a Laym. loco mox cit. id negent, verius tamen alii, quos ipſe probat, affirmant. Quia eligere, præſentare, conferre beneficium, ad officium pertinent, nec ſunt fructus, ſeu proventus beneficii. Cum ſuſpenſionis auctor ab utroque ſuſpendere vult, illud exprimit; quod ſi non præſtet, „ non eſt, “ merito ait Laym., „ cur extenſionem faciamus in materia pœnali.“

(g) *Clerici ipſo jure ſuſpenſi ſunt. 1. Recipientes ordines ſacros ab alieno, vel a proprio in aliena Diœceſi.* Intellige ſine ordinarii licentia; quod verum eſt, etiamſi minores ordines ſuſcipiant, ut habet Nat. Alex. Th. t. 1. p. 531. a. 3. n. 19. & Bonacina diſp. 3. q. 4. p. 11., & 12.; idque patet ex Syn. Trid. ſeſſ. 23. de ref. cap. 8., ubi dicitur. *Unuſquiſque autem a proprio Epiſcopo ordinetur .... ſi ſecus fiat .... ordinatus a ſuſceptorum ordinum executione, quamdiu proprio ordinario videbitur expedire, ſit ſuſpenſus*; & ſeſſ. 6. de ref. cap. 5. *nulli Epiſcopo liceat cujuſvis privilegii prætextu Pontificalia in alterius Diœceſi exercere, niſi de ordinarii loci expreſſa licentia ..... Si ſecus factum fuerit .....ſic ordinati ab executione ordinum ſint ipſo jure ſuſpenſi.* Sacra Syn. generatim loquitur, *ab executione ordinum*; ideoque ad ſacros ordines non eſt coarctanda.

Buſ. *Vel ſine ætate legitima, aut dimiſſoriis* (*aut dimiſſoriis* idem eſt, ac ab alieno ſine ordinarii licentia, de quo ſupra) *aut titulo, vel extra tempora.* Idem habet Nat. p. 530. n. 7. 8. & Bonac. diſp. 3. q. 2. cit. p. 2. §. 8. 11. id vero liquet ex Bulla Pii II. *Cum ex ſacrorum*, cujus verba refert Bon. p. 21. cit., & ſunt hujuſmodi. *Statuimus, & ordinamus, quod omnes, & ſinguli, qui abſque diſpenſatione canonica, aut legitima licentia, ſive extra tempora, ſive ante ætatem legitimam, vel abſque dimiſſoriis litteris etiam citramontanis (præterquam ſi in hoc ultimo caſu per Cameram Apoſtolicam juxta illius ſtylum ordinati fuerint) ad aliquem ex Sacris Ordinibus ſe fecerint promoveri, a ſuorum ordinum executione ipſo jure ſuſpenſi ſint; & ſi hujuſmodi ſuſpenſione durante in eiſdem ordinibus miniſtrare præſumpſerint, eo ipſo irregularitatem incurrant.* Quam ſuſpenſionem, alii Summo Pontifici reſervavarit Sixtus V., reſervatio tamen a Clemente VIII. *Romanum Pontificem* ſublata fuit; ut teſtatur Nat. n. 7. cit., & Bonac. p. 1. prop. 2.

Illud Buſ. *ſine titulo* colligitur ex Trid. Synodo cap. 2. de ref., ſeſſ. 21. quæ ſtatuit, ne quis Clericus ſæcularis ad Sacros Ordines promoveatur ſine ſufficienti beneficio eccleſiaſtico, aut penſione, aut patrimonio, *antiquorum canonum pœnas ſuper his innovando.* Porro Sacra Congr. Conc. Trid. interpres die 27. Novembris 1610. „ reſpondit, pœnam ſuſpenſionis antiquis canonibus latam, a Tridentino Concilio innovatam fuiſſe in „ clericum, qui conficto beneficii, aut patrimonii titu„ lo ordinatorem decepit.“ Ita teſtatur Nat. n. 8. cit. Hic legi poteſt Bonac. p. 8. cit., ubi hac de re fuſe diſputat.

Buſ. *Aut non ſervatis interſtitiis.* Cap. *Litteras* 13. §. 22. l. 1. decret. Bononienſem Epiſcopum, qui *præcedenti Sabbatho in Diaconum, & ſequenti die Dominico (continuato jejunio) Clericum in Presbyterum ordinavit, (ut puniatur*, inquit Inn. III. *in quo deliquit) a collatione Ordinum, Diaconii, ſcilicet, & Presbyterii, alterum vero, hoc eſt ordinatum, ab executione Officii Sacerdotalis tamdiu volumus manere ſuſpenſos, donec de illis aliter diſponamus.* „ Quamvis autem, ſubdit Bonac. p. 4. §. 1., in præfato textu „ ſermo tantummodo ſit de caſu particulari, nihilomi„ nus conſuetudo, D. D. teſtimonio fulcita, diſpoſitio„ nem illius textus univerſalem effecit. Conſuetudo „ enim ſicut legem abrogare, ita etiam inducere poteſt.“

Idem habet Nat. loco cit. n. 6., At vero qui interſtitia non ſervatis, diverſis diebus ordines ſuſcipit, graviter quidem peccat contra legem Tridentinam ſeſſ. 23. cap. 11. 13. 14., at ſuſpenſionem non incurrit; quia cenſura non incurritur, niſi ſit in jure expreſſa. Bonac. §. 2. citatis Zerola, Riccio, Suarez, Alter., Barboſa.

Buſ. *vel per ſaltum.* Nonnulli quidem negant; at Bonac. citatis multis p. 2., & Nat. n. 5. affirmant. Id vero ex Trid. Synod. Seſſ. 23. cap. 14. de ref. ſatis aperte colligitur, ubi dicitur. *Cum promotis per ſaltum, ſi non miniſtraverint, Epiſcopus ex legitima cauſa diſpenſare poſſit.* Si per ſaltum promoti diſpenſatione indigent, ſuſpenſione ligantur. Adde, quod, ſi miniſtraverint, Epiſcopus diſpenſare forte non poteſt: Ergo miniſtrando irregularitatem incurrunt, ideoque ſuſpenſione detinentur. Id etiam colligitur ex cap. un. *Solicitudo* diſt. 52.

Buſ. *vel in cenſura.* Sunt ſane, qui Clericos etiam ſuſpenſos, vel interdictos nova ſuſpenſione, aut irregularitate, dum ordines ſuſcipiunt, irretiri, ajunt. Sed nullo ſufficienti textu nituntur. Ita Bonac. citatis Syl., Avila, Henriq., & aliis p. 6. Reipſa cap. *Cum illorum* 32. t. 39. lib. 5. decr. de Clerico excommunicato ſolum loquitur; „ nec aliud jus, inquit Bonac., afferri poteſt, „ in quo iſta ſuſpenſio contineatur.“ Clericos vero ſæcolares ex violenta manuum injectione in alios clericos, excommunicationis vinculo ſe irretitos ſcientes, & eccleſiaſticos ordines ſuſcipientes a *ſuſceptis ordinibus cenſemus in perpetuum deponendos*, ait Innoc. cap. cit. *Cum illorum.* Quod ſi *vel non recolunt factum, pro quo in latæ ſententiæ canonem inciderunt, vel factum quidem ſcientes, juris ignari, neſciunt, exinde ſe teneri, ... tam Archiepiſcopi, quam Epiſcopi abſque mandato Sedis apoſtolicæ ſpecialis, diſpenſandi facultatem ſe noverint non habere, quibus etiam eſt abſolutio talium interdicta.* Ibidem idem Inn. III. qui de clauſtralibus al-

Eee 2 ter

-ter decernit. Præterea ait *ordines eccleſiaſticos*, quo nomine etiam minores ordines veniunt.

Bul. *vel denique poſt matrimonium ratum*.

Hac de re lubet afferre quod habetur c. un. *Antiquæ* t. 6. extr. Joann. XXII., ubi ita loquitur. *De Fratrum noſtrorum conſilio præſenti declaramus edicto, quod licet votum ſolemnizatum per ſacri ſuſceptionem ordinis, quantum ad impediendum Matrimonium contrahendum, ac dirimendum, ſi poſt contractum fuerit, ſecundum ſtatuta Canonum ſit efficax reputandum*; (quod definitum quoque poſt fuit a Syn. Trid. ſeſſ. 24. cap. 9.) *ad diſſolvendum tamen prius contractum, etiamſi per carnis copulam non fuerit conſummatum, cum nec jure divino, nec per ſacros reperiamus Canones hoc ſtatutum, invalidum eſt cenſendum; auctoritate apoſtolica diſtrictius inhibentes, ne quiſquam durante Matrimonio nondum etiam conſummato aliquem de ſacris ordinibus præſumat ſuſcipere, niſi prout Sacris Canonibus noverit convenire.* (puta ſi poſt Matrimonium ratum religionem profiteatur, ſacros ordines ſuſcipere poteſt.) *Quod ſi ſecus a quoquam forſitan attentatum fuerit, quod nec Matrimonio ſoluto, in ſic ſuſcepto ordine miniſtrare, nec ad Superiores ordines provehi, nec ad aliquod beneficium, vel officium Eccleſiaſticum valeat promoveri; niſi aliquam de religionibus approbatis &c. ipſum canonice contigerit ingredi, ac ejus regulam expreſſe, vel tacite profiteri; quo caſu Diœceſanus ſuper præmiſſis, & ſingulis præmiſſorum cum eo diſpenſare valeat, niſi ſit aliud canonicum, quod obſiſtat.*

At quid, inquis, de Græcis orientalibus quoad hoc dicendum?

Reſp. Eos poſt ſuſceptos ſacros ordines nec licite, nec valide Matrimonium contrahere ex decr. mox cit. & ex Syn. Trid. ſeſſ. 24. can. 9. ita definiente. *Si quis dixerit, Clericos in Sacris Ordinibus conſtitutos .... poſſe Matrimonium contrahere, contractumque validum eſſe &c. anathema ſit*; at poſt Matrimonium, illis non eſſe inhibitum ad ſacros Ordines provehi, & Matrimonio uti. Quod colligitur ex cap. *Nicæna Synodus* 12. diſt. 31., & cap. 14. *Aliter* ejuſdem d. 31., ubi Stephanus IV. in Syn. Later. ait. *Aliter ſe Orientalium traditio habet Eccleſiarum, aliter hujus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ. Nam earum Sacerdotes, Diaconi, atque Subdiaconi matrimonio copulantur; iſtius autem Eccleſiæ, vel occidentalium nullus Sacerdotum a Subdiacono uſque ad Epiſcopum licentiam habet conjugium ſortiendi.* Ubi „ in illud *Matrimonia* corr. Rom. advertit, idest poſſunt „ ſimul eſſe in ſacris Ordinibus, & Matrimonio juncti, „ nam neque illis, poſtquam ad ſacros ordines aſcen„ diſſent, licebat contrahere Matrimonium.“ Hic conſt. Joann. XXII. prohibitionem limitat illis verbis, *niſi prout Sacris Canonibus noverit convenire*. Sacris enim Canonibus non repugnat, Orientales græcos poſt Matrimonium ad Sacros ordines promoveri.

Et id quoque habet Bonac. p. 7. n. 5.

(h) *Religioſi* 1. *apoſtatæ recipientes ordines in apoſtaſia*. Id conſtat ex cap. 6. t. 9. l. 5. dec., ubi Honorius III. ait. *Conſultationi tuæ breviter reſpondemus, quod monachus aliquem ſacram Ordinem in apoſtaſia recipiens, quantumlibet ſuo fuerit reconciliatus Abbati, & receperit pœnitentiam, abſque diſpenſatione Rom. Pontificis miniſtrare non poterit in ordine ſic ſuſcepto.*

Bul. 2. *admittentes* &c. De his Alex. IV. cap. 2. *Non ſolum* t. 14. l. 3. in 6. ita loquitur: *Vobis* (fratribus Prædicatoribus, & Minoribus) *de Fratrum noſtrorum conſilio in virtute obedientiæ, & ſub pœna excommunicationis auctoritate præſentium diſtrictius inhibemus, ne ante annum probationis elapſum ... quemquam ad profeſſionem veſtri ordinis, ſeu renuntiationem in ſæculo faciendam recipere ... præſumatis. Quod ſi forte contra hanc noſtram prohibitionem quemquam recipere præſumpſeritis, decernimus, eum, qui taliter receptus fuerit, nullatenus veſtro eſſe ordini alligatum, vosque a receptione quorumlibet ad profeſſionem ejuſdem Ordinis fore ipſo facto ſuſpenſos* &c. Bonifac. vero VIII. c. *Conſtitutionem* 3. t. cit. *declarationem eamdem* (Alex. IV. mox memoratam) *ad aliorum*, inquit, *Mendicantium Ordines prorogamus. In aliis autem Religionibus profeſſio expreſſe, vel tacite fieri poteſt licite intra annum*. At Syn. Trid. ſeſſ. 25. cap. 15. in nulla Relig. tam virorum, quam mulierum fieri permittit profeſſionem ante annum expletum probationis; Alioquin profeſſio nulla eſt.

Bul. *Non utentes habitu, & veſtitu, modo ſibi præſcripto*. Hoc de re ſermo eſt cap. 1. *Ne in agro* t. 10. lib. 3. Clem. Sed Clem. l. de Monachis ſolum nigris ibi loquitur, ab iis, prout opus fuerit, legendus.

(i) Depoſitio verbalis dicitur etiam verbalis degradatio. Hinc Bonif. VIII. cap. 2. *degradatio* t. 9. in 6. ait, *Verbalis degradatio, ſeu depoſitio ab ordinibus, vel gradibus eccleſiaſticis* &c. Porro Bul. definitio depoſitionem abſolute, ſeu ex toto explicat, non item depoſitionem, uti fieri poteſt, ex parte, puta a ſolo beneficio; in qua ſpecie Clericus ab ordinum officiis, ſeu functionibus, puta a miſſæ celebratione, non deponitur; ut notat Anacl. t. 3. juris can. n. 23. 24. Nihilominus differt a privatione beneficii: quia hæc non efficit privatum, inhabilem ad alia beneficia, quod præſtat depoſitio, ut advertit idem Anacl. n. 27.

(k) Id conſtat ex Syn. Trid. ſeſſ. 13. cap. 4. de ref., ubi decrevit, *ut Epiſcopo per ſe, ſeu illius Vicarium in ſpiritualibus generalem contra Clericum in ſacris etiam Presbyteratus Ordinibus conſtitutum etiam ad illius condemnationem, nec non verbalem depoſitionem; & per ſeipſum etiam ad actualem, atque ſolemnem degradationem ab ipſis ordinibus, & gradibus Eccleſiaſticis in caſibus, in quibus aliorum Epiſcoporum præſentia in numero a Canonibus definito requiritur, etiam abſque illis procedere liceat; adhibitis tamen, & in hoc ſibi aſſiſtentibus totidem Abbatibus, uſum mitræ, & baculi ex privilegio apoſtolico habentibus, ſi in civitate, aut diœceſi reperiri, & commode intereſſe poſſint; alioquin aliis Perſonis in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutis, quæ ætate graves, ac juris ſcientia commendabiles exiſtant.* Porro aſſiſtentes non ſolum Conſiliariorum, ſed etiam Judicium loco aſſident, ita ut ſine eorum aſſenſu Epiſcopus nec ad depoſitionem, multo vero minus ad degradationem venire poſſit juxta illud Greg. cap. *Non poteſt* 3. t. 27. l. 2. D. *Non poteſt quemquam a Sacerdotali gradu, niſi juſtis de cauſis concors Sacerdotum ſententia ſubmovere*; qui canon etiam poſt Tridentinam Synodum locum habet, utpote quæ hac de re nihil immutaverit. Ita ex communiori ſententia Barboſa apud Anacletum p. 312. n. 4. Illud enim Sacræ Synodi *adhibitis tamen, & in hoc ſibi aſſiſtentibus* &c. canoni *Non poteſt* non eſt contrarium, ſed conforme; & quoad verbalem depoſitionem, nulla ratione concordem Sacerdotum ſententiam a Greg. Papa paucis verbis neceſſariam poſitam excludit; agitur ſcilicet de re maximi momenti, quæ ab unius poteſtate, & judicio pendere non debet.

(l) Inter varia crimina, quæ ex jure depoſitione, aut degradatione mulctari poſſunt, refertur quoque calumnia proprio Epiſcopo illata, de qua Pius Papa cap. 18. q. 5. can. 21. ubi ait: *Si quis Sacerdotum, vel reliquorum Clericorum ſuo Epiſcopo inobediens fuerit, aut inſidias ei paraverit, aut contumeliam, aut calumniam, aut convitia intulerit, & convinci potuerit, mox depoſitus curiæ tradatur, & recipiat, quod inique geſſit*; Chriſtum tamen, & Sanctos melius Epiſcopos imitaturos putem, ſi injurias ſibi illatas clementer condonent. Præterea „ conſuetudo in pleriſque locis obtinuit, ut pœna de„ poſitionis nonniſi propter crimina valide ſcandaloſa „ prudentis Judicis arbitrio dignoſcenda infligatur.“ Ita Anacl. t. 5. juris can. p. 311. n. 30. ex Abb., Laym., Palao.

ANIMADVERSIO I.

SI tamen ſuſpenſus toleratus ſe non ingerat in tales functiones, ſed ab aliis propter utilitatem requiratur, probabiliter non peccat &c.

Idem ſentit Nat. Alex. Theol. t. 1. p. 529. reg. 29. at ſicuti ex dictis c. 2. d. 3. c. 3. a 8. excommunicatus toleratus etiam requiſitus a fidelibus, non poteſt ſacramenta adminiſtrare, neque, ut oſtenſum eſt ca. 7. a. 12. juriſdictionis actus exercere; ita ſuſpenſus toleratus etiam requiſitus a fidelibus functiones, a quibus ſuſpenſus eſt, obire ſine culpa non poteſt; & ſicuti ex locis citatis fideles ſine peccato non poſſunt inducere excommunicatum toleratum ad ſacramentorum adminiſtrationem, vel ad uſum juriſdictionis, ita ne ſuſpenſum quidem toleratum ad exercitum ſibi ſuſpenſum.

Præterea *executionem excommunicatio ſecum trahit, & excommunicatus per denuntiationem amplius non ligatur*, ut loquitur Innoc. III. cap. *Paſtoralis* ſupra citato: ergo etiam ſuſpenſio executionem ſecum trahit, nec ſuſpenſus per denuntiationem amplius ligatur: at ſuſpenſus denuntiatus ne a fidelibus quidem requiſitus functiones per ſuſpenſionem vetitas exercere poteſt; imo fideles requirentes, cum ſuſpenſo ad peccatum mortale cooperari cenſerentur, ut affirmat ipſe Nat. Alex. loco cit. ergo ne ſuſpenſus quidem toleratus id poteſt.

Suſpenſio non denuntiata eſt ne ſuſpenſio? ſuſpenſio nonne prohibet Clerico, ut ſuis eccleſiaſticis muneribus fungatur? Id patet ex definitione ſuſpenſionis ab ipſo Buſemb. tradita reſp. 1. Clerico licere poteſt id, quod lex, aut ſuperior eccleſiaſticus prohibet? An ſubditi fideles ſuis precibus efficere poſſunt, ut Clerico liceat, quod ipſi lege, aut ſuperioris præcepto vetitum eſt?

Hæc mihi ſane abſurda ſunt; ideoque cenſeo, Clericum ſuſpenſum non poſſe functiones ſibi vetitas obire, etiamſi requiratur; imo requirentes peccare judico, quia illum ad peccandum inducunt.

ANI-

Animadverſio II.

Suſpenſus non toleratus invalide abſolvit &c.

Recte quidem; at cave, ne hinc colligas, ſuſpenſum toleratum valide abſolvere. Nam hic quoque juriſdictione privatur. Non enim denuntiatio ſuſpenſionis, quæ ſuſpenſum ex mox dictis amplius non ligat, quam erat ligatus, ſed ipſa ſuſpenſio eum juriſdictione privat; ideoque etiam ſuſpenſus non denuntiatus invalide abſolvit.

Animadverſio III.

Unde Epiſcopus v.g. a juriſdictione ſuſpenſus ... poteſt tamen exercere actus Ordinis.

Epiſcopus a juriſdictione ſuſpenſus poteſt quidem exercere actus Ordinis, qui ſine juriſdictione obiri poſſunt, uti eſt v.g. Miſſæ celebratio; at actus Ordinis, qui ſine juriſdictione exerceri nequeunt, uti eſt abſolutio ſacramentalis, peragere non poteſt, uti recte animadvertit P. Concina Theol. t. 10. p. 476. n. 7. at conſecrare templa, ordinare, & ſimilia facere ſunt actus Ordinis ſimul & juriſdictionis: ergo Epiſcopus a juriſdictione abſolute ſuſpenſus, conſecrare templa, ordinare, & ſimilia facere non poteſt.

Animadverſio IV.

Suſpenſus ab officio &c. ſimpliciter, non intelligitur ſuſpenſus a beneficio.

Hæc eſt ſententia communis, quam ſequitur, & confirmat Conc. Theol. t. 10. p. 475. n. 5.

Animadverſio V.

Suſpenſus ab ordine non videtur ſuſpenſus a beneficio... Bonac. tamen dicit, indirecte ſuſpendi a fructibus ejus.

Hæc doctrina eſt neceſſarium corollarium ſuperioris num. 3. Imo ſi ſuſpenſus ab officio ſimpliciter, hoc eſt non ſolum ab ordine, ſed etiam a juriſdictione, non eſt ſuſpenſus a beneficio, multo minus ab hoc ſuſpenſus eſt, qui ab ordine tantum ſuſpenditur. Beneficium habet quidem fundamentum in ordine, ſi ordinis functiones neceſſario poſtulet, ideoque fructibus hujuſmodi beneficii indirecte, ſeu conſequenter ſpoliari videtur, cui ordinis functiones ſuſpenduntur. At hoc verum eſt, niſi per alios hujuſmodi functiones obiri poſſint, & obeantur; ſecus ſi functiones Ordinis per alium exerceri queant, & exerceantur. Multo vero minus ſuſpenſus ab ordine, intelligitur ſuſpenſus a beneficio, quod habet ſolum annexas actiones ab ordine non pendentes, puta ſi officium tantum B. M. V. vel divinum recitare teneatur. Hujus, & ſuperioris doctrinæ ratio evidens eſt, quia pœnæ non ſunt extendendæ, ſed potius coarctandæ juxta reg. 15. juris in 6. *Odia reſtringi, & favores convenit ampliari*: at ſuſpenſio, licet ſit etiam medicina, tamen pœna eſt: ergo non eſt extendenda: ergo ſuſpenſus ab ordine, vel ab officio non intelligitur ſuſpenſus a beneficio. Nonne ſuſpenſio ab officio, & beneficio, duplex & diſtincta ſuſpenſio eſt, quarum una in altera minime includitur? Cur ergo vis eſſe ſuſpenſum a beneficio, qui ab officio ſimpliciter ſuſpenſus eſt, vel contra? An leges, vel ſuperiores ſuas voces ignorant, aut ſuam mentem declarare nequeunt, aut neſciunt? Ergo cum aliquem ab officio, & beneficio ſuſpenſum volunt, id explicant; quod ſi id non præſtent, cur tu interpreteris ab utroque ſuſpenſum, quem ab alterutro tantum ſuſpendunt? Satis eſt, ſi ſuſpenſus pœnam ſibi impoſitam patienter, ut debet, ferat.

Animadverſio VI.

Suſpenſo capitulo, vel conventu, non cenſentur ſuſpenſi ſinguli, niſi ſint in culpa &c.

D. Thom. Suppl. qu. 22. ar. 5. ad 2. ait: *Quod ſuſpenſio non tanta pœna eſt, quanta excommunicatio; quia ſuſpenſi non fraudantur Eccleſiæ ſuffragiis, ſicut excommunicati. Unde etiam aliquis ſine peccato proprio ſuſpenditur, ſicut & totum regnum ponitur ſub interdicto pro peccato Regis.* Ex his intelligitur, etiam innocentes pro culpa aliquorum illius communitatis, puta capituli, aut conventus, cujus ſunt partes, ſuſpendi poſſe. Quare ſuſpenſo capitulo, vel conventu ſine exceptione, ſinguli ſuſpenſi cenſentur, etiamſi nonnulli ſint ſine culpa. Hinc Boniſ. VIII. c. 16. *Si ſententia* t. 11. l. 5. in 6. ait: *Cum vero alicujus terræ populus interdicto ſupponitur, ſingulares ex eo perſonæ, quas interdictas eſſe conſtat &c.* quibus verbis aperte declarat, ne innocentes quidem ab interdicto eximi, cum populus interdicitur: ergo, cum capitulum, vel conventus ſine exceptione ſuſpenditur, ſinguli ſuſpenſi intelliguntur, etiamſi culpa vacent. Quare cavere debent innocentes, ne ſuſpenſionem violantes culpam incurrant, & forte etiam irregularitatem. Dixi *forte*; quia id negatur a nonnullis, ut monet Concina Theol. t. 10. p. 478. num. 13. Quod ſi durum iis videatur pœnam pro aliorum culpa, cujus nulla ratione participes fuerunt, pati, ad ſuperiorem confugiant, cujus erit re cognita clementer agere, & innocentes a pœna abſolvere.

Animadverſio VII.

Si Prælatus ſolo verbo dicat Sacerdoti, Suſpendo te v. gr. a celebratione, videtur eſſe ſimplex tantum prohibitio &c.

Suſpenſio certe ferri non poteſt, niſi ſcripto, & expreſſe conſcripta ſuſpenſionis cauſa, ut perſpicue determinat Innoc. IV. c. 1. *Cum medicinalis* t. 11. lib. 5. decr. Quare dum Prælatus voce ſuſpendit, dicendo e. g. Sacerdoti, *Suſpendo te a celebratione*, peccat ille quidem, & pœnam ſuſpenſionis ab ingreſſu Eccleſiæ, & divinis officiis ipſo facto per menſem incurrit, ut idem Innoc. definit; at cur non ſuſpendit, ſed ſolum ſimpliciter prohibet, cum reipſa ſuſpendat? Nemo quidem, nedum Prælatus præſumitur velle peccare; at cum peccatum reipſa admittitur ſeu ab aliis, ſeu ab ipſo Prælato, temeraria præſumptio eſt judicare, illud non admitti, ut quis a pœna cenſuræ ſeſe ſubducat.

Quod ſi ex circumſtantiis dubitari poſſit, utrum Prælatus dicendo, *Suſpendo te &c.* voluerit ſuſpendere, an ſimpliciter prohibere, non a ſuſpenſo ſententia ferenda eſt in ſui favorem, ſed ab ipſo Prælato ſuæ mentis declaratio petenda eſt.

Animadverſio VIII.

Qui omnes ſuſpenſi ſunt ab executione Ordinum, niſi fecerint abſque dolo.

Ut ſuſpenſiones, quas Buſemb. hic numerat, incurramus, dolum requiri, hoc eſt vel ſcientiam prohibitionis, & cenſuræ, vel ignorantiam ejus affectatam, qua quis ſcientiam reſpuit, ut liberius peccet; nullam tamen ſuæ doctrinæ rationem affert, perinde ac ſi eſſet evidens, & certa. Lectorem ſolum mittit ad Bonacinam diſp. 3. p. 5. ubi n. 2. aſſerit, ad ſuſpenſionem, quam incurrit, qui majores ordines extra tempora, vel ante legitimam ætatem, vel abſque litteris dimiſſoriis ſuſcipit, non requiri præſumptionem, hoc eſt ſcientiam prohibitionis, & cenſuræ, vel ignorantiam affectatam, ſed ſufficere ignorantiam mortaliter culpabilem. Ipſe Buſemb. cap. 1. dub. 4. c. 5. huj. lib. dixit, quod a cenſura *ignorantia culpabilis, & craſſa non excuſat, niſi addatur in lege certus modus, v. g. qui hoc fecerit ſcienter, conſulto &c.* Et ſane Boniſ. VIII. cap. 2. *Ut animarum* t. 2. l. 1. in 6. inquit: *Ut animarum periculis obvietur, ſententiis per ſtatuta quorumcumque Ordinariorum prolatis ligari nolumus ignorantes, dummodo eorum ignorantia craſſa non fuerit, aut ſupina.* Ignorantia ergo craſſa, & ſupina ad cenſuram incurrendam ſufficit, nec affectata, ſeu dolus requiritur, ut per apertam aberrationem hic affirmavit Buſemb. ſibi contradicens.

Excommunicans, ſuſpendens, aut interdicens ſine ſcriptura, & cauſæ expreſſione, eſt ſuſpenſus per menſem ab ingreſſu Eccleſiæ.

Ita ſane conceptis verbis conſtituit Innoc. IV. cap. 1. *Cum medicinalis* mox citato. At cur Buſemb. excipit, „ niſi ſit Prælatus regularis? " Idem Innoc. IX. c. 4. *Quia* tit. 11. mox citato, inquit: *Nos deliberatione provida duximus ſtatuendum, ut Epiſcopi, & alii ſuperiores Prælati nullius conſtitutionis occaſione, ſententiæ, ſive mandati, prædictam incurrant ſententiam* (interdicti, vel ſuſpenſionis) *ullatenus ipſo jure, niſi in ipſis de Epiſcopis expreſſa mentio habeatur.* Innoc. non ait, & alii Prælati, ſed *alii ſuperiores Prælati*, ut Archiepiſcopi &c. Ergo cum in dicto cap. *Cum medicinalis* expreſſa de Epiſcopis mentio non habeatur, peccant illi quidem, ſine ſcripto, aut cauſæ expreſſione excommunicantes, ſuſpendentes, interdicentes, non tamen dictam ſuſpenſionem incurrunt. At ab ea exceptos eſſe Prælatos regulares, non eſt affirmandum, niſi apoſtolicis conſtitutionibus confirmetur.

Clerici ſcienter eligentes Epiſcopum, vel Parochum indignum ſuſpenduntur a beneficiis biennio.

Alex. III. in Concilio Lateranenſi c. 7. *Cum in cunctis* t. 6. l. 1. decr. ait: *Præſenti decreto ſtatuimus, ut nullus in Epiſcopum eligatur, niſi qui jam triceſimum annum ætatis exegerit, & de legitimo matrimonio ſit natus, qui etiam vita, & ſcientia commendabilis demonſtretur*: etiam §. 2. ſubdit: *Inferiora etiam miniſteria, ut puta Decanatum, Archidiaconatum, & alia, quæ curam animarum habent annexam, nullus omnino ſuſcipiat, ſed nec parœcialis Eccleſiæ regimen, niſi qui jam vigeſimum*

Digitized by Google

ſaintum annum ætatis attigerit, & ſcientia, & moribus commendandus exiſtat: demum §. 3. inquit: *Clerici jane, ſi contra formam iſtam quemquam elegerint, & eligendi ſunc poteſtate privatos, & ab eccleſiaſticis beneficiis trienio noverint ſe ſuſpenſos*. Ait *triennio*, non, ut Buſemb., biennio. Undenam Buſemb. illud *biennio* deſumpſit?

Ordinans, & ordinatus &c. *ab ordinibus*.

Greg. IX. cap. 45. *Si quis* t. 2. l. 5. decr. ita loquitur: *Si quis ordinaverit, ſeu ad ordinem præſentaverit aliquem, promiſſionem, vel juramentum ab illo recipiens, quod ſuper proviſione ſua non inquiret eumdem, ordinator a collatione, præſentator vero ab executione ordinum per triennium, & ordinatus ab ordine ſic ſuſcepto, donec diſpenſationem ſuper hoc per Sedem Apoſtolicam obtinere meruerit, noverint ſe ſuſpenſos*. Quoniam vero ne hic quoque Epiſcopi expreſſa mentio fit, idcirco Epiſcopus ordinans cum ſimonia prædicta, ex vi hujus canonis ſuſpenſionem non incurrit. Ordinatum vero, prædictam ſuſpenſionem incurrere ſtatuit quoque Innoc. III. cap. 37. *Per tuas* hujus tit. nec ad ſuperiorem ordinem aſcendere poſſe decernit, *niſi cum eo fuerit miſericorditer diſpenſatum, etiamſi nec ſe in hoc illicitum egiſſe aliquid intellexerit*. Quod hic ego animadverto, ne probabilibus ignorantiam, & inadvertentiam tam facile obtrudentibus, ut a peccato, & cenſura excuſent, fidem habeamus, ac præſertim La-Croix, qui p. 129. num. 405. contra Navar., Bonb., Zerolam, de Leone, Gavantum a ſuſpenſione excuſat Epiſcopum per inadvertentiam, & bonam fidem pontificalia in aliena diœceſi exercentem: quia, inquit, *inadvertentia, & bona fides excuſant a pœna, & cenſura*.

5. *Parochi jungentes ſponſos alterius parochiæ ſine licentia*.

Synod. Trident. ſeſſ. 24. cap. 1. de reform. matrim. quoad hoc ait: *Quod ſi quis Parochus, vel alius Sacerdos ſive regularis, ſive ſæcularis ſit, etiamſi id ſibi ex privilegio, vel immemorabili conſuetudine licere contendat, alterius Parochiæ ſponſos ſine illorum Parochi licentia matrimonio conjungere, aut benedicere auſus fuerit; ipſo jure tamdiu ſuſpenſus maneat, quamdiu ab Ordinario ejus Parochi, qui matrimonio intereſſe debebat, ſeu a quo benedictio ſuſcipienda erat, abſolvatur*.

6. *Gravantes alienis debitis Eccleſias ſibi commiſſas*.

Gregor. IX. cap. 2. *Si quorumdam* t. 23. lib. 3. decr. hac de re ita loquitur: *Firmiter inhibemus, ne quis præſumat Eccleſiam ſibi commiſſam pro alienis gravare debitis, aut litteras alicui, ſeu ſigilla concedere, quibus poſſent Eccleſiæ obligari: decernentes, ſi ſecus fuerit attentatum, ad ſolutionem talium debitorum Eccleſias non teneri. Si quis autem contra præmiſſa de cetero venire præſumpſerit, ab adminiſtratione ſpiritualium, & temporalium noverit ſe ſuſpenſum*.

7. *Occupantes bona, vel cenſus Eccleſiæ, beneficii, vel alterius pii loci*.

Quoad hæc legendus eſt Bonif. VIII. cap. *Quia ſæpe* 40. tit. 6. & cap. 9. *Præſenti* tit. 16. lib. 1. decret. in 6.

Præterea in Bulla Cœnæ §. 17. excommunicantur, *qui juriſdictiones, ſeu fructus, reditus, & proventus ad nos, & Sedem Apoſtolicam, & quaſcumque eccleſiaſticas perſonas ratione Eccleſiarum, Monaſteriorum, & aliorum beneficiorum eccleſiaſticorum pertinentes uſurpant, vel etiam quavis occaſione, vel cauſa ſine Romani Pontificis, vel aliorum ad id legitimam facultatem habentium expreſſa licentia ſequeſtrant*.

8. *Sodomiam exercentes, ſimoniaci, provocantes ad duellum* &c. *raptores* &c.

Licet ſodomia inter luxuriæ peccata graviſſimum ſit, in jure tamen, ſi fides habenda ſit Bonacinæ t. 3. p. 474. non invenitur expreſſa ſuſpenſio in Clericos nefandum hoc crimen admittentes: at niſi jus hanc cenſuram ſtatuens reperiatur, ea non incurritur, quidquid Buſemb., aut alii dicant.

De ſimoniacis mox dictum eſt. Quoad Clericos ad duellum provocantes, vel illud acceptantes Alex. III. cap. 1. *Porro* t. 14. lib. 5. decr. inquit: *Porro ſi Clericus aliquis ſponte duellum obtulerit, vel oblatum ſuſceperit, ſive victor, ſive victus fuerit, de rigore juris eſt merito deponendus. Sed quantumcumque ejus in hoc gravis ſit & enormis exceſſus, evadere poteſt depoſitionis ſententiam, ſi cum ipſo ſuus Epiſcopus duxerit miſericorditer diſpenſandum, dummodo ex ipſo duello homicidium, vel membrorum diminutio non fuerit ſubſecuta*.

Ex Synod. vero Trident. ſeſſ. 25. cap. 19. de reform. *Qui vero pugnam* (in duello) *commiſerint, & qui eorum patrini vocantur, excommunicationis, ac omnium bonorum ſuorum proſcriptionis, ac perpetuæ infamiæ pœnam incurrant. & ut homicidæ juxta ſacros canones puniri debeant; &, ſi in ipſo conflictu deceſſerint, perpetuo careant eccleſiaſtica ſepultura. Illi etiam, qui conſilium in cauſa duelli tam in jure, quam in facto dederint, aut alia quacumque ratione ad id quemquam ſuaſerint, nec non ſpectatores, excommunicationis, ac perpetuæ maledictionis vinculo teneantur, non obſtante quocumque privilegio, ſeu prava conſuetudine, etiam immemorabili*.

P. Concinina Theol. t. 10. p. 470. n. 2. ait: „ Excommunicatio ipſo facto incurritur. Ad incurrendas „ ceteras pœnas, quæ in relatis conſtitutionibus " (Julii II., S. Pii V., Gregor. XIII., Clement. VIII.) „ inſliguntur, multi requirunt ſententiam Judicis declaratoriam. "

De raptoribus Concilium Chalcedonenſe cap. 1. *Eos* qu. 2. cauſ. 36. inquit: *Eos, qui rapiunt mulieres ſub nomine ſimul habitandi, aut cooperantes, aut conniventes raptoribus decrevit ſancta Synodus, ut, ſi quidem Clerici ſunt, decidant proprio gradu, ſi vero laici, anathematizentur*. Synod. vero Trident. ſeſſ. 24. cap. 6. de refor. ait: *Raptor ipſe, ac omnes illi conſilium, auxilium, & favorem præbentes ſint ipſo jure excommunicati, ac perpetuo infames, omniumque dignitatum incapaces; &, ſi Clerici ſint, de proprio gradu decidant*.

9. *Diſputantes in alterutram partem... de B. Virginis immaculata conceptione*

Hac de re legi poteſt Nat. Alexand. Theol. t. 2. p. 149. art. 1. num. 12. citans conſtitut. Sixti IV. *Grave nimis* anni 1483. qui ipſo facto excommunicationi Romani Pontifici reſervatæ ſubjicit Prædicatores, & quoſcumque alios, qui prædicare vel affirmare præſumpſerint mortaliter peccare, vel eſſe hæreticos eos, qui tenent, aut aſſerunt B. V. Dei genitricem abſque originalis peccati macula fuiſſe conceptam, vel contrarium putant, aut affirmant. Sanctus vero Pius V. conſtitut. *Super ſpeculam* 1570. mandat inſuper, *quatenus nemo cujuſcumque ordinis, gradus, conditionis, vel dignitatis exiſtat, in popularibus concionibus, vel ubicumque promiſcua virorum, & mulierum multitudo convenire ſolet, de hujus controverſiæ alterutra parte diſputare, rationibus, vel doctorum auctoritate aſſerendo propriam ſententiam, & contrariam rejiciendo, aut impugnando; vel de hac ipſa quæſtione, cujuſvis pietatis, aut neceſſitatis prætextu vulgari ſermone ſcribere, vel dictare præſumat. Qui contra fecerit, ſuſpenſionis pœnam a divinis ipſo facto abſque nova declaratione incurrat, ſi modo fuerit in ſacris conſtitutus, & quocumque præterea gradu, ſive dignitate, vel adminiſtratione fungatur, illis omnibus ſit ipſo jure privatus, & ad eadem, vel ſimilia munera obtinenda perpetuæ inhabilitatis cenſuræ ipſo facto ſit obnoxius, ſuper quibus niſi a Romano Pontifico pro tempore exiſtente diſpenſari, ſive abſolvi non poſſit*.

Has conſtitutiones Sixti IV. & S. Pii V. innovavit Paulus V. anno 1616. *Regis pacifici*; ac præterea earum conſtitutionum violatores concionandi, publice legendi, ſeu docendi, & interpretandi facultate, ac voce activa, & paſſiva in quibuſcumque electionibus ipſo facto privatos, nec non perpetuæ inhabilitatis ad concionandum, & publice docendum pœnas incurrere ſtatuit, a quibus ſolus Pontifex abſolvere, ſeu diſpenſare poſſit.

Hæc ex Nat. Alex. ſumpta ſunt, qui ita loqui pergit. „ Greg. XV. anno Chriſti MDCXXII. die xxiv. „ Maij decrevit, ac præcepit, ut in poſterum, donec „ articulus hujuſmodi a S. Sede apoſtolica fuerit defi„ nitus, vel per Sanctitatem ſuam, & Sedem apoſtoli„ cam fuerit aliter ordinatum, nullus audeat in publi„ cis concionibus, lectionibus, concluſionibus, & aliis „ quibuſcumque actibus publicis aſſerere, quod B. Vir„ go fuerit concepta cum peccato originali, alioquin „ obnoxium fore cenſuris, & pœnis in conſtitutionibus „ deceſſorum ſuorum expreſſis. Alteram tamen opinio„ nem ſe propterea non reprobare, nec ullum ei præju„ dicium inferre velle declaravit. Ulterius ſub iiſdem „ cenſuris, & pœnis mandavit, ut negativam opinio„ nem, videlicet quod non fuerit concepta cum pecca„ to originali, in prædictis publicis actibus aſſerentes, „ aliam opinionem non impugnent, nec de ea aliquo „ modo agant, ſeu tractent. Prohibuit pariter, ne in „ ſermonibus etiam privatis, & colloquiis, ſcriptiſque „ aliquis audeat aſſerere, quod eadem B. V. fuerit con„ cepta cum peccato originali, nec de hac opinione „ affirmativa aliquo modo agere, ſeu tractare, iis ta„ men exceptis, quibus id a Sede apoſtolica fuerit con„ ceſſum. Omnibus denique, & ſingulis perſonis eccle„ ſiaſticis tam ſæcularibus, quam cujuſvis Ordinis, & „ Inſtituti Regularibus mandavit, ac præcepit, ut in „ ſacroſancto Miſſæ ſacrificio, ac divino officio cele„ brandis, tam publice, quam privatim non alio, quam „ *Conceptionis* nomine utantur ſub iiſdem cenſuris, & „ pœnis. " In hanc rem conſuli etiam poteſt conſtitu„ tio Alex. VII. anni 1661., cujus meminit idem Nat. Alex. loco cit. in qua præter pœnas, & cenſuras in conſtitutionibus Sixti IV. contentas, concionandi, & publice docendi facultate, necnon voce activa, & paſ-

ſiva

ſiva in quibuſvis electionibus privat ipſo facto etiam eos, qui ſententiam aſſerentem, B. V. fuiſſe conceptam ſine labe originali, vel feſtum, & cultum Conceptionis ejuſdem Virginis Deiparæ ſecundum piam illam ſententiam exhibitum in diſputationem revocare auſi fuerint.

20. *Viſitantes, ſi accipiant pecuniam, vel munera.*

Si accipiant pecuniam intellige loco victualium. Suſpenſi autem ſunt non abſolute, ſed niſi duplum ejus, quod receperint, Eccleſiæ, a qua id receptum fuerit, intra menſem reddiderint; quo elapſo, nec facta dupli reſtitutione dictam ſuſpenſionem incurrunt, *quouſque de dupla hujuſmodi gravatis Eccleſiis plenariam ſatisfactionem impendant, nulla eis in hoc dantium remiſſione, liberalitate, ſeu gratia valitura*, ut decernit Greg. X. in generali Concilio Lugdunenſi cap. 2. *Exigit* tit. 20. lib. 3. in 6.

Ita ſane Gregorius X. & Innocentius IV. locis citatis. Verum hanc legem moderatus eſt Bonifacius VIII. cap. *Felicis* t. cit. 20. lib. 3. in 6. ubi ait: *Concedimus, ut Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, & alii, quibus ex officio competit viſitare, a volentibus* (ait volentibus) *Eccleſiarum & locorum viſitatorum Rectoribus, ſeu perſonis pecuniam licite recipere valeant pro ſumptibus moderatis faciendis in victualibus, diebus, quibus viſitationis officium perſonaliter exercebunt; adjicientes, quod non liceat viſitanti niſi unam procurationem recipere una die, ſive unum locum ſolum viſitaverit, ſive plura, etiamſi locus quilibet viſitatus ab illo, ſufficeret ad procurationem integram perſolvendam* &c. Hac de re legenda quoque eſt Tridentina Synodus ſeſſ. 24. cap. 3. de reform. quæ ad propoſitum noſtrum ita loquitur: *Sit tamen in optione eorum, qui viſitantur, ſi malint, ſolvere id quod erat ab ipſis antea ſolvi certa pecunia taxata conſuetum; an vero prædicta victualia ſubminiſtrare* &c.

21. *Judex eccleſiaſticus* (*non Epiſcopus*), *qui facit injuriam.... parti litiganti.*

Innoc. IV. in Concilio Lugdunenſi cap. 2. *Cum æterni* t. 14. lib. 2. in 6. acriter invehitur in malos Judices, qui odio, vel favore, timore, vel ſpe juſtitiam corrumpunt: tum ſubdit: *Si quis autem Judex eccleſiaſticus ordinarius, aut etiam delegatus famæ ſuæ prodigus, & proprii perſecutor honoris, contra conſcientiam, & contra juſtitiam in gravamen partis alterius in judicio quicquam fecerit per gratiam, vel per ſordes, ab executione officii per annum noverit ſe ſuſpenſum, ad æſtimationem litis parti, quam læſerit, nihilominus condemnandus* &c.

Quia hic Epiſcopus expreſſe non nominatur, hanc ſuſpenſionem vi hujus canonis non incurrit.

Animadversio IX.

Religioſi... introducentes mulieres in monaſteria.

Hi Religioſi non ſolum a divinis ſuſpenſi ſunt, ſed etiam beneficiis privati, & ad illa inhabiles, ut habet Bonac. tom. 3. pag. 437. ex Bulla S. Pii V. *Regularium*; quam, ut alias omnes ſuper hac re, earumque pœnas renovat Bened. XIV. conſt. *Regularis diſciplinæ* anni 1742. quæ refertur a P. Concina tom. 1. app. pag. 138. ab iiſdem Regularibus, eorumque Confeſſariis attente legenda.

Animadversio X.

Epiſcopus. 1. ordinans non ſubditum, ſuſpenſus eſt a pontificalibus per annum.

Syn. Trid. ſeſſ. 23. cap. 8. de reform. ita hac de re loquitur: *Unuſquiſque autem a proprio Epiſcopo ordinetur. Quod ſi quis ab alio promoveri petat, nullatenus id ei, etiam cujuſvis generalis, aut ſpecialis reſcripti, vel privilegii prætextu, etiam ſtatutis temporibus permittatur, niſi ejus probitas, ac mores ordinarii ſuo teſtimonio commendentur; ſi ſecus fiat, ordinans a collatione Ordinum per annum, & ordinatus a ſuſceptorum Ordinum executione, quamdiu proprio ordinario videbitur expedire, ſit ſuſpenſus.*

Ordinans vero invitum, ſuſpenſus eſt per annum a celebratione.

Id conſtat ex Conc. Aurelianenſi III. cap. 7 quod refertur cap. 1. *Epiſcopus* diſt. 74.

Huic eidem ſuſpenſioni ſubjicitur, qui ordinat pœnitentem, bigamum, viduarum maritos cap. 2. *Nullus* diſt. 55. quia tamen ibi Epiſcopus expreſſe non nominatur, ex vi illius canonis dictam ſuſpenſionem non incurrit.

2. *Admittens reſignationes contra formam præſcriptam.*

Hac de re conſulenda eſt conſtitutio 58. S. Pii V. *Quanta Eccleſiæ*, ubi contrafacientes formæ ibi præſcriptæ, ſuſpenſionem a beneficio, & officio Papæ reſervatam incurrunt.

3. *Intrans Monaſteria Monialium ſine neceſſitate.*

Nat. Alex. Theol. tom. 1. pag. 531. art. 3. nu. 26. ita loquitur. „Epiſcopus Monaſteria Monialium abſque „neceſſitate ingreſſus, prima vice in ſuſpenſionem incurrit ab ingreſſu Eccleſiæ: ſecunda vice ſuſpenditur „a divinis: tertia, excommunicatione plectitur, ut „ſanxit Greg. XIII. conſt. quæ incipit *De ſacris*."

Animadversio XI.

Habens epiſcopalem auctoritatem poteſt abſolvere a ſuſpenſione non reſervata.

Non item Parochi, inquit Laym. loco a Buſemb. cit. aliique Confeſſarii, niſi ex privilegio, vel delegata poteſtate; pro qua opinione citat Henriq. & Avilam, eamque ſequitur Nat. Alex. Theol. t. 1. p. 530. reg. 24.

Anacletus contra t. 5. juris can. pag. 342. num. 251. putat, quemlibet Confeſſarium a ſuſpenſione, & interdicto a jure, vel ab homine per ſententiam generalem lato, nec reſervato poſſe abſolvere. Idem ſentit Bonac. t. 3. p. 373. n. 10. multis pro ſe citatis. Idem affirmat Concina Theol. tom. 10. pag. 441. num. 3. ubi abſolute ait, quemlibet Confeſſarium a cenſuris non reſervatis poſſe abſolvere, & hanc eſſe communiorem ſententiam; quam, inquit, colligunt ex cap. *Nuper* 29. t. 39. lib. 5. decret. ubi Innoc. III. ait: *In ſecundo vero caſu a ſuo Epiſcopo, vel a proprio Sacerdote poterit abſolutionis beneficium obtinere. Quamvis enim & tunc non Judicis, ſed juris ſententia excommunicato communicans ſit ligatus; quia tamen conditor canonis, ejus abſolutionem ſibi ſpecialiter non retinuit, eo ipſo conceſſiſſe videtur facultatem aliis relaxari.* Quamvis enim hic ſermo ſit de ſola excommunicatione, quam communicans cum nominatim excommunicato in oratione, vel oſculo, aut orando ſecum, aut etiam comedendo, incurrit; nihilominus ratio ab Innoc. allata communis eſt omni cenſuræ; ideoque juxta ſenſum hujus Pontificis, quilibet Sacerdos approbatus a qualibet cenſura non reſervata a lege inflicta abſolvere poteſt. Huic rationi nihil video, quod reponat aut Laym., aut Nat. Alex. Et ſane cum ſummi Pontifices quaſdam ſuſpenſiones ſibi reſervent, quaſdam non item, ratio evidenter dictat, non reſervatas poſſe ab aliis relaxari; & cum hæc facultas ab ipſis ſummis Pontificibus ad Epiſcopos, & ejus Vicarios coarctata non inveniatur, nulla ratio ſolida ſuppetit, cur aliis Confeſſariis denegetur.

Adde, quod, cum ſupremæ leges ſuſpenſionem Epiſcopis reſervatam volunt, hoc perſpicue declarant, ut Syn. Trid. ſeſſ. 24. cap. 1. de ref. mat., mox allata in hoc dub. ergo cum id non declarant, nemini Confeſſario adimunt poteſtatem abſolvendi a ſuſpenſione. Poteſtas abſolvendi in Confeſſariis alios non habet limites, niſi quos Pontifices Rom., & legitimæ conſtitutiones præſcribunt: at nulla legitima conſtitutio reperitur, quæ Confeſſariis præſcribat limites non abſolvendi a ſuſpenſione non reſervata: ergo. Præterea Confeſſarios quoslibet poſſe abſolvere ab excommunicatione juris majori non reſervata, fatetur quoque Nat. Alex. loco cit. & Laym. p. 2. tr. 5. lib. 1. cap. 6., qui hanc ſententiam communem eſſe ait, quam eodem teſte Sotus indubitatam appellat, eamque explicate tradit S. Th. Suppl. qu. 24. art. 2 ubi ait: *Quod a minori excommunicatione quilibet poteſt abſolvere, qui poteſt a peccato participantis abſolvere. Si autem ſit major, aut eſt lata a Judice, & ſic ille, qui tulit, aut ejus Superior poteſt abſolvere; vel eſt lata a jure, & tunc Epiſcopus, vel etiam Sacerdos poteſt abſolvere, exceptis ſex caſibus, quos ſibi juris conditor, ſcilicet Papa, reſervavit.* Ergo eadem, aut potiori ratione quilibet Confeſſarius a ſuſpenſione juris non reſervata abſolvere poteſt. Nat. Alex. loco cit. hic negat conſequentiam. „Ratio diſcriminis „eſt, inquit, quod abſolutio ab excommunicatione multo magis ſit ad ſalutem animæ neceſſaria: ſiquidem „excommunicatio participatione ſacramentorum, & „communione ſuffragiorum privat, non vero ſuſpen„ſio."

Reſp. Abſolutio a vinculo majori, & fortiori magis certe neceſſaria eſt, quam abſolutio a minori, & minus forti, quia illud magis nocet; nihilominus rectius dicimus, eum, qui a majori vinculo ſolvere poteſt, poſſe etiam a minori, quam id negemus.

Tandem pro certo habendum eſt, nihil omnino in abſolutionis forma ab Eccleſia uſurpata eſſe fruſtraneum: at ſi ſimplex Confeſſarius non haberet facultatem abſolvendi a ſuſpenſione juris non reſervata, a nulla ſuſpenſione poſſet abſolvere, ideoque fruſtra adderetur in forma abſolutionis, cum clericus abſolvitur, *ab omni vinculo ſuſpenſionis*. Quare his omnibus penſatis certa mihi videtur ſententia affirmans, quemlibet Confeſſarium a ſuſpenſione juris non reſervata poſſe abſolvere; quia ſolidis rationibus nititur, quibus contraria deſtituitur.

CA-

CAPUT IV.

De Interdicto.

DUBIUM I.

Quid ſit, & quotuplex?

RESp. 1. Eſt cenſura eccleſiaſtica, prohibens divinorum officiorum, ſacramentorum aliquorum, & eccleſiaſticæ ſepulturæ uſum, quatenus talis eſt. Quod addo, quia excommunicatio eodem privat, quatenus eſt communicatio cum fidelibus, ſuſpenſio vero proprie non illum uſum, ſed exercitium poteſtatis eccleſiaſticæ impedit. V. Laym. *ib. l.* 1. t. 5. *p.* 4. *c.* 1. Bon. *d.* 5. *p.* 1.

Reſp. 2. Interdictum dividitur 1. in locale, quod immediate locum afficit; & in perſonale, quod immediate afficit perſonas; & in mixtum, quod immediate afficit locum, & ejus incolas. Differt autem locale a perſonali, quod in illo participatio ſacrorum officiorum tum indigenis, tum alienigenis, non abſoluta, ſed in loco tantum interdicto: in hoc vero certis perſonis, aut communitati prohibeatur abſoluta, & in omni loco. 2. Interdictum tam locale, quam perſonale ſubdividitur in generale, & particulare. Generale eſt, quo locus generalis, v. gr. civitas, provincia, vel quo communitas, v. g. collegium, &c. interdicitur. Particulare, quo locus, aut perſona particularis, aut particulares interdicuntur.

Unde reſolves.

1. Interdicta civitate, interdicuntur etiam ſuburbia; & interdicta Parochia, etiam ſacellum, vel cæmeterium contiguum, quia acceſſorium ſequitur naturam principalis. (*a*)

2. Interdicto populo, non interdicuntur ii, qui non ſunt pars populi, ut ſtudioſi Clerici, peregrini, &c. nec, interdicto Clerico, interdicuntur Religioſi, quia in favorabilibus tantum nomine Clerici comprehenduntur. (*b*)

3. Si dicatur, Cives v. g. Colonienſes ſunt interdicti, ii nuſquam poſſunt intereſſe divinis (niſi tamen deſinant eſſe iſtic cives, nec cauſam dederint interdicto) contra vero, ſi civitas interdicto ſubjiciatur, licet civibus, aut incolis, qui cauſam interdicto non dederunt, alio ire, & iſtic divinis intereſſe. (*c*).

DUBIUM II.

Qui ſunt effectus Interdicti?

Reſp. Sunt ſequentes. 1. Prohibitio divinorum officiorum. Unde etiam interdicti ob alienam culpam non poſſunt intereſſe ſacro. Clerici tamen, & religioſi, quando ipſi interdicti non ſunt, poſſunt, ac debent, ut ante, Miſſas, divinaque officia celebrare: ſed januis clauſis, (*d*) non pulſatis campanis (niſi ad concionem, ſalutationem Angelicam, vel obitum alicujus) ſubmiſſa voce, & excluſis interdictis. Permittitur tamen, ut in feſtis Natalis Domini, Paſchæ, Pentecoſtes, Aſſumptionis, & per octavam Corporis Chriſti divina officia cantentur ſolemniter, admiſſis etiam interdictis, dummodo qui cauſam interdicto dederunt, altari nec appropinquent, nec veniant ad offertorium, vel communionem. 2. *Prohibitio adminiſtrationis Sacramentorum,*
Animad. I. *excepto Baptiſmo, Confirmatione, & Pœnitentia, quæ omnibus permittuntur, iis exceptis, qui interdicto cauſam dederunt, etiam auxilio, conſilio, vel favore:* Euchariſtia tamen poteſt dari morituris, & deferri cum lumine, & campana. *Nec improbabile eſt, interdictis licere contrahere matrimonium, ut Sanch. Con. & Laym. docet, contra Suar. quia hoc Sacramentum ſecundum ſubſtantiam non ab Eccleſia, ſed ab ipſis contrahentibus miniſtratur.* 3. Prohibitio ſepulturæ eccleſiaſticæ, etiam reſpectu infantium, & amentium. Excipe tamen Clericos, qui in interdicto locali, ſi nominatim interdicti non ſunt, nec interdictum violarunt, poſſunt cum ſilentio ſepeliri. Laym. *c.* 2. *n.* 3. 4. Clerici violantes interdictum peccant mortaliter: ſicut etiam religioſi utriuſque ſexus; qui inſuper excommunicantur de facto. Laici vero peccant quidem graviter, ſi contra interdictum perſonale recipiant Sacramenta; *ſive vero tantum violent locale, v. gr. audiendo divina officia, probabilius eſt, tantum eſſe veniale*, dummodo ipſi perſonaliter interdicti non ſint. Laym. *c.* 3. ex Sylv. Sot. Avil. &c.

DUBIUM III.

Quis cenſuram Interdicti ferre, & quis tollere poſſit?

Reſp. 1. Interdicere poſſunt iidem, qui excommunicare, & ſuſpendere. Et quidem, ut determinata perſona interdicatur, videtur requiri culpa mortalis; ut autem feratur interdictum locale, vel generale in communitatem, requiritur peccatum valde grave cum contumacia commiſſum a capite, vel præcipuis membris, licet reliqui culpa vacent.

Reſp. 2. Interdicta localia, & perſonalia generalia, quæ jure communi ſunt impoſita, nec reſervata, poſſunt tolli ab Epiſcopo, vel alio habente juriſdictionem in communitatem interdictam, non tamen a Religioſis privilegiatis; quia locus, & communitas foro pœnitentiæ non ſubjiciuntur.

Reſp. 3. Ab interdicto juris perſonali, particulari, ſi reſervatum non eſt, quivis approbatus poteſt abſolvere. (*e*) Denique per privilegium abſolvendi ab omnibus cenſuris, non intelligitur poteſtas tollendi interdictum locale, aut perſonale communitatis.

NOTÆ.

(a) Hæc conſtant ex cap. 17. t. 11. lib. 5. in 6., ubi Bonifacius VIII. ita inquit. *Si civitas, caſtrum, aut villa ſubjiciantur eccleſiaſtico interdicto, illorum ſuburbia, & continentia ædificia, eo ipſo intelligi volumus interdicta. Nam licet prædicta videantur alias murorum ambitu terminari, hoc tamen caſu, ne vilipendi valeat ſententia interdicti, (quod fieret, ſi poſſet in ipſorum ſuburbiis, vel continentibus ædificiis licite celebrari ut prius) expedit interpretationem fieri latiorem.*

Ratione quoque ſimili ſi ſit Eccleſia interdicto ſuppoſita, vel ſubjecta, nec in Capella ejus celebrari, nec in cæmeterio ipſius eidem Eccleſiæ contiguis poterit ſepeliri. Secus, ſi ei contigua non exiſtant.

(b) Idem Bonif. VIII. cap. 16. t. cit. ait. *Si ſententia interdicti proferatur in Clerum, non intelligitur (niſi aliud ſit expreſſum in ea) interdictus populus, nec etiam e converſo. Unde uno interdicto ipſorum, alius licite admittitur ad divina.* Quare interdicto populo non ſolum *ſtudioſi Clerici*, ut Buſ. ait, non interdicuntur, ſed ne Clerici quidem Magiſtri, ſeu quicumque Clerici ejuſdem populi. Quoad peregrinos, & exteros, „ ab interdicto „ eos liberant auctores plures, etiamſi per multum tem„ pus in civitate interdicta commorentur." Ita Concina Th. t. 10. p. 480. cap. 4. q. 2..... Id, inquis, ſponte ſua ex eorum opinione oritur, qui peregrinos a locorum legibus immunes faciunt; at quomodo id conciliari poteſt cum ſententia huic contraria? Reſp. Quia nomine populi, puta Bononienſis, Florentini &c. peregrini non veniunt, & hac eadem de cauſa interdicto Clero, Regulares interdicti non cenſentur; ut habet quoque Anacl. t. 5. juris can. p. 337. n. 187., & Weg. p. 584. n. 25. ex ratione a Buſ. allata.

(c) Si *dicatur* &c. *ii nuſquam* &c. *niſi* &c. Mihi res dura viſa ſemper eſt, ut innocentes nocentium ſupplicio involvantur. At Bonif. VIII. cap. 16. cit. ait. *Cum vero alicujus terræ populus* e. g. Colonienſis, *interdicto nodatur, ſingulares ex eo perſonæ, quas interdictas eſſe conſtat (ne ſententia* &c.) *non debent alicubi (caſibus expreſſis a jure dumtaxat exceptis) audire divina, & eccleſiaſtica recipere ſacramenta.* Ait *alicubi*, hoc eſt etiamſi aliò ſe transferant. An, etiamſi innocentes ſint? Reſp. ſi ſunt interdicti, ut reipſa ſunt, non debent: ita definivit Bonif. VIII. at Buſ. addit, *niſi tamen deſinant* &c. At ſi civitatis jure priventur cur ab interdicto liberantur? interdicti enim ſunt, qui tempore latæ ſententiæ erant cives.

Buſ. *Contra vero ſi civitas* &c. *licet civibus* &c. *alio ire* &c.

Hic quoque ſua eſt exceptio ex eodem Bonif. VIII. cap. 16. cit. ita loquente. *Cum propter delictum Domini, vel Rectoris eſt Civitas interdicta, cives ejuſdem, qui*

culpabiles non exiſtant, dummodo & ipſi (en exceptio), *propter dominum, vel Rectorem puniendum in eis, non fuerint interdicti, poſſint extra ipſam licite intereſſe divinis.*

(d) *Clerici tamen &c. poſſunt &c. ſed janais &c.*

Hoc certum eſt ex c. 24. *Alma mater* cit. a. hic unica.

Quoad parentheſim *niſi ad concionem &c.* concionem interdicti tempore haberi poſſe, putat etiam Anacl. t. 5. juris can. p. 338. n. 205. citatis Navarro, & Suarezio; quod concedit etiam Concina Th. t. 10. p. 481. n. 7.; quia divinorum officiorum nomine non venit. Ergo multo magis permiſſa eſt poſt conceſſionem divinorum officiorum a Bonif. VIII. impertitam. At cur campanarum pulſationem ad concionem &c. Buſemb. permittit? *quia*, inquit Laym. lib. 1. tract. 5. cap. 2. p. 4. n. 2. 6., „ Sonus „ campanarum is tantum prohibetur, quo populus ad „ divina officia convocari ſolet."

Buſ. *Permittitur tamen, at in feſtis &c.* Ita Bonif. VIII. cap. 24 cit. *excommunicatis*, inquit, *prorſus excluſis, ſed interdictis admiſſis..... ſic tamen quod illi, propter quorum exceſſum interdictum hujuſmodi eſt prolatum, altari nullatenus appropinquent.* De feſto, & Octava Corporis Chriſti caput *Alma mater* nihil habet. Sed hæc addita ſunt a Martino V. & Eugenio IV., ut teſtatur Concina Th. t. 10. p. 482. n. 7. Anacl. n. 221.

Bonifacii tamen VIII. permiſſio intelligi tantum debet de generali loci interdicto, non ſpeciali alicujus Eccleſiæ ex communi ſententia, ut habet Laym. cap. 2. cit. n. 2.

Buſ. *Eucharistia tamen poteſt dari &c.* Id patet ex verbis Bonif. VIII. recitatis verſus finem Animad. hic unicæ.

Nam *illud deferri cum lumine, & campana* cum ad Sacramenti reverentiam pertineat, & ſit quid acceſſorium, permiſſo viatico, illud quoque permiſſum intelligitur.

Buſ. *Prohibitio ſepulturæ eccleſiaſticæ, etiam reſpectu infantium, & amentium.* Hoc intellige de interdicto locali, & de loco interdicto. Nam hujuſmodi perſonæ, aliæque innocentes in loco non interdicto tumulari queunt, ut recte advertit Conc. Th. t. 10. p. 482. n. 10.

Buſ. *Excipe tamen Clericos &c. ſepeliri.* Id conſtat ex c. *Quod in te* t. 38. lib. 5. decr., ubi Innoc. III. ita loquitur. *Licet autem per generale interdictum denegetur omnibus tam unctio, quam eccleſiaſtica ſepultura, concedimus tamen ea gratia, ut Clerici decedentes, qui tamen ſervaverint interdictum, in cæmeterio Eccleſiæ, ſine campanarum pulſatione, ceſſantibus ſolemnitatibus omnibus tumulentur.* Ait, *qui tamen ſervaverint interdictum*, nullamque aliam conditionem poſtulat. Item inquit *in cæmeterio Eccleſiæ*. Non ergo in Eccleſia.

4. *Clerici violantes interdictum, peccant mortaliter, ſicut etiam &c.* „ Eſt communis ſententia, quam ſolus „ Cajet. in dubium revocare audet," ait Laym. lib. 1. tract. 5. p. 4. cap. 3. n. 1.

Buſ. *Qui inſuper excommunicantur de facto.* Id intellige *cum Cathedralem, vel Matricem, ſeu Parochialem loci Eccleſiam illa* (interdicta Sedis Apoſtolicæ, vel ordinariorum) *viderint, aut ſciverint obſervare..... abſque dolo & fraude*, ut loquitur Clemens V. cap. 1. t. 10. l. 5. Clem. Sed caput ipſum legendum eſt.

De pœnis vero eorum, qui interdictum violant, legi poteſt Laym. cap. 3. cit., & Anacl. t. 5. p. 339. §. 7. q. 4.

(e) *Ab interdicto juris perſonali particulari, ſi reſervatum non eſt, quivis approbatus poteſt abſolvere.* Hæc eſt multorum ſententia teſte Concina Th. t. 10. p. 483. n. 13., cui ipſe non repugnat, & cui ego ſubſcribo. Lege Animad. XI. in cap. 3. hujus lib. 7.

Animadversio I.

P*Rohibitio adminiſtrationis ſacramentorum, excepto baptiſmo, confirmatione, & pœnitentia, quæ omnibus permittantur, iis exceptis, qui interdicto cauſam dederunt &c.*

Id non abſolute dicendum, ſed adjecta ea conditione, quam habet Bonif. VIII. cap. 24. *Alma mater* tit. 11. *lib. 5. in 6., niſi de ipſo delicto* (*ſi ſint tales, quod id facere valeant*) *prius ſatisfecerint, vel de ſatisfaciendo idoneam dederint cautionem, aut ſi ſatisfacere nequeant, vel hujuſmodi cautionem præſtare, juraverint, quod, cum poterunt, ſatisfacient, & ad ſatisfactionem hujuſmodi per eum, vel per eos, qui facere ipſam debent, & poſſunt, præſtandam dabunt conſilium, & auxilium, ac juxta poſſe ſuum fideliter laborabunt.*

Item ex eodem cap. excipiuntur excommunicati, *quos*, inquit idem Bonif. VIII., *admitti* (*præterquam in mortis articulo*) *nolumus ad eamdem* pœnitentiam.

Nec improbabile eſt, interdictis licere contrahere matrimonium &c.

Bonif. VIII. cap. *Alma mater* cit. inquit: *Sane a noſtris dudum fuit Prædeceſſoribus conſtitutum, ut in terris, ſeu locis eccleſiaſtico ſuppoſitis interdicto nulla* (*certis caſibus, & ſacramentis exceptis*) *divina celebrentur officia, vel miniſtrentur eccleſiaſtica ſacramenta:* at matrimonium eſt ſacramentum, & non excipitur: ergo non licet matrimonium interdictis, vel etiam in loco interdicto adminiſtrare. An, quia ipſi contrahentes (quod ego admitto, licet ſit contraverſum) ſunt matrimonii miniſtri, matrimonium non eſt ſacramentum? Sed conſtitutum eſt, ut in locis interdictis nulla (certis exceptis) miniſtrentur ſacramenta. Ergo.

At inquit La-Croix pag. 130. num. 420. „ Ratio Sylv. „ Tol. Avil. Conc. Schiar. & aliorum cum Buſemb. & „ Caſtrop. eſt hæc, quia contractus humani politici, „ quorum nomine venit matrimonium, tempore interdicti non prohibentur, & generalis prohibitio intelli„ gitur de ſacramentis pure ſpiritualibus." At quid tum poſtea? „ Utraque ſententia, ait La-Croix, eſt „ probabilis, & tuta teſte Diecaſtillo num. 135."

Reſp. Etiamſi utraque ſententia eſſet probabilis, quæ tamen favet libertati, & licere ait, quod altera negat, juxta ſanam Theologiam non eſt tuta, ſed periculoſa, ideoque in praxi mala. Verum quis La-Croixium, & eos, quos citat, docuit, contractus humanos politicos, qui ſimul ſint ſacramenta, tempore interdicti non prohiberi? Si contractus matrimonii, quis humanus eſt, & politicus a Chriſto ad ſacramenti dignitatem non fuiſſet evectus, interdicti tempore non ſit vetitus; at cum ex Chriſti inſtitutione ſacramenti naturam ſit conſecutus, cur tempore Interdicti non prohibetur, cum omne ſacramentum ſit prohibitum certis ſacramentis exceptis, inter quæ matrimonium a ſummis Pontificibus nunquam hactenus fuit recenſitum?

At, inquit La-Croix, „ generalis prohibitio intelli„ gitur de ſacramentis pure ſpiritualibus." Reſp. Si prohibitio generalis eſt, cur de quibuſdam tantum ſacramentis intelligitur? Dum de quibuſdam tantum ſacramentis intelligitur, prohibitio non eſt generalis. Lex generalis in noſtra ſpecie ſuas habet ex ipſis legiſlatoribus exceptiones; at permiſſum ne eſt privatis ſcriptoribus alias addere exceptiones præter eas, quas legiſlatores habent? Hæc arbitria ego quidem probare non poſſum, nec a ſanis, & ſapientibus viris probari poſſe puto. Verum, dum La-Croix ait, generalem prohibitionem intelligi de ſacramentis pure ſpiritualibus, prohibitionem non ſolum reſtringit, ſed ad nihilum redigit; quia ſacramenta pure ſpiritualia nulla ſunt, cum omnia ſacramenta ex Chriſti inſtitutione ſint corporalia, & ſenſibilia ſigna, quæ tamen omnia ſpiritualem, & inſenſibilem habent effectum.

Subdit La-Croix: „ Attamen omitti debere benedictio„ nem publicam, docet cum aliis Kugley lib. 5. numer. „ 1550." Idem habet Anacletus tom. 5. juris can. pag. 338. num. 201. At quis audeat matrimonium ſine ritibus ab Eccleſia præſcriptis, & uſitatis celebrare? Quonam Pontifice auctore benedictio nuptialis interdicti tempore omittenda eſt, celebrato matrimonii ſacramento? Imo prohibitio nuptialis benedictionis, matrimonii prohibitionem ſecum trahit; quia matrimonium ſine ſolemnitatibus ab univerſa Eccleſia adhibitis contrahi non debet: Sed de his hactenus.

Idem La-Croix eodem num. 420. ait: „ Quoad ſacra„ mentum pœnitentiæ attinet, dixi l. 6. p. 2. num. „ 1566. Parochum poſſe illud tunc adminiſtrare illis, „ qui non ſunt ſpecialiter interdicti, nec fuerunt cau„ ſa interdicti."

Sed hac quoque in re La-Croix fallitur. Nam Bonif. VIII. cap. cit. *Alma mater* inquit: *Concedimus, quod tempore interdicti ab homine, vel a jure prolati, non tantummodo morientes, ſed etiam viventes, tam ſani etiam, quam infirmi ad pœnitentiam* (*quæ propter pronitatem, & facilitatem hominum ad peccandum ſumme neceſſaria eſt*) *licite admittantur, dum tamen excommunicati non fuerint, quos admitti* (*præterquam in articulo mortis*) *nolumus ad eamdem.*

Illis etiam, propter quorum culpam, dolum, vel fraudem lata eſt ſententia interdicti, vel qui ad perpetrandum delictum, cujus occaſione ipſum interdictum eſt latum, præbuerunt auxilium, conſilium, vel favorem, niſi de ipſo delicto &c. quæ ſupra contra Buſemb. deſcripta ſunt, *non eſt pœnitentiæ beneficium aliquatenus concedendum.*

Quare exceptis excommunicatis, ſacramentum pœnitentiæ interdicti tempore omnibus aliis miniſtrari poteſt etiam ſpecialiter interdictis, etiam iis, qui interdicti cauſa fuerunt, dummodo vera pœnitentia ducti pro ſuis viribus ſatisfaciant, prout Bonif. VIII. verbis mox relatis præſcribit.

Præterea idem Bonif. VIII. cap. 10. *Quoniam* ejuſdem t. 11. l. 5. in 6. ait: *Quoniam in baptiſmo, & confirmatione* (*quæ nedum pueris, ſed & adultis propter mo-*

ræ pe-

re periculum exhiberi poſſunt licite tempore interdicti) chriſmatis utimur unctione ; poſſe (licet terra interdicta exſtat) chriſma die Cœnæ Domini confici , dubium non exiſtit.

Item cap. 11. *Quod in te* t. 38. l. 5. decr. Innoc. III. ait : *In illo enim verbo , per quod pœnitentiam morientibus non negamus , viaticum etiam , quod vere pœnitentibus exhibetur , intelligi volumus , ut nec ipſum decedentibus denegetur.*

Si vero violent (laici) *tantum locale .... probabilius eſt eſſe tantum veniale .*

Bonac. t. 3. pag. 452. diſp. 5. p. 7. prop. 1. citans Suar. Filliuc. Conin. Alter. Hoſt. & alios ait, hoc peccatum ex genere ſuo eſſe mortale ; quia in re gravi Eccleſiæ prohibitio violatur ; quæ ſententia ex æquo judicio propter rationem allatam verior videri meritо poteſt,

---

CAPUT V.

De Irregularitate.

ETſi Irregularitas non ſit cenſura , propter ſimilitudinem tamen , quam cum ea habet , communiter eidem annectitur : quapropter & hic ſubjungo.

DUBIUM I.

Quid, & quotuplex ſit Irregularitas?

Reſp. 1. Eſt impedimentum canonicum , (*a*) ſuſceptionem Ordinum ſacrorum, & ſuſceptorum uſum impediens . Unde ſequitur non eſſe cenſuram, ſed quaſi inhabilitatem : etſi enim interdum imponatur per modum pœnæ , proprie tamen pœna non eſt . Laym. *l.* 1. *t.* 5. *p.* 5. *c.* 2. Bonac. *d.* 7. *q.* 1. *p.* 1.

Reſp. 2. Dividitur 1. in eam , quæ eſt ex delicto , & quæ eſt ex defectu . 2. In totalem , ſeu proprie dictam, quæ omni Ordine ſuſcipiendo , & ſuſcepti exercitio privat, v. g. homicidium , bigamia : & in partialem, quæ aliquo tantum Ordinis miniſterio privat, vel ſolo aſcenſu ad Ordinem ſuperiorem : v. gr. oculis, vel palma Sacerdos carens , inhabilis eſt ad Miſſam, non tamen ad confeſſiones audiendas , & Diaconus ſiniſtro oculo carens inhabilis eſt ad Sacerdotium , in ſuo tamen Ordine miniſtrare poteſt .

DUBIUM II.

Quinam effectus Irregularitatis?

Reſp. Sunt ſequentes . 1. Inhabilitare ad Ordines ſuſcipiendos, etiam primam tonſuram, (*b*) & impedire exercitium Ordinum ſuſceptorum. Unde Sacerdos irregularis, etſi valide , illicite tamen abſolvit . Bonac. *l. c. n.* 4. & *p.* 4. 2. *Quod collatio beneficii , ad cujus functiones inhabilis eſt , facta irregulari invalida ſit , ſecundum ſententiam communiorem , & tutiorem : niſi non improbabiliter quidam dicant , eam non ipſo facto irritam eſſe , ſed merito irritandam .* Laym. *l. c. c.* 1. *n.* 2. & 3. Sylv. &c. Bon. *p.* 4. Secundum quam ſententiam probabilem reſolves. [Animad. I.]

1. *Is , qui beneficium impetravit in Irregularitate , poteſt , obtenta hujus diſpenſatione , illud in foro conſcientiæ licite retinere , ſine nova collatione , etiamſi in diſpenſationis impetratione non ſit facta mentio beneficii . Item , ſi poſtea beneficio privetur , non tenetur fructus reſtituere .* [Animad. II.]

2. Graviter peccat, qui in Irregularitate exercet actum Ordinis, aut ſuſcipit ; licet Ordines ei collati ſint validi.

DUBIUM III.

Quomodo incurratur, & tollatur Irregularitas?

Reſp. 1. Cum ab homine non feratur, nulla incurritur, niſi in jure expreſſe habeatur. (cap. *Is, qui, de ſent. excom.* in 6.) *Unde in dubio ſive facti, ſive juris, tenere potes , quod non ſis irregularis ; quia melior eſt conditio poſſidentis .* Bon. *q.* 1. *p.* 5. ex Suar. Fill. &c. *Excipe tamen , ſi dubites de homicidio ſaltem injuſto a te commiſſo ; ut patet ex c. Significaſti , & ex c. Ad audientiam ,* 2. *de hom.* V. Bon. *l. c.* [Animad. III.]

Reſp. 2. Ut incurratur irregularitas ex delicto, requiritur actus externus conſummatus, & mortalis, ut habet communis contra Cajet. (*c*) Ratio eſt, quia eſt gravis pœna , & difficulter relaxatur.

Reſp. 3. Irregularitas non tollitur per abſolutionem, ſed per diſpenſationem, hac, vel ſimili forma : *Diſpenſo tecum in Irregularitate , quam , vel quas , ob hanc ,* vel *illam cauſam , incurriſti.* Et ſi quidem diſpenſans intendat tollere omnes , idque poſſit, omnes tollit : ſin minus, eam tantum tollit , quam poteſt, & vult . *Etſi vero hæc diſpenſatio ad Pontificem ſpectet ; ex jure tamen novo Trident. ubi eſt receptum , poteſt Epiſcopus diſpenſare in irregularitatibus provenientibus ex delicto , & non deducto ad forum contentioſum , niſi tamen ſit homicidium directe , & in ſe volitum.* Bonac. *q.* 5. *p.* 1. *n.* 3. ex Trid. *ſeſſ.* 24. *c.* 6. Suar. Sanch. Fill. &c. Laym. *c.* 9. *n.* 4. [Animad. IV.]

Præterea *Irregularitas* ex defectu natalium *tolli etiam poteſt* per profeſſionem in religione approbata , ſed quoad ordines tantum , *non quoad Prælaturas ,* (*d*) *cap.* 1. *de filiis Presbyterorum .* Bon. *p.* 2. Laym. *c.* 9. *n.* 6. Suar. Sanchez, Leſſ. contra Villal. qui apud Dian. *p.* 4. *t.* 2. *R.* 65. dicit tolli quoad omnia ſolita gubernari per Fratres *illius* ordinis, ut Prioratus, Præpoſituratus , Rectoratus , & cetera munia . Circa quæ Prælatos ſaltem poſſe cum iis diſpenſare, in Capitulo tamen generali, vel provinciali, notat Dian. *l. c.*

Unde reſolves .

1. Solus Papa , & qui ab eo accipit privilegium , poteſt diſpenſare in irregularitatibus ex defectu.

2. Confeſſarius in nullis irregularitatibus poteſt diſpenſare , niſi habeat ſpeciale privilegium a Papa .

DUBIUM IV.

Quæ ſint irregularitates ex delicto?

Reſp. *Prima eſt ob iteratum Baptiſmum ſerio , & ſcienter , eſtque irregularis tam baptizans , quam baptizatus ; etſi in baptizante irregularitas tantum ſit partialis , ne Clericus ad altiorem Ordinem poſſit aſcendere , neque incurratur , ſi rebaptizatio ſit occulta .* Covar. Tol. M. Leo *p.* 3. *ſ.* 358. V. Bon. *d.* 7. *q.* 3. *p.* 3. Laym. *l.* 1. *t.* 5. *p.* 5. *c.* 1. [Animad. V.]

Secunda ex violatione cenſuræ, verbi gratia, ſi ea innodatus actum aliquem Ordinis ſolemniter exerceat , niſi invincibilis ignorantia excuſet . Laym. *c.* 3.

Tertia , ob peccatum , quo Clericus ſerio , & ſcienter actum Ordinis ſacri , quem non habet , ſolemniter exercet . Bon. *l. c. p.* 6. Laym. *l. c. c.* 3. [Animad. VI.]

Quarta , ob delictum , quo quis male ſuſcepit Ordines , v. g. in excommunicatione , ſuſpenſione , vel ab Epiſcopo non habente juriſdictionem , vel per ſaltum (licet hunc ſuſpenſum tantum eſſe, quamdiu non miniſtrat *in* Ordine per ſaltum ſuſcepto, ſatis probabiliter docent Avila , Navar. Bonac.) vel ante legitimam ætatem, vel ſine dimiſſoriis, *vel furtive* (*Epiſcopo neſciente , nec approbante*) *& non examinatus .* Vid. Bon. *d.* 7. *q.* 5. *p.* 4. [Animad. VII.]

Quinta , propter enormia crimina , (*e*) ſi ſint notoria , & publica , v. g. quæ a jure habent annexam infamiam , ut adulterium , raptus , inceſtus , perjurium in judicio .

Sexta oritur ex injuſta mutilatione, vel homicidio, etiam indirecte tantum voluntario, extenditurque ad omnes, qui ad alterutrum , ſive in bello injuſto , ſive extra illud , injuſte concurrunt, conſulendo , mandando . Mutilatio autem hic intelligitur, quando a corpore ſeparatur membrum aliquod principale , (*f*) id eſt , pars corporis , quæ officium per ſe diſtinctum habet, v. g. pes, manus , oculus, auris, &c. M. Leo *in praxi p.* 3. *ſ.* 147. ex Covar. Navar. *de Conſ. n.* 206. V. Bon. *p.* 8.

Unde reſolves .

1. *Non ſit irregularis , qui in rixa præſcindit alteri digitum , pollicem ,* ungues , dentes , barbam , capillos, [Animad. VIII.]

los,

Digitized by Google

los, labia, *naſum*, *auriculam*, (id eſt, cartileginem, quæ tantum deſervit ad ornatum, & tutelam auris) *quia non ſunt propria membra, v. g. digitus eſt pars tantum, & officium membri*. Avila, & alii octo cum Dian. *p.* 4. *t.* 4. *R.* 26. Item M. Leo *l. c.* ex Gloſſ. c. *ult. de homic.* in 6. & *L. Quaritur herm.* 10. *l. Non ſunt*, 14. *§. Partus*, *ff. de ſtatu hom.*

Animad. IX. 2. *Nec fit irregularis, qui excæcavit hominem ſolo viſu privando, non autem oculum extrahendo: nec qui debilitat tantum membrum, & non abſcindit; quia non eſt mutilatio*. Dian. *p.* 4. *t.* 4. *R.* 26. ex Megal. &c.

Animad. X. 3. *Quando plures (non ex conſilio, ſed in rixa) unum percutiunt, & unus letale vulnus infligit, ex quo moritur, ſi conſtet, quis hoc fecerit, hunc ſolum fieri irregularem docent Sayr. & alii quinque cum Dian. p.* 2. *t.* 15. *R.* 18. contra Avil. Suar. &c.

4. Qui infirmo bona fide dat aliquid, v. gr. cibum, vel potum; vel eum movet, vel de lecto in lectum transfert, aut aliud circa eum operatur, ea quo mors, vel ejus acceleratio præter intentionem ſequetur, non fit irregularis, niſi intervenerit lata culpa. (*g*) Avila, Filliuc. & alii quatuor cum Diena *p.* 5. *tr.* 3. *R.* 117. ubi ex Bon. & cet. notat, Sacerdotibus, & Religioſis circa moribundos licere eadem, quæ laicis.

Animad. XI. 5. *Qui amicum bono animo comitatur, ne periclitetur in rixa, non fit irregularis, etſi amicus occidat alium*. Avila, Henriq. &c. cum Dian. *p.* 4. *t.* 2. *R.* 17. *Limitat autem Prapoſ. niſi ſua præſentia animaverit ad occidendum*.

6. In bello injuſto ſi vel unus occidatur, totus exercitus fit irregularis, ſaltem ſi aliqua ratione ſit cooperatus. Bon. *q.* 4. *p.* 4. *n.* 3.

7. Irregularis fit, qui procurat abortum fetus animati anima rationali; ſecus, ſi animatus non ſit. C. *Majores*, 32. *q.* 2. Bonac. *l. c. p.* 8. *n.* 27. Coniu. &c.

Animad. XII. 8. *Qui dans operam rei licitæ (imo, ſecundum multos, etiam illicitæ) ſufficientem diligentiam adhibuit, ne ex ea homicidium ſequeretur, & tamen ſecutum eſt, non fit irregularis, ob defectum voluntarii: ſecus tamen, ſi dictam diligentiam omiſit omiſſione mortali*. Bonac. *q.* 4. *p.* 7. Leſſ. *l.* 2. *c.* 9. *d.* 15. &c. *Alii tamen dicunt*, quod dans operam rei illicitæ, ex quavis culpa, etiam leviſſima, incurrat hanc irregularitatem. Penor. Cov. M. Leo *p.* 3. *f.* 354.

9. Qui alterum mutilat, & occidit, ad neceſſariam ſui defenſionem cum moderamine inculpatæ tutelæ, non incurrit hanc irregularitatem: (*h*) quia hic nulla eſt culpa, ergo nec pœna. M. Leo *p.* 3. *f.* 349.

DUBIUM V.

Quæ irregularitates ex defectu?

Reſp. *Prima* ex defectu animæ, ex quo irregulares ſunt 1. Amentes, phrenetici, arreptitii, & epileptici; (*i*) qui tamen, ſi ordinati ſunt, & intra annum eo morbo non laborarunt, præſumuntur liberati, & permittuntur ad Ordinum exercitium. Animad. XIII. *Si vero laborent raro, & quidem ſine clamore, & ſpuma, permittuntur celebrare cum coadjutore, qui, deficientibus ipſis, ſuppleat ſacrificium*. M. Leo *p.* 372. ex *c. Illud* 7. *q.* 1. Gloſſ. *ibid.* 2. Illiterati, qui non habent doctrinam neceſſariam pro Ordinibus. 3. *Neophiti, ſeu recenter converſi, uſque dum judicio Epiſcopi ſufficienter inſtructi ſint*.

Secunda ex defectu corporis. 1. Si propter eum ineptus eſt ad exercitium Ordinis, ut ſi ſit cæcus, ſurdus, claudus, ita ut ſine baculo nequeat ire ad altare. *Item, ſi careat* manu, pollice, indice, Animad. XIV. *oculo* (non tamen ſi ungula pollicis, vel indicis, *vel oculo dextero tantum*) *ſi vero ſiniſtro, ſeu canonico, aut ejus vi viſiva careat, indiget diſpenſatione: quod tamen negat Valent. Henr. Sayr. ſi quidem dextero poſſit abſque deformitate legere canonem*. 2. Si Ordinem nequit exercere ſine horrore, offenſione, aut ſcandalo aliorum, ut ſi careat auribus, naſo, ſi notabiliter ſit gibboſus, l. proſus, paralyticus, ſi membra habeat ſuperflua cum magna deformitate: in dubio vero, an deformitas ſit ſufficiens, Epiſcopi eſt judicare, ſaltem in Clericis: (*k*) nam in Regularibus id ſpectare ad eorum Prælatum contra Barb. &c. docent Suar. & alii 5. cum Dian. *p.* 4. *t.* 2. *R.* 63. licet concedant Epiſcopum poſſe rejicere arbitrium Prælati; hunc autem, ſi gaudeat auctoritate quaſi epiſcopali, poſſe in illa irregularitate diſpenſare, niſi deformitas ſit tanta, ut ſcandalum generet. *ibid.* ex Rodr. & aliis 4. Vide Bon. Laym. M. Leo *p.* 3. *f.* 370.

Unde reſolves.

1. Non videtur irregularis, 1. Qui habet ſex digitos, vel aliquos conjunctos, ſi non ſit magna deformitas, & Ordinem exercere poſſit. 2. Qui habet in oculo maculam viſum non auferentem, nec notabiliter deformantem. 3. Qui caret ungula pollicis, ſi poſſit hoſtiam elevare, & frangere. 4. Qui per vim, aut infirmitatem factus eſt eunuchus.

2. Irregularis eſt hermaphroditus, (*l*) quia eſt monſtruoſus. 2. Gigas, Pygmæus, Æthiops: non tamen inter ſuos, ſed alienos, ubi diſparitas ludibrio eſt.

Tertia ex defectu natalium. *Ex quo irregulares ſunt omnes illegitimi*, (*m*) eo quod ratione originis reputentur viles. Tales autem communi jure legitimantur 1. Per ſubſequens matrimonium inter eorum parentes, modo hi tempore conceptionis potuerint valide contrahere. 2. Per profeſſionem religioſam: quamvis ad dignitates etiam in religione, verb. gr. Abbatiam, Prioratum, &c. promoveri non poſſint, ſine diſpenſatione. V. ſupra *d.* 3. 3. Per diſpenſationem pontificiam; Principes vero ſæculares non poſſunt legitimare, niſi tantum in ordine ad officia ſæcularia, & hereditates. Animad. XV. *Porro cum dubium eſt, an quis ſit legitimus, non cenſeri irregularem, contra Vaſq. & alios* 5. *vult Dian. p.* 4. *t.* 3. *R.* 59. ex *Avila, eo quod quilibet præſumatur legitimus, donec contrarium probetur*: neque teneri hac in re credere ipſimet matri, etiam in fine vitæ, niſi rationibus convincat, vel pater etiam aſſerat. *ibid. ex communi*.

Quarta eſt ex defectu ætatis, de quo v. in Sacramento Ordinis.

Quinta ex defectu Sacramenti, ſive ſignificationis matrimonii, ratione bigamiæ, eo quod bigamus non perfecte repræſentet unionem Chriſti cum Eccleſia, quippe qui carnem ſuam diviſit in plures uxores. Non ſufficiunt autem ad hanc bigamiam ſponſalia cum pluribus, etiam ſecuta copula; nec fornicatio, vel adulterium, vel matrimonium ratum cum pluribus; ſed matrimonium verum, vel præſumptum cum duabus, & conſummatum. Dixi, *vel præſumptum*: quia licet quandoque ſecundum matrimonium ſit nullum, juris tamen fictione, & interpretatione præſumitur bigamia, licet improprie dicta.

Unde ſequitur irregulares fieri ſequentibus caſibus.

1. Qui vivente, vel mortua prima uxore cognita, ſecundam cognoſcit, etſi matrimonium ſit invalidum. (*n*)

2. Qui viduam non virginem ducit, & cognoſcit.

3. Qui ducit uxorem prius ab alio corruptam, etiam per fornicationem, & cognoſcit; (*o*) non tamen ſi ipſe eam ante corrupit; quia tunc non eſt diviſio carnis in plures.

4. Qui propriam uxorem cognoſcit, poſtquam ab alio per adulterium cognita fuit, quia ipſa jam diviſit carnem in plures. (*p*) Nec refert, etſi per vim viriata fuerit, vel vir corruptam, aut viduam eſſe ignoraverit: quia hæc irregularitas non oritur ex culpa, ſed ex defectu ſignificationis Sacramenti.

5. Qui poſt ſolemne votum caſtitatis de facto matrimonium contrahit, (*q*) & conſummat, etiam cum virgine: quia interpretatione juris cenſetur duo matrimonia contraxiſſe, unum ſpirituale cum Chriſto, alterum carnale cum muliere. Nec refert, quod invalide contrahat; quia, quantum eſt in ipſo, affectus a parte rei ponitur.

Sexta oritur ex infamia, ſive juris (quæ vel ex delicto proprio, vel parentum, vel vili conditione

per-

perſonæ naſcitur) ſive facti , (r) modo crimen
ANIMAD. XVI. publicum ſit; *ex occulto enim non oritur, ſi homicidium, & cenſuræ violationem excipias, ut docent Nav. Con. Laym. contra Sylv. & Suar. qui ex occulto etiam oriri putant, modo infamiam ipſe jure connexam habeat.* Porro infamia ob crimen notorium, vel per ſententiam judicis contracta non tollitur, niſi per diſpenſationem Principis, cujus auctoritate contracta fuit. Infamia facti, etiam orta ex enormi crimine, & digna depoſitione, tollitur per publicam, & conſtantem vitæ emendationem.

Septima oritur ex defectu libertatis. Unde irregulares ſunt 1. Omnes ſervi proprie dicti, & (ſecundum Laym. *l.* 2. *t.* 5. *c.* 8.) etiam originarii 1 (*ſ*) donec conſequantur plenam libertatem. 2. Conjugati, niſi uxores conſentiant, & caſtitatem voveant. 3. Curiales, id eſt, curiæ ſæculari obligati facto juramento, vel ſtipendio, ut judices, advocati, &c. quamdiu talia officia habent. Excipe tamen, niſi habeant ſpecialem diſpenſationem Papæ pro illis officiis, ut quidem Clerici in aulis Principum, in cauſis civilibus, non tamen criminalibus occupati; vel niſi conſuetudo ſciente Papa id permittat. 4. Milites, ſaltem quamdiu juramento tenentur: item theſaurarii, & depoſitarii publici, & qui Rempub. adminiſtrant. Item apparitores, & ſimiles, qui ſæva, turpia exercuerunt, vel in cauſa ſanguinis miniſtrarunt. M. Len *p.*3.*ſ.*369.

Octava ex defectu lenitatis, ſcilicet ex licita mutilatione, vel homicidio in bello juſto, vel judicio. Quod ideo ſtatuit Eccleſia, quia Sacerdos gerit perſonam Chriſti, qui, utpote leniſſimus, neminem unquam læſit. Ad hanc autem requiritur, ut occiſio, aut mutilatio de facto ſequatur. Unde non ſufficit voluntas, nec vulneratio gravis. Bon. *d.* 7. *q.* 4. Tan. *d.* 6. *q.* 10. *d.* 11.

Unde reſolves.

ANIMAD. XVII. 1. *Non fit irregularis, qui mutilat, vel occidit in defenſionem inculpatam honoris, vitæ, caſtitatis*, &c. *vel etiam proximi:* quia in jure non ſtatuitur irregularitas, niſi ob homicidium in bello juſto, vel judicio. Tann. *l. c.*

2. Irregularis fit in bello, qui mutilat, vel occidit propria manu, non autem Clericus exhortans ad fortiter pugnandum in bello juſto (ſecus tamen ſi ad occidendum hunc, vel illum in particulari:) idem eſt de Duce exercitus, tubicine, &c. Bonac. *p.* 4.

3. In judicio juſto irregulares fiunt, qui ad mortem, vel mutilationem cooperantur active, & efficaciter, & proxime, per actionem ex natura ſua ad id ordinatam. Dicitur 1. *Cooperantur*, ut Judex ferens ſententiam, Notarius eam ſcribens, miniſtri exequentes, teſtes, &c. Dicitur 2. *Active*, id eſt ex parte occidentium; quia non fit irregularis, qui ſe tantum habet paſſive, & ex parte ejus, qui occiditur, ut Confeſſarius hortans ad fatendum veritatem, vel ad acquieſcendum ſententiæ juſtæ, quam non poteſt differre, niſi appellatione injuſta. Cornel. & Dian. *p.* 4. *t.* 22. *R.* 99. Dicitur 3. *Efficaciter*, quia adjuvans, v. gr. ferens ligna, ut comburatur ante jam ſuffocatus, non fit irregularis; nec aſſiſtens ſupplicio, ſi ſua præſentia in illud non influat. Dicitur 4. *Proxime*, quia qui remote tantum cooperantur, non fiunt irregulares, ut qui gladios faciunt, aut vendunt, item legiſlator leges capitales condens, concionator in genere dicens, puniendos eſſe malefactores, Confeſſarius interrogatus de reo, an mortem mereatur, ſi reſpondeat, judicem ſine acceptione perſonarum fungi debere ſuo munere: quia hi omnes ſunt tantum cauſæ remotæ. Eſſent autem proxime, ideoque irregulares, ſi quid facerent, aut dicerent in particulari, ex quo mors alicujus ſequeretur, aut etiam acceleraretur, v. gr. ſi quis efficaciter urgeret reum, ut ſcalam aſcenderet, vel ad hoc illum juvaret, vel ſi judici in particulari reſponderet, hunc eſſe plectendum. Poſſunt tamen ſubinde etiam proxime cooperantes excuſari ab irregularitate, v. gr. 1. Si fiat ex indeliberatione, aut cum ſemiplena tantum advertentia, v. gr. ſi dicat Confeſſarius. *Properemus*, aut inſtiget jumentum, quo reus vehitur. 2. Si cooperatio ſit valde exigua, ut ſi jubeat reum adhuc unum gradum aſcendere; quia minimum reputatur pro nihilo. Avil. & Henr. apud Bon. *q.* 4. *p.* 1. *n.* 9. Item Suar. Regin. Laym. &c. contra Vaſq. Turr. Hurt. Baun. &c. qui cenſent ex homicidio neminem fieri irregularem, niſi concurrat ut publicus miniſter juſtitiæ, ſive ad cauſæ probationem, ſive executionem; vel ut privatus injuſte, & cum peccato. Quam ſententiam probabilem cenſet Dian. *p.* 3. *t.* 4. *R* 79. & *in addit. R.* 15. & *p.* 8. *t.* 7. *R.* 61. Hinc negant fieri irregularem 1. Confeſſarium, vel alium quemcumque, qui furem hortatur, ut ſcalam aſcendat, caput ſupponat ad ictum excipiendum. 2. Eum, qui carnifici dicit, ut aliquid aptet, quo citius extinguatur reus. 3. Qui, dum reus ad ſupplicium ducitur, ſuggerit viam breviorem. 4. Qui vendit, vel commodat ſcalam, funes, enſes, & cetera inſtrumenta, etiam qui furcam facit. 5. Qui interrogatus a Judice, an teneatur reum condemnare, reſpondit, teneri. 6. Eum, qui carnifici putanti, ſuſpenſum jam eſſe mortuum, ſignificavit adhuc vivere, ex quo carnifex iterum pede occidit.

Dicitur *Per actionem ex natura ſua*, &c. id eſt, quæ per ſe ſit cauſa talis effectus: quia effectus per accidens non imputetur danti operam rei licitæ. Hinc non fit irregularis dicens carnifici: *Nemo te impedit facere tuum officium, ego meum feci:* nec Judices eccleſiaſtici degradatum tradentes brachio ſæculari: nec Clerici accuſantes aliquem in cauſa criminali; modo expreſſe proteſtentur, ſe non intendere, ut puniatur pœna ſanguinis; ſed tantum, ut ſibi, vel ſuis ſatisfiat, vel impediantur mala ſibi, aut aliis imminentia. Vid. Bon. *q.* 4. Tann. *l. c.* &c.

Notæ.

(a) Irregularitas *eſt impedimentum canonicum* &c.

Dicitur *canonicum*, quia ſolo jure canonico, non naturali, aut divino, nec ab homine inducitur; ideoque non incurritur, niſi in jure ſit expreſſum, ut non ſolum docent Concina Th. t. 10. p. 484. cap. 5. n. 1. & Bonac. diſp. 7. q. 1. p. 1. n. 1., ſed Bonif. VIII. cap. 18. *Is, qui* tit. 11. lib. 5. in 6., quod refero hic Anim. 3.

(b) *Inhabilitare .... etiam primam tonſuram.* Teſte Bonac. p. 4. n. 1. eſt communis ſententia, nonnullis, ut habet Le Croix in hunc Buſ. locum, repugnantibus.

Buſ. *Unde Sacerdos irregularis* (intellige qui ſit a confeſſionibus) *etſi valide, illicite tamen abſolvit.* Bonac. &c.

Bonacina p. 4. q. 1. cit. prop. 3. n. 19. docet, abſolutionem, ſeu, quod idem eſt, confeſſionem eſſe invalidam, ſi Sacerdos ſit nominatim denuntiatus, non item, ſi nominatim denuntiatus non ſit; citatque Avilam, Suar., & alios, ait, communiter.

Hoc ego diſcrimen ut probem, in animum inducere non poſſum. Nam ſicuti *executionem excommunicatio ſecum trahit, & excommunicatus per denuntiationem amplius non ligatur*, ut ait Innoc. III. cap. *Paſtoralis* 53. t. 28. l. 1. decr.; ita irregularitas; nec irregularis per denuntiationem amplius ligatur. Ergo, ſi denuntiatus abſolvere valide non poteſt, ne id quidem poteſt, ſi denuntiatus non ſit.

Quid aliud præſtat denuntiatio, niſi ut notum ſit, irregularem eſſe irregularem, hoc eſt iis impedimentis ligari, quæ irregularitas ſecum trahit? Ergo, ſi irregularis ut talis non impeditur valide abſolvere, ne denuntiatus quidem impeditur.

Sicuti ſuſpenſus toleratus invalide abſolvit ex dictis Animad. 8. in cap. 3. b. lib. 7. ſicuti acta excommunicati item tolerati ex Animad. 12. in cap. 2. ejuſdem h. lib. 7. invalida ſunt, ita idem dicendum de abſolutione irregularis non denuntiati. Adde, quod ex dictis Anim. 8. in cit. cap. 2. inducentes excommunicatos toleratos ad abſolutionem impertiendam, ad peccandum eos inducunt, ideoque ipſi quoque peccant. Ex quo fit, ut obicem Sacramento ponentes, illud invalidum efficiant. At hoc idem dici prorſus debet, ſi irregularis toleratus ad abſolvendum inducatur: ergo &c.

Quæ hactenus breviter dicta ſunt, Bonacinæ difficultates ſolvunt, & objectiones amoliuntur, a quibus proinde afferendis abſtineo. Nam quæ de juriſdictione eadem prop. 3. affirmat, multis, ut ego puto, conſiderationibus obnoxia ſunt; & quod ad rem præſentem attinet, cum abſolutio non ſolum juriſdictionis, ſed ordinis ſacerdotalis, qui in ea fundamenti loco eſt, functio ſit; & cum irregularitas ſuſceptorum ordinum

uſum

uſum impediat, & irregularem ad eum inhabilem reddat, abſolutio ab irregulari impertita, utpote ab inhabili, ſeu incapaci, nulla merito videri debet.

(c) Recte, dicitur *actus externus*; quia actus internus non ſufficit ad irregularitatem incurrendam; imo actus mere interni humanis legibus non ſubſunt. Dicitur *conſummatus*; quia conatus puta homicidii, aut mutilationis, ex quibus irregularitas exiſtit, irregularitatem non inducit. Non enim conatus eſt ipſum homicidium, aut mutilatio: at ſolum homicidium, aut mutilatio ex canonum vi irregularitatem inferunt: Ergo &c. Neque vero pœnæ ampliandæ ſunt, ſed potius reſtringendæ ex reg. juris in 6. 15. & 49. Dicitur *mortalis* ex ratione a Buſ. allata; quia pœna ex culpa metienda eſt; ut habetur cap. *Felicis* 5. t. 15. l. 5. in 6., & jus naturæ præſcribit.

(d) *Præterea irregularitas &c. tolli etiam poteſt &c., non quoad prælaturas &c. contra Villal. &c.*

Ne lector omni doctrinæ vento ſe abripi patiatur, cap. a Buſ. cit. 1. t. 17. lib. 1. decr. ita loquitur. *Ut filii Presbyterorum, & cæteri ex fornicatione nati non promoveantur; niſi aut Monachi fiant, vel in congregatione canonica regulariter viventes: prælationem vero nullatenus ſuſcipiant.* „ Quod privilegium, ait Concina Th. „ t. 10. p. 497. n. 7., jure communi conceſſum, & re„ vocatum a Sixto V., illud ad juris communis termi„ nos inſtauravit Greg. XIII. quantum ad ordines ſuſ„ cipiendos, non quantum ad prælaturas. “

Buſ. *Circa quæ Prælatos &c. vel Provincialis &c.* Concina p. 498. n. 7. cit. ait: “ docent, Gregorium XIV. con„ ceſſiſſe Generalibus, ut cum ſuis Capitulis poſſint et„ iam in ordine ad Prælaturas ſuper hoc diſpenſare. “ Gregoriana ſcilicet conſtitutio conſulenda hic omnino eſt, ne erretur.

Cæterum ita, *qui defectum patitur natalium ex diſpenſatione Epiſcopi licite poteſt (ſi ei aliud canonicum non obſiſtat) ad ordines promoveri minores, & obtinere beneficium, cui cura non imminet animarum.* Ita Bonif. VIII. cap. *Is, qui* 1. t. 11. l. 1. in 6. ex quo limitandum eſt, quod habet Buſ. ex. 1. *Solus Papa &c.*

(e) *Quinta, propter enormia crimina, ſi &c.*

Omnia crimina, quibus lex ſeu canonica, ſeu civilis infamiam inurit, quæ juris infamia dicitur, irregularitatem inducunt ex communi ſententia, cui Bonacina diſp. 7. q. 3. p. 1. prop. 1. neminem adverſantem curat; & ex cap. *Infames* 17. q. 1. can. 6. ubi pro infamibus habentur *omnes, quos eccleſiaſticæ, vel ſeculi leges infames pronuntiant.* Poſt ſubdit *hi omnes nec ad Sacros gradus debent provehi, nec &c.*

Verum quia infamia non incurritur, ſi crimen occultum ſit, & bona criminoſi fama perſeveret; idcirco hujuſmodi irregularitas locum non habet, niſi ſcelus aut Judicis ſententia, aut rei confeſſione, aut ſaltem facto ipſo publicum & notorium ſit.

Utrum vero infamia facti orta ex publico crimine, quod apud prudentes & probos infame habetur, licet jure infamia notatum non ſit, irregularitatem inferat, quæſtio eſt. Communis ſententia ex Bonac. p. cit. prop. 2. affirmat. Cap. cit. *Infames* ait: *infames eſſe eas perſonas dicimus, quæ pro aliqua culpa notantur infamia*; hoc eſt generice loquitur ſine diſcrimine infamiæ juris, & facti; tum aliquot hujuſmodi numerans, ſubjicit, *qui in omni mundo infamia notantur*; non ait omni jure, *ſed in omni mundo*, quæ eſt infamia facti; & enumerare pergens, inquit: Similiter & *inceſtuoſos, homicidas &c. & omnes, quos Eccleſiaſticæ vel ſeculi leges infames pronuntiant.* Hæc poſtrema verba infamiam juris explicant. Porro *hi omnes nec ad ſacros gradus provehi debent, nec &c.* Ergo infames quacumque infamia laborent ſeu juris, ſeu facti, ſunt irregulares. Cur infamia juris ex canonum lege irregularitatem annexam habet? quia magnopere dedecet, homines, hujuſmodi infamia laborantes, ad ſacros gradus, & honores promoveri. At hoc idem de iis, qui infamia facti ſordeſcunt, omnino dicendum eſt. Ergo jura ſine limitatione irregularitatem ex infamia inducentia, de utraque infamia juris, & facti intelligenda ſunt. Si tamen infamia facti, conſtanti morum emendatione aboleatur, irregularitas quoque inde orta tollitur, ut multis citatis monet idem Bonacina eadem prop. 2.

(f) *Mutilatio autem hic intelligitur &c.* Quoad hoc vide hic animad. 8.

(g) *Qui infirmo, &c. niſi intervenerit culpa lata*; hoc eſt negligentia notabilis, ſeu ſi ea adhibeatur diligentia, quæ communiter adhiberi ſolet. Teſte Suarez apud Bonacinam diſp. 7. q. 4. p. 7. prop. 2. n. 22. ſententia communis eſt, quæ Bonacinæ vera videtur. Scrupuli ſcilicet movendi non ſunt, & caritatis officia fovenda, non avertenda.

(h) *Qui alterum mutilat &c. ad neceſſariam ſui defenſionem &c.* Si illud *ſui* idem ſit ac ſuæ vitæ, res certa eſt ex Clem. V. cit. animad. 18. in cap. 1. tract. 4. lib. 3. Vide ibi animadverſiones 7. 8. 9. &c. uſque ad 18. & hic animad. poſtremam.

(i) *Irregulares ſunt 1. amentes, phrenetici, arreptitii.* Id conſtat ex cap. *Maritum* 2. diſt. 33. ubi 3. Gregorius ait, *Clericum non ordinandum .... neque illum, qui in furiam aliquando verſus inſanivit, vel afflictione diaboli vexatus eſt.* Si ex hoc canone qui aliquando inſaniam paſſi ſunt, irregulares judicantur, multo magis qui continuo, aut ex habitu inſaniunt.

Quoad epilepticos, id ex hoc eodem capite colligitur; nam illi, dum comitiali morbo corripiuntur, ſana mente eſſe non poſſunt. Quod clarius ex cap. 3. *Communiter* eit. diſt. 33. intelligitur; ubi a ſacri altaris miniſterio arcentur, *qui corporis incommoditatibus deditis ... in terram probantur eliſi.* Quæ eſt communis ſententia apud Bonac. q. 2. p. 2. n. 22.

Qui tamen ſi ordinati ſunt &c. permittuntur &c.

Quæritur hic, utrum arreptitii poſt ordines ſuſceptos, ſi ab obſeſſione dæmonis liberentur, eos exercere poſſint. Reſp. ex Epiſcopi diſpenſatione poſſunt, dum per unius anni ſpatium a dæmonis vexatione liberi fuerint. Ita Bonac. citatis multis; & colligitur ex cit. cap. *Communiter*, ubi dicitur. *Qui tamen & ipſi* (obſeſſi) *tamdiu erunt ab officii ſui ordine, & loco ſuſpenſi, quouſque anni anni ſpatio per diſcretionem Epiſcopi inveniantur ab incurſu dæmonum liberati.*

(k) *In dubio vero, an &c. Epiſcopi eſt &c. ſaltem in clericis.* Id conſtat ex cap. *Cum de tua* 2. t. 20. l. 1. decr.

Buſ. *Nam in Regularibus &c. docent Suar. &c.* „ Sed „ hoc, ait Bonac. p. 2. cit. n. 36. mihi videtur fal„ ſum, cum nullo jure probetur, hoc privilegium illis „ (prælatis) conceſſum eſſe. “ Et plures pro hac ſententia citat. Reipſa privilegium nullo jure nixum, arbitrarium eſt. Et judicium habilitatis ad ordines, ad ad ordinum collationem definite pertinet. Cæterum judicium privatæ auctoritatis ex prudentia ortum, non ſolum Prælatis religionum, ſed quibuſcumque pie viris doctrina, & prudentia præditis convenit, eique ratione probitatis, & prudentiæ deferendum eſt.

Cætera, quæ hic habet Buſ., recte habent. Cap. cit. t. 20. l. 1. decr. Honorius III. de monacho, cui ungula dexteri pollicis avulſa fortuito fuit, loquens, *mandamus*, inquit, *quatenus ſi ad frangendum Eucharistiam ſit in pollice ipſo potens, & aliud canonicum non obſiſtat; propter deformitatem hujuſmodi non dimittas, quin eum ad ordinem promoveas Sacerdotii.* Cap. 3. ejuſdem t. Clemens III. expreſſe confirmat, quod Buſ. ait de eunucho per vim, aut fortuito facto. Contra de iis, qui aut inhabiles, aut nimis deformes ſunt, Eugenius cap. 2. t. 6. l. 3. decr. ita loquitur. *Presbyterum, cujus duos digitos cum medietate palmæ a prædone abſciſſos ſignificaſti, miſſam non permittimus celebrare; quia nec ſecure propter debilitatem, nec ſine ſcandalo propter deformitatem membri hoc fieri poſſe, confidimus; ipſum autem cæteris officiis ſacerdotalibus fungi minime prohibemus.*

(l) *Irregularis eſt hermaphroditus, quia &c.* Vide animad. 8. in cap. 2. tract. 5. lib. 6.

(m) *Ex quo irregulares ſunt omnes illegitimi*, intellige etiam occulti, ut monet Bonac. n. 3. prop. 1. multis citatis. Idque conſtat ex cap. *Ut Filii &c.* cujus verba habes hic in Reſp. 3. dub. 3.

Tales autem ... legitimantur. 1. Per ſubſequens matrimonium &c.

Id conſtat ex cap. *Tanta* 6. t. 17. l. 4. decr. ubi Alex. ait. *Tanta eſt vis matrimonii, ut qui antea ſunt geniti, poſt contractum matrimonium legitimi habeantur.*

Buſ. *modo hi tempore conceptionis &c.* Ita ſentiunt teſte Bonac. p. 3. cit. n. 6. Suar. Garz. Majolus, & Filliuc.; non item juxta hos legitimi Filii fiunt, ſi eorum Parentes tempore ſolum nativitatis ad contrahendum habiles erant.

„ Oppoſitum, ait Bonacina, mihi non diſplicet cum „ Covarruvia, & aliis, tum favore matrimonii, tum „ quia non adeſt textus contrarius. “

Cap. cit. *Tanta* ſubdit. *Si autem Vir vivente uxore ſua aliam cognoverit, & ex ea prolem ſuſceperit, licet poſt mortem uxoris eamdem duxerit, nihilominus ſpurius erit filius.*

Hic textus Bonacinæ contrarius eſt. Ut enim Filius ſit ſpurius, ſatis eſt, ſi ejus pater uxore vivente aliam cognoverit, & ex ea prolem ſuſceperit; Quod accidit, etiamſi forte, dum proles in lucem editur, ejus uxor mortua ſit, hoc eſt ſi tempore nativitatis Filii, ad matrimonium habilis ſit.

2. *Per profeſſionem &c. quamvis ad dignitates &c. ſine diſpenſatione.*

(n) Omnia recte. Vide dicta in dub. 3. Reſp. 3. hujus cap. Id colligitur ex cap. *Nuper* 4. t. 21. l. 1. decr. ubi Innoc. III. ait, *quod in matrimoniis contrahendis non juris effectus, ſed animi deſtinatio attendatur, unde illum comitatur infamia, qui duas ſimul uxores habet,*

quod partim ad factum convenit retorqueri; & hunc inter bigamos reputat. Idem dicas, ſi quis mortua prima uxore cognita, ſecundam cognoſcit, etſi matrimonium ſit invalidum; quia hic quoque eſt animi deſtinatio ad duo matrimonia, & factum copulæ. Hinc idem Innoc. ibidem ſubdit, *quod cum hujuſmodi clericis, qui quantum in ipſis fuit, ſecundas mulieres ſibi matrimonialiter conjunxerunt, tanquam cum bigamis non liceat diſpenſari, licet in veritate bigami non exiſtant, non propter Sacramenti defectum, ſed propter affectum intentionis cum opere ſubſecuta.*

(o) 2. *Qui viduam* &c. 3. *qui ducit uxorem prius ab ab alia* &c.

Id conſtat ex cap. 2. *Maritum* diſt. 33. ubi ſtatuitur, Clericum non eſſe ordinandum, *qui unam quidem, ſed concubinam, non matronam habuit, nec illum, qui viduam, aut repudiatam, vel meretricem in matrimonium aſſumpſerit.*

Non tamen ſi ipſe &c. *quia tunc* &c. Ex hac eadem ratione, *quia nec illa, nec ipſe carnem ſuam diviſit in plures*. bigamiæ impedimentum non induci definit Innoc. III. cap. *Debitum* 5. t. 21. l. 1. decr. *Si quis mulierem ab alio viro ductam, ſed minime cognitam duxit uxorem*. Hanc ſententiam D. Th. ſuppl. q. 66. a. 3. ad 2. ex eadem ratione probabiliorem habet.

(p) *Qui propriam uxorem* &c. *poſtquam* &c. *quia ipſa* &c. Legitima ratio ex Innoc. III. ſumpta, & ſententia communis teſte Bonacina p. 5. n. 12. D. Th. ſuppl. q. 66 a. 3. ad 4. idem habet.

Buſ. *Nec refert* &c. *quia* &c. Neque hic dubitandum mihi videtur. Hinc D. Th. Suppl. q. 66. a. 3. ad 3. ait. *Et ideo ille, qui uxorem ducit corruptam, quam Virginem credit, irregularis eſt, eam cognoſcens.*

(q) *Qui poſt ſolemne votum* &c. Hi intellige, etiamſi votum ſit implicitum in Sacrorum Ordinum ſuſceptione; quæ conſtant ex cap. 24. q. 1. can. 27. ubi dicitur. *Quotquot virginitatem pollicitam prævaricatæ* (alias prævaricati) *ſunt profeſſione contempta, inter bigamos, ideſt qui ad ſecundas nuptias tranſierunt, haberi debebunt*; & ex cap. *Nuper* ſupra cit. ubi inter bigamos reputatur Presbyter, *qui non legalibus nuptiis detinetur*. Sunt, qui hic repugnant, ſed oppoſita ſententia communior eſt teſte Bonacina p. 5. cit. & textu *Nuper* allato nixa.

(r) *Sexta oritur ex infamia ſive juris* &c. *ſive facti.* Facti quoque infamia irregularitatem induci, dictum eſt in dub. 4. *quinta*. Porro infamia juris etiam ex delicto Parentum oritur. Hinc infamis eſt Filius proditoris Principis, & ejus, qui manus violentas in Cardinaler injecit. Vilis quoque conditio, ſeu ignominioſæ artis profeſſio, uti eſt ars hiſtrionis, mimi, macellarii &c. irregularitatem infert ex Bonac. multos citante q. 3. p. 5. n. 22. Hiſtriones eſſe infames, Concilium Carthaginenſe 7. cap. *definimus* 2. q. 1. can. 4. definit.

(ſ) *Unde irregulares ſunt* 1. *omnes ſervi* &c. *etiam originarii, donec* &c. Servos originarios eſſe irregulares, ſeu ineptos ad ordines, niſi dominorum conſenſus adfuerit, conſtat ex cap. 12. d. 54. ubi Gelaſius ait. *Generalis etiam querelæ vitanda præſumptio eſt, qua propemodum cauſantur univerſi, paſſim ſervos, & originarios, dominorum jura, poſſeſſionumque fugientes, ſub religioſæ converſationis obtentu vel ad monaſteria ſeſe conferre, vel ad eccleſiaſticum famulatum, conniventibus quippe præſulibus, indifferenter admitti. Quæ modis omnibus eſt amovenda pernicies, ne* &c. Si tamen hi ſervi aut dominorum voluntate, aut legitima tranſlatione in libertatem vindicentur, eos permittit vel ad Religionem, vel ad Eccleſiæ ſervitutem tranſire. Idem habet Leo Papa cap. 21. diſt. 54. cit., *niſi forte*, inquit, *earum petitio, aut voluntas acceſſerit, qui aliquid ſibi in eos vendicant poteſtatis*. *Debet enim*, idem ait cap. 1. cit. d. *eſſe immunis ab aliis, qui divinæ militiæ eſt aggregandus, ut in caſtris dominicis, quibus nomen ejus adſcribitur, nullis neceſſitatis vinculis abſtrahatur.*

Buſ. 2. *Conjugati* &c. De his dictum eſt dub. 1. Reſp. 1. cap. 3. hujus lib. 7. Præterea *nullus conjugatorum eſt ad Sacros ordines promovendus, niſi ab uxore continentiam profitente fuerit abſolutus*. Ita Alex. III. cap. 5. *Conjugatus* t. 32. l. 3. decr. Plura vide in eodem tit.

Buſ. 3. *Curiales* &c. *quamdiu talia officia habent*. Ita D. Th. ſuppl. q. 39 a. 3. ubi ab ordinum ſuſceptione impediri ait omnes, *qui ſunt aliis obligati, ut ratiocinits detenti, & hujuſmodi perſonæ*. Idem habet cap. unic. t. 19 lib. 1 decr. cujus ratio eſt, *quia ſi ante libertatem negotiorum, vel officiorum fuerint ordinati, Eccleſia infamatur.*

Animadversio I.

Reſp. 2. Quod collatio beneficii ... facta irregulari invalida ſit &c.

Sententiam communiorem, & tutiorem, de qua Buſ. hic loquitur, ſequuntur quoque Wig. 10 Trib. pag. 586. tract. 14. ex. 5. qu. 12. reſp. 2. num 27. & Concina Th. t. 10. p. 485. n. 3. Ratio eſt, quia inhabilis ad officium, eſt etiam inhabilis ad beneficium; quia beneficium datur propter officium: ſed irregularis eſt inhabilis ad officium: ergo eſt inhabilis ad beneficium. Porro collatio beneficii facta inhabili, ipſo jure irrita eſt, ut conſtat ex Synod. Trid. ſeſſ. 22. cap. 15. de reform. ita ſtatuente: *Nec aliis in poſterum fiat proviſio, niſi iis, qui jam ætatem, & ceteras habilitates integre habere dignoſcuntur: aliter irrita ſit proviſio*. Dum ſacra Syn. ait, *& ceteras habilitates integre habere dignoſcantur*, omnes habilitates quocumque jure neceſſarias aperte requirit, ut proviſio ſit valida; ait enim *integre*: at irregularitas eſt inhabilitas ad beneficium: ergo. Quare objicientibus, collationem beneficii non eſſe ipſo jure irritam, niſi jus eam irritam perſpicue declaret, reſpondendum eſt, jus Tridentinum perſpicue ſtatuere, & declarare irritam collationem beneficii irregulari factam.

Animadversio II.

Is, qui beneficium impetravit in irregularitate, poteſt obtenta hujus diſpenſatione, illud in foro conſcientiæ licite retinere &c.

Ita dici poſſet, ſi ſequi liceret opinionem etiam minus probabilem contra probabiliorem, & tutiorem: at certum eſt, id non licere, quidquid contra ſalſo, & periculoſiſſime clament Probabiles: ergo pro certo habendum eſt, eum qui irregularitate irretitus beneficium impetravit, obtenta irregularitatis diſpenſatione non poſſe illud retinere tuta conſcientia, nec ejus fructus percipere, ſed eos reſtituere teneri; niſi collatio de novo fiat, aut per pontificiam diſpenſationem a reſtitutione eximatur, vel eadem pontificia auctoritate invalida collatio ſanetur.

Animadversio III.

Unde in dubio ſive facti, ſive juris tenere potes, quod non ſis irregularis &c.

Idem habet La-Croix pag. 232. num. 450. citatis non paucis probabilibus.

Bonacina quoque, quem Buſemb. citat, p. 3. p. 464. diſp. 7. qu. 1. p. 5. cit. cap. *Is, qui* de ſent. excom. in 6. ait, irregularitatem non incurri, niſi jure expreſſo imponatur, ideoque in dubio eam non incurri; quo textu nititur quoque La-Croix.

Reſp. Cap. cit. *Is qui*, ita loquitur: *Is qui in Eccleſia, ſanguinis, vel ſeminis effuſione polluta, vel qui præſentibus majori excommunicatione nodatis ſcienter celebrare præſumit, licet in hoc temerarie agat, irregularitatis tamen (cum id non ſit expreſſum in jure) laqueum non incurrit.*

Hic monemur, irregularitates non eſſe fingendas, ſed eas tantum admitti oportere, quæ in jure exprimuntur; & quia in ſpecie propoſita irregularitas in jure non exprimitur, idcirco non incurritur. De dubio nullus ſermo eſt in cit. cap.

Quare propoſitæ quæſtionis ſolutio aliunde petenda eſt. Porro licet quoad pœnas, in dubio mitiora Judices ſequi debeant, ſi tamen in ipſis pœnis animarum periculum includatur, quoad hoc non mitiora, ut male docet verſatilis probabilitas, ſed tutiora, ut ſana Theologia incolcat, ſequenda ſunt. Hinc in dubio, utrum aliquis in cenſuram, aut irregularitatem inciderit, non eſt condemnandus, ſed ad cautelam a cenſura, vel irregularitate abſolvendus eſt, & diſpenſandus. Ipſe autem reus, quamdiu dubitat, utrum aliqua cenſura, ſeu irregularitate ſit innodatus, ſeu dubium juris ſit, ſeu facti, ſine culpa ſe ſe objicere periculo non poteſt violandi cenſuram, aut irregularitatem; ſed ab Ordinum ſuſceptione, & uſu abſtinere debet, donec ad cautelam abſolvatur, aut diſpenſetur.

Nam illa juris regula 65. in 6. *In pari delicto, vel cauſa potior eſt conditio poſſidentis*, male hic, & abs re a Buſemb. adhibetur, ut alibi oſtenſum eſt. Voluntas habet quidem dominium in ſuos actus, at ſupremi Regis dominio, & poſitivis legibus ſubditum, quo proinde uti ſine culpa non poteſt, cum dubitat, utrum leges violentur.

Sacri Canones a Buſemb. citati docent contrarium, ac Buſemb. opinatur. Clem. III. cap. 12. *Ad audientiam* tit. 12. decr. de Presbytero, qui quemdam de familia ſua correctionis cauſa verberare cingulo, cui cultellus vagina incluſus adhærebat cum tentaret, illum cultello e vagina elapſo aliquantulum in dorſo vulneravit; hic vero ex eo vulnere convaleſcens, poſtmodum obiit: de hoc, inquam, Presbytero ita loquitur: *Quia vero utrum occaſione vulneris deceſſiſſet, dubium habetur, tuæ diſcretioni duximus reſpondendum, quod, cum in dubiis ſemitam debeamus eligere tutiorem, te convenit*

venit

venit injungere Presbytero memorato, ut in ſacris Ordinibus non miniſtret, & eidem injuncta pœnitentia congruenti, ſibi poterit concedere, ut minoribus Ordinibus ſit contentus. Si vero ille ex alia infirmitate obierit, poterit (ſicut erat ſolitus) divina officia miniſtrare. Cap. Significaſti ejuſdem tit. Innoc. III. de Sacerdote regulari, qui ſacrilegum furem ab aliis poſt occiſum percuſſerat, inquit: Quod ſi diſcerni non poſſit, ex cujus ictu percuſſus interiit, in hoc dubio tanquam homicida debet haberi Sacerdos. Et ſi forte homicida non ſit, a ſacerdotali officio abſtinere debet; cum in hoc caſu ceſſare ſit tutius, quam temere celebrare; pro eo quod in altero nullum, in reliquo magnum periculum timeatur. Hæc, inquis, Buſemb. quoque concedit, qui a ſua regula excipit, qui de homicidio ſaltem injuſto a ſe commiſſo dubitat cit. cap. Significaſti, & Ad audientiam. Verum doctrina a ſummis Pontificibus Clemente III. & Innoc. III. in allatis capitibus tradita non eſt exceptio regulæ, quam Buſembaum fictitia, & arbitraria ratione nixus perperam tradit, ſed regula, juxta quam ſimiles caſus judicandi ſunt. Rationes, quæ ſummos Pontifices induxerunt, ut in dubia irregularitate ex homicidio profecta affirmarent, a ſacrorum Ordinum functionibus eſſe abſtinendum, cum Buſembaum regulæ e diametro adverſantur, tum generales ſunt, omni dubiæ irregularitati ſine exceptione congruentes. An illa verba, Cum in dubiis ſemitam debeamus eligere tutiorem, ſoli dubiæ irregularitati ex homicidio conveniunt? An illa, Cum in hoc caſu ceſſare ſit tutius, quam temere celebrare, pro eo quod in altero nullum, in reliquo magnum periculum timeatur, omni dubiæ irregularitati non conveniunt?

Animadversio IV.

Etſi vero hæc diſpenſatio ad Pontificem ſpectet, ex jure tamen novo ... poteſt Epiſcopus diſpenſare &c.

Etiamſi delictum ad forum contentioſum deductum non ſit, ſi tamen non ſit occultum, ſed notorium, Epiſcopus ab irregularitate inde profecta diſpenſare non poteſt ex Syn. Tridentina; cujus verba ſeſſ. 24. cap. 6. hæc ſunt: *Liceat Epiſcopis in irregularitatibus omnibus, & ſuſpenſionibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentioſum diſpenſare*. Non ait abſolute *ex delicto*, ſed *ex delicto occulto*.

Præterea cur Buſemb. ait, „ niſi tamen ſit homici„ dium directe, & in ſe volitum? " An homicidium voluntarium in cauſa, non eſt voluntarium?

At Syn. Trid. non dat facultatem Epiſcopo diſpenſandi ab irregularitate orta ex homicidio voluntario, imo hanc irregularitatem aperte excipit: ergo Epiſcopus non poteſt diſpenſare ab irregularitate orta ex homicidio, licet hoc directe voluntarium non ſit, ſed ſolum in cauſa.

Hinc eadem ſacra Syn. ſeſſ. 24. cap. 7. de ref. inquit: *Si vero homicidium non ex propoſito, ſed caſu, vel vim vi repellendo, ut quis ſe a morte defenderet, fuiſſe commiſſum narretur, quam ob cauſam etiam ad ſacrorum Ordinum, & altaris miniſterium, & beneficia quæcumque, ac dignitates jure quodammodo diſpenſatio debeatur, committatur loci Ordinario, aut ex cauſa Metropolitano, ſeu viciniori Epiſcopo, qui nonniſi cauſa cognita, & probatis precibus, ac narratis, nec aliter diſpenſare poſſit.*

Illud *ex propoſito* idem eſt ac homicidium directe, & in ſe volitum. Attamen etiamſi *homicidium non ex propoſito, ſed caſu, vel vim vi repellendo* commiſſum ſit, Epiſcopus non jure ordinario, ſed ſolum ex delegatione, *committatur loci Ordinario, aut* &c. diſpenſat.

Animadversio V.

Prima ob iteratum baptiſmum ſerio ... neque incurratur, ſi rebaptizatio ſit occulta.

Cap. 65. *Confirmandum* diſt. 50. dicitur: *Neque unquam permittendum, ut rebaptizati ad clericatus gradum promoveantur*. Hic Canon ex Concilio Carthag. V. deſumptus non ait *ſerio, & ſcienter* rebaptizati, ſed abſolute *rebaptizati*. An ſi quis non ſerio, ſed per jocum ſane diabolicum ſinat ſe rebaptizari, irregularitatem non incurrit? Cur Buſembaum addiderit illud *ſerio*, ego ſane non intelligo. Præterea, cum citatus Canon abſolute dicat *rebaptizati*, etiamſi ignoranter quis curet ſe rebaptizandum, irregularitatem non effugit; quod confirmat c. 20. *Qui in qualibet* qu. 7. cau. 1. ubi dicitur: *Qui in qualibet ætate alibi, quam in Eccleſia catholica aut baptizati, aut rebaptizati ſunt, ad eccleſiaſticam militiam prorſus non permittuntur accedere*. Hæc doctrina certa eſt, ſi ſermo ſit de eo, qui per ignorantiam craſſam, ſeu culpabilem rebaptizatur. Nec enim qui a culpa iterati in ſe baptiſmi immunis non eſt, ulla ratione liber eſſe poteſt ab irregularitate rebaptizatis impoſita.

Illud ſolum controverti poteſt, utrum qui ex ignorantia inculpabili, puta quia nunquam ſe baptizatum exiſtimat, rebaptizari ſe ſinit, ab irregularitate liber ſit. Anacletus tom. 5. juris can. pag. 187. num. 38. citatis Scoto, Laym. Covarruvia affirmat; & hanc ſententiam communiorem, & probabiliorem eſſe, ait. „ Ratio eſt, „ inquit, tum quia hæc irregularitas imponitur pro„ pter delictum: ergo ubi ob ignorantiam abeſt deli„ ctum, ſeu culpa, abeſt etiam irregularitas; tum „ quia proprie loquendo non cenſetur *iteratum*, *quod* „ *neſcitur eſſe factum*. can. *Solemnitates* 16. diſt. 1. de „ conſec.

Contraria ſententia nititur c. 117. *Qui bis* diſt. 4. de conſec. ubi dicitur: *Qui bis ignoranter baptizati ſunt, non indigent pro eo pœnitere; niſi quod ſecundum canones ordinari non poſſunt, niſi magna aliqua neceſſitas cogat.* Hic canon, inquit Anacl., non habet vim legis. Ita ſane; at deſumptus ex pœnitentiali Theodori, magnæ auctoritatis eſt, non ut legem faciat, ſed ut eam declaret.

Hinc Gloſſa ibidem addit: *Et eſt ſciendum, quod ſcienter rebaptizatus, eſt in perpetuum irregularis; ſi autem ignoranter, diſpenſetur cum eo ex cauſa.*

Quare non immerito putare poſſumus, citatos canones *Confirmandum*, & *Qui in qualibet* abſolute loquentes, non eſſe limitandos, ſed intelligendos ſine limitatione de rebaptizatis ſeu ſcienter, ſeu ignoranter, ſeu per ignorantiam craſſam, ſeu etiam per ignorantiam inculpabilem; ita ut rebaptizatus non ſolum ex delicto, ut vult Anacletus, ſed etiam ex defectu irregularitatem contrahat. Res ſaltem dubia eſt, ita ut rebaptizatus etiam per inculpabilem ignorantiam, ad ordines ſine diſpenſatione non ſit admittendus.

Quod ad rebaptizantes attinet, Anacl. t. 5. juris can. p. 186. n. 35. citatis Nav., Barb., Pirhing. de iis eodem modo quoad irregularitatem loquitur, ac de rebaptizatis; pro qua ſententia multos appellat canones, qui omnes de rebaptizatis tantum loquuntur excepto cap. 2. *Ex litterarum* t. 9. l. 5. decr. ubi Alex. III. de Acolytho, qui Presbytero baptiſmum iteranti miniſterium in reſpondendo exhibuit, & cooperator extitit rei nefandæ, inquit: *Reſpondemus, quod ad ſuperiores ordines promoveri (ſi publicum eſt, quod proponitur) non valebit, niſi ad Religionem tranſire voluerit, ut favore Religionis ipſius circa eum valeat diſpenſari. Si vero occultum eſt, promoveri poterit, & exceſſum ſuum dignis pœnitentiæ fructibus expiare.* „ Ex quo, inquit Laym. „ lib. 1. tr. 5. p. 5. c. 2. n. 1. colligunt Doctores, idem „ multo magis de rebaptizante ſentiendum eſſe, quibus „ & conſuetudo, quæ eſt optima legum interpres, „ conſentit. " Hoc porro ipſe Laym. pro certo habet, ſi crimen ſit publicum: ubi per tranſennam animadverte, Laym., Buſemb., Anacl., & alios hic fateri, irregularitatem incurri, etiamſi in jure expreſſe non habeatur. Irregularitas enim, de qua hic ſermo eſt, in jure non eſt expreſſa, ſed ſolum implicita, ſolido, & valido ratiocinio ex jure deducta.

At quid ſi crimen rebaptizantis occultum ſit? Tunc irregularem fieri „ DD. plerique, ait idem Laym., „ exiſtimant, Hoſtienſis, Sotus, Avila, ſed nullo jure „ probant. Palud. vero, & Toletus expreſſe docent, „ rebaptizantem non fieri irregularem, niſi crimen pu„ blicum ſit. " Hactenus Laym. Mihi quidem, ſi ſententiam roger, Paludani, & Toleti ſententia arridet; ſed, cum res certa non videatur, & extra dubitationem poſita, magnopere conſultum eſt, diſpenſationem ad cautelam, præſertim ſi ad majorem ordinem rebaptizans promovendus ſit, impetrare; quam Epiſcopus ex Synod. Trident. ſeſſ. 24. cap. 6. de reform. concedere poteſt.

Animadversio VI.

Tertia ob peccatum, quo Clericus ſerio, & ſcienter actum Ordinis ſacri, quem non habet, ſolemniter exercet.

Hic quoque Buſemb. addit illas particulas *ſerio*, & *ſcienter*; quaſi vero Clericus ex joco diabolico exercens functionem ſacri ordinis, quo caret, aut ex ignorantia culpabili, irregularitatem non incurrat. Verum cum hujuſmodi irregularitas culpæ annexa ſit, ignorantia ab irregularitate non liberat, niſi hujuſmodi ſit, ut a mortali culpa liberet; ſicuti ex communi ſententia monet ipſe Laym. l. 1. tr. 5. c. 3. n. 2. pag. 137. Hinc c. 1. t. 28. l. 5. decr. dicitur: *Si quis baptizaverit, aut aliquod divinum officium exercuerit non ordinatus, propter temeritatem abjiciatur de Eccleſia, & numquam ordinetur*: & c. 2. ejuſdem tit. de Diacono, qui Miſſam celebrare præſumpſerat, Urbanus inquit, *quod ad Sacerdotis officium promoveri non poterit: a Diaconatu quoque biennio, vel triennio pro tua maneat proviſione ſuſpenſus.*

Animadversio VII.

Quarta ob delictum, quo quis male ſuſcepit Ordines &c.

Innoc. III. c. 32. *Cum illorum* t. 39. lib. 5. decr. de eccleſiaſticis, qui in excommunicatione ob violentam manuum in Clericos injectionem poſiti, ordines ſuſcipere non reformidant, ait: *Quod tales vel ſciunt, excommunicationis ſe vinculo irretitos, vel non recolunt factum, pro quo in latæ ſententiæ canonem inciderunt, vel factum quidem ſcientes, juris ignari, neſciunt exinde ſe teneri. Primos, ſi fuerint ſæculares Clerici, a ſuſceptis ordinibus cenſemus in perpetuum deponendos: in reliquis caſibus tam Archiepiſcopi, quam Epiſcopi abſque mandato Sedis Apoſtolicæ ſpeciali, diſpenſandi facultatem ſe noverint non habere, quibus etiam eſt abſolutio talium interdicta.* Si tamen crimen ſuſcipientium ordines in excommunicatione occultum ſit, ex conceſſione Synodi Trident. ſeſſ. 24. cap. 6. Epiſcopi ab hujuſmodi irregularitate diſpenſare poſſunt.

De Regularibus quoad hoc ita loquitur idem Innoc. III. eodem loco. *Si autem hos ad ordines promoveri contingat, juxta præmiſſam diſtinctionem, qui ſcienter in contemptum eccleſiaſticæ diſciplinæ ſe fecerint ordinari, ab executione ſuſcepti ordinis, & effici decernimus manere ſuſpenſos. Circa reliquos vero facti memoriam, vel juris peritiam non habentes, monaſteriorum utilitate penſata, poſt injunctam regularem pœnitentiam, & peractam, Abbates ipſorum poterunt diſpenſare, niſi grave fuerit, & notabile factum, aut is qui fecit, adultus fuerit, & diſcretus, ut violenter contra obitionem, vel ignorantiam præſumatur.*

Clericum a ſuo ordine ſuſpenſum irregularem fieri, ſi ad ſuperiorem aſcendat, affirmant Covar., Nav., & alii teſte Laym. lib. 1. tr. 5. p. 5. cap. 3. at ipſe cit. Suar., & Sair. contrarium probabilius putat; cujus præcipua ratio eſt, quia hæc irregularitas in jure expreſſa non eſt; quæ ſane ratio valida eſt; quia irregularitas ſeu ex defectu, ſeu ex delicto non aliunde, quam ex jure deſumenda eſt; quo ſpectat cap. *Is qui* de ſentent. excommun. in 6. ſupra cit. dub. 3. Ordinem ergo ſuſcipiendo, irregularitatem non incurrit, eam tamen incurrit, cum ordinem ſuſceptum exercet in ipſa ordinatione, puta cum Sacerdos cum Epiſcopo conſecrat, vel ſi Diaconus ordinatus evangelium canat ſtatim poſt ordinationem.

Vel ab Epiſcopo non habente juriſdictionem

Qui ab alieno Epiſcopo, vel titulari abſque expreſſo ſui Prælati conſenſu, vel litteris dimiſſoriis ordines ſuſcipit, non irregularitatem, ſed a ſuſceptorum ordinum functionibus, quamdiu proprio Ordinario expedire videbitur, ſuſpenſionem incurrit ex decreto Synodi Trident. ſeſſ. 14. c. 2. de refor. & ſeſſ. 23. c. 8. de refor. quam ſuſpenſionem confirmat Innoc. XII. conſtit. *Speculatores domus Iſrael* die 4. Nov. 1694.

Item qui per ſaltum ordinantur, non irregularitatem, ſed ſuſpenſionem tantum incurrere videntur, ut innuit quoque Bulemb. in parentheſi. Nullo enim jure nititur contraria ſententia. Cap. 1. *Sollicitudo* diſt. 52. Alex. III. de eo, qui ex negligentia Subdiaconato prætermiſſo. Diaconatum, & Presbyteratum ſuſceperat, inquit: *Mandamus, ut ab officio ſacerdotali eum prohibeas, donec proximo quatuor temporum jejunio Subdiaconatus miniſterium ſibi rite imponas, & ſic deinceps ad majora officia eum redire concedas.* Item cap. un. t. 39. l. 5. decr. Innoc. III. de Presbytero, qui Diaconatus ordine prætermiſſo ſe fecit ad Sacerdotii ordinem promoveri, inquit: *Mandamus, quatenus condignam pœnitentiam pro hujuſmodi negligentia injungas eidem; qua peracta (quia non intelligitur iteratum, quod factum eſſe neſcitur) ipſum in Diaconum ordinare procures, & ſic de miſericordia eumdem miniſtrare permittas in ordine Sacerdotis.* In his canonibus nullum elucet veſtigium irregularitatis, ſed ſolum ſuſpenſionis. Hinc Syn. Trid. ſeſſ. 23. c. 14. de refor. ait: *Cum promotis per ſaltum, ſi non miniſtraverint, Epiſcopus ex legitima cauſa poſſit diſpenſare.* Cur ſacra Syn. Epiſcopo concedit, ut eum promotis per ſaltum diſpenſare poſſit, ſi non miniſtraverint? Quia nullam irregularitatem contraxerunt. Aliud eſt, ſi miniſtraverint; quia tunc violata per miniſterium ſuſpenſione in irregularitatem incidunt. Hæc eſt etiam communior Doctorum ſententia teſte Bonac. diſp. 7. qu. 3. p. 4. propoſ. 4.

Illi quoque, qui ante legitimam ætatem, vel ſine dimiſſoriis ad ſacros ordines (quod multo magis verum eſt, ſi ad minores) aſcendunt, ſuſpenſionem tantum incurrunt, non irregularitatem, ut conſtat ex conſtitut. Pii II. *Cum ex ſacrorum* anni 1461. * ubi ait: *Statuimus, & ordinamus, quod omnes, & ſinguli, qui abſque diſpenſatione canonica, aut legitima licentia ſive extra tempora a jure ſtatuta, ſive ante legitimam ætatem, vel abſque dimiſſoriis litteris, etiam ciſmontanis (præterquam ſi in hoc ultimo caſu per cameram apoſtolicam juxta illius ſtylum ordinati fuerint) ad aliquem ex ſacris ordinibus ſe fecerint promoveri, a ſuorum ordinum executione ipſo jure ſuſpenſi ſint; & ſi hujuſmodi ſuſpenſione durante in eiſdem ordinibus miniſtrare præſumpſerint, eo ipſo irregularitatem incurrant:* ergo ex ipſa promotione ad ſacros ordines ante legitimam ætatem, vel ſine dimiſſoriis, irregularitatem non incurrunt.

De illis, qui haud examinati, Epiſcopo neſciente, nec approbante ordines ſuſcipiunt, audiendus eſt Alex. III. cap. *Veniens* 1. t. 30. l. 5. decr. ubi ita loquitur. *Veniens ad nos P. nobis expoſuit, ſe furtive Diaconatus ordinem ſuſcepiſſe.* Hic eſt caſus, de quo loquimur; cui Alex. reſpondet: *Quod ſi non fuit a te, vel ab alio Archidiaconorum, vel Prælatorum tuorum ſub anathematis interminatione prohibitus, tu ipſe in promotione ipſius ad ſacerdotale officium condigna ſatisfactione impoſita (niſi alia impediant) pro arbitrio tuo diſpenſes.*

In hac ſpecie non videtur talis Clericus irregularitatem incurriſſe; quia Epiſcopus ſua ordinaria auctoritate poterat eum promovere ad Sacerdotium.

Si vero, inquit, *interminatio anathematis ſuper hoc facta eſt, moneas eum, ut in aliquo monaſterio, ſeu canonica habitum ſuſcipiat regularem: cui, ex quo in habitu illo aliquanto tempore fuerit laudabiliter converſatus, poteris miſericorditer providere: alioquin nulla ratione concedimus, eum ad ſacerdotalem ordinem promoveri.* Ex quo intelligitur, irregularitatem contrahi, non quod aliquis furtive ſuſcipit ordinem, ſed quod illum excommunicatione innodatus ſuſcipit. Cæleſtinus III. cap. 2. ejuſdem tit. de Clerico, qui quatuor minoribus ordinibus, quos Epiſcopus illi contulerat, non contentus, Subdiaconatum temerario auſu recepit, ait: *Quia vero idem Clericus in hoc facto multum exceſſit, mandamus, quatenus eum in minoribus dumtaxat ordinibus celebrare permittas. Si vero domum Religionis intraverit, & vita, & mores ejus exegerint, Abbas (ſi voluerit) in aliis poterit ordinibus diſpenſare.* Idem Cæleſtinus cap. 3. ejuſdem tit. de Clericis, qui contra inhibitionem ſub excommunicationis ſententia Subdiaconatum, & Diaconatum clandeſtine ſuſceperant, interrogatus reſpondet. *Quod ordinati in ſuſceptis ordinibus de juris rigore miniſtrare non debeant. Verum*, inquit, *tametſi ad Religionem aliquam voluerint ſe transferre, & peracta pœnitentia pro arbitrio tuo eis injuncta, ibidem laudabiliter fuerint converſati, proceſſu temporis cum eis poteris de noſtra licentia diſpenſare, ut poſtmodum ſuſceptorum ordinum executione lætentur.* Ex his intelligitur, eos, qui anathemate irretiti ſacros ordines clandeſtine ſuſcipiunt, & ſuſceptorum ordinum executione carere, & ad majores ſine Romani Pontificis diſpenſatione aſcendere non poſſe, hoc eſt irregularitatem contrahere; in quam pœnam non videntur incidere, qui ſine excommunicatione ordines furtive ſuſcipiunt.

Ceterum Epiſcopi ex conceſſione legis Tridentinæ ſeſſ. 24. cap. 6. ab hujuſmodi irregularitatibus, ſi delictum occultum ſit, diſpenſare poſſunt.

A n i m a d v e r s i o VIII.

Non fit irregularis, qui in rixa præſcindit alteri digitum &c.

Hanc opinionem Laym. l. 3. de juſt. t. 3. p. 3. c. 11. probabilem putat, *& ob doctorum auctoritatem in praxi tutam.* Contrariam tamen ſententiam, quam ipſo teſto tradunt Cajet., Sotus, Suarez, hoc eſt irregularem fieri, qui alteri aurem, aut naſum, aut digitum amputat, canonibus conformiorem eſſe, fatetur; at ſententia, quæ ſacris canonibus conformior eſt, & probabilior, & verior eſt, & unice tuta; ac perperam in praxi tuta dicitur opinio oppoſita.

Et ſane Bonif. VIII. cap. *Is, qui* lib. 5. in 6. ait: *Is, qui mandat, aliquem verberari, licet expreſſe inhibeat, ne occidatur ullatenus, vel membro aliquo mutiletur, irregularis efficitur, ſi mandatarius fines mandati excedens, mutilet, vel occidat.* Idemque colligitur ex c. 1. t. 14. lib. 5. decr. & cap. unic. *Si furioſus* t. 4. lib. 5. Clem. At præciſio digiti, pollicis, naſi, auriculæ, eſt mutilatio juxta communem ſenſum, juxta quem canones loquuntur, ut ab omnibus intelligi poſſint. Ergo. Quid mihi nunc phyſicas ſubtilitates, a quibus ſacræ leges alienæ ſunt, obtrudis? Qui digito, naſo, auricula caret, vere mutilus dicitur, & ex communi æſtimatione mutilus eſt. Ergo qui hujuſmodi membra abſcindit, vere mutilat; ideoque irregularitatem incurrit. Sacræ leges inter membra majora, ut ſunt brachium, crus &c. & minora, ut naſus, auricula &c. eorumque amputationem, dum irregularitatem infligunt, non diſtinguunt, ſed abſolute eam imponunt mutilatoribus: ergo nec nos diſtinguere debemus. Enim vero abſciſſio digiti,

* Refertur ab Anſelmo t. 1. juris can. p. 171. & habetur t. 1. Bull. Rom. conſt. 7. dicti Pontificis.

digiti, naſi, auriculæ grave crimen eſt, manſuetudini, quam in Clericis ſacri canones maxime poſtulant, valde adverſum, injuriamque, & damnum notabile infert: ergo ex canonum mente, qui hujus irregularitatis impoſitione, criminis, & injuriæ gravitatem punitam volunt, irregularitatem inducit.

Animadverſio IX.

Nec ſit irregularis, qui excæcavit hominem... nec qui debilitat &c.

Ita ſane, ſi verba tantum penſemus; at ſi canonum mentem inſpiciamus, res dubia eſt. Hinc ad cautelam *cenſuit* S. C. 12. *Jan.* 1726. t. 3. *p.* 264. *concedendam diſpenſationem ab irregularitate Sacerdoti, qui ſclopi exploſione alterius oculum ſiniſtrum debilitaverat*. Ita refert P. Zachar. in n. 487. p. 134. La-Croix, ubi hic ita loquitur: „ Hinc (Spereil.) cum aliis infert num. 37. ſi „ quis antehac alicui debilitaſſet manum, & ſic muti„ lem redditam poſtea alia actione ipſi amputaret, non „ fore irregularem; quia, cum manus illa anteceden„ ter nullum haberet uſum, amputans non diceretur „ tollere membrum habens operationem diſtinctam a „ reliquis membris: ergo nec diceretur mutilare. “

Hæc doctrina eſt ne æqua, ſana, probabilis? Mihi certe ſophiſtica videtur, & falſa. Nam perinde eſt, ſeu uno ictu manum amputes, ſeu duplici, altero manum debilitando, altero amputando. An in hac altera ſpecie minus peccas, quia duplex grave peccatum admittis, quam in prima? An minus legis ſpiritui, & menti repugnas? Dum manum debilitas, & inutilem reddis, dubiam irregularitatem incurris; cum vero addis manus debilitatæ obtruncationem, certam irregularitatem contrahis. Neque La-Croix cavillatio digna eſt, quæ refutetur.

Animadverſio X.

Quando plures .... unum percutiunt, & unus letale vulnus infligit, ex quo moritur... hunc ſolum fieri irregularem, docet Sayr. &c.

Cur hic ſolus incurrit irregularitatem? Cum plures ex conſilio unum aliquem percutiunt, qui inde ab aliquo occiditur, omnes ex communi ſententia irregulares ſiunt, ut ait Bonac. tr. 3. diſp. 7. qu. 4. p. 8. n. 29. pag. 496. & implicite concedit Bulemb. At inter eos, qui ex conſilio, & qui in rixa percutiunt, illud unum diſcrimen eſt, quod illi jam antea conſenſere, & nunc quoque in percuſſionem conſentiunt, iſti vero nunc tantum; ſed quoad factum ſunt omnino pares. Porro quoad irregularitatem contrahendam factum ipſum penſatur: ergo quoad irregularitatem idem de utriſque ſentiendum.

Cur qui ex conſilio percutiunt, omnes ſiunt irregulares? Quia omnes homicidio inde profecto cooperantur. At qui in rixa quoque percutiunt, omnes homicidio cooperantur: ergo hi quoque omnes irregularitatem incurrunt.

Alex. III. c. 6. de homic. t. 12. l. 5. decr. inquit: *Conſtat, ab homicidii reatu immunes non eſſe, qui occiſoribus opem contra alios præſtare venerunt*. Nonne qui in rixa percutiunt, omnes occiſori opem præſtant? Omnes enim eum animoſiorem faciunt, & contra adverſarios tuentur: ergo nemo ab homicidii reatu immunis eſt: ergo omnes ſiunt irregulares.

Qui mandat, aliquem verberari, licet expreſſe inhibeat, ne ullatenus occidatur, vel mutiletur, irregularis nihilominus efficitur, ſi mandatarius fines mandati excedens occidat, vel mutilet. Ratio eſt, inquit Bonif. VIII. cap. 3. t. 4. l. 5. in 6. *quia mandando in culpa fuit, & hoc evenire poſſe debuit cogitare*: hæc porro ratio multo magis in percutientibus in rixa locum habet; quia hi multo magis ſunt in culpa, & mutilationem, aut cædem inde evenire poſſe, cogitare multo magis debent, cum nec mutilationem, nec cædem inhibeant: ergo nulla ratione ab irregularitate excuſari poſſunt.

Animadverſio XI.

Qui amicum bono animo comitatur, ne periclitetur in rixa, non ſit irregularis, etſi amicus occidat alium. Limitat autem &c. *ad occidendum*.

Qui bono, & Chriſtiano in amicum animo eſt, illum quoad fieri poteſt, a rixa avocat; rixari autem obſtinate volentem, & ad rixam euntem non comitatur, quia illius peccati comes eſſe recuſat. Quod ſi eum comitetur, cur non fit irregularis, ſi amicus alium occidat? Nonne, dum illius ſe comitem præbet, illum animoſiorem facit, inimico vero animum, & vires minuit? Ergo occiſori opem præſtat ad cædem: ergo irregularis fit. At, inquis: Buſemb. quoque id concedit, dum ait: „ Limitat autem Præpoſitus, niſi ſua præ„ ſentia animaverit ad occidendum. “ *Reſp.* Si concedis, ut negare non potes, eum, qui amicum comitatur, ne periclitetur in rixa, irregularem fieri, dum amicus ejus præſentia ad occidendum animetur, quoad jus inter nos convenit, quoad factum non convenit. Præſentia enim comitantis ad rixam ex natura ſua animum facit ad percutiendum, lædendum, occidendum; oppoſitum numquam accidit, moraliter loquendo. Cur ergo limitas, niſi ſua præſentia animaverit ad occidendum, quaſi præſentia ex natura ſua ad occidendum non animet? Hæc limitatio rem involvit, & luci tenebras offundit. Ergo ſine hac limitatione dicendum, comitem in rixa, in qua occiſio fit, irregularem fieri.

Animadverſio XII.

Qui dans operam rei licitæ (imo ſecundum multos etiam illicitæ) ſufficientem diligentiam adhibuit... non ſit irregularis &c.

Ego quoque puto, dantem operam rei etiam illicitæ non eſſe reum homicidii, nec irregularem fieri, etiamſi homicidium forte contingat, ſi ſufficientem diligentiam adhibuit, ne homicidium ſequeretur. In hac enim ſpecie homicidium nec in ſe, nec in cauſa voluntarium eſt. Nec enim qui e. g. ludo vetito, luxurim &c. operam dat, homicidii reus dici poteſt, ſi nec homicidium admiſit, nec in periculum homicidii ſeſe conjecit. Hinc D. Thom. 2. 2. qu. 64. art. 8. ait: *Si vero det operam rei illicitæ, non adhibens debitam diligentiam, non evadit homicidii reatum, ſi ex ejus opere mors hominis oriatur*. Ergo adhibens debitam diligentiam, ne homicidium contingat, homicidii reatum evadit, etiamſi forte accidat.

Totum in eo poſitum mihi videtur, ut ſufficiens, ſeu debita diligentia adhibeatur; quæ talis non eſt, niſi homicidii periculum humano more loquendo amoveatur.

Secus tamen ſi dictam diligentiam omiſit omiſſione mortali... alii tamen dicunt &c.

Diſtinctio omiſſionis mortalis, & venialis in diligentia ad præcavendum homicidium, falſo ſuppoſito laborat.

Nam omiſſio diligentiæ, ſeu, quod idem eſt, negligentia ex certa D. Thomæ 2. 2. qu. 54. art. 3. doctrina, *eſt peccatum mortale uno modo ex parte ejus, quod prætermittitur per negligentiam; quod quidem ſi ſit de neceſſitate ſalutis, ſive ſit actus, ſive circumſtantia, erit peccatum mortale*: atqui actus, & circumſtantia neceſſaria ad vitandum homicidii periculum, ſunt de neceſſitate ſalutis, ergo quæcumque omiſſio actus, & circumſtantiæ neceſſariæ ad vitandum homicidii periculum, eſt peccatum mortale. Hinc Nicolaus Papa c. 49. *Hi*, qui diſt. 50 inquit: *Hi, qui arbores incidere videntur, ſi contigerit, ut cadens arbor occiderit hominem, inculpabiles ſunt, atque innoxii; quia nec voluntate eorum, nec deſideria homicidium perpetratum eſt. Si vero aliqua culpa eorum, vel neglectu morientis hominis interitus cognoſcitur advenisse, abjiciendi ſunt a gradu, & in ſacro ordine nullatenus ſuſcipiendi*.

Ait, *aliqua culpa, vel neglectu*, ut omnem negligentiam ſine diſtinctione comprehendat. Quod ſi qualiſcumque negligentia, unde hominis interitus oritur, in iis quoque, qui permiſſo operi, uti eſt arborum inciſio, vacant, irregularitatem inducit, multo magis eam inducit in iis, qui operi vetito incumbunt.

Sed hic juvat hanc ſpeciem proponere: Diaconus, & quidam alii Clerici levandi laboris gratia baculos ſuos ſtudebant jacere in directum, & alter alterius fuſtem ferire; cujus ludi ſolet eſſe conditio, ut qui alterius baculum percuteret, quaſi victor, pro equo, alio uteretur. Sed præfati Clerici equitandi licentia non utentes, ſola erant jactatione contenti. Quidam autem laicus, cum baculum ejuſdem Diaconi percuſſiſſet, incautus in eum equitaturus inſiluit, & ſic a falce illius Diaconi, qua erat accinctus, mortale vulnus accepit, de quo poſt dies octo expiravit. Quæro, utrum deſcriptus Diaconus irregularitatem contraxerit? Ludus deſcriptus nihil mali habet. Ubi nam hic deprehenditur negligentia mortaliter culpabilis, ex qua fortuitum homicidium ortum ſit? Falce uſus erat ad opus meſſorium, eaque accinctus de more luſit; quia ne in mentem quidem ei venit ullius periculi ex falce alteri imminentis, cum Clerici victores, equitandi licentia non uterentur, multoque minus putandum eſſet, laicum ea uſurum in Diaconum; quam ſi incaute, & impudenter ſibi laicus arrogavit, ille unus in culpa fuit ſui interitus inde profecti. Ex quo fit, ut Diaconus ab omni irregularitate immunis judicandus ſit. Ita ratiocinaturos, & judicaturos probabiles, non dubito, niſi a ſuis principiis, & opinandi modo deſciſcere velint. At Alex. III. cap. 8. *Continebatur* t. 12. lib. 5. decr. hac de re ita loquitur: *Mandamus, quatenus eumdem Diaconum ſine licentia Romani Pontificis ad ſuperiorem gradum non aſcendere*,

vel

vel in Diaconatui officia nullo unquam tempore miniſtrare permittas, ſed eum diſpenſative miniſtrare in Subdiaconatus officio patiaris. Videlicet Diaconus, etſi non cogitaverit, cogitare tamen debuit, ex ludo, & falce, qua erat accinctus, laici mutilationem, aut mortem contingere potuiſſe.

Audiamus nunc caſum a La-Croiaio p. 135. num. 293. propoſitum. „ Titius ſclopetum ſolo pulvere onu„ ſtum per jocum exonerat in faciem Caji: hic ita per„ cellitur, ut videatur moriturus, ſupervivit tamen „ dies 14. & iterum ambulat, victuruſque videtur diu„ tius, ſi doctor eum non neglexerit, qui quia negle„ xit, moritur Cajus: quæritur, an Titius incurrerit „ irregularitatem? Reſp. affirmant multi &c. Econtra „ Burgh. cen. 3. cap. 95. melius negat, incurriſſe. “ Ego hic ab æquo homine quæro, quinam magis irregularitatis pœna dignus ſit, utrum Diaconus, de quo ſupra an Titius, de quo hic ſermo eſt? Diaconus eo ſolo nomine irregularitatem contraxit, quia de periculo homicidii, quod ex aliena temeritate ortum eſt, non cogitavit, nec illud vitavit. At Titius non ſolum periculum homicidii, quod aliunde exiſtat, non effugit, ſed ſua unius culpa illud induxit. Homicidium in caſu Diaconi non accidiſſet, niſi occiſi culpa, & temeritas acceſſiſſet; at in caſu Titii accidit etiam ſine ulla culpa Caji defuncti. Diaconi actiones, hoc eſt ludus, & falcis meſſoriæ geſtatio ex ſe, ſeu remoto periculo adiaphoræ ſunt: Titii actio, etiamſi periculum mortis adjunctum non haberet, eſt criminoſa. Itaque, ſi Diaconus ex oraculo pontificio irregularitatem contraxit, multo magis eam contraxit Titius. Quid hic habes, La-Croix, quod objicias? Quando, inquit, La-Croix, „ jura imponunt irregularitatem homicidiis caſualibus, „ præſumunt, gravem culpam præceſſiſſe; qualis hic „ non fuit. Si enim non adſit culpa gravis, Nav. Va„ lent. Henriq. Avil. Suar. & alii cum Sanch. de ma„ tr. l. 9. d. 32. num. 34. recte docent, non incurri „ irregularitatem per caſuale homicidium, quia cum „ irregularitas ſit veluti pœna gravis, talem quoque „ culpam ſupponit. “ Reſp. Liberaliter cum La-Croixio agam: omnia, quæ hic affert, concedam; illud unum noto, *qualis hic non fuit*. An non fuit gravis Titii culpa, dum ſclopum ſolo pulvere onuſtum in faciem Caji exploſit? Per jocum, ais, exploſit. At gravia ſcelera evadunt ne leves culpæ, quia per jocum fiunt? Quid eſt illud *per jocum*? Per jocum diabolicum, inhumanum, caritati, & juſtitiæ graviſſime infeſtum. An hujuſmodi joci a graviſſimo reatu excuſari queunt? Exploſio pulveris, cujus ſane vis potentiſſima eſt, & vehementiſſima, tanto impetu Cajum perculit, ut moriturus crederetur. Injuria autem tam atrox, & damnum tam grave, gravis culpa non eſt? Ubinam ſunt non rationes, quibus refutem, ſed lacrymæ ſanguineæ, quibus deplorem hujuſmodi Theologiam?

„ Deinde, iterum objicit Le-Croix, Silv. Cajet. Sot. „ Leſſ. Suar. & alii ex c. *Studeat* diſt. 50. requirunt, „ ut læſio ſit gravis; alioquin putant, non poſſe dici „ cauſam, vel occaſionem proximam mortis, quod vi„ detur requiri: læſio autem illa non cenſetur letalis, „ ſi læſus poſt triduum a vulnere accepto pedibus am„ bulaverit, ut cum aliis docet Avila; atque ex his fa„ cile reſpondetur ad argumenta in oppoſitum. Jura e„ nim illa præſumebant culpam gravem, quam hic non „ interveniſſe, ſatis certum eſt. “

Reſp. Repetit La-Croix, & ea ratione præſertim ſuam opinionem tuetur, quod in caſu propoſito culpam gravem non interveniſſe, ſatis certum ſit; quæ poſitio ex mox dictis evidenter falſa eſt. Læſio non ſolum fuit gravis, ſed graviſſima, ut ipſa caſus deſcriptio, & mors inde orta perſpicue evincunt. Poſt triduum vulneris, inquit La Croix, pedibus Cajus ambulavit, forte a lecto ad ſcamnum. An graviſſima læſio non eſt, quæ hominem triduo jacere cogit ſemianimem?

Ex cap. *Studeat* qu. 50. Diaconus a Presbytero fuerat percuſſus, & ſimul ex equo cecideret, & fracta ex caſu cervice, non ea percuſſione extinctus dicebatur.

Nicolaus Papa diligentem hujus facti inquiſitionem fieri præcipit, & Presbyterum alia ratione puniendum, ab irregularitate liberum enuntiat, ſi Diaconus ab eo ad mortem percuſſus non fuerit, ſed ex equo cedens cervice fracta interierit. *Quod ſi*, inquit Pontifex, *veraciter qualicumque percuſſione iſtius Presbyteri ille mortuus eſt Diaconus, nulla hunc ratione miniſtrare Sacerdotis more decernimus*. At in noſtro caſu Cajus ea Titii ictu veraciter mortuus eſt; quia nulla alia hujus mortis cauſa intervenit. Medici negligentia, letalis quidem ictus effectum non impedivit, quem forte impedire poterat, non tamen ictum letalem fecit; ſed quia ex natura ſua ictus letalis erat, mortem attulit. Ergo Titius irregularitatem contraxit. Id confirmat cap. *Tua nos* t. a. lib. 5. decret., ex quo habetur, quod Monachus Sacerdos chirurgiæ peritus, mulieris in gutture tumorem ferro aperuit, ut eam curaret. Sed quia ipſa contra ejus mandatum vento ſe ſe incaute expoſuit, multo ſanguine effuſo interiit. Innoc. III. hac de re reſpondet, *quod licet ipſe Monachus multum deliquerit, officium alienum uſurpando, quod ſibi minime congruebat; ſi tamen cauſa pietatis, & non cupiditatis id egerit, & peritus erat in officio chirurgiæ, omnemque ſtuduit, quam debuit, diligentiam adhibere, non eſt ex ea, quod per culpam mulieris contra conſilium ejus accidit, adeo reprobandus, quod non poſt condignam ſatisfactionem cum eo miſericorditer agi poſſit, ut divina valeat celebrare: alioquin interdicenda eſſet ſacerdotalis ordinis executio de rigore*.

Confer nunc caſum Titii cum præſente. Monachus non parum, ſed *multum* deliquit, quia officium a ſuo ſtatu alienum exercuit. At Titius multo magis deliquit, quia contra Decalogum peccavit. Monachus nullam mulieri intulit injuriam, Titius graviſſimam Cajo. Monachum miſericordia movit, ut morbum curaret, Titium jocus diabolicus, ut vulnus inferret. Mors in utroque caſu accidit. At in caſu Monachi, mulier ſua culpa poſitivam cauſam attulit morti; in caſu Titii, nemo præter Titium ullam poſitivam cauſam morti dedit. Nihilominus ex oraculo pontificio Monachus de rigore juris irregularitatem contraxit, a qua ex pontificia ſolum miſericordia, quia & ipſe miſericors fuit, liberatur. Ergo multo magis Titius in irregularitatem incidit.

Animadversio XIII.

Si vero laborent raro &c. permittuntur celebrare cum coadjutore &c.

Quod hic habet Buſemb. non ſolum colligi videtur ex cap. 15. *Illud* q. 1. cau. ab eo cit. ſed clarius colligitur ex cap. 1. *In tuis* qu. 2. eadem cau. 7. ubi Alex. II. de Presbytero, qui caduco morbo laborabat, inquit: *Conſulimus itaque, ut ſi frequenter hoc morbo tangitur, ab oblatione, & Miſſarum celebratione modis omnibus prohibeatur*. Ait *frequenter*: ergo ſi raro eo corripiatur, modis omnibus non prohibetur, ſed aliquo modo, hoc eſt adjutore adhibito permitti ab Epiſcopo poteſt ut celebret; quod Laym. quoque l. 1. tr. 5. p. 5. cap. 7. num. 3. pag. 141. citatis S. Antonino, Sylv. Nav. & aliis docet. *Si vero*, ſubdit Alex. *Dei miſericordia convaluerit (quandoquidem non culpa, ſed infirmitas eſt in cauſa) eum ſacrificare jam non interdicimus*.

Neophyti, ... uſque dum judicio Epiſcopi ſufficienter inſtructi ſint.

La-Croix pag. 137. num. 508. ait: „ Judæi & infide„ les converſi, non ideo ſunt irregulares, quia ſic na„ ti. Nam Apoſtoli ipſi fuerunt tales. Aliud eſt, ſi „ relaberentur in infidelitatem. De Luca in miſcell. „ eccl. diſc. 34. “

Sed hic audienda eſt Syn. Nicæna, quæ ita loquitur (habetur cap. 1. *Quoniam* diſt. 48.) *Quoniam multa ſive per neceſſitatem, ſive ex quacumque cauſa contra regulam geſta ſunt, ita ut homines ex vita gentili nuper adhuc catechizati, vel inſtructi ſtatim ad ſpiritualem baptiſmum, & continuo cum baptizati, etiam ad Epiſcopatum, vel Presbyterium provecti ſunt: recte igitur viſum eſt, de cetero nihil tale debere fieri. Nam & tempore opus eſt, ut ſit catechumenus, & poſt baptiſmum multa probatione indiget. Evidens namque eſt apoſtolicum præceptum dicens*: „ Non neophytum, ne forte elatus, „ in judicium incidat, & laqueum diaboli. “ Quare Judæi, & infideles in adulta ætate recens converſi ad fidem, quidquid contra ſentiet, aut ſentire videatur La Croix, ſunt irregulares; ejuſque ratio a Nicæna Synodo præoccupata, nihil momenti habet. Si autem aliqui a Judæis, & infidelibus nati, ab infantia baptiſmum ſuſceperunt, tum ad adultam ætatem pervenere, dici non poſſunt neophyti; quia recens converſi non ſunt, ideoque non ſunt irregulares, ut recte advertit Bonacina tom. 1. diſput. 7. qu. 2. p. 2. prop. 3. ex Nav. Sayr. Avil. Valent. Hen. Suar. Filliuc. Tol. Reg.; quod ego accipio dum in catholica fide eruditi, & educati, in ea conſtanter perſeveraverint. Nam, licet Bonacina loco cit. neophytum appellet, „ qui ex lege Ju„ daica, Mahumetica, vel ethnica nuper converſus eſt „ ad fidem chriſtianam in adulta ætate, “ neophytum tamen dicendum cenſeo etiam hæreticum ab infantia baptizatum, & in adulta ætate ad catholicam fidem recenter converſum.

Nam licet infans, hæretici filius per baptiſmi ſuſceptionem ad veram fidem converſus ſit, ab ea tamen deſeivit, cum ad annos diſcretionis deductus, errores fidei repugnantes amplexus eſt; ideoque, dum ad catholicam fidem convertitur, merito neophytus, hoc eſt recens converſus dicitur.

Illud certum eſt, hæreticos, quia fidei in baptiſmo ſuſceptæ rebelles ſunt, eſſe irregulares, imo vero etiam

lam eorum filios, & nepotes, ut ſatetur Bonac. diſp. 7. cit. qu. 3. p. 7. prop. 1. & 2. idque conſtat ex cap. 2. *Quicumque* §. 2. tit. 2 lib. 5. in 6. ubi Alex. IV. ait: *Hæretici autem, credentes, receptatores, defenſores, & fautores eorum, ipſorumque filii uſque ad ſecundam generationem, ad nullum eccleſiaſticum beneficium, ſeu officium publicum admittuntur. Quod ſi ſecus actum fuerit, decernimus irritum, & inane:* quod explicans Boniſ. VIII. cap. 15. *Statutum*, (tit. cit.) inquit: *Primum, & ſecundum gradum per paternam lineam comprehendere declaramus, per maternam vero ad primam dumtaxat volumus hoc extendi.*

Hoc ſane de filiis, & nepotibus hæreticorum, credentium, & aliorum hujuſmodi, qui tales eſſe, vel tales etiam deceſſiſſe probantur, intelligendum eſſe videtur, non autem illorum, quos emendatos eſſe conſtiterit, & reincorporatos Eccleſiæ unitati, & pro culpa hujuſmodi ad mandatum Eccleſiæ pœnitentiam recepiſſe, quam ipſi vel jam perfecerunt, vel humiliter perfectioni ejus inſiſtunt, vel parati fuerint ad recipiendam eamdem.

Quod ſi filii hæreticorum, etiamſi ipſi hæretici non fuerint, ſunt tamen irregulares, multo magis irregulares manent hæretici etiam poſt converſionem, ut notat ipſe Bonac. prop. 1. citata, *niſi*, inquit, *diſpenſetur, aut niſi aliter receptum ſit conſuetudine in aliquo loco, ut in aliquibus Germaniæ locis ſervari videtur.*

Animadverſio XIV.

Item, ſi careat oculo, non tamen ..... oculo dextero tantum.

Buſemb. putat, carentem tantum oculo dextero non eſſe irregularem.

Bonacina t. 1. diſp. 7. q. 2. p. 2. prop. 1. ex unius oculi privatione irregularitatem induci putat ſine diſcrimine; quia privatio unius oculi notabilem parit deformitatem. Quare privatio quoque oculi dexteri irregulatem efficere contra Buſembaum merito dicitur. Hoc vero confirmatur ex Pelagio Papa, qui cap. ult. *Si evangelica* diſt. 55. ait: *Nam illi, cui erutus eſt oculus, non poſſunt ſecundum canones Sacerdotii jura concedi. Neque enim aliquid ei prodeſt, quod oculum invitus amiſit, cum nec volens quiſquam oculum amiſiſſe credendus eſt; nec ſacratiſſimos canones aliquem caſum in amiſſione oculi, qui ad Sacerdotium adipiſcendum non impediret, ſuis excepiſſe regulis invenimus; ſed hoc tantummodo ad prohibitionem ſufficiſſe videmus Patribus, ut qui careret oculo, Sacerdotii officium adipiſci non poſſit.* Canon ſine ulla diſtinctione oculi loquitur, ideoque ſine ulla diſtinctione oculi ſeu ſiniſtri, ſeu dexteri accipiendus eſt.

Qui vero utroque oculo integro præditus eſt, etiamſi ſiniſtro nihil videat, irregularis eſſe non videtur, dummodo ſine indecora faciei converſione oculo dextero canonem commode legere poſſit; pro qua ſententia præter citatos a Buſemb. La-Croix pag. 136 num. 500. appellat Nav. Avil. Mol. Suar. Vaſq. Sa, Dian. Dicaſt. Pirringh. Laym. Ratio eſt, quia ſola privatio viſus etiam in oculo ſiniſtro ex hypotheſi non impedit officium Sacerdotii, nec, cum oculus integer eſt, notabilem parit deformitatem. Hinc juxta canonem mox citatum, carentia oculi irregularitatem inducit, non carentia virtutis videndi in oculo. Hinc Alex. III. cap. 2. *Cum de tua* tit. 20. lib. 1. decr. de electo ad Epiſcopatum, cui objectum erat, quod in oculo maculam haberet, inquit: *De macula vero, Archiepiſcopo prædicto mandavimus, ut cum conſilio ſuffraganeorum ſuorum, quod exinde viſum fuerit, exequatur.* Videlicet hujuſmodi defectus, ſi nec officium impediant, nec notabilem deformitatem contineant, irregularitatem non inducunt.

Animadverſio XV.

Porro cum dubium eſt, an quis ſit legitimus, non cenſeri irregularem ... vult Diana &c.

De natalium defectu Bonifacius VIII. cap. 1. *Is qui*, t. 11. l. 1. in 6. ita loquitur: *Is, qui defectum patitur natalium, ex diſpenſatione Epiſcopi licite poteſt (ſi ei aliud canonicum non obſiſtat) ad ordines promoveri minores, & obtinere beneficium, cui cura non immineat animarum; dummodo ſit tale, ſuper quo per ipſum Epiſcopum valeat diſpenſari. Ad ordines quoque majores, vel beneficia curam animarum habentia, ſuper quibus nequit Epiſcopus diſpenſare, ſine diſpenſatione Sedis Apoſtolicæ promoveri non poteſt.*

Porro dubium de natalium defectu præcipue in filios expoſitos cadere ſolet. De his porro Laym. lib. 1. tr. 5. p. 5. cap. 5. num. 4. ait: „ Expoſiti filii, quorum parentes ignorantur, ad ordines ſine diſpenſatione promoveri non ſolent, nec facile debent; cum vehemens ſuſpicio ſit, eos ex illegitimo toro natos eſſe: " & hanc ſententiam communem eſſe ait apud Covar. & Ugolin. quam citatis multis ſequuntur Bonac. t. 1. diſp. 7. qu. 2. p. 3. prop. 1. num. 10. & La-Croix p. 137. num. 509. Ratio eſt, quia ex reg. 45. in 6. *Inſpicimus in obſcuris, quod eſt veriſimilius, vel quod plerumque fieri conſuevit:* atqui teſte experientia expoſiti plerumque conſuevere eſſe illegitimi; cum legitimi exponi non ſoleant: ergo expoſiti, illegitimi, & conſequenter irregulares merito habentur.

Eadem regula in aliis ſuper hac re dubiis adhiberi poterit. Nam cum dubium eſt, utrum aliquis ſit legitimus, dubium quoque eſt, utrum ſit irregularis; quia irregularitas ex Boniſ. VIII. cit. ſequitur natalium defectum: ergo dubium natalium defectum ſequitur dubia irregularitas. „ Quilibet, ait Buſemb. præſumitur legitimus, donec contrarium probetur. " Reſp. Id verum eſt quoad pœnas, quæ illegitimam nativitatem conſequuntur, non autem cum periculum eſt violandæ irregularitatis; in quo caſu, cum res dubia eſt, nec legitimus, nec illegitimus habendus quis eſt, ſed ad cautelam diſpenſandus eſt ab irregularitate, priuſquam ad ordines, & beneficia eccleſiaſtica promoveatur, juxta dicta dub. 3. reſp. 2. h. cap. 5.

Animadverſio XVI.

Ex occulto enim non oritur &c.

Ex occulto crimine, excepto homicidio, & cenſuræ violatione, non oriri irregularitatem, etiamſi crimen ipſo jure annexam habeat infamiam, ego quoque verius puto. Nam cap. 4. *Ex tenore* t. 11. lib. 1. decr. Alex. III. ait: *Ex tenore tuarum litterarum accepimus, quod N. Clericus adeo deliquit, quod ſi peccatum ejus eſſet publicum, degradaretur ab ordine, quem ſuſceperit, & amplius non poſſet ad ſuperiores ordines promoveri. Verum, quoniam peccatum ipſius fore occultum dixiſti, mandamus, quatenus pœnitentiam ei condignam imponas, & ſuadeas, ut parte pœnitentiæ peracta, ordine ſuſcepto utatur; quo contentus exiſtens, ad ſuperiores amplius non aſcendat. Verumtamen quia peccatum occultum eſt, ſi promoveri voluerit, eum non debes aliqua ratione prohibere.* Et cap. ult. h. t. Gregor. IX. ait: *Quæſitum eſt de Sacerdotibus, vel aliis clericis, qui per reatum adulterii, perjurii, homicidii, vel falſi teſtimonii bonum conſcientiæ rectæ perdiderunt: reſpondemus, quod ſi propoſita crimina ordine judiciario comprobata, vel alias notoria non fuerint, non debent hi (præter reos homicidii) poſt pœnitentiam in jam ſuſceptis, vel ſuſcipiendis ordinibus impediri; qui ſi non pœnituerint, monendi ſunt, & ſub interminatione divini judicii obteſtandi, ut in teſtimonium ſuæ damnationis in ſuſceptis etiam ordinibus non miniſtrent.*

Atqui perjuri, adulteri, calumniatores, & qui accuſant, & non probant ex Stephano Papa cap. 17. *Infames* qu. 1. 6. ſunt ipſo jure infames: ergo crimina, quæ ipſo jure annexam habent infamiam, ſi homicidium, & cenſuræ violationem excipias, irregularitatem non inducunt, cum occulta ſunt.

Videlicet ſicuti gloria ex occultis virtutibus non oritur, ita infamia ex occultis criminibus non exiſtit. Infamia enim eſt prava, & publica opinio de alicujus criminoſa vita, & moribus: ergo crimina quæ ipſo jure infamiam annexam habent, eam non inducunt, ideoque ne irregularitatem quidem, niſi ſint publica.

Animadverſio XVII.

Non ſit irregularis qui mutilat, vel occidit in defenſionem inculpatam honoris, vitæ, caſtitatis &c. vel etiam proximi.

Buſemb. licet non paucos habeat ſuæ ſententiæ patronos, ut videri poteſt apud Bonacinam tom. 1. diſput. 7. qu. 4. p. 6. prop. 2. num. 10. plures tamen adverſarios habet; quos refert, & ſequitur ipſe Laym. lib. 3. de juſt. tract. 3. p. 3. cap. 9. num. 3.

Sed miſſis probabilibus, Buſembaum, & eorum qui cum eo ſentiunt, opinio ſine ulla dubitatione rejicienda eſt; quia falſo ſuppoſito nititur. Idcirco enim docent, mutilatores, & occiſores in defenſionem honoris, caſtitatis, bonorum magni momenti non incurrere irregularitatem, quia hujuſmodi defenſionem inculpatam eſſe ponunt: hinc Buſemb. inquit, *in defenſionem inculpatam &c.*

At hujuſmodi defenſionem eſſe malam, & culpabilem, contra Buſembaum oſtendimus lib. 3. tr. 4. cap. 1. dub. 3. ergo Buſembaum opinio ſine dubitatione rejicienda eſt. Hinc Greg. IX. mox cit. ait, quod reatus adulterii, perjurii &c., ſi occulti ſint, non inducunt irregularitatem *præter reos homicidii*. Itaque ab irregularitate incurrenda non excipitur, niſi *qui mortem aliter vitare non valens, ſuum occidit, vel mutilat invaſorem*, cap. un. *Si furioſus* t. 4. lib. 5. Clement.

Hæc

Digitized by Google

Hæc ſunt, quæ in Buſembaum, & La-Croixii doctrinis, mihi animadverſione digna viſa ſunt. Qua in re illud moneo, non omnia, quæ notari poſſunt, me animadvertiſſe, ſed præcipua, & plurima. Quæ vere, & recte dicta ſunt, a Patre luminum profecta eſſe, certum eſt, cui proinda uni honorem, & gloriam adſcribo, & haberi volo. Aberrationes, & errata mea ſunt, quæ caſtigari, e reprehendi ex animo cupio. Nam vexationes, & contumelias, quas, ſi ex præteritis futura conjicienda ſunt, & multas, & graves meo capiti imminere jam video, nihil moror. Dummodo adverſarii ſanam doctrinam intactam relinquant, eorum dicteriis, ineptiſque criminationibus me ne reſponſurum quidem, in antecesſum edico, & denuntio, quod me præſtitiſſe viſus ſum, dum in hac altera editione P. Franciſci Antonii Zachariæ objectationes diluerem.

MONITUM.

Pag. 354. Dub. II. & III. indicavimus litteras (a) (b) (c) (d)*; ſed quia in fine Dubii nullæ in eas litteras notæ ex inadvertentia additæ ſunt, eas hic in Lectoris gratiam apponimus.*

NOTÆ.

(a) 3. *An pars aliqua rei præceptæ ſit gravis*, ea &c. Satis eſt, ſi abſolute gravis ſit ex Animad. hic 4.

(b) 4. *In tranſgreſſionibus repetitis, ſi* &c. *contra vero* &c. Vide hic Animad. 3., & locum ibi citatum.

(c) Id recte, dum illud *paratus ſis* intelligas virtualiter. *Malit*, intellige actu, aut virtualiter in ipſo actu. *Actualem* non in habitu, in quo non eſt actus, ſed in actu, qui virtute ultimum finem includat. Sed hic arabice ego quoque loquor.

(d) *Frequentia tamen peccati* (ait D. Th. 2. 2. q. 186. a. 9. ad 3. relatus hic a. 7.) *diſpoſitive inducit ad contemptum ſecundum illud Prov.* 18. " Impius cum in profundum venerit peccatorum, contemnit. "

FINIS.

INDEX

INDEX RERUM,

quæ in Textu Herm. Buſembaum continentur.

A

Abbas. V. *Prælatus*.
Abbatiſſa an poſſit ferre cenſuras. pag. 572
Abbreviatio vitæ an licita. 159
Abortus. 160
Abſolutionis ſacramentalis forma. 441
Qui ſint abſolvendi. 484
V. *Juriſdictio*.
Abſolutio moribundi. 443
Abſolutio a cenſuris. 578
Abſolutio reſervatis. 482
Abſolutio a ſuſpenſione. 603
Abſtinentia. 262
An teneatur abſtinere carnibus in Quadrageſima qui non poteſt jejunare. 29
Accuſator. 326. An, & quis non teneatur alterum accuſare. ibid.
Acedia quid ſit. 362. Quale peccatum. ibid.
Quæ ſint ejus filiæ. ibid.
Adoptio. 550
Adulterans quot peccata committat. 26
Quid teneatur reſtituere. 293
Adulterium quid ſit. 273
An, & quando dirimat matrimonium. 535
Advocati officium, & peccata. 325
An poſſit Advocatus ſuſcipere patrocinium cauſæ minus probabilis. ibid.
Ægyptios conſulere, quale ſit peccatum. 86
Æquivocatione uti an liceat in juramento. 126
Ætas ad jejunium. 263. Ad matrimonium. 551. Ad ordines. 519. Ad ſponſalia. 551
Affinitas quid ſit, 551. An, & quæ dirimat matrimonium. ibid.
Aggreſſorem iniquum, & quomodo liceat occidere. 259
Altare quando execretur. 427
Ambitio quid ſit, & quale peccatum. 359
Amentibus an licite dentur carnes dies veneris. 20. An iiſdem licite diebus feſtis imponantur opera ſervilia. *ibid.* An quis licite eos irritet ad blaſphemandum. *ibid.* An poſſit iis dari communio in articulo mortis. 499
Amicus, an, & quam graviter peccet, ſi amico invito quid auferat. 184
Amor filiorum in parentes. 152
Amplexus extra matrimonium an, & qualia ſint peccata. 273
Antichreſis quomodo licita. 222
Apoſtaſia. 47
Apoſtata. 246
Appellatio reorum. 328
Approbatio Sacerdotis quid ſit. 481
A quo petenda. ibid.
Archiepiſcopus. V *Epiſcopus*.
Argentarii peccata. 330
Ars notoria quæ ſit. 86
Artifices. 73
Horum obligatio. 216
Aſpectus obſcœni qualia ſint peccata. 172
An, & quando liceant inter conjuges. ibid.
Aſſecuratio quid ſit. 221
Aſtrologia naturalis. 85
Attritio. 442
Avaritia quid ſit, & quale peccatum. 359
Quæ ſint ejus filiæ. *ibid. & ſeq.*
Aurifaber. V. *Argentarius*.
Aurigarum obligatio. 215
Aurigæ Catholici an licite vehant annonam ad caſtra hæreticorum. 74
Avus quid debeat nepotibus. 153

B

Baptiſmus. 381. Quæ ſit ejus materia. *ibid.* Quæ forma. *ibid.* Quis miniſter. 382. An duo poſſint ſimul unum baptizare. *ibid.* Quod ſit ſubjectum Baptiſmi. *ibid.* An poſſit aliquando reperi, & qua forma. 383. Quinam ſub conditione baptizandi. *ibid.* Quæ ſint ſervanda circa cæremonias Baptiſmi. ibid.
Bellum. 161. Bellum defenſivum quibus gerere liceat. Quibus offenſivum. *ibid.* An liceat contra bellum juſtum ſe defendere. 162. Belli juſtitia quomodo Principi indaganda. *ibid.* In bello juſto an liceat in auxilium advocare infideles. *ibid.* An liceat eoſdem in bello juſto juvare. *ibid.* Quid liceat in bello juſto. *ibid.*
Beneficiati an, & quando obligentur ad horas canonicas. 290. An ad reſtitutionem fructuum, ſi horas omiſerint. *ibid.* An ſint abſolute domini ſuorum proventuum. *ibid* Obligati ad Miſſas an poſſint pro iis accipere ſtipendium. 425
Beneficium eccleſiaſticum quid ſit. 287. Quotuplex. *ibid.* Quomodo acquiratur, & conferatur. *ibid.* Quæ requirantur qualitates ad illud accipiendum. 284 Quæ intentio. *ibid.* An liceat plura beneficia poſſidere. *ibid. & ſeq.* Quibus modis amittatur. 290. An liceat ea permutare. *ibid.* Beneficii reſignatio quid, & quotuplex. 290
Beſtialitas quale ſit peccatum. 273
Bibliopola. 330
Bigamia. 621
Blaſphemia quid ſit, & quotuplex. 212
Bona hoſtibus erepta ad quem pertineant. 162
Bona inventa quibus ſint reſtituenda, vel danda. 190
Bona neceſſaria, & ſuperflua. 59
Bulla Cœnæ. 581. *& ſeq.*

C

Cæremoniæ Baptiſmi. 383. Confirmationis. 394
Calix quando execretur. 427
Cambium quid ſit. 219. Quot ſint genera cambiorum, & an ea licita. ibid.
Canonicatus an ſint beneficia compatibilia. 288
Cantiones inhoneſtas canere quale ſit peccatum. 1272
Capitulares. 278
Captis in bello an liceat fugere. 162
Captivis Chriſtianis an liceat remigare in triremibus Turcarum. 73
Carceris effractio an licita. 328
Carnis eſus. 44. 262.
Cartuſianus edens carnes quale peccatum committat. An liceat illi aliquando veſci carnibus. 159
Caſtitatis votum. 130
Caſuum reſervatio quid ſit. 482. Quis habeat poteſtatem reſervandi caſus. 483. Qui abſolvendi ab eis. *ibid.* Caſus reſervati Clem. VIII. ibid.
Catholicis an in Germania liceat communicare cum hæreticis. 577
Caupones. 73
Celebrare Miſſam quando liceat. 426. Quoties. *ibid.* Quo loco. 427. Quæ ſint ad celebrationem requiſita. 428 V. *Miſſa*.
Cenſura eccleſiaſtica quid ſit. 570. Quotuplex. *ibid.* Qui poſſint ferre cenſuram. 572. Qui eadem affici. *ibid* Ob quam cauſam poſſit ferri. *ibid.* Qui poſſint ab ea abſolvere. 572. Quomodo hæc abſolutio danda. ibid.
Cenſus. 218
Caritas Dei. 55. Caritatis Dei præcepto quid præcipiatur. *ibid.* Quando obliget. ibid.
Caritas erga proximum quid præcipiat, & prohibeat. 57. 58. Ejus ordo. ibid.
Chirographa, & credita aliorum emere an liceat. 218
Chiromantia. 85
Chirurgorum obligatio, & peccata. 329
Choreæ. 272
Clauſura monialium. 279
Clerici qui dicantur. 288. An teneantur legibus civilibus, & puniri poſſint a Principe ſæculari. 20. An teneantur ad reſidentiam. 290. Quid poſſint circa diſpoſitionem fructuum ſuorum beneficiorum. 295. An poſſint teſtari de reditibus eorumdem. 296. Quis ſit eorum habitus. *ibid.* Quæ actiones, artes, officia eis prohibeantur. *ibid.* Quæ negotiatio. 218
Codicillus quid ſit. 243
Cœmeterium quibus caſibus violetur. 427
Cognatio conſanguinitatis. 559. Hujus gradus. ibid.
Cognatio legalis, & ſpiritualis. *ibid. & ſeq.*
Collatiuncula die jejunii. 263

Colono quando de penſione remitti debeat, eademque poſſit augeri. 220
Commodatum quid ſit. 214. Commodator an poſſit ante tempus definitum repetere commodatum. 215
Communio. V. *Euchariſtia*.
Communio paſchalis. 412. Ubi hæc ſumenda. *ibid.* An poſſit communicare qui dubitat, an cœnando mediam noctem exceſſerit. 5
Commutatio votorum. 232
Comœdiæ turpes. 172
Concio. 144. Ubi, & quanta obligatione audienda. *ibid.* Conciones hæreticorum an liceat audire. *ibid.* Concionari pro pretio an ſimonia. 202
Concionatorum obligatio. 60
Conductio, & conductor. 219
Confeſſarii officium. 384. Confeſſarii Principum &c. ad quid obligentur. *ibid.*
Confeſſarii quanta ſit obligatio audiendi pœnitentes. 485. Quæ ſcientia requiratur in Confeſſario. *ibid.* An poſſit Confeſſarius uti notitia in confeſſione accepta. 503. Ejus approbatio quid ſit. 482. A quo petenda. *ibid.* Ejus juriſdictio quid, & quotuplex: unde. *ibid.*
Quomodo ipſi eum divinatoribus, magis &c. agendum. 87. Quomodo eum reis. 328
Confeſſio ſacramentalis. 442. An debeat eſſe integra materialiter. 443
Quale examen ad eam prærequiratur. *ibid.*
Quando ſufficiat integritas formalis. 444. An debeat eſſe vocalis. *ibid.*
An ſecreta. *ibid.* An vera. 445
Quando ſit invalida. *ibid.* Quando iteranda. *ibid.*
Confeſſionis præceptum quos, & quam graviter obliget. 504. An ei ſatisfiat per confeſſionem invalidam, & venialium. *ibid.*
Confeſſionis ſigillum. 502
Confirmatio quid ſit, & quæ ejus materia. 392. Quæ forma. *ibid.* Miniſter, & ſubjectum. *ibid.* Neceſſitas, & cæremoniæ. 393
Conjuges ad quid obligentur erga ſe mutuo. 254. Conjugalis actus an ſit licitus. 533. An præceptus. 534
Conſcientia quid ſit. 2. Quæ ſit *recta*, quæ erronea. *ibid.* & 3. An utraque obliget. *ibid.*
Conſcientia practice dubia quid ſit, & an peccet, qui cum ea operatur. 4. Quid in ea agendum. *ibid.*
Conſcientia ſpeculative dubia. 4
Conſcientia ſcrupuloſa. 25
Conſilium. 26
Conſuetudo blaſphemendi. 212. Jurandi. 216
Contemptus formalis quid ſit. 354
Contractus quid ſit. 212. An dolo, errore, vi, metu factus ſit validus. 213. Qui nequeant contrahere. *ibid.*
Contritio quid ſit, & quotuplex. 441. Qualis requiratur ad Sacramentum pœnitentiæ. 442
Contumelia quid. 254. Quale peccatum. *ibid.* An qui per contumeliam læſit alterius honorem, teneatur hunc reſtituere, & quomodo. *ibid.*
Cooperatio ad damnum alterius. 289. Ad peccatum. 270
Correptio fraterna. 60. Ejus materia. *ibid.* Præceptum correptionis quando obliget. *ibid.* Quando facienda. *ibid.*
Quos obliget; & quis ordo in ea ſervandus. *ibid.*
Crapula quibus caſibus cenſeatur mortalis. 361
Credere quid teneamur neceſſitate medii, præcepti, explicita implicite. 36
Creditoribus ſolvendum eſt ordine. 294
Curatela quid ſit, & Curator. 243. Ejus officium. *ibid.* Qui nequeant eſſe Curatores. *ibid.*
Curiales. 326. *& ſeq.*
Curioſitas in aperiendis, & legendis alienis literis, vel ſcriptis. 360

D

DÆmonis invocatio. 85
Debitorum conjugale. 534
Debitorum obligatio. 194
Decalogi præceptum primum. 84. Secundum. 212. Tertium. 142. Quartum. 252. Quintum. 158. Sextum. 158. Septimum. 272. *& ſeq.* Octavum. 282. Nonum, & decimum. 256
Dgradatio quid ſit, & a quo fieri poſſit. 603. Quam ob cauſam. *ibid.*
Delectatio moroſa quid ſit. 344. An ſemper ſit peccatum. *ibid.* Quomodo delectatio mortalis ſit confitenda. 345. An voluntas teneatur delectationem carnalem poſitive reprimere. *ibid.*
Depoſitio quid ſit, & a quo fieri poſſit. 603. Quam ob cauſam. *ibid.*
Depoſitum. 214
An depoſitario liceat uti depoſito. 215
An, & quando teneatur depoſitarius ad reſtitutionem, ſi depoſitum perierit. *ibid.*
Deriſio. 362
Deſiderium quid ſit. 344
An, & quando ſit peccatum. *ibid.*
Deſperatio quale ſit peccatum. 54
Detractio quid ſit, & quotuplex. 254
Quale peccatum. *ibid.* Detractionem audiens, an, & quando graviter peccet; & an teneatur ad reſtitutionem famæ. 255
Dilectio inimicorum. 58. Quid teneamur inimicis præſtare. *ibid.*
Diſcipulorum obligatio. 255
Diſcordia. 339
Diſpenſandi poteſtas quibus conveniat. 29. Quando inferior poſſit diſpenſare in lege Superioris. *ibid.* Diſpenſatio quando vim amittat. *ibid.* Quando, & quomodo petenda ex S. Pœnitentiaria. 30
Diſpenſatio in obſervatione feſtorum. 143. In jejunio. 263. In juramento, & lege. 29. In impedimentis matrimonii. *ibid.* In votis. *ibid.*
Diſpenſare pro pretio in voto, juramento &c. an ſit ſimonia. 102
Diſputatio cum hæreticis. 48
Diſtractio in horis canonicis. 294. In aliis exercitiis ſpiritualibus. *ibid.*
Divinatio quid, & quotuplex. 85. Quale peccatum. *ibid.*
Divinatio e ſomniis, voce, animo &c. an, & quando ſit licita. *ibid.* Cum divinatoribus, magis &c. quomodo Confeſſario ſit agendum. 87
Divortium an fieri poſſit. 535. Quibus cauſis. *ibid.*
Dolor de peccatis. 441. *& ſeq.*
Dolus in verbis, & facto. 360
Domini quomodo ſint famulis obligati. 254
Donatio acceptata quale jus conferat. 213. Quibus caſibus poſſit revocari. 214
Donationes bonorum factæ ab ingredientibus religionem an ſint validæ. 245
Donatio mortis cauſa quibus competat, & quando revocari poſſit &c. 214
Donare qui non poſſint. 213
Dubitatio temeraria quale peccatum. 259
Dubium quid ſit. 3. Practice dubius circa aliquod opus quomodo debeat ſe reſolvere. 4. *& ſeq.* An in dubio tutior pars eligenda. 5. Dubium de horis canonicis. 291. Dubium de lege. 5. 19. Dubium de jejunio, 5. De voto. *ibid.*
Duellum quid ſit, & an liceat. 261. Quis duellantes poſſit abſolvere. 572

E

EBrietas quid ſit, & quale peccatum. 361. An licitum ſit alium ad ebrietatem inducere. *ibid.* Quæ ſit plena ebrietas. 362
Eccleſia quibus caſibus violetur. 427. An in violata Eccleſia liceat celebrare, & mortuos ſepelire. *ibid.* Quando execretur Eccleſia. *ibid.* An ea polluta, & execrata etiam altaria ſint polluta, & execrata. *ibid.*
Eccleſiaſticus. V. *Beneficiatus*, & *Clericus*.
Eleemoſyna. 59. Quando quis eam dare teneatur. *ibid.* Ex quibus bonis. *ibid.* An debita pauperibus trivialibus. *ibid.* An Religioſis. *ibid.* An filiis, uxoribus, ſervis liceat dare eleemoſynas. 60. An tutoribus, & curatoribus. *ibid.*
Emphyteuſis. 220
Emere die feſto. 295
Emptio. 217
Emptori an liceat emere vilius, quam res valeat. *ibid.* *& ſeq.* Res empta cui pereat ante traditionem. 317.
Epiſcopus an peccet, ſi Sacerdoti idoneo neget approbationem. 481. An habeat poteſtatem ferendi cenſuras. 578
An teneatur novas leges pontificias promulgara. 29
In quibus matrimonii impedimentis poſſit diſpenſare. 553. An poſſit diſpenſare in prævius proclamationibus matrimonii. 549. An in votis ſubditorum. 233. An cenſuris, aliiſque pœnis cogere ſubditos ad ſacrum in parochia audiendum. 248
Epiſcopi reſidentia. 290
Error an, & quando dirimat matrimonium. 550
Evagatio mentis. 36 a. *& ſeq.*
Euchariſtia quid ſit. 389. Ejus materia. *ibid.* Qualis debeat eſſe panis in materia. *ibid.* *& ſeq.* Quale vinum. 400
An vino conſecrando ſit neceſſario miſcenda aqua. *ibid.*
An, & quomodo materia debeat eſſe præſens conſecranti. 401. An debeat eſſe certa, & a conſecrantia in-

intentione, & individuo determinata. *ibid.* Forma conſecrationis. 402
Quamdiu Chriſti corpus maneat in Euchariſtia. *ibid.* Ad quem ſpectet Euchariſtiæ diſpenſatio. 407 Quo ritu ſit diſpenſanda. 408. An, & quando liceat eam ſibi ipſi dare. *ibid.* In quibus caſibus regulares eam licite dent in articulo mortis, & paſchate. *ibid.* Quid requiratur in Miniſtro ad licitam adminiſtrationem Euchariſtiæ. *ibid.*
Quomodo deferenda ad infirmos. *ibid.*
Ubi aſſervanda. 409. Quæ diſpoſitio animæ requiratur in ſuſcipiente. *ibid.*
Quæ corporis. 410
Quæ, & quanta ſit obbligatio eam ſumendi. 412. *& ſeq.*
Examen quale præterquiratur ad integritatem confeſſionis. 443
Examen ordinandorum. 518
Excommunicatio quid ſit, & quotuplex. 577. Ob quam cauſam incurratur excommunicatio minor. *ibid.* Quis hujus effectus. 578
Excommunicatio major quos habeat effectus. *ibid.* Ob quas cauſas hæc incurratur. 579. *& ſeq.* Quæ excommunicationes non ſint reſervatæ. *ibid.* Quæ ſint reſervatæ Epiſcopis. 580 Quæ Papæ extra Bullam Cœnæ. *ibid.* Quæ eædem per Bullam Cœnæ. 581
Excommunicatio percuſſoris Clericorum quomodo intelligenda. 580
Excommunicatus toleratus, & non toleratus quis. 579
Cum excommunicato non tolerato communicare, quale ſit peccatum. 579. An aliquando liceat. *ibid.*
Executores teſtamenti. 245
Execratio quid ſit, & quando fiat. 427
Extrema unctio quid ſit. 512
Quæ ejus materia remota. *ibid.*
Proxima. *ibid.*
Quibus danda. 513
Quis ejus Miniſter. *ibid.*
Quis effectus. *ibid.*

F

FAllacia, 360
Fama. 254. Ejus reſtitutio. *ibid.*
Quæ excuſent ab hac reſtitutione. 254
Famulus quomodo ſit obligatus ſuo domino. 154. An ad rem illicitam poſſit præſtare famulatum. 73. An, & quam graviter peccet, ſi ei invito quid auferat. 184. An teneatur ad reſtitutionem. *ibid.*
Feſtis quænam opera præcipiantur. 144
Quæ excuſent ab obſervatione feſtorum. 146
Feudum. 220
Fideicommiſſum. 243
Fidejuſſio quid. 221. Fidejuſſoris obligatio. *ibid.*
Fides. 36. An aliquando liceat veram fidem exterius negare, aut falſam profiteri. 43. An fidem diſſimulare 43. An, & quomodo tegere. 44. Fidei præceptum quando obliget. 39. *& ſeq.* Qui teneantur ad externam fidei profeſſionem. 40. Quæ ſint profeſſiva ſigna fidei. 44
Filii quem amorem, reverentiam, & obedientiam debeant parentibus. 152. An, & quam graviter peccent, ſi parentibus invitis quid auferant. 183. *& ſeq.* Item, ſi quid male expendant. *ibid.* An teneantur ad reſtitutionem. 184. An poſſint contrahere. 213.
Feminarum carminatricum benedictiones. 86
Forenſia opera an feſto die prohibita. 143
Forma abſolutionis ſacramentalis. 441. Abſolutionis a cenſuris. 572. Conſecrationis Euchariſtiæ. 402
Fornicatio quid ſit. 172. Fornicatio ſponſæ. *ibid.* Cum filia confeſſionis. *ibid.*
Frater an teneatur fratri, vel ſorori in neceſſitate ſubvenire. 153. Fraterna correptio. 60
Fraus. 360
Fructus induſtriæ qui dicantur. 192
Fuga reorum. 328
Furem nocturnum, & diurnum an, & quando liceat privata auctoritate occidere. 160. An idem Clericis, & Religioſis liceat. *ibid.*
Furtum quid ſit. 183. Quale peccatum. *ibid.* An furetur, qui alienum accipit in juſtam compenſationem. *ibid.* Quæ ſit in furto ſufficiens quantitas ad mortale peccatum. *ibid.* Furta plura minuta an ſimul ſumpta peccatum mortale conſtituant. *ibid.* Furta amicorum, & domeſticorum an, & quando ſint peccata. *ibid.*

G

GAudere, & delectari de malo ſub conditione an, & quando ſit peccatum. 344
Generales ordinum an poſſint ferre cenſuras. 571
Generationem prolis an liceat aliquando impedire. 535
Gloria vana quale peccatum, & quotupliciter ea peccetur. 357
Gratitudo. 214
Gravidæ an liceat petere, & reddere debitum. 535
Gula quid ſit, quale peccatum. 361. Quæ ſint ejus filiæ. *ibid.*

H

HAbitus clericalis. 296
Heredis commoda, jura, & obligationes. 246. Intra quod tempus debeat exequi defuncti voluntatem. 240 Qui poſſint inſtitui heredes. 245
Heredum diviſio. 247. Quantum debeatur heredibus neceſſariis. *ibid.* Qui ſuccedant ab inteſtato, aut teſtamento rupto, vel irrito. *ibid.* An poſſint adire hereditatem, quando teſtamentum factum eſt ſine ſolemnitatibus. 244
Hereditatum renuntiatio. *ibid.*
Hæreſis quid ſit. 47. Ejus periculo ſe exponere quale ſit peccatum. *ibid.*
Hæreticus quis. *ibid.* An hæretici obligentur præceptis Eccleſiæ. 20
An præcepto Confeſſionis. 504
An liceat legere eorum libros. 47
An cum illis diſputare. *ibid.*
An ſacris eorum intereſſe. 44
Herus an teneatur famulo infirmo dare ſalarium. 154
Homicida. 192
Homicidium. 158
Homicidium conjugis an, & quando dirimat matrimonium. 550
Honor. V. *Fama*.
Horæ Canonicæ. 291. Qui ad eas obligentur. *ibid.* Quanta hæc ſit obligatio. 292. *& ſeq.* An teneatur ad reſtitutionem fructuum, qui Horas omiſit. *ibid.* Quibus ea fieri debeat. *ibid.* Quæ a recitatione Horarum excuſent. 292. Quomodo Horæ ſint recitandæ. 293
Humanæ carnis eſus. 361
Hypocriſis. 359
Hypotheca. 222

I

JActantia. 359
Idololatria quid, & quotuplex. 86
Jejunium eccleſiaſticum. 262. *& ſeq.*
Quæ cauſæ ab eo excuſent. 263. *& ſeq.*
Ignorantia an excuſet a tranſgreſſione præcepti. 29
Illegitimus an ſit irregularis. 518
Illuſio. 375
Impedimenta matrimonium impedientia tantum. 549
Impedienta idem dirimentia. 550
Imprecari aliis dæmonem, grandinem &c. in ira, quale ſit peccatum. 113
Inceſtus quid ſit. 173
An impediat matrimonium. 550
Indulgentia quid ſit, & quid ad ejus valorem requiratur. 447
Quotuplex, & quomodo differat Jubilæo. 448. Quæ conditiones requirantur ad lucrandas Indulgentias. 447
Infamia. V. *Detractio*.
An liceat alium infamare ad vitanda gravia tormenta. 255
An liceat infamare ſeipſum. *ibid.*
Infantibus an dari poſſint carnes die Veneris. 20
An infantes ethnicorum licite baptizentur invitis parentibus. 283
Infideles an obligentur præceptis Eccleſiæ. 20. An liceat intereſſe ſacris infidelium. 44
Infidelitas quotuplex ſit. 47
Inimicorum dilectio. 58
Injuria materialis quæ ſit. 189
Formalis. *ibid.*
An obligatur ad reſtitutionem, qui intulit injuriam tantum materialem. *ibid.*
An qui formalem. *ibid.*
Innocentem an aliquando liceat occidere. 160
Inobedientia. 278. V. *Obedientia*.
Inquietudo. 259
Inquiſitio Judicis. 323
Inſidiis an uti liceat contra hoſtem. 162
Intentio virtualis quæ ſit. 375
Intentio ſatiſfaciendi præceptis, voto, juramento, &c. an requiratur ad eorum impletionem. 25

Interdictum quid ſit, & quotuplex. 608
Qui ſint ejus effectus. ibid.
Quis poſſit ferre cenſuram interdicti. 608
Quis eandem tollere. ibid.
Interſtitia Ordinum. 519
Inventarium bonorum. 247
Invidia quid, & quale peccatum. 360
Quæ ſint ejus filiæ. ibid.
Ira quid ſit, & quale peccatum. 362
Quæ ſint ejus filiæ. *ibid.* In ira nominare mortem Dei, ſeptem Sacramenta, dæmonem, &c. quale peccatum. 113
Irregularitas quid ſit, & quotuplex. 610
Qui ſint ejus effectus. ibid.
Quomodo incurratur. ibid.
Quomodo tollatur. ibid.
Quæ ſint irregularitates ex delicto. ibid.
Quæ ex defectu. 612
Irreligioſitas quotuplex ſit. 300
Irritatio directa votorum. 232
Indirecta. ibid.
Jubilæum. 448
Judæi. 47. Quibus caſibus cum iis non liceat communicare. ibid.
Judex. 322. Quid in eo requiratur. *ibid.* Quid ei ſervandum circa inquiſitionem. 323. Quid liceat circa ſorturam. *ibid.* Quid ſervandum circa ſententiam, & pœnam. 324. Ad quid obligetur Judex, qui tulit ſententiam injuſtam. *ibid.* Quid liceat circa munera. 325
Judicium legitimum. 322
Judicium temerarium. 253
Juramentum quid ſit. 215. Quotuplex. ibid.
An, & quando ſit licitum. ibid.
An in eo uti liceat æquivocatione. 216. ibid.
Juramenti promiſſorii quanta ſit obligatio, *ibid.* Quomodo tollatur obligatio juramenti per irritationem. 117. Quomodo per diſpenſationem, commutationem, & remiſſionem. *ibid.* An quis obligetur juramento, de quo dubitat, an ſit omiſſum. 5
Jurandi formulæ. 215
Juriſdictio Confeſſarii quid ſit, & quotuplex, & unde eam habeat. 481
An Juriſdictione dubia liceat abſolvere. ibid.

L

Lactare an mater teneatur prolem lacte proprio. 255
Laſcivia. 262
Lectio obſcœnorum. 272
Legatum quid. 245. Legata in pias cauſas an Religioſus executor poſſit applicare ſuo Monaſterio. ibid.
An Legata poſſint commutari in alium pium uſum. ib.
Legata pia quæ dicantur. ibid.
Legiſlator an ſuis legibus obligetur. 20
Lex. 16. Legis poſitivæ vis, & ſubſtantia an dependeat ab acceptatione communitatis. 19. An Lex humana obliget ſub peccato, & quali. ibid.
Quæ perſonæ Legibus obligentur. 20
An ignorantia excuſet a tranſgreſſione Legis. 29. An metus. ibid.
An diſpenſatio. ibid.
Per quot annorum præſcriptionem Lex aboleatur. 19 V. *Præceptum*.
Libellaticus contractus. 220
Libellus famoſus. 256
Liberi ad quid obligentur erga parentes. 252. *& ſeq.*
An peccarint, & obligentur, ſi parentibus inſciis contraxerint ſponſalia. 524
An, & quam graviter peccent, ſi iiſdem invitis quid auferant. 183
Libertas. 5. Regula, qua cognoſci poſſit, an quis ſit in poſſeſſione ſuæ libertatis. ibid.
Libri hæreticorum an, & qui prohibeantur. 47. 581
Libros obſcœnos edere quale ſit peccatum. 272
Litaniæ. 292
Litteras alienas aperire, & legere, an & quale ſit peccatum. 363
Litteræ dimiſſoriæ. 518
Locatio. 219
Locator an poſſit conductorem re conducta privare ante tempus præfinitum. ibid.
Ludere chartis, aleis, an liceat Clericis, Religioſis. 220
Ludus. ibid.
Luſor quando teneatur ad reſtitutionem. ibid.
Quando leviter, quando graviter peccet. ibid.
Luxuria. 360. Ejus filiæ. ibid.
Ejus actus, ſeu peccata quotuplicia ſint. *ibid.* Luxuriæ conſummatæ ſpecies naturales. 173. Species contra naturam. ibid.

M

Magia. 86. Quomodo Confeſſario cum Magis agendum. 87
Magiſtratus obligatio. 60
Maledictio. 362
Malefactorem an, & quomodo liceat occidere. 159. *& ſeq*
Maleficium quid. 87. Quotuplex. ibid.
Quibus remediis uti liceat contra maleficia. ibid.
Maritus ad quid obligetur erga uxorem. 159
An etiam in adulterio deprehenſam licite occidat. 159
Mater quid debeat filiis. 253
Optans filiabus mortem quomodo excuſari poſſit. 59
Materia levis ſub mortali præcepto. 19
Matrimonium quid ſit. 533. Quæ illius materia, forma, miniſter. *ibid.* An ejus uſus ſit licitus. *ibid.* An præceptus. *ibid.* An debitus. ibid.
An Matrimonium valide voveatur. 534
Matrimonii contractus ex gravi metu factus an ſit irritus. 213. An liceat contrahere matrimonium cum habente votum caſtitatis. 549 An cum hæretico. 47. An poſſit ſolvi Matrimonium. 535
Quæ ſit impedimenta Matrimonium impedientia tantum. 549. *& ſeq.*
Impedimenta dirimentia. 550
Matrimonii proclamationes præviæ. 549 *& ſeq.* An coram Parocho contrahendum, & quo. 551. Quid de hæreticis, quoad hæc, cenſendum. 552. Matrimonii conſummatio, an prohibeatur ante benedictionem. 549
Matrimonium invalidum quomodo revalidandum. 552
In impedimentis a quo poſſit diſpenſari. ibid.
Ob quas cauſas. ibid.
Medicorum obligatio. 329
Mendacium in confeſſione. 445
Meretrix. 273
Metus. 29
Militum peccata. 262
Militans bona fide quid teneatur reſtituere. 192
An, & quando poſſit ſeipſum indirecte occidere. 258
Miniſter Sacramentorum. 375
Quid in eo requiratur, ut det valide Sacramentum. *ibid. & ſeq.* Quid ut licite. *ibid. & ſeq.*
Miniſter Baptiſmi. 382
Confirmationis. 392
Euchariſtiæ. 408 *& ſeq.*
Pœnitentiæ. 481
Extremæ Unctionis. 513
Matrimonii. 533.
Minorum bona quomodo Tutori, & Curatori adminiſtranda. 243
An Minores juribus ſibi acquiſitis poſſint renuntiare, & quandiu teneantur ſubeſſe Curatori. *ibid.* An poſſint contrahere. 213
Miraculi fictio. 85
Miſericordia corporalis. 59
Spiritualis. 60
Miſſa quid. 424. Quæ ſit obligatio Sacerdotum circa illam. *ibid.* Quando liceat eam celebrare. 425. *& ſeq.* Quoties. *ibid. & ſeq.* Quo loco. 427
An eam aliquando liceat interrumpere. 427 *& ſeq.* Quæ ſint requiſita ad Miſſam. 428. An quis feſtis diebus eam teneatur audire. 143. Ubi, & utrum in parochia. *ibid.* Quæ excuſent ab auditione Miſſæ. 146. Facere Miſſas pro pretio an ſit ſimonia. 302
Militorum obligatio. 215
Mollities. 173
Monachus. V. *Religioſus*. 276
Monaſterium. 247
Moniales an obligentur ad Horas canonicas. 291
Monopolia quid ſint, & an licita. 217
Monſtrum an ſit baptizandum. 383
Montes pietatis qui dicantur, & an liciti. 216
Moribundi abſolutio. 444
Mortem optare an liceat ſibi, vel alteri. 59
Mulierum ornatus. 72
Mutilatio ſui ipſius an, & quando ſit licita. 258 An, & quid debeat reſtitui pro injuria per mutilationem corporis illata. 192
Mutuum quid. 215. An liceat petere mutuum ab uſurario. 72
Mutuatarii, & mutuantis obligatio. 215. V. *Uſura*.

N

Nautæ Catholico an liceat vehere annonam ad caſtra hæreticorum. 74
Nautarum obligatio. 215
Necromantia. 85
Negotiatio quid ſit, & quibus illicita. 218

Neo-

Neophytus an ſit irregularis. 611
Notarii obligatio & peccata. 326
Novitii an obligentur ad horas canonicas. 292
An poſſint valide teſtari. 247
Ad quid obligetur, qui novitium abduxit a religione. 194
Nundinæ. 143. V. *Mercatus*.

O

OBduratio cordis. 359
Obedientia filiorum erga parentes. 153
Obedientiæ votum. 278
Obſervantia vana quid ſit. 86. *& ſeq.*
Quotuplex. *ibid.* Quale peccatum. *ibid.*
Unde poſſit cognoſci. *ibid.*
Obſides an liceat occidere. 160
Occaſio proxima peccandi. 442
Occiſio iniqui aggreſſoris. 159
Innocentis. 160. Malefactoris. 159
Uxoris in adulterio deprehenſæ. *ibid.*
Sui ipſius. 158. An, & quid debeat reſtitui pro injuria per occiſionem illata 192
Odium Dei. 55
Odium proximi. 57. *& ſeq.*
Oleum benedictum. 512
Opera diebus Dominicis, & feſtis præcepta. 244. Prohibita. 243
Opificum variorum peccata. 329
Opinio probabilis. 4
Oratio Dominica. 36
Ordines militares an, & qui ex iis ſint religioſi. 276
Ordinis Sacramentum quid ſit. 517. Quotuplex. *ibid.* Quæ ejus materia. *ibid.* Quæ requirantur ad validam, & licitam ordinationem. 518
Ordines ſacros ſuſcipiens an, & quomodo voveat caſtitatem. 129. A quo Epiſcopo quis poſſit ordinari. 518
Ornatus mulierum. 72
Oſcula extra matrimonium an, & qualia ſint peccata. 172

P

PActum cum dæmone. 85
Papa quam habeat poteſtatem ferendi cenſuras. 577
An ipſe poſſit eas incurrere. *ibid.*
In quibus impedimentis matrimonii poſſit diſpenſare. 553
An poſſit diſpenſare in omnibus votis. 133
An ſine juſta cauſa. 30
Parentes quid debeant filiis. 153
An poſſint filios exheredare. *ibid.*
Eorum obligatio. 60
Parens non tenetur omnia bona relinquere liberis. 153
Parochus an habeat poteſtatem ferendi cenſuras. 572
An poſſit diſpenſare in votis ſubditorum. 133
An abſolvere ab excommunicatione minore. 481
An adſciſcere cooperatores non approbatos. *ibid.*
Parochus religioſus an obligetur ad regulas ſui ordinis. 276
Parochiani an teneantur Dominicis, & feſtis majoribus audire ſacrum in Parœcia. 144. *& ſeq.*
An invitis Parochis poſſint confiteri mendicantibus. 504
Paſtorum obligatio. 155
Patrini Baptiſmi qui ſint, & quod eorum officium. 384
Patrini Confirmationis. 394
Patronatus jus quid, & quotuplex. 288
Patronus quando teneatur præſentare, beneficio vacante. *ibid.*
Pauperi quando quis teneatur ſubvenire. 59
Pauperem ſe fingens, atque extorquens eleemoſynam, an obligetur ad reſtitutionem. 192
Paupertas religioſa. 277
Peccatum quid ſit. 343
Quæ peccata diſtinguantur ſpecie. 345
Quæ numero. *ibid.*
Quid ſit peccatum mortale, & veniale. 353
Quæ ex genere ſuo ſint mortalia, quæ venialia. *ibid.*
Quibus ex cauſis peccatum ex genere ſuo mortale fiat per accidens veniale. 354
Quibus modis ex genere ſuo veniale tranſeat in mortale. *ibid. & ſeq.*
Venialia an poſſint reſervari. 483
An veniale, cui annexa eſt cenſura, poſſit omitti in confeſſione. 577
Peccata capitalia. 357. *& ſeq.*
Peccato alterius an liceat materialiter cooperari. 73
Pecuniam adulterinam non licet exponere. 219
Penſio quid, & quotuplex. 291
Penſionarius. 295
Peregrini qui dicantur. 20
An teneantur legibus ſui domicilii, dum ab eo abſunt. *ibid.*
An teneantur implere præcepta ſui territorii, antequam ab eo diſcedant. *ibid.*
An obligentur præceptis locorum, in quibus morantur. 22
Et cenſuris. 572
An præceptis juris communis. 22
An poſſint peregrini coram Parocho loci contrahere matrimonium. 552
Perjurium. 115
Pertinacia. 359
Pharmacopæorum obligatio. 329
Philtrum. 86
Phyſiognomia. 85
Pignus. 222
Pingere an ſit opus ſervile. 243
Pingere turpia quale peccatum. 172
Piſcari an ſervile. 243
Piſcatio prohibita an inducat obligationem reſtitutionis. 192
Pœna legis adjecta. 19
Pœna ſimoniæ. 102
Pœna uſurariorum. 216
Pœnitens an teneatur pœnitentiam acceptare, & implere. 446
An ſatisfaciat, ſi eam impleat in ſtatu peccati mortalis. *ibid.*
Pœnitentiæ Sacramentum. 442
Quæ ſit ejus materia. *ibid.* Quæ forma. *ibid.* Qualis ad eam requiratur contritio. *ibid.* Qualis confeſſio. 442
Satisfactio. 445
Pœnitentiam in confeſſione injunctam quis poſſit commutare. 446
Pollutio quid. 173. An aliquando liceat eam procurare. *ibid. & ſeq.*
An quis actionem licitam teneatur omittere, ſi prævideat inde naturaliter ſecuturam. 174
Facta in ſomno an, & quando ſit mortalis. *ibid.*
Poſſeſſor bonæ fidei an, & quando teneatur reſtituere. 191. Malæ fidei quid debeat reſtituere. *ibid.*
Præceptum quid ſit. 16. Quotuplex. *ibid.*
Præcepta humana an obligent ſub peccato, & quali. 19
An cum periculo gravis incommodi. 29
Ex quibus ſignis colligi poſſit, an graviter obligent. 19
An ſint implenda ex caritate. 24
An ad impletionem requiratur intentio ſatisfaciendi. *ib.*
An quis iis poſſit ſatisfacere per actum ex circumſtantiis peccaminoſum. *ibid.*
Præceptum duplex an uno actu poſſit impleri. 27
An diverſis actibus ei ſatisfieri poſſit eodem tempore. *ibid.*
Præcepta plura violans uno actu quot peccata committat. *ibid.*
An ignorantia, & metus excuſent a tranſgreſſione præcepti. 29
Utrum præcepti pars implenda ſit, ſi nequeas implere totum. *ibid.*
Præceptum confeſſionis. 504
Præcepta Decalogi. 54
Vide *Decalogus*.
Præcepta Eccleſiæ. 262. *& ſeq.*
Præceptum locale. 22
Præceptum univerſale. *ibid.*
Præceptorum obligatio. 255
Prælati quomodo obligentur præcepto fraternæ correptionis. 60
An, & qui poſſint diſpenſare in votis. 276. *& ſeq.*
An Prælati ordinum teneantur fugitivos requirere. 280
Quid poſſint ſubditis permittere ſalvo voto paupertatis. 278
Prælatorum obligatio. 62
Præſtimonium. 295
Præſumptio quid, quale peccatum. 358. *& ſeq.*
Præſumptio de miſericordia Dei. *ibid.*
Precarium quid. 214
Pretium quotuplex. 217
Principum obligatio. 161 *& ſeq.*
Proclamationes matrimonii. 549
Procuratorum obligatio, & peccata. 326
Prodigalitas in quo conſiſtat, & quale ſit peccatum. 359
Prodigi an poſſint contrahere. 213
Proditio. 360
Profeſſio fidei. 40
Profeſſio religioſa quas requirat conditiones, ut ſit valida. 276. Facta ex gravi metu an ſit irrita. *ibid.*
Profeſſi an, & qui poſſint inſtitui heredes. 247
Promiſſio acceptata an graviter obliget. 213
In rebus eccleſiaſticis ex gravi metu facta an ſit irrita. 213

Pronoia. 73
Proſcriptos quibus liceat occidere. 359
Proximo an liceat velle aliquod malum. 58
Quando quis teneatur ei ſubvenire. 59
An, & quomodo ejus peccatum permitti poſſit. 72
Pueri quibus legibus obligentur. 20
An, & quando obligentur præcepto confeſſionis. 504
Pupillus. 253
Puſillanimitas. 359

Q

QUæſtorum obligatio. 228

R

RAncor. 362
Rapina. 183
Raptus quid. 173. An, & quamdiu impediat matrimonium. 550
Rebaptizans, & rebaptizatus an ſint irregulares. 610
Referentis obligatio. 326
Regula externa actuum humanorum. 26
Regula interna. 2
Regulæ ordinum religioſorum. 278
Regularibus eur ampla privilegia a Pontificibus conceſſa. 245
Religioſus ſtatus quid ſit. 276
Qui poſſint eum amplecti. ibid.
Qui teneantur. ibid.
Religioſa profeſſio quas requirat conditiones. ibid.
Religioſus ad Cardinalatum, vel Epiſcoparum promotus, an maneat obſtrictus votis ſuæ religionis. ibid.
Promotus ad Parochiam an teneatur deferre habitum religionis, & regulam ſervare. ibid.
Ad quid obligetur religioſus vi ſuæ profeſſionis. 277
Vi voti paupertatis. ibid.
Ad quid vi voti caſtitatis, & obedientiæ. 278
An, & quomodo teneatur ad perfectionem. 277
An contra hanc peccet, ſi regulam ordinis tranſgrediatur. ibid.
An, & quando liceat ei tranſire ad ordinem ſtrictiorem. 279
An, & quando ad laxiorem. ibid.
An, & quando poſſit e religione expelli. ibid.
An expulſus maneat votis adſtrictus. ibid.
An teneatur ad Horas. 291
An Prælatus teneatur fugitivum, & apoſtatam requirere. 280
An profeſſus in uno Monaſterio poſſit cogi, ut ſe transferat ad aliud. ibid.
An poſſint Religioſi nova ſtatuta condere. 278
An a Pontifice poſſint cogi ad arctiorem vivendi rationem. 278. An illis liceat negotiari. 218
Religioſi mendicantes an licite miniſtrent Eucharistiam. 408
Reliquias an cum reliquiis liceat permutare. 102
Falſas proponere quale ſit peccatum. 85
Remedia contra maleficia. 87. & ſeq.
Remiges Chriſtiani. 73
Remiſſio debitorum. 213
Renunciatio hereditatum. 244
Renuntiationes bonorum factæ ab ingredientibus religionem an ſint validæ. 245
Repreſalia an liceant. 262
Reſervatio caſuum quid ſit. 482
Qui habeat poteſtatem reſervandi. 483
Qui abſolvendi. ibid.
Reſidentia Epiſcopi, & eorum qui habent beneficium curatum. 290
Reſignatio beneficii quid, & quotuplex. ibid.
Reſtitutio quid ſit, & qui ad eam teneantur. 189
An plures ſimul damnificantes teneantur reſtituere in ſolidum, & quo ordine. 190
An teneatur reſtituere, qui alium impedivit a conſecutione alicujus boni. ibid.
Cui reſtitutio debeat fieri. ibid.
An, & quando debeat reſtituere bonæ fidei poſſeſſor. 191
Quid poſſeſſor malæ fidei. ibid.
An, & quid reſtituendum pro injuria corpori illata per mutilationem, occiſionem, &c. 192
Quibus pro his reſtitutio fieri debeat. 193
Quid reſtituendum pro illato ſtupro. ibid.
Quid pro adulterio. ibid. & ſeq.
Pro fama. ibid.
Pro inductione ad peccatum. 194
Pro avocatione a religione. ibid.
Reſtitutionis circumſtantiæ, ut tempus, locus, modus, &c. ibid.
Quæ a reſtitutione excuſent. 194
Reverentia filiorum erga parentes. 252
Reus an, & quando teneatur fateri verum. 327
An graviter peccet, ſi ad evitanda tormenta gravia falſum crimen ſibi imponat. 328
An teneatur revelare complices. ibid.
An ei liceat occidere miniſtros juſtitiæ. 359
Quid circa famam. 327
Quomodo Confeſſario agendum cum reo. 328
Rex bellum geſturus ad quid obligetur. 216. & ſeq.
Rixæ. 362
Ruſtici, aliique ſimpliciores in Germania, qui habentur hæretici, an poſſint abſolvi a ſuis Parochis. 47

S.

SAcerdotum obligatio circa Miſſæ ſacrificium. 424
Sacramentum quid ſit. 372
Quid circa ejus materiam, & formam ſervandum. ibid.
Sacramentorum Miniſter. 375
Quid in eo requiratur, ut det valide. ibid.
Quid ut licite. ibid.
Quæ diſpoſitio requiratur in ſuſcipiente ad valorem ſacramenti. 379
Quid, ut licite, & cum fructu ſuſcipiatur. 380
Sacramentalia quid ſint. ibid.
Quid efficiant. ibid.
Sacrificium Miſſæ. 424
Cujus ſit applicare fructum ſacrificii. 425
Vide *Miſſa*.
Sacrilegium quid ſit, & quotuplex. 101
Quot modis committatur per actum venereum. ibid.
Sartorum obligatio. 205
Peccata. 343
Satisfactio. 445
Scandalum quid ſit, & quotuplex ſit. 71
Quando committatur. ibid & ſeq.
Activum an ſit ſpeciale peccatum. ibid.
Quando ſit mortale, quando veniale. ibid.
Scandalizans quot peccata committat, & an in materia juſtitiæ teneatur ad reſtitutionem. ibid.
Scandalum paſſivum an ſit circumſtantia aggravans. ibid.
An, & quando poſſit permitti. 72
Quid ad hoc vitandum omitti debeat. ibid.
Scrupulus. 16
Scrupuloſæ conſcientiæ ſigna. ibid.
Remedia, & privilegia. ibid.
Secretarii obligatio, & peccata. 326
Secreti violatio. ibid.
Senes an, & qui teneantur ad jejunium. 463
Sententia probabilis, quæ ſit. An ſequenda. 4
An tutior eligenda. ibid.
Quomodo Confeſſarius ſequi poſſit opinionem minus ſibi probabilem in favorem pœnitentis. ibid.
An quis ſpeculative probabile ſequi poſſit in adminiſtratione ſacramentorum. ibid.
Sepultura eccleſiaſtica an privetur excommunicatus. 579
An interdictus. 608
Servilia opera. 145
Servus an, & quam graviter peccet, ſi domino invito quid auferat. 184
An teneatur ad reſtitutionem. 189
An cum libera poſſit contrahere matrimonium. 550
An cum ſerva. ibid.
Servi originarii vel aſcititii, an ſint proprie ſervi. ibid.
An ſervi ſint irregulares. 612
Sigillum Confeſſionis quid. 502
Subſigillum. 503
Qui ad illud teneantur. ibid.
Simonia quid ſit. 101
Quotuplex. ibid.
An ſit ſimonia concionari, catechizare, Miſſas facere, &c. pro pretio. 102
Simoniæ pœnæ. ibid.
Et cui debeat reſtitui. ibid.
Societas JESU. 247. V. *Religioſus*.
Societatis contractus quid ſit. 221
Sodomia quid. 173
Soror an teneatur fratri, vel ſorori in neceſſitate ſubvenire. 253
Sorores tertiariæ Ordinis S. Franciſci an ſint religioſæ. 276
Sortes divinatoriæ, diviſoriæ. 86
Spectatio turpium comœdiarum quale ſit peccatum. 172
Spei præceptum quando obliget. 54
Sponſalia quid ſint. 523
Quæ, & quanta eorum obligatio. 524
Quomodo diſſolvantur. 525
Sponſis an liceant impudici tactus, oſcula, &c. ibid.
Sponſio quid ſit, an, & quando licite fiat. 220
Spurius. 253

Sta-

Digitized by Google

Status Clericorum. 288
Vide *Clerici*.
Status religioſus. 276
Status ſæcularium, præſertim judicialium. 322
Stratagematis an uti liceat in bello. 162
Stuprum quid. 173
Stuprator quid pro illato ſtupro debeat reſtituere. 193
Subditi quomodo ſint obligati ſuis ſuperioribus. 154
Superbia quid ſit. 359
Quale peccatum. *ibid.*
Quæ ſint ejus filiæ. *ibid.*
Superiores quomodo ſint ſubditis obligati. 154
Superſtitio quid ſit, & quotuplex. 84
Quando committatur ſuperſtitio cultus falſi. *ibid.*
Quando cultus ſuperflui. 85
Suſpenſio quid. 601
Quotuplex. *ibid.*
Ejus quantitas, & qualitas unde ſit colligenda. *ibid.*
Quæ ſint ſuſpenſiones in particulari. 602
Quis ab eis poſſit abſolvere. *ibid.*
Suſpicio temeraria. 253
Suſurratio quid. 360
An ſuſurro teneatur amicitiam per ſe ſublatam reconciliare. *ibid.*
Sutor. 330
Symbolum Apoſtolicum. 36

T

TAbacum. 410
Tabellio. 326
Tactus impudici qualia ſint peccata. 172
An liceant inter conjuges. *ibid.*
An inter ſponſos. *ibid.*
Tentatio Dei quid ſit. 100
Quale peccatum. *ibid.*
Teſtamentum quid, quotuplex. An ſit validum, cui deſunt ſolemnitates a jure civili requiſitæ. 243
Qui poſſint, & debeant eſſe executores Teſtamenti. 245
Intra quod tempus exequi debeant. *ibid.*
Qui poſſint teſtari. 246
Teſtamenta militum ſunt privilegiata. 243
Teſtimonium mulieris, ſervi, minoris, inimici, perjuri, an ſit validum. 327 *& ſeq.*
Teſtis. 327
An, & quando quis teſtari teneatur, & ad quid obligetur, qui non vult teſtari. *ibid.*
Ad quid, qui falſa teſtatus eſt. *ibid.*
Theſauri inventi quibus ſint reſtituendi, vel dandi. 191
Torpor. 362
Tortura reorum. 323
Traditio in rebus Eccleſiæ, ex gravi metu facta, an ſit irrita. 213
Triſtitia de bono alterius an, & quando ſit peccatum. 360 *& ſeq.*
Tutela. 243
Tutela inculpata quæ ſit. 156 *& ſeq.*
Tutorum officium. 243 *& ſeq.*
Typographus. 143

V

VAgi an teneantur præceptis locorum, in quibus morantur. 21
An coram quolibet Parocho poſſint contrahere matrimonium. 552
Vana gloria quid ſit, quale peccatum, quotupliciter ea peccetur. 359
Vana obſervantia quid, quotuplex, quale peccatum. 86
Unde cognoſci poſſit. *ibid.*
Vaſallus. 220
Vectigalium fraudatione quam graviter peccetur, & an ex ea oriatur obligatio reſtitutionis. 192
Venator. 191
Venditio quid. 217
Venditor quo pretio debeat vendere. *ibid.*
An teneatur de vitio rei, quæ venditur, præmonere emptorem. *ibid.*
Res vendita cui pereat ante traditionem. *ibid.*
Veneficium. 86 *& ſeq.*
Venena an liceat vendere. 73
Verba turpia proferre quale ſit peccatum. 172
An, & quando ea liceant inter conjuges. 524
Veſtes clericales. 518
Quando ſacræ veſtes exſecrentur. 428
Veſte virili an liceat uti feminæ, vel contra. 72
Vindicta. 362
Violentia. 359 *& ſeq.*
Virgini an liceat occidere invaſorem pudicitiæ. 159
An pro ſervanda caſtitate mortis periculo ſe exponere. *ibid.*
Vitam an liceat abbreviare. *ibid.*
Ejus defenſio. *ibid.*
Votum quid ſit, & quotuplex. 129
Quæ requiratur voti deliberatio, & intentio. *ibid.*
Voti materia. 130
Voti quæ, & quanta ſit obligatio. *ibid.*
An quis teneatur voto, de quo dubitat, an ſit remiſſum. 5
De voto emiſſo dolere, quale ſit peccatum. 130
An duplicem malitiam admittat, qui violat votum de re jam ante præcepta. *ibid.*
Voto alieno an quis obligetur. *ibid.*
Qui vovit rem ab altero præſtandam, ad quid teneatur. *ibid.*
Vota perſonalia a quo ſint implenda. 131
Realia unde ſolvenda. *ibid.*
Conditionalia an obligent, ceſſante conditione. *ibid.*
Votum amplectendæ religionis ad quid liget. *ibid.*
Voventis intentio unde in dubio ſit colligenda. *ibid.*
Voti obligatio quot modis tollatur. *ibid.*
Qui poſſint directe irritare. 132
Quinam indirecte. *ibid.*
Quinam in eis diſpenſare. 133
Voti commutatio quid ſit. 132
Quid circa eam requiratur, ut licite fiat. *ibid.*
Qui poſſint commutare. *ibid.*
Votum caſtitatis. 278
An ſimplex caſtitatis votum impediat matrimonium. 549
An ſolemne idem dirimat. 550
Votum religioſæ obedientiæ ad quid obliget. 278
Votum religioſæ paupertatis 277
Uſura quid ſit. 215
Quale peccatum. *ibid.*
Variæ ſpecies uſuræ. 216
Uſurariorum, & cooperantium obligatio, & pœna quæ ſit. *ibid.*
An ab uſurario liceat petere mutuum. 72
Uxor ad quid teneatur erga maritum. 154
An, & quam graviter peccet, ſi marito invito quid auferat. 183
An teneatur ad reſtitutionem. *ibid.*
Quæ bona poſſit expendere. 184
Uxoricidium an impediat matrimonium. 550

F I N I S

INDICIS RERUM

in Textu Buſemb. contentarum, qui Lectori inſervire poteſt etiam pro iis, quæ ab Auctore Animadverſionum tractantur.

INDEX

INDEX
RERUM
in Animadverſionibus contentarum.

Prior numerus paginam, alter vero animadverſionem indicat.

A

ABbates de jure communi altaria conſecrare non poſſunt. Quomodo hac in re ſe gerere debeant. pag. 438. a. 31.

Abſolutio in pœnitentia diu differri non poteſt. p. 374. a. 2

P. Zach. mea ſenſa pervertit. *ibid.*

Abſolutio condisionalis, prout ſuggerit La-Croix, rejicitur. p. 449. a. 3. p. 466. a. 31

Abſolutionis forma integra, & indubitata ſunt illa verba, *Ego te abſolvo a peccatis tuis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*; quæ omnia verba ſine diminutione ſemper, & neceſſario adhibenda ſunt. p. 451. a. 4

Non ſolum abſolutio voce in præſentem pœnitentem proferenda eſt, ſed etiam ſacramentalis confeſſio ore pœnitentis, ſi fieri poſſit, neceſſario facienda eſt. *ibid.*

Illa abſolutionis forma, *Abſolvo dominationem, excellentiam, majeſtatem veſtram* &c. ineptiſſima eſt, & graviſſime reprehendenda. p. 451. a. 5

In confeſſionibus brevioribus, & frequentioribus, & urgente gravi neceſſitate quænam in abſolutionis ritu omitti poſſint. p. 451. a. 6

Non eſt in Sacerdotis abſolventis arbitrio omittere elevationem dexteræ verſus pœnitentem, dum ait, *Indulgentiam* &c. p. 451. a. 7

Abſolvendi non ſunt, qui concubinas retinent, nec qui prius reſtitutionem, & ſatisfactionem neceſſariam non fecerint, ſi de eorum propoſito merito dubitetur, ut fere ſemper dubitari poteſt. p. 460. 461. a. 16

Abſolvi aliquando poſſe concubinarium concubina non dimiſſa, eſt omnino implicite proſcripta. Contraria Buſembaum effugia rolluntur. p. 177. a. 10

Poſſe vero abſolvi pœnitentem toties, quoties confitetur, etiamſi nullus profectus appareat, abſurdum valde eſt. La-Croixii aberrationes deteguntur. *ibid.*

Abſolvendi non ſunt, qui in abſolute proximis peccati occaſionibus verſantur. Quomodo regendi ſunt, qui reſpective proximis, ſeu propinquis peccandi offendiculis implicantur. Buſembaum doctrinæ cavillatoriæ, & ab Evangelio abhorrentes refutantur. p. 462. a. 17

Abſolute abſolvendus eſt moribundus, qui per ſe, vel per alios confitendi deſiderium oſtenderit. Si autem, cum potuerit, nullum ſignum dederit, vel ſi ſcelerate vixerit, aut in ipſo facinore ſenſus ſubito amiſerit, non eſt abſolvendus. Secus de eo qui recte vixerit, ſentiendum. p. 466. a. 31

Quid de abſolutione pœnitentis in diſcrimine vitæ conſtituti, & diminute confeſſi ſentiendum, ſi Sacerdos in ſimili periculo verſetur. p. 468. a. 32

Abſolutio ab eo impertita qui ex communi errore, accedente titulo colorato, juriſdictionem habere putatur, valida videtur; ſed deprehenſo errore, confeſſiones merito iterantur; ſi vero deſit titulus coloratus, abſolutio nulla eſt; quæ ſine ordinaria, aut delegata juriſdictione ſublaris prætextibus contrariis vi caret. p. 492. a. 16. p. 495. a. 22.

Abſolutio reſervatorum non audita integra confeſſione a Superiore impertiri nequit, niſi in extrema neceſſitate. p. 495. a. 21.,

Abſolutionem reſervatorum eſſe validam, ſi pœnitens reſervationem ignorans et reſervata crimina confiteatur, qui facultate in reſervata caret, eſt opinio falſa, & quoad praxim implicite damnata. p. 495. a. 22

Abſolutio a reſervatis ex ignorantia, aut malitia ſine legitima facultate impertita, pœnitenti bona fide nixo prodeſſe videtur; errore tamen detecto confeſſio repetenda eſt. *ibid.*

Abſolutio in reſervata non eſt eo prætextu impertienda, quod Superior adiri nequeat. p. 495. a. 24

Abſolvendi non ſunt qui probabili non tutæ ſententiæ adhærent. p. 497. a. 48. nec rudiores, nec peregrini, niſi integre confiteantur, ſublatis contrariis Buſembaum prætextibus. p. 495. a. 29

Abſolutionem ſuſpenſionis a jure non reſervatæ quivis Sacerdos approbatus impertire poteſt. p. 607. a. 52

Abſtinentia. Vide *jejunium*.

Accuſatio criminis in publicam perniciem redundantis omitti non poteſt, quia grave accuſanti damnum inde imminet. p. 336. a. 33

Adoptio. Vide *matrimonii impedimenta*.

Advenæ, & peregrini paſchalem communionem extra propriam parœciam percipientes, præcepto non ſatisfaciunt, ſi ad ſuam parœciam redire poſſint; aliud eſt de vagis. p. 414. a. 5. p. 423. a. 36. Quomodo id intelligendum. *ibid.*

Adulterium. Vide *reſtituere*, & *matrimonii impedimenta*.

Advocatus non poteſt ſuſcipere patrocinium cauſæ probabilis, ſi judicet contrariam eſſe probabiliorem. p. 12. a. 9. p. 334. a. 21

Advocatus in cauſa criminali reum quoad forum externum ſontem defendere tuta conſcientia non poteſt. p. 334. a. 22

Pauperibus in extrema, & gravi neceſſitate gratis patrocinari tenetur, & quomodo. a. 23. nunquam poteſt patrocinari cauſis quæ nihil ferme habent probabilitatis. 335. a. 24. Imo vero ne minus quidem probabilibus. p. 12. a. 9. p. 335. a. 24. Si clientem defendat in cauſa juſta poſſeſſionis, jure proprietaria deſtitutum, non tam advocati, quam latronis munere fungitur. Item peccat, ſi articulum juſtum cauſæ injuſtæ tueatur, & reſtitutioni obnoxius eſt. *ibid.* Quomodo ſe gerere debeat in dubio, utrum damnum ſuo clienti attulerit. p. 335. a. 25. Quid facere ipſum oporteat, ſi cauſam minus probabilem ſui clientis ſuſceperit. p. 335. a. 26

Si in litis progreſſu cauſæ iniquitatem advertat, eamque cliente non admonito proſequatur, omnia damna tam clientis, tum adverſarii reſarcire tenetur; nec in hac ſpecie tranſactionem adverſario ſuadere poteſt. p. 335. a. 27. Nimiæ dilationes, illicitæ ſubornationes teſtium, hiſque ſimilia, & deceptiones ſemper ſunt criminoſæ. p. 335. a. 28. Rationes, & fundamenta ſui clientis, & cauſæ ſecreta adverſario detegere ei nunquam licet. p. 336. a. 29. Ex his, & Buſembaum dictis colligitur, quam ſit periculoſum advocatorum officium: quod ab eorum Confeſſariis valde notandum eſt, ne cum ſuis pœnitentibus ſe perdant.

Ægyptios, vide *divinatio*.

Ætas, vide *jejunium*.

Æquivocatio quid ſit: non eſt mendax: quando ſit, & quando non ſit vituperabilis. Quotuplici diſſimulatione uti poſſimus. p. 124. a. 15

Æquivocatio, prout fuit explicata, juramento confirmari poſſe videtur, ſi neceſſitas juramentum poſtulet: quod obligat juxta ſanum jurantis ſenſum. p. 125. a. 15

Æquivocatio a caſuum arbitris cum reſtrictione mentali confundi ſolet. Reſtrictio non pure mentalis, non eſt mendax; reſtrictio autem pure mentalis, mendax eſt, & juramento confirmata, eſt perjurium; eaque ex nulla cauſa, & neceſſitate uti licet. Quomodo reſtrictiones non pure mentales juramento confirmari queant. La-Croix doctrina ad examen vocatur. p. 125. a. 15.

Altare quomodo exſecretur. p. 438. a. 30

Ambire beneficium cum animarum cura, eſt letifera culpa. Specioſa Lsymani doctrina refutatur. Item mortalis culpa eſt ambitio beneficiorum etiam ſine animarum cura. p. 364. 365. a. 2. Ambitio quoque graduum ſæcularium in perſonis indignis, aut minus dignis, letalis noxa eſt; cui aliæ adduntur, prout contra juramenta ambitus peccatur. p. 364. a. 2

Quomodo ſit mortalis ambitio inducere in civitatem novas veſtiendi formas. p. 367. a. 4. certa mortalis ambitio eſt, ſimulare ſanctitatem cum animo eam non habendi. a. 5

Amor ſatis involute, aut falſo a Buſembau dividitur. pag. 63. a. 2. Plus eſſe amandum virum ſanctum, quam parentem improbum, eſt doctrina incauta: quo ſenſu vera ſit. Propinquiores intenſiori affectu diliguntur, quam meliores. *ibid.*

Dum in gravibus neceſſitatibus uxorem parentibus eſſe præferendam Buſenb. innuit, commentitie, & contra Decalogum loquitur: falſum eſt, filios excepta extrema neceſſitate parentibus eſſe anteponendos.

Ordo

Ordo caritatis quoad propinquos. p. 63. a. 3. Quo ſenſu parentes carnales in ſpiritualibus, aliis omnibus anteferendi ſint. p. 63. a. 4
Pro amico ad mortem damnato interitum ſubire non licet. p. 62. a. 1
P. Zach. Commenta refutantur. ibidem. item p. 262. a. 1.
Antichreſis. Vide *contractus antichriſeos*.
Approbatio quoad confeſſionem petita, & negata, non ſufficit, quocunque prætextu etiam quoad regulares ſubditos. p. 487. a. 5. p. 488. a. 9
Approbatio petenda eſt ab Epiſcopo diœceſis, in qua confeſſiones excipiendæ ſunt. p. 488. a. 6
Approbatus in una diœceſi, non ſolum ſubditos illius diœceſis, ſed vagos, peregrinos, iter agentes, etiamſi ad illum confeſſionis cauſa acceſſerint, abſolvere poteſt, ſi conſuetudo, & tacitus Epiſcoporum conſenſus id ferat. p. 488. a. 6
Approbationis revocatio etiam ſine cauſa, valida eſt. p. 488. a. 7. Vide *Sacerdos*. *Parochus*. *Regularis*. *Juriſdictio*.
Aſpectus. Vide *oſcula*, *tactus*, *peccatum*.
Aſſecurationis periculi, quod privatim nullum eſſe ſcitur, pretium inique petitur: contradictiones Buſembau notantur. p. 242. a. 61
Aſtrologia. Vide *Chiromantia*, *divinatio*.
Attritio. Vide *Contritio*.
Avaritia ex genere ſuo mortale crimen eſt; quomodo fiat veniale. p. 367. a. 6

B

BAptiſmi materiam non eſſe ſalivam, lotium, lacrymas, ſudores, lutum, certum eſt. Idem ſentiendum de aqua roſacea, aliiſque ſimilibus, quarum uſu baptiſmus ne ſub conditione quidem in neceſſitate conferendus eſt, La-Croixio, aliiſque paucis fruſtra reclamantibus. Item julculum, lixivium, ptiſana, cereviſia non ſunt apta baptiſmi materia. Cereviſia tamen valde tenuis, & aquæ artificiales, quas longas dicunt, inter dubias baptiſmi materias eſſe videntur. p. 385. a. 1
In baptiſmo per immerſionem non eſt ad ejus valorem neceſſe ut baptizatus ex aqua emergat. Ut infans baptizetur, matrem licet mortuam aperire, grave crimen eſt. Limitatio Laymanni rejicitur. p. 386. a. 2.
Baptizandus eſt puer ex utero nondum egreſſus in quacumque parte vitalem motum indicante inde emergente, dum mortis periculum imminet; at ſi caput ablutum rite fuerit, baptiſmus nullo modo iterandus eſt; ſi vero quæcunque alia pars a capite, ſub conditione rebaptizandus eſt puer perfecte natus. p. 386. a. 3.
Si crines tantum in baptiſmo tincti videantur, baptiſmus ſub conditione iterandus videtur. ibid. p. 387
Dum baptiſmus dubius in neceſſitate confertur, non ſub conditione, ſed abſolute conferendus eſt. ibid.
Baptiſmi forma quomodo in aquæ effuſione adhibenda eſt. p. 387. a. 4 In ea (forma) particula *amen* recte omittitur. p. 387. a. 5. In eadem aliquid licet non eſſentiale deliberate omittere, crimen mortale merito timetur. p. 387. a. 6. Particula *ego* non eſt eſſentialis; at *te* eſſentialis eſt. p. 387. a. 7
Quænam baptiſmi formæ ſint certo invalidæ, quænam dubiæ. p. 387. a. 8 & p. 388. a. 9
Baptiſmum conferre, diaconis ne ex delegatione quidem permittendum eſt. p. 388. a. 10; quibus baptizare non licet, niſi in extrema neceſſitate. a. 11. Laicus baptizans præſente Sacerdote, aut diacono, mortalis peccati reus fit. p. 389. a. 12
Baptiſmus in quo alter materiam adhibet, alter formam, nullus eſt, & in neceſſitate nullo modo conferendus. p. 389. a. 13
Si plures ſimul baptizent, & ſinguli ex ſe baptizare intendant, baptiſmus valet. p. 389. a. 14 Baptiſmus ab hæreticis rite collatus, non eſt iterandus. p. 390. a. 18. Qui ſine juſta cauſa baptiſmum ſub conditione iterat, ſacrilege agit, & irregularis fit. p. 389. a. 15.
Baptizandum non eſt monſtrum, cujus caput eſt ferinum, etiamſi reliqua membra humana videantur. p. 389. a. 16.
Baptizandi ſunt ſub conditione infantes expoſiti cum ſcheda teſtante de baptiſmo, niſi ea certam fidem faciat. p. 389. a. 17
Baptiſmi cæremoniæ ex Rituali Romano petendæ ſunt. p. 390. a. 19. Zach. contra ire auſus repellitur. ibid.
Infantes magnatum in eorum Oratoriis baptizandi non ſunt, exceptis filiis Regum, & magnorum Principum, ſi hi hoc depoſcant. p. 390. a. 19. 20
Baptiſmus infantium propter patrinos expectandos non eſt protrahendus. p. 390. a. 19
In privato quoque baptiſmo patrinus, ſi haberi poſſit, adhibendus eſt. p. 390. a. 20. p. 391. a. 22. In baptiſmo nec Regulares, nec Abbates patrini eſſe poſſunt, contraria conſuetudine iis non ſuffragante. p. 391. a. 21 Item nec apoſtatæ, nec hæretici, nec alii infideles. Catholici ne in Germania quidem hæreticorum pueros in baptiſmo ſuſcipere poſſunt. ibid. In neceſſitate pater poteſt eſſe ſuſceptor filii ſui, nec jus quoad uxorem perdit. Idem in neceſſitate, aut ex ignorantia inculpata ſuum filium baptizans, jure petendi debitum non privatur; at ſi ex induſtria eum baptizet, illud amittit; quo pariter exuitur, ſi abſque neceſſitate ſuum filium ſuſcipiat. p. 391. 392. a. 22.
Bellum ex utraque parte propter ignorantiam invincibilem innoxium eſſe poſſe non videtur. p. 170. a. 23. Suſcipi non poteſt ex opinione probabili de ejus juſtitia. p. 170. a. 24. Cœptum, ex vi juſtitiæ, & ſemper intermittendum eſt, cum pars adverſa convenientem ſatisfactionem offert: hanc eſſe ſemper impoſſibilem, falſo putat Laym. p. 170. a. 25. Innocentes in bello victi ſatisfactionis prætextu, vel quia ſumtus belli aliter haberi nequeat, bonis ſpoliari non poſſunt: contrariæ ratiunculæ, & excuſationes exploduntur. p. 170. a. 26. 27. In bello Eccleſias comburi, & hoſtes in iis ſpoliari, & occidi poſſe, eſt res ſuſpecta. p. 171. a. 28. Capti in bello injuſto, & fugientes, quo modo hoſtium bona ſecum auferre poſſint. p. 171. a. 29. Urbis direptionem permittere nunquam licet: politicæ Laym. rationes diluuntur. Quid de obligatione reſtitutionis in gregariis militibus urbem injuſte diripientibus ſentiendum ſit, declaratur. p. 171. a. 30
Beneficii eccleſiaſtici duo jura mente quidem ſeparabilia ſunt, at reipſa, & jure inſeparabilia. p. 297. a. 1
Ad beneficium, cui ſacer Ordo annexus eſt, rite obtinendum, conditionata voluntas ejuſdem Ordinis non ſufficit. p. 298. a. 4
Qui beneficium parochiale ſine voluntate ſuſcipiendi Sacerdotium obtinuit, ejus fructus retinere poteſt, ſi mutata poſt voluntate, eo infra annum initietur. p. 298. a. 4. Qui parœciam conſecutus eſt, ab Epiſcopo diſpenſari nequit, ut ſtudiorum cauſa ab ea abſit. ibid.
Qui beneficium ſimplex animo lucrandi fructus, ac deinde uxorem ducendi acceptat, mortaliter peccat. p. 299. a. 5.
Plura beneficia ſine diſpenſatione haberi non poſſunt, etiamſi alii idonei non adſint. p. 300. a. 7. unum beneficium in titulum, & alterum in commendam ſine evidenti Eccleſiæ commendatæ neceſſitate, aut utilitate conferri nequit. ibid.
Beneficiorum permutationes ſine prævia pactione, Epiſcopi auctoritate fieri poſſunt; at ne ſimplices quidem reſignationes in favorem, in manibus Ordinarii fieri valent. p. 301. a. 13. imo vero malæ ſunt, etiamſi preces tantum interponantur. Buſemb. & La-Croixii cavilli refelluntur. p. 301. a. 13
In beneficiorum inæqualium permutatione compenſatio ne ſummi quidem Pontificia auctoritate, compenſationis titulo peti poteſt. Quo titulo in dicta permutatione penſio ab eo imponi valeat. Objectio Nat. Alex. diluitur. p. 302. a. 14
In beneficiis quomodo jura proventuum a beneficiorum titulis ſummi Pontificis auctoritate ſeparari queant. p. 303. a. 15.
Beneficiorum permutatio, aut reſignatio ea lege, ut litis, vel bullarum expenſæ a recipiente refundantur, ex natura ſua ſimoniaca eſt. p. 303. a. 16
Beneficii fructus qua ratione beneficiario ſubtrahi, & in alios uſus transferri valeant. p. 305 a. 24. Vide *Horæ canonicæ*. *Officium*. *Reſidentia*.
Beneficiarii de parte fructuum ſuæ congruæ ſuſtentationi reſpondente, libere diſponere poſſunt infra pietatis, & honeſtatis limites: latitudo congruæ ſuſtentationis a Buſemb nimis dilatatur. p. 316. a. 52. p. 320. a. 60.
Beneficiarios ſæculares eſſe abſolute dominos omnium ſuorum proventuum, falſo a Buſemb. aſſeritur; cujus objectiones refutantur. p. 316. 317. a. 53
Beneficiarii congrua ſuſtentatio non aliunde, quam ex eccleſiaſtico gradu metienda eſt. p. 316. a. 53. Quomodo beneficiarii ſuos conſanguineos in ſtudiis alere poſſint. p. 318. a. 54. Si in uſus profanos ſuperflua congruo victui expendant, non ſolum graviter peccant, ſed reſtitutione tenentur. p. 318 a. 55. Eidem reſtitutioni obnoxii ſunt ii quoque, in quos hæ ſacrilegæ rapinæ pervenerunt. ibid. & p. 320. a. 61. Mortale crimen a beneficiario admittitur, cum eam ſummam eccleſiaſticarum rerum prodigit, quæ in furto ad mortalem culpam ſatis eſt, ubi La-Croixii contradictio notatur. ibid.

Utrum

Google

Utrum beneficiarii ex beneficiis vivere, ac bona patrimonialia in profanos uſus expendere poſſint. p. 318. a. 56.

Stolæ, ut ajunt, fructus beneficii fructus ſunt: Anacleti hac de re hallucinationes. *ibid.*

Nec quotidianæ diſtributiones, nec fructus capellaniæ, ſeu vicariæ amovibilis, nec penſiones in profanos uſus converti poſſunt. p. 319. a. 57. 58. 59

Beneficiarii quomodo ex conſuetudine, aut ſum in Pontificis facultate de bonis eccleſiaſticis teſtari valeant. p. 220. a. 62.

Beneficia ſeu cum cura, ſeu etiam ſine animarum cura minus dignis conferre, eſſe mortalem culpam evincitur, etiamſi uni ſit collatio. p. 364. 365. a. 2

Beneficiorum aucupatores, cum pro parco victu habent quod ſatis eſt, graviter peccant. p. 364. a. 2

Beſombes vindicatus. Prod. p. x. xi. Zech. illum impugnare inaniter pergit. *ibid.*

Blaſphemia. De blaſphemia in Sanctos Buſemb. ſatis involute loquitur. Hujuſmodi blaſphemia ex parvitate materiæ non fit culpa venialis. p. 114. a. 1. blaſphemia ex ſubreptione, ſeu ſubito motu quomodo venialis eſſe poſſit. p. 214. a. 2

Non eſt blaſphemia imprecari aliis dæmonem, fulgur &c. eſt tamen mortalis culpa, quæ ex ſubito motu non fit venialis, ſi verborum ſignificatio advertatur. Item mortifera noxa eſt dæmonem ſibi ex ira imprecari. Ratio contraria Buſemb. eſt falſa. p. 114. a. 3. Utrum blaſphemia in Deum, an in Sanctos fuerit, in confeſſione neceſſario explicandum eſt. p. 114. a. 4.

Bona eccleſiaſtica ſuperflua ſine neceſſitate accipientes, a mortali peccato prætextibus a Buſembao confictis excuſari non poſſunt. p. 320. a. 61. Vide *Ambire*.

Bona injuſtis poſſeſſoribus in juſto bello ablata ad quos pertineant. p. 172. a. 31

Bona inventa quibus reſtituenda. Vide *reſtitutio*.

Buſembaus quare impugnetur. p. VIII. in præf.

C

CAmbium tum ſiccum, tum Francofurtenſe eſt aperte fœneratitium. p. 235. 236. a. 40. in cambio quoque reali lucrum ex ſolutionis prorogatione percipere, uſura eſt, uſu minime excuſanda. *ibid.*

Canonicatus in cathedralibus Germaniæ Eccleſiis, quæ ex immemorabili conſuetudine, medii tantum anni, vel trium menſium reſidentiam requirunt, inter beneficia de jure compatibilia numerari, & plures obtineri tuta conſcientia non poſſunt, exploſo Buſembaum, & La-Croixio deteriora docente. p. 299. a. 6

Canonici, aliique choro addicti, ab eo abſentes, quotidianas diſtributiones percipere nequeunt; niſi ex infirmitate, ſeu rationabilis corporis neceſſitate vel evidenti Eccleſiæ utilitate abſint. p. 301. a. 12. iidem, ſi choro præſentes non canant, nec diſtributiones, nec præbendarum fructus ſuos faciunt. *ibid.*

Canones II. & III. P. Zachariæ emendantur. p. x. in prod.

Ab eodem Zacharia inaniter defenduntur. *ibid.*

Canoni VIII., & IX. quæ a P. Zacharia omiſſa fuere, adjiciuntur. p. x. prod.

Canone de *Caſuiſtis ſi qua in quæſtione* &c. P. Zach. toto cœlo aberrat. p. XV. prod.

Carceris effractio. Vide *reus*.

Caritatis præceptum a Buſembaum fœde corruptum. p. 56. a. 1. Zachariæ aberrationes. *ibid.* Caritatis amor erga Deum non ſolum ſummus eſſe debet, ſed humano more aſſiduus, ſeu valde frequens; ejuſque præceptum per ſe obligat non ſolum initio uſus rationis, in fine vitæ, & ſaltem ſingulis annis, ſed frequentius, puta ſemel ſingulis hebdomadibus. *ibid.* Vide *Amor diligere*.

Carthuſianus a carnibus cum certo mortis periculo abſtinere non poteſt. p. 163. a. 3

Caſuiſtæ Scripturas negligentius tractant, & a Patribus diſſentiunt. p. XII. prod. Eorum ratiocinationes acutæ, at non ſolidæ. p. XII. XIII. prod. Eorum controverſiæ cur in Patribus non inveniantur. p. XIII. prod.

Caſuiſtarum errata voluntaria in cauſa, & frequentiſſima, nec excuſanda: eorum lectio quibus permittenda, & quibus prohibenda ſit: eorum auctoritas quanti ſit. p. XIV. prod.

Caſus in calce dub. 4. p. 30. cavillatorie a Buſemb. reſolvuntur. p. 36. a. 20

Catholici communicatio cum hæreticis. Vide *hæreticus*.

Catholici diſputatio cum hæreticis. Vide *fidei diſputatio*.

Catholicus per regiones hæreticorum tranſiens, non poteſt die veneris carnibus veſci ſublato quolibet prætextu. p. 46. a. 6

Chiromantia ne ad corporis quidem temperiem conjiciendam confert. p. 98. a. 4

Cenſuris latæ ſententiæ impuberes doli capaces obnoxii ſunt; cenſuris tamen ferendæ ſententiæ plectendi non videntur. p. 22. a. 3

Cenſuris locorum advenæ, & peregrini obnoxii ſunt. p. 575. a. 1. A cenſura non eximit defectus advertentiæ, ſi ſit vincibilis. p. 575. a. 2. cenſura valida eſt, etiamſi delictum nullum ſit, ſi hoc juridice fuerit probatum, & Eccleſiæ quoque ſuffragiis privat. p. 575. a. 3. vide *Epiſcopus*.

In abſolutione a cenſuris quomodo Regulares ſe gerere debeant. p. 576. a. 5. 7. A cenſuris bullæ cœnæ abſolvendi facultatem habentes, ab aliis omnibus abſolvere non poſſunt, niſi id in facultate exprimatur. p. 576. a. 6. Abſolutio a cenſuris extra confeſſionem impertiri nequit. p. 577. a. 9

A cenſuris non reſervatis quis poſſit abſolvere. Vide *abſolutio*.

Cenſus mere perſonalis ſpectato tantum jure naturæ illegitimus eſt, nec conſuetudine honeſtari poteſt. p. 234. a. 37. pactum cenſui additum, ut ſi res, ſuper quam conſtitutus eſt, pereat, damno venditoris pereat, S. Pii V. Conſtitutioni *Cum onus* contrarium eſt. p. 235. a. 38. Si fundi, in quibus cenſus conſtituti ſunt, periculis particularibus obnoxii ſint, pactum aſſecurationis quoad ea ſine injuria exigi ex rei natura poteſt; nec hoc pactum S. Pii V. conſtitutione prohiberi videtur. *ibid.* Cenſus a cenſuario irredimibilis quomodo accedente conſuetudine permiſſus ſit. Pactio cenſui adjecta, ut cenſus ad arbitrium cenſualiſtæ redimatur, jure naturæ non videtur vetita; ideoque toleranda, ubi talis conſuetudo invaluit, licet ſit diſſuadenda. At cenſus redimibilis in favorem cenſualiſtæ, & a cenſuario irredimibilis juri naturæ contrarius eſt. p. 235. a. 39

Choreæ quomodo fieri ſolent, vitioſæ ſunt, periculorum, & peccatorum plenæ. p. 175. a. 6

Circumſtantia voti ſimplicis, aut ſolemnis in peccato luxuriæ in confeſſione explicanda eſt, ſicuti & duplicis tituli, e. g. ſi quis ſimul ſit Sacerdos, & religioſus. p. 178. a. 14.

Clericis, alearum ludo uno, aut altera vice ludere permiſſum non eſt: ludendi conſuetudo a mortali reatu eos non excuſat, ſi recreandi animi cauſa ludant. Solis Clericis in ſacris conſtitutis, vel ratione beneficii habitum clericalem geſtantibus alearum ludum eſſe prohibitum, ex arbitrio, & falſo aſſeritur. p. 240. a. 56.

Clerici, etiamſi parochi non ſint, in uſus profanos expendere nequeunt, quæ pro concione, Miſſa, aliiſque eccleſiaſticis functionibus acquirunt. p. 318. a. 56. Vide *Beneficiarii*.

Clerici minorum ordinum, etiamſi eccleſiaſticis beneficiis non fruantur, legi deferendi habitum clericalem obnoxii ſunt. p. 320. a. 63

Clericis medicinæ, & chirurgiæ opera abſolute vetita ſunt. p. 320. a. 64. Quando ex neceſſitate iis ſint permiſſa. *ibid.* & *ſeq.* Item prohibita iis ſunt officia cancellariorum, judicum, advocatorum, patronorum, tabellionum etiam cauſarum civilium in curiis ſæcularibus, etiamſi beneficiarii non ſint, nec ſacris initiati. Quid de cautelis dicendum. p. 321. a. 65. Armorum delationem in itinere iis eſſe permiſſam, male docent Buſemb. & Anacl. p. 321. 322. a. 66. Quid de venatione, & aucupio, & culpæ gravitate in ſupradictis ſentiendum. *ibid.*

Communio. Vide *Euchariſtia*.

Concina (P. Daniel) ab adverſariorum criminationibus vindicatur. p. 2. a. 1. p. 9 a. 3. p. 10. & ſeqq. a. eadem, p. 20. a. 2. p. 104. 105. a. 6. p. 223. a. 14. p. 158. a. 14. p. 176. a. 9. p. 180. a. 20. p. 185. a. 2. p. 227. a. 18. p. 232. a. 34 36 p. 264. a. 2. p. 453. 454. a. 9. p. 459. a. 13. laudatus p. 9. præf. ejus lucus Theologicus vindicatus p. XII. Prodr. item in adjunctis.

Concionator. Vide *Jejunium*.

Conductor domus, penſionem ſolvere non tenetur, ſi peſtis cauſa eam inhabitare nequeat; nec contraria conſuetudo quidquam virium quoad jus habet. p. 236. a. 41. famulus conductus. p. 236. a. 41

Confeſſarius, aut alius vir doctus non poteſt conſulenti reſpondere ſecundum probabilem aliorum ſententiam, ſi forte ei hæc faveat, prætermiſſa propria probabiliore, & tutiore. p. 13. a. 4. Multo minus ei ſignificare, opinionem a quibuſdam doctis tanquam probabilem defendi, eamque veluti rectam agendi regulam proponere, ſi ipſe conſultus eamdem ſpeculative falſam judicet, nec in praxi eam ſequi audeat. p. 13. a. 5.

Confeſſarius operam in brevi diſpenſationis S. Pœnitentiariæ injunctam moderari nequit. p. 36. a. 23

Con-

Confeſſarius reum ad confeſſionem admittere debet, etiam priuſquam res in foro externo liquidæ fuerint. Cautio ab eo adhibenda. p. 342. n. 50

Confeſſio. In confeſſione neceſſario explicanda eſt ſpecies mali, quam quis proximo optat. p. 64. 65. n. 10

In confeſſione generali nullum mortale crimen, licet clavibus alias rite ſubjectum, ſponte prætermittere licet. p. 450. n. 2. In eadem, nova cum veteribus permiſcere periculoſum, & malum eſt. *ibid.*

In confeſſione venialium qualis dolor requiratur, & ſufficiat; & quomodo hac in re pœnitens, & Confeſſarius ſe gerere debeant. p. 457. n. 20. Ad confeſſionem ſacramentalem non ſufficit dolor de peccatis propter pœnas temporarias ut a Deo inflictas, vel infligendas. p. 458. n. 21. Hujus doctrinæ corollarium contra La-Croix, qui refellitur. *ibid.* Dolor ſine ulla intenſione, & duratione eſt doloris umbra, ad confeſſionem minime ſufficiens. Buſembaum laxamenta notantur. p. 459. n. 22. Quo ſenſu unus doloris actus de omnibus mortalibus peccatis, ad confeſſionem ſufficiat. La-Croixii hac de re doctrina examinatur. p. 459. n. 23. Qui ſolum dolet, ſe de peccatis non dolere, ad confeſſionem accedere non debet, nec de ea hoc modo peracta tutus eſſe poteſt. p. 459. n. 24.

In confeſſione explicitum propoſitum a dolore diſtinctum ordinarie loquendo neceſſarium eſt; in aliqua extraordinaria hypotheſi implicitum ſufficit. p. 459. n. 25. Propoſitum neceſſario firmum, & conſtans eſſe debet. Refellitur La-Croix, & Genettus defenditur. p. 459. 460. n. 25. Ad confeſſionem redire cum iiſdem mortalibus peccatis, non eſt quidem certum, at vehemens indicium eſt, deeſſe, imo defuiſſe neceſſariam contritionem; ideoque in hac prudenti dubitatione præteritæ confeſſiones neceſſario repetendæ ſunt. p. 460. n. 26. Ad confeſſionis ſacramentum contritio neceſſario referenda eſt, & quomodo contraria doctrina quoad praxim proſcripta eſt. p. 461. n. 28. Eadem contritio non ex ſacramenti neceſſitate, ſed propter periculum, confeſſionem præcedere debet. Quomodo Confeſſarius hac in re ſe gerere debeat. p. 462. n. 19. Qui paulo ante confeſſus, eadem peccata, vel alia, quæ ex memoria exciderant, omiſſa, de quibus explicate non doluit, confitetur, novum dolorem afferre debet. Hujus doctrinæ contra Buſembaum corollarium. p. 463. n. 20

Confeſſionis integritas quotuplex, ejuſque diverſa explicatio. La-Croixii error Trid. Concilio aperte repugnans. p. 463. n. 21. Confeſſionem imperfectam relinqui poſſe propter jubilæum, eſt propoſitio proſcripta. p. 479. n. 69

Peccatorum certus numerus, ſi haberi poſſit, in confeſſione aperiendus eſt; ſin minus, probabilis, addendo, plus, minus; ſi tamen poſt certus numerus conſtet, confitendus eſt. p. 463. n. 22. In confeſſione omnes circumſtantiæ peccatum notabiliter aggravantes explicandæ ſunt. Animadverſiones in La-Croixium, & allatæ doctrinæ corollaria. p. 463. n. 23. Item circumſtantiæ notabiliter minuentes. p. 466. n. 28.

Confeſſionis examen quale eſſe debeat. Buſembaum, & La-Croix aberrationes. p. 464. n. 24. Hoc examen a Confeſſario ſupplendum non eſt. p. 465. n. 25. Confeſſionis ſcriptio quandonam neceſſaria ſit. *ibid.* n. 26. p. 468. n. 34. p. 512. n. 23.

Qui ſubinde gravius lapſus, id alteri prius confitetur, & deinde ordinario ſuo venialia tantum aperit, ſuæ conſcientiæ male conſulit. p. 466. n. 27

Si quis peccatum ut certum confeſſus, poſtea de eo dubitet, aut nullum fuiſſe comperiat, non eſt neceſſario iteranda confeſſio. p. 466. n. 29

Qui finita confeſſione intelligit, Confeſſarium aliqua non percepiſſe, confeſſio ſeu brevis, ſeu multo magis longa fuerit, quidquid Buſ. contra ſentiat, iteranda eſt. p. 470. n. 38

Qui paſchate aliquod mortale peccatum ex oblivione confeſſus non eſt, ejus confeſſio ad ſubſequens paſcha differri nequit, ſed quam primum facienda eſt. p. 466. n. 30.

Idem dic, ſi in confeſſione extra paſcha id accidat. *ibid.*

Quid mutus in ſuis peccatis confitendis præſtare debeat. Surdus omnia ſua crimina, quantum in ipſo eſt, explicare tenetur. p. 466. n. 32. p. 468. n. 34

Ignarus idiomatis quid facere debeat, ſi mortis periculum, aut confeſſionis præceptum inſtet. Si non poſſit, niſi per interpretem confiteri, hunc adhibere tenetur. Buſembaum prolapſiones. *ibid.* & p. 470. n. 36. Vide *Abſolutio*.

A confeſſionis integritate immunes facere ſcrupulis agitatos, mera opinandi licentia eſt. p. 468. n. 33

Confeſſio ab eo repetenda eſt, qui diminute confeſſus, a Sacerdote integram confeſſionem audire nolente impie abſolutus fuit. Contraria Buſembaum opinio valde abſurda eſt. *ibid.*

Quomodo Confeſſarius cum iis ſe gerere debeat, qui dicunt, ſe ſcire in genere, ſe mortalia lapſos, nec tamen peccati ſpecies explicare ſe poſſe, aut qui extreme rudes ajunt, ſe dolere de peccatis, nullum tamen in ſpecie aperire noverint. *ibid.*

In Confeſſione peccatum aperiendum eſt, etiamſi id fieri nequeat ſine complicis infamatione. Cautio hic adhibenda. p. 468. n. 33

Confeſſio ore, ſi fieri poſſit, neceſſario facienda eſt, Buſembao, & La-Croixio exploſis. p. 468. n. 34

Confeſſio publica non obligat. Quid in repentinis eventibus naufragii, aut prælii faciendum ſit. Si accidat, confeſſionem fieri non poſſe, niſi aliquibus audientibus, eam omittere periculoſum eſt. p. 469. n. 35.

Peccata ex oblivione omiſſa non eſſe neceſſario in articulo mortis confitenda aliis audientibus, aut per interpretem, ſi aliter confeſſio fieri non poſſit, falſa opinatio eſt. p. 470. n. 36

Quid ſentiendum de eo, qui in confeſſione leviter mentitur. p. 392. n. 3. Non eſt neceſſaria confeſſionis repetitio, ſi ejus fictio eidem Confeſſario aperiatur; aliter ſentiendum eſt, ſi ſtatus pœnitentis Confeſſario ignotus ſit. p. 470. n. 38

Peccata mortalia juri divino, & naturali aperte contraria, ex ignorantia in confeſſione omiſſa, eam nullam, & invalidam efficiunt; ſicuti nullæ ſunt confeſſiones eorum, qui in genere tantum ſua peccata confeſſi ſunt. p. 470. n. 39. Vide *Pœnitentia*. *Abſolutio*. *Sigillum*. *Sacerdos*.

Confeſſarii eos, qui in mortali peccato ex ignorantia verſantur, admonere, & imparatos ad emendationem ſine abſolutione dimittere tenentur, neglectis Buſemb. & La-Croixii abſurdis commentis. p. 497. n. 30. 31.

Confeſſarius mortalis peccati conſcius, tot mortalia peccata admittit, quot pœnitentes audit, etiamſi una vice audiat. p. 498. n. 32. Idem, priuſquam confeſſiones excipiat, confiteri tenetur. Buſembaum prolapſiones notantur. p. 499. n. 33. Idem pœnitentes ſine auctoritate abſolvens, vel ſine forma rite prolata, eos de ſuo ipſius errore, ſi fieri poſſit, admonere tenetur. p. 449. n. 34

Item ſi eos, prout debuerat, non interrogaverit, multoque magis, ſi dixerit, eos non teneri numerum, aut ſpeciem peccatorum aperire. Contraria Buſembaum commenta, abſurda. p. 499. n. 35

Confeſſarium, qui a cenſura pœnitentem non abſolvit, ab eadem eum abſentem abſolvere poſſe, cum abſolvendi poteſtatem obtinuit, eſt commentitia, & falſa opinio. p. 499. n. 34. Idem, ſi de reſtitutione monere neglexit, quid præſtare debeat. p. 499. n. 36. Quænam ſit ejus obligatio quoad auditionem confeſſionum. p. 501. n. 39. Quoad interrogationem circumſtantiarum. n. 40. De complice peccati interrogare omnino prohibetur. p. 505. 506. n. 3. Quid facere debeat, ſi ex complice peccatum pœnitentis noverit. p. 501. n. 41

Quid præſtare quoad interrogationes in luxuriæ materia, ubi cavendum a La-Croixii doctrina. *ibid.* n. 42. Abſolvere non poteſt pœnitentem negantem peccatum, quod ipſi conſtat ab eo fuiſſe commiſſum, exploſis Buſembaum commentis. p. 501. n. 41

Si interrogatus crimen in confeſſione auditum inficietur, mendax eſt, additoque juramento perjurus. Interrogatus ſimpliciter, reſpondere poteſt, ſe neſcire; interrogatus ut Confeſſarius, interrogationem deteſtari tenetur. La-Croixii cavillationes proſcriptæ. p. 507. n. 4. Confeſſionis ſcientia extra confeſſionem uti nunquam poteſt. p. 508. n. 6

Divinum confeſſionis præceptum omnes ſine exceptione in mortis articulo obligat, ac ſæpius in vita pro ratione neceſſitatis. p. 509. n. 8. Ejuſdem lex eccleſiaſtica eos quoque obſtringit, qui peccatorum tantum venialium ſibi conſcii ſunt. p. 510. n. 11

Hanc legem ante pubertatem non obligare, eſt aperte falſum. p. 510. n. 10. Obligat pueros etiam ante ſeptennium, ſi doli capaces ſint. p. 509. n. 9. Hujus rei praxis quoad Confeſſarios. *ibid.* & p. 510. n. 10. Dictæ legis omiſſio quomodo ſupplenda ſit. p. 510. n. 12. Quandonam neceſſario anticipanda eſt. p. 512. n. 13.

Per confeſſionem ſeu voluntarie, ſeu etiam involuntarie nullam eidem non ſatisfit. Confeſſio valida, & informis eſt quid commentitium. p. 521. n. 14

Confirmationis materia proxime eſt unctio chriſmatis in fronte. Contrariæ opiniones refutantur. p. 395. n. 2.

Confirmationis integra forma eſt. *Signo te &c. confirmo*

mo te &c. in nomine Patris &c. Contra ſentientes rejiciuntur. p. 395. a. 2
Confirmari poſſunt perpetuo amentes, niſi gravi ſcelere inquinati in amentiam inciderint. p. 395. a. 5
Confirmationem tum divino, tum eccleſiaſtico præcepto præſcribi contra Buſ., & La-Croixium oſtenditur. p. 396. a. 4
P. Zach. in contrariam opinionem converſus refellitur. *ibid.*
Qui ejus ſuſcipiendæ occaſionem, quam poſtea facile habiturus non eſt, negligit, mortaliter peccat. p. 397. a. 6.
Ejus omiſſio, quia nihili fit, aut quid puerile & vile habetur, hæreſis crimen involvit. *ibid.*
Tonſura initiandus, letalis culpæ reus fit, ſi confirmationem negligat. p. 398. a. 7
Confirmatio, niſi neceſſitas aliud expoſcat, in Eccleſia conferenda eſt. p. 398. a. 8
Eadem a non jejunis conferri, & ſuſcipi poteſt; ſed contrarium decentius eſt. *ibid.*
In confirmatione neceſſarius eſt patrinus, qui unus, & confirmatus, & a baptiſmi patrino alius eſſe debet. Si confirmatus non ſit, cognationem contrahere non videtur. Obligationem init inſtruendi confirmatum. Quomodo id quoad praxim accipi debeat. *ibid.*
Nec Monachi, nec moniales ad hoc officium admittendi ſunt: mares a maribus, & fœminas a fœminis ſuſcipi decet. *ibid.*
Conjux. Vide *Matrimonium*.
Conjuges tactibus impudicis utentes, etiamſi pollutionis periculum abeſſe dicatur, non ſolum peccant, ſed graviter peccant. p. 157. a. 6. p. 157. a. 8. p. 351. a. 11. p. 545. a. 16. Iidem opus conjugale neceſſitatis prætextu in templo nunquam licet. p. 178. a. 14
Conſcientiam ethice rectam eſſe non poſſe, niſi phyſice recta ſit, contra La-Croixium oſtenditur. p. 2. a. 5
Ex conſcientia erronea peccans, hunc errorem in confeſſione neceſſario explicare tenetur. p. 3. a. 2
Conſenſus ad matrimonium neceſſarius, copula affectu maritali peracta redintegrari minus recte dicitur. p. 36. a. 23.
Contractus ſive onaroſus, ſive gratuitus ex gravi, injuſtoque metu extortus, eo ſenſu invalidus eſt, ut metum paſſus etiam ante judicis ſententiam ab eo tuta conſcientia reſilire poſſit. p. 223. a. 1
Contractus matrimonii ex tali metu initi irritus eſt, etiamſi juramentum acceſſerit; non item contractus dotis promiſſæ, aut ſolutæ, ſi juramento fuerit confirmatus. *ibid.*
Contractus aſſecurationis ſortis, contractui ſocietatis additus, eſt evidenter feneratitius, & a Xiſto V. proſcriptus. Falſa, & damnata La-Croixii probabilitas. p. 241. a. 58.
Contractus antichriſeos, ſeu pignoratitius eſt ſine dubio uſurarius, quidquid contra nonnulli Juriſtæ imperite ſenſerint, aut ſentiant. Buſembaum effugia ſunt inania. p. 242. a. 66
Contritio ex languido Dei amore profecta in Dei gratiam ex ſe non reſtituit. p. 451. a. 8. La-Croixii objectiones diluuntur. *ibid.*
Contritio imperfecta, vulgo attritio nullum Dei amorem includens, ad pœnitentiæ Sacramentum rite ſuſcipiendum non ſufficit. Adverſariorum, ac præſertim La-Croixii, & Zachariæ conatus reprimuntur. p. 453. a. 9.
Contumelias eo modo repelli poſſe, quo ſolent, eſt doctrina Evangelio aperte repugnans; quæ honoris tuendi prætextu excuſari non poteſt. Quandonam, & quomodo contumeliæ neceſſario retundi debent. p. 164. a. 8.
Cooperari tantum materialiter alterius peccata, eſt locutio involuta, redundans, imperitis fucum facere apta, quæ cooperationem peccati a noxa inepte excuſat. p. 78. a. 17. Conditiones a Buſemb. requiſitæ, ut cooperatio peccati non ſit peccatum, diſcutiuntur, & refelluntur. *ibid.*
Pater quoque Zach. retunditur. *ibid.*
Non cooperatur ſponſi peccato, nec peccat ſponſa cum eo matrimonium contrahens, licet ſciat, illum ſuſcipere ſacramentum in peccato mortali, a cujus ſacrilega ſuſceptione illum deterrere non potuit. p. 79. a. 18.
Quare conjux reddens debitum conjugi voto caſtitatis obſtricto, non peccat. p. 80. a. 19
Cur Confeſſarius Euchariſtiam præbere debeat peccatori occulto eam privatim petenti, ſi ex ſola confeſſione ejus peccatum novit, non item, ſi aliunde illud noverit. p. 80. a. 20
Sternere equum hero ad meretricem profecturo, illum comitari ad lupanar, meretrici deferre munera, eidem venienti oſtium aperire, ſunt meretricii cooperationes, & peccata. p. 80. a. 21. Buſemb. diſtinctiunculæ, & La-Croixii commenta in prop. 51. ab Innoc. proſcriptam diſcutiuntur, & rejiciuntur. *ibid.* Aliæ quoad hoc Buſembaum aberrationes implicite damnatæ; præclara P. Concinæ doctrina, & Buſemb. excuſationes inutiles. p. 81. a. 22. 23. Examinatur communis ſententia negans, caupones miniſtrantes vinum ebrioſis ex timore mortis, aut mutilationis, peccare. *ibid.* De aliis cooperationibus ad peccatum. p. 82. a. 24. p. 83. a. 26. p. 84. a. 27. 28. 29. 30. Communis opinio recentium permittens locationem domorum meretricibus rejicitur. p. 82. a. 25
Correptionis fraternæ materiam non eſſe veniale peccatum, niſi faciliime corripere poſſis, laxius dictum videtur. p. 70. a. 23
Qui ob timorem, verecundiam, puſillanimitatem ad correptionem ſe minus ſtricte obligari, vel minus idoneum putat, ideoque eam omittit, mortaliter peccare merito dicitur. Buſemb. prolapſiones notantur. p. 70. a. 33. Quo ſenſu verum ſit, omiſſionem correptionis ex timore, aut cupiditate, eſſe culpam venialem. p. 70. a. 23. Spes incerta, quod alius æque idoneus ſit correpturus, a correptionis onere non eximit, ſed ſolum certa notitia. p. 70. a. 24. Nec timor incurrendi damni, nec periculum amittendi lucri a correptione excuſat: periculoſa La-Croix probabilitas, & ratio refellitur. *ibid.*
Correptionis omiſſionem in privatis vel nullam, vel levem culpam eſſe, eſt opinio aperte falſa, & ſacræ Scripturæ contraria. Hac de re moderatius loquitur Anacletus, cujus tamen ſententia, quadam cautione temperatur. Quo ſenſu, priuſquam teſtes correptionis adhibeantur, ſuadeat peccatum Prælato patefieri poſſit. Si peccatum ſit publicum, non ſolum poteſt, ſed debet publice corripi. Proditores civitatis, & hæretici neceſſario denuntiandi ſunt, nec ſufficit privata correptio. p. 71. a. 25. Peccati iteratio, non eſt ea inani ſpe permittenda, ut peccator poſtea correptus ſervantius reſipiſcat. p. 71. a. 26
Credere explicite, eſſe Deum, & remuneratorem omnibus neceſſarium ſemper fuit, non tamen omnibus, omnique tempore ſufficit. p. 37. a. 1
Credere explicite incarnationis articulos, & ſanctiſſimam Trinitatem poſt Chriſti adventum, omnibus neceſſarium eſt. Objectio ſolvitur. *ibid.* Vide *Symbolum*.
Refellitur Zach. *ibid.*
Cypriani (Sancti) opinio de hæreticis rebaptizandis tutior dici non poteſt, P. Zacharia fruſtra reclamante. p. XII. prod.
Verſatili probabilitati non favet. P. Zach. refellitur. p. XII. prod.
Multo minus oppoſita probabilior appellari poteſt. P. Zachariæ contradictio, confuſio, aberrationes notantur. p. XI. prod.
A S. Cypriano S. Auguſtinus in controverſia de rebaptizandis hæreticis longe diſceſſit. P. Zachariæ cavillationes in nihilum rediguntur. p. XII. prod.

D

D*Amnandi* ſunt, qui varios Doctores adeunt, donec unum reperiant ſibi faventem, etiamſi hic pius, & prudens, & non ſingularis habeatur. p. 54. a. 7.
Damnum ex culpa illatum abſque ulla limitatione, ſeu diſtinctione culpæ reparandum eſt. p. 596. a. 2
Debitum conjugale. Vide *Matrimonium*.
Decalogi præcepta invincibiliter ignorari nequeunt. p. 38. a. 3.
P. Zachariæ involutæ cavillationes diluuntur. *ibid.*
Dei ignorantia nunquam excuſabilis. p. 59. a. 1. P. Zachariæ errata non pauca, nec parva. *ibid.*
Debitoris, quem occulte ſcis non eſſe ſolvendo, creditum ordinario pretio neſcientibus vendere, non opinabilis, ſed certa injuſtitia eſt. p. 231. a. 28
Delectari de opere ex ſe malo, at inculpabiliter admiſſo, quatenus eſt cauſa boni effectus, nunquam licet. Idem dicas de deſiderio, rejectis probabilium opinionibus. p. 350. a. 10. Delectatio moroſa de rebus ſolo jure poſitivo vetitis quomodo ſit culpanda. p. 357. a. 12. Delectatio moroſa mortalis cum ſuis circumſtantiis confitenda eſt, caploſa Buſembaum contradictoria limitatione. p. 351. a. 13. Delectatio carnis prævia ex actione nec utili, nec neceſſaria, mortalis culpa eſt. p. 351. a. 14. Item eamdem exſuſcitatam non reprimere, refutatis Buſemb. La-Croixio, Laymanno. p. 351. a. 15
Denuntiatio. Vide *Accuſatio*.
Depoſitum locatum, commodatum ex culpa, ſeu negligentia juridica perditum, ex conſcientiæ lege reſtituendum eſt. p. 106. a. 2. p. 226. a. 13
Depoſitarius dubitans, utrum ſua culpa depoſitum perie-

Digitized by Google

rierit, ab omni reſtitutione immunis perperam aſſeritur. p. 226. a. 14

Deſiderii nomine venit voluntas non ſolum efficax, ſed etiam inefficax rei malæ. p. 349. a. 7. Deſiderium conditionatum juri naturæ contrarium, ſi conditio omnem malitiam tollat, mortale ex ſe peccatum eſſe non videtur. p. 349. a. 8. idem dicas de gaudio. p. 350. a. 9.

Deſideria, & gaudia de re graviter mala per abſtractionem meuris venialia non fiunt. p. 349. 350. a. 8. 9

Detractio generalibus peccatorum capitalium nominibus concepta, plerumque venialis eſt; at poteſt eſſe, & quando ſit mortalis. p. 257. a. 6

Detractio mortalis eſſe non ſolet, referre peccata mortalia, quæ ob conditionem perſonæ famam graviter non lædunt. Exempla Buſembaum quoad rem hanc cum aliqua moderatione intelligenda videntur. p. 258. a. 7.

Detractio detractoris permiſſa videtur, ſi eſt neceſſaria ad infamiam ab eo tibi illatam abolendam; dummodo falſa non dicantur, nec læſio famæ proximi cum tuo damno collata, nimis enormis ſit. p. 258. a. 8

Detractio non deſinit eſſe mortalis, quia viro prudenti, & taciturno grave occultum proximi crimen revelas, nec quia leniendi doloris gratia fit, non animo detrahendi. Illatio hinc orta a Confeſſariis notanda. p. 258. a. 9. Mortalis item eſt, ſi conſilii capiendi cauſa, auctorem gravis injuriæ tibi irrogatæ ſine neceſſitate manifeſtes; non item ſi neceſſitas id poſtulet. *ibid.*

Detractio non eſt loqui de crimine occulto coram iis, quibus notum eſt. Crimen ſeu jure, ſeu facto publicum iis qui neſciunt, manifeſtare, non eſt mortalis injuſtitia. At crimen injuſta divulgatione notum publicare, ubi ignotum eſt, vel iis perſonis qui illud ignorant, detractio merito dicitur. p. 259. a. 10. Caritati contrarium non videtur, delictum, Judicis ſententia publicum, quocumque in loco publicare; at ſi ſola teſtium aſſertione notum ſit, ſine detractione evulgari non poteſt; idem eſt, ſi ſententia intra aliquam congregationem ſolum prolata ſit, vel ſi in Tribunali S. Inquiſit. fuerit reprehenſum, aut punitum crimen. p. 259. a. 11

Quod ſi delictum facto, vel fama in aliqua civitate juſte publicum ſit, utrum alibi manifeſtari poſſit, incertum videtur. *ibid.*

Detractio ex ſe gravis, ex loquacitate orta mortalis eſſe non deſinit. Buſembaum effugia tolluntur. Monitum ad Confeſſarios. p. 259. a. 12. Item mortalis eſt dicere v. g. in tali loco eſſe multos improbos, in tali collegio unum Canonicum eſſe ſimoniacum. p. 259. a. 13.

Detrahentem non teneri in confeſſione aperire numerum circiter eorum, coram quibus detraxit, opinio proſcripta eſt; ipſum non teneri, in quo genere infamaverit, prodere, aſſertio eſt reſpuenda. p. 260. a. 14. Ad gravia tormenta vitanda eſſe tantum veniale crimen, alterum infamare, ſi ſola infamia ſequatur, & poſt torturam revocatur, eſt ſententia damnata. p. 260. a. 15

Detractor, qui verum crimen crimínoſe aperuit, quomodo famam reparare debeat. Si falſum crimen impegit, etiam apud mediatos auditores ſe retractare, ſi poſſit, tenetur, niſi hi calumniam aperuerint. p. 260. a. 17. 18. Si ex inculpabili errore falſum, vel occultum crimen de aliquo narravit, ex juſtitia famam reſtituere tenetur. p. 261. a. 19. Qui ſine detractione narravit crimen de uno, quod auditores ex errore de alio intellexerunt, reſtituere famam non tenetur; ſecus, ſi cum detractione narravit. *ibid.*

Deum legem velle, ac nolle eam ſufficienter promulgari, contradictoria involvit. p. 9. 10. a. 3

Diaconi, Subdiaconi, aliique Clerici, ut tales, ſuos ordines in peccato mortali exercentes, mortaliter peccant. Refellitur La Croix, duoque maxima abſurda in eo notantur. p. 379. a. 6. 7

Diligere inimicos actu poſitivo tenemur, non item actu peculiari. p. 63. a. 5. De aliis erga inimicos officiis. *ibid.* Non eſſe præceptum remittendi injuriam inimico, ſtatim ac accepta eſt, eſt prava opiniuncula Evangelio contraria. p. 64. a. 6. Satisfactionem ab eo ſponte oblatam recuſare, & juridice petere, caritati, & juſtitiæ adverſatur. p. 64. a. 7

Contradictorium Buſembaum temperamentum refutatur. *ibid.*

Alia Buſembaum quoad hoc verba emendantur. p. 64. a. 8. Inimicum ut talem odiſſe non ſolum potes, ſed debes: cautio hic adhibenda. p. 64. a. 9. Vide *Amor*.

Diſpenſatio injuſta, ſeu valida, ſeu invalida ſit, quoad conſcientiam perinde eſt. p. 33. a. 8. Diſpenſans in re gravi ſine juſta cauſa, & talem diſpenſationem petens, & ea utens mortaliter peccant. p. 34. a. 9. In dubio, utrum diſpenſatum fuerit ſine juſta cauſa, ſubditus judicio Prælati diſpenſantis ſtare poteſt. p. 35. a. 24. Diſpenſatio in dubio, utrum ſit juſta cauſa, culpabiliter impertitur: cavilli La-Croixii tolluntur. p. 34. a. 10. Inferior in lege ſuperioris circa levia diſpenſare non poſſe videtur, cum ad ſuperiorem facilis eſt recurſus; niſi forte conſuetudo contrarium habeat. p. 34. a. 11

Diſpenſatione opus eſt in dubio tum poſitivo, tum multo magis negativo, utrum caſus diſpenſatione indigeat. Contrariæ cavillationes Buſemb. & La-Croix diluuntur. p. 34. a. 12. In hujuſmodi dubiis inferior in lege Superioris diſpenſare nequit. p. 34. a. 12

Diſpenſationes temerariæ, cum tamen reipſa ſubeſt juſta diſpenſandi cauſa, jure naturæ ſunt validæ, at jure poſitivo invalidæ videntur. p. 35. a. 14. Dubium, utrum diſpenſatio fuerit ſubreptitia, aut obreptitia, ejus uſum impedit. p. 35. a. 15. Diſputatur contra eos, qui diſpenſationem per vim, aut metum obtentam valere dicunt, modo cauſa ſit juſta. Quid hac in re conſultius ſit. p. 35. a. 17

Diſpenſatio data ſine verbis, ſola mente, valere non poteſt. p. 35. a. 17

Utrum diſpenſatio maneat ceſſante parte cauſæ principalis. p. 35. a. 19

Diſpenſatio ceſſat ceſſante ejus cauſa finali. Evidens contraria cavillatio repuitur. Illatio ex hac cavillatione orta exploditur. p. 36. a. 20

Diſpenſatio ex delegatione ſacræ Pœnitentiariæ, in ipſo confeſſionis Tribunali, audita confeſſione, & abſolutione impertita, ſtatim fieri debet. p. 36. a. 24.

Huic diſpenſationi præmittendum eſt examen, etiamſi explicare non exigatur, niſi diſpenſationis cauſæ diſpenſanti compertæ ſint. p. 36. a. 25

Diſpenſari non poteſt, ut quis propter ſolas perſonæ prærogativas plura beneficia conſequatur. p. 300. a. 7. Vide *Beneficium*.

Diſtractio in horis canonicis. Vide *Horæ canonicæ*, *Officium canonicum*.

Divinatio cum tacito dæmonis pacto, eſt mortalis noxa: Buſembaum excuſationes tolluntur. p. 97. a. 1. Hæc divinatio ut plurimum mortalis eſt. p. 97. a. 3. Ex obſervatione aſtrorum, ſomniorum, & ſimilium, ſemel atque iterum aliquid facere, aut omittere, mortiferum peccatum eſt. Inepta, & ridicula Buſ. & La-Croix excuſatio rejicitur. p. 97. a. 2. Subinde timere leviter, ne id accidat, quod aſtra, ſomnia, & alia ridicula commenta portendere dicuntur, a letifero crimine non excuſat. La-Croixii cavillatoria figmenta exploduntur. *ibid.*

Ex ſomniis, hominis complexionem, & hinc diurnas animi affectiones divinare, temerarium, & ſuperſtitioſum eſt. p. 98. a. 4 Divinatio fortuiti eventus ex ſomniis petita, temeraria eſt, & letaliter ſuperſtitioſa. La-Croix commenta refelluntur. *ibid.* Divinationes naturalium effectuum ex aſtrologia petitæ, ſunt vaniſſimæ, & ſuperſtitioſæ. *ibid.*

Qui divinos de fortuna conſulunt, mortifere peccant, etiamſi firma fides iis non adhibeant; nec a mortali reatu excuſantur, quia curioſitatis, aut riſus cauſa id fiat. p. 99. a. 5

Divortium. Vide *Matrimonium*.

Donationes, & contractus pupillorum, qui ſpectatis Principum legibus invalidi ſunt, etiam quoad conſcientiam ſunt irriti. Laym. objectiones ſolvuntur. p. 224. a. 4. donata filio intuitu meritorum patris, non ſunt bona quaſi caſtrenſia, ut male loquitur Buſemb. ſed profectitia, & in diviſione cum fratribus computanda. p. 225. a. 5

Donatum puellæ turpis amoris cauſa, ex juſtitia quidem non eſt reddendum, at ex aliis cauſis reddi omnino debet. p. 225. a. 6. a. 7

Dona turpia a feminis reſpuenda ſunt, qualiſcumque ſit earum animus. p. 225. a. 7

Donationes factæ aſcendentibus, aut cauſa piis ab eo, qui prole caret, ne ex parte quidem revocari poſſunt, ſi poſtea liberi ei naſcantur, multo vero minus, ſi ſe non revocaturum juraverit. p. 225. a. 8

Donatio inofficioſa revocari tantum ſolet, quatenus legitimam diminuit. p. 225. a. 9 Donatio ab eo facta, qui habet unum filium, vel filiam, per ſupervenientiam filiorum revocari non poteſt, niſi peculiares locorum leges, aut conſuetudines contrarium habeant. p. 226. a. 10

Donatio ante ingreſſum religionis intuitu Religionis facta valida videtur. Buſ. hallucinatio. p. 352. a. 13.

Dubitans, utrum aliquid ſit peccatum, malitia ſolum confuſe percepta, illudque faciens, mortaliter peccat. Objectio La-Croix ſolvitur. p. 6. a. 1

Dubium quandonam deponendum ſit, & quando deponi nequeat. p 6. a. 2. Alicujus junioris auctoritate male deponitur, Zacharia fruſtra repugnante. *ibid.*

Dubitaos, nec poſt diligens examen dubium deponere valens, tutiorem partem ex præcepto ſequi tenetur. Cavillationes Buſemb. diluuntur. p. 8. a. 2. p. 24. a. 21.

Dubia nonnulla a Buſembaum falſis principiis reſoluta. p. 15. a. 12. 13

Dubitans, utrum mediam noctem comedendo exceſſerit, celebrare, aut Euchariſtiam ſumere poſtridie non poteſt. p. 15. a. 14

Dubitans poſt contractum bona fide matrimonium de ejus valore, nec dubium poſt diligens examen depellere valens, debitum exigere nequit. Vide matrimonium. p. 15. a. 15

Dubitans, utrum certum debitum ſolverit, ad integram ſolutionem non tenetur, ſed ad partem pro ratione prudentis dubii. p. 15. a. 16

Dubitans negative de fide, ſi pertinax ſit, hæreticus eſt. Subtiles doctiſſimi Cani objectiones diluuntur, qui tandem cum communi ſententia congruit. p. 48. a. 1.

Duellum publici boni cauſa, & ex publica auctoritate ſuſceptum licere, oſtenditur. Idem vero ex nulla cauſa, privata auctoritate committi, aut acceptari poſſe, certum eſt, quidquid contra Buſemb. & La-Croix comminiſcantur. p. 169. a. 20. 21. 22

E

EBrietatis definitio a Buſembau recte non traditur. p. 368. a. 14.

Ebrietas, culpa vacare videtur, ſi aliter ſanitas recuperari nequeat. p. 369. a. 15. excuſari tamen non poteſt, ſi quis intento enſe ad eam cogatur. p. 370. a. 16 contrariæ cavillationes tolluntur. *ibid.*

Ad ebrietatem non ſolum voluntariam, ſed etiam involuntariam aliquem inducere, mortale crimen eſt. Aberrationes adverſariorum notantur. p. 371. a. 17. Ebrietas etiam non completa, mortalis noxa eſt, Buſembau, & La-Croixio exploſis. p. 371. a. 18. Mala in ebrietate admiſſa culpæ vertuntur, non ſolum ſi prævifa fuerint, ſed etiam ſi prævideri potuerint. p. 372. a. 20.

Eccleſia polluta, per miſſam in ea peractam non reconciliatur. p. 437. a. 26

Utrum Eccleſia ex occiſione perturbatoris Reipublicæ, qui aliter capi non poſſit, reconciliatione indigeat. p. 437. a. 27. quomodo Eccleſia violetur, & quinam Eccleſiæ immunitate non gaudeant. *ibid.*

Eadem, conjugalis debiti redditione, exploſo quocumque prætextu, polluitur. p. 437. a. 28. Item ſepultura infantis nondum baptizati, ſi natus ſit, etiamſi ejus parentes ſint fideles. p. 438. a. 29

Eleemoſynæ præceptum a Buſembaum extenuatum. p. 66. a. 13. ejuſdem omiſſio, mortalis culpa eſt ex parte dantis, cum habet ſuperflua. *ibid.* ejus præcepto non ſatisfacit, qui pauperi extreme indigenti dat cum onere reſtitutionis, quando erit ditior. Refutatur La-Croix. p. 66. a. 14. Hypotheſis, qua ponitur fore, ut aliquis ſuo ſtatu excidat, ſi eleemoſynam det extreme indigenti, videtur ficitia, ad eludendum præceptum excogitata. p. 66. a. 15. Eleemoſynæ ita profuſæ, ut quia ſuo ſtatu convenienter vivere non poſſit, ſunt inordinatæ; cujus tamen regulæ, tres exceptiones ex D. Th. afferuntur. *ibid.* Pro eleemoſyna ordinarie loquendo pauperes neceſſario inquirendi non ſunt; at qui de eorum non ſolum extrema, ſed etiam gravi neceſſitate dubitant, eos inquirere tenentur. p. 67. a. 16. Magna pecuniæ vis diviti ſuperflua, eroganda eſt, ut proximum a certa morte alio modo non vitanda eripiat. p. 67. a. 18

Eleemoſyna ex ſuperfluis in communibus pauperum neceſſitatibus præcepta eſt. Omnia ſuperflua eleemoſynæ præcepto obnoxia ſunt. La-Croix, & Buſemb. refelluntur. p. 67. a. 18

Si quis dives, & abundans, diu neget omnes eleemoſynas, quodcumque propoſitum habeat, a peccato excuſari nequit. Inanes P. Zach. clamores retunduntur. p. 67. a 19

Nemini quamtumvis diviti omnes pauperes ſine eleemoſyna repellenti abſolutionem facile eſſe negandam, eſt opinio aperte falſa, & Evangelio contraria. La-Croix, & Buſemb. cavillationes refutantur. p. 68. a. 20.

Eleemoſyna iis jure negatur, qui laboris fuga ſtipem emendicant; iis vero, qui ſua culpa in pauperiem inciderunt, ſubtrahi non poteſt, ſi victum ſuo ſibi labore comparare nequeant. p. 69. a. 21

Si pater nullas det eleemoſynas, filium pro eo dare poſſe, quidquid adverſarii contra contendant, non eſt probandum. p. 69. a. 22

Nemini quamtumvis omnes eleemoſynas in communi neceſſitate recuſanti abſolutionem non eſſe negandam, La-Croixius male affirmat, & a Zacharia incaute defenditur. p. 68. a. 20

Emendationis ſpes in corripiendis non eſt facile abjicienda. p. 60

Emptio emptori commoda, in gratiam venditoris fieri perperam dicitur; nec ex hoc capite pretium minui poteſt. p. 230. a. 14. Rem vilius emi, aut carius vendi poſſe propter neceſſitatem venditoris, aut emptoris, eſt opinio falſa, abſurda, &, ut ait P. Concina, ſcandali plena. *ibid.*

Emphyteuta ipſo jure in pœnam commiſſi incidit, ſi tribus annis continuis in emphyteuſi laica, vel duobus item continuis in eccleſiaſtica, integram penſionem non ſolvat, etiamſi de ſolutione interpellatus non fuerit. p. 237. a. 43

Epiſcoporum facultas a Synodo Tridentina ipſis quoad occulta crimina Sedi Apoſtolicæ reſervata conceſſa, per bullam Cœnæ quoad caſus in ea contentos fuit abrogata. p. 495. a. 25. p. 576. a. 4

Epiſcopus in aliena diœceſi tonſuram ſuis ſubditis ſine expreſſa Ordinarii licentia conferre non poteſt. p. 520. a. 2.

Idem a juriſdictione ſuſpenſus quomodo actus ordinis obire valeat. p. 605. a. 3

Idem ſine ſcripto, & cauſæ expreſſione ſuſpendens, ſuſpenſionem non incurrit. p. 605. a. 8

Epiſcopi ordinantes non ſubditum, invitum, admittentes reſignationes contra formam præſcriptam, intrantes monialium monaſteria ſine neceſſitate, quas pœnas incurrant. p. 607. a 10 Vide *Miſſa*.

Epiſcopus non confirmatus, aut non confirmatum ordinans, letaliter delinquit. p. 398. a. 7

Ethnici nonnulli Philoſophi de moribus ſolidius diſputarunt, quam aliqui caſuum arbitri. p. 10. a. 3

Euchariſtiam ſibi, & aliis in extrema neceſſitate Diaconus miniſtrare poſſe videtur, non item Laicus, aut alius Clericus. p. 414. a. 2

Euchariſtia quomodo ad infirmos deferenda ſit p. 415. a. 7. ad eos venerationis tantum cauſa deferenda non eſt, etiamſi in eorum domo celebretur. p. 415. a. 8. Tempore peſtis propriis manibus a Sacerdote porrigenda eſt. p. 415. a. 9. A Sacerdote podagra laborante, & ſedente non eſt miniſtranda, niſi neceſſitas id poſtulet. p. 415. a. 10. Morituro ſpecies vini dari non poſſunt, etiamſi hoſtiam trajicere non poſſit. p. 415. a. 11. Quandonam reis morte pleſtendis danda, aut neganda ſit Euchariſtia. a. 12. De lampade ante venerabile Sacramentum, & de lumine, cum ad infirmos defertur, ac peccatis a Buſembaum hac in re perperam excuſatis. *ibid.* a. 13

Euchariſtia delet peccata venialia, ſi tamen iis animus non delectetur; quæ ſi in ejus ſumptione admittantur, mortalia fieri videntur. p. 416. a. 14. Eadem antea admiſſa, nec retractata omnes Sacramenti effectus non impediunt. *ibid.*

Euchariſtia a peccati mortalis conſcio ſine prævia confeſſione, ſi fieri hæc non poſſit, ſuſcipi præmiſſa contritione ob periculum mortis, valet, & ob neceſſitatem viatici præbendi confici non prohibetur. p. 416. a. 15. Item ſi ſacrificium, vel communio omitti nequeat ſine gravi infamia, vel ſcandalo; quod raro accidit. p. 416. a. 16. non item propter præceptum annuæ communionis, vel ſi Sacerdos Miſſam die feſto audire nequeat, niſi celebret. p. 416. a. 18. multo vero minus id licet, ſi præcepto non urgente, a communione, & confeſſione diu foret abſtinendum, quidquid contra La-Croix minime audiendus obtrudat. p. 416. a. 19

A ſcamno communicantium recedere debet, qui mortalis peccati ex oblivione in confeſſione omiſſi recordatur, excepto rariſſimo aliquo caſu. Aberrationes Buſembaum, & La-Croix rejiciuntur. p. 418. a. 20. qui habet peccatum reſervatum, etſi ad Superiorem aditus non pateat, ad communionem tamen etiam neceſſitate urgente ſine confeſſione accedere non debet. p. 418. a. 20. Lex Tridentina præcipiens Sacerdotibus ex neceſſitate ſine confeſſione celebrantibus, ut quam primum confiteantur, ad laicos, & Sacerdotes non celebrantes extendenda eſt. *ibid.*

Euchariſtiæ ſumptionem pollutio involuntaria ex conſanguitate impedit, niſi neceſſitas aliud poſtulet; itemque pollutio voluntaria per confeſſionem expiata, & neceſſaria debiti redditio. p. 419. a. 22. 23. Communionis die a conjugali copula, niſi debitum reddendum ſit, abſtinendum eſt. *ibid.* a. 24

Reliquiæ cibi, vel aqua quomodo communionem impediant, ſi tranſglutiantur. Si juſculum exploretur, & aliquid trajiciatur, a communione eo die abſtinendum eſt. Quid de calice, aut muſca in ſtomachum traductis, de aromatibus, & foliis tabaci ori impoſitis, maſticatis,

Google

tis, aut per fumum trajectis. p. 419. a. 25. qui fruſtulum ligni, aut quid ſimile deglutiit, a communione abſtinere debet. p. 420. a. 26
Ad Euchariſtiam accedere non licet, ſi poſt mediam noctem certo eſcam dubites, utrum aliquid deglutiveris, vel utrum ante, an poſt mediam noctem id feceris, vel ſi hac in re inter horologia diſſonantia quodlibet ſequaris. p. 420. a. 27. Inter ſacram communionem, & reliquos cibos aliqua mora intercedere debet. p. 420. a. 28.
De communione etiam ſine jejunio iteranda, perſeverante, aut ingraveſcente mortis periculo. p. 420. a. 29. in morbis diuturnis communio dari non debet, niſi jejunis. *ibid.*
Qui paucis e. gr. octo diebus antea ſumpſit ſacram Euchariſtiam, adveniente mortis diſcrimine eamdem ſuſcipere tenetur. Notabilis objectio diſcutitur. p. 422. a. 31. Viaticum omittentes, quia paſchalem communionem ſuſceperunt, mortaliter non peccare, abſurdum commentum eſt. *ibid.* Pueris doli capacibus Euchariſtia in articulo mortis præbenda eſt; & hoc idem videtur dicendum, ſi de rationis uſu dubitetur, dum irreverentiæ periculum abſit. p. 423. a. 32
Divinum communionis præceptum extra mortis periculum non obligare, falſa opinio eſt. a. 33. quo tempore eccleſiaſticum paſchalis communionis mandatum impleri, & quomodo a Confeſſario extendi poſſit. *ibid.*
Communis a Buſembau jactata opinio, quod paſchali præcepto per ſacrilegam communionem ſatisfiat, proſcripta eſt. a. 34. huic præcepto qui non ſatisfecit, poſtea ſatisfacere tenetur *ibid.*
Illud prævenire debet, qui congruo tempore implere nequit. *ibid.* Qui prævenit, ſublato impedimento communicare paſchate tenetur. *ibid.* Familiares, & famuli commenſales Regularium, in eorum Eccleſiis paſchalem communionem ſumentes, præceptum implent. p. 424. a. 37. Illud non implent, qui in cathedrali Eccleſia Euchariſtiam paſchalem recipiunt, niſi ſint intra ejus limites parœcianos conſtituti. a. 38. Vide *Regulares. Miſſa.*
Excommunicati vitandi, ſunt ſolum nominatim denunciati, & notorii Clericorum percuſſores. p. 595. a. 1. Hinc Lutherani, Calviniani &c. non ſunt neceſſario vitandi. a. 2
Utrum vitandus ſit, qui de crimine, cui excommunicatio annexa eſt, per ſententiam damnatus, & publice denunciatus eſt. *ibid.*
Excommunicationis minoris effectus. p. 595. a. 3
Excommunicatione minori irretitum non peccare ſacramenta conferendo, La-Croix abſurde aſſerit. p. 595. a. 4
Quale peccatum inducat communicatio cum majori excommunicato, & quomodo minorem excomunicationem inferat. p. 595. a. 5
Ab excommunicatione minori ſimplex Sacerdos abſolvere nequit. p. 596. a. 6.
Excommunicati tolerati non ſunt participes communium Eccleſiæ ſuffragiorum. 596. a. 7
Inducentes ſine neceſſitate excommunicatos toleratos ad ſacramenta miniſtranda, ſine dubio peccant. p. 596. a. 8.
Excommunicatus abſolutionem impetrare ex quacumque cauſa negligens, Miſſam die feſto omittendo mortaliter peccat. p. 596. a. 9. Idem quotidianis diſtributionibus privatur; non tamen in anniverſariorum fructuum privationem ipſo facto incurrit. p. 596. a. 10. In judicio per procuratorem ſtare debet, niſi neceſſitas aliud poſtulet. Ejuſdem acta publica, ſi contra ipſum excipiatur, nulla ſunt; ſi autem non excipiatur, valida ſunt, ſi ſit toleratus, non item, ſi toleratus non ſit. p. 597. a. 11.
Ejuſdem etiam tolerati acta ad juriſdictionem pertinentia invalida ſunt, etiamſi a partibus requiſitus ea exerceat. Rationes adverſariorum diluuntur. p. 597. a. 12. Eidem, ſi vitandus ſit, omnis ſalutatio, & reſalutatio neganda eſt. p. 597. a. 13
Quomodo ſe gerere debeant, qui in idem iter, hoſpitium, &c. incidunt, ubi excommunicatus vitandus reperitur. p. 598. a. 14. cum eo quomodo filii emancipati communicare poſſint. a. 15. quid de ignorantia juris, aut facti quoad hoc dicendum. *ibid.* quinam, quomodo, & quando ab excommunicatione exſolventur, qui Clericos percutiunt. p. 598. a. 16
Ab excomunicatione ob violentam manuum in Clericos injectionem quos, & quando Epiſcopi abſolvere valeant. p. 598. a. 17.
In excommunicationem Papæ reſervatam incidunt, qui ſcholia catholici Scriptoris libro, ab hæretico Auctore adjecta, hæreſim continentia, vel de religione diſputantia legunt. p. 599. a. 18. aut hæretici hæreſim incidenter continentis librum. a. 19. Adverſariorum ſophiſmata diluuntur. *ibid.*
Item qui hæreticam concionem, aut epiſtolam ſeorſum editam, vel integram paginam magni hæretici voluminis. Buſembau, & La-Croixii commenta refutantur. p. 600. a. 20. 21
Tempus; quo hæreticorum libros ſine excommunicatione retineri poſſe ait Buſembau, examinatur, & La-Croixii ac Zachariæ cavilli refelluntur. p. 600 a. 22.
Excommunicationes, & aliæ pænæ occupantium bona eccleſiaſtica, pugnantium in duello, raptorum mulierum, publice affirmantium, B. Virginem in originali peccato fuiſſe conceptam. p. 605. 606. a. 8
Executores teſtamentorum ad pias cauſas, eorum rationem reddere tenentur, etiamſi teſtator ab hoc onere eos liberaverit; & hoc idem videtur dicendum quoad teſtamenta ad cauſas profanas. 252. a. 18
Exſecratio. Vide *Altare.*
Extremæ unctionis materia eſt oleum ab Epiſcopo benedictum; ejus loco ne in neceſſitate quidem chriſma adhiberi poteſt; quod ſi adhibeatur, Sacramentum abſolute iterandum eſt. Quomodo ſi oleum benedictum deficiat, reparari poſſit, & debeat. Ipſa olei benedictio eſt neceſſaria neceſſitate Sacramenti. p. 514. a. 1.
Unctio quinque ſenſuum eſt ſolum neceſſaria neceſſitate præcepti; ideoque in neceſſitate una unctio ſufficit. Renum inunctio in mulieribus omittenda eſt, non item in religioſis viris. p. 515. a. 2
Huic Sacramento ſacramentalis confeſſio neceſſario præmittenda eſt. Quid faciendum, ſi aliquis repentino caſu oppreſſus, peccata confiteri nequeat. La-Croixii commenta exploduntur p. 516. a. 4. Vide *Parochus.*
Mulieribus parturientibus in certo vitæ periculo conſtitutis extrema unctio deneganda non eſt. p. 515. a. 3. Eadem a Sacerdote inchoata, quæ ab ipſo perfici non potuit, non eſt ab initio iteranda, ſed proſequendum, ubi ille deſiit. p. 506. a. 6. Ut Parochi eam præbeant infirmis peſte infectis, animos ſibi facere debent. p. 517. a. 7
Extrema unctio non conſilii, ſed præcepti res eſt, ejuſque omiſſio mortiferum crimen. p. 517. a. 8
Etiam pueris rationis uſu pollentibus danda eſt. p. 516. a. 5.

F

FAma. Vide *Detractio*, *Reſtitutio.*
Famuli die feſto laborantes ex dominorum imperio, cui reluctari non audent, a peccato non excuſantur, niſi grave damnum inde iis immineat. p. 148. a. 8. Iidem eſculenta, & poculenta ſibi minime debita conſumentes, peccant. p. 188. a. 13. Eorumdem minima furta ex comeſtibilibus, quæ claudi non ſolent, non coaleſcere, ſi ab iis conſumantur, eſt opiniuncula arbitraria, & falſa. p. *ibid.* Iidem non ex magna difficultate, ſed ex ſola impotentia ab onere reſtitutionis liberantur; nec loco reſtitutionis obſequia extraordinaria a Confeſſario imponi poſſunt, ſi reſtituere valeant. p. 188. a. 14. Utrum, & quomodo famuli, mercedem juſtam dominis negantibus, occulta compenſatione uti queant. p. 156. a. 4. La-Croixii, & Zachariæ hac de re commenta refutantur. p. 185. a. 3. Pro obſequiis, quæ præſtare non tenentur, ſe occulte compenſare non poſſunt p. 187. a. 5.
Feſta. De feſtorum dierum obſervatione.
Feſtis diebus non licet ludis, & choreis vacare. p. 146. a. 1. nec pacto pretio tranſcribere, nec coloribus pingere, p. 147. a. 2. nec characteres componere; a. 3. nec diſtillationi incumbere. a. 4. nec venationi, aucupio, aut piſcationi operam dare, niſi moderatione adhibita, nec acu pingere, nec bella gerere, niſi neceſſitas urgeat. p. 147. a. 5. nec deliciarum præparationibus vacare. a. 6. Zachariæ commenta. *ibid.* Iter agere utrum, & qua ratione liceat. p. 146. a. 1. non ſunt permiſſa alia opera ſervilia, quæ ad iter agendum ſunt neceſſaria. *ibid.*
Templa verrere, & ornare licet; non item hoſtias conficere, Eccleſiæ agros colere, templa ædificare, niſi neceſſitas cogat. p. 148. 149. a. 7
Piſtores, & laniores, barbitonſores non in radendo, ſed in minuendo ſanguine, ferratores equorum, pharmacopolæ, molitores, mercatores, utrum, & qua ratione excuſari poſſint. p. 148. a. 8
Theatra, ignes artefactos, veſtes, & ſimilia in ortu, aut adventu Principis die feſto perficere abſolute loquendo non licet. p. 149. a. 9
Unius horæ labor die feſto, res eſt letifere periculoſa, multoque magis, ſi dominus ſex e. g. famulis mandet, ut ſinguli una hora ſimul laborent. Labor duarum horarum mortalis culpa eſt; multoque magis, ſi quis id facere velit, & faciat toto anno. Quo-

ad praxim neceſſario ſequenda eſt ſententia negans, infidelibus non baptizatis ſervilia opera imponi die feſto poſſe. p. 149. a. 10

Qui intra Miſſam peccata confitetur, eam attente audire nequit, nec præcepto ſatisfacit. p. 150. a. 11. qui ab epiſtolæ initio uſque ad finem, Miſſæ aſſiſtunt, præceptum implent; ſecus, qui vel lecta integra epiſtola, vel potiori jure Evangelio, Miſſam audire incipiunt. p. 150. a. 12. Non peccare ſaltem mortaliter (quaſi ne venialiter quidem peccet) qui duas dimidias Miſſas a duobus Sacerdotibus die feſto ſucceſſive audit, cavillatoria opinio eſt. p. 150. a. 13. eum vero ſatisfacere præcepto, qui duas dimidias Miſſas ſimul audit, proſcripta ſententia eſt. *ibid.*

Quinam extra Eccleſiam exiſtentes, Miſſæ feſtæ legem adimpleant. Quid hac in re obſervandum. p. 150. a. 14. Qui feſtæ Miſſæ tempore nunc attendit, nunc fabulatur, mortali culpæ reus eſt, ſi in confabulatione interrupta notabile tempus inſumat. La-Croix cavillatio tollitur. p. 150. a. 15. Miſſæ præcepto ſatisfacere, qui toto ſacro voluntarie diſtractus eſt, modo ſibi ſit præſens, & cum externa reverentia aſſiſtat, intolerabilis opinio eſt, implicite damnata. La-Croix implicata locutio. p. 150. 151. a. 15.

Qui ob pravum finem ſacrum audit, præcepto non ſatisfacit. p. 26. a. 2

P. Zachariæ ſophiſma repellitur. *ibid.*

Qui die feſto Miſſam in privatis Oratoriis audiunt, præcepto non ſatisfaciunt, niſi ſint de familia ejus, cui facultas conceſſa eſt, aut ex numero privilegio donatorum. p. 151. a. 16. Qui habent privilegium audiendi Miſſam in privato Oratorio, dato ſtipendio curare tenentur, ut die feſto ibi celebretur, ut eam audiant, ſi ea infirmitate ad publicam Eccleſiam ſe conferre nequeant. p. 151. a. 17

Qui die feſto Miſſam audire non poſſunt, precibus ejus loco vacare tenentur. La-Croixii aberrationes notantur. p. 151. a. 17

Quæcumque ratio, qua quis bona fide ſe excuſatum putat, a ſacro die feſto audiendo non excuſat. p. 151. a. 18.

Non bene dicuntur excuſari a feſta Miſſa, qui ſunt in convaleſcentia, in qua obſit foras prodire. Corrupta La-Croix doctrina exploditur. p. 151. a. 19

Temperatur Buſembaum doctrina quoad eos, qui caſtra, urbem, gregem, &c. cuſtodiunt, aut coquere debent, vel ſimilia curare. p. 152. a. 20. Quid de iis, quibus, ſi Miſſam die feſto audiant, periculum eſt gravis offenſionis mariti, parentum, dominorum, aut qui commodam itineris occaſionem amiſſuri ſunt. p. 152. a. 21. 22. Quid de viduis, & feminis poſt partum? p. 152. a. 23. La-Croixii opinio quoad rem hanc de adoleſcentibus, dum proclamationes ſuorum matrimoniorum fiunt, improbatur. *ibid.*

Qui non habent veſtes ſuo ſtatui congruentes, a Miſſa die feſto audienda excuſandi non videntur; ſicuti nec mulier, quæ ſcit, alteri, a quo perdite amatur, futuram peccati occaſionem, ſi prodeat. p. 152. a. 24. 25.

Fidei præceptum tunc ſolum pueros obligare, quando apprehendunt, actus fidei eſſe ad ſalutem neceſſarios, eſt opinio ex pelagiano errore orta. p. 40. a. 1. Plurimi Pueri inter fideles educati, actus fidei omittentes. ex invincibili ignorantia perperam excuſantur. *ibid.* Buſembaum prolapſiones notantur. *ibid.* Zach. eum defendere fruſtra conatur. p. 42. Quoties fidei præceptum obliget, declaratur. *ibid.*

Sæpe melius eſſe, fidem tegere, quam fateri, ſi de ea interrogatus quis non ſit, ſæculi cautio eſt. Non temeritas, ſed ingens animi fortitudo eſt, ut catholicus Tyrannis pro fide ultro ſe offerat, quidquid contra Buſemb. effutiat. p. 43. a. 3

Fidei cum Hæreticis diſputatio Laicis prohibita. p. xv. Prod.

P. Zachariæ clamores inanes. *ibid.* eam prohibitionem conſuetudo non abrogavit. p. 52. a. 3. Zach. refellitur. *ibidem.*

Fidei diſſimulatio, cum quis a publica Poteſtate de ea interrogatur, nec ſilentio, nec tergiverſatione a graviſſima culpa immunis eſſe poteſt. p. 44. a. 1

Fides profitenda eſt, ſi Catholicus Princeps legem ferat, ut Catholici aliquo ſigno ſe prodant. Aliter ſentiendum, ſi hujuſmodi lex a Domino infideli prodeat. Vide *Lex*, *credere*. p. 45. a. 2

Redimere pecunia, ne de tua fide inquiſitio fiat, licere, involuta eſt Buſembau opinio, quæ explicatur, ſuiſque limitibus circumſcribitur. p. 45. a. 4

Signis, & veſtibus infidelium uti licitum eſſe, Buſ. falſo, & cavillatorie aſſerit. p. 46. a. 5

Fides explicita Chriſti, & Sanctiſſimæ Trinitatis ad ſalutem abſolute neceſſaria, notabilis objectio ſolvitur. p. 37. a. 1

Fidejuſſor conveniri non poteſt, quia principalis debitor non ſolverit, ſi hic ſolvendo ſit, niſi aliter conventum fuerit. p. 242. a. 62. Pro fidejuſſione in gratiam creditoris ſuſcepta aliquid accipere licet, non item ſi ſuſcipiatur in gratiam debitoris. Quod ſi nullum periculum ex æqua æſtimatione debito immineat, ne a creditore quidem aliquid pro fidejuſſione recipi poteſt, p. 242. a. 63

Etiamſi debitor ſine ſua culpa debitum non ſolverit, tenetur tamen non ſolum debitum, ſed etiam expenſas, & damna, quæ fidejuſſor ex hoc capite ſubiit, eidem refundere. p. 242. a. 65

Filium, ubi parentes conſuluit, poſſe ipſis invitis cum ſe digna contrahere, non recte ait Buſembau. p. 156. a. 1.

Filium religionem profeſſum, ſi extrema parentum neceſſitas ſupervenire dicatur, a religione egredi teneri petita prius, at non obtenta venia, minus recte poſitum videtur. p. 156. a. 2

Filium mercatoris, aut cauponis, bona parentis adminiſtrantem, ab eo ſalarium exigere poſſe, quantum extraneo dare deberet; & ſi impetrare non poſſit, aut exigere non auſit, clam poſſe illud accipere, opinio falſa eſt, & quoad alteram partem falſiſſima. p. 188. a. 12. Filiusfamilias de bonis adventitiis ſine patris aſſenſu donare mortis cauſa non poſſe videtur. p. 250. a. 11. Idem poſt juratam paternæ hereditatis renuntiationem, non poteſt in iis bonis ſuccedere, quæ pater ad ſecundas nuptias tranſiens, liberis prioris matrimonii relinquere cogitur. Sophiſtica Buſemb. ratio ſolvitur. p. 251. a. 12

Forma ſacramenti, quæ rationabiliter dubia videtur, legitima ſophiſtice judicatur. p. 387. a. 8. formæ verba corrupte, inarticulate, indevote prolata mortalem culpam inferunt. p. 388. a. 9

Fornicatio cum alterius ſponſa eſt circumſtantia in confeſſione neceſſario aperienda non ſolum a ſponſa, ſed etiam a fornicante cum ipſa. Item ſponſus cum libera femina fornicatus, circumſtantiam ſuæ deſponſationis confiteri tenetur. p. 177. a. 10

Fuga voluntaria mulieris cum amaſio inſciis parentibus, in confeſſione neceſſario aperienda eſt. p. 177. a. 12.

Fugere perſonam, quia eſt moleſta, ex ſe eſt permiſſum; illam fugere, ut eam contriſtes, nec ejus moleſtiam ad majus bonum referas, vel ex averſione perſonæ, peccatum eſt. p. 65. a. 22.

Fuga reorum. Vide *Reus*.

Furta a domeſticis admiſſa ſub mortali reſtituenda ſunt, ſi quantitas notabilis fuerit ablata, & reſtitutio fieri poſſit. p. 188. a. 14

Qui alienum joco accipit, quo ſenſu furtum admittat; aut non admittat. p. 184. a. 1. quinam alienum accipientes ob bonum illius, a quo accipiunt, a furto excuſandi ſint. *ibid.*

Qui in gravi neceſſitate furatur, furti reus eſt. Contraria propoſitio proſcripta eſt. La-Croix, & Zacharia refelluntur. p. 171. a. 30

Furti quantitas notabilis adumbratur, & cautio præſcribitur. p. 186. a. 4

Ad notabilem furti quantitatem plus requiri in rebus ultro provenientibus, & valde expoſitis, opinio eſt nec ſatis ſolida, nec tuta. p. 186. a. 5

Si quis a diverſis parva, & plura auferat, plus requiri ad mortalem culpam, quam ſi uni eripiat, concedendum eſt; non item, ſi ab uno diverſis vicibus furetur. p. 186. a. 6

A mortali non eum excuſari, qui per plures vices aliquid notabile furatur, ſi proximo graviter nocere non intendat, eſt falſum, & ridiculum. Buſemb. hac in re aberrationes. p. 186. a. 7. 8. Hinc ſartores, particulas pannis a diverſis ſurripientes, & mercatores brevioribus ulnis utentes, a mortali culpa immunes perperam dicuntur. 186. a. 8

Licere viatoribus unam alteramve uvam rapere, & comedere, eſt aperte falſum. p. 187. a. 9

Plures ſimul, vel ſucceſſive plura parva furta alicui facientes, ſi nemo alteri ſit cauſa furandi, at de ſe mutuo ſciant, utrum mortaliter peccent, & in ſolidum reſtituere cogendi ſint, dubitatur. Pro negante ſententia quod reſtitutionem in ſolidum rationes afferuntur, p. 187. a. 9. Vide *Uxor*.

G

GAudere. Vide *Delectari*.

Gloria vana, in ſacris functionibus principaliter quæſita, mortifera noxa eſt. p. 366. a. 3

Gratia a ſacra Pœnitentiaria impertita, eſt invalida,

ſi ex

ſi ex malitia, & fraude erratum ſit, etiamſi error in cauſa tantum impellentibus verſetur. 35. p. a. 18
Gula mortalis eſt, cibi, potuſque uſque ad vomitum ingurgitatio. Item ſi exceſſus cibi, potuſve valetudini graviter noceat. p. 368. a. 12. 13. Humani ſanguinis hauſtus,, culpa nunquam vacat, ſed valde reprehendendus eſt. p. 368. a. 13

H

Habens poteſtatem generalem diſpenſandi, etiam ſecum directe diſpenſare poteſt. p. 35. a. 16
Heres ab inteſtato, dubius de teſtatoris voluntate, qui teſtamentum minus ſolemne condidit, hereditatem, & legata omnia ſine compoſitione retinere poteſt; ſi autem teſtamentum fuerit ſolemne, & dubium ex ſermonis ambiguitate oriatur, tranſactio pro ratione dubii facienda eſt. p. 250. a. 6
Herede ab inteſtato hereditatem, & legata retinente, eos, quibus ex teſtamento minus ſolemni aliquid relictum eſt, occulta compenſatione uti poſſe, abſurda opinio eſt. p. 250. a. 10
Hereditatis paternæ non jurata renuntiatio in favorem tertii ex conſenſu patris, ab hoc valide revocari poteſt, etiamſi ſe non revocaturum juraverit; at revocando fit perjurus. Si vero talis renuntiatio jurata ſit, filius a patre heres poſtea inſtitutus, hereditatem ſine perjurio adire poſſe non videtur. p. 250. a. 11.
Heredes, & executores teſtamenti legata, & eleemoſynas in eo relictas ad annum, aut ad ſex menſes prorogare non poſſunt. p. 252. a. 17. Profeſſos Societatis Jeſu poſſe eſſe heredes, eſt contrarium conſtitutionibus ejuſdem Societatis. p. 253. a. 21
Heredes ab inteſtato quinam ſint, non tam ex jure communi, quam ex locorum legibus, & conſuetudine, etiam quoad conſcientiam deſumendum eſt. p. 253. a. 25. Vide *Teſtamentum*.
Hæreticum, quamdiu ſuam ſectam judicat Romana fide credibiliorem, vel æque credibilem, non teneri credere, perperam aſſeritur. p. 42. a. 1. Notatur La-Croix. *ibid.*
Sophiſmata Zachariæ repelluntur. *ibid.*
Hæreticorum impiæ perſuaſiones male excuſantur. p. 43. a. 3. p. 49. a. 2.
P. Zachariæ auxilium Buſembau, & La-Croixio ferre conantis ſophiſmata, & aberrationes. *ibid.*
Hæreticorum libros legere, retinere, Vide *Excommunicatio*.
Hæreticorum conciones audire, eorum funera proſequi, pueros eorumdem in baptiſmo ſuſcipere non licet. p. 46. a. 7. Zachariæ commenta exploduntur. *ibid.*
Hæreticorum, & infidelium ſacris intereſſe, quomodo permiſſum dicatur: ſanius hac de re conſilium. p. 47. a. 8.
Hæreſis qualitas in confeſſione explicanda. p. 52. 53. a. 4.
Homicidium. Buſembaum de ſui defenſione doctrina latam crucibus homicidiis viam aperit, falſoque D. Thomam pro ſe citat. p. 264. a. 7
Homicidio licere contumeliam repellere, eſt opinio Evangelio, & humanitati contraria. p. 264. a. 8. Homicidium eſſe permiſſum ad fuſtis vel alapæ ictum avertendum, quocumque te vertas, eſt doctrina abominanda, & proſcripta. *ibid.* Alia huic ſimilis, & La-Croix refellitur. p. 265. a. 9. 10
Homicidium ad tuenda bona magni momenti, non eſt permiſſum: defenditur Genettus contra La-Croix, cujus, & Buſemb. cavillationes retunduntur. p. 265. 266. a. 10. 12. 13. multo vero minus tale homicidium Clericis, & Religioſis licet. p. 266. a. 12
Virgini non eſt permiſſum, pudicitiæ invaſorem occidere, etiamſi violationem aliter evadere nequeat. p. 266. a. 11.
Homicidium licere pro defenſione integritatis membrorum, eſt doctrina ſuſpecta, & in praxi fugienda, maxime ſi occidendi eſſent Pater, Princeps, Epiſcopus, Abbas. p. 267. a. 14
Iniquum invaſorem ad propriæ vitæ tuitionem occidere, ſana doctrina permittit. p. 267. a. 14
Quomodo intelligendus ſit D. Th. dicens: *Illicitum eſt, quod homo intendat occidere hominem, ut ſeipſum defendat, niſi ei, qui habet publicam auctoritatem*. p. 264. a. 7.
Hæc Buſ. propoſitio, *licet quoque occidere eum, de quo certo conſtat, quod de facto paret inſidias ad mortem*, licet prima ſpecie non improbabilis videri poſſit, falſa tamen eſſe, ſi attente penſetur, deprehenditur, & a Clero Gallicano fuit proſcripta. p. 167. a. 15.
Homines ad aggravandas, quam ad minuendas leges, propenſiores, falſo, & ridicule a La-Croixio dicuntur. Imperita Zachariæ audacia retunditur. p. 9. 10. a. 3.
Horas canonicas beneficiarii ante acceptam beneficii poſſeſſionem recitare tenentur, ſi per ipſos ſtet, quominus poſſeſſionem accipiant. p. 305. a. 23. Si litis conteſtatione a fructuum perceptione impediantur, ab iis ex toto immunes eſſe non videntur. Quod ſi beneficii poſſeſſio, aut fructuum perceptio vi, & fraude impediatur ſine ulla ſpe eos obtinendi, ab horis canonicis liberi ſunt; non item, ſi fructuum impedimentum nec perpetuum ſit, nec ad longum tempus. *ibid.*
Ab horis canonicis liberos eſſe beneficiarios, qui primo, aut altero anno beneficii fructus aliis uſibus deſignatos non percipiunt, improbanda opinio eſt. p. 305. a. 24. Ab iis item immunes non ſunt, qui tenuia beneficia nacti ſunt. p. 306. a. 25. nec filii a patribus ad eccleſiaſticum ſtatum coacti, etiamſi non ipſi, ſed patres, beneficio fruantur. a. 26. nec qui non reſident, etiamſi præbendarum fructus non conſequantur. a. 27. nec qui præſtimonia etiam ad tempus collata aſſecuti ſunt. p. 306. a. 28
De peccatis in horarum omiſſione, nonnulli opinatores ex arbitrio, & ſophiſtice loquuntur. Quid hac in re verius ſit, & faciendum. p. 307. a. 29
Horarum numerus omiſſus, in confeſſione neceſſario explicandus eſt. p. 307. a. 30
Horas per 8., vel 10. dies intra annum a beneficiariis omiſſas, eos reſtitutioni non ſubjicere, eſt opinio aperte falſa, & intoleranda. p. 307. a. 31. La-Croix refutatur. *ibid.*
Buſembau cauſas a reſtitutione excuſantes beneficiarium, qui horas omittit, involure, & inaniter congerit. p. 308. a. 32. Aliæ excuſationes repelluntur. a. 33. 34. Reſtitutio facienda eſt pro rata omiſſionis. a. 33. Vide *Reſtitutio*.
Ab horarum canonicarum penſo quomodo infirmitas excuſet. p. 309. a. 37. Recentium commenta abſurda. *ibid.* Ab eodem excuſat gravis, & repentina occupatio: item opera caritatis, quæ nec omitti, nec differri poſſunt. p. 310. a. 39. ab eo concionatores ne quotidiani quidem immunes ſunt. *ibid.* Quid de iis ſentiendum, qui choro inſervientes, aliquid officii divini omittunt: organa pulſantes, hujus legi non ſatisfaciunt. p. 310. a. 40
Ab ea non eximitur cæcus, ſi officium aut proprium, aut commune memoriter teneat. p. 310. a. 41. item ſi pſalmos, aut lectiones, & capitula memoria retineat, hæc recitare tenetur. Probabilium opinatorum aberrationes notantur. *ibid.* a. 42
A dicta lege non eximit pontificia diſpenſatio ſine cauſa conceſſa. Ab ea Epiſcopi in perpetuum diſpenſare nequeunt, ſed ſolum ad tempus ex rationabili cauſa. p. 310. a. 43. Ab eadem non liberat matrimonii contrahendi diſpenſatio. *ibid.*
Horarum canonicarum notabilem partem cum alio recitare commode non valentem, aut non aſſuetum, a præcepto excuſari, mira, & abſurda opinatio eſt. p. 33. a. 6. Si quis carens breviario, pauca ex horis memoriter ſciat, ea dicere tenetur. p. 33. a. 7
Horæ canonicæ non ſolum in choro, ſed etiam privatim juxta Breviarii Romani præſcriptum recitandæ ſunt. p. 311. a. 44
Eædem a Regularibus juxta ritum Romanum privatim legi nequeunt. *ibid.* Litanias, Rogationum diebus ſine peccato omitti poſſe, falſa opinio eſt. *ibid.* Vide *Officium canonicum*.
Humani ſanguinis hauſtus. Vide *Gula*.
Hypocriſis mortalis eſt, ſimulare ſanctitatem cum voluntate eam non habendi. p. 304. a. 4

I

JActantia de re mortaliter mala, eſt abſolute mortalis culpa, præciſionibus, & excuſationibus adverſariorum non ſuffragantibus; & quomodo in confeſſione explicanda ſit. p. 366. a. 3
Jejunium quoad diſcedentes ex loco, ubi non viget. p. 23. a. 4. Quoad abeuntes ex loco, ubi obſervandum eſt. p. 23. a. 5
Qui die jejunii nihil cogitans de præcepto, cœnat, aut carnes comedit, non peccat, niſi ignorantia ex negligentia, aut culpa oriatur. p. 33. a. 3
Jejunii diebus toties peccatur, quoties poſt alteram comeſtionem comeditur. p. 364. a. 1
Quoad ova, & lacticinia jejunii diebus extra Quadrageſimam, cujuſque regionis conſuetudo pro lege habenda eſt. p. 264. a. 2. p. 270. a. 12
Diſpenſatus quoad carnes, carnibus, oviſque ſimul, & lacticiniis, aut piſcibus veſci non poteſt. p. 264. a. 2. nec altera refectione uti valet. *ibid.* Si tamen repeti-

petitæ refectionis neceſſitas evidens ſit, infirmus eam ſumere poteſt; ſi autem neceſſitas non ſit evidens, repetita refectio ſine diſpenſatione eſt criminoſa. *ibid.*

Jejunii diebus horam meridianam notabiliter, e. g. per unam, aut duas horas comedendo ſine juſta cauſa prævenire, mortale peccatum eſt. Huic meridiani prandii legi Regulares eſſe obnoxios, pro certo habendum. p. 265. a. 3. Anticipatio prandii meridiani per mediam horam ſine cauſa, omni culpa vacare falſo dicitur. p. 267. a. 4. Ut prandium ſine culpa notabiliter anticipetur, non quælibet juſta cauſa ſufficit. *ibid.*

Qui cum hoſpitibus dimittendis notabiliter ante meridiem prandet, mortaliter peccat. Item mortifere peccat, ſi iis ſine neceſſitate antemeridianum prandium paret. p. 267. a. 4

Notabilis interruptio prandii ob negotium incidens, jejunii fractio eſt, niſi ex neceſſitate fiat. p. 267. a. 5. Ante prandium aliquid ſumere ob debilitatem non licet, niſi debilitas in magnum gravamen cedat exacte jejunanti. *ibid.* Multo vero minus miniſtri, & lectores menſæ apud Religioſos, cibos ſumere poſſunt etiam in magna quantitate (ut laxiſſime addit La-Croix) per horam circiter ante prandium ſuum. Ineptæ quoad hoc famulorum excuſationes. *ibid.*

Jejunium electuariorum ſumptione frangitur, niſi ex neceſſitate medicinæ ſumantur, aut niſi parvitas materiæ a letali culpa excuſet. p. 267. a. 5. Jejunii diebus licere ante crebriorem hauſtum, modicum cibi ſumere, quotieſcumque quis biberit, eſt commentitia, & damnata opinatio. *ibid.* Jejunium ab iis non ſolvitur, qui in refectione nimio potu utuntur, licet contra temperantiam peccent. Si vero potus extra refectionem ſumatur ad famem ſedandam, jejunium frangere videtur. p. 268. a. 6

Qui ſine cauſa mane jentaculum ſumit, prandio in veſperam protracto, mortaliter peccare videtur. p. 269. a. 7.

Cibi quantitas in ſerotina collatiuncula adumbratur, exploſis laxis commentis. p. 269. a. 8. ejuſdem qualitas. p. 270. a. 9

Parvitas materiæ in eſu carnium, aliorumque ciborum p. 270. a. 10. Eſus ovorum, & lacticiniorum quadrageſimæ tempore in Germania, non eſt excuſandus. p. 270. a. 11. Lardi, & adipis uſus jejuniorum tempore ubique interdictus. Sophiſticum Bulemb. portentum. *ibid.*

In jejuniis propter Jubilæum, ex pœnitentia a Confeſſario impoſita, & ex voto peragendis eſt obſervanda jejunii forma, locorum conſuetudini accommodata. p. 270. a. 12

Quomodo diſpenſatores in jejuniis ſe gerere debeant. Refellitur La-Croix p. 270. a. 13. Diſpenſatum initio quadrageſimæ ob morbum, a quo poſt 8. dies integre convaleſcat, non manere diſpenſatum pro reliqua Quadrageſima, eſt certa ſententia: oppoſitam opinionem habere locum in ſcrupuloſis, falſo aſſerit La-Croix. p. 270. 271. a. 13. p. 36. a. 20. Quid, ſi dubium ſit, utrum ſanitas fuerit perfecte recuperata? *ibid.* Qui in re dubia, ſua bona fide nixus jejunium ſolvit, mortifere peccat. p. 271. a. 13

A jejunio non excuſat quæcumque infirmitas, nec ætas ſexagenaria, aut etiam major; multo vero minus a jejunio ex voto eximuntur ſenes ſexagenarii. Contraria opinatio commentitia, & corrupta. Jejuniis a regula præceptis Religioſi obnoxii ſunt etiam ante annum 21. p. 271. a. 14

Quid de pauperibus dicendum ſit, La-Croixii commenta refutantur. *ibid.* p. 272. Qui prandium uſque ad meridiem prorogare nequeunt, poſſunt autem, ſumpta mane collatiuncula, & prandio ad veſperam protracto, jejunare, hoc facere tenentur. Monitum quoad languores, & morbos. *ibid.* p. 272

A jejunio officium ſine labore non excuſat: labor autem non excuſat, niſi ſit neceſſarius, & cum jejunio conciliari nequeat. La-Croixii commenta. p. 272. 273. a. 15. Quænam opera ex neceſſitate exercita excuſent. Quid faciendum in dubio. Homines duris laboribus exerciti iis diebus, quibus non laborant, a jejunio liberi eſſe non videntur. Quid de iter agentibus ſentiendum, & de probabili timore futuræ debilitationis. *ibid.*

A jejunio perperam eximitur conjux, ſi jejunando debitum reddere non poſſit. Uxorem, quæ jejunando ob maciem ſe viro gratam præſtare nequeat, a jejunio liberare, eſt doctrina magis Ariſtippi, quam Chriſti ſchola digna. *ibid.* p. 274

A jejunio eximunt opera pietatis, & caritatis præcepta, quæ cum jejunio componi non poſſunt. At eadem opera non præcepta, licet ex ſe jejunio meliora, ab eo non excuſare oſtenditur. p. 274. a. 16

Hinc ab eo non excuſantur Concionatores, qui concionandi munus ſponte ſuſcipiunt. *ibid.* A carnibus abſtinere tenentur omnes concionatores. *ibid.* Concionatores, qui ter, aut quater in hebdomada concionantur, jejunium quoad omnes partes obſervare debent. p. 275. a. 16. Concionatores quoque quotidiani idem ordinarie loquendo præſtare poſſunt, ideoque tenentur. *ibid.*

A jejunio non excuſantur ordinarii præceptores, Confeſſarii, cantores, quidquid contra Buſ. , aut alii commenti ſint. Regula univerſalis a Bulembaum pro jejunio tradita, non eſt legitima. *ibid.* Urbanitas, quæ ex Bulemb. a jejunio liberare dicitur, diabolica eſt. Carnem comedere die jejunii, ut infirmum ad comedendum excites, ſcandalum eſt, & grave crimen. p. 276. a. 17

Ignorantia invincibilis a peccato excuſat, actum tamen malum non facit bonum; nec corrumpit actus bonos malis actibus intermixtos. Quæſtio La-Croixii de ſubjecto non ſupponente. Inanes Zach. clamores. p. 2. a. 1.

Ignorantia poteſt eſſe culpabilis, etiamſi de malitia actus in mentem non venerit dubitare. La-Croixii commenta. p. 32. a. 2. Zachariæ commenta. *ibid.* Item p. 40. a. 1.

Ignorantia, ſeu inadvertentia malitiæ a peccato non excuſat, niſi ſit involuntaria. p. 348. a. 5. Ex hoc capite injuſti mercatorum contractus a culpa immunes non ſunt. *ibid.* De eventibus ex ebrietate ortis. p. 349. a. 6 Vide *Ebrietas*. De hæreticorum perſuaſionibus. Vide *Hæreticus*.

Impedimenta matrimonii. Vide *Matrimonium*.

Imprecari aliis, vel ſibi dæmonem &c. Vide *Blaſphemia*.

Impetrantes diſpenſationem ex cauſa falſa per ſimplicitatem, aut ignorantiam expreſſa, quando ea uti poſſint. p. 35. a. 18. Vide *Diſpenſatio*.

Inceſtus non ſolum linea, ſed etiam gradus in confeſſione neceſſario explicandus eſt; item circumſtantia cum filia confeſſionis. p. 177. a. 13. Idem dicas, ſi inceſtus fuerit ſodomiticus. p. 178. a. 15

Indignatio de bono alterius, quo eſt indignus, culpa non vacat. p. 368. a. 10

Indulgentiæ definitio a Bulenbau tradita, explicatur, & alia clarior ejus loco ſubſtituitur. p. 476. a. 54

Indulgentiæ catechumenis in gratia exiſtentibus prodeſſent, ſi iis concederentur. *ibid.*

Ad indulgentiam neceſſarium eſt, & ſufficit, ut opus ſaltem poſtremum præſcriptum fiat in gratia. Opus præſcriptum ex fine, aut circumſtantiis etiam venialiter prava vitiatum, etiamſi ad finem a Pontifice propoſitum conducat, ad indulgentiam non prodeſt. p. 477. a. 55.

Indulgentiæ revocatæ expirant, etiamſi revocatio ignoretur, niſi aliter declaretur. p. 477. a. 56

Indulgentiæ tantum valent, quantum pronuntiantur. p. 477. a. 57.

Quid faciendum, ſi dubitetur, utrum indulgentia data pro articulo mortis, & ſemel accepta expiraverit. p. 477. a. 58

Indulgentiam pro certa die conceſſam, poſſe repetitis præſcriptis operibus iterato acquiri, eſt opinio certo falſa. p. 477. a. 61

Ut indulgentia pro defunctis obtineatur, ſtatum gratiæ non eſſe neceſſarium, eſt placitum arbitrarium. p. 478. a. 62.

Plures indulgentias uno eodemque opere comparari, non eſt veriſimile, niſi id exprimatur. p. 478. a. 63

Qui totum opus præſcriptum ex ignorantia, vel impotentia non implent, totam indulgentiam non lucrantur. p. 478. a. 64. Opus pro indulgentia impoſitum commutari non poteſt, niſi ab auctore indulgentiæ, vel ex ejus permiſſu. *ibid.*

Indulgentiam pro eleemoſyna impertitam ex toto non lucratur, qui exiguam pro ratione facultatum dat eleemoſynam. p. 478. a. 65

Indulgentiæ effectui obſtare non videtur, ſi Eccleſiam viſitandam ingredi præ multitudine nequeas. Ut res tamen in tuto ſit, concurſu deferveſcente, ad Eccleſiam redeundum eſt. *ibid.* Opera aliunde debita, pro indulgentia non proſunt, niſi id in conceſſione contineatur. *ibid.*

Commutationes, & diſpenſationes operum pro indulgentia fieri non poſſunt, niſi a Confeſſario. & in actu ſacramentalis confeſſionis. p. 478. a. 66

Cum pro indulgentia confeſſio abſolute præſcribitur, neceſſario facienda eſt, etiamſi ſola venialia quis habeat. p. 479. a. 67

Inimicorum dilectio. Vide [illegible].

Infamia, infamare. Vide D[illegible]tio, *Reus*.

Interdicti tempore pœnitentiæ ſacramentum, exceptis excommunicatis, poteſt omnibus adminiſtrari: item

chriſ-

chriſma die cœnæ Domini confici, & viaticum morientibus exhiberi valet: matrimonium eo tempore celebrari nequit. p. 609. a. 3. ejus violatio etiam in laicis mortalis noxa eſt. *ibid.*

Interrogatus de fide a publica poteſtate, ſi tergiverſetur, perinde eſt, ac ſi taceat; ſi taceat, peccat. Refutatur La Croix. p. 44. a. 1

Invidia. De invidia Buſembau involute, & contradictorie loquitur. p. 368. a. 11

Irregularis ad beneficium ipſo jure inhabilis eſt. p. 614. a. 1., quod, ſi obtenta irregularitatis diſpenſatione ſine beneficii mentione, impetraverit, illud tuta conſcientia retinere non poteſt. p. 614. a. 2

Quid faciendum ſit, ſi quis ſeu de jure, ſeu de facto dubitet, utrum ſit irregularis. p. 614. a. 3

Ab irregularitate ex delicto notorio, & ex homicidio etiam in cauſa ſolum involuntario orta, Epiſcopus diſpenſare nequit. p. 615. a. 4

Irregularitas in baptiſmi iteratione tum a rebaptizatis, tum a rebaptizantibus quomodo incurratur. p. 615. a. 5.

Eadem incurritur ex functione Ordinis ſacri a minori Clerico exercita etiam non ſerio, etiam ex ignorantia, Buſembaum fruſtra reclamante. p. 615. a. 6

Quomodo irregularitas inducatur ex delicto, quo quis Ordines male ſuſcipit, & a quibus in ea diſpenſari poſſit. p. 615. a. 7. *ſeu* 8

Irregularis fit, qui in rixa aurem, aut naſum, aut digitum amputat. p. 616. a. 8. Qui membrum a ſe debilitatum poſt amputat, certam irregularitatem, quidquid La-Croix contra ſentiat, incurrit. p. 617. a. 9.

Quando plures in rixa unum percutiunt, & unus letale vulnus infligit, omnes irregulares fiunt. p. 617. a. 11. Comes in rixa, in qua occiſio fit, irregularitatem non effugit. p. 617. a. 12

Qui rei turpi operam dans, ſufficientem diligentiam adhibuit, ne ex ea homicidium contingeret, quod tamen contigit, non fit irregularis. Cautio hic adhibenda; Buſembaum, & La-Croixii refutatio. p. 618. a. 13.

Irregulares ſunt Judæi, aliique infideles etiam hæretici ad fidem recens converſi. p. 619. a. 14. Irregularitatem infert oculi etiam dexteri privatio. a. 15. qui utroque oculo integro præditus eſt, etiamſi lævo nihil videat, irregularis eſſe non videtur, dum dextero canonem ſine indecentia legere poſſit. *ibid.*

Filii expoſiti, irregulares habendi ſunt. p. 619. a. 16. In dubio, utrum aliquis expoſitus ſit legitimus, ſine diſpenſatione ad cautelam, ad Ordines, & beneficia non eſt promovendus. *ibid.* & p. 614. a. 3

Ex occulto crimine, excepto homicidio, & cenſuræ violatione, irregularitas non exiſtit. p. 619. a. 17

Irregularitatem non evadit, qui mutilat, vel occidit in defenſionem honoris, caſtitatis, bonorum magni momenti. p. 620. a. 18

Jubilæo Romæ durante, quoad ſuſpenſiones, indulgentiarum, & facultatum abſolvendi non eſt divinandum, ſed pontificiarum conſtitutionum tenor attente legendus eſt. p. 479. a. 69

Quomodo, & quo tempore opera in Jubilæo præſcripta fieri debeant. p. 479. a. 70. Qua ratione jubilæum alibi lucrari poſſit, qui illud in patria acquirere neglexit: illud vero acquiri poſſe in patria elapſo ejus tempore ab eo, qui ejus publicationem invincibiliter ignoravit, portentum eſt. p. 480. a. 71

Cum duobus continuis diebus duo jubilæa occurrunt, quorum ſingula confeſſionem, & communionem poſtulant, confeſſionem, & communionem, ut eorum beneficium obtineatur, non eſſe repetendas, abſurdum, & falſum ait. p. 480. a. 72

Judex neceſſaria ſcientia deſtitutus quid facere debeat, ut in conſcientia tutus ſit. p. 331. a. 1. Idem reſarcire tenetur omnia damna, quæ in partes læſas ex ejus imperitia derivata ſunt. *ibid.* a. 2. Item quæ ex errore culpa ſua admiſſo profecta fuerunt. a. 3. Quæ ab eo peccentur in cauſarum prorogatione. a. 4. Cur non poſſit de occultis criminibus inquirere. a. 9

A Judice etiam ſub juramento interrogatus occulta crimina revelare non poteſt; a mendacio tamen ſibi cavere debet, & quomodo. p. 331. a. 6. Si crimen occultum in alterius damnum vergat, revelandum eſt, etiamſi fidei ſub ſecreto commiſſum fuerit. *ibid.* a. 7. Vide *Reus*.

Judex inferior, legis pœnam nec relaxare, nec minuere poteſt, niſi evidens Reipublicæ neceſſitas aliud poſtulet, vel ex ſupremi Principis auctoritate. p. 332. a. 10. Privata actoris injuria a Principis injuria ſeparari non poteſt. Corollarium. *ibid.*

Judex ſupremus pœnam remittere nequit, niſi læſus injuriam relaxet, aut Reipublicæ bonum id poſtulet. p. 332. a. 11.

Apud Judicem Inferiorem pro rei liberatione intercedere non licet; apud ſupremum licet, dum injuriam paſſus eam remittat. Cautio a ſupremis Judicibus hic adhibenda. *ibid.* & p. 342. a. 52

Nemo Judex eſſe poteſt ejus cauſæ, cujus fuit advocatus, explosa Dianæ limitatione. p. 332. a. 12

Ne Judex quidem inferior judicare unquam poteſt juxta minus probabilem ſententiam. Exceptiones, & rationes contrariæ refelluntur. p. 332. a. 13

Utrum Judex minus dignus, qui officium aliis dignioribus ex ambitu eripuit, ex humana fragilitate errans, reſtitutioni obnoxius ſit. p. 332. a. 15

Judex, munera a partibus accipiens, ſemper peccat, & reſtitutione tenetur. Quibus reſtitutio facienda ſit. La-Croixii inanes prætextus rejiciuntur. p. 333. a. 18. Hujuſmodi reſtitutio ante ſententiam Judicis facienda eſt. p. 334. a. 19. Nec ex remiſſionis præſumptione tollitur. a. 20. Judici doli, ut male vocantur, boni non ſunt permiſſi. p. 342. a. 51. Incautum Buſembaum dictum. *ibid.*

Judicium temerarium de gravi crimine excuſari a mortali reatu, ſi judicans perfecte non advertat, eſt opinio pelagiano errore infecta. p. 257. a. 1

Idem a leviſſima culpa non excuſatur, ſi judicans non animadvertat, argumenta judicandi eſſe inſufficientia, aut de iis non dubitet, niſi inadvertentia ſit involuntaria. p. 257. a. 2. Vel ſi argumenta ſufficiant ad opinionem verſatiliter probabilem. p. 257. a. 3. Judicium temerarium de homine indeterminato quando non ſit, aut ſit mortale. p. 257. a. 4

In *Judicio* temerario non eſſe explicandam Confeſſario mali judicati ſpeciem, Buſ. male affirmat. p. 253. lib. 3. tract. 6. cap. 2. dub. 1. Reſp. 1.

Juramentum non eſſe, cum quis juramenti formulis utens, nullam jurandi intentionem habet, vel intentionem habet non jurandi, eſt opinio abſona, & implicite damnata. Cavillationes adverſariorum tolluntur. p. 119. a. 1. Buſembaum contradictio notatur. p. 126. a. 18. Variæ formulæ juriſjurandi ad examen vocantur. p. 119. a. 2. p. 120. a. 2. 3. 4. & 5. p. 121. a. 7. Illæ formulæ adhiberi a malis hominibus ſolitæ, *quod dico, eſt Evangelium*, & ſimiles, plerumque ſunt blaſphemæ; & quando, & qua ratione blaſphemiæ eſſe non videantur. p. 120. a. 6

Examinantur illæ formulæ, *tam ſum innocens, quam B. Virgo, vel S. Franciſcus*, & ſimiles. p. 120. a. 6

Hæ formulæ, *juro per hanc barbam, veſtem &c.* ſunt juramenta. p. 121. a. 7

Juramentum, ſi ſola abſit jurandi neceſſitas, eſſe tantum veniale peccatum non ſine ſolido fundamento aſſeritur. p. 121. a. 8

Qui ex conſuetudine jurant, in ſtatu mortalis peccati verſantur, & jurando ut plurimum mortaliter peccant. La-Croixii dicta ad trutinam vocantur. *ibid.*

Qui ex incuria ſeu magna, ſeu parva veritatis inveſtigandæ, aut pravæ jurandi conſuetudinis abolendæ, falſum jurant, perjurii rei ſunt, quidquid contra muſſitent Buſenbau, & La-Croix. p. 122. a. 9

Non venialiter, ut habet communis probabilium opinio, ſed mortaliter peccant, qui rem venialiter malam ſe facturos jurant; multoque magis, ſi malum mortale ſe acturos jurent. p. 122. a. 10. Juramentum contra conſilia evangelica, eſſe letalem culpam oſtenditur. p. 122. a. 11. Juramentum falſum eo ſolo nomine veniale eſſe poteſt, ſi ſit involuntarium. p. 122. a. 12. Ex nulla cauſa licet inducere ad jurandum, quem pejeraturum putas, imo id letalis culpa eſt. p. 123. a. 13. Excipe tamen Judices ex ordine juris ad petitionem partis juramentum exigentes. Cautiones ab iis hic adhibendæ. p. 123. a. 13. Qui probabili ratione ductus, putat aliquid eſſe verum, & jurat, a culpa excuſari non poteſt. Falſo putat La Croix, majorem probabilitatem ad juramentum ſufficere. Altera quoque La-Croixii ſententia refutatur. p. 123. a. 14. Tricæ PP. Zachariæ, & Nocesli contra P. Concinam, & perjurii excuſationes a Buſemb. allatæ exploduntur. *ibid.* Vide *Æquivocatio. Perjurium.*

Juramentum cum reſtrictione pure mentali peractum, eſt genuinum perjurium; quod nec ex rei levitate, nec ex joco, nec ſi contra juris ordinem, vel a Judice incompetente coacte exigatur, fit veniale. p. 126. a. 16. 17.

Juramentum promiſſorium per injuriam extortum obligat; quod verum eſſe videtur, etiamſi de contrahendo matrimonio juratum ſit. p. 127. a. 21

Idem dolo extortum, ſi error circa rei ſubſtantiam verſetur, non obligare videtur. Tutius tamen erit, ſi abſolutio, aut diſpenſatio petatur. p. 127. a. 22

Juramentum de re adiaphora obligatorium videri, multæ rationes ſuadent. Objectiones ſolvuntur. p. 127. a. 23. Qui juravit, ſe Titiam ducturum, religionem ingredi non poſſe videtur, niſi aut jurata promiſſio

ab

ab ea relaxetur, aut prius matrimonium contrahat. p. 117. a. 24. Juramentum non obligare, niſi obliget promiſſio, cui apponitur, eſt doctrina aperte falſa. *ibid.*
Qui urbanitatis cauſa jurant, ſe ante alterum non ſeſſuros, non bibituros, &c. graviſſime increpandi ſunt, & ad juramentum ſervandum obligari videntur. p. 128. a. 25. Qui juravit, ſe ſervaturum decreta, & regulas, eas quoque ſervare tenetur, quæ ex morum corruptela non ſunt in uſu. p. 128. a. 26
Qui ſecreti cuſtodiam, quæ in alterius injuſtum damnum vergit, juravit, juramento non tenetur, perjurus tamen jurando fuit, ſi prævidit, aut prævidere debuit, arcani conſervationem proximo noxiam futuram. Quod ſi ſecreti jurata cuſtodia juranti graviter noxia eſſe intelligitur, is juramento tenetur, etiamſi coactus juraſſet. Demum ſi jurata arcani conſervatio ex non prævifis eventibus in grave damnum jurantis vergat, juramentum non eſſe obligatorium, cum Buſembaum non diffitemur. p. 128. a. 27
A promiſſoris juramenti impletione qua ratione immunis ſit, qui illud in melius commutat. p. 128. a. 28. Qui habet facultatem delegatam diſpenſandi in votis, ea uti in votis juratis non poteſt. p. 128. a. 20. p. 142. a. 30.
Juriſdictio Confeſſarii delegata, morte concedentis non expirat. p. 488. a. 9. Eadem extra juriſdictionem delegantis ne in ejus quidem ſubditos exerceri poteſt. Aliter de juriſdictione ordinaria ſentiendum videtur. p. 490. 491. a. 11.
Juſpatronatus quotuplex. p. 297. a. 2. Eccleſiæ fundatione eo ſenſu, ut hæc ſit fundi datio pro ejus conſtructione, acquiri non videtur. p. 297. a. 2

L

LA-Croixii verba implexa, ſophiſtica, ſecumque pugnantia. p. 51. a. 2. Laici de fide diſputare prohibentur: quinam laicorum nomine deſignentur. Conſuetudo contraria eam legem abrogare non videtur. p. 51. a. 3
Zach. conſuetæ aberrationes. *ibid.*
Legata indefinita ex æquitate, penſata mente teſtatoris implenda ſunt. p. 251. a. 25
Legem contemnit, qui legi ſubjici non vult. p. 27. a. 3
Zachariæ aberratio. *ibid.*
Lex divina ſeu naturalis, ſeu poſitiva, cur aliquando incerta nobis ſit: ex hoc capite ſuam obligandi vim non amittit. p. 10. a. 3
Qui nullam ex iis legibus, de quibus apud juniores controverſia eſt, ad praxim revocant, pereunt. *ibid.* Juſtæ leges, & ſententiæ Tyrannorum, qui ex duro regimine tales dicuntur, ſubditos ſine dubitatione obligant. Idem videtur dicendum quoad Tyrannos, qui regna uſurparunt, ſi a Republica tolerentur. p. 20. a. 1. Lex de qua dubitatur, utrum fuerit promulgata, obligat. Refutatur Zacharia. p. 20. a. 2
Legis eccleſiaſticæ diviſio a Buſembaum allata, manca eſt. p. 20 a. 3
Legiſlator ſuæ legi repugnans, contra ipſam peccat, & in ſe gravi mortaliter peccat. p. 22. a. 2. Eccleſiæ legibus pueros ante ſeptennium completum teneri, ſi plenum rationis uſum adepti ſint, contra La-Croix evincitur. p. 22. a. 3. Lex, cum ex toto ſervari non poteſt, ex parte, & quoad fieri, poteſt, ſervanda eſt. p. 33. a. 3. Summus Pontifex, divinæ legis cuſtos eſt, & interpres, non diſpenſator. p. 34. a. 13.
Legi jubenti, ut fideles aliquo ſigno ſuam fidem prodant, parendum eſt, ſi a catholico Principe in favorem fidei feratur; ſi autem ab infideli in odium fidei edatur, pro nihilo habenda eſt. Ridicula Buſembaum hallucinatio. p. 45. a. 2
Legis promulgatæ inobſequentium aſſeclæ a culpa immunes non ſunt. p. 20. a. 2
Libellatici qui, quotuplicis generis, & quinam peccarent. p. 45. a. 4
Litteras alienas aperire, qua ratione ſit mortale peccatum. p. 367. a. 7
Locus theologicus P. Concinæ contra P. Zachariam ſemel, & iterum defenditur. p. xii. Prodr.
Locatio. Vide *Conductor.*
Locatio domi meretrici facta. Vide *Cooperatio.*
Ludus, prout a Buſembaum definitur, ſi ſit fortuitus, a peccato excuſari non poteſt, imo mortale peccatum merito dicitur, ſi ſumma notabilis ſorti exponatur, multoque magis, ſi ex conſuetudine, & profeſſione id fiat. La-Croix, & Buſ. rationes exploduntur. p. 237. a. 45. p. 240. a. 56. Vide *Clerici.*
Ludus ex induſtria pendens, ſi ob lucrum principaliter fiat, culpa non vacat; ſi vero principalis ludi finis ſit mentis recreatio, permiſſus eſt, dum nec temporis, nec pretii nimium in eum impendatur. p. 237. a. 45
Qui aleis a Religioſo, & filiisfamilias alienare non valente lucrantur, reſtituere tenentur. p. 237. a. 46. Ludis nihil pecuniæ a Regularibus exponi poteſt; sed Superiores iis licentiam dare poſſunt aut vacandi ludis fortuitis, aut cuiquam ludo pecuniam exponendi. Regulares a ſæcularibus lucrantes, lucrum reſtituere tenentur. Iidem, ludi pecuniarii conſuetudine irretiti, in continuo mortali peccato verſantur; in quo miſero ſtatu ii quoque ſunt, qui ludo fortuito, vulgo *lotto* frequenter ludunt, & mortaliter peccant, etiamſi aliorum nomine ludant, vel ut lucrentur pecuniam in Dei honorem impendendam. p. 238. a. 47
Qui alterum ad ludum, vel contumeliis, vel minis, vel omnia importunitate induxit, reſtitutioni obnoxius eſt. Objectiones Buſemb. & La-Croix ſolvuntur. p. 238. a. 48. p. 239. a. 52
Qui certo præſcit, ſe in ludo, aut ſponſione victurum, lucrum reſtituere tenetur; niſi forte victus admonitus, donare ſe velle profiteatur. Cavillatio Buſemb. refutatur. p. 239. a. 53
Luſor, adverſarii ſui chartas etiam negligentes ab eo diſpoſitas inſpicere non debet; ſi vero a tergo eas noſſe diſcat, vel e ſpeculo a tergo adverſarii poſito videat, fraudulenter agit, & reſtituere tenetur. La-Croix refellitur. p. 239. a. 54. Dum Buſembau ait, quod qui fraudibus adhiberi ſolitis utitur, reſtituere tenetur non ſolum lucrum, ſed quantum alteri valebat ſpes lucrandi, in duo vitioſa extrema prolabitur. p. 240. a. 55
Ludus aleatorius Regularibus vetitus eſt, etiamſi apud eos regularis diſciplina non vigeat, & culpa mortalis. Contraria opinio eſt monſtroſa. p. 240. a. 56. Iidem ludo utentes, ut infirmum recreent, duplex peccatum peccant. *ibid.*
Ludi aleatorii lucrum, ubi jus civile quoad hoc viget, ante Judicis ſententiam reſtituendum eſt; nec victus illud ſolvere tenetur. Ubi vero jus civile non viget, victus ſolvere tenetur, & victus lucrum retinere poteſt. p. 241. a. 57. Ludere pro pſalmo, aut re ſimili permiſſum non videtur. *ibid.*
Luxuria non ſolum exterior, ſed etiam interior in loco ſacro admiſſa, addit circumſtantiam in confeſſione neceſſario exprimendam. p. 278. a. 24
Luxuriæ filiæ, ex actus imperfectione a letali noxa ſæpe exulandæ non ſunt. p. 367. a. 8

M

MAgiſtri non ſolum peccant, cum ex propoſito, ſed etiam cum ex incuria, aut ignorantia, falſa, & noxia tradunt. Idem de iis dicito, qui laxas, & periculoſas opiniones typis evulgant. p. 158. a. 12
Maleficum verberibus, aut tormentis cogere ut maleficium tollat, non licet. Cavillationes Buſembaum, & La-Croixii doctrina refutantur. p. 100. a. 8
Malitiam illius tantum generis contrahi, quæ advertitur, eſt doctrina ex pelagiano errore profecta. p. 33. a. 4.
Mater filiabus mortem optans. Vide *optare.*
Matrimonia cum hæreticis nuſquam licent. La-Croix refellitur. p. 51. a. 4
Zachariæ deplorata commenta. *ibid.*
Eadem accedente pontificia diſpenſatione licent. *ibid.*
Matrimonium inter impuberes contractum, ſponſaliorum vim habet; ſi autem a puberibus cum impedimento dirimente contrahatur, tum matrimonii, tum ſponſaliorum robore caret. p. 527. a. 3
Nullum eſt, etiamſi Judex ad illud legitime cogat, ſi coactio a parte rei ſit injuſta. p. 528. a. 6. Item invalidum eſt, ſi cum pacto continentiæ ineatur. p. 536. a. 1. Illud contrahere propter ſolam carnis voluptatem, vel vanitatem, eſt indubitate malum. p. 537. a. 2. Quomodo honeſte contrahi poſſit ob ejus fines ſecundarios, & extrinſecos. p. 537. a. 3. Matrimonii miniſtri ſunt ipſi contrahentes. p. 537. a. 4. Ad ejus valorem ſufficit conſenſus de præſenti quocumque modo expreſſus; qui tamen, ſi fieri poſſit, verbis exprimendus eſt. p. 538. a. 5. Initum ſub conditione de præſenti, aut præterito, ſtante conditione ſtat, eaque deficiente corruit. p. 538. a. 6
Conditiones turpes, aut impoſſibiles ei appoſitæ, quoad forum externum pro nihilo habentur; quoad internum juxta contrahentium animum conſiderandæ ſunt. Conditiones de futuro neceſſario, & impoſſibili ab eo abeſſe debent. p. 538. a. 7. 8
Matrimonium ſub conditione de futuro, matrimonii ſubſtantiæ contraria nullum eſt. p. 538. a. 8. Idem ſub conditione honeſta de futuro, etiamſi per verba de præſenti coram Parocho, & teſtibus exprimatur, ſponſaliorum vim tantum habet; impletaque conditione, novus conſenſus de præſenti ad matrimonium ne-

Digitized by Google

neceſſarius eſt. Contrariæ Anacleti, & Buſembaum rationes ſolvuntur. p. 538. a. 9

Si dubia utriuſque conjugis fide contractum ſit, vel ab utroque de ejus valore dubitetur, a neutro peti, vel reddi debitum poteſt, quantacumque inquiſitio habita ſit, niſi rationes ponendi dubium inventæ fuerint. p. 539. a. 10. Ejus uſus non licet, ſi cum vitæ, aut ſanitatis diſcrimine fiat, nec ex periculo incontinentiæ excuſatur. p. 540. a. 11. Solius voluptatis cauſa habitus, eſt indubitate culpabilis: ſi autem voluptas quæratur propter prolem, culpa vacat; non tamen ſi quis ad voluptatem ſe excitet. Modi præpoſteri concubitus, mortales non videntur; a Confeſſariis tamen valde increpandi ſunt. p. 540. a. 13. Seminis compreſſio in concubitu, quoad virum, (ſi ab eo fieri poſſit) mortali culpa carere non videtur, ſecus de uxore ſentiendum eſt. p. 540. a. 13. Quibus diebus conjugalis concubitus petitio vetita ſit. p. 541. a. 14. Concubitus cum gravida uxore, ſi ſit periculum abortus, eſt mortalis; ſi abſit, venialis. Concubitus cum menſtruata eſt certum peccatum tam in petente, quam in reddente, & in utroque letale eſſe videtur. p. 541. a. 14. p. 545. a. 23

Ab actu conjugali prolem ſimplici affectu excludere, culpa non vacat. Conjugii uſus ad propriam incontinentiam vitandam, aut valetudinis cauſa, aut propter alios fines matrimonio extrinſecos, omnia noxæ expers non eſt. La Croixii, & Buſembaum ſophiſmata diluuntur. p. 542. a. 15. De tactibus, aſpectibus, & verbis turpibus conjugum. p. 543. a. 16. p. 351. a. 21. p. 176. a. 8. p. 157. a. 6.

Conjux ſeipſum ex voluptate tangendo, vel de cogitata copula venerea ſe delectando, mortaliter peccat. p. 444. a. 17

Conjux ad avertendum periculum incontinentiæ alterius conjugis, debitum petere tenetur. p. 544. a. 18. Debiti conjugalis negatio quomodo venialis eſſe poſſit. Buſembau, & La-Croix refelluntur. p. 544. a. 19. Ex filiorum multitudine debitum negari poſſe, abſurde aſſeritur. ibid. Debitum modo innaturali quoad ſitum petendi nulla alia ratio eſſe poteſt, niſi quod corporis diſpoſitio naturalem modum non patitur. p. 545. a. 21. Debitum ſalva corporis incolumitate reddendum eſt. Ab ejus redditione lepra ordinarie non excuſat. Animadverſio in Gonetti exceptionem. p. 545. a. 22. Illud ſine mortali crimine reddi nequit, ſi uxor nonniſi mortuum fetum edere, vel non ſine certo extraordinario vitæ, aut gravi morbi periculo parere poſſit. p. 545. a. 23. Uxores viris indebito vaſe uti volentibus conſentientes, ex nulla cauſa a letifera noxa excuſantur; ſi autem iis conſentiant; quoad ſitum innaturalem, venialem culpam ea gravi timore non effugiunt. Quod ſi aliquid etiam ex gravi cauſa faciant conjuges, unde ſeminis effuſio exiſtat, letale crimen incurrunt. p. 546. a. 25. Actus conjugalis interruptio letifere flagitioſa eſt, ex cauſis gravibus non excuſanda. p. 546. a. 26

Tranſitus ad ſecundas nuptias non licet, ſine certa notitia de morte prioris conjugis, ſine qua ſi matrimonium contrahatur, ſeparandum eſt. p. 546. a. 28

Conjux infidelis ad fidem converſus utrum cum infideli conjuge cohabitare permittendus ſit. Converſus ad alias nuptias tranſire nequit, niſi infidelis vel ejus conſortium omnino recuſet, vel nolit cohabitare ſine divini nominis blaſphemia, vel nonniſi ad mortale crimen pertrahat. p. 546. a. 29

In matrimonio rato Summum Pontificem diſpenſare poſſe, pro certo habendum eſt. p. 547. a. 30. Pollutionem conjugis, juſtam divortii cauſam eſſe, oſtenditur. p. 548. a. 31. Quomodo divortium privata auctoritate fieri valeat: ſine Judicis eccleſiaſtici ſententia, publica conjugum ſeparatio fieri non poteſt. ibid.

Quibus caſibus uxor virum ſequi quoad cohabitationem non teneatur. p. 548. a. 32. Benedictionis ſacerdotalis omnibus matrimoniis communis omiſſio, & matrimonii ante eam conſommatio, mortifera culpa merito eſſe dicitur. p. 558. a. 1. Quandonam nuptiæ alteri benedictione donandæ ſint. p. 559. a. 3. Matrimonii vel una denuntiatio omiſſa mortalem noxam infert. p. 559. a. 4. Ejus proclamationes ubi, quibus diebus, & quomodo fieri debeant. ibid. Poſt ultimam proclamationem matrimonium inconſulto Epiſcopo, eodem die celebrare non licet. a. 5. Quid faciendum, ſi ab ejus proclamatione duo menſes elapſi ſint. ibid. Ejus impedimenta etiam occulta neceſſario patefacienda ſunt. p. 559. a. 6. Quid faciendum, ſi occultum impedimentum quis audiverit, & neſciat a quo, aut ſi ex ejus denuntiatione magnum periculum immineat. p. 559. a. 6. matrimonii impedimenta non eſſe manifeſtanda ab eo qui ſcit, contrahentes bona fide niti, abſurde aſſeritur. ibid.

Matrimonium a Parocho propter impedimenta ex ſola ſacramentali confeſſione ſibi nota negari non poteſt. Quid in ipſa confeſſione in hac ſpecie facere eum oporteat, neglectis recentium probabilium cavillis. p. 560. a. 7.

Quoad denuntiationes quænam ſit Parochi facultas. p. 560. a. 8.

Matrimonium ante denuntiationes factas poſt ejus contractum, ſine letali culpa ex pioſo Buſembaum prætextu conſummari non poteſt. p. 560. a. 9. Idem validum eſt, ſi ſervus cum ſerva illud ignorantes contrahat. p. 561. a. 10. Ejus impedimentum dirimens etiam ex imperfecta adoptione oriri videtur. a. 11. De hujus impedimenti extenſione. ibid. Oritur quoque ex cæde conjugis ab altero, & tertia perſona communi conſilio peracta, & ex adulterio cum cæde ſimpliciter conjuncto, etiam ſine matrimonii intentione. p. 561. a. 12. Ab impedimento criminis ignorantia non eximit, niſi ſit invincibilis. p. 562. a. 13.

Impedimentum dirimens ex rapto exiſtit, etiamſi matrimonii cauſa peractus non ſit. p. 563. a. 14. Matrimonium non valet, ſi ad mortem decumbent contrahat cum filia Medici alias ſibi mederi recuſantis. a. 15. Idem innundum eſt a viro, qui mulierem coegit, ut ſe duceret, ſi illa id velit. a. 16

Impedimentum dirimens ex abſolutis ſponſalibus ortum non tollitur, ſi ea mutuo conſenſu diſſolvantur. p. 563. a. 18.

Matrimonium valet, etiamſi Parochus aſſiſtens ſit excommunicatus, aut non Sacerdos. p. 564. a. 19. Vel ſi per vim aſſiſtat, vel ab Epiſcopo prohibitus. p. 565. a. 21. Idem a ſubſtitutis Sacerdotibus ſine expreſſa Parochi licentia adminiſtrandum non eſt. p. 564. a. 20. Non ſufficit, ſi contrahentium vices Parocho, & teſtibus notæ, ab iis audiantur, ſed præſentes eſſe debent. p. 565. a. 21. Interrogatio hic ſolita, nunquam omittenda eſt. p. 565. a. 22. Impotentia matrimonii in muliere, undenam dejumenda ſit. a. 23

Matrimonia in fœderatis Belgii provinciis ſine Parocho, & forma a Synodo Tridentina præſcripta, ab hæreticis inter ſe, ſive inter catholicos, & hæreticos inita, valida ſunt. p. 566. a. 24. Aliter ſentiendum videtur de catholicorum matrimoniis. ibid.

Si matrimonium ex unius partis conſenſus defectu nullum ſit, utriuſque partis conſenſum ad ejus valorem renovari neceſſe eſt. p. 567. a. 25. Ut invalidum matrimonium firmetur, qua ratione novus conſenſus præſtandus ſit. p. 567. 568. a. 26. 27.

Quandonam Epiſcopi in impedimentis dirimentibus matrimonii diſpenſare poſſint, & quomodo in iis non dirimentibus. p. 569. a. 29. 30.

De Regularium facultatibus diſpenſandi in debiti petitione. p. 569. a. 31. Manente prudenti dubio de matrimonii impedimento, illud ſine diſpenſatione celebrare non licet, etiamſi diligenti inquiſitione adhibita, veritas inveniri non potuit. p. 570. a. 33.

Medicina pretioſiſſima, ut pauperi extremo morbo laboranti ſuppeditetur, ex præcepto non eſt comparanda. p. 67. a. 17.

Medicus inexploratis medicamentis ex theoria probabilibus utens peccat, ſi alias medicinas exploratas, & tutiores omittat. p. 343. a. 53

Mercator merces juſto pretio carius vendens, aut vilius emens, a culpa non excuſatur, quia cum periria contrahit. p. 343. a. 55. Item peccat, ſi debito tempore, cum poſſit, creditoribus non ſolvat, etiamſi hi ex dilatione grave damnum non patiantur. p. 343. a. 56.

Meretrices jure retinent quæ ipſis dono dantur. p. 238 a. 51.

Miniſter ordinarius baptiſmi, mortalis peccati ſibi conſcius, ex neceſſitate baptizans, non peccat; at extra neceſſitatem, mortaliter delinquit, nec a mortali crimine eximitur, quia ſolemnitates non adhibet. p. 377. a. 3

Miniſtrantes ſibi invicem matrimonium in mortali, letifere peccant. p. 377. a. 4

Miniſtros Euchariſtiæ mortali culpa inquinatos, etſi eam non conficiant, mortaliter non delinquere, opinio eſt non probabilis, ſed certo falſa, quidquid La-Croix contra cavilletur. p. 377. a. 5

Miniſtrantes indigne ſacram Euchariſtiam, tot peccata peccant, quot ſunt ſuſcipientes. ibid.

Miſſa. Quid Sacerdos facere debeat, qui aquam, vel alium liquorem pro vino ſe conſecraſſe animadvertit, vel ſi poſt vini conſecrationem, ſubitum periculum immineat. p. 403. a. 1. In hoſtia minore ſine neceſſitate celebrare non licet, & peccatum peccato additur, ſi ejus loco major adoranda elevetur. pag. 403. a. 2. Parvam hoſtiam cum majore in eadem Miſſa conſecratam Sacerdos ſumere non debet, ut majorem ad exponendum relinquat. ibid. Si poſt

ſumptionem, aut conſecrationem calicis, dubium incidat, utrum acetum pro vino conſecratum fuerit, quid ſit faciendum. p. 404. a. 3.

Uva quantumvis ſit matura, non eſt apta conſecrationis materia; muſtum tamen valide conſecratur, at non ſine gravi culpa, ex fatua populi devotione non excuſanda. Vinum in calice congelatum conſecrandum non eſt, niſi prius calore ſolvatur; at ſi congelatum ex turbata mente conſecretur, conſecratio ne ſub conditione quidem iteranda videtur. p. 404. a. 4. Hoſtiæ ſub corporali, vel mappa, vel in Miſſali tectæ non conſecrantur. p. 405. a. 5. De earum propinquitate neceſſaria. a. 6. Quæſtionum hac de re quiſquiliæ. a. 7. Quid de vini guttis calici adhærentibus ſentiendum. a. 8. Si hoſtiis conſecratis aliæ non conſecratæ admiſceantur, quid faciendum. a. 9. Hoſtiæ præſentes ex vi intentionis conſecrandi tantum pro ſacrificii uſu, reipſa non conſecrantur. *ibid.* Si Sacerdos poſt conſecrationem advertat, duas eſſe hoſtias ſimul junctas, utramque ſumere quidem debet, at inferior non videtur conſecrata. *ibid.*

Sacerdos, qui plures hoſtias ad altare detulit, vel ab alio delatas advertit, ex hujuſmodi advertentia, niſi conſecrandi intentio acceſſerit, eas non conſecrat. Quod ſi conſecrandi intentionem habuit, illas reipſa conſecrat, etiamſi pyxidem intra corporale non tranſtulerit. p. 405. a. 9. De Sacerdotis quod hanc ſpeciem culpa. *ibid.*

Omiſſio particulæ *enim* in conſecratione, ut minimum dubia mortalis culpa eſt. p. 406. a. 10. Quænam ſit forma conſecrationis vini ex mente D. Thomæ, & in rei veritate. *ibid.*

Mutatio verborum conſecrationis quoad ſignificationem, nullam efficit conſecrationem; quæ tamen valida eſt, licet graviſſime culpabilis, ſi mutatis verbis idem ſenſus retineatur. Hujus doctrinæ corollarium. pag. 406. a. 11. Illæ formæ, *illud eſt corpus meum, ille eſt ſanguis meus, hæc eſt caro mea*, ſunt invalidæ. p. 407. a. 12. hypotheſes Buſenbaum commentitiæ, & inutiles. a. 13. 15. 16.

Laicus, qui deſiderat eſſe Sacerdos, ut ſub utraque ſpecie communicando, plus gratiæ percipiat, reprehendendus eſt. Improbandus eſt Sacerdos, qui multum materiæ in conſecratione adhibet. p. 407. a. 14

Parochus mortalis peccati conſcius, ſine prævia confeſſione, ſi fieri nequeat, præmiſſa contritione, Miſſam die feſto, ut populus præcepto ſatisfaciat, celebrare poteſt, ſi tamen alium Sacerdotem, qui ſuas vices ſuppleat, invenire non poſſit. (Aliter de alio Sacerdote videtur ſentiendum) Item ſi corpus alicujus parœciani defuncti ſit in Eccleſia, vel ſponſi ad Eccleſiam convenerint, matrimonium contracturi. p. 416. a. 17.

Si Sacerdos ante, vel poſt conſecrationem, ac præſertim ante canonem, alicujus mortalis criminis meminerit, ſacramentalem confeſſionem facere tenetur, dum Confeſſarii copia adſit. Hallucinationes Buſembaum notantur, & contrariæ rationes diluuntur. p. 416. a. 19

Sacerdotem, qui, dum pro prima Miſſa rite facienda ſeſe exercet, hoſtiam incogitanter ſumpſit, eo die propter cognatorum concurſum, & lauti prandii apparatum, aut factam primæ Miſſæ proclamationem celebrare poſſe, abſurde affirmatur. p. 420. a. 29

Quid Sacerdoti faciendum ſit, ſi pro vini ſpeciebus aquam ſumpſit. p. 421. a. 30. Si poſt conſecrationem, aut etiam ſumptionem rationabiliter dubitet, utrum vinum fuerit, quod eſt conſecratum, pro vino temere præſumitur. Reliquiæ conſecratæ poſt ſumptionem utriuſque ſpeciei, aut etiam poſt ablutionem deprehenſæ ſumendæ ſunt. Reliquiæ in pyxide, poſt ablutionem ſumi nequeunt. Quid faciendum de integra hoſtia conſecrata, quæ poſt communionem relinquitur. *ibid.*

Sacerdotes hoſtiam in ore diu retinentes, devotionis prætextu non ſunt excuſandi, multoque minus ſi hoſtiæ ſumptioni aliquid ablutionis præmittant. *ibid.* Ex injecto mortis metu Sacerdotem non jejunum, ſacris veſtibus exutum, ſine religionis contemptu celebrare, metaphyſica hypotheſis eſt. *ibid.* Vide *Vaſa. Veſtes.*

Miſſa, exploſis probabilium opinatorum laxamentis, ſaltem diebus dominicis, & ſolemnibus feſtis, a quolibet Sacerdote ex præcepto celebranda eſt. p. 431. a. 1.

Ut una ſaltem Miſſa privata in Eccleſiis cathedralibus, collegiatis, conventualibus quotidie celebretur, præceptum non invenitur, ſed fingitur. p. 431. a. 2

Omiſſio Miſſæ conventualis ſemel, aut bis in hebdomada in dictis Eccleſiis, a mortali culpa ſine ullo fundamento excuſatur; ſicuti ab eadem mortali culpa excuſari non poteſt neglectus unius Miſſæ conventualis, cum plures in rubricis præcipiuntur. *ibid.*

Qui Miſſam promiſſam non præſtat, eum mortaliter non peccare, arbitraria opinio eſt. p. 431. a. 3. Qui pluribus Miſſam gratis pollicitus eſt, eum unica Miſſa omnibus ſatisfacere, cavillatorum commentum eſt. *ibid.*

Miſſæ ſtipendium, ubi taxatum non eſt, eſſe frugalem unius diei victum, non recte aſſeritur. p. 432. a. 4.

Tot Miſſæ celebrandæ ſunt, quot a dantibus eleemoſynam, quantumvis hæc incongrua ſit, præſcriptæ fuerint. Contraria opinio audacter probabilis, & merito falſa dicitur. p. 432. a. 4

Sacerdos, qui pecuniam, ut Miſſam dicat, vel dicendam curet, accepit, damnatum mercimonium exercet, minus dando, quam acceperit, dum aliis Miſſam committit. p. 432. a. 5

Rector beneficii, qui per alios celebrare Miſſam poteſt, ſatis eſt, ſi congruam eleemoſinam iis tribuat; non item Capellanus amovibilis, aut is, cui perpetuarum Miſſarum celebratio commiſſa eſt, quidquid contra La-Croix dicat. p. 432. a. 5

Paciſci de ſtipendio pro Miſſa, non permiſſum, ut La-Croix vult, ſed ſimoniacum eſt. p. 432. a. 5.

Inania P. Zachariæ commenta in La-Croixii gratiam excogitata diſcutiuntur, & diluuntur. *ibid.*

Parochi, aliique curam animarum obeuntes, diebus dominicis, aliiſque feſtis de præcepto, Miſſam pro populo applicare tenentur, exploſis quibuſcumque effugiis. Miſſa conventualis in Eccleſiis cathedralibus, collegiatis, &c. pro benefactoribus in genere quotidie applicanda eſt. p. 433. a. 6

Sacerdos, qui in aliqua Eccleſia, aut Altari celebrare tenetur, ſi alibi ſine neceſſitate celebret, graviter peccat; a mortali tamen excuſatur, ſi raro, puta quinquies, aut ſexies in anno id negligat. Præſcriptio contra onus Miſſarum locum non habet. pag. 433. a. 7. Miſſarum diminutio ad quos ſpectet. pag. 433. a. 8.

Qui per ſeipſos Miſſam celebrare tenentur, ex juſta cauſa aliquando vacare poſſunt; at ſi celebrent, nec pro ſeipſis, nec pro aliis ſacrificium applicare permittuntur; vacare ſoepe nunquam poſſunt, qui ſine onere celebrandi per ſeipſos, quotidie celebrare coguntur; nec in tuto eſſe videntur, ſi morbo impediti, alios non ſubſtituant. p. 434. a. 9. 10.

Non ſolum Sacerdotes, ſed etiam adſtantes, Miſſæ ſacrificium offerunt, & cui voluerint, applicare poſſunt. p. 434. a. 11

Intentio virtualis pro Miſſæ applicatione ſatis eſt, & quænam ea ſit. a. 12. Si nemini applicetur, ejus fructus iis non cedit quibus Sacerdos eam ſpecialiter applicare tenetur. Hujus doctrinæ corollarium a. 13.

Miſſæ celebratæ in altari privilegiato pro defunctis, illis ſuffragantur, eum de feſto currente, quo de Requiem celebrari nequit, leguntur. a. 14.

Miſſæ inchoari nequeunt, niſi tertia horæ parte ante auroram, & tertia horæ parte poſt meridiem omnino completæ eſſe debent. a. 15. Quomodo privilegia hic locum habeant. *ibid.* & pag. 435. a. 17. Etiamſi Miſſa nocte nativitatis Domini celebrari poſſit, & celebretur, communio tamen ſumenda non eſt. p. 435. a. 15. 16

Media nocte nativitatis Domini tres Miſſæ celebrari nequeunt. p. 435. a. 16

Qui horas canonicas infirmitatis prætextu non recitans, Miſſam celebrat, a culpa excuſari nullo modo poteſt. p. 435. a. 18.

Miſſa poſtremo triduo hebdomadæ majoris celebrari nequit; nec die Veneris ſancti Eucharistia cuiquam, niſi infirmis præberi poteſt. p. 435. a. 19.

Die nativitatis Domini, unius, alteriuſque Miſſæ loco communio a Sacerdotibus ſumenda non eſt. a. 20

Miſſa inchoata, exploſis prætextibus, non eſt interrumpenda, nec ab initio repetenda. a. 21

Miſſæ in Eccleſiis, non alibi celebrandæ ſunt, niſi magna neceſſitas aliud poſtulet. a. 22.

Propter magnam populi affluentiam, Miſſam extra Eccleſiam celebrare non licet; nec Epiſcopus talem facultatem concedere poteſt. p. 436. a. 23. 24.

Quandonam in militum caſtris, aut in portu extra Eccleſiam Miſſa legi queat. p. 436. a. 23

Quomodo Epiſcopis permiſſum ſit ut extra Eccleſiam altare erigant, & Miſſam celebrent, aut per alios celebrandam curent. p. 436. a. 24

Privilegia Religioſorum celebrandi Miſſam in ſuis domibus, ſeu Monaſteriis a Tridentina Synodo revocata ſunt, nec poſterioribus conceſſionibus renovata. p. 437. a. 25. Vide *Eccleſia.*

Mappæ altaris pro Miſſa quot, & quales eſſe debeant; ex neceſſitate benedictæ eſſe debent. p. 438. a. 32.

Miſſa

Miſſa ſine Miſſali ne urgente quidem neceſſitate celebranda eſt. p. 439. a. 36. A Miſſa abſtinere debet Sacerdos, qui propter viſus debilitatem legere non poteſt, niſi apoſtolicam diſpenſationem obtinuerit. *ibid.* Miſſa ſine miniſtro quandonam celebrari poſſit. Conſuetudo, ut mulieres Miſſæ inſerviant, eſt aperta corruptela. p. 439. a. 37.

Miſſa, etiamſi Venerabile Sacramentum expoſitum ſit, ſine Crucifixo celebranda non eſt, ubi talis viget conſuetudo; ſecus dicendum, ubi contrarius uſus jamdiu invaluit. p. 439. a. 38. Extra ſupra expoſitam ſpeciem Crux inter candelabra prominens, neceſſaria eſt; nec Miſſa ſine ea, ex devotione, ut La-Croix perperam ait, melius celebratur, quam omittatur, ſed omittenda eſt. *ibid.* Sine lumine nunquam celebranda eſt; ſi tamen uſque ad offertorium fuerit producta, etiam lumine deficiente, ſi haberi non poſſit, eſt perficienda. p. 439. a. 39. Capite operto, aut cum coma fictitia ſine apoſtolica facultate eam legere non licet. Contraria Buſembaum, & La-Croix laxamenta refelluntur. p. 439. a. 40.

Omiſſio precum in ſacerdotalibus veſtibus induendis, dubia mortalis culpa eſt; a qua tamen materiæ parvitas excuſat. *ibid.*

Omiſſio *Gloriæ*, vel *Credo*, niſi in magna ſolemnitate ſponte id fiat, nonniſi culpa venialis eſſe videtur: omiſſio Evangelii a Sacerdote in Miſſa, quæ ſolemniter canitur, non ſolum nullum peccatum eſt, ſed mortale. p. 440. a. 41

Omiſſio matutini cum laudibus ſine urgente cauſa ante Miſſam, eſt certa culpa; quæ in conventuali Miſſa mortalis eſſe videtur, non item in privata, niſi quaſi ex firmo propoſito id perpetuo fiat. *ibid.*

Miſſa elata voce dicenda eſt. Qui contra ſe gerunt, quale peccatum pe cent. p. 440. a. 42. Ejus mutatio in votivam, aut de *Requiem* diebus prohibitis, dubia letalis non eſt. *ibid.*

Miſſam celebrans in Eccleſia Regularium, aut Monialium, duplici ejus ritui ſe accommodare poteſt, cum Romano tamen Miſſali. p. 441. a. 22

Quomodo ſe gerere debeat, ſi ritus apud Regulares duplex non ſit. *ibid.*

Miſſa ob pravum finem audita. Vide *Feſta*.

Miſſam a Regularibus privilegio donatis, ut una hora ante diem celebrare valeant, inchoari poſſe duabus horis poſt mediam noctem, inſolens commentum eſt ex opinandi licentia ortum. p. 426. dub. 3. R. 1.

Monopolia juſta non ſunt, etiamſi pretium, in quod mercatores conſpirant, ne nimus, aut majus ſit, infra juſtitiæ limites poſitum ſit. p. 230. a. 26

Montes pietatis. Vide *Cambium francfurtenſe*.

Morientes ex vulnere in duello accepto, non tamen in loco duelli, eccleſiaſtica ſepultura privandi non videntur. p. 164. a. 6.

Doctrina hæc noſtro tempore corrigenda. *ibid.*

Mortem poſitive, & indirecte ſibi inferre, quoad mores idem eſt: concluſio hinc ducenda. p. 163. a. 4

Mortem ſubire, ne brachii, vel cruris abſciſſionem patiaris, non eſt permiſſum. p. 163. a. 5

Mulieres quæ verecunde, & ſobrie ſe ornant, ab omni ſcandali ſcrupulo liberandæ ſunt. p. 76. a. 10. Buſembaum hac in re accommodate loquitur. pag. 77. a. 11.

Mulier quæ ex ornatu ſuperfluo, & vano probabiliter prævidet, aliquam certam perſonam mortaliter lapſuram, eum ſub mortali dimittere tenetur. p. 77. a. 12. Buſembaum hac de re nimis blande, & contra caritatem loquitur. *ibid.*

Mulieres ex loci conſuetudine media ubera detegentes, ſucis, pigmentis, alienis crinibus utentes, mortaliter peccant; multoque magis, ſi putent, aliquos in genere ſcandalum inde eſſe paſſuros. Buſemb. contra loquens, graviter confutatur, ejuſque ſophiſmata exploduntur. p. 77. a. 12. 13.

Item mortaliter delinquunt, ſi admittant oſcula, vel tactus impudicos, ad vitandam libidinoſi hominis infamiam. p. 175. a. 7

Mulier, quæ omnem lapidem non movet, ut violentum ſtupratorem repellat, graviter culpanda eſt. Ridicula, & gloriabunda Zachariæ dicta. p. 180. a. 20

Mulieres, quando ex fidejuſſione obligentur, & quando non obligentur. p. 242. a. 64

Mutuum. Vide *Uſura*. *Cambium*.

N

NAutæ catholico an liceat vehere annonam ad caſtra hæreticorum. Vide *cooperari peccato*. p. 84. a. 30.

Negotiatio omnibus Clericis, & Regularibus eſt interdicta. p. 232. a. 33

Negotiatio a Clericis, vel Regularibus ſemel facta, letalis culpa eſt; niſi materiæ parvitas excuſet. La-Croixii, & Buſembaum dicta diſcutiuntur. p. 232. a. 34. Clericis vetitum videtur pecora emere, ut ſuis paſcuis ſaginata, lucri cauſa vendant, vel ut eorum fetus, & fructus diſtrahentes lucrentur. Buſembaum objectiones ſolvuntur; quid ſit negotiatio, explicatur. pag. 233. a. 35. Clerici, & Regulares per alios ſeu famulos, ſeu non famulos negotiantes, non ſolum peccant, ſed letaliter peccant. p. 233. a. 36. La-Croix, Zacharia, Nocetius refelluntur. *ibid.*

Notarius. Vide *Tabellio*.

Neophytus. Vide *Irregularis*.

Novitii. Vide *Regulares*.

Nuptiæ. Vide *Matrimonium*.

O

OBedire ſubditus Superiori regulari tenetur, quibuſcumque verbis præcipiat. p. 285. a. 11

Item in in dubio, utrum Superior præcipere poſſit. a. 12. Eidem præcipienti, ut epiſcopatum accipiat, parere non cogitur. a. 13. Vel ut internos actus eliciat. a. 14. In dubio, utrum liceat quod Prælatus præcipit, ſubditus ſuas dubitandi rationes exponere, eique præcipere perſeveranti, poſito dubio, obſequi debet. Nam ſi dubio retento pareat, peccat. p. 285. a. 15.

Subditum non teneri obedire, ſi grave damnum obediendo timeat, Buſembau docet, quod ad examen vocatur. p. 285. a. 16

Obedientia filiorum. Vide *Filii*.

Obſervantia vana. Vide *Vana obſervantia*.

Occaſio proxima peccandi. Vide *Abſolutio*.

Occidere ſeipſum nemo poteſt, ut hoſtes pereant, vel ut grave Reipublicæ damnum avertatur. p. 162. a. 1

Occidentes ſeipſos ex graviſſima triſtitia, aut vehementi phantaſiæ turbatione, eccleſiaſtica ſepultura privandi ſunt. p. 164. a. 6. Vide *Homicidium*.

Occiſio illius, qui parit infideles. p. 167. a. 15. Accuſatoris. p. 167. a. 16. Innocentis. p. 167. a. 17. 18

Occiſio, ſeu expulſio fetus. p. 168. a. 19. Vide *Homicidium*.

Officio canonico ex inadvertentia, vel neceſſitate mutato, ſatisfieri præcepto non eſt certum. Quid in hac ſpecie faciendum. p. 312. a. 44

Officii mutatio in aliud minus ſponte facti, mortalis culpa eſt. La-Croixii ratio falſa, Caramuelis opinio proſcripta. Qui hodie per errorem officium de Sancto, qui alia die colitur, recitavit, officium omiſſum alia die recitare non debet. Alia quoad hoc opinatio exploditur. *ibid.*

Quomodo qui in officii recitatione quoad aliqua erravit, ſuum errorem emendare debeat. La-Croixii prolapſiones notantur. p. 312. eadem a. 44

Officium cum Socio recitans, ſi notabilem quantitatem eorum quæ ab eo leguntur, non percipiat, præcepto non ſatisfacit. p. 312. a. 45

De officii pronunciatione, & reſponſoriis. *ibid.*

In magna canonici officii interruptione mortalis culpa valde timenda eſt. p. 313. a. 46. Ejus nocturni ſeparatim legi non poſſunt; nec lectiones a pſalmodia matutini dividendæ ſunt. *ibid.*

De culpa in ordinis inverſione. p. 312. a. 47. Qua hora inchoari poſſit matutinum pro die ſequenti. p. 313. a. 48.

Beneficiarius officium una die omiſſum, alia die ſupplendo, a reſtitutionis debito non liberatur. a. 49. Sine devotione, & attentione interna ſaltem virtuali præcepto non ſatisfit. Craſſæ La-Croixii aberrationes refelluntur. p. 313. a. 50. Zachariæ cricitationes flocci faciendæ. *ibid.*

Qui officium ſponte diſtractus recitat, mortaliter peccat, illudque repetere tenetur; &, niſi repetat, beneficii, ſi quod habet, fructus ſuos pro rata non facit. Buſembaum inconſtantia, & hallucinatio notatur, ac adverſariorum ſophiſmata diluuntur. p. 315. a. 51.

Opinio Laxa, & rigida quæ ſit. p. x. præf.

Opinio tutior quænam ſit. p. xii. prod. Zachariæ impugnatio nulla. *ibid.*

Opinio probabilis minus tuta, ſeu minus, ſeu æqualiter probabilis ſit, quoad Judices, & Sacramentorum valorem, & ſi tenuiter probabilis, eſt damnata. p. 7. a. 3.

Opinionem probabilem alienam minus tutam qui ſequitur, Paulo Apoſtolo repugnat, fruſtra renitente La Croixio, & Zacharia. *ibidem*

Opinio graviter probabilis minus tuta, æque gravi, aut graviore probabilitate impugnata, nec fuit, nec eſt, nec unquam erit vera, & chriſtiana agendi regula. p. 7. a. 3. innumeræ adverſariorum cavillationes. *ibidem*. Vide *Probabilitas*.

Optare mortem filiarum, quod nuptui commode tradi nequeant, eſt deſiderium inhumanum, & impium. p. 65. a. 11.

Optare ſibi mortem ad gravia mala evitanda, eſt hominum perditorum, & deſperatæ ſalutis. *ibid.* La-Croixii aberrationes. *ibid.* Mulierculæ ob minimas moleſtias mortem ſibi optantes, ex defectu deliberationis a levitera culpa raro excuſantur. *ibid.*

Ordine ſacro etiam per gravem metum initiatus, cœlibatus lege tenetur; nec ſine pontificia diſpenſatione matrimonium ab eo unquam tentandum eſt. p. 520. a. 1.

Ordo præſertim ſacerdotalis, & epiſcopalis, cum hinc inde dubitatus, utrum valide fuerit collatus, ſub conditione iterandus eſt. Porrectio, & contactus ſacrorum vaſorum, ad ordinis valorem neceſſarius putandus non eſt; nec, ſi omittatur, ordinatio iteranda videtur, niſi forte ſub conditione. Arbitraria ſacrorum canonum interpretatio, & contradictio La-Croixii notatur. p. 520. a. 3.

Ordinari aliquis poteſt ab Epiſcopo, cui ſubditus eſt ratione vel originis, vel domicilii, vel beneficii; quo ſenſu id intelligendum ſit. p. 521. a. 4. 5. 6. 7

Ordinum incapax eſt hermaphroditus, & quo ſenſu. Ad Ordines, & primam tonſuram rite ſuſcipiendum animus permanendi in clericali ſtatu neceſſarius eſt, exploſis prætextibus Buſembaum, & La-Croixii. p. 521. a. 8.

Aliæ conditiones ad id neceſſariæ explicantur. *ibid.* Ordines minores quando conferri poſſint: ſimul cum ſubdiaconatu conferendi non ſunt: quæ interſtitia ſervanda, & quomodo Epiſcopus in iis diſpenſare poſſit. Ætas quoad tonſuram. p. 522. a. 8. Ordinum officia recenſentur. a. 9

Ornatus mulierum. Vide *Mulieres*.

Oſcula, & amplexus inter virum & mulierem officii cauſa, periculoſa ſunt, & cavenda; multoque magis, ſi ex vanitate, joco, petulantia fiant. p. 274. a. 1. 2. quæ ſi ex carnis delectatione fiant, ſunt mortales culpæ. La-Croix, & Buſembaum doctrinæ, & diſtinctiunculæ refutantur. *ibid.* Vide *Luxuria*, *peccatum tactus*.

P

PApa in quibus poſſit diſpenſare. Vide *Matrimonium ratum*, *Legislatores*.

Paradoxum inauditum La-Croixii a P. Zacharia inepte defenſum. p. 11. a. 3

Parochi ex divino præcepto Miſſam pro populo offerre tenentur; idque diebus dominicis, & aliis feſtis de præcepto. p. 157. a. 8. Iidem, niſi legitime impediti fuerint, per ſeipſos concionari, & chriſtianam doctrinam tradere debent. Opiniones contrariæ, falſæ, & abſurdæ. p. 158. a. 9. 10

Parochi a ſuis Eccleſiis ſine Epiſcopi permiſſione nec per duos menſes, imo ne unam quidem hebdomadam abeſſe poſſunt. p. 300. a. 9. Quod ſi contra Tridentinam legem ab iis abfuerint, fructuum reſtitutioni etiam ante Judicis ſententiam pro rata temporis obnoxii ſunt. p. 308. a. 11

Iidem confeſſionis coadjutores adſciſcere nequeunt, niſi Parochos, & approbatos. p. 487. a. 4. Delegatam facultatem pro ſua parœcia dare ii non poſſunt. p. 488. a. 9 Multoque minus univerſe delegari a eorum officia. p. 490. a. 10

Parochi ſuis ſubditis prohibere nequeunt, ut paſchatis tempore ſua peccata Regularibus generalem facultatem audiendi confeſſiones habentibus confiteantur; quæ tamen facultas ab Epiſcopis cum reſtrictione concedi, & revocari poteſt. p. 493. a. 17. Iidem per ſeipſos ſuorum ſubditorum id petentium confeſſiones excipere ſublatis Buſembaum prætextibus tenentur; & ſaltem ordinarie loquendo mortaliter peccare merito cenſentur, ſi id recuſent. p. 500. a. 37. 38.

Iidem inexcuſabiles ſunt, ſi conſuetudinis prætextu extremam unctionem pueris ante annos 14. vel 15. non ſubminiſtrent. p. 510. a. 5

Pater id quod habet ſupra partes legitimas filiorum poteſt de jure fori, alieno relinquere, non de jure poli. p. 253. a. 24.

Patrini. Vide *Baptiſmus*. *Confirmatio*.

Patrum auctoritas a P. Zacharia elevata. p. xiii. prod.

Patrum doctrinæ recentes opinatores repugnare audentes, audiendi non ſunt. p. 23. a. 7

Pauperes. Vide *Eleemoſyna*.

Pauperem ſe fingens. Vide *Reſtitutio*.

Paſchatis die Regulares in ſuis Eccleſiis Euchariſtiam laicis adminiſtrare nequeunt. p. 408. a. 2

Peccata in ebrietate commiſſa, ſi hæc involuntaria ſit, a culpa immunia ſunt, non item ſi ebrietas ſit voluntaria. Si tamen nec fuerint prævisa, nec prævideri potuerint, culpæ imputanda non videntur. p. 21. a. 1

Peccato impleri poſſe votum, juramentum, ſacramentalem pœnitentiam, monſtro ſimile eſt. p. 27. a. 2

Peccatum præſupponere cognitionem, eſt pelagianus error. p. 32. a. 2. Zachariæ contrarius conatus retunditur. *ibid.*

Falſumque eſt, non eſſe voluntarium, niſi in mentem venerit dubitare, nec ſtuduiſſe intelligere. p. 32. a. 2

Peccatum non admitti, niſi malitia advertatur, eſt opinio hæreſim pelagianam involvens. p. 347. a. 1

Peccati ex Buſembaum ſententia neceſſariæ conditiones, & excuſationes enendantur, & refelluntur. p. 348. a. 2. 3. 4. 5.

Peccata magis ex actuum objectis, quam ex oppoſitis virtutibus ſpecie diſtinguuntur. p. 352. a. 16

Peccata etiam interna per involuntariam, & naturalem ceſſationem interrumpuntur. Contrariæ Buſembaum rationes diluuntur. p. 353. a. 17. Hujus doctrinæ conciliatio cum alia, quæ ſpecie contraria videtur. p. 353. a. 18.

Oſcula, & tactus impudici fornicationem ſubſequentes, non ſunt unum cum ea peccatum, ſed diſtinctum. p. 353. a. 19

Ad mortale peccatum neceſſariam eſſe plenam advertentiam, eſt opinio quæ a pelagiano errore, & peccato philoſophico ſeparari non poteſt. Quænam advertentia ad illud ſufficiat. La-Croixii objectiones in nihilum rediguntur. p. 355. a. 1. p. 356. a. 2

Ad peccatum mortale requiri perfectum conſenſum cum plena advertentia falſitas eſt, falſitati addita. p. 356. a. 2

Mortaliter peccat, qui votum quotidie modicum quid orandi, vel parvam eleemoſynam dandi, aliquot diebus violat. p. 356. a. 3. p. 137. a. 8. Item letale crimen eſt, propoſitum ex ſemper omittendi. p. 356. a. 3

Item fractio multorum votorum diverſæ ſpeciei in materiis levibus, & propoſitum ea frangendi. *ibid.*

A mortali crimine non excuſatur qui, cum ter, aut quater mille aureos in pias cauſas voverit, tres non ſolvit, Buſembaum, & Laymanni cavillationibus non ſuffragantibus. p. 356. a. 4

Peccatum veniale etiam ex errante conſcientia fit mortale. p. 357. a. 5

Peccatum levis mendacii ad cupulam cum aliena extorquendam quomodo in confeſſione exprimendum ſit. p. 357. a. 6.

Non eſſe letale peccatum, hic & nunc in re modica Superiori nolle ſubjici, eſt falſa, & arbitraria opinio. p. 357. a. 7. Item mortifere peccat qui executionem legis, aut præcepti hic & nunc contemnit. *ibid.*

Item qui aliquid facit ex contemptu Prælati, non ut talis eſt, ſed quatenus indoctus eſt, imprudens eſt. p. 358. a. 8.

A letali peccato non eximitur qui ex neceſſitate in proximum mortalis criminis diſcrimen ſeſe conjicit, aut in eo permanet. p. 358. a. 9. Hujus doctrinæ temperamentum. *ibid.*

Peccatum veniale, ſine gratiæ infuſione non remitti, falſum eſt. p. 381. a. un.

Penſio, reſignationis, aut litis componendæ cauſa imponi non poteſt. p. 304. a. 17

Penſiones ſuper parœcias ab Epiſcopis ex nullo titulo conſtitui poſſunt. p. 304. a. 18

Penſionarius, ſi ſit Clericus, officium B. V. M. recitare tenetur. Buſembaum excuſatio tollitur. p. 305. a. 19

Peregrini, antequam proprio loco excedant, præcepta quæ ibi vigent, implere tenentur. p. 23. a. 6

Iidem, & vagi, ſpecialibus præceptis locorum, in quibus verſantur, obnoxii ſunt. p. 23. a. 7. Corollarium hujus doctrinæ. p. 24. a. 8. Vide *Jejunium*.

SS. Auguſtinum, & Gregorium in contrariam ſententiam P. Zach. trahere fruſtra conatur. *ibid.* Ejuſdem cavillatio iterum retunditur. *ibid.*

Perjurium eſt, & mortale peccatum, ſi quis rem exiguam juramento promiſſam non impleat. Refellitur La-Croix. p. 126. a. 19. Corollaria hujus doctrinæ. p. 126. a. 19. Item perjurium eſt, & letiterum crimen, ſi ex eo quod juraſti, parvum aliquid non ſerves. p. 127. a. 20.

Pharmacopola unum remedium pro alio ſubſtituere non poteſt, niſi ea neceſſitate, quæ explicatur. p. 343. a. 54

Pœnitentia ſacramentalis. A Buſembaum perperam excuſatur Sacerdos, qui leviſſimam, aut etiam nullam ſacramentalem pœnitentiam injungit. p. 472. a. 41

Quid hac in re cum infirmis pœnitentibus faciendum. *ibid.*

Falſo ſuppoſito laborat Buſembau, dum ait, pœnitentiam poſſe omitti, cum ſcrupuloſus intra eamdem horam cum novis culpis redit. *ibid.*

Pœnitentia juſto minor propter jubilæum, aut plenam indulgentiam imponi nequit. p. 472. a. 42. & p. 472. a. 46.

Pœnitentia publica pro publicis peccatis injungi non ſolum poteſt, ſed etiam debet. p. 472. a. 43. Eadem

ante abſolutionem imponenda eſt. p. 472. a. 44. Neminem ſine abſolutione eſſe dimittendum, dummodo vel leviſſimam pœnitentiam acceptet, valde abſurda, & falſa opinatio eſt. p. 472. a. 45
Pœnitentia ſacramentalis ſemper graviter obligare videtur. a. 46
Eadem a Confeſſario libere imponi non poteſt; nec gravis pœnitentia pro mortalibus ſine gravi obligatione. p. 472. a. 46
A pœnitentia eo prætextu perperam quis ſeſe eximit, quod eam eſſe injuſtam, ſibi conſtet. p. 473. a. 47. Quid faciendum, ſi pœnitens pœnitentiam implere non poſſit, aut ejuſdem obliviſcatur. Buſembaum, & La-Croix aberrationes. *ibid.* Pœnitentia, ex qua aliquis effectus manet, in ſtatu mortali peracta, præcepto ſatisfacit, non item ſi nullus poſt eam effectus maneat. p. 474. a. 48
Ea tamen opera, culpæ adſcribenda non ſunt; ſicuti contra per novum gratiæ ſtatum, vim ſatisfaciendi non recuperant. Pœnitentia diu, puta ad annum, vel medium annum prorogata, mortalis culpa videtur. *ibid.*
Pœnitentiam medicinalem ſub conditione, a pœnitente recuſari poſſe, abſurda opinio eſt. p. 475. a. 49. Pœnitens, qui per ſe ſatisfacere non poteſt, per alium ſine Confeſſarii permiſſu ſatisfacere nequit: Confeſſarius pœnitenti permittere non debet, ut per alium ſatisfaciat, ſi per ſeipſum poſſit. p. 475. a. 50. Qui pro alio ſatisfacit, pro ſeipſo ſimul ſatisfacere non valet. *ibid.*
Pœnitentia pro reſervatis criminibus impoſita, ab inferiore Confeſſario commutari nequit. p. 475. a. 51
Pœnitentia a Confeſſario, qui eam injunxit, extra confeſſionis tribunal commutari non poteſt. p. 476. a. 52. Eamdem ab alio Confeſſario ſine confeſſionis repetitione mutari poſſe, non probabilis, ſed abſurda opinio eſt. Cujus corollaria refutantur. *ibid.* Eadem a pœnitente propria auctoritate in aliam ne evidentes quidem meliorem mutari vales. p. 476. a. 53
Pœnitens a reſervatis, & cenſuris in articulo mortis per ſimplicem Sacerdotem abſolutus, quomodo, ſi vixerit, ſe gerere debeat. p. 412. a. 12
Idem a Sacerdote facultatem in reſervata habente valide abſolutus, (non item ſi abſolutio fuit nulla) reſervatum inculpabiliter omiſſum inferiori Sacerdoti confiteri poteſt; oppoſitum tamen, ſi fieri poſſit, tutius eſt. p. 495 a. 23
Pœnitens qui ſecundum probabilem opinionem, quam Confeſſarius falſam judicat, operari vult, abſolvendus non eſt. p. 23. a. 6
Pœnitentia Sacramentalis actu malo, non impletur. p. 27. a. 2. Zachariæ aberratum. *ibid.*
Pollutio prævisa, & voluntaria, ex quacumque cauſa producta, eſt mortale crimen. p. 180. a. 19. Sophiſmata Buſemb. & La-Croix refutantur. *ibid.*
Pollutio in ſomno contingens, & directe procurata, etiamſi cauſa retractetur, mortalis culpa eſt. p. 180. a. 20.
Item mortalis culpa eſt, ſi poſt placeat, etſi ob voluptatem non placeat. *ibid.*
Eadem nocturna pollutio in ſe minime cupita, ex veniali cibi, aut potus exceſſu orta, non eſt letalis noxa. *ibid.*
Idem videtur dicendum, etiamſi ex veniali culpa in genere luxuriæ, aut etiam ex mortali crimine, puta ebrietate exiſtat. *ibid.*
Eadem ex cauſis minime culpandis profecta, omni culpa vacat. *ibid.*
Pollutio vigilanti ſponte ſua eveniens, quoad fieri poteſt, reprimenda eſt: ſi autem ex culpa orta ſit, ejus continuationis permiſſio, eſt mortalis culpæ conſummatio. Pollutio in ſomno cœpta, non ſubeſt voluntati vigilantis, aut vigilare incipientis. p. 178. a. 16. Pollutionem ſpontaneam naturalem etiam nocturnam optare, aut de ea gaudere nunquam licet. p. 179. a. 17.
Phyſiognomia. Ex phyſiognomia quid conjici poſſit. Cauſe adhibenda eſt. p. 98. a. 4
Pingere, piſcari. Vide *Feſtum*.
Poſſe qui tenetur duas Miſſas audire, eas audire ſimul, imo etiam tres, abſurde dicitur. p. 28. a. 8
Pretium pro admiſſione ad religionem ſimoniace acceptum, ſi totum monaſterium non fuit in culpa, retineri poteſt; non item, ſi totum in culpa fuit. p. 212. a. 15. Pretium pro beneficio, aliave re ſpirituali acceptum, ſeu collatio facta fuerit, ſeu non, danti non eſt reſtituendum, ſed in pios uſus convertendum. p. 212. a. 16.
Præcepto audiendi ſacrum ab eo non ſatisfieri, qui ob pravum finem illud audit, oſtenditur. p. 26. a. 2. P. Zach. refellitur. *ibid.* Præcepto non ſatisfacit, qui opus impoſitum faciens, expreſſe intendit non ſatisfacere. Hallucinatio, & contradictio La-Croix. p. 27. a. 3. Mutatio voluntatis, qua ſatisfeciſſe velit, inanis eſt, & ridicula. p. 28. a. 6
Præcepto ſatisfacit Sacerdos, qui legit horas non ea devotione qua vult, dum tamen attente, ac devote eas recitet, ideoque illas repetere non tenetur, etiamſi id propoſuerit. p. 27. a. 4
Præcepta impleri non poſſe ſine voluntate faciendi opus imperatum, vere aſſeritur. Cavillationes La-Croixii. p. 28. a. 7
Præceptum affirmativum, & negativum a Buſemb. non recte definitur. p. 16. dub. 2. q. 1
Præceptum non imperans actum humanum, commentitium eſt. p. 28. a. 7. P. Zach. refellitur. *ibid.*
Probabilitas. Vide *Opinio probabilis*. *Superiori*.
Probabilitas major, vulgo *probabilioriſmo*, non eſt deſerenda, quia a Janſeniſtis defenditur. p. 10. a. 3
Probabilitati minori nec S. Cyprianus, nec S. Auguſtinus, nec D. Bernardus, quidquid contra P. Zach. dicat, patrocinantur, ſed contra majori. p. xxx. xcix. prol.
Probabiliſti cur dicti *probabiles*. p. xv. prodromi.
Procurator, aut quicumque alius reo ſuadens, vel parti, ut veritatem neget, ſemper peccat. p. 336. a. 32
Promiſſio acceptata de re notabili, ſub mortali obligat. p. 224. a. 2. Promiſſionis obligatio ab intentione promittentis ex toto pendere perperam dicitur. p. 224. a. 3. Habere intentionem promittendi, & non ſe obligandi, ſunt contradictoria. p. 136. a. 4
Proviſi de canonicatu, aut dignitate in cathedrali Eccleſia, fidei profeſſionem omittentes, ante Judicis ſententiam fructus male perceptos reſtituere tenentur. p. 43. a. 4. Idem per ſeipſos profeſſionem facere tenentur. p. 43. a. 5.
Pueri omittentes actus fidei ex inadvertentia præcepti culpa non excuſantur p. 30. a. 5. Zach. errata. *ibid.*
Puellam non peccare, ſi ob evidens periculum mortis, coitum mere patiatur, *ſecluſo tamen omni periculo conſenſus*, eſt propoſitio certo falſa, & a Clero Gallicano proſcripta. p. 180. a. 20
Illud *ſecluſo tamen &c.* eſt impoſſibile. Zach. contra hæc garriens retunditur. *ibid.*

R

REdimere pecunia, ne de tua fide fiat inquiſitio, quomodo ſit permiſſum. Vide *Libellatici*.
Regularis, qui ſine ſui Superioris licentia teſtamenti executor eſt, acta valida eſſe videntur. p. 251. a. 54.
Regulares quoad ſæcularium confeſſiones approbati, quomodo ad examen iterum vocari, & a confeſſionibus ſuſpendi valeant. p. 488 a. 8. Iidem, ſi approbati non ſint, privilegiorum prætextu, ſæcularium confeſſiones excipere non poſſunt. p. 488. a. 9. Iidem ad ſuorum confeſſiones audiendas deputati, quid poſſint quoad reſervata. p. 495. a. 21. Et quoad cenſuras. p. 576. a. 5. 7. Vide *Cenſura*.
Regulares non Prælati, veſtes pro uſu ſacrificii benedicere nequeunt; Prælati poſſunt pro ſuarum Eccleſiarum uſu, non item pro aliis. Quomodo hic ſe gerere debeant. p. 438. a. 33
Regulares extra ſuas Eccleſias ægrotis Euchariſtiam adminiſtrare non poſſunt, etiamſi hi communionis præcepto nondum teneantur, vel ei ſatisfecerint. p. 414. a. 3. Nec paſchalem communionem, taciti, & præſumpti conſenſus prætextu iis, qui apud ipſos ſacramenta frequentant. a. 4. 5. Aut vi privilegiorum. *ibid.* & p. 424. a. 39. Adminiſtrantes Euchariſtiam, & extremam unctionem, aut matrimonio aſſiſtentes ſine juriſdictione, aut ſpeciali licentia, excommunicationem *Papæ* reſervatam ipſo facto incurrunt; a qua tamen eximit ignorantia etiam craſſa, non autem affectata. p. 414. a. 2. Vide *Ludus*. *Negotiatio*. *Obedire*.
Religioſus ad epiſcopatum promotus, a ſuorum Prælatorum obedientia immunis eſt: a paupertate eo ſenſu, ut bonorum undecumque provenientium diſpenſationem, non dominium habeat: a regulæ jugo pro officii neceſſitate. Quod ſi epiſcopatum reſignet, ad regularem obſervantiam redire tenetur. p. 282. a. 2
Qui religionis profeſſionem irritam fecit, nec umquam ratam habuit, e religione nihilominus propria auctoritate egredi non poteſt. Contrariæ Anacleti rationes diluuntur. p. 282. a. 2. Religioſo fuga nunquam permiſſa eſt. p. 282. a. 3. Idem, ſi regulam ſervare nolit, mortaliter peccat. p. 283. a. 4. Omnis regulæ contemptus, mortalis eſt. a. 5
Hæc propoſitio, *Religioſus etiam profeſſus poteſt habere peculium dependens, & revocabile ad nutum Superioris*, Religionum regulis, & S. Trid. Synodo adverſatur. Superiorum quoad hoc licentia, & conſuetudo inanis eſt. p. 283. a. 6

Reli-

Religioſo nec villa, nec agri, nec alius locus monaſterii nomine, & in hujus commodum adminiſtrandus committi poteſt, niſi ſit monaſterii officialis. Eidem beneficia in ejus commodum, & incommodum dari non poſſunt. p. 283. a. 7
Religioſorum eccleſiaſtica beneficia, aut epiſcopatus obtinentium profanæ donationes, non ſolum malæ, ſed irritæ ſine dubio ſunt. *ibid.* Iiſdem permitti non poteſt ut extra monaſterium maneant; multoque minus cum annui reditus aſſignatione in eorum commodum, & incommodum. Item monialibus non eſt concedendum, ut velles manuum labore ſibi comparent. Contrariæ conſuetudines, ſunt apertæ corruptelæ. p. 284. a. 8
Quæſtiones a Buſembao, & La-Croix excitatæ de licentia accipiendi, expendendi, retinendi quoad religioſos, poſita vitæ communitate, ſupervacaneæ ſunt; ea ſublata religio evadit chaos. p. 284. a. 9. Vide *Ludus*. *Negotiatio*.
Religioſorum acceptiones, donationes, alienationes ex præſumpta Prælati licentia nec licent, nec valent. Involuta Buſembaum ſophiſmata diluuntur. p. 284. a. 10. Monitum ad Regulares, eorumque Confeſſarios. *ibid.*
Qui ſolvendo non eſt, religionem ingredi poteſt, ſi recipiatur, etiamſi in ſæculo manendo infra paucos annos ſolvere poſſe putetur. p. 286. a. 17
Religioſi utriuſque ſexus, choro deſtinati, a mortali reatu perperam excuſantur, ſi horas canonicas bis, aut ter in anno, imo una die omittant. p. 286. a. 20
Mulier ad matrimonium conſummandum a marito ante bimeſtre coacta, religionem ingredi nequit. Anacleti contrariæ rationes ſolvuntur. p. 231. a. 17
A religione ſtrictiore ad mitiorem transeundi facultas nec ab Epiſcopo, nec ab Ordinis Prælato cum capituli conſenſu dari poteſt. p. 286. a. 20
Religioſus regulam ſtrictiorem, quæ in ſuo ordine non viget, profeſſus, etiamſi reformationis ſpes non ſit, ad laxiorem obſervantem ordinem propria auctoritate tranſire prohibetur. p. 287. a. 21
Religioſi a nulla religione, ne excepta quidem Societate Jeſu, expelli queunt, niſi vere incorrigibiles ſint. p. 287. a. 22.
Religioſorum ejectorum bona eccleſiaſtica, Eccleſiæ, in qua beneficium habent, acquiruntur; alia bona ad jus Epiſcopi, cui ſubſunt, pertinere videntur. p. 287. a. 23. Iidem omni Superiore non carent. a. 24. Nec ab omnibus ordinis regulis ſoluti ſunt. a. 25. Nec extra ſuum ordinem tuta conſcientia manere poſſunt. a. 26. Idque verum eſt, etiamſi a ſuis in monaſterium non recipiantur. p. 287. a. 27
Nec Religionum Prælati, nec locorum Ordinarii religioſum ea conditione ejicere queunt, ut vel aliam religionem ingrediatur, vel ad ſuam revertatur. *ibid.*
Non ſolum Religioſi fugitivi, & apoſtatæ, ſed etiam jure ejecti, ſi ſe correxerint, in ordinem a ſuis Prælatis recipiendi ſunt. p. 288. a. 28. Vide *Votum*.
Religioſi ejecti, & qui ex diſpenſatione extra monaſterium manent, ab horis canonicis immunes non ſunt. La-Croix exceptio exploditur. p. 305. a. 22.
Religioſi, jactatis regularium privilegiis facile credere non debent. p. 415. a. 6. Vide *Euchariſtia*. *Miſſa*.
Iidem a nullis caſibus Epiſcopis reſervatis ſine eorum conceſſione abſolvere poſſunt. p. 495. a. 26. Introducentes mulieres intra monaſteria, quas pœnas incurrant. p. 448. a. 9.
Repreſſalia in perſonas innocentes, etiamſi eccleſiaſticæ non ſint, non ſunt permiſſa. p. 171. a. 32
Reſidentia. A reſidentia quænam cauſæ, & qua ratione Epiſcopos, & Parochos excuſent. p. 300. a. 8. p. 301. a. 10.
Reſtitutio bonorum in juſto bello injuſtis poſſeſſoribus ereptorum ſuis dominis facienda eſt. p. 171. a. 33. Reſtitutio, aut ſatisfactio ſemper ab eo facienda eſt, qui injuriam intulit. p. 195. a. 1.
Reſtitutio ſemper facienda eſt, quotieſcumque ex culpa damnum datum fuit. p. 196. a. 2. p. 201. a. 53. p. 216. a. 13.
Reſtitutionis lege quando non teneantur, qui conſilio, precibus &c. revocatis alios ad damnum excitarunt. p. 196. a. 3.
Reſtituere quando non teneantur, qui a ſartoribus magiſtris panni fragmenta emerunt. p. 196. a. 4
Reſtituere debet, qui furem cum re furtiva fugientem juvat ad fugam. p. 196. a. 4.
Item qui furem paratum poſt aliquod tempus ad furandum, impedit, ut citius furetur. La-Croix aberrationes. p. 197. a. 7
Item qui ſuo conſilio, aut mandato ad damnum probabiliter impulerunt. In dubio facienda eſt reſtitutio ex dimidio, aut pro ratione dubii. p. 196. a. 6. Aliæ cooperationes reſtitutioni obnoxiæ attinguntur. *ibid.*
Reſtituere tenetur Confeſſarius, qui ex negligentia, vel ignorantia pœnitentem de reſtitutione ab eo facienda non monuit, niſi poſt admoneat. p. 197. a. 8
Reſtitutione in ſolidum tenentur plures ſimul damnum facientes, ſeſeque mutuo juvantes. Commentationes Buſ. & La-Croix refutantur. p. 198. a. 9
Reſtituere debet, qui collatorem ſine legitima cauſa induxit ad non conferendum eccleſiaſticum beneficium, cui conſtituerat. p. 198. a. 10
A reſtitutione excuſari, qui dona gratuita aliquibus deſtinata ſine ratione impediunt, eſt quidem communis ſententia, quæ tamen nec ſatis certa, nec tuta videtur. p. 199. a. 10
In reſtitutione incertorum bonorum pauperes dominis ſubrogandi ſunt. p. 200. a. 11. Qui multis minutis furtis, multis civibus damnum intulit, pro reſtitutione poſſe dare pauperibus, eſt opinio, quæ ne ſpeciem quidem habet probabilitatis. p. 200. a. 12
Praxis quoad reſtitutionem inventorum. p. 201. a. 13
Qui rem alienam male accepit, non ſolum eam reſtituere, ſed etiam ut neceſſariis expenſis pro ejus miſſione, dominum indemnem ſervare tenetur. Si autem rem jure accepit, in gratuito depoſito rei tranſmiſſio expenſis domini facienda eſt; ac in commodato, & mutuo reſtituenda res eſt, ubi fuit accepta, expenſis commodatarii, & mutuatarii, niſi aliter conventum fuerit. p. 201. a. 14. Quid faciendum, ſi ignoretur, ubi dominus ſit. *ibid.*
Cui reſtituenda ſit res aliena accepta a poſſeſſore bonæ fidei. p. 201. a. 15
Rem a fure, ſeu ab alio ſeu bona, ſeu mala fide emptam poſſe reſtitui furi, ut pretium recuperetur, eſt fucata probabilitas. p. 201. a. 16
Quid faciendum, ſi res mala fide poſſeſſa cum expenſis ad dominum transferenda ſit. p. 208. a. 45
Si bona fide rem alienam, e. g. equum, a Petro emiſti, & Paulo vendidiſti, & poſtea conſtet, equum eſſe Joannis, qui illum a Paulo repetat, & Paulus a te pretium, hoc Paulo reddere teneris, nec a pretii reſtitutione eximeris, quia Paulus equum tibi non reſtituit. p. 202. a. 17
Res uſu conſumptibiles a fure bona fide emptas, & cum ſuis quocumque modo permixtas, reali obligationi non eſſe obnoxias, eſt opinio ſophiſtica, pugnacium rhabuliſtarum propria. p. 202. a. 18
Poſſeſſor bonæ fidei non poteſt rem ex toto retinere, quam examine diligenti habito magis alienam, quam ſuam putat. Quod ſi ſuborto dubio veritatem inveſtigare neglexit, peccavit; ex hoc tamen ſolo capite reſtituere non tenetur. p. 202. a. 19
Si rem alienam tibi donatam, bona fide vendidiſti, venditor eam tibi reddere tenetur, tu vero illi pretium. p. 202. a. 20
Si bona fide rem alienam emiſti, & ſine lucro vendidiſti, pretium emptori reſtituere debes. p. 203. a. 21
Si a fure accepiſti rem uſum conſumptibilem cum tuis rebus permixtam, reſtituere teneris non ex toto, ſed ſervata proportione. p. 203. a. 22
Qui in loco publico contra juſtam prohibitionem paſcit, vel ligna cædit, reſtitutioni obnoxius eſt; multo vero magis, ſi in locis privatis id faciat. p. 203. a. 24
Reſtitutioni obnoxii ſunt qui venantur, aut piſcantur in locis alteri locatis, vel alias prohibitis. Item fraudatores vectigalium. p. 203. a. 25. & 26. Damnifici vero, & malæ fidei poſſeſſores fructus quoque, damnumque emergens, & lucrum ceſſans reſtituere coguntur. p. 204. a. 27
Si res aliena caſu pereat, reſtitutio nihilominus facienda eſt, etiamſi apud dominum peritura fuiſſet. Notabilis quoad hoc animadverſio. p. 204. a. 28.
Eleemoſynæ ſimulate extortæ, reſtituendæ ſunt, pauperibus quidem, ſi minutæ ſint, danti, ſi ſint notabiles, & non tantum paupertatis, ſed etiam perſonæ fictione emunctæ. p. 205. a. 29
Reſtituere fures tenentur, etiamſi rem furto ablatam in extrema neceſſitate conſumpſerint. p. 205. a. 30
Quid de injuſto occiſore, & mutilatore, per venena nocente, ebrio occidente, ſtupratore, adultero, detractore, tyronem a religione ſine ratione abducente quoad reſtitutionem ſentiendum. p. 205. 206. 207. a. 30. 34. 40. 41. p. 208. a. 42. 43.
Si occiſus ante mortem omnia remiſit, occiſor ab omni reſtitutione liber non eſt. p. 206. a. 33
Nulli reſtitutioni eſſe obnoxios heredes homicidæ morte mulctati, quia heredes occiſi plerumque nihil exigunt, probandum non eſt. p. 206. a. 35. Quibus reſtitutio ab interfectore facienda ſit. p. 206. 207. a. 36. 37. 38.
Ordo in reſtitutione ſervandus. p. 209. 210. a. 47. 48. 49. 50. 51. 52.
Ab incertorum reſtitutione non excuſat compoſitio cum Epiſcopo. Compoſitio vero cum Papa ſolet eſſe periculoſa. p. 210. a. 54

Reſti-

Reſtitutionis dilatio juſta non videtur, ſi debitor ſtatim reſtituens, juxta ſui ſtatus decentiam vivere nequeat. p. 218. a. 56

A reſtitutione, bonorum ceſſio non excuſat, niſi vera reſtituendi impotentia adſit. p. 218. a. 57. La-Croixii opinio abſurda. *ibid.*

Qui ceſſit bonis, vulgo *fallito*, non ſolum reſtituere tenetur, ſi ad pinguiorem fortunam veniat, ſed etiam pro ſui ſtatus conditione laborare, ut ſolvat. Contradictio Buſemb. notatur. *ibid.*

Reſtitutio nec in foro externo, nec quoad conſcientiam creditori tui creditoris fieri poteſt. La-Croixii ratio ſolvitur, Malæ artes notantur. p. 222. a. 58. Reſtitutionis debitum non aboletur per procurationem officii creditori non gratis factam. Corrupta praxis notatur. *ibid.*

Reſtitutio omitti non poteſt, quia creditor re ſibi reddita abuſurus eſt, ſed ſolum differri valet. *ibid.* Vide *Ludus. Sponſio.*

Reſtitutio ex dimidio, aut pro ratione dubii facienda eſt, ſi depoſitarius dubitet, utrum res ſua culpa perierit. p. 226. a. 14

Reſtitutione non teneri, qui nudo exemplo alios ad furtum induxit, communis opinio eſt, quæ ad criticam revocatur. p. 75. a. 2. Reſtitutioni obnoxius merito dicitur, qui cum alio potitat, luxuriatur &c. ea mente, ut hic conſumptis pecuniis furetur, ſi reipſa id accidat. *ibid.*

Detractores famam reſtituere tenentur. Excuſationes inanes. p. 261. a. 20. p. 262. a. 22

A famæ reſtitutione excuſaris, ſi is cui detraxiſti, tibi æqualiter detraxit, nec tuam famam reparare velit. p. 261. a. 21. Item excuſat condonatio certa, non item præſumpta. p. 262. a. 23

Bona Eccleſiæ, minorum, & fiſci credito empta, & extantia, pretio non ſoluto, ut ipſis reſtituenda ſunt: ab aliis autem empta, non venditoribus, ſed iis danda videntur qui potiori, & anteriori jure in perſonam emptoris fruuntur. p. 209. a. 47. Debiti reſtitutio ab eo qui poteſt, ſtatim facienda eſt, & procraſtinator non eſt abſolvendus, niſi prius ſolverit. Hallucinationes Buſemb. p. 208. a. 46

Reſtitutio ob omiſſionem horarum canonicarum fieri poteſt pauperibus amicis, Ipſique beneficiario, ſed cautione adhibita. p. 308. a. 35

Hæc reſtitutio, ſuffragiis pro defunctis, aliiſque precibus ſuppleri non poteſt. *ibid* nec per erogationem pecuniæ in alios uſus, ac qui a Concilio Lateranenſi, ac S Pio V. præſcripti fuerunt, conſuetudinibus, aut ſtatutis contrariis pro nihilo habendis. p. 308. a 36

Reſtitutioni ſatisfeciſſe videtur beneficiarius, qui poſt canonicarum horarum omiſſionem, congruam in pauperes, aut fabricam Eccleſiæ pecuniam impendit, licet reſtituendi præceptum in mente non habuerit. p. 309. a. 37

Reſtitutioni obnoxius eſt canonicus, qui, poſtquam ſui canonicatus fructus, ſeu, ut ajunt, groſſam accepit, horas canonicas omittat. Falſa Buſembaum poſitio, & ſophiſtica ratio reprehenditur. *ibid.*

Reſtrictio. Vide *Æquivocatio*.

Reus, qui ex Judicis injuria crimen confeſſus eſt, condemnari non poteſt, niſi fraude comperta, in confeſſione ſponte perſiſtat. p. 332. a. 8. 9

Reus legitime non interrogatus quomodo ſe gerere debeat. p. 337. a. 37. Idem in dubio, utrum legitime interrogetur, ſuum crimen confiteri tenetur. Adverſariorum rationes ſolvuntur. p. 337. a. 38. Factum, de quo legitime interrogatur, inficiari non poteſt, licet Judex ex falſa delicti præſumptione interroget. Adverſariorum ſophiſmata deteguntur. a. 39. In cauſa capitali juridice interrogatus, mortaliter peccat, ſi veritatem inficietur. Cavillationes contrariæ refelluntur. p. 338. a. 40. Hinc a Confeſſario urgendus eſt, ut crimen etiam capitale confiteatur, alioquin abſolvendus non eſt. a. 41. Si crimen a ſe admiſſum contra jus occultavit, aut negavit, ante Judicis ſententiam illud etiam ſponte confiteri tenetur. p. 339. a. 42. Si ad gravia tormenta vitanda falſum ſibi crimen morte plectendum impoſuit, mortaliter peccavit, additoque juramento de veritate dicenda, pejeravit. Buſembaum ſophiſmata diluuntur. p. 339. a. 43. Hanc confeſſionem revocare tenetur. p. 339. a. 44

Si ex vi tormentorum, innocentem denuntiavit, denuntiationem revocare tenetur; quæ commentitie, & falſo inutilis dicitur. a. 45. Ad revocationem a Confeſſario cogendus eſt. Multa Buſembaum abſurda. a. 46

A peccato non excuſatur, ſi complices omnino occultos tormentorum vi prodat. p. 340. a. 47. Eidem cuſtodes carcerum decipere non licet, ne carceres effringere; ubi Buſembaum & Zachariæ ejus vindicis aberrationes animadvertuntur. p. 340. a. 48. Nec ei e carceribus, ſi ad carceres tantum damnatus ſit, fugere permiſſum videtur; ideoque ne aliis quidem eum ad fugam juvare. p. 342. a. 49. Vide *Confeſſarius*.

Rixæ ex genere ſuo, mortales culpæ ſunt, ac fere ſemper tales. Qui a rixante invaditur, ſe defendere jure poli non poteſt, ſi fugere valeat. Quando defenſio ſit innocens, aut culpa venialis, vel mortalis. p. 372. a. 23

S

Sacerdotes divites pro Miſſis, aliiſque ſacris functionibus eleemoſynas accipere non poſſunt, niſi in pios uſus impendendas. p. 209. 210. a. 9

Sacerdos mortiferi peccati ſibi conſcius, Sacramenta abſque prævia confeſſione adminiſtrans, mortaliter peccat. p. 156. a. 2. Vide *Miniſter. Euchariſtia.*

Nullus omnino Sacerdos valide abſolvit, niſi fuerit approbatus. Buſembaum exceptio valde reprehendenda. p. 486. a. 1. p. 488. a. 9 Doctores, & Licentiati, a Papa approbati perperam dicuntur. p. 487. a. 2. Approbatio eſt omnino neceſſaria etiam quoad venialia. a. 3. Adverſariorum cavillationes tolluntur. *ibid.* & p. 488. a. 9.

Sacerdos quicumque etiam excommunicatus non toleratus, hæreticus, ſchiſmaticus pœnitentem in articulo mortis, ſi alius Sacerdos abſit, abſolvere poteſt. p. 488. a. 9. Non item extra hujuſmodi neceſſitatem. p. 491. a. 13. 14. 15.

Sacerdos non approbatus, præſente Parocho, aut alio Sacerdote approbato, pœnitentes in articulo mortis abſolvere non debet. p. 488. a. 9

Idem ab Epiſcopis titularibus, aliiſque inferioribus Prælatis, imo ab ipſis Cardinalibus in Confeſſarium eligi non poteſt; multo vero minus a ſæculi Principibus. p. 488. 489. a. 9.

Sacerdos cum dubia juriſdictione pœnitentem abſolvere non poteſt, quod diu confeſſus non ſit, vel communicare debeat, etſi alius non adſit. Buſembaum, & La-Croix commenta refelluntur. p. 492. a. 16

Quid Sacerdos facere debeat, ſi Miſſa inchoata excommunicatus non toleratus Eccleſiam ingrediatur, nec ab ea expelli poſſit. p. 596. a. 9

Sacerdotes morbo caduco frequenter laborantes, celebrare prohibendi ſunt; ſi autem eo raro laborent, cum coadjutore Miſſam dicere permitti poterunt. p. 619. a 14

Sacramentum adminiſtrari poſſe ex opinione ſpeculativa probabili circa ejus valorem, eſt doctrina damnata. p. 14. a. a. 10

Sacramentorum materia, & forma non ſolum moralem, ſed ex parte phyſicam quoque unionem ex Sacramenti neceſſitate poſtulant. p. 374. a. 1

Conditiones neceſſariæ Sacramentis adjectæ, ſunt nugatoriæ, & contradictoriæ. Quid ſi adjiciantur conditiones adminiſtranti certæ, aut incertæ. Illa conditio, abſolvo te, *ſi Chriſtus mortuus eſt pro nobis*, eſt maxime impia, & mortalis. p. 376. a. 2

Sacrilegium non committi, ſi res ablata per accidens tum ſit in Eccleſia, eſt mira, & falſa probabilitas. p 104. a. 3.

Sacrilegi rei ſunt, qui tapetes, candelabra, & ſimilia, ad uſum communem adhibent. p. 104 a. 4. Sacrilegi item ſunt, qui ſacra Scriptura non ſolum pro hæreſibus, rebuſque turpibus, ſed etiam ad ſcurrilia, fabuloſa, vana, adulationes &c. abutuntur. *ibid.*

Sacra vaſa a laicis, & feminis nuda manu attingi non poſſunt; a quibus corporalia, & purificatoria abluenda ſint, & tangenda. p. 104. a. 5

Sartores pro aliis ementes jactatam pretii remiſſionem retinere ſibi nequeunt, p. 231. a. 31

Satisfactio. Vide *Pœnitentia*.

Scandalizans quomodo peccet, & conſiteri ſuum peccatum debeat. p. 75. a. 1

Scandali reus eſt, qui reipſa, licet præter intentionem ſcandalum dedit. Quandonam a ſcandali reatu immunis quis ſit. p. 75. a. 1

Quomodo numerus eorum, qui ad peccandum inducti fuere, explicandus in confeſſione ſit. *ibid.*

A ſcandali culpa immunes non ſunt, qui coram improbis peccant, quidquid contra Buſembau involute, & contradictorie effutiat. p. 76. a. 3

Scandalum eſt, a feneratore petere mutuum ad uſuram; item petere ab infideli juramentum per falſos deos, aut a Sacerdote concubinario adminiſtrationem Sacramenti, vel ut celebret Miſſam. p. 76. a. 4

Scandali ex ignorantia, vel infirmitate profecti vitandi cauſa temporalia bona dimittenda ſunt, vel ſcandalum admonitione ſedandum: aliter ſuſtinendum, ſi ſcandalum ſit phariſaicum. p. 76. a. 5

Pro ſcandalo, quod ex ſacramentali Confeſſione timetur, emendato Buſembau, cautiones præſcribuntur. p. 76. a. 6.

Scan-

Scandalum mariti, qui ex præcepto uxoris jejunio offenditur, pharisaicum eſt, & pro nihilo habendum. p. 76. a. 7
De ſcandalis ex auditione Miſſæ die feſto quid ſentiendum. p. 76. a. 8. a. 9
Scandali reus eſt, qui peccandi occaſionem non aufert. p. 78. a. 24
Licere marito dare uxori anſam adulterandi, vel adultero, ut tentet uxorem, quocumque probabiles ſe vertant, cavilloſum paradoxum eſt. p. 78. a. 26. Quo ſenſu liceat, & non liceat, non auferre occaſiones filiis, & famulis, ut deprehenſi puniantur, & reſipiſcant. p. 78. a. 25
Scripturæ textus. Vide *Canones*.
Sepultura eccleſiaſtica non ſolum in duelli loco morientes, ſed etiam extra ipſum, ſi ex duelli vulnere intereant, poſt Bened. XIV. conſtitutionem privandi ſunt. p. 164. a. 7
Simplicitas vera quæ ſit. p. x318. prod. Cum majori probabilitate conciliatur, non item cum minori, aut æquali minus tuta. *ibid.*
Suaſio minoris peccati, ut majus vitetur, ſcandalum eſt. p. 78. a. 26. Vide *Mulier*.
Scire reliqua Sacramenta præter baptiſmum, Euchariſtiam, & pœnitentiam tum ſolum fideles teneri, cum ea ſuſcipere volunt, laxa opinio eſt. p. 38. a. 2
Scrupulorum remedia. p. 25. a. 1. a. 3. 4. 5. 6 7. Scrupulis medendis non ſufficiunt generalia principia. p. 25. a. 1. Quomodo ſint contemnendi. *ibid.*
Scrupuli remedium eſſe non poteſt, aſſueſieri minoribus, & minus tutis opinionibus. p. 25. a. 2. Quo ſenſu, & cautione ſcrupuli remedium ſit, non judicare quidquam eſſe mortale, niſi certo ſciatur. p. 25. a. 3
Nonnulla Buſembaum quoad hoc verba caſtigantur. p. 26. a. 4. a. 6
Scrupuloſorum privilegium non eſt, quod nonniſi valde mediocrem diligentiam in agendo adhibere teneantur. p. 26. a. 5
Scrupuloſus quomodo ſe gerere debeat quoad confeſſionem. p. 26. a. 6
Scrupuloſi cum viris piæ, & delicatæ conſcientiæ confundendi non ſunt. p. 25. cap. 3. n. 2
Segnerii P. Pauli ratio ex D. Iſidoro in probabilitatis gratiam concinnata, duplici vitio laborat. p. 9. a. 3.
Sententia. A ſententia injuſta qui, cum poſſit, non appellat, etiam in foro conſcientiæ jus ſuum amittit; nec occulta compenſatione uti poteſt. p. 333. a. 16. 17
Sigillum frangitur a Monaſterii Superiore, qui Provinciali dicit, licentias a reſervatis ſæpe poſtulari, etiamſi illæ extra ſacram confeſſionem petantur. p. 510. a. 2 Non frangitur a Confeſſario negante ſchedam abſolutionis, ſeu Sacramenti pœnitentiæ adminiſtrationis illi, quem non abſolvit; imo talis atteſtatio neganda eſt. Eidem tamen petenti facienda eſt atteſtatio confeſſionis auditæ, niſi hinc ſcandala timeantur, aut niſi confeſſio fuerit ſimulata. p. 505 a. 2
Futura peccata ſub ſigillum non cadunt; eorum tamen timor a Confeſſario indicatus, ſigilli fractio eſt, uti etiam eſt, ſi confeſſarius dicat, *ego Petrum non abſolvi*. Pœnitentis dotes, virtutes, dona in confeſſione patefacta, ſub ſigillum non cadunt, ſilentio tamen accurate tegenda ſunt; ex quorum manifeſtatione ſi pœnitentis peccatum detegatur, ſigillum frangitur. Quid de ſcrupulis, innoxiiſque defectibus, aſſeniſque peccatis a pœnitente expoſitis ſentiendum. Tamburini, & La Croixii opiniones refutantur. p. 505. 506. a. 3.
Sigillo tenetur ſuperior, cui ſe ſiſtit abſolutus a reſervatis; item Doctor, vel alius, qui cum pœnitentis venia conſulitur, eidemque obnoxia eſt ſcripta confeſſio. Adverſantes rationes diluuntur. p. 507. 508. a. 4.
Sigillum frangi non videtur a Confeſſario, qui ſine pœnitentis venia de auditis in confeſſione cum eo loquitur. Confeſſarius tamen imprudentiſſime ſe gerit, & peccat; in ipſa autem confeſſione, pœnitentis neceſſitate, aut utilitate poſtulante, mentio de præteritis confeſſionibus fieri poteſt. p. 508. a. 5
Signis, & veſtibus infidelium uti non licet. p. 46. a. 5
Simonia ſine ulla etiam tacita pactione, & obligatione ex pacto admitti poteſt. Ad eam ſufficit antidotalis obligatio. Contraria opinio damnata. p. 106. a. 6
Simoniaci ſunt, qui muneribus, & obſequiis, Epiſcopi benevolentiam captant, ut ab ejus liberalitate beneficia eccleſiaſtica aſſequantur. *ibid.*
Simonia damnata eſt, ſi ſpirituale intendatur, aut principaliter fiat propter temporale. Rationes contrariæ cavillatoriæ; idque etiamſi temporale expectetur ex grati animi officio. Cruciatiunes La-Croixii repelluntur. *ibid.* Simonia eſt, ſi quis dicat, *confer mihi beneficium, intercede pro me, & ero tibi gratus.*
Anfractus La-Croixiani, & Zachariæ, ac Noctiſ clamores contra Concinam & Franzojam deteguntur, & retunduntur. *ibid.*
Simoniæ mixte mentalis definitio a Buſemb. tradita ad ſanum ſenſum revocatur. p. 107. a. 7
Simoniæ juris naturalis, & divini quænam ſint. p. 108. a. 8. La-Croix refellitur. Cur monaſteria monialium, dotes pro ſuſtentationis onere accipientia, ſimoniaca non ſint. *ibid.*
Simonia eſt, dare aliquid ad redimendam vexationem a negante Sacramenta in neceſſitate. p. 109. a. 9. Cavillationes Buſemb. & La-Croix evelluntur. *ibid.* Item ſimonia eſt, dare aliquid ad redimendam vexationem ab inique impediente electionem beneficii, non item ab inique impediente beneficii poſſeſſionem. *ibid.*
Simoniacum eſt, pecunia vexationem redimere, poſtquam jus in re acquiſitum eſt, ſi tale jus dubium ſit; item paciſci de ſtipendio Miſſarum, concionum, aliarumque ſacrarum functionum. Sophiſmata contraria diluuntur. *ibid.*
Simonia eſt, mixtam penſionem ex partium conventione redimere. p. 100. a. 10. rationes contrariæ, ſophiſticæ. *ibid.*
Simoniaca Buſemb. doctrina, proſcripta. p. 100. a. 21
Cur pater promittens filio munus, ſi Sacramenta frequentet, non ſit ſimoniacus. *ibid.*
Simonia mentalis non inducit obligationem renunciandi beneficii. p. 212. a. 12
Simonia realis a tertia perſona, ignorante proviſo, profecta, inducit beneficii privationem; nec triennalis pacifica poſſeſſio ſuffragatur, niſi ut fructus bona fide percepti reſtituendi non ſint. p. 212. a. 23
Qui ſimoniæ ab aliis admiſſæ contradixit, beneficium nihilominus reſignare tenetur, ſi poſtmodum ei conſentiat; idque ante Judicis ſententiam. *ibid.*
Simoniacus fit inhabilis ad quæcumque beneficia. *ibid.*
Societas pecorum, in qua periculum danti, & accipienti æquale eſt, quodnam lucrum jure pariat. p. 241. a. 60.
Spes theologica a Buſembau male definita. p. 54. a. 1. Ejus doctrina de ſpei præcepto lubrica, & damnata. Quoties ſpei præceptum per ſe obliget. *ibid.*
Sponſio nec bona, nec adiaphora eſt. p. 237. a. 44. Multoque magis mala eſt, ſi fiat de futura proximi calamitate. p. 238. a. 50
Sponſio inæqualis, etiam nota, injuſta eſt. p. 238. a. 49 Quod per ſponſionem de re mala acquiſitum fuit, reſtituendum eſt. p. 238. a. 51
Sponſalia. Ad ſponſalia major rationis diſcretio requiritur, quam ad mortale peccatum; valida tamen ſunt, etiamſi ante ſeptennium contrahantur, ſi ſufficiens rationis lumen adſit: poſt ſeptennium vero contracta, valida in dubio de ſufficientia rationis judicanda ſunt. p. 527. a. 2
Sponſio matrimonii abſoluta, gratuita, & acceptata ex parte ſpondentis obligationem parit, at impedimentum publicæ honeſtatis non inducit. p. 257. a. 2
Sponſalia addita conditione, *ſi Papa diſpenſaverit*, dum ſit juſta diſpenſationis cauſa, valida ſunt. p. 528. a. 4.
Eadem gravi metu contracta, ſi juramento firmata ſint, impleri debent. *ibid.* Eadem ſine præfixo termino inita, quam primum fieri poteſt præſtanda ſunt. p. 528. a. 5.
Non ſolum ſponſa, ſed etiam ſponſus fornicationis reus, ſponſaliorum circumſtantiam in Confeſſione explicare tenetur. p. 529. a. 7
Sponſalia etiam ſimulata obligant. a. 8. Sponſalia poſteriora, licet jurata ſint, vel copula acceſſerit, etiamſi altera pars priorum inſcia ſit, ſunt invalida. p. 530. a. 9.
Sponſis non licent amplexus, & oſcula in amoris ſignum. p. 530. a. 10. Iiſdem non licent pudici tactus, ſi ſenſitivam delectationem ex iis capere velint, ſed ſunt mortiferæ culpæ. p. 176. a. 9
Sponſalia dirimi poſſunt a ſponſa propter frequentiam oſculorum, & tactuum impudicorum ſponſi ejus, propenſionem in aliam indicantium. Ex utriuſque ſponſi fornicatione, in ſolo ſponſo jus reſiliendi oriri videtur. p. 530. a. 11
Sponſi quos defectus aperire teneantur, & quos diſſimulare poſſint. p. 531. a. 22
Sponſa poſt ſponſalia corrupta, ſponſum ad matrimonium cogere non poteſt. *ibid.*
Sponſalia quomodo ex profectione alterius ſponſi in longinquas terras dirimantur. p. 531. a. 23
Poſt ſponſalia, ordinem ſacrum ſuſcipere non licet. p. 531. a. 24.
Ea diſſolvuntur per ingreſſum religionis non ex parte ingredientis, ſed ſolum remanentis in ſæculo. Idem multo magis intellige de religionis voto. *ibid.*

Per

Per ſimplex votum caſtitatis ex parte voventis non ſolvuntur, ſed ſolum ex altera parte. p. 532. a. 15. Per matrimonium ſponſaliorum fides ſuſpenditur, non extinguitur. *ibid.* a. 16

Stuprator pro ſola virginitate per vim, aut fraudem ablata, ſatisfacere tenetur. p. 207. a. 39. Idem, ſi prius religionem voverit, matrimonium cum ea contrahere non poſſe videtur, cui id promiſit. p. 207. a. 40.

Superbia quot modis ſit mortale peccatum. p. 363. a. 1

Superiori præcipienti ſecundum opinionem minus probabilem, minuſque tutam utrum ſubditus obedire teneatur. p. 54. a. 8

Superſtitio ficti miraculi, vel Scripturæ ex ignorantia vel ſimplicitate a Buſemb. ſæpe excuſatur, at non caute. p. 84 cap. 2. dub. 1. ca. 5

Suſpenſus non denuntiatus, functiones ſibi vetitas obire prohibetur, etiamſi ab aliis requiratur. p. 604. 605. a. 1. 2.

Suſpenſus ſimpliciter ab officio, non eſt ſuſpenſus a beneficio. p. 605. a. 4. 5

Suſpenſo ſine exceptione Capitulo, vel Conventu, ſinguli etiam innocentes ſuſpenſi intelliguntur. p. 605. a. 6.

Dum prælatus Sacerdoti ore tenus ait, *ſuſpendo te*, eſt vera ſuſpenſio. Quid in dubio faciendum. p. 605. a. 7.

Suſpenſi ab ordinum executione, ex ignorantia craſſa a ſuſpenſione non eximuntur. p. 605. a. 8

Suſpenſionis, aut interdicti ſententiam Epiſcopi ipſo facto non incurrunt, niſi expreſſa de iis mentio fiat; quod de regularibus Prælatis non eſt dicendum. *ibid.*

Quam ſuſpenſionem, & pœnam incurrant Clerici, Epiſcopum, vel Parochum, & alios indignos eligentes; item ordinans, & ordinatus ſimoniace; Parochi ſine permiſſu alterius parochiæ ſponſos jungentes; gravantes Eccleſias alienis debitis; viſitantes Eccleſias, ſi loco victualium pecuniam accipiant; Judices eccleſiaſtici alteram partem gravantes contra conſcientiam, & juſtitiam. p. 605. 606. a. 8. Clerici ſodomiæ rei, ſuſpenſionem non incurrunt. *ibid.* Ubi etiam agitur de pœnis occupantium bona Eccleſiæ, pugnantium in duello, raptorum mulierum, aſſerentium, B. V. Mariam in originali peccato fuiſſe conceptam.

Suſpiciones, & dubitationes temerariæ de proximi malitia, ſunt ex genere ſuo veniales culpæ. p. 257. a. 5.

Suppoſitio materialis, prout a recentibus opinatoribus explicatur, novum figmentum eſt, reſtrictione pure mentali damnabilius.

Scientiæ incommunicabilis uſus proſcriptus eſt. p. 126. a. 18.

Symbolum, oratio dominica, Sacramenta, præcepta Eccleſiæ invincibiliter ignorari poſſunt ab iis quibus fides non fuit promulgata, non item ab iis qui inter catholicos, ubi hæc vulgo traduntur, vivunt. p. 37. a. 1. p. 38. a. 3. Hæc ab omnibus memoriter ſciri debent. p. 39. a. 4. Alioquin mortaliter peccant. a. 5. Buſembaum incoſtantia notatur. a. 6. Contrariæ excuſationes tolluntur; & quomodo Confeſſarius erga rudes ſe gerere debeat, declaratur. Buſemb. prolapſio. p. 39. a. 7. 8. 9

T

TAbellio neceſſarias ſolemnitates ex ignorantia omittens, a peccato perperam excuſatur. p. 336. a. 30

Tactus, & aſpectus pudendorum proprii corporis, ex fictitia ſenſualitate ipſius tactus peractus, mortalis culpa eſt. Item videtur culpa mortalis, ſi citra neceſſitatem fiat. p. 130. a. 3. Quod multo magis verum videtur de tali tactu, & aſpectu alterius corporis etiam ejuſdem ſexus ex petulantia, vel curioſitate habitis. p. 175. a. 4

Tactus ſuper veſtes ad partes verendas diverſi ſexus, ſunt mortalia peccata, quidquid contra clamites Zacharia, qui refellitur. p. 176. a. 9

Tentari Deum ab eo, qui periculo ſe committit, a quo ſolum per miraculum eripi poſſit, eſt doctrina abſolute accepta, quæ multos Sanctos lædit. Explicatur, quo ſenſu ea doctrina vera ſit. p. 103. a. 1

Tentatio Dei interpretativa, plerumque mortalis culpa eſt. Contrariæ Buſemb. excuſationes rejiciuntur. p. 104. a. 2.

Teſtamenti ſolemnitates juxta Principum leges, & locorum conſuetudines, ſunt adhibendæ. p. 249. a. 2

Teſtamentum ad pias cauſas, etiamſi juris poſitivi, & conſuetudinis ſolemnitatibus careat, obligandi vim habet; & ſi manu teſtatoris ſubſcriptum ſit, etiam in foro externo validum eſſe debet. In eo non eſt neceſſaria heredis inſtitutio, & valet etiam quoad profana legata; revocatque prius teſtamentum etiam ſolemne, etiamſi de hoc mentio non fiat. p. 249. a. 3.

Teſtamentum juris ſolemnitatibus deſtitutum, ſi teſtatoris voluntas heredi ab inteſtato ſit certa, conſcientiam obligat quoad legata, & fideicommiſſa, imo vero quoad ipſam hereditatem. p. 249. a. 5. Vide *Hæres*.

Teſtamentum Clericorum, & tyronum religionis ad cauſas profanas minus ſolemne, irritum eſſe videtur. Quod ſi hac de re merito dubitari poſſit, hereditas ab inſtituto herede adiri non poſſet, ſed res per tranſactionem foret componenda. p. 250. a. 8

Teſtamenta militum iis privilegiis gaudent, quæ Principes, aut locorum conſuetudines iis concedunt. p. 250. a. 9.

Pecuniæ ſumma pauperibus a teſtatore relicta quomodo diſtribuenda; utrum executor, & quantum ex ea retinere ſibi poſſit. p. 252. a. 16

Teſtari quinam prohibeantur. p. 252. a. 19. Qui non poſſint. p. 224. a. 4

Teſtator ſpectato jure poteſt quidem quemvis alienum, heredem inſtituere, neglectis conſanguineis lateralibus, etiam fratre paupere; at contra caritatem peccat. Hypotheſis fictitia Buſemb. p. 253. a. 21

In teſtamentis, in quibus legitima portio deſcendentibus, aut aſcendentibus non relinquitur, nec jure hereditario iis conſulitur, quænam actio neceſſariis heredibus competat. Quid hac in re a teſtatoribus faciendum ſit. p. 253. a. 23

Teſtis, qui fugit, aut ſe occultat, ne ad ferendum teſtimonium citetur, contra juſtitiam peccat, & reſtitutioni, exploſis Buſembaum cavillis, obnoxius eſt. p. 336. a. 34. Multoque magis, ſi jam citatus, teſtificationem eludat. *ibid.* Quomodo interrogatus reſpondere debeat, ſi crimen a viris non ſat fide dignis acceperit, aut ſi reus in facto non peccavit. Buſemb. refutatur. p. 337. a. 35

Si ſine culpa falſum teſtatus eſt, damnum impedire tenetur; alioquin reſtituere cogitur. p. 337. a. 36

Triſtitia de bono alterius. Vide *Indignatio*.

V

VAna obſervantia, ex genere ſuo eſt mortale peccatum. Excuſationes Buſemb. rejiciuntur. p. 99. a. 6.

Vana obſervantia eſt, herbas colligere die S. Joannis Baptiſtæ; item circa templum alicujus Sancti ter jumentum ducere, aut ejus die venas equis ſecare. p. 99. a. 7.

Homines rudes vanis obſervationibus aſſuetos in ſuo errore aliquando relinquere, eſt falſa, & accommodata doctrina. p. 100. a. 7

Quænam devotiones piæ ſint, quænam ſuperſtitioſæ. Qui rabidorum canum morſus, aut alios morbos ſine naturalibus remediis ſanant, ſuſpecti ordinarie loquendo eſſe debent. *ibid.*

Vaſa continentia, & tangentia Eucbariſtiam, ex neceſſitate benedicenda ſunt. p. 438. a. 34. Qualis eſſe debeat calicis cuppa, & patena. *ibid.*

Vendere res carius non licet propter affectum venditoris, niſi affectus ſit rationabilis, & pretium affectus ſit moderatum. Res novæ, raræ, ſingulares pro arbitrio quoad pretium vendi nequeunt. p. 230. a. 25

Venditor de quocumque rei vitio non ſolum quoad ſubſtantiam, & quantitatem, ſed etiam quoad qualitatem emptorem monere debet, ſi ejus occultatio emptori noxia ſit; alioquin tenetur de fraude, & damno inde orto. p. 230. a. 27. Venditio facta ab ignorante rei vitium, reſcindenda eſt, aut ad æqualitatem reducenda, etiamſi venditor contra hoc exceperit, niſi pro ratione periculi pretium minuerit; ſi vitii occultatio emptori nec periculoſa, nec damnoſa ſit, non eſt culpabilis. *ibid.*

Vendere licet pretio communi, etiamſi venditor occulte ſciat, pretium mercis mox minuendum. p. 231. a. 29

Si venditio ex mandato domini facienda ſit pretio infimo, aut moderato, & fiat rigoroſo, exceſſus a mandatario retineri non poteſt. La-Croixii commenta doloſa. p. 231. a. 30

Si res vendita determinata ante traditionem pereat, emptori perit, niſi aliter expreſſe conventum ſit; ſi autem ſit indeterminata, aut determinata, ſed vendatur ad menſuram, perit venditori. Periculum tamen pretii, & qualitatis ad emptorem pertinet. p. 231. a. 32. Vide *Contractus*.

Verba turpia, lectio obſcænorum, turpium comœdiarum ſpectatio, inhoneſtæ cantiones, geſtus, litteræ, dona amatoria, ut plurimum letales culpæ ſunt. p. 175. a. 4.

Veſtium ſacrarum pro ſacrificii uſu colores neceſſario adhibendi ſunt. p. 438. a. 33. Quid in gravi neceſſitate quoad has veſtes permiſſum ſit; & quænam ſit hæc neceſſitas: omiſſio alicujus veſtis ſacerdotalis in Miſſa, eſt mortalis. *ibid.*

Veſtes, & vaſa pro ſacrificio, ex uſu Sacerdotum conſecrata cenſeri non debent. p. 438. a. 34. Palla pro corporali non eſt adhibenda. p. 439. a. 35

Virgini pro corporis integritate, certo mortis periculo ſeſe exponere non licet. p. 163. a. 2. Eidem recuſare manus Medici, aut Chirurgi in verecundis partibus non eſt permiſſum, ſi id ad vitam conſervandam neceſſarium ſit. p. 163. a. 3

Virginis etiam conſentientis defloratio, eſt circumſtantia in confeſſione neceſſario explicanda. p. 177. a. 11

Vitam propriam alienæ poſtponere pro amico propter Deum dilecto, licere non videtur. Contrariæ rationes ſolvuntur. p. 62. a. 1. p. 162. a. 1. Vita remediis etiam nimis duris, e. g. cruris abſciſſione, conſervanda eſt. p. 163. a. 5. Vide A. pro amico.

Votum, de quo dubitatur, utrum ante, an poſt ſeptennium expletum fuerit emiſſum, implendum eſt, niſi aliunde conſtiterit, puerum rationis uſum non attigiſſe. p. 136. a. 1

Votum in ebrietate editum, & ante præviſum obligat, ſi quis illud prævidit, in ejus obligationem conſenſit; ſecus, ſi non conſenſit. p. 136. a. 2

Vota ex levi injuſto metu extorta, obligandi vim habent, ſi ex gravi metu fiant, vota ſolemnia indubitanter irrita ſunt, ſimplicia obligare videntur. p. 136. a. 3.

Vovens rem venialiter malam, graviſſime peccat. p. 136 a. 5.

Votum rei indifferentis, merito putari poteſt letalis culpa; multoque magis, ſi ſit contra conſilia evangelica. p. 136. a. 6

Votum matrimonii in homine ad libidinem valde prono, eſt malum, & nullum. p. 137. a. 7

Vovens recitare quotidie e. g. unum *Salve Regina* per annum integrum, illudque toto anno omittens, letiſere peccat. p. 137. a. 8

Voventem rem gravem, poſſe leviter ſe obligare, cavillatoria opinio eſt. p. 137. a. 9

Vovens curandam Miſſam, aut alterius peregrinationem, quomodo ſe gerere debeat, ut in tuto ſit. p. 137. a. 10.

Vovens ſub conditione, eamque impediens, aut in voto peccat, aut eo nihilominus tenetur; multoque magis, ſi eam per fraudem impediat. p. 138. a. 11

Qui vovit aliquid ſine certo tempore, illud implere tenetur, cum primum commode poterit. p. 138. a. 12. quo ſenſu illud *cum primum* &c. accipiendum ſit. *ibid.*

Qui vovit ingredi religionem, quid præſtare debeat. p. 138. a. 13. 14.

Qui vovit triticum, aut aliquid ſimile, mediocre dare cogitur. *ibid.* Votum tertiæ partis Rotarii, graviter obligat. Refellitur La-Croix; & Concina contra Zachariam, & Nocetium defenditur. *ibid.* Qui vovit non ludere, ne tempus terat, voti reum non eſſe, ſi per alium ludat, & aſpiciendo tempus terat, ridiculum eſt. p. 138. a. 14

Vovens abſtinentiam a vino, ut ebrietatem vitet, quomodo a cerviſia, aliiſque liquoribus abſtinere non teneatur, a vino tamen aduſto, vulgo *acquavite*, abſtinere tenetur. *ibid.*

Votum, quod ex parte impoſſibile evaſit, quoad partem poſſibilem non eſſe implendum, eſt doctrina implicite damnata. p. 139. a. 15. Buſemb. commentum refellitur. *ibid.*

Vota ſine cauſa irritari nequeunt: jus irritandi vota ex jure naturali derivari videtur. p. 139. a. 16

Vota famulorum mercede conductorum, & diſcipulorum ab heris, & magiſtris irritari non poſſunt. Aliud eſt de mancipiorum votis. p. 139. a. 17

Ea ſolum vota uxoris a marito irritari queunt, quæ ſuo juri præjudicant. p. 140. a. 18

Omnia vota filiorum impuberum etiam poſt pubertatem implenda, a parentibus in irritum mitti valent; non item a marito vota uxoris ab ea poſt ejus mortem executioni mandanda. p. 140. a. 19. Votum, de quo dubium eſt, utrum libertatis tempore editum fuerit, a Superiore ſine culpa irritari nequit. p. 140. a. 20.

Votum impuberi ætate emiſſum, a puberi confirmatum, irritationi non ſubeſt, etiamſi puber illud ratum habeat, firmum eſſe exiſtimans. p. 140. a. 21

Vota a ſubditis facta, etiamſi a Superioribus confirmata fuerint, ab his in irritum valide mitti poſſe, defenditur. p. 140. a. 22

Quid de aliis promiſſionibus, & voto religionis ab impubere ex patris conſenſu factis dicendum. *ibid.*

Votum continentiæ ab uxore, conſentiente viro emiſſum, ab hoc irritari non poteſt, & contra. p. 140. a. 22.

Vota facta, priuſquam materia irritanti ſubeſſet, quo ſenſu ab eo irritari valeant. p. 141. a. 23

Si ſola uxor, vel ſolus vir ſine alterius conſenſu continentiam abſolute voveat, temere vovet, & debitum petenti reddere tenetur; illud tamen petere non poteſt, nec quoad hoc votum ab altero conjuge in irritum mitti valet; idemque dicendum, ſi uterque conjux independenter ab altero continentiam voveat. Refellitur La-Croix. p. 141. a. 24

Voti commutatio in melius bonum ejuſdem generis, voventis arbitrio fieri poteſt, non item in bonum melius diverſi generis. Laxamentum, & contradictio La-Croix notatur. p. 141. a. 25

Ad voti commutationem a Superiore faciendam in bonum æquale, non ſufficit major voventis in illud propenſio. *ibid.*

Vovens ad priorem voti materiam propria auctoritate redire poteſt, ſi mutatio a Superiore in minus bonum facta fuerit, non item, ſi in majus, aut æquale. Contrariis rationibus obviam itur. p. 142. a. 26.

Quid faciendum, ſi materia voti commutati fiat impoſſibilis, aut inutilis. p. 142. a. 27. La-Croixii laxitas. *ibid.*

Ad voti diſpenſationem ſufficit notabilis difficultas non præviſa, non item, ſi præviſa fuerit, niſi aliæ cauſæ addantur. p. 142. a. 28

Imperfectio actus, levitas, ac facilitas vovendi cauſam non præbent diſpenſandi, niſi alia momenta adſint. *ibid.*

Prælatus videns ſubditum voto repugnantem, nec contradicens, etiamſi facile poſſit, in voto diſpenſare putandus non eſt. p. 142. a. 29. Confeſſarii regulares poſſunt quidem ſæcularium vota commutare, non tamen in iis diſpenſare. p. 142. a. 31

Votum ſolemne mitioris religionis, a ſimplici ſtrictioris liberat. p. 286. a. 18. Votum experiendi ſtrictiorem religionem, a vovente propria auctoritate in votum profitendi mitiorem commutari nequit. p. 286. a. 19.

Uſurarius in cauſas pias donare poteſt, dum id ſine aliorum damno fiat. p. 226. a. 12

Uſura non eſt, ſi mutuator a mutuatario gratuito, & ſponte dante, aliquid accipiat, expectet, petat. Si autem ſperetur aliquid ſupra ſortem veluti ex reali obligatione debitum, eſt uſura mentalis, &c, ſi accipiatur, reſtituendum eſt. Item quoad praxim uſura eſt, ſi mutuator donum gratuitum ſupra ſortem, veluti finem principalem mutui ſpectet, quod ſi acceperit, reſtituere cogendus eſt. p. 226. a. 15

Non eſt uſura, dare mutuum alterius amicitiæ captandæ cauſa, atque ulterius inde ſperare officium, eſt propoſitio quoad primam partem probanda, quoad alteram involuta. p. 227. a. 16

Uſura proſcripta eſt, ſi quis det mutuum cum pacto, ut ſtatim ſibi præſtetur aliquod beneficium ex gratitudine. p. 227. a. 17

Uſura item eſt, aliquid ſupra ſortem a mutuatario exigere ratione periculi recuperandæ ſortis; quod certum eſt, ſi periculum ſit ſolum commune, & remotum; & verum eſſe, oſtenditur, etiamſi periculum ſit proximum, & probabile. Implicatæ rationes La-Croixii explicantur, & diluuntur. A mutuatore tamen aliquid ſupra ſortem propter ejus periculum exigi poteſt. Vindicatur P. Daniel Concina a minutis ſuorum adverſariorum calumniis. p. 227. 228. a. 18.

Propter difficultates recuperandæ ſortis auctarium exigere, uſura eſt, multoque magis propter earum periculum; expenſæ neceſſariæ in ſorte recuperanda factæ exigi poſſunt; aliquid exigere propter earum periculum, res eſt periculoſa. *ibid.*

Non eſt uſurarium, pactum pœnæ conventionalis mutuo additum, dum pœna ſit moderata, nec niſi ex culpa fractæ fidei exigatur; ab hoc tamen pacto fideles diſſuadendi ſunt; quod in cambiis a S. Pio V. vetitum eſt. p. 229. a. 19

Buſemb. doctrina quoad mutuum in credito mutuatoris accipiendum temperatur. p. 229. a. 20

Uſura eſt, ſi a mutuatario exigatur ut loco pecuniæ merces accipiat. p. 229. a. 21

Si vinum, triticum, &c. mutuo dentur, pretium eorum loco exigi nequit. p. 229. a. 22

Ab uſura, & reſtitutionis obligatione famuli minus principales feneratorum excuſari non poſſunt. p. 229. a. 23.

Uxor aliquid notabile contra voluntatem viri, etiamſi id ſit juxta conſuetudinem feminarum ſimilis ſtatus, a peccato abſolute non eſt excuſanda. p. 157. a. 7.

Item

Item peccat, ſi contra ejuſdem voluntatem munera, & eleemoſynas det. La-Croixii, & Buſemb. commenta ſeſelluntur. Doctrina quoad hoc ridicula, & falſa. p. 187. a. 10

Uxor virum domicilium ex neceſſitate mutantem ſequi tenetur, etiamſi pactum de non mutando domicilio interceſſerit. p. 157. a. 7

Uxorem ſuis parentibus, & filiis ex alio matrimonio indigentibus poſſe ex communibus familiæ bonis marito repugnante ſubvenire, eſt opinio, quæ pietatis ſpecie juſtitiam violat. Miſerum Buſemb. effugium. p. 188. a. 11. Vide *Matrimonium*.

Z

Z*Acharia* P. Franc. Ant. Quid de ejus amica ad Franzojam expoſtulatione ſentiendum. p. x. in præf.

Ejus prodromus infeliciter ab eo vindicatur. p. xvi. prod.

Variæ ejus impugnationes repulſæ. p. 2. a. 1. p. 8. & 9. a. 3. p. 12. a. 3. p. 23. a. 7. p. 26. a. 1. p. 27. a. 2. 3. 7. p. 36. a. 2. p. 37. a. 1. p. 38. a. 3. p. 39. a. 6. p. 40. a. 1. p. 42. a. 2. p. 43. a. 3. p. 46. a. 7. p. 49. a. 2. p. 51. a. 3. 4. p. 56. a. 1. p. 62. a. 1. p. 63. a. 5. p. 65. a. 12. p. 67. a. 19 p. 68. a. 20. p. 78. a. 17. p. 105. a. 6. p. 124. a. 14. p. 147. a. 7. p. 149. a. 10. p. 180. a. 20. p. 203. a. 26. p. 315. a. 50. p. 316. a. 53. p. 341. a. 48. p. 374. a. 2. p. 390. a. 19. p. 397. a. 4. p. 432. 33. a. 1. p. 600. a. 22.

INDICIS ANIMADVERSIONUM

FINIS.

APPENDIX.

ROMANORUM PONTIFICUM SACRARUMQUE CONGREGATIONUM DECRETA &c.

I.

SS. D. N.

INNOCENTII PAPÆ X.

DECRETUM

adverſus libros continentes propoſitionem, qua aſſeritur æqualitas Sanctorum PETRI & PAULI.

Feria V. die 29 Januarii 1647. In Congregatione Generali S. Romanæ & Univerſalis Inquiſitionis &c.

EDitus eſt anno 1645. liber Gallico idiomate impreſſus, cui titulus: *De l'autorite de S. Pierre, & de S. Paul, qui reſide dans le Pape Succeſſeur de ces deux Apotres*, abſque nomine Auctoris, & impreſſionis loco. Hujus libri evulgationem ſubſecuta editio eſt alterius libri anonymi eodem idiomate impreſſi, cui titulus: *La Grandeur de l'Egliſe Romaine etablie ſur l'autorite de S. Pierre, & de S. Paul;* nec non epiſtolæ ejuſdem argumenti latino idiomate conſcriptæ, ac typis excuſæ plurimis adductis, atque congeſtis Sanctorum Patrum, Summorum Pontificum, Sacrorum Conciliorum, & Doctorum locis.

Quocirca, ne in re tanti ponderis error aliquis mentibus Chriſti fidelium irreperet, libris prædictis de mandato Sanctiſſimi mature examinatis, locisque adductis diligenter inſpectis, ac ponderatis:

Sanctiſſimus relata unanimi Theologorum ad hoc ſpecialiter deputatorum cenſura, & auditis votis Eminentiſſimorum, & Reverendiſſimorum DD. Cardinalium Generalium Inquiſitorum, propoſitionem hanc; *S. Petrus, & S. Paulus ſunt duo Eccleſiæ Principes, qui unicum efficiunt*, vel, *ſunt duo Eccleſiæ Catholicæ Coryphæi, ac ſupremi Duces ſumma inter ſe unitate conjuncti*: vel, *ſunt geminus Univerſalis Eccleſiæ vertex, qui in unum diviniſſime coaluerunt*: vel, *ſunt duo Eccleſiæ Summi Paſtores, ac Præſides, qui unicum caput conſtituunt*; ita explicatam, ut ponat omnimodam æqualitatem inter S. Petrum, & S. Paulum, ſine ſubordinatione, & ſubjectione S. Pauli ad S. Petrum in poteſtate ſuprema, & regimine univerſalis Eccleſiæ, hæreticam cenſuit, & declaravit.

Epiſtolam vero, ac libros prædictos, alioſque, in quibus Propoſitio, ut ſupra explicata, & damnata aſſeritur & defenditur, tam impreſſos quam imprimendos, quocumque idiomate, aut quomodolibet, etiam in ſcriptis evulgatos, vel in poſterum evulgandos, Sanctitas ſua omnino damnatos, & prohibitos eſſe voluit, prout præſenti Decreto damnat, & prohibet.

Mandans ut nemo cujuſcumque gradus, & conditionis exiſtat, etiam ſpeciali ſeu ſpecialiſſima nota dignus, libros prædictos, aut aliquem ex illis apud ſe retineat aut legat, nec imprimere, aut imprimi curare audeat, ſub cenſuris, & pœnis contra hujuſmodi delinquentes ſtatutis, ſed etiam a præſentis Decreti notitia, quicumque illos habuerit locorum Ordinariis, ſeu Inquiſitoribus conſignare teneatur.

II.

SS. D. N.

ALEXANDRI PAPÆ VII.

DECRETUM

prius adverſus propoſitiones 28. ſcandaloſas, & pernicioſas in praxi.

Feria V die 24. Septembris 1665.

SAnctiſſimus D. N. audivit, non ſine magno animi ſui mœrore, compluſes opiniones Chriſtianæ diſciplinæ relaxativas, & animarum perniciem inferentes, partim antiquatas iterum ſuſcitari, partim noviter prodire; & ſummam illam luxuriantium ingeniorum licentiam in dies magis excreſcere, per quam in rebus ad conſcientiam pertinentibus modus opinandi irrepſit alienus omnino ab evangelica ſimplicitate, ſanctorumque Patrum doctrina, & quem ſi pro recta regula fideles in praxi ſequerentur, ingens irruptura eſſet vitæ Chriſtianæ corruptela. Quare ne ullo unquam tempore viam ſalutis, quam ſuprema veritas Deus, cujus verba in æternum permanent, arctam eſſe definivit, in animarum perniciem dilatari, ſeu verius perverti contingeret, idem Sanctiſſimus D. N. ut oves ſibi creditas ab ejuſmodi ſpacioſa, lataque, per quam itur ad perditionem, via, pro paſtorali ſollicitudine in rectam ſemitam revocaret, earumdem opinionum examen pluribus in ſacra Theologia Magiſtris, ac deinde Eminentiſſimis, & Reverendiſſimis DD. Cardinalibus contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquiſitoribus ſerio commiſit: qui tantum negotium ſtrenue aggreſſi, eique ſedulo incumbentes, & mature diſcuſſis uſque ad hanc diem infraſcriptis propoſitionibus, ſuper unaquaque ipſarum ſua ſuffragia Sanctitati ſuæ ſigillatim expoſuerunt.

I. Homo nullo unquam vitæ ſuæ tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei, & Caritatis ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.

II. Vir equeſtris ad duellum provocatus poteſt illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.

III. Sententia aſſerens, Bullam Cœnæ ſolum prohibere abſolutionem hæreſis, & aliorum criminum, quando publica ſunt, & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus ſermo eſt, anno 1629. 18. Julii in Conſiſtorio Sacræ Congregationis Eminentiſſimorum Cardinalium viſa, & tolerata eſt.

IV. Prælati regulares poſſunt in foro conſcientiæ abſolvere quoſcumque ſæculares ab hæreſi occulta, & ab excommunicatione propter eam incurſa.

V. Quamvis evidenter tibi conſtet, Petrum eſſe hæreticum, non teneris denunciare, ſi probare non poſſis.

VI. Confeſſarius, qui in ſacramentali Confeſſione tribuit pœnitenti chartam poſtea legendam, in qua ad Venerem incitat, non cenſetur ſollicitaſſe in Confeſſione, ac proinde non eſt denunciandus.

VII. Modus evadendi obligationem denunciandæ ſollicitationis eſt, ſi ſollicitatus confiteatur cum ſollicitante; hic poteſt ipſum abſolvere abſque onere denunciandi.

VIII. Duplicatum ſtipendium poteſt Sacerdos pro eadem Miſſa licite accipere, applicando petenti partem etiam ſpecialiſſimam fructus ipſimet celebranti correſpondentem, idque poſt Decretum Urbani VIII.

IX. Poſt Decretum Urbani poteſt Sacerdos, cui Miſſæ celebrandæ traduntur, per alium ſatisfacere collato illi minore ſtipendio, alia parte ſtipendii ſibi retenta.

X. Non eſt contra juſtitiam pro pluribus ſacrificiis ſtipendium accipere, & ſacrificium unum offerre: neque etiam eſt contra fidelitatem, etiamſi promittam, promiſſione etiam juramento firmata, danti ſtipendium, quod pro nullo alio offeram.

XI. Peccata in Confeſſione omiſſa, ſeu oblita ob inſtans periculum vitæ, aut ob aliam cauſam, non tenemur in ſequenti confeſſione exprimere.

XII. Mendicantes poſſunt abſolvere a caſibus Epiſcopis reſervatis, non obtenta ad id Epiſcoporum facultate.

XIII. Satisfacit præcepto annuæ Confeſſionis, qui confitetur Regulari, Epiſcopo præſentato, ſed ab eo injuſte reprobato.

XIV. Qui facit Confeſſionem voluntarie nullam, ſatisfacit præcepto Eccleſiæ.

XV. Pœnitens propria auctoritate ſubſtituere ſibi alium poteſt, qui loco ipſius pœnitentiam adimpleat.

XVI. Qui beneficium curatum habent, poſſunt ſibi eligere in Confeſſarium ſimplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario.

XVII. Eſt licitum Religioſo, vel Clerico calumniatorem gravia crimina de ſe, vel de ſua Religione ſpargere minantem occidere, quando alius modus defendendi non ſuppetit; uti ſuppetere non videtur, ſi calumniator ſit paratus, vel ipſi Religioſo, vel ejus Religioni,

pu-

publice & coram graviſſimis viris prædicta impingere, niſi occidatur.

XVIII. Licet interficere falſum accuſatorem, falſos teſtes, ac etiam Judicem, a quo iniqua certo imminet ſententia, ſi alia via non poteſt innocens damnum evitare.

XIX. Non peccat maritus occidens propria auctoritate uxorem in adulterio deprehenſam.

XX. Reſtitutio a S. Pio V. impoſita Beneficiatis non recitantibus, non debetur in conſcientia ante ſententiam declaratoriam Judicis, eo quod ſit pœna.

XXI. Habens Capellaniam collativam, aut quodvis aliud beneficium Eccleſiaſticum, ſi ſtudio litterarum vacet, ſatisfacit ſuæ obligationi, ſi officium per alium recitet.

XXII. Non eſt contra juſtitiam beneficia eccleſiaſtica non conferre gratis; quia collator conferens illa beneficia eccleſiaſtica pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione beneficii, ſed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.

XXIII. Frangens jejunium Eccleſiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, niſi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat, puta, quia non vult ſubjicere præcepto.

XXIV. Mollities, ſodomia, & beſtialitas ſunt peccata ejuſdem ſpeciei infimæ, ideoque ſufficit dicere in confeſſione, ſe procuraſſe pollutionem.

XXV. Qui habuit copulam cum ſoluta, ſatisfacit confeſſionis præcepto, dicens, commiſit cum ſoluta grave peccatum contra caſtitatem, non explicando copulam.

XXVI. Quando litigantes habent pro ſe opiniones æque probabiles, poteſt judex pecuniam accipere pro ferenda ſententia in favorem unius præ alio.

XXVII. Si liber ſit alicujus junioris, & moderni, debet opinio cenſeri probabilis, dum non conſtet rejectam eſſe a Sede Apoſtolica tanquam improbabilem.

XXVIII. Populus non peccat, etiamſi abſque ulla cauſa non recipiat legem a Principe promulgatam.

Quibus peractis dum ſimilium propoſitionum examini cura, & ſtudium impenditur, interea idem Sanctiſſimus re mature conſiderata ſtatuit, & decrevit, prædictas propoſitiones, & unamquamque ipſarum, ut minimum tanquam ſcandaloſas eſſe damnandas, & prohibendas, ſicut eas damnat, ac prohibet: ita ut quicumque illas aut conjunctim, aut diviſim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam diſputative, publice, aut privatim tractaverit, niſi forſan impugnando, ipſo facto incidat in excommunicationem, a qua non poſſit (præterquam in articulo mortis) ab alio, quacumque etiam dignitate fulgente, niſi a pro tempore exiſtente Romano Pontifice abſolvi.

Inſuper diſtricte in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub interminatione divini judicii prohibet omnibus Chriſtifidelibus cujuſcumque conditionis, dignitatis, ac ſtatus, etiam ſpeciali, ac ſpecialiſſima nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipſarum ad praxim deducant.

Sanctiſſimus D. N. poſt latum Decretum die 24. Septembris proxime elapſi, quo viginti octo propoſitiones damnatæ fuerunt, examinatis ſedulo, & accurato uſque ad hanc diem infraſcriptis aliis quadrageſimum quintum numerum complentibus, per plures in ſacra Theologia Magiſtros, ac per Eminentiſſimos, & Reverendiſſimos D.D. Cardinales adverſus hæreticam pravitatem Generales Inquiſitores, eorum ſuffragia ſigillatim ſuper unaquaque ipſarum audivit.

PROPOSITIO XXIX.

IN die jejunii qui ſæpius modicum quid comedit, etſi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium.

XXX. Omnes Officiales, qui in Republica corporaliter laborant, ſunt excuſati ab obligatione jejunii, nec debent ſe certificare, an labor ſit compatibilis cum jejunio.

XXXI. Excuſantur abſolute a præcepto jejunii omnes illi, qui iter agunt equitando, utcumque iter agant, etiamſi iter neceſſarium non ſit, etiamſi iter unius diei conficiant.

XXXII. Non eſt evidens, quod conſuetudo non comedendi ova & lacticinia in Quadrageſima obliget.

XXXIII. Reſtitutio fructuum ob omiſſionem horarum ſuppleri poteſt per quaſcumque eleemoſynas, quas antea Beneficiarius de fructibus ſui beneficii fecerit.

XXXIV. In die Palmarum recitans Officium Paſchale ſatisfacit præcepto.

XXXV. Unico Officio poteſt quis ſatisfacere duplici præcepto, pro die præſenti, & craſtino.

XXXVI. Regulares poſſunt in foro conſcientiæ uti privilegiis ſuis, quæ ſunt expreſſe revocata per Concilium Tridentinum.

XXXVII. Indulgentiæ conceſſæ Regularibus, & revocatæ a Paulo V. hodie ſunt revalidatæ.

XXXVIII. Mandatum Tridentini factum Sacerdoti ſacrificanti ex neceſſitate cum peccato mortali, confitendi quamprimum, eſt conſilium, non præceptum.

XXXIX. Illa particula *quamprimum* intelligitur, cum Sacerdos ſuo tempore confitebitur.

XL. Eſt probabilis opinio, quæ dicit eſſe tantum veniale oſculum habitum ob delectationem carnalem & ſenſibilem, quæ ex oſculo oritur, ſecluſo periculo conſenſus ulterioris, & pollutionis.

XLI. Non eſt obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, ſi hæc nimis utilis eſſet ad oblectamentum concubinarii, vulgo *regalo*, dum deficiente illa nimis ægre ageret vitam, & aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent, & alia famula nimis difficile inveniretur.

XLII. Licitum eſt mutuanti aliquid ultra ſortem exigere, ſi ſe obliget ad non repetendam ſortem uſque ad certum tempus.

XLIII. Annuum Legatum pro anima relictum non durat plus, quam per decem annos.

XLIV. Quoad forum conſcientiæ, reo correcto, ejuſque contumacia ceſſante, ceſſant cenſuræ.

XLV. Libri prohibiti donec expurgentur, poſſunt retineri, uſque dum adhibita diligentia corrigantur.

Quibus mature penſatis, idem Sanctiſſimus ſtatuit ac decrevit prædictas propoſitiones, & unamquamque ipſarum, ut minimum tamquam ſcandaloſas eſſe damnandas & prohibendas, ſicuti eas damnat, ac prohibet. Ita ut quicumque illas &c. uti in priore decreto.

Inſuper diſtricte in virtute ſanctæ Obedientiæ, &c. ut in priore etiam decreto.

III.

SS. D. N.

INNOCENTII PAPÆ XI.

DECRETUM

contra propoſitiones 65. ſcandaloſas, & in praxi perniciosas.

Feria V. die 2. Martii 1679.

SAnctiſſimus D. N. Innocentius Papa XI. prædictus, ovium ſibi a Deo creatarum ſaluti ſedulo incumbens, & ſalubre opus in ſegregandis noxiis doctrinarum paſcuis ab innoxiis a fel. record. Alexandro VII. Prædeceſſore ſuo inchoatum proſequi volens, plurimas propoſitiones, partim ex diverſis vel theſibus, ſeu ſcriptis excerptas, & partim noviter adinventas, Theologorum plurium examini, & deinde Eminentiſſimis, & Reverendiſſimis Dominis Cardinalibus contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquiſitoribus ſubjecit. Quibus propoſitionibus ſedulo, & accurate ſæpius diſcuſſis, eorumdem Eminentiſſimorum Cardinalium, & Theologorum votis per Sanctitatem ſuam auditis, idem Sanctiſſimus D. N. re poſtea mature conſiderata, ſtatuit, & decrevit pro nunc ſequentes propoſitiones, & unamquamque ipſarum, ſicut jacent, ut minimum tanquam ſcandaloſas, & in praxi pernicioſas eſſe damnandas, & prohibendas, ſicuti eas damnat, & prohibet. Non intendens tamen Sanctitas ſua per hoc decretum alias propoſitiones in ipſo non expreſſas, & Sanctitati ſuæ quomodolibet, & ex quacumque parte exhibitas, vel exhibendas, ullatenus approbare.

I. Non eſt illicitum in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, niſi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc ſententia probabili tantum utendum non eſt in collatione Baptiſmi, Ordinis ſacerdotalis, aut epiſcopalis.

II. Probabiliter exiſtimo Judicem poſſe judicare juxta opinionem etiam minus probabilem.

III. Generatim dum probabilitate ſive intrinſeca, ſive extrinſeca, quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confiſi aliquid agimus, ſemper prudenter agimus.

IV. Ab infidelitate excuſabitur infidelis non credens, ductus opinione minus probabili.

V. An peccet mortaliter qui actum dilectionis Dei ſemel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus.

VI. Probabile eſt, ne ſingulis quidem rigoroſe quinquenniis per ſe obligare præceptum caritatis erga Deum.

VII. Tunc ſolum obligat, quando tenemur juſtificari, & non habemus aliam viam, qua juſtificari poſſimus.

VIII. Comedere, & bibere uſque ad ſatietatem ob ſolam voluptatem non eſt peccatum, modo non obſit valetudini, quia licite poteſt appetitus naturalis ſuis actibus frui.

IX. Opus conjugii ob ſolam voluptatem exercitum, omni penitus caret culpa ac defectu veniali.

X. Non tenemur proximum diligere actu interno, & formali.

XI. Præcepto proximum diligendi ſatisfacere poſſumus per ſolos actus externos.

XII. Vix in ſæcularibus invenies, etiam in Regibus, ſuperfluum ſtatui; & ita vix aliquis tenetur ad eleemoſynam, quando tenetur tantum ex ſuperfluo ſtatui.

XIII. Si cum debita moderatione facias, potes abſque peccato mortali de vita alicujus triſtari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere & deſiderare, non quidem ex diſplicentia perſonæ, ſed ob aliquod temporale emolumentum.

XIV. Licitum eſt abſoluto deſiderio cupere mortem Patris, non quidem ut malum Patris, ſed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura eſt pinguis hereditas.

XV. Licitum eſt filio gaudere de parricidio Parentis a ſe in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex hereditate conſecutas.

XVI. Fides non cenſetur cadere ſub præceptum ſpeciale, & ſecundum ſe.

XVII. Satis eſt actum Fidei ſemel in vita elicere.

XVIII. Si a poteſtate publica quis interrogetur, fidem ingenue confiteri, ut Deo, & Fidei glorioſum conſulo; tacere ut peccaminoſum per ſe non damno.

XIX. Voluntas non poteſt efficere, ut aſſenſus fidei in ſe ipſo ſit magis firmus, quam mereatur pondus rationum ad aſſenſum impellentium.

XX. Hinc poteſt quis prudenter repudiare aſſenſum, quem habebat ſupernaturalem.

XXI. Aſſenſus fidei ſupernaturalis, & utilis ad ſalutem ſtat cum notitia ſolum probabili revelationis, imo cum formidine, qua quis formidet, ne non ſit locutus Deus.

XXII. Nonniſi fides unius Dei neceſſaria videtur neceſſitate medii, non autem explicita remuneratoris.

XXIII. Fides late dicta ex teſtimonio creaturarum, ſimilive motivo ad juſtificationem ſufficit.

XXIV. Vocare Deum in teſtem mendacii levis non eſt tanta irreverentia, propter quam velit, aut poſſit damnare hominem.

XXV. Cum cauſſa licitum eſt jurare ſine animo jurandi, ſive res ſit levis, ſive gravis.

XXVI. Si quis, vel ſolus, vel coram aliis, ſive interrogatus, ſive propria ſponte, ſive recreationis cauſſa, ſive quocumque alio fine juret ſe non feciſſe aliquid, quod revera fecit; intelligendo intra ſe aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur, nec eſt perjurus.

XXVII. Cauſſa juſta utendi his amphibologiis eſt, quoties id neceſſarium aut utile eſt ad ſalutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio cenſeatur tunc expediens, & ſtudioſa.

XXVIII. Qui mediante commendatione vel munere ad Magiſtratum vel Officium publicum promotus eſt, poterit cum reſtrictione mentali præſtare juramentum, quod de mandato Regis a ſimilibus ſolet exigi; non habito reſpectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.

XXIX. Urgens metus gravis eſt cauſſa juſta Sacramentorum adminiſtrationem ſimulandi.

XXX. Fas eſt viro honorato occidere invaſorem, qui nititur calumniam inferre, ſi aliter hæc ignominia vitari nequit; idem quoque dicendum, ſi quis impingat alapam, vel fuſte percutiat, & poſt impactam alapam vel ictum fuſtis fugiat.

XXXI. Regulariter occidere poſſum furem pro conſervatione unius aurei.

XXXII. Non ſolum licitum eſt defendere defenſione occiſiva quæ actu poſſidemus, ſed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos poſſeſſuros ſperamus.

XXXIII. Licitum eſt tam heredi, quam legatario contra injuſte impedientem, ne vel hereditas adeatur, vel legata ſolvantur, ſe taliter defendere, ſicut & jus habenti in cathedram, vel præbendam contra eorum poſſeſſionem injuſte impedientem.

XXXIV. Licet procurare abortum ante animationem fetus, ne puella deprehenſa gravida occidatur, aut infametur.

XXXV. Videtur probabile omnem fetum, quamdiu in utero eſt, carere anima rationali, & tunc primum incipere eandem habere, cum paritur, ac conſequenter dicendum erit in nullo abortu homicidium committi.

XXXVI. Permiſſum eſt furari non ſolum in extrema neceſſitate, ſed etiam in gravi.

XXXVII. Famuli & famulæ domeſticæ poſſunt occulte heris ſuis ſurripere ad compenſandam operam ſuam, quam majorem judicant ſalario, quod recipiunt.

XXXVIII. Non tenetur quis ſub pœna peccati mortalis reſtituere quod ablatum eſt per pauca furta, quantumcumque ſit magna ſumma totalis.

XXXIX. Qui alium movet aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad reſtitutionem iſtius damni illati.

XL. Contractus mohatra licitus eſt etiam reſpectu ejuſdem perſonæ, & cum contractu retrovenditionis prævie inito, cum intentione lucri.

XLI. Cum numerata pecunia pretioſior ſit numeranda, & nullus ſit, qui non majoris faciat pecuniam præſentem, quam futuram; poteſt creditor aliquid ultra ſortem a mutuatario exigere, & eo titulo ab uſura excuſari.

XLII. Uſura non eſt, dum ultra ſortem aliquid exigitur, tanquam ex benevolentia, & gratitudine debitum, ſed ſolum ſi exigatur tanquam ex juſtitia debitum.

XLIII. Quidni nonniſi veniale ſit detrahentis auctoritatem magnam, ſibi noxiam, falſo crimine elidere?

XLIV. Probabile eſt non peccare mortaliter, qui imponit falſum crimen alicui, ut ſuam juſtitiam, & honorem defendat; & ſi hoc non ſit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in Theologia.

XLV. Dare temporale pro ſpirituali non eſt ſimonia, quando temporale non datur tanquam pretium; ſed dumtaxat tanquam motivum conferendi, vel efficiendi ſpirituale, vel etiam quando temporale ſit ſolum gratuita compenſatio pro ſpirituali, aut e contra.

XLVI. Et id quoque locum habet, etiamſi temporale ſit principale motivum dandi ſpirituale, imo etiamſi ſit finis ipſius rei ſpiritualis, ſic ut illud pluris æſtimetur, quam res ſpiritualis.

XLVII. Cum dixit Concilium Tridentinum eos alienis peccatis communicantes, mortaliter peccare, qui, niſi quos digniores, & Eccleſiæ magis utiles ipſi judicaverint, ad Eccleſias promovent, Concilium, vel primo videtur per hoc *digniores* non aliud ſignificare velle, niſi dignitatem eligendorum, ſumpto comparativo pro poſitivo; vel ſecundo, locutione minus propria ponit digniores, ut excludat indignos, non vero dignos; vel tandem loquitur tertio, quando fit concurſus.

XLVIII. Tam clarum videtur, fornicationem ſecundum ſe nullam involvere malitiam, & ſolum eſſe malam, quia interdicta, ut contrarium omnino rationi diſſonum videatur.

XLIX. Mollities jure naturæ prohibita non eſt: unde ſi Deus eam non interdixiſſet, ſæpe eſſet bona, & aliquando obligatoria ſub mortali.

L. Copula cum conjugata conſentiente marito non eſt adulterium; ideoque ſufficit in confeſſione dicere ſe eſſe fornicatum.

LI. Famulus, qui ſubmiſſis humeris ſcienter adjuvat herum ſuum aſcendere per feneſtras ad ſtuprandam virginem, & multoties eidem ſubſervit deferendo ſcalam, aperiendo januam, aut quid ſimile cooperando, non peccat mortaliter, ſi id faciat metu notabilis detrimenti, puta, ne a domino male tractetur, ne torvis oculis aſpiciatur, ne domo expellatur.

LII. Præceptum ſervandi Feſta non obligat ſub mortali, ſepoſito ſcandalo, ſi abſit contemptus.

LIII. Satisfacit præcepto Eccleſiæ de audiendo Sacro, qui duas ejus partes, imo quatuor, ſimul a diverſis celebrantibus audit.

LIV. Qui non poteſt recitare Matutinum, & Laudes, poteſt autem reliquas Horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad ſe minorem.

LV. Præcepto communionis annuæ ſatisfit per ſacrilegam Corporis Domini manducationem.

LVI. Frequens Confeſſio, & Communio etiam in his, qui gentiliter vivunt, eſt nota prædeſtinationis.

LVII. Probabile eſt ſufficere attritionem naturalem, modo honeſtam.

LVIII. Non tenemur Confeſſario interroganti fateri peccati alicujus conſuetudinem.

LIX. Licet ſacramentaliter abſolvere dimidiate tantum confeſſos, ratione magni concurſus pœnitentium, qualis v. g. poteſt contingere in die magnæ alicujus feſtivitatis, aut indulgentiæ.

LX. Pœnitenti habenti conſuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, aut Eccleſiæ, etſi emendationis ſpes nulla appareat, nec eſt neganda, nec differenda abſolutio, dummodo ore proferat ſe dolere, & proponere emendationem.

LXI. Poteſt aliquando abſolvi, qui in proxima peccandi occaſione verſatur, quam poteſt, & non vult omittere, quinimo directe, & ex propoſito quærit, aut ei ſe ingerit.

LXII. Proxima occaſio peccandi non eſt fugienda, quando cauſſa aliqua utilis, aut honeſta non fugiendi occurrit.

LXIII. Licitum eſt quærere directe occaſionem proximam peccandi pro bono ſpirituali, vel temporali noſtro, vel proximi.

LXIV. Abſolutionis capax eſt homo, quantumvis laboret ignorantia myſteriorum Fidei, & etiamſi per negligen-

tiam

tiam etiam culpabilem neſciat myſterium ſanctiſſimæ Trinitatis, & Incarnationis Domini Noſtri Jeſu Chriſti.

LXV. Sufficit illa myſteria ſemel crediſſe.

Quicumque autem cujuſvis conditionis, ſtatus, & dignitatis, illas vel illarum aliquam, conjunctim, vel diviſim defenderit, vel ediderit, vel de eis diſputative, publice, aut privatim tractaverit, vel prædicaverit, niſi forſan impugnando, ipſo facto incidat in excommunicationem latæ ſententiæ, a qua non poſſit (præterquam in articulo mortis) ab alio, quacumque etiam dignitate fulgente, niſi a pro tempore exiſtente Romano Pontifice abſolvi.

Inſuper diſtricte in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub interminatione divini judicii prohibet omnibus Chriſtifidelibus, cujuſcumque conditionis, dignitatis, & ſtatus, etiam ſpeciali, & ſpecialiſſima nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipſarum ad praxim deducant.

Tandem ut ab injurioſis contentionibus Doctores, ſeu Scholaſtici, aut alii quicumque impoſterum ſe abſtineant, & ut paci, & caritati conſulatur, idem Sanctiſſimus in virtute ſanctæ obedientiæ eis præcipit, ut tam in libris imprimendis, ac manuſcriptis, quam in theſibus, diſputationibus, ac prædicationibus caveant ab omni cenſura, & nota, necnon a quibuſcumque conviciis contra eas propoſitiones, quæ adhuc inter Catholicos hinc inde controvertuntur, donec a S. Sede recognitæ ſuper iiſdem propoſitionibus judicium proferatur.

IV.

SS. D. N.

ALEXANDRI PAPÆ VIII.

DECRETUM

24. Auguſti 1690.

SAnctiſſimus D. N. Alexander Papa VIII. non ſine magno animi ſui mœrore audivit duas theſes, ſeu propoſitiones, unam denuo, & in majorem perniciem fidelium ſuſcitari, alteram de novo erumpere; & cum ſui paſtoralis officii munus ſit, oves ſibi creditas a noxiis paſcuis avertere, & ad ſalutaria ſemper dirigere, dictarum theſium ſive propoſitionum examen pluribus in Sacra Theologia Magiſtris, & deinde Eminentiſſimis, & Reverendiſſimis DD. Cardinalibus Inquiſitoribus ſedulo commiſit, qui pluries re mature diſcuſſa infraſcriptis theſibus, ſeu propoſitionibus, ſuper unaquaque ipſarum ſua ſuffragia Sanctitati ſuæ ſigillatim expoſuerunt.

I. Bonitas objectiva conſiſtit in convenientia objecti cum natura rationali; formalis vero in conformitate actus cum regula morum. Ad hoc ſufficit ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretative: *hinc homo non tenetur amare neque in principio, neque in decurſu vitæ ſuæ moralis.*

II. Peccatum philoſophicum, ſeu morale eſt actus humanus diſconveniens naturæ rationali, & rectæ rationi; theologicum vero, & morale eſt tranſgreſſio libera divinæ legis. Philoſophicum quantumvis grave, in illo, qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, eſt grave peccatum, ſed non eſt offenſa Dei, neque peccatum mortale diſſolvens amicitiam Dei, neque æterna pœna dignum.

Quibus peractis, Sanctiſſimus, omnibus plene, & mature conſideratis, primam theſim, ſeu propoſitionem declaravit hæreticam, & uti talem damnandam, & prohibendam eſſe, ſicuti damnat, & prohibet ſub cenſuris, & pœnis contra hæreticos, & eorum fautores in jure expreſſis. Secundam theſim, ſeu propoſitionem declaravit ſcandaloſam, temerariam, piarum aurium offenſivam, & erroneam, & uti talem damnandam, & prohibendam eſſe, ſicuti damnat, & prohibet, ita ut quicumque illam docuerit, defenderit, ediderit, aut de ea etiam diſputaverit publice, ſeu privatim tractaverit, niſi forſan impugnando, ipſo facto incidat in excommunicationem, a qua non poſſit (præterquam in articulo mortis) ab alio, quacumque etiam dignitate fulgente, niſi a pro tempore exiſtente Romano Pontifice, abſolvi. Inſuper diſtricte in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub interminatione divini judicii prohibet omnibus Chriſti fidelibus, cujuſcumque dignitatis, conditionis, & ſtatus, etiam ſpeciali, & ſpecialiſſima nota dignis, ne prædictam theſim, ſeu propoſitionem ad praxim deducant.

V.

SS. D. N.

ALEXANDRI PAPÆ VIII.

DECRETUM

Contra propoſitiones 31.

Feria V. die 7. Decembris 1690.

SAnctiſſimus D. N. Alexander divina providentia Papa VIII. prædictus, pro paſtorali cura ovium a Chriſto Domino ſibi commiſſa de earum ſalute ſolicitus, ut inoffenſo gradu per rectas ſemitas poſſint incedere, & paſcua nimium pernicioſa in pravis doctrinis exhibita vitare, earum ſupra triginta propoſitionum examen pluribus in Sacra Theologia Magiſtris, & deinde Eminentiſſimis, ac Reverendiſſimis DD. Cardinalibus contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquiſitoribus commiſit, qui tantum negotium diligenter aggreſſi, eique ſedulo, ac pluries incumbentes, ſuper unaquaque ipſarum ſua ſuffragia Sanctitati ſuæ ſigillatim detulerunt.

Propoſitiones autem ſunt infraſcriptæ, videlicet:

I. IN ſtatu naturæ lapſæ ad peccatum formale, & demeritum ſufficit illa libertas, qua voluntarium, ac liberum fuit in cauſa ſua, peccato originali, & voluntate Adami peccantis.

II. Tametſi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in ſtatu naturæ lapſæ operantem ex ipſa, non excuſat a peccato formali.

III. Non licet ſequi opinionem vel inter probabiles probabiliſſimam.

IV. Dedit ſemetipſum pro nobis oblationem Deo, non pro ſolis electis, ſed pro omnibus, & ſolis fidelibus.

V. Pagani, Judæi, Hæretici, aliique hujus generis nullum omnino accipiunt a Jeſu Chriſto influxum, adeoque hinc recte inferes, in illis eſſe voluntatem nudam, & inermem, ſine omni gratia ſufficienti.

VI. Gratia ſufficiens ſtatui noſtro non tam utilis, quam pernicioſa eſt, ſic ut proinde merito poſſimus petere: *A gratia ſufficienti libera nos Domine.*

VII. Omnis humana actio deliberata eſt Dei dilectio, vel mundi; ſi Dei, caritas Patris eſt; ſi mundi, concupiſcentia carnis, hoc eſt mala eſt.

VIII. Neceſſe eſt infidelem in omni opere peccare.

IX. Revera peccat, qui odio habet peccatum mere ob ejus turpitudinem, & diſconvenientiam cum natura, ſine ullo ad Deum offenſum reſpectu.

X. Intentio, qua quis deteſtatur malum, & proſequitur bonum, mere ut cæleſtem obtineat gloriam, non eſt recta, nec Deo placens.

XI. Omne, quod non eſt ex fide Chriſtiana ſupernaturali, quæ per dilectionem operatur, peccatum eſt.

XII. Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides, & etiamſi videantur credere, non eſt fides divina, ſed humana.

XIII. Quiſquis etiam æternæ mercedis intuitu Deo famulatur, caritate ſi caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licet beatitudinis operatur.

XIV. Timor gehennæ non eſt ſupernaturalis.

XV. Attritio, quæ gehennæ, & pœnarum metu concipitur ſine dilectione benevolentiæ Dei propter ſe, non eſt bonus motus, ac ſupernaturalis.

XVI. Ordinem præmittendi ſatisfactionem abſolutioni, induxit, non politia, aut inſtitutio Eccleſiæ, ſed ipſa Chriſti lex, & præſcriptio, natura rei id ipſum quodammodo dictante.

XVII. Per illam praxim mox abſolvendi, ordo pœnitentiæ eſt inverſus.

XVIII. Conſuetudo moderna quoad adminiſtrationem Sacramenti Pœnitentiæ, etiamſi eam plurimorum hominum ſuſtentet auctoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Eccleſia non habetur pro uſu, ſed abuſu.

XIX. Homo debet agere tota vita pœnitentiam pro peccato originali.

XX. Confeſſiones apud Religioſos factæ, pleræque vel ſacrilegæ ſunt, vel invalidæ.

XXI. Parochianus poteſt ſuſpicari de Mendicantibus, qui eleemoſynis communibus vivunt, de imponenda nimis levi, & incongrua pœnitentia ſeu ſatisfactione ob quæſtum, ſeu lucrum ſubſidii temporalis.

XXII. Sacrilegi ſunt judicandi, qui jus ad Communionem percipiendam prætendunt, antequam condignam de delictis ſuis pœnitentiam egerint.

XXIII. Similiter arcendi ſunt a ſacra Communione, quibus nondum ineſt amor Dei puriſſimus, & omnis mixtionis expers.

XXIV. Oblatio in Templo, quæ fiebat a B. M. V. in

Puri-

Digitized by Google

Purificationis ſuæ per duos pullos columbarum, unum in holocauſtum, & alterum pro peccatis, ſufficienter teſtantur, quod indiguerit purificatione, & quod filius, qui offerebatur, etiam macula matris maculatus eſſet ſecundum verba legis.

XXV. Dei Patris ſedentis ſimulacrum nefas eſt Chriſtiano in Templo collocare.

XXVI. Laus, quæ defertur Mariæ, ut Mariæ, vana eſt.

XXVII. Valuit aliquando Baptiſmus ſub hac forma collatus: *In nomine Patris* &c. prætermiſſis illis: *Ego te baptizo*.

XXVIII. Valet Baptiſmus collatus a Miniſtro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi obſervat, intus vero in corde ſuo apud ſe reſolvit: *Non intendo, quod agit Eccleſia*.

XXIX. Futilis, & toties convulſa eſt aſſertio de Pontificis Romani ſupra Concilium œcumenicum auctoritate, atque in fidei quæſtionibus decernendis infallibilitate.

XXX. Ubi quis invenerit doctrinam in Auguſtino clare fundatam, illam abſolute poteſt tenere, & docere, non reſpiciendo ad ullam Pontificis Bullam.

XXXI. Bulla Urbani VIII. *In Eminenti*, eſt ſubreptitia.

Quibus mature conſideratis, idem Sanctiſſimus ſtatuit, & decrevit 31. ſupradictas propoſitiones, tanquam temerarias, ſcandaloſas, male ſonantes, injurioſas, hæreſi proximas, hæreſim ſapientes, erroneas, ſchiſmaticas, & hæreticas reſpective eſſe damnandas, & prohibendas, ſicuti eas damnat, & prohibet, ita ut quicumque illas, aut conjunctim, aut diviſim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam diſputative, publice, aut privatim tractaverit, niſi forſan impugnando, ipſo facto incidat in excommunicationem, a qua non poſſit (præterquam in articulo mortis) ab alio, quacumque etiam dignitate fulgente, niſi a pro tempore exiſtente Romano Pontifice abſolvi.

Inſuper diſtricte in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub interminatione divini judicii prohibet omnibus Chriſti fidelibus, cujuſcumque conditionis, dignitatis, & ſtatus, etiam ſpeciali, & ſpecialiſſima nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipſarum ad praxim deducant.

Non intendit tamen Sanctitas ſua per hoc Decretum alias propoſitiones in majori numero ultra ſupradictas 31. jam exhibitas, & in hoc Decreto non expreſſas approbare.

V I.

S. S. D.N.

PAPÆ BENEDICTI XIV.

CONSTITUTIO

qua quinque propoſitiones de duello proſcribuntur.

BENEDICTUS EPICOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

DEteſtabilem, ac divina naturalique lege damnatum Duellorum abuſum, a barbaris gentibus atque ſuperſtitioſis, non ſine ingenti corporum, animarum clade, in Chriſtianam Rempublicam auctore Diabolo invectum, eum ſemper execrata ſit, atque improbarit Eccleſia, tum præcipuo in eam curam ſtudio, vigilantia, ac zelo incubuerunt Romani Pontifices, ut a Fidelium cœtu longiſſime arceretur. Nam, ut antiquiora mittamus Prædeceſſorum Noſtrorum, Nicolai I. Cœleſtini III. Innocentii II. Eugenii III. Alexandri III. Innocentii IV. adverſus ſingulares pugnas decreta, extant recentiores Apoſtolicæ Sedis Conſtitutiones, quibus Romani Pontifices Julius II. Leo X. Clemens VII. ac demum Pius IV. graviſſimas pœnas antea ſtatutas confirmarunt, aliaſque de novo addiderunt contra duellantes ex quacumque cauſa, etiam per ſæculares Regionum aut Locorum Leges forſan permiſſa, adjecta infamia, bonorumque proſcriptione etiam adverſus complices ac participes, & qualemcumque operam iiſdem præbentes.

Tridentina vero Synodus latam in eos excommunicationem extendit ad Imperatores, & Reges, Duces, ac Principes, ceteroſque Dominos temporales, ſi locum ad Monomachiam in terris conceſſerint, ac juriſdictione & dominio loci, in quo duellum fieri permiſerint, quem ab Eccleſia obtineant, eo ipſo privatos declaravit. Committentes vero pugnam, eorumque patrinos, excommunicationis ac omnium bonorum proſcriptionis, nec non perpetuæ infamiæ pœnam incurrere ſtatuit; &, ſi in ipſo conflictu deceſſerint, eccleſiaſtica ſepultura perpetuo carituros decrevit.

Cum vero præfatis ſaluberrimis Legibus judicialia duntaxat, ac ſolemnia duella comprehenſa, ac proſcripta viderentur, piæ memoriæ Prædeceſſor noſter Gregorius Papa XIII. hujuſmodi pœnas adverſus eos omnes extendit, qui nedum publice, ſed etiam privatim ex condicto, ſtatuto tempore, & loco, Monomachiam commiſerint, etiamſi nulli patrini, ſociive ad id vocati fuerint, nec loci ſecuritas habita, nullæve provocatoriæ litteræ, aut denuntiationis chartulæ præceſſerint.

Denique felicis recordationis Clemens Papa VIII. etiam Prædeceſſor Noſter, Apoſtolicas Romanorum ante ſe Pontificum Leges omnes, & pœnas in eis ſtatutas, ſua Conſtitutione, quæ incipit *Illius vices*, data XVI. Kal. Septembris Anno MDXCII. dilecte complexus, eaſdem extendit ad omnes non ſolum duello certantes, ſed etiam provocantes, ſuadentes, equos, arma, commeatus præbentes, comitantes; chartulas, libellos, manifeſta mittentes, ſcribentes, vel divulgantes, aut quomodolibet circa iſta cooperantes, ſocios, patrinos, de induſtria ſpectatores, fautores, criminis demum participes, illudque permittentes, vel quantum ipſis eſt, non prohibentes, ac delinquentibus veniam & impunitatem concedentes, quique ſe prædictis quoquomodo immiſcuerint, etiamſi neque pugnæ effectus, neque acceſſus ad locum ſit ſubſecutus.

His tam ſapienter, tam aperte atque perſpicue ab Eccleſia, & ab Apoſtolica Sede conſtitutis, dubitari jam nullo modo poſſe videbatur, quin duella omnia, tam publica, quam privata, & naturali, & divino, & eccleſiaſtico jure, prorſus illicita, vetita, atque damnata cenſeri deberent. Sed nonnulli earum Legum interpretes, per benignitatis ſpeciem humanis pravisque cupiditatibus plus æquo faventes, Apoſtolicas Sanctiones ad corrupta hominum judicia inflectentes ac temperantes, *licere* docuerunt, *viro equeſtri duellum acceptare, ne timiditatis notam apud alias incurrat: fas eſſe defenſione occiſiva, vel ipſis Clericis, ac Religioſis, tueri honorem, dum alia declinandæ calumniæ via non ſuppetat; propulſare damna, quæ poſſidemus, ſed etiam ea, ad quæ jus inchoatum habemus, dum alia via id aſſequi non valeamus*. Quas quidem aſſertiones duellis faventes, Apoſtolica Sedes cenſura notavit, rejecit, proſcripſit.

Et nihilominus extiterunt quam proxime recentiores alii, qui etſi duella, vel odii, vel vindictæ, vel honoris tuendi cauſa vel levioris momenti res fortunaſque ſervandi, fateantur illicita; aliis tamen in circumſtantiis, & caſibus, vel amittendi officii, & ſuſtentationis, vel denegatæ ſibi a Magiſtratu juſtitiæ, defenſionis innoxiæ titulo, ea licere pronunciant. Laxas, & periculi plenas opiniones hujuſmodi, ex vulgatis eorum Libris ad Nos delatas, ubi primum accepimus, earum examen nonnullis ex Venerabilibus Fratribus Noſtris S. R. E. Cardinalibus, & quibuſdam dilectis Filiis Sacræ Theologiæ Magiſtris ſpecialiter ad id per Nos deputatis, commiſimus; qui re mature diſcuſſa, latis coram Nobis tum voce, tum ſcripto ſuffragiis, infraſcriptas propoſitiones cenſura, & proſcriptione dignas exiſtimarunt.

PRIMA PROPOSITIO.

Vir militaris, qui niſi offerat, vel acceptet duellum, tamquam formidoloſus, timidus, abjectus, & ad officia militaria ineptus haberetur, indeque officio, quo ſe ſuoſque ſuſtentat, privaretur, vel promotionis alias ſibi debitæ ac promeritæ, ſpe perpetua carere deberet, culpa & pœna vacaret, ſive offerat, ſive acceptet duellum,

I I.

Excuſari poſſunt etiam, honoris tuendi, vel humanæ vilipenſionis vitandæ gratia, duellum acceptantes, vel ad illud provocantes, quando certo ſciunt pugnam non eſſe ſecuturam, utpote ab aliis impediendam.

I I I.

Non incurrit eccleſiaſticas pœnas ab Eccleſia contra duellantes latas, Dux, vel Officialis Militiæ, acceptans duellum, ex gravi metu amiſſionis famæ, & officii.

I V.

Licitum eſt, in ſtatu hominis naturali, acceptare, & offerre duellum, ad ſervandas cum honore fortunas, quando alio remedio earum jactura propulſari nequit.

V.

Aſſerta licentia pro ſtatu naturali, applicari etiam poteſt ſtatui Civitatis male ordinatæ, in qua nimirum, vel negligentia, vel malitia Magiſtratus, juſtitia aperte denegatur.

Auditis itaque ſuper unaquaque earum propoſitionum, dictorum Cardinalium & Conſultorum judiciis, atque omni-

omnibus rite & mature conſideratis, Nos ipſas, præſentium Litterarum tenore, & Apoſtolica auctoritate, tamquam falſas, ſcandaloſas, ac perniciosas rejicimus, damnamus, ac prohibemus, itaut quicumque illas aut conjunctim, aut diviſim docuerit, defenderit, ediderit, aut de iis, etiam diſputandi gratia, publice, aut privatim tractaverit, niſi forſan impugnando, ipſo facto incidat in excommunicationem, a qua non poſſit (præterquam in mortis articulo) ab alio, quacumque etiam dignitate fulgente, niſi ab exiſtente pro tempore Romano Pontifice abſolvi.

Inſuper diſtricte in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub interminatione divini Judicii prohibemus omnibus Chriſtifidelibus cujuſcumque conditionis, dignitatis, & ſtatus, etiam ſpeciali & ſpecialiſſima nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipſarum ad praxim deducant.

Jam vero ut exitioſam duellorum licentiam, in Chriſtiana, ac præſertim Militari Republica, non obſtantibus providis Legibus a pleriſque etiam ſæcularibus Principibus & Poteſtatibus ad eamdem extirpandam laudabiliter editis, adhuc gliſcentem, validiore manu coerceamus, graviſſimumque ſcelus apoſtolicæ diſtrictionis gladio magis magiſque inſequamur, omnes, & ſingulas dictorum Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum Conſtitutiones ſuperius enunciatas, quarum tenores, ac ſi præſentibus de verbo ad verbum inſertæ forent, pro ſufficienter expreſſis haberi volumus, apoſtolica auctoritate confirmantes & innovantes, ad hoc ut pœnarum gravitas & ſeveritas majorem perditis hominibus ingerat peccandi metum, Noſtro motu proprio, ac de apoſtolicæ auctoritatis plenitudine, earumdem præſentium litterarum ſerie, ſtatuimus atque decernimus, ut ſi quis in duello, ſive publice, ſive privatim indicto, hominem occiderit, ſive hic mortuus fuerit in loco conflictus, ſive extra illum ex vulnere in duello accepto, hujuſmodi homicida, tamquam interficiens proximum ſuum animo præmeditato ac deliberato, ad formam Conſtitutionis felicis recordationis Prædeceſſoris Noſtri Benedicti Papæ XIII. quæ incipit *Ex quo Divina*, data vi. Idus Junii Anno Domini MDCCXXV., ab eccleſiaſticæ Immunitatis beneficio excluſus & repulſus omnino cenſeatur, ita ut a cujuſcumque Sacri aut Religioſi loci aſylo, ad quod confugerit, ſervatis tamen de jure ſervandis, extrahi, & Judicis competentis Curiæ pro merito puniendus, tradi poſſit & debeat; ſuper quos Nos Epiſcopis, aliiſque Superioribus Antiſtitibus, ad quos reſpective pertinet, & pertinebit inpoſterum, neceſſarias & opportunas facultates præſentium quoque tenore impertimur. Quin etiam, vivente adhuc altero in ſingulari certamine graviter vulnerato, ſi percuſſor in locum immunem ſe receperit, ea quo, eveniente illius morte, fugam arripere, & legum ſeveritatem evadere poſſe proſpiciatur; volumus, & reſpective permittimus, ut, quatenus periti ad inſpiciendum vulnus acciti, *grave vitæ periculum* adeſſe retulerint, percuſſor ipſe, prævio ſemper decreto Epiſcopi, & cum aſſiſtentia perſonæ eccleſiaſticæ ab eodem Epiſcopo deputatæ, ab hujuſmodi loco immuni extractus, ſine mora carceribus mancipetur; ea tamen lege Judicibus indicta, ut illum Eccleſiæ reſtituere debeant, ſi vulneratus ſuperſtes vivat ultra tempus a legibus, quæ de homicidio ſunt, conſtitutum; alioquin in eaſdem pœnas incidant, quæ in memoratis Benedicti XIII. Litteris conſtitutæ ſunt adverſus illos, qui delinquentem in aliquo ex caſibus ibidem expreſſis, ex indiciis ad id ſufficientibus ſibi traditum, reſtituere recuſent, poſtquam is in ſuis defenſionibus hujuſmodi indicia diluerit.

Præterea, ſimili motu & auctoritate decernimus ac declaramus, ſepulturæ ſacræ privationem a ſacroſancta Tridentina Synodo inflictam morientibus in loco duelli & conflictus, incurrendam perpetuo fore, etiam ante ſententiam Judicis, a decedente quoque extra locum conflictus ex vulnere ibidem accepto, ſive duellum publice, ſive privatim indictum fuerit, ac etiamſi vulneratus ante mortem non incerta pœnitentiæ ſigna dederit; atque a peccatis & cenſuris abſolutionem obtinuerit; ſublata Epiſcopis, & Ordinariis locorum ſuper hac pœna interpretandi ac diſpenſandi facultate, quo ceteris documentum præbeatur fugiendi ſceleris, ac debitam Eccleſiæ legibus obedientiam præſtandi.

In hujus demum ſollicitudinis noſtræ ſocietatem vocantes Cariſſimos in Chriſto Filios Noſtros, Imperatorem electum, cunctoſque Catholicos Reges, nec non Principes, Magiſtratus, Militiæ Duces, atque Præfectos, eos omnes & ſingulos, pro ſua in Deum Religione, ac pietate, enixe obteſtamur in Domino, ut conjunctis ſtudiis, & animis, exitioſæ duellorum licentiæ, & ea qua Regnorum tranquillitas, populorum ſecuritas, atque incolumitas, neque corporum ſolum, ſed, quæ nullo pretio æſtimari poteſt, æterna animarum vita certo periclitatur, omni niſu & conſtantia vehementer obſiſtant. Neque ſibi, ſuæque in Deum fidei, muneriſque rationi feciſſe ſatis intelligant, quod optime conſtitutis Legibus, indictiſque graviſſimis pœnis, horrendum ſcelus proſcriptum ſit, niſi accuratam ipſarum Legum, pœnarumque executionem naviter urgeant, ac promoveant, ſeque inexorabiles Dei vindices in eos, qui talia agunt, diligenter exhibeant. Nam ſi delinquentes aut oſcitanter ferant, aut molliter puniant, alieno ſeſe crimine polluent, omniſque illius ſanguinis reos ſe conſtituent, quem ita crudeliter inultum effundi permiſerint. Vani enim falſique honoris idolo humanas litari victimas non impune feret ſupremus omnium Judex Deus; rationem ab iis aliquando exacturus, quorum eſt divina, & humana jura tueri, ſibique creditorum hominum vitam ſervare, pro quibus ſanguinem ipſe ſuum Jeſus Chriſtus effudit.

Volumus autem ut præſentium Litterarum tranſumptis etiam impreſſis, Notarii publici manu ſubſcriptis, & Sigillo perſonæ in eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem ubique, etiam in judicio, fides habeatur, quæ ipſis præſentibus haberetur, ſi originaliter forent exhibitæ vel oſtenſæ. Utque eædem præſentes in conſuetis locis publicis hujus Almæ Urbis per curſores noſtros, ut moris eſt, publicatæ & affixæ, omnes & ſingulos, quos concernunt, ſeu concernent in futurum, perinde afficiant, ac ſi unicuique illorum perſonaliter intimatæ & notificatæ fuiſſent.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc noſtrarum prohibitionis, damnationis, præcepti, ſtatuti, declarationis, facultatum, impertitionis, obteſtationis, decreti, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ MDCCLII. quarto Idus Novembris, Pontificatus noſtri Anno tertiodecimo.

VII.

CONDEMNATIO DUARUM THESIUM

De omnipotentia donata, & ſubjecta creaturæ.

23. Novembris 1679.

IN Congregatione Generali Sanctæ Romanæ, & univerſalis Inquiſitionis habita in Palatio Apoſtol. Montis Quirinalis coram SS. D. N. Innoc. Divin. Prov. PP. XI. ac Emin. & Rev. Dominis S. R. E. Cardinalibus in tota Rep. Chriſtiana contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquiſitoribus a S. Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatis.

Cum ſupradictis Eminentiſ. ac Reverendiſs. DD. delatæ fuerint hæ duæ Propoſitiones:

I. Deus donat nobis omnipotentiam ſuam, ut ea utamur, ſicut aliquis donat alteri villam, aut librum.

II. Deus ſubjicit nobis ſuam omnipotentiam.

Eorumdem juſſu per Theologos ad id ſpecialiter deputatos SS. D. N. relatæ, & coram ſua Sanctitate propoſitæ, una cum votis Eminentiſs. & Reverendiſs. S. R. E. Cardinalium, Sanctitas ſua decrevit, & mandavit, ut ambæ propoſitiones prohiberentur, ſicut eas præſenti Decreto damnat, & prohibet, ut temerarias ad minimum, & novas; mandatque, ne quis deinceps, cujuſcumque ſit gradus, ordinis, aut conditionis, illas vel illarum alterutram audeat imprimere, vel imprimi facere, ſive ſcriptis, ſive etiam oratenus docere, vel aſſerere, ſub pœnis & cenſuris in Indice librorum prohibitorum contentis, aliiſque Sanctitati ſuæ bene viſis.

VIII.

PROHIBITIO THESIS

De uſu ſcientiæ ex Confeſſione acquiſitæ.

18. Novembris 1682.

IN Generali Congregatione S. Romanæ, & univerſalis Inquiſitionis habita in Conventu S. Mariæ ſuper Minervam coram Eminentiſs. DD. S. R. E. Cardinalibus in tota Repub. Chriſtiana contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquiſitoribus a S. Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatis.

Prævia matura conſultatione Dominorum Conſultorum, facta fuit diſcuſſio ſequentis propoſitionis:

Scientia ex Confeſſione acquiſita uti licet, modo fiat ſine directa aut indirecta revelatione, & gravamine pœniten-

Digitized by Google

nitentis, niſi alia multo major ex non uſu ſequatur, in cujus comparatione prius merito contemnatur.

Addita deinde explicatione, ſive limitatione, quod ſit intelligenda de uſu ſcientiæ ex confeſſione acquiſitæ cum gravamine pœnitentis, ſecluſa quacumque revelatione, atque in caſu quo multo majus gravamen ejuſdem pœnitentis ex non uſu ſequeretur: ſtatuerunt dictam propoſitionem, quatenus admittit uſum dictæ ſcientiæ cum gravamine pœnitentis, omnino prohibendam eſſe, etiam cum dicta explicatione, ſive limitatione: & præſenti Decreto prohibet, ne quis ultra audeat talem doctrinam publice, aut privatim docere, aut defendere, ſub pœnis arbitrio Sacræ Congregationis infligendis. Mandantes etiam univerſis Sacramenti Pœnitentiæ Miniſtris, ut ab ea in praxim deducenda prorſus abſtineant.

INSTRUCTIO

Parochorum, & Confeſſariorum pro caſibus, quorum abſolutio, ſeu diſpenſatio a Sacra Pœnitentiaria Apoſtolica impetratur.

Romæ edita ann. 1705.

CUm ſæpe ſit experientia compertum, plurimos utriuſque ſexus Chriſti fideles, & præcipue in longinquis degentes, cenſurarum vinculis, votorum obligationibus, Matrimoniorum impedimentis, necnon Irregularitatum, & caſuum quoquo modo reſervatorum ligaminibus adſtrictos, ad Sanctam Sedem, ejuſque Sacram Pœnitentiariam ſpectantibus irretitos, in illis lacrymoſe perſiſtere, & continuis conſcientiæ agitationibus laborioſe perdurare, cujus mali cauſas ex ſimilibus provenire innotuit.

Primo eo quod Parochi, vel alii, ad quos hujuſmodi Pœnitentes recurrere contingit, in pagis, aut locis ruralibus degunt, & viam, modumque recurrendi ad præfatam Sacram Pœnitentiariam ignorant, nec aliquem hic Romæ agnoſcunt, ad quem ſupplicationes dirigant, unde Pœnitentes perplexos dimittunt, qui cum ad Ordinarium accedendi (præſertim ſi ſint feminæ) verecundia, aut timore intercludantur, conſilium ulterius requirere neſcientes, remedium deſperant, & in prædictis vinculis, obligationibus, impedimentis, inhabilitatibus, & caſibus reſervatis, cum periculo damnationis inſordeſcunt.

Secundo evenit, quod Pœnitentes egeni recognitionem pro ſollicitatione, & labore Agentium Romæ commorantium, exſolvere non valentes, mœrentes, afflicti, ac conſcientiæ motibus concuſſi, in perículoſo ſtatu manere coguntur, & forte (quod pejus eſt) ſibi perſuadent, Sacræ Pœnitentiariæ Tribunal aliquid lucri pro litteris prædictis recipere, cum re vera Sacræ Pœnitentiariæ Miniſtri, nec aliquid quamvis minimum, nec etiam ſponte oblatum unquam recipiant, & gratis omnia exhibentes, ſingulos ad ſe recurrentes, ſerena fronte complectantur.

Tertio accidit etiam nonnumquam per inadvertentiam exponentium, ut gratiæ juxta expoſita obtentæ, irritæ evadant, eo quia caſus, & circumſtantias neceſſarias reticeant, unde fit, quod litterarum executores, caſu poſtea Pœnitentium examinato, rem aliter ſe habere, quam expreſſum fuerat, comperiant, & gratias ſubreptitias, aut obreptitias eſſe inveniant; quare Pœnitentes confuſi remanent, & ſpe novæ diſpenſationis ſe carere putantes, in prædictis vinculis, obligationibus &c. miſerabiliter remanent.

Quare gratum Deo, & utile fidelibus futurum eſſe ſperatur, ſi iſte modus recurrendi ad ipſam Sacram Pœnitentiariam proponatur.

Confeſſores itaque, cum Pœnitentes vinculis præfatis irretitos ad ſe accedere contigerit, caſuum qualitates, & prælatorum caſuum circumſtantias conſiderent, cauſaſque diſpenſationum, aut commutationum exprimant, & caveant, ne quod occultum eſt, publicum faciant, præſertim impedimenta occulta matrimoniorum: nam publica, vel ad publicum redacta, non pertinent ad Sacram Pœnitentiariam.

Et ſic præfati Confeſſores poterunt caſus Pœnitentium præfatos cum dictis circumſtantiis, & cauſis exponere, ſive latino, ſive quocumque alio idiomate propriæ Regionis; nam Sacra Pœnitentiaria ſuos ex quacumque Regione Pœnitentiarios ſubordinatos habet; & exprimant inſuper in fine expoſitionis caſus, nomen, cognomen, cui ſit a Sacra Pœnitentiaria reſcribendum, etiam ſi ipſum nomen, & cognomen ſit fictitium. Itemque modum, per quem reſponſio ſecura dirigi poſſit, ſignificando ſcilicet vulgari nomine, Oppidum, ſeu Civitatem, & Regionem, cum data menſis, & anni in hunc modum.

Intus incipiant Epiſtolam, ſeu ſupplicationem ſic.

Eminentiſſime, & Reverendiſſime Domine.

N. Mulier emiſit votum ſimplex caſtitatis, manet in periculo incontinentiæ, niſi nubat, ſupplicat ſibi votum commutari ad effectum contrahendi Matrimonium.

Terminent Epiſtolam, ſeu ſupplicationem ſic.

Dignetur Eminentia veſtra reſcribere ad N. & N. & exprimant nomen, & cognomen illius, cui eſt reſcribendum; Ad Civitatem N. exprimendo nomen Civitatis. Per Oppidum N. exprimendo vulgari nomine, nomen Oppidi, & dirigere Breve, ſeu gratiam ſimplici Confeſſario, ſeu Confeſſario Magiſtro in Theologia, ſive decretorum Doctori, ſive Parocho, cui Pœnitens aperuit ſuam conſcientiam, ne ipſe Pœnitens, & præſertim feminæ cogantur circuire pro executione gratiæ Sacræ Pœnitentiariæ.

Dirigant Epiſtolam, ſeu ſupplicationem ſcribendo extra, ſeu a foris in hunc modum.

Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo Domino Cardinali, Majori Pœnitentiario.

Romam.

Et ſi tardaverit reſponſio, Confeſſarii reſcribant, & ſi opus fuerit, ſemel, & iterum, ne forte prior Epiſtola ſit deperdita.

Rogantur inſuper Parochi, ſive Confeſſarii, ad quos præſentes Litteræ pervenerint, illarum notitiam, quibus poterunt, pro animarum ſalute communicare.

Ne elaborent nimis Confeſſarii, in dando executionem litteris, ſeu gratiis Sacræ Pœnitentiariæ, impreſſi ſunt Romæ in Stamparia Apoſtolica duo Libelli, quorum unius titulus eſt, MANUDUCTIO, AD EXEQUUTIONEM LITTERARUM SACRÆ PŒNITENTIARIÆ, & alterius DILUCIDATIO FACULTATUM, ET PRAXIS EXEQUUTIONUM AD LITTERAS, ET RESCRIPTA SACRÆ PŒNITENTIARIÆ: in utroque datur modus exequendi litteras ejuſdem Sacræ Pœnitentiariæ.

APPENDIX.

Ne mei operis lectores, morum quæſtionibus tractandis forte ſolum aſſueti, in celeberrimis diſceptationibus ſcitu neceſſariis, & ad ipſos mores recte informandos pertinentibus, hoſpites ſint, & peregrini; duas hic appendicis loco diſputationes attexo, alteram de ſummi Pontificis, & Æcumenicorum Conciliorum Auctoritate, alteram vero de Prædeſtinatione, & gratia.

Animadverſiones in Natalem Alexandrum de Romani Pontificis auctoritate. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ tom. 9. diſſ. 4.

TAM prolixo, & callido ſermone Natalis Alexander, aliique Pontificiæ auctoritatis impugnatores hoc negotium tractant, ut ipſo verborum apparatu, & mole ſuos adverſarios deterreant, & incautos, minuſque attentos lectores aut perplexos reddant, aut ſuis laqueis irretiant.

Ut huic malo quantum in me eſt occurram, ſimulque brevitatis amatoribus rem haud ingratam faciam, non omnia, (quod infiniti prope dixerim operis eſſet) ſed præcipua huc ſpectantia attingam, eaque tamen dicam, quæ ad ſanam, & certam doctrinam tuendam ſatis ſint.

Muratorius Annalium Italicorum tom. xt. anno 1682. ita loquitur. „ Perchè poi continuava lo zelante Papa Innocenzo XI. a non voler accordare al Re Criſtianiſſimo l' eſtanſione della Regalia; queſti già avvezzo a riſolutamente volere ec.; nè qui ſi fermò lo ſpirito di diſpetto, e di vendetta, che avea preſo luogo nel cuore di quel Monarca. Imperciocchè fece accettare, e pubblicare da eſſo Clero (di Francia) nel dì 23. di Marzo quattro propoſizioni, che crudelmente ferivano i diritti, e privilegj della Santa Sede, molto prima diſſeminate dai Sorboniſti ſotto lo ſpecioſo titolo di libertà della Chieſa Gallicana; cioè che il Romano Pontefice non ha autorità diretta, o indiretta ſopra il temporale de Principi, nè può deporre eſſi Sovrani, nè aſſolvere dal giuramento di fedeltà i loro ſudditi; che i Concilj generali ſono ſuperiori ad eſſo Pontefice; che l' autorità dei decreti della Sede Appoſtolica ſpettanti alla diſciplina, riceva la ſua forza dal conſenſo dell' altre Chieſe; che nelle quiſtioni di Fede non ſono infallibili le ſentenze della Santa Sede, e ſolamente tali divengono, quando vi concorre l' approvazione della Chieſa. "

Latine ſic ſonat: Quoniam vero Papa Innoc. XI. religionis zelo accenſus, Regi Chriſtianiſſimo quoad regii in Eccleſiaſtica beneficia juris extenſionem obluctari perſeverabat; hic in propoſito permanere aſſuetus &c. Neque hic indignationis, & vindictæ ſenſus, qui illius Regnantis animum occupaverat, quievit. Etenim quatuor propoſitiones a Sorbonicis Doctoribus ſub ſpecioſo immunitatis Eccleſiæ Gallicanæ titulo jampridem diſſeminatas, quibus Sanctæ Sedis jura, & privilegia crudeliter impetebantur, ab ipſo Galliarum Clero die 3. Martii probandas, & publicandas curavit, & voluit; hoc eſt Rom. Pontificem nec directam, nec indirectam in temporalia Principum auctoritatem habere, nec illos e principatu dejicere, nec eorum ſubditos a fidelitatis juramento abſolvere poſſe; generalia Concilia eodem Pontifice ſuperiora eſſe: auctoritatem decretorum Apoſtolicæ Sedis ad diſciplinam ſpectantium, ſuam ab aliarum Eccleſiarum conſenſu vim acquirere; demum Sanctæ Sedis ſententias in fidei quæſtionibus non eſſe falli neſcias, taleſque tunc ſolum fieri, cum Eccleſiæ approbatio accedit.

Qui a præjudiciis liberi, hujus litis exſuſcitatæ, Sedique Apoſtolicæ intentatæ originem attente inſpiciunt, jam quid de ea ſentiendum ſit, vel me tacente intelligunt; imo homines pii, Deumque timentes mirantur, quod Chriſti Vicario de ſua ipſius poteſtate, & fidei definitionibus lis a ſuis ſubditis intentetur.

Sed quid tum poſtea? „ Finalmente (idem Muratorius anno 1693.) nel preſente anno d' ordine del Re Luigi XIV. ſcriſſero que' Prelati (di Francia) a Papa Innocenzo XII. una lettera piena di ſommeſſione, in cui diſapprovarono gl' inſegnamenti ſuddetti; " Latine: denique anno præſenti, Regis Aloyſii XIV. juſſu illi Præſules ad Innocentium XII. demiſſiſſime ſcribentes, prædictas doctrinas improbarunt; hoc eſt ſcripſere, *ſe de geſtis hujuſmodi vehementer quidem, & ſupra omne id, quod dici poteſt, ex corde dolere, ac quæcumque in præfatis Comitiis* (anni 1682.) *ſive circa Eccleſiaſticam poteſtatem, & Pontificiam auctoritatem decreta, ſive in præjudicium jurium earumdem Eccleſiarum deliberata, pro non decretis, nec deliberatis habere, & habenda eſſe; ſerio inſuper ſpondentes, ſe ita in poſterum geſturos, ut nihil penitus de vera eorum erga Sanctam Sedem obedientia, ac debito pro juribus ipſarum Eccleſiarum defendendis zelo deſiderandum ſuperſit.* „ Grav. t. 8. p. 1. fol. 192. Ipſe Rex Ludovicus XIV. „ qui lato edicto juſſerat, aſſertas a Clero propoſitiones ab omnibus eſſe propugnandas, certum reddidit per ſuam epiſtolam eumdem Innocentium, ita egiſſe, ut nemo ad ipſius obſervantiam teneretur. " Ita refert P. Roncaglia t. 9. Nat. Alex. §. 11. animad. in prop. Nat. quæ Concilia æcumenica Papæ præponit pag. 467. col. 1. Venditent nunc adverſarii inflatis buccis, ut ſolent, comitia Cleri Gallicani anni 1682.

Sed quis demum hanc ab adverſariis tantopere implicatam controverſiam definire poteſt? Ipſi videlicet ſummi, & certi Pontifices, & legitima æcumenica Concilia. Hanc propoſitionem ne adverſarii quidem reſpuere audebunt, aut poſſunt. Age nunc, Alexander VIII. jam definivit, dum hanc propoſitionem n. 29. *futilis, & toties convulſa eſt aſſertio de Romani Pontificis ſupra Concilium æcumenicum auctoritate*, proſcripſit. Si aſſertio, de qua loquimur, non eſt ex Alexandri VIII. definitione futilis, ergo ſana eſt, & ſolida: ſi tot, ac ſpecie tantis adverſariorum machinis non convulſa, ergo firma ſtat, & inconcuſſa. Quid ad hæc? nemo a præjudiciis liber, & æquus non intelligit, Alexandri VIII. mentem eam propoſitionem proſcribentis fuiſſe, ut pro vera, & certa habeatur *aſſertio de Pontificis Romani ſupra Concilium æcumenicum auctoritate, atque in fidei quæſtionibus decernendis infallibilitate.* An Spiritus Sanctus, qui Romano Pontifici Eccleſiam inſtruenti (quod ne adverſarii quidem negare queunt) præſto eſt, hic eum deſerit? an dum Chriſtianis neceſſariam doctrinam tradit, eos decipit?

Videlicet ambitionis æſtu, ut homines ſolent, abreptus, eam ſibi, & Romanis Pontificibus per ſummum nefas poteſtatem arrogat, quam a Chriſto non acceperunt.

Si proſcriptionem 29. propoſitionis venerari, ut omnino debent, nolunt, quia ſuis male placitis contraria; eadem ratione aut hi ipſi, aut alii trigeſimæ damnationem pauci facient; atque hoc malo ſpiritu afflati in eorum optione poſitum volent, ut damnationes pontificias accipiant, ſi ſibi commodæ ſint; reſpuant vero, ſi ſibi non placeant. Ita ne vero? Quid hoc aliud eſt, niſi inconcuſſam Petram, adverſus quam portæ inferi nunquam prævalebunt, adoriri, & cum inferis ſpiritibus illud aggredi, ut eam concutiant?

Quid hoc aliud eſt, quam hæreticis, quorum illud perfidiæ caput eſt, ut apoſtolicas definitiones, quia ſibi maxime infenſæ ſunt, contemnant, maxime favere, & patrocinari? Eruditos homines, eruditionis volumina evomentes, eorumque admiratores Apoſtolus Rom. 12. admonet, *non plus ſapere, quam oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem*, ut neceſſario Chriſtianæ humilitatis ſpiritu ſuſcepto, a Romana Eccleſia omnium matre, & magiſtra ſe doceri non ſolum ſinant, ſed maxime cupiant; ne, dum ejus magiſterium, & præcepta ſuperbe, & contumaciter recuſant, in apoſtolicæ excommunicationis Papæ reſervatæ fulmina (conſule Alex. VIII. decretum citatum in calce) incidant.

Porro ex propoſitionis vigeſimæ nonæ proſcriptione illud ſponte ſua conſequitur, Sedis Apoſtolicæ decreta, Eccleſiæ diſciplinam moderantia ex ſua ipſius auctoritate vim habere, nec neceſſe eſſe, ut eam ab aliarum Eccleſiarum, quæ ipſi parere debent, conſenſu emendicent; quod tamen ex dicendis clarius fiet.

Quod attinet ad Romani Pontificis poteſtatem in temporalia Regum, cum his ex divinæ Sapientiæ ordine jus & poteſtas ea juſte adminiſtrandi conceſſa ſit, juxta illud Prov. 8. *per me Reges regnant, & legum conditores juſta decernunt*, ſupremam eorum quoad hæc auctoritatem antiquiſſima, & conſtans Summorum Pontificum auctoritas agnoſcit, & prædicat, ut intelligas, eos veritatis docendæ, non alieni juris uſurpandi auctores eſſe. Sed hic ſermo eſt de indirecta poteſtate,

quæ

quæ idem ſonat, ac poteſtas, ſeu jus removendi impedimenta, jus, & officium ſpiritualia adminiſtrandi, quod omnes Catholici Romano Pontifici tribuunt, interturbantia, & impedientia; & quæritur, utrum hæc Romani Pontificis indirecta poteſtas eo uſque progrediatur, ut, ſi nulla alia ratio ſui efficii, & juris ſpiritualis libere exercendi ſuperſit, ipſos Reges e ſuo throno dejicere poſſit. Quia Romani Pontifices Evangelii per univerſum orbem annuntiandi jus habent, ipſos ethnicos Principes ſibi minime ſubditos ejus promulgationem vi impedientes coercere, eorumque imperia neceſſitate ita poſtulante occupare per ſe, aut aliis jure poſſunt. Quid ni ergo? Sed hac de re ſane graviſſima diſputare non juvat; quæ in Catholicis & piis Principibus, & Principatibus locum non habet.

Præterea res hæc delicatiſſima, & periculoſiſſima eſt; in qua non tam de poteſtate, quam de ejus uſu diuturna, & cautiſſima conſideratio coram Deo ablegatis omnibus humanis affectibus habenda eſt, ne magis publico bono, & animarum ſaluti obſit, quam proſit. Hic vero Conſiliarii valde videant, & caveant!

Sed ad nos veniamus. Sicuti adverſarii ſibi male conſtantes, a Summo Pontifice ad futurum œcumenicum Concilium appellare, licitum eſſe volunt, eorumque auctoritate appellatum non ſemel fuit; cujus rei funeſta exempla a Natali Alex. diſſ. 4. cit. a. 3. n. 16. p. 439. referuntur; ita contra hujuſmodi appellationes ſupremæ pontificiæ auctoritati contumelioſas non ſolum Summi Pontifices prohibent, ſed etiam anathemate Papæ reſervato perculſas volunt. En verba Bullæ Cœnæ. *Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & ſingulos cujuſcumque ſtatus, gradus, ſeu conditionis fuerint (univerſitates vero, collegia, & capitula quocumque nomine nuncupentur, interdicimus) ab ordinationibus, ſeu mandatis noſtris, ac Romanorum Pontificum pro tempore exiſtentium ad univerſale futurum Concilium appellantes, nec non eos, quorum auxilio, conſilio, vel favore appellatum fuerit.* An tam grandis pœna, qua nulla in Eccleſia major, innocentibus infligitur? An Summi Pontifices injuſti ſunt? Quid ad hæc? Hujuſmodi appellationes, ſic Natalis a. 3. cit. n. 13. & 15. p. 437. 439. Martinum V. Pium II. Julium II. & Bullam Cœnæ prohibuiſſe Theologi Pariſienſes fatentur, at temerarias, & a privatis perſonis interpoſitas, non item ſi ex graviſſimis, & communibus cauſis interponantur. At hæc diſtinctio arbitraria eſt, cujus nullum in pontificiis prohibitionibus veſtigium apparet; imo ex iis contrarium elucеſcit. Nam Bulla Cœnæ *univerſitates* interdicto ſubjicit, quæ nonniſi ex communibus, & gravibus cauſis appellant; excommunicatione vero percellit *omnes, & ſingulos cujuſcumque ſtatus* &c. qui levia certe & privata negotia non tractant. Martini V. aſſertio ex ipſo Natali n. 12. p. 437. hæc eſt. *Nulli fas eſt, a Supremo Judice, videlicet apoſtolica Sede, ſeu Romano Pontifice Jeſu Chriſti Vicario in terris appellare, aut illius judicium in cauſis fidei, quæ tanquam majores ad ipſum, & Sedem apoſtolicam referendæ ſunt, declinare.* Si a *Supremo Judice* injuria irrogata forte putetur, alia quidem remedia tentari poſſunt; at appellatio nemini, nulliſque prorſus ex cauſis licet, quia illum e ſuo ſupremo gradu dejicit: cum appellatio non ſit, niſi ab inferiore ad ſuperius Tribunal. Pius II. ea eodem Natali n. 15. p. 439. ait. *Execrabilis, & priſtinis temporibus inauditus tempeſtate noſtra inolevit abuſus, ut a Romano Pontifice Jeſu Chriſti Vicario, cui dictum eſt in Perſona Petri:* paſce oves meas, & quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cœlo, *nonnulli ſpiritu rebellionis imbuti, non ſanioris cupiditate judicii, commiſſi evaſione peccati ad futurum Concilium provocare præſumant* &c.

An execrabilis, & priſtinis temporibus inauditus appellandi abuſus, fiet uſus licitus & bonus, ſi de graviſſimis, & communibus negotiis agatur? An graviſſima, & communia negotia agitari cœpere, cum appellandi abuſus cœpit? Neque vero ſpiritu rebellionis imbuti, ut eos Pius II. appellat, dici queunt, qui ad ſuperius legitimum Tribunal appellant, etiamſi in Tribunali inferiori recte judicatum fuerit. Adde, quæ ibi-
Apud Nat. Ep. 40. eadem. dem idem Pius II. ſubdit. *Adverſus hoc inquaſſabile fundamentum, & Eccleſiæ firmam petram hæreſis quædam a parvo tempore citra ſenſum viſa ſubaris pullulavit, quæ ſub ovium veſtibus lupos rapaces intrinſecus celans, ſub appellationis ſpecie Eccleſiæ ſatagit unitatem convellere.* Hujuſmodi graviſſimæ objurgationes *adverſus hoc inquaſſabile fundamentum*, quod tale dici non poteſt, ſi Superioris Tribunalis ſententia concuti poſſit, *hæreſis quædam*. an appellatio etiam injuſta ad ſupremum Judicem *hæreſis eſt? Eccleſiæ ſatagit unitatem convellere*; at unitatem Eccleſiæ convelleret, qui appellationem ad ſummum tribunal impediret, non qui ad illud appellaret; hujuſmodi inquam graviſſimæ objurgationes luce clarius oſtendunt, appellationes a Summo Pontifice ad œcumenicum futurum Concilium nunquam, nulliſque de cauſis eſſe permiſſas; qua de re ne vel tantillum dubites, ab eodem Pio II. ſubditur, quod *futurum Concilium* idem ſonat, ac *id, quod nuſquam eſt, ac ſupra Chriſti Vicarium eſſe, aut reperiri nequit.*

De apoſtolicis doctrinis, & definitionibus dubitare, nedum iis ſuperbe repugnare, grande, & certum nefas ſemper eſt. Quod ſi contingat, Romanos Pontifices & ipſos infirmitate circumdatos aliquid violentum, & graviſſimum imponere, omiſſa appellatione, quæ nunquam licet, & rebellionis crimen eſt, illud D. Auguſtini lib. 1. de lib. arbitrio n. xi. *nam mihi lex eſſe non videtur, quæ juſta non fuerit*, quæ eſt D. Thomæ 1. 2. q. 96. a. 4., & omnium Theologorum ſententia, uſurpare permiſſum erit, ut malis, prout Chriſtiana prudentia quæ multa tolerat, ſuaſerit, remedium, ſi precibus, & commiſerationi locus non ſit, adhibeatur.

Unicum hæreſis crimen eſt, quod Romanum Pontificem eo infectum ſuis ſubditis ſubjicit. *Si Papa ſuæ, & fraternæ ſalutis* (habetur cap. 6. Si Papa diſt. 40) *negligens deprehenditur, inutilis, & remiſſus, &c. hujus culpas iſtic redarguere præſumit mortalium nullus, quia cunctos ipſe judicaturus, a nemine eſt judicandus, niſi deprehendatur a fide devius.*

De Romano Pontifice, inquit Adrianus act. 5. Syn. VIII. generalis, *quemquam judicaſſe non legimus. Licet enim Honorio ab Orientalibus poſt mortem anathema dictum ſit, ſciendum tamen eſt, quod fuerat ſuper hæreſi accuſatus; propter quam ſolum licitum eſt minoribus, majorum ſuorum motibus reſiſtere.*

Quinta ſynodus Romana 218. Epiſcoporum ait: *A multis anteceſſoribus noſtris ſynodaliter decretum atque firmatum eſt, ut oves Paſtorem ſuum nec reprehendere, niſi a fide exorbitaverit, præſumant.*

Anacletus ep. 3. de Patriarchis, & Primatibus ita inquitur. *Paſtor Eccleſiæ, ſi a fide exorbitaverit, erit a fidelibus corrigendus; ſed pro reprobis moribus magis eſt tolerandus, quam diſtinguendus; quia Rectores Eccleſiæ a Domino ſunt judicandi.*

Hæc omnia leges apud Melchiorem Canum de locis lib. 6. cap. 8. p. 209. 210.; quæ invicte confirmant, Romanum Pontificem œcumenicis ſynodis non inferiorem, ſed ſuperiorem eſſe; niſi forte in hæreſim labatur.

Ergo, inquis, Romanus Pontifex in definiendis fidei articulis deficere poteſt, ut Pariſienſis ſchola contra mox dicta opinatur.

Reſp. deficere poteſt ex privato ſuo ſenſu; non, cum definit, ut Eccleſiæ Paſtor, & Rector. Nec enim Romani Pontifices ſemper pronuntiant, & judicant ut univerſalis Eccleſiæ Præſides, & Judices, ſed ſæpe, ut alii homines ex ſuo privato ſenſu. Hinc Canus de locis lib. 6. cap. 8. in reſp. ad 9. argum. p. 205. inquit. „Cum enim edunt libros de re qualibet Romani Pon„tifices, ſententiam ſuam, ut homines alii docti, ex„primunt, non tanquam Eccleſiæ judices pronuntiant.“ *Cujus egregii ſcriptoris doctrinæ libenti animo ſubſcribimus*, ait Bened. XIV in præf. de Syn. diœceſana, eamque cum Commentariis Innocentii IV. in libros decret. tum operi ſuo accommodat. Quare allata documenta evincentia, Romanum Pontificem in hæreſim labi poſſe, intelligenda ſunt non *reduplicative*, ut ſchola loquitur, ſed *ſpecificative*, hoc eſt non quatenus ex ſua Pontificis cathedra, ſeu prout eſt Eccleſiæ doctor pronuntiat, ſed prout ex privata ſententia loquitur.

Nam in eum, ut Eccleſiæ doctorem illud Martini V. *nulli fas eſt... illius judicium in cauſis fidei... declinare* cadit; item illud Pii II. *inquaſſabile fundamentum*; item illud Alexandri VIII. prop. 29. damnantis eos, qui futilem eſſe affirmant aſſertionem de *Romani Pontificis... in fidei quæſtionibus decernendis infallibilitate*; quæ ſupra allata fuere.

Qui plura cupiunt, doctiſſimum Melchiorem Canum lib. 6. de locis adeant, ubi etiam adverſariorum rationes dilutas invenient. Mihi ſatis erit præcipuum eorum columen ex Concilii Conſtantienſis decretis ſumptum diſcutere, ne a brevitate mihi propoſita diſcedam.

Synodus Conſtantienſis, ut ipſe Natalis refert Hiſt. eccl. tom. 9. diſſ. 4. p. 376., *decernit, & declarat, ut ſequitur.*

Et primo quod ipſa Synodus in Spiritu Sancto congregata legitime, generale Concilium faciens, Eccleſiam Catholicam militantem repræſentans, poteſtatem a Chriſto immediate habet, cui quilibet cujuſcumque ſtatus, vel dignitatis, etiamſi Papalis exiſtat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem, & extirpationem dicti Schiſmatis, & reformationem generalem Eccleſiæ Dei in Capite, & in membris.

Illa verba *& reformationem &c. in Capite, & in membris*, in M. SS. Concilii Conſtantienſis aliiſque plu-

rimis

Digitized by Google

rimis deſiderari animadvertit P. Roncaglia animad. in hoc decr. p. 467.

Decretum 2. ſeſſ. 5. ita habet.

Item declarat, quod quicumque cujuſcumque conditionis, ſtatus, dignitatis, etiamſi Papalis, qui mandatis, aut præceptis hujus ſacræ Synodi, & cujuſcumque alterius Concilii generalis legitime congregati, ſuper præmiſſis, ſeu ad ea ſpectantibus factis, vel faciendis obedire contumaciter contempſerit, niſi reſipuerit, condignæ pænitentiæ ſubiciatur, & debite puniatur, etiam ad alia juris ſubſidia, ſi opus fuerit, recurrendo

Reſp. His decretis objicio, quod ajunt Patres VIII. Synodi generalis, (apud Canum de locis lib. 6. cap. 6. p. 196. col. 2.) *Sequentes in omnibus Apoſtolicam Sedem, ſperamus, ut in una communione, quam Sedes Apoſtolica prædicat, eſſe mereamur; in qua eſt vera, & integra Chriſtianæ Religionis ſoliditas. Quare non conſentientes Sedi Apoſtolicæ, eorum nomina inter ſacra myſteria non ſunt recitanda.*

At Patres Conſtantienſes Apoſtolicam Sedem in omnibus non ſequuntur, ſed eam ſibi ſubjectam eſſe, contendunt: ergo eorum nomina, quia illi non conſentiunt, ut ab VIII. Synodo æcumenica definitum eſt, inter Sacra myſteria non ſunt recitanda. Hæc eſt eorum decretorum auctoritas.

Cajetanus (apud Canum de locis lib. 5. cap. 5. ad 8. argum. p. 179.) in opuſc. de auct. Papæ, & Concilii reſpondet. ,, Concilium Conſtantienſe, quo tempore illud decretum (ſeu illa decreta) edidit, non fuiſſe univerſale, & integrum. Erat enim tum Schiſma in Eccleſia ſub tribus Pontificibus Joanne XXIII., Gregorio XII., & Benedicto XIII. Unde aſſerere, quod id temporis illud Concilium erat generale, nihil aliud eſt, quam revocare (inficiari) antiquum Schiſma, alioſque damnare, qui Benedictum, & Gregorium ſequebantur; quod tamen fuit, eſtque ſemper ambiguum." De hac ambiguitate legi poſſunt animadverſiones P. Roncaglia in Concilium Piſanum §. un. diſſ. 2. Natalis Alex. p. 360

Verum probabilius eſſe dem, Concilium Piſanum, legitimum, & æcumenicum fuiſſe, ut habet Natalis, ab eoque Gregorium XII., & Benedictum XIII. incertos Pontifices rite fuiſſe exauctoratos. At dubitari ne non poteſt, utrum Joannes XXIII. legitime fuerit electus? Hac de re Burius in ejus vita ita loquitur. ,, Joannes hic, Baltaſſar Coſta tum dictus, ibi (Bononiæ) potius ut dominus, multo exercitu circumſeptus, quam ut Legatus Apoſtolicus agens, Cardinalibus pro novo Pontifice eligendo ibidem congregatis multa interminatus eſt, niſi Papam ſibi gratum eligerent; eaque de cauſa varii producti fuerunt, quorum neminem approbare voluit. Cum autem obſecraretur, ut quem vellet, ſignificare tandem dignaretur, date mihi, inquit, Petri chlamydem, & ego dabo Pontifici futuro; quod cum factum fuiſſet, ipſe pallium ſuis humeris imponens, *PAPA*, ait, *SUM EGO*. Id cum pluribus diſplicuiſſet, conſultius duxerunt eum permittere, quam hominem armatum, & terribilem irritare.,, Hactenus Burius.

At ipſa Conſtantienſis Synodus Joannem XXIII. tum aliis anterioribus, tum ſeſſ. 12. priuſquam de ſua dejiceretur Sede, ut legitimum Papam agnovit. Reſp. cur ergo ſupraſcripta decreta edidit, dum ille a Concilio aberat, litteriſque, ac mandatis *pollicebatur, ſe conſtiturum Procuratorem ad cedendum*, (Pontificatu) *ſe etiam abſente, vel nolente; futuros autem ad eum finem Procuratores omnes, & ſingulos Cardinales* &c. *inſtiturum quoque Vicarios ad negotium Concilii omnes, & ſingulos Cardinales Conſtantiæ agentes, qui unum e ſuo ordine Concilii præſidem eligerent* &c. non expectato procurationis mandato, nec inſtitutione ab eo promiſſis, ut habet idem Natalis diſſ. 3. n. 6. p. 364? Natalis vero, quique cum eo ſentiunt, has ambages, & caligines in re perſpicua, & definita objicere nobis audent!

Sed videamus, quid poſtea conſecutum fuerit. Ex eodem Natali diſſ. 3. citata art. 1. §. 1. p. 376. Martinus V. ſeſſ. ultima Concilii Conſtantienſis profeſſus eſt, *quod omnia, & ſingula determinata, concluſa, & decreta in materiis fidei per præſens Concilium conciliariter, tenere, & inviolabiliter obſervare volebat, & nunquam contraire quoquo modo; ipſaque ſic conciliariter facta approbat, & ratificat, & non aliter, nec alio modo.* An Natalis hanc quoque Martini V. declarationem nobis objectat? maxime; nec intelligit, ſeu intelligere non vult, eam ipſi perſpicue adverſari. Dum Martinus V. ita loquitur, quædam *conciliariter* facta non fuiſſe aperte indicat, & ponit. Quænam porro ſunt hæc niſi decreta ſeſſ. quartæ, & quintæ jam recitata, Romani Pontificis auctoritati contraria, quæ ipſo Romano Pontifice abſente, ſuam abſentiam per Legatos ſuos non ſupplente, non conſentiente, non conſcio edita ſunt?

Adde, quod Martinus V. profeſſus eſt, ſe *tenere, & inviolabiliter obſervare velle omnia, & ſingula determinata, concluſa, & decreta in materiis fidei...., & non aliter, nec alio modo.* At fidei ne materia eſt, Concilium æcumenicum legitime congregatum Papæ anteſtare? Id quidem affirmare auſi ſunt Cardinalis Lothsengius apud Natalem diſſ. 12. art. 13. n. 4. pag. 713., & ipſe Boſſuetus, ut refert Roncaglia animad. in Concilium Baſilenſe §. 1. p. 607. col. 2.; ei repugnante ipſo Natali, at contra ſenſum ipſius Cleri Gallicani anni 1682. apud eumdem Natalem diſſ. 4. p. 372, at explicate proſcripti ab Eugenio IV. in Synodo Florentina, ut apud eumdem Natalem legitur diſſ. 8. art. 4. n. 14. 15. pag. 577. 578. Ergo certo certius eſt, Martinum V. decreta ſeſſ. IV. & V. Synodi Conſtantienſis rata non habuiſſe.

Verum Natalis, ut cauſam reipſa deploratam ſe defenſare oſtendat, Pium quoque II. (ut de Eugenio IV. de quo mox, hic taceam) obtrudere nobis non dubitat; Pium ſcilicet II., qui appellationes a Romano Pontifice, *execrabilem, & inauditum abuſum, quo nutritur adverſus primam Sedem rebellio, & hæreſim nuncupavit*, qui primam ſedem *inquaſſabile fundamentum*, & appellantes *lupos rapaces nominavit*, qui aſſeruit, *quod futurum Concilium ſupra Chriſti Vicarium eſſe, aut reperiri nequit*. Hæc ſunt ſenſa Pii II., ab ipſo Natali diſſ. 4. art. 3. n. 15. p. 439. deſcripta, & a me modo recitata.

Quare, dum Pius II., ut idem Natalis refert, inquit: *veneramur Conſtantienſe Concilium, & cuncta, quæ præceſſerunt, a Romanis Pontificibus noſtris Prædeceſſoribus approbata*, illud *approbata*, in ſenſu, ut ſchola loquitur, *reduplicativo* ſine ulla dubitatione accipiendum eſt, hoc eſt in quibus, & quatenus a Martino V., de quo mox dictum eſt, & ab Eugenio IV. approbata fuere. Porro verba Eugenii IV. ab eodem Natali diſſ. 8. a. 3. n. 64. p. 571. deſcripta, hæc ſunt. *Sic generalia concilia Conſtantienſe, ac Baſileenſe ab ejus initio uſque ad tranſlationem per nos factam, abſque tamen præjudicio juris, dignitatis, & præeminentiæ ſanctæ Sedis Apoſtolicæ, ac poteſtatis ſibi, & in eadem canonice ſedenti, in Perſona Beati Petri a Chriſto conceſſæ, cum omni reverentia & devotione ſuſcipimus, amplectimur, & veneramur.* Ubi nota illa verba *abſque tamen præjudicio juris* &c., ut intelligas, Eugenium nobis ſavere, non autem adverſarium eſſe; neve de ejus mente dubites, Epiſtola ad Franciſcum Foſcarenum Venetorum Ducem anni 1433. (ut ex Raynaldo narrat Roncaglia animad. in Conc. Baſil. §. 2. p. 609.) ait. *Potius hanc Apoſtolicam dignitatem, & vitam inſuper paſuiſſemus, quam voluiſſemus eſſe cauſam, & initium, ut pontificalis dignitas, & ſedis Apoſtolicæ auctoritas ſubmitteretur Concilia contra omnes canonicas Sanctiones; quod nunquam antea neque aliquis Prædeceſſorum noſtrarum fecit, neque ab illo extitit requiſitum.* Pag. 577.

Vide nunc Natalis animoſitatem, eumdem Eugenium IV. diſſ. 4. art. 2. §. 1. p. 377. nobis objicientem, cujus hæc verba ex Odorico Raynaldo refert. ,, Concilium autem generale Conſtantienſe, decretum *frequens*, ac alia ejus decreta, ſicut cætera alia Concilia militantem eccleſiam repræſentantia, ipſorum poteſtatem, auctoritatem, & eminentiam, ſicut & cæteri anteceſſores noſtri, a quorum veſtigiis deviare nequaquam intendimus, ſuſcipimus, amplectimur, & veneramur." An hic vel una vocula eſt de Concilii ſupra Romanum Pontificem poteſtate, & eminentia? Nam illud, *ac alia ejus decreta*, quo ſenſu accipiendum ſit, ipſe Eugenius verbis mox deſcriptis declaravit, & hic innuit, *ſicut & cæteri anteceſſores* &c.

Veniamus nunc ad æcumenicas Synodos; quamquam Synodus VIII. generalis, & Romana 118. Epiſcoporum, quarum verba ſupra dedimus, hanc rem ſatis definivere. Sed hic addere lubet Synodum Florentinam ſub Eugenio IV.; quæ in decreto unionis, ut habet Natalis diſſ. 10. a. 2. p. 655. declarat, *Sanctam Apoſtolicam Sedem, & Romanum Pontificem in univerſum orbem tenere primatum, & ipſum ſucceſſorem eſſe Beati Petri Principis Apoſtolorum, & verum Chriſti Vicarium, totiuſque Eccleſiæ caput, & omnium Chriſtianorum Patrem, & Doctorem exiſtere, & ipſi in Beato Petro paſcendi, regendi, ac gubernandi univerſalem Eccleſiam a Domino noſtro Jeſu Chriſto plenam poteſtatem traditam eſſe, quemadmodum etiam in geſtis æcumenicorum Conciliorum, & in ſacris Canonibus continetur.*

Natalis illud *plenam* omitti vult, qua de re litigare nihil intereſt. Item loco *quemadmodum etiam* legit *quemadmodum* &c. Sed hæc minuta ſunt.

An qui in univerſum orbem primatum tenet, in æcumenicum Concilium primatum non tenet? an æcumenicum Concilium univerſo orbe majus eſt? Quid in terris

ris ſucceſſore Beati Petri Apoſtolorum Principis, & vero Chriſti Vicario majus eſſe poteſt? Si Romanus Pontifex totius Eccleſiæ caput eſt, multo magis æcumenicæ Synodi, quæ certe non eſt tota Eccleſia, ſed ſolum præcipua, & nobilior ejus pars, totam Eccleſiam repræſentans; & ſi univerſalem Eccleſiam regendi poteſtatem a Chriſto accepit, multo magis auctoritate pollet univerſale Concilium gubernandi. Hæc perſpicua ſunt, & decretoria. Quid nunc reponit Andreas Duvallius apud Natalem diſſ. 8. a. 4. n. 12. p. 576. n. 12., *Concilium Florentinum auctoritatem Papæ ſupra Concilium non definiviſſe?* (cur tam claris verbis non definivit?) *Illius poteſtatem*, ait, *in Eccleſiam univerſalem ubique locorum diffuſam, ſive in omnes, & ſingulas orbis particulares Eccleſias admittunt* (Sorbonici)..; *Sed contendunt, Concilium Florentinum non propterea definiviſſe, cum in Eccleſiam univerſalem, quatenus eſt legitime congregata, & in Concilia aliqua per ſuos Prælatos generaliter unita, & conſentiens, poteſtatem habere.*

Reſp. quis eſt hic involvens ſententias ſermonibus imperitis? Eccleſia univerſalis in Concilio generali non congregatur, ſed ſolum præſtantior, & primaria ejus pars, univerſalem eccleſiam repræſentans, ut jam monui, & omnes intelligunt. Cur ait, *in omnes, & ſingulas orbis particulares* &c.? Si in omnes ſimul, non ſecum ſentit, ſibique poſtmodum contradicit, dum Pontifici poteſtatem abrogat in Eccleſiam univerſalem: Si in omnes ſigillatim, aut illud *ſingulas* vacat, aut illud *omnes*. Confuſe ſcilicet loquitur, ut illum male loqui intelligas.

Cæterum cum Synodus Florentina declaret, *Romanum Pontificem totius Eccleſiæ caput eſſe*, nec ſolum *omnium Chriſtianorum Patrem, & doctorem exiſtere*, ſed etiam *paſcendi, regendi, & gubernandi univerſalem Eccleſiam a Domino noſtro Jeſu Chriſto poteſtatem ipſi traditam eſſe*, luce ipſa clarius eſt, hanc poteſtatem non tantum in ſingulas eccleſiæ partes, in ſenſu, ut ſchola loquitur, diſtributivo illi competere, ſed etiam in omnes ſimul, in ſenſu collectivo. Hoc enim aperte declarat illud *totius Eccleſiæ caput*. Totum enim non ſolum ſingulas, ex quibus conſtat, partes, ſed omnes ſimul exprimit, & includit. Hoc aperte declarat, dum ſubdit, Romanum Pontificem non omnes tantum Chriſtianos, ſed univerſalem Eccleſiam paſcendi, regendi, & gubernandi poteſtatem a Chriſto accepiſſe. Dum æcumenicum Concilium eccleſiam univerſalem repræſentare dicitur, an ſingulas tantum Eccleſias, non omnes ſimul repræſentare intelligatur? Si Papa ſupra univerſalem Eccleſiam jus habet, multo magis ſupra æcumenicum Concilium, quod eam repreſentat.

Duvallii ſcilicet reſponſio aperte falſa & abſurda, diſcordias, & rebelliones in Principatibus & familiis ſerit, & fovet; quaſi totum Regnum, & quod illud repræſentat, in Regem imperium habeat, nec ejus legibus ſubditum ſit; aut omnes filii ſimul ſint patre ſuperiores. Quid nunc de Natali dicas, qui de præfato Florentino decreto loquens, ſubdit? „ quin imo Eccle-„ſiæ paſcendæ, regendæ, ac gubernandæ rationem, „ & formam reſtringit ad eum modum, qui ſacris ca-„nonibus præſcriptus, & conſtitutus eſt; ex quo ſe-„quitur, ipſum Pontificem Canonibus, ac proinde Con-„ciliis, Canonum auctoribus ſubjectum eſſe. " Reſp. mira ſane argumentandi ratio! An Canones, ſola Concilia, non item Pontifices ſummos, & Patres auctores habent? ergo ſummi Pontifices ipſi ſibi, & Patribus ſubjecti erunt. Quid hoc abſurdius? Summi Pontifices juri divino ſubditi ſunt; & quia jus divinum æcumenicis Conciliis, & ſacris Canonibus declaratur, idcirco æcumenica Concilia, & ſacros Canones venerantur. Quoniam vero æcumenica Concilia; & ſacri Canones Summis Pontificibus principatum ſupra æcumenica Concilia adſcribunt, an ſummi Pontifices iis ſubſunt, quia illum ſe habere declarant juxra eorumdem Conciliorum, & ſacrorum Canonum ſenſa? Vah abſurdum ſane intolerandum!

Sed hic, pie lector, Concilium quoque Lateranenſe, quod explicatius loquitur, ſub oculos ponere operæ pretium eſt.

Concilium inquam, Lateranenſe V. ſub Leone X. ita loquitur apud Natalem diſſ. 8. a. 4. n. xi. p. 575. *Cum etiam ſolum Romanum Pontificem pro tempore exiſtentem, tanquam auctoritatem ſupra omnia Concilia habentem, Conciliorum indicendorum, transferendorum, ac diſſolvendorum plenum jus, & poteſtatem habere, nedum ex ſacræ Scripturæ teſtimonio, dictis SS. Patrum, ac aliorum Romanorum Pontificum etiam Prædeceſſorum noſtrorum, Sacrorumque canonum decretis, ſed propria etiam eorumdem Conciliorum confeſſione manifeſte conſtet.* An hæc tanta, & inconcuſſa auctoritas, tam perſpicuis verbis concepta, tam venerabilibus momentis nixa, tam firmiter enuntiata, ullum adverſariis effugium relinquit? Videlicet cum pertinaciter litigare volumus, verba nunquam deſunt. Duvallius apud Natalem diſſ. & art. mox citatis n. 16. p. 579. hic ita reponit.

„ Ad Concilium Lateranenſe, quod multo expreſſius „ loquitur, quam Florentinum, variæ ſunt reſponſio-„ nes. Quidam enim ajunt, non fuiſſe vere, & proprie „ generale, cum ei vix centum Epiſcopi interfuerint."

Reſp. Natalis diſs. xi. a. 5. p. 666. *adfuerunt*, inquit, *centum, & quatuordecim Epiſcopi*. Item Natalis diſs. 8. a. 4. n. 3. p. 572. Cum Concilium Baſileenſe (de quo poſtea) ob Epiſcoporum paucitatem, & quia plurimi minores Sacerdotes ad vocem deciſivam admiſſi fuere, non eſſe œcumenicum objiceretur, „ reſpon-„ detur, ait, Concilii œcumenici auctoritati non ob-„ eſſe, quod in eo ſecundi ordinis Sacerdotes ſuffra-„ gentur ex privilegio, ſeu Concilii ipſius aſſenſu; cum „ in Lateranenſi, Piſano, & Conſtantienſi Conciliis ad „ ſuffragandum in rebus arduis admiſſi fuerint. Videlicet Natalis hac in re in omnem ſe partem verſat, ſibique minime conſtans, Duvallii objectionem hic ratam habet, alibi repellit, & Lateranenſe Concilium œcumenicum agnoſcit. Inter œcumenica Concilia illud refert Burius in vita Leonis X. p. 264. Faga compendio hiſt. p. 234., Zacharia lib. prod. tract. 5 cap. 3. p. 57. Conciliorum collectio in calce Synodi Tridentinæ, index Synodi diœc. Benedicti XIV. voce *Lateranenſes, lateranenſis*, Boſſueti continuator Hiſt. univ. anno 1512. p. 115. Adde, quod Ludovicus XI. Galliarum Rex per ſuos Legatus profeſſus eſt, Concilio Piſano, (hoc eſt Conciliabulo contra Julium II. anno 1511. 5. Novembris Piſis inchoato) omnibuſque in eo peractis, ſe renuntiare, Concilio vero Lateranenſi tanquam *legitimo, unico, indubitato, & œcumenico* adhærere, ut ex actis ejuſdem Concilii ſeſſ. 8. & 9. & ex Spondano ad an. 1514. n. 3. refert Roncaglia animad. in Concilium Baſil. §. 5. p. 616. 617. Sandinus in Vita Eugenii IV. ubi etiam ait, eidem Concilio interfuiſſe Epiſcopos 140.

Tandem ipſe Leo X. illud œcumenicum eſſe, procerto poſuit, dum ſeſs. 6. ejus continuationem decrevit, *perſuaſus generale Concilium eſſe præcipuam agri Dominici, culturam*, ut habet ipſe Natalis diſſ. xi. a. 5 ſeſſ. 6. p. 766.

„ Alii dicunt, pergit Duvallius, caput illud, in quo „ de auctoritate Concilii ſupra Pontificem mentio fit, „ a Concilio non fuiſſe diſcuſſum, aut examinatum, „ ſed tantum perlectum coram Prælatis Concilii, qui „ ſine prævio examine illud approbaverunt, ideoque di-„ ci non poſſe conciliariter concluſum & definitum."

Reſp. nihil certe concluſum eſt *de auctoritate Concilii ſupra Pontificem*; ſed contra de auctoritate Pontificia ſupra Concilium. Illud autem obtendere, quod hujuſmodi caput non fuerit diſcuſſum, perinde eſt, ac dicere, Concilii Patres temere illud probaſſe; quod Sacro & venerando illi cœtui maxime injurioſum eſt. An diſceptatio de Pontificis, & Concilii auctoritate eo tempore in præcedentibus Conciliis tantopere agitata, & celeberrima, Lateranenſis Concilii Patribus ignota fuit? Quid temere blateras, caput illud perlectum tantum fuiſſe, & ſine prævio examine probatum? Non quæro, utrum quo tempore fuit propoſitum, fuerit etiam examinatum, ſed abſolute quæro, utrum examinatum fuerit a Patribus Lateranenſibus; quod quis inficiari audeat? Si quid ſentiam de hoc eodem capite, a me quis quærat, ſtatim pronuntio: an ſine prævio examine?

Hoc malum effugium, Spiritus Sancti lumen, quod legitimis, & œcumenicis Synodis præſto eſt, ne errent, pro nihilo habere videtur, omniaque earum decreta lectorum arbitrio committit, & ſubjicit; quia ſemper objici poſſet, ea aut non fuiſſe diſcuſſa, aut non ſatis accurate.

„ Alii, idem Duvallius, ſic rem expediunt, Etiamſi „ (inquiunt) Concilium abſolute fuiſſet generale (quod „ tamen propter Epiſcoporum paucitatem relinquitur „ incertum; " Reſp. relinquitur incertum penes eos, qui ita volunt, non quia reipſa incertum ſit, ut ex mox dictis liquet.) „ tamen rem ipſam, ut decretum fidei Catholicæ non definiunt; nam nec anathema &c. Reſp. id ultro concedo. „ Cæterum, ſubdit, non „ tantum neutra harum opinionum hæretica, ſed et-„ iam neutra erronea, & temeraria ſaltem temeritate „ opinionis, " Reſp. adverſariorum opinio ab Alex. VIII. prop. 29 ſupra allata proſcripta fuit, & a Synodo Florentina, quæ declarationes baſileenſes damnavit *tanquam impias, ſcandaloſas* &c. ut in calce hujus dies. Nec tolerari ex æquo, & pro ſenſu Natalis Alex. & qui cum eo ſentiunt, poteſt, diſt. 4 art. 7. affirmans, eam ſacræ Scripturæ, Patrum traditioni, Eccleſiaſticis regulis eſſe conſentaneam; cum Sacræ Synodi Florentina, & Lateranenſis contrarium ore rotundo proteſtentur. An tolerari poſſunt, qui ſacra generalia Concilia mendacia eſſe, dicunt, & oſtendere conantur?

Quid vero dicam de eo, quod habet Canus de locis lib. 5. cap. poſtremo in reſp. ad 9. p. 180. *Sed protecaverunt*

verunt Doctores Pariſienſes a Concilio Lateranenſi, & appellatio nomine Academiæ circumfertur. Quorum illa fuerit, ego hic non diſputo. Illud aſſero, non ſine Eccleſiæ ſcandalo, atque temere circumferri. Tum paucis interjectis ſubdit: *Manifeſtum eſt, rem hanc & hæreticorum omnium ſummum patrocinium eſſe, & feneſtram vel maximam aperire ad obedientiæ Eccleſiaſticæ jacturam, ac perniciem veræ pietatis.* Quare de Natalis Alexandri prolixa quarta diſſertatione ſæpius appellata Romani cenſores non ſine maxima ratione, & cautione hoc judicium tulere. „ Hæc diſſertatio tota caſſanda, quia „ injurioſa Romanis Pontificibus, & plena deriſoriis „ verbis, falſiſque dictionis deprimentibus auctoritatem „ apoſtolicæ Sedis. “ Schel. p. 444. Hic quidem nihil addere neceſſe eſt; ſed quia Natalis cit. diſſ. 4. a. 1. §. 1. p. 376. Concilium Senenſe, & Baſileenſe nobis objicit, & argumentationem hinc ductam diſſ. 8. fuſe perſequitur, eam paucis diluere, inutile non erit.

In Concilio Senenſi de poteſtate Pontificis, & Concilii nihil actum eſt, ut ex ipſius Natalis hiſtoria diſſ. 8. a. 1. liquet.

Synodus Baſileenſis primum a Martino V. tum eo e vivis mox ſublato ab Eugenio IV. indicta, legitime congregata, & inchoata fuit.

At vix celebrari cœperat, cum Eugenius ejus diſſolutionem decrevit, ſuumque Legatum Cardinalem Julianum revocavit ex eodem Natali a. 3. diſſ. 8. cit. ubi animadvertendum, decretum diſſolutionis Romæ datum fuiſſe 2. Idus Februarii an. 1431. & ad Cardinalem Julianum miſſum; ſeſſionem vero ſecundam cœtus Baſileenſis, in qua primum de Concilii auctoritate agi cœptum eſt, habitam fuiſſe 15. Kal. Martii anni ſequentis 1432. hoc eſt poſtquam Synodus Baſileenſis Summi Pontificis auctoritate diſſoluta, nulla, illegitima, omnique jure, & poteſtate fuerat exuta. Nat. a. 3. p. 547. col. 2 & pag. 549. col. item 2. En Natalis machina, ex ejuſdem hiſtoria paucis verbis a fundamentis diruta.

At cur, inquis, tam feſtina Baſileenſis Synodi diſſolutio. Reſp. cauſas a Pontifice allatas refert Natalis a. 3. p. 547. col. 2. de quibus integro anno inter primam, & alteram ſeſſionem interjecto actum eſt, ut Eugenius ad diſſolutionis revocationem adduceretur, ſed fruſtra. Porro præter diſſolutionis cauſas publicatas addidit Eugenius, *adeſſe præterea alias cauſas, quæ id fieri ſuaderent, quas litteris explicare tutum non eſſet, nec Reipublicæ expedire omnibus eſſe notas, eas venturas in lucem, cum tempus fuerit.* Quænam autem fuere hujuſmodi ſaltem præcipuæ cauſæ tunc occultæ, niſi Baſileenſium Patrum molimina in apoſtolicam Sedem, ejuſque ſupremam auctoritatem? Hæc ſcilicet poſt annum circiter in apricum prodiere, cum Baſileenſes contempto diſſolutionis decreto, Baſileæ congregari pertinaciter perrexere, & ſeſſ. 2. duo Conſtantienſia decreta de Concilii poteſtate, quinquies poſtea ab iis repetita renovarunt: ſeſſ. 3. Eugenio IV. niſi Concilii diſſolutionem revocet, minas intentant; & 4. Ejuſdem cenſuras in contumaces contra diſſolutionis decretum, nullas pronuntiant, illique pro imperio indicunt, ne durante Baſileenſi Concilio, hoc eſt Conciliabulo, Cardinales crearet, irritos aliter futuros denuntiantes. Exiguane hæc ſunt? Seſſ. 6. & 10. Supremum Eccleſiæ Hierarcham rei, & ſubditi loco habentes, ſemel, & iterum contumaciæ accuſant. Tandem, ut alia omittam, ſeſſ. 12. eidem Eugenio conciliabulum teterrime minatur, eumque, niſi infra dies ſexaginta Concilii diſſolutionem revocet, ejuſque continuationem legitimam eſſe declaret, *ab omni adminiſtratione Papatus in ſpiritualibus, & temporalibus ipſo facto ſuſpendit, & ſuſpenſum declarat.* His inauditis, & diabolicis molitionibus, additis aliis minis, & terroribus. de quibus Roncaglia animad. in Conc. Baſil. §. 2. p. 608. col. 2. Papa Eugenius concuſſus, morbo laborans, lecto decumbens, ærumnis pene confectus, revocationis diploma conſcribi ſivit. Hoc legitur apud Natalem ſeſſ. 16. Conciliabuli Baſileenſis p. 561. At cum per ſummam vim, & injuriam extortum fuerit, irritum prorſus & nullum eſt ex D. Th. 2. 2. q. 89. a. 7. ad 3. imo extorquentes, graviſſima pœna digni, ſicuti cujuſcumque cenſuræ revocatio *per vim, vel metum extorta* a Gregorio X. in Conc. gen. Lugdun. non ſolum *viribus vacuatur*, ſed etiam excommunicatione punitur. Cap. un. *abſolutionis* t. 20. lib. 1. in 6.

Quamquam Eugenius IV. revocationis decretum *dudum* ea conditione explicata conceſſit, *ut omnia, & ſingula contra auctoritatem*, ait, *noſtram facta, & geſta per dictum Concilium prius omnino tollantur, & in priſtinum ſtatum reducantur.* Hæc verba a Natali omiſſa, quia ſuam opinionem evertunt, refert Roncaglia §. 2. cit. p. 609. col. 1. Hinc idem Eugenius IV. tot, tantiſque malis, & terroribus ſolutus, dictam revocationem pro nihilo habet, dum verbis ſupra relatis, & ab eo anno 1446. ſcriptis ſuſcipit, & veneratur *Concilia generalia Conſtantienſe, ac Baſileenſe ab ejus initio uſque ad tranſlationem*, inquit, *per nos factam.* Concilium Baſileenſe non abſolute, ſeu integre ſuſcipit, & veneratur, ſed ſolum *ab ejus initio uſque ad tranſlationem ab eo factam.*

Mirum ſane, quod Natalis Concilium Baſileenſe objicere audeat, quod S. Antoninus 3. p. t. 22. c. 10. §. 4. dixit fuiſſe *Synodum viribus caſſam, ſynagogam Satanæ, temerarium, & præſumptuoſum conventum*; quod S. Joannes de Capiſtrano de Papæ, & Conc. auct. p. 3. appellavit *ſynodum profanam, excommunicatam, interdictam, baſiliſcorum ſpeluncam, dæmonum catervam*, Epiſcopus Meldenſis Caroli VII. ad Eugenium legatus ex Rayn. ad an. 1441. n. 10. *veſanam.* Quid de Synodo Florentina dicam? Hæc ſeſſ. anni 1439. pridie nonas ſeptembris *damnavit, ac reprobavit declarationes baſileenſes tanquam impias, ſcandaloſas, in manifeſtam Eccleſiæ ſciſſuram, ac omnis Eccleſiaſtici Ordinis confuſionem tendentes.* Concilium demum Lateranenſe ſeſſ. 11. Synodum Baſileenſem *ut Conciabulum Schiſmaticum, ſeditioſum, & nullius auctoritatis* declaravit. Ita P. Roncaglia animad. in Conc. Baſil. §. 1. p. 607. col. 2. Hæc ſanos, & æquos lectores perſuadent & vincunt. Nam de iis, qui eruditione gloriantur, apud ſe ſapientibus valde dubito; niſi forte lumen deſuper veniens interiores eorum oculos fortiter, & efficaciter feriat; quod utinam pro ſuo ipſorum, & communi Eccleſiæ bono accidat.

DE PRÆDESTINATIONE, ET GRATIA.

D. Th. p. 1. q. 23. a. 5. quærit, *utrum præſcientia meritorum ſit cauſa prædeſtinationis.*

Reſp. Quæcumque Deus per temporum ſpatia efficit, hæc omnia, & ſingula ab æterno ſuæ ſapientiſſimæ providentiæ ordine proficiſci, certum eſt. Itaque prædeſtinatio eſt æternum Dei decretum, quo ſe daturum ſuis rationalibus naturis gratiam, & gloriam deſtinavit. Quare prædeſtinatio vel conſideratur ex parte decreti prædeſtinantis, vel ex parte ſuorum effectuum, qui, ut mox, ſunt gratia, & gloria. *Gratiam & gloriam dabit Dominus.* Pſ. 83. 12. *At nullus*, inquit D. Th. a. 5. cit., *fuit ita inſanæ mentis, qui diceret, merita eſſe cauſſam divinæ prædeſtinationis ex parte actus* (idem eſt decreti) *prædeſtinantis.* Cum enim divina voluntas prædeſtinans, ſeu ab æterno gratiam, & gloriam præparans, & decernens, ſuprema cauſa ſit, ſtultum eſt dicere, eam ab inferioribus cauſis, puta hominum meritis moveri. Hinc D. Auguſt. lib. 83. q. 28. (t. 6.) ait. *Omne autem efficiens, majus eſt, quam id, quod efficitur. Nihil autem majus eſt voluntate Dei. Non ergo ejus cauſa quærenda eſt.* Præterea D. Th. p. 1. q. 19 a. 5. ait. *Si aliquis uno actu velit finem, & alio actu ea, quæ ſunt ad finem, velle finem erit ei cauſa volendi ea, quæ ſunt ad finem; ſed ſi uno actu velit finem, & ea, quæ ſunt ad finem, hoc eſſe non poterit*, hoc eſt velle finem, non poterit eſſe cauſa volendi ea, quæ ſunt ad finem; *quia idem non eſt cauſa ſui ipſius. Et tamen erit verum dicere, quod velit ordinare ea, quæ ſunt ad finem, in finem. Deus autem ſicut uno actu omnia in eſſe tia ſua intelligit, ita uno actu vult omnia in ſua bonitate. Unde ſicut in Deo intelligere cauſam, non eſt cauſa intelligendi effectus, ſed ipſe intelligit effectus in cauſa, ita velle finem non eſt ei cauſa volendi ea, quæ ſunt ad finem.* Ergo multo minus velle ea, quæ ſunt ad finem, uti ſunt merita, cauſa eſſe poteſt, ut Deus velit finem, ideſt gloriam. *Sed tamen* ex ſapientiſſimo ſuæ providentiæ ordine *vult ea*, ſubdit S. Doct., *quæ ſunt ad finem, ordinari in finem. Vult ergo hoc eſſe*, ut merita *propter hoc*, propter gloriam; *ſed non propter hoc vult hoc.* Quare ſi prædeſtinatio ex parte ſuorum effectuum conſideretur, alter alterius cauſa eſt, *ſicut ſi dicamus*, ait idem S. Doct. a. 5. q. 23., *quod Deus præordinavit ſe daturum alicui gloriam ex meritis, & quod præordinavit, ſe daturum alicui gratiam, ut mereretur gloriam.* Sed hic peragendum, ut ante latiſſimum nodos a S. Doctore præoccupatos, & contritos videas. *At impoſſibile eſt*, ſunt verba S. Doctoris, *quod totus prædeſtinationis effectus in communi* (hoc eſt gratia ſimul, & gloria) *habeat aliquam cauſam ex parte noſtra, quia quidquid eſt in homine ordinans ipſum in ſalutem, comprehenditur totum* (ais totum, hoc eſt omnia bona opera, & merita) *ſub effectu prædeſtinationis, etiam ipſa præparatio ad gratiam. Neque enim hoc fit, niſi per auxilium divinum ſecundum illud Thren. ult.* „ Converte nos Domine ad te, & convertemur. " Ergo totus prædeſtinationis effectus aliam cauſam non habet, niſi divinam voluntatem. *Habet etiam*, concludit S. Doct., *hoc modo prædeſtinatio ex parte effectus pro ratione divinam voluntatem, ad quam totus effectus prædeſtinationis ordinatur, & ex qua procedit, ſicut ex principio primo movente.* En grande prædeſtinationis myſterium paucis a S. Thoma explicatum. Habes ne aliquid, quod objicias?

Quod ipſa, inquis, præparatio ad gratiam, ſit meritum, & gratuitum Dei donum, habet aliquid difficultatis. Nam Zach. 1. dicitur, *convertimini ad me, & ego convertar ad vos*, & Prov. 16. *hominis eſt præparare cor.* Reſp. ex his, & ſi qui ſunt ſimiles ſacri textus, perperam acceptis orta eſt Pelagianorum hæreſis, qui teſte D. Thoma a. 5. q. 23. *poſuerunt, quod initium bene faciendi ſit ex nobis, conſummatio autem a Deo. Et ſic ex hoc contingit, quod alicui datur prædeſtinationis effectus, & non alteri, quia unus initium ſe præparando dedit, & non alius.* At quid S. Doctor? *Sed contra hoc eſt*, ait, *quod dicit Apoſtolus* 2. Cor. 3., *quod*, „ non ſumus ſufficientes cogitare aliquid a nobis, quaſi ex nobis. „ *Nullum autem anterius principium inveniri poteſt, quam cogitatio. Unde non poteſt dici, quod aliquod in nobis initium exiſtat, quod ſit ratio effectus prædeſtinationis.* Quare textus, quos ex Zach. 1. & Prov. 16. attuliſti, ex D. Thoma 1. 2. q. 109. a. 6. ad 1. & 4. ita accipiendi ſunt, ut converſio ad Deum, & præparatio humani cordis fiat quidem per liberum arbitrium, Deo tamen illud convertente, & movente. Et ne hac de re dubites, Synodus Tridentina ſeſſ. 6. cap. 5. *Declarat præterea, ipſius juſtificationis exordium in adultis a Deo per Chriſtum Jeſum prævenient e gratia ſumendum eſſe, hoc eſt ab ejus vocatione, qua nullis eorum exiſtentibus meritis vocantur, ut qui per peccata a Deo averſi erant, per ejus excitantem, atque adjuvantem gratiam ad convertendum ſe ad ſuam ipſorum juſtificationem, eidem gratiæ libere aſſentiendo, & cooperando diſponantur; ita ut tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem neque homo ipſe nihil omnino agat, inſpirationem illam recipiens, quippe qui illam abjicere poteſt; neque tamen ſine gratia Dei, movere ſe ad juſtitiam coram illo libera ſua voluntate poſſit. Unde in ſacris litteris cum dicitur*, „ Convertimini ad me, & „ ego convertar ad vos, " *libertatis noſtræ admonemur; cum reſpondemus*, „ Converte nos, Domine, ad te, „ & convertemur, " *Dei nos gratia præveniri confitemur.* Hæc mentibus alte infigenda ſunt, & alta inculcanda, ut veram chriſtianam humilitatem omnes diſcamus; neque omnino audiendi ſunt, ſi qui aliter loquantur, aut rem hanc ſcholaſtice obſcurent. Quid enim mihi *ſimultaneum*, ut aiunt, *concurſum obtrudis?* qui ſi adjuvantem, ſeu cooperantem Dei gratiam indicet, nec prævenientem, ſeu excitantem excludat, bene habet; at ſi hanc excludat, peſſime ſonat, & ſacræ Scripturæ, SS. Thomæ, & Auguſtino, de quo mox, & Synodo Tridentinæ aperte repugnat.

An etiam, inquis, ipſa prima fidei aſſenſio ex gratuita prædeſtinatione, & Dei gratia, ſeu auxilio proficiſcitur? Reſp. quis dubitet? Nam Sacra Syn. Trid. mox recitata abſolute, hoc eſt de cujuſcumque peccatoris ſeu fidelis, ſeu infidelis juſtificatione, ſeu converſione loquitur. Audi S. Auguſtinum lib. 1. de prædeſt. Sanct. cap. 17., (tom. 10.) ubi ait. *Intelligamus ergo vocationem, qua fiunt electi, non qui eliguntur, quia crediderunt, ſed qui eliguntur, ut credant. Hanc enim & Dominus ipſe ſatis aperuit, ubi dicit:* „ * Non vos me „ elegiſtis, ſed ego elegi vos. " (Joann. 15. 16.) *Nam ſi propterea electi erant, quia crediderant, ipſi eum prius utique elegerant, credendo in eum, ut eligi mererentur. Aufert autem hoc omnino qui dicit*, „ non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos. " *Et ipſi quidem procul dubio elegerunt eum, quando crediderunt in eum. Unde non ob aliud dixit*, „ non vos me elegiſtis, ſed ego vos elegi, " *niſi quia non elegerunt eum, ut eligeret eos, ſed ut eligerent eum, elegit eos; quia miſericordia ejus prævenit eos ſecundum gratiam, non ſecundum debitum. Elegit ergo eos de mundo, cum hic ageret carnem, ſed jam electos in ſe ipſa ante mundi conſtitutionem. Hæc eſt immobilis veritas prædeſtinationis, & gratiæ.* Audi iterum Synodum Trid. cap. 6. ſeſſ. 6. *Diſponuntur autem*, inquit, *ad ipſam juſtitiam, dum excitati divina gratia, & adjuti, fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum, credentes vera eſſe, quæ divinitus revelata, & promiſſa ſunt, atque illud in primis, a Deo juſtificari impium per gratiam ejus, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Jeſu* &c. Lege etiam, ſi vis, D. Th. 1. 2. q. 114. a. 5.

De his, ** inquis, non eſt dubitandum. At nonnulli etiam tempore D. Thomæ *dixerunt, quod merita ſequentia prædeſtinationis effectum, ſunt ratio prædeſtinationis, ut intelligatur, quod ideo Deus dat gratiam alicui, & præordinavit, ſe ei daturum, quia præſcivit eum bene uſurum gratia; ſicuti ſi Rex det alicui militi equum, quem ſcit eo bene uſurum.* Reſp. Si id verum eſſet, falſum foret, quod dixit D. Th. mox relatus hoc eodem a. 5. *Quidquid eſt in homine, ordinans ipſum in ſalutem, comprehenditur totum ſub effectu prædeſtinationis.* Nam bonus gratiæ uſus procul dubio ordinat hominem in ſalutem: ſi ergo bonus gratiæ uſus a libero tantum arbitrio ſit, quidquid ordinat hominem in ſalutem, non comprehenditur totum ſub effectu prædeſtinationis. Itaque pro certo habendum eſt, ipſum bonum uſum gratiæ, quæ gratia eſt prædeſtinationis effectus, ab ipſa gratia liberum arbitrium liberrime movente ad bene agen-

* D. Auguſt. Contrarium docuerat expoſ. in Ep. ad Rom. prop. 60. p. 916. (t. 3. p. 2.) at hoc revocavit lib. 1. retract. cap. 23., & de præd. S. cap. 4. (t. 10. p. 793.) & ſequentibus; ſicuti ex verbis hic allatis.

** Contraria opinio Semipelagianorum damnata fuit a Synodis Arauſicana, & Valentina a Bonifacio II. confirmatis. Vide Natalem Alex. Hiſt. Eccl. t. 5. cap. 3. a. 10. p. 73. n. 10., & diſſ. 4. p. 249. item append. tom. 1. 10. D. Aug. parte 2. pag. 157. &c. & pag. 242.

agendum proficiſci. *Non eſt autem diſtinctum*, ait hoc eodem loco S. Doct., *quod eſt ex libero arbitrio, & ex prædeſtinatione; ſicut nec eſt diſtinctum, quod eſt ex cauſa ſecunda, & cauſa prima. Divina enim providentia producit effectus per operationes cauſarum ſecundarum, ut ſupra dictum eſt. Unde & id, quod eſt per liberum arbitrium, eſt ex prædeſtinatione.* Videlicet ex Jacobi cap. 1. v. 17. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum, deſurſum eſt, deſcendens a Patre luminum.* Porro non ſolum poſſe bene agere, ſed ipſum bene agere, imo hoc multo magis, eſt datum optimum, & donum perfectum: ergo a Patre luminum deſcendit. Non ergo a noſtro ſolum libero arbitrio. Hinc D. Auguſt. lib. 1 retract. cap. 9. n. 6. (tom. 1.) ait: *Et quia omnia bona, ſicut dictum eſt, & magna, & media, & minima a Deo ſunt, ſequitur*, ut lib. 2. de lib. arb. cap. 18. 19. pag. 606. 607. t. 1. *ex Deo ſit etiam bonus uſus liberæ voluntatis, quæ virtus eſt, & in magnis numeratur bonis*; & lib. 10. Confeſſ. *Da, quod jubes, & jube, quod vis*. Cap. 29. 31. 37. (tom. 1.) Deus autem jubet, non poſſe bene agere, ſed bene agere: ergo dat ipſum bene agere. Quid eſt illa oratio *fiat voluntas tua*, niſi ut Deus faciat, nos bene agere, non autem ſolum poſſe bene agere? Recole Eccleſiæ orationes. Dom. 6. poſt Pentec. ita oramus: *Deus, cujus eſt totum, quod eſt optimum, inſere pectoribus noſtris amorem tui nominis* &c. ait *amorem*, non amoris facultatem. Dom. 9. *fac eos, quæ tibi ſunt placita, poſtulare*. Non poſſe poſtulare, ſed *poſtulare*. Sabbato ante Dom. 5. poſt Epiphaniam: *Quæ in ſola ſpe gratiæ cœleſtis innititur*; non ergo quidquam ſpei in libero habet arbitrio. Hinc Sabb. ante Sexag. *Deus, qui conſpicis, quia ex nulla noſtra actione confidimus* &c. fer. 6. 4. temp. Quadrag. *Eſto Domine propitius plebi tuæ, & quam tibi facis eſſe devotam* &c. *eſſe devotam*, non poſſe eſſe devotam. Denique, ut alia omittam, *Da nobis fidei, ſpei, & caritatis augmentum, & ut mereamur aſſequi, quod promittis, fac nos amare, quod præcipis.* Hæ Eccleſiæ preces perſpicue evincunt, a Deo non ſolum facultatem bene agendi, ſed ipſum bene agere proficiſci; quia hoc ipſum a Deo petimus; & hoc ipſum ipſe facit, *qui* 1. Cor. 12. *operatur omnia in omnibus.*

At ſi ita eſt, inquis, hoc eſt ſi actualis Dei gratia dat ipſum bene agere, ea excitati ſemper bene agimus; quia Dei motio in vacuum ire non poteſt, & contradictorium eſt, ut Deus moveat ad actionem, & actio non conſequatur. Hoc autem non videtur verum. Reſp. imo veriſſimum eſt. Hinc D. Auguſtinus de dono perſeverantiæ cap. 14. n. 35. (tom. 10.) *prædeſtinatio*, inquit, *Sanctorum nihil aliud, præſcientia ſcilicet, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſſime liberantur, quicumque liberantur*; & D. Th. 1. 6. q. 23. etc. inquit, *quod prædeſtinatio certiſſime, & infallibiliter conſequitur ſuum effectum, nec tamen imponit neceſſitatem, ut ſcilicet effectus ejus ex neceſſitate proveniat.* Ex quibus intelligis, Dei gratiam ex vi ſua intima, ſeu, ut ſchola loquitur, *ab intrinſeco* eſſe efficaciſſimam, hoc eſt cum effectu, ſeu bono opere, quod ab ipſa oritur, ſemper conjunctam. Hoc illud eſt, quod loquitur Ap. Rom. 8. *Nam quos præſcivit, & prædeſtinavit conformes fieri imaginis filii ſui; quos autem prædeſtinavit, hos & vocavit, & quos vocavit, hos & juſtificavit; quos autem juſtificavit, illos & glorificavit.* Hæc eſt *immobilis veritas*, ut appellatur a D. Aug., *prædeſtinationis, & gratiæ*. Lib. de præd. S. cap. 17. p. 813. t. 10. Quos in ſua præſcientia Deus præordinavit ad gloriam, *præſcivit*, & prædeſtinavit ad gratiam; his porro gratiam dedit, juſtitiam, gloriam. Si hæc, inquis, vera ſunt, cur ergo Matth. 20. v. 16. dicitur: *multi enim ſunt vocati, pauci vero electi?* * Reſp. Nos dicimus, gratiam electorum, ſeu prædeſtinatorum, quæ etiam dicitur gratia ſecundum propoſitum, eſſe ex ſe efficaciſſimam, non autem omnem gratiam, qui enim electi non ſunt, vocantur quidem, at non efficaciter ex profundis Dei judiciis, & ejus ſapientiæ abyſſo, ex Rom. 11. *O altitudo divitiarum* &c., & Rom. 9. 18. *Ergo cujus vult, miſeretur, & quem vult, indurat*, eum deſerendo, ſeu gratiam ſubtrahendo efficacem. Nonne, inquis, textus Ap. Rom. 8. *quos præſcivit* &c. modo allatus, illud dicit, Deum prædeſtinaſſe conformes fieri imaginis Filii ſui, quos ſua vocatione, ſeu gratia bene uſuros præſcivit? Reſp. Apoſtolum perperam accipis. *An prædeſtinavit conformes fieri* &c., quis præſcivit conformes fieri? Si præſcientia tantum prævidit, conformes fieri &c., (idem eſt ſua gratia bene uſuros) ſupervacaneum eſt, eum prædeſtinaſſe conformes fieri, quia a prædeſtinatione, ſeu decreto divino non pendebat, ut fierent conformes imaginis Filii ſui per patientiam, caritatem &c., ſed ab eorum tantum voluntate, & arbitrio. Tua interpretatio hoc ſonat: quos Deus præſcivit gratia bene uſuros, hos prædeſtinavit gratia bene uſuros; quod eſt ridiculum, & inane. Itaque illud *præſcivit* idem eſt, ut monui, ac in ſua præſcientia præordinavit, intellige ad gloriam. Nam prædeſtinatio, de qua Apoſtolus ibi loquitur, non eſt nuda præſcientia, *ſed præſcientia, & præparatio beneficiorum Dei* ex D. Aug. mox citato. Audiatur iterum D. Aug. lib. de præd. Sanct. c. 17. n. 34. (tom. 10.) *Nam quid eſt, quod ait Apoſtolus* Eph. 1. 4. „ ſicut elegit nos in „ ipſo ante mundi conſtitutionem? “ *Quod profecto ſi propterea dictum eſt, quia præſcivit Deus credituros, non quia facturus fuerat ipſe credentes, contra iſtam præſcientiam loquitur Filius dicens*, “ non vos me elegiſtis, „ ſed ego elegi vos, ” *cum hoc potius præſcierit Deus, quod ipſi eum fuerant electuri, ut ab illo mererentur eligi. Electi ſunt itaque ante mundi conſtitutionem ea prædeſtinatione, in qua Deus ſua futura facta præſcivit*; & cap. 10. ejuſdem lib. *Prædeſtinatione quippe Deus ea præſcivit, quæ fuerat ipſe facturus*; non quæ nos, ut male adverſarii; *quia ipſi faciunt homines bona*, ut idem eodem loco ait, *quæ pertinent ad colendum Deum, ipſe facit, ut illi faciant, quæ præcepit, non illi faciunt, ut ipſe faciat, quod promiſit.*

Sed cur, inquis, S. Ambroſius lib. 5. de fide ita loquitur, *Non ante prædeſtinavit, quam præſcierit, ſed quorum merita præſcivit, eorum præmia prædeſtinavit?* Cur S. Fulgentius ejuſdem S. Auguſtini aſſecla fidiſſimus lib. 5. ad Mon. ** dicit: *Prædeſtinavit ad Regnum, quos ad ſe præſcivit miſericordiæ prævenientis auxilio redituros?* Reſp. Memini, me in ipſo D. Auguſtino ſimilia legiſſe, quæ prima fronte, non parum me movere. At idem D. Aug. lib. de dono perſev. cap. 18. inquit, *unde aliquando eadem prædeſtinatio ſignificatur etiam nomine præſcientiæ, ſicut ait Apoſtolus*, „ non repulit Deus plebem ſuam, quam præſcivit. “ Rom. 11. 2. *Hic quod ait* „ præſcivit, “ *non recte intelligitur, niſi prædeſtinavit; quod circumſtantia ipſius lectionis oſtendit* &c. *ſine dubio enim præſcivit, ſi prædeſtinavit: ſed prædeſtinaſſe eſt hoc, præſciſſe, quod fuerat ipſe facturus.* Ex quo rurſus intelligis, quo ſenſu accipiendum ſit illud D. Pauli Rom. 8. ſupra allatum: *nam quos præſcivit* &c. *Quid ergo*, pergit S. Aug., *nos prohibet, quando apud verbi Dei tractatores legimus Dei præſcientiam, & agitur de vocatione electorum, eamdem prædeſtinationem intelligere? magis enim fortaſſe voluerunt hoc verbo in ea re uti, quod & facilius intelligitur, & non repugnat, imo & congruit veritati, quæ de prædeſtinatione gratiæ prædicatur.* Quare dum SS. Ambroſius, & Fulgentius locis citatis ajunt *præſcivit* intellige prædeſtinavit; quia in prædeſtinatione præſcientia includitur, quamquam D. Fulgentius ſatis ſe explicat, dum addit *miſericordiæ prævenientis auxilio*. Hinc idem D. Fulgentius in fine lib. de incarnatione, & gratia D. N. J. C. ita loquitur: *Deus, qui hominem condidit, ipſe prædeſtinatione ſua & donum illuminationis ad credendum, & donum perſeverantiæ ad proficiendum atque permanendum, & donum glorificationis ad regnandum, quibus dare voluit, præparavit* &c. & ex eodem Adriano Papa I. *Præparavit ergo* (Deus) *juſtificandis hominibus merita, præparavit iiſdem glorificandis & præmia. Malis vero non præparavit voluntates malas, ſed præparavit eis juſta, & æterna ſupplicia.... teneatur ergo prædeſtinationis veritas a fidelibus cunctis; quia* &c. habetur in fine lib. D. Auguſtini de dono perſeverantiæ p. 858. t. 10. Ne quis vero contra D. Auguſtini doctrinam hactenus traditam ire contendat, ſubdit loco proxime cit. *Hoc ſcio, neminem contra iſtam prædeſtinationem, quam ſecundum Scripturas ſanctas defendimus, niſi errando diſputare potuiſſe*; & tract. 86. in Joann. n. 2. p. 713. (tom. 3. p. 2.) *hic certe vacat vana illorum ratiocinatio, qui præſcientiam Dei defendunt contra gratiam Dei, & ideo dicunt, nos electos ante mundi conſtitutionem, quia præſcivit nos Deus futuros bonos, non ſeipſum nos facturum bonos.*

Si ex præſcientia boni uſus gratiæ, Deus ad gratiam prædeſtinaret, idem D. Aug. tract. 26. in Joann. n. 2. p. 494. (tom. 3. p. 2.) falſo dixiſſet: *Magna gratiæ commendatio. Nemo venit, niſi tractus; quem trahat, & quem non trahat, quare illum trahat, & illum non trahat, noli velle judicare, ſi non vis errare.* Reſponderet enim poſſet, illum trahi, quia Deus præſcit, ſua gratia bene uſurum, illum vero non trahi, quia prævidet non bene uſurum.

Si hæc adverſariorum doctrina non eſſet falſa, unus adverſus alterum contra Apoſtolum 1. Cor. 4. 7. inflari poſſet:

* D. Aug. De prædeſt. S. cap. 8. t. 10. p. 799. *Hæc itaque gratia, quæ occulte humanis cordibus divina largitate tribuitur, a nullo duro corde reſpuitur. Ideo quippe tribuitur, ut cordis duritia primitus auferatur.*

** Expoſ. ex Ep. ad Rom. n. 15. pag. 614. (to. 3. p. 2.) *Nec prædeſtinatus aliquem, niſi quem præſcivit crediturum, & ſecuturum vocationem ſuam, quos & electos dicit.*

poſſet; & fruſtra Ap. interrogaret, *quis enim te diſcernit?* reſponderes enim: me diſcernit bonus uſus gratiæ, qua alter abutitur. Fruſtra inſtaret, *quid habes, quod non accepiſti?* Nam diceres: habeo uſum liberi arbitrii. Ira ne vero? *Si autem accepiſti*, ſubdit Ap., *quid gloriaris, quaſi non acceperis?* Audi iterum D. Auguſtinum, ut caute loqui diſcas, de prædeſt. cap. 10. n. 19. dicentem. *Item quod dixi*, (Ep. 102. q. 2. n. 15. tom. 2.) *ſalutem Religionis hujus nulli unquam defuiſſe, qui dignus fuit, & dignum non fuiſſe, cui defuit, ſi diſcutiatur, & quæratur, unde quiſque ſit dignus, non deſunt, qui dicant voluntate humana: nos autem dicimus gratia, vel prædeſtinatione divina*; nam Joann. 15. 5. dicitur: *Sine me nihil poteſtis facere.*

Non eſt ergo gratia, ut in ſimilitudine a D. Thoma ex adverſariorum ſenſu propoſita maneam, ſicut equus, quem Rex alicui militi det, quia eo bene uſurum prævidet; ſed ipſe homo equus eſt indomitus, & præceps, quem Deus ſua gratia frænat, regit, & movet quocumque voluerit. *Cor Regis in manu Domini eſt, quocumque voluerit, inclinabit illud*: Prov. 21., & Ezech. 36. 27. dicitur: *Et ſpiritum meum ponam in medio veſtri, & faciam, ut in præceptis meis ambuletis, & judicia mea cuſtodiatis, & operemini.* Homo eſt inſtar ſecuris, aut ſerræ, quæ non ſcindit, nec ſecat, niſi ab artifice moveatur. *Numquid*, Iſ. 10., *gloriabitur ſecuris contra eum, qui ſecat in ea, aut exaltabitur ſerra contra eum, a quo trahitur?*

Ergo prædeſtinatio eſt merum Dei donum, ac ſimul certiſſima, vocatio inde orta, efficaciſſima, glorificatio indubitata, *quandoquidem* (Deus) ex D. Aug. lib. de corrept., & gratia cap. 14. n. 45. p. 774. (tom. 10) *etiam de ipſis hominum voluntatibus quod vult, cum vult, facit.* Quod ſi forte ſuborta tentatione perculſus ſuſpicaris, D. Auguſtinum ita gratiam defendere, ut arbitrium hominis lædere videatur, has caligines procul abiges, ſi ejus librum de gratia, & libero arbitrio tom. 10 p. 717. evolves. Nec enim omnia præcerpere ego poſſum. Efficaciſſimam eſſe ex ſe, ſeu ab intrinſeco Dei gratiam, ſeu vocationem, quæ ex liberi arbitrii vi nunquam fruſtretur, ſuique voti, ſi hic ita loqui liceat, compos ſemper, & indubitate efficiatur, ex SS. Auguſtino, & Thoma Angelico didiciſti, & ex ſacris litteris. His, ſi placet, adde Eccleſiam, quæ Dom. 4. poſt Pentecoſten orat. ſecreta ita orat: *Oblationibus noſtris, quæſumus Domine, placare ſuſceptis, & ad te noſtras etiam rebelles compelle propitius voluntates.* Compellit non vi, quæ voluntati eo ipſo, quia voluntas eſt, adhiberi non poteſt, ſed eam interius efficaciſſime movendo miris, ſi vis, ſed veris modis: *Et quomodo adduxit?* ait D. Aug. n. 45. & pag. mox citatis loquens de Iſraelitis ad Davidem Regem agnoſcendum divinitus adductis: *Numquid corporalibus ullis vinculis alligavit? Intus egit, corda tenuit, corda movit, eoſque voluntatibus eorum, quas ipſe in illis operatus eſt, traxit.*

At libera, inquis, agendi facultas cum vocatione, ſeu gratia ex vi ſua efficaciſſima conciliari non poteſt. Reſp. Imo quia efficaciſſima eſt, non ſolum indubitatum facit actum, ſed etiam liberum; quia non ſolum ad agendum movet, ſed ad liberum agendi modum.

Hinc Sap. 8. v. 1. dicitur: *Attingit ergo a fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter. Fortiter*, quia nihil ei reſiſtere poteſt, quin faciat, quod vult, & facit: *Suaviter*, quia libero arbitrio a ſe condito ſeſe attemperans, illud liberrimo modo movet. Poteſt ne Deus hominis voluntatem fortiter, potenter, efficienter movere, ac ſimul libere? quis tam duræ frontis ſit, ut id negare audeat? Si autem Deus id facere poteſt, cur id fieri poſſe negas? *Fruſtra blaſphemas*, ait S. Hier. Epiſtola ad Creſiphontem, habetur app. t. 10. S. Aug. p. 2. p. 74. *& ignorantium auribus ingeris, nos liberum arbitrium condemnare.* At contradictorium videtur, ait, ut homo ad actum efficaciſſime, & ſimul libere moveatur. Reſp. Si id oſtenderis, manus do. At poſſe agere, & poſſe non agere, in quo arbitrii libertas ſita eſt, & certo, ſeu indubitate agere, non ſunt contradictoria. Contradictoria ſunt, agere, & non agere: item poſſe agere, & non poſſe agere: at indubitate agere, & poſſe non agere, non ſunt inquam contradictoria; quia aliud eſt indubitate agere, aliud neceſſario agere. At ſi poſſim, ais, non agere, quid vetat, quin non agam? Reſp. Vetat motio Dei efficaciſſima, quæ facit, ut agas. *At poſſibili, reponis, ad actum redacto, nihil ſequitur abſurdi*, ut ſchola loquitur. Ergo ſi poſſum non agere, nihil abſurdi conſequitur, ſi reipſa non agam. Reſp. Illud ſcholæ dictum, *poſſibili* &c. philoſophicum cum ſit, ad vocationis prædeſtinatorum myſterium non pertinet. Reipſa enim abſurdum eſt, ut vocatio efficax, non ſit efficax; quod accideret, ſi vocati bene non agerent, in bene agendo non perſeverarent, in peccato morientes damnarentur. Omitto hic philoſophicas allati ſcholaſtici dicti ſolutiones, quia neceſſariæ non ſunt. Vetus eſt hæc calumnia, Thomiſtarum, & Auguſtinianorum Scholis intentata *, at calumnia. Recens vero illa, qua eorum adverſarii dictitant, celeberrima Bulla *Unigenitus* (Clem. XI.) everti ſententias hactenus explicatas de prædeſtinatione, & gratia; & contrarias opiniones de prædeſtinatione ex prævifis meritis, & gratia verſatili, & adiaphora, cujus effectus non ab ipſa, ſed a libero ſolum arbitrio pendeat, foveri. At Benedict. XIII. decreto 1724. *Demiſſas preces* (habetur apud Euſebium Eraniſtem littera Encyclica Bened. XIV. ad Gallicarum Cardin. & Præſules anni 1756. 16. Octobris ab eo illuſtrata pag. 134.) Familiæ Dominicanæ Alumnos ita alloquitur: *Magno igitur animo contemnite, dilecti Filii, calumnias intentatas ſententiis veſtris de gratia præſertim per ſe, & ab intrinſeco efficaci, ac de gratuita prædeſtinatione ad gloriam ſine ulla præviſione meritorum, quas laudabiliter hactenus docuiſtis, & quas ab ipſis SS. Doctoribus Auguſtino, & Thoma ſe hauſiſſe, & verbo Dei, Summorumque Pontificum, & Conciliorum Decretis, & Patrum dictis conſonas eſſe, Schola veſtra gloriatur. Tam igitur bonis, & rectis corde ſatis conſtet, ipſique calumniatores, niſi dolum loqui velint, ſatis perſpiciant, SS. Auguſtini, & Thomæ inconcuſſa, ſanctiſſimaque dogmata nullis prorſus antedictæ Conſtitutionis (Unigenitus) cenſuris eſſe perſtricta; ne quis impoſterum eo nomine calumnias ſtruere, & diſſenſiones ſerere audeat, ſub canonicis pœnis diſtricte inhibemus.* „ Sectatores Molinæ, & Suarezii, (inquit „ Benedictus XIV. apud Eraniſtem ſupra appellatum p. „ 198.,) a ſuis adverſariis proſcribuntur, perinde ac ſi „ eſſent Semipelagiani. Romani Pontifices de hoc Mo„ liniano ſiſtemate uſque adhuc judicium non tulerunt, „ & idcirco in ejus tuitione proſequuntur, & proſe„ qui poſſunt. " Hoc permiſſum eſt, quia nondum proſcriptum, non laudatum, ſicuti laudantur a Benedicto XIII. verbis mox relatis Thomiſtæ, & Auguſtiniani ſententes, ut jam expoſui, & paucis defendi, ac defendere paratus ſum.

Nonnulla monita minus doctis utilia, & neceſſaria ſacris Miniſtris, ut in concionibus, & catecheſi ſuo rite fungantur munere.

I. Apud Gonettum in man. Thom. t. 4. app. ad tract. de gratia cap. 1. §. 1. p. 388. legitur. „ Aliqui non in„ congrue obſervant, adeo plauſibilem, & naturæ cor„ ruptæ conſentaneam eſſe pelagianam hæreſim, ut „ omnes fere homines naturali ferme inſtinctu, niſi „ fide corrigantur, pelagiani ſint; quia utpote invi„ ſceratæ nobis, & ab Adamo in poſteros omnes trans„ fuſæ ſuperbiæ Pelagiana hæreſis omnino adulatur. "

II. Hinc non pauci, etiamſi pelagiani non ſint, cum de divinis præceptis implendis ſermonem habent, liberum tantum arbitrium crepant, Dei gratiam, ejuſque ſupernaturalia auxilia, quaſi eorum miſeræ menti nunquam obverſentur, aut ſupervacanea, aut tacenda ſint, ſilentio tegunt.

Liberum arbitrium in nobis eſſe, intimus cuilibet ſenſus, experientia, ratio, ſacra Scriptura demonſtrat, & ſacra Synodus Tridentina ſeſſ. 6. can. 5. definit; non tamen ſanum, & robuſtum, ut contendebat Pelagius apud D. Auguſt. lib. de natura, & gratia cap. 39. n. 21. p. 135. (tom. 10.) inani ſophiſmate nixus, & a S. Doct. refutatus; ſed ut docet Syn. Trid. ſeſſ. 6. cap. 1., ex Adæ prævaricatione *viribus attenuatum, & inclinatum*, italice *logoro di forze, e peggiorato.* Ergo Dei quoque gratiæ ſupernaturalia auxilia, neceſſaria ad bene agendum, & efficacia tradenda ſunt populo, & inculcanda, ut in iis, non in ſeipſo fiduciam habeat; &, ſi bene egerit, Deo gratias habeat, & gloriam det, non ſibi placeat. *Prædeſtinatio*, inquit D. Aug. lib. de dono perſeverantiæ cap. 24. (tom. 10.) *prædicanda eſt*, quæ nihil aliud eſt, niſi æterna gratiæ, & gloriæ præparatio, *ut qui obedienter hæc* (dicta de prædeſtinatione) *audit, non in homine, ac per hoc nec in ſemetipſo, ſed in Domino glorietur, quia & hoc Dei præceptum eſt; & hoc præceptum libenter audire*,

* D. Aug. lib. de gratia, & lib. arb. cap. 7. cap. 8. p. 727. t. 10. ait: *Sed quoniam ſunt quidam, qui ſic gratiam Dei defendunt, ut negent hominis liberum arbitrium, aut quando gratia Dei defenditur, negare exiſtiment liberum arbitrium* &c. Mathematicales puſalant removere omnem induſtriam, reliquas virtutes, ſi Dei conſtitutio humanas præveniat voluntates. *& [illegible] prædeſtinationis nomine fatalem quamdam induci neceſſitatem.* S. Proſper ep. 225. inter Aug. op. præfixa lib. de dono perſeverantiæ.

** Hac opinio eadem eſt, ac illis, quam ex D. Thoma verbis paulo poſt totitum hujus diſputationis actuli.

re, *ideſt ut qui gloriatur, in Domino glorietur, Dei donum eſt. Quod donum qui non habet*, (hoc Moliniani plene non habent, quia nos libero arbitrio gratia bene utente gloriari voluat) *non dubito dicere: alia quæcumque habet, inaniter habet.*

An metuendum, ne ſupernaturalium Dei beneneficiorum, & decretorum, de quibus S. Paulus Ap. frequentiſſime loquitur, enunciatio, populo noxia ſit, aut inutilis? Si qui ita ſentiunt, S. Auguſtino repugnant, & Apoſtolo Paulo injurii ſunt. Modus tamen hac in re, ut in omni alia, adhibendus eſt, de quo S. Aug. lib. cit. cap. 22., ne ſit incaute, odioſe, incongrue de ea quis loquatur, in eum illud d. Auguſtini cap. cit. cadat: *doloſi autem, vel imperiti Medici eſt, etiam utile medicamentum ſic alligare, ut aut non proſit, aut obſit*. Porro inter cætera, quæ S. Doct. ſuggerit, loquentem ad populum p. 855. n. 62. monet, ut hæc aut ſimilia dicat. *Vos itaque etiam ipſam obediendi perſeverantiam a Patre luminum, a quo deſcendit omne datum optimum, & omne donum perfectum, ſperare debetis, & quotidianis orationibus poſcere, atque hoc faciendo confidere, non vos eſſe a prædeſtinatione Populi ejus alienos, quia etiam hoc ut faciatis, ipſe largitur. Abſit autem a vobis, ideo deſperare de vobis, quoniam ſpem veſtram in ipſo habere jubemini, non in vobis. Maledictus enim omnis, qui ſpem habet in homine; & bonum eſt confidere in Domino, quam confidere in homine; quia beati omnes, qui confidunt in eum. Hanc ſpem tenentes, ſervite Domino in timore, & exultate ei cum tremore; quoniam de vita æterna, quam filiis promiſſionis promiſit non mendax Deus ante tempora æterna, nemo poteſt eſſe ſecurus, niſi conſummata fuerit iſta vita, quæ tentatio eſt ſuper terram, ſed faciet nos perſeverare in ſe uſque in ejus vitæ finem, cui quotidie dicimus, ne nos inferas in tentationem. Hæc atque hujuſmodi cum dicuntur, ſive paucis chriſtianis, ſive multitudini Eccleſiæ, cur metuimus Sanctorum prædeſtinationem, & veram Dei gratiam, ideſt quæ non ſecundum merita noſtra datur, ſicut eam ſancta Scriptura prædicat, prædicare? an vero timendum eſt, ne tunc de ſe homo deſperet, quando ſpes ejus ponenda demonſtratur in Deo, non autem deſperaret, ſi eam in ſeipſo ſuperbiſſimus, & infeliciſſimus poneret?*

III. Pejores, * longe imperitiores ſunt, qui conandum nobis eſſe clamant bene agere, ut Dei gratiam mereamur. Hæc ſunt ſenſa hæretici Pelagii, apud d. Auguſtinum lib. de gratia Chriſti cap. 27. n. 28. p. 243. & cap. 31. n. 34. p. 244. (tom. 10.) cujus Pelagii hæc ſunt verba p. 245. „ Illi ideo judicandi, atque damnandi ſunt, quia, cum habeant liberum arbitrium, per „ quod ad fidem venire poſſeat, & Dei gratiam promereri, male utuntur libertate conceſſa. Hi vero remunerandi ſunt, qui bene libero utentes arbitrio, „ merentur Domini gratiam, & ejus mandata cuſtodiunt.” Itaque magnopere caveant, ne in hujuſmodi hæretico dicta erumpant; &, ſi D. Paulum intelligere nolunt, Synodum ſaltem Tridentinam legant, quæ ſeſſ. 6. cap. 8. ait. *Gratis autem juſtificari ideo dicimus, quia nihil eorum, quæ juſtificationem præcedunt, ſive fides, ſive opera, ipſam juſtificationis gratiam promeretur. Si enim gratia eſt, jam non ex operibus: alioquin, ut idem Apoſtolus inquit, gratia jam non eſt gratia.*

Legant quoque canonem 22. ejuſdem ſeſſ. 6. ubi dicitur. *Si quis dixerit, juſtificatum vel ſine ſpeciali auxilio Dei in accepta juſtitia perſeverare poſſe, vel cum eo non poſſe, anathema ſit.*

Caveant tamen, ne gratiam cum gratiæ augmento confundant, de quo ſacra Syn. can. 32. ſeſſ. cit. ita definit. *Si quis dixerit, hominis juſtificati bona opera ita eſſe dona Dei, ut non ſint etiam bona ipſius juſtificati merita; aut ipſum juſtificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam, & Jeſu Chriſti meritum, cujus vivum membrum eſt, fiunt, non mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipſius vitæ æternæ (ſi tamen in gratia deceſſerit) conſecutionem, atque etiam gloriæ augmentum, anathema ſit.* Huic canoni præivit D. Thomas 1. 2. q. 114. a. 8.

IV. Attente videant, ne dicant, gratiam nobis divinitus donari, ut Dei mandata facilius impleamus, quaſi vero ſine ea, etſi difficilius, impleri poſſint. Nam hoc quoque Pelagii dogma eſt, cujus verba ex D. Auguſtino cap. 27. hic cit. num. 3. hæc ſunt. *Divinam mereamur gratiam, & facilius nequam ſpiritui Sancti Spiritus auxilio reſiſtamus.* Nam illud quoque facilius hæreticum eſt, a D. Auguſtino cap. 26. lib. cit. p. 242. refutatum, & a Synodo Tridentina can. 22. ſeſſ. 6. mox recitata confixum. Nam ſi *anathema eſt, ſi quis dixerit, juſtificatum ſine ſpeciali auxilio Dei in accepta juſtitia perſeverare poſſe*; multo magis anathema eſt, ſi quis peccatorem habitu gratiæ exutum, ſine ſpeciali Dei auxilio legem implere, aut ad Deum ſe convertere, & gratiam aſſequi poſſe, dixerit; quia de re explicate definit ſacra Syn. can. 1. ſeſſ. 6. cit. *

V. Pelagius apud S. Auguſtinum cit. lib. de gratia Chriſti cap. 4. n. 5. p. 231. 232. hæc habet. *Nos ſic tria iſta diſtinguimus, & certum velut in ordinem digeſta partimur. Primo loco poſſe ſtatuimus, ſecundo velle, tertio eſſe: poſſe in natura, velle in arbitrio, eſſe in effectu locamus. Primum illud, ideſt poſſe ad Deum proprie pertinet, qui illud Creaturæ ſuæ contulit: duo vero reliqua, hoc eſt velle, & eſſe ad hominem referenda ſunt, quia de arbitrii fonte deſcendunt. Ergo in voluntate, & opere bono laus hominis eſt, imo & hominis, & Dei, qui ipſius voluntatis, & operis poſſibilitatem dedit, quique ipſam poſſibilitatem gratiæ ſuæ adjuvat ſemper auxilio.... & ut generaliter univerſa complectar, quod poſſumus omne bonum facere, dicere, cogitare, illius eſt, qui hoc poſſe donavit, qui hoc poſſe adjuvat; quod vero bene vel male agimus, vel loquimur, vel cogitamus, noſtrum eſt; quia hæc omnia vertere in malum poſſumus.* Scire hic velim, qua in re Moliniani a Pelagii ſenſu diſcrepent.

Si enim Deus poſſe bene agere ſuæ auxilio gratiæ juxta ipſos adjuvat, & nihil aliud præſtat, idem ſentit Pelagius. Si Deus non ſolum poſſe bene agere adjuvat, ſed ipſum bene agere donat, nobiſcum ſentiunt. Vel Deus ſuis gratiæ auxiliis ipſum bene agere dat, vel non dat. Hic nihil medium aſſignari poteſt. Si non dat, cum Pelagio ſentiunt: Si dat, nobiſcum. Quid hic ſolide reponere poſſint, ego certe me ignorare fateor. Nam ſi dixerint, Deum ſuis gratuitis auxiliis dare ipſum bene agere, nec tamen ea eſſe ex ſe efficacia, apertam contradictionem loquuntur.

Sed audiamus D. Auguſtinum, qui cap. 5. n. 6. lib. cit. ſubdit. *Scire quippe debemus, quod nec voluntatem noſtram, nec actionem divino adjuvari credit auxilio,* (Pelagius) *ſed ſolam poſſibilitatem voluntatis, atque operis, quam ſolam in his tribus nos habere affirmat ex Deo; tamquam hoc ſit infirmum, quod Deus ipſe poſuit in natura, cætera vero duo, quæ noſtra eſſe voluit, ita ſint firma, & fortia, & ſibi ſufficientia, ut nullo indigeant ejus auxilio; & ideo non adjuvet, ut velimus, non adjuvet, ut agamus, ſed tantummodo adjuvet, ut velle, & agere valeamus. Contra Apoſtolus,* “ cum timore, inquit, & tremore veſtram ipſorum operamini ad ſalutem;” *Et ut ſcirent, quia non tantum in eo, quod operari poſſint, (hoc enim in natura, & in doctrina jam acceperant) ſed etiam in eo, quod operantur, divinitus adjuvantur, non ait, Deus eſt enim, qui operatur in vobis poſſe, tamquam ipſi jam & velle, & operari per ſeipſos habeant, nec in his duobus adjutorio ejus indigeant, ſed ait:* „ Deus enim eſt, qui operatur in vobis & velle, & perficere;” *vel ſicut in aliis, & maxime græcis codicibus legitur*, „ & velle, & operari.” *Videte, ſi non Apoſtolus, gratiæ Dei futuros adverſarios ſancto Spiritu tanto ante prævidit, & hæc duo, ideſt & velle, & operari, & quæ iſte* (Pelagius) *ita noſtra eſſe voluit, tanquam ipſa divinæ gratiæ non adjuventur auxilio, Deum in nobis dixit operari.* Phil. 2. 12.

VI. Juliani quoque Pelagiani dicta recitare juvat ex eodem S. Auguſtino lib. 1. operis imperfecti cap. 94. col. 928. (tom. 10.) ita loquentis. *Gratiam ergo Chriſti multiplicem confitemur. Primum munus ejus eſt, quod facti ex nihilo ſumus. Secundum, quod ut viventibus ſenſu, ita ſentientibus ratione præſtamus, quæ impreſſa eſt animo, ut Conditoris imago diceretur, ad cujus æque reſpicit dignitatem arbitrii conceſſa libertas. Ipſi etiam gratiæ, beneficiorum, quæ nobis præſtare non deſinit, augmenta reputamus: ipſa gratia legem in adjutorium miſit: ad ejus ſpectabat officium, ut rationis lumen, quod pravitatis exempla hebetabant, & conſuetudo vitiorum, multimodis eruditionibus excitaret, atque invitata ſuo faveret. Ad iſtius ergo gratiæ, ideſt divinæ benevolentiæ, quæ rebus cauſam dedit, plenitudinem ſpectavit, ut Verbum caro fieret, & habitaret in nobis. Repoſcens enim Deus ab imagine ſua amoris vicem, palam fecit, quam totum in nos inæſtimabili egiſſet affectu, ut vel ſero redamaremus eum, qui commendans caritatem ſuam nobis, Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis tradidit illum, pollicens, quia ſi voluiſſemus deinceps voluntati ejus obedire, Unigeniti ſui præſtaret nos eſſe hæredes.*

Quid habes hic, quod objicias, aut quid amplius a catholico Concionatore quæris? Nihil ſane, ſi hæc verba ſpecie tenus percutias. At verſipellis Homo, dum alia Dei beneficia memorat, ſupernaturalium Dei auxiliorum animos noſtros interius illuminantium, & moventium ad pietatem, habitualiſque gratiæ homines ſanctificantis non meminit; quaſi ſola legis littera juben-

* *Si quis dixerit hominem ſuis operibus, quæ vel per humanæ naturæ vires, vel per legis doctrinam fiant, abſque divina per Jeſum Chriſtum gratia poſſe juſtificari coram Deo, anathema ſit.*

bendo, & docendo exterius, hominem ſuo nixum arbitrio ſanctum facere poſſit, contra D. Paulum; ex quo 2. Cor. 3. v. 6. *littera* (hoc eſt lex) *occidit, Spiritus autem vivificat*; aut quaſi Dei pro nobis hominis facti ineffabile beneficium nos tantum extrinſecos invitet ad amorem rependendum, nihilque in animis noſtris divinorum ſupernaturalium donorum ponat, aut iis nihil efficiat; cum tamen electorum ſalutem non efficeret, ſi in nobis interius nihil faceret. Quare D. Auguſtinus hæretico homini ſibi notiſſimo ita reſpondet. *Homo pelagiane, caritas vult bonum, & caritas ex Deo eſt, non per legis litteram, ſed per Spiritum gratiæ. In hoc eſt prædeſtinatis adjutorium littera, quia jubendo, & non juvando, admonet infirmos confugere ad Spiritum gratiæ. Sic lege legitime utuntur, quibus bona eſt, ideſt utilis: alioquin per ſeipſam littera accidit; quia jubendo bonum, & non largienda caritatem, quæ ſola vult bonum, reos prævaricationis facit.*

Hoc, & proxime ſuperius monitum eo ſpectant, ut ſacri Concionatores Dei immenſa beneficia nunquam ſatis extollentes, præcipua, & maxima, quæ in ſupernaturalibus internis illuminationibus, & motionibus, & habituali gratia ſanctificante ſita ſunt, ſæpiſſime memorent; neglectoque Moliniano ſyſtemate auxilia ex ſe efficacia fidenter enuntient, ut populum ad preces, & gratias Deo agendas vehementer extimulent. Quinimo quam hoc ipſum, hoc eſt Deo gratias agere, & rite preces fundere, quibus ipſa Dei gratia, quæ ſub meritum non cadit, impetratur, quia Deus dat Spiritum bonum petentibus ſe; hoc inquam ipſum, Dei donum eſt. Hinc D. Aug. lib. de dono perſever. cap. 23. n. 64. pag. 856. (t. 10.) ait. *Adtendant ergo, quomodo falluntur, qui putant eſſe a nobis, non dari nobis, ut petamus, quæramus, pulſemus ... accepimus enim Spiritum adoptionis Filiorum, in quo clamamus, Abba, Pater. Quod vidit & Beatus Ambroſius*; ait enim, „& 1. Cor. 12.
„ orare Deum, gratiæ ſpiritalis eſt, ſicut ſcriptum eſt,
„ nemo dicit Dominus Jeſus, niſi in Spiritu Sancto:“ & idem D. Aug. lib. de correp. & gratia ait, *quod ſine gratia nullum prorſus ſive cogitando, ſive volendo, & amando, ſive agendo faciunt homines bonum*. Quia ut dicitur Jac. 1. 17. *omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens a Patre luminum*. Conſule, ſi lubet, D. Th. 1. 2. q. 109. a. 1. 2.

VII. Qui laxis, & malis verſatilium opinatorum doctrinis aſſueti ſunt, duræ cervicis eſſe ſolent, eaſque Populo tradere non ceſſant, e. g. Contritionem cum Dei amore conjunctam ad Sacram abſolutionem non eſſe neceſſariam: peccatum ſine deliberatione, ſeu animadvertentia non admitti, & ſimilia; quod ſane facientes, & populum, & ſeipſos ut perdant, evidens periculum eſt. Nec enim excuſari ullo modo poſſunt; quia ſana documenta non ſolum poſſunt, ſed facile poſſunt addiſcere ex multis ſanioribus Theologis, qui præſto ſunt, & haud ægre parari queunt. In eos illud Pſal. 35. cadit. *Noluit intelligere, ut bene ageret.*

VIII. In Sacra concione non multis, magniſque clamoribus, non moleſtis repetitionibus, non nimia prolixitate populus fatigandus eſt, ſed informandus *docendo ea*, ait Syn. Trid. ſeſſ. 5. cap. 2. de ref., *quæ ſcire omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem, annuntiandoque eis cum brevitate, & facilitate ſermonis vitia, quæ eos declinare, & virtutes, quas ſectari oporteat, ut pœnam æternam evadere, & cæleſtem gloriam conſequi valeant*. Quod enim ſacra Syn. de Parochis dicit, de iis omnibus, qui eorum vices gerunt, intelligendum eſſe, certum eſt. An hi verboſi, & moroſi homines, dum voce, ſtrepitu, verboſitate aures obtundunt, rem totam ſe egiſſe putant? Id ne docti quidem, & prudentes oratores præſtant. *Exhortamur ergo*, ait D. Aug. lib. de dono perſeverantiæ cap. 14. n. 37. p. 842. (tom. 10.), *atque prædicamus; ſed qui habent aures audiendi, obedienter nos audiunt; qui vero eas non habent, fit in eis, quod ſcriptum eſt*, Matth. 13. 13.
„ ut audientes non audiant;“ *audientes videlicet corporis ſenſu, non audiant cordis aſſenſu*. Et lib. 2. operis imperfecti contra Julianum n. 157. (tom. 10.) col. 1015. *Non ſicut facit doctor homo, docendo, & hortando, minando, & promittendo in ſermone Dei; quod frustra fit, niſi Deus intus operetur & velle per inveſtigabiles vias ſuas.*

Porro ad facilitatem ſermonis pertinere arbitror, ut in catecheſi, ſacra Doctrina in partes fracta Populo exhibeatur, ne, ſi contra fiat, in illud Thren. 4. 4. incurratur, *parvuli petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis*. Frangi autem ſacram Doctrinam in partes arbitror, aut certe melius frangitur, ſi non continuata oratione, ſed interrogatione, & reſponſione res agatur. Hac enim ratione auditoris animum facilius ſubit, & tenacius retinetur: hac ratione fortius auditor inſtigatur, ut diſcat, ne ignorantiæ notam, dum reſpondere neſcit, ſubeat: hac ratione ignorantes dignoſcuntur, ut inſtrui poſſint.

Porro interrogationes quadam methodo progredi, & non involutæ, ſed perſpicuæ eſſe debent; imo eas variare operæ pretium eſt, ut qui interrogationi certo modo propoſitæ reſpondere neſciunt, alia ratione conceptæ forte reſpondeant. Ad brevitatem pertinet, ut exordia breviſſima, aut nulla ſint in concione. Docilis populus fit pauciſſimis, aperiendo qua de re ſermo futurus ſit; & quia de re ad ſalutem animæ pertinente locutio facienda eſt, attentus ſimul, & benevolus ſit. Quæ paucis dici poſſunt, paucis verbis dicantur: amplificationes ne omittantur, ſed ſuo loco fiant: ſupervacanea interſecentur: ſpes habeatur in Deo, non in arte, aut verbis. Hoc modo concio brevis erit.

IX. Inter alia ad ſalutem neceſſaria, quibus populus ex Syn. Trid. mox citata informandus eſt, ſunt theologicæ virtutes, earumque actus; imo hæc omnium maxime neceſſaria ſunt; qua in re probabilium ſcriptorum lectioni aſſueti, valde caveant, ne ſint negligentes, ſanioreſque Theologos conſulentes, neceſſariam eſſe dictorum actuum frequentiam intelligant, & de iis frequenter agant, iiſque frequentandis populum aſſuefaciant. Hoc inter alia eſt eorum maxime neceſſarium officium. Nec enim ad oratores, aut Theologi acuti ponnam, ad quam tamen pauci, ſeu pauciſſimi apti ſunt, ſed ad ſimiliarem, at doctam, & ſanam informationem divinitus inſtituti ſunt; quo precibus, humilitate, Deique adjutorio pervenient, addita ſaniorum Theologorum frequentiſſima lectione, & ſtudio.

Hic quæritur, utrum ſacri Miniſtri bonis temporalia bona polliceri, & malis mala minari in ſermone Dei poſſint. Segnerius ſerm. p. 2. ſerm. 12., omnia corporis, & externa bona, ut ſanitas, divitiæ, honor &c., peccato nobis eripi, affirmat.

Et ſane Deus populo Hæbreo Iſ. 1. ita loquitur. *Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis: quod ſi nolueritis, & me ad iracundiam provocaveritis, gladius devorabit vos*. Et Deut. 28. *Si autem audieris vocem Domini Dei tui &c., abundare te faciet Dominus omnibus bonis &c. quod ſi audire nolueris vocem Domini Dei tui &c., venient ſuper te omnes maledictiones iſtæ &c.* quas ibi enumerat maxime horribiles. Quæ tamen tum bona, tum mala quoad totum populum accipienda ſunt, ex D. Th. 2. 2. q. 99. a 6. ad 3. Hinc D. Aug. Enarr. in Pſ. 72. p. 755 n. 3. (tom. 4.) ait. *Tempore igitur veteris teſtamenti, Fratres, promiſſiones a Deo noſtro Populo illi carnali terrenæ erant, & temporales* Nam *aliquæ perſonæ particulares*, ait S. Th., *etiam juſtitiam obſervantes, in aliquas adverſitates incidebant*. Ratio ex D. Thoma eſt, *quia lex vetus diſponebat ad Chriſtum, ſicut imperfectum ad perfectum. Unde dabatur populo adhuc imperfecto in comparatione ad perfectionem, quæ erat futura per Chriſtum .... imperfectorum autem eſt, quod temporalia bona deſiderent, in ordine tamen ad Deum; perverſorum autem, quod in temporalibus bonis finem conſtituant. Unde legi veteri conveniebat, ut per temporalia, quæ erant in affectu hominum imperfectorum, manuduceret homines ad Deum.*

Verum quod de Hebraico Populo dictum eſt, id ad univerſum hominum genus transferri non debet. Nam Jer. 12. 1. dicitur: *Quare via impiorum proſperatur, bene eſt omnibus, qui prævaricantur, & inique agunt?* Et Eccl. 9. 2. *Omnia in futurum ſervantur incerta, eo quod univerſa æque eveniant juſto, & impio, bono, & malo, mundo, & immundo &c. Unde & corda filiorum hominum implentur malitia, & contemptu in vita, & poſt hæc ad inferos deducentur*. Huc etiam ſpectat illud Evangelii, *qui Solem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos, & pluit ſuper juſtos, & injuſtos*. Hinc D. Aug. t. 4. Enarr. 2. in Pſ. 32. col. 198. *Nunquid quia terrena, (bona) ideo non Dei ſunt? aut ideo alter ea dare cogitandus eſt, quia dantur & malis?* Et ſerm. 2. in Pſ. 48. col. 437. n. 14. *Non tibi enim videntur quaſi tenebræ? Facit male, vivit, floret, terret, honoratur: facit bene, reprehenditur, blaſphematur, accuſatur, laborat, terretur; quaſi tenebræ ſunt*. Lege, ſi vis, ibi reliqua.

Et Enarr. in Pſ. 122. col. 1400. n. 10. ait. *Invenis aliquem pro merito iniquitatum ſuarum, ſive occulto judicio Dei, ſive manifeſta damnatione, mitti in carcerem, portare catenam, & ipſe inſultat, & cum ei dictum fuerit, quare non bene vixiſti? Ecce quo veniſti male vivendo? Ille reſpondet, quare illi, qui bene vivunt, iſta patiuntur? Sed illi propterea patiuntur, ut tentationibus exerceantur, ut flagellis proficiant*; quia flagellat Deus Heb. 12. 6.
omnem filium, quem recipit. *Et ſi unicum ſine peccato flagellavit, & pro omnibus tradidit, quomodo debemus nos flagellari, qui fecimus quare flagellamur*. Experientia ſane teſtis eſt, hæreticos, Turcas, alioſque infideles, multoſque improbos catholicos temporalium bonorum copia affluere, & proſperitate frui; contra vero non paucos bonos multis premi calamitatibus. Sed *bene*, ait D. Th. 1. 2. q. 114. a. 10. ad 4. cum D. Aug.

nox

mox cit. *per hujuſmodi bona, & mala manuducuntur ad beatitudinem, non item mali*; & in corp. inquit: *Tantum enim dat Deus viris juſtis de bonis temporalibus, & etiam de malis, quantum eis expedit ad perveniendum ad vitam æternam, & in tantum ſunt ſimpliciter bona hujuſmodi temporalia.* Unde dicitur in Pſ. 33. „ Timentes autem Dominum, non minuentur omni bono, “ & *alibi* (Pſ. 36.) „ Non vidi juſtum derelictum “ &c. Et hæc eadem ratione accipiendi ſunt alii Scripturæ textus, qui prima fronte nobis adverſari videntur; quia ipſa temporalia mala, bonis bona ſunt; cum contra terrena felicitas, malis mala ſit. Hinc ſacri Miniſtri intelligent, qua ratione ad Populum de bonis, & malis temporariis loquendum ſit; quæ, cum promiſcue omnibus accidant, nullo ea in pretio habenda eſſe, luculenter docent. Itaque illos ſacros textus inculcabunt: *Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus* &c. Matth. 19. 21. *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* Eccli. 1. *Eſt autem quæſtus magnus, pietas cum ſufficientia .... habentes autem alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſimus. Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli* &c. 1. Tim. 6. *Mendicitatem, & divitias ne dederis mihi, tribue tantum victui meo neceſſaria.* Prov. 18. *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. Quærite ergo primum Regnum Dei, & juſtitiam ejus, & hæc omnia adjicientur nobis.* Matth. 6. 33.

Quæ hactenus dixi, D. Auguſtini auctoritate confirmare juvat; qui Enarr. in Pſ. 35. n. 13. col. 253. tom. 4. ait. *Nam & populus ille* (judaicus) *terrena bona deſideravit* &c. *talia deſiderabant, & talia accipiebant ... attendebant enim ipſa bona, quæ quærebant, abundare impiis, & ſceleratis* &c.

Et Enarr. in Pſ. 127. n. 2. col. 1437., ne quis putet nobis Deum timentibus temporalia bona promitti, inquit. *Ne deſiderando temporalem, & terrenam felicitatem, perdamus æternam, Propheta tanquam involucrum nobis conſtituit .... nam ſi talia cœperimus illis prædicare: Filii, aut Fratres mei, timete Dominum, ut habeatis Filios, & Nepotes, ut gaudeat domus veſtra .... nos ſagittamus, ut ametur illa æterna Jeruſalem. Remanebant in amore terrenorum, & videntes ista abundare impiis, etſi vobis non audent, in corde ſuo dicunt, ecce ille, qui non timet Deum, plenam domum habet Filiis?* Ep. 220. ad Bonifacium col. 815. tom. 2. *Sic utaris hoc mundo, tanquam non utens, ut ex bonis ejus bona facias, non malus fias; quia & ipſa bona ſunt, nec dantur hominibus, niſi ab illo, qui habet omnium cœleſtium, & terreſtrium poteſtatem. Sed ne putentur mala, dantur & bonis: ne putentur magna, vel ſumma bona, dantur & malis.*

Lib. de Agone Chriſtiano cap. 7. n. 8. col. 249. tom. 6. *Nec nos moveat, quod in hac vita ſecundam carnem, quam portant, juſti multa gravia, & aſpera tolerant. Nihil enim mali patiuntur, qui jam poſſunt dicere ....* „ Gloriamur in tribulationibus, ſcientes, quoniam tribulatio patientiam operatur “ &c.

Denium, ut alia ejus teſtimonia omittam, lib. 1. de Civitate Dei cap. 8. tom. 7. pag. 8. *Placuit quippe divinæ providentiæ præparare in poſterum bona juſtis ..., & mala impiis .... Ita vero temporalia bona, & mala utriſque eſſe communia, ut nec bona cupidius appetantur, quæ mali quoque habere cernuntur, nec mala turpiter evitentur, quibus & boni plerumque afficiuntur.*

Hic de re legatur quoque D. Auguſtinus initio enarrat. in Pſalm. 127. t. 4. Illi vero, qui fidentiſſime contra clamant, in propoſitiones proſcriptas ſe incidere noverint, hoc eſt in prop. 72. Baii: *Omnes omnino juſtorum afflictiones ſunt ultiones peccatorum ipſorum. Unde Job, & Martyres, quæ paſſi ſunt, propter peccata ſua paſſi ſunt*; & in prop. Queſnelii: *Nunquam Deus affligit innocentes, & afflictiones ſemper ſerviunt vel ad puniendum peccatum, vel ad purificandum peccatorem*, proſcriptam a Clemente XI. Conſtitutione *Unigenitus*. Hinc qui parum ſapiunt, ſapere diſcant.

Sed hic animadvertendum eſt, quod omnes norunt, ſacrorum Miniſtrorum verba nihil efficere, ſi exempla contraria ſint.

Fruſtra ad eleemoſynas, & divitiarum contemptum hortantur, ſi ſe pecuniæ amatores oſtenderint, & pauperes neglegant.

Fruſtra humilitatem, & manſuetudinem inculcant, ſi ipſi ſuperbi, & iracundi ſint, ambitioſi &c.

Fruſtra pacem prædicant, ſi ipſi diſcordias ament, & foveant.

Fruſtra a familiari fœminarum conſuetudine alios deterrent, ſi ea ipſi delectentur. Uno verbo, ut dixi, magis exempla movent, quam verba.

ADDENDA.

DE CENSU PERSONALI.

DE hoc actum quidem eſt Animad. 37. in cap. 3. tract. 5. lib. 3. p. 234. at cum Sacerdotes Ordinis Reformati Sancti Franciſci in Sacris prope Tridentum Miſſionibus anno 1765. illum improbarent, animoſque Fidelium ab ea labe deterrere pie niterentur, Adverſarii vero P. Staidelii libello eum probante, tumultus contra eos cierent, me ſollicitarunt, ut Staidelium refutarem; quare ut animarum ſaluti quantum in me eſt conſulam, iis morem me gerere, operæ pretium exiſtimo.

P. Staidelius Ench. p. 167. cap. 3. edit. 3. Tridentinæ anni 1765. ita ſcribit. „ Pompejus prædives (qui „ multas eleemoſynas facere debuit, non uſuras) mul„ tam pecuniam aliis dedit, ut pro more germanico ſi„ bi quincuncem quotannis pendant; qui contractus a „ nobis appellatur cenſus Germanicus, ſeu ſcripti cre„ diti, & apud pleraſque Italos male audit. Siquidem „ videtur eſſe contractus mutui, ex eoque lucrum quin„ cuncis captatur: ergo eſt putida uſura. “

Reſp. Putida ſane uſura eſt, etiam prout proponitur a Buſemb. lib. 3. tract. 5. dub. 9. ca. 2. p. 238., quem refutavi Animad. 37. cit., multoque magis uti a te abſolute, & ſine Buſ. additionibus exponitur,

Staid. „ Quæſtionem celeberrimam attingis, quam „ qui ad Petri clavum ſedet, Bened. XIV. integram „ atque intactam reliquit in Conſtitutione de uſuris. ” Reſp. Quæſtio, ſi vis, celeberrima eſt in ſpecie a Buſembau, non a te propoſita. De Bened. XIV. infra. Staid. „ Igitur tantum in medium adducam, quæ prudentes doctrinæ Viri tum Itali, tum Germani mihi „ tradiderunt, ut ediſcas non præcipiti judicio hunc „ contractum mox fæneratitia labe aſpergere. ” Reſp. Qua fronte ais *præcipiti judicio*? Hunc contractum non ut a te expoſitum, qui in quæſtionem non cadit, ſed ut a Buſembau propoſitum, fæneratorium eſſe teſte Bened. XIV. lib. 10. de Syn. Diœc. cap 5. n. 4. p. 25. judicarunt Navarrus, Molina, Guttierez, Cardinalis de Lugo, aliique magni nominis Doctores. Enim fæneratorium eſſe judicarunt teſte Navarro apud Concinam Theol. tom. 7. p. 583. Innocentius, Hoſtienſis, Joannes Andrea, Ancharanus, Card. Zabarella, Antonius de Butrio, Joannes de Anania, Panormitanus, Summa Angelica, Bartholomæus Caſtaneus, Laurentius de Rodulphis, S. Antoninus, & fere omnes Theologi, & Canoniſtæ. Hinc P. Concina præter citatos a Navarro, pro eadem ſententia ibidem nominatim appellat Sylveſtrum, Molinam, Gregorium, Lopez, Rebellum, Guettierez, Villaloboſium, Tapiam, Ludovicum Lopez, Cardinalem de Lugo, qui citat Alvarum, Vallaſcum, Laſtertam, Sarmientum, Emmanuelem, Vegam, Mirandam. An horum omnium judicium præceps fuit? His, ſi potes, objice, mi Staidelie, nomina numero, & auctoritate æqualia. Sed lege præterea meam Animadverſionem, & rationum momenta pro hac noſtra ſententia a P. Concina loco citato allata, eaque refelle, ac tum demum illud tuum *præcipiti judicio*, ſi poſſis, adhibe. Sed perge. „ Primum, ais, inter Theologos „ conſtat, poſſe in mutuo aliquid ultra ſummam capi„ talem rite percipi, ſi inde aut lucrum intercipitur, „ aut damnum ſubitur &c. Dein potes aliquid auctarii „ percipere, ubi periculum adeſt amittendi pecunias „ tuas; quod ſane frequentius adeſt, quam vulgo exi„ ſtimatur &c. Tum pretii haud mediocris eſt ipſa difficultas recuperandæ pecuniæ, ut multos ſæpe ſum„ ptus oporteat facere &c. Quæ omnia ſi in unum conferas, multoties uſuram invenire non poteris. “ Reſp. Dum ita loqueris, cenſum perſonalem, ſeu, ut tu vocas, germanicum, mutuum eſſe, & ex ſui natura fænebrem nobiſcum fateris; cum ejus uſuram ex titulis aliunde quæſitis diluere coneris. Sed hic videndum, utrum tui tituli legitimi ſint, & quam vim habeant. Primus titulus eſt ille quidem legitimus; at apud Germanos, quos perſonalem cenſum in uſu habere affirmas, lucrum interceptum ex vi cenſus, ſicuti eſſe debet, ut compenſationi locus ſit, vix locum habet, Nam ut lucrum intercipiatur ea vi cenſus, neceſſe eſt, ut cenſum inituri habeant merces, aut prædia parata, unde utilitas percipienda ſit, & voluntatem ea comparandi, quam voluntatem deponant, ut cenſum in gratiam accipientium pecuniam inſtituant, ſicuti evinco Animad. 21. in cap. 3. Buſ. pag. 236. Ita ne ſe gerunt Germani in ſuo cenſu? de his ſcilicet ne cogitans quidem; ſed illum eligunt, & volunt, quia in uſu poſitus eſt. Idem dicito de damno emergente. Alter titulus *dein potes aliquid auctarii* &c., illegitimus eſt, ut oſtendo Animad. 28. in cap. 3. cit. p. 227. Difficultas (de tertio titulo *tum pretii haud mediocris eſt* &c. loquor) ſortis recuperandæ, ab expenſis ſejuncta, nullius pretii ex æquo ſenſu habetur: expenſæ vero compenſandæ ſunt, poſtquam factæ fuerint, non ante; quia priuſquam fiant, in incerto verſantur. Sed lege citatam Animadverſionem 28. in ea Buſ. verba *Difficultatum, vel expenſarum* &c. pag. 228. col. 2., ex qua intelliges, quid hic ſentiendum ſit, nec Germanos rationem inde ſumere poſſe accipiendi aliquid ſupra ſortem.

Itaque Staid. fruſtra addit: „ nec dicas, ſæpe hæc „ omnia tanti non eſſe, ut quincuncem exæquent, & „ compenſationem damno majorem eſſe non debere „ &c. “ Nam hæc omnia, ſi omnia rite circumſpexeris, ordinarie loquendo nihili eſſe ex mox dictis perſpicies.

Staid. „ Verum fac, omnia ſuperius recenſita abeſſe; „ nihilominus rem eſſe in tuto opinantur. Quippe ſi „ quid damni debitori oritur, communi noſtrorum Po„ pulorum conſenſione remittitur. Hoc argumento æqui„ tatem præſcriptionis invicte tuetur Scotus 4. d. 15. „ quæſt. 2. “

Reſp. tranſeat illud tuum aut. *Quippe ſi quid damni* &c. *remittitur*. At quid inde? Inde ſcilicet fit, ut damnum a creditore illatum fuerit; alioquin remiſſione opus non eſſet: ergo creditor in culpa fuit: ergo contractus eſt fæneratorius: ergo tua ratio contra te, mi Staid., pugnat. An legitime non ratiocinor? Quamquam damna privatis perſonis illata, Populi conſenſione remitti nequeunt; quia Populus bonorum ad privatas perſonas pertinentium dominus non eſt; idemque de Principe dicito, qui quantum in ipſo eſt, damna privatis perſonis inferenda impedire, & illata, damnifici pecunia reparare ex officio, & jure ſic poſtulante debet.

Quod ſi velis, privatas perſonas damnum ex more Populi ſponte ſubire, ideoque illud inferentes non peccare, audi D. Thomam, qui 2. 2. q. 78. a. 1. ad. 7. ait, *quod ille, qui dat uſuram, non ſimpliciter voluntarie dat, ſed cum quadam neceſſitate, inquantum indiget accipere pecuniam mutuo, quam ille, qui habet, non vult ſine uſura mutuare.*

Si hæc tua vere ſophiſtica ratiuncula valeret, contractus trini, cambia francofurtenſia, & ſicca, quibus cenſus perſonalis ſimillimus eſt, imo ab iis quoad eſſentiam non diſcrepat, omnes demum apertiſſime injuſti contractus, ſi forent in uſu, a culpa immunes eſſent; quia communi Populi conſenſu damna inde profecta remitti dicerentur. Nam quid huc præſcriptionem intrudis, quam juri naturæ conſentaneam, & ad univerſi Orbis quietem neceſſariam, omnes Theologi, & omnes nationes eſſe prædicant? At „ huic argumento, „ inquis, vis accedit ex memorabili facto S. Franciſci „ Saleſii. Dum divini verbi prædicationi incumberet, „ quædam oppida fænore turpi infecta offendit, cum„ que certa ratio ſarciendorum damnorum haud facile „ appareret, ex pulpito Populum, qui frequens convenerat, percunctatur, vellet ne ſibi damna mutuo re„ laxare, atque ab omnibus, ſuccelamatum, etiam. “ Reſp. ex hac narratione colligitur, damna illata ab iis, qui ea paſſi ſunt, remitti poſſe, & ſpontanea remiſſione, reſtitutionis debitum deleri; quod nemo inficiatur.

At tu male ita colligis: “ Igitur ſi populus “ (loco *populus*, ex mox dictis dicendum eſt, damno affecti) „ illato damno conſentire poteſt, quid ni inferendo „ conſentire poſſit? volenti enim, & conſentienti non „ fit injuria. “

Reſp. qui damnum patitur, abſolute conſentire ei inferendo poteſt; in qua ſpecie alter donum dat, alter accipit, nullaque reſtitutionis obligatio remanet. At in noſtra hypotheſi qui damnum ſubit, non abſolute ei conſentit, ſed quia alia ratione pecuniam habere nequit, ideoque qui damnum dat, reſtitutioni obnoxius eſt. Recole verba D. Thomæ mox allata.

Staid. „ etſi neſcio, quid alteri fiat damni: quippe „ quincunx, aut etiam plus pendi deberet, ſi cenſus „ e. g. planus fieret. “

Reſp. hæc miſera cavillatio quoſcumque fenebres contractus, unde nihil amplius, quam quincunx percipiatur,

tur, in tuto ponit. Hæc miſera cavillatio initio a te adducta, & nunc non ſine lectoris nauſea repetita, x lucro ceſſante deprompta, extra chorum, ut jam monui, ſaltat. Nam hic quæritur, utrum cenſus germanicus extra titulos ipſi extrinſecos liceat. Attamen recole hic Animadverſionem 40. in cap. 3. Bul. pag. 236. ad ea verba, *ſi autem ratione alterius tituli juſti*, v. g. *lucri ceſſantis* &c.

Staid. „ S. Antoninus p. 2. t. 1. c. 11. teſtatur, in monte olim Florentino fuiſſe ſtatutum ad ſcrupulos pellandos, ut quincunx ſolveretur tum pro damno, utroque intereſſe, eum etiam tanquam gratuitum donum; neque creditores alio, quam donationis titulo auctarium reciperent. " Reſp. hoc ſtatutum, ſi vera ſint, quæ narras, quoad damnum, juri naturæ conſentaneum eſt; quoad verum *intereſſe*, a Leone X. conſt. 11. * improbatur, ubi ait. *Deſinimus, montes pietatis, in quibus pro eorum expenſis, & indemnitate aliquid moderatum ad ſolas miniſtrantium impenſas, & aliarum rerum ad illorum conſervationem pertinentium pro eorum indemnitate dumtaxat, ultra ſortem, abſque lucro eorumdem montium recipitur, neque ſpeciem mali præferre, nec peccandi incentivum præſtare, nec ulla pacto improbari*. Nota illa verba in rem noſtram *pro eorum indemnitate dumtaxat*, & illa *abſque lucro eorumdem montium*.

Præterea contradictorium eſt, quod creditores non alio, quam donationis titulo auctarium recipiant. Nam quod ex vi ſtatuti penditur, neceſſario penditur, non donationis titulo, qui titulus ſpontaneus eſt, & liber.

An creditores in noſtra ſpecie quincuncem, aut ejus partem accipiunt veluti donum gratuitum, cum illum ex vi pacti exigant, & ſolvere nolentes ad eum ſolvendum cogant? hoc ne, mi Staideli affirmare audebis? Nam S. Antoninum non tuæ, ſed noſtræ ſententiæ favere, ex Navarro jam retuli.

Staid. „ Alii aliam viam iniere, docentes, legibus quarumdam provinciarum Germaniæ, aliarumque conſuetudine invectam eſſe cujuſdam contractus ſpeciem, adeo ut non proxime, & immediate ex lege, vel conſuetudine, Populive conſenſu, ſed potius ex contractu per legem, conſuetudinem, aſſenſumque Populorum in Germaniam inducto, approbatoque quincunx exigatur? " Reſp. loquere, ut vis, perinde eſt: ſed reipſa contractus eſt proxima cauſa quincuncem percipiendi. At quæritur, utrumbic contractus divino, naturalique jure vetitus ſit; quo ſi vetetur, nulla lege, aut conſuetudine, populive conſenſu licere poteſt. Oſtenda, ſi potes, eum divino, naturalique jure non eſſe vetitum, ac tunc demum ex Populi conſuetudine a Principibus probata eum licitum eſſe, dicere poteris. At audiamus tuum P. Zechium, quem ita ſcribentem induc.a. „ Titius dat Cajo centum florenos, qui vel bona immobilia frugifera poſſidet, vel induſtria operaque lucrari ſolet, vel ex aliis juribus, titulis, nominibus emolumenta percipit. Cajus viciſſim ſe obligat ad quinque florenos quotannis pendendos, uſque dum ſummam capitalem reſtituat, annua quincunce in ſortem non computata. Reſtitutionem ſummæ capitalis ex ſpeciali adiecto pacto vel Titius exigere, vel Cajus facere pro libitu poteſt, dummodo per aliquot menſes alterum præmoneat, addo (inquit Staid.) vel ſi tempus exierit. Tunc enim admonitione hac opus non erit. "

Reſp. hic contractus ſub triplici ſpecie nobis exhibetur. Prima eſt, ut Cajus quincuncem pendat, donec ſortem, quando commodum ipſi erit, reſtituat. annua penſione in ſortem non computata. Hæc ſpecies omnium mitiſſima eſt. Altera eſt. *ut reſtitutionem ſummæ capitalis ex ſpeciali adiecto pacto* &c., hoc eſt, ut alii loquuntur, ut contractus ſit utrimque pro arbitrio partium redimibilis. Tertia eſt ex addito Staideli, *ut* ſors intra certum tempus, puta quinquennium reſtituenda ſit. Proba quæſo, mi Stadelie, ex tuo Zechio, hujus contractus juſtitiam ſub triplici hac ſpecie.

Staidel. „ Porro ne ludricus ac fictitius ſit hic contractus, perinde ac emptio ſine merce præſenti, aut futura, oportet Cajo quoddam emolumentum obvenire, cujus fiat particeps Titius: pars autem fructus, emolumentique lege Principis, aut communi hominum æſtimatione definienda eſt. " Reſp. oſtende, emolumenti, quod ex pecunia accepta Cajo obvenit, participem jure naturæ, & divino fieri poſſe Titium.

Staid. „ Quibus rite explicatis, æquitatem contractus, quocumque nomine donetur, demonſtrandam aggreditur. Nec juſtitiæ, nec caritatis regulas violat, Principis conſenſu firmatur, ac Reipublicæ conducit. Itaque erit licitus. " Reſp. proba, juſtitiæ regulas cum eo non violari; qua violata violatur caritas, nec Principis conſenſu firmari poteſt; nec etiamſi Reipublicæ conducat, licitus dici valet; niſi injuſta bella, & Pyratarum latrocinia licere dicas, ſi Reipublicæ conducant. Quamquam *abſit enim*, ait Bened. XIV. epiſt. ** Encycl. ad Epiſcopos Italiæ 1. Novembris 1745. *a Chriſtianorum animis, ut per uſuras, aut ſimiles alienas injurias florere poſſe lucroſa commercia exiſtimeat, cum contra ex ipſo oraculo Divino diſcamus*, „ quod juſtitia elevat gentem, miſeros autem facit populos peccatum. "

Homines quidem privati, ipſique univerſi Populi etiam mali, ut Hæretici, Turcæ &c. temporaria felicitata frui poſſunt, non tamen quia mali, ſed ex juſtis, honeſtiſque eorum actionibus. Lege Seguerium Serm. p. 2. ſerm. 12. ad ea verba, „ confeſſo, cha in queſto mondo molta volta ſtanno bene i cattivi; a ſtan male i buoni ec.

Staid. " Primum probat. Regula juſtitiæ eſt, ut æqualitas ſervetur, " hoc eſt in noſtra ſpecie, arithmetica: egregie, & vere. „ Hic vero æqualitas ſervatur inter ſummam capitalem, atque jus ad quinque florenos quotannis percipiendos. Nam Cajo, ut diximus, inde emolumenta obveniunt, quorum partem ſibi vindicat Titius. " Reſp. an miſera repetitione eorum, quæ in ipſa controverſa quæſtione ſcripſiſti, probas, Titium emolumentorum, quæ Cajo obveniunt, partem ſibi jure vendicare? an ignoras, hoc tuum dictum, nihil eſſe, niſi puram, putamque, ut Logici ajunt, principii petitionem? Jus, quod fingis, non ſolum ſummæ capitali æquale non eſt, ſed nullum: quia jus ad annuam puta quinque florenorum penſionem, conſtitui non poteſt, niſi ſuper re immobili, annuatim conſtanter frugifera, ubi evinco Animad. 37. cit. p. 234. ergo ſuper perſona conſtitui non poteſt. *Cenſu perſonali*, inquit Bened. XIV. de Syn. loco indicato, *non emitur jus ad percipiendam annuam penſionem, ſicut in reali ſed venditur ipſa penſio. Quemadmodum enim is, qui accepto pretio ſe obligat ad dandum equum, reipſa vendit equum, & non merum jus ad equum; ita qui accepta pecuniæ ſumma, ſe, ſuamque perſonam obligat ad ſolvendam quotannis certam penſionem, dicitur vendere ipſam penſionem*. Quamobrem cenſum perſonalem *ementi aurum ex auro per ſe, & immediate naſceretur; in quo tota conſiſtit uſurarii contractus nequitia, ſicuti dicitur in can. ſicut verſ. interdum diſt.* 47. Nonne turpiter mox ais, quod hic cenſus *recte fertur in comparandum annuum cenſum*. Non ergo ad comparandum jus in annuum cenſum. At inquis, ſi Cajo emolumenta obveniunt ex pecunia a me accepta, nonne æquum eſt, ut eorum partem mihi tribuat? Reſp. æquum eſt, ut ex honeſtate aliquid tibi ſponte tribuat, non ex pacto, & juſtitiæ vi. Emolumenta Cajo obvenientia non ex vi pecuniæ a te acceptæ quæ ſuapte natura ſterilis eſt, ſed ex ſuæ perſonæ conditione. Audi D. Thomam 2. 2. q. 77. a. 2. *Si vero*, inquit, *aliquis multum juvetur ex re alterius, quam accepit, ille vero qui vendit* (idem eſt, qui pecuniam dat) *non damnificetur carendo re illa, non debet eam ſupervendere*, (idem eſt auctarium ſortis exigere) *quia utilitas, quæ alteri accreſcit, non eſt ex vendente*, (idem eſt ex pecuniam dante) *ſed ex conditione ementis* (idem eſt pecuniam accipientis); *nullus autem debet vendere alteri, quod non eſt ſuum; licet poſſit ei vendere damnum, quod patitur*. Subdit Angelicus. *Ille tamen, qui ex re alterius accepta multum juvatur, poteſt propria ſponte aliquid vendenti ſupererogare, quod pertinet ad ejus honeſtatem*. Doctrina angelica eſt, ideſt inconcuſſa. Calvinus, Molinæus, Salmaſius, aliique moderatæ uſuræ propugnatores idem prorſus dixere, ac S. Zechius; quia ipſi quoque, ut ex data pecunia aliquid moderatum ſupra ſortem percipi poſſet, poſtulabant, ut pecunia traderetur ad fundos emendos, aut exercendam mercaturam, uno verbo ad emolumenta inde capienda, quorum partem pecuniam dantes ſibi vendicarent, ut refert eruditiſſimus P. Concina Theol. tom. 7. lib. 3. diſſ. 4. cap. 10 §. 4. p. 379. An idcirco damnandi non ſunt? *Neque vero*, inquit Bened. XIV. in ep. encyclica *** ad Italiæ Epiſcopos 1. Novembris 1745. *ad iſtam labem* (uſuræ) *purgandam ullum arceſſiri ſubſidium poterit vel ex eo, quod id lucrum non excedens & nimium, ſed moderatum, non magnum, ſed exiguum ſit; vel ex eo, quod is, a quo id lucrum ſolius cauſa mutui depoſcitur, non pauper, ſed dives exiſtat, nec datam ſibi mutuo pecuniæ ſummam relicturus otioſam, ſed ad fortunas amplificandas vel novis coemendis prædiis, vel quæſtuoſis agitandis negotiis utiliſſime*

 ſit

* Apud Ocnetum Theol. mor. tom. 1. tract. 4. cap. 8. q. 3. p. 559.
** Habetur apud Concinam app. tom. 1. p. 26.
*** Habetur apud Concinam app. t. 1. p. 264.

ſit impenſarus. Contra mutui ſiquidem legem, quæ neceſſario in dati, atque redditi æqualitate verſatur, acere ille convincitur, quiſquis eadem æqualitate ſemel poſita, plus aliquid a quolibet ut mutui ipſius, cui per æquale jam ſatis eſt factum, exigere adhuc non veretur.

At Staid. hic ita loqui pergit. " Neque dicas, in eo „ æqualitatem cum ſumma capitali verſari, quod ſumma Titio reſtituatur; cenſum vero annuum quæri tantum poſſe ad compenſandam æqualitatem ex lucro „ intercepto, acceptove damno. " Reſp. ita ſcilicet loquitur Bened. XIV. mox citatus. Minime, inquit, Staid; ſubdens. „ Nam hæc reſponſio ex idea mutui „ oritur, quam in præſenti contractu ſemotam penitus „ volo (hoc opus, hic labor eſt.) Nam, ut mutuum, „ non tendit ad recuperationem ſummæ capitalis, ſed „ recta fertur in comparandum annuum cenſum. " Reſp. hæc eſt tui ratiocinii ſumma. Sed aperte falſum eſt, hunc contractum non tendere ad recuperationem ſummæ capitalis. Nam ſi utrimque, ad arbitrium redimibilis ſit, ſors pro arbitrio creditoris reddenda eſt: Sortem pro arbitrio creditoris eſſe reddendam; & hunc contractum tendere ad recuperationem ſortis, ſunt ſynonima; multoque evidentius ſynonima ſunt hæc; ſors infra certum tempus, puta quinquennium reſtituenda eſt; & hic contractus tendit ad recuperationem ſortis. Hoc porro idem accidit, etiamſi ſors ex arbitrio ſolum debitoris reſundenda ſit. Nam ſi debitor, ſortis reſtitutionem protrahat, paulatim, & per partes, hoc eſt 20. annorum ſpatio tota recuperatur. Ergo evidenter falſum eſt, hunc contractum ad ſortis recuperationem non tendere. Nam quid eſt, quod addis: ſed recta fertur in comparandum annuum cenſum? Reſp. ex ſui natura fertur ad utrumque, hoc eſt ad recuperationem ſortis, & ad annuam acceſſionem. Nam ſi ad contrahentis intentionem confugis, lege notam (g) pag. 123. col. 1. * Titius e. g. dat Cajo homini induſtrio centum florenos, ut poſt quinquennium reddat centum & viginti quinque. Hic contractus tendit ne ad ſortis recuperationem? eſt ne genuinum mutuum? eſt ne fœneratorius? Quis negare audeat? An quia Titius dat Cajo centum florenos, ut poſt quinquennium eos reſtituat, & interim ſingulis annis quinque florenos pendat, mutuum non eſt, nec fœnus? Imo hic contractus priore pejor eſt; quia 25. florenos ſupra ſortem, ante ſortis recuperationem percipit. Idem penitus dicas de cenſo utrimque redimibili, *qui ablato verborum cortice*, ut ait Bened. XIV. de Syn. loco cit. *aliud eſſe non deprehenditur, quam purum putum mutuum.*

Neque vero ab uſuræ labe immunis eſt, ſi ad debitoris ſolum arbitrium ſit redimibilis. Nam in hac quoque ſpecie ſors integra recuperatur, ut jam vidimus. An non recuperatur, quia per partes, & longiorem temporis moram recuperatur? Quia vero ſortis recuperatione contentus non eſt, ſed quincuncem percipere pergit, donec ſors tota annuis acceſſionibus non computatis reddatur, evidenter fœneratorius eſt; imo hic, ſi rem, & hominum indolem, & conditionem conſideres, debitori gravior eſt, quam ſi ſors infra definitum tempus reddenda ſit; ſicuti tu ipſe fateris.

Venio nunc, mi Staidelie, ad tuam appendiculam pag. 323 ubi cenſum, de quo agimus, a Gregorio XIII. anno 1581. proſcriptum fuiſſe multi te fatente affirmant, tu vero inficiaris.

P. Concina *uſura contractus trini* diſſ. 2. cap. 6. §. 1. pag. 32. ita ſcribit. „ Anno 1581. ſequens contractus propoſitus fuit a Guillelmo Bavariæ Duce Summo Pontifici Gregorio XIII.

Forma contractus in Germania paſſim celebrati, de quo ultima reſolutio petitur.

Titius in Germania pecuniam habens, eamdem Sempronio, CUJUSVIS CONDITIONIS HOMINI, ad nullum certum uſum, ſed pro arbitrio debitoris diſtribuendam ea lege tradit, ut Titius ex pacto, & civili obligatione (aliquando in eiſdem litteris, interdum in aliis adjicitur) jus habeat quamdiu eadem pecunia apud Sempronium relinquitur, accipiendi quotannis ab eodem Sempronio quinque florenos pro ſingulis centenariis, & poſtea totam quoque ſummam capitalem. De tempore autem, quo reſtitutio capitalis fieri debeat, licet interdum aliquid certi determinetur, at plurimum tamen nihil ſtatuitur, ſed tam Titio, quam Sempronio plena poteſtas relinquitur, ut, quandocumque voluerit, (utilitate interim percepta in partem ſortis non computata) contractum reſcindere poſſit; dummodo is, qui contractum reſcindit, alterum ſex menſes antea præmoneat. Ex vi autem contractus, aut pacti adjecti. Titius nunquam lucri, aut ſummæ Capitalis perdendæ ullum periculum ſubit; ſed ſive Sempronius fructificet, ſive non, jus habet ab eo exigendi lucrum quinarium annuum pro centenario; & ſive vivat Sempronius, ſive moriatur, ab ejus hærede ſummam capitalem recuperat, nihil, quod interim accepit, reſtituens.

Sententia Apoſtolica.

Contractus modo, & forma prædictis celebratus, uſurarius eſt. Neque enim ad aliam ſpeciem, quam mutui cum conventione lucri ex eodem mutuo reduci poteſt. Ex quo conſequitur, ut per nullam conſuetudinem, aut legem humanam excuſari, neque ulla contrahentium etiam bona intentione defendi poſſit, cum ſit jure divino, & naturali prohibitus. Qua etiam ex cauſa nemini ſive diviti, ſive pauperi, & quantumvis miſerabili perſonæ, hujuſmodi contractum celebrare, lucrumque acquirere, aut retinere licet.

„ Monumentum iſtud e Codice Ambroſiano in lucem „ emiſit Petrus Ballarinus, & opera Cardinalis Lucini „ cum Regeſto Vaticano collatum fuit. Quare de ejus „ authentia dubium nullum. "

Hactenus P. Concina. Jam, mi Staidelie, niſi ſophiſticus ſis, lis finita eſt. Quid enim ratione conſulta reponere potes? Contractus a Greg. XIII damnatus, „ non erat ille, inquis, quem ex P. Zechio deſcripſi. " Reſp. At ſaltem ille erit, quem tu initio tui caſus 3. p. 167. deſcripſiſti. Sed quæſo, cur non eſt ille, quem ex P. Zechio deſcripſiſti? Relege, & attente perpende utrumque caſum, &, ſi quid inter eos diſcriminis reperis, libere edicito. „ Caſus, inquis, Gregorio P. M. „ propoſitus ferebat, etiam cum eo, qui nullum fructuum genus haberet, nimirum *cum cujuſvis conditionis homine* ejuſmodi contractum iniri poſſe. Tunc „ enim ejuſmodi contractus aliud non eſt, quam mutuum. " Reſp. Præclare enim vero. Legiſti ne caſum Summo Pontifici Gregorio XIII. propoſitum? Nam caſus et propoſitus, nec dicit, nec dicere debuit, *iniri poſſe*, ſed iniri. Caſus factum narrat; & Sereniſſimus Bavariæ Dux Guillelmus, ultimam a Summo Hierarcha, & Doctore Greg. XIII. reſolutionem petit. An putas, contractum pro diverſitate perſonæ naturam mutare? Si mutatur pro diverſitate perſonæ, quacum initur, diverſa quoque ineuntis perſona eum mutabit. Das pecuniam pauperi, ut eamdem infra annum reſtituat, mutuum eſt; das pecuniam diviti, ut eamdem infra annum reſtituat, mutuum non eſt? An mutuum eſſe deſinit, quia aliquid a divite ſupra ſortem exigis? Monſtra, crede mihi, hæc ſunt. Lege iterum, quæſo, Gregorii XIII. reſolutionem. Cum ait, *nemini ſive diviti, ſive pauperi hujuſmodi contractum celebrare licere*, an hoc intelligis de paupere cum paupere tantum illum celebrante? At cum Summus Pontifex abſolute ſine ulla reſtrictione loquatur, cur ejus dictum reſtringis? Videlicet illius mentem aperte pervertis. At ſi ex Gregorii mente hic contractus non licet, ſeu pauper cum paupere, ſeu cum divite illum celebret, multo minus ex ejuſdem mente licebit, ſi dives cum divite eum ineat. Præterea animadverte, hunc contractum ſeu a divite, ſeu etiam a paupere fiat, eſſe juxta Greg. XIII. genuinum mutuum, & fœneratorium. Ergo contractus naturam non mutat ex diverſa perſonæ illum ineuntis circumſtantia: ergo ne ex diverſitate quidem perſonæ, quacum initur, naturam mutat; contra ac tu dixiſti, hunc contractum non eſſe mutuum, ſi cum divite fiat, at mutuum evadere, ſi fiat cum paupere. Recole nunc illa verba in deſcriptione formæ contractus: Titius &c. Sempronio *cujuſvis conditionis homini* &c. Quid eſt *cujuſvis conditionis homini*? Seu Nobili, aut ignobili, ſeu diviti, ſeu pauperi, ſeu negotiatori, ſeu artifici, ſeu demum quicumque ille ſit. Quicumque ergo ſit ille, qui pecuniam accipit, *contractus* ex Apoſtolica Gregorii XIII. ſententia *uſurarius eſt*. Hoc ne, mi Staidelie, inficiari audebis? Aperi oculos, ut lucem hac clariorem videas; teque ex animo pœniteat, quod Conſtitutionem S. Pii V. de cenſibus ſervandam eſſe paſſim his verbis repuleris. „ Ut multa miſſa faciam, verba pag. 324.
„ magni Theologi, qui cœtui Romano interfuit, in „ quo prior contractus diſceptatus eſt, huc referam, „ Conſtitutionem quamdam Pii V. de cenſibus, quæ „ poſtea objici, Romæ quoque judicatum eſt, non obligare in Germania, imo tantum in Dominio Summi „ Pontificis viget. " An ne obligat quidem, ubi conſtituit, cenſum creari non poſſe, *niſi in re immobili, aut quæ pro immobili habeatur, de ſui natura fructifera* &c.? At Gregorius XIII. ejus Succeſſor, ex recitata ejus ſententia, hoc S. Pii V. conſtitutionis caput, ad jus divinum, & naturale pertinere, nullaque contraria conſuetudine, aut lege humana aboleri poſſe, declaravit. An contra fere innumeros Theologos, & Docto-

* Lege etiam ſententiam meam deſcribentem Greg. XIII.

Google

ctorem Angelicum, contra validiſſima rationum momenta, contra doctiſſimos Viros, quos Greg. XIII.* adhibuit, contra apertam Greg. XIII declarationem, contra Benedictum XIV., tuis cavillationibus jam penitus labefactatis, Theologum, cæterumque Romanum in medium proferre non dubitabis? Videlicet ubique terrarum verſatiles opinatores non deſunt, quorum eſt mores corrumpere; quique proinde non audiendi, ſed refellendi ſunt. Itaque, mi Stadelie, vehementer te hortor, & oro, ut tuam corruptam, malamque opinionem revoces, ne quantum in re eſt, impedimento ſis, quominus Sacri Miniſtri in eam fidenter invehantur. Cave, ne tu, aut qui tecum ſentire, contra hiſcere audeatis, ſi te eos abſolvere non poſſe dixerint, qui cenſum, de quo ſermo eſt, in poſterum inire volunt, aut antea initum reſcindere nolunt. Porro ut pœnitentes abſolutione digni ſint, ſatis non eſt, ſi contractus reſcindatur, ſed lucra omnia inde percepta reſtituenda ſunt; quia omnia injuſta, & fœnebria ſunt. Hinc ex Greg. XIII. *Ea retinere non licet*, & Bened. XIV. in ep. encycl. cit. ait: *Proinde ſi acceperit lucrum ex mutuo*, ut hic ſit, *reſtitutioni erit obnoxius*. Neque cum Stadelio p. 176. ex. 4. quis dicat, lucra bona fide percepta ab iis talem, qui doctiores facti non ſunt, retineri poſſe. Nam bona fides idem eſt, ac error invincibilis. At error, quo lucra percipi potuiſſe contrahentes putarunt, utpote qui ex corrupta, falſaque doctrina ortus, non eſt invincibilis, ſed vincibilis, imo facile vincibilis; quia facile inveniuntur pii Theologi, & Confeſſarii vera docentes ab iis, qui veritatem, & animæ ſalutem ex animo quærunt. At homines non veritatem, ſed fucum amant, & Doctores ſuæ cupiditati faventes, & cæcos conſulunt; in quos illud Chriſti Matth. 15. 14. cadit: *Cæcus autem ſi cæco ducatum præſtet, ambo in foveam cadunt*. Ergo bona fides hic locum non habet. Hinc ſupradicti Pontifices Gregorius XIII., & Bened. XIV. reſtitutionem in hac ſpecie neceſſariam eſſe affirmant; quod affirmari non poſſet, ſi bona fides ab ea excuſaret. Itaque pœnitentes abſolvi non poſſunt, niſi eam faciant, aut relaxationem impetrent; quam impetrari ad eorum honeſtatem ex D. Thoma pertinet, qui ex pecunia accepta lucra fecere, & ad omnium divitum liberalitatem, & caritatem. Quare ſacrorum Miniſtrorum erit, auditores, & pœnitentes valde hortari, ut ad remittendas annuas penſiones, quas ex juris rigore repetere poſſent, faciles ſint, ne multi ex omiſſione reſtitutionis pereant. Quod ſi annuus quincunx ex legitimi lucri ceſſantis, aut damni emergentis titulo forte perceptus ſit, res in tuto eſt. At hoc ratum eſſe puto.

A D D E N D A

LOCIS INDICATIS.

PAG. 24. Animad. VII. col. 1. poſt ea verba, *cum fueris alibi, vivito ſicut ibi*, adde. Enim vero ſi SS. Auguſtinus, & Ambroſius ex ſcandalo colligerent, legum in peregrinis, & vagis inobſervantiam non abſolute, ſed ex ea hypotheſi, ſi ſcandalo ſit, criminoſam eſſe, idem per idem ridicule, & ſophiſtice probarent. Eorum enim ratio hujuſmodi eſſet. Si legum inobſervantia ſcandalo ſit; criminoſa eſt: ergo ſi ſcandalo ſit, criminoſa eſt. Quis audeat, tam vanum ſophiſma graviſſimis hiſce Patribus adſcribere? Ergo eorum illatio eſt abſoluta, & ratio hujuſmodi. Scandalo es, ſi morem Eccleſiæ, ad quam veneris, non ſerves: ergo inobſervantia eſt criminoſa. Illud *ſi cuiquam non vis eſſe ſcandalo*, idem ſonat, ac ſi dixerint, ſcandalo es, hoc eſt peccas.

P. 31. col. 1. Reſp. 3. 2. „ In Confeſſario hoc requiritur. 2. Ut ſit Magiſter ſive Doctor in Theologia, „ vel jure Canonico promotus in Academia " &c. Hoc ſumitur ex ſacræ Pœnitentiariæ litteris, in quibus ita ſcribi ſolet: ** *Diſcreto Viro Confeſſori, Magiſtro in Theologia, vel decretorum Doctori, ex approbatis ab Ordinario, per latorem præſentium ad infraſcripta ſpecialiter eligendo*. In Theologia Magiſter, ut habent litteræ S. Pœn., & Doctor, ut habet Bulemb., idem ſonant. Nam qui alicubi, ut in Curia Romana, & Sorbonenſi Academia Magiſtri in Theologia dicuntur, alibi puta Patavii, & in Germania, ut notat quoque Anacletus n. 441., Doctores in Theologia vocantur.

Ex hac doctrina Bul. ca. 5. ita colligit. „ Confeſſarius pro hac diſpenſatione eligi non poteſt, qui tantum eſt Doctor ordinis, vel profeſſor, vel licentiatus „ Theologiæ, " citatque Leymann, & Dianam; quæ ſententia teſte Anacleto p. 199. n. 443. communis eſt; quia verba ſacræ Pœnitentiariæ proprie accipienda ſunt, & tituli nonniſi ex publica legitima auctoritate proprie loquendo tribui poſſunt. At objiciunt, Licentiatos in doctrina, Doctoribus pares haberi, & in favorabilibus Doctorum nomine venire. Reſpondet Bul., „ id tantum intelligi de iis, quæ ratione exercitii, non quæ „ ratione dignitatis committuntur. " At poteſtas exequendi litteras Apoſtolicas committitur Doctoribus ratione dignitatis, ut colligitur ex cap. *Statutum* 11. tit. 3. lib. 1. in 6. Ergo hæc poteſtas Licentiatis non committitur. Enim vero, cum hic de Sacramenti valore agatur, qui contrarium ſentiunt, ne audiendi quidem ſunt. Porro ſupra dicta locum non habent, ſi litteræ ſacræ Pœnit. ad ſimplicem Confeſſarium, aut Parochum forte dirigantur.

P. 75. Animad. 1. in fine col. 2. ſcripſi. „ Angelica „ D. Thomæ doctrina, perſpicua eſt, a qua cave ne „ contrariæ opinationes te abducant. " Adde. Contraria Card. de Lugo opinatio, ab Innoc. XI. damnatur in 10. pro. Michaelis de Molinos, quæ ita habet. *Si propriis defectibus alios ſcandalizet, non eſt neceſſarium reflectere, dummodo non adſit voluntas ſcandalizandi; & ad proprios defectus non poſſe reflectere, gratia Dei eſt*. Prior pars propoſitionis damnatæ idem ſonat, ac opinio Card. de Lugo D. Thomæ repugnans.

Pag. 126. in fine Animad. 19.

Edita jam hac Animadverſione, monitus fui, P. Flavianum a Cimbria Scriptorem nuperrimum, & laxioris doctrinæ aſſeclam, qui me dignum exiſtimavit, quem inter celebres Theologos citaret, contrariam opinionem tom. 5. p. 175. ſecurum fuiſſe; quia apud Antoine citatam pro ea invenit Reginaldum, Suarez, Sanchez, S. Antoninum. Reſp. ita quidem Antoine p. 1. de Relig. cap. 4. q. 5. p. 192. At Concina Theol. tom. 3. p. 422. n. 5. Reginaldum cit. ejus lib. 1. n. 79., & S. Antoninum allatis ejus verbis ex p. 2. tit. 10 cap. 7. de perjurio §. 1. pro noſtra ſententia p. 425. n. 11. appellat; pro qua eodem teſte ſtant Cajet., Candidus, Filliuccius, Valent., Toletus, Covarr., Corduba, Puliatchus, Baſſæus, Sayrus, Medina, Leſſ., Bonac., Nat. Alex., Gener., Henricus a S. Ignatio, Wigand, Antoine. Si Theologorum auctoritate lis noſtra dijudicanda eſt, prior opinio non ſolum vincitur, ſed pene obruitur. Adde graviſſima momenta in Animadverſione allata, quibus ego certe repugnare non poſſum. At P. Flavianus rationem ſuæ opinionis affert. „ Ratio, inquit, deſumitur ex dictis, „ nempe plures conditiones dari, quæ excuſant jurantem ab obligatione implendi juramentum promiſſorium, quarum una eſt, ſi is, in cujus gratiam juratur, id remittat: atqui nullus cenſetur facile & „ rationabiliter velle obligare ſub gravi culpa ad præſtandam materiam levem, quam quis promiſit ſub juramento: ergo non erit peccatum mortale, materiam levem ſub juramento promiſſam non adimplere; idque tum ob tacitam remiſſionem alterius, in „ cujus favorem juravit, tum ob levitatem materiæ, „ utroque in ſimili etiam in votis excuſat. "

Reſp. Amiciſſimo animo, mi P. Flaviane, agimus, ut qui veritatem ſincere quærimus; at tua argumentatio, ut tu ipſe eam attente recolens fateberis, captioſa, & involuta eſt; licet prima fronte alios capere, ut te cœpit, poſſit. Tua propoſitio vera eſt, quam docet D. Th. a me citatus pag. 159. col. 1. litt. (c), at, ſi recte ratiocinari velis, nec medium terminum mutare, hanc aſſumptionem poſtulat: *atqui is, in cujus gratiam juratur, juramentum de re levi remittit*: *ergo* (hæc eſt legitima conſecutio) *juramentum de re levi non obligat*. Hanc ne conſecutionem admittis? Minime vero gentium; quia tale juramentum obligare fateris, at ſub levi culpa. Tua aſſumptio, quam tu, & lector conſideret, hanc propoſitionem exigit. Juramentum non obligat, niſi prout is vult, in cujus gratiam juratur: *Atqui nullus cenſetur* &c. *ergo non erit peccatum mortale* &c.; at propoſitum hujus alterius argumentationis aperte falſa eſt. Nec enim juramenti obligatio ab eo pen-

* Concina Theol. t. 7. p. 374. §. 2. n. 1.
** Apud Anacletum tom. 4. juris Can. in Append. §. 9. n. 439. pag. 198.

det, in cujus favorem jurator, ſed ab ipſa ſui natura, & divini aſſumpti nominis reverentia. Is, in cujus gratiam juratur, juramenti vinculum ſolvere poteſt; at hoc vinculum impedire non poteſt; nec illud, quod ex natura ſua graviſſimum eſt, leve, rerum naturam immutando, efficere valet. Paritas a voto ſumpta te ipſo p. 401. 402. teſte nulla eſt; „ quia, inquis, in omni perjurio etiam circa rem levem deliberate commiſſo intervenerit tota malitia perjurii, dum Deus adducitur in teſtem falſitatis. Secus eſt in voto circa materiam levem violato, ubi proinde excuſat levitas materiæ non minus ac in furto. " Videlicet niſi adverſarii evincant, juramenti in re levi violationem, non eſſe perjurium, aerem verberant; at hoc fruſtra conantur. Nam quod apud Antoine loco cit. dicunt, hominem teſtem promiſſionis aſſumptum, ad falſum teſtandum non induci, ſi promiſſum poſtea non ſervetur; idemque idem eſſe dicendum, ſi Deus promiſſionis, quæ poſt violatur, teſtis aſſumatur; id nihil eſt. Nam homo teſtis eſt promiſſionis tantum, non executionis; at Deus utriuſque. Juras e. g., te mihi daturum duo, quæ poſt non das, nonne aperte perjurus es? Non enim juras, te promittere, quod eſſet inane, aut te ex animo promittere, ſed juras, te reipſa daturum: ergo ſi reipſa non des, perjurus es. Quis hoc, ſi rem attente perpendit, inficiari poteſt?

P. 193 art. 4. ca. 3. Buſ. ait. „ Si virginem importunis precibus flexit, nihil tenetur reſtituere, quia adhuc conſentit libere: " Reſp. Pro hac opinione unum Truil. Buſ. citat. Ejus rationi reſpondeo, virginem quidem libere conſentire; at ejus conſenſus eo ipſo, quia importunis precibus extortus fuit, per injuriam fuit extortus: ipſa enim importunitas, injuria eſt: ſed damna per injuriam illata, reſtituenda ſunt: ergo damna illata virgini, quam quia importunis precibus flexit, reparanda ſunt. Buſemb. recte addit, precum importunitatem a viro magnæ auctoritatis, aut domini protectum, reſtitutionis debitum inferre. Ac nonne in hac quoque ſpecie virgo libere conſentit? Cur ergo reſtitutio facienda eſt? Quia ſcilicet conſenſus per injuriam extorquetur. Diſcrimen eſt, inquis, inter hanc, & priorem ſpeciem; quia injuria hic coacto ex Buſ. æquiparatur, non item in ſpecie priori. Reſp. Hoc eſt injuria hic major eſt, in ſpecie priori minor. An quia ibi injuria minor eſt, a reſtitutione libera? Damnum ſcilicet per injuriam, quæcumque ea ſit, illatum jure reſtituendum eſt. Hinc Greg. IX. cap. 9. lib. 5 decr. tit. 36. ait *Si culpa tua datum eſt damnum, vel injuria irrogata &c., jure ſuper his ſatisfacere te oportet*. D. Th. 2. 2. q. 32 a. 7 ad 2. ait, quod *videtur eſſe illicitum ex divino jure; quod aliquis trahat alium ex cupiditate lucrandi ad ludum, & quod fraudulenter ab eo lucretur, & in his caſibus tenetur ad reſtitutionem*. Ergo pari ratione ad reſtitutionem tenetur, qui virginem ad ſtuprum trahit. Conſule Animad. 48. in cap. 3 tract. 5 lib. 3. p. 238. Quod enim ibi de reſtitutione ab eo facienda, qui nimia importunitate alium ad ludum pertraxit, dicitur, idem in præcenti ſpecie dicendum eſt.

P. 243. dub. 1. ca 6. „ Pupillus pubertati proximus obligare quidem ſibi poteſt alium, ſed non ſe alteri, ſaltem civiliter. " Et quia civiliter non poteſt, ne quoad conſcientiam quidem ſe alteri obligare valet; quia civiles leges a proprio Principe, ſeu Tribunalium uſu probitæ, vim legum conſcientiam obligantium habent. Vide Animad. 4. pag. 224

P. 276. dub. 1 cap. 4 „ Etſi Papa in votis ſolemnibus Religioſis diſpenſare poſſit, ut quis deſinat eſſe religioſus &c."

Id ego ſilentio præterii in prima editione, quia improbandum mihi viſum non fuit, ſed probandum. Novi equidem, D. Thomam 2. 2. q. 88. a. 11. inter cætera dicere: *Papa non poteſt facere, quod ille, qui eſt profeſſus religionem, non ſit religioſus; licet quidam Juriſtæ ignoranter contrarium dicant*.

At hoc contrarium teſte Wigand tract. 10. ex. 3. n. 47. pag. 415. idem S. Doctor aliquando docuit in 4. q. 1. a. 4. q. 1. ad 3. Hinc D. Thomæ junioris ſententiam ſequuntur *communiter Canoniſtæ, & fere omnes Theologi*, ait Bonac. tom. 2. diſp. 4. q. 2 § 4. n. 22. p. 470. *Ratio eſt*, inquit, *tum quia poteſt diſpenſare in voto ſimplici caſtitatis: ergo poteſt etiam in ſolemni, cum ſolemnitas dependeat a conſtitutione Eccleſiæ* Hujus rationis antecedens certum eſt; conſequentia legitima, quia certum eſt, Summum Pontificem in Eccleſiæ conſtitutionibus diſpenſare poſſe, & ruſus certum eſt, ſolemnitatem voti in Religionis profeſſione, voto ſimplici nihil addere, niſi Eccleſiæ, ſeu Summi Pontificis conſtitutionem, religioſa vota approbantem. *Tum quia*, addit Bonac., *de facto diſpenſatum fuit cum aliquibus, ut cum Nicolao Juſtiniano Monacho, cum Rege Aragoniæ, & aliis*. Hoc idem ſeſtatur Anacletus tom. 3. juris can. p. 500. n. 11. q. 2., & patere ait ex variis hiſtoriis, quarum aliquas refert Rodriquez. Porro ex facto Summorum Pontificum, eorum poteſtas recte colligitur, ne eos temere diſpenſaſſe non ſine temeritate dicere cogamur. Hinc Vera-Crux a Bened. XIV. de Syn. lib. 7. cap. 7. n. 7. citatus, & probatus inquit. „ De Pontificis poteſtate, poſtquam diſpenſavit, dubitare, inſtar ſacrilegii eſt. Eſſet enim Chriſto quaſi exprobrare, quod non ſatis Eccleſiæ ſuæ providiſſet. "

At adverſarii objiciunt cap. *Cum ad monaſterium* tit. 35. lib. 3. decr., ubi Innoc. 3. ita loquitur. *Abdicatio proprietatis ſicut & cuſtodia caſtitatis adeo annexa eſt regulæ Monachali, ut contra eam nec Summus Pontifex poſſit licentiam indulgere*. Reſp. Cur Summus Pontifex contra eam licentiam indulgere non poteſt? quia *adeo annexa eſt regulæ Monachali*, hoc eſt propter nexum cum regula, ſeu voto Monachali, qui indiſſolubilis eſt. Hæc vero perinde ſonat, ac ſi dixerit, Pontificem in proprietate, & caſtitate cum Monacho diſpenſare non poſſe, quamdiu Monachus eſt, ſeu manente voto Monachali, ſeu, ut ſchola loquitur, in ſenſu compoſito; at non ait, Pontificem in regula, ſeu voto Monachali diſpenſare non poſſe. Hanc eſſe genuinam dictorum verborum intelligentiam, verba quoque proxime præcedentia aperte indicant, quæ ſunt hujuſmodi. *Nec æſtimet Abbas, quod ſuper habenda proprietate poſſit cum aliquo Monacho diſpenſare*; tum ſtatim ſubdit, *quia abdicatio proprietatis* &c. Illud *quia abdicatio* &c. eſt ratio Pontificiæ aſſertionis: *nec æſtimet Abbas* &c., ideoque poſteriora verba eodem ſenſu, ac priora accipienda ſunt. At priora verba ſine ulla dubitatione intelligenda ſunt de Monacho, qui Monachus eſt, ſeu in ſenſu compoſito: ergo etiam poſteriora. Hinc gloſſa in hunc locum, quam appellat Anacl. loco cit. inquit. *Papa non poteſt diſpenſare, ut Monachus habeat proprietatem, exiſtendo Monachus; ſed de Monacho poteſt facere non Monachum*.

P. 277. dub. 3. ca. 7. „ Religioſus Societatis Jeſu peccat mortaliter, ſi non adhibet diligentiam in cavendis defectibus, ob quos ſe dimittendum, vel ejiciendum prævidet; " (recte) „ & licet ita dimiſſus ſit liber in conſcientia &c. " hic ſcilicet receptionem ad ordinem petere tenetur, ut evinco Animad. 26. in hoc cap. p. 287. lege etiam Animad. 27. 28. Hic ſermo eſt de religioſis, qui ſolemnia, non autem ſolum ſimplicia vota emiſerunt; de quibus Buſ. ca. 8. & Bened. XIV. de Syn. lib. 13. cap. 11. n. 22.

Eadem pag. 277. dub. 4. in fine ca. 2. „ Ad monaſterium vero omnia alia pertinent, quæ aliunde, quam ex beneficio acquiruntur, niſi ex conſuetudine cedant Eccleſiæ. Nav., Azor. Laym. l. c. vide Trid. ſeſſ. 25. cap. de Regul. " Reſp. Tridentinum loco a Buſ. cit. nihil hac de re habet. Laym. l. c., hoc eſt lib. 4. tract. 5. cap. 7. n. 16. ita quidem ſentit; at ſubdit. „ Nav., Sanch., Azor. dicunt, ea, quæ proprio labore, arte, aut donatione beneficiatus regularis acquirit, pertinere ad beneficium, ſeu eccleſiam, cui ſervit, non ad Monaſterium: " Nav. ergo, & Azor., ſi Laymanno credimus, contra ſentiunt, ac iis Buſ. attingit; quorum ſententia ex D. Thoma, & cap. *Statutum*, quorum verba lege hic animad. 1. pag. 281., quoad Epiſcopos certa eſt. Ergo idem dicendum de Regularibus ad parœcias, aut alia beneficia aſſumptis. Eſt enim eadem prorſus ratio in his, ac in regularibus Epiſcopis. At Laym. illam regulam nobis objicit, *quidquid regularis acquirit, Monaſterio ſuo acquirit*. Reſp. ſi *quidquid regularis acquirit, Monaſterio ſuo acquirit*, ergo etiam quæ ex beneficio acquirit, ſuo Monaſterio acquirit; quod eſt contra ipſum Buſ. & Laym. Ergo hæc ratio, cum nimis probet, nihil probat. Quare illa regula intelligenda eſt de Regulari, ut Logici ajunt, reduplicative, hoc eſt quatenus eſt Regularis, non quatenus beneficiarius. Præterea ſi dicta regula accipiatur, ut ſonat, ad Regulares quoque Epiſcopos pertinet. Minime, inquit Laym., quia obſtat cap. *Statutum*, quod eſt generalis regulæ exceptio. At ſi cap. *ſtatutum* Regulares Epiſcopos explicite excipit, omnes Regulares beneficiatos implicite excipit ex mox dictis. Porro regula ad cap. *Statutum* exigenda eſt, non caput *ſtatutum*, unde regulæ ſumendæ ſunt, ad regulam. Nimirum dicta regula ex eo canonico dogmate dicta eſt, quod regularis nihil proprium habere poteſt; hinc enim fit, ut quidquid regularis acquirit, non ſibi, ſed ſuo monaſterio acquirat, ſi videlicet eccleſiaſticum beneficium non obtinuerit. At ſi hoc conſecutus fuerit, hic regula locum nullum habet. Lege etiam, ſi lubet, cap. 3. n. 4. lib. 4. vitæ D. Auguſtini tom. 11. col. 156. 157. 158.

Pag. 278. col. 1. ca. 5. „ Contra votum paupertatis peccas, ſi quid ex rebus in uſum tuum conceſſis, in alium uſum expendas, " (recte), „ aut culpabiliter amittas, vel deſtruas *lata culpa*. " Cur Buſ. addit *lata culpa*? an ſi ex culpa levi eas amittat, aut deſtruat, contra votum paupertatis religioſus non peccat?

Eas

Eas videlicet religioſus accipit in ſuum commodum: ergo ex quacumque culpa etiam leviſſima eas amittat, aut deſtruat, peccat. At ſi eas accipiat in commodum non ſolum ſuum, ſed etiam Religionis; quia Religio eas non conceſſit, niſi quia Religionis quoque neceſſitas, aut utilitas id poſtulavit, nihilominus ex culpa etiam levi, peccati reus eſt. Quoniam vero reſtitutio hic locum non habet, religioſus factum confitebitur, & pœnitens a Confeſſario abſolvetur.

Eadem pag. 278. ca. 6. „ nec procuratores, œconomi, adminiſtratores Prælati inferiores quicquam poſſunt expendere, contra quam regula ordinis, voluntas Superiorum, vel conſuetudo poſtulat. “

Recte quidem, ſi vis. At voluntas Superiorum, aut etiam ſupremorum Prælatorum, regulæ ſubdita, licentiam contra hanc dare non poteſt: conſuetudo vero regulæ contraria, genuina corruptela eſt. Regulares enim ordinem profeſſi ſunt juxta regulam, non juxta conſuetudinem, ſeu uſum regulæ contrarium. Vide animad. 6. 7. 8. in hoc capite.

P. 293. col. 1. Reſp. „ adde, quod qui eo utitur, ne „ in choro quidem obligetur ad pſalmos pœnitentiales, „ graduales, officium Defunctorum, excepto die animarum. Officium tamen B. V. in choro recitari debet, „ ubi eſt conſuetudo. Ita Fill., & Bonac. ex Bulla Pii „ V., & Clem. VIII. “ Equidem in Cal. P. leeo, *Recitantibus off. B. M.V., Def., Pſ.grad., & pœnit. S. Pius V P. M. conceſſit indulgentias, ut in ejus bulla. Si quis tamen extra chorum talia officia, vel Pſ. Prætermiſerit, non peccabit*; quaſi vero ea in choro omittentes, peccent. At recte Buſ. citatis Fill., & Bon. Nam Bulla S. Pii V. *quod a nobis*, 10. Maji 1602 Breviario præfixa, ita habet. *Jubemus igitur omnes, & ſingulos Patriarchas &c., ut omiſſis &c. tam ipſi quam cæteri omnes Presbyteri, & Clerici &c. ex hujus noſtri Breviarii formula, tam in Choro, quam extra illum* Officium *dicere, & pſallere procurent*. Tum addit: *quod vero in rubricis aſſeri hujus offi ii præſcribitur, quibus diebus officium B. M. ſemper Virginis, & Defunctorum, item ſeptem Pſalmos pænitentiales, & graduales dici, ac pſalli oporteat, nos propter varia hujus vitæ negotia, multorum occupationibus indulgentes peccati quidem periculum ab ea præſcriptione removendum duximus &c.*

Tum priora verba *tam in choro, quam extra illum* explicate, cum poſteriora *quod vero in rubricis &c.* indefinite enunciata, & prioribus proxime connexa, de officio non ſolum extra chorum, ſed etiam in choro loquuntur; &, ego ſentio, ſine dubitatione a peccato liberant omittentes officium B. V. defunctorum &c. Recte autem addit Buſ. „ officium tamen. B. V. in choro „ recitari debet, ubi eſt conſuetudo; “ quia ita explicate habet apellata S. Pii V. conſtitutio.

P. 294. col. 1. in fine n. 4 „ diviſio autem Maturini „ a laudibus non dicis interruptione cantico; unde privatim fieri poteſt ſine cantico Dom. &c. “

Hæc eſt, inquit Concina Theol. tom. 2. p. 368. n. 9., communior ſententia, & probabilior, quam ego, prout mihi commodum eſt, quoad praxim ſecutus, & ſecuturus ſum. Idenim, inquit idem P. Concina, „ ex primæva inſtitutione ſemper licuit, nullaque ratio occurrit, cur „ id nunc non liceat, potiſſimum extra chorum. “ Addit potiſſimum extra chorum, quia in choro obſtare forte poteſt conſuetudo. In hac porro ſeparatione, in fina Maturini recitanda eſt collecta illius diei, ut facit Eccleſia in nocte Nativitatis Domini; & initio Lsudum *Pater noſter*.

Eadem pag. 294. n. 5. „ quod ſi autem &c. v.g. ut amico ... qui tecum legere cupit, ſatisfacias, nullum „ erit peccatum. “ Hic cum Concina Theol. t. 2. p. 486. n. 5. lubenter adderem, *ſi tamen amicus tali egeat ſocietate*. Vix amicus eſſe poteſt, qui ſine ulla indigentia a te poſtulat, ut horarum ordinem in ſui gratiam invertas, quaſi eum plus, quam ordo ab Eccleſia præſcriptus, facere debeas.

P. 301. in fine animad. 11. Hinc Bened. XIII. in conc. Rom. tit. 16. cap. 6. *omnibus & ſingulis Parochis, & animarum Rectoribus* præcipit, *ne ultra biduum abſque Epiſcopi, ſive ejus Vicarii generalis licentia in ſcriptis, & gratis concedenda, idoneo tamen œconomo relicto, ab epiſcopali Curia approbato, ullatenus ab illorum parochiali ſtatione diſcedant*.

P. 350. in fine animad. VIII.

Hic mihi cum recenti Scriptore tract. 2. de pecc. cap. 1. ſol. 70. n. 14. fruſtra objiceretur, deſideria conditionata eſſe de objectis, ſeu actibus malis *ab intrinſeco, itaut nequeant a malitia expoliari, ſalva eorum conſiſtentia; igitur cum impoſſibile ſit, non eſſe mala, affectus in illa tendens ſub conditione impoſſibili, ſemper eſt malus, quia juxta regulam juris, conditio impoſſibilis reputatur non poſita*. Id inquam fruſtra mihi objiceretur. Nam non ſolum actus mali, de quibus ſermo nobis eſt, ſua malitia expoliari nequeunt, ut ait auctor, ſed ne intellectus quidem præciſione, ea exui poſſunt, ut ego explicui in ea animad. p. 349. illis verbis: *abſtractio ſeu præciſio malitiæ* ab actu &c.; at falſum eſt, deſiderium ſeu affectum ſub conditione impoſſibili in eos actus tendere, ut declaravi p. 350. cum ſcripſi. *Verum qui ſub conditione impoſſibili* &c. Regula juris, ſeu vulgatum illud dictum *conditio impoſſibilis reputatur non poſita*, ab re eſt; quia locum ſolum habet in ſponſalibus, Matrimonio, aliiſque contractibus, ut legitur apud Anacletum tom. 3. juris can. pag. 410. n. 441., & tom. 4. p. 75. n. 10. Lege etiam, ſi vis, meam animad. 7. in cap. 2. tract. 6. lib. 6 Ratio adverſarii oſtendit, deſideria abſoluta res graviter malæ, a letali culpa per abſtractionem non excuſari, ſicuti ego quoque evici eadem animad. 8. & 9. ſequenti; non item deſideria conditionata, de quibus nunc agimus.

P 359. dub. 1. Reſp. 2. in fine n. 2. ait. „ denique „ ſi moderate honor appetatur ob honeſtum finem, erit „ actus magnanimitatis, ut docet Lay n., “ ſi videlicet honor magnus ſit. *Nam propria materia magnanimitatis*, ut ait D. Th. 2 2. q. 29. a. 2. *eſt magnus honor, & ad ea tendit magnanimus, quæ ſunt magno honore digna*. Nam ſi honor mediocris moderate appetatur, ex eodem S. Doct. ibidem eſt actus alterius virtutis, quæ nomine vacat. Idem docet Ariſt. Eth. 4. cap. 3., & 4.

P. 379. in fine Animad. 6. Lector hic recolat verba D. Th. ex ſuppl. ſumpta, ubi ait: *ſicut autem eſſet, ſi in aliqua neceſſitate aliquod ſacrum contingerent, vel exequeretur in illo caſu, in quo etiam laicis liceret &c.* Hinc enim ex mente S. Doctoris fieri videtur, ut Clerici majores, eas functiones exercentes, quæ etiam laicis permiſſæ ſunt, ut Eccleſiæ claves cuſtodire, eam aperire, & claudere, campanas pulſare, ampullas vini, & aquæ ad ſacrificium præparare, & cætera hujuſmodi, mortaliter non peccent, etiamſi mortalis peccati conſcii ſint. In hac enim ſpecie dici haud immerito poteſt, Clericos non facere ea, quæ ſibi competunt ex ordine, cum ea facere poſſent, etiamſi ordine initiati non eſſent.

P. 380. dub. 1. ca. 3. „ Invalidum eſt Sacramentum, „ 1. quod quis ſuſcipit cum intentione neutrali, habens ſe negative. 2. Quod ſuſcipit ficte, ideſt ſimulate; non tamen quod ficte, ideſt indiſpoſite. 3. Quod „ per metum vim animo omnino repugnante ſuſcipitur. „ Bon. l. c. “

Reſp. de tertia ſpecie non eſt dubitandum; quia Innoc. IV. cap. 3. *majores* t. t. 42. lib. 3. decr. ait, quod *eſt Religioni chriſtianæ contrarium, ut ſemper invitus, & penitus contradicens, ad recipiendam, & ſervandam Chriſtianitatem compellatur*. Quoda ait Bul. ſil um eſt. Nam Innoc. ibidem ita loqui pergit. *Propter quod inter invitum, & invitum, coactum, & coactum, alii non abſurde diſtinguunt, quod is, qui terroribus atque ſuppliciis violenter attrahitur, & ne detrimentum incurrat, baptiſmi ſuſcipit Sacramentum, talis (ſicut & is, qui ficte ad baptiſmum accedit) characterem ſuſcipit Chriſtianitatis impreſſum, & ipſe tanquam conditionaliter volens, licet abſolute non velit, cogendus eſt ad obſervantiam fidei Chriſtianæ*. His verbis confirmatur, quod habet Bul. ca. hic 4. „ 2. Quod quis per metum „ coactus ſuſcipit &c. “ Et refellitur, quod ca. 3. affirmat, invalidum eſſe Sacramentum 2. „ quod quis ſuſcipit ficte, ideſt ſimulate. “ Nam illud *ficte* Innoc. idem eſt ac ſimulate; cum ſupra dixerit, quod *non ſolum parvuli, qui non conſentiunt, ſed & ficti, qui quamvis non ore, corde tamen diſſentiunt, recipiunt Sacramentum*. Idem habet D. Th p. 3. q. 68. a. 10., ubi ait, quod *quando aliquis baptizatur, accipit characterem, quaſi formam, & conſequitur proprium effectum, qui eſt gratia remittens omnia peccata. Impeditur autem quandoque per fictionem. Unde oportet, quod remota ea per pænitentiam, baptiſmus ſtatim conſequatur ſuum effectum*. Porro illud S. D. *per fictionem*, idem eſt, ac per ſimulationem; nam a. 9. ait. *Dicitur autem aliquis fictus per hoc, quod voluntas ejus contradicit vel baptiſmo, vel ejus effectui*. At hic mihi objicis S. Doct. eum, qui q. cit. 68. ad 2. ait, *quod ſi in adulto deeſſet intentio ſuſcipiendi ſacramentum, eſſet rebaptizandus*. Reſp. ficto non deeſt intentio ſuſcipiendi Sacramentum, cum ſciens, & volens illud ſuſcipiat, licet Sacramentum, aut ejus effectus voluntati ejuſdem non congruat, ſed adverſetur; eſt enim, ut loquitur Innoc. IV. *conditionaliter volens, licet abſolute non velit*.

At, inquis, eſt ne invalidum Sacramentum, quod quis ſuſcipit cum intentione neutrali, habens ſe negative, ſicuti ait Bul. hic 1.?

Reſp. ſi fictus, qui Sacramento ex Innoc. IV., & D. Th. repugnat, iiſdem docentibus Sacramentum quoad characterem valide ſuſcipit; multo magis illud valide ſuſcipit, qui ei non repugnat, uti eſt, qui cum intentione neutrali, negative ſe habens, Sacramentum recipit. Hic ſcilicet indifferens eſt, facit, ut vis, ſeu ut

alia

der, in cujus favorem juratur, ſed ab ipſa ſui natura, & divini aſſumpti nominis reverentia. Is, in cujus gratiam juratur, juramenti vinculum ſolvere poteſt; at hoc vinculum impedire non poteſt, nec illud, quod ex natura ſua graviſſimum eſt, leve, rerum naturam immutando, efficere valet. Paritas a voto ſumpta te ipſo p. 401. 402. teſte nulla eſt; „ quia, inquis, in omni „ perjurio etiam circa rem levem deliberate commiſſo „ intervenerit tota malitia perjurii, dum Deus adducitur in teſtem falſitatis. Secus eſt in voto circa materiam levem violato, ubi proinde excuſat levitas „ materiæ non minus ac in furto. “ Videlicet niſi adverſarii evincant, juramenti in re levi violationem, non eſſe perjurium, aerem verberant; at hoc fruſtra conantur. Nam quod apud Antoine loco cit. dicunt, hominem teſtem promiſſionis aſſumptum, ad falſum teſtandum non induci, ſi promiſſum poſtea non ſervetur; idemque idem eſſe dicendum, ſi Deus promiſſionis, quæ poſt violatur, teſtis aſſumatur; id nihil eſt. Nam homo teſtis eſt promiſſionis tantum, non executionis; at Deus utriuſque. Juras e. g., te mihi daturum duo, quæ poſt non das, nonne aperte perjurus es? Non enim juras, te promittere, quod eſſet inane, aut te ex animo promittere, ſed juras, te ipſa daturum: ergo ſi reipſa non des, perjurus es. Quis hoc, ſi rem attente perpendat, inficiari poteſt?

P. 193 art. 4. ca. 3. Buſ. ait. „ Si virginem importunis precibus flexit, nihil tenetur reſtituere, „ quia adhuc conſenſit libere: “ Reſp. Pro hac opinione unum Truil. Buſ. citat. Ejus rationi reſpondeo, virginem quidem libere conſentire; at ejus conſenſus eo ipſo, quia importunis precibus extortus fuit, per injuriam fuit extortus: ipſa enim importunitas, injuria eſt: ſed damna per injuriam illata, reſtituenda ſunt: ergo damna illata virgini, quam quis importunis precibus flexit, reparanda ſunt. Buſemb. recte addit, precum importunitatem a viro magnæ auctoritatis, aut domino profectam, reſtitutionis debitum inferre. At nonne in hac quoque ſpecie virgo libere conſentit? Cur ergo reſtitutio facienda eſt? Quia ſcilicet conſenſus per injuriam extorquetur. Diſcrimen eſt, inquis, inter hanc, & priorem ſpeciem; quia injuria hic coactioni ex Buſ. æquiparatur, non item in ſpecie priori. Reſp. Hæc eſt injuria hic major eſt, in ſpecie priori minor. An quia ibi injuria minor eſt, a reſtitutione liberat? Damnum ſcilicet per injuriam, quæcumque ea ſit, illatum jure reſtituendum eſt. Hinc Greg. IX. cap. 9. lib. 5 decr. tit 36 ait *Si culpa tua datum eſt damnum, vel injuria irrogata &c., jure ſuper his ſatisfacere te oportet*. D. Th. 2. 2. q. 32 a. 7 ad 2. ait, quod *videtur eſſe illicitum ex divino jure; quod aliquis trahat alium ex cupiditate lucrandi ad ludum, & quod fraudulenter ab eo lucretur, & in his caſibus tenetur ad reſtitutionem*. Ergo pari ratione ad reſtitutionem tenetur, qui virginem ad ſtuprum trahit. Conſule Animad. 48. in cap. 3 tract. 5 lib. 3. p. 238. Quod enim ibi de reſtitutione ab eo facienda, qui nimia importunitate alium ad luſum pertraxit, dicitur, idem in præſenti ſpecie dicendum eſt.

P. 243. dub. 1. ca 6 „ Pupillus pubertati proximus „ obligare quidem ſibi poteſt alium, ſed non ſe alteri, „ ſaltem civiliter. “ Et quia civiliter non poteſt, ne quoad conſcientiam quidem ſe alteri obligare valet; quia civiles leges a proprio Principe, ſeu Tribunalium uſu probitæ, vim legum in conſcientiam obligantium habent. Vide Animad. 4. pag. 224

P 276. dub. 1 cap. 4 „ Etſi Papa in votis ſolemnibus Religiosis diſpenſare poſſit, ut quis deſinat eſſe religioſus &c.“

Id ego ſilentio præterii in prima editione, quia improbandum mihi viſum non fuit, ſed probandum. Novi equidem, D. Thomam 2. 2. q. 88. a. XI. inter cætera dicere: *Papa non poteſt facere, quod ille, qui eſt profeſſus religionem, non ſit religioſus; licet quidam Juriſtæ ignoranter contrarium dicant*.

At hoc contrarium teſte Wigand tract. 10. ex. 3. n. 47. pag. 411. idem S. Doctor aliquando docuit in 4. q. 1. a. 4. q. 1. ad 3. Hinc D. Thomæ junioris ſententiam ſequuntur *communiter Canoniſtæ, & fere omnes Theologi*, ait Bonac. tom. 2. diſp. 4. q. 2 §. 4. n. 22. p. 270. *Ratio eſt*, inquit, *tum quia poteſt diſpenſare in voto ſimplici caſtitatis: ergo poteſt etiam in ſolemni, cum ſolemnitas dependeat a conſtitutione Eccleſiæ*. Hujus rationis antecedens certum eſt; conſequentia legitima, quia certum eſt, Summum Pontificem in Eccleſiæ conſtitutionibus diſpenſare poſſe, & rurſus certum eſt, ſolemnitatem voti in Religioſa profeſſione, voto ſimplici nihil addere, niſi Eccleſiæ, ſeu Summi Pontificis conſtitutionem, religioſa vota approbantem. *Tum quia*, addit Bonac., *de facto diſpenſatum fuit cum aliquibus, ut cum Nicolao Juſtiniano Monacho, cum Rege Aragoniæ, & aliis*. Hoc idem teſtatur Anacletus tom. 3. juris can. p. 500. n. XI. q. 2., & patere ait ex variis hiſtoriis, quarum aliquas refert Rodriquez. Porro ex facto Summorum Pontificum, eorum poteſtas recte colligitur, ne eos temere diſpenſaſſe non ſine temeritate dicere cogamur. Hinc Vera-Crux a Bened. XIV. de Syn. lib. 7. cap. 7. n 7. citatus, & probatus inquit. „ De „ Pontificis poteſtate, poſtquam diſpenſavit, dubitare, „ inſtar ſacrilegii eſt. Eſſet enim Chriſto quaſi exprobrare, quod non ſatis Eccleſiæ ſuæ providiſſet. “

At adverſarii objiciunt cap. *Cum ad monaſterium* tit. 35. lib. 3. decr., ubi Innoc. 3. ita loquitur. *Abdicatio proprietatis ſicut & cuſtodia caſtitatis adeo annexa eſt regulæ Monachali, ut contra eam nec Summus Pontifex poſſit licentiam indulgere*. Reſp. Cur Summus Pontifex contra eam licentiam indulgere non poteſt? quia *adeo annexa eſt regulæ Monachali*, hoc eſt propter nexum cum regula, ſeu voto Monachali, qui indiſſolubilis eſt. Hoc vero perinde ſonat, ac ſi dixerit, Pontificem in proprietate, & caſtitate cum Monacho diſpenſare non poſſe, quamdiu Monachus eſt, ſeu manente voto Monachali, ſeu, ut ſchola loquitur, in ſenſu compoſito; at non ait, Pontificem in regula, ſeu voto Monachali diſpenſare non poſſe. Hanc eſſe genuinam dictorum verborum intelligentiam, verba quoque proxime præcedentia aperte indicant, quæ ſunt hujuſmodi. *Nec æſtimet Abbas, quod ſuper habenda proprietate poſſit cum aliquo Monacho diſpenſare*; tum ſtatim ſubdit, *quia abdicatia proprietatis* &c. Illud *quia abdicatia* &c. eſt ratio Pontificiæ aſſertionis: *nec æſtimet Abbas* &c., ideoque poſteriora verba eodem ſenſu, ac priora accipienda ſunt. At priora verba ſine ulla dubitatione intelligenda ſunt de Monacho, qui Monachus eſt, ſeu in ſenſu compoſito: ergo etiam poſteriora. Hinc gloſſa in hunc locum, quam appellat Anacl. loco cit. inquit. *Papa non poteſt diſpenſare, ut Monachus habeat proprietatem, exiſtendo Monachus; ſed de Monacho poteſt facere non Monachum*.

P. 277. dub. 3. ca. 7. „ Religioſus Societatis Jeſu peccat mortaliter, ſi non adhibet diligentiam in cavendis defectibus, ob quos ſ. dimittendum, vel ejiciendum prævidet; “ (recte) „ & licet ita dimiſſus ſit „ liber in conſcientia &c. “ hic ſcilicet receptionem ad ordinem petere tenetur, ut evincu Animad. 26. in hoc cap. p. 287. lege etiam Animad. 27. 28. Hic ſermo eſt de religioſis, qui ſolemnia, non autem ſolum ſimplicia vota emiſerunt; de quibus Buſ. ca. 8. & Bened. XIV. de Syn. lib. 13. cap. XI. n. 22.

Eadem pag. 277. dub. 4. in fine ca. 2. „ Ad monaſterium vero omnia alia pertinent, quæ aliunde, „ quam ex beneficio acquiruntur, niſi ex conſuetudine „ cedant Eccleſiæ. Nav., Azor. Laym. l. c. vide Trid. „ ſeſſ. 25. cap. de Regul. “ Reſp. Tridentinum loco a Buſ. cit. nihil hac de re habet. Laym. l. c., hoc eſt lib. 4 tract. 5. cap. 7. n. 16. ita quidem ſentit; at ſubdit. „ Nav., Sanch., Azor. dicunt, ea, quæ proprio „ labore, arte, aut donatione beneficiarius regularis „ acquirit, pertinere ad beneficium, ſeu eccleſiam, cui „ ſervit, non ad Monaſterium: “ Nav. ergo, & Azor., ſi Laymanno credimus, contra ſentiunt, ac iis Buſ. adhæret, quorum ſententia ex D. Thoma, & cap. *Statutum*, quorum verba lege hic animad. 1. pag. 281., quoad Epiſcopos certa eſt. Ergo idem dicendum de Regularibus ad paræcias, aut alia beneficia aſſumptis. Eſt enim eadem prorſus ratio in his, ac in regularibus Epiſcopis. At Laym. illam regulam nobis objicit, *quidquid regularis acquirit, Monaſterio ſuo acquirit*. Reſp. ſi *quidquid regularis acquirit, Monaſterio ſuo acquirit*, ergo etiam quæ ex beneficio acquirit, ſuo Monaſterio acquirit; quod eſt contra ipſum Buſ. & Laym. Ergo hæc ratio, cum nimis probet, nihil probat. Quare illa regula intelligenda eſt de Regulari, ut Logici ajunt, reduplicative, hoc eſt quatenus eſt Regularis, non quatenus beneficiarius. Præterea ſi dicta regula accipiatur, ut ſonat, ad Regulares quoque Epiſcopos pertinet. Minime, inquit Laym., quia obſtat cap. *Statutum*, quod eſt generalis regulæ exceptio. At ſi cap. *ſtatutum* Regulares Epiſcopos explicate excipit, omnes Regulares beneficiarios implicite excipit ex mox dictis. Porro regula ad cap. *Statutum* exigenda eſt, non caput *ſtatutum*, unde regulæ ſumendæ ſunt, ad regulam. Nimirum dicta regula ex eo canonico dogmate ducta eſt, quod regularis nihil proprium habere poteſt; hinc enim fit, ut quidquid regularis acquirit, non ſibi, ſed ſuo monaſterio acquirat, ſi videlicet eccleſiaſticum beneficium non obtinuerit. At ſi hoc conſecutus fuerit, hic regula locum nullum habet. Lege etiam, ſi libet, cap. 3. n. 4. lib. 4. vitæ D. Auguſtini tom. 21. col. 156. 157. 158.

Pag. 278. col. 1. ca. 5. „ Contra votum paupertatis „ peccas, ſi quid ex rebus in uſum tuum conceſſis, in „ alium uſum expendas, “ (recte), „ aut culpabiliter „ amittas, vel deſtruas *lata culpa*. “ Cur Buſ. addit *lata culpa*? an ſi ex culpa levi eas amittat, aut deſtruat, contra votum paupertatis religioſus non peccat?

Eis

Eas videlicet religioſus accipit in ſuum commodum: ergo ex quacumque culpa etiam leviſſima eas amittat, aut deſtruat, peccat. At ſi eas accipiat in commodum non ſolum ſuum, ſed etiam Religionis; quia Religio eas non conceſſit, niſi quia Religionis quoque neceſſitas, aut utilitas id poſtulavit, nihilominus ex culpa etiam levi, peccati reus eſt. Quoniam vero reſtitutio hic locum non habet, religioſus factum confitebitur, & pœnitens a Confeſſario abſolvetur.

Eadem pag. 278. ca. 6. „ nec procuratores, œconomi, adminiſtratores Prælati inferiores quicquam poſſunt expendere, contra quam regula ordinis, voluntas „ Superiorum, vel conſuetudo poſtulat. “

Recte quidem, ſi vis. At voluntas Superiorum, aut etiam ſupremorum Prælatorum, regulæ ſubdita, licentiam contra hanc dare non poteſt: conſuetudo vero regulæ contraria, genuina corruptela eſt. Regulares enim ordinem profeſſi ſunt juxta regulam, non juxta conſuetudinem, ſeu uſum regulæ contrarium. Vide animad. 6. 7. 8. in hoc capite.

P. 293. col. 1. Reſp. „ adde, quod qui eo otitur, ne „ in choro quidem obligetur ad pſalmos pœnitentiales, „ graduales, officium Defunctorum, excepto die animarum. Officium tamen B. V. in choro recitari debet, „ ubi eſt conſuetudo. Ita Fill., & Bonac. ex Bulla Pii „ V., & Clem. VIII. “ Equidem in Cal. P. lego, *Recitantibus offi. B. M. V., Def., Pſ. grad., & pœnit. S. Pius V P. M. concedit indulgentias, ut in ejus bulla. Si quis tamen extra chorum talia officia, vel Pſ. Prætermiſerit, non peccabit*; quaſi vero ea in choro omittentes, peccent. At recte Buſ. citatis Fill., & Bon. Nam Bulla S. Pii V. *quod a nobis*, 10. Maji 1602 Breviario præfixa, ita habet. *Jubemus igitur omnes, & ſingulos Patriarchas &c., ut omiſſis &c. tam ipſi quam cæteri omnes Presbyteri, & Clerici &c. ex hujus noſtri Breviarii formula, tam in Choro, quam extra illum* Officium *dicere, & pſallere procurent.* Tum addit: *quod vero in rubricis noſtri hujus offi ii præſcribitur, quibus diebus officium B. M. ſemper Virginis, & Defunctorum, item ſeptem Pſalmos pœnitentiales, & graduales dici, ut pſalli oportent, nos propter varia hujus vitæ negotia, multorum occupationibus indulgentes peccati quidem periculum ab ea præſcriptione removendum duximus &c.*

Tum priora verba *tam in choro, quam extra illum* explicate, tum poſteriora *quod vero in rubricis* &c. indefinite enuntiata, & prioribus proxime connexa, de officio non ſolum extra chorum, ſed etiam in choro loquuntur; &, ego ſentio, ſine dubitatione a peccato liberant omittentes officium B. V. defunctorum &c. Recte autem addit Buſ. „ officium tamen. B. V. in choro „ recitari debet, ubi eſt conſuetudo; “ quia ita explicate habet appellata S. Pii V. conſtitutio.

P. 294. col. 2. in fine n. 4 „ diviſio autem Matutini „ a laudibus non dicit interruptionem officii; unde privatim fieri poteſt ſine cauſa. Dian. &c. “

Hæc eſt, inquit Concina Theol. tom. 2. p. 368. n. 9., communior ſententia, & probabilior, quam ego, prout mihi commodum eſt, quoad praxim ſecutus, & ſecuturus ſum. Idenim, inquit idem P. Concina, „ ex primæva inſtitutione ſemper licuit, nuſquque ratio occurrit, cur „ id nunc non liceat, potiſſimum extra chorum. “ Addit potiſſimum extra chorum, quia in choro obſtare forte poteſt conſuetudo. In hac porro ſeparatione, in fine Matutini recitanda eſt collecta illius diei, ut facit Eccleſia in nocte Nativitatis Domini; & initio Laudum *Pater noſter*.

Eadem pag. 294. n. 5. „ quod ſi autem &c. v. g. ut amico . . . qui tecum legere cupit, ſatisfacias, nullum „ erit peccatum. “ Hic cum Concina Theol. t. 2. p. 486. n. 5. lubenter adderem, *ſi tamen amicus tuli egeat ſocietate*. Vix amicus eſſe poteſt, qui ſine ulla indigentia a te poſtulat, ut ſtatutum ordinem in ſui gratiam invertas, quaſi eum plus, quam ordo ab Eccleſia præſcriptus, facere debeat.

P. 301. in fine animad. 12. Hinc Bened. XIII. in conc. Rom. tit. 16. cap. 6. *omnibus & ſingulis Parochis, & animarum Rectoribus* præcipis, *ne ultra biduum abſque Epiſcopi, ſive ejus Vicarii generalis licentia in ſcriptis, & gratis concedenda, idoneo tamen œconomo relicto, ab epiſcopali Curia approbata, ullatenus ab illorum parochiali ſtatione diſcedant.*

P. 350. in fine animad. VIII.

Hic mihi cum recenti Scriptore tract. 2. de pecc. cap. 5. ſul. 70. n. 14. fruſtra objiceretur, deſideria conditionata eſſe de objectis, ſeu actibus malis *ab intrinſeco, itaut nequeant a malitia expoliari, ſalva eorum conſiſtentia, igitur cum impoſſibile ſit, non eſſe mala, affectus in illa tendens ſub conditione impoſſibili, ſemper eſt malus, quia juxta regulam juris, conditio impoſſibilis reputatur non poſita*. Id inquam fruſtra mihi objiceretur. Nam non ſolum actus mali, de quibus ſermo nobis eſt, ſua malitia expoliari nequeunt, ut ait auctor, ſed ne intelleactur quidem præciſione, ea exui poſſunt, ut ego explicui in ea animad. p. 349. illis verbis: *abſtractio ſeu præciſio malitiæ* ab actu &c.; at falſum eſt, deſiderium ſeu affectum ſub conditione impoſſibili in eos actus tendere, ut declaravi p. 350. cum ſcripſi. *Verum qui ſub conditione impoſſibili* &c. Regula juris, ſeu vulgatum illud dictum *conditio impoſſibilis reputatur non poſita*, ab re eſt; quia locum ſuum habet in ſponſalibus, Matrimonio, aliiſque contractibus, ut legitur apud Anacletum tom. 3. juris can. pag. 410. n. 441., & tom. 4. p. 75. n. 10. Lege etiam, ſi vis, meam animad. 7. in cap. 2. tract. 6. lib. 6. Ratio adverſarii oſtendit, deſideria abſoluta rei graviter malæ, a letali culpa per abſtractionem non excuſari, ſicuti ego quoque evici eadem animad. 8. & 9. ſequenti; non item deſideria conditionata, de quibus nunc agimus.

P 359. dub. 1. Reſp. 2. in fine n. 2. ait. „ denique „ ſi moderate honor appetatur ob honeſtum finem, erit „ actus magnanimitatis, ut docet Laym. “ ſi videlicet honor magnus ſit. *Nam propria materia magnanimitatis*, ut ait D. Th. 2. 2. q. 129. a. 2. *eſt magnus honor, & ad ea tendit magnanimus, quæ ſunt magno honore digna*. Nam ſi honor mediocris moderate appetatur, ex eodem S. Doct. ibidem eſt actus alterius virtutis, quæ nomine vacat. Idem docet Ariſt. Eth. 4. cap. 3., & 4.

P. 379. in fine Animad. 6. Lector hic recolat verba D. Th. ex ſuppl. ſumpta, ubi ait: *ſecus autem eſſet, ſi in aliqua neceſſitate aliquod ſacrum contingerent, vel exequerentur in illo caſu, in quo etiam laicis liceret* &c. Hinc enim ex mente S. Doctoris fieri videtur, ut Clerici minores, eas functiones exercentes, quæ etiam laicis permiſſæ ſunt, ut Eccleſiæ claves cuſtodire, eam aperire, & claudere, campanas pulſare, ampullas vini, & aquæ ad ſacrificium præparare, & cætera hujuſmodi, mortaliter non peccent, etiamſi mortalis peccati conſcii ſint. In hac enim ſpecie dici haud immerito poteſt, Clericos non facere ea, quæ ſibi competunt ex ordine, cum ea facere poſſent, etiamſi ordine initiati non eſſent.

P. 380. dub. 5. ca. 3. „ Invalidum eſt Sacramentum, „ 1. quod quis ſuſcipit cum intentione neutrali, ha„ bens ſe negative. 2. Quod ſuſcipit ficte, ideſt ſimu„ late; non tamen quod ficte, ideſt indiſpoſite. 3. Quod „ per meram vim animo omnino repugnante ſuſcipitur. „ Bon. l. c. “

Reſp. de tertia ſpecie non eſt dubitandum; quia Innoc. IV. cap. 3. *majores* t. c. 42. lib. 3. decr. ait, quod *eſt Religioni chriſtianæ contrarium, ut ſemper invitus, & penitus contradicens, ad recipiendam, & ſervandam Chriſtianitatem compellatur*. Quod 2. ait Buſ. falſum eſt. Nam Innoc. ibidem ita loqui pergit. *Propter quod inter invitum, & invitum, coactum, & coactum, alii non abſurde diſtinguunt, quod is, qui terroribus atque ſuppliciis violenter attrahitur, & ne detrimentum incurrat, baptiſmi ſuſcipit Sacramentum, talis (ſicut & is, qui ficte ad baptiſmum accedit) characterem ſuſcipit Chriſtianitatis impreſſum, & ipſe tanquam conditionaliter volens, licet abſolute non velit, cogendus eſt ad obſervantiam fidei Chriſtianæ*. His verbis confirmatur, quod habet Buſ. ca. hic 4. „ 2. Quod quis per metum „ coactus ſuſcipit &c. “ Et refellitur, quod ca. 3. affirmat, invalidum eſſe Sacramentum 2. „ quod quis ſuſ„ cipit ficte, ideſt ſimulate. “ Nam illud *ficte* Innoc. idem eſt ac ſimulate; cum ſupra dixerit, quod *non ſolum parvuli, qui non conſentiunt, ſed & ficti, qui quamvis non ore, corde tamen diſſentiunt, recipiant Sacramentum*. Idem habet D. Th. p. 3. q. 68. a. 10., ubi ait, quod *quando aliquis baptizatur, accipit characterem, quaſi formam, & conſequitur proprium effectum, qui eſt gratia remittens omnia peccata. Impeditur autem quandoque per fictionem. Unde oportet, quod remota ea per pœnitentiam, baptiſmus ſtatim conſequatur ſuum effectum*. Porro illud S. D. *per fictionem*, idem eſt, ac per ſimulationem; nam a. 9. ait. *Dicitur autem aliquis fictus per hoc, quod voluntas ejus contradicit vel baptiſmo, vel ejus effectui*. At hic mihi objicis S. Doctorem, qui q. cit. 68. ad 2. ait, *quod ſi in adulto deeſſet intentio ſuſcipiendi ſacramentum, eſſet rebaptizandus*. Reſp. ficto non deeſt intentio ſuſcipiendi Sacramentum, cum ſciens, & volens illud ſuſcipiat, licet Sacramentum, aut ejus effectus voluntati ejuſdem non congruat, ſed adverſetur; eſt enim, ut loquitur Innoc. IV. *conditionaliter volens, licet abſolute non velit*.

At, inquis, eſt ne invalidum Sacramentum, quod quis ſuſcipit cum intentione neutrali, habens ſe negative, ſicuti ait Buſ. hic 2.?

Reſp. ſi fictus, qui Sacramento ex Innoc. IV., & D. Th. repugnat, iiſdem docentibus Sacramentum quoad characterem valide ſuſcipit; multo magis illud valide ſuſcipit, qui ei non repugnat, uti eſt, qui cum intentione neutrali, negative ſe habens, Sacramentum recipit. Hic ſcilicet indifferens eſt, facit, ut via, ſeu ut

alia

Digitized by Google

alii volunt: at cum minime coactus, Sacramentum adminiſtrandi conſentit, non eſt amplius indifferens eo ipſo, quia Sacramenti ſuſceptioni conſentit. Quod ſi qui terroribus coactus Sacramentum recipit, valide recipit, licet ejus voluntas ab eo aliena ſit; cur negative ſe habens, invalide illud accipit cum ejus voluntas ab eo aliena non ſit? hic nimirum multo magis conditionaliter vult, quam coactus. Huic magis, quam coacto illud Innoc. IV. cap. cit. congruit. *Tunc ergo characterem Sacramentalis imprimit operatio, cum obicem voluntatis contrariæ non invenit obſiſtentem*; & hoc ſenſu Cajetanum, alioſque cum eo ſentientes, locutos non dubito. Poſitivus conſenſus neceſſarius eſt ad ſuſcipiendam Sacramenti gratiam; quo ſpectat ratio a Concina Theol. t. 8. p. 103. n. 3. contra Cajetanum allata, & D. Th. p. 3. q. 68. a. 7., ubi ait, *quod per baptiſmum aliquis moritur veteri vitæ peccati, & incipit quamdam vitæ novitatem ſecundum illud Rom. 6.* „ Conſepulti „ ſumus Chriſto per baptiſmum in mortem " &c. *Et ideo ſicut ad hoc, quod homo moriatur veteri vitæ, requiritur ſecundum Auguſtinum in habente uſum liberi arbitrii voluntas, qua eum veteris vitæ pœniteat, ita requiritur voluntas, qua intendat vitæ novitatem, cujus principium eſt ipſa ſuſceptio Sacramenti. Et ideo ex parte baptizati requiritur voluntas, ſive intentio ſuſcipiendi Sacramentum.*

P. 382. dub. 4. in fine Reſp. 2. „ Si autem aliquando ſine uſu rationis, non valet baptiſmus, niſi ante „ amentiam petiverint. " In hac enim hypotheſi in contradictione baptiſmi perſeveraſſe merito ponuntur. Cur enim nunquam ante amentiam baptiſmum petierunt, niſi quia illum recipere nunquam voluerunt? De his porro ita loquitur Innoc. IV. cap. *majores* mox cit. *dormientes autem, & amentes, ſi priuſquam amentiam incurrerent, aut dormirent, in contradictione perſiſterent, quia in eis intelligitur contradictionis propoſitum perdurare, etſi fuerint ſic immerſi, characterem non ſuſcipiunt Sacramenti.*

P. 390. in fine anim. 19. Quoad hoc legatur quoque conſtit. Bened. XIII. in app. Conc. Rom. n. 20 27. p. 142. 145. *In ſupremo militantis* 23. Septembris 1724.

P. 411. col. 2. 4. Si perfectio &c. 3. „ Si poſt conſecrationem etiam unius ſpeciei &c., uti ex S. Th. „ q. 73. a. 6. dicetur commun. " Verba S. Thomæ p. 3. q. 83. a. 6. ad 2. hæc ſunt. *Ubi difficultas occurrit, ſemper eſt accipiendum illud, quod habet minus de periculo, maxime autem periculoſum circa hoc Sacramentum eſt, quod eſt contra perfectionem hujus Sacramenti. Quia hoc eſt immane ſacrilegium; minus autem eſt illud, quod pertinet ad qualitatem ſumentis, & ideo ſi Sacerdos poſt conſecrationem inceptam recordetur, ſe aliquid comediſſe, vel bibiſſe, nihilominus debet perficere ſacrificium, & ſumere Sacramentum: ſimiliter ſi recordetur, ſe peccatum aliquod commiſiſſe, debet pœnitere cum propoſito confitendi, & ſatisfaciendi, & ſic non indigne, ſed fructuoſe ſumet ſacramentum; & eadem ratio eſt, ſi meminerit, ſe excommunicationi cuicumque ſubjacere: debet enim aſſumere propoſitum humiliter abſolutionem petendi; & ſic per inviſibilem Pontificem Jeſum Chriſtum abſolutionem conſequetur quantum ad hunc actum, quod peragat divina myſteria: Si vero ante conſecrationem alicujus prædictorum ſit memor, tutius reputarem, maxime in caſu manducationis, & excommunicationis, quod miſſam inceptam deſereret, niſi grave ſcandalum timeretur.* Grave ſcandalum jure timetur in ſolemni ſacro, uti habet Buſ., vel ſi celebretur in loco publico, ubi plures adſint, uti habent rubricæ citatæ n. 30. in hoc Buſ. cap.. Si autem in privato oratorio, aut etiam publico, ubi pauci adſint, tutius ex D. Th. eſt, ſi Miſſa omittatur, *maxime in caſu* &c. Nam illud Buſ. *Si commode poſſit abſumpere*, D. Th. non habet, & pro non dicto habendum eſt. Cur enim Miſſam commode abrumpere non poteſt? an quia eleemoſyna indiget? quaſi vero eleemoſynæ commodum ſacrilegæ reverentiæ præferendum ſit.

P. 424. cap. 3. dub. 1. Reſp. „ Miſſa eſt Sacrificium „ conſiſtens in conſecratione panis, & vini. " Hoc evincit Goret theol. man. t. 6. tract. 4. cap. 12. §. 2. p. 331. Hinc D. Th. p. 3. q. 82. a. 4. ad 2. ait. *Unde nec in hoc Sacramento Sacerdos conſecrat ſeipſum, ſed panem, & vinum; in qua conſecratione perficitur Sacramentum: uſus autem Sacramenti eſt conſequenter ſe habens ad hoc Sacramentum*; & a. 10. ad 1. inquit. *Hoc Sacramentum perficitur in conſecratione Euchariſtiæ, in qua Sacrificium Deo offertur.* Lege etiam, ſi vis, Natalem Alex. Theol. t. 1. lib. 2. cap. 6. a. 5. prop. 2. p. 337., ubi docet, & probat, ſumptionem ad Sacrificii quidem integritatem pertinere, non tamen ad ejus eſſentiam; cui ego præſertim propter D. Thomæ auctoritatem aſſentior; licet teſte P. Concina Theol. tom. 8. p. 425. communior ſententia contrarium propugnet. At diſſidium iſtud, ſubdit, parvi aut nullius momenti eſt; ... quia „ conſecratio, quæ principaliter ſaltem „ eſſentiam ſacrificii conſtituit, exprimit ordinem ne„ ceſſarium ad conſumptionem oblatorum; ita ut con„ ſumptio ſit de jure divino. "

P. 426. col. 2. Reſp. 3. 5. „ ſi die feſto adveniant „ perſonæ, quas non deceat ſacrum omittere, v. g. „ Rex, aut Princeps. " Quod animad. hic 21. dicitur de non interrumpenda Miſſa in gratiam supervenientis Principis, idem, aut etiam multo magis de ea non iteranda dicendum eſt, quia iteratio Miſſæ magis prohibita videtur, quam interruptio. Hinc Buſ. ipſe ſubdit, „ quamvis hic ultimus dicatur non eſſe in uſu. " Quod ſi alicubi forte in uſu ſit, uſus eſt abolendus, non fovendus ex dictis animad. cit. 21.

P. 426. in fine col. 2. „ 4. Si urgeat gravis neceſſitas „ vel propria, v. g. morbia; vel proximi, ut ſi moriturus ſit baptizandus, vel abſolvendus. "

De morbo cap. *nihil contra* 16. q. 5. can. 7 ita ſtatuitur. *Conſumus ergo convenire, ut cum a Sacerdotibus miſſarum tempore ſancta myſteria conſecrantur, ſi ægritudinis acciderit quilibet eventus, quo cœptum nequeat conſecrationis explere myſterium, ſit liberum Epiſcopo, vel Presbytero alteri conſecrationem exequi officii cœpti.* Non ergo quilibet morbus, ſed ille tantum, quo cœptum Sacrificium explere nequit, ab interruptione miſſæ excuſat. Idem caput *nihil* ſubdit: *nullus abſque provento patentis moleſtiæ miniſter, vel Sacerdos, cum cœperit, imperfecta officia præſumat omnino relinquere. Si quis hæc temerare præſumpſerit, excommunicationis ſententiam ſuſtinebit.* Ex quo intelligis, alias proprias neceſſitates hic locum non habere. Si moriturus, ſit baptizandus, non a Sacerdote ſacrificante, ſed ab aliis baptizandus eſt; & ab eo in ea ſolum hypotheſi baptiſmo initiandus eſt, ſi alii ejus miniſtrandi capaces non adſint; idemque dicito, ſi moriturus, abſolvendus ſit.

„ In aliis autem Sacramentis non ita neceſſariis, ait „ Buſ. non decet inter conſecrationem, & ſumptionem „ interrumpere (Laym. lib. 5. tract. 5. cap. 7. ait, *poſt factam oblationem, vel certe poſt canonem cœptum*) „ niſi moriturus eſſet in propinquo (ut ſi repentino „ morbo correptus in templo exiſtat, & viatico reficiendus ſit, ut ait Laym. loco cit.) nec opus eſſet „ veſtes exuere; vel niſi, ſubdit Buſ. pœnitentiæ Sa„ cramentum ob phreneſim ſuſcipere non poſſit. " In hac ſpecie, extrema unctio ipſi conferri poteſt etiam peracta conſecratione, ut habet idem Laym. ibidem citatis Zamb. & Chapeaville. At ſi chriſtianus abſolutionis capax non eſt, ne extrema quidem unctio ei miniſtrari poteſt; uti evinco Animad. 4. in cap. 1. tract. 5. lib. 6. ergo multo minus Sacerdos ſacrificans Miſſam interrumpere poteſt, ut eam in noſtra ſpecie adminiſtrat.

Pag. 428. Reſp. primo ſi ſit neceſſitas &c. ad ea verba. „ Cum qua cautione etiam Epiſcopum poſſe conce„ dere facultatem in neceſſitate &c. "

Verſatiles opinatores ex arbitrio facultates facile concedunt; & licet alii repugnent, penes ipſos tamen ratæ ſunt. Ac Epiſcopis adempta ſunt facultas permittendi, ut extra Eccleſiam, & oratoria ad divinum tantum cultum dedicata Miſſa celebretur, ut evinco Animad. 21. in hoc Buſ. cap. 3. multo ergo magis ipſis vetitum eſt permittere, ut in mari celebretur, ubi ns locis celebrari contingit, quæ ſuæ ipſorum juriſdictioni ſubdita non ſunt.

Præterea apud Pittonum Dec. pro ſitibus p. 114. n. n. 387. ita legitur. „ 1615. 20. Mart. Licentiæ celebrandi in privatis oratoriis nonniſi a Sede apoſtolica „ ſunt concedendæ, & facultas hujuſmodi licentias „ dandi adempta unicuique eſt decreta Concilii Tridentini, ut per litteras circulares ſingulis Epiſcopis „ ſignificavit Cong. Concilii juſſu Pauli V. " apud Clericatum &c. & refert etiam Paſquali &c. ergo &c.

Eadem p. 427. „ Addo 5. quia oratoria etſi deputata „ ad cultum divinum " (ad quem, ſeu ad miſſam celebrandam nonniſi a Summo Pontifice deputari poſſunt ex mox dictis; & ab eo poſſunt, etiamſi nec benedicta, nec conſecrata ſint, ut omnes fatentur ſine ulla controverſia, ut monet etiam Anacl. t. 3. juris can. lib. 3. Decr. tit. 41. n. 56. p. 594.) „ cum tamen benedicta „ non fuerint, niſi &c. non ſunt capacia violatio„ nis. " Hic ſcilicet ſermo eſt de oratoriis privatis. Nam oratoria publica dicuntur Eccleſiæ, quæ cum benedictæ ſint, violari etiam ſine dubio poſſunt; quæ violatæ cum fuerint, Miſſa in iis dici non poteſt, niſi reconcilientur. Hic vero Anacl. n. 58. contra ac dixi Anim. 56. in cap. 1. tract. 3. lib. 3. p. 551. & habet Concina Theol. t. 8. diſſ. 2. cap. 7. n. 54. p. 492. pro certo habet, audientes Miſſam in oratoriis privatis, præcepto Eccleſiæ non ſatisfacere. Quia, inquit, „ expreſſe de„ mandat, atque declarat Pontifex, (Clemens XI.) *perſonas quaſcumque, dictas Miſſas audientes, nullatenus*

præ-

Google

præcepto Eccleſiæ ſatisfacere. Reſp. Anacletus animadvertere debuit, verba Pontificis Clem. XI. in decreto *Quoniam ſancta* 15. Decemb. 1703. eſſe hujuſmodi. *Demandando propterea ulterius, ac declarando; in omnibus hujuſmodi caſibus, perſonas quaſcumque, dictas miſſas audientes, nullatenus Eccleſiæ præcepto ſatisfacere*. Non ait, *perſonas quaſcumque abſolute*, ut male refert Anacl. ſed cum eo addito *in omnibus hujuſmodi caſibus*. Quinam ſunt hujuſmodi caſus? primo ſi Miſſa dicatur diebus ſolemnibus, & exceptis in indulto. 2. Si poſt unam Miſſam, alia, aut aliæ celebrentur. 3. Si Miſſa celebretur poſt meridiem. Hi ſunt caſus, in quibus miſſam audientes, præcepto non ſatisfaciunt, ut ex verbis, & contextu decreti clare liquet. His caſibus exceptis audientes Miſſam, præcepto ſatisfaciunt, dummodo ſint ex eorum claſſe, qui in apoſtolico indulto includuntur, quod ſemper conſulendum eſt, & attente conſiderandum.

Cæterum nomine *familiæ tuæ*, veniunt quidem Uxor, conſanguinei, & affines in domo privilegiarii, & cum eo habitantes, non tamen famuli, & ancillæ, licet hos quoque comprehendi velit Concina loco cit. quia de familia privilegium ſeparatim loquitur, cum ſubdit: *volumus autem, quod familiares ſervitiis tuis tempore dictæ miſſæ actu non neceſſarii, ab obligatione audiendi miſſam in Eccleſia diebus feſtis de præcepto minime liberi cenſeantur*, ut habetur apud Pittonum de ritibus p. 273. n. 876.

Quod ſi in indulto ſubdatur, ut habet Conc. n. 16. *volumus autem, ut alii, qui non ſunt de familia, non cenſeantur liberi ab obligatione audiendi Miſſam in Eccleſia*, nomine Familiæ recte intelliguntur etiam famuli, & ancillæ juxta D. Concinæ ſententiam; ideoque indulti Apoſtolici verba attente perpendenda ſunt, quæ ſi obſcura, & dubia ſint, certa incertis præferri debent.

P. 444 art. 2. „ Secunda. Quando vel pœnitenti &c. “ Quoad hoc vide animad. 32. in hoc cap. pag. 468.

P. 446. col. 1. 5. „ etſi poſſit, & aliquando ob fra- „ gilitatem pœnitentis etiam expediat, injungi opus „ alias debitum, ſeu præceptum, v. g. Miſſæ auditio- „ nem die feſto &c. ut docent Suarez, Vaſquez Laym. „ lib. 5. tract. 6. cap. 15. & alii. “ Hic Laym. loco a Buſ. cit. n. 10. ita addit. *Veluti ſi confeſſarius nactus ſit hominem Eccleſiæ præcepta nonobſervantem, injungat ei, ut uſque ad proximam confeſſionem ſtata Eccleſiæ jejunia obſervet, feſtis diebus Miſſam audiat. Si enim, ut aliqui ſolent, tali homini imperet, ut deinceps duas miſſas feſtis diebus audiat, difficile obtemperabit, quia antea neque unam audire ſolitus fuit*. Reſp. difficile quidem obtemperabit; at difficultas a vero pœnitente ſubeunda, & ſuperanda eſt. Si opus tantum præceptum pœnitenti imponas, nihil oneris ei imponis; cum tamen pœnitentia onus ſit, ſeu eſſe debeat. Sicuti avaris eleemoſyna, luxurioſis afflictio corporis præſcribenda eſt, ita indevotis devotio, non illa ſolum, quæ ex præcepto neceſſaria eſt, ſed etiam non præcepta; uti avaris eleemoſyna etiam non præcepta, & luxurioſis afflictio etiam non imperata injungenda eſt.

Buſ. ibidem. „ Unde ſi ſcrupuloſus ſæpius redeat ad „ confeſſionem, intra breve tempus ſemper nova con- „ fitendo, non ſemper neceſſe eſt, imponere pœniten- „ tiam novam &c. “ imo neceſſe eſt, ut oſtendo pag. 472. Animad. 40. in hoc Buſ. cap.

Eadem pag. 446. 6. „ Utrum vero licita imponantur „ preces recitandæ pro defunctis dubitari poteſt. Vega „ &c. negant. Affirmant probabilius &c. “ Syn. Trid. ſeſs. 6. cap. 14. inter pœnitentiæ partes recenſet *ſatisfactionem per jejunia, eleemoſynas, orationes, & alia pia Spiritualis vitæ exercitia* (cujuſmodi quoque ſunt actus interni, ut fidei, ſpei, caritatis, dilectionis inimicorum &c.)... *pro pœna temporali, quæ non tota ſemper dimittitur* &c. At ex D. Thoma Suppl. 3. p. q. 13. a. 2. ad 3. *non autem qui pro alio ſatisfacit, etiam pro ſe ſatisfacit; quia illa quantitas pœnæ non ſufficit ad utrumque peccatum*. Ergo qui preces pro defunctis recitans, pro iis ſatisfaciendo, pro ſe non ſatisfaciunt: ergo cum ſatisfactio in Sacramento pœnitentiæ, pro ipſo pœnitente ex cit. verbis Syn. Trid. imponenda ſit, preces pro defunctis imponendæ non ſunt.

Porro ex ſacræ Trid. Syn. verbis mox recitatis intelligitur, actus quoque internos pro pœnitentia injungi poſſe, puta orationes mentales, quæ vocalibus nobiliores ſunt, & in quibus fidei, ſpei, & caritatis actus exercentur.

P. 481. col. 2. „ 8. An approbatus ab uno Epiſcopo, „ poſſit in alia Diœceſi ſine nova approbatione recipere „ juriſdictionem, controvertunt DD. &c. negativa o- „ mnino tenenda eſt. V. Averſ. &c. “ Vide Anim. XX. in hoc cap. eadem col. 2. Reſp. Idque vel tacite, vel expreſſe; de tacita delegatione vide Animad. 15. in hoc cap.

P. 483. col. 1. ca. 1. „ Unde Clem. VIII. ſtatuit, „ ut Prælati Religionum, ſi quidem valint, undecim „ tantum caſus reſervare poſſint “. Ita quoque habet P. Concina Theol. tom. 9. p. 577. n. 34. ex decreto Clem. VIII., & Urbani VIII.

Addit Buſ. „ nec plures ſine conſenſu Capituli gene- „ ralis pro tota Religione, vel Capituli Provincialis pro „ Provincia. “ De hac additione nihil dico, quia decreta Clem. VIII., & Urbani VIII. quæ conſulam, in promptu non habeo. Hac de re attente viderint ipſi Religionum Prælati. Concina loco cit. abſolute ſubdit; „ præter hos nequeunt Prælati regulares alios ſibi re- „ ſervare caſus. “

Buſ. „ Quod tamen de culpa tantum, & non cenſuris intelligendum eſt; poteſt enim Prælatus aliquid præ- „ cipere ſub excommunicatione ſibi reſervata. “

Dum Prælatus cenſuram ſibi reſervatam addit, caſum ſibi reſervat contra mentem Clem. VIII., & Urbani VIII. Sed hac de re videant ipſi Prælati, ne ſibi jus contra jus arrogent, ſuaque auctoritate intemperanter utantur.

Eadem p. 483. Reſp. 3. Unde reſolves. “ Quod Dia- „ na, non audet, probare, niſi, ad Epiſcopum non „ pateat recurſus. Tunc enim &c. “ Quoad hoc vide hic Animad. 25.

P. 488. Anim. 5. “ aliter vero ſentiendum eſſet, ſi „ pœnitens &c. “ uſque in finem. Hæc additio hic perperam impreſſa, cudenda fuit poſt ſequentem VI. Animadverſionem.

Eadem p. 488. in fine Animad. VII. quoad regulares tamen ſequens VIII. Animadverſio legenda eſt.

P. 502. col. 2. 5. „ ubi docet, poſſe aliquando pœ- „ nitentem a Confeſſario obligari, & cogi ad manife- „ ſtandum complicem extra confeſſionem. “ Id intellige non ipſi confeſſario; quia perinde eſt, ſeu Confeſſarius pœnitentem cogas ad ſibi manifeſtandum complicem in ipſa confeſſione, ſeu extra. At in ipſa confeſſione ad id cogere ex Animad. hic tertia non poteſt: ergo &c. poterit autem, aut etiam debebit pœnitentem cogere, ut complicem aliis revelet, ſi revelatio ex caritatis, aut juſtitiæ officio neceſſaria ſit.

P. 509. In fine Animad. VI. Ergo ne, inquis, a calice, in quo ex confeſſione venenum eſſe ſcitur, ſylva, in qua paratam ſibi mortem ex unius latronis confeſſione Sacerdos noverit, abſtinere non licet? Hoc enim, ais, valde durum videtur. Reſp. id quidem noſtræ infirmitati durum eſſe videtur; at verum videri debet, ſi recolas, & attente conſideres, quæ in hac animadverſione dicta ſunt. Cæterum cum pœnitens ex neceſſario caritatis officio extra confeſſionem ſimilium periculorum, & malorum Sacerdotem monere debeat, Sacerdos ab eo veniam petat utendi notitia in confeſſione habita, quam ſi pœnitens det, uti eam dare debet, illa uti licebit. Quod ſi pœnitens eam dare nolit, illum quidem utpote caritatis legem implere recuſantem abſolutione negata dimittet, at tali notitia uti non poterit; dimittet, inquam, niſi forte ex data venia ſimilia eidem mala, aut majora immineant.

P. 533. col. 1. ca. 3. „ Licite contrahitur in reme- „ dium concupiſcentiæ, nihil aliud intendendo, modo „ proles poſitive non impediatur; “ Hic vide Animadverſionem XV. in hoc cap. 11. p. 542. 543. Subdit Buſ. „ Hinc etiam conjuges poſſunt abſtinere ab uſu conju- „ gii, & optare, ne plures accipiant liberos, quam poſ- „ ſint alere. “ Poſſunt abſtinere ab uſu conjugii ex mutuo conſenſu, non item ex alterius tantum partis voluntate; quia hoc idem eſſet, ac debitum negare. At ſi conjugio utantur, optare iis non licet, ne plures accipiant liberos ex Animadverſione hic XV. mox citata.

Eadem p. 533. col. 2. ca. 8. „ Sufficit etiam 2., ſi „ alterius conſenſui præcedenti, & non revocato, al- „ terius accedat. Unde ſi quis coram Parocho non ve- „ re conſenſerit, ſatisfacit conſentiendo poſtea. “ Hæc opinio rejicitur Animadverſione XXV. in cap. III. hujus tract. VI. p. 567.

P. 534. dub. 2. art. 1. col. 1. ca. 2. „ Si matrimo- „ nium ſit dubium. Et quidem ſi alter tantum dubitet, „ is non poteſt petere debitum; reddere tamen tene- „ tur, cum alter habeat jus petendi. “ Hæc certa ſunt ex auctoritate Lucii III., & Innoc. III., quorum verba hic habes Animad. X. p. 540.

P. 534. a. 2. ca. 6. „ Non tenetur reddere .... 3. Si „ alter mœchatus ſit; quia *frangenti fidem, fides frangatur eidem*; niſi tamen ipſe quoque ſit adulter, vel „ cauſa adulterii. “

Recte; quod intellige etiam ante ſententiam Judicis; quæ ſententia communis eſt teſte Concina Theol. t. 10. lib. 2. diſſ. 1. cap. 9. n. 13., „ Dummodo con- „ jux innocens certus, ait, moraliter ſit de perpetrato „ adulterio. Quoniam conjux reus per adulterium jus „ amiſit petendi debitum. “ Hinc ex adulterio alterius conjugis, divortium fieri poteſt, ut habet Buſ. hic dub. 3. Reſp. 2. ca. 1., & certum eſt ex Matth. 5. v. 32.,

ubi

ubi Chriſtus inquit. *Ego autem dico vobis; quia omnis, qui dimiſerit Uxorem ſuam, excepta fornicationis cauſa, facit eam mœchari.* At, inquis, ſi adulter, jus petendi debitum amiſit, petendo peccat; quia jus, quo caret, ſibi uſurpat.

Reſp. Ita ſcilicet. Hinc D. Antoninus a Concina loco cit., & Generro Theol. 2. 5. p. 291. citatus ait. *Adulterans, quia peccando in legem matrimonii, actu conjugali indignum ſe reddit, non debet exigere, niſi purgata culpa; aliàs peccat; reddere tamen tenetur exactus.*

Si ita eſt, inquis, adulteri, quoniam a petendo non abſtinent, innumera peccata admittunt. Reſp. Adulteri non poſſunt exigere commercium cum conjugibus innocentibus, veluti ex juſtitia ſibi debitum; illud tamen petere poſſunt, ut ex benevolentia concedendum. Uxores, cum petere non ſoleant, in tuto ſunt, ſi ne tacite quidem debitum petant, ſed ſolum reddant. Mariti, ſi petant, declarare debent, ſe non poſſe, nec velle cogere uxores, ſed in earum eſſe arbitrio petentibus obſequi, vel repugnare; vel diſpenſatio petenda eſt, quam Epiſcopi concedere poſſunt ex Animad. 30. in cap. 3. hujus tract. 6. lib. 6. p. 569. At nonne, inquis, ſacri Miniſtri prudenter ſe gerunt, dum hæc de re tacent, & adulteros, quibus ne in mentem quidem venit, ut dubitent de jure ſuo amiſſo, in bona fide relinquunt? Reſp. Hæc prudentia fucata eſt, ex corruptis verſatilis probabilitatis effatis profecta. Conſule Animadverſionem 31. in cap. 2. lib. 6. tract. 3. pag. 497. Nonne, ais, dici poteſt, adulterum exigere poſſe deinceps culpa per pœnitentiam deleta? Nam S. Antoninus inquit, *niſi purgata culpa*. Reſp. Illud *purgata culpa*, non eſt remiſſa per pœnitentiam, ſed legitime defenſa. Hinc vir uxorem fornicariam dimittere non poteſt 1., *Si ipſe vir ſimiliter fornicatus fuerit.* 2. *Si ipſe uxorem proſtituerit.* 3. *Si uxor virum ſuum probabiliter mortuum credens propter longam abſentiam, alteri nupſerit.* 4. *Si latenter cognita eſt ab aliquo ſub ſpecie viri lectum ſubintrante.* 5. *Si fuerit vi oppreſſa.* 6. *Si reconciliaverit eam ſibi poſt adulterium perpetratum, carnaliter eam cognoſcens.* 7. *Si matrimonio in infidelitate utriuſque contracto, vir dederit uxori libellum repudii, & uxor alteri nupſerit. Tunc enim ſi uterque convertatur, tenetur eam vir recipere.* Ita S. Th. ſuppl. q. 62. a. 1.

Ita Gener. tus, & res ex ſe cla ſa eſt.

P. 535. dub. 3. Reſp. 2. ea. 3. „ Si ante matrimonii „ conſummationem .... alter intret Religionem, in „ eaque profiteatur. Perez l. c. &c. communiter. " Hoc non eſt divortium, ut Buſ. ait, ſed matrimonii diſſolutio ex Syn. Trid. ſeſſ. 24. can. 6., ita ut qui relinquitur, ad ſecundas nuptias tranſire poſſit. Lege, ſi vis, Animadverſionem hic 30 p. 547.

Ibidem Reſp. 2. ca. 1. „ Alterius conjugis " &c. „ Excipitur tamen ab hoc caſo, 1. Si uterque conjux „ particeps ſit ejuſdem criminis, vel æqualis. " Idem habet D. Th. ſuppl. q. 62. a. 1., ubi ait. *Excipiuntur tamen ſeptem caſus, in quibus non licet viro uxorem dimittere fornicantem, in quibus vel uxor a culpa immunis eſt, vel utrique æqualiter culpabiles ſunt*; tum caſus explicat mox deſcriptos. Addit Buſ., " niſi innocens „ alteri condonarit; quod aliqui eum feciſſe cenſent, „ ſi eam poſt adulterium intellectum rurſus cognoverit. „ Bon. ex Conin., Henr., Fill., Per. S. 3. " Ita quoque ſentit D. Th. ea. 6. mox deſcripto.

P. 538. in fine Animad. VIII. dixi „ Ita ſane cap. „ ult. a Buſemb., & mox cit., " ubi Greg. IX. ita loquitur. *Si conditiones contra ſubſtantiam conjugii inſerantur, puta ſi alter dicat alteri: contraho tecum, ſi generationem prolis evites, vel donec inveniam aliam honore, vel facultatibus digniorem, aut ſi pro quæſtu adulterandam te tradas, matrimonialis contractus quantumcumque favorabilis, caret effectu.*

P. 553. dub. 4. Reſp. 1. „ *Addidi*, niſi ex ſpeciali, „ quia ſic Pontifex, non tamen Epiſcopus poteſt ma„ trimonium ratum diſſolvere ex juſta cauſa. " Dum Buſemb. ita loquitur, ponit Pontificem ex ſpeciali Dei conceſſione, in jure divino diſpenſare poſſe. At hic negatur ſuppoſitum. Unde nam, aut qua in re hanc ſpecialem Dei conceſſionem Buſ. colligit? „ quia, inquit, „ ſic Pontifex .... poteſt matrimonium ratum diſſolve„ re ex juſta cauſa. " Reſp. Poteſt quidem matrimonium ratum diſſolvere ex juſta cauſa, ut evinco Animad. 30. in cap. 2. hujus tract. 6. lib. 6. p. 547., At non ex ratione a Buſ. allata; ſed quia matrimonium ratum jure divino non eſt inſolubile, ut ibidem oſtendo auctoritate Alex. III.

P. 619. in fine Animad. XIII. In Galliis quoque, ut notat Habert teſte Concina Theol. tom. 10. p. 495. n. 22., hæretici converſi non habentur irregulares.

Eadem p. 619. in fine Animad. XIV. poſt recitata verba Pelagii Papæ dixi, „ Canon ſine ulla diſtinctione „ oculi loquitur, ideoque ſine ulla diſtinctione oculi ſeu „ ſiniſtri, ſeu dextri accipiendus eſt. " Dum canones ſine diſtinctione, ſeu exceptione loquuntur, ſine diſtinctione accipiendos eſſe, ipſa Gelaſii verba ſatis aperte indicant, dum ait, *nec ſacratiſſimos canones aliquem caſum in amiſſione oculi, qui ad Sacerdotium adipiſcendum impediret, ſuis excepiſſe regulis invenimus.* Ergo cum ne in noſtra quidem ſpecie Canones oculum dextrum excipiant, de utriuſque amiſſione intelligendi ſunt.

F I N I S.

Digitized by Google

ERRATA CORRIGE.

Pag. 6. *litt.* (d) *Hoc refellitur cor.* hoc retegitur. *p.* 7. *col.* 1. *ſed conſiliba ſibi cor.* ſed conſiſta ſibi. *p.* 22. *a.* 11. *an* ex æquitate teneri *cor.* &c. *p.* 26. *litt.* (a) præcepto *illudet cor.* illudit. *ibidem. a.* 1. ſacrilegum *opum cor.* opus. *p.* 39. *a.* 4. quot, & *quinam* ſint *cor.* quænam. *p.* 41. *col.* 2. poſtquam meam *orationem cor.* rationem. *p.* 42. *in fine col.* 1. ſeu æque, *ſeu minus* probabilem *cor.* ſeu magis. *p.* 43. *in fine a.* 11. *ſunt etiam facta* &c., *cor.* etiam ſacræ &c. *p.* 46. *a.* 7. *col.* 1. *At hereticæ conciones non ſolum cor.* quæ non ſolum. *Eadem a.* 7. *col.* 2. ab eaque *diſcordante* peccamus *cor.* diſcordantes. *p.* 47. *col.* 2. (*perſuaſionis* periculum) *cor.* perverſionis. *p.* 48. *ca.* 6. Si vero periculum *adſit cor.* abiit. *p.* 49. *col.* 1. inimicum, & hæreticum eſſe nolis *cor.* illud & deleatur. *eadem p.* 49. *a.* 11. quam *putant cor.* putat. *p.* 51. non *ſciat*, quomodo *cor.* non ſciant. *p.* 52. *col.* 2. *qui aliquo adhuc tempore cor.* abhinc. *ibidem. appellat, qui eum cor.* appellat eum, qui. *p.* 57. *initio col.* 1. „ *toties* diebus *cor.* totis. *ibidem col.* 2. Si hæ *immanes culpæ cor.* immanas. *p.* 62. *col.* 2. quin ſe *vel ſolum cor.* vel hilum. *ibidem.* ſine plumbeis *plandibus cor.* glandibus. *p.* 70. ſponte non *emendatem cor.* emendantem. *p.* 77. *a.* 12. *col.* 1. ſcandalum unde *oratur cor.* oriatur. *eadem a.* 12. *in fine.* & arte *quærunt*, &c. *cultus* inficete *cor.* queruntur ... vultus. *eadem p.* 78. *a.* 17. *priorum cor.* piorum. *p.* 79. *col.* 1. Reſp. *ergo* Baſembao non impoſui *cor.* ego. *p.* 81. *a.* 33. & primo quidem *fator cor.* fateor. *p.* 86. *dub.* 4. ex conſideratione alicuius *eſtentus cor.* eventus. *p.* 89. *col.* 1. *inquit*, *cor.* inquis. *ibidem.* nullam vim *habent cor.* habet. *ibidem etiam* fiat pie *cor.* etiamſi. *p.* 90. *col.* 1. & *ideſt* dicimur *cor.* & ideo. *in fine ejuſdem col.* 1. filios *Neth cor.* Heth. *eadem p.* 90. *col.* 2. de invocatione, *veneratione.* & *cor.* & veneratione. *ibidem.* ſentientium *animum cor.* animam. *eadem col.* 2. *Omnes damnata*, *cor.* omnes damnatas. *p.* 92. *col.* 1. *At quidem faciendum*, ſi &c. *cor.* at quid faciendum. *p.* 94. *col.* 1. *hoc eſt decimam* decimæ *cor.* hoc eſt decima. *ibidem col.* 2. An, inquis, laici ſine *jute cor.* laici ſine jure. *p.* 95. *litt.* (d) nemo *vovit cor.* nemo novit. *p.* 96. *col.* 2. *id licebt cor.* id licebat. *ibidem.* at neceſſe eſt, *ut quoque concedas cor.* ut tu quoque concedas. *ibidem. in pravi* vix aliquando &c. *cor.* in praxi. *p.* 97. *a.* 11. *hac ſane* metempſychoſis *cor.* hæc ſane. *ibidem.* Ergo, quia aſtra, ſomnia, & ſimilia *prorſus indicis cor.* nihil prorſus indicis. *p.* 100. *a.* 8. *ſeu doni*, ſeu in agro &c. *cor.* ſeu domi. *p.* 103. *litt.* (d) *hac eadem* intelligentia *cor.* hac eadem. *p.* 105. *col.* 1. & quia *cor.* illud & deleatur. *p.* 107. *col.* 1. ſine quo *ſui voti compar cor.* ſui voti compos. *p.* 108. *col.* 1. *jure naturali cor.* juri naturali. *p.* 113. & *ne alia* blaſphemiæ? *cor.* eſt ne alia. *p.* 114. *col.* 1. *Siquidem excuſantur*, ſi, *cor.* hi quidem. *p.* 118. *lit.* (f) & *quo ſenſum* &c. *cor.* & quo ſenſu. *p.* 120. *a.* 5. ita intelligi poſſunt, *qui eas profert cor.* ne qui. *ibidem. invocent cor.* invocet. *p.* 121. *a.* 7. *ſeu rem magis*, ſeu minus *cor.* ſeu per rem magis. *p.* 122. *a.* 11. *col.* 2. *veritate deſtruitur cor.* veritate deſtituitur. *ibidem.* perjurium *evidens defectu cor.* evidens eſt defectu. *ibidem. appellat proprium* &c. *cor.* appellat perjurium. *p.* 123. *a.* 13. hanc ſententiam *confirmant* Concina &c. *cor.* confirmat. *ibidem a.* 14. *col.* 2. *adductis* certiſſimis &c. *cor.* adductus. *p.* 125. *col.* 2. vel uxor, *qui jurat* &c. *cor.* quæ jurat. *p.* 126. *in fine a.* 15. *hac La Croixii* doctrina &c. videri poteſt *damnatione cor.* hæc La-Croixii &c. damnationem. *ead. p.* 126. *an.* 18. quo mendacia *tenerentur cor.* tuerentur. *p.* 136. *a.* 3. præterea ſi juramenta *exorta cor.* extorta. *ibidem a.* 4. intentionem & promittendi *cor.* illud & deleatur. *p.* 138. *a.* 11. qui enim &c. *conditione* alterius aſſenſus &c. *cor.* ſub conditione. *p.* 139. *col.* 1. *hinc* non de ſenſu &c. *cor.* hic. *ibidem.* ceterum mihi mens non eſt &c. *teneri cor.* tueri. *p.* 140. *a.* 22. *parte repugnante cor.* patre. *p.* 141. *a.* 25. hæc opinio &c. *quem La-Croix* &c. *cor.* quam. *p.* 143. *dub.* 1. Reſp. &c. *en D. Th. l. c. cor.* ex D. Th. l. c. (a) *p.* 146. *litt.* (2) *col.* 2. *propterea* ipſi videntur *cor.* præterea. *p.* 147. *a.* 5. hoc enim eſſet &c., *quis* imminente &c. *cor.* ſi quis. *p.* 148. *col.* 1. *non vetatur cor.* non vetantur. *p.* 149. *initio a.* 10. *ſeculo ſeandalo cor.* ſecluſo. *p.* 152. *a.* 20. *ut recte loqueretur cor.* loqueretur. *p.* 152. *a.* 22. & *fine* ſocietate *cor.* & ſine. *p.* 155. *litt.* (h) *in fine illud* produnt? *cor.* illum. *eadem litt.* (b) *p.* 156. Theologorum *ſententiam eſt cor.* ſententia. *p.* 157. *a.* 5. *famulis* judicio taxata *cor.* famuli. *a.* 6 ratione *repugnantes cor.* repugnante. *a.* 7. *expedens cor.* expendens. *p.* 158. *lib.* 3. *tract.* 2. *cor.* tract. 3. a. 8. *ob hoc onore cor.* ab hoc onere. *p.* 162. *a.* 1. eum Sampſon *opprimendo* &c. *cor.* ſeipſum opprimendo. *ibidem. ego miles*, *cor.* ergo miles. *p.* 163. *a.* 3. *col.* 2. *At etſi eſſet* incerta, *cor.* at etſi eſſent. *p.* 164. *a.* 7. ut homo &c. *permittat cor.* prætermittat. *p.* 166. *fratres*, illos &c. occidit *cor.* Frater. ~~*p.* 167. *a.* 17. Non licet quidem &c. ne ad urbis~~ excidium &c. *cor.* non licet innocentem &c. ne ad Urbis quidem excidium &c. *p.* 170. *a.* 25. quæ *jure culpatur cor.* jure culpantur. *a.* 17. *in fine. opinior cor.* opinor. *p.* 176. *a.* 9. *col.* 2. *initio. Concinam* quoquo modo vellicetur *cor.* ut Concinam. *p.* 178. *a.* 14. ſed nec reddere tenetur *aliud cor.* alter illud. *p.* 179. *a.* 17. non eſſe &c. malam, *ut ſputum* &c. *naturæ affectus eſt cor.* quia ut ſputum &c. naturæ effectus eſt. *p.* 180. *a.* 19. *utrum quæ* &c. *cor.* utrum qui. *ibidem.* ſi ex aliis *culpabilis cor.* culpabilibus. *p.* 181. *col.* 2. *ſive in illa* poſtea ſequatur *cor.* ſi illa. *ibidem. prima propoſitio cor.* probatur propoſitio. *p.* 182. *col.* 2. hinc S. Doct. *de præſcriptione* hujus &c. *cor.* de præſenſione. *p.* 185. *a.* 3. (velnti dux, &c. *ſuis probabilius* &c.) *cor.* probabilibus. *p.* 186. *a.* 5. quo magis injuriæ *parent cor.* patent. *p.* 187. *a.* 10. *in fine col.* 2. *uxoris* jus quoque &c. *cor.* uxori. *p.* 203. *a.* 25. *quo* in ſecundo caſu *cor.* quod. *ibidem. ſe non ideo cor.* ſed non ideo &c. *p.* 206. *col.* 1. *quia liberum* nullam &c. *cor.* quia liberum corpus. *ibidem. a.* 34. cogitur *injuriam cor.* injurians. *p.* 231. *col.* 1. *lin.* 1. *in re venditor* quidem non peccavit *cor.* in re vendita fuerit, venditor quidem &c. *p.* 234. *col.* 1. ad verba D. Th. Si autem emit rem, *ut vendat cor.* non ut vendat. *p.* 238. *a.* 47. non ſolum ſæculares, ſed &c., *reſtitutione cor.* reſtitutione teneri. *p.* 242. *a.* 62. ſupra pecuniam *ſolitam cor.* ſolutam. *p.* 251. *a.* 13. *col.* 2. *velle aliquid* extraordinarium accidere &c. *cor.* verum aliquid. *p.* 257. *litt.* (d) hanc laxitatem refutatam leges *animad. hic* 14. *cor.* animad. 24. in cap. 2. tract. 3. lib. 2. p. 70. *p.* 259. *a.* 12. qui tamen graviter *eum læditur*, quia ictum propulſat, vel eludi. *cor.* non læditur ... eludit. *p.* 261. *a.* 21. caritas *non cogit cor.* nos cogit. *p.* 265. *col.* 2. eos vero *reprehendendo cor.* reprehendo. *p.* 266. *col.* 2. *hac enim*, quia perfectæ &c. *cor.* hæc enim. *p.* 267. *a.* 4. *D. Th.* 2. 2. *q.* 147. *ar.* 41. *ad* 3. *cor.* ar. 4 ad 3. *ibidem* videntur tamen in talibus &c. *cor.* videtur. *p.* 271. *col.* 1. ſed certa ex dictis *p.* 34. *reg.* 5. *cor.* p. 36. a. 20. in reg. 5. Buſ. *p.* 275. *col.* 1. vel obediendi ſuis *ſuperioris cor.* ſuperioribus. *p.* 285. *a.* 10. *faciline* eſt acceſſus *cor.* facilis. *ibidem a.* 11. hæc doctrina &c. *explicare* traditur *cor.* explicate. *p.* 287. *a.* 27. ſacri canones &c. intentatum *reliquunt* .... *quia in re cor.* relinquunt .... qua in re. *p.* 297. *a.* 2. qui *accurationem* juris &c. *cor.* accuratiorem. *p.* 300. *in fine a.* 6. qui chori inſerviat *cor.* inſerviant. *p.* 304. *a.* 16. verum licet *in ſuis* conſtitutionibus *cor.* in illis. *in fine a.* 16. quare &c. non ad *utriſque cor.* utroſque. *ibidem a.* 17. *col.* 1. at cum ex mox dictis &c. *reſignationem quidem cor.* ne reſignationis quidem. *p.* 311. *a.* 44. *col.* 2. hoc eſt præceptum *eo majori cor.* ex majori. *ibidem.* ceterum hic &c. *dire* tenentur *cor.* dicere. *p.* 312. *verſus finem a.* 44. Nam *iter eſt* abſolute *cor.* iter eſſe. *p.* 313. *a.* 46. *favente* eodem La-Croix *cor.* fatente. *ibidem.* ſuæ, & univerſalis *Eccleſia cor.* Eccleſiæ. *a.* 49. *At, inquit Buſemb., qui ſupplet, rependit quidem æquale* &c. *cor.* At, inquit Buſemb., qui ſupplet, rependit æquale; ergo fructus retinere poteſt. Reſp. rependit quidem æquale, ſi materialem &c. *p.* 317. *col.* 2. audiatur D. Th. eodem a. cit. *in quodlib.* in corp. *cor.* illud *in quodlib.* deleatur. *p.* 318. *col.* 2. *lin.* 1. *in quam* ſenſum *cor.* in quem. *p.* 321. *a.* 65. *col.* 1. aut cui civitatis Epiſcopus *Eccleſiaſticarum* commiſerit *cor.* rerum eccleſiaſticarum. *ibidem col.* 2. *lin.* 1. id *non litet cor.* id non licet. *p.* 336. *a.* 29. non quoad *evidentes* injuſtos *cor.* evidenter. *ibidem a.* 33. *ut Religioni cor.* aut Religioni. *p.* 337. *verſus finem a.* 34. *non eſt ſolum mortale cor.* morale. *p.* 338. *in fine a.* 38. *hic facit cor.* huc facit. *eadem p.* 338. *in fine col.* 1. *ne inique* reſtitutioni *cor.* ne iniquæ. *in fine a.* 39. Sed hac de re *conſule lib.* &c. *cor.* conſule dicta in lib. 3. tract. 2. cap. 2. dub. 4. animad. 15. 16. 17. *p.* 339. *a.* 45. *eſſe mutilem cor.* eſſe inutilem. *p.* 340. *a.* 46. *juſta opportune cor.* inita. *a.* 47. *in fine col.* 1. *unde* verſatilis opinatoris *cor.* unius. *a.* 48.

quod

Digitized by Google

quod leges &c. contraria ſententiam cor. contrariam. p. 341. marg. ipſe Sotus &c. contra opinionem cor. contra ſuam opinionem. ibidem in fine col. 1. tenebrare ... tenebratio cor. terebrare cor. terebratio. p. 342. a. 48. Hinc D. Aug. Retract. l. 1. t. 9. cor. cap. 9. p. 346. litt. (b) D. Aug. lib. 2. &c. t. 1. cor. cap. 1. ibidem col. 2. Deo-datum cor. Adeodatum. p. 350. a. 9. col. 2. quia nulla voluntas vult malum cor. vult malum, ut malum. p. 357. a. 4. cum noverit cor. cum voverit. a. 7. col. 2. eſſe intelligendos de contemptu abſoluo cor. abſoluto. p. 358. a. 8. ſunt voces multorum cor. ſtultorum. p. 365. col. 2. parum poſſunt cor. proſunt. p. 370. col. 1. ut patet eſt dictis cor. ex dictis. ibidem at inde ratione cor. utendi ratione. ibidem. Reſp. confuſa ſcilicet cor. confuſe. ibidem. ſed quaſitum, utrum ebrietas &c. cor. ſed quæritur. p. 371. a. 17. ſicut blaſphematur cor. blaſphemamur, quorum dominatio eſt cor. quorum damnatio juſta eſt. p. 375. a. 11. neceſſitati coactus cor. neceſſitate. p. 386. col. 1. ut collatione baptiſmi &c. cor. collationem. p. 390. ad hæreticis cor. ab hæreticis. p. 394. litt. (e) ſubdit idem Bened. XIV. a. 7. cor. n. 7. p. 395. a. 1. in fine col. 1. hinc D. Th. &c. & Apoſtolos cor. illud & deleatur. p. 403. litt. (i) lege animad. 29. in caput præſens cor. in cap. ſequens. p. 404. a. 3. ſacrificii integritas, valor cor. & valor. a. 4. col. 2. At ſi id ſatis non ſit prope altare propoſito cor. aut ſi id ... poſito. p. 406. a. 10. & verba ille cor. verba illa. ibidem. ideſt ſanguinis Chriſtis, unde pertinet cor. Chriſti ... pertinent. p. 407. a. 14. non habent amplius cor. non habet. a. 15. quod utriuſque turam cor. naturam. p. 432. a. 5. col. 2. ſacrilegi ſunt miſſarum mundinatores cor. nundinatores. p. 435. a. 19. id amittit quoque &c. cor. id admitit. p. 437. a. 25. abſque ordinariorum licentia in quibus degunt cor. in locis, in quibus degunt. p. 441. in fine a. 41. & de communis cor. communi. p. 449. litt. (a) ex quo a materiali &c. liberet cor. liberetur. p. 450. a. 3. col. 2. introduci poſſe aliqua legitima &c. cor. ſine aliqua legitima &c. p. 451. a. 4. ſententia contraria D. Thomæ cor. ſententia contraria. p. 456. col. 2. a timore abſolute &c. cor. a timore ſervili abſolute. ibidem. timor ſerviliter ſervilis totam pœnam timet cor. ſolam pœnam. p. 460. col. 1. idem demum Bened. XIII. cor. illud demum deleatur. p. 461. col. 2. quod ſi plura hanc de re cor. hac de te. p. 463. a. 23. ſynodus &c. annis &c. cor. anni. p. 467. col. 1. niſi abſolute impertita cor. niſi abſolutione. ibidem. at ſive per alios &c. cor. ait ſive &c. p. 470. a. 35. ergo multo damnabilis eſt, quod cor. multo damnabilius. p. 475. a. 49. Reſp. &c. ac medecinam præſcribit, quis inquam. hic demum cor. ac medicinam, quis unquam. huc demum. p. 477. a. 55. ex ratione alla cor. allata. p. 478. a. 62. ut defunctos plus proſit cor. ut defunctis. p. 487. a. 3. col. 1. Ordinarii ita præcipit cor. ordinariis. ibidem. ex vitio cor. eo vitio. a. 4. ex Syn. Trid. &c. c. 5. cor. c. 15. p. 488. a. 5. „ aliter vero ſentiendum eſſet " &c. hæc additio non hic, ſed poſt ſequentem 6. animadverſionem imprimenda fuit. eadem a. 6. col. 2. in aliena diœceſim cor. diœceſi. ei tamquam confeſſo cor. inconfeſſo. in fine a. adde, „ aliter vero ſentiendum eſſet „ &c. ut a. 5. a. 7. verſus finem. ſeu tacite, & verſaliter cor. & verſatiliter. p. 489. col. 2. at Sacerdotes &c. cor. ne Sacerdotes. ibidem. non obſtare allato decreto cor. non obſtante. p. 491. a. 15. quæ ſine expreſſa &c. a præſente cor. quia. eo præſente. p. 493. col. 1. quæ reipſa careat cor. qua. ibidem. ſeu Papæ confeſſione cor. conceſſione. p. 494. a. 18. ſed agere quoad hoc cor. ſed egere quoad hoc. p. 496. col. 1. cæterum prædictis ſententiis cor. a prædictis. in articulo mortis conſtitutis cor. conſtitutus. cum Bulla &c. ad caſus occultos reſtringunt cor. ad caſus publicos. Bened. XIV. &c. cor. lib. 4. c. 1. n. 5., & lib. 9. cap. 4., & 5. reliqua deleantur. ita Alex. XII. cor. VII. ibidem col. 2. verſus finem a. 26. in præceps urit. cor. ruit. p. 497. a. 31. qui cum iis ſentiunt cor. & qui cum iis. p. 500. a. 27. preces profuſa cor. pro aliis fuſæ. p. 501. a. 42. hujus rei veritatem ejicere cor. elicere. p. 506. col. 1. alio quovis modo prodeat cor. prodat. p. 508. a. 4. col. 2. Scriptionem aliis operit cor. aperit. p. 509. col. 1. ex ſcientia uti licet cor. ea ſcientia. a. 9. cum addit ſaltem &c. cor. cur addit ſaltem. p. 512. col. 1. omnia præcipias cor. omnia præcipit. p. 513. litt. (c) lib. 8. cap. 1. n. 1. confirmat cor. cap. 5. n. 1. id confirmat. p. 514. litt. (g) contrictionis cor. contritionis. p. 516. a. 4. col. 1. contritio ex ſe peccatorum non reſtituit cor. peccatorem. ibidem. Innoc. hic ſcribit cor. ita ſcribit. p. 517. verſus finem a. 3. Syn. Colon. &c., idem eſt rata cor. idem eſſe rata. p. 519. marg. vide animad. 10. in lib. 1. cap. 6. cor. in lib. 6. cap. 1. p. 521. a. 5. dum hæc intelligis cor. intelligas. p. 522. col. 2. non ait, aliis eſtis cor. aliis feſtis. p. 524. dub. 2. ea. 4. Secus tamen ſi ipſa non ficte cor. Si ipſa inæqualitatem ſtatus ignorarit, aut ſi ipſe non ficte. p. 526. litt. (b) quæ parentes quo filiis cor. pro filiis. p. 539. a. 10. ratio La-Croiaii eſt cor. tertia ratio. p. 540. col. 1. & alios 17. cum Schild cor. cum Schild. p. 543. a. 16. Sed ex effraui libidine cor. Sed ex effræni libidine. p. 544. a. 17. ſibi aſurpat. cor. uſurpat. p. 548. a. 31. includitur & etiam pollutio cor. illud & deleatur. p. 554. litt. (f) col. 1. hoc inquam evincit cor. illud inquam expungatur. alioſque moltos cor. alioſque multos. p. 555. litt. (i) etiam conſanguinitatis cor. etiamſi conſanguinitatis. frigiditatis ſi cor. illud ſi expungatur. litt. (p) Fagnanus ſacræ congregatione confirmat cor. ſacræ congregationis declaratione confirmat. p. 556. litt. (q) La-Croix loco cit. cor. ex La-Croix. litt. (1) quod enim militibus in præſidiis &c. cor. quod enim de militibus. p. 560. a. 7. col. 1. Reſp. hæc cauta cavillatio cor. hæc acuta, in uſa matrimonii nulli cor. nullius. p. 561. a. 9. omnino tenetur cor. tenentur. p. 565. a. 20. hoc decretum &c. refert. cor. refertur. p. 566. col. 2. reſolvuntur Theologi &c. cor. reſolverunt. p. 567. Bened. XIV. &c. lib. 6. n. 13. cor. lib. 6. cap. 6. n. 13. p. 582. litt. (h) pari pœna pectendum cor. plectendum. p. 583. 10. in imprimentes &c. & ſui ſcripto libros cor. & qui ſcripto. p. 584. initio col. 1. & medicinam audiſſet cor. audiſſent. quia tamen audiendi &c. cor. qui tamen. p. 595. a. 5. participare excommunicato ſi peccatum &c. cor. ſit. & propter hoc poteſt aliqui excommunicari &c. cor. aliquis. p. 596. a. 8. per hoc tamen &c. in aliquo revelare cor. relevare. p. 597. a. 12. col. 1. at hæc ſententia cor. ſententia. p. 599. a. 19. col. 1. agentes ex profeſſo de fine cor. de fide. col. 2. non ſolum Germanis cor. non ſolum a Germanis. p. 602. litt. (a) cujus ni jure cor. in jure. p. 604. litt. (l) propter crimina valide ſcandaloſa cor. valde. ibidem a. 1. ad exercitum ſibi ſuſpenſum cor. ad exercitium. ibidem. Clerico licere poteſt &c. cor. an Clerico &c. p. 605. a. 8. idem Innoc. IX. cor. IV. ibidem. ut puta deconatam cor. decanatum. p. 613. litt. (m) cujus verba habes hic in Reſp. 3. dub. 3. cor. dub. 5. litt. (n) vide dicta in dub. 3. cor. in dub. 5. p. 618. col. 1. inmuit La-Croia cor. inquit La-Croix. a. 12. quod id habet Buſemb. cor. quod hic. p. 619. a. 24. ex Pelaſio Papa cor. ex Pelagio Papa. a. 15. col. 1. „ ad ordines quoque majores cor. ad ordines vero. p. 662. col. 2. ut in calce hujus diſſ. cor. hujus diſp. p. 661. initio col. 1. cum eo non violari cor. eo non violari. ibidem. ac S. Zechius cor. ac P. Zechius.

119661.27

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google